
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — F
31

MAXIMA
BIBLIOTHECA
VETERVM PATRVM,
ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM
ECCLESIASTICORVM.

PRIMO' QVIDEM A' MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Parisiensi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORVM IN VNIVERSITATE COLONIENSI
Doctorum studio, plurimis Authoribus, & Opusculis aucta, ac historicâ methodo per singula sæcula quibus Scriptores quique vixerunt, disposita.

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus, & Opusculis hactenus desideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni accesserunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vastissimâ collectione verè faces, & vt quis ad ipsorum lectionem introducatur, vtilissimi, imò omninò necessarij.*


I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipsorum ætates, & scripta indicans.
II. CLASSICVS. Authores per materias de quibus egerunt, exactè distribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analysim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum amplissimus.

Consule quæ de his indicibus in ipsorum frontispicio, circa eorum vtilitatem, & vsum prænotata sunt.

TOMVS VIGESIMVSTERTIVS,
Continens Scriptores ab ann. Christi 1150. ad ann. 1180.



LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.
M. DC. LXXVII.
CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.





SERIES AUTHORUM, ET OPUSCULORUM,

QÆ HOC SÆCULI DUODECIMI PARTIS III. VOLUMINE I. seu TOMO XXIII. BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ VETERUM PATRUM comprehenduntur.

BEATUS ÆLREDUS *Rievallensis in Anglia Ordinis Cisterciensis Abbas*, & S. Bernardi contemporaneus, floruit hoc sæculo. Scripsit varia Opuscula, quæ ex vetustis M. SS. Codicibus à Richardo Gibbono S. I. in lucem edita, variisque lectionibus & annotationibus illustrata extant fol. 1.

ANONYMUS quidam scripsit Rythmós de laude virginitatis, qui extant subjuncti B. Ælredo fol. 165.

GUARRICUS *Abbas Igniacensis Cœnobij in Diœcesi Rhemensi*, cùm circa annum Christi 1140 fuisset discipulus S. Bernardi, superfuisse dicitur usque ad annum 1157. Scripsit plura quæ non extant. Sermones ipsius ex editione Joannis Costeri Ordinis S. Augustini habentur fol. 169.

ANONYMUS quidam *Decanus Reicherspergensis*, scripsit librum Apologeticum contra errores Folmari, cujus præfationem habes fol. 239. Integer autem liber manuscriptus asservatur in Bibliothecis Boicis, nec prælo datus propter admixtas quasdam propositiones ad hæresim Eutychetis accedentes.

JOANNES SARISBERIENSISS, natione *Anglus creatus Episcopus Carnotensis* anno 1172, decessit anno 1182, scripsit Policraticum, seu de nugis Curialium libros octo & Epistolas 303. Extant fol 242. & seq. vide apud Joannem Pitseum de Scriptoribus Angliæ plura de ejusdem operibus.

S. HILDEGARDIS *Abbatissa in monte S. Roberti apud Naam prope Bingam, Sanctissima Virgo & Prophetissa*, Epistolarum librum & diversa alia opuscula scripsit, quæ extant fol. 535.

ECKBERTUS primùm *Presbyter Ecclesiæ Bonnensis*, *Coloniensis Diœcesis*, postea *Monachus Schonaugiensis*, floruit anno Christi 1160. Scripsit plura quæ refert Trithemius. Extant tantum contra Catharos hæreticos, sermones, qui habentur fol. 600. & ad calcem eorum extat excerptum ex Augustino de Manichæis fol. 631.

JOANNES ZONARAS *Monachus Græcus*, scripsit, præter libros historiarum, qui cum historiæ Orientalis Scriptoribus editi sunt in Regia luparea. in Canones Apostolorum & alia, quæ antea prodierunt, ac propterea hîc omissa sunt. Canonem de Sanctissima Virgine ejusdem Zonaræ posuimus fol 633.

NICOLAUS *Methonensis Episcopus Græcus & Schismaticus*, vixit hoc

sæculo,

sæculo, scripsitque præter alia libellum ad eos qui hæsitant aiuntque consecratum panem & vinum, non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Extat fol. 634. Vide autem quæ huic Authori prænotata sunt ex Magistro sacri Palatij.

PETRUS CELLENSIS *primùm, deinde S. Remigij Rhemensis Abbas*, & tandem *Episcopus fuit Carnotensis*, floruit sæculo duodecimo. Multa scripsit, quæ hac editione in unum collecta prodeunt fol. 636. Cura & studio unius è sancti Mauri Congregatione Monachi Benedictini, cujus præfationem de singulis opusculis consule. Additæ sunt notæ P. Jacobi Sirmundi S. I. ad Epistolas. Sed sublatæ sunt ab hac editione, quæ in prioribus reperiebantur, Epistolæ Alexandri tertij ad eundem Petrum, & alios; editæ sunt enim cum aliis Pontificum Epistolis in novissima collectione Conciliorum anni 1671. tomo decimo fol. 1247.





BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE

Scriptorum Seculi XII.

PARS TERTIA.

DIVI AELREDI RHIEVALLENSIS,

QVONDAM IN ANGLIA EX ORDINE CISTERCIENSI ABBATIS.

Et DIVI BERNARDI Contemporalis Opera omnia.

Ope & studio R. P. Richardi Gibboni Societatis IESV Theologi.

Ex Vetustis M. S. nunc primum in lucem producta, Variisque Lectionibus, & Marginalibus Citationibus illustrata.

Additi ANONYMI RHYTMI de Laude Virginitatis.

ELENCHVS EORVM QVÆ IN HOC OPERE Continentur.

CATALOGVS OPERVM D. AELREDI EX IOANNE TRITHEMIO, de Scriptoribus Ecclesiasticis.



AILREDVS *Abbas cuiusdam cœnobij ordinis Cisterciensis, vir in sanctis Scripturis ingi studio exercitatus, & secularis Philosophiæ non ignarus, ingenio mitis, eloquio dulcis, deuotione præcipuus, scripsit ad vtilitatem fratrum suorum nonnulla opuscula, quibus & illis profuit, & nominis sui notitiam ad posteros transmisit. E quibus extat opusculum magnæ vtilitatis viris religiosis, spiritalibus sententiis refertum, quod prænotauit.* SPECVLVM Charitatis lib. 1. In Lucam Homil. 1. Cum esset IESVS. *Et alia quæ non vidi, Claruit temporibus Henrici sexti circa annum Domini. M. CC.*

Ex GVILIELMO EYSENGREINO in Catalogo Testium veritatis ad annum Christi, *M. C. LX. IV.*

AILRHEDVS RHIEVALLIS Monachus Cisterciensis, Anglus, doctrinâ & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studiis doctus, & in primis eruditus, *Vitam S. Eduardi Anglorum Regis*, doctissimis Commentariis absoluit. *De natura Animæ* libros confecit. *Super onus Babylonis Isaiæ* volumen scripsit. *Homilias quoque plures* ad diuersos dedit.

A **Ex Eodem** ibidem ad annum Christi. M. CC.

Ethelredus Abbas *Cisterciensis, Anglus, vir disertissimus, non minus vitâ quam eloquentiâ spectatus, opusculum Religiosis viris vtilissimum, spiritualibus sententiis instructum, quod inscribitur,* Speculum charitatis, *absoluit.* Homilias in Lucam *edidit.* Sermones,& Epistolas plures *ad diuersos scripsit.*

HÆC ISTI.

Vbi obseruandum in Trithemio, *Speculum Charitatis* ab eo conspectum non esse, vel inde colligi, quod librum I. tantum recenseat, cum tres ipsemet Aëlredus numeret in Prologo eiusdem operis: nisi dicere velimus Trithemium de compendio intelligen-
B dum esse, non de pleniori opere.

Idem fere quod Trithemius habet Sixtus Senensis, l. 4. Bibliothecæ sanctæ, qui tamen cum non omnes, sed eos tantum recenseat Auctorum commentarios, qui ad sacræ Scripturæ explanationem faciunt, nec meminerit Aëlredi nostri homiliarum, quas damus in Isaïam, verisimile est illarum notitiam non habuisse.

In Eysengreino illud nota *Aelredum Rhieuallensem* Monachum Cisterciensem,& *Ethelredum Abbatem* Cisterciensem, vnum, eundemque auctorem esse, non diuersos, vt ipse fortassis existimauit, referens ad diuersos annos: Nam quæ numerauit opera, vnius nostri sunt Aëlredi, non plurium auctorum, vt infra ostendemus.

CATALOGVS OPERVM DIVI AELREDI ex Centuria II. Scriptorum Britanniæ, numero XCIX.

C *EALREDVS Rhieuallensis (Ethelredum plures vocant) Cisterciensium Monachorum in Rhieualle Eboracensis diœcesis Abbas, genere, doctrinâ, & inculpata vita moribus, vt Capgrauius habet, præclarus emicuit. Solitariæ vitæ ardore totus inflammatus talis ac tantus euasit, vt breui socios suæ professionis omnes, omnibus vitæ ornamentis superaret. Accessit ad hæc litterarum cognitio, quæ tanto illi ad omne genus doctrinæ incitamento fuit, vt nullum scientiæ genus intactum relinqueret. Dauid Scotorum Regi familiarissimus olim, cum adhuc adolescens esset, Episcopatum, & alios mundi honores recusabat, vt ad exercitia virtutum expeditior haberetur. Varios ad tumultuaria certamina Principum motus, potissimum vbi nulla spes pacis expectabatur, mirâ solebat industriâ compescere, atque ad optatum perducere finem. Vir erat idem atque alter Bernardus, ingenio mitis, actione pius, & consilio modestissimus;*
D *Diuique Aurelij Augustini Confessiones pro immenso semper habebat thesauro. Composuit inter cætera, & scripsit primo ad Laurentium Abbatem Vuestmonasteriensem.*

Vitam Eduardi Anglorum Regis. Lib. II. *Multis veterum studio fuisse.*

Vitam Dauidis Scotorum Regis. Lib. II. *Religiosus, & pius Rex.*

Vitam Niniani Episcopi. Lib. I. *Multis virorum bonorum.*

Vitam Margaretæ Reginæ. Lib. I.

De miraculis D. Eduardi. Lib. I. *Rebus humanis exemptus.*

De Regibus Anglorum. Lib. I. *Quoniam de optimis moribus.*

Miracula Hagustaldensis Ecclesiæ. Lib. I. *Præsentis diei exposcit ratio.*

Chronicon ab Adam ad Henricum primum. Lib. I.

Sententiarum flores. Lib. I. *Cum multa diuinæ auctoritatis.*

Vitam Eduardi carmine. Lib. I. *Cum tibi Laurenti cogar parere.*

E Homiliarum iustum volumen. Lib. I. *Potis a me dilectissime in Domino.*

In Euangelium accensæ lucernæ. Lib. I.

De Prælatorum moribus. Lib. I. *Beatus Paulus Apostolus.*

De ministrorum officiis. Lib. I. *In Numerorum libro scriptum est.*

De Abusionibus Claustri. Lib. I. *Duodecim sunt abusiones clau.*

Centum sermones synodales. Lib. I.

Speculum charitatis. Lib. III. *Vere Sanctorum vere & dis.*

De vera amicitia. Lib. I. *Cum adhuc puer essem.*

De amicitia spirituali. Lib. III. *Ecce ego & tu.*

De aduentu Domini. Lib. I. *Sagitta Ionathæ nunquam abiit.*

Super onus Babylonis. Lib. I. *Tempus est fratres charissimi.*

F De oneribus Isaac. Lib. I. *Aueas te Pater beatissime.*

Dialogos plures. Lib. I.

Inter hominem & rationem. Lib. I. *Quare tristis es anima mea.*

De institutione inclusarum. Lib. I. *Iam pluribus annis exigis a me.*

De quodam miraculo. Lib. I. *Miracula Domini & manifesta.*

Super Canticis Canticorum. Lib. I.

Epistolas trecentas. Lib. I. *In quieto littore degens adhuc.*

De lectione Euangelica. Lib. I.

De Christo duodenni. Lib. I.

Super Lucam etiam. Lib. I.

De Virginitate Mariæ. Lib. I.

De natura animæ. Lib. I.

De dotibus eiusdem. Lib. I.

Atque alia multa. Rhieualli migrauit ab hoc sæculo Ealredus homo pius, anno salutis humanæ 1166. pridie Idus
G *Ianuarij, vitæ suæ anno 57. sub Henrico II. Anglorum Rege, Sanctorum ascriptus tandem numero. In omni scribendi genere D. Bernardo simillimus hic fuit.*

ANIMADVERSIO.

Quæ fides huic Catalogo ab hæretico homine Ioanne Baleo confecto, adhibenda sit, aliis ego iudicandum relinquo. Illud certè liquet, falsum esse in eo quod asserit, distinctos esse libros, de vera amicitia, *& de* amicitia spirituali; *nam quod ponit pro principio libri de* amicitia spirituali, *nil aliud est quam proœmium horum trium librorum, quod vel ex ipsomet Aelredo perspicuum est. Iam quod numerat* de lectione Euangelica librum I. de Christo duodenni lib. I. Super Lucam etiam lib. I. *Mihi fit verisimile, non esse nisi hanc vnicam homiliam, quam damus de IESV* puero duodenni, *cuius solius meminerunt Trithemius, & Eysengreinus locis citatis, & Sixtus Senensis Bibliotheca sacra lib. 4. Hoc saltem ex Trithemio,*
H *& Baleo pro comperto habemus, quæ tanquam diuersorum hominum opera recensentur ab Eysengreino, vnius esse huius nostri Aelredi, quod præter M. S. codices, testatur auctor ille, quisquis fuit, qui collegit Allegorias, & Tropologias in locos vtriusque testamenti selectiores, editas primum Parisiis anno 1520. à Iodoco Badio, & rursus ibidem opera Godefridi Tilmanni, apud Sebastianum Niuellium anno 1574. Præter enumerata nostri auctoris opera, inuenio in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi lib. 2. recenseri in Catalogo Philosophorum, Athelredi (sic ibi vocatur)* Opus de bello Standardi. *Ex enumeratis etiam multa in variis Bibliothecis latere dicuntur.*

Ad Aelredum vero quod attinet, sunt qui Adilredum, Ethilredum, Alnredum, & Ealredum vocant: mihi magis placet, vt Aelredus appelletur, paululum inflexo nomine, præsertim cum ipsemet libro 1. Speculi c. 34. non longe ab initio, se Hailredum nuncupet. Accedit auctoritas Nicolai æque Rhieuallensis in Epigrammate, quod ex eo laudat Ioannes Picardus Canonicus ad S. Victoris Pa-

A *ssiensis, in notis suis ad librum primum Guilielmi Neubrigensis, de rebus Anglicis, statim in principio. Est autem eiusmodi.*

Inclitus ÆLREDVS conditus aromate morum,
Et mellis fauus, & dulcedo fuit Monachorum.
Flore iuuentutis hunc Regis regia fouit;
Quæque nociua procul, animoque, manuque remouit.
De * Henrico venit in Hierusalem duce Christo,
Hic citò fructificat, spinas in lilia vertit:
Sparsa recollegit, & in vnum fracta redegit.
Celsior hinc factus, post cœlica præmia nactus
Si libet, & fas est hic dicere, vera retexam;
Nec reor ordiri quicquam de stamine falsi.
MAVRVS erat maturis moribus; & BENEDICTVS
Exemplo; similis BERNARDO cælibe vita.
Virtutum specimen, vitiorum scopa, decusque
Ordinis, & speculum, via pacis, fibula legis.
B Prætulit exuuias Pauli Hieronymus auro
Crœsi; nostra pari decoratur gemma nitore.
Intitulant alios præconia multa, sed ipse
Pacificus Salomon fuit, & mansuetus vt agnus.
Antiquo de consilio non multa reuoluo.

* Lego Henrico.

Hactenus Nicolaus. Hæc porro non esse hyperbolice dicta, satis constat ex Balæo, qui monachis alioquin, monachus ipsemet excucullatus, fuit infensissimus.

DE OPERIBVS HAC EDITIONE CONTENTIS.

Proponimus primo loco homilias in Isaiam de oneribus Babylonis, Philisthiim & Moab, omnes numero vnam & triginta, præmissa homilia generali, habita in Aduentu Domini de omnibus oneribus apud Isaiam: quæ licet apud D. Bernardum reperiatur eius operibus ascripta, verè tamen est Aelredi nostri, & vt ille significat in epistola dedicatoria, occasionem præbuit cæteras conscribendi. Misso
C *quod libri omnes M.S. quos viderim, Eysengreinus quoque & Balæus id testantur, vnà cum innominato auctore, qui Allegorias & Tropologias collegit in locos selectiores vtriusque testamenti. In his homiliis quà exscribendis, quà corrigendis, duobus vsus sum M.S. exemplaribus. Vnum habui ex celebri monasterio Claromarisci (quod prope Audomaropolim situm est) idque humanitate & beneuolentia admodum Reuerendi Domini D. Morandi Blomme Abbatis piæ memoriæ, procurante Reuerendo Patre ac Domino, Ioanne Bellengier eiusdem loci Priore, bonarúmque literarum fautore maximo. Alterum nactus sum ex perantiqua bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis B. Mariæ Cameracensis, interuentu nobilis ac R. D. Roberti de la Hamaide eiusdem Ecclesiæ Præpositi longè meritissimi; quod exemplar cum priore multo esset plenius & correctius, ex eo lacunas multas & hiatus suppleui, & sub his notis* Cod. Camerac. *varias lectiones apposui, quas ad finem cuiusque homiliæ certis numeris distinxi, ne lectori molestiam parerem in iis singulis suis locis restituendis.*

D *Sequitur post homilias Compendium Speculi Charitatis, ab Aelredo quidem conscriptum, & à me sic nuncupatum. Nam quod hoc opus Aelredi genuinum sit, ipsum testem habeo in prologo, quem Speculo præfixit; in quo paulo ante finem sic ait,* Sane ante præsentis operis suscipiendi propositum, quædam ipse mecum meditando, quædam verò quasi mecum, imo magis mecum, quia illa vnanimi meo Reuerendissimo Priori Hugoni, qui plus mecum, quam ego ipse mecum, communicanda epistolarum more sparsim dictaueram, ex quibus præsenti intentioni materiam sumens, sed & ipsa eadem vt congruere videbantur inserens, tribus incisionibus totum distinxi. *Hæc auctor. Quam autem verum sit singula, quæ in isto compendio habentur, suis quæque locis in maiori Speculo inseri, manifestum esse potest ex his, quæ in Speculo notauimus, indicantes quid quo loco iisdem plane verbis repetatur. Atque hæc causa fuit, cur hoc ipsum opus Compendium Speculi nuncupandum indicaremus. Huius*

E *vnicum accepimus exemplar M.S. ex Cœnobio Claromarisci.*

Speculi vero vnicum dumtaxat habuimus Codicem M.S. illum acceptum ex celeberrimo & vetusto Aquicinctino Cœnobio prope Duacum Catuacorum, fauore & studio R.D. Ioannis le Maire Optimi, dignissimique prioris. Esse hoc opus Aelredi, fatentur cum Trithemius, Eysengreinus, Balæus, tum veteris M.S. Codicis inscriptio, & arguit ipse stilus ac modus dicendi.

Libros de Spirituali amicitia eiusdem esse Aelredi, præter duos antiquos Codices, qui nomen Aelredi præferunt, & Balæum, qui illi tribuit; arguit manifestò quod habetur libro primo. Vbi eos Aelredus tanquam suum partum agnoscit dicens. Cuius affectus & motûs in *Speculo nostro*, quod satis cognitum habes, quam lucidè potuimus, ac diligenter expressimus. *Indicat etiam non obscurè hos libros de Spirituali Amicitia post Speculum Charitatis à se scriptos fuisse. Duos habuimus M.S. Codi-*
F *ces vnum Claromarisci, quem exhibemus, & alterum Cameracensem, ex quo ad marginem varias lectiones signamus.*

Homilia de IESV puero duodenni, vnicum M.S. exemplar, nobis tribuit Cœnobium Aquicinctinum, ex quo ingentem hiatum suppleuimus in impressa Parisiensi anno M. DC. IX. non pauciorum quam integrarum quinque paginarum, & conferentes M.S. exemplar cum excusa, ad finem varias lectiones adscripsimus.

Anonymi Rhythmum de laude Virginitatis, *luce dignissimum, ex Codice Aquicinctino, in quo erat prædicta homilia, in tui gratiam Lector, exscriptum addidimus.*

Habes igitur quæ de operibus Aelredi nobis in præsentia dicenda occurrerunt; nam quas eius nomine proposuit Reuerendus æque, ac Religiosus Pater Laurentius Surius, Vitas Sanctorum, libentes lubentes omisimus, quod stilum planè immutatum deprehenderemus; nec in animo esset, quod Aelredi non saperet dictionem, Aelredi nomine tibi obtrudere. Non quod Optimi, & optime de Catholica Religione meriti Patris factum improbaremus, sed quod haberemus statutum ea tantum in lucem dare, quæ non alte-
G *rius, sed ipsiusmet essent Aelredi. Atque vtinam licuisset, quod certe vehementer optauimus, Aelredi vitam, tibi amice Lector, exhibere. Fuisset certe illud ex voto nostro, & nisi fallimur ex tua expectatione. At frustra fuimus, qui omni adhibita diligentia nihil consecuti sumus. Dabitur forte, vt aliquando voti nostri compotes simus. Tu interius Lector humanissime, Vale, & quæ nunc damus grato animo accipe.*

DIVI AELREDI ABBATIS Rieuallensis Sermones de onere Babylonis.

IN CAPVT XIII. ISAIÆ PROPHETÆ.

INCIPIT EPISTOLA DOMINI AELREDI Abbatis Rieuallis ad G. Lundoniensem Episcopum.

H DILECTO, & diligendo, & cum omnis deuotionis dulcedine amplectendo Sancto Patri, G. Lundoniensi Episcopo, frater Aelredus pauperum Christi qui sunt in Rieuallo, debitum cum omni affectu obsequium. Audiens te, Pater beatissime, inter innumeras occupationes, quas tibi vel Regiæ Maiestatis auctoritas, vel curæ pastoralis imponit necessitas, vt cultorem sapientiæ, quietis amicum, [1] spiritualis scientiæ studiosum, lectioni operam dare, & inter suaues orationum delicias, irruentium curarum molestiam sanctarum Scripturarum crebra meditatione solari: ita tui auditus effectus sum, vt non solum ad tuæ Serenitatis notitiam, sed etiam, quod in insipientia dicam, ad ipsam audeo aspirare amicitiam. Tam

A enim tuæ Sublimitatis, quam meæ humilitatis oblitus,
legibus amoris innitor; cui nihil humile, nihil subli-
me est: qui cœlum terræ adæquans, dominum cœli
terrenis membris inseruit, vt Verbum caro fieret, &
Ioan. 1. 14. habitaret in nobis; qui [2] Dominum deposuit & ho-
minem sustulit, vt, quasi in quodam medio, miseria
& misericordia obuiarent sibi; vt ita se infirmitati vir-
tus vniret, vt essent in carne vnâ verbum & anima, &
in his tribus Deus & homo vna persona. Quæ
non igitur; alta amor deponat, aut quæ ima non
sustollat, vt in se vnum faciat quod saluâ nec confusâ
naturarum proprietate, tam mirificè mediante animâ,
cœlum terræ, Dominum carni, spiritum commiscuit
pulueri?

Video præterea in omni creatura, vel irrationali,
vel insensibili, quoddam amoris vestigium, per quod
& diuersa iunguntur, & dissidentia concordantur, &
vniuntur contraria. Amoris quippe in cæteris similitu-
do creaturis apparet; in mente verò rationali eius ve-
B ritas operatur. Diligere enim Deo, Angelis, homini-
Act. 4. 32. busque commune est. Amor igitur, quicquid extra na-
turam est non attendens, copulat naturam naturæ, vt
sit illis cor vnum & anima vna, quibus est Fides vna,
Spes vna, Charitas vna, Animus proinde meus amo-
ris impetum sequens, omnia, quæ tua sunt, non tu;
omnia quæ circa te sunt, quæ nec tua sunt, nec tu, spi-
ritali quodam motu pertransiens, ipsam etiam corpo-
ris molem sui subtilitate traiiciens, in ipsum tuæ men-
tis sinum se totum infudit; affectum affectui, sensum
sensui, & spiritum miscet spiritui, vt ex spiritûs tui
participatione meus spiritus renouetur; ex tui sensûs
lumine, lumen sibi scientiæ meus sensus mutuetur;
meus insuper affectus, tui dulcedine foueatur. Ibi in-
tueor quam bonus es; ibi amplector & sentio quam
sapiens es; ibi delector & gusto quam amabilis es.
Hinc est pater amantissime, quod studium meum, si
quod est in litteris sacris, ad tuæ discretionis examen
credidi referendum: vt vbi sanum sapiu, tua me con-
C firmet auctoritas; vbi hæsito te docente mihi luceat
veritas; vbi erro, corrigat me tua sancta seueritas.

Itaque de oneribus Propheticis Isaiæ, cum summa-
tim singula quæque tangendo, in conuentu fratrum,
aliquando breuiter disputassem, rogatus in pluribus,
vt prosequerer, eorum voluntati parui, quorum me
oportebat seruire profectui. Ab oneribus igitur Baby-
lonis exordiens, & inde per onus Philistum ad Moabi-
* Lege onera. tici* onera secreta pertransiens, cum triginta homi-
lias stilo tradidissem, ne forte in vacuum currerem,
aut cucurrissem, suspendi calamum, donec de vultu
tuo eorum, quæ scripsi, prodiret iudicium, vide-
rentque oculi tui eorum omnium rationem, tuæque
discretionis arbitrio omnia, quæ scripta sunt, vel de-
lerentur, vel corrigerentur, vel probarentur.

Licet igitur tantæ sapientiæ horum lectio videatur
indigna, audet eam tamen amoris exigere vehementia,
qui ita amplectitur charitatem, vt fere irreuerenter ir-
ruat in maiestatem. Animat præterea me tuæ humili-
D tatis simul & benignitatis memoria, qui quondam
Lundoniis positum præuenisti in benedictionibus dul-
cedinis: & à quo mihi magnum esset, vel respici ab
ipso, stupens, ac tremens ad tantam dignationem, in
quodam amplexu charitatis metui salutari. Hinc bea-
tissime pater, orta est ista præsumptio, vt inchoatam
tunc mihi tuæ Serenitatis notitiam consummari de-
siderem; & animum meum amicitiæ tuæ tunc fores
pulsantem in eius induci posse cubiculum non despe-
rem. Licet igitur magnum sit sapienti, vel modicum
tempus otio dare non pigeat, rogo Dominum meum
tantillum tempus perdere, quo ex his quæ scripsimus,
vel resecare superflua, vel supplere hiantia, vel vni-
uersa delere possitis.

Ego igitur sermone præmisso, qui nobis occasio-
nem præbuit cætera conscribendi de onere Babylonis
decem & nouem, de onere Philistum tres, de one-
re Moab nouem homilias subscripsimus: pro ve-
stro arbitrio, vel hic subsistere, vel vltra procede- E
re parati.

VARIÆ LECTIONES.

1. Amicum Spiritualis. Codex Cam. *Amicum spiritalis.*
2. Qui dominum deposuit. Codex Cam. *Qui Deum deposuit.*
3. Igitur alta amor. C. Cam. *Igitur amor alta.*

INDEX SERMONVM.

Sermo

A Sermo XXX. De eodem capitulo moraliter expofito.

Sermo XXXI. De eo quod feriptum eft, *Venter meus ad Moab fonabit*, vfque ad finem oneris Moab.

VARIÆ LECTIONES.

1. Disiungetur aduena. C. Cam. *Adiungetur aduena*, quo modo legitur in vulgata editione.
2. Audiamus fuperbiam Moab. C. Cam. *Audiuimus superbiam Moab.* fic & vulgata editio.

SERMO DE ADVENTV DOMINI, *de vndecim oneribus.*

B Pf.100. 1. Tempus eft fratres chariffimi, vt mifericordiam & iudicium cantemus Domino. Aduentus quippe Domioi eft, illius qui venit, & qui venturus eft omnipotens: Apoc. 1. 8. Sed quomodo, aut quo venturus eft, vel venit? nempe vox eius eft, *Cælum & terram ego impleo.* Ier. 23. 24. Quomodo igitur ad cœlum venit, vel ad terram, qui cœlum implet & terram? Ioan. 1. 10. Audi Euangelium, *In mundo erat, & mundus per ipsum factus eft, & mundus eum non cognouit.* Ergo & præfens erat & abfens Præfens, quia in mundo erat; abfens, quia mundus eum non cognouit. Act. 17. 27. 28. *Non eft longe* (ait [1] Apoftolus) *ab vnoquoque noftrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & fumus*: Pf. 118. 155. & tamen *Longe à peccatoribus falus.* Prope erat per effentiam; longè per gratiam. Quomodo non longe? qui nec agnofcebatur, nec credebatur, nec timebatur, nec amabatur. Longè à peccatoribus, quos nec reuocabat errantes, nec erigebat iacentes, nec redimebat captiuos, nec mortuos fufcitabat. Longè inquam, quando nec iuftis cœleftem mercedem; nec impiis manifefto iudicio æternam inferebat damnationem. C Venit proinde vt agnofceretur, qui non agnofcebatur; crederetur, qui non credebatur; timeretur, qui non timebatur; amaretur, qui non amabatur. Sic qui [2] timebatur effentialiter, venit mifericorditer, vt agnofceretur Humanitas eius, crederetur Diuinitas eius, timeretur poteftas eius, amaretur Benignitas eius. Apparuit autem Humanitas eius, in noftræ infirmitatis fufceptione; Diuinitas, in miraculorum exhibitione, in dæmonum oppreffione Poteftas; in peccatorum fufceptione Benignitas. Matt. 4. 2. Humanitatis namque fuit quod efuriit; Diuinitatis, quod de quinque panibus quinque millia hominum fatiauit; Matth. 14. 19. 21. Humanitatis fuit, quod in mari dormiuit; Diuinitatis, quod mari & fluctibus imperauit; Matth. 8. 24. 26. Humanitatis fuit quod mortem fuftinuit; Matth. 27. 50. Diuinitatis, quod mortuos fufcitauit. Item Poteftatis, quod Pharifæos de templo eiecit; Benignitatis, quod in conuiuio Publicanos, & peccatores fufcepit. Poteftatis etiam fuit, quod dæmones terruit; Benignitatis, quod adulteram abfoluit. D Matt. 5. 41. Poftremo Poteftatis fuit, quod volentes eum tenere proftrauit; Luc 7. 14. 15. Benignitatis, quod abfciffam fui perfecutoris auriculam loco fimul ac fanitati reftituit. Et 19. 47. Et hæc omnia cum ad primum eius aduentum pertineant, mifericordiæ dicimus adfcribenda.

Matt 9. 11. Confiderate rogo quid fit Deus; & videte quid fit, quod depofuerit tantam maieftatem; exinanierit tantam poteftatem; Matt. 8. 29. quod infirmauerit tantam virtutem; quod tantam altitudinem humiliauerit; quod tantam fapientiam infatuauerit. Ioan 8. 11. Nunquid hominis iuftitia? Ioan. 18. 6. Abfit, *Omnes enim declinauerunt, fimul inutiles facti funt, non erat qui faceret bonum.* Luc. 22. 51. Quid ergo? Num aliqua eius egeftas? minimè. Pf. 13. 3. Eius enim eft orbis terræ, & plenitudo eius. Pf. 49. 12. An forte noftri in aliquo eguit? nequaquam. Deus quippe meus eft, & bonorum meorum non eget. Pf. 15. 2. Quid igitur? Verè Domine non mea iuftitia, fed tua mifericordia; nec tua egeftas, fed mea neceffitas. Pf. 88. 3. Dixifti enim, *Mifericordia ædificabitur in cælis.* Pf. 100. 1. Ita plane; quia mifericordia abundabat in terris.

E Ideo primo aduentu, *Mifericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Mifericordiæ namque fuit, quod factus homo infirmitates noftras in fe fufcepit, mifericordiæ, quod fidem diuinitatis fuæ miraculis confirmauit, mifericordiæ nihilominus, quod dæmonum nobis calliditates detexit, & euacuauit virtutem, mifericordiæ quod [3] meretricibus attactum non refpuit, Luc. 7. 37. 38. fed approbauit deuotionem. Itaque quod fe exhibuit in humilitate humilem, in miraculis potentem, in dæmonum oppreffione fortem, in fufceptione peccatorum mitem; totum hoc ex mifericordiæ fonte proceffit; totum ex pietatis vifceribus emanauit. Et ideo, in hoc primo aduentu tuo, mifericordiam cantabo tibi Domine. Pf. 100. 1. Merito fane; quia *Mifericordia tua plena eft terra.* Pf. 118. 64.

Isa. 10. 27. Ecce oleum, ad cuius præfentiam iugum noftræ captiuitatis computruit, ficut ait fanctus Ifaias; *in die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrefcet iugum à facie olei.* F Quæ ifta dies? Quod onus iftud? Quod iugum? Isa. 10. 26. Audi quid Propheta præmifit; *Sufcitabit Dominus fuper eum,* [4] Regem Affyriorum, Iob 41. 25. *flagellum iuxta plagam Madian in* [5] *plaga Oreb, & virgam eius fuper mare, & leuabit eam in via Ægypti.* Flagellato quippe, & percuffo diabolo, qui eft Rex fuper omnes filios fuperbiæ, leuauit Dominus virgam fuam fuper mare, & leuauit eam in via Ægypti. Matt 7. 13. Mare fæculum, Virga, Crux, via Ægypti, via illa lata, & fpatiofa, quæ ducit ad mortem. Gratiam tibi Domine IESV, qui exaltafti virgam tuam fuper mare, profternens Cruci tuæ fuperbiam fæculi, & fubiiciens ei principatus & poteftates. Verè, Domine, Crux tua premit fluctus fæculi, fedat [6] Ibid. 14. tempeftatum perfecutiones, & tentationum procellas mitigat. Leuafti etiam eam in via Ægypti, vt obftructa via illa lata, quæ ducit ad mortem, illam arctam, & anguftam oftenderes, quæ ducit ad vitam. An nefcitis? An non fentitis? An non experimini? feruet in carne aliquando æftus concupifcentiæ, in mente ira defæuit, G indignationis & amaritudinis verbum iam iamque prorumpit, & inftar maris, quod vehementer agitat ventus, omnia interiora hominis conturbantur. Sed leuante fupra hoc mare Crucem fuam IESV, fedantur omnia, omnia conquiefcunt.

Præterea fratres mei, quis vos in hanc arctam, & anguftam femitam falutis induxit, nifi Dominicæ Crucis, & Paffionis exemplum, quam leuauit Dominus in via Ægypti? meritò die ifto, id eft tempore Ioan. 12. 31. gratiæ, tempore mifericordiæ, tempore quo Crux eleuatur, quo Chrifto fubditur mundus, quo Princeps huius mundi eiicitur foras; hoc inquam die, hoc tempore auferetur onus eius de humero tuo. Quod onus? Legimus in fcripturis multa onerum genera; a Isa. 13. 1. nam fanctus Ifaias vndecim nobis onera prophetico b 14. 28. fermone defcribit, *a* Onus Babylonis, *b* Onus Philiftiim, c. 15. *c* Onus Moab, d 17. 1. *d* Onus Damafci, *e* Onus Ægypti, *f* Onus deferti Maris, *g* Onus Duma, *h* Onus H in Arabia, *i* Onus Vallis vifionis, *k* Onus Tyri, *l* Onus e 19. 1. iumentorum Auftri. f 21. 10. Et quid eft onus, nifi pondus quoddam deprimens animam, & ad terram inclinans, g 21. 11. faciens eam ad inferiora refpicere, & [7] fuperiora h 21. 13. negligere? i 22. k 23. 1. l 30. 6. Tale nobis onus aliquando ex mundi prouenit dilectione, & hoc onus Babylonis; aliquando ex immundorum fpirituum immiffione, & hoc onus Philiftiim, aliquando ex naturali quadam, & ineuitabili neceffitate, & hoc onus Moab, aliquando ex innata nobis infirmitate, & hoc onus Damafci, aliquando ex malorum perfecutione, & hoc onus Deferti maris, aliquando ex occulta animi vexatione, & hoc onus Duma, aliquando ex confideratione mortis, & horrore fortis extremæ, & hoc onus in Arabia, aliquando ex vanitate, quando proficimus, & hoc onus Vallis vifionis, aliquando ex anguftia pro his quæ toleramus, & hoc onus Tyri, aliquando ex charitate, [8] quam aliis prodeffe defideramus, & hoc onus iumentorum Auftri.

A Primum itaque onus Babylonis est, quod necesse est vt auferatur ab humeris nostris. Babylon significat mundum, cuius amor cupiditas est, onus [9] itaque graue, multos premens & ad inferiora incuruans. Tripliciter autem miseros onerat, Labore, Timore, Dolore. Cum labore peruenit homo ad id, quod cupit, possidet cum timore, amittit cum dolore. Eia, fratres, quis Regum non cum labore [10] peruenit ad id quod cupit? Quis Regum ita securus est, vt nullum timeat? Quis non cum dolore aliquid amittit? Sed retorqueamus ad nos parabolam istam. Nullusne quæso nostrum, sub huius oneris pondere suspirat? Nullæne in nobis mundanæ [11] dilectionis reliquiæ resederunt? Quid est quod quidam, qui sua reliquerunt, aliena quærere non reformidant? pro quibus laboribus fatigantur, cruciantur doloribus, timoribus conteruntur. Nunquid & ille ab hoc onere liber est, qui cum nihil, aut parum in monasterium attulerit, tamen, vt aliis det, quicquid B poterit de monasterio auferre non desinit? qui importunè petit; qui irascitur si non accepit; dolet, si corripitur; sæuit, si [12] clamatur. Quid illi qui tanto parentum stringuntur affectu, vt Religionis dispendium, maximosque [13] Labores subire non dubitent, & ob hoc & dies vacuos & noctes ducunt insomnes? Quid de illis dicam, qui honores ambiunt? Nunc adulantur, nunc detrahunt, nunc pro aliorum promotione insaniunt; nunc frustrati spe sua [14] in ipsos patres suos maledictis insurgunt. Itaque fratres omnes hi conformantur Rom. 12. 2. huic sæculo; & nomine Babylonis censentur, illo [15] plenè vel pœnali onere, quod Propheta super Babylonem describit, miserabiliter opprimendi.

Sequitur onus Philistiim, qui interpretantur Cadentes potione illosque significant, qui superbia inebriati, ceciderunt ab habitatione cœlesti: Isti miseros onerant nunc tentatione, nunc afflictione. Hi Ægyptios onerabant plagis multis, & magnis, sicut habes in Psalmo; Ps 77. 49 C *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem immissiones per Angelos malos.* Hi cor Iudæ onerauerunt auaritiâ, cor Pharisæorum inuidiâ, & cor Pilati stultitiâ. Isa 51. 23. Hi cor fidelium multis tentationibus onerant, insultantes animæ consentienti & dicentes, *Incuruare vt transeamus.*

Additur onus Moab, qui interpretatur De patre, naturalem illam exprimens necessitatem, quam semper pater generatione transfudit in filium; sicut est ineuitabilis manducandi, bibendi, dormiendique necessitas, &c. quæ ad necessariam corporis pertinent curam. Quale hoc onus fratres charissimi, quo cogimur post solis splendorem ad carnis huius curam, quasi ad fœtidum cadauer redire, & post spiritales cibos mentis, procurare onera ventris? Quale hoc onus, quod quotidianum, à nobis, miseræ seruitutis tributum exigit, & quem hodie impleuimus, euacuatum crastino ventrem reimplere compellit? Quid dicam, [16] quantarum sollicitudinum onus miseris mortalibus necessitas ista imponit, adeo Phil. 3. 19. vt quorundam hominum etiam venter Deus sit, pro eius non [17] dicam dilectione, sed onere, ipsam iustitiam, D ac diuinam doctrinam venalem habentium? Huiusmodi Rom. 16. 18. enim, vt ait Paulus, Domino IESV CHRISTO non seruiunt, sed suo ventri. Quid præterea oneris in ipsa ciborum distinctione sustinemus, hos desiderantes, illos reiicientes; cum alij ventrem torqueant, alij caput grauent; alij pectus oppilent, alij cor corruptis humoribus premant? Verum de illis quid dicam, quos ista necessitas nunc murmurare, nunc detrahere, nunc insuper litigare compellit? Contristantur si cibus vilior, si potus minus [18] sapidus apponatur, si negligentiùs accuretur. Fratres, qui huiusmodi sunt, secundum carnalem generationem carnaliter viuentes, Moab dici possunt, & pondere pœnæ, quod in onere Moab Propheta commemorat, infeliciter onerandi.

Iam de onere Damasci Prophetia subiungitur Damascus interpretatur fundens sanguinem; illam innatam nobis exprimens corruptionem, quæ quodammodo nolentes & inuitos trahit, & illicit ad peccatum. Ipsa est *lex in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ, & captiuos nos ducens in legem peccati quæ est in membris no-* E Rom. 7. 23. *stris.* Omnis vitalis sensus in anima, ex ratione. Et scitis [19] quia naturalis motus peccati [20] nonnunquam in quadam delectationis voragine, pene ipsam vim rationis absorbeat, & totam, vt ita dicam, reddat exanguem. Sed quidam sentiunt ista, & non consentiunt; impugnantur, sed non expugnantur; onerantur, sed non prosternuntur Hi quidem onus sustinent à Damasco, sed Damascus non sunt. At ille qui consentit, & præbet membra sua arma iniquitatis peccato, profectò Damascus est, proprium suum sanguinem fundens, & suis Rom. 6. 13. se manibus interficiens. Hic proculdubio pondere pœnæ, quod in onere Damasci describitur, se [21] nouerit deprimendum.

Additur onus Ægypti. Ægyptus tenebræ interpretatur. Sunt autem tenebræ ignorantiæ, sunt & iniquitatis. Eia fratres, non [22] est leue onus istud, quod de ignorantiæ nostræ cæcitate portamus, nescientes in multis F quid expediat, quid non expediat, quid laudemus, quid Isa. 5. 20. improbemos, ita vt sæpe [23] dicamus quod bonum Rom. 8. 16. est malum, & quod malum est bonum. Sed & quid oremus, sicut oportet, nescimus; & in luce scripturarum, quasi in nocte palpando incedimus. Qui ergo huiusmodi sunt, ab Ægypto onerantur, sed cum Ægypto non onerantur, cum illis scilicet qui Ægyptus sunt, id est tenebræ, filij tenebrarum, de quibus Dominus in Euange- Ioan. 3. 20. lio: *Omnis qui malè agit odit lucem.* Et Apostolus, *Qui* 1. Thess. 5. 7. *dormiunt* (inquit) *nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* Hi nimirum eo pondere pœnæ premuntur, quo Ægyptum Sanctus Propheta docet esse puniendam.

Subiungitur onus Deserti [24] Maris * Mare desertum est multitudo reproborum qui relicti à Deo, & à Sanctorum numero separati pondere persecutionum Sanctam premunt Ecclesiam; ipsi pœnarum pondere, quæ in hoc onere à Propheta notantur, postmodum puniendi. Præterea mare sunt illi, qui [25] diuersis vitiorum tumultibus quatiuntur, qui semper in motu sunt G vagi, & nunquam stabiles, nec in eodem statu permanentes. Nunc superbiâ intumescunt, nunc irâ ferueścunt, nunc tristes, nunc leues, nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti transgrediuntur præcepta Seniorum, fratrum pacem conturbant. Quandiu tamen timent, quandiu dolent, quandiu admittunt correptionem, nec refugiunt satisfactionem; Desertum Mare non sunt. At si venientes in profundum malorum contempserint, si correpti clamauerint, nihil honestum, nihilque quietum, nihil insuper ordinatum responderint, sed tumidi, & inflati, in ipsum etiam, à quo corripiuntur, verbis indignationis insurrexerint, ita vt necesse [26] sit eos relinquere sibi, desertum [27] mare non dubites eos no- Ps. 80. 13. minandos. *Væ illis qui derelicti à Deo & hominibus, dimittuntur secundum desideria cordis eorum, vt eant in adin-* Ezech. 16. 42. *uentionibus suis,* quibus etiam Dominus per Prophetam dicit, *Auferam zelum meum à vobis & vltra non irascar.* Scitis fratres [28] quam graue onus imponant humeris H Sanctorum qui tales sunt. Sub hoc onere Propheta ge- Ps. 128. 3. mebat qui ait, *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Verè supra dorsum nostrum fabricant [29] qui tales sunt, quotidianis nos suis exordinationibus onerantes: qui addunt peccatis peccata, & contemptum iungunt contemptui; contumeliosi, elati [30] detrahentes, senioribus non obedientes, sociis non contemperantes. Tales pœnarum pondus, quod [31] in onere continetur, se nouerint incursuros.

Exhinc[1] onus Duma Propheticus sermo describit, Duma autem interpretatur silentium. Scitis fratres quam multos silentium onerat, & grauat quies, ita vt tacentibus, & quiescentibus [32] omnia sint oneri, caput doleat, venter rugiat, caligent oculi, renes pene soluantur: exeuntibus autem, huc illucque vagantibus, & loquentibus, iocunda sunt omnia, traduntur obliuioni dolores, singulis membris sua traduntur officia. O quanta est virtus linguæ, quæ oculos serenat, caput al-

leuat

A leuat, consolidat tenes, genua dissoluta corroborat. Hæc infirmum, in laboribus infatigabilem reddit, patientem in ieiuniis [33] ad iter paratum, ad obediendum promptum. Itaque si videris monachum in claustro residentem, huc illucque circumspicere, oscitare crebrius, manus ac pedes extendere, nunc librum ponere, nunc resumere, postremò quasi quibusdam stimulis agitatum, de loco ad locum, de auditorio ad auditorium cursitare, Duma eum suspirare non dubites. Est præterea aliud quoddam silentium, quod pœnæ pondus multis importat. Ipsum est silentium, quod ex pudore & confusione procedens, confessionem obstruit peccatorum, & excludit remissionem. Quod onus pœnæ tale silentium mereatur, propheticus sermo non tacet.

Iam onus in Arabia Propheta subiungit. Arabia vespera interpretatur, quæ diei finis est, noctisque principium, horam mortis non incongruè, vt puto, significans, B quæ cunctis fere mortalibus timoris non leue pondus imponit. Quis enim hominum hoc onus euitet, cui se Saluator ipse exempli causa, spontaneà voluntate submisit? Imminente enim morte, vt ait Euangelista, *Cœpit pauere & tædere.* (Marc. 14. 33.) Sub hoc timoris onere totum viuit genus humanum, nisi forte aliquis talis sit, cui certa beata vita post mortem, cuius desiderio vel contuitu, etiam amaritudinem mortis non sentiat. Præterea vespera, quæ vt diximus, diei finis est noctisque principium, eius exprimit casum, qui post opera lucis opera inchoat tenebrarum, cuius sunt nouissima peiora prioribus, (Luc. 11. 26.) qui profectò eo pondere opprimetur, quod in hoc Arabiæ onere continetur.

Subditur onus Vallis Visionis. Visio refertur ad Contemplationem. Vallis ad humilitatem, vel * directionem. (* Lege deiectionem cum excusis.) Est enim quorundam contemplatio humilis, quorundam abiecta: humilis Sanctorum, abiecta [34] Philosophorum. Si enim virtus proficit, seruatur humilitas; si onerat, vanitas. Scitis qualem necesse est sustineat pugnam mens proficiens, ne fauor humanæ † laudis subripiat, C († Forte subrepat.) ne dissoluat adulatio, ne cor ab intus intumescat. Sancti autem, quo magis proficiunt, eo maiori vanitatis onere fatigantur: sicque ad altiora se erigunt, vt quandoque multi etiam ad inferiora trahantur. At hi, quod notum est Dei, manifestum est in illis, qui inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspexerunt; (Rom. 1. 19.) euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & à monte contemplationis, ceciderunt in vallem erroris. Ideo mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, quadrupedum, atque serpentium. Et si scire volueris quo isti digni sunt onere, audi quod sequitur, propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & [35] in desideria cordis eorum, & in reprobum sensum. Sed & illi, qui scientiam scripturarum, vel doctrinam cœlestem, intentione non rectà ad laudes hominum, vel ad temporale lucrum retorquent, ad Vallem Visionis pertinere noscuntur; vt scientia visionem, vallem intentio terrena D significet. Quos omnes quale pondus pœnæ expectat, propheticus sermo declarat.

Sequenti loco onus ponitur Tyri, quod Angustia interpretatur, cuius onus est in amaritudine pœnitentiæ, in labore continentiæ, in corporali ægritudine. Quid enim? nihilne oneris est in hac corporali exercitatione, & disciplinæ regularis obseruatione? Quid in labore continentiæ? Quid laboriosius, quid periculosius, quid difficilius seruatur? quid faciliùs amittitur? Est alia quædam cordis angustia, quam facit amor sui; cui contraria est cordis latitudo, quam facit amor Dei & proximi. Amor autem sui ex propria voluntate procedit: qui igitur amat propriam voluntatem, oneri illi est voluntas aliena, & ideo *quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum:* (Phil. 2. 21.) ad omnia, quæ propria voluntas suggerit, promptus; ad ea, quæ sibi iniunguntur, piger & tardus. De talibus dicit Apostolus, *Erunt homines seipsos amantes:* (1. Tim. 3. 2.) qui profectò pondus [36] pœnæ, quæ in onere Tyri scribitur non euadent.

E Vltimum onus est iumentorum Austri. Auster, qui ventus est calidus, Sanctum significat Spiritum, sicut habes in Canticis, *Surge aquilo, & veni auster, & perfla* [37] *hortum meum.* (Cant. 4. 16.) Felix anima, quæ huius austri iumentum est, quæ fræno moderationis eius regitur, quæ in omnibus eius subditur voluntati. Felix planè anima, cui Spiritus Sanctus præsidet, & omnia eius opera dirigit, cogitationes disponit, motus ordinat, moresque componit. De talibus scriptum est, *Vbicunque erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, cum ambularent.* (Ezech. 1. 12.) De quibus & Propheta, *Viam fecisti in mari equis tuis.* (Hab. 3. 15.) Huius iumentum austri erat Paulus, qui ait, *non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* (1 Cor. 2. 12.) Et videte quomodo, vt iumentum austri, fræno vbique regitur præsidentis. (Act 16. 6. 20. 3. 17. 16. 20. 22.) Prohibetur à Spiritu ne in Asiam prædicet; monetur à Spiritu vt Macedoniam visitet. Incitatur à Spiritu, vt Atheniensibus euangelizet; Alligatus Spiritu Ierosolymam properat. Videtis quomodo insidens ei Spiritus Sanctus, quasi iumento suo, nunc stringit habenas, F ne eat quo vult, nunc vrget calcaribus, vt properet quo ipse [38] vult. Quid putatis fratres mei: nihilne oneris portant huiusmodi iumenta? Sed iumenta Austri sunt, ideo onerantur ab Austro. Quali onere inquis? Audi Apostolum, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,* (Rom. 5. 5.) in hac itaque charitate, quale onus sustinuit Paulus, ipse dicat; *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* (2. Cor. 11. 29.) Et iterum, *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis secundum carnem.* (Rom. 9. 2.) Ille igitur qui iumentum est Austri, oneratur alienà infirmitate, oneratur alienà necessitate, oneratur alienà peruersitate. Onus eius esuries pauperis, oppressio inopis, miseria ægrotantis, tentatio proficientis, casus deficientis. [39] Onerat plebis tribulatio, orphanotum desolatio, viduarum gemitus, afflictio captiuorum. Nonne beatissimus Paulus, quasi hoc onere pressus, à [40] secreto cœli descendit ad cubile infirmorum? G Sed & vos fratres, qui fugistis ab Aquilone de [41] medio maris, & iam habitatis in [42] terra australi, *Alter alterius onera portate,* & (sicut iumenta [43] austri,) *sic adimplebitis legem Christi.* (Gal. 6. 2.) Certe non est iumentum austri, qui portare negligit onus fratris sui. Quod onus? Infirmitates certe & morum, & corporum.

Præterea, fratres, per iumenta austri eos significatos possumus dicere, qui dona Sancti Spiritus, non propter meritum, sed propter officium sortiuntur; [44] sicut Prophetiam, curationes, & cætera huiusmodi. Quos ordinant, ordinantur; maledicentur, quos maledicent; quos benedicunt, [45] benedicuntur; ita tamen si hæc omnia secundum leges Ecclesiæ, non secundum impetum animi faciant. Hinc est quod Balaam Dei populo benedixit; (Num. 24. 9.) quod Caiphas pessimus prophetauit; (Ioan. 11. 50.) [46] quod Iudas, sicut cæteri Apostoli, miracula fecit. Hinc est enim quod [47] H multi in illa die dicent, *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo signa multa fecimus: & tunc confitebor illis* (ait Dominus) *quia non noui vos.* (Matth. 10. 1. Marc. 3. 13. Luc. 9. 1. Matth. 7. 22.) Hi tales non homines dicendi sunt, sed iumenta; [48] Domino non seruiunt, sed suo ventri, terrena sapiunt, & cœlestia contemnunt [49] Hi nimirum illo onere miserabiliter prementur, quod quibusdam iumentis austri terribiliter Isaias intentat.

Fregimus, vt potuimus, panem istum hordeaceum, [50] sed plurima ceciderunt inter frangendum fragmenta, quia festinamus ad alia. Vos igitur qui otiosi estis, quos Christus ab his occupationibus seruauit immunes; *colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Inspiciat vnusquisque diligenter seipsum, & videat quod onus in præsenti sustineat & si quod in futurum formidet. Si sub onere est Babylonis, detestetur illud & abiiciat, ne si fuerit conformis operibus eius, à pœnis eius non sit immunis. Si sub onere Philistiim,

A videat ne potionibus eorum inebrietur, eisque similis fiat in culpa, futurus eis similis in pœna [51] Qui sub onere Moab se senserit laborare, satagat sic necessitatibus corporis indulgere, vt Nabuzardam muros non destruat Ierusalem, nec sic eis satisfaciat, vt eum illis in æternum ardeat. (.Reg. 5.10.) Ac si onus Damasci humerum presserit, caueat ne ipsi sibi manus iniiciat, & ita seminans in carne, de carne metat corruptionem. Sane si onus Ægypti incubuerit, abiiciat opera tenebrarum, & armis [52] lucis induatur, (om. 13. 1.) ne si hic interioribus tenebris mentem libens tradidit, [53] quandoque nolens in exterioribus crucietur. Porro si onus Deserti Maris, malis eum persequentibus infestauerit, non frangatur; ne quod ipsi [54] inferunt per malitiam, ille propter impatientiam patiatur Si [55] autẽ Duma silentij fecerit impatientem, vel pudor & cõfusio obstruxerit confessionẽ, caueat pondus pœnæ, quod taliter silentibus Propheta intẽtat. Verum si onere Arabiæ pressus, mortem timuerit secundum naturam, sic se habeat; vt eam non B timeat propter conscientiam; ne non solum ab Arabia prematur [56] sed etiam cum Arabia æternæ damnationis onere comprimatur. Præterea, si sub onere Vallis Visionis suspirans, contra vanitatem pugnauerit: caueat ne de monte contemplationis, cadat in vallem erroris, eo vtique pondere obruendus, quod in onere Vallis Visionis Propheta describit. At si sub onere Tyri, ob præsentes labores, & dolores, mentem pusillanimitas desperatione deiecerit, caueat præ omnibus propriæ voluntatis angustiam; vt corde dilatato, per omnes vitæ huius angustias gratanter incedat, & sic æternum miseriæ pondus, quod Tyro intentatur, euadat. Postremo si sub onere Iumentorum Austri affectus tædio defecerit, cogitet sciatque, quia si onus [57] charitatis abiecerit, damnationis onus non immeritò sustinebit.

Credo etiam quod non vacat à mysterio ipse onerum ordo, nec sine causa primo loco ponitur onus Babylonis, secundo Philisthim, & sic de cæteris. Si enim prius C à cordibus nostris non fuerit expulsa cupiditas, quæ onus Babylonis, & radix omnium scitur esse malorum; (.Tim. .10.) nec cætera onera declinare, vel vincere, nec ad virtutum progredi summam vlla ratione poterimus; fiat autem ista cupiditatis expulsio, vel in his, qui sæculo plenè renuntiant, vel *Qui* (sic) *vtantur hoc mundo, tanquam non vtantur; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* (.Cor.7. 1. .Cor 6. 0.) Cupiditate autem deuictâ, vel exclusâ, iam *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus* (ph 6. 1.) Sed [58] cum qui *non patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere,* (.Cor. 0.13.) onus istud vel alleuiauerit, vel abiecerit; onerabit nos huius carnis necessitas, cuius metas sicut scire difficile est, ita seruare impossibile. Necesse proinde est vt concepto igne naturalia nox incentiua fatigent & nisi eis viriliter ressistatur, ad illicita quæque impellant Si vero compressis Philistæis, necessitas corporalis quasi Moab, sub modo fuerit tem- D perantiáque redacta, & sic quasi onus Damasci, carnis quieuerint incentiua; statim errores, & blasphemiæ, quasi tenebræ Ægypti, oculos cordis obducent, donec coruscanti luci sapientiæ tenebræ cedant, & [59] statim deserti Maris, id est, peruersorum inuidia, malitiaque succedat. Qua cessante, cum ei iam omnia videantur esse quieta, ipsa quies eius à spiritu accidiæ, quasi sub onere Duma, non potest esse quieta. Quo operis, orationis & lectionis assiduitate propulso, onus Arabiæ, id est, metus mortis incumbat. Sed & ipso bonæ conscientiæ ac fidei virtute superato, quasi vicinum perfectioni vanitas onerabit. Quæ si fuerit profundâ humilitate deuicta, nihil restat, nisi vt alienis necessitatibus, quasi Iumentum Austri oneretur.

Hæc in præsenti de oneribus istis dicta sufficiant; quorum quædam ab humeris nostris, hoc tempore gratiæ, Christus deponit, quædam temperat, quædam minuit, quædam disponit. Hæc autem omnia operatur secundum abundantiam misericordiæ suæ, à cuius præsentiâ, quasi à facie olei, iugum diabolicæ dominationis computruit. E Sed qui tempus misericordiæ negligit, iudicij tempus formidet; quia is, qui per misericordiam nos redemit, per iustitiam iudicabit. Itaque, fratres mei, misericordiam & iudicium cantemus Domino; (Ps.100.1.) misericordiam, quam experimur; iudicium, quod expectamus, Amplectamur illam, istud timeamus, vt hic deuoti, illic securi inueniamur, præstante Domino nostro Iesv Christo, qui viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Ait Apostolus. C. Cam. *Ait Apostolus Paulus.*
2. Sic qui timebatur, venit. C. Cam. *Sic qui præsens erat essentialiter, venit.* Idem libri excusi.
3. Quod meretricibus. C. Cam. & Excu. *Quod meretricis attactum.*
4. Eum, Regem Assyriorum. C. Cam & Excu. *Eum Regem scilicet Assyriorum.* F
5. In pala Oreb. C. Cam. Excu & vulgata. *In petra Oreb.*
6. Tempestatum persecutiones. C. Cam. Excu. *Tempestates persecutionum.*
7. Superiora negligere. C. Cam. *Negligere superiora.*
8. Charitate quam aliis. C. Cam. *Charitate qua aliis.* Excu. *Charitate, quando aliis.*
9. Onus itaque graue. C. Cam. *Onus vtique graue.*
10. Cum labore peruenit ad id quod cupit. C. Cam. & Excus. *Cum labore acquirit quod cupit?*
11. Mundanæ dilectionis. C. Cam. & Excus. *Mundanæ delectationis.*
12. Si clamatur. Excu. *Si proclamatur.*
13. Labores subire. C. Cam. Excu. *Labores pro eis subire.*
14. In ipsos Patres. C. Cam. Excu. *In ipsos etiam Patres.*
15. Illo plene vel pœnali onere. C. Cam. *Illo pene vel, &c.* Excu. *Illo pœnarum onere.* G
16. Quantarum sollicitudinum onus. C. Cam. & Excu. *Quantarum sollicitudinum ac curarum onus.*
17. Dicam dilectione. C. Cam. & Excu. *Dicam delectatione.*
18. Sapidus apponatur, si negligentius. C. Cam & Excu. *Sapidus apponatur; si preparetur tardius; si negligentius.*
19. Quia naturalis C. Cam. *Quia ipsa naturalis.*
20. Nonnunquam in quadam delectationis voragine, pœnæ. C. Cam. *Nonnunquam vi quadam delectationis; pœna ipsam, &c.*
21. Nouerit deprimendum. C. Cam. & Excu. *Nouerit opprimendum.*
22. Est leue onus istud. C. Cam. *Est onus leue istud.*
23. Dicamus quod bonum est malum, &c. C. Cam. *Dicamus malum bonum, & bonum malum.*
24. Maris. Mare sunt. C. Cam. *Maris Mare desertum, &c. vsque ad hoc signum * Mare sunt illi.*
25. Diuersis vitiorum. C. Cam. & Excu. *Diuersis passionum ac vitiorum.* H
26. Sit eos relinquere sibi. C. Cam. *Sit relinquere eos sibi.*
27. Mare non dubites eos nominandos. C. Cam. *Mare eos non dubites nominandos.*
28. Fratres, quam graue. C. Cam. *Fratres charissimi quam graue.*
29. Qui tales sunt. C. Cam. *Qui eiusmodi sunt.*
30. Detrahentes, senioribus. C. Cam. *Detractores, Deo odibiles, senioribus.*
31. In onere. C. Cam. *In hoc onere.*
32. Omnia sint oneri. C. Cam. *Omnia oneri sint.*
33. Ad iter paratum. C. Cam. *Paratum ad iter, ad obedientiam promptum.*
34. Abiecta Philosophorum. Impressi *Abiecta Peccatorum.*
35. Et in desideria cordis eorum, & in reprobum. C. Cam. *Et tradidit illos Deus in desideria cordis eo-*

rum,

A *num, & tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

36. Pœnæ, quæ. C. Cam. *Pœna, quod.*
37. Hortum tuum. C. Cam. & Vulgata editio. *Hortum meum.*
38. Ipse vult. C. Cam. *Ipse sponsus vult.*
39. Onera plebis. C. Cam. *Onerat eum plebs.*
40. Secreto cœli. C. Cam. *Secretis cœlorum.*
41. Medio maris. C. Cam. *Medio Babylonis.*
42. Terra australi. C. Cam *Terra Austri.*
43. Austri sic adim. C. Cam. *Austri adimplebitis.*
44. Sicut Prophetiam. C. Cam. *Sicut sunt Prophetia.*
45. Benedicuntur, ita. C. Cam. *Benedicuntur, ligantur, quos ligant, & quos absoluunt, absoluuntur, ita.*
46. Quod Iudas, sicut. C. Cam. *Quod Iudas pessimus, sicut.*
47. Quod multi in illa. C. Cam. *Quod multi venient in illa die dicentes.*
48. Domino non seruiunt. C. Cam. Excu. *Domino Iesu Christo non seruiunt.*

B

49. Hi nimirum, &c. Hæc vsque ad *Fregimus* adiecimus ex C. Cam. & Excu.
50. Sed plurima ceciderunt, &c. C. Cam. *Sed quia festinantius inter frangendum plurima nobis ceciderũt.*
51. Qui sub onere. C. Cam. *Quod si sub onere.*
52. Lucis induatur. C. Cam. *Lucis muniatur.*
53. Quandoque nolens in, &c. C. Cam. *Quandoque in exterioribus nolens cruciatur.*
54. Inferunt per malitiam. C. Cam. *Inferunt propter malitiam.*
55. Autem Duma. C. Cam. *Autem onus Duma.*
56. Sed etiam. C. Cam. *Sed insuper eum.*
57. Charitatis abiecerit. C. Cam. *Charitatis deiecerit.*
58. Sed cum qui. C. Cam. *Sed cum is qui.*
59. Statim deserti Maris. C. Cam. *Statim desertum Mare.*

SERMO PRIMVS DOMINI AELREDI Rieuallis Abbatis de onere Babylonis.

C

OMnium quæ fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, primordialis & efficiens causa Deus est, ipsa omnium finis. Nam cum ipse, vt ita dicam, propriè sit esse, omnia vtique quæcunque sunt, ab ipso habent quod sunt; quia non nisi ab esse habent quod sunt. Certum est hominem, & Angelum esse; sed aliud est esse aliud hominem, vel Angelum esse, cum possit aliquid esse, nec homo, nec Angelus esse. Cogitet ergo qui potest non hominis vel Angeli esse, sed sine Angelo & homine ipsum esse; quod non solum hominis & Angeli est, sed etiam omnium quæ sunt. Ipsum igitur esse, quod non specialiter huius vel illius rei, sed communiter omnium existentium, vel, vt expressius dicam essentium est, sine dubio Deus est. Sicut autem ipse est omnium existentium esse, ita & omnium [1] vita viuentium, omnium sapientium sapientia. Ad hanc formam creata est rationalis creatura; ab ipso habens non solum esse &
Psal. 48 viuere, sed etiam sapientem esse, & sapienter viuere. Ab
D hac itaque formâ se disiungens, & separans miser homo,
13. 21. comparatus est iumentis insipientibus, & cœpit insipiens esse, & insipienter viuere; nec tamen desiit esse, & viuere, qui posset ad pristinam formam, eo, qui formauerat, reformante, redire. Ipsa autem forma, sapientia est; via vero, per quam ad ipsam formam redeatur eruditio. Omnis vero eruditio, qua de hac deformitate reducamur in formam, in tribus est, fide scilicet, spe, & charitate: vt sciamus quid credendum, quid sperandum, quid sit amandum; & sic credamus, speremus, amemus. Sapientia igitur in animas sanctas se transferens, amicos Dei, & Prophetas constituit; per quos nobis sacram Scripturam, quasi totius eruditionis fontem ministrauit. Quam nimirum ipse, qui condidit tantâ prudentiâ Spiritus ordinauit, vt innumerabilium sensuum, innumerabilium capax esset sententiarum; quarum cum istas vni, illas alteri reuelaret, ad exercitandum ingenium, depellendumque fastidium semper recens esset, semper quadam [2] delectatione renouaret.

Vt autem error humanus, vel dæmonum suggestio, certo examine [3] ac sancti Spiritûs possit reuelatione E
discerni, præfixa est fidei regula, præscripta [4] spei promissa, promulgata charitatis præcepta; vt quæcunque sententia occurrens animo, his non conuenire probetur, eam aut fallaciæ dæmonum, aut humano errori incunctanter adscribas: quæcunque vero à sacris paginis conuenienter elicita, vel ad fidem erudit, vel ad spem erigit, vel ad charitatem accendit; ipsam & à S. Spiritu sacris literis insertam, & ab eo tibi reuelatam non dubites. Sed his, qui sæcularium negotiorum impediuntur obscuro, vel necessariarum occupationum [5] retibus occupantur; quibus vagos, & turpes refrenent excursus satis sunt, imo plusquam satis ea, quæ de scripturis semel sunt dicta, vel scripta; quæ illis tam ignota sunt, vt semper [6] possint eis videri quasi noua. At vobis, charissimi, qui mundi huius renuntiastis operibus, qui ab omni curâ sollicitudinéque mundanâ soluti; cum immundis spiritibus, ac propriis cogitationibus initis certamen; alia in scripturarum meditatione ratio, alia necessitas est. Quod enim F
multis parit idem sermo, lectioque eadem sæpius repetita fastidium; necesse est, vt quæ antiqua videntur & nota, vel quarundam sententiarum adiectione, vel saltem verborum mutatione innouentur; & sic ad quærendum studium excitetur, inutiles & inanes cordis excursus, in id quod vtile est reuocentur; & mens quæ à nouis fastidiosa resilierat, renouatâ lectionis vel sermonis suauitate, ad id salubriter redeat, à quo fuerat quasi sensibiliter auocata.

Hinc est quod librum Isaiæ assumo in manibus, cum charitate vestra quandam eius portiunculam inspecturus: qui licet expositione [7] Sanctorum possit esse notissimus; penitùs tamen arbitror vt si non alia, saltem aliter ea, quæ ab ipsis velut minima, vel manifesta prætermissa videntur, sumptis ex eorum verbis rationum seminibus, sicut Deus dederit in medium proferamus: vt qui ad eorum perfectas sententias, quasi Matth.
ad solidum panem aspirare non audet, ad micas, quas sub G
mensa eorum poterimus, vestris rationibus adiuti, colli- 15. 27.
gere, etiamsi fuerit catellus accedat. Sic fratres charissi- Marc. 7. 28.
mi, sic redimamus tempus vt illudamus tempori, quo- Ephes. 5. 16.
niam dies mali sunt; & salutaribus verbis sanctisque meditationibus, os à sermonibus otiosis, cor à vanis cogitationibus vindicemus.

Est autem iste S. Propheta tam profundus in [8] sententiis, in futuris prædicendis tam perspicuus, in disciplinis moralibus tam iocundus; vt nunc quasi in ipsum cœlum subuectus, videatur diuinorum consiliorum secreta rimari; nunc ad [9] inferiora firmamenti, celeri pennâ demissus, mysteria propalare cœlestia; nunc leui volatu ad nos vsque descendens, in campis moralibus spatiari; nunc quasi recipi in Paradisum, & [10] iterum ad nos & referre ineffabilia verba, *quæ non licet homini* 2. Cor.
loqui. Hæc omnia Christi, & Ecclesiæ sacramenta, tam 12. 4.
manifesto reuelat oraculo; vt non tam prænuntiasse futura, quam præterita narrasse putetur. Quæ omnia, licet H
ex sui qualitate grata sint satis, & sapida; eloquentiæ tamen eius mirâ suauitate, gratiora & dulciora redduntur. Sed placuit nobis, vt cæteris interim intermissis, de vndecim oneribus, de quibus Propheta, S. Spiritu dictante, disseruit; quicquid ipse suggesserit Spiritus, ad vestram ædificationem propalemus. Fateor me vestris profectibus per omnia debitorem, & propter officium quidem, sed maximè propter affectum. *Sed & necessitas* 1. Cor. 9.
mihi incumbit, Væ enim mihi si non euangelizauero; præ- 16.
cipuè, cum quicquid in doctrina spiritali, quicquid in scripturarum intellectu proficio, non tam datum mihi, quam vobis per me transmissum non ambigam. Neque enim meritis id adscribendum meis, cum peccator sim: nec scholasticis quidem disciplinis, cum pene, vt scitis, illiteratus sim; sed nec studio, aut industriæ meæ, cum raro in otio, crebro in negotio sim. Totum igitur Dei est, mihi commissum, vobis transmissum, vt 1. Cor. 1.
qui gloriatur, in Domino glorietur. Adesto proinde tu 31.

bone

A bone Iesu, & panibus quos protulimus, gratiam tuæ
benedictionis infunde, edant pauperes, & saturentur,
dicantque cum Propheta, *Quam dulcia faucibus meis*
Psal. 118. 103. *eloquia tua super mel ori meo.* Ecce ego appono manum,
tu præsta auxilium, quia sine te [11] possum facere
nihil. Qui sancto Isaiæ inspirasti vt scriberet, inspira
Ioan. 15. 5. quæso mihi vt quod scripsit intelligam, quia iam in-
spirasti vt credam; nisi enim crediderimus, non in-
telligemus.

Quid ergo putamus onus istud significat? Est quidem
Isa. 7. 9. iuxta 70. onus premens, & onus opprimens. Premit infirmi-
tas, iniquitas opprimit. Premit tentatio, damnatio
opprimit. Proponitur ergo primum onus Babylo-
nis [12] deinde onus Philisthiim, tunc onus Moab,
& post onus Damasci, quod sequitur onus Ægypti,
cui succedit onus deserti Maris, ac deinde onus Duma,
& onus in Arabia, & tunc Vallis visionis, & onus Ty-
ri, ad vltimum autem onus Iumentorum Austri. Osten-
ditur ergo à sancto Isaia quarumdam vrbium, vel gen-
B tium, immo magis eorum, qui in his vrbibus, vel
gentibus figurantur, depressio, qui & ipsius depressio-
nis modum, causas, materiasque non tacet: quibus
etiam inserit de eorum felicitate sermonem, qui hac de-
pressione ad salutem, non ad perniciem onerantur, pa-
Psal. 61. 12. 13. tetque vbique, *quia potestus Dei est, & tibi Domine mi-*
sericordia, quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua, diui-
Gen. 1. 4. 18. dens inter diem & noctem, inter lucem & tenebras vt
comparatione lucis, ipsæ tenebræ densiores appareant,
vt collatione tenebrarum, copiosius lux ipsa resplen-
deat. Et quis inter hæc iudicat atque discernit, nisi is
Ioan. 5. 22. qui ait: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium*
dedit Filio. Et iterum, *Ego in iudicio veni in mundum, vt*
Ioan. 9. 39. *non videntes videant, & videntes cæci fiant.* Quoniam igi-
tur per aduentum Domini Saluatoris, facta est hæc bo-
norum ac malorum discretio, quorundam quoque de-
pressio, quorundam & liberatio, principalem Prophe-
tæ, per totum libri corpus, ipsius Domini aduentum
constat esse materiam: de quo S. Simeon: *Ecce hic posi-*
Luc. 2. 34. *tus est in ruinam* [13] *& in resurrectionem multorum in*
C *Israel, & in signum cui contradicetur.* Quod Isaias onus,
ipse [14] ruinam appellat. Sic autem hæc onera de-
scribit, vt appareat Deum quosdam premere, sed non
opprimere. quosdam opprimere, sed non premere,
quosdam simul premere, & opprimere. Premit quos
affligit, opprimit, quos deserit. Quosdam igitur affli-
Hebr. 12. 6. git, sed non deserit, sicut scriptum est, *flagellat Deus*
omnem hominem quem recipit. Vnde est illud Psalmistæ.
Psal. 88. 33. 34. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus pec-*
cata eorum, misericordiam autem meam non dispergam
Ps. 72. 5 *ab eo.* Deserit, nec affligit, de quibus dicit Prophe-
ta, *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non*
Psal. 80. 13. *flagellabuntur.* Et iterum, *Et dimisi eos secundum deside-*
ria cordis eorum. Et per alium Prophetam, *Non visita-*
Osee 4. 14. *bo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, neque su-*
per vxores vestras, cum adulterauerint. Quosdam præ-
terea affligit, & deserit, de quibus ipse per Prophetam
Ier. 5. 3. ait: *Attriui eos, & noluerunt recipere disciplinam.* Sanè
quomodo, quibusve modis fiat afflictio, vel desertio,
D cum de ipsis oneribus tractare cœperimus, Deo volen-
te apparebit. Potest autem dici onus Babylonis, vel Phi-
listhiim, vel Moab, secundum onus quo premunt, vel
secundum onus quo premuntur, & sic de cæteris.

Sed iam si placet sequentis narrationis titulum in-
Isa. 13. 1. spiciamus. *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos.*
Babylonis nomine fratres, quæ confusio interpretatur,
mundum significari, satis notum est charitati vestræ,
vbi nimirum confusa sunt omnia; vbi boni cum ma-
lis, cum electis reprobi viuunt, vbi frumentum cum
palea, oleum cum amurca, vbi cum acinis vinum,
vbi, quantum ad temporalia, sicut iustus, ita & im-
pius, vbi nihil habet homo iumentis [15] amplius cum
hic nec ille præmia, qui rationabiliter viuit vt homo,
nec ille, qui ob carnalia vitia mutatur in iumentum,
digna factis reportat supplicia. Plerunque etiam Ba-
bylonem, illam tantum reproborum cum suo Rege
ciuitatem intelligimus, ad quam nullus pertinet ele- E
ctorum, à qua nullus excluditur reproborum. Repro-
bos sane in tres partes diuidimus, quarum [16] vna &
societati communicat, & operibus adhuc electorum,
alia ab illis operibus, vel communione separatur; alia
iam exutis corporibus, æternis suppliciis mancipatur.
Et omnes igitur simul, & singulæ istarum partium, &
singularum partium singuli homines, Babylonis no-
mine iure censentur. Electos etiam in tres diuidi or-
dines manifestum est. Nam alij necdum vocati sunt, vt
Iudæi, siue Pagani, alij vocati, sed non iustificati, vt
peccatores Christiani, alij iustificati, sed nondum glo-
rificati; vt Sancti huius adhuc vitæ miseriis subditi.
Electi itaque, qui necdum vocati sunt, licet eos à Ba-
bylone prædestinatio separauerit; quandiu tamen Ba-
bylonicis erroribus excæcantur, à Babylonis nomine
non recedunt. Sed & hi, quos licet electus vocatio si-
mulac prædestinatio iunxerit, detestanda tamen ope-
ra separant, Babylonici nominis opprobrio percel-
luntur. F

Dicitur itaque Babylon illa hominum vniuersitas in
qua eisdem erroribus & vitiis, & electi, & reprobi im-
plicantur. Dicitur & Babylon cor prauum, & inscru-
tabile, quod vitiis, passionibusque confunditur. Ba-
bylon etiam nuncupatur illa reproborum societas, cui
æterna confusio præparatur. Est autem onus Babylonis
quo ipsa confusa vniuersitas multorum, ab ea separa-
tione destruitur; quo etiam malis temporalibus inde-
sinenter affligitur; quo in cordibus singulorum vitio-
rum, ac pessimarum passionum structura, quasi ciuitas
confusionis diruitur, quo insuper æternis pœnis post
hanc vitam, in solis reprobis onerabitur. Et hoc est
onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amus. Quo-
modo vidit? Eia Fratres, qui nunc Prophetæ appel-
lantur, olim videntes dici solebant, propter excellen-
tiorem quandam, diuiniutemque, vt ita dixerim visio-
nem; de qua nunc disserere, & temporis angustia, & ea
quæ nunc interuenerunt, negotia non permittunt. Igi-
tur hæc consideratio alteri sermoni reseruetur. Vos in-
terim orate, vt sensum Spiritus sequentes, sic ista one- G
ra describamus, vt ea quæ prementia sunt fortiter su-
stineamus; quæ opprimentia, caueamus; damnantia
autem, ipsius auxilio euadamus, qui [17] pro nostris
voluit oneribus onerari, Iesus Christus Dominus no-
ster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat
Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vita viuentium C. Cam. *Viuentium vita.*
2. Quadam delectatione renuuaret. C. Cam, *Quadam renouatione delectares.*
3. Ac Sancti. C. Cam. *A. Sancti.*
4. Spei promissa C. Cam. *Promissa spei.*
5. Rebus occupantur; quibus vagos & turpes refrenent, &c. C. Cam. *Rebus implicantur, cum innumerabilium curarum, molestissimarumque sollicitudinum vinculis, cogitationum suarum turpes & vagos refrenent, &c.* H
6. Possint eis videri quasi noua. C. Cam. *Videri possint illis & noua.*
7. Sanctorum possit. C. Cam. *Sanctorum nobis possit.*
8. Sententiis in futuris. C. Cam. *Sententiis, tam sublimis in mysteriis, in futuris.*
9. Inferiora firmamenti. C. Cam. *Firmamenti inferiora.*
10. Iterum ad nos. C. Cam. *Iterum redire ad nos.*
11. Possum facere nihil. *Facere possum nihil.*
12. Deinde onus. C. Cam. *Demum onus.*
13. Et in resurrectionem. C. Cam. *Et resurrectionem.*
14. Ruinam appellat C. Cam *Ruinam appellans.*
15. Amplius. Plerumque. Sic meus Cod. Sed Cam. habet vt suppleuimus.
16. Vna &, &c. C. Cam. *Vna adhuc & operibus, & societati communicat electorum, alia.*
17. Pro nostris voluit. C. Cam. *Pro nobis nostris voluit.*

SERMO

A

SERMO SECVNDVS.

SCitis, Fratres charissimi, de oneribus loquuturus, quod graue onus ipse susceperim; vnde inuocandus est nobis ipse Spiritus, vt qui nobis primum onus imposuit charitatis, omne onus leue faciat, quod vestris possit seruire profectibus; quatenus qui dedit affectum. Et onus quidem Babylonis, quantum spectabat ad titulum, hesternâ die, sicut potuimus, explicauimus. Sed cum scriptum sit, *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos*, (Isa. 13. 1.) quærendum putauimus, quomodo visum sit ab Isaia onus istud maximè cum plures sint visiones, & ob quandam visionis excellentiam, Prophetæ [1] appellati sunt Videntes. Est quippe Visio sensualis, visio Imaginaria, visio Phantastica, visio Spiritalis, visio Rationalis, visio Intellectualis. Visio Sensualis est, qua corporeis sensibus corporalia sentiuntur, intus imagines cernuntur; vel ex eis, quæ percepta sunt, alia quæ non sunt sensa finguntur. (B) Visio vero Phantastica est, qua corporalium rerum phantasmata vel oculis, vel animo obiiciuntur. Porro Spiritalis visio est, quâ visibilium rerum imagines, aliquid significantes, in ipso [2] spiritu hominis formantur. At visio Rationalis est, qua vera à falsis, vel virtutes à vitiis discernuntur. Intellectualis autem visio est, qua non dico vera a falsis discernuntur, sed qua in ipsis veris, veritas ipsa conspicitur. Itaque visio Sensualis in corpore est, corporeos omnes sensus, eorumque vim naturamque complectens. Dicimus enim, Inspice, vide, quam album sit; gusta, & vide quam dulce sit; audi, & vide quam sonorum sit: olfac, & vide quam odoriferum sit; tange, & vide quam lene sit. Omnis itaque per carnales sensus experientia, visio dicitur sensualis: quæ quidem visio Prophetica esse potest, Prophetam vero facere non potest. (Num. 21. 89.) Visio quippe serpentis ænei, quem Moyses exaltauit in eremo, qua filij Israël à serpentium morsibus curabantur, Prophetica fuit: (C) Videntes tamen Prophetas non fecit. (Gen. 18. 2.) Sensualis etiam illa visio fuit, qua Sanctus Abraham tres viros vidit descendentes per viam, quam & Propheticā esse ipse non dubitauit, qui tres vidit, & vnum adorauit. Ex illa autem sensuali visione, quamuis Prophetica fuerit, ipse Abraham Propheta non fuit; sed ex alia, qua illam sensualem Propheticam esse conspexit. (Dan. 5. 5. & seq.) Magis igitur Propheta fuit, qui exaratas in pariete aulæ Regiæ Babylonis, litteras exposuit, quam qui manum, articulosque [3] conspexit scribentis.

Porro visionem illam, qua in animo corporalium rerum, quas sensu percepimus, videmus imagines, idcirco Imaginariam dicimus, quia non aliunde nobis ingeruntur harum rerum similitudines, sed à [4] nobismet ipsis per sensus inductæ, sicut eas foris vidimus, ita eas intus imaginamur, vel ex eis ipsis [5] fingimus. Nam similitudinem serui quadrupedis, quem oculis vidi, internis imaginor, & ea cerui sex pedum, quem nunquam vidi, imaginem fingo. (D) Hæc autem visio nec prophetica aliquando est, nec Prophetam aliquando facit, nisi forte ideo Prophetica dici possit, quod res sensibiles, quando Propheticæ sunt, imaginari in animo possunt. Phantastica sane visio aliquando à corpore fit, aliquandu ab animâ, aliquando autem ab aliquo alterius naturæ Spiritu. A corpore, vel somno, vel morbo, somno, quando dormientibus nobis corpore, anima quæ dormire non potest, vacantibus sensibus, quibus in veris corporibus intuendis occupabatur, interim in corporum phantasiis naturaliter versatur. Morbo, quando malâ aliquâ valetudine sensibus perturbatis, visa similia corporibus cernuntur, quod phreneticis sæpe accidere manifestum est. Sane ab ipsa animâ phantastica visio est, quandu ea ipsa, quæ anima in se frequenti versat cogitatione, dum vigilat, per phantasias quasdam contuetur, dum dormit. Porro ab alterius naturæ Spiritu formatur hæc visio, quando vel oculis Satanis per phantasmata vana deluditur, vel dormienti- (E) bus, vel ægrotantibus, rerum phantasiæ à malis spiritibus animæ præsentantur, vel cum vigilante & sano corpore, anima ab ipsius sensibus abripitur. Nam pro certo scimus multorum oculis ita delusum esse, vt homo eis bestia videretur; vt aqua fluere, vbi nulla erat aqua, æstimaretur; vt ignis sæuire, vbi ignis non erat, putaretur; & multa huiusmodi.

Quod autem à dæmonibus somnia multa formentur, nulli incredibile est. Phreneticis vero, vel quolibet morbo alio affectis licet ipsa valetudine multa visa formentur, potest tamen fieri vt à nequam spiritibus multa eorum animis obiectentur. Verum quoties animam à sensibus quasi in quendam excessum malus abripit Spiritus, delusum phantasmatibus hominem, aut dæmoniacum facit aut arrepetitium, aut falsum Prophetam. Hanc itaque visionem, quam phantasticam diximus, à Prophetarum officio omnino separamus.

Porro visiô, quam ideo spiritalem dicimus, quia in Spiritu hominis, alterius Spiritûs operatione formatur; (F) aut per somnium fit, aut per excessum. Per somnium, cum à bonis spiritibus, corporalium rerum imagines in animo dormientis formantur, Quæ profecto visio, licet Prophetica sit, Prophetam tamen non facit. Prophetica quippe visio illa fuit, qua Ioseph Patriarcha vidit Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare se; (Gen. 37. 9.) Propheta tamen hac visione non fuit, si ipsius mysterium visionis non intellexit. Neque Pharaonem dicimus Prophetam fuisse, (Gen. 41. 1.) quia futuræ vbertatis, famisque sequentis in somnis dicitur præsagium conspexisse; sed Ioseph, cui Deus somnij illius occasione, (Ibid. 25.) propositi sui * reseruauit arcanum. (Dan. 2. 31.) Nec Nabuchodonosor Prophetæ nomine dignum existimo, cui Statua illa in somnis apparuit, sed potius Danielem, cui somnium ipsum, somniique datú est nosse virtutem. (* *Lege reserauit.*)

Præterea cum sano corpore, nec somno sensibus consopitis, aliquo occulto opere spirituali in ea visa, quæ similia sunt corporalibus, anima rapitur, ecstasis dicitur, (G) vel excessus qua visione occulta reuelantur, & præmonstrantur futura. Cui cum accesserit visio intellectualis, de qua postea tractabimus, fit talis videns Propheta, vel mysteria loquens, vel occulta patefaciens, vel ventura prænuntians. In excessu mentis Petrus descendentem de cœlo discum aspexit, (Act. 10. 11.) in quo erant omnia genera reptilium, & animantium, dictumque est ei, *macta, & manduca*. Quam certè visionem, vel præceptum, non tunc quidem, sed accedente postmodum intellectuali visione, cognouit quando ait: (Act. 10. 34.) *In veritate cognoui, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. In spiritu prætetea non in carne sanctum Ezechielem Prophetam, (Ezech. 40. 2.) multa Christi & Ecclesiæ sacramenta, sub specie Ciuitatis in monte positæ legimus aspexisse; raptumque per excessum in Ierusalem, abominationes pessimas Iudæorum Prophetico oculo deprehendisse. (Ezech. 8. 3.) Vtrum autem per bonos aliquando Spiritus in sensibus hominum aliquid fiat, quo sensus ipsi fallantur, (H) sicut eorum profecto fallebatur sensus, quorum oculi tenebantur, ne Christum agnoscerent, (Luc. 24. 16.) nolo præcipitare sententiam. Nam vtrum per bonos aut malos Spiritus, Syri percussi sint cæcitate, ne Eliseum vel Samariam agnoscerent, (4. Reg. 6. 18.) incertum habeo. Rationabilis sane visio ea est, qua sine omni corporalium sensuum adminiculo verum, vel falsum ratione apprehendimus; qua inter vitia virtutesque discernimus; qua numerorum, & ponderum, & mensurarum rationes veras esse probamus; ita vt nihil certius carne videamus, quam ternarium numerum, in duas æquales partes diuidi non posse, mente concipimus. [illegible] visione sensuali, corporalia cernimus; ex imag[illegible]a, corporalia imaginamur; phantasticâ, per imagines corporales illudimur; spiritali, per corporeas similitudines Spiritus eruditur; rationali, in inuisibilibus mens exercetur; intellectuali in ipsam veritatem mens inducitur. Nam intellectualem illam dicimus visionem, qua mens omne corpus, omnesque corporeas [6] ima-

gines,

A gines, ac similitudines transcendens in ipsa luce veritatis requiescit; in qua vera, & verè sunt omnia præterita, præsentia & futura, nec aliter futura quam [7] præterita, nec aliter præsentia quam præterita, vel futura, simul, & semper, & eodem modo omnia quæcunque ei veritas reuelauerit, interiori contemplatur intuitu. Vnde Dominus in Euangelio, *Multa habeo vobis* Ioan. 16. 12. *[8] dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, inducet vos in omnem veritatem.* Quid est omnis veritas, nisi vna omnium veritas? Certe quæcunque sunt, vera sunt; nam prorsus quod falsum est, non est. Homo, lapis, lignum, equus, auis, vtique sunt. & vera sunt. Pictus autem homo, homo non est, ac per hoc nec verus homo est; vera tamen imago, vel pictura est; & ideo sine veritate non est. Inducuntur itaque Apostoli in omnem veritatem, in qua nihil falsum, nihil ambiguum, nihil deceptorium; sed corde, non carne solum, id quod verum est cernitur. *Multa* (inquit,) *habeo vobis dicere.* Habuit eis dicere, B multa, non vt multis neque per multa, sed in vno, & per vnum, vbi multa non sunt multa, sed vnum. *Sed non [9] potestis portare modo.* Sensuali enim visione, ob dulcedinem præsentiæ eius occupati, & corporalibus eius verbis, corporaliter intenti, ad intellectualem illam visionem, quæ omnium corporalium excludit memoriam, [10.] vbi ipsa veritas loquitur, assurgere non valebant. Ideo ait: *Expedit vobis vt ego vadam*, vt scilicet Ioan. 16. 7. corporalis hæc visio, corporaleque colloquium subtrahatur, & Spiritus Spiritui, in veritatis lucem translato, loquatur.

Scio in monasterio virginum, quæ sub venerabili, & cum summa reuerentia nominando Sancto Patre Gilleberto vberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cœlos, quandam fuisse, vel adhuc superesse virginem sanctam; quæ cum omnem mundi amorem, ac carnales omnes affectus, curamque corporis omnem, & exteriorem sollicitudinem à suo pectore exclusisset; cœpit quodam meritis æstu & fastidire terrena, & desiderare C cœlestia. Accidit autem aliquando, vt, cum more solito orationi incumberet, mira quædam suauitas superueniens, omnes animi motus, omnes cogitationum excursus, omnes insuper spirituales, quos circa amicos habebat, extinxit affectus; moxque anima eius quasi oneribus, quæ in mundo sunt valedicens, rapitur supra se, & ab ineffabili quadam, & incomprehensibili luce excepta, nihil aliud videbat, nisi quod est, & quod omnium esse est [11.] neque lux illa corporea fuit, aut aliqua corporis similitudo, nec distendebatur, nec diffundebatur, ita vt vbique videretur, nec ipsa tenebatur, & tenebat omnia; & hoc miro, & ineffabili modo; sicut esse tenet quicquid est, veritas quicquid verum est.

Hac igitur luce perfusa ipsum Christum, quem prius 2. Cor. 5. 16. nouerat secundum carnem, cœpit iam secundum carnem non nosse, quia Spiritus ante faciem eius Christus Iesus, in ipsam eam induxerat veritatem. D In hoc igitur excessu, cum ei hora non parua præteriisset, pulsata à sororibus, vix potuit ad corporales, quos reliquerat, sensus redire. Itaque cum hoc ei sæpius contigisset, & multum rogata tandem ipsius modum excessus cæteris exposuisset, cœperunt plurimæ visionis huius excellentiam æmulari; vnde se ab omnibus curis, sollicitudinibusque mundanis abstrahentes, lachrymis, orationibusque continuis, plures eandem gratiam sortitæ sunt; & ita, vt inter sororum conuenticula, sæpius hac luce perfunderentur etiam inuitæ. Erat ibi virgo quædam, magnæ discretionis fœmina, quæ omni Spiritui sciens non esse cre- 1. Ioan. 4. 1. dendum, totum hoc aut morbo, aut phantasticis illusionibus credidit [12.] assignandum; & sororibus, quantum potuit, talis visionis frequentiam dissuasit. Inquirenti autem ab illa, quæ in his superior habebatur, cur sibi nihil tale accidisset, respondit illa: *Quia fidem nobis non adhibes, nec in aliis diligis virtutem, quam ipsa non habes. Roga*, inquit, *Deum, vt, si ex ipso*

E *est, mihi hoc ipsum eueniat*, cumque [13] aliquot diebus orassent, & nihil profecissent; requisita iterum, quæ supra, & vnde supra, respondit. *Oportet te omnibus mundi huius, cunctorumque mortalium renuntiare affectibus, & circa solius Dei memoriam occupari. Quid*, inquit illa, *Pro amicis meis, & benefactoribus non orabo?* Cui illa, *Eo tempore, quo volueris ad superiora mentis contemplatione conscendere, necesse est vt omnes, quos diligis Deo commendes atque committas; & quasi profectura de mundo, omnique omnino creaturæ valedicens, ad eius, quem diligis, suspires affectum.* Adhuc illa non credens, rogat vt orationibus eius, si ex Deo essent ista, voti sui mereretur effectum. *Volo tamen*, inquit, *vt anima mea ita sustollatur, rapiaturque à corpore, vt à mente mea omnium rerum, maxime amicorum deleatur memoria. Sufficit autem mihi scire, vtrum ex Deo sint ista.* Itaque die Parasceue, cum anxiis cogitationibus fluctuaret, subito ipsa, quam diximus, luce perfusa cœpit in eam modo ineffabili subuehi, & ad altiora sustolli. At illa, radiantem se lucem illam inaccessibi- F lem, oculo infirmiori non ferens, ad Dominicæ passionis intuitum reuocari se, vt potuit, postulauit. Cum ergo vidisset quasi raptim id esse, quod est, à superioribus ad inferiora delata, in illam spiritalem visionem transfertur, videtque in [14.] Spiritu IESVM in cruce pendentem, confixum clauis, lanceâ perforatum, sanguinemque per quinque foramina profluentem, ipsamque mitissimo oculo respicientem. Tum illa resoluta in lacrymas, & in se tandem reuersa fidem sororibus adhibuit, & se huic luci minus idoneam æstimauit.

His forte non inutiliter insertis, intelligamus hanc solam visionem, quam intellectualem dicimus, Prophetam facere, sicut de sapientia scriptum est; *Ipsa in* Sap. 7. 27. *animas sanctas se transfert, amicos Dei, & prophetas constituit.* Quicquid enim aliis visionibus cernitur, aut ambiguum est, aut fide magis, quam scientiâ roboratur. Quod autem in ipsa cernitur veritate, in qua facta sunt, quæcunque futura sunt, & luminosum con- G stat esse, & certum. Igitur in visione sensuali vel phantasticâ, quando hæc, quæ intellectualis est, operatur, Prophetiæ donum esse non ambiguum est. Qua igitur visione viderit Isaias filius Amos onus Babylonis, solâ videlicet intellectuali, aut sensuali etiam, vel spirituali, quis facile dixerit? Nam quod vtraque visione hac futura [15] præuidit multa, intellectuali eum illuminante, ex ipsius libri serie scire possumus. Ex sensuali quippe visione oraculum texuit, quando Ezechiam Regem pro eo, quod nuntiis Babylonicis domus suæ thesauros ostendit, Propheticâ auctoritate corripuit: *Quid* (inquiens) *viderunt isti in domo tua?* Et Rex, Isa. 39. 4. *non est verbum*, ait, *quod non ostenderim eis.* Tunc Propheta; *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & auferentur omnia, quæcunque congregauerunt patres tui in Babylonem.* Ex spiritali vero quando ait; *Vidi Dominum seden-* Isa. 6. 1. *tem super solium excelsum, & eleuatum*, & cætera, quæ H sequuntur. Quacunque autem harum visione viderit onus Babylonis, certum est quia mente vidit, non carne, ipso reuelante, qui ait: *In manibus prophetarum as-* Oseæ 12. 10. *similatus sum* [16] Sed quia diu iam nos tenuit visionum istarum distinctio, Propheticæ huius visionis exordium vsque in crastinum differamus.

VARIÆ LECTIONES.

1. Appellati sint C Cam. *Sint appellati.*
2. Spiritu hominis C. Cam. *Hominis Spiritu.*
3. Conspexit scribentes. C. Cam. *Scribentes conspexit.*
4. A nobis met ipsis C. Cam. *A nobis ipsis.*
5. Fingimus. Igitur C. Cam. Fingimus. *Nam similitudinem*, & quæ sequuntur vsque ad *Igitur visione sensuali, corporalia cernimus, imaginariâ, corporalia imaginamur, &c.*
6. Imagines ac similitudines. C. Cam. *Imagines, similitudinesque.*

A 7. Prætetita. Vnde Dominus. C.Cam. *Præterita. Nec alıter præsentia, &c.* Vsque ad *Vnde Dominus.*
8. Dicere Habuit. C.Cam. *Dicere, sed non potestis* vsque ad *Habuit eu.*
9. Potestis portare. C.Cam. *Potestis ait, portare.*
10. Vbi ipsa. C.Cam. *Vbi vera ipsa.*
11. Neque lux. C.Cam. *Neque enim lux.*
12. Assignandum : & sorutibus. C.Cam. *Assignandum: sororibus.*
13. Aliquot diebus. C. Cam *Aliquot dies.*
14. Spiritu IESVM. C.Cam. *Spiritu Dominum* IESVM.
15. Præuidit multa. C.Cam *Prandere multa.*
16. Sed quia diu iam nos. C.Cam. *Sed quoniam diu nos.*

SERMO TERTIVS.

Gal. 4. 4. QVando *venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Quæ est ista temporis plenitudo? Illa nimirum de qua Dominus in Euangelio, *Leuate*, inquit, *oculos vestros, & videte* [1] *regiones, quoniam albæ iam sunt ad messem.* (B; Iohn 4. 35.) Tempus quippe vacuum dicitur & inane, quando solis inclementiâ arefactis in terra seminibus, vel nimiâ pluuiarum inundatione putrefactis, fames cuncta consumens vacuum reddit messoribus agrum; quando decem iugera vinearum faciunt laguncularn vnam, & triginta modij sementis faciunt modios tres. Tempus vero plenum quando abundant omnia, quando multiplici fruge suis respondet terra cultoribus, nudusque per agrum cursitat messor; quando horrea replentur frumento, & torcularia vino redundant. Veniat nunc in mentem Saluatoris de frumento zizaniisque parabola; (Matth. 13. 24.) & quid triticum, quid zizania esse dixerit aduertamus. Semen, inquit, bonum; hi filij sunt regni; zizania filij nequam: filios vtique regni eos vocans, quos misericordia prædestinauit ad vitam, filios nequam quos iustitia præuidit ad pœnam. Igitur ante aduentum Domini nostri, Filiis nequam omnem pene superficiem terræ occupantibus, [2] & paucis inter eos regni Dei filiis latitantibus, (C) fames verbi Dei cuncta peruaserat, tempusque vacuum & inane, spiritalibus operariis nihil in quo laborarent reliquerat. (Gal. 4. 4.) Venit autem plenitudo temporis, quando vbique terrarum abundant hi, qui à Babylonicis erroribus fuerant separandi, separati iustificandi, iustificati glorificandi; de quibus Saluator, *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* (Matth. 9. 37.)

Per aduentum proinde Domini nostri, inuadenda fuit Babylon ciuitas confusionis, in qua vitiis & erroribus, cum reprobis, captiui tenebantur electi, & eorum separatione destruenda. Et hoc onus primum Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. Modos autem huius destructionis Prophetico sermone describens, ita exorsus est; (Isai. 13. 2.) *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate* [3] *manum, ingrediantur portas duces.* Quis loquitur? Quibus loquitur? Notandum arbitror quod Sancti Prophetæ aliquando narrando, aliquando orando, nunnunquam etiam benedicendo [4] vel maledicendo, (D) aliquando aliquid agendo, plerumque verò quasi præcipiendo, futura prædicunt. Narrando, sicut est illud, (Isa. 2. 2.) *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium.* Orando, vt illud, (Ps. 84. 5.) *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis;* vel certe illud, (Isa. 64. 1.) *Vtinam dirumperes cælos & descenderes.* Sanctus quoque Moyses, (Exod. 4. 13.) *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Quasi maledicendo vero, sicut ait Propheta, (Ps. 58. 12.) *Disperge illos in virtute tua protector meus Domine* Et, (Ps. 67. 3.) *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Et alibi Propheta, (Osee 9. 14.) *Da eis*, inquit, *Domine;* Quid dabis eis? *Vuluam absque liberis, & vbera arentia.* Benedicendo, vt Isaac ad filium suum, (Gen. 27. 28.) *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini,* [5] *olei.* Agendo etiam aliquid, sicut Iacob lapidem erexit & vnxit; (Gen. 28. 18.) sicut Moyses serpentem æneum in eremo exaltauit; (Num. 21. 9.) sicut etiam idem iste Isaias nudus & discalceatus incessit (Isa. 20. 2.) Quasi præcipiendo, vt in sequentibus libri huius scriptum est, (Isa. 18. 2.) *Ite Angeli veloces ad gentem diuulsam &* [6] *dilaceratam;* quod narrãdo ita dixisset, Ibũt Angeli veloces; & in præsenti loco, *Super mõtẽ caliginosum leuate signũ.* (E) Cernens igitur Propheta, adueniente in carne Domino Saluatore, per ministerium Apostolorum, & doctrinam prædicatorum, confusionis ciuitatẽ euersum iri, ex sua, vel [7] ipsius personâ, iubet, vel monet eos facere, quod vidit eos facturos. *Super montem caliginosum leuate signum.*

Per montem caliginosum ipsam Babylonem, id est mundum, secundum statum, in quo Christus illum inuenit non inconuenienter accipimus, qui & mons dici potuit [8] pro superbia, & caliginosus propter errorem. Quasi mons Romanum tunc erat imperium, quod vniuersu supereminens urbi, quantum elatione tumebat tantùm errore multiplici, maximè autem Dei ignorantiâ caligabat. An non tetrâ quadam caligine mundum obduxerat, Idolorum cultura; vanitas Philosophorum, Templorum superstitio, licentiosa Libido? *Super montem caliginosum leuate signum.* (Luc. 2. 34.) Quod signum? Euangelum audi, (F) *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum cui contradicetur.* Huc est signum Crucis [9] cui contradixit humana superbia, pugnantibus aduersus eam Iudæis & Gentibus, cum Regibus & Principibus, cum sapientibus sæculi, & prudentibus, leuantibus eam super montem caliginosum paruulis. Abscondisti enim Crucis [10] tuæ Sacramentum, Domine IESV, à sapientibus & prudentibus, & reuelasti paruulis. (Matth. 11. 25.) Isti sunt paruuli, id est humiles [11] Apostoli & Apostolici viri, qui iubentur leuare signum supra montem caliginosum, vt vniuersum mundum Dominicæ Cruci doceant esse subiectum.

Id quod alicui rei superponitur, aut premit aut claudit, aut supereminet. Superposita sunt duo Cherubim arcæ testamenti vt altius eminerent; (Exod. 25. 18.) superpositus est lapis puteo vt clauderet, (Gen. 29. 3.) superponitur torculari prelum vt premat. Super montem igitur caliginosum vexillum Crucis extollitur, vt sua virtute mundi huius potentiam premat; superbis Redemptionis nostræ mysteria claudat; (G) apud mites verò & humiles, omni mundanæ gloriæ supereminent. Nam quod premat, audi beatissimum Paulum, (Philip. 2. 8.) *Christus factus est obediens patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine* IESV *omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum* Ecce quomodo cœlum, terra, [12] infernus Crucis subiicitur sacramento, & Babylonici Regis vbique virtus premitur, euacuaturque potentia. (Luc. 11. 21.) *Cum fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet; sed si fortior illo superuenerit, tunc vasa eius diripit, & aufert arma, & spolia diuidit.* Fortis armatus diabulus, atrium mundus, vasa eius mundi sapientes, arma Reges & Principes, spolia plebes. Ecce Babylon, & Rex eius, & diuitiæ illius. [13] Ante fortioris aduentum Rex iste in pace, id est, nullo contradicente, regnabat. Sed fortiore superueniente, imponitur ei onus premens, onus vincens, onus expolians. Onus istud Babylonis [14] Crux est Christi, quæ diabolum vicit, (H) & Babylonem inuasit, quæ spoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos. Isti sunt Hebræi, de quibus dicitur; (Exod. 12. 22.) *Super montem caliginosum leuate signum*, vt crucis virtute omnibus gentibus prædicatâ, diripiantur spolia Babylonis vel Ægypti, ab eo videlicet, qui nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij claritatis suæ. Elegit quippe paruulos id est humiles, Hebræos, id est transilientes, mundi huius contemptibiles, sed mundo superiores; (Col. 1. 13.) infirmos mundi, sed mundi fortibus fortiores; stultos mundi, sed mundi sapientibus sapientiores. (1. Cor. 1. 26.) *Quæ enim stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & quæ sunt infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia, & ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret* Isti sunt, qui humilitate semetipsos despiciunt sicut paruuli; qui omnia, quæ sunt mundi, transiliunt sicut Hebræi. Hi crucem leuant, diuitias & voluptates, quæ Cruci sunt contraria, calcant maiores diuitias arbitrantes thesauris Ægyptiorum improperium Christi. (Hebr. 11. 26.)

[A] Audi etiam quomodo profunditatem diuinæ virtutis & sapientiæ, leuata super mundum Crucis prædicatio claudit. *Nos* (inquit Paulus) *prædicamus Christum* [1. Cor. 1. 23.] *Crucifixum, Iudæis quidem scandalũ, Gentibus autem* [16] *Stultitiam*; igitur virtute Crucis Dei abscondebatur sapientia: virtus vero Dei Crucis scandalo claudebatur. Sed quibus illud? Iudæis quippe & Gentibus. Non omnibus tamen [1. Cor. 1. 18.] sed de quibus alias scripsit *Verbũ Crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, his autem qui vocati sunt Iudæis & Gentibus, Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Quomodo sane apud tales, omnibus mundi diuitiis & honoribus supereminent Crux, Paulus ipse [Gal. 6. 14.] docet qui ait, *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Si quis vero montem caliginosum in bonam significationem accipiendum æstimet veniat ei in mentem quod ait idem Isaias, *Super montem* [B] [Isa. 40. 9] *excelsum ascende tu, qui Euangelizas Sion*, cogiteque vt cuius doctrina sublimis est, sit & vita sublimis, nec manibus repat in terris, cuius lingua versatur in cœlis; nec in inferioribus iaceat infra se, qui sermone ascendit supra se. Nam ipsa doctrina Euangelica nomine montis caliginosi non inconuenienter accipitur, quæ, instar [17] excelsissimi montis, omni mundanæ supereminet sapientiæ, & sacramentorum velamine ea quæ sublimiora sunt, ab infidelium vel etiam infirmorum oculis, velut quadam abscondit caligine. Potest & scriptura veteris testamenti mons caliginosus appellari, quæ alias mons vmbrosus dicitur, & condensus, quæ & sublimis est propter spiritum, caliginosa propter litteram, sub caligine quippe litteræ, cœlestium mysteriorum secreta velantur, quæ ab ipso, per Euangelium reuelantur, de quo scriptum est, *Vox* [Ps. 28. 9] *Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa.* Vnde [Ps. 17. 12.] ait Propheta, *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Hinc Salo- [C] mon. *Dominus dixit quod habitaret in nebula*; Vnde & [3 Reg. 8. 12.] Moyses non [18] poterat accedere ad caliginem in qua erat Deus. Iubentur itaque prædicatores, à quibus onus nuntiatur Babylonis, vt non in infimis iaceant, sed disponant ascensiones [19] in corde suo; & qui ea, quæ de sursum sunt, prædicant, quæ sursum sunt sapiant; & ita super montem positi, non ad vallium ima deiecti, faciant quod sequitur, *Leuate signum, exaltate vocem.* Vel [Isa. 13. 2.] quoniam primi veritatis præcones ex reliquiis filiorum Israel electi, legalibus fuerant instituti decretis, & litteralibus sacramentis assueti, iubet Spiritus Sanctus vt à lege ad Euangelium, de littera transeant ad Spiritum, & de valle carnalium obseruationum, ad montem ascendant Spiritualium præceptorum. Aut certè præcipiuntur, vt quod prædicant in Euangelio impletum, antiquis litteris probent prænuntiatum, sicut ait Saluator, [Ioan. 5. 39.] *Scrutamini scripturas, ipsæ enim sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et Apostolis *Oportet impleri omnia quæ scri-* [Luc. 24. 44.] *pta sunt in lege Moysi* [20] *& Psalmis de me.*

[D] Bifariè potest legi hic sermo propheticus, *Super montem caliginosum leuate signum*, vt vel signum super montem leuent caliginosum, vel ipsi super montem positi [Isa. 11. 9] caliginosum, signum leuent. *Exaltate vocem leuate manum.* Habes & alias, *Exalta in fortitudine vocem tuam qui Euangelizas Ierusalem.* Hæc est illa [Ps. 18. 5] Euangelicæ vocis exaltatio, quam Sanctus Dauid legitur expressisse. *In omnem* (inquiens) *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quod igitur Sanctus Dauid vidit futurum, & verbo præteriti temporis [21] vtens iam factum prædicat; hoc ipsum Isaias, imo ipse in Isaia Dominus iubet vt fiat. *Exaltate* (inquit) *vocem.* Quoniam enim per vniuersum mundum vasa iræ, quæ Babylonica libido polluerat, in vasa fuerant mutanda misericordiæ, vox Euangelizantium tantâ virtute personuit, [22] vt nunc de audito fidei verbo [Rom. 10. 18.] nullus causari potuerit. Vnde Apostolus, *Et quidẽ in omnẽ terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ.* Sicut igitur in signi eleuatione, præsignatum dicimus Dominicæ Crucis mysterium, ita in vocis exaltatione, [E] Apostolicæ prædicationis excellentia & efficacia prophetatur, sicut ait discipulis suis IESVS, *Euntes in mun-* [Marc. 16. 15.] *dum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Occurrunt adhuc aliæ de vocis exaltatione sententiæ, sed quia nos ad alia quædam negotia instans hora compellit, ab hac consideratione, Deo volente, crastini sermonis sumemus initium. Vos autem de sermone ad lectionem, de lectione transeuntes ad orationem, pias ad aures IESV deuotis pulsate precibus, vt reuelet oculos nostros, & consideremus mirabilia de lege suâ, qui cum Patre & Spi- [Ps. 118. 18.] ritu Sancto viuit & gloriatur. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Regiones, quoniam albæ iam sunt. C. Cam. *Regiones, quia iam albæ sunt.*
2. Et paucis inter. C. Cam. *Et paucissimis.*
3. Leuate manum, ingrediamur. C. Cam. *Leuate manum, & ingrediamur.* [F]
4. Vel Maledicendo. C. Cam. *Vel quasi maledicendo.*
5. Olei. Agendo. C. Cam. *Olei, seruiant tibi tribus, & adorent te populi*, &c. vsque ad *Agendo.*
6. Dilaceratam. Cernens. C. Cam. *Dilaceratam. Quod narrando ita dixisset*, &c. vsque ad *Cernens.*
7. Ipsius persona. C. Cam. *Ipsius Domini persona.*
8. Pro superbia &. C. Cam. *Propter superbiam &.*
9. Cui contradixit. C. Cam. *Cui certe contradixit.*
10. Tuæ sacramentum. C. Cam. *Tua sacramenta.*
11. Apostoli, &. C. Cam. *Apostoli scilicet &.*
12. Infernus Crucis. C Cam. *Infernus ipse Crucis.*
13. Crux est Christi C Cam. *Crux Christi est.*
14. Illius sed. C. Cam. *Illius. Ante fortioris*, &c. vsque ad *sed.*
15. Sapientiores. Isti sunt. C. Cam. Sapientiores. Quæ enim, &c. vsque ad *Isti sunt.*
16. Stultitiam: his autem. C. Cam. *Stultitiam. Stultitia igitur*, &c. vsque ad *His autem.* [G]
17. Excelsissimi montis. C. Cam. *Excelsissimi cuiusdam montis.*
18. Non poterat accedere C. Cam. *Non potuit accedere.*
19. In corde suo, & qui. C. Cam. *In corde & qui.*
20. In lege Moysi, & Psalmis C. Cam *In lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis.*
21. Vtens iam. C. Cam *Vtens quasi iam.*
22. Vt nunc de audito. C. Cam. *Vt de non audito.*

SERMO QVARTVS.

NON excidit vobis fratres charissimi, ex quo initio, secundum hesternam promissionem nostram, hodiernus debeat sermo procedere. Prædicatoribus veritatis, vt diximus, vocis indicitur exaltatio, [1] vt vbicunque terrarum salus, quam operatus est Dominus in me- [Psal. 73. 12.] dio terræ, Apostolis prædicantibus audiatur, & sic reminiscantur, & conuertantur ad Dominum vniuersi fines terræ; & in insulis, quæ procul sunt [2] dicant, *Dominus Saluator noster adueniet.* Volens præterea Sanctus [H] [Ps. 21. 28.] Propheta inter veteris nouique Testamenti præcones subtili examinatione distinguere, istos vt vocem in prædicatione exaltent hortatur. Nostis populo huic Iudaico vt carnali, & nihil nisi terram sapienti, terrenam felicitatẽ fuisse promissam [3] panis vinique copiâ, lactis ac mellis abundantiâ secundum illud, *Si volueritis & audieritis* [Isai. 1. 19.] *me, bona terræ comedetis.* Et illud, *Si ambulaueritis in mã-* [Deut. 11. 22.] *datis Domini adhærentes ei, disperdet Dominus omnes gentes has ante faciem vestram. Omnis locus quẽ calcauerit pes vester, vester erit.* Et in Amos Propheta. *Comprehendet* [Amos 9. 13.] *arator messorem, & calcator vuæ mittentẽ semen.* Et multa his similia. Non igitur exaltabant vocẽ qui terrena promittebant, qui iacenti in imis populo, quæ ima sunt prædicabant, qui temporalia amantibus temporalia, præmia proponebant. Exaltatur autẽ vox eorum, quos Christus noui Testamẽti Euangelistas constituit; qui cœlestia desideranda, terrena vero docẽt esse spernẽda; qui nihil mercedis suis promittũt auditoribus in præsenti, imo hic labores & agones, in futuro coronas & præmia pollicẽtur.

Exaltabat

A Exaltabat [4] plane vocem Paulus cum diceret, *Quæ*
Col. 3. 1. *sursum sunt quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens,*
2. Cor. *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Et iterum.
4. 17. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis*
nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ
operatur in nobis. Sanctissimus quoque Euangelista Ioan-
nes vocem exaltans, & quasi filius tonitrui super Baby-
1. Ioan. 2. lonem terribiliter intonans, *Nolite*, inquit, *diligere mun-*
15. & 17. *dum, neque ea quæ in mundo sunt.* Et, *Mundus transit &*
concupiscentia eius. Primus etiam Euangelicæ gratiæ [5]
prædicator Ioannes Baptista, non à regno terreno, sed à
cœlesti suæ prædicationis sumpsit exordium exaltans vo-
Matth 3. cem & dicens, *Pœnitentiam* (inquit) *agite, appropinqua-*
2. *bit enim regnum cœlorum.* Exaltat itaque vocem qui præ-
dicat spiritualia, qui loquitur diuina, qui promittit cœ-
lestia. *Exaltate vocem, leuate manum.* Leuantur manus in
oratione, leuantur in bona operatione, leuantur in mira-
culorum exhibitione. Incumbit quippè prædicatoribus,
B vt pro ipsis, quibus prædicant, orent, primum vt audiant,
deinde vt credant, postremo vt ipsa fide ac bonis operi-
bus perseuerent. Incumbit illis nihilominus vt his, quæ
docent, non contraria faciant, vt mens vox manusque
concordent intentione, sermone, actione.

Possunt & in manuum leuatione ea, quæ per manus
Act. 5. 12. Apostolorum fiebant signa, & prodigia in plebe non [6]
inconuenienter accipi, hisque prænuntiatum verbis quod
in Euangelio legimus, Domino præcipiente completum,
Matth. *Ite* (inquit ad discipulos) *prædicate dicentes, Appropinqua-*
10. 7. *bit Regnum Cœlorum.* Hoc est quod dixit Isaias, *Exaltate*
vocem. Et addidit. *Infirmos* [7] *curate, leprosos mundate,*
dæmones eijcite. Et inde Propheta. *Leuate manum.* Sed nec
inconueniens erit, vt credo, si eleuatione manuum, vel
vocis exaltatione, recta præfiguretur intentio, quæ si
sola peruersa fuerit, & in inferiora declinans; & verba
& opera, quantumcunque videantur sublimia, à [8] Deo
iudicabuntur iacentia. Nam hi qui non sincerè, neque
ex veritate Dei Euangelium prædicant, sed ex occasione,
C de quibus ait Paulus, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ*
Phil. 2. Iesv Christi, &, *Huiusmodi Domino* Iesv Christo
21. *non seruiunt, sed suo ventri*, nec vocem exaltabant, nec ma-
Rom. 16. nus leuabant, quia quicquid sublime sonabat in verbis,
18. quicquid in miraculis [9] eminebat altum, profecto to-
tum vilis, & peruersa intentio in infima deiiciebat [10]
Oseæ 5. Vnde & Propheta, *Et victimas suas declinabant in profun-*
2. *dum.* Salutaris quippe hostia est veritatis prædicatio, car-
nis afflictio, pauperum recreatio, assidua & intenta ora-
tio. Sed has certè victimas declinant in profundum,
qui relicta intentione cœlestium præmiorum, eas ad hæc
infima præsentium contorquent commodorum. Vnde
Matth. Dominus in Euangelio, *Videte ne iustitiam vestram fa-*
7. 1. *ciatis coram hominibus, vt videamini ab illis*, &c.

Itaque qui prædicationis officium, vel Prophetiæ do-
num, vel gratiam miraculorum, vel opera iustitiæ, vel
lumen scientiæ in vanitatem humanæ laudis, vel in aua-
ritiam turpis quæstûs expendunt, nec vocem exaltant,
nec manus leuant, nec præmia cœlestia, sed æterna sup-
D plicia expectant. Nam quod etiam donis illis sublimio-
ribus [11] Prophetiâ, vel miraculis, plurimi abutantur, &
Prophetia Balaam, & miraculis Iudæ facile comprobatur.
Maxime tamen argumento nobis est illa terribilis in
Matth. Euangelio Saluatoris sententia, quâ dicit, *Multi venient*
7. 22. *in illa die dicentes, nonne in nomine tuo prophetauimus, &*
in nomine tuo multa signa fecimus? & tunc confitebor illis,
quia non noui vos. Eia fratres charissimi, æmulamini cha-
rismata meliora, humilitatem, patientiam, charitatem.
Hæc certe meliora, quia vtiliora: non enim humilibus,
non obedientibus [12] non inuicem in charitate dili-
gentibus dicet Dominus in illa die, *Non noui vos*; quod
scimus eum multis prophetantibus, & miracula facien-
tibus esse dicturum. Nullus itaque vestrum, fratres, ideo
se putet Deo minus acceptum, quia se non videt miracu-
lis gloriosum, sed secundum tria illa quæ diximus, quam
diuinis sit gratus aspectibus, nihil hæsitans metiatur;
Iac. 4. 6. nam *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*;
Luc. 21. &, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, &, *In hoc*
19.
cognoscent omnes, quod discipuli estis Christi si dilectionem E
habueritis ad inuicem. Sancti igitur Apostoli, virique Ioan. 13.
Apostolici, quos ad debellandum atrium fortis, Chri- 35.
stus misit in mundum, vocem suam quadrifarie dicimus Luc. 11.
exaltasse, Regni Dei prædicatione; bonorum cœlestium 21.
promissione; contemptu præsentium; intentione futu-
rorum. O quam pulchri, super montes virtutum, pedes, Nahum.
id est affectiones, euangelizantium pacem bonæ volun- 1. 15.
tatis hominibus, propter bona cœlestia, terrena sper-
nentibus! Pulchri sanè pedes, quibus nec saltem puluis
adhæret, sed velut posita in peluim aqua, ab ipso Chri-
sto abluitur, aut in ipsos, propter quos contrahitur,
ipso Domino iubente excutitur. Quicquid enim prædi- Matth.
catores, vel prælati ex occasione officij sui, terrenarum 10. 14.
affectionum pulueris contrahunt, vel ab ipsa charitate,
pro qua contrahitur, Christo operante diluitur, secun-
dum illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum*; vel 1. Pet. 4.
certe in ipsos, pro quibus laborant, si fuerint ingrati, 8.
vel inobedientes, excutitur, vt totum non prædicatori, F
sed ipsis potius imputetur.

His omnibus diligenter consideratis, breui epilogo
sensum litteræ explicamus. Vox Prophetæ, vel certe
vox Domini per Prophetam ad Apostolos, *Super mon-*
tem caliginosum leuate signum. Ac si diceret, Contra Ba-
bylonem, id est mundum, qui mons est propter elatio-
nem, caliginosus propter errorem, signum fidei, & Do-
minicæ passionis leuate, vt humilitate Crucis, mundi su-
perbia debelletur; lumine fidei, errorum tenebræ depel-
lantur. Nec in vno id loco, aut in vna sit regione, sed
exaltate vocem, vt in omnem terram exeat sonus vester, Ps. 18. 5.
& in fines orbis terræ verba vestra. Vt autem doctrina
veritatis libentiùs audiatur, faciliùs credatur, deuotius
recipiatur, leuate manum; vt quod verbis docetis, mi-
raculis confirmetis. Quæ omnia impleta sunt; quando
discipuli profecti prædicauerunt vbique, Deo cooperante, & Marc. 16.
sermonem confirmante, sequentibus signis. Potest legi & 20.
ita. Vos prædicatores verbi Dei, ascendite de valle ad
montem, de littera ad Spiritum, de carnalibus cæremo- G
niis legis, ad cœlestia sacramenta Euangelij; & ita in mon-
te illo caliginoso, in quo est Deus, id est, in scripturarum
scientia positi, leuate signum, & vocem. Vel ita. Vos,
quos sublimia prædicare præcipio, ad sublimia mente
conscendite, vt in monte contemplationis discatis, quod
in mundi huius valle doceatis; & in sublimi, actione sci-
licet, & contemplatione locati, leuate signum, Crucis
mysteria prædicando; exaltate vocem, non terrena sed
cœlestia promittendo; in omni loco leuantes puras ma-
nus, pro eis, quibus prædicatis, orando; vel bona opera
recta intentione exercendo; & ita muri Babylonis Cru-
cis aculeo penetrentur, & spolia eius diripiantur, fiat-
que quod in hoc ipso Propheta scriptum est; *Lætabuntur* Isa. 9. 3.
coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victo-
res capta præda, quando diuidunt spolia.

Et ingrediantur portas duces. In his quippe omnibus,
quæ dicta sunt, aperiuntur portæ ciuitatis, duces ingre-
diuntur, quorum vnus de ipsarum portarum apertione
gloriatur, & dicit, *Ostium mihi apertum est magnum, &*
euidens, & aduersarij multi. Ibi quippe portæ Babylo- H
nis clausæ reperiuntur à ducibus, vbi omnibus infide- 1. Cor.
litate & malitiâ obseratis, verbo Dei ad eorum corda 16. 9.
nullus patet accessus; vbi vox prædicatoris auditur quasi
pulsantis ad ostium, sed doctrina veritatis non recipitur.
Tales vtique erant Iudæi, quibus Paulus dicebat. *Vobis* Act. 13.
oportebat primum annuntiare Regnum Dei, sed quoniam 46.
repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce
conuertimur ad Gentes. Sed & illi ostium clauserant du-
cibus istis, qui audientes a Stephano Domini Iesv Act. 7.
gloriam prædicari, continuerunt aures suas. Dicun- 56.
tur [14] sanè ipsi prædicatores duces verbi, quia Dei
verbum auditorum cordibus introducunt; quia tunc
portas ciuitatis ingressi sunt, quando suscepti a Genti-
bus constructæ de ipsis Ecclesiæ, rectoris ac ducis nomi-
ne præsidebant.

Possunt etiam per portas ipsa fidei sacramenta intel-
ligi; necesse quippe est vt fides præcedat, deinde introi-

A tus pateat intellectui. Tunc autem dici possunt duces ingressi, quando per fidem auditorum, quasi in eorum cordibus suscepti, altioris ac secretioris doctrinæ eis lumen infundunt. Sed & primitias credentium portarum nomine dignas existimo, per quas, ad cæteros conuertendos, Apostoli faciliorem habuerunt accessum, & in ipsam armis muniti cœlestibus ingressi sunt ciuitatem. 1. Cor. 16. 9 Hinc credo dixisse [14] Apostolum, *Ostium mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi*; multitudo quippe credentium quasi ostium erant, per quos in ciuitatem confusionis Paulus intromissus contra aduersarios, quorum non paruus erat numerus, copiam habuit cominus decertandi. Et in his omnibus onus intelligitur Babylonis, secundum quod superius eam diximus, per Christi aduentum, separatione multorum esse subuersam. Sed iam sermoni huic finem facimus, ne in hac parte vestris profectibus seruire cupientes, alia exercitia æque vobis necessaria impedire videamur. Præcedat autem sermonem crastinum [15] oratio, quod ea quæ B allegoricè dicta sunt, expositione tropologicâ reperire possimus, vt [16] iacto fundamento bonorum operum superponatur structura, ad laudē & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

VARIÆ LECTIONES.

1 Vt vbicumque terrarum. C.Cam. *Vt vbique terrarum.*
2. Dicant, Dominus saluator noster. C. Cam. *Dicant, saluator noster.*
3. Panis viniquè copiam. C. Cam. *Panis videlicet, vinique copiam.*
4. Exaltabat plane vocem. C.Cam. *Exaltabat sane vocem.*
5. Prædicator Ioannes Baptista. C. Cam. *Prædicator Baptista Ioannes.*
6. Inconuenienter accipi, hisque. C.Cam. *Inconuenienter intelligi hisque.*
7. Infirmos curate, leprosos. C. Cam. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos.*
C 8. A Deo iudicabuntur. C. Cam. *A Deo tamen iudicabuntur.*
9. Eminebat altum, profectò totum. C.Cam. *altum eminebat, totum profectò.*
10. Vnde & Propheta. C.Cam. *Vnde Propheta.*
11. Prophetia vel miraculis. C. Cam. *Prophetia scilicet & miraculis.*
12. Non inuicem in charitate. C Cam. *Non in charitate inuicem.*
13. Sane ipsi Prædicatores. C. Cam. *Sane Prædicatores ipsi.*
14. Apostolum. Ostium mihi C.Cam. *Apostolum. Manebo Ephesi vsque ad Pentecosten. Ostium enim mihi.*
15. Oratio quod ea. C.Cam. *Oratio quo ea.*
16. Iacto fundamento. C.Cam. *Iacto fidei fundamento.*

SERMO QVINTVS.

D Meminisse debetis fratres charissimi, dixisse nos charitati vestræ, animam pessimis passionibus, vitijsque confusam, Babylonia nomine conuenienter intelligi. Babylon enim vt scitis confusio interpretatur. Et quid tam confusum quam anima illa, [1] quam nunc superbia eleuat, nunc ira deuastat, nunc tristitia contrahit, nunc luxuria inquinat, nunc gula dehonestat? Talis quippe anima mons caliginosus dici potest; quicunque enim tales sunt, oculi eorum cæcâ quadam caligine obducuntur, vt inter lumen virtutum, & tenebras vitiorum discernere non valentes, illud fugiant, in istis delectabiliter voluantur. Huius Babilonia onus Crux est, quæ iam eleuata per orbem, pereuntibus quidem onus est; his autem qui salui fiunt vtile, gratumque leuamen. Quid enim, fratres mei, tam onerosum amantibus mundum, quam Crux? in [2] Cruce commendatur gloriæ contemptus, quam illi appetunt, commendatur carnis afflictio, quam vehementer refugiunt; commendatur propriæ carnis mortificatio, quam detestantur; commendatur nuditas, & rerum temporalium expoliatio, E quam execrantur. Sed & nos, fratres, quantum reliquiæ Babylonis [3] occupant, onerat Crux, sicut quotidianis experimentis docemur: in quantum enim carnis delectat suauitas, in tantum eius torquet afflictio; & quantum honor gratus est, tantum vtilitas est onerosa; & quantum eleuat adulatio, tantum [4] deijcit detractio. Si vero [5] diuitiæ affectantur, paupertas affligit; & si dulcia videtur libido, difficilis castitas æstimatur. Hinc est, Ioan. 6. 66. quod multi discipulorum Christi [6] audientes Crucis mysterium abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant. Demus proinde operam fratres mei, vt quicquid de reliquiis mundi in nobis est, à nostris cordibus extrudatur, & [7] omnia si fieri potest Babylonis deleantur vestigia, vt experiamur quantum sit in Cruce dulcedinis, quantum securitatis & gloriæ. Amorem enim parit, quo nihil dulcius; martyrium, quo nihil securius; contemptum mundi, quo nihil gloriosius.

Super montem caliginosum leuate signum. Ad Angelos, F credo, vox ista dirigitur, quos Dominus animarum nostrarum iussit esse custodes, vt cordibus eorum, quos adhuc mundus delectat, vel tentat, recordationem Crucis imponant; & singulis vitiis, quæ animam vel vastant, vel impugnant, singulas crucis virtutes opponant. Hi sunt administratorij spiritus, in ministerium Hebr. 1. 14. missi propter nos, qui intersunt psallentibus, assistunt orantibus, legentibus & meditantibus assunt. Isti se spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentibus, exemplum Dominicæ passionis obijciunt; mentem irâ inflammare volentibus, Dominicæ patientiæ bonitatem proponunt; elationem illis, vel superbiam immittentibus, humilitatem nobis humilis Iesu suggerunt imitandam. Ideo fratres charissimi, state in Ecclesia cum reuerentiâ & timore, & date honorem Deo, & habete gratiam his beatis, & amicis vobis spiritibus; ne forte aut leuitate vestrâ, aut aliquâ contra inuicem indignatione offensi discedant, & sic ad corda vestra nequam Angelis liber præbeatur accessus. Felix anima, quæ inter psallendum, in ipsius, de quo psallit, accenditur desi- G derium; excitatoque affectu, obortisque lachrymis, ipsos, quos in spiritu sentit esse præsentes, alloquitur; *Filiæ Ierusalem nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Quam Cant. 5. 8. læto putas vultu, quam hilari voce beati illi spiritus respondere videntur, *Ecce ipse venit saliens in montibus* Cant. 2. 8. *transiens colles?* conuersique ad ipsum, iam iamque dilectæ sibi animæ propinquantem. Ista est, inquiunt, speciosa inter filias Ierusalem.

Infelices & miseri, qui ad instar spinarum, & veprium, talem animam indisciplinatis signis vel vocibus pungunt; nec solum ipsi, tantæ dulcedinis expertes, traduntur, dæmonibus illudendi, sed etiam ministri Sathan effecti, quantum in ipsis est, eius iaculis & persecutionibus alios exponunt. O quam delectabile spectaculum immundis exhibent spiritibus, qui huiusmodi sunt! qui vocem suam, linguam suam, os suum, postremo ipsum cor suum, totiusque noctis laborem à sanctissimis Angelorum manibus, qui omnia iam susceperant templo illi cœlesti inferenda, & in conspectu Dei diuinis imponenda altaribus, infeliciter auellunt, & sic omnia dæmoni- H bus immolant, & non Deo: vt mereantur audire, *Neomenias vestras, sabbata vestra, sacrificia vestra odiuit anima* Isa. 1. 14. *mea, facta sunt mihi molesta.* O tu sancta anima, amica Dei, sponsa Christi, habitaculum Spiritûs sancti, patienter tales sustine; vt si impugnant, non expugnent; & si trahunt, non pertrahant; nec sic te auertant à te, vt conuertant ad se; vt te faciant sui similem, & illis, qui tibi assistunt, dissimilem Sanctis, sed potius glorietur de te sponsus tuus, & dicat, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant. 2. 2. Itaque fratres charissimi, quicunque Spiritales estis, cum talem aliquem videritis, nolite indignari illi, sed potius orate [8] pro eo aliquando familiares amicos vestros, beatos qui vobiscum sunt Spiritus, vt super montem hunc caliginosum leuent signum, quatenus Dominicæ passionis, & Crucis recordatione repressi confundantur,

&

A & erubescant, & sic [9] ad cordis & vocis redeant vnitatem.

Et additur, *Exaltate vocem, leuate manum.* Itaque quia in sermonem de sacris vigiliia incidimus, congruit psalmodiæ vocis exaltatio. orationi manus eleuatio. Et ne litteram in hac parte penitus contemnamus, potest in vocis exaltatiooe feruor ille exprimi, qui in turba fratrum valde necessarius est, vt per ora sonum interior ille igois erumpat vndique; & sic [10] se erigant inuicem & accendant, quatenus vna flamma effecta de multis, holocausta illa medullata diuinis, Angelorum ministerio, illata altaribus, in odorem suauitatis incendant. Commendatur etiam in manus eleuatione puri-
1 Tim. 2. 8. tas orationis, sicut dicit Apostolus, *In omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* Ille puras manus leuat in oratione, cuius conscientia tempore orationis exultans [11] bonorum operum recordatione, in quandam confidentiam sese attollit, & diuinis præsentat ob-
B tutibus; quæ quidem [12] confidentia ex innocentia, aut ex digna necesse est pœnitentia oriatur, si videlicet aut non flenda commiserit, aut commissa dignè defleuerit. Sed quando [13] inquis me dignè & sufficienter pœnituisse præsumam? nunquam omnino. Vnde igitur ista confidentia? Eia fratres charissimi [14] Spirituali-
Iacob. 1. 17. bus Spiritualia comparamus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est.* In cuius, quæso, potestate est, sic orare vt velit? Itane quando volumus, aut deuotione feruescimus, aut erigimur confidentiâ, aut flammâ charitatis succendimur, aut contemplatione sustollimur? Experti estis quam nihil horum in vestra sit potestate, sed mittit Deus Spiritum filij sui in corda
Rom 8. 15. vestra, clamantem *Abba pater.*
1. Cor. 12. 11. Iste igitur Spiritus has in oratione affectiones dispertit, diuidens singulis prout vult. Ipse adeo in cordibus orantium gemitum salutarem infundit, vt ipse etiam gemitibus inenarrabilibus dicatur interpellare
C pro nobis. Inenarrabilibus, inquam; quis enim sufficiat enarrare quot modis mens in oratione afficiatur, in qua nunc pudor gemitum excitat pro peccatis, nunc timor pro pœnis, nunc deuotio pro affectu, nunc amor pro desiderio: [15] Sed ex consideratione præsentis infirmitatis, vel infelicitatis plerumque compungimur, & vitæ huius fastidio ingemiscimus. Igitur nonnunquam & peccata quæ commisimus, & pœnas quas timemus, & regnum quod speramus, ante oculos ponitur, & Dei circa nos immensa beneficia recordamur, nullo tamen doloris sensu afficimur, nullo timoris affectu compungimur, [16] ad nullius cœlestis beatitudinis desiderium subleuamur. Plerumque nihil horum præ oculis habentes, subito in hæc omnia rapimur, & de affectu in affectum modo quodam ineffabili traijcientes, lacrymarum imbre perfundimur. Quid est hoc?
Ioan. 3. 8. Certe quia [17] *Vbi spiritus vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Scis quando
D venit, quia non se sinit ignorari cum spirat; scis quando vadit, quia tepor feruori recedenti succedens, non te sinit ignorare cum spirare iam cessat. Sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. Vnde venit, aut quo vadit Spiritus, qui replet orbem terrarum? neque enim ab ip-
Ierem. 23. 24. so vox ista aliena est. *Cœlum & terram ego impleo.* Et tamen venit, & nescis vnde veniat, & vadit, & nescis quo vadat, nescis certè vnde veniat, an [19] à secreto misericordiæ, an à tribunali iustitiæ, an ex abysso iudiciorũ, an ex thesauris scientiæ. Cum enim venit vt exciter torpentem, vel compungat peccantem, vel consoletur afflictum; quasi ex cubiculo misericordiæ dicitur processisse. Quando verò vt bene operantẽ Spiritualis compunctionis suauitate remuneret; ex iustitiæ cum sede ad nos dicimus descendisse. At vbi illorum mentibus [20] salutarem nunc inspirat affectum, quibus omnia cooperantur in malum, qui ingrati beneficiis, seruantur suppliciis, quibus & bonum, & malum simul sunt ad tormentum; cum ex abysso iudiciorum aduenisse non dubites. Si verò ea causa venire dignatur, vt mens huiusmodi visitatione purgata, ad rimanda diuinæ secreta scientiæ, luminosior, apriorque habeatur; E
quasi ex scientiarum thesauris eum exisse confidas. Sed Eccl. 9. 1.
nescis vnde veniat, cum nescias vtrum amore, an odio dignus sis, & vtrum misericordiam præroget, an mercedem restituat, an exerceat iudicium, scire non possis. [23] Nescis & quo vadat, vtrum videlicet è vicino subsistat, post modicum rediturus; an longiùs eat, post multum temporis reuersurus; an offensus recedat, nunquam denuo reuersurus. Itaque quando vult spirat, & sicut vult. Quoties tamen orantis mentem in quandam confidentiam erigit, & obliteratis omnibus, quæ conscientiam obscurabant, timorem omnem, pro delictis sollicitudinem à corde prorsus expellit, facitque eum miro, & ineffabili modo de salute sua eo puncto temporis certum, manus eius in excelsum elatas non dubites. Quod quia fit Sanctorum auxilio Angelorum, ad illos dictum intelligi potest, *Leuate manus.*

Præterea contra tria peccatorum genera, quibus peccamus, cogitatione scilicet, sermone, [22] & opere, tria hæc à nobis ipsis auctoritate Propheticâ exiguntur; *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem,* [23] *leuate manum.* Cor quippe nostrum cum per naturam sublime sit, & per profunditatem inscrutabile, mons caliginosus dici potest, quod necesse est Crucis semper memoriâ muniamus, ne peccemus cogitatione; iubemurque exaltare vocem, ne peccemus sermone. Necessarium sane præceptum, præsertim hoc tempore, quo ferè omnium lingua tota die circa infima, vel noxia quæque versatur, & rarus sit qui vocem in sublime sustollat. Eia fratres charissimi, pudet dicere quomodo conuenientibus multis in vnum, detractiones vndique sonent, & ferueant iudicia. Nam vt taceam mundi amatores, quorum totus sermo de lucro, aut turpitudine est; de illis qui videntur sæcularibus abrenuntiasse operibus, quid dicam? quorum omnes ferè disputationes, & collationes de ventre, pro eius non dicam delectatione, sed onere. Nunc enim irâ turbidi, nunc deiecti tristitia, nunc odiis [24] inflammati, nunc pressi murmure, nunc lites sunt effrenati, quorum mens intestinis semper conformatur, & ventri, inde sibi aut gaudium mutans, aut dolorem. Isti vtique non vocem exaltant, sed turpiter deijciunt. Quod similiter faciunt, qui tota die de alienis tractant [25] negotiis, qui de suis se iactant operibus, aliorum detrahendo discutiunt, qui seriis, vtilibusque prætermissis, vana & ludicra in medium proferunt.

Contra hæc omnia iubet nos sermo Propheticus exaltare vocem, vt sermo noster de cœlestibus sit, qui vel Dei timorem incutiat, vel amorem infundat, vel augeat scientiam, vel mores componat. Iubemur & manus Matth. 6. 20.
leuare, vt thesaurizemus in cœlum, vbi nec ærugo, nec Matth. 6. 1.
tinea demolitur; vt videlicet omnia opera nostra transmittamus ad cœlum, non facientes iustitiam nostram coram hominibus vt videamur [26] ab eis. *Et ingrediantur portas duces.* Hæc omnia, fratres, quæ de signi leua- H
tione, vel vocis exaltatione, vel manus eleuatione diximus; quædam vt ita dixerim portæ sunt, per quas virtutes introducuntur ad animam, quasi quidam cœlestis exercitus, quo vitia, quibus fuerat Babylon, id est, ciuitas confusionis effecta, penitus expellantur: & sic vocetur *Ciuitas sancta, Vrbs fidelis.* Huius exercitus duces, Isa. 1. 26.
principales virtutes intelligamus, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, Iustitiam. Hi duces, si cogitationes nostræ sanctæ fuerint, si sermones boni, si munda opera, quasi portas quasdam intrantes, totam animam suæ subiiciunt ditioni, replentes eam virtutibus, & Sancto spiritui domicilium præparantes. Diutius, quam putabamus, nos sermo iste detinuit; [27] vtinam tam vtilis fuerit, quam prolixus. Ad illa itaque quæ sequuntur inspicienda, vel tractanda tempus aliud expecte-
mus, obsecrantes eum. *Qui habes clauem Dauid; qui* Apoc. 3. 7.
aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Quatenus quod clausum est in scripturis suis, aperire dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

A

VARIÆ LECTIONES.

1. Quam superbia eleuat, &c. C.Cam Quam *nunc* superbia eleuat, *nunc* ira deuastat, nunc tristitia contrahit: *nunc* luxuria inquinat, *nunc* gula dehonestat? Talis *nimirum* anima mons caliginosus dici potest, *quam superbia erigit, obscurat luxuria*; quicumque.
2. Cruce commendatur. C.Cam. Cruce *quippe* commendatur.
3. Occupant, onerat. C. Cam. Occupant *tantum* onerat.
4. Deiicit detractio. C.Cam. *Detractio deiicit.*
5. Diuitiæ affectantur. C.Cam. *affectantur diuitiæ.*
6. Audientes Crucis mysterium, C.Cam, *Crucis audientes mysterium.*
7. Omnia si fieri, &c. C.Cam. *Omnia Babylonis si fieri potest.*

B

8. Pro eo aliquando C.Cam. *Pro illo alioquin.*
9. Ad cordis & vocis. C. Cam. *Ad vocis & cordis.*
10. Se erigant inuicem. C.Cam *Se inuicem erigant.*
11. Bonorum operum. C.Cam. Bonorum *actuum.*
12. Confidentia ex innocentia. C. Cam. Confidentia *aut* ex innoc.
13. Inquis me. C. Cam. *Me iniquis.*
14. Spiritualibus spiritualia. C. Cam. Spiritualibus & spiritualia.
15. Sed ex consideratione. C.Cam. Sed & ex consid.
16. Ad nullius cœlestis. C. Cam. Ad *nullam etiam* cœlestis.
17. Vbi Spiritus. C.Cam. *Spiritus vbi.*
18. Veniat aut quo. C.Cam. Veniat *vel* quo.
19. A secreto misericordiæ. C.Cam. A *secretario* miser.
20. Salutarem nunc inspirat. C. Cam. *Salutarem* inspirat.
21. *Nescis & quo* & cætera vsque ad *Præterea contra*; adiecta sunt ex C.Camer.

C

22. Et opere. C.Cam. Et *operatione.*
23. Leuate manum. C.Cam Leuate *manus.*
24. Inflammati, nunc lite effrenati C.Cam. Inflammati, *nunc pressi murmure*, nunc lite *sunt* effrenati.
25. Negotiis, qui mores. C. Cam. Negotiis, *qui de suis se iactant operibus*, qui mores.
26. Ab eis. C.Cam. Ab *illis.*
27. Detinuit, vtinam, C.Cam. Detinuit, & vtinam.

SERMO SEXTVS.

DE onere Babylonis sicut meminit charitas vestra, quinque iam Sermones absoluimus, in quibus de monte caliginoso, & de leuatione signi, de exaltatione vocis, & manuum eleuatione, sicut potuimus, disputauimus. Iam nunc ne cui videatur ambiguum, ad noui Testamenti præcones vocem istam, [1] sicut Prophetice diximus, fuisse directam, manifestè idipsum, loquentis in Prophetâ verbis Domini, declaratur. Dicit
D enim. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes*
Isai. 13. 3. *meos in ira mea, exultantes in gloria mea.* Dederat quippe mandatum vt omnia, quæ præcepta sunt, fierent; sed à quibus fierent, non expresserat. Ideo quasi quærenti, & dicenti, Domine cui ista committis tam magna, sublimiaque negotia, respondet. *Ego mandaui sanctificatis meis*, &c. Quibus verbis, vt mihi videtur, tres prædicatorum ordines exprimuntur, quorum primum sanctificatos appellat; secundum fortes in ira sua; tertium exultantes in gloria sua. Notatur & hic triplex Ecclesiæ status, primus electionis, secundus persecutionis, tertius pacis: potest enim sanctificatio referri ad electionem, ira ad persecutionem, gloria ad pacem. Primum itaque electi sunt Apostoli, & discipuli Christi, quos profecto sanctificatos appellat; pro quibus specialiter illa eius effusa est oratio, quam post vltimum in cœna sermonem, mirabili & ineffabili affectu [2] ad patrem profudit, *Pater* (inquit) *non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Pater sanctifica eos in veritate.* Et E
iterum, *Pro ipsis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Ioan. 17. 15 & 17. & 19.

Isti igitur verè sanctificati sunt in veritate, qui præsentiâ corporis eius, qui commendatione efficacissimæ orationis eius, qui postremo recenti effusione sacrosancti sanguinis eius, tanto vberius, quanto viciniùs sanctificari meruerunt. Optime autem dicit, *Ego mandaui*; id est, præcepi. *Sanctificatis meis* vt eos hic intelligas designari, qui ab ipso eius ore mellifluo prædicandi ministerium, & Apostolatus officium susceperunt. Sed quia fundata per Apostolos Ecclesia [3] persecutionibus erat exercenda, & probanda tentationibus. *Vocaui* (inquit) *fortes meos in ira mea.* Ira Dei multis modis intelligitur in scripturis; dicitur enim iratus Deus aliquando cum affligit, aliquando cum parcit, aliquando cum hominum resistit desideriis, aliquando cum fauet Nam commotus aduersus Iob dictus est, quem permisit affligi, sicut ipse loquitur ad Sathan. *Et tu commouisti me aduersus eum, frustra.* Illis autem pepercit iratus, de quibus dicit. *Recedet zelus meus ab eis, & vltra non irascar eis; sed & iratus dimisit quosdam secundum desideria cordis eorum, & iterum quasi iratus, sepit vias multorum spinis, vt non inueniant amatores suos, quos quærunt.* Dicitur itaque afflictio ipsa, qua suos permittit affligi, ira eius. F Iob 2. 3. Ezech. 16. 42. Psal. 80. 13. Osee 2. 6. Licet proinde Ecclesiam [4] non ad virtutis detrimentum, sed ad mercedis cumulum à persecutoribus permiserit fatigari; ipsa tamen pœna ira Dei non incongruè appellatur, non secundum prouidentiam permittentis, sed secundum dolorem sentientis & æstimationem, quid inde futurum fuerat nescientis. Quamvis hæc ita vere ad ipsos possit referri, qui occasione persecutionis recesserunt à fide, nec ad eam per pœnitentiam redierunt. Istos vero iratus permisit affligi, quibus temporalis pœna æternæ damnationis fuit occasio, quia *melius erat viam veritatis non [5] agnoscere, quam post agnitam retrorsum redisse.* 2. Pet. 2. 21.

Potest & hæc ira Dei in persecutores Sanctorum videri sæuisse, qui sicut dictum est de Pharaone, in hoc ipsum excitati sunt, vt ostenderet in eos Deus virtutem suam, & notam faceret potentiam suam, quos permisit indurari ne crederent, excæcari ne viderent, commoueri vt credentes occiderent. Exod. 9. 16. G Vnde scriptum est in hoc ipso Isaiâ. *Excæca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos claude, ne forte videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos.* Isa. 6. 10. In hac ira Dei, siue qua electi puniti sunt, vt coronarentur, siue reprobi, vt agnoscerentur, siue qua permissi sunt sæuire tyranni, vt arctiùs, vel infeliciùs damnarentur; in hac inquam ira Dei, Martyres Sancti fortes inuenti sunt, qui ignem, ferrum, bestiasque perpessi, fiducialiter proclamabant. *Quis nos separabit à charitate Christi, Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an gladius?* Rom. 8. 35. Horum itaque patientia muri Babylonis arietati corruerunt, latum ducibus relinquentes ingressum. Sic mirum in modum Principes, qui orbem sibi subiecerant pugnando, Martyres Christo subijciunt patiendo. H Tunc vere leuatum est signum, quando corona Regis Crux locatur pro gloria, quæ fuerat terrori pro pœna, pro contumelia pudori. Tunc cœpit apparere etiam mundo gloria Christi, quando vbique per orbem templa subuertebantur, idola conculcabantur, martyres coronabantur, exultantibus in hac gloriâ Christi, sanctis prædicatoribus Christi, de quibus ait, *Vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.* Itaque mandauit sanctificatis, fortes vel exultantes vocauit. Præcepit nimirum sanctificatis, quos sua lætificauit præsentiâ; quos proprij oris erudiuit doctrinâ; quibus, ascendens in cœlum prædicationis officium, & dispensationem iniunxit sacramentorum, *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. 19.

Cæteros sane siue Martyres, siue Doctores, absens corpore sed præsens diuinitate vocauit, vocatos iustificauit, iustificatos ad alios vocandos, erudiendosque

transmisit:

A transmisit: quamuis quocunque tempore fuerint, omnes præcones veritatis sanctificatos poterat appellare, propter castitatem; fortes, propter charitatem; exultantes, propter spem; nam castitate perfectâ nihil sanctius; charitate nihil fortius; spe cœlestium nihil iucundius. Et hæc quidem fide quæsita sunt, persecutionibus probata, Christi gloria coruscante firmata: fides itaque contulit sanctimoniam, ira probauit dilectionem, spem inspectio gloriæ confirmauit. Sed & nos, fratres charissimi, sanctificemur in gratia eius, fortes simus in [6] ira ipsius, exultantes in gloriâ eius. Quod nomine sanctificationis castitas appelletur, scripturarum consuetudo commendat: [7] nam cum filiis aliquando dicatur Israël, *Sanctificamini in crastinum*, aliquando in diem tertium, à carnali commixtione certis temporibus prohibentur. Hinc est quod panes quærens à Sacerdote Dauid, cum audisset non esse ibi panes laicos, sed tantum panes propositionis, Sacerdoti interroganti vtrum mundi essent pueri, maxime à mulieribus, respondit. *Si quidem de mulieribus agitur continuimus nos ab heri, & nudiustertius, & sunt vasa puerorum sancta.* Vnde Apostolus, *Sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, & non in passione desiderij.*

Exod. 19. 10. 11. & 15. 1. Reg. 21. 5. & 4.

B

1. Thess. 4. 4.

Sciendum autem est quia est castitas carnalis, castitas sensualis, castitas spiritalis. Castitas carnalis est, si homo voluntatem suam ab omni illicitâ coinquinatione cohibeat, castitas sensualis, si membrorum omnium sensus ab omni illicitâ delectatione contineat; castitas spiritualis; si omnes affectiones immundas, cogitationesque impuras à cordis sui oculis abigens, eas, priusquam carnem affectumque perstringant, eiiciat. Ita charissimi, carnali illi populo cui [8] carnalia sapiebant, temporalis quædam sanctificatio indicebatur, illam, quæ solius carnis est, à membris tantum inferioribus libidinem arcens: nobis non modo illa præcipitur, sed omnium insuper sensuum castigatio sacratiori lege imponitur, vt mundemur ab omni inquinamento carnis & spiritûs, & sic in nobis perficiatur sanctificatio, non vnum corporis nostri membrum castitatis legibus subdens, sed omnes interioris, exteriorisque hominis sensus perpetuo sibi iure submittens. Itaque, fratres, non sinamus tempus sub negligentia præterire, sed inspiciamus diligenter si quid impuritatis adhuc in oculis sit, si aures vanis [9] noxiisque sermonibus polluantur, si manus mundæ, si defæcatæ nares, si sermo sanctus, si temperantior gustus, si vultus leuitate vacuus, incessus vanitate; & sic omnia quæ sunt sanctificationi contraria, recenseamus, vt odor quidam suauissimus de singulis membris nostris, sensibusque procedat, & sic holocaustum nostrum pingue fiat. Inde ad spiritalem illam, quæ cæteris excellentior est, conscendentes, omnes affectus, motusque cordis non solum ab omni immunditiâ, sed, quantum fieri potest, ab omni peruagatione lasciuâ vendicemus: & sic exteriori interiorem pudicitiam sociantes, vnum Deo sacrificium ex vtriusque coniunctione libemus. Felix, felix, qui siue manducet, siue [10] bibat, siue aliud quid faciat, omnia in gloriam Dei facit, sanctificatus vtique à Christo, & sanctificans [11] semetipsum Christo, vt sanctificatus in veritate, cœlestium mandatorum secretis communicet, vnus effectus ex illis, de quibus dicit, *Ego mandaui sanctificatis meis.*

1. Cor. 7. 1.

C

Ps. 19. 4.

1. Cor. 10. 31.

D

Sequitur fortitudo, quæ in tentationibus necessaria est: neque enim perfectio illa sanctificationis ita indirupte in hac poterit vitâ tentari vt nullis, * inquam tentationibus interpolletur eius serenitas. Verum sicut [12] Dominus Deus noster, eo tempore quo pacata sunt omnia & tranquilla, dulcis, & amabilis cernitur, & iocundus; ita cum nos vel tentationibus carnis, vel dæmonum exponit suggestionibus, vel mundi huius affligit molestiis, vel atterit persecutionibus [13] durus quodammodo videtur, & iratus. Et felix qui in hac irâ eius fortis fuerit, nunc resistendo, nunc pugnando, nunc fugiendo, vt non infirmus inueniatur, aut debilis vel consentiendo, vel desperando. Itaque, fratres, qui [14] non fortis inuentus fuerit in hac irâ eius, non poterit exultare in gloria eius. [15] Si igitur transierimus per ignem & aquam; ita vt nec ignis incenderit, nec aqua submerserit, cuius hæc gloria est? Nunquid nostra, vt in ea nobis exultandum sit quasi in nostra? Absit. Quam multi [16] exultant, fratres, cum laudantur ab hominibus, de Dei donis gloriam propriam captantes, & in Dei gloria non exultantes, qui dum quærunt quæ sua sunt, non quæ IESV CHRISTI, & quæ sua sunt amittunt, & quæ sunt IESV CHRISTI, non recipiunt. Exultat itaque in gloria Christi, qui non quærit gloriam suam sed [17] Christi, intelligens in nullo esse nobis gloriandum, quando nostrum nihil est. Sic ergo in singulis hominibus ciuitas Confusionis obruitur, si castitas expellat luxuriam, fortitudo tentationes euincat, humilitas vanitatem excludat. Habemus præterea sanctificationem, ex fide & Sacramentis Christi; fortitudinem, ex charitate Christi [18] exultationem, in spe promissorum Christi. Agamus itaque quantum possumus, vt nos fides sanctificet, charitas corroboret, spes lætificet in CHRISTO IESV Domino [19] nostro, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* Forte vnquâ.

E

F

VARIÆ LECTIONES.

1. Sicot Prophetice. C. Cam. *Prophetice sicut.*
2. Ad patrem profudit. C. Cam. *Profudit ad patrem.*
3. Persecutionibus erat. C. Cam. Persecutionibus *fuerat.*
4. Ecclesiam non. C. Cam. Ecclesiam *suam* non.
5. Agnosce C. Cam. *Agnouisse.*
6. Ira ipsius, exultantes. C. Cam. Ira *illius*, exult.
7. Nam eum filus aliquando. C. Cam. Nam *filius cum* aliquando.
8. Carnalia sapiebant. C. Cam. Carnalia *sola* sapiebant.
9. Noxiisque. C. Cam. *Noxiisve.*
10. Bibat, siue aliud. q. f. o. i. gloriam Dei facit. C. Cam. Bibat, *siue audiat, siue loquatur*, s. a. q. f. o. i. gloriam *Christi* facit.
11. Semetipsum Christo C Cam. *Semet Christo.*
12. Dominus Deus noster. C. Cam. *Dominus noster.*
13. Durus quodammodo. C. Cam Durus *nobis* quodammodo.
14. Non fortis inuentus fuerit, C. Cam. *Non fuerit fortis inuentus.*
15. Si igitur transierimus. C. Cam. Si *ergo* transierimus.
16. Exultant fratres, cum laudantur. C. Cam. *Fratres exultant, quando* laudantur.
17. Sed Christi intelligens in nullo esse nobis, &c. C. Cam. Sed *gloriam* Christi, intelligens in nullo *nobis*, &c.
18. Exultationem in spe. C Cam Exultationem *ex* spe.
19. Nostro cui est. C. Cam. Nostro *cuius* est.

G

SERMO SEPTIMVS.

IN verbis Propheticis, quæ hesternâ die tractauimus, sequuntur ista, quæ hodie cum charitate vestra suscepimus explananda. *Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus Regum & Gentium congregatorum.* Primum [1] quærendum cuius vox ista sit, Prophetæ, an Domini? Deinde, vtrum præcedentibus sententiæ continuatione cohæreat, an alterius Prophetiæ sit vox ista principium, quam à superiori diuersitas sententiarum disiungat? Mihi videntur verba ista Prophetæ exultantis, & in quendam se mentis iubilum pro his, quæ in spiritu viderat, attollentis, quæ superioribus sic conuenire manifestum est. Cernens quippe post persecutionis diuturna, ac dura [3] discrimina, ad Christum Regibus & Principibus mundi conuersus vbique per orbem Christi Ecclesiam coruscantem, & in eius gloriâ exultantem, magnamque Sanctorum multitudinem, qui persecutionis tempore in antris, specubusque latuerant, cum mira alacritate vbique discurrere, & verbum Dei libera iam voce, & fronte prædicare, potentesque sæculi, reliquias Babylonis

H

Isa. 13. 4.

A suæ auctoritatis terrore comprimere ; ex abundantiâ cordis in vocem prorupit exultationis. *Vox multitudinis in montibus.* Quod cum quodam hiatu quasi admirando, & exultando legendum est. Videbatur itaque sibi Propheta ipsam vocem prædicantium, & exultantium, erudientium, & corripientium audire in spiritu, & ait. *Vox multitudinis in montibus.*

Mons [4] significat eminentiam, quia non potest ciuitas abscondi supra [5] montem posita ; nec vox eius non audiri, qui loquitur in monte. Itaque regnante per Imperatores Ecclesia, iam non erat latere in tenebris, iam non erat in angulis susurrare, datâ nimirum facultate Sanctis aperte prædicandi, & quoscunque vellent doctrinâ Euangelica erudiendi. Ait ergo. *Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium.* Tantus quippe tunc erat [6] prædicatorum ordo, vt multitudini videretur comparandus. Quod si per multitudinem populorum frequentium [7] velis intelligere multitudinem credentium, non erit absurdum : [8] vt videlicet datâ pace Ecclesiis, & prædicandi licentiâ Sanctis, in voce exultationis & confessionis ad [9] montes

B conscendi, Apostolorum [10] scilicet & Prophetarum

Psal. 71. 3 doctrinam, de quibus Psalmista, *Suscipiant montes pa-*

Psal. 86. 1. *cem populo.* Et aliàs. *Fundamenta* [11] *eius in montibus sanctis,* eius scilicet Ecclesiæ. Hi sunt montes ad quos leuamus oculos nostros, vt inde veniat auxilium nobis, vt eorum videlicet illuminemur sapientiâ, & erudiamur exemplo. *Vox sonitus Regum & Gentium congregatarum.* In sonitu terror ostenditur, quo credentes in Christum Reges, Imperiali edicto templa subrui, confringi idola, sacrificia sacrilega aboleri, iusserunt. Vocem itaque sonitus, id est, terroris eorum super Babylonem, Propheta spiritali auditu percipiens, *Vox* (inquit) *sonitus Regum.* Quoniam autem exemplo Superiorum inferiores, exemplo diuitum pauperes, exemplo fortium [12] debiles, exemplo Imperatorum Gentes ad fidem sunt conuersæ, adiecit, *Et Gentium* [13] *Congregatarum.* Quando con-

C gregatæ sunt & vnde congregatæ ? non erat certe vnus locus vbi congregarentur Gentes, vt esset vox vna omnium in eadem sententia, desiderioque voluntas : & tamen congregatæ sunt, vocatæ nimirum ab oriente, ab occidente, ab aquilone & meridie, vt in vna Catholica & Apostolica Ecclesiâ conuenientes Reges, & Gentes à finibus terræ clamarent ad Dominum vnanimes, vno ore laudantes & honorificantes Deum, & patrem Domini nostri Iesv Christi. Quæ sententia videtur verbis sequentibus repetita, cum ait, *Dominus præcipit militia belli venientibus de terra procul.*

Militiam belli Reges vocat & Gentes, illius vtique belli, quoad debellandum confusionis ciuitatem eiusque principes, aëreas scilicet potestates, [14] potentias Regum, diuitum gloriam, industriam sapientium, tandem autem fidem Gentium excitauit. Hæc est illa militia quæ venit à terra procul, ad eius differentiam quæ quasi de proximo [15] venerat, quam scilicet ad primum dæmonicolæ vrbis excidium, ipse in carne positus de

D Iudæis Saluator elegerat. In proximo enim esse vide-

Rom. 9. 4. bantur, *quorum erat testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus Christus secundum* [26] *carnem* ; In proximo erant, qui vnum Deum colentes, & sub Sacramentis futuræ Incarnationis Christi viuentes, eodem Spiritu fidei, quo nos eam iam factam, illi vtique credebant futuram. Gentes longè erant, sine lege, sine fide, sine Deo in hoc mundo. Longè erant quibus dominabantur vitia, à quibus exulabant virtutes, quibus spes nulla cœlestium, nulla expectatio futurorum. Vnde conuenienter ait. *Venientibus de terra procul* : de terra sanè, terrenis scilicet luteisque operibus, de terrenis affectibus & cupiditatibus, de mundi huius desideriis & inquinationibus. Sanè quod ait, *Præcepit Dominus militia belli*, vim diuinæ virtutis & gratiæ, præcepti nomine [17] commendat, quia ineffabili motu interius Gentes excitauit vt audirent, illuminauit vt crederent, monuit vt venirent, recumbe-

Matth. 8. 11. rentque cum Abraham, Isaac & Iacob in Regno Dei. Potest quippe per regnum Dei Ecclesia intelligi, in qua E

ad [18] Patriarcharum gratiam Gentiles assumpti sunt, Rom. 11. 17.

& abscissi ab infidelitatis oleastro, in bonam sunt inserti oliuam, & participes radicis & pinguedinis facti ; promissam Abraham, Isaac & Iacob beatitudinem, vnius eiusdemque cum eis fidei meritis sortiuntur.

Sed & hodie, fratres charissimi ; ad spiritalem militiam quosdam de prope, quosdam de longè Christus adducit, & facit habitare vnius moris in domo, quos & induit armatura Dei, vt possint stare aduersus insidias diaboli, vnde Psalmista, *Dicant nunc qui redempti sunt* Psal. 47. 7.

à Domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus Eph. 6. 11.

congregauit eos. Sunt quippe regiones vicinæ, sunt & Psal. 106.

longinquæ de quibus congregati sunt sancti & electi 3.

eius, qui ordinauerunt testamentum eius super sacrificia. Psal. 49. 5.

Deinde in regionem longinquam profectus fuerat filius Luc. 15.

adolescentior, & ibi dissipauerat omnia sua viuendo 13.

luxuriose. Sed cum pater Deus intelligatur, quomodo ab ipso recedere, vel ad ipsum redire potuit qui vbique F

est ? Quæ illi regio longinqua est, extra quem nihil est ? Sed regio longinqua dissimilitudo est sicut similitudo vicina. Itaque cui cum patre omnimoda similitudo est, ita patri vicinus est, vt licet non sit pater hoc ipsum tamen sit quod pater, de qua similitudine dicitur, Qualis pater talis filius. Iste nec ad patrem accedere, nec recedere potest [19] à parte : quia nec similior illi esse potest qui hoc ipsum est quod ille, nec dissimilis ab illo, quia non potest aliud esse quam ille : non enim ad imaginem & similitudinem patris est factus, sed ipse est imago & similitudo patris, de eius substantiâ non alterius substantiâ genitus. At ille filius, qui non est natus sed factus, & factus ad imaginem & similitudinem eius, id est, non vt ipse esset imago & similitudo Dei, sed vt haberet impressam & expressam in se imaginem, & similitudinem Dei, & recedere potest, quia potest esse dissimilis, & redire, quia potest fieri & similis. Consideranda proinde sunt duo quædam, quæ quidem in creatore vnum sunt, duo in creatura ; id est natura, & virtus Ad G

naturam pertinet immortalitas & incorruptio ; ad virtutem sapientia & dilectio. Hæc in Deo vnum sunt, quia non sunt aliud in Deo ista, quam Deus. At homo immortalitatem habuit, & incorruptionem secundum naturam in qua creatus est, [20] habuit sapientiam & dilectionem, quæ ei superaddita est ; sed quia ipse nec immortalitas, nec incorruptio, nec [21] sapientia fuit, ideo ab istis recedere potuit, & esse Deo dissimilis ; & iterum redire per gratiam, & esse iterum similis.

Virtus itaque, & virtutis præmium beatitudo, regio similitudinis est ; vitium, & miseria dissimilitudinis Quia vero primo factus est dissimilis per vitium, vt meritò factus sit dissimilis per miseriam, necesse est vt primum similis efficiatur virtute, vt quandoque similis efficiatur beatitudine : quantò autem quisque vitiosior est, tantò vtique est Deo dissimilior, ac per hoc tanto longinquior ; quantò autem virtuosior tantò profecto similior, ac per hoc tantò vicinior est. Quotquot vero virtutes sunt, tot sunt & regiones ad illam, quæ omnes H

continet pertinentes regionem similitudinis : quotquot autem & vitia, tot & regiones, quæ ad eam, in qua omnia vitia sunt, [22] pertinent regionem dissimilitudinis. Habent quippe singula vitia, vel virtutes singulas, in quibus subsistant, regiones, extra quas aut vix, aut nunquam inueniri possunt vel haberi. Itaque castitas virtus est, cuius regio Abstinentia dici potest, labor quoque & vigiliæ, maximè autem interior solitudo. In hac sanè regione habitat Castitas, extra quam vtrum possit inueniri, singulorum conscientia exploret. At fornicatio vitium est, cuius regio est edacitas, somnolentia, otium, [23] maximè cohabitatio indisciplinatorum. Sic & Charitas, quæ virtus est, regionem habet [24] voluntariam paupertatem ; & Auaritia, quæ vitium est, regionem [25] habet temporalium dilectionem. Hæc de cæteris vitiis vel virtutibus [26] facile aduertere est Sanè vicinus est castitati, qui coniugij limites non excedit, longè autem remotus, qui fornicationibus, vel adulte-

A riis, vel ſtupris publicis polluitur. Sic vicinus eſt Charitati, qui ſuis licenter vtitur, non diripiens aliena: ſicut ille longè remotus, qui nec ſua miſericorditer diſtribuit, nec ab alienis abſtinet capiendis. His quoque de cæteris vitiis diligenter inſpectis & virtutibus, conſiderate quam multi de longè, quam multi de prope ad militiam, quam iuraſtis, aduenerunt? Igitur [27] de longinquo venerunt, qui de ſterquilinio vitiorum, ad montes conſcendere virtutum, in quibus vna omnium vox auditur pſallentium [28] in vnum, vnum inſuper deſiderantium. Quam vocem audiens in ſpiritu Propheta, *Vox* (inquit) *multitudinis in montibus quaſi populorum frequentium: vox ſonitus Regum & Gentium congregatarum.* In hac quippe ſpiritali militia quidam Reges ſunt, quidam plebes: Reges qui præſunt, plebes qui obediunt; vel Reges perfecti, plebes imperfecti. Et Reges populo terrori ſunt, ſicut imperfectis perfecti, ſubditis prælati, vnde ait, *Vox ſonitûs Regum.*

B Sonet itaque fratres in ore veſtrò, & in cordibus veſtris gratiarum actio, & vox laudis, qui non ſolum à vitiis, ſed quod paucis donatum eſt; ab ipſis vitiorum regionibus egreſſi in montibus virtutum ſubſiſtitis, & per hanc Dei ſimilitudinem, quam in virtutibus habetis, ad illam, quæ adhuc deeſt, beatitudinem [29] feſtinatis. Si vero ad vitia, vel virtutes Reges & plebes placet referre, recordamini ſermonis illius, quem in die Dominicæ apparitionis ad fratres habui in capitulo, vbi ex occaſione trium Magorum qui venerunt ab Oriente, de vitiis & virtutibus, earumque regionibus, ſicut potuimus, diſputauimus. Quem quidem ſermonem huic loco congruenter aptare poteritis, ſi Reges, & Gentes, & Regiones, Iter etiam ad Chriſtum, ad ea, quæ hic ſcripta ſunt referatis. Nos vero his omiſſis, ad ea, quæ ſequuntur indaganda, atque tractanda noſmetipſos tam oratione, quam ſilentio reparemus. Ipſe

Pſ.118. 18. autem Chriſtus reuelet oculos noſtros, vt conſideremus mirabilia de lege ſuâ, qui cum Patre, & Spiritu San-

C cto viuit & [30] regnat per omnia ſæcula ſæculorum.

VARIÆ LECTIONES.

1. Quærendum cuius. C. Cam. Quærendum *eſt* cuius.
2. Mihi videntur ver. iſta Proph exultantis. C. Cam. Mihi *videntur* ver. iſta Prophetæ *eſſe* exultantis.
3. Diſcrimina, ad Chriſt. Reg. & Princip. mundi conuerſis. C. Cam Diſcrimina, *conuerſis* ad Chriſt. Reg & Princip. mundi.
4. Significat eminentiam. C. Cam. *Significat euidentiam.*
5. Montem poſita, nec vox. C. Cam. Montem poſita *nec poteſt latere, quæ in monte ſtat*, nec vox.
6. Prædicatorum ordo, vt multitudini videretur, C. Cam. Prædicatorum *numerus*, vt multitudini *populorum* videretur.
7. Velis intelligere multitudinem credentium C. Cam. *Credentium velis multitudinem intelligere.*
8. D Vt videlicet data pace. C. Cam. Vt *ſcilicet plebes innumerabiles, quæ eatenus in valle vitiorum ſorduerant*, data pace.
9. Montes conſcendi. C. Cam. *Montes conſcenderint.*
10. Scilicet & Prophetarum doctrinam. C. Cam. Scilicet *Prophetarumque* doctrinam.
11. Eius in montibus Sanctis; eius ſcilicet Eccleſiæ. Vox Sonitûs, &c. C. Cam. Eius, *haud dubium quin Eccleſia* in montibus Sanctis; Hi ſunt, & quæ ſequuntur, vſque ad *vox ſonitûs.*
12. Debiles, exemplo Imperatorum Gentes ad fidem ſunt conuerſæ, adiecit. C. Cam debiles *exemplo ſapientum ſimplices*, exemplo Imperatorum Gentes ad fidem *Catholicam conſtat eſſe conuerſas* adiecit.
13. Congregatarum non erat, C. Cam. congregatarum. *Quomodo congregata ſunt, & vnde congregata?* Non erat.
14. Potentias Regum. C. Cam. *Potentiam* Regum.
15. E Venerat. In proximo. C. Cam. Venerat, *quam ſcilicet*, &c. vſque ad *In proximo enim.*
16. Carmen. At Gentes. C. Cam. Carmen *In proximo erant*, & quæ adiecimus vſque ad *At Gentes.*
17. Commendat, quia. C. Cam Commendat, *&* quia.
18. Patriarcharum gratiam Gentiles. C. Cam. Patriarcharum *fontem Gentiles.*
19. A Patre: non enim ad imaginem & ſimilitudinem patris eſt factus, ſed ipſe. C. Cam. A Patre: *quia nec ſimilior*, & quæ ſequuntur vſque ad, Non enim *eſt* ad imaginem & ſimilitudinem patris factus, ſed ipſe.
20. Habuit ſapientiam. C. Cam. Habuit *&* ſapientiam.
21. Sapientia fuit. C. Cam. Sapientia *vel dilectio* fuit.
22. Pertinent regionem. C. Cam *Regionem pertinent.*
23. Maximè cohabitatio, C. Cam. Maximè *autem* cohabitatio.
24. F Voluntariam paupertatem; &. C Cam. voluntariam *nuditatem*; &c.
25. Habet temporalium. C. Cam. Habet *rerum* temporalium.
26. Facile aduertere eſt His quoque de cæteris vitiis diligenter inſpectis, C. Cam. *Animaduertere facile eſt. Sane vicinus eſt caſtitati*, & reliqua vſque ad, His quoque de cæteris vitiis, *vel virtutibus* diligenter.
27. Igitur de longinquo venerunt. C. Cam. Igitur de *terra procul* venerunt.
28. In vnum, vnum inſuper. C. Cam In vnum; *viuentium in vnum; laudantium in vnum*; vnum inſuper.
29. Feſtinatis. Iam vero his omiſſis. C. Cam. Feſtinatis. *Si vero ad vitia*; & quæ deinceps adduntur, vſque ad, *Nos vero his omiſſis.*
30. Regnat per omnia ſæcula. C. Cam. Regnat *Deus in* ſæcula

SERMO OCTAVVS. G

HActenus Propheta onus Babylonis ſecundum hoc, quod per aduentum Domini noſtri, Sanctis prædicantibus, multorum eſt ſeparatione deſtructa, paucis quidem verbis, ſed profundis ſententiis comprehendit. Nunc vero ad eos, qui vel [1] Euangelij veritatem non ſuſceperunt, vt ſalui fierent, vel qui ſuſceptam fidei veritatem iniquis operibus corrumpebant, Prophetantis ſermo conuertitur. *A ſummitate cæli Dominus, & vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram.* Isa.13. 5. Non hanc terram, quam calcamus prænuntiat diſperdendam, ſed terræ nomine eos vult intelligi, qui non niſi terram ſapiunt, qui terrenis deſideriis diuina promiſſa poſtponunt, qui æternis temporalia præferunt, qui ſpreta Euangelij veritate, mundi vanitatibus & erroribus implicantur. Hos nimirum diſperdendos præmiſſa Prophetæ ſententia declarat. Sciendum ſane quod duobus modis diſperduntur peccatores, cum videlicet conuerſi ad Dominum H per pœnitentiam deſinunt eſſe quod erant, & incipiunt eſſe quod non erant, ſecundum illud. *Verte impios & non erunt*; vel certè cum de malis, in deteriora ruentes, poſtremum æternis ſuppliciis mancipantur. Prou. 12. 7. Et primum illud ab ipſo Domino in ſuis fieri, qui miſeretur cui voluerit, nullus ambigit Chriſtianus; ſequens illud eius quidem iudicio, ſed Spirituum malignorum miniſterio, ſcripturarum auctoritate probatur Nam & diabolus miſit in cor Iudæ, primum vt traderet Dominum, deinde vt [2] ſuſpenderet ſeipſum, & in Ægyptios miſit Dominus iram, & indignationem, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos. Ioan.13. 2. Matth. 27. 5. Pſal.77. 49.

Verum [3] cur vnus aſſumatur, alius relinquatur, cur iſte conuertatur ſanandus, iſte tradatur dæmonibus indurandus, vel puniendus, ad occulta Dei iudicia, ac profunda conſilia pertinere ſciamus. Ideo ait, *A ſummitate cæli Dominus, & vaſa furoris eius vt diſperdat omnem terram.* Iſai.13. 5. Summitas cœli, vt mihi videtur, ipſa ſumma ac beata Trinitas eſt, à qua profecto immobilis

dictatur



A Ioan. 13. 5. Isa. 13. 6. dictatur sententia, vt Dominus noster Iesus filius hominis, cui potestatem dedit Deus Pater iudicium facere, istos disperdat per pœnitentiam, illos per [4] pœnam. Primum illud per se, id est suâ internâ inspiratione, secundum illud per vasa furoris sui, datâ eis in impios sæuiendi potestate, ideo *A summitate cœli Dominus & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram.* Vasa furoris eius contrarias fortitudines intellige, quæ operantur in filiis diffidentiæ, vt qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui excæcatur, excæcetur adhuc; & qui induratur, induretur adhuc. Si vero hanc sententiam superiori putas esse iungendam, vt quod prius dixerat, *Dominus præcepit militia belli venientibus de terra procul*, sequentibus verbis exponat, cum dicit, *A summitate cœli Dominus, & vasa furoris eius*, sic præcedenti continuanda est ista quæ sequitur. Non solum Dominus præcepit militiæ belli venientibus de terra procul, vt ea, quæ præmissa sunt, fierent; sed etiam ipse Dominus à summo cœlo descendit, vt per vasa iræ suæ eos, B qui vasis gratiæ suæ non crediderunt, disperdat. Mihi tamen magis placet, vt alterius capituli initium sit; vt in priore Regum, & Gentium fide, Babylonis euersionem sentiamus esse descriptam: in sequenti eorum qui vel non crediderunt, vel credentes corruerunt, conuersionem, siue damnationem esse prænuntiatam. Vnde secundum hunc duplicem sensum etiam ea, quæ sequuntur, legenda sunt.

Sequitur, *Vlulate, quia prope est dies Domini.* Vlulatum itaque peccatoribus Propheta indicit, quos vel in pœna, vel in pœnitentia vlulaturos præuidit. Vlulatus quippe vehementem luctum, qui cum clamore fit, conuenienter significat; quem nimirum illata miseris extorquent supplicia, vel à cordibus peccatorum elicit pœnitentia. Quid enim putamus fratres mei? Cessante persecutione, & Ecclesia receptâ pace regnante, quanta fuit lapsis confusio; quanta cordis contritio, quam immanis rugitus intus in conscientia, quam lacrymosus eiulatus in voce? Luc. 21. *Vlulate* (inquit) *quia prope est dies* C 27. *Domini.* Diem Domini diem appellat iudicij, in quo Matth. 16. 27. Dominus in potentia & maiestate apparens, reddet vnicuique iuxta opera sua. Hic sanè dies vnicuique tunc incipit, quando egressus de corpore, vel futuræ beatitudinis primitias recipit in requie, vel initia damnationis in anima, quam est recepturus, & in corpore. Isa. 13. 6. Hæc vtique dies *tanquam vastitas a Domino veniet*, A Iob. 14. 5. Domino sanè; verè enim *numerus Domine mensium nostrorum apud te est, & constituisti terminos nostros qui præteriri non poterunt. Tanquam vastitas a Domino veniet.* Iob. 1. 21. Quid enim [5] dies illa non deuastat? *Nudus egressus sum de vtero* [6] *matris meæ, nudus reuertar illuc*, ait quidam Sanctus. Vbi ergo diuitiæ, vbi deliciæ, vbi auri, argentive aggeres, vbi promptuaria plena eructantia ex hoc [7] in illud? vbi sericæ vestes, & equi pugnantes? Ps. 143. 13. Omnia certè morienti vastantur. *Cum* (enim) *interierit,* Psal. 48. 18. *non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Quicquid insuper virium in corpore, quicquid voluptuosum in carne; quicquid delectabile in sensibus; quic- D quid iocundum in moribus, totum profectò dies illa obruit, & consumit.

Felix mens, à qua diei huius recordatio non recedit. Quam enim vtilis sit mortis meditatio, testatur Salo- Eccl. 7. 40. mon, qui ait, *Fili semper memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Quem enim peccare delectet, ante cuius semper oculos hora illa versatur? Vlula ergo, ô peccator, in pœnitentia, ne vlulare cogaris in pœna. Contra voluptates sæculi amarescat tibi dies Domini in memoria, ne nimium amarescat in experientia, sen- Isa. 13. 7. tiasque quod sequitur, *Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet, & conteretur.* In manibus intelligitur operatio. Eia fratres, vt ait Dominus, Oportet nos operari donec dies est. Veniet Ioan. 9. 4. nox in qua nemo potest operari. *Beati mortui qui in* Apocal. 14. 13. *Domino moriuntur, amodo iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Mors igitur nox est, in qua nemo potest operari. Aut enim in bonis operibus requiescet, aut in malis punietur. Die itaque illâ Domini omnes E manus dissoluentur, quando alij ligatis manibus & pe- Matth. 22. 13. dibus mittuntur in tenebras exteriores, alij post opera sex dierum excipiuntur à Sabbato, id est requie, admissi ad delicias interiores: *Amodo* enim *dicit Spiritus* Eccl. 9. 10. *vt requiescant a laboribus suis.* Itaque *quæcunque potest* Serm. 487. *manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio est apud inferos, quo tu properas. Omnes* enim *manus dissoluentur.* Quid dicis & tu, qui confidis in virtute tuâ, & in multitudine diuitiarum tuarum gloriaris? Videat charitas vestra.

Alij quasi nihil operantur, alij mala operantur, Matth. 25. 18. alij bona malè operantur, alij bona bene operantur. Quasi nihil operatur malus ille seruus piger, quia acceptam pecuniam fodit in terram, nec de accepto aliquid fraudans, nec acceptum lucro cumulans: cui similes sunt pigri & tepidi, quibus magnum videtur à solis abstinere criminibus, cum nihil laboris, nihil industriæ impendant in acquirendis virtutibus. Isti ergo quasi sine manibus sunt. Quid isti F [8] faciant quando nemo potest operari? Certè opera eorum non sequuntur illos. Non requiescent ergo. Non sunt opera in quibus requiescant, omnes manus dissoluentur, vt operari non valeant. Quid igitur restat, nisi vt etiam seruus inutilis proiiciatur in tenebras exteriores? Verum sicut benè operantes, bona opera sua præmittunt ad Deum, vt morte interueniente, manibus dissolutis, in ipsis repausent & glorientur: ita nimirum malè operantes, mala sua opera præmittunt ad inferos, in quibus perpetuò crucientur. Qui [9] enim hic fuerint in malo potentes, potenter tormenta patientur; & qui crudeles, crudeliter torquebuntur, & qui fœtentes libidine sulphuris fœtoribus vexabuntur: & quos inflammat auaritia, flammis tartareis exurentur: & quos gula & ebrietas polluit, perpetuis vermibus depascentur. Caue tibi ô homo, quoties enim peccas, materias pœnarum, quibus torquearis, præmittis ad inferos. Tu tibi ignem accendis, quo torquearis; tu fœtorem suscitas, quo crucieris; G tu vermes viuificas, qui te consumant; tu tenebras paras, quæ te excæcent. Tunc manus tuæ dissoluentur, vt nec aptæ sint ad operandum, nec validæ ad resisten- Luc. 18. 11. dum, sed dissolutæ [10] ad patiendum. Quid tu qui bona malè operaris, qui non es sicut cæteri hominum, raptores, fornicatores, adulteri, nec velut publicanus iste, non es seruus piger, qui ieiunas bis in Sabbato, & decimas das omnium quæ possides, laboras, operaris, congregas multa, sed omnia quæ transmittis, vbi seruantur, ibi inuenientur. Certè prope est dies Domini quam sequitur nox, in qua nemo potest operari. Rogo vbi sunt quæ congregasti?

Omnes manus dissoluentur, non est amodo tempus operandi. *Amodo* quidem *iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Qui? Certè de quibus subdit, *Opera enim illorum sequuntur illos.* Itane tua te sequentur opera, quæ vel vendidisti, vel ventilasti in omnem ventum? Quicquid bonorum operum collegisti, aut vili pretio humanæ laudis vendidisti, aut in lucrum H turpis quæstus expendisti; aut in ipso tuo animo vanitatis superbæ flatibus exsufflasti; & tu secutura te tua opera arbitraris? Cum igitur non habueris vbi consoleris, quid restat nisi vt & tu crucieris? Tu quoque charissime, qui etiam bona bene operaris, nolo confidas in virtute tua, neque in multitudine diuitiarum tuarum licet spiritualium glorieris, quia tunc omnes [11] Ps. 48. 7. manus tuæ dissoluentur. Quomodo inquis? Quia *omnes* Isa. 64. 6. *iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ in conspectu eius. Non enim iustificabitur in conspectu eius omnis viuens.* Necesse est proinde vt omnes vlulent; malus, ne in malo perseuerans damnetur; piger & tepidus, ne quando, neque frigidus, neque calidus à Dei ore euomatur. Sic & qui bona malè operatur, ne duabus [12] viis viam ingrediatur; qui autem bona benè, ne occulto Ps. 142. 2. Dei iudicio reprobetur. Dicit itaque Propheta, *Vlu-* Apoc. 3. 16. *late quia prope est dies Domini, quasi vastitas a Domino*

A *veniet*; vt vicinæ mortis intuitu, & boni timeant, & mali lugeant, diſcantque vlulare in pœnitentia, qui noluerunt vlulare in pœna. Hæc vox licet ſpectare videatur ad omnes, ſecundum ordinem tamen Propheticæ pronuntiationis ad eos, qui vel in perſecutionibus lapſi ſunt, vel tempore pacis diuerſis fœdati ſceleribus, ſpeciali comminatione dirigitur. Quibus nimirum & pœnitentiam ſuadet, & pœnam intentat, quibus & conuertendi, & benè operandi dum viuunt, facultas tribuitur, quæ profectò omnibus, morte superueniente, ſubtrahitur. Tunc enim omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis tabeſcet, & conteretur.

Eia fratres, tabes de putreſcentibus carnibus naſcitur, & donec penitus fuerint putrefactæ, profluere non ceſſat. Habet autem in ſe tabes [13] & horrorem, & fœtorem. Videat nunc vnuſquiſque cor ſuum, videat qualibus cibis illud pauerit. Eſt certè cibus animæ verbum Dei; cibus vtique, qui non corrumpitur, nec
B tabem generat, nec edenti corruptionem importat. Eſt cibus animæ opus bonum, ſicut ait in Euangelio Do-
Ioan.4. 14. minus, *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Cibus [14] quoque eſt ſalutaris animæ compun-
Pſ.79.6 Pſ.41.4. ctio, ſicut dicit Propheta, *Cibabis nos pane lachrymarum.* Et item, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Eſt & cibus animæ dulcis in Deum deuotio, quaſi adeps frumenti, qua ſatiatur Ieruſalem dicente ad eam
Pſ.147. 14. Pſalmiſtà, *Et adipe frumenti ſatiat te.* Hi cibi vitalem alimoniam animæ præſtant eſurienti, transformantes eam in ſe, & æternitatis ſuæ donantes eſſe participem. Sunt alij [15] cibi pernicioſiſſimi, qui tabem nutriunt, & materiam putredini ſubminiſtrant, porcorum ſcilicet ſiliquæ, quibus plerumque tam auide inhiatur, quibus tam delectabiliter anima paſcitur, vt cœleſtis edu-
Num. 11.5. Num.11 33.&34. lij faſtidium ingerant, & ſuper manna, cibo certè Angelico nauſeam prouocent. Hæ ſunt carnes, quæ putreſcunt in dentibus populi peccatoris; qui in ſepulchris concupiſcentiæ miſerabiliter ſepulti, in ipſa quam
C creauerant tabe conſumpti ſunt. Itaque fornicationes, adulteria, [16] furta, blaſphemiæ, & cætera huiuſmodi, porcorum ſiliquæ ſunt, id eſt cibi dæmoniorum; qui profectò in cordibus hominum licet delectabiliter ſapiant, tabis tamen, & putredinis materia ſunt; cuius profectò fœtorem aut homo ſalubriter ſentiet in pœnitentia, aut, imminente morte, pœnaliter ſentiet in conſcientia. Tunc enim omne cor hominis tabeſcet, profluente vndique ex conſcientiæ latebris ſanie immunditiarum, & ſordibus vitiorum; ex quibus & vermis ille procreatur, qui non moritur, & accenditur ignis, qui non extinguitur.

Iſti ſunt vermes è quibus cor illud conteritur in pœna, quod hîc non fuerit contritum in pœnitentia. *Omne* (inquit) *cor hominis tabeſcet, & conteretur;* omne planè cor hominis, id eſt ſecundum hominem
1.Cor. 3.3. viuentis, qualibus ait Apoſtolus, *Cum ſit inter vos zelus & contentio nonne homines eſtis?* Et in priori quidem ſententia cum diceret, *Omnes manus diſſoluentur.* Non
D addidit, hominis, quoniam bonorum & malorum opera, morte ſuperueniente, ceſſabunt; eorum autem tantùm, qui ſecundum hominem viuunt, cor, & conſcientia contereretur. Hæc igitur hora [17] fratres non recedat à memoria, vt ſi nobis nunc fuerit cauſa timoris, tunc fiat porta ſalutis, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Euangelij veritatem non. C. Cam. Euangelij *virtutum* non.
2. Suſpenderet ſeipſum. Cod. Cam. Suſpenderet *ſemetipſum.*
3. Cur vnus aſſumatur. C. Cam Cur *alius* aſſumatur.
4. Pœnam. Sequitur. C. Cam. Pœnam. *Primum illud.* Et quæ interiiciuntur vſque ad, *Sequitur. Vlulate.*
5. Dies illa non. C. Cam. *Non dies illa.*
6. Matris meæ, nudus reuertar illoc, ait quidam Sanctus. Vbi ergo, &c. C. Cam. Matris meæ, *ait quidam Sanctus*, nudus reuertar illuc. Vbi ergo. E
7. In illud? Vbi ſericæ veſtes, & equi pugnantes? C. Cam. In illud? *Vbi oues fœtoſæ, & boues craſſæ.* Vbi ſericæ veſtes, & equi *pugnaces.*
8. Faciant quando. C. Cam. Faciant *in nocte* quando.
9. Enim hic fuerint in malo. C. Cam. Enim *fuerint hic* in malo.
10. Ad patiendum. Omnes manus, &c. C Cam. Ad patiendum. *Quid in qui bona*, & reliqua, vſque ad, *Omnes manus.*
11. Manus toæ diſſoluentur. C. Cam. *Manus diſſoluentur.*
12. Viis viam ingrediatur. C. Cam. Viis *terram* ingrediatur.
13. Et horrorem, &. C. Cam. Et *Errorem*, &.
14. Quoque ſalutaris animæ compunctio. C. Cam Quoque *eſt animæ ſalutar. compunc.*
15. Cibi pernicioſi qui. Cod. Cam. *Cibi pernicioſiſſimi qui.* F
16. Furta, & cætera, C. Cam. Furta, *blaſphemia*, & cætera.
17. Fratres non. C. Cam. Fratres *chariſſimi* non.

SERMO NONVS.

INfelicia hæc tempora in quæ noſtra ætas deuenit in perſona Eccleſiæ Ezechias deplorans. *Ecce* (inquit), Iſa. 38.
in pace amaritudo mea amariſſima. Vere fratres ita eſt, 17.
amara videbatur perſecutio, ſed in ipſa perſecutione non parua bonis erat conſolatio, quando non erat * fictionis locus nullum otio, vel diſſolutioni tempus; (* Fortè ſictionis.) quando quædam [1] neceſſitas cunctos fere cogebat eſſe perfectos, inſtantibus cunctis in gradibus ſuis, tam ſubditis quam Prælatis. Sublato autem timore, nata eſt diſſolutio, creuit ambitio, honores & diuitiæ virtutibus præponuntur, vitia deliciis nutriuntur. Itaque Propheta Iſaias, cum Apoſtolicam prædicationem, & G martyrum fortitudinem deſcripſiſſet, cernens multos perſecutione ceſſante, pacis tempore deteriùs corruiſſe, ſaluberrimum eis futuræ calamitatis infudit timorem, *Vlulate* (inquiens) *quia prope eſt dies Domini, quaſi vaſtitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis tabeſcet & conteretur.* De his, vt nouit charitas veſtra, heſternâ die tractauimus, & quomodo vel ad pœnitentes, vel ad morientes pertineant, ſicut Dominus dedit, explicauimus. Sequitur autem. *Torſiones & dolores tenebunt* eos, videlicet, Iſa.13.8. quorum manus fuerint diſſolutæ & [2] quorum cor tabidum fuerit & contritum. Torſiones ventris ſunt, dolores membrorum.

Eia fratres omnia flagitia ex ventre ſumunt originem; per [3] cætera vero membra facinora perpetrantur. Ex gula quippe quæ ventris ſaturitate perficitur libidinum incentiua generantur, ex quibus fornicationes, & omnia immunditiæ genera procreantur. Porro per linguam blaſphemia, per manus furta, vel homicidia, & H cætera huiuſmodi committuntur, ſeruientibus in hoc ipſum oculis ad explorandum, auribus ad audiendum, pedibus ad incedendum. Igitur anxietatem mentis, quæ, [4] imminente morte, ex flagitiorum recordatione procedit, per torſionem expreſſam intellige; illam vero, quam facinora rememorata parturient, per dolores. Quæ enim tunc, fratres mei flagitioſis erit triſtitia, cum viderint ſe viliſſimæ, ac breuiſſimæ voluptatis putredine, æterna ſupplicia meruiſſe? Quæ etiam tunc facinoroſis anxietas, quorum crudelitati crudeliſſima tormenta redduntur? Quid putatis chariſſimi? nihilne ſaporis tunc inſipidis bis, quibus vtimini, cibis hora illa profundet? felices quibus ventris deliciæ has torſiones non parant, quorum membra hic circumciduntur, vt hos tunc dolores non ſentiant. *Torſiones* (inquit) *& dolores* [5] *tenebunt.* Quanto vtiliùs torſiones torſionibus præueniuntur, dolores doloribus cauentur, vt

totum

[A] totum hoc, imo multò minus patiamur pœnitendo, ne cogamur pati talia moriendo. Itaque quoties memoria voluptatis expertæ mentem tuam afficit, & excitat desiderium, fastidiumque vilis huius ingerit eduliј, & importat horrorem, torsiones [6] sustines spirituales, per quas nimirum, torsiones illas, quas in morte multi sentiunt, euadens sententiam inter diuitem purpuratum, & pauperem Lazarum à sancto Patriarcha [7] prolatam quasi tibi dirigi exultabis, [Luc. 16. 25.] *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

[Isa. 13. 8.] Sequitur, *Quasi parturiens dolebunt* Eia fratres, non est [8] dolor sicut dulor parturientis. Est autem partus carnalis, partus spiritalis, partus pœnalis. Et certè, [Ioan. 16. 21.] *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Dolor in membris, mors in oculis, timor versatur in conscientia, quis verò sit fructus ignorat. Spiritalis partus est, quando Sancti doctrinâ, ac sollicitudine filios pariunt spiritales, quorum vnos ait, [Gal. 4. 19.] [B] *Filioli mei quos iterum parturio.* Et hic partus non sine dolore: oportet enim talem *gaudere cum gaudentibus, flere cum* [Rom. 12. 15.] [9] *flentibus, infirmari cum infirmis,* [1. Cor. 11. 29.] *vri cum scandalizatis*, & multa huiusmodi. Est etiam partus spiritalis, quando anima sterilis & infœcunda à timore Domini concepit, & conuersa ad Dominum bonorum operum initia parit. Est in hoc parto quis dolor? quando caro resistit spiritui, consuetudo voluntati, quando ipsa mens modo vult, modo [10] timet, modo impellitur delectatione boni, modo retrahitur à desiderio mali. Est & partus perniciosus, quando homo concipit dolorem, & parit iniquitatem, quando concipit acquirendi affectu, & parit effectu; vnde Dominus in Euangelio: [Ps. 7. 15. Math. 24. 19. Prou. 2. 13.] *Væ prægnantibus & nutrientibus*, Væ profectò sic concipientibus, & sic parientibus; quia etsi modò exultent cum malè fecerint, & lætentur in rebus pessimis, imminente iam morte sicut partorient dolebunt. Sicut enim mulier, quæ cum delectatione concepit, magnis afficitur doloribus cum parit; ita profectò anima [C] voluptatibus, vitiisque corrupta cum ipsius corruptionis cœperit morienti apparere stipendium, tristitiâ doloribusque conteritur; & serâ pœnitentiâ reuersa in se, incipit sentire quod scriptum est. [Isa. 50. 11.] *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma quam succendistis vobis.*

Potest sanè partus iste dici pœnalis, quando moriens in pœna parturit; & mortuus pœnam, quam peccans concepit, quasi fœlicissimam sobolem pariens, excipit, quasi infelicissimam sobolem pariens, excepit. Quantò felicius à timore Domini, concipit homo pro peccatis pœnitudinem, & motum parit conuersionem? Qui quidem partus [11] quamuis sit non sine dolore, gaudium tamen creat in tranquillitate conscientiæ, quia *cum peperit puerum, iam non meminit pressura propter gaudium*, & *qui seminant in lachrymis in gaudio* [12] *metent*, & *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Omnes igitur qui vel fidem deseruerunt * [* An forte legendum *viti*.] inuiti suppliciis in persecutione, vel qui corrupti vitiis pacis abscissi sunt tempore, quasi parturiens dolebunt [D] vel salubriter pœnitendo, vel infeliciter moriendo. [Isa. 13. 8.] *Vnusquisque ad proximum suum stupebit.* Videat charitas vestra fratres charissimi. Proximus multis modis dicitur, idest loco, tempore, naturâ, cognatione, similitudine, dilectione, miseratione. Loco, sicut ille illius proximus dicitur, qui ei de proximo vicinatur. Tempore, sicut ille qui decedenti, nullo alio interueniente, succedit. Natura, sicut omnis homo omnis hominis proximus est, vnde dicitur: [Math. 22. 39.] *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quod de omni [13] homine sit dictum, vt nullus ambigit Christianus. Cognatione, sicut patri filius, frater fratri, cognatus cognato. Similitudine, sicut bonus bono, malus malo, etiamsi loco temporeque disiuncti sint; similitudine tamen proximus æstimatur. Porro dilectione ita sibi possunt homines proximi esse & coniuncti, vt [Act. 4. 32.] multitudinis credentium fuerit cor vnum, & anima vna in Domino. Miseratione, sicut Samaritanus proximus fuisse illi, qui incidit in latrones, quia fecisse [E] misericordiam cum illo, Euangelio teste probatur. [Luc. 10. 36.] Viro itaque iustè, sobriè, piéque viuenti, proximus est quilibet similiter viuens; proximus est Angelus, sic viuenti gratissimè fauens, proximus insuper & ipse Deus, sic viuenti benè operandi gratiam subministrans.

Sic & pessimo [14] cuilibet, pessimus quilibet proximus est, siue homo, siue spiritus. Nam fornicationis spiritus fornicariis, spiritus superbiæ [15] superbis proximus perhibetur, & cuius vnusquisque in vitiis vel virtutibus induit similitudinem, eius & vicinitatem meretur. Credendum est igitur morientibus spiritus & bonos, & malos esse præsentes, vt boni à bonis suscipiantur, mali à malis torqueantur. *Vnusquisque* (inquit) *ad proximum suum stupebit.* Apparente enim dæmone fornicationis immundo cuilibet morienti, non poterit non stupere qui viderit. Quod blandum cernitur, & iucundum dum suadetur, amarum sentitur dum improperatur: [F] stupetque miser durum inuenire & immitem quem sæpe fuerat expertus suauem. Nostra igitur interest fratres, tales nobis facere proximos, qui in illa horâ tremendâ consolationi nobis sint, non horrori. Felix qui vitæ munditiâ, & morum honestate Angelicos Spiritus ita sibi meruerit habere propinquos, & quasi amici, & proximi egredienti assistentes, velut benè cognito adgaudeant. In historiis fide dignis legimus Angelos morientibus sæpè astitisse, Sanctosque, quos speciali deuotione colebant dum viuerent, in extrema necessitate habuisse præsentes Econtra nouimus nequam Spiritus illis, terribili vultu, oculisque flammantibus, infernalibus armatos instrumentis apparuisse, qui illorum suggestu viuentes, [16] vitiisque sese criminibusque polluerant. Et sancti ergo ad tantam claritatem admiratione & stupore, egredientes corpore percelluntur, & reprobi ad tantum errorem, mentis alienatione stupidi efficiuntur. *Vnusquisque* itaque *ad proximum suum stupebit.* Et additur, *Facies combusta vultus eorum.* [G] Hoc ad reprobos tantum arbitror referendum.

Per faciem maximè & vultum homo ab homine discernitur, & singulari expressione à singulis singuli cognoscuntur. Solent autem quorundam criminum rei in facie cauterio denotari, vt quia vultus latere non potest, & crimen quoque, quod vultûs deformatione publicatur, latere non possit. Vultus animæ, vt mihi videtur, conscientia est, quæ omnium actionum [17] sermonum insuper & cogitationum testis est. Qualiscunque enim homo sit, conscientiam suam latere non potest. Conscientia quippe quasi speculum animæ est, in qua profectò defectus noster, vel profectus deprehenditur, & omnis status hominis interioris agnoscitur. Eia fratres charissimi, nemo securus sit; facilè peccamus, facilè transgredimur, facilè ad otiosa quæque, ac vana dilabimur, & quasi non sentientes ad illicita pertrahimur, sicut scriptum est. [Oseæ 7. 8.] *Factus est Effraim quasi panis subcinericius qui non reuersatur. Comederunt alieni robur eius, & ipse ignorauit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse nesciuit.* [H] Veruntamen non transeunt in ventum peccata nostra, non traduntur obliuioni, sed in ipsa conscientiâ, velimus, nolimus, scribuntur. Dicit Apostolus, quosdam cauteriatam habere con-[1. ad Tim. 4. 2.]scientiam, id est, iniquitatis flammâ combustam: quæ quidem combustio plerumque à nobis absconditur, dum viuimus, sed nec nos, nec ipsos qui aderunt Spiritus, poterit latere quando * [* Lego *morimur*.] morimur. Merito igitur ait, *facies combusta vultus eorum*; dissolutis quippe manibus, & corde contrito inter torsiones & dolores, quos morte imminente sustinent peccatores, quæcunque non fuerint pœnitentiæ medicamento, aut vnguento contritionis sanata, erumpent in medium, & multa, quæ nunc videntur sanissima, tum profectò apparebunt adusta.

Sunt certè opera splendida, labor, vigiliæ, ieiunia, munificentia quæ omnia si fuerint peruersa intentione

A corrupta, nihil decoris afferunt conscientiæ, quam nimirum cogitationum suarum reddit accusatrix flamma combustam. Si quis sanè contenderit hanc etiam sententiam pœnitentibus esse aptandam, potest non inconuenienter intelligi inter dolores, quos pœnitens quisque in recordatione sustinet peccatorum, dum diligenter latebras omnes suæ explorat conscientiæ, & omnia, quæ commisit subtili indignatione reuoluit; multa apparere tunc illi concupiscentiæ igne combusta, quæ prius lucida putabantur & sana. Cum igitur nomine Babylonis censendi sint, qui in Ecclesia perditè viuunt, vel ab Ecclesia, vel fide corruerunt; descriptum est omis, quo vel conuersi pœnitendo premendi, vel quo perseuerantes in malo morientes fuerant opprimendi. Procedit Propheta tempus illud miserabile mystico sermone describens, in quo adeo superabundabit iniquitas, & refrigescet charitas vt digni sint quibus mittatur ille operator erroris, homo scilicet peccati, filius perditionis de quo scriptum est, *Faciem eius præcedet egestas.* Quam quidem egestatem in sequentibus Propheta non tacet, & primum in die iudicij sermo contexitur, vt eius terrore vitia, quæ tunc maximè abundabunt, facilius caueantur: vel tormenta, quæ inferet ille blasphemus, magnificentiùs tolerentur. Sequitur ergo & dicit, *Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisque.* Et aptè satis de die vltimo singulorum sermone præmisso, ad illum, qui vnus omnium quantùm ad præsentem vitam vltimus est, propheticum conuertit eloquium, vt qui illum non timent, expauescant vel istum.

Matth. 24.12.

B

2 Thess. 2. 8.

Iob. 41. 13.

Isa. 13. 9.

Commemorantur autem hic quatuor quædam, manifesta sanè [18] illius futuræ calamitatis indicia, Crudelitas, Indignatio, Ira, & Furor. Crudelitas est [19] quando ira modum excedit; Indignatio quando personæ alicuius, qui fecit iniuriam, certà aliquà notà vilitas innotescit; Ira in voce solet apparere vel vultu; Furor in actu. Dies itaque illa crudelis erit, quia in ea maxime crudelitatis species apparebit, quãdo *elementa ignis calore soluentur, & in conspectu Domini ignis ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.* Plenus erit indignationis quando diuina maiestas, & hominis innotescit infirmitas, manifestumque [20] erit omnibus, quomodo aduersus tantam potestatem tanta sæuierat infirmitas, vt nullum lateat quantum debeat indignari Rex gloriæ, quod tantam sit passus iniuriam à vilissimo puluere. Erit & plenus iræ, quando vox illa terribilis audietur, *Discedite a me maligni in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.* Quam profectò sententiam iudicis, furor sequitur tribulantia, quando euntibus illis in combustionem æternam, nulla erit effugiendi facultas, nulla spes euadendi. *Ad ponendam* (inquit) *terram in solitudinem eius, & peccatores conterendos ex ea.* Et hoc certè manifestum est, quod terra ponetur tunc in solitudinem, siue terræ nomine mundum, siue terrenam illam ciuitatem, id est Babylonem, velis intelligere. Aliis quippe translatis ad cœlum, aliis pœnis infernalibus deputatis, remanebit terra absque habitatore, id est mundus sine homine, & sola damnata erit illa ciuitas, sine boni alicuius societate. Tunc & peccatores terræ conterentur de ea. Peccatores cœli dæmones sunt, qui mox vt inuenta est in eis iniquitas, contriti sunt de cœlo, & non est inuentus eis amplius locus in eo.

C

2. Pet. 3. 10.

Ps. 49. 3.

Matth. 25. 41.

D

Apoc. 12. 7.

Peccatores vero terræ homines sunt qui quotidie peccant, & tamen terram inhabitant, donec vltimo die datà sententiâ, à terra penitus conterantur [21] & ad inferos detrudantur. Sequitur; *quoniam stellæ cœli non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo.* In die quippe iudicij apparente Christo in gloria, sicut lucerna permodica in radiis solis nihil luminis proferre videtur, ita omnia sidera ab illo splendore absorpta, intuentibus cernentur obscura. Sed hæc, quæ breuiter super diem iudicij exposuimus, ad tempus Antichristi arbitror posse referri, vt intelligatur Propheta doctus in Spiritu, primum Apostolorum prædicatione, posteà de Ecclesiæ persecutione,

Isai. 13. 10.

E ne, [22] deinde de Gentium conuersione & pacis tranquillitate, & sic de lapsorum pœnitentia, & mortis terrore, postremo de tempore Antichristi, & retributione iustorum, & malorum [23] condemnatione oraculum texuisse. Sed quia iam hora præteriit, ad hæc indaganda tempus aliud occupemus, quo liberiùs conuenientes in vnum, aperiamus os nostrum in laudem & gloriam Domini IESV [24] CHRISTI; qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Necessitas stantibus in grad C. Cam. Necessitas *cunctos.* Et reliqua vsque ad *in grad.*
2. Quorum fuerit cor tabidum & contritum. Eia. C. Cam. Quorum *cor tabidum fuerit*, & quæ adiecimus vsque ad *Eia.*
3. Cætera vero membra. C. Cam. Cætera *autem* membra. F
4. Imminente morte. C.Cam. Imminente *iam* morte.
5. Tenebunt. Quoties memoria. C. Cam. Tenebunt. Quanto vtilius & cætera vsque ad *Quoties memoria.*
6. Sustines spirituales, per quas torsiones. C. Cam. Sustines *Spirituales* tales per quas *nimirum* torsiones.
7. Prolatam tibi C.Cam Prolatam *quasi* tibi.
8. Dolor sicut dolor parturientis. C. Cam. *Dolor sic parturientis.*
9. Flentibus Est etiam. C.Cam. Flentibus, *Infirmari*, &c. vsque ad *Est etiam.*
10. Timet, modo impellitur delectatione boni, modo retrahitur à desiderio mali. C.Cam. Timet, modo *præsumit* modo impellitur *desiderio* boni, modo retrahitur à *delectatione* mali.
11. Quamuis sit non sine dolore, gaudium tamen creat in tranquill. consc. quia cum pepererit puerum. C.Cam. Quamuis *non sit sine* dol. gaud. tamen *præparat* in tranq. conscien. quia cum *peperit* puerum. G
12. Metent. Omnes igitur. C.Cam. Metent, *& Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Omnes igitur.
13. Homine fit dictum. C.Cam. *Homine dictum.*
14. Cuilibet pessimus quilibet proximus. C.Cam. *Cuilibet, quilibet pessimus proximus.*
15. Superbis proximus. C.Cam. Superbis, *Spiritus blasphemiæ blasphemus* proximus.
16. Vitiisque sese, criminibusque. C. Cam. *Vitiis* sese criminibus.
17. Sermonum, & cogita. test. est. Qualiscunque homo. C.Cam. Sermonum *insuper* & cogit. test. est. Qualiscunque *enim* homo.
18. Illius futuræ. C.Cam. *Futura illius.*
19. Quando ita modum. C.Cam. Quando *pœna* modum.
20. Erit omnibus. C. Cam. *Omnibus erit.*
21. Et ad inferos. C.Cam. Et *in* inferos.
22. Deinde de Gentium. C.Cam. *Demum* de Gent. H
23. Condemnatione. C.Cam. *Damnatione.*
24. Christi, cum Pat. & Spir. Sancto per omnia. C.Cam. Christi, *qui* cum Pat. & Spir. Sancto *viuit*, &c. vsque ad per omnia.

SERMO DECIMVS.

E*cce dies Domini venit crudelis, & indignationis plenus, & ira furorisque.* Sicut meminit charitas vestra, hæc verba Prophetæ, licet diei vltimo conuenienter aptentur, ad tempora tamen Antichristi diximus posse referri, sicut Sanctus Isaias diuersos Ecclesiæ status non solum prænuntiasse, sed etiam ordinem, quo sibi fuerant successuri, seruasse intelligatur. Primum igitur Apostolorum prædicationem insinuans, *Super montem* (inquit) *caliginosum signum*, &c. Deinde persecutionem, qua martyres fuerant coronandi, prænuntians ait, *Ego mandaui sanctificatis meis.* Et reliqua quæ sequuntur,

A Ab eo autem loco quo ait, *Vox multitudinis in montibus*, Pacem Ecclesiæ redditam Regum, & Gentium conuersione declarat. Porro eorum, qui persecutionibus cedentes lapsi sunt, aut pacis tempore vitiis fœdati, vel perditionem, vel conuersionem describens; *A summitate* (inquit) *cæli Dominus, & vasa furoris eius*, &c. Quibus demum metum mortis incutiens adiecit, *Vlulate quia prope est dies Domini*, &c. Postremo, quoniam crescente iniquitate, totum fere hominum genus abrenuntiaturum veritati, charitatem deserturum, [1] vitiis vidit & erroribus implicandum, de illo tempore propheticum texit oraculum, quod talibus mittendus erat operator erroris, vt credant mendacio, & [2] iudicentur qui non credunt Dei Euangelio. Et ideo, vt mihi videtur, tempus illud diem Domini non inconuenienter appellat, quo impius ille quasi gladius iræ Dei, de abysso iudiciorum eius, velut de vagina procedet ad vindictam 1 Petri 2, 14 malefactorum; laudem verò bonorum.

B Matt. 13. 19. Quæ quidem dies crudelis dicitur, in qua nimirum talis erit tribulatio, qualis non fuit ex quo Gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud. Dicitur & plenus indignationis, quia vbique terrarum aduersus Sanctos timor [3] illius superbi indignabitur, cum scilicet pauperes se diuitem, humiles sublimem, infirmos [4] fortem habere contemptui, suisque viderit nolle parere imperiis, imo & decretis resistere, & contraire mandatis. Tunc erit tempus illud etiam plenum iræ furorisque, vt ira intelligatur in minis, furor in [5] tormentis. Ita enim bestiæ illius contra Christi cultores ira dæseuiet, vt in templo Dei sedens tanquam ipse sit Deus, ad sui consensum sceleris miseros mortales & minis terreat, & miraculis fallat, & cogat tormentis. Quæ omnia iusto Dei iudicio fieri permittentur, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos ex ea. Terra hoc loco Ecclesia Christi intelligitur, de qua di-

Psal. 23. 1. Exod. 3. 5. ctum est, *Domini est terra & plenitudo eius*. De qua etiam dicitur ad Moysen, *Locus in quo stas, terra sancta est*; in

C qua profecto boni cum malis, humiles cum [6] superbis, ebriosi cum sobriis, casti cum luxuriosis, ficti cum veris Christianis communiter viuunt. [7] Eo igitur tempore Dominus illius perditi pessimam voluntatem, ad suam iustissimam retorquebit seruitutem, quasi ventila-

Matth. 3. 12. bro eius vtens imperio, ad permundandam aream suam, vt vento persecutionis illius, à granis paleæ separetur, & ab area euolet, & sic terra sancta salubrem quandam solitudinem, paucis bonis in ea remanentibus, sustineat. Quamuis solitudo ista secundum eorum possit æstimationem intelligi, qui Ecclesiam Christi abiectam tunc & conculcatam, & quasi redactam in nihilum iudicabunt. Tunc certè peccatores eius conterentur ex ea. Neque enim hi, qui in Ecclesia Christi voluptatibus immunditiisque fœdantur, quos ambitio conterit, quibus paupertas oneri est, & Euangelium ludibrio, vel Antichristi promissa contempturi, vel tormenta pro Christo passuri æstimandi sunt. In quibus modo mysterium operatur iniquitatis, cum multi eorum, adhuc

D regnante Ecclesia, fidei quam publicè prædicant, occultè detrahant, in scholis quasi pro fide disputantes, in thalamis & in angulis ipsam fidem deridentes; & cum ipsi ex fidei professione & cellaria plena, & marsupia farcita, & primas salutationes, & cathedras sublimes, vel habeant, vel appetant; nihilominus tamen, cum ad epicaustoria, & calices, ad cubilia & occulta dedecora ventum fuerit, Catholicam fidem exsufflant, resurrectionem corporum impossibilitate euacuant, extremum irrident iudicium, libidinem naturæ necessitate excusant;

Psal. 52. 1. & sic vel in illam insipientis itur blasphemiam, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, vel certè in illam impij præsumptionem, quam Psalmista commemorans ait,

Psal. 9. 13. *Propter quid irritauit impius Deum, dixit enim in corde suo non requiret*. Ea propter sicut quondam à Scribis & Pharisæis, qui clauem scientiæ habebant, qui plebi legis decreta tradebant, omnis peruersitas apud Iudæos, quasi futuræ desolationis causa sumpsit exordium; ita nunc, quod dolens dico à nobis Clericis videlicet & Monachis, qui [8] videmur mundi esse luminaria, futurorum malorum origines præseminantur & causæ; de quibus dicitur, *Quoniam stellæ cæli non dabunt lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit lumine suo*. Hæc sunt, vt mihi videtur, futuræ calamitatis indicia, de quibus Dominus in Euangelio, *Erunt* Luc. 21. 25.
(inquit) *signa in Sole & Luna & Stellis*. Si quæras quæ signa, Audi Ioelem Prophetam, *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, priusquam veniat dies Domini magnus & manifestus*. Ioel. 2. 31.

Eia fratres, *fecit Deus duo magna luminaria, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti*. Gen. 1. 16.
Sunt & in sanctæ Ecclesiæ firmamento à Domino creata duo magna luminaria, Sacerdotium & Regnum, Rex & Episcopus, Princeps & Clericus. Dies spiritalia, nox significat sæcularia. Itaque luminare maius sacerdotium, vt præsit diei, id est spiritualibus; luminare minus regnum, vt præsit nocti, id est sæcularibus. Contra naturam proinde est si sol nocti, si præsit luna diei; si Prin- F
ceps ad spiritualia sacramenta conficienda se ingerat, si sacerdos sæcularium negotiorum tenebris, conscientiæ suæ serenum obnubilet. *Nemo* (enim) *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Rex Ozias, præsumptione spiritus, in sancta sanctorum more sacerdotis ingressus, leprâ percutitur; & Propheta Balaam, contra Dei voluntatem, impij Regis desiderio fauens, apertos habens prophetico lumine oculos, auaritiâ excæcatur. 2. Tim. 2. 4. 2. Par. 26. 16, & 19. Num. c. 22. 23 & 24.
O quam bene conueniebant hæc duo luminaria! quam splendidè ex hoc spiritali firmamento lucebant, quam optimè inter dies, & menses, & tempora, & annos distinguebant, Rex scilicet & Sacerdos, in suis se gradibus continentes! quando illius potestas nonnisi subditorum paci, & æquitati seruiebat; istius sapientia & doctrina ad depellendas mentium tenebras, lucemque veritatis infundendam inuigilabat. Væ nobis, qui in ista incidimus tempora infelicia, in quibus sol videtur conuersus in tenebras. In quas inquis tenebras? Nolo dicere fratres; Nolo dicere, G
ne videar ponere in cœlum os meum. Ipsi viderint. Reducant ad memoriam eos, quorum vices gerunt, quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur. Considerent quos scientiæ radios, quæ virtutum lumina, quas charitatis scintillas, quæ spiritualium correptionum fulgura, suis emittebant temporibus Gregorius, Augustinus, Ambrosius, [9] Hilarius. Et vt ad viciniora veniamus; recogitent nostri, quomodo suis eluxerint temporibus [10] Cuthbertus, Dunstanus; nonne hi sacerdotium, quasi vnum maximum solem, per vniuersum mundum luce incomparabili radiare fecerunt.

Videant modo isti, quomodo ex eorum fide resplendeant, & vtrum ipsi tantum, vel plus, vel paulo minus luceant; & sic conferant temporibus tempora, meritis merita, personis personas, & vtrum sol conuersus sit in tenebras, secundum conscientiæ suæ testimonium iudicent. Felicia tempora, in quibus tam raro malus, H
quam nunc bonus inuenitur. Iam vero de Regia potestate quid dicemus? quam lunæ comparandam æstimauimus, quæ præest nocti. Quæ quidem tunc suo lumine resplendebat, quando ad noctis huius, iniquitatis scilicet, & iniustitiæ tenebras depellendas, Reges, & Principes, & bonis erant consolationi, & malis terrori; patres orphanorum, & iudices viduarum; defensores Ecclesiarum, & propulsores iniuriarum; superiores potestate, sed humilitate inferiores: prodesse magis, quam præesse cupientes. Talis fuit Constantinus, talis ille primus Theodosius, & alij multi. Tunc autem luna conuertetur in sanguinem, cum manus Principum plenæ sanguine fuerint, exactionibus & vectigalibus effundentes [11] viscera misericordiæ, iustificantes impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferentes ab eo; sic populo quasi prædâ abutentes; [12] tyranni non Reges, destructores pauperum non consultores præferentes; iusta & iniusta, licita & illicita confundentes, & commiscentes; non ius & æquum sed suum

libidinem

A libidinem sequentes & stomachum. *Et stella* (inquit) *cadent de cælo*. Per stellas [13] quæ nunc dicuntur præesse nocti, cum eam tamen & ipsæ illuminent, eos qui sæculo abrenunciantes, cogitatione & auiditate in ipsis superiois minsioolbus conuersantur, intelligendos esse existimo. Qui tunc verè mundi erant luminaria, quando vita, moribus, dilectione, contemplatione, mundo vniuerso superiores effecti, omnia terrena & temporalia contemnebant, & diuitias & honores reputantes vt stercora, corpore casti, mente purissimi, in illatis [14] contumelijs immoti; in humilitate & obedientiâ superioribus subditi, paruissimo ac vilissimo cibo contenti, ad iram tardi, ad præstandum prompti, ad accipiendum verecundi, nunquam quæ sua sunt quærentes; sed quæ IESV CHRISTI.

Quid dicam fratres charissimi? Quid dicam! Quid sumus? Vbi sumus? Nunquid in cœlo? Nunquid ibi, vbi quondam Antonius, Macarius, [15] Hilarion?
B Nunquid non potius de cœlo in terram cecidimus, qui nihil fere præter terram sapimus, terram amantes, terram cogitantes, de terra loquentes, contentiosi, [16] querulosi, inuicem mordentes & comedentes, inuicem inuidentes, & detrahentes alterutrum. Quæ nundinæ sine monachis? Quod forum? Quæ concilia? Taceo multos ita absorptos à terra, vt eorum gulæ nec terra, nec mare sufficiat, vt nihil perhorrescant quod [17] libeat, vt miseros quibus dominantur, quasi exactores Pharaonis vexent, & crucient, crudelius quam quilibet sæculares pecuniam extorqueant, vt sanguine pauperum incrassati, impinguati, dilatati, vsque ad sacrorum quoque venditionem emptionemque prorumpant. Sanctus quoque Propheta cum de tempore Antichristi præmisisset, *Ecce dies Domini veniet crudelis*, &c. mox causam cur ab eo vel decipi, vel [18] opprimi viderentur, subiunxit dicens, *Quoniam stella cæli non dabunt lumen suum*. Quod quæso lumen expandent homines tenebrosi, de stellis mutati in carbones, de cœ-
C lo in sterquilinium proruentes? *Obtenebratus est Sol in ortu suo*. Eia fratres multi initio Sacerdotij sui lucent, quorum scilicet & vita integra est, & intentio recta, & electio sana, qui tamen postea morum mutatione obtenebrescunt. At instante tempore Antichristi, ita mortalium mentibus dominabitur auaritia & ambitio, vt etiam ipsa promotionis initia, quasi ortus solis tenebris plena sint; quæ nimirum & vita pessima præcedet, & peruersa intentio, & turpis ingressio succedet. Itaque obtenebrabitur sol in ortu suo, & Luna non splendebit lumine suo, quoniam sicut prædiximus, sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, vt sequatur dies Domini magnus & [19] manifestus. Si quis autem per stellas illius temporis perfectos velit intelligi, qui tunc tenebris persecutionis vel deceptionis omnia occupantibus, non expandent lumen suum scilicet scientiæ vel miraculorum, non eius improbandus est sensus, si ei conueniant quæ sequuntur. Si vero nomine solis conuenienter possit intelligi Antichristus, propter satanam,
D 2.Cor. 11.14. qui se transfigurat in Angelum lucis, manifestum erit quod ait Propheta, *Obtenebratus est sol in ortu suo*, quia mox vt oriri cœpit eius imperium, & superbiâ exsiccabitur; & erroribus obtenebrabitur; & fumo malitiæ, & concupiscentiæ inuoluetur. Tunc & *Luna* id est Ecclesia, *non splendebit lumine suo, quia* ab omni potestate ter-
Dan.7. 25. renâ deiecta, *conculcabitur à Gentibus per tempus & tempora, & dimidium temporis*.

Sequitur. *Et visitabo super vrbes mala*. Per vrbes conuenticula, quæ diuersis locis sub diuersa regula, diuersis moribus, in vna tamen fide Catholica viuunt accipienda existimo. Sicut enim multi ciues in eadem vrbe sub vna lege conueniunt, ita hi, qui sub vno ordine in vnam coëunt societatem, quasi vnam ciuitatem efficiunt. Circa [20] illud tempus in huiusmodi conuenientibus tanta erit corruptio, vt non ad colendum Deum, sed ad sua tantum desideria, concupiscentiasque explendas videantur vniti, de quibus Beatus
1.Tim. 3.1. Apostolus, *Instabunt in nouissimis diebus tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. Et multi
E tales hodie sunt, qui in habitu, Psalmis canendis, in tonsura, speciem pietatis præferunt; ipsius autem virtutem, quæ est in charitate, & castitate, & humilitate, * in contemptu voluptatum, non habent. Super huiusmodi itaque vrbes visitabit Dominus mala, à peccatoribus exigens vltionem, & eorum denudans turpitudinem, vt vel persecutionibus attriti corrigantur, vel de flagitiis ad infidelitatem prorumpentes, cum Babylone æternis suppliciis manifesto Dei iudicio conterantur. Video vos adhuc ad plura audienda auidos, sed [21] parcite iam prolixo sermone fatigato orantes vt ad ea, quæ sequuntur indaganda, inueniamur idonei per IESVM CHRISTVM [22] cui honor & gloria Amen.

* Lege & in.

VARIÆ LECTIONES. F

1. Vitijs vidit. C. Cam. Vitiis *etiam* vidit.
2. Iudicentur, qui. C. Cam. Iudicentur *omnes* qui.
3. Illius superbi. C. Cam. *Superbi illius*.
4. Fortem habere. C. Cam. Fortem, *gloriosum abiectos* habere.
5. Tormentis. Quæ omnia. C. Cam. Tormentis. *Ita enim*. Et quæ sequuntur vsque ad. *Quæ omnia*.
6. Superbis filii. C. Cam Superbis, *ebriosi* & reliqua vsque *ad filii*.
7. Eo sunt quondã. C. Cam. *Eo igitur tempore*, cum his quæ sequuntur vsque ad *E apropter sunt quondã*.
8. Videmur esse mundi. C. Cam. Videmur *mundi esse*.
9. Hilarius. Et vt ad C. Cam. Hilarius, *Martinus, & mille alij*, Et vt ad.
10. Cutbertus. Dunstanus. Nonne hi. C. Cam. Cutbertus; *VVilfridus*, Dunstanus, *Ioannes & centum alij*. Nonne *omnes* hi.
11. Viscera misericordiæ, iustificantes. C. Cam. Viscera *miserorum*, iustificantes. G
12. Tyranni, non. C. Cam. *Tyrannos* non.
13. Quæ nunc dicuntur. C. Cam. Quæ *non* dicuntur.
14. Contumelijs immoti C. Cam. Contumeliis *& iniurijs* immoti.
15. Hilarion? Nunquid. C. Cam Hilarion, *& multi alij*? Nunquid
16. Querulosi, inuicem inuidentes, & alterutrum detrahentes. Quæ. C. Cam. Querulosi, *murmurosi, inuicem mordentes & comedentes*, inuicem inuidentes, & *detrahentes alterutrum*. Quæ.
17. Libeat Sanctus quoque Propheta. C. Cam Libeat, *vt miseros* & quæ sequuntur vsque ad, Sanctus *itaque* Propheta.
18. Opprimi videbuntur, subiunxit dicens. Quoniam stellæ cœli non dabunt lumen. C. Cam. Opprimi *merebuntur subiungis dicens*. Quoniam stellæ cœli non *expandent* lumen.
19. Manifestus. Sequitur. Et visitabo super vrbes. C. Cam. Manifestus. *Si quis autem*, & quæ suppleuimus vsque ad. *Sequitur. Et visitabo* per *vrbes*. H
20. Illud tempus. C. Cam. Illud *itaque* tempus.
21. Parcite iam prolixo sermone, C. Cam. Parcite *mihi prolixo iam sermone*
22. Cui honor & gloria Amen. C. Cam. Cui *est* honor & gloria *in sæcula sæculorum*. Amen.

SERMO VNDECIMVS.

Fateor fratres charissimi, quia secus quam putaueram accidit mihi. Videbatur enim mihi paucis sermonibus onerum istorum, de quibus nobis sermo est, mysteria & sacramenta posse absolui, [1] cum hoc primò, quod adhuc habemus in manibus, pluribus iam nos diebus tenuerit, maximamque nobis Sacramentorum abyssum, quasi de nouo iam incipiat aperire dicente Domino per Prophetam, *Et visitabo super vrbes mala, & [2] contra impios iniquitates eorum. Et requiescere faciam superbiam*

A *infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* Sed quoniam hæc, si ea, quæ iam in aliis sermonibus diximus, reuoluamus, satis manifesta sunt, breui ea epilogo transeamus. Tempore igitur Antichristi visitabit Dominus super vrbes mala, eorum scilicet, qui speciem pietatis sub hypocrisi detinent, conuenticula dissipando visitabit, & contra impios iniquitatem eorum, illos, qui manifestè mali fuerint inuenti, vel tormentis vel erroribus puniendo. Quiescere etiam faciet superbiam infidelium, potentes sæculi, quos fides Christiana vulnerat, deprimendo; humiliabit & arrogantiam fortium, eos, qui in virtutibus suis gloriantur, tentationibus & persecutionibus supprimendo. Sunt enim quidam, qui propter religionis habitum, & communis vitæ societatem, in manifesto quasi boni sunt, pessimi in occulto; quos vrbium nomine significatos accipimus. Sunt alij [3] qui in facie hominum videri pessimi non erubescunt, quos iniquos, & impios à Propheta vocatos arbitramur. Sunt & mul-
B ti a fide Christiana alieni, ipsam fidem superbè irridentes, quos infideles [4] nominandos esse censemus. Sunt & alij non solum fideles, sed etiam virtutibus studentes, quia tamen confidunt in virtute suâ, & in se, non in Domino gloriantur, eos arrogantes non immeritò appellamus; quos omnes vel in die iudicij penitus conterendos, vel tempore Antichristi prodendos cœleste oraculum declarauit.

Isa. 13. 12. Sequitur. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Vir à virtute nomen accepit, itaque rationem virtutum Propheta commendans, [5] *pretiosior erit*, inquit, *vir auro.* Omnia rara pretiosa sunt, merces autem vltroneæ putent. Quoniam autem erit rarus illo tempore, qui virtutibus studeat, qui virilia, id est, fortia agat; rarus, qui acerbam mortem, vitæ huius illecebris, præferat; rarus, qui malit pro Christo à mundo contemni, & à carnificibus torqueri, quam mundi huius iucunditate perfrui: profecto pretiosior erit vir auro, id est, rarior, & [6] homo scilicet, qui secundum rationem, non
C secundum sensum more bestiæ viuat, mundo obrizo. Possunt & per aurum, vel mundum obrizum perfecti,
Sap. 3. 6. Psal. 44. 10. qui in Ecclesia fuerunt primitiua, non [7] inconuenienter signari, quos tanquam aurum in fornace probatos, & examinatos, in vestitu illo deaurato, in quo astitit Regina à dextris Christi, decentissime nouimus collocatos. Qui vero in illa vltima persecutione inuentus fuerit vir, nec tormentis cedens, nec promissis consentiens, nec signis & prodigiis credens, sicut aurum inter cætera metalla pretio ac decore præcellit, sic profecto ille, inter cæteros Sanctos, speciali quadam prærogatiuâ splendescet. Sane quod ait, *Homo mundo obrizo.* Repetitio est; quem prius virum, postea hominem; & quod prius aurum, hoc postmodum obrizum appel-
Isai. 13. 13. lans, Et addidit. *Propter hoc cælum turbabo, & mouebitur terra de loco suo.* Cœlum illius temporis Ecclesia, vel in ipsa Ecclesia perfecti quique dicuntur, quos nimirum eo tempore dicit esse turbandos, cernentes impios, & iniquos aduersus Sanctos [8] triplici zelo certantes,
D promissis vt alliciant, miraculis vt fallant, tormentis vt frangant. Quis, rogo, tam poterit esse perfectus, vt possit non in tanta tentatione turbari, quando sur-
Matth. 24. 24. gent Pseudo-Apostoli, & Pseudo-Prophetæ, & dabunt signa & prodigia, *ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

Et mouebitur terra de loco suo. Quæ terra? Illa [9] fortassis terræ portio, quæ, quoniam affectu terræ inhæret, terra nuncupatur; cuius profecto locus nunc vel fide vel ipsa Ecclesia est; à quo vel tormenta declinans, vel ad prodigia, vel blanditiis acquiescens, mouebitur, aut fidem ipsam deserendo, aut ab Ecclesia recedendo, aut alicubi interim, donec transeat iniquitas, delitescendo. Multi enim decepti signis mendacibus fidem deserent, multi victi suppliciis ab Ecclesia [10] recedent, multi se subtrahentes periculo, & in abdita quæque loca sese recipient. Qui omnes in eorum comparatione, qui, omnibus periculis viriliter obuiantes, cœli dicti sunt, terra non inconuenienter appellantur. Verum quia tanta erit paucitas Doctorum, tanta etiam ipsorum, qui tunc erunt, adductio, vt nec dispersos colligere, nec lapsos erigere, nec corrigere delinquentes, nec pusillanimes consolari sufficiant, protinus subdit. *Et erit quasi damula fugiens, & quasi ouis, & non erit qui congreget.* De terra loquitur, quæ *erit quasi damula fugiens, & quasi ouis.* Damula pauidum animal est, ouis simplex. Mouebitur itaque terra de loco suo, fugiet à perfectorum consortio, vel propter persecutionis pauorem perterrita, vel propter miracula propria simplicitate decepta. Ait ergo. *Et erit sicut damula fugiens* [11] *& sicut ouis.* Sicut enim damula canes latrantes, venatores insequentes trepida fugit, & pauida; sic profecto multi, qui tunc corde pauido bella Domini præliari non poterunt, instantia pericula declinabunt, aut cedendo loco, aut persecutoribus consentiendo. Sicut etiam oues, irruentibus in gregem bestiis, fugatis [12] percussisque pastoribus, huc illucque dispersæ fugiunt; ita
F simplices quique in Ecclesia, expulsis doctoribus vel occisis, per deuia errorum vagabundi ferentur, non existente qui manum opponat, qui dispersos congreget, vel reducat errantes.

Sequitur. *Vnusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient.* Eia [13] fratres duo populi sunt, & duæ gentes, & duo regna, bonorum scilicet & malorum, sapientium & insipientium, electorum & reproborum. Hoc autem tempore, quo omnia commixta sunt & confusa, quis cuius gentis, & populi sit, deprehendi non potest, cum multi, specie tenus boni, sint in latebris conscientiæ pessimi; [14] multi qui fidem, quia aliud non audent, verbotenus laudent, quam perditis moribus impugnant. At cum tempus ventilationis aduenerit, vnusquisque ad populum suum conuertetur, palea ad paleam, granum ad granum, bonus ad bonum, pessimus ad [15] pessimum. Reuelabuntur enim tunc ex multis cordibus cogitationes, quando qui nunc hœdi sunt, hœdis sociati, apparebit quid fuerint:
G & qui nunc oues sunt, ouium tunc consortio inserentur. Sicut enim hodie, cum Euangelium legeretur, audistis.
Cum venerit filius hominis in sede maiestatis sua, & omnes Angeli eius cum eo, congregabuntur ad eum omnes gentes, & separabit eos ad inuicem. Matth. 25. 31. Tunc vnusquisque ad populum suum conuertetur. Est quippe quasi vnus populus eorum, qui sessuri sunt, & iudicaturi cum Domino, alius Angelorum obsequentium Domino, alius ouium remunerandus à Domino, alius hœdorum auditurus à Domino, *Discedite à me* [16] *maledicti.* Matth. 25. 41. Hæc tempore Antichristi incipient fieri, quando hi, qui infirmi sunt, apparebunt infirmi: qui pessimi sunt, inuenientur & pessimi: qui fortes in fide, vel in bono opere constantes, emergente persecutione ostendent se esse perfectos, *Et singuli ad terram suam* [17] *fugient.* Aliis verbis, vt mihi videtur, eadem est repetita sententia. Quod enim prius dixerat, *Vnusquisque* hoc postmodum, *Singuli* repetendo subiunxit; & quos per *Populum*, eos per *Terram* significat, & quod prius per *Conuersionem* postmodum
H per *Fugam* appellat. Sin aliquis subtiliter hæc indaganda contenderit, geramus morem, dicamusque esse terram viuentium, & terram morientium, terram sanctorum, & terram impiorum. Terra viuentium paradisus, terra morientium mundus, terra sanctorum Ecclesia, Terra impiorum Babylonia. *Credo* (inquit Propheta) *videre bona Domini in terra viuentium*; Psal. 26. 13. in paradiso enim nemo moritur; vbi vita in veritate est, veritas in æternitate. Mundus autem iste, in quo nihil stabile, nihil æternum est, vbi ipsa vita hominum vmbra mortis est, terra morientium conuenientissime appellatur. At Ecclesia Christi terra sanctorum est; de qua dicit scriptura, *Misereatur impio, & non discet facere iustitiam; in terra sanctorum iniqua gessit.* Isai. 26. 10. Meritò terra Sanctorum Ecclesia, extra quam in hac vitâ nullus sanctitas, nulla iustitia, nulla sanctificatio. Potest etiam caro [18] Sanctorum dici terra sanctorum, de qua dicitur. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. 5. 4.

Similiter

A Similiter ciuitas illa confusionis [19] terra potest dici impiorum; nihilominus tamen caro eorum, terra est eorum; Itaque mysterium iniquitatis, quod nunc regnante Ecclesia, à tenebrosis multorum cordium antris interim non audet procedere; cum cœperit ipsa Ecclesia persecutionibus conteri, audacter prorumpet, & qui nunc delitescunt in ea, manifeste fugient ab ea, singuli ad terram suam, errorum suorum sibi socios coniungentes. Quò enim fugient qui de terra sanctorum fugient, nisi ad terram impiorum, quæ est ciuitas Babylon, ciuitas confusionis: vbi diuersa sunt dogmata diuersique errores, aliis carnis voluptatem, aliis mundi honores, aliis diuitias & [21] delicias pro summo bono sectantibus. Itaque luxuriosorum terra est carnis voluptas, ambitiosorum honorum [22] cupiditas, eorum qui vagi sunt, & instabiles propria voluptas. Ecclesiam proinde deserentes, & tribulationes, quas tunc passura est, abhorrentes, ad ciuitatem se conferent perditionis, singulis ad suam terram fugientibus, id est, pro libitu suo
B carne sua [23] vtentibus. Verum quia Antichristus regnum suscipiens, Babylonicis multos inueniet erroribus implicatos, multos etiam à societate Sanctorum se separantes, quasi superuenientes suscipiet, rectè subiungitur, *Omnis qui inuentus fuerit occidetur, & omnis qui superuenerit cadet in* [24] *gladio.* Quicunque enim reproborum ab Antichristo fuerit in ciuitate confusionis inuentus occidetur, id est eius erroribus & doctrinâ pessima implicabitur; & qui superuenerit, id est ad ipsum de Ecclesia confugerit, à fide, quam tenere videbitur, gladio oris percussus corruet. Et quoniam multis ex his infantes, domus vxoresque non deerunt, *Infantes* (inquit) *eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus illorum, & vxores eorum violabuntur.* Eia fratres mei non solum imperitum vulgus illius erroribus implicabuntur, sed etiam plures, quibus Ecclesiarum regendarum cura commissa est, illi impiissimo manus [25] dabunt. Quorum infantes dici possunt simplices,
C quos Ecclesiasticis Sacramentis imbuerunt; domus Ecclesiæ, quibus præfuerunt; vxores Prophetica Euangelicaque doctrina, ex qua in fide Christi filios genuerunt. Sed ipsis tunc à vera fide ad errorem conuersis, infantes eorum allidentur in oculis eorum, id est ipsis consentientibus simplices quique, suadentibus Antichristi discipulis, & Domini nostri doctrinam & fidem, quasi vilem & abiectam irridentibus, offendent in lapidem offensionis, & petram scandali sicut scriptum est;
Matth. 21.44. *Qui deciderit super lapidem istum, conteretur.* Cadent quippe tunc multi super lapidem istum, & conterentur: quando à fide Christi corruentes, in Christo scandalizabuntur. Et sic diripientur domus eorum, quando multi de Ecclesiis, quibus præerant, abducentur. Violabuntur & vxores illorum, quando doctrina Christiana, quæ eatenus simplex erat & pura, perditi illius fœdis erroribus maculabitur. Et quasi quæreres à quibus fierent ista, subiecit Dominus loquens in Isaia,
Isa. 13. 17. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec*
D *aurum velint, sed sagittis paruulos interficiant, & lactentibus vteri non misereantur, & super filios non parcat oculus eorum.* Per [26] Medos contrarios spiritus, vel Antichristi præcones arbitror designatos. Manifestum quippe est, quod deceptoriæ potestates non mundi huius [27] diuitias quærant, non pretiosorum metallorum aggeres appetant, vtpote quæ ad animas tantùm diripiendas, interficiendasque inuigilant.

Potest & per auri argentique contemptum, Antichristianorum discipulorum hypocrisis figurari qui ad omnia simulanda ac dissimulanda callidi, reputabunt aurum lutum, vilissimam autem testam argentum, ad hoc solum animum dantes, vt sagittis paruulos interficiant. Habent [28] enim verborum dialecticorum sagittas, argumentorum versutias, quibus paruulos quosque, simplices scilicet, quibus desunt sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, à recta fide auertant.
Ps. 119. 4. *Et lactentibus* (inquit) *vteri non misereantur.* Lactentes vteri sunt [29] fideles in matris Ecclesiæ vtero procreati, quibus adhuc lacte opus est, non solido cibo; quorum
E teneritudinis nec falsi doctores miserentur, nec [30] dæmones; potiùs à maternæ charitatis lacte [31] abstractos, errorum veneno & potant, & [32] necant. Nec mirum, cum super filios suos, quos videlicet in erroribus genuerunt, non parcat oculus eorum, cum eos semper de malis in peiora deiiciant, de vitiis minoribus ad maiora compellant, de sceleribus trahant ad scelera, donec in profundum malorum ruentes, etiam ad ipsius diuinitatis contemptum prorumpant. Sane quod à Domino suscitandi perhibentur, iusta Dei permissio ex districtissimo eius iudicio comprobatur; sicut scriptum est, *Dabo tibi Regem in furore meo.* Vnde & [33] Medi Oseæ 13. 11.
conuenienter à quodam *Medai* nomen accipiunt, quod interpretatur à potente, vel forti, vel mensura, quoniam à potente vel forti Deo, iusto iudicio [34] contra fortitudines, vel pessimi quique homines deputantur; vt sicut bonis per bonos Angelos, secundum bona
F opera retribuit, ita & per malos malis reddat secundum opera sua. Vnde [35] certa impiis mensura præfigitur, quam vel ad tentandos bonos, vel puniendos malos excedere non sinuntur. Vel ideo Medi interpretantur Matth. 7.
mensura, quia secundum mensuram culpæ mensura pœnæ [36] extenditur, sicut in ea mensura nobis metietur boni remuneratio, in qua à nobis bonorum operum fructus metiuntur. Sane omnium horum, quæ de Medis suscitandis dicta sunt, in bonam partem potest expositio deduci, qua quia mihi fas non est vestram defraudare auiditatem, breuiter ipsa verba prophetica explanando repetenda sunt. Sed hoc alterius sermonis exordio commodius reseruabitur, vt interim ea, quæ dicta sunt, sedulà meditatione animis vestris arctiùs imprimantur, & ad pertimescenda diuina iudicia silentij interpolatione præparentur, per [37] Dominum nostrum IESVM CHRISTVM Amen.

VARIÆ LECTIONES.

G
1. Cum maximam nobis. C Cam. Cum *hoc primum* & quæ sequuntur vsque ad *maximamque nobis.*
2. Contra iniquos. C. Cam. Contra *impios.*
3. Qui in facie, C Cam. Qui *etiam* in facie.
4. Nominandos esse censemus C. Cam. *Nominandos censemus.*
5. Pretiosior erit, inquit. C. Cam. Pretiosior *inquit erit.*
6. Homo scilicet qui secundum rat. C. Cam. Homo *qui videlicet* secundum rat.
7. Inconuenienter signari. C. Cam. Inconuenienter *intelligi.*
8. Triplici telo certantes. C. Cam. Triplici *zelo* certan.
9. Fortassis terræ portio. C. Cam. Fortassis *Ecclesia* portio.
10. Recedent, & in abdita. C. Cam. Recedant, *multi se subtrahentes periculo* in abdita.
11. Et sicut ouis. C. Cam Et *quasi* ouis.
12. Percussisque pastoribus. C. Cam. *Percussisve* pastoribus. H
13. Fratres, duo. C. Cam Fratres *charissimi* duo.
14. Multi qui fidem C. Cam. Multi *vt hesterna die diximus*, qui fidem.
15. Pessimum. Tunc. C. Cam. Pessimum *Reuelabuntur enim.* Et reliqua vsque ad. *Tunc.*
16. Maledicti. Et singuli ad C. Cam Maledicti. *Hac tempore*, &c. ad Et singuli *inquit* ad.
17. Fugient. Si aliquis subtiliter hæc indaganda contenderit; geramus morem. C. Cam. Fugient *Aliis verbis*, & quæ sequuntur vsque ad. Si *tamen* aliquis *subtilius* hæc indaganda contenderit, geramus *ei* morem.
18. Sanctorum dici terra. C. Cam. Sanctorum *terra dici.*
19. Terra potest dici. C. Cam. Terra *possit* dici.
20. Eorum; quo enim fugient C. Cam. Eorum. *Itaque mysterium*, & quæ adiecimus vsque ad Quo *autem* fugient.

A 21. Delicias pro. C.Cam. Delicias, *aliis propria voluntatis libertatem*, pro.

22. Cupiditas, eorum qui vagi sunt & instabiles propria. C. Cam. Cupiditas, *auarorum diuitia, eorum qui vagi & instabiles sunt propria.*

23. Vtentibus. Sequitur. Omnis qui. C.Cam. Vtentibus, *Verum quia* & quæ inseruimus vsque ad, *Omnes qui.*

24. Gladio, Eia fratres. C. Cam. Gladio. *Quicunque enim*, &c. vsque ad *Eia Fratres.*

25. Dabunt Et quasi quærens à quibus fient ista. C. Cam. Dabunt. *Quorum infantes* & quæ adiecimus vsque ad, Et quasi *quæreres*, à quibus.

26. Medos contrarios. C.Cam. Medos *vel* contrarior.

27. Diuitias quærant C.Cam. *Quærant diuitias.*

28. Enim verborum dial. sagit. arg. versutias. C. Cam. Enim *sagittas verborum dialecticorum, versutias argumentorum.*

B 29. Fideles in matris. C.Cam. Fideles *nouiter* in matris.

30. Dæmones; potius. C.Cam. Dæmones; *quos* potius.

31. Abstractos errorum. C.Cam. Abstractos, *scilicet* errorum.

32. Necant. Sane quod. C.Cam. Necant. *Hac mirum.* Et quæ sequuntur vsque ad *Sane quod.*

33. Medi conuenienter. C Cam. *Conuenienter Medi.*

34. Contra fortitudines. C. Cam. *Contraria* Fortitudines.

35. Certa mensura impiis. C. Cam. Certa *impiis mensura.*

36. Extenditur. Sane omnium. C. Cam. Extenditur, *sicut in ea.* Et quod Sequitur vsque ad *Sane omnium.*

37. Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Amen. C Cam. Dominum. *Saluatorem* nostrum. Amen.

SERMO DVODECIMVS.

C DOminus ac saluator noster in cœlum ascendens, & corporali suæ præsentiæ modum faciens; spiritalem nobis non temporalem, sed æternam promisit dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* (Matth. 28 20.) Nemo igitur existimet tempore Antichristi Dominum suam suis subtracturum præsentiam, quibus tantam tunc temporis est largiturus virtutem, vt non solum omnia eius calliditatis argumenta contemnant, irrideantque tormenta, immo etiam obuiam bestiæ, fide armati, audacter procedant, & multos quos ipse erroribus blandimentisque seduxerit, ab omni prauitate retractos, catholicæ veritati restituant. Ait ergo *Ecce ego suscitabo super eos Medos, &c.* (Isa. 13. 17.) Medi possunt perfecti illius temporis doctores appellari, qui à potente Christo potentes, à forti fortes effecti, mensuram tritici, id est, Doctrinæ Spiritualis, conseruis suis, inexpertâ hactenus tentatione laborantibus, erogare non desistent. (Luc. 12. 24.) Qui semper Babylonios, id est pseudo-Christianos & pseudo-Prophetas à Domino suscitati, oblatam D sibi omnem rerum temporalium copiam, quæ per auri argentive pretium figuratur, [1] contemnent; vel certe sapientiæ, eloquentiæque sæcularis nitorem, in quibus peruersi dogmatis magistri gloriantur, nec sibi petent, nec in aliis expauescent: quorum summa cura erit & studium animarum curare vulnera, & parare Domino plebem [2] perfectam. (Luc. 1. 17.) Procedent igitur contra labia dolosa, & linguam magniloquam, armati sagittis acutis, quibus impiorum paruulos interficiant, secundum quod dictum est Petro, *Occide & manduca.* (Act. 10. 13.) Dabunt quippe operam tum perfecti, vt recenter seducti quasi paruuli, ex testimoniis scripturarum, velut sagittis compunctionis saluberrimæ vulnerentur, quatenus ab eo quo fuerant occisi, vitam fidei, quam amiserant, recipere mereantur. Porro lactentes vteri illi dicendi sunt, quos vt arctiùs teneant & alliciant blandiùs, nihil illis austerum, nihilve durum proponent, sed blanda quædam ac voluptuosa, quasi salutaria suggerent, lactis eos suauitate, non vini austeritate potantes. Horum profecto

E non miserebuntur, vt magis misereantur; quicquid illis poterit esse terrori, quicquid timorem incutere, quicquid salubrem infundere dolorem, tantò vehementiùs ingerentes, quantò eorum salutem affectuosius æmulantur: qui profecto nec propriis filiis, id est, qui eorum curæ commissi fuerint, parcent visitantes in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum. (Ps. 88. 33.) Eia fratres, vt ad nos ipsos redeamus, in omni bono opere tria obseruanda sunt, virtus discretionis, puritas intentionis, fundamentum humilitatis. Discretio spectat ad modum actionis, intentio ad causam, humilitas ad fructum. *Si rectè offeras*, ait Dominus, *rectè autem non diuidas peccasti.* (Gen. 4. 7.) Rectè offert, qui bonum agit; sed non rectè diuidit, si modum in agendo excedit. Sed si iam bona operaris, & bene, inspice cuius rei causa, qua intentione, [3] quo fine. Sed si vt videaris ab hominibus; vt aliquid commodi temporalis acquiras, si vt liberiùs tuis seruias voluptatibus, fermentum hoc modicum totam operis tui massam corrumpit. F Quod si opus rectum ac discretum recta præcedat intentio, caue ne serpens ille tortuosus caput erigat, superbiam dico, quæ cum vbique & in omnibus, tunc maximè in bonis operibus cauenda est.

Quid enim prodest si terra optimè culta fuerit, si semel sparsum sapienter, si competentibus pluuiis irrigatum, si se dilatauerit culmus, si spina ferax processerit, si congruâ solis temperie maturescens, iam in se auidum cœperit prouocare messorem, & mox quasi de manibus omnia subita tempestas demergat? Sic profecto, si laboras, si ieiunas, si [4] vigilas, si bonis operibus misericordiæ insistis, omnium horum fructus sola euacuat superbia, sola consumit elatio. Vnde nihil magis timendum est, quam ne propter superbiam a Domino deseramur, & veniat nobis dies Domini crudelis, & indignatione plenus, & iræ furorisque. (Ps 80. 13.) Sentiat quisque vt volet ego nihil crudelius cuiquam arbitror posse contingere, quam vt derelictus a Domino, dimittatur secundum desideria cordis sui, & eat in adinuentionibus suis. G Quæ profecto crudelitas ex Dei indignatione procedit, qui contra eos maximè, qui de bonis operibus in se gloriantur euigilat, ingratitudinem præ cæteris vitiis odiens, & detestans. O detestanda superbia, ingratitudinis mater, virtutum tinea, parens vitiorum! Tu aduersus miseros mortales crudelitatem prouocas iudicis, indignationem excitas, iram acuis, accendis furorem. Ideo dies illa, qua ob superbiæ meritum homo a Deo deseritur dies profecto crudelis est, plenus [5] indignationis atque furoris. *Ad ponendam* (inquit) *terram in solitudinem*, deserente quippe Deo cor superbum, quasi terram reprobam, & maledicto proximam, quod prius videbatur terra bona & fertilis redigetur profecto in solitudinem, spinas & tribulos germinans peccatorum, solis vitiorum hostiis patens. *Et peccatores eius conterendos ex ea.* Videat charitas vestra, fratres charissimi Regnante in pectore nostro verâ humilitate, semper ad subtiliter examinanda etiam bona, quæ facimus, prouocamur.

H At superbia omnia, quæ humilitatis sunt, depascente, cogitationes, quibus ex commissorum memoria solebamus compungi, à cordis nostri extruduntur sinu, & hoc est de terra peccatores conteri, dilectorum recordationem elatione subintroeunte, deleri. Porro per lunam fidem, per solem castitatem, per stellas cæteras virtutes intellige; quæ omnia, si superbiæ fuerint tenebris obuoluta, nihil luminis, nihil gratiæ, nihil quod Deo placeat, nihil quod expediat proferent, sed totam animæ substantiam impietatis, & infidelitatis horrore suffundent. Vnde necesse est, vt super huiusmodi corda, quasi super vrbes contrarias sub muro obstinationis clausas, turribus elationis munitas, visitet Dominus mala quæ faciunt, vlciscens in omnes adinuentiones eorum, & visitans in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Superbi quippe, & infideles dicuntur & impii non tam in hominem, quam in ipsum Deum sæuientes. Videte quam pestiferum malum, quod

à

A à diuinitatis cœpit iniuria, quod de Angelo Diabolum fecit, quod [6] hominem expulit de Paradiso, dum ille diuinæ potentiæ, iste scientiæ æqualitatem affectat, [7] Itaque *quicunque putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Et quicunque putat scire se aliquid, nondum intelligit quomodo oporteat eum scire.* Vtinam quicunque tales sunt, visitet eos Dominus in [8] virga correptionis suæ, quiescere faciens superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humilians. Expedit itaque superbis, vt ait quidam sanctus, vt in aliquod manifestum peccatum incidant, vt humilientur, fiatque illud, quod scriptum est. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Spiritus nempe hominis propriè [9] spiritus superbiæ est; quo ablato ad puluerem suum, id est, ad propriæ fragilitatis cognitionem reuertitur, vt emittatur ei *spiritus Dei, qui non requiescit, nisi super humilem, & quietum trementē sermones eius;* & ita recreetur, & renouetur, proficiatque in virum perfectum, & in hominem rationi per omnia consentientem, & [10] sic fit quod hic scriptum est. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Quod vt fiat, oportet vt cœlum id est spiritus, ex Dei timore turbetur, & terra, id est, corpus, de loco suo moueatur, pessimæ scilicet consuetudini suæ, desiderijsque renuntians.

Gal. 6. 3. 1. Cor. 8. 2.

Ps. 103. 29.

B

Eia fratres mei, sicut plures experti estis, etiam turbato Spiritu difficilè à malæ consuetudinis loco receditur, difficilè vsus dediscitur, difficile cutis ossibus, carnique inhærens deponitur. Sed tamen insit ei ex timore humilitas, pauor ex humilitate, & erit sicut damula fugiens, & sicut ouis. Omni animæ, fratres mei, à pessimæ consuetudinis suæ loco recedere cupienti, duo quædam necessaria sunt; vt videlicet sicut damula insequentes, ita illa timens, materias fugiat peccatorum; & sicut ouis simplicitatis exemplar, nec tondenti irascitur, nec resistit mactanti, ita illa se simpliciter subdat corripienti, simpliciter sustineat obiurgantem.

C Et ità destructâ vrbe superbiæ, lapidibusque vitiorum, de quibus fuerat ædificata, dispersis, cum fuerit anima vera humilitate fundata, non erit qui eos vlteriùs congreget, & suscitet ruinas vrbis. Tunc vnusquisque ad populum suum reuertetur, & singuli ad terram suam fugient. Cum [11] omnes nequam omnium sint amatores, incentoresque vitiorum, alius tamen propriè, propter turpiorem circa libidinum sordes affectum, dicitur Spiritus fornicationis; alius pro eo, quod se plus in humanæ mentis elatione delectet, Spiritus superbiæ; alius, quod frequentiùs suggerat auaritiam, Spiritus [12] auaritiæ; alius, quod iras & contentiones plùs aliis diligat, Spiritus discordiæ; alius qui hæresibus, diuersisque mortalium erroribus pectora libentiùs tentet, Spiritus blasphemiæ nuncupatur. Hæc cum fuerint per Dei gratiam à corde pœnitentis expulsa, conuertetur vnusquisque ad populum suum; Spiritus fornicationis ad [13] immundos; Spiritus superbiæ ad superbos; Spiritus auaritiæ ad auaros; & sic de cæteris; & singuli ad terram suam fugient, in illis, qui eorum

D fauentes suggestioni quæ terrena sunt sapiunt, [14] quacunque requiem quæritantes. Infelix anima, quæ expulso ab alio cuilibet dæmoni in se locum parat, propriumque suscipit hostem, ab eo nimirum [15] gladio iniquitatis ferienda. *Omnis* (inquit) *qui inuentus fuerit occidetur, & omnis qui superuenerit cadet in gladio.*

Quis tam prauus, in quo aliqua non inueniatur aut virtus, aut similitudo virtutis? Sed susceptus hostis antiquus in corde, ipsam etiam [16] pietatis speciem tollit, vt *fiant nouissima hominis illius peiora prioribus;* cui & si aliqua vtilis superuenerit cogitatio, facilè ab eo, qui totum occupat, extinguitur, ne ad fructum possit peruenire salutis. Ideo infantes eorum alliduntur in oculis eorum, cogitationes scilicet bonæ, sed adhuc teneræ, superueniente quadam cordis duritiâ conteruntur. [17] Diripiuntur domus eorum, quoniam quicquid boni est in conscientiâ, à malignis spiritibus deprædatur. Quorum etiam vxores, id est, affectiones, quibus ad filios, bonorum operum procreandos, quasi legitimo vsi fuerant matrimonio, fœdis amoribus, & cogitationibus sordidis maculantur. IESV bone! Quando respicies vt restituas animam meam à malignitate istâ, & ab his leonibus vnicam meam! Vtinam Domine suscites super nos Medos, bonos scilicet angelos, vt apprehendant arma [18] & scutum, vtpote fortes à forti, potentes à potente, vt omnia hæc tentamenta nobis in mensura disponant, non patientes nos tentari supra quam possumus ferre, sed faciant cum tentatione prouentum, vt sustinere possimus. Hoc autem sciendum fratres, quia Medi isti eos, qui sæculari sapientiâ tument, contemnunt; & eos, qui in vanâ eloquentia gloriantur, despiciunt; argentum enim non quærunt, nec aurum volunt. Sed ipsos libenter visitant, ipsis gratanter assistunt, contra eos pugnantibus se libenter opponunt, qui sagittis paruulos interficiunt, qui lactentibus vteri non miserentur, nec super filios parcit oculus [19] eorum. Per paruulos quippe cogitationes illicita quæque suggerentes, per lactentes cogitationes in ipsis illicitis delectantes; per filios, cogitationes iam iamque ad illicita opera per consensum prorumpentes intelligo. Sed *beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram*, qui sagittis timoris Dei noxias cogitationes interficit, qui sibijpsi, quoties fuerit illicitâ delectatione præuentus, non miseretur, qui in consensum fortè prolapsus, magis vult hoc in seipso punire quam parcere. Quod sane beatorum fit auxilio Angelorum, qui *omnes sunt administratorij Spiritus*, mittunturque propter nos qui hæreditatem capimus salutis. In his autem omnibus onus intelligite Babylonis, secundum quod in multorum cordibus Dei gratiâ auxiliante destruitur, vt deinceps quo sit onere premenda in reprobis, agnoscatis. Sed hoc si placet in diem crastinum [20] reseruemus, ne morali sensui, in quo sudauimus hodie, allegoricas leges misceamus; & sic cum animus extensus fuerit ad multa, obscurior inueniatur ad singula. Dominus autem IESVS nobiscum sit, vt scrutantes scripturas, in eis ipsum inueniamus, qui in manibus Prophetarum assimilatus est, & Apostolorum vocibus prolatus, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & [21] regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Math. 12. 45.

E

Ps. 34. 17.

1. Cor. 10. 13.

F

Ps. 136. 9.

Heb. 1. 14.

G

VARIÆ LECTIONES.

1. Contemnent; quorum summa. C. Cam. Contemnent, *vel certe* & quæ sequuntur vsque ad *Quorum summa.*
2. Perfectam. Eia fratres. C Cam. Perfectam. *Procedent igitur* & cætera inserta vsque ad *Eia fratres.*
3. Quo fine Quod si. C Cam. fine. *Si vt videaris* & reliqua vsque ad *Quod si.*
4. Vigilas, si bonis oper. mis. insistis. C Cam. Vigilas, *si sileas, si quiescis*, si bonis oper. *insistis misericordia.*
5. Indignationis atque furoris. C. Cam. Indignationis, *plenum ira* atque furoris.
6. Hominem de paradiso expulit. C Cam. Hominem *expulit de paradiso.*
7. Itaque quicunque. C. Cam. Itaque *fratres*, quicunque.
8. Virga correptionis C. Cam. Virga *correctionis.*
9. Spiritus est superbiæ C. Cam. Spiritus *Superbia est.*
10. Sic fit. C. Cam. *Sic sit.*
11. Omnes nequam. C. Cam. Omne *spiritus nequam.*
12. Auaritiæ. Hæc cum fu. per Dei gra. à cor. pæ expulsa. C. Cam. Auaritiæ; *alius, quod iras* & reliqua vsque ad. *Hi* cum fuc. per Dei gra. à cor. pæ. *expulsi.*
13. Immundos, & sic C. Cam. Immundos, *spiritus superbia*, &c. vsque ad *& sic.*
14. Gladio iniquitatis facienda. Quis tam. C. Cam, *Iniquitatis gladio* ferienda. *Omnis inquit*, & quod insertum vsque ad. *Quis tam.*
15. Qualemcumque requiem. C. Cam. Qualemcunque *sibi* requiem.

H

A
16. Pietatis speciem tollit. C.Cam. Pietatis *spem* tollit.
17. Diripiuntur domus. C.Cam. *Diripiuntur quo* domus.
18. Et scutum, vt pote. C.Cam Et scutum *& exurgant* & quod sequitur vsque ad *vt pote.*
19. Eorum, sed hoc in diem. C.Cam Eorum. *Per paruulos* cum eo quod insertum, vsque ad. Sed hoc *si places* in diem.
20. Reseruetur. Dominus. C.Cam. Reseruetur, *ne moralı* & quod sequitur vsque ad *Dominus.*
21. Regnat Deus. C.Cam. Regnat *vnus* Deus.

SERMO TERTIVS DECIMVS.

Diximus, cum in principio de oneribus tractaremus, duobus modis onus Babylonis [1] vel Philistiim posse intelligi, id est, & secundum quod premuntur, & secundum quod premunt. Descripto igitur onere Babylonis, secundum quod tempore Antichristi, ciuitas Diaboli ciuitatem Dei, id est Ecclesiam premet; ad ipsius oppressionem conuertit Propheta sermonem.

B

Isai. 13. 19.

Et erit (inquiens) *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldaeorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.* Babylone mundum significari sæpe iam diximus, sed hoc loco ipsum signat mundum, quem semper constat esse immundum; mundum scilicet, qui in maligno positus est; mundum, pro quo non orat qui vincit mundum; mundum, de quo eliguntur qui vincunt mundum.

1 Ioan. 5. 19

Ioan. 17. 9.

Non pro mundo (inquit) *rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo.* O munde immunde, quid superbis? Nunc quidem gloriosus es in regnis, nunc inclytus es in superbia dæmoniorum, vel principum pessimorum. Chaldæi quippe quasi dæmones interpretantur. Eia fratres, quam gloriosa sibi videbitur Babylon, ciuitas illa confusionis, ciuitas reproborum, quando ei, tempore Antichristi, in omnibus regnis terræ [2] sæuiendi potestas tribuetur? quamque inclyta in superbia, & sublimitate Principum terrenorum fauentium sibi, qui quasi Dæmones non tam corporum stragem, quam animarum quærent perniciem? Sed quid gloriaris ô Babylon? Audi quæso Prophetam, *Eris Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldaeorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.*

C

Gen. 13. 10.

De regione illa Sodomorum & Gomorrhæ dictum est, quia erat quasi paradisus Domini antequam [3] subuerterentur à Domino; quæ ita subuersæ sunt, vt nullum sit in eis pristinæ venustatis vestigium; sed adhuc terra quædam mortis effigies sulphure, ac bitumine, intolerabili fœtore infernalium pœnarum imaginem præferat; & poma fumo plena, lacusque [4] nihil viuum in se recipiens, sodomitani sceleris detestando horrori testimonium præbeant. Ibi omnia contra naturam, vbi primum lex naturæ legitur corruisse. Merito fœdum illud contra naturam, detestabileque peccatum fœda, & horrenda reliquit vestigia, vt aduertant homines quibus suppliciis subdantur in inferis, quos fumus excæcat, quos fœtor corrumpit, quos immunditiæ viscus, instar bituminis, æternis vinculis ligat, quos flamma vorax depascit nec consumit.

D

Hic est finis deliciarum tuarum ô Babylon, quæ miseris mortalibus ibi veneni tui dulcedinem spargis, vnde oculus auertitur præ horrore, animus præ pudore, sermo præ turpitudine. Omnis creatura naturalem ordinem suæ conseruat naturæ, diuersorum sexuum coniunctione, suo singulis generi posteritatem procreantibus; solus homo in contemptum Dei, in contumeliam sui, in omnium rerum iniuriam, tantæ peruersitati propriam exponit naturam; vt totum quod Deus instituit, quod ratio probauit, quod confirmauit vsus, peruertere non formidet. Væ tibi ciuitas confusionis, quæ tot hodie huius flagitij labe corrumpis, vt meritò tibi Sodomitana, & Gomorrhæa subuersio à iusto retributore paretur, vt eis similis videaris in pœna, quibus te similem exhibuisti in culpa. Et tu ergo sicut Sodoma & Gomorrha subuerteris. vt gloriæ tuæ, diuitiarum tuarum, potentiæ tuæ, immundarumque voluptatum tuarum, nulla tibi saltem sit nisi ad pœnam recordatio; sed sit tibi pro suaui odore fœtor, vermes pro cultu, pro libidine incendium, pro breui voluptate æternum supplicium.

E

Isa. 13. 20.

Non habitabitur (inquit) *vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem & generationem.* Sileant hæretici, qui Babylonem à Domino apud inferos visitandam, post multa licet tempora, mentiuntur, cum æternus sit ei prophetatus interitus, quæ nec vlterius habitari, nec deinceps posse fundari Prophetica auctoritate communitur. *Nec ponet tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*; nunc certè tempus miserendi, cui tempus iudicandi succedet: nunc tempus conuertendi ad Dominum, cui tempus succedet remunerandi. Ponit in Babylone tentoria sua Arabs, qui interpretatur occidentalis, vel vespertinus, Christum vtique significans, qui quos manè conducit [5] ad vesperam remunerat.

Matth. 20.

Non enim primum, id est, manè bonum vinum ponit, & ad vesperam, cum fuerint inebriati, tunc id quod deterius est, sed semper manè quod durum est prærogans, quod dulce ac iucundum reseruat in vesperam.

F

Ioan. 2. 10.

Ioan. 16. 33 & 20.

In hoc (inquit) *mundo pressuram habebitis, & Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Hoc manè, id est, primum. Quid postea? *Tristitia vestra* [6] *vertetur in gaudium.* Quando? Vtique ad vesperam.

Eccl. 10. 16.

Ideo [7] *Væ tibi terra cuius Principes mane comedunt*, quoniam ob delicias temporales, quibus nunc abutuntur, eas, quæ ad vesperam retribuentur, in fine videlicet temporalis huius diei, amittunt. Dicitur & occidentalis, non tam ad ortum hominis, quam ad occasum respiciens, non initium operis, sed finem semper attendens. Habet hic tentoria sua Arabs, Sanctos videlicet qui peregrinantur in hoc mundo, & instar tentorij huc atque illuc à Dei Spiritu transferuntur, non habentes in hac Babylone, vbi ponuntur nunc vt tentoria, manentem ciuitatem, sed futuram, quæ in cœlo est, inquirentes.

Hebr. 13. 14.

Ponuntur autem vt Babylonem expugnent, clamentque cum Propheta, *Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisque animas vestras.* Ibi etiam modo requiescunt pastores, in fide & bonis operibus conuersorum gloriantes.

G

Ier. 51. 6

Igitur nunc tempus est fugiendi de medio Babylonis, nunc tempus ad cœlestia tentoria transmigrandi, nunc etiam [8] tempus pastorum se doctrinæ ac legibus submittendi: Subuersa autem vrbe furoris subuersione finali, sanctisque ad cœlestia regna translatis, non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi; quia frustra apponitur medicamentum, vbi nullum potest sperari remedium.

Isai. 13. 21.

Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, &c. Hæc si ad vltimam Babylonis euersionem, qua detrudetur in stagnum sulphuris cum Pseudo-prophetis, sicut scribitur in Apocalypsi, referre voluerimus; vis litteræ videtur inferenda, vt ostendi possit quo modo in Babylone iam damnata bestiæ siue vitia, siue maligni Spiritus intelligantur, valeant requiescere; nisi forte ideo dæmones in damnatis dicantur requiescere: quia cum à bonis malisve tentandis cessauerint, [9] in eorum cessabunt suppliciis, quos ad suæ nunc voluntatis consensum illexerint.

Apoc. 19. 20.

H

Si autem domus [10] vniuscuiusque conscientia propria est, tunc replebuntur domus illorum draconibus, quando vitia, quæ nunc iucunda videntur & dulcia, in hominis conscientia draconis speciem præferent, cuius & faciem horreat, & flammam non ferat. Dicuntur enim hæ bestiæ terribilis esse vultus, naturæ tam igneæ, vt flammas ex se emittere videantur. Ita profectò vitia & peccata, quæ nunc delectant, damnatis apparebunt horrenda, & materiam æterni incendij administrantia.

Sed & singula quæque crimina, quibus hîc homines delectabiliter implicantur, speciali recordatione miserorum conscientiam contorquebunt. Vnde & habitare ibi struthiones, & saltare ibi pilosi, & respondere sibi [11] vlulæ, sed & sirenes in delubris voluptatis perhibentur. Per struthiones igitur simulatio hypocritarum, per pilosos incentiua libidinum, per vlulas susurratio

A
detrahentium vel murmurantium, per sirenes fallaces intellige adulantium. Struthio quippe pennas habet, quibus tamen a terra non eleuatur, quia hinc pondus corporis, hinc raritas pennarum similitudinem quidem volandi præstant, sed vsum negant. Exprimit ergo natura eius vitium simulatoris quæ in facie quidem præfert signa virtutum, cum in occultis prematur pondere vitiorum; qui magna loquens, & parua operans, cælestia sonans, sed terrena cogitans, scientia splendens, intentione squalens, in altum alas erigit quasi iam volaturus ad sidera, sed meris suis cupiditatibus vincta, totum corpus deprimit in ima. Sed pilosus [12] qui in cubo dicitur, animal petulcum, & hispidum, & semper ad coitum æstuans, libidinum significat incentiua; quibus Esau pilis obsitus vitiorum post illecebras gulæ, quibus primogenita sua vendidit incitatus, alienigenarum se illicitâ coniunctione fœdauit, & simul patris & matris offendens oculos,

B
benedictionem primogenitis debitam amisit. Videat

Gen. 25. 27 & 34
charitas vestra; primo venationi deditus exteriora interioribus. vana seriis, inquietudinem quieti prætulit;

Gen. 26. 34.
deinde gulam non frenans primogenita perdidit; postmodum in vtriusque parentis offensam pudicitiam

Gen. 27. 37.
perdidit; postremo a paterna benedictione excludi promeruit.

Hæc cum plurimis hodieque accitari vtinam nesciremus, qui spiritualem dulcedinem, quæ ab intus tantum sentitur, fastidientes, & exteriores consolationes, vagasque discursiones curiose sectantes, primum se ventris subiiciunt seruituti ob eius delicias primogenitorum suorum gloriâ, abrenuntiationis scilicet se meritis defraudantes, & sic libidinis adusti incendio, ad benedictionem patris quę in fructu virtutum expectatur non attingunt. Vlulæ cornicæ dicuntur magnitudinis, pro-

C
tensu collo, respersæ maculis, quæ rostro in palude defixo, diræ vocis vel stridoris sonum emittunt. Rogo quid [13] detractoribus maculosius? Habent quippe detractores hoc proprium, vt semper vituperationibus quibus alios infamare nituntur; paruas aliquas laudes admisceant: & ita omnem derogationis suæ sermonem maculosum, contrariis sententiis [14] reddant. Quid murmuratores? Nonne semper murmurationes suas quibusdam excusant rationibus, nunc se zelo bono id agere proclamantes; nunc non pro suis, sed pro alienis negotiis obloqui mentientes, nunc iustam necessitatem quasi aliis compatiendo prætendentes, & sic quia non ex toto candidum delicti huius næuum, saltem faciant maculosum. Isti ergo in terra figentes rostrum, obliti cælestia terrena loquuntur, stridentes in angulis, susurrantes in tenebris, audientibus horrorem ingerentes. Porro adulatores sirenis congruè comparantur, qui blando quidem, sed mortifero sono audientis aurem demulcent, & nisi prudentiùs aure obturatâ transierit,

D
in scopulos superbiæ, vel in præsumptionis charybdim inducent. Laudatur [15] enim peccator à talibus in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Infelix qui se talibus credit, relictoque propriæ conscientiæ testimonio, alieno se iudicio deludendum [16] exponit. Nemo scit hominum quid agatur in homine nisi spiritus hominis qui in ipso est. Populc meus qui beatum te dicunt ipsi te decipiunt. Miseri quibus Dominus per

Ier. 5. 31.
Prophetam exprobrat dicens, *Prophetæ prophetabant mendacium & Sacerdotes applaudebant manu & populus*

Isai. 30. 10.
meus [17] *dilexit talia.*

Hic est populus cuius vox alias ita describitur, *Videte nobis vana, & loquimini nobis placentia.* Quanto rectius Sanctus Dauid, *Corripiet me* (inquit) *iustus in mi-*

Psal. 140. 5.
sericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non

Matth. 25. 8.
impinguet caput meum. Hoc est oleum quod in fatuarum virginum lampadibus deficit, quoniam laus hypocritæ

Iob. 20. 5.
breuis. Si igitur ad vltimam Babylonis euersionem, qua æternis ignibus depirabitur, hæc omnia referamus, violenta fortè & extorta nimis videbitur expositio. Quomodo quæso in Babylone, iam vltricibus flammis expositâ, aut struthiones habitabunt, aut pilosi saltabunt, aut vlulæ in ædibus eius respondebunt, vel sire- E
næ in delubris voluptatis? An quia ad confusionem illorum, qui se his vitiis polluerunt, ipsa vitia eorum quodammodo oculis, ac memoriæ ingerentur, vt sicut in corpore pœna, ita peccatum, pro quo puniuntur, versetur in conscientia. Erit ergo in illa ciuitate damnata sicut pœna æterna, ita & peccatorum, quæ fecerunt, æterna memoria. Habitabunt itaque ibi struthiones, id est, simulatio, hypocritas torquens, saltabunt pilosi, quia turpes & turbidi libidinum motus, quibus nunc homines agitantur, a conscientia non recedent. Respondebunt & vlulæ. Cui? forte ipsi animo in pœnis laboranti, vel conquerenti, vt ad detractionum ac murmurationum recordationem, quam in latebris cordis sui, quasi in ædibus fouisse fatetur, iustam sibi irrogari pœnam fateri compellatur. Iam vero sirenarum cantus, qui dulcis videbatur in abdito pectoris, quasi in delubris voluptatis, cum audiretur ab adulante; tunc amarissi- F
mus apparebit in repræsentatione. Delubra sunt templa dæmoniorum, in quibus præferebant quandam speciem pietatis, occultè exercentes negotia voluptatis, quibus conuenienter coaptantur ea pectora, quæ adulationibus impiorum, quasi virtutibus adornantur, cum in occultis suis veris semper vitiis maculentur. Quid vobis videtur? non est adeò, vt putabamus, inepta expositio hæc. Non omittamus tamen si qua alia occurrerit.

Potestne credibile videri dæmones, æterno iam igne damnatos aliquod ex eorum, quos sibi illexerant misera societate habere posse solatium, vt per has bestias spiritus prædictorum vitiorum incentores intelligamus? quos in ipsa perditâ ciuitate libentiùs cum hominibus habitaturos, quasi struthiones, vel saltaturos vt pilosos, vel responsuros ardentibus vt vlulas, vel syrenes dicamus. Saltus autem iste non plaudentium debet æstima- G
ri, sed impetu quodam de pœna in pœnam transeuntium, secundum illud, *de aquis niuium transient ad ca-* Iob. 24. 19.
lorem nimium. Nam liquor, qui vehementer ignescit, salire videtur, & in aliqua lingua salire dicitur aqua, cum bullit. Quod si ordinem sequentes ad Antichristi tempora omnia transferamus, cogitemus illâ vltimâ persecutione separatam a bonis reprobatam illam ciuitatem, quæ vtique gloriosa videbatur & inclyta in regnis mundi, glorians & exultans in superbia Principum sæculi huius, sicut Sodomam & Gomorrham euertendam, vt æternis vitiorum flammis ac fœtoribus tradita, nullum virtutum habeat retinere vestigium, Nec instante tunc extremo iudicio, à bonis vlterius habitabitur, nec à Sanctis prædicatoribus in ea fundamentum illud, quod Christus est, vlterius collocabitur, nec ponet ibi tentoria Arabs, Christus scilicet tabernacula sua, id est, perfectos sæculo abrenuntiantes, nec inuenient ibi requiem Sancti Angeli, vel viri perfecti animarum nostrarum pastores, quorum requies est optima vita bonorum, pax & concordia subditorum. Sed requiescent ibi be- H
stiæ vel dracones, habitabuntque struthiones, saltabunt etiam pilosi & respondebunt vlulæ, & sirenæ. Per has bestias vel ipsa vitia sicut superiùs diximus, vel ipsos dæmones intellige, qui aduersus perfidos tunc maxime præualebunt, liberam in eis habitationem sibi vendicantes, & liberos ad flagitia saltus dantes, & sibi inuicem respondentes. In perdita enim illa societate nequam conuenient Angeli, nequitiarum diuersarum incentores, & alij in aliis habitabunt, alij ad alios saltu pernici transmigrabunt, alij aliis supra modum fauentes, ad singula quæ desiderauerint, ad explenda quæ voluerint respondebunt; quamuis hæc omnia in vno quolibet homine actitari manifestum sit. Cum enim anima quælibet passionibus vitiisque confusa, ab omni fuerit virtute euersa, vt digna sit quæ Sodomæ & Gomorrhæ comparetur, intrabunt in eam pessimi quique Spiritus, vt eam omnium faciant receptaculum vitiorum. Verum ne quis murmuret tandiu florere nequitiam, & tempus donec omnia compleantur longum esse causetur, prosequitur Propheta & dicit.

Sequitur.

A Sequitur. *Prope est vt veniat tempus eius & dies eius non elongabuntur.* Omne quod nobis videtur longum,
Isa 14.1. Ps. 89.4. Deo breuissimum est, quoniam *Mille anni ante oculos eius tanquam dies hesterna quæ præteriit.* Et certe breue est omne quod transit, breue totum quod aliquando finis concludit. Vult proinde Spiritus Sanctus, vt in æternitatem oculos figamus, nec tempus [18] fugax vllius longitudinis æstimemus. *Prope est*, (inquit) *vt veniat tempus eius.* Cuius eius? Illius certe de quo præmiserat,
Isa.13.9. *Ecce dies Domini veniet crudelis, &c.* Dies igitur Domini tempus Domini est, in quo boni probabuntur, ficti prodentur, perfecti coronabuntur, reprobi punientur. Quando istud erit? Quæ dilationis huius causa?
Rom.11. 25. differtur sane, donec plenitudo Gentium introeat, & sic omnis Israël saluus fiat. Itaque antequam [19] ista cœperint actitari, miserebitur Dominus, & eliget adhuc de Israël. Eia fratres, stat adhuc sententia illa grauis super Iacob; quam idem iste Propheta, in priori huius
B parte, ab ipso Domino dicit esse prolatam, *Excæca*
Isa.6.10. (inquit) *cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos claude, ne forte videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos.* [20] Ve-
2.Cor 3. 18 niet dies, cum auferetur ab eis velamen, vt & ipsi re-
Gen.45. 25.& 28 uelatâ facie gloriam Domini mei IESV CHRISTI speculentur; cum nuntiatum fuerit Iacob, *Ioseph filius tuus viuit,* [21] *& dominatur in tota terrâ Ægypti.* Tunc quasi de graui somno infidelitatis euigilans, *Vadam* (inquit) *& videbo eum antequam moriar.* Miserebitur enim Dominus Iacob, cui nunc in fide Gentium aduersari videtur, vocans non plebem suam plebem suam, &
Rom 9. 25. non dilectam dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam [22] consecutam; miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israël.

Adhuc inquit [23] *eliget de Israel.* Elegit primum Apostolos & Discipulos & multitudinem credentium de Israël, vt primitiua Ecclesia fundaretur; eliget & in fine sæculi plures, quibus [24] vltima sæculi tempora
C adornentur. Nomine autem electionis intelligimus nunc omnes Iudæos, quos tempus illud inuenerit esse [25] saluandos, quibusdam Antichristum recipientibus, sicut
Ioan 5. 43. Dominus ait in Euangelio, *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis.* Si quæritis vobis distingui inter Iacob & Israël, & inter miserationem & electionem; infirmiores intellige per Iacob, quorum miseretur ne pereant; perfectiores in Israël, de quibus eligit ad alios docendos & regendos. Sequitur, *Et requiescere eos faciet super humum suam.* Quæ est ista humus? An terra illa promissionis, quæ eorum quondam fuit, à qua euulsi sunt & dispersi per orbem [26] terrarum? Potest autem fieri, vt in vltimis temporibus Christiani effecti in terra illa requiescant, aliquibus ibi corpore habitantibus, cæteris eos, qui habitauerint, vtpote Christianis Christianos diligentibus. Sed multò melius de Ecclesia intelligitur, ad quam fide & moribus accedentes Iudæi tunc demum humum suam eam æstimabunt gaudentes
D in bonis eius, & requiescentes in vbertate fructus illius. Sed & nos charissimi, cum destructa fuerit in nobis Babylon, cum fuerimus Iacob, Babylon inquam, id est, amor mundi, vbi profecto sunt bestiæ spirituales de qui-
Ps 73. 19. bus Propheta. *Ne tradas* (inquit) *bestiis animas confitentes tibi.* Vbi dracones, immundi scilicet spiritus locum habent, vbi simulatio regnat, libido inquietat, detractio laniat, dissoluit adulatio; cum, inquam, hæc omnia mundialis amoris fuerint deleta, miserebitur nostri Dominus. Iacob quippe luctator interpretatur. Quæ
Gal.5. 17. est ista lucta? *Caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem.* Quæ lucta? *Non est nobis colluctatio*
Ephes. 12. *aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi recto-*
Matth. 11.12. *res.* Quæ lucta? *Regnum Cœlorum vim patitur, & [27] violenti rapiunt illud.* Quæ lucta? *Ne miremini si odit*
Ioan. 15. 18. *vos mundus, quoniam me prius odio habuit.* Habemus igitur luctam cum carne, luctam cum dæmone, luctam cum mundo, cum Deo. Prima incipientium, secunda proficientium, tertia eorum qui probantur, quarta eorum qui perficiuntur. [28] Prima laboriosa, secunda perniciosa, tertia tædiosa, quarta fructuosa. E

Rogo quid tam laboriosum, quam in seipso, & contra seipsum habere conflictum? Intus est ignis, quem nos & fouere oportet, & cauere. Nam si non fouetur, natura obruitur; si non cauetur, castitas periclitatur. Hinc timor hinc luctus, hinc lachrymæ ignorantibus metas necessitatis, expauescentibus negotium voluptatis, non audentibus negare debitum naturæ, volentibus gulæ frenum sobrietatis imponere. Cum putant consulere necessitati, fomentum præstant voluptati, & cum subtrahunt quod putant necessarium, in aliis, quæ æquè diligunt, bonus sustinent detrimentum. At contra spiritales nequitias periculosa omnis lucta est, quibus [29] mille nocendi sunt artes; vtpote tot annorum millibus in tali negotio exercitatis. Inter [30] omnes Dæmonum insidias illa tamen periculosior est, qua se transformant in Angelos lucis, similitudine virtutum vitia palliantes, & in calice aureo venenum miseris propinantes. Tunc F non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, quando carne iam superatâ, dæmonum nos calliditas iniquâ deludit, suadentes vitia per virtutes vel propter virtutes superbiam. Porro duobus brachiis mundus iste contra nos luctatur [31] prosperitate & aduersitate. In parte prosperitatis est rerum temporalium abundantia, in abundantia pax, in pace securitas; similiter & laudes hominum, amicitia diuitum, beneuolentia & fides sociorum, fauor & gratia subditorum. Nihilominus & sanitatem corporis, & bonam valetudinem membrorum quidam prosperis æstimant adiungenda. Eia fratres quantum hoc brachio suo mundus nos premat, quam aduersum [32] nos luctetur, quam sæpe miseros incautosque deiiciat, quis facile dixerit.

Quam [33] rarus, qui non in prosperis vel modicè relaxet animum à solita grauitate, qui non in abundantia sit parum remissior, & in humana laude modicum hilarior, in principum beneuolentia aliquantulum elatior, in amicorum [34] gratiâ dissolutior, in fauore G subditorum insolentior, in corporis virtute austerior? Quicunque igitur Iacob spiritalis esse voluerit, contra hæc in prosperis continua lucta se nouerit exercendum. At brachium aliud mundi, quod aduersitatem diximus, molestum magis est, sed minus periculosum; ad quod spectat rerum penuria, detractiones, opprobria, persecutiones diuitum, odia principum, amicorum proditio, subditorum rebellio, corporis ægritudo. Qualis est nobis, fratres, contra hæc omnia colluctatio? Quis est qui in aduersis forte non pusillanimior inueniatur, qui ad opprobria non moueatur, vel contristetur ad detractiones, qui non in persecutionibus [35] iracundior, contra amicum proditorem impatientior? Felix animus qui in omnibus inuenitur superior, sicut in prosperis temperans, ita & constans in aduersis. Felix nihilominus ille, qui etsi vincere ista [36] non valet, optimè tamen luctando satagit ne vincatur. Miserebitur enim Dominus Iacob, id est luctatori, vt si plenam non obtinuerit in hac vita victoriam, finito certamine coronam me- H
reatur [37] habere in cœlis perpetuam. Sane qui in his Gen.28. 5.
luctis victor extiterit, incipiat luctari cum Deo, transiens de [38] Mesopotamia Syriæ in montem Bethel de inferioribus ad superiora, de humanis ad diuina, de corporalibus ad spiritualia. Porrige ergo in altum brachia duo, ô anima, orationem & meditationem, infer ea in ipsa secreta cœli, vbi Christus in dextera Dei sedens; insta opportunè, importunè, vt contempleris faciem eius vt descendas ad te vel te trahat ad se, vt gustes quam dulcis est & quam mitis & misericors experiaris.

Itaque si in oratione tua, vel meditatione exarserit cœlestium desideriorum ignis; si amorum incentiua flammescant, si æstuans & anhelans cœlestibus quibusdam mouearis affectibus, & modo quasi comprehensum, quem diligis sensias esse præsentem; lucta spiritalis est, nomen tibi Israëlis imponens, vt non solum miseratione, sed etiam electione digna habearis. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israël,

quia

A quia qui pugnans in gemitu suo laborat contra vitia, & lauat lachrymis lectum suum, dignus est cui misericordia impendatur; qui autem vitiis superatis, in virtutum perfectione gloriatur quasi granum purgatum, & ele- (Isa.14.1.) ctum ad horrea superna transfertur. *Et requiescere faciet eos super humum suam.* Beatitudo magna pro ea, [33] pauci vero super eam. Sub ea sunt, quibus carnis concupiscentia dominatur. In ea sunt, qui semper ea, quæ sunt, agunt & meditantur. Supra eam sunt, à quibus, ne ipsa insolescat, laboribus, & vigiliis, atque ieiuniis castigatur. Primus carnalis est, secundus animalis, tertius spiritualis. Et à carnis dominatu nos pro- (Rom.7.12.) hibet Paulus, cum dicit. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Quid est obedire concupiscentiis carnis, nisi esse sub carne? (Rom.13.14.) Vult etiam nos non in carne esse, qui ait, *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Audi & hominem supra (1.Cor.9.27.) carnem, eius desideria viriliter prementem. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo;* B Veruntamen quandiu est contra quod pugnet, labor est non requies. Si vero extinctis vitiis superatisque passionibus ita supra carnem sit in ea quod premat; profecto super humum suam requiescet. Hæc est beatitudo mitibus repromissa, di- (Matth.5.4.) cente Domino, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Sed quia iandiu laborantes loquendo, ad eum locum scripturæ venimus, vbi requies commendatur, iustum est vt in portu silentij modicum quiescentes, animum simul & vocem reparemus, & sic magis idonei inueniamur ad perscrutanda Sacramenta Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vel Philistijm posse. C. Cam. Vel Philistijm, *vel cæterorum posse.*
2. Sæuiendi potestas. C.Cam. Sæuiendi *in Sanctos* potestas.
3. Subuerteretur a. C. Cam. *Subuerterentur* a. (C)
4. Nihil viuum in se recipiens. C. Cam. Nihil *in se viuum* recipiens.
5. Ad vesperam remunerat C. Cam. *Remunerat ad vesperam.*
6. Verteretur in gaudium. C. Cam. *Conuerteretur* in gaud.
7. Væ tibi terra. C. Cam. *Væ terra.*
8. Pastorum tempus. C Cam. *Tempus pastorum.*
9. Eorum cessabunt suppliciis. C. Cam. Eorum *exultabunt* suppl.
10. Vniuscuiusque conscientia propria est. C. Cam. Vniuscuiusque *vt supra diximus, propria est conscientia.*
11. Vlulæ, sed sirenes. C. Cam. *Vlulæ & sirena.*
12. Qui incubo dicitur animal petulcum, &. C. Cam. Qui & incubo dicitur animal petulcum, hispidum, &c.
13. Detractoribus maculosius? C. Cam. Detractoribus *& murmuratoribus* maculosius. (D)
14. Reddant. Porro. C.Cam. Reddant. *Quid murmuratores,* &c. vsque ad *Porro.*
15. Enim peccator à talibus in desideriis animæ suæ, & qui iniqua agit benedicitur. C.Cam Enim *à talibus peccator* in def. an. suæ & *qui iniqua agit* benedicitur.
16. Exponit. Miseri. C. Cam. Exponit. *Nemo scit* & reliqua vsque ad *Miseri.*
17. Dilexit talia. Sequitur prope est. C. Cam. Dilexit talia. *Hic* est *populus cuius vox,* & alia quæ adiecimus vsque ad. *Prosequitur Propheta & dicit, Prope est.*
18. Fugax vllius longitudinis. C. Cam. Fugax *nullius* longit.
19. Ista cœperint. C.Cam. Ista *pleno* cœperint.
20. Veniet dies. C.Cam. Veniet, *veniet* dies.
21. Et dominabitur. C.Cam. Et *ipse* dominabitur.
22. Consecutam. Adhuc inquit. C. Cam. Consecutam, *Miserebitur enim,* & quod sequitur vsque ad. *Adhuc inquit.* (E)
23. Eliget de Israël. Elegit. C. Cam. *Eliget. Elegit primum.*
24. Vltima sæculi tempora. C. Cam. Vltima *Ecclesiæ* tempora.
25. Saluandos. Si quæritis. C. Cam. Saluandos, *quibusdam Antichristum,* &c. vsque ad *Si quæritis.*
26. Terrarum. Sed & nos charissimi cum destructa fuerit in nobis Babylon, cum fuerimus Iacob, Babylon inquam id est amor, &c. C. Cam. Terrarum. *Potest autem fieri,* & quæ inseruimus vsque ad. Sed & nos *fratres charissimi si fuerimus Iacob, cum destructa fuerit in nobis Babilon,* id est amor.
27. Violenti capiunt illud. C. Cam. Violenti *diripiunt* illud.
28. Prima laboriosa, secunda. C. Cam. Et *prima quidem lucta* laboriosa *est,* secunda. (F)
29. Mille nocendi sunt artes. C.Cam. Mille *ad nocendum* sunt artes.
30. Omnes Dæmonum insidias, illa tamen periculosior. C.Cam. Omnes *tamen* Dæmonum insidias, *vel versutias,* illa periculosior est.
31. Prosperitate & aduersitate. C. Cam. Prosperitate *scilicet* & aduer.
32. Nos luctetur. C.Cam. Nos *violenter* luctetur.
33. Ratus qui non. C.Cam. Ratus *est,* qui non.
34. Gratia dissolutior, in fau. sub. insol. in corp. vir. austerior. C.Cam. Gratia *parum* dissolutior, in fau. sub. *paululum* insol. in cor. virt. *modicum* austerior.
35. Iracundior, contra amicum proditorem impatientior? Felix. C.Cam. Iracundior, *in odiis Principum deiectior* con. amic. prod. impa. *& in rebellione subditorum non probetur crudelior?* Felix.
36. Non valet optimè. C.Cam. Non *potest* optimè.
37. Habere in cœlis perpetuam. C.Cam *In cœlis habere perpetuam.* (G)
38. Mesopotamia Syriæ in montem. C.Cam. *Mesopotamia in montem.*
39. Pauci vero super eam. C.Cam. *Pauci super eam.*

SERMO DECIMVS QVARTVS.

SAnctus Isaias conuersionem Iudæorum, quam in nouissimis diebus futuram credimus, sancto spiritu illuminatus describens, *Miserebitur (inquit) Dominus* (Isai.14.1.) *Iacob & eliget de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam.* Et addidit, *Adiungetur aduena ad eos & adhærebit domui Iacob.* Per aduenam populum intellige nationum, qui vocatione Iudæorum oracula Prophetarum videntes impleri, ad eandem fidem suscipiendam eis coniungi festinabant. Vel certe ipsa plebs fidelis, quam ipsi eatenus vt aduenam exhorruerant, eis dilectione iungetur, quando illæ duæ virgæ, quæ fuerant in manu Ezechielis Prophetæ diuisæ, erunt in vnionem; & (H) secundum alium Prophetam, *Iuda & Israel facient sibi* (Ezech.37.17. Oseæ 1.11.) *caput vnum, & ascendent de terra.* Ita populus Gentium adhærebit populo Iudæorum, id est, domui Iacob, vt sit illi vnus Deus, vna fides vnum baptisma. *Et tenebunt* (Isai.14.2.) *eos populi,* Iudæos scilicet Christiani tenebunt charitate, tenebunt sollicitudine, tenebunt affectione. *Et adducent eos in locum suum,* id est Ecclesiam; locus quippe Christianorum Ecclesia est, quam ille præfigurabat, locus, de quo dixit Dominus ad Moysen, *Solue calceamen-* (Exod.3.5.) *tum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est,* de qua terra Propheta subiunxit, *Et possidebit eos domus Israel super terram Domini in seruos suos & ancillas:* Receptis quippe in Ecclesia Iudæis, quæ vtique terra Domini est, tanta erit [1] populis exultatio, tam mira circa eos deuotio, vt quos nunc habent persecutores & Dominos, tunc in charitate seruos habeant & ancillas, secundum illud Apostoli, *Per charitatem seruite* (Gal.5.13.) *inuicem. Et erunt capientes eos qui se ceperant.* Vt mihi

videtur,

A videtur, mutua illa describitur Prophetico sermone dilectio, qua se alterutrum capient Iudæi, & Gentes, & 1. Cor. 7. 1. quibusdam quasi brachiis amoris se inuicem complectentur, de qua captione Paulus ait, *Capite nos, vel, Erunt capientes eos qui se ceperant.* Cum sicut fideles ex Gentibus, sanctæ prædicationis reti plebem Israeliticam ad sinum trahunt Ecclesiæ; ita & ipsi conuersi ad Dominum, plures ex gentibus, verbo simul & exemplo Christianis legibus subiugabunt. Vnde sequitur.

Et subycient exactores [1] *suos.* Potest per exactores populus Christianus intelligi, quibus nunc misera illa plebs & tributa pendit, & degeneri se semper virtute prosternit. At in fine sæculi fidelibus sociati, habebunt in charitate subditos quos prius habuerant multimodâ exactione molestos. Exactores Iudæorum sunt immundi spiritus, quos diuersis erroribus implicatos ad maledicta, & multorum generum vitia compellunt; quos nimirum signo Crucis muniti in fine sæculi subiicient;
B Isai. 14. 3 & 4. [3] & cum illis data fuerit virtus calcandi serpentes & scorpiones, & omnem potestatem inimici. *Et erit in illa die: cum requiem tibi dederit Deus à labore tuo, & à confusione tua, & à seruitute tua durâ, qua ante seruisti: sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices, Quomodo cessauit exactor*, &c. Descriptus est à Propheta status Ecclesiæ vsque ad tempora Antichristi; descripta etiam ipsa persecutio Antichristi, descripta Babylonis spiritalis euersio, descripta Iudæorum conuersio. Nunc ad ipsius Antichristi, vel certè diaboli in Antichristo, vel cum Antichristo subuersionem, Sanctorumque requiem & exultationem, mysticum vertit eloquium: & qui de iis, quasi de tertia [4] personâ, dura prædixerat, annuntiaturus prospera ipsos alloquitur, dicens, *Et erit cum requiem tibi dederit Deus.* Hæc ad Ecclesiam, quæ tunc temporis de Iudæis constabit & gentibus, & ad vniuersam Sanctorum multitudinem, quæ ad requiem perueniet sempiternam, possunt non inconuenienter aptari *Et erit* (inquit) *cum dederit Deus tibi requiem.*
C Nam per hanc requiem potest pax illa intelligi, quam fortè, destructo Antichristo, vsque ad diem iudicij habebit Ecclesia: vel illa certè, qua nouissimè inimicâ morte destructâ, non erit qui impugnet, vel terreat. Notantur hic tria genera miseriarum, quibus subiicietur genus humanum, ab eis, ante tempus illud, non facile eruendum, Labor, Confusio, Seruitus. Labor ad corpus propriè pertinet, ad mentem confusio, seruitus ad vtrumque. Tempore quippe Antichristi laborabit Ecclesia in aliis subiecta tormentis; confundetur in aliis, exposita contumeliis; premetur seruitute afflicta tributis

Sed cum ab his omnibus (inquit) illo filio perditio-
Isa 14. 4. nis extincto requieueris, *sumes parabolam istam contra Regem Babylonis* [6] *& dices.* Regem Babylonis diabolum accipe, cuius maximè potestatis apparebit. Antichristus quem singulare sibi habitaculū antiquus hostis elegit Rex Babylonis potest appellari; quamuis ob imperiū ipsum, quo pessimis sibi consentientibus dominabitur,
D eo nomine etiam in propria possit personâ censeri. Itaque verbis eorum, qui ab eius tyrannide liberati, subitam eius post tantam gloriam mirabuntur perditionem, Pro-
Isa. 14. 4. pheta iniqui describit interitum dicens, *Quomodo cessauit exactor? quieuit tributum?* Obstupescent sanè electi, quod importunus ille exactor tam subitò perierit, & sit deletus de terra; qui tam per se, quam per satellites [7] suos mundum vexabat, tributis ac tormentis depopulans omnia, & ad sui consensum sceleris trahens.
Isa. 14. 5. *Contriuit Dominus baculum impiorum virgam* [8] *dominantium.* Dicitur ipse Antichristus baculus impiorum, cui nimirum impij innitentur, vt quasi eius suffulti præsilio, tantò crudeliùs, quantò liberiùs nequitiam suam in bonos exerceant. Dicitur & virga dominantium, id est potestas, quia quicunque eo tempore dominabuntur, ex Antichristi potestate dominabuntur, quibus dabitur potestas calcandi terram sanctam, id est Ecclesiam per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Hanc itaque potestatem insperato euacuatam admirantes, qui his malis superetunt fideles, *Quomodo* (inquient) *cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum* E Isa 14. 5. & 6. *impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plagâ insanabili.* Plaga ista mors æterna est, qua multi, Antichristo cædente, id est persequente, ferientur, quæ quidem plaga insanabilis est, quia in inferno nulla est redemptio; ibi nec locus pœnitentiæ, qua peccata purgentur; nec confessionis remedium, quo curentur; nec acceptabilis satisfactio, qua sanentur. *Subjicientem* (inquit) *in furore gentes, & persequentem* [9] *crudeliter.* Hæc omnia superiùs, vbi est descripta persecutio, manifestè posita sunt, & à nobis, qua potuimus manifestatione, exposita. Sequitur, *Conquieuit & si-*
Isa. 14. 7. *luit omnis terra, gauisa est & exultauit.* Regnante Antichristo vbique labor, vbique clamor, vbique dolor: quo diuinâ virtute prostrato, videbuntur quiescere omnia,
Apoc. 21. 4. silere omnia, exultare omnia, *quia non erit luctus, neque clamor neque vllus dolor, quia priora transierunt. Abietes*
Isa. 14. 8. *quoque lætatæ sunt super te & cedri Libani.* Per abietes
F accipe sublimes in sapientia, per Cedros excellentes potentia Hæc ligna ad constructionem templi, vel ornatum à sapientissimo Salomone assumpta sacræ scripturæ
3. Reg. 5. 8. prodit historia. Sicut autem templum illud figuram præferebat Ecclesiæ, ita per abietes & cedros, quæ ceteras arbores & proceritate vincunt, & odore præcellunt, [10] sublimes in Ecclesia, qui bonæ opinionis odore pluribus innotescunt, intellige. Qui tunc temporis tantò habebuntur sublimiores, quantò persecutionis tempore inuenti fuerint [11] fortiores; Qui profectò super Antichristi interitu gloriabuntur, & in pace diu desideratâ lætabuntur, quorum vox exultantium & gloriantium à Propheta subiungitur.

Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos. Somnus iste mortem significat; mortuo quippe Antichristo qui cedros abietesve succidat. *Non ascendit.* Ascensus superbiam, vel potentiam, vel prudentiam exprimit, vt intelligas nullum post eum tantâ superbia erigi, vel exaltari potentiâ, vel callere prudentiâ, vt in paradiso Dei,
G in Ecclesia videlicet quoslibet perfectos, quasi cedros & abietes à fidei possit fundamento succidere, siue per superbiam sæuiendo. Bene ergo dicitur, *Ex quo dormi-*
Isa. 14. 9. *sti non ascendit qui succidat nos.* Sequitur, *Infernus subter conturbatus in occursum tuū suscitauit tibi* [12] *gigantes.* Per infernum malignorum spirituum societas intelligitur, qui ex iniqui illius interitu, vicinum Dei iudicium sentientes turbantur, scientes quia modicum tempus habent. Sane his, qui modo perditè viuunt descendentibus ministri tartarei & pœnarum spiritus præpositi, vt eos ad debita supplicia trahant, creduntur occurrere, multò magis perditissimo mortalium ab hac luce subtracto totus vt ita dixerim occurret infernus; Gigantes, id est crudelissimos ei tortores suscitans, vt cuius fuerat scelleratior vita, eius sit & intolerabilior pœna. *Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes Principes nationum.* Principes terræ vel nationum contrarias fortitudines æstimo interpretandas, quæ in hominibus terrena sapientibus, vel Gentibus ab Antichristo seductis, sin-
H gulæ in singulis quasi principes in soliis, tunc temporis residebunt Quorum omnium potentissimus, quasi ceterorum Rex, Antichristi corpus & animam, quasi omnibus aliis excellentius, sibi solium vendicabit. Hi igitur principes cum Regis sui conatum, quem per organum illud suum moliebatur, Christi virtute euacuatum conspexerint, territi de soliis suis, his videlicet quibus præsidebant, fugabuntur, & ruinam eius admi-
Isa. 14. 10. rantes quasi respondebunt & dicent. *Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis factus es.* Hoc est illud vulnus doloris, quo tota illa societas immundorum spirituum ferietur, cum destructo imperio Antichristi, extremum eorum in die iudicij exterminium imminebit; quod profectò vulnus nec ipse poterit euadere, quem totius malitiæ primum principem dicimus. Ideo dicunt.

Isa 14. 10. & 11. *Et tu vulneratus es sicut & nos nostri similis effectus es, detracta est ad inferos superbia tua.* Et est sensus; quanto

A altiùs te extulisti, tantò profundiùs corruisti. *Concidit cadauer tuum.* Cadauer principis tenebrarum ipse Antichristus potest non inconuenienter intelligi [13] quem præ omnibus suæ malitiæ animabit, & pessimæ eius voluntati quasi vitalem flatum effectum malitiæ ministrabit. Quod eius cadauer tunc concidet, quando eum Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet
2. ad Thess. 2. illustratione aduentùs sui. *Subter te sternetur tinea, & putredo, & operimentum tuum erunt vermes.* Pœna æterna, quæ totum vel diaboli, vel Antichristi substantiam occupabit, satis manifestè describitur. A parte inferiori tinea demolietur, à parte superiori vermes corrodent, putredo intus consumet. Tinea pro iocunditate, vermes pro crudelitate, putredo pro libidine. Vel tinea pro illicita locutione, putredo pro illicita cogitatione, vermes pro illicita actione. Vel tinea, quæ occultè, & quasi insensibiliter consumit, diaboli est suggestio; putredo, quæ horrorem, & fœtorem generat, immunda delectatio; vermes, qui manifestè corrumpunt, consensio. Ex
B his autem omnibus materia nascitur suppliciorum, siue intus in conscientiis, siue exteriùs in pœna. Hæc breuiter exponendo transcurrimus [14] animo scilicet ad alia festinante. Tempus enim est vt iter arripiamus, ad quod nos lex ordinis cogit, desiderium incitat, inuitat affectus. Sed quomodo, vel tantum temporis separabor à visceribus meis. Separabor inquam corpore, non spiritu, & scio quia affectu & spiritu tantò ero præsentior,
Rom. 6. 19. quantò absentior fuero corpore. Humanum dico propter infirmitatem carnis meæ, voluntas mea est vt inter vos deponam tabernaculum carnis meæ, vt in manibus vestris refundam spiritum meum, vt claudatis oculos patris vestri, & sub oculis vestris reponantur omnia ossa mea. Orate proinde, ô dulcia viscera mea, vt desiderium animæ meæ tribuat mihi Dominus. Recolite charissimi, quia de Domino Iesu præsentiam suam discipu-
Act. 1. 4. lis subtracturo scriptum est, *Conuescens præcepit eis ab Ierosolymis, ne* [15] *discederent*; Eius itaque vtentes
C exemplo, quoniam post dulce conuiuium iam à mensa surreximus, post modicum discessuri præcipimus, obsecramus, monemus, ne discedatis ab Ierosolymis. Pacem enim Ierusalem significat. Pacem itaque commendamus
Ephes. 2. 14. vobis, pacem præcipimus vobis. *Ipse enim Christus, qui est pax nostra faciens vtraque vnum, conseruet vos in vnitate Spiritus, & in vinculo pacis*, cuius vos protectioni & consolationi sub alis Spiritûs sancti commendo, vt ipse vos mihi, & me vobis cum pace & incolumitate [16] restituat. Accedite nunc filij mei dulcissimi, & in signum pacis, & charitatis, quam commendaui vobis, date osculum patri, simulque omnes oremus, vt Dominus prosperum iter nobis faciat, & redeuntes vos in hac ipsa pace inuenire concedat. Qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Populis exultatio. Cod. Cam. Populis *Christianis* exultatio.
D 2. Suos. Exactores Iudæorum sunt immundi Spiritus, quos diuer. etr. impl. ad maledicta, &c. C. Cam Suos. *Potest per exactores*, & quod sequitur vsque ad, exactores *præterea* Iudæorum *modo immundi Spiritus sunt*, quos diuer. etr. impl. ad. *blasphemias & maledicta* &c.
3. Et cum illis. C Cam. *Cum & illis.*
4. Persona, dura. C. Cam. Persona *loquens* dura.
5. Cum dederit tibi Deus requiem. Per hanc. C. Cam. *Cum requiem tibi dederit Dominus, Hac & ad Ecclesiam.* Et quæ inseruimus vsque ad, *Nam per hanc.*
6. Et dices. Quomodo cessauit. C. Cam. Et dices. Regem Babylonis, & reliqua vsque ad *interitum, dicens.* Quomodo cessauit.
7. Suos mundum vexabat. C Cam. Suos *diuersis exactionibus* mundum vexabat.
8. Dominantium, cædentem populus. C. Cam. Dominantium. *Dicitur ipse Antichristus*, & quæ sequuntur vsque ad, *cædentem populos.*
9. Crudeliter. Conquieuit. C. Cam. Crudeliter. *Hæc omnia superius*, & cætera vsque ad, *Conquieuit.* E
10. Sublimes in Ecclesia. C. Cam. Sublimes *quosque* in Ecclesia.
11. Fortiores, quorum vox exultantium & gloriantium. C. Cam. Fortiores. *Qui profectò super*, & reliqua vsque ad, Quorum *etiam* vox *gloriantium & exultantium.*
12. Gigantes. Omnes Principes terræ. C. Cam. Gigantes. *Per infernum*, & quæ adijciuntur vsque ad, *Omnes principes terræ.*
13. Quem præ omnibus suæ malitiæ animabit C. Cam. Quem *omnibus artibus* suæ malitiæ animabit.
14. Animo scilicet ad alia festinante, Recolite charissimi, quia de Domino IESV præsentiam. C. Cam. Animo *videlicet* ad alia *dicenda* festinante. *Tempus enim est vt iter*, & cætera vsque ad, Recolite *autem* charissimi, quia de Domino IESV *iam iamque* præsentiam, &c.
15. Discederent. Pacem vt. sig. Ierus. Eius vten. exem. præ obs oc disce. ab Ierus. Ipse enim. C. Cam. Discederent. *Eius itaque vtentes exemplo*, & cætera vsque ad, Ipse *autem* Christus. F
16. Restituat. Quod ipse concedat. C. Cam. Restituat. *Accedite nunc filij mei dulcissimi* vsque ad, *Concedat qui.*

SERMO QVINTVS-DECIMVS.

ECce adsum filij mei [1] charissimi, gaudium meum & corona mea [2] in Domino. Ecce adsum post multos labores, iterque satis periculosum redditus vobis, redditus affectionibus vestris. Dies iste, dies est mihi exultationis & [3] lætitiæ, quam in terra aliena positus, quam etiam ventis marique oppositus, diu desideraui, vt viderem, & desiderium pauperis exaudiuit Dominus. O amor quam suauiter vris absentes, quam delectabiliter pascis præsentes, nec tamen satias esurientes, donec [4] ponas Ierusalem pacem, & adipe frumenti saties eam. G
Hæc est pax cuius primitiis interim refocillati, gustatis quam bonum & quam iocundum sit habitare fratres in vnum. Hæc est [5] pax quam vt meministis commendaui vobis cum me lex ordinis cogeret ad tempus separari à vobis, quam nunc rediens ad vos Deo gratias, inueni in vobis, pax vtique Christi, quæ quodam prægustu charitatis vos pascit in via, eius plenitudine satiandos in patria. Eia fratres dulcissimi, totum quod sum, totum quod viuo, totum quod scio, vestris profectibus, offero, vestræ deuoueo vtilitati. Vtimini me vt libet, nec parcatis labori meo, vbicunque seruire poterit profectui vestro. Redeamus ergo si placet, imo quia placet ad opus quod intermisimus, & cælestes thesauros, quos sub tegmine parabolarum Sanctus recondidit Isaias, lumine nos [7] veritatis sancto Spiritu perfundente rimemur; describens quippe parabolam, quam contra Regem Babylonis populus ab ea tyrannide liberatus assumet, *Et erit inquit in die illa cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à* [8] *confusione tuâ, & à seruitute tuâ durâ, qua ante seruisti, sumes parabolam hanc contra Regem Babylonis.* Itaque parabolam intelligamus vt parabolam, non arbitrantes eam contra Nabuchodonosor terrenæ illius principem Babylonis, sed potius contra eum qui ab Aquilone est, principem confusionis esse prolatam; Sed quia hæc vltimo illo sermone, quem de his ad vos habuimus, allegoricâ interpretatione transcurrimus, ea ipsa nunc moraliter prosequamur. Isa. 14. H 3.

Si quis igitur nostrum aliquando in confusione vitiorum positus, ac iugo iniquitatis oppressus, iam se gaudet & à labore quiescere, & pro transactis, nihil confusionis habere, iugum quoque pessimæ seruitutis abiecisse, sumat parabolam hanc contra Regem Babylonis. Labor in vitiis est requies in virtute; confusio in libidine, securitas in castitate; seruitus in cupiditate, libertas in charitate. Est quippe labor in vitiis, labor pro vitiis, labor contra vitia. Labor in vitiis, quando vt pessima

A

desideria explentur; laborem [9] multis hostis antiquus importat. Labor pro vitiis, quando quis pro malis quæ fecit, vel inuitus affligitur, vel volens labore pœnitentiæ maceratur. Labor contra vitia, quando conuersus ad Deum diuersis tentationibus fatigatur. Est etiam Confusio io vitiis quando homo pessimis passionibus dissipatus, non ratione regitur, sed vitiorum tumultu confusè agitatur: confusio pro vitiis, quando quis deprehensus, & conuictus criminis alicuius confunditur, vel pœnitens, & confitens quæ commisit, salubri [10] confusione, & confessione purgatur. Porro confusio contra vitia, quando homo conuersus ad Deum tentationi quam patitur ex parte, confusionis recordatione resistit. Clamat Dominus in Euangelio,

Matth. 11.28.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Habes alias scriptum de quibusdam,

Ierem. 9.5.

Vt iniquè agerent laborauerunt. [11] Quis labor latronibus furibusque, vt vel viatorem opprimant, vel patremfamilias domo perfossa

B

despolient? Quis labor adulteris vel fornicatoribus, vt malè cupitis potiantur amplexibus? sed & auaro agris vel thesauris inhianti alienis, labor non modicus [12] est etsi non corporis, tamen cordis.

Hunc laborem sequitur [13] confusio, qui sicut io virtutibus ordinis est pulchritudo: ita in peccatis tumultus & confusio. Si autem legendum est, quod in plerisque codicibus inuenitur *concussio*, scit qui expertus est, quomodo vitiis subditus miserabiliter ab ipsis concutitur, & quasi obsessus vndique lapidatur.

Ioan. 8. 34.

Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. O dura seruitus! quæ etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia, cùm violentia malæ consuetudinis ad illud impellitur vitium, quod iam detestatur; vt mirum in modum [14] & peccatum ita velit, vt faciat; ita nolit vt ploret. A quibus omnibus cum homo fuerit liberatus, sumet parabolam hanc contra Regem Babylonis, & dicet, *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum?* Audi Dominum nostrum IESVM in Euangelio dicentem Petro:

C

Matth. 17.25.

Reges Gentium à quibus accipiunt tributum à suis an ab alienis; Et Petrus, *Ab alienis.* Cui Dominus, *Ergo inquit liberi sunt filij.* Sunt igitur tres exactores tributa exigentes, Cæsar, diabolus, & Deus. Cæsar imaginem suam impressam nommo, quam homini in signum suæ dominationis imposuit, quasi exactor importuous extorquet. Diabolus similitudinem suam, quam consentienti sibi animæ affectu vitiorum, stylo consuetudinis vitiosæ inseruit, durus ac crudelis exactor, quotidianæ turpitudinis solutione requirit. Deus imaginem suam, quam naturæ animæ rationalis impressit à sua rationabiliter exigit creatura. Ad imaginem quippe & similitudinem Dei creatus homo,

Gen. 1. 26.

quandiu se alterius oon subdidit potestati, oon cogebatur soluere quod constabat eum non debere. Sicut [15] autem Dei quædam similitudo lucet in virtutibus, ita similitudo diaboli in vitiis æstimatur; à qua eius similitudine tandio homo liber est, quandiu non præbet criminà suadenti consensum. Consensus quippe in anima,

D

ipsam quodammodo diaboli similitudinem, leui, vt ita dicam; tractu depingit. Quando verò consensus prorumpit ad actum, iam plenam eius imaginem affectu peccandi sibi miser [16] imponit: sicut in homine, peccato mediante, diabolus potestatem accipiens, cùm eum iugo malæ consuetudinis oppresserit, quotidianum peccati tributum ab eo intolerabilis exactor extorquet.

Exod. 5. 14.

Sed sicut Pharao plebem Israëliticam in luto affligens & latere, plures sub se legitur habuisse exactores, ita princeps ille tenebrarum ad hoc tributum exigendum, singulis suorum [17] singulos imputat impulsores, qui eis labores indicant, & suggestionibus incautos concutiant, duràque peccati seruitute depressos, in sordidis operibus desudare compellant. Sed ô quæcunque es anima, quam ab hac infelicitate Dei pietas liberauit, præstans tibi requiem à labore tuo, & concussione tuâ, & à seruitute tuâ durâ, quâ ante seruisti; miraris certe quod tam facilis tibi est continentia, quæ tibi impossibilis videbatur; miraris quod insolitæ consuetudinis iugum euanuit, ad quod deponendum, etiam conatum omnem desperatio innata [18] subtraxerat; miraris qood tam facile suggestio inimica contemnitur, cui hactenos obedire ineuitabilis quædam necessitas

E

compellebat. Sume ergo parabolam contra Regem Babylonis, exulta cum tremore; clama cum stupore, *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum?* Instabat quotidie spiritus fornicationis alicuius turpitudinis, & immunditiæ tributum exigens, nec erat repellendi facultas vel virtus resistendi: *Quomodo* ergo *cessauit exactor, quieuit tributum?* Insurgens in me spiritus iræ ad verba furoris crebrius compellebat, nunc amarum silentium, nunc furibundum clamorem, nunc quasi debitum pensum iurgij & litis indicebat horrorem: *Quomodo* ergo *nunc cessauit exactor, quieuit tributum?* Spiritus gulæ ad negatos vel illicitos cibos excitans appetitum, quotidiani murmuris & detractionis à me exigens nummum; magistris intractabilem, impatientem me sociis exhibebat

F

Quomodo ergo *nunc cessauit exactor, quieuit tributum?* Spiritus acidiæ omnem statum meæ tranquillitatis euertens, & horrorem solitudinis & quietis odium ingerens discursiones inordinatas, signa vana vel periculosa me sibi soluere compellebat: *Quomodo* autem *nunc cessauit exactor, quieuit tributum?* Spiritus tristitiæ totam animæ meæ depascens lætitiam, rancoris vel desperationis tributum mihi imponere nitebatur: *Quomodo* ergo *cessauit exactor, quieuit tributum?* Spiritus superbiæ ipsam interiorem cordis mei sedem peruadens, subiectionis impatientem nunc cupidum dominationis faciebat, nunc ambulare in magnis & mirabilibus super me despectis cæteris compellebat, nunc meipsum præferre melioribus, cunctorumque profectibus inuidere persuadens

* pensumentum quotidiani doloris & indignationis imponebat: *Quomodo* ergo *cessauit exactor, quieuit tributum*? nunquid in virtute mea? nunquid in gaudio meo? * An legendum penium.

Certe Dominus contriuit baculum impiorum, virgam dominantium, Dominus conterens bella; Dominus [19]

G

oomen est illi.

Gloria tibi Domine IESV, quod non permittis nos tentari supra quam possumus. Non dedisti gladium in manum hostis, sed baculum vel virgam; gladius enim extinguit, virga vel baculus affligit. Denique vox tua est ad sathan de Beato Iob.

Iob 1. 12.

Ecce in manu sua sunt cuncta quæ [20] *possidet, tamen ne in eum extendas manum.* Deinde cum dedisset ei in corpus eius potestatem,

Iob 2. 6.

Veruntamen (inquit) *animam illius serua.* Data [21] est virga, datus est baculus, sed negatus est gladius. Virga data est, quando concessum est ei adimere temporalia; datus est & baculus, quando in ipsum corpus eius sæuire permissus est; negatus est gladius, quando ab animæ extinctione prohibitus est. Percutit itaque virga, quando ea quæ foris sunt tangit; percutit baculo, quando corpus ipsum affligit; percutit gladio, quando à corpore animam excutit. Hac triplici [22] tentatione aduersum martyres iamdudum deſæuiit diabolus, quibus etiam in fine sæculi aduersum fideles

H

per diabolum sæuiet Antichristus. Contra nos, qui quasi in medio duûm temporum positi sumus; quoniam gladius ei ademptus est, virga baculoque contendit. Itaque quando rerum temporalium damnis percutimur virga est; quando ægritudine vel alia carnis afflictione, baculus est. Virga quoque percutit, quando suadet [23] delectatione, baculo quando trahit ad consensionem; gladio quando compellit ad actum. A quibus omnibus cũ fuerimus liberati, adnos vox ista pertinebit,

Isa. 14. 5.

Contriuit Dominus baculum impiorum. Impij sunt dæmones, qui non amore iustitiæ, nec corrigendi affectu, sed ex sola malitia plagas mortalibus, [24] quibus Dei iusto iudicio dominari permittuntur, vel ad tempus vt purgentur, vel in æternum vt puniantur, inferre non cessant; de quorum malitiâ apte subiungitur.

Isa. 14. 6.

Cadentem populos in indignatione plagâ insanabili. Plaga ista insanabilis ad reprobos pertinet, qui in baculi virgæve percussione murmurantes affligi possunt,

sed

A fed sanari non possunt. Et addidit. *Subijcientem in furore gentes, & persequentem crudeliter.* Multis quippe tentationibus subiecit sibi Gentes spiritus nequam, non amore iustitiæ, sed in furore persequens eos crudeliter,
1.Reg.2.6. non sicut Christus misericorditer, qui percutit vt sanet, mortificat vt viuificet, deducit ad inferos vt [25] reducat. Eia fratres charissimi cauete à murmuratione & à detractione, parcite linguæ. Ecce visitat Dominus in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra. Defecit messis, pecus multum interiit. Oportebit nos forte sub hoc infortunio aliquam consuetæ consolationis sustinere iacturam. Sustinete quæso cum patientia virgam Domini; nunquid enim mea est? nullus sibi blandiatur & dicat. Absit non murmuramus contra Dominum, sed contra illos quorum interfuit ista cauere. Cauete vobis filij mei charissimi, cauete vobis in hac parte. Murmurabant filij Israël contra Moysen & Aaron. Et illi, *Non est* (inquiunt) *murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum, nam nos quid sumus?* Felix anima quæ transiens per ignem & aquam potest dicere quod sequitur. *Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est,* [26] *exultauit.* Redit quippe ad id quod præmiserat. *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum!* Deinde cum respondisset, *Contriuit Dominus baculum impiorum*, &c. Non solum inquit, cessauit exactor & quieuit tributum, sed insuper conquieuit & siluit omnis terra. In terra cordis nostri & in terra carnis nostræ quando diuersis tentationibus fatigamur, qualis tumultus est, qualis clamor [27] vitiorum, clamantium alterius ad alterum? Felix anima, quæ in se hunc clamorem non audit; adhortationem ducum, & vlulatum exercitus. Ipsi sunt duces, quos paulò ante commemorauimus, capitalium incentores vitiorum, quos sequitur, innumerabilium exercitus peccatorum. Quanta felicitas, quando conquiescit & silet omnis terra! quando in carne nostra quiescunt incentiua libidinum, aculei delectationum, spinæ immundarum [28] passionum, quando in corde silent tumultus cogitationum, suggestio delectationum, superbiæ tumor, iræ impetus, murmurationis horror, suspicionis vel indignationis susurrium. Cum autem quieuerit & siluerit clamor vitiorum, sequitur iocunditas exultatioque virtutum. *Gauisa est* (inquit) *&* [29] *exultauit*, de terra loquitur quæ conquieuit & siluit. Ideo caro nostra quam terram dixit gaudere dicitur, quia animam, cuius est terra, gaudentem facit & exultantem. Nam & lætus dies dicitur qui lætos facit, & tristis qui plurimis tristitiam ingerit. *Gauisa est*, inquit, *& exultauit.* O quale gaudium, qualis exultatio, quando in hominis conscientiâ omnia læta sunt, omnia pacifica, quando contrito sub pedibus satana, omnique macula vitiorum expulsione deletâ, in solis virtutibus anima gloriatur!
Isa.14.8. Vnde sequitur. *Abietes quoque lætata sunt super te & cedri Libani.* Per abietes & cedros, arbores sublimes & odoriferas, virtutes intellige, quarum cacumen cœlum tangit, mundum bonæ [30] opinionis odore perfundit. Tunc verè virtutibus lætatur conscientia, quando & sublimes sunt cœlestium intentione, & famæ integritate odoriferæ. Hoc est quod ait Apostolus,
Rom.12.17. *Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Cum igitur abietes & cedri lætatæ fuerint, id est, cum virtutes vitiis succedentes salutari lætitiâ mentem perfuderint, *ex quo dormisti* (inquiunt) *non ascendit qui succidat nos.* Ad Regem Babylonis, principem scilicet tenebrarum vox ista dirigitur. Obdormisti ô satana non interisti, nulla securitas, fratres mei, nulla securitas. Dormit hostis, non periit. Facile excitatur qui dormit. Pax est, requies est, quia ipso dormiente non ascendit qui succidat virtutes. Veruntamen, fratres, perfectorum vox ista est, quibus iam non est colluctatio aduersus carnem, quæ plerumque innatâ sibi concupiscentiâ virtutes succidit, sed aduersus spiritales nequitias, quibus dormientibus, id est, à tentationibus cessantibus, requiescunt perfecti, nullam [31] ex seipsis in seipsis pugnæ materiam habentes. Sciendum plane est fratres mei, quia pax ista nec continua poterit esse, [32] nec perfecta, donec nouissima inimica destruatur mors: id est, mortis auctor diabolus, cui non iam dormienti, sed quasi morienti, Sanctorum societas insultabit, *Vbi est* (inquiens) *mors tua, vbi est mors stimulus tuus.* Quod Isaias aliis verbis, *Quomodo* (ait) *cessauit exactor, quieuit, tributum? Infernus subter conturbatus est in occursum tui suscitauit tibi gigantes.* Superato à Sanctis diabolo turbatus occurrit infernus, spirituum scilicet societas immundorum, suscitans illi gigantes, quoslibet de suis sociis fortiores, cum quibus rediens ad domum, de qua fuerat expulsus, si copia fuerit temtandi, faciat nouissima hominis illius peiora prioribus. Hæc vicissitudo tentationis & pacis nobiscum agitur, donec omnes principes terræ, id est, terrena sectantium; omnes etiam principes nationum, principes videlicet regni Persarum, vel Græcorum sicut habes in Daniele; vel certè principes nationum, id est, vitiorum, de suis fugati sedibus, Principis sui interitum lugeant. Cuius cadauer, id est omnis societas reproborum, cum eo æternis suppliciis data, tinea demolietur, putredine corrumpetur, vermibus corrodetur. Non miremini si vos hodie [33] diutiùs tenui quam solebam, quoniam auidus vestri post diuturnam famem, non facile potui vestrâ præsentia satiari. Nec putetis quod vel nunc satiatus sim, cum sermonem omittam fatigatus, non satiatus. Satiabor cum apparuerit gloria Christi, in quo vos nunc amplector delectabiliter,* quibus me spero futurum in ipso feliciter, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Margin notes: B; Exod. 16.8.; 3.2.14.7.; C; D; E; Eph.6.17.; 1.Cor.15.26.; 1.Cor.15.55.; Isa.14.9.; Matth.12.74. & 45.; F; Dan 10.20.; G; H

* Forte *cum quibus.*

VARIÆ LECTIONES.

1. Charissimi, gaudium. C.Cam. Charissimi *& desideratissimi*, gaudium.
2. In Domino. Dies iste est mihi exulta. C. Cam. In *Christo. Ecce ad sum post*, & reliqua vsque ad Dies iste dies *mihi est* exult.
3. Lætitiæ quam diu desideram. C.Cam. Lætitiæ *dies* quam *in terra aliena*, & quod adiicitur vsque ad *expositus desideraui.*
4. Ponas Ierusalem. C Cam. Ponas *fines* Ierusalem.
5. Pax, quæ quodam prægustu charitatis vos pascit. C.Cam. Pax, *quam vt meministis*, &c. vsque ad, quæ quodam *prægustu charitatis pascit.*
6. Scio vestris profectibus. C. Cam. Scio, *totum quod sentio*, vestris profect.
7. Veritatis sancto Spiritu C. Cam. *Veritatis spiritu perfundente.*
8 Confusiune tuâ. C.Cam. Confusione *vel concussione* tuâ.
9. Multis hostis antiquus. C Cam. Multis *antiquus hostis.*
10. Confusione, confessione purgatur. C.Cam. *Confusione purgatur.*
11. Quis labor. C. Cam. Quis *rego labor.*
12. Est etsi non corporis tamen cordis. C.Cam. Est *vt si* non corporis, *cordis* tamen.
13. Confusio omnis enim qui fa pec. seruus. C. Cam. Confusio, *quia sicut in virtutibus*, &c. vsque ad omnis qui fa. pec. *ait* IESVS, seruus est.
14. Et peccatû ita velit. C.Cam Peccatu *facere* ita velit.
15. Autem Dei quædam similitudo. C.Cam Autem *quadam Dei* similitudo.
16 Imponit: sicut in C Cam. *Imponit: sic* in homine.
17. Singulos imputat impulsores, qui eis labores indicant, & suggestionibus incautos concutiant. C. Cam. *deputat* qui eis *laborem* indicant, & suggestionibus *ac tentationibus* incautos concutiant.
18. Subtraxerat. Sume ergo. C.Cam. Subtraxerat *Miraris quod* & quæ add.dimus vsque ad, *Sume ergo.*
19. Illi. Gloria tibi. C.Cam. Illi. *Gloria* tibi Domine.
20. Possidet, tamen ne. C.Cam. Possidet, *tantum* ne.

A

21. Est virga, datus est baculus. C. Cam. Data est ei virga, datus *&* baculus.
22. Tentatione aduersum martyres. C. Cam. Tentatione *aduersus* martyres.
23 Delectatione. C. Cam. *Delectationem.*
24. Quibus iusto Dei iudicio. C. Cam. *Quibus Dei iusto iudicio.*
25. Reducat. Conquieuit. C. Cam. Reducat. *Eia fratres* & reliqua, vsque ad *Conquieuit.*
26. Et exultauit. In terra. C. Cam. Et exultauit. *Redit quippe,* & quod sequitur vsque ad, *In terra.*
27. Vitiorum quos sequitur. C. Cam. Vitiorum *clamantium alterius*, &c. vsque ad, *Quos sequitur.*
28. Passionum, superbiæ tumor, iræ impetus, suspicionis vel indign. C. Cam. Passionum, *quando in corde* & cætera vt notauimus vsque ad, *vel indig.*
29. Exultauit. O quale gaudium C. Cam. Exultauit. *De terra loquitur*, & quod interiectum vsque ad, *O quale gaudium.*

B

30. Opinionis odore perfundit. C. Cam. Opinionis *odor* perfundit.
31. Ex seipsis in seipsis pugnæ. C. Cam. *In seipsis, ex seipsis pugna*
32. Nec perfecta donec. C. Cam Nec *plena* donec.
33 Diutius tenui quam. C. Cam. Diutius *desinui* quam.

SERMO SEXTVS DECIMVS.

POst sacra Dominicæ natiuitatis solemnia, ad indaganda Propheticæ visionis mysteria reuertentes, spiritales delicias, fratres charissimi, non omittimus sed mutamus: sed nec mutamus quidem, cum ea quæ de his sanctis diebus impleta recolimus, vt verbis propheticis prænuntiata agnoscimus. Vbique autem vno Dei verbo pascimur [1] & potamur, quod ideo caro factũ est, & habitauit in nobis, vt à carnalibus posset audiri, quos erudiret verbis, confirmaret miraculis, attraheret exemplis, postremo proprij effusione sanguinis redimeret. (Ioan. 1. 14.)

C

Sic igitur natiuitatem eius, passionem & resurrectionem, in cœlis etiam ascensionem, fidem quoque gentium, & sanctæ Ecclesiæ regnum, quæ omnia gaudemus impleta, in Prophetis inuenimus prænuntiata; ita profecto tyrannidem Antichristi, Ecclesiæ in omnibus persecutionem & perditi illius destructionem, futurum Dei iudicium, & diaboli cum omnibus [3] membris suis interitum, quæ in ipsis scripturis narrantur futura, nullus Christianus ambigat esse complenda. Itaque descripta Antichristi persecutione, vsque ad eius interitum, in quo & ipsius sathanæ potestas, & principatus deiicitur, Propheticus sermo peruenit, in quem adhuc sub typo Regis Babylonis inuehitur dicens, *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane* [4] *oriebaris.* De his fratres charissimi tractaturi, vtile arbitror Beatissimi Augustini verba præponere, & quid hinc ipse senserit proferre in medium, vt præcedente tantæ auctoritatis lumine, profundissimam scripturæ huius abyssum, quantò luminosiùs, tantò securiùs perscrutemur.

D

Quod per Isaiam, inquit, dicitur, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer manè oriens*, &c. quæ in figura Regis Babylonis, quasi in diabolum dicta intelliguntur: Plura in eius corpus conueniunt, quod de humano genere congregat, & in eos maximè, qui ei per superbiam cohærent, apostatando à mandatis Dei. Sicut enim Corpus Christi, quod est Ecclesia, dicitur Christus, eodem modo corpus diaboli, cui caput est diabolus, id est, ipsa impiorum multitudo, maximéque eorum qui à Christo, vel de Ecclesia sicut de cœlo decidunt, dicitur diabolus; & in ipsum corpus figuratè multa dicuntur quæ non tam capiti quam corpori conueniunt. Itaque lucifer qui manè oriebatur & cecidit, potest intelligi apostatarum genus vel à Christo, vel ab Ecclesia: quod ita conuertitur ad tenebras amissa luce quam portabat: quemadmodum qui conuertuntur ad Deum, à tenebris ad lucem transeunt, id est, qui fuerunt tenebræ lux fiunt. Itaque secundum

E

Beatissimum Augustinum, hæc verba non tam de persona diaboli, quam de eius membris dicuntur. Nec tam primus ille diaboli casus, vnde Dominus ait, *Vidi* [5] *satanam quasi fulgur de cœlo cadentem*, quam membrorum ipsius apostasia, ab Ecclesia recedentium, in mystico sermone describitur. (Luc. 10. 18.)

Quoniam autem omnium membrorum [6] eius pessimum dicitur Antichristus, cuius tempore apostatarum maxima erit multitudo, secundum ordinem Prophetiæ ipsius, sequaciumque eius hîc ruina monstratur. Verùm quia vnum corpus constat esse malorum, quicunque non ad eam redituri de Ecclesia corruerunt, huius ruinæ participes non dubitemus; in quibus omnibus ipsius corporis caput, diabolus videlicet, confunditur, ad quem exprobrantis Prophetæ sermo dirigitur, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer qui mane oriebaris?* (Isa. 14. 12.) Lucifer potest dici Antichristus vel pro splendore gloriæ temporalis, vel pro simulatione sanctitatis, vel certè pro singulari quodam, vt putabitur, lumine sæcularis sapientiæ, vel pro fallacium miraculorum exhibitione, quibus omnibus ortûs eius, id est, ostensionis initia præfulgebunt.

F

Per hoc quod manè ortus dicitur, initium ostensionis eius declaratur; vel per manè præsens vita designatur, quæ vergens in senium quasi nocte superueniente extinguitur. Vnde Salomon de his, qui in præsenti vita spretis futuris, quibus possunt voluptatibus perfruuntur, *Ve* (inquit) *terra, cuius Principes manè comedunt.* (Eccl. 10. 16.) Ideo Antichristi gloria temporalis erit, non æterna; breuis, & non diuturna, non stabilis, sed caduca. Ideo ait, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui manè oriebaris.* Cœlum hic [7] templum intellige, de quo ait Apostolus loquens de Antichristo, *Qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus*; (2. Thess. 2. 4.) Quibus verbis ostẽditur habiturus [8] in Ecclesia Dei potestatem, quam primo fortè ingredietur specie quasi recturus eam, re autem impugnaturus.

G

Vnde non absurdè quidam existimant, quod aliquam in Ecclesia sedem excelsi nominis, aut formam regiæ dignitatis obtenturus sit, & ita paulatim tum signis & prodigiis mendacibus, tum Regum & principum fauore subnixus, in tantam proficiet potentiam, gloriam, & opinionem, vt facile Iudæis & Gentibus se Christum esse persuadeat, Dei se filium mentiatur, ostendens se tanquam sit Deus.

Quod vero ait Apostolus, *Aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus*, Ipsas excellentiæ cogitationes, quibus ad illam excellentiam aspirabat, sanctus Isaias prophetando subiunxit, *Qui dicebas in corde tuo, In cœlum ascendam*, &c. (Isai. 14. 13.) Hoc est cœlum de [9] quo improperando eum dixerat corruisse, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes.* Quod Antichristus vulneraturus sit gentes vulnere graui, plagâ crudeli, non poterit dubitare qui Apostolum audiet dicentem, *Eum, cuius est aduentus secundum potestatem sathanæ, in omni seductione, signis & prodigijs mendacibus his qui pereunt.* (2. Thess. 2. 9.)

H

Corruisti (inquit) *in terram*, prostratus quippe spiritu oris Dei, pro cœlo inferos possidebit, cuius [10] corpus etiam damnatum terræ putredine corrumpetur. Septuaginta interpretes, non *qui vulnerabas Gentes*, sed *qui mittebas ad omnes gentes*, interpretati sunt, nuntios Antichristi ad omnes Gentes significantes esse mittendos, & vbique [11] contra Christi Ecclesiam sæuituros. *Qui dicebas in corde tuo, In cœlum ascendam.* Possunt hæc intelligi verba diaboli loquentis in Antichristo, & vniuersam Christi ciuitatem per eum sibi subdere cupientis. Igitur Antichristus diabolico afflatus spiritu, cernens se in sapientia sæculari, in signis & prodigiis, ab ipso principe tenebrarum accepisse virtutem ad id, quo nihil sublimius in hoc mundo habetur, Ecclesiæ videlicet ambiget principatum acceptúque secundum Apocalypsim, vel Danielem à bestia, id est, illius temporis regno, decem Regibus quasi decem cornibus præfulgente, in omnibus potestate, iniquitatem meditabitur in cubili suo dicens. *In cœlum conscendam*, id est, obtinebo in Ecclesia (Apoc. 13. Dan. 7.)

domina

A dominatum. *Sub astra Dei*, eos videlicet, qui velut sidera sapientiæ claritate, vel religionis splendore præfulgent, *exaltabo solium meum* [12] eos decretis meis iudiciisque subiiciens. Et addidit,

Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Mons testamenti potest dici Ierusalem illa terrena, in cuius ciuitatis templo Antichristum quidam existimant Ps.47.3 regnaturum, de quo Psalmista, *Mons Sion* (inquit) *latera aquilonis, ciuitas Regis magni.* Quæ omnia meliùs de Christi Ecclesia intelliguntur, quæ vtique est mons & Sion mons testamenti, cuius latera aquilo, id est frigida semper amabit reproborum vel persequentium [13] multitudo. Possunt & per montem testamenti, excellentiores, & perfectiores qui sunt in Ecclesia designari, qui nouum testamentum super legis ordinant sacrificia: in quibus sibi sedem antiquus hostis, per illum perditionis filium præparare nititur. Hoc igitur quod ait, *cœlum conscendam*, vel illud, *Sedebo in monte testamenti*, B Paulus exponens, *Ita* (inquit) *vt in templo Dei sedeat.* Rom.14.14. *Ascendam super altitudinem nubium*: Nubes prædicatores sunt Euangelij, de quibus Dominus per hunc Isa.5.6. ipsum Isaiam, *Mandabo nubibus meis ne pluant super* (vineam) *illam imbrem.* Et alias, *Qui sunt isti qui vt nubes volant?* Isa.60.8. Super [14] huiusmodi nubes ascensurum se, diabolus per Antichristum gloriatur, vt superior inferioribus dominetur, & ad suæ voluntatis consensum vel volentes illiciat, vel incautos decipiat, vel nolentes cogat, vel puniat resistentes. Sequitur, *Similis ero altissimo.* [15] Hoc ait quod ait Paulus, *Ostendens se tanquam sit* [16] *Deus.* Sed & cuilibet hæretico, vel certè hæreticorum vniuersitati hæc cuncta conueniunt, qui primò Lucifer, id est, lucem ferentes scientiæ, in tenebras labuntur errorum, sicque corruentes de Ecclesiæ firmamento, peruersorum dogmatum efficiuntur magistri. Cuius apostasiæ principium superbia est, quia in Ecclesia dominari, quasi in cœlum ascendere; sanctis præesse, quasi super sidera exaltari; sublimiores quosque sibi subesse, quasi sedere in monte testamenti, C cæteris omnibus prædicatoribus veritatis videri in sapientia celsiores, quasi super altitudinem nubium conscendere affectent. Quia vero superbi sic semper volunt præesse, vt dedignentur subesse, eius per superbiam appetunt similitudinem, qui omnibus præest, subest autem nulli. Cauete superbiam fratres charissimi, cauete. Quam multi enim, quod dolens dico, si forte viderent se in luce sapientiæ profecisse, verbo & exemplo aliis profuisse, vt meritò luciferi nomine digni habeantur, ita vt manè, id est, initio suæ conuersionis, cæteris eiusdem vitæ consortibus clariores habeantur, occultâ primum intentione tumescunt, prælatos suos despiciunt, & nunc eos simplicitatis & inscientiæ arguunt, nunc, quod in temporalibus occupantur, derident & * forte despiciunt detrahunt, & inferiores se cunctos* aspiciunt, habentes semper præ oculis quicquid in aliis reprehensibile inueniunt, & cum non inuenerint fingunt, & hoc, quod ipsi ante oculos hominum laudabile agunt, ad memo- D riam reuocantes, suâ se vanitate interiùs pascunt.

Deinde quisquis talis est, omnes prælatione indignos iudicans, *Ascendam* (inquit) *in cœlum.* O lucifer qui manè oriebaris, Iniquitatem meditaris in cubili tuo. Quid dicis? quis ille, vel ille est vt præsit nobis, homo idiota & sine litteris, homo totâ die se tradens & intricans [17] terrenis, homo nec eloquentiâ clarus, nec in scripturis exercitatus, nec discretus in opere, nec in arte spiritali peritus. Hæc dicens in corde suo, instar Absalon parricidium parat, *Quis me* (inquiens) *constituat iudicem super populum istum?* 2.Reg.15.4. In cœlum conscendam, dignus [18] qui spiritualibus, id est, cœlestibus præsim, cum mea conuersatio semper in cœlis sit. Vt quid perditio hæc? perditio (inquam) tantæ sapientiæ, tantæ virtutis, & eloquentiæ quæ ita prodessent, sed quia in inferioribus sedeo, prodesse non possunt. Super sidera igitur Dei ego, instar luciferi, cæteris [19] exaltabo clarior sedem meam, in monte testamenti sedens similitudinem mihi Dei, aliis proficiendo, acquiram.

E Cum enim testamentum Sacra appellatur Scriptura, mons testamenti non incongruè charitas dici potest, quæ omnibus excellentior virtutibus, in se totam legem continet & Prophetas. Nihil ergo magis arrogans & ambitiosus; quam, in [20] charitate se præesse, pollicetur: vbique contra prælatum suum in angulis susurrans, & maximæ eum duritiæ & inhumanitatis accusans describit, & quasi ante fratrum depingit oculos, qualis debeat esse Abbas, quam modestus, quam pius, quam amans subditos, quam eorum compatiens [21] laboribus, condescendens infirmitatibus. Tunc ita charitate ordinandum esse refectorium, de infirmitorio tam misericorditer disponendum, scripturarum auctoritate confirmat; vt audientes in cordibus suis respondeant, O si [22] iste Abbas esset! Qualis Abbas iste! quam sapiens, quam eloquens, quam misericors, quam humanus! Et ille hoc animaduertens, Quis inquit similis mihi in nubibus cœli? quis in scripturis ita eruditus vt ego? quis prædicationi tam aptus? F

Ascendam ergo *super altitudinem nubium*, vt prædicatoribus cunctis supereminens ostendam sapientiam meam, ne vlteriùs lateat, quod ad profectum multorum poterit apparere. Ita in me Dei similitudo reparata lucescet, quæ maximè in sapientia, & charitate consistit. Talis aliquando cum [23] sui compos fuerit voti; & ad prælationem, quam ambierat, aut propria machinatione, aut aliorum factione promotus, Dei gratia spoliatus, de virtutibus fictis ad vitia manifesta prolabitur, & sic omnibus exosus proiicitur, vt mereatur audire, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer qui manè oriebaris, corruisti in terra*, qui de cœlesti conuersatione gloriabaris, vt [24] appareat inferioribus tuis non medicinam aliis præbuisse, sed peccatorum potius vulnera inflixisse. Hi omnes, quoniam ad corpus illius nefandi capitis eos certum est pertinere, quali pœnâ digni habeantur, Propheticus sermo non tacet. Sed longum sermonem istum protraximus, ea quæ sequuntur alio tempore G tractanda reseruemus, ipso iuuante [25] qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Et potamur, quod ideo factum est caro, &c. C.Cam. Et *nutrimur*, quod ideo *caro factum est* vt.
2. In omnibus persecutionem. C. Cam. *In nouissimis persecutionem.*
3. Membris suis. C.Cam. *Suis membris.*
4. Oriebaris, Quæ in fig. qua Reg. Baby. in diab. dic. intell. Et secundum Beatissimum. C.Cam. Oriebaris. *De his fratres charissimi.* Et quæ subiecimus vsque ad, *Itaque secundum beatissimum.*
5. Satanam quasi fulgur. C.Cam. Satanam *sicut* fulgur.
6. Eius pessimum dicitur. C. Cam. Eius *pessimum pessimumque* dicitur.
7. Templum intellige. C.Cam Templum *illud intellige.*
8. In Ecclesia Dei potestatem quam primo forte ingreditur. C. Cam. In *ipsa Dei Ecclesia* potestatem, quam *forte primo* ingreditur. H
9. Quo improperando eum dixerat. C. Cam. Qui *eum improperando* dixerat.
11. Contra Ecclesiam Christi sæuit. C. Cam. Contra *Christi Ecclesiam* sæuit.
12. Eos decretis meis C.Cam. Eos *meis decretis.*
13. Multitudo Ascendā super C.Cam. Multitudo. *Possunt & per montem* & reliqua vsque ad. *Ascendam super.*
14. Huiusmodi nubes. C.Cam. Huiusmodi *igitur* nubes.
15. Hoc ait quid C.Cam. Hoc est quod.
16. Deus. Cauete sup. fra. char. caue. Quam multi quod dolens. C Cam Deus. *Sed & cuilibet hæretico*, &c. vsque ad, *Cauete fratres charissimi, cauete superbiam.* Quam multi *enim* dolens.
17. Terrenis, nec eloquentia. C.Cam. Terrenis, *homo* nec eloquentia.
18. Qui spiritalibus, id est, cœlestibus præsim. C.Cam. Qui *cœlestibus, id est, spiritualibus* præsim.

A 19. Clarior exaltabo. C. Cam. *Exaltabo clarior.*
20. Charitate se præesse. C. Cam Charitate *præesse* se.
21. Laboribus, condescendens infirmitatibus. C. Cam. Laboribus *infirmitatibus condescendens.*
22. Iste Abbas esset ! C.Cam.Iste *esset Abbas !*
23. Sui cõpos fuerit voti. C.Cam.Sui *fuerit compos* voti.
24. Appareat inferiorib. tuis C.Cam.Appareat *te supermonib.* tuis.
25. Qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. C.Cam.Qui *est super omnia Deus benedictus in sæcula* sæculorum,

SERMO DECIMVS-SEPTIMVS.

HEsterna die, fratres, de casu diaboli, quem in corpore suo patitur vel passurus est, pro ingenij nostri paupertate tractauimus: sed quia multi in ipsius personam diaboli, ac primum eius casum, quo effectus

B diabolus de angelo, de lucifero vesper à cœlesti corruit mansione, Prophetica hæc verba putant esse prolata, si quid in hac parte possumus, vobis non arbitror subtrahendum. Descripserat Poëta, sub nomine Regis Babylonis, diaboli vel in se, vel in membris suis interitum. *Detracta est vsque ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Subter te sternetur tinea, & putredo, & operimentum tuum erunt vermes.* Deinde ad pristinam eius gloriam, qua quondam fuerat in cœlestibus gloriosus, retorquens oculos, & tantam ac tam miseram mutationem admirans, *Quomodo*, inquit, *cecidisti lucifer qui manè oriebaris?* Lucifer ideo dictus æstimatur, quod sicut stella illa matutina cæteris sideribus lucis serenitate præcellit, ita ille Archangelus, cunctis Angelis lucidior fuisse putatur. Cum ait Propheta Ezechiel, *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Deinde nouem lapidum subiungit nomina, vt secundum quosdam, nouem ordinibus Angelorum probaretur ornatus, clarior cæteris sapientiâ, & decore cæteris eminentior. Quod autem

Ezech. 28, 13.

C manè ortus describitur, hoc esse arbitror, quod in libro Iob de diabolo scriptum intelligimus, *Ipse est Principium viarum Dei.* Manè quod est diei principium, initium omnis creaturæ significat: dicitur ergo mane ortus, vel viarum Dei initium, quia sicut natura cæteris dignior extitit, ita creatione cunctos [1] præcessit. Alia translatio id est manifestiùs declarat, qua dicitur. *Ipse est initium figmenti eius.* Quod autem de cœlo ceciderit ipsius Domini testimonio comprobatur, *Vidi* (inquit) *Satan sicut fulgur de cœlo cadentem*, Sequitur. *Corruisti in terram qui vulnerabas gentes.* Terram vocat aërem hunc caliginosum, qui exhalationes contrahit è terra, in quem detrusos dæmones quasi in carcerem, Apostolus Petrus manifestè declarat dicens, *Qui Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reseruari. Corruisti in terram qui vulnerabas gentes.* Gentes si absurdum vobis non videtur, Angelorum illam intelligimus portionem, qui eius exemplo telo superbiæ percussi,

Iob 40, 14.

Luc. 10, 18.

Petr 2. 4.

D sicut peccati illius participes, ita facti sunt pœnæ consortes.

Hactenus cucurrimus liberum habentes in expositione progressum. De his sanè, quæ sequuntur, quid dicam? *Quid dicebas in corde tuo. In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Quærendum primum quod istud cœlum, quæ astra Dei hæc, quis mons iste testamenti, quæ aquilonis latera, quæ illa Dei similitudo? Cum enim credatur ante casum in cœlo fuisse, aliter quippe de cœlo non corruisset, in quod cœlum ascendere cupiebat? Sed & si Angeli per astra intelligi debent, cum [3] ille excellentior prædicetur quomodo super eos solium suum exaltare desiderat? Obscura sunt hæc tangenda potius à nobis, quam exponenda. Itaque opinando, non affirmando procedamus. Videndum ergo primum, omnem creaturam mutabilem esse creatam, mens autem rationalis, quæ omnibus præeminet, si non esset facta mutabilis, creatoris sui non egeret auxilio, quippe quæ nec proficere in melius, nec in

E deterius posset deficere. Oportuit autem vt ei sua mutabilitas innotesceret, vt ipsa experientiâ doceretur se, sine sui conditoris auxilio, nec in eo bono, in quo conditus fuerat stare, nec ad sublimius aliquid posse conscendere, sic intelligent quod scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, vt omne os obstrueretur, & fieret omnis creatura subdita Deo. Itaque vt Angelo, & homini naturæ suæ mutabilitatis ostenderetur, necesse fuit vt vterque tentaretur; tentatus probaretur; probatus confirmaretur; quatenus in eis, qui vincerent, commendaretur gloria; in his, qui propriâ iniquitate delinquerent, appareret iustitia: quia nimirum ad gloriam rationalis spectabat creaturæ, vt ad beatitudinis plenitudinem, quæ ei fuerat creatoris sui beneficio conferenda, ex ipsius Domini sui gratiâ, aliquod eius procederet meritum, vt felicitas ipsa & donum esset, & præmium.

Psal. 72. 28.
Rom. 3. 19.

Et tentationem hominis manifestè Sacra Scriptura declarat. Propositum est ei lignum pulchrum visu aspectuque delectabile, & ad vescendum suaue & dictum est ei ne tangeret. Hæc ei tentationis materia, vt si vinceret, ei esset abundantioris gloriæ causa. Fortè igitur sicut homini lignum illud pulchrum, ita & Angelo aliquid, in quo & ipse tentaretur, constat esse propositum, vt ipsa tentatione & naturæ mutabilitas probaretur, & libertas arbitrij commendaretur, cum in aliis gratia conferret præmium, in aliis iustitia irrogaret [4] supplicium. Vide ergo ne fortè propositum sit illis cœlum illud, & mons ille testamenti, cuius dominatum, amori & obedientiæ sui creatoris, cum suis sequacibus solus ille præposuit, qui dixit in corde suo, *In cœlum conscendam*, &c. Sed quale hoc cœlum? & quomodo illi propositum est? Eia fratres mei, *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, de quo scriptum est, *Qui fecit quæ futura sunt.* Audi beatissimum Euangelistam Ioannem, *In principio erat verbum.* Et paulo post, *Quod factum est, in ipso vita erat.* Omnia igitur antequam in

Gen. 2. F 13. 16. 17.

Eccl. 18. 1.
Isai. 46. 10.
Ioan 1. 1. 3. & 4.

G se fierent, quantum ad creatorem facta perhibentur, quæ etiam in ipso creatore mirabiliter, & ineffabiliter dicuntur subsistere. Ibi loca sine loco, ibi sine temporibus tempora, sine corporibus corpora, ibi omnia sensibilia insensibiliter, omnia mutabilia immutabiliter, omnia moritura immortaliter viuunt. Ibi iste Isaias incarnationem Verbi, quæ necdum facta fuerat, quasi factam conspiciens, *Paruulus* (inquit) *natus est nobis.* Ibi etiam passionem eius admirans, *Vidimus* (ait) *eum, & non erat aspectus*, Et deinceps, *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Ibi sanctus Dauid confixum clauis, cibatum felle, aceto potatum & multa alia quasi iam facta, præteriti temporis verbo commemorat.

Isai. 9. 6.
Isai 53. 2. & 12.
Psal. 68. 22.

Non est ergo mirum si angeli creati, quibus erat natura sublimior, ipsius etiam Dei natura præsentior, in

H ipso creatore aliqua futura, quasi iam facta perspexerint; quæ alij superbe appeterent, alij omnibus aliis obedientiam sui conditoris præponerent. Fortè ibi electorum paruam quidem multitudinem; sed humilem, sed suauem, sed suo creatori in omnibus subditam conspexerunt: aliam ex aduerso maiorem numero; sed corde elatiorem, repugnantem Deo, minorem illam quamuis beatiorem societatem acrius impugnantem. Tentati sunt ergo ipsius liberi arbitrij mutabilitate, vtrum mallent subdi Deo in humilitate, quam talibus præesse in potestate. Vnde ille nequissimus omnium, qui omnium fuerat sublimissimus, iniquitatem meditatus est in cubili suo, *In cœlum* inquiens *conscendam.* Sicut societatem illam sanctam in qua regnaturus erat Deus, cœlum vidit nominandum, ita ipsos, in quibus ipse iam dominari affectabat, suum cœlum arroganter appellat quamuis in ipsam sanctam societatem; quasi in ipsum Dei cœlum, quam à reprobis vidit impugnandum, ipse in eis, & per eos acrius impugnaturus, nitatur ascendere, *Super astra Dei locabo solium meum.* Solium suum dicit reprobos quosque in hoc mundo sublimes, in quibus maximè diabolus regnat, qui in hoc mundo etiam super astra Dei, Sanctos

A ctos scilicet, accipiunt potestatem, vt tentent, vt premant, vt persequantur, vt puniant. Recolite fratres mei quam paruus erat Sanctorum numerus, quàm abiectus, quam contemptibilis, quando omnis gloria mundi, Reges & Principes & Romani super omnia Imperatores contempto Deo & contempti à Deo, idolis sacrificabant, & paucos Dei cultores qui erant in Iudæa, dura seruitute premebant. Horum itaque sublimitatem in spiritu intuens & potestatem, Sanctorum etiam paucitatem & abiectionem, omne sublime videns, id est approbans & abiecta despiciens, ad illorum dominationem [5] istorumque oppressionem anhelans,
Isai. 14. 13. *Supra astra Dei* (inquit) *exaltabo solium meum*. Et quasi diceretur ei. Quid ergo [6] facies Iudæis, qui mons testamenti dicuntur, qui tuis resistunt decretis, impia mox cogitatione respondet.

Sedebo *in monte testamenti*, & si non in omnibus *in lateribus*, id est in partibus *aquilonis*, illis videlicet,
B qui aquilonari frigore vitiorum, in suis cordibus mihi sedem parabunt. Ibi sublimes illi personæ Anna & Caiphas, id est, Scribæ & Pharisæi, quibus ad effectum meæ voluntatis abutar. Intuens deinde Dominum nubes suas vbique terrarum, vbi sibi resisterent mittentem, confidens in virtute suâ, & in multitudine astutiarum suarum præsumens.
Isa. 14. 14. *Ascendam*, (inquit) *super altitudinem nubium*. Id est, prædicatorum, eos vel premens, vel fallens, *eroque similis altissimo*; vt sicut Deus habet Angelos suos, per quos suis consulat, suos [7] regat & attrahat: ita & ego habebo Angelos meos, refugos scilicet spiritus, Prophetas & Apostolos meos (quos nos Pseudo-Prophetas & [8] Pseudo-apostolos nominamus,) vt meos mihi attrahant, & [9] meæ per omnia subdant voluntati. Hæc non quasi verus Propheta ventura prædicit, sed quasi deceptus superbiâ, talem sibi dominatum vana cogitatione promittit. Eapropter licet verum [10] sit hoc eum dixisse, id est, ascensurum in cœlum, & solium suum super cœli sidera positurum, & cætera
C huiusmodi, si sano intellectu non potest exponi quod hoc euenerit, intelligendum est eum cupidum dominationis in eos, quos in creatore relictos, non prædixisse ventura, sed verba iactantiæ [11] protulisse: nec putandum quod ita in corde locutus sit, quemadmodum nos per quasdam verborum imagines, quæ volumus, cogitamus; nec quod aliqua mora fuerit inter illam, quam diximus visionem, & superbam illam cogitationem; sed sicut sine aliquo momento temporis, in creatore quod ambiret aspexit; ita simul, sine aliqua mora temporis omnia, quæ his verbis significantur, mente concepit; & sic sine aliquo temporis interuallo corruit: quæ omnia nobis Propheta sine verbis, cum aliqua mora scriptis vel prolatis, notificare non potuit. Nam profecto superbus in cœlo stare non potuit, quod quidem aliquandiu fecisset, si post conceptam ambitionem, eum temporis mora tanta ei cogitare licuisset. Sed admittamus illam quorundam opinionem, qua dicunt quod ipse cum his, qui ceciderunt, in inferiori-
D bus partibus, id est, in firmamento positus, ad sublime illud cœlum, in quo Deus cum eis, qui non ceciderunt inhabitat, aspirauerit; vacillabit illa Beati Gre-
Ezech. 28. 12. gorij expositio, super Ezechielis verba dicentis, *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in paradiso Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.*

Verum si illa eius expositio probabilis esse putatur, intelligendum est primum illum, qui corruit, inter cæteros Angelos principatum habuisse, in quo secundum illum, Dei similitudo expressiùs fuit impressa, maximè cum plenus sapientiâ, & perfectus decore dicatur. Adiiciamus etiam illud, quod idem pater super hæc ipsa verba, quæ habemus in manibus, montem testamenti populum dixerit Iudæorum; & quod Beatus Hieronymus, hanc ipsam Prophetiam exponens astra cœli eos, qui fulgent in Ecclesia, interpretatus sit, montem etiam testamenti, Ecclesiam. Quomodo ergo ante casum in tanto decore positus, super eos, qui fulgent in Ecclesia, regnare, vel in ipsa Ecclesia sedere concupierit, nisi hæc E omnia ibi prius vidisset, vbi erant etiam antequam facta [12] fuerant? Porro si & illa sententia approbatur, qua dicitur de singulis nouem ordinibus aliquos corruisse, manifestum est omnes, qui erant eiusdem ordinis, quantum ad præsentem statum eiusdem esse perfectionis. Quod ergo eorum peccatum qui corruerunt, nisi superbia? Et vnde ista superbia, nisi quia aliquid sublime, quod eis non debebatur affectabant? Et quid illud, & vbi viderant? Si secundum prædictorum sententias dominatum in Sanctos & in Ecclesiam, vbi illa viderunt, quæ necdum creata erant? nisi ibi, antequam crearentur erant, hoc est in creatore: si autem hæc illi viderunt, qui postea corruerunt, quanto magis illi, qui in veritate steterunt? Omnes ergo viderunt. Quomodo ergo alij ceciderunt, alij persliterunt? Nisi quod illi eleuati per superbiam, non Deo subdi, sed super ea quæ viderant dominari; isti vero Deo subdi magis, quam F dominari maluerunt.

Hæc omnia si diligenter consideremus; animaduertimus omnes pares secundum ordinum gradus creatos, omnes esse eadem tentatione probatos, sed alios corruptos superbia corruisse, & alios ob tentatæ & probatæ humilitatis meritum, in illa, in qua nunc sunt, beatitudinis perfectione confirmatos fuisse. Multa adhuc de his occurrunt animo, quæ quia verbis explicare non valeo, hæc, quæ diximus, vestris meditationibus examinanda committo, vt deinceps quis huius sit superbiæ finis, Propheta nos docente, discamus. Qui cum verbis quibus potuit, vel voluit, eius superbiam prodidisset, adiecit, *Veruntamen in infernum detraheris, in profundum laci.* Digna retributio, vt qui cœlum conscendere voluit elatus, in infernum trahatur inuitus, nec ad quamlibet partem inferni, sed [13] qui summa petebat, ad inferni ima descendat. Hoc est quod ait, *In profundum laci.* Hoc etiam de membris eius, Antichristo videlicet, & cæteris eius complicibus, * de quibus G dici potest, quod post mundi huius gloriam impiumque dominatum, ad inferos sint [14] detrahendi, non ad superiores partes, in quibus dicuntur ante Dominicam Incarnationem sancti fuisse, sed in profundum laci, vbi ignis æternus præparatus est diabolo & Angelis eius. *Qui te viderint ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Verè fratres qui viderit oculis cordis, diligenterque considerauerit ex quanta perfectione, & gloria corruerit diabolus, & Angeli eius; ex quanta sanctitate, quotidie in barathrum turpitudinis corruant superbi, mirum est si non inclinatur, si non [15] humiliatur, si non ante oculos suos, & pristinam eorum gloriam, & præsentem infelicitatem obiicit.

* Deesse videtur, intelligatur vel quid simile.

Hoc est quod dicit, *Qui te viderint, inclinabuntur* humilitate, *teque prospicient* iugi recordatione. Sane quod dicit, *Ad te inclinabuntur*, ipsos maxime respicit qui post lucis opera, post bonæ conuersationis initia, de consortio Sanctorum, quasi de cœlo cadentes, ad opera tenebrarum conuertuntur; ad quos boni quadam H compassione inclinantur, eorum lugentes perditionem, quorum approbauerunt [16] sanctitatẽ. Recolite fratres miserũ. qui, sicut Iudas inter Apostolos, ita ille inter nos vixit habens quidem speciem pietatis, sed virtutẽ pietatis oppugnans Quis eius recolens exteriora, & nunc videns interiora, non miretur lupum in oue, in agno leonem, in monacho furem tanto tempore latuisse? Felix qui hæc videns, inclinatur timens sibi, compatiens illi, sicque manus suas lauat in sanguine peccatoris. Sed ad verba Prophetica redeamus. *Qui te* (inquit) *viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Sequitur vox insultantium ei, & post tantam felicitatem, tantam eius miseriam admirantium, *Nunne iste est vir, qui conturbauit terram?* Si placet charitati vestræ differamus ista vsque in crastinum, ne onus istud nimis nos oneret. Quod quia vos aliquantulum onerat vt intelligatur, rogemus Dominum vt sic oneret, vt [17] sentiatur, quod ideo vult intelligi, vt per eius gratiam caueatur. Qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

A

VARIÆ LECTIONES.

1. Præcessit. Hactenus concurrimus. C.Cam.Præcessit. *Alia translatio*, & quæ sequuntur, vsque ad Hactenus concurrimus.
2. Meum. Quærendum. C. Cam. Meum, &c. Quærendum.
3. Ille excellentior prædicetur. C. Cam. Ille *cæteris* excellentior prædicetur.
4. Supplicium Sicut societatem. C.Cam.Supplicium; *Vide ergo ne forte*, & quod subiicitur, vsque ad, *Sicut societatem.*
5. Istorumque oppressione in. C. Cam.Istorum *quoque* oppressionem.
6. Facies Iudæis. C. Cam. Facies *de* Iudæis.
7. Regat, & attrahat. C. Cam. Regat, *suos sibi subdat*, & attrahat.

B

8. Pseudo-Apostolos nominamus, vt meos. C. Cam. Pseudo-Apostolos *dicimus* vt meos.
9. Meæ per omnia subdant voluntati. C. Cam. Meæ *Subdant per omnia* voluntati.
10. Sit hoc eum dixisse, id est, ascensurum in cœlum. C.Cam. Sit *eum hoc dixisse*, id est, *se* ascensurum in cœlum.
11. Protulisse. Nam profecto. C.Cam. Protulisse. Nec putandum quod ita, & quæ subsequuntur vsque ad, *Nam profectò.*
12. Fuerant, Veruntamen in infernum C.Cam.Fuerant. *Porrò si & illa sententia*, vsque ad, *Veruntamen in infernum.*
13. Qui summa C.Cam. Qui *cœli* summa.
14. Detrahendi, vbi ignis. C. Cam. Detrahendi, *non ad superiores partes*, & reliqua vsque ad, vbi ignis.
15. Humiliatur, si non ante. C.Cam.Humiliatur, *si non timet, si non pauet*, si non ante.

C

16. Sanctitatem. Sequitur vox. C. Cam. Sanctitatem. *Recolite fratres miserum*, vsque ad, *Sequitur vox.*
17. Sentiatur. Qui viuit. C. Cam. Sentiatur, *quod ideo vult intelligi*, & quæ adiecimus vsque ad, Qui viuit.

SERMO DECIMVS OCTAVVS.

VErba Prophetica, quæ contra principem Babylonis figurare [1] dicuntur primum secundum ordinem Prophetiæ ad Antichristum, & ipsius diaboli corpus retulimus; [2] deinde quomodo ipsi capiti potérant conuenire disseruimus, sic [3] vtriusque ruinam à sancto Propheta descriptam docuimus. Eundem itaque ordinem in his quæ sequuntur, seruantes, dicamus virum nominari Antichristum, non pro virtute, sed pro potestate. *Nunquid iste est vir qui conturbauit terram?* Potuit tamen cum Propheta exprobrando virum appel-

D. lare, sicut de quolibet ignauo dicitur, O [4] qualis vir!

Isai 14. 16. *Nunquid iste est vir qui conturbauit terram qui concussit regna?* Conturbabit certè Antichristus terram, & regna concutiet, quando secundum Apocalypsim, homines

Apoc. 13. 3. terram inhabitantes mirabuntur post bestiam, & Reges, & regna quodam terrore concussi, ad illius pauebunt [5] potentiam. Vel per terram, illorum intellige conuersationem, qui non quæ sursum sunt sapiunt, sed quæ super terram, qui profecto visa eius potentia, in fide Christi conturbati scandalizabuntur. Porro regna, illorum Regum interpretare imperium, quorum cor in

Prou. 8. 15. manu Dei est, de quibus ait Dominus *Per me Reges regnant*, quorum conuersatio in cœlis est. Ipsi sunt tunc temporis Sancti atque perfecti, qui concuti quidem possunt, sed subuerti non possunt, de qua concussione

Matth. 24. 24. Dominus in Euangelio, *Surgent* (inquit) *pseudo-Prophetæ, vel pseudo-Apostoli: & dabunt signa multa, ita vt in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi*, Sequitur. *Qui posuit orbem desertum & vrbes eius destruxit.* Orbem vocat Ecclesiam, de qua scriptum est. *Etenim firmauit orbem terræ qui non commouebitur.* Hunc orbem deser- E Ps. 95. 10.

tum quodammodo faciet Antichristus, quando per eum deseretur [6] à multis. In alia translatione scriptum est, *Qui posuit orbem quasi desertum.* Non enim verè deserta erit Ecclesia, quæ tot continebit perfectos, sed quasi deserta quia in comparatione illius multitudinis, qua nunc inhabitatur, quasi derelicta tunc videbitur & destructa. Cuius etiam vrbes destruet, conuenticula vtique eorum, qui in vna viuunt societate, quos vrbium nomine appellari posse, cum de Antichristi persecutione tractaremus, sufficienter ostendimus. Destruet etiam ille nequam conuenticula Sanctorum, dissipabit congregationes fidelium vel suis decretis subdendo, vel tormentis & proscriptionibus persequendo.

Et vinctis eius, id est orbis, *non aperuit carcerem.* Vincti orbis sunt hi, qui in Ecclesia ignorantiæ tenebris inclusi; vinculis malæ consuetudinis constringuntur, de quibus Propheta, *Funes* (inquit) *peccatorum circumplexi sunt me.* His vinctis pestilens ille non ape- F Ps. 118. 61.

riet carcerem, quos ab errore docendo non extrahet, sed arctiùs suæ iniquitatis, & perfidiæ tenebris inuoluet. Si autem per virum [7] diabolum velis intelligi, non erit absurdum, cum & in Euangelio, & multis aliis sanctæ Scripturæ locis, appellatus sit homo, secundum illud, *Inimicus homo hoc fecit.* Et, *Exurge Domine non præualeat homo.* Ipse nec adhuc quidem cessat contur- Matth. 13. 28. Ps. 9. 20.

bare terram, & concutere regna. Terra dici possunt amatores mundi, & mundialis gloriæ sectatores, quos vtique nunc ira, nunc [8] inuidia, nunc bellis seditionibusque conturbat. Quicunque etiam nostrum fratres terram sapimus, aliquid etiam terrenum diligimus, huius conturbationis expertes non erimus, sed erimus profectò inuicem mordentes, & comedentes, & alterutrum inuidentes. Quod si cor nostrum de terrenis ad cœlestia leuemus, audituri non terra es, & in terram ibis, sed cœlum es, & in cœlum ibis; regna nostra, id est, virtutes, per quas iam Christo cœpimus conregnare, con- G

cuti quidem possunt, sed subuerti non poterunt: quomodo illius concussum est regnum, cuius pene moti sunt pedes, cuius pene effusi sunt gressus. Concussus est Iob sed non subuersus. Concussus [9] est Ioseph, Ps. 72. 2. Gen. 39. 2.

quando pallium reliquit adulteræ, sed non est subuersus, qui carcerem stupro, prætulit vincula adulterio. Et nos quidem concutimur, quando tentamur; sed non subuertimur, si non consentiamus.

Qui posuit orbem desertum. Orbis nomine hoc in loco eos possumus accipere, qui ita sunt in orbe quasi in vrbe, circuitu semper laborantes, & ad finem nunquam peruenientes. De talibus ait Propheta, *In circuitu impij ambulant*, id est, in orbe. Hi tales non solum con- Ps. 11. 9.

turbantur vel concutiuntur, sed ita etiam subuertuntur, vt nullum in eis remaneat virtutis vestigium; vt quemadmodum solitudo bestiis, ita & ipsi exclusi virtutibus, à vitiis excludantur. Nota hæc tria genera hominum, quorum primum conturbatur, secundum concutitur, tertium subuertitur. Primum quia terra sunt, contrariis passionibus agitati turbantur; secundum quia reges sunt, H

spiritualibus nequitiis impugnantur; tertium [10] quia nihil in se habent constantiæ, sed circumferuntur omni vento doctrinæ, ab immundis spiritibus conteruntur. Huius orbis vrbes sunt conuenticula eorum de sanguinibus, præferentia speciem sanctitatis, vim eius & virtutes abnegantia. Tales vtique vrbes princeps destruit tenebrarum, omnes eius munitiones, virtutum videlicet instrumenta cum virtutibus ipsis euertens. *Et vinctis eius* [11] *non aperiet carcerem.* Qui enim in talibus vrbibus vincti tenentur funibus peccatorum, Rex confusionis prosternet eos in carcerem desperationis, occludens eis ostium confessionis; vnde Propheta, *Non me* Ps. 68. 16.

demergat tempestas aquæ, id est, non me deijciat vis tentationis, *Neque absorbeat me profundum*, malæ consuetudinis, *Neque vrgeat super me puteus os suum*, seris desperationis claudens ostium confessionis. Exhinc finem ipsius tentationis describens, onus quo ipse in

nouissi

A Isa. 14. 18. nouissimis erit opprimendus in pœnis, cum his quos ipse oppresserit peccat s, subiungit. *Omnes Reges Gentium dormierunt in gloria, vnusquisque in domo sua, tu autem proiectus es de sepulchro tuo, sicut stirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio.*

Audite hæc Reges terræ, qui concussi à Sathana non potuistis subuerti. Hic timor, hic labor, hic gemitus; hic in procinctu belli continuo positi, accipite armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli; est enim merces labori vestro. Quæ merces inquis? *Omnes Reges terræ dormient in gloria* [12] Somnus certe gloriosus, quo Reges post victoriam sopiuntur, quia sicut Psal. 115. 15. *pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius*; ita est nihilominus gloriosa. Quam gloriose ille Rex magnus, Paulum dico, occubuit, qui tot victoriis coronatus, somnum mortis lætus excepit, inter illos præcipuum obtinens locum, de quibus in Apocalypsi scriptum est, B Apoc. 14. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Omnes Reges dormient in gloria.* Magnum est [13] fratres dormire in gloria. Alij quidem obdormiunt in contumelia, alij in misericordia, alij in gloria; in contumelia in peccatis perseuerantes; in misericordia pœnitentes; in gloria Martyres & Innocentes. Obdormiunt in contumelia, qui in suis sceleribus moriuntur; in misericordia, qui confusione & lacrymis pœnitentiæ, à suis sceleribus abluti sopiuntur; in gloria, qui multarum virtutum stipendiis gloriosi, Angelicis manibus ad cœlestia transferuntur. Obdormiunt [14] diues in contumelia, & sepultus est in inferno; Lazarus in misericordia, qui in sinum deducitur Abrahæ, ipse Abraham in gloria [15] qui non sibi, sed etiam Lazaro potuit esse consolationi. Math. 27. 5. Obdormiuit in contumelia Iudas, qui laqueo se suspendit; in misericordia paralyticus, cui Dominus peccata Math. 9. 2. dimisit; in gloria Petrus qui Christum suâ morte glorificauit. C Ioan. 21. 19. [16] *Vnusquisque enim in domo sua.* Hæc sunt illa æterna tabernacula, in quibus perfecti recipiunt imperfectos, illos scilicet, qui de mammona iniquitatis faciunt sibi amicos, dando temporalia vt consequantur æterna.

Hæ sunt in domo patris beatissimæ mansiones pro varietate virtutum differentiæ habitationum. [17] Licet Ioan. 14. 2. enim omnes perfecti in gloria dormiant, & ad regna cœlorum omnes perueniant, 1. Cor. 15. 41. *alia est* tamen *claritas solis, & alia claritas lunæ, alia etiam stellarum. Et stella à stella differt in claritate.* Ideo omnes reges dormient in gloria, vnusquisque tamen in domo sua. Est præterea somnus cõtumeliosus iniquitas, somnus miserandus infirmitas, somnus gloriosus charitas. [18] Contumeliose dormienti ait Paulus, Eph. 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* [19] Dormienti in infirmitate vel pigritiâ dicit sermo Prou. 6. 9. diuinus, *Vsquequo piger dormis?* At sponsæ dormienti Cant. 2. 6. inter medios cleros, quæ de amplexibus sponsi gloriatur, [20] *Læua* (inquit) *eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; quæ inter verba [21] sponsi, super pectus sponsi suauiter requiescit. D Cant. 2. 7. Voce sponsi somnus iste beatissimus confirmatur dicentis, *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis* [22] *dilectam, donec ipsa velit.* Rogo quando volet? Quando his carere amplexibus, ab his auelli vberibus, insuper sinu vel pectore volet separari? Certè quando charitas ipsa, quæ eam hoc cœlesti somno sopiuit, excitare voluerit stans ad ostium, & Cant. 5. 2. pulsans, *Aperi mihi soror mea* [23] *sponsa.* Audiens deinde illa caput amici plenum rore, & cincinnos eius guttis noctium, euigilat, surgit, aperit ostium, relictisque deliciis quibus fruebatur, ad capillos eius, id est, qui fide illi adhærent, qui ex nocte ignorantiæ aliquid aquilonaris frigoris contraxerunt, erudiendos, charitate suggerente, pertransit. Hinc beatissimus Paulus optabat Rom. 9. 3. anathema Christo esse pro fratribus, salutem multorum propriis, licet summis præponens deliciis. Eia fratres, omnes Reges gentium, siue illi qui populis præsunt in Ecclesia, siue illi qui cogitationes suas, sensus suos, motus etiam siue irascibiles, siue concupiscibiles, quasi diuersas gentes salutari regunt disciplinâ, in gloria dormiunt, vel in morte recipientes coronam vitæ, vel extracti a corporalibus, requiescentes [24] in contemplatione. E Quod autem alia translatio habet, *Vir in domo sua*, illud arbitror his verbis designari, quod quisque in conscientia suâ, spretâ aliorum æstimatione, lætatur, gloriam in semetipso habens & non in altero.

Regibus itaque sic dormientibus, quid erit de eo à quo concussi sunt? Quid erit? *Tu autem* (inquit) *proiectus es de sepulchro tuo, sicut stirps inutilis.* Ipsius Antichristi, omniumque reproborum sepulchra eorum sunt corpora, in quibus anima eorum putredine vitiorum corrumpitur, & omnium immunditiarum sanie fœdatur: De quibus sepulchris tunc eiiciuntur, quando [25] animæ a corporibus extractæ proiiciuntur in tenebras exteriores. Proiiciuntur autem quasi stirps inutilis, cui nihil aliud debetur [26] quam ignis. Dicitur etiam ipse Antichristus, vel quilibet reprobus Pollutus, & Obuolutus Pollutus, propter peccati contaminationem, F Obuolutus, propter irrecuperabilem vitæ emendationem. Suis quippe peccatis dicitur obuolutus, qui in sceleribus vitam finiens, nullâ spe euadendi consolatur. *Tu* (inquit) *proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, & obuolutus, cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt vsque ad profundum laci.* Sed & ille, omnium iniquorum princeps, proiicietur de sepulchro suo quasi stirps inutilis. Sepulchrum eius omnes reprobi sunt, à quo tunc proiicietur, quando ipse quoque mittetur in ignem æternum, [illegible] ratus est diabolo & angelis eius. Permittitur enim [illegible] nc operari in filiis diffidentiæ, vt qui in sordibus est, sordescat adhuc. Cum autem impleta fuerit iniquitas peccatorum, & intulerit iniquis iustitia diuina suppliciũ, cum non sit vlterius cui peccatum suggerat, ab interioribus expelletur, & cum cæteris perditis in tenebras exteriores & ipse proiicietur. Qui & pollutus dici potest & obuolutus; pollutus scilicet sanguine multorum, quos gladio iniquitatis occidit; obuolutus malitiâ & desperatione, vt reparari G non possit. Cuius sicut quam cæterorum maior est malitia, ita intolerabilior erit & pœna. Licet enim cum cæteris perditis ad fundamenta laci, id est, ad profunda descendat inferni, in ipso tamen profundo acriora expendet supplicia; qui non alieno suggestu peccauit, & aliis peccata suggessit. Vnde sequitur, *Quasi cadauer putridum, non habebis consortium, neque cum eis in sepultura.* Hæc est sepultura diuitis [27] purpurati, de qua dicitur in Euangelio, *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Luc. 16. 22.

Hæc sepultura cum omnium sit reproborum, in ea tamen non omnes æqualiter torquebuntur, sed sicut de zizaniis scriptum est, *ligate ea in fasciculos ad comburendum*, vt qui hic fuerint pares in culpa, æquales quoque efficiantur in pœna. At Antichristus, vel princeps eius diabolus, sicut nullus est quem non superet in malitia, ita nullus est, cum quo consortium habeat in sepultura. Qui nimirum cadaueri putrido comparatur, vt eius abiectio, fœtor, atque confusio designetur. H Deinde causam pro qua talia passurus sit, subiungens ait, *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum interfecisti.* Terram Antichristi carnem eius vocat, quam ipse vitiorum passionibus disperdet, vel bestiis spiritalibus disperdendam committet. Populum quoque eius ipsos intellige, qui se ei regendos [28] committent, quos profecto non reget, sed destruet, nec viuificabit, sed interficiet. Quamuis omnes fere codices non terram tuam, vel populum tuum, sed terram tantum, & populum habeant; vt intelligamus vel à diabolo, vel ab Antichristo illos disperdendos, quos terræ inhærentes inuenerit; populum vero, id est, populos illorum, qui ratione honestius viuendo regebantur, ab eis spiritualiter esse necandos, Sequitur, *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.* Hæc est illa vocatio de qua dicit Apostolus, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Rom. 8. 28. Hac vocatione non vocabitur in æternum [30]

semen

A semen impiorum, illud nimirum semen, quod tritico boni patrisfamilias inimicus superseminauit homo.

Matth 13.25. & 38. Quam parabolam ipse Christus exponens, *bonum* (inquit) *semen hi sunt* filij regni, & zizania filij [31] nequam. Hoc semen est pessimum vel pessimorum, quia propriâ voluntate, & pessimorum suggestione facti sunt pessimi. Hoc igitur semen pessimum non vocabitur in æternum, id est, in electorum numero non computabitur. Isai. 14. *Præparate filios vestros occisioni in iniquitate patrum suorum.* Quibus loquitur? Semini nimirum pessimo, id est, impiorum multitudini, qui ab Antichristo vel diabolo non creati, sed per orbem dispersi, quasi seminati, sicut ipsi pessimi sunt, ita sibi doctrinâ & exemplo pessimos generant; quos alloquens Propheta, *Præparate* (inquit) *filios vestros* [32] *occisioni.* Prophetia est, Amos 4. 4. non præceptum, sicut alias scriptum est, *Venite ad Bethel & impiè agite.* Ac si diceret, venietis ad Bethel & impie agetis. Sic & hic, Propheta cernens semen illud B pessimum ab Antichristo, vel à diabolo generatum, ipsos sibi filios, errores & vitia suggerendo, generare, *Præparate* (ait) *filios vestros occisioni in iniquitate patrum suorum.* Ac si diceret, Sicut vos ab impiis generati, æternis estis suppliciis destinati, ita profecto filios, quos vobis vestris erroribus generastis, eidem occisioni, id est, damnationi præparatis. *Non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciuitatum.* Ad reprobos arbitror hæc referenda qui à pessimis doctoribus internecioni parati, vlterius non consurgent; sed in carnis suæ sterquilinio putrescentes, ad illius terræ possessionem non [stain]iunt peruenire, de qua ait Psalmista, Ps 141. 6. *Portio mea Domine sit in terra viuentium*, vnde Dominus in Euangelio, Matth. 5.4. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Neque implebunt faciem orbis ciuitatum*, id est, non implebunt faciem ciuitatum, quæ sunt in orbe. Per orbem significari Ecclesiam superius diximus, cuius ciuitates sunt conuenticula fidelium, in vna societate viuentium, quarum facies est ipsa species sanctitatis, quæ C in habitu, vultu, [33] victu, cæterisque huiusmodi coram hominibus lucet. Itaque cum fuerit princeps tenebrarum cum toto suo corpore in infernum sepultus, filij nequam ex patribus nequissimis generati, & iam occisioni, id est, extremæ damnationi parati, nec per pœnitentiam consurgent, nec ad speciem sanctitatis, quam oculis tantum hominum exhibebant, vlterius aspirabunt. Putabam me hoc sermone absoluendum, sed quia iam hora præteriit, modicum id quod restat, sequentis diei gaudio reseruemus, orantes vt sic in hac vita à Babylonis operibus liberemur, vt cum ea in futurum æternis suppliciis non oneremur per IESVM Saluatorem nostrum, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Dicuntur, primum, &c. C. Cam. Dicuntur, *sicut meministis fratres charissimi*, primum.
D 2. Deinde quomodo ipsi. C. Cam. Deinde *quemadmodum* ipsi.
3. Vtriusque ruinam. C. Cam. Vtriusque *etiam* ruinam.
4. Qualis vir! Conturbabit certe. C. Cam. Qualis vir, *Nunquid iste est vir*, & quod subiicitur vsque ad, *Conturbabit* certè.
5. Potentiam. Porro regna. C. Cam. Potentiam. *Vel per terram*, &c. vsque ad, *Porro regna.*
6. A multis. Destruet etiam ille. C. Cam. A multis. *In alia translatione*, & reliqua vsque ad, Destruet *itaque* ille.
7. Diabolum velis. C. Cam. Diabolum *ipsum* velis.
8. Inuidia, nunc bellis seditionibusque. C. Cam. Inuidia, *Nunc ambitione*, nunc bellis seditionibusque.
9. Est Ioseph. C. Cam. Est & Ioseph.
10. Quia nihil in se habent. C. Cam. Quia *in se nihil* habent.
11. Non aperiet carcerem. C. Cam. Non *aperuit* carcerem. E
12. Somnus certe gloriosus. C. Cam Somnus *sane* gloriosus.
13. Fratres dormire in gloria. Alij quidem obdormiunt. C. Cam Fratres, *magnum est obdormire* in gloria. Alij enim obdormiunt.
14. Diues in contumelia. C. Cam. Diues *ille* in contumelia.
15. Qui non tibi. C Cam. Qui non *solum* tibi.
16. Vnusquisque enim in domo. C. Cam. Vnusquisque (*inquit*) in domo.
17. Licet enim omnes. C. Cam. Licet *igitur* omnes.
18. Contumeliose dormienti. C. Cam. Contumeliose *quippe* dormienti.
19. Dormienti in infirmitate. C. Cam. Dormienti *autem* in infirmitate.
20. Læua inquit eius sub. C. Cam. Læua *eius inquiens* sub F
21. Vbera sponsi, super pectus sponsi. C. Cam. Vbera sponsi, in *sinu sponsi*, super pectus sponsi.
22. Dilectam donec ipsa. C. Cam. Dilectam *quoadusque* ipsa.
23. Sponsa, Audiens. C. Cam. Sponsa *mea*. Audiens.
24. In contemplatione. Regibus sic dormientibus. C. Cam. In contemplatione. *Quod autem alia*, & quæ sequuntur, vsque ad, Regibus *itaque* sic dormientibus.
25. Animæ à corporibus extractæ. C. Cam. Animæ *extractæ à corporibus.*
26. Quam ignis. Sequitur. C. Cam. Quam Ignis. *Dicitur etiam ipse*, &c. vt expressimus vsque ad, *Vnde* sequitur.
27. Purpurati, de qua dicitur in Euangelio. Mortuus est. C. Cam. Purpurati *sicut scriptum est* in Euangelio. Mortuus est.
28. Disperdet. Populum quoque. C. Cam. Disperdet, *vel bestiis spiritalibus disperdendum committet*, Populum quoque. G
29. Committent. Sequitur non. C. Cam. Committent. *Quos profecto non reget*, & reliqua vsque ad, *Sequitur non.*
30. Semen Impiorum, illud. C. Cam. Semen *pessimorum*, illud.
31. Nequam. Præparate. C. Cam. Nequam. *Hoc semen est*, & quod sequitur, vsque ad, *Præparate.*
32. Occisioni in iniquitate. C. Cam. Occisioni. *Prophetia est, non præceptum*, &c. vsque ad, *in iniquitate.*
33. Victu, cæterisque. C. Cam. Victu, *ieiuniis, orationibus*, cæterisque.

SERMO DECIMVS-NONVS.

DE eo quod scriptum est, *Quomodo cecidisti de cælo lucifer qui mane oriebaris.* Licet vobis sufficere videantur quæ dicta sunt, alius [1] tamen sensus mihi occurrit ad exponendum breuior & facilior ad intelligendum, quem operæ pretium est, antequam ad alia transeamus, proferre in medium, vt eligat vnusquisque quod H vult, cum ea sit humanæ mentis natura, vt eam sententiam semper æstimet veriorem, quam suæ capacitati audierit aptiorem. Itaque à verbis beatissimi Pauli sumamus huius expositionis exordium, qui de lege peccati & mortis salutare texens oraculum, *Regnauit* (inquit) *mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ* Rom. 5. 14. Gerebat itaque mortis præpositus, id est diabolus, in homine principatum, ante Moysi legem videlicet regnans sine contradictione; lege autem subintrante, & peccato diuinis præceptis resistente, tyrannidem exercens. Vbi enim non erat lex, nec præuaricatio. Ideo lex subintrauit vt abundaret [2] delictum. Quid igitur ait Paulus, Rom 5. 20. Constitutis non sub lege, sed sub gratia, peccatum (inquit) vobis non dominabitur. Non enim estis sub Rom. 6. 14. lege sed sub gratia. Dominabatur proinde his qui erant

sub

A sub lege. Igitur ab Adam vsque ad gratiam Christi do-
minabatur peccatum, & per peccatum præpositus pec-
cati, ius sibi vendicans non solum in reprobos, sed
etiam in electos, necdum vocatos, necdum iustificatos,
necdum Christi sanguine redemptos. Hos a Propheta
cælum vocari posse non inconuenienter existimat, qui
vim prædestinationis, in qua facta sunt, quæ futura sunt,
non ignorat. Cernens itaque Propheta regnum diaboli
mane, id est in ipso mundi exortus initio, totum fere
mundum occupasse, Reges, & Principes, & omne ho-
minum genus, præter paucissimos, idololatria pol-
luisse, electos etiam & prædestinatos inuasisse, ammi-
ransque eius tantam potestatem, Christi virtute prostra-
tam. *Quomodo* (inquit) *cecidisti de cælo Lucifer qui
manè oriebaris?* Lucifer vocatur, quia lucem scientiæ
Gen. 3. 5. ferre videbatur, cum diceret, *Gustate & eritis sicut dij
scientes bonum & malum.*

Cecidit de cælo & in terram corruit, quando ab ele-
B ctis electus, in solis reprobis, quasi in carcere inclusus
terram more serpentis [3] comedit. Qui quidem Gentes
vulnerabat, telo peccati mortalis confodiens. Qui di-
cebat in corde suo, *In cælum conscendam.* Videns certe
diabolus instante iam Christi aduentu, totum humanum
genus sibi subiectum nihil nisi terram sapere, paucissi-
mos tamen Iudæorum Deo fide & operibus adhærentes
cælestia meditari, elatus superbia, etiam ipsis se posse
dominari confidit, *In cælum* (inquiens) *conscendam.*
Iob 40. 18. Vnde in Beato Iob legitur, *Absorbebit fluuium & non
mirabitur, & habebit fiduciam quod influat Iordanis in os
eius. Super astra Dei exaltabo solium meum,* id est super
Sanctos [4] qui sunt in Iudæa. *Sedebo in monte testa-
menti, in lateribus aquilonis*, vt sicut in omnibus tem-
plis sacrificatur, ita & in templo Ierosolymitano de quo
Ps. 47. 3. scriptum est: *Latera aquilonis ciuitas Regis magni*, mea
maiestas quasi diuina colatur. *Ascendam super altitudi-
nem nubium*, id est omnium Prophetarum excellentiam,
& existimationem transcendam. *Similis ero altissimo*, vt
C cum mihi fuerit Iudæa subiecta, tota terra mea sit, sicut
totum cælum Dei. Hinc est quod Dominum tentans,
de mundi totius dominatu præsumpsit dicens, *Hæc om-
Matth. 4. 9. nia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Optimè ait scri-
Prou. 16. 18. ptura, *Ante ruinam exaltatur cor.* Eo quippe tempore
quo sibi maiora promittebat, etiam [5] amisit quæ pos-
sidebat. Quasi secure possidebat atrium suum fortis
armatus, sed superuenit fortior, *Dominus* videlicet *fortis
& potens in prælio*, à quo fortis ille nectitur vinculis
suis, & in infernum detruditur, vnde dicitur, *Veruntamen
ad infernum detraheris, in profundum laci.* De hac
Ioan. 12. 31. eius ruina Dominus in Euangelio, *Nunc* (inquit) *iudi-
cium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*
Qui te viderint oculis fidei sic eiectum, inclinabuntur
humilitate, teque prospicient, id est cognoscent, vt
qui te prius putauerunt fortem & magnum, sciant te in
comparatione Christi infirmum.

*Numquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concus-
sit regna? faciens gentem consurgere contra gentem, & regna
D aduersus regna, qui orbem fecit Dei cultoribus desertum,
qui tot destruxit vrbes, tot vinctos inclusit?* Quæ omnia
eius suggestu ante Domini aduentum facta, nemo qui
historias legit [6] ignorat. Expulsus itaque ab electis
diabolus, & in cordibus reproborum quasi in carcere
infernali inclusus, eos quos possidebat, ad persequen-
dum Christi prædicatores & cultores commouebat, de
quibus subditur, *Omnes Reges Gentium dormierunt in
gloria sua, &c.* Quæ omnia, secundum quod superius
exposuimus, intelligenda sunt. Itaque ab eo loco, in
quo clausimus hesternum sermonem, deinceps proce-
damus. *Et consurgam super eos*, filios scilicet pessimos
à pessimis patribus generatos, *& perdam Babylonis no-
men, & reliquias, & germen, & progeniem dicit Domi-
nus.* Nomen Babylonis est gloria mundi, reliquiæ Ba-
bylonis amor mundi, germen Babylonis affectus pec-
candi, progenies Babylonis cognitio consensusque pec-
cati. Nihil enim magis appetunt homines quam ma-
gnum nomen, quod sibi Babylonici vel diuitiis, vel
stulta virtute, [7] vel scientia sæculari conquirunt. Quæ E
cum acquirere non potuerint, vel acquisita amiserint,
habent quasdam omnium horum in corde reliquias,
ipsum videlicet mundi amorem, qui ex iniquo germine
pessimus affectus processit. Quorum progenies pessimæ
sunt cogitationes, quasi paruuli filiæ Babylonis, de
quibus Psalmista ait, *Filia Babylonis misera; Beatus qui* Ps. 136. 8. & 9.
tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Quæ omnia in
fine sæculi à Domino destruentur, quando nominis Ba-
bylonici nulla erit gloria, nulla in eius amore delectatio,
nullus peccandi affectus: quando etiam secundum Psal-
mistam, *Peribunt omnes cogitationes eorum.* Sequitur, *Et* Ps. 145. 4.
ponam eam in possessionem ericij, & in paludes [8] *aquarum.*
Ergo in fine mundi ciuitatem confusionis ericij, & palu-
des possidebunt aquarum, vt spina peccati semper con-
scientia pungatur, & libidine & voluptate, instar cœno-
sæ paludis fumum & fœtorem exhalante, cæcetur. *Et
scopabo eam in* [9] *scopa terens, dicit Dominus exercituum.*
Sicut domus scopis mundatur & euacuatur, ita omnem F
Babylonis gloriam, diuitias & delectationes disperdam,
terens eam tormentis, & doloribus conterens.

Sed & nos, fratres charissimi, à quibus per aduentum
Domini diabolus eiectus est foras, præparemus filios
pessimi seminis occisioni, vt gladius Domini deuorans
carnes, omnes carnales affectiones illicitasque delecta-
tiones, cogitationes etiam peruersas, ex carnali affe-
ctu quasi de pessimo semine generatas occidat, vt nec
consurgant [10] vlterius, neque impleant faciem orbis
ciuitatum, Ciuitates orbis memoriæ nostræ meditatio-
nes intellige, quæ vtique memoria orbi comparatur, quia
quicquid in orbe corporaliter haberi potest, totum a me-
moria imaginaliter comprehendi potest. Facies autẽ orbis
vel ciuitatum, meditationum nostrarum intentio est, se-
cundũ quam omnia, quæ fiunt vel cogitantur à nobis, ab
eo, quẽ nihil latet, iudicantur. Adesto ergo Domine IESV,
& super filios Babylonis misericordi seueritate consur-
ge; vt in anima mea nomen pereat Babylonis, omnique
confusione deleta, Ierusalem nomine [11] censeatur. G
Sed & antiquæ confusionis reliquias, id est, vitiorum
imagines, quæ ipsis vitiis iam expulsis, in mentis meæ
secretario resederunt, annihilare digneris, vt nec germen
quidem vnde orianter supersit, ne ipsius progenies ger-
minis, pessimæ videlicet cogitationes & affectiones vl-
terius pullulent. *Et ponam* (inquit) *eas in possessionem
ericij, & paludes aquarum.* Fiat Domine cor meum eri-
cius plenus spinis, vt singulorum peccatorum meo-
rum memoria, quasi spinis singulis compungatur, & si-
cut totam animam meam vitia possidebant, ita totam oc-
cupet compunctio salutaris, sicque libidinum suarum re-
cordatione, quasi cœnosis paludibus stercorata pœni-
tentiæ fructus producere mereatur.

Sequitur, *Et scopabo eam in scopa terens.* Scopa te-
rens cordis contritio est, qua Babylon in anima nostra
teritur & conteritur, & omnes eius spurcitiæ egeruntur.
Prope est enim *Dominus his qui contriuerunt cor*, quia *cor* Ps. 50. 19.
contritum & humiliatum Deus non spernit. Sed & flagel-
lum Dei Scopa terens dici potest, quo visitat in virga H
iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra, vt
vitia conterens virtutes inducat, & suam à nobis miseri-
cordiam non [12] dispergat. Potest etiam per semen
pessimum hypocrisis intelligi, cuius filios simulatas di-
cimus esse virtutes, quas hypocrita quilibet occisioni
parat, non mercedi. Qui profecto filij consurgere non
possunt, quos peruersa intentio in ima demergit; nec
terram hæreditare viuentium, qui animam, vel ipsius
animæ conscientiam exinanire possunt, implere non
possunt. Super hos igitur filios consurget Dominus in
malum, & non in bonum, vt perdat nomen Babylonis,
id est, famam, quam falsis virtutibus acquisierat; & reli-
quias eius, & germen, & progeniem, vt nec ipsa vir-
tutum species resideat; nec fructum, qui quærebatur
in laudibus hominum, obtineat, imo quicquid huius-
modi simulando quæsierat, totum perdat. Ponitur
deinde, *In possessionem ericij, & in paludes aquarum.* Matth. 23. 22.
Hæc sunt duo vitia, in quæ Dei iudicio hypocritarum

genus

A genus sæpissimè fuit, Auaritia & Luxuria. Nam secundum sententiam Saluatoris, spinis diuitiæ & sollicitudines sæculi comparantur, quarum amore cum fuerit anima purgata, instar ericij suis armatur spinis confidens in virtute, & in multitudine diuitiarum suarum superbiens.

At paludes infertiles & lutosæ, in quibus cœno gaudentia reptant animalia, luxuriæ & immunditiæ comparantur, quæ vtique sordidæ sunt & lutosæ, in quibus spiritus insultant immundi, quorum princeps libentiùs sub vmbra dormit, in vitore calami & iunci, quæ maxime nascuntur in paludibus, & locis humentibus. Talis anima scopatur, non vt mundetur sed vt conteratur. Sequitur, *Iurauit Dominus exercituum dicens, Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui sic eueniet.* Omnia quæ de onere Babylonis sanctus Propheta describit, Domini iurantis auctoritate confirmat, vt nemo dubitet esse ventura, quæ ab ipso Deo sub iureiurando

B constat esse prædicta. Quod autem Dominus iurare dicitur, cui etiam non iuranti credendum esse nemo qui dubitet, maximum veritatis & certitudinis indicium est. *Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui ita veniet.* Humano more loquitur hominibus, quia si loqueretur diuino, non intelligeretur ab hominibus. Verbum hoc (puto) non semper in ambiguis ponitur, cum Dominus iratus seruo suo sæpissimè dicat, *Puto quod Dominus tuus sim.* Quod itaque dicit sese putare vel mente tractare, nulla dubitatio, nulla sollicitudo, nulla mentis distensio in Dei naturâ cogitetur, sed æterna & incommutabilis eius dispositio verbis quibus à nobis posset intelligi, insinuata credatur. Ideo autem existimatio vel tractatio posita sunt, vt sicut homines ea, quæ non præcipitantur, sed cum quadam hæsitatione & tractatu faciunt, finem optimum sortiuntur; ita Deus nullo mentis impetu, nullo fortuito casu,

Sap. 8. 1. sed æterno suo consilio attingit *à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Igitur sicut disposuit,

C sicut putauit, sicut voluit, sicut tractauit, sic eueniet. Quid eueniet?

Isa. 14. 25. *Vt conteram* (inquit) *Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum.* Per Assyrium totam illam multitudinem spirituum superborum intellige, qui conteruntur [13] in terra Domini, & in eius montibus conculcantur. Refer hoc si placet ad primum Domini aduentum, in quo contritus est Diabolus in terra Domini, vt per terram paruuli & carnales intelligantur, quos ad solidi cibi perceptionem minus idoneos lacte potat

1. Cor. 3. 2. Apostolus, *Nihil* (inquiens) *iudicaui me scire inter vos,*

1. Cor. 2. *nisi Dominum* Iesvm *& hunc* [14] *Crucifixum.* In tali terrâ contriuit Assyrium Dominus, quando omnem eius astutiam, luce fidei coruscante, denudans, in eorum cordibus caput eius, quod est perfidia, diuinâ virtute

Luc. 10. 17. comminuit. Porro per montes Apostolos atque perfectos intellige, quibus dedit Dominus potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. A quibus etiam ipsius diaboli iugum gra-

D uissimum ablatum est, quando computruit iugum à facie

Isa. 10. 27. olei, & ille vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, ligato forti illo, captiuam duxit captiuitatem, & onus, quo eorum humeri premebantur sua virtute deposuit. *Et auferetur iugum eius ab eis & onus illius ab humeris eorum tolletur.* Est iugum siue onus iniquitatis, quod homo propriis ceruicibus, diabolo suadente imposuit. Est quoque iugum, siue onus malæ consuetudinis, cui se homo male viuendo supponit. Est & iugum siue onus infelicitatis, cui hominem peccantem iustitia diuina prostrauit. Est graue quidem iugum vel onus peccati, quod vsque ad dominicam passionem ita mortales premebat, vt nullius iustitiâ, nullius virtute amoueri potuerit, sed cunctos non solum reprobos, sed etiam electos in infernum demersit, quamuis inter eos magnum chaos firmatum sit, istis, etsi non in gloria, in requie tamen constitutis, illis, locis pœnalibus infeliciter deputatis. At per passionem Christi contrito diabolo & conculcato, iugum istud onusque sublatum est, vt libero ex hinc

E volatu, iusti quique atque perfecti ad cœlum vsque ascendere potuerint.

Veruntamen fratres charissimi, adhuc nos iugum vel onus premit Assyrij, *sentientes* nimirum *aliam legem in* Rom. 7. 23.
membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati, quæ est in membris no- Rom. 7. 24.
stris. Graue hoc iugum fratres, graue hoc onus & intolerabile. *Quis nos liberabit de corpore mortis huius?* Quid de onere consuetudinis dicam quod quicunque humeris suis incaute ingessit, sine graui dolore, nimioque labore deponere non poterit. Sed & *graue iugum* Eccl. 40. 1.
super filios Adam a die ortûs sui, vsque in diem reditus sui in ventrem matris omnium. Onerat paupertas, onerat infirmitas, somnolentia premit, pigritia deijcit, tristitia grauat, ira perturbat, fames & sitis affligit, suspicio confundit. Taceo persecutiones, orbitates, proscriptiones, diuersique generis innumerabiles morbos, terrores etiam & timores, ineuitabilesque labores, iniurias,
calumnias, oppressiones, tentationes, murmurationes, F
detractiones, odia, maledicta, blasphemias, rebelliones, falsa iudicia, naufragia, quibus omnibus plenus est mundus, sicut ait beatus Iob, *Homo natus de muliere, breui* Iob. 14. 1.
viuens tempore, repletur multis miseriis. Quæ omnia cum ipsa, quæ omnium grauissima & vltima est, morte, vno infelicitatis iugo, vel onere contineri manifestum est. Hoc est onus Babylonis, quo non solum illa premitur, sed quo ciues quoque Ierusalem, in ea peregrinantes premit. Felix, qui quamuis prematur his, non tamen opprimitur. Veniet certè dies, quo Assyrius penitus conteretur in terra, & in montibus conculcabitur: non in qualibet terra, nec in quibuslibet montibus, sed sicut Dominus ait, *Sicut cogitaui sic eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem illum.* Eia fratres contritus est Sathanas dominicâ passione, conculcatus est Apostolicâ [15] prædicatione. Contritus est in terra infirmorum, conculcatus est in montibus perfectorum, quando primum ipso Domino,
deinde Apostolis prædicantibus ab omnibus Gentibus G
atrocissimis renuntiatum est eius legibus, quando fide credentium, per sanctæ Crucis signaculum vbique, & à corporibus & à cordibus hominum electus est foras. An non contritus & conculcatus videbatur, quando
nec in porcos quidem per se habere potuit potestatem? Matth. 8. 31.

Verum fratres non penitus contritus est nec conculcatus, cui adhuc relicta tentandi facultas, cui in Antichristo dabitur etiam sæuiendi, & persequendi potestas. At tunc plenè conteretur & conculcabitur, quando nouissima inimica destruetur mors, quando in terra Domini, carne scilicet nostrâ iam æternâ resurrectione glorificatâ, nullum diabolicæ potestatis remanebit vestigium, nec in montibus Domini, spiritibus scilicet nostris in excellentia contemplationis diuinæ suspensis, nullus esse poterit tentationis accessus. Conteretur (inquam) tunc penitus, quando ei totâ tentandi, vel persequendi potestate sublatâ, in abyssum æternis ignibus cruciandus
detrudetur. Tunc certè iugum hoc grauissimum infeli- H
citatis, onusque ponderosissimum, quod multifarie, multisque modis in hac vita portamus, à nostris ceruicibus vel humeris auferetur, quando omni mortalitate, omnique infirmitate virtute resurrectionis absorptâ,
erumpemus in hanc vocem exultationis, *Vbi est mors* 1. Cor. 15. 55.
victoria tua; vbi est mors stimulus tuus? Hic est certè huius oneris finis, quo ciuitas confusionis, id est Babylon cum principe suo diabolo, æternis pœnis oneranda in infernum demergetur, & ciuitas pacis, id est Ierusalem cum suo principe Christo, quæ onus Babylonis, quo onerata est, vel prudenter cauit, vel magna virtute sustinuit, vel potenter euasit, in cœlum coronanda transfertur. Cauit quidem ne vitiis eius opprimeretur; sustinuit cum eius [16] persecutionibus vrgeretur; euasit cum excedens è corpore à requie exciperetur. Ne quis vero existimet de vna aliqua regione, vel ciuitate prophetam tam diuinum oraculum texuisse, omnem hinc ambiguitatem Dominus ipse excludens subiecit.

A Isa. 14. 26. *Hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram, & hæc manus extenta super omnes gentes.* Quid manifestius? Ostendit quippe ea, quæ dicta sunt in hoc onere, ad vniuersum orbem, omnésque gentes pertinere, quæ quoniam in electis & reprobis diuisæ sunt, ad illos consilium, ad istos manum extentam æstimo pertinere.

Profundum sanè altúmque consilium, quod electi cum reprobis in eadem societate viuentes, eodem miseriarum onere premuntur, & mirabiliter adiuuantur ne opprimantur; quod plerumque eisdem peccatis & criminibus [17] prægrauati, conuersione, & emendatiori conuersatione ab eis separantur; quod siue vitiis, siue doloribus, siue tentationibus onerentur, omnia eis in bonum cooperantur. At quam extenta manus Domini super reprobos, eorum non acceptans bona, nec mala diluens! quam extenta manus, qua omnia eis cooperantur in malum, cum & pœnis onerentur, vt deliciis corrumpantur, superbiant in virtutibus, ne quid ex eis mercedis consequantur; in peccatis non humilientur, vt veniam mereantur. B Si malum deserunt, ad id denuo redeunt, si bonum quid inchoant, non perseuerant. Postremò reprobi æternaliter condemnantur, electi in vitæ æternæ gaudiis [18] coronantur. Quæ omnia in hoc onere descripta, & à nobis vtcunque exposita meminisse debetis. Post verba autem Domini ea, quæ dicta sunt, confirmantis, ipse Propheta ex propria persona subiungit, *Dominus enim exercituum decreuit, &* Isa. 14. 27. *quis poterit infirmare?* De electis hoc dictum intelligo, de quorum salute diuini decretum consilij nullus poterit infirmare: *si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Audi & stabile æternumque decretum, cui obuiare nemo 2. Tim. 2. 19. qui audeat, quod mutare nemo possit vel debeat. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sunt eius.* Quod autem sequitur, *Et manus eius extenta, quis auertet eam?* ad reprobos vt superiùs diximus, arbitror referendum. Sicut enim certa, & stabilis est eius de electorum salute misericordia, ita pro certo stabilis est, & incommutabilis de reproborum damnatione iustitia. C Sed iam in fine huius oneris, finem faciamus huius sermonis, obsecrantes Dominum & Deum nostrum, vt onus quod in vitiis est caueamus, onus quod in tentationibus, & miseriis est, vtiliter sustineamus, vt illud, quod in pœna erit æterna, euadere mereamur, Per Dominum nostrum Iesum [19] Christum cui honor & imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Tamen sensus mihi occurrit; ad. Cod. Cam. Tamen *mihi sensus* occurrit, *& ad*
2. Delictum. Ab Adam igitur vsque. C. Cam. Delictum. *Quid igitur ait*, & cætera vsque ad, *Igitur ab Adam* vsque.
3. Comedit. Qui dicebat in cor. suo. In cœlum ascendam. C. Cam. Comedit; *qui quidem gentes*, & sequentia vsque ad, *Qui dicebat in corde suo*, In cœlum conscendam.
4. D Qui sunt in Iudæa. C. Cam. Qui *erant* in Iudæa.
5. Amisit quæ possidebat vnde dicitur. C. Cam. Amisit *quod* possidebat. *Quasi securè*, & reliqua vsque ad, Vnde dicitur.
6. Ignorat. Et consurgam. C. Cam. Ignorat. *Expulsus itaque ab electis*, vsque ad, *Et consurgam.*
7. Vel scientia clara conquirunt. C. Cam. Vel scientia *sæculari* conquirunt.
8. Aquarum vt spina peccati. C. Cam Aquarum, *Ergo in fide munus*, vsque ad, *vt spina.*
9. Scopa terens. Sicut domus. C. Cam. Scopa terens, *dicit Dominus exercituum*. Sicut domus.
10. Vlterius, neque impleant. C. Cam. Vlterius, *neque terram cordis nostri hæreditem*, neque impleant.
11. Censeatur. Et ponam. C. Cam. Censeatur. *Sed & antiqua confusionis*, & cætera vsque ad, *Et ponam.*
12. Dispergat. Ponitur exinde. C. Cam. Dispergat. *Potest etiam per semen pessimum*, vsque ad, *Ponitur deinde.*
13. Terra Domini, vt per terram. C. Cam. Terra Domini, *& in eius montibus* vsque ad, *vt per terram.* E
14. Crucifixum. Porro per. C. Cam. Crucifixum, *In tali terra*, & quod sequitur, vsque ad, *Porro per.*
15. Prædicatione. An non. Cod. Cam. Prædicatione. *Contritus est in terra*, & quod subijcitur vsque ad, *An non.*
16. Persecutionibus vrgeretur. C. Cam. Persecutionibus *premeretur.*
17. Prægrauati, conuersione &. C. Cam. Prægrauati, *morum* conuersione &.
18. Coronantur. Post verba. C. Cam. Coronantur. *Quæ omnia in hac*, vsque ad, *Post verba.*
19. Christum, cui honor, &c. C. Cam. Christus, *qui viuit & regnat* per omnia, &c.

SERMO VIGESIMVS.

ONere Babylonis exposito, onus Philistiim exponendum suscepimus, vestris multo magis orationibus quam nostris viribus freti. F Propheta igitur nomine Babylonis generaliter mundum, qui in electis reprobisque diuiditur, intelligens, quo fuerant onere vel premendi, vel opprimendi, mystico sermone descripsit, Domino attestante qui ait, *Hoc consilium quod cogitaui* Isa. 14. 26. *super omnem terram, & hæc manus extenta super omnes gentes.* Nunc de genere ad speciem transiens, singularum Gentium singula describit onera, vt quod paucis verbis de toto propherauerat, per partes enucleatiùs exequatur. Et primum quidem contra Philistiim diuini iudicij pandit consilium, qui cadentes poculo interpretantur. Per quos Iudæos arbitror designari, qui legis litterâ quasi vino veteri inebriati, à gratia exciderunt. *Igno-* Rom. 10. 3. *rantes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Ioan. 2. 1. Qui enim in lege iustificari se arbitrantur, à gratia exciderunt. Hoc est vinum illud vetus, quod defecit in nuptiis, quoniam Dominus noster Iesus Christus procedens de vtero virginis, tanquam sponsus de thalamo suo, legalibus sacramentis, G quasi vino veteri finem dedit, & Euangelij vinum nouum omnibus ad magni Regis filij nuptias vocatis propinauit. Iudæi igitur legis litteræ inhærentes, & legislatorem ignorantes quasi potati, & inebriati clamauerunt dicentes. *Nos legem habemus, & secundum legem debet* Ioan. 19. 7. *mori.* O ruina! O casus! *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Magnus casus, magna ruina à Christo cadere, & Cæsari adhærere. Et congruè satis de plurimarum Gentium tractaturus interitu à Iudæis sumit exordium, qui primi omnium Christum suscipientes, ab eius fide primi omnium corruerunt. Sic ergo incipit.

In anno quo mortuus est Rex Achaz, factum est onus Isa. 14. 28. *istud.* Achaz Rex pessimus & superbissimus, diuinæ legis contemptor, & idolorum venerator, diabolum significat Vita autem eius regnum eius potest intelligi, quod in genere humano ob culpam primæ præuaricationis obtinuit. Quando igitur mortuus est Rex Achaz? Quando certè impletum est quod ait Dominus per Prophetam; *Ero mors tua ò mors.* H Denique traduxit in Osee 13. 14. Croce principatus & potestates, palam triumphans Coloss. 2. 15. eos in semetipso. Itaque fratres quandiu diabolus in omnes gentes habuit potestatem, populus Iudæorum suà prosperitate gaudebat, habens templum, Altare Ephod, Seraphim, Sacerdotes, & sacrificia. At in anno, id est, in tempore, quo mortuus est Rex Achaz, quo videlicet diaboli destructum est imperium, cœpit plebs illa graui miseriarum onere [1] prægrauari. Addit quippe onus oneri, peccata peccatis, & qui prius Dominum crucifixerant, postmodum in eius discipulos grassabantur. Vnde & infelicitas infelicitati successit, donec abrasi de terra viuentium, à terra etiam morientium, quæ illis fuerat in hæreditatem concessa, penitus [2] delerentur. Hoc ergo onus cœpit spiritualiter fieri, cum intelligibilis ille Achaz suos in homines amisit imperium, quod factum est, id est, reuelatum Prophetæ in anno, quo

A Rex Iſraël Achaz mortis debitum ſoluit. *Ne læteris Phi-*
Iſa. 14. 29. *liſtæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris*
tui. Recordamini fratres conſilium illud, quod contra
Dominum populus ille legitur collegiſſe, in quo à Cai-
pha Pontifice decretum eſt, oportere vnum mori ho-
Ioan. 11. 50. & 48. minem, ne gens tota pereat: *Si enim,* (inquiunt) *dimit-*
timus eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum &
Pſ. 13. 5. *gentem. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Vide-
Gen. 37. 9. rat in ſomnis Sanctus Patriarcha Ioſeph quod eſſet à
fratribus adorandus, quod ne fieret venditur in Ægy-
ptum, per quod tamen accidit vt fieret. Occidendum
itaque Chriſtum autumant, ne credentibus in eum po-
pulis, Romani eis & locum auferrent & gentem, cum
ideo quia occiſus eſt, totus in eum crediderit mundus,
nihilominuſque venerint Romani, & gentem eis abſtu-
lerint & locum. Veruntamen ab hoc timore ſibi vide-
bantur liberari, quando poſito in cruce IESV, & in mor-
tem reſoluto, nomen eius & virtutem ſe extinxiſſe gau-
debant.

B Reuocemus ad memoriam ea, quæ de Philiſtæis &
Iudic. 16. 4. Sampſon ſacra narrat hiſtoria, vbi manifeſtè Philiſtæi
Iudæorum, Sampſon autem Domini Saluatoris tenet
imaginem, qui miſſus ad oues quæ perierant domûs Iſ-
raël, meretricis Dalilæ, Eccleſiæ videlicet de gentibus
concupiuit amplexus. His igitur Sampſon à Philiſtæis
quot [3] paſſus ſit iniurias & inſidias, quibus appetitus
vinculis, quibus etiam minis pulſatus [4] ſacra produnt
Euangelia. Obſeruant os eius ſcribæ & Phariſæi, quæ-
ſtiones obiiciunt, diuerſarum cauſarum ſententias exi-
gunt, multa de lege, multa de Prophetis opponunt, vt
eſſet vnde accuſaretur, vnde iudici, vnde morti ex ſen-
tentia traderetur. Veniunt autem cum quæſtionibus,
quaſi cum vinculis, quibus ruptis toties liber exiuit,
Matth. 22. 17. & 21. Ioan 8. 5. quoties ab ipſis fuerat impetitus. *Licet* (inquiunt)
cenſum dare Cæſari an non? Laqueum parauerunt pedi-
bus eius, ſed inciderunt in illum. *Reddite* (inquit) *quæ*
ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Sic & de adul-
tera. *Moyſes præcepit huiuſmodi lapidare*, quid tu dicis?
C Ille ſic vincula rupit, vt adulterâ liberatâ, illi ſua ſen-
tentia ferirentur & propriæ conſcientiæ accuſationibus
lapidarentur. Tandem ille Sampſon amore meretricis
reſolutus in ſomnum, nudatus crine, fortitudine pariter
ſpoliatur, Philiſtinorúmque traditus poteſtati, irriſioni
patuit & dolori. Sic & meus Sampſon amans meretri-
cem, quæ ſub omni ligno frondoſo, & in omni colle
nemoroſo proſtrata, quot idola venerabatur, tot quaſi
adulteriis polluebatur, crinem depoſuit, fortitudinem
abſcondit, vincula ſuſcepit. Elapſis diſcipulis quaſi cal-
uus aſcendit locum Caluariæ, & Iudæorum traditus
voluntati, irridetur pendens in Cruce.

Cernens autem Propheta in ſpiritu lætitiâ veſanâ
perfuſos ante Crucem agitare caput, improperare mi-
racula, ſuadere deſcenſum, hanc ineptam compeſcit
lætitiam dicens, *Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quia com-*
Matth. 27. 39. *minuta eſt virga* [5] *percuſſoris tui.* Percuſſorem ſuum
putabant ipſum IESVM, qui percutiebat terram virgâ
oris ſui, terram cogitantes, & terram ſapientes ſaluta-
D ribus verbis corripiens, Scribas & Phariſæos, nunc
ſuperbiæ arguens, nunc hypocriſis notans, nunc aua-
Matth. 23. 27. ritiæ condemnans; *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Phari-*
Matth. 23. 23. *ſæi, qui eſtis ſicut ſepulchra dealbata.* Et iterum, *Væ vobis*
Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentham, & anetum, &
omne olus, & grauiora legis dimiſiſtis. De parabola quo-
que qua coloni, quibus commiſſa eſt vinea, primum
ſeruos, poſtremo autem occiderunt hæredem, quomo-
do percuſſi ſunt, cum interrogante Domino, quid fa-
cturus eſſet Dominus vineæ talibus agricolis; reſpon-
Mat. 21. 41. derent, *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis*
agricolis. Quorum ſententiam Saluator non ingratè ac-
cipiens, *ideo*, inquit, *auferetur à vobis regnum Dei, &*
dabitur genti facienti fructus eius. Quomodo prætèrea
percuſſi ſunt, quando de cenſu Cæſaris rogatus ſenten-
Mat. 22. 21. tiam, *Reddite*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ*
ſunt Dei Deo. Sed & de adultera iudicium exigentes, vt
vel Moyſi obuiaret, vel leges miſericordiæ præteriret,
virgâ oris ſui quaſi grauiter percuſſi, cum diceret, *Qui* E
ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat, Ioan. 8. 7.
vnus poſt vnum exierunt, cum ſolâ miſericordiâ ſolam
miſeram relinquentes. Itaque velut percuſſionibus eius
liberati, inſultant in Cruce pendenti, præ lætitia ca-
put mouentes & dicentes, *Si filius Dei eſt deſcendat de* Mat. 27. 42.
Cruce. O Philiſtæa! O ebria! O potionata! ô veſana!
Cadis, ruis, proſterneris. Comminuta tibi videtur vir-
ga, id eſt poteſtas percuſſoris tui; capto inſultas Samp-
ſoni, cui capilli abraſi ſunt, cui eruti ſunt oculi; *ne*
læteris Philiſtæa omnis tu. Morietur Sampſon, commi-
nuta videbitur poteſtas eius; ſed mors eius tua eſt de-
ſolatio, filiorum oppreſſio, & gloriæ veſtræ diminutio,
ruina templi, ſublatio ſacerdotij, totius plebis diſper-
ſio. Ideo *ne læteris Philiſtæa omnis tu, quia comminuta*
eſt virga percuſſoris tui. Quod autem dicit (*omnis tu,*)
magnitudinem gaudij, quo in Chriſti morte exulta-
bant, expreſſit. Ne læteris, ne gaudeas, ne exultes, ne
inſultes; non enim tantum ſcelus diuina iuſtitia dimit- 2. Theſ.
tet inultum. Quoniam enim characterem veritatis non F
receperunt vt ſalui fierent, mittet illis Deus operato- 2. 10.
rem erroris, vt credant mendacio. Hinc Dominus in
Euangelio, *Ego veni* (inquit) *in nomine patris mei, &* Ioan. 5. 43.
non recepiſtis me; alius veniet in nomine ſuo, illum reci-
pietis. Ipſe eſt operator erroris, à Iudæis in fine ſæcu-
li ſuſcipiendus, digno Dei iudicio, vt qui contempſe-
runt Chriſtum, habeant Antichriſtum. Vnde ſubiun-
gitur, *De radice colubri egredietur regulus, & ſemen eius* Iſa. 14. 29.
abſorbens volucrem.

Cum ſanctus Patriarcha Iacob filios benediceret, &
inter cæteros Dan benedicendus accederet, ait de eo,
Fiat Dan coluber in via, ceraſtes [6] *in ſemita.* Colu- Gen. 49. 17.
brum eum quidam idcirco æſtimant appellatum, quod
ſerpentis illius tortuoſi machinamento, de eius ſemi-
ne Antichriſtus ſit naſciturus. Sicut igitur exiit virga Iſa. 11. 1.
de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendit, id eſt
Chriſtus, ita nimirum de radice Dan, qui dictus eſt co-
luber, egredietur regulus, id eſt Antichriſtus. Regu-
lus, qui & Baſiliſcus, rex ſerpentium dicitur, afflatu G
ſuo, atque conſpectu homines perimens. Comparatur
autem ſerpens iſte Antichriſto, qui eius virtute & ma-
litiâ plenus erit, & rex eſt ſerpentium, id eſt princeps
dæmoniorum; cuius afflatus nequitiâ, & illuminatus
ſcientiâ, plures à fide veritatis occidet. Quos enim fal-
lit aſtutiâ, aſpectu eius puta eſſe percuſſos; quos au-
tem malitiâ cogit, eius afflatu ſcias eſſe occiſos. *Et ſe-*
men (inquit) *eius abſorbens volucrem.* Singularem nu-
merum ponit pro plurali. Sicut bonum ſemen verbum
Dei, ita profectò ſemen peſſimum verbum Antichriſti.
Verbum itaque eius, prædicatio eius, doctrina eius,
quaſi ſemen eius abſorbebit Iudæos, non omnes ta-
men, ſed illos qui ſuperbiâ tumidi, nec ad cœlum
poſſunt aſcendere, nec in terram per humilitatem vo-
lunt deſcendere, ſed ſicut volucres in hoc inani inter
cœlum pendentes & terram, eorum merentur conſor-
tium, qui proiecti de cœlo, in hoc aëre caliginoſo ſor-
titi [7] ſunt locum. Poteſt & per radicem colubri
diaboli malitia ſignificari, quam iuſto Dei iudicio, con- H
tra Iudæos permiſſus eſt exercere, ad eorum interitum
Gentes incitans, & ne ſuæ ſaluti conſulerent, eorum cor-
da obdurans. De radice enim colubri, id eſt ex ſugge-
ſtione diaboli egreſſus eſt regulus, ſuperbia, odium, indi-
gnatio Romanorum, quorum tunc Imperator peſſimus
Nero, regulo venenoſo non immeritò comparatur;
cuius ſemen, id eſt volūtas, quam ex colubri afflatu con-
cepit, Veſpaſianum miſit in Iudæam, qui cum filio
ſuo Tito omnem potentiam, & ſuperbiam, & gloriam
Iudæorum abſorbuit. *Et paſcentur primogeniti paupe-*
rum. Improperat ſermo propheticus infelici populo
odium, quod non ſolum in Chriſtum, verumetiam in
eius diſcipulos exercebant. Quandiu enim eorum du-
rabat imperium, non ceſſabat à diſcipulis Chriſti per-
ſecutio Iudæorum, à quibus alij occiſi, alij lapidati,
alij ſuis fugati ſunt ſedibus, alij flagellis attriti.

Cernens itaque Propheta in ſpiritu, poſt hæc omnia

Iudæos

Iudæos multis malis affectos, Christi vero discipulos,
post eorum persecutionem, imo & in ipsa eorum perse-
cutione, bonæ conscientiæ confidentia alacres, *Et pa-*
scentur (inquit) *primogeniti pauperum.* Pauperes sunt de
Matth. 5.3. quibus in Euangelio, *Beati pauperes spiritu, quoniam ip-*
sorum est regnum cælorum. Isti sunt pauperes qui abre-
nuntiantes mundo, & omnibus diuitiis eius, valefacien-
tes etiam patri & matri, fratribus & sororibus, agris &
possessionibus, nudi nudum Christum sequuntur. Quo-
rum omnium primogeniti sancti fuerunt Apostoli, &
discipuli Christi, qui hanc primò doctrinam ex eius
Matth. 19.27. ore audientes, secura conscientiâ dicebant, *Ecce nos re-*
liquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo [8] *erit no-*
bis? Hi ergo primogeniti pauperum cum viderent Iu-
dæos fame verbi Dei laborantes, & Romanis eorum
metropolim oppugnantibus, sub maximo timore viuen-
tes, ipsi diuini verbi dapibus, & multorum fide ad Deum
quotidie conuertentium pascebantur, & in bonæ con-
scientiæ tranquillitate, & spei sanctæ certitudine quies-
B centes, cum magna fiducia proclamabant, *Quis nos se pa-*
Rom. 8. 35. *rabit a charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames,*
an periculum, an gladius? Ait ergo, *Et pascentur primo-*
geniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent. Ve-
re fiducialiter in Christo requieuit Petrus, quando præ-
cipientibus sacerdotibus, ne loquerentur in nomine
Act. 5. 29. Iesu, respondit, *Obedire oportet Deo magis quam homi-*
nibus. Quantâ etiam fiducia quiescebat Paulus, quando
in conspectu iudicis stans, tam fortia de Christo, eius-
que præceptis disseruit, vt tonitruum verborum eius
Act. 26. 24. Festus non sustinens, *Insanis* (inquit) *Paule, multæ lite-*
ræ te ad insaniam prouocant. Sane quies ista tranquillita-
tem mentis significat, qua nec suis persecutoribus iras-
cebantur, quia nullo, aduersus odientes se, odio mo-
uebantur, quia pro inimicis orare, malefacientibus be-
nefacere, pro eorum vitâ, qui [9] eorum vitam sitie-
Act. 7. 59. bant, didicerant laborare. Hinc est quod Stephanus pro
lapidantibus intercedit, Petrus verberantibus verbum
Act. 5. salutis non subtrahit, Paulus pro eis qui semel eum la-
C pidauerant, quinquies verberauerant, plures à quibus
40. & 41. occideretur parauerant, tristitiam magnam habet, &
continuum dolorem cordis.
2. Cor. 11. 24. & Rom. 9. 2. Sed illis fiducialiter agentibus, & in charitatis sua-
uitate quiescentibus, quid Philistæis factum est, à qui-
bus Sampsoni nostro illusum est? audi quod sequitur,
Et interire faciam fame radicem tuam, & reliquias tuas
[10] *interficiam.* Radicem populi illius ipsam ciuita-
tem possumus intelligere, cui vrbes cæteræ, omniaque
suburbana innitebantur; sicut rami à radice, sic ab ea
status sui, prosperitatisque expectantes viriditatem. Et
certè cum plures in ipsa ciuitate obsidionis tempore pe-
ste sæuirent, fames tamen cæteris præualebat, per
quam defensoribus vacuata captioni facilè patuit, &
Romano exercitui victoriam ministrauit. Interiit fame
radix eius, quando incenso templo ciuitas pariter ruit,
& tota illa nobilitas aut fame, aut gladio [11] periit.
Superfuerunt tamen in eodem loco paruæ reliquiæ, quæ
nihil correctionis de tanta calamitate sumentes, ab Ælio
D Hadriano vel interfectæ sunt, vel dispersæ, ita vt ne
adhuc quidem in ea terra, quæ eis data fuerat quasi in
perpetuum possidenda, vel vnus inueniatur Iudæus.
Possunt Pontifices & Sacerdotes radix gentis appella-
ri, quoniam sicut vitalis succus à radice procedens, per
totum arboris corpus ramosque diffunditur, ita per le-
gis doctrinam à Sacerdotibus ministratam, reliquæ ple-
Act. 13. 46. bi salutis remedia parabantur. Qui quoniam verbum
Christi repulerunt, & indignos se iudicabant regno
Dei, ipsis fame pereuntibus, eorum reliquiæ, id est cæ-
tera multitudo vitam, quæ Christus est, deserentes,
æterna morte puniti sunt. Hæc secundum futurorum
præuaricationem dicta, moraliter sunt repetenda, vt fi-
dem, quam Prophetiæ veritas confirmat, ornent mo-
res, vita commendet, finis coronet. Et hoc quidem onus
Philistiim, non secundum id solum intelligendum est,
quo premitur Philistiim vel opprimitur, sed etiam se-
cundum hoc, quod vel premit, vel opprimit. Caueamus

E proinde fratres charissimi à Philistæis opprimi, quoniam vt non premamur cauere non possumus. Simus ergo sicut Sampson Nazaræi, id est Domino consecrati, & crescente capitis nostri cæsarie, sancti efficiamur. Crines nostri, in quibus est nostra maxima fortitudo, non prodantur meretrici, & sic nec vinculis constringi, nec gladiis terreri, nec includi carcere, nec à multitudine poterimus superari. Et si forte exultent Philistæi, & si aliquando capti videamur, eorum iam vinculis mancipandi, audient à Propheta, *Ne læteris Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui.* Sed quia hæc latiùs & manifestiùs prosequenda sunt, reparemus silentio vires, sensum oratione, & ad hæc indaganda mysteria crastino conueniamus, ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi [12] cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Prægrauari. Vnde infelicitas. C. Cam. Prægrauari. *Adæ. dic quippe omnis*, & cætera vsque ad, Vnde & infelicitas. F
2. Delerentur. Ne læteris. C. Cam. Delerentur. *Hoc ergo omnis*, & reliqua vsque ad, *Ne læteris.*
3. Passus sit iniurias & insidias. C. Cam. *Passus sit insidias.*
4. Sacra produnt Euangelia. C. Cam. Sacra *nobis* produnt Euangelia.
5. Percussoris tui. Velut percussionibus. C. Cam. Percussoris tui. *Percussorem suum putabant eum*, & quod subijcitur vsque ad, *Itaque* velut percussionibus.
6. In semita. Sicut igitur exiit. C. Cam. In semita. *Colubrum eum quidam* & quod adiacet vsque ad, *Sicut ergo exiit.*
7. Sunt locum. De radice enim colubri. C. Cam. Sunt locum. *Potest & per radicem colubri*, & quæ sequuntur, vsque ad, *De radice enim colubri.*
8. Erit nobis? Vere fiducialiter. C. Cam. Erit nobis? *Hi ergo primogeniti pauperum*, & reliqua vsque ad, *Vere fiducialiter.* G
9. Eorum vitam sitiebant. Cod. Cam. Eorum *mortem* sitiebant.
10. Interficiam. Interiit fame radix eius quando incenso. C. Cam. Interficiam. *Radicem populi illius*, & cætera vsque ad, *Igitur* interiit fame radix eius, *quoniam* incenso.
11. Periit. Possunt Pontifices &. C. Cam. Periit. *Superfuerunt tamen in eodem loco*, & reliqua vsque ad, *Possunt etiam.*
12. Cui honor & gloria. Cod. Cam. Cui *est* honor & gloria.

SERMO VIGESIMVS-PRIMVS.

ONus Philistiim, quod post onus Babylonis cum vestre charitate tractandum suscepimus, paucis quidem verbis Propheta comprehendit, qui tamen sensuum profunditate multorum verborum materiam ministrauit. Itaque fratres de Allegoricis montibus, ad plana tropologica descendentes, ad ipsius oneris principia H redeamus, dicamusque per Philistiim superbos quosque intelligi, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine gratiarum spiritualium gloriantur. Hi sont, qui cum Lot egressi de Sodomis, & montem virtutum conscendentes, inebriantur à duabus sororibus superbia, & vana gloria, & sic insensibiliter ad turpiora illecti, etiam in abominationes pessimas dilabuntur, vt merito dicantur Philistiim, id est cadentes potione. Videat charitas vestra fratres. Cum naturaliter singulis expulsis vitiis singulæ virtutes succedant, hæc superbia, vicinior virtutibus quam vitiis, quantò magis quisque profecit, tantò aduersus eum atriùs conualescit. Est autem multiformis hæc bestia, quæ vix caueri potest; extingui autem in hac vita nullo modo potest; quippe cum mors sua vitæ materia sit, indeque robustius surgat, quò certiùs putatur extincta. Intelligitis [1] quæ dico. Qui honores

A apperit, manifestè superbit: qui verò honoris contemptu superbiam extinxit, plerumque ex ipsa eius extinctione superbiens, perniciosus euanescit. Cum bonum aliquid facis, latebras quæris vt superbiam caueas quam quia caues mox acriùs toleras. Hinc autem fratres quanta sit eius vehementia, quantumve in ea periculum æstimare, quod mens mortifero hoc toxicata veneno, non nisi alterius veneni æquè læthiferi, quamuis minus periculosi, curatur antidoto. Quis enim nesciat luxuriam æque vt superbiam æternam animæ mortem inferre? Attamen periculosior ista, quæ vt expellatur admittitur illa. Vix enim superbus libidinis euadit voraginem, quæ ei vel erroris mercede iustè attribuitur, vel ad pessimum illud vulnus sanandum, misericorditer adhiberi permittitur. Quosdam enim qui euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se sapientes cum stulti fuerunt, tradidit Deus in passiones ignominiæ, in immunditiam. [Rom. 1. 24.] David quoque cum forte subditis sibi alienigenis, animum ab innata sibi humilitate altiùs extulisset, [2 Reg. 11. 2.] B in Bethsabée resultans amorem, quasi de cœlo in cœnum ruit, tantò felicius erigendus, quantò fuerat propriam infirmitatem expertus. In anno itaque quo mortuus est Rex Achaz, factum est onus istud. Quandiu viuunt in te vitia, quorum incentor est Achaz, & colluctatio grauis est tibi cum carne & sanguine, crebráque tibi, licet optimè pugnanti, vulnera infliguntur, non [2] audet bestia illa caput erigere, non audet aduersus tumidum & pauidum in procinctu positum, & quotidie mori formidantem, exitialem inire conflictum. At si mortuo Achaz, quieuerint incentiua [3] libidinum, auaritiæ æstum, iræ impetum, horrorem tristitiæ, voracitatem gulæ, liberalitas, tranquillitas, lætitia spiritalis, sobrietasque suppresserit, mox coluber tortuosus caput erigit virulentum, ac veneni sui suggestione animam inflans, primò virtutibus reddit inanem, deinde sub ipso tumore vitiorum putredinem generans, in ea quæ se euasisse gloriabatur, vitia prosternit.

C Igitur quasi in virtutum culmine positos, & iam non in Domino, sed in se gloriari incipientes alloquitur sermo propheticus. *Ne læteris*, inquiens, *Philisthæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui.* [Isa. 14. 29.] Ne læteris Philistæa, quæ iam potionaris calice superbiæ, quæ inebriaris vino lætitiæ, quæ iam incipis ad inferiora de superioribus ruere. Ne læteris quia comminuta est virga percussoris tui. Iste Achaz percussor noster est, cui plerumque dat Dominus virgam in manu vt percutiat, vt flagellet, affligens tentationibus, & suggestionibus quatiens. Quæ quidem virga tunc comminuitur, quando ei tentandi potestas subtrahitur. [4] Veruntamen ne læteris ô Philistæa quasi iam euaseris, ne glorieris quasi colubrum illum venenosum tuis [5] viribus extinxeris Caue proinde radicem eius, quam si altiùs in te infixerit, genimina tibi pessima procreabit. Scitis fratres, quia initium omnis peccati est superbia, quasi illius pessimæ arboris radix, quam corpus peccati appellat Apostolus, quæ multos ex se generat ramos, ipso nimirum, qui ex tali radice procedit, lætali humore perfusos. Caue proinde D tu esse Philistæa, caue radicem colubri, quia de radice colubri egredietur regulus; de superbia, Dei contemptus. Regulus rex serpentium est, & Dei contemptus omnium potentior vitiorum, quæ tunc magis damnabilia iudicantur, quando non ex ignorantia, vel infirmitate, sed potiùs ex contemptu generantur. Nascitur autem contemptus ex superbia, quia nisi prius mens humana tumuerit, ad sui creatoris iniuriam non erumpit. *Et semen eius absorbens volucrem.* Semen contemptûs, desperatio est, quæ confessionem excludit, irridet pœnitentiam, satisfactionem abiurat. [Prou. 18. 3.] *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit:* blasphemus in Deum, iniquus in proximum, perniciosus sæuiens in semetipsum, qui quoniam de venia desperat, vitia vitiis cumulans, ipsi desperationi vehementiora fomenta ministrat. Per volucrem animal pennatum, & celeri volatu superiora petentem, spes significatur; per quam terrenis cœlestia, æterna temporalibus, humanis diuina præponimus; per E quam etiam iam nunc salui facti sumus, & Christo in cœlestibus contegnamus. Hanc itaque volucrem desperatio absorbet, quando auulsis pennis, quibus ad cœlestia volatur, anima declinat ad infima, vt contemnens futura amplectatur terrestria, nihilque vltra desideret, quæ nihil quod vltra sit, sperat.

Sed & hoc quod dicitur, *Ne læteris Philisthæa omnis tu*, ad ipsos congruè satis dirigitur, qui minùs gratè diuina flagella suscipiunt, in prosperitate effusi, in aduersitate querulosi, quos fauor eleuat, persecutio conturbat. Eia fratres, vt ait Apostolus, *Quis est filius, quem non corripit?* [Heb. 12. 6.] [6] *flagellat quippe omnem filium quem recipit.* Potest itaque & ipse dici percussor *qui percutit, & sanat, mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* [1. Reg. 2. 6.] Ipse certè emittit virgam virtutis suæ ex Sion, vt visitet in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra [7] Magnum est fratres diuinæ miserationis indicium, quando non parcit in præsenti, quando non miseretur, quando sepit vias nostras spinis, & occludit maceriâ, vt quærentes mortem non inueniamus, [Osee 2. 6.] F quando omnes dulcedines quibus inhiamus, multimodâ aspergit amaritudine ne inhæreamus. Quid tu Philistæe cadens potione? Repleuit & inebriauit te amaritudine Dominus, potionauit te calice iræ eius, & sagittæ eius infixæ sunt tibi, quarum indignatio ebibit spiritum tuum? Certe si irascaris, si murmuras, si indignaris, si manum repellis medici, si patris virgam detestaris, Philistæus es, cadens potione, inde ruinam incurrens, vnde sperare poteras erectionem. Væ tibi si auerterit zelum suum à te, vt vltra non irascatur tibi, sicut ad quosdam loquitur per Prophetam, *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, neque super vxores vestras cum adulterauerint.* [Osee 4. 14.] Infelices ergo sunt de quibus conqueritur in Psalmis, *Non audiuit populus meus legem meam, & Israel non intendit mihi*, [Psal. 80. 12. & 13.] non audiuit docentem, non sustinuit corripientem, illinc rebelles & increduli, [8] hinc iniuriosi, vtrobique ingrati: Qua igitur pœnâ plectentur, quibus pro his afficientur tormentis? Audi G quod sequitur, *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.*

Intelligat charitas vestra fratres mei. Multi pro peccatis suis corripiuntur à Domino, affliguntur inopiâ, persecutionibus atteruntur, debilitantur membris, diuersis tormentorum generibus excruciantur. Qui si nihil correctionis admiserint, sed sicut in prosperis superflui, ità in aduersis inueniuntur blasphemi, suspendit virgam, gladium mittit in vaginam, tradens eos in desideria cordis sui, vt eant in adinuentiones suas. *Tunc lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* [Prou. 2. 14.] Talibus ergo loquitur Propheta dicens. *Ne læteris Philisthæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui.* Ne læteris quod à percussione cessauit, qui te erudiuit, cuius virga caput serpentis exclusit, reguli venena depulit, & semen eius pessimum [9] arefecit. Ne læteris itaque, quia comminuta est virga percussoris tui, facilè enim ex hinc infiget tibi radicem suam coluber tortuosus. Quæ vtique est voluntatis corruptio, ex qua velut ex radice pessima rami pessimi oriuntur. H De radice enim colubri egredietur regulus, ex [10] voluntate scilicet corruptâ delectatio immunda, cuius semen sunt opera pessima, quæ totum, quod prius in anima nostra altum sapiebat, & instar volucris pennatæ desiderio & affectu superiora petebat, obruunt & absorbent. Sed Philistæis, id est superbis, tali onere depressis, quid pauperes facient, id est humiles? Sequitur, *Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent.* Hi sunt pauperes quibus Dominus ait. *Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cælorum.* [Math. 5. 3.] Paupertas ista secundum affectum æstimatur non secundû sensum, cum abundans diuitiis, regnoque sublimis dicat. *Ego vero egenus & pauper sum.* [Psal. 69. 6.] Sunt autem quædam virtutes, à quibus incipimus, quædam in quibus proficimus, quædã in quibus perficimur. Prima autem virtutum fides, quam spes corroborat, charitas remunerat. Illa autem fides virtus est, quæ per dilectionem operatur, cum sine spe remunerationis nemo

bene

A bene operetur. Hi sunt primogeniti pauperum, id est humilium, qui non in se, sed in Domino [11] gloriantur.

Hi primogeniti necesse est vt pascantur, ne deficiant in via. Pascuntur autem ratione, auctoritate, experientia. Ea enim quæ credimus, vel speramus, & ratio commendat, & auctoritas confirmat, & experientia probat. Nam quod dicitur, fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, de illa intelligitur ratione, quæ non inuestigare nititur, quid credendum sit, vel sperandum, sed certis argumentis comprehendere hoc quod creditur, & patentibus oculis cernere quod speratur. Rom. 8. 24. Sed spes quæ videtur, non est spes, & fides si transierit in scientiam, fides non est: fidei tamen nostræ cooperatur ratio, quando ita credendum naturalium rerum probat consideratio. Verbi gratiâ, ex consideratione naturalis mutabilitatis creaturæ, probat ratio credendum esse hoc, quod mutatur, aliquando non fuisse, ideo & esse cœpisse, nec à seipso cœpisse vt esset, quia se creare non B potuit, cum non esset. Suadet proinde ratio vt credamus aliquid quod sit, necesse cœperit, ac per hoc semper extiterit, & cæteris omnibus quæ sunt, dedisse vt sint; quæ profectò omnia non essent, nisi multa essent. Multa vero in vnam concordiam conuenire non possent, nisi vnâ vnius sapientiâ illa multa regerentur; vni vnius potentiæ illa omnia subderentur. Credendum quocirca ratio docet, quod omnis creatura voluntati subditur creatoris aut volens, aut nolens, aut naturaliter parens. Sed volens mercedem, pœnam nolens meretur, cum ea, quæ voluntatis experria sunt, nec pœnam metuant, nec mercedem expectent; quæ omnia hic creduntur & sperantur, sed in futuro meliùs in ipsa charitate sentiuntur. Pascimur & auctoritate, quando fidei nostræ & spei, quam in Christo habemus, tales producimus testes, quibus tanto securiùs credimus, quanto manifestiùs videmus impleta, quæ ab ipsis constat ante fuisse prædicta. Et hæc est in præsenti fidei nostræ quædam, quâ nutritur, experientia, quâ ea quæ legimus in Prophe-C tis, ipsis oculis nostris vera probamus.

Est alia quædam in hac vita experientia, quæ fidem probat, & spem corroborat; nutrit autem charitatem, vnctio scilicet illa spiritûs, quæ nos docet de omnibus, quæ quasdam nobis futuræ beatitudinis infundit primitias, cor nostrum simul illuminans & accendens, vt videat & amet, gustet & intelligat; quando ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus Rom. 8. 16. Filij Dei. Hæ igitur virtutes si sic pascantur, si sic nutriantur, in cæteris faciliùs proficimus, quæ ab his introducuntur; cum fidei timor adhæreat, patientia spei, castitas charitati. Deinde timor parit prudentiam, patientia fortitudinem, temperantiam castitas, charitas iustitiam. Per has postremò ascenditur ad sapientiam, quasi per riuulos ad fontem, in qua fides transit in spem, spes in possessionem, charitas in plenitudinem. Tunc profectò fiet quod sequitur. *Et pauperes fiducialiter requiescent.* Cum enim humiles quique, qui nesciunt in suis meritis gloriari, quos pauperes vocat Propheta, ad vir-D tutum culmen peruenerint, fiducialiter requiescent, quibus se non ingerit pes superbiæ, & ideo nec manu peccatoris moueri possunt, nec superueniente turbine illidi. Ibi enim, id est in superbia, ceciderunt qui operan-Psal. 35. 13. tur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Ibi sunt Philistæi cadentes potione, quibus coluber radicem suam inserit, ex qua regulus procreatur, cuius semen absorbet volucrem, de quibus adhuc Propheta subiungit, *Et interire faciam radicem tuam fame, & reliquias tuas* [12] *interficiam.* Tam superbi, qui in suis virtutibus extolluntur, quam humiles, qui in Domino gloriantur, fidei Catholicæ, quasi virtutum omnium radici innituntur. Quæ si fuerit erroris cuiuslibet infecta veneno, quasi radice iam mortuâ, tota illa virtutum arbor quadam ariditate marcescit. Sed quemadmodum, vt prædiximus, in Sanctis, & humilibus corde, vnctione spiritûs fides pascitur & nutritur, ita & in superbis & tumidis ob spiritalis gratiæ famem, facilè etiam ipsa fides obruitur, & ita in diuersos errores & blasphemias dila-E buntur. Qui enim dixerunt se esse sapientes, stulti facti sunt, & commutauerunt veritatem Dei in mendacium. Ait ergo *Et interire faciam fame radicem tuam.* Vt quia non meretis gratiam, qua nutriatur, in ariditatem incidat qua moriatur. *Et reliquias tuas interficiam.* Interfecta radice quidni rami pariter moriantur, vt pereunte Isa. 14. 30. quod primum est, etiam vltima quæque deleantur. Fides radix, cæteræ virtutes reliquiæ; itaque vbi fides corrumpitur, omnes pariter virtutes euanescunt, quia *omne quod non est ex fide peccatum est.* Rom. 14. 23.

Quid igitur? nihil remedij, nihil spei superest Philistæis Est, siquidem fecerint quod subiungitur, *Vlula* Isa. 14. 31. *porta, Clama ciuitas.* Sed quia hæc nondum allegoricè exposita sunt, moralem hanc expositionem nunc interim differamus. Verum quia onus Philistiim, non [13] solùm hoc quod premittus, sed secundum hoc quod premit potest intelligi, dicamus Philistæos immundos esse spiritus, qui inebriati superbiâ, à cœlesti illa mansione corruerunt. Hi sunt, qui nos suis fatigant suggestioni-F bus, tentationibus premunt, onerant doloribus. Aduersus hos nobis est colluctatio, à quibus nonnunquam vulneramur & percutimur, quos nos vicissim & percutimus & vulneramus. Induite proinde vos fratres arma-Ephes. 6. 11. & 13. turâ Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Cu-Iudic. 16. 8. stodire maximam fortitudinem vestram, quam instar Sampson, septem vobis crines conseruant. Instant Philistæi, dormientibus funes iniiciunt, sed, nisi prius radantur septem crines, nihil proficiunt. De his funibus ait Propheta, *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Sed Ps. 118. 61. quia fecit Deus quod sequitur. *Et legem tuam non sum oblitus*, in alio Psalmo [14] confidenter proclamat, *Di-* Ps. 115. 16. *rupisti vincula mea.* Sunt autem tres funes quibus nos appetunt Philistæi, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Vide ô Sampson ne dormias, vide ne otio dissoluaris, vide ne meretricis, vanæ videlicet gloriæ, seducaris illecebris. Otiositas inimica est animæ, in desiderijs enim est omnis otiosus. G Audiant hoc qui occasiones quærunt vagandi, quibus commune opus manuum oneri est; qui, fratribus necessarijs operibus intentis, otio vacant & fabulis. Hi sunt, quos sæpe cernimus Philistinorum innexos funibus, nunc carnis stimulis agitari, nunc stultis occupationibus infeliciter irretiri, nunc quasi quibusdam furijs actos, girouagando multis detractionibus exponi, quos Philistæi fune carnalis concupiscentiæ trahunt ad libidinem, fune concupiscentiæ oculorum ad vanitatem, fune superbiæ ad superstitionem. Crines procedunt ex capite, cogitationes ex corde. In septem itaque cogitationibus conseruatur fortitudo tua, quarum duæ sunt de præteritis, duæ de futuris, tres de præsentibus.

Ad præterita pertinet recordatio creationis, & redemptionis; ad futura horror damnationis, & contemplatio æternæ remunerationis; ad [15] præsentia consideratio nostræ infirmitatis, & diuinæ bonitatis, cum memoria illius, quam sæpius experimur, consolationis. Has sane cogitationes si lethali somno sopitus prodideris meretrici, id est vanæ gloriæ abscindendas tradide-H ris, quasi impotens & infirmus Philistæis, nequam videlicet spiritibus traderis illudendus. Quibus tamen exultantibus dici potest, Ne læteris Philistæa omnis tu, quia contrita est virga Sampson, cuius possunt iterum crines crescere, per quos & radicem colubri, & partum reguli poterit declinare, si tamen vt pauper in loco pascuæ collocatus verbi Dei famem vitare potuerit, & in spe diuinæ misericordiæ fiducialiter requieuerit. Fiet enim ex Dei gratia vt radix colubri, cum ei subtracta fuerit peccati materia, quasi fame intereat, non habens vnde viuat, & sic cætera vitia, quæ ex pessima radice pullulauerant, moriente radice marcescant. Sed iam tandem sermoni huic demus finem, obsecrantes Dei misericordiam, vt interiùs illo verbo pasci mereamur, quod non habet finem, quod est Christus Iesus, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

A

VARIÆ LECTIONES.

1. Quæ dico. Quandiu viuunt. C. Cam. *Quæ dico. Qui honores appetit*, & quod subditur vsque ad, *Quandiu viuant.*
2. Audet bestia illa. C.Cam. Audet *bellua* illa.
3. Libidinum. Mox coluber tortuosus caput erigit virulentum, ac veneni sui suggestione animam inflans. C.Cam Libidinum, *auaritia, æstrum, ira* & cætera vsque ad, Mox *virulentam caput coluber erigit tortuosus*, ac veneni sui *infusione* animam inflans.
4. Veruntamen ne lætetis ô Philistæa. C. Cam. *Veruntamen ô Philistæa ne læteris.*
5. Viribus extinxeris. Caue proinde radicem colubri, quia. C. Cam Viribus *eam* extinxeris. Caue radicem *eius*, *quam si altius in te*, vsque ad, *Caue radicem colubri.*

B

6. Flagellat autem omnem. C. Cam. Flagellat *quippe* omnem
7. Magnum est fratres. C. Cam. *Magnum fratres, magnum est.*
8. Hinc iniuriosi, vtrobique. C. Cam. Hinc *murmurosi* vtrobique.
9. Arefecit, de radice enim. C. Cam. Arefecit, *Ne læteris itaque* vsque ad, *de radice enim.*
10. Voluntare scilicet currupta. C. Cam. Voluntate *videlicet* corrupta.
11. Gloriantur. Est alia quædam. C. Cam. Gloriantur. *Hi primogenitis necesse est vt pascantur*, & cætera vsque ad, *Est alia quædam.*
12. Interficiam. Interfecta radice. C. Cam. Interficiam. *Tam superbi qui in suis virtutibus extolluntur*, vsque ad, *Interfecta radice.*
13. Solum hoc quod premitur, sed secundum hoc quod premit. Cod. Cam. Solum *secundum* hoc quod premitur, sed *etiam* secundum *id* quod premit.

C

14. Confidenter proclamat. Cod. Cam. Confidenter *clamat.*
15. Præsentia consideratio nustræ. C. Cam. Præsentia *autem* consideratio nostræ.

SERMO VIGESIMVS-SECVNDVS.

PEr Philistæos qui cadentes potione vel poculo interpretantur, secundum typum futurorum Iudæos diximus designari, qui ob necem Domini Saluatoris à Romanis depressi & oppressi, effusi sunt & dispersi,
Ps. 52. 6. quoniam Deus spreuit eos. Vnde Propheta, *Et interire* (inquit) *faciam fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.* Adhuc quoque calamitatem describens, subiungit. *Vlula porta, Clama ciuitas, prostrata est* [1] *Philistæa omnis.* Quod ciuitatem Ierusalem obsidentibus Romanis, & clausos armis, & machinis fatigantibus, sæpe vlulatus in porta fuerit, clamor in ciuitate, maximè
D cum turres arietatæ corruerent; & irrumpens exercitus obuios quosque prosterneret, historiæ non tacent. Tunc sane omnis Philistæa videbatur prostrata, quando incenso templo, Principibus & Sacerdotibus vel interfectis, vel ad triumphum seruatis, maxima plebis multitudo gladio cecidit, pars maxima fame interiit, pars non modica à victoribus destructa, degenerem seruitutem subiit, pars quoque haud minima, aut bestiis tradita est, aut deputata arenis, aut mutuis concidere vulneribus. Possunt etiam portæ nomine doctores intelligi, per quos aliis ad sacra, & ad sacrificia patebat ingressus. Nam portæ dicuntur Ecclesiæ, noui præcones testa-
Ps. 86. 2. menti, secundum illud, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* At nomine ciuitatis designatam intellige synagogam, quæ primo quidem ciuitas Dei, nunc autem dicitur synagoga Satanæ. Prophetatur itaque tam Prælatorum quam subditorum in illa plebe clamor & vlulatus, quibus dolor & labor, anxietas cordis, & vocis lamentatio expressa sunt. Ait ergo, E
Vlula porta, Clama ciuitas. Cur autem vlulare habeat, vel clamare, manifestat dicens. *Prostrata est Philistæa omnis.* Hæc est illa ciuitatis & gentis illius desolatio, quam & sanctus Ezechiel describit, loquente ad eum Domino, *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum, & duces eum per caput tuum & barbam. Et assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem combures igni, tertiam partem concides gladio, tertiam vero partem disperges in omnem ventum, & gladium denudabis post eos.* Quæ omnia expositione non indigent, [2] sed consideratione. Ezech. 5. 2.

Est & alia populi illius ruina, tantò vtique grauior, quantò anima carne est pretiosiur. Cogitate ergo oliuam illam vberem & fructiferam, cuius radix Abraham & cæteri Patriarchæ, de qua rami inutiles, imo & perniciosi excisi sunt, & ab illa fidei & charitatis pinguedine, quæ ab optima radice procedens, omnibus se ramis infuderat, penitus arefacti, æternis ignibus deputati sunt. Ruina hæc grauis de fide in perfidiam, de veritate F
in mendacium, de cœlo in infernum. Pro hac eorum ruina vlulat porta, clamat ciuitas. Intellige hic si placet portam Apostolum Paulum, per quem cognouerunt omnes gentes gratiam Dei. Huic enim tristitia magna fuit, & continuus dolor pro fratribus suis secundum Rom. 9. 2.
carnem. Quem etiam luctum cæteros credo habuisse Apostolos, quamuis eum vehementiorem Paulus habuerit. Nec solum ipsi, sed & tota sancta ciuitas Dei, id est Ecclesia, ruinam deplorat Iudæorum, & eorum desiderat conuersionem. Verum qua de causa hæc passa sit plebs illa, Propheta non tacet, *Ab aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiat* [3] *agmen eius.* Fumus qui oculos obscurat vel excæcat, ignorantiam significat, quæ eis Saluatoris aduentum abscondit, & abstulit cognitionem, sicut Dominus per hunc ipsum Prophetam ait, *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe* Isa. 1. 3.
Domini sui, Israël autem non cognouit me. Et post multa, Isa. 6. 10.
Excæca cor populi huius. Isti sunt qui ignorantes Dei iustitiam, corruerunt in insipientiam. Hic autem fumus G
vnde processit? Ab aquilone, vbi sedes est Satanæ, vnde etiam malum procedit super faciem terræ. Hæc est cæ- Ier. 1. 14.
citas, quæ contigit in Israel, donec plenitudo Gentium introiret, & sic omnis Israël saluus fieret. Venit autem fumus iste cum agmine, quoniam multæ abominationes secutæ sunt ignorantiam, odia, maledicta, blasphemiæ, in quibus miser ille populus quotidie crescit in pœnis, ita vt nullus sit reproborum, qui fumi illius agmen [4] effugiat.

Sequitur, *Et quid respondebitur nuntiis Gentium?* Isa. 14. 32.
Nuntij Gentium sunt Prædicatores, Apostoli, & Apostolici viri, qui pulsi à Iudæa, transierunt ad populum nationum, quibus eorum ruinam lugentibus, & cæcitatis illius causam admirantibus, respondetur à Spiritu sancto. *Quia Dominus fundauit Sion.* Hoc est quod respondit Paulo Spiritus sanctus, quod multis aliis respondit Paulus, *Quia cæcitas ex parte contigit in Israel,* Rom. 11. 25.
donec plenitudo gentium intraret. Ipsa est Ecclesia de gen- Psal. 86.
tibus Sion, scilicet quam fundauit Dominus, & funda- 5. & 1.
menta eius in montibus sanctis. Ideo cæcitas contigit H
in Israel, vt ramis naturalibus à naturali oliua excisis, locus esset ramis aliis, licet secundum carnem minus naturalibus inserendis. Ex ipsis ramis fundata est Sion, id est Ecclesia. Verum quia *multi vocati, pauci vero electi*, in ip- Matth. 20. 16.
sa soli illi sperabunt, qui fuerint pauperes populi eius, id est Sion. *Annuntiaui* (inquit) *& locutus sum, multipli-* Ps. 39. 6.
cati sunt super numerum. Itaque reprobi cum electis Ecclesiam intrant, Apostolicaque sagena bonos congregat pisces & malos, donec in littore, fine videlicet mundi, Matth. 13. 47. &
exeuntes Angeli separent malos de medio iustorum. 48.
Itaque diuites confidunt in diuitiis suis, sapiens in sa- Matth. 12. 29.
pientia sua, fortis in fortitudine sua; pauperes verò, id est hi qui didicerunt à Domino esse mites, & humiles corde, reuelant Domino misericordiam suam, & sperant in eo, dicentes cum Propheta. *Quoniam tu es*
Domine spes mea. Sed & superbi quique, in quibus ser- Ps. 90. 9.

perns

A pens antiquus radicem impietatis infixit, si radice fidei arefacta, cæteræ virtutes intereunt, non habent quo fugiant nisi ad pœnitentiæ humilitatem, quoniam sicut à mortuo, quasi qui non sit, perit confessio, ita confitens, & pœnitens, vitæ redditur beneficio. Vlula ergo ó porta, Clama ciuitas, prostrata est Philistæa omnis. Prosternitur omnis Philistæa, quando ratio in errorem, memoria in Dei obliuionem, voluntas ruit in libidinem. Prosternitur omnis, quando cor versatur in turpitudine, sermo in duplicitate, opus in sordibus, & in iniquitate. Ideo vlula cordis contritione, clama confessione. Matth. 15. 19. Nam cor ipsum porta dicitur, ex qua exeunt cogitationes malæ, homicidia, furta, blasphemiæ, falsa testimonia.

Quod si per portam os hominis velis intelligi, dignum videbitur vt os ipsum ad alios terrendos, vlulatum diræ vocis emittat in pœnitentiam, quod alios hortando illexit ad vitia. *Clama* (inquit) *Ciuitas.* Ciuitatem animam B appellat, quæ pro diuerso statu diuersa sortitur nomina, nunc Iericho, nunc Ierusalem, nunc Babylonis digna vocabulo. Huius muri, sunt virtutes vel vitia; domus, dona naturæ: populus, affectiones & cogitationes. Clamat autem hæc ciuitas aliquando Deum laudando, aliquando seipsam accusando, nonnunquam conquerendo, sæpe quoque aliquid petendo. Tunc autem ciuitas clamare dicitur, quando anima totam se in se, & ad se colligit, & ita in vocem vel laudis, vel confessionis, vel Ps. 102. 1. doloris, vel orationis erumpit. *Benedic* (inquit Propheta) *anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Non pars aliqua, sed tota ciuitas benedictionem Dei personabit. Vlula proinde porta, Clama ciuitas, vt in corde sit contritio, & in ore sit confessio, & sic quæ prostrata fuerat per culpam, erigatur per pœnitentiam, fiatque quod scriptum est, *Restituetur Sodoma in antiquum.* Sequitur, *Ab aquilone fumus ve-* Ier. 1. 13. *niet.* Quid tu vides ait Dominus ad Ieremiam, *Quid tu vides?* Et ille, *Ollam*, inquit, *succensam, & facies eius à* C *facie aquilonis.* Nostis quis sit ille, cui pars placuit aquilonaris, frigida scilicet, & à Dei calore aliena corda mortalium, per quos ollam tentationis ille, qui in eis sedet, plerumque succendit, ex qua fumus egrediens multorum excæcat oculos, & à veritatis lumine alienat. Dicit enim quomodo sit Philistæa prostrata, qua etiam ratione securus quis possit esse de venia, si digna præcesserit pœnitentia Ait quippe Paulus in infidelitate prostratus, fide erectus, persecutor in infidelitate, doctor in fide, *Mi-* 1 Tim. 1. 13. *sericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Ignorantia ipsa quasi fumus erat, quæ nimirum ab aquilone procedens, erroris tenebris mentem eius obuoluerat. Ideo facilius veniam consequitur, quia secundum æmulationem persecutus est Ecclesiam Dei, fumo ignorantiæ cæcatus, non malitiâ prouocatus. Et tu quoque non desperes de venia, quia etsi fortè non te tetigit fumus ignorantiæ, tetigit tamen fumus suggestionis alienæ, tetigit fumus carnalis concupiscentiæ. Ille itaque D qui cognoscit figmentum nostrum, tantò citius miseretur, quantò in nobis ipsis portamus, quod ollæ illius succensæ fumo faciliùs obfuscatur. Ideo prosternitur certe Philistæa, id est anima quælibet elata, quia ab aquilone, id est diabolica tentatione, aut ignorantiæ, aut concupiscentiæ fumus procedens, aut circumuenit incautam, aut infirmam illexit. Sed tu vlula contritione, clama confessione, vt fiat quod in hoc ipso Prophetâ Isa. 23. 16. scriptum est, *Sume citharam, circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita. Bene cane, frequenta canticum, vt memoria*[5]*tui sit.* Canta ergo & tu Canticum doloris cum cithara mortificationis, vt memoria tui sit apud misericordiam redemptoris; Ipse enim scit, quia non est qui fumi huius pessimi agmen effugiat. Quis enim est, cuius carnem vel mentem, instar ollæ feruentis, hostis ille aquilonaris aliquando non succendat, ignitisque iaculis concupiscentiæ fumum non excitet? *Quid igitur respondebitur nuntiis Gentium?* Si placet per nuntios Gentium angelos contrariæ fortitudinis intellige, qui diuersis ten-

E tationibus fatigaris, virtutis arduam viam opponunt, carnis fragilitatem & corruptionem obiiciunt, vt quadam desperatione deiecti, viam salutis refugiant. Expertis loquor. In initiis conuersionis nostræ, inter graues tentationes carnis & spiritus, cum nos aliquando spiritus fornicationis vreret, nunc inflammaret ira, nunc gula desideriis agitaret, quasi impossibilis videbatur in his omnibus tolerantia, maximè cum adolescentiæ lubricus status, tentationis multiplex astus, ex infirmitate facilis casus proponeretur.

Spiritibus itaque talia suggerentibus quid respondebitur? Quæ spes nostra, quod refugium? Quia Dominus fundauit Sion, fratres, fundamentum Dei firmum 2. Tim. 2. 19. stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius. O Sion, ó anima, quæ quasi in specula posita, Domini tui præstolaris aduentum, non metuas, non conturberis; quoniam si irruant venti, & fluant flumina, fatigari potes, sed subuerti non potes. Fundata es enim supra firmam petram, Dominus enim fundauit Sion, *qui* F *non permittet nos tentari supra id quod possumus, sed faciet* 1. Cor. 10. 13. *cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.* Hæc miserorum in hac vita consolatio, hæc in tentationibus fortitudo, hæc in tribulatione securitas, hæc constantia in aduersis. Dominus certè fundauit Sion, animam Dei contemplatione sublimem, in veræ humilitatis eam fundamento constituens quæ tantò sane solidius atque securius locatur, quantò crebris probata tentationibus nec falli potest incauta, nec illici iam probata, nec exercitata superari. Sic itaque Dominus fundauit Sion, & in ipsa sperabunt pauperes[6] eius. Eia fratres charissimi, si præoccupatus fuerit quis in aliquo delicto, vel præter solitum tentatione pulsatus, videat ne forte ante ruinam exaltatum sit cor, quoniam si ipsius peccati causam defleuerit, facilius pro commisso veniam impetrabit. Efficietur enim pauper spiritu, humilis mente, quia non hi, qui confidunt in diuitiis suis, sed qui in Christiana paupertate gloriantur, sperabunt in Domino. Veruntamen potest per speculam, quod interpretatur Sion, Spiritalis G scientia exprimi, in qua anima constans, virtutum fructus à furibus bestiisve conseruat. Sed in hac scientiâ, quam in anima sanctâ fundat Dominus, non superbi confidant, non sperent elati, sed pauperes populi eius, id est humiles, qui apponentes scientiam apponunt & dolorem, vt in illa beatitudine quandoque glorientur, quam in Euangelio Dominus dicit, *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur*, in CHRISTO IESV Domino nostro, cui est cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES:

1. Philistæa omnis. Hoc est. C. Cam. Philistæa omnis. *Quod ciuitatem Ierusalem*, &c. vsque ad, *Hoc est.*
2. Sed consideratione. Verum qua de causa. C. Cam. Sed consideratione. *Est & alia populi illius ruina*, vsque ad, *Verum qua de causa.*
3. Agmen eius, fumus venit cum agmine. C. Cam. Agmen eius. *Fumus qui oculos*, vsque ad, *Venit autem fumus iste cum agmine.* H
4. Effugiat. Quod tu vides. C. Cam. Effugiat. *Sequitur Et quid respondebitur*, vsque ad, *Quid tu vides.*
5. Tui sit apud misericordiam. C Cam. Tui sit *Canta ergo & tu*, vsque ad, *apud misericordiam.*
6. Pauperes eius, id est humiles qui. C. Cam. Pauperes *populi eius. Eia fratres charissimi*, & quod subsequitur vsque ad, *id est humiles qui.*

SERMO VIGESIMVS-TERTIVS.

EXplicito onere Philistijm contra Moab armatur sermo propheticus, cuius nominis rationem primum vobis video esse reddendam. Sanctus Loth, vt bene nostis fratres charissimi, egressus de Sodomis, cum vxor Gen. 19. 26. eius retro respiciens in salis esset mutata figmentum,

A cum duabus solis filiabus ascendit in montem, & post incolatum vrbis immundæ, nouus speluncæ factus est habitator. (Gen. 19.) Ibi vtraque filia ebrij patris furata concubitum, primogenita Moab, altera Ammon filios ex incestu concepit. Moab autem de patre, siue aqua paterna interpretatur; quem nimirum de filia pater nesciens genuit, non ex affectu amoris, qui in quadam dulcedine spiritus legitimè coëuntes coniungit, sed ex eo fluxu, qui ex dormiente, vel ebrio instar aquæ, sine amoris sapore emanare consueuit. Quid dicam fratres charissimi? blasphemumne putabitis, si in his sanctum Loth Domini Saluatoris imaginem dixero tenuisse? Recordamini quæso Iudam concubitu Thamar, quam (Gen. 38.) putauerat meretricem, & Dauid in illicito Bersabee amplexu (2 Reg. 11.), Domini IESV, secundum Sanctos Patres, expressisse figuram, & hic quoque IESVM Sacerdotem magnum (Zach. 3.), sicut in Zacharia monstratus est, in sordidis vestibus non miremini. Christus, vt scitis, Dei virtus est & Dei (1 Cor. 1.) B sapientia; ex Dei autem sapientiâ duplex scientia, quasi duæ filiæ procreantur, practica scilicet & theorica. Has itaque filias cum in speluncam, corda videlicet tenebrosa Gentilium, Dei sapientia induxisset, non ex volantario patris semine, quod est charitas, sed ex propriâ curiositate & vanitate, quasi ex incestu, quandam diuinarum & humanarum rerum scientiam, ex bono quidem patre, sed non ex ordine legitimo conceperunt. Nam quod etiam mundi huius sapientes, Deo reuelante, multa de humanis, multa & de diuinis didicerunt, Paulus testis est qui ait, *Quod notum est Dei manifestum* (Rom. 1.) *est in illis, Deus enim* [1] *illis reuelauit.* Sed quia non ordine legitimo Dei sapientiæ inhæserant, non humiliati, sed inflati dicebant se esse sapientes, & stulti facti sunt. Itaque Moab, qui de patre vel aqua paterna interpretatur, sapientes huius sæculi, vel ipsam mundi sapientiam significat; quæ licet ex Deo processit, non ea tamen philosophi vsi sunt ad saporem diuinæ charitatis, sed ad timorem mundanæ vanitatis. Hi sunt qui C contra Crucem Christi, in sapientia verbi gratiâ reuelatâ pugnauerunt; contra quos, post Iudæorum interitum, vel conuersionem, præclaram aciem Apostoli dìtexerunt. Vnde congrue post onus, quo Iudæorum correcta est, vel compressa vesania, Sapientum huius mundi, vel ipsius sapientiæ secularis onus, id est depressio prophetatur, dicente Propheta, *Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit.* Nox aduersitatem tribulationemque significat, quam Saluator ipse, in hac valle positus tenebrarum, spontanea voluntate scribitur esse perpessus.

Recolite quæso quod Deus nocte traditus, & nocte illusus, instante iam nocte noscitur de cruce depositus. In hac nocte vastata est *Ar*, quod interpretatur aduersarius, de quo Beatissimus Petrus, *Sobrij* (inquit) *estote* (1 Petr. 5. 8.) *& vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens* [2] *quem deuoret.* Huius ciuitas non inconuenienter infernus dicitur, quam Dei ciuitati aduersariam, per Christi mortem, cum principe suo D constat esse vastatam, sicut ipsum infernum Dominus alloquens ait (Osee 13.), *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. Descendit quippe ad inferos, & multorum solutis* (Eph. 4. 8.) *doloribus, ascendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem.* Vnde Ecclesia vocibus altisonis ipsum alloquens, cum magna exultatione proclamat, Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimens, victor triumpho nobili ad dextram patris residens. Ista est aduersaria ciui- (Luc. 11.) tas illa, atrium videlicet illius fortis armati, qui à fortiori superueniente deuictus, & spolia perdidit, & [3] arma proiecit. Intelligens igitur quilibet mundi huius sapiens, Christi passione quasi nocte, diaboli potentiam esse destructam, ex nimia admiratione conticuit, nesciens quid obiiceret, quomodo contrairet. Quamuis & ipsa hominum multitudo *Ar* ciuitas possit intelligi, quæ Deo aduersa, ligna lapidesque colebat: quæ quodammodo nocte vastata est, quia passione Sanctorum, & patientia stupefacti quam plures, aduersariam ciuitatem sua absentatione vastauerunt. Tunc certe Moab,

E id est sapientia huius mundi conticuit, nihil virtutis habens in voce, quâ vel suam astruere, vel Christi posset [4] doctrinam euacuare. Nam ipsa philosophorum doctrina *Ar* potest appellari, quæ Dei sapientiæ aduersa ab ipsa probatur esse vastata, sicut scriptum est, *Perdã sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* (1 Cor. 1. 19.) Sequitur, *Quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit.* Murus aduersariæ ciuitatis, id est inferni, idololatria fuit, quam per vniuersum orbem, virtute dominicæ passionis, cernimus [5] esse vastatam. Vel certè murus impiæ multitudinis, sæculi potentia fuit, quam per sanctæ Crucis mysterium, virtus diuina prostrauit. Murus præterea aduersæ doctrinæ dialectica fuit, & versutia disputandi, quam in nocte, id est in persecutionibus, posita simplicitas Christiana subuertit, & omnis eius argumenta, fidei sinceritate vastauit. Tunc certe Moab, id est mundi huius sensus conticuit, quando intonans Dominus super aquas multas, obstruxit os loquentium iniqua, & euacuauit omnem scientiam extollentem se ad- F uersus scientiam Dei. Ideo factum est quod subiungitur. (Isa. 15. 2.) *Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum.* Domus non solum parietes cum tecto, fundamentoque vocantur, sed etiam ea, quæ in ipsa domo est, familia, secundum bonos malosve mores, bona domus vel mala appellatur.

Igitur per domum Moab cor sapientium huius mundi intellige, in quo non parua familia sensuum, cogitationum, affectionumque versatur. Porro *Dibon*, quæ interpretatur fluxus, eorum ipsorum sensuum, vel cogitationum, vel etiam sententiarum diuersitatem, [6] lasciuiamque significat. In Dibon ciuitate erat locus excelsus idolo consecratus, ad quem immolaturi, cum clamore & lætitia ascendere consueuerãt. Erat & in doctrina philosophorum locus excelsus, id est superbia, in qua pro Deo idolû venerabantur, *commutantes gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, & quadrupedũ,* (Rom. 1. 23.) *& serpentiũ* Cum enim cognouissent Deum per scientiã, deuoluti sunt in idololatriam per superbiam. Cernentes G autẽ per stultitiam Apostolicæ prædicationis, doctrinam conticescere vanitatis, totum cor suum, omnesque cogitationes, quasi domum vel familiam, totamque sensuum sublimitatem suorum, quasi Dibon ad sublimia transtulerunt; in superbia, & in indignatione spiritus, suam euersum iri doctrinam plangentes; & quomodo sanæ doctrinæ aduersarentur, subtiliter inquirentes. Ideo ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum. Potest etiam sic intelligi, quod Christi coruscante doctrinâ, domus Moab, id est familia Philosophorum, discipuli videlicet, & Dibon ciuitas, id est multitudo magistrorum, qui cum gaudio idolorum solebant interesse culturæ, ad ipsa idola cum planctu ascenderint, & contra Euangelium, dæmonum responsa & auxilia flagitauerint. Verum quia sapientium huius mundi plures conuersi ad Christum, suis abrenuntiauerunt erroribus, plures in innata sibi malitia perstiterunt; onus istud vtrosque tangit in his verbis, illos pœnitentiâ, istos cordis angustiâ docens esse grauatos. Multi enim H philosophorum, tam discipuli quam magistri, quasi domus & ciuitas, relictâ valle erroris, ad excelsa conscendere virtutis, cum planctu & lacrymis peccata sua confitentes, & de pristinis erroribus, & blasphemiis humiliter pœnitentes. Et addidit Propheta. *Super Nabo, & super Medaba, Moab vlulabit. Nabo* interpretatur sessio, *Medaba* de saltu. Ad magistros pertinet sessio, secundum illud, *super cathedram Moysi sederunt* (Matth. 23. 2.) *Scribæ & Pharisæi.* Per saltum, vbi sunt arbores infructuosæ & steriles, vbi non hominum sed ferarum habitatio est, inculta exprimuntur corda Gentilium, qui magistris errorum adhærentes, eorum dogmata multitudinis auctoritate tuebantur. Vlulatus igitur Moab super illos doctores, plebesque describitur, quos à suo consortio recedentes, ad Catholicam fidem conuerti, sine graui dolore, quod significat vlulatus, videre non poterant. Vnde subiungitur, *In cunctis capitibus eius caluitium.*

Capita Moab nominatissimos diuersarum sectarum

A

magiſtros intellige, Socratem, Platonem, Diogenem, & cæteros tales. Hi ſunt profectò capita Moab, principes [7] videlicet ſcientiæ ſæcularis. Quis horum eſt cuius per Chriſti gratiam non ſint raſi capilli, diſcedentibus ab eorum ſectà diſcipulis, qui eis tanquam capitibus ſuis adhærere conſueuerant, & ſe ad Saluatoris noſtri gratiam conferentibus? Certè ipſi videmus iam philoſophos decaluatos, quorum ſapientiæ piſcatorum doctrina præfertur, quorum ſectam nemo qui profiteatur, nemo qui ſequatur. Nam etſi legantur à multis, omnes tamen eorum blaſphemias deteſtantur. Ideo Propheta conuenienter ſubiungit, *Omnis barba radetur.* Quandiu imberbis eſt homo, puer æſtimatur, barbatus autem viri nomen ſortitur. In puero timetur laſciuia, à viro expectatur ſapientia. Quaſi barbati erant philoſophi, cùm eorum ſapientià & doctrinà populi regerentur; cùm verò perſonante vbique Chriſti Euangelio, & eorum confutante errores, inſipientes & vecordes ab omnibus crederentur, quaſi raſis barbis deformes, & inhonori, &

B

velut in puerilem redacti [8] ſtultitiam videbantur. In eo tamen quod ait, *Super Nabo & ſuper Medaba Moab vlulabit.* Eorum poteſt accipi vlulatus, qui de ſapientia ſæculi, ad ſtultitiam Crucis conuerſi, aliorum, qui in ſua ſuperbià perſtiterunt, inſaniam perditionemque luxerunt. Cùm enim cernerent in cunctis capitibus eorum caluitium, omnemque barbam Chriſti nouaculà raſam, plures qui crediderant, paucorum qui ſupererant compatiebantur errori, qui nec fractis ceruicibus poterant inclinari, nec raſi, vel decaluati confundi. Naturale quippe eſt, vt homo conuerſus ad dominum, eos præ cæteris lugeat, eiſque quodam ſpeciali compatiatur affectu, cum quibus iiſdem vitiis tenebatur, vel implicabatur erroribus. Sed videamus ſequentia.

Iſa. 15.3.

In triuiis eius accincti ſunt ſacco, & ſuper tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus deſcendit in fletum. Tria hic proponuntur, triuia, tecta, plateæ. In triuiis Philoſophorum diuerticula, in tectis ſuperbia, in plateis vita perdita figuratur.

C

Diuerticula habebant in ſophiſmatum deceptione, ſuperbiam ex hominum æſtimatione, vitam perditam ex carnis & mentis corruptione; quorum multi conuerſi ad Dominum, in omnibus quæ peccauerunt puniti ſunt. Nam pro dolis & fallaciis, quæ in triuiis exprimuntur, accincti ſacco in ſignum pœnitentiæ perhibentur; & pro ſuperbia, quà buccis crepantibus ſententias de diuinis & humanis, quaſi in tecto poſiti promulgare conſueuerant, vlulatum confeſſionis, & contritionis emittere oſtenduntur, & pro lata illa vià, quà tendebant ad mortem, humiliari & ſuis lacrymis loti, ad viam arctam & anguſtam, quæ ducit ad vitam, regredi nuntiantur.

Ait ergo, In triuiis eius, haud dubium quin Moab, accincti ſunt ſacco, qui ad memoriam reuocantes quibus diuerticulis, & fallaciis humanæ ſimplicitati deluſerunt, accincti ſacco, id eſt pœnitentiæ aſperitate afflicti, eum, cui peccauerant, dignà ſatisfactione placare curarunt. *Et ſuper tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus deſcendit in fletum.*

D

Matth. 10.27.

Ait Dominus in Euangelio, *Quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* In tecto ſiquidem altitudo quædam, & manifeſtatio [9] declaratur. Qui enim ſuper tectum aſcendens aliquid prædicat, & ſublimè cernitur, & manifeſtè auditur. Per plateas quoque, quæ latitudinem ſignificant, latam perditionis viam accipe, per quam & ipſi incedebant, & aliis per eam gradiendi exempla præbebant. Sed qui in tectis aſcenderant per elationem, humiliati deſcendunt per compunctionem; & qui errores ſuos publicè quaſi in plateis prædicauerant, vlulatum vocis miſerandæ in auribus omnium emittebant.

Iſa. 15.4.

Sequitur, *Clamabit Heſebon & Eleale, vſque Iaſa audita eſt vox eorum.* Heſebon cogitationes, *Eleale*, aſcenſio, *Iaſa* factum, ſiue mandatum interpretatur. Cernentes Philoſophi, multa hominum millia quotidie ad Chriſti fidem, & Sacramenta concurrere, conturbabantur, nec facilè dici poteſt, quantus fuerit tunc in eorum cogitatione tumultus, quomodo nunc mirabantur, nunc indignabantur, nunc erecti in ſuperbia aduerſabantur. Quæ omnia per clamorem Heſebon & Eleale, videlicet cogitationis & elationis, exprimuntur; nec iſte clamor murmurque ceſſauerunt, donec de voce in opus procederent, vel manifeſtè perſequendo, vel fidei & diuinis mandatis obediendo. Ideo vſque Iaſa audita eſt vox eorum.

E

Pſ. 54.6.
Pſ. 68. 10.

Hæc fratres moraliter fuerant exponenda, ſed timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ; inſuper & zelus domûs Dei comedit me, vrget indignatio, dolor impellit, erumpunt lacrymæ, quas tamen ira comprimit, abſorbet æmulatio.

Pſ. 118. 139.

Tabeſcere me fecit zelus meus, & ſæuire iam geſtit ſermo meus, ſed luctum mihi magis matris meæ Romanæ Eccleſiæ indicit, quæ vtraſque manus extendens in cœlum, miſerabili voce videtur clamare.

Cant. 1.5.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Licet enim vna ſit illa columba Chriſti, formoſa Chriſti, perfecta Chriſti, cui eſt vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, propter diuerſos tamen populos & nationes, multæ dicuntur Eccleſiæ, conuenientes in

F

vna, ſubiectæ vni, vni obedientes. Ipſa eſt ſancta Romana Eccleſia, cuius filij, ſicut audiſtis, pugnauerunt contra eam.

Pſ. 57.4.
Pſ. 72.8.
Pſ. 2.2.

Alienati enim ſunt quidam à vulua, errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa. Inſuper iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Papiæ quippe aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum, & aduerſus Alexandrum Chriſtum eius.

Pſ. 21. 17.
Pſ. 26.12.

Ibi circumdederunt eum, canes multi, concilium malignantium obſedit eum, ibi inſurrexerunt in eum teſtes iniqui, Ioannes & Guido, ſcilicet mentita eſt iniquitas ſibi.

Luc. 10. 30.

Infelices & miſeri, qui deſcendentes ab Ieruſalem in Ierico, inciderunt in latrones. Ipſe eſt ſceleſtiſſimus Octauianus, qui inſtar latronis, multo tempore in inſidiis latitans, Papatum prædam, ſpolia Eccleſiam æſtimauit.

Gen. 49. 4.

Infelix qui aſcendit cubile patris ſui, & maculauit ſtratum eius.

Eſther 6. 4.

Iſte eſt ſuperbiſſimus ille Aman, qui crucem parauit Mardochæo, qui Regem compulit ferre ſententiam mortis in Iſraël. O quando vigilabit Rex

G

Eſther 3. 8.

quando conſurget de Regno ſuo, quando noctem iſtam tenebroſam, & opertam mortis caligine ducet inſomnem? Quando audiet in annalibus ſuis, quanta bona ei fecerit noſter Mardochæus? Quando animaduertet quod ipſam Reginam, eo præſente, ille nequiſſimus nititur opprimere? Iſta eſt Regina, non vxor Artaxerxis Regis, ſed Chriſti, de qua Propheta,

Pſ. 44. 10.

Aſtitit Regina à dextris tuis.

Cant. 1. 6. & 7.

Hæc eſt quæ hodie in infirmis membris ſuis, & minùs ſcientibus legem, clamat & dicit, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Meritò terrendo, & exprobrando reſpondet, *Si ignoras te egredere.* Quàm multi, fratres, hodie neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei, egreſſi ſunt de Eccleſia, & ſeparantes ſe à Vicario Chriſti, ſequuntur præambulum Antichriſti. Fratres nemo vos ſeducat inanibus verbis. Nemo vobis dicat ecce hic Chriſtus, vel ecce illic, cum in fide Petri ſemper ſit Chriſtus, quam ſancta Romana Eccleſia ſpecialiter mutuauit à Petro, & ſeruat in Petra quæ eſt Chriſtus.

H

Luc. 24. 47.

Hæc igitur Eccleſia vbi cœperit, à quibus cœperit, quo proceſſerit inſpiciamus. *Oportet* (inquit Dominus) *prædicari hoc Euangelium in vniuerſo mundo, incipientibus ab Ieruſalem.* Igitur in Ieroſolymis initia eius. Ipſa erat, quæ tunc parua & quaſi lactens cum complerentur dies Pentecoſtes erat in eodem loco,

Act. 2. 2.

quam Spiritus Sanctus in linguis igneis viſitans, & illuminauit ſapientià, & dilectione igniuit. Ex hinc omnium gentium voces factæ ſunt in Eccleſiæ ore communes, & quod poſtea factum eſt in omnium gentium conuerſione, præceſſit in linguarum omnium vnione. Huius Eccleſiæ primus princeps Petrus fuit, cui dictum eſt.

Matth. 16.18.
Ioan. 21. 17.
Matth. 16.19.
Hebr. 12. 23.

Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et iterum, *Paſce oues meas.* Et, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. Hæc eſt Eccleſia, quam primitiuorum ſanctus vocat Apoſtolus, cuius plenitudo poteſtatis, in ipſius principe primo de Oriēte tranſmigrans in Occidētē, auctoritate Spiritûs Sācti in Romana reſedit Eccleſiâ.

Eccleſiam

A Ecclesiam sane Romanam non parietes, & saxa, sed Clerum a beatissimo Petro primo Romæ ordinatum, nemo sani capitis dubitat appellandum; sicut igitur Petro Clemens, Anacletus Clementi, Euaristus Anacleto successit, ita profecto Cleri illius, quem ordinauit, & instituit Petrus, alius ab aliis ordinatus, locum & dignitatem obtinuit. Sic semper pro patribus nati sunt nobis filij; qui tandem, dante Constantino, cum Ecclesia quoque terrenum suscepisset imperium, etiam iure humano constituti sunt principes super omnem terram. Ex hinc ob specialem excellentiam ipsius Ecclesiæ Episcopi, Presbyteri, Diaconi appellati sunt Cardinales, ab his vocabuli huius mutuãtes honorem, de quibus scriptum est, *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* (1.Reg 2. 8.) Sicut enim summus Pontifex ex legitima, & vt ita dicam hæreditaria successione, Petri obtinet principatum, ita cæterorum Apostolorum potestas in Cardinales constat esse transfusa. B Hæc est Ecclesia Romana, cui qui non communicat, hæreticus est. Illius interest consulere omnibus, iudicare de omnibus, omnibus prouidere, ad quam in Petro vox ista dirigitur, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* (Luc. 22. 32.) Quicquid ipsa statuerit, suscipio, approbo quod approbauerit, & quod damnauerit damno. Ipsius est eligere nobis pastorem, & Episcopum animarum nostrarum. Quod enim fuit in veteri Testamento, in constitutione Pontificis, carnalis generatio, hoc est in nouo regularis electio, quæ est quædam spiritalis generatio: quasi enim generat qui eligit, quasi generatur qui eligitur.

Itaque fratres quod Aaron fuit filios procreare, hoc fuit Christo Apostolos eligere. Cæteris filiis Aaron vnus præponitur Petrus. Et Petrus cum spiritaliter plures genuisset, Clementem prætulit cæteris. Qui cum & ipse filiis abundasset, ipsius Curiæ electione, quasi spiritali quadam generatione, solus defuncto successit Anacletus. Sicut igitur illi legitimi semper fuerunt Petri successores, quos Ecclesia ipsa elegit, sic & C illi, quos sui singulis temporibus sibi elegerunt adiutores, veri cæterorum Apostolorum fuerunt successores. Itaque à B. Syluestro & Cardinalibus eius, vsque ad huius nostri temporis Adrianum & Cardinales eius, nulla nobis est de legitima successione cunctatio. Ecce defuncto Adriano legitimo Petri successore, stat in Cardinalibus cæterorum Apostolorum legitima successio. Cogitate nunc constitutos in medio eorum Rolandum & Octauianum, sic interim nominemus eos, quasi in vtero matris suæ Ecclesiæ Romanæ iam laborantis in partu. Rogo fratres mei, nonne partus iste similis est partui Rebeccæ? Ecce infelix Esau rufus & hispidus, quomodo ipsa viscera materna contorquet, & simplicem illum Iacob, quem totus ille interaneorum omni effectu concentus complectitur, manibus furibundus inuadit. Audistis enim quomodo de collo sanctissimi viri infelix ille manum dæmone plenus extraxit. Et cum ei non pro voto cessisset, cum summo matris dolore egressus ab vtero, cupiditatis & ambitionis suæ pilis, summum cernentibus horrorem incussit. D Secuti sunt eum duo, qui & ipsi alienati sunt à vulua, errauerunt a ventre, cæteris omnibus Alexandrum eligentibus, Alexandro adhærentibus, Alexandrum sequentibus. Cernite nunc Ioannem, nunc Vvidonem in parte vnâ, & inter eos Octauianum, cernite & reliquam Curiam ex parte alterâ, & Alexandrum inter eos. Rogo cuius vox ista est, Exierunt à nobis, sed non fuerunt ex nobis? Certe aut in illis tribus Curia Romana est, aut in his omnibus; aut periit de terra, & inaniter fusa est illa Saluatoris oratio, de qua dicit, *Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* (Luc. 22. 32.) Quod dementis est opinari. Quis enim ita desipiat, vt tot Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Cardinalibus exclusis, Romanæ vim Curiæ in his duobus æstimet resedisse?

Sic nunc fratres, sic loquor de istis, quasi adhoc in Ecclesia B. Petri, vbi electionem fecerant, constitutis, & ab inuicem separatis. Certe Ecclesia Romana non periit, certe, cæteris reprobatis, vt in illis tribus remanserit, nulla ratio, nullus sensus humanus admittit. E Restat proinde, vt in illa multitudine, quæ Alexandrum elegit, vim Apostolicæ dignitatis reseruauerit. Absit enim, vt dicamus quinque Cardinales Episcopos, & quindecim, vel eo amplius Cardinales Presbyteros, siue Diaconos, à tribus illis exiisse, & non potius illos ab istis, quorum fama celebrior, vita sanctior, sensus profundior, multitudo numerosior, auctoritas sublimior. Cum igitur constet Ecclesiam esse Romanam, quæ Alexandrum elegit, de qua certum est illos exiisse, quicunque postea illis adhæsit, siue ipsissimus Ymarus, siue alius, non ad Christianos, sed ad hæreticos; non ad Catholicos, sed ad Schismaticos, non ad Ecclesiam, sed ad synagogam Satanæ, & ipse hæreticus schismaticusque accessit. Dicant inimici quicquid volunt, mentiantur quantum volunt, fingant quæcunque volunt, vbi Ecclesiam esse Romanam oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate; ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus. F Ab eius fide, quæ Christo orante non deficiet; ab eius vnitate, quam Schismaticorum prauitas, Christo conseruante, non diuidet; ab eius suggestione, cuius mihi Princeps cœlum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adiuuante gratia, separabit. Hæc ad cautelam vestram fratres, propter labia iniqua & linguas dolosas, quibus hæc patria feruet, dixisse sufficiat, vt deinceps reparatis paululum per silentium viribus, ad delicias verbi Dei redeamus, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Illis reuelauit. Sequitur. Quia noc. vas est Ar Moab, cont. Recolite quæso. C. Cam. Illis reuelauit. *Sed quia non ordine legitimo*, & quæ sequuntur vsque ad, *Recolite quæso.*
2. Quem deuoret. Ista est aduersaria. C. Cam. Quem deuoret. *Huius ciuitas non inconuenienter*, vsque ad, *Ista est aduersaria.* G
3. Arma proiecit. Quamuis & ipsa. C. Cam Arma proiecit. *Intelligens igitur quilibet*, &c. vsque ad, *Quamuis & ipsa.*
4. Doctrinam euacuare. Sequitur, Quia nocte. C. Cam. Doctrinam euacuare. *Nam ipsa philosophorum*, vsque ad, *Sequitur quia.*
5. Esse vastatam. Murus præterea. C. Cam. Esse vastatam. *Vel certe murus*, vsque ad, *Murus præterea.*
6. Lasciuiamque significat. Potest etiam sic. C Cam. Lasciuiamque significat. *In Dibon ciuitate lectus*, & quod subditur, vsque ad, *Potest etiam sic.*
7. Videlicet scientiæ sæcularis. C. Cam. Videlicet *sapientia* sæcularis.
8. Stultitiam videbantur. Iam videamus. C. Cam. Stultitiam videbantur. *In eo tamen* & reliqua, vsque ad, *Iam videamus.* H
9. Declaratur. Per plateas. C. Cam. *Declaratur. Qui enim super tectum*, vsque ad, *Per plateas.*

SERMO VIGESIMVS-QVARTVS.

Sicut meminit charitas vestra principia oneris Moab secundum prophetam, sicut potuimus, heri exposuimus, moralem vero expositionem, quam tunc exequi timor interueniens prohibuit, in diem hodiernum distulimus. Primum igitur secundum leges tropologicas, quis sit ille Moab inquiramus, vt manifestius quomodo vel oneret, vel oneretur, perscrutari valeamus. Interpretatur autem *Moab* de patre, significans nimirum aliquid, quod de Patre procedit in filium; vel ipsos, qui secundum hoc viuunt, quod ex Patre suo naturaliter mutuauerunt. Multis sanè modis in Sacra Scriptura patrem nouimus appellari, videlicet secundum naturam, secundum creationem, secundum adoptionem, secundum imitationem,

A tationem, secundum ætatem, secundum dignitatem. Secundum naturam, quando homo illius hominis, qui ab eo carnaliter genitus est, pater nuncupatur, sicut Abraham pater Isaac, & Isaac pater Iacob, & Iacob pater dicitur duodecim Patriarcharum. Vel certe quando vnus aliquis omnium, qui de eius stirpe geniti sunt, pater appellatur. Vnde Dominus ad Iudæos, *Ne glorientini quia* Matth. 3.9. *patrem habetis Abraham.* Secundum creationem, sicut Deus omnis creaturæ suæ pater pronuntiatur, à quo nimirum omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Eph.3.15. Secundum adoptionem, sicut omnes electi filij Dei vocantur, dicente Apostolo, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater.* Rom. 8. 15. Omnes enim qui de hac adoptione gloriantur, constanter clamant ad Deum, *Pater noster qui es in cœlis.* Secundum imitationem, sicut perfidos Iudæos diaboli filios ipse Christus appellat, *Vos* (inquiens) *ex patre diabolo estis*: quod Ioan. 8. 44. pro imitatione dictum sententia illa declarat, ait enim, B *Et opera patris vestri vultis facere.* Hinc etiam imitando fidem Abrahæ, filij dicuntur Abrahæ, quos nimirum de lapidibus Dominus suscitauit. Matth. 3.9. Secundum ætatem, sicut Paulus loquitur ad Timotheum, *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* 1. Tim. 5.1. Secundum dignitatem, sicut serui Naaman, cum indignaretur aduersus Helisæum, 4 Reg. 5.12. quod non visu, oratione, & tactu, sed mandato, lepræ, quam patiebatur, mederi videretur, recedenti tamen cum indignatione dicunt, *Pater & si grandem rem tibi dixisset Propheta, vtique facere debueras, quantò magis cum dixit tibi, Lauare & mundaberis?*

Itaque patri omnium qui nos creauit, debemus quod sumus; patri qui nos adoptauit in filios, debemus quod boni sumus; patri qui nos in carne genuit, debetur quod mortales, quod corruptibiles, quod diuersis passionibus obnoxij sumus. De patre itaque carnali, id est de natura corruptibili, nobis insunt incentiua libidinum, motus concupiscentiarum, iræ impetus, tristitiæ languor, C metus inordinatus, superbiæ tumor. Hæc est gens illi nimirum contraria, quam bonus pater, qui nos adoptauit, non genuit, nobis benignus infundit, quæ est charitas, gaudium, pax patientia, humilitas, castitas, &c. Illa igitur Moab, ista Israel mysticè nuncupatur. Contra hunc Moab iugiter nobis pugna, qui etiam congruè aqua paterna interpretatur, quia hæ corruptiones nobis ex fluxu paterni seminis inseruntur. Adsit nobis Dominus IESVS & huius Moab tale onus imponet, vt quamuis ex toto destrui non possit in nobis, sic tamen deprimatur, vt regnare non possit in nobis. Audiamus igitur Isa. 15.1. onus huius Moab, *Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit. Quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.* Nox vero vt scitis, tribulationem significat. Interpretatur autem *Ar* aduersarius, & erat ciuitas Moabitarum: Gens illa naturalium passionum, in anima nostrâ construunt ciuitatem, quando originalia erumpunt in actualia, Rom. 6. 13. dum præbemus membra nostra arma iniquitatis peccato, & quæ priùs patiebamur ad pœnam peccati, D vertimus ad voluntatem vsumque peccandi, & quot peccatis manus damus, tot ciues pessimos in hac ciuitate suscipimus. Est autem hæc ciuitas illi ciuitati aduersa, quæ de virtutibus fundata, huic, quæ de vitiis est, probatur esse contraria. Murus autem Moabiticæ vrbis obstinatio est, quæ pœnitentiæ humilitatem excludit, vocem obturat confessionis.

Eia [1] fratres quando omnia nobis eueniunt prospera, quando læta arrident tempora, quando luxuriam omnium rerum abundantia parit, Moab iste insurgit acriùs, afficit vehementiùs, incendit carnem, mentem dissoluit, noxia quæque ac voluptuosa suggerit, fit quidam in animo clamor vitiorum, clamantium alterius ad Ps. 136. 7. alterum, & dicentium, *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Fit proinde benignissimus Saluator vt optimus medicus, & priùs morborum resecat causam, subtractisque paululum lætis, dum dura tristiaque succedunt, etiam voluptuosa euanescunt. Ita homo compulsus redire in se, nihil ibi lucidum, nihil serenum, E nihil quod placeat, nihil inuenit quod delectet: sed omnia tenebrosa, omnia obscura, omnia plena horroris, noctis, & tenebrarum. In hac nocte vastatur *Ar*, quando & delectationes vilescunt, & pereunt voluptates, non deliciosa conuiuia, non potationes illicitæ blandiuntur. Vastatur etiam murus, id est mentis obstinatio, & omnia eius propugnacula, quæ sunt vtique excusationes in peccatis, [2] destruuntur. Quidni tunc conticescat Moab? tali quippe nocte ipsis vitiorum materiis amputatis, & vitiorum pariter incentiua conticescunt. Erant fratres charissimi qui in gula & ebrietate, in otio & dissolutione, in mulierum vel parasitorum contuberniis, aut sæpe aut iugiter permanentes, sibi de pudicitia blandiuntur. Experius sum charissimi, credo quia & vos, quod crebris ieiuniis, vigiliis assiduis, laboribus continuis, quasi quibusdam malleis verberatus noster Moab, etiam contritum erigit caput, & post multi temporis silentium; redintiuis clamoribus vrget incautos, F [3] premit improuisos. Hinc est quod multi Moab illum adeo horruerunt, vt mallent ipsum corpus immoderatiùs contrrendo in discrimen adducere, quam sub hoc timore huic esse obnoxij seruituti. Ideo, fratres, quoties gula ingerit cibi vilioris fastidium, quoties somnolentia vel corporis calor vigiliarum infundit horrorem, quoties tepor mentis intermittere cogit sacrum quotidiani operis exercitium, cogitentur quæso incentiua libidinum; turpitudo immunditiarum; inquietus & turbulentus motus membrorum: è contra castitatis suauitas, affectionum puritas, membrorum tranquillitas, & mox omnia, quæ priùs æstimabantur grauia, inuenientur [4] esse facillima.

Sic vero cum siluerit Moab, & naturalis illa corruptio, nocte tribulationis vel doloris superueniente, aduersus bonæ voluntatis initia pugnare cessauerit, ascendet profecto domus Dibon ad excelsa in planctum. Domum animæ intellige conscientiam, in qua omnes mentis thesauros reponis, vbi locum quietis inuenit, quam à tumultu sæculi, mundique perturbationibus fugientem, læto sinu suscipit, & omnes qui exteriùs sentiuntur, lenit suâ tranquillitate dolores. G Quid horum non agit sana ac secura conscientia, in qua vastata est ciuitas vitiorum, & murus corruit passionum? Dibon quæ interpretatur fluxus eorum, tenacitudinem exprimit affectionis, quæ per illicita quæque defluens deuaricabat pedes suos omni transeunti. Ezech. 16.25. Hæc à colluuie Moabiticæ corruptionis purgata in ipsa conscientia, de imis ad alta conscendit, de vitiis ad virtutes, de initiis bonæ voluntatis ad effectum boni operis. Ascendit autem in planctum; deserens quippe in inferioribus risum stulti, in superioribus luctum & planctum inuenit sapientis. Plangit statim se tandiu Moabiticis erroribus fuisse delusum, plangit se tandiu illicitis eius suggestionibus præbuisse consensum. Plangit se eâ dulcedine, quam incipit iam gustare, tandiu caruisse. Plangit se tempus in vanis, vel in noxiis tandiu consumpsisse. Felix anima cui sic siluit Moab, sicut Nabo & Medeba de quibus subiungit. H

Isa. 15. 2. *Super Nabo & Medeba Moab vlulabit. Nabo* interpretatur sessio; *Medeba* de saltu. Sessio hæc securitatem significat, quæ mater est negligentiæ, & incuriæ generatrix: Quidam enim, quod dolens dico, qui post multa crimina pœnitentialem hanc vitam professi sunt, ita se otio & pigritiæ tradunt, ita necessaria ordinis contemnunt exercitia, quasi *gens quæ iustitiam fecerit, & quæ legem Dei sui non dereliquerit.* Isa. 58. 2. Alij quos quotidianæ passiones dehonestant, cum hostium tela frequenter accipiant, ita tamen secure sedent & rident, quasi iam inimicus occubuerit, vel omnis interior pugna quieuerit. Hi etiam de saltu quod est Medeba esse dicuntur, quia infructuosi, vagi, instabiles, in quibus spirituales illæ bestiæ commorantur, de quibus Propheta, *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* Ps. 73. 19. His nimirum non conticescit Moab, sed frequenti vlulatu vitia suggerit, immundas ingerit affectiones, & quæque pessima suadet. Per vlulatum vero Moab, vehe-

mens

A meus tentatio naturalium passionum exprimitur. Et additur, *in cunctis capitibus eius caluitium, omnis barba radetur.* Capita Moab, vt mihi videtur, tres naturales motus, qui in homine sunt, non incongruè dicuntur, id est Irascibilis, Concupiscibilis, Rationabilis. Ex horum, vt æstimo corruptione, omnium naturalium passionum incentiua procedunt. Capilli capitis sunt ornamentum, barba virilis virtutis est indicium. Itaque quasi ornatur iræ motus, quando aduersus propria vitia homo mouetur, secundū illud, Ps. 4. 5. *Irascimini & nolite peccare.* Ornatur etiam quando in zelum Dei, contra legis contemptores discretè assumitur, secundum illud. Ps. 118. 138. *Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Verè ornatur, quandoquidem zelus iste à Domino multifariam sæpius muneratur. Nam Phinees ob Num. 25. 8. & 13. meritum huius quam dicimus iræ, quâ fornicantes pugione confodit, æternum sacerdotium meruit, & Iehu filius Namsi, ob zelum quo aduersus domum Achab B exarsit, regnum Israël vsque ad quartam generationem 4 Reg. 10. 30. ad posteros, Deo fauente, transmisit. Sic & motus concupiscibilis turpitudo quodam ornatu celatur, vel quando eo quis ad liberos tantum procreandos vtitur, vel quando ad necessariam tantum corporis sustentationem, in cibi potusve perceptione admittitur.

S. Aug. de bono coniugali, c. 21. in fine tom. 6. Hinc est quod quidam sanctus coniugium Abrahæ, virginitati Beati Ioannis non dubitauit æquare, respiciens nimirum ad obedientiam, qua in ipso opere coniugali diuinæ paruit voluntati, respiciens & ad honestatem intentionis in liberis procreandis, qua motus ille concupiscibilis, sine quo non redditur debitum coniugale, quasi præclaro quodam velamine tegebatur. Sed & motus rationalis sic ornatur, si contra rationem non vtimur ratione. Nam contra leges rationis, furta, latrocinia, adulteria & cætera vitia perpetrantur, quæ tamen sine opere rationis non exercentur. Nam latro locum aptum insidiis, vel tempus ad id negotij opportunum, sine rationis viuacitate non prouidet. Sic adulter C ex vi rationis astutiam mutuans, nocte cubiculum, mariti quoque absentiam aucupatur. Itaque qui in viis ratione abutuntur, ipsum motum rationalem deturpant: at qui eam circa virtutes, & scientiam [5] salutarem semper exercet, pulcherrimo eam ornatu decorat. De Moab ergo, in quo corrupta sunt omnia, bene dicitur, *In cunctis capitibus eius caluitium*, quia motus illi, ex quorum corruptione vitia vniuersa procedunt, quibus bene vtitur sapiens, in his, quibus naturalia dominantur incentiua, turpes, & deformes, & omni virtute nudati, & decaluati apparent. Bene etiam subditur, *Omnis barba* [6] *radetur.* Barba vt diximus, virilis virtutis initium est. Est autem virtus permaxima, opusque virile, ipsis naturalibus resistere incentiuis, ipsosque motus, sine quibus esse non potest, ad virtutum exercitia retorquere. Porro qui ipsis passionibus manus dederit, & se seruituti tradiderit vitiorum, omni virtute spoliatus, imberbis & quasi in fœminam resolutus agnoscitur. Videat charitas vestra fratres. Multo facilius est ante lapsum vitia D declinare, quam datam eis semel manum, eorum potestati subducere. Quod [7] si vinculis consuetudinis quis fuerit irretitus, in omnibus debilis, & inermis, & quasi fœmineus inuenitur.

Isa. 15. 3. Sequitur, *In triuiis eius accincti sunt sacco, super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descendit in fletum.* De Moabitis alij sunt in triuiis, alij in plateis, alij super tecta. Qui in triuio est, potest diuertere hac atque illac, ne ab omnibus videatur. Platea oculis omnium patet, nec aliquid potest in ea esse celatum. Moris est in terra Hierosolymitana, vbi tecta domorum non in sublime eriguntur, sed sternuntur in latum, vt qui voluerint populo aliquid denuntiare, vel prædicare, super tecta conscendant. Itaque in triuiis Moab sunt, qui occultè peccant; in plateis, qui se manifestè sceleribus fœdant, super tecta, qui non solum peccant, sed etiam peccata excusant & prædicant. Qui igitur occultè peccat, simplex ei sufficit cordis corporisque contritio, quæ per saccum non inconuenienter accipitur. At qui mani- E festè flagitia quæque committit, eget vlulatu, vt eius vera non lateat conuersio, cuius non latuit scelerum magnitudo. Porro qui peccatum suum, sicut Sodoma, tumens superbia prædicat, necesse est vt descendat in fletum, vt sicut peccans in monte conscenderat elationis, ita humiliatus ad vallem descendat plorationis. Præterea quia triuium dicitur, vbi tres viæ conueniunt, potest [8] per triuium triplex concupiscentia figurari, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Potest etiam triuium appellari triplex modus peccandi, cogitationis, locutionis operis. Sed & tripartita vis animæ, per quam fit omne peccatum, memoria scilicet, voluntas, & ratio, potest triuium non incongruè dici. Igitur qui triplici concupiscentiæ cedit; qui cogitatione, sermone, opereque delinquit; cuius etiam memoriam cogitatio fœdat, voluntatem delectatio maculat, rationem peccati consensus eneruat, iste in triuiis Moab misera sorte versatur. F

Saccus luctus indicium est. Iste est luctus de quo Dominus in Euangelio, *Væ vobis* (inquit) *qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis vos.* Luc. 6. 25. Quia itaque in triuiis Moab Prou. 2. 14. lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, accingentur sacco, id est luctu miserabili contabescent. Per tecta etiam si placet, intellige potentiam & excellentiam mundi; in plateis verò, in quibus ludi & spectacula exhibentur, libertatem peccandi. Eis itaque, qui in sæculi huius sublimitate gloriantur, vel nullo disciplinæ fræno cohibiti præcipites in vitia feruntur, sanctus Isaias descensum, fletumque prophetat; vt scilicet pro potentia, qua se super cæteros, quasi super tecta positi extollunt, & nullo prohibente, quasi in plateis positi peccant; sciant cum vlulatu ad inferos descensuros, proiiciendosque in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Math. 7. 12. Quomodo autem ad hanc infelicitatem peruenerint, docet sermo propheticus. *Clamabit* (inquit) *Hesebon & Eleale, vsque Iasa audita est vox eorum.* Isa. 15. 4. G De his quæ præmissa sunt, duplicem posuimus sensum; primum secundum conuersorum pœnitentiam, alterum secundùm impiorum perpetuam pœnam. Hunc ordinem & in hoc sensu seruemus. Hesebon interpretatur cogitationes, Eleale ascensio. Si igitur quæras, quomodo de triuiis ad vitæ simplicitatem, de tectis superbiæ ad humilitatem, de plateis propriæ voluntatis ad angustias peruenerint sanctæ necessitatis, induti sacco pœnitentiæ & doloris, emittentes vlulatum confessionis, & descendentes ad lachrymas contritionis, si, inquam, quæras, qua via hucusque processerint; dicit tibi sermo diuinus, *Clamabit Hesebon* [9] *& Eleale.* Hæ sunt cogitationes inuicem accusantes & defendentes, quæ in cordibus eorum qui in noua vitæ pertractatione laborant, quasi in ascensione, quod interpretatur Eleale clamare non cessant, donec ab ipsa volontate cui clamant audiatur vox earum, & ita audiatur vt perueniat vsque Iasa. Iasa interpretatur mandatum, siue factum. Multi sunt fratres, in quibus persæpe cogitationes clamant, & inchoata quædam hominis interioris ascensio, vt relictis triuiis peccatorum, conferant se ad simplicitatem virtutum; sed non auditur vsque Iasa vox eorum, quia etsi concipiunt boni affectum, non eum tamen perducunt ad effectum. H

Quoties fratres charissimi cum nostri propositi immemores in vana quæque & noxia dilabimur, & nos huius sæculi triuiis implicamus, clamant ipsæ cogitationes nostræ aduersum nos, clamat ascendendi, id est proficiendi desiderium, sed quandiu eadem iteramus, nec voluntatem consequitur effectus; non auditur vox earum vsque Iasa. Clament tamen assiduè, clament importunè, non sileant, non fatigentur, donec tædio victi, vel timore compulsi, tandem aliquando impleamus mandatum, appareatque in opere, quod diu fuit in cogitatione. Sed sicut cogitationes bonæ bonos excitant ad profectum, ita malæ malos semper prouocant ad defectum. Clamant ergo & in ipsis Hesebon & Eleale,

A id est cogitationes peruersæ, & timor superbiæ, nec cessant miseram animam diuersis tentationibus fatigare, donec voluntas illiciatur ad actum, quod est vsque Iasa vocis suæ perduxisse clamorem. Discernendæ proinde sunt cogitationes nostræ fratres charissimi, vt si peruersa suggesserint, statim obdurata aure transeamus; si vtilia vel honesta, vsque ad actum ea quæ suggesserint, prosequamur. Vtrubique autem onus animaduertatur, quia siue voluntariè puniendo quæ commisimus, vel peruersis resistendo, vel optimis quibusque consentiendo, sine onere vel premente, vel opprimente non euademus. Sed quia nos nec mala cauere, nec bona exercere nostris viribus possumus, rogemus Deum, vt ipse nobis & virtutem resistendi, & facultatem tribuat operandi, per dilectum filium suum Dominum nostrum, qui cum eo & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B

VARIÆ LECTIONES.

1 Fratres quando omnia nobis. C. Cam. Fratres *charissimi* quando *cuncta* nobis.

2. D. struitur. Errant, errant fratres. C. Cam. Destruitur *Quid vi tunc comicescat*, & quæ sequuntur vsque ad, *Errant, errant fratres.*

3. Premit improuisos. Ideo fratres. C. Cam. Premit improuisos. *Hinc est quod*, &c. vsque ad, *ideo Fratres.*

4. Esse facillima. Felix. C. Cam. Esse facillima. *Sic vero cum siluerit Moab*, & quod deinceps vsque ad, *Felix anima.*

5. Salutarem semper exercet. C. Cam. *Salutarem exercet.*

6. Radetur. Porro qui ipsis. C. Cam. Radetur. *Barba vt diximus*, & reliqua vsque ad, *Porro qui ipsis.*

7. Si vinculis consuetudinis. C. Cam. *Si vinculo consuetudinis.*

C 8. Per triuium appellari. C. Cam. Per triuium *triplex concupiscentia*, &c. vsque ad, *appellari.*

9. Et Eleale. Non cessant peruersæ cogitationes miseram animam diuersis tentationibus. C. Cam Et Eleale. *Hæ sunt cogitationes inuicem*, & quæ subiecimus vsque ad, *diuersis tentationibus.*

SERMO VIGESIMVS-QVINTVS.

ADhuc fratres onus Moab in manibus vertitur, in quo mystica quædã in vrbium, vel locorum nominibus exprimuntur. Diximus autem per Moab sapientiam sæcularem, vel ipsos certè mundi sapientes, qui Euangelicæ doctrinæ resistunt, propheticè figuratos, de quibus dicitur. *Clamabit Hesebon & Eleale, vsque Iasa audita est* [1] *vox eorum.* In his verbis nudiustertius propheticæ expositioni finem dedimus; quæ ista sequuntur quæ hodie cum vestra charitate tractanda suscepimus. Sequitur. *Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius*
D *vlulabit sibi.* Erat in cognitionibus sapientiũ clamor magnus, cum hinc arguerentur à manifesta per Euangelium veritate; hinc superbia tumidi, aduersarentur diuinæ sapientiæ. Ex tunc huius certaminis fuit finis, quando alij volentes placere hominibus, confusi sunt, quoniam
Ps. 52. 6. Deus spreuit eos, alij *humiliantes se sub potenti manu Dei*, quantò fuerant ad credendum tardiores, & ad inquirendum subtiliores, tantò facti sunt in ipsa fide, & doctrina expeditiores Isti sunt expediti Moab, vel quia se à retibus fallacis sapientiæ explicuerunt, vel quia expeditè per viam Euangelicam incesserunt. Isti super hoc quod prius egerant, vlulauerunt, non solum vocis strepitu, sed etiam intimo cordis affectu. Per hoc enim quod dicit. *Super hoc expediti Moab vlulabunt.* exterior confessio; per hoc verò quod sequitur. *Anima eius vlulabit sibi:* interior contritio exprimitur. Contigit autem, vt qui Moabiticæ sapientiæ renuntiantes, Crucis sunt secuti stultitiam, tantò fierent diuinæ scientiæ capaciores, quantò fuerant in humana perspicaciores. Vnde ex persona Domini Propheta subiungit, *Cor meum Moab clamabit.* Cor Dei sacræ Scripturæ secretus dicitur intellectus, quia in ipso voluntas eius, consiliorumque arcana mysteria reuelantur. Cor ergo Dei clamat ad Moab, quando mens illius, qui de philosophia mundi transit ad Deum, spiritalis conscientiæ lumine copiosius [2] illustratur. Quod si vocem hic Prophetæ velis intelligere, ab hoc eodem sensu non discrepat, cum cor Prophetæ ipsius Prophetiæ secreta possint non incongrue nuncupari. E Isa. 15. 5.

Vectes eius vsque Segor vitulam conternantem. Vectes Moab dialectica argumenta intellige, quæ in conuersis sapientibus Ecclesiæ, cui obstrepant, cœperunt prodesse; vsque Segor enim vectes Moab peruenerunt, quando philosophorum subtilia argumenta Ecclesiæ profuerunt. Ecclesia quippe in eo statu, quo tunc fuerat, iure dicitur Segor, id est, *parua* de qua dicitur in Canticis. *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ, quia paruula est?* Paruula planè erat, quando nec fines Iudæorum excessit; & in ipsis parua, & contemptibilis latuit. Parua (inquam) erat non merito, sed numero. Vnde sterili Annæ fœcunda Phenenna, Ecclesiæ insultat synagoga, *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.* Pulchrè autem Segor, id est, Ecclesia vitula dicitur conternans, id est ternum agens annum; vt primus annus sit ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia; vel vt primus annus intelligatur sub Patriarchis, secũdus sub Prophetis, tertius sub Apostolis. Sane genus hoc animalis abundans est lactis, & nimiæ circa fœtum affectionis; nisi enim arte fallatur, nec ad vbera alienum fœtum admittit, nec lac emittere, nisi proprio præsente, consueuit. Hæc matri Ecclesiæ conuenienter aptantur, quæ lacte charitatis, & doctrinæ suauioris exuberans, quos ipsa per lauacrum aquæ salutaris non regenerat, quasi alienos, sacrosanctis mysteriis indignos existimat. Quæ & idcirco potest dici conternans, quia fide, & spe, & charitate robusta proficit in ætatem perfectam, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. [3] Cum ergo vectes Moab ad Segor vsque peruenerint, id est cum sapientes huius sæculi omnia scientiæ suæ firmamenta & argumenta, ad Ecclesiam contulerint, tunc fit quod mox Propheta subiungit. *Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in viam Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* Cant. 8. 8. F 1. Reg. 1. 6. 1. Reg. 2. 5. G Eph. 4. 13.

Luith interpretatur genæ. In genis verò, interioris hominis qualitas plerumque deprehenditur. Has quippe, timor pallore, pudor rubore, dolor horrore, gaudium hilaritate, amor suauitate perfundit. Sunt autem duo quædam, secundum quæ de humanæ mentis statu iudicamus; opus scilicet, & sermo: nam *ex abundantia cordis os loquitur*, & secundum quod quisque diligit operatur. Ascendit igitur flens Moab per ascensum Luith, quando sapiens quilibet Ecclesiam intrans, compunctus pro peccatis præteritis, verbo simul & opere ad virtutũ alta ascendit. *Et in via* (inquit) *Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* Oronaim interpretatur mœroris foramen. Hæc est arcta illa via, quæ ducit ad vitã, foramen videlicet illud acus per quod camelus, animal gibbosum, transire non potest. Quod bene foramẽ mœroris dicitur, quia quicunque angusto huic foramini sese contulerit, nihil dulcius mœrore æstimabit. Mœret enim pro his, quæ commisit, illicitis; mœret pro his, quæ in præsenti sentit, aduersis; mœret pro his, quæ timet imposterũ mala, mœret pro his, quæ in futurum desiderat bona. In hac proinde via Oronaim positi mundi sapientes, clamorem leuant contritionis, scientes quia *sacrificiũ Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt.* Interpretatur enim Nemrim pardus siue præuaricatores. In pardis varietas, in varietate intelligitur impietas. Aquas igitur Nemrim philosophiam accipe sæcularẽ, in qua est tanta sectarum sententiarumque varietas, vt quod vna astruit altera destruat, & quod ista probat, improbet illa, & quod altera optimum, altera pessimum arbitretur. In omnibus autem vna regnat impietas, commutantibus veritatem in mendacium, & seruientibus creaturæ potius quam creatori. Matt. 12. 34. Matt. 7. 14. Matt. 19. 24. H Ps. 50. 19. Isa. 15. 6. Rom. 1. 23. & 25.

A Philip. 3. 7. Sed in his qui conuersi sunt ad Dominum, desertæ sunt aquæ Nemrim, quia doctrinâ Euangelicâ imbutis, quæ priùs fuerunt lucra, videntur propter Christum detrimenta. *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Herba grex irrationabilis pascitur, quam si fortè aruerit, nec ipse tangere curat. Herbæ igitur nomine illa Philosophorum sententia exprimitur, qua imperitum vulgus alloqui & docere consueuerant. Isa. 40. 7. Sed *aruit fœnum, & cecidit flos, quia Dominus sufflauit in eum.* Flante enim vbique Dei Spiritu & mortalium cordibus cœlestem, inspirante doctrinam, adeo tota illa scientia aruit, vt nec rusticanam quidem simplicitatem iam delectet [4]. Arescente autem herba germen quoque defecit, quia cessante prædicatione peruersa, & germen pariter, quod inde pullulare consueuerat, auditore deficiente cessauit. Viror etiam omnis interiit, quia viror gloriæ, quam ex opinione vulgi habebant, confestim emarcuit. Si autem id magis placet, intelligatur in herba rerum manifestarum scientia, in germine subtiliorum & profundiorum intelligentia, in virore exteriori eloquentia. Quæ omnia in his, qui Euangelio adhæserunt, aruerunt, defecerunt, interierunt, vt falsis B vera succederent, exclusisque noxiis, vtilia subintrarent. Isa. 15. 7. Sequitur. *Secundum magnitudinem operis, & visitatio eorum.* Visitatio & secundum pœnam, & secundum profectum dici potest. Deut. 32. 23. *Visitabo* (inquit) *super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.* Et aliàs. Osea 4. 14. *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, nec super vxores vestras, cum adulterauerint.* Sed & visitauit nos in salutari suo Deus, visitansque nos Oriens ex alto, illuminauit eos qui in tenebris sederunt, & vmbrâ mortis. Hic quod magis delectat intellige. Si pœnam secundum magnitudinem operis iniqui, sic visitatos intellige, vt peccatorum suorum receperint, aut interiori contritione, aut exteriori afflictione dignam retributionem. Si verò profectum, quantùm sibi videbantur magni in oculis suis & sublimes, tantùm eos Spiritu visitante humiles factos aduerte. Vel certè ita visitati C sunt, vt secundùm mensuram qua mensi sunt, mundiali gloriæ abrenunciando pro nomine Christi, metiretur eis abundantia gratiæ Christi. [5] Sic ergo visitati ducentur ad torrentem salicum. Hoc genus arboris talis fertur esse naturæ, vt semen eius potatum virtutem auferat generandi, vnde non incongruè virtutem significat castitatis, vel illos quos ob pudicitiæ suauitatem, spretâ liberorum propagine, in torrentibus spiritualibus habitare delectat.

Igitur Moab, id est sapiens quisque conuersus ad Dominum, ambulat de virtute in virtutem, de sui cognitione ad pœnitentiam, de pœnitentia ad humilitatem, de humilitate ad castitatem. Possunt etiam per salices homines steriles & infructuosi accipi, qui in voluptatibus huius sæculi, quasi in torrentibus habitantes, ab omni fructu spiritali redduntur immunes. Ad quos post conuersionem suam, Oratores & Philosophi regendos & erudiendos, vel à magistris Ecclesiæ, quibus adhæserant, vel a Spiritu sancto ducti sunt vt fidem D docerent, quam impugnauerant, doctrinamque astruerent, quam antea fuerant detestati. Possunt etiam per torrentes salicum tribulationes, & [6] passiones intelligi, quas cum perditis hominibus ipsi etiam sustinuerunt, imitantes eum qui de torrente in via bibit, & propterea exaltauit caput. Ostendens deinde Propheta quomodo ista omnia euenerint. Isa. 15. 8. *Quoniam* (inquit) *circuit clamor terminum Moab.* Iste est clamor Apostolicæ prædicationis; Matth. 3. 2. *pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*, qui nullum sapientium huius sæculi latere poterat, quando Psal. 18. 5. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ* [7] *verba eorum.* Ideo circuit clamor terminum Moab. Si verò hîc clamor ipsius Moab intelligere placet, tunc circuit terminum Moab clamor eius, quando Moab in omnibus clamans, alij aduersus alios, conuersi contra auersos, contra iustos impij, contra pœnitentes obstinati multiplici disputatione certarunt. Vnde subiungitur. *Vsque ad Gallim vlulatus eius,* E *& vsque ad puteum Elim clamor eius.* Gallim interpretatur arenarum tumuli; Vlulatus itaque Moab in his, qui pœnitentes, & conuersos ab errore suo, stultâ pietate luxerunt, peruenit vsque ad tumulos arenarum, in quibus nihil firmum, nihil stabile, vtpote quæ omni vento facilè dissipantur. Et clamor eius in ipsis conuersis peruenit vsque ad Puteum Elim, quod interpretatur Arietes; quia & illorum obduratio dissipationem, & istorum pœnitentia ex puteo arietum, id est doctrina Apostolorum meruit consolationem. Ait ergo, *Vsque ad Gallim vlulatus eius, & vsque ad Puteum Elim clamor eius*, vt idem hominum genus in aliis sterili vlulatu, in aliis salubri clamore doceat esse compunctos.

Habet enim hunc morem sacra Scriptura, vt de eadem gente loquens, nunc de eadem optima, nunc pessima quæque pronuntiet, sicut Apostolus de Iudæis scribens ad Romanos ait, Rom. 11. 28. *Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem charissimi propter patres.* Ipsos dicit inimicos & charissimos, quia in ipsa F gente alij inimici inuenti sunt Christum persequentes, alij charissimi Christo fideliter adhærentes. Hanc loquendi regulam sæpius inuenies in Isaia, quam nisi diligenter aduertas, omnia tibi videbuntur confusa, & dissidentia. Sic ergo cum vno nomine, vel vna gente Moab, mundi huius sapientes intelligas figuratos, quorum alij reprobi, alij electi inuenti sunt, ita subtiliter tractat de singulis, vt nomine non mutato de singulis quasi de vno contrarias sententias videatur proferre. Quia igitur Moab in reprobis nihil profecit, vlulans, & clamans aduersus sanam doctrinam sed sicut arenarum tumuli vento vanitatis, vel vniti sunt, vel dispersi, conuenienter dicitur de Moab, *Vsque ad Gallim* [8] *vlulatus eius.* Quia verò Moab in electis pœnitendo, vel prædicando, vel certè orando, salutaris doctrinæ meruit scientiam adipisci, rectè etiam de Moab subiungitur, Isa. 15. 9. *Et vsque ad puteum Elim clamor eius.* Sequitur. *Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine.* Dibon interpretatur fluens, illos significans, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & in vana quæque, & G turpia defluxerunt. Quorum aquæ, id est doctrina repleta est sanguine, illo nimirum de quo Propheta se postulat liberari dicens, Psal. 50. 16. *Libera me de sanguinibus Deus*; & de quo iste ipse Isaias. Isa. 1. 15. *Manus* (inquit) *eorum sanguine plena sunt.* Eia fratres, Quotquot Philosophi suæ sectæ associauerunt, tot impietatis gladio percusserunt; Ps. 13. 3. *veloces* enim *pedes eorum ad effundendum sanguinem, quoniam linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.* Sic igitur lætandum est. Nemo miretur, quod plurimi Philosophorum puteum Elim, arenarum tumulis prætulerunt, doctrinam scilicet Apostolicam, sapientiæ sæculari, quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine; peruersa enim doctrina, non eorum, quos decipit, animas viuificat, sed mortificat, nec eas a sordibus mundat, sed peccati sanguine fœdat. Et addidit Propheta. *Ponam enim super Dibon additamenta, his qui fugerint de Moab, leonem, & reliquis terræ.*

Iam manifestè separat pretiosum à vili. *His* (inquit) *qui fugerint de Moab leonem*, id est ad eorum vtilitatem, ad eorum consolationem, ad eorum profectum, ponam H super Dibon additamenta; addam enim plagas plagis eorum, dolores doloribus eorum, anxietatibus anxietates, timoribus timores, quoniam & hîc in fluxu suo, quod interpretatur Dibon, computrescent, & ad extremum pœnis perpetuis cruciandi ad inferna descendent. Et hoc proderit his qui fugerint de Moab, & fugiendo leonem euaserint, qui 1. Petr. 5. 8. *circuit quærens quem deuoret.* Nec solum illis qui fugerint de Moab leonem, sed etiam reliquis terræ, qui scilicet leonem fugerint, id est diabolum, terrena quæque vitia deserentes, & virtutibus studentes, eorum proderit pœna, qui inter perditos Moabitas perseuerantes, pro fluxu rerum temporalium accipient additamenta pœnarum. Potest legi & sic. *Ponam super Dibon additamenta.* Et quasi quærentes quam diceret Dibon, exponens, subiungit, *His qui fugerint de Moab.* Quoniam enim Dibon sufficiens mœror interpretatur, illos significat, qui eo modo, quo superius diximus, flentes, & mœrentes fugerunt de Moab, infidelium

A societatem deserentes, & Christiano populo adhærentes. Super quorum angustiam, quam habuerunt in pœnitentia, posuit Dominus persecutionum additamenta, quia illis datum est, non solum vt crederent in Christum, sed etiam vt paterentur pro Christo. (Phil. 1. 29.) Exponens quippe quæ addimenta fuerat positurus, Leonem inquit, persecutionem exprimens, quam leo ille rugiens fidelibus suscitauit, non solum de sapientia sæculari conuersis, sed sicut superius diximus reliquiis terræ. Quod si reliquiis terræ legendum est, sicut Moab Gentes, ita & in reliquiis terræ, Iudæos intellige, de quibus Apostolus, (Rom. 11. 5.) *Reliquiæ* (inquit) *secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt*; tam enim Gentes quam Iudæos, qui fidem Christi susceperunt, hæc leonis persecutio fatigauit. Eia fratres, obscurissimum Prophetæ locum, propter propriorum nominum copiam, idcirco breuiter & continuatim, sicut potuimus, enodauimus, vt & facilius intelligeretur, & a memoria difficiliùs laberetur, & moralis expositio, B quæ sequi debet gratiùs audiretur, quam volo vos in crastinum differre, ne vel satiatos cibo, vel fatigatos labore videar onerare. Vestris autem orationibus munitus quicquid ille Spiritus, qui reuelat mysteria, suggesserit, ad vestram ædificationem cras in medium proferemus, ad laudem & gloriam Domini nostri IESV CHRISTI, qui cum Deo patre & eodem Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vox eorum. Sequitur. C.Cam. Vox eorum. *In his verbis*, & reliqua, vsque ad, *Sequitur. Super.*
2. Illustratur. Vectes eius. C.Cam. Illustratur. *Quod si vocem hic Propheta*, & quod subiecimus vsque ad, *Vectes eius.*
3. Cum ergo vectes. C.Cam. Cum *igitur* vectes.
4. Arescente herba, viror omnis deperiit, quia viror gloriæ, quam ex opinione vulgi habebant, statim emarcuit. Seqoitur. C.Cam. Arescente *autem* herba, *germen quoque defecit*, & reliqua vsque ad, Viror *etiam omnis interiit*, quia viror glo. q. ex op. vul. habebant *confestim* emarcuit. *Si autem ad magis*, & *quæ* sequuntur, vsque ad, *Sequitur.* C
5. Sic ergo visitati. C.Cam. Sic *igitur* visitati.
6. Passiones designari, quas. C.Cam. Passiones *intelligi* quas.
7. Verba eorum. Sequitur. Vsque. C Cam. Verba eorum. *Ideo circuiuit clamor*, &c. vsque ad, *Subiungitur vsque.*
8. Vlulatus eius, & vsque ad Puteum. C.Cam. Vlulatus eius. *Quia vero Moab*, & reliqua vsque ad, *Et vsque.*

SERMO VIGESIMVS-SEXTVS.

ADestote nunc fratres charissimi, & vt intentè audiatis, & vt mente oretis, quatenus ea, quæ hesterno D die secundum propheticam explanationem percurrimus, tropologice ad morum ædificationem exponere valeamus. Profunda quippe sunt nimis, & propriorum nominum, obtecta velamine, & idcirco vterque, tam auditor quam expositor non paruâ egent intentione. Satis meminit charitas vestra quod Moab, qui interpretatur de patre, secundum legem moralem diximus figurari ea, videlicet vitia, quæ ex carnali generatione de patre procedunt in filium, sicut sunt incentiua libidinum, & iræ stimoli, &c. huiusmodi; vel certe eos, qui his vitiis manum dantes, secundum ea viuere delegerunt. Sed & eos, qui ipsa vitia deserentes, aduersus ea spiritalem iniere conflictum, quamdiu huiusmodi tentationibus fatigantur, secundum aliquid Moab possumus appellare, quorum alij, quia minus expediti sunt, superantur, in quibus implerur quod ait, *Clamabit Hesebon & Eleale*, &c. alij (Ps. 106. 6.) quia expediti concertant, clamant ad Dominum cum tribulantur, & de necessitatibus eorum eripit eos, de quibus subiungit, *Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.* Dicendum primo videtur, qui sint expediti Moab. E Occurrit hic Patriarchæ nostri Abrahæ (Gen. 14. 14.) opus memorabile, quo numeratis trecentis decem & octo vernaculis expeditis, hostem inuasit, fugauit, prostrauit, omnem insuper, quam de Sodomis tulerant prædam, potenter eripuit. In quo fere numero sanctusque (Iudic. 7.) Gedeon Madianitarum fudit exercitum, lumine lampadarum, & tubarum sono perterritum: quos ego similiter dixerim expeditos, omnibus nimirum, quos aliquod impedimentum inhabiles bello reddiderat, non minus prudenter quam audacter exclusis. Nam quos timor pauidos & amor fecerat dissolutos, quos cupiditas eneruauerat, vel absorbuerat voluptas, diuino edoctus oraculo dux sagacissimus insserat a bello discedere. Quibus remotis, cæteri ad aquas ducuntur probandi Mox quidam prostrati toto ore aquas hauriunt, quidam paululum inclinati necessitati consulunt, supersedent superfluitati.

F Videris igitur quod non solum vitia, sed & superflua quæque impedimento sunt proficientibus, pugnantibus oneri. Multi igitur qui naturalibus incentiuis illecti, in turpia quæque prolapsi sunt, in ipsis, in quibus peccauerunt, diuitiis & deliciis, mundique occupationibus & pœnitere pro præteritis, & continere à futuris proponunt, & quandam morum conuersionem arripiunt, sed ad hoc non modico quidem tempore sufficiunt, non enim sunt expediti Moab. Tandiu enim in illis clamat Hesebon, id est, iniqua cogitatio, & Eleale, id est mentis elatio, donec vsque ad Iasa vox eorum audiatur, vt cogitationem pessimam, opus pessimum consequatur. Volens proinde dux noster, ad bellum hoc spiritale suos milites reddere expeditos, (Luc. 14. 33. & 26.) *Qui non* (inquit) *renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et iterum, *Qui non odit patrem aut matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Itaque expediti Moab illi dicuntur, qui vt vitiis Moabiticis, in quibus deciderant, securiùs possint G resistere, ab omnibus mundi huius negotiis & diuitiis, ab omnibus affectibus, & propriis suis voluntatibus, sese expediunt, & nudum Christum nudi sequuntur. Hi cum se senserint aut naturalibus incentiuis, aut dæmonum suggestionibus, aut certe propriis cogitationibus infestari, vehementem cordis vlulatum, & miserabilem vocis eiulatum, cum lacrymis & suspiriis emittunt ad dominum; dicentes cũ Propheta. (Ps. 37. 9.) *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.* Hoc ipsũ est quod ait Isaias, *Super hoc expediti Moab vlulabunt.* Quod verò sequitur, *Anima eius vlulabit sibi*, occultam cordis exprimit contritionem, quę oculos hominum respuit, diuinum aspectum [1] requirit. Culpantur proinde illi, qui in (Matt. 6. 5.) angulis platearum orantes, vt videantur ab hominibus, non habent mercedem apud patrem qui in cœlis est. Sed nec eorum anima vlulat sibi, qui tempus congruum, nec locum quærentes, aures circumstantium quibusdam clamoribus, & singultibus replent, sibi nihil vtilitatis, impedimenti plurimum aliis afferentes.

H Sequitur, *Cor meum ad Moab vlulabit.* Gratias tibi IESV bone; verè miserationes tuæ super omnia opera tua. Si ibi intus vbi Deus videt, ad Deum cor hominis conuertitur, & conteritur, mox cor Dei ad ipsum conuertitur. Per cor Dei affectus pietatis, & compassionis eius exprimitur. *Cor meum ad Moab clamabit.* Moab vlulat timendo, Christus clamat miserando; Moab vlulat confitendo, Christus clamat remittendo; Moab (Matth. 14. 30. & 31.) videns ventum validum venientem, timet & vlulat, Christus manum porrigens & clamans, titubantem & trepidantem increpat, Modicæ fidei quare dubitasti? Respondet itaque clamor vlulatui, respondet affectus affectui, respondet misericordia misero, medicus ægro, laboranti & dolenti compassio. Verè Domine secun- (Ps. 93. 19.) dum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Clamans Domine, Clamans ibi intus in anima mea, quando desperatum in spem erigis; quando timenti & trementi,

A mira pietate & suauitate blandiris; quando animo iam se corporeis caloribus inclinanti, rorem refrigerij salutaris infundis; quando mentem aduersus iram, odia, vindictam, &c. huiusmodi laborantem, interiori quadam tranquillitate componis. Sic quoties in his, & pro his anima mea vlulat sibi, toties cor Dei mei clamat, compatiendo mihi. Ioan. 11. 43. Sic IESV meus Lazarum suscitaturus, voce magna clamasti, magno clamore, magnum tuæ pietatis exprimens affectum. O Domine quandiu aduersum me, istarum passionum tentatio molesta deseuiet? Quandio Moab, quem in ipso conuersionis meæ initio me euasisse putaueram, rediuiua contra me semper bella restaurabit? Audi quod sequitur. *Vectes eius vsque ad Segor vitulam conternantem.* Segor interpretatur parua, humilitatem vtique significans, quæ de diuite pauperem, de magno paruum, de superbo [2] humilem facit. Iacob. 4. 6. Quæ congruè vitula dicitur, quod genus animalis lactis abundat, quia *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* B Isa. 66. 2. Et *super quem* (inquit) *requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?*

Dicitur autem vitula conternans, id est tertium agens annum quæ ætas in bobus & apta iugo, & ad fœtum [3] habilis inuenitur. Per vitulam igitur trimam, vel conternantem, humilitatis perfectio figuratur. Vectes fortitudinem, roburque significant, quod vitiis peccandi tribuit consuetudo. Quod eorum robur tunc primum experimur, quando conuersi ad Dominum, resistere consuetudini inueteratæ proponimus. Qua sine dubio tandiu fatigamur, donec sæuissima illa bestia, superbia scilicet, profunda fuerit humilitate deleta. Ideo vectes vsque ad Segor vitulam conternantem. Possunt etiam per vitulam conternantem tres gradus, quibus humilitas perfecta cognoscitur, exprimi, quæ in triplici contemptu consistit. Primum igitur est, vt homo seipsum contemnat, subdens se maiori secundum Deum. Deinde addat nullum contemnere, nullum se inferiorem æstimare, & ita subditos C sit omni creaturæ propter Deum. Postea ab omnibus se contemni, vel libenter, vel certe patienter sustineat, & solum suspiret ad Deum. In his tribus perfecta consistit humilitas, ad quam quicunque Dei miseratione fuerit prouectus, ita omnia ei tranquilla erunt, atque pacata, vt non sit, in carne quod repugnet spiritui, nec in spiritu, quod Dei obuiet voluntati. Certi proinde estote, fratres charissimi, quia quoties nos concupiscentia carnis vrget ad vitia, aut superbia occulta arguitur, aut manifesta confunditur, aut ne pro virtutis cuiuslibet conscientia nefandum erigat caput, præcedentis titillatione vitij deprimitur. Quocirca quicunque à carnalium passionum dominatu cupiunt liberari, circa humilitatis acquisitionem, vel conseruationem summum studium, & laborem impendant, in cuius perfectione, & castitatis, & tranquillitatis perfectio tota consistit. Vectes quippe Moab, id est robur carnalium passionum, vsque ad Segor vitulam conternantem perueniunt, quia D vbi humilitas perfecta fuerit, tota illius vis feruorque tepescit. Vt sciamus autem, quia ad hanc valeamus conscendere perfectionem, audiamus quid Propheta subiungat. *Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* Luith interpretatur genæ, Oronaim foramen mœroris. Eccl. 35. 10. & 19. *Nonne lacrymæ viduæ*, ait scriptura, *ad maxillam descendunt, & Dominus Deus non delectabitur in illis.* Per genas quippe lacrymæ descendunt, sed ipsarum vis, & causa, pro qua funduntur, secreta ad cœlum conscendunt.

Recogitans igitur homo pristinos annos suos in amaritudine animæ suæ, in lachrymas sæpe resoluitur, lauansque per singulas noctes lectum suum, & stratum lacrymis rigans, dicit cum Propheta. Psal. 118. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Itaque per Luith, id est genarum lacrymas, flens ascendit, donec ad foramen mœroris, id est Oronaim perueniens, clamorem leuet contritionis. Eia fratres, non perfunctoriè transeundum est quod ait, *In via Oronaim.* E Est via quippe quæ ducit ad Oronaim, id est foramen mœroris. Quale hoc foramen? Quis vidit? Quis audiuit? Quis cognouit? Quis expertus est? Habet mœror salutaris ostium suum, habet fenestram, habet & foramen. Per ostium frequens est in quamlibet domum ingressus; per fenestram patens aspectus, foramen nihil corpulentum admittit, luci, soli & aëri peruium, præbens oculo explorandi libertatem, sed perscrutandi adimens facultatem. Per ostium igitur fidem, spem per fenestram, per foramen intellige speciem. Per fidem secreta Dei rimamur, per spem odoramus, per speciem tangimus. Fides docet omnia, spes promittit futura, species [4] exhibet promissa. Eia fratres charissimi, quo non peruenit fides nostra? quo non per ipsam peruenit anima? Per fidem quippe non me latet ipsa diuinæ Trinitatis vna, indiuisibilisque Substantia, vna Sapientia, vna Maiestas, vna Potestas, vna eademque Bonitas. Per ipsam mihi est de Angelorum beatitudine, de dæmonum iniquitate & in- F felicitate, de mundi creatione & humani generis constitutione, de ortu, & progressu, & caso certa sententia, de Christi Incarnatione, & per eam hominis reparatione, salubris & vera doctrina. Per fidem nihilominus didici quæ pœna improbos, quæ præmia maneant iustos. Hæc omnia fide comprehendimus, cum spe pauca de his, quæ futura sunt, quasi de longè odoramur. Quid species? nunquid mihi adhuc ostium, nunquid saltem fenestra? Vtinam vel paruo foramine mihi lux illa resplendeat, liceatque vel vno oculo cœleste illud explorare secretum, haurire mihi inde diuinæ dulcedinis vel modicam stillulam, & exploratæ iucunditatis suauem memoriam. Quis mihi, vel quid mihi hoc foramen aperiat, per quod id, quod credimus & speramus saltem raptim & ex parte vel modica, quasi vno oculo valeam contemplari? Quis rogo, nisi IESVS? Quid nisi mœror? Ascendat proinde quæso anima mea per ascensum Luith, id est compunctionis, vt in via diuini timoris vocem leuet contritionis, vt perueniat per foramen G mœroris, ad modicum aliquod lumen contemplationis. Est igitur triplex mœror, primus per quem homo transit ad fidem, secundus per quem erigitur ad spem, tertius per quem illuminatur ad speciem: primus est timoris, secundus consolationis, tertius desiderij, & delectationis. Cum enim fides sine operibus mortua sit, mortua autem fides, fides non sit, tunc iterato homo transit ad fidem, quando salubri mœrore compunctus, de pessima vita ad morum transit emendationem. Primum mœret homo, vt remissionem peccatorum consequi mereatur; deinde mœret, vt in spe diuinæ promissionis consoletur, & sic in hac via vocem leuet contritionis, vt mœrenti foramen ei, per quod quasi per speculum appareat ipsa species, aperiatur. O mœror dulcis & desiderabilis! per quem mortuus suscitatur, infirmus sanatur, illuminatur cæcus, cœli ianua aperitur. Non sic hypocritarum fictus mœror, de quo Propheta, *Aquæ enim Nemrim desertæ erunt.*

H Nemrim pardus interpretatur; est autem pardus animal maculosum & varium, quod vitæ & moribus congruit hypocritarum, qui foris candidi, intus sunt obscuri, in quibus foris lucet pudicitia, intus fœtet luxuria, qui foris gloriantur in humilitate, intus pascuntur vanitate, in quorum veste vtilitas, in quorum mente cupiditas, in quorum verbis veritas, in quorum vita impuritas. Exitus aquarum deducunt oculi eorum, sed aquæ istæ desertæ erunt, quando veniens ille qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, lacrymas steriles & infructuosas, ob hominum oculos tantum extortas, omni gratia & remuneratione ostendet esse priuatas. *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt.* Quasi herba initium bonæ conuersationis, quasi germen fructus boni operis, quasi viror puritas bonæ intentionis. Sed in hypocritis aruit herba, quando bonæ conuersationis principium vanitate corrumpitur; deficit germen, quando in laudabili opere non perseueratur: omnia viror interiit, quando intentionis puritas, ardente cupiditate, deseritur. Sequitur.

Secundum

A *Secundum magnitudinem operis, & [5] viſitatio eorum.* Si de hypocritis hoc ſentiendum exiſtimas, dura in eos profertur ſententia, vt ſcilicet ſecundum magnitudinem ſcelerum, metiatur in eis magnitudo pœnarum. Quod ſi placet ad eos iſta referri, de quibus prædixerat. *Per aſcenſum Luith flens aſcendet*, &c. facta de damnatione hypocritarum interpoſitione, redit ad eos. *Secundum magnitudinem* (inquiens) *operis erit & viſitatio eorum.* Viſitatio hæc in bono accipienda eſt, quia ſcilicet corda Sanctorum præſentia ſua ſancta lætificans, vnicuique copiam ſui, ſicut quiſque meretur, iuſta æquitate largitur. Ideo ſecundum magnitudinem operis, & viſitatio eorum. *Ad torrentem ſalicum ducent eos*; Moabitas ſcilicet, qui de vitiis ad virtutes tranſeunt, & locum, vbi virtutes ipſas exerceant, auidiſſimè quærunt. Hi igitur ad torrentes ſalicum ducentur. Torrentes ſalicum diuerſi ordines ſunt ſæculo abrenuntiantium, qui torrentes dicuntur, vel propter lachrymarum inundationem, vel propter tentationum violentiam. B 3. Reg. 17. 6. Talis erat torrens de quo bibit Elias, quando deferebant ei corui panē, & carnes manè, & panem, & carnes veſperè. Dicitur autē torrens Carith quod interpretatur caluus. Quoniam capilli corpori ſuperfluunt, calui ſunt qui ſuperfluis renuntiant, neceſſariorum vſu contenti. Iſti ſunt expediti Moab, quorum vnus fuit Eliſæus, cui pueri 4. Reg. 2. 23. inſultantes. *Aſcende* (inquiunt) *calue, aſcende calue.* Iſti in via bibunt de torrente, donec fluminis impetus lætificet ciuitatem Dei, & dedicet domum ſuam altiſſimus; non enim continuè fluit torrens, ſed tunc cum fortè Auſtro flante glacies ſoluitur, aut pluuia vberiùs deſcendente, aquis valles implentur.

Talis eſt in præſenti hæc viſitatio, quia nos Deus [6] aquâ ſapientiæ ſalutari perfundit, nunc, flante ſpiritu, ſoluens noſtram ſuaui compunctione duritiam, nunc humiles quoſque ſcientiâ ſpiritali, quaſi aquis cœleſtibus, rigans. In huiuſmodi torrentibus ſalices creſcunt, hi videlicet, qui ſpretâ carnalium propagine liberorum, C Iſa. 56. 5. abſciderunt ſe propter regnum cœlorum, habentes in domo Dei nomen melius à filiis & à filiabus. Hæc eſt caſtitatis & munditiæ virtus gratiſſima, ad quam poſt moleſtias corporis, poſt innumeras tentationes libidinis, poſt crebra incendia carnis, poſt periculoſas ſuggeſtiones immundiſſimi dæmonis, per aſcenſum Luith & viam Oroniam, anima [7] ſancta, Spiritu ſancto ducente, & comitantibus Angelis, peruenire mereatur. Iſa. 15. 8. *Quoniam circuiuit clamor terminum Moab.* Hic eſt clamor, de quo ſuperius ait, *Cor meum ad Moab clamabit.* Clamor iſte circuiuit terminum Moab, quia vox Dei loquentis in nobis, fines vitiorum diſcutit & ipſorum nobis horrorem infundit. Quam ſæpe fratres, hunc eius clamorem aure cordis audiui; cum circumſtrepente vndique tumultu vitiorum, ipſe ſingulis obuiaret, & illis narrantibus delectationes, eorum clamorem ſuo clamore compeſceret, terminum, id eſt, finem huiuſmodi delectationis obiiciens; & turpitudinem pandens, & ſpiritualium delectationum dulcedinem menti captiuatæ proponens? D Sed iam quis ſit vtriuſque clamoris finis audiamus. *Vſque ad Gallim vlulatus eius, & vſque ad puteum Elim clamor eius.* Si placet reddantur ſingula ſingulis, vt intelligatur vlulatus Moab, hoc eſt vitiorum, de quo ſuperiùs dixerat. *Super Nabo & ſuper Medaba Moab vlulauit*; clamor autem ille, de quo præmiſerat, *Cor meum ad Moab clamabit.* Sed vlulatus ille ad tumulos peruenit arenarum, quod interpretatur Gallim, & clamor iſte ad Elim, quod interpretatur puteus arietum.

Quaſi arenæ cogitationes vagæ ſunt & inſtabiles, quæ in vnum hoc vlulatu, quaſi flante vento coactæ, vitiorum tumulos faciunt. Porro arietum puteus profunditas eſt ſcripturarum, quæ per arietes, Prophetas ſcilicet & Apoſtolos, miniſtratæ ſunt, quarum nobis, Domino in cordibus noſtris clamante, ſecreta reſerantur. Itaque, fratres, quantùm nos aut exterior perſecutio, aut interior perturbatio contriſtat, tantùm nos ex ſacris literis conſolatio diuina lætificat. Rom. 15. 4. *Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.* E Dico vobis, fratres, nihil poteſt aduerſi contingere, nihil tam triſte vel amarum emergere, quod non mox, vt nos pagina ſacra exceperit, aut euaneſcat citiùs, aut faciliùs toleretur. Hic eſt ager, in quem ſanctus Iſaac, inclinata iam die, pergit ad meditandum, vbi ei occurrens Gen. 24. 63. & 67. Rebecca, illum, qui acciderat, ſua lenit ſuauitate dolorem. Quoties mihi IESV bone dies vergit in veſperam, quoties paruæ alicui conſolationi, quaſi diurnæ luci, intolerabilis dolor velut nocturna caligo ſuccedit, vertuntur in faſtidium omnia, oneri ſunt cuncta quæ video. Si quis loquitur vix audio; ſi quis pulſat vix ſentio; in modum ſilicis cor obdurarur, hæret lingua, oculorum vena ſiccatur. Quid tunc? Exeo certè ad meditandum in agrū, ſacrum reuoluo codicem, meditationes meas ceris imprimo, cum ſubitò mihi occurrens Rebecca, tua ſcilicet gratia, IESV bone, ſua luce tenebras diſcutit, pellit faſtidium, duritiam frangit, mox ſuſpiriis ſuccedunt lachrymæ, lachrymas cœleſte gaudium comitatur. F Infelices, quos cum triſtia quæque perturbant, non hunc agrum ingrediuntur vt gaudeant. Scitis fratres, cum triſte aliquid acciderit mundi amatoribus, aut in vanis aut in noxiis conſolationes requirunt, vt meritò de talibus Propheta ſubiungat, Iſa. 15. 9. *quoniam aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine.*

Aquæ Dibon quæ interpretatur fluxus eorum, lacrymas ſignificat illorum, qui pro fluxu temporalium, aut rident ſi habeantur, aut plorant ſi amittantur. Ideo aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine, quia ſicut hi, qui pro temporalibus rident, malo ſuo rident, ita & qui pro temporalibus plorant, malo ſuo plorant. Nihil enim purgationis afferunt huiuſmodi lacrymæ, ſed inſuper eos peccati fœdant ſanguine: ideo ſequitur. *Ponam ſuper Dibon additamenta.* Addit quippe Dominus dolores doloribus eorum, vt de lacrymis ad lacrymas tranſeant, ingrediantúrque terram duabus viis, & duplici contritione conterantur. Quam miſera ſors eorum, G qui nati de muliere breui viuunt tempore, & hîc replentur multis miſeriis, & poſt hanc vitam pœnis traduntur perpetuis? Felices è contra, qui in huius mundi laboribus, in verbi Dei viſitatione & lumine conſolantur, & tranſeuntes è mundo, æternis gaudiis perfruuntur. Quocirca & his quoque ponet additamenta, qui fugerint de Moab leonem, qui fugientes vitia, ipſum inuentorem vitiorum pariter euaſerunt. Sed & reliquiis terræ ponet additamenta. Notantur hic tria genera hominum, vnum eorum, qui ſe totos vitiis & ſæculo dederunt; alterum eorum, qui ſæculo abrenuntiantes Chriſti iugum ſuſcipiunt; tertium eorum, qui in ſæculo criminibus abſtinent, operibus tamen terrenis incumbunt. Primum per Dibon; ſecundum per eos, qui fugerunt de Moab; tertium per reliquos terræ, vel reliquias terræ figurantur. Quibus omnibus ponet Dominus additamenta; nam reprobis pro peccatis, temporales in hac vita dolores, & poſt hanc vitam æternos animæ, & corporis retribuet cruciatus; abrenuntiantibus verò huic mundo, quæ additamenta congeminet, H Euangelica probat hiſtoria dicente Domino. Matth. 19. 29. *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, &c. propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Iſa. 40. 2. Porro hi qui plumbum, ferrum, ſtannumque vitantes, ædificant ſidei Catholicæ fundamentum lignum, fœnum, ſtipulam, ſuſcipient de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Nam hi qui multis incommoditatibus conteruntur, & ad vltimum excepti ignibus detrimentum patientur, ipſi autem ſalui erunt, ſic tamen quaſi 1. Cor. 3. 15. per ignem. Quibus omnibus congruit nomen Moab, quia primi Moabiticis vitiis abſorbentur, in aliis vitia Moabitica aut penitus deſtruuntur, aut magnificè cōprimuntur, reliqui nonnunquam ipſis vitiis fœdantur, ſemper autem fatigatur. Vbique animaduertitur onus Moab, qui in aliis premitur, in aliis opprimit. Sed iam huic ſermoni terminum demus, obſecrantes [8] miſericordiā Dei noſtri, vt Moabiticis explatos ſuæ voluntati nos reddat acceptos. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

A
VARIÆ LECTIONES.

1. Requirit. Sequitur. C. Cam. Requirit. *Culpantur proinde illi*, & quod sequitur vsque ad, *Sequitur. Cor meum.*
2. Facit humillimum. C. Cam. *Humilem facit.*
3. Habilis inuenitur, possunt etiam. C. Cam. Habilis inuenitur. *Per vitulam igitur trimam*, & reliqua, vsque ad, *possunt etiam.*
4. Exhibet promissa. Est enim triplex mœror. Primus timoris. C. Cam. Exhibet promissa. *Eia fratres charissimi*, &c. quæ inseruimus, vsque ad, *Primus est timoris.*
5. Visitatio eorum. Visitatio hæc in bono. C. Cam. Visitatio eorum. *Si de hypocritis*, & sequentia, vsque ad, *Visitatio hæc in bono.*
6. Aqua sapientiæ salutari. C. Cam. *Aqua salutari.*
B 7. Sancta Spiritu sancto ducente. C. Cam. Sancta *Dei* Spiritu ducente.
8. Misericordiam Dei nostri. C. Cam. *Misericordiam Domini nostri.*

SERMO VIGESIMVS-SEPTIMVS.

DEus ab austro veniet, & sanctus de monte vmbroso
& condenso. Ecce fratres charissimi, Dominus
noster IESVS ex condensissima allegoricorum verborum
siluâ, In cuius opaca densitate hactenus latuit, subito
Isa.16.1. manifestus erumpit, dicente Propheta, *Emitte agnum*
Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem
Cant.2. *filiæ Sion.* Verè *dilectus meus stat post parietem nostrum,*
9. *respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quis
nesciat Dominum IESVM in scripturis esse quærendum,
Ioan.5. qui ipsum dicentem audit in Euangelio. *Scrutamini scri-*
39. *pturas, &c.* Sed inter nos & ipsum, quasi quidam pa-
ries est ipsius scripturæ obscuritas, verborum ænigma-
C ta, & figuræ historiarum. Verum spiritales illi artifices,
qui hunc nobis parietem condiderunt, fenestris illum ac
cancellis variarunt, per quos plerumque dilectus ille
suis se præbet amatoribus intuendum, vt nemo ambigat
ipsum esse vbique in his, quæ latent, quem sic mani-
1.Cor.1. festè exhibent ea, quæ patent. Ait ergo, *Emitte agnum*
21. *Domine dominatorem terræ* Diximus in exordio aliquãdo
narrando, aliquando iubendo, aliquando etiã orando [1]
Prophetas loquutos fuisse. Cernens ergo Propheta in spi-
ritu etiã mundi sapientes Crucis esse virtuti subdendos,
per stultitiã quoque prædicationis credentes esse saluan-
dos, perdendam nihilominus sapientiam sapientium, &
prudentiam prudentium reprobandam, &c. quæ in hoc
onere præmissa sunt, æstuat desiderio, causatur moram,
iam iamque Christum optat adesse, implere promissa,
exhibere prænuntiata; conuersusque ad patrem, filij sui
aduentum ardenti exigit affectu, *Emitte* (inquiens) *agnum*
Ierem. *Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem*
11.19. *filiæ Sion.* Iste est agnus qui per Ieremiam loquitur di-
D cens. *Et ego tanquam agnus innocens qui portatur ad vi-*
Isa.53.7. *ctimam.* De quo idem & iste Isaias, *Tanquam ouis ad oc-*
cisionem ducetur & tanquam agnus coram tondente se obmu-
tescet Quem Spiritu Sancto reuelante, Sanctus Bapti-
Ioan.1. sta cognoscens, *Ecce* (inquit) *Agnus Dei*; Hunc ergo
29. mittendum à patre, venturum in mundum, subditurum
sibi omnia, Propheta optantis vaticinatur affectu di-
cens, *Emitte agnum domine dominatorem terræ.* De
Ps.71.8. quo & Dauid cecinit dicens, *Dominabitur à mari vsque*
ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.

De petra deserti ad montem filiæ Sion. Petram deserti
vt æstimo, speluncam illam appellat, quæ in locis de-
Gen.19. sertis naturâ, vel arte excisa in petra, Loth excepit de
30. Sodomis fugientem. De hac petra deserti, cum magna
admiratione agnum dicit processurum, quia [3] in ea
generatus est Moab, de cuius genere nata est Ruth, cu-
ius filius Obed, cuius filius Iesse, cuius filius Dauid, de
cuius genere natus est Christus. Emittitur autem de pe-
tra deserti ad montem filiæ Sion, quia natus de Virgi-
ne in Bethleem, Ierusalem (in qua est mons Sion ad lit- E
teram, vel mons, id est excellentia, & gloria filiæ Sion,
id est Synagoga, quæ in templi nobilitate intelligenda
sunt) suâ præsentiâ visitauit. Allegorice petra deserti
dicitur Synagogæ, quæ educta de Ægypto, & quadra-
ginta annis eremi habitatrix effecta, bibebat de Spirita-
li consequente eos petra: quæ idcirco [4] petra deserti
dicitur, quia tanti temporis exilio multis in infidelitate
pereuntibus, in perfectioribus fidei firmitatem serua-
uit. Ex hac fuêre Apostoli, qui agnum illum, qui ab-
stulit peccata mundi, vt dominaretur vniuerso mundo,
prædicatione sua ad Gentium populos transtulerunt, vt
de synagoga nasceretur Ecclesia, quasi filia Sion, cuius
mons est altitudo fidei, sublimitas spei, via superexcel-
lentior charitatis. Vnde Dominus in Euangelio, *Opor-* Luc 24.
tebat pati Christum, & resurgere à mortuis die tertia, & 47.
prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem pec-
catorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolymis. Vel
certè tunc emissus est agnus dominator terræ; de petra F
deserti ad montem filiæ Sion, quando Christus ab vm-
bra legis, ad veritatem transiuit Euangelij, quando de
petra deserti, de qua bibebant filij Israel, Sacramentum
nostræ redemptionis, ad veritatem sui Sacrosancti cor-
poris & sanguinis transtulit, quando amoto velamine
litteræ, spiritalis intelligentiæ, noui testamenti præco-
nibus reserauit arcanum.

Et erit, Quid? Cum emissus fuerit agnus dominator
terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion, *Sicut auis*
fugiens & pulli de nido volantes, sic erunt filiæ Moab in
transcensu Arnon. Filias Moab carnales, & infirmas in-
tellige animas, Moabiticis [5] erroribus deceptas. Quæ
cernentes impletum in vaticinia Prophetarum, Chri-
stumque vbique regnantem, de tenebris ad lucem con-
uersæ, ruptis diaboli laqueis, quibus captiuæ tenebantur,
ad lumen veræ scientiæ, ignorantiæ decussa caligine,
transcenderunt. Sicut (inquit) auis fugiens accipitrem,
nunc alta petendo, nunc latitando in imis, nunc volucri
penna aëris plana secando, raptoris declinat insidias; & G
sicut pulli, si subito nidum serpens inuaserit, territi, auo-
lant, & nidi suauitate contempta, hac & illac præcipiti
volatu feruntur; sic erunt filiæ Moab in transcensu Ar-
non. Arnon interpretatur [6] illuminatio eorum. Licet
intueri volucres illas, rapaces, quas secundum Domini Luc.8.
Saluatoris interpretationem, dæmonia dicimus, quantis 12.
egerint cum nouiter ad fidem Christi conuersis, etiam
in transcensu cœlestis sapientiæ quasi Arnon positis, vt
relicta veritate, malitiæ suæ vnguibus raperentur; qui-
bus & ipsi modis fallaciis eorum obuiantes, duce gratiâ
in fide, quam susceperant, perseuerauerint. Oportuit enim 1.Cor.
& hæreses esse, vt & probati manifesti fierent, & ex- 11.19.
ploratiori indagine ipsius fidei veritas innotesceret. Cum
itaque per hæreticos, vel per Philosophos, Christianæ
simplicitati illuderet inimicus, & humanam infirmita-
tem Domini Saluatoris, Crucisque scandalum, & sitis,
& famis, & ipsius mortis iniuriam callida insultatione
obiiceret, mox ad ipsius diuinitatis sublimia, fideles
quique mentis contemplatione volantes, scandalorum H
laqueos declinabant. Sed & adhuc eos hæretici inse-
quentes, ex maiestatis excellentiâ dissuadebant carnis
humilia, quæ vel in Deo non esse, vel phantasticè fuisse
asserebant. Tunc quoque Sancti de sublimibus ad ima
transmissi, & in Saluatore famem, sitim, somnum, tri-
stitiam, in veritate scientes ab Euangelistis, & Aposto-
lis prædicari, sicut in superioribus veram diuinitatem,
ita in inferioribus veram humanitatem confitentes, &
hic venantium retia deluserunt. Quod si occultis sugge-
stionibus arduum iter Euangelij callidus hostis obii-
ciens, ab arce virtutum quemlibet Sanctorum conaba-
tur deiicere, mox ille vitiorum materiam declinans, &
virtutum pennis subuectus, medium discretionis iter in-
ter cœlum & terram, quasi aëra secans, viscum mundia-
lium voluptatum sagaciter contemnebat. Si verò eis, qui
in silentio & quiete, quasi in nido residẽtes, publicis dis-
putationibus interesse nolebant, occultum hæreticæ do-
ctrinæ virus tentaret serpens ille venenosus infundere,

illi

A illi statim otij sui nidum deserentes, & ad multorum examen ea, quæ suadebantur referentes, Moabiticorum serpentium * euadebant. Ait ergo. *Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.*

* deest morsum vel quid simile.

Verum vt hæretici, vel falsi Philosophi faciliùs ab imperitioribus possent caueri, & veritas Catholicæ fidei, ab eorum errore discerni, multorum collatione opus fuit, vt omnium Sanctorum iudicio, omnis peruersa, & fidei aduersa doctrina condemnaretur, & fidei certa regula omnibus præfigeretur. Vnde satis congruè Propheta ipsam Ecclesiam in his, atque huiusmodi fluctuantem, prophetando alloquitur, Isa. 16. 3. *Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem vmbram in meridiem.* Hoc primum ab Apostolis, deinde à sanctis Patribus sæpissimè factum litteræ sacræ non tacent. Sicut enim Act. 15. 1. in Actibus Apostolorum legimus, crescente Religione Christiana, & tam Iudæis, quam Gentibus ad fidem Christi certatim confluentibus, Venerunt quidam B Antiochiam, vbi erat discipulorum maxima multitudo, dicentes, Oportere Gentes circumcidi, & secundum legem ingredi, nec posse eos sine legis obseruatione Act. 15. 6. saluari. Ob hanc causam initum consilium ab Apostolis apud Ierosolymam, coactùmque concilium, & sic libertas fidei, quæ quasi vmbra & nox multos latebat, in claram lucem, quasi in meridiem posita, omnibus sententia veritatis ab Apostolis promulgata resplenduit. Tunc patuit, quod hactenus latuit, circumcisionem nihil esse, & præputium nihil esse, sed fidem & obseruantiam mandatorum Dei.

Sic ergo legendum est, Cernens Ecclesia filias Moab, id est infirmas animas de Moabiticis vitiis conuersas, Hæreticorum, vel Philosophorum astutia, & erroribus implicari, vt veritas Euangelij omnibus innotesceret, iniit cum sapientioribus quibusque, doctioribusque consilium, & sic coacto concilio, de iis, quæ in dubium venerant, certam & elucubratam proferens sententiam, posuit vmbram suam, fidei videlicet secreta C mysteria, quæ prius instar noctis obscura videbantur, in meridiem, id est in manifestationem. Quæ omnia in præcipiendo, vel consulendo prænuntiat esse futura. *Ini* (inquit) *consilium, coge concilium: pone quasi noctem vmbram tuam in meridiem.* Hoc, cum Ebion, & Cerinthus, & cæteræ pestes, exulante sancto Euangelistâ Ioanne, peruerso dogmate sinceritatem fidei corrupissent, ab ipso Apostolo actum legimus, qui reuocatus ab exilio iniit consilium, coëgitque concilium, productoque in medium illo, quod Deo reuelante conscripserat, Euangelio, errorum tenebras luce veritatis depulit, & noctem in meridiem commutauit. Deinde regnante Constantino, cum impiissimus Arrius tam auium quam pullorum, spiritualium scilicet, & carnalium, sciens animas plurimas veneno suæ malitiæ infecisset, Patrisque & Verbi vnam eandemque essentiam, æqualemque potentiam diuidere ac dissipare tentasset, initum est consilium, coactumque concilium, multorumque Sanctorum collatione & auctoritate, ipsius ve-D ritatis indiuidua vnitas, quæ simplicioribus hactenus quasi nox, & vmbra videbatur obscura, manifestè omnibus propalatur esse credenda. Et hunc semper morem Ecclesia sancta seruauit, vt quoties dubium aliquod, vel obscurum de fidei puritate emersit, consilij grauitate, ac concilij auctoritate discussum certam sententiam sortiretur.

Verum cur ista omnia facienda sunt? Propheta declarat cum subiungit, *Fugientes absconde, & vagos ne prodas.* Fugientes & vagos, aues & pullos intellige, de quibus præmiserat, *Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Igitur vt fugientes abscondantur, id est vt filiæ Moab, quæ sicut aues accipitrem, ita fugiunt hæreticum, multorum auctoritate ab eius insidiis muniantur; & ne vagi quique, id est illi, qui sicut pulli huc & illuc volitant, ita circumferuntur omni vento doctrinæ, diuersis erroribus exponantur; ineundum est consilium, cogen-E dumque concilium, vt & fugientes certâ fidei regulâ protegantur & vagi in ipsa fide manifesta veritate solidentur. Sequitur, *Habitabunt apud te profugi mei Moab.* Isa. 16. 4. Hoc in loco per Moab sapientes intellige, quos superius diximus tantò in diuinis fuisse prudentiores, quantò in sapientia illa mundiali fuerant perspicaciores. Iste est Moab, cuius vectes peruenerunt vsque ad Segor vitulam consternantem. Talis fuit beatissimus martyr Cyprianus, talis Ambrosius, talis Augustinus, atque Hieronymus, qui totum, quod de scientia hauserant sæculari, ad firmamentum profectumque Ecclesiæ transtulerunt. Tales nimirum efficacius hæreticos debellabant, tales infirmos quoslibet ab infestatione Pseudo-apostolorum sua doctrina protegebant, sub quorum cura, quasi sub maternis alis, ne à dæmonibus seducerentur & raperentur, securiùs latitabant. Hunc Moab, id est tales mundi huius sapientes Christus alloquitur, *Habitabunt* (inquiens) *apud te profugi mei Moab; esto latibulum eorum a facie vastatorum.* Profugos suos illos ap-F pellat, quos à Zabulo quondam seductos & abductos, deuicto hoste, victoris iterum iure receperat; quos nimirum Zabulus ipsi sibi dolens ereptos, suscitauit hæreticos, commouit Philosophos, falsa dogmata seuit, vt sic simplices quosque decipiens, eorum perditione, illati dispendij solaretur iniuriam. Sed donec transiret iniquitas & manifestaretur veritas, in fide perfectorum imperfecti pendebant, & à facie talium vastatorum, sapientibus simplicibus doctrinæ, & prouidentiæ latibulum salutare præstabant. Ait ergo. *Habitabunt apud te profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatorum.* Quod ne Zabuli potentiam & astutiam consideranti videretur difficile, protinus subiungit, *Finitus est enim puluis, consummatus est miser.* Doctrina diaboli pulueri comparatur, quæ tunc quodammodo fidem accipit, quando coruscante Euangelio salutarem doctrinam mundus suscepit.

Eleganter Propheta diabolum miserum vocat, cui in futurum præparata est in æterno igne damnatio, cuius G iniquum pectus cassa nunc vrget sollicitudo, qui semper laborans & nihil proficiens, qui electorum animas semper sitiens, & nullum eorum perpetuò sibi subdere valens, tantò miserior ab omnibus iudicatur, quantò à terrenis & mortalibus, spiritus cœlestis & immortalibus superatur. Verè miser, qui ab Angelis premitur, cui ab hominibus illuditur, qui à perfectis contemnitur, vincitur ab infirmis. Ait ergo. *Finitus est puluis,* Isa. 16. 4. *consumptus* [7] *est miser*, quia mox vt doctrina Zabuli à cordibus hominum, sicut puluis à facie terræ, exsufflata est, miser ille vbique terrarum confusus est, atque consumptus, & totus eius conatus quantum ad electos, euacuatus est; vnde & subditur, *Defecit qui conculcabat terram.* Agamus gratias fratres charissimi agno illi, qui emissus de petra deserti ad montem filiæ Sion, terram, ab initio scilicet à Zabulo conculcatam, tyrannidi eius eripuit, imo ipsum qui conculcauerat, eius quam conculcauerat, pedibus prostrauit, dans ei virtutem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem H potestatem inimici. Vnde ad credentes loquitur Apostolus, *Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* Rom. 16. 20. Terra quippe dicitur omnium Sanctorum societas, terra profecto fertilis & fœcunda, afferens fructum aliquando tricesimum, aliquando sexagesimum, nonnunquam etiam centesimum. Hanc nimirum, vsque ad Saluatoris aduentum, antiquus hostis malitiæ suæ pedibus conculcabat, ob primæ præuaricationis reatum, etiam in electos ius iniquæ dominationis exercens, donec chirographum, cui innitebatur, excedens, in illum, qui nulla ei peccati cautione tenebatur, impias manus injiceret, addicens eum morti, in quo nulla causa mortis poterat inueniri. Vnde non immeritò chirographi, pactique transgressor, quia vsurpauit indebitum, & debitum pariter, dictante iustitiâ sententiam, auarus nimis, & iniustus exactor amisit. Idcirco defecit qui conculcabat terram. *Dolens* quippe Dominus *chirographum, quod erat contrarium nobis, affigénsque illud cruci sua, tra-* Colos. 2. 14. & 15.

A Philip. 2. 9. *duxit principatus, & potestates, palam triumphans eos in semetipso.* Sic, hoste deuicto, *captiuam duxit captiuitatem, accipiens dona in hominibus. Propter quod* (inquit) *exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.*

Isa. 16. 5. Inde iam cœpit impleri quod Propheta subiungit, *Et præparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Accedamus fratres cum fiducia ad solium misericordiæ, quod interius præparauit in tabernaculo Dauid, id est in Ecclesia, quia nunc tempus miserendi, quod profecto sequetur tempus iudicandi. Sed quia hæc latiùs tractanda sunt, cum hæc ipsa, quæ hodie dicta sunt, moraliter [8] cœperint pro modulo nostro latiùs explicari; demus iam & huic sermoni terminum, & die crastinâ, si Deus voluerit, hoc ipso capitulo repetito, quod ipse suggesserit proferemus in medium, ad laudem & B præconium Domini nostri Iesu Christi, cui honor & imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Prophetas locutos fuisse. Cernens ergo Propheta. C. Cam. Prophetas *futura scripsisse.* Cernens *igitur* Propheta.
2. Agnus Dei, de quo & Dauid C. Cam. Agnus Dei. Hunc ergo mittendum, &c. vsque ad, *de quo Dauid cecinit.*
3. In ea generans est Moab, de cuius genere natus est Christus. C. Cam. In ea *genitus* est Moab, de cuius *semine nata est Ruth*, & quod sequitur vsque ad, *natus est Christus.*
4. Petra deserti dicitur quia. C. Cam. Petra deserti *congrue appellatur* quia.
5. Erroribus deceptas. Arnon interpretatur. C. Cam. Erroribus deceptas; *quæ cernentes impletum iri*, vsque ad, *Arnon interpretatur.*
6. C Illuminatio eorum. Talis fuit beatissimus. C. Cam. Illuminatio eorum. *Libet intueri, volucres illa*, & reliqua inserta vsque ad, *Talis fuit beatissimus.*
7. Est miser, vnde & subditur. C. Cam. Est miser, *quia mox vt doctrina*, & reliquum, vsque ad, *vnde & subditur.*
8. Cœperint *pro modulo no. lat. explicari*, demus iam & hu. ser. term. & *die crastina* si De. vo. hoc. ip. ca. rep. quod ip. sug. pro. in med' ad laud. & *præconium* Do. no. Ie. Chr. *cui honor & imperium* per omnia. C. Cam. Cœperint *explanari* de. iam & hu. ser. termi. & *cras* si Do. vo. hoc ip. cap. rep. quod ip. sug. pro. in med. ad laud & *gloriam* Do. no. Ie. Chr. *qui viuit & regnat* per omnia.

SERMO VICESIMVS-OCTAVVS.

D Manifesta de Domino prophetia, nec allegoricis inuolucris obuoluenda, nec tropologicis est extenuanda figuris, cum nihil magis fidem nutriat, vel mores ædificet, quam vt ea quæ cernimus euidenter impleta, à sanctis Prophetis legamus tantò antè prædicta. Quid enim manifestius quam agnum, quem a Propheta legimus esse venturum, in Euangelio audiamus à Isa. 16. 1. beato Baptista monstratum, illo dicente, *Emitte agnum* Ioan. 1. 29. *Domine dominatorem terræ*, & isto clamante, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, de quo alias idem Ioan. 3. 29. Baptista, *Qui habet* (inquit) *sponsam, sponsus est.* Quæ sponsa hæc? Illa nimirum, quam pater in psalmo alloquitur Psal. 44. 11. dicens. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Illa itaque est, quæ nunc habens patrem Deum, primo habuit patrem diabolum, quæ *dicebat lapidi. Pater meus* Ierem. 2. 27. *es tu, & ligno. Tu me genuisti.* Ecclesia est hæc de gentibus congregata, quæ primo Moab, id est de patre diabolo genita, transiuit in adoptionem filiorum Dei. Cuius filiæ Sion, omnes animæ Christianæ, & ipsæ secundum naturam filiæ Moab, ex gratia filiæ Dei. Verum E quia moraliter per Moab naturalem, quam ex patre contrahimus, corruptionem diximus figurari, congruè illas animas filias esse dicimus Moab, quæ vel carnalibus vitiis implicantur, vel eorum suggestionibus, desideriisque fatigantur. De his ergo dicitur, *Sicut auis* Isa. 16. 2. *fugiens, & pulli de nido volantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Arnon interpretatur illuminatio eorum. Vt igitur filiæ Moab agno illi, qui emissus est de petra deserti, & peccata abstulit mundi, salutaribus nuptiis copulentur; necesse est vt de inferioribus ad superiora conscendant, & relictis erroribus, & ignorantiæ tenebris salutari lumine perfundantur, dicantque cum Propheta, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* Psal. 4. 7. Sic autem ascendentes aui fugienti, pullisque de nido volantibus comparantur, quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Hæc est fuga quam nobis Ieremias Propheta suadet. *Fugite* (inquiens) *de medio Babylonis*, Sed sunt diuersa Prou. 1. 17. F genera auium, quarum sicut natura diuersa est, ita earum multitudinem, secundum diuersam motum vel Ierem. 50. 8. naturæ qualitatem, animæ sortiuntur. Vnde sancta quædam anima tenebrarum, quas patiebatur, impatiens, cum præmisisset, *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ* Psal. 54. 6. & 7. fugam meditata, Quis (inquit) *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Ipse idem nunc pellicano, nunc nycticoraci, nunc passeri, nunc aquilæ comparatur. Animaduertat charitas vestra. Euenit plerumque vt in multitudine constitutus, vitiis peccatorum vndique circumseptus, virtutum concipiat affectum, & desideret effectum. Conatur ascendere, sed premitur consuetudine; erigitur spiritus nouitate, sed trahitur peccati vicinitate; in virtutum serenitate delectatur, sed exemplo malorum illectus, quasi inuitus cogitur repetere quod detestatur. Hinc dolor si ceciderit, timor si restiterit, tremor ne in his pereat, desiderium vt fugiat. Versantur tenebræ in conscientia, in corde tristitia, angustia in cogitatione. Ita G loquens in amaritudine animæ suæ, *Quis* (inquit) *dabit* Ps. 54. 8. *mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Et subiungit dicens, *Ecce elongaui fugiens.* Acceperat quod petierat ista, quondam filia Moab, & instar auis volans, & publicum fugiens, materiasque peccatorum declinans, solitudinis secreta delegit, in qua mortificans membra sua, quæ sunt super terram, similis fit pellicano solitudinis. Pellicanus pallidi fertur coloris, qui pullos, mox vt excluserit, rostro occidit, rursumque gemitu miserabili, & sanguinis sui effusione resuscitat. Felix anima [1] quæ mutuans sibi alas columbæ, ad solitudinis secreta volauit, in qua mortificans membra sua, quæ sunt super terram, opera sua priora, quasi proprios pullos interficit; deinde in nouam vitam dolore ac sudore, quasi sanguinis effusione, gemitibus inenarrabilibus, ac salutari compunctione viuificat.

Deinde cibos sibi cœlestes mutuans scripturarum, nycticorax efficitur spiritualis, in nocte [2] æque & in die, in aduersis scilicet & in prosperis, in lætis & in tristibus, in tentationibus & consolationibus exultans, H & volans, & de virtute in virtutem proficiens, donec mysticus passer effectus, & à tenebris huius infelicitatis, in illam inaccessibilem lucem euigilans, transeat in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, in Ps. 41. 5. voce exultationis, & consolationis sonus epulantis. Igitur anima Moabiticis vitiis implicata, de tenebris ad lucem, quasi in transcensum Arnon progrediens, aui comparatur fugienti, pullisque de nido volantibus; vt ea hîc intelligatur fuga, quæ ad abrenuntiantiũ spectat conuersionem, & volatus, qui ad perfectorum pertinet contemplationem; in nido quippe, donec plumescant, pulli auiũ residentes, a matre simul & patre pascuntur. Quibus cum plumæ succreuerint, & alis pennæ firmiùs inhæserint, liberas auras nido præferũt, & propriâ sibi industriâ victualia quæritantes, nunc sublimia cœli volatu petunt, nunc pennis demissis se in inferiora deponunt. Est autem nidus concupiscentiæ, nidus torporis & inertiæ,

nidus

A nidus etiam disciplinæ. Sunt verò volucres, quæ volare conantur nec valent, & dum pennis velle videntur inniti, mox carnis pondere pressæ ad infima delabuntur. Num. 11. 31. Tales fuêre coturnices, quæ vno tantum cubitu a terra suspensæ, sed mox instar lapidis in terram deiectæ, Israelitarum gulæ desiderata satietate satisfecerunt. Hæc sunt vitia carnis, voluptatisque corporeæ, quæ in vanam quandam lætitiam animam extollunt, sed expletâ libidine, conscientiam in ima detrudunt. Hæc in nido concupiscentiæ nutriuntur, sed volatum cœlestem [3] nullo modo sortiuntur. Sunt & aliæ aues, quas nidi suauitas intantum delectat, vt vix etiam parentum morsibus expellantur. Tales sunt animæ pigræ & inertes, quæ infelici quadam quiete adeo dissoluuntur, vt ad nulla virtutum opera, vel correptæ quidem, vllatenus accingantur.

Non sic columba, non sic pellicanus, non sic nycticorax, non sic passer, non sic anima, quæ se ad nidum contulit disciplinæ, vt in eo sub patre spirituali, à B matre gratiâ cibis salutaribus pasta plumesceret, & sic alis innocentiæ & simplicitatis elata, de tenebris vitiorum ad splendorem conscenderet virtutum, de publico ad solitudinem, per solitudinem ad scientiam, per scientiam ad sapientiam. Præterea cogitationes nostræ auibus comparantur, quæ huc atque illuc mirâ celeritate feruntur, & volitant, nunc sublimia, nunc humilia, nunc sordida, nunc munda quæque petentes. Nam sunt aues, quæ circa cadauera, & carnes putrescentes occupatæ, cœnum cœlo præferunt. Tales sunt cogitationes sordium sectatrices, amatrices libidinum, fœtentis carnis voluptates, delectationibus animæ præferentes. Hæ totâ die in immunditia versantes, de turpibus ad turpia volitant, & per diuersas libidinum, & flagitiorum imagines discurrentes, pretiosissimis, & contaminatissimis vitiorum se epulis reficiunt. Hæ in nido concupiscentiæ miserabiliter enutritæ, pennas non quibus ad alta vehantur, sed quibus deprimantur ad ima, infelici auspicio sortiuntur. Sunt & aliæ aues, quæ ita vagæ sunt C & instabiles, vt fere semper in motu sint, per ventosa huius aëris volitantes, nunc pendentes, non aliunde quam ex ipso inani viuentes. Comparantur his volucribus cogitationes vana quæque somniantes, ad honores, & mundi huius gloriam aspirantes, & huiusmodi imaginatione, & elatione, quasi vento expetentes. Infelix qui his auibus nidum in suo pectore parat, vt Christi vestigiis etiamsi velle videatur, adhærere non possit, reprobante eum Domino, ac dicente. Matth. 8. 20. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Beatus præ his omnibus ille, qui in nido sapientiæ suas cogitationes enutrit, vt instar aquilæ volantis in ipsum cœlum empyreum, pennis contemplationis subuectus, ad ipsios solis splendorem cominus intuendum irreuerberatos oculos aperiat.

Itaque filiæ Moab, id est cordis cogitationes, quæ naturali illa corruptione ad vitia illectæ, mœchatæ fuerant cum amatoribus multis, cum de carnali D ad spiritualem, quasi de tenebris ad lucem transcendere nituntur, aui fugienti, & pullis de nido volantibus comparantur; quia primum necesse est, vt & vitia, & ipsas materias vitiorum fugiant, & sic in nido disciplinæ, & postmodum in nido sapientiæ plumescentes, de inferioribus ad altiora, de humanis ad diuina, de terrenis ad cœlestia transcendant. Iam verò, quia multos de Moabitica vanitate, & voluptate conuersos, non solum regulari disciplinâ, sed etiam in contemplatione diuinâ perfectos, multorum vidit saluti Isa. 16. 3. profecturos, ipsos alloquitur sermo diuinus. *Ini consilium, coge concilium, pone sicut noctem vmbram tuam in meridiem:* ac si diceret. O Moab, iam conuersus in Israël, qui hactenus in nido disciplinæ pristina vitiâ & errores deposuisti, & in nido sapientiæ, inter virtutes ac scripturarum delicias, quasi in abscondito vultûs mei latuisti, surge, egredere, vola, discurre, vt qui hactenus audisti, deinceps dicas. Veni. Sed quia adhuc in E exterioribus minus es exercitatus, Ini consilium, id est discretionis disce virtutem, & sic coge concilium, multos videlicet colligens ad salutem, ad multorum profectum, qui cum Elia, sub vmbra iuniperi, Angelico delectaris colloquio, vbi omnia opera tua quasi in nocte celebrantur. 3. Reg. 19. 5. *Educ quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, vt luceat lux tua coram hominibus, & videant opera tua bona, & glorificent patrem tuum qui in cœlis est.* Ps. 36. 6. Matth. 5. 16. Eia fratres mei, diligenter attendite quibus gradibus ad curam ascendendum est pastoralem, vt faciliùs humani generis pestem, dominandi scilicet libidinem caueatis, magisque tuti velitis, vt dicitur, consistere in imo, quam periclitari in summo.

Ac primùm nolite æmulari in malignantibus, qui cum sint fornicatores, adulteri, molles, masculorum concubitores, imprudenter & irreuerenter ascendunt cubile patris sui, & maculant stratum eius, thalamum F Christi vertentes in prostibulum, & sanguinem eius adeo conculcantes, vt pretium eius non solum in vana & noxia, sed quod horribile dictu etiam in mercedem turpitudinis deposito pudore profligent. Nolite æmulari in talibus, licet prosperentur in viis suis, quoniam Ps. 36. 2. *tanquam fœnum velociter arescent*, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Qui enim inutilem seruum iubet proiici in tenebras exteriores; quid faciet de indigno, de impudenti, de pestilenti, de se in cathedra turpiter ingerenti? Sed his omissis, notate viam, quam nobis sermo Propheticus describit. Primum est, vt homo fugiens mundum, & vitia cuncta declinans, à seculi actibus se faciat alienum. Deinde omni obedientia se subdat maiori, & quicquid se meminerit deliquisse, in fame & siti, in vigiliis & laboribus, in paupertate & nuditate purget & puniat; & sic consuetudini consuetudine, pessimæ videlicet optima succedente, in nido disciplinæ virtutum alas obtineat, quia nunquam bene potest præesse, qui priùs subesse non didicerit. Sic igitur purgatus à vitiis, ornatusque virtuti- G bus, ad indagationem transeat scripturarum, vt sicut est informatus ad vitam, ita quoque illuminetur ad scientiam: cumque didicerit in scripturis omne quod viuit & sapit, ad Dei dilectionem referre & proximi, duabus pennis, scientiæ scilicet & charitatis subuectus, ad montem contemplationis conscendens, discat secundum exemplar tabernaculi cœlestis, terreni huius tabernaculi formare structuram; audiatque cum Moyse. Vide omnia; *fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. 40. Est igitur primus gradus conuersionis, secundus purgationis, tertius virtutis, quartus scientiæ, quintus contemplationis, sextus charitatis. Hi sunt fortè sex illi gradus in throno Salomonis [4] sicut Salomon loquitur, *Thronum sibi fecit Rex Salomon, &c.* 3 Reg. 10. 18. & 19. Et vt sapienti demus occasionem, vt sapientior fiat, Thronus Salomonis apertè dicitur Cathedra sacerdotalis, ad quam si quis sine his gradibus nititur, non tam sessurus quam ruiturus ascendit.

H Vtrum autem duodecim leunculi illius magni leonis de tribu Iuda, duodecim filii de quibus dicit. *Non possunt filii sponsi ieiunare quandiu cum ipsis est sponsus;* Vtrum etiam aurum sapientiæ, æternitati rotunditas, fini posteriora duæ manus duplici charitatis actioni, possint conuenientissime coaptari, vestris meditationibus discutiendum relinquo. Sequitur, *fugientes absconde, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatoris.* Isa. 16. 3. & 4. Moab sic conuersum, sic mutatum, sic purgatum à vitiis, sic adornatum virtutibus, sic ad sublime promotum, sermo diuinus alloquitur, mandans ei facere, quod cum, gratiâ comitante, præuiderat esse facturum. Sic enim ipsum fugientem oportuit ab aliis abscondi, ita dignum est, vt ipse iam alios fugientes abscondat. Et sicut ipse cum vagus adhuc esset, ab his, à quibus susceptus est, non est proditus, ita ei conuenienter imperatur vagos, quos ipse susceperit, persequentibus non exponere. Fugien-

tes

A tes igitur fornicationem secundum Apostolum, necesse est vt abscondantur, & qui adhuc vagi & instabiles corde sunt, & ad vitia proni, cauendum est ne facile malis doctoribus, vel vitiorum incentoribus prodantur. Eia fratres mei, venientes nouiter de sæculo alij idiotæ sunt, & simplices, alij docti & subtiles, alij vitiorum pessimâ consuetudine [5] obligati, alij licet peccatores, ab omni tamen crimine alieni, alij assueti delicijs, alij dura conuersatione attriti, alij otiosi, alij laboriosi, & alij talis naturæ, vt vix ad libidinem moueantur, alij tales vt modicâ occasione tententur, alij naturali conspersione iracundi, alij naturaliter mansueti. Considerare proinde, & diligenter explorare oportet singulorum, à sæculo fugientium, qualitatem atque naturam; quid magis possit obesse vni, quid alteri, quo insuper quis spiritu teneatur, quo agitetur affectu, sicque prouidere, vt siue à vitiis, siue à dæmonibus, siue à sui ipsius vel naturâ, vel corruptione, vel affectu, vel consuetudine, siue ab alicuius hominis societate, vel sug-B gestione, vel exemplo impugnetur, congruum singulis præbeatur latibulum.

Alij abscondendi sunt ab omni exteriori occupatione, alij à quorundam familiaritate & cohabitatione, alij sub vmbra silentij, ab ira & indignatione vtiliter absconduntur, alij sub victûs paupertate, à naturalibus incentiuis salubriter proteguntur, alij laborum & vigiliarum vmbrâ, à cordis peruagatione, & spiritûs instabilitate absconduntur, alij psalmis & orationibus, meditatione & lectione, à spirituum immundorum insidiis defenduntur. Ait ergo, *fugientes absconde, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei Moab. Esto latibulum eorum à facie vastatorum.* Vastator est spiritus fornicationis; vastator [6] superbiæ dæmon, vastator incentiuum gulæ, vastator auaritiæ æstus, iræ impetus, tristitiæ languor, inuidiæ pestis, fastus ambitionis. Fugientibus itaque huiusmodi vastatores Moab, salubre præstat latibulum, quando prælatus quisque quondam Moab, sed postmodum Israël, singula virtutum exercitia C vitiis singulis, quibus sibi subditi impugnantur, opponit. Quod autem sequitur, *finitus est puluis, consumptus est miser, &c.* sermone, quem ante hunc vobiscum habuimus super ipso vitiorum principe, exposita sunt. In morali autem expositione, nihil aliud dicendum occurrit, nisi fortè per puluerem peccata, quæ ex incuria, vel cordis peruagatione, vel exteriorum occupatione contrahimus, velimus intelligi: per miserum ea, in quæ per carnis huius corruptibilis legem, quæ nos miseros facit, incidimus, per eum qui conculcat terram, facinora, vel flagitia quæ totum hominem, terram videlicet infructuosam ita conculcant, & omnino conterunt, vt instar areæ post trituram, ab omni spiritali humore frugumque suauitate, sterilem eam reddant & vacuam. Cum igitur iste puluis per humilem conuersationem fuerit finitus, & carnis huius naturalis quidem, sed fere intolerabilis feruor fuerit vigiliis, & ieiuniis laboribusque consumptus, & dignâ cordis contritione, & oris confessione, & operis satisfactione flagitia, vel fa-D cinora commissa defecerint, tunc certè istis taliter fugientibus & latentibus, præparabitur solium Christi in misericordia, in quo sedet in tabernaculo Dauid, id est in Ecclesia, quæ adhuc peregrinatur in terra, in qua *misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Ibi etiam iudicat & quærit iudicium, iudicans eos, qui seipsos non iudicant, & quærens de nobis iudicium nostrum, ne compellamur sentire suum, quia ipse reddet velociter quod iustum est, retribuens vnicuique secundum opera sua, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Quæ mutuans sibi alas columbæ. C. Cam. Quæ *mutuatus* sibi *alas* columbæ.
2. Æque & in die C. Can. Æque *vt* in die.
3. Nullo modo sortiuntur. C. Cam. *Nullatenus sortiuntur.*
4. Sicut Salomon loquitur. C. Cam. Sicut *sacra Scriptura* loquitur. E
5. Obligati alij talis naturæ. Cod. Cam. Obligati, *alij licet peccatores*, & quod deinceps vsque ad, *alij talis naturæ.*
6. Superbiæ dæmon. Fugientibus itaque. C. Cam. Superbiæ dæmon, *vastator incentiuum gulæ*, & quod sequitur vsque ad, *fugientibus itaque.*

SERMO VIGESIMVS-NONVS.

HActenus de his, qui Moabiticæ sapientiæ & vanitati renuntiantes, Christi iugum suaue, & onus leue philosophicæ superbiæ prætulerunt, Sanctus Isaias oraculum texuit; nunc contra eos, qui propriâ superbia excæcati, in erroris sui tenebris perdurauerunt, sententiam dirigit propheralem. Ait ergo, *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde.* Is. 16. 6. Quid Philosophis illis superbius, qui ad ea, quæ de Christo diuina creduntur, quasi ad cœlum ascendere non valentes: ea verò, quæ de humanitate eius asseruntur, quasi vile ali- F quid & terrenum dedignantes, in ventoso hoc aëre, inter cœlum & terram, socij dæmonum pependerunt. Quid illis superbius, qui dicentes se sapientes esse, veram sapientiam contempserunt, elati, inflati, [1] vultu irreligiosi, cultu superstitiosi? *Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius.* Is. 16. 6. Tria quædam proposuit, superbiam, arrogantiam, indignationem. Superbia in corde, arrogantia in sermone, indignatio in actu notatur. Superbia arrogantiam parit, arrogantia indignationem. Ex superbia processit contemptus Christi, ex arrogantia blasphemia in Christum, ex indignatione disputatio contra [2] Christum. Quid Porphyrio superbius, qui Propheticæ, Apostolicæque doctrinæ, suam sapientiam prætulit? Quid arrogantius eo, qui Christianam doctrinam dialecticis argumentis, se euersurum iactitauit? Quid indignantius, qui literis, verbis, maledictis simplicitatem Christianam insectabatur, & quos subuertere non potuit, infa- G mauit? In his autem nihil proficientibus Philosophis, quia nihil poterant, irascebantur, dentibus suis fremebant, & tabescebant, & adinuicem dolebant, & murmurabant. Et hoc est quod sequitur. *Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus vlulauit.* Isa. 16. 7. De hoc vlulatu latiùs disputauimus super loco vbi scriptum est, *Propter hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.* Isa. 15. 4. Vniuersus Moab vlulat ad vniuersum, contra bonum pessimus, contra conuersum auersus, contra humilem [3] superbus. Vel adinuicem vniuersa illa nequam societas vlulat, non valentes resistere fidei, & sequi non volentes. Potest præterea per hunc vlulatum, dolor ille significari, quem illos in æterno igne esse passuros non dubitamus.

Vnde Propheta sanctos Prædicatores alloquitur dicens. *His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas eius.* Isa. 16. 10. O Prædicatores mei, *loquimini plagam Moab, si fortè videant, & intelligant, & conuertantur & sanem eos.* Loquimini autem his maximè, qui lætantur H super muros cocti lateris. Filij Adam quondam discedentes ab Oriente, in campo Sennaar turrim inchoarunt, cuius altitudo ad cœlum pertingens, diluuij, si Gen. 11. 1. & seqq. forte iterum demersisset, arceret periculum. Habebant autem lateres pro lapidibus, & pro cæmento bitumen. Pharao quoque filios Israël, quos durâ seruitute premebat, lateritiis muris vrbes ædificare coëgit. At Sa- Exod. 5. 7. & seqq. lomon ex pretiosis lapidibus templum instruit, sic quadratis, sic politis, sic complanatis, sic sibi inuicem con- 3. Reg. 6. 7. formatis, vt cum parietibus insererentur, nec auditus sit in templo aut malleus tundens, aut securis incidens. Reuocate nunc oculos vestros charissimi ad lapides illos viuos, quos cæmentarij Salomonis, nostri scilicet Doctores & Pastores Ecclesiæ, in hoc atrio illius Ierusalem cœlestis, & correptionibus tundunt, & verberibus incidunt, & doctrina complanant, & moribus sibi ac fide conformant, & virtutibus quadrant, vt de

A imis ad superiora translati, illius templi sacris parietibus
Ps. 64. 6. inferantur, de quo cecinit sanctus Dauid. *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.* Hi structores super huiusmodi lapidibus iucundantur, & in eorum, quos cœlo prospiciunt inferendos, plurimum delectantur profectu. Porro errorum magistri, qui à vero recedentes oriente, in campo Sennaar, quod interpretatur fœtor eorum, quasi in lata via illa, quæ ducit ad mortem, in qua luxuria fœtet, superbiæ erigunt turrim, lateres quærunt, qui de molli luto compacti in igne durantur, habentes quidem lapidum similitudinem, sed virtutem ignorantes. Talia sunt lutea corda carnalium, quæ peccandi consuetudine, & mentis obstinatione durantur, replentes sagittas acutas, quibus ad debellandas vrbes Moabiticas Christi milites armantur.

Exod. 5. 6. & seqq. De huiusmodi lateribus Pharao vrbes construit, & filios Israël, quos in seruitutem redegerit, in luto & paleis desudare compellit. De talibus etiam lateribus sapientes huius sæculi, & peruersorum dogmatum assertores,
B contra Christi Ecclesiam murum erexerunt, creantes sibi discipulos, qui & errorem defenderent obstinatiùs, & ea, quæ obijcerentur, subtiliùs propulsarent. Super itaque cocti lateris murum lætantur ipsi, qui erigunt, quibus optimum est, vt sancti Prædicatores ipsius muri ruinam plagasque loquantur, vt timore corrigantur, qui securitate nimiâ periclitabantur. Ait
Isa. 16. 7 & seqq. ergo Propheta; *His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas eius, quoniam suburbana Hesebon deserta erunt, & vinea Sabama.* Hesebon interpretatur [4] cogitationes. Significat itaque Hesebon, vt mihi videtur sectam Philosophorum, quam miro studio, anxiisque cogitationibus condiderunt, in quam plures consensu vnanimi conuenientes, quasi vrbem, dialecticis argumentis, velut muris turribúsque munitam, aduersus aliter sentientes construxerunt. Vnaquæque autem secta proprias scholas, quasi vrbium suburbana creauit, quibus se discipuli plurimi tradentes, instar
Deut. C 32. 32. & 33. vineæ dilatati sunt. Sed de vinea Sodomorum, vinea eorum & de suburbanis Gomorrhæ, vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum. Quod ex eorum erroribus, quasi vuis pessimis expressum, multorum inebriauit corda mortalium, & sensum alienauit. Conuenienter autem dicitur vinea Sabama, quod interpretatur tolleris altitudinem, inflatilem illam scientiam exprimens, de qua dicit Apo-
1. Cor 8. 1 Cor. 1. 27. stolus, *Scientia* [5] *inflat.* Hanc namque scientiam attollebant aduersus scientiam Dei, sed *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.*

Hi sunt Domini Gentium, à quibus pessimæ vineæ sunt excisa flagella, sicut subiungitur, *Domini Gentium exciderunt flagella eius.* Hos Gentium dominos Prophe-
Ps. 1. 38. 17. ta conspexit, eorúmque principatum admirans, *Mihi* (ait) *nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Hi desertas fecerunt Philosophorum scholas, euerterunt sectas discipulorum eorum, quasi vineæ illius flagella verbi Dei gladio suc-
D ciderunt, & quod magis mirandum est, *vsque Iaser peruenerunt*, quod interpretatur fortitudo eorum. Quoniam enim non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos
1. Cor. 1. 21 & 22. & 23. facere credentes. Quoniam & *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam requirunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Agamus ergo gratias Domino Deo nostro, fratres, qui per verbum Crucis, quod parentibus stultitia est, stultam fecit sapientiam huius mundi, & omnem doctrinam nequam, & argumentorum vim, in qua ipsius erat maxima fortitudo, Christianæ fidei simplicitate subuertit. Vbi famosa illa Academia, in qua Socratici & Platonici gloriantes, eam quasi ipsum diuinæ sapientiæ fontem mirabantur? Vbi secta illa Peripatetica, vbi Epicurea dogmata, vbi Stoicorum tunc plurimis accepta scientia? Contemnuntur omnia, deseruntur, exsufflantur, & ad piscatorum simplicem do-

ctrinam, Crucisque stultitiam, de terrarum orbe concurritur. E

Sequitur, *Errauerunt in deserto.* De flagellis vineæ hoc dictum puto, errorum scilicet discipulis, qui videntes vbique sapientiam deseri sæcularem, per diuersas Philosophorum sectas cogitatione; & animo discurrente, quasi per deuia quæque errantes, quam fugerent, quam tenerent, quam defenderent, nesciebant. Sed Domini *Gentium, sicut subsequenter ostenditur, transierunt mare,* quia non solum mundi huius sapientes, sed Ps. 106. 23. etiam ad omnes Gentes, quæ maris nomine figurantur transeuntes, Christi eas iugo, & doctrinæ Euangelicæ subdiderunt. Ipsi quippe descenderunt mare in nauibus, & facientes operationes in aquis multis, id est miracula in Gentium populis, viderunt opera Domini, quails, videlicet in Gentium conuersione, mutatio fuerit dexteræ excelsi, & mirabilia eius in profundo, quibus tenebrosis hominum cordibus, ipsis foris plantantibus & rigantibus, interiùs incrementum præstiterit gratia Christi. Eia fratres charissimi, quam multi F Sanctorum cernentes tantam ingenij subtilitatem, tantam in rebus humanis, & diuinis sensûs viuacitatem perditum iri, qua pietate commoti sunt, [6] qua compassione soluti, quot pro eis fuderunt lacrymas misericordiâ affecti? Verùm hanc affectionem operari in eis Spiritum sanctum quis dubitet? Hoc est quod per sanctum Isaiam ipse prosequitur dicens, *Super hoc plorabo in fletu Iaser, vinea Sabama. Quid oremus* (ait Paulus) *sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus gemitibus inenarrabilibus interpellat pro nobis.* Dicitur itaque plorare Isa. 16. 9. Rom. 8. 26. Spiritus sanctus Iaser, id est, vim & fortitudinem scientiæ sæcularis, & vineam Sabama, errantium scilicet multitudinem, qui Sanctos ob desiderium salutis eorum, vel ob perditionis illorum dolorem, gementes facit, & flentes, quamuis ipse Propheta, vel in suam, vel in Sanctorum personam, hoc dixisse potuerit. Vnde sequitur, *Inebriabo te lacrymâ mea Hesebon, & Eleale.*

Lacrymâ dixit, id est lacrymis, singularem numerum ponens pro plurali, sicut est illud in psalmo, *dixit & venit locusta & bruchus.* Itaque ploratu, fletu, lacrymisque Sanctorum illi inebriantur, qui luctu precibusque G Ps. 104. 34. Ps. 3. 13. eorum, ab errore, vitiisque conuersi, & salubri quadam mentis alienatione, quæ retro sunt obliuiscentes, & se in ea, quæ antè sunt extendentes, deficiunt ab eo quod erant, & incipiunt esse quod non erant. Hæc ebrietas spiritalis in cogitationibus fit, quibus mens de imis ad superiora, ad virtutes de vitiis quodam spiritûs feruore conscendit. Hesebon quippe cogitationes, Eleale verò ascensio interpretatur, cogitationibus enim ascendimus, & descendimus. Descendimus recordatione in imaginationem imaginatione in delectationem, delectatione in consensum, consensu in actum; cui cum sese mens consuetudine vitiosa subdiderit, turbatur & mouetur vt ebrius, & eius omnis honestas deuoratur. Si enim primum cogitationes vestras sanctificauerit spiritus, & sacra eius inspiratione mens, quasi ex spiritali quadam seminis infusione, Dei timorem conceperit, inde ascendet ad pietatem, de pietate ad scientiam, de H scientia ad fortitudinem, inde ad consilium, & sic ad intellectum, vt tandem ad sapientiam perueniens inebrietur ab vbertate domûs Dei, & torrente voluptatis eius potetur. Vnde autem ebrietas ista prouenerit, manifestat eum subiungit, *Quoniam super vindemiam tuam,* Ps. 35. 9. *& super messem tuam, vox calcantium irruit.* Vindemia & messis idem significant. Habes Dominum in Euangelio ad discipulos suos loquentem, *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis* Luc 10. 2. *vt mittat operarios in messem suam.* Istorum operariorum vox super vindemiam, & super messem Moab irruit, quando Apostolica, Euangelicáque prædicatio, multos de sæcularis sapientiæ sectatoribus discipulos collegit. Hi sunt vuæ spirituales, quas torculari passionis premendas, vel fruges quas in area persecutionis terendas, & à paleis corporum exuendas, de agro, vel vinea Domini Gentium, sancti videlicet Apostoli collegerunt.

A
Luc. 10. 19.
Psal. 90. 13.

Qui profectò calcantes dicuntur, ob illam specialem calcandi virtutem, de qua Dominus in Euangelio, *Ecce* (inquit) *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones.* Vnde & cuilibet sancto, atque perfecto dicit Propheta, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem* [7] *& draconem.*

Possunt & ideo calcantes vocari, quia quos ad fidem conuertunt, humiles faciunt, & patientes, adeo vt se conculcari & abiici, torqueri & irrideri à mundi huius amatoribus, cum mentis tranquillitate sustineant. Horum sæpe precibus & lacrymis, magistri errorum, hi scilicet qui lætantur super muros cocti lateris, à Dei spiritu visitati atque compuncti, salutari quodam mentis excessu ebriantur; vel certè ob tantorum amissionem sociorum, in lacrymas resoluti, tristitiâ intolerabili & doloris immanitate, in quandam amentiam vertuntur. Sequitur, *Et auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo.*

Isa. 16. 10.

Carmelus mons est, & interpretatur Circumcisio. Est autem Circumcisio carnalis, Circumcisio sensualis, Circumcisio spiritualis. Circumcisio carnalis est Iudæorum, Circumcisio sensualis Philosophorum, siue Hæreticorum, Circumcisio spiritualis Christianorum. Iudæis vnum membrum purgabatur, Philosophus omnium sensuum munditiâ gloriabatur, Christianus ab omni inquinamento carnis emundabatur. Itaque Philosophorum Circumcisio monti comparatur, propter mentis elationem, quorum mira abstinentia, vel spectata continentia, mundanæ vanitati militabat; omnia enim faciebant, vt viderentur ab hominibus. Duplici autem gaudio in illa sua continentia fruebantur, quia & interius sibi placentes, in seipsis, non in Deo gloriabantur; & foris laudes hominum aucupantes, in eorum æstimatione delectabantur; sed prædicantibus Christi Discipulis, lætitia & exultatio ablata est a Carmelo, quia tota illa eorum superstitio cœpit esse contemptui, vnde illa exterior lætitia, non habens cui inniteretur, euanuit, & interior exultatio, desiderato fructu destituta elanguit. *Et in vineis non exultabit, neque iubilabit.*

B

C

Eadem est repetita sententia, nisi quod expressum est, hanc eorum exultationem siue iubilum, in vineis maximè personasse; in multitudine namque discipulorum positi, de contemptu mundi, de voluptatis dedecore, de corporis castigatione magnificè disputabant, & inter disputandum, vanissimè tumebant, & mirantibus, laudantibúsque auditoribus quæ dicebantur, & interiori iubilo, & exteriori typo iocundabantur, quæ omnia tubâ Euangelicâ personante sublata sunt.

Isa. 16. 10.

Ait ergo de Moab, *In vineis non exultabit, neque iubilabit.* Et addidit, *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat.* Illi enim de Moab, qui in sapientiæ suæ torcularibus ad hoc desudabant, vt ab auditoribus eorum exprimeretur vinum perfidiæ, de quo scriptum est, *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

Deut 32. 33.

In illa vinea iam non operantur, quam à pessimis magistris ereptam, paterfamilias optimis iam commisit agricolis, vt reddant ei fructum temporibus suis. *Vocem calcantium abstuli.* Metaphoram prosequitur. Vindemiantes, siue calcantes, siue etiam metentes, cum frugum, siue vuarum arriserit copia, solent cum magna alacritate gestire atque cantare, & interiorem lætitiam voce, plausu, saltu etiam, & diuersa membrorum sinuatione exprimere. At vbi succisa, vel direpta ab hostibus, vel grandinata aut incensa fulminibus fuerit vinea, aut ager depopulatus, rarus messor, vel vindemiator apparet, & vix inueniens quod colligat, demisso capite, facie squalidâ, mœrens & flens incedit. Ita ergo errorum magistri, qui collectis vndique discipulis, in eorum multitudine, quasi in vinea sterili gloriabantur, buccis crepitantibus, & multifariâ vanitate gestientibus, ab eis fidem dictorum exigebant quasi ex vuis præmaturis, vinum perfidiæ exprimentes: Apostolis vero, Apostolorumque successoribus Dei Euangelium prædicantibus, cum eis iam vel nullus, vel rarus esset auditor, & præ dolore mœrebant, & tacebant præ pudore. Gratias agamus fratres Domino Deo nostro, qui stultam fecit sapientiam huius mundi, & simplicitate piscatorum, prudentiam & sublimitatem euacuauit Philosophorum, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

E

VARIÆ LECTIONES.

1. Vultu irreligiosi. C. Cam. *Vita* irreligiosi.
2. Christum. In his autem. C. Cam. Christum. *Quid Porphyrio,* & reliqua vsque ad, *In his autem.*
3. Superbus. Potest præterea. Cod. Cam. Superbus; *vel ad inuicem conuersa,* & cætera vsque ad, *Potest præterea.*
4. Cogitationes. Conuenienter autem. C. Cam. Cogitationes. *Significat itaque,* & reliqua vsque ad, *Conuenienter autem.*
5. Inflat. Sequitur. C. Cam. Inflat. *Hanc namque scientiam,* & quæ sequuntur vsque ad, *Sequitur, Errauerunt.*
6. Quam compassione soluti, quot pro eis fuderunt lachrymas misericordia affecti? C. Cam. *Qua compassione soluti, qua misericordia affecti, quot pro eis fuderunt lachrymas?*
7. Et draconem. Sequitur. Cod. Cam. Et draconem. *Possunt & ideo,* & cætera vsque ad, *Sequitur, Et auferetur.*

F

SERMO TRIGESIMVS.

Isa. 16. 4.

Ea fratres, de quibus hesterna die allegoricè disputauimus, hodie moraliter exponendo repetimus. Dixerat de his, qui de vitiis ad Christum conuersi, proficiunt in virum perfectum, quantum aliis, à simili vanitate conuersis, solebant præstare solatij, *Habitabunt apud te* (inquiens) *profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatoris.* Et ecce plerosque respiciens, pro collata sibi gratiâ superbire, ignorantes Dei iustitiam, in se, non in Domino gloriari, & suas arroganter iactitare virtutes, præsumptionem illorum satis eleganti exprobatu deridens, *Audiuimus* (inquit) *superbiam Moab, superbus est valde.*

G

Isa. 16. 6.

Vtinam fratres, vtinam non inueniamus tales, qui in Eliud verba quotidie prorumpentes, quicquid videntur acquisiſſe virtutis, iactitando profligant. Promittunt magna, fortia quæque proponunt, ambulant in magnis, & in mirabilibus super se, nihil sibi in operibus graue, nihil in scripturis obscurum, nihil in actu difficile, ore tumido prosequentes, de quibus Propheta subiungit, *Superbia Moab, & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam fortitudo eius.* Optimè. Non æqua, arrogans sermonibus opera, nec præsumptionem spiritus, qua tumet interius, nec linguam magniloquam, qua semetipsum laudat exterius, nec typum, quo cæteris, velut inferioribus indignans, se contendit cunctis euolasse superius, aliqua sequitur in sanctis operibus fortitudo. *Idcirco vlulabit Moab ad Moab.*

Isa. 16. 7.

H

Ecce habes Moab, & Moab. Moab cui dicetur. *Habitabunt apud te profugi mei Moab;* & Moab, de quo dicitur. *Audiuimus superbiam Moab.* Primus humilis, alter superbus; primus de se præsumens, alter quicquid est Deo tribuens; primus opera sua vento vanitatis dispergens, secundus omnia bona sua, in propriæ conscientiæ thesauro recondens; primus omnia faciens, vt videatur ab hominibus, secundus vt solius Dei placeat obtutibus. Primus igitur Moab vlulat ad secundum, quando ob superbiæ vitium in turpia quæque demersus, suum illi [1] cum dolore confitetur errorem. Vlulat secundus ad primum, quando eius plangens ruinam, suis eum gemitibus, monitisque prouocat ad pœnitentiam. Ita vniuersus vlulat Moab, bonus & malus, humilis & superbus, conuersus & auersus.

Math. 6. 23.

Igitur fratres, non statim est eius laudanda conuersatio, cuius ignoratur intentio, quia *si oculus tuus ne-*

A *quam fuerit, totum reliquum corpus tenebrosum erit.* Quocirca Propheta sanctus, eorum compescit lætitiam, qui parum discrete arrogantes, quosque magnificant, nimia quæ de se ipsi iactitant, vera esse credentes; iubens eis, qui saniore iudicio ista diiudicant, vt eis, quanta mala sunt arrogantibus ventura denuntient, *His* (inquiens) *qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas eius.* Murum cocti lateris, superborum, & arrogantium interioris hominis statum appellat, qui non ex quadratis lapidibus, id est veris virtutibus compactus, stabile fundamentum sortitur, sed ex luto sordidæ intentionis, falsis, simulatisque virtutibus, cupiditatis igne duratus, præfert quidem speciem pietatis, sed virtutem eius ignorat. Lutum est aurum, lutum est argentum, lutum est cuiuslibet voluptatis expletio, lutum de homine hominis æstimatio: lutea proinde omnis, quæ circa hæc versatur cogitatio, lutea omnis, quæ ad hæc tendit intentio. Format tamen de his omnibus arrogans cogitationes in corde, coaceruat bonorum, voluptatum, di-
B uitiarum imagines, quibus cum se voluntas, intentióque tradiderit, omnia opera sua facit, vt videatur ab hominibus, ipsásque virtutum similitudines, quibus nititur adipisci quod optat, ita desideriorum igne decoquit & obdurat, vt dura simul & aspera, ob pessimi huius finis considerationem, sibi videantur esse facillima. Fiunt tales ad vigilias cæteris promptiores, ad opera manuum paratiores, vultu cunctis seueriores, grauiores in verbis, in ieiuniis feruentiores. Indignantur infirmis, simplicibus detrahunt, tam magna, fortiáque loquuntur, vt his, qui minus sunt in his exercitati, omnibus eos æstiment sanctiores. Hi sunt qui lætantur super muros cocti lateris, quibus annuntiandæ sunt plagæ Moab. Sed iam ipsas plagas audiamus.

Isa. 16. 8. *Quoniam suburbana Hesebon deserta erunt, & vineam Sabama Domini Gentium exciderunt.* Hesebon significat cogitationes, Sabama attollens altitudinem. Hæ sunt cogitationes, de quibus luteus ille murus compingitur, in quo innumerabilium affectionum euacerbantur ima-
C gines. Est autem quasi vrbs, ipsa, quæ de his cogitationibus, vel affectionibus formatur, intentio; suburbana, ipsa, quæ secundum hanc intentionem fiunt, virtutes & opera; quæ profectu in superbo quolibet, Dei adiutorio præsidioque deserta, etiam speciem boni, qua velata videbantur, amittent. Sæpe enim cum superbus suâ spe frustratus, suæ caruit cupiditatis affectu, non se valens vlteriùs continere, in manifestam prorumpit nequitiam, patitúrque quod per alium Prophetam, tali animæ Do-
Ezech. 16. 37. minus comminatur, *Ecce ego nudabo te, & apparebit ignominia tua.* Deserta igitur erunt suburbana Hesebon, deserta & vinea Sabama. Plures in Scriptura sacra legimus diuersa esse genera vini. Est quippe vinum dilectio-
Gen. 9. 21. 22. & 24. nis quo sanctus Noe debriatus, in figura Domini Saluatoris, abscondit fortia, & nudauit infirma, dormiens irridetur, vigilans illatam sibi iniuriam vlciscitur. Est vi-
Gen. 19. 32. num exultationis, quo inebriatus est [2] Loth, adeo quod Sodomitana euadens incendia, furtiuo maculatur
Gen. 43. 34. incendio. Est præterea vinum sapientiæ salutaris, quo
D fratres Ioseph meridie debriabantur, quæ de vinea Scripturarum expressa, vniuersam lætificat ciuitatem Dei.
Thren. 3. 15. Habes & vinum amaritudinis, de quo Ieremias, *Inebriauit me* (inquit) *amaritudine inimicus meus.* Porro de
Deut. 32. 23. vino libidinis Scriptura non tacet, dicente Moyse, *De vinea Sodomorum, vinea eorum, &c.* Sed & vinum com-
Ps. 59. 5. punctionis Psalmista commemorat, *Ostendisti* (inquiens) *populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Est postremò vinum doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ, vinum profecto nouum, quod ab apotheca cœlesti in Apostolorum corda descendens, per vniuersum orbem germinat virgines, & corda fidelium desiderii perfectionis inebriat.

Itaque superbus quis, vel arrogans, ad vineam Scripturarum accedens, & inde diuersarum sententiarum transferens plantas, in agro sui collocat cordis, & multis meditationibus colens, vineam sibi creat instabilis cuiusdam scientiæ, ex qua vinum sibi exprimens, quærit

E cui proferat spiritum suum, & ostendat sapientiam suam. Vnde non immerito vinea hæc, vinea dicitur Sabama, id est extollens altitudinem. Quicquid enim altum sapit, qui eiusmodi est, non quiescit spiritus eius, donec efferatur in publicum, ita vt modo quodam loquendi, & typo, nutibusque oculorum proclamare videatur, *En venter meus quasi mustum absque spiraculo,* Iob 32. 19.
quod lagunculas nouas dirumpit. Sed vinea hæc deseritur, quando superbus fructu, quem de sua sperabat scientiâ, destitutus, & opera fastidit, & studium negligit, & ita tota eius doctrina marcescit. Sequitur, *Domini Gentium exciderunt flagella eius.* Principes Gentium aduersarias legimus fortitudines, vnde in Daniele Principem regni Persarum, Principem etiam regni Græcorum. Sicut igi- Dan. 10. 20.
tur spiritus illi nequam Gentibus illis, ob quædam fortè vitia, in quibus eas suis suggestionibus maculari maximè delectantur, earum dominos vel principes esse scribuntur: ita fortè etiam alij spiritus aliarum gentium, antequam Domini Saluatoris fidem susciperent, verbi
F gratia Græcorum, Gallorum, Germanorum se Dominos, ac principes gloriabantur. Huiusmodi Gentium principes vel domini, exciderunt flagella vineæ Sabama, ramos videlicet, ex quibus botri procedunt, quando nequam spiritus meditationes, quibus ex vinea scientiæ scripturarum, vinum doctrinæ arrogans quilibet exprimere cõsueuit, falce suggestionum, immundarúmque cogitationum, ab animo superbientis excludit. Quia verò bonis affectionibus vel cogitationibus pessimis quibusque succedentibus, aliquando etiam fides ipsa turbatur, in quibus omnium virtutum fortitudo consistit, rectè subiungitur, *Vsque ad Iaser peruenerunt.* Iaser enim fortitudo eorum interpretatur. Cum enim nequam spiritus animam possederit captiuam, primum omnes virtutes excludit, & sic inserens vitia etiam ipsam fidem eius labefactare contendit.

Sequitur. *Errauerunt in deserto,* vbi erat vrbs & suburbana, vbi vinea, vbi Iaser, vbi desertum, locus scilicet omni virtute vacuus, omni humore charitatis arefactus.
G Et sicut transiens per desertum nec vineis, nec segetibus, nec dumibus, nec muris impedientibus, liberis gressibus huc illucque vagatur; ita erronei spiritus animam in qua fuerit vinea spiritalis excisa, & exclusis virtutibus fides ipsa turbata, quasi desertum locum, nullo obsistente, securi perambulant, & in quoslibet errores ebriam, & nutabundam præcipitant. De principibus ergo vel dominis Gentium, qui vineæ flagella succidunt, & vsque ad Iaser peruenerunt, rectè dicitur. *Errauerunt in deserto.* Et subiungitur, *Propagines eius relictæ sunt.* Metaphoram vineæ prosequens, non solum eam in solitudinem asserit esse redactam, sed & propagines eius, quæ alias transferri possent & transplantari, [3] asserit derelictas. Diximus superbum quemlibet, ex diuersis Scripturarum sententiis, quandam sibi in animo, instar vineæ, formare scientiam, quæ si fuerit spirituum nequam tentatione decisa, etiam propagines eius, sententiæ scilicet & meditationes; quibus poterat ipsa vinea reparari, à Dei gratiâ derelictæ depereunt. *Transierunt*
mare. Mare amaritudinem significat pœnitentiæ. Euenit H
autem vt post speciem sanctitatis, lapsus quis in barathrum turpitudinis, primum contristetur, ploret, expauescat, iudicet semetipsum & damnet, [4] erigat se supra se, iuret & statuat custodire iudicia iustitiæ Dei, nunquam se repetitum iri talia deliberet, ac protestetur. Deinde, cum vel illectus concupiscentiâ, vel præuentus errore, vel vi diabolicæ tentationis oppressus, nequitiam iterans vires dederit voluptati, minuitur affectus boni, materiæque adiectione crescit ignis malitiæ, donec victus consuetudine, desperationis incurrat abyssum, & sic præceps feratur in mortem; vt nec timore compungi, nec pudore confundi, nec aliquâ mentis amaritudine, à flagitiorum suorum possit turpitudine reuocari. De huiusmodi igitur affectibus hominis, & cogitationibus rectè dicitur, *Transierunt mare.* Et adiecit Prophe- Isa. 16. 9. Luc. 19. 41.
ta, *Super hoc plorabo in fletu Iazer, vineam Sabama.*

Vox Christi est loquentis in Isaia. Ipse est, qui *vi-*

A *dens ciuitatem Ierusalem, fleuit super eam, dicens. Quia si cognouisses & tu, quia venient dies in te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, &c.* Conuenit Euangelistæ Propheta. Videt quippe Iesus ciuitatem pollentem honoribus, affluentem diuitiis, deliciis luxuriantem, extolli superbiâ, dissolui lætitiâ; futuram eius calamitatem prospiciens plorat ridentem, plangit exultantem, gemitque, quæ sibi ventura fuerant, nescientem. Videt & Propheta animam suis in se virtutibus extollentem, & quanta sit in ea morum ruina postmodum futura prospiciens, tam in sua, quam in aliorum sanctorum persona, quibus hæc ipsa sæpe à Dei spiritu reuelantur, plorat compatiendo; & cum prius ipsas vitiorum plagas, quæ eis fuerant infligendæ, dinumerasset, *Super hoc* (inquit) *plorabo in fletu Iazer vineam Sabama.* Plorat duo Propheta, Iazer, & vineam [5] Sabama. Dixerat desertum iri vineam Sabama, Dominos quoque Gentium eius excidisse flagella, & peruenisse
B vsque ad Iazer: de quibus superius satis dictum est. Hæc gemitus huius Prophetici causa, de qua ait, *Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama.* Plorabat Iazer, id est tantam fortitudinem, qua prius mundo, sibi, dæmonique resistens anima, hominum iudicio [6] cæteris eminentior apparebat, vno superbiæ vitio deperisse. Plorabat & vineam Sabama, id est doctrinam, quæ multis poterat prodesse, si sub humilitatis vmbraculo seruaretur, iactantiæ sarculo decisam & redactam in solitudinem aruisse.

Sequitur. *Inebriabo te lacrymâ meâ* (inquit) *Hesebon, & Eleale.* Dolor vehemens multiplicat lacrymas, nec quicquam plangendum illamentatum relinquit. *Inebriabo te* (inquit) *lacrymâ mea Hesebon & Eleale.* Iste dolens, iste plorans, iste plangens inebriat. Euenit enim aliquando, vt plerique ob elationis morbum, in illicita quæque prolapsi, si sanctos quoslibet sua scelera detestantes, miseratione commotos perditionem suam, pietatis affectu viderint deplorare, ad semetipsos reuersi pœniteant de præteritis, & vino compunctionis de-
C briati, amaritudinem pro voluptate, laborem pro requie, lacrymas amplectantur pro risu. Sic ille thesaurorum pietatis & misericordiæ, qui Christi latebant in pectore, conscius, de discipulo furem, de Christiano latronem, post Ecclesiæ secreta mysteria perniciosissimum homicidam, inebriatus charitate etiam vsque ad secreta solitudinis insectatus, & ipsum inebriatum pœnitentiâ, membris Christi, à quibus fuerat auulsus, restituit. Alloquitur igitur Propheta Hesebon & Eleale, id est peruersi cuiuslibet cogitationem & elationem, vt sicut ipse inebriatus est charitate, propter eorum perditionem, ita ipse inebrietur compunctione.

Deinde doloris sui causam prosecutus adiunxit, *Quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.* Tempore messis & vindemiæ, annui laboris fructus percipiuntur. Calcantes nequam spiritus dicuntur, qui tempore, quo anima vanitate delusa, quæ omnia facit in superbia & hypocrisi, fructum se operum suorum percipere credit, superuenientes cum
D clamore irruunt in eam, & vinum, quod ob virtutum similitudinem, à sanctis Angelis regnis putabatur cœlestibus inferendum, ab ea, ad suam crudelitatem pascendam extorquent. *Et auferetur* (inquit) *lætitia & exulta-*
Isa. 16. 10. *tio de Carmelo.* Carmelus Circumcisionem significat, Circumcisio continentiam. Quicunque autem hominum æstimatione pascuntur, maxime solent de seruata castitate gestire, sed tempore messis & vindemiæ, cum omnia viderint, ob intentionis peruersitatem, merito carere virtutis, dolor & tristitia exultationi, lætitiæque succedunt. Vnde sequitur. *Et in vineis non exultabit, neque iubilabit.* Quis? Moab nimirum, qui in vineis scientiæ, de quibus superius satis egimus, & interius exultare, & exterius iubilare consueuerat. Et adiungit Propheta, *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat, vocem calcantium abstuli.* Hoc in loco calcantes, qui ex vuis vineæ huius vinum exprimere solebant, eos significat, qui ex scientiâ arrogantium aliquid sibi

E consueuerant mutuare, qui & cum ipsis doctoribus suis in ea gloriari, & quasi celeuma cantare dulce habebant. Itaque talibus magistris pereuntibus, omnia eorum gaudia, æterno damnanda silentio, Propheta minatur. Hæc succinctè fratres transcurrimus, vt omnia, quæ die hesternâ sub allegoricâ, vel Prophetica explanatione vno sermone enucleauimus, vno nihilominus sermone moraliter disserta, intelligibiliora redderemus. Reparemus nunc sensum silentio, & modicum id, quod de onere Moab restat inspiciendum, die crastinâ pertractemos, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Cum mœrore confitetur. Cod. Cam. Cum *dolore* confitetur.
2. Loth, adeo quod Sodo. eua. incen. fur. ma. incendio. C. Cam. Loth, *eo* quod Sodo. eua. incen. fur. ma. *incestu.* F
3. Asserit derelictas. Transierunt mare. C. Cam. Asserit derelictas. *Diximus superbum*, & reliqua vsque ad, *Transierunt mare.*
4. Erigat se supra se. C. Cam. Erigat se *contra* se.
5. Sabama. Plorabat Iazer. C. Cam. Sabama. *Dixerat desertum iri*, & cætera vsque ad, *Plorabat Iazer.*
6. Cæteris eminentior apparebat, vno. C. Cam. Cæteris *sublimior eminebat*, vno.

SERMO TRIGESIMVS-PRIMVS.

PRocessimus fratres in onere Moab vsque ad citharam, cui ventrem suum sanctus Isaias, vel qui [1] in eo loquitur Christus, credidit comparandum. *Super hoc* (inquit) *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Sermonis huius principium, cum illius est fine continuandum, quem de futurorum vaticinio nudiustertius vobiscum habuimus, vbi à mundi sapientibus, qui per Moab prophericè exprimuntur, Christi Euangelio coruscante, G ob multorum conuersionem, omnem diximus ablatam esse lætitiam. Et nunc *super hoc* (inquit) *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Vox Prophetæ est, vel Christi loquentis in Propheta. *Super* [2] *hoc* (inquit) quod dixi de Moab, de conuersione eius, de depressione eius, vel de damnatione eius, *Super* [3] *hoc* (inquit) *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Venter Christi sancta dici potest Ecclesia in ventre enim viscera continentur. Ibi cor, vitalem motum vniuerso corpori præstans; ibi hepar, calorem corporis nutriens, & vitalem sanguinem per omnia membra diffundens; ibi cætera intestina singula, singulis officiis ad nutrimentum corporis deputata. Ita in Ecclesia Dominus *ordinauit alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, quosdam autem Pastores, & Doctores in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* 1. Cor. 12. 28. In cithara quoque cum multæ sint chordæ, & vnaquæque proprium habeat sonum, ita tamen omnes H certis proportionibus & numerorum rationibus disponuntur, vt in vnam concordiam omnes conueniant, & pulcherrimus sonus fiat vnus de omnibus. Ita ergo, cum in Ecclesia Christi diuersi gradus, & diuersi sint ordines, diuersa insuper habeant dona virtutum, omnia tamen in vna charitate fundantur per quam vnum pulcherrimum sonum de multis virtutibus disputando componunt. Per ventrem etiam Dei, sacra Scriptura potest intelligi, in qua secreta ipsius, quasi in ventre viscera continentur. Ibi diuersæ sententiæ, præcepta diuersa, in vna fidei ratione conuenientes, dulcissimam quandam melodiam ad fidelium corda, simul ac aures emittunt.

Dicit ergo, *Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Super his omnibus, quæ dicta sunt contra Moab, id est contra sapientes mundi, sancta Ecclesia pulcherrimum & concordissimum sonum prædicationis emisit, nunc docendo, nunc monendo, nunc increpando, nunc blandiendo, nunc omnia dialecticæ artis

A argumenta, Philosophicæ scilicet sectæ firmamenta, quasi murum cocti lateris validissimus rationibus debellando. Quod enim ait. *Et viscera mea ad murum cocti lateris* eiusdem sententiæ est repetitio. Quia tamen superiùs exposuimus, Moab duobus modis dici, secundum quorundam videlicet conuersionem, & secundum quorundam auersionem, videtur exposuisse, de quo Moab locutus sit, illo nimirum, qui instar muri ad vocem Prædicatorum obdutuit. Ideo inquit, *Viscera mea sonabunt ad murum cocti lateris.* Habet præterea ventrem
Ier. 4. 19. sanctus quilibet spiritalem, sicut ait Ieremias, *Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei conturbati sunt.* Sicut ea, quæ ventris clauduntur ergastulo, ab omnium oculis, scientiáque celantur, sic nemo scit hominum quid agatur in homine, nisi conscientia ipsius hominis, quæ in ipso est. Felix anima, in qua, instar chordarum citharæ, omnia composita sunt & ordinata, vbi virtutes virtutibus conueniunt, & exterioribus interiora respondent. Sunt autem virtutes quasi chordæ spiri-
B tales, quæ inter duo ligna, superius scilicet & inferius extensæ, Crucis mysterium præfigurant. Prima omnium chorda Temperantia est, per quam homo mortificans membra sua, quæ sunt super terram omnia Christo configit. Hæc chorda profundo Crucis infixa est, vt inchoans à timore, grauem sonum compunctionis & confessionis emittat. Secunda Iustitia à parte superiori Crucem tangit, vt reddens vnicuique quod suum est, in acutissimam vocem charitatis erumpat. At chorda Prudentiæ in transuerso ligno Crucis, inter alias duas consistens, vnius subtilitatem, & alterius grauitatem, discretionis suaui sono contemperat. Porro chorda quarta fortitudo, longitudinem Crucis amplectitur, cæteris subsistendi præstans virtutem, & gratum patientiæ sonum emittens. Verum singulas has plures è latere virtutum chordæ comitantur, & in multarum chordarum diuersitatibus, certis spiritualium numerorum rationibus, in vnam harmoniam componunt.

C Moab igitur qui interpretatur de patre, sicut iam sæpe diximus, naturalem, quæ membris nostris inserta est, secundum leges tropologicas, corruptionem, vel eos, qui secundum eam viuunt, significat. Tunc proinde ad Moab venter Prophetæ instar citharæ sonat, quando aliquis perfectus, lubrico cuilibet virtutum concordiam suadet, & discordiam vitiorum, opponens frugalitatem luxuriæ, patientiam iræ, pudicitiam libidini, charitatem cupidini. Sed & vnusquisque nostrum, cum in se viderit Moab nefandum extollere caput, & membra omnia naturalis corruptelæ lege concurrere; tangat citharam, & stimulos eius meditatione, vel imitatione dominicæ passionis obtundat, & lateritium murum vitiorum, [4] qui in vsum consuetudinis obdu-
Isa. 16. 11 ruit, crucis virtute prosternat. Huic profectò vox ista conuenienter aptatur, *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris.* Hæc est
1. Reg. 16. 23. cithara Dauid, cuius sacratissimus sonus fugat dæmones, iram mitigat, extinguit libidinem. Felix, qui omnia interiora sua, quasi ventris viscera Cruci dedicat, vt ad-
D uersus carnis concupiscentias intonans, dicat cum Propheta, *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora*
Isa. 16. 12. *mea nomen sanctum eius.* Sequitur, *Et erit: cum apparuerit quod laborauit Moab in excelsis suis.* Tunc certe [5] apparuit quoniam frustra laborauit Moab, quando debellatis, à viris Ecclesiasticis, huius sæculi sapientibus, aliis conuersis, totus inanis & vacuus apparuit, imple-
1. Cor. 1. 20. & 19. to hoc quod scriptum est, *Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultitiam fecit Deus sapientiam huius mundi?* vnde & præmisit, *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et pulchrè satis; *In excelsis suis*, inquit, semper enim Philosophi se, & sublimia loqui, & agere perfecta gloriantur; quæ profectò vanitas non paruum eis laborem induxit, cum contra Euangelicam, Apostolicamque doctrinam totis viribus niterentur.

Sed huius laboris quis finis? *Et erit* (inquit) *cum apparuerit quod laborauit Moab in excelsis suis*, id est,
E cum viderent sapientes huius mundi frustra aduersus Ecclesiam desudasse, & excellentiam dogmatum suorum, simplicitate fidei corruisse; ad preces se lacrymasque conuerterunt, quia dæmonum, quos Deos putabant, expectabant suffragium, quorum facta venerabantur. Ait ergo, *Ingredietur ad sancta sua vt obsecret, & non valebit.* Deficientibus quippe argumentis, & omni scientiâ, extollente se aduersus scientiam Dei, destructa, tentant obsecrationibus & præstigiis, execrabilibúsque mysteriis dæmoniorum, resistere Spiritui sancto, & diuinum labefactare propositum. Sed nihil profecit hæc illorum male cauta prouidentia, quia iam *in*
Ps. 18. 5. *omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed & hi, qui Moabiticæ corruptioni se dederunt, cum in explendis voluptatibus multum temporis insumpserint, finis omnium mors indicat, quam frustra, vt iniquè agerent, laborauerunt. Sed cum fatuæ
Matth. 25. 1. & seqq. virgines, quæ in excelsis suis, superbiâ scilicet & magnitudine cordis, sine oleo lampades portarunt, cum extin-
F ctis omnibus, ab olei venditoribus nihil solatij recepissent, quasi reuertentes ad sancta, preces porrigunt di-
& 11. centes; *Domine, Domine aperi nobis* Sed quam nihil hac obsecratione profecerunt, terribilis illa responsio de-
& 12. clarat, *Amen dico vobis, nescio vos.* Ex hinc Propheta
Isa. 16. 13. oneri finem ponens, *Hoc verbum* (inquit) *quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc.* Totum illud quod de Moab, vel ad Moab declarauerat, verbum appellat sermo diuinus. Respondet autem finis principio; sic quippe cœpit, *Onus Moab.* Ex tunc ergo, id est à tempore quo cœpit loqui de Moab, omnia hæc locutus est. Ostendit Propheta firmum, & verum esse quod dixerat, nec erroneo spiritu, sicut Montanus delirat, quod loqueretur ignorasse, sed Dei repletum spiritu intellecta vaticinatũ esse. Quâ sententiâ non inconuenienter insertâ, ea quæ de onere Moab prophetauerat, quibus fuerant complenda
Isa. 16. 14. temporibus, mystico sermone declarat dicens *Et tunc locutus est Dominus dicens In tribus annis, quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab super omni populo multo.*

G Tria tempora Ecclesiæ describit sermo Propheticus, Vocationis, Probationis Consolationis. Vocata est Apostolorum prædicatione, Probata est Martyrum persecutione, Consolata Principum conuersione. In his tribus temporibus, quasi in tribus annis, ablata est gloria Moab super omni populo multo. Tempore quippe Vocationis gloriosi adhuc Philosophi videbantur, quando vix peruersissima eorum doctrina, à viris Catholicis fuerat attentata. At tempore, quo Sanctorum patientia multis tentationibus probabatur, tantò videbatur eorum gloria maior, quanto fides [6] Christi videbatur expressior. At vbi Reges sæculi, salutari fide susceptâ, Ecclesiam Christi altius extulerunt, ablata est gloria eorum desuper omni populo multo, illo scilicet, qui eorum errore fuerat deceptus. Dicuntur autem hi anni, quasi anni mercenarij, quia sicut mercenarius præstolatur finem anni, ac mercedis desiderio omne tempus longum existimat, ita sapientes huius mundi his tribus temporibus, quasi tribus annis, de die in diem de-
H structum iri doctrinam Catholicam expectabant. Vnde immundorum spirituum oraculi falsi, certum numerum annorum, quem excedere fidem Christi non posse mentiebantur, [7] sed construere præsumpserunt. Sequitur, *Et relinquetur in eo sicut racemus paruus & modicus, nequaquam multus.* Cum fuerit finita vindemia, sicut rarus in vinea reperitur racemus, ita multis ab illa sapientia sæculari, Ecclesiasticâ falce succisis, vix quisquam, qui eam profiteatur, his iam temporibus reperitur.

Sed vt ad nos fratres charissimi redeamus, consideremus illum qui nobis insertus est Moab, illam scilicet, quam ex patre contraximus corruptionem, ipsiúsque auctorem & incentorem diabolum. Est autem in vnoquoque nostrûm cogitationum, affectionum, delectationum populus multus, quibus se Moab dominari quandiu suggestionibus eius mens illecta consenserit, gloriatur. Sed in tribus annis, quasi anni mercenarij,

A auferetur gloria Moab super omni populo multo [8]. Habemus enim quasi tres annos, tres profectuom status, Conuersionis, Purgationis, Contemplationis. Primus in dolore, secundus io timore, tertius in dilectione. Initium igitur nostræ Conuersionis, quasi primi anni, exordium est, vt voluntas mutetur; Deinde vt consuetudo pessima superetur, & sic quod malum est deseratur, & quod bonum est appetatur. Et hic annus primus, in quo non patum adhuc Moab gloriatur, cum eius suggestione plerumque & voluntas tepescat, consuetudo præualeat, & malum, quod contra propositum ingeritur, obrepat, & bonum, qood appetit mens, perficere non inueniat. Minuitur sane gloria eius, cum homo perfecte conuersus ad Dominum, init cum vitiis singulare certamen, & secundum ingrediens annum, satagit quantùm potest vt Moabitica corruptio, quasi vetus molitum minuatur, & nouum insolitum augeatur. Habet & in hoc anno aliquam gloriam Moab, quoniam licet non possit pugnantem expugnare, vulneret tamen
B aliquando necesse est, etiam optimè repugnantem. In hoc anno mens spiritalibus exercitiis purgata, ad cœlestem contemplationem, & ad Scripturarum transit meditationem. Tunc ei incipit virtus dulcescere, vilescere vitium, & ex quadam dilectionis infusione, gustat quam dulcis est Dominus. Tunc auferetur gloria Moab super omni popolo multo, cum quicquid dilectionis immundæ in affectionibus nostris, cogitationibúsque resedit, nouæ dulcedinis expetientiâ euacuatur. Relinquitur tamen sicut racemus paruus & modicus, lex scilicet illa in membris oostris, repugnans legi mentis nostræ.

Sicut enim vastata vinea, rarus in ea reperitur racemus, ita vitiorum moltitudine debilitatâ, ille necesse est ineuitabilis motus resideat, quem plerunque & infantes sustinent, & senes vitare non possunt. Porro mercenarij dicuntur hi anni, quia sicut mercenarius ad mercedem suspirat, sic & quilibet conuerti desiderans, quandiu impossibilitatem sustinuerit continendi, miro æstuat desiderio, ipsam castitatis possibilitatem, quasi
C huius laboris sui fructum expectans. Sed & purgationis suæ sollicitus, quandiu vitiis impugnatur, miro modo à tentationibus absolui gestiens, requiem illam pro mercede copiosissima præstolatur. Postremò, etiam ipsam naturalem corruptionem fastidiens, tore pudicitiæ ex omni parte perfundi, omniumque virtutum suauitate impinguari, æstuanti pectore affectat. Possunt etiam per Moab hypocritæ designari, quos in occultis [9] Moabina corruptio polluit, in manifesto ficta quædam honestas extollit. Horum anni mercenarij aaui sunt, quia omnia faciunt, vt videantur ab hominibus, audituti à Domino, qnia receperunt mercedem suam. Sed cum tres anni transierint, quorum primus est in hac vita, secundus post mortem, tertius verò post resurrectionem, tum profecto auferetur omnis gloria eorum, quando deficiente oleo, & à vendentibus oon impetrato audiunt à sponso, *Amen dico vobis, nescio vos.* His igitur, fratres, de tribus oneribus Babylonis, Philisthiim, Moab, vtcunque digestis, sti-
D lum suspendo, volens ea, quæ dicta, vel scripta sunt, ad eius referre examen, [10] quem in verborum meorum iudicem, correptorémque delegi, sanctum dico G. Lundoniensem Episcopum, pro cuius arbitrio vel hæc ipsa delere, vel hîc subsistere, vel [11] vltra progredi proposui. Interim aliquid meditabimur, quod vtile erit, & iucundum, ad vestram ædificationem, & aliorum: quod nobis præstare dignetur, qui viuit, & gloriatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. In eo loquitur. C.Cam. In *ipso* loquitur.
2. Hoc (inquit) quod. C.Cam. Hoc (*ait*) quod.
3. Hoc (ait) venter. C.Cam. Hoc (*inquit*) venter.
4. Qui in vsum consuetudinis. C. Cam. Qui *vsu* consuetudinis.
5. Apparuit quodam frustra. C. Cam. Apparuit *quam* frustra.
6. Christi videbatur expressior. C. Cam. Christi *putabatur depressior.*
7. Construere præsumpserunt. Cod. Cam. *Constituere* præsumpserunt.
8. Habemus enim quasi. Cod. Cam. Habemus *autem* quasi.
9. Moabina corruptio. Cod. Cam. *Moabitanea* corruptio.
10. Quem in verborum meorum iudicem. Cod. Cam. Quem verborum meorum *sententiarum* iudicem.
11. Vltra progredi pro. In. ali. meditabimur quod vti. erit & iucun. ad ves. æd. & aliorum: quod nobis, & cætera. Cod. Cam. Vltra procedere pro. In. aliquid *aliud*, quod *vel* vtile erit, *vel* iucundum, ad vestram, *vel* aliorum ædificationem *attentabimus.* Cætera vsque ad finem desunt.

E

F *Expliciunt sermones Domini Aelredi Rieuallis Abbatis de oneribus Isaiæ Prophetæ.*

DIVI AELREDI ABBATIS Rieuallensis

COMPENDIVM INSEQVENTIS Operis, quod inscripsit,

SPECVLVM CHARITATIS.

Cap. I.

Vt Creator ametur à sua creatura.

G Nihil dignius, quam vt Creator à sua ametur creatura. Igitur ratio, vt ad desiderium conditoris sui animum excitet tepescentem, tribus innititur argumentis: nostræ videlicet necessitati, vel vtilitati, illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia necessarium hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, vt caueamus damnationem; commodum, vt acquiramus glorificationem; dignum, quia ipse priùs diligens nos, merito ipsius dilectionis exigit recompensationem. Desiderandus est homini Deus, tanquam bonum suum, sine quo necesse est eum semper miserum esse; cum quo non potest, nisi beatissimus semper esse: qui bonorum nostrorum non indigens, pro nobis voluit miser esse.

O Domine Deus, quanta in tui dilectione iocunditas! quanta in iocunditate tranquillitas! quanta in tranquillitate securitas! non eius qui te amat errat dilectio, qoia te nihil melius; non spes fallitur, quia
H nihil amatur fructuosius; non excessus timetur, quia nec modus amandi præscribitur; non mundialis amicitiæ direptrix mors formidatur. In tui dilectione non timetur offensio, quæ nulla est, nisi ipsa deseratur dilectio: non interuenit vlla suspicio, quia iudicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic iocunditas, qua timor excluditur: Hic tranquillitas, qua ira compescitur: hic securitas, qua mundus contemnitur. Comparetur quæso omnibus diuitiis, omnibus deliciis mundi, omnibus honoribus hoc vnum famulorum Christi, quod mortem non timent. Quid quæso in mundo iocundum, cum ipsa eius iocunditas Conscientiam pungat, cum timorem mortis incutiat, cum amatores suos æternæ damnationi addicat?

A

CAP. II.

Quod charitati nihil desit perfectionis.

Matth. 22. 37.

DIliges Dominum Deum tuum, &c. O verbum consummans & abbreuians in æquitate; verbum charitatis; verbum amoris; verbum dilectionis; verbum totius perfectionis! Verbum consummans, cui nihil potest deesse. Verbum abbreuians, in quo pendet tota lex & Prophetæ. O Iudæe quid tantis opus est? hic Circumcisio, hic Sabbathum; hic hostiæ salutares, hic odoriferum sacrificium; hic totius suauitatis incensum. Tene charitatem, & nihil horum oberit. Charitatem neglige, & nihil horum proderit, hic planè non carnalis vnius membri amputatio, sed totius exterioris, interiorisque hominis vera, & perfecta Circumcisio, resecans voluptatem, extinguens libidinem, coërcens gulam, cohibens iracundiam; inuidiam penitus inuertens; omnium vitiorum generatricem expugnans superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spiritali quadam suauitate contemperans, segnacis acidiæ occurrit languori. Hæc auaritiæ pestem liberalitatis gratissimo mucrone confodiens, ab idololatriæ vitio animam liberat ac conseruat.

B

Quid rogo hac Circumcisione perfectius, qua vitiorum membra resecantur; corpus peccati destruitur; protoplastorum exuuies villosa deponitur, totaque antiquæ vetustatis tabes, squalórque deijcitur? Mentem enim, quam dulcedo charitatis complexerit, non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia eleuat, non cenodoxiæ inanis fumus euentilat, non exagitat furor, non stimulus ambitionis euiscerat, non auaritia contrahit, non deijcit tristitia, non inuidia tabefacit; *Charitas* quippe *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate.* Vides hanc spiritalem Circumcisionem, omnium vitiorum esse peremptoriam, quæ omnes sensus corporis diuino quodam cultro purificat, oculorum abscindens petulantiam, aurium pruritum eradens, gustûs superfluas suauitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactus perniciosam mollitiem eradicans.

1. Cor. 13. 4.

C

CAP. III.

Quod amor noster aduersum se, ex charitate & cupiditate contrario appetitu diuidatur.

Gal. 5. 17.

APostolus ait, *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæ vultis illa faciatis.* Quia charitatis, siue etiam cupiditatis, ea sola animæ nostræ portio capax est, quæ vsitatiùs amor * nuncupatur, ipse est, qui ex noua infusione charitatis, & ex reliquiis vetustæ cupiditatis, quasi quodam contrario appetitu, aduersus semetipsum constas esse diuisus. Vnde intelligendum est, Apostolum Spiritûs, Carnisque nomine nequaquam duas contrarias in homine vno, vt impuri somniant Manichæi, descripsisse naturas: sed spiritûs appellatione, mentis ex charitatis infusione exprimens nouitatem, carnis quoque vocabulo, ex reliquiis vetustatis miseram animæ insinuans seruitutem; inter vetus nostrum insolitum, nouumque insolitum, continuum in vna mente asserit oboriri conflictum. Hæc itaque concupiscentia, quam carnis esse dicit Apostolus non quod omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippe cum eâ nequaquam dæmones careant, qui carne carent; hæc (inquam) concupiscentia mala, congruentissimè cupiditas appellatur. Carnis verò concupiscentia dicitur, eo quod non ex Deo, sed ex homine sit; quem carnem in Scripturis appellari non est ambiguum. Concupiscentia autem spiritûs, non immeritò charitas appellatur, *quæ* quidem *in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum.*

* alias appellatur.

D

Rom. 5. 5.

E

CAP. IV.

Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit; & quare cum beatitudinem optet, viam tamen, quâ eam obtineat mirâ infelicitate refugiat.

IPsis animantibus irrationabilibus magnus labor est tueri salutem, vitare perniciem, carnalium appetituum quærere satietatem: quia adepta, cum nihil habeant vltra quod appetant, conquiescunt. Rationis quippe scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt. Tibi enim, ô anima rationalis, præ cæteris animantibus hæc prærogatiua seruatur, quod te a carnis sensibus abstrahens, ad altiora contendas: nec aliquando saties appetitum, donec ad id, quod summum est, id quod est optimum; id quo nihil superius, quo nihil excellentius, felici curiositate peruenias. Vbicunque infra subsistis, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi iucundum iudicetur; misera proculdubio remanebis. Misera, quia indiga. Indiga, quia restat quod petas; restat ad quod anheles; restat postremò ipsa beatitudo, ad quam appetendam, animam rationalem vis quædam naturalis impellit.

F

Sed deploranda satis est miseri hominis cæca peruersitas, qui, cum beatitudinem vehementer exoptet, non modo non agit quibus adipiscatur optata: verum promoti affectu ea committit, quibus miseriam magis accumulet suam. Non secus quam si æger quispiam salutem vehementer exoptet, sed ob præsentem molestiam, refugiat sectionem, adustionemve exhorreat, ac præsenti quadam suauitate pellectus, olei fomenta requirat: quanquam morbus eiusmodi sit, vt hac magis lenitate ferueseat, nec sine adustionis, sectionisve dolore lentescat. Sic miser homo; Sic vel deceptus, dum putat esse fœlicitatem, quæ non est; vel præsentium suauitate illectus, quæ falsa est; & seipsum miseriæ addicit, & beatitudinis appetitum non amittit: ac proinde infelici circuitu laborans, nunquam quiescit. Enimuero cum animæ rationali solus sit superior Deus, par Angelus, cætera omnia iudicentur inferiora: quid dementiæ tam vicinum, quam relicto superiore, in his, quibus ipsa sit melior, requiem aucupari? Quod, vt mea fert opinio, nequicquam ageret, nisi hinc eam falsa quidem imago fœlicitatis deluderet; hinc veræ miseriæ similitudo terreret. Nam pauperiem, famem, sitim, & talia sustinere, miseria iudicatur: quibus tamen plerunque vera miseria præcauetur, æterna beatitudo conquiritur. *Beati enim pauperes*, ait Iesus, *quoniam vestrum est regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.* Pauperies ergo æternis diuitiis muneratur; luctus æterna iucunditate mutatur; esurienti satietas æterna seruatur. Hæc enim omnia, diuitias scilicet, iucunditatem, satietatem, beatitudini non deesse, nemo qui dubitet.

G

Mat. 5. 3.

Verum quia reprobum quemque, in qualiscunque suæ voluntatis affectu, species quædam iucunditatis eludit, & in desideriorum expletione delectatio falsa dissoluit; ignorans miser, quanta sit electis, & in pressuris consolatio, & in spe congratulatio, perhorrescit quidem eam, quæ in facie patet, infœlicitatis effigiem: sed sub fœlicitatis colore veram excipit infœlicitatem; falsam iocunditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beatitudo succedit.

H

CAP. V.

Quod requies, quam rationalis creatura naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in voluptate, neque in diuitiis quærenda sit.

O Mirabilis creatura, solo Creatore inferior, quo te deijcis? mundum amas? sed ipsa es mundo superior.

A superior. Solem miraris? sed ipsa es sole lucidior. De cœli huius volubilis situ philosopharis? sed tu cœlo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? Sed te nulla natura secretior. Dubitas cum tu de his omnibus iudices, de te autem nihil horum? Sed si velis iudicare, noli tamen amare. Sed nec ipsum iudicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non vt his tu beatior, sed vt esset quo tu esses superior: subijciens tibi omnia ad cumulum honoris, se tibi seruans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugitiuas pulchritudines? cum tua ipsius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat.

Quæris vt voluntati tuæ nihil desit, & sic requiescas? hoc ergo quære. Vbi inquis? noli in salute corporis, noli in voluntate carnis, noli in potentia, noli in diuitiis. Quid enim peruersius, quam rationalis mentis bonum, in ventris ingluuie collocare, ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni

B substernere? maximè cum se in his à stolidissimis belluis nihil videat posse differre, Denique & fames cruciatum, & satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est: Si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porro libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis in cœno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum: ita profectò nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete, ac tranquillitate vacuum. Nam de eius fœditate quid dicendum? cum hæc sordidissima lues & carnem contaminet, & mentem effœminet, ac quidquid in animo honestum, quicquid decorum, quicquid denique vtile est, obtuat pariter & euertat.

Et quidem cum cætera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis oppallient, ac proinde non modo ad humanos non erubescant, immo & intumescant aspectus; Hæc sola in prima fronte tantum

C sui præfert errorem, vt eâ maximè horâ, qua etiam carnem perstringit, ac sibi vendicat, oculos vehementer refugiat.

Quid ergo his agendum, qui virginis filium, ac virginitatis colunt authorem? Cauendum est profectò, ne cuiquam id eueniat, quod de quibusdam ait Propheta:

Ioel. 1, 17.

Computruerunt iumenta in stercore suo. Quibus verbis propriè satis finem, modúmque huius spurcissimæ passionis expressit; eum, quem luxuriæ Charybdis absorbuit, carnis suæ colluuione, quin proprij stercoris egestione asserens esse corruptum; vt cum non modo extinctum æstimes vel absorptum, sed instar sepulti cadaueris, immundissimi pruritûs sanie profluente, putrescentem sentias & fœtentem. Necesse est ergo mentem, cui nequam hic spiritus insederit, quibusdam furiis agitari, & ignitis luxuriæ stimulis impetitam, ad quæque flagitia ebriam & vagabundam, soluto fræno totius honestatis, impelli; restinctoque semel conceptæ passionis incendio, in aliud nihilominus æstu

D vehementiore succendi.

Cap. VI.

De suaui iugo charitatis.

Matth. 11. 30.

TOllite iugum meum super vos; & discedite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Iugum istud fraterna dilectio est. Iugum istud non premit, sed vnit: onus istud pennas habet, non pondus. Prorsus qui de eius asperitate causantur, iugum cupiditatis nondum radicitus abiecerunt. Forsitan enim sub habitu religionis ventrem colunt; sub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias & honores anhelant; sub agnino vellere, lupinum gerentes animum, inexplebili auaritiâ æstuant. Vnde nimirum continuis curis euiscerantur, inflammantur odijs, anxiis cogitationibus dissipantur; quia iugum vtique mundi asperum est, & onus mundi graue est. Porro *Iugum Domini suaue est, & onus Domini leue est.* E

Matth. 11. 30.

Cap. VII.

Quanta sit in charitate perfectio.

QVid enim suauius, quid gloriosius, quam mundi contemptu, mundo se cernere celsiorem? ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus? nihil videre quod appetat, nullum quem metuat, nullum cui inuideat? nihil, quod possit ab alio auferri, suum esse; nihil, quod ab alio sibi possit inferri, malum esse: dúmque in illam hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis dirigit mentis obtutum, sæculares diuitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi contaminatas, omnes mundi pompas quasi marcessibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, & in illud Propheticum exultare: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum.*

1. Petr. 1. 4.

F

Isa. 40. 6. 7. 8.

Quid rogo dulcius, quidve tranquillius, quam turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentiuorum incendiis non aduri, ad nullum illecebrosum moueri aspectum; sed tepescentem rore pudicitiæ carnem spiritui habere substratam, non iam ad carnales voluptates illectricem, sed ad spiritualis exercitia obedientissimam adiutricem? Quid tandem diuinæ tranquillitati tam proximum, quam illatis contumelijs non moueri, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, vnam mentis & in prosperis, & in aduersis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri, ad eius se similitudinem conformare, *qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos?* Hæc simul omnia in charitate, & non nisi in charitate simul omnia: ac proinde in illa vera tranquillitas; vera suauitas; quia ipsa est iugum Domini, quam si Domino inuitante tulerimus, inueniemus requiem animabus nostris, quia *iugum Domini suaue est, & onus leue.*

Matth. 5. 45.

G

Matth. 11. 30.

In quo charitas differt à cæteris virtutibus.

Proinde cæteræ virtutes sunt nobis, aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus; at charitas, quæ, licet vt aliæ virtutes virtutes sint, sit oportet in omnibus; specialius tamen ipsa & requies fatigato, & viatori mansio, & plena lux peruenienti, & perfecta corona victori. Quid enim est fides, nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur; quid Spes nisi viaticum nostrum, quo in huius vitæ miseriis sustentamur; quid quatuor illæ virtutes, Temperantia, Prudentia, Fortitudo, Iustitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus? at vbi Charitate, quæ non nisi in Dei visione perficitur, illis dumtaxat, quibus hîc in fide inchoatur, * mens fuerit pleniùs absorpta; nec fides erit, quia qui cernitur & amatur, non est opus vt credatur; nec spes erit, quia brachiis charitatis Deum amplectenti, nihil restat quod speretur.

* a sua mori.

H

De officio quatuor virtutum.

Verum temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra aduersitates, Iustitia contra inæqualitates: sed in charitate illa, perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnet temperantia; in charitate, perfecta scientia, ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia; in charitate, vera beatitudo, ideo nulla aduersitas, quam fortitudo deuincat; in charitate, pacata sunt omnia, ideo nulla inæqualitas, contra quam iustitia vigilet. Agit itaque modo vera temperantia, ne illecta; vera prudentia, ne decepta; vera fortitudo, ne oppressa mens rationalis normam charitatis excedat. Porro si subtilius aduertas, quid est temperantia nisi amor, quem nulla voluptas illicit? quid est prudentia nisi amor, quem nullus error seducit? quid fortitudo nisi amor, fortiter aduersa sustinens? quid iustitia nisi amor, æquo quodam mode-

ramina

A ramine inæqualitates huius vitæ componens? in fide ergo charitas inchoatur, in cæteris virtutibus exercetur, in seipsa perficitur.

Verum vt sui sectatores in regnum suæ tranquillitatis charitas perfecta transtulerit, cunctis iam carnis illecebris cum ipsa carnis mortalitate consumptis; cunctis errorum tenebris diuinæ lucis contemplatione decussis; certaque securitate mundi huius succedente molestiis; depulsis, vt ita dixerim, quibus hoc belli tempore vtitur armis: sola sui suauitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc cæteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese refundent, vt in illa felicitate, nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudove putetur, quam charitas: tam casta, vt nullis tentetur illecebris; tam lucida, vt nullis interpelletur erroribus; tam valida, vt nullis omnino appetatur aduersis.

Cap. VIII.

B *Quod opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimæ verò diei requies charitati assignetur.*

Sit ergo Fides nobis quasi primus dies, quo fideles ab infidelibus, quasi lux à tenebris, separamur. Sit Spes secundus, per quam in cœlestibus habitantes, & pro fidei meritis sola supercœlestia sperantes; ab his, qui terram sapientes, & à Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento, aquarum instar dilabuntur & fluitant, Deo promouente discernimur. Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra, quæ sunt super terram; mortificantibus, ac carnales concupiscentias, quasi aquas amarissimas, necessariis terminis coërcentibus, appareat terra cordis nostri arida & inaquosa, sitiens Dominum Deum suum. Iam verò Prudentia quasi diei quarti lumen erumpat, per quã inter facienda & non facienda, quasi inter diem & noctem diuidamur: cuius adminiculo lumen sapientiæ, velut solis C splendor effulgeat; lux scientiæ spiritalis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquibus deficit, quasi lunæ decus appareat: per quam etiam præcedentium patrum exempla, quasi stellarum globos, mens deuota suspiciat; per quam inter dies & annos, menses & horas diuidat; quid distet videlicet inter eos, qui ante legem, & sub lege; quid inter hos, & illos qui sub gratia, quid singulis conueniat; quæ præcepta, quæ tempora, qui mores, quæ sacramenta? æqua examinatione discernat. Sit nobis Fortitudo quasi dies quintus, per quam huius maris magni &. spatiosi, sæculi videlicet huius procellas toleremus: ac pisces spiritales, Deo operante effecti, vitam inter vndas tempestatesque seruemus: ac mentis nostræ desideria, simul & affectus, quasi volatilia pennata, ad cœlestia erigentes, & ea, quæ sursum sunt sapientes, multiplices bonorum operum fructus, Deo benedicente, reddamus.

Porro diem sextum nobis iustitia dictet, per quam diuinam similitudinem reinduti, atrocissimis vitiorum be-D stiis terrenisque desideriis, quasi reptilibus; corporisque motibus, quasi iumentis, generosa auctoritate imperemus; agentes vt corpus menti, mens Deo subdatur; sicque, iustitiâ dictante, cuique quod suum est tribuatur. Restat septimus dies; id est sabbatum, in quo omnia ista opera consummantur, in quo requies vera suscipitur, in quo labori nostro terminus ac finis indicitur. Ipsa est Charitas virtutum omnium consummatio, sanctarum animarum suauis refectio, honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera, vt bona sint, oriuntur; in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus dies diuinâ nos gratiâ reficit: ipsa septimus mensis, in quo post tentationum diluuium, arca cordis suauiter requiescit. Huic seruit Temperantia, Prudentia vigilat, militat Fortitudo, Iustitia famulatur.

Cap. IX. E

De distinctione trium sabbatorum.

Legimus in veteri testamento, quasdam sabbatorum distinctiones: habes nempe in lege tria tempora sabbati reque consecrata, septimum videlicet diem, septimum annum, & post septies septem, quinquagesimum annum. Primum ergo sabbatum dierum; secundum annorum; tertium non immerito dicitur sabbatum sabbatorum. Constat namque ex septem annorum sabbatis, addito vno; vt septenarius numerus in vnitate concludatur, qui & ab vnitate progreditur, & in vnitate perficitur. Nam & omne opus bonum ab vnius Dei fide inchoatur, quod septenario Spiritus sancti munere promouetur, vt ad ipsum, qui verè vnus est, veniatur; vbi totum quod sumus, vnum cum ipso efficiatur. Habemus interim sabbatum dierum, sabbatum annorum, & in quodam prægustu sabbatum sabbatorum. F

Cap. X.

Quod in dilectione triplici, istorum sabbatorum sit quærenda distinctio.

In lege sic scriptum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* (Matth. 22.37.) Necesse est ergo, vt in his duobus præceptis, has sabbatorum quæramus distinctiones: nam & ipsæ ex lege sunt. Porro hæc duo præcepta si diligenter inspicias, tria quædam inuenies diligenda, te videlicet, proximum & Deum. Vbi enim dicitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* manifestum est quia debes diligere & teipsum. (Matth. 22.39.) Hoc tamen non est præceptum, quia naturâ est insitum. *Nemo enim vnquam* (teste Apostolo) *carnem suam odio habuit:* (Ephes. 5.29.) G & si non carnem multo minus vtique mentem, quam quilibet, etiam nesciens, magis diligit quam carnem. Nemo est enim qui non malit insitinus carne, quam insanus viuere mente. Sit ergo homini dilectio sui, sabbatum primum; dilectio proximi, sit secundum; Dei autem dilectio, sabbatum sabbatorum.

Est autem, vt superius diximus, sabbatum spiritale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc sabbatum nonnunquam in propria dilectione sentitur; aliquando ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur; in diuina dilectione absque vlla ambiguitate perficitur. Hoc sane prouidendum, vt homo, sicut oportet, diligat semetipsum, proximum verò tanquam seipsum, Deum supra se ipsum; quia nec se, nec proximum, nisi propter ipsum. Porro Deum non amare conuincitur, à quo proximus non amatur. *Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* (1. Ioan. 4.20.) H Præcedit ergo quodammodo dilectionem Dei, dilectio proximi; dilectionem verò proximi, dilectio sui. Præcedit inquam ordine, non dignitate Præcedit, sed illam perfectam de qua dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* (Matth. 22.37.) Nam profecto quædam huius dilectionis portio etsi non plenitudo, & sui, & proximi dilectionem præcedat necesse est sine qua mortua illa vtraque est, ac proinde nulla est. Videtur enim mihi Dei dilectionem, quasi aliarum dilectionum animam esse, quæ & in seipsa plenissimè viuit, & aliis sui essentiam vitalem impertit, absenti mortem inducit.

Vt ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur; vt diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur, vbi diuinus ille ignis paululum coalescens, exteras tandem, quasi scintillulas quasdam in sui plenitudinem miro modo absorbeat: totam animi dilectionam ad illud sublime, & ineffabile bonum adducens, vbi nec ipse à se, nec proximus diligatur; nisi inquantum

A vterque deficiens à se, totos transfertur in Deum. Interim tres hi amores & ab inuicem concipiuntur, & ab inuicem nutriuntur, & ab inuicem accenduntur, porro simul omnes perficiũtur. Agitur autem miro & ineffabili modo, vt quanquã hi tres amores omnes simul habeantur, neque enim aliter potest; non tamen semper æque sentiantur: sed nunc requies illa, illa iocunditas in propriæ scientiæ puritate sentiatur: nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur, nunc in Dei contemplatione pleniùs acquiratur. Sicut enim Rex aliquis diuersas aromatum possidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur; nunc huius, nunc illius speciei odore perfunditur; ita mens, cellaria quædam spiritualibus referta delicijs, intra suæ conscientiæ septa retentans, nunc hoc, nunc illud inambulat, ac iocunditatis suæ materiam, pro diuitiarum diuersitate, diuerso modo compensat.

B

CAP. XI.

Quomodo sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur.

CVm enim homo ab exteriori tumultu, intra secretarium suæ mentis sese receperit, nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat, nihil quod oblatret, sed omnia iocunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, & instar ordinatissimæ, ac pacatissimæ cuiusdam familiæ, omnis cogitationum, sermonum, operumque turba ipsi animo, quasi patrifamilias domus, arriserit; oritur hinc subitò mira securitas, ex securitate mira iocunditas, ex iocunditate autem iubilus quidam, eò deuotiùs in laudes Dei erumpens, quò perspicacius conspicit eius esse muneris, quicquid in se boni recognoscit. Hæc est septimi diei iocunda solemnitas, quam necesse est sex dies, id est operum præcedat perfectio; vt primum in
C bonis operibus desudemus, & sic demum in conscientiæ tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus, puritas conscientiæ nascitur: secundum quam sui
Psal. 10.6. dilectio iudicatur. Sicut enim is qui operatur, vel diligit iniquitatem, non diligit sed odit animam suam; ita profectò qui diligit, & operatur iustitiam, non odit, sed diligit animam suam. Hæc est primi illius sabbati iocunda solemnitas, in qua seruilia mundi opera minimè exercentur, in qua nec ignis concupiscentiæ turpis accenditur, nec passionum onera comportantur.

CAP. XII.

Quale sabbatum ex fraterna dilectione capiatur: & quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur.

POrro si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primum hoc sabbatum celebrauit, ad illud pectoris sui
D diuersorium sese contulerit, vbi solet *gaudere cum gau-*
Rom. 12.15. *dentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri*
2. Cor. 11.29. *cum scandalizatis*; senseritque ibi animam suam cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis vniri; nullis inuidiæ stimulis agitari, nullis indignationum æstibus inflammari; non iaculis suspicionum atteri, non edacis tristitiæ morsibus consumi; sicque ad quendam tranquillissimum mentis suæ sinum omnes rapiat, vbi dulci quodam affectu omnes amplectatur, & foueat, ac secum vnum cor & vnam animam faciat: ad huius mox dulcedinis suauissimum gustum, omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit; & fit ibi intus ab omnibus noxiis absoluta vocatio, & in fraternæ dilectionis dulcedine grata, & iocunda pausatio. Huius sabbati requie ac dulcedine, Propheta David in sonum gratulabundæ solemnitatis erupit di-
Psal. 132. 1. cens: *Ecce quam bonum, & quam iocundum, habitare fratres in vnum.* Vere bonum, vere iocundum. Bonum placet, quia nihil vtilius; Iocundum, quia nihil sapidius.

E Quod si ex sex illis annis, qui sabbatum hoc spirituale præcedunt, aliquid mysticum velis exsculpere, scito sex esse genera hominum in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Primo ergo dilectio nostra, naturali ordine, ad domesticos sanguinis nostri deriuatur. Quæ dilectio vt habeatur, quia ipsi naturæ est insitum; si non habeatur, nimis est inhumanum. Vnde Apostolus, *Si* 1. Tim. 5.8.
quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior. Hæc autem dilectio, quoniam ab ipsa natura proficiscitur, in præceptis, quæ ad dilectionem pertinent proximi, primo loco sancitur, ita Deo protestante; *Honora patrem tuum & matrem.* Exod. 20.12.
Hinc ad eos, qui nobis specialis amicitiæ fœdere, vel officij vicissitudine copulantur, dilectio nostra progreditur, & quodammodo sinu ampliore laxatur. Sane vtraque hæc dilectio, quanquam parum præmij seruata conquirat, quippe cum ad illam lex naturalis impellat, ad illam gratia impertita nos prouocet; neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his Dominus in F
Euangelio, *Si diligitis* (inquit) *eos, qui vos diligunt,* Matt. 5. 46.
quam mercedem habebitis? nonne & ethnici hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? vt ergo in aliquid amplum dilectio nostra tendatur, amplectatur & eos, qui nobiscum eidem iugo professionis subduntur. Hæc planè dilectio præmio non fraudabitur, quia Deus causa est cur exhibetur.

Restant adhuc duo hominum genera eorum qui foris sunt, gentilium videlicet, & Iudæorum, hæreticorumque vel schismaticorum, quorum necesse est vt ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostræ orationis impertiatur, vt & ipsi inueniantur nobiscũ in CHRISTO IESV Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo fraternæ charitatis summa consistit, in quo homo Dei filius efficitur, in quo diuinæ bonitatis similitudo pleniùs reparatur, sicut ait Saluator in Euangelio: Matt. 5. 44.
Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos G
& orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Exinde quid supererit nisi annus septimus, in quo debitores repetere non permittimur, in quo seruus libertate donatur? qui enim nouit etiam inimicos simplici oculo intueri, ille est qui ve- Deut. 15. 1. & 12.
raciter dicere potest, *Dimitte nobis, sicut & nos dimitti-* Matt. 6. 12.
mus. Omnis (inquit) *qui facit peccatum, seruus est peccati;* Ioan. 8. 34.
cui deplorandæ seruituti tandiu quisque addicitur, donec ipse dimittens & diligens, dimittatur & diligatur: & de seruo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur.

CAP. XIII.

Quomodo perfectum sabbatum in Dei dilectione reperiatur, & quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.

VErum hac gemina dilectione purgata mens, tantò deuotiùs, quantò securiùs ad ipsius diuinitatis fe- H
lices gestit amplexus; ita vt nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, iamque ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbeatur: factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus, in id quod est, & sic semper est, & idipsum est, in illud vnum perspicacem figat intuitum, vacans & videns quoniam Dominus ipse est Deus, & inter charitatis illius suaues amplexus, sabbatizans sine dubio sabbatum sabbatorum. Hic annus Iubilæus, in quo homo ad suam possessionem reuertitur, ipsum videlicet autorem suum, vt mirum possideatur & possideat, habeatur & habeat, teneatur & teneat. Ipsa est possessio, quæ distracta vili peccati pretio, amore hominis defluente ab eo, à quo factus est, & inhærente rei, quæ facta est. Huic sabbato non immerito quinquagenarius numerus dedicatur, in quo seruilis timor expellitur, carnis non solum cõcupiscentia, sed & memoria consopitur, spiritus plenitudo concipitur.

Ante

A *Ante* (inquit) id est ante Pentecosten *Spiritus non erat*
Ioan 7. 39. *datus, quia* IESVS *nondum erat glorificatus*, non omnino non datus sed non tantâ plenitudine, non tanta perfectione. Datur profecto in sabbato primo, datur & in secundo: sed in sabbato sabbatorum eius infunditur plenitudo.

Verum quia charitas diffunditur in cordibus nostris, non alias nisi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, vbique septenarius numerus custoditur; sed in ipsius septenarij multiplicatione, profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies, quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, eius est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritalis quædam sabbatizatio. Primo requies in puritate conscientiæ, deinde in multarum mentium dulcissimâ coniunctione, postremò in ipsius Dei contemplatione. In primo sabbato vacatur à crimine, in secundo à cupi-
B ditate, in tertio ab omni prorsus distensione. In primò mens colligitur ad se, in secundo extenditur extra se, in tertio rapitur supra se. In primo gustat quam dulcis est IESVS in humanitate; in secundo videt quam perfectus in charitate; in tertio quam sublimis in deitate.

CAP. XIV.

Quomodo vtraque dilectio, sui videlicet & proximi, Dei dilectione seruetur.

QVoniam, vt superius diximus, vtrumque amorem quo vel nobis ipsis consulimus, vel quo proximis vtimur, quadam diuini amoris portione necesse est animari, sciendum, quod ad geminam dilectionem, Dei nos
Ioan. 1. 14. dilectio mouet & promouet, secundum id quod *verbum caro factum est & habitauit in nobis.* Siquidem in hac gemina dilectione acquiritur innocentia, quæ in duobus est. Innocens quippe est, qui nec sibi, nec alteri nocet.
C Sibi autem nocet, qui semetipsum vitij alicuius, aut turpitudinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem, quia maximè voluptas ac delectatio carnis impellitur, sic eam facilè quilibet respuit vel euitat: si erga carnem nostri Saluatoris pium indutus affectum, gaudet spiritualibus oculis intueri Dominum maiestatis, vsque ad præsepis inclinatum angustias, virgineis inhiare vberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, sancti videlicet Simeonis felicibus labiis osculari. Qui mentis suæ obtutibus imaginari dulce habet, quam mitis aspectu, quam dulcis affatu, quam peccatoribus compatiens, quam infirmis & miseris condescendens. Quis est, cui ad hoc dulce spectaculum, omnis fœtentis carnis delectatio non sordescat? Inde suaues quædam lachrymæ facile oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus extinguitur, tepescit caro, gulæ voracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur.

Porro ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio, nihil nos ita animat, vt il-
D lius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille speciosus forma præ filiis hominum, venustam faciem suam impiis præbuit conspuendam; quos oculos illos, quorum nutu reguntur omnia, velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput tremendum principibus & potestatibus, spinarum asperitati submisit; qua semetipsum opprobriis ac contumeliis addixit; qua crucem, clauos, lanceam, fel, acetum patienter sustinuit, in omnibus lenis, mitis, tranquillus. De-
Isa. 53. 7. nique *tanquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Considera, ô humana superbia, ô superba impatientia, quis sustinuit, quare sustinuit, quomodo sustinuit? Cogitetur rogo hæc, non scribantur. Quis est, cuius ad hunc mirabilem intuitum, statim ira non deferueat? quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenam
Luc. 23. 34. charitatis, plenam tranquillitatis, *Pater ignosce illis:* non statim omni affectu suos amplectatur inimicos? *Pater* (inquit) *ignosce illis.* Quid lenitatis, quid charitatis huic
E addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare, voluit & excusare. *Pater* (inquit) *ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Putant legis præuaricatorem, putant diuinitatis præsumptorem, putant populi seductorem. Abscondi ab eis faciem meam, non agnouerunt maiestatem meam, Ideo *pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Igitur vt homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrumpat; vt verò carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suauitatem dominicæ carnis extendat. Porro vt perfectiùs ac suauiùs in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiam inimicos brachiis veri amoris astringat. Sed ne diuinus hic ignis iniuriarum flatu tepescat, Domini ac saluatoris sui tranquillam patientiam, oculis mentis semper aspiciat.

CAP. XV.

In quibus amorem Dei constare credendum sit. F

DEus in Euangelio ait, *Qui habet mandata mea, &
Ioan. 14. 21. seruat ea, ille est qui diligit me.* Non enim secundum momentaneos affectus Dei æstimandus est amor, sed potius secundum continuam ipsius voluntatis humanæ qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati coniungere, vt quælibet voluntas diuina præscribat, his voluntas humana consentiat; vt nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deum velle cognoscit, hoc vtique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud quam amor; nec aliud dicendæ sunt bonæ, aut malæ voluntates, quam boni vel mali amores. Sane hæc voluntas secundum duo quædam iudicanda est, passionem videlicet & actionem; si videlicet ea, quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit patienter sustineat, & ea quæ iusserit, feruenter adimpleat. Cæterum vt ait beatus Gregorius, *Nemo credat quicquid sibi mens sine operibus de Dei amore respondeat.* Cuiuscunque ergo volun-
G tas Dei voluntati concordat, eaque quæ Deus intulerit sustinet patienter, & ea quæ iusserit exequitur feruenter, qui quantumcunque potest insistit vt Deum habeat mandatis videlicet illius obtemperando, sobriè, & iustè, & piè viuendo, Deum diligere sine omni cunctatione dicendus est. Eius enim est sententia qui non mentitur,
Ioan. 14. 21. *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* Habet siquidem amor iste inchoationem suam, profectum suum, perfectionem suam. Interest sane quantum fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis. Affectuosus, vt dulciter; discretus, vt prudenter; fortis, vt diligat perseueranter. Affectuosus, vt quod elegit, in desiderio sapiat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio auertat. Affectus prodest contra peruersas dulcedines; discretio contra deceptiones; fortitudo contra persequutiones. Si quis autem in his tribus noscitur esse perfectus, non solum feliciter, sed & suauiter amat. Sane si non poterit affectuosus, sit tamen discretus & fortis; & si non
H ad præsentem suauitatem, non minus tamen ad futuram proficiet felicitatem.

CAP. XVI.

In quibus constet amor rectus, siue peruersus.

COnstat autem amor iste in tribus, in electione, in motu, in fructu. Est autem electio ex ratione, motus in desiderio & actu, fructus in fine. Habet nempe amor semper comitem rationem, non qua semper rationabiliter amet, sed qua ea, quæ eligit, ab his, quæ reprobat, viuaci circumspectione discernat. Denique rationis est inter creatorem & creaturam, inter temporalia & æterna, inter amara & dulcia, inter aspera & delectabilia discernere: amoris autem, quod voluerit ad fruendum eligere. Nam si experientia cuiuslibet delectationis illecta, vel certè quolibet errore decepta mens, ea, quibus minimè fruendum est, eligat ad fruendum,

profectò

A

profectò infeliciter amat. Frui autem dicimus, cum delectatione ac gaudio vti. Ipsam sane electionem statim sequitur, vel comitatur ipsius amoris motus occultus, excitans quodammodo & mouens animum in illius rei desiderium, quam eligendam putauit: at si eam rem, quam ad fruendum elegerit, electam desiderauerit, pro voto adeptus fuerit, in illius mox vsu cum gaudio, ac delectatione quiescit, quem vsum fructum vocamus.

In his igitur tribus charitas, seu cupiditas constare videtur, in animi scilicet electione, in motu, in fructu. Sed electio amoris, siue boni, siue mali est inchoatio; motus amoris ipsius cursus; fructus amoris ipsius est finis. Si itaque mens ad fruendum eligat quod oportet, si ad id sic moueatur vt debet, vel eo fruatur vt decet; & tam salubris electio, & tam competens motus, & tam vtilis fructus, non immeritò charitatis censeri vocabulo iudicatur. Sed in hac electione charitas inchoatur, motu extenditur, in fructu verò perficitur. At si animus eligat insipienter, per desiderium moueatur indecenter, turpiter abutatur; his quasi gradibus cupiditatem consummari facilè aduerti potest.

B

Hi sunt duo fontes, bonorum scilicet, & malorum origines, quandoquidem *radix omnium malorum est cupiditas*; & radix omnium bonorum charitas. Hoc sane dicendum, quia non omne quod in vsum nostrum eligimus, diligere dicendi sumus, sed solum id, quod ad fruendum eligimus.

1. Tim. 6. 10.

Quid debemus ad fruendum eligere.

Deus igitur nobis præ omnibus eligendus est, vt eo fruamur, quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desiderandus, quod est ipsius amoris quasi cursus quidam, atque promotio: in cuius adeptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit & beatitudo. Patet igitur duo nobis eligenda ad diligendum, Deum scilicet, & proximum, quanquam dissimiliter. Nam Deus diligendus, vt eo fruamur in seipso, & propter seipsum, Proximus, vt ipso fruamur in Deo, immo & Deo fruamur in illo. Nam licet verbum hoc frui districtiùs soleat accipi, vt videlicet nullâ re aliâ, sed

C

Philem. 20.

solo Deo fruendum esse dicatur, ad hominem tamen loquens Paulus, *Ita frater* (inquit) *ego te fruar in Domino.* Cum igitur hæc duo ratio eligenda perspexerit, & cæteris omnibus horum contemplatione contemptis, mentis consensus elegerit, inchoata est profectò Dei proximique dilectio, quia ad id quod debet, fit ipsius amoris conuersio.

Cap. XVII.

Quod ad actum & desiderium amor noster moueatur, & quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moueatur.

Fit autem motus amoris ad duo, vel interius ad desiderium, vel exterius ad actum: ad desiderium, cum ad id, quo fruendum iudicauerit animus, se motu quodam interno & appetitu extendit; ad actum, cum mentem ad id etiam exterius agendum, amoris ipsius vis quædam occulta compellit.

D

Proinde inuestigandum arbitror, quænam sint illa, quibus quasi incentiuis amor ipse ad hæc duo excitetur ac moueatur; quæque ei cursum suum ordinent quodammodo, atque præscribant. Deinde quid eorum sequi debeat, vel quantum sequi debeat, quid respuere, quid admittere, quid minuere, quid augere oporteat, vt ipse motus competens sit subtiliùs inquirendum. Sunt autem duo, vt mihi videtur, quibus animus ad duo illa, quæ præmisimus, mouetur, ac excitatur, id est affectus & ratio. Aliquando enim affectu tantum, aliquando tantum ratione amor noster vel exterius ad actum, vel in occultum succenditur appetitum. Vt igitur de omnibus motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis maximè sequendus sit videamus; primò de bifaria ipsius motus origine, id est de affectu, & ratione breuiter exequamur.

E

Cap. XVIII.

Quid sit affectus, & quot sint affectus declaratur; quod spiritualis affectus dupliciter accipiatur ostenditur.

Est igitur affectus spontanea quædam, ac dulcis ipsius animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem, aut spiritalis est, aut rationalis, aut irrationalis, aut officialis, aut naturalis, vel certè carnalis. Spiritalis affectus dupliciter potest intelligi. Nam spiritali quidem affectu animus excitatur, cum occultâ, & quasi improuisa Spiritûs sancti visitatione, in diuinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ charitatis suauitatem, mens compuncta resoluitur. Item spiritalis affectus dici potest, qui ex diaboli immissione generatur. Hoc affectu Amnon filius Dauid in propriæ sororis exarsit amplexus. 2. Reg. 13. 1. Hoc quoque affectu ad quam turpia constat illectos, de quibus Propheta, *Spiritus* (inquit) *fornicationis decepit eos.* Gemino enim tormento, Sanctorum pudicitiam, immundissimus hostis insequitur: nunc carnem intolerabili flamma succendens, nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dissoluens.

F

Osee 4. 12.

Cap. XIX.

De affectu rationali & irrationali.

Rationalis affectus est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur, videlicet cum oculis nostris cuiuslibet virtus, vel sanctitas explorata, vel famâ diuulgante, vel certâ lectione comperta, mentem nostram quadam dulcedinis suauitate perfundit. Hic est affectus qui nos, auditâ triumphali martyrum passione, suauissimâ deuotione compungit, ac memorabiles præcedentium actus, quasi sub oculis, delectabili meditatione depingit. Huic affectui contrarius est irrationalis, quo quilibet erga aliquem, comperto eius vitio, quadam mentis inclinatione mouetur. Multi enim vel ob vanissimam Philosophiam, vel ob stultissimam in negotio militari audaciam, vel ob quamlibet nequitiam, aliquorum sibi illiciunt, & inclinant affectum.

G

Cap. XX.

De affectu officiali.

Officialem affectum dicimus, qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Multi enim vel vtilitate munerum impensorum, vel obsequiorum exhibitione quorundam sibi animos inclinarunt.

Cap. XXI.

De affectu naturali.

H

Naturalis affectus inest cuilibet ad carnem suam, matri ad filium, homini ad domesticum seminis sui. *Nemo enim carnem suam odio habuit, & non potest mater obliuisci infantis sui*, &, *Qui domesticorum suorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Ephes. 5. 29. Isa. 49. 15. 1. Tim. 5. 8.

Cap. XXII.

De affectu carnali dupliciter accipiendo.

Carnalis affectus duplex est. Plerumque enim non quidem virtus, aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo, animum sibi intuentis inclinat. Facile quippe alicuius & forma elegantior, & sermo suauior, & maturus incessus, & venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse homo sit, prouocat & perstringit affectum. Hæc adeo in Moyse puero gratia relucebat, vt contra Pharaonis imperium, à parentibus

tribus

A tribus mensibus seruaretur, vt ait Apostolus, quod vidissent infantem. (Heb. 11. 23.) Expositus quoque periculo, formæ elegantiâ etiam filiæ Pharaonis sibi pietatem illexit, cui adoptatus in filium, magnus effectus est coram vniuersis quoque seruis Pharaonis. (Exod. 2. 5.) Porro quem ad noxiam voluptatem in quamlibet speciem, suauitas male blanda compungit, carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic carnalis affectus ambulantem in solario domûs suæ Dauid, ad speciem Bersabee præuenit incautum, præuentum dissoluit, obruit dissolutum. (2. Reg. 11. 2.) Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit, & carnali libidine dissolutum in spiritalis fornicationis barathrum, nefandissimâ idolorum culturâ deiecit. (3 Reg. 11. 4.)

CAP. XXIII.

Quid de his affectibus sentiendum sit.

B HI affectus interim meditanti occurrunt, quos amoris origines quasdam diximus, siue radices, non amorem. Non enim his affectibus excitari, vel pulsari valde laudabile existimamus, si boni sunt, nec exitiabile, si mali. Nam etiam carnali affectu, qui ceteris formidabilior iudicatur, aliquando viri optimi ad probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moueri, sed his affectibus informari, aut vtile iudicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus mouent animum, aut visitatio in bonis est, aut tentatio in malis: quando secundum hos affectus disponitur, plena est ipsius voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut manifesta. Occulta, cum ex consensu desiderij agitatur interius. Manifesta, cum ipsum desiderium ad actum prorumpit exteriùs. Verum autem secundum hos affectus moueri debeat amor noster, vel quantum moueri debeat, inuestigare conabimur: si tamen prius de ratione, quam aliam amoris causam diximus, pauca præmiserimus.

C

CAP. XXIV.

Quomodo mens ad Dei proximique dilectionem ratione moueatur.

NAm animum, quem ad Dei proximique dilectionem nullus mouet affectus, plerumque mouet ratio, tantò vtique sacratiùs, quanto securiùs, quantò defæcatiùs; tantò autem defæcatiùs, quantò rationali amore nihil vtilius potest esse vel purius. Suadet ergo ratio primo, vt à rationali creatura creator ametur, sine quo necesse est eam semper miseram esse: cum quo non potest nisi beatissima semper esse. Huic igitur rationi si mens consenserit, & in Dei desiderium sese excitauerit; prosequitur statim ratio negotium suum. Necessarium probans illius præceptis adimplendis *grauiter insistendum, si adipisci voluerit desideratum. (* Forte grauiter.) Sic innatum internis visceribus desiderium, ratione compellente, procedit ad actum. D Quia verò inter Dei præcepta id maximum inuenitur, vt proximus diligatur; (Matth. 22 39.) instat ratio, vt ad beneficium proximo impendendum animus moueatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non inimicus, vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest, vel profuit; non inimicus, quia non nocet, nec nocuit; Inimicus, quia obest, vel obfuit. Amicus, ex sanguine vel gratiâ; non inimicus, ex innocentia; inimicus, ex iniuria. Igitur vt amico se impendat homo, tria quædam proponit ratio; vt non inimico, duo; vt inimico, vnum. Amico debetur beneficium ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est; ex officio, quia amicus est; ex præcepto, quia proximus est. Non inimico verò, ex natura, quia homo est, ex præcepto, quia proximus est. Inimico, tantùm ex præcepto, quia vt inimicus diligatur, præceptum Domini est. (Matth. 5. 44.)

His igitur rationibus cedens animus, si ad beneficium impendendum non solum amico, sed etiam inimico

E sese parauerit, etsi non sentiat affectum charitatis, tamen meritum non amittet. Distinguendi igitur sunt duo amores isti, alter ex affectu, alter ex ratione. Qua distinctione id quoque soluitur quod quærunt quidam quid videlicet distet inter amorem qui in Deo est, & illum qui exhibetur propter Deum. (Quid differt inter amorem in Deo, & amorem propter Deum.) Affectus quippe non propter Deum assumitur, sed in ipsa anima aut naturaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde si ei, cui animus quadam spontaneâ ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum ipsum affectum exhibeatur; iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potius propter se amatur. Si verò is, quem affectus iste complectitur, in Dei dilectione pariter assumitur, amorque ipse ex affectu sapiat, sed eius exhibitio ex rationis moderatione pendeat; huius vtique amor non primò propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porro ei, quem affectus iste respuit & euitat, si consideratione diuini præcepti nosmetipsos, vt oportet, exhibuerimus; F ac quicquid dictauerit ratio, prout indiguerit, impenderimus; iste non propter se, sed tantùm propter Deum diligitur. Igitur amicus, qui non potest non diligi, diligatur in Deo inimicus, qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum; ille ex affectu, iste ex ratione.

CAP. XXV.

Quod affectus non sint in nostro arbitrio positi.

DIcendum adhuc de his affectibus, quia nequaquam in nostro arbitrio collocantur; cum quibusdam aliquando inuitissimi moueamur, nec quosdam etiam si velimus, experiri valeamus. Proinde nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus mouerit, sed cum ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur sentiendum est.

CAP. XXVI. G

Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex vtroque.

ESt igitur amor ex affectu, cum affectui animus consenserit: ex ratione, cum se voluntas rationi coniunxerit; potest & tertius amor ex his duobus confici, cum scilicet hæc tria, ratio, affectus, & voluntas in vnum coierint. Primus dulcis, sed periculosus; secundus durus, sed fructuosus; tertius, vtriusque prærogatiuâ perfectus. Ad primum sensus ex parte dulcedinis illicit, ad secundum ratio manifesta compellit, in tertio ipsa ratio sapit. Differt autem hic vltimus à primo, quia licet illo, & quod amandum est, aliquando ametur; magis tamen propter ipsius affectus dulcedinem amatur. Hoc autem amatur, non quia dulce est, sed quia amore dignum, ideo dulce est.

CAP. XXVII. H

Quid sit amare.

IGitur ex his omnibus, quæ dicta sunt, in quo tota vis consistat amoris, breuiter colligamus. Primo si mens aliquid ad fruendum elegerit, deinde ad id quodam interno desiderio sese extenderit, postremo id agat, quo ad desideratum peruenire valuerit, hic sine dubio amare dicendus est. Hoc autem quanto quisque feruentius, instantiusque peregerit, tantò magis & diligit. Quod si ex affectu id fecerit, dulciùs vtique diligit, ac proinde faciliùs agit. Si autem totum hoc, quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione: minus quidem dulce diligit, sed non tardiùs quod desiderat obtinebit.

CAP. XXVIII.

In dilectione proximi quæ sit habenda discretio.

SI igitur proximum ad ipsius fructus societatem, quæ in Deo est, elegerimus, sana est ista electio. Sed hanc electionem si desiderium turpe, aut actus inordinatus subsequitur, tota electionis sanitas maculatur. Porro si ipsa electio peruersa fuerit, vt quod non oportet, eligat ad fruendum, & illa, quæ ipsam sequuntur electionem, peruersa esse constabit: & talis amor peruersus erit; cupiditatis, non charitatis censendus vocabulo. Sed quicquid aliud mens ad fruendum, præter Deum in seipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit; metas veræ dilectionis excedit. Sit ergo electio sana, desiderium competens, actus rationalis; & sic non excedet limitem charitatis. Sane desiderium ipsum ad duo debet extendi, & actus nihilominus dupliciter exerceri. Debet quippe desiderium ad hoc esse, vt sicut decet, mutuò nobis fruamur in Deo; & vt Deo inuicem fruamur in ipso. Quia homo ex corpore constat & animâ, actus vtique noster, quantum facultas suppeditat, vtrique debet prospicere. In his quantò quisque feruentior & prudentior, tantò vtique & in charitate perfectior: quantò autem affectuosior; tantò charitas ipsa constat esse suauior. Sicut autem ad hæc aliquando, vt diximus, affectus, aliquando mouet ratio; ita vtrumque ipsius desiderij modum actusque, pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti consideratione opus est, vt de ipsis affectibus quis sequendus sit, & inquantum sequendus sit, videamus.

CAP. XXIX.

Qui affectus admittendi non sint, & qui sequendi.

IGitur spiritalis affectus qui ex diabolo est, irrationabilis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitium, tres isti affectus non solum non sequendi, sed ne admittendi quidem sunt: immo quantùm fieri potest, à cordibus nostris radicitus eruendi. Porro spiritalis affectus qui ex Deo est, non solum admittendus, sed & omnibus modis excitandus est, & augendus. Habet autem hoc affectus iste proprium, vt plerumque modum nesciat, humanas non metiatur vires, corporeas passiones absorbeat, ac impetu quodam cæco irruens in amatum, solum id meditetur quod appetit, despiciat quicquid extra est; etiam quod graue, quod arduum, quod impossibile quoque, ac si leue ac vacuum, laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris iniurias, præ interni amoris delectatione non sentiat. Proinde vt voluntas iugi feruore calescat, vt illatas extrinsecus passiones patienter quis, immo gaudenter sustineat vsque ad ipsius desiderij motum affectus huius est impetus perferendus; ad voluntarios vero actus progrediens, ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coërcendus. Neque enim timenda est in interiori sanctitate nimietas; exterior autem virtutum exercitatio, de qua dictum est, *Noli esse nimis iustus*, (Eccl. 7. 17.) rationis est moderamine temperanda. Semper enim in actu ratio consulenda est, non sequendus affectus.

CAP. XXX.

Inquantum rationalis affectus sequendus sit.

RAtionalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, ceteris, quibus ad proximi dilectionem accendimur, constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium est ipse amor virtutis. Denique huic consentire affectui vtilissimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu facilius excitatur, tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed & desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium. Nihil enim obest, immo & prodest plurimùm, si eius desideremus præsentiam, cuius exemplo corrigamur si mali sumus, si boni promoueamur, si æque perfecti mutuâ collatione firmemur. Est autem præsentia sanctorum temporalis, & ipsa quidem desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis; ad quam tendimus, non terrarum spatia peragrando, sed sanctè, & iustè, & piè viuendo.

CAP. XXXI.

Officialis affectus in quo cauendus sit, in quo admittendus.

SEquitur officialis affectus, cæteris qui admittendi sunt, periculosior. Siquidem admittendus est, sed permaximè cauendus. Admittendus, ne sit ingratus officio; cauendus, ne non tam homini impertiatur, quam vitio. Quid enim cauendum magis, quam ne delinitus obsequiis, vel muneribus illectus, aut foueas vitia, aut faueas vitioso? Proinde, quamuis in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna sit babenda discretio, hoc attendendum, vt ipsius personæ dignitas diligentius inspiciatur, vt si forte eius meriti sit, affectus ipse officialis transeat in rationalem; & quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiat, quia virtutibus adornatus. Ipsa sanè obsequiorum, vel munerum redhibitio, secundum rationem, non secundum affectum impendatur. Sed & desiderium, quo amati præsentia desideratur, vel actus, quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur, non affectū. Ipse quoque affectus, qui hominem, sine alterius causæ respectu, sponte complectitur, per omnia temperandus.

CAP. XXXII.

Quis modus in naturali sit seruandus affectu.

IAm nunc in naturali affectu, quis modus seruandus sit, diligentius inquiramus. Hunc sane affectum, sicut non admittere impossibile est, ita non sequi, summæ virtutis est. Semper etenim affectus iste mollia suggerit, & suauia, quod iucundum, quod tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum, libenter amplectitur, quod vero arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit, & euitat. Quocirca huius affectus exequutio, amor peruersus est. Hic amor Saluatoris auctoritate interdicitur, cum dicit, *Qui amat animam suam perdet eam, & qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inueniet eam.* (Ioan. 12. 25.) Proinde, vt ait sanctus ille, *Si male amaueris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti.* (Aug. tract. 51. in Ioan.) Qui eam amat secundum affectum, vtique odit: quia *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* (Ps. 10. 6.) Qui verò odit secundum affectum, secundum rationem diligit. Ad hoc enim addidit *in hoc mundo*, quia quicquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. (1. Ioan. 2. 16.) Qui itaque animam suam secundum affectum amat in hoc mundo, amat quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat. Distinguendi sunt ergo illi amores, de quibus superius loquuti sumus, alter secundum affectum, alter secundum rationem. Naturale quidem est, quod homo erga se & suos affectum habet, sed amorem secundum affectum habere non debet, secundum rationem verò habere debet. Affectus ipse ostenditur, cum per Apostolum dicitur. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.* (Ephes. 5. 29.) Amor autem secundum affectum, ipsius Saluatoris voce interdicitur, qui ait: *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* (Luc. 14. 26.) Amor secundum rationem indicitur, cum idem Apostolus dicit; *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* (1. Tim. 5. 8.)

Amor

A Tim. 3. 1.

Amor secundum affectum arguitur, cum futura mala prænuntians idem Paulus, ait inter cætera, *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores, magis quam Dei.* Hic itaque modus in naturali seruetur affectu, vt habeatur quidem, & sentiatur, sed in omnibus, & per omnia, rationis moderamine temperetur.

Cap. XXXIII.

De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus.

Carnalis affectus, quem parturit quidem exterioris hominis ornatus, nec omnino respuendus est, nec ita vt se profuderit admittendus. Vicinus enim illi est affectus ille, qui ducit ad vitia; & nisi iste prudentiùs caueatur, ille sine sensu pœnæ patientis illabitur. B Ad hoc igitur affectus iste salubriter admittitur, si tantum suspense, & temperate quodammodo admittatur: vt videlicet, si virtus in eo claruerit, facilius amplectatur: si vero vitium, correctioni eius vehementius insistatur. Sicut enim in suauiloquio non est falsitas admittenda, sicut in duro rusticoque sermone non est veritas aspernenda; simili modo nec in homine exterius ornato vitium placeat, nec in homine duro & austero virtus displiceat. Quicquid enim de officiali affectu diximus, de carnali quoque sentiendum nihilominus arbitremur. Ab his tamen, qui adhuc carnalibus vitiis appetuntur consultè affectus iste respuitur, à quibus rarissimè, sine vitij titillatione sentitur. Proinde cum affectus noster quanquam rationalis, vel etiam spiritalis, vsque ad suspectam ætatem vel sexum sese protenderit, consultissimum est, vt infra ipsum mentis sinum cohibeatur, nec ad inania quædam blandimenta, mollesque teneritudines patiatur effluere: nisi fortè ob id aliquando maturè, ac temperatè progrediatur, vt virtus amata & laudata feruentiùs exerceatur. C

Cap. XXXIV.

Quod diuersi affectus in vna sæpius mente luctentur.

Dicendum adhuc de his affectibus, quod plures aliquando in vna mente compugnent, ac quodammodo inuicem se expugnare contendant. Quod cum contigerit, magna discretione opus est, vt quis cui præponendus sit agnoscatur; virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Deinde Abraham proprium filium immolare iussus, nequaquam ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit, sed cum naturalis, quo filium, spiritalis quo Deum amplectebatur, in sancti viri pectore compugnarent, superiorem inferiori præposuit: immo ob superiorem inferiorem contempsit. D Rom. 9. 3. Ipse etiam Apostolus cum ait, *Optabam aliquando anathema esse à Christo pro fratribus meis secundum carnem*, vt eos, proposita mirabili charitate sua, traheret ad salutem, affectum quidem, quem sentiebat, prodidit, consilium non expressit. Verum vtique dixit, quia quod affectu sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari, verum nihilominus dixisset; quia rationis consilium prodidisset. Saluator etiam noster, cum ex affectu naturali, quo *nemo vnquam carnem suam odio habuit*, proclamasset, Matth. 26. 39. *Pater si fieri potest transeat à me calix iste*, spiritali, quo patri semper inhæsit, rationis eum sub iure submisit, *Veruntamen* (inquiens) *non sicut ego volo.*

Ipse itaque ex affectu, quem à nobis, & pro nobis, voluntariè susceptt, vt transiret hora passionis, optauit; sed ex consilio rationis ipse, ne transiret, effecit. Proinde in his affectibus hæc ratio seruanda est, vt is, quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur: deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali. E

Cap. XXXV.

De vtilitate horum affectuum.

His itaque, quæ de affectuum dilectione dicta sunt, diligenter inspectis, patet, ni fallor, quæ in illis sit quærenda vtilitas. Illa nimirum, vt in eorum desiderium quæ diligenda sunt, ipsis affectibus, quasi amoris quibusdam aculeis excitemur; vt ipsum amorem, ipsorum affectuum infusa dulcedine, suauius, ac perinde diligentius teneamus: vt actus ipsos, quibus ad desiderata tendimus, quanto affectuosius, tanto delectabilius; quantò autem delectabiliùs, tantò feruentiùs exerceamus. Ipsum sanè desiderium, etsi secundum affectum excitari habet, rarissime tamen ipsum affectum sequi debet. F Similiter ad bonorum operum exercitia affectu excitari, & in ipsis operibus ex affectu teneri, vtilissimum est; sed ipsa opera secundum affectum ordinari, præter ordinem est. Nam ipsum desiderium secundum rationem vniforme est, quod in eo tantùm amore, qui ex affectu est; in eo autem, qui ex ratione, in sola voluntate computatur.

Cap. XXXVI.

De vsu amoris.

Patet ex præmissis in hoc constare charitatem, si mens ad fruendum eligat quod oportet, moueatur vt decet, competenter vtatur. De electione & motu satis ad præsens egimus, sed de vsu adhuc aliquid dicamus. Si ergo electio sana, motus integer fuerit, nunquid vsus peruersus erit? Sed in ipsius quem diligit adeptione, & motus variari potest, & æstimatio falli. G Potest enim aliquis etiam intentione recta, & competenti motu, eius, quem ad fruendum elegit, præsentiam comparare, in ipso tamen fructu & intentionem mutare, & variare * motum, & modum excedere. Verum quia in diuersis gradibus, meritisque diuersis proximi ordinantur, dicendum sanè est, vtrum omnibus, vel certè aliquibus frui debeamus, aut valeamus. Sed est fructus temporalis, quo inuicem in hac vita frui possumus, sicut Paulus fruitus est Philemone: Phil. à 0. & est fructus æternus, quo inuicem fruemur in cœlo, sicut se fruuntur Angeli pura mentium vnitate. Proinde cum frui sit cum gaudio ac delectatione vti, manifestum arbitror, in præsenti nequaquam nos omnibus frui posse, sed admodum paucis. Nam, vt mihi videtur, vti quidem possumus quibusdam ad probationem, quibusdam ad eruditionem, quibusdam ad consolationem, quibusdam ad sustentationem. Inimicis siquidem ad probationem, magistris ad eruditionem, senioribus ad consolationem, necessaria ministrantibus ad vitæ sustentationem. H Solis autem his, quos suaui quodam affectu complectimur, de quocunque modo bonorum genere sint, ad vitæ dulcedinem, ac spiritus delectationem. His igitur etiam in præsenti frui possumus, id est, cum gaudio ac delectatione vti. Quocirca charitas in hac vita, quantùm ad electionem, & motum, qui in actu est, exhiberi omnibus ab omnibus potest; quantùm verò ad fructum, à paucis, vel certè a nullo exhiberi omnibus potest. Pauci enim sunt, si tamen aliqui sunt, à quibus omne hominum genus non solum rationali, sed etiam affectuosa dilectione colatur. Denique ipsi Deo, à multis, & electione, & motu charitas exhibetur quibus ipsius dilectionis fructus non in hac vita conceditur, sed post hanc vitam in eius beatissima visione seruatur. Nam & hi, quibus in contemplationis lumine, compunctionis dulcedine quidam huius dilectionis fructus inchoatur, si ad futura gaudia spectes, non ipsi Deo frui dicendi sunt, sed potius vti. Nam illius dul-

* alias *desiderium.*

Quibus in hac vita frui valeamus.

A cordis suauissimum gustum, non tam pro fructu dilectionis, quam sustentatione infirmitatis, plerisque largiri satis manifestum est.

Porro non modicum huius vitæ solatium est habere cui affectu quodam intimo, ac sacratissimi amoris vniri possis amplexu; habere in quo requiescat spiritus tuus; cui se refundat animus tuus; ad cuius grata colloquia, quasi ad consolatoria quædam carmina, inter tristitia quæque confugias, ad cuius amicitiæ gratissimum sinum, inter tot sæculi scandala, securus accedas; cuius amatissimo pectori, ac si tibi ipsi, omnium cogitationum tuarum viscera sine cunctatione committas; cuius spiritalibus osculis, quasi medicinalibus quibusdam fomentis, languores tumultuantium curarum exsudes: qui tibi collacrymetur in anxiis, collætetur in prosperis, tecum quærat in dubiis; quem in secretarium tuæ mentis inducas, vt licet absens corpore, spiritu tamen præsens sit; vbi solus cum solo tantò dulciùs, quantò secretiùs fabuleris; solua cum solo confe-
B ras, ac interfluente Spiritûs sancti dulcedine, solus cum solo repauses; immo ita te ei adiungas & applices, & animum animo misceas, vt de pluribus vnum fiat. His igitur in præsenti frui possumus, quos non solum ex ratione, sed etiam ex affectu diligimus: inter quos his maximè, qui nobis spiritalis amicitiæ gratissimo fœdere, cæteris familiariùs, arctiúsque iunguntur. Cuius charitatis sacratissimus gustus, ne cui improbandus videatur, ipse IESVS noster, per omnia nobis condescendens; vni, non omnibus, suauissimi pectoris sui reclinatorium, in signum præcipuæ dilectionis indulsit: vt virgineum caput, virginei pectoris floribus fulciretur, ac thalami cœlestis odorifera secreta, fragantium spiritualium vnguentorum virgineis affectibus, quantò viciniùs, tantò copiosiùs instillarent. Hinc est, quod licet à piissimo magistro, discipuli omnes summæ charitatis dulcedine fouerentur; huic tamen hoc cognomen familiarioris affectûs prærogatiua concessit, vt diceretur discipulus ille quem
C amabat IESVS.

Ioan. 13. 23.

Cap. XXXVII.

Quomodo inuicem frui debeamus.

QVi igitur amico frui dulce habet, videat vt fruatur in Domino, non in sæculo, non in carnis voluptate, sed in spiritûs iucunditate. Sed quæris, quid sit frui in Domino. Dicit de Domino Apostolus Paulus. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio.* Cum igitur Dominus sapientia sit, sanctificatio, & iustitia; in Domino frui, est frui in sapientia, frui in sanctificatione, frui in iustitia. Sapientiâ vanitas sæcularis excluditur; Sanctificatione spurcitia carnis abscíditur; Iustitiâ assentatio omnis, adulatióque compescitur. Tunc enim *charitas est, si sit*, vt ait Apostolus, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non fictâ.* Purum cor suscipit sapientiam, pudicitia se-
D renat conscientiam, fides non ficta exornat iustitiam. Sunt qui se fruuntur in vanis & ludicris, in sæculi pompis, & mundi spectaculis, in studio vanitatis, & gaudio falsitatis. Hi non se fruuntur in sapientia, ac proinde non in illo, qui est Dei virtus, & Dei sapientia. Alij, quibus pene de homine nihil est, quos obscœna turpitudo transformauit in bestias, qui se in luxuriosis conuiuiis, & immundis fruuntur desideriis, quia se non in sanctificatione, quæ in castitatis suauitate consistit fruuntur; vtique in Domino, qui factus est nobis à Deo sanctificatio, non fruuntur. At hi, qui se assentatorie fruuntur, inuicem palpantes, inuicem consentientes, qui dum alterutrum cauent offensionem, mutuam incurrunt perniciem; quia non se in libertate fruuntur iustitiæ, in Domino non fruuntur. *Fruamur* itaque *inuicem in sanctificatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere*, id est, proprium corpus *in sanctificatione, & honore*, non in passione desiderij. Frua-

1. Cor. 1. 30.

Timot. 1. 5.

1. Thess. 4. 4.

E mur in iustitia, vt in spiritu libertatis mutuò cohortemur, mutuò corripiamus; scientes quia *meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta inimici oscula*, Ergo si mutua delectat verborum collatio, sit sermo de moribus, sit sermo de scripturis, nunc de miseriis huius vitæ congemiscamus, nunc in spe futurorum bonorum congaudeamus, nunc mutui secreti reuelatione recreemur, nunc simul ad illam beatam visionem IESV, ac bona cœlestia suspiremus. Si verò quod nonnunquam vtile est, tensum animum ad inferiora quædam, ac iucunda laxemus; laxamenta ipsa plena honestatis, vacua leuitatis; & si careant nimio pondere, non tamen careant ædificatione.

Prou. 27. 6.

Cap. XXXVIII.

Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, proximisque consulere.

F RΕstat vt de actibus nostris, quibus vel specialiter ad Deum tendimus, vel nostræ necessitati, proximorum necessitati simul, & saluti consulimus, quemadmodum secundum rationem ordinandi sint, pro posse nostro breuiter dicamus. Videtur Apostolus omnem perfectæ vitæ statum paucis insinuasse sermonibus, *Sobriè* (inquiens) *& iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Est enim sobrietas, humanæ vitæ modus quidam, ac temperantia, vtramque nimietatem prudenter euitans, & regiâ viâ, inter dextram, & sinistram, cursum nostrum deducens. Cum enim ille, ad quem summè tendimus, summus quidam modus sit, cui nihil deest, nihil superfluit, nihil deficit; ad quem cum peruenerimus, nihil erit exterius quod appetamus, nihil interius quod fastidiamus: necesse profectò est, vt nosmetipsos in quadam mensura, modoque seruemus, nec infra quam necesse est dilabamur, nec supra quam oportet, pestiferâ præsumptione fe-
G ramur. Iustitiam sane ab Apostolo illam hîc æstimo nominari, qua proximorum necessitati siue saluti consulentes, & in ipsis beneficiis quid cui conueniat, quis cui præferendus sit discernentes, quod iustum est cuique tribuimus. His autem duabus virtutibus sobrietatis, & iustitiæ, ne de his Philosophi, vel quilibet à Christi fide alieni glorientur, consultissimè addidit pietatem, quæ in fide sincera, & pura intentione consistit. Porro ipsa intentio in amoris electione, de qua iam disputatum est, constare videtur. Hic fortasse rector exiget, vt viuendi modum vnicuique præscribamus. Quod quam sit arduum, difficileque tractatu, quis non videat? cum tot sint hominum qualitates, quot homines; nec saltem duo inueniantur, quibus cuncta æque conueniant. Nam quod vni satis est, hoc alteri parum est, quod iste proficit, ille deficit; & quod alteri necessarium est, alteri constat esse superfluum. Dicendum tamen aliquid videtur, quod conueniat omnibus, quod quisque sibi possit aptare, & vtrum ne-
H cessarium viuendi modum excedat, districtâ possit ratione conjcere.

Tit. 2. 12.

Cap. XXXIX.

De tribus ordinibus humanæ conuersationis, & primo de naturali ordine.

IGitur tres ordines humanæ conuersationis occurrunt, primus naturalis, secundus necessarius, tertius voluntarius. Primus conceditur, secundus indicitur, tertius offertur. Primus ex potestate, secundus ex necessitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, secundo misericordia, tertio gloria. Est enim ordo naturalis, vt qui nulla commisit illicita, si velit ipse, licitis vtatur, licitè tamen. Est autem licitus, verbi gratia, vsus carnium, vini, potus, vsus coniugij, diuitiarum possessio.

Modum

A Modum sanè quendam seruandum omnibus, nec quolibet pacto à quolibet excedendum, Saluator ipse præscribit dicens. *Vide te ne grauentur corda vestra in cra-*
Luc. 21. 34. *pula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* In vsu igitur cibi & potus, hic modus seruandus est; vt in eorum perceptione, infra crapulam & ebrietatem, se quisque contineat. In vsu cæterorum, quibus licitè vtuntur homines, quis modus seruandus sit, diligens inquisitor per se inueniet. Iam nunc de ordine necessario aliqua perstringamus.

Cap. XL.

De necessario ordine.

EST quippe ordo necessarius, vt qui commisit illicita, ab vsu licitorum sese restringat. In qua restrictio-
B ne duo consideranda sunt, modus scilicet satisfactionis, & necessitas purgationis. Modus satisfactionis, vt secundum modum culpæ, rigor continentiæ extendatur; quatenus secundum Baptistæ vocem, dignos pœniten-
Matt. 3. 8. tiæ fructus faciamus. Verù non satisfactionis modus tantum seruandus est, sed etiá purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione à licitis continendum, sed etiam pro expellendis, vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia, interioris hominis instrumenta, quibus & passiones vitiosæ, quæ ipsam inficiunt animam, faciliùs abscinduntur, & interiores faciei sordes, quasi confectione quadam asperiori pleniùs diluuntur. Proinde suæ purgationis sollicitudo, primo necesse est vt passiones, quibus impugnatur, attendat; deinde quæ sint, quibus maxime fatigatur, inspiciat; postremo quæ instrumenta, quibus passionibus magis obuient sagaciter perquirat. Quibus inspectis, congruum instrumentum cuilibet passio-
C ni obiciat, & quæ magis impugnat, feruentiori instantiâ, vt ipsa obruatur, insistat. Denique passionem libidinis facilè comprimit ventris restrictio; vagum cor & instabile vigiliarum confirmat afflictio; iram silentium mitigat; tædium mentis operis sollicitudo castigat. Nec sic tamen vnius passionis extinctioni, tota vehementia insistendum est, vt ad cætera comprimenda instrumentum corporale despiciat; nec importuniùs laborandum est, vt non quælibet passio sentiatur; sed cum surrexerit, vt secundum rationis iudicium compescatur.

Cap. XLI.

De ordine voluntario, & quis in eo seruandus sit modus.

SEquitur ordo voluntarius, à nobis deinceps inspi-
Ps. 53. 8. ciendus, de quo Psalmista. *Voluntarie* (inquit) *sacrifi-*
D *cabo tibi.* Est quippe holocaustum gratuitum acceptabilis hostia, sacrificium voluntarium; cum quis ab his, quæ concessa sunt, per ea, quæ præcepta sunt, ad ea, quæ potioris gloriæ præmia suspirantibus proposita sunt, spiritus libertate conscendit. Ad quod perfectionis culmen, feruentiores quosque Saluator inuitans,
Matth. 19. 21. *Si vis* (inquit) *perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Et alias. *Sunt spa-*
Matth. 19. 12. *dones* (inquit) *qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Itaque sæculi abrenuntiatio, castitatis propositum, cuiuslibet arctioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur. Absit enim vt ista vitæ perfectio, quam voluntariè subiit quis, non coactus; inter necessaria & coactitia, & non potius inter voluntaria numeretur: cum & ipsa necessitas, quam inuito nullus imposuit, sed cui ipse se, desiderio perfectionis, sponte subiecit, voluntaria dicenda sit, non coactitia.

Qui igitur ad hæc excelsa & sublimia sese contulerit
E primo voti vel propositi sui normam, in quibus & in quantis constet, diligenter inspiciat; deinde interioris, & exterioris hominis vires, experientiæ libra trutinet & discernat. Vires dico interiores, quibus contra tentationum bella, exercitatione quotidiana confligat; vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autem in quemlibet statum proficienti, necessarius sit & interioris, & exterioris hominis labor, ei tamen, quem adhuc carnis passiones impugnant, necessaria magis est hominis exterioris afflictio. Ipsis autem passionibus sopitis vel extinctis, licet ab exterioribus modicum temperare; ipsa autem spiritalia instantiùs & feruentiùs exercere. Nec sic tamen, vt professionis suæ normam præsumptuosus excedat; nec temporum distinctiones, quæ in regula, cui se subdidit, præscribuntur, destruat vel confundat; sed seruato cuilibet operi tempore præstituto, in ipsis se vel sedatius, vel feruentiùs, sicut vtile sibi norit,
F exerceat.

Cap. XLII.

Item modus in ipsis exercitiis seruandus describitur.

HVnc sane modum in ipsis exercitiis, quemlibet seruare vtile est, quatenus sic se in vno habeat, vt in cæteris non deficiat: illud tamen, in quo se magis proficere sentit, maiori feruore exerceat. Habeo ad manum de hac re cuiusdam verba sapientis. *Meditatio* (inquit) *in moribus primo consid rat quæ debita sunt, siue ex præcepto, siue ex voto, & ea primum agenda indicat, quæ sic facta habent meritum, vt non facta generent reatum.* Hæc ergo primum facienda sunt quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc, si quid voluntariè superadditur, sic faciendum est, vt debitum non im-
G pediatur. Alij volunt quod non debent, qui non valent id quod debent: alij & si valent quod debent voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item duo mala in bona actione præcipue cauenda sunt, afflictio scilicet, & occupatio. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur; per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est quando pro his, quæ non valet, per impatientiam vritur. Occupatio quando in his, quæ valet agendis, per intemperantiā agitatur. Ne igitur malè amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat; ne autem malè occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

Cap. XLIII.

Quid homo proximo suo debeat ostenditur.

H HÆc de modo, de singulis seruando gradibus, dicta sint; quo ad eum, qui summe diligendus est, contendentes, & animæ saluti consulimus, & corpori debitá naturæ concedimus. Quoniam autem proximum, æque vt ipsi, à nobis diligi diuina tradit auctoritas, primo necesse est, vt, cui quis ordo conueniat, nos minimè lateat, deinde summopere elaborandum, ne quis in quolibet ordine præscriptum viuendi modum excedat. Sed quia quosdam præesse, quosdam subesse, quosdam coesse manifestum est, cum à quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem inferior superiori suggerere, par parem corripere, superior inferiorem etiam, si sit necesse, compellere.

Ipsa sane correptio siue compulsio, secundum qualitatem singulorum temperetur; vt in suggestione subiectio, & in correptione dilectio, & in compulsione sentiatur compassio. Qui in superiori ordine

A legitimè obseruatur, vt ad superiora conscendat, moneri potest, cogi autem non potest. Qui superiori sua se sponte submisit secundum professionis suæ modum tractari debet, ad altiora compelli, eius inconsulta voluntate, non debet.

CAP. XLIV.

Quomodo sibi & proximo exhibenda sit dilectio.

Math. 22. 39. SCriptura ait, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Consultè non ait, *Diliges proximum tuum* quantum teipsum, sed *sicut teipsum.* Modum ergo diligendi præscripsit, non quantitatem indixit. Sic autem sua sibi exhibeatur dilectio, vt proximo animæ suæ, quæ potior sui pars est, consulat ad salutem, deinde corpori ad necessitatem. Quod si aliquando incumbat necessitas alterum contemnendi, etiam corporis patiatur interitum, dum tamen animæ non sustineat detrimentum. B Nec hoc est corpus odire, sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione nunquam recedat, & ad consulendum proximo securus accedat. Agat ergo cum proximo, quantum potest vt & saluus corpore, & sanus sit mente. Nam si alterum horum negligit, profectò proximum, qui ex vtroque constat, non diligit. Nullà sane ratione vel præcepto compellitur, suæ animæ perditione, animæ fraternæ comparare salutem, nec sui corporis interitu, fraterni corporis interitum propulsare. Nam quod præcipimur animas pro fratribus ponere, ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim non ad perditionem, sed potiùs ponitur ad salutem. Vnde sic animam ponere, ipsi vtique animæ consulere est. Sed & illud fortè laudabiliter fieri potest, vt ex sola dilectione quis, pro alterius corpore, suum corpus objiciat: vt autem, non dico pro vnius animæ, sed etiam pro totius mundi salute, suæ animæ detrimentum sustineat saluo veræ dilectionis ordine, fieri non potest. C Math. 16. 26. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest ei, si lucretur vniuersum mundum* etiam ad salutem, *anima autem sua detrimentum patiatur?* Est enim detrimentum animæ, ab eius, qui summè diligendus est dilectione recedere. A Dei dilectione receditur, cum vel aliquid dignum damnatione committitur; vel aliquid, sine quo non est salus, prætermittitur.

Quicquid autem, præmissa ratione, fraternæ dilectioni adjicitur, totum profectò diuinæ dilectioni subtrahitur. Cum enim secundum modum, quo Deum diligit, sui dilectio metiatur, tunc solum minus diligit seipsum, quando minus diligit Deum. Porro seipsum qui diligit, cuius perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut seipsum, qui non diligit nec seipsum? Nam Rom. 9. 3. & Apostolus cum ait, *Optabam aliquando anathema esse a Christo pro fratribus meis*, affectum quidem prodidit, consilium non expressit. At quam diuersa in vna mente suggerant affectus & ratio, superius satis ostendimus. D Vnde Apostolus cum illud diceret, verum quidem dixit, quia affectum, quem sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari: verum nihilominus dixisset, quia rationis consilium prodidisset. Illud tamen quod ait, *Optabam anathema esse à Christo, pro fratribus meis*, sic quoque non inconuenienter potest intelligi, vt ab illo orationum suarum secreto, quo inter amplexus IESV suauiter quiescebat; ab illa ineffabili contemplationis eminentia qua cœlestium mysteriorum secreta, purissimis oculis perlustrabat; ab illa gratissimæ compunctionis dulcedine qua animam illa cœlestia sitientem, spiritualium affectuum suauissimis stillulis perfundebat; ad mundi strepitum, ob fratrum salutem, optauit euocari. Quam euocationem, à Christo separationem, ille non ambigit nominandam; qui pro modulo suo gustat & videt, quoniam dulcis est Dominus, quam beatus omnis qui sperat in eo. Porro qui sic à Christo separari, vel fraterna dilectione prouocatus elegit, E vel superiorum auctoritate coactus consensit; prouidendum sibi est ne obruat ista necessitas, & pereat illa suauitas.

CAP. XLV.

De quibus dispensatio fieri possit.

SVnt itaque media quædam, vtpote Lectio, Meditatio, Labor corporis, Ieiunium ventris, Suauitas orationis, cæteraque huiusmodi; quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutanda nonnunquam etiam sunt prætermittenda: de quibus Apostolus, *Non quæ sua* Phil. 2. 4. *sunt (inquit) singuli quærentes, sed quæ aliorum.* Et item. 1. Cor. 10. 33. *Sicut ergo per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est sed quod multis, vt salui fiant.* Verum quod de lectione, vel oratione diximus, etiam de commodis corporis, immo de ipso corpore sentiendum est: vt quicquid pro sua salute contemnendum, impendendum, F variandumque perspexerit; pro salute quoque proximi, idipsum faciendum agnoscit. Hoc sanè prouidendum vt ipsa mutatio vel variatio, dispensatio sit, omnimoda non destructio. Cum custodia charitatis vitiorum emendatio, vt ipse Beatus Benedictus insinuat, ipsius institutionis causa sit; sic profectò ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione magis, quam institutione nutriuntur vitia, charitas violatur; certe * periculosa ipsa dispensatio comprobatur. (* alias periculoso.)

CAP. XLVI.

De modo dispensationis.

ERgo qui ordine voluntario ad culmen perfectionis aspirat, primo charitatem, qua Deo maximè propinquamus, immo qua Deo inhæremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit, G quasi destinatum finem, quo cursum suum dirigat, indesinenter aspiciat: deinde viâ, quam ei voti, vel professionis suæ norma præscribit, ad eius plenitudinem infatigabilis spiritûs alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulentur vigiliæ, inuigilet lectio, quotidianus labor insudet. Quod si aliquo horum charitas, cuius causa instituta sunt, violari cognoscitur; tunc demũ ei, cui dirigitur, tẽperet ac disponat, quatenus non horum causa charitas deseratur, sed eius fructus in omnibus requiratur: nec sic tamen, vt aliqua eorum, quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora, certis quibusque exercitiis attributa confundantur, nisi extrema cogat necessitas; alioquin non erit dispensatio, sed destructio: sed vt certis temporibus certa exercitia pro cuiusque qualitate, ac mentis statu modificentur. Hoc est quod ipse Sanctus, cum de opere manuum legem poneret, *Sic* (inquit) *omnia temperet atque disponat, quatenus animæ saluentur, quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant*, Et alias. *Omnia tamen mensurate faciant propter pusillanimes.* H Nunquid dixit hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes? *Immo & infirmis* (inquit) *& delicatis talis ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur.* Ergo & infirmi & delicati operentur, sed eorum opus sic temperetur, vt non opprimantur. Quem rogo de opere absoluit, ad quod etiam infirmos & delicatos compellit?

CAP. XLVII.

De optima lege claustralium.

Ps. 72. 23. V*T iumentum factus sum apud te.* Vere vt iumentum facti sumus, quocunque ducimur sine contradictione euntes, quodcunque imponitur, sine reluctatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus, otio aut dissolutioni nullum tempus. Est quidem cibus parcior, vestis asperior, potus è fonte, somnus plerumque in codice. Quam illud quoque mirandum, quod innumeris

homi

A hominibus, vnius hominis voluntas est lex? Adeo, vt quod semel ex eius ore elapsum fuerit, tantâ curâ seruetur ab omnibus, ac si in id omnes coniurauerint, vel ab ipsius Dei ore audierint. Et quod miro modo delectat, nulla est personarum acceptio; nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diuersitatem, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur, distribuitur singulis, non vt carnalis affectus aut priuatus amor dictauerit, sed prout cuique opus fuerit.

Cap. XLVIII.

Quare laborent aliqui sub iugo Christi.

Matth. 11. 29. INuitat nos Dominus ad requiem dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos*, &c. Sane charitas est iugum illud suaue, & onus leue, ad quod nos Saluatoris inuitat clementia *& inuenietis* (inquiens) *requiem*
B *animabus vestris.* Verum quia plerique nostrum, qui videmur huic iugo supposuisse ceruices, in multis conuincimur laborare, conemur ostendere cupiditatis iugum hunc parturire laborem. Radix enim omnium malorum cupiditas, sicut è diuerso radix omnium virtutum charitas. Proinde quandiu in ipsis animæ præcordiis, radix hæc virulenta resedit, licet summatim quidem ramusculi recidantur, germine rediuiuo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa euulsa radicitus, vnde perniciosissima vitiorum soboles oritur, vlterius non relinquatur.

Cap. XLIX.

Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur.

SAne labor iste, de quo causamur, non carnis sed
C cordis est; sicut & requies, de qua hîc agimus, cordis constat esse non carnis, quanquam exterioris labor pro interioris qualitate formetur, nec dicendus sit exterior labor vllus si interior fuerit nullus: verbi gratiâ, attende venatores, vel aucupes, vel quoslibet talium vanitatum sectatores. Si exteriores corporis motus perspexeris, quid laboriosius? Si mentis qualitatem, quid delectabilius? Idipsum etiam in laudabilibus videre facillimum est. Quantus Apostolis labor exterior, cum in carcerem truderentur, cum astringerentur vinculis, cum flagris acerrimè cæderentur? & tamen *ibant gauden-*
Actor 5. 41. *tes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Quoniam multis tunc sacrilegis similis pœna? sed quia dissimilis conscientia, illi vtrobique miseri, & interiùs & exteriùs laborabant; isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exultabant.

His igitur diligenter inspectis, patet profectò nequaquam exteriores corporis passiones, interiorem partu-
D rire laborem, sed radicem interius visceribus residentem, quicquid exterius accidit, pro sui conformare naturâ. Quid enim est, quod duobus ad eandem mensam residentibus, eisdem appositis cibis, alter exultat, murmurat alter? Quid quod eisdem exceptis vulneribus, alter tristitiæ languore deijcitur, alter mira iucunditate perfunditur? Duo simul orbitatis siue paupertatis infortunio feriuntur; & tamen iste blasphemat; gratias agit ille. Eadem species vtriusque ingeritur oculis, & vnus turpiter commouetur, alius solita sibi pace perfruitur. Oblata occasione honoris cuiuslibet, alter dominandi libidine inflammatur, alter aspernatur.

Cap. L.

Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate; cupiditas omnia corrumpat sua peruersitate.

NOnne & in corporibus idipsum accidere manifestum est, vt pro sanitatis vitijve qualitate, ea, quæ exteriùs accidunt, aut molesta experiuntur aut grata? Nam cibus qui morbum auget alterius, alterius proficit sanitati, & sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano iucundius illucescit. Sicut ergo in corporibus pro interioris naturæ modo, ea, quæ exteriùs adhibentur, aut salubria inueniuntur, aut noxia; ita perspicuum est ex interna mentis qualitate, huius requiem, istius pendere laborem. Mentem enim, quam suauissimum ac tranquillissimum Domini iugum, charitas videlicet perfecta possederit, in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundit: non sinens eam vllis rerum perturba- F
tionibus commoueri, sed ipsas rerum perturbationes, ad sui profectus vsum prouenire compellens. At si mens grauissimo fuerit iugo cupiditatis addicta, quandiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, dominici iugi suauitatem requies temissa mentitur; sed causa cuiuslibet indignationis obortâ, mox de cordis recessibus, quasi de abditissimis cauernis, bestia sæua prorumpens, durissimis passionum morsibus miseram animam lacerat & cruentat, nullum pacis, nullius ei requiei tempus indulgens. *Computrescat* itaque *iugum à facie olei*, iugum Isa. 10. 27.
scilicet cupiditatis à præsentia charitatis, & statim experitur sarcina Christi quam sit leuis, quam suauis quam iucunda, quam in cœlum rapiens, & à terra eripiens. Quocirca si requiei huius dulcedinem volumus experiri laboris nostri causas & radices sollicitè exquiramus, non affectu rapido, quasi ferro retuso, exteriora tantum recidentes, sed ad ipsas morborum origines, vehementiori desiderio penetrantes. G

Cap. LI.

Quod à triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur.

PVto autem quia, si subtilius indagemus, quicquid nobis laboris oboritur, vel carnis à concupiscentia, vel à concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, quasi quibusdam venenosis fontibus deriuari, manifestissime cognoscemus. Si ergo adhuc cibus me contristat asperior, laborem mihi concupiscentia carnalis indicit, nec ideo laboro quia iugum Christi suscepi, sed quia non plenè iugum cupiditatis abieci.

Quod si lautioris edulij inflammatus ardore; vilioris appositione conturbor vel si solito minùs, si vel tardiùs, vel negligentius præparetur, murmurationis peste consumor; Quis mihi has parit angustias, passio cupiditatis, an suauitas charitatis? H

Cap. LII.

De concupiscentia oculorum.

COncupiscentiam oculorum, curiositatem sancti patres appellant, & eam non solum ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimant pertinere. Ad exteriorem curiositatem pertinet omnis superflua multitudo, quam amant oculi in variis formis, in nitidis & amœnis coloribus, in diuersis opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diuersisque figmentis, vsum necessarium & moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad illecebras experunt oculorum, foras sequentes quod faciunt intus; relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt. Inde etiam in claustris quorundam monachorum, grues & lepores,

A damulæ, & ecrui, picæ & corui, non quidem Antoniana vel Machariana instrumenta, sed mulicbria oblectamenta; quæ omnia nequaquam monachorum paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt.

CAP. LIII.

De interiori curiositate.

CVriositas interior in tribus consistit, in appetitu scilicet noxiæ, vel inanis scientiæ; in peruestigatione alienæ vitæ, non ad imitandum, sed ad inuidendum si bona est, vel insultandum si mala, vel certe sola curiositate tantùm, vt sciatur, siue mala sit siue bona; postremo in curiosa quadam secularium rerum, vel actuum agnitione. Ex quibus omnibus, mentibus captiuatis non modicus labor innascitur. Inde est etiam, quod cum tota die inanibus spectaculis dediti, vel ru- B moribus audiendis intenti, à nobis quodammodo exierimus, reuertentes, iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus; & cor plenum simulachris, ad locum quietis ferentes noctes ducimus insomnes, variaque negotia in ipsa psalmodia, vel orationibus nostris, otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, attentantur; exploratio scilicet suæ sanctitatis, per miraculorum exhibitionem, quod est Deum tentare. Vnde, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Deut. 6. 16.

CAP. LIV.

De quorundam sententia, qui exteriores labores charitati, & interiori dulcedini dicunt esse contrarios.

SEd assiduis (inquies) vigiliis corpus tabefacere, quo- C tidianis laboribus carnem affligere, vilissimis cibis membrorum labefactare vigorem, non solum non modici laboris, sed & ei, quam tantopere niteris commendare, adeo charitati constat esse contrarium; vt totam mentis suauitatem euacuans, omni eam spiritali dulcedine reddat effœtam. Hæc est illa ridenda quorundam opinio, qui spiritalem dulcedinem in carnis quodammodo suauitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui, exteriorisque hominis passiones, interioris minuere sanctitatem. Cum enim (inquiunt) caro ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est suas inuicem communicent passiones, ac sit impossibile vt non huius oppressione alterius hilaritas perturbetur, ita vt in illud gaudium spiritale, mœroris quadam anxietate deiectus, spiritus nullatenus valeat respirare: Acute hæc vel inuestigari videntur, vel probari. O rem pudendam! secundum regulas Hippocratis gratia quæritur spiritalis. Sic nimirum, sic errant, qui physicis argumentis magis, quam D præceptis Apostolicis innituntur. Ipsius namque sunt hæc, qui super ventrem repit, qui terram comedit, qui sub vmbra dormit in locis humentibus, qui negotium ventris & libidinis, sub colore actitat sanctitatis. Sic enim facilius simplices quosque ab Apostolica paupertate & Euangelica puritate cogitant exterrendos, si maiorem diuinæ dulcedinis gratiam, in remissiori vita sibi æstiment affuturam.

Plane hæc est sapientia non desursum descendens, sed prorsus terrena, animalis, diabolica. Hæc est * prudentia verbi, sapientia carnis, quæ cum suauitatem doceat carnis, crucem Christi euacuare contendit: in qua profectò, quantum ad carnem, nihil est suaue, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa euacuatur. Illa potius hanc delicatam doctrinam euertit, quam claui sacris indita membris expugnant, quam lancea illa, dulcibus impressa visceribus, acumine salutari debellat. Ego prorsus contra sentio, audacterque pronuntio, carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, & fuerit] seruata discretio, quam tamen non propria coniectura, sed exemplis maiorum capere oportet, ne forte remissio & dissolutio sub colore se discretionis oppallient, sic (inquam) carnis afflictionem non spiritui contrariam, sed necessariam; sed nec diuinam minuere consolationem, sed potiùs sentio prouocare; adeo vt hæc duo semper æquari in hac dumtaxat vita existimem, exteriorem scilicet tribulationem, & interiorem consolationem. Quid enim? Fortè Deus huic diuitiis, & deliciis affluenti, suæ consolationis dulcedinem impertit, quam à pauperculo suo, pro se quotidie moriente, rigida censura suspendit? Absit, absit. Absit hoc de illo dulcissimo, suauissimo, compatientissimo sentire vel credere: sed si ego dico, potes forsitan dubitare: si autem Christus dicit, hæreticum est non credere. Quid ergo (inquis) tuæne sententiæ magis, quam propriæ credam experientiæ? Et quid si alius, longe aliud, se testetur expertum? Certè ille, quo magis affligitur, eo maiorem diuinæ dulcedinis gratiam experitur. Plane cui vult miseretur. F

* Lego prudentia non verbi, sed sapientia carnis.

CAP. LV.

Apostolicâ & propheticâ auctoritate, præmissa sententia confutatur.

ACcedat ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur, qui quotidie pro Christo moritur, qui omnem tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores, qui castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, qui non gratis panem suum manducat, sed in fatigatione nocte & die operatur, cuius manus & sibi, & qui cum eo sunt, necessaria subministrant, qui denique in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate sub signis IESV, acerrimus miles insudat: ille (inquam) hanc dirimat quæstionem, vtrum tanta tribulatio, tam mira fatigatio, consolationem ei subtraxerit G spiritalem, ostendat. Dicat ergo Paulus, vtrum suos in præsenti tribulatione, pius ille consolator sine consolatione relinquat, & hæresim Iouiniani iterum pullulantem, sua auctoritate præoccupet. Perniciosior tamen hæc hæresis, quam Iouiniani videtur; nam cum illa epulas abstinentiæ æquarit, ista præponit. Ergo qui maiorem diuinæ dulcedinis consolationem, in carnis suauitate quam tribulatione constituunt, Paulum audiant dicentem. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 1. 3. Siue ergo ieiuniis maceremur, siue afficiamur vigiliis, siue laboribus atteramur; *benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et si lapidibus obruamur, etsi vinculis astringamur, etsi cædamur virgis, etsi carceris toleremus angustias; *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Fremat diabolus, sæuiat mundus, insectetur odiis, aggrediatur maledictis, diripiat sub- H stantiam, commaculet famam; *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus* (inquit) *& ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Et hic non his qui in diuitiis & deliciis, sed his qui in omni pressura sunt, suam consolationem promittit. Et nihil quæstionis relinquens adiecit. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Cor. 1. 5.

Quid manifestius? Hoc est plane quod paulo ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores passiones, & interiores consolationes. Deniq; Salomon, quibus diuina consolatio sit infundéda, mysticis verbis declarat dicens. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro animo sunt. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris non recordentur amplius.* Prou. 31. 6. Apertè his verbis vinum illud, quod lætificat cor hominis, non otio dissolutis, non diē in cachinno, & fabulis expendētibus, sed his, qui amaro sunt animo repromittit: siceramque illam, quæ de pomis nouis & veteribus, quæ in sponsi deliciis sponsa conseruat, conficitur, non epulantibus & potantibus, sed

propter

A propter angustias huius vitæ mœrentibus, & egestate, & dolore laborantibus, pronuntiat esse donandam. *Bibant* (inquit) *& obliuiscantur egestatis suæ*; laboris videlicet magnitudinem, diuinâ consolatione asserens minuendam. Cui sententiæ apertissimè concinit Psalmi-
Psal. 93. 19. sta. *Secundum multitudinem* (inquiens) *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

O consolatio quæ infirmos sanat, debiles roborat, alleuat desperatos! Ipsa est consolatio gementibus, pausatio laborantibus, tentatis protectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem deuoluuntur, vel viles quasdam consolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certè in propriæ voluntatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Pro-
Ps. 76. 4. pheta contemnens, *Renuit* (inquit) *consolari anima mea.*
Quid ergo? Sine omni consolatione relictus es? Absit.
B *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Nemo ergo arduam illam viam quæ ducit ad vitam, exhorreat. Nemo remissionem, quam semel abiecit, timida infelicitate repetat, sed sicut ait noster legislator, sustinens non lassescat, nec discedat, sciens, quia secundum multitudinem laborum, quos tolerat pro Christo, consolationes eius lætificabunt animam illius. Verum gustata dulcedine spiritali, non statim otio dissoluaris, mox enim è latere spiritalis insurget Amalech, non armis, sed orationibus euincendus. Quoties enim in tentationibus animus plus nimio fatigatur, sollicitâ orationum deuotione ad materna vbera Iesu properandum, ex quorum abundantia lac tibi miræ consolationis eliciens, dicas cum Aposto-
2. Cor. 1. 3. lo. *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et, *sicut abundant passiones Christi in nobis, ita*
2. Cor. 1. 5. *& per Christum abundat consolatio nostra.*

C A P. LVI.

C *Quomodo charitas & cupiditas in proficiente operentur.*

HActenus hæc furte non inutiliter præmisimus; quæ omnia si attente, si diligenter, postremo si humiliter inspiciantur, erit ni fallor perfacile intueri, conuersum quemlibet ex noua charitatis infusione, alacri conatu, ac leuissimis quibusdam mentis suæ motibus ad altiora sustolli: sed cupiditate deorsum premente, & omni, cui inhæserit, naturali pondere ad ima semper vrgente, in ipso suo conatu nonnihil laborare; & quantò frutex perniciosa altiùs in ipsis animæ recessibus, radices infixerit, tantò in earum auulsione maior difficultas, perinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis, ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus agrum suum, paruà licet ex parte tribulis, ac spinis obsitum tardiùs euacuat, & emundat; impiger autem, ac sollicitus, ac huius disciplinæ industrius, etiamsi om-
D nem agri superficiem occupauerit, veprium densitatem citiùs eradicat, ac de sterili & infœcundo, pinguem reddit & vberem: sic nimirum abrenuntians quis mundo, si tardus, si tepidus, si suæ purgationis minus fuerit curiosus, quanquam in sæculo minus extitit inquinatus, tardus in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem: at si feruens spiritu, si diligens ac sollicitus, si discretionis virtute fundatus, assumptis spiritalium exercitiorum instrumentis, vitiorum germina ab agro cordis sui potenter euellat, in aures conscientiæ purioris citiùs respirabit, ac iugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionum, inueniet quia *iugum Domini suaue est, & onus eius leue est.*

* *

*

C A P. LVII.

E *Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriàque iucunditas.*

SIcque probabit expertus, non modo nullius laboris, imo summæ esse iucunditatis, pudicitiæ suauitate perfundi, quanquam onerosum sit naturalia incentiua, immundaque desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt, fræno temperantiæ cohibere. Similiter non solum iucundum, sed insuper gloriosum, cum gulæ fuerit concupiscentia separata; non se seruum sui ventris, sed Dominum intueri: illa mirâ exultatione tripudians. *Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse. Scio* Phil. 4. 11.
humiliari, scio & abundare (vbique & in omnibus institutus sum) *& esurire, & satiari, & abundare, & penuriam pati.* Sed & amor carnis si fuerit perfectè sopitus, vel certè igne diuini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor; quia non poterit mens eius afflictione turbari, cuius non potest dilectio dissolui. Suauitas ergo iugi Dominici, & leuitas oneris eius, in voluptatum contemptu consistit. Nemo ergo æstimet maiorem in vitus, quam in virtutibus esse delectationem. F

DIVI AELREDI ABBATIS Riuallensis

SPECVLVM CHARITATIS.

Epistola cuiusdam ad Aelredum de sequenti opere.

EST quidem Sanctorum virtus permaxima humilitas; sed si vera, sed si discreta: neque enim humilitas in parte constituenda est mendacij, nec in obedientiæ sacrilegio conseruanda. Rogaui fraternitatem G
tuam, imo præcepi, imo sub attestatione diuini nominis adiuraui, vt mihi pauca quidem scriberes, inter quæ etiam quorundam querimoniis, qui de remissioribus ad arctiora nituntur, obuiares. Non damno, non reprehendo excusationem; sed prorsus obstinationem accuso. Fuerit humilitatis excusasse; sed nunquid humilitatis est non obedire? nunquid humilitatis est non acquiescere? Imo *quasi peccatum ariolandi est repugnare, &* 1. Reg. 15. 23.
quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Sed clamas fœmineos humeros graui sarcinæ subducendos, cautiusque onus oblatum non subire, quam sub fasce, cum subieris, ruere. Sit ergo graue quod iubeo, sit arduum, sit impossibile. Sed nec sic excusationem habes. Persisto in sententia mea; præceptum ingemino. Quid facies? Nonne is, in cuius verba iurasti, Sciat, (inquit) iunior hoc sibi expedire, & confidens de adiutorio Dei obediat? fecisti vtique quantum debuisti; si non plus quam H
debuisti: quousque licuit, processisti. Causas tuæ impossibilitatis ostendisti, dicens te minus grammaticum, imo penè illiteratum, qui de coquinis, non de scholis ad eremum veneris: vbi inter rupes & montes, agrestis & rusticus victitans, pro diurno pane in securi desudes & malleo; vbi magis discitur silere quam loqui, vbi sub habitu pauperum piscatorum, cothurnus non admittitur Oratorum.

Accipio gratissimè excusationem tuam, qua desiderij mei scintillam augeri potius sentio, quam extingui; cum dulciùs mihi debeat sapere, si id proferas, quod non in cuiuslibet grammatici, sed in schola didiceris Spiritus sancti: cum forte thesaurum ob id habeas, in 2. Cor. 4. 7.
vase fictili, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex te. Id quoque quam iucundum, quod quodam præsagio futurorum, de coquina sis translatus ad eremum? cui fortè ad horam in Regia domo carnalium ciborum fuit credita dispensatio, vt aliquando in domo Regis

A Ioel 3. 18. Psal. 64. 14. Deut 32. 13. nostti, spiritalibus spititalia compatares, ac cibo verbi Dei esurientes reficeres. Sed nec ardua montium, nec aspera rupium, nec vallium concaua perhorresco, cum in diebus istis montes stillent dulcedinem, & colles fluant lac & mel; in quibus valles abundant frumento, in quibus sugitur mel de petra, oleumque de saxo durissimo, & in rupibus, & in montibus sunt pascua ouium Christi. Vnde arbitror, quod malleo illo tuo, aliquid tibi de rupibus illis excuderis, quod sagacitate ingenij, de magistrorum scriniis non tulisses, & nonnunquam tale aliquid in meridiano feruore, sub vmbris arborum senseris, quale nunquam didicisses in scholis. Non tibi ergo, non tibi, sed nomini eius da gloriam, qui non solum de lacu miseriæ, & luto fæcis, de prostibulo mortis, & cœno turpitudinis eripuit desperatum; sed & memoriam faciens mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, ad peccatotum spem cumulatiùs erigendam, illuminauit cæcum, indoctum erudiuit, docuit imperitum.

B Proinde cum id quod exegeris, tuum non esse nouit omnis, qui te nouit; cur erubescis, cur trepidas, cur dissimulas, cur ad eius vocis imperium qui dedit, renuis erogare quod dedit? An præsumptionis notam, vel aliquorum formidas inuidiam? Quasi aliquid vtile quis vnquam sine inuidia scripserit; aut præsumptionis possis argui, qui Monachus Abbati parueris. Præcipio itaque in nomine Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri, quatenus ea, quæ tibi diuturnâ meditatione nota sunt, de excellentia charitatis, de fructu eius, de ordine eius, stylo adnotare non differas: vt & quid sit charitas; & quanta in eius possessione habeatur dulcedo, quanta in cupiditate, quæ ei contraria est, sentiatur oppressio; quam non ipsam dulcedinem charitatis minuat, vt quidam putant, sed potius augeat hominis exterioris afflictio; postremo qualis in eius exhibitione sit habenda discretio, in ipso opere tuo, quasi in quodam speculo agnoscamus. Verum vt pudori tuo parcatur, hæc ipsa epistola in fronte operis præfigatur: vt quid in Specu- C lo charitatis, (hoc enim libro nomen imponimus,) lectori displicuerit, non tibi, qui parueris, sed mibi, qui inuitum cogerim, imputetur. Vale in Christ o dilecte frater.

Incipit Prologus Aëlredi.

VEre Sanctorum vera, & discreta humilitas virtus est, mea autem, & mei similium defectus virtutis: de qua Propheta, *Vide humilitatem meam, & eripe me*, Psal. 118. 153. Neque enim à virtute aliqua se eripi postulabat, aut de humilitate extollebat, sed deiectioni suæ subuentionem implorabat. Quam miseram humilitatem meam, & vtinam sicut humilitatem veram, sic quoque virtutem discretam, ne aliqua inobedientiæ importunitate velare videar; tantæ dignationis petitioni, iussioni, attestationi, quia dignum est, minus dignè licet, quod quidem mea interest, tamen pareo. Suscipio itaque opus impossibile, inexcusabile, dignum accusatione: ex mea D pusillanimitate impossibile, ex præceptione vestra inexcusabile, accusationi subiacens ex cuiusvis inspectione. Quis enim dignè ferat primâ fronte, quadam auctoritate Apostolica, de excellentiori via charitatis scribere præmittentem, non solum scribendi rudem, aut sicut vobis placuit illiteratum, sed etiam elinguem, & lactis potum nondum idoneè lingentem? Aut qualiter rerum portio vna, aut certè nulla, de charitatis eminentiâ; incompositus, de eius ordine; sterilis, de fructu disserat; infatuatus. & insipidus, eius dulcedinem eliciat; cupiditate victus, contra eam se erigat? denique qualiter carnis contritione charitas augeatur, & eius discretam exhibitionem, quis ego qui explicem? qui secus ac vobis videtur, quod tamen pace vestrâ dico, de coquinis ad eremum veniens, locum non officium mutaui?

Atqui dicetis, Excusare non debes. Scio Domine mi, scio. Sed quia excusare non licet, libet accusare; vt adueniens lector minus gratus non cogatur vlteriùs progredi, dum in ipso limine cernit, quo iure possit offen- E di. Illud tamen ad scribendum quantam fiduciam præstat, quod sanctissimum charitatis affectum, ad suscipiendas molestias, quæ mihi dignè erogari poterunt, incunctanter obiecistis? Itaque spem perficiendi vix habens, de charitate quæ iussistis, illo malleo nostro, cui allusistis, vt Speculum perficeretur, vt potui, compegi: in hoc certissimum esse reperiens, quod, cum 1. Cor. 13. 13. spes & cætera exciderint, semper maneat charitas. Præstitit autem gratiam, qui artem non tribuit. Et quidem in hoc charitatis speculo, nulli, nisi in dilectione manenti, vultus se charitatis infundet: sicut nec nisi in luce existenti, sua cuique in quouis speculo redditur facies Sane * autem præsentis operis suscipiendi propositum, quædam ipse mecum meditando, quædam verò quasi mecum, imo magis mecum, quia illa vnanimi meo reuerendissimo Priori Hugoni; qui plus mecum, quam ego ipse mecum, communicanda epistolarum more sparsim dictaueram; ex quibus præsenti intentioni F materiam sumens, sed & ipsa eadem vt congruere videbantur inserens, tribus incisionibus totum distinxi. Quarum licet de qualibet in singulis mentionem fecerim, specialiter tamen in prima parte charitatis excellentiam, tum ex eius dignitate, tum ex aduersæ ei cupiditatis improbatione commendare; in secunda ineptis quorundam querimoniis obuiare, in tertia qualiter exhibenda sit charitas, monstrare laborat intentio. Si quid igitur in hoc sudore nostro proposito congruens processit, gratia largitori, & vestræ orationi debetur: si quid verò aliter, mihi artem, aut vsum non habenti donetur. Verum ne occupationem vestram terreat operis huius tanta prolixitas, capitula, quæ subiecta sunt, primo percurrite; & eorum inspectione quid legendum, quid verò negligendum sit discernite.

* Lego ante.

Incipiunt Capitula primi Libri.

DIVI AELREDI SPECVLVM CHARITATIS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Quod nihil dignius, quam vt Creator à sua ametur creaturâ.

EXTENDISTI Domine sicut pellem cœlum tuum, ponens in eo stellas vt luceant nobis in D hac nocte, in qua pertranseunt bestiæ syluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant nos escam sibi: qui etiam tegis aquis superiora eius, quibus per quasdam secretissimas cataractas compluas terram cordis nostri, vt multiplicetur à fructu frumenti, vini & olei sui, & non casso sudore quæramus panem nostrum, sed quærentes inueniamus, inuenientes pascamur, & gustemus, quoniam tu dulcis es Domine. Anima mea, anima arida, anima sterilis, & infructuosa sitit his suauissimis complui stillicidiis, vt & illi appareat panis ille cœlestis, qui Angelos pascit, quem paruulus sugit, & sapiat interiori palato meo omne oblectamentum, nec amplius suspirem ad ollas carnis quas reliqui in Ægypto, vbi exigente Pharaone, etiam ablatis paleis, lateres luteos exoluebam. Sonet ergo vox tua in auribus meis bone Iesu, vt discat quomodo te amet cor meum, amet te mens mea, ament te ipsa viscera animæ meæ, amplectatur te intima medulla cordis mei, vnum E & solum verum bonum meum, dulce & delectabile gaudium meum.

Sed quid est amor, Deus meus? mira ni fallor animi delectatio, eo dulcior, quo castior; eo suauior, quo sincerior; eo iucundior, quo latior: & est palatum cordis cui sapis, quia dulcis es; oculus quo videris, quia bonus es; & est hic locus capax tui, qui summus es. Qui enim amat te, capit te; & tantum capit, quantum amat, quia ipse amor es, quia charitas es. Hæc est illa vbertas domus tuæ, qua inebriabuntur dilecti tui, deficientes à se, vt transeant in te. Et quomodo Domine, nisi amando te? Sed hoc ex toto se. Descendat, quæso Domine, in animam meam aliqua portiuncula huius tantæ dulcedinis tuæ, qua dulcescant ei panes amaritudinis suæ. Prægustet cuiusdam sorbitiunculæ experientia, quid desideret, quid concupiscat, ad quid suspiret in hac peregrinatione sua. Prægustet esuriendo, bibat sitiendo. Qui enim edunt te, adhuc esurient, & qui bibunt te, adhuc sitient: satiabuntur autem cum F apparuerit gloria tua, cum manifesta fuerit illa magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, quia non reuelas nisi diligentibus te. Interim Domine, quæram te, & amando quæram te; quia qui proficit amando te, vtique Domine quærit te: & qui perfectè amat te, ipse est Domine, qui iam inuenit te. Et quid iustius quam vt creatura tua amet te, qui hoc ipsum accepit à te, vt possit amare te? non enim irrationabilia, aut insensibilia possunt amare te; non enim est iste modus eorum. Habent nempe & ipsa modum suum, speciem suam, ordinem suum; non quo beati sint, aut esse possint amando te, sed quo pulchra, & bene ordinata ex te, ad illorum gloriam proficiant, qui possunt beati esse, quia possunt amare te.

CAP. II.

De natura, specie, vsu, quæ omnibus creaturis communiter collata sunt.

G DEus enim noster, cui est summum & incommutabile esse, cui est semper idem esse dicente Dauid, *Tu idem semper es*, omnibus creaturis suis communiter hæc tria distribuit, Naturam, Speciem, Vsum: Naturam, qua bona sunt; Speciem, qua pulchra sunt; Vsum, vt bene ordinata alicui rei proficiant. Qui enim fecit vt essent, fecit etiam vt bona essent, vt pulchra, vt ordinata. Quoniam enim ab ipso sunt, qui summè & incommutabiliter est, ideo sunt omnia: quoniam ipse, à quo sunt summè & incommutabiliter pulcher est, pulchra sunt omnia; ab ipso qui summè & incommutabiliter bonus est, bona sunt omnia; ab ipso qui summè & incommutabiliter sapiens est, bene ordinata sunt omnia. Sunt ergo bona per naturam, pulchra per speciem, bene ordinata ad ipsius vniuersitatis decorem. *Vidit (inquit) Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Inquantum itaque sunt, bona sunt; inquantum vnaquæque pars toti suo congruit, pulchra sunt; inquantum in ipsa vniuersitate, vnaquæque res conuenientem sibi & locum, & tempus, & modum obtinet, optimè ordinata sunt. Locum quippe qui sibi congruat, quæque res habet, in quo sit, verbi gratiâ Angelus cœlum, irrationabilia solum, homo medius medium paradisum. Tempus itidem quando, vel quandiu sint; vt videlicet in ipsius vniuersitatis pulchritudine, aliud quidem simul totum incipiat, sed nunquam desinat, vt natura Angelica; alia vt simul omnia nequaquam incipiant, cœpta tamen nequaquam vel ipsa desinant, vt homines; alia vt nec simul incipiant, & esse quandoque desinant vt irrationabilia.

Pſ. 101. 28.

Gen. 31.

H

PORRO ne de modo, quemadmodum quæque creatura subsistat, quam congruentem sibi modum sortiantur omnia, tacuisse videamur, quid rationali creaturæ magis congruum quam beatitudo si iusta est? quid ei magis conuenit quam miseria, si iniqua est? Denique irrationali, itemque insensibili creaturæ quis modus

aptior?

A aptior? Quæ cum ipsa nec beata, nec misera esse possit, illorum saluti subseruiat, horum infelicitatem accumulet. Verissimè quidem à quodam sapiente dicitur, *aqua, ignis, & ferrum, lac, & panis, & mel, botrus vuæ, oleum & vestimentum, hæc omnia sanctis in bona, sic impiis & peccatoribus in mala conuertentur.* [Eccl. 39. 31.] Nec causetur homo quod iam communem locum sortiatur cum belluis, qui *in honore positus non intellexit, & ideo comparatus est iumentis, & similis factus est illis.* [Psal. 48. 13.] Nec loco solum: quis enim facilè dixerit, abolitâ in mente rationali, etsi non imagine, diuina tamen similitudine quanta irrationabilium iumentorum similitudo succreuerit? Sed * hinc alias. [* Lego hæc.] Nunc animaduertenda simul, & prædicanda creatoris sapientia, qui cum non sit malorum creator, aut incentor, est tamen ipsorum malorum prudentissimus ordinator. Cur ergo non sineret dulcissimus simul, & omnipotentissimus Dominus meus malum esse? quod nequiret vel modicè æternum suum labefactare propositum; quo insuper manifestior appareret ipsa eius omnipotentia, sapientia mirabilior, suauior misericordia, B cum de malis bona faceret omnipotenter, inordinata ordinaret sapienter, miseris conferret beatitudinem misericorditer.

Cap. III.

Quod homo ad imaginem sui creatoris conditus, etiam beatitudinis capax sit.

Homini ergo in ipsa vniuersitatis creatione dedit non solum esse, nec vt cæteris bonum tantum esse, nec solum pulchrum aut ordinatum quid esse, sed insuper beatum quid. Sed quemadmodum nulla creatura nec à seipsa est, nec à seipsa pulchra, aut bona est; sed ab ipso qui summè est, qui summè bonus & pulcher est, & ideo bonitas bonorum omnium, pulchritudo pulchrorum omnium, causa existentium omnium: ita nec à seipsa beata est, C sed ab ipso, qui summè beatus est, ac per hoc beatitudo beatorum omnium. Huius beatitudinis sola rationalis creatura capax est. Ipsa quippe ad imaginem sui Creatoris condita, idonea est illi adhærere, cuius est imago, quod solum rationalis creaturæ bonum est, vt ait sanctus Dauid, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* [Psal. 72. 28.] Adhæsio plane ista non carnis, sed mentis est, in qua tria quædam naturarum auctor inseruit, quibus diuinæ æternitatis compos efficeretur, particeps sapientiæ, dulcedinis degustator. Tria hæc memoriam dico, scientiam, amorem siue voluntatem. Æternitatis quidem capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus ad imaginem Trinitatis conditus homo, Deum, quem memoriâ retinebat sine obliuione, scientiâ agnoscebat sine errore, amore amplectebatur sine alterius rei cupiditate. Hinc beatus.

Cap. IV.

Quod amore, in quo plenius ipsius erat beatitudinis gustus, à Deo recesserit, & sic miser effectus, Dei in se imaginem corruperit, nec tamen aboleuerit. D

Verum licet in his tribus, ipsa perficiatur beatitudo, in hoc tamen tertio propriè est ipsius beatitudinis gustus. Quanquam enim in pessimis delectari miserrimum sit, vbi tamen nulla delectatio, nec vlla beatitudo. Porro vbi amor nullus, nulla delectatio. Denique ipsius summi boni quantò maior dilectio, tantò maior delectatio, tantò maior & beatitudo. Pariat licet multa memoria, capiat licet profunda scientia, nulla tamen delectatio, si non ad parta, vel nota, ipsius fiat voluntatis conuersio. At primus parens noster libero muneratus arbitrio, poterat quidem, Dei tamen adiutus gratia, ipsum Deum perpetuò amando, in eius memoria notitiaque perpetuò delectari, perpetuóque E beatus existere; potuit & ipsum amorem suum ad aliquid minus reflectere, sicque ab eius amore recedendo frigescere, seseque miseriæ addicere. Sicut enim rationalis creaturæ nulla alia est beatitudo, quam Deo adhærere; ita hoc eius miseria, à Deo recedere. Verùm ille in honore positus non intellexit. Quid? fortassis id, quod quidam ingrediens sanctuarium Dei, & intelligens non modo in præsentia, sed etiam in nouissima, *Quoniam ecce,* (inquit) *qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* [Psal. 72. 27.] Non intellexit, quia qui fornicantur à Deo per superbiam, deoluuntur in insipientem; & qui per rapinam Dei vsurpat similitudinem, meritò iumentorum induit dissimilitudinem.

Libero ergo malè vsus arbitrio, amorem suum ab illo incommutabili bono deflexit. & ad id quod minus erat, propria cupiditate cæcatus reflexit: sicque à vero bono recedens, & ad id, quod ex se bonum non erat, deficiens, vbi aucupabatur profectum, inuenit defectum; F peruersèque diligendo seipsum, & se perdidit, & Deum. Sicque iustissimè actum est, vt, qui contra Deum Dei appetebat similitudinem, quo voluit fieri curiositate similior, eo cupiditate fieret dissimilior. Corrupta est itaque in homine Dei imago, non abolita penitus. Proinde habet memoriam, sed obnoxiam obliuioni; scientiam quoque, sed subditam errori; nihilominus & amorem, sed pronum cupiditati. Perseuerat adhuc in anima rationali, in hac trinitate etsi misera, ipsius beatæ Trinitatis impressio, quæ ad ipsam animæ relata substantiam, quæ & sui reminiscitur, se nouit, se diligit; quæ ipsam sui memoriam diligit, nouit, reminiscitur; ipsam sui scientiam reminiscitur, nouit, & diligit; item ipsam sui dilectionem diligit, reminiscitur, nouit; & in substantia vnitatem, & in his tribus, quæ perstrinxerimus, vocabulis præfert trinitatem. Vnde Psalmista, *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.* [Ps. 38. 7.] Breuiter quidem, sed expressè satis, his verbis sanctus Dauid vtrumque insinuat animæ non deesse humanæ, & ex natura imaginem, & ex peccato corruptionem. G Nam & memoriam corrumpit obliuio, scientiam error obnubilat, amorem cupiditas coangustat.

Cap. V.

Quod post Saluatoris aduentum, Dei in homine renouetur imago, & quod non hic, sed in futuro speranda sit ipsius renouationis perfectio.

Porro iam per mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, soluto debito, cui obnoxia tenebatur humana natura; deleto chirographo, [Colos. 2. 14. 15.] cuius cautione obstructos nos tenebat antiqui hostis dira superbia; expoliatis Principibus & potestatibus, quibus nos addixerat diuina iustitia; pacato denique Deo patre, illâ singulari in Cruce hostiâ; reparatur tandem memoria per sacræ Scripturæ documentum, intelle- H ctus per fidei Sacramentum, amor per charitatis quotidianum incrementum. Perfecta imaginis reformatio, si memoriam obliuio non interpolet, scientiam nullus error obnubilet, nulla amorem cupiditas interpellet. Sed vbi istud? & quomodo illud? Hæc pax, hæc tranquillitas, hæc in patria speratur felicitas; vbi nullus locus obliuioni, viuentibus in æternitate; nulla erroris subreptio, fruentibus veritate; nulla cupiditatis impulsio, diuinâ absorptis charitate. O æterna & vera charitas! ó vera & chara, & æterna veritas! ô æterna, & vera, & chara trinitas! Hîc, hîc requies, hîc pax, hîc felix tranquillitas, hîc tranquilla fœlicitas, hîc fœlix & tranquilla iucunditas. Quid agis ô anima humana, quid agis? quid per diuersa raptaris? Porro vnum est necessarium. Vt quid multa? Quicquid appetis in multis, in vno est. Si excellere, si scire, si delectari, si abundare; totum hîc, & perfectè hîc, & nusquam nisi hîc. Nunquid enim in hoc lacu miseriæ, & luto

A faecis vera excellentia? Nunquid in hac regione vmbræ mortis perfecta ſcientia? Nunquid in hoc loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis vera delectatio? inter tot ærumnas vera abundantia?

Porro quæ in mundo excellentia, quam timor non deijcit? quanta hominis ſcientia, qui nec ſeipſum capit? Denique ſi delectaris in carne, hoc &
Pſ. 31. 8. Pſal. 48. 21. *equus & mulus, quibus non eſt intellectus*. Si in gloria, ſi in diuitiis, *Cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet tecum gloria tua*. Ibi ergo vera excellentia, vbi nihil ſuperius quod ambiatur; ibi vera ſcientia, vbi nihil ignoratur, illa vera delectatio, quæ faſtidio non minuitur; illa
Oſeæ 7. 13. vera abundantia, quæ nunquam exhauritur. *Væ nobis, quia receſſimus à te Domine! Heu mihi quia incolatus*
Pſ. 119. 5. *meus prolongatus eſt? Quando veniam, & apparebo ante*
Pſ. 41. 3. *faciem tuam? Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, &*
Pſ. 54. 7. *volabo, & requieſcam?* Plumeſcat interim Domine Ieſu, plumeſcat quæſo anima mea in nido diſciplinæ tuæ; pauſet in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.
B Amplectatur te interim crucifixum, ſumat tui dulciſſimi ſanguinis hauſtum. Occupet interim memoriam meam hæc ſuauis meditatio, ne ex toto eam obliuio obſcuret.
1. Cor. 2. 2. Iudicem me interim nihil *ſcire niſi Dominum meum, & hunc crucifixum*, ne ſcientiam meam à ſoliditate fidei vnus error abducat: Vendicet ſibi totum amorem meum hæc tua mira dilectio, ne illum cupiditas mundialis abſorbeat. Quid ergo: mihi ſoli id optauerim? Impleatur
Pſal. 21. 28. quæſo Domine, impleatur illud propheticum, *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ*. Reminiſcentur inquit. Abſconditam ergo, non ſepultam omnino in mente rationali, Dei intellexit memoriam, vt non tam nouum aliquid inſertum, quam illud antiquum ſentias reparatum. Niſi enim naturaliter quodammodo in ipſam Dei memoriam, vel modicum ratio ſcintillaret humana, puto non eſſet vnde vel inſipiens diceret in corde ſuo. *Non eſt Deus.*

Cap. VI.

C *Diſputatio contra inſipientem, qui dicit in corde ſuo,* Non eſt Deus.

Dic, inquam, quicunque es adeo inſipiens, vt dicas in corde tuo, *Non eſt Deus*; Aliquemne putas ſapientem? forte teipſum. Ita ſit. Itane tamen ſapiens, vt fieri non poſſis & inſipiens? Aut ſi inſipiens, vſque vt non poſſis fieri & ſapiens? Si quid horum abnuas, iam non te deſipere, ſed potius non viuere dixerim. Ergo ſi tu deſipueris, perire æſtimas ſapientiam? Sed fieri potes & ſapiens. Aliunde quæſo quam à ſapientia? Erit ergo & te deſipiente, ſapientia. Erit, inquis, ſed in homine ſapiente. Sed quis eſt homo qui non poſſit deſipere? Si ergo omnes homines deſipiant, erit nihilominus ſapientia, alioquin non poſſent denuo ſapere. Sed in Angelis inquis. Sed & ipſos poſſe naturâ duntaxat deſipere, indicat illa inſipientium Angelorum tanta multitudo; quibus quidem cum cæteris
D par natura, ſed impar gratia. Nulla ergo creatura ex ſe ſapiens. Vnde ergo niſi à ſapientia? Et illam vbi inuenit inſipiens, vt denuo ſapiat? Si eam inuenit, eſt vtique ſapientia, quæ inueniatur ab inſipiente, vt ſit ſapiens: alioquin quomodo inueniatur, quod non eſt, niſi prius cœperit eſſe? Non (inquis) eam ita inuenio; ſed meditando, & exercendo facio meipſum ſapientem. Ergo facis ſapientiam tuam? Quare non fecerim? Ego te propoſueram inſipientem, & ecce adeo factus es ſapiens, vt & ſufficias, tibi facere ſapientiam. An hoc eſt parum ſapere, ſapientem facere? Sed & ſi quis dicat, ſtultum facere poſſe ſapientem, quis audiens non ridebit? Vnde ergo ſapientia ſtulto? fortè à quolibet homine ſapiente. Et ipſe vnde ſapiens? An ipſe ſe fecit ſapientem? Sed antequam ſe faceret ſapientem; quid erat niſi inſipiens? Prædicta igitur ſequitur abuſio, vt inſipiens fecerit ſapientem. Si & Angelum dixeris poſſe facere ſapientem; & ipſe vnde ſapiens? Si & ipſe ſe fecit ſapientem, prædicta nihilominus ſequitur abuſio. E

Reſtat ergo vt non ſit facta ſapientia, quæ cæteros faciat ſapientes. Ipſa non poteſt deſipere, quia ſapientia non poteſt eſſe inſipientia, ſicut nec mors vita, quamuis mors Chriſti, noſtra ſit vita, ſicut lux tenebræ? *quamuis fuerimus aliquando tenebræ, nunc autem* Eph. 5. 8.
lux in Domino. Nam nec Ioannes *erat lux, ſed vt teſti-* Ioan. 1. 18.
monium perhiberet de lumine. Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipſa eſt ſapientia, quæ in animas ſanctas ſe transfert, vt & ipſæ ſint ſapientes. Parumne hoc tibi, ô inſipiens? Quæro iterum, vtrum ſcias te eſſe? Quis, inquis, hoc ignoret? Plane nec Academicus. Semperne fuiſti? Vnde ergo accepiſti vt eſſes? An teipſum feciſti? Sed quomodo qui non eras aliquid, facere potuiſti tam magnum aliquid? Vnde ergo tibi eſſe? An ab alio homine? Et ipſe vnde? Nunquid ab Angelo? Et Angelus vnde? Reſtat ergo vt non ſit facta eſſentia, a qua cætera omnia habent eſſe: ſicut nec facta eſt ſapientia, vnde cætera omnia habent ſapere. Sileat ergo tibi, ſic & ſic F
ſapere; ſic & ſic eſſe: loquatur tibi in corde ipſum ſapere, & ipſum eſſe, & iam non dices in corde tuo, *Non eſt Deus*, in ipſo planè perſpiciens nec poſſe ſaltem te eſſe, qui diceres in corde tuo, *Non eſt Deus*, niſi eſſet & Deus. Iterum quæro, Vtrum velis te eſſe & ſapere? Puto quia non abnuis. Iunge igitur hæc tria, Eſſe, Sapere, Velle. Redi ergo præuaricator ad cor. Conſidera in his tribus quanta vnitas, quanta ſit æqualitas, & cum inueneris hæc tria in te eſſe, & a te non eſſe; cogita æternam eſſentiam, æternam ſapientiam, æternæ ſapientiæ & eſſentiæ æternam voluntatem, & ne dicas in corde tuo, *Non eſt Deus*, ſed potius reminiſcens conuertere ad Dominum tuum, cum omni fine terræ.

Cap. VII.

Quod mentis affectu homo à Deo receſſerit.

Mirabilis *facta eſt Domine ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam*. Amplectar interim te Domine Iesv, paruus paruum, infirmus infirmum, homo hominem, amplius dicam, pauper pauperem. Nam & tu Domine pauper, *ſedens ſuper aſinam,* G Pſ. 138. 6.
& ſuper pullum filium aſinæ. Sic ergo te amplectar Domine. Nam tota magnitudo mea, non niſi quod paruum eſt tui; tota fortitudo mea, quod infirmum eſt tui; tota ſapientia mea, quod ſtultum eſt tui. Curram Domine in odorem vnguentorum iſtorum. Miraris quod vnguenta appellem, quæ infirmum ſanant, roborant debilem, mœſtum lætificant? Sequar ergo te, Domine Iesv, horum vnguentorum excitatus odore, refocillatus aſpergine. Sequar te Domine, & ſi non in montibus aromatum, vbi te inuenit ſponſa tua, vel in horto, Domine, vbi ſeminata eſt caro tua. Illic quidem ſalis; hîc dormis. Hîc Domine, hîc dormis, hîc cubas, hîc dulce quoddam ſabbatum ſabbatizas. Conſepeliatur tibi Domine caro mea, vt quod iam viuo in carne, non viuam in me, ſed in te, qui tradidiſti temetipſum pro H
me. Coniungatur tibi Domine pudicitiæ myrrha, vt iam non regnet peccatum in meo mortali corpore, nec fiam velut iumentum in proprio computreſcens ſtercore Sed vnde veniſti in hortum? Vnde, niſi de Cruce? Vtinam Domine & ego accipiam Crucem tuam, & ſequar te. Sed quomodo ſequar te? Quomodo (inquis) receſſiſti à me? Puto Domine, quia non pedum paſſu, ſed mentis affectu. Nolens enim ſubſtantiam animæ meæ ſeruare ad te, accepi eam ad me & volens meipſum poſſidare ſine te. perdidi & me. Et ecce factus ſum mihimetipſi grauis; factus ſum mihimet locus miſeriæ & tenebrarum; locus horroris & regio egeſtatis. *Surgam er-* Luc. 15. 18.
go, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cœlum, & coram te.

A

Cap. VIII.

Quod ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur.

PAtet, ni fallor, quia sicut non pedum passu, sed
mentis affectu, à summo bono recedens, & in seip-
sa inueterascens humana superbia, Dei in se corrupit
imaginem; ita mentis affectu ad Deum accedens hu-
mana humilitas, renouatur in imaginem eius, qui
Ephes. 4. 23. creauit eum. Vnde Apostolus, *Renouamini* (inquit)
*spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui se-
cundum Deum creatus est.* Quomodo autem fiat ista re-
nouatio, nisi nouo charitatis præcepto, de quo ait Sal-
Ioan. 13. 34. uator, *Mandatum nouum do vobis*? Proinde hanc cha-
ritatem si mens perfectè induerit, profectò duo illa,
quæ æque corrupta diximus, memoriam scilicet, &
scientiam ipsa reformabit. Ideo saluberrimè nobis indi-
B citur istius vnius præcepti compendium, in quo & ve-
teris hominis expoliatio, & mentis renouatio, & di-
uinæ imaginis consistit reformatio. Amor quippe no-
ster veneno cupiditatis infectus, tenacique voluptatis
visco miserabiliter irretitus, quæ in ima semper, id est,
de vitio in vitium proprio pondere ferebatur, charita-
te desuper influente, ac innatum torporem suo calore
dissoluente, ad altiora se subrigit: sicque exuens vetu-
statem, ac induens nouitatem, sortitur pennas colum-
bæ deargentatas: quibus ad illud sublime, & purum
bonum euolet, de quo & genus ducit, beato Paulo id
apertiùs Atheniensibus profitente. Cum enim de Deo
subtiliter disseruisset, & ex Philosophorum quoque li-
Act. 17. 28. bris Deum vnum instantissimè comprobaret, *in quo vi-
uimus, mouemur, & sumus*, ait inter cætera, *Cuius &
nos genus sumus.* Et addidit, *Genus ergo cum simus Dei.*
Nec quis existimet genus nos Dei ita dixisse Aposto-
lum, vt eiusdem naturæ, substantiæve probarit, cuius
& Dei, alioquin nec mutabiles, quin nec corruptibi-
C les, sed nec miseri aliquando esse possemus; sicut nec
eius vnigenitus, qui de eius substantia natus, in om-
nibus ipsi patri comprobatur æqualis: sed ideo nos ge-
nus asserit Dei, vel potius non negat. quia ad eius crea-
ta imaginem anima rationalis, ipsius sapientiæ, ac bea-
titudini participari posse cognoscitur. Animam itaque
nostram ad id, ad quod facta est, charitas subleuat;
ad id verò, ad quod illa sponte defluxit, premit cu-
piditas.

Cap. IX.

Quod amor noster aduersum se, ex charitate, & cupiditate, contrario appetitu diuidatur.

Compendy c. 3. VErum quia charitatis, siue etiam cupiditatis, ea
sola animæ nostræ portio capax est, quæ vsitatius
amor nuncupatur, ipse est, qui ex noua infusione cha-
ritatis, & ex reliquiis vetustæ cupiditatis, quasi quo-
D dam contrario appetitu, aduersus semetipsum constat
Rom. 7. 19. esse diuisus: de quo & Apostolus, *Non quod volo ago.*
Galat. 5. 17. Et item; *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus
aduersus carnem. Hæc sibi inuicem aduersantur, vt non
quæcumque vultis illa faciatis.* Intelligendum sane Apo-
stolum, spiritus, carnisque nomine nequaquam duas
contrarias in homine vno, vt impuri somniant Mani-
chæi, descripsisse naturas: sed spiritûs appellatione,
mentis ex charitatis infusione exprimens nouitatem,
Rom. 5. 5. *charitas quippe Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spi-
ritum sanctum, qui datus est nobis*; carnis quoque voca-
bulo, ex reliquiis vetustatis miseram animæ insinuans
seruitutem: inter vetus nostrum inolitum, nouumque
insolitum, continuum in vna mente asserit oboriri
conflictum.

E

Cap. X.

Quod liberum arbitrium in animo locum medium teneat, nec tamen ad bonum & malum æque sufficiat.

INter hæc duo, concupiscentiam scilicet, quam car- Compendy c. 3.
nis esse dicit Apostolus, non quod omnis concu-
piscentia mala ex carne sit, quippe cum ea nequaquam
dæmones careant, qui carne carent; sed quod non ex
Deo, sed ex homine sit, quem carnem in scripturis ap-
pellari non ambiguum est: inter hanc ergo concupis-
centiam, quæ cupiditas congruentissimè appellatur, &
illam spiritus quam charitatem non immeritò dicimus,
quæ vtique spiritus est, non nostri, sed Dei; *charitas* Rom. 5. 5.
enim *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum san-
ctum, qui datus est nobis*: inter hæc inquam duo, id
quod in homine liberum dicitur arbitrium, medium
quodammodo locum tenet, vt ad quodlibet eorum se F
verterit anima, libero nimirum fiat arbitrio. Nemo sa-
nè ita desipiat, vt æqualem homini, & ad bonum, &
ad malum, ex libero arbitrio ascribere audeat faculta-
tem; cum *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis* 2. Cor. 3. 5.
quasi ex nobis, cum Deus sit, qui operatur in nobis, & Philip. 2. 13.
velle, & perficere, pro bona voluntate; cum denique *ne-*
que volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei. Quid Rom. 9. 16.
ergo? His omnibus liberum in homine negatur inesse
arbitrium? Absit. Est quippe liberum arbitrium ea ani-
mæ vis, siue natura, vel si quid aliud congruentius di-
ci potest, id hominis, quo cuilibet rei non sine iudicio
rationis consentit: non huius, aut illius rei, boni, ma-
liue consensus, sed id quo consentitur.

Sicut enim aliud est visus, aliud visio; nam visus
quidem sensus est corporis vnus de quinque, visio au-
tem ipsius sensus actus; ita aliud dicimus ipsum consen-
sum, aliud id quo consentitur. Nam consensus qui-
dem quædam animæ actio est; liberum arbitrium quæ-
dam animæ vis, atque natura, qua consentit, habens G
iudicium sibi insitum, quo eligit cui rei consentiat. Sed
quia consensus fit voluntate, iudicium ratione, hæc duo
voluntas & ratio liberum constituunt arbitrium. Ra-
tio bona vel mala, iusta & iniusta, siue ea quæ media
sunt, quasi proponit; voluntas consentit: cuicumque
autem rei consentiat, non nisi voluntate; vbi autem
voluntas, ibi & quædam libertas. Ex his ergo duobus,
vt diximus, liberum videtur constare arbitrium, ex li-
bertate, scilicet voluntatis, & arbitrio rationis. Vides
igitur quæ non libero præscribat arbitrio, vndecunque
homini bona oriatur voluntas; quandoquidem nec in
bona, nec in mala voluntate admittit voluntatem, ac
per hoc nec libertatem, sed nec rationem, ideo nec iu-
dicium. Quid enim? Quia Deus est, qui operatur in no-
bis velle, ideo amisimus velle? aut quia Dei est, quod
ratione bene vtimur, ideo ratione non vtimur, vel quia
ex Deo nobis est quicquid boni perficimus, ideo bo-
num non perficimus? aut quia *non sumus sufficientes co-* 2. Cor.
gitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, quoniam ex Deo H
est nostra sufficientia, ideo non est sufficientia? Hæc 3. 5.
omnia, licet ex Dei gratiâ est quod agimus, tamen agi-
mus: nec sine voluntate, nec sine ratione agimus, ac
per hoc non sine libero arbitrio agimus.

Cap. XI.

Quod gratia liberum non tollat arbitrium.

NAm qui & voluntate carent, ac ratione, ac pro
libero arbitrio, nihil huiusmodi Deus in eis ope-
ratur, vt sunt pecora, ac per hoc nec ipsi aliquid huius-
modi operantur. Quicquid autem boni Deus per nos,
vel de nobis sine nostra operatur voluntate, tantum Dei
est, non etiam nostri; quicquid autem cum nostra vo-
luntate, & illius est, & nostrum. *Si enim volens id facio,* 1. Cor. 9. 17.
(ait Apostolus) *mercedem accipio; si autem inuitus di-*

A *spensatio mihi credita est*. Quocirca vt opus quod in no-
bis, siue per nos operatur, etiam nostrum sit, inclinat
voluntatem vt consentiamus; sicque ex eius gratia, mer-
ces sit nostra: si enim volens id facio, mercedem acci-
pio. Vt autem sim volens in bono opere, Deus est, qui
operatur & velle: ipse deinde voluntatem excitans ad
petendum, ad quærendum, ad pulsandum, dat gratiam
pro gratia, perficere scilicet pro bona voluntate. Postre-
mo, quia via æterna bonorum operum merces est, ipsam
dans coronat dona sua, quæ voluit esse merita nostra.
1.Tim. 1, 13. Vide hoc totum in Paulo. *Qui fui* (inquit) *blasphemus,
& persecutor, & contumeliosus*. Hic voluntas, sed mala;
merita, sed pessima. Sed misericordiam consecutus sum,
vt fidelis essem. Ecce voluntas bona, sed vide vnde. Non
quia aliquid boni in me præcessit, sed quia eius miseri-
cordia me præuenit; misericordiam enim consecutus
sum, vt fidelis essem. Nempe, vt ait B. Augustinus, *ire ad
Ecclesiam, audire verbum Dei, sacramentum percipere
Christi, al quis potest nolens, credere nemo potest nisi volens.*

B Audi & de opere. *Plus illis omnibus laboraui*. Hocci-
1 Cor. 15, 10. ne habes Paule quod non accepisti? Imo accepi; &
quidem *plus illis omnibus laboraui, non autem ego*. Quo-
modo vtrumque verum, ego, & non ego? Non ego, quia
non ex me, non viribus, non sapientiâ meâ, non denique
meritis meis, sed gratiâ Dei. Quid ergo? itane vt liberum
tibi tollat arbitrium, destruat voluntatem, iudicium ra-
tionis absumat? Absit. Dixi non ego, quia gratia Dei;
sed tamen ego, quia gratia Dei mecum. Quomodo me-
cum? Agens scilicet, vt consentiam operanti, & sic ip-
se cooperetur, ne si me inuito, de me aut per me operetur,
2.Tim. 4, 7. non sim qui dicam, *Bonum certamen certaui, cursum con-
summaui, fidem seruaui*. Non ergo liberum arbitrium ad
aliquod bonum sufficit, sed in ipso, vel cum ipso, vel per
ipsum, Deus multa bona perficit. In ipso, quando illud
occulta inspiratione ad aliquod bonum erigit; cum ip-
so, quando ipso liberum arbitrium sibi per consensum
iungit; per ipsum quando, Deo operante, alter per alte-
rum proficit. *Reposita est mihi* (inquit) *corona iustitia*.
C Quæ corona, nisi vita æterna? *Reposita est mihi corona in-
stitia, quam reddet mihi Dominus in illa die*. Reddet (in-
quit) ergo quia redditur, merces est vita æterna, merces
planè quia bonum opus præcessit; *bonum enim certa-
men certaui*. Sed hoc opus vnde? *Non autem ego, sed gra-
tia Dei mecum*. Merita itaque nostra Dei est gratia, pro-
pter quæ merita dat vitam æternam; *gratiam pro gratia*.
Rom. 2, 6. Denique *reddet vnicuique secundum opera sua*. Sed illa
tantum opera cœlesti mercede donantur, quæ priùs eius
munere largiuntur. Nam quod vita æterna gratia sit, ip-
Rom. 6, 23. sum iterum audi: *Stipendium* enim *peccati mors, gratia
autem Dei vita æterna*. Gratia inquam vita æterna, &
duplex gratia. Gratia, quia pro gratia data; gratia,
Rom. 8, 18. quia meritis præponderat gloria; *Non enim sunt condi-
gna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ
reuelabitur in nobis.*

Cap. XII.

D *Quod nec saluatis, nec damnatis liberum arbitrium
auferatur, & quod gratia non nisi in libero
arbitrio operetur.*

Sed nunquid in illa gloria, aut sine voluntate eri-
mus, qua tanto bono consentiamus, aut sine ratio-
ne, qua hoc bonum nostrum iudicemus? Ergo nec sine
libero arbitrio; non quo vllum malum poterimus, sed
quo illius boni capaces existimamur. Non enim pecora
aut damnationi obnoxia, aut salutis possunt esse capa-
cia; vtique quia sunt rationis ac voluntatis expertia.
Nam infantes quidem, in quibus etsi non maior, tamen
gratia est euidentior, in quibus nec ex dono vlla sunt
merita, licet ob infirmitatem, quæ ex peccati pœna ac-
cidit, sine libero & viuant, & moriantur arbitrio; exu-
ti tamen hoc, quo impediuntur, carnis inuolucro, ne-
quaquam credendi sunt, absque rationali voluntate,
æternæ felicitatis, vel debitæ damnationis esse parti-
E cipes. E quibus quotquot saluantur, euidentiori sit gra-
tia, quippe quibus liberum deest arbitrium, cui possint
ascribi merita: cæterum illa mihi videtur cumulatior,
quâ & merita donantur, & præmia. Igitur in nullo
gloriandum, quando nostrum nihil est. Quis enim te
discernit ô homo? liberum arbitrium? Ita plane, sed
à iumentis, non ab iniustis. Nam & iniusti liberum ha-
bent arbitrium, sine quo non possent esse vel iniusti:
excepto dumtaxat originali peccato, quod aliâ ratione
etiam inuitos quosque constringit; nemo nisi volunta-
te iustus, nemo nisi voluntate potest esse iniustus, ac
proinde nec sine libero arbitrio.

Sed voluntatem ad iustitiam sola gratia erigit, in in-
iustitiam ipsa se deijcit. Porro vbicunque voluntas, ibi
& libertas. Vbicunque enim voluntate est, ibi non
cogitur vt sit necessitate. Habet ergo innatam sibi
quodammodò voluntas libertatem, quia nullam po-
test pati necessitatem. Vis audire quandam etiam in
iniustitia libertatem? Audi Apostolum. *Cum enim ser-* Rom. 6.
F *ui essetis peccati, liberi fuistis iniustitia*. Videsne quod
non desit libertas voluntati, etiam in seruitute pecca- 20.
ti? Sed nunquid in libertate iniustæ voluntatis, iudi-
cium deest rationis, quo id quod vult, discernat ab eo
quod non vult? quo sibi commodum, vel bonum, vel
voluptuosum iudicet etiam id, quod male vult? Nam
si vtrumlibet horum deesset, posset fortè voluptuosa
tantum appetere, carne more iumentorum sentire; non
autem illis rationali quodam iudicio consentire, vel
dissentire, quod est liberi arbitrij. Nam quod ratione
etiam ad malum abuti possit homo, probat illud pro-
pheticum, *Sapientes sunt vt faciant mala*. Nam nec in Ierem. 4, 22.
pœnis inferni liberum deest arbitrium, quo volunta-
riè, ac per hoc liberè à malis dissentiant, quæ patiun-
tur; nec iudicium rationis, quo seipsos accusent, &
iudicent, quia suis meritis talia patiuntur. Patet ni fal-
lor ratio, quod nec gratia liberum arbitrium destruat,
nec liberum arbitrium gratiam minuat. Quomodo enim
gratia liberum arbitrium auferat, cum gratia non nisi
in libero operetur arbitrio? Neque enim gratia ista de G
qua loquimur, aut in brutis animalibus, aut in rebus
operatur insensibilibus, sed in his tantùm, quæ præ-
ceptionis, aut prohibitionis capaces audiunt, fac hoc,
& fac illud, & noli hoc, & noli illud: quæ proculdu-
bio non dicuntur nisi his, quibus inest liberum arbi-
trium, quo possint velle hoc, aut illud. Vt autem bo-
num velint, Dei gratia operatur, non liberum de-
struens arbitrium, vt nihil velint, sed ad hoc incli-
nans vt bonum velint. Quocirca cum aliquid boni
facis, non existimes hoc tuis viribus agere, nec tamen
à tua id alienes voluntate; quandoquidem non dicen-
dum est opus bonum, nisi sit & voluntarium.

Cap. XIII.

*Ratio cur non ad bonum, & ad malum liberum
arbitrium æque sufficiat.*

Sed dicet aliquis, Assentio iam, & quidem satis pro- H
batum est, Dei gratiam ita posse omnia in omnibus
operari, vt nihil arbitrij præiudicet libertati. Sed vtrum
ita sit quis nouit? Quæ ratio, vt cum nullius admini-
culo ad malum egeat, ad bonum sibi non sufficiat? Et
quis est cui satis non sit, quod huic assertioni consen-
tiat fides catholica, probet quotidiana vniuscuiusque
bene proficientis experientia, affirment insuper pro-
phetica simul & Apostolica testimonia, & quod his
maius est, illa illius veridici oris sententia qua dicit, *Si-* Ioan. 15, 5.
ne me nihil potestis facere? Porro oculis hac fide purgatis
ratio deesse non poterit, aderit intelligentia, lumen se
ingeret veritatis. Videat ergo qui potest; credat qui vi-
dere non potest. Qui videt, gaudeat, sed humiliter; qui
non videt, credat, sed perseueràter, quia nisi credideritis,
non intelligetis. Videat inquam, quia cum omnis crea-
tura de nihilo sit facta, & mutabilis facta, naturali quo-
dam suæ mutabilitatis impulsu, semper ad id, de quo

A fcti est, id est ad nihilum vergit. Et reuera perfacile est videre omne, quod naturâ mutabile est, quodam incommutabili indigere, vt non mutetur. Nullum siquidem mutabile in se habet incommutabilitatem, alioquin ne mutabile quidem esset; quantò minus alteri confert? Si vero nullius fulcita præsidio creatura mutetur, quis non facile videat eam naturaliùs, vt ita dicam, & expressiùs ad id, de quo facta est, impetu quodam necessario commutari? Quapropter vt in inferiora suâ mutabilitate non defluat; vt in eo quod est, suam mutabilitatem cohibeat; vt ad altiora auspicio feliciori se subrigat; semper illius eget gratiâ, cuius est creata potentiâ.

Cap. XIV.

Quid sit inter gratiam, quam primi homines in paradiso, & illam, quam habent prædestinati in mundo: & quod iuste imputetur homini mala voluntas, licet ad illam obtinendam liberi arbitrij non sufficiat facultas.

B VNde & in cœlis Angelo, & homini in Paradiso, licet nulla eos coarctaret infirmitas, quibus nulla dominabatur iniquitas, quia tamé vterque mutabilis naturâ, vtrique hæc gratia necessaria; quæ vtique si collata non esset, excusabiliter vterque peccasset. At quia ex creante gratiâ, bona eis erat collata voluntas, ex adiuuante gratiâ, si ipsi vellent, in ea perseuerandi * facilitas; nulla superest de mutabili natura causatio, cui sustentandæ, ac promouendæ non deesset diuina bonitas, si eam propria illorum non deseruisset iniquitas. Vtrum autem reprobis aliquando etiam nunc talis gratia conferatur, vt & bona eis inspiretur voluntas, addatur gratia quâ non desit, si tamen ipsi velint, perseuerandi facultas, non audeo præcipitare sententiam. Sane electis,

*Forte facultas.

C quia maior quam primis in paradiso hominibus, incumbit miseria, maior confertur & gratia: & quo maior impugnat infirmitas, eo vberior præstatur resistendi facultas. Illis enim, vt dictum est, datum nouimus posse perseuerare si vellent, istis insuper, vt perseuerent. Sed quod (inquis) hominis vitium, si bonam non habuerit voluntatem, quam nec propriis viribus acquirere, nec adeptam suis poterit viribus retentare? At quî bonæ voluntatis conditus, cuius est vitio peioratus? Cur non iustissimè ipsa ei impotentia imputetur, quam non ei creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit? Et si fortè æquum non videtur vt hinc culpetur, si nunc bonam non habeat voluntatem, quam quidem habere non poterit si non acceperit; iniustumne vt imputetur ei, quod acceptam amisit? iniustum * vt imputentur mala, quæ nullo cogente deliquit?

*An legendum vt imputentur mala, quæ nullo?

Cap. XV.

Quod iustissima sit etiam paruulorum damnatio.

D AT hæc (inquit) ratio iustissimè illos condemnat, qui rationis capaces, nec iudicio eligendi, nec volontate carent consentiendi: cæterum paruulos quæ ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit iniustos? Quid enim? Iniustum æstimas vt lignum inutile, & infructuosum ignis depascat? Cogita quæso totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, vtpote veneno antiqui serpentis infíciatum, iustissimè addictum flammis, igni destinatum, adiudicatum damnationi. Quid ergo? Ingratum te præbes ô lignum inutile, quod quidam ramusculi à tua præmortuâ præcisi radice, eripiuntur incendio, quatenus stipiti cuidam fructuoso inserti, pristinæ venustati donentur? Vide lignum illud viride, lignum vitæ, lignum cuius non defluunt folia, cuius omnia facta prosperantur, in ipso suo dulcissimo latere, quod idcirco

E voluit in Cruce aperiri, ramis, ab illa damnata radice, sola sua miseratione discretis, dedisse locum; vt sibi inserti & complantati, & vnum cum eo effecti, non sua virtute, quæ nulla est, sed illius spiritûs participatione reuiuiscant & virescant, susceptique pluuiâ illâ voluntariâ, quam segregat Deus hæreditati suæ, sole quoque diuinæ charitatis incalescente, resumpto nouo cœlestis gratiæ succo, fructus afferant spirituales, supernis nimirum horreis recondendos. Sed relictus sum ego, ait ramus ille inutilis. Relictus plane. Quid causaris? *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (Matth. 20. 15.) Multis quidem dedi, quod nulli debui: & tu hinc nequam, hinc inuidus, hinc opponis, hinc calumniam struis. Sed cum vtrosque (inquis) paruulos, par teneat inuolutos damnatio, cur ille eligitur, iste respuitur? Audi quare. Quia *Iacob* (inquit) *dilexi, Esau autem odio habui.* (Rom. 9. 13 & 21.) Iniustum clamas. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?*

F Si ergo homo ex vasis quæ facit, quæ voluerit deputat honori, quæ voluerit exponit contumeliæ, nec quisquam est qui causetur iniustum; tu calumniaris si Deus, ex vasis omnibus iustissimæ contumeliæ expositis, quæ voluerit assumat, quæ voluerit relinquat, quæ voluerit in pristinum reformet honorem, quibus voluerit debitam inferat damnationem? Si (inquam) figulus in vasis, quæ de eodem luto compingit discernendis, ipsa eius voluntas iustitia est; quomodo non multò magis in omnibus, quæ ex nihilo creauit omnipotens, discernendis, ordinandis, sumendis, deserendis, saluandis, damnandis, ipsa eius voluntas summa iustitia sit? Ergo miseretur cui voluerit, & misericordiam præstat, in quem sibi placuerit, & quem vult obdurat iustissimè deserendo, & quem vult emollit piissimè miserãdo; (Rom. 9. 15. & 18.) & quicquid vult facit, nec iniustum aliquid facit, quandoquidem inter iustum & iniustum, sola eius discernit

G voluntas, quæ non est aliud quam ipsa æquitas: nec eius voluntas ex alia pendet lege iustitiæ, sed lex iustitiæ ex eius vtique pendet voluntate. Hæc diximus ne iniusta videatur damnatio paruulorum. Itaque, ô homo, *noli altum sapere, sed time* Si enim ramis, cum quibus tibi est æqua conditio, par meritum, non pepercit Deus, ne forte nec tibi parcat. (Rom. 11. 20.) Vide ergo seueritatem & bonitatem Dei; in his quidem, qui deseruntur seueritatem, in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate. Alioquin & tu relinqueris. Porro vt non relinquaris, sed à relictis potius discernaris, noli de te præsumere, noli de Dei bonitate desperare, noli esse negligens ad operandum, noli esse segnis ad orandum cum Propheta, qui ait, *Discerne causam meam de gente non sancta.* (Ps. 42. 1.) Verum vt in bonitate hac perseueres, non tibi de tuis viribus blandiaris, sed de illo præsume, cui item clamat Propheta, *Tu Domine seruabis nos, & custodies nos a generatione hac in æternum*, (Ps. 11. 8. & 9.) illa scilicet generatione, de qua statim subiecit, *In circuitu impij ambulant.* Hi sunt qui instar Sampson decisis virtutum

H crinibus, defossisque scientiæ rationisque luminibus deputantur ad molam, vt deserentes compendium charitatis, circuitum teneant cupiditatis.

Cap. XVI.

Quod charitati nihil desit perfectionis.

QVid tu, ô anima mea, satisne es hoc intricata circuitu? *Caput* (inquit) *circuitus eorum, labor laborum ipsorum operiet eos.* (Ps. 139. 10.) Quod, quæso, huius laboris emolumentum? Aliudne quam porcorum siliquæ? Nec hinc quidem satietas, & si forte satietas, qualis? O quam suauior, quam iocundior, quam denique gratior esuries charitatis, quam satietas cupiditatis? Cæterum de beatitudine nulla comparatio. Quantò enim quisque saginatior cupiditate, tantò veritate inanior, tanto proinde (Psal. 30. 23. 14.)

& miserior. Audiens quapropter, ô anima mea; vituperationem multorum commorantium in circuitu, esto quasi vas perditum, quatenus à temetipsa deficiens, & tota in Deum transiens, nescias tibi viuere, nec tibi mori, sed ei, qui pro te mortuus est & resurrexit. O quis dabit mihi hoc salutari poculo debriari, hoc mentis stupore perfundi, hoc suauissimo lethargo sopiri! vt diligens Dominum Deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omni virtute mea, nunquam quæram quæ mea sunt, sed quæ Iesu Christi; diligensque proximum tanquam meipsum, non quæram quod mihi vtile est, sed quod alteri. O verbum consummans & abbreuians in æquitate! verbum charitatis, verbum amoris, verbum dilectionis, verbum totius perfectionis. Verbum consummans, cui nihil potest deesse; verbum abbreuians, in quo pendet tota lex & Prophetæ. O Iudæe, quid tantis opus est? Hîc Circumcisio, hîc Sabbatum, hîc Hostiæ salutares, hîc odoriferum sacrificium, hîc totius suauitatis incensum. Tene charitatem, & nihil horum deerit; charitatem neglige, & nihil horum proderit.

Compendij c. 2.

B

Cap. XVII.

De spiritali Circumcisione, quæ in charitate continetur.

Compendij c. 4.

Hic planè non carnalis vnius membri amputatio, sed totius interioris, exteriorisque hominis vera & perfecta Circumcisio, resecans voluptatem, extinguens libidinem, coërcens gulam, cohibens iracundiam, inuidiam penitus euertens, omnium vitiorum generatricem expugnans superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spiritali quadam suauitate contemperans, sequacis accidiæ occurrit languori. Hæc auaritiæ pestem liberalitatis gratissimo mucrone confodiens, ab idololatriæ vitio animam liberat, ac conseruat. Quid rogo hac Circumcisione perfectius, qua vitiorum membra resecantur, corpus peccati destruitur, protoplastorum exuuies villosa deponitur totusque antiquæ vetustatis squalor, tabesque reijcitur? Mentem enim, quam dulcedo charitatis oppleuerit, non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia eleuat, non cenodoxiæ inanis fumus euentilat, non exagitat furor, non stimulus ambitionis euiscerat, non auaritia contrahit, non deiicit tristitia, non inuidia tabefacit. *Charitas* quippe *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate.* Vides hanc spiritalem Circumcisionem, omnium vitiorum esse peremptoriam, quæ omnes sensus corporis diuino quodam cultro purificat, oculorum abscindens petulantiam, aurium pruritum eradens, gustûs superfluas suauitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactûs perniciosam mollitiem eradicans.

C

1. Cor. 13. 4.

D

Cap. XVIII.

Quod verum Sabbatum, ac spiritale in charitate quærendum sit.

IAm quale hoc Sabbatum aduertat Iudæus, si tamen vilis homuncio, gemens sub sarcina peccatorum, vinculatus retibus passionum, qui certè nihil aut perparum huius dulcedinis degustauit, hinc aliquid loqui potuerit. O si daretur mihi vel modica requies ab exactoribus Pharaonis, vt liceret animam meam, dimidiâ saltem horâ, in huius silentij sabbato repausare! profectò in pace in idipsum dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus & Consulibus, qui ædificant sibi solitudines, & replent domos suas argento. Sed vnde misero tanta spes? Quæram, quæram sabbatum istud, si forte desiderium pauperis audias Domine, & eductum aliquando de lacu miseriæ, & luto fæcis, dones vel stillulæ alicuius experientia videre quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, quia non reuelas nisi diligentibus te. Qui enim diligunt te, requiescunt in te, & ibi vera requies, vera tranquillitas, vera pax, verum mentis sabbatum.

Iob. 3. 13. 14. 15. Psal. 39. 3. Psal. 30. 20.

E

Tibi autem Iudæe vnde sabbatum? Quia *requieuit* (inquis) *Dominus die septimo ab omnibus operibus suis.* Quid ergo? in præcedentibus sex non requieuit? Imo (inquis) sex diebus fecit Deus cœlum & terram, septimo requieuit. Hinc ergo tibi præcipitur vacare; vacare inquam, non saltare. O si scires vacare, & videre quoniam Iesus ipse est Deus, sublato certè mox infidelitatis obscuro, reuelatâ facie in charitate perfectum cerneres sabbatismum; nec magnopere iam carnales carnalis tui sabbati epulas affectares, qui ingressus locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis, in illud Canticum gratulabundus erumperes, *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Sed & illud Abacuch in cumulum tuæ iucunditatis assumeres, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

Gen. 2. 2.

Ps. 41. 5.

Cant. 1. 3.

F

Abac. 3. 18.

Cap. XIX.

Quantum dies septimus cæteris præferatur, & quod in eo Dei charitas commendetur.

SEd iam septimi diei prærogatiuam paucis aduertamus; & quidem magnus dies ille, in quo decussis tenebris, lux Deo iubente resplenduit: magnus & ille, quo aquas inferiores, & superiores, interiecto firmamento vox diuina discreuit. Pretiosus nihilominus ille, quo aquis Dei verbo in vnum congregatis, terra arida vestitur herbis, venustatur arboribus, decoratur floribus, fructibus fœcundatur. Nec ille inferior, in quo cœlum luminibus adornatur, quibus dierum successus, temporum vices, anni cursus, signorum ordines disponuntur. Illius quoque quæ eminentia, quo aqua diuersorum animantium genus emittens, partem suis mergit gurgitibus, partem transmisit in aëra. Nec vacat admiratione dies sextus, quo quadrupedia & serpentia producuntur è terra, quo demum homo formatus è limo, diuino flatu animatur. At nullus horum diei septimo videtur comparandus, in quo nulla quidem naturæ creatio, sed ipsius Dei requies, omniumque creaturarum commendatur perfectio. Sic enim habes, *Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit ab vniuerso opere quod patrarat.* Magnus hic dies, magna requies, magnum sabbatum. O si intelligas! Ni fallor dies iste non huius visibilis solis cursu peragitur, non eius inchoatur exortu, nec terminatur occasu; denique non habet manè, non vesperè. Porro de die primo, si tamen primus dicendus est, non enim eum scriptura primum appellat, sed vnum. Sed quomodo (inquis) sequens dicitur secundus, si non iste primus? Vide ne fortè secundò dicatur dies vnus, dicatur & tertiò; vt vno die sexies repetito, senarius nobis numerus commendetur.

Gen. 1. 3. & 7.

& 9.

& 11.

& 14.

G

& 20.

Gen. 1. 24. 25. 26. & 27.

Gen. 2. 2.

Gen. 1. 5.

H

Verum quoquo modo se habeat ista obscuritas, *Factum est* (inquit) *vesperè & manè, dies vnus.* Et infra, *Factum est vesperè & manè, dies secundus.* Idipsum & de reliquis. Puto his verbis omnium creaturarum mutabilitatem esse signatam, defectum & profectum, initium & finem. De die septimo nihil tale. Non ei ascribitur vespere, non mane, non finis, non initium; ergo dies requietionis Dei, non temporalis, sed æternus. Tu paulò antè Deum tibi finxeras temporaliter laborantem, quasi fatigatum temporaliter quiescentem. Hoc non erat Deum cogitare, sed idolum fabricare. Cauendum tibi est ne non habens idolum in templo Hierosolymitano, habeas illud in corde tuo. Non aliquid laborans fecit, quia *dixit & factum est.* Non fatigatus vno aliquo tantùm die requieuit, quia dies requietionis eius æter-

Gen. 1. 5.
Gen. 1. 8.

A nius est, ergo requies eius, æternitas eius, quod non est aliud quam diuinitas eius. Putaueras eum tibi similem, ideo quasi indigentem aliquid creasse, quo oblectaretur aspiciendo, vel in quo requiesceret fruendo: idcirco non in aliqua creatura requies eius describitur, vt scias nullius indigentem, sed sibi in omnibus sufficientem, nec creasse aliquid, vt suæ consuleret egestati, sed vt satisfaceret suæ plenissimæ charitati.

Porro creauit vt essent omnia, sustentat vt maneant, quæ manent omnia, ipse ad debitos fines perducit vniuersa. Nec id agit vlla necessitate, sed solâ suâ suauissimâ voluntate. Denique *attingit a fine vsque ad finem fortiter* (Sap 8. 1.), præsentissimâ, & omnipotentissimâ maiestate, sed disponit omnia suauiter, quietus semper, & quiescens in sua placidissima charitate. Ipsa incommutabilis & æterna requies eius, æterna & incommutabilis tranquillitas eius, æternum & incommutabile sabbatum eius; ipsa sola causa cur creauit creanda, regit regenda, administrat administranda, mouet mouenda, promouet
B promouenda, perficit perficienda: ideoque aptissimè vbi eius requies commemoratur, ibi omnium rerum perfectio demonstratur. Charitas enim eius, ipsa est voluntas eius, ipsa est & bonitas eius, nec hoc totum aliud quam esse eius. Hoc est enim ei in sua dulcissima charitate, in sua placidissima voluntate, in sua abundantissima bonitate semper quiescere, quod semper est esse. Quocirca sicut diebus succedentibus, & quasi vices suas manè ac vesperè variantibus, in quibus creata narrantur omnia, creaturæ mutabilitas designatur; sic die hoc, die cui nihil aduenit, nihil præterit, nihil succedit, qui nec initio angustatur, nec fine concluditur, ipsa eius æternitas non immeritò commendatur, in qua eius requies aptissimè describitur, ne indigens, aut laborans aliquid creasse putetur. Sed cur ibi senarius numerus, hic septenarius? Et hinc accipe quale possumus documentum.

C

Cap. XX.

Cur senarius, in Dei opere, septenarius in eius requie commendetur.

SEnarius sane numerus perfectionem maximam continere videtur; ex omnibus quippe suis partibus constat, nec eas excedit. Partes eius sunt vnum, duo, tres. Nam si quæras vnum quota pars sit senarij, respondetur sexta; quota duo, responderi potest tertia; quota tres, respondetur media. Iam in senario nullus alius est numerus, de quo posset responderi quota sit pars eius. Omnes igitur partes senarij, vnum, duo, tres. Hos coniunge, nec plus, nec minus inuenies quam sexies. Is ergo numerus in mundi creatione seruatus est, vt in vniuersitate creaturæ nihil superfluum, nihil æstimes imperfectum. Porro septenarius numerus in Dei requie dedicatur. Requiem Dei eius diximus charitatem. Nec immeritò. *Pater* (inquit) *diligit filium, & omnia monstrat ei quæ ipse facit* (Ioan. 5. 20.). Et iterum, *Sicut ego
D præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione* (Ioan. 15. 10.). Et ipse pater, *Hic est* (inquit) *filius meus dilectus in quo mihi complacui* (Matth. 3. 18.). Hæc mutua patris filiique dilectio, amor suauissimus, gratus complexus, charitas beatissima, qua pater in filio, filius repausat in patre. Hæc planè, hæc vtriusque imperturbabilis requies, sincera pax, æterna tranquillitas, incomparabilis bonitas, vnitas indiuisibilis, hoc vtriusque vnum, imo in quo vterque vnum, dulce, suaue, iucundum, sanctum dicimus Spiritum, qui & idcirco creditur hoc sibi vocabulum propriè assumpsisse, quod esse constat vtrisque commune. Nam cum pater & filius vterque sit spiritus, vterque sanctus; hic tamen qui vtriusque est, charitas scilicet, & vnitas consubstantialis amborum, propriè dicitur Spiritus sanctus. Qui licet sit vous, & cum patre & filio vnum; propter septiformem tamen gratiam, quæ ex illius fontis plenitudine creditur emanare, in Scripturis septenario numero designatur. Vnde & in lapide vno, iuxta
E Zachariam, septem cernuntur oculi (Zachar. 3. 9.), & secundum Apocalypsim, septem sunt spiritus ante thronum Dei (Apoc. 1. 4.). Vides ergo quanta præstantia charitatis, in qua omnium Creator & rector, perenne quoddam, & ineffabile sabbatum sabbatizat.

Cap. XXI.

Quod in omnibus creaturis quoddam vestigium diuinæ charitatis appareat, & ideo quasi ad sabbatum, id est requiem omnia tendant.

POrro si omnem creaturam, à prima vsque ad nouissimam, à summa vsque ad imam, à summo Angelo vsque ad minimum vermiculum, subtiliùs contempleris; cernes profectò diuinam bonitatem, quam non aliud dicimus quam eius charitatem, non locali infusione, non spatiosa diffusione, non mobili discursione, sed substantialis præsentiæ stabili, & incomprehensibili, & in
F se permanente simplicitate omnia continentem, omnia ambientem, omnia penetrantem, ima superis coniungentem, contraria contrariis, frigida calidis, siccis humida, leuibus aspera, duris mollia, concordi quadam pace fœderantem: vt in ipsa creaturæ vniuersitate nihil aduersum, nihil possit esse contrarium, nihil quod deceat, nihil quod perturbet, nihil sit quod ipsam vniuersitatis pulchritudinem decoloret, sed in ipsius ordinis tranquillitate, quem ipsi vniuersitati præfixit, cuncta quasi tranquillissimâ quadam pace quiescant. Vnde id quod tumescens foras, ordinem excedit diuinæ bonitatis, excipitur mox ab ordine eius inuictissimæ potestatis; vt quanquam in se inquietum sit, & inordinatum, tranquillitati tamen ipsius vniuersitatis non modo non obsit, sed etiam prosit plurimum: dum comparatione eius, quæ pulchra sunt, pulchriora; quæ bona sunt, iudicentur esse meliora.

Hinc est quod singula quæque ad suum ordinem tendunt, sua loca petunt, extra ordinem suum inquieta
G sunt, ordinata quiescunt. Nam si lapidem libres in aëra, nonne mox quasi vim passus proprio pondere se deponit ad solida, ibi tantùm requiem habiturus, vbi nec deflectet in latera, nec in ima, solidi alicuius oppositione, labatur? At si oleum cæteris subfundas liquoribus, continuo suæ deiectionis impatiens penetrat ad superna, nec aliàs deponit conatum, quam cæteris supereminens ordinis sui quiete potiatur. Quid olera? quid arbusta? nonne quo feracius, vberiusque fructificent, hæc solidiorem, hæc molliorem, hæc pinguiorem, hæc argillosam, hæc arenosam quasi appetunt terram? Quæ cum fuerint, secundùm naturæ suæ ordinem, posita, vel transposita, plantata, vel transplantata, nihil se vlterius affectare, ipsius incrementi sui voce testantur. Denique si singula quæque corpora diligenter attendas, cernes nimirum singula suis constare partibus, partes partibus quasi vnitatis quodam vinculo colligari, ordinem suæ seruare naturæ, in eo quasi quadam pace quiescere, ita vt si velis abeo modo, in quo quæque res est, eam transferre, pax
H partium quodammodò perturbetur, donec adductæ in eum, quem velint modum, quadam iterum assumptâ tranquillitate quiescant. Porro animantibus irrationabilibus (Compendy c. 4.) quis labor est tueri salutem, vitare perniciem, carnalium appetituum quærere satietatem? quâ adeptâ, cum nihil habeant vltra quod appetant, conquiescunt. Rationis quippe, scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt.

Cap. XXII.

Quod rationalis creatura non nisi in beatitudinis adeptione quiescit, & quare cum beatitudinem optet, viam tamen, qua eam obtineat, mirâ infelicitate refugiat.

TIbi enim, ó anima rationalis, præ cæteris animantibus hæc prærogatiua seruatur, quo te sensibus (Compendy c. 4.)

carnis

A carnis emergens ad altiora contendas, nec aliquando saties appetitum, donec ad id quod est summum, id quod est optimum id quo nihil superius, nihil excellentius, felici curiositate perueoias. Vbicunque infra substiteris, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi iocundum iudicetur, miseta proculdubio remanebis. Misera, quia indiga; indiga, quia restat quod petas, restat ad quod anheles restat postrema ipsa beatitudo, ad quam appetendam, animam rationalem vis quædam naturalis impellit. Quocirca cum omnes homines beatos esse velle, singulorum testis sit conscientia, cum hæc voluntas vllo modo nequeat aboleri, patet rationalem creaturam, optatam omnibus requiem, non nisi in beatitudinis adeptione sortiri.

Proinde deplorauda satis est miseri hominis cæca peruersitas, qui cum beatitudinem vehementer exoptet, noo modu non agit quibus adipiscatur optata, verum proniori affectu ea committit, qoibus miseriam magis accumulet suam. Quod, vt mea fert opinio, nequa- B quam ageret, nisi hinc eum falsa quædam felicitatis imago deluderet, hine veræ miseriæ similitudo terreret. Nam pauperiem, luctum, famem, sitim, quis non videat miseriæ fore non modicam portionem? quibus tamen plerumque vera miseria præcauetur, æterna beatitudo conquiritur. *Beati enim pauperes* (ait Iesus) *quoniam vestrum est regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuritis nunc, quia saturabimini.* [Matth. 5. 3.] Pauperies ergo æternis diuitiis muneratur; luctus æterna iocunditate mutatur; esurienti satietas æterna seruatur. Hæc enim omnia, diuitias scilicet, iocunditatem, satietatem, beatitudini non deesse nemo qui dubitet.

Verum quia reprobum quemque in qualicunque suæ voluntatis affectu, species quædam iocunditatis eludit, in desideriorum expletione delectatio falsa dissoluit; ignorans, miser, quanta sit electis, & in pressura consolatio, & in spe gratulatio, perhorrescit quidem eam, quæ in facie patet infelicitatis effigiem, sed sub fœlicitatis colore veram excipit infelicitatem: falsam iocun- C ditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beatitudo succedit. Non secus quam si æger quispiam salutem vehementer exoptet, sed ob præsentem molestiam refugiat sectionem, adustionem exhorreat, ac præsenti quadam suauitate pellectus, olei fomenta requirat: quanquam morbus eiusmodi sit, vt hac magis lenitate feruescat, nec sine adustionis, sectionisve dolore lentescat. Sic miser homo, sic vel deceptus, dum putat fœlicitatem esse, quæ non est, vel præsentium suauitate illectus, quæ falsa est: & seipsum miseriæ addicit, & beatitudinis appetitum non amittit, ac perinde infelici circuitu laborans nunquam quiescit. Enimuero cum animæ rationali solus sit superior Deus, par Angelus, cætera omnia inferiora iudicantur; quid dementiæ tam vicinum, quam relicto superiore, in his, quibus ipsa sit melior, requiem aucupari.

D

Cap. XXIII.

De prærogatiua rationalis creaturæ, & quod requies, quam naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in mundi huius sit quærenda diuitiis.

[Compendij c. 5.] O Mirabilis creatura solo creatore inferior, quo te deiicis? Mundum amas? sed ipsa es mundo superior. Solem miraris? sed ipsa es sole lucidior. De cœli huius volubilis situ philosopharis? sed tu cœlo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? sed te nulla creatura secretior. Dubitas, cum tu de his omnibus iudices, de te autem nihil horum? Sed si velis iudicare, noli tamen amare. Sed nec ipsum iudicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non vt ex his tu beatior; sed vt esset, quo tu esses superior: subiiciens tibi omnia ad cumulum honoris, se tibi seruans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugi- E tiuas pulchritudines, cum tua ipsius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat? Quod quæris, quære; sed noli ibi. Quæris vt voluntati tuæ nihil desit, & sic requiescas: hoc ergo quære. Vbi inquis? noli in salute corporis, quæ si sic ametur, vt in ea requies ista quæratur; certe si desit, quanto labore acquiritur; quam pœnali exitio, pœnalis plerumque morbus expellitur. Porro si adsit, quanta necesse est cura seruetur? Quot ei insidiantur morbi, quot febres, quot pestes, quot denique mortes? Quid ergo? nunquid in diuitiis? Sed quis labor in acquirendis, quæ sollicitudo in seruandis, quis timor ne amittantur, quis dolor si delabantur? Auxisti pecuniam, & timorem nihilominus auxisti. Timetur potens, ne auferat; timetur latro, ne minuat; timetur seruulus, ne prodat.

Deinde quam crebro id quoque eueniat, quod quidam sapiens ait, *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui*: [Eccl. 5. 12.] quis dixerit? Magis ergo requiescit pauper. Vacuus F enim viator, & nudus, vt quidam ait, non timet latronis insidias. Securus à nocturnis furibus dormit pauper, etsi claustra non muniat. Inde est, & illud poëticum,

Cantabit vacuus, coram latrone viator.

Cæterum mordaces diuitum curas, quidam sapiens satis eleganter irridens, *Saturitas* (inquit) *diuitis non sinit eum dormire.* [Eccl. 5. 11.] Quod licet ad literam plerumque contingat, vt diues quispiam saturatus ad nauseam, dum prægrauato stomacho se colligit ad quietem, crebris ructibus excitetur; intelligendum tamen dictum illud de illo potius somno, de quo Sponsa gloriatur in Canticis, *Ego* (inquiens) *dormio, & cor meum vigilat*; [Cant. 5. 2.] de quo & Psalmista, *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam.* [Ps. 4. 9.] Hic est somnus, in quo sopitis sensibus carnis, ac temporalibus curis, ac penetralibus sui cordis extrusis, sancta anima in Dei suauitate quiescit, gustans & videns quam [Ps. 33. 9.] dulcis est Dominus, quam beatus omnis, qui sperat in eo. Hoc ergo somno absit vt diuitem quempiam æstimes consopiri, qui semper lucris inhians, quo plura G congesserit, eo inexplebiliori ingluuie non habita concupiscit; vnde Salomon, *Auarus* (inquit) *non satiabitur pecuniis, & qui amat diuitias, fructum non capit ex eis.* [Eccl. 5. 9.] Qui propheticum quoque illud maledictum incurrit, *Væ qui congregat non sua.* [Abac. 2. 6.] Statimque idem metallorum eius subsannans congeriem, *Vt quid aggrauat contra se densum lutum.*

Cap. XXIV.

Quid sit inter diuites electos, & reprobos.

NOtandum sane quod non ait Salomon, Qui habet diuitias, sed, *Qui amat* (inquit) *diuitias, fructum non capit ex eis.* [Eccl. 5. 9.] Nam profecto electi quique, etsi forte diuitias habeant, non tamen eas amant, proinde nec in his requiem quærunt, sed audientes præcipientem Apostolum diuitibus, non superbè sapere, nec sperare in in- [1. Tim. 6. 17.] certo diuitiarum, sed facilè tribuant, communicent, the- H saurizent sibi fundamentum bonum, vt apprehendant veram vitam; ex suis diuitiis non modicum fructum accipiunt, audituri nimirum à Domino, *Venite benedicti Patris mei, Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* [Matth. 25. 34.] Hi sane non laborant in diuitiis acquirendis, timentes illud Apostoli, *Quia qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli*: [1. Tim. 6. 9.] hos in conseruandis cassa sollicitudo non cruciat, sponsionem Domini altiùs recitantes, qui & sollicitudinem prohibet, & necessaria spondet, *Nolite* (inquiens) *solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus?* [Matth. 6. 31. & 33.] Et paulo post, *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adyicientur vobis.* [Hebr. 10. 34.] Postremò harum amissione non murmurant; imò & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, considerantes se habere meliorem, & manentem substantiam.

At peruersis in contrarium cedit. Dum enim ratio-

A nalis animæ appetitum, cui solus Deus satis est, vilissima mundialium rerum copiâ existimant posse sopiri; quia nihil quantarumlibet rerum ingestione proficiunt, nec ad modicum curis se infelicibus exuunt, nec aliquando laborem deponunt: & tamen quod miserius est, talium rerum quæstu vanâ cæcitate tumescunt. Et hæc quidem in præsenti: At quis horum finis? Vltima eorum verba, quæ sacra Scriptura non tacet, potius audiamus. *Dicent (inquit) inter se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, eorúmque verba subnectit, in quibus sunt hæc, *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantes aquas, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire: ita & nos nati continuo desinimus esse, & virtutis quidem nullum signum*
B *valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno qui peccauerunt, quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Alias ergo *hæc requies*, & hoc sabbatum videtur esse quærendum.

Sapien. 5. 3. & 7.

Cap. XXV.

Quod nec in mundiali amicitia requies sit quærenda.

SEd amare, inquis, & amari quid tranquillius? Siquidem in Deo, & propter Deum, non improbo, imo & probo plurimum. At si secundum carnem, vel mundum, cerne quot inuidiæ, quot suspiciones, quot zelantis animi vrentia flagra quietem mentis excludunt. Quod si nihil horum euenerit, mors, quam omnes experiri necesse habent, hanc dirimet vnitatem, dolorem
C viuenti, pœnam importabit discedenti. Quanquam & in hac vita, inter amicissimos graues inimicitias obortas, nouimus. Sane de ea, quæ inter bonos est, dilectione aliàs differemus.

Cap. XXVI.

Quod nec in corporis voluptate, nec mundi potentiâ requies inueniatur.

COmpellimur quasi næuum quendam huic corpori inserere; de carnali scilicet voluptate sermonem; de qua tacendum quidem foret, nisi plerosque quasi exutos homines, belluina quadam similitudine adeo cerneremus indutos, vt in ventris, eorúmque quæ sub ventre sunt voluptate, omnem vitæ suæ fructum æstiment collocandum. Ne quis ergo existimet in his mentis suæ requiem esse quærendam, paucis hinc dicendum. Quid enim peruersius, quam rationalis mentis
Compendij c. 5. D bonum in ventris ingluuie collocare, ac id, quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere? maximè cum se in his, à stolidissimis belluis nihil videat posse differre. Denique & fames cruciatum, & satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est; si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porro libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis, in cœno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum; ita profectò nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete, ac tranquillitate vacuum. Nam de eius fœditate quid dicendum, cum hæc sordidissima lues & carnem contaminet, & mentem effœminet, ac quicquid in animo honestum, quicquid denique virile est, obruat pariter & euertat?

Et quidem cum cætera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis obpallient, ac perinde non modo ad humanos non erubescant, imo & intumescant aspe-
E ctus; hæc sola in prima fronte tantum sui præfert horrorem, vt eâ maximè horâ, qua etiam carnem perstringit, ac sibi vendicat, oculos vehementer refugiat. Nempe & ipsis membris, humano corpori à sapientissimo Creatore honestè insertis, ob sui obscœnitatem tantum turpitudinis ingessit, vt is, qui ea maluit cernere, quam reuerenter obtegere, æternâ patris maledictione mulctetur; quibus autem horum nuditas verecundiæ notam inussit, benedictionis perpetuæ gratia munerentur. Nec mirandum, iam triumphante, ac vbique coruscante illa mollitiei debellatrice cruce IESV, huius passionis colluuiem proditam ac nudatam; cum in illa dæmonicolâ plebe, in qua callidissimâ dæmonum factione, falsorum deorum flagitia pro sacris colebantur, pro eorum quasi reuerentia in theatris saltabatur, nec saltem sub spurcissimo Ioue spurcus quisquam notam aliquando confusionis euaserit. Nam & ab ipsis adulterorum deorum cultoribus, & adulterium puniebatur,
F & castitas plurimum laudabatur.

Quid ergo his agendum, qui virginis filium, ac virginitatis colunt auctorem? Cauendum est profectò ne cuiquam id eueniat, quod de quibusdam ait Propheta, *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Quibus verbis Ioël. 1. 17.
propriè satis finem, modumque huius spurcissimæ passionis expressit, cum quem luxuriæ charybdis absorbuit, carnis suæ colluuione, quasi proprij stercoris egestione, asserens esse corruptum: vt eum non modo æstimes extinctum vel absorptum, sed instar sepulti cadaueris, immundissimi pruritûs sanie profluente, putrescentem sentias & fœtentem. Necesse est ergo mentem, cui nequam hic spiritus insederit, quibusdam furiis agitari; & ignitis luxuriæ stimulis impetitum, ad quæque flagitia ebrium & vagabundam, soluto freno totius honestatis impelli: testinctoque semel conceptæ passionis incendio, in aliud nihilominus æstu vehementiore succendi. Perabsurdum est ergo, in eiusmodi vo-
G luptate rationalis mentis requiem aucupari, præsertim cum a diuina iustitia nunquam maiorem pœnam in præsenti vita legimus irrogari, quam cum proprijs desiderijs quilibet traditur maculandus, dicente Scripturâ, *Et* Psal. 80. 12.
non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Et Apostolus manifestius de his, qui commutauerunt gloriam Dei in idola, *Propter quod (inquit) tradidit il-* Rom. 1. 24.
los Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Non quod eos Deus, quasi malorum incentor, ad hæc probra compulerit, sed quod ab eo iustissimè derelicti, hæc facinora vitare nequiuerint.

Supprimo multa silentio, quæ mihi contra hanc immundissimam luem animo suggeruntur, verens nimirum pudicissimos oculos tuos, mi amantissime, ac desiderantissime, cui præsens opusculum destinaui. Videor enim mihi quasi cernere pudoratam faciem tuam, ad hæcque scripta sunt, honestæ verecundiæ notâ perfundi, ac suauissimo oculorum nutu mihi silentium impe-
H rare. Noui enim illud castissimum pectus, tantâ charitatis suauitate perfusum, ac suaue olentis pudicitiæ refertum floribus, tam cœlestem ac diuinum spirare odorem, vt huius colluuionis fœtorem saltem audire onerosum sit. Proinde ad alia transeuntes, de aurium, oculorumve, ac cæterorum sensuum voluptate, de dominatu ac potentiâ, ille Rex ditissimus, potentissimus, delicatissimus, sed sapientissimus Salomon videlicet consulatur, imo in ipso, ipsa sapientia intentissimè audiatur. Primo igitur ex sua, siue aliorum personâ pronuntians, *Dixi* (inquit) Eccl 2. 1. & 4.
in corde meo, Vadam & affluam delicijs, & fruar bonis. Et infra. *Ædificaui domos, plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conseui cunctis generis arboribus.* Multáque huiusmodi addens adiecit, *Possedi seruos & ancillas, & famili-* & 7.
liam multam nimis. Coaceruaui mihi argentum & aurum, substantias Regum & Prouinciarum. Et cum de voluptate aurium addidisset, *Feci mihi cantores, & cantatrices*, post & 8.
pauca subiunxit; *Quicquid desiderauerunt oculi mei, non* & 10.

negaui

A *negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ parauerant.*

Quid rogo delicatius? Quid suauius? Quid secundum & 11. hanc vitam iocundius? Sed audi quia nihil vanius. *Cumque conuertissem me* (inquit) *ad cuncta opera mea, & labores meos, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus, & nihil permanere sub sole.* Ideoque generalem sententiam præmiserat dicens, Eccl.1.14. *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce omnia vanitas, & afflictio spiritus.* Addamus & illam Saluatoris nostri sentenIoan.8.34. tiam, *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Coniungantur ergo hæc tria, Vanitas, Seruitus, Afflictio spiritus. Vbi igitur requies? vbi sabbatum? maxime Leuit.23.8. cum lex dicat. *Nullum opus seruile facietis in eo.* Certè omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Vbi ergo ab hoc seruili opere certa vacatio? Vbi cauetur huius seruitutis contagio? Vbi fit vera & perfecta sabbatizatio? Denique Eccl.7. B 21. *non est iustus super terram qui non peccet.* Porto *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me* Psal.50.7. *mater mea,* ait sanctus Dauid.

Cap. XXVII.

Quod charitas sit illud iugum suaue, sub quo vera requies, quasi verum sabbatum inuenitur.

Ioan.8.36. AVdiamus quapropter eum qui ait, *Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.* Ipsum, inquam, auMatth.11.28. diamus vocantem, clamantem, & ad requiem, & ad sabbatum, laborantes inuitantem, *Venite* (inquit) *ad me om-* Compendy c.6. *nes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.* Ecce refectio, quasi sabbati præparatio. Iam ipsum sabbatum & 29. audiamus, *Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ecce requies, ecce tranquillitas, ecce sabba& 30. C tum. *Et inuenietis requ. ē animabus vestris. Iugum enim meū suaue est, & onus meum leue* Prorsus iugū istud suaue est, & onus leue, ideo inuenietis requiem animabus vestris. Iugum istud non premit, sed vnit; onus istud pennas habet, non pondus. Iugum istud charitas est, onus istud fraterna dilectio est. Hic requiescitur, hic sabbatizatur, hic à seruilibus operibus vacatur. Denique 1.Cor.13.4. *charitas nō agit perperam & non cogitat malum: & dilectio proximi malum* Rom.13.10. *non operatur.* Vides Iudæe vbi sabbatum, in quo etsi contingat non quidem ex charitate, sed ex infirmitate ali1.Pet.4.8. qua peccati subreptio, quia tamen *charitas operit multitudinem peccatorum,* non perit sabbati feriatio. Et meritò septimo die hæc vacatio dicatur, quia Rom 5.5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Porto septenario numero spiritum sanctum significari, iam superius diximus.

Cap. XXVIII.

Exemplum de seipso & sua conuersione.

D ECce dulcis Domine, perambulaui mundū, & ea quæ in mundo sunt, quia 1.Ioan.2.16. *quicquid in mundo est* (ait ille arcanorum tuorum conscius) *aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Quæsiui in his requiem infelici animæ meæ, sed vbique labor & gemitus, dolor & afflictio spiritus. Clamasti Domine, clamasti, vocasti, terruisti, rupisti surditatem meam: percussisti, verberasti, vicisti duritiam meam; obdulcuisti, sapuisti, prodidisti amaritudinem meam. Audiui, sed heu serò clamantem, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*; Et ego, Iob.14.15. *Operi* (inquam) *manuum tuarum porriges dexteram.* Iacebam enim pollutus & obuolutus, ligatus & captiuatus, irretitus visco tenacis iniquitatis, oppressus mole inueteratæ consuetudinis Itaque intendi meipsum quis essem, vbi essem, qualis essem. Exhorrui Domine, & expaui propriam effigiem meam; terruit me tetra imago infelicis animæ meæ. Displicebam ipse mihi, quia tu placebas. Volebam fugere à me, & fugere ad te, sed retinebar in me. *Retinebant me,* vt ait quidam, E Augustin. lib.8. Confess. cap.11. *nugæ nugarum, & vanitas vanitatum, antiquæ amicæ meæ, vinculabat me catena pessima consuetudinis meæ, vinciebat amor sanguinis mei, stringebant vincula socialis gratiæ, maximè nodus cuiusdam amicitiæ, dulcis mihi super omnes dulcedines illius vitæ meæ.*

Sapiebant ista, placebant ista, sed tu magis. Attendens enim singula ista, vidi amaris dulcia, lætis tristia, aduersa prosperis esse permixta. Placebat amicitiæ grata connexio, sed semper timebatur offensio, & certa erat futura quandoque diuisio. Consideraui iocunditatum illarum initia, attendi processus, finem prospexi. Vidi nec initia reprehensione, nec media offensione, nec finem carere posse damnatione. Mors suspecta terrebat, quia talem animam post mortem certa pœna manebat. Et dicebant homines attendentes quædam circa me, sed nescientes quid ageretur in me. O quam bene est illi! Ignorabant enim quia ibi mihi male erat, vbi solum poterat bene esse. Valde enim intus erat plaga mea, cruF cians, terrens, & intolerabili fœtore omnia interiora mea corrumpens; & nisi citò admouisses manum, non tolerans meipsum, forte pessimum desperationis remedium adhibuissem. Cœpi ergo coniicere, quantum inexpertus potui, imo quantum tu dedisti, quanta in tui dilectione iocunditas, quāta cum iocunditate tranquillitas, quanta cum tranquillitate securitas. Non eius qui te amat errat electio, quia te nihil melius: non spes fallitur, quia nihil amatur fructuosius; non modi excessus timetur, quia in tui dilectione nullus modus præscribitur; non mundialis amicitiæ diremptrix mors formidatur, quia vita non moritur. In tui dilectione non timetur offensio, quia nulla est, nisi ipsa deseratur dilectio; non interuenit vlla suspicio, quia iudicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic iocunditas, quia timor excluditur; hic tranquillitas, quia ira compescitur; hic securitas, quia mundus contemnitur.

Cœpisti interim paulatim sapere palato meo, quanquam G minus sano, & dicebam, O si sanarer! Et rapiebar ad te; sed iterum recidebam in me. Et tenebant me quasi compeditum ea, quæ per carnem delectabiliter sentiebam, vi quadam consuetudinis, sed magis placebant ea, quæ animus conüciebat vi rationis. Et dicebam sæpe in auribus etiam aliorum, Vbi rogo modo sunt omnes deliciæ nostræ, omnes voluptates, omnes iocunditates, quibus vsque in hanc horam vsi sumus? Iam nunc hoc momento temporis, quid inde sentimus? Quicquid iocundum fuit, hoc abiit: hoc solum de his omnibus superest, quod conscientiam pungat, quod timorem mortis incutiat, quod nos æternæ damnationi addicat. Comparetur quæso omnibus diuitiis nostris, omnibus deliciis, omnibus honoribus id vnum famulorum Christi, quod mortem non timent. Vilui ipse mihi in his verbis sæpe, & flebam aliquando amarissimâ contentione animæ. Viluit mihi quicquid aspiciebam, sed carnalis delectationis consuetudo premebat. Sed qui audis gemitus compeditorum, & soluis filios interemptorum, dirupisti vinH cula mea; & qui meretricibus, & publicanis offers paradisum tuum, me omnium peccatorum primum conuertisti ad te. Et ecce respiro sub iugo tuo, & repauso sub onere tuo, quia iugum tuum suaue est, & onus leue est.

CAP. XXIX.

Quantum errent qui de dominici iugi asperitate causantur, cum quicquid laboris sentitur, ex reliquiis sit cupiditatis, quicquid requiei, ex infusione charitatis.

ERrant Domine, errant, falluntur, qui ignorantes semetipsos, & quid in se agatur non aduertentes, de iugi huius asperitate, ac oneris grauitate causantur. Quid ergo, inquis, tu, qui videris huic iugo supposuisse ceruices, ac oneri humeros subiecisse, nunquam laboras?

A Imo persæpe: nam hodie quoque non nihil laboraui: Cum enim paulo ante cautiùs mihi verbum exiliisset, ita illud amicissimus quidam meus molestè accepit, vt etiam offensionem suam vultu proderet, & prostratum me ad pedes eius paulò tardiùs erigeret. Nec planè adhuc exsudauit animus meus mœrorem illum, Domine tu scis, non ideo quia ego tardè erectus, sed quia ille offensus, & ego incauto sermone præuentus. Et forte ob singularem familiaritatem, qua ei magis nude loqui consueui, hic mihi faciliùs sermo subrepsit, secundum id quod vulgò dicitur, priuatus Dominus stultum mancipium facit.

Et nunc Domine inspector infirmitatis meæ, medicus animæ meæ, vnica spes salutis meæ, tibi soli peccaui, etiam quod in ipsum peccaui. Non enim ideo peccatum est, quia illum offendi; sed quia ne offenderem, tu prohibuisti. Tibi Domine, tibi soli peccat, quicunque peccat; quia cum peccatur, aut non fit quod iubes, aut fit quod prohibes. B Homicidium Domine peccatum est, quia tu dixisti; *Non occides.* (Exod. 20. 13. 1. Reg. 15. 3. & 22.) Et ideo cum tu aliquando diceres, Occide, non solum peccatum non fuit occidere, sed, scelus maximum nolle, te iubente, occidere. Fraudem quoque damnat tua lex; & tamen cum te iubente, Hebræi mutuatis vasis, & vestibus spoliarent Ægyptum, (Exod. 11. 2. & 12. 36.) quoniam tibi paruerunt, non vtique peccauerunt. Dicis nihilominus, non fornicaberis, & idcirco fornicari immanissimum scelus est; nec tamen te iubente, dubitauit Propheta tuus sumere sibi mulierem fornicariam, (Oseæ 1. 2.) vt faceret filios fornicationis; quod vtique non faceret, si vxorio vinculo sibi eam copulasset. Quanquam dubitetur verum ad litteram sic factum sit. *Tibi* ergo *soli peccaui.* Neque occurrit in scripturis, hoc facile homini dictum, *Tibi peccaui*; quanquam dictum sit, *In te peccaui*; Nescio quid magnum innuit quod dictum est, *Tibi.* Quid est ergo, *Tibi peccaui?* nisi, tuo arbitrio æstimandum est peccatum meum, tuo arbitrio iudicandum, tuo arbitrio puniendum? *Tibi soli peccaui.* C Vt quid parat lapidem Iudæus? *Tibi soli peccaui, Qui sine peccato est* (inquit) *vestrum, primo in illam lapidem mittat.* (Ioan. 8. 7.) Illi ergo soli peccaui, cui congruit de peccato iudicare; cuius iudicij est, quod hoc constat esse peccatum. Tu ergo Domine, tu ignosce quia peccaui, quia tibi soli peccaui: quia tamen & in illum peccaui, proiiciam me adhuc ad pedes eius; tu autem inspira ei, vt & ipse ignoscat quod illum offendi: quanquam, sicut tu scis, tunc eum offendere non cogitaui, non volui.

Sed vt redeam ad priora, nunquid hic labor meus de de iugo dominico, & non potius de morbo proprio? Sentio profectò, quicquid mihi est tranquillitatis, quicquid pacis, quicquid est iocunditatis, hoc totum mihi, hoc suauissimum iugum parturire: quicquid vero laboris, quicquid fatigationis, quicquid denique grauitatis, ex reliquiis mundialis concupiscentiæ prouenire. Sub iugo enim illo, quod infelicissimæ ceruici meæ Babylonis, id est confusionis, Princeps imposuit, infirmata est virtus mea, contrita sunt ossa mea; & quamuis ex aliqua parte sit soluta captiuitas, restat tamen ex D antiqua oppressione nonnulla infirmitas, ex qua plerunque turbatur, iam aliquantulum ex parte, suauitatis serenitas, donec ille, qui propitiatur omnibus iniquitatibus meis, (Ps. 102. 3.) sanet etiam omnes infirmitates meas, redimensque de interitu vitam meam, coronet me in misericordia & miserationibus; cum corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem, (1. Cor. 15. 53.) & impleatur sermo qui scriptus est: *Absorpta est mors in victoria.* Interim ex iugi huius suauitate non modica consolatio, & contra inditam infirmitatem nonnulla conflictatio.

* * *

E

Cap. XXX.

Quod hi, qui de dominici oneris grauitate, queruntur mundi potius onere comprimuntur.

PRoinde qui de iugi huius asperitate causantur, fortè grauissimum mundialis concupiscentiæ iugum, aut non plenè abiecerunt, aut abiectum cum maiori confusione resumpserunt, ac à foris iugum dominicum præferentes, sed ab intus humeros sæcularium negotiorum sarcinæ supponentes, labores & dolores, quibus semetipsos addicunt, grauitati dominici oneris imputant: sicque *præcepta Domini*, quæ sicut dicit Ioannes, *grauia non sunt*, (1. Ioan. 5. 3.) fastidientes, & vt canes proprium vomitum tepascentes, sub habitu abstinentium, ventrem colunt; sub tunica pœnitentium, ad mundiales gratias & honores anhelant; sub sacro amictu continentium, carnis sordibus maculantur; F sub agnino vellere, lupinum gerentes animum; ex inexplebili auaritiâ æstuantes, domum ad domum, agrum agro copulant, viduis non parcunt, orphanis non miserentur, patrimonia sibi pauperum vendicant, pro his ad lites & contentiones proni, ad iudicia parati, pro his continuis curis euiscerantur, inflammantur odiis, anxiis cogitationibus dissipantur, quia iugum non Domini, sed mundi asperum est, & onus mundi graue est. Porro *iugum Domini suaue est, & onus Domini leue est.* (Matth. 11. 28.)

Cap. XXXI.

Quanta sit in charitate perfectio, & quid ipsa à cæteris virtutibus distet, & quod cætera virtutes sine ipsa virtutes non sint.

QVid enim suauius, quid gloriosius, quam mundi contemptu mundo se cernere celsiorem, ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus; (Compendy c. 7.) G nihil videre quod appetat, nullum quem metuat, nullum cui inuideat; nihil, quod possit ab alio auferri, suum esse; nihil, quod ab alio sibi possit inferri, malum esse? Dumque in illam hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis, (1. Pet. 1. 4.) dirigit mentis obtutum, sæculares diuitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi contaminatas, omnes mundi pompas quasi marcessibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, & in illud Propheticum exultare, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni; exsiccatum est fœnum & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum.* (Isa. 40. 6.) Quid rogo dulcius, quidve tranquillius, quam turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentiuorum incendiis non aduri, ad nullum illecebrosum moueri aspectum, sed tepescentem rore pudicitiæ carnem, spiritui habere substratam, non iam ad carnales voluptates illectricum, sed ad spiritualia exercitia obedientissimam adiutricem? H Quid tandem diuinæ tranquillitati tam proximum, quam ad illatas contumelias non moueri, nullo supplicio, nulláve persecutione terreri, vnam mentis & in prosperis, & in aduersis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri, ad eius se similitudinem conformare, *qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos?* (Matt. 5. 45.) Hæc simul omnia in charitate, & nonnisi in charitate simul omnia; ac perinde in illa vera tranquillitas, vera suauitas, quia ipsa est iugum Domini, quam si Domino inuitante tulerimus, inueniemus requiem animabus nostris, quia *iugum Domini suaue est & onus leue.* (Matth. 11. 22.) Denique *charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam; non inflatur, non est ambitiosa* &c. (1. Cor. 13. 4.)

Proinde cæteræ virtutes sunt nobis, aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus: at charitas, quæ, licet vt aliæ virtutes virtutes sint, sit oportet in omnibus, specialius tamen ipsa & requies fatigato, & viatori

mansio,

A manfio, & plena lux peruenienti, perfecta corona victori. Quid enim est fides nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur? quid spes nisi viaticum nostrum, quo in huius vitæ miseriis sustentamur? quid quatuor illæ virtutes, temperantia, prudentia, fortitudo, iustitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus? At vbi charitate quæ nonnisi in Dei visione perficitur, illis dumtaxat quibus hic in fide inchoatur, mors fuerit plenius absorpta; nec fides erit, quia qui cernitur & amatur, non est opus vt credatur; nec spes erit, quia brachiis charitatis Deum amplectenti, nihil restat quod speretur. Verum temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra aduersitates, iustitia contra inæqualitates; sed in charitate perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnet temperantia; in charitate perfecta scientia, ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia; in charitate vera beatitudo, ideo nulla aduersitas, quam fortitudo deuincat; in charitate pacata sunt omnia, ideo nulla inæqualitas, contra
B quam iustitia vigilet. Sed nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur; nec spes, nisi quod speratur, ametur. Porro si subtilius aduertas, quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit? quid prudentia, nisi amor, quem nullus error seducit? quid fortitudo, nisi amor fortiter aduersa sustinens? quid iustitia, nisi amor æquus, quodam moderamine inæqualitates huius vitæ componens? In fide ergo charitas inchoatur, in cæteris virtutibus exercetur, in seipsa perficitur.

Cap. XXXII.

Quomodo opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimi vero diei requies charitati assignetur.

Compendij c. 8.
C Sit ergo Fides nobis quasi primus dies, quo fideles ab infidelibus, quasi lux à tenebris separamur; sit Spes secundus, per quam in cœlestibus habitantes, & pro sidei meritis sola supercœlestia sperantes, ab his qui terram sapientes, & à Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento, aquarum instar, dilabuntur & fluitant, Deo promouente discernimur. Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra, quæ sunt super terram mortificantibus, ac carnales concupiscentias, quasi aquas amarissimas, necessariis terminis coercentibus, appareat terra cordis nostri arida, & inaquosa, sitiens Dominum Deum suum. Iam vero Prudentia quasi diei quarti lumen erumpat, per quam inter facienda & non facienda, quasi inter diem & noctem diiudicamus; cuius adminiculo lumen sapientiæ, velut solis splendor effulgeat; lux scientiæ spiritalis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquibus deficit, quasi lunæ decus appareat; per quam etiam præcedentium patrum exempla, quasi stellarum globos mens deuota suscipiat, per quam inter dies & annos, menses & horas diuidat; quid distet videlicet inter eos, qui ante legem, & sub lege, quid
D inter hos, & illos qui sub gratia, quid singulis conueniat, quæ præcepta, quæ tempora, qui mores, quæ sacramenta, æquâ examinatione discernat. Sit nobis Fortitudo quasi dies quintus, per quam huius maris magni & spatiosi, sæculi videlicet huius procellas tolleremus, ac pisces spiritales effecti, Deo operante, vitam nostram inter vndas tempestatesque seruemus; ac mentis nostræ desideria simul & affectus, quasi volatilia pennata ad cœlestia erigentes, & quæ sursum sunt sapientes, multiplices bonorum operum fructus, Deo benedicente, reddamus. Porro diem sextum nobis Iustitia dictet, per quam diuinam similitudinem reinduti, atrocissimis vitiorum bestiis, terrenisque desideriis quasi reptilibus, corporisque motibus quasi iumentis, generosa auctoritate imperemus, agentes vt corpus menti, mens Deo subdatur, sicque iustitiâ dictante, cuique quod suum est tribuatur.

Hic iterum benedictio, non bestiis, non iumentis, non reptilibus, sed hominibus. Monemur plane de hac historia, licet ad literam facta, spiritales carpere fructus; qui piscibus maris, & volatilibus cœli Dei benedictionem legimus accessisse; quam tamen bestiis ac iumentis, siue reptilibus terræ, diuinam largitatem non cernimus contulisse, quanquam & ipsa crescant, & multiplicentur; quod muneris piscibus & volucribus, præfatâ benedictione Deus cernitur concessisse. Sic enim scriptum est, *Benedixit illis Deus dicens, Crescite & multiplicamini & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram.* Bestiis & iumentis nihil horum. Nimirum virtutibus sanctisque affectibus, quos piscibus volatilibusque credidimus comparandos, debetur benedictio, debetur multiplicatio, debetur spiritali generatione successio. Verum sicut homini, ad Dei imaginem & similitudinem creato, bestiæ & iumenta, Deo benedicente, subduntur: sic in ipsam imaginem & similitudinem iustitiæ, meritis reparato, spiritales bestiæ, de quibus Psalmista, *Ne tradas* (inquit) *bestiis animam confitentem tibi,* quibus successio non debetur, Dei imperio substernuntur. Restat septimus dies, id est sabbatum, in quo omnia ista opera consummantur, in quo requies vera suscipitur, in quo labori nostro terminus ac finis indicitur. Ipsa est charitas, virtutum omnium consummatio, sanctarum animarum suauis refectio, honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera, vt bona sint oriuntur, in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus mensis, in quo post tentationum diluuium, arca cordis suauiter requiescit. Huic seruit temperantia, prudentia vigilat, militat fortitudo, iustitia famulatur.

E

Gen. 1. 22.

Ps. 73. 19. F

Cap. XXXIII.

Quod in hac vita cætera virtutes charitati famulentur, post istam vitam in charitatis plenitudinem transfundentur.

G Cvm enim sit Temperantiæ vis vt illecebrosos carnis, animiue motus cohibeat ac retundat, ne scilicet noxiæ voluptatis dulcedinem, germanæ dilectionis suauitati, mens illecta præponat, prudentiæque peruigil cura, inter amanda & non amanda discernat; ne cor incautum, charitatis colore, cupiditas palliata præueniat, roburque fortitudinis non ob aliud se mundi huius aduersis opponat, nisi vt rebus minus pro voto cedentibus; vel etiam asperis quibusque conglobatim irruentibus, nequaquam leges charitatis animus oppressus excedat: patet profecto hæc tria virtutum vocabulo sic esse censenda, si eorum vsus ad charitatem obtinendam, vel conseruandam omnimodis dirigatur. Alioquin nec virtus ea temperantia æstimatur, quæ, etsi carnis pruritum coerceat vel restenet, dum tamen mens nomine castitatis, in auaritiam turpis quæstus abutitur, tam perniciosam interioris hominis lasciuiam non coercet. Sed nec virtus ea est prudentia iudicanda, qua quisque fallere doctus, non inter amanda & non amanda, sed inter lucra temporalia, damnaque discernit, ac charitatis
H fine relicto, aliorum pernicie, sibi commodi quippiam comparare contendit. Absit autem vt fortitudo Catilinæ inter virtutes numeretur, quia licet omnia aduersa incredibili modo ferre sufficeret; pro hac tamen fortitudine, nonnisi potentiæ mundialis, vel certe propter voluptatis pretium captans, semetipsum debito virtuti præmio defraudauit. Proinde quantulumcunque sibi temperans, popularis gloriæ cupidus videatur; quantumlibet prudens, pecuniosus quispiam, & astutus vulgi iudicio æstimetur, quanquam etiam inmani stupore durascens philosophus quis, nullis aduersitatibus moueatur; quicquid de radice charitatis non pullulauerit, à virtutum fructibus sequestrandum nostri Philosophi censuerunt; quicquid structuræ rectâ lineâ, ad cubitum illum vnum non dirigitur, extra spiritalis arcæ fabricam metiendum subtiliter perpenditur.

Compendij c. 7. Agit itaque vera temperantia, ne illecta; vera prudentia, ne decepta; vera fortitudo, ne oppressa mens

rationalis

A rationalis normam charitatis excedat. Verum vt sui sectatores, in regnum suæ tranquillitatis, charitas perfecta transtulerit, cunctis iam carnis illecebris cum ipsa carnis mortalitate consumptis; cunctis errorum tenebris, diuinæ lucis contemplatione decussis, certaque securitate mundi huius succedente molestiis, depositis, vt ita dixerim, quibus hoc belli tempore vtitur armis, sola sui suauitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc cæteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese refundent, vt in illa felicitate nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudine putetur, quam charitas; tam casta, vt nullis tentetur illecebris; tam lucida, vt nullis interpelletur erroribus; tam valida, vt nullis omnino appetatur aduersis. Cuius tranquillitatis statum Dominus mystico nobis sermone promittens, *Et auferam* (inquit) *malas bestias de terra, & dormire vos faciam fiducialiter.* Atrocissimis namque passionum bestiis à terra nostra, carne scilicet, quam gestamus, ablatis, cœlesti nos faciet somno sopiri; cum immenso diuinæ illius claritatis pelago absorpti, ac ineffabiliter extra nosmetipsos elati perfectè vacabimus & videbimus, quoniam Dominus ipse est Deus, perenne illud charitatis sabbatum celebrantes, quod sanctus Isaias Propheta describit, *Et erit* (inquiens) *mensis ex mense, & sabbatum de sabbato*, cum scilicet ex hoc sabbato, quo quædam charitatis initia degustantes, quantum diei sunt malitia, à negotiosis actibus feriamur, in illud perfectum fuerimus introducti, vbi nullâ interpellante molestiâ, nullâ carnis præpediente miseriâ, diligemus Dominum Deum nostrum ex tota anima nostra, & ex tota virtute nostra, & ex omnibus viribus nostris, & proximos nostros tanquam nosmetipsos.

Osee 2. 18. — B — Isa. 66. 23. — Matth. 22. 37.

Porro iustitiam, qua cuique quod suum est tribuitur, secundum illud Apostoli, *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui timorem timorem, cui honorem honorem*, fraternæ dilectionis quoddam dixerim incentiuum; cuius quidem initium est, nulli nocere; profectus, sine querela se omnibus exhibere. Plurimum enim sibi aliorum mentes beneuolentiæ suauitate conciliat, qui quietâ sui conuersatione offendit neminem, obtemperans senioribus, contemperans æqualibus, iunioribus condescendens: primis timorem & reuerentiam, mediis honorem & gratiam, posterioribus humilem exhibens compassionem. In re quoque pecuniaria, hæc virtus ad charitatis bonum prouocat intuentes, quæ, secundum præmissum Apostoli præceptum, non differt debitum, donec exigat importunus exactor, sed cum quadam potius hilaritate præuenit repetentem. Si ergo hæc virtus temporalium tantùm dispensationes amplectitur, nec ipsam tranquillitati illius felicissimi status vereor abrogare; quo summâ illâ æquitate, singulis secundum merita, vel præmia, vel supplicia dispensante, illi irreuocabili damnationis sententia feriuntur, illi æternæ beatitudinis præmio munerantur; vt cum fuerit vtrobique æternitas, nulla temporalium possit esse varietas. Verum si altiùs ipsius iustitiæ regulas contempleris, nemo meliùs, nemo perfectiùs, vnicuique quod suum est tribuit, quam is, qui diligit diligenda, & tantum diligit, quantum sunt diligenda: Deum videlicet supra seipsum, proximum tanquam seipsum, Deum nonnisi propter ipsum, se, & proximum nonnisi propter Deum. Vides ni fallor ex charitatis perfectione perfectionem pendere iustitiæ, vt nihil aliud videatur esse iustitia, quam charitas ordinata, in qua quantùm quisque profecerit, tantùm & requiescit.

Rom 13. 7. — C — D

Cap. XXXIV.

Interueniente morte amici, triplicis concupiscentiæ consideratio differtur, & in eius epitaphium primus hic liber terminatur.

Consideranda quapropter illa tria videntur, quæ in mundo esse sanctus describit Apostolus, *Concupiscentia carnis, Concupiscentia oculorum, & Superbia vitæ*, ne fortè, quicquid minus iocundum sub dominico iugo perferimus, ex harum passionum virulentâ radice procedat. Sed vlteriùs progredi dolor prohibet, & ad flendi magis negotium, recens mors Simonis mei violenter impellit. Hinc fortè timor ille nocturnus, mentem exagitans meam. Hinc terror ille somniorum necessitatem mihi quietem eripiens, quia videlicet dilectissimus meus subito rapiendus erat terris. Nec mirandum si mea mens, quadam sui perturbatione eius præsagiebatur excessum, cuius vita tam delectabiliter fruebatur. Ecce *iam timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit.* Quid dissimulo? Cur sileo? fortasse idcirco manet super me ista tribulatio. Procedat ad oculos, procedat ad linguam, quod corde tegitur, si forte, si forte lacrymarum guttulis, stillulisque verborum, conceptam intimis præcordiis mœstitiam, cor dolentis exsudet. *Miseremini mei, miseremini mei, si qui estis amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Miramini lacrymantem, imo magis miramini viuentem. Quis enim non miretur Hailredum sine Simone viuere, nisi is, qui nescit quam dulce fuit simul viuere, quam dulce foret simul in patriam redire? Patienter ergo ferte lacrymas meas, gemitum meum, rugitum pectoris mei.

1. Ioan. 2. 16. — E — Iob. 3. 25. — Iob. 19. 21. — F

Et tu dilecte mi, quanquam introductus in gaudium Domini tui, ad mensam illius summi patrisfamilias delectabiliter epuleris, illoque nouo genimine vitis in regno patris, cum tuo IESV feliciter debrieris; patere tamen vt libem tibi lacrymas meas, resoluam tibi affectum meum, refundam tibi, si fieri potest, totum animum meum. Noli has lacrymas prohibere, quas dulcis memoria tui, mi charissime frater, educit. Non sit tibi onerosus hic gemitus, quem non excitat desperatio, sed affectus, nec cohibeas has lacrymas, quas pietas elicit non fidei defectus. Et certè si meministi quo veneris, quid euaseris, vbi illum tuum familiarem reliqueris, cernes profecto quam iustus sit dolor meus, quam flenda plaga mea. *Dimitte me ergo vt plangam paululum dolorem meum.* Meum. Neque enim tua mors flenda est, quam tam laudabilis, tam amabilis, tam omnibus grata vita præcessit, quam commendat illa stupenda conuersio tua, illa prædicanda conuersatio tua, illa beata perseuerantia tua. Verè stupenda conuersio tua! Quis enim non obstupeat, quis non miretur, puerum tenerum & delicatum, clarum genere, forma conspicuum, talem arripuisse viam, & sic arripuisse? Recessisti, mi dulcis frater, scienter nescius, & sapienter indoctus; qui instar primi illius Patriarchæ egressus de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, ibas quà ignorabas, veniebas quo nesciebas.

G — Gen. 12. 1.

Sed sciebat ille, qui te ducebat, qui tenerum adhuc cor tuum flamma suæ dilectionis succenderat, & tu in odorem vnguentorum illius currebas. Præcessit te ille *speciosus forma præ filiis hominum*, ille *vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, vnctus spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis*, & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Præcessit te humilis ille spiritalis per ardua & montuosa, itinera spargens sua aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Præcessit puerum suum puer IESVS, ostendens ei præsepium paupertatis suæ, reclinatorium humilitatis suæ, cubiculum charitatis suæ, refertum floribus gratiæ suæ, pinguescens melle dulcedinis suæ, respersum balsamo consolationis suæ, & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Nescio quid magnum, quid ineffabile iam tunc mens illa prægustauerat, quæ corpusculo fame deficienti, quasi iumento lassescenti fœni pabulum credidit ministrandum. Fugiebat pius puer à facie patris sui, sed magis ad faciem patris sui. Voluit quidem obliuisci populum suum, & domum patris sui, vt concupisceret Rex Regis filius decorem suum, & essent duo in spiritu vno, quatenus eius fieret pater per gratiam, qui illius est per naturam. O mira deuotio! O mira sui ipsius obliuio! Parum fuit æmulatori venerabilis Patriarchæ Ioseph, relicto mulieri Ægyptiæ palliolo, quo tenebatur astrictus, nudum è manibus ample-

Ps. 44. 3. & 8. — Isa. 11. 2. — H — Cant. 3. 6.

ctentis

A ſtentus elabi, ſed inſuper Euangelicæ perfectionis ſtrenuus executor de craſtino non cogitabat.

Denique iter laborioſum latis; ſine viatico arripiens, deficientibus iam iamque præ inedia membris, Audiui (inquit) ſeruos Chriſti herbis paſci; Quare non & nos? diuertenſque paulum ab itinere cœpit carpere. O (inquit) quam dulce! O bone puer! quid tibi ſapiebat? quid rogo? herba illa, an fides? fœnum, an charitas? Sapiebat planè, ſed IESVS in corde, & ideo fœnum in ore. Vnde quæſo, vnde iſta puero? Tua ſunt iſta, Domine IESV, qui das & accipis; præſtas & exigis. Quis enim tibi dat aliquid non tuum? Sed etſi quis dare voluerit quod à te non accepit, non dignaris accipere. Accepit ergo, Domine IESV, puer iſte, accepit à te & reddidit, accepit & obtulit. Accepit & obtulit hanc mentis deuotionem, hunc fidei feruorem, hunc dilectionis ardorem. Tua ergo omnia, Domine, qui primordia conuerſionis eius his miraculis dedicaſti, qui piæ
B conuerſationis eius gratum poſtmodum ſacrificium ſuſcepiſti, qui nunc holocauſtum illud acceptiſſimum, in ſublime illud templum tuum, miſericorditer tranſtuliſti. Ibi in ſinu Abrahæ requieſcit Simon meus, dulciſſimus amicus meus; tuus autem pauper, Domine IESV, vbi requieſcit tranſlatus de morte ad vitam, de labore ad requiem, de miſeria ad felicitatem. Ecce qui dolere cœperam, inueni vnde gaudeam. Inueni planè, ſed in te,
Luc. 23. 28. mi dilecte frater, non in me. *Nolite (ait) flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Tibi, mi dilecte frater, tibi congaudeo, ſed mihi condoleo. Tibi gaudendum eſt: ego flendus, ego dolendus, qui poſſum ſine Simone viuere. Mirum tamen ſi viuere dicendus ſum, cui ablata eſt ſancta portio vitæ meæ, tam dulce ſolatium peregrinationis meæ, tam vnicum leuamen miſeriæ meæ. Quaſi auulſa ſunt viſcera mea, quaſi dilaniata infelix anima mea, & viuere dicor? O miſerum viuere! ô dolendum viuere! ſine Simone viuere.

Gen. 37. 34. C Gen. 50. 1. 2 Reg. 1. 17. Fleuit Patriarcha Iacob filium ſuum; fleuit Ioſeph patrem ſuum, fleuit ſanctus Dauid Ionathan chariſſimum ſuum. Omnia hæc mihi vnus Simon fuit, filius ætate, pater ſanctitate, amicus charitate. Plora ergo miſer chariſſimum patrem tuum, plora amantiſſimum filium tuum, plora dulciſſimum amicum tuum. Rumpantur cataractæ miſeri capitis, deducant oculi lacrymas per diem & noctem. Plora (inquam) non quia ille aſſumptus, ſed quia tu relictus. Pater mi, frater mi, fili mi, quis mihi det vt ego moriar tecum? nollem enim pro te; hoc enim non eſſet tibi, ſed potius mihi ipſi conſuluiſſe. Dicebat quidem hoc de filio parricida ſanctus
2 Reg. 18. 33. Dauid, *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon, quis mihi det vt ego moriar pro te!* Nunquid hoc dixit de Ionatha amico ſuo? Nunquid hoc Ioſeph de patre ſuo? de parricida dici debuit; de peccatore hoc dici
Pſ. 33. 22. debuit, quia *mors peccatorum peſſima.* Pium erat velle mori pro impio, vt eſſet qui pœniteret, eſſet qui fleret, eſſet cui miſereretur Deus, ne in æternum periret. At illi tranſlati ad requiem, non erant vlterius in hanc miſeriam reuocandi, non erant tot doloribus iterum ſubiiciendi. Denique & *Rachel plorans filios*
D Ier. 31. 15. *ſuos noluit conſolari.* Quid plorabat? Affectus: Affectus autem conſolaretur, ſi filius à mortuis reuocaretur, ſi eius aſpectibus iterum mater frueretur. Hoc noluit Rachel. Quare? Quia ſi ille à mortuis reuocaretur, de beatitudine in miſeriam deuolueretur. Noluit autem vt filius reuocaretur, ſed vt illa ad filium in requiem aſſumeretur. Affectus filios requirebat; ne reuocarentur, affectui ratio obſiſtebat; matris verò aſſumptionem diuina prouidentia differebat: Ideo Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari. Similis cauſa mihi.

Doleo dilectiſſimum meum; vnicordem meum mihi ereptum; gaudeo eum in æterna tabernacula aſſumptum. Quærit affectus dulcem eius præſentiam, qua delectabiliter paſcebatur, ſed non acquieſcit ratio, vt dilecta mihi anima carne ſoluta, iterum carnis miſeriis addicatur. Optat anima mea, ſimul cum illa ſua portione, frui amplexibus Chriſti, ſed obſiſtit infirmitas mea, obſiſtit iniquitas mea, obſiſtit etiam diuina prouidentia. Certè
E Matth. 25. 10. qui paratus erat, intrauit cum ſponſo ad nuptias, mihi miſero adhuc clauſa eſt ianua. Vtinam Domine IESV, vtinam quandoque aperiatur! Spero autem in tua miſericordia, Domine, quod aliquando aperiatur. Præmiſi primitias meas, præmiſi theſaurum meum, præmiſi non modicam mei portionem. Sequatur ad te, quod mei reſtat. Vbi eſt theſaurus meus, ibi ſit & cor meum.
Matth. 6. 21. Sequar hic, Domine, itinera eius, vt in te fruar conſortio eius. Et poteram quidem, Domine, ſenio licet pede, cum oculis his obiiceretur pia conuerſatio eius; cum ſuperbiam meam retunderet conſpecta humilitas eius; cum inquietudinem meam reprimeret conſiderata tranquillitas eius; cum leuitas mea conſtringeretur freno miræ grauitatis eius. Memini me ſæpe, cum oculis huc illucque diſcurrerem, ad vnum eius aſpectum tanto pudore perfuſum, vt ſubitò intra memetipſum receptus, manu grauitatis omnem illam compeſcerem leuitatem,
F ac me ad me colligens, inciperem mecum aliquid vtile actitare. Simul quidem loqui ordinis noſtri prohibebat auctoritas, ſed loquebatur mihi aſpectus eius, loquebatur mihi inceſſus eius, loquebatur mihi ipſum ſilentium eius. Aſpectus pudicus, maturus inceſſus, grauitas in ſermone, ſilentium ſine amaritudine. Denique hoc vltimo anno vitæ ſuæ, quaſi futuræ vocationis ſuæ non inſcius, quanta tranquillitate, quanta pace, quanta circumſpectione vitam exigebat?

Videbatur quaſi omnium exteriorum, etiam mei oblitus, ac intra quaſdam ſuæ mentis incluſus anguſtias, virum illum expreſſius depinxiſſe, quem ſanctus Ieremias
Thren. 3. 11. 27. Propheta deſcribens, *Bonum eſt (inquit) viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia, ſedebit ſolus & tacebit, quia leuabit ſe ſuper ſe.* Suſcepit quidem iugum diſciplinæ tuæ, Domine IESV, floreſcente ætate, eligens illam arctam viam quæ ducit ad vitam, in ſudore vultûs ſui veſci pane ſuo, & alieno iudicio ſuam ſubdere voluntatem. Portauit etiam graue iugum infirmitatis ab ipſa adoleſ-
G centia, qua eum vſque ad extrema eius, per octennium vt reor, ſine vlla pene interpolatione paterno flagellaſti affectu. Et ideo exteriùs nihil pene inueniens, quo oblectaretur, in interiorem ſuæ mentis ſolitudinem ſeſe recluſerat, ſolus ſedens & tacens, non tamen otio torpens. Scribebat enim, vel legebat, vel meditationi ſcripturarum, quippe cui erat vigil ſenſus, ſecretius intendebat. Vix cum Priore, ſaltem de neceſſariis loquebatur. Incedebat tanquam ſurdus non audiens, & ſicut
Pſ. 37. 14. 15. mutus non aperiens os ſuum, factus ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Verum ſi quis eum, accepta occaſione, quolibet conueniret affatu, tanta mox redolebat in eius ſermone ſuauitas, tanta in vultu, ſine omni diſſolutione, apparebat hilaritas; vt quam fuerit ſilentium eius vacuum amaritudinis, plenum dulcedinis, & modus loquendi, & humilitas proderet audiendi. Ecce quid perdidi, ecce quid amiſi.

H Quo abiiſti ô exemplar vitæ meæ, compoſitio morum meorum? Quò abiiſti? quo receſſiſti? Quid faciam? Quo me reuertam? Quem mihi iam ſequendum proponam? Quomodo auulſus es ab amplexibus meis, ſubtractus oſculis meis, ſubductus oculis meis? Amplexabar te, dilecte frater, non carne, ſed corde. Oſculabar te non oris attactu, ſed mentis affectu. Dilexi te, qui me ab ipſo initio conuerſionis meæ in amicitiam ſuſcepiſti; qui te mihi præ cæteris familiarem exhibuiſti, qui in ipſis viſceribus animæ tuæ, tuo me Hugoni aſſociaſti. Tanta enim tibi erat circa vtroſque dilectio, tam ſimilis affectio, tam vna deuotio, vt ſicut mihi videtur ex verbis tuis colligiſſe, neutrum alteri tuus præferret affectus, quamuis eius ſanctitatem mihi omnino præferendam, certa ratio iudicaret. Cur ergo me abſente tranſiſti? Cur quem ſolum pro duobus præſentem habuiſti, diſcedens præſentem noluiſti? An parcendum vtriſque, ſcilicet & tibi, & mihi æſtimauiſti? ne me conſpectus tuus exitus affligeret, & lætum tuum exitum ac tranquillum, dolor meus vel modicè contriſtaret? an fortè, quod magis

credo,

A credo, tibi soli pietas diuina prospexit, vt tranquillam ac pacificam illam animam, in desideratam tibi patriam, ab huius vitæ miseriis cum omni tranquillitate transferret, ac corporei habitaculi vinculum te pene nesciente, tantâ solueret facilitate, vt nec modicus mortis timor dilectam sibi animam molestaret? Denique is qui lectulo accubabat tuo, nullum in te vicinæ mortis deprehendit indicium, imo vultus hilarior, sermo facilior, spem reuocandæ salutis augebant. Porro cum caput tuum suauiter reclinans spiritum reddidisses, obdormisse te credidit, non obiisse.

Tibi ergo, dilecte mi frater, tibi consultum est, qui cum tanta tranquillitate transisti, qui pacificâ tuâ morte, à pacis ministris te fuisse susceptum, manifestissimè prodidisti. Nec mirum. Non enim horam illam horruisti, sed potiùs desiderasti; qui pridie quam à nobis discederes, visitanti te monasterij nostri Præposito, nullam te vlterius vitæ induciam optare dixisti. Quid igitur profecisti ô amara mors? quid profecisti? Inuasisti certe B tabernaculum eius, in quo peregrinabatur, sed rupisti vinculum quo tenebatur. Obtruisti domicilium, quo interim fruebatur, sed tulisti sarcinam, qua premebatur. 2 Cor. 5. 1. *Scimus* (inquit Apostolus) *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus domum, non manufactam, a Deo, æternam in cælis.* Ergo iam illa anima, amica virtutibus, quietis cupida, studiosa sapientiæ, victrix naturæ, exuto huius carnis inuolucro, libertioribus (vt ita dixerim) pennis, ad illud sublime & purum bonum euolat, ac diu cupitis Christi excipitur amplexibus. Sed caro (inquis) terræ mandata, in cineres soluitur. Ita plane. Sed quid exultas? mortua est, vt viuificetur; dissoluitur, vt me-1. Cor. 15. 42. liùs reparetur. *Seminata est in infirmitate, sed surget in virtute. Seminata est in corruptione, sed surget in incorruptione. Seminata est in ignobilitate, sed surget in gloria. Denique seminatum est corpus animale, surget spiritale.*

1. Cor. 15. 55. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* C Certè vbi videris in eum aliquid fecisse, inde conuinceris profuisse. In me ergo totum tuum virus euomuisti, & illum appetens, dira mihi vulnera inflixisti. Ego, ego tuli quod doloris, quod amaritudinis, quod acerbitatis; cui ablatus est dux itineris mei, magisterium conuersationis meæ. Sed quidnam est, ô anima mea, quod dulce illud funus tandiu sine lacrymis aspexisti? Quid est quod dilectum tibi corpus illud, sine osculis dimisisti? Dolebam miser & rugiebam, & ab intimis præcordiis trahebam longa suspiria, nec tamen flebam: tantumque mihi dolendum esse peruidebam, vt nec dolere me crederem, etiam cum vehementer dolerem. Sic postea sensi. Tantus quippe stupor mentem inuaserat meam, vt etiam nudatis iam ad lauacrum membris, transisse non crederem. Mirabar enim eum, quem artis dulcissimi amoris vinculis mihi astrinxeram, subitò elapsum manibus: mirabar animam illam, quæ cum mea vna erat, sine mea, corporeis posse exui compedibus. Sed iam cessit ille stupor affectui, cessit dolori, cessit compassioni. Nunc quid agitis ô oculi? quid agi-D tis? Nolite quæso parcere, nolite dissimulare. Præbete in exequiis dilecti mei quicquid potestis. Quid erubesco? An solus ploro? Ecce quot vndique lacrymæ, quot gemitus, quot suspiria. An hæ lacrymæ reprehendendæ? Sed excusant nos tuæ lacrymæ, Domine Iesu, quas Ioan. 11. 35. in morte amici tui fudisti, exprimentes quidem nostram affectionem, sed tuam insinuantes charitatem. Induisti, Domine, nostræ infirmitatis affectum, sed quando voluisti; ideo & non flere potuisti. O quam dulces lacrymæ tuæ! quam suaues! O quantùm sapiunt anxiæ men-& 36. ti tuæ! quantùm consolantur! *Ecce* (inquiunt) *quomodo amabat eum.* Et ecce quomodo meus Simon amabatur ab omnibus, amplectebatur ab omnibus, ab omnibus fouebatur.

Sed fortè iudicant nunc aliqui fortes lacrymas meas; nimis carnalem existimantes amorem meum. Interpretentur eas vt volent; tu autem Domine vide eas, respice eas. Vident alij quid exterius agitur, quid interius pa-tiar, non attendunt. Ibi tui oculi Domine. Certè in E oculis oculis tuis nihil habuit hic seruus tuus, quod vel impedimento ei sit ad tuos transire amplexus. Sed nemo 1. Cor. 2. 11. scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus Hebr. 4. 12. hominis qui in ipso est. Tuus autem, Domine, oculus penetrat vsque ad diuisionem animæ & spiritùs, compagum quoque & medullarum, & est discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et vt ait quidam laudabilis seruus; Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ pietate discutiatur. Ecce, Domine, vnde timor meus, ecce vnde lacrymæ. Attende eas, ô piissime, dulcissime, misericordissime. Suscipe eas; ô vnica spes mea, vnum & solum refugium meum, finis intentionis meæ, Deus meus, misericordia mea. Suscipe eas, Domine, sacrificium, quod tibi offero pro dilectissimo amico meo, & si quæ in eum maculæ resederunt, aut ignosce, aut mihi imputa. Ego, ego percutiar, ego flageller, ego totum pendam; tantùm, quæso, ne illi abscondas beatam faciem tuam, ne illi subtrahas dulcedinem tuam, ne illi differas piam consolationem F tuam. Experiatur, mi Domine, dulcedinem misericordiæ tuæ, quam tam vehementer optauit, de qua tantâ securitate præsumpsit, quam tanto affectu commendauit, quæ ei tam delectabiliter sapuit nocte illâ, cum cæteris sese ad quietem recipientibus, vno ei fratre ad excubias relicto; in hanc vocem gratulabundus erumperet, *Misericordiam, Misericordiam, Misericordiam.*

Conabatur, vt aiunt, versiculum illum ex integro psallere, *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi* Ps. 100. 1. *Domine.* Verum, vt reor, primi illius verbi dulcedine reuocatus, in eius repetitione familiariùs immoratur. Denique conuertens se ad eum, qui eius lectulo assidebat, eundem sermonem crebro repetit. Cernens quoque illum quodam quasi stupore suffundi, velut indignatus tantam eius insensibilitatem, quod videlicet simili non perfunderetur dulcedine, simili sapore frueretur: cœpit manu quasi velle excitare sopitum, & G expressiori, arctiorique voce ingeminat, *Misericordiam, Misericordiam.* Quid est quod intueor mi Domine? Videor mihi certe quasi oculis cernere mentem illam, ad huius versiculi haustum quodam ineffabili gaudio resolutam, dum cerneret peccata sua, immenso hoc pelago diuinæ miserationis absorpta, nihil reliquisse quod premeret, nihil quod eius conscientiam vel modice obfuscaret. Libet intueri animam illam, fonte diuinæ misericordiæ dilutam, deposito pondere peccatorum, ipso naturali impulsu leuissimis quibusdam motibus ad superiora conari, carnisque exuuiis iam iamque exui gestientem, ipsam tantum Dei misericordiam, cui tota innititur, meditari. Eia *conuertere nunc, ô anima, in* Ps. 114. 7. *requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; transi ad lo-* Ps. 41. 5. *cum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Deì, in voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.* Ego te prosequar lacrymis meis, prosequar te qualibuscunque precibus meis, prosequar te affectu meo, prosequar ipso singulari mediatoris nostri sacrificio. Et tu pater Luc. 16. H Abraham, etiam atque etiam extende, ad suscipiendum 22. hunc pauperem Iesu, alium quendam Lazarum, manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinum, & à vitæ huius miseriis reuertentem piè suscipe, foue, consolare. Mihi quoque misero, qualicunque dilectori suo, in ipso sinu tuo cum ipso aliquando locum quietis indulge. Amen.

FINIT LIBER PRIMVS.

Incipiunt Capitula Libri secundi.

DIVI AELREDI SPECULUM Charitatis.

LIBER SECVNDVS.

D

Cap. I.

Quid in primo libro proposuerit considerandum, & quod manifeste vitiosi, ab hac sint consideratione remouendi.

SVPERIORE opusculi huius parte, de charitatis perfectione disserentes, in ea omnium virtutum summam consistere, sicut valuimus, demonstrauimus. Neque enim virtus dicenda est, quam radix ista non protulerit, nec opus perfectum æstimabitur, quod finis iste non concluserit. In hac & legis consummatio, & Euangelica probatur esse perfectio; cum in ea & spiritalis interioris, exteriorisque hominis circumcisio, vera mentis sabbatizatio, veritas sacrificiorum, & omnis sit plenitudo præceptorum. Et de circumcisione quidem superius pauca perstrinximus;

E

mentis sabbatum nusquam, nisi in charitate esse, aut esse posse ostendimus. Ipsa est namque iugum illud suaue, & onus leue, ad quod nos Saluatoris inuitat clementia, *Et inuenietis* (inquiens) *requiem animabus vestris.* Verùm quia plerique nostrum, qui videmur huic iugo supposuisse ceruices, in multis conuincimur laborare, conati sumus ostendere, cupiditatis iugum hunc parturire laborem. Vnde tria illa proposuimus consideranda, in quibus Euangelista Ioannes omnigenam videtur comprehendisse cupiditatem, Concupiscentiam scilicet carnis, Concupiscentiam oculorum, & Superbiam vitæ. Sed interueniente morte dilectissimi nostri, interruptum est opus, aliquodque tempus lacrymis, & planctui indulgentes, hanc considerationem alteri exordio reseruauimus.

Matth. 11.29.

1. Ioan. 2. 16.

Igitur vt à Pauli verbis sumamus initium, dicimus quia *radix est omnium malorum cupiditas*, sicut è diuerso radix omnium virtutum charitas. Proinde quandiu in ipsis animæ præcordiis, radix hæc virulenta resederit, licet summatim quidam ramusculi recidantur, germine rediuiuo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa eulsa radicitus, vnde perniciosissima vitiorum soboles oriatur, vlteriùs non relinquat. Porro sunt quidam qui manifestioribus, & vt ita dicã, crassioribus implicati vitiis, confusionis suæ notam primâ mox fronte prætendunt, quos à præsenti consideratione æstimo semouendos, quod eorum mentem omni vacuam requie satis superiùs demonstratum sit. At nos, qui Euangelico iugo, quod suauissimum saluatoris sententia manifestat; dominicoque oneri, quod leuissimum eiusdem nihilominus probat auctoritas, videmur mentis humeros subiecisse, & tamen conuincimur laborare; nos, (inquam) professores Crucis Christi, assumptâ claue verbi Dei, reseremus claustra pectoris nostri, & penetrantes vsque ad diuisionem animæ & spiritûs, compagum quoque, ac medullarum, discernamus cogitationes & intentiones cordis, & sine adulatoria palpatione, quid in ipsis animæ recessibus secretius latitet peruidentes, ipsas potius morborum radices eruere conemur.

Compendij c. 42.

F

Hebr. 4. 12.

G

Cap. II.

Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur, & exterior labor interiore aliquando minuatur.

SAne labor iste non carnis, sed cordis est, sicut & requies, de qua agimus, cordis constat esse non carnis; quanquam exterior labor pro interioris qualitate formetur, nec dicendus sit exterior labor vllus, si interior fuerit nullus: verbi gratiâ, attende venatores, vel aucupes, vel quoslibet talium vanitatum sectatores. Si exteriores corporis motus perspexeris, quid laboriosius? si mentis qualitatem, quid delectabilius? Idipsum etiam in laudabilibus indagare facillimum est. Quantus Apostolis labor exterior, cum in carcerem traderentur, cum astringerentur vinculis, cum flagris acerrimè cæderentur? Et tamen *ibant gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Quàm multis tunc sacrilegiis similis pœna? sed quia dissimilis conscientia, illi vtrobique miseri, & interiùs, & exteriùs laborabant; isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exultabant. Nec mirandum, cum plerumque interiore labore exterior minuatur, & grauissimi corporis æstus, æstibus animi temperentur.

Compendij c. 45.

H

Act. 5. 41.

Quis enim labor adulteris? quæ pœna latronibus? Illis, vt malè cupitis excipiantur amplexibus; istis, vt alienis spoliis perfruantur. Sed ille interiùs face libidinis ardẽs, quid exteriùs patiatur ignorat: hunc auaritiæ flamma secretior, manifestas facit pœnas corporis non sentire; de quibus Propheta, *Vt iniquè agerent, laborauerunt.* His igitur diligenter inspectis, patet profecto nequaquam exteriores corporis passiones, interiorem parturire laborem, sed radicem internis visceribus residentem,

Ier. 9. 5.

A quicquid exterius accidit, pro sui conformare natura. Quid enim est, quod duobus ad eandem mensam residentibus, eisdem appositis cibis alter exultat, murmurat alter? Quid, quod exceptis eisdem vulneribus, alter tristitiæ languore deijcitur, alter mirâ iocunditate perfunditur? Duo simul orbitatis, siue paupertatis infortunio feriuntur, & tamen iste blasphemat, gratias agit ille. Eadem species vtriusque ingeritur oculis, & vnus turpiter comburetur, alius solitâ sibi pace perfruitur. Oblatâ occasione honoris cuiuslibet ambiendi alter tantâ dominandi libidine inflammatur, vt spe culminis potiundi, nihil sceleris committere perhorrescat; adeo alter ab hac pessimâ passione liber existit, vt oblatas quoque dignitatum infulas aut non, aut vix suscipere acquiescat.

Cap. III.

B *Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate, cupiditas omnia sua corrumpat peruersitate.*

NOnne & corporibus id ipsum accidere manifestum est, vt pro sanitatis vtique qualitate, ea quæ exterius accidunt, aut molesta experiantur aut grata? Nam cibus, qui morbum auget alterius, alterius proficit sanitati; & sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano iocundius illucescit. Sicut ergo in corporibus, pro interioris naturæ modo, ea, quæ exterius adhibentur, aut salubria inueniuntur aut noxia; ita præmissis indiciis facilè peruidetur, ex interna mentis qualitate huius requiem, istius pendere laborem. Mentem enim quam suauissimum ac tranquillissimum Domini iugum, charitas videlicet perfecta possederit, in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundet: non sinens eam vllis rerum perturbationibus commoueri, sed ipsas rerum permutationes ad sui profectus vsum prouenire compellens. At C si mens grauissimo fuerit iugo cupiditatis addicta, quandiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, dominici iugi suauitatem requies remissa mentitur: sed causa cuiuslibet indignationis oborta, mox de cordis recessibus, quasi de abditissimis cauernis, bestia sæua prorumpens, dirissimis passionum morsibus miseram animam lacerat & cruentat, nullum paci, nullum ei requiei tempus indulgens. Computrescat itaque iugum, à facie olei, iugum scilicet cupiditatis à præsentia charitatis, & statim experitur sarcina Christi, vt ait quidam, quam sit leuis, quam suauis, quam iocunda, quam in cœlum rapiens, & à terra eripiens. Quocirca si requiei huius dulcedinem volumus experiri, laboris nostri causas & radices sollicitè exquiramus, non affectu tepido, quasi ferro retuso, exteriora tantùm recidentes, sed ad ipsas morborum origines vehementiori desiderio penetrantes.

Cap. IV.

D *Quod à triplici concupiscentiâ omnis labor interior oriatur.*

Compendij c. 52. PVto autem quia si subtiliùs indagemus, quicquid nobis laboris oboritur, vel à carnis concupiscentiâ, vel à concupiscentia oculorum, vel à superbiâ vitæ, quasi quibusdam venenosis fontibus deriuari, manifestissimè cognoscemus. Si ergo adhuc cibus me contristat asperior, laborem mihi concupiscentia carnalis indicit, nec ideo laboro quia iugum Christi suscepi, sed quia non plene iugum cupiditatis abieci. Quid si lautioris eduli inflammatus ardore vilioris appositione conturbor, vel si solito minùs, si vel tardiùs, vel negligentiùs præparetur, murmurationis peste consumor? Quid mihi has parit angustias, passio cupiditatis an suauitas charitatis? Quid si monachus quis pro numero nocturnalium lectionum, à suo Præposito numerum sibi exigat ferculorum, & pro solemnitatis cuiuslibet excellentia dapes esculentiores, ac peregrinos expetat sapores? Quid si E cum horum aliquid aliquà occasione defuerit, in lites & contentiones erumpat, ac pessimæ passionis æstus ferre non sustinens, importunis clamoribus, occultis susurrationibus fratrum pacem deturbet? Nonne ei iugum huius miseræ seruitutis, ac vilissimi laboris angustias concupiscentia mundialis inuexit? Quos bene Iacobus redarguens. *Vnde* (inquit) *lites & contentiones in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Iacob. 4. 1.

Cap. V.

De quorundam sententia, qui exteriores labores charitati, & interiori dulcedini dicunt esse contrarios.

SEd assiduis (inquis) vigiliis corpus tabefacere, quotidianis laboribus carnem affligere, vilissimis cibis Compendij c. 54. F membrorum labefactare vigorem, non solùm non modici laboris, sed & ei, quam tantopere niteris commendare, adeo charitati constat esse contrarium, vt totam mentis suauitatem euacuans, omni eam spiritali dulcedine reddat effœtam. Hæc est illa ridenda quorundam opinio, qui spiritalem dulcedinem in carnis quodammodo suauitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui, exteriorisque hominis passiones, interioris minuere sanctitatem. Cum enim (inquiunt) carо ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est suas inuicem communicent passiones; ac sic impossibile, vt non huius oppressione alterius hilaritas perturbetur, ita vt in illud gaudium spiritale, mœroris quadam anxietate deiectus spiritus, nullatenus valeat respirare. Acutè hæc vel inuestigari videntur, vel probari. O rem pudendam! secundum regulas Hypocratis gratia quæritur spiritalis. Sic nimirum, sic errant, qui sic physicis argumentis, magis quam præceptis Apostolicis innituntur. Plane hæc est sapientia non de sursum descendens, G quæ primò quidem pudica est, deinde pacifica; sed prorsus terrena, animalis, diabolica. * Hæc est sapientia verbi, quæ cum suauitatem doceat carnis, crucem Christi euacuare contendit, in qua profectò quantùm ad carnem nihil est suaue, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa euacuatur. Illa potius hanc delicatam doctrinam euertit, quam claui sacris inditi membris expugnant, quam lancea illa, dulcibus impressa visceribus, acumine salutari debellat.

* Lego *Hæc est sapientia non verbi, sed carnis, quæ.*

Ego prorsus contra sentio, audacterque pronuntio, carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, & fuerit seruata discretio, quam tamen non propriâ coniecturâ, sed exemplis maiorum capere oportet, ne fortè remissio & dissolutio, sub colore se discretionis obpallient; sic (inquam) carnis afflictionem non spiritui contrariam, sed necessariam; sed nec diuinam minuere consolationem, sed potius sentio prouocare; adeo vt hæc duo semper æquari in hac dumtaxat vitâ existimem, exteriorem scilicet tribulationem, & interiorem consolationem. H Quid ergo inquis? Tuæ ne sententiæ magis, quam propriæ credam experientiæ? Et quid si alius, longe aliud, se testetur expertum? Cui vestrum potissimum credam? Tu, arreptâ arctiori conuersatione, diminutam tibi autumas gratiam spiritalem; ille, quo magis affligitur, eo maiorem diuinæ dulcedinis gratiam experitur. Cuius ergo sententiæ accommodanda est fides? An & hic physicis rationibus diuinam gratiam substernendam putabimus? Absit, absit. Plane cui vult miseretur. Forte ergo Deus huic diuitiis & deliciis affluenti, suæ consolationis dulcedinem impertit, quam à pauperculo suo, pro se quotidie moriente, rigida censurâ suspendit? Absit hoc de illo dulcissimo, suauissimo, piissimo, compatientissimo sentire. Sed si ego dico, potes dubitare, si autem Christus dicat, hæreticum est non credere.

Cap.

A

Cap. VI.

Apostolicâ & Propheticâ auctoritate præmissa sententia confutatur.

Compendy c. 55. Accedat ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur, qui pro Christo quotidie moritur, qui omnem tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores, qui castigat corpus suum & in seruitutem redigit, qui non gratis panem suum manducat, sed in fatigatione nocte ac die operatur, cuius manus & sibi, & qui cum eo sunt, necessaria subministrant, qui denique in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, sub signis IESV acerrimus miles insudat: ille (inquam) hanc dirimat quæstionem, & vtrum tanta tribulatio, tam nimia fatigatio, consolationem ei subtraxerit spiritalem, ostendat. B Fortè caput tot vigiliis & laboribus, ab omni humore naturali siccatum, nullam producere lacrymam præualebat; & cor ob tot pressuras marcidum, nihil spiritualis dulcedinis hauriebat. 2. Cor 2. 4. Sed video eum scribentem quibusdam, cum multa tribulatione & angustia cordis, per multas lacrymas; 2. Cor. 12. 21. video eum lugentem quosdam, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam; Rom. 12. 15. video eum gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; 2. Cor 5. 4. audio ingemiscentem eo quod nolit expoliari, sed superuestiri. De spiritali eius dulcedine quid dicam? cum ad eius suauissimum gustum, etiam quæ sibi videbantur lucra, Phil. 3. 8 arbitratur vt stercora. Nonne nimiâ dulcedine prouocatus, Phil. 1. 23. ad ipsos Christi gestit amplexus, *Cupio* (inquiens) *dissolui, & esse cum Christo, multò enim melius?* Gal. 6. 14. Nonne nimia Christi dilectione debriatus, omnem gloriam prorsus abiurat, *Nisi* (inquit) *in Cruce Domini mei* IESV CHRISTI? 1. Cor. 16. 22. Nonne feruore nimiæ charitatis excitus, anathematixat non amantes Dominum IESVM, *Si quis* (inquit) *non amat Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *anathema sit Maranatha?* C

Ipse tamen dicat, vtrum sine consolatione in sua sit tribulatione relictus, & quid in nostra tribulatione nobis sperandum sit manifestet, sicque serpentinum caput, quod virus hoc noxium humanis insibilat sensibus, Apostolico mucrone confodiat. Ipsius namque sunt hæc, qui super ventrem repit, qui terram comedit, qui sub vmbra dormit in locis humentibus, qui negotium ventris & libidinis, sub colore actitat sanctitatis. Sic enim faciliùs simplices quosque ab Apostolica paupertate, & euangelicâ puritate cogitat exterrendos, si maiorem diuinæ dulcedinis gratiam in remissiori vita sibi æstiment affuturam. Si sanctiùs credant inter epulas & vina, inter regalia fercula & apparata conuiuia, inter otiosas confabulationes & nocturnas potationes, madentia lacrymis ora proferre: quam in labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, & propriæ voluntatis mortificatione, in diurna fatigatione, in mundi contemptu & carnis despectu, pallentia ora siccis D præferre obtutibus. Dicat ergo Paulus, vtrum suos in præsenti tribulatione, pius ille consolator sine consolatione relinquat, & hæresim Iouiniani iterum pullulantem, suâ auctoritate præoccupet. Perniciosior tamen hæc hæresis quam Iouiniani videtur, nam cum illa epulas abstinentiæ æquarit, ista præponit.

Ergo qui maiorem diuinæ dulcedinis consolationem, in carnis suauitate, quam tribulatione constituunt, Paulum audiant dicentem, 2. Cor. 1. 3. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Siue ergo ieiuniis maceremur, siue afficiamur vigiliis, siue laboribus atteramur, Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Etsi lapidibus obruamur, etsi vinculis astringamur, etsi cædamur virgis, etsi carceris toleremus angustias, *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Fremat mundus, sæuiat mundus, insectetur odiis, aggrediatur maledictis, diripiat substantiam, commaculet famam, Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. E 2. Cor. 1. 4. *Vt possimus* (inquit) *& ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Et hic non his, qui in diuitiis & deliciis, sed his, qui in omni pressura sunt, suam consolationem promittit. Et, nihil quæstioni relinquens, adiecit, 2. Cor. 1. 5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quid manifestius? Hoc est planè quod paulò ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores passiones & interiores consolationes.

Quis est ergo tam hebes, tam præsumptuosus, vt contra manifestissimam veritatem, & Apostolicam auctoritatem, physicis rationibus innitens, communicationem passionum Christi contrariam esse spiritui, & spiritualis dulcedinis imminuere gratiam, impudenti vanitate affirmet? Communicare passionibus Christi est regularibus disciplinis subdi, carnem per abstinentiam, vigilias & labores mortificare, alieno iudicio suam subdere voluntatem, nihil obedientiæ præferre; F & vt breui multa complectar, possessionem nostram, quæ secundum regulam beati Benedicti facta est, exequi; hoc est passionibus Christi participari, teste eodem legislatore nostro, qui ait, Et ita in monasterio vsque ad finem perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemur, vt regni eius mereamur esse consortes. Hoc ipsum & Apostolus, 2. Cor. 1. 7. *Sciens* (inquit) *quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.* Quam sit autem necessaria exterioris hominis afflictio, manifestissimè perdocemur, eodem Apostolo pronuntiante, 2. Cor. 4. 16. *Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen is, qui interior est renouatur. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostra, supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Denique Salomon, quibus diuina consolatio sit infundenda, mysticis verbis declarat dicens, Prou. 31. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro animo sunt. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris non recordentur amplius.* G Apertè his verbis viuum illud quod lætificat cor hominis, non otio dissolutis, non diem in cachinnis & fabulis expendentibus, sed his, qui amaro sunt animo, reprómittit, siceramque illam quæ de pomis nouis & veteribus quæ in sponsi deliciis sponsa conseruat, conficitur, non epulantibus & potantibus, sed propter angustias huius vitæ mœrentibus, & egestate & dolore laborantibus, pronuntiat esse donanda. *Bibant* (inquit) *& obliuiscantur egestatis suæ*, laboris videlicet magnitudinem, diuina consolatio asserens minuendam. Cui sententiæ apertissimè concinit Psalmista, Ps. 93. 19. *Secundum multitudinem* (inquiens) *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Nemo ergo arduam illam viam, quæ ducit ad vitam exhorreat, nemo remissiorem, quam semel abiecit, timidâ infelicitate repetat; sed (sicut ait noster legislator) sustinens non lassescat nec discedat, sciens quia secundum multitudinem laborum, quos pro Christo tolerat, consolationes eius lætificabunt animam illius.

H

Cap. VII.

Quæstio cur quidam ampliori dulcedine in remissiore vitâ, quam in arctiore compungantur?

Sed quid est (inquis) quod cum aliquanto remissius viuerem, saginatioribus vterer cibis, poculis paululum relaxarer, plusculo somno indulgerem, nec corpus labore, aut tanta vestium asperitate attererem, nec silentio tanto supprimerer; ita compungebar, ita afficiebar, ita quadam mentis dulcedine resoluebar? at tunc in hac districtione ita aridus & siccus incedo, vt nec vi quidem ab oculis meis lacrymas valeam extorquere. Et ego quæro à te, quid de eo æstimes iudicandum, qui cum immani vitiorum gurgite absorptus, omni se spurcitiæ & immunditiæ traderet, nihil prorsus flagitij perhorresceret; in tali vita sæpius compungebatur, sæpius lacrymabat, nec solum timore pœnæ, & peccatorum suorum recor-

A dacione, quod forte nemo miratetur: sed etiam miro affectu in amoris IESV dulcedinem resolutus, quodam mentis osculo ipsum videretur amplecti?

Quid ergo? Horusne æmulanda vita, hi sectandi mores, tradenda caro illecebris, membra subdenda libidini, vt simul dulcedine perfruamur? Quis hoc dementissimus dixerit? Nec ego ista quasi ambigua, sed, sicut nouit ipse IESVS, certa, & vera pronuntio. Noui & ipse fratrem, qui cum tota die sæcularibus vitiis ac sterminis immixtus, fabulis & potationi vacauerit, serò rediens monasterium ita in lacrymas & suspiria erumpit, vt etiam importunis gemitibus multorum aures compellet, nec ideo vel modicum ab huiusmodi illecebris temperet. Huiusce igitur spe compunctionis regularis districtio deserenda, & similis est sectanda spurcitia? Cuius non hoc abhorreat auditus?

Cap. VIII.

B *Quod triplex sit causa spiritualis visitationis.*

NOuerimus ergo, quia huiusmodi visitatio non semper sanctitatem ostendit, nam sæpe prouocat, sæpe & conseruat. Est autem, quantùm in præsentiarum occurrit, triplex huius visitationis causa. Fit enim aliquando ad excitationem, nonnunquam ad consolationem, plerumque ad præmium. Ad excitationem dormientibus, ad consolationem laborantibus, pro præmio ad cœlestia suspirantibus. Prima ergo excitat torpentes; secunda reficit laborantes; tertia suscipit ascendentes. Prima hæc compunctio ad sanctitatem prouocat; secunda sanctitatem conseruat; tertia remunerat. Prima terret contemnentem vel illicita timentem; secunda fouet & promouet annitentem, tertia amplectitur venientem. Prima est quasi stimulus, deuium corrigens, secunda quasi baculus, debilem sustentans, tertia lectulus, quietum suscipiens. C Sicut igitur diuina clementia plerumque verbo plerumque exemplo, nonnunquam correptione, aliquando etiam flagello, tepidè vel perditè viuentes prouocat ad salutem; ita etiam occultâ compunctione, quam vel timor excitat, vel generat affectus, ad melioris vitæ statum inuitat. Huius autem visitationis causa bipartita est, fit enim electis ad profectum, reprobis ad iudicium.

Cap. IX.

Quod primum genus compunctionis, sicut aliæ quædam gratiæ, & reprobis ad iudicium, & electis proueniat ad profectum.

NEc mirandum hanc gratiam reprobis & electis plerumque esse communem, cum excellentiora illa charismata, sermo videlicet scientiæ, prophetia, genera linguarum, gratia miraculorum etiam reprobis nouerimus impertita. Nam & Saül inter Prophetas, & inter
D Apostolus Iudas. *Et multi* (inquit) *dicent mihi in illa*
1.Reg. 10.11. *die. Nonne tu nomine tuo signa multa fecimus, & tunc con-*
Math. 10.4. Math. 7.22. *fitebor illis, quia non noui vos.* Quod vt similiter de gratia compunctionis videamus, compunctus Balaam, *Moriatur* (inquit) *anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Qui propriam quoque peruersitatem
Num 23.10. Num. 24.3. Apoc. 2. 14. deplorans ait, *Dixit Balaam filius Beor, dixit auditor sermonum Dei, qui cadens apertos habet oculos.* Nihil tamen hac compunctione profecit, qui docuit Balaac ponere scandalum coram filiis Israël, fornicari, & bibere, & comedere de idolothitis.

Quam sæpe filij Israël in eremo, correpti à Moyse, fleuerunt coram Domino? quibus nihil illa compunctio profuit pristinis concupiscentiis denuo resolutis, Sed & introducti in terram repromissionis, cum loqueretur illis Angelus in loco flentium, leuauerunt vocem & fleuerunt, & nihilominus post hæc addiderunt facere malum coram Domino. Quid Iudas? nonne compunctus
Iud.c.2. 4.& 11. ait, *Peccaui tradens sanguinem iustum?* Verùm quàm nihil profit peruersitatem iterantibus huiusmodi compunctio, testis est sapiens ille qui ait, *Qui baptizatur à* E
Math. 27.4. Eccl.34. 30. *mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Baptizatur à mortuo, qui viam suam omni calore feruoris expertem, vel certè vitiis fœtidam ac sepultam, compunctus deplorat. Sed nihil proderit talis lauatio, nisi fuerit secuta correctio. Porro electi, quibus omnia
Rom. 8. 28. cooperantur in bonum, huiusmodi compunctione excitantur, non ad iudicium sed ad profectum, qui hac cœlesti visitatione perciti, nequaquam securiùs in remissiore vita torpescunt; sed quo maiore diuinæ dilectionis dulcedine perfruuntur, eo ardentius ad fortiora virtutum exercitia accinguntur.

Cap. X.

De duplici ratione secundæ visitationis, & quod de ista ad tertiam, quæ cæteris excellentior est transitur. F

QVi excusso torpore, statim vt sudores & agones pro Christo susceperint, ab illo excellentiori compunctionis genere excipiuntur, quæ infirmos sanat, debiles roborat, alleuat desperatos. Ipsa est consolatio gementibus, pausatio laborantibus, tentatis profectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem deuoluuntur, vel viles quasdam consolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certe propriæ voluntatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Propheta contemnens, *Renuit* (inquit) *consolari anima mea.* Ps.76.4.
Quid ergo? sine omni consolatione relictus es? Absit. *Memor fui Dei & delectatus sum.* Et huius similiter visitationis ratio duplex. Prouenit enim aliquando tentatis, ne corruant, aliquando tentandis, vt leuius ferant. Primâ reficiuntur, alterâ armantur. Nemo ergo secundum primum illud visitationis genus, suam metiatur sanctitatem, quod reprobis nonnunquam accidere manifestum est: sed neque secundum istud, quod licet excellentius sit, sanctitatem tamen præparat, non ostendit. In illo enim quasi parturitur, in isto nutritur. Sane in hoc secundo genere crebrâ compunctione assuefactus, crebris sorbitiunculis diuinæ dulcedinis pastus, in illud sublimius gradu excellentiore prouehitur, quod non iam debilem corroborat & confortat, sed quasi perfectum victorem, gratiâ abundantiore remuneret. G

Cap. XI.

Quid in singulis his visitationibus Deus operetur.

IN primo igitur statu anima suscitatur, in secundo purgatur, in tertio sabbati tranquillitate perfruitur. In primo statu operatur misericordia, in secundo pietas, in tertio iustitia. Misericordia enim quærit perditum, pietas reformat inuentum, iustitia munerat iam perfectum. H
Misericordia erigit iacentem, pietas adiuuat pugnantem, iustitia coronat victoriam. Et reuerà quid poterit esse maius diuinæ miserationis indicium, quam vt illa suauitas, illa iocunditas, illa mira serenitas, in qua nihil inquinatum incurrit, animæ inquinatæ adhuc gratiam suæ visitationis impertiat: nec solum terrore concutiat, sed omnia mentis claustra, setis vitiorum obserata, sua penetrabilitate perscindens, fœdis adhuc labiis quoddam suæ dulcedinis imprimat osculum, ac ineffabili suauitate suâ blandiatur auertenti, cunctantem alliciat, animet desperantem? O Dulcis *Domine, quid retribuam tibi pro* Ps.115.12.
omnibus, quæ retribuisti mihi! O quam suauis est in omnibus spiritus tuus! Verè Domine misericordia tua magna est super me, qui emisisti manum tuam de alto, Sap 12.1. Ps.58.13. Ps.143.7.
eripiens & liberans me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum, qui eripuisti animam meam de inferno inferiori, in quo elinxi quandam dulcedinis tuæ stillam, & audiui vocem tuam quasi de longinquo.

A Quid agis indigne & ſordide? Vt quid in his ſordibus volutaris, in his turpibus delectaris? Ecce quid apud me dulcedinis, quid ſuauitatis, quid iocunditatis.

An ſcelerum tuorum immanitate deſperas? Sed qui perſequor fugientem, reijciam venientem? Quia auertentem te faciem tuam à me, amplector & attraho ſub alas miſericordiæ meæ fugientem repellam? Et vox tua, Domine, inſpiratio tua. Vnde enim animæ deſperatæ tanta ſpes, niſi te Domine donante, qui miris modis curas infirmitates noſtras, formas deformia noſtra? Sed iam de ſecundo illo ſtatu quid dicendum? in quo diuina pietas mirabiliter operatur in homine, vt ex tentatione proficiat, ex infirmitate amplius conualeſcat? Et cum omnis anima naturaliter labores, tentationes, & dolores refugiat, tot conſolationibus in ſuis tentationibus animatur, vt non ſolum ſuſtineat irruentes, ſed etiam retardantes prouocet quodammodo, ac requi-
Pſ. 25. 2. rat. In quem ſtatum ſanctus ille profecerat, qui ait, *Proba*
Pſ. 343. *me Domine, & tenta me.* Et iterum. *Probа me Domi-*
B 23. *ne, & ſcito cor meum* In hoc ſtatu innumerabilibus cœleſtium affectuum incentiuis aſſuefacta mens, paulatim in illud ſublimiſſimū, ac perpaucis expertum viſitationis genus prouehitur, vbi quaſdam futuræ ſuæ remunerationis primitias incipiat prægustare, transiens in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei, & effundens ſuper ſe animam ſuam, cœleſtium ſecretorum nectare debrietur, futuræque quietis ſuæ locum puriſſimis contemplans obtutibus, exclamet cum Pro-
Pſ. 131. 14. pheta. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo,*
quoniam elegi eam. Sicut ergo in illo ſtatu, vbi nulla præcedunt merita, ſola operatur miſericordia, ita in iſto, in quo coronat munera ſua. quæ tamen eſſe voluit merita noſtra, cum miſericordia operatur iuſtitia.

Cap. XII.

Quod in prima viſitatione ſpecialiter timor, in ſecunda conſolatio, in tertia ſit dilectio.

C Porto notandum arbitror, quia licet in prima illa viſitatione, nonnunquam timori dulcedinem ſuauitatis admiſceat, in ſecunda verò, cum ſuauitate ſtimulum plerumque timoris adhibeat, propriè tamen illa ad timorem, iſta pertinet ad conſolationis dulcedinem; nam in terra perfecta charitas foras mittit timorem. Initium enim ſapientiæ, timor Domini; conſummatio autem ſapientiæ, amor Domini. In timore inchoatio; in dilectione perfectio. Hic labor, ibi præmium. Hoc ad illam aſcenditur, nec tamen ad ipſam, niſi per ipſam, peruenitur. Menti etenim, quam plerumque timor afficit, vrget dolor, deijcit deſperatio, abſorbet triſtitia, corrodit accidia; quædam miræ ſuauitatis gutta deſcendens à balſamo illius montis pinguis, montis coagulati, quaſi quodam placidiſſimo ſe ſuperinfundit elapſu: ad cuius radiantis diuini ſplendorem luminis, omnis illa irrationabilium ſenſuum nebula diſſoluitur; ad cuius ſuauiſſimum guſtum
D tota illa amaritudo fugatur, dilatatur, mens impinguatur, & aſcendendi facultas miro modo præparatur.

Sic timore, tepor excluditur, timor, guſtu diuinæ dulcedinis temperatur. Ne mens in infimis torpeat, timor excitat; ne laborando deficiat, paſcit affectus. His nimirum alternantibus tandiu eruditur, donec tota mens illa ineffabili charitate abſorpta, iam nunc ex dilectione pingueſcat, ſed illius ſpecioſiſſimi formâ præ filiis hominum deſideratiſſimos ardens amplexus, incipiat velle diſſolui, & eſſe cum Chriſto, dicens quotidie cum
Pſ. 119. 5. Propheta, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.*
Sic benedictionem dabit legiſlator; adminiſtrans incipientibus vinum compunctionis, cum timore eius: proficientibus lac, ab vberibus conſolationis eius, & cum auulſi fuerint à lacte, epulabuntur ab introitu gloriæ eius. Igitur prima illa viſitatio arguit iniquitatem, ſecunda ſuſtentat infirmitatem, ſanè tertia oſtendit ſanctitatem. Nemo ergo glorietur in prima, in qua conuincitur iniquus & tepidus, ſed nec in ſecunda, in qua probatur infirmus; in tertia autem qui gloriatur, in Domino glorietur. E

Cap. XIII.

Quis ſit fructus in ſingulis, & quare quidam ſecundæ viſitationis conſolatione priuetur.

Porro fructus primæ viſitationis, vera eſt ad Deum conuerſio; fructus ſecundæ, propriæ voluntatis & omnium paſſionum mortificatio; fructus tertiæ, perfecta eſt beatitudo. Denique accepto fructu primæ compunctionis, in excellentia perfectæ conuerſionis, ceſſante iam illa, quæ ſuum (vt ita dixerim) expleuit negotium, ſtatim ſequitur tentationum & laborum probatio, vt meritò ſuccedat illa, quæ eſt dulcis in Deum deuotio. Non enim facile dulcedinis huius affectus ſine præcedente, vel comitante, vel certè ſtatim ſubſequente labore. aut tentatione donatur; quæ nequaquam pro F
vitæ merito, ſed pro infirmitate ſuſtentanda, vel tentatione alleuianda donatur. Ideoque hi, qui ad primas mox tentationes & labores reſiliunt, & inſtar quorundam diſcipulorum Domini ſcandalizati, communicationem Dominici corporis & ſanguinis, id eſt paſſionis illius imitationem abhorrent, dicentes, *Durus eſt* Ioan. 6.
hic ſermo, & quis poteſt eum audire? ac ſic regno Dei 61.
minus apti retro reſpiciunt, vel certè abiectiſſimas illas terrenas, & humanas conſolationes admittunt: Hi (inquam) ab huius conſolationis dulcedine ſemetipſos excludunt, & vbique miſeri, nec ad ſublime illud viſitationis genus aſcendunt, & virtutum exercitia ſine huiuſmodi conſolatione faſtidiunt, ad priſtina vero redire, conſcientiâ reſiſtente, non præſumunt.

Qui meritò fortè de diuinæ conſolationis deſertione cauſarent, ſi perfectè priſtinis abrenuntiantes, ac propriam voluntatem plene mortificantes, nequaquam viles & abiectas mundi conſolationes, Dei conſolationi præponerent. Nunc verò, cum ingreſſi arctioris pro- G
poſiti viam, ſtatim incipiant neſcio quas dignitatum infulas ſomniare, ac vaniſſimâ præſumptione ſui libertatem vſurpare, nec expectent miſeri, donec dica-
tur eis, *Amice aſcende ſuperius*, ſed ipſi ſe, quantùm Luc. 14.
poſſunt, ad altiora impudenter impingant, appetantque 10.
(vt Euangelicis ſermonibus vtar) primas cathedras in Matth.
ſynagogis, primos diſcubitus in cœnis, primas ſaluta- 23. 6. &
tiones in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, affectan- 7.
tes nimirum eſſe magiſtri, qui ne vnâ quidem die didicerunt eſſe diſcipuli; cum ergo talium ineptiarum ipſi ſibi conſcij ſint, miror qua fronte, quâve irreuerentiâ, diuinam ſibi dulcedinem impertiendam, ac animam terrenis affectibus conſtupratam, ſuauiſſimis ac puriſſimis amplexibus Iesv æſtiment confouendam. Quibus profectò, ſi qua cœleſtis dulcedinis gutta profluxerit, non ſanctitatis, nec laboris ſolatium, ſed quaſi in infimis poſitis, ad excitationem certum ſit prouenire. Quanquam poſt acceptam notitiam veritatis, ac arreptam viam perfectæ puritatis, voluntariè peccantibus, vel in H
inertia torpentibus, aut vix, aut nunquam huiuſmodi gratia largiatur. Hoc ſanè dicendum, aliud eſſe terrenis illis affectibus attentari ſolùm, aliud vix in aliquem rariſſimè cadere, aliud cedere & conſentire, vel ſe eis ex toto dedere; aliud, ſi quid huiuſmodi occupationum imponatur, inuitum ſuſcipere.

Cap. XIV.

Proponuntur quædam diuina teſtimonia, ſecundum quæ ſtatum ſuum quiſque metiatur.

Proinde ſi viſitationis tuæ cauſas, ac rationes velis lucidiùs intueri, primo ſtatum, in quem profeciſti ſagaci inſpectione diſcutio, ac vitæ morúmque tuorum qualitatem, non ſecundum propriam coniecturam, ſed ſecundum regulas Scripturarum, & cœleſtium

A præceptorum lineas, propriæque confeſſionis normam, teſte conſcientiâ ſubtili inquiſitione examina. Ait nempe Dominus, [Luc. 21. 34.] *Videte ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Et item. [Matth. 5. 22.] *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, & qui dixerit Racha, reus erit conſilio, & qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et alias, [Matth. 20. 26.] *Quis voluerit inter vos maior eſſe, ſit omnium ſeruus.* Item, [Matth. 7. 12.] *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines bona, & vos facite illis.* Et, [Matth. 12. 36.] *De omni otioſo ſermone, quem locuti fuerint homines reddent de eo rationem in die iudicij.* Ait & Apoſtolus Paulus. [Rom. 13. 13.] *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum noſtrum Ieſum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Et ipſe, [2. Tim. 2. 4.] *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Et ad Galat. [Gal. 5. 15.] *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Et ad Theſſal. [1. Theſſ. 4. 10.] *Rogamus vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis vt quieti ſitis, & vt veſtrum negotium agatis, & vt operemini manibus veſtris, & vt honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis.* B In ſecunda quoque epiſtola ad eoſdem [2. Theſſ. 3. 10.] *Quia ſi quis (inquit) non vult operari, nec manducet.*

Iacobus quoque. [Iacob 2. 1.] *Fratres mei (inquit) nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* Iesv Christi. Item. [Iacob. 3. 14.] *Si zelum animarum habetis, & contentiones in cordibus v ſtris, nolite gloriari: vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum* Et paulo poſt, [Iacob. 4. 4.] *Quicunque voluerit amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur.* Idem in conſequentibus, [Iacob. 4. 11.] *Nolite detrahere alterutrum fratres mei.* Veniamus ad Apoſtolorum Principem, [1. Pet. 2. 11. & 1.] *Obſecro vos (inquit) tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis.* Et in eadem epiſtola, *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones.* Et infra, [1. Pet. 4. 11.] *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Et poſt C pauca ad Paſtores, [1. Pet. 5. 2. & 5.] *Paſcite qui in vobis eſt gregem non turpis lucri gratia, neque dominantes* (inquit) *in Clero. Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes autem inuicem humilitatem inſinuate.* Idem in ſecunda epiſtola, [2. Pet. 1. 4.] *Fugientes eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Et itē, [2. Pet. 3. 8.] *Sobrij eſtote & vigilate.* Iam nunc ad illum diſcipulum, quem diligebat Iesvs, veniendum eſt. [1. Ioan. 2. 4. & 15.] *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Et, *Nolite* (inquit) *diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Et infra, [1. Ioan. 3. 15.] *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Iudas quoque Apoſtolus, [Iudæ ver. 11. & 16. & 19.] *Væ illis*, inquit, *qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ conuiuantes.* Et poſt pauca, *Hi ſunt murmuratores, queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes.* Et infra. *Odientes eam quæ carnalis eſt, maculatam tunicā.*

Hæc ergo, & his ſimilia, Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonia, tibi quaſi quoddam ſpeculum ſpiritale proponens, vultum animæ tuæ ſollicitiùs contemplare, & ſi adhuc inueneris temetipſum fluitare epulis, D mero crebrius incaleſcere, ſæcularibus negotiis implicari, diſtendi curis mundi, ac carnis deſideriis incubare; litibus & fabulis occupare diem; impuris detractionum morſibus fraternam lacerare carnem, inerti diſſolutum otio; quaſi quibuſlibet ſtimulis inquietatum, mobili diſcurſione huc atque illuc volitare, & non proprio labore, ſed ſanguine & ſudore pauperum ventris delicias comparare, ſi denique irâ, impatientiâ, inuidiâ, inobedientiâ crebriùs maculari, & ſollicitiùs curam ventris, quam mentis agere, metas profeſſionis tuæ ſine ceſſatione tranſgredi: ſi igitur in his omnibus nitidus ac craſſus incedas, noli quæſo de tuis lacrymis multum gloriari; quæ fortè, vt & nos aliquid ſecundum phyſicos dicamus, tumeſcentibus mero venis, ac diuerſis ciborum ſaporumve nidoribus, humore capitis ſuccreſcente, faciliùs elabuntur: vel certè, ſi Dei timore, vel affectu in hoc ſtatu compungaris, noli tantâ Dei gratiâ tam impudenter abuti, vt ſecuriùs in tuis ſordibus volutaris, & Deum qui nequaquam te adhuc à calore viſcerum E ſuorum, hoc videtur indicio penitus abiecisse, tuo tempore compellas ad vomitum, & fiant nouiſſima tua peiora prioribus. Quod multis euenire, quotidianis experimentis perdocemur.

CAP. XV.

Quibus modis ad ſpiritales conſolationes tranſitur.

Ceterum ſi talibus affectuum aculeis excitatus, ſordidas Ægyptiorum ollas abiecisti, ac paupertatem Iesv cunctis mundi opibus prætuliſti, ſi regalia fercula groſſioris panis, & viliſſimi oleris commutaſti edulio; ſi ſubiectionem & abiectionem honoribus compenſaſti, ſi mundi curis ac negotiis exutus, non cum ruſticorum maledictione, ſed proprio tuo, ac communi fratrum tuorum labore victum quærere delegiſti, ſi pro loquacitate ſilentium, pro crebris litibus fraternæ dilectionis F induiſti affectum; ſi iam cœpiſti reddere vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua, ſi (inquam) his atque huiuſmodi indiciis, deprehenderis temetipſum exiſſe de Ægypto, & huius maris magni & ſpatioſi, ſæculi videlicet huius fluctus, quaſi verus Iſraëlita tranſiſſe, ſi non ſtatim cœleſtis dulcedinis tibi manna profluxerit, noli aduerſum Deum murmurare, noli Deum tentare & dicere, Si Deus in nobis eſt, an non; cum præceptorum illius executio, præſentiæ illius aptiſſimum iudicium ſit, ipſo dicente. *Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* [Ioan. 14. 23.] Noli (inquam) murmurare, incidaſque in illam blaſphemiam vt dicas, *Vanus eſt qui ſeruit Deo, & quid emolumenti quia cuſtodiuimus præcepta eius?* [Malach. 3. 14.] Et illud pſalmiſtæ. *Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus totâ die, & caſtigatio mea in matutinis*, [Pſ. 72. 13. 14. & 12.] quandoquidem ipſi peccatores & abundantes in ſæculo, obtinuerunt diuitias, & quod eſt ſummum, diuitias ſpiritales. G

Si in amplioribus diuitiis amplior præſtatur & gratia, vt quid mortificamur totâ die, æſtimamur vt oues occiſionis; Nonne melius eſt manducare & bibere, & frui bonis in iſta vita & in alia? Nonne inſulſi hominis eſt, id ingenti corporis quærere cruciatu, quod facilè poſſit, & ſine labore conquiri? Sed vbi eſt quod ait Paulus. [Pſ. 43. 22.] *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei?* [Act. 14. 21.] Et ad Theſſ. *Nemo, inquit, moueatur in tribulationibus iſtis, ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus.* [1. Theſſ. 3. 3.] Sed mitaris quod non ſtatim te dulcedo cœleſtis excipiat. Et tamen filij Iſraël, qui in Ægypto quidem crebrius diuinorum miraculorum gloria excitati, ac myſtici illius agni ſacris ſunt carnibus paſti, poſt maris rubri tranſitum non ſtatim Angelici pabuli meruēre ſolatium: imò primo ad aquas Mara adducti, ibique tentati ſunt, ac inde per duodecim fontes ad ſecretioris eremi abdita peruenientes, cœleſti pane mirabiliter ſaginantur. [Exod. 15. 23. 26. & 16. 1-4.] Et tu ergo egreſſus de Ægypto, ſi intumeſcentes huius ſæculi fluctus ſicco veſtigio pertranſiſti, ducendus primò ad aquas Mara, id eſt amaras, vt te corporalium laborum amaritudo deterreat, experiariſque illud Euangelicum, Quia *arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*: [Matth. 7. 14.] ibique tentaberis à Domino, ſi fortè ad illorum merearis tranſire conſortium, quibus dicit. *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* [Luc. 22. 28.]

Inde ad duodecim fontes, ad Apoſtolicæ videlicet fluenta doctrinæ, gradu excellentiore tranſibis, vt aſſiduâ ſcripturarum meditatione aſſuefactus, quodammodo extra mundum efficiaris, & è diuinis eloquiis, quæ ſunt nimirum argentum igne examinatum, [Pſ. 11. 7.] mutuatis tibi pennis columbæ deargentatis, [Pſ. 67. 14.] quaſi turtur caſtiſſimus ad eremum peruoles ſpiritalem: vbi ſi quid tibi ſtillicidij ſpiritalis pietas conditoris effuderit, ſcito non tui eſſe arbitrij quando colligas, aut quantùm colligas, aut quandiu, quod collegeris, ſerues. Nam ſi ſabbato egreſſus aliquid cœleſtis edulij colligere tentaueris, ne inue-

A niri quidem poterit. Cæteris verò diebus certam tibi quantitatem Gomor, id est Diuini iudicij mensura, præscribet. Porro si quid in crastinum seruare tentaueris, vt sine labore diuino cœlesti pascaris alimento, vermes tibi tua expectatio procreabit. Verùm gustatâ dulcedine spirituali, non statim otio dissoluaris, mox enim e latere spiritalis insurget Amalech, non armis, sed orationibus euincendus. Ita succedentibus sibi, ex diuina quidem pietate nonnullis consolationibus, ex propriis autem concupiscentiis, multis laboribus, post innumeros agones, ad illud ineffabile visitationis genus numerandus ascendes, vt ex integro charitatis ardore flammescens, ab introitu gloriæ Dei, quasi ex fructu terræ repromissionis, feliciter satieris, ac igne diuini amoris iugum concupiscentiæ penitus absumente, requiescas in pallore auri, in splendore sapientiæ, in suauitate contemplationis diuinæ, experiarisque ex toto, quia iugum Domini suaue est, & onus eius leue.

Exod. 16. 17. & 18. & 20.

Matth. 11. 30.

B

Cap. XVI.

Quod non sit deserendum ab aliquo arctioris vitæ propositum, quamuis illum dulcem non experiatur affectum.

SEd esto nihil tibi huiusce dulcedinis profluat, nulla te lachrymarum suauitas mulceat. Nec sic tibi est ad pristina redeundum, imò vtriusque conuersationis conferendi sunt fructus, ac librâ conscientiæ æquo examine trutinandi, ne fortè in tua æstimatione præponderent minora maioribus, deteriora melioribus comparentur, ne securis dubia, aut pluribus præiudicent pauciora. Nam si aliter non possis, satius profectò tibi est vno membro debilitato, vel si necesse sit amputato, in cæteris validus ac sanus incedere, quam omnibus artubus arefactis, vnius sanitati importuniùs inniti.

C

Cap. XVII.

Interrogationes eiusdem nouitij, & suæ responsiones inseruntur.

CVm ante non multum tempus, frater quidam abrenuntians mundo, nostro se monasterio contulisset, traditus à reuerendissimo Abbate nostro meæ paruitati, disciplinis regularibus instituendus, cœpit aliquando admirans quærere, quænam mihi causa videretur, quod in sæculari adhuc habitu, ac conuersatione positus, ita sæpius compungebatur, ac in quendam diuini amoris resoluebatur affectum, tantáque spiritus suauitate frueretur, quantùm (inquit) modo non dicam diutius retinere, sed ne tarò quidem degustare sufficiam. Tum ego. Sanctioremne (inquam) illam tuam conuersationem, Deoque acceptiorem fuisse existimas? nequaquam, inquit, id dixerim, præsertim cum multa iam agam, quorum si vnum aliquid tunc egissem, non modo sanctus, imo ab omnibus crederer (ita vt dixerim) adorandus. Rogo (inquam) in quantis illud Apostolicum experiebaris, Quia *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei?* illudque beati Iob, *Si iustus fuero, non leuabo caput meum, saturatus afflictione & miseriâ?* (Nihil) inquit horum sensisse memini, sed plerumque expressiùs, ac dulciùs me Christum amare persensi. Et ego. Tantane tunc patereris pro Christo, quanta nunc pateris? Ne vnâ (inquit) horâ, quanta hic sine cessatione sustineo. Nam vt cætera taceam, nullo modo saltem vnâ die, tanto me sineret premi silentio, aut me vlla ratione ab otiosis, ac vanis sermonibus continerem. Quinimo post illas, quas præfatus sum lacrymas, statim ad cachinnos redibam & fabulas, ac pro impetu animi, huc atque illuc mobili discursione ferebar, ac meæ voluntatis possidens libertatem, parentum præsentiâ gratulabar, sociorum confabulationibus arridebam, conuiuiis apparatis interetam, potationes non abhorrebam, matutinos somnos pro libitu carpebam, cibo ac potu supra metas etiam necessitatis distendebar.

D

Act. 14. 21.

Iob. 10. 15.

E

Taceo iræ stimulos, quibus nonnunquam vrgebar, lites, contentiones, ac mundialium rerum cupiditates, quibus pro posse intendebam. At nunc (inquam) qui mores tui, quæ vita, qui actus? Et ille subridens, in promptu (inquit) est dicere, non enim ignorari se sinunt. Est quidem cibus parcior, vestis asperior, potus è fonte, somnus plerumque in codice, denique fatigatis membris male mollis matta substernitur, dum somnus suauior fuerit, surgere campanâ pulsante compellimur. Taceo quod in sudore vultûs nostri vescimur pane nostro, quod tribus solum hominibus, & hoc rarissimè, & vix de necessariis loquimur. Nonne istud Apostolicum manifestissimè impletur in nobis, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et istud Psalmistæ. *Vt iumentum factus sum apud te.* Verè vt iumentum facti sumus, quocunque ducimur sine vlla contradictione euntes, quodcumque imponitur sine reluctatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus, otio aut dissolutioni nullum tempus. Prætereunda non æstimo quædam, quæ non minus delectant, quam ista fatigant; nusquam lites, nusquam rusticorum ob diram oppressionem querulus planctus, pauperum iniuriatorum miserandus clamor, placita nulla, sæcularia iudicia nulla. Vbique pax, vbique tranquillitas, & a mundialium tumultuum * mira libertas. Inter fratres tanta vnitas, tantaque concordia, vt singula videantur omnium, & omnia singulorum. Et quod me miro modo delectat, nulla est personarum acceptio, nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diuersitatem, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur ab omnibus, distribuitur singulis, non vt carnalis affectus, aut priuatus amor dictauerit, sed prout cuique opus fuerit. Quam illud quoque mirandum, quod trecentis vt reor hominibus, vnius hominis voluntas est lex? adeo vt quod semel ex eius ore elapsum fuerit, tanta curâ seruetur ab omnibus, ac si in id omnes coniurauerint, vel ab ipsius Dei ore audierint.

Colos. 3. 5.

Psal. 72. 23.

F

G

Et vt breuiter multa comprehendam, nihil prorsus perfectionis in Euangelicis, vel Apostolicis præceptis audio, nihil in literis sanctorum Patrum inuenio, nihil in antiquorum monachorum dictis intelligo, quod non huic ordini, & huic consonet professioni. Tum ego. Nouitius (inquam) es, ideo non hæc iactantiæ, sed feruori potius assignarim. Volo te tamen cautum esse, ne vllam omnino professionem esse existimes in hac vita, quæ fictos non habeat; ne si fortè quenquam perspexeris aut sermone, aut actu excedere, quasi præter æstimationem tuam noui aliquid acciderit, conturberis. Attamen hæc omnia, quæ tam feruenter enumeras, illisne lacrymis tuis æstimas comparanda? Absit, inquit, cum securam mihi conscientiam nunquam illa lacrymarum profusio reddiderit, nunquam metu mortis exuerit. At nunc non multùm curo, & opto plurimùm, vt post modicum tollat me factor meus. Quod licet fortè pusillanimitatis sit, vt exprobrare mihi soles, quod videlicet malim his laboribus eximi; nullo modo tamen sine certa spe diuinæ miserationis id possem, vnde satis miror, cur ampliori amore Deum amabam, quando minori securitate fruebar. Rogo (inquam) si duo tibi essent serui, quorum alter præceptis tuis non solum obedientissimè pareret; imo nonnullos labores tui causa sustineret; alter præceptorum tuorum quotidianus transgressor, nihil prorsus aduersi pro te ferre consensisset, dicentibus vtrisque, Diligo Dominum meum, cui potius credere deligeres? Quis (inquit) non videat hunc copiosissimè munerandum, illum non modo transgressionis, sed nimiæ impudentiæ arguendum? Sic te (inquam) inter nos duos status tuos oportet iudicare. Sed vt propriæ (inquit) experientiæ non credam, quæ mihi ratio persuadere poterit? Si quis (inquam) quærat abs te, quisnam sit melior, qui amplius, an qui minus Deum diligit, nonne sine omni cunctatione cum

H

A pronuntiabis meliorem, quem plus noueris diligentem? Insani capitis est (inquit) saltem hinc hæsitare.

Quæso nunc (inquam) semoueas si quid tibi adhuc, vtpote nouitio, de sæculari suauitate blanditur si quid expertæ delectationis alludit, nec attendas quid caro suggerat, sed quid ratio dictet: respondeasque mihi secundum regulas veritatis, ac conscientiæ tuæ testimonium, verum malles te in illo statu nunc esse, quam in isto, quo nunc es. Prorsus (inquit) si non velim fallere meipsum, nec agere vt sit mihi proprium os oleum peccatoris, id impinguandum caput meum, necesse habeo confiteri, quia si illum statum prælegissem esset plane hoc non propter Christum, sed propter mundum, nec desiderio maioris perfectionis, sed fastidio præsentis laboris, vel certè appetitu maioris delectationis. Iam nunc (inquam) quasi feruoris tui conscius non cunctor affirmare, nolle te nunc in eo esse statu. Non falleris, inquit. Sed si in eo (inquam) statu Deum magis amabas, profectò melior eras. Si tunc melior, quare nunc securior? An eligis securior esse, quam melior? Sed & si quis dixerit meliorem illum, qui amplius, quàm qui minus præceptis Domini adimplendis institerit, puto quia non abnues: Coarctor, inquit, vndique, & quasi de scopulo ad scopulum impulsu rationis allidor, nec inuenio exitum. Nam quod tunc Deum magis amauerim, & dulcibus quibusdam lacrymis in eius amorem sæpius respirauerim, quasi de re experta dubitare non debeo; at quin is melior sit, qui in Dei amore fuerit feruentior, negare non audeo. Porro ne vitam illam huic conuersationi præponam, omnis sanctarum Scripturarum repugnat auctoritas, obsistit ratio, ipsa conscientia nostra reclamat. Vnde eum dubitare meliorem, cuius motibus magis Scripturæ concordat auctoritas, insanissimum iudico. Sic cum in his non parua repugnantia sit, considerandum mihi est, vnde dubitare minus sit periculosum, de Scripturarum veritate, an de manifestissima ratione, an potiùs de iactura propriæ experientiæ.

Ps. 140. 5.

B

C Sed contra Scripturam (inquam) nemo catholicus, contra manifestam rationem nemo pacificus; verum in sui æstimatione, cui non facile subrepat fallacia? Denique experimentum fallax, & sicut scriptum est. *Non omni spiritui credendum est, & aliquando Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Veruntamen licet, inquit, tunc fortè Deum magis amauerim, quia tamen nunc eius voluntati magis obtempero, magis præceptis eius adimplendis insisto; ampliùs pro eius nomine memetipsum affligo: Hinc mens securior, hilarior conscientia, & tot laborum conscius animus, ad ipsam subeundam mortem, spe præmiorum promptior. Duo, inquam, valde sibi contraria asseris, quod scilicet amplius Deum amaueris, & minùs eius voluntati parueris. Quam opinionem tuam, sententia ipsius Saluatoris euacuat, ita dicentis. *Si quis diligit me, mandata mea seruabit.* Sed & iterum. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est qui diligit me,* Et iterum. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Hinc discipulus ille, quem diligebat Iesus, cuius reclinatorium capitis factum illud pectus factum est, *In hoc est charitas Dei, vt mandata illius custodiamus.* Proinde vt ait quidam sanctus Quicunque dictu, vel actu, vel etiam cogitatu improbo Dei mandata violauerint, frustra se Deum diligere credunt. Vnde etiam B. Gregorius. *Amor Dei nunquam est otiosus; aut enim operatur magna si est, aut si operari contemnit, amor non est. Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis.*

1. Ioan. 4. 1.
2. Cor. 11. 14.
Ioan. 14. 23. & 21 & 24.
D
1. Ioan. 5. 3.

Quid ergo, inquit, Vanusne fuisse dulcissimus ille affectus credendus est, deceptoriásque illas lacrymas iudicabimus? Minime, inquam, imo maximus earum fructus, si tamen intelligas. Noueris igitur primo, quod nequaquam secundum momentaneum illum, & vt ita dixerim horarium affectum, Dei pensandus sit amor, quod ex contrariis exemplis perspicuum est intueri. Cum enim in tragœdiis, vanisve carminibus, quisquam iniuriatus fingitur vel oppressus, cuius amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicetur affectus, si quis hæc vel cum canuntur audiens, vel cernens si recitentur, vsque ad expressionem lacrymarum quodam moueatur affectu, nonne perabsurdum est ex hac vanissima pietate, de amoris eius qualitate capere coniecturam? Vt hinc fabulosum illum, nescio quem, affirmetur amare, pro cuius ereptione, etiamsi hæc omnia verè præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? Similis profectò ineptiæ est, imò multò maioris insaniæ, si quisquam luxuriosus aut tepidus, occultà Dei dispensatione, ob quosdam internos compungatur affectus, ad vana & ludicra, & sordes pristinas denuo reuersurus, secundum steriles has lacrymas, ac momentaneos affectus, de eius dilectione ferre sententiam, vbi hinc Deum plus illo credatur amare, qui adeo se diuinæ seruituti subiecit, vt quicquid eius voluntati nouerit esse contrarium, omni detestetur horrore; quicquid fuerit laboris impositum, pro eius nomine omnia amplectatur feruore.

E

F

Ad hæc verba quodam ille pudore perfusus, demisso capite, fixisque in terram luminibus, verissime, inquit, verissime. Nam & in fabulis, quæ vulgo de nescio quo finguntur Arturo, memini me nonnunquam ad effusionem lacrymarum fuisse permotum: vnde non modicum pudet propriæ vanitatis, qui si forte ad ea, quæ de Domino pie leguntur, aliquam mihi lacrymam valuero extorquere, ita mihi statim de sanctitate applaudo, ac si magnum aliquid, ac inusitatum mihi miraculum contigisset. Et reuera vanissimæ mentis indicium est, pro his affectibus, si forte pro pietate contingant, vana gloria ventilari, quibus in fabulis, & mendaciis *solebant compungi. Sed quia non modicum fructum inesse affectibus paulo ante dixisti, rogo vt ea, quæ cœperas, prosequaris. Libentissimè inquam. Neque enim tibi deneganda est cognitio veritatis, pro qua nec tibi ipsi existimas esse parcendum. Nam plerique, si forte audiant aliqua contra suam inertiam disputari, sophisticas quasdam ratiunculas, quibus veritati resistant, reclamante etiam conscientia, moliuntur, ac declinantes cor suum in verba malitiæ, amant excusationes in peccatis. Melius est profectò confiteri Domino, & dicere. *Miserere mei quoniam infirmus sum,* quam dicere, *Diues ego sum, & locuples, & nullius egeo, cum miser, & miserabilis, & cæcus, & pauper, & nudus.* Sed ad propositum veniamus.

* Ao forte solebam.

G

Ps. 140. 4.
Psal. 6. 3.
Apoc. 3. 17.

Cap. XVIII.

In quibus amorem Dei constare credendum sit.

Compendy c. 13.

IGitur vt diximus, non secundum hos momentaneos affectus, quos minime nostræ subesse voluntati, nullus spiritalis ignorat, Dei æstimandus est amor, sed potius secundum continuam ipsius voluntatis qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati coniungere, vt quælibet voluntas diuina præscribat, his voluntas humana consentiat, vt nulla sit alia causa cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deum velle cognoscit, hoc vtique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud quam amor, nec aliud dicendæ sunt bonæ aut malæ voluntates, quam boni, vel mali amores. Denique ipsa Dei voluntas amor est eius, qui nihil est aliud quam sanctus Spiritus eius, *per quem diffunditur charitas in cordibus nostris,* quæ charitatis diffusio, diuinæ est & humanæ voluntatis coniunctio, vel certe diuinæ voluntatis subiunctio. Quæ tunc fit, cum Spiritus sanctus, qui vtique Dei voluntas, & amor est, & Deus est, humanæ se voluntati ingerit & infundit: eámque ab inferioribus ad superiora sustollens, totam ipsam in sui modum, qualitatémque transformat, vt ei indissolubili glutino vnitatis adhærens, vnus cum eo spiritus efficiatur. Apostolo hoc idem manifestius intimante. *Qui adhæret* (inquit) *Domino, vnus spiritus efficitur.* Sane hæc voluntas secundum duo quædam iudicanda est,

H

Rom. 5. 5.

1. Cor. 6. 17.

passionem

A passionem scilicet & actionem, si videlicet ea, quæ Deus intulerit vel inferri permiserit, patienter sustineat, & ea, quæ iusserit, feruenter adimpleat.

Homil. 30. in Euang. Cæterum vt ait beatus Gregorius, Nemo credat quicquid sibi mens, sine operibus, de Dei amore respondeat. Eius est enim sententia qui non mentitur. Ioan. 14. 21. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est qui diligit me.* Ps. 35. 7. Quocunque igitur modo hos insuetos affectus, interualsque visitationes, iudicia Dei; quæ sunt abyssus multa, dispensent; quibuscunque etiam causis, his non quærentibus, nec pulsantibus, nonnunquam (vt ita dixerim) subito infundantur: illis, licet omni conatu in acquisitione laborantibus, subtrahantur; cuiuscunque voluntas Dei voluntati concordat, eique quæ Deus intulerit, sustinet patienter, & ea quæ iusserit exequitur feruenter, Deum diligere sine omni cunctatione dicendus est. Alioquin si secundum affectus noster metiendus est amor, vt tunc solum Deum, vel hominem quemlibet amare dicamur, cum huiusmodi affectum

B experimur, non vtique continue, sed per rarissima quædam interualla amare dicendi sumus. Dicendum sane, quod si forte homo iustus aliquando velit, verbi gratia, salutem alicuius, quod tamen nolit Deus, non tamen eius voluntas à Dei voluntate discordat; quandoquidem vt hoc velit, Dei vtique operatur voluntas, qui ideo vult omnes homines saluos fieri, quia à suis id facit optari.

1. Tim. 2. 4. Habet præterea amor iste inchoationem suam, profectum suum, perfectionem suam; de quibus omnibus enuclearius differere nec huius temporis, forte nec nostræ est facultatis. Proinde affectus illos sentire, non ita, vt autumas, Deum amare est, sed oblatam, imo infusam menti quandam dulcedinis illius guttam, interioris palati, quasi præsentem, suaui præsentire attactu. Nam aliud est melleæ dulcedinis cupidum, in eius acquisitione pro viribus laborare, aliud si cuiuslibet non quærentis, nec amantis infusa fuerit labiis, sensum dulcedinis illius non posse effugere. Ille non gustat,

C amat tamen; iste non amat, & tamen gustat. Vt ergo simplicioribus verbis vtar, quo facilius intelligas; qui quantumcunque potest, insistit vt Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando; & secundum Apostolica, & Euangelica præcepta sobrie, & iuste, & pie viuendo, etsi nihil huius dulcedinis gustet, Deum tamen diligere dicendus est, ipso attestante, qui ait. Ioan. 14. 21. *Qui mandata mea custodierit, ille est qui diligit me.* Qui vero quotidie hunc experitur affectum, & nihilominus diuinæ voluntati sua desideria præponit, non quidem Deum diligere, sed ingestum suæ menti diuina dispensatione spiritalem saporem, non nisi sentire posse credendus est.

Cap. XIX.

Quis sit diuersarum compunctionum fructus nouitio interroganti exponitur.

D Hæc tamen dulcedinis experientia, negligentibus quidem, ad bona opera magna excitatio; in bonis operibus desudantibus, necessaria consolatio, in culmine perfectionis consistentibus, suauis, & secura refectio est. Operatur ergo ille mire misericors, miris, & ineffabilibus modis salutem nostram; ipse sapientia illuminans, ipse iustitia terrens, ipse dulcedo suauitatis illiciens. Velut si quemlibet ignarum mellis, ad eius velles appetitum accendere, sed cernens eum aliis speciebus, minus licet sapientibus delectatum, nec sermone, nec eius qualibet laude in illius desiderium inflammari, sumpta modica liquaminis illius gutta, eius faucibus instillares, illeque sumpto gustu, ita in eius æstuaret appetitum, vt pro eius acquisitione ne immensos quidem labores aggredi perhorreret, quoties tamen, immanitate laboris, cerneres fatigatum à cœpto feruore tepescere, simul eum dulcedinis stilla mulceres. Sic clementia piissimi Saluatoris nostri, illecebris carnis immersos, quos nec lumen rationis, nec futuri examinis timor, à male blanda præualet suauitate compescere, quodam internæ dulcedinis gustu allicit ad salutem, donec propria voluptate paulatim attracti secundum illud, Trahit sua quemque voluptas, iugum eis suæ seruitutis imponat. Sed quia accedens quis ad seruitutem Dei, audit Scripturam dicentem, *Sta fortiter, & præpara animam tuam ad tentationem.* Necesse est, vt quoties labor tentationis oppresserit, nutanti iam, peneque desperanti, spiritalis quidam sapor interfluat, cuius recreatus aspergine, vitiorum colluctationem acriori mentis æstu suscipiat, magnanimiter toleret, facilius superet, vel euitet. Teipsum diligentius intuere. Nonne post illam dulcissimi affectus experientiam, ad ludicra vanáque reuersus, cum iterum redires in te, confundebaris, ac quodam (vt ita dixerim) odio salutari contra teipsum accendebaris? Hinc meditari arctiorem vitam arripere, tantamque tibimet apponere necessitatem, vt si etiam talibus consentiret voluntas, nulla tamen foret ad talia redeundi facultas. Omnino (inquit) ita est. F

Vides ergo, quia feruens conuersatio tua, ista districta admodum conuersatio tua, quasi illarum lacrymarum fructus est? Ad hoc enim datæ sunt, hoc paulatim operabantur, imo per illas Deus. Quid ergo mirum si suo (vt ita dixerim) negotio consummato cessarunt? Nunc quidem labores tibi pro Christo subeundi sunt, virtus patientiæ exercenda, carnis insolentia crebris vigiliis, ac ieiuniis castiganda, perferendæ tentationes, & ab omni terrena sollicitudine animus euocandus, præcipue autem virtute obedientiæ propria mortificanda voluntas: quoties vero in his animus plus nimio fatigatur, sollicita orationum deuotione, ad materna vbera Iesu properandum; ex quorum abundantia, lac tibi miræ consolationis eliciens, dicas cum Apostolo, *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione.* 2. Cor. 1. 3. & 5. Et, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Sic affectus ille pius, G qui prius torporem excitauerat, ne periret, consolabitur laborantem ne deficiat, donec post innumeras victorias, quasi emeritus iam miles effectus, his tentationibus, quibus nunc quasi nouitius fatigaris, penitus consopitis, in virtutum suauitate repauses: ad illud quoque sublimissimum consolationis genus, gratia diuinæ pietatis admissus, quod quasi præmium constat esse iustorum, dicas cum Propheta. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te?* Psal. 30. 20. Tum ille obortis lacrymis. Placet (inquit) & valde placet quod dicis, quia non solum hæc ita esse ratione magistrante conijcio, verum in meipso luce clarius perspicio. Nam primum illud visitationis genus, sic prorsus, vt asseris, expertus sum, secundum vero, quod in me iam incipiat actitari, te instruente persentio, at sublime illud, & ineffabile, quandoque me adepturum confido.

Cap. XX.

Nouitius ille vnde Deum se magis amasse probat, & inde minus amasse conuincitur, & quibus lacrymarum profusio proficiat ostenditur. H

Vide igitur (inquam) quam præter opinionem tuam res acta sit. Quomodo, inquit? Ne forte (inquam) vnde te Deum magis amare credebas, hinc minus conuincaris amasse. Aliquantisper (inquit) & mihi hæc ratio interlucet, velim tamen plenius eam, te disputante, cognoscere. Nonne (inquam) quanto quisque negligentior fuerit, vel mente infirmior, tanto in Dei amore probabitur perfectior? Negari (inquit) non potest. Sed sicut, inquam, temetipsum dicis clarius intueri, primus ille affectus arguebat errantem, secundus iste sustinet infirmantem. Prorsus (inquit) ita. Con-

A

uincunt igitur (inquam) imperfectius amantem. Tunc ille suspirans. O, inquit, quam miserabiliter falluntur, quam sunt suæ salutis proditores, qui vitiis innumerabilibus, ac damnabilibus implicati, si parum quid huius, de quo loqueris, experiantur affectus; non solum sibi veniam de præteritis pollicentur, imo ad eadem securius quodammodo reuertuntur; nec aliquid hoc spiritali incitamento proficiunt, sed sanctiores hic semetipsos arbitrantes, in suis sordibus, vel negligentiis impudentius volutantur.

Rom. 11. 8.

Forte talibus ait Apostolus, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant.* Nunquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum dumtaxat, qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus, paucis his lacrymis æstimant abluendas.

B

Est profecto, inquam gratissimum, & acceptissimum Deo sacrificium profusio lacrymarum, & pro omnibus admissis sufficiens holocaustum, sed pœnitentibus, & confitentibus, sed ea, vnde pœnituerint, non iterantibus, sed cum spiritu humilitatis, & animo contrito, ad pia viscera IESV fugientibus, sed dignis pœnitentiæ fructibus pro posse insistentibus. Quocirca tibi, omnique suæ salutis sollicito elaborandum est, quatenus hæc carnis mortificatio, hæc vigiliarum ac laborum sollicitudo, hæc vestium vilitas, hæc ciborum asperitas, hæc silentij grauitas; hæc (inquam) omnium membrorum interioris & exterioris hominis, quasi acceptissimum holocaustum, sagimine (vt ita dixerim) lacrymarum, ac deuotissimorum affectuum suauitate pinguescat, vt in ara cordis, igne charitatis admisso, suaue redoleat, & sic secundum Prophetam,

Ps. 19. 4.

holocaustum tuum pingue fiat. Cæterum si vtrumque non possis, satius est sine lacrymis in Apostolica paupertate, quam cum quotidianis lacrymis, quotidie diuinis obuiare mandatis. Nam licet mortuos suscitent, dæmonia ejiciant, cæcos illuminent, nihilominus tamen audient à Domino,

Matt. 7. 23.

C

Discedite à me quicumque fuerint operarij iniquitatis.

Cap. XXI.

Quod ex his, quæ inserta sunt, quid Charitas, quid Cupiditas in proficiente operetur, possit aduerti.

Compendij c. 36

HActenus hæc forte non inutiliter inseruimus quæ omnia si attente, si diligenter, postremo si humiliter inspiciantur, erit ni fallor perfacile intueri, conuersum quemlibet, ex noua charitatis infusione, alacri conatu, ac leuissimis quibusdam mentis suæ motibus ad altiora sustolli; sed cupiditate deorsum premente, & omne cui inhæserit, naturali pondere ad ima semper vrgente in ipso suo conatu nonnihil laborare. Et quanto frutex perniciosa, altius in ipsis animæ recessibus radices infixerit, tanto in earum auulsione maior difficultas, perinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis, ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus,

D

agrum suum, parua licet ex parte, tribulis ac spinis obsitum, tardius euacuat, & emundat; impiger autem ac sollicitus, ac huius disciplinæ industrius, etiamsi omnem agri superficiem occupauerit, veprium densitatem citius eradicat, ac de sterili & infœcundo, pinguem reddit, & vberem: sic nimirum abrenuntians quis mundo, si tardus, si tepidus, si suæ purgationis minus fuerit curiosus, quanquam in sæculo minus extitit inquinatus, tardius in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem; at si feruens spiritu, si diligens ac sollicitus, si discretionis virtute fundatus, assumptis spiritalium exercitiorum instrumentis, vitiorum genimina ab agro sui cordis potenter euellat, in auras conscientiæ purioris, citius respirabit, ac iugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionum, inueniet quia iugum Domini suaue est, & onus eius leue.

E

Cap. XXII.

Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriâque iocunditas.

Compendij c. 37.

SIcque probabit expertus, non modo nullius laboris; imo summæ esse iucunditatis, pudicitiæ suauitate perfundi: quanquam onerosum sit naturalia incentiua, immundáque desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt, fræno temperantiæ cohibere. Similiter non solum iocundum, sed insuper gloriosum, cum gulæ fuerit concupiscentia superata, non se seruum sui ventris, sed Dominum intueri, illa mira exultatione tripudians,

Philip. 4. 11. & 12.

Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse, scio & abundare, & penuriam pati. Sed & amor carnis si fuerit perfecte sopitus, vel certe igne diuini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor; quia non poterit mens eius afflictione turbari, cuius non potest dilectione dissolui.

F

Illecebris sane odorum, licet nonnulli turpiter abutantur; quia tamen hi, de quibus nunc sermo est, vel parum, vel nihil in eorum appetitu, vel amissione laborant, hic plura loqui supersedeo. Porro oculorum auriumque voluptas, plurimis non modicum laboris importat, qui nequaquam recte iugo Saluatoris ascribitur, cum totum peruersa potius pariat consuetudo. Quam quia abscindere sentiunt onerosum, de Dominici iugi, cuius non experti sunt leuitatem, malunt asperitate causari; quæ cum in voluptatum contemptu consistat, non minorem profecto contemnentibus confert libertatem, quam vana illa & ludicra, damnosam pariunt suauitatem.

Cap. XXIII.

De vana aurium voluptate.

G

SEd quia apertè malos ab hac consideratione putauimus remouendos, de his nunc sermo sit, qui sub specie religionis negotium voluptatis obpalliant: qui ea, quæ antiqui Patres in typis futurorum salubriter exercebant, in vsum suæ vanitatis vsurpant. Vnde quæso, cessantibus iam typis & figuris, vnde Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suauitatem? Ad quid illa vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit; alter supercinit, alter medias quasdam notas diuidit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito, in fœmineæ vocis gracilitate acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumuolutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu exspirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptione, quasi minitari silentium, nunc agones morientium, vel ecstasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia,

H

rotant oculi, lusitant humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio; & vbi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius seruiri clamatur.

Stans interea vulgus sonitum follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum, tremens attonitusque miratur; sed lasciuas cantantium gesticulationes, meretricias vocum alternationes & infractiones, non sine cachinno risuque intuetur, vt eos non ad oratorium, sed ad theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes conuenisse: nec timetur illa tremenda maiestas, cui assistitur, nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur, vbi Christus mystice pannis inuoluitur, vbi sacratissimus eius sanguis calice libatur, vbi aperiuntur cœli, assistunt Angeli, vbi terrena cœlestibus iunguntur, ab Angelis homines sociantur. Sic quod

A sancti Patres instituerunt, vt infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in vsum assumitur illicitæ voluptatis. Non enim sensui præferendus est sonus, sed sonus cum sensu, ad incitamentum maioris affectus, plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse sonus, tam moderatus, tam grauis, vt non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed sensui maiorem relinquat Aug. 10. conf. cap. 3. portionem. Ait nempe B. Augustinus, *Mouetur animus ad affectum pietatis, cantico audito; sed si magis sonum quam sensum, libido audiendi desideret, improbatur.* Et alias, *Cum me*, inquit, *magis cantus quam verba delectant, pœnaliter me peccasse confiteor, & mallem non audire cantantem.* Cum igitur aliquis spreta ridiculosa illa, & damnosa vanitate, antiquæ Patrum moderationi sese contulerit, si ad memoriam nugarum theatricarum, prurientibus auribus immane fastidium grauitas honesta intulerit, sicque totam Patrum serenitatem, quasi rusticitatem contemnat, ac iudicet, modo cantandi, quem sanctus Spiritus per sanctissimos Patres, quasi B per organa sua, Augustinum videlicet, Ambrosium, maximeque contrarium Gregorium instituit, Hyberas, vt dicitur nænias, vel nescio quorum scholasticorum nugas vanissimas anteponens; si ergo hinc crucietur, hinc doleat, hinc ad ea quæ euomuctat anxius anhelet, quæ rogo huius laboris origo, iugum charitatis, an onus concupiscentiæ mundialis?

Cap. XXIV.

De concupiscentia oculorum, quæ in exteriori, & interiori curiositate consistit, quæ ad viam perfectiorem conuersos affligit.

Compendy c. 32. Sed iam de concupiscentia oculorum pauca dicenda sunt, quam, Curiositatem sancti Patres viderunt appellandam; nam eam non solum ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimant pertinere. Ergo ad exteriorem pertinet curiositatem omnis superflua C pulchritudo, quam amant oculi in variis formis, in nitidis & amœnis coloribus, in diuersis opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diuersisque figmentis, vsum necessarium & moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad illecebras experunt oculorum, foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt. Inde etiam in claustris monachorum grues & lepores, damulæ & cerui, & picæ & & corui, non quidem Antoniana, vel Machariana instrumenta, sed muliebria oblectamenta; quæ omnia nequaquam monachorum paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt. Si quis ergo paupertatem IESV his oculorum illecebris præferens, infra metas necessitatis sese recluserit, & pro superflua illa ædificiorum amplitudine, ac superuacua altitudine, pauperum quorundam fratrum cubilia expetierit, cum forte ingrediens oratorium impolito constructum lapide, nihil pictum, nihil sculptum, nihil occurrerit pretiosum, non marmora strata D tapetibus, non vestiti parietes ostro, historias Gentium, pugnas Regum, vel certè Scripturarum seriem præferentes, non ille cereorum attonitus fulgor, non in diuersis vtensilibus radiantis metalli splendor; cum ergo nihil horum occurrerit intuenti, si incipiant ei cuncta sordere quæ cernit, ac se quodam paradiso excussum, ac carcerali quodam squalore queratur immersum, vnde hæc mentis angustia, vnde totus hic labor?

Rogo si didicisset à Domino Iesu mitis & humilis 2. Cor. 4. 18. corde, ac contemplari secundum Apostolum non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna, si interioris illius gloriæ vel modicum degustasset, Psal. 44. 14. de qua scriptum est. *Omnis gloria eius filia Regis ab intus:* Galat. 6. 4. illudque Apostoli, *Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero:* quod si non in homine altero, quanto minus in muto insensibilique metallo? si (inquam) interiori ceruice iugo di- E uinæ dilectionis supposito, ibi, ibi intus IESVS ille dulcis dulciter sapuisset, multumne, quæso, gloriolas has exteriores affectasset? Nunc de interiori illa curiositate Compendy c. 33. pauca dicenda sunt, quæ maxime in tribus constat, in appetitu videlicet noxiæ, vel inanis scientiæ; in peruestigatione alienæ vitæ, non ad imitandum, sed ad inuidendum si bona est, vel insultandum si mala, vel certe sola curiositate tantum vt sciatur, siue mala sit, siue bona; postremo in curiosa quadam, pro sæcularium rerum vel actuum agnitione, inquietudine. Ex quibus omnibus, mentibus captiuatis non modicus labor innascitur, cum vel intemperate exercentur, vel libenter exercentibus prohibentur.

Hinc est quod plerique, qui inani Philosophiæ dedêre animum, quibus etiam moris est cum Euangeliis bucolica meditari, Horatium cum Prophetis, cum Paulo Tullium lectitare; tunc etiam metro ludere, lasciuiosisque carminibus amatoria texere, vel inuectionibus inuicem prouocare; cum eo sese contulerint, vbi F hæc omnia, quasi seminaria vanitatis, vel initia iurgiorum, vel libidinis incentiua regulari districtione damnantur; incipiunt contristari, irasci, & cum non habeant quibus semina conceptæ vanitatis effundant, in illa Eliu verba videntur prorumpere. *En venter meus* Iob. 32. 19. *quasi mustum absque spiraculo, quod laguneulas nouas disrumpit.* Vnde ergo labor iste nascitur, in promptu est iudicare. Inde est etiam, quod cum tota die inanibus spectaculis dediti, vel rumoribus audiendis intenti, à nobis quodammodo exierimus; reuertentes iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus, & cor plenum simulachris, ad locum quoque quietis nostræ ferentes, pro ineptissima vanitate noctes ducimus insomnes; Regum prælia, victorias Ducum, quasi sub oculis stultissima præsumptione depingimus, omniaque regni negotia in ipsa psalmodia, vel orationibus nostris, otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, attentantur, exploratio sci- G licet suæ sanctitatis per miraculorum exhibitionem, quod est Deum tentare. Quod curiositatis genus lege Mosaica ita prohibetur. *Non tentabis Dominum Deum* Deut. 6. 16. *tuum.* Vnde etiam Apostolus. *Neque tentemus Christum,* 1. Cor. 10. 9. *sicut quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.* Cui pessimo vitio si quis consenserit, ex nimia mentis angustia, cum compos non fuerit voti, vel laqueos desperationis, vel sacrilegium incurret blasphemiæ.

Cap. XXV.

Tractans de superbia vitæ, primo agit de vanitate.

Restat noxiæ radicis tertius ramus, quem superbiam 1. Ioan. 2. 16. vitæ sanctus Apostolus nominauit. Cuius cum multa sint genera, ad præsentem quæstionem de duobus pertinet disputare. Et primum quidem est, quod H amorem vanæ laudis infundit; secundum, libidinem inserit dominandi. Ex his ergo quantus oriatur labor, quanta mentis angustia, quis facile dixerit? Quoties plane correptus, vel iniuriatus conturbor, vel qualibet detractione, vel oblocutione confundor, aut quod est lugubrius, tristitiæ peste consummor: si velim laboris huius causas expressius indagare, inuenio in ipsis animæ recessibus radicem vanitatis altius latitantem, qua animus de se magna præsumens, talem se delusa depingit, qui non modo non corripi, vel obiurgari, sed insuper laudari ab omnibus, & honorari debuerit. Vel certe cum mens, veneno huius nefandæ pestis infecta, in aliorum existimatione sanctum se finxerit & mirandum, statim vt à sua vanitate alios dissentire perspexerit, gloria sua, gaudioque frustratus, quod videlicet in aliorum æstimatione falsa opinione locauerat, necesse est tristitiæ stimulis corrodatur. Ex hoc quoque

pessimo

[A] pessimo morbo primæ cathedræ, salutationes primæ, prima vox in consiliis, primæ in conuentu sedes turpiter appetuntur; quæ omnia quantum oblata, vel acquisita delectant, tantum negata vel ablata conturbant.

Cap. XXVI.

De dominandi libidine.

At si mentem libido dominandi corrupit, quantum ei laboris imponit, solus ille nosse potuerit, qui huius pessimæ passionis expertus tyrannidem, Dei tandem auxilio ab eius est dominio liberatus. Statim enim vt noxium hoc vitium mens insana conceperit, ei à quo desiderij sui aucupatur affectum, degeneri vilitate substernitur, & antequam ille aliis præferatur, ipse omnium, quos sibi obesse, vel prodesse posse perspexit, abiectissimus seruus efficitur. Inde ob eorum timorem veritatis suppressio, ob eorum fauorem turpis adulatio: [B] itaque ei tota vocis libertas admittitur, vt laudare cogatur quæ conscientia viderit arguenda, arguere quæ ipsa iudicauerit approbanda. Denique si quemlibet eius cui innititur familiaritati, propius accedere perspexerit, mox suspicionum iaculis mens captiua confoditur, ne is ad eos, quor ipse ambir, honores citius assumatur, ægritudine timoris afficitur: itaque inuidiæ virgis ferreis cæditur, vt nec cibus ad vtilitatem, nec ei somnus proueniat ad quietem. Tunc ad detractiones, susurrationésque conuertitur, ac quicquid in eo perspexerit arguendum, prodit, & publicat: quicquid publice arguere non potest, sinistra interpretatione commaculat.

Verum si tota sua spe frustratus, alius prouehatur, quæ tunc illi animæ cruces, quæ tormenta? Confunditur, conteritur, conturbatur, dissipatur, internósque æstus ferre non sustinens, aut è congregatione, tot passionum ictibus arietatus, excuritur; vel si humano pudore deuinctus in congregatione resederit, totus in [C] contrarium vertitur, conceptámque semel ambitionis flammam ferre non valens, anhelat, æstuat; cruciat: ita vt silentio eius amaritudo appareat, & in verbis indignatio, & vasis restei instar, ad vim fornacis occultæ, per exterioris hominis motus infeliciter crepat, mordaciter loquens, truculenter aspiciens, & ad omnia, quæ objiciuntur, turgida inflatione respondens. Tunc quibus prius turpiter adulabatur, aperta fronte resistit, contradicit, obloquitur, clam malitiosa detractione corrodens, palam sine omni reuerentia & honestate obiurgans. Tunc omnia seniorum suorum verba male curiosus attendens, singulis insidiatur syllabis, explorat facta, & omnes, vt ita dixerim, motus & itinera impudicis oculis perlustrans, enumerat omnia, de omnibus iudicat, ac pro malitiæ suæ liuore omnia interpretatur. Quod si forte, vt se habet humana infirmitas, excessu aliquo præuentus senior fuerit, iam tunc ille nactus locum, suæ, vt sibi videtur, iniuriæ vlciscendæ, erigit supercilium, rugat frontem, labia importunis [D] dilatat clamoribus. Verum vt se Dei zelo agi intuentibus mentiatur, quasdam sibi aliquando extorquet guttulas lacrymarum, dolosa producit suspiria, querulis satis vocibus charitatem deseri queritur, puritatem transgredi, conculcari iustitiam ingemiscit: dicas, si nescias, eo spiritu agi eum, quo quondam Ieremias [Ierem. 20.9.] Propheta flammescens, *Factus est* (inquit) *sermo Domini, quasi ignis æstuans in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.* Sic ille, igne zeli Dei interiora sua depasci proclamans, se pro iustitia erigi, certare pro ordine, pro charitate etiam odia subisse mentitur.

Quid plura? Ita tandem rebellis ac contumax experitur, vt vel expelli eum extrema necessitas vrgeat, aut certe aliqua propriæ voluntatis libertate leniri. Hinc mira quædam orta abusio est. Cum aliquando status religionis pure admodum tractaretur, sicut se habet regula veritatis; quicunque humiliores, quietiores ad obedientiam, ad opprobrium promptiores, in omnibus bonis feruentiores, qui honores maxime non [E] appeterent, hi tales vel ad alios regendos, vel ad aliquas administrationes, non dico promouebantur, sed compellebantur: nunc è contrario, dum quorundam timetur insolentia, vel cauetur rebellio, vel improbitas formidatur, quia querulosi, quia iracundi, quia leues & accidiosi, non valentes in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc intus; quia denique timentur, promouentur, & quæ illis debuit esse causa dilectionis & humilitatis, fit fomes tumoris. Sed de trimoda hac cupiditate hæc satis sint. In quibus omnibus si quis animæ suæ vultum, quasi in quodam speculo diligenter attenderit, inueniet ni fallor, non modo quid habeat deformitatis, sed & ipsius deformitatis causas occultas sub veritatis luce cognoscet: ac sic oon Domini iugi asperitatem, quæ nulla est, sed propriam arguet peruersitatem. His ergo passionum radicibus, quasi totius laboris nostri caussis, euulsis penitus, ac mentis nostræ humeris charitatis iugo suppositis, discemus à Domino [F] Iesv, quia mitis est, & humilis corde, & inueniemus requiem animabus nostris, [Matth. 11.29.] sabbatizantes non cum Iudæis sabbatum carnale, sed in dulcedine charitatis æternum & spiritale.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

Incipiunt Capitula Libri tertij.

C

DIVI AELREDI SPECVLVM CHARITATIS,

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Lex de Sabbatorum distinctione proponitur.

Compendij c. 9.

Leuit. 23. 3. 25. 4. & 8.

LEGIMVS in veteri Testamentu quasdam sabbatorum distinctiones, quorum considerationi libri huius dedicamus exordium. Habes nempe in lege tria tempora sabbati requie consecrata, septimum videlicet diem, septimum annum, & post septies septem quinquagesimum annum. Primum ergo sabbatum dierum, secundum annorum, tertium non immerito dicitur sabbatum sabbatorum; constat namque ex septem annorum sabbatis, addito vno, vt septenarius numerus in vnitate concludatur, qui & ab vnitate progreditur, & in vnitate perficitur. Nam & omne opus bonum ab vnius Dei fide inchoatur, quod septenario Spiritus sancti munere promouetur, vt ad ipsum, qui vere vnus est, veniatur, vbi totum quod sumus, vnum cum ipso efficiatur. Et quia in vnitate nulla diuisio, nulla sit ibi per diuersa mentis effusio, sed sit vnum in vno, cum vno, per vnum, circa vnum, vnum sentiens, vnum sapiens, & quia semper vnum, semper requiescens; & sic perenne sabbatum sabbatizans. Interim habes sabbatum dierum, sabbatum annorum, & in quodam prægustu sabbatum sabbatorum. Quis ita illuminatus est Dei spiritu, vt has sabbatorum distinctiones non ex aliorum verbis mutuet, memoria mediante, sed in seipso agi sentiens, loquatur non solum ex memoria, sed etiam ex sententia? Adesto tu bone IESV, adesto huic pauperculo tuo, mendicanti non micas diuitis purpurati, sed instar catuli micas, quæ cadunt de mensa dominorum meorum filiorum tuorum. Magnus enim ille filius tuus, & quia filius tuus Dominus meus, sanctus scilicet Moyses, admissos nimirum ad mensam tuam, epulatus in ferculo Salomonis panem tuum. Et scio, mi dulcis Domine, dixisti enim. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sed quia catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, tu frange catulo tuo panē istum, vt micas colligat, qui non sufficit ad crustulam.

D

Luc. 16. 21. Matth. 15. 27.

E

Cant. 3. 9. Matth. 15. 26.

CAP. II.

Quod in dilectione triplici, istorum sabbatorum sit quærenda distinctio: & quæ sit in triplicis dilectionis distinctione complexio.

Compendij c. 10. Mat. 22. 37. 39. 40.

AVdiamus ergo frangentem, *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Si igitur credimus imo quia credimus veritati, necesse est in his duobus præceptis has sabbatorum quæramus distinctiones, nam & ipsæ ex lege sunt. Porro hæc duo præcepta si diligenter inspicias, tria quædam inuenis diligenda, te videlicet, proximum, Deum. Vbi enim dicitur, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*, manifestum est quia diligere debes & teipsum. Hoc tamen non est præceptum, quia naturæ est insitum. *Nemo* enim *vnquam* (teste Apostolo) *carnem suam odio habuit*; & si non carnem, multo minus vtique mentem, quam quilibet homo, etiam nesciens, magis diligit quam carnem. Nemo est enim qui non malit infirmus carne, quam insanus viuere mente. Sit ergo homini dilectio sui sabbatum primum, dilectio proximi sit secundum, Dei autem dilectio sabbatum sabbatorum.

F

Matth. 22. 39. Ephes. 5. 29.

Est autem, vt superius diximus, sabbatum spiritale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc sabbatum nonnunquam in propria dilectione sentitur, aliquando ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur, in Dei autem dilectione absque vlla ambiguitate perficitur. Hoc sane prouidendum, vt homo sicut oportet diligat semetipsum, proximum tanquam seipsum, Deum autem supra seipsum, quia nec se, nec proximum, nisi propter ipsum. Sed hæc dilectio, quemadmodum vel sibi, vel proximo exhibenda sit, si Dominus voluerit, postea adnotabimus. Nunc vero considerandum est, quia licet in hac trina dilectione manifesta sit distinctio, inest tamen eis mira quædam complexio, ita vt singulæ in omnibus, & omnes inueniantur in singulis, nec vna sine omnibus habeatur, & vna vacillante, ab omnibus recedatur. Nam neque se diligit, qui vel proximum, vel Deum non diligit, nec proximum diligit tanquam seipsum, qui non diligit semetipsum. Porro Deum non amare conuincitur, à quo proximus non amatur. *Qui* enim *non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Præcedit ergo quodammodo dilectionem Dei dilectio proximi, dilectionem vero proximi dilectio sui; præcedit (inquam) ordine non dignitate. Præcedit, sed illam perfectam, de qua dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Nam profecto quædam huius dilectionem præcedat necesse est, sine qua vtraque illa mortua est, ac proinde nulla est.

G

Ioan. 4. 20.

H

Matth. 22. 37.

Videtur enim mihi Dei dilectionem, quasi allatum dilectionum animam esse, quæ & in seipsa plenissime viuit & aliis, sua præsentia, essentiam vitalem impertit, absentia mortem inducit. Vt ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur, vt diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur: vbi diuinus ille ignis paululum calescens, certas tandem, quasi scintillulas quasdam, in sui plenitudinem miro modo absorbeat: totam animi dilectionem ad illud sublime, & ineffabile bonum abducens, vbi nec ipse à se, nec proximus diligatur, nisi quantum vterque deficiens à se, totus transfertur in Deum. Interim hi tres amores & ab inuicem concipiuntur, & ab inuicem nutriuntur, &

A ab inuicem accenduntur; porro simul omnes perficiuntur. Agitatur autem miro & ineffabili modo, vt quanquam tres amores simul omnes habeantur, neque enim aliter potest, non tamen semper æque sentiantur: sed nunc requies illa, illa iocunditas, in propriæ conscientiæ puritate sentiatur; nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur, nunc in Dei contemplatione plenius acquiratur. Sic enim Rex aliquis diuersas aromatum possidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur, nunc huius, nunc illius speciei odore perfunditur: ita mens cellaria quædam spiritualibus referta diuitiis, intra conscientiæ suæ septa retentans, nunc hoc, nunc illud inambulat; ac iocunditatis suæ materiam, pro diuitiarum diuersitate, diuerso modo compensat.

Cap. III.

Quomodo sabbatum spiritale in sui dilectione sentiatur.

B Compend. c. 11.

CVm enim homo ab hoc exteriori tumultu intra secretarium suæ mentis sese receperit, & contra circumstrepentium turbas vanitatum clauso ostio, interiores gazas perlustrauerit; nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum; nihil quod remordeat, nihil quod oblatret; sed omnia iocunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, & instar ordinatissimæ cuiusdam familiæ, omnis cogitationum, sermonum, operumque turba ipsi animo, quasi patrifamilias domus arriserit: oritur hinc subito mira securitas, ex securitate mira iocunditas, ex iocunditate autem iubilus quidam, eo deuotius in Dei laudes erumpens, quo perspicacius conspicit, eius esse muneris, quicquid in se boni recognoscit. Hæc est septimi diei iocunda solemnitas, quam necesse est sex dies, id est operum præcedat perfectio, vt primum in bonis operibus desudemus, & sic demum in conscientiæ tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus puritas conscientiæ nascitur, secundum quam sui dilectio iudicatur. (C. Ps. 10. 6.) Sicut enim is qui operatur, vel diligit iniquitatem, non diligit, sed odit animam suam, ita profecto qui diligit & operatur iustitiam, non odit, sed diligit animam suam. Hæc est primi illius sabbati iocunda solemnitas, in qua seruilia mundi opera minime exercentur, in qua nec ignis concupiscentiæ turpis accenditur, nec passiuonum onera comportantur.

Cap. IV.

Quale sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, & quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur.

Compend. c. 12. Rom. 12. 15.

POrro si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primum hoc sabbatum celebrauit, ad illud pectoris sui diuersorium sese contulerit, vbi solet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, (D. 2. Cor. 11. 29.) vri cum scandalizatis, senseritque ibi animam suam, cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis vniri, nullis inuidiæ stimulis agitari, nullis indignationum æstibus inflammari, non iaculis suspicionum atteri, non edacis tristitiæ morsibus consumi; sicque ad quendam tranquillissimum mentis suæ sinum omnes rapiat, vbi dulci quodam affectu omnes amplectatur & foueat, ac secum vnum cor, & vnam animam faciat; (Act. 4. 32.) ad huius mox dulcedinis suauissimum gustum, omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit, & fit ibi intus ab omnibus noxiis absoluta vacatio, & in fraternæ dilectionis dulcedine grata & iocunda pausatio. Nam quod in huius sabbati quiete, nullum prorsus vitium residere charitas fraterna permittat, testis est huius ipsius sabbati continuus feriator Apostolus Paulus; sic enim ait, (Rom. 13. 9.) *Non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum.*

E Huius sabbati requie ac dulcedine perfusus Propheta Dauid, in sonum gratulabundæ solemnitatis erupit dicens, *Ecce quam bonum & quam iocundum, fratres habitare in vnum.* (Ps. 132. 1.) Vere bonum, vere iocundum. Bonum plane, quia nihil vtilius; iocundum, quia nihil sapidius. Sicut autem primo illi in sabbato vnus tantum dies dedicatur, quia videlicet singulare est, quod in propriæ cuiusque conscientiæ tranquillitate consistit; ita non immerito huic annus integer consecratur: quia sicut ex multis diebus annus efficitur, ita ex multis animabus vnum cor, & vna anima charitatis igne conflatur. Quod si ex sex illis annis, qui sabbatum hoc spiritualem præcedunt, aliquid mysticum velis exsculpere, scito sex esse genera hominum, in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Sicut autem annus multos dies complectitur, ita in singulis illis generibus, multi nobis homines dilectionis copula coniunguntur. Primo ergo dilectio nostra, naturali ordine ad domesticos sanguinis nostri deriuatur. (F) Quæ dilectio vt habeatur, quia ipsi naturæ est insitum: si non habeatur, nimis est inhumanum. Vnde Apostolus. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet fidem negauit, & est infideli deterior.* (1. Tim. 5. 8.)

Nec hanc Apostolicam sententiam, dominicis verbis quisque æstimet se contrariam, quibus dicit. *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* (Luc. 14. 26.) Sed de his in consequentibus videbimus. Igitur quia sunt nonnulli, qui immaniores bestiis, nec domesticos attendunt, iam aliquantulum ad sabbatum hoc spiritale procedit, qui suos, ita vt oportet diligit. Hæc autem dilectio quoniam ab ipsa natura proficiscitur, in præceptis, quæ ad dilectionem pertinent proximi, primo loco sancitur, ita Deo protestante. *Honora patrem tuum, & matrem.* (Exod. 20. 12.) Hinc ad eos, qui nobis specialis amicitiæ fœdere, vel officij vicissitudine copulantur, dilectio nostra progreditur, & quodammodo sinu ampliori laxatur. Sed hæc dilectio Pharisæorum iustitiam non transcendit, quibus dictum est. (G Matth. 5. 43.) *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sane vtraque hæc dilectio, quanquam parum præmij seruata conquirat, quippe cum ad illam lex naturalis impellat, ad istam gratia impertita nos prouocet, neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his Dominus in Euangelio. *Si diligitis (inquit) eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis.* (Matt. 5. 46.) Vt ergo in aliquid amplum dilectio nostra tendatur, amplectatur & eos, qui nobiscum eodem iugo professionis subduntur. Hæc plane dilectio præmio non fraudabitur, quia Deus causa est eur exhibetur.

In hoc statu mens vestimentis adglutinata IESV, aliquid sibi illius vnctionis elingit, quæ discedens à capite, etiam barbæ influit veri Aaron, & ad oram vsque vestis attingit. (Ps. 132. 2.) cuius vncta pinguedine aliquantisper extenditur; & primum omnes, ad quos vnctio ipsa pertingens, participium illius nominis IESV, vt ab vncto vncti, id est, à Christo Christiani vocentur, impertit, & (H) laxiori sinu recipit diligendos. Restant adhuc duo hominum genera, quæ si pectori nostro amoris vinculo astringantur, nihil profecto obstabit, quin veri illius sabbati requie perfruamur. Nam & eorum qui foris sunt, Gentilium videlicet & Iudæorum, Hæreticorum, vel Schismaticorum necesse est vt ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostræ orationis impertiamus, vt & ipsi inueniantur nobiscum, in Christo Iesu Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo fraternæ charitatis summa consistit, in quo homo Dei filius efficitur, in quo diuinæ bonitatis similitudo plenius reparatur, Sicut ait Saluator in Euangelio, *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est.* (Matt. 5. 44.)

A Deut. 15. 2. & 12. Matth. 6. 12. Ioan. 8. 34.

Exinde quid superetit nisi annus septimus, in quo debitores repetere non permittimus, in quo seruus libertati donatur? Qui enim nouit etiam inimicos simplici oculo intueri, ille est, qui veraciter dicere potest, *Dimitte nobis sicut & nos dimittimus. Omnis*, inquit, *qui facit peccatum seruus est peccati.* Cui deplorandæ seruitati tandiu quisque addicitur, donec ipse dimittens & diligens, dimittatur & diligatur, & de seruo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur. Vere tempus pacis, tempus quietis, tempus tranquillitatis, tempus gloriæ & exultationis. Quid enim molestiæ, quid perturbationis, quid mœroris, quid anxietatis eius poterit interpolare lætitiam, qui sub primo illo sabbato, in quo laborum suorum fructibus pascitur, ad huius diuinæ similitudinis statum gratia pleniore progreditur? vt omne hominum genus vno mentis amore complectens, nullius iniuria moueatur: sed sicut indulgentissimus aliquis pater, erga charissimum sibi filium phrenesi laborantem, ita ille erga suos afficitur inimicos; vt quo

B

magis ab eis iniuriatur, eo profundiori charitatis affectu inferentibus sibi molestiam compatiatur. Hac igitur virtute possessus, tunc maxime sabbatum hoc celebrare dicendus est, cum ingrediens cor suum, in fraternæ dilectionis dulcedinem intendit animum, & erga charissimos sibi, in quendam suauissimum resolutus affectum, gustat quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.

Cap. V.

Quomodo vtraque hæc dilectio Dei dilectione seruetur.

Compendij c. 14.

VErum quia vt superius diximus, vtrumque hunc amorem, quo vel propriæ saluti consulimus, vel quo proximis puro affectu vnimur, quadam diuini amoris portione necesse est animari: sciendum quia ad hanc geminam dilectionem, Dei nos dilectio mouet & promouet, secundum id, quod *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Siquidem in hac gemina dilectione

C Ioan. 1. 14.

acquiritur innocentia, quæ in duobus constare manifestum est. Innocens quippe est, qui nec sibi, nec alteri nocet. Sibi autem nocet, qui semetipsum vitij alicuius, aut turpitudinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem quia maxime voluptas, ac delectatio carnis impellit, sic eam facile quilibet respuit vel euitat, si erga carnem nostri Saluatoris pium indutus affectum, gaudet spiritalibus oculis intueri Dominum maiestatis, vsque ad præsepis inclinatum angustias, virgineis inhiare vberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, Sancti videlicet Simeonis, felicibus labiis osculari. Qui mentis suæ obtutibus imaginari dulce habet, quam mitis aspectu, quam dulcis affatu, quam peccatoribus compatiens, quam infirmis & miseris condescendens. Quod mira benignitate nec meretricis attactum, nec Publicanorum refugit conuiuium; quod vnius adulteræ suscipit causam ne lapidetur, quod alteri confabulatur, vt de adultera Euangelista quodammodo efficiatur. Quis est, cui ad hoc dulce spectaculum, omnis fœtentis carnis delectatio non sordescat? Inde suaues quædam lacrymæ facile oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus extinguitur, tepescit caro, gulæ voracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur.

Luc. 7. 39. Matt. 9. 11. Ioan. 8. D 7. Ioan. 4. 7.

Porro ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio; nihil nos ita animat, vt illius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille speciosus forma præ filiis hominum, venustam faciem suam impiis præbuit conspuendam; qui oculos illos, quorum nutu reguntur omnia, velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput tremendum principibus & potestatibus, spinarum asperitati submisit; qua semetipsum opprobriis ac contumeliis addixit: qua tandem Crucem, Clauos, Lanceam, Fel, Acetum patienter sustinuit; in omnibus lenis, mitis, tranquillus. Denique *tanquam ouis ductus est, & quasi ouis coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Considera ô humana superbia, ô superba impatientia, quid sustinuit; quis sustinuit, quomodo sustinuit. Cogitentur rogo, non scribantur. Quis est cuius ad hunc mirabilem intuitum non statim ita deferueat? Quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenam charitatis, plenam immutabilis tranquillitatis, *Pater ignosce illis*, non statim omni affectu suos amplectitur inimicos? *Pater* (inquit) *ignosce illis.* Quid lenitatis, quid charitatis huic addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare; voluit & excusare. *Pater* (inquit) *ignosce illis*, non enim sciunt quid faciunt. Sunt quidem magni peccatores, sed pusilli æstimatores, ideo pater ignosce illis. Crucifigunt; quem tamen crucifigant nesciunt, quia *si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*; ideo *pater ignosce illis.* Putant legis præuaricatorem; putant diuinitatis præsumptorem; putant populi seductorem. *Abscondisti ab eis faciem meam, non agnouerunt maiestatem meam*, Ideo *pater ignosce illis*, quia nesciunt quid faciunt. Igitur vt homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrumpat. Vt vero carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suauitatem Dominicæ carnis extendat. Porro vt perfectius, ac suauius in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiam inimicos brachiis veri amoris astringat. Sed ne diuinus hic ignis iniuriarum flatu tepescat, dilecti Domini ac Saluatoris sui tranquillam patientiam, oculis mentis semper aspiciat.

E Isa. 53. 7. Luc. 23. 34. 1. Cor. 2. 8. F

Cap. VI.

Quomodo perfectum sabbatum in Dei dilectione reperitur, & quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.

Compendij c. 15.

VErum hac gemina dilectione purgata mens, tanto deuotius, quanto securius, ad ipsius diuinitatis felices gestit amplexus; ita vt nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, intransque in illud sanctuarium, vbi spiritus sit ante faciem suam Christus Iesus, ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbeatur, factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus; in id quod est, & sic semper est, & idipsum est, in illud vnum perspicacem figat intuitum; vacans & videns quoniam Dominus ipse est Deus, & inter charitatis ipsius suaues amplexus, sabbatizans sine dubio sabbatum sabbatorum. Hic annus iubileus, in quo homo ad suam possessionem reuertitur, ipsum videlicet auctorem suum, vt nimirum possideatur & possideat, habeatur & habeat, teneatur & teneat. Ipsa est possessio, quæ distracta vili peccati pretio; amore hominis diffluente ab eo, à quo factus est, & inhærente rei, quæ facta est.

G

Huic Sabbato non immerito quinquagenarius numerus dedicatur, in quo seruilis timor expellitur, carnis non solum concupiscentia, sed & memoria consopitur, spiritus plenitudo concipitur. *Ante* (inquit) id est ante Pentecosten, *spiritus non erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Non omnino non datus, sed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profecto in sabbato primo, datur & in secundo, sed in sabbato sabbatorum eius infunditur plenitudo. In gemino enim illo sabbato Iesus cernitur paruus, non magnus; humilis, non sublimis; iniuriatus, non glorificatus. Ideo *spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Verum quia *charitas diffunditur in cordibus nostris*, non alias nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis, vbique septenarius numerus custoditur, sed in ipsius septenarij multiplicatione, profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, eius est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritalis quædam sabbatizatio. Primo requies in puritate

Ioan. 7. H 39. Ioan. 7. 39. Rom. 5. 5.

A conſcientiæ; deinde in multarum mentium dulciſſima coniunctione; poſtremo in ipſius Dei contemplatione. In primo ſabbato vacatur à crimine,in ſecundo a cupiditate,in tertio ab omni protſus diſtentione.In primo guſtat mens, quam dulcis eſt IESVS in humanitate; in ſecundo videt quam perfectus in charitate; in tertio quam ſublimis in Deitate. In primo colligitur ad ſe, in ſecundo extenditur extra ſe,in tertio rapitur ſupra ſe.

CAP. VII.

Quid ſit Amor; quid Charitas; quid Cupiditas?

LOcus & tempus exigit,vt quod ſuperius diſtulimus, quemadmodum videlicet ipſa ſit Charitas exhibenda, paulo latius exequamur. Quod vt manifeſtius fiat, quidnam ſit charitas enucleatius video oſtendendum.Et B manifeſtum eſt quidem quod charitas amor ſit, quanquam non minus manifeſtum, quod non omnis amor charitas ſit. Quocirca ſubtiliori indagine opus eſt, vt primo quid ſit Amor pateat intuenti, quatenus genere agnito, ſpecies non lateat inquirentem. Dupliciter igitur amorem dici, animaduerſa loquendi conſuetudo demonſtrat.Dicitur enim amor animæ rationalis vis quædam, ſiue natura, qua ei naturaliter ineſt ipſa amandi aliquid, oon amandive facultas. Dicitur & amor ipſius animæ rationalis quidam actus vim illam exercens, cum ea vtitur vel in his quæ oportet, vel in his quæ non oportet, qui quidem actus cum additamento amor appellari ſolet, verbi gratia, amor ſapientiæ, amor pecuniæ: quem vtique amorem vel bonum neceſſe eſt eſſe, vel malum.

Nam vis illa animæ, ſiue natura qua hic amor ſiue bonus, ſiue malus exercetur, bonum quiddam animæ eſt, & in bono & in malo, nunquam poteſt eſſe non bonum. Pertinet quippe ad ipſius naturam ſubſtantiæ, C quæ ab ipſo ſummo bono eſt, qui fecit ſingula quidem [Gen. 1. 31.] bona, vniuerſa autem bona valde. Sed homo libero muneratus arbitrio, ſicut cæteris naturæ ſuæ bonis, ſic & hoc aut bene vtitur adiutus per gratiam, aut male relictus per iuſtitiam. Quia igitur, vt quidam ait, bonos aut malos mores, non faciunt niſi boni aut mali amores, præmiſſi boni bonus vſus bonum hominem facit, quia bonum amorem facit, abuſus autem quia malum amorem facit, vtique malum hominem facit. Quid ergo dubitamus charitatem dicere ipſius amoris rectum vſum, abuſum autem cupiditatem?

CAP. VIII.

Quomodo in electione, in motu, in fructu, amoris rectus vſus conſtet, ſiue peruerſus.

[Compen. dy c 16.] IAm nunc inter eius vſum rectum ſiue peruerſum,ali- quanto ſubtilius diſcernamus. Conſtat autem, vt mi- D hi videtur, vſus eius in tribus, in electione, in motu, in fructu:eſt autem electio ex ratione, motus in deſiderio & actu, fructus in fine. Rationalis quippe creatura ſicut beatitudinis capax condita eſt, ita ipſius beatitudinis auida ſemper eſt, ſed ad beatitudinem nequaquam ipſa ſibi ſufficiens eſt. Propria autem infelicitate,quod ad beatitudinem ſibi non ſufficiat, conſequenter edocta, vt cupita beatitudine potiatur, rę aliqua ſibi videt eſſe fruendum, quæ ipſa non ſit. Proinde vnuſquiſque vel pro modo ſuæ fidei, & intellectus, vel pro erroris fallacia, vel pro experientia ſenſus, primo ſibi beatitudinem in rei cuiuſlibet; vel certe rerum quarumlibet fructu conſtituit. Deinde quicquid illud eſt, cuius ſe fructu beari poſſe confingit, ſine omni ambiguitate ſibi eligit ad fruendum Quam vtique electionem amor facit, nam ea vi ſua ſiue natura, quam ſuperius amorem diximus, anima rationalis id facit. Habet nempe amor ſemper comitem rationem, non qua ſemper rationabiliter amet, ſed qua ea, quæ eligit, ab his E quæ reprobat, viuaci circumſpectione diſcernat. Denique rationis eſt inter creatorem & creaturam,inter temporalia & æterna, inter amara, & dulcia, inter aſpera & delectabilia diſcernere; amoris autem, quod voluerit ad fruendum eligere. Porro & ipſa electio amor dicitur, & eſt quidem actus animæ; ſed cum amor ipſe quo eligit ſemper bonus ſit, hæc tamen electio, quæ & amor nihilominus appellatur,neceſſe eſt vt bona vel mala ſit, ac per hoc bonus vel malus amor ſit. Nam ſi experientia cuiuſlibet delectationis illecta, vel certe quolibet errore decepta mens, ea quibus minime fruendum eſt, eligat ad fruendum, profecto infeliciter amat. Frui autem dicimus, cum delectatione ac gaudio vti.

Ipſam ſane electionem non ſtatim ſequitur, vel etiam comitatur ipſius amoris motus occultus; excitans quodammodo, & mouens animum in illius rei deſiderium, quam eligendam putauit; & hic ſimiliter motus animi F actus eſt, & ex amore eſt, & amor dicitur; & ſi ſit ad id quod debet,& ſicut debet, amor bonus eſt; ſi vero ad id quod non debet, vel aliter quam debet, malus amor eſt, At ſi eam rem, quam ad fruendum elegerit, electam deſiderauerit, actibus opportunis pro voto adeptus fuerit, in illius mox vſu cum gaudio ac delectatione quieſcit: quem vſum,vt vno verbo appelletur, fructum vocamus. In bis igitur tribus charitas, ſiue cupiditas conſtare videtur, in animi ſcilicet electione, in motu, in fructu; ſed electio amoris ſiue boni, ſiue mali eſt inchoatio,motus amoris ipſius curſus; fructus ipſius amoris eſt finis. Si itaque mens ad fruendum eligat quod oportet, ſi ad id ſic moueatur vt debet vel eo fruatur vt decet; & tam ſalubris electio,& tam vtilis fructus non immerito charitatis cenſeri vocabulo iudicatur; ſed in hac electione charitas inchoatur, motu extenditur, in fructu vero perficitur. At ſi animus eligat inſipienter,moueatur indecenter, turpiter abutatur, his quaſi gradibus cupiditatem conſummari, facile aduerti poteſt.Hi ſunt duo fontes, bonorum ſcilicet & malorum origines, quoniam G quidem radix omnium malorum eſt cupiditas, & radix omnium bonorum charitas.

CAP. IX.

Quid nos oporteat ad fruendum eligere.

QVoniam ergo inter bonum malumque amorem diſtinximus, ſupereſt nunc vt quid ad fruendum eligere debeat animus, quemadmodum ad id, quod elegerit, moueri oporteat, ſicut ipſe, in cuius manu ſumus & nos & ſermones noſtri, inſpirare voluerit, oſtendamus. Sic quidem & quid diligendum, & quemadmodum diligendum ſit agnoſcemus. Hoc ſane dicendum, quia non omne quod in vſum noſtrum eligimus, diligere dicendi ſumus, ſed ſolum id, quod ad fruendum eligimus.Ea quippe mens,quæ ſterquilinio carnis immerſa, ad nihil ſubtile, quod craſſitudinem ſenſus excedat,nititur aſpirare, vel fallaces diuitias, vel futiles honores, H aut corporeas voluptates mundive fauores, vel horum aliquid, vel ſimul omnia, quaſi deſtinatum intentionis ſibi eligit finem; in talium perfunctione, felicitatem falſâ opinione depingens. Ad horum tamen fructum, non eodem omnes calle oriuntur. Alius enim negotiari, alius militare, quamlibet artem alios eligit exercere, alius ad deſtinatum finem rapinis ac latrociniis tendit.

Ex his omnibus, id ſolum amare quis dicendus eſt,ad quod fruendum tota eius feſtinat intentio; cæteris autem quaſi quibuſdam adminiculis vti, quo facilius ad deſideratæ rei perfunctionem valeat peruenire. Sed peruerſa mens, quandiu quidem non potitur optatis, in eorum fructu felicitatis ſibi pingit imaginem; at voti compos effecta, cum ſe ſolita indigentia ſenſerit laborare, vel certe ab his quibus abuſa eſt, quodam quaſi faſtidio reſilire; in alterius cuiuſlibet rei ſuccenditur appetitum, non quidem ſatianda, ſed eadem iterum

A vanitatis ineptia turpiter deludenda. Hic est circuitus impiorum, de quorum misera indigentia, io prima huius Lib. 1. c. 11. & seqq. operis parte satis superque disputatum est.

Porro cui mens sanior, oculus purior, vita est defæcatior, altiori sensu rem inuestigans, cum manifestum sit nemioem sibi ad beatitudinem posse sufficere; videt profecto id, quod sit inferior abiectiorque natura, deijcere posse huminem soi amore, non extollere altius; miserisque magis inoolucre, quam veræ fælicitatis conferre solatium. Hinc semetipsum metiri aggrediens, ac suæ priuilegium æstimare naturæ, cernit profecto quam digne, quam magnifice, quam deniqoe iuste homi-
Matt. 4. 10. ni lex diuina præcipiat, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Quod nullo modo dixisset, si esset quælibet natura sublimior, cui humana natura singulare illud deberet obsequium, vel à qua beatitudinis posset
Compendy c. 16 præmium espectare. Ipse igitur nobis præ omnibus eligendus est, vt eo fruamur, quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desiderandus, quod est ipsius amo-
B ris quasi cursus quidam atque promotio, in cuius adeptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit & beatitudo. Merito igitur primum mandatum & maximum, de Dei dilectione lex diuina coorra-
Matth. 22. 37. didit, *Diliges* (inquieos) *Dominum Deum tuum.*

Verum quia hoc beatifico booo, cum adepti fuerimus, quisque pro sua capacitate fruetur, capaciores autem erunt omnes simul quam singulus quisque, erit sine dubio ipsa beatitudo cumulatiot, si hoc, quod quilibet minus capax habere non poterit in seipso, habere incipiat vel in altero. At alterius bonum suum noo erit, nisi hoc ipsum bonum in altero dilexerit; quod æque impossibile erit, nisi alterum ipse dilexerit. Congruentissime ergo secundum præceptum diuina
& 39. sanxit authoritas, *Diliges proximum tuum*. Sed quoniam summum bonum nostrum Deus erit, & in seipso, & in nobis, & in altero, ipse ex roro præcipitur diligendus. *Diliges* itaque *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni virtute tua.* Quia
C vero tantundem gaudij nobis conferet proximi bonum, quantum proprium, merito dicitur, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Patet igitur duo nobis eligenda vt his fruamur, Deus scilicet & proximus, quanquam dissimiliter: nam Deus, vt eo fruamur in seipso, & propter seipsum; proximus, vt ipso fruamur in Deo, imo & Deo fruamur in illo. Nam licet verbum hoc frui districtius soleat accipi, vt videlicet nulla re alia, sed solo Deo fruendum esse dicatur, ad hominem tamen lo-
Philem. ver. 20. quens Paulus, *Ita frater* (inquit) *ego te fruar in Domino.* Cum igitut hæc duo & ratio, vt diximus eligenda perspexerit, & cæteris omnibus horum contemplatione contempris, mentis consensus elegerit; inchoata est profecto Dei proximique dilectio, quia ad id quod debet, fit ipsius amoris conuersio.

Cap. X.

D *Quod ad actum & desiderium amor noster moueatur, & quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moueatur.*

Compendy c. 17. HÆc de electione dixisse sufficiat, vt deinceps de ipsius amoris motu, quæ dicenda sunt, prosequamur. Fit autẽ motus eius ad duo, vel interius ad desideriũ vel exterius ad actum. Ad desiderium, cum ad id quó fruendum iudicauerit, animus se motu quodam interno, & appetitu extendit. Ad actum, cum mentem ad aliquid etiam exterius agendum, amoris ipsius vis quædam occulta compellit Proinde inuestigandum arbitror, quænam sint illa, quibus quasi incentiuis, amor ipse ad hæc duo excitetur ac moueatur, quæque ei cursum suum ordinent quodammodo atque præscribant. Deinde quid eorum sequi debeat, vel quantum sequi debeat; quidve respuere, quid admittere; quid minuere, quid augere oporteat, vt ipse motus competens sit, subtilius inquirendum. Sunt autem duo, vt mihi videtur, quibus animus ad duo illa quæ præmisimus,
E mouetur quodammodo ac escitatur, id est affectus & ratio. Aliquando enim affectu tantum, aliquando tantum ratione amor noster vel ad publicum actum, vel io occultum succenditur appetitum: qnocirca de singulis his, quantum necesse videbitur, disputare conabimur. Hoc sane dicendum; Cum superius duo quædam ad fruendum, Deus scilicet & proximus, ratio docuerit eligenda, cæteris omissis, quemadmodum ad hæc duo amor noster moueri oporteat, deinceps esse tractandum. Igitur de omnibus motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis maxime sequendus sit videamus. Sed primo de bifaria ipsius motus origine, quæ cœpimus exequamur.

Cap. XI.

Quid sit affectus, & quot sint affectus declaratur, & quod spiritalis affectus dupliciter accipiatur, ostenditur. F

EST igitur affectus spontanea quædam, ac dulcis ipsius animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem Compendy c. 18. spiritus est, aut rationalis, aut irrationalis, aut officialis, aut naturalis, vel certe carnalis. Spiritalis affectus dupliciter potest intelligi. Nam spiritali quidem affectu animus excitatur, cum occulta & quasi improuisa Spiritus sancti visitatione, in diuinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ charitatis suauitatem mens compuncta resoluitur. Cuius visitationis modum & causas, Lib. 1. c. 5. & seqq. quam lucide à nobis fieri potuit, superius memini demonstrans. Huic affectui ille contrarius, qui ex diaboli immissione generatur; quo illos ad turpia quæque constat illectos, de quibus Propheta, *Spiritus* (in- Oseæ 4. 12. quit) *fornicationis decepit eos.* Gemino enim tormento Sanctorum pudicitiam immundissimus hostis insequitur, nunc carnem intolerabili flamma succendens, nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dissoluens. Ni 2 Reg. G 13. 14. fallor Amnon filius Dauid, ex immissione callidissimi hostis, noxiæ suauitatis resolutus affectu, in illicitos propriæ sororis exarsit amplexus, ac tanti patris domum incestu commaculans, fratris in se gladium prouocauit: ac futuri parricidij, quo proprium patrem in- & 15. 2. Reg. 15. 10. felix Absalon regni cupidus infestauit, occasiones quasdam præseminauit & causas. Nemo sane es horreat, quod hunc affectum dicimus spiritalem, pro eo quod à spiritalibus nequitiis generatur, nec causetur de nomine, cum res ipsa manifesta sit.

Cap. XII.

De affectu Rationali, & Irrationali.

RAtionalis affectus est, qui es consideratione alie- Compendy c. 19. næ virtutis oboritur, videlicet cum oculis nostris cuiuslibet virtus vel sanctitas explorata, vel fama diuulgante, vel certe lectione comperta, mentem no- H stram quadam dulcedinis suauitate perfundit. Hic est affectus qui nos, audita triumphali Martyrum passione suauissima deuotione compungit, ac memorabiles præcedentum actus, quasi sub oculis delectabili meditatione depingit. Hinc vox illa, qua admirabilis athleta IESV, Paulum dico, fortia sua gesta commendat, conceptæ gratulationis indices, ab oculis audientium, plerumque lacrymas elicit, animumque ad eius iam iamque gestientem amplexus, infusa subito pietate perstringit. Quis enim audiens pericula illa flumi- 2. Cor. 11. 26. num, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus, illam insuper vocem virtutis; Vbi- Phil. 4. 11. 12. & 13. que & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati; *Omnia possum in eo, qui me confortat*; quis (inquam) hæc audiens vel legens, in talem virum non mirabili moueatur affectu?

Hic affectus inter Dauid & Ionathan sacratissimi

[A] amoris primitias consecrauit, ac socialis vinculum gratiæ, ne paterna quoque auctoritate soluendum, fœdere [1.Reg. 17.50.] gratissimæ charitatis innexuit. Visa namque immutabili pectoris illius constantia, qua loricatum Gigantem puer inermis prostrauerat; quod alteri foret inuidiæ seminarium, optimo adolescenti virtutis extitit incrementum: dum virtutis amicus, in virtuosi iu[& c.18. 1.]uenis excitatur affectum, dicente Scriptura, *Anima Ionata colligata est anima Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Hunc ipse IESVS mire misericors misericorditer in se transformans affectum, intuitus adolescentem, qui ei suas virtutes prodiderat, vt ait [Matt. 10.21.] Euangelista, *Dilexit eum.* Huic affectui contrarius est irrationalis, quo quilibet erga aliquem, comperto eius vitio, quadam mentis inclinatione mouetur. Multi enim vel ob vanissimam Philosophiam, vel ob stultissimam in negotio militari audaciam, quorundam sibi animos inclinarunt. Et quod lugubrius est, multi, quia prodigi, quia luxuriosi, quia pudicitiæ proditores & [B] insecutores, quia turpissimorum hominum fautores & sectatores, quia inanium spectaculorum vanissimi, sed intentissimi spectatores, aliquorum sibi illiciunt, & inclinant affectus.

Cap. XIII.

De affectu Officiali.

[Compendy c. 20. Exod. 2. 15. & seqq.] POrro Officialem cum dicimus affectum, qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Moyses sanctus cum Pharaonis declinaret insidias, sacerdotis Madian, officio memorabili sibi comparauit affectum. Cuius dum filias virgines à Pastorum improbitate constantissime, licet alienigena, protexisset, admiratus adolescentis beneuolentiam homo, non solum amicum eum sibi, sed & generum fieri postulauit. Berzellai [2.Reg. 17.27.] quoque Galaadites Regis Dauid, quem fugientem à fa[C]cie Absalon officiosissima deuotione susceperat, muneribus nihilominus gratuito excitauit affectum; qui viri constantissimi animo tam perseueranter inhæsit, vt in[3.Reg. 2.7.]ter hæreditaria præcepta, tantæ munificentiæ recompensationem, filio Salomoni Rex statim moriturus indixerit.

Cap. XIV.

De affectu naturali.

[Compendy c.21. Eph 5. 29.] EST præterea affectus naturalis cuilibet ad carnem suam, matri ad filium, homini ad domesticum se[Isa. 49. 15.]minis sui; *Nemo enim carnem suam odio habuit*, &c. *Non potest mater obliuisci infantis sui, vt non misereatur filio* [1.Tim. 5.8.] *vteri sui*, &c. *Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Primus horum etiam viros sanctissimos non effugit, qui eo affectu, quo nemo carnem suam odio habuit, de sepultu[Gen. 47. 29. & 50. & 50. 24.]ra solliciti, narrantur sacramentis posteros obligasse, [D] ne in alieno, sed in sepulchris patrum mortui conderentur. Secundum sapientissimus Salomon, cum pro superstite puero; nam alterum mater oppresserat, me[3.Reg. 3. 16.]retrices fœminæ in eius præsentia disceptarent, credidit explorandum. Denique allato ense, cum diuisionem pueri Regia sublimitas iudicasset, matrem affectus prodidit naturalis, & cessit affectui, quæ non cesserat improbitati, & quæ laborauerat ne vera mater proprio pignore frustaretur, laborare cœpit vt alteri traderetur, [& 26.] *Obsecro* (ait) *date huic infantem viuum, & non occidatur.* Et contra, quæ ad aliena viscera expers pietatis obduruit, *nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.*

Porro tertius in pectore sanctissimi Ioseph, etiam fratricidali præponderauit iniuriæ, qui cum fratribus fratricidis dispensatoria seueritate explorationis crimen inureret, cernens eos non mediocriter fatigari, ac sera [Gen. 42. 24.] satis pœnitentia de fratris proditione torqueri, cedens affectui, vt scriptura ait, *Auertit se parumper & fleuit.*

[E] Hunc affectum à piis visceribus patriarchæ Dauid, nec filij parricidalis abrasit immanitas, à quo cum quæreretur ad mortem, mittens qui eius obuiarent insaniæ, oblitus iniuriæ, memor naturæ, vt se sciret patrem, dissimulans nosse persecutorem, *Seruate* (inquit) *mihi* [2.Reg. 18. 5.] *puerum Absalon.* Hunc in se Saluator ipse mirabili compassione transfundens, videns ciuitatem, quæ ei secundum carnem metropolis fuit, ex qua illi patres secundum carnem, naturali pietate commotus, cum suffusione lacrymarum futurum eius deplorauit excidium. [Luc. 19. 41.] Cuius imitator Paulus, naturali vt reor compunctus [Rom 9. 3.] affectu, optabat aliquando *anathema esse à Christo, pro fratribus suis secundum carnem.*

Cap. XV.

De affectu naturali dupliciter accipiendo.

CAtualis deinde affectus duplex occurrit origo. [Compendy c.25. F] Plerumque enim cuiuslibet non quidem virtus, aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo, animum sibi intuentis inclinat: facile quippe alicuius & forma elegantior, & sermo suauior, & maturus incessus, & venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse homo sit, prouocat & perstringit affectum. Hæc adeo in Moyse puero adhuc gratia relucebat, vt contra tyrannicum Pharaonis imperium, quo masculos Hebræorum neci destinauerat, à parentibus tribus mensi[Hebr.11. 23.]bus seruaretur (vt ait Apostolus) eo quod vidissent ele[Exod. 2, 3.]gantem infantem. Expositus quoque periculo formæ elegantia etiam filiæ Pharaonis sibi pietatem illexit, cui adoptatus in filium, magnus effectus est coram vniuersis quoque seruis Pharaonis. Porro quem ad noxiæ voluptatis memoriam, in quamlibet speciem suauitas male blanda compungit, carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic affectus ambulantem in sola[2.Reg. 11. 2.]tio domus suæ Dauid, ad speciem Bersabee præuenit incautum, præuentum dissoluit, obruit dissolutum. [G] Contrarioque modo, quem in alienæ vxoris illicitum [& 15.] eneruauit amplexum, in proprij militis crudelem ar[3.Reg. 11. 4.]mauit interitum. Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit, & carnali libidine dissolutum, in spiritalia fornicationis barathrum nefandissima idolorum cultura deiecit.

Cap. XVI.

Quid de his affectibus sentiendum sit.

[Compendy c. 23.] HI affectus interim meditanti occurrunt, quos amoris origines quasdam dixerim, siue radices, non amorem. Non enim his affectibus excitari, vel pulsari valde laudabile existimamus si boni sunt, nec exitiabile si mali. Nam & eo, quem primo loco posuimus, quanquam optimo, plerique in sui perniciem, vt superiori libello docuimus, abutuntur; & hoc vltimo, qui cæteris formidabilior iudicatur, aliquando viri optimi ad [H] probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moueri, sed secundum hos affectus moueri, aut vtile iudicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus mouent animum, aut visitatio est, aut tentatio; quando secundum hos affectus mouetur, plena est ipsius voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut etiam manifesta. Occulta, cum ex consensu desiderij agitatur interius; manifesta, cum ipsum desiderium ad actum prorumpit exterius. Vtrum autem secundum hos affectus moueri debeat amor noster, vel quantum moueri debeat, inuestigare conabimur, si tamen prius de ratione, quam etiam ipsius motus causam diximus, pauca præmiserimus.

* *

*

A

Cap. XVII.

Quomodo ad Dei, proximique dilectionem ratione moueatur.

Compend. c. 14.

NAm animum, quem ad Dei proximique dilectionem nullus mouet affectus, plerumque mouet ratio, tanto vtique sacratius, quanto securius; tanto securius, quanto defæcatius; tanto autem defæcatius, quanto rationali amore nihil vtilius potest esse, vel purius. Igitur ratio vt ad desiderium conditoris sui animum excitet tepescentem, tribus innititur argumentis, nostræ videlicet necessitati, vel vtilitati, illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia necessarium hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, vt caueamus damnationem; commodum, vt acquiramus glorificationem; dignum, quia ipse prior diligens nos, merito ipsius dilectionis exigit recompensationem. B Desiderandus est homini Deus tanquam bonum suum, sine quo necesse est eum semper miserum esse, cum quo non potest nisi beatissimus semper esse, qui bonorum nostrorum non indigens, pro nobis voluit miser esse. Huic igitur rationi si mens consenserit, &, si non ex affectu, ex voluntate tamen in Dei desiderium sese excitauerit; prosequitur statim ratio negotium suum, necessarium probans illius præceptis adimplendis grauiter insistendum, si adipisci voluerit desideratum. Sic innatum internis visceribus desiderium, ratione compellente, procedit ad actum.

Quia vero inter eius præcepta id maximum inuenitur, vt homo proximo suo consulat sicut sibi, instat ratio, vt ad beneficium proximo impendendum animus moueatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non inimicus, vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest vel profuit; non inimicus, quia non nocet, nec nocuit; inimicus quia obest vel obfuit. Amicus, ex sanguine vel gratia; non inimicus, ex innocentia; C inimicus ex iniuria. Igitur vt amico se impendat homo, tria quædam proponit ratio; vt non inimico, duo; vt inimico, vnum. Amico debetur beneficium ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est; ex officio, quia amicus est; ex præcepto, quia proximus est. Non inimico vero ex natura, quia homo est, ex præcepto quia proximus est. Inimico autem ex præcepto; quia vt inimicus diligatur, præceptum Domini est. His igitur rationibus cedens animus, si ad beneficium impendendum non solum amico, sed etiam inimico sese parauerit, etsi non sentiat affectum, charitatis tamen meritum non amittet.

Cap. XVIII.

Distinctio gemini amoris, inter quos animus fluctuat proficientis.

D Compend. c. 14.

DIstinguendi sunt igitur duo amores isti, vnus ex affectu, alter ex ratione. Inter hos duos amores sæpe animus proficientis, & ordinatum amorem habere cupientis, timet & fluctuat; dum putat se minus amare eum, qui amplius amandus est, aut amplius amare eum, qui minus amandus est, Hic est enim amor ordinatus, vt nec diligat homo quod diligendum non est, diligat autem quicquid diligendum est, amplius tamen non diligat quam diligendum est, nec æque diligat, quæ dissimiliter diligenda sunt, nec dissimiliter, quæ æque diligenda sunt.

Constituamus igitur duos homines ante oculos nostros, quorum alter sit lenis, blandus, tranquillus, suauis, & omnium bonorum aptus consortio, inuitans cæteros ad familiaritatem sui, dulcis eloquio, moribus temperatus, in quibusdam tamen virtutibus minus perfectus. Porro alter, licet in summa virtute perfectior, vultu tamen tristior, aspectu seuerior, & fronte austeris moribus irrugata, qui omnibus beneficiat, præter quod poscitur, non sit tamen suauis consortio, nec sua cunctos inuitet beneuolentia. Vt igitur illum diligat, E animus quodam spontaneo mouetur affectu; vt istum, vrget ratio & ordinata regula charitatis. Sentiens itaque homo animum suum, illum quadam amplecti dulcedine, erga istum omni vacuum suauitate durescere, anxiatur, dolet, timet regulam excedere charitatis, dum putat se amare illum quidem supra quam oportet, istum nec quantum oportet.

Cap. XIX.

Quid sit quod homo beneuolus ac suauis, quamuis minus perfectus, maiore quam austerus & perfectior, & dulciori diligatur affectu, gemina comparatione probatur, & quomodo vtriusque amor non sit periculosus ostenditur.

F

VOlo nunc primo latebras propriæ explorare conscientiæ, vt non me fallat affectus iste, si eius causam & originem contigerit ignorare. Cum igitur iste, cui animus meus dulci quadam inclinatione mouetur, etsi minus perfectus, non sit tamen vitiosus, imo multis virtutibus adornatus; cur non iste affectus ex virtute credatur habere principium, ac proinde non timendus sit, sed potius amplectendus? Sed si eius originem vel causam dixerim esse virtutem, cur non erga istum, quem magis virtuosum agnosco, faciliori, vel saltem simili motu dirigitur? Ergone carnalis iudicandus est affectus iste, qui quadam exterioris hominis competentia generatur? Sed si ita est, cur alium æque exterioribus adornatum moribus, quia tamen æstimo vitiosum, non eiusdem dulcedinis suauitate complector? Contigit enim mihi aliquando, vt alicuius exterior habitudo, quandiu in eo vel virtus spectabatur, vel vitium ignorabatur, plurimum sibi animum inclinauerit meum: proditum autem eius vitium totum illum af- G fectum absorbuerit, ac non modicum menti horrorem iniecerit. Quid ergo? forte virtus aut vitium, quasi animæ cibus, vel vtilis, vel noxius, æstimanda sunt: exterioris vero hominis vel austeritas, vel benignitas, quasi vasa quædam vel rusticana, vel vrbana iudicanda. Et vtilis quidem cibus in vasis plerumque deformibus sumitur, noxius autem nec in pretiosis admittitur.

Contingit autem & quidem persæpe, vt cibus aliquanto vilior, ob vasis decorem iocundius admittatur, pretiosissimus autem, ob vasis horrorem insuauius assumatur. Sic nonnunquam euenit, vt homo vitiosus & in summo corporis ornatu displiceat, virtus autem etiam in quadam exterioris hominis duritia, & austeritate plurimum placeat. Nihilominus & id contingere manifestum est, vt minorem virtutem in homine beneuolo quis, ac iocundo libentius videat, maior autem in homine duro & austero insuauius sapiat. Sed erit elegantior, puto quia & expressior similitudo, si virtus H veritas, falsitas vitium æstimetur, nimia autem morum seueritas, quasi sermo durus, & rusticus, exterioris autem hominis grata suauitas, quasi sermo comptus & eloquens. Sicut ergo in suauiloquio non est falsitas admittenda, sic in duro rusticoque sermone veritas non aspernanda. Simili modo nec in homine exterius ornato vitium placeat, nec in homine quanquam duro & austero virtus displiceat.

Denique si duo homines incipiant aliquis persuadere, quorum vnus obtuse, deformiter, frigide id faciat, alter acute, ornate, suauiter, vehementer, donec nesciatur quis eorum veritati innitatur, quis diffluat falsitate: non est mirum si in eius sermone magis delectatur auditor, qui nouit ope sermonis conciliare auersos, remissos erigere, beneuolum, intentum, docilem auditorem proœmio reddere, nescientibus quo eius tendat oratio, quid expectare debeant intimare. Quod si vter-

A que æque vera, æque magnifica persuadere cognoscitur, in huius verbis cum quadam amaritudine salubritas sumitur, in istius & suauis salubritas, & salubris suauitas gratius auidiusque percipitur. Quanto enim magis in vera affectione appetitur iocunda suauitas, tanto facilius salubritas prodest. Verum si vterque vera, sed ille minus eloquens magnificentiora ac profundiora conetur asserere, illa quidem quæ dicuntur suauiter, quanquam minora, suauius auribus illabuntur; non modica autem vi opus est, ne illa potiora, ob sermonum quibus proferuntur ineptiam, audire animum tædeat, intelligere non placeat, credere postremo non libeat. Non secus si duo homines proponantur, quorum alter beneuolus, affabilis, gratus aspectu, iucundus affatu, quadam exterioris hominis suauitate in corda intuentium sese refundat; alter durus, austerus, nimia quadam grauitate intuentibus quasi metum incutiat; quandiu vtriusque virtus latet, vel vitium, quis reprehendat, si illum dulcius
B interior sensus accipiat, istum non voluntas aut ratio, sed affectus reijciat? Si vero in cæteris virtutibus pares vtrosque cognouerit, vel si etiam illum iucundiorem, in aliquibus imperfectiorem inuenerit; non mirum nec ratione vacuum, si cui virtus interior in exteriori oblata suauitate, quasi veritas in pulchro sermone, iocundius sapiat veritatem in morum austeritate nimia, quasi veritatem in duro rusticoque sermone cum quadam mentis anxietate, vel etiam coactione suscipiat.

Sed sicut est quædam eloquentia quæ iuuenilem decet ætatem, quædam autem quæ senilem, & quæ in iuniori ætate feruor & viuacitas, in maturiori leuitas arbitratur, ita profecto in adolescente si sit beneuolentia hilarior, promptior, pronior ad obsequium, agilior ad actum, in seniore vero honesta, grauis, sine omni dissolutione, hilaris, vacuum leuitatis, plenum maturitatis, nec ille leuitatis, nec iste debet argui austeritatis. Quomodocunque ergo varietur, istius amatoris affectus, si isti, quem animus eius affectuose complectitur, nec sui copiam,
C nec aliud quid præter rationem præbuerit, illi nihil, quod ratio impendendum esse monstrauerit, præbere
Compendy c.25. omiserit charitatis vtique regulam non excedit. Nam cum affectus isti nequaquam in nostro arbitrio collocentur, cum quibusdam aliquando inuitissimi moueamur, nec quosdam, etiamsi velimus, experiri valeamus; nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus mouerit, sed cum mens ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur, sentiendum est.

Cap. XX.

Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex vtroque.

Compendy c.26. Est ergo amor ex affectu, cum affectui animus consenserit; ex ratione, cum se voluntas rationi coniunxerit; potest & tertius amor ex his duobus confici,
D cum scilicet hæc tria, ratio, affectus & voluntas in vnum coierint. Primus dulcis, sed periculosus; secundus durus, sed fructuosus; tertius vtriusque prærogatiua perfectus. Ad primum sensus expertæ dulcedinis illicit; ad secundum ratio manifesta compellit; in tertio ipsa ratio sapit. Differt autem hic vltimus à primo, quia licet illo, & quod amandum est aliquando ametur, magis tamen propter ipsius affectus dulcedinem amatur; hoc autem amatur, non quia dulce est, sed quia amore dignum, ideo dulce est.

Cap. XXI.

Recapitulatio eorum quæ dicta sunt, & quomodo vera Dei cognoscatur dilectio.

Compendy c.27. Igitur ex his omnibus quæ dicta sunt, in quo tota vis consistat amoris breuiter colligamus. Primo si mens aliquid ad fruendum elegerit, deinde ad id quodam inter-
E no desiderio sese extenderit, postremo id agat quo ad desideratum peruenire valuerit, hoc sine dubio amare dicendus est. Hoc autem quanto quisque feruentius instantiusque peregerit, tanto magis & diligit: quod si ex affectu id fecerit, dulcius vtique diligit, ac proinde facilius agit. Si autem totum hoc quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione; minus quidem dulce diligit, sed non tardius, quod desiderat, obtinebit. Porro Compendy c.28.
si ipsa electio peruersa fuerit, vt quod non oportet eligat ad fruendum, & illa, quæ ipsam sequuntur electionem, peruersa esse constabit: & talis amor peruersus erit, cupiditatis non charitatis vocabulo censendus. Sed sicut superius docuimus, quicquid aliud mens ad fruendum præter Deum in seipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit, metas veræ dilectionis excedit. Potest prætetea ipsa electio sana esse, motus tamē vterque peruersus. Potest & electio, & sequens motus in desiderio, ex ratione consistere, alter autem motus qui
F in actu est, totam dilectionem corrumpere; quod exemplis manifestius fiet.

Si quis igitur Deum ad fruendum elegerit, sana est ista electio; si vero in ipso fructu carnale aliquid desiderauerit, existimans cum ad Deum peruenerit, quod ibi vt Iudaicæ fabulæ ferunt, & epulis effluere, & voluptatibus habeat incubare, nihil proderit electionis integritas, quam sequitur desiderij tanta peruersitas. Sed & si Deum ad fructum sibi felicitatis elegerit, nec in Deo quicquam nisi Deum desiderauerit; si tamen aliis quam oportet actibus, verbi gratia aut Iudaicis cæremoniis, aut Gentilium sacrificiis, vel alia aliqua superstitione ad tantum bonum ambierit, totum vtique dilectionis fructum euacuabit. Sit ergo electio sana, desiderium competens, actus rationalis, & sic non excedet limitem charitatis. Interest sane quantum fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis, affectuosus, vt dulciter; discretus, vt prudenter; fortis, vt diligat perseueranter. Affectuosus, vt quod eligit in desiderio sa-
G piat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio auertat. Affectus prodest contra peruersas dulcedines; discretio contra deceptiones; fortitudo contra persecutionem. Si quis autem in tribus his noscitur esse perfectus, non solum feliciter, sed & suauiter amat. Sane si non poterit affectuosus, sit tamen discretus & fortis; & si non ad præsentem suauitatem, non minus tamen ad futuram proficiet felicitatem.

Cap. XXII.

In proximi dilectione quæ sit habenda consideratio.

Hæc eadem in proximi dilectione consideremus. Si igitur proximum ad ipsius fructus societatem, qui in Deo est elegerimus, sana est ista electio; sed hanc electionem si desiderium turpe, aut actus inordinatus subsequitur, tota electionis sanitas maculatur. Verum in Dei dilectione nobis, non ipsi consulimus; *Deus enim noster est, & bonorum nostrorum non indiget:* in mutua autem dilectione, quoniam mutuo indigemus, necesse est vt nobis inuicem consulamus. Quocirca desiderium ipsum ad duo debet extendi, & actus nihilominus dupliciter exerceri. Debet quippe desiderium ad hoc esse, vt sicut decet, mutuo nobis fruamur in Deo, & vt Deo inuicem fruamur in ipso. Quia vero homo & ex corpore constat, & ex anima, actus vtique noster, quantum facultas suppeditat, vtrique debet prospicere. In his quanto quisque feruentior & prudentior, tanto vtique & in charitate perfectior; quanto autem affectuosior, tanto charitas ipsa constat esse suauior. Sicut autem ad hæc aliquando (vt diximus) affectus, aliquando mouet ratio, ita vtrumque ipsius desiderij modum actusque, pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti consideratione opus est, vt de ipsis affectibus quis sequendus sit, & in quantum sequendus sit, videamus.

Compendy c.25.
H
Ps. 15.2.

Cap.

A

Cap. XXIII.

Qui affectus admittendi non sunt, & quantum spiritalis, qui ex Deo est, sit sequendus affectus.

Compendij c.29.

IGitur spiritalis affectus qui ex diabolo est, irrationalis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitium, tres isti affectus non solum non sequendi, sed ne admittendi quidem sunt, imo quantum fieri potest, à cordibus nostris radicitus eruendi. Porro spiritalis qui ex Deo est non solum admittendus, sed & omnibus modis excitandus est & augendus: quem desiderium nostrum saluberrime sequitur, vt quanto dulcius se nobis innotescit tanta excellentia, tanto feruentius eius desiderabilis desideretur præsentia. Sane hoc affectu etiam actus noster excitari habet, sed secundum hunc ordinari non debet. Excitari habet, vt nunquam voluntas bene, imo perfe-

B

cte operandi tepescat; ordinari autem secundum affectum operatio ipsa non debet, ne metas corporeæ possibilitatis excedat. Corpus enim hoc quoddam est instrumentum, quo ipsum exerceri habet, quod cum luteæ qualitatis sit, innumerabilibus obnoxium passionibus, vim feruentis spiritus ferre non sustinens, nisi quodam moderamine actus exterior temperetur, infecto negotio procul dubio deficiet ac succumbet.

Habet autem hoc affectus iste proprium vt plerumque modum nesciat, humanas non metiatur vires, corporeas passiones absorbeat, ac impetu quodam cæco irruens in amatum, solum id meditetur quod appetit, despiciat quicquid extra est, etiam quod graue, quod arduum, quod impossibile quoque, ac si leue ac vacuum laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris iniurias, præ interni affectus delectatione non sentiat. Proinde vt voluntas iugi feruore calescat, vt illatas extrinsecus passiones patienter quis, imo gaudenter sustineat, vsque ad ipsius desiderij motum, affectus

C

huius est impetus perferendus: ad voluntarios verò actus progrediens, ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coërcendus. Quam mensuram vitæ quidam ignorantes, ac totum affectus sui impetum importunè sequentes, debiliores fiunt quam sanctiores, ac sic affectu ob actus immoderationem tepescente, ipsa quoque voluntas immoderatiùs oppressa tepescit. De ipsa sane actus moderatione, quæ secundum rationem fieri necesse est, si quid vtile ipse affectuum bonorum inspirator & ordinator, malorum autem tantùm ordinator spiritus suggerere voluerit, suo loco adnotabimus. Nunc de ipsorum affectuum distinctione quæ cœpimus exequamur.

Cap. XXIV.

De rationali affectu in quantum & ipse sequendus sit.

D

Compendij c. 30.

RAtionalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, cæteris, quibus ad proximi dilectionem accendimur constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium est ipse amor virtutis. Denique huic consentire affectui vtillimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu faciliùs excitatur, tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed & desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium: nihil enim obest, imo & prodest plurimum, si eius desideremus præsentiam, cuius exemplo corrigamur si mali sumus, si boni promoueamur, si æque perfecti mutuâ collatione firmemur. Est autem præsentia Sanctorum temporalis & ipsa quidem desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis. Licet autem in vtriusque desiderium simili excitemur affectu, non tamen simili actu ad vtranque pertingimus. Nam ad corporalem Sanctorum præsentiam, si fortè absumus, aliqua terrarum spatia peragrando; ad æternam tendimus sanctè, & iustè, & pie viuendo.

E

Si ergo ad vtrumque hunc actum eodem incitemur affectu, iste vltimus, quantùm ad interiorem exercitationem, eius impetum sine cunctatione sequatur, neque enim timenda est in interiori sanctitate nimietas; exterior autem virtutum exercitatio, de qua dictum est, *Noli esse nimium iustus*, rationis est moderamine temperanda. Porro Sanctorum præsentia corporalis, etsi vtiliter desideretur, non tamen semper vtiliter quæritur: vnde in actu hoc, ratio consulenda est, non sequendus affectus. Quam grata fuit fratribus Antiochenis Pauli ac Barnabæ præsentia corporalis, quorum scientia instruebantur, quorum firmabantur exemplo, disputationibus contra diuersa sentientes tuebantur? Audientes tamen à Spiritu Sancto, *Segregate mihi Barnabam & Paulum in ministerium quo vocaui eos*, quanquam repugnaret affectus, imponentes tamen eis manus & orantes, dimiserunt eos. Nonne Paulus eos profusione lacrymarum Timothei probauit affectum; cui si vir tantus consensisset, vtique irrationabiliter Pauli vestigiis inhæsisset. *Gratias* (inquit) *ago Deo meo, memoriam tui faciens, memor lacrymarum tuarum vt gaudio implear.*

Act. 13. 2.

F

2. Tim. 1. 3. & 4.

Cap. XXV.

Officialis affectus in quo cauendus sit; in quo admittendus.

Compendij c.31.

SEquitur officialis affectus, cæteris qui admittendi sunt periculosior: siquidem admittendus est, sed permaximè cauendus est. Quid enim tam dignum, tam consonum rationi, quam vt vicem rependas amanti, obsequenti officium, gratiam munera porrigenti? Quid deinde cauendum magis, quam ne delinitus obsequiis vel muneribus illectus, aut foueas vitia, aut faueas vitiosis? Nec de his mihi sermo est qui diligunt munera, sequuntur retributiones, qui iustitiam venalem habentes, non homini, sed muneribus fauent, sed de his qui obsequiis

G

vel muneribus prouocati, non iam munera, sed ipsum hominem quodam interno complectuntur affectu. Admittendus est (inquam) iste affectus, sed & cauendus; admittendus ne sit ingratus officio; cauendus, ne non tam homini impertiatur quam vitio. Proinde quamuis in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna sit habenda discretio, hoc attendendum, vt cum erga eum cuius beneficiis vtimur, vel obsequiis adiuuamur, quodam mouemur affectu, ipsius personæ dignitas diligentiùs inspiciatur, vt si fortè eius meriti sit, affectus ipse officialis transeat in Rationalem; & quem cœpimus diligere quia nobis gratus, diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus.

Euenit aliquando vt vir optimus, ob exteriorem quandam austeritatem (vt superius diximus) non facili affectu in cor influat intuentis, quem si aliquâ occasione oblatâ, munificum nobis senserimus, insensibiliter ipse, quem austeritas illa oppresserat quodammodo & obruerat, erigitur vt ita dicam, & excitatur

H

affectus; & virtus, quæ priùs placebat sed non sapiebat, ipsi affectui quasi cordis palato, licet ad aliud adhibitu, sua se suauitate ingerat & infundat, ac si mirabili modo delectetur & sapiat. Quod si talis fortè fuerit, in quo non sit virtus quæ placeat, quantùm quidem eius desiderari potest correctio, affectus admittendus est: simplex autem affectus ille, qui quamuis certis quibusdam caussis moueatur & moueat, hominem tamen sine alterius respectu causæ complectitur, per omnia temperandus. Ipsa sanè obsequiorum vel munerum redhibitio vtrique secundum rationem, non secundum affectum impendatur. Sic & desiderium, quo eorum præsentia desideratur, vel actus, quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur non affectum.

Cap.

A

Cap. XXVI.

Quis modus in naturali sit seruandus affectu, & quid sit diligere in Deo, & quid propter Deum.

[Compendij c. 32.] IAm nunc in naturali affectu quis modus seruandus sit, diligentius inquiramus. Hunc sane affectum sicut non admittere impossibile est, ita non sequi summæ virtutis est. *Nemo enim seipsum odio habuit*, & tamen, [Luc. 14. 26.] *Qui venit ad me* (ait Saluator,) *& non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*. Similiter, *Qui venit* (inquit) *ad me & non odit patrem & matrem non potest meus esse discipulus*. E contra Apostolus, [1. Tim. 5. 8.] *Qui suorum, maximè autem domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Quid ergo? Contraria sensisse æstimandi sunt magister & discipulus, seruus [B] & Dominus, ipsa veritas & animus veritatis? Absit. Distinguendi sunt ergo duo illi amores, de quibus superius locuti sumus, alter secundum affectum, alter secundum rationem. Naturale quidem est, quod homo erga se & suos affectum habet, sed amorem secundum affectum habere non debet, secundum rationem verò habere debet. Affectus ipse ostenditur, cum per Apostolum [Eph. 5. 29.] dicitur, *Nemo vnquam carnem suam odio habuit*. Amor autem secundum affectum ipsius Saluatoris auctoritate [Luc. 14. 26.] interdicitur, qui ait, *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*. Amor secundum rationem interdi[1. Tim. 5. 8.]citur cum idem dicit Apostolus, *Qui suorum maximè autem domesticorum, curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior*. Amor secundum affectum arguitur, cum futura mala prænuntians idem Paulus ait inter cæ[2 Tim. 3 2.]tera, *Et erunt homines seipsos amantes*. Quod verò hic amorem secundum affectum intellexerit, docent sequentia. *Erunt enim* (inquit) *homines seipsos amantes, cupidi,* [C] *elati, voluptatum amatores magis quam Dei*. Semper etenim affectus iste mollia suggerit & suauia; quod iocundum, quod tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum libenter amplectitur; quod verò arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit & euitat.

Quocirca affectus huius executio, amor peruersus est, hominem exuens homine, formam induens bestialem; quod rationis, quod honestatis, postremò quod vtilitatis, obruens quodammodo & abscondens. Hic amor propriè conuenit bestiis, excusatus in pueris; nam illis ratio non infunditur, in istis sopitur. Denique vtrumque hunc amorem breuiter sans Saluator ipse di[Ioan. 12. 25.]stinguens, *Qui amat* (inquiens) *animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inueniet eam*. Proinde, vt ait Sanctus ille, [August. tract. 51. in Ioan.] *Si male amaueris tunc odisti, si bene oderis tunc amasti*. Qui enim [Ps. 10. 6.] amat secundum affectum, vtique odit, quia, *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*; qui verò odit, secundum [D] rationem diligit. Ad hoc enim addidit, in hoc mundo, [1. Ioan. 2. 16.] quia *quicquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ* Qui itaque animam suam secundum affectum amat, in hoc mundo amat; quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat.

[Compendij c. 24.] Hac distinctione id quoque soluitur quod quærunt quidam, quid videlicet distet inter amorem, qui in Deo est; & illum qui exhibetur propter Deum? Affectus quippe non propter Deum assumitur, sed in ipsa anima aut naturaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde si ei, cui animus quadam spontanea ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum istum affectum exhibeatur, iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potiùs propter se amatur. Si vero is, quem affectus iste complectitur, in Dei dilectionem pariter assumitur, amorque ipse ex affectu sapiat, sed eius exhibitio ex rationis moderamine pendeat, huius vtique amor non primo propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porro [E] ei, quem affectus ipse respuit & euitat, si consideratione diuini præcepti nosmetipsos vt oportet exhibuerimus, ac quicquid dictauerit ratio, prout indiguerit impenderimus, iste non propter se, sed tantum propter Deum diligitur. Igitur amicus qui non potest non diligi, diligatur in Deo; inimicus qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum; ille ex affectu, iste ex ratione. Hic itaque modus in naturali seruetur affectu, vt habeatur quidem & sentiatur, sed in omnibus & per omnia rationis moderatione temperetur.

Denique Ioseph sanctus prius lacrymis naturalem erga fratres protestatur affectum, quem si vir sanctus ratione postpositâ sequeretur, nequaquam fratres salubri dolore à proditionis crimine purgarentur. [Gen. 42. 24.] Saluator quoque pium erga suos indutus affectum, ruituram ciuitatem compassione mirabili deplorauit, nihilominus tamen eiusdem ciuitatis scelera, summæ calamitatis iniuriâ ex rigore iustitiæ castigauit. [Luc. 19. 41.] Ad quam regulam vtinam Rectores Ecclesiæ suum castigarent affectum, quo[F]rum multi domesticos sanguinis sui nimis carnaliter amplectentes non solum eos à mundi vanitate & voluptate nullo rigore compescunt, imo ex ipso pretio sanguinis Christi, vnde suas expleant libidines, damnabili præsumptione prospiciunt. Proh dolor! Sic est ingredi domos quorundam Episcoporum nostrorum, & quod magis pudet cucullatorum, quasi quis ingrediatur Sodomam & Gomorram. Procedant quidam capillati & effeminati seminudis natibus, cultu meretricio, de qualibus Scriptura, *Et posuerant* (inquit) *pueros in prostibulo*. [Ioel. 3. 3.] Et in talium libidines tuus sanguis assumitur Domine IESV, erigitur crux tua, panduntur vulnera tua, insumitur pretium mortis tuæ. Vrasti habeant currentes canes, aues volantes, equos spumantes: eudantur in pauperibus latera tua, ridentur verbera tua, effunduntur viscera tua. Vides ista IESV meus, vides ista & taces; sed nunquid semper tacebis? [Isai 42. 14.] *Imo* (inquis) *vt parturiens loquar*. Sed ad propositum redeamus. [G]

Cap. XXVII.

De affectu carnali quod nec omnino respuendus, nec plenè sit admittendus.

IGitur carnalis affectus, quem parturit quidam hominis exterioris ornatus, nec animo respuendus est, [Compendij c. 35.] nec ita vt se profuderit, admittendus. Vicinus enim illi est affectus ille, qui ducit ad vitia; & nisi iste prudentius caueatur, ille sine sensu pene patientis illabitur. Ad hoc igitur affectus iste salubriter admittitur, si tamen suspensè & temperatè quodammodo admittatur, vt videlicet si virtus in eo claruerit, faciliùs amplectetur; si verò vitium, correctioni eius vehementiùs insistatur. Quicquid enim de officiali affectu diximus, de hoc quoque sentiendum nihilominus arbitremur. Ab his tamen, qui adhuc carnalibus vitiis appetuntur, consultè affectus iste respuitur, à quibus rarissimè sine virili titillatione sentitur. [H]

Cap. XXVIII.

Quod affectuum non solum origo, sed etiam processus & finis scrutetur, & quod affectus transeat in affectum, exemplis ostenditur.

POrro horum affectuum non solum origo scrutanda est, sed & processus ipse, ac finis sagaciter attendendus. Subtilissimè enim aliquando vnus oritur, & in alium terminatur vel certè mutatur; quod de duobus vel tribus ostendisse satis sit. Famâ cuiuslibet virginis excitus quis, quia & sancta corpore & spiritu, fide sincera, discretione præcipua, vsque ad perfectum contemptum sui humilitatis virtute fundata, præclaræ abstinentiæ, summæ prædicatur obedientiæ: ob tantarum admirationem virtutum, summo eam veneratus affectu. Quem quidem

A affectum, rationalem superius nominauimus. Huius ergo si incipiat familiaritate potiti, venerari obsequio, recreari colloquio, eulogiis, vel litteris, vel certè quibusdam munusculis frequentari; rationalis iste affectus pene insensibiliter transit in officialem; & quæ cœperat amari ob meritum sanctitatis, frequentari incipit ob gratiam mutuæ liberalitatis. Deinde affectus iste, dum ad quædam blandimenta se porrigit, etiam carnalis ille, qui cæteris perniciosior est, vitio tentante subrepit.

Noui ego viris pudicissimis & abstinentissimis, omnemque spurcitiam summo horrore detestantibus accidisse, vt dum quosdam in tenera adhuc ætate summis virtutibus cernerent accessisse, ac mirabili morum grauitate ac vitæ sanctitate, in quosdam canos (vt ita dixerim) spiritales incredibiliter profecisse, deuotissimo eos ac dulcissimo colerent simul, & amplecterentur affectu.
B Quibus dum sui copiam pronius indulgerent, ac in eorum aspectu, & (vt ita dicam) amplexu suauius requiescerent, vitioso quodam affectu subtilius irrepente plurimum fatigati sunt, & qui alios eius criminis conscios non dico non aspicerent, imo à nauseantis animi sinu summo horrore reiicerent, istos pudicissimos, grauissimos, fortè etiam virgineo decore serenos, quos & impudicus quis ob ipsam desperationem non nisi pudicè conspiceret, vix sine quadam vitij titillatione frequentare potuerint. Cur hoc? Profectò quia faciliùs affectus in affectum mutatur, quam vel pectore pudico impudicus amplectatur, vel in impudico quis manifestæ pudicitiæ
Compendij c.33. appetatur. Proinde cum affectus noster quanquam rationalis vel etiam spiritalis, vsque ad suspectam ætatem vel sexum sese protenderit, consultissimum est vt infra ipsum mentis sinum cohibeatur, nec ad inania quædam blandimenta, mollesque teneritudines patiatur effluere, nisi fortè ob id aliquando maturè ac temperatè progrediatur, vt virtus amata & laudata feruentiùs exerceatur.

C

Cap. XXIX.

Quod diuersi affectus in vna sæpius mente luctentur, & ideo quis cui præponendus sit exemplis manifestatur.

Compendij c.34. Dicendum adhuc de his affectibus, quòd plures aliquando in vna mente compugnent, ac quodammodo inuicem se expugnare contendant. Quod cum contigerit, magnâ discretione opus est, vt quis præponendus sit agnoscatur; virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Denique Abraham proprium
Gen. 22. 2. filium immolari iussus, nequaquam ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit, sed cum naturalis, quo filium, spiritalis quo Deum amplectabatur, in sancti viri pectore compugnarent, superiorem inferiori præposuit, imo ob superiorem inferiorem contempsit. Optimus quoque adolescens Ionathas, non in patris in-
D iuriam consilium, quo Dauid neci destinauerat, eidem sacro fœdere copulatus prodidit, sed rationalem affectum naturali legitimo iure præposuit. Nec mirum si amici gratia in eius sacratissimo pectore patris obliterauit affectum, ob quam propriam, vt putabitur, iniuriam
1. Reg. 20.34. immutabili virtute contempsit. Denique Dauid fugienti à facie Saül, cum in secretioribus locis vir inuictæ charitatis occurreret, patris ei consilia proditurus, inter amplexus & oscula cum se mutuis lacrymis perfudissent, ac pio fletu pium protestarentur affectum, renouato rursus fœdere intulit Ionathas, *Tu quidem eris Rex, ego autem ero secundus post te.* O virum summis laudibus efferendum! virum expertem inuidiæ, cupiditatis vacuum, qui amicum regno prætulit, qui quod videbatur suum, esse voluit alienum. Ego (inquit) ero secundus post te. O summæ humilitatis pectus! Vir Regij seminis, cui ex successione sperabatur hæreditas, cui spem auxerant culminis potiundi genus, virtus, militum gratia, populi fauor, ipsius etiam mirabilis fama triumphi, quo, vno tantùm fulcitus comite, armatos cuneos agminis
E hostilis inuasit, ac suæ genti insperatam victoriam reportauit, infra seruum semet deiiciens, *Ego* (inquit) *ero secundus post te.*

1. Reg. 23.17. Hic (inquam) in cuius adhuc laudibus canitur, *Sagitta Ionatha nunquam abiit retrorsum, & gladius eius non est reuersus inanis*, quasi seipsum nesciens vt sciret amicum, *Tu* (inquit) *eris Rex, & ego ero secundus post te.* Quis, rogo, hæc etiam de vterino suo fratre sine immani saltem cogitaret inuidia? Quis amici causa tantam spem in desperationem deduceret? Filij Patriarchæ Ia-
Gen. 37. 20. & seqq. Num. 12. 1. cob, paternæ gratiæ, qua vnus cæteris dulciùs fouebatur, immoderatius inuidentes, seruitutem fratri, patri summam inuexère tristitiam. Primus ille pontificum, cum sorore prophetissa, præuentus ni fallor inuidia, fratri mansuetissimo detrahens, vix ipso orante Moyse
1. Reg. 2. 5.17. diuinam vltionem euasit. Sapientissimus Salomon fratrem æmulum regni, acceptâ qualibet occasione deleuit.
F Ionathas solus intra amicum, patrem, patriam, regnumque despiciens, *Tu* (inquit) *eris Rex, & ego ero secundus post te.* Qui si dixisset, Ego ero Rex, tu autem eris secundus post me, nec legem amicitiæ, nec amici gratiam violasset. *Flebant autem ambo*, vt ait scriptura, *sed Dauid amplius.* Instabat nimirum illa amarior morte diuisio, qua indiuidua illa pectora mutuo frustrarentur aspectu, qua cessare habuit illa dulcis confabulatio, illa periculorum omnium alleuiatrix consolatio, illa quoque vitæ ipsi præferenda mutui secreti reuelatio; ideo flebant ambo.

Cerne quæso ordinatissimæ dilectionis hominem. Debebat quippe Ionathas amico affectum sed patri obsequium; amico gratiam, sed paternæ senectuti custodiam: si secutus affectum inhæsisset amico, paternæ dilectionis iura læsisset; sed si monente, imo etiam compellente patre, amico gratiam subtraxisset, initi fœderis ac sacratissimæ amicitiæ legem violasset. Ex affectu itaque vtrique placebat coniunctio, sed ex ratione pla-
G cebat diuisio. Flendo igitur soluebant quod debebant affectui, sed se diuidendo, coacti licet, cedebant rationi. Vterque flebant, quia vterque diligebat. Cur igitur Dauid amplius? Prædixerat nimirum Ionathas suum quodammodo defectum, amici profectum, se regno priuandum, Dauid assumendum: idcirco lex amicitiæ exigebat, vt ille compassione amici fleret iniuriam, iste ne amici videretur dolere successus, aliquantisper lacrymis temperaret. Affectum igitur naturalem rationali præposuit, actum vero secundum rationem ordinauit. Da-
2. Reg. 18.33. 2. Reg. 19.5. & seqq. uid quoque ipse, cum fidelis ei exercitus de filio parricida victoriam reportasset, naturali cedens affectui, filij sui lugebat interitum; sed correptus à milite, officialem naturali præposuit, depositoque luctu, victori populo gratulabundus occurrit. Saluator etiam noster cum ex affectu naturali, quo nemo vnquam carnem suam odio
Matth. 26.39. habuit, proclamasset, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*, spiritali quo semper patri inhæsit, rationis
H eum iure submisit; *Verumtamen* (inquiens) *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Proinde in his affectibus hæc ratio seruanda est, vt is, quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur; deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

Cap. XXX.

In affectibus quæ sit quærenda vtilitas.

Compendij c.35. His itaque, quæ de affectuum distinctione dicta sunt, diligenter inspectis, patet ni fallor, quæ in illis sit quærenda vtilitas. Illa nimirum, vt in eorum desiderium, quæ diligenda sunt, ipsis affectibus, quasi amoris quibusdam aculeis excitemur; vt ipsum amorem, ipsorum affectuum infusa dulcedine suauiùs, ac proinde diligentiùs teneamus; vt actus ipsos, quibus ad desiderata tendimus, quantò affectuosiùs, tantò delectabiliùs; quantò autem delectabiliùs, tantò feruentiùs exerceamus. Ipsum sanè desiderium etsi affectum excitare ha-

bet,

A bet, rarissime tamen ipsum affectum sequi debet, sicut superiùs monstratum est. Similiter ad bonorum operum exercitia affectum excitari, in ipsis operibus ex affectu teneri vtilissimum est: sed ipsa opera secundum affectum ordinare, præter ordinem est. Restat igitur, vt quemadmodum ipsa sint opera secundum rationem ordinanda, pro modulo nostro paucis dicamus. Nam ipsum desiderium secundum rationem vniforme est, quod in eo tamen amore, qui ex affectu est, sentitur; in eo autem qui ex ratione, in sola voluntate computatur.

Cap. XXXI.

Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, quibus nobis, proximisque consulere.

Compendij c. 38. SVnt itaque actus quidam, quibus spiritaliter ad illud summum bonum, quod summe diligendum est, summéque desiderandum contendimus; sunt & alij, quibus B vel nostræ necessitati, proximorum autem necessitati simul & saluti consulimus, quæ tamen prouidentia, ad illum æque finem referenda non ambigimus. Videtur autem Apostolus omnem perfectæ vitæ statum paucis Tit. 2. 12. sinuasse sermonibus: *Sobriè* (inquiens) *& iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Est enim sobrietas humanæ vitæ modus quidam ac temperantia, vtramque nimietatem prudenter euitans, & regia via inter dextram & sinistram cursum nostrum deducens. Hanc virtutem sæculi huius sapientes frugalitatem nominant, cuius excellentiam illorum omnium eloquentissimus lucidè satis exponens, Cicero orat. pro Deiotaro. *Vt volet* (inquit) *quisque accipiat, ego frugalitatem, id est modum & temperantiam virtutem maximam puto.* Cum enim ille, ad quem summè tendimus, quidam modus sit, cui nihil deest, nihil obest, nihil superfluit, nihil deficit; ad quem cum peruenerimus, nihil erit exterius quod appetamus, nihil interius quod fastidiamus: necesse profecto est, vt nosmetipsos in quadam mensura modoque C seruemus, nec infra quam necesse est dilabamur; nec supra quam oportet pestifera præsumptione feramur.

Iustitiam sane ab Apostolo illam hic æstimo nominari, qua proximorum necessitati siue saluti consulentes, & in ipsis beneficiis quid cui conueniat, quis cui se præferendus sit discernentes, quod iustum est cuique tribuimus. His autem duabus virtutibus, sobrietati scilicet & iustitiæ, ne de eis Philosophi, vel quilibet à Christi fide alieni glorientur, consultissimè addidit pietatem, quæ in fide sincera, & pura intentione consistit. Porro ipsa intentio in amoris electione, de qua iam disputatum est, constare videtur. Hic fortasse lector exiget, vt ipsum viuendi modum, quem periculosum immo perniciosum videtur excedere, manifestiùs euoluamus. Quod quam sit arduum, difficiléque tractatu quis non videat? cum tot sint hominum qualitates, quot homines, nec tarò saltem duo simul inueniantur, quibus cuncta æque conueniant: nam quod vni satis est, hoc alteri parum D est; & quo iste proficit, ille deficit; & quod alteri necessarium est, alteri constat esse superfluum. Dicendum tamen aliquid videtur quod conueniat omnibus, quod quisque sibi possit aptare, & vtrum necessarium viuendi modum excedat, ductrice possit ratione coniicere.

Cap. XXXII.

De modo humanæ vitæ tractare incipiens, quæ sit in naturali ordine seruanda sobrietas ostendit.

Compendij c. 39. IGitur tres ordines humanæ conuersationis occurrunt, primus naturalis, secundus necessarius, tertius voluntarius. Primus conceditur, secundus indicitur, tertius offertur. Primus ex potestate, secundus ex necessitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, secundo misericordia, tertio gloria. Sed de singulis quam lucidè possumus, quæ dicenda videntur exsequamur. Est autem ordo naturalis, vt qui nulla commisit illicita, si velit ipse E licitis vtatur, licitè tamen. Est autem licitus verbi gratia esus carnium, vini potus, vsus coniugij, diuitiarum possessio. Vt enim ait Apostolus, *Omnia munda mundis,* Tit. 1. 15. *& nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* 1. Tim. 4. 4. Nam & hæretici ab ipso Apostolo iudicantur, *qui prohibent nubere, & iubent abstinere à cibis, quos Deus* 1. Tim. 4. 3. *creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Verum vt horum vsus licitus sit, modus seruandus est, tempus, locus, genus, diligentiùs attendenda. Modum sane quendam seruandum omnibus, nec à quolibet, pacto quolibet excedendum, Saluator ipse præscribens, Luc. 21. 34. *Videte* (inquit) *ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.* Et de vsu coniugij ait Paulus, 1. Thess. 4. 5. *Sciat vnusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij.* Vestium quoque vsum describens* Petrus, *Non in veste* (inquit) *pretiosa.* * Lego Paulus. 1. Tim. 2. 9.

F In licitorum igitur vsu hic modus seruandus est, vt quis in cibi potusque perceptione, infra crapulam & ebrietatem sese contineat, in diuitiis seruandis anxiam sollicitudinem tollat, in vsu coniugis ignominiosas passiones euitet; in vestium cultu non pretium, sed necessitatem requirat. Sed & tempus congruum cuilibet vsui seruandum est, ne verbi gratiâ his temporibus, quibus traditio Ecclesiastica à cibis præcipit abstinere, ieiunium sine rationabili necessitate soluatur; ne temporibus, quibus orationi necessario vacandum est, nuptialis vsus exerceatur; ne diebus, quos salubri vacationi ad audiendum verbum Dei Christiana sacrauit auctoritas, curis mundialibus insistatur, ne diebus, quibus dolorem vel pœnitentiam, vestium mutatione præferre religio sacra constituit, solemnibus quis vestibus abutatur. Locus itidem in omni vsu necessario prouidetur; nam in Ecclesia vacare epulis, vel vti coniuge, vel exercere negotia, quis non sacrilegum iudicet? Corinthiis scribens Apostolus, in cibi potusque perceptione tempus legitimum eos arguit non seruasse, *Conuenientibus* (inquiens) 1. Cor. 11. 20. 21. G *vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare; vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* Non enim tempus congruum obseruabant, qui ante perceptam Eucharistiam, communes cibos contra scita Apostolica præsumebant.

De modi quoque transgressione eosdem ipsos inculpans subiecit, *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* 1. Cor. 11. 21. Deinde loci contemptum improperans, *Nunquid domos* (inquit) *non habetis ad manducandum & bibendum, aut* 1. Cor. 11. 22. *Ecclesiam Dei contemnitis?* Postremò earum rerum, quibus vti licitum est, genus subtiliùs discernendum, non quod aliquid creaturarum Dei immondum, sine sacrilega impietate credatur: sed quia his, quæ in dæmoniorum sacrificiis noscuntur exhibita, vel aliis furto, vel rapina probantur ablata, ne eorum vsus impiis, vel infirmis, impietatis videatur esse consensus, sacra nos abstinere compellit auctoritas. Vnde Apostolus, *Si quis* 1. Cor. 10. 28. *dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite comedere.* Tobias quoque sanctus cum balatum pecoris, quod pro H mercede operis vxor aduexerat, oculis quidem captus, sed mente integer aduertisset, timens ne ciui iniuriam, sibi maculam illicitus esus inueheret, *Videte* (inquit) *ne* Tob. 2. 21. *furtiuus sit.* Hæc de naturali ordine dicta sint, in quibus licet non omnia, quibus licitè vtuntur homines, adnotauimus; ex his tamen quis modus in cæteris seruandus sit, diligens inquisitor inueniet. Iam nunc de ordine necessario aliqua perstringamus.

Cap. XXXIII.

Modum satisfactionis in ordine necessario purgationisque describit.

EST quippe ordo necessarius, vt qui commisit illicita, ab vsu quoque licitorum sese restringat. In qua Compendij c. 40. restrictione duo consideranda sunt, modus scilicet satisfactionis, & necessitas purgationis. Modus satisfa-

ctionis,

A Matth. 3.8. ctionis, vt secundum modum culpæ rigor continentiæ extendatur, quatenus secundum Baptistæ vocem dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Sed de ipsa satisfactionis qualitate, cum ad pastoralem curam pertineat, & a sanctis patribus libri scripti, ac sententiæ præfinitæ sint, plura dicere supersedeo. Verum non satisfactionis modus tantum conseruandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione à licitis continendum, sed etiam pro expellendis vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia, interioris hominis instrumenta, quibus & passiones vitiosæ, quæ ipsam inficiunt animam, facilius abscinduntur; & interioris faciei sordes, quasi confectione quadam asperiori pleniùs diluuntur.

Proinde suæ purgationis sollicito, primo necesse est vt passiones quibus impugnatur, attendat; Deinde quæ sint, quibus maxime fatigatur, inspiciat; Prostremo B quæ instrumenta, quibus passionibus magis obuient, sagaci circumspectione perquirat. Quibus inspectis, congruum instrumentum cuilibet passioni obiiciat, & quæ magis impugnat, feruentiori instantia, vt ipsa obruatur, insistat. Denique passionem libidinis, facile comprimit ventris restrictio; vagum cor & instabile, vigiliarum confirmat afflictio; iram, silentium mitigat; tædium mentis, operis sollicitudo castigat. Nec sic tamen vnius passionis extinctioni totâ vehementiâ insistendum est, vt ad cætera comprimenda instrumentum corporale deficiat; nec importunius laborandum est vt non quælibet passio sentiatur, sed cum surrexerit, vt secundum rationis iudicium compescatur. Hæc de modo purgationis breuiter tetigisse sufficiat. Cæterum qui vitiorum impognationem, atque remedia plenius nosse desiderat, legat librum Ioannis Cassiani, quem de instituendis abrenuntiantibus intitulauit, in quo eorum origines, impugnationis modum, expulsionis remedium luculento stilo digessit.

C

Cap. XXXIV.

Quid sit ordo voluntarius, & quis in eo seruandus modus.

Compend. c. 41. Ps. 53.8. SEquitur ordo voluntarius à nobis deinceps inspiciendus, de quo Psalmista, *Voluntarie* (inquit) *sacrificabo tibi.* Est quippe holocaustum gratuitum, acceptabilis hostia, sacrificium voluntarium; cum quis ab his, quæ concessa sunt, per ea, quæ præcepta sunt, ad ea, quæ potioris gloriæ præmia suspirantibus proposita sunt, spiritûs libertate conscendit. Ad quod perfectionis culmen, feruentiores quoque Saluator inuitans, *Si vis* (inquit) *perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* (Matth. 19.21.) Et alias: *Sunt spadones* (inquit) *qui se castrauerunt propter regnum cœlorũ. Qui potest capere capiat.* (Matth. 19.12.) Itaque sæculi abrenuntiatio, castitatis propositum, cuiuslibet arctioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur. Nam licet post sæculi abrenuntiationem retro respicienti, regni cœlorum non patescat ingressus; post votum castitatis illicita sit quælibet carnis corruptio, post arctioris vitæ propositum ruina sit ad remissiora relabi; absit tamen vt ista vitæ perfectio, quam voluntarie subiit quis, non coactus, inter necessaria & coactitia, & non potius inter voluntaria numeretur; cum & ipsa necessitas, quam inuito nullus imposuit, sed cui ipse se desiderio perfectionis sponte subiecit, voluntaria dicenda sit, non coactitia.

Qui igitur ad hæc excelsa & sublimia sese contulerit, primo voti vel propositi sui normam, in quibus, & in quantis constet, diligenter inspiciat; Deinde interioris & exterioris hominis vires, experientiæ librâ trutinet & discernat. Vires dico interiores, quibus contra tentationum bella exercitatione quotidiana confligat; vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autem in quemlibet statum proficienti, necessarius sit & interioris & exterioris hominis labor, corporalia tamen ipsam animam E specialiter à passionum sordibus diluunt; spiritualia autem exercitia quasi quædam cœlestia aromata, spiritualium eam odoramentorum suauitate perfundunt. Proinde quia vitiorum squalore sordenti non congruit vnctionis illa dulcedo, profecto ei, quem adhuc carnis passiones impugnant, necessaria magis est hominis exterioris afflictio. Ipsis autem passionibus sopitis vel extinctis, licet ab exterioribus modicum temperare, ipsa autem spiritalia instantius & feruentius exercere: nec sic tamen, vt professionis suæ normam præsumptuosus excedat, nec temporum distinctiones, quæ in regula, cui se subdidit, præscribuntur, destruat vel confundat; sed seruato cuilibet operi tempore præstituto, in ipsis se vel sedatius, vel feruentius, sicut vtile sibi norit exerceat?

F

Cap. XXXV.

Disputatio contra cuiusdam Epistolam, de Monachorum regula & professione.

POrrò licet ad materiam non omnibus modis pertinere videatur, consultum tamen arbitror, quatenus nobis qui Monachi dicimur, consulentes ipsios regulæ nostræ vim diligentius inspiciamus; & cum ibi multa de spiritalibus, multa de corporalibus disserantur, in quibus maxime ipsius regulæ vis, ac professionis nostræ norma consistat; diligentiori inquisitione vestigemus. Legi cuiusdam literas, qui super hanc quæstionem, cuidam sciscitanti ita respondit. Non timeo dicere monasticæ conditionis regulam esse, sed virtutem monastici ordinis, imo substantiam monasticæ professionis ea, quæ aliis cessantibus monachum faciunt; & sine quibus cætera, non dico non faciunt, sed nec sapiunt. Sed quæ sunt hæc? illa quæ iurauimus, G in quorum stabilitatem & obseruantiam, Deum & sanctos eius attestati sumus. Et quæ sunt hæc? Stabilitas (inquit) in nostro monasterio; Conuersio morum nostrorum, & obedientia secundum regulam Sancti Benedicti. Et infra. Cupio Beati Benedicti volumen ad monachos reuoluere, & quæ eius, quam nostræ regulæ imo monasticæ professionis substantiam præscripsimus, in eo esse cognouero, vt necessaria mente complectar, vt vota, & in quæ iuraui, reddere prout mihi Dominus dederit, tota deuotione contendam. Cætera vero non vt regulæ nostræ corpus, sed tanquam ipsam iuuantia, ipsam nutrientia opere complere tentabo.

Dubitaremus forte quæ essent ista cætera, nisi postmodum ipse insinuasset: Claustrum scilicet non exire; Opus manuum exercere; Quantitas, vel multiplicitas, vel certe varietas cibi & potûs, lecti stratura, feminalium vsus non nisi in viam directis. Quid enim inquit? nunquid si de substantia monasticæ professionis essent, vel ad momentum in ea aliquid liceret dispensari, vel aliquid ex eis permutari? Alioquin non H existente substantiâ, nec monachus inuenior, qui monachi substantiam in me destruxero. Et in fine tractatus; Sic, (inquit) frater diligende, sic quia in his dispensari licet, vt & ipse Beatus Benedictus dispensat, in esu carnium omnino debilibus, in feminalium vsu saltem in via directis; sic (inquam) quia in his dispensari & mutari potest, ergo non sunt de substantia professionis. Hæc ille. Verum quod de esu carnium dixit, vtrum Beati Benedicti dispensatio, vel institutio dici debeat, ipse viderit. Sane senibus & infantibus misericordiam impendendam non ex dispensatione, sed ex regulæ auctoritate præcepit. Regulæ (inquit) auctoritas eis prospiciat. Sed ad priora redeamus. Manifestum est quid dixerit regulæ corpus, ac monasticæ professionis substantiam; Loci scilicet stabilitatem, Conuersionem morum, & Obedientiam secundum regulam sancti Benedicti.

A Sed miror cum de his, quæ non tam regulam, quam ipsam iuuantia asserit loqueretur, de lectione tacuerit. Nam cum ipse dispensationem admittat, manifestum est secundum ipsum, eam ad regulæ corpus non pertinere. Cum igitur opus manuum; panis potusque quantitas; pulmentariorum numerus; modus induendi; quantitas vigilandi; lectisternij qualitas; silentij grauitas; lectionis prolixitas; psalmorum modulatio; ieiunij protelatio; hospitum susceptio, & si qua alia huiusmodi sunt, nec regulæ corpus, nec monasticæ professionis substantia habeantur; quippe cum in eis dispensationes & mutationes multæ inueniantur; ita vt perplura monasteria nihil horum per omnia, secundum quod in regulis præfinitum est, exerceant, vbi quæso in regula regulæ corpus inueniam, & monasticæ professionis substantiam? Nonne de his omnibus, imo pene his solis regula tota compacta est? Sed enim (inquies) ea sola quæ profitemur regulæ corpus, ac monasticæ professionis B substantiam dico, tria videlicet illa quæ præscripsimus; de loci ergo mutatione nulla fieri potest dispensatio. Quid est igitur quod iam regulâ facta & promulgatâ, ipse pater Benedictus Maurum misit in Gallias?

Quod si eiusmodi mutationem descriptam in regula legissem, vtique non eam dispensationem, sed potius regulæ institutionem nominandam arbitrarer. Nunc vero cum eam non regulâ præscriptam, sed post regulæ institutionem factam inuenio, cur non eam libere dispensationem appellem, cum ille esum carnium, quem omnino debilibus regulæ concedit auctoritas, dispensationi assignet? nonne huiusmodi dispensationes quotidie ab Abbatibus nostris fieri cernimus? Quam sæpe non dico de monasterio ad monasterium, sed & de regionibus, ad regiones, Abbatum suorum dispensatione monachi transferuntur? Quomodo ergo ad regulæ nostræ corpus ac monasticæ professionis substantiam, quæ dispensationem non admittit, loci stabilitas, tam multiplici dispensationi obnoxia, pertinebit? Quid quod C plerumque in Clericatum assumpti, non dico à loci illius stabilitate, sed & ab ipsius Abbatis sui obedientia, auctoritate Ecclesiasticâ absoluuntur? Tantane permutatio monachi substantiam destruit? Quæ est igitur dispensatio, quæ si de loci stabilitate fiat, monachum destruet?

Dicet fortasse, Si de monasterio ad monasterium, sine Abbatis sui consensu, nullo salutis suæ periculo compellente transmigret. Hæccine est dispensatio, & non potius præuaricatio? Quod si præuaricatio non est, constanter dico, qoia nec talis mutatio monachum destruet. Forte ergo pœnitebit eum argumenti sui, nec ideo tria hæc monasticæ professionis substantiam, quod dispensationem non admittant, sed quod ea sola monachus profiteatur, affirmabit. Interim & nos hoc ipsum concedamus. Sit ergo regulæ corpus, ac monachi substantia, Loci Stabilitas, Morum conuersio, Obedientia secundum regulam sancti Benedicti. Rogo demus interim dextras, & qualis sit hæc loci stabilitas, hæc morum conuersio, hæc obedientia diligentius inquiramus. Vel- D lem tamen scire vtrum sicut hoc vltimum, ita duo illa priora secundum regulam, an simpliciter sine determinatione, monachum profiteri existimet? Quod nullo modo quæsitu dignum arbitrarer, nisi quosdam compertissem, qui sic se professos dicant, vt scilicet solam obedientiam secundum regulam, duo autem priora non secundum regulam, sed sine aliqua determinatione se promisisse affirment.

Sed cum alia sit regula beati Augustini, cui Canonici; alia sancti Benedicti, cui monachi, interposita se professione submittunt: quæro inter horum professiones quæ habeatur distinctio? vtrique enim & loci stabilitatem, & morum conuersionem, & obedientiam profitentur. Sed si duo illa priora sine determinatione promittuntur, videtur quod in Obedientiæ tantum professione, à cæteris regulis regula discrepet S. Benedicti. Ergone alia erit obedietia secundû regulam Benedicti, alia secundum regulam Augustini? Commendat beatus Benedictus obedientiam, quam nec tardam vult esse nec E tepidam, non tristem nec murmurantem, non in iniurius vel contrariis lacessentem, nec ante mortem deficientem. Aliane erit illa secundum regulam sancti Augustini? Aliane erit vel illa, quam Clericus Episcopo, Episcopus Archiepiscopo, Archiepiscopus Episcoporum debet Episcopo? Illane aut tarda potest esse vel tepida, aut tristis, aut murmurans, aut in iniuriis contrariisve lacessens, aut ante mortem deficiens? In quibus ergo istarum professionum constat diuersitas? An forte obedientia secundum regulam est, ipsius regulæ præceptis subdi, quibus aliarum regularum professores non sunt obnoxij?

Quæ sunt igitur ista præcepta? Si ea quæ de charitate, de humilitate, de patientia, cæterisque virtutibus disserit; quis non dico Canonicus, sed etiam Christianus his præceptis non est obnoxios? An aliam charitatem in sua regula Benedictus, aliam in sua commendat Augustinus? An non potius vterque illam, quam commendat in lege F & Euangelio Christus? Quod de cæteris virtutibus similiter quæri potest. Quis enim sani capitis ad virtutes cohortans, sua hæc, & non potius Christi dicat esse præcepta? Quæ ergo erit in diuersis regulis præceptorum diuersitas? Profecto sic vesci, sic indui, sic legere, sic psallere, sic corripere & corripi, & cætera huiusmodi, quæ in diuersis regulis diuersa inueniuntur. Quæ idcirco vel Augustini, vel Basilij, vel Benedicti specialiter dicuntur, quia non Euangelica auctoritate Christianis omnibus imponuntur, sed proponuntur, ipsis autem regularum professoribus non iam proponuntur, sed etiam imponuntur. Aut si ista non sunt, quæ sunt? Profecto quicquid in suis regulis de Charitate, de Humilitate, cæterisque virtutibus ponunt, non hoc quasi sua, sed quasi Dominica præcepta commendant; nec ad ea, quasi ad sua, quis enim illis crederet, sed quasi ad Christi præcepta, non solum monachos, sed quoslibet Christianos inuitant. Si ergo obedientia secundum regulam sancti Benedicti est, ipsius regulæ præceptis obedire, ipsius autem præcepta regulæ, in his quæ G supra commemorauimus constant, cum illa quam profitemur obedientia, monasticæ sit professionis substantia, quomodo substantiam monasticæ professionis seruat, qui illa non seruat?

Sed dicet fortasse, quod vtique dici debet, etiam priora illa duo nos secundum regulam profiteri, affirmetque quod non in loci stabilitate, vel obedientia, quæ monachis, Clericis, Canonicis, Episcopis eædem iniunguntur, regularum constet ista diuersitas, sed in morum tantum conuersione. Nam de loci stabilitate nonne omnibus vna incumbit necessitas? ne videlicet sine eius, qui sibi præest consensu, temeraria præsumptione locum mutet. Porro si morum conuersio non secundum regulam, sed simpliciter sine determinatione profitemur, hoc & hi, qui in Ecclesia dicuntur pœnitentes, hoc ad coniugij portum de fornicationis naufragio fugientes. Quis enim horum non profitetur morum conuersionem? Restat ergo inquirere, quæ sit secundum regulam sancti Benedicti morum conuersio? Si autem hic ad virtutes H confugimus, vt verbi gratia, qui hactenus superbus, deinceps humilis; qui hactenus iracundus, deinceps lenis inueniatur; dicimus profecto quia hæc morum conuersio, non * tantum ex regula sancti Benedicti monachis, quam ex Euangelio omnibus indicitur Christianis. Proinde vt inter conuersiones morum quæ secundum regulas diuersas, diuersæ profitentur, aliqua inueniatur diuersitas, non est quo fugiamus nisi ad illa, quæ sola in diuersis regulis diuersa constituuntur, de quibus iam satis dictum est. Quomodo ergo professionem suam seruat, qui ista non seruat?

* Forte tam.

Sed dicet aliquis, Si ergo quis superbus, contumax, impatiens fuerit, omnia tamen illa, quæ supra commemorata sunt, seruauerit, regulam sancti Benedicti seruare dicendus est? Constanter dico, quia si quælibet ista contra Dei regulam monachus commiserit, si secundum modum in regula præscriptum ista correxerit, professionis suæ reus non erit. Sed quid si quis regulam sancti

Benedicti,

A Benedicti, quasi quoddam instrumentum intelligat, quo vitia facilius resecentur, præcepta Euangelica sollicitius impleantur; possеque contingere vt optimo hoc instrumento abutens quis, non eo vitia resecet, nec virtutes adquirat, ideoque in sui perniciem regulam quidem habeat, Christi tamen præcepta non impleat. Nonne ipse Beatus Benedictus hoc ipsum insinuat: Constituenda est (inquit) à nobis dominici schola seruitij, in qua nihil asperum, nihil graue nos instituturos speramus. Quod & si quid districtius? Hic primum quæro quæ sit districtio, quam ne incipientes formident hortatur? Profecto in hac districtione institutionem suam esse confirmat. Si patientia, si humilitas, si cæteræ virtutes cogitentur, hæccine se instituturum quasi nouum aliquid diceret? Profecto non est quo fugiamus nisi ad illa, quæ ipse noua instituit; non lex, aut Propheta, aut ipse Christus præcepit. His nimirum, incipientibus non modica videtur inesse districtio, considerantibus cibi potusque B paruam, vilemque quantitatem, vestium asperitatem, ieiuniorum ac vigiliarum afflictionem, quotidiani operis contritionem, & cætera talia, quæ in ipsa regula ab eo instituta inueniuntur.

Si quis autem regulam in solis his constare non acquiescunt, saltem concedat, quod non nisi obstinacia pertinaci negatur, professionem nostram & regulam in vtrisque, virtutibus scilicet obseruantiisque constare, ac proinde vtraque à nobis necessario seruanda non neget. Quanquam ipse regulæ institutor in illis verbis, quæ considerare cœpimus, aliud probare videtur. Quod & si quid (inquit) districtius dictante æquitatis ratione, propter custodiam charitatis, & emendationem vitiorum processerit, Rogo quid tenebras in luce quærimus? quid nodum in scirpo? quid in meridie, quasi in nocte palpamus? Nonne in omni institutione aliud est ipsa institutio, aliud causa institutionis? Nonne ipse hic manifestissime inter institutionem, causamque institutionis diuisit? Nonne hic custodiam charitatis, ac vitiorum C emendationem, suæ institutionis causam testatur? Sed ecce alius è latere surgens, Quid mihi de regula obiicis? Habe charitatem & fac quicquid vis. Ergo manducemus & bibamus, non quia cras moriemur, sed quia charitate pleni sumus. Charitate, rogo, an vanitate? Quid ergo, inquis? Qui charitatem habet, regulam non implet? Quam multi Canonici sancti, sacerdotes sancti, Episcopi sancti, sed & coniugati sancti charitatem se habere sentiunt, qui tamen se monachorum regulam, & professionem nec promisisse, nec seruare non nesciunt? Si autem de ipsius regulæ professoribus dicitur, verum dicitur, si tamen intelligatur quod dicitur.

Quid igitur (inquis) me ad illa aspera regulæ auctoritate compellis? Imo si charitatem habes, non est necesse vt compellaris reddere vota tua, quæ distinxerunt labia tua. Quod si ea quæ vouisti inscriptione interposita, Deo & sanctis in testimonium vocatis, reddere contemnis, profecto charitatem non habere conuinceris. Quomodo enim eum diliges quem irrides? Vt si D aliter (inquit) fecerit, videlicet quam promisit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet. Quid igitur? dispensationes, quæ in ipsa regula à patribus factæ sunt vel fiunt, damnamus? Imo hinc eas rationabiliter fieri posse, quod de hominis, non de Dei præceptis fiunt, astruimus. Non enim de diuinis præceptis aut mutare aliquid, aut minuere vlli hominum fas est. Hoc sane prouidendum est, vt ipsa mutatio vel variatio, dispensatio sit, non omnimoda destructio. Cum enim custodia charitatis, vitiorum emendatio, ipsius institutionis causa sit; sic profecto ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione, magis quam institutione, nutriuntur vitia, charitas violatur; si forte non damnosa, certe periculosa ipsa dispensatio comprobatur.

Cap. XXXVI.

Item motus in ordine voluntario seruandus describitur.

E Ergo qui ordine voluntario ad culmen perfectionis aspirat, primo charitatem, qua Deo maxime propinquamus, imo qua Deo inhæremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit, quasi destinatum finem, quo totum cursum suum dirigat, indesinenter aspiciat: deinde via, quam ei voti, vel professionis suæ norma præscribit, ad eius plenitudinem infatigabili spiritus alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulentur vigiliæ, inuigilet lectio, quotidianus labor insudet. Quod si aliquo horum charitas, cuius causa instituta fuit, violari cognoscitur, tunc demum ei, cui dispensatio credita est, incumbit F necessitas, vt sic omnia temperet ac disponat, quatenus non horum causa charitas deseratur, sed eius fructus in omnibus requiratur: nec sic tamen vt aliqua eorum, quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora certis quibusque exercitiis attributa confundantur, nisi extrema cogat necessitas, alioquin non erit dispensatio sed destructio, sed vt certis temporibus certa exercitia, pro cuiusque qualitate ac mentis statu modificentur. Hoc est quod ipse sanctus cum de opere manuum legem poneret, *Sic*, inquit, *omnia temperet atque disponat, quatenus animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant.* Et alias, *Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.* Nunquid dixit, hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes. *Imo & infirmis*, inquit, *& delicatis talis ars iungatur, vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur.* Ergo & infirmi & delicati operentur, sed totum opus sic temperetur, vt non opprimantur. Quem rogo de opere absoluit, ad quod etiam infirmos & delicatos compellit?

Compendij c. 41.

G Hunc sane modum, in ipsis exercitiis, quemlibet seruare vtile est, quatenus sic se in vno habeat, vt in cæteris non deficiat, illud tamen in quo se magis proficere sentit, maiori feruore exerceat. Habeo ad manum de hac re cuiusdam verba sapientis, & congruentius arbitror quæ præsto sunt inserere, quam de eadem sententia noua verba componere. Meditatio (inquit) in motibus primo considerat quæ debita sunt, siue ex præcepto, siue ex voto, & ea primum agenda iudicat, quæ sic facta habent meritum, vt non facta generent reatum. Hæc ergo primum facienda sunt, quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc si quid voluntaria exercitatione superadditur, sic faciendum est, vt debitum non impediatur. Alij volunt quod non debent, qui non valent id quod debent; alij etsi valent quod debent, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item duo mala in bona actione præcipue cauenda sunt, afflictio scilicet, & occupatio. Per afflictionem dulcedo H mentis amaricatur, per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his quæ non valet, per impatientiam vritur; occupatio, quando in his quæ valet agendis, per intemperantiam agitatur. Ne igitur male amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat; ne autem male occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

Compendij c. 41.

Cap. XXXVII.

Quid homo sibi, quid proximo debeat ostenditur, & vtrum se proximo, an proximum sibi præferre debeat, declaratur.

HÆc de modo, in singulis seruando gradibus, dicta sint; quo ad eum, quem summe diligendum cernimus, contendentes, & animæ saluti consulimus, & corpori debita naturæ concedimus. Quoniam

Compendij c. 43.

A autem proximum æque vt ipsi à nobis diligi, diuina tradit auctoritas, primo necesse est, vt cui quis ordo conueniat, intelligentiam nostram non lateat: Deinde summopere elaborandum, ne quis in quolibet ordine, præscriptum viuendi modum excedat. Sed quia quosdam præesse, quosdam subesse, quosdam coesse manifestum est, cum à quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem interior superiori suggerere, par parem corripere, superior inferiorem etiam, si sit necesse, compellere. Ipsa sane suggestio, siue compulsio, secundum qualitatem singulorum temperetur, vt & in suggestione subiectio, & in correptione dilectio, & in compulsione sentiatur compassio. Qui in inferiori ordine legitime obuersatur, vt ad superiora conscendat moneri potest, cogi autem non potest: Qui superiori sua se sponte submisit, secundum professionis suæ modum tractari debet, ad arctiora vero compelli, eius inconsulta voluntate, non debet.

B Compend. c. 44. Ita sane sit de proximi dilectione sollicitus, quem debet diligere sicut seipsum, ne modum dilectionis excedat, qua diligere debet seipsum, quod tunc fit, cum ipse negligitur, quem diligere debet supra seipsum. Neque enim audiendi sunt, qui sic arbitrantur accipiendum quod dicitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, vt vnumquemlibet diligere debeat tanquam seipsum, duos autem aut plures supra seipsum, ideoque magis suam, quam aliorum debeat velle perditionem. Sed *quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest ei si lucretur vniuersum mundum, etiam ad salutem, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Animaduertendum quoque est, quia quicquid præmissa ratione fraternæ dilectioni adiicitur, totum profecto diuinæ dilectioni subtrahitur. Cum enim secundum modum quo Deum diligit, sui dilectio metiatur, tunc solum minus diligit seipsum, quando minus diligit Deum. Porro seipsum qui diligit, cuius perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut seipsum, qui non diligit nec seipsum? Nam & Apostolus cum ait, *Optabam aliquando anathema esse a Christo pro fratribus meis secundum carnem*, vt eos proposita mirabili charitate sua traheret ad salutem, affectum quidem prodidit, consilium non expressit. At quam diuersa in vna mente suggerant affectus & ratio, superius satis ostendimus. Vnde Apostolus cum diceret, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus*, verum quidem dixit, quia affectum, quem sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, Mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari, verum nihilominus dixisset; quia rationis consilium prodidisset. Nam & ipse Saluator ex affectu, quo nemo vnquam carnem suam odio habuit, quem à nobis & pro nobis voluntarie suscepit, vt transiret hora passionis optauit; sed ex consilio rationis ipse ne transiret effecit.

Matth. 22. 39.

Matth. 16. 26.

C Rom. 9. 3.

Sed & scriptura consulte non ait, *Diliges proximum tuum* quantum teipsum, sed *sicut teipsum*, modum ergo diligendi præscripsit: non quantitatem indixit. Sic autem sua sibi exhibeatur dilectio, vt primo animæ suæ,

D quæ potior sui pars est consulat ad salutem, deinde corpori ad necessitatem. Quod si aliquando incumbat necessitas alterum contemnendi, etiam corporis patiatur interitum, dum tamen animæ non sustineat detrimentum. Nec hoc est corpus odire, sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione nunquam recedat, sed ipsa constanter & perseueranter retenta, ad consulendum proximo securus accedat. Modum autem consulendi, ex ea, qua sibi consulit, regula accipiat. Agat ergo cum proximo quantum potest, vt & saluus corpore, & sanus sit mente. Nam si alterum horum negligit, profecto proximum, qui ex vtroque constat, non diligit. Si vero talis fuerit proximus, qui sine quodam corporis detrimento ad salutem animæ non accedat; cum quadam compassione ac cordis contritione, carnis eius patiatur interitum, vt spiritus saluus sit

1. Cor. 5. 5. in die Domini. Nulla sane ratione vel præcepto compellitur, suæ animæ perditione, animæ fraternæ comparare salutem; nec sui corporis interitu, fraterni corporis interitum propulsare. Nam quod præcipitur animas

E pro fratribus ponere, ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim non * perditionem sed potius ponitur ad salutem. Vnde sic animam ponere, ipsi vtique animæ consulere est.

* Lego ad perditionem.

Porro hi, qui temporalium dominorum suorum mortem temporalem, morte sua temporali propulsant, qui recte id faciunt, non tam pro alieni corporis, quam pro suæ animæ salute id faciunt. Sic enim habet eorum conscientia, Dominis suis fidem esse seruandam, vt in tali periculo eorum vitam suæ æstiment præferendam. Qui autem non pro fide seruanda, sed pro gloria capessenda opprobrioque vitando id faciunt, stulte quidem id faciunt, nec tamen pro corpore alieno, sed pro suæ famæ pretio id faciunt. Sed hoc forte laudabiliter fieri potest, vt ex sola dilectione quis pro alterius corpore, suum corpus obiiciat: vt autem, non dico pro vnius animæ, sed etiam pro totius mun-

F di salute, suæ animæ detrimentum sustineat, saluo veræ dilectionis ordine fieri non potest. Est enim detrimentum animæ, ab eius, qui summè diligendus est, dilectione recedere. Quod aliquando laudabiliter, vel saltem inculpabiliter fieri posse quis dicat? A Dei sane dilectione receditur, cum vel aliquid dignum damnatione committitur, vel aliquid, sine quo non est salus, prætermittitur. Sunt præterea media quædam, vtpote lectio, meditatio, labor corporis, ieiunium ventris, suauitas orationis, ceteraque huiusmodi, quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutanda, nonnunquam etiam sunt prætermittenda, de quibus Apostolus, *Non quæ sua sunt*, inquit, *singuli quærentes, sed quæ aliorum*, Et item, *Sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

Compend. c. 45.

Phil. 2. 4.

1. Cor. 10. 33.

Denique quod ait, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus*, sic quoque non inconuenienter potest intelligi, vt ab illo orationum suarum secreto, quo inter amplexus IESV suauiter quiescebat, ab illa ineffabili

G contemplationis eminentia, qua cœlestium mysteriorum secreta purissimis oculis perlustrabat, ab illa gratissimæ compunctionis dulcedine, quæ animam illam cœlestia sitientem, spiritalium affectuum suauissimis stillulis perfundebat, ad mundi strepitum ob fratrum salutem optauerit auocari. Quam euocationem, à Christo separationem ille non ambigit nominandam, qui pro modulo suo vacat & gustat * quoniam dulcis est Dominus, quam beatus omnis qui sperat in eo. Porro qui sic à Christo separari, vel fraterna dilectione prouocatus elegit, vel Superiorum auctoritate coactus consensit: prouidendum sibi est, ne obruat ista necessitas, & pereat illa suauitas. Verum quod de electione vel oratione diximus, etiam de commodis corporis, imo de ipso corpore sentiendum est: vt quicquid pro sua salute contemnendum, impendendum, variandumque perspexerit, pro salute quoque proximi id ipsum faciendum agnoscat.

* Lego quam.

C A P. XXXVIII.

H

Inter ipsos proximos, quis cui præponendus sit, distinguitur.

QVoniam igitur de Charitate tractantes, secundum eius leges quid homo sibi, quid proximo debeat ostendimus, cum omnibus ad corporalem necessitatem sufficere tanta nos multitudo non sinat, restat vt inter ipsos, quis cui præponendus sit, ratio consulta discernat. Consideremus itaque cordis nostri latitudinem, quasi arcam quandam spiritalem, lignis imputribilibus, moribus scilicet bonis, virtutibusque compactam, in qua mansiunculas, & tristegas, spiritalia videlicet receptacula collocantes, singulis singula, pro cuiuslibet dignitate vel ordine, deputemus. Igitur bestias, bestiali scilicet more sæuientes, ac sanguinem nostrum ferali rabie sitientes, inimicos videlicet nostros in inferioribus includamus: quibus & orationis solatium, & post cæte-

ros,

A teros; communis huius vitæ præbeamus subsidium. Sed quia sunt mansiunculæ interiores & exteriores, de hoc hominum genere his, qui foris sunt, exteriora sufficiant; illos vero qui, specie tenus licet, communem nobiscum sortiuntur fidem, interior mansio non repellat. Superior his locus reptilibus, iumentisque conceditur, qui terrena licet sapientes, ac semetipsos ventris sordibus, ac libidinis spurcitia maculantes, infra hominem deijciunt; nihil tamen inhumanum, nihil crudele, nihil in nos moliuntur aduersum. His & orationis remedium, & adhortationis auxilium, & correptionis cauterium, & præ inferioribus, sed post superiores, necessitatis præbeamus supplementum. Inter quos, qui vel sanguinis communione, vel officij humanitate nobis viciniores sunt, in isto gradu intima sortiantur; ab exterioribus cæteri non excludantur.

Iam vero in superioribus homines collocemus, illos nimirum, qui etsi supra hominem perfectionis desiderio non vehuntur, non tamen in bestias feritate, non
B in pecudes voluptate, non in reptilia sordibus deuoluuntur. Et in hoc quoque gradu, quanto quis nobis aut carne propinquior, aut amicitia gratior, aut beneficiorum fuerit largitione propensior; tanto sit & in pectoris mansione interior. Porro locus excelsior volatilibus cedat, qui supra hominem virtutum pennis spiritalibus vecti, quanto sunt Deo propinquiores, tanto in arca spiritali esse debent superiores. Inter quos, quicunque dulcissimo nobis spiritalis amicitiæ vinculo copulantur, in interioribus ac secretioribus pectoris nostri locis suauius recondantur, astringantur arctius, dulcius foueantur. Est præterea locus cæteris omnibus eminentior, cui spiritalis huius arcæ fabricator simul ac reparator IESVS, solus sine comite speciosus insidens, ac inferiora omnia sua suauitate componens, in omnibus sapiat, in omnibus flagret, in omnibus luceat, in omnibus splendeat, totamque inferiorem latitudinem ad vnum suæ dilectionis cubitum, linea rectiore traducat. Ipse solus in omnibus, ipse solus præ omni-
C bus & affectum nostrum afficit, & amorem exigit, ipse sibi sedem non solum potiorem, sed & superiorem; nec solum superiorem, sed & interiorem in pectoris nostri mansione requirit. Hæc itaque ratio in hac distinctione seruetur, vt seruata omnibus consulendi voluntate, cum ad omnes præsens indigentia non sufficiat, inferiori gradus superior præponatur, in singulis autem gradibus interiori potius consulatur.

CAP. XXXIX.

Qui sint quibus in hac vita frui valeamus.

Compend. c. 36. VNum adhuc restat, de quo ratio diuisionis nostræ deinceps tractare compellit. Diximus enim in hoc constare charitatem, si mens ad fruendum eligat quod oportet, moueatur vt decet, competenter vtatur. De electione & motu, quantum ad præsens opus, satis egimus. Sed si electio sana, motus integer fuerit, nunquid
D vsus peruersus erit? Sed in ipsius quem diligit adeptione, & motus variari potest, & æstimatio falli. Potest enim aliquis etiam intentione recta, & competenti motu, eius, quem ad fruendum elegit, præsentiam compatate; in ipso tamen fructu & intentione, mutare & variare motum, & modum excedere. Verum quia in diuersis gradibus meritisque diuersis, paulo superius proximos ordinauimus, dicendum sane est vtrum omnibus, vel certe aliquibus frui debeamus, aut valeamus. Sed est fructus temporalis, quo inuicem in hac vita frui possumus, sicut Paulus fruitus est Philemone: & est fructus æternus, quo inuicem fruimur in cœlo, sicut se fruuntur Angeli pura mentium vnitate. Proinde cum frui sit cum gaudio ac delectatione vti, manifestum arbitror in præsenti nequaquam nos omnibus frui posse, sed admodum paucis. Iam vt mihi videtur, vti quidem possumus quibusdam ad probationem, quibusdam ad eruditionem, quibusdam ad consolationem, quibusdam

cap. præcedenti. Phil. 5. 20.

ad sustentationem. Inimicis siquidem ad probationem, E magistris ad eruditionem, senioribus vtimur ad consolationem, necessaria ministrantibus ad vitæ sustentationem; solis autem his, quos suaui quodam affectu complectimur, de quocunque horum genere sint, ad vitæ dulcedinem ac spiritus delectationem. His igitur etiam in præsenti frui possumus, id est cum gaudio ac delectatione vti. Quocirca charitas in hac vita, quantum ad electionem & motum qui in actu est, exhiberi omnibus ab omnibus potest; quantum vero ad fructum à paucis, vel certe à nullo exhiberi omnibus potest. Pauci enim sunt, si tamen aliqui sunt, à quibus omne hominum genus non solum rationali, sed etiam affectuosa dilectione colatur.

Denique ipsi Deo, à multis, & electione & motu charitas exhibetur, quibus ipsius dilectionis fructus non in hac vita conceditur, sed post hanc vitam in eius beatissima visione seruatur. Nam & hi quibus in contemplationis lumine, in compunctionis dulcedine, quidam huius dilectionis fructus inchoatur; si ad futura gaudia F spectes, nec ipsi Deo frui dicendi sunt; sed potius vti. Nam illius dulcedinis suauissimum gustum, non tam pro fructu dilectionis, quam sustentatione infirmitatis plerisque largiri, satis superius monstratum est. Porro non lib. 2. c. 13. modicum vitæ huius solatium est habere, quem tibi affectu quodam intimo, ac sacratissimi amoris vnire possis amplexu; habere in quo requiescat spiritus tuus; cui se refundat animus tuus; ad cuius grata colloquia, quasi ad consolatoria quædam carmina, inter tristia quæque confugias; ad cuius amicitiæ gratissimum sinum, inter tot sæculi scandala securus accedas; cuius amantissimo pectori, ac si tibiipsi, omnium cogitationum tuarum viscera sine cunctatione committas; cuius spiritalibus osculis, quasi medicinalibus quibusdam fomentis, languores tumultuantium curarum exsudes; qui tibi collacrymetur in anxiis; collætetur in prosperis; tecum quærat in dubiis; quem vinculis charitatis in illud secretarium tuæ mentis inducas, vt licet absens corpore, G spiritu tamen præsens sit; vbi solus cum solo tanto dulcius, quanto secretius fabuleris: solus cum solo conferas, acquiescente mundi strepitu, in somno pacis, in amplexu charitatis, in osculo vnitatis, interfluente Spiritus sancti dulcedine, solus cum solo repauses; imo ita te ei adiungas & applices, & animum animo misceas, vt de pluribus vnum fiat.

His igitur in præsenti frui possumus, quos non solum ex ratione, sed etiam ex affectu diligimus; inter quos his maxime, qui nobis spiritalis amicitiæ gratissimo fœdere, cæteris familiarius arctiusque iunguntur. Cuius charitatis sacratissimum genus, ne cui improbandum videretur, ipse IESVS noster per omnia nobis condescendens, per omnia nobis patiens & compatiens, Ioan. 13. 23. in suæ dilectionis exhibitione transformans; vni, non omnibus suauissimi pectoris sui reclinatorium, in signum præcipuæ dilectionis indulsit: vt virgineum caput virginei pectoris floribus fulciretur, ac thalami cœlestis odorifera secreta fragrantiam spiritalium vnguentorum virgineis affectibus, quanto vicinius, tanto co- H piosius instillarent. Hinc est quod licet à piissimo magistro discipuli omnes, summæ charitatis dulcedine fouerentur, huic tamen hoc cognomen familiarioris affectus prærogatiua concessit, vt diceretur discipulus ille, quem amabat IESVS.

CAP. XL.

Quomodo inuicem frui debeamus.

QVi igitur amico frui dulce habet, videat vt fruatur Compend. c. 37. in Domino, non in sæculo; non in carnis voluptate, sed etiam in spiritus iocunditate. Sed quæris quid sit frui in Domino? Dicit de Domino Apostolus. 1. Cor. 1. 30. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio.* Cum igitur Dominus sapientia sit, sanctificatio, & iustitia; in Domino frui, est frui in sapientia, frui in sancti-

A ficatione, frui in iustitia. Sapientia vanitas sæcularis excluditur; Sanctificatione spurcitia carnis abscinditur, Iustitia assentatio omnis adulatioque compescitur. Tunc enim *charitas est, si sit*, vt ait Apostolus, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* [Tim. 1.] Purum cor suscipit sapientiam, pudicitia serenat conscientiam, fides non ficta exornat iustitiam. Sunt qui se fruuntur in vanis & lodicris, in sæculi pompis & mundi spectaculis, in studio vanitatis & gaudio falsitatis. [1. Cor. 1.] Hi non se fruuntur in sapientia, ac proinde non in illo, qui Dei virtus est, & Dei sapientia. Alij etsi non deteriores, certe fœdidiores, quibus pene de homine nihil est quos obscœna turpitudo transformauit in bestias; qui se in luxuriosis conuiuiis, & immundis fruuntur desideriis; quia se non in sanctificatione, quæ in castitatis suauitate consistit, fruuntur, vtique in Domino, qui factus est nobis à Deo sanctificatio, non fruuntur.

B At hi qui se assentatorie fruuntur, inuicem palpantes, inuicem consentientes, qui dum alterutram cauent offensionem, mutuam incurrunt perniciem, quia non se in libertate fruuntur iustitiæ, in Domino non fruuntur. Ergo si mutua delectat verborum collatio, sit sermo de moribus, sit sermo de scripturis; nunc de miseriis huius vitæ congemiscamus; nunc in spe futurorum bonorum congaudeamus; nunc mutui secreti reuelatione recreemur; nunc simul ad illam beatam visionem Iesv, ac bona cœlestia suspiremus. Si vero, quod nonnunquam vtile est, tensum animum ad inferiora quædam ad iocunda laxemus, sint laxamenta ipsa plena honestatis, vacua leuitatis; & si careant nimio pondere, non tamen careant ædificatione. [1. Thess. 4.] *Fruamur inuicem in sanctificatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere*, id est proprium corpus, *in sanctificatione, & honore, non in passione desidery.* Fruamur in iustitia, vt in spiritu libertatis mutuo cohortemur, mutuo corripiamus, scientes quia *meliora sunt amici vulnera, quam fraudulenta inimici oscula.* [Prou. 27.]

C

Cap. XLI.

Epilogus totius operis, & Auctoris excusatio sui.

HÆ sunt, amantissime Pater, de charitate meditationes meæ; in quibus si excellentia eius, si fructus eius, si competens modus exhibitionis eius, quasi imago quædam illius ostenditur, liber ipse, vt scripsistis, Charitatis Speculum nominetur. Obsecro tamen ne Speculum illud efferatis in publicum, ne forte in eo non charitas luceat, sed potius auctoris imago sordescat. Quod si illud in meam, vt vereor, confusionem emiseritis, per illud dulce nomen Iesv obtestor lectorem, ne me ex præsumptione ad hoc opus æstimet accessisse; ad quod & paterna auctoritas, & fraterna charitas, & propria me coegit necessitas. Nam Superiori non obedire periculosum; cum absente charissimo D meo, de huiusmodi in spiritu fabulari dulce ac iocundum; vagos & inutiles luxuriantis animi mei excursus harum meditationum vinculis alligare necessarium duxi. Si quis autem horum lectione aut affectu, aut cognitione profecerit, sudoribus meis hanc vicem rependat, vt pro innumerabilibus peccatis meis, apud iustum & misericordem iudicem intercedat.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.



E

DIVI AELREDI ABBATIS Rieuallensis Opus de spirituali Amicitia.

PROLOGVS.

CVm adhuc puer essem in scholis, & sociorum meorum me gratia plurimum delectaret, inter mores & vitia quibus ætas illa periclitari solet, tota se mea mens dedit affectui, & deuouit amori: ita vt mihi nihil dulcius, nihil iocundius, nihil vtilius quam amari, & amare videretur. Itaque inter diuersos amores & amicitias fluctuans, rapiebatur animus huc atque illuc, & veræ amicitiæ legem ignorans, eius sæpe similitudine fallebatur. F Tandem aliquando mihi venit in manus liber ille, quem de Amicitia Tullius scripsit, qui statim mihi & sententiarum grauitate vtilis, & eloquentiæ suauitate dulcis apparebat. Et licet nec ad illud amicitiæ genus me viderem idoneum, gratulabar tamen quandam me amicitiæ formulam reperisse, ad quam amorum meorum, & affectionum valerem reuocare discursus. Cum vero placuit bono Domino meo corrigere deuium, elisum erigere, salubri contactu mundare leprosum, relicta spe sæculi ingressus sum monasterium: & statim legendis sacris litteris operam dedi, cum prius nec ad ipsam earum superficiem, oculus lippiens & carnalibus tenebris assuetus sufficeret. Igitur cum Sacra Scriptura dulcesceret, & parum illud scientiæ, quod mihi mundus tradiderat earum comparatione vilesceret, occurrebant animo quæ de amicitia in præfato libello legeram, & iam mirabar quod non mihi more solito sapiebant. Iam tunc enim nihil, quod non dulcissimi Iesv fuisset melle mellitum, nihil quod non Sanctarum Scripturarum fuisset sale conditum, meum sibi ex toto rapiebat affectum. G Et iterum atque iterum ea ipsa reuoluens, quærebam si forte possent scripturarum auctoritate fulciri. Cum autem in sanctorum patrum libris de amicitia plura legissem; volens spiritualiter amare nec valens, institui de spirituali amicitia scribere, & regulas mihi castæ sanctæque dilectionis præscribere. Opusculum, * igitur in tribus distinximus libellis; [*Igitur illud in. Cam.*] in primo quid sit amicitia, & quis eius fuerit ortus vel causa commendantes; in secundo eius fructum excellentiamque proponentes; in tertio quomodo, & inter quos possit vsque in finem indirupta seruari, prout potuimus, enodantes. In * huius igitur lectione si quis profecerit, Deo gratias agat, & pro peccatis meis apud Christi misericordiam intercedat. [*Hu. lect. Cam.*] * Si quis autem superfluum, aut inutile putat esse quod scripsimus, parcat infelicitati meæ, quæ fluxum cogitationum mearum, huius meditationis * meæ me compulit occupatione restringere. [*Quis. sup. Cam.*] [*Mea. Cam.*] H

LIBER PRIMVS.

De ortu Amicitiæ.

AElredus. Ecce ego & tu, & spero quod tertius inter nos Christus sit. Non est modo qui obstrepat; non est qui interuidat amica colloquia, grataque huic solitudini nullius vox vel tumultus irrepit. Age nunc charissime, aperi pectus [illegible]um, & amicis auribus quicquid placet instilla, nec ingrati accipiamus locum tempus & otium. Nam paulo ante in turba fratrum me residente, cum omnes vndique circumstreperent, & alius quæreret, alius disputaret; & iste de scripturis, ille de moribus, alter de vitiis, de virtutibus alte quæstiones ingererent; tu solus tacebas, & nunc caput erigens, parabas aliquid proferre in medium; sed quasi vo[illegible] in ipsis inter-

A

ciperetur faucibus, iterum demisso capite taccbas: nunc paruo interuallo secedens à nobis, & iterum rediens tristem vultum præferebas; quibus omnibus mihi dumtaxat dabatur intelligi, te ad proferendum tuæ mentis conceptum, & horrere multitudinem, & optare secretum. Ivo. Profecto ita est, & gratulor plurimum, intelligens quod cura tibi est de puero tuo; cuius tibi mentem mentisque propositum, non alius quam spiritus charitatis aperuit. Et vtinam hoc mihi tua concedat dignatio, vt quotiescunque filios tuos, qui hic sunt visitaueris, vel semel mihi liceat, cæteris remotis, tui habere copiam, & æstus pectoris mei sine perturbatione proferre. Aslredvs. Faciam quidem & libens. Delector enim plurimum, quod te pronum ad hæc vana & otiosa non video, sed semper aliquid vtile, & profectui tuo necessarium proloqui. Loquere ergo secure, & cum amico omnes curas tuas, cogitationésque committe, vt vel discas aliquid, vel doceas, des & accipias, profundas & haurias. Ivo. Ego quidem discere paratus sum non docere, non dare, sed accipere, haurire non profundere, sicut mihi ætas præscribit, imperitia cogit, hortatur professio. Sed ne in his tempus ad alia necessarium insipienter insumam, volo me aliquid de spirituali amicitia doceas, videlicet quid sit, quid pariat vtilitatis, quod eius * principium, quis finis: vtrum inter omnes esse possit, & si non inter omnes, inter quos: quomodo etiam possit indiruta seruari, & sine aliqua dissensionis molestia sancto fine concludi. Asl. Miror cur à me hæc æstimas esse quærenda, cum satis superque ab antiquissimis, excellentissimisque Doctoribus de his omnibus constet esse tractatum; maxime cum pueritiam tuam in huiusmodi studiis triueris, & Tullij Ciceronis librum de Amicitia legeris: vbi copiosissime de omnibus, quæ ad eam spectare videntur, iocundo stilo disseruit, & quasdam, vt ita dicam, leges in ea ac præcepta descripsit. Ivo. Non vsquequaque ipse mihi ignotus est liber, vtpote qui in eo aliquando plurimum delectabar; sed ex quo mihi de sanctarum Scripturarum fauis, aliquid cœpit emanare dulcedinis, & mellifluum Christi nomen sibi meum vendicauit affectum: quicquid sine cœlestium literarum sale, ac dulcissimi illius nominis condimento, quamuis * subtiliter disputatum, legero vel audiero, nec sapidum mihi potest esse, nec lucidum. Eapropter, vel ea ipsa quæ dicta sunt, si tamen sunt consona rationi, vel certe alia, quæ disputationis istius poscit vtilitas, velim mihi Scripturarum auctoritate probari: & quemadmodum ea ipsa, quam inter nos oportet esse, amicitia, & in Christo inchoetur, & secundum Christum seruetur, & ad Christum finis eius & vtilitas referatur, plenius edoceri. Constat enim Tullium veræ amicitiæ ignorasse virtutem, cum eius principium finemque, Christum videlicet, penitus ignorauerit. Aslr. Victus sum fateor, vt quasi meipsum nesciens, nec vires proprias metiens, * de his non quidem te doceam, sed tecum potius conferam; cum tu ipse viam vtrisque aperueris, lumenque illud splendidissimum, in ipsa inquisitionis nostræ ianua accenderis, quod nos non sinat errare per deuia, sed certo tramite ad certum finem propositæ quæstionis perducat. Quid enim sublimius de amicitia dici potest, quid verius, quid vtilius, quam quod in Christo inchoari, & secundum Christum produci, & à Christo * perfici debeat, probetur? Age nunc, & quid primum de amicitia videatur esse quærendum, edicito. Ivo. Primum quid sit Amicitia arbitror disserendum, ne videamur in inani pingere, si nesciamus quid sit illud, de quo debeat disputationis nostræ series, tenórque procedere. Asl. Nonne satis tibi est hinc quod ait Tullius, Amicitia est rerum humanarum & diuinarum, cum beneuolentia & charitate consensio? Ivo Si tibi sufficit ista definitio, mihi iudico satisfactum. Asl. Ergo quibuscunque fuerit de rebus humanis atque diuinis sententia eadem, eademque voluntas cum beneuolentia & charitate, ad amicitiæ perfectionem eos peruenisse fatebimur. Ivo. Quidni? Veruntamen charitatis, vel

Prin quis processus, si. Cam.

B

C

sub & eloquenter dis. Cam.

bus quidem non quod te, Cam

D

per debere pro Cam.

Quid sit amicitia.

beneuolentiæ nomine, quid Ethnicus ille significare voluerit, non video. Asl. Forte nomine charitatis mentis affectum, beneuolentiæ vero operis expressit effectum. Nam ipsa in rebus humanis atque diuinis, mentibus vtriusque chara, id est suauis & pretiosa debet esse consensio; beneuola etiam & iucunda, in rebus exterioribus, operum exhibitio. Ivo. Fateor, placet mihi satis ista definitio, nisi & Ethnicis & Iudæis, iniquis insuper Christianis eam conuenire putarem. Quod autem vera amicitia inter eos, qui sine Christo sunt, esse non possit, mihi fateor esse persuasum. Asl. Satis nobis in consequentibus elucescet, vtrum definitio minus aliquid habeat, vel superabundet in aliquo; vt vel reprobetur à nobis, vel quasi sufficiens, & extra nihil recipiens admittatur. Ex ipsa tamen diffinitione, quamuis forte tibi minus videatur esse perfecta, intelligere vtcunque poteris quid sit amicitia. Ivo. Non sim tibi oneri, rogo te, si non ista sufficiant, nisi ipsius vocabuli rationem mihi enucleaueris. Asl. Geram tibi morem, si tamen parcas inscientiæ meæ, vt me non cogas docere quod nescio. Ab amore, vt mihi videtur, amicus dicitur, ab amico amicitia Est autem amor quidam animæ rationalis affectus, per quem ipsa aliquid cum desiderio quærit, & appetit ad fruendum, per quem & fruitur eo cum quadam interiori suauitate, amplectitur & conseruat adeptum. Cuius affectus & motus in * Speculo nostro; quod satis cognitum habes, quam lucide potuimus, ac diligenter expressimus. Porro amicus quasi amoris, vel, vt quibusdam placuit, ipsius animi custos dicitur; quoniam amicum meum amoris mutui; vel ipsius animi mei oportet esse custodem, vt omnia eius secreta fideli silentio seruet; quicquid in eo vitiosum viderit, pro viribus curet & toleret; cui & gaudenti congaudeat, & dolenti condoleat, & omnia sua esse sentiat, quæ amici sunt. Amicitia igitur ipsa virtus est, qua talis dilectionis ac dulcedinis fœdere, ipsi animi copulantur, & efficiuntur vnum de pluribus. Vnde ipsam amicitiam non inter fortuita * & caduca, sed inter ipsas virtutes, quæ æternæ sunt, etiam mundi huius Philosophi collocarunt, quibus Salomon in Prouerbiis consentire videtur, *Omni*, inquiens, *tempore diligit qui amicus est*; manifeste declarans amicitiam æternam esse, si vera est; si autem esse desierit, nec veram fuisse cum videretur existere. Ivo. Quid est igitur quod inter amicissimos graues ortas inimicitias legimus? Asl. De his suo loco vberius, si Deus voluerit, disputabimus; hæc volo interim credas, * nunquam fuisse amicum, qui lædere potuit eum, quem in amicitia semel recepit: sed nec eum veræ amicitiæ gustasse delicias, qui vel læsus desiit diligere quem semel amauit; Omni enim tempore diligit qui amicus est; etsi arguatur, etsi lædatur, etsi tradatur flammis, etsi cruci affigatur, omni tempore diligit qui amicus est, vt ait noster Hieronymus, Amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit. Ivo. Cum tanta sit in amicitia vera perfectio, non est mirum, quod tam rari fuerint hi, quos veros amicos antiquitas commendauit Vix enim, vt ait Tullius, tria vel quatuor amicorum paria, in tot retro sæculis fama concelebrat. Quod si nostris, id est Christianis temporibus, tanta est raritas amicorum, frustra, vt mihi videtur, in huius virtutis inquisitione desudo, quam me adepturum, eius mirabili sublimitate territus, iam pene despero. Asl. Magnarum rerum, vt ait quidam, etiam ipse conatus magnus est. Vnde virtuosæ mentis est sublimia semper & ardua meditari, vt vel adipiscatur optata, vel lucidius intelligat & cognoscat optanda; cum non parum credendus sit profecisse, qui virtutis cognitione didicit, quam longe sit à virtute. Quamuis de nullius virtutis acquisitione desperandum sit Christiano, cui quotidie ex Euangelio vox diuina resultat, *Petite, & accipietis, &c.* Nec mirum si inter Ethnicos veræ virtutis rari fuerunt sectatores, qui virtutum largitorem & Dominum nesciebant, de quo scriptum est, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* In cuius profecto fide non dico

E

Vnde dicatur amicitia.

F

** Insinuat opusculum inscriptum* Speculi Charitatis, *quod nunc pates scriptũ fuisse ante præsens opusculum.*

G

vel. Cã.

Prou. 17. 17.

num. enim verum fuisse. Cam.

H

Matth. 7. 8.

Psal. 23. 10.

A

tria vel quatuor, sed mille tibi proferam paria amicorum, qui, quod illi de Pilade & Oreste pro magno miraculo dicunt vel fingunt, parati erant pro inuicem mori. Nonne, secundum Tullianam diffinitionem, veræ amicitiæ virtute pollebant, de quibus scriptum est,

Act. 4. 32.

Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quomodo non inter eos rerum diuinarum & humanarum, cum charitate & beneuolentia fuit summa consensio, quibus * cor erat vnum, & anima vna?

erat. cor. Cam.

Quot martyres pro fratribus animas posuerunt? quot non pepercerunt expensis, non laboribus, non ipsius corporis cruciatibus? Credo te multoties, non sine lacrymis, legisse puellam illam Antiochenam, pulcherrima cuiusdam militis fraude ereptam lupanaribus, ipsum postmodum socium habuisse martyrij, quem custodem pudicitiæ inuenerat in lupanari. * Multa tibi huius rei proferrem exempla, nisi & prolixitas prohiberet, & silentium nobis ipsa copia indixisset. Annunciauit enim, Christus Iesus, & loquutus est, & multiplicati sunt super numerum.

Desunt in Cam. vsque ad Annunciauit.

B

Psal. 39. 6. Ioan. 15. 13.

Maiorem (inquit) *hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ivo. Ergone inter amicitiam & charitatem nihil distare * arbitrabimur? Ael. Imo plurimum. Multo enim plures gremio charitatis, quam amicitiæ amplexibus recipiendos, diuina sanxit authoritas. Non enim amicos solum, sed & inimicos sinu dilectionis excipere, charitatis lege compellimur. Amicos autem illos solos dicimus, quibus cor nostrum, & quicquid in illo est committere non formidamus; illis vicissim nobis, eadem fidei lege & securitate constrictis.

arbitramur Cã.

Matth. 5. 44.

Ivo. Quam multi sæculariter viuentes, & sibi in quibuslibet vitiis consentientes simili sibi fœdere copulantur, & præ cunctis mundi deliciis gratum, & dulce etiam talis amicitiæ vinculum experiuntur? Non sit tibi molestum inter tot amicitias, illam quam Spiritalem, ad differentiam aliarum credimus nominandam, quæ illis quodammodo inuoluitur & obscuratur, & illam quærentibus & desiderantibus occurrunt & obstrepunt, ab earum vt ita dixerim communione secernere: vt illarum comparatione clariorem eam nobis, ac proinde optabiliorem faciens ad eius nos acquisitionem vehementius excites & accendas.

C

Ael. Falso sibi præclarum amicitiæ nomen assumunt, inter quos est conuenientia vitiorum; quoniam qui non amat, amicus non est; non autem amat hominem, qui amat iniquitatem; qui enim diligit iniquitatem, non amat, sed odit animam suam: qui vero suam non diligit animam, vtique alterius amare non poterit. Vnde colligitur, eos amicitiæ solo nomine gloriari, falli que eius similitudine, non veritate fulciri. Veruntamen cum in hac tali amicitia, quam vel libido commaculat, vel auaritia fœdat, vel incestat luxuria, tanta, ac talis experiatur dulcedo; libet conijcere quantum habeat suauitatis illa, quæ quanto honestior est, tanto est & securior; quanto castior, tanto iucundior; quanto liberior, tanto & felicior. Patiamur tamen, vt propter quandam, quæ in affectibus sentitur, similitudinem, etiam illæ amicitiæ, quæ veræ non sunt, amicitiæ nuncupentur; dum tamen ab illa quæ spiritalis est, & ideo vera, certis indiciis distinguatur.

D

Triplex amicitia. Carnalis. Mundana. Spiritalis.

Dicatur itaque amicitia alia Carnalis, alia Mundialis, alia Spiritalis. Et Carnalem quidem creat vitiorum consensus; Mundialem spes quæstus accendit; Spiritalem inter bonos, vitæ, morum, studiorumque similitudo conglutinat. Verum amicitiæ Carnalis exordium ab affectione procedit, quæ instar meretricis, diuaricat pedes suos omni transeunti, sequens aures & oculos suos per varia fornicantes, per quorum aditus, vsque ad ipsam mentem pulchrorum corporum, vel rerum * voluptuarium infertur imago; quibus ad libitum frui, putat esse beatum; sed sine socio frui, minus æstimat esse iocundum.

voluptuosarū. Cam.

Tunc motu, nutu, verbis, obsequiis animus ab animo captiuatur, & accenditur vnus ab altero, & conflantur in vnum; vt inito fœdere miserabili, quicquid * sceleris, quicquid sacrilegij est, alter agat, & patiatur pro altero, nihilque hac amicitia dulcius arbitrantur, nihil iudicant iustius, idem velle, & idem nolle, sibi existimantes amicitiæ legibus imperari.

quic. turpitudinis quicquid fce. Cam.

E

Hæc itaque amicitia nec deliberatione suscipitur, nec iudicio probatur, nec regitur ratione, sed secundum impetum affectionis per diuersa raptatur; non modum seruans, non honesta procurans, non commoda incommodave prospiciens, sed ad omnia inconsiderate, indiscrete, leuiter, immoderateque progrediens. Idcirco vel quasi quibusdam furiis agitata, à semetipsa consumitur, vel eadem leuitate resoluitur, qua contrahitur. At amicitia Mundialis, quæ rerum vel bonorum temporalium cupidine parturitur, semper est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; quippe quæ semper cum fortuna mutatur, & sequitur marsupium. Vnde scriptum est,

Eccl. 6. 8.

Est amicus secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis. Tolle spem quæstus & statim desinet esse amicus. Quam amicitiam * quidam versus ita eleganter derisit; Non est personæ, sed prosperitatis amicus; Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

qui. eleganti versu ita Cã.

F

Attamen huius amicitiæ vitiosæ principium, quosdam plerumque ad quandam veræ amicitiæ prouehit portionem, eos scilicet, qui primum spe lucri communis fœdus ineuntes, dum sibi in iniquo mammona, fidem seruant in rebus duntaxat humanis, ad maximum perueniunt, gratumque consensum. Attamen vera amicitia nullo modo dicenda est, quæ commodi temporalis causa suscipitur & seruatur. Amicitia enim spiritalis, quam veram dicimus, non vtilitatis cuiusque mundialis intuitu, non qualibet extra nascente causa, sed ex propriæ naturæ dignitate, & humani pectoris sensu desideratur, ita vt fructus eius præmiumque non sit aliud quam ipsa. Vnde Dominus in Euangelio,

Ioan. 15. 16.

Posui vos (inquit) *vt eatis, & fructum afferatis*, id est, vt inuicem diligatis. In ipsa namque vera amicitia proficiendo, & fructus capitur perfectionis illius dulcedinem sentiendo. Amicitia itaque spiritalis, inter bonos vitæ, morum, studiorumque similitudine parturitur, quæ est in rebus humanis atque diuinis cum beneuolentia & charitate consensio.

G

Quæ quidem diffinitio, ad amicitiam exprimendam, satis mihi videtur esse sufficiens, si tamen more nostro charitas nuncupetur, vt ab amicitia omne vitium excludatur; beneuolentia autem ipse sensus amandi, qui cum quadam dulcedine mouetur interius, exprimatur. Vbi talis est amicitia, ibi profecto est idem velle & idem nolle, tanto vtique dulcius quanto sincerius, tanto suauius quanto sacratius; vbi sic amantes nihil possunt velle, quod dedeceat, nihil quod expediat, nolle. Hanc nempe amicitiam prudentia * dirigit, iustitia regit, fortitudo custodit, temperantia moderatur, de quibus suo loco disputabimus.

diligit. Cam.

Nunc autem si de eo, quod primum quærendum putasti, videlicet quid sit amicitia, satis * datum existimas, edicito.

dictum. Cam.

Ivo. Sufficiunt plane ea, quæ dicta sunt, nec aliquid mihi suggeritur vltra quod quæram. Sed antequam ad alia transeamus, scire desidero, Vnde primum amicitia inter mortales orta est, natura an casu, an necessitate aliqua, vel certe præcepto, aut lege humano generi imposita, in vsum venerit, vsus vero eam commendabilem fecerit.

H

Vnde orta sit amicitia.

Ael. Amicitiæ, vt mihi videtur, primum ipsa natura humanis mentibus impressit affectum, deinde experientia auxit, postremo legis auctoritas ordinauit. Deus enim summe potens, & summe bonus, sibi ipsi sufficiens bonum est, quoniam bonum suum, gaudium suum, gloria sua, beatitudo sua, ipse est; nec est aliquid extra ipsum quo egeat, non homo, non Angelus, non cœlum, non terra, nec aliquid quod in ipsis est. Cui omnis creatura proclamat, Deus meus es, quoniam bonorum meorum non eges. Nec tantum sibi sufficit ipse, sed & omnium rerum sufficientia ipse est, dans aliis esse, aliis & sentire, aliis insuper & sapere, ipse omnium existentium causa, omnium sentientium vita, omnium intelligentium sapientia. Ipse itaque summa natura omnes naturas instituit, omnia suis locis

ordinauit,

A ordinauit, omnia suis temporibus discrete distribuit. Voluit autem, nam & ita ratio eius æterna præscripsit, vt omnes creaturas suas pax componeret, & vniret societas; & ita omnia ab ipso, qui summe & pure vnus est, quoddam vnitatis vestigium sortirentur. Hinc est quod nullum genus rerum solitarium reliquit, sed ex multis quadam societate connexuit. Nam vt ab insensibilibus ordiamur, quæ humus, vel quod flumen vnum vnius generis gignit lapidem: aut quæ sylua vnam vnius generis arborem profert? Ita inter ipsa insensilia quasi amor quidam societatis elucet, cum nihil eorum solum sit, sed cum quadam sui generis societate & creetur, & persistat. Verum inter ipsa sensibilia quanta amicitiæ species, & societatis amorisque fulgeat imago, quis facile dixerit? Certe cum in cæteris omnibus irrationabilia deprehendantur, in hac tamen parte ita humanum animum imitantur, vt pene ratione agi æstimentur. Ita se sequuntur, ita colludunt sibi, ita motibus simul &

B vocibus suum exprimunt & produnt affectum, tam auide & iucunde mutua societate fruuntur, vt nihil magis quam ea, quæ amicitiæ sunt, curare videantur. Sic etiam in Angelis diuina sapientia prouidit, vt non vnus videlicet crearetur, sed plures, inter quos grata societas, & amor suauissimus eandem voluntatem, eundem crearet affectum: ne cum alter superior, inferior alter videretur, locus pateret inuidiæ, si non obstitisset charitas amicitiæ, & ita solitudinem excluderet multitudo, iucunditatem augeret in pluribus charitatis communio. Postremo cum hominem condidisset, vt bonum societatis altius commendaret, *Non est bonum* (inquit) *hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Nec certe de simili, vel saltem de eadem materia hoc adiutorium diuina virtus formauit, sed ad expressius charitatis & amicitiæ incentiuum, de ipsius substantia masculi fœminam procreauit. Pulchre autem de latere primi hominis secundus assumitur, vt natura doceret omnes æquales quasi collaterales, nec esset in re-

Gen. 2. 18.

C bus humanis superior vel inferior, quod est amicitiæ proprium. Ita natura mentibus humanis, ab ipso exordio amicitiæ & charitatis impressit affectū, quem interior mox sensus amandi, quodā gustu suauitatis adauxit. At post lapsum primi hominis, cum refrigescente charitate cupiditas subintrasset, fecissetque bono communi priuata præponi, amicitiæ charitatisque splendorem auaritia inuidiaque corrupit, contentiones, æmulationes, odia, suspiciones corruptis hominum moribus inuehens. Tunc boni quique inter charitatem & amicitiam distinxerunt, animaduertentes quod etiam inimicis, atque peruersis sit impendenda dilectio, cum inter bonos & pessimos esse non possit voluntatum, vel consiliorum vlla communio. Amicitia itaque, quæ sicut charitas inter omnes primum, & ab omnibus seruabatur, inter paucos bonos naturali lege resedit; qui videntes à multis sacra fidei & societatis iura violari, arctiori se dilectionis & amicitiæ fœdere constrinxerunt; inter mala, quæ videbant & sentiebant, in mu-

D tuæ charitatis gratia quiescentes. Verum his, in quibus omnem virtutis sensum obliterauit impietas, ratio, quæ in eis extingui non potuit, ipsum amicitiæ & societatis affectum * non reliquit; adeo vt sine sociis nec auaro diuitiæ, nec ambitioso gloria, nec voluptas placere posset luxurioso. Compacta sunt itaque etiam inter pessimos quædam societatis fœdera detestanda, quæ amicitiæ pulcherrimo nomine palliata, lege & præceptis à vera amicitia fuerant distinguenda, ne cum ista appeteretur, in illa propter quandam eius similitudinem incaute incideretur. Sic amicitiam quam natura instituit, quam roborauit vsus, legis auctoritas ordinauit. Manifestum proinde est amicitiam naturalem esse sicut virtutem, sicut sapientiam, & cætera, quæ propter se, quasi bona naturalia, & appetenda sunt & seruanda: quibus omnis, qui ea habet, bene vtitur, quibus nullus prorsus abutitur. Ivo. Nonne, quæso te, sapientia multi abutuntur, qui ex ea hominibus placere cupiunt, vel in seipsis pro collata sibi sapientia superbiunt, vel certe

aff. reliquit Cam.

E hi qui eam vænalem habent & quæstum existimant pietatem. Ael. Hinc tibi satisfaciet noster Augustinus, cuius verba sunt hæc. Qui sibi placet, stulto homini placet, quia profecto stultus est, qui sibi placet. Qui vero stultus est, sapiens non est. Et qui sapiens non est, non habendo vtique sapientiam sapiens non est. Quomodo igitur sapientia male vtitur, qui sapientiam non habet? Sic & superba castitas virtus non est, quia superbia ipsa, quæ vitium est, eam quæ virtus putabatur, sibi conformem facit, & ideo iam non virtus, sed vitium est. Ivo. Sed pace tua dico * non congruum mihi videtur quod amicitiæ sapientiam adiunxisti, cum inter illas nulla sit comparatio. Ael. Sæpe minora maioribus, bona melioribus, inferiora * fortioribus, etsi non coæquantur coniunguntur tamen, maxime in virtutibus, quæ licet à se gradaum diuersitate discrepent, quadam sibi tamen similitudine vicinantur. Vicina enim est virginitati viduitas, viduitati coniugalis castitas; &

non incongruū mi. vid. quod amicitiā sapiētia. Cam.

for. sancta sanctiorib.

F quamuis inter has virtutes magna sit differentia, in eo tamen, quod virtutes sunt, nonnulla est cōuenientia. Neque enim ideo pudicitia coniugalis virtus non est, quia præcellit continentia vidualis; quibus licet * sancta præferatur virginitas, earum tamen gratiam non oblitterat. Quamuis si ea, quæ de amicitia dicta sunt, diligenter aduertas, inuenies eam sapientiæ sic vicinam vel insertam, vt pene dixerim amicitiam nihil aliud esse quam sapientiam. Ivo. Obstupesco fateor, nec facile id mihi persuaderi posse existimo. Ael. Excidit ne tibi dixisse scripturam, *Omni tempore diligit qui amicus est?* Ait etiam, sicut meministi, noster Hieronymus, Amicitia quæ desinere potest nunquam vera fuit. Amicitiam etiam nec subsistere quidem sine charitate, satis superque monstratum est. Cum igitur in amicitia & æter-

est Cam.

pr. sa virg. Cam.

Prou. 17. 17.

G nitas vigeat, & veritas luceat, & charitas dulcescat, vtrum nomen sapientiæ tribus his debeas abrogare, tu videris. Ivo. O quid est hoc? dicamne de amicitia quod amicus Iesv Ioannes de charitate commemorat. Deus amicitia est? Ael. Inusitatum quidem hoc, nec ex scripturis habet auctoritatem: quod tamen sequitur de charitate, amicitiæ profecto dare non dubito, quoniam, Qui manet in amicitia, in Deo manet, & Deus in eo. Quod cum de ipsius fructu vel vtilitate cœperimus disputare, manifestius * peruidebimus. Nunc si quid sit amicitia pro simplicitate ingenioli nostri satis diximus, cætera, quæ enucleanda proposuisti, alio tempori reseruemus. Ivo. Licet auiditati meæ nimis ista sit molesta dilatio, ad hoc tamen non solum tempus cœnæ, cui deesse non permittimur, sed etiam multorum, quibus debitor * tu es, expectatio satis onerosa compellit.

peruidebit Cam.

nunc quid. Cam.

deb. tui es Cam.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

De fructu amicitiæ & excellentia eius.

H AElr. * Iam nunc frater accede, & quidnam causæ fuerit quod paulo ante, cum carnalibus illis carnalia compararem, solus sedebas modicum semotus à nobis, & nunc oculos huc illucque vertebas, nunc frontem confricabas manu, nunc capillos digitis contrectabas, nunc iram ipsa facie præferens, aliquid tibi præter votum accessisse, crebra vultus mutatione querebaris, edicito. Galtrevs. Profecto ita est. Quis enim patienter sustineat tota die, nescio quos exactores Pharaonis tui habere copiam, nos autem, quibus specialiter debitor es, nec rarum tecum habere posse colloquium. Ael. Et illis quoque gerendus est mos, quorum vel optamus beneficia, vel maleficia formidamus. Quibus vel nunc tandem exclusis, tanto mihi gratior est solitudo, quanto molestior inquietudo præcessit. Nam optimum cibi condimentum fames est, nec mel aliáve species vinum sic sapidum reddit, vt sitis vehe-

Iam frater Cam.

mens

A mens aquam. Quocirca erit tibi forte hæc nostra collatio, quasi cibus vel potus quidam spiritalis, eo iocundior, quo æstus præcessit ardentior. Age iam, & quod anxio pectore paulo ante parabas euoluere, in medium proferre non differas. GALTERVS. Faciam quidem, nam si velim de hora causari, quam isti nobis reliquere breuissimam, videbor ipse eam mihi facere breuiorem. Dic nunc rogo te, vtrum elapsum animo sit, an adhuc memoria teneas, quid inter * te quondam & tuum Iuonem de amicitia * spiritali conuenerit; quas tibi ipse proposuerit quæstiones, quantum in earum enucleatione processeris, quid de his quoque stilo tradideris? AEL. Equidem charissimi mei recordatio, immo continuus amplexus & affectus, ita mihi semper recens est, vt licet humanis exemptus conditioni satis dederit, in meo tamen animo nunquam videatur obiisse. Ibi enim semper mecum est; ibi mihi religiosus eius vultus elucet; ibi mihi dulces eius arrident oculi; ibi eius iocunda

[margin: te & Cam. Spir. quondã conue. Cam.]

B mihi verba sic sapiunt, vt vel ego videar cum eo ad meliora transisse, vel ipse mecum adhuc in inferioribus conuersari. Scis autem quia plures præterierunt anni, ex quo schedula ipsa, cui de Spiritali amicitia eius interrogationes, measque responsiones impresseram, nobis elapsa est. GALT. Non me latent ista; sed verum fatear, hinc tota ista auiditas & impatientia tota descendit, quod schedulam ipsam ante hoc triduum repertam, & tibi traditam à quibusdam accepi. Ostende eam quæso puero tuo, non enim requiescat spiritus meus, donec conspectis omnibus, & quid illi disputationi desit aduertens, ea quæ mihi vel mens propria, vel inspiratio occulta suggesserit esse quærenda, ad tuæ Paternitatis examen proferam aut reprobanda, aut admittenda, aut exponenda. AEL. Geram tibi morem, sed solus volo legas quod scriptum est, nec efferatur in publicum ne forte aliqua resecanda, addenda nonnulla, plurima vero corrigenda æstimauerim. GALT. Ecce adsum habens aures ad tua verba suspensas, tanto certe

C auidius, quanto id, quod de amicitia legi, dulcius sapuit. Quoniam igitur quid sit Amicitia legi magnifice disputatum, quid cultoribus suis pariat vtilitatis velim mihi insinues. Cum enim res tanta sit, vt certis rationibus visus est comprobasse, tunc primum vehementius appetitur, cum finis eius fructusque cognoscitur. AEL. Non id, pro tantæ rei dignitate, à me explicari posse præsumo, cum in rebus humanis nihil sanctius appetatur, nihil quæratur vtilius, nihil difficilius inueniatur, nihil experiatur dulcius, nihil fructuosius teneatur. Habet enim fructum vitæ præsentis, quæ nunc est, & futuræ. Ipsa enim omnes virtutes sua condit suauitate, vitia sua virtute confodit, aduersa temperat, componit prospera; ita vt sine amico inter mortales nihil fere possit esse iocundum, homo bestiæ comparetur, non habens qui sibi collætetur in rebus secundis, in tristibus contristetur; cui euaporet si quid molestum mens conceperit, cui communicet si quid præter solitum sublime, vel luminosum accesserit. *Væ soli,*

Eccl. 4. 10.

D *qui cum ceciderit non habet subleuantem se.* Solus omnino est, qui sine amico est. At quæ felicitas, quæ securitas, quæ iocunditas habere cum quo æquè audeas loqui, vt tibi, cui confiteri non times si quid deliqueris, cui non erubescas reuelare, in spiritalibus si quid profeceris; cui cordis tui omnia secreta committas, & commendes consilia? Quid igitur iucundius, quam ita vnire animum animo, & vnum efficere de duobus, vt nulla iactantia timeatur, nulla formidetur suscipio, nec correptus alter ab altero doleat, nec laudantem alter alterum adulationis notet, vel arguat? *Amicus* (ait sapiens) *medicamentum vitæ est.* Præclare quidem id. Non enim validior, vel efficacior, vel præstantior est vulneribus nostris in omnibus temporalibus medicina, quam habere qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans: vt secundum Apostolum iunctis humeris onera sua inuicem tollerent, nisi quod vnusquisque propriam leuius, quam amici portat iniuriam. Amicitia ergo secundas res splendi-

Eccl. 6. 16.

diores facit, aduersas partiens communicansque leuiores. Optimum ergo vitæ medicamentum amicus. Nam

E vt Ethnicis etiam placuit, non aqua, non igne, pluribus locis vtimur quam amico. In omni actu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet euentu, in secreto & publico, in omni consultatione, domi forisque, vbique amicitia grata, amicus necessarius, vtilis gratia reperitur. Quocirca amici, vt ait Tullius, & absentes adsunt sibi, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod difficilius dictu est, mortui viuunt. Igitur amicitia diuitibus pro gloria; exulibus pro patria; pauperibus pro censu; ægrotis pro medicina; mortuis pro vita; sanis pro gratia; imbecillibus pro virtute; robustis est pro præmio. Tantus enim amicos honor, memoria, laus, desideriumque prosequitur, vt & eorum vita laudabilis, & mors pretiosa iudicetur. Et quod his omnibus excellit, quidam gradus est amicitiæ vicinus perfectioni, quæ in Dei dilectione & cognitione consistit, vt homo, ex amico hominis, Dei efficiatur amicus, secundum

F illud Saluatoris in Euangelio, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* GALT. Ita fateor, tua me mouit oratio, ita in amicitiæ desiderium totum animi mei succendit appetitum, vt nec viuere me crediderim, quandiu, huius tanti boni, tam multiplici fructu caruero. Sed hoc quod vltimum posuisti, quod me totum rapuit, & pene abripuit à terrenis, plenius mihi enodari desidero; quod scilicet amicitia optimus ad perfectionem gradus existit. Et opportune satis hic nunc noster GRATIANVS interuenit, quem Ipsius amicitiæ alumnum iure dixerim, cuius totum studium est amari & amare; ne forte amicitiæ nimium auidus, eiusque similitudine deceptus, falsam pro vera, fictam pro solida, pro spiritali carnalem recipiat. GRATIANVS. Ago gratias humanitati tuæ frater, quod non vocato, sed se impudentius ingerenti, nunc tandem ad spiritale conuiuium concedis accessum. Nam si me serio, non ludo alumnum amicitiæ appellandum putasti: debueram in sermonis principio accersiri, nec auiditatem meam posita vere-

Ioan. 15. 15.

G cundia prodidissem. At tu Pater perge quo cœperas, & causa mei aliquid mensis appone, vt, si non satiari vt iste, (qui nescio quot ferculis deuoratis, nunc me quasi ad reliquias suas fastidiosus asciuit) saltem modicum valeam refocillari. AEL. Non verearis fili, quoniam tanta restant adhuc de amicitiæ bono dicenda, quæ si quilibet sapiens prosequeretur, nos nihil dixisse putares. Verum quomodo ad Dei dilectionem & cognitionem, gradus quidam sit amicitia, paucis aduerte. In amicitia quippe nihil inhonestum est, nihil fictum, nihil simulatum, & quicquid est, id sanctum, & voluntarium, & verum est. Et hoc ipsum quoque charitatis proprium est. In hoc vero amicitia speciali prærogatiua prælucet, quod inter eos, qui sibi amicitiæ glutino copulantur, omnia iocunda, omnia secura, omnia dulcia, omnia suauia sequuntur. Ex charitatis igitur perfectione plerosque diligimus, qui nobis oneri sunt & dolori: quibus licet honeste, non ficte, non simulate, sed verè voluntarieque consulimus, ad secreta tamen eos amicitiæ nostræ

Quod amicitia gradus sit ad dilectionem Dei.

H non admittimus. Quocirca in amicitia coniunguntur honestas & suauitas, veritas & iucunditas, dulcedo & voluntas, affectus & actus. Quæ omnia à Christo inchoantur, per Christum promouentur, in Christo perficiuntur. Non igitur videtur nimium grauis vel innaturalis ascensus, de Christo, amorem inspirante quo amicum diligimus, ad Christum, semetipsum amicum nobis præbentem, quem diligamus; vt suauitas suauitati, dulcedo dulcedini, affectus succedat affectui. Itaque amicus, in spiritu Christi adhærens amico, efficitur cum eo cor vnum, & anima vna; & sic per amoris gradus ad Christi conscendens amicitiam, vnus cum eo spiritus efficitur in osculo vno. Ad quod osculum anima quædam sancta suspirans, *Osculetur me* (inquit) *osculo oris sui.* Consideremus istius osculi carnalis proprietatem, vt de carnalibus ad spiritalia, de humanis ad diuina transeamus. Duobus alimentis vita hominis sustentatur, cibo & aere. Et sine cibo quidem aliquandiu potest subsiste-

Cant. 1. 1.

re,

A

re, at sine aëre ne vna quidem hora. Itaque vt viuamus, ore haurimus aërem & remittimus. Et ipsum quidem quod emittitur vel recipitur, spiritus nomen obtinuit. Quocirca in osculo duo sibi spiritus obuiant, & miscentur sibi, & vniuntur: ex quibus quædam mentis suauitas * nascens, osculantium mouet, & perstringit affectum. Est igitur Osculum Corporale, osculum Spiritale, osculum Intellectuale. Osculum Corporale, impressione fit labiorum; osculum Spiritale coniunctione animorum; osculum Intellectuale per Dei spiritum, infusione gratiarum. Osculum proinde Corporale non nisi certis, & honestis causis aut * offerendum est, aut recipiendum: verbi gratia in signum reconciliationis, quando fiunt amici, qui prius fuerant inimici adinuicem. In signum pacis, sicut communicaturi in Ecclesia, interiorem pacem exteriori osculo demonstrant. In signum dilectionis, sicut inter sponsum & sponsam fieri permittitur; vel sicut ab amicis, post diuturnam absentiam, & porrigitur & suscipitur. In signum catholicæ vnitatis, sicut fit cum hospes suscipitur. Sed sicut plerique aqua, igni, ferro, cibo & aëre quæ naturaliter bona sunt, in suæ crudelitatis vel voluptatis satellitium abutuntur; ita peruersi & turpes, etiam hoc bono, quod ad ea significanda quæ diximus, lex naturalis instituit, sua quodammodo flagitia condire nituntur: ipsum osculum turpitudine tanta fœdantes, vt sic osculari nihil sit aliud quam adulterari. Quod quam sit detestandum, quam abominandum, quam fugiendum, quam aduersandum, quilibet honestus intelligit. Porro osculum Spiritale proprie amicorum est, qui sub vna amicitiæ lege tenentur, non enim fit oris attactu, sed mentis affectu: non coniunctione labiorum, sed commixtione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, & ex sui participatione cœlestem immittente saporem. Hoc osculum non inconuenienter osculum dixerim Christi, quod ipse tamen porrigit non ore proprio sed alieno, illum sacratissimum amantibus inspirans affectum * vt illis videatur quasi vnam animam in diuersis esse corporibus: dicantque cum Propheta, *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Huic ergo osculo assuefacta mens, & à Christo totam hanc dulcedinem adesse non ambigens, quasi secum reputans & dicens, O si ipsemet accessisset, ad illud intellectuale suspirat, & cum maximo desiderio clamans, *Osculetur* * *me* (dicit) *osculo oris sui*: vt iam terrenis affectibus mitigatis, & omnibus, quæ de mundo sunt cogitationibus desideriisque sopitis, in solius Christi * delectetur osculo, & * quiescat amplexu, exultans & dicens, *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* GRAT. Amicitia hæc, vt video, non est popularis, nec qualem eam somniare consueuimus. Nescio quid hic Galterus hactenus senserit; ego aliud nihil amicitiam esse credidi, quam inter duos tantam voluntatum identitatem, vt nihil velit vnus, quod alter nolit; sed tanta sit inter vtrosque in bonis malisque consensio, vt non spiritus, non census, non honor, nec quicquam, quod alterius sit, alteri denegetur ad fruendum pro voto, & abutendum. GALT. Longe aliud in priori dialogo memini me didicisse, * vbi ipsa diffinitio amicitiæ posita & exposita, merito ad eius fructum altius inspiciendum me vehementius animauit. De qua sufficienter instructi, certam nobis metam, quatenus debeat amicitia progredi, cum diuersorum diuersa sententia sit, petimus præfigi. Sunt namque quidam qui contra fidem, contra honestatem, contra commune bonum vel priuatum, fauendum putant amico. Quidam solam fidem detrahendam iudicant, cætera non cauenda. Alij pro amico contemnendam pecuniam, expuendos honores, maiorum inimicitias subeundas, exilium etiam censent non fugiendum; seipsum, in quibus non obsit patriæ, nec contra fas alium lædat, etiam in inhonestis & turpibus exponendum. Sunt & qui hanc metam in amicitia constituunt, vt vnusquisque, sicut erga seipsum, sic & afficiatur erga amicum. Quidam amico in omni beneficio vel obsequio vicem rependere, satis dare amicitiæ credunt. Mihi sa-

Marginal notes: *suauitas.* Cam. — *De triplici Osculo Corporali, spiritali, & Intellectuali.* — *off. aut. recip. est* Cam. — B — *vt vid. illis.* Cam. — G — Psal. 132. 1. — *me ait osculo.* Cam. — *delectetur.* Cam. — *quiescat.* Cam. — Cant. 2. 6. — D — *ibi* Cam.

E

ne nulli horum esse * cedendum, hac nostra collatione satis persuasum est: vnde aliquam certam mihi in amicitia metam à te opto constitui, maxime propter hunc Gratianum, ne forte secundum nomen suum, ita velit esse gratiosus, vt incaute fiat vitiosus. GRAT. Haud ingrate hanc tuam pro me accipio sollicitudinem: nisi tamen sitis audiendi præpediret, forte iam nunc tibi redderem talionem. Sed quid potius ad tuas inquisitiones respondere velit, pariter audiamus. AEL. Certam in amicitia metam Christus ipse præfixit: *Maiorem* (inquiens) *hac dilectionem nemo habet, quam vt animã suam ponat quis pro amicis suis.* Ecce quousque tendi debet amor inter amicos, vt scilicet velint pro inuicem mori. Satisne vobis istud? GRAT. Cum maior esse non possit amicitia, cur non satis sit? GALT. Quid si pessimi quique vel ethnici, in consensu facinorum & flagitiorum sic se diligant, vt velint pro inuicem mori, eósne ad summam amicitiæ conscendisse fatebimur? AEL. Absit, cum inter pessimos amicitia esse non possit. GRAT. Describe nobis, quæso inter quos vel oriri potest vel seruari. AEL. Breuiter dico: inter bonos oriri potest, inter meliores proficere, consummari autem inter perfectos. Quandiu enim quemquam ex studio malum delectat, quandiu ei voluptas gratior est puritate, temeritas moderatione, adulatio correptione; quomodo ad amicitiam vel aspirare eum fas est, cuius ortus eius ex virtutis opinione procedit? Difficile igitur, imo impossibile tibi est vel initia eius degustare, si fontem, de quo oriri potest, nescieris. Fœdus est enim amor, nec amicitiæ nomine dignus, quo turpe aliquid exigitur ab amico; quod necesse est eum facere, qui, necdum vitiis aut sopitis aut depressis, ad quælibet illicita vel illicitur, vel impellitur. Vnde illorum detestanda sententia est, qui contra fidem & honestatem, pro amico æstimant faciendum. Nulla enim excusatio peccati est, si amici causa peccaueris. Protoplastus Adam salubrius præsumptionis arguisset vxorem, quam, gerendo ei morem, vetitum vsurpasset. Multo etiam * melius serui Regis Saül fidem Domino seruauerunt, contra eius imperium manum sanguini subtrahentes, quam Doeg Idumæus, qui Regiæ crudelitatis minister, Domini Sacerdotes sacrilegis manibus interfecit. Ionadab quoque amicus Amnon laudabilius amici prohibuisset incestum, quam quod potiretur optato, consilium præbuisset. Sed nec amicos Absalon amicitiæ virtus excusat, qui, perduellioni præbentes assensum, contra patriam arma tulerunt. Et vt ad hæc nostra tempora veniamus, multo certe felicius Otto, Romanæ Cardinalis Ecclesiæ, ab amicissimo suo recessit Guidone, quam Ioannes suo adhæsit in tali schismate Octauiano. Cernitis igitur, nisi inter bonos amicitiam stare non posse. GRAT. Quid igitur nobis cum amicitia qui boni non sumus? AEL. Ego bonum ita ad viuum reseco vt quidam, qui neminem volunt esse bonum, nisi eum cui ad perfectionem nihil desit. Nos hominem bonum dicimus, qui secundum modum nostræ mortalitatis sobrie & iuste, & pie viuens in hoc sæculo, nihil à quolibet inhonestum petere, nec rogatus velit præstare. Inter tales profecto amicitiã oriri, a talibus perfici posse nõ ambigimus. Nam qui vel fidẽ, vel patriæ periculũ, vel alterius contra ius & fas læsionem excipientes, semetipsos amicorum exponunt libidini, eos non tam stultos dixerim, quam insanos: qui parcentes aliis, sibimet non æstimant esse parcendum; & aliorum prouidentes honestati, suam infeliciter produnt. GALT. Fere in illorum cado sententiam qui amicitiam dicunt esse cauendam, rem videlicet plenam sollicitudinis atque curarum, nec timoris vacuam, multis etiam obnoxiam doloribus. Nam cum vnicuique satis superque sit, sui curam gerere, incautum dicunt se sic aliis obligare, vt necesse sit eum multis implicari curis & affligi molestiis. Nihil præterea difficilius æstimant, quam amicitiam vsque ad diem vitæ extremum permanere, turpeque nimis sit, post initam amicitiam, rem in contrarium verti. Vnde tutius iudicant sic quemquam amare, vt possit odire cum ve-

Marginal notes: *forte credendum.* — Ioan. 15. 13. — F — *Inter quos possit oriri amicitia & perfici.* — G — *me. illius serui.* Cam. — 1. Reg. 22. 18. — 2. Reg. 13. 5. — 2. Reg. 16. 21. 17. 1. — H

A lit; sic amicitiæ laxandas habenas, quas vel astringat,
cum velit, vel remittat. Grat. Frustra igitur tu in lo-
quendo, nos in audiendo laborauimus, si tam facile
ab amicitiæ tenuerimus appetitu, cuius nobis fructum
tam sanctum, tam vtilem, tam acceptum Deo, perfe-
ctioni tam vicinum, tam multipliciter commendasti.
illius. Sit * illi ista sententia, cui placet sic amare hodie, vt
cras oderit; sic amicus omnibus esse, vt nulli sit fidus;
hodie laudans, cras vituperans; hodie blandiens, cras
mordens; hodie paratus ad oscula; cras ad opprobria
promptus; cuius amor vili pretio comparatur, leuissi-
ma recedit offensa. Galt. Felle putabam carere co-
lumbas: Veruntamen hæc istorum sententia, quæ sic
displicet Gratiano, qualiter refelli possit edicito. Ael.
Pulchre de his Tullius. Solem (inquit) è mundo tol-
à Deo nihil. Cam. lere videntur, qui amicitiam è vita tollunt, qua * nihil
à Deo melius habemus, nihil iucundius. Qualis sapien-
tia amicitiam detestari, vt sollicitudinem caueas, curis
careas, exuaris timore? quasi virtus vlla sine sollicitu-
B dine vel acquiri possit, vel seruari. Itane in te, sine tua
magna sollicitudine, aut prudentia contra errores, aut
temperantia contra libidines, aut iustitia contra mali-
tiam, aut fortitudo contra ignauiam pugnat? Quis ro-
go hominum, maxime adolescentium, sine dolore ma-
ximo, vel tueri pudicitiam, vel lasciuientem refrænare
valet affectum? Stultus Paulus, qui noluit sine aliorum
cura & sollicitudine viuere; sed intuitu charitatis,
max. esse cred. Cā. quam virtutem * maximam credidit, a infirmabatur
a 2. Cor. 11.29. cum infirmis, vrebatur cum scandalizatis. Sed b & tri-
stitia illi magna erat, & continuus dolor cordi eius,
b Rom. 9.2. pro fratribus suis secundum carnem. Deserenda igitur
illi charitas erat, ne sub tot timoribus ac doloribus vi-
c Gal. 4.19. ueret, nunc quos c genuerat iterum parturiens, nunc
d fouens vt nutrix, nunc e vt magister corripiens, nunc
d 1. Th. 2.7. f timens ne sensus illorum à fide corrumperentur, nunc
e Colos. 1.28. g cum multo dolore, multisque lacrymis ad pœniten-
tiam prouocans, nunc h eos, qui non egerunt pœni-
f 2. Cor. 11.3. tentiam, lugens. Videtis quomodo virtutes auferre ni-
C tuntur è mundo, qui comitem illarum sollicitudinem
è medio tollere non formidant? Stulte Chusai Arachi-
g 2.Cor. 2.4. tes amicitiam, quæ erat ei cum Dauid, tanta fide ser-
h 2.Cor. 12.21. uauit vt sollicitudinem securitati præferret, malletque
amici participare doloribus, quam parricidæ gaudiis,
2.Reg. 16.32. honoribusque dissolui. Ego eos non tam homines
quam bestias dixerim, qui sic dicunt esse viuendum, vt
nulli consolationi sint, nulli etiam oneri vel dolori,
qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant,
nihil amaritudinis sua aliis peruersitate inferant, amare
nullum, amari à nullo curantes. Absit enim vt eorum
quenquam amare concesserim, qui amicitiam quæstum
putant, nunc se solis labiis profitentes amicos, cum spes
alicuius commodi temporalis arriserit, vel cum ami-
cum cuiuslibet turpitudinis ministerium facere tentaue-
rint. Galt. Cum igitur certum sit multos amicitiæ si-
militudine falli, expone quæso cuiusmodi amicitias ca-
conseruare. uere, quas appetere, colere & * seruare debeamus.
Ael. Cum dictum sit eam, nisi inter bonos non posse
D subsistere, facile tibi est peruidere, nullam amicitiam
Cam. quæ bonos dedeceat recipiendam. Grat. Sed nos
fortasse in hac discretione quid deceat, vel non deceat
caligamus. Ael. Geram vobis morem, & quæ nobis
occurrerint fugienda breuiter annotabo. Est amicitia
puerilis, quam vagus & lasciuiens creat affectus, diua-
ricans pedes suos omni transeunti, sine ratione, sine
pondere, siue mensura, siue alicuius commodi, vel in-
commodi consideratione. Hæc ad tempus vehementer
arctius stringit. Cam. afficit, * stringit, blandins allicit. Sed affectus sine ra-
tione motus bestialis est, ad quæque illicita pronus, imo
inter licita & illicita discernere non valens. Licet autem
plerumque amicitiam affectus præueniat, nunquam ta-
men sequendus, nisi cum & ratio ducat, & honestas
temperet, & regat iustitia. Igitur hæc amicitia, quam
diximus puerilem, eo quod in pueris magis regnet affe-
ctus, vt infida, & instabilis, & impuris mixta semper
amoribus, ab his quos spiritalis amicitiæ dulcedo de-
lectat, omnibus modis caueatur; quam non tam amicitiã, E
quam amicitiæ dicimus esse venenum, cum in ea amo-
ris nunquam modus possit seruari legitimus, qui est ab
animo ad animum; sed honestam eius venam, ex carnis
concupiscentia fumus quidam emergens, obnubilet &
corrumpat, & neglecto spiritu, ad carnis desideria
trahat. Eapropter primordia amicitiæ spiritalis, primum
intentionis habeant puritatem, rationis magistrum,
temperantiæ frænum; & sic suauissimus accedens affe-
ctus ita profecto sentietur dulcis, vt esse nunquam de-
sinat ordinatus. Est & amicitia quam pessimorum simi-
litudo morum conciliat, de qua dicere supersedeo, cum
nec amicitiæ nomine digna, vt superius diximus, ha-
beatur. Est præterea amicitia, quam consideratio ali-
cuius vtilitatis accendit, quam multi ob hanc causam
& appetendam, & colendam, & conseruandam existi-
mant. Quod si admittimus, quam multos omni amore
dignissimos excludemus? qui cum nihil habeant, nihil
possideant, profecto nihil commodi temporalis ab eis
vel adipisci poterit quis, vel sperare. Si vero inter com- F
moda duxeris consilium in dubiis, consolationem in
aduersis, & cætera huiusmodi, hæc vtique ab amico
expectanda sunt, sed sequi debent ista amicitiam, non
præcedere. Necdum enim quid sit amicitia didicit, qui
aliam * eius vult esse mercedem quam ipsam: quæ tunc vult eius. Cam.
plane merces erit colentibus eam, cum tota translata in
Deum, in eius contemplatione sepelit quos vniuit.
Nam cum multas & magnas vtilitates pariat amicitia fi-
da bonorum, non illam tamen ab istis, sed ab illa istas
procedere non ambigimus. Neque enim à beneficiis, 2. Reg.
quibus Berzellai Galaadites Dauid parricidam filium fu- 17.27. &
gientem & suscepit & fouit, & munerauit amicum, in- 19.31.
ter tantos viros partam credimus amicitiam, sed ab ipsa
potius tantam gratiam processisse non dubitamus. Nam
quod Rex viri illius prius eguerit, nemo qui cogitet.
Verum quod ipse vir magnarum opum, nihil pro his
mercedis à Rege sperauerit, hinc aduertere perspicuum
est, quod omnes delicias, diuitiasque ciuitatis pronius
offerenti, nihil suscipere adquieuit, suis volens esse G
contentus. Sic & fœdus illud venerabile, quod inter 1.Reg.
Dauid & Ionatham non spes futuræ vtilitatis, sed vir- 20.11.
tutis contemplatio consecrauit, multum vtrisque nomi-
mus contulisse; cum istius industria, vita sed alterius
conseruata, illius beneficio, huius non sit posteritas
deleta. Cum igitur in bonis semper præcedat amicitia,
sequatur vtilitas; profecto non tam vtilitas parta per
amicum, quam amici amor ipse delectat. Vtrum igitur
de fructu amicitiæ satis dixerimus, vtrum etiam certas
personas, inter quas & oriri, & seruari possit, & per-
fici lucide dixerimus; vtrum præterea assentationes,
quæ falso amicitiæ nomine palliantur, manifeste prodi-
derimus; vtrum quoque certas metas, quousque tendi
debeat amor inter amicos, ostenderimus, vos iudicare.
Grat. Hoc vltimum non satis recordor enodatum.
Ael. Recolitis vt credo eorum me refellisse senten-
tiam, qui metas amicitiæ in flagitiorum & facinorum
consensu constituunt; illorum quoque, qui vsque ad
exilium progrediendum putant, & sine alterius læsio- H
ne, quamlibet turpitudinem. Nihilominus & illorum,
qui secundum speratæ vtilitatis modum, quantitatem
amicitiæ metiuntur. Nam duas earum quas proposuit
Galterus, nec mentione dignas existimaui. Quid enim
ineptius esse potest, quam amicitiam hactenus extendi,
vt in officiis vel obsequiis vicem rependat amico? cum
omnia illis debeant esse communia, quibus nimirum
esse debet & cor vnum & anima vna. Quam turpe & il-
lud, vt non aliter afficiatur quis erga amicum, quam
erga seipsum? cum vnusquisque de se humilia, subli-
mia sentire debeat de amico. His igitur falsis amicitiæ
finibus explosis, finem amicitiæ ex verbis Domini pro-
ferendum putauimus, qui mortem ipsam pro amicis
sanxit non esse fugiendam. Verum ne forte, si quilibet
turpes sic affecti vellent pro inuicem mori, ad amicitiæ
summam crederentur euecti, diximus inter quas per-
sonas oriri possit, & perfici amicitia; deinde illos, qui

A ob multas sollicitudines & curas quas generat, cauendam eam existimant, Ineptiæ credidimus arguendos. Postremo, quæ amicitiæ bonis omnibus sunt cauendæ, quam breuiter potuimus enodauimus. Patet proinde ex his omnibus certa & vera spiritalis amicitiæ meta; nihil scilicet negandum amico, nihil pro amico non sustinendum, quod minus sit quam ipsa pretiosa corporis vita, quam ponendam pro amico diuina sanxit auctoritas.

Ioan. 15. 13.

Quocirca cum vita animæ corporis sit multo præstantior, hoc omnino negandum censemus amico, quod mortem inferat animæ, quod nihil aliud est quam peccatum, quod Deum separat ab anima, animam à vita. Verum in his, quæ vel exhibenda sunt amico, vel pro amico toleranda, quis seruandus sit modus, quæ cautio adhibenda, non est temporis huius euoluere. GRAT. Non parum mihi Galterum nostrum fateor contulisse, cuius interrogatione prouocatus, summam omnium, quæ disputata sunt, breui comprehendens epilogo, quasi præ oculis in ipsa memoris depinxisti. Age iam precor, B & in ipsis officiis amicorum quis seruandus sit modus, vel quæ cautio adhibenda, nobis expone. AEL. Et hæc, & alia quædam de amicitia restant dicenda; sed hora iam præteriit, & ad aliud negotium isti, qui modo venerunt, sua vt cernitis importunitate compellunt. GALTER. Inuitus certe recedo. cras profecto cum se tempus obtulerit rediturus. Videat autem Gratianus vt præsto sit mane, ne ipse nos incuriæ, aut nos eum tarditatis arguamus.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

Quomodo, & inter quos possit amicitia indirupta seruari.

C AEL. Vnde & quo? GRAT. * Non latet aduentus mei causa. AEL. Num adest Galterus? GRAT. Videat ipse; certe tarditatis non potest arguere nos hodie. AEL. Vis ea quæ præposita sunt prosequamur? GRAT. Habeo ei fidem; Nam & præsentiam eius mihi reor necessariam, cui & sensus est acutior ad intelligendum, & lingua eruditior ad interrogandum, & memoria tenacior ad retinendum. AELRED. Audisti Galtere? Amicitior tibi est Gratianus quam putabas. GALT. Quomodo mihi amicus non esset, qui nullius non est? Sed quia vtrique assumus promissi tui non immemores, otio huic non simus ingrati. AEL. Fons & origo amicitiæ amor est: nam amor sine amicitia esse potest, amicitia sine amore nunquam. Amor autem aut ex natura, aut ex officio, aut ex ratione sola; aut ex solo affectu, aut ex vtroque simul procedit. Ex natura, sicut mater diligit filium. Ex officio, quando ex ratione dati & accepti, quodam speciali affectu coniungimur. Ex sola ratione, sicut inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, D sed ex præcepti necessitate diligimus. Ex solo affectu, quando aliquis ob ea sola, quæ corporis sunt, verbi gratia pulchritudinem, fortitudinem, facundiam, sibi quorundam inclinat affectum. Ex ratione simul & affectu, quando is, quem ob virtutis meritum ratio suadet amandum, morum suauitate, & vitæ laudioris dulcedine, in alterius influit animum; & sic ratio iungitur affectui, vt amor ex ratione castus sit, dulcis ex affectu. Quis horum vobis amicitiæ videtur commodatior? GAL. Hic vltimus sane, quem & virtutis contemplatio format, & morum suauitas ornat. Sed vtrum omnes, quos sic diligimus, ad illud amicitiæ admittendi sint dulce secretum, scire desidero. AEL. Primo ponendum est solidum quoddam ipsius spiritalis amoris fundamentum, in quo eius sunt collocanda principia, vt sic recta quis linea ad eius altiora conscendens, ne fundamentum negligat, vel excedat, maximam cautelam adhibeat. Fundamentum illud Dei amor est, ad quem omnia, quæ vel amor suggerit, vel affectus; omnia, quæ vel occultè aliquis spiritus, vel palam quilibet suadet amicus, referenda sunt; diligenterque inspiciendum, vt quicquid astruitur fundamento conueniat, & quicquid illud excedere deprehenditur, ad eius formam reuocandum, & secundum eius qualitatem omnimodis corrigendum, non dubites.

Quod amicitiæ fundamentum amor Dei sit.

E Nec omnes tamen quos diligimus, in amicitiam sunt recipiendi, quia nec omnes ad hoc reperiuntur idonei. Nam cum amicus tui consors sit animi, cuius spiritui tuum coniungas & applices, & ita misceas, vt vnum fieri velis è duobus, cui te tanquam tibi alteri committas, cui nihil occultes, à quo nihil timeas: primum certe eligendus est qui ad hæc aptus putetur, deinde probandus, & sic demum admittendus. Stabilis enim debet esse amicitia, & quandam æternitatis speciem præferre, semper perseuerans in affectu. Et ideo non puerili modo, amicos mutare vaga quadam debemus sententia. Quoniam enim nemo detestabilior, quam qui amicitiam læserit, nihilque magis animum torqueat, F quam vel deseri ab amico vel impugnari; cum summo studio eligendus est, & cum maxima cautela probandus: admissus autem sic tolerandus, sic tractandus, sic sequendus, & quandiu à præmisso fundamento irreuocabiliter non recesserit, ille ita tuus, & tu illius sis tam in corporalibus, quam in spiritualibus, vt nulla sit animorum, affectionum, voluntatum, sententiarumque diuisio. Cernitis ergo quatuor gradus, quibus ad amicitiæ perfectionem * conscenderunt, quorum primus est Electio, secundus Probatio, tertius Admissio, quartus Rerum diuinarum & humanarum, cum quadam charitate & beneuolentia, summa consensio.

* conscenditur. Cam.

GALT. Recordor te in prima illa tua disputatione, quam cum tuo habuisti Iuone, diffinitionem hanc satis probasse; sed quis de multis amicitiarum generibus disputasti, vtrum omnes comprehendat, scire desidero. AEL. Cum vera amicitia nisi inter bonos esse non possit, qui nihil contra fidem, vel bonos mores velle possint aut facere, profecto non quamlibet, sed ipsam, quæ vera est, amicitiam diffinitio ista complectitur. G GRAT. Quare non & illa, quæ ante hesternam collationem me plurimum delectabat, æque probanda est, idem * scilicet velle & idem nolle?

* sed & velle, & nolle. Cã.

AEL. Certe inter eos, quorum fuerint emendati mores, vita composita, ordinati affectus, nec istam arbitror repudiandam. GALT. Videat Gratianus vt tam in seipso, quam in eo diligit, ista præcedant, & sic idem velit & nolit cum ipso, nihil sibi volens concedi, nihil ipse præstare rogatus, quod iniustum, vel inhonestum, vel indecens sit. Sed de quatuor his quæ præmisisti, quid sentiendum sit, à te expectamus doceri. AEL. Primum * igitur de ipsa electione tractemus.

De Electione amici.

* quidem de. Cam.

Sunt vitia quædam, quibus * si quis fuerit inuolutus, non diu amicitiæ leges, vel iura seruabit.

* quib quilibet fu. Cam.

Huiusmodi ad amicitiam non facile eligẽdi sunt; sed si alias eorum vita moresque placuerint, agendum cum eis summopere est, vt sanati ad amicitiam habeantur idonei: videlicet iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi. Difficile quippe est eum, quem sæpe iracundiæ furor exagitat, non aliquando insurgere in amicum, sicut H in Ecclesiastico scribitur, *Est amicus qui odium, & rixam & conuitia denudabit.* Vnde ait Scriptura, *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne sumas scandalum animæ tuæ.* Et Salomon, *Ira* (inquit) *in sinu stulti requiescit.* At cum stulto diu seruare amicitiam, quis non credit impossibile? GALT. * Et nos te vidimus, si non fallimur, cum iracundissimo homine summa religione colere amicitiam, quem vsque ad vitæ eius finem nunquam à te læsum, quanquam ipse te sæpe læsisset, audiuimus.

Eccl. 6. 9. Prou. 22. 24. Eccl. 7. 10. * Forte. Al.

AEL. Sunt quidam ex naturali conspersione iracundi, qui tamen ita hanc comprimere, & temperare soliti sunt passionem, vt in quinque, quibus, teste Scriptura, amicitia dissoluitur atque corrumpitur, nunquam prosiliant; quamuis nonnunquam amicum inconsiderato sermone, vel actu, vel zelo minus discreto offendant. Tales si forte in amicitiam receperimus, patienter tolerandi sunt, & cum nobis constet de affectu certitudo, si quis fuerit vel sermonis, vel actionis

A excessus, amico id indulgendum, vel certe sine aliquo dolore, iucunde insuper, in quo excesserit, commonendum. GRAT. Ille tuus, quem præ omnibus nobis, vt multis videtur, tibi probas amicum, aliquid, quod tibi displicere nullatenus potuit ignorare, ante paucos dies, vt nos putabimus, ira præuentus & dixit & fecit, cui tamen nihil prioris gratiæ * imminutum nec credimus, nec videmus. Vnde non parum obstupuimus, quod cum tu, * vbi nos mutuo loquimur, nihil velis vel modicum præterire, quod velit ipse, ipse modicum quid, tui causa, non potuerit sustinere? GALT. Audacior me multò est iste. Nam & ego ista noui, sed tuum erga eum animum non ignorans, nihil tibi de his loqui præsumpsi. AEL. Homo certe ille mihi charissimus est, & semel à me receptus in amicitiam, à me nunquam poterit non amari. Vnde si forte in hac parte fortior illo fui, & vbi vtriusque voluntas non concurrebat in vnum, meam mihi facilius fuit, quam illi suam frangere voluntatem; vbi nulla interueniebat inhonestas, nec fides lædebatur,

im. videmus, vel vidimus. Cam. vt. Cam.

B nec minuebatur virtus, cedendum amico fuit, vt & tolerarem in quo videbatur excessisse, & vbi pax eius periclitabatur, voluntatem eius meæ præferrem. GALT. Sed cum prior ille iam in fata concesserit, alter tibi licet nos non viderimus satisfecerit, illa nobis quinque, quibus amicitia sic læditur vt dissoluatur, velim nobis enuclees, vt eos, qui nullo modo eligendi sunt in amicos, cauere possimus. AEL. Audire non me, sed Scripturam * loquentem. *Qui conuitiatur amico dissoluit amicitiam. Ad amicum* (inquit) *etiamsi produxeris gladium non desperes, est enim regressus ad amicum. Si aperueris os triste, non timeas.* Vide quid dicat. Si forte ita præuentus amicus eduxerit gladium, vel si verbum protulerit triste; si quasi non amans ad tempus tibi sese subtraxerit, si tuo suum aliquando prætulerit consilium, si à te in aliqua sententia vel disputatione dissenserit, non his amicitiam æstimes dissoluendam. Est enim ait * concordia ad amicum, excepto conuitio, & improperio & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Diligentius

dicitem. Cam. Eccl. 22. 25. & seqq.

regressus. Cam.

C proinde hæc quinque consideremus, ne nos eis amicitiæ vinculis constringamus, quos ad hæc vitia vel iracundiæ furor, vel alia quælibet passio compellere consueuit. Conuitium quippe lædit famam, charitatem extinguit. Tanta enim est hominum malitia, vt quicquid, ita instigante, ab amico iaculatum fuerit in amicum, quasi à secretorum suorum prolatum conscio, si non credatur, verum tamen esse clamitetur. Multi enim sicut * propriis laudibus, ita in aliorum vituperationibus delectantur. Quid vero scelestius Improperio? quod etiam, falsa obiectione, innocentis faciem miserando rubore perfundit. At Superbia quid minus ferendum? quæ solum id, quo tactæ amicitiæ subueniendum foret, humilitatis & confessionis excludit remedium, reddens hominem audacem ad iniuriam, tumidum ad correctionem. Sequitur mysteriorum, id est secretorum Reuelatio, qua nihil est turpius, nihil execrabilius, nihil amoris, nihil suauitatis relinquens inter amicos; sed omnia

Quinque sunt quæ amicitiam dissoluunt. Conuitium.

sic. in prop. Cā. Improperium.

Superbia.

Reuelatio secretorum.

D replens amaritudine, & indignationis, & odij, atque doloris felle cuncta conspergens. Hinc scriptum est, *Qui denudat arcana, amici perdit fidem.* Et paulo post. *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infœlicis.* Quid enim infœlicius illo, qui fidem perdit, & desperatione languescit? Vltimum illud, quo dissoluitur amicitia, Plaga dolosa est, quæ non est aliud quam occulta detractio. Plaga certe dolosa; plaga serpentis & aspidis mortifera. *Si mordeat serpens in silentio*, ait Salomon, *nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Quemcunque igitur in his vitium assiduum inueneris, cauendus tibi est ille, nec donec sanetur, ad amicitiam eligendus. Abiuremus conuitia, quorum vltor est Deus. * Semei, fugientem à facie Absalon sanctum Dauid, conuitijs impetens, * inter hæreditaria verba, quæ * pater filio moriens delegauit, auctoritate Spiritus sancti decernitur occidendus. Improperium nihilominus caueamus. Infelix Nabal Carmelus, Dauid seruitutem &

Eccl. 27. 17. & 24.

Plaga dolosa. Eccl. 10. 11.

2. Reg. 16. 5. 3. Reg. 2. 8. 9. filio pater. Cā. 1. Reg.

E fugam improperans, à Domino percuti meruit & occidi. Quod si forte contigerit, in aliquo nos legem amicitiæ præterire, vitemus superbiam, & amici gratiam humilitatis beneficio repetamus. Rex Dauid amicitiam, quam Naas Regi filiorum Ammon exhibuerat, cum filio eius Hanon misericorditer obtulisset, ille superbus & ingratus amico, contumeliam adiecit contemptui: ob quam causam tam ipsum, quam populum eius & vrbes, gladius simul & ignis absumpsit. Super omnia autem, amicorum reuelare secreta sacrilegium arbitremur, quo fides amittitur, & animæ captiuatæ desperatio importatur. Hinc est quod impiissimus Architophel, patricidæ consentiens, cum ei patris consilium prodidisset, cernens suum, quod contra illud dederat, non mancipatum effectui, dignum proditore finem, laqueo suspensus promeruit. Postremo detrahere amico venenum amicitiæ reputemus, quod Mariæ frontem lepra perfudit, & eiectam extra castra sex diebus, populi communione priuauit. Nec solum nimium iracundi, sed etiam

25. 10. & 36.

2. Reg. 10. 2.

2. Reg. 17. 2. & 23.

Num. 12. 10. & seqq.

F instabiles, & suspiciosi in hac electione cauendi sunt. Cum enim * amicitiæ magnus fructus sit securitas, qua te credis & committis amico, quomodo in eius amore aliqua potest esse securitas, qui omni circumfertur vento, omni acquiescit consilio? Cuius affectus molli luto comparatus, diuersas & contrarias tota die, pro arbitrio imprimentis, suscipit & format imagines. Quid præterea magis competit amicitiæ, quam pax quædam adinuicem & tranquillitas cordis, cuius semper expers est suspiciosus? Nunquam enim requiescit. Suspiciosum quippe semper curiositas comitatur, quæ continuos ei stimulos acuens, inquietudinis & perturbationis ei materias subministrat. Si enim viderit amicum secretius loquentem cum aliquo, proditionem putabit. Si se beneuolum alteri præbuerit vel iucundum, ille se minus diligi proclamabit. Si eum corripuerit, odium interpretabitur. Si laudandum crediderit, irrisum se calumniabitur. *Vides* (inquit sapiens) *hominem promptulum ad loquendum, magis ille spem habet stultus.* Is igitur

enim amicitiæ, magnus sit fructus. Cā.

Prou. 29. 20.

G tibi eligendus est in amicum, quem non iracundiæ furor inquietet, non instabilitas diuidat, non conterat suspicio, non verbositas à debita grauitate dissoluat. Præcipue vtile est vt eum eligas, qui tuis conueniat moribus, tuæ consonet qualitati. Inter dispares quippe mores (vt beatus ait Ambrosius) amicitia esse non potest: & ideo conuenire debet sibi vtriusque gratia. GALT. Vbi ergo talis inuenietur, qui nec iracundus sit, nec instabilis, nec suspiciosus? Nam si verbosus quisquis est, latere profecto non potest. AEL. Licet non facile queat reperiri qui non his passionibus sæpius moueatur, multi certe sunt, qui his omnibus superiores inueniuntur, qui iracundiam patientia comprimant, leuitatem seruata grauitate cohibeant, suspiciones dilectionis contemplatione propellant. Quos maxime in amicitiam quasi exercitatiores assumendos dixerim, qui vitia virtute vincentes tanto securius possidentur, quanto fortius etiam tentantibus vitiis resistere consueuerunt.

H * GRAT. Ne quæso irascaris si loquar. Ille tuus, de * quo paulo ante fecimus mentionem, quem à te receptum in amicitiam non dubitamus, vtrum tibi iracundus videatur scire desidero. AEL. Est quidem; at in amicitia minime. GRAT. Quid est rogo te in amicitia non esse iracundum. AELREDVS. Inter nos contractam amicitiam non * dubitatis? GRAT. Prorsus. AELREDVS. Quando inter nos iras, rixas, dissensiones, æmulationes vel contentiones ortas * audistis? GRAT. Nunquam; sed hoc non illius, sed tuæ patientiæ imputamus. AELREDVS. Fallimini. Nullo modo enim iram, quam non refrænat affectus, cuiusquam patientia refrænabit, cum patientia * magis iracundum excitet in furorem, in hoc aliquid sibi vel modicum solatium præstari cupiens, si in iurgiis se illi aliquis parem exhibeat. Ille sane de quo nunc nobis sermo est, ita mihi amicitiæ iura conseruat, vt commotum aliquando, etiam iam prorumpentem in verba solo nutu cohibeam, & ea quæ displicent nunquam producat in

Galt. Cā.

quo Gratianus pa. fecit. Cam.

dubitas. Cam. audisti. Cam.

iracundum magis excitet. Cam.

publicum,

A

publicum, sed ad euaporandum suæ mentis conceptum, semper expectet secretum. Quod si non ei amicitia, sed natura præscriberet, nec ita virtuosum, nec ita laude dignum iudicarem. Si vero, vt assolet, * ab eius aliquando meus sensus dissentiat, ita alterutro nobis deferimus, vt aliquando ille meam suæ, plerumque ego suam meæ præferam voluntatem. GALT. Satis datum est Gratiano. Sed mihi velim enuclees, si forte quis incautius in eorum inciderit amicitias, quos cauendos paulo ante dixisti, vel si qui eorum quos eligendos dixisti, aut in ea ipsa vitia, aut in alia forte deteriora corruerint, * qualis eis seruanda sit fides, qualis exhibenda gratia. AEL. Hæc, si fieri potest, in ipsa electione, vel etiam probatione cauenda sunt, ne videlicet nimis cito diligamus maxime indignos. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis causa est cur diligantur. Attamen in his, qui probati dignique putantur, erumpent sæpe vitia tam in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundat infamia. Talibus amicis omnis diligentia adhibenda est vt sanentur. Quod si impossibile fuerit, non amicitiam rumpendam, vel * discutiendam arbitror, sed vt quidam eleganter ait, potius paulatim dissuendam; nisi forte quædam intolerabilis iniuria exarserit, vt neque rectum neque honestum sit, vt non statim alienatio, vel disiunctio fiat. Si enim aliquid molitur amicus aut in patrem, aut in patriam, quod subita & festinata egeat correctione, non amicitia læditur, si perduellis & inimicus prodatur. Sunt alia vitia, pro quibus amicitiam non rumpendam, vt diximus, sed paulatim dissoluendam iudicamus; ita tamen vt non vsque ad inimicitias, ex quibus iurgia, maledicta, contumeliæque gignuntur, erumpant. Turpe enim nimis est cum eo huiusmodi * gerere bellum, cum quo familiariter vixeris. Nam etsi his omnibus ab eo, quem in amicitiam receperas, impetaris, quibusdam quippe moris est, vt cum ipsi sic vixerint vt iam non mereantur amari, si forte eis aliquid euenerit aduersi, culpam retorqueant in amicum, læsam dicant amicitiam, & omne consilium, quod amicus dederit, suspectum habeant, & * proditi, cum eorum in palam culpa processerit, non habentes vltra quid faciant, in amicum odia & maledicta congeminent, detrahentes in angulis, in tenebris susurrantes, se mendaciter excusantes, & alios similiter accusantes. Si igitur his omnibus, post dimissam amicitiam, impetaris, quandiu tolerabilia fuerint, ferenda sunt, & hic honos veteri amicitiæ tribuendus, vt in culpa sit qui faciat, non is qui patiatur iniuriam. Amicitia quippe æterna est, vnde, *Omni tempore diligit qui amicus est.* Si te læserit ille, quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit vt * illi amicitia subtrahatur, nonnunquam tamen subtrahatur dilectio. Consule quantum potes saluti eius; prospice famæ, nec vnquam amicitiæ eius prodas secreta, quamuis tua ipse prodiderit. GALT. Quæ sunt rogo illa vitia, pro quibus amicitiam paulatim dicis esse soluendam? AEL. Quinque illa quæ paulo ante descripsimus, maxime autem reuelatio secretorum, & occulti morsus detractionum. His sextum addimus, Si eos, qui tibi æque diligendi sunt, læserit, eisque, quorum tua interest prouidere saluti, ruinæ & scandali materiam, etiam correptus præbere non desierit, maxime vbi vitiorum te tangit infamia. Non enim amor præponderare debet religioni, non fidei, non charitati ciuium, non plebis saluti. Rex Assuerus superbissimum Aman, quem præ cæteris amicum habuerat, suspendit in cruce, amicitiæ, quam ille fraudulentis consiliis læserat, salutem multitudinis, & charitatem præponens vxoris. Iahel vxor Aber Cinei, licet pax fuerit inter Sisaram & domum Aber, plebis tamen salutem huic amicitiæ præferens, ipsum Sisaram clauo sopiuit & malleo. Sanctus Propheta Dauid, cum de iure amicitiæ cognationi Ionathæ debuerat pepercisse, audiens tamen a Domino, propter Saul & domum eius & sanguinem, quia occiderat Gabaonitas, populum fame tribus annis iugiter laborasse, septem viros de cognatione eius, Gabaonitis * dedit puniendos. Hoc autem nolo vos ignorare, inter perfectos, quos sapienter electos, & caute probatos, vera & spiritalis amicitia * copulauit, non posse interuenire dissidium. Cum enim amicitia de duobus vnum fecerit, sicut id quod vnum est non potest diuidi, sic & amicitia à se non poterit separari. Patet igitur hanc amicitiam, quæ patitur sectionem, ex ea parte quæ læditur, nunquam fuisse veram. * In hoc tamen amicitia probabilior, & magis virtus probatur quod nec in eo qui læditur, desinit esse quod fuit, diligens eum à quo non diligitur, honorans eum a quo spernitur; benedicens eum à quo maledicitur; benefaciens ei, qui sibi quod perniciosum est machinatur. GALT. Quomodo * ergo amicitia soluitur, si exclusis talia sunt exhibenda ab eo, à quo soluitur? AEL. Ad amicitiam quatuor specialiter pertinere videntur; Dilectio & affectio; Securitas & Iucunditas. Ad Dilectionem spectat, cum beneuolentia beneficiorum exhibitio: ad Affectionem interior quædam præcedens delectatio: ad Securitatem, sine timore, vel suspicione, omnium secretorum & consiliorum reuelatio; ad Iucunditatem, de omnibus, quæ contingunt, siue læta sint, siue tristia; de omnibus, quæ cogitantur, siue nociua sint, siue vtilia; de omnibus, quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis & amica collatio. Videsne in quibus ab his, qui merentur, soluenda est amicitia? Subtrahitur certe illa interior delectatio, quam ex amici pectore iugiter hauriebat; perit securitas, qua sua illi arcana reuelabat; seponitur iucunditas, quam amica confabulatio pariebat. Familiaritas proinde illa, in qua talia continentur, ei neganda est, non subtrahenda dilectio, & hoc cum quadam moderatione & reuerentia, vt si non nimius fuerit horror, semper antiquæ amicitiæ quædam videantur remansisse vestigia. * GRAT. Mihi certe * placent ista quæ dicis. AEL. Iam de electione si sufficiunt ista quæ diximus, insinuare. GALT. Vellem vt eorum quæ dicta sunt, summa sub breui nobis epilogo traderetur. AEL. Geram vobis morem. Amorem amicitiæ diximus esse principium. Nec qualemcunque, sed qui de ratione simul & affectu procedit. Qui quidem & castus est ex ratione, & affectu dulcis. Deinde amicitiæ ponendum diximus fundamentum, Dei scilicet dilectionem, ad quam omnia, quæ suggeruntur, referenda sunt, & vtrum ei conueniant, vel ab ea dissideant explorandum. Quatuor subinde gradus in amicitia, quibus ad eius summam peruenitur, custodiendos putauimus, cum amicus primum sit eligendus, deinde probandus, tunc demum admittendus, & sic postea vt decet tractandus. Et de electione tractantes, iracundos, instabiles, suspiciosos, atque verbosos exclusimus, non * omnes tamen, sed eos dumtaxat qui has passiones nec ordinare, nec moderari possunt, aut nolunt. Nam multi his perturbationibus sic tanguntur, vt non solum eorum in nullo lædatur perfectio, sed etiam virtus in eorum moderatione laudabilius augeatur. Nam qui velut infrænes, his passionibus acti semper feruntur in præceps, in ea vitia ineuitabiliter dilabuntur & corruunt, quibus amicitia, teste Scriptura, & læditur, & dissoluitur: conuitia scilicet, & improperium, & secretorum reuelatio, superbia, & plaga dolosa. Si tamen hæc omnia patiaris ab illo, quem semel in amicitiam suscepisti, non statim eam rumpendam dicimus, sed paulatim soluendam, talisque seruetur antiquæ * amicitiæ reuerentia, vt licet ipsum à secretis tuis amoueas, nunquam tamen ei dilectionem subtrahas, auxilium tollas, neges consilium. Quod si etiam ad blasphemias, & maledicta eius prorumpat insania, tu tamen defer fœderi, defer charitati, vt in culpa sit qui intulit, non ille qui pertulit iniuriam. Porro si patri, si patriæ, si ciuibus, si subditis, si amicis inuentus fuerit perniciosus, statim familiaritatis rumpendum est vinculum, nec vnius amor perditioni multitudinis præferatur. Hæc ne proueniant, in ipsa electione cauendum, vt videlicet is eligatur, quem non ad ista furor impellat, aut leuitas trahat, aut verbositas præcipitet, aut abducat suspicio, maxime, qui non nimium a tuis dissentiat moribus, nec à qualitate discordet. Quia vero de vera amicitia loquimur, quæ non

Margin notes (left): aliquando ab eius. Cl. — qualis sit eis seruanda. Cam. — B — dissuendam Cam. — bellum gerere. Cam. — C — cum proditi eorum. Cl. — Prou. 17. 17. — el. Cam. — D — Esther. 7. 9 — Iudic. 4. 21. — 2. Reg. 21. 7. — tradidit. Cam.

Margin notes (right): E — copul. amerit. Cam. — veram, quia amicitia quæ desinere potest nunquam vera fuit. In Cam. igitur. Cam. — F — Galter. Cam. — perplacent. Cl. — G — tamen omnes. Cam. — H — antiq. ami. seruetur reuerentia. Cam.

A

potest esse nisi inter bonos, de illis, de quibus quod non sint eligendi nulla potest esse cunctatio, vt turpes, auari, ambitiosi, criminosi, nullam fecimus mentionem. Si vobis de electione satis datum est, ad probationem deinceps transeamus. GALT. Opportunum hoc; nam mihi semper ad ostium oculus est, ne forte quis irrumpat, qui vel nostris deliciis finem ponat, vel quid amaritudinis misceat, vel aliquid superducat inane. GRAT. Cellararius adest, cui si concedatur ingressus, non erit tibi facultas vlterius procedendi. Sed ecce ego obstruo ianuam, tu pater perge quo cœperas. AEL. Quatuor quædam probanda sunt in amico, Fides, Intentio, Discretio, Patientia. Fides, vt ei te tuaque omnia secure committas; Intentio, vt nihil ex amicitia nisi Deum, & naturale eius bonum * expectes; Discretio, vt quid præstandum amico, quid ab amico petendum, in quibus contristandum pro amico, in quibus amico congratulandum, & quoniam amicum nonnunquam corripiendum credimus, pro quibus id causis * debeat fieri, modum etiam ipsum, tempus quoque & locum non ignoret; Patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem vel contemnat, vel odiat, vt eum pro amico quælibet aduersa sustinere non pigeat. Nihil in amicitia Fide præstantius, quæ ipsius & nutrix videtur & custos. Ipsa se in omnibus aduersis & prosperis, in lætis & tristibus, in iucundis & amaris præbet æqualem, eodem intuens oculo humilem & sublimem, pauperem & diuitem, fortem & debilem, sanum & ægrotum. Fidelis quippe amicus nihil in amico, quod extra animum eius sit, intuetur, virtutem in propria sua sede complectens; cætera omnia, quasi extra eum posita, nec multum probans si adsint, nec si absint requirens. Ipsa tamen fides in prosperis quidem latet, sed eminet in aduersis. In necessitate * enim (vt ait quidam) probatur amicus. Amici diuitis multi. Sed vtrum vere amici sint, interueniens paupertas explorat. *Omni tempore* (ait Salomon) *diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur*. Et alias arguens infidelem; *Deus putridus* (inquit) *& pes lapsus, qui sperat super infideli in die angustiæ*. GRAT. Si prospera nostra nulla vnquam aduersitas interpolet, quomodo amici probabitur fides? AEL. Multa sunt alia quibus fides probatur amici, quamuis in sinistris maxime. Nam vt superius diximus, nihil est * quod amicitiam magis lædit, quam consiliorum proditio. Euangelica vero sententia est, Qui in modico fidelis est, & in multo fidelis erit. Amicis itaque, quibus adhuc probationem credimus necessariam, non omnia, nec profunda nostra sunt committenda secreta, sed primo exteriora vel modica, de quibus non magnopere curandum est an celentur, an nudentur, cum tanta tamen cautione, ac si plurimum obessent prodita, prodessent autem celata. In quibus si fidelis fuerit inuentus, in maioribus experiendum non dubites. Quod si forte sinistrum aliquid de te fama vulgauerit, si * quisquam malitia famam tuam fuerit persecutus, & ille nullus ad credendum adducatur suggestione, nulla moueatur suspicione, nulla dubitatione turbetur, de eius fide vlterius nulla tibi debet esse cunctatio, sed quasi de certa & stabili, non parua exultatio. GRAT. Recordor nunc tui illius amici transmarini, de quo nobis fecisti sæpe mentionem, quem ob hoc verissimum tibi ac fidelissimum probasti amicum, quod falsa de te referentibus, non solum non adhibuerit fidem, sed nec vlla sit hæsitatione pulsatus: quod nec de tuo amicissimo, antiquo scilicet Clareuallis Sacrista, præsumendum putasti. Sed quoniam de probatione fidei satis actum est, ad cætera enucleanda procede. AEL. Diximus & intentionem esse probandam. Pernecessarium hoc: sunt enim plerique qui in rebus humanis nihil bonum norunt, nisi quod temporaliter fructuosum sit. Hi sic amicos sicut boues suos diligunt, ex quibus aliquid commodi se sperant capturos; qui profecto germana & spirituali carent amicitia, * per se, & propter Deum & se expetenda, nec in seipsis naturale amoris conuentur exemplar, vbi facile deprehendatur vis eius; & qualis sit, & quanta

De probatione amici. Fides. Intentio. Discretio. — *expectet.* Cam. — *fieri debeat.* B — *Cam. Patientia.* — *De fide.* — *deest enim* Cã. — Prou. 17. 17. — Prou. 25. 19. C — *quo amicitia magis læditur.* Cam. — *cuiusquam f. c. f. persecuta.* Cam. D — *De intentione.* — *propter.* Cam.

E

sit. Ipse Dominus ac Saluator noster veræ nobis amicitiæ formam præscripsit, *Diliges* (inquiens) *proximum tuum sicut teipsum*. En speculum. Diligis teipsum. Ita plane, si Deum diligis; si nempe talis es, qualem in amicitiam eligendum descripsimus. Aliquam, rogo, à teipso huius tuæ dilectionis mercedem iudicas exigendam? Minime profecto, sed quod per se sibi quisque charus est. Nisi igitur & tu hunc ipsum in alium transferas affectum, * charus ille tibi, æque vt tu, esse non poterit. Tunc enim erit ipse, quem diligis, tanquam alter tu, si tuam tui in ipsum transfuderis charitatem. Non enim, vt ait sanctus Ambrosius, vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est enim non quæstus, quia pecunia non parturitur, sed gratia, nec licitatione pretiorum, sed concertatione beneuolentiæ. Eius igitur, quem elegisti, subtiliter est probanda intentio, ne secundum spem commodi cuiuslibet tibi velit in amicitia copulari, mercenariam eam æstimans non gratuitam. Certiores autem plerumque sunt amicitiæ inopum quam diuitum, cum spem lucri sic tollat paupertas, vt amicitiæ non minuat, sed potius augeat charitatem. Diuitibus itaque assentatorie gratificatur; erga pauperem nemo simulator est. Verum est quicquid defertur pauperi, cuius amicitia inuidia vacat. Hæc diximus, vt in amicis mores probemus, non æstimemus censum. Sic ergo probatur intentio, si eum videris tuorum magis cupidum, quam tui. Aucupari semper aliquid, quod tua sibi conferri possit industria, honorem, gloriam, diuitias, libertatem, in quibus omnibus si dignior illo præferatur, vel certe in tua non sit potestate quod appetitur, qua tibi intentione adhæserit facile peruidebis. Iam nunc de discretione videamus. Quidam peruerse satis, ne dicam impudenter, talem amicum habere volunt, quales ipsi esse non possunt. Hi sunt, qui leues quoque amicorum transgressiones impatienter ferunt, austere corripiunt, & carentes discretione magna negligunt, contra minima quæque se erigunt, confundunt omnia, non locum seruantes vbi, non tempus quando, non personas quibus quælibet vel publicare conueniat, vel celare. Quocirca illius, quem eligis, est probanda discretio, ne si improuidum quemquam, vel imprudentem tibi in amicitia sociaueris, lites quotidianas & iurgia tibi ipse perquiras. Sane hanc in amicitia necessariam esse virtutem satis * facile est peruidere, qua si quis caruerit, instar nauis absque gubernaculo, p[illegible] impetu spiritus, instabili & irrationabili semper motu feretur. Sic & multæ causæ deesse non poterunt, quibus illius quem cupis esse amicum probetur patientia, cum necesse sit * arguere eum quem diligis, qui aliquando quasi ex industria durius fieri oportet, vt sic eius vel probetur, vel exerceatur tolerantia. Id sane attendendum est, vt licet talia reperiantur in eo quem probas, quæ offendant animum, vel alicuius secreti incauta reuelatione, vel alicuius temporalis commodi cupiditate, vel minus discreta correptione, vel aliqua debitæ lenitatis transgressione, non statim à proposita dilectione vel electione resilias, quamdiu correctionis eius spes vlla relucet. Nec quemquam in amicis eligendis, vel probandis tædeat esse sollicitum, cum huius laboris fructus vitæ sit medicamentum, & immortalitatis solidissimum fundamentum. Cum enim plurimi in thesauris multiplicandis, in bobus & asinis, in ouibus & capris nutriendis, eligendis, comparandis satis periti * sint, indiciaque certa in his omnibus cognoscendis non desint, dementiæ res est, eandem in amicis acquirendis, vel probandis non dare operam, & quasdam addiscere notas, quibus hi, quos eligimus in amicos, ad amicitiam probentur idonei. Cauendus sane est quidam impetus amoris, qui præcurrit iudicium, & probandi adimit potestatem. Est proinde viri prudentis sustinere, hunc refrænare impetum, ponere modum beneuolentiæ, paulatim procedere in affectum, donec iam probato se totum dedat, & committat amico. GALT. Fateor, adhuc me mouet illorum sententia, quæ sine huiusmodi amicis viuere tutius arbitrantur. AELRED. Mirum hoc, cum

Matth. 22. 39. — *aff. gratis amicum diligens eo quod per se charus sibi videatur amicus, quod vera sapiat amicitia* [illegible] F — *non poterit. Tunc.* Cam. — *De discretione.* G — *sa probatu est.* Cam. — *De patientia.* — *eum arguere.* Cam. H — *f. certaque. i. h. o. c. n. d. indicia.* Cam.

sine

A

sine amicis nulla prorsus vita iucunda sit. GALT. Cur rogo te? AEL. Ponamus totum genus humanum exemptum mundo, te solum superstitem reliquisse. Et ecce coram te omnes mundi deliciæ & diuitiæ, aurum, argentum, lapides pretiosi, vrbes muratæ, castra turrita, ampla ædificia, sculpturæ, picturæ. Sed & reformatum te in antiquum cogita statum, omnia habere subiecta, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Dic rogo nunc, verum sine socio omnia tibi hæc possent esse iucunda? GALT. Minime. AEL. Quod si vnum haberes cuius nescires linguam, ignorares mores, cuius te lateret & amor & animus? GALT. Si non aliquibus signis efficere possem vt esset amicus, mallem nullum quam talem habere. AEL. Si autem vnus adesset, quem æque vt teipsum diligeres, à quo te similiter diligi non dubitares, nonne omnia, quæ prius videbantur amara, dulcia redderentur & sapida? GAL. Prorsus ita est. AEL. Nonne quanto plures haberes de talibus, tanto fœliciorem te iudicares? GALT. Verissime. AEL. Hæc est illa

B

mira & magna fœlicitas quam expectamus, Deo ipso operante, & diffundente inter se & creaturam suam, quam sustulerit, inter ipsos gradus & ordines, quos distinxerit, inter singulos quosque quos elegerit, tantam amicitiam & charitatem, vt sic quisque diligat alium sicut seipsum; ac per hoc sicut vnusquisque de propria, sic & de alterius fœlicitate lætetur, & ita singulorum beatitudo omnium sit, & omnium beatitudinum vniuersitas singulorum. Ibi nulla cogitationum occultatio, nulla affectionum dissimulatio. Hæc est vera & æterna amicitia, quæ hic inchoatur, ibi perficitur, quæ hic paucorum est, vbi pauci boni? ibi omnium, vbi omnes boni. Hic necessaria probatio, vbi est sapientum & stultorum permixtio? ibi probatione non egent, quos beatificat Angelica illa, & quodammodo diuina perfectio. Ad hanc proinde similitudinem comparemus amicos, quos non secus ac nosipsos diligamus, quorum nobis nuda sint omnia, quibus omnia nostra pandamus secreta, qui firmi sint, & stabiles, & constantes in omnibus.

C

Putasne quemquam mortalium esse, qui non velit amari? GALT. Non æstimo. AEL. Si quem videris inter multos viuere, & omnes habere suspectos, quasi insidiatores capitis sui timere omnes, nullum diligere, nec se diligi à quoquam putare, non eum miserrimum iudicares? GALT. Miserrimum plane. AEL. Ergo ipsum fœlicissimum non negabis, qui in eorum, inter quos viuit, visceribus requiescit, amans omnes, & amatus ab omnibus, quem ab hac suauissima tranquillitate nec suspicio diuidat, nec timor excutiat. GALT. Optime ac verissime. AEL. Quod si forte de omnibus difficile inuentu sit in præsenti, cum id nobis in futurum seruetur, quando plures * nobis abundant huiusmodi, tanto nobis fœliciores æstimabimus. Nudiustertius cum claustra monasterij circuirem, consedente fratrum amantissima corona, & quasi inter Paradysiacas amœnitates singularum arborum folia, flores, fructúsque mirarer? nullum inueniens in illa multitudine quem non diligerem,

abundâret nobis huiusmodi, Cam.

D

& à quo me diligi non confiderem, tanto gaudio perfusus sum, vt omnes mundi huius delicias superaret. Sentiebam quippe meum spiritum transfusum in omnibus, & in me omnium transmigrasse affectum, vt dicerem cum Propheta, *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum!* GRAT. Num omnes illos quos sic diligis, & à quibus sic diligeris, te in amicitiam assumpsisse putabimus? AEL. Plerosque omni affectu complectimur, quos tamen ad amicitiæ secreta non admittimus: quæ maxime in omnium secretorum & consiliorum nostrorum reuelatione consistit: vnde Dominus in Euangelio, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos*: causamque subiungens, qua amici nomine digni habeantur, *Quia omnia* (inquit) *quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.* Et alias, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. De his verbis* (vt sanctus ait * Ambrosius) *dedit formam amicitiæ quam sequamur, vt faciamus amici voluntatem, vt aperiamus secreta nostra amico quæcunque*

Ps. 132. 1.

Ioan. 15. 15.

Ioan. 15. 14.

ait sanctus. Cam.

Ambros. l. 3. de

E

*in pectore habemus, & illius * arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, & ille nobis aperiat suum. Nihil enim occultat amicus. Si verus est, effundit animum suum, sicut effundebat mysteria patris Dominus IESVS.* Hæc Ambrosius. Quam multos ergo diligimus, quibus minus cautum est sic nostrum propalare animum, & effundere viscera? quorum vel ætas, vel sensus, siue discretio ad talia sustinenda non sufficit. GALT. Hæc amicitia tam sublimis & perfecta est, vt ad eam aspirare non audeam. Mihi & huic Gratiano illa sufficit, quam tuus Augustinus describit, colloqui scilicet & corridere, & vicissim beneuole obsequi, simul legere, simul conferre, simul nugari, & simul honestari, dissentire interdum sine odio, tanquam homo sibi, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas, docere aliquid inuicem, aut discere ab inuicem, desiderare absentes cum molestia, suscipere aduenientes cum lætitia. His atque huiusmodi, à corde amantium & redamantium procedentibus signis per os, per linguam, per oculos, & mille motus gratissimos, quasi fomitibus conflare animos, & ex pluribus vnum facere. Hoc est quod nos diligendum

off. c. 21. secreta. Cam.

Lib. 4. med. c. 8.

F

credimus in amicis, ita vt rea sibi nostra videatur conscientia, si non amauerimus redamantem, aut si amantem non redamauerimus. AEL. Amicitia hæc carnalium est, & maxime adolescentium, quales aliquando fuerant ipse, & suus, de quo tunc loquebatur amicus: quæ tamen exceptis nugis & mendaciis, si nulla intercesserit inhonestas, spe vberioris gratiæ toleranda est, quasi quædam amicitiæ sanctioris principia, quibus, crescente religione, & spiritualium studiorum paritate, accedente etiam maturioris ætatis grauitate, & spiritualium sensuum illuminatione, purgatiori affectu ad altiora, quasi è vicino conscendant, sicut hesterna die ab hominis ad Dei ipsius amicitiam, ob quandam similitudinem diximus facilius transeundum. Sed iam tempus est, vt quemadmodum amicitia sit colenda, deinceps videamus. Firmamentum igitur stabilitatis, & constantiæ in amicitia fides est; nihil est enim stabile quod infidum est. Simplices quippe, & communes, & consentientes, & qui iisdem rebus moueantur, esse debent amici ad inuicem: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Non

Quemadmodum amicitia sit colenda.

G

enim fidum potest esse multiplex ingenium, & tortuosum. Neque vero hi, qui non iisdem rebus mouentur, nec eisdem consentiunt, stabiles esse possunt, aut fidi. Præ omnibus autem cauenda suspicio, est amicitiæ venenum, vt nunquam male de amico sentiamus, nec mala dicenti credamus, vel consentiamus. Accedat huc in sermone iucunditas, hilaritas in vultu, suauitas in moribus, in oculorum etiam nutu serenitas, in quibus haudquaquam mediocre in amicitia condimentum. Tristitia namque, & seuerior facies, habet quidem honestam plerumque grauitatem, sed amicitia quasi remissior aliquando debet esse, & liberior, & dulcior, ad comitatem * fœlicitatemque, sine leuitate, & dissolutione procliuior. Est præterea ius amicitiæ, parem esse inferiori superiorem. Sæpe enim quidam inferioris gradus, vel ordinis, vel dignitatis, vel scientiæ, ab excellentioribus in amicitiam assumuntur, quos oportet omnia, quæ extra naturam sunt, contemnere & æstimare quasi nihilum, &

forte facilitatemque.

H

inane: & in pulchritudinem amicitiæ, quæ non sericis vel gemmis ornatur, non possessionibus dilatatur, non pinguescit deliciis, nec abundat diuitiis, non honoribus extollitur, non dignitatibus inflatur, semper attendere: & sic ad originis recurrentes principium, æqualitatem quam natura dedit, non * autem circumpendentia, quæ mortalibus cupiditas præstitit, subtili examinatione considerare. Itaque in amicitia, quæ naturæ simul & gratiæ optimum donum * est, sublimis descendat, humilis ascendat, diues egeat, pauper ditescat, & ita vnusquisque alteri suam conditionem communicet, vt fiat æqualitas sicut scriptum est, *Qui multum non abundauit, & qui modicum non minorauit.* Nunquam ergo tuo te præferas amico, sed si forte in his quæ diximus superior inueniris, tunc te magis

deest autem. Cam.

optimum est donum. Cam.

2. Cor. 8. 15.

A

amico submittere non cuncteris, præstare confidentiam, extollere verecundum; & tanto plus ei conferre honoris, quanto minus conferendum vel conditio, vel paupertas præscribit. Præstantissimus iuuenum Ionathas non Regium stemma, nec regni expectationem attendens, fœdus iniit cum Dauid, & seruulum in amicitia adæquans Domino, sic fatigatum à patre, sic latitantem in eremo, sic adiudicatum morti, neci destinatum, sibi prætulit, & se humilians, & illum exaltans,

1. Reg. 23.17.

Tu, (inquit) *eris Rex, & ego ero secundus post te.* O præclarissimum veræ amicitiæ Speculum! Mira res! Rex furebat in seruum, & quasi in æmulum regni totam patriam excitabat, sacerdotes arguens proditionis pro sola suspicione trucidat, lustrat nemora, valles exquirit, montes & rupes * armata obsidet manu, omnes se Regiæ indignationis spondent vltores: solus Ionathas, qui solus iustius poterat inuidere, patri resistendum putauit, deferendum amico, præbendum in tanta aduersitate consilium, & amicitiam regno præferens, *Tu eris*, (ait) *Rex, & ego ero secundus post te.*

armata manu obsidet. Cam.

B

Et vide quomodo pater adolescentis contra amicum excitabat inuidiam, conuitiis vrgens, terrens minis, spoliandum regno, honore priuandum commemorans. Cum enim in Dauid mortis sententiam protulisset, Ionathas amico non defuit, Quare morietur Dauid? Quid peccauit? Quid fecit? Ipse posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum, & lætatus es. Quare ergo morietur? Ad hanc vocem versus in insaniam Rex, lancea nisus est confodere Ionatham cum pariete, addensque conuitia minis, *Fili*, (inquit) *mulieris vltro virum rapientis, scio quia diligis eum in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ.*

1. Reg. 20.30. & seqq.

Deinde totum virus, quo pectus iuuenis aspergeretur, euomuit, adiiciens verbum ambitionis incitamentum, fomentum inuidiæ, zeli & amaritudinis incentiuum; Quandiu vixerit filius Isai, non stabilietur regnum tuum. Quis non moueretur his verbis, non inuideret? Cuius amorem, cuius gratiam, cuius amicitiam non corrumperent, non minuerent, non obliterarent? Ille amantissimus adolescens amicitiæ iura conseruans, fortis ad minas, patiens ad conuitia, propter amicitiam regni contemptor, immemor gloriæ, sed memor gratiæ, *Tu eris*, (inquit) *Rex, & ego ero secundus post te.*

C

Repertos quosdam dicit Tullius, qui pecuniam præferre amicitiæ sordidum æstimarent, illos autem impossibile reperiri, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes non * amicitiæ anteponant; vt cum ex altera parte præposita hæc sint, ex altera ius amicitiæ, non multa illa malint. Imbecillis est enim natura ad contemnendam potentiam. *Vbi enim* (ait) *inuenies, qui honorem amici anteponat suo?* Ecce inuentus est Ionathas victor naturæ, gloriæ ac potestatis contemptor, qui honorem amici suo præferret, *Tu eris*, (inquiens) *Rex, & ego ero secundus post te.*

amicitiæ non anteponant. Cã.

Hæc est vera, perfecta, stabilis & æterna amicitia, quam inuidia non corrumpit, non suspicio minuit, non dissoluit ambitio; quæ sic tentata non cessit, sic arietata non corruit; quæ tot conuitiis pulsata cernitur inflexibilis, tot lacessita iniuriis permansit immobilis. Vade ergo, & tu fac similiter.

D

Verum si tibi præferre quem diligis, durum, vel etiam impossibile iudicas: vel parem eum tibi facere, si vis esse amicus, non negligas. Non enim amicitia recte colitur, à quibus æqualitas non seruatur. *Defer amico vt æquali* (ait Ambrosius) *nec te pudeat vt præuenias amicum officio.*

Lib. 3. de off. c. 21.

Amicitia enim nescit superbiam. Fidelis quippe amicus medicamentum est vitæ, immortalitatis gratia. Iam in beneficiis, quomodo colenda sit, attendamus; & hinc aliquid de alienis manibus extorqueamus. *Hæc lex* (ait quidam) *in amicitia sanciatur, vt ab amicis honesta petamus, & pro amicis honesta faciamus, nec expectemus vt rogemur; cunctatio semper absit.* Si perdenda est pecunia propter amicum, multo magis amici vtilitatibus, vel necessitatibus conferenda. Sed non omnes omnia possunt. Abundat iste pecunia, ille agris & possessionibus, alter in consiliis plus potest, alter magis excellit in honoribus.

E

In his qualem te debeas exhibere amico, prudenter aduerte. Et de pecunia satis dedit scriptura, *Perde* (inquit) *pecuniam propter amicum.* Sed quia oculi sapientis in capite eius, si nos simus membra & Christus caput, faciamus quod ait Propheta, *Oculi mei semper ad Dominum*, vt ab eo accipiamus viuendi formam, de quo scriptum est, *Si quis indiget sapientia, postulet à Domino, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

Eccl. 29. 13. Psal. 24. 15. Iac. 1. 5.

Sic igitur des amico vt non improperes, non mercedem expectes, non frontem obducas, non vultum auertas, non deponas oculos; sed serena facie, hilari vultu, sermone iucundo intercide verba petentis: occurre beneuolentia, vt non rogatus videaris præstare quod petitur. Ingenuus animus nihil magis erubescendum æstimat, quam rogare. Cum igitur tibi esse debeat cum amico cor vnum, & anima vna, iniuriosum nimis est, si non sit & pecunia vna. Hæc igitur lex in hac parte inter amicos teneatur, * vt sic se sibi suaque impendat, vt qui dat, seruet hilaritatem, qui accipit, non perdat securitatem.

vt se sibi sic Cam.

F

Booz cum Ruth Moabitidis aduertisset inopiam, post messores suos legentem spicas alloquitur, consolatur, inuitat ad conuiuium puerorum, & verecundiæ eius ingenue parcens, iubet messoribus etiam de industria spicas relinquere, quas illa * colligeret absque pudore.

Ruth. 2. 8.

absque pudore colligeret. Cam.

Sic & nos debemus amicorum necessitates subtilius explorare, petiturum beneficiis præuenire, talem in dando modum seruare, vt ille gratiam videatur præstare qui accepit, magis quam ille qui dedit. GAL. Nobis igitur quibus nihil accipere, nihil dare permittitur, qualis erit in hac parte spiritalis amicitiæ gratia? AEL. *Felicissimam vitam* (ait sapiens) *ducerent homines, si duo hæc verba de medio tollerentur, Meum & Tuum.* Magnam certe præstat spiritali amicitiæ firmitatem sancta paupertas, quod ideo sancta est, quia voluntaria. Cum enim peremptorium sit amicitiæ cupiditas, tanto certe facilius amicitia parta seruatur, quanto animus ab illa peste purgatior inuenitur. Sunt tamen alia in spiritali * amore beneficia, quibus & adesse sibi, & prodesse possunt amici.

amicitia. Ca.

G

Primum vt solliciti sint pro inuicem, orent pro inuicem, erubescant alter pro altero, alter gaudeat pro altero, alterius lapsum vt suum lugeat, alterius profectum suum existimet. Quibus modis potest erigat pusillanimem, suscipiat infirmum, consoletur tristem, iratum sustineat. Sic præterea oculos reuereatur amici, vt nihil quod inhonestum sit agere, nihil quod dedeceat loqui præsumat. Cum enim quicquid ipse deliquerit, ita redundet in amicum, vt non solum intra se erubescat & doleat, sed etiam is qui videt vel audit, sibi, ac si ipse peccasset, improperet, profecto licet non sibi, amico tamen credit esse parcendum. Optimus itaque comes amicitiæ verecundia est, & ideo maximum ornamentum tollit amicitiæ, qui ab ea tollit verecundiam. Quam sæpe conceptam ab intus iracundiæ flammam, & iam in publicum erumpentem, amici mei nutus compescuit vel extinxit? quoties verbum indecens vsque ad fauces progressum, austerior illius aspectus repressit? Quam sæpe incautius resolutus in risum, vel in otiosa lapsus, in eius aduentu debitam grauitatem recepi?

H

Præterea quicquid suadendum est, ab amico facilius recipitur, & securius retinetur; cuius magna in suadendo debet esse auctoritas, cum nec fides eius dubia, nec adulatio sit suspecta. Amicus igitur amico, quod honestum est, suadeat secure, manifeste, libere. Nec solum monendi sunt amici, sed si opus fuerit obiurgandi. Nam cum quibusdam molesta sit veritas, siquidem ex ea nascitur odium secundum illud, Obsequium amicos, veritas odium parit; obsequium tamen illud multo molestius est, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum * fieri sinit. Maxime autem culpandus est amicus, & hinc præcipue obiurgandus, si veritatem aspernatur, & obsequiis atque blanditiis in crimen impellitur. Non quod non debeamus amicis dulciter obsequi, & plerumque blandiri, sed in omnibus seruanda moderatio est, vt monitio acerbitate, obiurgatio con-

ferri. Cã.

tumelia

A tumelia caresc. In obsequiis vero vel blanditiis, suauis quædam & honesta affabilitas assit, assentatio vero vitiorum adiutrix procul amoueatur. Quæ non solum amico, sed nec libero quidem digna est. Cuius autem aures veritati clausæ sunt, vt ab amico verum audire * nequeant, huius salus desperanda est. [*nt possit. Cam.] Quomodo circa (sicut ait Ambrosius) *si quid vitij in amico aeprehenderis, corripe occulte; si te non audieris, corripe palam. Sunt enim bona correctiones, & plerumque meliores quam tacita amicitia. Et si lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Et si amaritudo correptionis animum eius vulneret, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quam adulantium oscula.* [Prou. 27.6.] Errantem igitur amicum corripe. Super omnia tamen, cauenda est in correptione ira & amaritudo mentis, ne non tam videatur amicum velle corrigere, quàm suo stomacho satisfacere. Vidi enim aliquos in amicis corrigendis, conceptam amaritudinem ebullientemque furorem, nunc zeli, nunc libertatis nomine palliare, [B] & secutos impetum non rationem, sua tali correptione nunquã prodesse, imo & obesse plurimũ. At inter amicos nulla vitij huius excusatio est. Debet enim amicus amico compati, condescendere, vitium eius suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, sermo deiectior, intercipiant verba lachrymæ, vt non solum videat, sed etiam sentiat correptionem ex amore, & non ex rancore procedere. Si forte primam correptionem respuerit, recipiet vel secundam. Tu interim ora, tu plora tristem præferens vultum, pium seruans affectum. Exploranda est etiam animi illius qualitas, nam sunt quibus blanditiæ prosunt, & his libentius acquiescunt. Sunt qui pro nihilo eas ducunt, & facilius verbo vel verbere corriguntur. Amicus proinde ita se conformet & aptet amico, vt eius congruit qualitati: & cui in exteriori aduersitate dent adesse, his, quæ sunt aduersa spiritui, multo magis festinet occurrere. Igitur sicut monere & moneri proprie * amicitiæ est, [*est amicitia. Cam.] [C] & alterum libere facere non aspere, alterum patienter accipere non repugnanter: sic habendum est, in amicitiis nullam pestem esse maiorem, quam adulationem & assentationem, quæ sunt leuium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Nulla proinde sit inter amicos cunctatio, simulatio nulla, quæ maxime repugnat amicitiæ. Debet quippe amico veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. [Psl.104.5.] *Corripiet me* (ait S. David) *iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Simulator & callidus prouocat iram Dei. [Isa.p.12. Prou. 11. 9.] Inde Dominus per Prophetam, *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Simulator* enim * *ore* [*ore de. Cam.] (vt ait Salomon) *decipit amicum suum.* Quocirca sic colenda est amicitia, vt si forte certis ex causis admittenda videatur dissimulatio, sed simulatio nunquam. GAL. Quomodo quæso dissimulatio necessaria est, quæ (vt mihi videtur) semper vitium est? [D] AEL. Falleris fili: nam & Deus dissimulare dicitur peccata delinquentium, nolens mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. GALT. Distingue rogo, inter simulationem & dissimulationem. AEL. Simulatio (vt mihi videtur) deceptorius quidam consensus est, contra iudicium rationis, quam Terentius in persona Gnatonis satis eleganter expressit, Negat quis? Nego. Ait? Aio. Postremo imperaui egomet omnia mihi assentari. Et * forte hæc Ethnicus [*forte ethnicus. Cam.] ille de nostris mutuauit thesauris, sensum Prophetæ nostri suis exprimens verbis. Nam & hoc ipsum, ex persona plebis peruersæ, dixisse Prophetam manifestum est. [Isa.30.10.] *Videte nobis vana; loquimini nobis placentia.* Et alias, [Ier.5.31.] *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manu, & populus meus dilexit talia.* Hoc vitium vbique detestandum est, semper & vbique cauendum. Porro dissimulatio dispensatoria * quædam [*est quadam. Cã.] est vel pœnæ, vel correptionis dilatio sine consensu interiori, pro loco, pro tempore, pro persona. Neque enim si quis * amicus constitutus in plebe deli- [*amic. diliq. cons. in plebe. Cam.]

[E] querit, subito & palam obiurgandus est, sed dissimulandum pro loco, imo &, quantum salua veritate fieri potest, excusandum quod fecit, & ad debitam correptionem inferendam expectandum familiare secretum. Sic eo tempore, quo animus intentus pluribus, minus est ad ea quæ dicenda sunt idoneus, vel, aliis superuenientibus causis, paululum commotior sensus ei fuerit aliquantulum perturbatus, dissimulatione opus est, donec interiori tumultu sedato, correpientem aure pacatiore sustineat. David Rex, cum præuentus concupiscentia homicidium adulterio copulasset, correpturus eum Propheta Nathan [2.Reg. 12. 1. & seqq.] Regiæ deferens maiestati, non subito, nec mente turbata tantæ personæ crimen impegit, sed congrua dissimulatione præmissa, prudenter ipsius Regis, contra seipsum, sententiam extorsit. GALT. Mihi perplacet ista distinctio. Sed scire velim, si amicus potentior fuerit, possitque ad honores vel quaslibet dignitates, quos voluerit promouere, [F] vtrum debeat eos quos diligit, & à quibus diligitur, ceteris in tali promotione præferre, & inter ipsos, quos amplius diligit, eis quos minus diligit anteferre? AEL. Et in hac parte quomodo colenda sit amicitia, operæpretium est indagare. Sunt enim nonnulli, qui se putent non amari, quia non possunt promoueri; seque contemni causentur, si non curis & officiis implicentur. Vnde non paruas discordias inter eos, qui putantur amici, ortas nouimus, ita vt indignationem diuortium sequeretur, diuortium maledicta. Itaque in dignitatibus vel officiis, maxime Ecclesiasticis, magna cautio adhibenda est: nec attendendum quid possis præstare, sed quid ille, cui præstas, poterit sustinere. Plures quippe sunt diligendi, qui tamen non sunt promouendi; & multos laudabiliter & dulciter amplectimur, quos non sine graui nostro peccato, & illorum summo periculo, curis & negotiis implicaremus. Quocirca semper in his ratio sequenda est non affectus, [G] nec his imponenda est honos vel onus illud, quos habemus amiciores, sed quos ad ea sustinenda credimus aptiores. Vbi tamen virtutis inuenitur æqualitas, non multum improbo, si aliquantisper affectus suas inserit partes. [De Petro & Ioanne.] Nec quisquam se idcirco dicat contemptum, quia non promotum; cum Dominus IESVS Petrum Ioanni in hac parte prætulerit, nec ideo subtraxerit Ioanni affectum, quia Petro dederat principatum. [a Ioan. 21.15.16.17.] a Petro commendauit Ecclesiam suam; [b Ioan. 19.26.27.] b Ioanni dulcissimam matrem suam. [c Matt. 16. 18. 19.] c Petro dedit claues regni sui; [d Ioan. 13. 23. 24.] d Ioanni reseruauit arcana pectoris sui. Petrus ergo sublimior, Ioannes securior. Petrus scilicet in potestate constitutus, dicente IESV, [e Ioan. 13.21.] e *Vnus ex vobis tradet me*, cum cæteris timet & trepidat; Ioannes ex sinus sui participatione factus audacior, innuente Petro, quisnam ille esset, interrogat. Petrus ergo exponitur actioni, Ioannes reseruatur affectui; [Ioan.21.22.] quia *Sic* (inquit) *eum volo manere donec veniam.* [H] Exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Præstemus amico quicquid amoris est, quicquid gratiæ, quicquid dulcedinis, quicquid charitatis, * futiles honores & onera illis, quos præscripserit ratio, imponamus, [*fut. hon. Cam.] scientes * quia nunquam vere diligit amicum, cui amicus * ipse non sufficit, [*quod. Cã.] [*ille. Cam.] nisi hæc vilia & contemptibilia adiecerit. Cauendum autem magnopere est, ne tenerior affectus maiores vtilitates impediat, dum eos, quos ampliori charitate complectimur, vbi magna spes fructus vberioris elucet, nec absentare volumus, nec onerare. Hæc est enim amicitia * ordinata, [*ord. amic. Cam.] vt ratio regat affectum, nec tam quid illorum suauitas, quam quid multorum petat vtilitas attendamus. Recordor nunc duorum amicorum, qui licet exempti præsentibus, mihi tamen viuunt sempérque viuent, quorum primum in initiis meæ conuersionis, quadam mihi morum similitudine & studiorum parilitate compararueram, cum adhuc essem adolescens; alterum ab ipso fere pueritiæ suæ tempore à me electum, & multifarie multisque mo-

A

dis probatum, cum iam ætas mihi variaret capillos, in summam amicitiam assumpsi. Et illum quidem nullo adhuc curæ pastoralis onere pressus, nulla rerum temporalium sollicitudine distentus, claustralium deliciarum & spiritalium dulcedinum, quibus tunc initiabar, socium consortemque delegeram: nihil exigens, nihil præstans præter affectum, & ipsius affectus suaue quoddam, prout charitas dictabat, indicium. Istum iam iuuenem, in meæ sollicitudinis partem ascitum, in his sudoribus meis habui coadiutorem. Inter vtramque hanc amicitiam, memoria præeunte, discernens, video priorem innixi magis affectui, alterum rationi; quamuis nec illi affectus defuerit, nec illum ratio deseruerit. Denique prior, in ipsis amicitiæ nostræ principiis ereptus mihi, eligi potuit * sicut præscripsimus, non probari; alter à puero vsque ad mediam ætatem dimissus mihi, & à me dilectus, per omnes amicitiæ gradus, quousque talium * potuit imperfectio, mecum ascendit. Et primum quidem virtutum eius contemplatio illi meum inclinauit affectum, quem ego olim ab australibus partibus in aquilonarem hanc solitudinem duxi, ego regularibus disciplinis primus institui. Ex tunc ipse victor corporis, laboris etiam & inediæ patiens, plurimis exemplo fuit, admirationi multis, mihi gloriæ & delectationi. Es iam tunc eum in amicitiæ principiis nutriendum putaui, vtpote quem onerosum nulli, sed omnibus gratum intuebar. Ingrediebatur & egrediebatur pergens ad imperium seniorum humilis, mansuetus, grauis motibus, sermone rarus, indignationis nescius, murmuris, & rancoris, & detractionis ignarus; incedebat *quasi surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum.* Vt iumentum factus est sequens obedientiæ frænum, & iugum disciplinæ regularis mente, & corpore infatigabiliter portans. Ingressus aliquando adhuc puer * cellam infirmorum, correptus est à sancto patre & prædecessore meo, quod tam cito puer se quieti inertiæque dedisset: sic erubuit, vt mox egressus tam feruenter corporalibus se subderet exercitiis, vt multis annis nec cum graui * ægritudine vrgeretur, aliquid sibi de consueto rigore laxauerit. Hæc eum mihi inuiscerauerant miris modis, & ita in animum induxerant meũ, vt mihi eum de inferiori socium, de socio amicum, de amico * amicissimum facerem. Videns enim eum in quosdam canos virtutis, & gratiæ profecisse, fratrum vsus consilio, onus ei Supprioratus imposui. Quod quidem inuitus, sed quia * tantum obedientiæ sese deuouerat, modestè suscepit. Egit tamen * mecum multum secreto vt dimitteretur, prætendens ætatem, prætendens inscitiam, prætendens amicitiam * quam iam initiabamur, ne fortè hac occasione vel minus diligeret, vel * diligeretur minus. Sed his nihil proficiens, cœpit libera voce quicquid timebat vtrisque, quicquid sibi in me minus placebat, humiliter & modestè proferre in medium: sperans, vt postea confessus est, hac me quasi præsumptione offensum, ad id posse, quod petebat, facilius inclinari. Sed hæc eius mentis vocisque libertas, amicitiæ nostræ cumulum addidit, qua volebam eum amicum habere non * minimum. Cernens tunc ille me gratum habere quod dixerat * respondisse humiliter ad singula, satis dedisse de omnibus, se non modo nihil offensionis, sed insuper copiosiorem fructum percepisse: cœpit me & ipse artius solito diligere, habenas laxare affectui, & meo se pectori totum infundere. Ita & mihi eius libertas, & mea sibi probata patientia est. Ego quoque vicem rependens amico, accepta occasione durius obiurgandum putaui, nec quibusdam quasi conuitiis parcens, eum libertati meæ nec impatientem reperi, nec ingratum. Cœpi deinde consiliorum meorum ei reuelare secreta, & fidelis inuentus est. Ita inter nos amor creuit, concaluit affectus, charitas roborabatur, donec ad id ventum est, vt esset nobis cor vnum & anima vna, idem velle & idem nolle: essetque hic amor timoris vacuus, offensionis nescius, suspicione carens, adulationem exhorrens. Nihil inter nos simulatum, fucatum nihil, nihil inhonestè blandum, nihil indecenter durum, circuitus nullus, nullus angulus, sed omnia nuda & aperta, qui meum pectus * quodammodo suum putarem, & eius meum, ipseque similiter. Ita in amicitia recta linea gradientibus, nullius correptio indignationem, nullius consensio culpam pariebat. Vnde se amicum in omnibus * probans, meæ paci, meæ quantum poterat prospiciebat quieti. Ipse se periculis obiiciebat, scandalis emergentibus obuiabat. Volebam ei aliquando aliquid de his temporalibus, quia iam infirmabatur, præbere solatium: sed ille prohibebat, cauendum dicens ne amor noster, secundum hanc carnis consolationem metiretur; ne id magis carnali affectui meo, quam eius necessitati ascriberetur, & sic mea auctoritas minueretur. Erat igitur quasi manus mea, quasi oculus meus, baculus senectutis meæ. Ipse spiritus mei reclinatorium, dolorum meorum dulce solatium, cuius amoris sinus excipiebat laboribus fatigatum, cuius consilium recreabat tristitia vel mœrore demersum. Ipse commotum pacificabat, ipse leniebat iratum. Quicquid minus lætum emergebat referebam ad eum, vt quod solus non poteram, iunctis humeris facilius sustinerem. Quid ergo? Nonne quædam * beatitudinis portio fuit sic amare, & sic amari; sic iuuare & sic iuuari; & sic ex fraternæ charitatis dulcedine in illum sublimiorem * dilectionis diuinæ splendorem altius euolare, & in scala charitatis nunc ad Christi ipsius complexum conscendere, nunc ad amorem proximi ibi suauiter repausandum descendere? In hac igitur amicitia nostra, quam exempli gratia inseruimus, si quid cernitis imitandum, ad vestrum id retorquete profectum. Sed vt tandem collationem hanc nostram vel sole ruente claudamus, ab amore profectam amicitiam non dubitatis. Qui vero semetipsum non amat, alium amare qui potest? Et cum ex similitudine amoris, quo ipse sibi charus est, amorem proximi debeat ordinare, se autem non diligit, qui turpe aliquid vel inhonestum, vel à se exigit vel sibi impertit? Primum igitur est vt semetipsum quisque castificet, nihil sibimet indulgens quod indecens sit, nihil sibi subtrahens quod vtile sit. Sic vero seipsum diligens, diligat & proximum, eandem regulam sequens. Sed quia hic amor multos colligit, ex ipsis eligat * quem ad amicitiæ secreta lege familiari admittat, in quem suum copiosè infundat affectum, denudans pectus suum vsque ad inspectionem viscerum & medullarum, cogitationum & intentionum cordis. Eligatur autem non secundum affectionis lasciuiam, sed secundum rationis perspicaciam, similitudine morum & contemplatione virtutum. Deinde sic se impendat amico, vt leuitas omnis absit, iucunditas adsit, nec ordinata desint beneuolentiæ, & charitatis officia vel obsequia. Iam exinde probetur * fides eius, probetur honestas, probetur patientia. Accedat paulatim consiliorum communio, assiduitas parilium studiorum, & quædam conformatio vultuum. Sic enim conformari sibi debent amici, vt statim cum alter alterum viderit, etiam similitudo vultus vnius in alterum transfundatur, siue fuerit deiectus tristitia, siue iucunditate serenus. Ita electus atque probatus, cum certum tibi fuerit * nihil eum velle, quod dedeceat vel petere ab amico vel præstare rogatus, * constiterit tibi amicitiam eum virtutem putare non quæstum, adulationem fugere, detestari assentationem: inuentusque fuerit liber cum discretione, patiens in correptione, firmus & stabilis in dilectione; tunc illa spiritalis sentitur dulcedo, quam bonum scilicet, & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Quam vtile tunc dolere pro inuicem, laborare pro inuicem, onera sua portare inuicem, cum vnusquisque pro altero semetipsum negligere dulce habet, alterius voluntatem suæ præferre, illius necessitati magis, quam suiipsius occurrere, aduersis semet opponere & exponere. Interea quam dulce habent conferre inuicem, sua studia mutuo patefacere, simul examinare omnia, & de omnibus in vnam conuenire sententiam? Accedit & pro inuicem oratio, quæ in amici memoria tanto efficacius, quanto affectuosius ad Deum emittitur, profluentibus lacrymis quas vel timor excutit, vel

affectus

Marginal notes (left margin):

non pro. sic. pro. Cam.
imp. potuit.
B
Cam.
Psal. 37. 14.
infirmorum cellam. Cam.
C
infirmitate. Cam.
fac. amicissimum. Cam.
totum sese obed. dem. Cam.
multis fec mec. Cam.
qua iam Cam.
minus diligere-
D
r tur. Cam.
minus. Cam.
humili. ref. Cam.

Marginal notes (right margin):

E
suũ quodam. Ca.
prabens. Cam.
F
por. sit. bea. Ca.
diu dilect. Ca.
G
quos. Cam.
eius fides. Ca.
H
quod nihil velit. cam.
constiteritque. cam.

A affectus elicit, vel dolor educit. Ita pro amico orans Christum, & pro amico volens exaudiri à Christo, ipsum diligenter & desideranter intendit, cum subitu & insensibiliter aliquando affectus transiens in affectum, & quasi è vicino ipsius Christi * tangens dulcedinem, incipit gustare quam dulcis est, & sentire quam suauis est. Ita à Sancto illo amore, quo amplectitur amicum, ad illum conscendens, quo amplectitur Christum, spiritalem amicitiæ fructum pleno latus * ore carpebit, plenitudinem omnium expectans in futurum: quando timore sublato, quo nunc pro inuicem metuimus & solliciti sumus; omni aduersitate depulsa, quam oportet nunc vt pro inuicem sustineamus; mortis insuper aculeo cum ipsa morte destructo, cuius nunc punctionibus plerumque fatigati, necesse est vt pro inuicem doleamus; securitate concepta, de summi illius boni * æternitate gaudebimus, cum hæc amicitia, ad quam hic paucos admittimus, transfundetur in omnes, & ab omnibus refundetur in Deum, cum Deus fuerit omnia in omnibus.

dulc. dig. Cam.

ore etiam carp. Cam.

ater. cum hac. Cam.

B

EXPLICIT LIBER III.

DIVI AELREDI TRACTATVS super Euangelium:

Cum factus esset IESVS *annorum duodecim.* Luc. 2.

PEtis à me, fili charissime, I. quatenus ex lectione Euangelica, qua duodennis pueri IESV pia gesta narrantur, aliqua piæ meditationis, & sancti amoris eliciam semina, & sportulis litterarum commendans, tibi colligenda transmittam. Adhuc nuntius ista loquebatur, & ecce sensi in ipsis medullis cordis mei
C ex quanto, ex quali, ex quam ardenti ex quam dulci tuæ id fraternitas petebat affectu: cum subitu mihi venit in mentem, vbi aliquando fuerim, quid senserim, quid in me ipsa Euangelica verba nonnunquam egerint, vel cum legerentur, vel cum cantarentur.

Respexi, respexi miser, respexi, & vidi quam longe post tergum meum illa suauia, ac iucunda reliqueram, quam longe ab his deliciis occupationum ac sollicitudinum me funes abstraxerint, adeo vt quæ tangere tunc nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sint: hæc recordatus sum & effudi in me animam meam, cum emissa ad me manus Domini tetigit cor meum, & vnxit illud vnctione misericordiæ suæ.

Cernis in ipso tuæ inquisitionis modo, quid luminis, quid splendoris tuus mihi scintillat affectus? cum insinuari tibi flagitares, puer IESVS, triduo illo quo quærebatur à matre, vbi fuerit, quo sit vsus hospitio, quibus cibis alitus, quorum delectatus consortio, quibus negotiis occupatus. Sentio, fili mi, sentio ea
D ipsa quam familiariter, quam affectuose, cum quibus lachrymis in orationibus tuis sanctis ab ipso IESV soleas suscitari, cum ante oculos cordis tui, illa dulcis pueri dulcis versatur imago, cum illum speciosissimum vultum spiritali quadam imaginatione depingis, cum oculos illos suauissimos, simul ac mitissimos in te iucundius radiare persentis. Tunc vt mihi videtur intimo clamas affectu. O dulcis puer, vbi eras? vbi latebas? Quo vtebaris in hospitio, quorum fruebaris consortio, vtrum in cœlo, an in terra, an in domo aliqua interim morabaris, vel certe cum aliquibus, tuæ tunc ætatis puerulis secreto loco consistens, eis secretorum mysteria profundebas, secundum tuam in Euangelio vocem:
Marc. 10. 14. *Sinite pueros venire ad me, & nolite prohibere illos?* Felices, si qui fuerunt illi, quibus tot diebus tuam tam familiariter præsentiam indulsisti. Sed quid est, mi dulcis Domine, quod sanctissimæ matri tuæ quærenti, dolenti, suspiranti non compatiebaris? Denique ipsa, & pater tuus dolentes quærebant te. Immo tu Domina mea dulcissima, cur puerum quærebas, quem Deum
E esse non ignorabas? An ne cruciaretur fame, ne frigore vexaretur, ne à quolibet suæ ætatis puero iniuriaretur, formidabas? Nunne ipse est, qui pascit omnia, omnia
Matth. 6. 29. & seqq. nutrit, qui *fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur*, gloriosius à Salomone vestit & ornat? Quin potius, Domina mea, pace tua dico, dulcissimum filium tuum cur tam facile amisisti, tam incuriose custodisti, tam sero quod deerat animaduertisti? Vtinam mihi inspirare dignetur ipse IESVS, quid tibi sic quærenti, sic flagranti, sic æstuanti, interno ac spiritali sermone responderit, vt nota tibi scribere, ac gustata eructare sufficerem. Videamus tamen, si placet, quidnam sit quod Dominus IESVS in Bethlehem nascitur, latet in Ægypto, nutritur in Nazareth, & inde duodennis ad templum, & metropolim ciuitatem ascendit, nec solus tamen, sed sub parentum disciplina. Vt quid ista omnia? Quia profecto dux est Dominus meus IESVS, quia Medicus, quia Doctor. Et vt dux noster *exultauit vt gigas ad currendam viam*, quoniam à summo cœlo egressio eius, & vsque ad Bethlehem descensus eius.
F Ps. 18. 6. Vbi plena cœlestium odoramentorum relinquens vestigia, posuit tenebras, id est Ægyptum, latibulum suum Et cum sedentibus in tenebris & vmbra mortis, lucem supernæ gratiæ infudisset, & Nazareth sancta sua nobilitauit præsentia: sicque Nazaræus effectus, templum ingreditur quasi puer, discens non docens, audiens & interrogans, & in his omnibus à parentum disciplina nun recedens.

Sic Domine, sic præcedis miseros, sic sanas ægrotos: hanc viam errantibus, hanc ascendentibus scalam, hunc exulibus reditum præmonstras. Quis dabit mihi, IESV bone, tuis inhærere vestigiis, & sic currere post te,
Luc. 15. 12. & seqq. vt quandoque apprehendam te? Ego prodigus ille filius, qui accepi ad me substantiam meam, nolens custodire ad te fortitudinem meam, profectus sum in regionem longinquam, regionem dissimilitudinis, *comparatus iumentis insipientibus, & similis redditus illis.* Ibi
G Ps. 34. 13. dissipaui omnia mea viuendo luxuriose, & sic cœpi egere. Infelix egestas! cui & panis defuit, & porcorum cibus non profuit. Sequens quidem animalia immundissima *erraui in solitudine, in inaquoso*, viam ciuitatis
Ps. 106. 4 & seq. habitaculi non inueniens. Esuriens & sitiens anima mea in malis contabuit. Et dixi. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Dum sic clamarem ad patrem, exaudiuit me deducens in viam rectam, vt irem in ciuitatem habitationis. Quam? nisi illam quæ abundat panibus, & domus panis dicitur, id est, Bethleem? Confiteantur tibi Domine misericordiæ tuæ, quia satiasti animam inanem, & animam esurientem satiasti bonis, pane vtique illo qui de cœlo descendit, & positus in præsepi, spiritalium cibus factus est iumentorum. Et hæc quidem conuersionis, quasi spiritalis cuiusdam natiuitatis sunt initia, vt conformemur paruulo, Paupertatis suscipiamus insignia, & facti vt iumentum apud te Domine, præsantiæ tuæ deli-
H Eccl. 2. 1. ciis perfruamur. Sed quia scriptum est, *Fili accessisti ad seruitutem Dei, sta fortiter, & præpara animam tuam ad tentationem*: abscondit modicum faciem suam à nobis Dominus IESVS, non vt discedat, sed vt lateat; & ecce Ægyptus, ecce tenebræ, ecce turbatio. Sedentes quippe in tenebris, & vmbra mortis, laborantes expertæ iucunditatis inopia, vincti, & compediti ferro, proprij videlicet cordis duritia: necesse est vt clamemus ad Dominum cum tribulamur, & ipse de necessitatibus nostris eruet nos. Luce enim suæ consolationis, dissipans tenebras huius tentationis, & gratia internæ compunctionis, rumpens vincula duritiæ interioris, sereniori vultu nos præcedit ad Nazareth: vt ibi inter flores scripturarum, & virtutum fructus, sub seniorum disciplina nutriti, duodecimi anni delicias sortiamur. Sicut enim Dominus IESVS in nobis nascitur, & concipitur,
Eph. 4. 13. ita profecto & crescit, & nutritur in nobis: *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Cum

A

Cum ergo factus esset Iesvs *annorum duodecim, ascendentibus illis in Hierusalem secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer* Iesvs *in Hierusalem.*

PRimum itaque ne nos prætereat sanctissimæ huius historiæ mira suauitas, sciendum id moris fuisse Iudæis, vt ascendentes ad diem festum, seorsim viri, seorsim incederent fœminæ: ne forte aliquid coinquinationis subreperet, præscribente lege diuina, vt mundi tantum sacris solemniis interessent. Vnde credibile est puerum Iesvm in illo itinere nunc patri, & viris adhærentibus ei; nunc matri, & mulieribus comitantibus eam, suæ præsentiæ dulcedinem indulsisse. Cogitemus, rogo, quanta fuit eorum fœlicitas, quibus datum est tot diebus videre faciem eius, & mellifluos illius audire sermones, considerare in homine & puero, signa quædam cœlestis radiare virtutis, & inter confabulationes mutuas mysterium sapientiæ salutaris inserere. Stupent

B

senes, iuuenes admirantur, & suæ tunc ætatis pueri morum grauitate, & sermonum illius pondere deterrentur. Credo enim in illo speciosissimo vultu, tantam gratiæ cœlestis elegantiam refulsisse, vt omnium in se conuerteret aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne quæso quemadmodum à singulis rapitur, à singulis trahitur. Senes osculantur, amplectuntur iuuenes, pueri obsequuntur. Et quæ lacrymæ à pueris, cum diutius à viris teneretur? quæ sanctis mulieribus querimoniæ cum paulo plus cum patre, & eius sociis moraretur? Credo singulos intimo proclamare affectu, *Osculetur me osculo oris sui.* Et pueris eius præsentiam suspirantibus, sed senum contuberniis se inserere non audentibus, illud facillime coaptatur. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer?* Cum hac igitur iucunditate ingredientibus cunctis sanctam Ciuitatem, contemplare, rogo, inter singulas familias quam pia fuerit ac sancta contentio, cunctis desiderantibus sibi eius dulcissimam, ac iucundissimam præsentiam indulgeri. Felix qui vincit.

Cant.1.

Cant.8.

C

Forte ob hanc causam consummatis omnibus, cum redirent, remansit puer Iesvs in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Arbitrans enim vnusquisque quod esset cum altero, vtpote qui amabatur ab omnibus, ab omnibus petebatur, non cognouerunt parentes eius quod abesset, donec itinere diei vnius expleto, per singulas familias, quæ simul ascenderant, quæreretur inter cognatos, & notos. Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem. Post triduum autem inuenerunt eum in templo. Per illud itaque triduum, vbi eras bone Iesv? Quis tibi cibum ministrauit ac potum, quis lectulum strauit, quis detraxit calceamenta, quis membra puerilia vnguentis fouit, & balneis? Scio certe, quia sicut voluntate nostram infirmitatem suscepisti, ita cum velles propriam virtutem ostendisti, & ideo, cum velles, his obsequiis non eguisti. Vbi ergo eras Domine? De his omnibus æstimare, vel conicere, vel opinari aliquid

D

libet: affirmare autem temere nihil licet. Quid dicam Deus meus? An vt te per omnia nostræ conformares paupertati, [79] & omnes in te [80] humanæ miseriæ susciperes, quasi vnus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me [81] buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, vel saltem diuini illius edulij reliquiis saginari?

Sed [82] vt ad sublimioris opinionis secreta veniamus: prima forte die paternis se vultibus præsentauit, non [83] vt consederet, sed [84] vt de ordine susceptæ dispensationis paternam voluntatem consuleret. [85] Nec absurda videtur talis opinio, si æstimetur Dei filius de his, [86] quæ in diuina natura ipse simul cum Patre & Spiritu sancto coæqualis, & [87] consubstantialis vtrisque disposuerat, in forma serui quam [88] suscepit, homo Deum, paruus magnum consuluerit: non vt disceret, quod ipse cum Patre in forma Dei æternaliter nouerat, sed [89] vt patri per omnia deferret, obedientiam offerret, præferret humilitatem. Ibi igitur in illo secreto

E

cubiculo patris de [90] baptismate suscipiendo, de eligendis discipulis, de condendo Euangelio, de miraculis faciendis, postremo de tolerantia [91] passionis, & resurrectionis gloria, cunctis diuino modo dispositis: altera iam die Angelicis, & Archangelicis choris suauitatem sui vultus indulsit, referensque antiquam ciuium supernorum ruinam post modicum reparandam, vniuersam lætificat ciuitatem Dei. Iam tertia [92] die cuneos Patriarcharum & Prophetarum [93] inuisens, ea quæ à Sancto Simeone sene iam dudum audierant, proprij vultus manifestatione [94] probauit: sicque expectationis illorum moras, instantis iam redemptionis promissione consolans, animæquiores, [95] & alacriores reddidit vniuersos. Merito igitur post triduum inuenitur in medio Doctorum & seniorum, vt paternæ pietatis de hominum reparatione consilium sicut angelis & sanctis carne exutis, quantum videbatur, propalauerat: in omnium mundialium locorum sacratissimo, [96] templo scilicet

F

Hierosolymitano, & his primo, qui pretiosissimum huius promissionis thesaurum in sacris litteris conseruabant, paulatim inciperet [97] reserare; primo audiens, & interrogans, deinde interrogatus sacratissima mysteria prodens. Denique *mirabantur omnes, super prudentia & responsis eius.* Data [98] est pueris & adolescentibus, humilitatis & verecundiæ forma, vt in medio seniorum taceant vt audiant, interrogent vt discant. Indica [99] mihi, ô dulcissima Domina mea, mater Domini mei, quid tibi tunc fuerit animi, quid stuporis, quid gaudii, cum dulcissimum filium [100] tuum puerum Iesvm inuenires non inter pueros, sed inter Doctores? cum omnium oculos intentos in ipsum, omnium cerneres [102] aures erectas ad ipsum, cum de prudentia eius & responsis pusilli & magni, docti pariter & indocti loquerentur? Inueni, inquit, quem diligit anima [103] mea, tenui illum, nec dimittam. Tene, O dulcis Domina, tene quem [104] diligis, rue in collum eius, amplectere, osculare, & triduanam absentiam eius multipli-

G

caris deliciis recompensa. *Fili, quid est, quod fecisti nobis? Ecce pater tuus. & ego dolentes quærebamus te:* [105] Iterum dico tibi, O Domina mea, quid dolebas? Credo non famem, non sitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras: sed tantum [106] subtractas tibi vel ad modicum ineffabiles præsentiæ eius delicias quærebaris. Tam enim dulcis est Dominus Iesvs gustantibus eum, tam speciosus [107] videntibus, tam suauis amplectentibus, vt breuis eius absentia maximi doloris materia sit. *Quid* [108] *est*, inquit, *quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Iam hic cœlestium mysteriorum, in quibus per triduum [109] fuerat obseruatus, incipit reserare secretum, vt humilitatis, & obedientiæ, [110] simul & propriæ voluntatis deserendæ, [111] seniorumque præceptis, etiam vtilibus prætermissis, obtemperandi expressius, & excellentius commendaret exemplum; cum [112] his sublimibus tam vtilibus, tam denique necessariis prætermissis, seniorum [113] se subdiderit voluntati,

H

vt ait Euangelista: *Et descendit cum eis; & erat subditus illis.* Sed quid est quod ait [114] Euangelista, quia scilicet *ipsi non intellexerunt verbum, quod loquutus fuerat?* Non hoc de Maria dictum arbitror, quæ ex quo Spiritus sanctus superuenit in eam, & ei virtus altissimi obumbrauit, nullum [115] filij sui potuit nescire consilium: sed cæteris non intelligentibus quæ dixerat, Maria, vt sciens & intelligens, *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Memoria conseruabat, meditatione ruminabat, & hæc cum cæteris, quæ de eo viderat, & audierat, conferebat. [116] Ita beatissima Virgo etiam tunc nobis misericorditer prouidebat, ne tam dulcia, tam salubria, tam necessaria, aliqua negligentia laberentur, & propterea nec scriberentur, nec prædicarentur, & [117] sic sequaces huius spiritualis mannæ deliciis fraudarentur. Omnia igitur hæc virgo prudentissima fideliter conseruauit, verecunde tacuit, opportune prodidit, & [118] sanctis Apostolis & discipulis prædicanda commisit. De [119] his quæ sequuntur, Iesvs *proficiebat* [120]

A *sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & apud homines;*
Multi multa dixerunt, & diuersi [121] diuersa sense-
runt, de quorum sententiis non[122] est meum iudicare.
Alij animam Christi, ex quo creata est, & assumpta in
Deum, æqualem cum Deo sapientiam habuisse puta-
runt: [123] alij quasi creaturam creatori adæquare ti-
mentes, sicut ætate, ita [124] eum & sapienti, profe-
cisse dixerunt, [125] Euangelicæ anoirentes authori-
tati, quæ ait. [126] IESVS *autem proficiebat sapien-
tia, ætate, & gratia.* Nec mirum (inquiunt) si mi-
nor dicatur fuisse sapientia, cum mortalis, atque [127]
passibilis, ac per hoc beatitudine minor tunc fuisse ve-
racissime prædicetur.
De horum sententiis iudicet quisque [128] vt volet:
mihi sufficit scire, & credere Dominum IESVM, ex [129]
quo in vnam cum Deo etiam est assumptus personam,
[130] perfectum fuisse Deum, ac per hoc perfectam sa-
pientiam, perfectam iustitiam, perfectam beatitudinem,
B [131] perfectam iosuper fuisse, & esse virtutem: & quid-
quid de Deu secundum substantiam dici potest, [132]
de Christo potuisse dici, etiam cum in vtero esset ma-
tris, non ambigo. Nec [133] ideo ante resurrectionem,
aut mortalitatem ei, aut passibilitatem abrogamus, cum
eum non phantastice, sed vere [134] hominem fuisse
confitemur, & veram hominis habuisse naturam, in
qua potuit proficere ætate: Vtrum autem sapientia, ipsi
viderint, qui de huiusmodi contendere norunt. Tu au-
tem, [135] fili mi non quæstiones quæris, sed deuo-
tionem, nec vnde lingua acuatur, sed [136] vnde affe-
ctus excitetur. [137] Ea propter his, quæ ad historiam
pertinent interim prætermissis, ad spiritalem intelligen-
tiam enucleandam, sicut ipse, de quo loquimur inspi-
rare dignabitur, transeamus.
[138] Dominus Deus noster, Deus voos est: non
Ps. 101. potest variari, non potest mutari, dicente Dauid. *Tu*
28. *semper idem es, & anni tui non deficient.* Hic igitur Deus
noster æternus, intemporalis, incommutabilis, in no-
C stra factus est natura mutabilis, & temporalis, vt muta-
bilibus ad suam æternitatem & stabilitatem, viam face-
ret eam, quam pro nobis assumpsit mutabilitatem, vt in
vno eodemque Saluatore nostro, & vis esset qua ascen-
deremus, & vita ad quam veniremus, & veritas qua frue-
Ioan. 14. remur, sicut ipse ait, *Ego sum via, veritas & vita.* Ma-
6. gnus itaque Dominus in sua natura persistens, paruu-
lus natus est secundum carnem, per certa temporum
spatia profecit, & creuit secundum carnem, vt nos
mente paruuli immo pene nihil, spiritualiter nascere-
mur, & per spiritualium ætatum distinctiones crescere-
mus, & proficeremus. Ita eius profectus corporalis, no-
ster est profectus spiritualis, & ea quæ ab eo in cunctis
ætatibus acta describuntur, in nobis per singulos pro-
fectuum grados spiritualiter agi, à bene proficientibus
sentiuntur. Sit igitur corporalis eius natiuitas spiritua-
lis nostræ natiuitatis; id est sanctæ conuersionis exem-
plum: persecutio, quam passus est ab Herode, illius,
quam in initio nostræ conuersionis sustinemus à Zabu-
D lo tentationis indicium, educatio eius in Nazareth,
Luc. 15. nostrum exprimat in virtute profectum. In primo pro-
17. digus filius fame tabescens, ad domum panis inuitatur,
Ps. 101. vbi non similagineus, sed subcineticius inuenitur, vt ci-
10. nerem cum pane manducet, & potum suum cum fletu
temperet. Est enim panis similagineus purus, mundus, si-
Ioan. 1. ne cinere, sine fermento, sine paleis, *In principio erat*
1. *verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat ver-
bum.* Sed ad hæc quis idoneus? Panis est Angelorum,
quorum palatum ad gustum vuæ acerbæ non obstu-
puit: ideo plenè, & perfectè gustant, & videat quoniam
dulcis est Dominus. Sed vt panem Angelorum man-
ducaret homo, susceptis paleis nostræ paupertatis,
susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fer-
mento nostræ infirmitatis; panis Angelorum factus est
homo, magnus factus est paruulus, diues pauperculus,
vt tu magnus in oculis tuis, humilitate fias paruulus;
diues cupiditate, facultatum abiectione fias paupercu-
lus: nec, vbi spiritualiter nasceris, locum habeas io
diuersorio, dum non tuæ voluntati, tuo sensui, tuæ E
scientiæ, tuæ indostriæ, sed alieno iudicio inniteris.
Tunc cinerem cum pane manducabis, quando *cibabit* Ps. 79. 6.
*te Dominus pane lacrymarum, & potum dabit in lacrymis
in mensura.* Sic tu nasceris io Christo, sic in te nasci-
tur Christus. Turbatur Herodes, scilicet diabolus, Matt. 3.
quod suum Christus inuasit imperium: nec æquis aspi-
cit oculis, suum domicilium in Christi hospitium com-
mutatum. *Vibrat gladium, tendit arcum, & in eo parat va-* Ps. 7. 3.
sa mortis, vt sagittet in obscuro rectum corde. Inflammat Ps. 10. 3.
carnem naturalibus incentiuis, turbat mentem cogita-
tionibus noxiis, & paruulorum cogitatus priori soaui-
tate lactentes, multiformi tentatione confodit. Tunc
videtur tibi Christus defuisse, donec Herode, non tuis
viribus, sed gratia dioinæ miseratioois extincto, cum
ampliori tranquillitate redeat, tuumque in Naza-
reth præstoletur occursum. Post tentationem nam-
que necesse est, vt ad virtutum studia, spiritualiaque
exercitia mentis alacritate conscendas, quasi ad Na- F
zareth, id est, florem: quia flos non quidem fructus
est, sed ex eo fructus producitur; ita exercitia hæc, non
quidem puræ virtutes sunt, quamuis ex eis veræ virtu-
tes, Deo operante, nascantur. Inde ascendendum est
Hierosolymam, sed modo congruo, & tempore op-
portuno.
Cum enim factus esset IESVS annorum duodecim,
ascendit Hierusalem. Plane secundum leges allego-
ricas, Christus de Nazareth ascendit Hierusalem:
quando relicta synagoga, Ecclesiæ gentium præsen-
tiam suæ pietatis exhibuit. Merito tunc duodennis
erat, quia qui legem non venerat soluere, sed ad-
implere, denarium legis binario auxerat Euangeli-
cæ perfectionis: verbum abbreuiatum, sed consum-
mans, & consummatum faciens super terram, &
legem & Prophetas bipartito charitatis præcepto con-
cludens.
Remansit itaq; *puer* IESVS *in Hierusalem, & non cogno-
uerunt parentes eius.* Est adhuc in Ecclesia Christus, & G
Iudæi, & parentes scilicet eius secundum carnem, igno-
rant. Est adhuc in Ægypto Ioseph, & lingua Ægyptia-
ca non Iudaica dicitur Saluator mundi; & ipso frumen-
ta sapientiæ suæ Ægyptiis, id est, gentibus diuidente,
fratres eius inter Chananæos, immundos videlicet spi-
ritus, verbi Dei fame tabescunt. *Existimantes*, inquit, Ier. 12.
eum esse in comitatu. Quid est hoc? Adhuc, ô Iudæi, 7. 8.
Christum in vestro comitatu præsumitis? cum iam, se-
cundum Ieremiam vestrum, reliquerit domum suam, di-
miserit hæreditatem suam: quoniam facta est ei hære-
ditas eius quasi spelunca leænæ. Quibus indiciis, qui-
bus mysterus, quibus sacramentis, in vestro est comita-
tu? Vbi templum, vbi iuge sacrificium, vbi sacerdotium,
vbi altare illud, quod solum vobis in sola Hierosoly-
ma concessum est? Vbi ignis ille perpetuus, quo extincto,
omnia pariter holocaustomata pereunt, quæ non pos-
sunt alieno igne consumi? Ergo aut nihil horum habe-
tis, aut si forte vos ea habere præsumitis, non secundum
Dei præceptum habetis, ac proinde nec Christum ha- H
betis. In his omnibus, secundum Prophetica mysteria,
Christum aliquando habebatis: sed apparente eo, quem
prænuntiabant, ipsa prænuntia sublata sunt: de qui-
bus frustra post eius aduentum præsumebatis. O mi-
ra peruersitas! O mira cæcitas! Hæc omnia noo atten-
dentes Iudæi, adhuc eum esse in suo æstimant comitatu,
& requirunt eum inter cognatos & notos. Quem quæ-
ritis, O Iudæi, quem quæritis? Iam *lapis abscissus de* Dan. 2.
monte sine manibus, vniuersam impleuit faciem terræ, 34.
adhuc quæritis? Ecce vbique terrarum dispersi, vbique
Christum offenditis, & adhuc quæritis? Vbique inter
gentes in laudibus Christi vestrum *Amen* resonat, ve-
strum *Alleluia* cantatur, vestrum *Osanna* resultat, &
adhuc quæritis? *In sole posuit tabernaculum suum, nec est
qui se abscondat à calore eius*, & adhuc quæritis? Quæ-
ritis eum inter cognatos & notos. Quæritis eum apud
Isaiam: sed sicut ipse ait, *Cognouit bos possessorem suum,* Isa. 1. 3.
& asinus præsepe Domini sui, Israël autem non cognouit
me:

A *me: populus meus non intellexit*, ideo non inuenitis. Quæritis eum apud ſanctum Dauid, ſed & ſecundum ipſum, Facta eſt menſa veſtra coram vobis in laqueum: ideo non inuenitis. *Obſcurati ſunt enim oculi veſtri ne videant, & dorſa veſtra incuruantur.* Quæritis eum apud Ieremiam, ſed ipſo teſte, *Sacerdotes ignorant legem, neſciunt videntem*, ideo non inuenitis. Quærititis eum apud Moyſen, ſed vſque hodie cum legerint Moyſen, velamen poſitum eſt ſuper cor veſtrum: ideo non inuenitis. *Reuertere* itaque *reuertere Sunamitis*, reuertere in Hieruſalem, & inuenies. Nuntiatur certe Iesv quod mater eius, & fratres foris ſtent quærentes eum. Nunquid egreditur? vos potius ingredimini, & inuenietis. *Et regredientes*, inquit, *inuenerunt eum poſt triduum in templo.* Si fuerit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris, reliquiæ inquam, Iacob ad Deum fortem. Quando? vtique poſt triduum, O tempus deſiderabile, quando cognoſcet Iſraël Deum ſuum, & pauebit ad Dauid Regem ſuum, quando vtraque gens faciet ſibi caput vnum, & aſcendent de terra. Quando hoc erit? Iesv bone! quando reſpicies carnem tuam, domeſticos ſanguinis tui, cum nemo carnem ſuam odio habeat? *Frange Domine eſurientibus panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam.* Quandiu miſer Cain vagus, & profugus erit ſuper terram tuam; quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem tuum, O noſter Abel de manu eius? Nunne adhuc reddidiſti ei ſeptuplum in ſinum eius, cum vbique maior ſeruiat minori; cum vbique ſit iugum premens, & gladius terrens, nec ſit qui redimat, neque qui ſaluum faciat? Scio quia tandem conuertentur, & famem patientur vt canes, ſed ad veſperam. Poſt triduum enim inuenerunt eum in templo. Prima dies, qua ingreſſus noſtram Hieruſalem Dominus Iesvs, abſcondit ſe à matre ſua Synagoga, & fratribus ſuis Iudæis, Apoſtolica fuit in gentibus prædicatio, ſicut ipſis Iudæis Paulus loquitur. *Quia indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* Tunc quippe tenebroſis gentilium cordibus lux cœleſtis infulſit, decuſſaque priſtinæ infidelitatis tetra caligine, ſplendor fidei mentibus perditorum radios ſuæ claritatis innexit. Sed huius diei iucundiſſimum lumen, nox diræ perſecutionis interpolat, quando ſæuientibus in Chriſtianos mundi principibus, cruces, beſtiæ, equulei, ferreæque manus, ignitæ ſartagines, & ardentes laminæ, & mille tormentorum genera in eorum exitium præparantur: quæ omnia licet Chriſtianorum pars maxima fidei virtute * tiſiſſet, non modica tamen multitudo tortoribus cedens, luctum miſerabilem ſanctis indixit. Secutus eſt hanc noctem dies, diuinæ miſerationis luce clariſſimus, quando regibus mundi ad Chriſtum conuerſis, ſubuertuntur templa gentilium, & delubra dæmonum in Martyrum memorias conſecrantur, & paulatim veritate mortalium pectoribus illabente, nox perfidiæ confuſa repellitur. Sed hunc iterum ſplendidiſſimum diem, nebula hæreſiacæ prauitatis obtexit: donec labore doctorum, error productus in lucem, Chriſtianorum corda deſeruit; & in ea iam fides diu examinata, & multis probata rationibus, ſolem iuſtitiæ periclitanti mundo reuixit. Et ecce nunc aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies. O tempora periculoſa! Iam tertij diei lucem, falſorum Chriſtianorum perdita vita recondit, & noctem ſuperabundanti iniquitate caligantem, ſeneſcenti iam mundo refundit. Superabundat enim iniquitas, & refrigeſcit charitas. Expectamus diem, qua prædicante Henoch & Elia, Iesvm inueniat mater eius Synagoga, ingreſſa nimirum templum, id eſt Eccleſiam: in qua inter ſeniores & doctores medius reſidet mediator Dei & hominum, homo Christvs Iesvs, in paruulis audiens, in adoleſcentibus quærens, in ſenioribus docens.

[Margin notes, left column: Pſ. 68. 23. 24. — Iere 2. 8. — Oſee 3. 5. — B — Act. 13. 46. — C — * forte viciſſet. — D — Gen. 45. 26.]

Tunc vox lætitiæ, & exultationis in tabernaculis Iacob perſonabit, quando agnitus à fratribus verus Ioſeph populo Iudæorum in fine mundi, quaſi patri ſeneſcenti viuus nuntiabitur à dicentibus. *Ioſeph filius tuus viuit, & ipſe dominatur in tota terra Ægypti. Fili*, inquit, *quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quid feciſti, O Ioſeph? Mater moritur, pater perpeti fletu conteritur, periclitantur fratres, tota inſuper domus paterna langueſcit, & tu, morum negligens, Ægyptiis conſulis ad ſalutem? Fili, quid feciſti nobis ſic? Eunt fratres in Ægyptum, & redeunt, cernunt te Dominum terræ, nec recognoſcunt: & ſpecioſus ille vultus, quem Ægyptus tota miratur, domeſticis tantum tuæ carnis abſconditur. *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Reſpicis tuos quaſi alienos, imponis crimina, minaris ſupplicia, & quem clementiſſimum inueniunt alieni, tui te crudeliſſimum reperiunt. *Fili quid feciſti nobis ſic?* Prodigus ille filius tuus, qui dilapidauit omnem ſubſtantiam ſuã cum meretricibus, qui fornicatus in ligno & lapide, & mutauit gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, atque ſerpentium; introductus in domum tuam, ecce iam tot annis vituli ſaginati carnibus paſtus, & ſanguine vuæ meraciſſimo debriatus, in noſtri Dauid deliciis ſymphonia luſit, & choro; & nos, quorum erat teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, quorum patres ex quibus tu ſecundum carnem, quaſi alieni foras ſtetimus. *Fili, quid nobis feciſti ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Putabamus nouo miraculo templum reædificandum, reſtaurandum ſacerdotium, diſperſionem Iſraël in dilectam ſibi Hieroſolymam reuocandam, & ſic Chriſtum inueniendum in finibus Iudeæ, quem nunc inuenimus in campis ſiluæ.

[Margin notes: E — Luc. 15. 30. — Iere. 3. 9. — Rom. 1. 23. — F]

Dolentes quærebamus te: doluimus antiqua ſublata miracula, oracula ſiluiſſe Prophetica, Ducem de femore Iacob nullum, vnctionem Regum & Pontificum nullam: & cum hæc omnia tuum teſtarentur aduentum, non credidimus tamen te, nobis relictis, alienum dignaſſe hoſpitium: Ideo *dolentes quærebamus te.* Non putabamus nobis promiſſum, nobis redditum ob æmulæ gentis ſalutem reliquiſſe *a* quos genuit, ſpreuiſſe *b* quos fouit: & his, *c* quibus mare ceſſit, *d* quos cœlum pluit, *e* quos potauit ſaxum, *f* quibus aqua murus extitit, *g* quibus murus peruius fuit, *h* quibus paruit ſol, quibus luna ſubſtitit, immũdas idololatria gentes prætuliſſe. Ideo dolentes quærebamus te. Et aliquando quidem multis indiciis tuus nobis probabatur aduentus, ſed ob gentium vocationem, & noſtram repulſionem rurſus deſperabatur. Ideo *dolentes quærebamus te.* Et ille: *Quid eſt*, inquit, *quod me quærebatis? neſciebatis quia in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? O ſtulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ, nonne ita oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, & prædicari in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes?* Siccine non audiſtis per os Dauid vocem patris ad filium? *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ?* Quid eſt quod me quærebatis, & non ſtatim inter gentes inueniebatis? Nonne Abrahæ dictum eſt, *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ? Neſciebatis quia in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Audite patrem per Iſaiam loquentem mihi, *Parum mihi eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſraël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad fines terræ.* Nonne ego ſum apud Patriarcham Iacob, *Expectatio gentium*, & apud * Malachiam, *Deſideratus earum?* & ſicut idem ait, *a A ſolis ortu vſque ad occaſum, magnum nomen meum in gentibus.* Tumuiſtis muneribus meis, inuidiſtis viſceribus meis; & quia nequam oculus ſaluti pœnitentis inuidit, liuore cæcatus propriæ ſalutis authorem videre non potuit. Ideo naturalibus ramis non peperci, ſed illis à radice naturalis oliuæ deciſis, ramos alienos inſerui. Sed nunc exurgens miſerebor Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Reuoco quos abieceram; recolligo quos diſperſeram; ſuſcipio quos repuleram; *& ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Hæc interim allegorice dicta ſufficiunt.

[Margin notes: a Deut. 32. 18. — b ibid. — G — 10. 11. — c Exod. 14. 21. — d Exod. 16. 14. — e Exod. 17. 6. — f Exod. 14. 22. — g ibid. — h Ioſue 10. 12. 13. — Luc. 24. 25. 47. — Pſ. 2. 8. — Gen. 22. 18. — Iſa. 49. 6. — H — Gen. 49. 10. — * Lapſus eſt memoria, vel error ſcribæ; nam eſt, Aggæi 2. 8. — a Mal. 1. 11. — Pſ. 102. 14. — Matth. 28. 20.]

Nunc redeundum [139] eſt mihi ad te, fili chariſſime, cui animus eſt conformari Chriſto, & veſtigiis Iesv arctius inhærere: ſi forte [140] ſufficiam in Euangelica lectione tuum explicare profectum, vt hoc [141]

ipſum

A

ipsum in his legas schedulis, quod in [142] temetipso ab intus suauius experiris. Credo enim te [143] de Bethleemitica paupertate ad Nazarenas transisse diuitias, & iam [144] duodennem effectum, de floribus Nazarenis ad fructus Hierosolymitanos [145] ascendisse, vt non tam in codicibus, quam in propriis motibus hæc mystica valeas lectitare: sicut enim Bethleem vbi Christus [146] paruus, & pauper nascitur, bonæ vitæ est inchoatio, [147] Nazareth vbi nutritur, virtutum exercitatio; ita Hierusalem, ad [148] quam duodennis ascendit cœlestium secretorum est contemplatio. In [149] Bethleem anima pauperascit, in Nazareth ditescit, in Hierusalem [150] deliciis affluit. Pauperascit perfecta mundi abrenuntiatione, ditescit virtutum [151] perfectione, deliciis affluit spiritualium saporum dulcedine. Ascendendum quippe est à conualle plorationis inter aspera tentationis per plana exercitij spiritualis ad alta luminosæ contemplationis. In Bethleem nouæ [152] conuersationis dedicatur infantia,

B

quæ rationis impotens neminem cædit, neminem fallit, libera cupiditatis, suæ voluntatis inscia, neminem iudicat, nulli detrahit, nihil cupit, nec de præsentibus anxia, nec de futuris sollicita, alieno tantum sustentatur iudicio. Hanc nobis infantiam vas electionis commendans, *Si* [153] *quis*, inquit, *voluerit inter vos sapiens fieri, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et Dominus in Euangelio. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Hac itaque anima [154] quælibet initiatus infantia post Herodianas persecutiones, si cœperint in ea, quasi in agro fertilissimo, virtutum [155] flores vberius pullulare; non immerito Nazareth, quæ flos interpretatur, quasi septennis inhabitans, duodecimum annum feliciter expectabit. Primo quidem necesse est, vt ager cordis nostri peccatorum nostrorum recordatione, & infirmitatis nostræ [156] consideratione, quasi stercoretur: deinde tentationum vomere multipliciter fatigetur, & sic virtutum semina flores parturiant spiritualium exercitiorum.

1. Cor. 3. 18.

Matth. 18. 3.

C

Ergo illum, à [157] quo spiritus timoris [158] antiqua vitia, qua insolitas [159] cupiditates resecauerit, vnius anni puerum æstimato. Si deinde mitem eum, & obedientem spiritus pietatis effecerit [160] bimum eum spiritualiter iudicato. Iam si spiritus scientiæ suæ infirmitatis cognitionem, & [161] auxilij desiderium diuini infuderit, [162] tertium annum non dubites accessisse. Quem si contra omnes tentationes, & carnales delectationes, quæ militant aduersus animam, spiritus fortitudinis immobilem reddiderit ac robustum, annorum quatuor puerum admirare. Accedat spiritus consilij, & [163] virtute eum discretionis quinquennem efficiet. Cui si spiritus [164] intellectus meditationem sacræ legis indulserit, ad sexti anni ætatem felici progressu peruenit. Septimum annum spiritus sapientiæ aduehit, quæ de legis diuinæ meditatione procedit [165] quatuor virtutes, quasi quatuor annorum lucem, animæ inuehens proficienti, quibus nihil est in vita vtilius hominibus, sicut [166] de ipsa sapientia scriptum est. *Sobrietatem, docet & Prudentiam, & Iustitiam, & virtutem, quibus nihil est vtilius.* [167] Hæ sunt enim præcedentium virtutum moderatrices, sine quibus cæteræ nec honeste haberi, nec perseueranter possunt seruari. [168] Agit enim Sobrietas, quæ alio nomine [169] dicitur Temperantia, ne sit ipsarum virtutum immoderata progressio: Prudentia, ne sit [170] earum indiscreta confusio: Iustitia, ne sit virtutum [171] vsus inordinatus: Virtus, [172] quæ & fortitudo dicitur, vt perseueranter eius [173] teneatur affectus. Sequitur [174] annus duodecimus, lux videlicet contemplationis, quæ ad ipsam Hierusalem [175] cœlestem animam subleuat æstuantem: quæ cœlum reserat, quæ portas [176] aperit paradisi: quæ ipsum sponsum, speciosum forma præ filiis hominum; quasi per cancellos prospicientem [177] puræ mentis oculis exhibet contemplandum, vt vocem illam suauissimam mereatur audire. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* [178] Emaculata enim sordibus passionum, euolans

D

Sap. 8. 7.

Cant. 4. 7.

E

à rebus occupationum, abolita memoria præteritorum, euanescentibus imaginibus [179] exteriorum decoram cordis sui faciem ad cernendum quem diligit, summa auiditate sustollit, & [180] ideo audire meretur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; Hyems* inquit, *transiit, imber abijt, & recessit, flores* [181] *apparuerunt* Hi sunt flores odoriferi, nimirum, licet adhuc in quadam nouitate, virtutes quæ post hyemem persecutionum, & [182] imbres tentationum, in agro pectoris bene proficientis feliciter oriuntur: [183] quorum Christus decore simul, & odore delectatus, ab inferioribus eam ad superiora inuitans: Hyems, inquit, transiit, imber abiit, & recessit, & flores [184] apparuerunt. Et [185] quoniam per gemitum compunctionis, aperitur via contemplationis, adiecit in consequentibus: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Recole, fili, quid soleas in angulis susurrare, [186] cum instar turturis, quæ auis castissima est, & soliuaga, & gemebunda, latebras quæris, & licet inter multos [187] constitutus solitudinem tibi ædificas [188] quotidianam; quomodo gemis, quomodo æstuas, quomodo quæris quem diligit anima tua, & [189] amoris impatiens iam optas videre quem [190] amas; quomodo nunc blanditiis, nunc ad maioris desiderij incentiuum suauiter indignaris; nunc moras accusas, nunc [191] te causaris contemptum; nunc te eius visitatione confiteris indignum, & iterum de eius [192] toties experta bonitate præsumis: nunc quasi vlterius non sustinens, spiritali quodam litigio vel luctamine, euincere retardantem conaris. Quæ tunc lacrymæ, qui gemitus, quæ suspiria, quæ voces? Nunc oculi fletu graues [193] cum imis singultibus eriguntur ad cœlum, nunc manus expanduntur, & brachia: nunc pectoris tunsione animæ tarditas accusatur: proferuntur interim verba sine principio, sine [194] fine, & quorum nec sententiæ cohærent sibi, nec rationes similes sunt, nec alicuius linguæ sensus vel idioma seruatur, quando vox aliquando respondet affectui, & iterum vocē affectus intercipit.

Cant. 2. 11.

Cant. 2. 12.

F

G

Gaudet certe pius ille IESVS tali certamine superari, & talis [195] animæ tanta constantia delectatus, ad circumstantes angelos gloriatur: *Vox turturis audita est in terra* [196] *nostra.* In terra enim viuentium talis vox animæ æstuantis auditur, & tanti desiderij odor suauissimus, vniuersam demulcet ciuitatem Dei. Sic tibi in [197] angulo domatis quasi Eliæ in spelunca, primo transit spiritus [198] grandis & fortis *subuertens montes, & conterens* [199] *petras:* sed non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio, sed non in commotione Dominus; & post commotionem ignis, sed non igne [200] Dominus; & post ignem sibilus auræ [201] tenuis. Hi sunt gradus quidam per quos in oratione mens compuncta conscendit, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & [202] vniuersi pulueris pigmentarij. Sed hæc ipsi non tam inuestiganda, quam in ipsa tua oratione animaduertenda [203] committo: vt diligenter attendas, cum qua primum difficultate nonnunquam ingrederis cubiculum pectoris tui, vt [204] inuenias ibi speluncam: in qua [205] quodammodo ab omnibus, quæ mundi sunt, sepeliaris, & ores patrem tuum in abscondito. Videtur aliquando cor in modum [206] silicis duruisse; videtur quasi mons aliquis interiacens, intetiorem aspectum ab omnibus spiritualibus exclusisse; donec spiritus [207] grandis & fortis pertransiens subuertat montes, & conterat petras ante Dominum: quem nimirum spiritum sequitur [208] commotio quando mens quadam compunctione resoluitur, & profluentibus lacrymis, quidquid in se [209] sordidum sentit aduersum se commota, interiori contritione detergit; vnde orta spe, igne ineffabilis desiderij exardescit, & spirituale quoddam certamen init cum Deo: donec sibilus auræ tenuis illapsus præcordiis, leni tactu perstringit [210] affectum; cunctisque motibus, [211] cunctis distensionibus, cunctis verbis, cunctis cogitationibus imponens silentium, vsque ad [212] ipsas portas Hierusalem cœlestis animam subleuet contemplantem. Tunc ille diu quæsitus, toties rogatus, tam ardenter desideratus, *speciosus*

Cant. 2. 12.

3. Reg. 19. 11.

H

A *forma præ filiis hominum*, quasi per cancellos prospiciens inuitat ad oscula, *Surge*, inquiens; *propera amica mea, & veni*. Tunc ingrediens Hierusalem, transit in [213] locum admirabilis, vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis. Tunc amplexus, tunc oscula, tunc inueni quem diligit anima mea: tenui illum, nec dimittam. Tunc in Hierusalem affluit deliciis, & fruitur bonis; & diem festum cum [214] exultatione, & gaudio colit. Obsecro itaque fili charissime, memento mei cum bene tibi fuerit, vt suggeras dilecto tuo, regi tuo qui est in sancto, vt educat me de isto carcere, de his tenebris, de his vinculis: vt tandem aliquando respirem [215] in potioris gaudij libertatem, sentiamque & ego quam magna multitudo dulcedinis illius, quam abscondit timentibus se. Sed heu, heu rara hora, & parua mora. [216] Felix qui triduo in his poterit commorari deliciis. In his tribus [217] diebus, triplicem contemplationis lucem non inconuenienter intelligo: quoniam, quidquid de Deo B poterit mens illuminata sentire, aut ad potentiam eius, [218] aut sapientiam aut bonitatem credimus pertinere. Cernitur itaq; Dominus Iesvs aliquando fortis & [219] potens: cernitur potens in prælio, vt scias te, si dilexeris illum, contra mundum, contra diabolum, contra omnem principatum & potestatem eius dextera [220] protegendum cui resistere nemo potest, [221] sub qua curuantur qui portant orbem, qui si tenuerit aquas, omnia siccabuntur, si emiserit [222] eas, subuertent terram. Si igitur spiritus potestatem habens ascenderit super te, si stimulos acediæ exagitauerit, si aculeos diuersarum passionum accenderit, si [223] aduersus te commouerit mundũ, si inflammauerit persecutiones, si times, si trepidas, si per singula [224] momenta vinci formidas, & ita ad Iesvm tuum anxius curris, ploras, exponis pericula, opem [225] flagitas: adhæret tibi quem diligis [226] in spem regis potentissimi, & secundum orationem Sancti Dauid, apprehendet arma & scutum, & exurget in adiutorium tibi, [227] audiesque. *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum.* (Ier. 1. 8.)

C At si secretorum cognitionem, [228] vel quæstionis alicuius solutionem tibi [229] desideres reuelari; si mundanæ confusionis causas, & rationes anxius admiraris; si mouentur pedes, quia pacem peccatorum vides, qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur: quæris diuersorium vbi cum Iesv solus cum solo fabuleris, [230] clamasque cum * Abacuch. *Iustus es tu Domine si disputem tecum, verumtamen* [231] *iusta loquor ad te. Quare via impiorum prosperatur*, &c. Sic itaque quærenti aderit magister [232] ille, qui solus docet hominem scientiam, [233] qui reuelat oculos nostros, vt consideremus mirabilia de lege eius, qui habet clauem sapientiæ, & aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit: [234] aderit autem in specie decoris suauissimi, in cuius dextera ignea lex, vt [235] te & legis cognitione illuminet, & charitatis, quæ ex legis meditatione procedit, inflammet. Porro in sinistra eius virga æquitatis, virga [236] regni sui, vt & quærentis præsumptionem arguat, & curiositatem compescat. D Postremo si hæc omnia etsi magna, etsi splendida, etsi sublimia [237] vnius tantum osculi desiderio, ac suauissimorum labiorum illius vno tantum [238] tactu fastidia, incipiasque querulis vocibus cum Propheta clamare: *Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine, [239] requiram*, & illud, *Quid mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & [240] deosculer?* Veniet certe tibi in odore vnguentorum, & ornatum: sicque [241] cœleste quoddam ac diuinum tuæ menti imprimens osculum, omnia viscera tua ineffabili [242] iucunditate perfundet, vt te clamare delectet. *Diffusa est gratia in labijs tuis*. Cum legem, & Prophetas [243] legeris: animaduerte diligenter, & inuenies has ipsas apparitiones, siue contẽplationes multoties in figuris quibusdam, & ænigmatibus designatas. Sunt enim multa [244] genera contemplationum, ac spiritualium visionum: quæ tamen [245] omnia, vt credo, vel ad Dei potentiam, [246] vel sapientiam, vel benignitatem pertinere noscuntur.

(* In Ieremia cap. 12. 1. hoc habetur non in Abacuch. — Ps. 56. 5. — Cant. 8. 1. — Ps. 44. 3.)

E Nam si cogitetur [247] Deus rerum omnium causa, vt quolibet modo sint; quarundam autem vt etiam rationale: & per hoc sapientiæ capaces sint; multarum quoq; vt etiam bene sint: primũ illud potentiæ, alterum sapientiæ, vltimum [248] ascribitur bonitati. Potentiæ quippe est, quod sine illo natura nulla subsistit: Sapientiæ, quod sine ipso nulla doctrina [249] instruit: Bonitatis, quod sine illo nullus vsus expedit. Apud ipsum secura sunt omnia, cum nihil sit, quo [250] eius possit perturbari potentia: in [251] ipso certa sunt omnia, cuius nõ potest falli sapiẽtia: ex ipso recta sunt omnia, cuius [252] naturã nulla potest deprauare malitia. Ergo in [253] rerũ creatione contẽplamur eius potentiam; in forma, sapientiam; bonitatem in vsu. [254] Sane si in iis, quæ secundum carnem gessit, eum contemplari malueris: hunc ipsum triduanæ lucis splendorem facile intueberis. Si iacentem in præsepio, si in brachiis vagientem, si pendentem ad vbera, si inter vlnas Simeonis paruulum, oculis illuminatæ mentis aspexeris; [255] bonitatis illius opera admirare. (Luc. 2. 7. — Luc. 2. 28. — Ioan. 2. 14. 15.) F Si vultum illum igneum, flagellum quoque de resticulis, vocemque terribilem, quibus vendentes & ementes in templo terruit; quibus euertit cathedras nummulariorum, & æs effudit; quibus insuper columbarum venditores eiecit, considerare delectat: tantæ virtutis potentiam expauesce. At si iucundum ducis insidias Scribarum & Pharisæorum toties deprehensas, callidas eorum obiectiones, responsionum illius prudentia confutatas, oculata mente perspicere, sapientiæ eius lucem clarius emicare persenties. (Matth. 9. 11. & 12. 2. 14. 24.) Ita [256] quoque potentiæ fuit quod fugauit dæmones, quod turbas pauit, quod calcauit maria, quod Lazarum vocauit de [257] monumento; cum non minoris fuerit sapientiæ, quod, vt princeps mundi falleretur, inter hæc diuina miracula à diabolo se tentari permisit; quod velut [258] egens esuriit; quod in naui dormiuit, quod crucem moriturus ascendit. Verum quia in [259] bonitatis eius meditatione libentius immoraris, ingredere, quæso, domum Simonis [260] Pharisæi, G intuere attentius quam pio, quam suaui, quam iucundo, quam clementi vultu humi prostratam respicit peccatricem: [261] quam compatienter sanctissimos illos pedes pœnitentis lacrymis præbeat irrigandos, capillis, quos sibi hactenus [262] superbia, ac lasciuia vendicauerant, detergendos: [263] labiis tot scelerum fœditate pollutis dulciter osculandos. Osculare, osculare, ô beata [264] peccatrix, Osculare pedes illos dulcissimos, suauissimos, speciosissimos, quibus caput serpentis conteritur; ante quos antiquus hostis egreditur; quibus calcantur vitia; quibus [265] omnis mundi huius sternitur gloria; quibus superborum & sublimium colla mira virtute premuntur. Osculare, inquam, & [266] felicibus labiis adlambe vestigia, quæ nullus post te peccator exhorreat, nullus quantumlibet criminosus refugiat, nullus expauescat indignus. Osculare, complectere, stringe, & angelis, & hominibus veneranda vestigia, [267] perfunde pœnitentiæ, & confessionis vnguento, vt tota domus [268] impleatur ex odore vnguenti. H Væ tibi, ô Pharisæe, cui est [269] odor iste odor mortis in mortem; qui times alienis maculari peccatis, cum te amor proprius deterius [270] fœdiusque commaculet. Nescis quam suaue redoleat [271] misericordiæ, confessa peccatricis huius miseria? quam dulce sapiat pietati confessio pura peccati? quam gratum sit illi sacrificium, [272] cordis contritio? quantum consumat peccatum, ardens dilectio? Denique *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. [273] Gratias tibi ô beatissima peccatrix: ostendisti mundo tutum suis peccatoribus locum, [274] pedes Iesv, qui neminem spernunt, [275] neminem reijciunt, neminem repellunt, suscipiunt omnes, omnes [276] admittunt. Ibi certe Æthiopissa mutat pellem suam, ibi pardus deponit varietatem suam, vbi solus Pharisæus non exspumat superbiam suam, Quid agis, ô anima mea, ô misera mea, ô peccatrix mea: habes [277] certe vbi tute tuas lacrymas libes, vbi fœda tua oscula sacris osculis purges; vbi to-

tum

A tum tuæ affectionis vnguentum secure, sine [278] aliquo tactu vel motu vitij tentantis effundas. Quid dissimulas? erumpite, ô dulces lacrymæ, erumpite, cursum vestrum nullus impediat; rigate sacratissimas [279] plantas Saluatoris mei, susceptoris [280] mei: non curo, si quis Pharisæus submurmuret, si me à suis sedibus arcendum censeat, si fimbriæ suæ tactu indignum me iudicet, subsannet, rideat, & irrideat, auertat oculos, contineat nares, [281] nihilominus tuis inhærebo vestigiis IESV: stringam manibus, premam labiis, nec à lacrymis cessabo vel osculis; donec audiam, *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Est ergo dies prima, qua [282] anima Deum sitiens, in speculationis amœnitatibus, quasi in Hierusalem commoratur, potentiæ diuinæ contemplatio: secunda, sapientiæ illius admiratio: tertia, [283] bonitatis eius & dulcedinis suauis prælibatio. Ad primam pertinet iustitia, [284] ad alteram scientia, ad tertiam vero misericordia.

B Psal. 70. 16. Ps. 50. 8. Ps. 62. 4. Iustitia terret, scientia docet, misericordia fouet. [285] *Introibo*, inquit Propheta, *in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Ecce Iustitia. [286] *Incerta*, ait, *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Ecce scientia. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* Ecce misericordia: Et in prima die timor, qui ex iustitiæ consideratione procedit, animam [287] purgat; purgatam sapientia illuminat; illuminatam bonitas suæ dulcedinis infusione remunerat. Cernis, ni fallor, quam necessarium sit, & vtile inter bonorum operum exercitia, per triduum hoc Hierosolymitanas frequentare delicias, in quibus timor [288] administrat tibi panem doloris, scientia vinum exultationis, bonitas lac consolationis. Scio [289] te non mirari quod delicias dixerim, quibus dolorem non deesse commemoraui: [290] cum sæpius expertus sis, quod dolorem illum qui [291] de casto timore procedit, omnibus huius mundi deliciis mens compuncta præponat. Et hæc [292] dicta sint pro modulo experientiæ nostræ. Cæterum viri excellentioris meriti, & capacioris ingenij, animæque purgatioris [293] in his

C tribus sublimiora, ac profundiora rimantur: in potentia scilicet, Dei profunda iudicia; in sapientia, eius secreta consilia; in [294] bonitate, misericordiæ illius verba ineffabilia. Denique Paulus [295] ingressus potentias

Rom. 9. 20. Domini, & abyssum iudiciorum eius, expauescens, *O homo*, inquit, *tu quis es, qui respondeas Deo! Numquid dicit figmentum ei qui se finxit cur me fecisti* [296] *sic? &c.* Sed

Rom. 11. 33. Rom. 2. 4. & thesauros sapientiæ eius [297] admirans exclamat. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*, & reliqua. Diuitias quoque bonitatis eius commemorans. *An diuitias*, inquit, [298] *bonitatis, & longanimitatis Dei contemnis?* Post [299] triduum ergo inuenerunt eum in templo: haud dubium quin Maria & Ioseph, altera mater, alter nutritius. Inuenitur itaque spiritualis spiritualium contemplator non in quolibet [300] loco in Hierusalem, sed in templo: habet enim Hierusalem atrium, habet portas [301] habet & templum. Et atrium quidem aliquando patet etiam inimicis, portæ non aperiuntur nisi amicis, ingressus vero templi non indulgetur nisi

D perfectis. Igitur qui in temporalibus æterna, in terrenis cœlestia, in humanis [302] diuina; id est, in creatura Creatorem valet inspicere, quasi in [303] atria Hierusalem introductus exultet. Hucusque Philosophi, quasi inimici, in atria intelligentiæ suæ [304] vim potuerant

Rom. 1. 19. extendere, sicut dicit Apostolus. [305] *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Inuisibilia enim* [306] *eius, &c.* Qui vero in scripturis sanctis ablato velamine, reuelata facie gloriam Dei [307] contemplari potuerit, de ingressu portarum Hierusalem glorietur. At si pinguedinem intimæ dilectionis, & tuæ adipem affectionis, in cordis ara cœlestis desiderij flamma succenderit, & ascenderit fumus aromatum [308] de fragrantia orationum, sicque oculus mentis in ipsa cœli secreta [309] radium porrexerit, cordis quoque palato ipsius diuinæ dulcedinis fœlix tactus sapuerit: cum holocausto grauissimo templum Hierusalem frequentasti. Sed anima sancta in his deliciis commorante, [310] dolent mater & nutritius, conqueruntur & quærunt, inuentum tandem, & leui increpa-

E tione castigatum, reducunt ad Nazareth. Hæc maxime [311] viris illis spiritualibus congruunt, quibus dispensatio verbi Dei, vel animarum cura commissa est. Porro nutritium nostrum [312] nihil libentius dixerim quam Spiritum sanctum: nec matrem nihil rectius quam charitatem. Hi nos fouent, & promouent; pascunt, & nutriunt: & geminæ affectionis, Dei videlicet & proximi, lacte reficiunt. Hi nos in studiis, quasi in Nazareth, tenent & sustinent; hi nos consolantur in tristibus; hi in dubiis consulunt; hi fessos roborant; hi sanant contritos corde, & alligant contritiones eorum. Horum auxilio de Nazareth transimus in Hierusalem, de labore ad requiem, de fructu bonæ actionis, ad secreta contemplationis. Hi nobis æterna lege præscribunt, vt pro cura proximi, non negligamos ex toto contemplationem Dei, nec rursus pro deliciis contemplationis, curam [313] proximi negligamus. Vnde non immerito, si quieti plusquam oportet [314] indulgeamus, quasi de nobis

F charitas fraterna conqueritur, nec gratam habet nostram in Hierusalem commorationem, si [315] aliis, quos nostra sollicitudine prospicit, senserit imminere ex nostra quiete perniciem. Plerumque enim nobis vel secretis meditationibus, vel priuatis [316] orationibus omni proposita actione intentis, si plusquam subditis expedit, [317] immoremur: in mediis deliciis, spiritu nimirum operante, & charitate suggerente, subito venit in mentem memoria [318] infirmorum, & illum cogitamus contristatum expectare à paternis visceribus consolationem: alterum tentatum explorare quando [319] procedens ad publicum, aliquod pater ei afferat suo sermone solamen: illum iræ stimulis [320] agitatum, quia non habet vbi conceptum virus confessione salubri euaporet, aduersus patrem submurmurare: alterum [321] acediæ spiritu victum, vt inueniat cui loquatur, quem consulat, huc illucque discurrere. Tali itaque [322] suggestu progressi, ex fraternis cordibus quasi increpantem audimus matrem charitatem: *Fili quid fecisti nobis sic? Ego & pater*

G *tuus dolentes quærebamus* [323] *te.* Nec iniuria dicimus Spiritū sanctum, vel charitatem in sanctis, etsi adhuc minus perfectis, aut dolere, aut conqueri; cum ipse spiritus gemitibus inenarrabilibus interpellet pro nobis, qui & [324] loqui, contristari, & cætera talia in sanctis agere consueuit. Quod si contra huiusmodi [325] necessitates amor quietis, in ipsius animæ affectibus murmuret quasi dicens: *Nonne in his quæ patris mei sunt oportet me esse?* nihilominus considerans spiritus rationalis; quod ideo [326] mortuus est Christus, vt qui viuit non sibi viuat, descendit [327] cum illis, & subditur illis. Secure [328] descendit qui cum tali nutritio, & cum tali matre descendit: fœliciter descendit, qui spiritu Dei actus, charitatiue inferioribus condescendit.

Descendam [329] libens his ducibus etiam in Ægyptum, tantum si ducunt, reducant; si cogunt descendere, & reascendere faciant. Libenter [330] subdar talibus magistris, libenter supponam humeros oneri quod imposuerint, [331] libens excipiam iugum cui me subdi-

H derint: sciens quia iugum eorum suaue est, & onus eorum leue. [332] Sed & tibi, fili mi, licet à talibus curis liberum adhuc sub alis suis te Christus abscondat, quod Prælatis incumbit facere ne subditi periclitentur, hoc ipsum expedit prouidere, ne socij scandalizentur. Illi [333] necessitates subditorum nonnunquam præponunt deliciis contemplationis, tu eas non præponas vnitati & paci congregationis? Præcipue hæc ipsa spiritualium vicissitudinum tempora, [324] quando videlicet vel descendas ad Nazareth, vel ascendas in Hierusalem, nunquam solus, id est, propriæ voluntatis arbitrio, sed semper seniorum distingue consilio. Ecce [335] habes, charissime, quod petisti, licet tuo desiderio, tuo affectui, tuæ expectationi nihil dignum, voluntatis tamen meæ, & qualiscunque conatus aliquod, ni fallor, iudicium. [336] Sciasque quod non tam Euangelicam lectionem exponere, quam ex ea aliqua tibi meditationum semina, sicut rogasti, elicere curauimus.

A

VARIÆ LECTIONES

Iuxta excusum exemplar Parisiense operum D. Bernardi anno M. DC. IX.

1. Iesv pia gesta. Exc. Iesv *gesta.*
2. Nuntius ista loq. Exc. Nuntius *ipse* loq.
3. Respexi, respexi miser, resp. Exc. *Respexi miser, resp.*
4. Suauia, ac iuc. Exc. Suauia *&* iucun.
5. Occup. ac sollicit. me fu. abstraxerint. Exc. Occup. *&* sollicit. me fu. *extraxerint.*
6. Suæ. Cernis tuip. ex. inq. modo Exc. suæ, *cernens*, in ip. *inquisitionis tua* modo.
7. Mihi scintillat affectus. Exc. Mi. *instillabat* aff.
8. Oculos illos suauissimos Exc. *Oculos suauiss.*
9. Vt mihi videtur. Exc. Vt *videtur mihi.*
10. Vbi latebas? Exc. Vbi *iacebas?*
11. Cœlo, an in Exc. cœlo? *Vtrum* in. B
12. Tuæ tunc ætatis. Exc. *Tua atatis.*
13. Tuam tam familiariter. Exc. *Tam familiariter tuam.*
14. Domine, quod sanctus Exc. Domine? *Quid* sanctus.
15. Cur puerum quæreb. Excus. Cur *Dominum* quæreb.
16. Ne à quolibet suæ ætatis puero. Exc. *Ne ab alio* quolibet *atatis sua* puero.
17. Gloriosus à Salomone. Exc. *Gloriosus Salomone.*
18. Vtinam mihi inspirare dignetur. Exc. Vtinam *&* mihi inspirare *dignaretur.*
19. Quid tibi sit quær. Exc. Quid *illi* sic quær.
20. Interno ac spiritali. Exc. Interno *&* spiritali.
21. Tibi scribere, ac gustata eructare sufficerem. Exc. Tibi *scriberem &* gust. eruct. *sufferrem.*
22. Nec solus tamen, sed. Exc. Nec *tamen solus*, sed.
23. Doctor & vt dux Exc. Doctor. *Quia* vt dux.
24. Via, quoniam à summo. Exc. Via, *quia* à summo.
25. Eius. Vbi plena. Exc. Eius. *Ibi* plena.
26. Infudisset, & Nazareth Exc. Infudisset, *etiam* Nazareth. C
27. Sua nobilitauit præsentia. Exc. Sua *præsentia nobilitauit.*
28. Effectus, templum ingreditur quasi puer. Exc. Effectus, *in* temp. *introducitur*, *vtque* puer.
29. Reditum præmonstras. Exc. Reditum *demonstras.*
30. Dabit mihi, bone. Exc. Dabit *me*, bone.
31. Omnia mea. Exc. Omnia *bona* mea.
32. Sequẽs quidẽ animalia. Exc. Sequẽs *quadã* animalia.
33. Non inueniens. Exc. Non *inueni.*
34. Ego autem hic. Exc. *Et* ego hic.
35. Ad patrem exaudiuit. Exc. Ad *Deum* exaudiuit.
36. Deducens in viam. Exc. Deducens *me* in viam.
37. Quam? nisi illam. Exc. *In* quam? nisi *in* illam.
38. Abundat panibus, & domus panis dicitur. Excus. *Abundans* panibus, *domus dicitur panis?*
39. Bonis; pane vtique illo qui. Exc. Bonis. *Pauper* vtique *ille* qui.
40. Præsepi spiritalium cibus factus est. Exc. Præsepi, *spiritalium* cibus *effectus* est. D
41. Conuersionis, quasi spiritalis cuiusdam natiuitatis sunt initia, vt conformemur paruulo. Exc. Conuersionis *vita* quasi *spiritualis* cuiusd. nat. *initium*, vt *conformetur* paruulo.
42. Fili accessisti ad. Exc. fili *accedens* ad.
43. Suam à nobis Dominus Iesvs non. Exc. Suam *Dominus* Iesvs *à nobis* non.
44. Lateat; & ecce Ægypt. Exc. lateat *Ecce Ægyptus.*
45. Et vmbra mortis, laborantes expertæ iucunditatis inopia, vincti. Exc. Et *in* vmbra mortis, *ex parte* iucunditatis inopia vincti.
46. Videlicet cordis duritia. Exc. Videlicet *duritia cordis.*
47. Enim suæ consolationis. Exc. Enim *consolationis sua.*
48. Vincula duritiæ inter. Exc. Vinc. *inter duritia.*
49. Præcedit ad Nazareth. Exc. Præc. *in* Nazar.
50. Fructus sub seniorum disciplina nutriti, duodecimi anni delicias sortiamur. Exc. fructus, *seniorum disciplina* nutriti *duodecim annis* del. sor.
51. Profecto & crescit. Exc. *Profecto crescit.* E
52. Festi, consummatisque diebus cum redirent. Exc. *festi, cum* redirent.
53. Prætereat sanctissimæ huius historiæ mira suauitas. Exc. Prætereat *huius historia suauitas.*
54. Seorsim viri, seorsim in. Exc. *Seorsum* viri, *seorsũ in.*
55. Sacris solemniis. Exc. Sacris *solemnibus.*
56. Iesvm in illo itinere nunc. Exc. Iesvm *illo tempore* nunc.
57. Quanta fuit eorum fel. Exc. Quanta *eorum fuit* fel.
58. Quibus datum est tot diebus videre faciem eius, & mellifluos illius audire sermones, considerare in homine, & puero signa quædam. Exc. *Qui tot diebus viderunt faciem eius, & mellifluos eius sermones audierunt, & considerauerunt in homine &* puero *insignia* quædam.
59. Mutuas Mysterium sapientiæ salutaris. Exc. Mutuas *concessum est* myste. sap. *salutis.*
60. Senes, iuuenes admirantur. Exc. Senes, *admirantur iuuenes.* F
61. Pueri morum grauitate, & sermonum illius pondere deterrentur. Exc. *Pueri deterrentur morum eius grauitate & pondere.*
62. Lacrymæ à pueris cum diutius à viris teneretur? Exc. *Lacry. pue. dum* diutius à viris *tenetur?*
63. Querimoniæ cum paulo. Excus. Querimoniæ *dum* paulo.
64. Intimo proclamare affectu. Exc. *Proclamare intimo affectu.*
65. Suspirantibus sed senum cont. Exc. *Suspirantibus senum* cont.
66. Illud facillime coaptatur. Exc. Illud *facile* coaptatur.
67. Sanctam Ciuitatem. Exc. *Ciuitatem Sanctam.*
68. Sibi eius dulcissimã ac iucũdissimã præsentiã indulgeri. Exc. *Eius sibi præsentiam dulcissimam* indulg.
69. Felix qui vincit. Exc. *Hac* felix *qua vicit.*
70. Vnusquisque quod esset. Exc. Vnus. *quia* esset.
71. Omnibus, ab omnibus. Exc. Omnib. *&* ab omnib. G
72. Diei vnius expleto. Exc. *Diei expleto.*
73. Quis tibi cibum ministrauit ac potum. Exc. *Quis cibum aut* potum ministrauit.
74. Potum, quis lectulum strauit, quis detraxit. Exc. Potum *Ministrauit*, quis detraxit.
75. Sicut voluntate nostram infirmitatem suscepisti, ita. Exc. Sicut *voluntatem* nostram *sumpsisti in* infirmitatem: ita.
76. Propriam virtutem ostendisti. Exc. Propriam *ostendisti virtutem.*
77. Et ideo cum. Exc. Et *ita* cum.
78. Aliquid libet. Exc. *Libet aliquid.*
79. Et omnes in te. Exc. *Et in te.*
80. Miseriæ calamitates. Exc. *Natura* calami.
81. Illorum mendicatarum. Exc. Illarum *fi.* mendic.
82. Vt ad sublimioris opinionis secreta veniamus, prima. Exc. Vt *hac* ad *sensus* sublimioris secreta *versamus.*
83. Vt consideret sed. Exc. *Vt illi consideret* sed.
84. Vt de ordine. Exc. *Vt ordine.* H
85. Nec absurda. Exc. *Non absurda.*
86. Quæ in diuina natura ipse simul. Exc. Quæ *diuina natura sunt simul ipse.*
87. Consubstantialis vtrique. Exc. Consub. *vtrisque.*
88. Quam susceperat homo Deum, paruus magnum consuluerit. Exc. Quam sus. *homo paruus Deum magnum consulere.*
89. Vt patri per. Exc. Vt *ipsi* patri.
90. Baptismare suscipiendo, de eligendis discipulis, de condendo. Exc. Baptis. *agebat suscitando*, de elig. dis. *&* condendo.
91. Passionis & Resur. Exc. Passionis, *de* resur.
92. Die cuneos Patriarcharum & Prophetarum inuisens. Excus. *Die se cuneis* Patriarch *&* Proph. *immiscens.*
93. Simeone sene iam dudum audierant. Excus. *Sene Simeo. dudum* audiet.
94. Probauit. Exc. *Approbauit.*

A 95. Animęquiores & alactiores. Exc. Anim. *atq;* alacriores.
96. Templo scilicet Hierosoly. Excus. *Templo Hierosoly.*
97. Reserare; primo audiens & interrogans deinde interrogatus sacra myst. Exc. *Reserare Primum* aud. & inter. *deinde sacratiss* myst.
98. Est pueris, & adolescentibus humilitatis, & verecundiæ forma. Excus. *Est hæc* puer. & adol hum. & *reuerentiæ* forma.
99. Mihi ô dulcissima Domina. Exc. Mihi *dilectissima* Domina.
100. Tuum puerum Iesum. Exc. Tuum *Dominum* Iesum.
101. Intentos in ipsum. Exc. *In ipsum intentos.*
102. Aures erectas ad ipsum. Exc. Aures *ad ipsum erectas.*
103. Mea. tenui illum. Exc. Mea *tenebo* illum.
104. Diligis, rue in collum eius, amplectere, osculare, & triduanam absentiam eius multiplic. Exc. Diligis, *& triduanam eius absentiam* multiplic.
B 105. Iterum dico tibi ô Domina mea. Exc. Iterum *Domina mea dico tibi.*
106. Subtractas tibi vel ad. Exc. *Subtractas vel ad.*
107. Speciosus videntibus, tam suauis amplectentibus, vt. Excus. Speciosus *ad videndum*, tam suauis *ad amplectendum*, vt.
108. Est, inquit, quod. Exc. *Est quod.*
109. Fuerat obseruatus incipit. Exc. fuerat *obseruatum* incipit.
110. Simul & propriæ. Exc. *Simulque* propriæ.
111. Seniorumque præceptis. Exc. *Seniorum præceptis.*
112. His sublimibus. Exc. His *tam* sublimibus.
113. Se subdiderit voluntati. Exc. Se *subdit* voluntati.
114. Euangelista, quia scilicet ipsi. Excus. Euangelist. *scilicet quod* ipsi.
115. Filij sui potuit nescire consilium, sed ceteris non intelligentibus quæ dixerat. Exc. *filij consilium potuit nescire, sed cæteris nescientibus siue non intelligentibus quod dixerit.*
C 116. Ita beatissima virgo etiam tunc nobis misericorditer prouidebat. Excus. *Ita etiam beatis. vir. tum miser. prouidebat nobis.*
117. Sic sequaces huius. Exc. Sic *sequentes* huius.
118. Sanctis Apostolis & Discipulis. Exc. Sanctis *Discipulis & Apostolis.*
119. His quæ sequuntur. Exc. His *vero* quæ seq.
120. Sapientia, ætate, & gratia apud Deum & apud homines. Excus. *Ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines.*
121. Diuersa senserunt. Exc. Diuersa *sentiunt.*
122. Est meum iudicare. Exc. Est *nostrum* iudicare.
123. Alij quasi creaturam creatori. Exc. Alij *vero* crea. creatori.
124. Eum & sapientia. Exc. *Eum sapientia.*
125. Euangelicæ annitentes auctoritati quæ ait. Excus. *Euangelistæ* innitentes auctoritati *qui* ait.
126. IESVS autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia. Exc. IESVS *prof. ætate, & sapientia, & gra.*
127. Passibiles ac per. Exc. passib. *atque* per.
D 128. Vt voler: mihi. Excus. Vt *velit*; mihi.
129. Qua in vnam cum Deo etiam est assumptus personam, Exc. Quo *cum Deo in vnam est* assum. pers.
130. Perfectum fuisse Deum. Exc. *Fuisse perfectū Deum.*
131. Perfectum insuper fuisse & esse virtutem. Exc. *Perfect. fuisse virtutem & esse.*
132. De Christo posuisse. Exc. De *eo* potuisse.
133. Ideo ante resurrectionem aut mortalitatem ei aut passibilitatem. Exc. Ideo *aut* resurrect. aut *mortalitatem, aut* passibilitatem abrogamus.
134. Hominem fuisse confitemur, & verā hominis fuisse naturam, in qua potuit proficere ætate: vtrum autē sapientia, ipsi viderint qui. Exc. Hominē *esse confiteamur*, & verā hominis *fuisse* naturā, in qua potuit *perficere. Vtrum ætate aut sapientia* ipsi *videāt.*
135. Fili mi, non. Exc. *Fili non.*
136. Vnde affectus excitetur. Exc. Vnde *amicus* excitetur.
137. Ea propter. Exc. *Et propterea.*
138. Dominus Deus noster. *Ab hoc numero vsque ad numerum 139. omnia desunt in excusis exemplaribus D. Bernardi quæ hactenus videre potui.*
E 139. Nunc redeundum est mihi ad te. Exc. *Nunc redeundum est ad te.*
140. Sufficiam in euangelica. Exc. Sufficiā *de* euangelica.
141. Ipsum in his legas schedulis. Exc. Ipsum *legas in his* schedulis.
142. Temetipso ab intus suauius experiris. Excus. *Teipso suauius* experitis.
143. De Bethleemitica paupertate ad Nazarenas transisse diuitias. Exc. *transisse ad Nazarenas de Bethleemitica paupertate* diuitias.
144. Duodennem effectum. Exc. *Duodenum* effectum.
145. Ascendisse vt non. Exc. Ascendisse *vbi* non.
146. Paruus & pauper. Exc. *paruulus* & pauper.
147. Nazareth vbi nutritur virtutum exercitatio. Exc. *sicut* Naza. vbi nut. virtutum *est* exercitatio.
F 148. Quam duodennis ascendit, cœlestium secretorum est contemplatio. Exc Quam *Dominus* ascendit, *est cœlestium secretorum contemplatio.*
149. Bethleem anima pauperascit. Exc. Bethleem *enim pauperescit.*
150. Deliciis affluit. Pauperascit perfecta. Exc. *Affluit deliciis. Pauperescit quippe* perfecta.
151. Perfectione, deliciis affluit spiritualium. Exc. Perfectione, *ac* deliciis affluit, & spiritualium.
152. Cōuersationis dedicatur. Exc. *Cōuersationi* dedicatur.
153. Quis inquit voluerit inter vos sapiens fieri. Exc. Quis *ait inter vos sapiens voluerit* fieri.
154. Anima quælibet initiatus infantia. Exc. *Qualibet anima initiata* infantia.
155. Flores vberius pullulare. Exc. flores *vbiq;* pullulare.
156. Consideratione quasi stercoretur. Exc. *Consideratione stercoretur.*
157. Vomere mulripliciter fatigetur, & sic virtutum semina flores parturiant. Exc. Vom. *multiplici* fatig. *vt sic* virtut. sem. flo. *pariant.*
G 157. Quo spiritus timoris. Exc. Quo *iam* spiritus.
158. Antiqua vitia. Exc. *vitia antiqua.*
159. Cupiditates resecuerit. Exc. Cupid. *resecuerit.*
160. Bimum eum spiritualiter. Exc. *Biennem* spiritualiter.
161. Auxilij desiderrū diuini. Exc. Auxilij *diuini desiderrū.*
162. Tertium annum non. Exc. *Triennem* non.
163. Contra omnes tentationes. Exc. *Contra tentationes.*
163. Virtute eum discretionis quinquennem efficiet. Exc. *Virtute discr.* quinq. *faciet.*
164. Intellectus. Exc. *Intelligentia.*
165. Quatuor virtutes quasi quatuor annorum lucem animæ inuehens proficienti. Exc. Quatuor *vt* virtutes *Cardinales* quasi quatuor *etiam* an. lu. *inuehunt* profi.
166. Sicut de ipsa sapientia scriptum est. Sobrietatem docet. Exc. sicut de *ipsis* scriptum est. Sobrietatem *enim* docet.
167. Hæc sunt enim præcedentium. Exc. Hæc *sunt præcedentium.*
H 168. Agit enim. Exc. *Facit* enim.
169. Dicitur temperantia. Exc. *Temperantia dicitur.*
170 Earum indiscreta confusio. Exc. Earum *indistincta* confusio.
171. Vsus inordinatus: virtus quæ & fortitudo. Exc. Vsus *immoderatus*. Virtus *qua fortitudo.*
172. Eius teneatur. Exc. *earum* teneatur.
173. Annus duodecimus lex videlicet contemplationis. Exc Annus *duodenus isque* contemplationis.
174. Hierusalem cœlestem. Exc. *Cælestem Hierusalem.*
175. Aperit paradisi. Exc. *Paradisi aperit.*
176. Ipsum sponsum speciosum. Exc. *sponsam ipsum sponsum* speciosum.
177. Puræ mentis oculis. Exc. *puris* mentis ocul.
178. Emaculata enim sordibus passionum, euolans à retibus occupationum, abolita memoria præteritorum. Exc. *Immaculata sordibus peccatorum vel* passionum, euolans à *retibus* occupationum, *oblita materum* præteritorum.

A 179 Exteriorum, decorum cordis. Excus. Exteriorum, *creaturarum* cordis.

180. Ideo audire meretur, Tota pul. es ami.mea,& mac. non est in te. Hiems Exc. Ideo *audit*, Tota p.e a. m.æ.m.n.e.i.t *fauus distillans labia tua*.Hiems.

181. Apparuerunt.Hi.Exc.Apparuerũt *in terra nostra*.Hi.

182. Imbres tentationum, in agro pectoris bene. Exc. *Imbrem* tenta. in agro *peccatoris* bene.

183. Quorum Christus. Exc. *Quarum* Christus.

184. Apparuerunt.Et.Exc.Apparuerũt *in terranostra*.Et.

185. Quoniam per gemitum compunctionis aperitur via contemplationis, adiecit in consequentibus. Excus. Quoniam *pro gemitu* compunct.aper. *vita* contemplat.adiecit in *sequentibus*.

186. Cũ instar turturis.Exc. Cum *scilicet ad* instar turt.

187. Constitutus,solitudinẽ.Exc.Constitutus *sis* solitud.

188. Quotidianam, quomodo gemis, quomodo æstuas, quomodo quæris.Exc.Quotidianam *quoniam* gemis,*quoniam* æstuas,*quoniam* quæris.

B 189. Amoris impatiens. Exc.Amoris *vim patiens*.

190. Amas, quomodo nunc blanditiis, nunc ad maioris desiderij incentiuum suauiter indignaris, nunc. Exc Amas,*cus* nũc bland.& nunc ad *amoris & desiderij intentionẽ* suauiter *illum peruestigas*? nunc.

191. Te causaris contemptum nunc te eius visitatione. Exc.Te *cornis* contemptum nunc *te visitatione*.

192. Toties experta bonitate.Exc.*Toties expertus* bonita.

193. Cum imis singultibus eriguntur ad cœlum, nunc manus expanduntur & brachia, nunc pectoris tunsione animæ. Exc. Cum *intimis* sing erig. ad cœ.nunc ma, *extenduntur* & brac. nunc pect.*contusione* animæ.

194. Fine,& quorum. Exc. *Fine quorum*.

195. Animæ tanta constantia delect.Exc. Animæ *tali instantia* delect.

196. Nostra. In terra enim viuentium talis vox animæ æstuãtis auditur,& tãti desiderij odor suauiss.Exc. Nostra.*In terra* viuentiũ *vox talis* animæ æstuantis auditur,*cum talis* desiderij odor suauiss.

C 197. Angulo domatis quasi Eliæ.Exc.*Angula quasi* Eliæ.

198. Grandis & fortis subuertens montes. Exc. *Grandis subuertens* montes.

199. Petras, sed non. Exc. *Petras, non*.

200. Dominus, & post. Exc. *Dominus post*.

201. Tenuis. Hi sunt. Exc. Tenuis,*& ibi Dominus*. Hi.

202. Vniuersi pulueris.Exc.Vniuersi *generis* pulueris.

203. Committo, vt diligenter attendas. Exc. *Committo diligenter*: *ergo* attendas.

204 Inuenias ibi speluncam. Exc.Inue.*tibi* speluncam.

205. Quodammodo ab omnibus quæ mundi sunt sepeliaris. Excus. *Quodammodo sepeliaris* ab om. quæ mun. sunt.

206. Silicis duruisse. Exc. Silicis *durissima*.

207. Grandis & fortis pertransiens subuertat montes,& conterat.Exc.*Grandis pertransiens* subuertat *montes conteras*.

D 208. Commotio, quando mens. Exc. Commotio, *quoniam* mens.

209. Sordidum sentit, aduersum se commota. Exc.Sordidum *est vel aduersum, commota*.

210. Affectum,cunctisque. Exc.Affectum,*& cunctis*.

211. Cunctis distensionibus. Exc. Cunctis *dissensionibus*.

212. Ipsas portas Hierusalem cœlestis anima subleuet contemplantem. Exc. Ipsas *Hierusalem cœlestis delicias* animam subleuet *contemplatiuam*.

213. Locum admirabilis vsque. Exc. Locum *admirabilem* vsque.

214. Exultatione & gaudio colit. Obsecro ita fili charissime memento mei cum tibi bene fuerit. Exc. *Exultatione colit*. Obsecro it. fi. cha. me.mei cum *bene tibi* fu.

215. In purioris gaudij libertatem, sentiamque & ego. Exc. In *prioris* gaudij lib. *sentiam &* ego.

216. Felix qui triduo in his poterit cõmorari deliciis.Exc. Felix *anima qua triduo poterit cõmorari in his deliciis*.

217. Diebus triplicem contemplationis lucem.Exc.*Diebus contemplationis* lucem. E

218. Aut sapientiam,aut bonitatem.Exc. Aut *ad* sapientiam, aut ad bonitatem.

219. Potens, cernitat potens in prælio, vt scias te, si. Exc. *Potens in prælio*,vt scias te,*vel vt sentias te*,si.

220. Protegendum. Exc. *Protegi*.

221. Sub qua curuantur. Exc. Sub *quo* curuantur.

222. Eas, subuertent terram. Exc. Eas,*euertent terram*.

223. Aduersus te. Exc. *Aduersum* te.

224. Momenta vinci formidas. Excus. Momenta *nimis quam* formidas.

225. Flagitas, adhæret tibi. Exc. Flagitas, *aderit* tibi.

226. In spem regis potentissimi,& secundum.Exc.*In specie potentissimi regis secundum*.

227. Audiesque. Exc. *Audiensque*.

228. Vel quæstionis alicuius solutionem. Exc. Vel *cuiusuis alterius* solutionem.

229. Desideres. Exc. *Desideras*. F

230. Clamasque cum Abacuch Iustus es tu Domine. Exc.*Clamas* cũ *Ieremia*,Iustus *quidẽ tu es* Domine.

231. Iusta loquor. Exc. Iusta *loquar*.

232. Magister ille qui solus docet. Excus. *Ille magister qui docet solus*.

233. Qui reuelat oculos nostros vt consideremus mirabilia de lege eius, qui habet clauem sapientiæ,& aperit & nemo claudit. Exc. *Qui habet* clauem sapi.& aperit *ac* nemo.

234. Aderit autem in specie decoris suauiss. Exc. *aderit in* specie *doctoris* suauiss.

235. Vt te & legis cognitione illuminet, & charitate, quæ ex. Exc. Vt te *illuminatione, cognitione, &* charitate quæ ex.

236. Virga regni sui vt. Exc. Virga *regn. vt*.

237. Vnius tantum osculi desiderio ac suauiss.Exc.Vnius *tamen* osculi *desiderio, suauiss*.

238. Tactu fastidias, incipiasque querulis vocibus cum Propheta clamare.Exc. Tactu *non* fastidias,*sed* incipias querulis vocibus *clamare cum Propheta*. G

239. Requiro:& illud,Quis mihi.Exc.*Requirã*:*Quis* mihi.

240. Deosculer? veniet certe tibi in odore. Exc.Deosculer *te*? Veniet certe tibi in *odorem*.

241. Cœleste quoddam ac diuinum tuæ menti imprimens.Exc.Cœleste *& diuinum quoddam tuæ menti* imprimens.

242. Iucunditate perfundet, vt te clamare delectet. Exc. Iucunditate *profundet vt clamare* delectet.

243 Legeris,animaduerte diligenter,& inuenies has ipsas apparitiones siue contẽplationes, multoties in figuris quibusdã,& ænigmatibus designatas. Exc. *Legis*: anim. dilig. *& inuenies ipsas apertiones* & contem. multo. in *figuris & ænigmatibus quibusdam* designatas.

244 Genera contemplationũ.Exc.Genera *contẽplationis*.

245. Omnia,vt credo, vel ad Exc. *Omnia vel* ad.

246. Vel sapientiam, vel benignitatem. Exc. vel *ad Dei* sapientiam, vel *ad Dei* benignitatem. H

247. Deus rerum omnium causa,vt quolibet modo sint; quarundam autem vt etiam rationales,& per hoc sapientiæ capaces sint;multarum quoque vt etiam bene sint. Exc. Deus *respectu* omnium *vt causa quorundam sint,vt sint, quorundam* autem *vt rationales, ac* per hoc sapientiæ capaces sunt, *multorum etiam vt capaces* sint.

248. Adscribitur bonitati.Potẽtiæ quippe est, quod sine illo natura nulla subsistit.Exc.*Ascribã* bonitati.Potẽtiæ *quidẽ* est,quod sine illa *nulla creatura* subsistit.

249. Instruit; bonitatis quod sine illo nullus vsus expedit. Exc. *instruitur*, bonitatis quod sine *ipso nullius rei* vsus expedit.

250. Eius possit perturbari potentia. Excus.*Turbari possit potentia*.

251. Ipso certa sunt Exc. Ipso *creata* sunt.

252. Naturam nulla potest deprauare malitia. Exc. *Natura* nulla potest *deprauari* malitia.

253.Rerum

A 253. Rerum creatione. Exc. Rerum *creatura.*

254. Sane si in iis quæ secundum carnem gessit, cum contemplari malueris, hunc ipsum. Exc. *Sane in his* quæ *in carne* gessit *si contemplari malueris* hunc ipsum.

255. Bonitatis illios opera admitare. Si vultum illum igneum. Excus. Bonitatis *eius* opera interius admirare. Si vultum eius igneum.

256. Quoque potentiæ fuit. Exc. Quoque *fuit potentia.*

257. Monumento: cum non minoris fuerit sapientiæ, quod, vt pinceps mundi falleretur, inter hæc diuina miracula. Excus. Monumento; *& tamen* non minoris *sapientia fuit*, quod, vt *principes huius* mundi *fallerentur, inter diuina miracula.*

258. Egens esuriit, quod in naui dormiuit, quod crucem moriturus ascendit. Exc. Egens *esurierit*, quod in naui *dormierit*, quod crucem moriturus *ascenderit.*

259. Bonitatis eius. Exc. Bonitas *illius.*

B 260. Pharisæi intuere. Exc. Pharisæi, & intuere.

261. Quem compatienter sanctissimos illos pedes pœnitentis lacrymis præbeat irrigandos, capillis. Exc. Quam *compatienti processu illos pedes* pœnitentis lacrymis *irrigandos præbeat*, & capillis.

262. Superbia ac lasciuia vendicauerant. Excus. Superbia & lasciuia *vendicauerat.*

263. Labiis tot scelerum fœditate pollutis dulciter osculandos. Exc. *Labiisque* tot scelerum fœditate pollutis, *diligenter* osculandos.

264. Peccatrix, osculare pedes illos dulcissimos, suauissimos, speciosissimos. Excus. *Peccatrix pedes dulcissimos, speciosissimos, suauissimos.*

265. Omnis mundi huius sternitur gloria. Exc. *Mundi omnis sternitur* gloria.

266. Felicibus labiis adlambe vestigia, quæ nullus post te peccator exhorreat. Exc. *Felicibus adlambe labiis* vestigia quæ *nullus peccator post te exhorreat.*

C 267. Perfunde pœnitentiæ & confessionis vnguento. Exc. Pœnitentiæ & conf. vngu. *perfunde.*

268. Impleatur ex odore vnguenti. Væ tibi. Excus. *Impleatur odore* vnguenti. Væ *va* obi.

269. Odor iste odor mortis. Exc. *Odor mortis.*

270. Fœdiusque commaculet. Exc. Fœdiusque *maculet.*

271. Misericordiæ, confessa peccatricis huius miseria. Exc. Misericordiæ, *miseræ huius peccatricis* miseria.

272. Cordis contritio? quantum consumat. Exc. Cordis *contriti, quam cito* consumat.

273. Gratias tibi. Exc. *Gratia* tibi.

274. Pedes IESV. Exc. Pedes *felices* IESV.

275. Neminem reiiciunt Exc. Neminem *proyciunt.*

276. Admittūt. Ibi certe Æthiops ssamutat pellem suam, ibi pardus deponit varietatem suam, vbi solus Pharisæus non exspumat superbiam suam. Exc. Admittunt. *Vbi* certe *vel* Æth. mu. pel. suam, *vbi* par. *mutat.* var. su. vbi sol. Phar. non *expurgat* sup. suam.

D 277. Certe vbi tute tuas lacrymas libes, vbi fœda tua oscula sacris osculis purges, vbi totum tuæ affectionis vnguentum. Exc. Certe *in te* lacry. *habes*, vbi fœda tua *oblectamenta* sacris osc. purges, & totum *affectionis tua* vnguentum.

278. Aliquo tactu vel motu vitij tentantis effundas. Quid dissimulas? Erumpite ô dulces lacrymæ. Exc. *Aliquo motu* vitij *infundas.* Quid dissimulas? Erumpite ô *dulcissima* lacrymæ.

279. Plantas Saluatoris Exc. Plantas *Domini mei* sal.

280. Mei, non curo si quis Pharisæus submurmuret, si me à suis pedibus arcendum censeat, si fimbriæ suæ tactu indignum iudicet, subsannet, rideat, & irrideat, auertat oculos, contineat nares Exc. Mei. *Nam* si quis Pharisæus submurmoret. *siue* me à suis *affectibus* arcendum censeat, *siue* fimbriæ suæ tactu indignum iudicet *subsannet irrideat*, auertat oculos, contineat *aures.*

E 281. Nihilominus vestigiis tuis inhærebo IESV meus. Exc. Nihilominus *tuis inhærebo vestigiis IESV, meis.*

282. Anima Deum sitiens in speculatiuis amœnitatibus quasi in Hierusalem commoratur, potentiæ diuinæ contemplatio; secunda. Excus. Anima *sitiens Deum speculatur, & in amœnitatibus diuina potentia, quasi in templo Ierusalem commoratur.* Secunda.

283. Bonitatis eius, & dulcedinis suauis prælibatiò. Excus. *Bonitatis & dilectionis* prælibatio.

284. Ad alteram scientia, ad tertiam vero misericordia. Excus. Ad *secundam* scientia, ad *tertiam misericordia.*

285. Introibo inquit Propheta in potentias Domini. Exc. *Introibo in* potentias Domini.

286. Incerta, ait, & occulta Excus. *Incerta &* occulta.

F 287. Purgat; purgatam sapientia illuminat; illuminatam bonitas suæ dulcedinis infusione remunerat. Excus. Purgat *In secunda*, sapientia illuminat. *In tertia*, illuminatam *bonitate dulcedinis sua* remunerat

288. Administrat tibi panem doloris. Excus. *Administrat panem* doloris

289. Te non mirari Exc. *Te nunc* mirari.

290. Cum sæpius expertus sis Exc. Cum *expertus sim sæpius.*

291. De timore casto procedit, omnibus mundi huius. Excus. *de casto timore proc. omnibus huius mundi.*

292. Dicta sunt pro modulo Excus. *Dicta pro* modulo.

293. In his tribus sublimiora. Excus. In *tribus subtiliora.*

294. Sapientia eius secreta consilia, in bonitate misericordiæ illius verba ineffabilia. Excus. *Sapientia secreta* consilia; in bonitate *eius* misericordiæ *dona* ineffabilia.

295. Ingressus potentias. Excus. Ingressus *in* potentias.

G 296. Sic? & cætera. Sed. Exc. *Sic, Sed.*

297. Admirans exclamat, ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, & reliqua. Diuitias. Excus. Admirans *ait* O altitudo diuitiarum sap. & sci. Dei, *quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius*? Diuitias.

298. Bonitatis & longanimitatis Dei contemnis? Exc. *Bonitatis Dei contemnitis*?

299. Triduum ergo inuenerunt. Excus. Triduum *igitur* inuen.

300. Loco in Hierusalem sed in templo, Exc. *Loco sed* in tem.

301. Habet & templum. Et atrium quidem aliquando patet etiam inimicis, portæ non aperiuntur nisi solis amicis. Exc. *Habet templum.* Et *atrium aliquando patet quidem inimicis* portæ *autem patefiunt solis* amicis.

302. Diuina, id est in creatura creatorem. Excus. *Diuinum, in creaturis creatorem.*

H 303. Atria Hierusalem. Excus. Atria *cælestis* Hierusalem.

304 Vim poterunt extendere. Exc. Vim *poterant* exten.

305. Quod notum. Excus. Quod *enim* notum.

306 Eius & cætera Exc. *Ipsius* & cæt.

307. Contemplari potuerit Exc *Poterit contemplari.*

308 De fragrantia orationum. Excus. De *flagrantia orationis.*

309. Radium porrexerit, cordis quoque palato ipsius diuinæ dulcedinis fœlix. Excus Radium *porrexit*, & cordis quoque palato *illius* diuinæ *dilexit* fœlix.

310. Dolent mater & nutritius, conqueruntur & quærunt, iouentum tandem & leui increpatione castigatum reducunt. Excus. *Dolet* mater, *mater* & nutritius conq. & quær. iouen. tand. *Iesum leui* increp. *castigant* & red.

311. Vitis illis spiritualibus Exc. *Viris spiritualibus.*

A

312. Nihil libentius dixerim quam Spiritum sanctum, nec matrem nihil rectius quam charitatem. Hi nos. Exc. Nihil liberius dix. quam Spir. Sanct. *matrem vero nil,* rect. quam char. Si.
313. Proximi negligamus. Exc Proximi *omittamus.*
314. Indulgeamus, quasi de. Excus. *Indulgeamus de.*
315. Aliis quos nostra sollicitudine prospicit, senserit imminere ex nostra quiete perniciem. Exc. Aliis *quibus* nostra *sollicitudo* prospicit, sens. immi. ex *nimia* quiete pet.
316. Orationibus omni postposita actione intendis. Exc. *Orationibus postposita* actione *mentis.*
317. Immoremur in mediis deliciis Excus. Immoremur *mediis deliciis.*
318. Infirmorum, & illum cogitamus. Excus. Infirm. *vt* illum *cogitemus.*
319. Procedens ad publicum aliquod ei pater ei afferat suo. Exc. Proced. *in* pub. *pater ei afferas* suo.

B

320. Agitatum quia non habet. Exc. Agita. *quando* non *habeat.*
321. Spiritu accediæ. Exe. *Accedia spiritu.*
322. Suggestu progressi, ex fraternis cordibus. Exc. Suggestu *progresso ex paternis* cord.
323. Te. Non iniuria dicimus. Exc. Te. *Non cum* iniu. dici.
324. Loqui contristari, & cætera talia in sanctis agere consueuit. Exe. Loqui & contrist. & *talia agere in sanctis* consueuit.
325. Necessitates amor quietis in ipsius animæ. Excus. Neces. *amator.* quiet. in *ipsis* animæ.
326. Mortuus est Christus. Exc. *Christus mortuus est.*
327. Cum illis, & subditus illis. Exc. Cum *eis* & *est subditus eis.*
328. Descendit, qui cum tali nutritio & cum tali matre descendit: fœliciter descendit, qui spiritu Dei actus, charitatiue inferioribus condescendit. Excus. *Descendit cum* tali nutri. & cum tali matre, descendit fœliciter. Descendit, qui spiritu Dei actus, *charitatem* inferioribus *ostendit.*

C

329. Libens his ducibus in Ægyptum, tantum si ducant, reducant; si cogunt descendere, & reascendere faciant. Exe. Libens *cum* his *ducibus in* Ægyptum: *si tamen ducunt reluctantem*, si cogunt descendere, & *reconscendere faciunt.*
330. Subdat talibus magistris, libenter supponam. Excus. Subdat *tali matri, libens* supponam.
331. Libens excipiam iugum, cui me subdiderint. Exe. Libens *suscipiam* iug. cui me *subdunt.*
332. Sed & tibi, fili mi, licet à talibus curis liberum adhuc sub alis suis te Christus abscondat. Exc. Sed *etsi te,* fili mi, à talibus curis liberum adhuc sub alis *suis Christus* abscondat.
333. Necessitates subditorum nonnunquam præponunt deliciis contemplationis. Exe. Necessitates *quandoque* præponunt *contemplationis deliciis.*
334 Quando videlicet vel. Exc. Quando *suppetunt* vel.

D

335. Habes charissime quod petisti, licet tuo desiderio, tuo affectui, tuæ expectationi nihil dignum, voluntatis tamen meæ & qualiscumque. Exe. Habes *fili* char. quod petisti, *licet tuo affectu, tuaque contemplatione* nihil dignum, voluntatis tamen meæ, *aut* qualiscumque.
336. Sciasque quod non tam Euangelicam lectionem exponere, quam ex ea aliqua tibi meditationum semina, sicut rogasti, elicere curauimus Excus. Scias *igitur quia* non tam Euangelicam lectionem exponere, quam ex ea *aliquam meditationem*, sicut rogasti, elicere curauimus; *& legentibus incitamenta deuotionum ex huius forte lectionis Euangelica composuimus, ipsius adiuuante gratia, de quo loquitur infantula, qui plenus est virtute, & gratia, & sapientia, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

E

DIVI AELREDI Fragmentum.

EX OPERE EIVSDEM DE REBVS Angliæ; exscriptum ex capite tertio decimi Seculi Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ (Auctore D. NICOLAO HARPSFILDIO, Archidiacono Cantuatiensi) quæ prope diem, Deo fauente, in lucem prodibit.

CONTINET HOC FRAGMENTVM orationem Eadgari Magnifici & pacifici Regis habitam ad Episcopos Cœnobiorumque Præfectos.

F

QVONIAM magnificauit Dominus misericordiam suam facere nobiscum, dignum est ô Patres Reuerendissimi, vt innumeris illius beneficiis dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possedimus terram, & brachium nostrum non saluauit nos, sed dextera eius, & brachium sanctum eius, quoniam complacuit illi in nobis. (Psal. 43. 4.) Iustum proinde est, vt qui omnia subiecit sub pedibus nostris, subiiciamus & nos illi animas nostras: & vt hi, quos nobis subdidit, eius subdantur legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest, laïcos cum æquitatis iure tractare, inter virum & proximum suum iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. (Psal. 34. 10.) Sed & meæ sollicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum & necessaria procurare, & paci eorum ac quieti consulere. De quorum omnium moribus ad Vos spectat examen; si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos qui foris sunt, si in

G

diuinis officiis solliciti, si ad docendos populos assidui, si victu sobrij, si habitu moderati, si in iudiciis sunt discreti. Pace vestrâ loquor Reuerendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda; & abominanda ad aures nostras de Clericis peruenissent. Taceo quod nec illis est corona patens, nec tonsura conueniens, quod in veste lasciuia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo interioris hominis loquuntur insaniam. Præterea, in diuinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad Missarum solemnia, ad ludendum magis, quam ad psallendum, congregari videantur.

Dicam, dicam quod boni lugent, mali rident, dicam dolens (si tamen dici potest) quomodo diffluant in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis; vt iam domus Clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi vsque ad medium noctis spatium protractæ in clamore & horrore vigiliæ. Sic sic patrimonia Regum, eleemosynæ pauperum, imo (quod magis est) illius pretiosi sanguinis pretium profligatur?

H

Ad hoc ergo exhauserunt patres nostri thesauros suos? ad hoc fiscus Regius, detractis redditibus multis, detumuit? Ad hoc Ecclesiis Christi agros & possessiones regalis munificentia contulit, vt deliciis Clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia præparentur, canes & aues, & talia ludicra comparentur? Hæc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant, & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis? Vbi gladius Leui, & zelus Simeonis, qui vt scorto abutentes filia Iacob, Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi Ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiam circumcisos ciciderunt? (Gen. 34. 25.) Vbi Spiritus Moysi, qui caput vituli adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? (Exo. 32. 27.) Vbi pugio Phinees Sacerdotis, qui fornicantem cum Madianitâ confodiens san- (Num. 25. 7. 8.)

cta

A ćta hac æmulatione Dominum placant iratum? Vbi spiritus Petri, cuius virtute perimitur auaritia, hæresis
Act. 5. 3. & 8. 20. Simoniaca condemnatur?

Æmulamini, ô Sacerdotes, æmulamini vias Domini, & iustitias Dei nostri. Tempus faciendi contra eos, qui dissipauerunt legem Dei. Ego Constantini, Vos Petri gladium habetis in manibus. Iungamus dexteras, gladium gladio copulemus, vt eijciantur extra castra leprosi, vt purgetur sanctuarium Domini, & ministrent in templo filij Leui, qui dixit patri & matri, *Nescio vos*; & fratribus suis *Ignoro illos*. Agite quæso sollicite,
Nu. 5. 2. Deuter. 33. 9. ne pœniteat nos fecisse, quod fecimus; dedisse, quod dedimus, si viderimus illud non Dei obsequio, sed in pessimorum luxuria impunitâ libertate consumi. Moueant vos Sanctorum reliquiæ, quibus insultant; veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moueat vos antecessorum nostrûm mira deuotio, quorum eleemosynis vesania Clericorum abutitur.

B Proauus meus, vt scitis, totam terram suam Ecclesiis & monasteriis decimauit. Sanctæ memoriæ atauus meus Aluredus, vt Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus parcendum putauit. Auus meus senior Edouardus quanta contulerit Ecclesiis, vestram paternitatem non latet. Pater meus & fratres, quibus donariis Christi altaria cumulauerint meminisse vos decet.

Apostrophe Patris regis Eadgari ad Dunstanum. O Pater Patrum Dunstane, contemplare quæso patris mei oculos, ab illa lucida cœli plaga in te radiantes: audi querulas eius voces, cum quadam pietate in tuis auribus resonantes. Tu mihi Pater Dunstane, tu mihi de constituendis Monasteriis, de Ecclesiis ædificandis consilium salubre dedisti. Tu mihi adiutor in omnibus, & cooperator extitisti. Te quasi Pastorem & Episcopum animæ, morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos vnquam thesauros tuis consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non spreui? Si quid pauperibus dandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendum Ecclesiis iudicabas, non distuli.
C Si quid Monachis Clericisve deesse querebaris, suppleui. Æternam dicebas esse eleemosynam, nec aliam fructuosiorem, quam quod Monasteriis Ecclesiisve confertur, quo Dei serui sustentantur, quod superest, pauperibus erogatur. O præclaram eleemosynam, & dignum animæ pretium! O peccatis nostris salubre remedium! quod à sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet, quod eius auriculas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit & purpura. Hiccine est, Pater, eleemosynarum mearum fructus, hiccine desiderij mei, tuæque promissionis effectus?

Quid huic patris mei querimoniæ respondebis? Scio,
Psal. 49. 18. scio, cum videbas furem non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, increpasti.
2. Tim. 4. 2. Contempta sunt verba: veniendum est ad verbera, & non deerit tibi potestas Regia. Habes hic tecum Venerabilem Patrem Ethelvvaldum Vvintoniensem Episcopum: habes Reuerendissimum Præ-
D sulem Vvigorniensem Osvvaldum. Vobis istud committo negotium, vt & Episcopali censura, & Regia auctoritate turpiter viuentes de Ecclesiis eijciantur, & ordinate viuentes introducantur.

N O T A.

In Bibliotheca Patrum Cisterciensium octo Tomis recèns editâ studio Patris Bertrandi Tissier eiusdem congregationis, impressi sunt viginti quinque Sermones noui eiusdem Aelredi, quos ibidem curiosus Lector tomo 5. pag. 162. inueniet.

E

ANONYMI RYTHMUS

De laude Virginitatis.

PARADISUS voluptatis, in secreto Castitatis requiescit thalamo,
Candor enim virginosus, sicut hortus gloriosus distillatur balsamo.
Iste liquor spiritalis, disciplinæ virginalis rigat domicilium,
Vt sit plenum sacro flore, de sublimi misso rore, virginale gremium.
Quis puellas consecrauit, nisi Christus qui plantauit rosam super Iericho?
Illis rosa destinatur, quæ in iustis transplantatur plantatore cœlico.
F Ergo fratres si quæratur, à quo prius consideratur disciplina virginum,
Est illarum consecrator, ille summus fabricator æternorum luminum;
Qui non fuit in figura, sed in carnis creatura, Castitatis Speculum:
Quando matrem subintrauit, nec in partu violauit Virginis signaculum.
Vmbra sancti Spiritus, dedit ei cœlitus spiritale pallium,
Vt non lædat Virginem, nec pudoris cardinem pariendi vitium.
Hæc est porta salutaris, de qua prodit lux solaris, imo sol iustitiæ,
Cuius lampas nos accendit, quando nobis condescendit Imperator gloriæ.
Clausa, sed non Saluatori, sed antiquo tentatori nostræ sortis æmulo,
Qui de cœlo transmigrauit, mortem mundo copulauit, & infernum sæculo.
G Sic in matre Saluatoris, nulla fuit corruptoris sponsi violatio,
In qua venit inclinari, sicut solet adumbrari sol in nubis medio.
Hæc est Arca testamenti, Noë portans in præsenti maris huius fluuio. Gen. 7. 7.
Quam Messias introiuit, & intactam custodiuit clauso foris ostio.
Non corrumpit rosæ florem, imo reddit pulchriorem roris stillicidium.
Sic Messiæ genitura, saluum fecit à læsura Mariæ triclinium.
Sunt illius consobrini, cum columba columbini virginales cunei,
Quibus iure maritantur, & custodes deputantur, spiritus ætherei.
Sunt natura virginosi, cœtus illi gloriosi supernorum Ciuium,
H Quos in luce parturiuit, & in pace stabiliuit lucis beneficium.
Nostræ sortis argumentum, non est eis elementum corporalis machinæ,
Qui diuinæ visionis, in supernis illis thronis perfruuntur lumine.
Sunt creati non ex luto, ergo non sunt sub tributo peccatricis fabricæ,
Sub hoc sole non marcescunt, sed in vmbra requiescunt maiestatis vnicæ.
Non hoc habent ex virtute, qui sub nostra seruitute non sunt Adæ filij,
Nec succumbunt seruituti, quia non sunt constituti sub flagello vitij.
Quicquid habent claritatis, disciplinæ, castitatis, confert illis gratia,
Qui vicerunt cum dracone, spiritali pugione, draconis præsidia. Apocal. 12. 7.

Statum

A Statum suum seruauerunt, cum de cœlo ceciderunt spiritus superbiæ,
Quando Satan est demissus; quem suscepit hæc abyssus & vallis miseriæ.
Hi sunt cœli cardinales, quibus turmæ virginales nubunt in cœlestibus,
Speciosæ speciosis, gratiosæ gratiosis, virgines virginibus.
Fœlix matrimonium, non discutit vitium inter istas nuptias.
Nihil terrenum sentiunt, sed in cœlis patiunt spiritales hostias.
Lectus ille florulentus, vbi cubat hic conuentus virginalis gloriæ,
Sub candore liliorum, sub amplexu Angelorum fiunt tales nuptiæ.
Huius lecti vestimenta sunt virtutum ornamenta, Pax, Amor, Iustitia;
B Quibus fides illustratur, quibus intus obumbratur mentis pudicitia.
Si mens est adultera, caro non est libera, sed succumbit vitio.
Sic in suam libertatem, carnis trahit puritatem mentis virginatio.
Plenum ergo liliis, & rosarum foliis vernat opertorium.
Ne tempestas frigoris, virginalis corporis intret in palatium.
Scitis quæ sit hæc pruina? Non est grando transalpina, sed peccati grauitas.
Per quam marcet & decrescit, & ad tempus refrigescit huius mundi charitas.
Sed in toto Castitatis, ordinate charitatis nunquam deest gloria.
Ob pacis instrumentum, & Amoris blandimentum florent cum Iustitia.
Pax concordat vniuersa, & quem trahunt in diuersa motus carnis lubricæ.
C Reconsignat vnitati, & reformat puritati virga pacis vnicæ.
Virga pacis est diuina, de qua prodit disciplina seruitutis liberæ,
Omnem sensum soperans, & captiuos liberans de maligno carcere.
Virgas pacis Christus portat, qui nos regit & confortat manu sapientiæ,
Qui per virgam creat pacem, frangens virgam contumacem per virgam Iustitiæ.
Pax concordat malos bonis, per quam regnum Salomonis eleganter floruit.
De camino Babylonis, tres Hebræos cum coronis liberos eripuit.
Quando Deus mundum fecit, nihil in mundo tam profecit, quam Pax eius dexteræ,
Qui per pacis fundamenta concordauit elementa sempiterno fœdere.
Cœlum fecit in splendorem, solem luna clariorem, & lunam sideribus,
D Rore cœli mundum rigans, in mensura nubes ligans, & aquas in nobibus.
Terram fecit ponderosam, fructu suo gloriosam, propter vsus hominum,
In abysso clausit mare, ne valeret transmeare datum sibi terminum.
Sic diuisit per naturas, primas mundi creaturas pacis ordinatio,
Cuius thronos ex tunc viuit, ex quo mundum stabiliuit Deus à principio.
Hæc in throno virginali, principatu spiritali primum tenet ordinem,
Quam & Christus adimpleuit, & cum Christo requieuit in Mariam Virginem.
Iuxta sedet vis amoris, vt sit soror ex sororis speciosa specie.
Sunt sorores Pax & Amor, nec conturbat vllus clamor sorores lætitiæ.

Sicut iaspis in metallo, vel lux solis in cristallo splendet amor sobrius. E
Quos mundus incarcerat, per amorem liberat verbi Dei gladius.
Amor dico non terrenus, sed qui non est alienus à diuino spiritu.
Qui peccantis cor conuertit, & inspirat & auertit à mundano strepitu.
Hic est amor filialis, semper manens spiritalis in filiis gratiæ;
Quos amoris virga regit, quos amoris vmbra tegit ab æstu perfidiæ.
Hic est amor inclitus, cui pendet subditus omnis mundus hodie,
Qui per fidem renouatur, & amore vulneratur spiritalis patriæ.
Talis plaga non est grauis, non amara sed suauis, & plena dulcedine,
Idem ferit, idem sanat, sic de plaga salus manat, non effuso sanguine. F
Ergo sola charitate, mentis Deo mancipatæ vulneratur spiritus,
Sic frœnatur mens effrœnis, & sic transit à terrenis inspirata cœlitus.
In duobus argumentis verus amor veræ mentis intrat aulam libere,
Nam qui mundum negligit, Deum suum diligit, & timet offendere.
Sic est amor cum timore, quia amor ex amore procedit liberius,
Non est timor hic seruilis, sed in Deum puerilis, sacer & innoxius.
Amor summi plasmatoris, in figura peccatoris suum misit filium,
Qui descendit moriturus, accinxit pugnaturus super lumbos gladium;
Quo destruxit Babylonem, & inferni legionem immolatus vespere.
Pugnans vt Rhinoceros, & educens miseros ab antiquo carcere, G
Sic destruxit nostros hostes, dum depinxit nostros postes colore sanguineo. Exod.12. 13.& 51.
Sic Ægyptus deuastatur, & à iugo liberatur gens Hebræa ferreo.
Christus fuit hæc ruina, qui eduxit de piscina suæ carnis sanguinem,
Et ascendens patris thronum, ciuem fecit & colonum suæ lucis hominem.
Per Amorem ista fecit, Amor enim nos eiecit de mortis ergastulo,
Si Deum diligimus, & si caste viuimus, reprobato sæculo.
Amor non est sine rore, sed obumbrat à feruore thalamum virgineum,
In quo fecit Rex cœlestis, castitatis verus testis, ascensum purpureum.
Propter stolam passionis; quamuis plaga pugionis non sit in virginibus: H
Sed refrænant per virtutem, suæ carnis seruitutem à peccati legibus.
Nunc oportet vt loquamur, & succincte prosequamur de matre Iustitia,
Per quam viuit ad salutem, & laborat per virtutem iustus in Ecclesia.
Hæc est Princeps, & Regina, mater Regum vterina & custos imperij.
Quæ regnare facit Reges, & diuinas scribit leges in virga iudicij.
Si desit iustitia, sine sapientia stat omne iudicium;
Falsum enim iudicat, qui insontem vindicat, & non punit noxium.
Hæc est tuba spiritalis, inter tubas principalis cœlestis militiæ.
Quæ inuitat ad pugnandum, & ad bene vigilandum, filios Ecclesiæ.

De

A De cubili vitiorum, ad coronam electorum, dormientes excitans,
In se semper est secreta, nullis tamen aliena, sed pro cunctis militans.
Vincit mundi monarchiam, portans secum in machiam verbi Dei frameam:
In flagello charitatis, à fermento vetustatis Christi purgans aream.
Pro candore regio, comparatur lilio claritas iustitiæ.
Semper florens vt oliua, semper virens, semper viua, congrua victoriæ.
Hæc conseruat in tormentis, ense spreto persequentis, martyrum constantiam.
Non succumbunt passioni, consecrantes pugioni suæ mortis hostiam. (Iob 42. 6. 10.)
Iob sanauit post mœrorem, disciplinæ sanctum rorem suo fundens vlceri, (Sap. 10. 13.)
Per hanc vada Rubri maris, tactu virgæ salutaris, quondam fuit peruia; (Gen. 37. 28)
B Vt Hebræus pertransiret, & Ægyptus deperiret cum Regis malitia. (Exod 14. 25. 22. 26. 27.)
Hæc extinxit suo rore, vulneratos cum dolore per serpentem igneum; (Nu. 21. 6. 9.)
Pro salute conclamantes, & in altum suspirantes ad serpentem æneum
Lot adiuuit & Tobiam, & Eliæ fecit viam per Iordanis medium, (Sap. 10. Tob 12. 13. 4.)
Ne Prophetam detineret, sed diuisus permaneret ad Eliæ pallium. (Reg. 2. 8.)
Ista Satan alligauit, & mendacem catenauit veritatis laqueo, (1. Reg. 31.)
Per hanc Dauid est electus, de pastore Rex effectus, & inunctus oleo,
Christus verus manu fortis, per hanc vmbra suæ mortis rigat ensem flammeum,
Qui de Crucis torculari, & racemo salutari, vinum fundit roseum.
C Ista rerum gubernatrix, sedit sicut Imperatrix in toro virgineo,
Vt conseruet sacras mentes, & defendat innocentes à tactu corporeo.
Imitemur has sorores, quibus non sunt pulchriores in hac mundi serie.
Virginali præsunt lecto, quem dilectus ex dilecto circundat quotidie.
Nil cœlestis disciplinæ, nil virtutis columbinæ deest istis nuptiis,
Vbi ludunt cum Messia, vel pascuntur cum Maria, Virgines in liliis.
Non est ibi virilis coitus, sed diuini verbi concubitus, & partus gloriæ,
Vbi Christus intrans & exiens, templum suum seruare cupiens, flos est iustitiæ.
Templum suum replet & instruit, Salomonis qui templum destruit, à gente Persica;
Virginalem plus amat thalamum, quam Thus, Myrrham, Crocum, vel Balsamum, vel mala Punica.
D Sed à domo Templi Dominici, fugat vmbram draconis lubrici lucis præsentia.
Plus odorat quam malum Punicum, vincit quoque Thus aromaticum, & Nardi folia.
Quis destruxit Babylonem, & demersit Pharaonem in profundo fluminis?
Hic vastator Aquilonis, templo Regis Salomonis, Templum præfert Virginis.
Est constructa miris lapidibus, & depicta multis coloribus, sancta Virginitas,
Huius templi poliuit marmora, quæ distinxit annos & tempora, verbi diuinitas.
Pretioso fundatur lapide, Amethysto, Sapphiro, Iaspide, mixto Chrysolithis,
Cum Smaragdis atque Topazio, cum Hyacinthis & Calcedonio, mire compositis.
De Crystallo splendoris regij, sunt columnæ huius palatij plenæ Carbunculis,

E Pauimenta sunt de Porphyrio, transluscente templi laceratio diuersis calculis.
Non est lapis sub solis orbita, de quo non sit domus composita templi Virginei;
Spiritalis est ista fabrica, facta sed non arte mechanica, nec ictu mallei.
Est exemplum Pater ingenitus, Verbum patris, & Sanctus Spiritus operis.
In quo non est ruga vel macula, nec discurrit vmbra vel nebula peccati veteris.
Est in porta pictum palatij, quid sit amor Patris & Filij, satis mirifice:
Vt demonstret talis introitus, quod sit custos Sanctus Paracletus istius fabricæ.
Ibi tenet Cherubim gladium, procul pellens omne diuortium à templo Domini, (Gen. 3. 24.)
Ne subintret vlla fragilitas, vbi totum facit virginitas marito Virgini,
F In hoc templo throni dominici canunt semper ciues Angeli cum tubis aureis,
Desponsati solis spiritibus, non corruptæ carnis amplexibus, choris virgineis.
Ante fores istius thalami, Palma crescit & arbor Balsami, Nardus & Cassia.
Cinnamomi cortex & baculus, virga Thuris, Myrrhæ fasciculus mira fragrantia.
Flos rosarum mixtus cum Liliis, flos Hyacinthi cum Croci foliis, Myrtus cum Fistula,
Cedrus apta venenis omnibus, & infesta cunctis serpentibus Hysopi virgula;
Cyprus quoque cum malis Punicis, quæ colore rubei corticis signant martyrium;
Foris rubent aspersa sanguine, tamen intus in mente virgine candor est Eboris.
Sic est color alter in alterum, cum diuersa non est lex operum mentis & corporis,
G Sed non præstat cunctis virginibus, immo solis Christus Martyribus gloriam,
Multis tamen florent martyriis, macerantes crebris ieiuniis carnis substantiam;
Verus amor sine martyrio, sine pœna cordis Contritio non possunt viuere,
Sed est martyr ex parte maxima, vulnerata fidelis anima diuino vulnere,
Ensis facit carnem sanguineam, solus Christus mentem virgineam amoris iaculo;
Mortem membris gladius ingerit, Christus mentem in quam intrauerit, occidit sæculo,
Potest esse minoris meriti, plaga Verbi Patris ingeniti, quam plaga gladij?
Christus quoque vocatur gladius, quo purgabit ipse non alius diem iudicij,
Duos habet Messias gladios, vulnerantes per ictus varios lege mirabili;
Vnus intrat in corda Virginum, alter punit filios hominum plaga dissimili.
H Virginalis cordis consilium, quo plus sentit diuinum gladium, plus est longanime,
Tunc est ei maior deuotio, tunc in altum surgit plantatio florentis animæ.
Tunc de cordis interni machina, lacrymarum discurrunt flumina plena solatio,
Sic puellas replet interius, disciplinæ cœlestis gladius, Pacis consilio,
Sub hoc sole præliatur, sed in cœlis conuersatur virginum militia,
His vtuntur elementis, sed in horto sacræ mentis pascunt inter lilia.
Non sequuntur mundi delicias, tam fallaces quam transitorias multis piaculis;
Cum maiore quæruntur studio, tum maiore fallunt ludibrio falsis oraculis.
Quid est mundus? Vallis miseriæ; vas dolorum; cella malitiæ, domusque carceris;
Fel abscondens sub mellis cortice, de veneno, mor-

tisque

A tisque calice dans potum miseris.
Quid est mundus? Mœroris cingulum, vnde Satan accinxit sæculum in stola sirbili;
Rubicundus Sanctorum sanguine, hic effuso pro Christi nomine virtute nobili.
Quid est mundus? Baculus ferreus, virga dura, sagena, laqueos iustis insidians;
Hostis lucis, plenus discordia, bellum quærens, & super omnia Paci renuntians.
Quid est mundus? Vrbs sanguinaria, quam non replet cella rosaria, sed mortis ingrediens.
Mundus transit, & mundi gloriæ, sicut transit flos in meridie, solis impatiens
Quid est mundus? Cornu superbiæ, quod debellat cornu iustitiæ vultu sanguineo;
Plenum quidem liquore sceleris, & veneno peccati veteris non pacis oleo.
Babylonem vincit superbia, Pharaonem fraudis malitia huius sæculi.
B Ignem parit inextinguibilem, cremans malos, vt testam fictilem caminus figuli.
Si nos vrit hic caminus, pluat in nos ros diuinus: hic extinguit vita,
Cuius stillicidium, portat in solatium virginalis hydria.
In corona virginali, ligamento nuptiali, nubit rosa lilio;
Foris lucent candidatæ, intus rubent vulneratæ spiritali gladio.
Hic est mucro bis acutus, cuius ictum consecutus non est imber sanguinis.
Hic occidit prauos mores, & refrænat peccatores à cultura criminis.
Propter suos bellatores, fecit Christus istos flores in campo iustitiæ.
In colore tam diuersos, vt corouent vniuersos in diuersa specie.
C Rosa floret inter spinas, vincit nubes matutinas, Roris tecta pallio,
Sed non lædit spina Rosam, neque mentem virginosam peccati contagio,
Hæc est rosa princeps florum, cuius rubor occisorum sequitur vestigia,
Quam depinxit auctor lucis, ex colore suæ Crucis, qui colorat omnia.
In hoc flore de Christi latere, pluit sanguis effusus vespere, clauis & lancea;
Aqua trahit colorem regium; florem ante Christi palatium in Crucis area.
Hæc a Rore trahit vocabulum, Rosa dicta propter signaculum Rosis dominici,
Sine Rore Rosa non nascitur, sed in Rore supergreditur proprio corrici;
Suo maior effecta calamo, clausa prius sicut in thalamo sub vmbra surculi.
Sed cum Roris descendit stillula, Rosa prodit & parit virgula Rore diluculi,
D Sic in nostra carnis substantia, clausa latent Sanctorum præmia quasi sub cortice;
Sed cum raro transit de sæculo, flos apparet orto diluculo lucis Angelicæ.
Sicut Christus est in Martyribus, sic est Rosa princeps in floribus, & florum domina;
Tincta sacro Messiæ rosculo, quem stillauit marcenti sæculo de Crucis machina,
Rosa quoque soror est gladij, rubricatrix stolæ Martyrij cædente gladio,
Vt ascendat cum tinctis vestibus, de pressuris & torcularibus Martyrum legio.
Quid in isto flore rosario, maculatum siue repudio dignum aspicis?
Rosa multis est necessaria, consolatur sua fragrantia dolorem capitis.
Sub hoc flore Martyres dormiunt, quibus huius recte conueniunt floris plantaria;

Vt quos tinxit sanguinis in prælio, rubricato circundent pallio rosæ sacraria. E
Cur apparet Candor in liliis? vt in mente purgata vitiis candor appareat;
Mens pudica floret vt Lilium, quæ laborat vt suum gremium Messiæ placeat.
In Lilio non est varietas, sed candoris vna proprietas colore simplici.
Sic pudicæ mentis sacrarium, Christum amans non amat alium amore duplici.
Longam habet flos iste virgulam, ascendentem sicut arbusculam, de terræ gremio;
Sic in altum crescit flos Virginum huius mundi commutans terminum cœli consortio.
Huius floris virtus est mystica, portat enim vestis Angelica candorem Lilij;
Stolas habet candentes lilio, spiritalis illa creatio summi palarij.
In sublimi flos iste positus, longum tenet dulces anhelitus suæ fragrantiæ.
In hoc flores transcendens alios, quod non marcet ad solis radios, nec in meridie. F
Sic tenorem intactæ virginis, non conflagrat æstus libidinis sorte fœminea,
Sed candore floret assiduo, consecrata Regi perpetuo caro virginea.
Christo patens, clausa dæmonibus, clausa mundo, patens cœlestibus, Angelis peruia.
Columbina per Innocentiam, Serpentina per Sapientiam, Serpentis nescia.
Istos flores virtutis geminæ, transplantauit in mente virgine filius hominis.
Quos diuersos facit natiuitas, non disiungit vlla diuersitas in caput virginis.
Rosa floris coruscat libere, flos lilij non minus prospere candet interius,
Quos attulit sanctæ Ceciliæ, de secreto diuinæ patriæ, cœlestis nuntius.
Ne flagraret carnis concubitu, conflagrata diuino spiritu caro puellulæ, G
Nec timeret ensem sanguineum, vel catastæ stridorem ferreum corpus iuuenculæ.
Mancipata diuino cultui, consecrauit sancto Spiritui suum coniugium.
Spiritali rore refrigerans æstus carnis; mundique temperans omne ludibrium.
Puellarum maior est gloria, quam quod possit historia libri concludere.
Templum enim sancti Paracleti, mens non valet lingua, vel digiti digne describere.
Quod purgatur Christi ventilabro, quod illustrat suo candelabro lucerna fidei;
Ne subintret nocturna nebula, quo refulgent clara signacula cœlestis olei.
Lunam implet solaris claritas, templum suum Christi virginitas, quod est Ecclesia.
Sic vocantur principis filiæ, Christi matris imaginariæ mentis Iustina.
Quæ se Christi iugo subijciunt, & in suo corde parturiunt Christum quotidie, H
Sed non partu qui lædit vterum, nec dolore quo parit puerum caro miseriæ.
Florem parit virga nec læditur, nubes rorem, sed non corrumpitur nubis signaculum,
Ita prodit sine discrimine, virgo Christus de mente virgine nec est periculum.
Sicut ceruus ad vmbram properat, sic Messias vmbram desiderat carnis virgineæ,
Ibi stillant guttæ charismatum, colles Myrrhæ, montes Aromatum & Thuris areæ.
Vt draconem formidant sæculum, amplectentes crucis signaculum Christi tyrunculæ,
Ne nocturni timores irruant, & sopore depressas obruant peccati nebulæ.
Quas immittunt feruores noctium, grauis sopor, hostis ludibrium in carne fragili,

A Sed non habeot suos introitus, vbi cubat sanctus Paracletus cum tuba vigili.
De sublimi superaspiciens, sicut vigil nocte non dormiens, sed semper iubilans,
Ne propinquet isti cubiculo, draco nostræ sortis periculu semper inoigilans
De cubili suutum charismatum, procul pellit turbas phantasmatum dulci vigilia,
Vt non figat suum tentorium, intra sui templi sacrariumhostis malitia. (illecebras,
Sic custodit vasa iustitiæ, spiritalis tuba vigiliæ, propter
Simul enim noo possunt capere, pacis hostem cum pacis fœdere, lucem ac tenebras.
De duobus hoc vnum eligunt, Christum amant, Messium diligunt lege conIugij,
Cubant ergo sub eius brachiis, rescribendo mundanis nuptiis libellum repudij.
Potest rigor claustralis regulæ, qua ligantur Christi discipulæ, carere gloria?
B Non sunt suis subiectæ legibus, aliena totis ceruicibus portant imperia.
Prima virtus est innocentiæ, sustinere vi patientiæ virgam alterius,
Sed econtra sub iugo viuere percussorem non repercutere, non est deterius.
Sunt in mundo nec de sæculo, viuunt semper quasi sub baculo sibi non libere,
Et ne viuant secundum hominem, sui cordis signant imaginem Christi charactere.
Sic est à se velut extranea, propter Christum turba virginea mundum transgrediens:
Quæ transcendit carnis obstaculum, sicut ceruus quærit vmbraculum colles transiliens.
Sed notare: Ceruus aut caprea, leuitate transit corporea, spinosa moutium,
Sic relicta conualle misera, montis Sion, quæ est vrbs libera, quærunt solatium.
C Sicut timent serpentes capream, ita timet turbam virgineam serpens horribilis,
Qui veneno mundum inebriat, & captiuos suos excrociat horrendis sibilis.
Qui non dormit sed semper vigilat, & de suo cubili sibilat vt iustos deuoret,
Vt in sui ventris malitia, quos illudit sua fallacia, lætus incorporet.
Sed virgines quæ Christo seruiunt, hunc draconem sibi subiciunt lucis potentia,
Ab antiquo serpente liberæ, qui Iordanem se sperat bibere sua superbia.
Sic ligatur fune virgioeo, qui ligarat peccato ferreo mundum antiquitus;
Alligatus in suis machinis, illis qooque subiectus fœminis, quæ viuunt cœlitus:
Quæ fornacem istius sæculi, spiritalis liquore rosculi pie refrigerant;
Et per Christum qui suos liberat, virgam mundi quæ carnem verberat, semper exsuperant,
D Hic accinctæ mœroris cingulo, donec rupto mortis ergastulo sursum perueniat,
Vt peracta mundi victoria, duos flores & Rosas, & Lilia digne recipiant.
Hic cantantes mœroris canticum, mundum flentes in malo publicum, non in iustitia,
Debent enim pro mundo gemere, quem non sinit in altum tendere sua pigritia.
Sint securæ de suis præmiis, qoæ procedent ex donis Regiis peracto prælio,
Non claudetur illis palatium, quod parauit turbæ fidelium Regis promissio:
Sicut Thuris ascendit virgula, sic ascendent tabernacula throni dominici,
Carnis suæ relicto pondere, liberatæ de suo carcere mundi phrenetici.
Quas in porta cœlestis patriæ, præstolatur palma victoriæ mater Vincentium,
E Et corona lucis ingenitæ, Thronus pacis Vrbs Sion inclytæ, cœli palatium:
Vbi Christus dat suis filiis, pro diuersis quidem victoriis diuersa præmia;
Florem rosæ suis Martyribus, & diuinæ, sacris Virginibus, conuallis Lilia.
Cunctis tamen est vna gloria, quia non est ibi discordia pro lege munerum,
Vbi liuor non habet gratiam, sed communem habet lætitiam alter in alterum.
Ibi frater fratri non inuidet, vbi Christus cum Patre residet in regni solio, (& pacis visio.
Ibi splendor est indesiciens, fons æternus, panis reficiens,
O Virgines dies prætereunt, finis venit, peccata transeunt, & mundi machinæ,
Coronatur vestra virginitas, vbi tota consistit Trinitas, in vno volumine.

ORATIO.

F Nos qui nomen à Christo trahimus, in figura nostra suscepimus Deum & hominem,
Si se nostris adiunxit legibus, cur fugamus à nostris cordibus eius imaginem?
Nos signauit suo charactere, cum produxit de suo latere nobis Ecclesiam,
Quando mortis flagellum pertulit, & à nobis antiquæ repulit mortis sententiam.
Cur ab illo sumus extranei, qui pro nobis fontis sanguinei produxit riuulum?
Ad nos venit, nos non recipimus, sed ne possit intrare, claudimus mentis signaculum.
Contra Deum non est consilium, nulla turris, nullum refugium, nulla protectio,
Vel intrabit cum pacis fœdere, vel oportet eum recipere plenum iudicio.
Deprecemur eum cum fletibus, vt qui fuit clemens in Patribus, sit clemens hodie, (suæ familiæ.
Disciplinæ virga nos feriat, & placatus preces recipiat
G Babyloni diu seruiuimus, diu serui peccati fuimus, nunc sumus liberi,
Sit ad Christum nostra conuersio, dominetur nostra deuotio mundano carceri. (turres facere,
Vbi prius sederunt vitia, debent modo sua cubilia vir-
Si nos læsit carnis corruptio, Castitatis vtatur pallio, quæ nescit lædere. (mystice Conuallis lilium;
Hæc est murus vrbis Angelicæ, quam appellat Salomon
Quia floret sed io simplicibus, comparantur enim coouallibus mentes humilium:
Quas in altum non fert Superbia, caret enim omni iactantia fœlix Humilitas;
Super bases huius argenteas fabricauit turres virgineas Christi virgioitas. (tium in sua patria,
Det fundator istarum turrium, virginale nobis consor-
Vbi manet Pater ingenitus, Verbum Patris Sanctus Spiritus in vna gloria. Amen.

H
GVARRICI ABBATIS Igniacensis, Magni illius BERNARDI olim discipuli Sermones, multa pietate ac eruditione differti, iam recens ad Veterum Exemplarium collationem, à multis & crassis mendis per IOANNEM COSTERIVM ordinis D. Augustini Canonicum vindicati Louanij.

EX TRITEMIO ABBATE.

Guarricus Abbas Igniacensis, vir in diuinis scripturis non infimè doctus, ingenio facilis, eloquio dulcis & compositus, & ad persuadendum idoneus, non minus

A *conuersatione & regularis obseruantiæ amore, quàm scientia Scripturarum insignis, scripsit pro ædificatione simplicium & deuotorum fratrum non contemnenda opuscula, quibus ouium Christi pastorem vtilem se fidelémque exhibuit, è quibus ego reperi opus Sermonum de tempore & Sanctis.*

Ad fratres, Lib. I.
Epistolas etiam scripsit.
De cæteris autem quæ composuisse dicitur,
——————nihil vsquam potui inuenire.

REVERENDO IN CHRISTO Patri, ac DOMINO PHILIPPO ab Hofden, Monasterij diuæ Gertrudis apud Louanienses Abbati, atque eiusdem Academiæ priuilegiorum conseruatori vigilantissimo, Ioannes Costerius S. D.

B *NIHIL vnquam ex omni sui parte ita fuisse perfectum, quod non temporis progressu deprauatum sit, quum multis e rebus, tum vero potissimum ex illustrium virorum scriptis indies videre licet vir ornatissime: vt plane verum sit quod à nemine non dici solet, temporis edacitate omnia consumi, euerti, vorari omnia atque consumi. Quotus enim quisque est veterum Scriptorum, siue illi Ecclesiastici sint siue prophani, qui iam non sint laceri, contaminati, corrupti? Fecit hoc in primis Librariorum quorundam inscitia, fecit multorum, qui sibi scioli videbantur, execranda temeritas, qui de rebus ne per somnium quidem satis sibi notis, censoriam virgulam vindicantes, dum ea quæ non intelligunt, pro suo ingenio quò volunt trahunt ac retrahunt, insulsas ac ridiculas nænias protulerunt: pro gnisiis nimirum ac præclaris geminis nihil nisi vitrum, vt in prouerbio est, pro auro plumbum ac* C *inutilem scoriam (si superis placet) obtrudere nobis volentes. Quare mihi quam optime de re literaria ac studiosis omnibus mereri videntur ij, quorum in id potissimum studium incumbit, vt pro viribus ad veterum codicum collationem optimos quosque Scriptores corrigant, castigent, emendent: præsertim vero eos, quorum est & maior eruditio, & vsus crebrior, & vita olim sanctior fuit. Id sane si vnquam alias, iam multo maxime vt fiat, necessarium reor: quum hac ætate multorum tam sint emunctæ nares, tam fastidiosum palatum, vt si quid offendant, quod minus placeat, si sententia obscurior, si locus hiulcus, si vox parum latina, si quid non suo positum loco, statim quod in manibus habent, magno cum fastu ac nauseabundi reiectant. Præclaram igitur, vt dixi, neque vnquam satis laudatam operam nauant, qui vt huic vomicæ medicas manus opponant, nullas sibi vigilias, nullumque laborem fugiendum ducunt. Qui sane labor quam sit grauis, difficilis, ac tædij plenus, nemo est qui sciat, nisi is qui in hoc sese pistrinum semel coniecerit: vt interdum in* D *eam opinionem adducar, minori negotio ab autoribus libros primum fuisse conscriptos, quam corruptos postea in primam integritatem posse restitui. Vt interim taceam, quam ea res multorum sit obiecta calumniis, qui quum nihil per se præstare aut possint, aut etiam velint, hoc vno præclare sibi docti videntur, si falcem suam in alienam messem emittant: hoc est, si aliorum præclaros labores laudatisque vigilias canino dente arrodant. Inde fieri puto, vt perpaucos quoque inter doctos nunc esse videamus, sint qui hanc palestram subire velint: quod non tantum in se emolumenti & gloriæ, quantum sudoris & calumniæ habeat. Verum enimuero quicquid hic difficultatis molestiarum ac laboris, is facile verat, qui sciat neminem sibi natum, plurisque à se commune quam priuatum commodum fieri debere. Ego igitur nuper ab eo opere quod tum in manibus habebam aliquandiu cessare compulsus, ne interea nihil facerem, D. Guarrici Igniacensis quondam Abbatis pias sane ac eruditas conciones legere cœpi: vt quod olim animus parturierat, data opportunitate, tanquam maturum iam fœtum in lucem pro-* E *ferrem: nimirum vt ea quæ in hoc autore obscurata ac deprauata forent, veterum librorum subsidio, nostra opera, quoad fieri posset, clariora ac puriora redderentur. Quæ in re quid a nobis præstitum sit, aliorum esto iudicium: ego tamen neminem cui vel parum est frontis, tam iniquum futurum existimo iudicem, vt nostrum qualemcunque conatum prorsus damnare velit, si modo ea quæ nunc in lucem damus, cum reliquis exemplaribus, quibus hactenus vsi sumus, conferre volet. Cæterum quod hunc recognoscendi Guarrici laborem potissimum subire voluerim, quum alia multa, tum in primis viri huius insignis eruditio atque sanctissima vita me ad hoc inuitauit, de quibus non est necesse vt hic multa supernacaneo labore conscribam, quod vtrumque ex scriptis suis tanquam ex viua sui imagine clare ac perspicue videri possit. Neque enim aut verius aut absolutius hominis cuiusque simulachrum, quam in ipsa eius oratione apparet. Fuit enim is, vt obiter hic pauca perstringam, sanctissimi viri Bernardi Clareuallensis Abbatis sanctus quondam discipulus, cuius & dicendi & viuendi normam tanta est fœlicitate sequutus, vt ab illius vestigiis ne* F *latum quidem culmum aberrasse videatur. Tanta vero ingenij & puritate, & acumine præditus fuit, vt quicquid in diuinis literis implexius ac nodosius reperisset, leui admodum negotio perrumpens, abditos atque arcanos scripturæ sensus in lucem proferret, vt hoc vno plane nobis testatum fecerit, se à sponso in cellam inductum fuisse vinariam, atque Sapientiæ diuinæ cratere plenos haustus bibisse, cuius ex ore tantum nectaris ac mellis promanarit. Quod porro ad ipsam dictionem attinet, ea omnino neque barbara est, neque inculta, sed tersa, sed lepida, & aptissima vbique compositio, numeris plerumque ad ornatum pulchre adstricta: vt ea quæ vsus est eloquentia, neque extorta, neque emendicata, sed cognata homini videri possit. Delituit aliquandiu nemini nisi Deo & sibi notus, post ob insignem vitæ sanctimoniam ac doctrinæ famam, ex vmbratica & solitaria vita ad lucem protractus, Igniacensis monasterij gubernaculis est præfectus. Est is locus haud procul à Remensium oppido, D. Bernardi studio, qui tanquam feracissima in Chri-* G *stiana Ecclesia vitis, palmites suos quaquauersum diffundebat, olim extructus. Quanto vero animi feruore, quantisque curarum actionis rudimenta & incunabula (vt sic dicam) sanctæ religionis, quæ iam dudum isthic auspicium cœperat, fouerit, auxerit, exornarit, id sane ex his ipsis concionibus, quas domi apud commissas sibi ouiculas declamauit, adeo perspicue videre licet: vt si vel de hac re vel de cæteris eius præclaris dotibus plura hic dicere velim, frustraneam ac inanem prorsus sim operam nauaturus. Incredibilem enim vbique animi modestiam refert, ad virtutis incitamentum fortissimos habet aculeos, castimoniæ cum primis maximus cum encomiastes, tum cultor. Verum vt orationem ad te deflectam vir ornatissime, hunc nostrum qualemcunque laborem tibi visum est nuncupare: partim ob eximias animi tui dotes, quæ passim (quod aiunt) buccis à plurimis celebrantur, tum vt semel vel aliquo symbolo animi mei erga te voluntatem ostendam, qui non me solum, qui nihil sum, sed quoscunque etiam literarum cultores singulari ac raro animi tui candore amare atque amplecti soles:* H *maxime vero postquam ad hanc dignitatem, quo te tua virtus vocabat, fuisti euectus. Accipies igitur, quæ tua est humanitas, quod offerimus, læta & exporrecta fronte, persuasum habens, vt quantumuis per quam exiguum sit, quod ad te venit, ab animo tamen tui amantissimo atque obseruantissimo fuisse profectum. Opto te in Christo valere quam felicissime. Louanij ex Monasterio nostro Martiniano, Anno Domini 1555. pridie Calendarum Maij.*

Sermo de Aduentu Domini.

SAluatorem expectamus. Vere expectatio iustorum lætitia expectantium beatam spem, & Aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri IESV CHRISTI. Et *nunc quæ est expectatio mea*, inquit iustus, *nonne Dominus?* Et conuersus ad Dominum, *scio*, inquit, *quia non confundes me ab expectatione mea*,

Phil. 3. Prou. 10. Tit. 2. Psal. 38.

A *mea, quia iam substantia mea apud te est*, quia natura no-
Ib. 118. stra de nobis sumpta, & pro nobis oblata, apud te glo-
rificata est: spem nobis tribuens, quia ad te omnis caro
veniet, caputque membra sequentur, vt holocaustum
compleatur. Pleniore tamen fiducia, quia tutiore con-
scientia, Dominum expectare potest, cui dicere datum
Qui sint qui securi Dominum expectare possint. est, substantia possessiunculæ meæ ô Domine apud te
est: quia facultates meas, vel tibi erogando, vel pro te
contemnendo, in cœlis thesaurizaui, & ad pedes tuos,
omnia mea deposui, sciens, quia potens es depositum
meum non modo seruare, sed etiam in centuplum resti-
tuere, & vitam æternam adijcere. Quam beati vos pau-
peres spiritu, qui iuxta consilium admirabilis consilia-
rij thesaurizastis vobis thesauros in cœlo, ne si in terra
thesauri vestri remanerent, corda quoque vestra pariter
Matt. 6. putrescerent. *Vbi enim*, inquit, *thesaurus tuus, ibi & cor
tuum*. Eant igitur, eant corda post thesauros suos, sursum
affixa sit cogitatio, & ad Dominum suspensa expectatio,
vt vobis competat dicere cum Apostolo, *Nostra autem
B conuersatio in cœlis est*, vnde etiam Saluatorem expecta-
Philip. 3. mus. O expectatio gentium, vniuersi *qui te expectant
Psal. 24 non confundentur*. Te enim expectarunt patres nostri,
omnes iusti ab origine mundi, in te sperauerunt, & non
sunt confusi. Iam enim suscepta misericordia tua, in me-
dio templi tui, chorus lætantium & laudantium conci-
nit: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Expectans ex-
pectaui Dominum, & intendit mihi*. Et in humilitate car-
nis agnoscentes maiestatem diuinitatis. *Ecce*, inquiunt,
*Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos, iste Do-
minus sustinuimus eum exultabimus & lætabimur in saluta-
ri eius*. Sicut autem Ecclesia in antiquis istis, expectauit
aduentum primum, sic in nouis se expectat secundum:
sicut in primo certa de pretio redemptionis, sic in se-
cundo de præmio remunerationis: atque huius expecta-
tione spei, suspensa à terrenis, tam fœliciter quam arden-
ter inhiat æternis. Cum igitur alij festinantes præsenti-
bus beari, nec sustinentes consilium Domini currunt ad
diripiendam prædam huius mundi: beatus vir cuius est
C nomen Domini spes eius, & non respexit vanitates &
insanias falsas, abstinet se à viis eorum tanquam ab im-
munditiis, sciens melius esse humiliari cum mitibus
quam diuidere spolia cum superbis, Loquens secum
consolatur se, & ait. *Pars mea Dominus* (dixit anima mea)
Thren. 3. *propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus
in eum, animæ quærenti illum. Bonum cum silentio præsto-
Ibidem. lari salutare Domini. Defecit quidem anima mea in salu-
tare tuum ô Domine: sed in verbum tuum supersperaui.
Spes* quidem *quæ differtur*, vt scriptum est, *affligit animam*:
Prou. 13 sed licet lassa sit ex desiderij dilatione, secura est tamen
ex promissione. In ipsum non solum sperans, sed & su-
persperans, adijciam spem super spem: sicut assidue ad-
ijcitur tribulatio super tribulationem, dilatio super di-
lationem. Certus sum enim quia *apparebit in finem, &
Abac. 2. non mentietur*. Ideoque & si moram fecerit expectabo
eum: quia *veniens veniet, & non tardabit* vltra præstitu-
tum vel opportunum. Quod opportunum? Cum im-
pletus fuerit numerus fratrum nostrorum, & consum-
D matum fuerit tempus misericordiæ ad pœnitentiam in-
dultum. Audi Esaiam ad superna sæpius admissum con-
silia, quo videlicet consilio Dominus iudicium differat.
Esa. 30. Propterea, inquit, *Dominus expectat vt misereatur vestri,
& ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Domi-
nus, beati omnes qui expectant illum*. Propterea si sapis,
Dilationis induciis ad pœnitentiam datis caute vtendum. prospicies tibi quomodo dilationis huius induciis vta-
ris: vtique si peccator es, ad pœnitentiam non ad ne-
gligentiam: si sanctus, vt proficias in sanctitate, non vt
deficias à fide. *Si enim dixerit malus seruus ille in corde
suo, Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percu-
Matt. 24. tere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis,
veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & die
qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hy-
pocritis. Illic erit fletus & stridor dentium*. Huius serui
nequam & infidelis videtur esse vox illa tædij & despe-
rationis, quæ apud Esaiam legitur, quia videlicet moram
faciente Domino frequentibus nuntiis eius increduli &
illusores insultare videntur. *Manda remanda, manda re- E
manda, expecta reexpecta, expecta reexpecta: modicum ibi, Esa. 28.
modicum ibi*. Sed quæ pœna sequatur miseros Prophe-
ta non tacuit, cum post pauca subintulit. *Et erit eis*,
inquit, *verbum Domini*, quod videlicet subsannant *dicen-
tes Prophetis, Manda remanda, manda remanda, expe-
cta reexpecta, expecta reexpecta: modicum ibi, modicum
ibi: vt vadant & cadant retrorsum, & conterantur & illa-
queentur & capiantur*. Vadunt retrorsum per Aposta-
siam, cadunt in criminalia, illaqueantur mortifera dele-
ctatione, vel quadam inextricabili peccandi necessitate,
vt nec velint, nec possint pœnitere: capiuntur improui-
sa morte, conteruntur æterna damnatione. *Nescit enim* Eccli. 9.
*homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues
laqueo, sic homines*, inquit Salomon, *capiuntur tempore
malo, cum eis extemplo superuenerit*. Propheta videlicet
ne pro dilatione spei, fides nostra tepescat aut æstuet pa-
tientia, & incipiamus esse de illis, qui *ad tempus credunt,* Esa. 28.
& tempore tentationis recedunt, clamat nobis de cœlo
qui fidem donat, donatam probat, probatam coronat. F
Qui crediderit, inquit, *non festinet*, scilicet videre quod
credit. Si enim quod non videmus speramus, per patien-
tiam expectamus. Sponsæ quoque suæ, quam sibi de-
sponsauit in fide, mandat Deus per Oseæ dicens. *Dies* Osea 3.
*multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris cum vi-
ro*. Hoc nempe est Dominum veraciter expectare, si fi-
dem ei seruemus: vt licet careamus consolatione præsen-
tiæ eius, adulterum tamen non sequamur sed pendeamus *Quid sit*
ad reditum eius. Sic namque Dominus ait in eodem *expectare Domin.*
Propheta, *Pendebit populus meus ad reditum meum*. Pul- Oseæ 11.
chre omnino & proprie pendebit, tanquam inter cœlum
& terram: vt licet adhuc apprehendere cœlestia non va-
leat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando
tangit, non nisi summis articulis, id est extremis partibus
animæ: propter necessitatem scilicet corruptionis no-
stræ, cui cogimur seruire, quandiu creatura vanitati sub-
iecta est, non volens. Vulgo dicitur: Male expectat qui
pendet. Ego autem dico: fœliciter expectat qui sic pen-
det. Quamobrem elegit hoc suspendium anima mea, & G
in ipso suspendio mortem ossa mea, vt perseuerantes in
cruce ista pendere merear donec ibi moriar. O Domine
Iesv cum animam potestate positurus esses, & quo ge-
nere mortis id facere velles, tuo subesset arbitrio, suspen-
dium elegit anima tua: & exaltatus à terra, nos quoque
ad te traheres, & à terrenis suspenderes. Sed nec ante
mortem deponi passus es, vt & nos vsque ad mortem in
cruce perseueremus: & vt de ipsa tanquam de sublimi
gradu facilior sit in cœlum conscensus. Gratias tibi Do-
mine Iesv: Ibi sumus, ibi te expectamus, non Heliam,
qui ad deponendum nos veniat: sed Heli, id est Deum
nostrum qui nos suscipiat. Modicum ibi, modicum ibi,
si mandas atque remandas: ego quidem mandatis tuis
semel credidi, sed adiuua incredulitatem meam, vt immo-
bilis ibi te expectem, reexpectem donec quod credo vi-
deam. Credo enim videre bona Domini in terra viuen- Psal. 26.
tium. Credis & tu? Igitur expecta Dominum viriliter
age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. *Væ his* Eccli. 2.
qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas. H
Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Qui
tamen longanimiter se mandas expectari, alibi se cito
venturum esse promittit in altero nimirum sustinentiam
informans, in altero pusillanimes confortans: imparatos
terrens, & pigros excitans. *Ecce*, inquit, *veni cito: & mer-* Apo. 22.
ces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.
& ad Hierusalem. *Cito veniet salus tua, quare mærore con-* Matt. 4
sumeris? Est seuera tempus breue est, maxime vniuscuius-
que nostrum: licet longum videatur æstuanti, seu præ la-
bore, seu præ amore. Ideoque vtrunque necesse est, vt &
timeamus iudicem qui prope est & forsitan mihi, forsi-
tan tibi in ianuis est, & longanimiter expectemus si mo-
ram fecerit. Veniens veniet ille Dominus, timor & desi-
derium nostrum, requies & merces laborantium, dulce-
do & amplexus amantium, beatitudo omnium Salua-
tor noster Iesvs Christvs. Qui viuit & regnat per
omnia sæcula sæculorum. Amen.

A

Sermo de eodem II.

ECce venit Rex, occurramus obuiam Saluatori no-
stro. Pulchre Salomon ait. *Aqua frigida animæ si-*
Prou. 25. *tienti, nuntius bonus de terra longinqua.* Bonus itaque
nuntius qui aduentum Saluatoris nuntiat, reconcilia-
tionem mundi, bona superuenturi seculi. *Quam pulchri*
Esa. 52. *pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona,* Multi
siquidem non vnus? Multi, inquam, sed in vno spiritu
longa serie ab initio sæculi nobis superuenêre nuntij:
& omnium vox similis, vna sententia: venit, ecce venit,
Et vnde, inquis, isti venêre nuntij? Vt scriptum est, de
terra longinqua: quia de terra viuentium, quæ magno
interstitio separata est ab hac terra morientium. Nam
inter nos & illos adhuc chaos magnum firmatum est.
Inde tamen Prophetæ nobis sicut Angeli missi sunt:
quia & si corpore hic versabantur, spiritu illuc assume-
bantur quando mittendi erant, vt illic audirent & vide-
rent quod hic nuntiarent. Huiusmodi nuntij aqua re-
B frigerij potusque sapientiæ sunt salutaris animæ, Deum
sitienti: cui nimirum qui nuntiat aduentum vel alia my-
steria Saluatoris, haurit ei & propinat aquas in gaudio
de fontibus Saluatoris: vt etiam nuntianti sibi siue Esaiæ,
siue cuilibet ex Prophetis, eadem anima respondere vi-
deatur verbis Helizabet, quia eodem potata spiritu quo
Helizabeth. Et vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus
ad me? Ecce enim vt facta est vox annuntiationis tuæ
in auribus meis, exultauit spiritus in corde meo, gestiens
occurrere Deo Salutori suo. Et reuera fratres exulta-
tione spiritus Christo venienti occurrendum est: &
iam nunc à longe salutandus, vel certe resalutan-
dus, qui mandat salutes Iacob. Amicum salutare
non confundaris, inquit sapiens, quanto magis re-
salutare? O salutare vultus mei, & Deus meus,
Eccl. 22. quanta dignatio fuit quod seruos salutasti, sed
quanto maior quod saluasti! Nec enim integra nobis
salus esset, si salutes mandares, & non dares Dedisti au-
tem non modo quos salutaueras verbis pacificis post-
C modum salutando in osculo pacis, videlicet per vnio-
Christo nem carnis: sed etiam salutem operando per mortem
ad nos crucis. Exurgat igitur spiritus noster alacri gaudio, cur-
venienti ratque obuiam Saluatori suo: & iam à longe venientem
alacriter adoret & saluter acclamans ei & dicens, O Domine sal-
occurren- uum me fac, ó Domine bene prosperare: benedictus qui
dum. venturus es in nomine Domini. Salue qui venis saluare
nos: benedictus qui venis benedicere nos. Igitur ô Do-
mine bene prosperare, qui tam prosper & salutaris adue-
nis generi humano. Intendere, prospere, procede, & re-
gna. Prosperum iter faciet tibi pater, Deus salutarium
nostrorum Prosperabitur, inquit pater, in his ad quæ
misi illum: non pro votis carnalium, non pro volunta-
te Petri qui adhorrebat illum pati. Et omnia quæcun-
que facies prosperabuntur: non ad præproperam homi-
num voluntatem, sed ad veram eorum salutem. Vana
quidem salus hominis, sed Domini est salus, qui opera-
tus est salutem de sanguine suo: fundens illum in pre-
tium, & propinans in potum. Veni ergo ó Domine sal-
D uum me fac, & saluus ero: veni & ostende faciem tuam, &
salui erimus. Te enim expectauimus, esto brachium no-
strum, salus nostra in tempore tribulationis. Sic Prophe-
tæ & iusti desiderio & affectu tanto ante Christo ven-
turo occurrebant, desiderantes si fieri posset oculis vi-
dere, quod spiritu præuidebát. Vnde Dominus discipulis
Matt 13. dicebat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim
vobis quod multi Prophetæ & iusti videre voluerunt quæ
vos videtis, & non viderunt.* Abraham quoque pater vester
exultauit vt videret diem Christi: vidit, sed apud inferos,
& gauisus est. In quo vtique tepor & duritia cordis no-
stri suggillatur, si non videlicet cum gaudio spirituali
Christi nascentis diem anniuersarium expectamus, qui
nobis in proximo videndus, Domino annuente, promit-
titur. Hoc sane gaudium nostrum tale videtur exigere
Scriptura, vt spiritus noster leuans se super se, Christo
venienti quodammodo occurrere gestiat, desiderio se
extendens in anteriora: impatiensque moratum, iam
videre contendat futura. Ego namque non solum ad se- E
cundum aduentum, sed etiam ad primum arbitror per-
tinere, quod tot locis Scripturarum ei monemur occur-
rere. Quomodo inquis? Quia videlicet sicut secundo
aduentui occurremus motu & exultatione corporis:
sic & primo occurrendum est affectu & exultatione
cordis. Scitis enim, quia resumptis in resurrectione cor-
poribus nouis, secundum doctrinam Apostoli, *rapie-
mur in nubibus obuiam Christo in aera: & sic semper cum* 1. Thess. 4.
Domino erimus Sic nec modo desunt nubes quæ spiritus
nostros, si nimis non fuerint pigri terræque affixi sub-
leuabunt ad altiora: & sic cum Domino erimus vel ho- *Nubes*
ra dimidia. Agnoscit, ni fallor experientia vestra quod *spiritua-*
loquor cum aliquando vocem dederunt nubes, id est, so- *les.*
nuerunt in Ecclesia Prophetarum vel Apostolorum vo- Psal. 76.
ces, ad quam sublimia sensus vestri quasi vehiculo nu- Psal. 49.
bis fuerint subuecti: & eo vsque nonnunquam excesse-
rint, vt gloriam Domini quantulumcunque mererentur
speculari, tunc ni fallor, vobis innotuit veritas illius
sermonis quem Dominus de illa nube pluit, quam quo- F
tidie ponit ascensum vobis: Sacrificium laudis hono-
rificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.
Ita ergo fit, vt ante aduentum suum Dominus veniat ad
vos: & antequam mundo generaliter adueniat, familia-
riter inuisat vos. *Non vos,* inquit, *relinquam orphanos, va-* Ioan. 14.
do, & veniam ad vos. Et quidem pro merito cuiusque
vel studio, creber est ad vnumquemque iste Domini ad- *Aduen-*
uentus, hoc tempore medio, inter aduentum primum & *tus Chri-*
nouissimum conformans nos aduentui primo, & præ- *sti hoc*
parans nouissimo. At nempe venit modo in nos: ne *medio tē-*
primo aduentu frustra venerit ad nos, vel ne in nouissi- *pore est*
mo veniat iratus aduersus nos. Hoc siquidem aduentu *ad nos*
satagit reformare sensum superbiæ nostræ configuratum *frequens.*
sensui humilitatis suæ, quam primo veniens exhibuit:
vt perinde reformet corpus humilitatis nostræ confi-
guratum corpori claritatis suæ, quam denuo rediens
exhibebit. Prorsus optandus omnibus votis & expeten-
dus studiis aduentus iste familiaris, qui nobis gratiam
impertiat aduentus primi, & gloriam promittat nouissi- G
mi. Quia enim *misericordiam & veritatem diligit Deus,
gratiam & gloriam dabit Dominus:* per misericordiam
prærogans gratiam, per veritatem reddens gloriam.
Porro sicut dispositione temporis, sic etiam proportio-
ne similitudinis medius est aduentus iste spiritualis, in-
ter aduentum vtrumque corporalem: & velut quidam
mediator participat cum vtroque. Primus siquidem ad-
uentus, occultus & humilis, vltimus manifestus & admi-
rabilis: iste autem occultus quidem, sed mirabilis. Occul- *Tres*
tum sane dixerim, non quod ignoretur ab eo cui venit: *Christi*
sed quia secretus ei aduenit. Vnde glorians ista gloriosa *aduētus.*
anima secum dicit: *Secretum meum mihi, secretum meum* Esa. 24.
mihi. Sed nec ab ipso cui aduenit potest ante videri,
quam teneri, iuxta illud Beati Iob de se confitentis: *Si* Iob. 9.
venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligā eum.
Nec veniens quippe videtur, nec recedens intelligitur,
qui solummodo dum præsens est, lumen est animæ & in-
tellectus quo inuisibilis videtur, & incogitabilis intelli-
gitur. Cæterum quam admirabilis sit, licet occultus sit H
iste aduentus Domini, quam suaui & fœlici stupore in
admirationem sui suspendat, & expendat animam con-
templantis quomodo omnia ossa interioris hominis ac-
clament ei, Domine quis similis tui? norunt quidem ex-
perti, sed vtinam satis desiderent experiri non experti?
Iis dumtaxat, vt non temeraria curiositas faciat scrutari
maiestatem opprimendos à gloria: sed pia charitas suspi-
rare dilectum suscipiendos à gratia, Suscipiens enim
mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque
ad terram: superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.
Cum igitur primus aduentus sit gratiæ, nouissimus glo-
riæ, iste nimirum gratiæ pariter & gloriæ: in quo videli-
cet per consolantem gratiam, futuram nobis vtcunque
datur prælibare gloriam. Cum igitur in primo Deus
maiestatis visus sit contemptibilis, in nouissimo autem
videndus sit terribilis, in isto medio videtur mirabilis &
amabilis: vt nec propter dignationem gratiæ, qua se

præbet

A

præbet amabilem, possit esse contemptui, sed admirationi: nec propter magnificentiam gloriæ, qua mirabilis apparet, sit terrori, sed potius consolationi. De primo dicebat Iudæus. *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor: vnde nec reputauimus eum.* De vltimo expauescit etiam iustus. *Et quis stabit*, inquit, *ad videndum eum?* De isto autem dicit Apostolus, *Gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam: tanquam à Domini spiritu.* Mirabile prorsus & amabile, cum Deus amor amantis sensibus illabitur, cum sponsam sponsus in vnitate spiritus amplectitur, & in eandem imaginem transformatur, per quam velut per speculum Domini gloriam speculatur. Quam beati quorum ardens charitas hanc prærogatiuam iam meruit obtinere; sed & illi quam beati, quorum sancta simplicitas idem quandoque potest sperare. Et illi quidem iam de fructu amoris sui solatium laboris: isti autem tanto fortasse maiore merito, quanto interim minore solatio, portantes pondus diei & æstus, expectantes aduentum remunerationis. Nos igitur fratres, quos nondum consolatur tam sublimis experientia, vt patientes simus vsque ad aduentum Domini, consoletur interim certa fides, & pura conscientia, quæ tam fœliciter quam fideliter cum Paulo dicat, *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem*: in aduentu scilicet gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesv Christi, cui gloria in secula sæculorum. Amen.

Esa. 53. 2. Cor. 3.

B

2. Tim. 1.

Sermo de eodem III.

Amos 4. Luc. 12. *Mortis hora nil incertius.*

P*Aratus esto Israël in occursum Domini, quoniam venit. Et vos fratres estote parati. quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Nihil certius quam quod veniat, sed nihil incertius quam quando veniat. Vsque adeo siquidem non est nostrum scire tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate, vt nec Angelis qui assistunt ei, de die illa vel hora scire datum sit. Dies quoque noster vltimus, certissimus nobis quod veniat, incertissimus est quando vel vbi, vel vnde nobis adueniat, nisi quod (vt ante nos dictum est) senibus est in ianuis, qui iuuenibus est in insidiis. Et vtinam vel illi se obseruarent: qui mortem tam paratam intrare, imo iam intrantem vident. An non ex parte iam intrauit quæ aliquas partes corporis iam præmortuas occupauit? In pluribus tamen semimortuis videre est adhuc viuentem concupiscentiam mundi. Frigescunt membra, & feruet auaritia, vita finitur, & ambitio protrahitur. Quandoquidem nobis quoque quibus fortassis ætas aut salus aliquid longius promittere videtur quanto minus mors in prospectu est, tanto magis vtique si sapimus suspecta est: ne videlicet dies illa sicut fur in nocte, incautos & imparatos nos comprehendat: quæ in insidiis posita, quo minus videri aut caueri potest, eo magis timenda est. Vna igitur securitas est, nunquam esse securum, quatenus timor se obseruans reddat semper paratum, donec securitas succedat timori, non timor securitati. *Obseruabo me*, inquit Sapiens, *ab iniquitate mea, quandoquidem non possum a morte mea*, sciens quia iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: imo in morte triumphat, cui non dominatur iniquitas in vita. Quam pulchrum fratres, quam beatum, in morte non modo securum, sed & gloriosum triumphare ex authoritate conscientiæ, spiritu & voce Martini cruentam bestiam, si astare præsumpserit, increpare: iudici venienti & pulsanti gratanter aperire. Tum vero videas, heu, similes mei trepidare, inducias petere, nec accipere: oleum conscientiæ lamentis pœnitentiæ velle emere, nec tempus sufficere: laruales illas facies declinare velle, nec posse: à facie iræ tonantis velle in corpore delitescere, & cogi exire. Exibit spiritus eius, & reuertetur peccator in terram suam vnde sumptus est: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Scio quidem, quia conditionis humanæ est sub discrimine exitus conturbari, cum etiam perfecti nolint expoliari, sed superuestiri: & qui nihil sibi sunt conscij, quia tamen non in hoc sunt iustificati, necesse habent iudicium quod ignorant vereri. Sed siue conditionis * effectu, siue sanctitatis defectu siue iudicij metu conturbata fuerit anima mea, inquit iustus, tu Domine misericordiæ memor eris, mittesque misericordiam tuam & veritatem tuam, & eripies animam meam de medio catulorum leonum: & qui prius ante conturbatus eram, postmodum in pace in idipsum dormiam, & requiescam. Vocauit Deus terram, & audiuit eum cum tremore. Cum enim auditum fecit de cœlo iudicium, auditu solo terra tremuit, & terrore purgata quieuit. Beati qui nunc catenus excoquunt in se omnem scoriam peccati: vt tunc solo sufficiant timore purgari. Mecum siquidem seruo inutili & negligenti bene agitur, si vel per ignem saluus fiam: si crematis lignis, fœno, stipula, quæ mihi coaceruaui, vel seminstus cuadam. Et quidem comparatione mali, bonum vel per ignem saluari: sed indubitanter longe melius sola purgatione metus consummari: optimum autem & fœlicissimum, nec metu turbari. Idcirco paratus esto ô verus Israël in occursum Domini, non solum vt cum venerit & pulsauerit, aperias ei: sed etiam adhuc illo longe agente alacriter & gratulabundus occurras ei: & tanquam fiduciam habens in die iudicij, regnum eius aduenire pleno preceris effectu. Si ergo vis tunc paratus inueniri ante iudicium para iustitiã tibi: iuxta consilium sapientis, *Paratus sis ad omne opus bonum faciendum, paratus sis nihilominus ad omne malum patiendum; vt sine reprehensione cordis cantet os tuum, paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum quidem, vt te cooperante faciam digna: paratum, vt patiar indigna. Et adeo paratus ad vtrumque quod cantabo, & psallam in gloria mea: Id est laudabo & gloriabor pro vtroque. Et statim in hoc ipsum se excitat, *Exurge*, inquiens, *Psalterium & cythara*, id est, cor meum & caro mea, ad exultandum in Deum, Cor, scilicet, propter spirituales actiones, caro, propter suas passiones. Cor namque sapiens quæ sursum sunt, psalterium est sonans de superiori: caro patiens quæ deorsum sunt, cythara sonans ab inferiori. Sic & alibi deuotionem suam Dauid offerens Deo, *Paratus sum*, inquit, *vt custodiam mandata tua*, & tam paratus, quod non sum turbatus cum tentatio irrueret, & persecutio grassaretur. Cum persequeretur æmulus, malediceret seruus, animam quæreret filius, non sum tamen turbatus; quo minus custodirem mandata perfectionis Euangelicæ, retribuentibus mala pro bonis retribuens bona pro malis: sollicitus de persecutorum salute, mœstus de morte sustinens à seruo exprobrari, non sustinens ab amico vindicari. Ecce ante Euangeliũ Euangelica perfectio, charitas, scilicet patiens & benigna, etiã erga malignos quos tolerat. Quia igitur tam paratus erat, fiducialiter Domino nimirum occurrebat. *Sine iniquitate*, inquit, *cucurri & direxi distorto quantum in me fuit.* Tu igitur exurge in occursum meum occurrentis tibi, & quia nec sic pertingere possum ad celsitudinem tuam, nisi tu condescendens, operi manuum tuarum porrigas dexteram, exurge in occursum meum, *& vide si via iniquitatis in me est*: & si inueneris quam nescio viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua misertus mei *deduc me in via æterna*, id est Christo, qui via est per quam itur, & æternitas ad quam peruenitur, via immaculata, mansio beata. Puto tamen quia & ante mansionem illam beatam si paraueris Domino viam immaculatam, ipse dignabitur sæpius in via ponere gressus suos, dilatabitque subtus te gressus tuos, vt dilatato corde curras viam mandatorum, cuius angustum forte causabaris initium. *Sapientia namque*, vt ipsa perhibet, *in viis iustitiæ ambulat, & qui continens est iustitia, apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata.* Dignos seipsa circuit quærens, & in viis suis ostendit se illis. Si minus aut nunquam tibi eam occurrere conquereris: vide ne forte viam tuam corruperis. Sic enim scriptum habes: *Insipientia viri corrumpit viam suam, Deum autem causabitur in corde suo.* Ipse siquidem stat ad ostium & pulsat: vt si quis aperuerit ei, cœnet cum eo cœlestis mensæ delicias. Loquitur sponsa, *Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea sponsa. Aperi mihi cor tuum, & cibabo illud*

Mors senibus in ianuis, iuuenibus in insidiis.

C

Vna securitas est nunquam esse securum.

D

Sap. 4.

E

* *affectu.*

F

Eccl. 18.

Psal. 56.

Ibidem.

G

Psal. 118.

Psal. 58.

Ib. 138.

Christus via æterna.

H

Prou. 8.

Cant. 5.

A *Aperi mihi os tuum, & implebo illud. Os meum*, inquit
Pf. 118. Dauid, *aperui, & attraxi spiritum*. Spiritus enim ante
Christus precum violentia dicitur. da. faciem nostram Christus Dominus, non modo inuitan-
dus, sed & attrahendus quadam violentia precum, vehe-
mentiaque feruoris in hospitium cordis: sicut de duo-
bus discipulis in typum, huius rei historia refert Euan-
gelij. Et ipse siquidem non ob aliud, nisi vt probet
deuotionem charitatis tuæ, aliquando se fingit longius
Gen 19. ire: sicut & duo Angeli, Loth adorante & obsecrante
Violentia sancta, qua regnũ cœleste rapitur vt intrarent, dissimulabant tamen dicentes. *Minime, sed
manebimus in platea*. Sed quid dicit Scriptura? *Compel-
lit illos oppido, vt diuerterent ad eum*. Pia violentia,
qua regnum cœleste rapitur, laudabilis importunitas,
quæ Christum hospitem, aut Angelos promeretur, Sed
Luc. 14 quid est, inquis, quod IESVS fingit se longius ire? Quid
Eccles 7 nisi illud quod & Ecclesiastes confitetur de se, *dixi sa-
piens efficiar, & ipsa longius recessit a me?* Hoc autem
sponsa manifestius exponit, nostram vtique quotidia-
nam exprimens querimoniam, vbi ait: *Surrexi aperire
Cant. 5 dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat. Quæ-
B *siui illum, & non inueni, vocaui, & non respondit mihi*,
sicut nec mulieri Chananeæ. Spiritum quoque sapien-
tiæ inuocabas, spiritum gratiæ quærebas in oratione: si
tibi videtur longius recedere, ne desperes, sed impor-
tunius insiste, donec respondeatur tibi, *Magna est fides
Matt 15. tua, fiat tibi sicut petisti*. Cum tamen inuitas IESVM,
vide ne Deum maiestatis ad sordidum & indignum in-
uites hospitium, vbi nec teipsum patiatur habitare
quietum vxor litigiosa, seu fumus, aut stillicidium. Non
enim nisi in pace fit locus eius: nec aliud quam iustitia
& iudicium, præparatio sedis eius. *Nunc autem me*, in-
Christi locus in pace & quiete. quit, *de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt,
quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non
Isa. 58 dereliquerit. Iustitia*, inquit, *& iudicium præparatio se-
Psal. 88 *dis eius*. Noli causari quasi sumptuosum sit, viresque
tuæ excedat paupertatis, tam magnifico, támque poten-
ti præparare domum hospiti. Habes ad manum vnde id
possis. Humanum dico propter infirmitatem carnis tuæ,
C vel magis angustiam mentis tuæ. Confitere perfecte de
Quibus modis Domino locus paratur. præterito, bonam voluntatem habe de cætero, pax ho-
minibus bonæ voluntatis: & hoc iudicio & iustitia, se-
dem altissimo præparasti. Vis manifestius audite de con-
fessione, quod eam oporteat fieri in præparatione ad-
Prou. 18. uentus Domini? *Iustus*, ait Scriptura, *in initio sermo-
nis, accusator est sui*. Et quid sequitur? *Venit amicus
eius*, qui modo ante confessionem inimicus assistebat
longius. Cum enim dixit, *Confitebor aduersum me in-
iustitiam meam Domino, & ipse remisit*. Venit inquam,
& inuestigabit eum. Prorsus inuestigabit, tanquam po-
tio valida, scrutans corda & renes, pertingens vsque
ad diuisionem animæ & spiritus, exhauriens noxia de
Christus interdum expectat, vt prior à nobis inuitetur. medullis animæ, mentisque visceribus, purgans affe-
ctus, vt fructum plus afferat: de cuius primitiuo fru-
ctu confessionis, iam gaudet pater agricola. Ipse tamen
qui post confessionem nonnunquam & antequam inuo-
cetur adest, nonnunquam expectat, vt tu prior eum
inuites: & vt meritum tibi augeat, sæpe diutius dissi-
D mulat: vt tu attentius psallendo, instantius orando,
dulciter violentus, intrare compellas. Alioquin planget
Hier. 13 Propheta *quod ciuitates austri clausæ sint nullo introeun-
te*. Cum ergo dicere potueris, *Paratum cor meum Deus*
quia vacuatum à malis: *paratum cor meum*, quia sanctis
plenum desideriis: tunc fidulus fac quod sequitur, *can-
tabo & psalmum dicam*, Et quicunque sit sonus cantan-
tis vel psallentis, hæc sit intentio mentis. *Exurge glo-
ria mea, exurge in occursum mei*: quia quantum potui
occurri tibi. O benigne IESV, quam alacer, promptus,
quam lætus & festinus occurris huiusmodi deuotioni:
quam hilarem te ostendis in viis tuis. *Occurristi*, inquit
Esa. 64. Esaias, *lætanti & facienti iustitiam: in viis tuis recorda-
buntur tui*. Si enim psallas sapienter in via immaculata,
veniens veniet, qui & illuminabit abscondita tua, vt
quæ nescis intelligas mysteria Scripturarum, eritque
Ps. 100. vt dicis. *Psallam & intelligam in via immaculata, quan-
do venies ad me*. Excita Domine potentiam tuam, quæ
excitet pigritiam nostram in occursum tui: & veni vt E
saluos nos facias Saluator mundi, qui viuis & regnas
Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

V*Ox clamantis in deserto parate viam Domini*. Pri- Esa. 40.
mo omnium considerandam arbitror gratiam de-
serti, beatitudinem eremi: quæ ab initio gratiæ, quieti
Sanctorum meruit consecrari. Consecrauit nobis plane
habitationem deserti vox clamantis in deserto, Ioannes
prædicans, & tribuens baptismum pœnitentiæ in deser-
to: quanquam & ante ipsum quibusque sanctissimis
Prophetarum, velut auditorium spiritus, amica semper
fuerit solitudo. Longe tamen excellentior atque diui- *Solitudinis encomium.*
nior ipsi loco gratia sanctificationis accessit, cum IESVS
Ioanni successit: qui etiam antequam prædicaret pœni-
tentiam, locum pœnitentibus præparandum putauit,
atque per dies quadraginta dum versatur in deserto, ve-
lut purificans locum, nouumque nouæ vitæ dedicans F
locum tyrannum qui incubabat, omnemque malitiam
& subtilitatem eius, non tam sibi quam illis qui accolæ
eremi futuri erant, superauit. Si ergo elongasti fugiens,
& manes in solitudine: ibi permane, ibi expecta eum
qui te saluum faciet à pusillanimitate spiritus & tempe-
state. Quantalibet ingruat tibi tempestas bellorum,
quantamcumque patiaris in deserto penuriam etiam vi-
ctualium: noli pusillanimitate spiritus redire mente in
Ægyptum. Fœlicius te pascet eremus manna, id est pa-
ne Angelorum: quam Ægyptus ollis carnium. Ipse
IESVS quidem in eremo ieiunauit: sed multitudinem
sequentium se in deserto sæpe & mirabiliter pauit. Sæ-
pius autem & mirabilius te satiabit: qui tanto gratiore
merito, quanto sanctiore proposito secutus es eum in
deserto. Cum enim diutius eum tui oblitum putaueris,
ipse suæ non immemor bonitatis, consolabitur te, &
dicet tibi: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam* Hier. 2.
*tuam, & charitatem desponsationis tuæ: quando secuta es
me in deserto*. Tunc plane ponet desertum tuum, quasi G
delicias Paradisi: & ipse confiteberis, *quia gloria Liba-
ni data est ei, decor Carmeli & Saron*. Sicut enim in mul-
tis hodie locis, etiam iuxta literam illud Propheticum
videmos impleri, *pinguescent speciosa deserti, & deserta* Psal. 64.
in vbertatem versa aduenæ comedent: sic quilibet Scri-
pturæ locus, qui ante tibi sterilis videbatur & aridus,
repente ad benedictionem Dei, mira replebitur tibi
vbertate ac pinguedine spiritus, vt de saturitate mentis
eructes hymnum laudis. *Confiteantur*, inquiens *Domino*, Ps. 106.
misericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum: quia
satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit
bonis. Illud sane mirabili gratia prouisum est diuinæ
dispensationis, vt in his desertis nostris, & quietem
habeamus solitudinis: nec tamen consolatione carea-
mus gratæ & sanctæ societatis. Licet cuique sedere so-
litarium & tacere, eo quod neminem patiatur interpel-
lantem: nec tamen væ soli, eo quod non habeat con-
fouentem, aut si ceciderit subleuantem. In frequentia
hominum sumus, & sine turba sumus. Velut in vrbe H
versamur, nullum tamen tumultum patimur, quomi-
nus vox clamantis in deserto à vobis audiatur: si mo-
do interius sicut exterius silentium habeamus. *Verba* Eccl. 9.
namque sapientum, ait Salomon, *audiuntur in silentio,
plus quam clamor principes inter stultos*. Et nunc quoque
si medium silentium teneant omnia interiora tua: om-
nipotens sermo tibi secretus illabetur de sede paterna.
Fœlix igitur, qui sic elongauit fugiens tumultum mun-
di, qui tam procul recessit in secretum, & solitudinem
quietæ mentis: vt non modo vocem verbi, sed & ver-
bum ipsum, non Ioannem, sed IESVM mereatur audi-
re. Interim tamen quid vox verbi nobis clamet audia-
mus: vt quandoque de voce ad verbum proficiamus.
Parate, inquit, *viam Domino, rectas facite semitas eius*. Esa. 40.
Parat viam qui corrigit vitam: rectam facit semitam,
qui per arctiorem se dirigit* vitam Plane vita correcta, *viam,
via est recta, per quam Dominus veniat ad nos, qui in Vitam

hoc

A *Domino parare qui dicantur.* boc ipſum præuenit nos. A Domino ſiquidem greſſus hominis dirigentur, & ſic viam eius volet: vt gratiotet per eam veniens ad hominem, cum eo iugitet ambulet Niſi enim ſuum ad nos aduentum ipſe præueniat, qui eſt via veritas, & vita: non poteſt via noſtra corrigi ſecundum regulam veritatis, ac per boc nec dirigi ad vitam æternitatis. Io quo vero corrigit adoleſcentior viam ſuam, niſi in cuſtodicodo ſermones eius, niſi in ſequendo veſtigia eius, qui viam fecit, ſeipſum, qua veniamus ad ipſum? Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas ó Domine vias tuas: vt propter verba laborum tuorum cuſtodiam etiam vias duras. Et ſi duræ videantur carni, quæ infirma eſt: ſuaues & pulchræ videbuntur ſpiritui, *Prou.3.* ſi promptus eſt. *Via*, inquit, *eius, via pulchra, & omnes ſemitæ eius pacificæ.* Non ſolum pacatæ, ſed & pacificæ ſunt viæ ſapientiæ: *quia cum placuerit Domino via ho- Ibid. 16.* *minis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem. Iſraël ſi Pſ. 80.* *in viis meis*, inquit, *ambulaſſet: pro nihilo forſitan inimi- B cos eius humiliaſſem*, & ſuper tribulantes eum miſiſſem *Ibid. 13. Prou.17.* manum meam. *Quare enim contritio & infelicitas in viis eorum, niſi quia viam pacis non cognouerunt?* Ea propter ſi quando vidi hominem inquietum, contumacem, litigioſum, grauiſſima tentatione vexari, vel tribulatione flagellari recordabar illius Prouerbij: *Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum*, ne tradatur forſitan in afflictionem carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Si tamen aliquando proſperatur via impiorum, noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, in homine faciente iniuſtitias: quia hæc via eorum ſcandalum ipſis, vt tanto liberius in mortem currant, quanto minus ſepitur eis via qua ambu- *Eccl. 21.* lant. De iſtis Sapiens loquitur. *Via peccantium complanata lapidibus, ſed in finem illorum inferi, tenebræ, & pœnæ. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt ad inferos. Beati igitur immaculati in via, qui ambulant in via Domini, quia & ſi de torrente in via bibunt, propterea exaltabunt caput*, quia caput ſuum quod ſequuntur per C viam paſſionis, conſequentur in fine manſionis. Quicquid igitur occurrerit vobis fratres in via Domini, læto ac dilatato corde currite viam mandatorum Dei, quia & ſi puſillanimis arcta videtur via, tamen recta eſt, & ſi dura videtur, immaculata eſt Plane beati immaculati in via, qui ſic immaculato calle tranſeunt viam mundi, vt non inquinent veſtimenta ſua, aut certe ſi inquinauerint, ſecundum beatitudinis non amittunt locum: ſed lauant veſtimenta ſua baptiſmo pœnitentiæ, quo Ioannes baptizat in eremo, viam parans Domino. Via vtique immaculata, caſtitas: via gratia per quam Dominus *Pſ.17.* gratiæ dignanter veniat, Propheta cantat, *Deus meus impolluta via eius*: Impolluta caſtitas virginis qua venit in vterum illius: impolluta neceſſe eſt ſit caſtitas hominis, qua veniat in animam illius. Fœlix conſcientia, cui *Pſ.10.* conuenit vox illa, *Deus præcinxit me virtute continentia, & poſuit immaculatam viam meam.* Veruntamen ne caſtitate ſine virtutibus aliis glorieris, quaſi iam viam immaculatam Domino parauetis: ſcito quia nihilominus neceſſe eſt, vt via hæc etiam recta ſit, plana D *Pſ.34.* ſit, vt etiam tenebroſa vel lubrica non ſit. *Nam via impiorum tenebræ & lubricum & Angelus Domini perſequens eos.* Et via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruunt. Putamus ne fratres in aliquo noſtrorũ inueniatur adhuc prauum aliquid in voluntatibus, aſperũ in motibus, tenebroſum per ignorantiam ſenſus, lubricum per inconſtantiam actus? Quomodo autem ſcripturam de via *Eſa.40.* paranda implebimus: niſi ſicut ſcriptum eſt, *faciamus vt ſint praua in directa, & aſpera in vias planas?* Primo itaque neceſſe eſt, vt ſi qua eſt in nobis praua & diſtorta voluntas, corrigatur: & ad regulam diuinæ voluntatis dirigatur. Aliter videbimur dicere, ſicut impij, dicunt, *Ezech. 18.* *Non eſt recta via Domini.* Sed ſtatim refellit nos irrefragabilis veritas, & increpat terribilis ſeueritas. *Nunquid non viæ meæ rectæ ſunt, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt?* *Voluntas bona introitum via Domini.* Qui igitur viam Domino parare feſtinas, primo omnium bona ſit voluntas: *quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia.* Cum autem hoc modo poſueris praua in directa, ſcito quia non minus neceſſe eſt vt aſpera ſint E in vias planas, vt ſcilicet omnem morũ complanes aſperitatem, & in quandam vitæ ſocialis ſternas æqualitatem, ne mitis & ſuauis ille viator offenſus aſperitate viæ reſiliat. Quidni reſiliret ille mitis & humilis corde, qui non niſi ſuper manſuetum requieſcit & humilem: cum etiam humanus omnis ſenſus refugiat & horreat hominem iracundum & intractabilem? Sed & ſi eatenus profeciſti in via Domini, vt & propoſitum rectitudinis, & diſciplinam manſuetudinis aſſecutus ſis, profeciſti quidem, ſed non perfeciſti: niſi lucerna ſit pedibus tuis verbum Dei, & lumen ſemitis tuis. *In via enim qua am- Pſ. 141.* *bulabam*, ait, *abſconderunt laqueum mihi.* Et ſunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, nouiſſimum autem earum ducit in profundum inferni. *Via enim impiorum Prou.4.* *tenebroſa*, vt Salomon ait, *neſciunt vbi corruunt.* Hoc *Ioan. 12.* & Dominus ait, *Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat.* At vero mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ. Qui enim increpationes relinquit, F errat. Si igitur ſapis in via qua nunquam ambulaſti, non ipſe tibi doctor aut ductor eris: ſed autem magiſtris inclinabis, & increpationibus eorum acquieſces & conſiliis, & operam ſcientiæ & lectioni dabis, ne ſero pœnitens dicas: *Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpa- Prou 5.* *tionibus non adquieuit cor meum: nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non inclinaui aurem meam? Pene fui in omni malo, in medio Eccleſiæ & Synagogæ.* Quod enim ſcientia legis liberet à laqueis, audi confitentem David, *Poſuerunt peccatores laqueum mihi, ſed de manda- Pſ.118.* *tis tuis non erraui.* Quomodo id potuiſti? Quia hæreditate acquiſiui teſtimonia tua, & in via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: ſed per hoc euaſi, quia teſtimonia tua intellexi. *Lex Dei*, inquit, *in Prou.11.* *corde iuſti: & per hoc non ſupplantabuntur greſſus eius.* Hinc & filius eius Salomon ait: *Simulator ore decipit amicum ſuum, iuſti autem liberabuntur ſcientia.* Sed vtinam hæc via qua ſalutem vel Saluatorem ſuſcipere debe- G mus, ſicut iam non eſt tenebroſa per ignorantiam veri: ſic nec lubrica ſit per inconſtantiam operis. Sed ſicut *Volentes & ſcientes peccamus.* Balaam cadens apertos habebat oculos: ſic & nos, & videmus apertis oculis per ſcientiam, & cadimus per negligentiam. Volentes & ſcientes peccamus, & libentes lubricamus. nec tam lubricum viæ cauſari poſſumus, quam propoſitum mentis, id eſt pedem cui innitimur. Quis enim non ambulat in lubrico, dum in mundo, dum in corpore viuit luteo? Non igitur tam via quam pes in culpa eſt, qui in via Dei minus firmus eſt. Sed nunquid qui cadit non adjiciet, vt reſurgat? *Septies ca- Prou.24.* *dit iuſtus in die, & ſepties reſurgit. Dominus enim erigit eliſos, Dominus dirigit iuſtos.* Nam ſi dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me. Quando igitur aliter non potes, cadens, ſurgens, viam ambula: clamans tamen ſemper ei, quem ſequi & conſequi deſiderat. *Perfice greſſus meos, in ſemitis tuis; vt non moueantur veſtigia mea.* Et ſi via iniquitatis in me eſt, H vt eſt humana fragilitas: deduc me in via æterna: quatenus per te qui es via & veritas, perueniam ad te qui es veritas & vita æterna, tibi gloria per æterna ſæcula ſæculorum, Amen.

Sermo de eodem V.

Eſa.40. P*Ara viam Domino.* Via Domini fratres quam parare iubemur, ambulando paratur, parando ambulatur. Et licet multum profeceritis in ea, ſemper tamen vobis reſtat paranda: vt de his in quæ perueniſtis, tendatis & extendatis vos in vlteriora: quatenus per ſingulos profectus, Dominus cuius aduentui via paratur, quaſi nouus, ac ſeipſo ſemper maior occurrat. Ideo bene iuſtus orat, *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* Ideo forſitan via æterna dicta eſt: quia licet prouidentia ſemitam cuiuſque inueſtigauerit, terminumque conſtituerit quouſque proficiat, terminum tamen non habet, illius in quam proficitis bonitatis na-

A *Iustus semper ad perfectiora se extendit.*

tura. Itaque sapiens impigerque viatator, cum consummatus fuerit tunc incipiet: ita scilicet obliuiscens quæ retro sunt, vt quotidie dicat sibi, Nunc cœpi. Exultat vt gigas quem nil terreat ad currendam viam mandatorum Dei. Idithumque factus, pigros qui in via resident, facile transilit in impetu cursus sui. Et licet nouissimi diei hora venerit: consummatus in breui explet tempora multa: vt repente de nouissimo primus, inter primos coronam accipiat. Sed nos qui de profectu viæ huius loquimur, vtinam vel initium eius apprehenderimus.

Proficit non parum in via Domini qui cœpit. Matth. 7.

Meo namque sensu atque idcirco non parum in ea proficit qui cœpit, si tamen vere cœpit, si viam ciuitatis habitaculi inuenit. *Quam pauci sunt*, ait veritas, *qui inueniunt eam:* quam multi sunt qui in solitudine errant. Prorsus omnes solitarij, id est, omnes superbi: qui se solos reputant. Nullus eorum adhuc dicere potest, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Non enim est illis commutatio, vt desinant esse quod erant:

B

quia non timuerunt Deum, cum *initium sapientiæ sit timor Domini*. Si initium sapientiæ, nimirum & viæ bonæ. Ipse nempe timor Domini, ipse est qui statim illud sapiens consilium generat in corde viri: vt dicere possit,

Psal. 118.

Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Ipse confessionem persuadet: quam Psalmista initium boni operis esse docet. *Incipite*, inquit, *Domino in confessione.* Ipse ad pœnitentiam superbum inclinat, vt vocem clamantis in deserto, viamque parari iubentis, & vnde incipiendum sit ostendentis audiat. Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum. Huic sententia consonat Salomonis: qui manifesta diffinitione rudes instruit dicens:

Prou. 16.

Initium viæ bonæ facere iusta. Quid est enim iusta facere, nisi pœnitentiam agere: nisi de nobis ipsis quod Deo debemus exigere, & quod rapuimus exoluere? Hæc est iustitia quæ ante Dominum ambulat, viamque ei placitam parat, sicut scriptum est,

Psal. 84. *Pœnitentia gratiam præcedit.* C

Iustitia ante eum ambulabit & ponet in via gressus suos. Sicut enim Ioannes Iesum, sic pœnitentia gratiam præcedit: illam scilicet gratiam, qua post satisfactionem reconciliati suscipimus in osculo pacis. In hac siquidem pœnitentiæ via grato atque hilari occursu obuiant sibi, seseque osculantur iustitia & pax,

Psal. 84.

iustitia scilicet hominis se punientis, & pax Dei ignoscentis, lætumque ac iucundum celebrant in osculo sancto fœdus reconciliationis. Denique ne parui æstimetur meriti hæc iustitia hominis de semetipso facientis iudicium & iustitiam, neve oratiunculæ & vota pigrorum se laboribus pœnitentium comparare præsumant, quid de ipsa Salomon sentiat, audiant.

Prou. 16.

Initium, inquit, *viæ bonæ facere iusta:* accepta autem Deo magis quam immolare hostias. Si ergo videris hominem huic pœnitentiæ professum regularibus ac sanctis laboribus quorum debitor est singulares oratiunculas præferentem: ingere ei hanc sapientis sententiam, *Initium viæ bonæ facere iusta, accepta autem magis Deo quam immolare hostias.* Similiter si videris hominem aduersus quem frater suus aliquid habet, munus seu laudum seu sacramentorum ad altare offerentem: repete ei nihilominus eundem sermonem,

D

Initium viæ bonæ facere iusta, vt fratri reconcilieris: *accepta autem Deo magis quam immolare hostias.* Nam & illo etiam spectat hæc sententia, vt daturus eleemosynam prius si quem defraudauit, vel simplum restituat. Sic & tu quoque voluntaria oris tui beneplacita nullatenus Deo esse credideris, illa scilicet quæ in Psalmis, vel in orationibus secretis ei obtuleris: si propterea Canonem Psalmorum ex regula constitutum negligentius exolueris. Nonne si recte offeras, & non recte diuidas peccasti?

Esa. 40.

Rectas, inquit, *facite semitas eius vos qui paratis viam Domini.* O Domine tu parasti directiones nobis, si modo nos recte ambulemus in illis. Tu legem posuisti nobis viam iustificationum tuarum, per illum scilicet quem huius sanctæ institutionis legislatorem dedisti. Hæc via inquiens, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Hæc via plane sicut Propheta promiserat,

Esa. 35.

via directa nobis, ita vt stulti non errent per eam. Iunior fui, etenim senui: & non vidi, si bene memini, stultum errantem per viam, cum vix aliquem sapientem viderim qui rectitudinem eius tenere potuerit.

E

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes: quos sapientia vestra deuios abducit à via salutis, nec sinit stultitiam sequi saluatoriam.

Stultitia commendabilis. 1. Cor. 3.

Non ignorabat ille stultus propter Christum, quid hæc sapientia terrena, animalis, diabolica mali faciat, qui dicebat, *Si quis sapiens esse videtur in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens apud Deum.* Optabilis stultitia quæ diuino iudicio reputatur sapientia, quæ hominem non sinit errare de via. Hæc stultitia, nisi fallor, est illa de sursum sapientia, pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens: à quibus omnibus quam procul abhorreat sapiens in oculis suis, vtinam nunquam experientia ipsa probasset in oculis nostris. Sed si contristat nos arrogantia, seu peruicacia huiusmodi sapientium, consolatur abundantius nostrorum pax atque modestia stultorum, qui quanto minus sibi credunt, tanto suadibiliores bonis consentiunt.

F

Tales itaque stulti non errant facile de via Dei: sed iuxta verbum Prophetæ semper audiunt vocem post tergum monentis.

Prou. 4. *Caute ambulandum in via Domini.*

Hæc via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram, ne scilicet per feruorem excedentes modum, aut per teporem subsistentes citra modum, legem præscriptam viamque deseratis regiam. Spiritus est ad dexteram, caro est ad sinistram: & hæc sibi colluctantia semper sibi aduersantur, vt non quæcunque vult, siue ista, siue illa faciamus: ne si plus iusto sequimur impetum spiritus, declinemus ad dexteram, aut si plus iusto carni indulgemus, deuiemus ad sinistram. Hanc denique viam iustificationum Domini, viam veritatis quam elegistis, quanta laude prædicet Esaias, delectat me cum charitate vestra recordari.

Esa. 35.

Et erit, inquit, *ibi*, id est, in antiquis cubilibus draconum in terra vtique deserta & inuia, *semita & via*, sicut hodie cernere est, quia in feris & incultis hominibus qui sine lege viuebant in ipsis inuenitur ordo vitæ, & disciplina. *Et hæc via*, inquit,

G

sancta vocabitur, quia nimirum sanctificatio est peccatorum, perditorumque salus. Quanta vero virtute ac reuerentia sanctitatis præmineat, inde probat Propheta, quia *non transibit*, inquit, *pollutus per eam.* O mi Esaia, ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam? Imo potius huc omnes huc veniant, hac incedant: immundis enim præcipue Christus hanc viam strauit, qui venit quærere & saluum facere quod perierat in viis sæculi. Quid igitur? Transibit pollutus per viam sanctam? Absit. Veniat quantumlibet pollutus ad eam: non tamen transibit pollutus per eam, quia cum transierit, iam pollutus non erit. Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim abluit admissum, quia diluit omne commissum tanquam vere baptismus alter pœnitentium. Hic plane hic baptizat non Ioannes, sed IESVS baptismo pœnitentiæ, hic patet fons domus Dauid in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Propterea namque via hæc pollutum admittit, sed pollutum non transmittit, quia via arcta est, & quasi foramen illud angustum est quo serpens innouandus cum exuuiis suæ vetustatis venire potest, sed cum

H

ipsis transire non potest, sed nouum suaque nuditate melius vestitum transitus angustia traiicit, extricans omnem quem attulerat squalorem vetustatis. Bene ergo prudentiam serpentis imitari rogamur: qui nec aliter

Serpentis prudentia imitanda.

innouari possumus, nisi per angustum coarctemur. Sane quod illius antiqui serpentis insidias euadamus, si per hanc arctam viam huius noui serpentis exemplum sequamur: Esaias promittit, qui de eadem via subdit:

Esa. 35.

Non erit ibi leo & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi. Securi ergo simus, si de via non exorbitamus. Potest leo ille qui circuit quærens quem deuoret, iuxta iter scandala ponere, laqueos abscondere, viatores rugitu terrere, sed persistentes in via lædere non potest, quippe cui via ipsa terror & supplicium est:

Prou. 10.

Fortitudo nempe simplicis via Domini, & pauor his qui operantur malum. Si ergo in via es, hoc solum time ne deuies, ne Dominum offendas qui te per viam ducit, vt dimittat te vagum in via cordis tui, præter eum ne timeas alienum.

Quod

A

Quod si nimis arctam viam causatis, prospice finem, quo te via ducit. Si enim omnis consummationis videris finem, continuo dices *latum mandatum tuum nimis*. Si minus videra potes, crede videnti Esaiæ qui oculus tui corporis est. Ipse vtcunque videbat, cum id quod sequitur dicebat. *Et ambulabunt hanc viam qui liberati fuerint & redempti a Domino, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum.* Gaudium quoque & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor gemitus. Qui satis hunc finem cogitat, puto quia non solum viam dilatat sibi, sed etiam pennas, vt iam non ambulet sed volet, assumit sibi. Semper ergo fratres cogitate finem præmiorum, & cum omni facilitate & alacritate curretis viam mandatorum. Per ipsam vos deducat & perducat ipse, qui est via currentium, & brauium peruenientium CHRISTVS IESVS, cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B

Sermo de Natiuitate Domini.

Esa. 9.

PVer est nobis. *Puer antiquus dierum.* Puer, forma corporis & ætate: antiquus dierum, incomprehensibili verbi æternitate. Quanquam & in ipsa sua dierum antiquitate, etsi puer non sit, nouus tamen semper sit, imo non tam nouus sit, quam ipsa nouitas, in se semper manens, & innouans omnia, a quo quæque res prout recedit inueteratur, prout reaccedit renouatur. Et nouo quodam modo, vnde antiquus, inde nouus, quoniam quidem æternitas ipsius, sine initio nascendi, sine defectu veterascendi, ipsa est & antiqua nouitas, & noua antiquitas ipsius. Alia tamen est nouitas huius temporalis natiuitatis, qua puer natus est nobis innouandis: qui ab æterno Deus natus est Angelis beatificandis. Illa quidem natiuitatis amplioris gloriæ: sed ista profusioris misericordiæ. Ista siquidem propter me, qui misericordia indigebam, quoniam miseria circundatus eram, & miseria quam expiare non poteram. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, qui nondum idonei sumus videre gloriam tuam, appareat benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, vt per hanc digni efficiamur & idonei, quibus appareat maiestas & diuinitas creatoris nostri Dei. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, nostra in lutam miseria, & nouo miserendi genere de ipsa miseria miserorum operantem remedia. Ad hoc siquidem ars misericordiæ beatitudinem Dei & miseriam hominis in vnitatem mediatoris temperauit, vt operante sacramento vnitatis per virtutem resurrectionis, beatitudo miseriam absorbeat, mortemque vita deglutiat, & totus homo glorificandus in diuinæ consortium naturæ transeat. Vsque adeo autem vniuersas infirmitates carnis quibus ob culpam humana subiacet natura, absque culpa videlicet dignatio suscepit diuina, vt nec infantiæ recusaret iniurias, nec alia quam communis habet conditio, sortiti vellet exordia: excepto sane quod per Spiritum sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emendabat, atque secundæ natiuitatis nobis sacramenta dedicabat. Itaque paruulus natus est nobis, & Deus maiestatis exinaniens semetipsum, non solum terreno mortalium corpori, sed etiam infirmæ ac pusillæ infantium se configurauit ætati. O beata infantia, cuius infirmum & stultum fortius & sapientius est omnibus hominibus, quia nimirum Dei virtus & Dei sapientia sua in nostris diuina operatur humanis. Huius siquidem infantis infirmitas, principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captiuat, & captiuitatem nostram absoluit & liberat. Huius infantis muta (vt videtur) & elinguis simplicitas, linguas infantium facit disertas, linguis hominum loqui facit & angelorum: linguas diuidens igneas. Inscius iste, vt videtur, ipse est qui docet hominem scientiam & Angelum: tanquam vere Deus scientiarum, sapientia Dei, & verbum. O sacra & dulcis infantia, quæ verum humanis cordibus innocentiam infudisti: per quam [illegible] ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, & pietate morum. Prorsus vos filij Adæ qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excreuistis: *nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.* Ego sum ostium regni, ait paruulus iste, nisi incuruetur altitudo virorum, non eos admittit istius humilitas ianuæ. Ideo nimirum *conquassabit capita in terra multorum*: & qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra & cinis, postquam Deus factus est humilis? Adhuc tu magnus es in oculis tuis, postquam Deus paruus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinaniuit, vt pene videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflaris & extolleris existimans te aliquid esse, cum vere sis nihil? Ipse te seducis, clamat tibi Apostolus, cum & si aliquid esses, si magnum aliquid esses: tanto magis humiliari te oporteret. *Quanto*, inquit sapiens, *magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: qui & ipse vt tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus & minimus omnium. Parum erat ei, vt fieret minor Angelis conditione mortalis naturæ: nisi & hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius & humilis, & glorietur: videat impius & superbus, & confundatur. Videat, inquam, Deum immensum paruulum factum, & infantulum adorandum, stupendum mysterium, redemptionem piorum, gloriam humilium, iudicium impiorum, ruinam superborum. O venerandum ac tremendum mysterium, quam sanctum & terribile est nomen tuum fons misericordiarum, & abyssus iudiciorum. Quis de hoc fonte bibit, & non amauit? Quis hanc abyssum considerauit, & non expauit? Qui non amauit, nequam & impius est: sicut qui non expauit, vecors & insensatus est. Nihil tamen est cur iudicium expauescas: si non aduersus misericordiam insolescas. Et ipse siquidem mallet amari, quam seruiliter timeri: magisque probat quod liber ac voluntatis offert affectus filiorum, quam quod coactitius extorquet metus seruulorum. Ideo & nunc cum primo se manifestauit mortalibus, puerum se maluit exhibere, magisque amabilis quam terribilis apparere: vt quia saluare veniebat & non iudicare, præferret interim vnde prouocaret amorem, differret vnde incutere posset timorem. Cum fiducia igitur accedamus ad thronum gratiæ eius, qui nec cogitare sine tremore poteramus de throno gloriæ eius. Nihil hic terroris, nihil seueritatis quam oderitas: sed omnimoda benignitas atque mansuetudo, de qua præsumas. Et si potestas & terror apud ipsum est, totum tamen interim dissimulat, donec pœnitenti parcat, confitentem recipiat. Ne sit tibi scrupulo quod grauiter deliquisti, nescit puer læsus irasci, aut si irascitur, facile potest placari. Vere nihil placabilius animo huius pueri qui in hoc ipsum pacem tuam satisfactionemque præuenit, priorque legatos de pace mittit, vt qui reus es, velis reconciliari. Tantummodo velis, & vere perfecteque velis, non modo veniam indulgebit, sed & gratiam cumulabit, quinimo lucrum non mediocre deputans, ouem recuperasse perditam, diem festum aget cum angelis. Congruebat ergo cum diuina mansuetudine ætas innocentiæ ac facilis infantiæ, satisque conuenienter & commode salutem peccatorum ab hac exorditus est ætate, vt quos reatus propriæ terrebat conscientiæ, spes consolaretur, non difficilis indulgentiæ. O puer dulcissime, IESV bone, quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, & perficies sperantibus in te: qui tantam exhibuisti necdum scientibus te. Prorsus dulcedo incomparabilis, & pietas ineffabilis vt Deum qui creauit me, videam puerum creatum propter me: Deusque maiestatis & gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Vere tu puer Deus; *salutare vultus mei & Deus meus*, cum totus sis dulcedo & desiderium: dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirum te * capabi-

E

Superbiendum non est post tantã Christi humilitatem.

Eccl. 3.

F

Christus ad nos veniens

G

adferebat vnde prouocaret amorem; distulit vnde incuteret posset timorem.

Christus prior legatos de pace ad nos misit.

H

Christi infantis infirmitas mundi tyrannum domuit.

C

D

* capabilem.

A lem facit sensibus & affectibus paruulorum, qui oondum sunt te solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus & sapidum, cogitare & recogitare puerum Deum, quin etiam efficax & operatorium ad medendum ac dulcorandum si quis in nobis est rancorem animorum, sermonum amaritudinem, motum austeritatẽ. Neque enim crediderim vbi sensus & memoria fuerit huius diuinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inueniri: sed omnis indignatio & amaritudo cum omni malitia tolletur à nobis. Ita fiet vt quasi modo geniti infantes, modo genitum infantem Dominum digne laudemus, & inconsonantia morum & vocum ex ore infantium & lactentium perficiatur laus infantis & lactentis Domini IESV CHRISTI, cui cum Patre & Spiritu sancto laus & iubilatio, per æterna sæcula sæculorum. Amen.

B

Sermo de eodem II.

Esa. 9. PVer natus est nobis, & filius datus est nobis. Inde probatur quod natus est nobis: quia scilicet datus est nobis. Illis enim recte dicitur natus, quibus videtur datus. Et omnibus quidem gratia natiuitatis huius oblata est, sed non ab omnibus suscepta est. Non enim omnium est fides. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Inutiliter autem natus esset, nisi & datus esset, frustraque factus esset filius hominis, si non recepissent eum filij hominum, quibus daret potestatem Filios Dei fieri. Væ tibi igitur Iudæa incredula, & ingrata & impia: ablatum est à te regnum Dei, & datum est genti facienti fructus eius. Eiectus est IESVS de synagoga, sed susceptus est ab Ecclesia. Erectus est de contradictionibus Iudæorum, constitutus est in caput Gentium. Ecce populus quem non cognouit seruiuit illi in auditu auris obediuit ei, cum de vobis filiis alienis, filiis sceleratis,
Esa. 1. & patricidis, sit pij patris illa querela terribilis: *Filios*
Act. 13. *enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Sed qui sper-
C nit, nunquid non & ipse spernetur? *Quia repulistis verbum Dei* (inquiunt Apostoli) *& indignos vos iudicastis vita æterna, ecce conuertimur ad gentes.* O fœlix gentilitas, ecce affertur tibi IESVS, certe obuiis manibus, extende manus, expande sinus, deuotionem tuam probet tam actus quam affectus: filium qui tibi offertur suscipe fide, amplexare affectu, semperque inter vbera tua commoretur. Et ecce videor mihi audire vocem exultationis & confessionis, de cunctis partibus orbis: a finibus terræ laudes audio, gloriam iusti. Est autem vt sonus multitudinis, vt sonus castrorum Dei, vox vna laudantium & dicentium, *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Ipsa est (ni fallor) Ecclesia lætabunda & laudans toto orbe terrarum: pro eo quod sibi natum, sibi datum amplexatur filium, quem oblatum, sed ablatum
Esa. 54. merito videt perfidiæ Iudæorum. *Lauda igitur sterilis quæ non pariebas, decanta laudem & iubila quæ non parturiebas,* quia per hunc filium qui datus est tibi, multi erunt filij desertæ, magis quam eius quæ vinculo legis
D Deo maritata, ei videbatur adhærere. Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum, tunc dices in corde tuo. Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola, & isti vbi hic erant? O mater incorrupta, virgo fœcunda, filius qui datus est tibi, hos tibi dedit. Est enim filius altissimi, cui pater istos adoptauit, vt sint omnes conformes imaginis eius, & sit ipse primogenitus in
Ibid. multis fratribus. *Dilata*, inquit, itaque *locum territorij tui ab ortu ad occasum, & à mari ad mare, quia ad dexteram & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit.* Iste namque vnigenitus Mariæ, primogenitus est
Ps. 2. omnis creaturæ, dicitur à Patre: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Sicut autem suscepto Dei filio Ecclesia sterilis peperit plurimos, & roborata est: ita ipso eiecto æmula eius Synagoga quæ multos filios habebat, infirmata est. Ideo cum hodie Ecclesia gratulabunda de dato sibi filio, gratiarum actione & voce laudis repleat cœlos: illa muta sedet in tenebris, aut certe eiulatu fatigat inferos. Misera & cæca cur non aduertit, quam manifeste Deus eius
E ad nos transierit: quam euidenter ipsa repudiata solumque retinente libellum repudij, literam dico legis, quæ adulteria ipsius coarguit, vniuersam dotem ipsius, ad nouam sponsus nuptam transtulerit? Ecce in manibus nostris tabulæ matrimonij, in duobus testamentis: ecce sacramenta vnctionum, dignitas regum, Ordo Sacerdotum, ministeria leuitarum, cultus templi & valorum, sacrificiorum veritas, omnis denique ipsorum gloria translata ab ipsis, collata est nobis: quia causa & veritas omnium: filius datus est nobis. Ipse calicem legis, quæ in manu est mediatoris, ex hoc Iudæo in hunc Christianum inclinauit, & omne quod in ea merum ac verum fuit, eliquatum nobis transfundit: fæx sola quæ non est exinanita apud Iudæos remansit, ipsam bibunt, ipsa pars calicis eorum. Sed quid verbis moror? Nunquid enim potest enarrari, quæ & quanta data sunt nobis, cum iste filius datus est nobis? Nonne omne datum
F optimum & omne donum perfectum, ab ipso, & cum ipso, pariter ad nos descendit? Nonne vniuersas opes cœli, omnes thesauros Dei, secum nobis aduexit? qui licet adhuc in ipso contineantur absconditi, multa tamen iam & magna, & quasi donatiuum pugnaturis erogauit, sed nihil omnia, ad ea quæ victoribus reseruauit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum, nostrorum scilicet varietatem armorum, subsidia Sacramentorum, fercula scripturarum, gradus & ordines ministrorum in omni ætate, sexu, & conditione, natione & lingua, tot Martyrum trophæa, Confessorum insignia, Virginum coronas? Si miraris, inquit Ecclesia, vnde repente mihi pauperculæ hæc multitudo diuitiarum, & magnitudo gloriæ: inde nimirum, quia Filius Dei datus est nobis, Deus gratiæ, *Dominus virtutum, & Rex gloriæ.* Imo magis mirum esset, si non sequerentur Dominum bona sua, cum etiam ipse sit omnia bona. *Inquirentes*, inquit, *Dominum, non minuentur omni bono,* Ps. 33.
G quanto magis suscipientes? Si enim miraris ista nobis per filium data, ego (vt plus mireris) adiiciam omnia omnino nobis cum illo esse donata. Cum enim filium per quem & in quo omnia subsistunt, pater nobis donauit, quomodo non omnia nobis cum illo donauit: *Omnia nostra sunt*, ait Apostolus, *quia est auctor omnium & Dominus, vt & si videamur tanquam nihil habentes, inueniamur tamen omnia possidentes.* Vides igitur quantum & quale datum sit filius, quamque probabile sit, quod de sapientia quæ ipse est, legitur, *Venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Sap. 7. Quare autem hoc ita inculco fratres mei? Quare, nisi vt discatis gloriari, quia filius datus est nobis: & quicquid mundus potest dare, aut promittere vobis, non modo vile & indignum ad illum, sed etiam detrimentum propter illum deputetis? Non quomodo mundus dat, ille dat vobis: tantùm grati estote quia datus est vobis, & satagite vt amplius & perfectius detur vobis. Qui enim semel datus est mundo in forma carnis, & certis diebus
H aut horis datur fidelibus in specie panis scilicet in esu Sacramenti sui: sæpius & incertis horis datur deuotis, in gustu spiritus sui. Primum ad redemptionem, secundum ad sanctificationem, tertium etiam ad consolationem. Primum exigit vt fides sit recta, secundum vt conscientia pura, tertium vt deuotio prompta. Hæc mentem eleuat, vt gratiæ occurrat, cor aperit, vt excipiat affectum; dilatat, vt plurimum ipsius capiat. Non solum autem istam, sed & omnem gratiam abundare faciat in vobis, Deus omnis gratiæ filius qui datus est vobis: qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(Margin, beside E: *Libellus repudij Iudæis datus est litera legis.*)
(Margin: 1. Cor. 3.)

Sermo de eodem III.

PVer natus est nobis. Non prorsus: non enim sibi, non Angelis. Sibi inquam natus non est, vt scilicet hac natiuitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, & perfecta beatitudo sibi erat, quia de Deo perfecto Deus Esa. 9.

perfectus-

A perfectus natus erat. Angelis natus non est, quia nec Angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat: nec illius qui ceciderat casus reparabilis erat. Ideo nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: & qui Deus natus erat sibi puer natus est nobis se quodammodo reliquens, & Angelos transiliens, vt ad nos vsque deueniens vnus fieret e nobis: & exinanitus semetipso, minoratus ab Angelis, æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus est nobis redemptio. quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ natiuitatis præiudicio. Quam fœlix, quam amabilis natiuitas tua, puer IESV, quæ natiuitatem omnium emendat, conditionem reformat, præiudicium soluit, chirographum damnatæ naturæ rescindit: vt si quem piget damnabiliter esse natum, possit fœlicissimè renasci. Quotquot enim te receperunt, dedisti eis potestatem filios Dei fieri. Gratias gratuitæ atque gratiosæ natiuitati tuæ, Deus fili hominis: per quam accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Prorsus admirabile commercium, vt sumens carnem, largiaris Deitatem: commercium inquam charitate, non cupiditatum contractum, indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiæ meæ omnino lucrosum. Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit, licet pariter misericordia & veritas in te obuiarunt sibi. Vere inquam tu misericors puer natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua nascens de nobis quæsisti: qui ad hoc solum nasci dignatus es, vt nos minoratione tua proueheres, humiliatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti, tu enim omnem tuæ plenitudinem diuinitatis in hominem transfudisti. Transfudisti, sed non confudisti. Transfusum autem Deum in hominem non dicerem, si ad mensuram datum huic homini spiritum audirem, si de omni sua plenitudine, penes Deum aliquid resedisset, quod non in hominem, cui vnitus est, effudisset. Merito igitur *oleum effusum nomen Dei hominis*, vel certe vnguentum exinanitum, cum ita funditus Deus in hominem effusus sit: vt eum semetipsum exinanisse fateatur fides Apostoli? Quanquam sic vtique se exinaniuit, vt in seipso nihil prorsus minuerit, aut mutauerit, nec alia esse potuit naturæ immutabilis exinanitio, quam naturæ nostræ, quæ terra inanis & vacua est assumptio. Magna prorsus exinanitio ista in oculis videntium, vt splendor gloriæ & figura paternæ substantiæ, nonnisi formam præferat seruilem, & in ipsa non habens speciem neque decorem. Quasi enim parum exinanitus esset, si homo solum fieret, etiam humanæ carnis gloriam ita funditus in se vacuauit, sapientiam infatuauit, infirmauit virtutem, minuitque magnitudinem: vt & in natiuitate minimum, & in passione se exhiberet nouissimum virorum, vnde nec reputauerunt eum. Vis autem videre Deum exinanitum a semetipso? Vide iacentem in præsepio. *Ecce Deus noster*, Esaias ait, *qui de tam longinquo vidit & cognouit præsepe Domini sui*, imo Deum in præsepi. Ecce, inquit, Deus noster. Vbi quæso? In illo, inquit, præsepio. Infantulum quidem ibi inuenio. Hunccine tu dicis illum esse, qui dicit, Cœlum & terram ego impleo, imo cuius maiestati angusta est omnis cœli latitudo. Pannis inuolutum video. Hunccine tu dicis illum esse, qui gloriam & decorem induit locis inaccessibilis, amictus incircumscripto lumine, sicut vestimento? Vagientem audio. Hiccine est qui in cœlis tonat, sub cuius vocis tonitruo, potestates Angelicæ submittunt alas suas? Sic est, inquit alius Propheta satisfaciens pro Esaia, omnino sic est, hic est Deus noster: sed exinanitus est; vt te repleat, & à se quodammodo deficere voluit, vt te reficiat. Conclamat omnis chorus Prophetarum, vno Spiritu, eadémque sententia, & si aliqui voce diuersa, sic est, hic est Deus noster; & non æstimabitur alius præter eum, neque enim est alius præter eum. *Sed scio*, inquit Dauid, scio, quia non credet signo huic, sed contradicet generatio praua & adultera Iudæorum:

Christi natiuitas quam nobis salutaris.

B

Cant. 1

C

Christi exinanitio maxima.

Esa. 30.

D

E enarrare vos Apostoli in progenie altera gentium. Quid? Quoniam hic quem Iudæus iacentem in præsepi nec respicit, pendentem in cruce despicit: cum miro modo nascitur, non videt: cum mira operatur, inuidet: cum dira patitur, irridet. Hiccine inquam, hic est Deus noster, in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula. Et ecce iam prædicantibus Apostolis, testificantibus Prophetis, & si vellus siccatum est, sed areæ latitudo infusa est, & si cucurbita aruit, Niniue saluata est, & amissio Iudæorum diuitiæ facta est mundi, & salus gentium. Adorant omnes Reges terræ paruulum qui natus est nobis, omnes gentes seruiunt ei: quia si qui sunt qui non seruiant, vel non sint seruituri, quasi non sint, sic sunt coram eo: gens enim & regnum quod non seruierit ei, peribit. Iam tamen videmus & gaudemus impletum, quod per Esaiam fuerat à patre promissum. *Viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, te adorabunt, téque deprecabuntur.* Et merito, inquit, *quia in te tantum est Deus, & non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator.* Si vnquam manifestius, si expressius potuit dici IESVS Deus, nunquam credat Iudæus: aut certe si derogat hæc esse dicta de IESV, ostendat alium in quo sit Deus, & qui sit Deus, nec præter eum Deus, quandoquidem nec personarum Trinitatem fatetur, vt assignare possit Deum in quo sit Deus, ita vt alius Deus præter eum non sit. Sed hoc te perfide scandalizat, quod ad pietatem ædificare debuerat, quod scil. Deus absconditus, & homo oculis adhibitus est, tanquam lutum ex sputo quod ad videndum Deum cæcum illuminaret. Hoc, inquam, scandalo tibi est, quod in infirmitate carnis, abscondita est fortitudo Dei, etiam in infirmitate crucis abscondita est fortitudo hominis Dei, quod inglorius inter viros aspectus eius & forma eius inter filios hominum, vnde nec reputasti eum, sed putasti quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: cum Deus posuerit in eo iniquitates omnium nostrum. Nam & tuam quoque susceppisset: si tu eam vel ad extremum deponere voluisses. At tu miser non deponis, sed apponis iniquitatem super iniquitatem, super sanguinem Prophetarum, sanguinem Filij Dei & Apostolorum. Impone igitur, quandoquidem ita vis, impone iugum iniquitatum tuarum tibi & filiis tuis: mihi enim iugum Christi portare magis sedet, vt meas ipse portet iniquitates. Tu porta colligationes impietatis, fasciculos deprimentes: ego portem fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligauit, pannisque inuolutum in præsepi reposuit. Vos igitur fratres mei, qui cognouistis præsepe Domini vestri, Dominumque in præsepi, quem Israël non cognouit, vos inquam quibus Saluator ideo non vilint, quia misericors esse voluit, sed eo vobis tenerior est in affectu, quo minor est in aspectu, cantate & exultate, & psallite: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* De Iudæis quidem est natus, sed nobis est natus: quia illis ablatus, nobis est datus. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus salutare suum*; a leo vt & asinus de gentibus cognoscat in præsepi Dominum suum fœnum sibi factum, quia omnis caro fœnum. In conspectu namque gentium reuelabit iustitiam suam, quam Iudæus ignorat, velum adhuc habens super faciem suam. Velum habet, quia zelum tenet: vnde nec velum videt, sed inuidet, quod *puer natus est nobis, filius datus est nobis*: nec inuidet quod cupiat habere sibi, sed quod cupiat perire & mihi & sibi. Mallet æmula & mala meretrix infantem occari, quam viuum mihi dari: sed iudicium nostri Salomonis, cuius sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda & renes, in inuenienda matre non errauit. Date, inquit, Ecclesiæ infantem viuum, hæc est enim mater eius Quicunque enim fecerit voluntatem eius, ipse mater, & frater, & soror eius est. O Domine Salomon tu matrem dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Christi sum: *fiat mihi secundum verbum tuum*. Et quidem matrem amore & sollicitudine me præstabo quantum potero: sed conditionis meæ semper memor ero. O fratres

Esa. 45.

F

G

H

3. Reg. 3.

boc

A hoc nomen matris non est singulare Prælatis, quamuis specialis eis incumbit cura maternæ sollicitudinis & pietatis: commune est & vobis qui facitis voluntatem Domini. Vtique & vos matres pueri qui natus est vobis, & in vobis, ex quo videlicet à timore Domini concepistis, & parturistis spiritum salutis. Vigila igitur ô mater sancta, vigila super curam recens nati, donec formetur in te Christus qui natus est tibi: quia quo tenerior est, eo facilius potest perire tibi, qui nunquam perit sibi. Spiritus siquidem qui in te est, si tibi extinctus fuerit, redit ad Deum qui dedit illum. Vigila inquam super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quæ est enim illa, nisi carnalis anima, quæ spiritum extinguit negligentia & inertia? huiusmodi homines, cum religionis amiserint feruorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriam & nomen. Inde contentiones carnalium aduersus spiritales, etiam in capitulis, vbi verus Salomon inuisibiliter iudex præ-

B sidet. *Filius meus*, inquiunt carnales, *viuit, & tuus mortuus est*: ego spiritum Dei habeo, tu non habes: in me viuit amor Dei, in te mortuus est: dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem, cuius spirituales habent veritatem: vt subducta eis auctoritate, consuetudines inducant pro sui sensus libidine. Et reuera quidem mater vult æmulæ dari viuum & integrum infantem, non inuidens ei gloriam, dummodo habeat & virtutem: sed illa, *nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed diuidatur*: quia nimirum sanctitatis sibi cupit retinere honorem, & aliis relinquere laborem. Sed non errat qui iudicat, & si aliquandiu dissimulat. Gladius Salomonis matrem inuenit cui adiudicat indiuisum: sicut affectum charitatis, sic effectum potestatis: sicut feruorem operandi, sic fauorem imperandi. Vos itaque fratres in quibus fides per dilectionem operans, nata est de Spiritu Sancto, custodite eam pascite, nutrite, tanquam paruulum IESVM, donec formetur in vobis puer qui natus est nobis: qui non solum nascendo, sed viuendo & moriendo formam

C cui conformetur tradidit nobis. Memor quippe semper quod nonnisi nobis natus fuit, nec nisi nobis viuere voluit, nec mori nisi pro nobis: qui pro se non hibuit, vt & nos per ipsum renasceremur, secundum ipsum viueremus, in ipso moreremur, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

ECce iam venit plenitudo temporis. Plenitudo ista temporis apud Paulum accipitur, seu propter abundantiam gratiæ, seu propter adimpletionem præcedentis Prophetiæ, seu propter pleniorem ætatem fidei adultæ. De singulis videamus. Omnium plenitudo bonorum, Christus Dominus est: quippe qui omnibus thesauris sapientiæ & scientiæ Dei totiusque gratiæ plenus est, imo *in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter*. Viderunt Apostoli *plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius omnes acceperunt*. adeo vt nouissimus eorum

Omnium bonorum plenitudo est Christus.

D & abortiuus Paulus vas electionis, de plenitudine quam acceperat, disseminaret vbique plenitudinem gratiæ & veritatis, clamans & dicens, *Ecce iam venit plenitudo temporis*. Cum enim plenus omnibus bonis natus esset temporaliter auctor temporis, quidni plenitudinem attulisset temporis? Cum cœli rorarent desuper & nubes pluerent iustum, Saluatorem terra germinaret, tanta supernæ benedictionis vbertas quidni fœcunditatem terris omnibus præstaret? Benedixisti Domine terram tuam, dedisti benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum: videlicet de vno grano frumenti, quod germinauit aluus virginis, vbique terrarum pullulante copiosa messe fidelium. Nolo enim hanc plenitudinem temporis requiras in copia bonorum temporalium, sed æternorum non in prouentu agrorum, sed cœlorum. Si cœli rorant desuper, & nubes pluunt iustum, si terra germinat Saluatorem & iustitia oritur simul, si denique oritur in diebus Domini non solum iustitia, sed & abundantia pacis, fœliciora tempora ne quæsieris, quando & regnum Dei nihil aliud est quam iustitia, & pax & gau-

E dium in Spiritu sancto, quod de illis procedit. Nam nostrorum temporum ille status iudicatur optimus atque pulcherrimus, cum & iustitia moribus imponit disciplinam, & abundantia cum pace quietem vitæ præstat & lætitiam. Denique misericordia Domini plena est terra, benedixit Dominus coronæ anni benignitatis suæ, & campi eius repleti sunt vbertate, totius gratiæ spiritalis, quis nisi gratus plenitudinem neget temporis? Quæ vnquam antea ætas simile aliquid habuit huius plenitudini temporis, quando panis Angelorum omnem habens saporem suauitatis, & omne delectamentum, apponitur etiam iumentis: & non solum homines, sed & iumenta cibo pascuntur cœlesti? *Homines enim & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus*. Infinite multiplex hæc tua Deus misericordia, vt qui panis es Angelorum non solum hominum dites ac beatifices mensas: sed etiam

Ps. 35.

F fœnum factus iumentorum repleas præsepia. Confitetis ô Domine sapientia misericors, quia sapientibus & insipientibus debitor es, vt qui vtrosque fecisti, vtrisque necessariam alimoniam procures: & tam homines quam iumenta, tam spiritales quam animales, suo quemque gradu & ordine salues. Confiteantur igitur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum: quia misit verbum suum carnem factum, medicinam & escam omnium: vt etiam incapaces verbi sanentur tamen & satientur carne verbi. Edant itaque pauperes & saturentur, & confiteantur venisse beatam temporis plenitudinem, quando & in præsepibus suis paratum sine sudore vultus sui panem inueniunt cœlestem. Nunquid ergo mugiet bos cum ante præsepe sic plenum steterit? Mugiat, sed præ gaudio spiritus & iubilo cordis quia præsepe Domini sui, imo Dominum in præsepi suo cognouit. Liber autem adhuc manifestius videre, Christus veniens è cœlis quantam plenitudinem temporis aduexerit: quam facili & exiguo pretio omne pretiosum comparari posse decreuerit. Duobus minutis, seu calice aquæ frigidæ: aut certe sola bona voluntate iam à diebus eius emitur regnum cœlorum, quanquam etiam nunc vix inuenias emptorem in tanta multitudine diuitum. Prob pudor, etiam nos ipsi qui iam emere cœpimus, iam tabulas emptionis conscripsimus, iam pignus hæreditatis accepimus, etiam nos, inquam, toties à pacto resilimus, ac pene complaciti pœnitemus: quærimur, murmuramus, quasi in negotio simus circumuenti, quasi magnum sit illud prope nihil quod exigitur à nobis. Bene de nobis prophetauit scriptura, *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit gloriabitur*. Annon merito poterit gloriari, qui immensum illud & æternum pondus gloriæ, hoc leui & momentaneo tribulationis suæ comparauerit, qui sic pro nihilo saluus factus fuerit? At nunc quotidianas hic inde querelas & molesta murmura audias, malum hoc, malum illud: graue hoc, importabile illud: quis tanta ac talia ferat? Ita nemo fere est qui digne pro merito sui rem æstimans dicat: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, nisi nunc demum cum cœperit reuelari. Tunc plene gloriabitur qui modo detrahit, ac de pretio se grauari gemit: cum scilicet de foro, id est de mundo hoc vbi contractus celebratur huius commercij recesserit, & in domum æternitatis suæ secum ferens rem tantam tantillo emptam, redierit. Homo plane secundum cor Dei erat ille, homo simplex sine querela, qui ab hac arte, imo inertia & infidelitate emptorum alienus erat, Dauid loquor qui dicebat: *Quoniam non cognoui negotiationem, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius* Iustitiæ meæ nullatenus memorabor, vt labores meos exaggerem, merita magnificem: potius memorabor iustitiæ tuæ solius, qui gratis obligasti te mihi promissorem. *In veritate tua exaudi me in tua iustitia, & non intres in iudicium cum seruo tuo, quia si voluero me iustificare, os meum condemnabit me. Per hoc* enim, inquit, *introibo in potentias Domini, quia scilicet iustitias meas non statuam*: per hoc potentem me faciet & nunc

Iob. 6.

G *Sola bona voluntate iam à diebus Christi, emitur regnum cœlorum.*

Prou. 20.

H Rom. 8.

Ps. 70. *Iustitia nostra immemores, totâ misericordia Dei committere debemus.*

A in prælio, & tunc in regno: quia semper infirmitates meas confitebor. *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Sicut ergo prudenter apud Deum causam agit, qui iustitiæ suæ immemor totum misericordiæ committit: sic prudenter emit, qui omnem fictionem atque auaritiam negotiationis scire tenuit, qui inuenta illa pretiosa margarita non solum omnia sua, sed & seipsum vltro, ac desideranter impendit. At nos tepidi, ficti, ingrati, indeuoti, voluptatum amatores magis quam Dei, vix ab illa voce infidelis & nequissimi murmuris malum est, malum est, valemus compesci: etiam postquam gustauimus & vidimus sicut de muliere forti scriptum est, quoniam

Prou. 31.

bona est negotiatio nostra. Adhuc ferebat me quidam implacabilis zelus aduersus ingratitudinem, & infidelitatem huius temporis nostri: sed reuocat me de qua sermonem institui sancta ac beata plenitudo temporis Christi, qua etiam hodie plenius pascendi estis. Coniunctim tamen currunt, pariterque feruntur hæc duo

B tempora tam diuersa, tamque aduersa, tempus scilicet gratiæ, & tempus malitiæ: cum tamen nonnisi vnum tempus inueniarut vtriusque. Si enim modo non esset

2. Cor. 6.

tempus gratiæ, non diceret Apostolus, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et iterum si modo non esset tempus malitiæ, non diceret idem Apostolus:

Ephes. 5.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Confligunt igitur in tempore vno gratia & ingratitudo, velut in stadio vno. Iam olim siquidem sapientia pugnat aduersus malitiam, propter quod & nunc in huius mundi descen-

Cant. 8. *Deus filium suum ad mundi salutē misit, cū iam pe[c]catorum multitudo mori[tur].*

dit arcam. Pugnat, inquam, nolens vinci à malo, sed volens vincere in bono malum. Abundabat iniquitas, & licet humana congelata esset, diuina tamen non frigescebat charitas. Magnus ille ardor charitas, & reuera sicut scriptum est, aquis multis inextinguibilis: quod cum extremum iam iudicium postularet multitudo peccatorum, Deus tamen filium suum misit non vt iudicaret mundum, sed vt saluaretur per ipsum. Cum igitur

C *de finem exposcebat.*

iam pene consummata mundi malitia, finem indiceret temporis, redemptoris aduentus nouam & inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cum enim mundus consenuisset, atque prope interitum esset temporis ætate subito ad aduentum conditoris sui, noua & inspetata renouatus est virtutis iuuentute, fideique quodam iuuenili calore. Fides siquidem cuius primæ-

Fides quomodo ab initio creuit.

uum tempus velut quædam pueritia fuit in Patriarchis, qui exorti sunt primo mane Ecclesiæ nascentis: adolescentia vero in Prophetis, ad plenitudinem demum iuuenilis exercuit roboris in Apostolis, quando & calorem suæ virtutis mundo spectabilem præbuit in tam præclaris atque fortissimis innumerabilium Martyrum triumphis. Hanc adultam ac plenam ætatem fidei vocat Apo-

Adultā ætatem fidei Apostolus vocat plenitu

stolus plenitudinem temporis: quando scilicet qui sub pædagogo legis erant nihilque à seruo differebant dum erant paruuli: iam adulti libertatem filiorum receperūt per vnigenitum patris. Qui nimirum vt nulla plenitudo

D *dinem temporis.*

suo deesset tempori, plenus tam gratia quam veritate venit: quatenus & per gratiam impleri faceret legis man-

Ioan. 1.

data, & per veritatem impleret inde promissa; adeo vt quicquid etiam vniuersis retro sæculis mystice gestum, aut dictum fuit, totum verius ac plenius impletum sit in hac plenitudine temporis. Nam & hic ipse dies, tot sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in breui hodie

Sap. 4.

exhibuit, vt de eo vere dici possit: *Consummatus in breui, expleuit tempora multa.* Cum ergo tot mundis constet, quia venit beata plenitudo temporis, recte querelas

Eccl. 7.

insipientium Salomon compescuit dicens: *Ne dicas, quid putas causæ est quod meliora fuère tempora priora quā nunc sunt?* Stulta est, inquit, huiusmodi interrogatio, cum manifeste fœlicissima tempora fecerit hominibus gratia Dei: ingratitudo autem hominum pessima fecerit ea sibi. O tempus acceptabile, cui tam beatum, tam auspicatum initium dedit dies iste: quo natus conditor æternus, temporis æternitatem mortalibus nuntiauit. O vere dies salutis dies iste, quo nata salus mundi, seipsā poculum salutare miscuit ægrotis. O fratres de die isto

Eccl. 14.

loquebatur, ni fallor, sapiens filio suo: *Non defrauderis à*

E *die bono.* Et exponens quid sit non defraudari, *Particula*, inquit, *boni doni non te prætereat.* Diem quippe bonum, pro eo dicit, quia datum est hodie donum bonum, prorsus datum optimum, donumque perfectum, descendens à patre luminum, quod quale sit, nemo scit, nisi qui accipit. At vos fratres spiritum qui ex Deo est accepistis, vt sciatis quæ à Deo donata sunt vobis: quippe qui ex sententia cordium cantatis: *Filius datus est nobis.*

Christus panis est filiorum.

Filius iste, panis est filiorum, qui de seipso hodie beatum ac solemne vniuersæ familiæ patris exhibet epulum. Gratias tibi pater misericordiarum, qui panem nostrum quotidianum das nobis hodie, tantaque largitate aperuisti manum tuam ad implendum omne animal benedictione: vt ipsa etiam benedictione plenum inueniatur eorum præsepe. Quam miserum, quam brutum ac stolidum, imo quam sibi nequam & inuidum illud animal, quod sese isto die bono defraudat, vt eum particula doni boni prætereat: vt scilicet expers gratiæ cœlestis, quæ

F ei proposita est fiat: diemque totius refectionis & gaudij, tristi ac ieiuno corde prætereat: quasi necdum venerit copiosissima plenitudo tēporis, nec præsepia simplicium & humilium panis impleuerit cœlestis. Huiusmodi hominem sibi nequam & inuidum, Deo ingratum & iniuriosum, notat sapientia cum ait: *Oculus malus ad*

Eccl. 14.

mala, & non saturabitur pane, indigens, & in tristitia erit super mensam suam. Ideo, inquit, *non saturabitur bonis anima ipsius, quia oculus eius ad mala, nec reuertetur oculus eius, vt videat bona:* vt cum pietate & fide consideret quæ ei apposita sunt in magna diuitis mensa. *Nequam est* enim, inquit, *oculus liuidi, auertens faciem & despiciens animam suam.* Proculdubio fratres si faciem non auertimus à consideratione illius qui iacet in præsepi, ipso intuitu possumus fœlicissime pasci, dicemusque: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Tunc plane sciemus, quia venit desideratissima plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum, per quem tanta iam replemur plenitudine

G bonorum, ipsi benedictio & gratiarum actio, & nunc, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem V.

Conuenistis fratres ad audiendum verbum Dei, Deus autem aliquid melius prouidit nobis, vt non solum audire, sed etiam videre datum nobis hodie sit verbum Dei: si modo transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod fecit Dominus & ostendit nobis. Nouerat Deus hominum sensus inuisibilium incapaces, cœlestium indociles, ad fidem quoque difficiles, nisi res ipsa de qua fides suadetur, visibiliter ipsis sensibus conuincendis ingeratur. Nam & si fides ex auditu, multo tamen procliuius ac promptius ex visu, sicut illius exemplo docemur, cui dicitur: *Quia vidisti me credidisti*, qui

Ioan. 14.

scilicet dum audiebas incredulus fuisti. Quia enim difficilius audita quam visa creduntur, ideo merito fides il-

Fides illorū qui non viderunt præstantior.

lorum qui non viderunt à Domino beata prædicatur, quippe qui plus detulerint auctoritati sermonis, quam

H experientiæ proprij sensus, aut rationis. Deus tamen per omnia volens satisfacere tarditati nostræ, verbum suum quod prius fecerat audibile, hodie fecit nobis etiam visibile, imo & tractabile: vt & quidam ex nobis

1. Ioan. 1.

potuerint dicere: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ.* Fuit ab initio illius, qui sine initio est æternitatis, audiuimus promissum ab initio temporis, vidimus & contrectauimus exhibitum in fine temporis. Alias autem inuenies quod non solum visibile & tractabile, sed etiam gustabile & adorabile nobis verbum Dei factum sit: quippe quod per omnes vias sensuum, aditum sibi ad animam quæsierit: quatenus sicut per sensus mors intrauerat, sic per eosdem rediret & vita. Quod ergo verbum caro factum est, nobis qui toti sumus caro, factum est: vt qui antea verbum Dei tantum poteramus audire, iam carnem factum & videre possimus & gustare, omnesque sensus in

A testimonium auditus conuocare: quatenus omnes nostri sensus consensu vno, & voce vna confiteantur. Sicut audiuimus, sic vidimus. Incomparabiliter tamen amplius non concessum est visui, quam vnquam fuerat auditui: cum modo videatur verbum quod Deus est, & antea magnum haberetur audire verbum quodcumque ex Deo. Et verbum quidem quod ex Deo est vidi aliquando fratres cum tædio audiri, sed verbum quod Deus est nunquid, poterit nisi cum gaudio videri? In me primum sententiam fetam, quia verbum quod Deus est, cum se hodie mihi videndum præbeat in eo quod sum, si me non lætificat, impius sum: si non ædificat, reprobus sum. Si quis ergo frater acidiosus inuenitur inter nos, nolo diutius vt fatigentur aures eius sermone nostro contemptibili, transeat vsque Bethleem, & illud in quod desiderant angeli prospicere, prospiciat ibi, verbũ scilicet Dei, quod Dominus ostendit nobis: imaginetur animo, sermo Dei viuus & efficax qualis ibi iaceat in præsepi.

B Si tantum pietas oculum illuminet intuentis, quod tam delectabiliter potest videri, tam salubriter cogitari? Quid æquè mores ædificat, spem roborat, charitatem inflammat? Omnino *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, omnipotens sermo tuus Domine*, qui tam alto silentio à regalibus patris sedibus, animalium illapsus præsepibus, melius interim suo nobis silentio sermocinatur. Qui *habet aures audiendi, audiat*, quid nobis hoc pium & mysticum æterni verbi loquatur silentium: quoniam (nisi me fallit auditus) inter alia quæ loquitur, loquitur pacem in plebem sanctorum, quibus reuerentia ipsius & exemplum religiosum imposuit silentium. Et rectissimè quidem imposuit. Quid enim tanto pondere, tantaque auctoritate disciplinam commendat silentij, quid tanto terrore compescit inquietum malum linguarum procellasque verborum, sicut sermo Dei silens in medio hominum? Non est sermo in lingua mea, confiteri videtur omnipotens sermo, dum matri subditus est: & nos qua dementia dicemus, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt quis noster Dominus est?

Grauiter commendat silentij disciplinam, sermo Dei in medio hominũ silens.

C Liberet mihi si liceret obmutescere, & humiliari, & silere etiam à bonis, vt attentius & diligentius aurem possem adhibere vocibus arcanis sacrisque sensibus huius diuini silentij, & vel tanto tempore sub silentio discere in schola verbi, quanto verbum ipsum sub disciplina siluit matris. O fratres si pie ac diligenter intendamus huic verbo quod Dominus fecit hodie, & ostendit nobis: quanta quamque facile possemus ab ipso perdoceri? Verbum siquidem breuiatum est, ita tamen vt in eo consummatum sit omne verbum quod ad salutem est, quia nimirum verbum consummans & abbreuians in æquitate ipsum est. Et hæc consummatio abbreuiata inundauit iustitiam, sicut promissum meministis per Esaiam, quia de sua plenitudine in participes suos redundauit iustitiam, vt abundet iustitia ipsorum plusquã Scribarum & Pharisæorum: licet illi per tam multiplices se exercitent iustificationes legis, isti autem breui ac simplici contenti sunt verbo fidei.

Esa. 10.

D Sed quid mirum si omnia verba sua nobis verbum Dei breuiauit, quando & seipsum breuiari & quodammodo minui voluit, adeo vt de incomprehensibili immensitate sui ad angustias vteri quodammodo se contraxerit, & continens mundum, in præsepi se passum sit contineri? In cœlo verbum istud horribili altitudine sua virtutes angelicas stupefacit: in præsepi simplices & hebetes pascit. Ibi subtilissimis angelorum intellectibus inscrutabile: hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim Deus non poterat loqui nobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, verbum eius factum est caro, vt non solum audire, sed & videre posset omnis caro, quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua non cognouit mundus sapientiam Dei, dignatione ineffabili eadem sapientia Dei se stultitiam fecit: vt quamlibet idiotis, vel hebetibus se discibilem præberet, & per stultitiam prædicationis saluos faceret credentes. *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia sapientiam tuam abscondisti à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti eam paruulis. Ita pater, sic fuit placitum ante te*, vt paruulis daretur paruulus, qui natus est nobis: quandoquidem altitudo superborum, nimis abhorret ab huius humilitate paruuli, & quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum: qui cum veraciter altus sit, paruulus factus est pro nobis.

Sapientia Dei se stultitiã fecit.

Matth. 15.

E Cum solis nimirum paruulis concordat iste paruulus: In solis requiescit humilibus & quietis. Sicut igitur paruuli gloriantes de eo cantant, *Paruulus natus est nobis*: sic & ipse gloriatur de eis: *Ecce ego* inquiens, *& pueri mei, quos mihi donauit Dominus.* Esa. 8. Vt enim paruulo filio suo pater sodales daret de coætaneis suis, statim primo omnium ab innocentia paruulorum cœpit gloria Martyrij: hoc significante Spiritu sancto, quia nonnisi talium esset regnum cœlorum. Si tales effici volumus fratres, iterum atque iterum transeamus vsque Bethleem, & diligentius intueamur hoc verbum quod factum est caro, Deum immensum qui paruulus factus est: vt in hoc visibili & breuiato verbo discamus sapientiam Dei, quæ tota humilitas facta est.

F In hanc quippe virtutem, illa omnimoda virtus se interim totam contulit: nihil aliud illa summa sapientia interim scire voluit, nisi illam scilicet humilitatem, cuius se postmodum magistrum voluit profiteri. Et iste quidem (quod nimirum in suggillationem mei ipsius loquor) iste, inquam, digne & iuste magister docendæ humilitatis effectus est: qui licet eam sibi non ignoraret & originalem à matre, & naturalem à patre, nihilominus tamen ab ipso matris vtero didicit eam ex his quæ passus est. In diuersorio viatorum natus est: vt hospites & peregrinos super terram ipsius exemplo edocti, nos esse confiteremur. Ibi quoque nouissimum eligens locum, in præsepio positus est: vt & nos illud Dauidicum, (*Elegi abiectus esse in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*) opere disceremus. Psal. 83. Pannis inuolutus est: vt habentes quibus tantum tegamur, his contenti simus.

G Per omnia paupertate materna contentus, matrique per omnia subditus, vt totius religionis forma, iam in eius natiuitate nata videretur. Beata sane simplicium fides pastorum, quæ cum inuenisset infantem pannis inuolutum, nequaquam in illis scandalizata est ad incredulitatem: vt minora de eo sentiret, sed ædificata potius ad pietatem, vt tantæ dignationi gratior fieret. Quanto namque se pro ipsis profundius humiliatam ac funditus exinanitam illam exhibuit maiestas: tanto facilius & plenius, si digne de eis sentire volumus, totos eorum affectus sibi illius rapuit & vindicauit charitas. Fratres & vos inuenietis hodie infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio altaris, videte ne vilitas tegminis offendat aut perturbet obtutum vestræ fidei, veritatem reuerendi corporis sub aliis rerum formis intuentis. Sicut enim mater Maria, quibusdam assumptis pannorum inuoluit infantem, sic mater gratia dispensatoriis speciebus rerum eiusdem sacri corporis nobis obtegit veritatem: sic etiam mater sapientia ænigmatibus & figuris arcanam diuini verbi contegit majestatem, quatenus & ibi simplicitas fidei, & hic exercitium studij, meritum sibi cumulet ad salutem.

Veritas corporis Christi sub specie panis.

Verbi diuini maiestas est ænigmatibus & figuris velata.

H Nam & ego fratres cum vobis veritatem quæ Christus est, verbis meis enuntio, quid aliud quam Christum pannis satis vilibus inuoluo? Beatus tamen cui nec in pannis istis Christus est vilior, sicut nec merces pretiosæ prudenti vilescunt propter veteres quibus amiciuntur sacculos Christus plane est, quem vobis tradere cupio, qualibuscumque sermonibus nostris: vt iuxta sermonem Petri Apostoli, sanctificetis eum in cordibus vestris. Suscipite in mansuetudine insitum verbum, quod potest saluare animas vestras: & verbum Christi, abundanter habitet in vobis, amor scilicet & memoria verbi incarnati, quatenus tam fœliciter decantetis, verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Tota igitur pietate cogitemus Christum in pannis quibus mater eum operuit, vt æterna fœlicitate videamus gloriam & decorem quem ei pater induit, gloriam quasi vnigeniti à Patre, cum quo & Spiritu sancto honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

A

Sermo in Epiphania Domini.

Ps. 28. Prou. 30. **A**fferte Domino Fily Dei, afferte. Satius illi afferte quam sanguisugæ, id est concupiscentiæ, cuius duæ filiæ voluptas & vanitas non dant ei requiem die ac nocte, dicentes: *Affer, affer.* Quid igitur afferemus Domino? afferte Domino gloriam auri, & honorem thuris: afferte Domino gloriam nomini eius myrrham sepulturæ eius. Sed dicit mihi discipulus Christi, filius Petri. *Argentum & aurum non est mihi*, nec sacculi peregrinarum mercium myrrhæ & thuris. Ergône vacuus apparebis in conspectu Domini, & cunabula noui regis nullis honorabis xeniis? O diues paupertas, ô locuples nuditas, si tamen Christiana & voluntaria. Quibus enim diuitiis non abundans, non solum auri, sed etiam auri primi, auri igniti, non solum myrrhæ & thuris, sed etiam vniuersi pulueris pigmentarij? Imo qui sunt alij qui possint abundare diuitiis huiusmodi nisi pauperes Christi? *In viis*, inquit, *iustitia ambulo vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Nec deest ei vnde id possit. *Mecum sunt*, inquit, *diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia.* Bonæ opes prorsus diuitiæ, salutis in quibus ita superbitur, vt iustitia non deseratur. Fratres superbia ista est gloria exultantium in Domino, & insultantium mundo, quod nihil habeat tam pretiosum, vt paupertati valeat comparari Sanctorum. O qui pusillo animo estis, cur non superbitis mecum in opibus istis? Superbiam istam non damnat, sed remunerat magister humilitatis, si videlicet ita magnanimus sis in contemptu mundi, vt omnem gloriam eius quasi de sublimi despicias & nihili pendas præ amore & gloria tuæ nuditatis. Omnino diues es si in paupertate gloriaris, de te quoque gratias aget congratulatio Apostoli. *Gratias*, inquit, *ago Deo meo quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & scientia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.* Longe aliter illum alloquitur Dominus, qui sibi applaudebat de affluentia mundi huius. *Tu*, inquit, *dicis quia diues sum, & nullius egeo, cum tu miser sis & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* Sane inter diuitias huiusmodi pro quibus Paulus congratulabatur discipulis, non dubitauerim aurum, thus, & myrrham posse reperiri, quæ digne & grate Christo nato queant offerri. At ego, inquiens non sum mihi conscius tale quid accepisse, nec aliquid tam pretiosum vt est aurum, thus, & myrrha, penes me posse inueniri. Ego enim vir videns paupertatem meam, vix mendicabo stipem quotidianam, pauperem exigens vitam. Putas, inquis, te nihil tale accepisse? vide magis ne acceptam à Patre substantiam dissipaueris viuendo luxuriosè. Sed omitto istud, *non enim improperandum est*, vt Sapiens ait, *homini auertenti se a peccato.* Vellem magis vt non pigeret te tentare & quærere, si forte vel minimum aliquid paternæ substantiæ resedisset apud te, vnde initium recuperandi posses capere. Vellem foderes intra te, solent namque pretiosi latere thesauri in abditis terræ. In agro absconditus erat thesaurus ille, qui desiderio sui compulit hominem omnia sua vendere. In agro se dicebant thesauros absconditos habere decem viri Israëlitæ, & per hoc gladium euaserunt homicidæ. O quanti thesauri bonorum operum, quantæ diuitiæ piorum fructuum absconditi latent in agro humani corporis, & quanto plures in abdito cordis, si modo sit qui exerceat & fodiat. Neque illud Platonicum dico, quod anima ante corpus artes didicerit, quæ obliuione & mole corporis obrutæ, disciplina & industria refodiendæ sint: sed quod ratio hominis & ingenium, iuuante gratia, omnium sit virtutum seminarium. Si ergo ad cor redeas, & corpus exerceas, non diffidas te inuenturum thesauros desiderabiles, & si non auri statim in initio, aut thuris certe vel myrrhæ non inutilis. Inutilem aut vilem tu ne dixeris, quam Christus acceptat in munere, qua sui corporis sepulturam non solum præsignari cum ei offerretur, sed etiam consummari voluit, cum ex ea perungeretur. Si ergo manifestius vis audire, myrrha in corde tuo dolor est: myrrha in corpore tuo labor est, si tamen iste vel ille pœnitentialis est. Myrrha siquidem vtrumque esse non solum probat ethymologia nominis aut qualitas saporis: sed etiam medicinalis operatio virtutis. Myrrha namque amarissimum gustum sui etiam nomine prodit, effectu autem præter alias sui vtilitates corruptioni resistit. Et quid gustu amarius, quid effectu salubrius, quam dolor quo peccator ad pœnitentiam contristatur? Recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, dicens Deo noli me condemnare: sed omnis hæc amaritudo nihil aliud quam myrrha est vindicans à corruptione tam luxuriarum in quibus computruit, quam vermium immortalium quos metuit. Quid vero labor corporis? Non tam myrrha est vtique quam fasciculus myrrhæ, si credere volumus his qui de sæculo nuper venêre quibus regula ieiuniorum & vigiliarum, quotidianum opus manuum, asperitas vestium & omnia pene amara quia insolita, velut in vnum colligata fasciculum imposita sunt ad ferendum. Et quidem amarissime portarent hunc myrrhæ fasciculum, nisi quia & si nondum gaudent communicare passionibus dilecti, vt dicant fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: dulce tamen nimium habent amaritudinem cordis, amaritudine mitigare exteriori, tanquam choleram stomachi potu absynthij. Sicut enim stomachus immoderato vsu dulcium corruptus, potione purgatur amara, sic eorum qui suauiter vixerunt in amaricata conscientia, nunquam melius quàm contrario? id est vita & consuetudine curantur austera. Maxime autem si sæpius detur eis libere vinum myrrhatum Dominicæ Passionis, id est potentur vino compunctionis, quod quanto amarius est ex recordatione peccati, tanto salubrius est peccatori. Ideo Iesvs noluit bibere, quia peccatum non fecerat quod ei crucifixor imputabat, qui de amaritudine vitis alienæ ei propinabat, qui de genimine vitis veræ, vinum nouum cum amicis in regno patris habebat bibere. Cæterum quanquam perfectis, qualis Timotheus erat, exercitatio corporalis ad modicum vtilis sit comparatione pietatis, quantum tamen rudibus & imperfectis, quales nos sumus, vtilis sit, vos ipsi fratres vobis testes estis, quomodo scilicet redimit de corruptione vitam nostram amaritudo parsimoniæ & laboris. Ipsi etenim scitis quomodo vermescerent corda, quomodo vermescerent corpora, si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha. Annon vermis luxuria? Nescio si alter nocentior. Ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. Annô vermis accidia & tristitia? *Sicut tinea*, inquit, *vestimento & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Quid omnia desideria mala? Annon vermes & ipsa? At in desideriis est omnis otiosus, & desideria occidunt pigrum. Beatus igitur cui ad mortificandos vermes huiuscemodi, manus propriæ distillant myrrham per vniuersum sui, iamque præuenit vngere corpus suum in sepulturam. Sed suum dicam an Iesv? Imo & Iesv. Corpus enim illius, membrum est Iesv. Quisquis ille est qui sic vnctus est, non est quod timeat vermem, qui non moritur, quia iam mortuus est ei vermis, vnde ille moritur. Myrrham itaque & myrrham electam atque probatissimam Domino cum Regibus Rex & ipse obtulisti, si interim dum non sufficit manus tua ad offerendum aurum sapientiæ, aut thus deuotionis, saltem cor contritum corpusque afflictum, cum amaritudine pœnitentiæ Domino sanctificasti. Existimo enim, sine præiudicio tamen melioris intellectus, myrrham esse primam oblationem incipientium, deinde thus proficientium, demumque aurum perfectorum: atque idcirco cum simul ab Euangelista nominata sunt, pretiosiora quæque & digniora pro merito sui prælata esse in ordine nominum. Alias namque secundum ordinem profectuum myrrham turri præpositam iuuenis, vt est illud, *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris.* Et vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Non paruus siquidem profectus est cum de myrrha ad thus proficitur, cum de ista

Marginalia (left column): B; Prou. 8.; Ibidem.; *Superbia laudata.*; *Diues paupertas quid quæ sunt pro Christo tolerat.*; 1. Cor. 1.; C; Apoc. 3.; Eccl. 8.; D; *Operum bonorum ingentes thesauri latent in humano corpore.*

Marginalia (right column): E; *Myrrha quid mystice significet. Dolore quo peccator ad pœnitentiam contristatur nihil salubrius.*; F; *Labor* G *corporis quam sit vtilis, & necessarius. Luxuria animarum vermis perniciosus.*; Prou. 25.; H; Cant. 3.

A quæ ad vsus est infirmitatis humanæ, ad illud quod diuinis & festiuis deputatum est sacrificiis peruenitur, vt qui sacrificium spiritus contribulati corporisque humiliati offerebat non sine myrrha amaritudinis, iam sacrificium laudis offerat cum thure deuotionis, & iuxta promissionem Domini, tanta consolatio immittatur lugentibus Sion, vt det eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Tunc Esa. 61. Ps. 29. cantat qui lugebat: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum spiritu mœroris, & circumdedisti me lætitia, pallio laudis, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar. Gaudens enim gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me.* O fratres quibus minus sufficiunt vestimenta vestræ paupertatis, in hac asperitate hyemis, qui dicitis ante faciem frigoris huius quis sustinebit: cur non induimini quæso hoc vestimento lætitiæ & salutis hoc pallio laudis? B Si Dominum laudatis, in Domino laudabitur anima vestra, & pallio laudis quo opertus est laudabilis nimis, vos quoque operiet, & confouebit quemadmodum gallina pullos suos sub alis, si modo velitis. Ah quoties voluit & noluistis? Nunquid enim hoc pallium breue est, vt vtrunque operire non possit? *Non* 2. Cor. 6. *angustiamini*, inquit, *in vobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Dilatamini & vos, & pallium dilatabit se vsque ad vos. *Non est abbreuiata manus eius, vt saluare nequeat*, nec grande est ei, vt consoletur nos, nisi prauitas nostra prohibeat. O qui algetis, pallium hoc calidum est, quia calor est, qui non modo interius, sed exterius calefacere potest. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum terra tua perflata fuerit austro, imo ignis missus in ossibus, ac vehementer accensus? Hoc igne thus illud adole, quod cum regibus obtuleris, vt dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu Domini, & cum de sacrificio tuo odoratus fuerit odorem suauitatis, dicat tibi. Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor* C *thuris.* Iam vero de auro sapientiæ quæ oblatio, vt diximus, perfectorum est, loquatur vobis qui illud assecutus est, quia nec nouit illud nisi qui accipit. Qui ergo sapientiam didicit: sapientiam loquatur inter perfectos, & de auro quod possidet, murenulas aureas auribus Prou. 3. vestris fabricet. *Ego enim non arbitror me comprehendisse, sequor autem si quomodo comprehendam.* Magnus prorsus ac beatus qui inuenit sapientiam, & affluit prudentia: sapientiam in contemplatione æternorum, prudentiam in administratione temporalium: vel vt moderatius sapientem definiam, *qui nouit seipsum regere & alium.* Pretiosius est hoc aurum cunctis opibus etiam thure & myrrha, & omnia quæ desiderantur in virtutibus, vel gratiis, huic non valent comparari. Sapiens quis sit. Denique sapiens tanquam vir virtutum diues in omnibus, & si præualet aurum offerre in sublimi contemplatione vel prudenti administratione, non tamen negligit offerre thus in deuotione diuini operis, myrrham in mortificatione sui. Nos igitur fratres quod D habemus offeramus in gloriam noui Regis, quod minus habemus, ab ipso petamus cui offerre cupimus, qui indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter. Munera mea, data mea, ait pater luminum, à quo omne donum perfectum, & omne datum optimum, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

S*Vrge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum.* Hodiernum diem luminum illuminauit nobis & consecrauit lumen de lumine, quod hodie cum lateret incognitum, ad illuminationem omnium gentium sese dignatum est mundo reuelare. Hodie namque se reuelauit Chaldæis noui syderis indicio, cum in eorum primitiis omnium fidem gentium dedicauit. Hodie se reuelauit Iudæis, non solum Ioannis, sed & Patris & Spiritus sancti testimonio, vbi in Iordane baptizatus, baptisma omnium consecrauit. E Hodie manifestauit gloriam suam coram discipulis suis, quando mutatione aquæ in vinum, illud ineffabile præostendit mysterium, in quo verba ipsius, substantiæ mutantur rerum. His omnibus Dei apparitionibus præuidens spiritus illumi- Nota. nandam Ecclesiæ fidem, alloquitur eam sub typo & nomine Hierusalem dicens, Surge Illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum. Venerat quidem lumen, in mundo erat, & mundus per ipsum factus erat: sed mundus ipsum non cognoscebat. Erat natus, sed non erat notus, donec declarare eum cœpit luminosa dies ista. Ait ergo Propheta, *O Hierusalem noua, ciuitas magna noui Regis mons Sion, latera Aquilonis*, id est, de vtroque ædificata pariete circumcisionis & præputij, *surge, illuminare, quia venit lumen tuum. Surgite, qui sedetis in tenebris, intendite lumini quod exortum est in tenebris, sed non comprehenditur à tenebris. Accedite ad eum & illuminamini, & in lumine eius videbitis lumen, diceturque vobis, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domi-* F *no.* Intendite lumini æterno, quod se vestris aspectibus temperauit: vt qui lucem habitat inaccessibilem, infirmis quoque & lippientibus oculis possit accedi. Aduertite lumen in lucerna testæ, solem in nube, Deum in homine, in luteo vasculo carnis nostræ splendorem gloriæ, candoremque lucis æternæ. Latet quidem maiestas in humanitate, virtus in humilitate: sed signa virtutum erumpentia, vnde hæc prodeant, non sinunt ambigere. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, testimonium* Ioan. 5. *perhibent de me.* Magnum quidem testimonium Ioannis, qui venit vt testimonium perhiberet, lucerna de lumine. At enim multo maius illud testimonium cœleste, quod pater & Spiritus S. filio perhibuere: pater in voce, Spiritus in columbæ specie, cum *in ore duorum testium stet omne verbum.* Sed & hoc ipsum si minus accipitur, *opera*, inquit, innumerabilia & irrefragabilia *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Plane incorruptus & irreuincibilis testis cum creatura insensibilis G sensum quendam accipit in confessionem creatoris, voluntatem eius exaudiens, ac nutui incunctanter obediens. Quid enim diuinitus poterat exhiberi sensibus mortalium, quam hodiernæ nouitatis signum, quod etiam ante signorum suorum præmisit IESVS initium? Vagit puer nouus in terris, & sydus nouum creat in supernis: vt lumen testetur de lumine, stella de sole, & reges in splendore ortus sui, ad exortum quoque æternum splendorem ab oriente ad verum orientem, id est, virum cui nomen Oriens, stella perducat: non quasi stella, sed quasi rationale animal in via præcedens, in fine viæ consistens, ac velut digito ipsum qui quærebatur ostendens. Sed esto, calumnietur infidelis, hanc stellam non esse opus Christi, dummodo confiteatur opus esse patris in testimonium filij. Attamen obruet eum multitudo infinita, ac magnitudo mirabilium plane diuinorum, quæ absque contradictione Iesus noster operatus est in carne, sed non ex carne. Sed operiant tenebræ terram, & caligo populos, qui cum lux venit in H mundum, dilexerunt magis tenebras quam lucem: dummodo illumineris Hierusalem ciuitas cœlestis, quæ in omni terra & populo Deo paritura es filios lucis, quos de potestate tenebrarum transferet in regnum claritatis suæ lumen verum. *Gratias tibi pater luminum, qui de tenebris nos vocasti in admirabile lumen tuum. Gratias tibi qui dixisti de tenebris lumen splendescere, & illuxisti in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ in faciem* CHRISTI IESV. *Hæc siquidem est lux vera imo vita æterna, vt cognoscamus te vnum Deum, & quem misisti* IESVM CHRISTVM. Cognoscimus te, quia cognoscimus IESVM: quoniam pater & filius vnum. Cognoscimus quidem per fidem, ipsam tenentes arrham fidelem: quia cognoscemus & per speciem. Interim tamen auge nobis fidem, deducens nos ex fide in fidem, à claritate in claritatem, tanquam à tuo spiritu: vt de die in diem thesauros luminis profundius ingrediamur, quo fides amplior, scientia plenior, charitas feruentior fiat & diffusior, donec per fidem perducamur ad faciem, tanquam per

stellam

A

stellam prædux cem ad nostrum Bethleemiticum ducem, qui egressus de Bethleem regit Israëlem, & regnat in Hierusalem, non ista quæ occidit Prophetas, ipsumque Dominum Prophetarum, sed illa in qua coronat occisos idem Dominus, causa, virtus, & gloria Martyrum.

Magorum fides incomparabilis.

O quanto gaudio ibi tripudiat fides Magorum, cernentium in illa Hierusalem regnantem, quem in Bethleem adorauerunt vagientem. Hic visus est in diuersorio pauperum, ibi in palatio videtur angelorum. Hic in pannis paruulorum, ibi in splendoribus Sanctorum. Hic in gremio matris, ibi in solio patris. Plane digna beatorum fides Magorum, vt tam fœlici visione remuneretur, quæ cum in eo nihil nisi infirmum & contemptibile videret: non tamen scandalizari potuit, quo minus Deum in homine, & hominem in Deo veneraretur. Proculdubio stella ex Iacob illuxerat in cordibus eorum, stella inquam matutina, lucifer qui nescit occasum qui etiam foris stellam matutini ortus sui indicem accenderat cordibus eorum.

B

Prou. 4.

De his omnino conuenienter intelligi potest, quod apud Salomonem scriptum est; *Iustorum semita, quasi lux splendescens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Primo namque semitam iustitiæ ingressi sunt ad lucem splendentis syderis, cuius ductu profecerunt ad videndum nouum ortum matutinæ lucis, sicque demum peruenerunt ad contemplandam faciem meridiani solis, in die virtutis suæ rutilantis.

Fides quibus modis in nobis crescat.

Pulchre igitur signanterque in his gentium primitiis, in his nascentis Ecclesiæ primordiis, præostensus est fidei profectus in singulis, vnde scilicet incipiat, quomodo proficiat, & quo denum perueniat: vt facile ipsorum qui patres sunt, in filiis agnoscantur vestigia. Sicut illi cœperunt à visione syderis, profecerunt ad visionem pueri, peruenerunt ad visionem Dei: sic in nobis fides nascitur supernorum prædicatione luminarium, soboratur visione quarundam imaginum per speculum & in ænigmate Deum velut incarnatum nobis exhibentium: consummabitur, cum præsens & nuda videbitur veritas rerum

C

facie ad faciem, contemplantibus quod vix tenuiter & raptim in ænigmate nunc attingitur cum & ipsa fides transibit in cognitionem, spes in possessionem, desiderium in fruitionem.

Sancti viri stellæ dicuntur.

Lucent namque & nobis stellæ, non vna sed multæ, nisi quia multæ vna, quarum scilicet cor vnum est, & anima vna, fides eadem, prædicatio consona, similisque vita. Quæ sint hæ stellæ, si dubitas, Danielem interroga. *Qui ad iustitiam*, inquit, *erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Paulus etiam luminaria vocat eos, qui lucent in medio nationis prauæ & peruersæ, continentque verbum vitæ tanquam splendorem mutuatum ab æterna luce: quo & noctem huius mundi visi sunt illuminare: Ideo Dominus fons & origo lucis, cum ordinaret lunam & stellas in potestatem noctis dicebat illis: *Vos estis lux mundi.* Et iterum: *Sic*

Matt. 5.

luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Lucent itaque verbo, lucent exemplo, & vtroque lucis radio ortum, æternæ lucis annuntiant: dum cœlestem

D

quem voce prædicant, etiam cœlestis vitæ similitudine commendant. Suspicite fratres in cœlum, in cœlo siquidem conuersatio eorum, suspicite & intendite mentis oculos, si necdum potestis in totam solis, saltem in fulgorem syderum: admiramini splendorem sanctorum, imitamini fidem, æmulamini sanctitatem. Stellæ istæ sicut flamma coruscant, & lumen luminum ortum demonstrant, ducunt ad cunabula noui regis, ad cubiculum virginis matris, quod est inuiolabile fidei mysterium, imo perducent in templum Regis, in sanctuarium Dei patris: quod est incogitabile fidei præmium. Interim autem dum idonei non sumus sapientiam Dei, quæ in mysterio abscondita est, scrutari, vel maiestatem quæ in præmium reposita est contemplari: contenti simus sanctorum claritatem mirari, sanctitatem imitari.

Eccl. 1.

Fili, inquit, *concupisti sapientiam, serua mandata, & Dominus præbebit tibi illam. Altiora autem te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit Dominus tibi, ipsa conserua semper.* Præceptum namque Domini lucidum, illuminans oculos: quibus postmodum ipsum

E

corpus luminis valeas intueri, cum in luce radiorum, id est, in opere mandatorum versari consueueris. *Dulce quidem lumen*, vt ait Salomon, *& delectabile oculis, videre solem.*

Eccl. 11.

Dulce prorsus & delectabile, sed illis quibus tolerabile. Sanos oculos fouet, infirmos torquet. Et quis est tam sano & acuto visu, vt in aspectu illius inuisibilis solis non cæcutiat? Quis ille scrutator maiestatis, qui non opprimatur à gloria? Mirabilis facta est ô Domine claritas tua, tum ex se tum etiam ex me: quia confortata est aduersum me dum acies mea infirmata est in me, & iam non potero ad eam, sicut poteram in Adam. Potero forsitan ad claritatem syderum, qui non possum ad solem ipsum, & per hanc quandoque confortabor ad illum. Eia surge illuminare anima mea, quæ sedebas in tenebris, suspice luminaria cœli, leua oculos tuos in montes, vnde veniat auxilium tibi, si veteris ad illum qui habitat in cœlis, id est, in montibus ipsis. A montibus, inquam veniet, auxilium tibi, quia lux

F

tibi inaccessibilis illuminat mirabiliter à montibus æternis.

Illuminationis principium est, si in eos oculos desigamus, qui illuminati sunt.

Susceperunt montes lucem populo, à quibus ad valles camposque descendat subiectos. Hoc itaque dico fratres optimum est nostræque infirmitati congruum illuminationis initium: si intendamus in eos qui illuminati sunt. Rectissima via est inueniendi IESVM, si præcedentium patrum sequamur lumen præuium. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.

Esa. 26.

Qui iustum sequitur, non ambulat in tenebris: non modo videbit, sed habebit lumen vitæ. Videbit ad consolationem præsentis vitæ, habebit in possessionem hæreditatis æternæ. Pietas nempe promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ. Exerceamur ad pietatem, & neutro nos fraudabit, qui se vltro nobis fecit debitorem. Exerceamur in operibus lucis, & qui abscondit lucem in manibus suis, annuntians de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere, & nunc aliquando in solatium operis eam nobis demonstrabit,

G

& postmodum in præmium dabit, ipse lux nostra IESVS CHRISTVS, qui viuit & regnat, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

SVrge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum. Esa. 60.

Benedictum lumen quod venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis: de cuius munere etiam dies iste, dies sanctificatus de illuminatione Ecclesiæ illuxit nobis. Gratias tibi lux vera, quæ illuminas hominem venientem in hunc mundum, quæ ad hoc ipsum venisti homo in hunc mundum. Illuminata est Hierusalem mater nostra, mater omnium qui illuminari meruerunt, adeo vt iam luceas omnibus qui in mundo sunt. Gratias tibi lux vera, quæ lucerna es facta, vt Hierusalem illuminares, & lucerna pedibus meis, verbum Dei fieret: Gratias, inquam tibi quoniam ipsa Hierusalem illuminata facta est lucerna, vt luceat omnibus qui sunt

H

Ecclesiæ gloria.

in domo magni patrisfamilias. Non solum enim illuminata est, sed exaltata super candelabrum illud totum aureum, sita est ciuitas super montem montium, illa quondam derelicta & odio habita, posita est in superbiam sæculorum, vt tam longe lateque fulgeat eius Euangelium, quam longe lateque mundi vigebat imperiũ. Et si opertum est Euangeliũ eius, in his qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis Ecclesiæ gloriæ Christi. Quibus tamen non fulget, vt videant, fulget vt inuideant: & Ecclesiæ torquentur gloria, qui ipsius illuminari nolunt gratia. Verum Ecclesia nec propter gloriam qua floret superbiens, nec gratiam qua pollet inuidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat dicens: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.*

Psal. 17.

Mei forsitan sunt quia prædestinati, sed adhuc tenebræ sunt quia nondum vocati aut iustificati. Voca & ipsos in admirabile

A

lumen tuum, & prædicabunt mecum admirabile nomen tuum. Quanquam iustus quisque ac sanctus in Ecclesia, ita se illuminatum gaudeat, vt adhuc se non minima ex parte tenebrosum videat & doleat, & ideo necessarie, cum illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quanto namque amplius lucerna eius illuminata fuerit, tanto verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaueris, quod in Euangelio veritas ait: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Non enim quia ex oculo sinceræ intentionis, totum opus nostrum lucidum fit, ideo consequens est, vt statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is nempe modus est adhuc illuminationis nostræ, vt in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, & scire quid desit sibi. Inde est quod & apud sapientes huius mundi qui magis sobrie disputarunt de scientia, primus numeratur scientiæ gradus, scire quid nescias. Fratres, omnes vos filij lucis estis, & filij Dei: Non sumus noctis, neque tenebrarum. Nox enim præcessit, dies autem appropinquauit. Et si fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Veruntamen si quoniam non sumus tenebræ, nec filij tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarum, nos ipsos seducimus, & tenebras mortis quæ illuminari non merentur, nobis inducimus. Quid enim ait lux mundi, quæ in iudicium venit in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? *Quia*, inquit, *dicitis videmus, peccatum vestrum manet.* Video quantulumcunque, quoniam tu illuminas lucernam meam ô Domine, sed quia parum est quod video, Deus meus illumina tenebras meas. Videmus vt multum per speculum & in ænigmate, sed multum longe est hoc ipsum à claritate vera, claraque veritate, quæ videbitur in facie. Ideo forsitan cæcus, quem apud Marcum Dominus illuminare cœperat, homines quasi arbores ambulantes videbat: quia videlicet nonnisi per speculum & in ænigmate videbat, sed secundo imponens manum restituit eum, ita vt videret clare omnia: quod in nobis fiet, cum nos reficiet: & sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quam cœpit prima, restituens nos in claritate perfecta. Sed hoc ipsum per speculum & in ænigmate, cui, aut quando, vel quandiu potest contingere? Quam misericorditer mecum ageretur, quam fœliciter mihi viderer illuminatus: si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere, *circundederunt me mala quorum non est numerus, & non potui vt viderem.* Nam *delicta quis intelligit*, quando etiam specie virtutis vitium decipiens interficit, quasi vere angelus tenebrarum transfigurans se in angelum lucis? Magnus vtique multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit & voluit: nam neque & dolosus potuit & noluit intelligere, vt bene ageret. Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabatur, *Ecce veniet Dominus illuminabit oculos seruorum suorum.* Ecce venisti ô lumen meum, illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, nec peccatum ad mortem oculos delectatione claudat, & ad consensum illiciat, aut velut Hisboseth dormientem inueniens transfodiat. Venisti ô lumen fidelium, & ecce hodie de illuminatione fidei, id est lucernæ nostræ, dedisti nobis gaudere: da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quæ residuæ sunt, semper gaudere. Dedisti lumen fidei, da & lumen iustitiæ, da lumen scientiæ, da etiam & sapientiæ. His profecto gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi puto ô anima fidelis, quo mundi huius tenebris exuta, peruenias ad patriam claritatis æternæ: vbi tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & nox sicut dies illuminabitur, tunc prorsus, tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando replebitur maiestate incircumscripti luminis omnis terra, & gloria eius in te videbitur. Domus Iacob venite ambulemus in lumine Domini, vt filij lucis ambulemus de claritate in claritatem tanquam præducente Domini spiritu: vt per singulos gradus virtutum regnum claritatis vlterius inuadamus. Qui igitur iam per fidem sumus in lumine, ex ea & per eam in amplius & serenius lumen progrediamur: primo iustitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per iustitiam, post intelligendum per scientiam, ac postremo contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte huius sæculi. Inde scriptum est in laude mulieris fortis, quæ de nocte surrexit, & de nocte ac die operans manibus suis, panem otiosa non comedit. *Non extinguetur*, inquit, *in nocte lucerna eius*, id est non deficiet in tentatione fides eius. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed extinguitur cum fiunt. *Qui enim male agit odit lucem*, ideoque extinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei, non est timor Dei ante oculos eius, & de tenebris quas sibi fecit arbitrorumque absentia blanditur sibi dicens: Quis me videt? Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me; & nemo circumspicit me. Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur altissimus, & non intelligit quoniam omnia videt oculus illius. Bona vero opera & si aliquando propter vanitatem declinandam in abscondito fiunt, ad lucernam tamen internam & æternam, id est, sub iudicio fidei & testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt: lucernæ vtique ardentes in manibus operationum & exspectantium aduentum sponsi, qui educet quasi lumen iustitiam tuam, ad conspectum hominum & angelorum: & sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta: vt Deum in te, & te in Deo clarificent omnium iudicia. Quanta vero claritate iustitia resplendeat etiam in præsenti, quanta luce lætificet conscientiam iusti, familiarius & suauius conscientiæ vestræ testimonium vos docebit. Sæpe autem & fides radiat, & iustitia coruscat, & adhuc tamen intellectus caligat, vt mysterium fidei quod velut inuolutum tenens veneratur, explicare nesciat; signatus sit ei liber scripturæ quasi literas nesciat: sed nec ad discretionem boni & mali, veri & falsi, exercitatos sensus habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans iustitia, scientia vere nulla. Quod tamen meritum & experientia iustitiæ lumen accendat scientiæ, docet sermo Prophetæ, qui cum præmisisset: seminate vobis ad iustitiam, vt ostenderet quas interim primitias colligamus de hoc semine, subiunxit. Illuminare vobis lumen scientiæ. Sic & Apostolus ait, *fructificantes in opere bono, & crescentes in scientia Dei.* Tu quoque Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, quomodo super senes intellexisti? *Quia mandata*, inquit, *quæsiui.* A mandatis prorsus intellexi: quia intellectus bonus omnibus facientibus timorem Domini. Nam & vnctio docens de omnibus sciens nimirum quo ordine quidque apud eam discendum sit, prius docet bonitatem & disciplinam, & postmodum scientiam, si tamen qui docendus est primo omnium crediderit, id est elementa exordij sermonum iustitiæ didicerit. Ideo ille discipulus vnctionis tam prudenter precem ordinabat, atque allegabat: *Bonitatem*, inquit, *& disciplinam & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Ac si diceret: Didici prima elementa, id est, fidem non fictam, iam quod sequitur doce iustitiam, id est, bonitatem & disciplinam, vt sic demum prouehar ad sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, iam iustifica per bonitatem amoris, & disciplinam casti timoris, vt post magnifices munere scientiæ spiritalis. Quos autem vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & magnificauit. Sciendum sane quod cum sit hæc scientia sanctorum, non tamen omnes sancti docentur eam, sed illi dumtaxat in quibus nec industria gratiam, nec gratia destituit industriam: sed vtrumque mutuo sibi suffragio cooperatur, vt & docibilis sit homo discipulus, & spiritus adsit doctor sedulus. Cum autem varia charismata contineat hæc scientia, spiritus tamen moderator non in vnum facile confert omnia, sed diuidit in singulis prout vult, alij notitiam

Margin notes:

Math. 5.

Scire quid desit sibi, magna pars est profectus. Primus scientiæ gradus, scire quid nescias.

B

Ioan 9

Marc 8

C

Cæcitas cordis humani.

D

E

Lucerna fidei primum in nobis accensa.

F

G

Col. 1.

Ps. 118.

H

Ibidem.

A mysteriorum, alij intellectum Scripturarum, alij interpretationem sermonum, alij discretionem spirituum, alij illam quæ pernecessaria est velut gnôsin, id est, dinoscentiam atque diiudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum. *Non nocebunt*, inquit, *& non occident in vniuerso sancto monte meo, quia repleta est terra scientia Domini.* Iam vero si quis post hæc & per hæc tria fidem, iustitiam, atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem & gustum æternorum, vt possit vacare & videre, videndoque gustare quam suauis Dominus? & quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, ei per spiritum reueletur: hunc omnino dixerim illuminatum magnifice & gloriose tanquam qui gloriam Domini reuelata facie speculetur, & super quem gloria Domini sæpius oriatur. Huic vti dicere habet non Propheta, sed Prophetarum spiritus, *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Fratres *nec omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat.* B Non condemnatur qui non capit, sed qui non capit, vtique temporis arguitur. Qui autem capit, nouerit quia hoc lumen sapientiæ feruens accendit oratio, sicut & lumen scientiæ frequens lectio, si tamen cum legis lucernam ardentem adhibueris, id est, iustitiam operum, plurimque experientiam sensuum. Tu autem Domine pater luminum, qui lumen de lumine vnicum tuum misisti illuminare tenebras mortalium, da nobis per viam luminum peruenire ad lumen æternum, vt placeamus coram te in lumine viuentium, qui viuis & regnas, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Esa. 11. Sapientia vera, sapor & gustus rerum est æternarum.

Esa. 60.

Sermo de eodem IV.

SEcunda nobis hodie fratres natiuitas celebratur, quæ de illa prima natiuitate tanquam de causa effectus, consequenter nata videtur. Illa siquidem, quam vsque hodie celebrauimus, natiuitas Christi est: ista quam hodie celebramus natiuitas nostra est. In illa namque Christus natus est: in ista Christianitas nata est. C Cum enim tria sint quæ nos faciunt Christianos, fides, baptismus, & altaris participatio, hodierna dies fidem nobis initiauit, baptisma consecrauit, ac mensæ cœlestis miracula præformauit. Quomodo sane prima gentium illuminatio fidem nobis initiauerit, quomodo Christus baptizatus baptisma nostrum consecrauerit, qualiter illa conuersio aquæ in vinum, mutationem rerum in conuiuio mensæ Dominicæ præostenderit, nequaquam iam opus est doceamus: sed illud arbitror operæ pretium vt nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis suis degeneret initiis, ne vacuetur in nobis gratia baptismatis, ne cedat nobis in iudicium participatio calicis Christi. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis primis videlicet authoribus suis, nobis hodie tradita sit, qualiter maximum fidei Sacramentum mysticis insinuauerint munerum figuris, satis abundeque disseruere Patres nostri: vt ex ea parte nullus iam alius labor quam in labores eorum introire nobis insederit. D Sed neque magnopere postulat status, imo ruina temporis huius, vt de mysterio fidei disputetur, sed vt magis id modis omnibus elaboretur, vt sicut Apostolus ait. *In conscientia pura, idem fidei mysterium habeatur.* Ecce enim hodie si de mysterio fidei interroges, omnes fere inuenis Christianissimos: si conscientias discutias, paucos admodum inuenies vere Christianos. Totus fere mundus confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat: adeo vt & qui speciem pietatis videntur habere, virtutem eius sæpius inueniantur propemodum abnegare. Quid putatis autem fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spatiosam viam sæculi ambulant intelligitis, quid illi vel de sola præferunt pietatis specie, qui solo nomine Christiani, atque inuacuum assumentes nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quæ hinc inimica sunt nomini, qui omni specie conuersationis, & modo vitæ se protestantur inimicos crucis Christi? Hæccine est species pietatis quam in eis videmus, habitus & incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & omnis illa vitæ contumelia, quæ publicæ & gloriabunde velut in faciem pietati irrogatur? Quæ enim in occulto ab ipsis fiunt, turpe est & dicere. Fodiat parietem eorum, qui ad ipsos missus est prophetare, vt adhuc maiores abominationes videat, quas non erubescunt aut verentur coram illa tremenda maiestate perpetrare. Quid enim mihi qui monachus videor, de his qui foris hoc monasterio sunt iudicare? Vtinam nec de his ipsis qui hic intus sunt, mihi esset iudicare. Ad meipsum namque conturbata est anima mea: dum scilicet vereor, nec hæc ipsa species pietatis, quam vtcunque vobiscum gero, grauius me incipiat accusare, si pietatem ipsam me conuicerit abnegasse. F Omnino fratres verendum est mihi, an vero & vobisipsis, vos videritis, ne ad nos præcipue spectet ille sermo, qui per Apostolum prophetatus est de temporibus nouissimis, vbi cum malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifeste legi potest in vita & moribus eorum, longum tamen sic conclusit malorum Catalogum, *Habentes*, inquit, *speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut hæc quam prætendimus, humilitas tonsuræ & habitus, parsimonia cibi & potus, labor fere continuus, & ordinatissimus per omnia viuendi modus? Cæterum de virtute ipsa pietatis, quam hæc species exterior promittit, quam prope nihil in me mihique similibus valeat inueniri, pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quæ est enim virtus pietatis, nisi charitas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus earúmque similibus quantum vobis liceat gloriari, vestro fratres relinquimus iudicio: de me siquidem ingenue confiteor, quia nomina quidem earum lego, saporem adhuc ignoro. G Merito itaque pudorem mihi pariter & timorem incutit habitus quem gero religionis, cui fere nullum suffragatur testimonium virtutis. Nunquid enim tuto mihi possum vsurpare Monachi nomen & honorem, cuius non habeo meritum & virtutem, cum sicut ante nos dictum est, simulata sanctitas duplicata sit iniquitas: & lupus sub ouina pelle deprehensus, grauiore sit sententia percellendus? Propterea vos quoque fratres, vt tuto gloriari possitis in hac qua corpora vestra decorata sunt specie pietatis, ponite corda vestra in virtute eius: vt species in corporibus, virtus in cordibus probatos vos exhibeant tam Angelis quam hominibus, sitque sicut scriptum est: *Omnes qui viderint eos cognoscent illos: quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Hæc est fratres Christianæ fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Vt enim mysterium fidei quod hodie nobis mystica commendauerunt Magorum munera, fideliter & digne conseruaremus immaculatum in conscientia pura. Hodie itidem Christus baptizatus, non sibi, sed nobis aspersit, sicut Apostolus ait, corda nostra à conscientia mala; & abluit corpora aqua munda. H Quam fœlix ô fratres anima illa, quæ sic lota in salutem, mox è vestigio secuta est Saluatorem, vt deinceps adhærens ei, cum Apostolis illam meruit audire vocem, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Cæterum qui baptizatur à mortuo & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Ego postquam baptismo lotus fui, non vnum mortuum, sed tot mortuos quot opera mortis tetigi, & iuxta Petrum Apostolum, contigit mihi illud veri prouerbij: *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Quid igitur faciam? Quibus vlterius aquis sordes tantas diluam? Audio quia sicut vna fides, sic vnum baptisma est, nec secundo baptismati locus est, quoniam quicunque baptizamur, in morte Christi baptizamur: qui sicut semel mortuus est, sic & semel baptizatus est, vt & nobis vnici modum & formam baptismatis præscriberet. Diffiderem forsitan

Tria sunt quæ nos faciunt Christianos.

2. Tim. 3.

Mundus totus verbis Deum se nosse fatetur, factis autem negat.

2. Tim. 3.

Esa. 61.

Baptismus Christi nos lauit.

Ioan. 13.

2. Pet. 2.

A vlterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem inter alias scripturæ consolationes, etiam fidele consilium Helisæi, etiamsi totus instar Naaman Syri lepra sim profusus, ac veterno incurabili possessus. *Vade*, inquit, *& lauare septies in Iordane & mundaberis.* Si dixisset lauare ter, mundaberis, continuo intellexissem trinam mersionem qua inundantur baptizati, dicerémque totum illud miraculum gratiam prophetare baptismatis, vtinam nunc Iordanis de virtute dominici baptismi cœpisset ad salutem gentium operari: Nunc autem cum signanter dicat, *lauare septies in Iordane*, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Iordanis ille? Iordanis, vt aiunt, interpretatur descendens eorum: Quorum? Illorum vtique qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum quanto profundius descendunt per gradus humilitatis, tanto se penitius mergunt, & plenius abluunt spiritalis alueo Iordanis. Ad meipsum ô Deus conturbata est anima mea, memor peccatorum suorum: propterea memor ero tui de terra Iordanis, quomodo scilicet in descensu humiliationis, mundauerit Naaman leprosum. Descendit, inquit, & lauit septies in Iordane iuxta sermonem viri Dei, & mundatus est. Descende & tu ô anima mea de curru superbiæ in salubres aquas Iordanis, qui de fonte domus Dauid, toto iam profluit orbe in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi, quæ de dono pariter & exemplo profluens Christi toto iam prædicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos Naaman Syri, non enim vnus, sed innumeri, ô inquam diuites sed leprosi, superbi sed ærumnosi, quare tam vehementer abhorretis lauari his medicinalibus aquis? Cur vobis ita viluit noster iste Iordanis præ fluuiis Damasci? Dicitis enim, si forte quærentibus aliquando consilium salutis imitanda prædicetur humilitas & paupertas Christi. Nunquid non meliores sunt fluuij Damasci, omnibus aquis Israël, vt lauer in eis & munder? Nunquid non est melius, & ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de affluentia mundi, quam semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi Naaman, Fluuium Damascenum absorbebit Leuiathan, & non mirabitur: nam de Iordane si habeat fiduciam quod influat in os eius, spes eum frustrabitur. Neque enim grande reputat quantiscunque, præter humilitatem Christianam, virtutibus affluas: Cum etiam pauperes Christi deuorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiet. Damascus secundum nomen suum, ciuitas sanguinis est, & aquæ eius sanguine mixtæ sunt, quia opera etiam bona carnalium & secularium vix à quocunque peccato pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguinem mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum curabit? At Iordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi. Audi saltem ô Naaman domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios, Naaman recedebat indignans aduersum virum Dei, quem consuluerat. *At illi, pater*, inquiunt, *& si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras.* Fidele prorsus verbum, rationis & sapientiæ plenum: quippe suggestio est rationabilium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit aduersus hominem ipsum. Pater, inquiunt, & si rem grandem dixisset tibi Propheta: certe facere debueras. Non credere namque Prophetæ, Dei est iniuria, non tentare omnia pro salute, odium est suipsius & inuidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, vbi salus est in promisso? Quanto magis non debet videri grande & difficile, discere ab IESV, quia mitis est & humilis corde, cum in eo pariter inueniatur & requies animæ, & præsens medela spiritalis lepræ, pignusque salutis æternæ. Tandem vix ægreque obtinetur à superbo peccatore, vt descendat in Iordanem & lauet. Si tamen septies lauet, totumque se plenius & sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem Prophetico facere sermoni. Sed Proh dolor, quinta est huius nostri

4. Reg. 5.

Humilitas purgationem meretur.

B

C

Humilitas si desit, catera nihil prosunt.

D

Odium est suipsius, non omnia pro salute tentare.

miseria temporis, quia non solum diuites, sed etiam pauperes leprosi, ita inueniuntur delicati, vt vix vsque ad talos salubribus intingi patiantur aquis: aut si semel lauerint, mox sibi plenissime videantur mundati. At Helisæus non ita sentit: sed signanter exprimit, septies lauare & mundaberis. Sciebam nimirum humilitatem Christi quæ nobis imitanda est si perfecte volumus mundari, septemplicis esse virtutis. Prima virtus quod *cum diues esset, pauper factus est*, Secunda, quod paupertati extremitatem adijciens in præsepi positus est. Tertia, quod matri subditus, Quarta, quod serui manibus hodie inclinauit caput, Quinta, quod discipulum furem tulit & proditorem, Sexta, quod sic mansuetus ante iniquum iudicem, Septima, quod pro crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud patrem. His vestigiis, licet satis à longe Gigantem sequeris, si paupertatem diligis, si inter pauperes extremitatem eligis, si monasterij subdimis disciplinæ, si minorem tibi pateris præesse, si falsos fratres æquanimiter tuleris, si mansuetudine vincas cum iudicaris, si charitatem rependas illis à quibus iniuste pateris. Hæc humilitas plane, sine iniuria vnici baptismi, rebaptizat: quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem & sepulturam criminum instaurat: & quod in illo baptismo gestum est specie, hic rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cœlos aperit, spiritum adoptionis restituit, pater agnoscit filium, quippe in innocentia & puritate pueri regenerati reformatum. Vnde bene de Naaman Scriptura meminit, quia *restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli*: significans vt arbitror, quia eorum qui sic se abluunt, non solum corda recuperant innocentiam paruulorum, sed etiam corpora secundum quendam modum puerilem sibi vindicant puritatem, mortificatione membrorum. Sic enim de quodam Sanctorum legitur, quia in membris defuncti septennis quodam modo puer gratia videbatur. Ecce fratres qui primi gratiam baptismatis tantis volutati sordibus amisimus, ecce verum Iordanem, descensum scilicet humilium, vbi pie rebaptizari licet inuenimus. Hoc tantum est, vt non parcamus nobis de die in diem descendere profundius & plenius mergi, Christoque penitus consepeliri. Ipsi gratias agamus, cuius humilitas & formam baptismi hodie dedicauit credentibus, & gratiam non disparem reseruauit pœnitentibus: Ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

E

Humilitas Christi septemplicis est virtutis.

F

Humilitas veluti secundum baptismum.

D. Martinum putat.

G

Sermo in Purificatione sanctæ Mariæ.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Sint lumbi nostri præcincti, vt Purificationem Mariæ æmulemur: *sint lucernæ ardentes in manibus*, vt gaudium Simeonis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet casti corpore, & mundi corde, & Purificationem Mariæ expressimus: simus ardentes deuotione, & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quam mysterium Purificationis commendauit: implendo legalem, significando spiritualem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit, imo quæ ipso conceptu plene purificata fuit, si quid forte minus ante puritatis habuit? Quid, inquam, mundandum habuit conceptus ille qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine, qui fontem in quo mundus immundus purificetur edidit, fontem domus Dauid, qui hodieque patet, indefesseque scatet in ablutionem peccatoris, & menstruatæ? Suscepit tamen mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem; vt simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille qui tam fallaciter quam contumaciter præsumens de sanctitate, detractat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quod sanctus sit: nunquid sicut sanctarum sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit Maria? Vtinam fratres

Luc. 12.

H

Humilitatem non habemus in peccatis nostris quam habuerunt sancti in virtutibus suis.

mei,

A mei, vtinam nos illam haberemus humilitatem in pec-
catis nostris, quam sancti habuerunt in virtutibus suis.
Sed omittamus nunc istud, vt quod cœpimus prose-
quamur. Ac primo quidem de illa spirituali purificatio-
ne, quam Maria offerens pro se & pro filio par turtu-
rum, aut duos pullos columbarum nobis commendauit
prosequeremur, nisi quia patres nostri, sicut vobis no-
tissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt: &
quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad sim-
plicitatem mentis pertineat, diligenter disseruerunt:
nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de
vno turture, vel pullo columbino, quid holocaustum
de altero. Hoc vnum tamen adijcimus, quod quanto
notiora nobis sunt mysteria, tanto districtius & iustius
eorum à nobis exiguntur opera: quia scienti bonum &
non facienti peccatum est illi: *& seruus sciens volunta-
tem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit
multis.* Relinquentes igitur quod tractatum est suffi-
cienter, illud potius tractemus, si placet, quid hæc
B pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie
gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendum
demonstret. Quanquam ne id puto quidem vobis inco-
gnitum, etiamsi nunquam sit auditum. Quis enim ho-
die cæreum ardentem gestans, in manibus, non statim
illius senis recordetur, qui hodie IESVM accipiens
in vlnas suas, verbum in carne, tanquam lumen in cæ-
ra, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhi-
bebat? Erat profecto & ipsa lucerna ardens & lucens,
testimonium perhibens de lumine, qui ad hoc ipsum in
spiritu quo plenus erat venit in templum, vt susciperens
misericordiam tuam Deus in medio templi tui, prædi-
caret ipsam esse misericordiam, & lumen populi tui.
Vere tu senex serene lumen portabas, non modo mani-
bus, sed & sensibus, qui sic eras illuminatus, vt tanto
ante futuram illuminationem gentium tam clare vide-
res, & iam tunc inter tenebras Iudaicæ infidelitatis,
hodierna claritas fidei nostræ tibi coruscaret. Lætare
iam senior iuste, vide iam quod præuidebas: discussæ
C sunt mundi tenebræ, ambulant gentes in lumine tuo.
Plena est omnis terra gloria luminis illius, quod occul-
tum in sinu fouebas, imo quo sensus tuos refouebas.
O fomes amoris ipse amor suauis & dulcis ad refocil-
landam animam. Prorsus suauis & dulcis, etiam cum
crucias & affligis: cruciatus fœliciter delectans, sicut
ignis salubriter refrigerans. Ignis iste fratres si in sinu
absconditus fuerit, vestimenta non comburit: imo il-
lum ignem extinguit, qui in sinu celatus non modo
vestimentum adurit, sed & quod vestitum est depascit,
Deut. 4 id est corpus & animam pariter consumit. *Deus*, in-
quit, *noster ignis consumens est.* Sed ô ignem consumen-
tem; nam animam refouet, demulcet mentem, spiri-
tum recreat, reparatque pereuntem. Huius ignis vim
Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare
gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat.
Cant. 1. Quam salubrius & suauius ignis iste senem nostrum ca-
lefecit, quam Regem Dauid Abysag Sunamitis, nisi
forte Abysag hic idem ignis fuit: sapientia scilicet,
D cuius amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam
reuiuiscunt mortui. Amplectere igitur ô beate senex sa-
pientiam Dei, & recalescet atque recanescent quasi de
nouo sensus tui: astringe vberibus tuis misericordiam
Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. *Inter
vbera*, inquit, *mea commorabitur*: etiam cum reddam
illum matri suæ, manebit apud me. Et cum inter ma-
terna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea
commorabitur, & vbera quoque mea inebriabit miseri-
Nota. cordia vberi, & si non quantum vbera matris. Illa quip-
pe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ:
sic excellenter habet vbera vberis misericordiæ. Gratu-
lor & congratulor tibi gratia plena quæ misericordiam
genuisti, quam suscepi, cæreum præparasti, quem ac-
cepi. Tu cæram ministrasti suscepto lumini, virgo vir-
ginum virgini, dum incorrupta mater incorruptibile
verbum incorrupta carne vestisti. Eia fratres mei ecce
ardet cæreus in manibus Simeonis, accendite & vos

cæreos vestros de illius mutatione luminis: *lucernas* di- E
co quas Dominus iubet *esse in manibus vestris.* Accedite *Lucendum nobis intus & foris.*
ad eum, & illuminamini, & non tam lucernas feratis
quam ipsi lucernæ sitis: *lucentes intus & foris, vobis &
proximis.* Sit ergo lucerna in corde, sit in manu, sit in
ore. Lucerna in corde luceat vobis, lucerna in manu
vel ore luceat proximis, Lucerna in corde est pietas fi-
dei, lucerna in manu exemplum operis, lucerna in ore
sermo ædificationis. Non solum autem coram homini-
bus lucere nos necesse est per operationem, & sermo-
nem, sed coram Angelis per orationem, coram Deo
per intentionem. Lucerna quippe nostra coram Ange-
lis est pura deuotio, cum in conspectu Angelorum psal-
limus sapienter, vel oramus ardenter: lucerna coram
Deo simplex intentio, vt ei soli placeamus, cui nos
probauimus. Et ne putemur in his quæ dicimus sensus
nostri somnia secuti fuisse, probemus nos potius in om-
nibus adhæsisse testimoniis scripturæ. Quod enim fides
lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti:
Non extinguetur in nocte lucerna eius: quod vtique in- F
telligimus, non deficiet in tentatione fides eius. Nam Prou. 31.
& de charitate quæ nihil aliud est quam fides operans
per dilectionem, apud eundem legimus Salomonem:
Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ Cant. 8.
*multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina ob-
ruent illam.* Quod opus bonum lucerna sit, lux ipsa ve-
ritatis indicat, cum ait: *Sint lumbi vestri præcincti, &* Luc. 12.
*lucernæ ardentes in manibus vestris. Et luceat lux vestra
coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Quod
sermo ædificationis lucerna sit, Dauid dicit: *Lucerna* Psal. 118.
pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et
Petrus Apostolus de sermone Prophetico, *cui benefaci-* 2. Pet. 1.
tis, inquit, *intendentes, tanquam lucernæ lucenti in ob-
scuro loco.* Declaratio quoque sermonum Dei illuminat,
& intellectum dat paruulis. siue cum sermones Euange- Ps. 118.
lici declarant vmbram legis, siue cum ipsi sermones
tam Euangelij quam legis declarantur expositionibus
dilucidis, qui non intelligentibus paruulis videbantur
obscuri & in lumine dicimus quod dictum erat nobis G
in tenebris. Ideo & Philippus in cuiuslibet Ecclesiastici *Philippus os lampadis.*
doctoris dictus est os lampadis, eo quod de ore ipsius
ad illuminationem audientium coruscaret ignitum elo-
quium Domini. Sermonem autem Dei intelligo fratres *Sermo Dei.*
mei, quicquid spiritus eius dignatione sua loquitur in
nobis: omnem vtique sermonem qui bonus est ad ædi-
ficationem fidei, in prouocationem charitatis. Si quis
ergo nostrum loquitur, quasi sermones Dei, vt etiam
in priuatis colloquiis omnis sermo malus non proce-
dat de ore nostro, sed si quis est ad ædificationem fidei,
vt gratiam det audienti, & qui audierit, dicat, gra-
tias agens tibi: Benedictus sermo oris tui, quia lucerna
pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.
De oratione autem quod & ipsa lucerna sit, maxime
si diuinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salo-
mon ait: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inue-* Pro. 20.
stigat omnia secreta ventris. Lumen namque quod nobis
orantibus vel psallentibus desuper aperitur, spiracu-
lum vitæ est, in quod suauiter respiramus. Huius lu- H
cernæ videtur Iob recordari, cum in mœrore tentatio-
nis recolens cum suspirio lætitiam præteritæ consola-
tionis ait: *Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristi-* Iob. 29.
*nos, secundum dies quibus Deus custodiebat me quando
splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius
ambulabam in tenebris?* Cæterum quod lucerna hæc di-
citur inuestigare omnia secreta ventris, id est mentis,
non illud esse putandum est, quod Dominus commi-
natur se scrutaturum Hierusalem in lucernis: cum istud
gratiæ sit illuminantis, illud iudicij exquirentis. Nam Matt. 5.
& aliter inuestigat secreta ventris potio medici, aliter
gladius carnificis. Iam vero de intentione, quod & ipsa
dicatur lucerna, nemo est qui ambigat: si tamen Euan-
gelicum illud intelligat, *Lucerna corporis tui est oculus* *Christus fons luminis nostri.*
tuus. Vt igitur tot lucernas vobis fratres illuminetis,
accedite ad fontem luminis & illuminamini: (Iesum di-
co qui lucet in manibus Simeonis) vt scilicet fidem il-

luminet,

A luminet, opus illustret, sermonem bonum subministret, orationem inflammet intentionem purget: vt siue opere, siue sermone, vel oratione, quæratis placere co-
Pro. 20. ram eo in lumine viuentium, qui scrutari habet Hierusalem in lucernis suis, & examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accensis ô fili lucis, iam non ambulabis in tenebris, nec timenda tibi erit illius sententia maledicti, *Qui maledixerit patri vel matri extinguetur lucerna eius in mediis tenebris*: id est, deficiet consolatio huius lucis, irruentibus vndique hinc exterioribus inde interioribus tenebris. Tibi enim cui tot interius ardent lucernæ, cum extincta fuerit lucerna huius vitæ, *orietur lux inextinguibilis vitæ, & quasi fulgor meridianus consurget tibi ad vesperum: & cum te consumptum putaueris, orieris & lucifer, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te, sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam; quia agnus lucerna est nouæ Hierusalem, cui benedictio & claritas in sæ-
B cula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Ps. 117. SIcut ad diem natiuitatis, id est, aduentus Dominici, pertinuit illa gratiarum actio & vox laudis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & ad apparitionis, id est, nostræ illuminationis, illud quod sequitur, *Deus Dominus & illuxit nobis*: sic etiam quod subsequitur, *Constituite diem solemnem in confrequentationibus vsque ad cornu altaris*, non absurde, vt arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis vtique celebrem, frequentia solemni: diem scilicet Dominicæ præsentationis, quando à matre solemniter ad altare præsentatus est Patri. Nam & in eo quod adiungitur: *Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus est mihi in salutem*: quid tam conuenienter accipimus, quam fidem & confessionem Simeonis & Annæ, quæ & ipsa hora superueniens confitebatur Domino,
C & loquebatur de illo omnibus qui expectabant consolationem Israel? Bene ergo citharista noster monebat lætari Hierusalem & conuentum facere in die tam so-
Thren. 1. lemni. *Constituite*, inquiens, *diem solemnem in confrequentationibus, vsque ad cornu altaris.* Non mediocris aut parum solemnis illa frequentia fuit: cum inde venit IESVS & MARIA cum turba parentum inducentium puerum, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, inde occurrit Simeon & Anna cum turba expectantium consolationem Israël, quibus testificati sunt de eo. Non crediderim ego de hac solemnitate quæ tam pium, tam lætum conuentum habuit, illam fuisse Prophetæ querelam lachrymabilem: *Viæ Sion lugent, quia non est qui veniat ad solemnitatem*: nisi forte arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Iudæa & Hierusalem. Ad comparationem siquidem tantæ multitudinis pauci venerunt, & de ipsis paucis paucissimi, vt arbitror, cum receperunt, cum præsentem viderent diu expectatum, sicut voce Patris per Malachiam fuerat
D repromissum. *Ecce*, inquit, *veniet ad templum suum*
Cap. 3. *dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* O Iudæi adest ecce dominator quem vos quæritis, cur offerentem se vobis non recipitis?
Esa. 21. Quæritis & non quæritis. Sed *si quæritis, quærite: conuertimini & venite.* Quæritis qui redimat de manu hominum, non quæritis, qui redimat de manu dæmonum. Quæritis qui eruat de seruitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captiuitate vitiorum. Si vere vtique liberatorem quæritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui saluum faciat populum à peccatis eorum. Si quæritis sublimem, quærite prius humilem, *quoniam*,
Dan. 4. vt ait, *Daniel humillimum hominem constituet Deus super omne regnum.* Si quæritis dominatorem potentiæ, quærite prius doctorem iustitiæ, *quia iustitia firmabitur thronus eius, & iustitia, & iudicium præparatio sedis eius.* Quia enim perfecte non quæritis, ideo nec præsentem inuenitis, sicut de vobis ipse prædixit. *Quæretis me mali, & non inuenietis me, quia oderunt me: Quærent absentem,* E
nec inuenient etiam præsentem, quia oderunt lucem mala eorum opera arguentem, cum sapientia non nisi per dilectionem possit quæri, nedum inueniri. Simeon namque, quia pio & fideli quærebat desiderio, quæsitum inuenit, & inuentum agnouit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio: Nam spiritus est qui testificatur quoniam *Christus est veritas*: virtus vtique quæ de ipso procedit, vnctio docens de omnibus, quæ de illo singulariter secundum nomen suum vnctio, multipliciter profluit. Quid autem putamus fratres mei, vnctus iste qui vngit etiam quos non tangit, quomodo candidum & sanctum pectus senis nostri perunxerit, cum suscipiens eum in vlnas suas, astringeret eum vberibus suis, & gestiret includere si posset in intimis cordis sui? Quid inquam putamus ille suauis & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pij senis, qualis illabebatur medullis, quam delectabilem & salubrem, immo quam omnino ineffabilem se explicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat vn- F
ctus in vnctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem: vt nimirum doceret vnctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo enim legis? *Vnguentum*, inquit, *exinanitum nomen tuum.* Hoc Cant. 1.
siquidem vnguentum exinanitur cum à quadam duritia sua resoluitur, non vt pereffluat substantia illius, sed vt fluant aromata illius: vt quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certe magis anima senis liquescebat in amplexu huius vncti, vel vnguenti: vt diceret *anima mea liquefacta est, & vt dilectus meus infusus est mihi.* Infusio itaque vnctionis, testimonium est vncti. Hæc seni testabatur de puero, Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis & charitatis: veritate docens, charitate vngens, & accendens, & omnia interiora gelidi senis ponens quasi cum vnguenta bulliunt. Motus bullientium vnguentorum, æstus desideriorum: sonus eorum, iubilus affectuum pariter dicentium, si tamen aliquid exprimere valentium: *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exal-* G
tabo te. Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel annuntians te, Confitebor inquam tibi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lachrymis dicentem, *quando consolaberis me*? Exaudisti me & nunc demum Simeonem, id est, exauditum fecisti me, *quia factus es mihi in salutem*: IESVS mihi factus ex semine Dauid secundum carnem qui Dauid & omnia fecisti secundum deitatem. Omnibus quidem generaliter factus es in Saluatorem, sed mihi specialiter factus es in salutem: pectus morbidum perungens, vitalemque resuscitans calorem, animam refocillans, & oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in salutare tuum ô Domine, pater Domini mei IESV-CHRISTI, defecerant oculi mei in eloquium tuum, dicentes, *quando consolaberis me*? Factus eram sicut vter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, & totus desiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promissionis supersperaui, non visurum scilicet me mor- H
tem, nisi viderem Christum tuum, quod speraui iam video, quod desideraui teneo, quod concupiui complector. Video Deum Saluatorem meum in carne mea, & salua facta est anima mea. Viderunt oculi salutare Dei, & illuminati sunt interiores oculi mei qui languebant præ inopia. Omnino ad tactum huius pueri, huius hominis noui, renouata est vt Aquilæ iuuentus mea, sicut paulo ante mihi loquens pollicebar. *Introibo ad altare Dei*, vbi Maria IESVM offert Patri, ad Deum qui lætificat senectutem meam, imo renouabit iuuentutem meam. Nec minore fortassis gaudio exultabat cor Annæ in Domino: quæ, vt arbitror, tanto maioris fuit meriti, quanto altioris propositi & sanctioris desiderij, quam illa Anna mater Samuelis: cum illa cogitaret quæ mundi sunt, quomodo placeret viro, hæc quomodo Deo: illa de toro viri quæreret sobolem, hæc de sinu patris peteret Saluatorem. Hæc igitur quodam præsagio gratia excellentia quæ in vita eius efflorvit, qua

A
gratiam etiam Redemptoris agnoscere & prædicare meruit, gratiæ nomen accepit: exemplar veræ viduitatis, speculum sanctitatis, & viuum in emortuo corpore simulacrum totius virtutis. Hæc finem legis & initium Euangelij sentiens propinquare, ritus Iudaicos Christiana iam cœperat pietate mutare: ieiuniis potius & orationibus seruiens nocte ac die, quam cibis ac potibus & variis baptismatibus, iustitiis carnis non animæ. Inde erat quod benedictione filiorum quæ in lege magni habebatur contempta: nomen melius à filijs & filiabus elegerat: & iam per annos octoginta quatuor lignum esse aridum, lignoque insidere arido, tanquam turtur amissa semel coniuge gaudebat. Ecce habes par turturum, senem iustum, & viduam anum: vtrumque castum, vtrumque desiderio gemebundum: qui vtique semetipsos hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, Domino & pro Domino obtulerunt. Par turturum sanè dico non coniugum, sed coniunctorum, non copula matrimonij, sed sacratioris mysterij: pares nimirum
B
fide, æquales castitate, similes deuotione, consortes prædicatione gratiæ: ambos prouectæ ætatis, ambos perfectæ sanctitatis, qui etiam ante Euangelium Euangelicæ puritatis ac pietatis in vtroque sexu primitias dedicauerunt. Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum tuum Sion ad suscipiendum Christum regem, non parietes templi tui, sed penetralia cordis sui: secreta cubiculi, vbi adorare patrem in spiritu & veritate iubemur: vbi & suscipitur, qui in manufactis se nequaquam habitare testatur. In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens & lætabunda
Esa. 59.
occurrit DEO suo. *Alias vix habet vbi reclinet caput suum*: Et secundum Esaiam. *Aporiatus est, & non est qui occurrat*. Sufficit tamen istorum occursus ad omnem solemnitatem & lætitiam, eo quod consummatio abbreuiata inundet iustitiam, & consummata atque abundans iustitia paucorum, facile compenset infidelitatem multorum. Mihi omnino celebris est iste conuentus, mihi solemnis ista processio, omnique festiua gaudio,
C
vbi hinc aduenit puer & puerpera, IESVS & MARIA: inde occurrit senex & vidua, Simeon & Anna: hinc Dominus & Domina, inde seruus & ancilla, hinc mediator & mediatrix, inde tam fideles, támque deuoti ipsorum testes & ministri. In hoc denique conuentu misericordia & veritas obuiauerunt sibi: misericordia scilicet redemptionis in IESV, veritas confessionis in senibus. In hoc occursu, iustitia & pax osculatæ sunt: dum iustitia piorum senum, & pax reconciliantis mundum inuicem in osculo affectuum, & gaudio spiritus consociatæ sunt. Recte ergo quod hac nocte cantauimus, ad lætitiam huius diei pertinere credimus, saluo dumtaxat alio profundiore intellectu. *Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes qui diligitis eam*. Ac si diceretur; Lætata est Nazareth de annuntiatione, Bethleem de natiuitate. Lætare & tu Hierusalem de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethleem natus est, in Hierusalem est susceptus & prædicatus. *Et diem*, inquit, *festum agite*, siue conuentum
Esa 66
D
facite, *omnes qui diligitis eam*, scilicet Hierusalem, id est festina deuotione conuenite in templum, ad suscipiendum Redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Israël. Iam vero fratres si moraliter, sicut mos vester est, ædificari vestra quærit sanctitas quatuor illas illustres in hac processione consideret personas; quarum vita, non solum Ecclesias illustrat, sed & cœlos adornat; IESVM loquor & MARIAM, Simeonem & Annam. Et vt ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo, in Anna quæ ieiuniis & obsecrationibus seruiebat nocte ac die, ieiunium nobis commendatur & oratio: in Simeone qui tantu IESVM amplectitur gaudio, pietas & deuotio: in Maria, quæ cum nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis, legem nihilominus impleuit, humilitas & obedientia, in Domino autem IESV, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, charitas & misericordia. Nam castitatis sanctimonia,
E
cuius laus, vt comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter, cum in senibus fuerit labore continentiæ, in puella munere gratiæ, in puero iure & proprietate naturæ: non pueritiæ recens natæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solum huius virtutis, sed etiam omnium origo & perfectio, ab ipso singularum distributio, per ipsum earum conseruatio, apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus tam Virginis Mariæ, quam Simeonis & Annæ meritis suffragantibus, vt quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit tueatur; vt depositum ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius. Qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

SEnex puerum portabat. Senex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleuerat Deus senem istum, vt ostenderet ei salutare
F
suum in vultu nostro, sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, vt ostenderet ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergo dierum temporalium portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum: quod videlicet dies suos, super dies Regis adijceret puer ille, iuuentutémque eius renouaret vt aquilæ. Quanquam senem quoque istum, sicut Abraham, cum dicitur *plenus dierum*, libentius accipiam plenum virtutum quam temporum: cum tempora statum nullum habeant, suóque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quam adimpleant. Sed neque magnum est, imo magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus, cum puer centum annorum moriturus sit, & peccator centum annorum maledicendus. *Ideo si annis multis vixerit homo*, vt ait Salomon, *& in omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*. Cæterum econtrario senectus venerabilis est, non
Multis vixisse diebus & non senuisse virtutibus, malum
G
Eccl. 11.
diuturna, neque numero annorum computata. *Cani sunt enim sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*. Si hac vtique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum
Pro. 16.
portare meruisset. Sic namque scriptum est; *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperitur*. Et quæ est illa senectus, quæ in viis iustitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? Ipse namque merito iustorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit iustis in coronam gloriæ. Sanctus itaque senex Simeon, vt sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, siue sapientiam senum factam puerum, in viis iustitiæ, cum scilicet in spiritu veniet in templum reperit, & comperit in veritate; quia senectus erat in lactente, sapientia in infante, virtus in infirmitate, verbum in carne. O infantia, ô senectus, quam bene vobis pariter con-
H
uenit in huius pueri sensibus & moribus, quo vtique nihil innocentius, sed nihil sapientius, nihil iucundius, sed nihil maturius, nihil mitius, sed nihil iustius. Vobis, ô filij hominum vobis iam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei sermo, vt videlicet *malitia sitis paruuli: sensibus autem perfecti*. Alij siquidem ex vobis columba seducta, non habens cor, simplicitatem non salientes prudentia, relinquuntur fatui; alij sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt: & prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum & gratum vtrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, & de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, & puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus, id est verbum Dei, quod mater offert Ec-

clesia,

A ckſia, complectatur affectibus. Ipſum vtique repoſitum in ſinu ſenſus ædificabit, mores dulcorabit, totum ſtatum mentis & ordinem vitæ grata & ſalubri ſuauitate temperabit. Noo ſolum autem mater Eccleſia in audiendo, ſed multo magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, ſi modo frequens & deootus orator venias in templum vt dicas quotidie Deo: Pſal. 5. *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Quem enim Eccleſia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eo vtique præſentiorem & ſuauiorem, quo nodam veritatem puris tradidit ſenſibus. Veritatem quippe quæ eſt CHRISTVS, Maria veſtitam carne, Eccleſia veſtitam ſermone, gratia nudam tradidit amplectendam ſpiritus infuſione: quanquam hoc ipſum dioerſo modo fiat, pro captu ſcilicet ſuſcipientis animæ, ſiue pro arbitratu diſpenſantis miſericordiæ. Licet enim ipſam ſummæ veritatis faciem non facile videamus, magnuſque habeatur cui vel per ſpeculum, & in ænigmate eam intueri datur: quiddam B tamen ipſius, cum ſpiritus nobis illabitur, veluti nudum ſentimus, ſenſuſque noſter in amorem ipſius velut ad nudum confricatur. Tunc prorſus ex ſententia Pſal. 47. dicere poſſumus, & cantare lætabundi: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Beatus qui vt dignius & crebrius eam ſuſcipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamum ſuum diligenter ac decenter adornat, cum digno ac placido Chriſtum regem honore ſuſcipiat. O ſancta Sion, anima ſpeculans æterna, conſidera quæ ſit illa maieſtas ſuſcipienda, cogita qua cura ac diligentia te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit, & ad hæc quis idoneus? quis eſſe poteſt magnificentiæ & gloriæ tanti Regis congruus ornatus? *fruſtra*, inquit Pſal. 75. Dauid, *paupertatem qu ſpiam cauſetur, In pace factus eſt locus eius, & iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis eius.* Simeon vtique quia huiuſmodi palliis thalamum adornauit, ideo Chriſtum cum multa ſuſcipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace inuenerat locum Do- C mino, quia ſedem præparauerat ei in iuſtitia & iudicio. Luc. 2. *Homo*, inquit, *erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus.* In pace erat domus Simeonis, qui habitat in Hieruſalem, id eſt, in viſione & amore pacis, de qua ſcilicet Hieruſalem audierat Pſ. 124. Dauid promittentem. *Non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem.* Et vt noueris, quia pacis habitator & amator erat, pacémque imperturbabilem illius ſtabilis & æternæ Hieruſalem præ omnibus requirebat, cum pacem Dei & hominum IESVM, qui pacem ſuper pacem dare veniebat, ſinu recepit: hæc prima vox de pectore ſenis iam dudum pacem meditantis erupit. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Poſtquam viderunt oculi mei ſalutare tuum*, qui eſt pax noſtra faciens vtraque vnum, non ſolum Iudæum & Gentilem, ſed etiam Deum & hominem, & in homine ſpiritum & carnem, iam hoc ſolum ſupereſt deſideriis ſerui tui, *vt in pace in idipſum dormiam & requieſcam: & pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum*, me D totum in illius ſummæ & ſimplicis vnitatis abſorbeat Eſa 54. conſenſum. *Venit pax quam ſuſtinui, requieſcat in pace, qui pacem quæſiuit, & quæ pacis ſunt ſectari ſemper ſtuduit.* Sic quippe Eſaias ait: *Veniat pax requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua.* In pace vtique Simeon ſtrauerat cubile ſuum, qui omnibus aliis curis eiectis ſolum in corde meditabatur IESVM, vbi & reclinauit ſuſceptum. In directione quoque ſua ambulauerat, *qui iuſtus & timoratus erat, expectans conſolationem Iſrael*, aduentanti quotidie deſideriis occurrebat. In eo igitur quod iuſtus dicitur & timoratus, iuſtitiam & iudicium intellige, quo ſedes Dei præparatur. Et iuſtitia quidem ſuo nomine demonſtratur: iudicium vero timoris nomine, vel timor nomine iudicij, ideo recte accipi poſſe putatur, quia ſcilicet timor non ſolum naſcitur de futuri conſideratione iudicij, ſed etiam operatur nunc in nobis quandam illius formam & executionem iudicij. Qui enim prohibemur iudicare ante tempus de proximis, iubemur de nobis, vt dum noſmetipſos iudicamus, à Domino non iudicemur. Porro timor iſte E ſanctior eſt, cum iuſtitiam ſequitur, quam cum præcedit, quia qui præcedens ad iuſtitiam initiat, ſequens eandem conſummat & conſeruat: dum ſcilicet de iuſtitia præſumere non ſinit, ſed omnia opera ſua hominem vereri facit, vt poſt iudicium ſui adhuc de ſubtiliore iudicio ſuſpectus ſit, dicatque ſibi: *Qui iudicat me Domi-* Ec. 1, 2. *nus eſt, qui cum acceperit tempus, etiam iuſtitias iudicabit.* Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari, vt Scriptura teſtatur: *quia quantumcunque ſe iuſtis exercitet operibus, alieni comedunt robur eius, dum ſuam volens iuſtitiam conſtituere, iuſtitiæ Dei non eſt ſubiectus.* Vigilanter itaque Euangelium perfectam commendans Simeonis iuſtitiam non ait timoratus & iuſtus, ne timorem qui eſt initium iuſtitiæ intelligeremus: ſed ait *iuſtus & timoratus*, vt timorem qui iuſtitiæ per omnes gradus comes indiuiduus ipſam promouet & tuetur, ipſius exemplo diſceremus. Nam neque illud putauerim otioſum, quod non timentem dixit, ſed timora- F tum: non nouum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum, ſed qui vtique verſus eſſet in habitum, qui altius hominis imbibiſſet affectum, poſſideret ſenſum, modeſtia & grauitate ſermonem ornaret & vultum, circumſpectione moderaretur actum, totum denique interioris & exterioris hominis componeret ſtatum. Neque enim vanis animum conſolationibus reſoluebat, qui conſolationem Iſraël expectabat. Quod & ipſum ad ſuæ cumulum adiecerat iuſtitiæ, vt ſollicitus non ſua tantum, ſed etiam pro populi conſolatione. Denique vt manifeſtius audias quam pretioſo ac vero nitore virtutum non fuco colorum adornauerat thalamum ſuum illa Sion, id eſt Simeon, *Spiritus ſanctus*, inquit, *erat in eo.* Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id eſt templi ſui ambitione & gloria? Si faciem templi coronis ornaſſet aureis, quid aurum niſi lutum etiam ſine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria ſua ornatus eſt ſi- G cut Simeon: cum ille ſapientiam qua florebat in ſenectute perdiderit, iſte ſuſceperit. Te tamen ô fidelis Sion thalamus tuus arguit, quod cum ſatis tibi prædictum eſſet, *ecce veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis: adorna thalamum tuum Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ ciuitas ſancti*, tu autem nihil prorſus ad quotidianum cultum templi in aduentu ipſius addidiſti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios Pſalmos, aut cantica, omnino inhonoratum, inſalutatum remittis, qui te ſaluare venerat. Ideo vtique tuus iſte thalamus, *domus gloriæ tuæ deſerta tibi relinquetur, imo non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.* Tibi enim Domine templum auguſtius amplius & perfectius, ſcilicet Eccleſiam magnam à ſolis ortu vſque ad occaſum fides ædificabit gentium, & ſecundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ, vnde etiam hodie laudes audiuimus, gloriam iuſti, voces ſcilicet laudantium & dicentium. *Suſcepi-* H *mus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, id eſt, in communione ſancti populi tui. O fratres ſuſcepiſtis miſericordiam Dei & vos, imo abundantius vos, videte ne in vacuum ſuſceperitis, ne gratiam ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo veſtra deuotio; quem Simeon hodie portauit in ſinu ſuo, vos omni die glorificate & portate in corpore veſtro IESVM Chriſtum Dominum noſtrum, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Chriſtus pax noſtra faciens vtraque vnum.

Timo quid operetur in nobis.

Sermo de eodem IV.

Luc. 2. POſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Scriptura redemptionis noſtræ narrans myſteria, ſic refert quæ pro nobis hiſtorialiter ſunt geſta, vt ſignificet quæ moraliter à nobis ſunt gerenda. Cum enim hodie beatæ purificatio Mariæ recenſetur, manifeſte de noſtra ipſorum purificatione admonemur. Quem vero tanti non moueat auctoritas exempli, cum videamus ſcilicet, quia

Purificatio

illa

A *[illegible] Mariæ nostra [illegible] purificationis.*

illa sanctarum sanctissima quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non tenuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis: quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec partus violauit, sed sacrauit? Quare ergo tanquam muliebre aliquid in concipiendo vel patiendo sis passa, sic mundationis quæ muliebri prouisa est infirmitati quæris remedia? *Sic*, inquit, *decet nos implere omnem iustitiam*; vt quæ summæ mater electa sum iustitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar iustitiæ. Noui ego superbiam filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusandum quam ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, vt vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia nouæ generationis occurrant exempla. Mater præuaricationis peccauit & excusat procaciter, mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter: vt filij hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem nouitatis trahant humilitatem purgandi. O filij hominum tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit & exemplum dedit nobis quo debeamus purgari. Satius est ô fratres, & suauius fonte purgari quam igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgari, igne habent purgari, si tamen purgari meruerint: *quando scilicet Iudex ipse quasi ignis conflans sedebit, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens. Modo fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ: tunc flamma sæuiens, & ignis vorans vsque ad medullas animæ.* De ardore siquidem irati foris ille purgatorius ignis exardescet in conspectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Ascendit*, inquit, *fumus in ira eius, & ignis à facie eius exardescit.* Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorij, quibus modo non adhibentur carbones salubriter desolatorij: *qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui Prophetæ labia purgauit.* An vero & illi carbones huiusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur. *Ecce dati sunt tibi carbones, & sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium*: vobis relinquo diiudicandum. Illud autem non dubius assero, quia ignis ille quem Dominus Iesvs misit in terram, si vehementer (sicut est voluntas mittentis) in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in iudicio purgabit filios Leui, non ligna, non fœnum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Vterque quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat vngendo, ille vrendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus iudicij, & spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius. Est quidem & in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion, sed longe clementius & mitius purificata est illa quam beatam prædicant filiæ Sion. Cui scilicet dictum est: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ, non ista quæ quadam mystica dispensatione tantum specietenus hodie celebrata est. Hæc plane fuit tota ac vera sanctificatio matris & filij, sicut & Angelus exposuit ei. *Ideo*, inquit, *& quod nascetur ex te sanctum: vocabitur filius Dei.* Antea namque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet, non postea quam concepisset: cum concepisse Sanctum sanctorum summa sanctificatio sit, & ea quæ mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cum ergo filiæ Sion quæ mollius & dissolutius viuunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, merito purificandæ sint spiritu iudicij & spiritu ardoris: virgo perpetua, ac singularis quæ sola spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratiæ & refrigerio roris. Omnium sane purgationum quibus conditio reparatur mortalis, hæc beatæ purificatio Virginis mitissima atque fœlicissima fuit: nam illa filiarum Sion, quæ purgatorio fiet igne iudicij, sicut nouissima, sic & seuerissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possumus aspirare, & in illam si sapimus semper formidamus incidere. Omnino si sapimus semper clamabimus, plus emendatione motum quam strepitu verborum, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Necessarie igitur nobis & misericorditer inter vtrumque genus purgationis illud summum ad quod non attingimus, & illud vltimum quod metuimus, alia purgationum genera pietas prouidit diuina sicut tempus & locum pœnitentiæ, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia fere posse comprehendi, ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror, quibus opportune & commode his diebus purgationis nostræ purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis & fidei, patientiam tribulationis. Ad hunc siquidem modum quatuor inuenies quibus mundum generaliter purificat Christus, purgationem peccatorum faciens: aquam scilicet & sanguinem, spiritum & ignem. *Hic est*, inquit, *Ioannes qui venit per aquam & sanguinem. Hic est qui baptizat in spiritu sancto, & igni.* Aqua baptizauit, pedesque discipulorum lauit, dedicans baptismum quoque lachrymarum, quæ de contritione profluunt cordis. Sanguinem fudit: vt & nos mortificatione corporis participantes eius passioni, lauemus stolas nostras in sanguine agni. Spiritum dedit: vt charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quæ si minus perfecta est, vt tot & tanta non sufficiat operire, adiuuet ignem Conflator ille, qui purgat filios Leui, & quicquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, vt tandem decantare possint, *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Sic nempe & mundus iste prius baptizatus aqua diluuij, postea purgatus igne iudicij, in nouum transibit statum incorruptionis. Denique vt teneris atque delicatis geramus aliquatenus morem, si lachrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem, nunquid & illud excusabunt quod Salomon commendat, *per misericordiam*, inquiens, *& fidem purgantur peccata*? Quid misericordia suauius? quid fide iucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hæc vngit affectus, illa sensus illuminat dirigitque gressus, vt ad lumen eius ambules in tenebris, vt inuisibilia contempleris, & futuram tuam beatitudinem iam animo præsumptam mediteris. Bene autem dicitur, per misericordiam & fidem purgari peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita, fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit Propheta, *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum*, & Dominus Prophetarum, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De fide autem ait Apostolus: *Fide mundans corda eorum.* Et Dominus Apostolorum: *Vade*, inquit, *fides tua, te saluum fecit.* Quanquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo & hominibus seruamus: vt quod hic dicitur, *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata*, & paulo post, *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*, eadem sit in diuersitate verborum, repetita sententia. Recte igitur misericordia & veritas, seu fides sociata sunt, cum in omnibus viis nostris nisi misericordia & veritas obuient sibi, plus augeri quam purgari peccata sit verendum. Vt enim de aliis actionibus interim taceam, & de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis huius postulat necessitas, quid in ipsis etiam quibus peccata purganda sunt peccari committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur? Audiant ergo quibus dispensatio credita est, audiant quibus credita non est: isti scilicet ne sic velint esse fideles, vt misericordiam deserant; illi ne sic velint

Marginal notes (left): B — *Mater Christi humilitate purgari voluit, quod [illegible] deliquit.* — *Christus nunc aqua est diluens, post ignis consumens.* — Psal. 17 — Esa. 6. — C — Luc. 1. — D

Marginal notes (right): E — *Purgationis nostræ quatuor genera. Mundum* F *Christus purificat quatuor modis.* — 1. Ioan. 5. — Psal. 65. — G — Prou. 15. — Dan. 4. — H

A esse misericordes vt fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quam oporteat, & sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quam eis liceat. Qui ergo contra fidem indebitam vsurpant misericordiam,
Prou. 20. audiant Salomonem dicentem: *Multi homines misericordes vocantur, fidelem autem virum quis inueniet?* Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quam Salomonem dicentem: *Quod superest date eleemosynam: vt saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam.* Multum prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei: qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ necessitati, iussit eleemosynam eis impertiri. Vt enim taceamus de iure naturæ, quæ quicquid parens omnium terra generat omnibus commune terrigenis adiudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, & communis sors hæreditatis, quomodo communis non erit vsus panis quem pater administrat cœlestis? Esto tamen, sit istud ius ordinatæ charitatis
B quod moderatio Euangelij suas cuique necessitates primum excepit: quis ille est qui recte metiatur necessitates proprias, qui inter necessarium, & superfluum æquo iudicio discernat? Attendamus nobis fratres ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superflue retinemus aut insumimus nobis vnde vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ virginis, de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maxime nostram constare puritatem nouerimus, si quicquid superfluum est nobis amputemus: vt non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem matrem pauperis Christi, cui regnum & imperium, & nunc, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem V.

C *ADorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adorauit.* Ad nos fratres, ad nos loquitur Spiritus sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte leuamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, *donec misereatur nostri.* Adornemus igitur thalamum nostrum, & suscipiamus regem Christum. Ecce fratres Christus in propria veniens, & à suis repulsus, *non habet vbi caput reclinet.* Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per Spiritum sanctum quærit hospitium, dicens: *Adorna thalamum tuum Sion.* Emundemus igitur thalamum nostrum, prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt, & sic demum adornemus ea inferendo quibus delectatur & gaudet. Quæ sunt (ait forsitan aliquis vestrum) quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos eius offendit, sicut superbia, quæ Angelum de cœlo, & hominem expulit de Paradiso: *quæ est initium omnis peccati*: quam
Eccl. 10. hortatur nos spiritus sanctus vitare dicens: *Quid superbis terra & cinis?* Et alibi: *Omnis caro fœnum, exsiccatum est fœnum, & flos eius decidit.* Videamus nunc quid
D
Esa. 40. superbia fecit Angelum de cœlo, & hominem expulit de Paradiso. Merito hæc oculos Christi offendit, quæ
Superbia malum. pulcherrimum opus eius in cœlo & in Paradiso fœdauit, quæ fecit de Angelo diabolum, & de homine nuper creato iusto, perfidum. Quæ sicut & peccatorum primum & maximum, sic est omnium regina & mater vitiorum. Videndum est igitur, & sollicite considerandum, vt eam mens nostra cum tota prole sua excludat, vt thalamus noster emundatus & ornatus Christum regem qui * foris pulsat, suscipiat. Cum tota, inquam
* Fores prole sua, septem scilicet principalibus vitiis. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Hæc sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: quæ hospitium quodcunque intrauerint, fœtidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis?

E Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exeuntes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis & pœnitentiæ enecauimus. Nihil igitur in nobis vltra possit superbia, quæ de Archangelo diabolum, & de primo homine fecit impium, & creatori suo rebellem. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui à piæ conuersionis nostræ, in cruce Domini nostri Iesv Christi cœpimus gloriari cum Apostolo dicente: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, &* Galat. 6.
ego mundo. Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, & testimonium conscientiæ per crucem Christi purgatæ. De qua Apostolus ait: *Gloria nostra* 2. Cor. 1.
hæc est testimonium conscientiæ nostræ. In qua conscientia gloriari de donis Dei, est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; id est in Domino de puritate conscien- 1. Cor. 1.
tiæ suæ glorietur. Non enim qui seipsum commendat, &c. Cæterum qui in se gloriatur, & qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut lau- F
dem in mente ab ore alterius expectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris vngit caput suum, auditque Prophetam sibi dicentem: *Maledictus homo, qui* Hier. 17.
ponit spem suam in homine. Et in die iudicij cum dixerint: *Domine, Domine aperi nobis*, ait: *Amen dico vobis, nescio vos.* Hæc vana gloria filia est superbiæ: quæ Inuidia pestis.
in quocunque fuerit, inobedientem facit. Rursum post conuersionem, nihil vltra in nobis habeat inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarum. Diabolus enim inuidet homini ascensum vnde corruerat, & propter hoc tentauit, & in anima occidit. Hæc est illa quæ non magnos, sed paruos semper torquet, dicente sancto Iob:
Paruulum occidit inuidia. In eo enim quod aliquis ali- Iob. 5.
cui inuidet, minorem se ostendit ei cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini, *sic Esau Iacob, & Cain Abel.* Hæc inuidia paruulum occidit, quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non G
veniunt pluribus. Vnde si qua desiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit; vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc paruulum occidit inuidia, quia dum non potest adipisci quod alij inuidet, in odium (inuidiæ filiam) cadit. Rursum fratres, post conuersionem nostram ira non habeat in nobis locum, quia vt ait Dominus in Euangelio, gradatim inducit ad gehennæ puteum, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matt. 5.
Qui dixerit raca, hoc est vocem indignationis per iram emiserit, *reus erit consilio*, in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit fatue*, hoc est tale quid fecerit aut verbo aut verbere, vt inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis*, nisi resipuerit. Hæc est ira quæ stultorum oculos extinguit, sapientium oculos nonnunquam Psal. 6.
turbat, dicente Psalmista: *Turbatus est præ ira oculus* Iob. 5.
meus. Et de ira stulti Iob ait: *Virum stultum interficit iracundia.* Ecce duas iras videmus, quarum altera nonnunquam turbat oculum, altera semper extinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute: de altera quæ venit ex im- H
patientia Psalmista ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Quasi Psal. 4.
dicat Crudeles estote in vitium, mites, in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini. De altera quæ venit ex vitio, ait Apostolus: *Sol non occidat super* Ephes. 4.
iracundiam vestram, id est Christus qui est sol iustitiæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat. Ira quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus, & post erratibus proximorũ, quo melior est risu, *quia per tristitiam vultus* Eccli. 7.
corrigitur proximus. Quæ debet tamen subesse rationi, ne sit immoderata, sed in vltione peccati tempus & modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat. Ira per vitium stultos occidit, dum in rixas & in contumeliam linguam relaxat. Rursum fratres post conuersionem nostram muniendus est thalamus cordis nostri, ne tristitia rediens introeat, illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporalium venit. Hæc est illa,

quæ

A quæ pranas cogitationes generat, murmurosum monachum reddit, quæ fastidium parit, & tenentem aratrum Dei cum vxore Loth retro respicere compellit. Sine dolore namque non potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaque tristitiam quæ mortem operatur excludamos, & intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, & de peregrinatione nostra, dicamusque cum Psalmista: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Hæc est tristiria quæ vitã operatur, de qua ait Apostolus: (2.Cor.6.) *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit: (Ioan. 16.) *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Altera parit mortem, parit animi rancorem. Rursum fratres post conuersionem muniamus thalamum nostrum, ne auaritia quæ est radix omnium malorum, rediens introeat, nosque ab vnius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cætera sic ait Apostolus ad discipulos suos. B (Col. 3.) *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Ecce auaritiam idololatriæ comparat: & merito: quia sicut vni Deo idololatria nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen deitatis: ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet quæ Deus omnipotens in vsum plurimorum fecit. Vtraque Deo inimica, quia negat Deo, quæ sunt eius. Est & auaritia non solum amor congregandæ pecuniæ aut conseruandæ, sed ambitio prælationis, cum nititur homo hominí præesse. Hæc, vt verum dicam, etiã pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) intantum vexat, vt contra ius & fas & propositum suum, non tantum velint, sed etiam studeant fratribus & conseruis præesse. Quod si Abbas aut Prior eorum voto non consenserit, irascuntur, obloquuntur, eosque aut inuidos, aut sibi maleuolos (qui se non prouehunt) clamant. Hæc est auaritia quæ memoriam mandatorum Dei turbat, dicente Psal. Domino: (Psal. 118) C *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam,* quæ proditionis est mater, quæ Iudam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei obliuionẽ, de obliuione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum. Rursum fratres post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ & Adam innocentiæ veste, & Esau priuauit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficiis Dei fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, & dicere: (Num. 14.) *Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus allia, cæpe, & pepones.* Hæc est illa funesta pestis quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istam, cum dicebant. (Esa. 22.) *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur,* id est in futuro. Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod comedimus, nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hanc pestem cum homine perituram pronuntiat Apostolus dicens: D (1. Cor. 6.) *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet.* Hæc pestis tripertita est: quia aut ante horam canonicam aut aliud quam licet, aut plus quam necesse est facit comedere: & carnis curam in concupiscentiis nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia: sicut de populo Israel dicitur: (Exod. 32.) *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Rursum fratres post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis nostri, ne luxuria rediens introitum inueniat: quæ pestilentia rediens est peior quam ante fuerat. Nunquam enim sola redit, sed sicut Dominus ait in Euangelio, (Matt. 12.) *Assumit septem spiritus nequiores se & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de membris Christi facit membra diaboli. Nam qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, vnum corpus fit cum illa persona, & fit membrum diaboli, cuius & illa membrum est per coniunctionem malorum operum. Hæc est illa pestis quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, vt vegetum sit & robustum ad libidinem explendam: & quæ igni illi inextinguibili

E materiam semper apponit, & vires ministrat, vt de suo semper habeat vnde sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ & gehennæ habemus auctoritatem scripturæ. De igne luxuriæ ait: (Osee 7.) *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* De igne gehennæ ait: (Psal. 20.) *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui,* hoc est iudicij, *vt intus ardeant* (sicut clibanus accensus) *in conscientia*: Dominus in ira sua conturbabit eos dicens: (Luc. 13.) *Discedite a me operarij iniquitatis. Et deuorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuria fœda opera.* Sit ergo fratres, summa cura & summum studiũ his qui in talibus sunt, de talibus euadere & fugere. Nobis vero qui per gratiam Dei euasimus, & veterem exuimus hominem, qui sumus Sion, sit summum studium thalamum nostrum munire & adornare, & Christum regem suscipere, sicut hæc scriptura præcipit quam recitauimus. Adorna thalamum tuum Sion. Quid est adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus & pauimentum, & parietes quasi cortinis & floribus tota domus adornetur. F ¶ Primus ornatus thalami nostri qui sumus Sion sit *timor, qui est initium sapientiæ,* (Prou. 18.) id est, primus gradus per quem ascenditur ad sapientiam. De quo timore ait scriptura: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Et Psalmista ait: (Psal. 2.) *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*: vt timor auferat securitatem noxiam, & exultatio mortiferam tristitiam. Hic timor generat humilitatem, quæ est pretiosissimus ornatus thalami Sion, quæ magis placuit Christo cum in thalamum virgineum ingrederetur, dicente Beata Maria: (Luc. 1.) *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc, inquam, humilitas est ornatus Sion, id est pauperum Christi, de quibus ipse dicit: (Math. 5.) *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, & primus ornatus thalami Sion, alios etiam ornatus generat, humilitatem scilicet, & voluntariam paupertatem. Adorna ergo thalamũ G tuum Sion, timore Domini. ¶ Secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ad sapientiam, est pietas: de qua dicit scriptura: (Eccli. 30.) *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Et alibi, (Esa. 66.) *super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Hæc miseretur in spe peccantibus, fraterna onera portat, magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quam cum fratre lite contendere. Quæ profecto pietas aliud nihil est nisi Deum colere, & per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino: (Math. 5.) *Beati mites, quoniam filij Dei vocabuntur.* Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum Sion, pietate. ¶ Tertius ornatus thalami Sion & tertius gradus ascensionis est scientia, quæ homini sui cognitionem præbet, H vt scilicet homo neque minus neque plus quam debet de se præsumat. Quorum alterum, scilicet de se nimium præsumere, in mala facit præcipitem: alterum, scilicet se non cognoscere, facit ad quælibet bona opera torpentem. Ad hanc scientiam Spiritus Sanctus inuitat Ecclesiam in canticis: (Cant. 1.) *Si ignoras ô pulchra inter mulieres abi post vestigia gregum tuorum,* scilicet hæreticorum: *& pasce hædos tuos,* hoc est carnales concupiscentias. Hæc scientia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes per veram fidem dicente Domino in Euangelio: (Mat. 9.) *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti,* per Dei scilicet gratiam, & liberum arbitrium. Videmus iam quomodo scientia tertius ornatus thalami Sion, & tertius gradus ascensionis, alium ornatum in nobis generat, religiosum videlicet luctum, qui consolationem à Domino in futuro meretur. Hæc scientia parat in nobis dolorem & luctum peregrinationis, vt videndo mala exilij quæ patimur, cum luctu desideremus patriam à qua peregrinamur, audiamusque à Domino nobis dici: (Math. 5.) *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* ¶ Quartus ornatus thalami Sion est fortitudo, quæ

A conuenit laborantibus pro veris bonis acquirendis Hæc
est quæ munit thalamum Sion, vt non extollatur pro-
speris, non frangatur aduersis: quæ linguam incrępan-
Psal. 119. tem & blandientem his verbis confundit, dicens: *Do-
mine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua do-
losa.* Hæc est illa quæ semper de die in diem robustior,
esuriem & sitim iustitiæ in thalamo Sion accendit, fa-
citque eam audire à Domino: *Beati qui esuriunt, & si-*
Matt. 5. *tiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Adorna igi-
tur thalamum tuum Sion, fortitudine. ¶ Quintus or-
natus thalami Sion est consilium, quo homo infirmita-
tes suas requirit, suum posse & suum non posse inuesti-
gat, & ex sua infirmitate alios considerat, aliis parcit &
miseretur, sicut & vult Deum sibi misereri: aliis dimit-
tit debita, sicut sibi vult dimitti a Deo: meretur que
Ibidem. audire à Domino: *Beati misericordes, quoniam ipsi mi-
sericordiam consequentur.* Adorna igitur thalamum tuum
Sion, consilio. ¶ Sextus ornatus thalami Sion est in-
B tellectus: qui mentem hominis super hæc infima rapit,
omnesque corporeas substantias intellectuali intuitu
transiens, non corporis substantiis figitur, volensque
vltra progredi, & propius accedere audit à Domino:
Exod. 33. *Ne appropinques huc: non enim videbit me homo, & vi-
uet.* Hic intellectus conuenit iis, qui à Deo purgatum
Matt. 5. oculum habent, de quibus dicitur: *Beati mundo corde,
quoniam ipsi Deum videbunt.* Adorna igitur thalamum
tuum Sion, intellectu. ¶ Septimus ornatus thalami Sion
est sapientia, quæ conuenit iis qui intellectualibus ocu-
lis æterna contemplantur, quorum conuersatio in cœ-
lis est, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo: in
quorum persona dicebat Apostolus: *Mihi viuere Chri-
stus est, & mori lucrum.* Quasi diceret; Vt Christum ma-
gnificem, Christo viuere volo tantum, & Christus est
præmium mortis meæ. Et post pauca: *Coarctor autem
e duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo,
multo melius: manere autem in carne necessarium propter
vos.* Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebel-
C les motus corporis ita subiugat, vt nullam vltra pugnam
in carne sentiat; pro infirmis fratribus (vt eis Christum
nuntiet) exilium libenter patitur, probra non audit,
damna non sentit, auferenti tunicam dimittit & pallium,
percutienti ad vnam maxillam præbet & alteram, audit-
Ibidem. que à Domino: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabun-
tur.* Hi ornatus thalami Sion, istis nos adornemus qui
sumus Sion, & regem Christum suscipiamus, *quem vir-
go concepit, virgo peperit, virgo post partum quadragesima,*
hoc est hodierna die in templo Dei præsentauit. ¶ In le-
ge namque scriptum erat, *vt mulier quæ suscepto semine
peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum
cum filio intraret, deferens hostias secum pro peccato agnum
anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum,
par turturum siue duos pullos columbæ offerret.* Hæc om-
nia beata virgo non ex necessitate, sed ex humilitate
impleuit. Abstinuit ab introitu templi quadraginta
diebus, non necesse habens purgari, quæ sine omni
delectatione, saluo virginitatis sigillo, de Spiritu san-
D cto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut
aliæ mulieres, sed pro humilitate; ostendens etiam in
hoc quod filius Dei IESVS CHRISTVS non soluere ve-
nerat legem, sed adimplere. *Et ecce Simeon grandæuus
qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi vide-
ret Christum Domini, & eum susciperet quem expectabat:
accepit eum in vlnas suas,* hoc est inter brachia sua
amplexatus est illum, qui appendit tribus digitis
molem terræ, qui omnia implet, omnia complectitur,
Luc. 2. inter brachia portat, dicens; *Nunc dimittis Domine
seruum tuum, secundum verbum tuum in pace.* Cupio
dissolui, & eius aduentum cum patriarchis & prophetis
in inferno expectare, qui inter te & humanum genus
facturus est pacem. *Quia viderunt oculi mei salutare
tuum,* filium tuum, quem desideraui, de quo respon-
Esaiæ 9. sum à Spiritu sancto accepi. *Lumen ad reuelationem
gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* De quo ait Esaias:
Rom. 11. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam,
quia cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel
saluus fiet.* Audite fratres, audite quid offert Maria, quid B
Simeon suscipit. Vnigenitum Dei, Deo patri consub-
stantialem, & coæternum, verbum in principio. Et
vt visitatem & consolationem nostram audiamus, il-
lum offert virgo, quem Deus Abrahæ promisit dicens:
In semine tuo, hoc est in Christo, *benedicentur omnes* Gen. 22.
gentes. Et quem Dauid promisit dicens: *De fructu ven-* Psal. 131.
tris tui ponam super sedem tuam. Hic est quem virgo of-
fert Patriarcharum gaudium, desiderium Prophetarum,
gentium expectatio, Iudæorum qui eum receperunt sal-
uatio, ruinæ Angelorum reparatio. Talis est quem virgo
offert Deo, imo multo maior quam lingua, aut homi-
num, aut Angelorum possit dicere. Et cum sit tantus ac
talis, qualem aut quantum ipse se nouit, non sufficit vir-
gini ipsum solum offerre: sed hostiam, quam lex præce-
perat, pro eo obtulit: ob humilitatis scilicet exemplum,
vt nos doceret quomodo & nos eum debeamus offerre.
Duos turtures, aut duos pullos columbæ pro eo obtulit. Co- F
lumba fratres simplex est animal, felle caret, rostro non *Columbæ proprietates.*
lædit, in cauernis petrarum nidificat, alienos pullos nu-
trit, iuxta fluenta manet vt visa vmbra accipitris fugiat,
meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, grega-
tim volat, alis sa defendit, visum recuperat. Et nos fra-
tres, cum ante altaria steterimus, vt Dei filium Deo of-
feramus, cum eo & pro eo par turturum, castitatem cor-
poris & animæ offeramus. Et duos pullos columbarum,
pro cantu gementes, compunctionem geminam, pro
desiderio patriæ cœlestis, & de consideratione nostræ
miseriæ habentes. Columba felle caret: & nos ita carea-
mus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus: sed
percussi in vnam maxillam, aliam præbeamus. In ca-
uernis petrarum nidificemus: in fide plagarum Christi
refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus: de fi-
liis diaboli facientes verbo prædicationis filios Dei. Iux-
ta flumina maneamus: id est iuxta hunc mortalitatis
fluxum sedentes, vmbram accipitris, hoc est peccata
quæ sunt vmbra diaboli, malorum ruinas considerantes,
ab eius vnguibus fugiamus. Meliora grana eligamus: id est G
meliores sententias in scripturis sanctis. Gregatim vo-
lemus: vnum consensum in bono in congregatione sub
pastore habentes. Alis noui & veteris testamenti contra
inimicos Dei nos defendamus: vel duobus præceptis
charitatis, Dei videlicet amore & proximi. Visum re-
cuperemus, de bono actionis ad bonum semper inten- *Attendite ô sacerdotes Christi.*
dentes contemplationis Fratres charissimi, tales oportet
nos esse, cũ Corpus Christi cõsecramus, cum consecratũ
manducantes sacrificamus, cum vobis idem corpus in
salutem corporis & animæ porrigimus. Tales etiam vos
oportet esse, cum Sacrum Sacramentum de manibus
nostris accipitis, *scientes quod qui corpus Christi indigne* 1. Cor.
accipit, & sanguinem eius indigne bibit, iudicium sibi man- 11.
ducat & bibit. Verum quia raro inuenitur talis qui in se
hæc omnia habeat, diligat illum qui bonum habet quod
in se non habet: & in illo habet quod in se non videt.
Neque enim credere debemus quod soli sacerdoti supra-
dictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret &
sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus H
consecrat, sed totus conuentus fidelium qui astat, cum
illo consecrat, cum illo sacrificat. Nec solus lignifa-
ber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius tra-
bes, &c. comportat. Debent itaque astantes habere de
suo, sicut & sacerdos, fidem firmam, orationem pu-
ram, deuotionem piam. Sciendumque quod sine firma
fide nemo astantium esse debet. Cæteras vero virtutes,
quas supra diximus, & si omnes non habent, diligant
illum qui habet quod in se non inueniunt & in illo ha-
bent quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Ioanne
virginitatis habet meritum: sic Ioannes in Petro mar-
tyrij habet præmium ¶ Sciendum quoque quod cor- *Tria Christi corpori debemus.*
pori Christi quem Maria hodie præsentauit in templo,
quem Simeon in vlnis suis suscepit, tria debemus: digni-
tatem, reuerentiam, & fructum. Dignitatem: vt eum Dei
filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omniũ,
iudicem viuorum & mortuorum credamus. Dignita-
tem: vt credamus nos statim postquam de corpore exie-
rimus,

A rimus, ab eo sicut à iudice percepturos *sicut gessimus, siue bonum siue malum.* Ille namque quem Maria in templo præsentauit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum leuamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum: ille familiaris noster, iudex erit noster. Caueamus ergo ab eo separari per iudicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaque ei in corde cum eum tractamus, dicamus cum eum consecramus: Domine ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal iudicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignaris in vita, quod à nobis tractaris, consecraris, manducaris: noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinē illorum in virtute tua: *quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus & familiaris noster.* Hæc est dignitas quam ei debemus. Debemus ei & reuerentiam: inuestigare scilicet nosmetipsos: & si inuenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate,
B ab eius contactu vt ab igne & nos & alios arceamus.
Deut. 4. *Ignis enim consumens est* ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, & in reprobum sen-
Deut. 23. sum tradatur. *Exeat ergo extra castra*, sicut Moyses præcepit, *qui nocturno pollutus est somno*, hoc est qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota vt somnus pertransit) peruenit vsque ad pollutas cogitationes. *Exeat extra castra*, hoc est dum in illo statu est, iudicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lauetque vestimenta sua per sanctam confessionem: & post solis occasum, hoc est post tentationis calorem & ardorem iam mortuum, lætus redeat, & cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reuerentia quam debemus corpori Christi, quam virgo Maria hodierna die in templo præsentauit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit. Debemus etiam fructum scire, intelligere sc. quem fructum accipimus si eum digne comedimus. Audite fratres non me, sed Apostolum dicen-
1. Cor. 10. C tem: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne cōmunicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est cōmunicatio calicis, facit nos habere quandam communionem cum Christo. Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini: Ac si dicat, panis quem frangimus, facit nos vnum corpus sub Christo capite: quoniam sicut vnus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi, & per fidem, & per sancta verba, quæ Christus suos docuit, conuertitur: sic diuersi participantes hoc corpore in vnitate fidei, spei, & charitatis, vnum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, & cum Christo, sicut cum capite suo sine fine regnaturi: *quem virgo concepit, virgo peperit, virgo in templo hodierna die præsentauit*, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem VI.

Luc. 2. POstquam *impleti sunt dies purgationis tulerunt Iesum in Hierusalem.* O quam fœlix est, de quo dici
D potest: Impleti sunt dies purgationis eius: vt iam nihil aliud ei supersit, nisi vt ferant eum in Hierusalem supernam: & sistant eum Domino. Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, tam desiderabilis, quam plenus desideriis, cuius cum iam olim, vt arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie impleti sunt etiam dies expectationis, vt iam secundum verbum Domini nihil aliud ei restaret postquam vidisset Christum Domini, Christum pacem Dei & hominum, nisi vt dimitteretur in pace, & dormiret in pace in idipsum: hoc est, vt ferrent eum in Hierusalem pacis æternæ, & sisterent eum ad contemplandam pacem, quæ exuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum. O beate senex, renouata est vt aquilæ iuuentus tua. Introisti iam ad altare Dei illud supernum, æternum, totum aureum, ad Deum qui lætificat iuuentutem tuam æterna visione sui, cuius lætificauit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud inuisibile iam ipse præsentatus es patri; cui ad al- E
tare hoc visibile filium hodie præsentasti. Ibi filium ipsum quem hodie tuo sinu gestasti, æterno iam & indissolubili tibi conseris amplexu. Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, cuius tota erat expectatio & desiderium, expectatio gentium & desideratus earum. Renouata est vt aquilæ iuuentus eius, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis eius. Alioquin nequaquam illius capax nouitatis esse posset: nisi sedulo vetustatem his diebus expurgasset. Fratres expurgate vetus fermentum, dum tempus habetis ad expurgandum: vt cum impleti fuerint dies vestræ purgationis, inueniamini & vos capaces illius gaudii quo plena est iam anima Simeonis. Et quidē dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus implemus: sed væ nobis si dies implentur, & purgatio minime impletur: vt postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tam F
sanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor, vt dicere possit, *mundum est cor meum, purus sum a peccato? Pauci quidem sunt electi*, sed inter illos paucos paucissimi sunt (vt arbitror) ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua Sapiens dicit: *De negligentia purga te cum paucis.* Eccli. 7.
Omnino si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modo minima, sed & maxima negligimus, longe a paucis de terra diuisi sumus, & de nobis dicit ille qui paucitatem Sanctorum, multitudini præfert negligentium, inter multos erant mecum. Et quid hodie tam proprium simul & commune his quos religionis fouet vmbra, sicut negligentia? Vt de meipso loquar, quoties derident hostes sabbata mea? Quoties dormitat anima mea præ tædio, diemque fere totum ac si tempus reuocabile esset, inertia consumo? Et vtinam sic dormitaret anima mea, vt apertis & vigilantibus oculis, ipse mihi miser non fingerem somnia vana & illusoria. At nunc in peruersum mutata sen- G
tentia, ego vigilo, & cor meum dormit, somnóque tam graui, vt vix aliquando valeat expergisci ad tonitruum supernæ illius increpationis, *Vsquequo piger dormis?* Prou. 6.
Quando consurges è somno tuo? Paululum dormies paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Illud sane miserrimum est quod hodie non putatur iactura sed lucrum, si dies qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant, & pereant negligendo. Gentilis, vt aiunt, cum sederet ad mensam, venissetque in mentem nihil strenuum, aut memorabile se egisse die illo cum gemitu graui & dolore mensam repulit, exclamans, *ô amici diem perdidi.* Nos ho- Temporis habenda ratio.
die dicere videmur, diem lucrifeci, si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus fere est, qui tempori pretium ponat, qui cogitet apud se, quantum valeat ad comparandam æternitatem dies vna. Putasne est aliquis in nobis qui quotidianam dierum suorum à semetipso H
tationem exigat, qui cuiusque diei dispendia vel emolumenta diligenter sibi describat: vt si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in seipsum ac de cætero cautius agat? *Beatus ille seruus quem cum venerit dies extremus, inuenerit ita facientem.* Hoc nempe esset de negligentia cum paucis purgari, si recte & vtiliter implerentur dies purgationis, vt aliquando posset accessus ad sancta salubriter obtineri. Alioquin quandiu manserit quis in sanguine purificationis suæ, *sanctuis æterna iustitia* (sicut scriptum est in lege Moysi:) *vt omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis eius.* Videant ergo qua fronte ingre- Sanguis, peccatū. Esa. 1.
diantur sanctuarium, qua conscientia non solum tangant sancta, sed etiam tractent & sumant Sanctum sanctorum, qui scilicet nondum liberati de sanguinibus, nullum tamen suæ purificationis studium gerunt. An non audiunt protestantem & dicentem: *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos, manus enim vestræ* Ezech. 16.

A

sanguine plena sunt? Quid enim si mundus sum à sanguine alieno, & conculcari me Dominus vides in sanguine proprio, sicut de Hierusalem loquitur per Ezechielem? *Quid inquam mihi proderit si veloces non sunt pedes mei ad effundendum sanguinem proximorum, & veloces sunt affectus mei ad acquiescendum carni & sanguini*, de quibus dicit Apostolus: *Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt? Maledictus*, inquit Hieremias, *qui prohibet gladium suum à sanguine*: id est, qui vitia carnis & sanguinis sibi parcit abscindere. *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ*, ne cum sanguine purificationis meæ sanctuarium ingrediens, aut sancta contingens, reus inueniar corporis & sanguinis tui, indigne manducans & bibens. Veruntamen gratias tibi Deus Deus salutis meæ, qui in hoc ipsum pretiosum tuum fudisti sanguinem, vt immunditiam nostri purificares sanguinis, tactumque peccatricis sanguinem fluentis, sed salutem desiderantis non abhorreres, sciens nimirum quod nullus potest facere mundum, de immundo conceptum

1.Cor. 15.

Hie. 48.

B

semine, nisi tu, qui solus es: nec sanis, sed male habentibus, melius tamen habere cupientibus, medicus opus est. Tangere itaque Sanctum Sanctorum, sicut illis quos delectat in sanguine suo versari iudicium est mortis: sic illis qui desiderant purificari, remedium est salutis, iuxta prophetiam Simeonis: Quia hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum. Fratres & vos quidem in sanguine fuistis, *sed abluti estis, sed purificati estis: nisi quia sicut iustus confitetur, si loti fueritis velut aquis niuis, sordibus vos statim intinget, non solum conditio corrupta sed etiam voluntas infirma, vt semper nouis sordibus opus sit purificatione noua.* Illa vero mirabilis & miserabilis est in hominibus sui negligentia, vt cum nemo sit qui se purificatione non indigere præsumat: vix tamen est aliquis qui tempus ad hoc indultum quasi purgatissimus sit non negligat. Fratres breues dies hominis sunt, sed tamen valde pretiosi sunt, imo quo breuiores, eo pretiosiores, quia dies sunt purificationis, cum statim postmodum futuri sint dies retributionis.

Iob. 9.

Purgationis nostræ tempus negligimus. Tempus nostrum breue sed pretiosũ.

C

Beati qui in diebus istis lauant stolas suas, & candidas eas faciunt in sanguine agni: ne postea vestimentum eorum, si mixtum fuerit sanguine, sit in combustionem & cibus ignis. Nec solum timor vrget supplicij, sed etiam spes inuitat præmij: vt omni cura & instantia nostræ modo studeamus purificationi, vt quod hodie figura voluit in seipso Filius Dei quadam dispensatoria specie, completum quandoque gaudeamus in nobis ipsa rerum veritate. Quid illud? *Postquam*, inquit, *impleti sunt dies purgationis, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino.* Et nos vtique si tempora purgationis legitime fuerint à nobis impleta, tollent in supernam Hierusalem ministeria Angelorum, vt illic assistentes vultui Dei, oblatio eius simus accepta & immaculata. Ibi demum purificabimur ex toto: sicut a peccato, sic etiam à pœna peccati. Ibi nostræ purificationis ipsa erit consummatio, quæ & remuneratio: cum scilicet diuinus ignis totos nos assumet in holocaustum Domino.

D

Porro hunc ipsum beatissimæ purificationis inexplicabilem modum, nec modo quidem cessat æmulari deuotio Sanctorum, quantum tamen corruptela corporum, & sollicitudo terrenæ inhabitationis permittunt: dum scilicet mente excedentes in illam Hierusalem, verum orationis locum, illic in conspectu Domini quasi turturem & columbam pro seipsis, ac de seipsis offerunt: corde videlicet & carne exultantes in Deum viuum, *quia scilicet columba inuenit sibi domum, & turtur nidum, altaria tua Domine virtutum.* Ego tamen arbitror quod ad meritum non sit inferius, & fortassis ad purgationem efficacius, si illud quod per speculum, & in ænigmate raro & raris experiri datur, id est vt in Hierusalem sistantur Domino, nos per fidem iugiter actitemus: proponentes, scilicet Dominum in conspectu nostro semper, & oculos eius, & iudicia super nos peruigili fide, irremissoque semper timore cogitantes. Fides ista fratres sit in vobis, & eritis de paucis: timor iste sit in vobis, & de negligentia purgabitis vos cum paucis, quia

E

timor iste nihil facile negligit. Denique ab initio huius fidei pertransibitis sicut sponsus sponsæ pollicetur, *euntes de virtute in virtutem, à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu*: proficientes de visione quæ est per fidem, ad illam quæ est per speculum & imaginem, ac postremo de illa quæ est in imagine speciei, ad eam quæ erit in ipsa veritate faciei seu facie veritatis si enim iugiter præsentiam Domini licet velatam intendatis per fidem aliquando etiam reuelata facie gloriam eius speculabimini, licet per speculum & imaginem. Cum autem impletis diebus purgationis venerit quod perfectum est, assistetis Domino in Hierusalem, habitantes cum vultu eius, ac sine fine contuentes eum facie ad faciem, cui benedictio, & claritas in sæcula sæculorum. Amen.

Sermo in Quadragesima.

F

B*Enedictus Deus pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Duplex autem genus tribulationum patimur: quia non solum duplici natura subsistimus, carne scilicet ac spiritu, sed etiam duplici qualitate viuimus: partim scilicet carnaliter, partim spiritaliter. In mundo eramus toti carnales, in cœlo erimus toti spiritales: nunc autem ex parte carnales, ex parte spiritales. Prout autem proficimus in spiritu, aut magis efficimur spiritales & minus carnales, aut magis remanemus carnales, & minus spiritales. Propterea duplex modo consurgit tribulatio: quia quod in nobis carnale est, contristat aduersitas: quod spiritale, iniquitas. Si nihil in nobis esset carnale, nulla nos contristaret, imo nulla esset aduersitas: si nihil spiritale, non nos nostra contristaret, sed magis delectaret iniquitas: sicut de quibusdam dicitur, *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Illa ergo nostra de aduersitate tristitia, carnalis & secundum sæculum est: hæc autem de iniquitate, spiritalis & secundum Deum. Illa mortem operatur, si desit consolatio: hæc salutem operatur, si non desit consolatio.

Tribulationis duplex genus patimur.

Prou 2.

G

Multum tamen interest in aduersitate exteriori, cuiusmodi sit consolatio tristium: quia consolationi diuitum, comminatio diuina Væ intentat æternum. Quia nimirum plerumque qui humiliari poterant ex aduersitate, grauius superbiunt de prosperitate; prodijtque ex adipe iniquitas eorum, imo & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum, nos autem & cum abundat illa consolatio temporalis oportet esse gratiores & humiliores: & cum deficit, de æterna redemptione certiores & lætiores. Cum tamen suppetit siue salus corporum, siue tranquillitas temporum, ac copia rerum ea moderatione vtenda ac dispensanda est; vt sit non occasio peccati, sed adiutorium virtutis ac potius de bonis bona faciamus, quam de bonis mali fiamus. Illa namque consolatione qua se diffundit voluptas, vel extollit vanitas, renuat consolari anima mea, magisque eligat cum Moyse & viris Israeliticis affligi, quam temporalis peccati habere iucunditatem.

Prosperitas multis est occasio superbiæ. Consolatio temporalis cũ deest, lætiores esse debemus.

H

Siue autem consolemur exterius, siue tribulemur, *benedictus Deus, qui consolationem internam & æternam dedit in cordibus nostris*, id est gaudium spei quæ suadet nos etiam gloriari in tribulationibus nostris: pollicens, quia si compatimur, & conregnabimus. Illam sane tribulationem quam interius de iniquitate nostra patimur, tanto molestiorem portamus, quanto periculosiorem experimur; quia nimirum quotidie de vita periclitamur, vt veraciter confiteamur, *nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Gratias tibi Domine IESV, quia si grauia sunt pericula, facilia sunt remedia; quia si dicebam *motus est pes meus misericordia tua Domine adiuuabat me*: & quod semel in Petro figurasti corporaliter, in filiis Petri quotidie adimples spiritualiter. Iussisti nos venire ad te super aquas, id est hoc mare magnum & spatiosum manibus: ecce virtute tua ambulamus, sed pondere nostro grauamur, & plerumque irruente spiritu procellarum impellimur, vt

Matt. 14.

etiam

A etiá mergi incipiamus, id est pene iam iamque tentatori consentiamus. Sed si celeriter confiteamur pedem motú, Psl. 157. id est titubasse animú, *& fideliter inuocemus auxiliu tu misericorditer porrigis manú, firmasque & dirigis gressum.* Ibid. 36. Super hoc quotidie iustus decantat, *Impulsus sum, vt caderē, sed non cecidi, quia Dominus suscepit me. Sed cú ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manú suam*; id est cú peccauerit non condemnabitur, quia aduocatum habet IESVM, eo quod & si septies in die cadit, septies resurgit. Non delectatur iacere vbi cadit, & in luto volutari, sed ocius exurgens excutit se de puluere, & sordes diluit satisfactione. Per hoc náque iustus fit, *quod semper in initio sermonis accusator est sui*, memor consilij diuini, quo dictú est ei; *Dic iniquitates tuas, vt iustificeris.* Ita fit vt dum seipsum iudicat, & Deum de se vindicat, illum quem iudicem metuebat iustum, reus aduocatum habeat. Iustus enim Dominus & iustitias dilexit; nec potest iniustas causas suscipere aut tueri, qui cum acceperit tempus B etiam iustitias iudicabit. Et tamen qui iudicem se minatur futurum superbe de iustitia præsumentium, aduocatum se pollicetur humiliter peccata confitentium: quoniam apud illum *in cuius conspectu non iustificabitur omnis homo*, nullatenus causam testificari nostram melius possumus, quam si nosmetipsos accusantes & punientes, iustitiam ipsius in nos transferamus, & partes iudicis aduersus reos exequamur. Sed & si in aliquo veniali vel per ignorantiam fallimur, vel per infirmitatem vincimur, vt Iebusæum nostrum nequaquam exterminare præualeamus, sed semper sub oculis nostris in terra nobiscum habitare patiamur; in hac quoque imperfectione nostra consolatur nos sermo propheticus, qui nos in se transfigurans ait: *In ipsis sumus semper & saluabimur.* Imperfectum meum, inquit Corpus Christi, viderunt misericordes oculi tui & in libro tuo omnes scribentur, id est scripti inuenientur: tam perfecti quam imperfecti. Pollicetur siquidem Dominus se perfecturum imperfectionem nostram, loquens per Iohelem C prophetam. *Et mundabo*, inquit, *sanguinem eorum quem* Iohel. 3. *non mundauerunt.* Hinc Esaias cum præmisisset de perfectione futuræ cœlestis Hierusalem; *& erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem:* quod in infirmis non nisi purgatione diuina perficienda Esa 4. sit sanctitas illa subiunxit dicens; *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem lauerit de medio Hierusalem.* Consolatur quidem me lauatio quæ promit- 1.Cor. 3. titur, sed terret modus qui subditur. *Spiritu*, inquit, *iudicij, & spiritu ardoris. Ignis enim opus cuiusque probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus fiet merito fundamenti, sic tamen quasi per ignem.* Quanto melius nunc arderemus delectabili amore, quam tunc illo pœnali ardore? Quanto suauius nunc igne amoris purgaremur, vt mundanum in nobis non relinqueretur quod mundi incendio obnoxium inueniretur; sed sicut tribus pueris ventus rotis fieret nobis fornax Babylonis. Alioquin si tepide & negligenter viuentes, ligna, fœnum, stipulam nobis coaceruamus, & tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus, cum examen illius purgatorij tales intrauerimus, quis poterit de nobis habitare cum igne deuorante; aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis; quando omne etiam vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis? Scio quidem, quia si satis arderem igne charitatis, de me quoque diceretur; Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nunc autem si purgari non mereor igne dilectionis; vtinam vel purgarer alicuius igne passionis, fieretque Habac. 3. mihi quod Propheta imprecatur sibi: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis. Vtinam qui cœpit ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Veruntamen no- Iob. 3. sti Domine infirmitatem figmenti mei. Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea,

Christus qui iudicem se minatur superborū, aduocatus erit humiliū.

Igne amoris hic fatius est purgari, quam postea purgatorio igne. D

E nec caro mea ænea est. Hoc primú quidem peto Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Sed quoniam audio abs te, *Ego quos amo arguo &* Apoc. 3. *castigo, & beatus homo qui corripitur a Domino*; corripe me Domine in misericordia; & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, & dicatur de me, Detraxisti eum ab emundatione. Intuere infirmitatem meam, & secundum illam manum tuam moderare, ne vehementia verberis frangat patientiam cordis; sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem. Sed væ mihi si quotidie vror, & non emun- Ezech. 24. dor; vt & de me dici contingat. *Multo labore sudatum est, & non exiuit de anima rubigo eius neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis; sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.* Quam vereor ne id cadat in nos, qui districtione vitæ velut quodam purgatorio igne quotidie coquimur, & nunquam ab iniquitate nostra, sicut oportet, mundamur; F & forsitan non mundabimur, donec sedeat iudex ipse quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Veruntamen quantulumcunque proficiat nunc iste ignis, malo tamen interim mihi hunc adhiberi, quam ad illum penitus differri. Nam si ad inuicem comparentur, iste quidem medicina est misericordiæ, ille vltio iræ. Ita sentiebat, qui dicebat; *Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me. Scio quidem quia tunc etiam cum conturbata fuerit anima mea Domine; in ira misericordiæ memor eris.* Scio quia etiam in luctu & pœnis consolarer me in spe meliori; & inimicæ potestati cui emendandus ad tempus traditus essem, verbis prophetæ responderem dicens; *Ne læteris* Micheæ 7. *inimica mea super me, quia cecidi, consurgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccaui ei, donec iudicet causam meam. Educet me in lucem, videbo iustitiam eius; & aspiciet me inimica mea, & operietur confusione.* Et dicam in illa die; *Confitebor tibi* G *Domine, quoniam iratus es mihi; conuersus est furor tuus, & consolatus es me.* Veruntamen cur timebo in die mala? Cur non magis in die bona bonis fruor, & diem malam præcaueo? Nonne ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis? Cur non audiam modo consilium sapientis, *Quodcunque potest manus tua instanter operare*; Eccl. 9. quia non est consilium nec ratio, nec sapientia apud inferos quo tu properas; & illud Apostoli; *Dum tempus* Gal 6. *habemus operemur bonum ad omnes?* Cœperamus quidem à consolationibus, sed ad terrores deuenimus; quia tunc nimirum consolatio vtilis erit, si terrori mixta fuerit, tunc ingrediemur in veritate tua Domine, si ita lætatur cor nostrum, vt timeat nomen tuum. Alioquin si omnino vos securos faceremus, diceretur & de nobis: *Popule meus qui beatum te dicunt ipsi te decipiunt, & vestigia gressuum tuorum dissipant.* Tunc autem vere beati erimus, si miseriam nostram recte agnoscamus & pie do- Esaiæ 3. leamus: tunc securi in morte erimus, si semper pauidi suspecteque viuamus.

Consolatio vtilis erit si terrori mixta fuerit.

H

SABBATO SECVNDÆ HEBDOMADÆ Quadragesimæ, de parabola prodigi filij ad patrem reuersi.

O Felix humilitas pœnitentium, ò beata spes confitentium, quam potens es apud omnipotentem, quam facile vincis inuincibilem, quam cito tremendum iudicem conuertis in piissimum patrem. Prodigus iste filius cuius hodie in magnam ædificationem Luc. 15. nostram audiuimus peregrinationem ærumnosam, pœnitentiam lachrymosam, susceptionem gloriosam, prodigus, inquam, iste tam grauiter reus, nondum confessus erat, sed tantum confiteri deliberauerat: nondum satisfecerat, sed tantum ad satisfaciendum animum inclinauerat: & de solo fere proposito

Pœnitentia quāta apud patrem possit.

A conceptæ humilitatis veniam statim obtinuit, quæ tanto tempore tantis expetitur votis, imploratur lachrymis, ambitur obsequiis. Latronem in cruce sola confessio absoluit, ista sola voluntas confitendi. *Dixi*, inquit, *confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatē peccati mei.* Vbique misericordia præuenit. Præuenerat voluntatem confessionis, ipsam inspirando, præuenit & vocem confessionis, quod confitendum erat indulgendo. *Cum adhuc*, inquit, *longè esset vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est; & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Quantum hæc verba sonare videntur, tardius videbatur patri, filio veniam dedisse, quam illi accepisse. Sic festinabat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quam ipsum miserum passio sui. Neque hoc dicimus, quos in natura incommutabili humanos ponamus affectus, sed vt in amorem illius summæ bonitatis affectus noster B dulcescat: dum ipsam plus nos amare, quam ipsi nos amemus, ex similitudine discimus humana. Vide autem quomodo vbi abundauit delictum, superabundet gratia. Reus vix poterat sperare veniam, iudex imo iam non iudex, sed aduocatus, accumulat gratiam. *Cito*, inquit, *proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes, & adducite vitulum saginatum, & occidite & manducemus & epulemur; quia hic filius meus mortuus erat & reuixit.* Verum, vt hæc omnia prætereamus, scilicet stolam primam, id est, sanctificationem spiritus, qua baptizatus induitur, & pœnitens reinduitur: annulum fidei quo subarratur; calceamenta, quibus ad calcanda serpentum venena munitur, vel ad euangelizandum præparatur: vitulum saginatum qui ei in altari immolatur, festiua illa gaudia quæ pro recepto indicta filio toto celebrantur cœlo; vt hæc inquam omnia taceamus, & doctoribus tractanda seruemus, amplexus ille & osculum paternæ pietatis, C quid non habet gratiæ & dulcedinis? quid non felicissimi gaudij? quid non sanctissimæ voluptatis? *cecidit*, inquit, *super collum eius, & osculatus est eum.* Cum sic super eum affectabat, quid agebat amplectens & osculans, nisi illum sibi vel seipsum illi insinuabat, se illi inspirabat, vt adhærendo sibi vnus secum fieret spiritus, sicut adhærendo meretricibus vnum cum eis corpus fuerat effectus? Parum erat illi summæ misericordiæ viscera suæ miserationis non claudere miseris: in ipsa sua eos viscera trahit, suisque inserit membris. Non poterat nos sibi arctius astringere, non poterat nos magis intimos habere, quam vt corporaret sibi, & sicut charitate sic virtute ineffabili, non solum assumpto corpori, sed etiam ipsi conueniret spiritui. Quod si tanta est gratia pœnitentium quæ erit gloria regnantium? Si ista sunt solatia miserorum, quæ erunt gaudia beatorum? Et qui hoc prærogat in via, quid seruat in patria? Vtique quod in cor hominis non ascendit: vt ei similes simus, & sit D Deus omnia in omnibus. Iam vero tu beate peccator, sed licet non ideo beatus quia peccator, sed quia pœnitens de peccato: quid tibi, rogo, animi erat inter amplexus patris & oscula, cum prope desperatum refouebat, cum cor mundum tibi innouans, lætitiam salutaris sui tibi refundebat? *Et quomodo*, inquit, *sermo explicabit, quod mens non capit?* Inenarrabiles gemitus, & inexplicabiles sunt affectus, quos de incomprehensibili velut impregnatus parturit animus. Angustum est eis cor humanum, vnde & fessum effundit seipsum: & ardorem quem concipit, sed non capit, quibus potest modis, lachrymis, gemitibus, suspiriis, euaporat ac digerit. Norunt hæc melius, qui gustauerunt sæpius & vberius. Nunc quoque, inquam, cum dimissus post illos amplexus & oscula, te & teipsum recogitas, cum causam tuam qualis fuerit, qualiterve ab eo iudicata sit retractas: & illinc abundantiam delicti tui, hinc superabundantiam gratiæ pensas: quid tibi obsecro parit cogitatio tua? Quidni, inquit, intolerabilis in meditatione mea exardescat ignis: illinc dolore & pudore, hinc gaudio & amore? Non me hominem putarem sed lapidem, si ita duri cordis existerem, vt meipsum non dolerem vel erubescerem: vel ita nequam & ingratus, vt non totus in gaudium vel amorem illius patris liquefierem. E Custodi igitur ô felix peccator, custodi sollicitè ac vigilanter hunc spiritum tuum, hunc iustissimum humilitatis ac pietatis affectum: quo semper ita de te sentias in humilitate, de Domino in bonitate. Nihil illo maius in donis Spiritus Sancti, nihil pretiosius in thesauris Dei, nihil sanctius inter omnia charismata, nihil salubrius inter omnia sacramenta. Custodi, inquam, si vis ipse custodiri, humilitatem illius sensus & vocis, qua patri confiteris & dicis: *Pater iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Nihil ita patrem promeretur sicut huius vocis affectus, nec melius te filium facies dignum, quam si semper confitearis indignum. Hæc humilitas non solum peccatores iustificat, sed etiam iustos consummat, iustitiamque eis accumulat: si videlicet se seruos fateantur inutiles, etiam cum quæ præcepta sunt, fecerint omnia. F Peccatum tuum coram te sit semper, & iuxta consilium sapientis, *etiam de propitiato peccato noli esse absque metu.* Incerta & occulta sunt iudicia Dei, non temere præsumendum est de illis, cum nil inde certius teneamus, quam quod in conspectu Dei non iustificabitur omnis viuens, nisi in quantum se iudicat peccatorem. Alioquin quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Blande te misericordia suscepit, pie refouit: time iudicium, ne gratia quæ data est humili, auferatur superbienti. Elegisti abiectus esse in domo patris tui, contentus eras fieri quasi vnus ex mercenariis: sta in sententia, vt etiamsi promotus es, adhuc ad maiora proueheris. Extremum locum semper occupa, aut certe desidera: seruitutem tibi mercenarij, non libertatem filij tibi vindica. Deuotione quidem filij patrem cole, conscius quid ipse de te meruerit: sed humilitate & labore mercenarij contentus esto, conscius quid ipse merueris. Nunquam tibi displiceat humilitas, per quam placere cœpisti, & G sine qua displicere incipies, quantiscunque pollere virtutibus, quantuncumque patri officiosus deseruire videaris. Humilitas siquidem omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat. Ipsa fere omnium radix, & seminarium, & fomes & incentiuum, & ipsa cumulus & fastigium, custodia & disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conseruantur. Cumque omnibus vt virtutes sint tribuat, si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens, dispendium illius de se compensat.

Psal. 31. — *Plus nos amat Deus, quam ipsi nos amemus.* — *Humilitate nihil maius inter dona Spiritus Sancti.* — *Humilitas iustos consummans.* — *Iudicia Dei incerta.* — *Humilitas omnium virtutum maxima.*

Sermo in solemnitate Beati Benedicti.

Eccl. 14. BEatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Quam congrue verba hæc in laudem beati Benedicti cantata sint, facile quiuis vestrum intelligit, cui tamen vita & doctrina ipsius non ignota sit. Quam comH mode vero ad vitæ nostræ doctrinam trahi possint, ipsa per se verborum facies ostendit: quæ scilicet illa quibus nihil est vtilius in vita, sapientiam, iustitiam, timorem Dei, cum præmio etiam beatitudinis commendat. *Beatus*, inquit, *vir qui in sapientia morabitur.* Prorsus hæc est beatitudo, hæc sapientia, si moreris in sapientia, vt perseueranter eam teneas: non enim statim qui inuenerit, sed qui tenuerit eam B. Dicit quidem scriptura: Beatus inuenit sapientiam: sed non ibi quieuit, imo addidit, & qui affluit prudentia: ne videlicet solum inuenisse statim putaretur ad beatitudinem sufficere, nisi eam inueneris, cum ea & in ea demoreris, & contubernio atque conuictu ipsius delectens nec discedas è magisterio eius, donec meditando iustitiam, cogitando circumspectionem Dei, affluere prudentia possit. Nam & Salomon sapientiam inuenit, sed quia prudentia minus affluxit, nec satis prudenter sibi circumspexit, dum videlicet non caute sibi prouidit à mulieribus alienis, non modo sapientiam perdidit, sed vsque ad vltimam idololatriæ insipientiam prorupit. Sapientes quoque huius mundi, qui

Commorandum in sapientia.

inuisibilia

A inuisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt, sapientiam inuenisse visi sunt, sed quia nec ipsi prudentia affluxerunt, & cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, *stulti & ipsi facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum vsque ad reprobum sensum, & ignominiam turpitudinum.* Alios itaque sicut istorum exemplo liquet, repellit a sapientia quã inuenerant superbia cordis: alios sicut in Salomone patet, *abstrahit illecebra carnis:* Alij autem leuitate & inconstantia mentis, leui perturbatione offensi eam relinquunt: qui scilicet ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quare autem recedunt? Quia radices non habent, quibus teneantur. Quomodo autem radicari poterunt, nisi morentur? Quæ vnquam planta radicatur, nisi loco cui affixa fuerit immoretur? Sic iustus plantatus in domo Domini, nec radicari, nec fundari in charitate poterit, nisi mora & stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit, nec florere, nec fructum qui maneat afferre poterit: & si florere visus fuerit alicuius spei initio, dicetur de illo: *Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinauit.* Et secundum alium Prophetã, *si fecerit fructum, alieni comedent eum.* Vis auté scire quam sit necessaria stabilitas loci, vt in sapientia moreris, vt radicari & fructificari possis mora temporis? Interroga patrem tuum B. Benedictum, & annuntiabit tibi, quia claustrum monasterij, & stabilitas in congregatione locus idoneus sit ad ferendum omnium fere fructus virtutum, quarum longum ibidem texit catalogum. Quid enim de instabilitate Sal. ait? *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum.* Inuenerat turtur nidum vbi poneret pullos suos, cœperat eum calefacere & ab eo calefieri, venerant vsque ad partum pulli, & ecce auolat, opusque cœptum imperfectum relinquit. Quare, vnde, vel quo auolet ipse viderit, vel quando tot dispendia, quæ interim patitur compensabit, vel qua ratione primam fidem irritam factam excusabit? Ego enim non putarem esse consilij, pro spe incerta, certa subire dispendia: & si profectus quorundam me iubeat interim à præcipitatione cohibere sententiam. Enimvero multum dissimilis est causa eorum qui amore sapientiæ inquieti fiunt, & eorum de quibus loqui cœperam, qui leui & friuola permoti causa à sapientia resiliunt. Sicut enim per patientiam disciplinis sapientiæ quis immoratur, vt discat sapientiam: sic qui facile perdunt sustinentiam, *non demorabuntur*, vt scriptũ est, *proiicere illam.* Quid autem eos offendat, præmisit scriptura cum ait: *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis.* Offenderunt in lapidem offensionis, & Petram scandali, cuius probata virtus corripiebat & erudiebat insipientes probabatque mentes: cum ipsi virtutem sapientiæ duritiam lapidis interpretarentur, duraque omnia, disciplinam, vultum, sermonem causarentur. *Durus est* loquuntur, *hic sermo.* Esto. Sermo durus est, nunquid non verus est? Lapis durus est, nunquid non pretiosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? Si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis quam vanitas mendacij, vel oleum adulationis placeret. *Durus est* aiebant *hic sermo*, quia quasi lapidis virtus erat illis probatio sapientiæ, ideoque non sunt demorati eam proiicere, & retro abire. Nec ob aliud pretiosum electum à Deo lapidem reprobauerunt, nisi quia durum putauerunt. Et erat quidem Petra Christus, sed virtute non duritia. Erat Petra, sed quæ conuerti posset, imo & conuersa est in stagna vel fontes aquarum, vbi mollia & humilia quibus influeret inuenit corda fidelium. Nam & isti qui tam cito offensi quadam specie duritiæ retro abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitan & ipsi cum eis de consequenti eos Petra, bibissent flumina aquæ viuæ de Petra percussa in cruce fluentis largissime, ita vt hodieque bibat populus & iumenta: imo suxissent etiam mel de Petra, oleumque de saxo durissimo. Prorsus tu beatus es Simon Bariona, tibi iam reuelabat pater pietatem mysterij, latentem vt videbatur sub duritia sermonis, qui interrogatis duodecim an & ipsi vellent abire, constanter respondisti, *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus.* Plane beatus qui cum sapientia morari, & cum domesticis eius ad mensam ipsius pane interim sacramenti nutriri delegisti, donec de fide proficientem ad intellectum pane vitæ & intellectus te cibaret, & aqua sapientiæ salutaris potaret. Beati & vos fratres mei, qui in disciplinam sapientiæ, & Christianæ scholam philosophiæ nomina dedistis, sed si perseueranter in sapientia moremini: vt cũ durior sermo ipsius visus fuerit, duriora scilicet præcipientis, aut durius corripientis, non sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, sed constanter dicatis cum Apostolo: *Verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Fingis quidem laborem in præcepto, duritiam in sermone, sed scimus, quia magna est multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perficies sperantibus in te. Ego autem semper sperabo, etiam si occideris me. Imo tunc amplius sperabo, cum flagellaueris, secueris, vlseris, occideris quicquid viuebat in me; vt non ego, sed Christus viuat in me. Omnino non discedamus à te, quia viuificabis nos etiam occidens, sanabis percutiens. Vere beatus qui cum sapientia moratur, hanc constantia & fide longanimiter patiens, & fideliter obediens vsque ad mortem, nec deserens locum suum, quotiescunque spiritus potestatem habentis ascenderit super eum, sciens quia curatio disciplinæ faciet cessare maxima peccata. Sane ad hanc sapientiam morandi in sapientia, illuc præcipue pertinere arbitror, vt inquietando vel quælibet leuis molestia non facile quodcunque opus sapientiæ nobis excutiat: verbi gratia, solemnem psalmodiam, orationem, lectionem diuinam, pensum operis diurni, aut silentij disciplinam. Quia enim sapientia in exitu canitur, *gaudebunt*, ait sanctus, *labia mea cum cantauero tibi*, dum etiam ad literam, exitus matutini & vespere delectabis. De oratione quoque certum & ipsi quotidie capitis experimentum, quod melior est finis orationis quam principium: vt fidele probetis Dominicum illud toties inculcatum, tot exemplis commendatum, de orationis perseuerantia, consilium. Nam legere & negligere, vel antequam cœperis librum, de manibus proiicere, quem fructum putas tibi poterit parere? Si scripturæ immoratus non fueris, vt assiduitate studij ei fias familiaris, quando putas se tibi reuelabit? *Qui habet*, inquit, *amorem verbi, dabitur ei intellectus, & abundabit:* qui vero non habet, & quod habet per naturam, auferetur ab eo propter negligentiam. De opere autem manuum nonne & de isto satis comperistis, quia sicut denarius operariis, sic consolatio sæpius seruatur in fine operis? De silentio quippe nota est promissio prophetica, *quia in silentio & spe erit*, inquit, *fortitudo vestra.* Si enim colas iustitiam in silentio, & sicut Hieremias *bonum esse*, ait, *præstoleris cum silentio salutare Domini*, in medio silentio secretus tibi illabetur à regalibus sedibus omnipotens sermo, & aquæ Syloe quæ vadunt cum silentio conuallem quieti ac placidi pectoris grato rigabunt profluuio: hoc non semel sed sæpius experieris si modo silentium tuum cultus iustitiæ sit, id est, si in iustitia meditaris: vt perseueres in scriptura quam proposui, & in sensu cogites circumspectionem Dei. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus fiat, si enim iniquitatem meditetis in cubili tuo, malitias scilicet quas malignus immittit, aut phantasias quas cor tuum parturit, aut inanes philosophias, seu fallaces theorias quæ sunt velut ægri somnia, nonne magis iniustitiæ quam iustitiæ cultus erit silentium tuum? Si ergo vis in sapientia morari, stude in iustitia meditari. *Concupisti*, inquit, *sapientiam conserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi.* Si autem quasi violenter irruunt cogitationes noxiæ, pone tibi virilem & fidelem custodiam, quæ omni custodia seruet cor tuum. Dico autem timorem Dei qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit, sæpius interrogans etiam angelum lucis: *Noster es, an aduersariorum?* Vndique enim sibi circumspicit: tanquam omni hora cogitans circumspectione Dei, quem

sine

Margin notes (left): Stabilitas loci necessaria. — B — Esa. 18. — Osee 5. — Prou. 27. — C — Eccl. 6. — Ioan. 6. — Dura vibus veritas videtur, ob cordis nostri duritiam. — D — Petra Christus virtute, non duritia.

Margin notes (right): B — Ioan. 6. — Psal. 93. — F — G — Thren. 3. — H — Esa. 32. — Eccl. 1. — Timor Dei fidus vbique custos.

A

sine intermissione intueri ac iudicare corda filiorum hominum attendit. Pulchre autem dictum est, in sensu cogitabit: quia prorsus sine sensu est & à corde excessit, qui timorem Dei cogitare negligit, qui pondus tantæ maiestatis ac iudicij sibi incumbentis non sentit.

Deus omnia circumspiciat.

Signanter quoque circumspicere Deus dicitur, qui omnia tam præterita quam futura habet præsentia, vt nec ista respiciat, nec illa prospiciat: sed similiter, quia simpliciter cuncta circumspiciat: sitque illa æternitas velut punctum, omnium media temporalium, cuius immobili simplicitati semper æqualiter præsens est circuitus & rota temporum. Hunc oculum æternum, sine intermissione videntem, & iudicantem omnia, semper cogitat, suaque se cogitatione sollicitat timor Domini, qui reuocat a malis, non solum operibus, sed & cogitationibus: studiens nos vt iustitiam potius meditemur, continens, vt cum sapientia moremur. Ita enim sensim fit, vt qui primo coercetur timore iudicij & pœnæ, postea pascatur amore ac meditatione iustitiæ, demumque requiescat ac delectetur in conuictu & amplexu sapientiæ.

B

Hæc non modo foras mittit timorem diffundendo charitatem, sed etiam pellit ab animo tædium & angorem, infundendo suauitatem, sicut quidam contubernium habens ipsius, de ea loquebatur: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Horum participes nos faciat, qui particeps nostri fieri dignatus est Dei sapientia Christus Iesus, qui viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sap. 8.

Sermo de eodem II.

Hie. 17.

BEnedictus vir qui confidit in Domino. Sanctus pater noster gratia Benedictus & nomine, cuius memoria in benedictione est, ipse profecto fuit benedictus vir qui confisus est in Domino. Quem enim Dominus præuenit in benedictionibus dulcedinis, vt in Domino confideret, iam benedicit omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, quia in Domino confisus est.

C

Nec solum in cælestibus benedictionem omnium angelorum, sed etiam in terrestribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Vbi enim gentium non benedicitur hodie benedictus Domini Benedictus? Plane benedictio Domini super caput iusti, quem tot benedictionibus cœli & terræ gratia Dei cumulauit. Non tamen sicut Esau in pinguedine terræ, & in rore cœli benedictio eius, sed in pinguedine spiritus, & in autore cœli qui per prophetam loquitur, *Ero quasi ros*: & cui dicitur, Ros lucis ros tuus: in Christo vtique benedictio patris, cui pater imprecatus est: Qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.

Osee, 14.

Merito proinde benedictus in Domino vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo seipsum figit. Vbi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ atque humorem pinguedinis bibit. Plane ad humorem radicis misit, qui vt verbis vtar Benedicti magistri spem suam Deo commisit, ac de ipso fonte summi boni aquas vitæ totius benedictionis & gratiæ bibit.

Qui in Domino fidit in eo se ipsu figit.

D

Fiducia in Domino quid in ne pariat.

Per hanc nempe piam & fidelem fiduciam remittuntur peccata, sanitatum corporalium, sed magis spiritalium obtinentur remedia, propulsantur pericula, terrores contemnuntur, vincitur mundus, omnia denique possibilia credenti redduntur. Illi quippe qui in peccatis erat, *Confide*, ait, *fili remittuntur tibi peccata tua.* Illis quibus donabatur sanitas corporum vel animarum, *Secundum fidem tuam fiat tibi*, &, *Fides tua te saluum fecit.* Illis qui periculo terrebantur naufragandi, *Habete*, inquit, *fidem Dei, & quid timidi estis modicæ fidei?* Illis quos armabat aduersus sæuitiam mundi furoresque diaboli, *Confidite*, ait, *ego vici mundum.* Et vtique hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra, si modo non sit tepida, non trepida, sed sit fiducia, id est, fides non ficta, seu spes non infirma. Non solum autem mundus per eam vincitur, sed & cœlum possidetur: super æternitatem homo stabilitur, & in Deo ipso charitas radicatur & fundatur.

E

Qui enim confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui fundatus est super æternū. Tam enim perire non potest, quam nec ille, cui adhærens vnus cum ipso spiritus est. *Quis enim sperauit in Domino & confusus est*: permansit in mandatis illius, & derelictus est? Si dixerit infidelis, ille derelictus erat qui in cruce clamabat, *Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti?* puto quia non vsquequaque dereliquit, in quo erat mundum reconcilians sibi. O quanta consolatio sic desolari, quanta dilectio sic derelinqui, vt vnico patris vnice dilecto merearis vel in passionibus consociari.

Psal. 124.

Aperi Domine oculos huius pueri, rursum loquor & nouitium, qui cum tribulatur putat se derelictum. Nouum hoc omnino & insolitum, si iustum quempiam viderem derelictum, cum Ecclesia dicat, *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum.* Aperi inquam ô Domine oculos pueri tui, vt videat quia plures nobiscum sunt quam cum aduersariis.

Psal. 36.

F

Siquidem Dominus virtutum nobiscum, & cum eo omnis virtus & militia cœli, imo fauor omnis creaturæ, seruientis nutui & arbitrio creatoris sui. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Et quis est qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus? Poterit inuidus ille sæuire, sed hoc erit seruire. Poterit vrere, tundere, dissecare, sed hoc erit coronas fabricare. Diligam te Domine fortitudo mea, per quem mihi vermiculo succumbit omnis fortitudo contraria, & illuditur ab angelis tuis in ministerium nostrum missis antiqui draconis astutia, vt volens nocere, prosit. Diligam te Domine propugnator potens, gubernator prudens, consolator clemens, remunerator affluens. Securus in eum proiicio omnem sollicitudinem meam: cuius nec potentia vinci, nec sapientia falli, nec beneuolentia potest fatigari quo minus expleat omnem indigentiam meam. Quam satius, quam securius est ipsum esse sollicitum quam meipsum pro me: quam bonum est confidere in Domino, quam in homine: quam iure maledictus qui confidit in homine, carnem ponit brachium suum, & recedit à Domino cor eius.

Rom. 8.

G

Et quidem egenus & pauper ego sum: sed si Dominus sollicitus est mei, diues sum, beatus sum, cui nimirum omnia cooperantur in bonum. Sperent igitur in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis sperantes in te Domine: sedeatque populus tuus sicut scriptum est, *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, in securitate sempiterna.* Omnino pulchra pax & securitas sempiterna, habitare in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorari. Prorsus requies opulenta, sedere feriatum sub vite vera, ficu, & oliua, & post saturitatem variorum fructuum, seipsum mulcere carmine amatorio, ac dicere: *Sub umbra illius quam desideraueram, sedi: & fructus illius dulcis gutturi meo.* Plane dulcis gutturi fructus, de cuius gustu tam dulcis erumpit fructus.

Esaie, 32.

Cant. 2.

Hæc sunt ergo tabernacula fiduciæ, in quibus verus Israël habitat confidenter, pascit & cubat, & non est qui exterreat: & sicut sapientia promittit, requiescens absque terrore abundantia perfruitur, malorum timore sublato.

H

Securitas nunquam sit sine timore Domini.

Et bene timore malorum sublato, non timore Domini, ne fiducia ista & securitate quam commendamus, negligentiam putes generari, cum non in alio quam in timore Domini sit fiducia fortitudinis. Timor quippe dum cauet offensam, custodit gratiam, locumque seruat fiduciæ, quandiu tibi conscius non es Dominum offendisse. Inde fit vt non nisi caste timeas eum: præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conscientia bona fiduciam istam præsumit, suadetque corda nostra in conspectu iudicis æterni. Quis enim bene sibi de illo promittat, à quo se minime diligi intelligat? Qui autem diligit nunquam diffidit: sciens quia is quem corda non fallunt diligentes se diligit, etiam cum arguit & corripit. Siquidem eruditis corde in sapientia, non aufert sed auget fiduciam patris disciplina, scientes scriptum: *Beatus qui corripitur à Domino*: &, *Ego quos amo arguo & castigo.* Cum igitur

Iob. 5.

exarserit

A exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo: quos scilicet amoris proprij conscientia consolatur, quia cum iratus fuerit misericordiæ recordabitur, & cum dixerint: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi*, statim subsequentur, *conuersus est furor tuus & consolatus es me*: eo quod non nisi in breui exarserit ira eius, quam tam cito placuerit confessio reatus. Merito igitur benedictum virum qui confidit in Domino, Hier. 17. ligno comparat Hieremias quod transplantatur super aquas, quod quia ad humorem amoris mittit radices cordis, non timebit cum venerit æstus iræ & tribulationis; sed & in tempore siccitatis cum multo tempore cœlum clausum fuerit, nec ros nec pluuia gratiæ super eum descenderit, non erit tamen sollicitum, quasi Deus eum proiecerit. Sentit quippe se plantatum fide, radicatum Ezec. 47. charitate *super aquas vitæ*, quæ secundum Ezechielem, *de sanctuario egredientes viuificant omnia, & habent in vtraque ripa omne lignum pomiferum, cuius folium non defluit, nec fructus deficit*. B Cur igitur lignum illud benedictum aut timeret æstum, aut de siccitate esset sollicitum, cui aqua viua id est spiritus sancti gratia vitalem in occulto succum spei & charitatis subministrare non desinit: vnde & folium sit viride, id est, verbum plenum gratiæ & veritatis, & ipsum non designat aliquando facere fructum quodcunque opus pietatis? Et grata quidem illa verna temperies, pacis & lætitiæ: desiderabilis illa pluuia voluntaria quam segregauit Deus Psal. 52. hæreditati suæ: sed si ita necesse est, adurat omnia æstus tribulationis, veniant iterum quæcunque prophetauit Hieremias de sermonibus siccitatis spiritalis, non tamen timebit, quem fiducia Domini radicauit super aquam refectionis, id est gratiam spiritus sancti: quæ etsi manifeste non pluat, vt sensibiliter influat, occulte tamen interius viuificat & fœcundat quandiu videlicet fidem propositi conseruat, ad perseuerandum confortat, verbumque irreprehensibile & opus stabile subministrat. In huiusmodi vestra fratres sit consolatio, quoties alias consolationes C non modo carnales sed & spiritales subtraxerit vobis, non negligentia vestra, sed dispensatio diuina. Et fortasse quidem illa quam diximus occulta gratia spiritus Iosue. 15. irriguum est inferius, quo nimirum Axa non vult esse contenta, nisi adiiciatur ei & irriguum superius: vt scilicet de excelso effundatur spiritus, *rorent cœli desuper, & nubes* angelicæ *pluant iustum* iustificans Dei verbum loquens ad cor Hierusalem. Et bene illud irriguum inferius, quod quasi ad radices fluens nutrit humilitatẽ: hoc autem superius, quod sese desuper effundens, spe & exultatione attollit mentem. Si ergo & vos fratres ad illud suspiratis superius irriguum, laudabile quidem desiderium: si tamen nondum attingitis, mittite radices interim ad humorem, salubre remedium. Qui igitur non præualet capere lætitiam contemplatiuæ, meditetur iustitiam vitæ actiuæ: inde radices affectionum impinguet, dulcoret mores, omnemque vitæ statum informet. quatenus in ipso nec marcescat aut defluat folium, id est verbum leuiter aut inutiliter prolatum, nec aliquando vita D desinat facere fructum. Benedictum lignum cuius folium ad medicinam, fructus ad vitam: id est cuius sermo gratiam parit audienti, & opus vitam facienti. Ad hoc profecto vos fratres mei, quos carnalis generatio vel consuetudo secularis plantauerat in terra inaquosa, in terra salsuginis, diuina generatio vel mutatio dexteræ excelsi transplantauit super aquas refectionis, vt quibus prius propter sterilitatem parabatur securis & ignis, nunc plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri floreatis & fructum faciatis, & fructus vester maneat. An non aquæ refectionis scripturæ spiritus sancti, in quibus meditamur die ac nocte? An non aquæ refectionis, lachrymæ compunctionis, quæ nobis factæ sunt panes die ac nocte? An non aquæ refectionis, sacramenta & subsidia nostræ salutis, quibus pascimur & potamur in altari; In his siquidem omnibus quasi quibusdam riuulis fons sapientiæ qui oritur in medio paradisi deriuatur foris & in plateis aquas suas diuidit. Eccl. 24. *Ego*, inquit sapientia, Esa. 66. *quasi aquæductus exiui de paradiso. Dixi, rigabo hortum meum plantationum, inebriabo partus mei fructum.* E Ecce vt colligere potestis ex ipsius ore sapientiæ parientis & plantantis, hortus plantationum, est congregatio filiorum. *Nunquid enim ego qui alios parere facio, ipse non pariam*, dicit Dominus? Ipse parit, cum ingenerat voluntatem bonam, plantat cum instituit vitam, rigat cum sensibus infundit gratiam, colit cum moribus adhibet disciplinam: audite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Mittite radices ad humorem vitæ, id est amorem terræ viuentium, non huius in qua omnia senescunt & putrescunt. Non potest arbor facere fructum qui permaneat, nisi sursum in cœlestibus radicem figat: vt quæ sursum sunt non quæ super terram quærat & sapiat. Quod enim Physici dicunt hominem esse arborem inuersam, eo quod neruí corporis radicem & initium in vertice habeant, ego illo potius sensu interpretor, quod radicem, amoris & desiderij figere debeat in cœlo, in summo F vertice rerum capite nostro Iesv Christo. Qui illuc radices miserit, & de illo fonte æterno, succum vitæ & gratiæ iugiter biberit, non timebit cum venerit æstus iudicij: sed afferens & offerens fructum quem fecit plurimum, id remunerationis accipiet, vt floreat in æternum ante Dominum, cui est honor & gloria per omnia sæcula sæculorum.

Sermo de eodem III.

Eccl. 45. D*Ilectus à Deo & hominibus.* Paucis expressit bonum ac beatum virum, qualem nimirum constat dilectum Domini fuisse Benedictum. Paucis inquam comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis, simulque beatitudinem vitæ perennis, & consolationem præsentis. Quid enim deesse potest ad æternam fœlicitatem illi, qui a Deo diligitur? quid ad præsentem consolationem illi, qui ab hominibus diligitur, illi nempe qui à Deo diligitur, & si aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi vt nihil ei desit: & suo, vt G 2. Cor. 12. puritur, defectu perfectior sit. *Nam virtus in infirmitate perficitur. Paule*, ait Dominus, *sufficit tibi gratia mea.* Cui gratia Dei sufficit, sine damno graui imo cum lucro non medioeri aliquid gratiæ deficit, quandoquidem ipse defectus & infirmitas virtutem perficit, & imminutio cuiusdam gratiæ, summam omnium gratiam Dei ampliorem ei & stabiliorem efficit. Longe fac Domine a seruis tuis gratiam illam quæcunque sit, quæ adimere aut imminuere gratiam tui possit: vnde videlicet aliquis gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis tuis. *Gratia illa quæ diuina gratiæ contraria est, repudianda.* Non est illa gratia, sed ira, illis plane quibus iratus es dari digna, quibus propter dolos posuisti talia deiiciens eos dum alleuantur, & elidens valide, dum super ventum ponuntur. Vt igitur illa sola gratia sine qua nullus à te diligitur salua nobis maneat, omnem aliam gratiam tua nobis gratia subtrahat, aut certe gratiam vtendi simul conferat: quatenus habentes gratiam per quam seruiamus placentes cum metu & reuerentia, de gratia muneris, gratiam promereamur H remuneratoris: & quanto quis fuerit gratiosior, tanto tibi fiat gratior. Sane mirabili arte, sed mirabiliori charitate prudens clementia clemensque prudentia Dei, saluti consuluit humanæ: vt cum cunctos diligat, non tamen facile de dilectione sua certos, aut securos esse sinat: *Deus cum cunctos diligat, non tamẽ facile de dilectione sua certos esse sinit.* nec ob aliud magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se abscondat, nisi vt dum semper custodit humiles, semper habeat amabiles. Sunt enim iusti & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Moderator nempe omnium sic eis dispensat gratiam munerum & operum, vt ex quibusdam quæ concedit, consolationem quod digni sint amore tribuat: ex quibusdam quæ subtrahit, suspicionem ac metum quod odio digni sint inuciat. Consolatur, cum diluculo visitat: terret, cum subito probat. Nunc mortificat, nunc viuificat: nũc deducit ad inferos, nunc reducit. Nunc pauperem facit

&

A & ditat: nunc humiliat & subleuat. Et in tanta vicissitudinum varietate tanto certius salutem nostram operatur: quanto nos incertiores de ea, cum maiore metu ac tremore ei cooperamur. Ait quidem Paulus, *Certus sum quia nihil me separabit a charitate Dei.* Sed vere Paulus hic erat, non ego aut tu, quibus omnia in futurum seruari expedit incerta. Paulus inquam hic erat qui hoc dicebat: cui nimirum & illud dicere competebat, *Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus*, qui scilicet ita totus in quendam diuinum conuersus erat affectum, vt adhærens Domino vnus cum ipso esset spiritus. Vide tamen hunc ipsum Paulum qui ita modo certus erat alias trepidum ac sollicitum & castigantem corpus suum ne forte cum aliis prædicauerit, ipse reprobus efficiatur: vide etiam colaphizari a Satana, ne forte extollatur. In ipso itaque Paulo iam tibi est videre quomodo omnis certitudo, quæ ad horam confortatur & conualescit de spiritus consolatione, item infirmatur & euanescit superueniente tentatione. B Ego igitur miser & ipsa indignus vita, qua consolatione, qua fiducia me dignum esse amore præsumam, cui omnia & interiora & exteriora manifestum odium denuntiant? cuius vita, non tentatio, non militia est aduersus peccatum, sed vltronea seruitus peccati: qui tam mente quam carne seruio legi peccati, qui cum prudentia carnis & amicitia mundi, quæ ambæ inimicæ sunt Deo, fœdus miserum pepigisse videor: plane fœdus cum morte, pactum cum inferno? Scio tamen, scio qui dixit: Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum cum inferno non stabit: quia nimirum inimicis Dei nil amicum esse poterit, & non mortem, aut infernum, sed omnem quoque creaturam ad vltionem inimicorum zelus armauit. Quam beatus in die illo quicunque erit ille dilectus à Deo, quam laudabiles quibus tunc laus erit à Deo, quibus dicet euidenti rerum argumento. *Vos amici mei estis, eo quod feceristis quæ præcepi vobis.* Et hæc quidem prima virtus, istud optimum gratiæ munus, præcipuus vitæ C fructus qui a beatitudinis certissimum pignus, Dei scilicet amicitiam promereri, quo propitio poterit homini aliquis inimicari, *sed nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Iam vero si post hanc & per hanc summam omnium causamque bonorum, gratiam etiam illam promereatis, vt dilectus à Deo, etiam dilectus sis ab hominibus: quæ consolatio est illa in miseriis huius vitæ? quæ requies? quod gaudium? quæ deliciæ? præsertim si didiceris fauore gratiæ humanæ non euanescere, sed exardescere ad diligendum amplius, propter quem diligeris ab hominibus. Alioquin nempe si aliunde oriatur, vel alio referatur, quid est fauor humanus, nisi ventus vrens, aura corrumpens vel pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi vt cadat ascensor eius retro? vir quippe vanus erigitur in superbiam, & vanitate sensus sui velut equo præcipiti fertur in ruinam. Huiusmodi nimirum serpens vulnerat & subuertit vestigia: dum veluti blandiens capiti, D tenera illius facit laudari primordia. Haud secus nisi fallor contingit homini qui antequam diligere sciat, diligi nimis affectat: & antequam vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicos sibi omnes conciliare quærit facit diuitias non cum iudicio, in medio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens, cum omnes amici eius spreuerint eum, pro quibus spreuit ipse Deum. Tunc fiet sermo qui scriptus est: *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos.* Primo itaque omnium illa quæ prima & finis est omnium quærenda est dilectio Dei, cuius merito digni simus etiam ab hominibus diligi: & cuius studio docti simus, dilectione hominum qualiter nos oporteat vti. Cum autem rem in tuto locaueris, ita scilicet firmato affectu mentis, vt non nisi in Deo, & propter Deum diligi velis, tunc omnino volo, vt dulcedo morum tuorum, humilitas obsequiorum, honestas studiorum, ad omnem te commendet conscientiam hominum, vt vltro te rapiant affectus omnium, testimonio prædiceris omnium: quatenus ipsa religio quæ te commendat, iusta vicissitudine per te commendabilis fiat. E Sic in te quoque filio adoptiuo, vnigeniti complebitur oratio: *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te:* dum videntes claritatem operum tuorum glorificabunt patrem tuum. Neque id dicimus quod inter dilectionem Dei, & dilectionem proximi sit aliquis ordo temporis, quamuis sit ordo affectionis. Statim quippe ab initio & illam oportet obseruare, & istam non negligere: quando nec Deus sine proximo; nec proximus sine Deo vere potest diligi: quamuis ordinata affectio ignorare non possit, quæ de duabus dilectionibus præponderet alteri, quæ debeat alteri formam & modum præscribere, finemque præfigere. Sed hoc dicimus quod aliud est amari, aliud amari studere. Quod profecto studium sicut periculose assumitur ab illis, qui plus vanitate quam charitate blandi sunt: sic periculose negligitur ab his, qui plus superbia quam sapientia austeri sunt. F Quam ob rem beatum dixerunt, qui inter vtrumque vitium, illius scilicet vanæ amicabilitatis & superbæ seueritatis, mediam tenere potuit regalem viam veritatis: id est, vt vera charitate plenus, nec per vanitatem hoc studium sectetur, nec per tumorem dedignetur. Illa tamen est vis & natura veri amoris, vt etiam cum non affectat, tamen efficiat se reamari: quoniam veritas etiam sine alieno suffragio facile se ad omnem conscientiam commendat, nisi dira malignæ mentis obsistat nequitia, quæ parata est sinistre interpretari omnia. Ad hunc tamen sanctum amorem conciliandum, quidam proprium donum habent ex Deo, qui exhilarans facies eorum in oleo, perfudit eos quodam placore ac nitore gratioso, omnia tam facta quam dicta ipsorum gratificans in oculis omnium; cum multi qui forsitan non minus imo & amplius amant, non facile eandem gratiam inueniant. Ad omnes autem pertinet, vt prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, nec conscientiam negligant amore famæ, G nec famam fiducia conscientiæ. Nam & de ipsa conscientia quomodo tibi blandiri potes, nisi sine querela sis inter fratres, imo nisi te fratrem inter fratres in omni conuersatione tua demonstres? Putas enim satis esse si non scandalizas? Imo scandalizas, si non ædificas: si non testimonium habens bonum intus & foris, quantum ad gradum tuum attinet, Deum vbique glorificas. Sane malis quibus non placet nisi malum, quibus iustus grauis est etiam ad videndum si illis placere te non sinit, non tua negligentia, cum omnes etiam inimicos diligas, sed ipsorum nequitia qui retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione tua? consolatur te qui ait, *Beati eritis cum vos oderint homines:* & ille qui ait, *Quia talibus si placerem, Christi seruus non essem.* Verum illud miserabile est malum, omnique lachrymarum flumine plangendum, quod quidem sæpius experiuntur, non modo prælati sed etiam subditi, qui fratres suos æmulantur Dei æmulatione, quod scilicet & boni, licet non ex ea parte qua sunt boni, bonos inueniuntur odisse. Oderunt H corripientem in porta, & inimici hominis domestici eius, ita vt etiam Paulus ingemiscat, *quod filiis & amicis inimicus factus sit*, vera dicens. Ergo & ipse expertus est quod Comicus ait, *Veritas odium parit:* imo & illud quod sponsa memorat: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, cum ego pugnarem pro eorum salute. O victrix regina, ô triumphatrix magnifica, pugna ne cedas, ne discedas, aut lassescas. Noli vinci a malo sed vince in bono malum.* Sapientia vincit malitiam, quanto magis infirmitatem aut imprudentiam? Neque contradictionem carnalium, malitiam interpretari potest charitas spiritualium: sed magis ignorantiam, aut infirmitatem qua præuenti sunt. Quanquam nec ipsis Apostolis contumelia visa sit, quod mali à Domino sunt appellati. Quare autem hæc ita loquor fratres mei, dilecti Deo & mihi? Nunquid quia malū huiusmodi suspicor in aliquo vestrum, contra quod mihi vel fratribus meis sit pugnandum? Nunquid enim aliquis inuenitur in vobis, non dico rebellis, sed vel durus & intractabilis: Loquor hæc

non

Margin notes: Rom 8. — *Certitudo nostra quæ ad horam conualescit de spiritus consolatione, euanescit superueniente tentatione.* — Esa. 28. — Ioan. 15. *Amicitiam Dei commeruisse, præcipuum vitæ fructum.* — *Consolatio magna ab hominibus diligi. Fauor hominum qui in Deum nō tendit, nil pestilentius.* — Psal. 52. — *Dilectio Dei primū quærenda, ob quam digni simus ab hominibus diligi.* — Ioan. 17. — *Amari est aliud & aliud studere amari.* — *Amoris ea est vis, vt cum non ambiat amari, efficit tamen vt ametur.* — *Conscientia non est negligenda amore famæ nec fama fiducia conscientiæ. Scandalizat proximū, qui non ædificat.* — Matt. 5. Gal. 1. — *Veritas odium parit.* Cant. 1. Sap. 7.

A non quia ita in vobis sit, sed ne aliquando sit, ne forte aliquando culpiam aliqoa infirmitas subripiat, vt quamcunque correptionem charitatis, nisi cum charitate suscipiat. Sic fiet, vt tam is qui corripit quam ille qui corripitur dilectus sit à Deo & hominibus, & memoria vtriusque in benedictione sit: quod meritis beati Benedicti patris oostri præstare dignetur ille siogulariter benedictus Dei patris IESVS CHRISTVS, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Sermo de eodem IV.

Eccl. 45.

IN *fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Hæc quidē de Moyse scripta sunt, sed hodie beato Benedicto non incongrue quantum arbitror aptata sunt. Qui cum omnium plenus fuerit spiritu sanctorum, multo magis de spiritu Moysi credendus est habuisse non minimum. Si enim Dominus de spiritu Moysi tulit, & posuit super B omnem illam suffraganeam turbam seniorum, qui in partem ministerij sunt asciti, quanto magis super istum qui plenitudinem totius ministerij, tanto verius quanto spiritalius impleuit? Ille dux fuit exeuntium de Ægypto, iste renuntiantium sæculo: Legislator ille, legislator & iste: Ille tantum minister literæ occidentis, iste spiritus viuificantis: Ille ad duritiam cordis Iudæorum dedit eis iustificationes non bonas, præter pauca moralia: iste solam puritatem Euangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam: Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia: iste rectissimam vitæ scribit regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam. Denique dux ille filiorum Israël quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit: dux noster recta via, orientis tramite, tanquam signifer exercitus Monachorum hodie præcessit nos in regnum cœlorum. Itaque non erit absurdum, si credatur illius adæquasse meritum, cuius inuenitur etiam superasse ministerium. Nec incongrue videbitur ad ipsum C esse translatum, quod de illo scriptum legitur, *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus*: præsertim, cum harum præcipue virtutum fidei scilicet & lenitatis nobis ipse magister sit, qui nequaquam aliter vixit quam docuit. Quid enim præclarius illius fide, qui in ætate puerili mundum sibi arridentem irridens, tam mundi quam corporis sui florem quasi iam aridum calcauit, magis appetens pro Deo mala mundi perpeti, quam in eo temporaliter prosperari? Quid similius illi fidei

Heb. 11.

Moysi, quam Apostolus commendans ait, *Fide Moyses grandis factus negauit se filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem?* Quid autem sanctius lenitate patris nostri, qui nec malitia falsorum fratrum vitæ ipsius insidiantium, & pro vino venenum propinantium potuit exasperari? Moysen quidem scriptura prædicat mitissimum fuisse super omnes homines qui morabantur in terra, nunquid tamen exacerbatum spiritum eius negat?

Lenitas sine zelo timiditas.

D Nunquid non iratum & valde iratum aduersus æmulos memorat? Huius autem magistri nostri mansuetudinem non solum erga maledicos, sed etiam erga maleficos, mirabilem me legisse memini, iracundiam non memini. Quanquam nec in ipso sicut nec in Moyse præconio sanctæ lenitatis præiudicet, si iustus zelo contra peccantes feruet, sine quo lenitas tepor aut timiditas est. Quomodo namque lenitas illa sanctum quempiam faceret, quæ in Hely, qui alias sanctus erat, damnata est? Fratres habete pacem inter vos mandat ille magister pacificus, & lenis: prius tamen præmittit, habete salem in vobis:

Lenitas nutrix vitiorū.

sciens nimirum pacis lenitatem vitiorum esse nutricem, nisi prius asperitas zeli mordacem eis insperserit salem: sicut & carnes vermescere facit inclementia temporis, nisi desiccauerit eas feruor salis. Habete itaque pacem inter vos, sed quæ sale condita sit sapientiæ: sectamini lenitatem, sed quæ ferueat fide. In fide & lenitate vos quoque sancti eritis: nec iam lenitas suspecta erit, si fides præcesserit: tantum fides non ficta, sed vera sit, fides non mortua, sed viua & viuida sit. Non modo

E modo vel viuida, sed & constans & intrepida fides erat Moysi, de quo Paulus scribit: *Fide reliquit Ægyptum*: non veritus animositatem Regis. Animosi sunt Reges, sed animosior est fides: quippe quæ potentiam eorum nullam esse videt, ac per hoc omnem persequentium insaniam secura quasi superior irridet: promptior & fortior ad perferendum, quam illorum furor ad persequendum.

Heb. 11. Fides nullam potentiā metuit.

Duo sane commendare mihi videtur Apostolus in illa memorabili fide Moysi, cui occasione lectionis hodiernæ comparandam diximus fidem sancti Patris nostri Benedicti, scilicet quod idem Moyses qui fidei exemplum factus est, huius mundi contempsit prospera, nec timuit aduersa.

Fides prospera & aduersa vincit.

Prospera contempsit, maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi: aduersa non timuit, non veritus scilicet animositatem Regis, ad vtrumque vero causam Apostolus subiunxit, vnde scilicet id potuerit, vt discamus vnde fides nostra infirmetur in nobis. Maiores diuitias reputabat thesauris Ægyptiorum improperium Christi: *aspiciebat enim*, inquit, *in remunerationem.* Non est veritus animositatem regis, *inuisibilem enim*, inquit *tanquam videns sustinuit.*

F

Temporalia facilè contemnuntur, si pro oculis habeantur æterna. Fidei lyncei oculi.

Nimirum inde fit vt nihil reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna: inde fit vt facile potestas contemnatur humana si tanquam semper imminens potestas timeatur diuina. Vtrumque vero sola fides agit, cuius tam viuidi, tam perspicaces sunt oculi, vt & in ea quæ futura sunt prospectum viuaciter porrigat, & in ea quæ licet præsentia sint, occulta sunt tamen, intuitum perspicaciter figat. Fidei siquidem quam æternus spiritus illuminat, nec mora temporis, nec moles corporis præiudicare potest, quin & tempus præcedat, præsumendo quod futurum est. & corpus excedat intuendo quod spiritus est. Gemina siquidem est fidei virtus contemplantia non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, sicut gemina est ratio eorum quæ non videntur. Aut enim ideo non videntur, quia præsentia non sunt: aut ideo, quia & si præsentia sunt spiritualia sunt. Præsentia non sunt, bona futura quæ pro-

G mittuntur: præsens est, sed occultus est, quia spiritus est Deus ipse qui promittit vel minatur. Porro fides quia est substantia sperandarum rerum, bona futura quæ sperat, quasi præsentia præsumit, & iam quasi subsistere in corde credentis facit. Item quia est argumentum non apparentium, Deum & si non appareat, præsentem tamen esse sibi coarguit, probat & conuincit. Illi qui dicebat, qui conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo, fides erat substantia rerum sperandarum: illi qui inuisibilem tanquam videns sustinebat, argumentum erat non apparentium. Qui enim dicebat, Spe salui facti sumus, nonne quod sperabat & per patientiam expectabat, iam per fidem in corde suo subsistere demonstrabat? Et qui proponebat Dominum in conspectu suo semper, nonne persuasum tenebat argumento fidei, eum præsentem esse qui non apparebat? Huic fidei prorsus aptissime congruit quod scriptura

Heb. 1.

H dicit: *Iustus ex fide viuit.* Hæc enim iustum facit, iustumque custodit & vt viuat in æternum, interim spei gaudio pascit. Quid enim sic hominem à peccato reuocat & seruat, sicut fides quæ inuisibilem tanquam videns sustinet & obseruat? Quid ita spe gaudentem facit, sicut fides quæ semper in remunerationem aspicit? Nos enim fratres quare negligentes sumus, nisi quia præsentia iudicis nostri minus vigilanter intendimus? Aut quare tristitia pene absorbemur, nisi quia remunerationem promissam minus fideliter cogitamus?

Negligentia & tristitia misere laboramus.

Hæc siquidē duo mala sunt negligentia scilicet & tristitia, quibus miserabiliter infidelitas nostra laborat: quia videlicet aut negligimus mandata, aut si necessitate timoris à negligentia coercemur, nequaquam hilariter operamur, nec sicut fides postulat, spe remunerationis in labore consolamur, *Credere*, inquit, *oportet accedentes ad Deum quia est, & inquirētibus se remunerator est.* Si non dissimulemus quia est, habemus custodiam timoris: si non dissimulemus, quia inquirentibus se remunerator est habemus consolationem spei. Vbi custodia timoris, nullus locus negligentiæ: vbi

A conſolatio ſpei, nullus locus triſtitiæ. Sicut autem de fide qua Deus eſſe creditur, timor ſalubris naſcitur: ita cum minime creditur aut diſſimulatur, omnibus malis ſrena laxantur. Quare enim corrupti & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus? niſi *quia dixit ille generalis inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus:* aut certe ſi neſcire Deum non permittitur, non eſt timor Dei ante oculos eius, ſed doloſè agit in conſpectu eius, diſſimulans quod nouit inuitus, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Merito prorſus doloſus ad odium, qui ignorantiam Dei non habet ſed odium. Quomodo enim non odit Deum cuius declinat aſpectum, cõtemnit imperium, vellet non eſſe iudicium? Ignorans quidem ignorabitur, odiens autem & odietur. Ille reprobabitur veritate iudicij, in iſtum vindicabitur ſeueritate odij. Adeo fratres periculoſior eſt fides ficta, fides doloſa, quæ ſeipſam diſſimulat, quam fides nulla, per inſipientiam dicit in corde ſuo, *non eſt Deus:* fides ficta per nequitiam doloſè agit in conſpectu eius, & ſe ſcire Deum vel ſciri à Deo diſ- **B** ſimulat: dum ſciens & prudens, imo imprudens ſub oculis eius peccat. Neſcio tamen quomodo poſſit dici fides, quæ fictos & doloſos potius facit quam fideles. Scio quidem quia confeſſione fidei plena eſt terra, ſed tamen audio prophetam plangentem. Quia periit fides de terra. Putas enim filius hominis ſi nunc veniret, inueniret fidem ſuper terram? Nunquid fidẽ reputaret hanc fidem fictam negligentium & contemnentium, qua leuius damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem iudicat credulitatem dæmonum? *Dæmones credunt & contremiſcunt*, homines credunt nec contremiſcunt. Dæmones quem credunt verentur, homines dum quem credunt, nec timent, nec verentur, grauius de contemptu iudicantur. Non fallamur ergo fratres generali nomine fidei, quaſi quæcunque fides ad iuſtitiam debeat reputari, ſed meminerimus doctor gentium in fide & veritate qualem diſtinxerit fidem, qua Deo eſt placendum: *Fides*, inquiens, *eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum* **C** *apparentium.* Hæc eſt fides quæ per dilectionem operatur, vt ſuadente conſcientia meritorum, de fide ſpes naſcatur, fideſque ſupponatur velut ſubiectum & fundamentum cui ſuperædificentur bona æterna, quæ ſperanda ſunt. Sine iſta fide impoſſibile eſt placere Deo, & cum iſta impoſſibile eſt diſplicere Deo. *Oculi tui Domine reſpiciunt fidem*, dicit ille qui iugiter in conſpectu tuo ſtabit per fidem. Omnino iuſte & merito: Prorſus viciſſitudo, vt oculi tui Domine reſpiciant fidem, quia oculi mei ſemper ad Dominum fideliter dicentem intelligis fidem. Nos autem fratres, ſi tanquam ſine fide ſumus, Deum poſt dorſum noſtrum ponimus, vt diſſimulantes timorem eius in vanitates potius reſpiciamus, quo merito nos reſpiciendos putamus? Imo reſpiciemur, ſed quo vultu? Vultus Domini ſuper facientes mala: ſed quam iratus, quam terribilis, quam importabilis tunc demum ſcietur, quando fugient qui oderunt eum à facie eius? Et à facie tua Domine quo fugient; niſi in tenebras exteriores, in illud chaos & abiſſum ignis & caliginis? *Tunc enim dicent montibus, cadite ſuper nos;* **D** *& collibus, operite nos:* leuiùs æſtimantes abſorberi voragine inferni, quam ſuſtinere faciem Dei irati. Enimuero tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia: tunc fides quæ modo ſollicita ſtat in conſpectu Domini, ad videndam voluntatem ipſius, ſecura ſtabit ad videndam gloriam eius. Vigilate fratres, ſtate in fide. Quem fides timore ſollicitat, non poteſt dormitare per negligentiam: quem fides in ſpe radicat, non poteſt titubare per diffidentiam. Omnia autem veſtra in charitate fiant, vt fidei lenitas iungatur, quatenus de vnoquoque veſtrum dicatur, In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum Dominus: quod ipſe præſtet ſanctus ſanctorum, qui viuit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

(Left margin: *des non ... nis re- catur ... meli-* / *im. .b 11*)

In Annuntiatione Dominica, Sermo I.

E OPportune nobis in his diebus Quadrageſimalis obſeruantiæ, ſolẽnitas interuenit Dominicæ Annuntiationis: vt qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant ſpiritali: & quos humiliauit pœnitentiæ luctus, annuntiatio illius qui tollit peccata mundi, conſoletur. Sic quippe ſcriptum habes: *Mæror in corde viri humiliabit eum: & ſermone bono lætificabitur.* (Prou. 12.) Prorſus ſermo bonus, ſermo fidelis & omni acceptione dignus, Euangelium noſtræ ſalutis: quod angelus miſſus à Deo, hodierna die Mariæ euangelizauit, ac lætum de incarnatione verbi dies diei, Angelus Virgini verbum eructauit. Sermo ille dum filium promittit virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem captiuis, adapertionem clauſis, vitamque ſepultis. Sermo ille dum filij regnum prædicat, iuſtorum quoque gloriam annuntiat: terret inferos, lætificat cœlos, & ſicut cognitione myſteriorum, ſic etiam nouitate gaudiorum perfectio- **F** nem auxiſſe videtur angelorum. Quem ergo non lætificet ille ſermo bonus in afflictione ſua? quem non conſoletur verbum illud in humilitate ſua? *Memor eſto*, inquit Dauid, *verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti: hæc enim me conſolata eſt in humilitate mea.* (Pſal. 118.) Verbum tantum promiſſionis acceperat, ſed nullo adhuc indicio ſeſe effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, ſed conſolabatur * certitudo ſpei ex fide promittentis. (* *fortitudo.*) Sic ergo Dauid ſola ſpe ſalutis huius quæ nobis ſeruabatur, animum paſcebat: quod gaudium, quæ deliciæ, rei ipſius exhibitio nobis eſſe debuerat? O fœlicitas temporum iſtorum: O infœlicitas temporum iſtorum. An non fœlicitas temporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ & omnium bonorum? An non infœlicitas temporum, in quibus tanta ingratitudo redemptorum? (*Temporis iſtius ingens & fœlicitas, & infœlicitas.*) Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus filium ſuum, vt fiat filius hominis, hominumque ſaluator: & ecce magnitudo temporis, vt ſaluatorem ſuum faſtidiat homo peccator. Annunciatur ſalus perditis, & contem- **G** nunt: promittitur vita deſperatis, & negligunt: venit Deus ad homines, & non aſſurgunt. Aſſurgit, qui aliqua deuotione ſe erigit, vt det gloriam gratiæ Dei: aſſurgit, qui ſaltem cum gaudio ſuſcipit verbum propriæ ſalutis. Scio autem ſcio, quis eſt qui lætificatur illo ſermone bono. Ille procul dubio quem prius humiliauit pius mœror in corde ſuo, mœror de peregrinatione & exilio, mœror de vinculis mortis & periculis inferni, qui mœrens quotidie plangit, quod præoccupauerint eum laquei mortis, & pericula inferni inuenerint. Huic nimirum iucundus aduenit hodiernus ille nuntius de cœlo, hic gratulabundus excipit ſermonem de Dei filio, huic inquam lugenti & mœrenti quod tantis ſit malis præuentus & circumuentus, non ſine gaudio liberator annunciatur: qui oleum gaudij daturus eſt pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, qui videlicet finem dabit miſeris, & ſine fine beatitudinem dabit miſeris. *Beati ergo qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur*, bea- **H** ti quos humiliauit pius mœror in corde ſuo, quoniam lætificabuntur ſermone bono. Bonus plane ſermo & conſolatorius omnipotens ſermo tuus Domine, qui hodie à regalibus ſedibus venit in vterum virginis, vbi etiam ſedem ſibi regalem extruxit, in qua cum etiam nunc ſedeat, quaſi rex circumſtante exercitu angelorum in cœlis, eſt tamen mœrentium conſolator in terris. Regali ſiquidem ex progenie virgo electa eſt, generoſitatis quidem regiæ nobilis proles, ſed virtutis regiæ nobilior indoles: vt æterno regi filio regis, materna quoque nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à regali ſede patris, regalis etiam thronus in aula virginali reginæ ſuſciperet matris; in ipſa quippe & ex ipſa ſapientia ædificauit ſibi domũ, in ipſa & ex ipſa parauit ſibi thronũ: cum in ea & ex ea corpus aptauit ſibi ita ad omnia perfectũ & congruum, vt & domus ei ſit ad quieſcendũ, & thronus ad iudicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum.

A Vide autem ne forte ipsa sit sedes Dauid patris eius, quam ei dandam promittit angelus: non quod Dauid in ea sederit: sed quod ex semine Dauid assumpta & fabricata sit. Et certe si sedes Dauid non est, tamen sedes tua Deus in seculum seculi ipsa est. Si solum Dauid non est, certe solium excelsum & eleuatum super omnem creaturam, ipsa est. Si quis autem etiam thronum illum grandem, quem Rex Salomon sibi fecit de ebore, corpus ipsum interpretetur quod pacificus noster hodie sumpsit ex Virgine, non multum à vero videbitur abhorrere: quandoquidem & illud quod sequitur, *& vestiuit eum* 3.Reg. 10. *auro fuluo nimis, eidem satis corpori congruit:* quod iam Dominus decore induit fulgoris intolerabilis. *Vestiuit*, inquit, *eum, auro fuluo nimis*. Prorsus si interroges oculos Apostolorum, qui transfiguratum in monte viderat, confitebuntur aurum nimis esse fuluum, id est fulgorem corporis esse nimium quem ferre nequiuerunt, quamuis nimis pro valde ponere consuetudinis sit scripturarum. B Cætera nâque quæ prosequitur scriptura de illius throni magnificentia, accommodatius, nisi fallor, si quis tractare voluerit accipientur de corpore Christi, quod est Ecclesia. Mihi sane magis mirari modo libet illud ebur tam pretiosum, imo & inæstimabile virginalis castimoniæ, de quo scilicet sedem sibi facere delegit qui sedet Pf. 94. super Cherubin: hæc, inquiens, *requies mea in seculum seculi, hic sedebo quoniam elegi eam.* Quam nitidum ebur illud, quod oculis tanti tamque diuitis regis placuit, in cuius diebus argentum nullius est pretij: quam frigidum quod nec à conceptu incaluit: quam solidum, quod nec partus violauit: quam candidum simul ac rubicundum, quod candor lucis æternæ ignisque spiritus sancti, vniuersa sui plenitudine repleuit. *Maria Virgo & Martyr* Maria siquidem & ipsa candidior niue, & rubicundior ebore antiquo, cui scilicet incomparabilem & castitas candorem, & charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam & suam ipsius animam pertransiuit gladius, vt mater summi Virginis & Martyris, esset & virgo ipsa & martyr, candida & rubicunda, quemadmodum dilectus eius candidus & rubicundus. C Denique sicut Salomon in omnibus thesauris suis & opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificum thronum scilicet gloriæ suæ iudicaret ebori præferendum: sic Maria singularem præ omnibus electis angelorum & hominum inuenit gratiam apud Deum, vt videlicet Dei conciperet & pareret filium, atque ex ebore corporis eius thronum sibi virtus altissimi, sine manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus ac mirabilis de quo scriptura perhibet, quia non est factum tale opus in vniuersis regnis: quod facile testimoniis probaretur angelorum, qui semper & insatiabiliter in gloriam & decorem dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in vniuersis regnis non est tale opus factum, quicquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, cœlestium, terrestrium & infernorum. Quam beatus igitur ille venter eburneus, vnde caro eburnea sumpta est redemptoris, pretium D animarum, miraculum angelorum, solium summæ maiestatis, thronusque potestatis, cibus vitæ immortalis, Matt. 4. medicina peccati, restitutio sanitatis. *Quotquot*, inquit, *tangebant eum, sanabantur à languoribus suis, nam virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Beatus igitur venter qui te Domine IESV portauit, fælix castitas vteri virginalis quæ huic operi materiam ministrauit. Fœlix prorsus fratres mei nitor illius eboris, id est, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicuius excellentis gratiæ, nostri præfert electio Salomonis, si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus. Proinde namque Salomon cum in carmine amoris castitatem prædicaret virginis seu sponsæ videlicet seu sponsi, quia quorum spiritus vnus & caro vna, in plerisque etiam laus vna, vt castitatem illius adornatam nostramque adornandam etiam aliis vir- Cant. 5. tutibus doceret, ait: *Venter eius eburneus, distinctus saphyris.* Vt autem noueris, quia castitas aliarum virtu- E tum seu gratiarum sit receptaculum apothecæ aromaticæ seu vnguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburneæ sunt, sicut Dauid in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli, Canticum pro dilecto, sponso Ecclesiæ accipiendum ostendit. *Myrrha*, inquit, *& gutta* Ps. 44. *& cassia a vestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Corpora siquidem eburnea sanctorum domus Christi sunt vestimentum Christi sunt, membra Christi sunt, templum spiritus sancti sunt. Ab his vestimentis Christi, ab his domibus eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum & charismatum, ex quibus delectant & honorant Regem Regum Filiæ Apostolorum & Prophetarum. Probastis & ipsi fratres mei ex quo cœpistis possidere vnusquisque vas suum in sanctificatione & honore non passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum, quid vnguentorum, quid odoramentorum diuina largitate sit infusum, quo modo corpus quod erat sentina sordium, nunc F Spiritus sancti sit venerabile sacrarium, & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam sit apotheca gratiarum. *Myrrha*, inquit, *& gutta & cassia a vestimentis tuis, à domibus eburneis.* Inhabitamus quidem domos luteas: sed quæ materiæ qualitate sunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ: ex quibus si myrrha prima spirare cœperit, per mortificationem voluptatum, consequentur & aliæ species aromaticæ, quæ multiformem virtutum gratiam spirabunt. Spirabunt autem Christo delectabile tanquam de vestimentis suis, spirabunt etiam longe lateque proximis, tanquam bonus odor Christi in omni loco. Horum vestimentorum Christi fragrantiam statim Gen. 27. vt sensit Isaac, *Ecce*, inquit, *odor filij mei, sicut odor agri cui benedixit Dominus* Sed & sponsus ad sponsam, quæ etiam corpus & vestimentum ipsius est, loquitur dicens: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Quem nimirum odorem thuris sponso gratissimum, pietas ô fratres vestrorum spirabit cordium, si ita fragrans & de- Cant. 4. uota fuerit, vt dirigatur oratio vestra *sicut incensum in conspectu altissimi, & ascendat coram eo sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Et quidem myrrha fra- G grat ei de corporibus vestris, fragrat vtique & mihi, vtinam myrrha & thus fragret de cordibus vestris, quatenus sponsus probans vos castos, sic etiam deuotos, frequen- Cant. 4. tius vos sua visitatione dignetur & dicat. *Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Videtur tamen sermo iste, prophetia huius esse diei, per Salomonem olim prædicta, per IESVM hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altissimum montium, montem non modo myrrhæ & thuris, sed & omnium aromatum: dico autem Virginem Virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipue nisi fallor redolebat sponso myrrha castitatis, & thus pietatis. Odor iste fratres mei super omnia aromata, odor iste Dominum maiestatis de excelsis attrahit & inuitat, vt inclinet cœlos & descendat, sicut probat dies hæc, cum altissimus angelo missu de cœlo ipse quoque descendit in vterum matris, qui semper manet in sinu patris, H cum quo viuit & regnat, per omnia secula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

HOdie verbum caro factum est, & habitare cœpit in Dan. 2. nobis, secundum regulam sane fidei, quam Ecclesiasticorum dogmatum diffinitio tradidit nobis. Firmissime namque tenet & nullatenus dubitat Ecclesia carnem Christi non prius conceptam, quam à verbo susceptam: sed ipsum verbum Dei carnis acceptione conceptum, carnemque verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in vtero virginis, & ad ædificandam vnitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit: dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostræ redemptionis separauit. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob: quia hodie Domini est assumptio nostra, vt

A *Maria terra benedicta.* inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, vt terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, & rorantibus cœlis desuper veterus virginalis Saluatorem germinaret. Maledicta terra in opere præuaricatoris, quæetiam exercitata, spinas & tribulos germinat hæredibus maledictionis: At nunc benedicta terra in opere redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumque vitæ parturit vniuersis, & filius Adæ præiudicium originalis dissoluit maledicti. Prorsus benedicta illa terra quæ omnino intacta, nec fossa nec seminata, de solo rore cœli Saluatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat: hæc itaque terra quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat Paradisus beatitudinis. Plane hortus deliciarum Dei, eremus cuius campi germinauerunt germen odoris, plane desertum refertum, de quo agnum

B *Esa. 16.* dominatorem terræ Pater emisit. *Emitte*, inquit, *agnum Domine de Petra deserti*, id est abscinde Petram de Petra, sanctum & inuiolabilem sancta & inuiolata proferat virginitas. Sane in hoc ipso satis decenter Christo occasus ortui, sepultura respondet conceptioni: dum videlicet emittitur agnus de Petra deserti, condendus in Petra monumenti: & cuius corpori monumentum excidendum erat in Petra, ipse ab initio conceptus sui, & corpus sibi excidit de Petra, & corpori locum in Petra: sic integritatem Petræ cum de ea emitteretur non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ Petram, cum de

1. Cor. 10. Maria petra dicta. ea egrederetur aperiens. *Si ergo Petra Christus*, vt ait Apostolus, *non degenerat à matre filius*, quando & ipsa Petræ nomine censetur. An non recte vocatur Petra, quæ & in amorem integritatis proposita firma affectu solida, sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat & lapidea? An non recte Petra virginalis integritas, quæ & nihil patit perit per naturam sui, & cum patit, totis virtute diuini, nec admit-

C tens conceptum, nec emittens partum oouit aperiri?

Esa. 45. *Sed aperiatur terra*, inquit Esaias, *aperiatur, & germinet Saluatorem*. O sancte Esaia qui dicis aperiatur, quid

Ezech. 44. ergo est quod Dominus ad Ezechielem testatur, *Porta hæc clausa erit, & non aperietur*? An tibi referatum fuit tantummodo consilium fœcundandæ matris, & clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integritatis? *Absit*, inquit, *nemo magis quam ego conscius huius secreti*. Quomodo enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tanto ante prædixi, *Ecce concipiet, & pariet filium*? Quæris igitur quomodo dicamus: ego, aperiatur: ille, non aperietur? Non aperietur viro, aperietur Domino: sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem, *vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Aperiatur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit: *Hæc clausa erit ipsi etiam principi, sed aperietur auris & porta cordis*: quia videlicet intrauit per aurem

D virginis verbum incarnandum, & exiuit per clausam portam corporis incarnatum. Omnipotens namque verbum Dei & si infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quo minus contra naturam carnis, & supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset & integra trajicere, sicut etiam ad discipulos ingrediens ianuis clausis, oculis probauit, quod ratio non capit. Secura igitur ô virgo intemerata, ô porta sanctuarij perenniter clausa, secura aperi Domino Deo Israel, qui tibi iandudum

Cant. 5. clamat: *Aperi mihi soror mea, amica mea.* Non est quod timeas integritati tuæ Deus non nouit integra violare, sed violata consolidare. Si verbo Dei apta es, tum de-

Ibid. 8. mum non modo clausa, sed & signata es. *Pone me*, inquit, *vt signaculum super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum*. Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere sigillum plane & munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ suæ, & eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custo-

E diam. Sit ergo ô virgo fidelis auris tua aperta ad audiendum, & mens tua ad credendum: aure percipe verbum angeli, & corde suscipe verbum altissimi, & corpore concipe filium Dei. Dic & tu ô beata tam humilis quam fidelis, dic Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij, *ecce ancilla Domini*: præsto sum eius voluntati, quinimo inuabo votis si possum, *fiat mihi secundum verbum tuum*. Hoc dicere, sic suam deuotionem offerre, istud plane est Domino pectus aperire, istud est etiam os aperire, & spiritum attrahere. Sic profecto aperiebatur terra: vt quem rorabant cœli desuper, susciperet rorem, & germinaret Saluatorem. Nobile germen, germen iustum, germen

Esa. 4. odoris, *germen Domini quod tam est in magnificentia & gloria, cum idem fructus terræ sublimis est super omnia*, id est, exaltatus est super cœlos Deus, & super omnem terram gloria eius, nihil enim interest, siue germen, siue fructum, aut florē dixeris, cum hæc omnia imo infinita alia

F vnus Christus sitires vna, sed multiformis gratia, & virtutis vni operatio multifaria: cui si infinita nomina paupertas humani sensus & sermonis, pro similitudine commodauerit, rei tamen implere significationē non poterit. Bene autem simul vocatur germen, & flos & fructus, qui sine gradu profectus, ab initio conceptus sui omni vir-

Christus in nobis est germen flos & fructus. tute & gratia in seipso extitit perfectus. In nobis enim primū ipse germen est, cum fides in confessionem prorūpit, vel opus manifestū: postmodū flos, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutum: demum autem fructus, cum beatitudo satiat hominem consummatum. Pulcherrime sanç ac vigilantissime, non solū mysteria, sed & mysteriorum præsagia dispensatio præordinauit diuina, vt locus in quo terra germinauit Saluatorem germen iustum, & flos de virga & radice Iesse ascendit, Nazareth, id est sanctitas, germen, flos, virgultum vocaretur: vt videlicet negotium loco, locusque negotio consona voce contestaretur, pariterque & nomen loci rem gerendam pronuntiaret, & res

G gesta causam nominis indicaret. Ignoscite mihi fratres mei, quia qui motum vestrorum seruire debueram instructioni, plus forsitan quam necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione & præconio mysterij. Quid enim mirum si miror quod stupent angeli: si prædicare gestio, quam cœli enarrant gloriam Dei? Quid mirum si me delectat, quod beatos spiritus lætificat, quod peccatores iustificat, iustosque glorificat; Nescio tamen si vlla esse possit efficacior ac suauior morum ædificatio, quam huius mysterij id est, verbi incarnati, fidelis & pia consideratio. Quid enim si hominem excitare potest ad amorem Dei, quam præueniens hominem amor Dei tam vehemens ad hominem, vt homo propter hominē velit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi, quam similitudo & natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplū nec cogitari posse maius aliquod existimo, quam exinanitionem Dei in formam serui, & seruitutem plusquā serui. Castitatem porro quid æque cōmendat, sicut quod ipsa castitas Saluatorem germinat? Aut fi-

H dei virtutem ac meritum quid euidentius ostendit, quam quod virgo Deum fide concepit, fide omnia sibi promissa diuinitus impleri promeruit? *Beata*, inquit, *quæ credi-*

Luc. 1. *dit*: quoniā perficientur quæ dicta sunt ei à Domino. Et vt plenius oueris conceptum virginis non solum esse mysticum, sed & moralem; quod Sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque tibi est ad imitationem, vt manifeste euacues in te gratiam Sacramenti, si

Concipitur in nobis Christus. non imiteris virtutem exempli. Quæ enim Deum fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promittit: quod videlicet si verbum ex ore nuntij cœlestis fideliter velis suscipere, Deum quem totus orbis non potest capere, possis & ipse concipere. Concipere autem corde non corpore, imo & corpore licet non corporali opere aut specie, tamen plane corpore tuo quandoquidem iubemur ab Apostolo glorificare & portare Deum in corpore nostro. Attende itaque vt scriptum est diligenter auditui tuo, nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*: quod tibi absque dubio euangelizat angelus

Dei,

A Dei, cum de timore aut amore eius tecum agit prædica-
tor fidelis, quem Angelum Domini exercituum dici &
esse non est tibi fas ambigere. Quam beati qui dicere
possunt, à timore tuo Domine concepimus & parturiui-
mus spiritum salutis, qui nimirum non est alius quam
spiritus saluatoris, quam veritas IESV CHRISTI. Vide
ineffabilem dignationem Dei, simulque virtutem incom-
Mau. 7. prehensibilis mysterij: *qui creauit te, creatur in te*, &
quasi parum esset, te ipsum habere patrem, vult etiam
te sibi fieri matrem. *Quicunque*, inquit, *fecerit volunta-
tem patris mei, ipse meus & frater & soror & mater est.* O
fidelis anima expande sinus, dilata affectus, ne angustie-
ris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit.
Aperi verbo Dei aurem audiendi, hæc est ad vterum cor-
dis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur
ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantur. Gra-
tias tibi sancte spiritus, qui vbi vis spiras, video munere
tuo non vnam sed innumeras fidelium animas illo gene-
B rosi germine grauidas: custodi opera tua, ne aliqua alia-
rum abortiat, conceptumque diuinæ sobolis informem
aut mortuum excutiat. Vos quoque ô matres beatæ tam
gloriosæ prolis *attendite vobisipsis, donec formetur Chri-
stus in vobis*: attendite ne qua foris offensa grauior fœ-
tum tenerum lædat, ne quid ingeratis ventris, id est men-
ti quod spiritum quem concepistis extinguat. Parcite si
non vobis, certe filio Dei in vobis, parcite inquam non
solum ab operibus & sermonibus malis, sed etiam à co-
gitationibus noxiis, & delectationibus mortiferis, quæ
plane suffocant semen Dei. Omni itaque custodia serua-
te corda vestra, quia ex ipsis vita procedet: cum scilicet
maturus se partus absoluet, & vita Christi quæ nunc ab-
scondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne
vestra mortali. Concepistis spiritum salutis, sed adhuc
parturitis, nondum peperistis. Si labor in parturiendo,
Ioan. 16. magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit tristi-
tiam habet labores, cum autē pepererit puerum, iam non me-
mor erit pressura propter gaudium, quia natus erit homo.*
C Christus in mundū exteriorem corporis nostri, quod &
minor mundus solet appellari. Qui enim nunc cōceptus
est Deus in spiritibus nostris, configurans eos spiritui
charitatis suæ, tunc velut homo nascetur in corporibus,
configurans ea corpori claritatis suæ, in qua viuit &
gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

Esa. 7. AVdite domus Dauid: Ecce dabit Dominus ipse vobis
*signum. Ecce virgo concipiet. Hodie impleta est hac
prophetia in auribus vestris.* Hodie namque illud ineffabi-
le conceptus virginalis miraculum, sicut audieratis pro-
missum, sicut audistis impletum: Virgo hodie concepit.
Et hoc signum prioribus retro seculis inauditum, nostris
seculis Dominus dedit. Et sicut Hieremias eodem spiritu
Hier. 31. & eodē sensu prædixit. *Creabit Dominus nouum super ter-
ram, quia fœmina circundabit virū.* Quid est enim *creabit
Dominus nouum super terrā, fœmina circundabit virū* quod
D ait Hieremias, nisi quod ait Esaias, *dabit Dominus signum,
Virgo concipiet filium.* Hoc nempe est circundabit, non de
consortio virili suscipiet, sed de se sola intra semetipsam
concipiet, & solius materni corporis inuolucro vestiet.
Alioquin dicant si possunt Iudæi, quod signum Domi-
nus in hoc dedit, si non virgo sed adolescentula, vt ipsi
falso interpretantur, concepit: aut quid nouum Domi-
nus creauit, si fœmina masculum de masculo susceptum
circundedit. Potest quidem mentiri iniquitas sibi: sed
in multitudine virtutis tuæ ô Domine mentientur tibi
inimici tui, vt virtutem tuam dum negat prauitas &
paucitas Iudæorum, gloriosius confiteatur fides omnium
populorum. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur
tibi populi omnes: quia terra dedit fructum suum*, virgo
germinauit IESVM. Velint nolint Iudæi, creauit Domi-
nus nouitatem huius miraculi, in signum eorum incre-
dulitatis: vtique in signum cui contradicunt vsque ho-
die: plus, nisi fallor, pertinacia odibili, quam igno-
rantia miserabili. Non alienum tamen ab origine & con-

suetudine viperei germinis, si modo contradicunt huic E
signo, postquam factum est: qui ab initio in patre in re-
ge suo impiissimo Achaz contradixerunt ne fieret. Lo-
cutus est enim Dominus ad Achaz dicens: *Pete tibi si-* Esa. 7.
gnum. Non petam, inquit, *& non tentabo Dominum.* O
religio prophana, ô pietas execranda, ô humilitas do-
losa. Ne tentes vt ais, Dominum; contemnis Domi-
num. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc
autem quomodo non grauius tentas, quem manifesto
contemptu irritas? Nouimus vtique, nouimus dolum
& inuidiam Iudaicæ radicis, quæ & antequam Christus
nasceretur, inuidere cœpit gloriæ illius. Nam & iste
Achaz quantum ex vita & moribus ipsius intelligi da-
tur, nam cultor Idolorum erat: non alta religione aut
metu signum recusauit petere cum iuberetur, nisi ideo
scilicet ne Dominus glorificaretur. Sane mira & plane
digna ira Dei & hominum, tam dira peruersitas Iudæo-
rum, qui cum iubentur signa quærere tenuunt, non vt
fingunt ne tentent, sed ne glorificent Dominum, non F
iubentur, tentant & quærunt. Nam velut natura & vsu
Iudæi signa quærunt, & si dantur calumniantur & infi-
ciari contendunt, vt manifeste confiteantur, quia ten-
tantes quærebant: non vt crederent facienti, sed vt in-
sultarent non facienti. *O gens peccatrix, semen nequam,* Esa. 1.
filij scelerati, ait Esaias, *nunquid parum est vobis molestos
esse hominibus*, mihi & aliis prophetis, imo vniuerso
generi hominum, *quia molesti estis & Deo meo? Propter
hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Quia enim vos in
peruersum aduersum eum inceditis, & ipse vt ait, per-
uersus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glo-
rificetur auctor miraculi: & ipse propter hoc dabit, vt
ipse glorificetur, & vos confundamini. *Fac Domine, fac
mecum signum in bono, vt videant qui me oderunt, & con-
fundantur*, ait de Iudæis ad patrem filius. Primum autem
signum quod pater & filius operati sunt in confusionem
infidelium, & gloriam fidelium, in testimonium suæ
virtutis, & opus nostræ salutis, arbitror hodiernum
esse virginis conceptum. Nam de ipso cum præmissum G
esset, *dabit Dominus signum*, quasi quærentibus quod si-
gnum intulit contextus prophetæ, verbis tamen euan-
gelistæ: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*: vt plane aut
consequentia vel veritate contextus careant, aut quod
est probabilius mendacium Iudæorum latebram non ha-
beat. Merito proinde cum iam *generatio praua & adul-* Luc. 11.
tera signum quærit, signum non datur ei, nisi signum Ionæ,
vt videlicet qui ob peruersitatem mentis non ædifican-
tur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, tri-
duanæ scilicet sepulturæ & mortis. Nam verbum crucis
& mortis *Iudæis qui pereunt scandalum est: his autem qui
salui fiunt*, id est nobis, *virtus Dei est*: nec minor aut in-
firmior nobis est filius hominis in corde terræ, quam in
consessu paternæ dexteræ. Signum quippe quod illi re-
cusauerunt, *siue in profundum inferni, siue in excelsum
supra*, nos fide plena ac veneratione deuota suscipi-
mus, agnoscentes filium quem concipit virgo, in pro-
fundo inferni signum nobis esse liberationis & veniæ: in
excelsum supra, signum & spem exaltationis & gloriæ. H
Qui enim primum *descendit in inferiores partes terræ, vt
in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu in quo
non aqua, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos vt adim-
pleret omnia.* Iam leuauit Dominus signum primum in
patibulo crucis, postmodum in throno regni: & exalta-
uit signum ad populos nationum, quia contradictum est
ei à populo Iudæorum, & quotidie à quatuor ventis
congregat dispersos veri Israël ad hoc signum. O radix
Iesse qui stas in signum populorum super quem iam
continent reges os suum, obstruatur etiam os loquen-
tium iniqua, id est, Iudæorum blasphemantium, qui adhuc
signo immaculati conceptus tui contradicunt, & nec
Angelo Gabrieli credunt, dicenti, quia *non est impossibile
apud te omne verbum.* Beata quæ credidit, cui hæc ratio
satisfecit, & cum quæsisset quomodo filium susciperet,
quæ non cognosceret virum, tam de integritate quam
de prole secutam deinceps effecit. Quicquid ergo gar-
riat impietas infidelium, nobis concipiat & pariat virgo

filium: nos quippe signum habemus in bonum, etiam matrem & filium. Nobis plane mater tota miraculum est, quæ singulariter & sine exemplo mater est & virgo: nobis filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed & incomprehensibiliter Deus est & homo. Mater virgo concipiens & pariens, signum nobis est, quia Deus est homo iste qui concipitur & paritur: filius diuina faciens & humana patiens, signum nobis est, quia in Deum transferet hominem pro quo concipitur & paritur, etiam & patitur. Omnium tamen humanarum infirmitatum vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate fere maximam existimo quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore maiestas illa incircumscripta passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur: nullo signo visibili maiestas quæ clausa latet
B proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus: quando & moriens glorificat latronem, & inspirans inspirat Centurionem, quando horarius dolor passionis ei non solum compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In vtero autem sic est quasi non sit sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & verbum æternum sub silentio se premit. Vos tamen fratres vobis illud silentium verbi loquitur, vobis clamat, vobis vtique disciplinam silentij commendat. *In silentio enim & spe erit fortitudo vestra*, sicut Isaias promittit, qui cultum iustitiæ silentium diffiniuit. Sicut namque puer ille conceptus in vtero ad maturitatem partus sub alto & diuturno profecit silentio, sic & spiritum hominis disciplina silentij nutrit, format, & roborat: & quanto occultius, tanto tutius & salubrius incrementum præstat. *Nescit homo animalis* qui non percipit *quæ sunt spiritus Dei*, quæ sit via spiritus, & quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis, sed non occultatum os
C meum à te ait sanctus Deo quod fecisti mihi in occulto mentis, sub secreto silentij. Sed nec a vobis occultatum est hoc mysterium fratres mei, quorum experientia & confessio testis mihi est, quomodo quietus & modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat & floreat quomodo econtrario per verba velut quadam paralysi dissoluatur & defluat, quomodo marcescat & marcescat & aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquam dixisset: *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Cæterum si quæris quo negotio sit occupanda mens in silentio, nihil tibi imponimus onerosum, comede panem tuum, sicut & ipse Dominus conceptus suo tibi commonstrat exemplo. Quid enim propheta de eo dixit cum loqueretur de porta orientali semper clausa in domo Domini, quæ tamen Deum Israel admisit & emisit? *Princeps*, inquit, *sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. Sedebit*, inquit, *in ea*, quo-
D niam requiescet in ea, de qua & ipse loquitur, *hæc requies mea*. sedebit in ea tanquam in throno grandi quem, sicut alias dixi, Salomon Rex sibi de ebore fecit. Si attendis angustias vteri, locus prorsus angustus est si latitudinem cordis, thronus grandis est, propter quam etiam vterus tantæ maiestatis capax factus est. In ea ergo princeps sedit & panem comedit: *quia si quis*, inquit, *aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Non est hæc cœna sine pane, quando & ipse qui cœnat panis est vitæ: panis qui hodie *descendit de cælo, & dat vitam mundo*. Sed res mira sic idem est qui cœnat quod cœnatur: & qui comedit, ipse est panis qui ab eo comeditur. Reuera res mira, sed res vera: quia Christus non alio pane quam se ipso pascitur. Ipse namque totus est panis, verbum propter se, caro propter vnionem verbi, alioqui caro non prodest quicquam, cum spiritus sit qui viuificat, nec in solo pane viuat homo, sed & in omni verbo quod procedit de ore Dei. Omne verbum procedens de ore Dei vnum & vnigenitum est verbum patris,

E quod cum simplex sit, in se tamen continet canonem & formam omnis verbi diuini. Verbum itaque pascitur de verbo, filius viuit de seipso: quia *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & filio vitam habere in semetipso.* Alia tamen ratione, sed tamen ineffabili beatitudine verbo pascebatur anima illa, verbo ipsi in personam coniuncta. & incomparabili fœlicitate princeps ille sedens in porta virginalis vteri, panem verbi coram Domino comedebat. Id igitur operis tu quoque si sapis in silentio tuo actitabis, vt panem verbi diuini comedas coram Domino, conseruans sicut Maria quæ de Christo dicuntur, & conferens in corde tuo. Hunc panem tecum Christus mãducare delectabitur: & qui te pascit, ipse in te pascetur: & panis ipse quo plus editur, plus abũdabit edẽdus, quia gratia non minuitur vsu, sed augetur. In hoc præterea tibi sit exemplo IESVS conceptus & gestatus in vtero; vt sicut onus illud leue ac suaue & si grauidauit non tamen grauauit vterum Mariæ, sic te non sentiat graue aut molestum vterus Ecclesiæ. Grauida est ô fratres Ecclesia nõ
F sicut Maria solo IESV, sed sicut Rebecca Iacob & Esau: non solum scilicet bonis & modestis, sed etiam discolis & indisciplinatis: quos tamen & ipsos propter nomen IESV vel forsitan aliquod initium substantiæ eius, Ecclesiæ viscera suscipiunt & amplectuntur. Sed cum sese colliderent paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quæ prius orauerat vt conciperet, dolensque ventrem suũ a tribulatione malorum & dolore, pene pœnitebat quod concepisset: *Si sic*, inquit, *futurum mihi erat, quid necesse erat concipere?* Si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus nõ fuisset homo ille: nisi quod nec de talibus sinit nos desperare qui etiam de lapidibus suscitat filios Abrahæ. Ipse in eis si qui tales sunt emolliat cor lapideũ, ne quatiant viscera matris: ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur eos qualescunque sint portare, donec formetur in eis Christus, qui perfectus Deus perfectus homo viuit & regnat. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ecclesia bonis & malis differta.

Gen. 25.

G

Dominica in Ramis Palmarum Sermo I.

HOc *sentite in vobis, quod & in* CHRISTO IESV, *qui cum in forma Dei esset.* Audiat seruus nequam & fugitiuus, hominem dico, qui cum esset in natura & conditione seruili & necessitate seruiendi: seruire detrectans, arripere sibi conatus est libertatem & æqualitatem Domini sui. *Christus cum in forma Dei esset*, non rapina, sed natura æqualis, quia coomnipotens, coæternus & consubstantialis, exinaniens semetipsum, non solum formam serui accepit in similitudinem hominum factus, sed etiã ministerium serui impleuit, *humilians semetipsum, & obediens factus patri vsque ad mortem: mortem autem crucis.* Sed parum tibi videatur, quod cum esset filius & coæqualis, tanquam seruus seruiuit patri, si non & seruo suo plusquam seruus seruiuit. Factus quidem erat homo, vt seruiret creatori. Et quid iustius quã vt seruias illi à quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beatius aut
H sublimius, quam seruire illi, cui seruire regnare est? Non seruiam, inquit, homo creatori. Ego igitur seruiam tibi, inquit creator, homini. Tu recumbe, ego ministrabo, ego tibi pedes lauabo. Tu quiesce: ego languores tuos feram, infirmitates portabo. Vtere me vt libet in omni necessitate tua, non modo vt seruo tuo: sed etiam vt iumento tuo, vt peculio tuo. Si fatigatus aut oneratus es, ego te & onus tuum feram, vt legem meam primus impleam. *Alter*, inquit, *alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Si esuris, aut sitis, & ad manum forte nihil melius habes, nec alter tibi vitulus æque saginatus præsto est: ecce ego paratus immolari, vt carnes meas comedas: & sanguinem bibas. Nec verearis ex morte serui damna seruitij eius pati, etiam comestus & bibitus manebo tibi integer & viuus seruiamque vt prius. Si in captiuitatem ductus aut venundatus es, ecce vende me, teque pretio mei vel meipso pretio redime. Vile quidem mancipium videor, sed & si noctu & clanculo distrahar quasi res furtiua: & si ab auarissimis

Phil. 2.

Gal. 6.

Iudæorum

A Iudæorum sacerdotibus emar, attamen saltem triginta argenteos appretiari potero: hoc pretio meo poterat emi sepultura peregrinorum, me pretio vita sepultorum. Si infirmaris & mori times, ego moriar pro te, vt de sanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ. *Euge serue bone & fidelis*, seruisti reuera, seruisti in omni fide & veritate, seruisti in omni patientia & longanimitate. Non tepide, qui exultasti vt gigas ad currendam viam obedientiæ, non ficte, qui etiam animam post tot & tantos labores superimpendisti, non murmurosè, qui innocens flagellatus, nec os aperuisti. Scriptum est &

Luc. 12. iustum est, *seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis.* Sed iste seruus, obsecro, quid non dignum fecit? Quid debuit facere & non fecit? *Bene omnia fecit* clamant qui facta eius obseruabant, *& surdos fecit audire & mutos loqui.* Omnia fecit digna, & quomodo sic omnia passus est indigna? Dorsum posuit ad flagella, & plagis vapulauit

B non paucis nec paruis, indicio sunt sanguinis riuuli qui de tot partibus profluunt corporis. Contumelia & tormento interrogatus fuit, veluti seruus aut latro subditus quæstioni, qua confessio extorqueatur criminis. O detestabilem superbiam hominis seruire contemnentis, quæ alio exemplo non poterat humiliari, nisi seruitute & tali seruitute Domini sui. Et vtinam vel sic possit, vtinam vel nunc habeat & referat gratiam tantæ humilitati ac bonitati. Sed vt mihi videtur, adhuc

Esai. 43. audio eundem Dominum apud Esaiam conquerentem de ingratitudine nequam serui, vbi scilicet ait. *Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Veruntamen me seruire fecisti in peccatis tuis: laborem præbuisti mihi in iniquitatibus tuis.* Et quem laborem? Vsque ad defatigationem, esuriem & sitim, sed vsque ad sudorem, sudorem autem sanguinis decurrentis in terram, sed vsque ad mortem, mortem autem crucis: ne omnia modo replicem, quod alapis cæsus, sputis illitus, coronatus spinis, confixus clauis, lancea perforatus, aceto & felle potatus. Hoc torcular, inquit, cal-

C caui solus, & de gentibus non est vir mecum. Vos ergo

Esa. 63. qui statis tota die otiosi, *attendite & videte si est labor sicut labor meus.* Vtique valde laborasti Domine mi in seruiendo mihi, iustum profecto & æquum esset vt saltem de cætero tu quiesceres, tuusque tibi seruus vel ordine vicis suæ, quia ad ipsum ventum est, seruiret. Quam magno Domine mi inutile tibi meum redemisti seruitium, qui nec ministeriis indiges Angelorum.

Arte mira nos Christus sibi conciliauit. Quam suaui & benigna arte pietatis recuperasti tibi & subdidisti contumacem seruum, vincens in bono malum, humilitate confundens superbum, beneficiis obruens ingratum. Sic nimirum sic sapientia vincit malitiam, sic carbones ignis congessisti super caput contumacis, quibus accenderetur ad pœnitentiam. Vicisti ergo Domine, vicisti rebellem: ecce do manus in vincula tua, iugoque tuo suppono ceruicem. Dignare tantum vt tibi seruiam, patere vt tibi laborem. Accipe me seruum sempiternum licet inutilem, nisi nunc quoque mecum sit & mecum laboret gratia tua, semper &

D præueniens & subsequens. Præuenis nos, prior ostendens humilitatis & patientiæ exempla: subsequatur nos adiuuans, vt imitemur ostensa. Quam felices nos ô fratres mei, si super hoc audiamus consilium Apo-

Philip. 2. stoli. *Hoc sentite*, inquit, *in vobis quod & in Christo Iesu præcessisse cognoscitis*: hoc est vt nullus extollatur supra se, sed magis humilietur infra se, *qui maior est, aliis seruiat*: si quis læditur, prior satisfaciat, in commune vsque ad mortem quisque obediat. His vestigiis fratres sequamur Christum in forma serui, & perueniemus ad eum videndum in forma Dei, in qua viuit & regnat. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

E Paulus doctor noster in fide & veritate si hodie veniret ad nos, puto quia non iudicaret se aliquid scire inter nos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. In his siquidem diebus in quibus anniuersaria dominicæ passionis, & crucis memoria solemniter celebratur, nihil vt arbitror conuenientius prædicatur, quam Iesus Christus, & hic crucifixus. Nam & aliis quibuslibet diebus quid vnquam potest prædicari fidelius? quid audiri salubrius? quid cogitari fructuosius? Quid enim tam pium fidelium affectibus, tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit & roborat, sicut crucifixi memoria? Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientiam inter mysteria absconditam, mihi cuius imperfectum etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum:

Crucis memoria nihil salubrius.

F his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem & his qui salui fiunt plane Dei virtutem Deique sapientiam, mihi prorsus altissimam atque nobilissimam philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi quam carnis sapientiam. Quam perfectum me putarem, quam prouectum in sapientia, si crucifixi vel idoneus inuenirer auditor, *qui factus est nobis a Deo non solum sapientia, sed & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Omnino si Christo crucifixus es cruci, sapiens es, iustus es, liber es. An non sapiens, qui cum CHRISTO exaltatus à terra, sapit & quærit quæ sursum sunt? An non iustus, in quo destructum est corpus peccati, vt vltra non seruiat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam viuam, sanctam, placentem Deo? An non vere liber quem filius liberauit, qui de libertate conscientiæ illam vocem filij sibi assumere confidit. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam?* Vere apud crucifixum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, qui sic redimit Israël ex

Abscondita erat Christi fortitudo in cruce.

G omnibus iniquitatibus eius, vt princeps huius mundi calumnias liber euadere mereatur. Sciat tamen sciat quicunque est ille beatus & verus Israël non esse hoc suæ meritum perfectionis, sed diuinæ gratiam redemptionis: non scilicet quia peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius, sed quia ille cuius hæc laus propria est, Christus scilicet, purgauit peccata illius, qui per sanguinem crucis suæ purgationem peccatorum faciens, ibi maxime triumphauit principatus & potestates, vbi abscondita erat fortitudo eius. Erat abscondita, sed non perdita: quia crucifixus ex infirmitate. Viuebat ex virtute Dei. Erat occulta, sed non erat otiosa: quia crucifixus, veterem hominem in omnibus electis crucifigebat. Crucifigebat mundum Paulo, & Paulum mundo. Crucifigebat denique tyrannum huius mundi, omnesque suæ antiquæ ministros tyrannidis. Hamum plane sub esca recondebat, qui sub infirmitate fortitudinem abscondebat. Ac perinde ille homicida ab initio sitiens humanum sanguinem dum irruit in infirmitatem, incidit in virtutem, morsus dum

H momordit, confixus dum crucifixum appetiuit. Gratias cruci & clauis tuis Domine Iesu: video perforatas fauces illius Draconis, vt transeant liberati, qui etiam fuerant absorpti. Et qui fiduciam habebat quod influeret Iordanis in os eius, fluuium quem absorbuerat, se non minima ex parte perdidisse frendens irascitur. De illis quippe faucibus nobis isti venerunt, qui hodie nobiscum nobilem ac magnificum crucis decantant triumphum. Plane de ore leonis liberati sunt, imo de ventre inferi regressi sunt. Irascatur ergo, fremat & tabescat de cuius dentibus præda erepta est: nam Christus gratulabitur quod non gratis crucifixus est. Lugeat infernus & mors: ille morsus, ista mortua: nam cœli lætantur & exultet Ecclesia, quod Christus infernum spoliat, mortemque triumphat. In conuersione nempe illorum triumphum suæ renouauit passionis, crucisque miracula suscitauit. In istis crux refloruit, hunc fructum pretiosum nunc etiam arbor vitæ tulit. Quomodo namque maneret

A ſterilis, quæ non modo rigata, ſed etiam viuifica facta eſt ſanguine Saluatoris? Iam non pœnitebit eum, quod in palmam aſcendit: cum tantum tamque pretioſum de ea fructum collegerit. Hunc quippe fructum inter alios præuidebat, cum voluntarius ad crucem properabat.

Cant. 7. *Dixi*, inquit, *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius*. Paucis abſoluit, quod voluntate paſſus ſit, quod paſſione exaltatus eſt, quod non ſine fructu noſtro paſſus ſit. In dicto ſiquidem proponentis, arbitrij libertas, in aſcenſu triumphi, ſublimitas, in apprehenſione fructuum, redemptionis monſtratur vtilitas. Vos inſenſati Iudæi clamabatis quidem, *Aſcende calue aſcende calue*; ſed ordinationi eius libertimæ qui ſponte decreuerat aſcendere, non potuit furor veſter niſi ſeruire. Aſcendit crucem voluntate, triumphauit in ea poteſtate, fructumque ex ea collegit pietate. Vno igitur opere & Iudæum irriſit, & diabolum peremit, atque Chriſtianum redemit. Dicant igitur qui redempti ſunt à Domino, quos

Galat. 6. B redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos: dicant inquam voce & mente magiſtri ſui. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, in qua ſapientia Dei nequam infatuauit conſilium, iuſtitia deſtruxit eum qui habebat mortis imperium, miſericordia liberauit captiuum. Merito prorſus ô ſapiens gloriator gloriaberis in cruce Domini tui cuius liberatus es triumpho, viuificatus myſterio, iuſtificatus exemplo, munitus ſigno. Sic enim iuſtæ rationis

Crucis ſignum in fronte geſtātes, Chriſti regis ſui mores exprimere debent.

conſequentia poſtulare videtur, vt exemplum crucifixi ad iuſtificationem ſuam imprimant moribus, qui ſignum crucis ad munimen ſui imprimunt frontibus, vt illius viuant lege, cuius armantur fide. Alioquin fallaciter miles caracterem regis geſtat, cuius præſcriptum non obſeruat: nec rectè ſe tuetur illius ſigno, cuius non paret imperio. Vide autem quanta peruerſitas, & abuſio ſit, vt inimici crucis Chriſti tueri ſe velint ſigno crucis Chriſti, dum ſecuri ſunt, luxuriantes contra pietatem crucis, cum in periculo deprehenſi ſunt, volentes eſſe defenſi virtute crucis. Plane inimici crucis

C Chriſti ſunt, amici ventris ſui, quorum Deus venter eſt, quorum Idolum nummus eſt. Sciat tamen ſciat quicunque nunc fallaciter ſibi crucifixi ſignum vſurpat, nequaquam ſe illo tueri poterit in illa neceſſitate ſuprema, quando iam non arbitrio hominum, ſed iudicio & miniſterio Angelorum ſignabitur Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium, vt diſcernantur ſaluandi à multitudine perditorum. Sed & Paulus dux ille ſtrenuus militiæ Chriſtianæ, fidelis ſignifer, qui ſtigmata crucifixi in corpore ſuo portabat, nunc quoque in hac verorum ac falſorum multum confuſione, ſigno vtique notabili iſtos ab illis diſcernebat, cum dicebar.

Cant. 5. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem concifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Cauta prorſus & circumſpecta diffinitio, ac velut formam referens de ipſius veritatis exemplari impreſſo. Nimirum quod impreſſum retinet vita, ſignantius exprimit lingua. Quia ergo Chriſto confixus erat cruci, de propriæ conſcientiæ exemplari formam iſtam protulit: *qui Chriſti ſunt carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Nouerat vir multæ

D ſcientiæ & experientiæ, multos eſſe aut fore, qui crucifigerent concupiſcentias carnis, & ſinerent regnare vitia cordis, multos è contrario qui fiducia pacati cordis, negligerent mortificationem corporis. Sed ſicut nonnunquam diuina iuſtitia ſpiritum ſibi non ſubditum contumeliis carnis licet afflictæ flagellat; ſic plerunque corpus incraſſatum recalcitrat, & noua bella ſpiritui iam quieto reſuſcitat. Ea propter vult Apoſtolus vt crucifixis tam vitiis interioribus quam concupiſcentiis exterioribus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctimoniam in timore Dei. Timor nempe Dei, velut quidam claui in altum defixi cruci nos configit, & velut affixos iuſtitiæ continere nos facit, vt non exhibeamus membra noſtra arma iniquitati ſed iuſtitiæ, & licet ſit, non tamen regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Sane quod timor Dei comparetur configentibus clauis, ſententia

Timor Dei cruci nos affigit.

E eſt Dauid qui ait, *Confige quaſi a clauis timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui*. Si ergo nondum præ- Pſ. 118.

uales vt vitia extinguas, in hoc vult te eſſe ſollicitum Apoſtolus, vt crucifigas. Non ait, qui Chriſti ſunt extinxerunt vitia, quæ virtus paucorum eſt, ſed crucifixerunt, ſine quo ſalus nulla eſt: ſicut præter crucem Chriſti, nulla redemptio eſt. Ideo namque Redemptor ad operandam & informandam ſalutem noſtram hunc paſſionis modum elegit, vt redemptionis ſacramentum, iuſtificationis fieret exemplum: vt quomodo videlicet ipſe ſimilitudinem carnis peccati crucifixit, de peccato damnans peccatum: ſic nos, imo multo magis nos, carnem peccatricem cruciemus crucifigentes, & ſi nondum extinguentes in ea peccatum. Hic recordari potes, quia Moyſes ad placandam iram Domini crucifixit Principes Iſraëlitarum: Ioſue autem qui & Ieſus, quinque Reges Amorræorum. Si enim iram Domini quam meruimus placare volumus, neceſſe eſt vt per continentiam nos cruciemus. IESVS autem noſter, qui nos in

Cur Deus in cruce mori voluit.

F terram promiſſionis introducturus eſt, vitia quinque ſenſuum in nobis crucifiget, imo & extinguet, ſi tamen ſicut eſt iuſſum pendeamus in patibulis vſque ad veſperum. Huius enim perſeuerantiæ in cruce Saluator de ſeipſo tibi curauit exemplum præbere, nolens conſummari niſi in cruce, aut deponi de cruce ante veſperum tam diei ipſius quam vitæ ſuæ. Balaam dicebat, *Moriatur anima mea morte iuſtorum*, tu vero dic, moriatur anima mea morte Domini mei Ieſu Chriſti, & fiant nouiſſima mea illius ſimilia: vt videlicet in voluntaria cruce pœnitentiæ pendere merear vſque ad terminum vitæ. Quanta fiducia de cruce filij, in manus Patris ſpiritum commendabis, imo quanta clementia pater ſuſcipiet quem filius commendabit. Filius namque qui cauſam animæ tuæ ſemel in cruce ſuſcepit agendam, nunquam eam agere deſinit, apud patrem ſemper interpellans. Vade ſecurus, vade gratulabundus, vbi iudex tuus eſt aduocatus tuus: tantummodo ſignum crucis mortificationem IESV quam circumfers in corpore tuo, ſecum deferat ſpiritus tuus. Dominus autem gloriæ,

In cruce perſiſtendum.

Num. 23.

G qui pro vobis fratres paſſus, in vobis eſt glorificatus, dignetur vos habere ſocios paſſionis & gloriæ, & glorTantes in cruce glorificet in ea claritate quam habuit apud patrem ante initium ſæculorum, & habiturus eſt per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

DEſiderium anima noſtra ſpecioſum forma præ filiis hominum. Hodierna dies alia & alia ſpecie repræſentat filius hominum; in vtraque quidem ſpecie ſpectabilem, in vtraque deſiderabilem & amabilem, quia in vtraque Saluatorem hominum: licet in vna ſublimem, in altera humilem, in iſta glorioſum, in illa ærumnoſum: in iſta venerabilem, in illa miſerabilem, ſi tamen dici debet miſerabilis: qui miſeriam ſuſcepit dignatione miſerationis: vt de miſeria ſua miſericordiam præſtaret miſeris, non vt qui ſibi beatitudo eſt, miſericor-

H diam à miſeris flagitaret. Vbi ergo miſerandus videri voluit, ibi & amplius venerandus fuit. *Sed ſuſtinui*, inquit, *qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, qui conſolaretur, & non inueni*. Ita qui miſeratione omnium miſer vltro fieri voluit, apud nullum fere miſerationem inuenit. Sed vbi, inquies, ſpectatur hodie ſublimis & glorioſus: vbi humilis & ærumnoſus? Vide proceſſionem, audi paſſionem. In his euidenter agnoſcere poteris, quod Eſaias ait, *Sicut obſtupuerunt ſuper eum multi, ſic inglorius erit inter viros vultus eius, & forma eius inter filios hominum.* Obſtupuerunt multi de gloria quaſi victoris triumphantis, cum Hieruſalem ingrederetur, ſed nihilominus paulo poſt vultus eius inglorius & deſpectus, cum pateretur. *Cum intraſſet Hieroſolymam*, ait Matthæus, *commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens, quis eſt hic?* Cum pateretur, confuſio faciem eius operuit, vt vere fateatur, Exaltatus, humiliatus ſum & confuſus. Sane quod hic ſe confuſum dicit, intelligendum

Pſal. 68. Eſa. 53. Matt. 21.

eſt

A est ſecundum hoc quid alibi dicit de facie corporis: Psal. 68. *Operuit confuſio faciem meam, quia non pepercerunt in faciem meam ſpuere, velare, percutere & illudere.* Nam facies mentis, quæ ſemper & immobiliter habitabat cum Eſa. 50. vultu Dei: nec turbari poterat, nec confundi. *Dominus Deus*, inquit, *auxiliator meus, ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam, vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar: In te enim Domine ſperaui, non confundar in æternum.* Confundantur potius illi, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego. Si igitur, vt dicere cœperam, hodierna proceſſio ſimul & paſſio conſiderentur, ibi plane videtur IESVS ſublimis & glorioſus, hic humilis & ærumnoſus. In proceſſione namque cogitatur in honore Regis, in paſſione ſpectatur in pœna latronis: ibi circundant eum gloria & honor, hic non eſt ei ſpecies neque decor. Ibi gaudium hominum & gloria plebis: hic opprobrium hominum & abiectio plebis. Ibi acclamatur ei, *Oſanna filio David, benedictus qui venit Rex Iſrael*, hic inclaB matur, Reus mortis, ſubſannaturque quod ſe fecerit Regem Iſraël. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur, hic alapis palmarum in faciem cæditur, & arundine percutitur caput. Ibi ſublimatur præconiis, hic ſaturatur opprobriis. Ibi certatim ei via ſternitur veſtimentis alienis, hic exuitur propriis. Ibi tanquam Rex iuſtus & Saluator ſuſcipitur in Hieruſalem, hic tanquam reus & ſeductor damnatus eiicitur de Hieruſalem. Ibi ſedet in aſino ſtipatus obſequiis, hic pendet in ligno crucis cæſus flagellis, confoſſus plagis, & deſertus à ſuis. Ecce plusquam Iob hic, cui tam repente, tam vehementer Iac. 5. omnia ſemel in contrarium Deus vertit. *Sufferentiam Iob audiſtis, finem Domini vidiſtis*, ait Iacobus Apoſtolus. Ac ſi diceret: Sufferentia Iob fuit vſque ad reditum ſubſtantiæ, ſufferentia Domini vſque ad exitum vitæ. Iob quidem patienter damna ſuſtinuit, ſed mox in terra ſua duplicia ſuſcepit: Chriſtus vt erat repletus miſeriis, & inebriatus amaritudinibus, è mundo migrauit. Itaque plusquam Iob hic, qui de ſumma, vt putabatur, reC pente ſemelque deiectus fœlicitate, in extrema atque grauiſſima finem ſortitus eſt calamitate. *Et hæc*, inquit, *paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces, etiam pro crucifixoribus, vt eis ignoſceret.* An non igitur recte videbitur velut turbatus tanta tamque ſubita rerum mutatione filius patrem inPſal. 21. terpellare illa voce lachrymabili, *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Certe manus tuæ fecerunt me, in voluntate tua deduxiſti me, & paulo ante cum gloria ſuſcepiſti me, & ſic repente præcipitas me? Eleuans alliſiſti me, quaſi ſuper ventum ponens me, & elidens valide Exaltatus, humiliatus ſum, & confuſus: & eo confuſus amplius, quo tunc exaltatus ſublimius, & nunc humiliatus profundius, quantoque tunc altius eleuatus, tantoque nunc grauius alliſus. Iuſtum quidem eſt ô pater, vt qui ſe exaltat humilietur, & elatio indigni digna deiectione puniatur: ſed nunquid ſimiliter iuſtum erat, vt quem tu exaltaueras, ita confuſibiliter humiliaretur? & gloriam quam humilitas meruerat, tanta ſequeretur contumelia? Nunquid mihi pater D iratus fuiſti quod vel ad horam hic me paſſus ſum honorari? & illud etiam perexiguum quod ſuſceperam de bonis huius mundi, exoluendum erat ante mortem in pœnis & contumeliis, ne poſtea mihi poſſet obiici. *Fili ſuſcepiſti bona in vita tua?* At qui tuus erat honor ô pater honor erat filij, quia *qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui miſit illum.* Ecce exprobrant inimici tui Domine, exprobrant commotationem Chriſti tui: ecce gloriantur in contumelia mea & tormento, qui paulo ante cruciabantur gloria & honore meo. Nunquid non reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, vt ſciant aliquando qua diſpenſatione commutaueris Chriſtum tuum, quo conſilio ſic exaltaueris mox humiliandum, vel humiliaueris exaltatum? Reſpondebis ô Domine IESV, reſpondebis exprobrantibus tibi verbum, & verbum aſperum: quando ſcilicet reſpondebis eis in facie arrogantia eorum, & argues eos malitia eorum, videntes in quem transfixerunt. Cum E enim videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate, tunc ſcient quod modo nolunt credere: quia illius poſterioris gloriæ, prior hodiernæ proceſſionis gloria, myſterium fuerit & figura: ſicut paſſionis contumelia, meritum & cauſa. Tunc intelligent, quia Chriſtus nunc honoratus, nunc ludibrio habitus, his qui pereunt poſitus eſt in offenſionem & ruinam: ſicut his qui ſalui fiunt in reſurrectionem & doctrinam: quia quod ſacramentum eſt redemptionis, ſimul eſt etiam documentum ædificationis. Sic enim poſtulabant merita ſuperborum, vt eorum ſuperbiæ, & honor Chriſti fieret ſcandalum, & mors præcipitium: atque inuidiam iuſte pereuntium gloria triumphantis excitaret, morientis pœna damnaret. Cæterum his qui ſalui fiunt, id eſt nobis, omnino erat neceſſarium vt Chriſtus tranſiens viam huius mundi, ſequentibus ſe viam ſterneret: ſicut per aduerſa: ſic etiam per proſpera: atque prius exaltatus, poſt humiliatus, ſuo traderet exemplo qualiter modeſtia ſeruare- F retur in honore, patientia teneretur in contumelia vel dolore. Ipſe ſiquidem honorari potuit, inflari non potuit: voluit deſpici, ſed neſciuit, aut puſillanimitate deiici, aut ira morderi. Sicut enim alias cum vellent eum rapere & facere Regem, ipſe refugiens, & in ſolitudinem ad orandum aufugiens, docuit exemplo quod dixit & verbo, ne ſcilicet velimus in ſublime tolli: ſic modo quadam alia diſpenſatione ſeſe ad horam honorari patiens, & nihilominus ſolitam, quia inolitam manſuetudinem in honore retinens, formam dabat his qui in poteſtate ſunt conſtituti. Qui tamen vt diſcerent ea diſcretione per humilitatem eſſe manſueti, vt cum *Manſuetudo qui eius eſt, Zelum habere debet.* res poſtularet per zelum eſſent erecti, Dominus ſtatim in templum regreſſus, flagello facto de funiculis vindicat iniurias patris magiſque eligit furorem ſacerdotum in necem ſuam prouocare, quam templi prophanationem diſſimulare. Vt igitur fratres inoffenſo pede tam per proſpera quam per aduerſa ſequamur ducem noſtrum, in proceſſione conſideremus eum in honore G poſitum, in paſſione contumeliis & doloribus ſubditum: nunquam tamen in tanta mutatione rerum mente mutatum, & ſi vultum immutauerit coram Abimelech, id eſt, regno Iudæorum: quam commutationem Chriſti cæcitas exprobrat perfidorum. De immutabili mentis illius ſtatu dicit Scriptura: *Homo ſanctus in ſa-* Eccl. 27. *pientia permanet ſicut Sol, nam ſtultus vt Luna mutatur.* De mutatione faciei illius dicit alia Scriptura: *Sapien-* Eccl. 8. *tia hominis lucet in vultu eius, & potentiſſimus faciem illius immutauit.* Prorſus in vultu tuo Domine IESV qualitercunque videatur immutatus, ſiue glorioſus, ſiue inglorius appareat, lucet ſapientia: de vultu tuo candor lucis æternæ radiat, vtinam ſuper nos lumen vultus tui Domine effulgeat. Vultus tuus ſicut in triſtibus, ſic in lætis tibi modeſtus, ſerenus, ac totus arcano lumine cordis floridus: iuſtis hilaris & iucundus, pœnitentibus clemens & pius. Intendite fratres in vultum ſereniſſimi Regis. *In hilaritate vultus Regis vita*, dicit Prou. 16. Scriptura, *& clementia eius quaſi imber ſerotinus.* Aſpe H xit in protoplaſtum, & mox animatus ſpirauit in vitam: reſpexit Petrum, & mox compunctus reſpirauit *Aſpectus in nos Dei clementia ſignum.* ad veniam. Mox enim vt Dominus reſpexit Petrum, Petrus de clementia piiſſimi vultus ſuſcepit imbrem ſerotinum, lachrymas poſt peccatum. Lux vultus tui ô lumen æternum, teſte Iob, non cadit in terram. *Quæ enim com-* Iob. 25. *municatio lucis ad tenebras?* Animæ potius fidelium radios illius excipiant, aſpiretque bene conſciis lætitiam, ſauciis medicinam. Plane vultus triumphantis IESV qualis ſpectandus eſt in proceſſione, lætitia & iubilus: vultus morientis, qualis cogitandus eſt in paſſione, medela & ſalus. *Qui timent te videbunt me*, inquit, *& lætabuntur*: qui dolent ſe videbunt me, & ſanabuntur, ſicut aſpicientes in ſerpentem ligno ſuſpenſum poſt venena ſerpentium. Te igitur gaudium & ſalus omnium, ſeu videant ſedentem in aſino, ſeu pendentem in ligno vota benedicant omnium: vt cum viderint regnantem

in

A in throno, laudent in sæcula sæculorum, cui laus & honor per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

Mat. 21. OSanna filio David. Vox exultationis & salutis, vox gaudij & pietatis, vox fidei & amoris, aggratulans aduentui Redemptoris, atque Prophetico protestans gaudio desideratæ lætitiam redemptionis. *Osanna filio David*, ait hæc familia Dauid, salus est illi qui factus est ex semine Dauid, vt saluet eos qui sunt ex fide Dauid. *Laudate, laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, dicite, Sit nomen Domini benedictum, sit benedictus qui venit in nomine Domini.* Ex ore istorum perfecisti ó Pater laudem filij tui, vt incorrupto simplicis innocentiæ testimonio, destruas inimicum & vltorem: Pharisæum & Pontificem: non vltorem diuinæ legis, vt mentita est iniquitas sibi, sed inuidiæ propriæ & furoris. Sed conuertetur dolor eius in caput B eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. P. 108. *Deus laudem meam ne tacueris*, ait filius Patri: *quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.* Nihil potest negare Pater filio, non tacuit laudem filij vox paterna sæpius audita de cœlo, non tacuerunt creaturæ, in tot signis & prodigiis confitentes eum auctorem naturæ: Angeli testati sunt, dæmones confessi sunt, ordo Propheticus atque Apostolicus voce consona sibi inuicem respondentes cecinerunt: sed ista demum perfecta laus est, quam ætas illa non tacet, quæ nesciat adulari, & quod spiritus suggerit, dissimulare non potest. Quid enim manifestius, quam quod illa ætas à semetipsa, tam noua, tam insolita, nec dicebat, nec faciebat: sed Spiritus sanctus more suo per ora simplicium loquens, testimonium filio perhibebat? Plane Spiritus sanctus conscius operum Christi, quid ille scilicet Christi pareret à iuuentus, quid gaudij, quid salutis humano generi passio parturiret illius, præsaga in cordibus innocentium gaudia suscitabat, atque ad prophetandam C mundo redemptionis lætitiam, simplicium sibi ministeria sensuum assumebat. Istos nempe Spiritus alloquebatur, vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: cum per Prophetam suum dicebat; quæ hodie per ipsum facta sunt: mundabat tunc, & nunc creata sunt. Zach. 9. *Exulta*, inquit, *satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Saluator, ipse pauper & ascendens super asinum.* Iam, inquit, exulta satis, quæ hactenus in tristitia fuisti, iam te satia, si tamen satiari potes gaudio ineffabili, quod sic desiderium satiat, vt Psal. 55. amplius & fœlicius esurire faciat. *Repleatur gaudio os tuum, & lingua tua exultatione*, cui si nec os, nec lingua possunt sufficere, supereffundat iubilus, quod non Ibid. 117. capit affectus. *Iubila*, inquit, *filia Hierusalem: Beatus enim populus, qui scit iubilationem.* Plane beatus populus, qui scit & intelligit hodie sibi ineffabiliter gaudendum, quando ei Saluator aduenit promissus & expectatus ab initio sæculorum. Beatus populus, qui tota alacritate deuotionis hodie ei occurrit, corde simul & vo- D ce acclamans ei: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In hoc siquidem benedictus est à patre filius, vt qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur, non vna scilicet, sed pluribus: quia nimirum benedictio quam Domino quis fœneratur, cum multiplici fœnore redit in caput eius. *Væ genti peccatrici, semini nequam, filiis scelera-* Hier. 15. *tis*, ad quos spectat illa Domini querela terribilis: *Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam, omnes maledicunt mihi dicit Dominus.* Iudaïcus populus hic erat, qui in ratione dati & accepti communicare contempsit Domino, nolens benedicere benedictum Dei Patris, vt benediceretur ab eo, sed Samaritanum, dæmoniacum vocans, insanis atque blasphemis Deum insectabatur maledictis. Maledicent illi, inquit, & tu benedices: nam ab eis benedictio quam noluerunt, elongabitur ad gentes. Benedicite gentes Deum nostrum, quoniam qui prior fœnerauit vobis, præueniens vos in benedictionibus dulcedinis, fœnerantibus sibi multiplices restituet vsuras in benedictionibus beatitudinis. Ego tamen vereor fratres mei, ne forte hæc tempora teporis E & infidelitatis tangat illa querela Domini, *Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam*: quia videlicet gratia offertur, nec suscipitur: promittitur merces operi, & vix aliquis spe illius operatur. Dominus siquidem fœnerat, cum talenta seruis partiens scientiam verbi, vel gratiam cuiuslibet muneris ad lucrum prærogat: Domino autem fœnerat iucundus homo qui miseretur & commodat, dicente Scriptura: *Fœneratur Domino, qui misericordiam facit proximo.* Prou. 19. Imo Domino fœneratur quicunque spe diuinæ retributionis aliquid operatur, vt dicere possit: Scio cui credidi, scio qui dixit: *Si quid erogaueris, cum rediero reddam tibi.* Nos autem aut nihil, aut ita timide gelideque fœneramus ei, quasi debitor infidelis sit, aut non habeat vnde reddere possit. Magnæ prorsus fidei illa plebs Hebræa, quæ cum cum pauperem sedentem super asellum, & ipsum non suum cerneret: omni tamen securitate ac deuotione fœnerabat ei, non solum vestimenta sua in via sternens, F sed & se totam quantum poterat honori eius impendens. Sed nimirum intelligebat super egenum & pauperem, quippe cui Propheta signum dederat intelligendi Saluatorem, ipsam qua superbis viluit paupertatem. *Signum Saluatoris paupertas.* Zach. 5. *Ipse*, inquit, *pauper & ascendens super asinum.* Hoc inquit signo poteris venientem agnoscere Regem tuum, cuius regnum non est ex hoc mundo: quia scilicet ad debellandam superbiam quæ regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem euangelizabit, sicut verbo, sic etiam exemplo. Beata itaque filia Sion, quæ humilitatem tanquam armaturam cœlestem, tanquam insigne regium didicit venerari. Misera mater eius infidelis illa Sion, quæ cum humilem vidit, fastidiuit: cum honoratum vidit, inuidit. Beata inquam Ecclesia primitiuorum, quæ tam fideliter agnouit, tamque gratanter suscepit venientem in nomine Domini: infœlix Synagoga perfidorum, quæ venturum in suo nomine parata suscipere, illius qui patris gloriam quærebat, cruciabatur honore. *Increpa*, inquiunt, *discipulos tuos*: quasi G scilicet aut illorum simplicitas posset adulari, aut ipsius Luc. 19. paritas vanis posset laudibus delectari. *Dico*, inquit, Osee 4. *vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt, quia Deus laudem meam non tacebit.* Prorsus ita est, si tacuerint, lapides clamabunt, quia tempore passionis isti tacuerunt, sed lapides clamauerunt, dum in testimonium & laudem morientis, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt. Prorsus ita est, quia modo tacente Synagoga, iuxta illud: *Nocte tacere feci matrem tuam*, clamat Esa. 42. viuis ex lapidibus gentium Ecclesia, clamant plane lapides, de quibus suscitauit filios Abrahæ qui potens est. *Laudate*, inquit Propheta, *habitatores petræ, de* Cant. 2. *vertice montium clamabunt. Ecce hodie in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ vox columbæ resonat, clamantis & dicentis: Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Benedictus, qui vt nidificare possem in foraminibus petræ, manus, pedes, & latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, vt ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui. *Christus se totum perforari passus* H *est, vt in eo nidificaremus.* Opportunum quidem petra refugium erinaciis, sed & habitatio grata columbis, cuius foramina tot vulneribus toto fere corpore patientia, & veniam offerunt reis, & gratiam conferunt iustis. Imo vero tuta habitatio fratres mei, turrisque fortitudinis à facie inimici, pia ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fideque & amore cruci fixi, animam ab æstu carnis, à turbine sæculi, ab impetu diaboli conrutari. Super omnem gloriam mundi protectio huius tabernaculi, videlicet in vmbraculum diei ab æstu, in securitatem & absconsionem à turbine & à Esa. 8. pluuia: vt per diem sol non vrat te prosperitate, nec turbo moueat in tempestate. Ingredere igitur in petram ó homo, abscondere in fossa humo, pone tibi latibulum in crucifixo. Ipse petra, ipse humus, quia Deus *Christus petra forata.* & homo: ipsa petra forata, humus fossa, *quia foderunt manus meas*, inquit, *& pedes meos. Abscondere*, inquit,

in

A *in fossa humo à facie timoris Domini:* hoc est ab ipso, fuge ad ipsum; à iudice, ad redemptorem: à tribunali, ad crucem: à iusto, ad misericordem: ab eo qui percutiet terram virga oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidiis cruoris sui: ab eo qui spiritu labiorum suorum interficiet impium, ad eum qui sanguine vulnerum suorum viuificat extinctum. Quinimo non ad ipsum tantum, sed in ipsum fuge, in foramine petræ ingredere, in fossa humo absconde re, in ipsis manibus forans, in fosso latere teipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ saluandis à facie diluuij? Illud tamen figura, istud autem veritas: vbi non modo seruatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius & misericors aperuit, vt cruor te vulneris viuificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspiret. Ibi tuto latebis, donec transeat iniquitas; ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat charitas: ibi deliciis afflues, ibi

Ostium in latere arcæ typus erat vulneris in latere Christi.

B gaudiis supereffluues: vel tunc demum cum à vita capitis tua, & omnium membrorum corporis eius absorpta fuerit mortalitas. Merito itaque columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta quam grata ad nidificandum parauère foramina, laudes ipsius vtique hodie lætabunda decantat, ac de passionis memoria vel imitatione, de vulnerum meditatione, tanquam de foraminibus petræ vox suauis in auribus sponsi resonat. Cæterum vobis fratres mei, qui tanto interius nidificastis in foraminibus petræ, quanto secretius viuitis in Christo, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, vobis incumbit omnino, vt quorum est conuersatio quietior & tutior, sit etiam deuotio dulcior, præsertim hodie, cum & recursus temporis, & repræsentatio operis: velut interesse nos facit illi gaudio solemni quo susceptus est in Hierusalem, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ipsi benedictio, regnum & imperium, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

C

De Resurrectione Domini, Sermo I.

Gen. 45. N*Vntiauerunt Iacob dicentes, Ioseph viuit.* Quo audito, reuixit spiritus eius, & ait, *Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit. Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Dicetis fortsitan mihi, Bene, sed quid ad rem? Quid de Ioseph ad gaudium huius diei, ad gloriam resurrectionis Christi? Pascha est, & tu iterum apponis quadragesimalia? Agnum paschalem esurit anima nostra, cui se per tam longa præparauit ieiunia. Ardens est cor nostrum in nobis de Iesv, Iesvm desideramus: si nondum meremur ipsum videre, vel de ipso audire. Iesvm non Ioseph esurimus: Saluatorem, non somniatorem: dominatorem cœli, non Ægypti: non qui pauit ventres, sed qui pascit mentes, sed esurientes. In hoc saltem nos adiuuet sermo tuus, vt quem esurimus, amplius esuriamus. Legimus enim: *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur.* Cum audimus, magis esurimus:

Matt. 5.

D Nam & qui epulas commendat, famem irritat. Si de Iesv audierimus, auditui nostro dabitur gaudium & lætitia, & exultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra quadragesimali afflictione & luctu, magis autem dolore passionis eius: sed exultabunt nuntio resurrectionis eius. Cur ergo tuum Ioseph nobis ingeris, cum præter Iesvm quicquid loquaris non sapiat nobis: præsertim hodie, cum Paschalis agnus comeditur, cum Pascha nostrum immolatus est Christus? Ouum siue nucem apposui vobis fratres: frangite testam, & inuenietis escam. Ioseph discutiatur, & Iesvs inuenietur agnus Paschalis quem esuritis: qui tanto dulcius comeditur, quanto latens abstrusius, & studiosius quæritur, & difficilius inuenitur. Dicitis mihi, quid Ioseph ad Christum? quid historia quam proposui ad diem istum? Multum per omnem modum Historiam recordamini, & vltro sese vobis reuelabit pietas mysterij, si modo Iesvm interpretem habeatis, qui hodieque resurgens,

E de occidente litera loquitur suis in via, & aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis & Prophetis manifestius aut signantius quam Ioseph figuram exprimit Saluatoris? & vt breuiter summam perstringam secundum illud, Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia, si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis eius, deinde quod præ cæteris fratribus pulchra facie & decorus aspectu: quod innocens actu, prudens intellectu, quod venditus à suis: suos à morte redemit: quod prius humiliatus vsque ad ergastulum, & sic exaltatus vsque ad solium: quod denique pro merito operis sui nouo nomine appellatus est inter gentes, Saluator mundi: si hæc omnia inquam pie ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus, quam vere sit à Domino dictum, *In manibus Prophetarum assimilatus sum?* Iam vero si veniamus ad verba illa quæ de historia proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quam admirationem & gaudium mouebunt, quod videlicet tam euidenter resurrectio

Ioseph Christi typum expressit.

Osee 13.

F Christi testificata sit a lege & Prophetis, & historia vetus tam proprie noua sacramenta loquatur: vt cum Prophetia legitur, pene Euangelium mutatis dumtaxat nominibus audiri videatur. Nuntiauerunt (inquit) Iacob dicentes, *Ioseph viuit.* Quid aliud hic intelligere possum, nisi nuntiauerunt Apostolis dicentes, Iesvs viuit? Iacob namque nihil aliud quam Apostolorum chorum intelligo, nec absurde vt arbitror: non solum quia de Iacob orti sunt, non solum quia de Iacob Israël facti sunt, cum de lucta actiuæ ad visionem, & requiem contemplatiuæ transierunt: sed etiam quia patres sunt multitudinis credentium, id est, verorum Israëlitarum, sicut ille carnalium. Sicut ille, sic isti suum Ioseph cum putarent periisse, inconsolabiter doluerunt: cum audissent viuere, difficulter & tarde crediderunt: cum cognouissent, ineffabiliter gauisi sunt. *Nuntiauerunt* (inquit) *Iacob dicentes, Ioseph viuit.* Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. Quasi

G aliis verbis mihi videtur dictum, quod in Euangelio legitur scriptum: Illa vadens, haud dubium, quin Maria Magdalenæ nuntiauit his qui cum ea fuerant lugentibus & flentibus: & illi audientes quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt. *Post hæc ostensus est duobus in via, & illi exeuntes nuntiauerunt cæteris, nec illis crediderunt.* Item apud Lucam. *Et regressæ à monumento, nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus, & visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis,* nimirum quia euigilabant de graui somno tædij & desperationis. *Cum autem*, inquit, *vidisset Iacob vniuersa quæ Ioseph miserat ei, reuixit spiritus eius, & ait, Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit. Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Sic vtique in Apostolis parum profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam & ipse Iesvs cum se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quam aspiratione muneris. Scitis quia cum venit ad eos ianuis clausis, & stetit in medio eorum, illi conturbati, &

Luc. 24.

H conterriti existimabant se spiritum videre. Cum autem insufflauit in eos dicens, *Accipite spiritum sanctum*, vel eum cœlitus misit eundem Spiritum, sed aliud donum, hæc vtique dona, resurrectionis & vitæ indubitata testimonia fuerunt & argumenta. Spiritus enim est qui testificatur apud Sanctorum corda, & per eorum ora, quoniam Christus est veritas, vera resurrectio, & vita. Ideo & Apostoli, qui prius dubitabant, etiam post intuitum corporis viuentis, post gustum spiritus viuificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Adeo plus est corde Iesum concipere, quam oculis videre, vel auribus de ipso audire, tantoque potentior est operatio spiritus apud sensus hominis interioris, quam corporalium apud sensus exterioris. Quis enim dubietati relinquatur locus; vbi qui testificatur, & cui testificatur, vnus fuerit spiritus? Si vnus spiritus, & vnus sensus, parque consensus. Tunc ergo vere sicut de Iacob legitur, Reuixit eorum spiritus, qui iam

Ioan. 20. 1. Ioan. 5.

A

propemodum luctu erat extinctus, imo desperatione sepultus. Tunc (nisi fallor) quisque eorum dicebat sibi, *Sufficit mihi, quod Ioseph meus viuit*, quia *viuere mihi Christus est, & mori lucrum*. Vadam igitur in Galilæam, in montem vbi constituit nobis Iesvs, & videbo eum, & adorabo antequam moriar; quia *omnis qui videt filium & credit in eum, habet vitam æternam, vt etiam si mortuus fuerit viuat*. Nunc ergo fratres mei quid vobis testatur gaudium cordis vestri de amore Christi? Puto equidem (an recte vos videritis) quoniam si vnquam amastis Iesvm, seu viuum, seu mortuum, siue rediuiuum: hodie cum tam crebro in Ecclesia personant & consonant nuntij resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi & dicit: Nuntiauerunt mihi dicentes, Iesvs Deus meus viuit. Quo audito reuixit spiritus meus qui dormitabat præ tædio, vel languebat tepore, aut nimia deficiebat pusillanimitate. Nam & de morte suscitat criminosos iucunda vox huius fœlicis nuntij. Alioquin certe desperandus est & obliuione sepeliendus, quem Iesvs regrediens ab inferis, in infirmo reliquit inferni.

B

Argumentum spiritus vitæ in nobis.

In hoc iane noueris quod spiritus tuus plane in Christo reuixerit, si quod sequitur ex sententia dixerit; Sufficit mihi, si Iesvs viuit. O vocem fidelem & plane dignam amicis Iesv: ô castissimum affectum qui sic loquitur; Sufficit mihi si Iesvs viuit. Si viuit viuo, cum de ipso pendeat anima mea; imo ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Iesvs viuit? Imo desint omnia alia, nihil interest, mea dummodo Iesvs viuat. Ipse ergo, si placet ei, desim mihi; sufficit mihi, dummodo viuat ipse vel sibi. Cum sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, vt negligens & immemor sui nonnisi Iesvm Christvm, & ea quæ sunt Iesv Christi sentiat: tunc demum, vt arbitror, perfecta est in eo charitas. Huic vtique qui sic affectus est, non est onerosa paupertas, iste non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat, & fidenter dicat: *Vadam, & videbo eum, antequam moriar*.

C

Nos tamen fratres mei licet non simus tantæ nobis puritatis conscij, eamus nihilominus eamus videre Iesvm in montem Galileæ cœlestis, vbi constituit nobis. Eundo crescet affectus, & saltem perueniendo perficietur. Eundo, via prius arcta & difficilis dilatatur, & virtus infirmis augetur. Vt enim nec Iacob, nec aliquis de domo Iacob se excusaret à via, præter alia munera, missa sunt pauperi seni sumptus & vehicula, ne quis videlicet aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem.

Caro Christi viaticũ.

Caro Christi est viaticum, spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israël & auriga eius. Cum perueneris, tua sunt optima quæque non Ægypti, sed cœli: in optimo loco regni, tuus Ioseph tibi requiem prouidit. Qui prius misit Angelos, mulieres, & Apostolos resurrectionis suæ testes & nuntios: nunc ipse clamat è cœlo. Ecce ego quem mortuum lugebatis hoc triduo, mortuus quidem fui propter vos, sed ecce viuo, & data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

D

Venite ad me qui laboratis fame, & ego reficiam vos. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paraui. Qui vos eo vocat, ipse perducat, vbi cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Apoc. 20. Ioan. 11.

Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. *Ego sum*, inquit Iesvs, *resurrectio & vita*. Ipse vtique resurrectio prima, ipse & resurrectio secunda. Resurgens quippe à mortuis primitiæ dormientium Christus, & sacramento suæ resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam, & exemplo eiusdem suæ resurrectionis operabitur nobis secundam. Prima enim est animarum, cum eas sibi conresuscitat in nouitatem vitæ: secunda erit corporum, cum *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*.

Ch. ...

Recte igitur resurrectionem & vitam Christus se profitetur: quandoquidem per ipsum & in ipsum resurgimus, vt secundum ipsum & apud ipsum viuamus; nunc quidem secundum ipsum in sanctitate & iustitia, postmodum apud ipsum in beatitudine & gloria.

E

resurrectionem & vitã tur se esse dixerit.

Porro sicut resurrectio prima capitis nostri Domini Iesv Christi, causa est & argumentum secundæ resurrectionis, quæ erit totius ipsius corporis; sic vnicuique nostrum prima resurrectio animæ qua reuiuiscit à morte peccati, argumentum est & causa secundæ suæ resurrectionis, qua corpus liberabitur non modo à corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis. Quod enim hæc illius argumentum & causa sit, Apostolus euidenter ostendit vbi ait: *Si Spiritus Christi habitat in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis*. (Rom. 8.) Bene igitur dicitur, Beatus & sanctus qui habet partem in prima resurrectione: sanctus videlicet propter primam quam iam adeptus est per innouationem animæ, beatus propter secundam quam fœliciter expectat in corporis restitutione.

F

Denique vnde beatus sit, eadem aperit Scriptura cum subdit: *In his*, scilicet qui partem habent in prima resurrectione, *mors secunda non habet potestatem*, (Apoc. 20.) etiamsi prima mors visa est ad horam in eis exercuisse dominationem. Regnauit quippe mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Sed sicut Christus, sic & Christianus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Itaque in beatis illis nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit retinebit: quoniam mors vna Christi, vtramque nostram triumphauit: ab ista liberans iam captos, ab illa capiendos: ne videlicet in illam incidamus, nec in ista remaneamus.

Christi mors vtrãque nostram mortem deuicit. Osee 13.

Quam vera quam pia simul & magnifica illa morientis comminatio. *Ero mors tua ô mors*. Quam pulchre & mirificè triumphauit, qui mortem pro omnibus gustans, tam suam quam omnium omnimodam mortem absorbuit.

G

Prorsus *absorpta est mors in victoriam*. Securus insultet ei quicunque beatus ille est, qui partem habet in resurrectione prima. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* (1. Cor. 15.) Victa es quæ omnia vincebas: sed & arma perdidisti in quibus confidebas. Vbi enim est stimulus tuus? Stimulus mortis peccatum, quod semel pungens humani radicem generis, in totam propaginem immedicabile mortis venenum diffudit, dicente Apostolo: quia *per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors*, (Rom. 5.) & ita in omnes homines pertransiuit. Victrix ergo regnabat mors ab Adam primo etiam vsque ad secundum: quoniam sicut originali lege tenebatur vniuersum genus humanum vinculo peccati, sic etiam debito moriendi. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam tam peccati quam mortis: vtique per Dominum Iesvm Christvm, qui prorsus à peccato immunis, ac per hoc liber à debito mortis; hanc tamen vltro pro nobis exoluit moriens, & peccato nos absoluit resurgens. *Christus enim*, ait Apostolus, *mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. (Rom. 4.)

H

Moriens namque delictorum nostrorum pendit pœnam, & resurgens iustificationis perpetuæ nobis condidit formam & causam: vt quomodo videlicet Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: sic Christianus conresurgens Christo iam non peccet ad mortem, nec ei peccatum vltra dominetur. Hic est ille beatus & sanctus, qui partem habet in resurrectione prima, in quem nec potestatem habebit mors secunda: sed absorbebitur in victoriam resurrectionis Christi etiam mors prima. Hic est qui non solum agnouit, sed etiam apprehendit virtutem resurrectionis Christi, & societatem passionis illius: configurans morti eius, vt occurrat ad resurrectionem ex mortuis. Non errabat Apostolus qui ob lucrum istud omnia quæ ei lucra fuerant, non solum detrimenta reputabat, sed etiam velut stercora arbitrabatur, tantum vt Christo inueniretur configuratus sicut morti, sic & resurrectioni ipsius. Lucrosum omnino com-

A *Negotiū contemnere mundū, vt lucrifacias Chriſtū.*

mercium, contemnere ea quæ te deterunt & polluunt, vt lucrifacias Chriſtum: imo ſi opus ſit, non ſolum tua, ſed & teipſum ſuperimpendere, vt cum tanto fœnore immortalitatis & gloriæ, teipſum merceans recipere. Quis enim ambigat lucroſum eſſe commercium ſeminare corpus mortale, animale, ignobile, vt ſurgat immortale, ſpirituale, glorioſum? mori mundo, vt poſſis dicere, mihi viuere Chriſtus eſt & mori lucrum? O cupidi qui immoramini ſtudio lucrandi, cur non didiciſtis artem lucrandi? Cur non vilia, imo detrimenta & ſtercora contemnitis, vt Chriſtum lucrifaciatis? *Quare appendistis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* [Eſa. 55.] Vt video vilior eſt vobis argento veſtro panis ille qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Sed non poteſt ſcire * quanti ſit, qui non vult guſtare qualis ſit. [* *quantum.*] Vtinam auarus vel ipſe ſibi pretioſior eſſet pecunia ſua, nec amore illius venalem exponeret animam ſuam, proiiceretque in vita ſua intima ſua. Prudens ille negotiator dignuſque rerum æſtimator, [Act. 20.] B Paulum nimirum loquor, qui nec animam ſuam, id eſt, animalem, ſenſualemque vitam pretioſiorem facit ſeipſo: id eſt, ſpiritu ſuo, quo videlicet connexus inhærebat Chriſto, paratus animam perdere, vt in vitam æternam poſſet eam cuſtodire. Quia igitur qui diuitias habent, difficile intrant in regnum cœlorum, & qui theſaurizant argentum, citius appendunt illud in manibus quam in panibus: in azymis dico ſinceritatis & veritatis, cum quibus hodie comedendus eſt agnus paſchalis: vos beati pauperes, filij pauperis crucifixi, vos inquam qui non habens argentum, properate emite & comedite. Promptius omnino & facilius emunt bonum illud, nihil habentes, quam multa poſſidentes. Cum deeſt facultas, ſufficit ad emendum bona voluntas: qua plerumque ſunt ditiores, qui rebus ſunt pauperiores. Hos nimirum recte inuitat Scriptura, [Eſa. 55.] *Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione, vinum & lac.* Vides ô fœlix pauper ſolam à te voluntatem bonam exigi, in illa ſola rationem tanti conſtare

C *Lucri magni eſt non habere partem in ruina mundi.*

commercij? Ne recuſes ingratus quod tam gratis offertur, imo ne perdas ingrata voluntate, quod iam merueras beata paupertate. Agnoſce quanti lucri ſit, non habere partem in ruina mundi, vt partem habeas in reſurrectione Chriſti. Intellige quantæ fœlicitatis ſit non inebriari luxu & furore ſæculi, vt cum Chriſto nouum bibas vinum in regno patris ſui. Inuitat ipſe agnus paſchalis amicos ad delicias corporis & ſanguinis ſui, [Cant. 5. *Euchariſtia vir-tus.*] *Comedite,* inquiens *amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cibus iſte & potus, vitæ eſt myſterium, immortalitatis medicamentum, cauſa reſurrectionis primæ, pignuſque ſecundæ: quia diuinæ plane in nobis initium ſubſtantiæ. [Heb. 3.] *Participes*, inquit Apoſtolus, *Chriſti effecti ſumus*, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. [*Negligentibus gratiam Dei quid mali eueniat.*] Qui enim poſt acceptam gratiam ad vomitum ſuum reuertitur, diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Vel certe panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus: quia nimirum gratia percepta in pœnam

D

conſcientiæ vertitur, cum ſanguis teſtamenti quo ſanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, & ſpiritui gratiæ contumelia irrogatur. Hoc contemptu & nauſea diuitiæ deuoratæ euomuntur, ita vt de eo, qui eiuſmodi eſt, dicatur: [Iob. 20.] *Non remanſit quicquam de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis illius.* Videat autem ne forte & ipſum terribilis iſta perſtringat ſententia, qui cum per gratiam deuotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorſus ex illis in memoria retinet, vt memoriam abundantiæ ſuauitatis diuinæ nobis eructet: non ſaporem in ſermonibus tanquam guſtum in faucibus, non virtutem in moribus tanquam ſuccum in viſceribus ſed dum ſtatim totum per inania vel ſcurrilia reuomit, gratiam ſibi in iram conuertit. Prorſus in iram, & iram terribilem, ſi in ipſum cadit quod Scriptura contexuit dicens: [Ibid.] *Cum ſatiatus fuerit arctabitur, & irruet in eum omnis dolor.* Vtinam impleatur venter eius, vt immittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper eum

E

bellum ſuum. Iuſtum quippe ſentiebat atque conſentiebat Propheta, vt pluat ſuper peccatores bellum qui ad pluuiam voluntariam, fructum paucis non retulerunt: ſitque *ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*, qui calicem Domini indigne biberunt. [Heb. 6.] *Terra enim ſæpe venientem bibens imbrem, & generans herbam opportunam, accipit benedictionem: proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledictio proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Confidimus autem de vobis fratres meliora, & viciniora ſaluti, tantum gratiæ Dei grati ſitis: & ſicut in nouam creaturam tranſlati eſtis paſchalibus myſteriis, ſic in nouitate vitæ ſemper ambuletis. Qui ergo participes Chriſti effecti eſtis ſocietate fidei, participatione ſacramenti, communione Spiritus ſancti: initium ſubſtantiæ eius non ſolum vſque ad finem firmum retinere, ſed etiam ſedulo augere nitimini: vt qui per tot munerum prærogatiuas partem habere cœpiſtis in reſurrectione prima, tanti fiducia pignoris in die agnitionis conſignati, ius vobis perpetuum vindicetis in reſurrectione ſecunda: [F] præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO reſurrectione & vita noſtra, qui pro nobis mortuus per triduum, iam viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

BEatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima. [Apoc. 20.] Primitiæ dormientium Chriſtus, primogenitus ex mortuis, qui ſua reſurrectione quæ prima eſt omnium, & primam nobis reſurrectionem animarum, & ſecundam corporum dedicauit: dum in corpore ſuo quod ſuſcitauit à mortuis, & animabus ſacramentum, & corporibus exemplum reſurgendi nuntiauit. Sed & animabus ipſis duplicem gratiam reſurrectionis ſimplex Chriſti reſurrectio præparauit, dum & quotidie reuiuiſcunt à morte peccati per operationem myſterij, & hodie maxime reſurgunt a ſomno torporis per deuotionem gaudij. Quis enim ille tam piger, aut tepidus qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam, [G] *Reſurrexit Dominus*, non totus in exultationem ſuſcitetur non totus reuiuiſcat & recaleſcat ſpiritu: Imo & *cor meum & caro mea exultauerunt*, inquit, *in Deum viuum*, qui totus conciderat in mœrorem ac deſperationem, IESVM aſpiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, nec paruo fœnore gaudij, IESVS mihi de ſepulchro redit: dum & Deus viuus agnoſcitur, qui paulo ante vt homo mortuus lugebatur, & quem occiſum cor meum dolebat, iam in eum viuum non ſolum cor meum, ſed & caro mea exultat, de ſua ſcilicet per eum reſurrectione & immortalitate ſecura. O anima mea, *ego dormiui & exurrexi*, ait Chriſtus: ſurge & tu quæ dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Annon fratres mortuo ſimilis, qui adhuc ſtertit orto iam ſole, qui adhuc negligentia & ſocordia premitur, quaſi deſperato ſepultus torpore, iam vbique gratia reſurrectionis rutilante? Ferit oculos ſol nouus emergens ab inferis, his qui de mane vigilant ad eum, diem referans æternitatis. Dies iſte [H] veſperam neſcit, quia non occidet vltra ſol eius, qui ſemel occidens, ſemel aſcendit ſuper occaſum, mortem ſibi ſubiciens. O fratres, *hic dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo.* Exultemus in ſpe eius, vt videamus & gaudeamus in luce eius. Exultauit Abraham vt videret diem Chriſti, & hoc merito vidit, & gauiſus eſt. Nam & tu quoque ſi vigiles quotidie ad fores ſapientiæ, & obſerues ad poſtes eius, peruigilque excubes cum illa Magdalena ad oſtium monumenti eius: probabis ni fallor, & ipſe cum eadem Maria, quam verum ſit quod de ipſa ſapientia, quæ Chriſtus eſt, legitur, [Sap. 6.] Facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat: qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet. Sic enim & ipſe promiſit dicens: [Prou. 8. *Vigilandum eſt ſedulo.*] *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me.* Inuenit quidem Maria corporaliter Ieſum ad quem vigilabat, ad cuius

A monumentum cum adhuc essent tenebræ excubare venerat. Tu vero qui iam non debes nosse IESVM secundum carnem, sed secundum spiritum: spiritaliter nimirum eum inuenire poteris, si simili eum desiderio quæsieris, si te similiter peruigilem in oratione aduerterit. Dic ergo Domino IESV desiderio & affectu Mariæ; Esa 26. *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.* Dic voce & mente Psal- Ps. 62. mistæ: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, Sitiuit in te anima mea*: & vide si non cum ab eis tibi cantare con- Ps. 89. gruerit: *Repleti sumus mane misericordia tua, & exultauimus, & delectati sumus.* Vigilate ergo fratres in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti: præsertim quia iam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis & gratior ab inferis rediit, solemque nouum susceptio matutina reparauit. Prorsus hora est iam nos de somno surgere, postquam nox præcessit, dies autem appropin- B quauit. Vigilate, inquam, vt oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cuius quasi diluculum præparatus est egressus, paratus vtique vigilantibus ad se mysterium suæ matutinæ resurrectionis sæpius innouare. Tunc vtique cantabis in iubilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis: Hic dies quem fecit Dominus exultemus & lætemur in eo*: cum videlicet lucem quam in manibus abscondit, interlucere tibi permiserit: annuntians de ea amico, quod pos- Sap 5. sessio eius sit, & ad eam possit ascendere. *Vsquequo piger dormis? vsquequo dormitas?* Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias, & cum te dormiente, te nesciente Christus de sepulchro surrexerit, & gloria eius transeunte, nec posteriora eius videre merueris: tunc sera pœnitentia planges, & di- M.l.4. ces cum impiis, *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Vobis autem* (inquit) *timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ: & qui ambulat in iustitiis, Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Et id quidem beatitudo est vi- C tæ sequentis, sed iuxta quendam modum indulgetur etiam ad consolationem præsentis, sicut euidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta sapientia nobis probauit, quomodo dignos seipsa circuit quærens, & in viis suis ostendit se illis hilariter, & in omni prudentia occurrit illis. Vt enim IESVS se illam esse sapientiam de qua hæc scripta sunt ostenderet, & quod quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in viis iustitiæ se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret: in via hodie occurrit mulieribus a monumento redeun- Luc. 24. tibus, in via se ostendit duobus euntibus in Emaus. Audiant & gaudeant qui in viis iustitiæ ambulant: audiant inquam, quia non solum inhærentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes iuste ac pie vias actionis, IESVS dignatur & occursu & manifestatione sui. Agnoscit, ni fallor, experientia quorundam vestrum, quia sæpe IESVS quem quæsierunt velut ad monumentum, ad memorias altarium, nec inuenerunt, inspiratus occurrit eis D in viis laborum. Tunc nimirum accesserunt & tenuerunt pedes eius: quorum scilicet pedes non tenuerat pigritia, præ desiderio eius. Noli ergo tu frater nimis parcere pedibus tuis à viis obedientiæ & discursibus operum, quandoquidem IESVS pedibus suis non pepercit propter te etiam à dolore clauorum, & adhuc eorundem amplexu & osculo pedum, non grauatur laborem remunerare, aut releuare pedum tuorum. Nam & illud quantæ consolationis erit, si se tibi viæ comitem adiunxerit, miraque delectatione suæ sermocinationis, etiam sensum tibi laboris ademerit, aperiens tibi sensum vt intelligas Scripturas, quas fortasse domi sedens legebas, & non intelligebas? Obsecro vos fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio diuina, nonne cor vestrum ardens erat in vobis de IESV, cum loqueretur vobis in via, & aperiret Scripturas? Recordentur igitur illud experti, & cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini: credant & experiri satagant inexperti, vt aliquando & ipsis cantabiles fiant iustifi-

cationes Dei, in loco peregrinationis suæ & afflictionis. E Resurgat itaque ac reuiuiscat spiritus omnium nostrum, siue ad vigilantiam orandi, siue ad instantiam operandi: vt quadam rediuiua ac viuida alacritate probet se de nouo portionem accepisse in resurrectione Christi. Et primum quidem vitæ in hominem redeuntis indicium est, si strenuus & impiger sit ad actionem: nam perfecta resurrectio eius est in hoc dumtaxat moribundo corpore, si oculos aperiat ad contemplationem. Quod tamen non ante promeretur intellectus, quam crebris suspiriis & vehementibus desideriis dilatetur affectus, vt tantæ nimirum capax maiestatis reddatur. Quod videlicet velut per quosdam gradus incrementum resurgendi, significanter figuratum arbitror in mortuo quem Helisæus suscitauit, qui cum ad vitam redire inciperet, primo di- 4 Reg. 4. citur, quia calefacta est caro pueri: deinde, quia septies oscitauit, & sic demum oculos aperuit. Caro pueri, cor carneum est in Christo paruuli, cui prima spes vitæ est si dicere possit, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quanquam & vestimen- F ta eius calida sint, cum terra eius perflata fuerit austro, spiritu vtique sancto, quem verus Helisæus præueniendo aspirat rediuiuo. Amplius autem & euidentius ad resurrectionem proficit, cum desiderio & esurie quadam iustitiæ oscitare frequentius incipit: illo scilicet modo quo oscitabat, qui dicebat: *Os meum aperui & attraxi* Ps. 118. *spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Oscitatio quippe ista, distensio est affectus, vt capacior fiat spiritus vitæ, quatenus post alia charismata septiformis gratiæ, infusus etiam spiritus intellectus & sapientiæ, oculos tandem ad contemplandum Deum faciat aperire. Primus ergo calor vitæ redeuntis est, cum bonus exercetur *Signa vitæ spiritualis.* actus: secundus resurrectionis profectus, cum per orationem dilatatur affectus: profectio autem, cum ad contemplandum illuminatur intellectus. His gradibus virtutum, his sanctioris vitæ incrementis fratres mei resurgere magis ac magis enitimini, si quomodo occurratis, vt Apostolus ait, ad resurrectionem Christi ex G mortuis, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

In diebus Rogationum sermo.

AMici venerunt ad nos de via, sed non habeo quod Luc. 11. ponam ante illos. Non sum medicus, & in domo mea non est panis: Ideo dicebam ab initio, Nolite me constituere principem. Non enim debet præesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest, qui nec medicus est, nec panem in domo habet, id est, nec artem nouit qua sciat curare, nec doctrinam habet qua sufficiat pascere? Hæc quidem dicebam, sed heu non audistis me: principem enim constituistis me. Superat igitur vt quia non potui effugere periculum, confugerem ad remedium, & audirem super hoc illud sapientis consilium, *Principem te constituerunt, esto inter illos quasi vnus ex ipsis.* Sed væ mihi, neque hoc H ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia prohibet esse super alios, sic imbecillitas non patitur inter alios esse: & sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, sic corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus non sum nec præesse, nec coesse, vbi potero esse, nisi vltimum, & tutissimum eligam locum, scilicet omnibus subesse? Et hoc quidem valeo, humilia scilicet imo vera de me sentiendo nihilque me prohibet, imo plurimum veritas ipsa monet, subesse cunctis animo, licet præesse cogar officio. Tu Domine Deus ipse es, qui & subesse mones, & nihilominus præesse iubes: à te expeto, à te expecto, vt humilem simul, & vtilem in iniuncto me facias ministerio Humilem, vera de me sentiendo: vtilem *Pastor animarum humilis debet esse & vtilis.* recta de te loquendo. Illud inspira cordi, hoc ministra ori. Da sermonem rectum, & benesonantem in apertione oris mei, qui dixisti, *Aperi os tuum & implebo illud, vt omnis familia tua benedictionibus impleatur.* Ecce venerunt amici, mei quidem amici, sed amplius tui. Non habeo quod ponam ante illos: nisi commodatum fuerit

A ab alio. Et quis alius æque diues aut liberalis ad præstandum, sicut Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: nisi forte illi qui vel pigre petit, vel ingrate detinet gratiam quam accepit? Quanti mercenarij in domo patrisfamilias istius abundant panibus, qui quoniam Christum annuntiant, licet non sincere, propter alios tamen eis doctrinæ gratia non negatur? Et vbi abundant mercenarij, nunquid egebunt filij? Tu ergo Domine, (amicum enim dicere vereor, sed Dominum confiteor) commoda mihi tres panes, vnde reficiantur amici, ne si dimisero eos ieiunos, deficiant in via, & tunc vocetur in causam pro eis & dicatur mihi,
Thr. 4. *Paruuli petierunt panem, & non fuit qui frangeret eis.* Commoda Domine quod in lucrum tuum proficiat: receptutus vtique cum tibi placuerit quod tuum est cum vsura. Cummoda, inquam, tres panes si placet, aut certe quodcunque placet, quantulumcunque fuerit,
B etiam si buccella panis, sufficiet in quantalibet millia,
Orandū pertinaciter. si tantum benedicas. Scio equidem, quia vis non esse tibi importunos, vt licet dissimules, licet excuses, eo quod iam in cœlum receptus sis, & Apostoli tui tecum sint in cubili, nos tamen nihilominus perseueremus in petendo, quærendo, pulsando: scientes quia doctrinam non sola vitæ meretur innocentia, qua amici efficimur: sine assiduitate studij & instantia precis qua importuni videamur. Mihi tamen neutrum suffragatur: solum eorum qui pascendi sunt meritum obtendo, illi merentur quod ego non mereor. Vos autem fratres mei vsibus quorum & pro meritis quorum, peto panes istos, putatis sufficimus, siue ego ad frangendum, siue vos ad
Eccl. 3. edendum? *Timeo* ne dicatur mihi, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*: timeo ne dicatur & vobis, *Facti estis quibus opus est lacte non pane.* Scio reuera panes esse apud patremfamilias, quos si nostra præsumat infantia, citius frangentur dentes, quam im-
Tres panes, Trinitatis mysteriū. pleantur ventres, id est, ædificentur mentes. Quis enim
C capiat, quis explicare aut cogitare digne sufficiat illud Trinitatis mysterium ineffabile: quomodo pater à se, filius à patre, spiritus sanctus ab vtroque, & tres per-
Prou. 9. sonæ in vnitate substantiæ? Mulier insipiens, audax, hæreticorum vanitas, prurientes auribus ad talia discutienda sollicitat, cum Deus credendus sit non discutiendus. Panes, inquit, occultos libenter attingite. Quasi vero tu insipiens attigeris, quod sublimius est angelis. Et ad quid mihi panes occultos attingere, quos non licet sine periculo frangere, vel edere? Sufficit mihi scire quia sunt, quia tres panes sunt: non dico Trinitatem personarum, sed Trinitatem sermonum, vel magis intellectuum, qui de personis habendi sunt: tres inquam panes vnius magnitudinis & ponderis, vnius formæ & saporis. Quanta enim & qualia de patre, tanta & talia de filio, seu de spiritu sancto sentienda sunt: excepto dumtaxat, quod proprietatum discretio, numerum facit personarum, sicut in Trinitate, sic intelligentiarum in earum distinctione. Hos ergo panes
D relinquamus frangendos angelicæ sublimitati, donec ad eorum crescentes æqualitatem, mensæ eorum simus idonei. Multifariæ siquidem aliorum Trinitates panum de scriptura nobis possunt proponi, qui nostræ magis congruant infirmitati: verbi gratia, (vt nondum longius ab illa summa Trinitate recedamus) quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: quod à patre creati, per filium redempti, in spiritu sancto sumus sanctificati. In hunc modum tam multa dici possunt, vt quamlibet famelicus venerit amicus de via, si vel dimidium ei apponas, non minus fortasse incipiat periclitari fastidio, quam prius inedia: vt copia obruat, quem inopia prius angebat. Non solum enim ipsum qui fecit nos, & ea quæ facta sunt propter nos, sed etiam
Scriptura sancta trifariā diuisa. quæ scripta sunt propter nos describere tripliciter poteris, vt copiosa refectio sit in tribus panibus, historiæ, allegoriæ, & moralitatis. Vniuersa quoque scripturæ continentia in tres partes diuisa, velut in tres panes digesta est: dum aut de naturali iustitia differt, aut de E
literali, aut de spiritali: id est, ante legem, sub lege, & post legem, quod est sub gratia. Natura rectum dedit intellectum, lex etiam actum, gratia autem affectum. Sed & doctor & pastor gentium in fide & veritate pa- 1. Cor 14
scendam docet Ecclesiam quadam panum Trinitate; vt qui Ecclesiam ædificat loquatur ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem. Ad ædificationem, vt quid agere debeas, noris; ad exhortationem, vt quod noris, velis; ad consolationem, vt etiam in aduersis possis, quod noueris & volueris. Denique non solum in materia rerum, sensibus & partibus scripturarum, generibus & modis locutionum, sed etiam in omni fine earum, quandam panum inuenies Trinitatem: & ipsam quidem sapidam satis & salubrem; fidem scilicet, spem, & charitatem. Eo quippe omnis scripturarum, vel ser- *Scripturæ scopos.*
monum intentio spectare videtur, vt credamus, speremus, diligamus. Nam & charitas sola finis præcepti diffinita est, quæ & ipsa quodammodo triplex est, dum ex toto corde, tota anima, tota virtute habenda est. F
Sed quoniam vitio ducitur longior & varia epulatio, nos finem dabimus lectioni; vestrum erit fragmenta quæ superauerunt, id est, subtiliora, quæ manus nostras effugerunt colligere; simul autem & vestrum & nostrum ei qui pascit nos cantare, *Benedictus Deus in* Ioan. 6.
donis suis, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In die Ascensionis Domini sermo.

PAter cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine Ioan. 17.
tuo. Hæc oratio Domini habita est ante diem passionis, non absurde tamen aptatur diei ascensionis, quando scilicet supremo discessurus erat à filiolis suis, quos patri commendabat. Qui enim in cœlis creauit docet & regit multitudinem Angelorum, in terris aggregauerat sibi pusillum gregem discipulorum, sub præsentia suæ carnis erudiendum quoadusque grandiusculi sensus effecti, disciplinæ spiritus fierent idonei. Magnus G
itaque paruulos magna dilectione diligebat, quippe quos ab amore mundi abstraxerat, & relicta omni spe sæculi, de se solo pendere videbat. Quandiu tamen cum eis corporaliter conuersari voluit, non facile aut multum hunc suum eis affectum prodidit: maturiorem se eis, quam teneriorem exhibens, sicut magistrum decebat & patrem. Cum autem tempus quo ab eis recessurus erat instaret, tunc veluti vinci tenero eorum affectu visus est, vt magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam eis absconderat, dissimulare non posset. Hinc illud est, quod *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro inimicis. Tunc enim sacramentum corporis & sanguinis sui tradidit, & celebrandum instituit, nescio virtute an charitate mirabiliori: hoc nouum genus mansionis adinueniens in consolationē recessus sui: vt si discederet ab eis specie corporis, maneret non solum cum
eis, sed etiam in eis virtute sacramenti. Tunc veluti pror- H
sus suæ oblitus maiestatis, & velut iniuriam faciens sibi, nisi quia gloria est charitatis, humiliare se pro amicis: dignatione ineffabili dominus, & talis Dominus pedes seruorum lauit: vno opere condens eis & humilitatis exemplum, & remissionis Sacramentum. Tunc denique post exhortationem prolixioris sermonis patri eos commendans subleuatis in cœlum oculis: inter cætera sic ait: *Pater cum essem cum eis, ego serua-* Ioan. 17.
bam eos in nomine tuo, & nemo ex his periit, nisi filius perditionis. Nunc autem ad te venio, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos a malo & cætera, quæ non est huius temporis retexere, multo minus exponere. Sum- *Summa salutis nostra in quo consistat.*
ma tamen orationis sicut indicat textus lectionis, est in his tribus, in quibus est & summa salutis, imo & perfectionis, vt nihil possit addi: scilicet vt à malo seruentur, vt in veritate sanctificentur, vt in ipso glorificentur.

A *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & ipsi sint mecum, vt videant charitatem meam.* O fœlices quorum aduocatus ipse iudex est, pro quibus orat, qui pari honore cum eo quem orat, adorandus est. Voluntate labiorum eius non fraudabit eum pater, cum quo est ei vna voluntas & vna potestas, quia vnus Deus est. Omnino quod Christus orat, impleri necesse est: cuius sermo virtus est, & voluntas effectus: qui de omnibus quæ sunt *dixit & facta sunt*: mandauit, & creata sunt. *Volo*, inquit, *vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium, tantum non abiiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum credituri sunt in Dei verbum. *Non pro eis*, inquit, *rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*
Philip. 1. Vobis autem fratres donatum est, vt ait Apostolus, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt patiamini pro eo: quos scilicet fides promissionis Christi, non
B securitate negligentiores, sed alacritate faciens feruentiores, & quotidiano vitiorum conflictu, martyrio coronat assiduo. Assiduo, sed facili: facili, sed sublimi. Facile est, vbi supra virtutem nihil imperatur: Sublime, vbi de omni virtute illius fortis armati triumphatur. An non facile suaue Christi iugum portare? an non sublime in regno eius excellere? Quid facilius rogo quam portare pennas quæ portent portantem se? quid sublimius quam supra omnem cælorum altitudinem quo Christus ascendit, euolare? Plane sancti quorum sicut aquilæ iuuentus renouabitur, assument pennas sicut
Mat. 14. aquilæ & volabunt. Quo volabunt? *Vbicunque*, inquit, *fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Sed quid potamus fratres quomodo tunc repente de terris ad cælos euolare poterit, qui nunc exercitio, & vsu quotidiano volitare non didicerit? Si quæris quo doctore, quo duce: nunquid non Christus sicut aquila prouocabat hodie ad volandum pullos, quando super eos volitabat, cum scilicet videntibus illis eleuaretur, diuque sequeretur
C oculis euntem in cælum? Poterat vtique repente in ictu oculi, ex oculis eorum rapi, & vbi vellet, constitui. Sed plane *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos*, & super eos volitans: & corda sursum leuare post se nitebatur amore sui, & corpora similiter posse subleuari pollicebatur exemplo corporis sui: sicut Apostolus ait, æterni conscius mysterij, quia & nos baiulis nubibus rapiemur in obuiam Christo redeunti. Ipse
Psal. 17. quidem *ascendit super Cherubin, & volauit, volauit super pennas ventorum*, id est, supergressus est virtutes angelorum: tuæ tamen condescendens infirmitati, expandet alas suas, & assumet te, atque portabit in humeris suis, si modo pullus degener non existas, vt à terra leuari, & aura puriore perfrui non extimescas. Alij volant contemplando, tu saltem amando. Paulus mente ascendit, & ad tertium vsque peruolat cælum: Ioannes ad id quod in principio erat verbum: tu saltem humi degenerem non trahas animum, nec pariaris obrutum inertia, in terra putrescere cor tuum: clamanti *Sursum corda* pontifici
D magno, (qui hodie *introiuit sancta, æterna redemptione inuenta, vbi & assistit vultui Dei interpellans pro nobis*) responde fideliter, *Habemus ad Dominum.* Sed & si aliquando quæsiuisti non quæ sursum sunt, sed quæ super terram iam teipsum increpa, & dic Domino cum Propheta: *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* Heu quam misere errabam. Tam magnum est illud in cælo mihi repositum, quod contemnebam: tam nihil hoc super terram, quod tantopere expetebam. Christus itaque thesaurus tuus ascendit in cælum, ibi sit & cor tuum. Inde ducis originem, ibi habes patrem & hæreditatem, inde expectas Saluatorem. Amen.

In die Pentecostes; Sermo I.

INeffabilis Deus, ineffabilis misericordia eius. Secundum nomen eius, ita & opus eius. Plane ineffabilis diuinæ circa nos dignatio charitatis. Parum erat patri tradidisse filium, vt redimeret seruum: nisi daret & spiritum sanctum, quo seruum adoptaret in filium. Dedit
E *Dei ineffabilis erga nos charitas.* filium in pretium redemptionis, dedit spiritum in priuilegium adoptionis: se denique totum seruat hæreditatem adoptatis. O Deum (si fas est dici) prodigum sui, præ desiderio hominis. An non prodigum, qui non solum sua, sed & seipsum impendit, vt hominem recuperaret, non tam sibi quam homini ipsi? An non prodigum, qui sicut *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: sic nec spiritui sancto pepercit (vt ita loquar) sed noua & mira largitate super omnem carnem effudit illum? Multum quidem effusus fuit prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quam seipsum donauit meretricibus, sed multo effusior pater in recuperationem perditi filij, quam ille in perditionem sui: si tamen vlla debet esse comparatio, gratiæ & pecuniæ, spiritus & carnis, Dei & hominis. Vide enim quanta largitate toto orbe gratia spiritus effusa sit, non solum iustis confirmandis, sed & peccatoribus iustificandis: quomodo vbique gentium spiritu creante
F nouum genus hominum renouata sit facies terræ: imo quanta quotidie mutatio fiat per dexteram excelsi, vt repente perditissimi hominum publicani & meretrices, iustos quam plurimos præcedant in regno Dei, & nouissimi fiant primi. Prorsus non sicut delictum, ita & donum quia *vbi abundauit delictum, ibi superabundauit gratia* non solum donat delicta, sed etiam virtutum accumulat merita; & sublimis restituit lapsos redemptio, quam constituerat prima creatio. Sane in his omnibus quanto mirabilior Dei gratia prædicatur, tanto damnabilior hominis duritia conuincitur; si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non seruet. Cui enim non offertur? Super quem non effulget lumen illius? Quis se abscondit a calore eius? Neque enim reliquit se, Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, & fouens calore bonitatis; cum *& lux vera illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum*, & *Deus faciat oriri solem suum super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos.* Sed væ illis qui
G rebelles sunt lumini, & resistunt spiritui sancto, nec acquiescunt veritati quam intelligunt, & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate & beneficiis Dei duriores fiunt, audacter etiam prouocantes eum: cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Verum *quid ad nos de his qui foris sunt?* Ad vos potius nobis est sermo, qui spiritum adoptionis filiorum accepistis, habentes eundem spiritum in signum adoptionis & pignus hæreditatis: qui velut quidam caracter insignis Vasa misericordiæ, à vasis iræ discernit. Quanquam de salute nostra, vel magis de spe salutis, ea nobis modestia gaudendum sit: vt quod in illis dolemus; adhuc de nobis pro nostra mutabilitate timeamus. Sicut enim de illis desperare
Timendū hic nobis. impium, ita de nobis præsumere est temerarium: cum tam de nobis, quam de illis qualiscumque sit scientia præsentium, nulla possit esse præscientia futurorum, nec leuis sit iniuria summæ potestatis, penes quam est arbitrium vitæ & mortis: si vel de illis tam crudeliter,
H vel de nobis tam audacter præiudicetur eius iudiciis. Denique de massa eorum sumus assumpti: & qui paulo ante eramus sicut & illi, natura & vita filij iræ, repente facti sumus filij gratiæ. Nos ergo simus illis exemplum spei ad pœnitentiam: ipsi nobis timoris ad perseuerantiam. In nobis se misericordia commendat vt ametur: in illis se iudicium exerit vt timeatur. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: pro ista gratias agens, pro illo preces fundens: pro ista gratus & lætus, pro illo timoratus & cautus: & de vtroque eruditus exultabo tibi cum tremore, quia tunc ingrediar in veritate tua, si ita lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Neque enim timor iste quem amor castum facit, gaudium tollit, sed custodit: non destruit, sed instruit: non inamaricat, sed condit; vt tanto sit durabilius, quanto modestius: tanto verius, quanto seuerius: tanto dulcius, quanto sanctius. O castum & fidele gaudium, quam fidelis est illa de te sen-

tentia

A Eccl. 30. tentia sapientis, *Non est sensus super salutem corporis, & non est oblectatio super gaudium cordis.* Hoc vtique gaudium non est gaudere impiis, quorum fatuos risus & friuola gaudia, Sapiens detestatur & increpat. *Risum*, inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat.* (*Gaudiū cordis.* Eccl. 2.) O bone IESV, quam dissimile est illud gaudium tuum, quo interim consolaris renuntiantes illi falso & fallaci gaudio; quam melior est misericordia tua super vitas: quam melior est dies vna in atriis tuis super millia, quanto beatiores facis pauperes tuos ipsa paupertate tua, quam mundus facere possit sua quantalibet affluentia: vbi quicquid affluit, defluit, sibique inhærentem perefluere facit. Aliis affluebat deliciis illa pauper familia Christi, quam fluminis impetus inundabat lætificans ciuitatem Dei: cum scilicet hodierna die tanquam spiritus ferrens repleuit totam domum, vbi erant sedentes Apostoli. Exhibebat quippe diuina veritas, quod

B Isa. 66. per prophetam promiserat. Ecce ego declino in vos, vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloriæ gentium. Quantum illis affluebat, quibus tantus influebat: quantumque de illis profluebat, de quorum ventre fluebant flumina aquæ viuæ. Nec solum de eorde beneuolentia charitatis, sed etiam ex ore vehementia profluebat torrentis eloquij, cui non poterant resistere & contradicere omnes eorum aduersarij: sicut de Stephano dicitur, *quia non poterant resistere sapientia & spiritui qui loquebatur.* Ad huiusmodi gaudia vos interim fratres consolator vester inuitat. Hoc torrente voluptatis suæ sitibundas amantium mentes potare desiderat. *Si quis*, inquit, *sitit, veniat & bibat.* O affluens liberalitas Dei, ô indeficiens largitas diuinæ bonitatis. Spiritum cuius hodie primitias dedit Apostolis, offert vniuersis. Thesaurum suum, fontem aquæ viuæ aperit tam hominibus quam iumentis: tanquam & ipse omnibus sapientibus & insipientibus debitor

Isa. 55. C fit. *Omnes*, inquit, *sitientes venite ad aquas.* Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantum sitire quis nouerit, venire velit. Gratia quippe non admittit fastidientes: sed sicut esurientes implet bonis, sicut diuites dimittit inanes. O fastidium tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum: quod abominari facit bonum Dei verbum, contemnere cœleste donum, fastidire manna propter ollas carnium. (*Fastidiū boni, quantum mali pariat.*) Quæ enim lues tam pestifera, quis morbus tam lætalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem ac male securum appropinquare vsque ad portas mortis? Sed vnde rogo tam late lues ista Christi ouilia infecit, greges inuasit, vt quam pluribus de grege Domini videatur etiam locus horroris & vastæ solitudinis, locus pascuæ vbi sunt collocati, & in pascuis vberrimis, in herbis virentibus misere pereant fastidio languidi? Annon, quæso, gustauerunt donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, & virtutes sæculi venturi? Si enim non gustauerunt bo-

D num Dei verbum, vnde toties eructauit cor eorum verbum bonum, cum scilicet de memoria abundantiæ suauitatis eius eructabant labia eorum hymnum? Nunc autem diuinis intersunt laudibus, & dormitant, aut otiosa vel etiam perniciosa mente pertractant: sedent ad librum, & oscitant: verbum exhortationis audiunt, & ipso auditu laborant: de pascuis mutantur in pascua, & tam ista fastidiunt quam illa, iugiter versantur inter fercula vitæ, & moriuntur fame. Vnde ergo post illam felicem experientiam gustumque suauem supernæ dulcedinis, tanta hæc obliuio, & incuria boni, languorque mentium subintrauit? Sola relicta est eis vox

Psal. 101. illa plangentis, si tamen plangere velint: *Percussus sum vt fœnum & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.* Currebant vtique bene, quis eos fascinauit retrorsum conuerti? Spiritu cœperunt, quomodo nunc carne consummantur? Voluptuose vescebantur, quomodo nunc intereunt in viis? Videant quæso ipsi, ne forte inimicus homo qui super bonum semen patrisfamilias

E lolium suum superseminare consueuit, post illam suauem escam Christi, felle suo fauces eorum tinxerit, ac per hoc non modo desiderium, sed & memoriam prioris gustus aboleuerit. Enimuero statim denuntiat Apostolus his qui eiusmodi sunt. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse: & mensæ dæmoniorum.* 1. Cor. 10. Annon tibi videtur non modo potatus, sed & inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similium raptatur furore passionum? Ego, vt loquar de his quæ iam magis in vsu quam in crimine sunt, puto quod & illæ mensæ dæmoniorum particeps sit, & pascens eos pascatur ab eis, cuius os abundat malitia, lingua concinnat dolos, sedens aduersus fratrem suum loquitur, & aduersus filium matris suæ ponit scandalum: qui etiam si non detrahit, detrahentem libenter audit: qui scurrilitate stultiloquij cachinnantes dissoluit. Videat ergo qui eiusmodi est, an

F dignum sit, vt volutatus velut in cruore immolatitio, & sordibus dæmonum, mox admittatur ad mensam Christi & angelorum. Absit autem fratres mei, vt hæc dicens, innocentiam vestram, qua plurimum delector, inscribam sceleri: sed hæc dico vt salui sitis, & aliorum exemplo cautiores facti, manusque leuantes in sanguine peccatoris gratiam Spiritus sancti quam alij negligentia perdunt, vos omni vigilantia seruare curetis: ad laudem & gloriam ipsius largitoris IESV CHRISTI Domini nostri, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Act. 2. L*Oquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.* Nimirum ex abundantia cordis, linguę loquebantur in eis. Exaltationes Dei in gutture eorum, quia *charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum.* O Domine Deus meus, & ego vtique similiter laudarem, si similiter potatus

G essem. Quia vero arida est anima mea, ideo est & torpida lingua. Sed *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.* Eructabunt labia mea hymnum, sed cum docueris me iustificationes tuas: id est cum dederis gustare quam suauis es vt discam te diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Bonitas siquidem tua, vnctio tua est, qua doces eos de quibus prædictum est. *Erunt omnes docibiles Dei. Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.* Iob. 6. Lex Domini immaculata conuertens animas, charitas est: lex vtique ignea, quæ est in dextera eius, quæ cum digito Dei scribitur super latitudinem cordis, & ipsum cor amoris incendio, & os ignito feruere facit eloquio. *De excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Thren. 1. O quanta facilitate & celeritate, quanta copia & facultate, ignis ille quem Dominus IESVS misit in terram, non solum erudiuit imperitos, sed etiam expediuit impeditos. Prorsus igneæ

H linguæ, quas ex se dispertiuit ignis iste, quæ sic ignescere fecerunt, non solum mentes, sed & linguas Apostolorum, vt etiam nunc prius auditor ad sermones ignescat eorum. Prorsus ignea lingua Petri, ignea lingua Pauli, in quorum verbis nunc quoque viuit ignis perpetuus, qui & super corda nostra scintillat, si accedamus, si autem vel animum ab eorum sermonibus non auertamus. Si meruissem aliquem accipere de linguis huiusmodi, dicerem vtique & ego: Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum, sicut de illis scriptum est: *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.* Dicerem, & illud: Dominus dedit mihi lin- Isa. 50. guam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Apostoli & eorum similes linguis sibi datis, magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, terram complaunt, cœlos aperiunt: quia linguæ eorum claues cœli factæ sunt, quippe quibus de ipsis cœlis linguæ missæ sunt. Mihi autem vtinam vel lingua carnis data sit, qua possim primum quidem propria,

A deinde & aliena vlcera lingere : si qui forte sunt qui ad hoc ipsum sibi me dignentur admittere. Beati quidem quibus amor & dilectio diuinæ laudis cor replet gaudio, & os iubilo, Sed & illos vtique beatos dixerim qui cum de vulneribus animarum virus ablingunt & putulentiam : trahunt in se quo anima eorum saginetur, spiritum & gratiam. Esuriunt siquidem & sitiunt iustitiam, & famem patiuntur vt canes, ideoque nihil fastidiunt quod in corpus suum possint trajicere : neminem peccatorem abominantur, quem ad iustitiam possint conuertere. *Quod Deus mundauit, tu ne immundum dixeris*, dictum est principi Apostolorum, & in ipso aliis, & ob hoc mactat & manducat omne genus reptilium & volatilium & ait, Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia impatientis desiderij cibi mei sunt. Quinimo mirum in modum quanto quisque peccator ante conuersationem amarior, tanto postmodum conuersio eius dulcior : quantoque desperatior, tanto gratior nobis eius salus : quia & saluantis gratiam
B plus miramur, qui ouem perditam reportans in humeris, gaudium facit angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis. Dicant igitur alij quibus datum est, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine :* anima autem mea esuriens & famem patiens vt canis, etiam amarum sumet pro dulci, & abominabile pro desiderabili. Delectentur alij lambere mella scripturarum, ego vero delectabor vlcera lingere peccatorum, mei scilicet mihique similium. Fœdum quidem vlcus peccati, visuque horribile, sed tamen ipsum lingere, cuius sit saporis & gratiæ, non sapit : non capit, nisi qui salutem periclitantium esurit, & famem patitur vt canis, de qualibus dictum est :
Psal 67. *Lingua canum tuorum ex inimicis*. Sed væ miseris qui tanto studio pereunt, tantoque desiderio mortem sibi consciscunt, vt vulnera sua tegant curamque canum refugiant, & asperitatem linguæ medicinalis arbitrentur morsum odij letalis. Oderunt corripientem in porta, & perfecte loquentem abominati sunt. Perfecte loquen-
C tem dico, non tam de perfectione disserentem, quam perfecta dilectione corripientem. Sed dicam perfecta dilectione, an perfecto odio ? Imo vtrumque & perfecta dilectione, & perfecto odio : quia perfectũ odium nihil aliud est, quam perfecta dilectio, & vna est vtriusque perfectio, quam Apostolus determinat dicens :

O itum perfectũ, est perfecta dilectio.

Rom. 12. *Odientes malum, adhærentes autem bono*. Sed reuertar ad id vnde digressus eram. Optabam mihi linguam qua laudarem Deum, vel certe linguam qua confitentium vlcera curarem : in altero quidem, mihi quærens diuinæ deuotionis fructum : in altero, fraternæ salutis lucrum : vobis quoque in altero dulcis, in altero fieri desiderans vtilis. Nam & de secularium arte & officio poëtarum, ita scriptum est apud quendam eorum : *Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ. Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.* Optabam, inquam, mihi gratiam oris, qua Deo & vobis officiosus deseruirem : vt aliquatenus compensarem verbo, quod minus possum exemplo. Quanquam satis suspecta mihi sit hæc consolatio, si dicam & non faciam : si suppetant suffragia linguæ, cum desint merita vitæ : imo magis fortasse timendum sit, ne peccanti dicat Deus : *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum ?* Sed quid agam ? *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus : & si tacuero, non recedet à me*. Pauor est vtrobique molestus, & coarctor è duobus : quia locutionem & officij locus exigit, & vita contradicit. Sed recordor verbi quod apud sapientem inueni : *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.* Loquar igitur non prout locus expetit, sed prout sensus suppetit, imo prout Dominus dederit : in cuius manu sumus & nos, & sermones nostri. Loquar inquam & meipsum lingua obligabo propria, vt vel præ confusione aliquando laborare compellar : & si corpus à labore manuum excusauerit, certe anima laborantis laboret sibi, vt dicat cum Dauid, *Laboraui in gemitu meo.* O si mihi dentur illi gemitus inenarrabiles quibus spiritus postulat pro sanctis, vt laborem in eis. Proculdubio labor huiusmodi gemituum satis digne compensaret mihi quotidianum laborem manuum. Sed si vos ipsi fratres si æmulari meliora charismata didicistis, optate gemitus huiusmodi à spiritu vobis infundi. Nec scio si sit in donis spiritus aliud conuenientius, aut commodius his, qui sunt infirmitate & miseria circundati, nescio si spiritui sancto qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, quia in nullo opera tanta tamque parata nobis suppetat materia sicut in gemitu & planctu nostri : nisi miseriam suam nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore vel amentia. Hoc autem primum circa infirmos quorum curam suscipit, operatur medicina sancti spiritus, qui est illuminatio nostra & salus nostra : vt videlicet seipsum phreneticus sentiat & sciat, & conuersatus ad cor dicat Domino cum Propheta, *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam : & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Nisi enim quis apponat scientiam, non apponet dolorem : nisi doluerit, non meretur consolationem. *Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Puto quia nec in Apostolis hodie locum inuenisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filij sponsi, cum sponsus ablatus esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Nisi desolati fueritis præsentia mea corporali, non vos consolabitur visitatio spiritalis. *Date*, inquam, *siceram mærentibus, & vinum his qui amaro animo sunt :* non scilicet illis qui ebrij sunt gaudio & luxu seculi. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate ? Nunquid bibere possunt calicem Domini, & calicem dæmoniorum ? Bibant inquit, potius pauperes Apostoli, & obliuiscantur egestatis suæ, vt dicant : Sicut egentes, multos autem locupletantes. Bibant mærentes de absentia sponsi, & dolorum non recordentur amplius, sed dicant : Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Nam & teipsum si pio affectu Psalmistæ dicere potueris, *Ego sum pauper & dolens*, sic ditabit, sic lætificabit sobria ebrietas huius præclari calicis, vt & si pauper sis, paupertas animum non vrat : & si dolebas quia peccasti, iam peccati reatus conscientiam non mordeat. Vide autem si non & ipse spiritus sanctus in iudicium venit in hunc mundum, vt qui doleant, & qui rident, æterno & inconsolabili se luctu tradant. *Melius est* igitur *ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Et reuera sapiens & si aliquando consolationem meretur, vt dolorum non recordetur amplius, eorum scilicet de quibus consolationem accipit ; semper tamen, vt locum paret consolationibus nouis, nouas exquirit de seipso causas doloris ; non statim blandiens sibi quasi iam per omnia iustus sit, sed eo subtilior quo iam illuminari cœpit, eo districtior, quo iustificari cœpit, fit accusator & iudex sui. Ei ergo qui eiusmodi est crebro (nisi fallor) spiritus consolator aduenit, quoniam & aduentum iam ipse suum anteuenit ; adueniens scilicet vt consolationem tribuat, sed anteueniens, vt lugere doceat. Luctus siquidem pius atque religiosus, in doctrina spiritus & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus : quippe cum sit summa sapientia sanctorum, custodia iustorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum, quæ nunc sunt, & gaudiorum quæ futura sunt : ad quæ nos perducat, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

E — *Gemendi vtilitas magna.* — Hier. 31. — F — Ioan. 16. — Prou. 31. — G — *Luctus encomium.* — H

Horatius in arte poetica — D — Psal 49. — Prou. 16. — Psalm. 6.

In Natiuitate sancti Ioannis Baptistæ Sermo I.

Hier. 1. HA *Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer sensu ego sum.* Fratres si Hieremias (sicut ex lectione audistis hesterna) ne prædicationis susciperet officium, verecundius quam iustius minorem causaba-

tur

A tur ætatem: quanto rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex vtero, & quem manifeste diuina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior: mihi, quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, mihi non erit puerilitas mea? Veruntamen tu puer Propheta altissimi, de quo sermonem hodie nostri debet locus officij, puerilitatem nostram non pateris excusatam haberi, quin saltem gestiamus more puerorum de te quoquomodo balbutire: qui etiam in materia leuiori, plena necdum didicimus verba formare. Tuum erit ô vox verbi, vox sapientiæ, tibi deuotæ soluere vinculum linguæ, qui necdum loquens, vsum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fœnore magno reddit intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, vt videlicet vterque parens aliquid sibi gauderet prærogatum de prærogatiua filij. Qui enim Propheta, & plus quam Propheta futurus erat, imo

B ante prophetare quam profari, prius Deum quam seipsum sentire cœperat, parentes quoque suos Prophetas faciebat: & in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui & gratiæ superabundantiam refundebat. Nam & Helisabeth postquam exultauit in gaudio infans in vtero eius, tunc & ipsa prophetauit repleta Spiritu sancto: quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini præsentiam exultatione manifesta reuelauit. Salutabat Saluatorem motu quo poterat, & in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Plane incomparabilis gratia, inæstimabilis diuinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Helisabeth insonat, ad cor Ioannis penetrat: qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum eius animat, gaudioque salutari vegetat: & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit Prophetiam, adeo vt etiam de plenitudine filij copiose videatur in matrem refundi. Vere gratia plena Maria, manifeste Deus totius gratiæ

C in ea erat, de cuius munificentia, tam copiose, tam magnifice, principaliter in matrem, de matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vitæ, & fons vitæ & gratiæ oriebatur de medio Paradisi ad irriganda ligna Paradisi. Proxima erat fonti cedrus ista nobis, Ioannem loquor, consobrinum & amicum sponsi, præcursorem, Baptistam & martyrem Domini: ideoque nimirum vberius irrigata in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa sublimius posset inueniri. Omnino Saluatori proximus erat, qui non solum copula sanguinis coniunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloria annuntiationis, nouitate natiuitatis, pene originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propius accedebat. Denique si alia cessarent omnia, si cuncta de eo silerent Prophetarum præconia, solius gratia nominis eius quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur, satis, abundéque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Di-

Baptista sua cæteris omnibus superior.

D gnam quippe erat, vt gratiam Dei, quam gratiâ plena profudit, plenus gratia prædicaret: & gratia non mediocri emineret, qui gratiæ tempus à tempore legis velut medius limes disterminaret. Vsque ad Ioannem enim lex & Prophetæ prophetauerunt, qui videlicet primus ostendit præsentem, quem lex & Prophetia promiserat venturum. Merito igitur natiuitas huius pueri multos gaudere tunc fecit, hodieque facit, qui in senectute parentum natus, mundo senescenti gratiam prædicaturus erat renascendi. Merito natiuitatem istam quam mirabiliter operatur gratia, miraturque natum, solemniter veneratur Ecclesia: præsertim cum singularis illius natiuitatis, cuius gratia naturam reparauit, per hanc pignora fidelia sibi videat esse præmissa. Non ingratam se probat Ecclesia, non immemorem fideliter agnoscit qua deuotione, qua gratiarum actione suscipere debeat præcursorem, per quem ipsum agnouit

Luc. 16.

Baptista natiuitatem merito veneratur Ecclesia.

E Saluatorem. Mihi plane nouo nascitur gaudio lucerna mundi, cuius iudicio lucem veram agnoui lucentem in tenebris, sed non comprehensam à tenebris. Mihi prorsus ineffabili nascitur gaudio cum quo tot, & tanta mundo nascuntur bona, qui videlicet Ecclesiam primus catechizat, per pœnitentiam initiat, per baptismum præparat, præparatam Christo consignat & copulat: & quam ad viuendum temperanter informat, etiam ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat. O fratres quorum propositum est, vtinam & ita desiderium, ad perfectionem festinare: quam cito Christianam assequeretur perfectionem, qui huic magistro animum accomodaret docibilem: cuius etiam prima elementa iustitiæ, modum supergressa sunt perfectionis humanæ: cuius rudimenta primæuæ ætatis, grauitatem sapientiæ vicêre senilis. Qui enim antequam, natus sanctus fuit, quid mirum si in processu conuersationis plusquam sanctus fuit? Mirari possumus, imitari non

F possumus sanctitatem tuam Sanctorum sanctissime: omnino necesse est, vt qui de publicanis & peccatoribus plebem perfectam Domino parare festinas, humanius eis loquaris quam viuas, & modum perfectionis non secundum vitæ formulam tuæ, sed secundum virtutem mediocritatis temperes humanæ. *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ.* Nos quidem ô fratres gloriamur perfectius loqui, quam viuere: Ioannes autem sublimius viuens quam possint homines, vel intelligere, loquitur tamen eis prout possunt audire. *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ. Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum, sit saltem vera omnium pœnitudo malorum. Si nondum facere præualetis perfectæ fructus iustitiæ, sit interim hæc vestra perfectio, vt faciatis dignos fructus pœnitentiæ. Si recordari volumus fratres lectionis hesternæ: ad dignos fructus pœnitentiæ pertinet, quod Hieremiæ, aut certe Ioan-

Matt. 3.

G ni sub typo Hieremiæ dictum est, *Vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes: ad fructus iustitiæ, vt ædifices & plantes.* Beatus qui manus huius extirpatoris adiuuerit: nam ipse Dei adiutor est, qui videlicet cooperans verbo & gratiæ Dei, in hoc studium & operam dederit, vt euellat & disperdat de affectionibus, & motibus suis omnem plantationem, quam non plantauit Pater cœlestis: destruat & dissipet omnem ædificationem Babylonicæ superbiæ & confusionis, vt postmodum melius ædificet & plantet, fiatque sicut scriptum est: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Ascendat abies pro saliunca, & myrtus pro vrtica:* omnis scilicet pulchritudo & gratia virtutum, pro situ & horrore vitiorum. Quis putas est ille tam perfectus in nobis, vt saltem hoc initium perfectionis habeat, qui scilicet ita digne, perfecteque pœnitens sit, ac tota seueritate damnet mala sua quæ fecit, prioribus vsquequaque renuntians viriis, vt omne germen maledictionis radicitus euellat & disperdat de agro cordis: ita vt de radice pessi-

Hier. 1.

Esa. 9.

H ma, nullus amplius germinet fructus amaritudinis: quique semel ita destruat ac dissipet omnẽ altitudinem extollentem se aduersus humilitatem Christi, vt iterum non reædificet quæ destruxit. Quam fœlix hodie esset Ecclesia Sanctorum, quanta pace & gratia florerent congregationes beatorum pauperum, si fructus istos quos facere debuerat rudium pœnitentia, vel eorum qui perfecti & sancti videri volunt afferret iustitia. Denique, qui nec iustitiam Sanctorum, nec exactam habemus pœnitentiam peccatorum, redimamus vel ex parte aliqua teporem nostrum deuota veneratione Sanctorum: præcipue B. Ioannis, cuius tam magnifice sanctitas effloruit supra modum aliorum, vt crederetur Sanctus sanctorum. Magnificentiam gloriæ sanctitatis eius loquamur ac meditemur fratres mei, vt propitium faciat peccatis nostris eum, cuius singulariter amicus esse meruit filium Dei, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

A

Sermo de eodem II.

Mat. 11.

A Diebus Ioannis Baptistæ *regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Merito igitur læta nobis est eius natiuitas, cuius tam fausta sunt tempora, vt regnum Dei iam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus vtique non sufficiebat ad promerendum. Merito multi in natiuitate eius gaudent, sicut promittebat Angelus, sub quo tanta fœlicitate mutatus est temporum status: vt regnum Dei, quod ante nulla innocentium obtinebat iustitia, nunc pœnitentium inuadat & possideat violentia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia regni cælorum? Annon violentia est, rapere virtute quod non erat concessum naturæ: vt qui natura erant filij iræ & gehennæ, labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in hæreditatem Sanctorum, & consortium gloriæ? An non plane violentus Deo strenuus ille luctator patriarcha Iacob, qui vt scriptum est contra Deum fortis fuit & inualuit, qui cum eo luctatus vsque mane constanter & obnixe tenebat rogantem dimitti, *non dimittam te*, inquiens, *nisi benedixeris mihi*? Dico quia cum Deo luctatus est: Deus siquidem erat in Angelo cum quo luctatus est. Alioquin nec Angelus diceret, *cur quæris nomen meum quod est mirabile*, nec Iacob diceret: *Vide Dominum facie ad faciem.* Sed neque Dominus de Iacob diceret per Oseæ Prophetam, *In Bethel locutus est nobiscum.* Bona igitur violentia quæ benedictionem extorsit: fœlix lucta, qua Deus homini succubuit, victusque victorem gratia benedictionis, & honore sancti oris nominis munerauit. Quid enim si tetigit neruum femoris eius, & emarcuit, ac de cætero claudicauit? Facilis iactura corporis, damnumque consolabile quod tanto compensatum est munere: præsertim illi qui potuit dicere: *Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam.* Vtinam marcescat in me non solum neruus femoris, sed virtus totius corporis: dummodo vel vnam merear benedictionem Angeli. Vtinam non solum claudicem cum Iacob, sed & moriar cum Paulo, vt gratiam & nomen Israelis obtineam munere perpetuo. Iacob quidem femur gerit marcidum, Paulus vero corpus emortuum: quia mortificationem membrorum, quam cœpit Propheticæ religionis initium, ad integram consummauit Euangelium. Iacob claudicans, quia ex parte quæ mundi sunt cogitans, alterum pedem a terra suspensum portat: Paulus cogitans solum quæ Dei sunt: *siue in corpore, siue extra corpus nescit, Deus scit*, totus tamen in spiritu liber ad cœlum volat. Vobis itaque dicimus fratres, qui aggressi estis cœlum rapere, qui congressi estis luctari cum Angelo, qui viam custodit ligni vitæ: vobis, inquam, dicimus omnino necesse esse vt constanter & intermisse luctemini: non dico vsque ad eneruationem femoris vnde generatio propagatur carnis, sed etiam vsque ad mortificationem corporis. Hoc tamen ipsum, nec sic labor noster poterit assequi, nisi tactu & beneficio diuinæ virtutis, cum vestram videlicet constantiam inuincibilem sibi probauerit. Sic enim scriptum est. *Cumque videret quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit.* An non tibi cum Angelo, immo cum Deo ipso luctari videtis, quando quotidie præproperis tuis resistit votis? Lauaris velut aquis niuis, vt mundus sis corde & corpore, & ipse sordibus intingit te. Dicis sapiens efficiar, & ipsa longius recedit a te. Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, & repellit te. Decernis rem, & in contrarium tibi cecidit: & per omnia fere in duritia manus suæ aduersatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duritiam te simulas? quanta pietate pugnas aduersus eos pro quibus pugnas. Licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te, & immensa multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondis timentibus te. Noli igitur desperare, constanter age fœlix anima quæ cum Deo luctari cœpisti: amat vt que vim abs te pati, desiderat à te superari.

Pœnitentes sunt violenti, qui rapiunt regnum cælorum.

B

Gen. 32.

Ose. 12.

C

D

Dissimulatrix Dei clementia.

Amat vim à nobis.

E

Nam & cum iratus est, manumque ad feriendum extendit, quærit vt ipse confitetur virum similem Moysi qui resistat sibi: & dicit: *Non est qui consurgat & teneat me.* Nam si implacabilis sit eius ira, inflexibilisque sententia, flebit & dicet Hieremias qui resistere tentauerat: *Fortior fuisti & inualuisti.* Sed absit fratres qui placita ei postulatis: absit vt fortis aduersum vos sit, qui pro vobis infirmari vsque ad mortem voluit. Tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est: vnde quæso virtus ei esse potest ad resistendum illi charitati, quæ velut victum & captum per omnia genera infirmitatum vsque ad mortem, mortem autem crucis, perduxit? Iam non fortis vt mors, sed fortior quam mors dilectio: cum virtute dilectionis infirmata sit vsque ad mortem Dei fortitudo, cuius tamen infirmitas fortior inuenta est omni fortissimo, cuius mors probata est esse mors tua, ó mors. Virtute igitur dilectionis armatus sis, quicunque es ille pius inuasor, qui rapere contendis regnum cælorum, & securus esto, quia facile vinces regem ipsum cælorum. Si qua enim videtur tibi aduersari difficultate, aut duritia: ne sis pusillanimis, sed intellige qua mente id faciat. Nempe vt contrarietate ipsa tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimorum, ac fortium: vt vires exerceat, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas. Quamobrem accingimini filij Israel, & estote filij fortitudinis: non enim opus est nisi magnanimitate & constantia, quæ nullis possit terreri aduersis. Infirmus dicat, fortis sum, & præ gaudio spei se nesciat infirmum, cui tam facile iam iamque capiendum est cœlum. Plane cœlum violenter rapit, qui imbecillitati suæ vim facit aut ætati. Imo, vt magis proprie loquar, plane vim facit propriæ perditioni, qui intonante tuba mandati, nescit parcere sibi. *Homo* enim *in laboribus*, vt scriptura ait, *laborat sibi, & vim facit perditioni suæ.* Accingimini inquam viri virtutis, & sequimini ducem ac magistrum fœlicis huius militiæ (Ioannem Baptistam loquor,) a diebus cuius cœlum esse cœpit expugnabile. Iste siquidem est qui velut alter Dauid princeps factus latronum, piorumque ductor prædonum, & victoriosum illum exercitum publicanorum & peccatorum per illam laudabilem ac religiosam violentiam post se induxerit in regnum cœlorum. Quis enim scelestus aut prophanus tubam eius audiuit, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*, & non se continuo præparauit ad bellum? Sequimini inquam ducem istum, cuius vexilla proprio rutilant sanguine, cuius hodie virtutes ac triumphos debita decantastis veneratione. Ipse, nisi fallor, quos post se traxerit exemplo, iuuabit merito, commendabitque suffragio, cum inter natos mulierum nullus sit acceptior Regi summo IESV CHRISTO Domino nostro, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

vim pati. Esa. 64.

Hier. 20.

Luctandum constanter.

F

Prou. 16.

G

Sermo de eodem III.

INter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Salomon ait: *Laudent te labia proximi tui.* Sed quam fœlicius & gloriosius cum laudant quempiam labia Dei sui. Deus quippe nec falli potest, nec adulari. Deus neminem facile laudat, quem laude posse inflari videat, vel quem ex fine debere reprobari præuideat. Homini quidem recte dicitur, ne laudet hominem in vita sua, cuius sicut scire non potest intima, sic nec præscire nouissima, cum de seipso quoque confiteri habeat, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Sunt enim iusti, & sapientes, & *opera eorum in manu Dei sunt*, & tamen *nemo scit, vtrum sit dignus amore an odio*, sed omnia in futurum seruantur incerta: Fœlix igitur qui testimonio ipsius iudicis dignum se amore scire meruerit, nisi quod testimonium iustitiæ præsentis mutabilitate humanæ suspicionem ac metum non adimit de futuris. Indubitabila tamen eximiæ virtutis & magnæ perfectionis est indicium, quoties hominem adhuc corruptioni subditum, suæ suffragio laudis

Mat. 11.

H

Prou. 27.

Laudandus nemo ante mortem.

illud

A illud irrefragabile Dei dignatur iudicium. Magnum profecto iustitiæ præconium, quod summa iustitia dicat ad
Gen.7. Noe. *Te vidi iustum coram me.* Magni quidem insigne meriti, quod Abrahæ testificatur Deus, propter ipsum implendas esse promissiones quæ ad ipsum factæ fuit. Quantæ autem illud est gloriæ, quod de beato Iob Do-
Iob.1. minus gloriatur aduersus inimicum: *Nunquid considerasti seruum meum Iob quod non sit ei similis in terra: homo simplex & rectus, & timens Deum, ac recedens a malo?* Quantæ etiam illud erat gratiæ, quod pro Moyse æmu-
Num.12. labatur & confundebat æmulos eius? *Si quis*, inquit, *fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei*, & palmam non per ænigmata videt Deum. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Quis vero in omnibus sicut Dauid, de quo gratulatur Dominus: quia inuenit virum secundum cor suum? Veruntamen quantumlibet magni fuerint, siue
B isti siue alij, nec inter istos, nec inter alios natos mulierum, teste nato virginis, surrexit maior Ioanne Baptista. Nam & si stella differat a stella in claritate, & in choro sanctorum siderum quæ ante exortum veri solis illustrarunt noctem huius sæculi, quædam effulserunt claritate mirabili: nullum tamen in omnibus magis aut splendidius lucifero isto, lucerna scilicet ardenti & lucenti, quam pater Christo suo parauit: lucifero inquam prælucanæ lucis, qui præcursor solis diem instantem mortalibus nuntiauit, dormientibus in tenebris & vm-
Matt.3. bra mortis clamitans & dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Ac si diceret: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abijcite opera tenebrarum. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit tibi Christus.* Non est autem negligenter prætereundum, sed etiam atque etiam considerandum, quam sublimis menti, quam excellentis gratiæ & virtutis oculus ille, quem nihil fallit, cum peruiderit, qui post tanta præcedentium præconia, hanc de illo sententiam tulit: quod inter natos mulierum, nullus illo
C maior surrexit, nec nisi de ordine Angelorum, vel qui peruenisset ad æqualitatem Angelorum, aliquem ei præferendum iudicauit. Nec semel quidem, aut perfunctoriè, vel breuiter laudem eius attigit, sed quotiescunque se offerebat occasio sermonis, laudibus eius delectabatur immorari, quod satis probat historia Euan-
Baptista præconio Euangelistæ librorum suorum initia dedicarunt. gelij. Propterea Marcus quoque Lucas & Ioannes ioita librorum præconiis eius dedicauerunt, vt videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte Prælati, rotum deinceps commendabilius redderet Euangelium, & lucerna in ipso ingressu ab vestibulo ardens & lucens perduceret ad lucem, quæ lucebat in tenebris, sed à tenebris nequibat comprehendi. Matthæus enim, quia eum natiuitas Domini initiis occupatum tenuit, mox vt puerum nutriendum Nazareth commendauit, ad præcursorem & Baptistam eius stilum conuertit, arbitrans imperfectum fore quicquid de sponso diceret, si de indiuiduo amico sponsi reticeret. Hæc namque cura non
D minima fuit, non solum Euangelistis narrantibus, sed etiam Prophetis & Angelis prænuntiantibus, vt lucerna Christi, testis Domini talis induceretur, cuius splendore & auctoritate inimici facile confunderentur: & ex cuius magnitudine, incomparabilis altissimi magnitudo manifeste monstraretur. Cum enim maximus inter natos mulierum natum virginis testabatur, tam longe magnitudinem suam vincere, vt indignum se confiteretur eius calceamenta portare: quid aliud dabitur intelligi, nisi quia ille erat magnus Dominus, *cuius magni-*
Psal 88. *tudinis non est finis?* & de quo dicitur, *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* Et hæc vtique illa magnitudo Ioannis fuit, quia inter magnos tam magnus extitit: quia videlicet virtutes suas magnas & innumeras quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtutum humilitate cumulauit sibi: cum putaretur summus omnium, vltro ac deuotissime præferens humillimum omnium, & in

tantum præferens, vt calceamentis eius detrahendis se E testaretur indignum. Mirentur igitur alij quod à Prophetis prænuntiatus, quod ab Archangelo promissus, & eodem quo Christus, cum tamen Christus in cubiculo, Ioannes in oraculo, quod de tam sanctis, ac nobilibus parentibus, quod de senibus, & sterilibus contra debitum naturæ, dono gratiæ, quod ante sanctus quam natus, ante Propheta quam prophetaret, quod plusquam Propheta, quia Angelus Angelicum officium vitamque gereos in terris, in carne præter carnem viuens, & licet innocentissimus, pœnitentiæ tamen formam plus exemplo quam verbo tradens, quod in spiritu & virtute Heliæ præcurrens aduentum Redemptoris, & viam ei parans in eremo, quod corda Patrum ad filios, & filiorum patres conuerterit: quod filium baptizare, patrem audire, Spiritum sanctum videre meruit, quod denique vsque ad mortem pro veritate certauit: & vt etiam ad inferos Christum præcurreret, ante passionem Christi martyr *Baptista humilitas nobis imitanda.* F Christi fuit. Mirentur inquam hæc alij, si tamen est qui digne possit mirari: nobis fratres non solum miranda, sed & imitanda proponitur virtus humilitatis eius, qua maior se credi cum potuit, noluit: imo credentes ne errarent quantum valuit compescuit. Fidelis enim amicus sponsi, magis amator Domini sui, quam sui: se minui, vt ille cresceret optabat, & de minoratione sui gloriam illius augere satagebat, ante Apo-
2.Cor.4. stolum opere & veritate dicens illud Apostolicum. *Non nosmet ipsos prædicamus, sed Dominum Iesum Christum.* Ideo nimirum magna est gloria eius in salutari tuo, in IESV tuo Domine, cuius iustitiæ & bonitatis est diligentes se diligere, & glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria eius in IESV, magna a IESV: qui & apud se glorificauit eum consortio gloriæ suæ, &
Hier.9. apud homines testimonio vocis suæ. Persuasum sibi habebat Ioannes illud fidele sapientis consilium. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: non enim qui seipsum commendat ipse probatus est, sed quem Deus commendat. Maluit itaque in Domino sane, quam in seipso vane gloriari, quia & maluit veraciter à Domino, quam fallaciter G à seipso commendari. Ideo probatus est Deo & hominibus, & gloria eius veritas apud homines, felicitas apud Deum: qui si seipsum glorificasset, gloria sua nihil esset. *O filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vt quid vanam & men-
Gloriam ab hominibus non aucupandam. dacem gloriam diligitis, & gloriam ab inuicem accipitis vel quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis? Sed quomodo quæritis? Vtinam agendo fortia, non loquendo sublimia, vtinam saltem vera loquendo, licet vane, & non mentiendo plane: vtinam denique mentiendo tantum de vobis, non etiam detrahendo de aliis. Hoc iam non est gloriam accipere, vel quærere, sed magis furari & rapere. Quærere siquidem gloriam, non sua, sed contraria via, non illa scilicet cui debetur gloria, sed contumelia, id est, non virtutis titulo, sed mendacij, & detractionis latrocinio: quid aliud est hoc nisi rapere, vel furati nequiter, quod concupieris turpiter? Certe si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam accipe- H res, iam ex hoc secundum veritatem non ambulares. Nunc autem quid cum non solum accipis si offertur, sed & quæris cum non offertur? Quid denique, cum alium velut trucidas venenosa & insidiosa lingua, vt gloriam eius tibi rapias: vt de malo eius melior, de contemptu eius tu gloriosior appareas? Sit ergo illud gloriam scilicet accipere vel quærere ab homine, insipientium vanitas: quid istud nisi sæuientium crudelitas? Sit certe illud, vt mitius loquar, tentatio humana: quid istud nisi imitatio diabolica? Plane imitantur diabolum, qui sunt ex parte illius, id est, omnes superbi. Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ. Quomodo, inquis, imitantur? Diabolus quia superbiuit, melioti se, id est, Deo inuidit: quia inuidit, detraxit. Sic filij superbiæ eius, mox vt infecti sunt vitio eius, id est amore propriæ excellentiæ, inuident alienæ. Vt cœperint inuidere, incipient si possunt detrahere, vt scilicet accrescat eis quod dero-

gauerint

A gauerint aliis. Quanto salubrius imitarentur humilitatem Ioannis, qui detrahebat sibi, vt adderet alij: qui contendebat minor credi quam credebatur, vt alius inciperet apparere quod non putabatur? Denique si non placet humilitas ex sui honestate & æquitate, placeat saltem ex vtilitate: quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam diuinam, sed nec ad gratiam humanam vlla pulchrior aut iustior, & sæpe nulla compendiosior. *Quanto*, inquit, *magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus.* Hæc beatum Ioannem glorificauit apud Deum & homines, sicut est dies hæc quæ de natiuitate eius gloriosa consolationem præstat mundo, gaudium cœlo, gloriam Deo: cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

Matth. 11.
B
Cant. 2.

COepis IESVS *dicere ad turbas de Ioanne, Quid existis videre in deserto?* Ecce illud quod sponsa de sponso gloriatur, in cantico amoris sui: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Ioannes IESV, & IESVS Ioanni: Ioannem IESVM prædicat, Ioannem IESVS commendat. Par pari redditur, & tam amica quam iusta vicissitudine charitas in inuicem prouocatur, aut remuneratur: *Ego enim*, inquit IESVS, *diligentes me diligo, & glorifi antes me glorificabo.* Habet pietas promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ, & Dominus dilectum sibi quem glorificaturus est in futuro redditione præmij, etiam nunc incipit glorificare *redditione præconij testemque suũ apud homines proprij sublimat honore testimonij. *Quid existis*, inquit, *videre in deserto?* Vos hominẽ miramini cõmorantem in deserto, sed per istum pinguescent speciosa deserti, & florebit solitudo, cum vbique noui cultores eremi de Ioannis succrescent exemplo. Tunc erit desertũ quasi deliciæ paradisi, & solitudo quasi hortus Domini. *Tunc gloria Libani dabitur ei, decor Carmeli & Saron. Sed quid inquam existis videre in deserto? Harundinem vento agitatam?* Et si moretur in desertis, non est tamen harundo deserti, sed cedrus Paradisi, columna cœli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute & merito vltra mensuram hominum, conditione citra naturam angelorum. Non est arundo vento agitata, sed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatiat: aut certe cypressus in monte Sion æterne plantata, altius scilicet quam vt ventorum rabiem timeat. Non est obnoxius tempestatibus huius aëris, quia superior est cunctis cupiditatibus mundi. In cœlo radicem fixit, quo nullus spiritus procellarum aspirat, vnde minas & bella ventorum, & cuncta in seculo aduersantia securus irrideat. Irascatur Herodes, insidietur Herodias, de interioribus eorum ebulliat tempestas, ac nequam spiritus procellarum, qui in abyssis cordium cubat, omnes vires suas, & argumenta malitiæ commoueat: nihil illum terrebit, nihil à sententia mouebit, quo minus libere nuptias eorum ingestas arguat. Quomodo enim flecterent aduersa, quem mollire non potuerunt prospera? Flauerunt siquidem aliquando & molles, atque blandientes venti, auræ scilicet fauoris popularis, sed nec illis à rectitudine sua potuit inclinari. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.* Miserunt Iudæi sacerdotes & leuitas, *vt interrogarent eum, tu quis es? Et confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus:* cum tamen ei flaret fauor popolaris, & blandiretur existimatio communis, non vt Christum prædicaret se esse, sed vt credentibus tantum non contradiceret. Sed & aliis cum discipuli eius dicerent ei: *Rabbi cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum,* nunquid hoc vento potuit agitari, aut de sua desertione, & alterius frequentia & gloria ad dolorem, vel inuidiam moueri? Imo constantia immobili ventum repellens & frangens, respondit: *Ipsi vos testimonium perhibetis, quia dixerim non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Sed quid existis videre? Hem nem mollibus vestitum?* Laudauerat eum de constantia animi, & nunc laudat de contemptu corporis sui, ac super excellentia gratiæ prophetalis, atque

Prou. 8.

* *rebibitioni.*

Baptista commendatur.
C

Baptista arundo non fuit.

D

Ioan. 1.

E dignitate angelici officij & nominis. His etenim duobus gradibus ad spiritalia ac diuina nititur humilitas humana, si videlicet aduersus irruentium tentationum ventos immobilis persistat, & desiderio spiritualium bonorum corpus affligat. Sicut enim in initiis, vt vincamus tentationes, corpus est castigandum ne regnet in eo peccatum: sic etiam victis tentationibus in eodem tamen est persistendum non solum metu recidendi, sed etiam desiderio proficiendi; vt scilicet de mortificatione carnis spiritus vegetior fiat, & quanto leuius ac subtilius vinculum gestat, tanto ad spiritalia liberior assurgat. Ioannes qui antequam exiret de ventre sanctificatus erat, cui illud dicere competebat: *Ab infantia mea mecum creuit sanctitas, & de vtero matris mea egressa est mecum,* quem nullus tentationis ventus agitare potest, nec mollibus tamen vestiebatur, nec suauibus vescebatur, sciens vtique quia sicut peccatoribus, vt sancti fiant, sic sancti vt sanctiores fiant, necessaria est seuerior viuendi disciplina. Nunc autem Deo gratias qui dedit nobis, si tamen dedit, sine pugna victoriam, sine pœnitentia veniam, sine opere iustitiam, sanctimoniam sine labore: deliciis carnalibus simul & spiritalibus affluere. Induimur, si non purpura & hysso, certe mollioribus & calidioribus quam sint purpura & byssus, & epulamur quotidie splendide, & nihilominus distenti & ructantes crapulam dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, vel potius in sinu Christi cum Ioanne? Plane si ita est, melius nobiscum actum est, quam cum illis qui tantis emêre laboribus, quod nos delicati gratuito possidemus. Plane si ita est, ridenda est magis quam prædicanda vita Ioannis: & omnem nationem filiorum Dei, qui dura & arcta via secuti sunt vnicum patris, reprobare magis expedit, quam imitari? Verisimilius autem videtur quod non ita sit, sed magis sicut veritas dicit, *quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei:* & sicut discipulus veritatis perhibet, *quia vidua in deliciis viuens mortua est.* Ideo Dominus cum de asperitate vestis laudasset amicum in omni domo sua fidelissimum, *Ecce*, inquit, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt:* volens nimirum intelligi, quia qui sectantur delicias carnis, regno huius seculi militant, non regno Dei. Heu quam terribilem sententiam cœlitus audiui contra mollitiem illius magnæ & purpuratæ meretricis? *Quantum*, inquit, *glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Vtinam tamen his deliciis, tantum mollitie vestium, & suauitate epularum contenta esset teneritudo delicatorum, nec alias spinas vitiorum germinaret in eis ramus voluptatum, vt hoc esset omne peccatum eorum deliciari, non luxuriari. Ipsi videtint, si ita extinctus est in eis ignis, vt tot fomentis circumpositis nequeat reaccendi: præsertim ventis ex aduerso flantibus, id est, verbis & rebus lasciuis tentantibus. Sileo tamen audire, quia sæpe viuit etiam in moriente, viget in sene: suscitatur & expergit etiam sine fomite, surgit nullo irritante. Ipsi ergo viderint sibi, nihil enim mihi de aliorum conscientiis iudicare, cum sciam multos in omni copia, & gloria mundi temperanter & ediuerso nonnullos in habitu asperiore, & victu parciore nequiter egisse. Sed & scio regem Israel sub purpura sua cilicium ad carnem fuisse indutum, & panem solum nonnunquam Regibus appositum: cum hodie delicatissima quæque ac mollia tegat pulla vestis pœnitentium, vel magis pœnitentiam profitentium: & fastidiis eorum non satis sint opes mundi, non satisfaciant artes & tormenta coquorum. Verum quia in huiusmodi causis facile quisque sibi inuenit patrocinium, alius infirmitatis, alius societatis, cui morem gerit, alius honorem quem gerit: esto, vestiant vt volunt, comedant vt volunt, tantum ne excedat vlterius hoc malum, ad id scilicet, quod qui perpetrate volunt, confiteri nolunt, quia tueri non possunt: & incipiant notari prouerbio mulieris nequam, quæ comedit, & tergens os suum dicit: *Non sum operata malum:* Nam & de magna illa Babylone, de cuius medio delicati pœnitentes isti videbantur exisse,

Gradus duo ad vitæ spiritalis perfectionem.

Iob 31.

Seuerior
F
viuendi modus & peccatoribus & iustis necessarius.

Act. 14.
1. Tim. 5.
G
Delicias carnis sectantes, mundo militant, non Deo.
Apoc. 18.

H

Prou. 30.

audeam

A audeam dicere, *Quantum vult purpurata sit, quantum vult*
delicata sit, tantum meretrix non sit, nec deuaricet pedes
suos omni transeunti. Tu ergo si non potes imitari Ioan-
nem in asperitate vestitus, vel parsimonia victus: vel in
hoc imitari contende, vt non sis arundo vento agitata,
Eccl. 5. & vt sapiens ait, *Non te ventiles in omnem ventum, & non*
eas in omnem viam. Sic enim peccator in duplici lingua.
Constanter agendum. Sed esto firmus, inquit, in via Domini, ne te proijciat vē-
tus à facie terrae, seu loci cui professus es, seu regni cui
praeparandus es. Solet repente ventus vehemens irrue-
re à regione deserti, & concutere quatuor angulos do-
mus filiorum Iob, & fit ruina eius magna, si tamen super
arenam fundata sit, non supra petram, si harundinea sit,
non lapidea: imo si is qui aedificat eam, & inhabitat
harundo sit: foris per hypocrisim nitidus, iactantia vel
promissione cassa sonorus, intus veritate vacuus. In se-
creto huius harundinis Behemoth dormire amat, quae
& in locis humentibus vbi nulla fluxarum rerum peno-
ria, sed ad luxum superfluum omnia, saepius & vberius
B crescit atque luxuriat. Huic harundini si quis initiatur,
manum eius perforabit: quia si quis in adiutorium ope-
ris eum asciuerit, vel alicuius ei muneris functionem
imposuerit, sperante in se graui scandalo vulnerabit. Pa-
tientia tamen Domini huiusmodi harundinem etiam
Sap. 3. quassatam non conterit, sed sustinet, vt in melius con-
uertatur. Nonnunquam etiam increpat feras harundinis,
quae cum principe suo in secreto eius dormiunt: nun-
nunquam iusti tanquam scintillae aeris candentis in ha-
rundineto discurrunt, qui tanquam carbones desolato-
rij, quidquid in eo steriliter siluescit incendunt, ouis-
que fructibus purum praeparant locum. Hoc agebat
Ioannes vox clamantis in deserto, non harundo, sed
Ibid. 2. scintilla in harundineto, *cuius sermo*, vt scriptum est,
sermo scintilla ad commouendum cor pigrum & stolidum,
vt pararet viam Domino. Hoc etiam nunc in nobis agat
eadem vox, cooperante verbo Ipso, cuius erat vox, Iesu
Christo Domino nostro, qui viuit & regnat per omnia
saecula saeculorum. Amen.

C

In Natali Apostolorum Petri & Pauli Sermo I.

Zach. 4. ET *respondi*, inquit Zacharias, *& dixi ad Angelum,*
qui loquebatur in me. Quid sunt duae oliuae istae ad dex-
teram candelabri, & ad sinistram eius: Isti sunt, inquit,
duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersae
terrae. De candelabro quod viderat totum aureum, &
septem lucernas eius super illud intellexerat Propheta:
Christus candelabrum aureum. sed nec nobis dubitare iam licet, cum in lumine eius
ambulemus, & in lumine eius videamus lumen. Hoc lu-
men cum alia demonstret, seipsum ignorari non pati-
Ioan. 8. tur, sed testimonium perhibens de seipso loquitur, *Ego*
sum lux mundi. Lux ex diuinitate: candelabrum ex hu-
manitate. Et ipsum totum aureum, non auratum: quia
siue diuinitas, siue sapientia, siue charitas auro significe-
tur, haec omnia Christus non per participationem, sed
per substantiam. Nos cum simus natura plumbei, vel
magis lutei: gratia & participatione ipsius, non aurum,
D vel aurei, sed vt multum aurati. Septem lucernae super
ipsum, septem spiritus, septem oculi Domini, qui discur-
runt in vniuersam terram. De his ergo Propheta certus,
de duabus oliuis quidnam sint percunctatur, auditque
ab Angelo qui in eo loquebatur. *Isti sunt duo filij olei*
splendoris, qui assistunt dominatori vniuersae terrae. Inter-
pretentur alij vt volunt, aut possunt, vnusquisque pro
sensu suo, siue Enoch & Eliam, qui apud Deum in se-
creto viuunt: siue Moysen & Eliam, qui cum eo in
monte visi sunt, siue duos ordines Praedicatorum vete-
ris scilicet ac noui testamenti: vt qui veteris, ad sini-
stram sint propter promissa temporalia: qui noui, ad
dexteram propter aeterna. Ego quicquid a regula fidei
non discrepat, aut à contextu lectionis non minime dis-
sonat, suscipio, veneror, amplector. Puto tamen sine
praeiudicio melioris intellectus, Petrum & Paulum non
absurde posse intelligi, imo absurdum videri, qui hodie
aliud interpretari velit, cum hodie nihil aliud cantet,

aut tractet Ecclesia vbique terrarum, quam praeconia Pa- E
trum, doctorumque suorum. Nam & si alijs possit apta-
ri, puto quia istis specialius congruit, seu illud quod
tanquam duae oliuae circa candelabrum à Propheta vi-
dentur, seu quod duo filij esse olei splendoris ab Angelo
memorantur. Et alterum quidem altero exponitur, visio
scilicet prophetica, interpretatione Angelica: vt inde
intelligantur oliuae, quia filij olei splendoris: inde circa
candelabrum, quia Domino assistunt. Quia enim ex
oleo Spiritus sancti sunt regenerati, hodieque florent &
fructificant sicut oliua fructifera in domo Domini: etiam
oleastro gentili, qui in ipso insertus est, impertientes
pinguedinis suae succum ac dulcedinis, gratias illis agat
sterilis dudum & amara gentilitas: & si non ab ipsis ta-
men per ipsos est, quod nunc tam copioso, tam pretioso
fructu per orbem abundat. Vobis tamen fratres, quibus
sicut substantia & domus vna, ita cor vnum & anima
vna: vobis, inquam, specialius in ipsis censeo glorian-
dum, qui sicut nouella oliuarum de eorum radice tradu-
xistis non solum fidei succum, sed & formam vitae, at- F
que ordinis exemplum. Quod si nouella oliuarum vos,
vtique & filij olei vos, filij vncti qui est Christus Dei:
diceturque ei de vobis, cum hodie ad altare accedetis:
Filij tui sicut nouellae oliuarum, in circuitu mensae tuae. O Psal. 127.
nouella oliuarum nobilium, ô generosum germen tam
pinguium, tamque feracium arborum: semper obsecro
recordare de qua pullulaueris stirpe, de qua succreueris
radice, ne vnquam sterilitas operum, aut amaritudo
morum degenerem arguat, aut quod absit, inutilem
ignibus addicat. Caue, quaeso, notam infoelicium tem-
porum, de quibus meministi prophetarum, *Mentietur* Hab. 3.
opus oliuae, & arua non afferent cibum. Duo tamen prae-
cipue tibi existimo cauenda; ne aut per teporem fias si-
cut oliua proijciens florem suum, sicut legis in Prophe-
ta, vt videlicet fructum quem in initiis feruoris pro-
mittebas non facias: aut cum feceris, ne per super-
biam perdas, & dicat tibi Hieremias, *Oliuam vberem,* Hier. 11.
pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen
tuum: sed heu ad vocem loquelae grandis exarsit ignis G
in ea, & combusta sunt omnia fruteta eius. Confidimus
autem de vobis meliora dilectissimi, tametsi ita loqua-
mur. Confidimus, quia oleum splendoris, vel magis
olei splendor cuius estis filij, sicut & patres nostri Apo-
stoli, vnctione sua docebit vos de omnibus: nec solum
deterget torporem, quia oleum est; sed & discutiet er-
rorem, quia splendor est. Scio posse intelligi olei splen-
doris, id est, quod de splendore filio procedit, vel quod
splendorem illuminationis diffundit; sed puto quia
non inconuenienter etiam per intransitionem accipi
potest oleum quod splendor est. Vtrumque siquidem Spiritus sanctus, & oleum & splendor.
spiritus est in natura sui, & vnctio scilicet spiritalis &
splendor inuisibilis, vtrumque in nobis operatur mu-
nere sui. Vngit affectus ex eo quod oleum est; illumi-
nat intellectus ex eo quod splendor est. Qui tamen non
ex alio atque alio, sed ex vno ipso & oleum & splendor
est; quia non nisi vnum ipsum est. Vngit affectus, quia
charitas est; illuminat intellectus, quia veritas est. Vngit
affectus, cum deuotionem donat; illuminat intellectus, H
cum mysteria reuelat, cum bonitatem docet, *vt simus*
simplices sicut columbae, vngit affectus; cum scientiam
docet *vt simus prudentes sicut serpentes* illuminat intel-
lectus. Illuminat, vt habeamus in nobis salem; vngit
vt habeamus inter nos pacem. In hoc igitur te nobis
probabis filium olei splendoris, si suauem & vnctum
per beneuolentiam discretum & maturum per sapien-
tiam te nobis exhibueris; vt suauitas veritate sit con-
dita, & aequitate charitas ordinata. Puto autem quod
hanc geminam virtutem sui, vel effectum muneris sui,
propter quam oleum splendor voluit dici, etiam in illo
igne Spiritus sanctus significauerit, in quo ipse inuisi-
bilis, visibiliter Apostolis apparuit. Qui enim splendor
fuit in aspectu oculorum, oleum, ni fallor, fuit in sensu
corporum; vt velut in quodam lauacro olei viderentur
sibi baptizati, cum super eos effunderetur ignis iste coe-
lestis. Veruntamen qualiscunque fuerit in eis corpora

A

liter sensus illius ignis, parum enim interest qualis sentiatur, sed qualiter operetur; illud, vt opinor, & probabilius dicitur, & religiosius creditur, quod idem ignis qui inflammauit corda, refrigerauit corpora: vt per charitatem mentes arderent, & per castitatem membra frigerent, & vtrumque congrueret singulis, siue illud Hieremiæ, *de excelso misit ignem in ossibus meis*, siue illud Psalmistæ, *Caro mea immutata est propter oleum*. Nisi forte aliquid de lege membrorum contra legem mentis relinquere voluit spiritus, vt virtus in infirmitate perficeretur. Sed prosequamur quod proposuimus. *Isti sunt*, inquit, *duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ*. Ecce habes bonitatem in oleo, scientiam in splendore: accipe disciplinam in eo quod ait, *qui assistunt dominatori vniuersæ terræ*; vt agnoscat eos vere discipulos illius fuisse cui cantamus, Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me. Hæc est namque perfectio disciplinæ, tam in mente, quam in corpore; vt proponentes Dominum in conspectu nostro semper, semper & vbique maiestati æternæ, quæ nos inspicit, & iudicat sine intermissione, cum metu & reuerentia assistamus, peruigili fide ac iugi deuotione. *Sicut oculi*, inquit, *seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*, intentissime & indeclinabiliter obseruantes nutus eius, quid velit, quid iubeat, vt quam celerrime deuotio nostra obediat. Sic Moyses inuisibilem tanquam videns sustinebat, nec vnquam imminentis metum iudicis dissimulare poterat. Sic Helias & alij Prophetæ qui dicebant: *Viuit Dominus in cuius conspectu sto*. Inde nimirum & gratiam, & nomen assecuti sunt Videntium: quoniam quæ semper intuebantur per fidem non fictam, merebantur sæpius intueri per speciem, licet factam. Hæc fides vigil, non ficta, non dissimulatrix, ipsa est, vt arbitror quæ sola, vel maxime facili compendio ad perfectionem perducit: quæ grauitatem disciplinæ, sobrietatemque modestiæ, tam interiori, quam exteriori nostro tribuit, & velut in disciplina famulantium Domino semper assistere facit. Hac virtute meruerunt Apostoli dici filij olei splendoris, vt sicut Domino astiterunt in terris contemplando per fidem, ita nunc ei assistant in cœlis contemplando per speciem, regemque in decore suo videant oculi eorum, cuius timorem hic meditabatur cor eorum. Hac via fratres sequimini patres fidei vestræ, & auctores ordinis, quatenus eorum prouocari exemplis, & adiuti suffragiis, quo ipsi hodie præcesserunt, peruenire valeatis, adiuuante Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Thren. 1.
Psal. 108.
Ps. 118.
Dei præsentia vbique metu n... da.
B
Ps. 122.
C

Sermo de eodem II.

Cant. 4.

DVo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, *qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*. Videte fratres ne degeneretis. Vt taceam de nobilitate patris vestri, nobilis est mater quæ vos genuit, generosa sunt vbera, quibus lactati estis. Mater vestra est sponsa cui hæc dicuntur, cuius vbera voce sponsi laudantur. Quæ nimirum duo vbera Ecclesiæ Petrum & Paulum esse non solum interpretatur nobis dies ista, in qua potamur ab vberibus consolationis eorum satis iocunde & abunde, sed etiam euidentia operis ipsorum approbant argumenta ac monumenta doctrinæ. Quibus enim aliis vberibus nutriti sunt filij Ecclesiæ, siue ex præputio, siue ex Circumcisione? Istos vtique ego reor esse, de quibus olim paruulæ, & paupereulæ consolatio diuina promittebat Ecclesiæ. *Reges nutritij tui erunt, & mamilla Regum lactaberis*. Nisi enim tam generoso lacte nutrita esset, nunquam ad hoc virtutis, ac gloriæ culmen excreuisset. Ad vbera paruulos Petrus inuitabat, quibus dicebat, *Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite*. Vbera Paulus præbuerat, quibus dicebat, *Lac vobis potum dedi*. Et illud, *Factus sum in medio vestri sicut nutrix fouens, & nutriens filios suos*. Quam plenus autem lacte redundauerit, spiritali pulchre significatum est vnda illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse loco sanguinis, cum decollatus hodierna die pro illis, quibus dabat mamillam, dedit & animam. Plane nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum: qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantum quod aliis vtile erat. Nec tam habebat vbera, quam ipse totus vber erat: qui ita misericordia vberi affluebat, vt non modo spiritum suum desideraret totum filij immulgere, sed & corpus impendere. Antequam hæc duo vbera Petrum & Paulum accepisset primitius Ecclesia Sanctorum in terris conquerebatur, & dicebat Ecclesia beatorum spirituum in cœlis: *Soror nostra parua est, & vbera non habet*. Cum enim Christus rediens in cœlum reliquisset pusillum gregem discipulorum, ac nondum misisset Spiritum suum, quo erant fœtanda viscera, & implenda vbera sanctorum: erat, vt opinor, illa Ecclesia in cœlis sollicita pro filiolis sponsi, siue iam natis, siue nasciturìs, cui videlicet committerentur alendi: eo quod Ecclesiam istam videret paruam numero, virtute, & auctoritate, & sine vberibus doctrinæ. Nam & ipse sponsus in diebus carnis suæ genuerat aliquos verbo veritatis, & quandiu fuerat cum eis, lactauerat eos vberibus ædificationis & consolationis. Et ipse siquidem sponsus habet vbera meliora vino, id est doctrina legali, vel gaudio seculari. Habet inquam sponsus vbera, ne vllum de omnibus officiis & nominibus pietatis eum prætereat: vt qui pater est creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ, sit etiam affectu clementiæ, sit & nutrix sedulitate officij & curæ. Erant igitur paruuli quos alebat initium aliquod creaturæ eius, sed non nisi initium: multumque supererat curæ & laboris, donec adducerentur ad perfectum, & formaretur Christus in eis. Cum autem & ipse reliquisset eos: superni spiritus, & si læti de reditu vnigeniti, de nouis tamen adoptionis progenie solliciti, quodammodo affectu suo videbantur apud eum conqueri. Quis illos nutriet? Lactasti eos, sed ante tempus ablactasti. Non enutristi iuuenes, nec ad incrementum perduxisti virgines. Quis illos nutriet? Soror nostra parua est, & vbera non habet. Dixisti Petro, *Pasce agnos meos*, sed nec ipsa adhuc sufficientiam lactis in vberibus habet. Cito pietas eius arescerer, qui plus adhuc cuti suæ quam animabus paruulorum timet. Facile relinqueret agnos in tentatione, qui pastorem tam suum quam illorum negauit in interrogatione. Ecce autem repente spiritu misso de cœlo, tanquam lacte de propriis Christi vberibus effuso, Petrus impletus est lacte primo: nec multo post de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice: vt plane intelligeres totum eius sanguinem mutatum, in lactis dulcedinem, sæuitiam in pietatem. His igitur vberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modo matrem se esse fœcundam, sed & ciuitatem munitam. *Ego*, inquit, *murus, & vbera mea turris*: Mille clipei pendent iam de turribus istis, omnis armatura fortium. Ipse quoque sponsus de eisdem vberibus in laudem sponsæ in carmine amoris, mystico sermone sic ait: *Duo vbera sicut duo hinnuli capreæ gemelli*. Capream hoc loco accipimus Ecclesiam acutam visu ad penetranda mysteria Christi, agilem saltu ad transilienda spinosa huius sæculi, potentem ad exuperanda venena serpentis antiqui. Cuius duo gemelli non inconuenienter, vt arbitror, intelliguntur hi duo Apostoli: germani fide, consimiles deuotione, pares merito & virtute, vnanimes charitate, coniuncti in ipsa etiam passione & morte. Quomodo enim in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Quia vero desiderio summorum pascuntur in profectu minorum, donec scilicet aspirante gratia tollant se ad contemplandum sublimia: bene de his hinnulis subditur: *Qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*. Animalia cum declinant æstum diei, captant vmbrosa pascua conuallium, vbi & liliorum solet esse prouentus vberior, donec spirante temperscentis aura vesperi, egrediantur ad aperta camporum, vel ardua montium. Sic & hinnuli nostri quandiu non

D
Psal. 44.
1. Pet. 2.
1. Cor. 3.
1. Thess. 3.
E
Cant. 8.
Cant. 1.
F
Christus non solum pater creatione & auctoritate, sed & mater & nutrix affectu clementiæ.
Ioan. 21.
G
Cant. 8.
Capreæ Ecclesiæ signat.
H

aspirat

A aspirat eis ad contemplandum clementior aura diei æterni, pascuntur in liliis conuallium id est, delectantur in virtutibus humilium, aut etiam occupantur in actionibus eorum. Cum autem aspirat dies ille mentibus eorum, egrediũtur & saliunt ad vberiora & feliciora pascua montium æternorum. *Per me*, inquit, pastor & ostium, *si quis introierit saluatur, & ingredietur* Ecclesiam, *& egredietur* sæpius contemplando, semel migrando ad cœlestem patriam, *& pascua inueniet*, & hic & ibi. Hic inter lilia agri, ibi inter ligna Paradisi. Hic in floribus, ibi in fructibus. Hic in virtutibus sanctorum, ibi in gaudiis Angelorum. Prorsus *in loco pascua ibi me Dominus collocauit*, cum Ecclesiæ sanctorum associauit, cuius venter sicut aceruus tritici vallatus liliis, vt pascat simul & tritici gustu, & liliorũ aspectu. Quid enim aceruus tritici, nisi copia diuini sermonis in tot libris vndique congestis? Quid lilia, nisi iusti, qui germinant sicut liliũ, & florent immarcessibiliter ante Dominum, quorum tantus

Ioan. 10.

Cant. 7.

Lilia iusti sunt.

B candor in sanctimonia corporis & cordis puritate, tanta fragrantia in opinione, tanta medicinalis virtus in opere & sermone? Non mediocre pabulum istud fideli animæ, videre circa se tot lilia tanta venustate & gratia florentia, vbi omnium virtutum ex eis, licet diuersarũ ex diuersis, capere possit exempla. Iste fundatior humilitate, ille amplior charitate: Alius robustior ad patientiam, alius velocior ad obedientiam: Iste frugalitate parcior, ille labore vtilior: Iste deuotior in oratione, ille in lectione prudentior, ille in quiete sanctior. Sed licet aliquã insignius florentem in vnoquoque gratiam mereris: non vna tamen, sed multæ virtutes in singulis, sicut flores in liliis. Quot enim iusti tot lilia: quot virtutes eorum, tot flores liliorum. Qui igitur hæc videns gaudet in illis, aut etiam proficit ex illis, quod nisi pascitur in liliis? Pascebat Paulus, sed nihilominus in illis quos pascebat, pascebatur. Pascebat eos sermonibus, pascebatur eorum operibus. Ventrem quidem suum immo & alienum pascebat manibus propriis: mentem vero non tam suis pascebat

1. Thess. 3.

C bonis quam alienis, qui non quærebat quod sibi vtile, sed quod aliis. *Nunc viuimus*, inquit, *si vos statis in Domino. Quæ enim gloria mea, aut gaudium, aut corona: nonne vos ante Deum?* Ideo sæpius ei aspirabat dies æterni luminis, atque afflabat eũ lenior aura spiritus sancti, cuius vi rapiebatur ad interna pascua: aliquando paradisi, aliquando tertij cœli, *siue in corpore siue extra corpus, nescio*, inquit, *Deus scit*. Dignum quippe erat, vt qui fideliter pascebat, fideliter pasceretur: & qui foris gaudebat in bonis dominicæ familiæ, in gaudiũ Domini sui iuberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei: non solũ istius visibilis pro qua sudabat, sed etiã illius inuisibilis ad quam spirabat, vnde & dies ei aspirabat. Nec minora de beato Petro sentienda puto, cum maxima sit gloria Pauli, illius coæquare meritis, quam iudicium veritatis potestate & primatu prætulit vniuersis. Cũ enim patet qui est in cœlis veritatem vnigeniti Petro reuelabat, quid aliud quam dies ei æternus aspirabat, & dies diei verbum eructabat? Cui autem magis peruium fuisse

D cœlum credendum est, quam ipsi ianitori, cuius lingua clauis cœli facta est? Qui potestatem habebat claudere cœlum nubibus, & aperire portas eius, quomodo ipse non sæpius intrasse credetur? Esuriit aliquãdo Petrus & cœlum ei apertũ est, cum adhuc in terra consisteret tantaque ei inde ciborũ copia missa est, & adhuc multa supersint, licet plurima mactauerit, & manducauerit immunda & virulenta animalia in sancta & florulẽta conuertẽs lilia: vt videlicet deliciosè pasceretur in liliis, donec aspirante die, gloriosè in ipsis pasceretur cœlis. Sed ecce dum cõmendamus vobis duo hæc vbera spõsæ, hora iam præteriit, qua de ipsis vberibus lac vobis cupiebamus immulgere, quanquã & aliis diebus, hoc ipsum facere possimus & soleamus. De vberibus siquidẽ Apostolorum lac vobis trahimus, quoties de verbis eorum ad ædificationẽ vestrã tractamus. Nunc igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis: vt sicut vbera ista diligitis, ita lac eorũ semper cõcupiscatis, vt in eo crescatis in salutẽ, donec formatũ in vobis exhibeatis Saluatorem Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum Amen.

Act. 10.

E

Sermo de eodem: item de eo quod scriptum est, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, III.

ERratis fratres in me, sed amore magis, vt arbitror, aut humilitate quam temeritate. Putatis me scripturarũ scientiam habere, qui vix vnquam attigi vel primum limen sciẽtiæ. Displicet enim vobis, vt mihi videtur, quod capitulum scripturæ de quo heri sum locutus, non sum ad finem vsque persecutus, quasi illa mihi sit facultas, vt valeam scripturas explanare, aut etiã explanationes aliorum digne & congrue ad memoriam reuocare. Sed neq; hoc mihi solet propositum esse, vt scripturam vnde sermonem ordior, exponam: sed vt de ipsa & secundũ ipsam sermonem debitum suo diei persoluã. Huc accedit quod magister noster ille interpres Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spemque nobis dedit ex eis quæ iam edidit, quia si peruenerit ad locũ de quo

D. Bernardum dicit.

F quæritis, *donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*: vmbras ipsas ponat in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit ei in tenebris, nobis dicet in lumine. Vos tamen dicitis & recte dicitis, quia vetera nobis superuenientibus proiicietis: quantoque magis incondita seu rancida fuerint vetera nostra, tanto noua illius sapidiora erunt & gratiora. Nam & ipse IESVS seruat vinum bonum vsq; ad extremũ, sciens vtique quomodo nostro sit fastidio medendũ. Quia igitur cogitis me: nam impatientes dilationis vos video, nec spes incerta futuri præsenti satisfaciat desiderio: ecce vobis morem gero, finemque versiculi de heri loquebamur, suo prout potero reddam principio. Illud enim quærere videmini, quid sit aspirante die spiritali vmbras inclinari, cum magis consequens videretur, vt non crescere, sed minui tunc & deficere dicerentur. Nam si sequamur proprietatẽ verbi, hoc est vmbris crescere, quod inclinari, cum vmbrarum ea natura sit, vt quanto inclinantur, tanto procumbant longiores: quantoq; surgunt, tanto stent minores. Vnde & Poëta vesperum significans ait: *Maioresq; cadunt altis de mõtibus vm-*

G *bræ.* Sed sciendũ, quia cum hæc proprietas vmbrarum sit corporalium, longe alia est spiritualium, de quibus non dubitamus hic loqui Spiritum sanctũ. Nam sicut corporalibus vmbris inclinari est crescere, sic spiritalibus hoc est inclinari quod deponi, minui, vel deficere. Vmbræ autem spiritales sunt vmbrosi spiritus & tetri, seu dæmonum, seu hominum: vmbræ sunt tenebræ errorũ vmbræ sunt obscuræ significationes veterum Sacramentorũ. Et vmbræ quidem significationũ iam inclinatæ sunt ad occasum & finẽ, vmbræ autem eorum de die in diẽ inclinantur ad diminutionẽ: vmbræ vero tenebrosorum spirituum tandẽ inclinabuntur in infernum & mortẽ. Primũ quidẽ factum est, cum dies æternus aspirauit, apparẽs in carne, secundum quod quotidie fit cum magis ac magis aspirat illustrans veritate: tertiũ nouissime fiat, cum aspirabit rutilans in maiestate. Videre autem mihi videor & alias vmbras intra nos, quæ velut in quodã speculo de rebus aliis nascuntur in sensu nostro, & obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos quæ refrigidant

Virg. Bucolicorũ Ecloga prima.

Vmbra spiritales nequam spiritus.

H & obscurant nos obũbrant nobis quæ refrigerant & illuminant nos. Istę quidẽ noxiæ & graues, illæ delectabiles & salubres. Istæ namque de inferioribus sunt & mundanis, illæ de superioribus & diuinis. Anima nẽpe humana in quodam medio condita & posita est, vt sub ipsa esset mundus, supra ipsam Deus. Supra ipsam à quo & ad quẽ & propter quẽ facta est: sub ipsa quod propter ipsã factum est. Nam sicut propter animã corpus, sic propter corpus domus eius: id est, mundus. Cũ igitur incuruatur ad corporalia vel mundana, ascendunt in eam vmbræ de inferioribus; cum erigitur ad diuina, inclinantur super eã vmbræ de superioribus. Illius enim rei quã cogitat, vmbra sibi format. Quanquam de diuinis satis dubia vmbra est, quãtumcunque cogitationis exacuatur acies: aut certe non vmbra ipsius rei, sed aliud pro illa est, nisi cũ aspirat dies ille. Nam tunc quoque non videtur, vt arbitror, nisi vmbra, quæ etsi luminosa, etsi gloriosa est, tamẽ vmbra est; sicut cum in facie speculi tersa & lucida, splen-

Anima humana in medio quodam constituta.

A didissimæ rei splendens imago resultat. Cæterum videre faciem veritatis ipsius, vel veritatem faciei eius, sicut nunquam erit huius corporis; ita nec modo est huius temporis, nec aliquando erit, donec corpus dissoluet mortalitas aut absoluet immortalitas, & tempus absorbebit æternitas, & spiritum qui nunc grauatur corpore & mutatur tempore, sobleuabit ad se & firmabit in se immortalis & immutabilis diuinitas. Initium huius gratiæ, & perfectionẽ illius gloriæ, Paulus satis proprie distinguebat, cũ dicebat: 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vt autẽ & hoc ipsum fit, scilicet vt videamus per speculum & in ænigmate, opus est non solum vt facies speculi nostri ab omni phantasmate & vmbra corporalium tersa sit, sed etiam vt ille sublimis, habitans lucẽ inaccessibilẽ, dignetur ad nos inclinari, & vel per vmbrã suæ imaginis manifestari. Quantumcunque enim contendamus à visibilibus ad inuisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi condescendat illa maiestas. Moyses B ascendit in montẽ, & Dominus inclinauit cœlos, & descendit. Ps. 58. Et alius, *Exurge*, inquit, *in occursum meũ & vide.* Ideo nec vmbra videtur, nisi inclinetur: nec inclinari dicitur, nisi aspirante die; quia neque per speculum & in ænigmate possumus Deum videre, nisi inclinante se maiestate, & aspirante fauore gratiæ. Sane hoc ipsum quod vmbra vocatur, comparationi manifestæ veritatis ineffabilis plerumque gloriæ est & splendoris, in illis scilicet quorum est perlucidum speculum mentis. Cuius fœlicis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibique similibus loquebatur. 2. Cor. 3. *Nos vero omnes gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem: tanquã a Domini spiritu.* Esa. 58. Sic enim in promissione dictum est: *Implebit in splendoribus animam tuam.* Vt autẽ claritates istas vmbras esse noueris, audi David: Ps. 101. *Dies mei*, inquit, *sicut vmbra declinauerunt.* Transibat quidẽ & ipse Dauid de claritate in claritatem, tanquã de die in diem. Sed heu, tam breues & obscuros dies tã longas & laboriosas noctes habet hyems ista, vt & Propheta laborãs in gemitu C suo, lauansque per singulas noctes lectum lachrymis, merito plangat. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt:* Prorsus *melior est dies vna in atriis tuis super millia* dierũ meorũ, quia dies mei sicut vmbra quamuis lucida: dies illa vna, lux vera & mera: sicut sine vmbra, sic sine vespera: cũ dies meos faciat plurimos & breuissimos assidua longarũ noctium interpolatio. Cæterũ si quæratur cur vmbræ pluraliter dictæ sint, cum res ipsa cuius vmbræ sunt vna sit, ideo nimirum, quia nunc minus nunc amplius nobis amplissimi vittus obumbrat: nunc obscurius, nunc manifestius veritas sese nobis innotescens adumbrat & sicut nõ æqualiter semper spirat, ita nec similiter semper nobis imagines format. Hoc & Apostolus innuit qui transire se confitetur à claritate in claritatem, à minore, scilicet in maiorẽ: & propheta qui non splendore, sed splendoribus Iacob. 1. implendam promittit fidelem animã. Sic Iacobus Deum memorat patrem luminum, cum lumen cuius pater est & vnum sit & vnicum. Quanquam sic possit intelligi pater luminum, quomodo pater misericordiarũ. Iam vero vos D fratres qui laboratis portantes pondus diei & æstus, vel secundum Esaiam, in spiritu vestro duro meditamini per diem æstus, ad vmbras istas placet inuitare: quas ille dies serenus aspirans rorem misericordiæ cupit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem, ad vmbratum refrigeria Matth. 11. clementer vos inuitantem: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Iob 7. *Seruus* enim *sub sole laborans*, vt ait Iob, *desiderat vmbrã*, in qua scilicet à labore recreetur ad laborem, vel per horam dimidiam qua silentium fit in cœlo: quam cum obtinuerit indulgentia Prioris sui, gloria & dicit, *Sub vmbra illius quam desiderabam sedi.* In qua nimirum vmbra, quia non sola sessio est ad quietem, sed etiã refectio ad satietatem, cõgrue subdit: *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Sic enim dictum est per prophetam, *Conuertantur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt sicut vitis.* Seruus seu mercenarius quem sæpius hæc vmbra recreauerit, longanimiter præstolabitur finẽ operis sui. sic enim habes, *Seruus desiderat vmbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui.* In vmbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis E remuneratio, cum euacuatis omnibus vmbris, videbimus eum sicuti est cui modo dicimus, Thren. 4. *In vmbra tua viuemus inter gentes:* inter angelos nempe, non in vmbra: sed in luce manifesta. Hoc autẽ notandum, quod cũ vmbræ illæ de superioribus inclinantur supra nos, vmbræ istæ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum enim diuinis propinquamus, mundana superamus & quatenus vel ad vmbram lucis accedimus, eatenus mortis vmbrã euadimus. Lux enim & vita in cœlo, mors in inferno. vmbra autem mortis in hoc terreno & tenebroso loco. Cũ igitur spiritus altius nos eleuat inter terram & cœlũ, non tãgimur vmbra terrenorum: & licet nondum plena luce fruamur cœlorum, tamen vmbris illuminamur montium æternorum vel certe montis illius vmbrosi & condensi, de quo venit sanctus sanctorum. Mox tamen pondere nostro, in regionẽ vmbræ mortis reuoluimur, vbi & diutissime sedere cogimur, donec visitatione orientis ex alto consolemur. F Cogimur inquam, & vtinam cogamur & non delectemur: vtinam quod patimur, necessitatis tantum, sit nõ etiam voluntatis aut voluptatis. Sed heu tam facile, tam libenter proiicimus nos, & obdormiscimus sub graui vmbra iuniperi spinosæ, & infructuosæ arboris, tam negligentes & securi torpescimus & immorimur curis & desideriis huius mundi. Propterea Leuiathan qui sub vmbra dormiẽ cubile sibi, nisi præcaueamus, ponit in nobis: quia videlicet amicas sibi vmbras huius seculi inuenit in sensibus & affectibus nostris. Istæ siquidem vmbræ, teste Iob, protegunt vmbram eius, Iob. 40. quia nimirum curæ & desideria secularia quæ sunt in nobis, vmbram nobis abscondunt imminentis damnationis, vt eam non præuideamus, donec in ipsam impingamus. Aspira ô dies dierum, Ibidem. obumbra supra caput nostrum in die belli, inclina super nos vmbras salutis & refrigerij: & inclinentur subtus nos vmbræ torporis & tædij, immo cæcitatis & mortis. Et licet contingant nos vmbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ, id est, vmbræ crassiores de amore eorum: sed semper respiremus in luminosum amorem tuum, ô pater luminum, qui viuis & G regnas per omnia secula seculorum. Amen.

In Assumptione Sanctæ Mariæ Sermo I.

V*Eni electa mea, & ponam in te thronum meum. Multi vocati, pauci vero electi.* Beati quos elegisti Domine habitabunt in atriis tuis imo in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronumque regni tui in eis collocabis. Sane omnium beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa & prælecta: quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi dicens. *Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ps. 131. Habitauit in ea nouem mensibus, habitauit cum ea & sub ea, annis pluribus. Habitans in ea replebat eam singulari gratia charismatũ, habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suauitate morum, & diuinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem & in ea & cum in ea, sicut interminabili æuo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum: foris quidem H glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam verbi glorificantis imprimens. O Maria non vocaberis ait Dominus, vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra desolata, vt quia virgo, ideo sis infœcunda: Sed vocaberis voluntas mea, id est, dilectus filius meus in ea, quia complacuit Domino in te, & terra tuã inhabitabitur, Habitabit enim iuuenis in virgine, & habitabit in te filius tuus, imo si magis placet, vt non recedamus à verbis scripturæ, habitabunt in te filij tui. Quid hæretice caput erigis? Quid mysterium pietatis, ad occasionem perfidiæ rapis? Vnum quidem genuit, qui sicut vnicus est patri in cœlis, ita vnicus est matri in terris. Neque enim sicut tu impie blasphemas, alios postea filios genuit, sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre, ita sacramentum catholicæ vnitatis in prole. Ipsa tamen vnica virgo mater, quæ se patris vnicum genuisse gloriatur, eundem vnicum suum in

omnibus

A omnibus mẽbris eius amplectitur omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur Eua vetus illa, nõ tam mater quam nouerca, quæ filiis ante propinauit præiudicium mortis, quam initium lucis, dicta est quidẽ mater cunctorum viuentium, sed inuenta est verius interfectrix viuentium, seu genitrix morientium; cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista impleuit mysterium; quæ & ipsa sicut Ecclesia cuius forma est, mater est omniũ ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, quia viuunt vniuersi, quã dum ex se genuit; nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regenerauit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur; quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semẽ carnalis generationis; sic in Christo ante initium propter semen spiritalis regenerationis.

Eua nouerca nõ mater.

Maria mater est vitæ.

B Porro beata mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterij; cura quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui cuius viscera semen quidem fœta, sed nunquã effœta, nunquã desinunt fructũ parturire pietatis. *Benedictus* siquidẽ *fructus ventris tui*, grauidam te ô pia mater mater inexhausta pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens & affluens, & in horto concluso castitatis, fontẽ signatum charitatis semper abundare faciens: qui licet signatus sit, foris tamen deriuatur, & in plateis aquæ eius nobis diuiduntur. Licet namque fons charitatis proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alienis, beneficium tamen eius impartire gaudet etiam inimicis. Denique si seruus Christi filiolos suos iterum atque iterum parturit, cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quanto magis ipsa mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicãdo; Maria autem longe diuinius atque sanctius verbum

C ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysteriũ. Vide autem si non & filij matrẽ videntur agnoscere, dictante vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationem nominis eius, primo vel maxime refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam paruuli ad sinum matris. Vnde nimirum de his filiis puto non absurde intelligi, quod per prophetã

Esa. 62. promissum est ei; *Habitabunt in te filij tui:* saluo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidẽ habitamus in adiutorio matris altissimi, in protectione ipsius commoramur, tanquã sub vmbra alarum eius: & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouebimur. Tunc erit vox vna lætantium & aggratulantium matri: Sicut lætãtium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix. Nullatenus autẽ credideris maioris esse fœlicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ quam in sinu Mariæ, cum thronũ suum in ea posuerit rex gloriæ. *Veni*, inquit,

Maria thronus Dei.

D *electa mea, & ponã in te thronũ meũ.* Non poterat significantius, aut elegantius describi prærogatiua gloriæ eius, quã vt thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine, aut familiaritate copiam sui diuina maiestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter

Matth. 19. præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebãtur: in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes. Alibi quoque promittit idem agonotheta noster, de cœlo spectans &

Apoc. 3. incitans decertantes: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei sedere mecum in throno meo*: sicut & ego vici & sedi in throno patris mei. Matri vero cuius longe differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. *Veni*, inquit, *electa mea. & ponam in te thronum meum.* Parum est, inquit, vt indicanti consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias: vt maiestatem regnantis eo fœlicius quo familiarius in te contineas, & specialius præ cæteris incomprehensib. sem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio: continebis immensum in animo. Fuisti diuersorium peregri-

E nantis: eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo: eris solium triumphantis in cœlo: fuisti thalamus sponsi incarnati: eris thronus regis coronati. O Fili Dei nihil tibi nihil in illo tuo displicuit hospitio: quod tam libenter reperit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil vtique in illo sordidũ offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurũ, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adornauerat thalamum virgo prudentissima, te regem Christum non solum hospitem susceptura: sed & sponsum habitura. Adornauerat, inquam, multiplici decore virtutũ & gloria, tanto fortasse locupletius, quanto pauperior erat: tanto vtique tutius & verius, quanto interius totum erat. Hũc ornatum mirabatur qui dicebat, *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis, circũamicta varietate*. Et alius, Ps. 44.

F *O quã pulchra est casta generatio cum charitate. Domũ tuã decet Domine huiusmodi sanctitudo & decor.* Is decor te inuitauit, vt intrares: illexit, vt redires. Intrãs benedictionis gratiã multiplicasti: sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ: nunc autem thronum gloriæ. Dicuntur quidem & sunt alij throni, quidã scilicet spiritus diuini, præ aliis vt putamus subiectis ordinibus Dei præsidentis maiestate pleni: quorũ quæ sit prærogatiua scriptura nõ exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed & anima cuiuslibet iusti dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profecto tunc erit & gloriæ. Sit igitur illud cœli palatium plenũ sedibus & thronis, sedeatque Deus in omnibus, accõmodans se & aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, sine iniuria vel inuidia cæterarum sediũ quoddã esse speciale regis solium excelsum & eleuatum super gloriam omnium, Mariam dico exaltatã super choros angelorum, vt nihil contempletur supra se

G mater nisi filium solũ, nihil meretur supra se regina nisi regem solũ, nihil veneretur supra se mediatrix nostra nisi mediatorem solũ: cui nos ipsa precibus suis conciliet, cõmendet, & repræsẽtet vnico filio suo Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Cant. 5. F*ilia Ierusalẽ, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Verba ista quæ à nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad assumptionem beatæ Mariæ possint videri pertinere, volumus si placet cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modo secularium, sed etiam Ecclesiasticarum auctores literarum nonnunquam vsi sunt: maxime in tractandis canticis, vnde hæc sunt sumpta. Hoc namque genus sermonis, salua veritate quadam ampliori vtitur libertate, cum videlicet sumpto themate causæ, vt beatus Hieronymus ait, non tam loquitur, quæ reuera facta vel dicta sint, quam eiusmodi fuisse negotium ostendit: vt ea quæ dicuntur, & si facta vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse, aut etiam in affectu facientis, vel

H dicentis fuisse non absurde credi possint. Maria igitur migratura à corpore decumbebat, vt est humana infirmitas. Porro filiæ Hierusalem quæ sursum est, id est angelicæ virtutes, scientes nimirum quia obsequiis matris captanda est gratia filij, visitabant satis officiose ac deuote dominam suam, matrem domini sui. Et fortasse aliquid huiusmodi primo post salutationis officia locuti sunt ei angeli: sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel visui. Quid est obsecro mi domina, quod sic ægra videris & languida? Quid est quod præter solitum tristis & pigra ab heri & nudiustertius sicut solebas non sancta reuisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Iam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Caluariæ ascendentem, vt ibi locum crucis impleres lachrymis, aut ad sepulchrum filij adorantem gloriam resurrectionis, aut in monte Oliueti deosculan-

A lastrem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem creditur in valle Iosaphat commorata (vbi & sepulchrum eius monstratur, vt ait Beatus Hieronymus) in Ecclesia miro lapideo fabricata tabulatu; ne scilicet à sanctis locis longius recederet sed sæpius ea inuisens, licet omnia memoria teneret, forma tamen gestorum velut corporaliter in ipsis effigiatam locis dulcius amplecteretur, vt vel sic suum aliquatenus amorem solaretur. Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modo vacaret, & ex toto decumberet: *langueo*, inquit. Pape langues? Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tandiu habitauit? De corpore illius filij tui virtus exibat & sanabat omnes, adeo vt etiam fimbria vestimenti Hemorroissam sanaret, & tu quæ tandiu ipsum in vtero, in sinu, in gremio continuisti, quomodo postea vlli infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quod id miremini: si illud ipsum corpus filij mei, quale aliquan-
B do fuerit recordemini. Et ipsum enim quam infirmum, quantisve defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego noui, quæ ipsum in vtero alui, vberibus lactaui, sinu foui, nec solius infantiæ, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis vt potui ministraui: ad extremum non sinè passione mea, ludibria & supplicia passionis & crucis aspexi, per singula discens quam vere de co noster Esaias dixerit. *Vere languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit.* Cur * ego doleam non
Esa. 53. * ergo.
eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba: vt quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte pati non possim aut nolim. Et ille quidem misericordi voluntate, ego naturali necessitate. Sane aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento: sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exemplo. Denique vt minus miremini languorem meum: *amore langueo.* Langueo plus impatientia amoris: quam passione doloris: Plus vul-
C nerata charitate, quam grauata infirmitate. Heu, inquiunt illi, quam frequentes imo continuæ causæ languoris! Bone IESV quomodo hæc mater tua postquam te genuit, nunquam fere nisi in languore fuit? Primo languit timore, postea dolore, nunc amore. Timore à natiuitate vsque ad passionem, cum semper vitam filij insidiis appeti videret: dolore, toto tempore passionis, donec rediuiuum reciperet: nunc amore & desiderio fœlicius sed miserabilius cruciatur, quia sedentem in cœlo non tenet. Quomodo IESV bone qui summi fructus es gaudij, tam longe factus es illi causa martyrij, vt charissimam tibi ipsius animam, tot & tam acuti sine cessatione pertransieant gladij? Sed obsecramus te domina, quid vis faciamus tibi? Vis saltem vt resideat hic iste Gabriel symmistes tuus, vt assideat & ministret tibi, qui ab initio conscius & minister mysterij tui, custos quoque tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit. Sufficit mihi virgo meus, nouus in carne angelus, discipulum dico quem diligebat IESVS, cuius me
D dilectionis hæredem reliquit, cum illum mihi & me illi in cruce commendauit: cuius obsequio nihil mihi gratius, quia conuersatione & affectu nihil castius, moribus nihil suauius, nihil sincerius fide: nihil sanctius sermone. Nos ergo, aiunt illi in quo tibi esse poterimus officiosi? *Filia*, inquit, *Hierusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Ipse nouit quomodo meo medendum sit languori. At nosti, inquiunt, quia cum sciat omnia, de multis quasi nescius interrogat. Si ergo quæsierit quid illud sit quod tuo vulneri velis adhiberi, quid respondebimus ei? Sodales, inquit, estis sponsi, Gabriel iste meus paranymphus, non puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicam igitur tantum ne iudicer temeraria, quod maiora me quærere videar. *Osculetur me osculo oris sui.* Si quid mihi conscia essem contenta essem cum Maria Magdalene osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formauit ipse conditus
E & conditor? Cum paruulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat: nunquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat. Etsi fortassis impatientia desiderij eram nimia: ipse tamen more suo morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia, quæ diffusa erat in labiis eius, & dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia, & desiderium castarum scilicet animarum. Vnde sicut ipse de se confitetur, *Qui edunt me adhuc esurient & qui bibunt me adhuc sitient*: quanto gratiam oris illius gustaui suauius, tanto nimirum repeto nunc ardentius. Creuit quidem gloria & maiestate: sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine & bonitate. Nihil ad illum illud superbiæ sæcularis elogium: *Honores mutant mores.* Sublimior est, sed non superbior: Gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidiet matrem quam elegit, nec æternam electionem suam, nouo iudicio reprobabit. *Ne timeas Maria*, ait Gabriel more suo: *inuenisti* enim *gratiam apud Deum.*
Eccl. 24.
F Etiam in cæteris quæ longe iacent tuis sub vestigiis, probare consueuit improbitatem huius affectus & precis: qui nihil nimium, aut iniuriosum sibi deputat, quod in eum vera dumtaxat charitas præsumat. Et conuersus ad sociam multitudinem, eamus, inquit, eamus: ne ipsi filio facere videamur iniuriam, si gloriam matris differamus. Cum ergo reuersi nuntiassent hæc Domino suo, quid putamus Iesum nisi tale aliquid locutum? Ego sum qui patrem & matrem filiis honorandos commendaui, ego vt facerem quod docui, & exemplo essem aliis, vt patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus vt matrem honorarem, in cœlum reascendi. Ascendi & præparaui ei locum, thronum gloriæ; vt à dextris regis regina coronata consedeat *in vestitu deaurato, circundata varietate.* Neque hoc dico quod in parte thronus ei collocetur: quin potius ipsa erit thronus meus. *Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum.* In te mihi quandam
G regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea: nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Contulisti mihi præter alia quod homo sum: conferabo tibi quod Deus sum. Flagitabas osculum oris, quin imo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili: Quia concupiui speciem tuam, etiam desiderantius, quam tu meam, nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris. *Gloria tibi Domine Iesu*, subintulit chorus Angelorum. *Gloria tibi Domine Iesu*, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam: te præstante cui est honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

H *IN omnibus requiem quæsiui.* Grata quies fessis. Grate igitur & opportune vobis qui fessi estis dies iste quietis & feriationis interuenit, vt dum sanctæ Dei genitricis requiem celebramus, non solum corpora recreentur hac diurna quiete à labore messis, sed etiam corda respirent, in recordationem & amorem illius æternæ quietis. Et ibi tamen ô fratres, ibi etiam metetis, sed requiem metetis qui nunc laborem huius messis seminatis: fructus huius laboris illa requies erit; requies à labore, merces pro labore, cuius etiam recordatio fideles vires reparat in labore. Vmbra est æstuantibus, cibus esurientibus. Sic enim ait illa, quæ memoriam abundantiæ suauitatis eius eructabat; *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* O qui laboratis, ô qui portatis pondus diei & æstus, sub vmbra alarum Iesu inuenietis requiem animabus vestris, firmamentum, vt scriptum est virtutis, regimen ardoris, vmbraculum meridianum: vt ex sententia cordis
Eccl. 4.

sit

A Psal.139. sit illa confessio oris; *Domine Domine virtus virtus salutis mea, obumbrasti super caput meum in die belli, in die æstus & laboris, certaminis & tentationis.* Cum enim meditatio æternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solum ab æstu tentationum refrigerat, sed etiam ad laborem animos innouat: iuxta illud quod scriptum Gen. 49. est de asino forti Ysachar. *Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum ad portandum*; id est, desiderio illius quietis & hæreditatis sponte humiliauit se ad laborandum. Et iste ergo dicere potuit, *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor.* *Requies semper quærenda.* Fœlix qui in omnibus laboribus & viis suis requiem quærit beatam; semper festinans ingredi, vt Apostolus monet, in illam requiem, eius desiderio corpus affligens, animum autem iam illi requiei parans & componens; cum omnibus hominibus, quod ex ipso est, pacem habens, requiem & otium Mariæ voluntate præligens; laborem autem & negoB tium Marthæ necessitate quidem suscipiens; sed quanta præualet pace & quiete spiritus adimplens, & semper ad illud vnum necessarium de illa multiplici distractione sese recolligens. Homo huiusmodi etiam cum laborat, quiescit; sicut è diuerso impius etiam cum quiescit, laborat. Heb. 4. Quomodo enim quiescerent, quibus Deus immittit rotam malorum; quibus iurauit in ira sua si introibunt in requiem meam? *Requiem mali habere nequeunt.* Extra illam non est nisi afflictio & miseria, & in circuitu eius tempestas valida: sicut & in natura rerum fit, vt quicquid extra simplicitatem & vnitatem puncti fuerit, in motu & agitatione sit; tantoque concitatiore quilibet circulus impetu rotetur, quanto ab immobilitate principij sui, id est, à medietate centri recesserit longius. Sane in circuitu impij ambulant, quibus Deus immittit rotam malorum, ideoque in illam internam & æternam requiem intrare non possunt. Ideo contritio & infœlicitas in viis eorum, quia viam pacis non cognouerunt: quia nec quæsierunt, vt Psal.26. dicere possint. *In omnibus requiem quæsiui*: vt videlicet C in multiplicitate actuum suorum quibus turbantur & & turbant, vnum quod est necessarium cogitent aut requirant. Iustorum potius est vox illa, qui & dicere possunt. *Vnam petij à Domino hanc requiram*: vultū tuum Domine quæsiui, vultum tuum requiram: qui non nisi quietis illius amore laborant, qui omnino præoptant ingredi putredinem in ossibus suis, vt requiescant in die tribulationis, quam in bonis ducere dies suos, & in puncto ad infernum descendere. Si quis tamen curiosius inquirere velit, cuius potissimum vox illa sit, *In omnibus requiem quæsiui*: vox est vtique sapientiæ, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cuiuslibet sapientis animæ. Sapientia in omnibus requiem quæsiuit, sed in solis humilibus inuenit: Ecclesia in omnibus mundi nationibus requiem quæsiuit, sed in solis credentibus inuenit. Maria sicut & quælibet fidelis anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsiuit, sed hodie demum inuenit, cum post persecutionem Herodis, & fugam Ægypti, post tot D insidias & atrocitates Iudaicæ impietatis, post tot passiones suas, de passione & morte filij: postquam tot & tam acerbi ipsius animam pertransierunt gladij, tandem hodie dicere datum est ei: Conuertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Qui creauit me, creatus ex me, requieuit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cœEsa.66. li sui. Qui enim gratiam vltro cumulata aliis, par pari quomodo non referet matri? Perge Maria perge secura in bonis filij tui, fiducialiter age tanquam regina, mater Regis & sponsa, Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est quod tibi debetur, regnum & potestas: Indiuisum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne vna, & vno spiritu indiuisum fuit pietatis & vnitatis mysterium: dum scilicet saluo honore naturæ, geminato munere gratiæ iuncta est, mater in matrimonium. Requies igitur ô fœlix inter brachia sponsi, replicabit tibi (ni fallor) inter amplexus & oscula, quam suauiter requieuerit in tabernaculo corporis tui, quam suauis in cubiculo cordis tui. E Non est iniustus Deus ô fratres, vt obliuiscatur operis boni, viuit semper apud eum memoria beneficij semel accepti, Beatus apud quem Deus vel semel requiem inuenerit, in cuius tabernaculo vel hora vna requieuerit. Ecce nunc quoque sapientia clamitat in plateis, *In omnibus requiem quæsiui*, Hier.14. pulsaui, nec fuit qui aperiret: vocaui, nec fuit qui responderet. Filius hominis factus secundum Prophetam velut vir vagus, & quasi viator declinans ad manendum, non habet vbi reclinet caput suum, foris stat plenus caput rore, & cincinnus guttis noctium. Quis ille in nobis tam humanus atque hospitalis, vt surgat & aperiat ei, & inducat in cubiculum suum, aut certe ostendat ei cœnaculum grande stratum, vbi cum discipulis pascha manducet nouum? Hoc enim dico fratres, nisi requiem quam quærit inuenerit apud nos, nec nos optatam requiem inueniemus in illo. Ait quidem Dominus per Prophetam, *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium.* Esa. 28. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala parabit ei Dominus*, F vicissitudine debita, *requiem & refrigerium.* Si ergo humanitatem membris suis exhibitam Deus imputat sibi, quanto magis quod ipsius sit spiritui, cum gratiarum actione recolet, hospes, inquiens, fui & suscepistis me? Nunquid enim multorum paupertas sanctorum, quæ vagos colligere, esurientes pascere non sufficit, Domino qui magis apud paupetes hospitari consueuit, inhumana & inhospitalis erit? *Super quem autem requiescam*, inquit, *nisi super humilem & quietum & trementem verba mea?* O humilitas angusta tibi, ampla diuinitati, pauper & insufficiens tibi sufficiens ei quem non capit orbis: copiosè ac deliciosè reficiens illum qui & angelos pascit. Esa. 66. *Super quem*, inquit, *requiescam nisi super humilem? In omnibus requiem quæsiui*: sed apud humilem ancillam inueni. Non est inuenta similis illi in gratia humilitatis: ideo in plenitudine humilitatis requieuit etiam corporaliter omnis plenitudo diuinitatis. Quanquam aliter requieuerit in G filio, quia etsi mater humillima, longe tamen filius humilior. *Christus reclinatorium nostrū.* Idcirco spiritus septiformis non solum super ipsum requieuit: sed etiam omnibus qui mites & humiles ab eo esse didicerunt, diuersas in eo fœlicissimæ quietis mansiones præparauit, imo totum ipsum quoddam aureum fecit reclinatorium ad quiescendum. Huius nimirum reclinatorij beatissimam requiem visus est quadam specie prælibasse, qui supra pectus eius meruit in cœna recumbere. Sed adhuc libet intueri quam plenum rationis & congruenciæ sit quod ait, *super quem requiescam, nisi super humilem & quietum.* Quomodo namque super inquietum aliquid quiesceret, quomodo super basem, quæ nutaret aut vacillaret, columna immobilis staret? *Nemo quietus, nisi humilis.* Quis autem nisi humilis, quietus esse potest? Quis nisi humilis in pace quieti & modesti spiritus seipsum possidere potest? Esa. 57. Impium proiiciet ventus à facie terræ, circumferturque omni vento doctrinæ. *Impius*, inquit Propheta, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Feruet ira, æstuat auaritia, intumescit superbia: seipsum iugiter pugna quatit intestina, ac seditione collidit domestica. Vt ergo requiescat in vobis ô fratres mei amator ille largitorque quietis: date operam iuxta consilium ApoH stoli, vt quieti sitis. 1.Thess. 4. Quonam modo istud erit: *Dico*, inquit, *vobis: Vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris.* *Vt quieto simus danda est opera.* Opus est onus quo veluti pondus nauibus, ita quies & grauitas inquietis additur cordibus: sed exterioris hominis fundatur atque componitur status. Prou 8. Magnorum initium malorum est, sicut legistis, mulier vaga, quietis impatiens, nec valens consistere in domo pedibus suis: nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Nec sine causa est quod magister gentium hoc inquietudinis malum sic habet suspectum: vt non solum correptione, sed etiam separatione censeat illud persequendum. *Rogamus*, inquit, *vos fratres, corripite inquietos.* Et item in secunda ad eosdem Thessalonicenses inter alia

A quæ super inquietos velut è cœlis tonabat: *audiuimus,*
inquit, *inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil ope-*
rantes sed curiose agentes. His qui huiusmodi sunt denun-
tiamus, vt cum silentio operantes, suum panem manducent.
Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc no-
tate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur. Si
quis forte, quod absit, eiusmodi inuenitur inter vos pul-
chrius & honestius, antequam tam grauiter & publice
notetur, vltro confundetur: inde scilicet, quia notabi-
lis est, & dissimulatur: reprehensibilis, & toleratur.
Sic autem confundatur, vt confusione corrigatur, cor-
reptione lætetur, lætificetque non modo nos, sed spi-
ritum Dei: qui cum dicat in omnibus requiem quæsiui,
non inueni eam nisi in quietis, nec præstat nisi quietis.
Esa. 30 Vnde & inquietos per prophetam reuocat & compescit:
si reuertamini, & quiescatis, salui eritis. Omnes ergo
pariter sic operam demus, vt quieti simus, vt in quiete
nostra semper in meditatione æternæ quietis occupe-
B mur; ac desiderio illius ad omnem parati laborem inue-
niamur. Hoc nobis impetret beata Dei genitrix cuius re-
quiem celebramus, ab eo qui requieuit in tabernaculo
corporis & cordis eius. Ipse est requies æterna Christus
Iesus; cui est honor, & gloria per omnia sæcula sæcu-
lorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

Luc 10. MAria optimam partem elegit. Hoc de Maria sorore
Marthæ scriptum est; sed in Maria matre Domini
hodie plenius & sanctius impletum est. Hodie namque
beata virgo Maria optimam partem elegit, imo quam
dudum elegerat, hodie perpetuo possidendam accepit, vt
scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniterque
fruatur Dei verbo. Nec alienum aut incongruum si quod
de illa Maria dictum est, in istam transumatur; cum ad
conuenientiam transformationis, similitudo non solum
nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Do-
C minum hospitio tecti, hæc thalamo suscepit vteri. Et
qui creauit me, inquit, *requieuit in tabernaculo meo.* Illa
sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius; hæc se-
dula circa curam humanitatis eius, *conseruabat omnia*
verba quæ de illo erant, conferens in corde suo. Sed &
cum euangelizans circumiret Iesus ciuitates & castella,
Maria comes indiuidua vestigiis eius adhærebat, pende-
batque ex ore docentis: adeo, vt nec procella persecu-
tionis, nec horrore supplicij à consectatu filij & magi-
Ioan. 19. stri potuerit absterreri. *Stabat,* inquit, *iuxta crucem*
Iesu, Maria mater eius. Plane mater, quæ nec in ter-
rore mortis filium deserebat. Quomodo enim morte
terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, imo for-
tior quam mors erat? Plane iuxta crucem Iesu stabat,
cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque
ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius,
quantis confossum corpus filij cernebat vulneribus. Me-
rito igitur ibi mater agnita est: & cura ipsius idoneo
tutori delegata est, vbi maxime probata est & materna
D ad filium sincera charitas, & filij de matre vera huma-
nitas. Nam alias velut dissimulasse matrem visus est:
siue cum in nuptiis flagitanti miraculum ait, *quid mihi*
& tibi mulier, siue cum in mediis sermonibus Euange-
Matt. 12. lij dicenti cuidam, *ecce mater tua, & fratres tui foris*
stant quærentes te: quæ est, inquit, *mater mea?* Sed &
matri cum miraculum posceret, sic respondendum erat,
vt aliunde quam à matre se miracula habere significa-
ret: & illi qui sermonem Euangelij parentes annuntian-
do interrumpebat, melius respondere non poterat, vt
videlicet spiritalia carnalibus præferenda monstraret. At
si more suo diceret parentibus, occupatum in negotio
euangelij quærentibus. Quid est quod me quærebatis? *Nes-*
citis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Absit
enim vt matrem aspernatus sit: qui tanta cura de pa-
rentibus honorandis legem dedit. Absit inquam, vt in
terra fastidierit matrem: cuius è cœlo concupiuit deco-
Christus charitatis ordi- rem. Imo potius ordinabat in nobis charitatem, tam
verbis quam exemplis nobiscum agens, vt carnalium
affectibus necessitudinum, non solum Dei præponamus E
dilectionem: sed etiam eorum qui Dei faciunt volunta- *nem exemplo nos docuit.*
tem. Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omnium
nostrum, quos summi patris adoptauit dignatio: quo
fideliter dicamus eum ipsius vnigenito. *Quicunque fe-* Matt 7.
cerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus fra-
ter, & soror, & mater est. Prorsus filiis Dei competit
vox ista, nec vllum fidelius testimonium reddit ipse spi-
ritus spiritui nostro quod sumus filij Dei: quam vt sonet
de cordibus nostris hæc vox vnigeniti Dei. Itaque Ma-
riam quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ra-
tione matrem sibi Iesus probat: quandoquidem & ipsa
voluntatem patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædi-
ceret pater, vocaberis voluntas mea in ea. Igitur vbi
eam visus est ignorasse filius, ibi amplius honorasse in-
uenitur; dum ei scilicet materni nominis honor dupli-
catur, pro eo quod eundem filium quem aluo gestaue-
rat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.
Cæterum cum dilexisset eam Iesus, in finem dilexit eam, F
vt non solum propter ipsam finem viuendi, verum &
in ipsam finem pene faceret loquendi: dum velut in-
ter vltima verba testamenti curam matris, cuius debi-
torem se cognoscebat, charissimo transcribit hære-
di. Sic quippe inter Petrum qui plus diligebat, &
Ioannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam
Christus diuisit: vt Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioan-
nes Mariam. Huic plane competebat hæc portio non
solum iure propinquitatis, sed etiam amori priuilegio
testimonioque pudoris. Decebat namque vt non nisi
virgo virgini deseruiret quatenus & virgo beata diuino
languens præ amore, floribus fulciretur castitatis, &
virginitas adolescentis id interim perciperet remunera-
tionis, vt de contubernio proficeret tantæ sanctitatis.
Qui etiam, quia fidelis probatus est in obsequio incor-
ruptæ matris: mysteria quoque diuinitatis, & arcana
verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat in-
quam vt matri Domini non alius obsequeretur quam di-
lectus filij quatenus & mater semper suspirans filium in G
dilectum filij suauius respiraret: & discipulus magi-
strum sibi conquerens nimis cito subtractum, magi-
stram totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis
commode prouisum vt scripturus Euangelium familia-
rius de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat om-
nium: quippe quæ ab initio omnia filij sui diligentius
obseruauerat, *conseruans omnia verba* quæ de illo erant,
conferens in corde suo. Sic nempe se Martham exhibuit
in cura pueri nutriendi: vt nihilominus Mariæ partes
executa credatur, in studio verbi cognoscendi. Maxi
me tamen postquam idem filius ascendit vbi erat prius.
mater absoluta omni sollicitudine temporali, sancto-
que spiritu (quem præter singulares illas conceptus
sui primitias communiter cum Apostolis acceperat) ple-
nius illuminata: gaudebat nimirum vacare & videre
quoniam Iesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudij
summæque delectationis omnibus qui diligunt Iesum:
sed præ omnibus illi quæ genuit Iesum. Cui sicut sin-
gulariter excepta est gratia Deum generandi: sicut & H
prærogatiua gloriandi in eo quem genuit. Omnino sin-
gularis atque incomparabilis gloria virginis matris, vi-
dere Deum regem omnium in diademate carnis, qua
coronauit eum, vt & Deum agnoscat & adoret in cor-
pore proprio, & corpus proprium glorificatum videat
in Deo. His interim vt opinor contemplationibus pas-
cebatur Maria, hanc optimam partem elegerat: quæ non
ablata, sed perfecta est hodie in ea. Quia enim negli-
gens aut surgens aut segnis non extitit in opere Marthæ,
nequaquam vacua derelicta est à fructu Mariæ. Labor
in actione, fructus seu merces in contemplatione. *Pro-* Esaiæ 53.
pterea, inquit, *quod laborauit anima eius, videbit &*
saturabitur. Vobis hæc dicimus fratres vt si quis deside-
rio tangitur illius optimæ partis, quæ in Maria lauda-
tur, sciat quia hæc præmium est illius quæ in Martha
non improbatur: nec æquum est vt præmium ante me-
ritum requiratur. Iacob prius oportet iungi Liæ quam Eccl. 32.
fruatur amplexibus Rachel: sed & ipsum prius vocari

&

A & esse Iacob, quam Israël. Rectorem, inquit, te posuerunt, curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos: & ornamentum gratiæ accipias coronam. Labor siquidem operis, seu sollicitudo administrationis, semina sunt iustitiæ: pro quibus gaudia metenda sunt ex ore conso-
Osee 10. lantis misericordiæ. Sic enim ait Propheta, *Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ.* At enim, *Qui parce seminat, parce & metet. Et qui seminat in benedictione, de benedictionibus & metet.* Nullus sane tam profusa benedictione seminauit: sicut illa benedicta in mulieribus, quæ benedictum semen de ventre profudit. Sed semen dicam an fructum? Melius vtrumque. Qui enim semen est operantibus iustitiam; fructus erit metentibus gloriam. Semen in passione; fructus in resurrectione. Potens in terra semen istud, quod cadens in terram mox excitauit potentiam suam, vt multum fructum afferret; & in semine illo benedicerentur omnes gentes. Vnde & ibi sequitur, *generatio rectorum bene-*
B *dicetur.* De benedictionibus suis itaque Maria metat; & quæ benedictionem omnium gentium seminauit, bene-
Luc. . dictionem omnium gentium singulariter accipiat. *Beatam me dicent,* inquit, *omnes generationes.* Parum est hoc. Beatam te dicent omnes beatorum spirituum ordines. Viderunt hodie ascendentem filiæ Sion cœlestis, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt eam. Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quia refusa est spiritaliter in eam omnimoda benedictio illa, quam de se profudit. *Date ei,* inquit spiritus sanctus, *de fructu ventris sui: & saturetur illo quem genuit.* O mater misericordiæ saturare gloria filij tui, & dimitte reliquias tuas paruulis tuis. Tu iam ad mensam domina nos sub mensa catelli. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ,* ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ commonicauimus in mensa præsentium sacramentorum, per te eundem fructum vitæ communicemus in mensa perennium gaudiorum, Iesum benedictum fructum ventris
C tui; cui est honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In Natiuitate S. Mariæ, Sermo I.

Eccl 24. EGo quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Natalem beatissimæ virginis matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie virgo de qua salus omnium voluit nasci; vt natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci. Nata est hodie mater noua, quæ primæ matris maledictionem dissoluit: vt per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præiudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus noua mater quæ nouitatem attulit filiis inueteratis; vitiumque sanauit, tam ingenitæ quam superadditæ vetustatis. Prorsus noua mater quæ tam nouo miraculo parit vt pariat, & virgo sit: ipsumque pariat qui omnia, matremque ipsam inter omnia creauit. Mirabilis quidem nouitas fœcundæ virginitatis, sed longe
D mirabilior nouitas editæ prolis. Nulli enim incredibile iam erit virginem permansisse quæ peperit, qui Deum agnouerit esse qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum iniuria maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consueuit: nec veritas assumpti corporis, potentiæ præiudicauit creatoris, quo minus seruaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas inuenies nasci sine corruptione gignentium, & quadam voce sua creatori super inuiolabili partu suo perhibere testimonium. Sed loquatur mater ipsa quæ sui conscia est mysterij, & nos edoceat, quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non nouæ assertionis argumento, sed antiquo prophetiæ oraculo: quia, vt ait Petrus Apostolus, etiam miraculis firmior testis est propheticus sermo. Quid enim minus patet calũniæ, aut suspicionẽ admittit falsitatis, quam testimonium diuinitus de nondum natis prolatum? Longe igitur antequam nasceretur Maria, vocem ipsius assumebat spi-

E ritus, qui in ea futurus erat: & tam diuinitatem filij, quam integritatem matris, opus videlicet suum contra blasphemias impiorum defendebat, & in persona ipsius (si modo communem intellectum sequimur) quod nunc audistis dicebat: Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Quod enim personæ sapientiæ, id est, ipsius filij tribuit hæc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis qui regulas nostis scripturarum, nihil huic præiudicat intellectui, quo minus sicut alia multa possint aptari personæ quoquæ virginis matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque suppetant alia testimonia, familiarius ac manifestius huic negotio seruientia, sed non erit fraudanda expectatio vestra, de his quæ lectio proposuit hodierna. Respondeat ergo Maria blasphemis tam pro se quam pro filio, cunctasque hæreses solo interminet verbo, & dicat: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Ac si aperte dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virgini-
F tas genuit saluatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inueneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Saluatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quam flos inuiolati corporis? *Virginitas flos, inuiolati corporis.*
Quid aliud est filius virginitatis, quam suauitas odoris? Tu tamen caue ne bono moriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his qui scilicet salui fiunt: aliis odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt: nimirum tanquam odor vineæ florentis animalibus venenatis. Sane suauitate huius odoris refocillabatur spiritus patriarchæ senis, qui filium tangens, & fragrantiam Christi sentiens, de memoria abundantiæ suauitatis illius eructabat, dicens: *Ecce odor filij mei, sicut odor* Gen 27.
agri pleni, cui benedixit Dominus. Suauitatem huius odoris odoratus est Deus pater & delectatus: repropitiatus est humano generi, cum filius offerret semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Hoc suaui odore trahimur, cum per conuersionem curri-
G mus ad ipsum hoc trahuntur adolescentulæ, cum per deuotionem currunt post ipsum. Quanquam alius sit odor ille qui de fama prædicationis percipitur: alius odor iste qui de vestimentis vel vnguentis, vel de ipso fortassis corpore eius quodammodo crassior aspergitur. Qui vtique non est aliud quam virtus quæ de illo exit, quæ pigros excitat, & feruorem amoris innouat, vt ad currendam viam mandatorum exultare faciat. Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, glorietur Maria & dicat, *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* *Christus vinum.*
Pulchre quasi vitis: nam botrus Cypri dilectus suus illi, de quo non solum torcular passionis rubens mustum expressit pretiosi sanguinis, quo calix præclarus inebriat, sed & quotidie deuotio sancta sibi vinum exprimit, quod lætificat cor hominis, & inebriat voluptate gaudij & amoris. Verum non prius inebriat gustus saporis, quam trahat suauitas odoris: nec lætificat gaudium visionis, nisi prius alliciat pietas opinionis: quia nisi crediderimus non intelligemus, nec gusta-
H bimus quoniam suauis est Dominus. Fides siquidem est quæ adoratur, experientia quæ gustat & fruitur. Ideo fortassis Maria IESVM suum describens per virtutes ipsius & efficientias, primo suauitatem odoris eum nominat: quia videlicet hoc initio IESVS in nobis habet subsistere, si redolentia sanctæ opinionis suæ ad se nos trahat. Quis si autem fructus vnde iste odor prodit, & quo nos trahat, aperit cum subdit; *Et flores mei fructus honoris & honestatis.* Prorsus iste est IESVS suauitas odoris inuitans, honestas sanctificans; honor glorificans. Suauitas odoris, qua velut ad viam adducimur: honestas per quam deducimur, honor ad quem perducimur. Pulchre autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summæ dignitatis & gloriæ, statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ & morum sedem ei præpararet. Nullus tunc sicut nec passim cernitur honoratus sine honestate, sicut nec vllus honestus sine honore. Est er-

A go IESVS primo ſuauitas odoris, his quos vocat, deinde honeſtas, his quos iuſtificat: demum honor illis quos magnificat. Nam *quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit hos & iuſtificauit: Quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit.* Talis eſt igitur dilectus meus, ait Maria; & iſte eſt filius meus ô filiæ Hieruſalem. Iſte eſt benedictus fructus ventris mei, hunc fructificauerunt flores mei. Non ait flos, ſed flores; quia cum Virgo ſancta eſt, flos virginitatis in ea multiformis eſt. In Maria tamen gratia ſingulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus & foris, tota vernabat quadam florulentia & venuſtate pudoris. Nam & in te quoque ſi caſtimonia perfecta ſit, non ſolum reflorebit caro tua, ſed & ſuper te totum efflorebit ſanctificatio quædam diuina. Non erit aſpectus petulans, aut vagans, ſed pudicitia floridus; non ſermo laſciuus aut ineptus, ſed verecundia gratus, aut ſapientia conditus. Non prurient aures libidine audiendi noua vel turpia, nec palatum deſiderio ſumendi dulcia; Non B erit inceſſus inordinatus, ſed modeſtus: non ipſe habitus non dicam meretricius, ſed neque ſuperſtitioſus, imo religioſus, totuſque hominis tui ſtatus, ſanctimoniæ gratia florulentus, vt recte ſponſo dicere poſſis, Cant. 1. cum eum ad ſecretum tuum inuitaueris. *Lectulus noſter floridus*; Quinimo ipſe totus eris quidam flos pulcherrimus, qualibus ſponſa languorem amoris ſui fulciri ac Cant. 2. recreari deſiderat, cum ait; *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Huiuſmodi iuſtus etiam cum ſenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ viuæ in reſurrectione, id eſt in refloritione iuſtorum germinabit ſicut lilium: & florebit in æternum ante Dominum; florem de flore, natum Virginem, Virginis filium ſponſum & coronam virginum. florem, inquam, quo coronanda eſt non ſolum integritas virginum, ſed & caſtitas continentium: ipſi gloria, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

C

Sermo de eodem II.

Eccl. 24 EGo mater pulchra dilectionis & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. Meminiſſe poteſtis cum præterito anno loqueremur de principio lectionis hudiernæ, non inconuenienter, vt arbitror, beatæ Dei genitrici nos illud aſſignaſſe, ſaluo tamen intellectu illo, quo tota lectio filio eiuſdem proprie competit, id eſt, Dei ſapientiæ. Multo autem manifeſtius in eo quod modo de eadem lectione propoſuimus, eiuſdem virginis ſe demonſtrat vox & perſona, ſi tamen aduertamus, in eo quod ait, *Ego mater pulchra dilectionis*, &c. quam pulchre & commode filium his virtutum nominibus deſcribat. Notus erat matri filius; nec minus vtique quam illi qui 2. Cor 5. dicebat; *Et ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus.* Primo nouit eum ſecundum formam carnis in qua eum ipſa genuit, ſed longe hoc D a cognitione illius formæ, in qua pater eum genuit. In illa viſus eſt aliquando, *& non erat ei ſpecies neque decor*: in iſta ſplendor eſt gloriæ & candor lucis æternæ, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Viſio illius formæ incredulis auxit peccatum, viſio iſtius iuſtis ſeruatur in præmium. Igitur inter formam carnis, & formam verbi, quaſi medius de iſta ad illam gradus eſt, quædam alia forma Chriſti, ſpiritalis quidem, ſed quam in carne palam exhibuit, forma ſcilicet vitæ quam in corpore geſſit: ad informationem eorum qui erant credituri. Si enim ſecundum exemplar vitæ & morum quod in eo monſtratum eſt, formatus fuerit in nobis Chriſtus, tunc demum idonei erimus videre non formam ſolum quæ formata eſt propter nos, *Forma in Chriſto diuerſa.* ſed etiam illam quæ formauit nos. Eſt vtique in Chriſto alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali frater eſt, in morali magiſter eſt, in intellectuali Deus noſter eſt. Corporalem ſuſcepit, vt impleret ſacramentum: moralem exhibuit, vt præberet exemplum: intellectualem ſeu diuinam reuelabit ad

E præmium. Quanquam etiam corporalem tunc cernere, in quam Angeli concupiſcunt proſpicere, non minima ſit portio gloriæ. Beatus autem qui nunc amator factus eſt formæ huius, quæ in exemplum eſt propoſita, nam qui ſcrutator eſt illius quæ in præmium eſt repoſita, opprimetur à gloria. Huius formæ mirator & amator factus erat, qui dicebat. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Pſal. 44. Vis ſcire quia non formam corporis ſed cordis, non pulchritudinem membrorum ſed morum prædicabat? Audi ſequentia. *Specie tua*, inquit, *& pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna.* Adhuc fortaſſis dubium eſt, niſi addat, *Propter veritatem*, inquit, *& manſuetudinem, & iuſtitiam.* Prorſus hæc eſt ſpecies tua & pulchritudo tua, qua regnum adquiſiuiſti pulcherrime Regum, veritas vtique ſermonum, manſuetudo morum, iuſtitia iudiciorum. Hac pulchritudine facile illexiſti & ſubiecisti tibi etiam corda inimicorum, quippe totus concupiſcentia & deſiderium. Mi- F rabilis triumphus gratiæ, omnino nouum ac pulcherrimum genus victoriæ, hoſtem non perdere ad mortem fortitudine, ſed conuertere ad amorem pulchritudine. Ecce mundus totus poſt eum abiit concupiſcens ſpeciem decoris eius, non quia faciem eius viderit, ſed quia tam multa amabilia de manſuetudine, veritate & iuſtitia eius audiuit. Ex Sion ſpecies decoris eius, quia *de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*: vnde ſcilicet Euangelium ad nos miſſum eſt, in quo quædam pulchrior Chriſti facies oſtenſa eſt: forma ſcilicet vitæ & doctrinæ, quam & tradidit verbo, & in ſe expreſſit exemplo. In hac forma noſſe Chriſtum, interim pietas eſt Chriſtianorum, cum noſſe in forma carnis ſcandalum fuerit Iudæorum: nam noſſe in forma diuinitatis fœlicitas eſt, & gaudium Angelorum. Ideo & Paulus ſciens quia caro non prodeſt quicquam ſine ſpiritu, videlicet qui viuificat, noſſe iam Chriſtum ſecundum carnem repudiat: nimirum vt ſpiritui viuificanti ſtudioſius totus intendat. Hoc ipſum & Maria ſapere videtur, quæ dilectum vteri ſui, dilectum votorum ſuo- G rum inſinuare cupiens affectibus omnium deſcribit eum non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum quaſi diceret & ipſa: Etſi cognoui Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non noui. Cupit namque & ipſa formare vnigenitum ſuum in omnibus filiis adoptionis, qui & ſi geniti ſunt verbo veritatis, nihilominus tamen parturit eos quotidie deſiderio & cura pietatis, donec occurrant in virum perfectum in menſuram plenitudinis ætatis filij ſui, quem ſemel parturiuit & peperit, imo vt Eſaias ait, *Antequam parturiret peperit*: quia Eſa. 66. peperit ſine dolore, nec experta eſt difficultatem & moleſtiam parturitionis, cum pareret gaudij fructum æterni. Hunc igitur commendans nobis ſic ait, *Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* Ergo ne eſt iſte filius tuus ô Virgo virginum? Ergo ne talis eſt dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? Plane talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt filius meus ô filiæ H Hieruſalem. Dilectus meus eſt pulchra dilectio in ſeipſo: dilectus meus eſt pulchra dilectio, timor & ſpes, & agnitio in illo qui natus eſt ex ipſo. Ipſe enim eſt non ſolum quem diligimus, timemus, agnoſcimus, & in quem ſperamus, ſed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus veluti quibuſdam membris & partibus in nobis perficitur atque formatur. Tunc enim perfecte pro modulo huius vitæ Chriſtus in te formatus eſt, tunc veritas ipſius in te expreſſa eſt, ſi veritatem quæ ipſe eſt agnouiſti, & agnitam glorificaſti, timore videlicet & ſpe, & ne ſpes confundat, charitas diffuſa ſit in corde. Si huic ſenſui iudicas incongruum, quod alius ſit iſtarum ordo virtutum vel profectuum, & alius ordo poſitionis nominum, non enim ait: Ego mater agnitionis & timoris, & ſpei, & dilectionis, ſed ait: *Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei*, fortaſſis & in hoc ordine ipſo, quem ponit, inueniri poterit aliquid congruentiæ & rationis. Sicut enim de agnitione timor naſcitur, quem ne in deſperationem concidat, ſpes adiuncta conſola-

tur,

A tur ipſique ſpei ne confundat, dilectio ſuffragatur: ita verſa vice dilectin caſtum parit timorem, timorque cum dilectione illuminat agnitionem: ſecundum illud (Eccl. 18.) ſapientis: *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabantur corda veſtra.* Quanto autem vetius illuminato corde Deus agnoſcitur: tanto fiducialius in eum (Pſal. 9.) ſperatur. Vnde eſt illud: *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum Domine.* Spes vero ſancta eſt, ſicut Ioannes (1.Ioan. 3.) de ſpe videndi Deum loquens ait: *Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſeipſum: ſicut & ille ſanctus eſt.* Pulchre autem & proprie dicta eſt pulchra dilectio, cum charitas Deus ſit, ac per hoc ſumma pulchritudo, ſitque virtus iſta fere tota pulchritudo Eccleſiæ, quam ipſe ſponſus eius in cantico amoris inuenitur tuitum ac toties in ea mirari & extollere. Prorſus dilectio pulchra: quæ de corde puro eſt, & conſcientia bona, & fide non ficta. Vbi enim cor purum eſt, nulla eſt ruga: vbi conſcientia bona, nulla eſt macula: vbi fides non ficta, non eſt aliquid eiuſmodi quod oculis B ſponſi diſpliceat, quo minus ſibi Eccleſiam nunc gratioſam, tunc glorioſam exhibeat. Diſtinguenda etiam erat hoc nomine dilectio ſanctorum ab amore hominum, ſiue turpi, qui nec nominandus eſt inter fideles, ſiue naturali quo amantur parentes, ſiue ſeculari quo ſe inuicem amant propter ſeculi neceſſitates vel cupiditates. Procul ergo procul, imo nuſquam prorſus ſub oculis Dei amor turpitudinis, ſeorſum autem interim cedat amor neceſſitudinis, ſoluſque regnet amor internæ & æternæ pulchritudinis, quo ſolum Deum vel propter Deum amant vere pulchri. Tu vero bone IESV pulchritudo ſanctorum, ſpecioſus forma non modo præ filiis hominum, ſed & præ virtutibus cœlorum: Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Tamque late regnet pulchra dilectio tua, vt turpem de finibus rerum proturbet & eliminet, ſecularem ad ſe conuertat & inclinet; naturalem ſub ſe regat & ordinet: vt illa pulchra & vera dilectione te diligat mundus, qua dilexiſti mundum Saluator C mundi, qui viuis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In ſolemnitate omnium Sanctorum Sermo.

(Mat. 5.) **B***Eati pauperes ſpiritu.* Agnoſco notum illud ac nobile prognoſticum quod in teſtimonium ſui, necdum natus in carne Dei filius protulit: iam vero natus, (Eſa. 61.) ſed nondum notus, ſibi competere docuit. *Spiritus*, inquit, *Domini ſuper me, euangelizare pauperibus miſit me.* Ecce pauperes euangelizantur, ecce pauperibus Euangelium regni nuntiatur. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Lætum prorſus, ac nouæ plenum gratiæ noui teſtamenti principium, etiam quantumlibet infidele, aut pigrum prouocans ad audiendum, ſed amplius ad faciendum: cum ſcilicet beatitudo miſeris, & egenis promittitur regnum cœlorum. Gratum, inquam, & auſpicatum nouæ legis initium, quando in ipſo ſtatim initio, tot beatitu- D dinum benedictiones dat legiſlator, quibus delectati cant de virtute in virtutem: per iſtos videlicet octo gradus aſcenſionis, quos in corde noſtro diſpoſuit ſtructura Euangelij, ſecundum exemplar & imaginem cœleſtium, quod Ezechieli quoque oſtenſum eſt in monte viſionum Dei. Eſt enim manifeſte quidam aſcenſus cordium, & profectus meritorum iſte per ordinem digeſtus octonarius virtutum, gradatim de imis ad ſumma perducens virum euangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum Deorum in Sion ingrediatur templum, (Ezech. 40.) de quo Propheta dicit: *Et in octo gradibus aſcenſus eius.* (*Gradus virtutũ.*) Prima ſiquidem virtus inchoantium, eſt renuntiatio ſæculi, qua pauperes efficimur ſpiritu: ſecunda manſuetudo, qua nos obedientiæ ſubdimus, & aſſueſcimus: deinde luctus quo peccata plorantur, vel virtutes implorantur. Ibi nimirum guſtamus, vnde amplius eſuriamus, & ſitiamus iuſtitiam tam in nobis quam in aliis; zeloque contra peccantes incipimus commoueri. Sed

E ne ſcelus immoderatior in vitium feratur, ſequitur miſericordia qua temperetur. His ergo ſtudiis, vel exercitiis, cum quis iuſtus & miſericors eſſe didicerit, idoneus erit fortaſſis contemplationi vacare, & mundando cordi, quo Deus videatur operam dare. Exercitatus autem & probatus tam in actione, quam in contemplatione, tunc demum dignus erit, qui nomen & officium filij Dei gerens, pater & miniſter factus aliorum, tanquam mediator & ſequeſter pacificet inter ipſos & Deum: pacificet ipſos adinuicem, vel etiam ad eos qui foris ſunt: ſicut ſcriptum eſt, in laude Sanctorum Patrum, *Pacificantes in domibus ſuis.* In hoc officio qui (Ec. c. 44) fidelis & conſtans fuerit, ſæpe virtutem & meritum ſibi martyrij comparabit, perſecutionem patiens propter iuſtitiam, aliquando & ab his pro quibus pugnabit, vt ſic ei dicere. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, &* (Cant. 1.) *cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar* (Pſ. 119.) *illis impugnabant me gratis.* Quantæ autem gloriæ, quamque copioſæ mercedis in cœlo ſit culmen huius perfectionis, inde vtcumque licet æſtimare, quod ipſa F etiam abrenuntiantium ſæculo primordia tantæ Dominus prædicat fœlicitatis, vt dicat, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Plane beati qui proiectis vilibus, ſed grauibus ſarcinulis huius mundi nolunt diuites fieri, niſi de ſolo. Creatore mundi, propter ipſum tanquam nihil habentes, & per ipſum omnia poſſidentes. An non poſſident omnia qui poſſident continentem & diſponentem omnia, quorum Deus portio eſt & hæreditas, qui vt nihil deſit timentibus eum, cætera prout expedire nouit diſpenſat ad vtendum, & ſeipſum ſeruat ad fruendum? Cum hæres Dei, cohæres autem Chriſti, adultus & emancipatus introduceretur in plenariam poſſeſſionem expectatæ hæreditatis, tunc profecto ius abſolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis: qui modo quanto tempore paruulus eſt nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt vſque ad tempus præfinitum à patre. Tunc mundus agnoſcet G iuſtum ac legitimum hæredem Dominum ſuum, propter quem creatus eſt: agnoſcet inquam, quia iam non conformem ſibi, ſed reformatum in nouitate ſenſus ſui ad imaginem Dei ad quam factus eſt. Sed & nunc quoque fideli homini totus mundus diuitiarum eſt, non ſolum quia ad agnoſcendum, vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus vtitur tanquam ad hoc ſibi datis: & in via teſtimoniorum Dei (quæ videt facturam, ſicut & ſcripturam perhibere factori,) delectatur ſicut in omnibus diuitiis: ſed etiam, quia ita ſufficiens & gratus eſſe didicit, vt quaſi totius mundi diuitias computet illud prope nihil quod habet, ſiue hoc ipſum quod nihil habet. Ideo iure beatificat Eccleſiam ſanctorum Salomon, quæ pauper pro Chriſto, tam diues eſt in Chriſto. *Multæ*, inquit, *filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Alij ſiquidem rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt: ſancti diuidunt propria, & ditiores fiunt. *Diuites*, enim *eguerunt, & eſurierunt, Inquirentes autem Dominum non minuentur* H *omni bono.* Auarus quo plura poſſidet, pluribus eget. Quanquam nihil minus habeat, quam quod habere ſe putat: cum habeatur non habeat, ſeruus pecuniæ, mancipium auaritiæ, cultorque erumenæ, idololatra deteſtandus, cui numus eſt Deus. Pulchre autem iam nunc quoque vindicat in peccatores iuſtitia diuina, res ipſas quas amant conuertens eis in tormenta, & vitia faciens eſſe ſupplicia. Pecunia enim quæ iuſtum amplius iuſtificat, & verius ditat diſpenſata vel ſemel data, auarum cruciat ſeruata, prodigum polluit profligata. Prorſus beati pauperes Chriſti, quorum fides ſic eluſit ſapientiam mundi, vt ſola quis ſit optimus diuitiarum vſus inuenerit: quod videlicet diuitiæ, quæ pauperem faciunt & miſerum, ſi diliguntur, tunc demum faciunt diuitem & beatum, ſi pro Chriſto contemnuntur. *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti* (Mat. 11.) *hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis* id eſt, humilibus, qui vtique non ſunt alij quam pau

peres.

A *Paupertas spiritus in quo consistat.*

peres spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur. Hoc enim licet scientes tamen commonere vos velim fratres, quod vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quam in angustia rei familiaris: plus consistit in abdicatione superbiæ, quam in contemptu substantiæ. Substantia nonnunquam vtiliter habetur, superbia nunquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola vel maxime superbia damnat. Parum igitur prodest renuntiare sæculi possessionibus, nisi renuntietur & moribus: imo stultum, ac ridiculum est nudari diuitiis, & diuitum implicari vitiis: pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus: relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi, iuuare partes Antichristi. Plane Antichristi partes adiuuat, quisquis superbiæ militat, nomenque sanctum quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas, Antichristi superbia, vel potius capitis eius diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, & ab initio per superbiam peccat. Glorietur igitur fratres, quia pauperes simus pro Christo: sed operam demos vt humiles simus cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius; cum eum & paupertas nunc affligat, & superbia in perpetuum abdicat. Pauper autem humilis, & si vritur & purgatur in camino paupertatis, exultat refrigerio conscientiæ diuitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens & sentiens, quoniam ipsius est regnum Dei: quod iam intra seipsum velut in semine vel radice gerit, primitias scilicet spiritus, & pignus æternæ hæreditatis. An non vestrum est fratres, vnde toties sicut vobis conscij estis, fructus suauissimos, & beata gaudia decerpitis, quorum gustus amarescere vobis iam omnem fecit dulcedinem mundi? Gustastis enim, ni fallor, & vidistis, quoniam bona est negotiatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac projicienda, summa comparastis bona.

Vexillum B *Christi humilitas.*

C

Denique *non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Si hæc ergo sentimus in nobis, cur non confidenter pronuntiemus intra nos esse regnum Dei? Quod autem intra nos est, illud vere nostrum est: quia nobis inuitis eripi non potest. Recte itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait ipsorum erit, sed est regnum cœlorum: non solum propter ius firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum vsumque fœlicissimum: non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia iam in quandam ipsius possessionem cœperunt introduci, iam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, iam portantes Deum in corporibus suis & cordibus. Quam beata gens cuius est Dominus Deus eius, quam vicini sunt Dei regno, qui Regem ipsum cui seruire regnare est, iam possident & gestant in corde suo.

Psal. 15.

Funes, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Litigent alij de diuidenda hæreditate huius mundi, Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.

D

Pugnent inter se quis eorum fiat miserior, nihil omnium quæ ambiunt illis inuideo, ego enim & anima mea delectabimur in Domino. O præclara hæreditas pauperum, ô beata possessio nihil habentium, quoniam non solum omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiam redundas, tanquam in sinu reposita supereffluens mensura. Prorsus tecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Superbiat ô pauperes, superbiat ô humiles anima vestra, glorians in humilitate sua, omnemque altitudinem huius mundi longe sub pedibus suis iacentem despiciat: indignumque iudicet gloriæ suæ ad concupiscentiam vilis prædæ suam vlterius maiestatem inclinare. Quid? iam iam tollenda es in cœlum, & nunc te demum mergeres in cœnum? Parata tibi sunt æterna, & præeligeres transitoria, somnoque similia? Te præstolatur curia Sanctorum, & præponeres societatem dæmoniorum? Quam miser *homo, qui cum in honore esset non intellexit, ac perinde comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

E

An non manifeste hoc illis contingit, quos cum beata paupertas fecisset honorabiles cœlo, mirabiles mundo, & vt nihil præteritum sit etiam formidabiles inferno: postea arbitrantes miseriam, cæcato sensu paupertatem, humilitatem, ignauiam: voluerunt diuites fieri, & inciderunt in tentationes & laqueos diaboli: cumque essent Domini vniuersorum, vendiderunt seipsos sine pretio propter ea quæ nihil sunt. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Ipsi viderint quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, & grata spiritus humilitas, securos fecit de possidendo regno cœlorum incommutabilis veritas: vestrum illud esse asserens, vobis illud repositum fideliter custodiens; si tamen & vos ipsi spem istam in sinu nostro repositam firmiter custodiatis vsque in finem, cooperante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

F

Sermo de Scripturarum sanctarum vtilitate, & de excitandis animis ad diuinas laudes.

IN conuentu sodalium & amicorum, id est, Ecclesia sanctorum cuius vocem deceat audiri, sponsus ipse sponsæ loquens, innuit cum ait: *Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Non sum ego cui hoc dictum debeat videri, non sum qui habitem in hortis, magis mihi videor esse de illis qui habitant in sepulchris. Corpora enim peccatorum, quid sunt nisi sepulchra mortuorum? Qui ergo dediti sunt corporibus suis, non in hortis habitant, sed in sepulchris, Deumque exasperant, donec qui educit vinctos in fortitudine, forti voce inclamet, *Lazare veni foras,* suisque discipulis super eo præcipiat, *soluite eum & sinite abire.* Magna sane differentia est sepulchrorum & hortorum. Cant. 8.

Corpora peccatorum sepulchra mortuorum.

G

Hæc plena omni spurcitia & ossibus mortuorum, illi omni suauitate & gratia florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulchra videntur in hortis? Nam & Dominus in horto sepultus fuit. Etsi enim sepulchra in hortis, nunquid tamen horti in sepulchris: Ita fortassis, sed in sepulchris iustorum. Ibi plane vernabit gratissima quædam amœnitas hortorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum cum reflorebit caro eorum, & non solum ossa iusti sicut herba germinabunt, sed & totus iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Non sic impij non sic, qui sepultura asini sepeliuntur, & sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsenti futuram auspicantur. De sepulchris eorum dicere cœperam, quod quantum à spurcitia illorum abhorret florentium species hortorum, tantum imo incomparabiliter amplius distat oblectatio spiritalium à voluptate gaudiorum carnalium. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, & quot libros legitis, tot hortos perambulatis: quot sententias elegitis, tot poma carpitis.

H

Et beati quibus omnia poma noua & vetera seruata sunt: id est, tam Prophetarum quam Euangelistarum vel Apostolorum eloquia reposita sunt, vt & vnicuique vestrum illud sponsæ ad sponsum videatur dictum. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.* Scrutamini igitur scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui nihil aliud in illis quæritis quam Christum, cui testimonium perhibent scripturæ. *Beati* plane *qui scrutantur testimonia eius in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua Domine, ideo scrutata est ea anima mea.* Scrutinio quidem opus est, non solum vt eruantur mystica, sed etiam vt fugantur moralia. Ideoque vos qui perambulatis hortos scripturarum, nolite negligenter & otiose transuolare, sed scrutantes singula velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus* enim *meus,* inquit IESVS, *super mel dulcis & hæreditas mea super mel & fauum.* Ita probantes quid sapiat manna Cant. 7. Eccl. 24.

abscon

A Pſ. 118. abſconditum, & eructabitis illud Dauidicum; *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel & fauum ori meo.* Ab his hortis in alios, vbi requies ſecretior & voluptas beatior, & ſpecies mirabilior, ſponſus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus ſuis in voce exultationis & confeſſionis rapit in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei, lucem ſcilicet inacceſſibilem vbi habitat, vbi paſcit, vbi cubat in meridie. Si enim deuotio pſallentium & orantium, habet aliquid de illa pia curioſitate quærentium, Ioan. 1. *Rabbi vbi habitas?* puto quia merentur audire, *Venite & videte. Venerunt*, inquit, *& viderunt, & apud eum manſerunt die illo.* Quãdiu apud patrem luminum ſumus, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, noctem neſcimus, tantummodo die beato fruimur. Cum inde labimur in noctem noſtram recedimus. Heu mihi quam cito defecerunt dies mei, quam cito ſicut fœnum arui: qui quandiu fui in horto cum illo ſicut paradiſus Dei virui & florui. B Cum illo hortus voluptatis, ſine illo locus horroris & vaſtæ ſolitudinis. Exiſtimo enim qui in hortum illius intrat quod & ipſe hortus fiat: ſitque anima illius velut hortus irriguus, vt & ſponſus in laudem eius dicat; Cant. 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa.* An non ſunt horti, in quibus fit quod ipſe hortulanus loquitur plantationi quam plantauit pater ſuus? *Audite me*, inquit, *diuini fructus, & quaſi roſa plãtata ſuper riuos aquarum fructificate. Quaſi libanus, odorem ſuauitatis habete, florete flores quaſi lilium, date odorem & frondete in gratiam.* [Hortus eſt anima iuſti. Ecc. 39.] O Domine IESV verus hortulanus, operare in nobis quod exigis à nobis. Nam ſine te nihil poſſumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel cuſtos horti tui, qui verbo plantas, ſpiritu rigas, virtute incrementum das. [Hortulanus Chriſtus.] Errabas Maria quæ cum exiſtimabas hortulanum illius horti pauperis & exigui, in quo ſepultus fuit. Hortulanus eſt totius mundi, hortulanus eſt cœli, hortulanus eſt Eccleſiæ quam hic plantat & rigat, donec incremẽto conſummato tranſplantet eam in terram viuentium, ſecus decurſus C aquarum viuentium vbi non timebit cum venerit æſtus: ſed erit folium eius viride, nec aliquando deſinet facere fructum. *Beati qui habitant in illis hortis tuis Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Paulus habitabat in illis, cuius conuerſatio erat in cœlis, qui mente ſæpius excedens perambulat paradiſum beatæ voluptatis, hortos deliciarum Dei, vbi & pertranſiens roſas martyrum, & lilia virginum, deſinens etiam mirari altitudinem cedrorum Dei, delectabatur potius carpere de fructu ligni vitæ, quod eſt in medio paradiſi, in ipſo nimirum guſtans plenius & fœlicius quã ſuauis eſt Dominus. Ideoque cum inde redibat, amicis auſcultantibus memoriam abundantiæ ſuauitatis eius profuſius eructabat, & ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim ſicut adipe & pinguedine repleta erat anima eius, ideo labiis exultationis laudabat os eius. Prou. 14. *Cor quippe ſapientis erudiet os eius, & labiis illius addet gratiam.* Eructabit itaque cor eius verbum bonum, ac de bono theſauro bo- D nus bona proferebat, ſponſum ipſum qui in amicis auſcultabat velut iucundo carmine oblectabat. Prorſus carmen iucundum ſuauiſque melodia, vbi tam canorum Spiritus ſancti organum, tanta morum & ſermonum conſonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris CHRISTVM IESVM iubilum cordis ſui perſonabat. Si enim lingua ſuauis vim carminis non haberet, ſcriptum non eſſet: Eccl. 40. *Tybia & Pſalterium faciunt ſuauem melodiam & ſuper vtraque lingua ſuauis.* Si carmine huiuſmodi pſalmiſta Deum oblectari neſciret, nequaquam diceret. Pſ. 103. *Iucundum ſit ei eloquium meum.* Sed nec ipſe ſponſus diceret. Cant. 8. *Fac me audire vocem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua ſuauis, quia exaltationes Dei in faucibus tuis: tanquam habitantis in hortis in deliciis paradiſi.* Et contra vero: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, qui habitat in ſepulchris.* Cuius enim vita Deũ exaſperat, lingua nõ delectat: ſed terribiliter increpatur voce diuina; *Quare tu enarras iuſtitias meas? Canti a lyræ tuæ non audiam.* Sed quoniam ſcriptura quam aſſumpſeram in

E excuſationem ſermonis, occaſionem & materiam miniſtrauit ſermonis, ſi placet finiamus quod de illa cœperamus. Dupliciter itaque poteſt intelligi quod à ſponſo dicitur: *quæ habitas in hortis amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*: vel quod deuotum amatorem inuitet ad pſallendum vel orandum, vel quod ſanctum prædicatorem excitet ad loquendum. Quod vt magis perſuadeat, amicos auſcultare memorat, angelos ſcilicet orantem vel pſallentem, fideles prædicantem. Vbi primo intueamur qua diſciplina cordis & corporis nos oporteat in conſpectu angelorum pſallere vel orare, ne vacui dimiſſi vacuos nos dimittant qui venerant vt vota deferrent, & dona referrent, imo recedant inimici qui venerant amici. Quinimo ſponſus ipſe qui ſtat ad oſtium & pulſat, ſi nulla ei digna deuotio deintus reſpondens aperiat, recedet conquerens & dicens: Hier. 8. *Attendi & auſcultaui, nemo quod bonũ eſt loquitur. Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens in prælium.* F Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de beneuolentia & attentione auditorum, quia ſcilicet non increduli obloquuntur, aut litigant, non æmuli detrectant, aut ſubſannant, non tepidi dormitant, aut oſcitant, ſed amici attenti auſcultant, quorum amor & meritum poſſit euangelizanti impetrare verbum & ſpiritum. Et bene amici auſcultant. Eſt enim velut proprium amici, ſcilicet quod deuotus audiat vocem ſponſi, ſicut Ioannes ait: Amicus ſponſi, eſt qui ſtat non vagans animo, aut proſtratus ſomno, audit & gaudet gaudio propter vocem ſponſi, quam agnoſcit etiam in ſeruis. Et nos itaque inde probemus nos amicos vt ſiue per os loquentis, ſiue legentis aut cantantis vox ſponſi ſonuerit, ſic ſtemus ad audiendum quatenus auditui noſtro det gaudium & lætitiam & non ſolum cum gaudio ſuſcipere verbum, ſed & fructum afferre in patientia.

G

NOTA.

Qui hic ſequebantur ſex ſermones in præcedentibus editionibus, ab hac ſublati ſunt, quia non ſunt Guerrici ſed S. Bernardi, & reperiuntur tomo 2. operum eiuſdem ex editione Merlonis Horſty, nempe Serm. 28. 70. 8. 73. 76. & 79. de diuerſis.

Anonimi cuiuſdam Decani Monaſtery Reichenſpergenſis præfatio apologetici contra Folmarum conſcripti.

NOTA AVBERTI MIRÆI
in auctuario Bibliothecæ ſuæ Eccleſiaſticæ.

GErohus ſiue Gerochus, Reicherſpergenſis in Bauaria Præpoſitus, eiuſque frater Germanus Decanus Reicherſpergenſis, ſcripſerunt contra errores Folmari, Præpoſiti Petræ-Stillantis in Franconia infra Herbipolin. De Gerohο ſi plura deſideras Chronicon Reicherſpergenſis, à Chriſtophoro Geuuoldo Conſiliario Bauarico euulgatum, itemque Gretſerum conſule. H

LECTORI,
Petrus Steuartius, &c.

CIRCA tempora Alexandri III. Pontificis Maximi, vixit in Franconia quidam Folmarus, Petræ Stillantis, ſeu Trieffenſteiniſ Præpoſitus, qui præter cæteros errores, quibus infectus erat, in hunc etiam Elipandi, vel Neſtory, de perſona & adoptione Chriſti incidit: quem cum in Bauaria diſſeminare tentaret, occurrerunt duo ex Bauaria Monachi non indocti; alter Gerohus, ſeu Gerochus Monaſtery Reicher-

A *spergensis Præpositus, alter eiusdem Monasterij Decanus, quorum iste proprium & vastum volumen aduersus Folmarum conscripsit; ille in opere, quod de inuestigatione Antichristi indigitauit, Folmarum quoque refellere haud omisit. Vtrumque opus exstat in Boicis Bibliothecis; vtrumque lucem mereretur, nisi dum scriptores isti ab vno extremo, hoc est, ab Elipandismo seu Nestorianismo, quàm longissimè recedere cupiunt, propius ad alterum, extremum, nempe ad Eutychianismum seu hodiernam Lutheristarum Vbiquitatem accessissent. Quia in id, quod assumptum est, seu in humanam naturam assumptam, perfectiones diuinas realiter transfusas dogmatizant; ita vt id, quod assumptum est, propter huiusmodi communicationem diuinarum perfectionum, sit verè & per*
B *omnia æquale Deo seu diuinitati. Quæ sunt germana Vbiquistarum deliria.*

Vt autem tibi, amice lector, gustum aliquem præbeam eius Apologetici, quod contra Folmarum Decanus Reichersbergensis conscripsit; en tibi præfationem Auctoris, & principium Libri.

INCIPIT PROLOGVS SVBSEquentis Operis.

DIuersis diuersa de Christi secundum carnem natalibus simul & gloria, qua nunc apud Patrem glorificatur, sentientibus, nonnullis vero ex eis etiam nostra dicta vel sensa super his lacerantibus; insuper vero etiam falsa quædam nobis impingentibus, subsequentis Operis necessitas mihi imposita est. Quod tamen Epistolari
C compendio terminari potuisse ad notam putaui. Sed, dum vel nostra asserui, vel aduersantium calumniatorum dictis, & obiectionibus obuiaui; dum mendaciter nobis imposita depuli, in longum idem opus protelatum est: quod sequestrata Epistola, Apologeticum dici volumus. Eo quod in ipso ea, quæ verè nostra dicta sunt, næuo prauitatis carere monstrantes, etiam falso nobis imposita depulimus.

Sic autem impulsionem hanc calumniantium accepi, tanquam per eos inter diuersas de Domino diuersorum
Matth. 16.15. opiniones, ipsum nobis dicentem audirem; *Vos autem quem me esse dicitis?* Cuius & generationi secundum carnem quoque diuinissimæ, simul & gloriæ per meritum Passionis etiam homini in paternæ maiestatis consessu acquisitæ, ea deuotione simul & cautelâ testimonium perhibui, vt sperem me ab illa Petri testificatione,
Ibid. 16. qua dixit; *Tu es Christus filius Dei viui*; simul & ab alijs Euangelicis & Apostolicis testimoniis hominis assumpti diuinitati & gloriæ perhibitis non aberrasse.
D Quamuis autem liber ipse ad ad personam vnam in longinqua regione positam destinatus sit; omnes tamen, qui non captiosè, sed piè legere nostra curauerint, putent sibi eum destinatum, ad quorum etiam ammonitionem paratus ero corrigere, quæcunque vel rationi contraria, vel à Sancta Scriptura dissona, vel sanctorum Patrum assertionibus aduersa, nobis in nostris demonstrare potuerint.

Quod si vnum quempiam, vel duos ex Patribus citra ea, quæ dicimus, remansisse inuenerint, obsecro, ne nimis festini, nostri, nostrorumque dictorum Iudices sint. Nam quod vnus, vel duo minus fortè vno in loco dixerunt, ab aliis non minoris auctoritatis viris vel ab iis ipsis alias suppleta, si quærent, inuenient. Ad hoc autem sanctorum Patrum dicta pro nobis facientia in eodem opere nostro, vel aceruum testimonij, locis opportunis congessimus, vt venientes eo vsque aduersarij persequentes nos, vltra progredi non præsumant.

E Sed nec illa, quæ nobis contraria putantur, omisimus; vt eadem determinando, cum sanctæ Canonicæ scripturæ sensibus, quoad potuimus, faceremus concordare. Nam vbi Patres ea loquuntur; quæ cum sanctæ Canonicæ Scripturæ apicibus concordant, ibi non determinatione, sed fide maiore opus est, etiam si ea, quæ dicuntur, humanæ intelligentiæ facultatem excedant. Sed nec vnâ huius opusculi nostri pagellâ quis lectâ, id quod in ea, his quæ in scholis forte audiuit, aut quæ sua sibi dictat opinio, contrarium inuenerit, in contradictionem, vel sugillationem nostri rapiat, vel codicem, quasi amaricantibus ad insuetum cibum dentibus, detestetur, quin potius lecta, cum præcedentibus & subsequentibus conferat; & vt spero, omnia salua erunt.

† *Sententia Adam Decani, de hæresibus.*

† Alia, at recentio-
F *re manu est Epigraphe ista M.SS. apposita.*

MAgistro P. † venerabili Herbipolensis Ecclesiæ Decano Fr. A. dictus & ipse, diuina clementia, Reichersbergensis Cœnobij Decanus; si quid valet, peccatoris oratio.

† Gerobo seu Gero-cho.

Sciens vestræ honestatis non latere personam, quantas & quales, vicinus vester Folmarus de Petra Stillante dictus, † magistro nostro Reichersbergensi Præposito iniurias irrogauerit, in Epistola sua, domno nostro Tauauensi Archiepiscopo missa, non me temerarium apud vos iudicari arbitror, si me scutum opponere tentauero pro illo, cuius & germanitate secundum carnem frater & in Domino filius sum: Sed enim, vt verum fatear, Epistola illa maledicta, & maledicenda, siquidem maledictis plena, mendaciis respersa, felle amaritudinis infusa vt pote, iuxta nomen Auctoris, de *folle amaro*, & amaritudinis missa, nondum à magistro nostro perspecta est, hoc me ad vos scribere inchoante. † Quia iure inter cætera id bonum (est) contentionis huius, vt cum Epistola fortè ad eum, contra quem erat scripta, peruenisset, simul quoque & ea, quæ à suis essent contra dicta, acciperet: & quem iniuriatum fortè acerbitas humanitus contristasset, iniuriarum depulsio, simul & mendaciorum exinanitio consolaretur.

Non extat hæc Epistola Folmari. †
G

Quamuis ne id quidem contristare nos debeat, quasi noui nobis aliquid contingat. Nec enim nouum, virtuosis improbos inuidere, nomenque sibi eos, qui nullius nominis aut meriti sunt, ex detractione in Ecclesia virorum spectabilium comparare; infelices se, ac sine causa natos arbitrantes, nisi nomen suum quoque, nacti occasionem, sparserint in populum, ne homines viuentes, morientesque fallant, si apud eos vel falsæ virtutis opinione, cum verè non possent, vel saltem in malum, cum non possent in bonum, memoriam non relinquant. Hæc namque intentio plerosque sicarios, latrones, piratas, & aliorum scelerum Principes ac Duces effecit, dum quærebant magis & per malefacta, insuper & mendaciter apud homines celebrari, quam fœlicem in silentio vitam peregisse.

Hinc & noster *Follis amarus* non quiescit, scribit & H
rescribit: legendas circumfert Epistolas liberæ increpationis plenas. Principes occultè scriptis infamat: quibus tamen in facie adulans, munuscula eorum libenter Gieziṫico more, acceptat. Porro doctrinæ peruersitate aërem ipsum maculat; natalibus Domini nostri IESV CHRISTI derogat: dicens eum in eo quod homo est, vt auribus nostris audiuimus, non aliter esse filium Dei, quam vnum ex nobis. Resurrectionis quoque gloriâ, & honore ascensionis glorificatum negat paternæ æqualitatis gloriam introisse, aut introire potuisse. Resistentes vero sibi nos in hac pestifera doctrinâ, mendaciis commaculat; suumque mortuum filium nobis nocturnâ fraudulentiâ, sed apertâ coram Principibus & laicis procaciam, nititur supponere: nostrum verò viuum sibi vendicare: Sed, iudicante Rege Salomone, non proficiet. Archiepiscopos & Episcopos in Epistolis suis imperitiæ vel negligentiæ arguit, & addicit, ducem se non iam cæcorum solum, sed & videntium constituens: quasi ipse melius de longe,

Quæ & qualis hæresis Folmari.

quæ

A

quæ apud eos gerenda sunt, quam ipsi sua de prope cognoscant. Hæc sanè impigrè ac temerariè satagit; non vt eos iniquitati, sed magis nostræ innocentiæ infensos efficiat. Sustineant vero illi, quandiu volunt, eius insipientiam, cum sint ipsi sapientes, (nam † noster dulcem patientiam exsuperat) contra quos linguam serpentinam exacuit, virus euomit, os vipereum dilatat, non quidem vitam in nobis temporalem, sed id quod Deo viuimus, quodque Christiani veri sumus, & esse ac dici cupimus, volens exstinguere.

† Gerohar.

Sed agat, & satagat, quantum volet, quantumque Deo permittente, à suo sessore diabolo concitatur. Nam Deo nos protegente, quandiu superest halitus in nobis, non incidemus id, in quod nos præcipitare molitur, contra Deum negationis barathrum, vt cum ipso in Dominum Issvm dicamus blasphemiam, vt negemus hominem assumptum, in Deum, esse Deum, esse proprium Dei Patris filium, esse id, in quod assumptus, & in quod ex Spiritu sancto, & Maria Virgine natus est. Cuius peruersæ in faciem resistentem doctrinæ, † Magistrum nostrum draconi in occulto sibilanti comparat: quasi ipse Magister noster ea, quæ de hominis in Deum assumpti vera diuinitate loquatur, hactenus in occulto, & non in palam locutus sit. Quasi non de verbo hoc contra nouos Paulianistas, Nestorianos, Photinianos loquens & scribens, aures etiam Romanæ Ecclesiæ impleuerit. Non est autem erubescendum, de Christi & hominis assumpti in Deum gloria, Euangelium, sicut Paulus quoque Apostolus non erubuit gloriæ beati Dei: haud dubium, quin Domini nostri Iesv Christi; quemadmodum ait; *Non enim erubesco Euangelium Christi. Oleum enim effusum nomen eius:* & iam olim per publicum prædicatum est, manifesteque magnum est illud pietatis sacramentum: *quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria.* Nempe, *omnis lingua iam confitetur, quia Dominus* Christvs Iesvs *in gloria est Dei Patris.*

B

† Gerohum.

Rom. 1. 16.

Cant. 1. 3

1. Tim. 3. 10.

Phil. 2. 11.

C

Vnde protsus èlinguis, ac penitus in Ecclesia Christi non audiendus, quisquis paternæ gloriæ consessum homini à Verbo assumpto abrogauerit. Etenim in omnium linguarum eum iam in gloria Patris esse confitentium numero computandus intelligitur. Sibilare nos more draconum dicit, cum potius eius, qui ita fari gestit, sibilus antiqui serpentis sit, qui cum in cœlo filij Dei locum, id est, Altissimi similitudinem appetens, id ipsumque homini suadens, ab intentionis suæ cursu ceciderit, nunc alia via tortuosus ac lubricus incedens, filioque prælationem gloriæ inuidens, eum à Patris consessu, ad hominum communem vsque similitudinem molitur deducere vt in fide hominum non aliter in humana natura filius Dei, quàm vnus ex nobis sit: nec aliter in gloria Dei sit credendus, quàm vnus quispiam magnorum Angelorum, vel hominum; quantulam tamen sanctis hominibus & Angelis potiorem gloriæ mensuram obtinens, ad ipsam verò immensam diuinitatis gloriam non pertingat.

Hæc è-

D

nus Epistola Principum libri.

Miranda nimis, ac detestanda veternosi serpentis astutia: qui vt olim congruum suæ nequitiæ inuenit organum; ita nunc sibi delegit Folmarum, *follem amarum*, per quem id hominibus suadeat, quod in Christvm Iesvm, tanquam in Deum credendum non sit: quod homo ille in Deum assumptus, Dei Patris naturalis & proprius filius non sit: quodque in plenitudinem paternæ gloriæ obedientiâ mortis consummatâ, non transierit ac proinde nec latria ei, quæ soli Deo debetur, sed potius dulia sit exhibenda. Ecce igitur plus quam Nestorius hic. Ille enim hominem coadorandum Verbo docuit: quemadmodum ait; *separo naturas, vnio adorationem.* Item, *Inconfusam igitur naturarum custodimus coniunctionem. Confitemur in homine Deum; veneramur diuina coniunctionis omnipotenti Deo coadorandum hominem.* Iste verò, ne coadorandum quidem censet. Tantò igitur iste præ Nestorio damnatione dignior est: quantò ab adoratione Verbi, carnem Verbi longius excludit.

E

Item; Nestorius B. Mariam, Dei genitricem dici vetuit; dicens, eam non Deum, sed tantum hominem Deo coniunctum genuisse. Iste, & amplius in errore pessimo procedit; dum & Deum Patrem esse assumpti à Verbo hominis negare præsumit, afferens pro argumento illud Philosophicum, quo dicitur; *ex insensibili, nil sensile nasci.* Hoc enim argumentum, si ex naturalibus in Theologiam admittitur exinanita est fides, qua Ecclesia hactenus indubitanter confessa est Virginis filium, Dei quoque filium existere, quia sicut totus Deus, totusque homo est, ita vtriusque parentis totus est filius confitendus. Sed ne in naturalibus quidem penitus constare videtur argumentum, quo ex insensibili nil dicitur sensile nasci; &, è conuerso, cùm videamus ex vita grani, quæ sensibus non percipitur, herbam & spicam, simul & alia in spica grana nasci. Pone enim grana frumenti alia ad solem aut in furno desiccata; quorum alia, ea videlicet, quæ ad solem siccata sunt, seminibus adhuc apta erunt; alia verò minimè; eo quod vitalis in eis vigor exstinctus sit: sensu tamen in his, vel illis vigorem vel exstinctionem eiusmodi in nullo percipiente. Si verò dicitur insensibile id, quod sensu non percipitur nihilque ex eo sentiens nasci; id esse falsum, quam plurimis argumentis edocemur; cùm videamus è terra vermes, & animantia quàm plurima nasci; sicut è fimo etiam equino bruchorum quædam species procreatur.

F

De insensibili & sensili.

Verùm, nos sicut ad fidem, quæ in Deum nobis est, naturalium non ducimur argumentis: ita, vbi eadem deficiunt, fidem infirmare non possunt. *Aufer argumenta*, ait quidam sapiens, *vbi fides quæritur.* Et Apostolus, *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et B. Papa Gregorius; *Fides*, ait, *non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.* Igitur in his, quæ secundum Deum credenda sunt, quantò ratio deficit, tantò meritum fidei perficere perdocemur. Neque verò pater noster Abraham ideo infirmatus est in fide; quia videbat proprium corpus emortuum, & emortuam vuluam Saræ; cuius si verè filij sumus, exempla imitari debemus.

Heb. 11.

G

Videmus autem & in naturalibus quædam fieri naturæ adulteria, super quibus etiam illud legis præceptum est, ne coire faciat Iudæus iumenta sua cum alterius generis animalibus, ex quo videlicet coitu, animalia, quæ nascuntur, neutrius parentis speciem plenè retinent; sed biforme quiddam, & monstruosum, mistumque, vt ait Poëta, genus est. Super qualibus & nos quidam indisciplinate arguere ausus est; quia Christum ex Deo & Virgine Maria natum, biforme velimus genus facere. Sed absit à nobis horrisonum illud dictu vel cogitatu, vnquam vel mente concipere, vt supernaturalia Dei, adulteriis naturæ assimilemus: vel Dominum nostrum Issvm Christvm, biforme quiddam, quod nec Deus plenè, nec homo sit, arbitremur. Etenim supernaturalia Dei naturalia humanæ naturæ ad imaginem suam facta, nec corrumpunt, nec excludunt: quin potius sua vnione super semetipsam diuina mirabiliter attollunt, in propria quidem natura & ipsa manentia & humana conseruate potentia. Quod enim supernaturale est, in omnia naturalia omnifariam potens est: suæ tamen sublimitatis & excellentiæ iure in omnibus conseruato; nec ad indigna se penitus inclinans. Vnde & Deus, more nostro, videre & audire in Scripturis sanctis dicitur: cùm tamen, more nostro, nec aurem ipse, nec oculum habeat.

De adulteria naturæ.

H

Supernaturalia in omnia naturalia ita potentia esse.

Vnde & Dauid dicere nec voluit, nec debuit: qui plantauit aurem, nonne & ipse aurem habet: &, qui finxit oculum; nonne & ipse oculum habet? sed; *Qui plantauit aurem*, ait, *non audiet?* aut, *qui finxit oculum, non considerat?* Sicut ergo audit & videt: ita quoque suæ diuinitatis modo tangit, quæ suo attactu digna iudicauerit: suæ, inquam, sublimitatis modo videt Deus, audit, atque tangit & operatur, in nullo corporei membri vtens, vel indigens instrumento. Quomodo enim aure vel oculo, aut manu ad audiendum, videndum &

Ps. 93. 9.

A

tangendum vel operandum indigeat, qui totus sibi auris, oculus & manus est? Videt autem, audit atque tangit Deus, non nostræ possibilitatis modo, sed suæ impassibilitatis & æternitatis virtute. Videt atque audit omnia, non quo visus eius in rem oppositam agat, vel auditus sonos offendentes & aduolantes excipiat; sed; quod eum nihil nostrorum motuum, vel cogitationum ne dicam dictorum, lateat: nihilque eorum, quæ fecit, aut quæ voluit, sibi eius contuitum atque scientiam celare valeat. *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Videt omnes & omnia quæ fiunt, siue in cœlo, siue in terra, diuerso tamen, quod in effectis patet, contuitu; quosdam videlicet per gratiam, quosdam vero per iram. Vnde scriptum est; *Oculi Domini super iustos; & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

Heb. 4. 13.

Ps. 33. 16 17.

De visu, audito, aliisque sensibus Dei.

B

Similiter autem & operatur Deus, manu propria ad agendum nec vtens, nec indigens: quippe cuius velle fecisse est. Amat quoque & zelat Deus, non quod nostræ infirmitatis modo passibiliter, sed suæ virtutis priuilegio impassibiliter: Qui sicut totus oculus, ita & totus amor est. Tangit quoque animas suo attactu dignas, quas videlicet suo attactu ipse dignas effecerit. Eius vero tetigisse, est, præsentiæ suæ, & ingressus in animas sanctas sensibile eius signum dare: imo & miro, atque ineffabili modo, eas, cum voluerit nunc intellectu, nunc & in affectu; interdum quoque in sensu, mira quadam, & huic sæculo penitus ignota suauitate afficere. Quippe qui totus ipse suauis & vera atque summa suauitas est. Quasdam verò in æmulationem, atque zelum contra vitia & vitiosos, spiritus sui igneo quodam afflatu suscitare. Sic autem hoc agit, vt vigilantes, seu dormientes interdum signa quædam diuinæ visitationis in semetipsis recognoscant: sanctis solummodo, quos Deus nouit, experta & vsitata maximè, tunc, cum eos in opus aliquod spirituale suscitare voluerit. Quorum nimirum Deum diligentium ac dilectarum Deo animarum pro experimento diuini attactus, in amoris Cantico hæc vox est: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Experientiæ & fructus diuini attactus.

C

Cant. 5. 4.

De fructu quoque spiritalis operationis eiusmodi tactum subsecuto, subsequenter subiecit dicens; *surrexi vt aperirem dilecto meo.* Nequaquam enim suscitatæ & fœcundatæ animæ ministerium suum Deo negare poterunt; quin surgant, & oris pessulo discluso Verbum Dei tractando, ipsum in corda audientium vel legentium introducat. Et talis quidem animarum fœcundatio ex dilectione est.

Alios à timore, alios ex amore, diuino concipere.

Aliæ verò & ex timore concipiuntur: quarum vox est: *Domine à timore tuo concepimus, & peperimus, spiritu salutis fecimus super terram:* in omnibus tamen nihil indignum se, diuinitas agit cum hominibus, vel Angelis, habitans in eis, & in eis, ac per eos agens, quæ vel ipsorum, vel aliorum saluti conducunt. Imò verò, valde decet Deum ista dignatio; vt ei de salute nostra, & de laude sua per nos amplianda, cura sit. Nos quippe sumus illa Sion, de qua scriptum est; *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem.* Neque vero innaturale est Deo habitare cum hominibus: quippe quos ad imaginem suam contemplandam condidit: sicut oculus noster solus, præ omnibus membris, ad solis lumen creatus est. Vnde & vniuersam Ecclesiam simul & singularem quamlibet sibi dilectam, seque diligentem animam, sponsam vocare dignatus est: seque ab ea sponsum vocari non dedignatur. Quin & inter hanc sponsam, & se, per spiritum suum decantari, & scribi procurauit Epithalamium, carmen videlicet nuptiale; vnde totus ille tertius libellus Salomonis contextus est. Super cuius amoris experientia Paulus quoque Apostolus dicere non dubitauit: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.* Item; *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum* Item; *Corpus non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* Et illud, *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est.*

D

Ps. 64. 2.

Phil. 4. 7. 1 Cor. 13. 12.

E

1. Cor. 13. Ibid. 16. 17.

Et hoc dicimus, vt nec inconsuetum, nec innaturalem inter Deum & rationalem creaturam demonstremus amorem. Nihil enim fere magis naturale Deo, factori omnium, quam diligere facturam suam: præcipuè tamen eam, quam ad sui imaginem, & similitudinem condidit, quam ad se cognoscendum & diligendum creauit. Sicut item rationali creaturæ valde naturale est, factorem suum, versa vice diligere. Nam, siqui rationales spiritus, Deum factorem suum non vident, ex vitio id potius naturæ, quam ex eorum natura est. Igitur omnes Angelici spiritus & homines, qui tamen ad annos discretionis venerunt, ex propriæ conditionis natura, Deum nosse ac diligere possunt, qui tamen in eo ipso, quod naturaliter apti sunt, non proficiunt, nisi diuinitùs adiuti. Quod verò non omnes adiuuantur, non ex defectu potentiæ, vel bonitatis diuinæ est, *sed ex vitio ipsorum*, eius adiutorium non quærentium, quamuis ne ipsum quidem, sine ipso quærere vtiliter valeamus, vt totum bonum nostrum potius gratiæ ipsius, quàm meritis nostris imputetur: & ei soli sit gloria, cuius & gratia est, &c.

Naturale Deo, facturam suam diligere.

F

IOANNIS SARISBERIENSIS Policraticus, siue de nugis curialium & vestigiis Philosophorum Libri octo.

G

IOANNES TRITTHEMIVS ABBAS Spanheimensis de Ioanne Sarisberiensi.

IOANNES Carnotensis Episcopus patriâ Saresberiensis beati Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi quondam clericus atque discipulus; vir in diuinis Scripturis eruditus, & in secularibus litteris nobiliter doctus, ingenio subtilis, eloquio disertus & pulchra venustate compositus, carmine excellens & prosa: nec minus religione quam scientia venerabilis. Scripsit multa præclara volumina, quibus nomen suum posteris notificauit, sed pauca eorum ad manus nostras peruenerunt. Legi opus insigne De nugis curialium & Philosophorum, quod prænotare voluit.

Policraticon libri 8.
Pœnitentiale, lib. 1.
Vitam Sancti Thomæ Archiepisc. lib. 1.
Epistolarum ad diuersos lib. 1.

H

Claruit sub Frederico Imperatore primo, Anno Domini M. C. XL.

EX TOMO I. DISSERTATIONVM P. PHIL. LABBE S. I. in Bellarminum.

IOannes de Sarisberia seu Salisburi natione Anglus, patriâ Vuiltanensis, Theobaldi Cantuariensis Episcopi, eiusque successoris S. Thomæ Veket Martyris, primum clericus, tum anno 1172. creatus Episcopus Carnotensis cessione Vuillelmi dicti ad albas manus, filij Theobaldi Comitis Campaniæ, qui ad Senonensem, ad deinde Rhemensem Cathedram promotus per biennium Carnotensem Episcopatum concessu Alexandri III. Papæ retinuerat. Interfuit Concilio Lateranensi anno 1179. vnde reuersus obiit anno 1182. sepultus in Abbatia Sanctæ Mariæ vulgo de Iosaphat appellata. De eo Ro-

A bertus Abbas S. Michaëlis, seu quis alius continuator Sigeberti, Petrus Collensis Abbas cuius fuerat clericus Epist. 8. Libri 7. vbi Ioannes dicitur pretioso sanguine beati Thomæ Pontificis & Martyris intinctus. Item Epist. 20. & 21. aliisque, Petrus Blesensis Epist. 22. vbi dicitur S. Thomæ manus & oculus: Trithemius qui minus recte docet floruisse anno 1140. Philippus Bergomas, Iustus Lypsius, Erycius Puteanus, Ioannes Pitseus, Thomas Dompsterus, Gerardus, Ioannes Vossius qui iusto citius Episcopalem Lituum illi ab anno 1164. concedit, Baronius aliique.

Præter hic edita alia multa scripsit, sed præcipuè vitam S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, cuius fuerat comes familiaris & indiuiduus in exilio, & sub quo notarij functus fuerat officio. Extat in Bibliotheca Vaticana cum triũ aliorum eiusdem Thomæ discipulorum de eadem re lucubrationibus, & collectione Epistolarum ad S. Thomæ negotia spectantium, ab eodem Sa-
B risberiensi in quinque libros digestâ, de qua consule Baronium ad annum 1162. De eodem Ioanne vide Galliam Christianam in Episcopis Carnotensibus.

AVTOR AD OPVS SVVM.

SI mihi credideris, linguam cohibebis, & aulæ
Limina non intret pes tuus, esto domi.
Aspectus hominum cautus vitare memento,
Et tibi commissas claude libelle notas.
Omnia sint suspecta tibi, quia publicus hostis
Et maiestatis diceris esse reus.
Ignis edax, gladiusque ferox tibi forte parantur,
Aut te polluta subruet hostis aqua.
Cum tamen exieris faciem velabit amictus,
Deformentque tuam puluis & aura cutem.
Virgam dextra ferat, premat & sua mantica dorsum,
Trita tegant frontem pilea, pero pedem.
Sit gradus & cultus habitus peregrinus eunti,
C Non nisi barbariem barbara lingua sonet.
De Pictauorum dices te gente creatum,
Nam licet his lingua liberiore loqui.
Hospitijque fidem quæres super omnia, quo sis
Tutus ab insidiis, quas tibi quisque parat.
Stultos, prudentes nimium prauosque cauebis,
Et quos insignes garrula lingua facit.
Si quis amat verum, tibi sit gratissimus hospes,
Et quem delectat gloria vana, caue.
Iure patronatus illum cole, qui velit esse,
Et sciat; & possit tutor vbique tuus.
Ergo quæratur lux cleri, gloria gentis
Anglorum, Regis dextera, forma boni.
Quæsitus regni tibi cancellarius Angli,
Primus sollicita mente petendus erit.
Hic est qui regni leges cancellat iniquas,
Et mandata pij principis æqua facit.
Si quid obest populo, vel moribus est inimicum,
Quicquid id est; per eum desinit esse nocens.
D Publica priuatis qui præfert commoda semper:
Quodque dat in plures, ducit in ære suo.
Quod dat habet; quod habet dignis donat, vice versa
Spargit; sed sparsæ multiplicantur opes.
Vtque virum virtus animi, sic gratia formæ,
Vndique mirandum gentibus esse facit.
Tardus ad hunc Samius si certet acumine mentis,
Indoctusque Plato, Varroque stultus erit.
Curio si certet verbis vincetur ab ipso;
Victus, si certet, Quintilianus erit.
Huius nosse domum non est res ardua, cuius
Non duce quæsito, semita trita patet.
Nota domus cunctis, vitio non cognita soli
Lucet, ab hac lucem diues, egenus, habent.
Illa patet miseris, patet & domus illa beatis,
Hic patre lætatur aduena quisque suo.
Cum reserata semel fuerit tibi ianua, currens
Ad thalamum Domini progrediore tui.
Expecta dum turba fluat, quæ feruet in aula,
E Fessaque sunt domini membra fouenda toro.
Accedes, vultum mutabis, mantica nugas
Excutiat; peregre † nunc peregrinus † eat. † al. tunc. † al. erit.
Non tamen ostendas, oculos quod principis vrat,
A quo tota tibi vita, salusque datur.
Si facies illi tua displicet, vnde † placebit? † al. placebis.
Eius in arbitrio iusque fauorque manent.
Quod prohibet fieri, scelus est; quod præcipit, æquum,
Iuraque pro placito stantque caduntque suo.
Huic quæ sola placet, sola virtute placebis,
Quæ tibi si desit, cetera cuncta nocent.
Iura colit, pacem statuit, fundatque quietem,
Et tumidos hostes mente manuque domat.
Sed seu iura † vocent, seu fulminet ensis in hostes, † al. nocent.
Non nisi sancta geris, non nisi sancta probat.
Confer ei quoscumque duces, quoscumque potentes,
Plebs erit hoc viso maxima turba ducum.
Si reges videas, quid ad hunc nisi rustica turba?
F Et bene, si dici rustica turba queunt.
Particulamque tui præmonstrans experiere
Quæ maneat † totum gratia, vel quis honor. † al. [illegible]
Si placet hæc, totus poteris fortasse patere:
Sed si displiceat, cetera claude toga.
Verba salutantis sint prima; subinde facetus,
Te dabis obsequiis, hospitiumque petes.
Non grauis hospes eris, potuque ciboque verendus;
Sufficiet vestis non pretiosa tibi.
Non oneraris equis, phaleras nec poscis equorum,
Nec te seruorum copia magna premit.
Sufficiet vel sola domus, visusque patroni,
Eius & alloquio, consilioque frui.
Curia quid possit, quid speret plebs † vbi regni † al. vis.
Vires, vna domus sola docere potest.
Si deuelatam faciem monstrauerit, aut non
Perstringat visum cassibus ille tuum,
Quid sapiens stulto differt, quid paupere diues,
Quid misero felix? si sapis ecce vides.
G Si fuerit lætus, oculos auresque libenter
Exponet nugis forsitan ille tuis.
Sic igitur nugas sparges, ne tædia gignant
Quæ rebus lætis sunt inimica nimis.
Si iubet vt nugas agites, nugare decenter:
Nam sibi per nugas seria credet agi.
Vtilibus nugas, sic aptes seria ludis,
Vt tibi sit grauium nulla timenda manus.
Si iubet vt taceas, statua taciturnior esto,
Nec redimas signis verba negata tibi.
Cum satiatus erit, vel cum maiora vocabunt,
Ora conductus detur vt inde tibi.
Icitus, atque redi, ne quorum carpere nugas
Ausus es, infligant tela, necemque parent.
Vnum discedens secreta proser in aure,
Quicquid agant alij, tu memor esto tui.
Quæque caro fœnum, flos fœni, gloria carnis,
Hæc nihil est, nihilo quid minus esse potest.
Munera fortunæ, viscata puta vitiorum
H Semina, sunt scelerum pabula, mortis iter.
Sunt laquei, sunt insidiæ, sunt toxica mortis,
Quam non effugient, quos dea cæca colit.
Quod fortuna dedit, quod dabit est alienum,
Auferet hoc totum, cum volet illa tibi.
Retia pennatis nequeunt præmissa nocere,
Tu quæcunque vides, retia mentis habe.
Retia sunt quæcunque vides, hominemque ligatum
Ad miseram mortem per mala quæque trahunt.
Forsitan vnde tibi datur hæc audacia quæret,
Dices nil metuens, omnia tutus agit.
Omnia tutus agit, quem nec spes, nec timor angit
Cui mala nulla placent, omnia tutus agit.
Hispano rediens, aut Vasconis vtere lingua,
Sed tamen in verbo plus grauitatis habe.
Indue sic linguam, sic vestes indue gentis,
Salua sit vt morum regula, salua fides.
Pendeat ex humeris crux ænea, sit coma tetra,
Hispida cæsaries, barba recisa parum.

A Sitque grauis vultus, sint frons oculique pudici,
Insontesque manus, pauper amictus erit.
Dum tibi conductus fuerit, securior ibis,
Et via sit pedibus quælibet apta tuis.
At si defuerit, longas protende diætas,
Contineatque pedes publica strata tuos.
Nusquam diuertas, ne quis te lædat euntem,
Nugarumque luat garrula lingua notas.
Omnia, si nescis, loca sunt plenissima nugis,
Quarum tota cohors est inimica tibi.
Ecclesia nogæ regnant, & principis aula;
In claustro regnant, pontificisque domo.
In nugis clerus, in nugis militis vsus;
In nugis iuuenes, totaque turba senum.
Rusticus in nugis, in nugis sexus vterque;
Seruus & ingenuus, diues, egenus, in his
† al. tanto. Accelera gressus, † canto diplomate perges
Ad mare, quo † Morini littora nostra petunt,
B Hospitium tandem sera cum nocte subibis,
† .l. Morum. Vt valeas, esto sobrius, esto grauis.
Gens penetranda tibi, prælarga, bibaxque, loquaxque;
Et cui ni morem gesseris, hostis erit:
Emergunt lites modicæ, quas magna sequuntur
Iurgia, vulneribus fœta, necemque ferunt.
Sed quia virtutem gens diligit & veneratur,
Si bene credaris viuere, tutus eris.
Non modo tutus eris, sed summo dignus honore
Quæque libet fieri, cuncta licenter age.
Canna te felix genuit, te Cantia fouit;
Illustris regum, pontificumque parens.
Hic tibi debetur sedes, finisque laborum,
Illa tibi requiem præparat, illa domum.
Anglorum sedem primam pete, siue Britonum,
Si Britonum mauis dicere, nemo vetat.
Indignum, litem si tempus agit breue longam,
Digna quidem non sunt tempora longa breui.
Cum de re constat, non sit de nomine pugna,
C Ne foueat litem lana caprina diu.
Quicquid vis dicas, dum sit caput illa Britannis,
Quem tibi præsignat angelus arce micans.
Angelus iste quis est, aut quæ domus ista, requires;
Namque nouos rerum forma mouere solet.
Hæc est illa domus, quæ Christum prima recepit,
A qua suscepit insula tota fidem.
Insula tota fidem cepit, fideique parentem
Prædicat, extollit, audit, honorat, amat.
Consilij magni si nosti forte datorem,
Non erit ignotus angelus iste tibi.
Angelus è specula totum circumspicit orbem,
Et corpus pennis subuehit, atque tegit.
Sic videt e specula, sic protegit omnia pennis,
Vt ius non babeat hostis in orbe suo.
Hic tempestates prænuntiat, atque serenum;
Ventorum rabiem temperat, atque maris.
Ne quid obesse queat, non dormit nocte, dieque
Stat, quia subiectos vndique stare facit.
D Accedens propius, Christi properabis ad aulam
Vt veniam culpis promereare tuis.
Illic finiti soluentur vota laboris,
Hic lachrymas, gemitus, hic pia thura dabis.
Excipiet fratrum reducem te tota chorea:
Et laudes pro te sospite læta canet.
Quicquid habes quod eis placeat, largire libenter:
Quidlibet, vt fuerit vtile, cuique dabis.
Si potes Odoni studeas donare salutem:
Accipiatque Brito te veniente crucem.
Hic narrare tui tandem discrimina fati
Exactæque viæ prospera cuncta licet.
Quid sit ouis sub vulpe latens vulpesue sub agno,
† al. agat. Pelle leonina dic quid asellus † habet.
Quid leo dum seruit, quid agit dum regnat asellus,
Turturis in specie passeris acta canes.
Quid faciant pardi tumidi, leporesque fugaces,
Et spes conuersi quæ sit habenda lupi,
Quid repens testudo paret, scarabæus onustus,
Curque leui ventus grandis ab imbre cadat. E
Sed quia nemo potest cunctis virtute placere,
Sufficiat paucis te placuisse bonis.
Spernantur si forte tuæ sub iudice nugæ,
Non sit iniqua manus, aut tua lingua procax.
Libera donentur cunctis suffragia, teque
Iste bonum dicat, dicat & ille malum.
Si locus est liber, cur non sit libera lingua?
Nemo satis firmus, quem leuis aura mouet.
Quid facient enses, si te leuis aura cruentet?
Verba quidem non sunt verbera, verba times?
Linguarum strepitus solidam non transeat aurem,
Auris inepta nimis, quam sonus vrit iners.
Exercent alij linguas, tibi pareat auris;
Lingua quidem prodest, non tamen aure magis.
Illis in lingua mens est, tibi sit cor in aure.
Os patulum sit eis, auris aperta tibi.
Obice virtutis constringitur impetus oris,
Et linguæ stimulo mens male sana perit. F
Nemo nisi vanus falso lætatur honore,
Conscia mens culpæ, quam mala dicta mouent.
Frons adamante tibi sit durior, igne peracta
Sit cutis, à verbis ne notet ora rubor,
Plena pudore tamen, qualem decet illius esse,
Qui timeat vitij sordibus esse nota.
Alterius linguæ dic quis moderatur habenas?
Vix est, qui propriæ possit habere modum.
Lubrica sæpe cadit, quoniam versatur in vdo,
Sæpè cadens labem contrahit, atque notam.
Inter multiloquos, & grandia verba serentes,
Esto tardiloquus, estoque pauca loquens.
Dum linguas acuunt alij, tibi calleat auris,
Et sit Dulichio remige surda magis.
Nec tantum valeat temeraria lingua loquentis,
Pectoris vt possit rumpere claustra tui.
Si patiens fueris, nunquam tibi verba nocebunt,
Turbatorque tuæ nemo quietis erit.
Excutiet pacem, quam dat patientia, nullus. G
Sit licet exermis, cooperit armis tamen.
Vtantur linguis, tu viribus vtere mentis,
Si sapis, à linguis gloria magna venit.
Nam quæ sit doctrina viri, patientia monstrat,
Imbellique manu bella nefanda premit.
Quis feret armatum, quæ sola triumphat in armis?
Armatamque manum vincere sola † solet.
Vir patiens forti melior, minor esse triumphus † al. potest.
Vrbis, quam mentis dicitur, estque minor.
Sperne malos, venerare bonos, ignosce volenti
Lædere, nulla bonis vltio grata magis.
Nulla virum fortem vindicta magis decet ista,
Principibus semper debet adesse viris.
In quorum manibus lex si viget ignea; punit,
Dum miseret: fidos dum cupit esse facit.
Prouocat ad facinus, dum sæuit iniqua potestas,
Et sibi subiectos non sinit esse pios.
Nemo sciens illum lædit, quem credit amicum;
Regula fida nimis, quisquis amandus, amet, H
Hæc hominum disiuncta solet coniungere corda,
Ista potest hominem conciliare Deo.
Hac duce carpe viam, gradienti nemo nocebit.
Et poteris cunctas tutus inire manus.
Illa tamen metuenda manus, quæ tractat iniquas
Sordes, quam maculant æra colore suo.
Non quia polluitur & polluit, est fugienda:
Sed quoniam nummus toxica sæua gerit.
Toxica perpetuam paritura famemque sitimque,
Et miseram vitam, mortis & omne genus,
Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta;
Nec nummata queunt corda vacare libris.
Non est eiusdem nummosque librosque probare,
Persequiturque libros grex Epicure tuus.
Ignis auaritiæ cum fœnum carnis aduris,
Surgit, & æternum construit vsque focum.
Omnia cum possit manus omnipotentis, auaræ
Mentis egestatem non satiare potest.

A Non satiare potest manus omnipotentis auarum:
Dic mihi quis poterit, quod nequit illa manus?
Nonne satis miser est quem nec Deus ipse beare
Sufficit? vlterius quis miser esse potest?
Nummipetæ cum libricolis nequeunt simul esse:
Ambos, crede mihi, non capit vna domus.
Ergo caue miseros, nec ab his nisi tristia speres,
Nam miseri cultor, quis nisi stultus erit?
Est antiqua nimis, nimis est sententia vera,
Quam docuêre patres, Ennius atque Cato.
Tam quid habet, quam quo caret omni desit amico,
Occupet, † occumbat, res aliena tamen. († *al.* incumbat.)
Semper abundabit, qui rebus nouerit vti;
Et mens vtendi nescia semper eget.
Pauca potest diues, & plurima pauper habere;
Nescit egestatem diues, egenus opes.
Nullus amicus ei, qui multa cupit, nec amicus
Est sibi, cui nimium res aliena placet.
Si cupidus fuerit hostis, caueatur vt hostis,
B Si sit amicus, eo cautior esse stude.
Iurat, crede minus; non iurat, credere noli;
Iuret, non iuret, hostis ab hoste caue.
Et fugias, quos liuor edax fœlicibus hostes
Sic facit, vt virtus flectere nulla queat.
Muneribus fortasse tuis placabis auarum,
Lædere qoo cesset inuidus, esto miser.
Alterius misera gaudet mens inuida sorte,
Cunctaque vicina commoda, damna putat.
Et nisi festinus fugeres, te plura monerem,
Vix pateris dici pauca, vel ista tene.

IVSTVS LIPSIVS
Ad XII. Annal. Tacit.

In IOANNE SARESBERIENSI de nugis Curialium (in quo Centone multos pannos purpura agnosco, & fragmenta aui melioris) lego, &c.

C

PETRVS BLESENSIS EPIST. XXII. AD IOANNEM SARISBERIENSEM.

Librum vestrum de nugis Curialibus legi, & mirabiliter me refecit; nam & ibi optima forma eruditionis est, & propter artificiosam sententiarum varietatem, inæstimabilis materia voluptatis.

PROLOGVS IOANNIS Saresberiensis in Policraticum suum de nugis Curialium, & vestigiis Philosophorum.

IOCVNDISSIMVS *cum in multis, tum in eo
maximè est litterarum fructus, quod omnium in-
terstitiorum loci & temporis exclusa molestiâ, amicorum
sibi inuicem præsentiam exhibent, & res scitu dignas, scitu*
D *aboleri non patiuntur. Nam & artes perierant, euanuerant
iura, fidei & totius religionis officia quæque corruerant, ip-
seque recti defecerat vsus eloquij, nisi in remedium infirmi-
tatis humanæ, litterarum vsum mortalibus diuina misera-
tio procurasset. Exempla maiorum, quæ sunt incitamenta &
fomenta virtutis, nullum omnino erigerent aut seruarent, nisi
pia sollicitudo scriptorum, & triumphatrix inertiæ diligen-
tia, eadem ad posteros transmisisset. Siquidem vita breuis,
sensus hebes, negligentia torpor, inutilis occupatio, nos pau-
cula scire permittunt: & eadem iugiter excutit & auellit ab
animo fraudatrix scientiæ, inimica & infida semper memo-
riæ nouerca, obliuio. Quis enim Alexandros sciret aut Cæ-
sares, quis Stoicos, aut Peripateticos miraretur, nisi eos insi-
gnirent monumenta scriptorum? Quis Apostolorum & Pro-
phetarum amplexanda imitaretur vestigia, nisi eos posteri-
tati diuina littera consecrasset? Arcus triumphales tunc
proficiunt illustribus viris ad gloriam, cum ex quibus cau-
sis, & quorum sint impressa docet inscriptio. Liberatorem
patriæ, fundatorem quietis, tunc demum inspector agnoscit,
cum titulus triumphatorem, quem nostra Britannia genuit,* E
*indicat Constantinum. Nullus enim constanti vnquam glo-
ria claruit, nisi ex suo, vel scripto alieno. Eadem est asini, &
eo in suis Imperatoris post modicum tempus gloria; nisi qua-
tenus memoria alterutrius, scriptorum beneficio prorogatur.
Quot & quantos arbitraris fuisse Reges, de quibus sermo
nusquam est, aut cogitatio? Nihil ergo consiliosius est capta-
toribus gloriæ, quam litteratorum, & scribentium maximè
gratiam promereri. Inutiliter enim eis geruntur egregia,
perpetuis tenebris obducenda; nisi litterarum luce clares-
cant. Quicquid fauoris aut præconiorum aliunde contrahi-
tur, perinde est, ac si Echo quam audis in fabulis, plausus ex-
cipiat theatrales; desinit enim cum cœperit. Ad hæc in do-
lore solatium, recreatio in labore, in paupertate iocunditas,
modestia in diuitiis & deliciis, fidelissimè à litteris mutua-
tur. Nam à vitiis redimitur animus, & suaui, & mira qua-
dam, etiam in aduersis, iocunditate reficitur, cum ad legen-
dum vel scribendum vtilia, mentis intendit acumen. Nullam
in rebus humanis iocundiorem, aut vtiliorem occupationem
inuenies: nisi forte diuinitus compuncta deuotio orando diui-* F
*nis insistat colloquiis, aut corde per charitatē dilatato, Deum
mente concipiat, & magnalia eius apud se quasi quadā me-
ditationis manu pertractet. Experto crede, quia omnium mun-
di dulcia his collata exercitiis, amarescunt, eo quidem ma-
gis, quo cuique sensus integrior, & ratio incorrupta iudicij
purioris viget acumine. Noli ergo mirari, quare aliquem
gradum scalæ, quam nunc sola nonis ascensum, prout quanquam
monuisti, non ascendo. Quare maioribus me non ingero cu-
riis, cum tibi etiam Isocratis responsurus sum verbo: qui in-
terrogatus ab amicis, quare non in forensibus negotiis versa-
retur, respondit: Quæ locus hic callet, ego nescio; quæ ego cal-
leo, locus hic nescit. Ego enim contemno quæ illi aulici am-
biunt, & quæ ego ambio illi contemnunt. Mirare magis qua-
re non præcido, aut rumpo funem, si aliter solui non potest, qui
me in curialibus nugis tandiu tenuit, & tenet adhuc sæua
obnoxium seruitute. Iam enim annis fere duodecim nugatum
esse tædet, & pœnitet me longe aliter institutum, & quasi sa-*
cratioris Philosophiæ lactatum vberibus, ablactatumque de- G
*cuerat ad philosophantium transisse cœtum, quam ad collegia
nugatorum. Et te quidem sentio in eadem conditione versa-
ri, nisi quia rectior & prudentior, si facis quod expedit, stas
semper immotus in solido virtutis fundamento, nec agitaris
arundineâ leuitate, nec deliciarum sectaris mollia, sed ipsi,
quæ mundo imperat, imperas vanitati. Vnde cum tibi diuer-
sa prouincia congestis meritarum laudum præconiis, quasi
arcum erigant triumphalem: ego vir plebeius stridente fistu-
la inculti eloquij, librum hunc ad honorem tuum, velut lapil-
lum in acerno præconiorum tuorum conieci, sciens quia sicut
non habes vnde placeas ex venustate, sic ex deuotione scri-
bentis non poterit displicere. Nugas pro parte continet curia-
les, & his magis insistit quibus vrgetur magis. Pro parte au-
tem versatur in vestigiis Philosophorum; quid in singulis
fugiendum sit, aut sequendum relinquens arbitrio sapientis.
Et quia ne lædant aliquem, cum oportuit conueniri, in quo
nihil nugatorium possit argui: te virorum nostræ ætatis ele-
gantissimum decreui conuenire, & quæ videntur in mei si-
milibus arguenda describere. Sic enim cum ineptias suas
lector vel auditor agnoscet, illud ethicum reducet ad ani-* H
*mum, quia mutato nomine de se fabula narratur, præcipue
cum omnes nouerint quantis tu serietatibus iugiter occupe-
ris. Sic dum alios docet Seneca suum monet Lucillium. Ad
Oceanum & Pammachium scribit Hieronymus, & aliorum
plerumque castigat excessus. Quisquis autem blandientiæ
causatur ineptias, negotium cum tempore metiatur, & quod
sapientis est, ex causis dicendi dicta diiudicet. Si quid autem
cuipiam asperius sonat, non in se quicquam dictum nouerit,
sed in meipsum, & similes mei, qui mecum cupiunt emenda-
ri; aut in eos, qui collapsi in fata, omnem reprehensionem
æquanimiter ferunt. Noui enim quia nullis grauis percussus
Achilles: & præsens ætas corrigitur, dum præterita suis
meritis obiurgatur. Sic dum corrigat Horatius, etiam ser-
uis, vt Decembri libertate vtantur, indulget.*

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissis circum præcordia ludit.

Quæ vero ad rem pertinentia à diuersis autoribus se ani-

A *mo ingerebant, dum conferrent aut iuuarent, curaui inserere, tacitis interdum nominibus autorum, tum quia tibi, vtpote exercitato in litteris, pleraque plenissime nota esse nouerant; tum vt ad lectionem assiduã magis accenderetur ignarus. In quibus si quid à fide veri longius abest, mihi veniam deberi confido, qui non omnia, quæ hic scribuntur, vera esse promitto, sed siue vera, siue falsa sint, legentium vsibus inseruire. Neque enim adeo excors sum, vt pro vero adstruã, quia pennatis auibus quondam tostudo locuta est, aut quod rusticus vrbanum murem suo paupere tecto susceperit, & similia: sed quin hæc fragmenta nostra famulentur instructioni, non ambigo. Hæc quoque ipsa quibus plerumque vtor, aliena sunt, nisi quia quicquid vbique bene dictum est, facio meum, & illud nunc meis ad compendium, nunc ad fidem & autoritatem, alienis exprimo verbis. Et quia semel cœpi reuelare mentis arcana, arrogantiam meam plenius denudabo. Omnes ergo qui mihi in verbo aut opere philosophantes occurrunt, meos clientes esse arbitror, & quod maius est, mihi vendico* B *in seruitutem; adeo quidem vt in traditionibus suis seipsos pro me linguis obiiciant detractorum. Nam & illos laudo autores. Neque illum Alexandrum vidi, vel Cæsarem: nec Socratem, Zenonemue, Platonem aut Aristotelem disputantes audiui; de his tamen & aliis æquè ignotis, ad vtilitatem legentium retuli plurima. Credo tamen ne videar contentione gaudere, & me officiosis fateor vsum esse mendaciis, & si aliter amalus non quiescit, quoniam & ego meum Cornificium habeo & Lanuinum, me mendacij reum esse consentio, qui scriptum noui, quia omnis homo mendax; adeo quidem, vt nec vastum pectus, turgidus venter, tumida facies & rubicunda, lingua procax, insulsa & parattor mores corrodere alienos; quam corrigere suos, nostrum receperit Lanuinum. Quis ipse sit, nisi ab iniuriis temperet dicam, & plane cognoscet, quia inueteratum esse, plenam non confert nec integram seruat autoritatem. Procedat tamen & publicet, arguat meum ratione vel autoritate mendacium, & ego vel ad inimici vocem non refugiam emendari; imo & amicum † ducã,* [† al. dicam.] C *qui meum castigabit errorem. Si tamen & alicubi autorum aliter quam scripserim, inueniatur, non ideo constabit me esse mentitum, cum in stratagematicis historicos, qui frequenter ab inuicem dissident, sim secutus & in philosophicis academicè disputans, pro rationis modulo, quæ occurrebant, probabilia sectatus sum. Nec Academicorum erubesco professionem, qui in his quæ sunt dubitabilia sapienti, ab eorum vestigiis non recedo. Licet enim secta hæc tenebras rebus omnibus videatur inducere, nulla veritati examinandæ fidelior, & autore Cicerone, qui ad eam in senectute diuertit, nulla profectui familiarior est. In his ergo quæ impudenter de prouidentia, & fato, & libertate arbitrij, & similibus dicta sunt, me Academicum potius esse nouerit, quam eorum quæ dubia sunt, temerarium assertorem. Scripturarum quoque testimonia, ad commodum explanandæ sententiæ, quandoque vsus sum; ita tamen, vt nihil fidei, aut bonis moribus inueniatur aduersum, ac si sententias tam modernas, quam veteres, eadem incommutabilis veritas genuisset. Siquidem*

facies non omnibus vna,
Non diuersa tamen, qualem decet esse sororum.

D *Omnia verò tuo reseruantur examini, vt tibi maior & iustior corrigendi, quam mihi scribendi gloria debeatur. Inæqualitas autem voluminum, variis est occupationibus adscribenda, quibus in curia sic distractus sum, vt vix aliquid scribere quandoque licuerit. Dum tamen Tolosam cingitis, ista aggressus sum, & me curialibus nugis paulisper ademi, illud voluens in animo, quia otium sine literis mors est, & viui hominis sepultura. Si quis ignotos autores cum Lanuino calumniatur aut fictos, redimunt Platonis Africanum Ciceroni somniantem, & Philosophos Saturnalia exercentes, accuset, aut autorum nostrisque figmentis indulgeat, si publicæ seruiunt vtilitati. Præterea lectori, & auditori quanta possum deuotione supplico, vt me patri misericordiarum commendare dignentur in orationibus suis; & erratibus meis, qui multiplicati sunt super numerum, veniam studeant obtinere. Nam & ego spero me participem esse omnium timentium Dominum: & corde & voce vicissim pro indigentibus oro, vt actus & cogitationes nostras, omnipotens &* E *miserator Deus emundet; & ne vitiorum rapiamur erroribus, spiritu suo mentes nostras illustrare dignetur magni consilij angelus.*

LIBER PRIMVS

POLICRATICI
Ioannis Saresberiensis.

CAP. I.

Quid maxime noceat fortunatis.

INter omnia quæ viris solent obesse principibus, nihil perniciosius esse arbitror, quàm quod eis fortunæ blandientis illecebra aspectum subtrahit veritatis, dum diuitias suas & delicias congerit mundus, quibus deli- F cati sensus prurigine vicissim refouet, & accendit, vt animus multiplici lenociniorum fraude captus, quadam alienatione sui, ab interiore bono deficiens, per exteriora mendacia variis concupiscentiis euagetur. Nouerca siquidem virtutis prosperitas, beatulis suis sic applaudit, vt noceat: & infelici successu sic in via fortunatis obsequitur, vt in fine perniciem operetur, conuiuis suis ab initio propinans dulcia, & cum inebriati fuerint, letale virus miscet, & si quid deterius est: quo specie sui clarescit amplius, eo stupentibus oculis densiorem infundit caliginem. Inualescentibus ergo errorum tenebris, veritas euanescit, & virtutum radice succisa, seges germinat vitiorum, lumen rationis extinguitur, & totus homo casu miserabili fertur in præceps. Sic rationalis creatura brutescit, sic imago creatoris quadam morum † similitudine deformatur in bestiam, [† al. dissimilitudine.] sic à conditionis suæ dignitate degenerat homo, vanitati similis factus, eo quod ex honore collato intumuit, & G à tumore perdidit intellectum. Quis enim eo indignior qui sui ipsius contemnit habere notitiam? qui tempus, quod parca manu datum est ad mẽsuram in vsum vitæ, & solum reparari non potest, vsuraria quadam accessione & pœnali repetendum in vitæ dispendia prodigit, & in contumeliam autoris effundit? Quid eo brutius, qui ex defectu rationis, & impulsu libidinis, dimissis propriis, aliena negotia curat, & non modo negotiis, sed & alienis otiis iugiter occupatur? Quid eo bestialius, qui omisso officio, de media nocte surgit, vt sagacitate canum, venatorum industria, studio commilitonum, seruulorum fretus obsequio, temporis & famæ iactura, rerum laborisque dispendio, de nocte ad noctem pugnet ad bestias?

CAP. II.

Quid in studiis alienum.

H ALienum profectò est; quod ratio naturæ vel officij non inducit, si tamen interdum rectè dicitur alienum, quod rectius fuerat semper fuisse nullius. Quæ vero naturæ sunt, peræque sunt omnium, quæ officij, sua sunt singulorum. Aliud itaque ex officio, aliud ex natura: licet naturæ † vis ex officio debeatur. [† al. ius.] Parricidij siquidem species est, impugnare iura naturæ, & sacrilegij instar, parentis leges euacuare, & matri omnium honorem debitum non referre. Quod tamen ratio ex honestis causis admittit, non est simpliciter alienum. Si modesta forte iocunditas, vel vtilitas subest, & nemini noceatur, (hoc etenim non aduersatur officio vel naturæ;) sin autem impugnat alterutrum, statim est & simpliciter alienum, & vsquequaque non licet. Huius itaque contrectatio semper est, aut erroris aut criminis.

Cap. III.

Distributio officiorum, ex politica constitutione veterum.

PHilosophi gentium, iustitiam, quæ politica dicitur, præceptis & moribus informantes, cuius merito respublica hominum subsistet & viget, vnumquenque suis rebus & studiis voluerunt esse contentum, vrbanis & suburbanis, colonis quoque vel rusticis sua singulis loca & studia præscribentes. Sollicitudo singulorum & omnium vtilitati publicæ seruiebat. Naturæ, laboris, & industriæ fructum vnusquisque recipiebat ex merito. Nemo quod esset alterius vsurpabat, manente in omnibus indiuiduo charitatis affectu. Primus quidem & medius vrbis locus Areopago cessit, vnde ad singulas professiones, prout ratio cuiusque officii exigebat, dispositione congrua institutas, officiorum iura quasi quidam salutis & vitæ riuuli deriuarentur. Porro in his venandi ars vel officium vix permittitur accedere ad suburbanos; cum venatores vt agricolæ cæterique incolæ rurum, ab vrbibus nobiliorumque cœtu longius arceantur. Omnino enim iniquum est nobiliora ingenia studiis dehonestari minoribus, & eos, quos ardua & grauiora manent officia, voluptatis aut vanitatis occupationibus agitari. Vnde si licenter exerceatur venatio, artificium vel officium; si contra, leuitatem eam esse aut maleficium censuerunt, edicto punientes eos, qui eam contra officium vsurparent.

Cap. IV.

De venatica & autoribus & speciebus eius, & exercitio licito & illicito.

ET primi quidem Thebani, si fidem sequamur historiæ, eam communicandam omnibus statuerunt. Ex quo suspecta sit omnibus gens fœda parricidiis, incestibus detestanda, insignis fraude, nota periuriis, huius artificij, vel potius maleficii, in primis præcepta congessit, quæ postmodum ad gentem mollem imbellemque, leuem & impudicam (Phrygios loquor) transmitteret. Riserunt eos Athenienses & Lacedæmonij populi grauiores, historiarum gesta, naturæ morumque mysteria variis figmentorum inuolucris obtexentes; sic tamen vt ex cautela malorum vtilitatem inducerent, aut ex lepore poematis voluptatem. Io auras itaque raptum tradunt ab aquila, Dardanium venatorem ad pocula, à quibus ad illicitos & innaturales transiret amplexus. Eleganter vtique, cum & leuitas ferri possit ab alite, & voluptas sobrietatis ignara cuiuscunque libidini prostitui non erubescit. Dux Thebanus visa nuditate illius quam in siluis semper coluerat, cum ab errore pedem sui reuocaret affectus, sub humano sensu se in bestiam stupuit transformatum, ceruisque conformis, cum domesticos canes, voce & vultu oiteretur abigere, vitio prauæ consuetudinis, totius substantiæ suæ dispendio, eorundem morsibus patuis. Et forte Deum venatoribus præferunt, quia mollitie hac vel malitia Deos suos voluerunt infatuare, Apri dentibus extinctum Adonidem deflet Venus, habens semper cum venatione vel robusta commercium. Dum Maro Carthaginis altæ iocaretur hospitium, amantium vota conciliare nesciuit; nisi eis ab opportunitate venandi dilapsu comitum, siluarum latebras reseraret. Sic forte quia studium hoc à scientia turpitudinis odit lucem. sicut è contra legitimi amoris gaudia, solemnes lucis suæ præferunt tædas. Quem mihi dabis virorum illustrium, qui huic voluptati vehementer inhæserit?

> *Fixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi*
> *Placarit nemora*

victor Alcidas, non voluptati suæ, sed publicæ prospexit vtilitati. Aprum Calidoniæ vastauerit Meleager, non mulsit animum voluptate, sed hoste patriam liberauit. Fuderit author Romani generis ceruorum corpora, non vanæ voluptatis solatium, sed sibi & sociis quæsiuit suffragium vitæ. Opera singulorum ex euentu, & proposito colorantur, res quippe decora est, si honesta causa præcesserit. Quis tamen hominum canumque constrúxit exercitum, vt non tam sua, quam aliena virtute, cum bestiis dimicarent? Quid ni infelicem bestiolam lepusculum timidum tanto fortasse prædabitur apparatu. Si vero clariore præda, ceruo forte vel apro, venantium labor effulserit, fit plausus intolerabilis, exultant venatores, caput prædæ & solemnia quædam spolia triumphantibus præferuntur, Regem Cappadocum captum credas. Sic cornicines & tibicines videas victoriæ gloriam declarare. Illis mœstum indicit femina capta silentium; vel si forte præda nobilior, circumuenientium potius fraude, quam viribus prosternatur. Si capreolus, vel lepus ceciderit; triumphi gloria reputatur indignus. Præterea ab octauo gradu capricorni, vsque ad geminos, tibicinum & cornicinum exultatio conquiescit; nisi lupus aut hostis immanior, leo forte, vel tigris, aut pardus in prædam venerit, quæ quidem nostratum, Deo propitiante, rara gloria est, cum tamen totius anni prolixitas variis venantium studiis occupetur. Albani quidem in Asia canes habent leonibus fortiores; eos virtute canum, & suæ gentis artificio, quasi imbelles bestiolas populantur. Canibus quidem illis nulla ferarum fortior, nulla animosior est. Hos Hercules tergemino Gerione victo, ab Italia traiecit in Asiam, eis virtutem qua leones sternerent, quasi hereditariam derelinquens. Ad hæc carnificium eorum artem facit, suum habet opificem.

Chironomanta volanti Cultello,

nunc pugione stricto, nunc hebetata machæra mirabilis, si te casu solemniis eorum contigerit interesse. Caue tamen ne Martem loquendi verbo quouis offendas; quia aut vapulabis, aut condemnaberis inscitiæ bonorum omnium, si eorum figmenta non noueris. Hæc sunt temporibus nostris liberalia nobilium studia, hæc sunt prima elementa virtutis, hæc via felices ad beatitudinis cumulum, compendioso perducit tramite, quo maiores nostri non nisi laboriosæ virtutis gradibus docuerant ascendendum. Æmilianos & Ligures Galli derident, dicentes eos testamenta conficere, viciniam conuocare, armorum implorare præsidia, si finibus eorum testudo immineat, quam oporteat oppugnari. Quod ex eo compositur, quod eos nunquam cuiuscunque certaminis casus inuenit imparatos.

Nostri v. quomodo ludibrij notas effugiunt, cum maiori tumultu & ægriori sollicitudine, & ampliori sumptu, solemne bellum credant bestiis indicendum: Eas tamen mitius prosequuntur, cum quibus humanum genus iustas, earum exigente, malitia, exercet inimicitias. Lupus, vulpes, vrsus, & quæcunque fera ocior est, in aliarum quiescit occasum, & solitam exercere malitiam, in venatorum facie non veretur. Fertur Hannibal occidisse Romanum, qui mandato eius, singulari certamine percusserat elephantem, dicens eum indignum vita, qui cogi potuerat cum bestiis dimicare. Licet veritos sit eum ex inuidia noluisse captiuum inauditi triumphi gloria illustrari, & infamari bestias, quarum virtute gentibus terrorem incusserat. Quomodo ergo dignus est vita, qui nihil aliud nouit in vita, nisi vanitatis studio sæuire in bestiis? Quos vero species illa venationis oblectat, vt aues auibus insequantur, si tamen hoc genus aucupij venationi censeas annectendum, mitiori quidem vexantur infamia, sed non impari leuitate. Venatica tam terrestris quam aërea quanto solidior, tanto fructuosior est. Autorem occupationis suæ ab antiquis historiis Vlyssem proferunt, qui primus excisa Troia armatas aues attulit Græciæ, quas suaui quadam & grata admiratione videntium, in cognati generis exitium animauit. Isti quidem magno se tuentur iudice, &

A

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes,

cuius prouidentia nullis potuit insidiis supplantari, cuius tendiculas nemo hostium indemnis euasit, cuius denique inermis militia vlterius promouit Græcorum gloriam, quam mille ratium armata multitudo. Sed & ipse huius exercitij Circem laudat autorem, quæ carminibus & poculis humanas mentes dicitur immutasse, eo quod arte verborum, & rerum gratia alliceret mentes hominum, & suæ voluntati conformes in vsus quoslibet transformaret. Græcis itaque propinata sunt suspectæ venena voluptatis; sed ea cum prudens gustasset Ithacus, noluit bibere, ne sub domina meretrice turpis & excors viuere cogeretur. Verum quia sapientia rerum omnium nouit vsum, prouidit vir circumspectus, finitis laboribus & erroribus, cum eum pudica Penelope, & affectus Telemachi non agnosceret reuerentem, quomodo damna sociorum, quos tanti exilij dispendium tulerat, Græciæ compensaret. Admiranda fuerat fides canis, cui soli in tanta familia, nec viginti annorum curricula, memoriam domini, quin redeunti

B

applauderet, abstulerunt, nisi de eius laude, canibus venatorum gratia vlterius resultaret. Noui tamen studij Telemachum suum viuere præcepti expertem, illis solis dicens allata esse nouæ voluptatis solatia, qui amissis parentibus Troiani belli damna sentirent. Vnde & artem infructuosam esse coniicio, quam ab vnico filio tantus vir studuit sequestrare. Quod vel ex eo mecum conuicies, quod deterior sexus in auium venatione potior est. In quo poteras naturam arguere, nisi nosses quia deteriora semper prouiora sunt ad rapinam. Inanis etenim est & admodum laboriosa, & quæ damna sumptuum, nunquam successuum vtilitate compenset. Licet plurimi venationem exerceant, vt sub eo prætextu sumptus faciant parciores, domi rarius, sæpius in mensa aliena, multitudinem vitant, dum siluas, saltus, lacusque circumeunt, pannis induti vilioribus,

C

frugalioribus contenti cibis, dum consortes & famulus, quos macerat ieiuniorum media, & tormenta nuditatis affligunt, quosque labor immoderatus exhaurit, voluptatis aut potius vanitatis imagine consolentur. Eo denique tempore primum captiuantur Athenæ, quo interdictæ venationis edictum censuerunt esse soluendum, & artem vtriusque venationis cum exercitio publice admittendam. Fertur vates Mantuanus interrogasse Marcellum, cum depopulationi auium vehementius operam daret, an autem mallet institui in capturam auium, an muscam conformari in exterminationem muscarum. Cum vero quæstionem ad auunculum retulisset Augustum, consilio eius prælegit vt fieret musca, quæ ab Neapoli muscas abigeret, & ciuitatem à peste insanabili liberaret. Optio quidem impleta est; vnde liquet priuatæ voluptati cuiusuis præferendam esse multorum vtilitatem. In semiuiri Chironis antro (si Græcis per omnia creditur) est institutus

D

Achilles lyræ modis & citharæ, & inde traductus ad siluas in strage ferarum, cædibus & fœdo victui assuescens, reuerentiam naturæ timoremque mortis abiecit. Quid quod Bacchus eundem habuit nutritorem? Nempe qui his studiis aut desidiis insultant, semiferi sunt, & abiecta potiore humanitatis parte, ratione morum prodigiis conformantur, à leuitate siquidem ad lasciuiam, à lasciuis ad voluptatem, & cum indurerint, ad flagitia & quæuis illicita pertrabuntur. Quæruntur otia post labores, fomes hilaritatis gratior est, si dura præcesserint, reficiuntur auidius quæ exinanita fuerint plurimum. Venatores omnes adhuc institutionem redolent Centaurorum. Raro inuenitur quisquam eorum modestus aut grauis, raro continens, &, vt credo, sobrius nunquam. Domi quippe Chironis habuerunt, vnde hæc discerent. Caueri namque iubentur conuiuis Centaurorum, à quibus sine cicatrice nemo reuertitur. Quod si historiis, quas suis poëtæ decolorauere figmentis, fides subtrahitur: illi vtique credi necesse est, quæ ex eo

E

quod scripta est Dei digito, irrefragabilem apud omnes gentes sortita est autoritatem. Primus ergo potitur Nemroth robustus venator contra Dominum. Eum reprobum fuisse non ambigis, quem omnium doctorum turba condemnat. Traditur hic in tantam elationis erupisse vecordiam, vt non vereretur iura temerare naturæ, cum consortes conditionis, & generis, quos ingenuos illa creauerat, hic addiceret seruituti. Tyrannidis ergo fastigium in contumeliam creatoris à venatore incipiens, alium non inuenit autorem, quam eum qui in cæde ferarum, & volutabro sanguinis, Domini contemptum didicisset. Cœpit enim potens esse in terra. Sic namque scriptum est: Eo quod non expectauerit, vt acciperet à Domino potestatem. Principium regni eius Babylon, dilatatusque est in terram Sennaar, vbi cum tota terra esset vnius labij, eorundemque sermonum, in cœlum erecta est turris Babel, habens lateres pro lapidibus, bitumen pro cæmento, non habens in fundamento petram; cuius singulari soliditate structa,

F

omnis ædificatio in Domino conualescit. At improba temeritas ab vnitate præcisa, linguarum succidit vnitatem, & prima confusionem meruit; quæ in se quam in Deo maluit gloriari. Exiuit ab hoc prouerbium, Quasi Nemroth robustus venator coram Domino, forte quia tantæ elationis in se extitit, vt nec recentis pœna diluuij posset instrui, quin in locis Domini superbiret, & obsequium quod ab homine domino debetur, sibi contumaciter vsurparet; cum constet quod confusionem linguarum diluuium antecessit. Babylon quidem calice aureo vniuersam carnem inebriat, & aduersus Hierusalem, quæ sursum est, castra * construit procul dubio peritura, quibus quisquis malitiam præstat, perpetua sanctorum maledictione damnatur. Esau quoque venationem exercuit, & benedictione paterna meruit defraudari. In siluis collegit esuriem, vt immoderato æstu lenticulam concupiscens, prærogatiuam primogenitorum exiguo pretio & vili distraheret: & iugum seruitutis hæreditariæ transmisit in posteros, vt ditioni minoris, qui domi degebat, colla supponerent. Fruti-

* al. constituit.

G

cantibus pilis horrebant manus, nec enim leuis esse poterat tactu, siluestris moribus, cultumque vestis pretiosæ domi reliquerat, qui assiduo venatu virtutis abiecerat indumentum. Fraternum sanguinem sitiebat, & se ab eo, quem sibi diuina gratia de paterna benedictione prælatum nouerat, placatus ante muneribus non est veritus adorari. Venationis aëreæ autorem iactitant fuisse Machabeum, qui maioribus occupatus, huius voluptatis, vt creditur, vitam duxit exortem. Egregie siquidem bella gessit, fratribus restituit libertatem, leges erexit, ceremonias innouauit, mundauit sancta, templi faciem, vnde sibi credebat prouenisse victoriam, coronis aureis decorauit, nullosque illius in actus surrepsit.

Partemque tulit sibi nata voluptas.

Postremo pro salute fratrum fusus in acie, germanos legitimi belli reliquit hæredes. Ab ætate prima

H

cui rationis lege natura præscripserat, inspice Patriarchas, data lege transi ad duces, procede ad iudices, ad reges progredere, percurre seriem prophetarum, fidelis populi officia & studia perscrutare, quos in serie veteris instrumenti legis exercuisse venaticam? Nempe Idumæos, & Ismaëlitas, & gentes quæ Dominum nesciebant. Vbi sunt (inquit Propheta, aut si mauis dum tamen in spiritu, notarius prophetæ) qui in auibus cœli ludunt? Ac si tacita subiectione pronuntiet eos, quorum vita iocus est, suis euanuisse cum auibus, eosque subiecta pronuntiatione ad inferos descendisse commemorat. Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi, maiores tuos, & dicent se nusquam sanctum legisse venatorem. Quod si nomini venatorum de prophetica promissione blandiaris, qua se venatores missurum Dominus pollicetur, qui de vmbrosis & excelsis venentur erroneos, bestialium vitam noueris increpari, non commendari

venantium

A venanrium vanitatem. Nec te Placidus vel Eustachius martyr quidem insignis, quem de pia non tamen canonica scriptura venantem asseris à Domino visitatum, nimis demulceat; nisi forte persecutorum Ecclesiæ rabiem laudas, eo quod inde ad Apostolatum vocatus est Paulus, & inter alios factus egregius Euangelij prædicator. Sed fuerint viri illustres, Alexandri forte, vel Cæsares venatui dediti; nunquid philosophi, aut aliqoi sapientes in populo? Nunquid Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca, Soranus, aut qui totius non vrbis, sed orbis euacuit miracula, omnium in se admirationem sapientia & virtute conuertens, Archita Tarentinus? Vt redeamus ad nostros, qui & veritate doctrinæ, virtutis exemplo, & fidei autoritate præcellunt, quos Augustinos, Hieronymos, Laurentios, Vincentios, quos denique de toto cœtu patrum venationis huius agitauit insania? Nostrorum quoque temporum luctuosis instruimur exemplis, ab huiusmodi inquietudine temperare, B cum proceres nostros inter venandum veris variisque miraculis, indignatio diuina percusserit, bestialemque sæpe inuenerint exitum vitæ, qui dum licuit bestialiter vixerant. Regibus quoque ipsis manus domini non pepercit, & in malitiam eorum condignam & gloriosam exercuit vltionem. Non equidem eorum nomina, vel exempla ex inopia reticentur, nisi ex ea forte quam parit copia, sed ne mentes lugentium adhuc immoderato dolore sauciatas, recentium refricatione vulnerum, grauius vulneremus. Domestica namque sunt exempla quam plurimis. In tantam vero quidam huius vanitatis instinctu erupere vesaniam, vt hostes naturæ fierent, conditionis suæ immemores, diuini iudicij contemptores, dum in vindictam ferarum, imaginem Dei exquisitis suppliciis subiugarent. Nec veriti sunt hominem pro bestiola perdere, quem vnigenitus Dei redemit sanguine suo. Quæ feræ naturæ sunt, & de iure occupantium fiunt, sibi audet humana temeritas inspiciente Domino vendicare, & idem iuris in omnibus vbicunque sint statuit, ac si claustri sui inda- C gine vniuersa cinxisset. Quodque magis mirere, pedicas parare auibus, laqueos texere, allicere modis, vel fistula, aut quibuscunque insidiis supplantare, ex edicto sæpe fit criminis, & vel proscriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur salutisque dispendio. Volucres cœli & pisces maris communes esse audieras, sed hæc fisci sunt, quas venatica exigit vbicunque volant. Manum contine, istarum abstine, ne & tu in pœnam læsæ maiestatis, venantibus cadas in prædam. A noualibus suis arcentur agricolæ, dum feræ habeant vagandi libertatem. Illis vt pascua augeantur, prædia subtrahuntur agricolis sationalia, insitiua colonis cum pascua armentariis & gregariis, aluearia à floralibus excluduntur, ipsis quoque apibus vix naturali libertate vti permissum est. Deus bone, quod œstrum, & cæteras pestes, quæ non feras, sed delicias potentum exagitant, toto potentatu suo non possunt abigere, cum & culex in vltionem hominis armatus, acrimoniæ suæ aculeos in feras recte exerceat. Sic si hic fueris, in an- D nos cogeris fata redimere vel amittere. Elige vtrum mauis de æquissimo iure Quiritum, rerum vel salutis vtrobique dispendium imminet. Si venatorum quispiam pertranseat fines tuos, ei quæ domi habes, incunctanter & reuerenter expone, quodque domi non est, & habet vicinus, in vsus illius eme, ne ex edicti licentia tua auferat vel inuito, & de irreuerentia & contemptu cogaris in centuria aut foro præsidis vel proconsulis aut fortasse in consilio, læsæ maiestatis reddere rationem. Protenditur etenim patrimonium fisci, dum de alieno quacunque ratione familia sumptum facit. Verum ne venaticam & alias curialium nugas, non tam iudicio quam odio stilus persequi videatur, eam indifferentibus connumerandam facile libensque consentio; nisi quia in moderato voluptatis incursu, virilem animum concutit, & fundamentum subuertit rationis. Non tamen ob hoc erit vsquequaque culpabilis, cum & vinum, quod inebriat, subuersionis culpam

E retorqueat in bibentem, & senex sæpe non tam ætatis, quam suo vitio, sensum proferat puerilem. Potest igitur venatica esse vtilis & honesta; sed ex loco, tempore, modo, persona, & causa. Persona namque venustat studium, dum suo insistit officio & non præripit alienum. Nec est quod quemquam magis deceat, quam quod officio cuiusque magis accommodum est. Præclare siquidem ait Ethnicus, singularum personarum decora describens: Id vnumquemque decet maxime, quod est cuiusque maxime. Quid ergo mihi & tibi cum venatoris professione? Sua namque neglecta turpissimum est, quemque studiosius in aliena versari. Quid ei cum priuato & rusticano fortasse studio, qui publicæ autoritatis insignibus fulget? Ducem sequatur populus, doctor seminet disciplinam, iudex coerceat delinquentes, studiosos remuneret indulgentia potestatis priuati minoribus occupentur, honestioribus ingenui, vilioribus seruilis conditio mancipetur;

F *Nam quod turpe bonis Seio Titioque, decebit Crispinum,*

Sic vtique cum multa sint eiusdem corporis membra, non omnia eidem actui seruiunt, sed sua sunt officia singulorum. Qui ergo tu ...m venatori non credis, cur illius vsurpas officium? Nonne reputabis indi..num, si ad regnum vel ad pontificium venator aspiret? Equidem indignius est, si ab alterutro fastigio ad venatoris carnificium vel sordes prolabaris. Innatus etenim amor boni semper quærit ascensum; è contra fomes vitij sponte sua vergit ad casum. Causa quoque actum poterit decorare, si aut necessitate subsistat, aut vigeat vtilitate, aut honestate splendescat, cum ex affectu mentis, tota valeat substantia operis colorari. Affectus etenim tuus (vt ait sapiens) operi tuo nomen imponit. Inculpabiliter ex sancti patris mandato venatum profectus est Esau, vt & patris satiaret esuriem, G & promissam benedictionem impensi merito obsequij obtineret. Si enim sine culpa exerceri non posset, nequaquam tantus Patriarcha ad opus illius misisset filium, quem benedictionis gratia in caput gentium constituere disponebat. Sed forte mora traxit ad se periculum, quia diutius licito, in opere tamen licito, ex praua consuetudine & immoderato amore morabatur. Nulla tamen versatur in culpa, qui vrgente stimulo necessitatis, non reprobati studij exercitio vitam cogitur exhibere. Qui otij inertiam vitant, qui gerendis negotiis disponunt membra, dum laboribu. assuescunt, qui vitiosam corporis fugiunt molem, seruata in omnibus dignitate personæ, iustæ reprehensionis non patiuntur aculeos. Opus enim non ex se, sed ex causa fit crimen. Nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet: nouerca siquidem virtutis est. Non illam dico quam parit pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudiū in Spiritu sancto, sed quæ amica epulis, potationibus, conuiuiis modulationibus, & ludis, cultibus ope- H rosius exquisitis, stupris & variis immunditiis, animos etiam grauiores effœminant, & quodam naturæ ludibrio molliores & corruptiores facit esse viros quam fœminas. Tempus quoque venandi culpam extenuat actumve commendat. Sit autem hic tempus vt in locis quam pluribus inuenitur, ex eo oportunitas gerendorum. Fit ergo intempestiua venatio, vel ex religionis cultu, vel ex natura rerum, vel ex debito officij, quod vel prætermitti, vel aliis occupationibus postponi non debet. Sed de his hactenus, quia non venaticam tradere, sed de curialium nugis nugari propositum est. Loci quoque ratio habenda est, scilicet vt in suo vel communi vel publico licita exerceatur venatio, dum tamen consortibus non irrogetur iniuria, & locus celebritate sui aut reuerentia ab his inquietationibus non eximatur. Qui enim in aliena temeraria vsurpatione irruit, laqueis iuris tenetur ad pœnam. Is vero modus laudabilis est, cum moderatione adhibita prudenter, & si fieri potest, vtiliter exer-

A cetur, vt mandato Comici acquiescas, ne quid nimis. Nam &

Insani sapiens nomen feret, aequus iniqui,
Vltra quam satis est virtutem si petet ipsam.

Nihil autem turpius est, quam in risum contuentium ora laxare, dum non discendi proposito, vehementius insistis arti, quam nescias, vt si linguam quam non noueris, facetus attentes. Sunt vero personæ, quæ non modo ab hoc, sed ab aliis quibusdam, vtpote leuioribus & voluptuosis studiis, in perpetuum summouentur, vt in sacris ordinibus constituti & qui gerunt amplissimos magistratus. Quod enim in aliis futurum erat leuioris culpæ, hoc in istis sæpe fit criminis. Et quidem semper maiora sunt quæ celebratos contractus rescindunt, quam quæ impediunt contrahendos. Porro de virtute, & veritate canonum, venatica clientulis suis non modo claudit ascensum, sed sum-
B mi sacerdotij gradum adimit, iam adeptum. Præclare illud vt multa fertur dixisse Themistocles: Magistratus à ludis & quibuscunque leuioribus esse arcendos, ne respublica ludere videatur, defectum sui, relicta grauitate, pronunciet. Si tamen maioribus, quod quidem rarum est, eos occupari cum contigerit, in annis adolescentiæ, ex dispensatione ætatis permittuntur aliquid subtrahere grauitati, & in se clementiores esse, quod maturitatis processu, reipublicæ vtilitati compenset. Hæc ille: & vtinam audiretur à nostris, vt saltem in prouectiori ætate nugis suis reipublicæ corpus roboris sui integritate vigebit, tunc optimæ compositionis specie venustabitur, & elegantis pulchritudine decorum induet, si singula locum teneant sortita decenter, si fuerint officiorum non confusio, sed distributio. Hoc ita si optimam viuendi ducem naturam sequimur. Sed nunc quod medicorum est, promittunt fabri, medici fabrilia tractant; & officium præsidendi à venatoribus & humilioribus officiis aut
C etiam maleficiis mutuatur; & priuatorum temeritas sut disciplinæ ignorantia, se audet publicis officiis immiscere.

Cap. V.

De alea, & vsu, & abusu illius.

Sed ecce dum venatorem tumultus egreditur, aliæ etsi taciturniores perstrepunt nugæ. Tritum siquidem prouerbium est, qui lepores agitat, verba consumit. At si alios diligentius intueris, consumunt & vitam, quæ in ineptiis & factionibus aut flagitiis tota versatur. Nonne tibi videtur aleator ineptus, qui tesserarum non tam viuit, quam perit ex gratia, & omnem iactum sortis suæ præsulem facit? est ne ars accommoda rationi, cuius quanto quisque studentior, tanto erit studiosior? Atbalus Asiaticus, si gentilium historiis creditur, hanc ludendi lasciuiam dicitur inuenis-
D se, ab exercitio numerorum paululum deflexa materia. Cum enim antiquiores illud exercitium dumtaxat approbarent, quod ad inuestigationem veri disciplinasque liberales proficeret, vel recte viuendi instrueret vsum, hic subtili quidem, licet infructuosa inuentione, veteris exercitij duritiam non temperauit, sed emolliuit, multis adhuc in pristina manentibus grauitate. A manibus namque Græcorum abacus nondum excidit, aut ratio calculandi, aut ludus in quo plene vicisse est, ad denuntiatum calculum, in campis aduersarij constituisse perfectam & maximam harmoniam. Cum vero in eisdem harmonica Arithmetica, vel Geometrica trium terminorum medietate exultat, semiplena victoria est. Quæuis alearum, etsi contingant citra triumphi gloriam, aut ludentis felicitatem, aut artis peritiam protestantur. Iocundum quidem & fructuosum est, numerorum nosse certamina, qui deprecationi inueniantur obnoxij, & qua ratione in castris sine alij tutiores, omnium periculorum ignari, nisi for-

E te circumuenti ab hostibus captiuentur. Huius voluptate certaminis, Ptolomæum, Alexandrum, Cæsarem, Catonem, ipsum quoque Samium grauiores operas legimus temperasse, quo etiam inter ludendum id agerent, vnde essent Philosophicis negotiis aptiores. Alea vero exciso regno Asiæ, inter manubias euersæ vrbis non sub vna tantum specie, migrauit ad Græcos. Hinc tessera, calculus, tabula, vrio vel dardana pugna, tricolus, senio, monarchus, orbiculi, taliorchus, vulpes, quorum artem vtilius est dediscere quam docere. Quis enim non erubescat, si sortis suæ gratiam, non virtuti debeat, sed taxillis? Quis fritilli cautelam suæ prudentiæ non doleat anteferri? Nonne satis improbata est cuiusque artis exercitatio, qua quanto quisque doctior, tanto nequior? Aleator quidem omnis hic est. Mendaciorum siquidem & periuriorum mater est alea, & aliens concupiscentia sua prodigit & nullam habens patrimonij reuerentiam cum illud effuderit, sensim in furta delabitur & rapinas. Il-
F lam vero nonnulli præferunt, in qua Vlysses lusisse legitur, eo quod ingenij aliquatenus multa meditatione excitare videatur acumen. Sed ex eo mihi videtur perditior, cum nihil infelicius sit, quam in eo, in quo minimum proficias, plurimum laborare. Est enim inutilis importunitas deprecantis, qua inutilia adquiruntur, & quærendi inanis est diligentia, cum inuenisse non proderit. Posset itaque motus animi, & mentis agitatio, quæ tibi frustra distrahitur, rebus pulchrioribus, & melioribus accommodari. Aleam vero à regione morum illius autoritas prorsus exterminat, qui vniuersum orbem docens in filio, eam denuntiat omnibus fugiendam. Ab ea siquidem armantur ad lites homines, incurrunt inimicitias, in miseram etsi non miserabilem incidunt egestatem. Si denuntiationis quæris autorem, illum agnosce, qui

Non sibi, sed toti genitum se credidit orbi.

G Est tamen cum in aliqua specie sui licenter admittitur, si absque vitio curarum grauium pondus alleuiet, & sine virtutis dispendio iocundam interpolationem afferat gaudiorum. Omnis vero licentia moderationis suffragio conualescit, & solidæ virtutis vsus ab intemperantia deformatur. Totius vero licentiæ moderatrix est loci, temporis, modi personæ, & causæ præmissa inspectio, quæ omnium negotiorum faciem decora venustate commendat, aut turpitudinis condemnat opprobrio. Est ergo in singulis plurimum habenda ratio personarum, cum natura, conditio, fortuna, suis singulæ hominem induant personis, ex quibus quid se deceat, vniuscuiusque erit colligere. Decorum siquidem aliunde non prouenit. Chilon Lacedæmonius iungendæ societatis causa missus Corinthum, duces & seniores populi ludentes inuenit in alea. Infecto itaque negotio reuersus est, dicens se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus constructo Byzantio clarescebat, hac maculare infamia, vt dicerentur cum aleatoribus con-
H traxisse societatem. Regi quoque Demetrio in opprobrium puerilis leuitatis, tali aurei à rege Parthorum dati sunt. Eo siquidem munere exhonoranda visa est adolescentia senilis, * & quæ in maiestate regni * al. eo quod in
leuia committere minime verebatur. Nunc vero nobilium in eo sapientia declaratur, si venaticam nouerint, si in alea damnabilius fuerint instituti, si naturæ robur effœminatæ vocis articulis fregerint, si modis & musicis instrumentis, virtutis immemores obliuiscantur quod nati sunt. Verum à parentibus hæc pernicies manat ad liberos. Quid enim faciet filius, nisi quod patrem viderit facientem?

Si damnosa senem iuuat alea, ludit & heres
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo.

Fuerat quidem tenerior ætas à libidinibus & voluptate, parente vitiorum, arcenda propensius; & ne quid licentius illis præceptoribus à maioribus fieret, diligentius præcauendum, quia, vt idem ait Satyricus,

* Vorsius

A * *Fortius & citius nos*
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos autoribus.

* al. velocius.

Egregie quidem Eleazarus cum redimendæ vitæ causa sollicitaretur committere in legem Domini, exempli periculum opposuit, dicens: Quis ego sum Eleazarus nonaginta annorum, vt transeam ad vitam alienigenarum, & iuuenes religiosos seducam? Nascuntur ergo maioribus hæredes quidem degeneres, & qui virilem sexum muliebri mollitie dedeocstant.

CAP. VI.

De musica, & instrumentis, & modis, & fructu eorum.

NOn tamen curialium nugis musicam calumnietur aliquis sociatam, licet se beneficio eius
B concentur nugatorum plurimi commendare. Disciplina quidem liberalis est, & siue Pytagoram, siue Moysen, siue Tubal patrem canentium in cythara, editionis suæ laudat autorem, ingenuum habet ortum, & virtutis suæ potentia, specierumque varietate, & sibi famulantibus numeris vniuersa complectitur, omnium quæ sunt & quæ dicuntur, dissidentem & dissonam multitudinem, proportionum suarum, id est, inæquali quadam æquitatis lege concilians. Hac etenim cœlestia temperantur, mundana siue humana reguntur: hæc instrumenta mores instruunt & informant, ipsiusque vocis articulatæ vel inarticulatæ substantiam miro quodam naturæ opificio, melius picturis rithmorum metrorumque coloribus vestiunt, & quadam cultus venustate perornant. Hanc, vt suffragio commendationis nostræ non egeat, sancti patres multis laudum præconiis extulerunt. Denique in eius virtute maligni spiritus violentia cohibetur, & illius etiam in subditis suis
C minuit musicæ gratia potestatem. Cum enim spiritus malus Saulem inuasisset, psallebat Dauid in cythara in manu sua, donec spiritus à regis infestatione quiesceret. Vt vero nondum reuelettur spiritus qui latet in litera, æquissimum est animam cognati generis gratia mansuescere, & omnem dediscere alienationem, cum ei proprie concentus originis, & naturæ melioris arcana resultant. Eam ex consonantiis musicis esse compositam, quam plurimorum opinio vel sententia est. Totius enim Philosophiæ princeps Plato, (si tamen Aristotelici acquiescunt) cum eam ex substantia diuidua & indiuidua finxisset, & eadem natura psalmaret & diuersa, ipsam non posse constare credidit, nisi limitum, qui vtrinque multifaria sectione ab vnitate profluxerant, Dissidentiam, emioliis * epitritis & epogdois vniret. Limatis & commatis habita ratione, vt sub expressione paucorum, ei quantacunque distantia repugnantium concordia, cognati generis societate doceatur esse finitima. Vnde arcano quodam mea-

* al. epidis & epogdois.

D tu naturæ, secretisque cuniculis viuacitatis suæ vigore per vniuersa discurrit, & cuiuis naturæ substantiæque conformis, rationis, sensus, vitæ in singulis pro diuinæ dispensationis decreto efficaciam modolatur. Omnibus itaque alimenta dispensat, & sui puritate viget in singulis, nisi molis corporeæ grauitate prematur, aut tranquillitatem spiritus, exteriorum tumultuum spiritus concutiat. Qua irruente, quid potest esse salobrius, quam si, vt ita dicam, suis naturæ vocibus à compressione turbarum ad se ipsam anima reuocetur? Quid denique nostrorum spiritui potest esse similius voce, quæ cum hic formetur, tam facili, quam inuisibili & ineffabili transitu multorum circumquaque replet auditum, & vi sua corporum integram penetrat densitatem, & quasi tactu quodam mouet animum, & pro arbitrio suo nunc deiicit, nunc extollit. Certe, etsi nulla ratione sit spiritus, eam quoddam vehiculum spiritus esse certissimum est. Et nunc quidem humanum, nunc diuinum, nunc

E & pythonicum gerit. Cum vero modis suis elegantius fuerit colorata, venustate sui mentes etiam seueriores capit, & quadam inductæ hilaritatis gratia pellit tristitiam: & si quid pulueris, aut turbinis, aut nebularum cogitationibus ipsis inhæserat, potenter abstergit. Ad mores itaque instruendos & animos exultatione virtutis traiiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum, sed & instrumentorum modos censuerunt Sancti Patres domino applicandos, cum templi reuerentiam dilatarent. Et si militantis Ecclesiæ tibi parua videtur autoritas, vel triumphatrix illa præconia musicæ non tacebit, cuius seniores vidit, & tibi monstrabit tonitroi filius, & voces eorum sicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis suis. Quod si illos nondum audisti, regem audias exultantem, qui te regni & exultationis suæ vult esse participem. Ait enim: Sumite Psalmum, date tympanum, psalterium iocundum cum cythara. Ad quid, inquis? Vt laudetis Domi-
F num in tympano & choro, in chordis & organo. Hic est enim vsus Musicæ aut solus, aut præcipuus. Phrygius vero modus, & cætera corruptionis lenocinia, sanæ institutionis non habent vsum, sed produnt malitiam abutentis. Dolet igitur & ingemiscit species laudabilis disciplinæ, se ab alieno vitio deformari, & quod facies meretricis facta est ei, quæ viriles quoque animos accendere consueuerat ad virtutem. Amatoria bucolicorum apud viros graues esse fuerat criminis; nunc vero laudi ducitur, si videas grauiores amatoria, quæ ab ipsis dicuntur eligantius stulticinia, personare. Ipsum quoque cultum religionis incestat, quod ante conspectum Domini, in ipsis penetralibus sanctuarij, lasciuientis vocis luxu, quadam ostentatione sui, muliebribus modis notularum articulorumque cæsuris, stupentes animulas emollire nituntur. Cum præcinentium, & succinentium, canentium, & decinentium, intercinentium & occinentium, præmolles modulationes audieris, Sirenarum concentus credas esse, non ho-
G minum, & de vocum facilitate miraberis, quibus philomena vel psittacus, aut si quid sonorius est, modos suos nequeunt coæquare. Ea siquidem est ascendendi, descendendique facilitas, ea sectio vel geminatio notularum, ea replicatio articulorum, singulorumque consolidatio, sic acuta vel acutissima, grauibus & subgrauibus temperantur, vt auribus sui iudicij fere subtrahatur autoritas: & animus, quem tantæ suauitatis demulsit gratia, auditorum merita examinare non sufficit. Cum hæc quidem modum excesserint, lumborum prurriginem, quam deuotionem mentis, poterunt citius excitare. Si vero moderationis formula limitantur, animum à curis redimunt, exterminant temporalium sollicitudinem, & quadam participatione l.. titiæ, & quietis, & amica exultatione in Deum, mentes humanas traiiciunt ad societatem Angelorum. Sed vnde hanc moderationis formulam tenes? Exultabunt, inquit, cum cantauero tibi, labia mea. Si ergo ex abundantia cordis os tuum laudem Domini moduletur, si spiritu
H psallis & mente, psallis denique sapienter, etiam citra articulatæ vocis intelligentiam, rectissimam modestiæ regulam tenes, & non tam vocis, quam mentis iubilo aures mulces altissimi, & indignationem eius prudenter auertis. Qui autem voluptatis aut vanitatis affectus exprimit, qui vocis gratiam prostituit concupiscentiis suis, qui lenociniorum clientulam musicam facit, ignorat quidam canticum Domini, modis B bylonis festiuus in terra aliena. Qui nescio quo pacto plus placeant, oisi quia

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Et aquæ furtiuæ dulciores, & panis absconditus suauior est. Et quidem Phrygius modus, decreto Philosophorum, ab aula Græciæ iam pridem missus est & ceteri quibus descensus fit in lasciuiam & corruptionem. Annon recolis Ciconum matres & nurus, totam indignationem suam in Orpheum, qui mares modis suis effœminauerat, vsque ad Parcarum inuidiam

effudisse

A effudiſſe, licet ille flexerit manes, duritiamque Diris mollierit, Euridicemque ſuam vocis gratia, etſi infauſta ſorte meruerit? Exinde huiuſmodi hominum quæſtus plerumque felicem exitum non expectat, & ſorte, quia,

Non habet euentus ſordida præda bonos.

Quæ vero mentes emolliunt, moreſque ſubuertunt, à noſtra ætate vndique aſciſcuntur, licet ipſa vltra, quam ſatis eſt, vitiis ſuis abundet. Si quemquam eorum qui vehementius his inſiſtunt, grauem videris, ſi modeſtum, ſi pudicum, viris fortibus noſtrorum temporum ipſum connumerare memineris. Quandoquidem hæc rara auis eſt. Proinde quidam venerabilis vir, circiter ſeptingentarum monialium pater, hanc monaſteriis ſuis præſcripſit legem, vt omnia earum cantica, totius melicæ prununtiationis exuant modos, & vt ſola pſalmorum & laudum ſint ſignificatiua pronuntiatione contentæ. B Suſpecta equidem fuit ſancto viro voluptati cognata mollities, eo quod voluptas parens libidinum eſt. Quid quod hæc ipſa quotidianorum conuiuiorum malitiam acuit, ac ſi venena, niſi toxicata ſint, nocere non poſſint? Igni ſtipulam addere, oleum camino, ſerpentem toxicare, nonne dementia eſt? Licet tegum vitia obtegantur velo verborum quorum eadem ſubſtantia eſt, nulla profecto differentia eſt. Quæ apud Græcos coepulationis aut compotationis cenſentur nomine, à nobis honeſtiore nomine conuiuia nominantur. Cœtus ſiquidem conuiuentium, quam coepulantium aut compotantium venerabilior eſt. Conuiuia vero nonne per ſe ſatis inſaniunt, niſi carminibus excitentur? Nonne iſtud arguit Dominus dicens: Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam; & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris; & opus domini non reſpicitis, & opera manuum eius non conſideratis. C Quid quod rex Babylonis non niſi in conuiuio vidit manum, ſcribentis in pariete MANE, THEKEL, PHARES, quo regnum dinumeratum, appenſum denuntiatur & ſciſſum. Diuino ſiquidem iudicio principatu iudicatur indignus, qui vaſa domini, humana videlicet corpora, in vanæ voluptatis gaudia exponit, & ſponſi thalamum maligni ſpecie immundiciis aperit.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:

quæ omnia vnius fiſtulæ voluptate, non tam ſopita ſunt, quam extincta. Tu quis es, qui te circumſpectiorem eſſe confidis?

CAP. VII.

De diſsimilitudine Auguſti & Neronis.

D AVGVSTO tympanizante in cœna, à quodam militum probroſe dictum eſt; Vides ne vt cinædus orbem digito temperet? Cuius ille verbi percuſſus amaritudine, os manus, & animum in æuum ab huiuſmodi leuitate ſuſpendit; habuitque ſemper gratiam exprobranti. Sed longe ſecus Nero, non imperatorum, ſed hominum fœdiſſimus, qui adeo ſcribitur captus amœnitate vocis, vt non modo pomis cibiſque nocentibus abſtineret, ſed eius gratia conſeruandæ, frequenti clyſterio vomituque purgaretur, plumbeamque cartellam ſupino ventre, mandato phyſicorum, ſæpius & diutius ſuſtineret. Adeo vero delectabatur in cantu, vt nec theatro, terræ motu concuſſo, cum ſemel cœperat egrederetur, antequam inchoata finiret. Nec quemquam egredi eo cantante licitum. Vnde plerique affecti tædio audiendi, ſimulato funere elati ſunt. Milites quoque, niſi alio verba pronuntiante, non appellabat; Nec agebat quicquam ſerio, iocoue, quin phonaſcus adſtaret, qui eum ſuis arteriis parcere hortaretur. Inſtrumentorum quoque curioſiſſimus erat, E vt eorum peritiam aliis inuideret, adeo vt publico teſtimonio ſe cytharœdum principem gauderet appellari, Vnde illud

Cytharœdo principe † natus
Nobilis. Hac vltra † nobis quid erit niſi ludus?

† Minimo. † deeſt hac vox.

In tanta quoque mole imperij omnem peroſus eſt grauitatem, Philoſophiam perſequens quaſi maieſtatis imperij inimicam, & nobiliora ingenia veritus, ſe conſiliis ſubdidit hiſtrionum, quorum ipſe non erubuit turpitudinem exercere. Hinc illud

Quod non dant proceres, dabit hiſtrio.

Cum vero eſſet omnium auariſſimus, adeo vt nulli quodcunque officium delegaret, quin proſequeretur, Noſti quid mihi opus ſit; aut illud ſubiiceret, Qui omnibus præeſt, omnibus indiget. Tamen hiſtrionibus & mimis pecunias infinitas erogare non grauabatur; ſingulos, F prout quiſque placuerat, ampliſſimæ dignitatis nomine subornabat, alios patricios, alios ſenatores dicens. Hos illuſtrium ſpectabiliumue nominibus illuſtrabat.

CAP. VIII.

De Hiſtrionibus & Mimis & præſtigiatoribus.

EVm vero adhuc aliqui pro parte imitantur, etſi fœditate illius nemo dignetur inuolui, cum gratiam ſuam hiſtrionibus & mimis multi proſtituant, & in exhibenda malitia eorum cæca quadam & contemptibili magnificentia, non tam mirabiles, quam miſerabiles faciunt ſumptus. Illa tamen ætas (vt ſic interim dicam) honeſtiores habuit hiſtriones, ſi tamen aliquo modo honeſtum eſt, quod omni homine libero comprobatur indignum. Nec tamen hiſtrionem aſſero turpiter in arte ſua verſari, etſi indubitanter turpe ſit eſſe hiſtrionem. Et G quidem hiſtriones erant, qui geſtu corporis arteque verborum, & modulatione vocis, factas aut fictas hiſtorias, ſub aſpectu publico referebant, quos apud Plautum inuenis & Menandrum, & quibus ars noſtri Terentij innoteſcit. Porro comicis & tragicis abeuntibus, cum omnia leuitas occupauerit, clientes eorum comœdi videlicet & tragœdi exterminati ſunt. Sed eos in ſeruili conditione dumtaxat plerunque reperies. Quis vero eorum vſus extiterit, poetica docens aperit;

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poeta,
Aut iucunda ſimul & idonea dicere vita.

At noſtra ætas prolapſa ad fabulas, & quæuis inania, non modo aures & cor proſtituit vanitati, ſed oculorum & aurium voluptate, ſuam mulcet deſidiam, luxuriam accendit, conquirens vndique fomenta vitiorum. Nonne piger deſidiam inſtruit, & ſomnos prouocat inſtrumentorum ſuauitate, aut vocum modulis, H hilaritate canentium, aut fabulantium gratia, ſiue quod turpius eſt, ebrietate, vel crapula? Artem vtique elegantiorem docuit Flaccus,

Ter vncti
† Tranſnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto.

† al. Tranato.

Ait quoque concionator; Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum, ſiue multum comedat. Exercitatio ſiquidem parit & alit quietis gratiam quæ otij continuatione, & quodam inertiæ ſuæ marcore petimitur. Vtique in deſideriis eſt omnis otioſus, cum & otioſitas inimica ſit animæ, & de domicilio eius omnia ſtudia virtutis eliminet. Clamat Ethnicus,

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et capiant vitium ni moueantur aquæ.

Quod? inquis. Audi. Diſces ſi eidem credideris.

Quæritur

A *Queritur Ægisthus quare sit factus adulter,*
Causa est in promptu, desidiosus erat.

Litteratissimi ergo viri consilij est, vt hostis te semper inueniat occupatum, quo variis tentationibus eius, occupationum tuarum clypeos tam fœliciter, quam prudenter opponas.

Vitanda est, inquit Ethicus, *improba Siren Desidia.*

At eam nostri prorogant histriones. Ex occupatis etenim mentibus surrepunt tædia, seseque non sustinerent, si non alicuius voluptatis solatio mulcerentur. Admissa sunt ergo spectacula, & infinita tyrocinia vanitatis, quibus qui omnino otiari non possunt, perniciosius occupentur. Satius enim fuerat otiari, quam turpiter occupari. Hinc mimi, salij, vel saliares, balatrones, æmiliani, gladiatores, palæstritæ, gignadij, præstigiatores, malefici quoque multi, & tota ioculatorum scæna procedit. Quorum adeo error inualuit, vt à præclaris domibus non arceantur, etiam illis qui obscœnis B partibus corporis, oculis omnium eam ingerunt turpitudinem, quam erubescat videre vel Cynicus. Quodque magis mirere, nec tunc eijciuntur, quando tumultuantes inferius crebro sonitu aërem fœdant, & turpiter inclusum, turpius produnt. Nunquid tibi videtur sapiens, qui oculos, vel aures istis expandit? Quis tamen libenter non videat & rideat, cum præstigiatoris lotio perfusi ars deletur, & oculis, quos malitia sua perstrinxerat, videndi facultas reparatur? Iocundum quidem est, & ab honesto non recedit, virum probum quandoque modesta hilaritate mulceri, sed ignominiosum est grauitatem huiuscemodi lasciuia frequenter resolui. Ab istis quoque spectaculis, & maxime ab obscœnis, honesti viri arcendus est oculus, ne incontinentia eius, mentis quoque impudicitiam fateatur. Egregie siquidem Sophoclem Prætorem collega Parides arguens, ait: Decet Prætorem Sophoclem, non modo manus, sed & oculos habere continentes, Auerte, inquit, homo, cui de regni maiestate multa licebant, oculos meos, ne videant vanitatem; sciens vtique verum esse quod alius in- C gemiscit; quia oculus meus deprædatus est animam meam. Veruntamen quid in singulis possit vel deceat, animus sapientis aduertit, nec apologus refugit, aut narrationes, aut quæcunque spectacula, dum virtutis, aut honestæ vtilitatis habeant instrumentum. Sacræ quidem communionis gratiam histrionibus, & mimis, dum in malitia perseuerant, ex autoritate Patrum non ambigis esse præclusam. Vnde quid fautoribus eorum immineat colligis, si facientes, & consentientes pari pœna recolis esse plectendos. Quid donant, inquit, histrionibus, quare donant? Hoc vtique in illis fouent, in quo nequissimi sunt. Nempe qui nequitiam fouet, estne bonus? Cum vero omnium istorum sit odibilis, illorum tamen qui minus nocent, malitia tolerabilior est.

Cap. IX.

Vnde dicatur præstigium; & quis fuerit author eius.

D Eos autem qui nocentiora præstigia, artesque magicas, & varias species mathematicæ reprobatæ exercent, iampridem sancti Patres ab aula amoueri iusserunt, eo quod omnia hæc artificia, vel potius maleficia, ex pestifera quadam familiaritate dæmonum & hominum, nouerint profluxisse, verumque persæpe proferunt sola intentione fallendi, à quibus animam fidelem dominus arcens, ait: Si dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis. Præstigium vero Mercurius dicitur inuenisse, quod ex eo sic dicitur, quod aciem præstringat oculorum, fuitque magorum peritissimus, vt quascunque res vellet inuisibiles faceret, aut vt videbatur, in alias species transformaret. Omnia siquidem vnde doctrinam mathesis notat. At diuina mathesis, dum penultimam extendis, figmenta ad magicam referuntur, cuius plurimæ species sunt, & diuersæ.

Cap. X.

E *Qui sunt Magi, & vnde dicantur?*

ET quidem magi sunt, & ob magnitudinem maleficiorum sic appellantur, qui Domino permittente, elementa concutiunt, rebus adimunt species suas, ventura plerumque prænuntiant, turbant mentes hominum, immittunt somnia, hominesque violentiâ carminis dumtaxat occidunt, quod & Lucanum nostrum non latuit. Ait enim

Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
Incantata perit.

Et ne tibi parua videatur illius autoritas, nosti quod Iamnes & Mambre, magi Pharaonis fuerunt. Ægyptus etenim huiusmodi superstitionum & maleficiorum mater est. Nosti inquam eos, non modo Moysi restitisse, sed cum eo signis & miraculis contendisse, licet postmodum vel inuiti coacti sunt, digitum Dei in signis F Moysi confiteri.

Cap. XI.

De speciebus Magiæ.

VArro autem curiosissimus inter Philosophos, quatuor species diuinationis ab elementis mutuatus est, pyromantiam scilicet, aëromantiam, hydromantiam, & geomantiam, multasque species videbis ex his capitibus pullulare, siue arte, siue furore diuinatio peragatur: quarum nomina exempli causa, vel pauca subijciam.

Cap. XII.

Qui sint incantatores, arioli, aruspices, Pythij, vultiuoli, imaginarij, coniectores, chiromantici, specularij, mathematici, salisatores, sortilegi, augures.

G INcantatores quidem sunt, qui artem verbis exercent. Arioli, qui circa aras nefandas preces, aut execrata sacrificia faciunt, in quorum ceruicibus est manus Domini, dicente Propheta: Ariolos & magos non patieris viuere. Aruspices sunt inspectores horarum, præscribentes quid qua hora fieri expediat, quorum errorem damnauit Apostolus dicens: Timeo ne frustra laborauerim in vobis, obseruatis enim dies & annos, & menses, & tempora, cum fœlicitas operis non à tempore, sed à nomine Domini debeat expectari. Aruspicium quoque in extorum inspectione viget, quam artem Tages quidam dicitur inuenisse. Vnde Lucanus:

Fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

Extorum vero nomine censentur omnia, quæ cutis extremitate teguntur. Ex quo liquet eos esse aruspices, H qui vaticinantur in ossibus animalium, siue sanguine, siue futura prænuntiant, siue præsentia pronuntient, vel præterita. Vaticinium siquidem est, quo eum intelligentia veri, abscondita proferuntur: cum & prophetiam non modo de futuris constet esse, sed de præsentibus, & futuris, & præteritis. Si vero adhibeatur sanguis, ad necromantiam iam accedit; quæ inde dicitur, quod tota in mortuorum inquisitione versatur. Cuius vis ea esse videtur, vt ad interpretationem veri, mortuos valeat suscitare. Ea namque ludificantium dæmonum, & humanæ perfidiæ illudentium fallacia est. Pythij sunt, quos spiritus Pythonicus replet, & frequentius in virginibus exercetur, vt magis ludificet; ac si immundissimo spiritui placeat integritas mentis, aut corporis. Vultiuoli sunt, qui ad effectus hominum immutandos in molliori materia, cera forte, vel limo, eorum quos peruertere nituntur effi-

A gies exprimunt; cuius illusionis in Pharmaceutria Virgilius meminit,

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit,
Vno eodemque igni, sic nostro daphnis amore.

Naso quoque in libro Heroidum,

Deuouet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in iecur vrget acus.

Horum vero malitia, etiam cum plurimum noceret, artificio leui dissoluitur, si videlicet qui suspecti sunt conuenti ab aliquo crimen suum inficiatur. At si confessi fuerint, cogantur maleficium reuocare. Imaginarij sunt, qui imagines quas faciunt, quasi in possessionem præsidentium spirituum mittunt, vt ab eis de rebus dubiis doceantur. Hos idololatras esse sacra Scriptura conuincit, & diuinæ maiestatis iudicio condemnatos. Coniectores sunt qui artificio quodam, sibi vendicant somniorum interpretationem. Chiromantici sunt, qui à manuum inspectione, rerum vaticinantur abscondita.

B Specularios vocant, qui in corporibus leuigatis, & tersis, vt sunt lucidienses, pelues, cyathi, speculorúmque diuersa genera diuinantes, curiosis consultationibus satisfaciunt, quam & Ioseph exercuisse, aut potius simulasse describitur, cum fratres argueret surripuisse scyphum, in quo consueuerat augurari. Mathematici sunt, licet appellatio generaliter omnia complectatur, qui à positione stellarum, situque firmamenti, & planetarum motu, quæ sint ventura coniiciunt, vt est illud:

Nostra vel æquali suspendit tempora libra
Parca tenax veri; seu nata fidelibus hora
*Diuidit in Geminos concordia * facta duorum,* (* al. fata.)
Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus vna,
*Nescio quod certe est, quod * te mihi temperat astrum.* (* al me tibi.)

Ac si stellarum choreas applicationesque vnius ad alteram constet rebus, quæ ex arbitrij libertate proueniunt, quandam necessitatis præstare originem, quorum & * genelliaci, qui geneses, id est, natalitias horas attendunt, irritantur errorem. Vnde Satyricus, (* al. Genethliaci.)

C *Nota mathematicis genesis tua.*

Iidem vero horoscopi nominantur. Vnde rursus,

Geminos horoscope varo
Producis genio.

Viguit autem ista scientia, & forte eam aliquatenus licet exerceri, donec Deum natum nuntiauit stella de cœlo, magosque non teprubos primitias fidei ad eum adorandum nouo & inaodiro ducatu perduxit. Exinde vero penitus interdicta est. Salisatores qui ex saltu membrorum, aut inopinato motu, prosperum aliquid futurum autumant, vel aduersum. Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis superstitiosa quadam obseruatione, rerum pollicentur euentus: quod genus sortes Apostolorum & Prophetarum, & diuidentium, & inspectio tabulæ, quæ Pythagorica appellatur, obseruatio quoque cuiusque casus in rei de qua quæritur significatione. Augurium vero quod est in auium obseruatione,

D Phryges inuenisse traduntur, quod in voce traditur, aut volatu. Est autem secundum traditionem eorum, volatus tam alarum quam pedum: vola siquidem est interior palmæ vel pedis. Vnde apud Maronem in 6. Volantes pro gradientibus columbæ describuntur. Hoc etenim ad hominis pertinet fælicitatem, si columbæ gradientes, dum tamen in pastu itinerantes præcedant.

CAP. XIII.

De variis ominibus.

IN expeditionem missus Consul Romanorum, dum nullius boni ominis sortiretur auspicium, columbas ieiunio confectas, granis sparsis triticeis in via qua iturus erat, præferri iussit, * vt vel earum omine auspicij duritiam subleuaret. Quæ cum diligentius à cibis abstinerent, eas præcipitari iussit in fluuium, vt saltem biberent, subuersæque in flumine, docuerunt (* al vt volatu earum omnem auspicij, &c.)

E Consulem cum exercitu submergendum. Hic etenim secutus est euentus. Apes Platonis infantuli mei labiis inserebant, singularem dulcedinem eloquentiæ eius futuram præsignantes. Hiero summus postea Siciliæ magistratus, * quod virtute promeruit, à patre nobilissimo viro expositus est, eo quod ex ancilla susceptus dehonestamentum generis videbatur, & quasi probrosa clari sanguinis macula. Sed paruulum, & indigentem opis humanæ apes circa eum melle coniecto, plurimis aluere diebus; & sic consilio aruspicum ei regnum portendi canentium, à patre agnitus, recollectus, & diligenter institutus est. Paruuli Midæ cunabulis formicæ grana tritici congerebant, significantes eum futurum ditissimum. Vnde & res aureas ipsius attacto fieri Poëtæ finxerunt. Sulpitio sacerdoti lapsus apex de capite, sacerdotium abstulit. Occentus soricis auditus M. Fabio præfecturam, si nugis Hiberis per omnia credis, si vestem in operis tui initio a soricibus corrosam senseris, tempera ab incœptis. Si egrediens limen calcaueris, aut in via offenderis, pedem contine. (* al quem.)

F Si in procinctu agendorum aliquid damni pertuleris, differes inchoata, ne vel tota intentione frustreris, aut inutiliter impleatur. Expecta, dum omine meliore faustam agendis horam arripias. Omina namque sunt aliquid. Cum processeris, abscondita futurorum aues, quas ominales vocant, tibi prænuntiabunt. Quænam sint istæ forte interrogas, quas scilicet de natura hominum in formam auium Poëtæ asserunt esse conuersas. Quid cornix loquatur diligenter ausculta, situmque eius sedentis, aut volantis nullo modo contemnas. Refert etenim plurimum, à dextris sit, an à sinistris, qua positione respiciat cubitum gradientis, loquax sit, an clamosa, an silens omnino præcedat an sequatur, transeuntis expectet aduentum, an fugiat, quoue discedat, non negligenter attende. Ait namque Virgilius,

Quod nisi me quacunque nouas incidere lites
G *Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix,*
Nec tuus hic Mœris, nec viueret ipse Menalcas.

Quamuis in eo videatur in artem offendisse, quod cornix quam vitæ seruatricem asseruit, rerum magnarum ignorat auspicia; nisi forte in ea præter naturam fiat ostentum, quale est, quod imminente bonn, & optato perosi Imperatoris exitio, de rupe Tarpeia per vrbem cornix Græco eloquio protulit, Bene erit, Quod augur interpretatus ita exposuit,

Nuper quæ sedit Tarpei culmine cornix,
Est quia non potuit dicere, dixit Erit.

Sed ignoscet viro doctissimo rusticanam simplicitatem exprimenti, aut quia pauperum vita, diuitibus res videatur exigua, qui humanum genus vt paucis seruiat asserunt institutum. Coruus vero, quem non minori diligentia obseruabis, rebus maioribus ausp catur; & vsquequaque cornici præiudicat. Porro cygnus in auguriis, *ales gratissimi nautis*, vtpote quæ aquarum domestica quadam gratia familiaritatis eorundem secreta

H prænouerit. An nescit apud Maronem;

Bissenos lætantes agmine cygnos

reducem classem Æneæ, Veneris vaticinio nuntiasse? Eorum namque hilaritas non modo nautis, sed & quibusque peregrinantibus fælicium euentum gratiam spondet, nisi fortioris superetur aduentu. Aquila namque sicut Rex auium est, si non alarionem excipias, quæ forte aquilarum species potentissima est regni sui maiestate omnium auium, si contra loquatur, fidem euacuat. Potuerat apud Statium præsagio volucrum Græcorum exercitus confortari. Sed fortior esse adueniens per inane cohors, Amphiarao interprete Græcorum quoque exitium. Licet enim aquila quarundam auium viribus superetur, in prænuntiatione veri nulla potentior est. Cunctis siquidem auibus excellentius volat, & ab ipsius Iouis arcano nunquam excluditur. Cumque tanto visus acumine vigere

dicatur

A dicatur vt ab æthere summo pisciculos in fundo maris contueatur, & in ipsum solem, quod nulli animantium licet, figat obtutum, sensuum quidem subtilitate de Iouis gratia conscientiam veritatis, rerumque mysteria mutuatur. Quis eum falsum interpretem dicat, quem consiliorum Iouis nouit esse participem? Locris aduersus Crotonienses dimicantibus, aquila dum pugnabatur superuolans victoriam dicitur contulisse, cum pauci numero deleuerint infinitos. Hoc tamen validiori signo scribitur roboratum, eo quod duo iuuenes procerioris staturæ, elegantioris formæ, in candido habitu, ab vtroque latere Locros præcesserint, scilicet vt erat communis opinio, Castor & Pollux. Omnia huiusmodi cùm geminantur * potentiora sunt. Dum Hiero, de quo supra, prima bella iniret, aquila ex improuiso resedit in clypeo progredientis, manu promptum regémque futurum significans. Ea die qua natus est Alexander, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperij, Europæ Asiæque præferentes. Vultores difficultatem portant, duritiam, rapacitatem, sicut habes in origine vrbis condendæ. Phœnix singularis fœlicitatis successus pollicetur, quale est, quod noua Roma visa est Phœnice, melioribus auspiciis condita est. Auis picta vrbi Pictauorum contulit nomen, leuitatem gentia, colore & voce præfigurans. Ardea rerum arduarum auspicium est. Ciconia quoniam auis concordiæ est, & concordiam inuenit, aut concordiam facit. Grus semper affert, quod expedit; vnde & gruere verbum antiquum, à quo congruere, quod proficit, & ingruere contra, quod officit. Vnde illud,

al. procerioura.

B

Bu vitibus ingruit imber.

Nec tamen minores contemptui habeas, cum & pica loquax, sicut ad multa, sic ad successionem * hospitum te faciat cautiorem. Si auis, quæ vulgo dicitur Albanellus, præteruolans viam, à sinistris feratur ad dextram, de hospitij hilaritate ne dubites: si contra, contrarium expectabis. Aues domesticæ artificij huius non sunt expertes, cum galli cantus spem, iter, vel opus inchoantis promoueat. Tiberio nascituro præsignans Liuia, ouum gallinæ subductum eousque nunc suis, nunc ancillarum manibus fouit, donec gallus insigniter cristatus exclusus est; vnde & augures puerum qui nasciturus erat, dixerunt regnaturum. Bubonis, strygis, & noctuæ, semper infausta sunt omina. Noctua tamen eo quod noctis tenebris non cæcatur, diligentis hominis vigilantiam signat, vt in portento, quo in hasta Hieronis, cum primum progrederetur ad bellum, noctua dicitur consedisse, significans eum futurum diligentissimum. Bubonem Dido dum miseretur Æneæ, sensit infaustum. Si accipiter quippiamve generis huius, sub oculis proficiscentis, solitam rapinam exerceat, inter eundum rapacitas imminebit. Quod & iocularitet innuens Naso, ait,

al. hospitij

C

Odimus accipitrem, quia semper viuis in armis.

Regulus quoque ipse, qui & bitriscus dicitur, vera quandoque portendere non dedignatur. Minutæ etiam aues, aduentu suo, vel recessu, significant familiam nunc minui, nunc augeri. Omnium vero volatus quanto serenior, tanto laudabilior est. Vnde Melampo, augur præuominatus conqueritur, stragem Græcorum conijciens ex volatu,

D

Vides vt nulla serenos
Ales agat cursus.

A bestiis quoque viarum tuarum euentus scrutaberis. Leporis timebis occursum, si tamen euaserit. Est enim proculdubio longe commodior in mensa, quam in via. Lupo obuio congratulaberis: boni siquidem nuncius est, licet solo visu nocere soleat ei, quem ante præuiderit, vocemque præcludere. Iuxta illud,

Vox fugit ipsa, lupi Marim videre priores.

Hiero Siculus litteratorio insistens studio, inter coæquales stilo operam dabat, eique lupus in turba puerorum repente conspectus, tabellam eripuit, successus hominis firmans, inaudita forma prodigij. Quid multa lupi efficaciam non negabit, quisquis Romanorum genus lupino lacte non ambigit educatum. Vnde plerumque quod in eis dulcius est, adhuc lupinum saporem retinet; primique eorum fidem, quam à matre Lupa didicerant, sibi inuicem seruauerunt, eademque quadam lege naturæ manauit ad posteros. Ouibus grassanter obuiam gradieris, dum capram vites, cui alludens Poëta ait, E

Occursare capro, cornu ferit ille, caueto.

Bobus triturantibus, libentius tamen arantibus, obuiabis. Nec displiceat si viam ruperint, quia mora itineris hospitij gratia compensabitur. Mulus infaustus est, Asinus mutilis; etsi vtilissimi sint ad perferenda onera. Equus quandoque bonus est; sed in eo nihil vtilius, quam quod humanis vsibus seruit. Habet vero iurgiorum & pugnæ significationem. Interdum tamen ex colore & visu mitigatur. Vnde apud Virgilium, visis albis equis, apparente Italia, senior Anchises exclamat:

Bellum ò bellum terra hospita portas. F

Ceruum, capreolum, aprumque siluestrem, onagrum & cætera huius generis, malo prandenti apponas quam vianti opponas. Æneas ceruis pro nauium numero fusis, omen quod contrarium videbatur, ad se sociorumque fortunam, virtute retorsit. Canis sequipeda commodissimus est: cuius, si vera est Hebræorum traditio, nec Angelus ipse Tobiæ socius aspernatus est comitatum. Quid quod Cyrus scelere aui expositus in siluis vt periret, caniculæ vberibus regnum adeptus est Persarum. Locusta etsi minimum possit, itinerantium tamen præpedit vota; ex eo forte sic dicta, quod loco stare faciat gradientes. Econtra cicada viatoris promouet gressum, & initiatorum amœnat exitum. Aranea dum à superioribus filum ducit, spem venturæ pecuniæ videtur afferre. Obuius bufo futuros successus denuntiat, mihi tamen vel solo visu molestus est. Veruntamen homine ipso nihil potentius, nihil efficacius est, nihil mortalium vnquam inuenies, quod euidentius exprimat veritatem. Porro si artem diligenter exequeris, conditionem eius, & dona naturæ, situm, gustum, motumque corporis, sensumque sermonis, tota mentis intentione notabis. Sacerdotem obuium, aliumve religiosum, dicunt esse infaustum. Ego quoque perniciosum credo, non modo sacerdotibus, sed & viris sapientibus contraire. Melius quoque est obuiare genti seruorum, quam his qui summa sunt præditi potestate. Fœminam quoque, quæ capite discooperto incedit, infœlicem crede: nisi, vt apud Plinium legitur, publica sit, aut plurium libidini pateat prostituta. Nec expedit illi occurrere, quæ amoto velo, caput suum deturpare non erubescit. Ab his quæ primo audieris inter operis cuiusque auspicia, quid sequatur prænosces. G

Hinc Deus incumbens baculo quem dextra gerebat,
Omnia principiis, dixit, inesse solent.
Auditas voces timida perpendimus aure,
Et primam visam consulit augur auem.

Ea siquidem futurorum prægnostica sunt. Petilius consul Romanus oppugnans castrum in Sicilia, cui nomen Letum erat, cum milites accingerentur ad pugnam, ait, Ego hodie Letum capiam. Casuque sic accidit, cum ipse eadem die fuerit interemptus. Alius quoque consul cum à Senatu destinaretur ad expugnandum regem Persarum, à filia quam in ostio domus flentem obuiam habuit, causam qua fuit; cumque illa responderet, Persam periisse, (sic enim catulus qui forte perierat, dicebatur) profectus in expeditionem triumphum non inuenit, eo quod rex Persarum perierat, quando filia consulis catulum flebat amissum. Ab ipsis etiam elementis, aut temporis qualitate, rerum frequenter trahuntur auspicia. Fortunæ duritiam, gratia roris, aut modestus imber emollit. Roscidum quippe, & sopplunuiale tempus, atque sudus, dum operis cuiuis incunctanter ortum prosequitur, creditur eiusdem fortunare processum. Cum fortuna quæ Phrygios H

A exules liuenti oculo diu perstrinxerat, tandem benignius quasi de specula gratiæ, respexisset,

Olli cæruleus supra caput adstitit imber.

Venus naufrago filio, apud Didonem hospitium præparans, eundem fido Achate comitatum, dum in reginæ gratiam introduceret, caua nube obtexit. Tonitrua quoque varias habent significationes. Si enim afferant quamcunque fulminis læsionem, infausta sunt. Vnde illud:

Sæpe malum hoc nobis (si mens non læua fuisset)
De cælo tactas memini prædicare quercus.

In his autem & illud perpenditur, an semita vna descenderit, an multifaria aëris ruptione diffusos sparserit ignes. Hoc equidem semper tristius est. Dum Caius Cæsar ciuili bello patriæ immineret, quam fulminosus aër extiterit, quot habuerit igneos turbines, quot trabes emiserit, nec veteres historiæ sufficiunt enarrare.

Et tunc

B *Ignota obscuræ viderunt sidera noctes.*

Si vero fulminis careat tempestate, si lætum sonet, deorum creditur nuntiare fauorem. Æneas Iouem à sinistris tonantem audiens, se cum præmissis sacrificiis opinatur habere propitium. Sed qualitercunque ista se habeant, innatum timorem hominum poterit mitigare, quod nemo sentiet fulminis ictum, si ante tonitrui sonum audierit, aut præuiderit coruscationem. Tiberius Cæsar, turbatiore cœlo, lauream coronam gestabat in capite, quia hoc genus frondis fulmine negetur afflari. Tonitrua siquidem timidissime, & vehementer semper exhorruit. Est tamen quod proculdubio longe tutiorem facit hominem, si fidem crucis seruet in pectore, iustitiam fidei gestet in capite, & salutiferum signum fidei manus innocens figat in fronte, illum semper præ mente habens, qui cultoribus suis, omnem mundi timorem excutiens, ait: A signis cœli ne timueritis, quæ timent gentes, quia ego vobiscum Dominus Deus vester. Hæc quoque verba inter tonan- C dum vel audita vel dicta, feruntur à quibusdam noxam fulminis amouisse. Nihil autem est, quod imminentibus signis, ita totum concutiat hominem, sicut mens sibi conscia iniquitatis, & quæ scelerum suorum pœnam, ad singula timet exposci. Vnde Ethnicus de criminosis.

Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

Econtra iustus confidit vt leo. Et illud, Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit. Fulgor equidem igneus si vrendo non noceat, celebritatis gloriam affert. Neque quia non vrit, igneus non est; si tamen in hoc Plato recipitur. Duæ sunt, inquit ille, vt opinor, virtutes ignis: Altera edax & peremptoria; altera mulcebris & innoxio lumine. Posteriorem asserit operatricem visus, & in superioribus vim suam maxime exercere. Ascanium fatalis exilij cum patre discrimina subeuntem, ignis de cœlo quasi succenso capite illustrauit, prænuntians ei deberi fœlicitatem exilij, ipsumque futurum in gentem magnam. Alexandri Macedo- D nis & Octauiani Augusti, sub ipso eorum ortu claritas ignis miraculo declarata est. Proficiscentem, expeditionem dum egreditur, prosequens ventus successuum spe fortunat; dum in hostes vexilla feruntur, aëris testimonio vexilla triumphabunt. Si vero patriæ imminent, iustissimum metum incutiunt. Terra quoque ipsa mysteriorum conscia est, sed grauia omnia frequentius portat, eo quod fundata super stabilitatem suam, mauult quiescere quam moueri. Cum ergo mugitus eius auditur, amaris euentibus condolet, & quo affectu suis compatiatur alumnis, vocis suæ tristitia protestatur. Magna siquidem & pia parens omnium est. Studuerat hæc ab amplexu hospitis arcere Phœnissam, sed quia conciliatrix hospitij Venus iam præualuerat, tacta dolore cordis intrinsecus mugiit, quoniam ei mugitus pro gemitu est. Hæc eadem quoties tremit, filiis suis præuidet aliquid metuendum, nisi forte parturiendo laboret. Tunc vero vel omnino facit abortum, aut E inutilem fœtum parit, quia vt multum, sæpe cum

Parturiunt montes, procedit ridiculus mus.

Hæc sunt quibus totam vigilantiam suam videas accommodare quamplurimos.

Cætera de genere hoc adeo sunt multa, loquacem
Vt lassare queant Fabium.

quibus quæcunque domus institerit, eam nec ab ipsa salute arbitror posse saluari.

LIBER SECVNDVS

POLICRATICI IOANNIS Saresberiensis.

PROLOGVS.

OMNIA *cedunt in vsum sapientis, habetque materiam* F *virtutis exercendæ, quæcunque dicuntur, aut fiunt. Nam & otia eius negotia sunt, & dum rationis libramine rerum omnium vires pensat, prouida dispensatione quicquid ad beatitudinem proficit, quadam quasi manu virtutis apprehendit. Tunc ergo diuina sapientia tua argumento validissimo dupliciter fidem facis, dum & in suis actibus rectus incedis, & philosopharis in nugis alienis. Alacres itaque exeant nugæ nostræ, quas seueritas tua prodire iubes in publicum, vt coniectores, mathematicos, cum quibusdam aliis nugatoribus introducant: quia quibus dedisti egrediendi audaciam, securitatis quoque fiduciam præstabis. Connectantur ergo inferiora superioribus, & si quid in alterutris vitiosum, aut deforme apparuerit, benignitatis tuæ prudentia corrigatur.*

CAP. I.

G *Omina vana esse, & res ex fide sua cuique respondere.*

RVsticanum & forte Offelli prouerbium est; Qui somniis & auguriis credit, nunquam fore securum. Ego sententiam, & verissimam, & fidelissimam puto. Quid enim refert ad consequentiam rerum, si quis semel aut amplius sternutauerit? Quid si oscitauerit? Quid denique si vndecunque sonum emiserit? Hæc tamen ex causis quas Physici nouerunt, aliquatenus ad eum pertinent circa quem fiunt. Esto, dum aliena opera impedire, aut promouere non queant. Sicut nec inania carmina, aut superstitiosæ quædam ligaturæ, quæ tota medicorum secta condemnat, licet hæc ipsa à quibusdam commentiori quodam nomine Physica soleant appellari. Physicum etenim dicunt, cuius occultissima ratio est, vt humano sensu nequeant comprehendi. Nihil etenim est, vel fit, cuius ortum legitima causa, & ratio non præcedant: & vt alius ait; nihil fit in terra sine H causa. Constat itaque quia artificis naturæ manum nihil euadit. Ex quo consequenter patet ad Physicam omnia pertinere. Ego quidem quocunque modo ista se habeant, indubitanter credo illa sola non esse respuenda, quæ ex fide proueniunt, & referuntur ad gloriam omnipotentis Dei; cum scriptum nouerim, omnia quæcunque in opere, vel verbo feceritis, in nomine Domini facite, in quo sola via hominis prosperatur. Sic omnium Sanctorum turba præcessit. Chuchbertus signifer quidam gentis nostræ in lege Domini Euangelium Ioannis superponebat infirmis, & curabantur. Beati Stephani tunica superposita mortuum suscitauit. Symbolum Apostolorum dæmoniacum, à quo gestabatur, curauit. Oratio Dominica herbis dum legebantur, aut dabantur ex fide dicta, sæpissime contulit optatum salutis effectum. Beatus Benedictus signo crucis vas mortiferum fregit, ac si pro signo lapidem intorsisset. Capitula Euangelij gestata, vel audita,

A vel dicta inueniuntur profuisse quamplurimis. Hæc equidem & similia non modo licita, sed & vtilissima sunt. Alia vero non tam contemnenda quam fugienda. Certum siquidem est, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Infideles autem & reprobos, aut etiam hæsitantes in fide, multis permittit ludificationibus subiacere. Omina tamen omnia possunt quantum excipientis fides permittit. Vnde & Iulius Cæsar nullo augurio, nullave superstitione, à quocunque incœpto potuit absterreri. Contigit vt quandoque in Africam nauigio proficiscens in egressu nauis prolaberetur, verso itaque ad melius omine; teneo te, inquit, Africa: eamque obtinuit. Præterea Calphurnia vxor eius ea nocte, quam is in terra vltimam gessit, vidit cum multis vulneribus confectum in sinu suo iacere, rogansque vt die sequenti à curia abstineret, non obtinuit, ne ille in vita sua aliquid timidum, quocunque auspicio egisse videretur. In excidio Massiliensium, lucum qui Diis sacratus habebatur, primus ausus est
B cædere, probans se ab omni superstitione alienum. Beatus quoque Marcus euangelizandi causa Alexandriam proficiscens, cum nauem egressus rupisset calceum, gratias agens, iter suum expeditum esse protestatus est. Si quis reuocatur inter eundum, non ob hoc, si quid in nomine Domini fuerat inchoatum prætermittat, nisi forte omen reuocationem ominosam esse corui persuadetur exemplo, qui coloris amisit venustatem, dum reuocatus à cornice, progredi maluit quam manere. His vero mens nugis incauta seducitur, sed fidelis nequaquam acquiescit.

Cap. II.

Contemnendas non esse omnino rerum naturalium significationes.

NOn tamen licet omina vana esse, fidémque augurus asseram non habendam, ideo signorum, quæ
C à dispositione diuina ad erudiendam creaturam concessa sunt, fidem & fructum euacuo. Multifarie siquidem, multisque modis suam Deus instruit creaturam, & nunc elementorum vocibus: nunc sensibilium, aut insensibilium rerum indiciis, prout electis nouerit expedire, quæ ventura sunt manifestat. Futuras itaque tempestates, aut serenitates, signa quædam antecedentia præloquuntur, vt homo, qui ad laborem natus est, ex his possit sua exercitia temperare. Hinc agricolæ, hine nautæ familiaribus quibusdam experimentis, quid quo tempore geri oporteat colligunt, qualitatem temporis futuri ex eo quod præteriit metientes. In qua re nec aues de quibus sermo præcessit, parentis naturæ beneficio arbitror destitutas. Mergus, Alcione, Cygnus, arcana naturæ frequenter aperiunt. Cum etenim circa medium hyemis, Alciones nidificare, ouaque fouere conspexeris, de decem & quinque dierum gratissima serenitate ne dubites, eosque naturæ solent diligentius obseruare, dicunturque dies alcionitæ, quibus vix vel
D tenuis flatus aura sentitur. Hos ad procreationem pullorum suorum, sibi à natura concessos, verisimiliter opinaberis. Cum vero fluuialium auium corpora in aquis auidius mergi conspicies, imbres expecta. Cum clamorem Cornicis audieris matutinum, pluuiam petit:

Haud ideo credo quia sit diuinius illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

Sed quia morantes in aëre motus illius citius in seipsis sentiunt, & inde hilaritatem concipiunt, aut mœrorem. Nec mirum, cum & grauiora animalium corpora ad exteriorum motus frequentissime disponantur, & arcano quodam naturæ consilio, gerant elementis necessarium morem. Quæ enim animalibus corporibus bona vel mala immineant, si se temporaliter, vel extemporaliter reddiderint tempora, ars Physicorum regulis suis satis probabiliter comprehendit, futuram etiam sanitatem, aut ægritudinem, aut statum, quem dicunt neutralitatem, fatalitatem quoque ipsam E
ex præcedentibus signis agnoscunt, & interdum si causas nouerint, efficacissime curant. Si vero (vt verbo eorum vtar) causas ignorant, quomodo curant? Non vtique artis beneficio, sed fortunæ. Iudicium v. quod ex signorum cognitione proferunt, etsi difficile, sæpe verissimum est. Multis quoque signis tranquillitas, & variæ tempestatum formæ procellarumque produntur, quæ velut specula Lunæ orbis insinuat. Ostendit namque rubicundus color ventos, cæruleus pluuias, ex vtroque commixtus nimbos indicat, furentesque procellas. Lætus ortus serenitatem nauigiis repromittit, quam gestat vultu præcipue si quarto ortu, is enim author certissimus est, neque obtusis cornibus rutila, neque infuso fuerit humore fuscata. Tunc enim

Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem vento pluuiaque carebunt.

Sol quoque candens interest vtrum æqualibus gaudeat radiis, an obiecta nube rutilet, vtrum solito splendore fulgidus, an ventis vrgentibus igneus, niue sit pal- F
lidus, an pluuia sit impendente maculosus. Aër vero, & mare ipsum nubiumque magnitudo, vel species plurimum afferunt instructionis. Sed & aues & pisces futurorum certissime produnt signa, quæ Virgilius & Lucanus diuino comprehendunt ingenio; sed & *Varro* in libris naualibus, dum sollicitos instruit nautas.

Cap. III.

Signorum alia esse vniuersalia, alia particularia: & quid significet geminatio Solis.

QVæ vero in Sole & Luna secundum naturam signa contigerint, certissima sunt, & autorum multorum testimonio comprobata. Solem quis audeat falsum dicere? Quoties ergo sol in cœlo geminari videbitur, inundationem aquarum subiectus orbis exspe- G
ctet. Et licet à raritate sui, miraculis videatur accedere, opus tamen naturæ est, quæ quidem solem non geminat, sed nubem simillimam facit: vocaturque parelion nubes simillima soli, signum quidem commune multis, etsi non generale. Signorum siquidem alia particularia, alia vniuersalia. Particularia vero faciunt singulis, vniuersalia multis aut vniuersis. Vtraque autem modo ex elementis dispositione Creatoris, modo ex natura rerum, modo ex malitia dæmonum, homines Domino permittente ludificantium, prouenire dicuntur. Sed quæ & quomodo, quave de causa, iudicium quidem difficile est, & frequenter incertum, & sæpe altius, quam vt ab homine valeat expediri. Eis tamen licentiori vanitate mathematicorum referti sunt libri. Æneas

Matre Dea monstrante viam, fata data secutum

se asserit, eo quod egredienti Lucifer, qui & Venus donec ad Italiam perueniret, apparuit auspicanti. H

Defectus solis varios, lunæque labores,

rerum euentibus curiositas humana coaptat.

Cap. IV.

De signis quæ præcesserunt excidium Hierosolymitanum nouissimum.

VEtus refert historia, sic dicta quod est autor eius incertus, & vetera refert, quod imminente Hierosolymorum excidio, eclypsis lunæ per duodecim noctes continuas etiam in remotissimis locis protracta est, forte significans Iudaicæ perfidiæ, superstitiosi erroris euersionem, quæ Christo per prædicationem Apostolicam mundo illucescente, rectissime contigit. Scriptum est enim, Stultus mutatur vt Luna, sapiens vero cum Sole permanet. Alia quoque quamplurima

A diuino super incredulos imminente iudicio acciderunt,
quæ si per singula prout ab autoribus digesta sunt, cœpero enarrare, vel sola hæc proprium tempus desiderabunt & otium. Pauca tamen autore Iosepho compendioso sermone percurram, eo quod ad roborandam fidem nostram proficiunt, & ad retundendam obstinatam perfidiam Iudæorum. Quadraginta namque post admissum piaculum continuis protracta annis impiorum pœna differtur. In quibus & Apostoli omnes, præcipue tamen Iacobus, qui dicebatur frater Domini, Hierosolymis Episcopus constitutus, indesinenter populum commissæ impietatis, & feralis ausi de scelere commonebant, si forte possent commissi pœnitudinem gerere: si possent flere pro scelere, & vltrices pœ-
al. vbertate. narum flammas lachrymarum * libertate restringere.
Ostendebat namque eis Deus per suam patientiam, quod ipsorum quæreret pœnitentiam; quia non vult tantum Deus mortem peccatoris, quantum vt conuertatur & viuat. Mollire autem adhuc mentis eorum du-
B ritiam nitebatur diuina maiestas, signis & prodigiis cœlitus datis terroresque scilicet, & minacem dexteram ostendendo potius quam inferendo. De quibus supra
al. cæteris. dicti historiographi fides, vt in * certis, etiam in hoc sufficiens erit. Relegamus ergo quod in sexto historiarum suarum libro de his ipse signauerit Iosephus. Sed infelicem inquit, plebem teterrimi quidam homines & deceptores falsa vaticinantes, suadebant vt euidentibus signis, & indiciis iracundiæ, & indignationis diuinæ non crederent, quibus aperte futurum & vrbis & gentis præsagiebatur excidium. Sed velut afflati & amentes, & qui neque oculos, neque animas in se haberent, spernebant omnia quæ cœlitus nuntiabantur. Etenim stella præfulgens gladio per omnia similis, imminere desuper ciuitati, & cometes præterea exitialibus flammis visa est ardere per totum annum. Sed & ante excidij tempus ac belli, cum populi ad diem festum conuenirent, octauo die mensis Xanthici, qui est Aprilis, noctis tempore, hora nona tantus luminis fulgor aram, templumque circundedit, vt putarent omnes diem clarissimum factum, & permansit spatio horæ dimidiæ. Quod imperitis quidem & ignaris prosperum videbatur. Sed legisperitos & probos quosque Doctores non la-
C tuit exitiale portentum. In eadem quoque festiuitate vitula sacrificiis admota, & aris assistens, inter ipsas ministrorum manus enixa est agnam. Sed & ianua interioris ædis, quæ respiciebat ad orientem, cum esset ære solido induta, ac perinde immensi ponderis, quæ vix viginti viris summo conatu impellentibus clauderetur, ferreis quoque vectibus & seris munita, ac pessulis
al. obstructa. in altum demissis teneretur * obstricta, repente hora noctis sexta, prima & vicesima die mensis Arthemesij qui apud nos Maius vocatur, prodigiosus apparuit visus, & fidem pene excedens. Quod vere falsum putaretur, nisi oculorum fidem confirmasset, malorum consecuta pernicies. Etenim prope Solis occasum, visi sunt currus & quadrigæ in omni regione per aërem, & armatorum cohortes misceri nubibus, & vrbes circundari agminibus improuisis. In alio autem die festo, qui Pentecostes appellatur, noctu sacerdotes ingressi templum, ad ministeria ex more complenda, primo quidem motus quosdam, strepitusque senserunt; tum deinde
D voces subitas audiunt dicentes, migremus hinc, migremus ex sedibus istis. Additur his etiam aliud terribilius: Etenim quidam Ananiæ filius Iesus nomine, vir plebeius & rusticus, & ante quartum belli annum, cum ciuitas in pace & abundantia perduraret, in die festo tabernaculorum, repente clamare cœpit, Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox super Hierosolymam & templum, vox super sponsos & super sponsas, vox super populum. Et indesinenter die noctuque per omnes plateas circumiens hæc clamabat; vsquequo quidam primores ex populo viri, velut infausti præsagij indignatione commoti, correptum hominem multis verberibus afficiunt. At ille nequaquam pro se aliquid loquens, sed nec eos quidem, qui circum-
steterant deprecans, easdem voces pari obstinatione, & E
clamore repetebat. Tunc Principes intelligentes, vt res erat, numinis esse in viro motus, perducunt eum ad Iudicem Romanorum, apud quem flagris ad ossa vsque laniatus, neque preces, neque lachrymas fudit; sed eandem vocem miserabiliter, & cum quodam eiulatu emittens, per singula pene verba proferebat, addens etiam hoc, væ, væ Hierosolymis. Prosequitur & aliud idem historiographus, maiore gestum miraculo, dicens oraculum quoddam in sacris literis repertum, quod per idem tempus virum designaret ex eorum regione processurum, qui totius orbis potiretur imperio. Cuius oraculi præsagium, idem historiographus Vespasianum declarare suspicatur. Si Vespasianus non aliis, quam illis solis gentibus, quæ Romano Imperio videbantur subditæ, dominatus est. Vnde iustius ad Christum hæc responsa referuntur, ad quem dixit pater: Pete à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ. Et cuius per idem
tempus, per Apostolos suos, in omnem terram exiuit F
sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

CAP. V.

Quanta fuerit calamitas obsessorum, & obstinatæ malitiæ quis fuerit finis, & quæ pietas Titi.

AT ne tot, & tanta mediocris plagæ, aut perfunctoriæ indignationis Dei, aduersus impœnitentiam Iudæorum, signorum præcessisse videantur indicia, calamitatem intolerabilem, excidium irreparabile, reprobatæ & excæcatæ gentis inauditam, & cunctis sæculis incognitam seruitutem succinctus sermo percurrat. Quantis ergo malis sunt vniuersa multitudo tacta sit, atque ipsa Iudææ terra bello, fame, igni, cædibusque vastata sit, quanta populorum millia, patres simul cum coniugibus, ac paruulis liberis, absque numero, & absque discretione trucidati sint, quæ etiam diuersarum vrbium obsidiones, sed & ipsius magnificæ & famosissimæ ciuitatis Hierusalem quanta vastitas, &
quanta fuerit diuersarum mortium strages, quis per G
hæc singula bellorum extiterit modus, & vt secundum id, quod Prophetæ dixerant, abominatio desolationis in ipso quondam Dei famosissimo collata sit templo, vtque ad vltimum cuncta ignis populatus sit, & flamma consumpserit, si quis plenius nosse vult, historiam Iosephi relegat. Nos vero ex his ea tantum, quæ ad explanationem suscepti operis sufficiunt, assumemus: in quibus refert quod ex omni Iudæa populi, in solemni Paschæ Hierosolymam, velut exitiali quadam manu cogente, conuenerant. Quos tricies centena millia dicit hominum fuisse, iusto scilicet Dei iudicio, tempore hoc vltionis electo, vt quod in diebus Paschæ Saluatorem Christum Domini, cruentis manibus, & sacrilegis vocibus violarunt, in ipsis diebus velut in vnum carcerem, omnis multitudo conclusa, feralia pœnæ exitium, quod merebatur, exciperet. Prætoribo sane quæ in eos vel gladij cæde, vel aliis belli machinis collata sunt, explicare; ea tantummodo, quæ diræ fa-
mis exitio pertulerunt, supra dicti historiographi ser- H
monibus proferam, quo legentes hæc intelligant, quantum piaculi sit, audere aliquid in Christum, & quam grauibus ausa suppliciis expientur. Age itaque, quintus Iosephi historiarum liber ponatur in medio, ex quo omnis eorum luctuosa tragœdia pernoscatur. Diuitibus autem permanere, inquit, aut perire, vnum atque idem erat. Si enim in vrbe permansissent facultatum suarum causa crimine obiecto, quasi de transfugiendo cogitarent, perimebantur. Necessitas vero famis, factiosorum extollebat arrogantiam, & vtrumque simul inedia cum temeritate crescebat. Publice quidem frumentum nusquam omnino erat, sed irruentes vrbis prædones perscrutabantur domos, & si quid inuenissent, tanquam

A de his, qui fefellerant, pœnas sumebant, si vero nun inuenissent, nihilominus tanquam eos, qui occultius & diligentius abscondetint, cruciabant. Indicium vero ab eis haberi pabula capiebant hoc ipso, quod adhuc viuerent, & subsistere corporibus videbantur, tanquam qui profecto iam interiissent, nisi absconditos vspiam tegerent cibos. Si quos sane tabescentes macie vidissent, hos cum venia prætetibant, superfluum putantes perimere, quos paulo post absumeret fames. Multi tamen in occultis omni censu suo mercati sunt vnum metrum, si diues frumenti, & hotdei si inferiores fuerunt, & concludentes se in interioribus quibusque penetralibus domus, nonnulli nec in panes confectas fruges edebant. Alij vero in quantum vel necessitas, vel metus permitteret, excoquebant. Et mensam quidem nullus exspectabat apponi, sed ex ipso se inusta igni rapientes, propria, velut furtiua, deuorabant; & erat infelicis illius cibi spectaculum miserabile, cum validiores quique iuuenta diriperent; imbecillibus vero nihil
B præter luctum superesset ac lachrymas: & omnium licet acerbitates rerum superaret fames, nihil tamen ita subruit atque subuertit, sicut verecundiam. Quid enim saluis rebus pudore dignum est: Id in hac necessitate contemnitur. Denique & vxores de virorum manibus, & filij de parentum, & quod est infelicius, matres cibos de paruulorum manibus atque ore rapiebant, & cum dulcissimi liberi, in manibus atque ante ora positi tabescerent, exigua vitæ subsidia à dentibus ipsis eximere nemo parcebat. Verum ne ipsos quidem infelices, & perexiguos sumentes latebant cibos: sed continuo aderat prædonum quis, & statim vt clausas cuiuspiam conspexisset fores, indicium credebat hoc esse, quod intrinsecus positi ederent; & repente despicatis foribus, præcipites irruebant, atque ab ipsis, vt ita dicam, faucibus exprimentes, si quid forte insumptum iam fuerat, reuocabant. Verebantur senes, si cibum vendicare tentassent, sparsis etiam crinibus mulieres trahebantur, occultare nitentes, si quid forte deprehen-
C sum fuisset in manibus. Nulla senibus reuerentia, nulla erga paruulos miseratio, sed in exiguo panis fragmento, paruulos inhærentes, & ex ipso cui inhæserant suspensos, allidebant in terram. In eum vero, qui raptores cibo præuenisset absumpto, crudelius sæuiebant, & excogitabant dira supplicia, obturantes infelicibus naturales digestionum meatus: alij vero præacutas sudes per eadem verenda adigentes. Horresco quæ gesta sunt referens, ad confessionem post hæc vnius panis, aut cyathi farinæ miseros perurgebant. Nam ipsi tortores non patiebantur famem. Esset enim quodammodo tolerabilius si hæc compulsi inedia facere viderentur. Sed vt vel præpararent sibi in posterum cibos, vel vt crudelitas exercitio conualesceret. In his etiam si qui forte furtim per stationes, vel ostium pro colligendis herbis erupissent, occurrentes eis qui se hostium manus effugisse gauderent, diripiebant quicquid attulerant. Supplicantibus autem & terribile quoddam sibi nomen Dei inuocantibus vt vel partem aliquam ex his,
D quæ secum mortis periculo quæsierant, indulgerent, nihil prorsus præbebant: sed hoc beneficij loco censerat, si comprehensum viuum licuisset euadere. His autem post aliquanta adiungit, dicens: Iudæis vero cum egressu vrbis omnis pariter spes excludebatur salutis, & inualescens acerbitas famis, domos simul & familias gentemque vastabat; ita vt in penetralibus strata iacerent mulierum paruulorumque cadauera, per plateas vero infelicium senum corpora, fame magis quam ætate, consumpta. Iuuenes vero atque omnis ætas robustior, velut simulachra quædam in viis oberrabant, & egressibus corruentes, quocunque loci gressum surripuisset inedia. Sepelire autem cadauera mortuorum proximorum, nec defunctorum multitudo, nec virium debilitas permittebat, simul & per suæ vitæ incerta vnusquisque verebatur. Denique aliquanti super eos, quos sepeliebant, animas emisere; multi etiam dum prosequuntur funera, priusquam ad sepulchrum veni-

rent, efflabant. Sic nec planctus ex more defunctis E
exhibebatur, aut luctus, quia hoc sibi totum vendicauerat fames; sed nec ariditas inediæ humorem aliquem cuiquam reliquerat lachrymarum. Obsederant ciuitatem profunda silentia, & nox plena mortis cuncta contexerat. Quibus malis omnibus grauiores soli vigebant prædones, qui ne sepulchra quidem diripere & spoliare cadauera illicitum ducebant, non tam prædam petentes, quam scelus irrisione cumulantes, & aciem gladiorum suorum in cadauerum obtruncatione probantes. Interdum etiam in nonnullos adhuc spirantes, mucro examinandus agebatur, quod alij femineces cum viderent, supplices dextras prætendebant, vt in se quoque beneficij loco, conuerterent scelus, quo scilicet cruciatibus famis velocius absoluerentur; sed nouo crudelitatis genere, necem quam sponte inferebant, si rogarentur, negabant. Cum tamen vnusquisque deficientium cum gemitu retorqueret oculos ad templum, non de morte propria dolens; sed de impunitate prædo-
num, quos superstites relinquebant. Et primo quidem F
sumptu publico, sepelire mortuos iusserant, fœtoris intolerantia. Vt vero omnem sumptum cœpit vincere multitudo morientium, de muro cadauera præcipitabant. At cum Titus circumiens peruidisset repletas mortuorum cadaueribus valles, & humani corporis tabo patriam terram rigari, cum ingenti gemitu, eleuatis ad cœlum manibus, Deum inuocat testem, hoc sui causa non prouenire, sed se ista sustinere inuitum. Et post aliquanta iterum Iosephus talia quædam prosequitur. Non cunctabor, inquit, profari quod sentio: Arbitror enim quod etiam, si aduersus impios ciues, Romanorum paulisper arma cessassent, aut hiatu terræ aut aquæ diluuio, aut Sodomitanis ignibus, & fulminibus cœlitus tortis, supplicium ciuitati dependisset, quæ multo infaustiorem illis, qui hæc perpessi sunt, & nequiorem virorum præsentem hanc protulisset ætatem, pro quibus omnis gens pariter meretur extingui. Sed in sexto libro de eisdem talia scribit Et
eorum, inquit, qui per totam ciuitatem famis inedia G
corrumpebantur, multitudo innumerabilis erat, quorum nec explicari miseria potest. Per singulas namque domos sicubi aliquid fuisset cibi repertum, bella continuo, & cædes inter charos, ipsosque parentes ac liberos nascebantur, dum non solum è manibus, sed ex ipsis etiam faucibus, inuicem cibum rapere certabant. Fides autem nec mortuis erat; sed & ipsi, cum iam spiritum exhalarent, perscrutabantur à prædonibus, ne cui forte intra gremium cibi aliquid resideret. Alij etiam per inediam hiantes, velut rabidi canes, huc atque huc ferebantur, & quasi insania quadam exagitati, in easdem domos, sub momento temporis, iterum ac sæpius irruebant. Omnia tamen necessitas vertebat in cibum, etiam illa, quæ ne mutis quidem animalibus edere visus fuit. Ad vltimum ne loris quidem, vel cingulis, aut ipsis calceamentis abstinuerunt. Portarum quoque indumenta detrahentes, conficienda dentibus ingerebant. Nonnulli & fœni veteris festucas edebant,
sed & de quisquiliis collectis paruissimum pondus, H
drachmis quatuor distrahebant.

Cap. VI.

De Maria qua vrgente fame comedit filium.

SEd quid opus est per hæc pondus famis illius explicare, cum gestum sit ibi facinus, quod neque apud Græcos, neque apud barbaros, vllus accepit auditus? horrendum quidem dictu, auditu vero incredibile. Et quidem libenter tam immane facinus siluissem, ne quis me crederet monstruosa narrare, nisi multos memoriæ nostræ viros testes commissi sceleris habuissem. Porro vero ne aliquid meæ patriæ præstare me arbitrer, si subtraham eorum verba, quorum pertulit facta. Mulier quædam ex his, quæ vltra Iordanis alueum commanebant, Maria nomine, Eleazari

A filia, de vico Bethezob, quod interpretatur domus Ysopi, genere & facultatibus nobilis, cum reliqua multitudine, quæ confluxerat Hierosolymis, reperta, communem cum omnibus obsidionis casum ferebat. Huius reliquas quidem facultates, quas domo in vrbem conuexerat, tyranni inuasere, si quid vero reliquiatum ex magnis opibus fuerat, quibus victum quotidianum pertenuem duceret, irruentes per momenta prædonum satellites rapiebant. Pro quibus ingens mulier velut insana iam quadam ex indignatione fatigabatur, itavt interdum prædones maledictis in necem sui, & conuitiis instigaret. Verum cum neque irritatus quisquam, neque miseratus, eam opprimeret, & si quid forte cibi fuisset ab ea quæsitum, id ab aliis quæreretur, nec iam vsquam reperiendi copia fieret, fames autem dira visceribus ipsis insisteret; ac medullis, & ad furorem perurgeret, iam inedia, fame & ira pessimis vsa consultoribus, contra ipsa iam armatur iura naturæ. Erat namque ei sub vberibus paruulus filius, hunc ante oculos B ferens, infelicis, inquit, matris ô infelicior fili, in bello, fame, & direptione prædonum, cui te reseruabo? Nam etsi vita sperari posset, & iugo Romanæ seruitutis vrgemur: Sed nunc etiam ipsam seruitutem præuenit fames. Prædones vero vtraque vi grauiores perurgent. Veni ergo nunc, ô mi nate: esto matri cibus, prædonibus furor, sæculi fabula, quæ sola deerat cladibus Iudæorum. Et cum hæc dixisset, simul filium iugulat. Tum deinde igni suppositum torret, & medium quippe edendo consumit, medium vero reseruat obtectum. Et ecce confestim prædones irruunt, ambustæ carnis nidore concepto, mortem minantur, nisi sine mora cibos, quos paratos senserant, demonstraret. Tunc illa, equidem partem, inquit, optimam vobis reseruaui: & continuo, quæ superfuerant membra, retexit infantis. At illos repente ingens horror inuasit, & crudeles quamvis animi, diriguere: vox faucibus interclusa est. Illa vero truci vultu, & ipsis etiam prædonibus truculentior, meus, inquit, filius est, meus est partus, & facinus C meum est. Edite, nam & ego prior comedi, quem genui. Nolite effici aut matre religiosiores, aut fœmina molliores: quod si vos pietas vincit, & execramini cibos meos, ego quæ iam talibus pasta sum, ego his iterum pascar. Post hæc illi territi trementesque discedunt, qui hunc solum ex omnibus facultatibus suis misteræ matri reliquerant cibum. Repleta est autem confestim vniuersa ciuitas nefarij sceleris nuntio, & vnusquisque ante oculos facinus, quod perpetratum fuerat, adducens, tanquam si ipse hoc perpetrasset, horrebat. Omnes autem quos famis necessitas perurgebat, festinabant magis ad mortem, beatos dicentes eos, quibus contingit interiisse, priusquam talium malorum pollucrentur auditu. Hæc quidem Iosephus.

Cap. VII.

De numero captiuorum & occisorum & peremptorum fame.

D Qvem vero tanta calamitas inuenerit exitum, eodem autore perpaucis adnectam. Colligens enim supra dictus historiographus, omnem numerum peremptorum vel fame, vel siti, vel ferro, vndecies centena millia designauit. Cæteros vero latrones, vel sicarios, ac prædones, post vrbis excidium, mutuis declarauit interiisse vulneribus. Electos autem quosque iuuenum, quos decor corporis & proceritas commendabat, ad triumphum dicit esse reseruatos, reliquos autem qui supra XVII. annos agebant ætatis, vinctos ad opera Ægypti per metalla destinatos, vel per cæteras prouincias esse dispersos. Alij quidem vt ad ludos gladiatoris, alij vt ad bestias traderentur. Si qui vero vltra septimum & decimum ætatis reperti sunt annum, per diuersas prouincias in seruitutem distrahi iussi sunt, quorum numerus vsque ad nonaginta millia perductus est. Hæc vero omnia gesta sunt secundo anno Vespa-

E siani Imperij, iuxta ea quæ ipse Dominus & saluator noster Iesus Christus prædixerat: quippe cum ea, quæ gerenda erant, præsentia videret. Tunc cum secundum Euangeliorum fidem videns ciuitatem fleuit super eam, & velut in auribus eius prolocutus est hæc verba: Si cognouisses, inquit, & tu, & quidem in hac die quæ ad pacem tibi sunt, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quis venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique & ad solum prosternent te, & filios tuos in te. In hunc modum quamplurima diuinæ comminationis tonitrua publice induratis auribus resonabant; quousque sanguis iustorum, sed & ipsius iusti singularis, & voici qui ab impiis inique effusus est, iusto Dei iudicio quæreretur. Attriti sunt ergo plagis, bellis strati, & à patriis sedibus diuinæ indignationis excisi turbine, vt in vrbe gloriosissima, nec lapis super lapidem remaneret: fuitque populi induF rati, & quouis lapide durioris tribulatio tanta, quanta non fuit ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad diem hanc.

Cap. VIII.

De peregrinatione fidelium, quos sub ea tempestate seruauit Christus apud Pellam.

ECclesia vero quæ fuerat Hierosolymis congregata diuinitus transire iussa est trans Iordanem & oppidum quoddam nomine Pellam, quo ablatis ex vrbe cultoribus Dei, cœlestis vindictæ fieret locus, quæ in vrbem gentemque sacrilegam fuerat exercenda. Quod & Eusebius Cæsariensis in Ecclesiastica historia plenius exponit.

Cap. IX.

G *Testimonium quod perhibet Iosephus Christo.*

ET quidem hæc omnia rectissime passi sunt, qui in filium Dei manus sacrilegas extendere præsumpserunt, cum testimoniis scripturarum, & virtute mirabilium operum, ipsum Christum Deum esse constaret: Vnde Iosephus: Fuit autem iisdem temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum appellare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum, qui libenter quæ vera sunt audiunt, & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit, Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ genos virorum, cum Pilatus in crucem agendum esse decreuisset, non deseruerunt eum hi, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit autem die eis tertia iterum viuus, secundum quod diuinitus inspirati prophetæ, vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab eo nuncupati sunt, & nomen H perseuerat & genus.

Cap. X.

De Vespasiano, qui claudum & cæcum curasse legitur.

VEspasianum quoque Iudææ vastatorem, patremque Titi, Hierosolymorum pissimi euersoris, vt quibusdam scriptoribus placuit, miraculorum signis ad faciendam vindictam in nationibus, Deus dignus excitauit. Ipsum namque nec dum Imperatorem, quidam è plebe luminibus orbatus, itemque alius claudus crure debilis, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini, eo quod sibi foret in quiete monstratum, oculos restituendos, si eos ille inspiceret, & crus debili coborandum, si illud dignaretur calce contingere. Orantibus amicis, inuitus licet, vtrumque tentauit; nec defuit euentus. Imperium quoque eius & interitus Vitellij & Othonis, qui fœdo Neroni

succeſſerant,

A ſucceſſerant, pluribus cœleſtium ſignis prænuntiatum eſt, & pro parte ſtupendis.

Cap. XI.

Signa eſſe quæ contra naturam fiunt.

QVæ vero huiuſmodi ſtupore digna in his contingunt, plerumque ſigna eſſa non ambigit, quiſquis Euangelicæ promiſſionis fideliter meminit, cum ſcriptum ſit: Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, &c. Ea tamen quæ hic prænuntiantur, ſine præiudicio ſententiæ melioris, ea intelligenda arbitror, quæ in his contra naturam fiunt; quale eſt quod in paſſione Domini Sol obſcuratus eſt, velum ſciſſum, petræ ruptæ, aperta monumenta, & ſanctorum corpora qui dormierant ſurrexerunt. Naturalis etenim eclypſis eſſe oon potuit, quæ lunaris corporis obiectu contingit, cum conſtet pridie Lunam XIV. extitiſſe, niſi forte quis de B Iudaica perfidia incredolitatis ſuæ ſolatium mutuetur; aſſerens com eis Venerem tunc in eclyptica linea Soli fuiſſe oppoſitam, quæ quidem magna eſt, & vt aſtrologi tradunt, ſola de quinque ſideribus de oocte vmbram de ſe emittit, vt Luna. Quod quia nec ratio probat, oec autoritas, aut fides approbat, repudiatur vt futile. Si enim adeo luminoſum eſt Veneris corpus, quomodo tantas parit tenebras? Dionyſius Areopagita in Epiſtola ad Polycarpum ſcribit, ſe & plures alios philoſophantes tunc vidiſſe Lunam Soli incidentem. Et qeidem coutra naturam, non enim erat coitus tempus. Quod ei poſtmodum Paulo prædicante, conuerſionis dedit occaſionem. Scio tamen plures aliter tunc locutos; ſed Dionyſium præfero vniuerſis, quia quod vidit, ſcripſit; alij proprias ſequuntur opiniooes. Sunt autem ſigna plerumque non modo vniuerſalia, ſed & generalia, ſicut illud quod Deo moriente tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram, ab hora ſexta vſque ad nonam, & quod in eis particulare eſt, aut minus vniuer- C ſale, capacitatem generis, temporis perpetuitate compenſat. Mors etenim illa, Moyſi faciem detexit vniuerſis, perpetuam duritiam ſcidit, & reſurrectionis primitias in æternam lætitiam introduxit. Illa quoque quæ diem iudicij præuenire dicuntur, per dies XV. ſi tamen futura ſunt, quoniam de ſcriptura Canonica firmamentum non habent, naturæ legibus minime ſubiacebunt, dum tamen naturam hic, vt in locis quam pluribus dicamus, ſolitum curſum rerum, aut cauſas occultas euentuum, quarum ratio reddi poteſt.

Cap. XII.

Nihil contra naturam, autore Platone, contingere, qui naturam dicit Dei voluntatem.

SI vero Platonem ſequimur qui aſſerit naturam eſſe Dei voluntatem, profecto nihil iſtorum euenit contra naturam, cum ille omnia quæcunque voluit fece- D rit. Ille quidem dum rerum cauſas exequitur, finem omnium diuinam aſtruit bonitatem. Optimus eſt, inquit. Porro ab optimo longe relegata eſt omnis inuidia. Itaque conſequenter cuncta ſui ſimilia, prout natura cuiuſque beatitudinis capax eſſe poterat, effici voluit, quam quidem Dei voluntatem, certiſſimam rerum originem eſſe, ſi quis ponat, recte eum putare conſentiao. Et quidem ſapientia Dei & bonitas, quæ rebus omnibus originem præbet, natura rectiſſime appellatur: contra quam vtique nihil fit, quia diſpoſitionem Dei nihil euacuat, aut cauſas quæ in mente illius, qui fecit cœlos in intellectu, ab æterno conſtiterunt, ſuo priuat effectu. Inſunt itaque rebus ſeminales euentuum cauſæ, & originariæ rationes, quæ præordinato tempore in ſuos procedunt effectus, ex eo quidem mirabiles, non quod nullas, ſed quod occultiſſimas habeant rationes. Humor ſiquidem de intimis terræ viſceribus, ab arborum vel vinearum radicibus, appeti- E tiua quadam virtute attrahitur, deinde quadam diſtributione naturæ, dirigitur per plantarum membra, & cum de ſua decoctione profecerit, turgeſcit in ſurculos, & quo ad ſuſtentationem ſui, non indiget, in folia & fructus emittit, qui cum maturuerint, in muſta deſpumant, & ſic per interualla temporum, conſueto vſu vina parturiunt. Si vero occulta diſpoſitione Dei, quibuſdam naturæ cuniculis, digeſtus & maturatus humor abſque temporis ioterſtitio, inopinatum vertitur in vinum, miraculum quidem eſt, quia altitudo diuinæ diſpenſationis noſtrum tranſcendit intellectum. Sed, vt ait ſapiens, cedit inſcitiæ nubilus error, ceſſant profecto mira videri. Non tamen mirabilium Dei fidem vel autoritatem infringo; ſed altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, plena humilitate veneror & admiror, ſciens quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. In multis etenim labi, humana infirmitas eſt, ſicut in nullo aliter ſentire, quam res ſe habeat, angelica vel diuina perfectio. F

Cap. XIII.

Quia Deus ſignis ſuam præmunire dignatur creaturam.

HOc quoque diuinæ miſerationis eſt, quod ſignorum ſuorum indicio ignorantiam noſtram quandoque præmunit. Cometa ſiquidem apparente, creduntur imminere ‖ comitia. An igoor...s al. *tonitrua.*

terris mutante ... *igna Comet...*

Italiæ quoque imminente excidio, quæ ſigna cootigerint, non neſcit quiſquis aliquatenus rerum publicarum hiſtorias attigit. Hiſtoricorum volumina, quæ de rebus memorabilibus ſcribuntur, prodigiis plena ſunt & oſtentis. Denique ſub Helia & Heliſeo multa fidei & virtutis ſigna præceſſiſſe ooo ambigis. Niniuitæ quoque ſignorum indiciis, pœnitentiam egerunt in prædicatiooe Ionæ. Infidelitas namque ſignorum argumentis exigitur, & fides tenera eiſdem roboratur. G Vnde illud, Quod ſignum oſtendis oobis? & Iudæi ſigna quærunt, Græci ſapientiam.

Cap. XIV.

Quid ſignum, & de ſomnio.

HIc vero intelliguntur ſigna, quæcunque quouis indicio diuinam homini innuunt voluntatem. Signum ſiquidem eſt, quod ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo oſtendit. Quædam tamen ſigna ſunt, quæ nulli corporalium ſenſuum aliquid oſtendunt, ſed animo cuiuſcunque rei ſpecie mediante, aut citra medij difficultatem, verum falſumve frequenter ingerunt. Signa etenim interdum vera, interdum falſa ſunt. Quis neſcit ſomniorum varias eſſa ſignificationes, quas & vſus approbat, & maiorum confirmat autoritas? In eis vtique quoniam ſomnus eſt, animales H virtutes, ſcilicet ſenſus, qui dicuotur corporis & ſunt animæ, quieſcunt, ſed naturales iotenduntur. Contingit interim vt animus corporis exercitio releuatus, in ſeipſum liberius redeat, & veritatem nunc per figuras & ænigmata, nunc immediata facie licentius contempletur. Quod & illum noo latuit, qui ſomni depingens portas, alteram eburneam, alteram corneam finxit. Cum & cornu ſit peruium viſui, qui non frequenter errat, & ebur naturæ denſioris, & vſque ad extremam tenuitatem raſum, nullo viſus acumine penetretur. Hoc quidem dentibus, illud oculis verioribus ſimilius eſt. Hinc vera ſomnia, hinc falſa,

ad cœlum mittunt inſomnia manes.

A

Cap. XV.

De ſpeciebus ſomniorum, & cauſis, & figuris, & ſignificationibus.

SVnt autem multæ ſpecies ſomniorum, & multiplices cauſæ, & variæ figuræ, & ſignificationes. Aut enim inſomnium, aut phantaſma, aut ſomnium, aut oraculum, aut viſio eſt. Porro inſomnia ea ebrietate, vel crapula, aut variis paſſionibus corporis, affectuumque tumultibus, & reliquiis cogitationum frequentiſſime oriuntur. Vnde & male ſanis amantium mentibus inſomnia nunquam deſunt. Quod prudenter innuit Maro:

Anna ſoror quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?
Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos, hærent infixi in pectore vultus,
Verbaque, nec placidam membris dat dura quietem.

B Hæc quoque dolentium aut gaudentium, aut quos timoris vexat anguſtia, aut immoderatæ cupidinis ardor accendit non prætereunt paſſionem. Phantaſma, cum rerum ignotæ videntur ſpecies, qualitate vel quantitate, aut partium modo vel numero a natura diſcrepantes, vt ſi forte nec pes nec caput vni reddatur formæ, dum

tetrum
Deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Has quidem ſpecies ex infirmitate mentis & corporis, tradunt phyſici peruenire, earumque cauſas magis attendunt, quam ex eis aliquas ſignificationes. In quo genere & ephialtem, quo quis variis preſſuris quodam quaſi interuigilio, ſed ſomno potius inquieto, opinans ſe vigilare cum dormiat, putatur ab aliquo interim prægrauari, connumerandum arbitrantur. Quæ quidem omnia medicorum potius indigent cura, quam ventilatione noſtra; præſertim cum nihil in eis verum appareat, niſi quod veriſſimæ ſunt & moleſtiſſimæ paſ-
C ſiones. Somnium vero cuius appellatio communis eſt, licet in ſpecie propria cenſeatur, per quædam inuolucra rerum gerit imagines; in quibus coniectorum præcipue diſciplina verſatur, & nunc ſuum cuiuſque eſt, nunc alienum, nunc commune, interdum publicum, aut generale eſt. In his vero omnibus qualitas perſonarum, rerum, & temporum diligentiſſime obſeruatur. Vt enim ait Neſtor, de ſtatu publico regis credatur ſomnio, aut ei qui magiſtratum gerit, vel re quidem vel rei vicina prædeſtinatione, aut ſi publicæ fortunæ ſignum oſtenſum eſt multis, vt in eo quod pluribus Romanis ciuibus, ſecundum quoſdam Sibylla interprete de myſterio incarnationis, reuelatum ſcribitur. Et quidem non modo incarnationis, ſed paſſionis, aſcenſionis poſt reſurrectionem, aduentus quoque ſecundi interpres, docente & dictante ſpiritu, patefacit arcana, ſicut in verſibus Sibyllinis manifeſte reperies. Quorum iſtud, ſicut in pleriſque patrum ſcripturis inuenitur, notum eſt:

D *Iudicij ſignum, tellus ſudore madeſcet.*

Si vero apices capitales ſingulorum verſuum ea ordine coniungantur, ad confundendam perfidiam Iudæorum hoc inuenitur expreſſum. Ieſus Chriſtus Θεȣ, Σωτὴρ: niſi quod in lingua Latina Græcarum literarum proprietas ad plenum non potuit obſeruari. Ipſos vero verſus, vt opinor, apud beatum Auguſtinum in libro de ciuitate Dei inuenies. Eſt ergo myſticæ viſionis eius caput & ſumma intentio, Ieſum qui præfigurabatur, indubitanter eſſe filium Dei viui, hominem verum, iudicem omnium, regem æternum, remuneratorem ſperantium in ſe, autorem vitæ, & æternæ beatitudinis ex gratia largitorem. Re quidem vel rei vicina prædeſtinatione, ideo dictum eſt, quia magiſtratus nunc præſens intelligitur, nunc futurus. Excidium quippe Numantiæ iuniori innotuit Africano, dum eſſet adhuc pene miles. Dum autumnos adultus eſt aut præruptus, ſomnia frequentius euaneſcunt. Arborum
E namque labentibus foliis, inſomniorum vanitas dominatur: quod & Virgilius, in libro in quo totius Philoſophiæ rimatur arcana, ſenſiſſe viſus eſt, dum labentia folia apud inferos, variis ſomniis ornauit. Locorum quoque diuerſitas, varias figuras quietis admittit, vt alia aliis, nunc horum nunc illorum ſomniorum, vberiora ſint. Locus namque paluſtris aut deſertus, eminentiori aut celebriori phantaſmaticarum imaginum fœcundior eſt. Res quoque interdum manifeſtius, interdum obſcurius aperitur, & nunc ſe ipſam animo ingerit, nunc intimante alio declaratur: cum vero luce immediata ſeipſam infundit, viſio eſt, ex eo quod plena & vera ſpecie ſui, oculis videatur eſſe ſubſtantia; quale eſt, quod Caſſandrum omnino non viſum, à quo Alexander, hauſto veneno perimendus erat, agnouit, quia eum quies ei repræſentauerat. Porro viſionum alia manifeſtior eſt, vt quæ clara rei occurrit imagine; alia profundiorem deſiderat intellectum, vt cum rem admixta ſpecies figurarum obnubilat; ſicut eſt, quod
F C. Cæſare tranſito Rubicone bellum patriæ inferente, ad deſignandum terrorem ciuium, qui erant per conciuis iniuriam opprimendi,

Ingens viſa duci, patriæ trepidantis imago.

duci ſuo denuntians, ne conciues armis ciuilibus impugnaret. Publici namque imago imperij, publici metus, & Cæſareo nomine proſtratæ vrbis erat iudicio. Quod ſi Imperij nullam in veritate, quæ ſic appareret, credidit quis fuiſſe imaginem, hiſtoriarum fide certiorabitur. Cum enim maieſtatem vrbis principes viſibili ſpecie cenſuerint honorandam, exquiſito artificio muliebrem formam, quæ orbem dextra contineret, in æris materia fieri ſtuduerunt. Ea vero perfecta in forma egregia, venuſta quantitate, apta partium diſpoſitione, membris quoque condecentibus, & ſibi inuicem congruentibus vniuerſis, cum non tam populi examinationem, quam admirationem, plena ſui commendatione depoſceret, quidam ſolas tibias tantæ moli perferendæ inhabiles eſſe cauſati ſunt. Quibus faber reſpondit, eas vſquequaque ſufficere, donec virgo pare-
G ret, omnino credens impoſſibilem virginis partum. Quod & Chriſto nato impletum eſt, ea corruente & fracta, quia humanum contrahitur, vbi diuinum imperium dilatatur. Cum vero res per quietem alio nunciante clareſcit, ſi tamen enunciantis honeſta cuiqua perſona ſit & venerabilis, in oraculorum ſpeciem cadit. Eſt enim oraculum, vt ait quidam, diuina voluntas ore hominis enuntiata. Hominis vero appellatione cenſetur, quicquid in ſpecie hominis videtur, homo, angelus ſit, an Deus, an quævis alia creatura. Perſona autem cuique honeſta eſt & venerabilis, aut natura, vt parentes; aut conditione, vt Domini, aut moribus, vt religioſi aut fortuna, vt magiſtratus; aut religione, vt Dei, Angeli, hominiſve, ſacris & ceremoniis diuinis conſecrari. Ex quo apparet, etſi non ſimpliciter, tamen ſecundum quod perſonas arte coniectoria non modo honeſtas, ſed & deteſtabiles venerabilium nomi-
H ne claudi. Sicut enim Catholicæ religionis viri, vero Deo, eiſque quæ munere eius ſacra ſunt, piam venerationem impendunt, ita hæreticæ, & ſuperſtitioſæ religionis homines, fictis numinibus, immo potius veris dæmonibus, & execrabilibus ſacris eorum, non debitam reuerentiam, quæ nulla eſt, ſed turpiſſimum exhibent famulatum. Quod latius ex gentilium libris colligitur. Æneas oraculorum indicio, promiſſam & quæſitam inuenit Italiam, & in ea non tam numinum, quam dæmonum nutu, ſedem ſtatuit, & ſementem Romani generis, in horto qui eis complacuerat, ſeminauit. Quid enim aliud agit in ſomnis pater Anchiſes, quid Iupiter quid Apollo, quid alij, quos longum eſt recitare? Vnde ſi de ſemine illo genus oritur toxicatum, impium in Deum, crudele in homines, perſecutioni ſanctorum inuigilans, fide rata, ſolemni perfidia, ſeruile moribus, faſtu regale, fœdum auaritia, cupiditatibus inſigne, ſuperbia tumidum, omnimodo nequitia non ferendum, miraculis non debet aſcribi; cum autor eorum homicida fuerit

A ab initio, & à veritate deficiens, inuidiæ spiculo orbi terrarum infixerit mortem. Qui ergo ex eo patre sunt, etsi eius nequeant implere mensuram, solent tamen illius imitari malitiam: licet in horto illo nonnullas plantas, quæ virtutis fructum irrigatione Apostolica faciunt, manu Domini constet esse insertas. Sed si quis ab initio vrbis conditæ totam reuoluat historiam, eos ambitione, & auaritia præ cæteris gentibus inueniet laborasse, & variis seditionibus, & plagis totum concussisse orbem. Ipsi quoque tyrannidis & seditionum suarum, tam crebra damna senserunt, vt vix quisquam principum eorum ad exitum vitæ natura ducente, peruenerit. Vnde & illud Satyricum, illis aptissime facis.

Ad generum Cereris, sine cæde & sanguine, pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

In scripturis quoque canonicis inueniuntur plurima oracula: Vt cum Ioseph in somnis ab Angelo sæpius
B eruditur: Magis interdicitur, ne redeant ad Herodem: Docetur Petrus in reptilium linteamine plenitudinem gentium colligendam. Et cum visitato ab Apostolis Constantino, crucis erectum est in imperij arce vexillum, & pace Ecclesiæ restituta, maiestas orbis publica voce scriniariorum, aduocatorum & iudicum omnem victoriam, regnum & imperium Christi esse personuit. Verum quia duæ primæ species omnino vanæ sunt, & in postremis quasi visibili specie veritas menti occurrit, mediam quæ corpori veritatis quasi velum figurarum, oppandit diligentius exequitur.

CAP. XVI.

Generalia quædam de significationibus, tam somniorum quam aliorum figuralium.

Est itaque tam ad interpretationem somniorum, quam ad reuelationem ænigmatum & figurarum, solerter adtendenda rerum significatio, quæ tanto mul-
C tiplicior est quam vocum, quanto ab operibus naturæ, opera vincuntur artificis imitantis naturam. Si quis enim sermo tres aut quatuor habet significationes, statim πολύσημος est, id est, multarum significationum. Omnis vero res, quot habet aliarum similitudines, tot gerit earundem significationes, ita tamen, vt maior nunquam minoris sit signum. Signa siquidem semper minora sunt. Inde est quod hominem substantia quæuis significat, vtpote aliquid commune cum omnibus habentem, quod & in figura reptilium Petri, & in pluribus locis Scripturarum manifestum est. Porro, quo similitudo expressior est, eo magis cognata & familiarior est significatio. Similitudo vero aut substantialis est, vt quæ ex genere, aut specie: aut accidentalis, vt ex quantitate, aut qualitate, aut variis accidentium formis: aut imitationis est, vt cum quis alij quouis motu operis conformatur. Et hoc quidem modo potest creatori creatura esse consimilis, cum tamen nullo substantiali, vel accidentali participent. Causæ quoque suus
D conformatur effectus, & reciproce causa, si tamen minor est, effectui suo dicitur esse consimilis. Cæterum similium rerum sicut idem iudicium, ita & eadem nota est. Et quia signa frequenter eadem, in eo vel maxime ars coniectoris apparet, si sub identitate signorum, diuersitatem rerum cauta discretione distinguat. Hæc quidem generalia sunt. Quæ vero sunt specialia singulorum, latius patent. Non tamen prætereundum est signorum vim, pro qualitate personarum seuiorem, aut mitiorem esse. Pecuniæ siquidem contrectatio, aliis lætum, tristem aliis euentum denuntiat. Sic ex non apparentibus causis inopia, Veneris præsentia amaritudinem fortunæ frequentius ingerit. Vnde illud Hypsipyles Archemorum lugentis extinctum

Nunquam impune per vmbras
Attonita mihi visa Venus.

Si enim ex reliquiis cogitationum, aut Cereris Bacchiue stimulis incitata Venus occurrat, in somniorum

E vanitati rectius applicabitur, quæ omnia coniectorum disciplina, quasi vana contemnit, iuxta illud viri sapientis.

Somnia ne cures, nam mens humana, quod optat,
Dum vigilat, sperat, per somnum cernit id ipsum.

Interdum tamen, & per antithesim rerum, sequenda sunt veritatis vestigia; sicut cum Magno Pompeio ruina immineret, contraria visis vaticinata quies, lætitiamque vrbis, populi tripudiantis præconia, plausumque theatri sui, quasi re totius imperij bene gesta, fortunâ perituri ducis oculis ingerebat. Res quoque quæ turpis & obscœna est in superficie, honestissimæ veritatis quandoque substantiam tegit. C. Cæsar in minori ætate in somnis sibi visus est, matris incestare cubicula, & † turpitudine soporis attonitus, cum rem ad Mathematicos retulisset, vniuersam terram ditioni eius subijciendam responderunt. Sic itaque magnanimi viri spes, ad occupandum imperium erecta est. Denique ad speciem facti quis Vria iustior? quis Dauid nequior aut — *al. trepidine.*
F crudelior? quem decor Bethsabeæ ad proditionem, homicidium, & adulterium inuitauit. Quæ quidem omnia contrarium faciunt intellectum, cum Vrias Diabolus, Dauid Christus, Bethsabee peccatorum labe deformis, Ecclesia figuretur. Frequens tamen, & quasi regulare ius est, vt a similibus ad similia recurrat interpretatio. Verumtamen visionum, quas quies inducit, diuisionem per opposita non fieri certum est, cum eadem pro parte sit visio, aliunde oraculum, & propter rerum figuras possit somniis aggregari, & vniuersas eorum species quandoque contingat: quod & studiosis scripturarum planum est. Visio Africani, Apocalypsis Apostoli, Danielis & Ezechielis oracula, somnia Pharaonis & Ioseph, eorum quæ dicta sunt faciunt fidem. Personis quoque quibusdam veritas frequentius illucescit, vtpote compositum habens animum, alias frequentior error inuoluit. Augustus Cæsar cum aduersus Antonium dimicaturus esset, ægritudine graui labo-
G rans, in quiete mandatum accepit, vt ad victoriam consequendam sequenti die prælio interesset. Paruit itaque lectica deuectus in prælium, & vicit. Socrates sibi ex ara veneria, quæ Academiæ erat, vidit offerri Cygnum collum inferentem cœlo, rostro tangentem sidera, regionem quæ Aplane dicitur, penetrantem, & transcendentem aspectus omnium, & tanta vocis sonoritate, & lætitia canentem, vt totum mulceret orbem. Sequenti die Aristides ab Academia paruulum filium Platonem Socrati obtulit, litteris & moribus imbuendum. Quo viso, mentis viribus ex corporis dispositione conceptis, hic est, inquit, Cygnus, quem nostro Apollini Venus Academia consecrauit. Plato litteratum, quas persequebatur, causa proficiscens in Ægyptum, se à Pyratis capi inter eundum & venundari vidit. Quod & dum iret, contigit.

CAP. XVII.

Coniectoriam non esse sequendam.

Sed dum has coniectorum traditiones exequimur, vereor ne merito non coniectoriam tam exequi, quæ aut nulla, aut inanis ars est, quam dormitare videa-
H mur. Quisquis enim somniorum sequitur vanitatem, parum in lege Dei vigilans est, & dum fidei facit dispendium, perniciosissime dormit. Veritas siquidem ab eo longe facta est, nec eam tam facile potest apprehendere, quam errorem expungere, vel puncto curare cartineam, qui caligantibus oculis in meridie palpat. Et licet hæc somnolentia perfidiæ sit fidei stimulis excitanda, & maleficij potius, quam artificij impugnanda illusio, diuinæ tamen gratiæ dispositionis suæ non obstruimus vias, non præcludimus semitas, quin spiritus vbi vult spiret, & pro arbitrio suo subiectis mentibus infundat veritatem. Verum quisquis credulitatem suam significationibus alligat somniorum, planum est, quia tam à sinceritate fidei, quam à tramite

tationis

A rationis exorbitat. Plane si sermo proferatur ambiguus & cuius multæ sint significationes, nomine merito parum doctus videbitur, quisquis ex eo citra discussionem sensum sibi aliquid pertinacius suadebit? Profecto rerum omnium (vt prædictum est) multiplex est, & varia significatio. Multiplicium vero distinctio diligens habenda est, ne forte dum vnam diligentius sequeris, in aliam deterius prolabaris. Vnde patet comectorum, qui nomine Danielis inscribitur, autoritatis & veritatis robore destitutum, cum res singulas singulis significationibus arcet. De quibus non videtur latius exequendum, cum tota huiusmodi sit inepta traditio, & vagus coniectorum liber, per curiosorum manus impudenter discurrat. Habuit sane Daniel gratiam interpretandi visiones & somnia, quam ei Dominus inspirabat; sed absit, vt vanitatem hanc in artem redegerit vir sanctus, qui lege Moysi prohibitum esse nouerat, ne fidelium quis somnia sequeretur. Sciens vtique satellitem Sathanæ, ad subuersionem hominum, in an- B gelum lucis transfigurari, & immissiones fieri per angelos malos. Ioseph quoque coniectandi gratia Ægypti principatum obtinuit, & quem fratres quasi de inuidia somniorum venditum Ismaëlitis, obnoxium fecerant seruituti, digitus Domini non minus iucundo, quam salubri mysterio, reuelata facie futurorum, quæ se regi quiescenti ingesserant, quasi quodam somniorum vehiculo, de squalore carceris in regni fastigium sublimauit, vt non modo liber de seruo, sed nobilium & procerum primus, vno tantum regni scilicet solio præcederetur a rege. Quod vtique si de humanæ sapientiæ artificio contingere potuisset, aliquem decessorum suorum ante eum meruisse crediderim, vel scientiam promerendi virum sanctum, & pietatis affecto plenum, si non humano generi in commune, quod tamen æquitatis esset, fratribus & filiis facile putauerim reliquisse. Ad hæc Moyses eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, hanc artem aut nesciuit aut spreuit, cum eam impietatis errorem detestatus, à po- C pulo Dei exterminare curauerit. Præterea sanctus Daniel disciplinas & sapientiam didicit Chaldæorum; quod vt que sanctus vir non fecisset, si gentilium disciplinis instrui, credidisset peccatis adscribendum. Habuitque eruditionis participes, quos legis & iustitiæ Dei se gaudebat habere consortes. Simul etenim discebant Ananias, Azarias, Misaël, quicquid poterat docere Chaldæus: simul à mensa & à regalibus epulis abstinebant, quod inspirabat Deus. Acceptis leguminibus pariter reficiebantur, eisdem contenti erant militiæ suæ stipendiis, regi vna famulabantur. Sed ecce priuilegium, quod homo conferre non potuit, singillatim datum est Danieli, vt in lucem proderet ænigmata somniorum, & Domino dictante vmbras discuteret figurarum. Vt vero familiaritas diuinæ gratiæ euidentius illucescat, quid rex in strato cubans præcogitaret agnouit, & meditationi visa connectens, mysterium salutis, quod vmbra obnubilat, & in fine sæculorum completum est, aut complendum, prudenter exposuit. D Siccine solent coniectores etiam cogitationes excutere, & vmbras exinanire, explicare inuolucra, & illustrare tenebras figurarum? Si quis est qui pari gratiæ priuilegio gaudeat, accedat ad Danielem, & Ioseph, & similiter cum eis Domino gratuletur. Quem vero veritatis spiritus non illustrat, de arte somnolenta frustra confidit, cum ars omnis habeat à natura originem, ab vsu & ratione processum. Ratio vero in his tantum defectum patitur, vt quo se vertat, quid iudicet, plerumque omnino non habeat. Quod quidem cum frequenter eueniat, facillime ex paucis colligitur. Sollicitus quidam, nomen etenim à memoria excidit, etsi narrationis autorem magnum teneam Augustinum, in re dubia sensum alterius cui rem nouerat esse notam, magna instantia sibi postulabat exponi. Cum vero alter petentis desiderium promissionibus protraxisset, & vnius instantia deluderetur calliditate alterius, accidit vt eadem nocte pariter somniarent, alter quod rem quæsitam petenti exponeret, alter quod ei à doctiore diligen- E tissime exponeretur. Factumque est, vt cum vmbra quietis euanesceret, se miraretur ille ad scientiam, quamdiu quæsierat, sine doctoris beneficio, nulloque sui exercitio peruenisse. Deinde cum more solito, apud doctorem ageret, vt sibi promissum solueretur, iam, inquit doctor, factum est quod petisti, cum ea nocte vt docerem accesserim. Quis huius facti explicet rationem, nisi quod boni spiritus vel maligni exigentibus hominum meritis, eos erudiunt, vel illudunt? Nouit enim Hieronymo referente, catholica mater Ecclesia, quomodo ad tribunal iudicis Dei raptus, eo quod libris gentilium vehementius inhæreret, ibidem coactus est profiteri se vltra gentilium libros non modo non lecturum, sed nec etiam habiturum. Ante siquidem professionem interrogatus, cum se diceret Christianum, ei à iudice probrose obiectum est, quod non suus erat, sed Ciceronianus. Hoc tamen non audacter somnii affirmauerim censendum nomine, cum idem F veracissimus & prudentissimus doctor vmbram somnij non fuisse, sed rem secum veraciter agi Domino visitante, etiam iurisiurandi religione confirmet. Et vt plenam assertionis suæ faciat fidem, liuorem verberum in cute, vulnerum cicatrices expergefactus ostendit in corpore. Sed cum hæc à spiritibus circa homines fiant, eam solam rerum imaginem fidelis anima non aspernatur, quæ innocentiam relinquit incolumem. Quod si materiam vitiis afferat, libidinem forte accendens, aut auaritiam, aut dominandi ingerens appetitum, aut quicquid huiusmodi est ad subuersionem animæ, procul dubio aut caro aut spiritus malignus immittit. Qui in quosdam exigentibus culpis, Domino permittente, tanta malitiæ suæ licentia debacchatur, vt quod in spiritu patiuntur, miserrime & mendacissime credant in corporibus euenire. Quale est quod nocticulam quandam vel Herodiadem, vel præsidem noctis dominam consilia & conuentus de nocte asserunt conuocare, varia celebrari conuiuia, ministeriorum species diuersis G occupationibus exerceri, & nunc istos ad pœnam trahi pro meritis, nunc illos ad gloriam sublimari. Præterea infantes exponi lamiis, & nunc frustratim discerptos, edaci ingluuie in ventrem traiectos congeri, nunc præsidentis miseratione reiectos in cunas reponi. Quis vel cæcus hoc ludificantium dæmonum non videat esse nequitiam? Quod vel ex eo patet, quod mulierculis & viris simplicioribus & infirmioribus in fide, ista proueniunt. Si vero quisquam eorum qui hac illusione laborabat, ab aliquo constanter, & ex signis aliquibus arguatur, dæmonium statim aut superatur, aut cedit, & vt dicitur, ex quo quis in luce arguitur, cessant opera tenebrarum. Huius autem pestis cura efficacissima est, vt fidem quis amplexus, his mendaciis subtrahat mentis auditum, & nequaquam respiciat ad huiusmodi vanitates & insanias falsas.

H

Cap. XVIII.

De fundamento Mathematicæ, & exercitio sensuum, & viribus animæ, & profectu rationis, & efficacia liberalium disciplinarum.

POssit vtinam tam facile mathematicorum error à præstantioribus animis amoueri, quam leuiter in conspectu veræ fidei & sanæ conscientiæ istarum illusionum dæmonia conquiescunt. Veruntamen eo periculosius errant, quo in soliditate naturæ, & vigore rationis, suum fundare videntur errorem. Temerarium siquidem videtur vniuersis in legem naturæ præuaricari, & stultum, gratis dissentire ab eo, quod ratio persuasit. A veris ergo sumunt initium, vt per vera diutius gradientes, se & sequipedas suos præcipitent in laqueum, & foueam falsitatis. Mathesim ergo probabilem, quæ penultima

breui

breui enuntiatur, quam & natura inducit, ratio probat, & vtilitatis experientia approbat, quasi quoddam doctrinæ suæ iaciant fundamentum, vt exinde opinionum suarum lubrico quasi quadam imagine rationis, in mathesin reprobam, quæ profertur extensa penultima, perniciosissime prolabantur. Primo namque res quas natura creauit discutiunt, easque multipliciter inuestigant, nunc quomodo ex partibus suis, nunc quomodo ex materia & forma constant inquirentes. Quod vt facilius possint, sensuum vires pensant, & intellectus efficaciam metiuntur. Et quia sensuum hebetudo rerum corporearum naturam non transgreditur, paulatim aliorum beneficio ad subtiliora consurgunt. Visus etenim in solo corpore, eoque præsente, colores tantum & quantitates examinat, & figuras. Sonus solus contingit auditum. Gustus de saporibus iudicat. Olfaciendi vis in odoribus tota versatur. Quid durum, quid molle sit, quid lene, quid asperum, quid ponderosum, quid leue, quid calidum aut frigidum, quid humidum sit aut siccum, tactus discernit. Est interdum figuræ explorator, & quantitatis & ponderis conscius. Dolorem quoque percipit, & voluptatem. Isque per omnes fere sensati corporis partes diffunditur, adeoque animæ cohærens est, vt eo discedente videatur & tota corporis vita discedere. Si vero corporum absentium præfatas proprietates inquiris, eas tibi tracta similitudine ab his quas sensus agnouit, poterit imaginatio præsentare, quæ tanto erit fidelior, quanto expressior fuerit similitudo. Vnde & Tityrus ad Maronem, non assecutæ similitudinis vitio lapsam sibi quæritur imaginationem.

Vrbem quam dicunt Romam, Melibœe, putaui
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ouium teneros depellere fœtus.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Sin autem familiarius expresserit rei similitudinem, fidelis & vera est imaginatio, quali vtitur Andromache apud Virgilium:

O mihi sola mei super Astyanactis imago,
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.

Verum si ad incorporea diuertendum est, ratione opus est & intellectu, cum absque intelligentia hæc non valeant comprehendi, & verum non possit esse de his sine ratione iudicium. Intellectus itaque aliis deficientibus, exerit vires suas, & quasi in arce animæ constitutus omnia inferiora complectitur, cum ab inferioribus superiora nequeant comprehendi. Et nunc quidem res vt sunt, nunc aliter intuetur, nunc simpliciter, nunc composite, nunc distincta coniungit, nunc coniuncta distrahit, & disiungit. Simpliciter ergo incedit intellectus, dum rem quamlibet contemplatur, puta hominem, equumve concipiens. Cum vero res plures gradatim complectitur, compositioni obnoxius est. Puta hoc intellectum, hominem album equumve currere mente complectens. Disiuncta coniungit, vt si

Humano capiti ceruicem iungat equinam
Varias inducens vndique plumas.

vt, iuxta poëtam,

Turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.

Hunc vero ad auditores suos verba traiiciunt Poëtæ, cum hircoceruum, centaurum describunt, & chimæram. Coniuncta vero disiungit, vt si formam teneat absque materia, cum tamen sine ea forma omnino esse non possit, nisi forma essendi, & ei adhærentes formæ formarum, ex quibus illæ fluxerunt, quæ in materia sunt & corpus efficiunt. Porro cum res aliter quam sint, componendo inspicit, eo quod cassus est, & a rerum veritate deficiens, ad opinionis errorem vergit, & si esse asserit, vel non esse, pleno nomine opinio est. Sed licet aliter quam sint, dum tamen simpliciter coniuncta disiungat, non vanus erit conceptio, quæ totius inuestigationis sapientiæ expeditissimam parit viam. Hic est enim totius philosophiæ instrumentum, quod & mentem mira subtilitate exacuit & res singulas a se inuicem naturæ suæ proprietate distinguit. Si abstrahentem tuleris intellectum, liberalium artium † officina peribit, cum citra ipsius operam nulla earum rite haberi valeat, aut doceri. Hic itaque sicut formam sine materia, sic & materiam aggreditur sine forma; & quod propriæ virtutis potentia tenere non sufficit, suo quodam defectu interdum comprehendit, vt si videantur tenebræ non videndo, & non audiendo silentium audiatur. Ecce non est homo qui non sit albus, aut niger, aut medij coloris particeps, nec potest esse homo, qui non statim sit aliquis homo, cum idem sit alicui esse & vnum numero esse. Veruntamen sic hominem intellectus attingit, vt ad neminem hominum aspectus illius descendat, generaliter intuens, quod non nisi singulariter esse potest. Sicut enim discendi & significandi, sic & intelligendi diuersitas, subsistendi modos sui numerositate transcendit, & homo, qui non potest nisi singulariter esse, vniuersali clauditur mentis conceptione. Diffinit ergo ratio quod concipit intellectus, animal rationale mortale, quod in solos subditos cadere, nemini recte sapientum ambiguum est. Dum itaque rerum similitudines & dissimilitudines colligit, dum differentium conuenientias, & conuentionum differentias altius perscrutatur, dum quid sint singula cum pluribus, quid cum paucioribus commune habeant, diligentius inuestigat, quæve rebus singulis adesse necesse sit, quæ abesse non possint, perspicacius contemplatur, multos apud se rerum inuenit status, alios quidem vniuersales, alios singulares. Quus pro arbitrio suo definiens & multifariam diuidens, ad ipsius arcana naturæ, mentis transmittit aspectum, vt nihil naturalium plene absconditum sit ab oculis eius. Et primo substantiam, quæ omnibus subest, acutius intuetur, in qua manus naturæ probatur artificis, dum eam variis proprietatibus, & formis quasi suis quibusdam vestibus induit, & suis sensuum perceptibilibus informat, quo possit aptius humano ingenio comprehendi. Quod igitur sensus percipit, formisque subiectum est, singularis & prima substantia est. Id vero sine quo illa nec esse, nec intelligi potest, ei substantiale est, & plerumque secunda substantia nominatur. Hoc autem quod adest quidem substantiæ, & ea manente abesse potest, accidentibus aggregatur. Singulare quidem si vnus tantum sit. Vniuersale scilicet non naturæ conformitate tamen sit commune multorum. Quod forte facilius in intellectu, quam in natura rerum poterit inueniri, in quo genera & species, differentias, propria, & accidentia, quæ vniuersaliter dicuntur, planum est inuenire, cum in actu rerum substantiam vniuersalium quærere exiguus fructus sit, & labor infinitus, in mente vero vtiliter & facillime reperiuntur. Si enim solo rerum numero differentium substantialem similitudinem quis mente pertractet, speciem tenet. Si vero etiam specie differentium conuenientia menti occurrat, generis latitudo mente diffunditur. Denique dum rerum, quas natura substantialiter vel accidentaliter assimilauit, conformitatem percipit intellectus, vniuersalium comprehensione mouetur. Cum vero similium differentias agitat, quanto expressius, tanto ad opera naturæ, quæ singularia sunt, familiarius accedit; si substantiam suis vestitam proprietatibus inspicit, a naturæ conditione non diuertit. Sin autem detracta specie, eam quasi formarum exuit vestimento, acumen quidem suum exercet, & rerum naturam, quid scilicet in se, quid in aliis sint, liberius & fidelius contemplatur, dum rerum substantiam, quantitatem ad aliquid, qualitatem, situm, esse, vbi, quando, habere, facere, pati, singillatim discutit & discernit. Quæ etsi singillatim esse non possint, singillatim tamen inuestigari queant, & ad totius Philosophiæ

† *al. officia peribunt.*

A compendium. Vtilissima est hæc speculatio, in qua magnitudinis, & multitudinis, quæ duo totum orbem complectuntur & ambiunt, natura discutitur. Nunquid abstrahens intellectus, dum hæc agit, otiosus est, aut inutilis, per quem animus honestarum artium gradibus, ad thronum consummatæ Philosophiæ conscendit? Multitudinem ergo quæ potentia sui in infinitum crescit, sicut econtra magnitudo decrescit in infinitum, bimembri diuisione partitur, dum ea nunc simpliciter & per se, nunc ad aliud relatam contuetur, alteram remandans Arithmeticæ, alteram Musicæ pleno iure reseruans. Magnitudinem quoque secat in duas species, alteram immobilem, subiiciens geometris; alteram scilicet mobilem, his qui astrorum & cœlestium scientiam profitentur. In his vero quatuor speciebus, mathesis, id est, doctrinalis tota consistit, & quasi quatuor Philosophiæ limitibus, mundanæ sapientiæ perfectionem assequitur. Primus itaque gradus est ab Arithmetica numerorum virtutem mutuare. Secundus proportionum B gratiam à Musica trahere. Tertius obtinere scientiam à Geometrica mensuratam. Quartus, idemque nouissimus veram positionem siderum assequitur, & vim cœlestium perscrutatur. Eorum vero, qui scientiam profitentur astrorum, alij opinionis errore prolabuntur ad fabulas, in quo deprehenditur & Hyginus; alij sola imaginationis virtute contenti sunt, quid verum sit doctiorum iudicio reseruantes, satis agentes sibi, dummodo veri similitudinem teneant. Vtrusque alterutra Astrologia eruditionis suæ recipit professores. Sunt alij qui in professione astrorum veritati quidem inuigilant, eo solo contenti, si positionem veram, motumque siderum, rationemque signorum viuaciter assequuntur.

Cap. XIX.

De differentia Mathematicæ doctrinalis, & mathesis C reprobatæ, & traditione Mathematicorum, & erroribus eorum.

VErum, quia probabile est, cœlestium aliquam esse virtutem, cum & in terra non credatur aliquid gigni, quod à manu opificis Dei, bonum aliquem non sortiatur effectum. Qui curiosiores sunt cœlestium potentiam inuestigant. & de singulis, quæ in sublunari globo proueniunt, Astronomiæ suæ regulis, nituntur reddere rationem. Est autem Astronomiæ nobilis & gloriosa scientia, si clientelam suam, intra moderationis metas cohibeat. quam si licentiori vanitate excedit, non tam philosophiæ species, quam impietatis decipula est. Et quidem multa sunt mathesi doctrinali, & diuinatoriæ mathesi communia, sed dum diuinatio sobrietatis mensuram excedit, toto dissidens fine non instruit, sed suum dedocet professorem. Quod enim zonas partiuntur, parallelos disterminant, cum singulis suis obliquant zodiacum, quod orbem fere totum coluris D cingunt, quod laborem mentiuntur planetarum, quod Aplanem nullius erroris participem faciunt, quod à polo arctico, ad antarcticum axem ducunt, quod signa per gradus & puncta diuidunt, quod orientium & occidentium signorum, & siderum proportionem tenent, vtrique commune est. Vtraque tamen in eo physicis acquiescit, quod teneritudinem subtilium corporum, in quasdam sectas vias, & circulorum capedines non æstimat dissipari. Asserunt quoque communiter solem caloris autorem esse, humorumque augmentum, & defectum, quod id sensus probat, motui lunari accommodant, & in hunc modum plurima. Cæterum mathesis, quæ futurorum pollicetur iudicium, ab elementis philosophiæ (vt prædictum est) trahens originem, vltra progreditur, & elationis suæ temeritate, in prærogatinam eius prorumpit, qui stellas numerat quarum ipse nomina solus, signa, potestates, cursus, loca, tempora, nouit. Quoniam hoc ipsum astronomiæ suæ beneficio,

E sibi astrologus repromittit. Tantoque longius à scientia veritatis aberrant, quanto ad eam tumidius irrumpere moliuntur. Signorum ergo naturam reuoluentes, prout eam forte nouerant, dum in stellis comparibus fluctuarent, alia dicunt masculini generis, alia fœminini, essentque forsitan multiplicata per sobolem, nisi quia dislociata locis in coïtu conuenire non possunt. Planetarum quoque consilia, quoniam & orbis moderatores eos habent diligenter explorant, quid ex affectione eorum, & motu, & applicatione vnius ad alterum, choreisque stellarum facile est inuenire. Saturnus ergo, quia frigidus est & senex, grauis est & nocuus, & de natura malitiam, morositatem contrahit ab ætate. Omnibus igitur inimicus, vix etiam suis scholasticis parcet. Succedit ei Iupiter, contra propitius & salober, tantæque benignitatis in omnes, vt nec de malitia patris, nec matris ferocitate subiecti quemquam offendat; nisi forte & ipse in orbis subiecti dispendia, stationarius factus sit, retrogradusve, aut adulationem miserabilem F patiatur. Mars ferox, naturaque indomitus, omnes præter scholasticos suos persequitur, mitigatur tamen interdum Iouis accessu, vel Veneris, quoniam & ipsa propitia est & benigna. Mercurius vero talis est, qualem vicini planetæ permiserunt, cum & ipse conuertibilis naturæ sit, potentioribusque cohæreat. Vnde plerique eum præsulem eloquentiæ opinantur, eo quod illa iuncta sapientiæ plurimum prosit, malitiæ sociata noceat plurimum. Hæc quidem etsi non docuit, sectam tamen erroris attigit Lucanus, cum timorem vrbis describeret, bellumque ciuile necessariis astronomiæ argumentis ineuitabiliter appropinquante Cæsare futurum denuntiaret. Innuit enim Poëta doctissimus, si tamen Poëta dicendus est, qui vera narratione rerum ad historicos magis accedit, illius malitiam irrefragabiliter adimplendam, qui solus in throno sui domicilij residebat. Et licet figulus Parcarum consilia discutiat, mentêque stellarum, corporum tamen quæ videntur, nondum plenam notitiam tradidit, cum in tota Mathematicorum domo, adG huc non sit quæstio expedita, an ex elementis sidera constent, an ex quinta essentia, quam Aristoteles introducit. Nam quod eis obiiciunt pueri, mollia sint, an dura, & si quid huiusmodi est, etiam audire dedignantur, quamvis aliquos famosos, & suo iudicio sapientes, in talibus viderim miserrime laborare. Expediunt tamen, & suis miserationibus probant, quid fata deliberent, & deprehensa voluntas siderum, quem in sublunari globo sortiatur effectū. Et forte sententia numinis irrita est, quam non mathematicus profert: ait ergo;

Quod cladis genus ô superi, qua peste paratis
Sæuitiam? † æterni multorum tempus in vnum † al. extremi.
Conuenere dies, summo si frigida cœlo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
Deucalioneos fudisses aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in æquore tellus,
Si sæuum radiis Nemeaum Phœbe leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusque tuis flagrasset curribus æther.
H *Hi cessant ignes, tu qui flagrante † minantem*
Scorpion incendis cauda, chelasque peruris: † al. minacem.
Quid tantum Gradive paras? nam mitis in alto
Iupiter occasu premitur, Venerisque salubre
Sidus habet, motuque celer Cyllenius hæret;
Et cœlum Mars solus habet, cur signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur?
Ensiferi nimium fulget latus Orionis.
Imminet armorum rabies, ferrique potestas.
Confundet ius omne manu scelerique nefando,
Nomen erit virtus, multosque exibit in annos.

Ecce ex qualitate Planetarum, & positione signorum, & concursu causarum, quam manifestus belli ineuitabilis sequatur euentus. Hoc etenim ad artis traditionem plurimum spectat, vt de naturali vel causali constet domicilio Planetarum. Omnes siquidem præter Solem & Lunam, qui soli singulis contenti sunt, duobus domiciliis gaudent, naturali scilicet & accidentali.

Naturale

A Naturale quidem cuique domicilium est, in quo quisque creationis suæ principium habuit, si tamen † genethliaci consentiunt eos à Domino esse creatos. Lunæ ergo domicilium cancer est, Leo Solis, Mercurij Virgo, Libra Veneris, Scorpio Martis, Sagittarius Iouis, Saturni Capricornus, & hoc naturaliter. Casualiter vero Saturno cedit Aquarius, pisces Ioui, aries Marti, Veneri taurus, in Mercurij sortem gemini cedunt: Luna vero commoda est, quam cum aliis stellis, quicquid illi garriant, creauit Deus vt præesset nocti. Quid enim de Sole dicam qui dux & princeps est, & moderator luminum reliquorum? cum vtrique reclamantibus omnibus his planetariis, non timeo bonum & necessarium profiteri. Cum & diem videntibus cunctis illustret, temperet orbem; anni tempora diuidat, inducat rerum vicissitudines, & alia plurima, quæ nunc longum est enarrare. Sed licet multarum vtilitatum in eo & in cæteris causæ resideant, ipsorum tamen & omnium quæ recte sunt, vna est & prima causa; quæ mundum fecit
B propriæ maiestatis potentia, eumque sapientiæ suæ virtute & immensitate formauit, & firmauit, & vt ei tam substantiam quam formam conferret, sola inducta est bonitate. Verum mathematici vel planetarij, dum professionis suæ potentiam dilatare nituntur, in erroris & impietatis mendacia perniciosissime corruunt. Nec cuiuscunque artis regula seruatur illæsa, nisi dum infra proprij generis ambitum cohibetur, præsertim cum iuxta sapientem, frequens sit aliquid extra regulam inueniri. Omnis etiam regula alicui generi rerum accommodata est. Si vero traducatur ad aliud, statim in veritatem impingit obnoxiam falsitati. Si ergo mathematici probabilis matheseos, id est, doctrinalis essent fine contenti, & veram possent assequi positionem stellarum, & ex signis suis sobria eruditione secundum quod naturaliter proueniunt qualitatem præscire temporum, & speculationis suæ iucundissimum carpere fructum. Cum vero dilatant phylacteria sua & magnificant fimbrias, dum constellationibus & planetis nimium virtutis ascribunt,
C eis nescio quam autoritatem operum ascribentes, in creatoris prorumpunt iniuriam, & dum cœlestia quæ tractant ad sobrietatem non sapiunt, iuxta Apostolum stulti sunt. Vide in quantam erroris abyssum, ab ipsis cœlestibus cadant. Constellationibus suis adscribunt omnia. Tu videris an fiat ei iniuria, qui fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt. Deinde eam constellatio rebus necessitatem indicit, vt arbitrij perimat libertatem. An & hoc recte, tecum delibera. Ad tantam denique quidam peruenere vesaniam, vt ex diuersis stellarum positionibus dicant imaginem ab homine posse formari; quæ si per interualla temporum, & quadam ratione proportionum in constellatione seruata formetur, stellarum nutu recipiet spiritum vitæ, & consulentibus occultæ veritatis manifestabit arcana. Et licet quandoque, quæ honesta vel recta sunt, vt se in loco mundo velle seruari, vel solum Deum, quando aliquid quæritur precibus, & muneribus inuocandum præcipiat, maligni tamen spiritus hanc esse fallaciam certis-
D simum est, qui vt minus caueatur, innocentiæ vel iustitiæ præcepta plerunque videtur afferre. Hanc quidem idololatriæ speciem esse fidelium nullus ignorat. Longe vero commodius in cœlum ascendunt astrologi, qui academicorum more, quicquid eis occurrerit probabile, suo iure defendunt. Itaque quidam eorum motu quodam irrationali, planetas aduersus Aplanem niti contendunt; alij, autore Aristotele, eosdem cum firmamento fieri profitentur, quorum neutrum teste Mineio astrologiæ regulis inuenitur aduersum. At † genethliaci dum ad diuinationem scientiæ cœlestium nimis insistunt, tam ipsorum cœlestium, quam Dei notitiam perdiderunt. Qui tamen inter eos suum commodius excusare videntur errorem, cum Plotino, autoritatem operum non detrahunt creatori, sed semel & simul ab eo legem afferunt, institutam, quam nullus vnquam conatus euacuat, cum omnia quæ disposuit futura sint vt præuidit. Quod forte Papinius intellexit cū diceret:

† al. genethliaci.

Incipit ex alto, graue & immutabile sanctis
Pondus adest verbis, & vocem fata sequuntur.

E Ab eo ergo sua potestas attributa est singulis creaturis; in quibus non oportuit cœlestia locum tenere nouissimum, & quæ digniora sunt aliis, habere minimum potestatis. Eis itaque quantum voluit contulit, qui etsi sibi retinuerit operis principatum, signorum illis ad minus indixit obsequium. Vnde etsi non sæpe faciant opera signorum; tamen autore Deo exhibent ministeria. Hinc forte illud, cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Nec mirum, cum & aues, & alia plurima institutione Dei, & naturæ beneficio, quædam futura signis præueniunt. Si igitur cœlestia signa sunt rerum, quæ procul dubio venturæ sunt necessario, cum eas immutabilis dispositio ordinauerit, quid prohibet ea quæ cœlestium prænuntiantur indicio sciri ab homine & homini inuicem indicari? Signa siquidem hominibus data sunt ad eruditionem, non illis, qui cœlestium conscij secretorum nullis
F indigent signis.

CAP. XX.

Quod prouidentia Dei rerum naturam non perimit, neque series rerum immutat prouidentiam, & quod liberum arbitrium manet cum prouidentia.

PRobabilia quidem sunt hæc, quæ proponunt, sed tamen venenum hic sub melle latet. Fatalem etenim quandam necessitatem rebus imponunt sub prætextu humilitatis & reuerentiæ Dei, timentes ne forte ipsius euacuetur dispositio, nisi rerum euentus necessitas comitetur. Præterea priuilegium diuinæ maiestatis irrumpunt, scientiam vendicantes, qua tempora præuideant & momenta, quæ filij testimonio, patris reseruata sunt potestati, adeo quidem vt abscondita sint ab oculis eorum, quibus Dei filius quæcunque audie-
G rat à patre patefecit. Deinde mentes hominum tumore elationis extollunt, aut desperationis pusillanimitate prosternunt, dum vel vitam diuturnam, aut mundi prospera decipiendis promittunt, vel e contra imminentia fata, aut seculi aduersa minantur erigendis. Certe superiorem timoris, vel inferiorem spei molam, quibus fidelis anima in area mundi teritur, tollere prohibentur. Tollunt tamen tam in suam, & clientulæ suæ perniciem, quam in contumeliam prohibentis. Verum sicut series rerum Dei prouidentiam non immutat, sic & æterna dispositio, rerum naturam non perimit. Neque enim homo non peccare non poterat, quia cum Deus prænouerat peccaturum, aut quia ille non peccare poterat, eum peccaturum Dominus ignorabat. Neque non mori posse nesciebat, eo quod erat peccati merito moriturus. Neque eum mori necesse erat, quoniam hoc Dominus præsciebat. Factus est igitur quodammodo immortalis, moriturus procul dubio, & mortem culpa attulit, quam naturæ condi-
H tio non inuexit. Essetque ab ea immortalitate qua non mori poterat, in eam qua mori non posset, transferendus; nisi culpa inobedientiæ, præcisa iustitiæ semita, tantæ gloriæ aditum pro tempore præclusisset. Itaque peccare & non peccare potuit mera præditus libertate arbitrij, qui nulla dispositionis violentia, nullo fatorum impulsu, nullo conditionis stimulo, nullo adhuc naturæ defectu vrgebatur ad culpam, quæ indubitata parens pene hominem sponte lapsum impegit in mortem. Verum quia iustitiæ frena laxauit arbitrij, sic in eo oppressus & obtutus iacet, vt iusto Dei iudicio, quia tunc noluit à peccato abstinere cum potuit, modo nequeat abstinere cum velit. In eo tamen solo adhuc ei liberum viget arbitrium, vt sibi ad opus iniquitatis sufficiat, etsi ad bonum non nisi à gratia præuentus & adiutus assurgat. Sic iustitiam per se deserens, traductus est in regnum peccati, & mortis, vt iugo seruitutis pressus necessitati delinquendi

& moriendi subiaceat, quamvis hoc non fatorum series, sed præuaricationis meritum introducat. Alioquin hominem nulla iustitia condemnabit, cum culpa non in eum, sed in ipsius retorqueatur autorem. Possibilia itaque sunt quæ nonquam futura sunt: quæ si, quia non erunt, euenire non possent, nequaquam possibilia dicerentur. Nauale siquidem bellum fieri, itemque non fieri possibile est, alterum tamen præcise & determinate verum est & præscitum.

Cap. XXI.

An possint à Deo sciri quæ non sciuntur, & quod rerum mutabilitas ei nequaquam est infligenda; & quod idem est scientia, præscientia, dispositio, prouidentia, & prædestinatio; & quod vera infinita sunt, vt numerus eorum non queat augeri vel minui; & quod prouidentia nullam necessitatem rebus inducit.

SEd ecce iam alterius difficultatis succrescunt cornua, & quocunque me vertam, in errorem videor inuolutus. Si enim quæ non sunt, nec erunt, esse possunt, profecto & Deus potest scire quod non scit, aut eo ignotante potest aliquid euenire. Bellum namque nauale quod non erit, sicut & geri, sic & à gerentibus sciri potest. Quod vtique & esse & sciri potest ab homine, nunquid sciri à Deo non potest? Si ergo potest Deus scire quod non scit, potest vtique & non scire quod scit, eo quod contraiacentium simul nulla possit esse licentia, cum alterum eorum semper, eo quod veritatis substantia careat, sit obnoxium falsitati. Porro mendaciorum nulla est scientia. Quomodo ergo scientia immutabilis est, cui decessus rerum potest fieri & accessus, quæ potest ignorare quod non scit, aut scire quod nescit? Quod si eam variabilem esse recipimus, Iacobo reclamante, iam apud eum est variatio, & vicissitudinis obumbratio, & pater luminum esse desiit, si elabitur quod prænouit. Hoc equidem nec gentilium error circa sua non tam numina, quam dæmonia dignabatur admittere, qui Stygiam paludem diis peruiam esse negabant, dicentes, eam omnibus venerandam, & vsquequaque illicitam à cœlestibus præteriri. Mentes namque cœlestium, obliuio non contingit. Nunquid ergo fides recipiet, quod de Deo vel ipsa perfidia abhorret? Constat autem apud omnes, quia Deus scit illud non esse futurum, & si pleríque non recipiant illum posse scire, aut non posse scire hoc esse futurum, ne eum mutabilitatis nota vel impotentiæ inurere videantur. Sed esto vt Deus, quoniam hoc pleríque recipiunt, possit, dum tamen si fieri potest positione, aut coniunctione non pecces, scire quod non scit, non ob hoc eum esse mutabilem quis conuincit, cuius scientiæ non decedit aliquid vel accedit, cum illud solum in rerum natura verum esse contingat, quod ille ab initio stabilitatis suæ puncto præfixit. Dum tamen hoc recipitur, exactissima diligentia præcauendum est, ne cognatio modorum verbi quam Apollonius inducit, quicquam perfidiæ ingerat aut falsitatis. Hæc ipsa quoque possibilitas eueniendi, non leuitati ipsius, qui non mouetur, sed rerum facilitati, quæ natura non indignante moueri possunt, conuenienter ascribitur. Manet itaque vsquequaque immobilis integritas scientiæ Dei, & si quid varietatis alicui inest, non tam scientis quam scitorum mutabilitas est. Licet enim quæ scientia Dei complectitur, mutabilitati subiaceant, ipsa tamen alterationis vices ignorat, & vno singulari aspectu & indiuiduo, omnium quæ dici aut quocunque sensu excogitari possunt vniuersitatem claudit, & continet: adeo quidem sine motu, vt localia sine loco, nascentia sine initio, decedentia sine fine, fluctuantia sine alteratione, temporalia sine mutabilitate, & mota, sic vniformiter comprehendit, vt ei non præterita transeant, nec futura succedant. Nec mirum hoc in æternitatis statu, nisi quia quicquid ibi est, mirabile est, cum & in nobis mutabilium motum & festinantium cursum aliquatenus quiescens comprehendat aspectus. Intellectus quoque rem magnam sine distensione, & sine contractione sui rem modicam contemplatur, nec loco indiget vt localia claudat, aut spatiorum interstitiis, vt distantia complectatur, in eo patrem luminum sequitur, sed non passibus æquis, cum hic multis, ille vero omnino nulli motui obnoxius sit. Cum vero diuinæ simplicitatis aspectus innumerabilia claudat, vna tantum est & indiuidua substantia præscientis, eique essentialiter vna, cum sibi sit idem esse, & sapientem esse. Alioquin fingat qui potest, quis hæc diuersa coniunxerit, nec prima rerum omnium causa erit, quæ vt sit, coniunctionis adminiculo eget. Creaturæ vero scientia, longe disparis conditionis est. Spiritui siquidem & animæ non est idem esse, & scientem esse, cum anima disponatur ad cognitionem rerum, eaque si radicata fuerit, vt primo affectionis motu inualescens, aut omnino, aut sine iniuria naturæ conuelli non possit, habitu suo informat animam, faciatque scientem. Hic ergo habitus, rectissime scientia appellatur, licet & res subiectæ interdum scientiæ nomine censeantur. Vnde & vicissim nominibus mutuatis, quod vnius est, transit ad alterum. Sic vtique & scientia dicitur multa, cum tamen multitudo, rerum potius quam scientiæ sit. Si ergo sapientiæ Dei immensitas & simplicitas attendatur, vna est simplex & indiuidua. Si subiacentium multitudo, multiplex est & multiformis. Sic etiam si substantiam volentis aut potentis qua vult, aut potest attendas, vna est voluntas & potestas. Si quæ vult & quæ potest, infinitus omnium numerus est, iuxta illud propheticum, magnus Dominus & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Itemque magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Et illud, Quis loquetur potentias Domini? Hæc autem res vniformis & varia, licet totius varietatis ignara sit, variis tamen nominibus appellatur, sed ex variis causis. Scientia siquidem & præscientia, dispositio, prouidentia, & prædestinatio nominantur. Sed scientia existentium, præscientia futurorum, dispositio faciendorum, prouidentia gubernandorum, prædestinatio saluandorum est. Et est prædestinatio ab æterno gratiæ præparatio, per quam vnusquisque vocatur ad vitam, sicut ait Apostolus quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit hos & iustificauit; quos autem iustificauit, hos & magnificauit. Et alius, Apud te est, inquit fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Vt ergo reuerenti quædam audacia scientia Dei quæ finem nescit, vel sermone finem inueniat, scientia Dei est omnium quæ sunt fuerunt, & futura sunt, vera comprehensio, & plena notitia. Omnia siquidem vera nouit, & sola, nullamque dignatur agnoscere falsitatem. Ea tamen diiudicat, & condemnat. Est igitur necessario infinita, quæ vniuersa vera complectitur, quorum vtique non est numerus, aut adeo infinitus, vt finem non inueniat nisi in sapientia Dei, quæ sola seipsam quanta sit nouit. Nihil igitur eorum quæ nouit, quoniam vera sunt, euanescit, omniumque dispositorum præsentia sunt, præterita an futura, initium & causa veritas est. Psalmista siquidem ait: Principium verborum tuorum veritas, quæ nullo defectu sui transibunt. Transibunt tamen cœlum & terra, quoniam & hoc de verbis veritatis est, tunc vtique cum deformitate mundi purgata, reformabitur cœlum nouum & terra noua. Sentiat vnusquisque quod Dei fides vel ratio persuadet; ego sine præiudicio sententiæ melioris, vera modis omnibus arbitror infinita: cum in omnibus quæ sunt & quæ non sunt, ab initio esse necesse sit, vel non esse; & eorum quæ contradictione opponuntur, alterum semper ex necessitate sit verum. Tanta ergo numerositate semel & simul verorum excreuit, vt potius extitit numerus, vt omnino minui nequeat vel augeri, & vsquequaque in æuum maneat infinitus, nisi apud infinitam sapientiam Dei. Indeficiens ergo scientia est, cui nihil eorum elabitur, & omnino augmentum non recipit, quæ ea omnia comprehendit.

Rationem

A Rationem vero eorum, quæ Deus ab æterno in sapientia, id est, in vnigenito verbo disposuit, creans ibi omnia simul, quam postmodum consequenter producit in opera, secundum prouisum ordinem singula traducens à generatione, qua incipiunt esse per sortem, qua fluctuare videntur casibus ad corruptionem, quæ quasi existendi filum præscindens, retrudit ad non esse, Parcas vel Fata, antiquis placuit appellari, eo quod constitutiones prouidentiæ Dei, quin effectui mancipetur, nemini parcant, & à verbo Dei, quo æternaliter omnia dixit, & facta sunt, executionis firmamentum accipiant. Vnde Stoicus omnia necessaria credit, timens euacuari posse scientiam immutabilem. Econtra Epicurus, eorum quæ eueniunt nihil prouidentiæ ratione dispositum, ne forte necessitatem mutabilibus rebus inducat, opinatur. Pari ergo errore desipiunt, cum alter casui, alter necessitati vniuersa subiiciat. Mutabilium igitur rerum dispositio, immutabilis est; & æternæ prouidentiæ immutabilis status, omnium mutabilium conti- B net cursum. Cum vero ipsa ab æternitatis suæ statu moueri non possit, contingentium seriem ab omni nexu necessitatis absoluit. Et licet lux inaccessibilis sapientiæ Dei, humanæ scientiæ tenebras incomparabiliter antecedat, est tamen in quo claritati illius caliginis nostræ oculus quoad aliquid coæquatur. Sicut enim quod video imminere, nulla ex eo quia videtur, necessitate proueniet, sic & quod illius oculus contemplatur, non est necessarium euenire. Scio equidem lapidem vel sagittam, quam in nubes iaculatus sum, exigente natura recasuram in terram, in quam feruntur omnia nutu suo pondera, nec tamen simpliciter recidere in terram, aut quia ooui recidere necesse est. Potest enim recidere & noo recidere. Alterum tamen, etsi non necessario, verum tamen est. Illud itaque quod scio futurum, si enim futurum oon est, etsi forte putetur, non scitur tamen, quoniam illius quod non est, non scientia, sed opinio est. Cæterum etsi non esse possit, nihil impedit esse scientiam, quæ non necessa- C riorum tantum, sed quorumlibet existentium est, nisi forte & tu cum Stoïcis existentia censeas necessariis comparanda. Sic & quæ ille prænouit, omnia procul dubio implebuntur. Contingentia tamen omnia & non euenire possibile est. Adeo quidem vt ad eueniendum res, quas cum eo futuras prænouimus, non magis ipsius, quam noster visus abstringat, licet ab illius dispositione subsistendi formam omnia sortiantur, quatenus bona sunt. Alias autem non formæ existendi gerunt, sed defectum illius, enormitatis suæ vitio protestantur. Præscientia ergo rebus causa eueniendi non est, aut euentus rerum ei causa est præsciendi, ne aut temporalium motus æternæ prouidentiæ causa sit, aut à purissimo fonte bonitatis malorum profluant riuuli. Deus vero bonorum dumtaxat autor est. Quod vero in compitis vulgo obiicitur, quia necessario, si quid præscitur eueniet, nullo veritatis robore subnixum est, nisi forte rebus ab omni necessitate absolutis, modum complexioni quis tribuat, vt potius ne- D cessitate consequendi, quam consequentis propositæ enuntiationis veritas constet. Nec me arctabis, vt licet dispositarum rerum, mutabilem fatear esse naturam, scientiam disponentis ob hoc dicam esse mutabilem; cum secundum ipsius veritatis arcanum (Ioannem filium tonitrui loquor) fidei constet, quia quantacunque sit labilitas subiectorum; quod factum est in eo vita erat, per quem facta sunt vniuersa. Eius itaque dispositio tanta suæ stabilitatis incolumitate viget & viuit, vt nullo rerum motu concuti, nulla possit temporis, aut casus mutabilitate conuelli.

Cap. XXII.

Quod ex possibili non sequatur impossibile, & quid ex quo necessario consequatur nouit altissimus, qui omnia solus potest.

E Instas tamen dicens, nisi euenerit aliquid quod præuidit, illud certa significatione complectens, forte lapidem recasurum in terram, fallitur dispositio. Quia ergo lapis noo recidere potest, iubes me de duobus eligere, quorum neutrum communiter approbatur, vt vel fatear prouidentiam posse falli, quod fides abhorret, vel, quod absonum est, ex possibili impossibile consecutione vera consentiam euenire. Angustiæ quidem sunt vndique. Hinc, ne diuinam minuam maiestatem, inde, ne multorum clamoribus & sententiæ, quæ iam fere omnibus persuasa est, contradicam. Sed quia me- F lius est incidere in linguas hominum, quam impie versari in Deum, si vtrumque vitare non possum, absonus malo videri, quam perfidus. Nondum etenim omnibus persuasum est, quod ex possibili impossibile non sequatur. Nam hoc nonnulli recipiunt; sed an recte, viderint ipsi & iudicent. At vt ex vero falsum sequatur, nemo sapiens acquiescit. Verum siquidem ex falso sequitur & vero, sed ex vero, non nisi verum. Ex possibili quoque & impossibili, interdum possibile sequitur; non tamen ex quovis impossibili omnia impossibilia. Nisi forte aliud tibi persuaserint illi, quorum si omnia vera sunt, ex vno impossibili, sequuntur omnia impossibilia, & ex quovis falso, quælibet falsa. Si vero obtinuisses ex vero falsum, iure & ex sententia omnium, quæreret me à semita veritatis abductum. Non tamen his importunitatibus eatenus premor, vt quod inopinabile est, licet inueniam consortes erroris, propria † temeritate tueri contendam. Malo cum Academicis, si tamen alia via non pateat, de singulis dubitare, quam per- G niciosa simulatione scientiæ, quod ignotum vel absconditum est, temere diffinire, præsertim in quo assertioni meæ fere totus aduersabitur mundus. Eoque libentius Academicos audio, quod eorum quæ noui, nihil auferunt, & in multis faciunt cautiorem, magnorum virorum autoritate suffulti, cum ad eos etiam in senectute transierit ille, in quo Latinitas nostra solo inuenit, quicquid insolenti Græciæ eleganter opponit, aut præfert, Ciceronem loquor, Romani autorem eloquij, quem ad eos, quasi in calce vitæ, diuertisse, liber de natura Deorum inscriptus, docet. Efferant Stoici inopinabiles sententias suas, quas paradoxas vocant, veras quidem, præclaras, & admirabiles: nos pingui (vt dicitur) Minerua agentes, nihil eorum approbamus, quæ omnibus, aut pluribus, aut sapientibus singulis in facultate sua probabilioribus falsa esse videntur. Nec si Cicero ipse, aut Aristoteles, impossibile ex possibile producant, acquiescendum censeo, me potius, aliqua fallaciæ nube deceptum, verosimiliter opinabor. Hac ergo via tendiculas tuas egredior, vt dicam prouidentiam falli H non posse, res tamen quæ prouisa est, posse non euenire. Sed quid inferre consueueris, scio. Ergo possibile est, eam non esse præuisam. Esto inquam. Quo vltra progredieris? Ergo inquis reclamante Philosophia, & quod est non esse, & quod fuit possibile & non fuisse, & quæ iam præterierunt, reuocari possunt ne fuerint. Et quidem infinitam potentiam Dei, scientiolæ & ratiunculæ meæ legibus non coarcto, nec ei finem, quæ non habet, impono. Scio enim quia omnia potest, sed tamen quia mendosè colligis patenter video, Primo quia diuinæ maiestatis immensitatem, paruitatis humanæ modulo circumscribis, & æternitatis immutabilem statum, labentium rerum imagine, & succedentium sibi temporum varietate distinguis. Sed longe secus esse hic, atque in his ex præcedentibus oportuit concipi, cum æternitatis statum nullus omnino motus attingat, & creatura quælibet accessu, vel decessu accidentium moueatur.

† al. tenuitate.

A Homo siquidem si quid prouidet futurorum, statim mentem eius quidam motus aggreditur, vt animus quadam applicatione sui, ad aliud apud se futuri operis speciem præfiguret, eandemque plerumque nunc quasi in archiuis memoriæ depositam, reponit, nunc quasi in speculo natiuæ puritatis replicat & reuoluit. Facilius enim est motum hunc ab animo omnino deficere, quam contemplatione iugi animo inhærere. Et quidem hic motus, si non prouidentia est, aut prouidentiam parit, aut ei cuiuscunque fœderis notitia vicinatur. Cum vero motus præcedens, & ex ea concepta species, futuri operis sequela frustratur, inanis est agitatio mentis, & quasi vmbra in somnis, sine veritatis corpore euanescit. Motus tamen, quia reipsa fuit in anima, non potest non fuisse in anima, & anima quæ motus agitatione mota est, non mota non fuisse non potest. Porro diuinæ simplicitatis status, longe alia condirin est. Ea siquidem vno simplici & indiuiduo aspectu, vt prædictum est, quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ ventura sunt, B omnia contemplatur, nulloque rerum mutabilium lapsu mouetur: sed in seipsa semel & simul corruens vniuersa, subsistit inuariabilis,

Stabilisque manens dat cuncta moueri.

Et licet interdum ei præteriti temporis aut futuri verba aptentur, non ei quicquam ex hoc subtrahi vel impendere, sed rerum subiectarum mutabilitas, si quid proprie dicitur, veraciter indicatur. Cum ergo ipsum aliquid prænouisse audimus, minime intelligimus fluxu temporis eius præteriisse scientiam, sed si verborum naturam sequimur, præcessisse tempus, quo veraciter credatur, eius quod futurum erat, habuisse notitiam. Sic vtique cum ab æterno certum est omnia prouidisse, non quod visui eius motu suo quicquam subtrahat tempus, sed, quia qui vniuerso tempore natura prior est, suus omnia semper comprehendat aspectus. Eius ergo prouidentia in sui dispositione non fallitur, quia eam semper sequela operis comitatur. Sed nec falli potest, quia nec ex mutabilitate rerum, nec ex temporis C fuga, aut versibilitate, potest aliquid absconditum esse ab oculis eius. Hominis vero falli potest, & fallitur dispositio, quia res cuius apud se præfigurauit speciem, processu temporis aut omnino non euenit, aut in alia specie in publicum procedit. Nec tamen quæcunque præteriti verbi significatione clauduntur, rebus sunt aggreganda præteritis. Nec si me vixisse profitear, florente Peripatetico Palatino, ideo mihi vitam elapsam, aut præteritam esse confiteor. Aut si ab Arrianis, Eugenio præsidente dissensi, non ob præteriti temporis gratiam a fidei & confessionis illius integritate diuerti. Cæterum, quia, quandoque verum fuit dicere, nunc viuo, sic sentio, eleganter & vere fateor in sequentibus, quia tunc vixi, & sic sensi, nec tamen vitam præteriisse vel sensum. Scio tamen quis dixerit, quia in hoc erramus, quod mortem non prospicimus. Magna pars eius iam præteriit. Quicquid ætatis retro est, mors tenet. Sed certe si ei semel fuisset vita elapsa, aut hoc omnino non diceret, aut diceret tedimuus. D Non est ergo necesse præteriisse quicquid præteriti temporis significatur verbo, & licet prædestinati sint, non ideo quia prælecti sunt, præteriit prædestinatio. Et quamvis non prædestinati esse possint, poterit aliquid quod præteritum sit, ne præterierit reuocari. Nota siquidem prædestinationis, quocunque verbi casu vtaris, quantum in eo est, futurum quam præteritum potius signat, & eum de quo dicitur, nisi iam forte euaserit, indicat esse saluandum. Est enim vt dici solet, verbum fœcundum, & in se semper verbi alterius intelligentiam claudit. Non itaque motum aliquem prædestinati ingerit, sed ei qui saluandus est, primitiua disponentis Dei gratia, patere asserit ostium salutis, & ianuam misericordiæ, qua procedente tempore possit saluari, imo saluabitur, licet possit & non saluari. Nec mihi illud Aristotelis tui obiicias, quia fuisse quod fuit, & esse quod est, quoniam est, necesse est vt colligas enuntiationes, quæ præteriti temporis habent copu-E lam, veras esse præcisè, vel præcisè & ex necessitate falsas. Minime namque hac obiectione iuuaberis, cum & ipsa Aristotelis verba faciant quæstionem, & articulo discutiendo nullum, aut parum ferant suffragium. Regulæ siquidem integritatem subuertunt enuntiationes, quæ præteritis vim futuri contingentis adiungunt; puta verum fuit heri te cras esse lecturum, vt te Plato quanquam sciuit, dormiturum. In quibus ex adiunctione futuri, præteriti temporis vacillat fides. Dum enim tu poteris non dormire, & hoc Plato poterit nesciuisse, non quod motus, qui in anima eius fuit, non fuisse posset, sed quod quæ fuit scientia, mutabilitate rerum, & temporis lubrico in opinionem poterit deuocari. Si tamen contingentium futurorum vlla potest esse scientia, quamvis sit indubitata opinio, quæ scientiam probabiliter imitatur: item quod heri verum fuisse prædiximus, non fuisse poterit verum, non quod res præterita reuocetur, quæ in eo nulla præterit, sed quod res futura exspectatur, quæ ab insidiis fortunæ pendet, vt sit. Deinde tu ipse potes prouidisse bonum ali-F quod, quod forte futurum est bonum, & potest non fore bonum; & idem potes non prouidisse bonum, non quis possis non prouidissa, quod prouidisti, sed quia potest non bonum esse, quod prouidisti. Item potes quid promisisse vel stipulatus esse vtiliter, itemque potes non promisisse, aut non stipulatus esse vtiliter; quod tamen promisisti vel stipulatus es, non promisisse, aut non stipulatus esse non potes. Præterea, tu in fundum Sempronianum, illum qui te sequitur, præcessisti; & si alium præcessisti, te alius aut secutus est, aut sequitur, aut sequetur. Cum ergo consequentis euacuari possit euentus, antecedentis quoque veritas potest infirmari, vt & tu qui præcesseras, non præcessisse possis. Quo tamen ingressus es, non potes non fuisse ingressus, neque quod factum est connumerari potest infectis, neque quod præteriit, ne fuerit, poterit reuocari. In his enim omnibus, quæ mente concepta, vel verbis expressa, vel actu completa transierunt, non G possunt, nec poterunt exinde non fuisse, etsi qualia futura erant, dum eadem sui natura certus non fixit euentus, valeant non fuissa. Talium vero clauduntur ambitu omnia, quæ cuiuscunque generis imminentis appellatione clauduntur, licet familiarius ad quantitatem, aut ad aliquid, aut ad quodlibet aliorum naturaliter applicentur. Quid ergo mirum, si ille qui omnia potest, & quæ præuidit, non præuidisse potest; cum constet fidei quod ea quæ præuisa sunt non euenire possunt, & quæ non præuisa sunt euenire, nec tamen citra conspectum prouidentiæ valeant euenire. Ait enim Esaias: Si volueritis ambulare in præceptis meis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam concitaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est. Ecce quia liberum hic seruatur arbitrium, dum si volueritis, etsi nolurritis dicens in vtramque partem, non ex iudicio irretractabili fatove Dei, sed ex merito singulorum omnibus pœnam vel præmium repromittit. Esset vtique in H voluntatem collata conditio promerendi inutilis, si faciendi vel non faciendi necessitas, esset prouidentiæ vel fatorum nexibus illigata. Quod si istud non sufficis contentiosis, annon ex Euangelico testimonio poterat in passione filius rogare patrem suum, vt exhiberet ei plusquam duodecim legiones angelorum, cum tamen liqueat ex primo facto, non hoc, sed oppositum eius, quod contigit, fuisse prouisum. Nec perspicacioris ingenij moueat sensum, si in tantæ maiestatis scrutinin exemplo deficimus, nec rationibus abundamus, cum admirationem ratio tollat, & exemplorum inductio singularitatem excludat. Ipsa vero ineffabili singularitate mirabilis & mirabili immensitate singularis, omnē sensum exuperat, non modo hominū sed angelorum. Scio equidem quia scrutator maiestatis opprimetur à gloria, & ex edicto altissimi, bestiam si montem tetigerit, lapidibus obruendam. Vnde quæ in talibus proponuntur, sine præiudicio meliorum, inuestigantis animo potius

dicta

A dicta sunt, quam temeraria contentione, ad impugnationem veri aliquid statuentis. Sed nec illud me scire confiteor, cur hoc reprobato alium prælegerit, nisi quod cum patribus sentio in illo occultam Dei iustitiam venerandam, in hoc manifestam gratiæ misericordiam amplectendam. Nam quod ille qui raptus ad tertium cœlum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, huius difficultatis articulum non tam discutiens quam admirans, altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei confessione humili veneratus, iudicia eius incõprehensibilia, & vias imperuestigabiles esse pronuntiat. Incerta & occulta sapientiæ Dei, quia sibi manifestata est congratulatur, opera eius supra sensum hominis magnificata asserit, & dum scrutatur omnia, cogitationes altissimi nimis profundas agnoscit. Huic veritati consonat, quod in Ecclesiaste sanctus Salomon in auditu fidelium concionatur: Est homo qui diebus & noctibus non capit oculis somnum, & intellexi quod omnium operum Dei, nullam inuenire possit homo ra- B tionem eorum quæ sunt sub sole. Et quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet; etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Si ergo inueniri non potest ratio subsolarium, quis plene suprasolarium redditurus est rationem? Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Constat itaque sic rationem omnium veritatis ardore quærendam, vt pia intentio suam infirmitatem agnoscat, & ex omnibus rebus proficiat, dum sibi persuaserit diuinam maiestatem fideliter honorandam, & misericordiæ indeficientis abyssum iugiter amplectandam. Denique apud Philosophos cautum est, talia manere prædicata, qualia subiecta permiserint, omnium prædicamentalium vim, & proprietatem naturalium finibus limitari. Eandemque cum ad culmen Theologiæ ascenditur, quasi natiuo colore destitutam, & robore, alterari. Plane deficit vis verborum, & intellectus ipse mortalis succumbit, vbi diuinæ discutitur immensitas maiestatis, & in naturalibus obtinet, his sc. quæ rerum numerum augent C vel minuunt, vt quod fuit non possit non fuisse; aut non præterisse, quod præteriit, dum tamen quod verum fuit, secum forte lecturum, nihilominus verum non fuisse putit. Quod itaque præteritum est, reuocari non potest ne fuerit, & æque quod ex insidiis fortunæ pendet, dum tamen ex facilitate naturæ vtriuslibet sortis expectat euentum, nulla eueniendi sibi necessitas subiicit. Sic forte dum prouidentiæ non impletur effectus, quod futurum est, & non euenire potest, potest etiam non fuisse præuisum. Non tamen, vt prædictum est, inuestigationis audacia omnipotentiam minuo, aut immensitati eius quamcunque præscribo mensuram. Hoc autem cum multis sentio, quia sicut Deus præuidit, eueniet, & si non euenerit, non præuidit. Vnde probabiliter ad minus colligitur, quia si potest non euenire, potest etiam non fuisse præuisum. Quid enim ex quo veraciter consequatur, ipsa veritas nouit iuncturam que rationum plene & perfecte primitiua ratio pensat. Hanc autem humano generi indulget academia antiqua licentiam, vt quic- D quid vnicuique probabile occurrit, suo iure defendat. Solebat nostri temporis Peripateticus Palatinos omnibus his conditionibus obuiare, vbi non sequentis intellectum, antecedentis conceptio claudit, aut non antecedentis contrarium, consequentia destructiora ponit, eo quod omnes necessariam tenere consequentiam velint, etsi nonnullæ solæ, dum tam magna sint probabilitate contentæ. Sicut enim scientiæ assistit euidentior pro sui perspicuitate opinio, sic & singularia quo probabiliora sunt, eo necessariorum fideliorem imaginem præferunt. Et ne me solius opinionis lubrico fluctuare putes, autorem quo me tueor magnum profero Augustinum, qui locum illum exponens Euangelij, vbi de multis mansionibus, quæ in domo patris sunt, à Saluatore fit mentio, ait: Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, id est, si non essent prædestinati, dixissem, ibo & prædestinabo. Diuersitatem etenim mansionum, quæ in domo patris cœlestis præ-

E paratæ sunt, diuinæ prædestinationi coaptat, quæ saluandis pro beneplacito disponentis parit diuersa charismata gratiarum, & munerum. Cum vero tantus pater hunc apprehenderit interpretationis sensum, vt dixerit, si non essent prædestinati, dixissem vobis, ibo, & prædestinabo, credibile est dum rerum pendet euentus, si omnipotenti placeat, eos qui nondum prædestinati sunt, posse prædestinari ad vitam, & qui iam scripti sunt in libro vitæ, exigentibus meritis ab eodem posse deleri. Hinc est forte: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Itemque: Aut dimitte eis hanc ooxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Qui natus est, inquit Euangelista, ex Deo, non peccat, quoniam generatio cœlestis seruat eum. Generatio vtique cœlestis est æterna prædestinatio, cuius omnes filij ingrediuntur ad vitam, etsi possibile sit eosdem præuaricationis merito à iustitia, quæ via vitæ est, aberrare. Si mihi non credis, audi vel illum, cui si Angelus de cœlo contradixerit, di- F gnissimo anathemate condemnabitur. Pater, inquit, ex eis quos dedisti mihi non perdidi quemquam, sed seruis eos. Nonne quæso illos perdiderat qui retrorsum abierant? Nonne etiam quodammodo iam Iudam perdiderat? Sed certe acceptauerat eum in arcano consilij filium, ne pater seruandum inter conscriptos filio dederat illum, qui non fuerat prædestinatus ad vitam. Si vero alij præordinati erant, si labi non poterant, quare pro eis tanta sedulitate filius intercedit? Saluandi ergo erant: & tamen dum peregrinabantur à Domioo, mortem poterant promereri, ad vitam nolla necessitate prædestinationis arctati. Gloriatur quis quod eum nihil separabit à charitate Christi, & tamen castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne forte cum aliis prædicauerit, ipse reprobus inueniatur. In Apocalypsi quoque monentur Angeli Ecclesiarum nunc agere pœnitentiam, & prima opera facere, ne moueatur candelabrum eorum, nunc tenere locum suum, ne eundem alteri cedant. Cur ita si quæ futura erant, mutari non G poterant? Hæc quoque sententia nec Gentilium Philosophos latuit, qui fatorum seriem dicunt immobilem, non quia moueri non possit, sed quia moueri omnino non cootingit. Hinc est illud,

Exire a medio potuit Pharsalia fatis.

Itemque poëticum, quo senex Carnotensis in angustiis fortunæ frequentius vtebatur,

Fata viam inuenient, &c.

Quæ vero elapsa sunt, & secundo dispositionis effectu completa, naturaliter quidem non possunt non fuisse, licet nihil asserere in alterutro audeam in iniuriam disponentis. Ait tamen Doctorum doctissimus, Hieronymum loquor: Audenter loquar licet Deus omnia possit, virginem tamen post ruinam suscitare non potest. Potest tamen coronare corruptam. Et quidem diffinitionem virginis, eodem interpretante, Apostolus ponit, vt si virgo, quæ sancta est corpore & Spiritu. Sed procul dubio Deus, & sanctificate animam virtutibus, & carnem potest redintegrare corruptam, vt tota H substantia sui videri possit quæ ceciderat, suscitata. Quod si oratorio tropo vsus intellexit, quæ fuerunt non posse non fuisse, non necesse fuit ad virginem prostratam recurrere, cum in præteritis omnibus simili sententia vel errore, hoc idem potueris inueniri. Sententiam vero ab errore scienter diuido, eo quod sententia semper habere debet veritatis significationem. Sicut apud sanctum Iob inuenis. Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis? Sed forte virginitatis aliquis gradus est, quem impossibile est à quacunque corrupta apprehendi. Quod autem possibile dicitur, interdum ad facilitatem quæ singulis inest, vel ex fortunæ calculo, vel ex aptitudine dispositionis refertur, quanquam ipsam rerum naturam respicit, nunc ad fontem omnium diuinam reflectitur maiestatem, à quo omnis non modo personarum potentatus, sed rerum omnium, quæ videri, vel cogitari possunt, potestas est. Hinc illud Salomonis: Omnis potestas à Domino Deo

A est. Aduersus hanc nulla me vnquam contumacia erigam, certus quia ipsa sola est, quæ potest animam & corpus mittere in gehennam.

Cap. XXIII.

Abiectio noui Stoici.

Restat tibi illius Stoici tui quæstio, quem in Apulia diutius morantem vidi, vt post multas vigilias, longa ieiunia, labores plurimos & sudores, tanto infelicis & inutilis exilij quæstu, in Gallias Virgilij ossa potius quam sensum reportaret. Quærebat enim Ludouicus ille, an posses aliquid facere eorum quæ minime facturus es. Quod cum admisisses, mille tibi aureos offerebat, dum illud efficeres. Quod si forte respueres, eos tibi quantalibet summa multiplicari iubebat, vt quod leuiter fieri potest efficias. Tandem impudenti & impudico soluebatur cachinno, vim coniunctionis oppo- B sitorum non intelligens aut contemnens, & te ridiculum assistentibus digito ostendebat, qui gratis tantam pecuniam contempsisses. Congeris in hunc modum quamplurima. Non tamen his stimulis vrgeor, vt omnia necessaria credam quia sciuntur, aut nihil contingentium sciri, quia necessaria non sunt. Plane sciolus paululum mihi cum peripateticis præ illo videor qui huius difficultatis angustia in Atticis noctibus confessus est se nescire se non esse cicadam.

Cap. XXIV.

Quod mathematici temerarij sunt, indifferenter futura iudicio suo subiicere præsumentes.

Illi quoque licet dissentiamus, in plurimis mecum fatentur, se omnia non nescire cum quibus astra loquuntur, & qui quasi de ipso cœlestium sinu extrahunt veritatem. Qui vero eorum modestissimi sunt, nec C sideribus rerum pollicentur effectus, nec eas necessitati lege dispositionis astringunt, sed quia venturæ sunt certisque pronuntiantur iudicijs, prædicere non verentur. Sed si futurorum potest ordo mutari, temerarium est rem sui natura incertam, certo diffinire iudicio. Si nau tem mutari non potest, quid prodest tanta curiositate scrutari, quod nulla potest diligentia declinari? Sed forte etsi aliter esse possit, res incerta non est, temeritatemque iudicij excusat ratio indubitata signorum. Licet enim sit possibile rem aliter esse, eam tamen ita futuram esse, manifesta signa prænuntiant. Nec mea, inquit astrorum secretarius, interest, an aliter esse possit, dum id de quo agitur, ita futurum esse non dubitem. Sed quænam est hæc certitudo signorum? Nempe rerum plerumque experimentum fallax, iudicium difficile, ipsorumque signorum varia est & multiplex significatio. Porro varietas ambiguitatem inducit: in ambiguis autem omnis diffinitio periculosa est. Sed esto quod signa vniformia sint, vnde illa vna significatio innotescit, aut D quid perhibet eam esse falsam? Natura inquis? Illane quæ in rebus, an quæ in diuina voluntate consistit? Porro, diuinæ non obloquor voluntati, sciens quia omnia, quæcumque voluit fecit. Si ea tibi innotuit, bene est. Potes vtique in lumine illo videre lumen, & vera indubitata de libro proferre, qui aliis signatus, tibi apertus est, in quo sunt omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, quem nemini aperire licitum esse audieram, nisi agno qui occisus est, & mortem virtute propria interemit. Noli amodo cum Apostolo mirari altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cum tibi comprehensibilia sint iudicia eius, & astrorum ducatu peruestigabiles viæ eius, tibique vadabilis sit iudiciorum eius abyssus multa. Si de ea natura niteris quæ in rebus, id est frequenti rerum cursu versatur, frustra tibi desiderium familiaritate blandiris, cum à solito rerum cursu multa diuertant, & eo maiori admiratione feriant sensus hominum, quo non modo in- E suetа, sed ipsi naturæ videntur aduersa: vt cum solis defectus plenilunio contigit, aut si circa synodum, aut citra plenilunium, vel vltra, luminis sui luna patiatur eclipsim. Qui enim sideribus legem dedit, qui curricula temporum voluntatis suæ freno moderatur, qui rerum momenta temporibus suis accommodat, quando vult & quomodo vult, nouum stupente natura, aut rarum potest producere effectum ex causis concurrentibus, quæ aliter parere consueuerant. Quis enim consiliarius eius fuit, aut dicet ei cur ita facis? Vtique Dominus est, quod beneplacitum est in oculis suis faciet. Dispositioni ergo aptare tempora, & rerum momenta variare temporibus, solus ille qui disposuit, potest: & cum multorum notitiam, secundum beneplaciti sui mensuram, concesserit creaturæ, hoc sibi trinitas singulariter reseruauit. Quando itaque & quandiu quid futurum sit nouit, & partes temporum ille dispensat, per quem ipsa tempora facta sunt. Ipsa quoque tempora motu & variatione rerum, quasi quibusdam coloribus pingit, & F volubilem temporis rotam, iugali quodam nexu rerum quo teneatur, illaqueat, & vt rem incomprehensibilem ingerat intellectui, eandem mirabiliter rerum proprietatibus, quasi suis informat. Non est, inquit verbum altissimi, vestrum, nosse tempora vel momenta, vt possitis modos, & varietates eorum, quæ futura sunt, comprehendere. Ecce quare temerarium sit, futura certo subiugare iudicio. In patris quidem potestate sunt posita, non necessitate eueniendi. Porro quæ in potestate posita sunt, sic, & non sic, esse possunt. Nam quæ in necessitate, sic esse necesse est.

Cap. XXV.

Quod argumentum à signo suo non est necessarium, & de Ezechia, Achab, & Niniuitis: & quod ea quæ significantur mutari possunt.

Sed forte familiaribus veritas loquens, non vestrum G ait, vt tantam prærogatiuam alienis, puta Mathematicis reseruaret. Esto, si tamen fidelis animus acquiescit. Sed quanta, vt prædictum est, est hæc certitudo signorum? nempe cum

signa meatus
Deseruere suos,

nouum aliquid creditur imminere. Non enim eousque contendo, vt res magnas nullis vnquam credam indicijs præueniri, cum in sole & luna, & ipsis elementis & ornatu eorum, vim significatiuam à Domino esse didicerim. Cæterum artem esse, qua quis de futuris, ad omnia interrogata verum respondeat, aut omnino non esse, aut nondum innotuisse hominibus, mihi multorum autoritate, & ratione persuasum est. Quod si tibi persuadere non possum, obstantibus his, quæ mihi de prouidentia, & fato, indesinenter opponis, mihique repugnantibus exemplis, quæ de variis adfert historiis; persuasi tamen mihi, huic non acquiescere vanitati. Non equidem signorum signatorumque eam cohærentiam H arbitror, vt alterum ex altero necessario consequatur. Cur ita crediderim, nisi te curialium nugæ detinent, audi. Rex Ezechias ægrotauit ad mortem. An non credis Regem Iuda medicum inuenisse, qui vrinæ, & pulsus, & multiplicium prægnosticorum indicio, morbi deprehenderet quantitatem? Deinde responsum mortis forte acceperat in corpore suo, qui eousque perductus est, vt se victurum vlterius non speraret. Postremo Spiritus S. mortem nuntiabat astare pro foribus. Quod signum certius quæris? Quid certum est, vt de aliis taceam, si de testimonio dubitas Spiritus sancti? An negabis Esaiam dixisse, in spiritu morieris & non viues. Vixit tamen & non mortuus est, adiectis ei annis quindecim, per misericordiam eius, qui futurorum euentus in sua posuit potestate. Et forte mortem, quam natura vitaliumque defectus intentabant, quia ille per pœnitentiam mortuus est in culpa, vlterior comminantis Dei absorbuit misericordia. Achab quoque Rex impiissimus,

A pissimus, cum Iesabel non tam coniugio, quam crudelitate conuincta, cum vineam sancti Nabuthæ cruore possedisset, mortem imminentem prænuntiante Domino, exspectabat. Si mihi non credis, quod eam Deus ipse prænuntiauerit, audi Heliam. Ait enim: Hæc dicit Dominus: Occidisti & possedisti. Itemque. In quo loco linxerunt canes sanguinem Naboth, ibi lingent sanguinem tuum, & Iezabel canes comedent ante muros Iezrael. Quod cum audisset Achab, scidit vestimenta sua & posuit saccum super carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in cilicio. Factusque est sermo Domini ad Heliam dicens, Quia reueritus est Achab faciem meam, non inducam malum in diebus eius. Ecce pœna quæ debebatur Achab, quia pœnitentiam egit, differtur in posteros, & Iezabel in scelere perseuerans præsenti iudicio condemnatur. Vna eademque fuit sententia, quæ sanguinem Achab & Iezabel canibus exponebat. Et tamen pro parte mutatur, pro parte manet B immobilis, autore temporum sic omnia dispensante. Sic & Niniuitæ à præsenti excidio liberati, Domini flexere sententiam, ex edicto regis & principum, agentes pœnitentiam ad prædicationem Ionæ. Nunquid tibi videtur verior & fidelior sententia Iouis & Martis, quam sententia creatoris? Non vtique Plauti consilio acquiescens, si istud vitium planetis adscripseris. Cum enim Sycophanta Mandrogerum percunctetur, an illi sint planetæ placandi, qui numeris totum rotant eos: Mandrogerus nostro visu faciles, nec dictu affabiles esse respondet, adiiciens, quod & atomos in ore voluunt, stellas numerant, sola mutare non possunt sua. Sic itaque à dispositione siderum euentuum necessitatem ingerit, vt illo sale satis vrbano eleganter irrideat, qui visum exercent in contemplatione eorum, qui visum fugiunt, & interpellant eos, qui loqui dedignantur: & cum atomos in ore voluant, verendum est, ne si atomus genethliaco forte intercidat, in excipienda sententia cœlestiũ labatur. Sit ergo eorum insignis auto- C ritas, dum stabilis & inconuulsa maneat creatoris. Certe quicquid tibi Mars tuus, aut Iupiter suggerant, Deus verax est, & tu dum illis plus quam Deo credis, perniciosissime mendax. Astra quidem mendacia sunt in conspectu eius, sed & in Angelis suis reperit prauitatem. Vt tamen verum fatear, tibi astra non mentiuntur, sed tu ipse. Quod deciperis tibi imputa. Quis enim te cogit falsum putare? Deus, ea quæ præeuntibus signis ventura coniectas, immutabilia esse persuasit. An falleris, eo quod figulus sibilans, aut hic mundus ait,

Nulla sine lege per auum
Errat, & incerto voluuntur sidera motu.
Aut si fata mouent, vrbi generique paratur
Humano matura lues?

Idemque manifestius subiicit,

Et superos quid prodest poscere finem?
Cum Domino pax ista venit, duc Roma malorum
Continuam seriem, cladem que in tempora multa
Protrahe, ciuili tantum iam libera bello.

D Sed procul dubio multi dij tui futurum bellum amouere non poterant, quia multi imo potius nulli sunt. Hoc tamen vnus & Deus & Dominus potuisset. Nouit enim ille mutare sententiam si tu beneficio eius maleficium finias. Vnde & Nabuchodonosor consilio Danielis peccata eleemosynis redimens, & iniquitates in misericordiis pauperum, sententiam Domini imminentem ad tempus effugit donec in aula Babylonis glorians diceret, Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Sic ergo elationis voce, in seipsum iam fugientem Dei sententiam reuocauit.

Cap. XXVI.

E *Quod sententia Dei moueri potest, quod consilium Dei immutabile est, & voluntas Dei prima omnium causa, & quod mathesis via damnationis est.*

CVm itaque immutabilis Dei possit moueri sententia, errantium & discurrentium siderum sermo manebit immobilis? Sed quocunque modo sententia moueatur, consilium Domini manet in æternum. Quod autem consilij & voluntatis Dei signum certius est, præceptione aut prohibitione diuina? An non recte videbitur velle, quod præcipit? Plane Patriarcham præcepit vnigenitum promissionis filium immolare. Rectene Patriarcha mandanti acquieuit? Recte quidem per om- F nia, eo quod mandatum voluntatis quæ prima omnium causa est, & nunquam suo fraudatur effectu, certissimum indicium sit. Adeo quidem prima est, vt si quæratur de aliquo, cur ita sit, rectissime dicatur, quoniam ille sic voluit, qui omnia quæcunque voluit fecit. Si vero cur voluerit inquiratur, inepta quæstio est, quoniam primæ causæ, voluntatis scilicet, quæritur causa, cuius nulla est omnino causa. Equidem dici solet, & verum est, quia in manu principis est, vt possit mitius iudicare quam leges, cum & qui legem tulit, derogandæ vel abrogandæ illius habeat potestatem. Legi ergo, quam figulus tuus cœlo imponit, autor cœli contradicere non audebit? Interpositam inter ius & æquitatem interpretationem, soli principi & oportet, & licet inspicere: Vbi aliud ius suadet, aliud æquitas quæ in publica vtilitate versatur, principis quærenda est interpretatio, quæ generalis est & necessaria. Vbi de scripto & sententia dubitatur, mens est inquirenda autoris. Quis ergo te cœlestium fecit interpretem? Vnde quid expe- G diat nosti? Qua temeritate aliena opera, tuis imo Dei stellis ascribis? Teneo enim tuum illud subtilissimum argumentum,

Tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda chelasque peruris,
Quid tantum Gradiue paras?

Sed mendacij pater, qui te hæc docuit cœlestibus ascribendum, fraudulenter sic agit tecum vt cum his notis respexerit creaturam, ipsum creaturæ sic infamet autorem. Postremo animulas miserorum fraude deceptas, ineuitabilium vaticinio futurorum in elationis tumorem suspendere, vel desperationis abyssum præcipitare, dementia est. Porro hunc fructum mathesis suæ horoscopi afferunt, & planetis suis magis erronei, dum à scientia pietatis exorbitant, longa peruestigatione signorum, cum eo qui quasi lucifer matutinus oriebatur, descendunt in infernum viuentes, aliosque ruinæ suæ participes efficiunt. Sed dum tibi talia proponuntur, vel opponuntur, quid facis? Rides equidem, & nimis vncis nari- H bus indulges ludibrio, habens simplicitatem fidei, recursusque ad prouidentiæ sinum, & te in abyssum inscrutabilem quasi * Antus alter totum immergis. Lucem inaccessibilem posuisti refugium tuum, & inde fidei rusticitatem impugnas, ac si fons veritatis propugnaculum sit erroris. Sed esto, veterem hanc prouidentiæ querelam sopire non possum, & nodos omnium quæstionum soluere non sufficio. Quis enim adeo sapiens est, vt omnibus cuiusvis imperiti, nedum tuis quæstionibus satisfaciat? Totius denique veteris Philosophiæ princeps Plato, lenem (vt fertur) quod tamen de Homero verius diceretur, nescio quam nautarum quæstionem explicare non potuit. Vnde cum ab eisdem impudentius, & pertractius derideretur, vt erat vir verecundi ingenij, quasi toxicato confusionis iaculo perfossus ad mortem, spiritum nouissimum exhalauit. Puduerat enim quod quasi totius Academiæ improperio, exprobrauerant principem Philosophorum Græciæ, etiam minima ignorare. Hoc autem asserit Flauianus in libro, qui de vestigiis

Philosophorum inscribitur, Xenophontinos faciente inuidia, aduersus Platonis gloriam impudenter finxisse. Licet quamplurimi eum ob Sacramentum numeri, asserant vltro animam posuisse illo ætatis suæ anno expleto, quem nouenarius in se ipsum ductus, effecerat eo quod exinde non accedit humanitati nisi labor & dolor. Fateor equidem me paucula scire, & cum multis plurima ignorare, nec tamen vitæ munus quasi Homerus pudore victus abiicio. Si ergo prouidentiæ, & liberi arbitrij litem componere non sufficio, si fatorum & facilitatis naturæ repugnantiam nequeo concordare, nunquid ideo minus verum est ista esse? Sicut in iure ciuili reus frequentissime fauorabilior est, ita quædam sunt inuestigationibus philosophicis, vbi plerumque potior pars videtur actoris. Hoc autem ex defectu nostro arbitror euenire. Intellectus enim circa rerum prima principia deficit. In his scrutinum prouidentiæ, inuestigationemque materiæ, & fidei nostræ multos articulos aptissime censeo numerari. Dum in prouidentia vnius querelæ molestiam perimis, velut hydræ præciso capite, plurium succrescunt capita quæstionum. Si in materiæ siluam progredimur, illico patimur quod somniantes, inter aliquam & nullam substantiam constituti, animæ quæsita origine, traducem nobis intellectus opponit. Postremo in diuina substantia Trinitatem recipere personarum, nisi in fidei virtute, quomodo Arrij laqueos declinabis? Diuinitatis vnam simplicem & indiuiduam admitte substantiam, quomodo Sabellij, nisi fidei ratione, manus effugies? Hæc tamen non minus vera sunt, quia multis possunt quæstionibus impugnari. Et licet sapientia Dei se incarnationis mysterio nobis visibilem fecerit, non tamen eousque se intellectui nostro fecit palpabilem, vt cum ea possimus vsquequaque discurrere, scientes rerum omnium quanta sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Si vero mathematicorum via esset vsquequaque laudabilis, non tantopere pœnituisset magnum Augustinum se eorum consultationibus inclinasse. Ad hæc doctor sanctissimus ille Gregorius qui melleo prædicationis imbre totam rigauit & inebriauit Ecclesiam, non modo mathesin iussit ab aula, sed vt traditur à maioribus, incendio dedit probatæ lectionis scripta, Palatinus

quæ atque tenebat Apollo.

In quibus erant præcipua, quæ cœlestium mentem, & superiorum oracula videbantur hominibus reuelare. Quid multa? Nonne satis est quod hanc vanitatem catholica & vniuersalis Ecclesia detestatur, & eos, qui eam vlterius exercere præsumpserint, legitimis pœnis percellit? Sed ne planetariorum non tam persequi, quam sequi videamur errorem, iam ad reliqua progrediatur oratio. Qui enim huic curiositati inseruiunt, non magis veraces esse possunt, quam humiles & sobrij, qui primos recubitus in cœnis appetunt, & epulantur quotidie spleudide. Postremo plurimos eorum audiui, noui multos, sed neminem in hoc errore diutius fuisse recolo, in quo manus Domini condignam non exercuerit vltionem.

Cap. XXVII.

De aruspicibus & chiromanticis & Pythonicis & Saulis deiectione.

QVid de necromanticis dicam, quorum impietas Deo autore, per se ipsam vbique iam viluit, nisi quod morte digni sunt, qui à morte conantur scientiam mutuare? Nam de auspicibus, auguribus, salissatoribus, ariolis, pythonicis, aruspicibus, & aliis, quorum præ multitudine tædiosa est enumeratio, productiorem sermonem texere, cum nemo istorum iam progrediatur in lucem, sed in latibulis, si quis est, exerceat opera tenebrarum, superuacuum est. Quædam tamen eorum certis de causis aliquatenus tangenda sunt. Etsi lateant, supersunt adhuc malo suo aruspices. Hos pro parte in extis animalium diuinare prædictum est. Extorum quidem censentur nomine, omnia, quæ cutis extremitate teguntur. Vnde & illos qui in humerulis arietum, vel quorumcunque ossibus animalium, vaticinantur, eis connumerandos esse manifestum est. Chiromantici quoque vera, quæ in rugis manuum latent, se nosse gloriantur. Quorum errorem, quia ratione non nititur, non necesse est rationibus impugnare, licet eo ipso illos expugnet ratio, quod deficiunt ratione. Vnum tamen est quod à te, si me patienter audias, attentissime quæro. Quid nugatores isti, quoniam eos tibi notos esse non ambigo, quando de dubiis interrogati sunt, profuerunt? Cum aduersus Niuicollinos Britones regia esset expeditio producenda, in quo te consultus aruspex præmonuit? Quamuis ab eo veritatis arcanum non fuerit inquirendum, qui excubiali obsequio concinnatorum mendacij credendus erat, quam occultæ veritatis interpres. Vulgo siquidem cum quis mentiendi nota inuritur, dici solet, quia quouis excubo vigilinæ mendacior est. Item chironomanticus adhibitus, & consultus quid contulit? Nam sub eo articulo vterque quisquis hoc egerit, consultus? Tu quidem paucis diebus elapsis, quasi stellam matutinam generis tui non præmonitus perdidisti. Cætera quæ melius nosti, scienter taceo, cum isti vanitate sua metuerunt ne vlterius consulantur. Pythonicorum vero eo perniciosior est consultatio, quo fallacia malignorum spirituum in his manifestior est, qui siue mentiantur siue non, in proposito semper habent vt noceant. Fallunt autem interdum studio fallendi, interdum cæcitatis suæ errore decepti: id tamen agunt assidue, vt futurorum conscij per omnia videantur. Inde est quod ambiguitate verborum obnubilare student oracula, vt cum mendaces aut fallaces inuenti fuerint, aliquo rationis velamento suam queant tueri fallaciam. Sic vtique fallacia non desistunt, donec auditores suos præcipitent in ruinam. Cui enim à seculo vatum profuere responsa? Crœsone, an Pyrrho, aut præcedentium aut subsequentium cuiquam? Dux Thebanus dum de oraculo sperat victoriam, fratris mucrone perfoditur. Ei tamen auus Laius successus belli visus est polliceri. Quid enim aliud significaret, quod post multas ambages intulit,

certa est victoria Thebis?

Cæterum ne interempto duce, mendacij arguatur, vt fallaciam ambigua veritatis nota obduceret, quo malitiam tueatur, subiecit,

Hei mihi per gladios vicit pater.

Sic ergo dum quasi fatorum consilio securus ad parricidium inuitatur, laqueo impietatis trahitur ad occasum. Patris quoque parricidæ desiderium adimpletur, dum fratres impij, quibus imprecatus optauerat, vt ferro generis consortia dissilirent, mutuis vulneribus pereunt, & alternis gladiis prosternuntur. Crœsus maxima regna si Halin transgrediatur, de oraculorum fide sibi subiectū ita confidit. Sed cum res in contrarium cesserit, fallax Apollo se vnius verbuli æquiuocatione, absoluit ab inuidia mentiendi. Quid Pyrrhus? Romanis victis, quos sæpe in acie virtute fuderat, beneficio Phœbi sibi promittit imperium, sed irreparabiliter stratus in seipsum retorsit culpam, qui Amphibologiam oraculi minus vtiliter intellexit. Ad notiores transeatur historias. Appius cum vnica & singularis ciuilis belli tempestas orbem concuteret, docente Phœbo in sinu Euboico quietem quærit, & mortem inuenit. Oraculum quidem autore Lucano celebre est:

Effugis ingentes tanti discriminis expers
Bellorum Romane, minas solusque quietem
Euboici lateris media conualle tenebis.

Sed ne falsitatis nota in historias non oracula refundatur, canonica & cui fides incolumis acquiescit, discutiatur historia. Saül in tyrannum versus ex principe, cum exigentibus culpis, esset à Domino derelictus, & diuersus populum Domini, eo duce inualesceret manus hostilis, sollicitus fractis rebus exitum inquirebat. Consuluit ergo Dominum & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. Hic

tamen

A tamen ei ante denuntiauerat Samuel, quia Dominum
pœnitebat, quod eum constituerat regem, eo quod
non impleuerat Verbum Domini suadente auaritia, par-
cens Agag Regi pinguissimo, & opimis gregibus ouium
& armentorum, & vestibus & arietibus, & vniuersis
quæ pulchra erant, in oculis populi. Quicquid vero vile
fuit, & reprobum, hoc mandante Domino demoliti sunt,
& cum nulli ducum nisi de manu Domini exercituum
contingat victoria, autori bonorum non referens glo-
riam, viribus suis in facie populi de collato munere ap-
plaudebat. Sic enim scriptum est: Factum est verbum
Domini ad Samuelem: Pœnitet me quod constituerim
Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non
impleuit. Contristatus est Samuel, & clamauit ad Domi-
num tota nocte. Cumque de nocte surrexisset vt iret ad
Saulem mane nuntiatum est Samueli, quod venisset Saul
in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, &
reuersus fuisset, descendissetque in Galgala. Deinde ad
B increpationes Samuelis crimen inobedientiæ sub præ-
textu religionis maluit excusare, quam delere per pœni-
tentiam; quæ secunda tabula post naufragium relicta
est peccatori. Ait enim, Imo audiui vocem Domini, &
ambulaui in via per quam misit me Dominus, & addu-
xi Agag Regem Amalech, & Amalech interfeci. Tulit
autem populus de præda oues & boues primitias eorum
quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo in Galga-
lis. Ecce quomodo se ipsum excusat, & quicquid cul-
pæ est, aut extenuat aut, refundit in populum. Ait er-
go Samuel: Nunquid vult Dominus holocausta & vi-
ctimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Me-
lior est enim obedientia quam victimæ, & auscultare
magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi
peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus Ido-
lolatriæ nolle acquiescere. Pro eo quod abiecisti ser-
monem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Ego
quidem similiter arbitror euenire omnibus qui in subli-
mitate constituti abeunt post concupiscentias suas, &
C principatum ac dominium simulantes, tumorem suum
exercent in subditos, coæquantes libito licitum, ac si
colla eorum iugo diuinæ legis subiecta non sint, & nul-
la necessitate vrgeantur ad implendam iustitiam Dei.
Sed nunquid vel sic ad tantum tonitruum commina-
tionis diuinæ σκληρότης pectoris indurati aut tumor,
qui tyrannidis iniquitate in corde Saulis viuacius coa-
luerant, potuit emolliri? Nequaquam. Dixit enim Saul
ad Samuelem, Peccaui, quia præuaricatus sum sermo-
nem Domini, & verba tua, timens populum & obediens
voci eorum. Sed nunc porta quæso peccatum meum, &
reuertere mecum, vt adorem Dominum. Et ait Samuel,
Non reuertar, quia proiecisti sermonem Domini, & pro-
iecit te Dominus ne sis Rex super Israël. Vides ne quam
difficile sit malitiam, cum superbiæ fomento coaluerit,
verbis & exhortatione curati? Peccaui, inquit, timens Po-
pulum, & obediens voci eorum. Nonne sic fatetur cul-
pam, vt potius inuoluat alios, qui si princeps esset, fue-
rant relaxandi, quam se ipsum expediat? Nunquid sic
D audierat fecisse Moysen, cum ira Dei sæuiret in popu-
lum, dixissetque ei Dominus: dimitte me vt irascatur fu-
ror meus in populo, & deleam eum, & faciam te crescere
in gentem magnam. Quid ergo fecit dux, idemque fidelis
princeps in beneplacito suo, constitutus à Domino? Aut
dimitte eis, inquit, hanc noxam, aut dele me de libro tuo.
Sed nunquid in tantæ charitatis affectu propriam quæ-
rebat gloriam? Inquit enim mansuetissimus princeps, pius
pater, disertus orator, potens in opere, & sermone, dux
præambulus in iustitia mandatorum Dei? Dicent Ægy-
ptij, callide duxit eos Dominus de Ægypto, vt proster-
neret in deserto. Sic ergo etiam sui ipsius dispendio Do-
mini gloriam præoptabat & populi, cuius ducatum mi-
nistrabat, liberationem. Dauid quoque cum culpa eius
Dominum ad iracundiam prouocasset, & principalis cul-
pæ subiectus populus portaret pœnam, vidit Angelum
Dei cædentem populum. Fudit itaque preces de intimis
præcordiis, & adiecit, Ego sum qui peccaui, ego inique
egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt? Verus vtique Rex
& iustus princeps, & dignus, qui altissimi frangeret iram, E
qui dum se pro populo flagellanti Deo opposuit, indi-
gnationis eius flagellum amouit. Eum si quidem nulla
excusatio flectit, nisi cum quis proprio iudicio accusatur.
Nihil mouet ad veniam, nisi cum nocens nudam detegit
culpam. Misericordiam nil admonet, nisi cum animus
charitate succensus, in se ipso conteritur. Nihil persua-
det propitiandum esse, nisi cum mens manum operis ex-
tendit ad satisfaciendum. Si quis enim fatetur culpam,
inutilis est confessio, nisi satisfactionis animo, currat ad
veniam. Peccaui, inquit Iudas, tradens sanguinem iustum.
Fuit itaque vera vsquequaque confessio: sed inutilis, quia
potius cucurrit ad laqueū quem meruerat, quam ad fon-
tem misericordiæ quam demeruerat & obstinationis suæ
duritia præcluserat sibi. Eum tamen pœnituit fecisse,
quod fecerat, sed non eo deuotionis affectu, qui lapi-
dem adiutorij sufficeret emollire. Pœnitentia siquidem
ductus laqueo se suspendit. Vitam ergo digno finiuit
supplicio; sed quia malitiam non correxit, veniam si- F
bi nullo salutis procurauit remedio. Sic enim & apud
inferos scribitur esse stimulus pœnitudinis, licet nulla
sit correctio prauæ voluntatis. Sic Saül procul dubio
peccatum suum imponere nititur humeris alienis, &
dum simulat, quod à pœna velit per preces Samuelis exi-
mi, se ipsum grauius oneratum fortioribus laqueis inuo-
luit, & irreparabili sententia damnationis astringit. Se-
quitur enim. Et conuersus est Samuel, vt abiret, ille au-
tem apprehendit summitatem pallij eius, quæ scissa est.
Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus Regnum Israël
à te hodie, & tradidit illud proximorum meliori te. Por-
ro triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non
flectetur. Neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.
At ille ait, Peccaui. Sed nunc honora me coram senio-
ribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum,
vt adorem Dominum Deum tuum. Ecce quanta elatio-
nis insania. Se deiectum audit à Domino, & ta-
men quasi eo inuito regnare contendit. Regnum melio-
ri traditum esse non ambigit, & priuatus per sententiam G
irretractabilem regni gloriam fraudulenter vsurpat. Cur-
rit itaque dum in vetitum molitur ascendere, & fit sei-
pso deterior, dum meliori reclamante Domino, vult
præferri. Fatetur equidem culpam, sed pœnam portare
dedignatur; hoc est enim quod ait, Peccaui: sed nunc
honora me. Ac si dicat: Cum criminis culpa, elationis
fastu, tyranni nequitia iuste deiectus contemni merue-
rim, me patientia tua in conspectu eorum qui non no-
uerunt consilium Domini, faciat gloriosum. Reuertere
ergo mecum, vt tuo incedam fastigiatus obsequio, &
tanto stipatus comitatu, tanta venerabilis auctoritate,
adorem Dominum Deum tuum, quoniam meum vltra
dicere non audeo, qui ab eo per inobedientiam discessi
& adhuc per contumaciam recedo. Adeo si quidem in-
tumuerat spiritus eius, vt se non modo homini, sed &
ipsi Deo seipsum quodammodo propriæ impietatis ausu
præferret. Quem enim Dominus prætulerat, quanto
maiori gratia videbat præditum, tanto acriori inuidia ei
occultas tendebat insidias, tam manifestas, quam ini- H
quas exercens inimicitias: & quo manifestius eum Do-
minus extollebat, eo auidius non tam deprimere, quam
extinguere properabat, ipsique Deo se e regione ponit
oppositum, dum ei surripere aut eripere nititur iura re-
gnorum. Dignum ergo fuit vt non maneret in eo spiritus
Domini, qui cor suum non modo habitaculum, sed
& tantæ nequitiæ fecerat fundamentum. Exagitauit
eum itaque spiritus nequam à Domino, & ex illo re-
trofluere, & indies labi, minui regni vires cœperunt,
salus populi fluctuare, hostium crebrior, maior, clarior-
que victoria, tam Regis quam populi validius animos
fregit. Ipse tamen cum cui Dominus regnum firmauerat,
exterminatum habebat à finibus suis. Quid ergo tandem
cœpit consilij? Non vtique vt regnum traderet melio-
ri se, vt dispositioni diuinæ, quæ ei innotuerat, ac-
quiesceret, vt pœnitentiam ante actæ vitæ ageret fru-
ctuosam. Sed qui aduersus Dominum calcaneum tumoris
extulerat, populum in montes Gelboe, vbi puniendus

&

A & occidendos erat, eduxit in prælium. Occidi siquidem in monte debuit, qui non nisi alta in seipso respexit. Quia ergo eum veritas ipsa deseruit ad fontem mendacij falsus & iniquus princeps confugit. Dixit itaque seruis suis, Quærite mihi mulierem, habentem Pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Quid aliud dixisset gentilis, idemque perfidus? Nonne idem est ac si dicat,

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo?

Aut sanelior his verbis, & insaniori perfidia, si mihi Deus notitiam subtrahit veritatis, eam tamen per patrem mendacij, eo inuito, cognoscam, & velit nolit arcanum consilij eius, per potestates aduersarias explorabo? Et dixerunt serui eius ad eum, Est mulier habens Pythonem in Endor. Indignus enim erat consultatione virili, quem intantum desperatio fregerat, vt etiam ab infirmissimis creaturis ad tuendum sibi regnum, quod Dominus auferebat, aduersus omnipotentiam eius, auxilium imploraret. B Mutauit ergo habitum suum, vestitusque aliis vestimentis, & abiit ipse & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte. Recte quidem omnia, quia rectus est, etiam apud peruersos Spiritus sanctus. Regio namque habitu debuit spoliari, qui ad seruiendum dæmonibus, & non Deo, infaustum arripuerat iter. Qui vestem abiecerat innocentiæ, qui iustitiæ mutauerat indumentum, vestibus honoris & gloriæ non debuit insigniri. Et abiit vtique post eum, qui non stetit in veritate, & duo viri cum eo equidem innominati & innominabiles, qui vel Regem ad tantam perfidiam non reluctante fide prosequi potuerunt. Duotumque Rex decenter stipatur comitatu, dum à summa & vera vnitate recederet. Veneruntque ad mulierem nocte, apto vtique tempore de morte regum, de strage populi, de luctu publico cum tenebrarum principe tractaturus. Sic & Salomon nocte dicitur sapientiam accepisse, quia amore mulierum allectus & corruptus à Domino recessurus. C Petrus quoque dum calore fidei destitutus, calefaceret se ad prunas de nocte, lapsus est in perfidiam, & eam crimine periurij fecit insignem. Alij etiam discipuli timore prostrati, tempore nocturno fugerunt. Et ait Saul ad mulierem, (Mulieres enim frequentius spiritus Pythonicus implet) Diuina mihi in Pythone, & suscita mihi quem dixero tibi. Lege libros, reuolue historias, scrutare omnes angulos scripturarum nusquam ferè in bona significatione diuinationem inuenies. Vnde prophetas reprobos diuinatores non prophetas esse scriptura commemorat, quales fuerunt prophetæ Achab, qui eum Domino permittente, exigentibus meritis variis ludificationibus seducebant Denique iuxta verbum Domini egressus est spiritus mendax, & factus est in ore omnium Prophetarum Achab ascensuro in Ramoth Galaad prospera permittentium, solo Michea Mocastite reclamante, qui conscius diuini consilij, Israel quem dispersum in montibus viderat, præmuniuit, cæsus ab amore, veritatis iudicium ab eo, qui D assumptis cornibus ferreis dixerat, His Rex cornibus Syriam ventilabis. Præterea diuinatio fere sine munere non fiebat, vtpote quæ in auaritiæ & nequitiæ spiritu exercetur. Hinc est quod Hierusalem ruituræ Spiritus Sanctus impropetat, Principes tui in muneribus iudicabant, sacerdotes in mercede docebant, & prophetæ in pecunia diuinabant, & super Dominum requiescebant dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrum? Non venient supra nos mala. Propterea dicit Dominus, Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem vt custodia pomœrij erit. Qui ergo in pecunia diuinabant, etsi prophetarum insultant nomine, sæpe mendaces, sæpe mendosi, alieni sunt à virtute & prophetiæ veritate. In Pythone, inquit: Quasi. Quia recessit spiritus Domini, vel Pythonicus patrocinetur mihi. Et suscita mihi quem dixero tibi. Vtique fallacia fallaciam trudit. Datus Rex in sensum reprobum, qui sibi persuaserat Pythonem scientiæ præsulem, præscium futurorum, arcani consilij conscium, veritatis interpretem, sibi quoque persuasit, eundem tanta præditum potestate, vt possit etiam mortuos suscitare, & tantæ benignitatis, vt etiam in eo, quod rarissimum est & difficillimum, familiaribus suis morem gereret. E Proculdubio elapsum erat à memoria eius, aut inutiliter tenebatur, canticum fidelis animæ. Quia Dominus est qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat, & quod in se ipso impletum viderat Saul, suscitat de puluere egenum, vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat. Et qui hæc facit, proculdubio sententiarum Dominus est. Et ait mulier ad eum, Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit magos & ariolos de terra. Quare ergo insidiaris animæ meæ vt occidar? Et iurauit ei Saul in Domino, dicens, Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem. Verum quidem est, quia qui versatur in sordibus, sordescit amplius; & quem gratia deserit, fiunt semper nouissima illius deteriora prioribus. F Sacrilegij igitur Pythonissa conscia expauescit, & potestas à Domino constituta ad sacrilegia euellenda alias quidem timida, cum negotia populi, cum Domini bella geruntur, idololatris præstat audaciam, & sacrilegiis regiam accommodat autoritatem. Ariolos, inquit Dominus, & magos ne patiatis viuere. At ille ad quem sermo Dei dirigitur, & qui gladium portat ad vindictam malefactorum, bonorum gloriam, non modo talibus securitatem dat, sed promissam pacem iuramenti religione confirmat. Et si euenit vt in proprio periculo discat, quam perplexi sint nerui testiculorum Leuiathan, cum sibi tetenderit laqueum proprij operis, à quo sine salutis dispendio non euadit. Ei iam arcta complexio, & cornutus quidam imminet syllogismus: Si Pythonissæ parcitur, Domini violatur imperium, præcipientis vt maleficia huiusmodi de terra eradantur: Si non parcitur, iuramenti religio vitiatur. Quocunque se vertat impius, comprehenditur in operibus suis. Dicit ergo G mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait, Samuelem. Omnium temporum vna est fides, Deum esse, eundemque iustum, & bonum, & remuneratorem sperantium in se, omnium plene meritis respondentem, ante legem, sub lege, sub gratia, nemini rectum sapienti, venit istud in dubium. Sine ista nemo vnquam ingressus est ad salutem. Verum qui errat in minimis, paulatim ad maiora prolabitur. Sic iste primo negligens, deinde inobediens, postmodū contumax, exinde obstinatus postremo ad eam prolapsus est cæcitatem, vt nec prædictum articulum fidei sibi seruet incolumem. Deum etenim iustum vsquequaque non credidit, opinans etiam in sanctos post exitum vitæ huius, malignis spiritibus concessam potestatem. Nouerat enim sanctum Samuelem Pythonicis non obtemperasse dum viueret, nec aliquod cum eis initæ familiaritatis habuisse commercium. Nunc vero cum ad Pythonis imperium, sibi sperat & petit excitari. Vult etiam ad hoc cogi defunctum, ad quod viuus impelli non potuit. Regi siquidem noluit indicare dum viueret, nisi quod indicandum Domi- H nus inspirabat. Cum audisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saulem, Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. Se vtique deceptam credidit, & etiam post præstitum iuramentum, notitia & præsentia principis oneratam. Dixitque ei Rex; noli timere. quid vidisti? Et ait mulier ad Saulem, Deos vidi ascendentes de terra. Pythonissæ potuerat ab incepto, vel tenuis fidei virum deterruisse responsio, Deorum siquidem pluralitatem inducit, & eorum habitationem sub terra, & in tenebris esse significat. Dixit ergo Saul: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Intellexit itaque Saul quod Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terram, & adorauit. Formam illius qui apparebat diligenter inquirit, forte errore gentilium deceptus, eandem habitus & negotiorum formam singulis apud inferos credens, qua superstites fuerant insigniri. Vnde illud: Quæ gratia curruum armorumque fuit in viuis,

A

quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Sed nonne potuerat sancti viri clarior esse gloria, aut post mortem viuentis habitus immutati? Et quidem prouide, & fideliter non dicit Scriptura Samuelem Pythonis imperio suscitatum, sed cæcitatem impij sensus prudenter expressit. Ait enim, Audita forma viri & habitu, intellexit Saül quod Samuel esset. Deceptus vtique intellexit, quod & ex eo probatur, quod subiungit: & inclinauit se, & adorauit. Si enim fuisset Samuel, nequaquam se permisisset ab homine adorari, qui secundum legem crediderat, & docuerat vnum Deum, & Dominum adorandum. Præterea sanctæ animæ à potestate malignorum spirituum exemptæ sunt. Postremo decepti hominis non fouisset errorem, quod eum ex subsequentibus fecisse colligitur. Dixit autem Samuel ad Saülem: Quare inquietasti me vt suscitarer? B Hæc est enim fraudulentia malignorum spirituum, vt quod vltro faciunt, & dictant hominibus faciendum, operose dissimulent, vt hoc facere videantur inuiti. Simulant se coactos, & quo minus caueantur, exorcismos quasi in nomine Domini, aut in fide Trinitatis, aut Incarnationis, & passionis virtute conceptos componunt, eosdemque hominibus tradunt, exercentibus eos obtemperant, donec eos secum crimine sacrilegij, & pœna damnationis inuoluant. Transfigurant etiam se interdum in Angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, munditiam consectantur, vtilitatibus prouident, vt quasi boni & propitij familiarius admittantur, audiantur benignius, amentur arctius, facilius exaudiantur: habitum quoque induunt venerabilium personarum, vt eis maior & promptior reuerentia impendatur. Et ait Saül: Coarctor nimis. Siquidem Philisthiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia. Vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam. Ac si aperte dicat, In de-C sperationis abyssum præcipitatus sum. Impugnant homines, deserit Deus, & ego ad te, qui in veritate verisque inimicaris confugio, vt quasi Doctor discipulum doceas, quid me in tanta angustia oporteat facere. Licet enim eum qui loquebatur crederet Samuelem, tamen in veritate erat Angelus sathanæ. Nec potuit ei ignorantia suffragari, cum nemini liceat ignorare creaturam, quæ se appetit adorari infidelem & peruersæ voluntatis esse. Sciebat etiam illicitum esse ariolos & magos inquirere, & de futuris solicitare Pythonem. Quid si eum ignorantia personæ excusat, melioris conditionis erunt stulti quam periti, & peruersi quam recti. Et ait Samuel, Non equidem verus sed vmbratilis & fictitius, & quo dignus est, impius & reprobus consultator, Quid me interrogas, cum Dominus recesserit à te & transierit ad æmulum tuum? Responsionis initium, fidei consentaneum est, accommodum rationi. Quid enim conferret creatura illi, quem deserit Deus, & qui deripit spolia? Sed sensim ad id quod D suum est, hostis & fidei inimicus diuertit, immiscens falsa veris, & mendacia fide veritatis obnubilans. Sequitur enim, Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalech. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie, & dabit Dominus etiam tecum Israël in manu Philistinorum. Cras autem tu & filij tui mecum eritis. Sed & castra Israël tradet Dominus in manu Philisthiim. Exitum quidem belli, fideliter infidelis exposuit, sed tamen verborum tendiculis, infidelem & infelicem animam fraudolenter decepit. Deuiantis siquidem confirmat errorem, & impœnitenti post exitum, quietem repromittit. Cum enim dicit Dominum impleturum quæ locutus est in manu mea, se proculdubio simulat Samuelem, per quem Saüli, quæ denunciat, locutus est Dominus. Cum autem subiungit, Cras tu & filij tui mecũ eritis, verum quidem E sed fraudulenter enunciat. Erat enim die sequenti sibi manum ex desperatione iniiciens, ad inferos transiturus, habiturus partem cum eo, quem auaritia, fastu, obstinatione mentis, fuerat insecutus. Sed falso blanditur, ingerens spem quietis, dum se gestu & verbis mentitur Samuelem, cui certum est, collatam esse in quiete sedem à Domino, inter eos qui inuocant nomen eius. Quid ergo Saüli Samuëlis sui, vel potius Pythonis, profuere responsa? Potuerat forte non præmonitus sperare meliora, & saltem dum alieno confoderetur gladio expectare. Oraculi vero vanitate certioratus gladio suo incubuit, & in extremis agens, dum propriæ gloriæ consulebat, qui fortius mori potuisset in prælio, auram verborum pertimuit, & infirmi & prostrati animi consilio, corporis & animæ mortem asciuit. Glorientur gentes in fortitudine sua, autores earum dicant, vnusquisque quod sentit, dum Heroum suorum titulos prædicant, dum magnorum virorum fortitudinem præconantur. Bibat illis authoribus Ca- F to venenum, Vulteius dextras & mentes sociorum armet ad voluntariam mortem. Per mamillas ad cor venenum aspidum insanabile Cleopatra traiiciat. Lucretia alienam impudicitiam sanguinis sui effusione condemnet. Ego euenire posse non arbitror, vt cuiuscunque difficultatis articulo, liceat propria autoritate homini, sibi mortem inferre, nec etiam vbi castitas periclitatur. Licet hunc casum videatur excipere doctor ille doctorum, cui in sacrario literarum vix aliquem audeo comparare. Hæc mors omnino desperatorum est & eorum qui licet corpore viuant, iam mentis morte præmortui, animo viuere desierunt. Vtique non viuorum, sed iam mortuorum mors est. Infidelium regum percurre seriem, Hieroboam, Achab, Iezebel, Nabuchodonosor, Sennacherib, & alij quorum errores non sufficio enarrare, quid lucrati sint in vatibus suis, qui videbant eis falsa & stulta, nec aperiebant eis iniquitatem eorum, vt eos ad pœnitentiam prouocarent? Omnes vtique G euanuerunt post principem vanitatis, & dum scire quod non licet, vel aliter quam licet, appetunt, ad inane & nihilum redacti sunt. Reges vero Israël infidelibus sociaui, quia cum regum Iuda alij boni, alij mali fuerint, reges Israël omnes reprobi extiterunt.

Linque arcana Dei cœlumque inquirere, quid sit,

ait Cato, quia quod destinauit de te, statuit Deus, citra tuam solicitudinem potens est expedire. Egregie quidem Ethicus,

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,
Grata superueniet quæ non sperabitur hora.

Veritas autem sibi vbique consona est, nec à se licet à mendacij habitaculo proferatur, quandoque discordat. Sicut nec munditia, dum sui integritate viget, quarumcunque sordium in ciuitate polluitur. Ipsa mortem indicit non timeri, & ad eam excipiendam, nos horis omnibus præcipit præparari, vt quo minus H de diuturnitate vitæ præsumitur, in cultum honestatis virtutum gradibus auidius curratur. Mors siquidem necessarium munus est, naturæ iam corruptæ. Corruptio namque mortis origo est, tolle corruptionem, sectare integritatem munditiæ & virtutis, iam immortalitatis viam ingressus es; & quandam diuinitatis tuæ arcam apprehendisti. Apprehendisti, inquam, an accepisti? Sed vt fidelius loquamur, & accepisti & apprehendisti. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quis scit quando veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane? Vt enim ait ille, Nihil morte certius est, nihil hora incertius. Quæ vtique non timenda est quasi malum, sed quasi malorum finis, cum venerit gratanter amplectenda. Vnum est quod totis mentis & corporis viribus fugiendum est. Quid illud sit quæris? Turpitudo,

& totius ſpecies inhoneſti. Hæc enim faciunt mortem, terminum non eſſe malorum, ſed antecedentium & ſuccedentium copulam. Ad hanc fugiendam non oracula vatum, non Pythonis conſultatio neceſſaria eſt: fidelius & vtilius ad hoc ratio data conſulitur. Cato in Lybia extremæ difficultatis anguſtia coarctatus, Hammonem Iouem dedignatus eſt conſultare, ratus ſibi rationem ſufficere, vt perſuaderet ſeruandam libertatem, & non modo dominationis Cæſareæ iugum, ſed omnem notam turpitudinis fugiendam. Licet in eo errauerit, quod autoritate propria vitæ munus abiecit: Quod non modo fidelium inſtitutis; ſed conſtitutionibus gentium, & ſapientiſſimorum edictis conſtat eſſe prohibitum. Veteri quidem philoſophiæ principes Pythagoras & Plotinus prohibitionis huius non tam authores ſunt, quam præcones, omnino illicitum eſſe dicentes, quempiam militiæ ſeruientem, à præſidio & commiſſa ſibi ſtatione diſcedere, citra ducis vel principis iuſſionem. Plane eleganti exemplo vſi ſunt, eo quod militia eſt vita hominis ſuper terram. Quid ſi contra iubeant oracula vatum, vel reſponſis Pythonis? Proculdubio minime audiendi ſunt, quia cum periculo innocentiæ, nemo cuiquam debet fidem. Si mihi non credis, Numam Romanorum imperatorem fere innocentiſſimum præter Titum, ſi placet, attende. Dum inuitaretur ad homicidium, petito capite ad ſacrificia, cenſuit cepam eſſe cædendam, reflectens ad innocentiam etiam peruerſi numinis voluntatem. At cum hominis adiiceretur à numine, capillos ſe pollicitus eſt oblaturum. Cum vero ſpiritus immundus ſitiret & ſanguinem, piſcem immolandum eſſe reſpondit. Sic itaque cum ratio eius circumueniri non poſſet, vt traheretur ad culpam, immundorum ſpirituum teſtimonio, colloquio Deorum pronunciatus eſt eſſe digniſſimus. Nec eſt quod ſub exorciſmorum prætextu, ſuum quis tueatur errorem, qui ad minuendam dæmonum poteſtatem, & diſtrahendum, quod habent cum homine, familiaritatis commercium inſtituti ſunt, carentque propriæ virtutis effectu, niſi in digito Dei conualeſcant. Porro Spiritus Sanctus diſciplinæ effugit fictum, & corpus peccatis ſubditum, ſui eſſe habitaculum dedignatur. Quicquid vero huiuſmodi agatur, fictitium eſt & phantaſticum, & veritatis ſubſtantiam neſcit. Videtur quidem adeſſe, dum precibus & oblationibus inuocatur, & effectu petitionum perſequente, ſacrilegum errantis animæ deſiderium adimpletur. Abeſt autem tam longe, vt ſubtracta tutela ſui, eosquos perfidia tanta exagitat, variis ludificationibus dæmonum, trahi ſuſtineat ad gehennam. Se ſiquidem ad huiuſmodi flagitia prohibuit inuitari publica voce Eccleſiæ, aduerſus quam nec portæ inferni præualebunt. Cum ergo Spiritus Sancti gratia, authoritas Eccleſiæ, improbatis ſubtrahitur exorciſmis, qui eis non tam vtuntur quam abutuntur, offendunt in ſpiritum, quo recedente, eius ſibi nituntur virtutem & efficatiam retinere.

Cap. XXVIII.

De ſpeculariis, & quod maligni ſpiritus interdum futura præuoſcunt, & de ſubtilitate naturæ, & longa experientia temporis, & reuelatione ſuperiorum poteſtatum, & quod ſæpe decipiunt, aut decipientes, aut decepti, & quod ſpecularios mala indubitata ſequuntur.

FRuſtra ſibi ſpecularij blandiuntur, quod nihil immolant, nulli nocent, ſæpius proſunt dum furta detegunt, maleficiis purgant orbem, & ſolam vtilem aut neceſſariam appetunt veritatem. Non ſic impij, non ſic. Qui non colligit, inquit, mecum, diſpergit: Et qui non eſt mecum, contra me eſt. Dum hæc Domino prohibente, exercent impij, quid aliud faciunt, quam calcaneum erigere aduerſus prohibentem? Certe nimis eſt, quod immolat, qui eiecto Spiritu ſancto, idololatriæ mentem proſtituit. Nimium eſt quod immolat, qui pollutas aures dæmoniorum ſollicitat voce Domino conſecrata. Nimium eſt quod immolat, qui motum corporis accommodat ad deteſtabile ſacrilegium peragendum. Quid retinuit Creatori, qui mentem, linguam, corpus, dæmonibus obtulit? An non veritati fecit iniuriam, qui integritatem eius in tanta corruptione quæſiuit? Plane nemo in talibus per ignorantiam excuſatur. Omnes enim in commune ſciunt, aut ſcire debent, hanc ignominiam fidei anathematis opprobrio, condemnatam. Non vtique hic ſacramento miles excipitur, pupillus ætate, mulier infirmitate ſexus, ruſticus munere agriculturæ, qua publicæ vtilitati inuigilat. Licet enim in diſpendiis rerum, ſubueniatur eis per ignorantiam iuris, in ſubuerſione fidei nullum ab ignorantia remedium eſt; obtinente eo vt qui ignorat, ignoretur, & inſipiens in culpa erudiatur in pœna, & ſapienter punietur, qui noluit intelligere vt bene ageret. Quis enim ei non potuit, vt ſine labore à tanto labore ceſſaret, dum illud laborioſe addiſceret, vt laborioſe & peſtilenter erraret? Non poteſt in fide ſine labore quieſcere, qui potens eſt ſollicitudine mentis & exercitio corporis à fide deuiare? Qui enim his nugis obſequitur, fidem negauit, & infideli deterior eſt; & licet verbis Deum confiteatur, ei peruerſis operibus contradicit. Nec facilius eſt hominem huiuſmodi eſſe fidelem, quam iudicem incorruptum, qui diligit munera, & ſequitur retributiones. Cæterum quod ſimpliciorum animos mouet, ſcilicet per huiuſmodi conſultationem abſcondita futurorum manifeſtari non poſſe, niſi per manum eius in cuius poteſtate ſunt tempora & momenta, nodum non ingerit quæſtionis. Licet enim futurorum ſit vnus arbiter, qui & Deus & Dominus omnium eſt, tamen ex ſignis interdum hominibus innoteſcunt. Quid ergo mirum, ſi ea quandoque prænoſcant, quæ & ſubtilitate naturæ vigent, & experientia temporis longiore, & reuelatione ſuperiorum poteſtatum de plurimis admonentur. Si ergo ſpiritus corporis mole grauati, quos luteum carnis retardat indumentum, quorum acumen turbati ſenſus corruptio hebetat, ex præcedentibus aut quarumcunque rerum indiciis, quæ ſint ventura coniiciunt, quid prohibet ſpiritus ab omni nexu corporis abſolutos, quos noxia moles non tardat, rerum imminentium, aut in plurima tempora ſuccedentium præmetiri euentum? Sed qui fere pridie natus eſt, poſt dies pauculos deceſſurus medio tempore ex ſimilibus ſimilia colligit, & de cauſis ſibi interim notis ratiocinatur in poſterum. Nonne hoc facilius poteſt non modo antiquus, ſed inueteratus dierum, qui ab initio conditus eſt plenus ſapientia & perfectione decorus? Quis adeo hebes eſt & tarditatis egregiæ, qui tanto temporis tractu, pro parte ad ea coniicienda quæ futura ſunt, non aſſurgat? Præterea propitiæ poteſtates; quæ charitatis cultu, deuotione obediendi Domino aſſidue famulantur, eis quidem poſſunt, & interdum creduntur occulta reuelare. Nec tamen ſtatim verum eſt, quod reprobi ſentiunt, aut prædicunt, ſed quandoque quæ ſuſpicantur aut timent, vt videantur conſcij ſecretorum, properant nunciare. Quale eſt quod Domino naſcituro in templis Ægyptij deſolationem eorum, & diſceſſum ſuum, dæmones templorum præſides prædicebant. Vnde illud apud Triſmegiſtum de exterminio religionis Idololatriæ. Ægypte, inquit, Ægypte, erit cum religionis tuæ ſolæ ſupererunt fabulæ. Et ſæpe quod ex neceſſitate faciunt coacti, ſe ſponte facere ſimulant, quaſi hominibus indignantes, quibus ſe fingunt infenſos. Sæpe etiam mentiuntur aut decipientes aut decepti. Sed licet vera duntaxat enuncient, nihilominus aut compeſcendi ſunt, aut fugiendi. Vnde in Deut. Si ſurrexerit in medio tui propheres, aut qui dicit, ſe ſomnium vidiſſe & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, eamus & ſequamur deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis,

A non audias verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat vtrum diligatis eum, an non. Vnde plane intelligitur, quia etsi contingant, quæ à diuinantibus, non secundum Deum dicantur, non sic accipienda sunt, vt fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Sed nec Apostolus in Actis Apostolorum, immundo spiritui pepercit, quia in muliere ventriloqua, Apostolis & prædicationi eorum testimonium perhibuit veritatis. Nihil vero aduersus pestem istam salubrius est, quam si quis huiusmodi vanitati omnino aurem subtrahat. Gratias ago Deo, qui mihi etiam in teneriori ætate, aduersus has maligni hostis insidias, beneplaciti sui scutum opposuit. Dum enim puer, vt psalmos addiscerem sacerdoti traditus essem, qui forte specularium magicam exercebat, contigit vt me, & paulo grandiusculum puerum præmissis quibusdam maleficiis, pro pedibus suis, sedentes ad specularia sacrilegium applicaret, vt in vnguibus sacro nescio B oleo, aut chrismate delibutis, vel in exterso & leuigato corpore peluis, quod quærebat, nostro manifestaretur indicio. Cum itaque prædictis nominibus, quæ ipso horrore licet puerulus essem, dæmonum videbantur, & præmissis adiurationibus, quas Deo autore nescio, socius meus se, nescio quas imagines, tenuiter tamen & nubilosas videre indicasset, ego quidem ad illud cæcus extiti, vt nihil mihi appareret, nisi vngues aut peluis, & cætera quæ antea noueram. Exinde ergo ad huiusmodi inutilis iudicatus sum, & quasi qui sacrilegia hæc impeditem, ne ad talia accederem condemnatus, & quoties rem hanc exercere decreuerant, ego quasi totius diuinationis impedimentum arcebar. Sic mihi in ea ætate propitiatus est Dominus. Cum vero paululum processissem, flagitium hoc magis & magis exhorrui, & eo fortius confirmatus est horror meus, quod cum specularios multos tunc nouerim, omnes antequam deficerent, aut defectu naturæ, aut manu hostili, beneficio luminis orbatos vidi, C vt cætera incommoda taceam, quibus in conspectu meo à Domino, aut prostrati, aut perturbati sunt, exceptis duobus, sacerdote videlicet, quem præmisi, & diacono quodam, qui specularioium videntes plagam, effugerunt, alter ad sinum Canonicæ, alter ad portum cellulæ Cluniacensis, sacris vestibus insigniti. Eosdem tamen præ cæteris in congregationibus suis aduersa plurima postmodum perpessos esse, misertus sum. Sane si ad impugnandum hunc errorem, concursus rationum, & catholicæ matris Ecclesiæ autoritas non suppeteret, vel exempla malorum eum sufficiunt extirpare. Sicut autem nemo potest bibere calicem Dei Domini, & calicem dæmoniorum, aut duobus dominis seruire, Deo & Mammonæ; sic gratiam Dei, & huius malitiæ exercitium, nullus assequitur. Sed ecce quare punctim & quasi subula sententiam prosequor, fidei & morum inimicam, cum eam cæsim Spiritus mucrone, capulo tenus transuerberare sufficiam? Feriatur ergo semel in manu forti, & brachio illius, qui ad submersionem Ægyptiorum, diuisit mare rubrum in diuisio- D nes, & secundo opus non erit. Non est enim qui de manu illius possit eruere. Educat ergo gladium Moyses, & prosternat Ægyptias abominationes, & abscondat eas, ne appareant in conspectu fidelium, in sabulo sterilitatis suæ. Loquatur verbum, sententiam proferat in condemnationem errorum, quos diutius à domo tua abigere procurauimus. Verbum siquidem gladius est bis acutus, viuus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum, discretor etiam cogitationum. Insensatus est, qui hoc gladio imminente non timet. Et ecce in facies Ecclesiæ, in conspectu omnium imminet. Denique & in omnes dirigitur. Inquit enim: Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam

E suam, docens per ignem, aut qui hariolos suscitetur, aut obseruet somnia atque auguria, ne sit maleficus, nec incantator, neque pythones consultat aut diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt. Tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. Quis ergo dubitet hæc criminalia, & non modo languorem, sed fidei exterminium esse, quod tanta diligentia propheticus, imo Spiritus sancti sermo eradit? Abominationes sunt dicente Domino; Et homo se supra hominem fieri opinatur, cum istorum assecutus est disciplinam. Propter istiusmodi scelera deletæ sunt gentes, & humana temeritas se in his multiplicari confidit.

CAP. XXIX.

De Physicis; Theoricis, & Practicis.

F Licet tamen vt de futuris aliquis consulatur, ita quidem, si aut spiritu polleat Prophetiæ, aut ex naturalibus signis, quid in corporibus animalium eueniat, physica docente cognouit, aut si qualitatem temporis imminentis, experimentorum indiciis colligit. Dum tamen his posterioribus nequaquam quis ita autem accommodet, vt fidei, aut religioni præiudicet. Sed nec primi audiendi sunt, nisi in eo quod loquuntur à Domino, quod nunquam religionem impugnat, quia verum vero nequit esse contrarium, nec bonum bono. At physici dum naturæ nimium autoritatis attribuunt, in authorem naturæ aduersando fidei, plerunque impingunt. Non enim omnes erroris arguo, licet plurimos audierim, de anima, de virtutibus & operibus eius, de augmento corporis & diminutione, & resurrectione eiusdem, de creatione rerum, aliter quam fides habeat, disputantes. De ipso quoque Deo inter- G dum ita loquuntur, vt

Si terrigenæ tenterent astra gigantes,

& inani conatu cum Encelado, vt eis Ætnæ onus ignifluum imponatur, cupiant prometeri. Sed in his facile labi possunt, quia quanticunque ingenij vires, citra profunditatem difficultatis, quæ in his vertitur, subsistunt. Vbi vero deficit intellectus, fidei ratione deducta, quæ media est, restat sola opinio. Cum vero de inferioribus quæritur, puta de complexione animalis, de causa & cura ægritudinis, eis omnino nihil deest, præter effectum operis, si is desideratur. Et quidem theorici, quicquid suum est faciunt, & forte pro amore tuo amplius erogabunt, & ab eis singularum rerum caussa & naturas accipies; sanitatis, ægritudinis, & neutralitatis, censores sunt. Dant sanitatem verbotenus, & conseruant. Neutralitatem iubent istuc diuertere. Ægritudines præuident & docent causas, indicunt ei initium, augmentum, statum, & declinationem. Quid multa? Cum eos audio, videntur mihi posse mortuos H suscitare, nec Æsculapio Mercuriove creduntur inferiores. Veruntamen in eo magna mentis admiratione distrahor & perturbor, quod à seipsis tanto verborum conflictu, & collisione rationum dissiliunt, & discordant. Vnum profecto scio, contraria simul vera esse non posse. Quid de medicis practicis dicam? Absit vt de his quicquam peruersum loquar. In manus enim eorum exigentibus peccatis meis, nimis frequenter incido. Non sunt exasperandi verbis, sed potius demulcendi obsequio. Nolo me tractent durius, nec etiam sentire audeo, quod omnes clamant. Dicam ergo cum S. Salomone: Quia medicina à Domino Deo est; & vir sapiens non contemnet eam. Nemo siquidem magis necessarius est aut vtilior medico, dummodo sit fidelis & prudens. Quis enim præconia illius declamare sufficiat, qui salutis artifex, procreator vitæ, in eo Dominum imitatur, & vices eius agit, qui salutem, quam ille operatur, & quasi

A natuӕ aduersus gratiam magnifico fimbrias, aut phaleras erigo, quasi ipsa aliquid boni habeat quod non acceperit: cum certum sit, quia sine ea nihil possumus facere. Agnitio igitur veritatis, cultusque virtutis, publica singulorum, & omnium, & rationalis naturæ, vtilis incolumitas est. Contrarium vero eius ignorantia, & odibilis & inimica propago eius, vitium est. Et recte quidem mater vitij est, quia nunquam ab eo sterilis est, vt non odibilium fructum pariat infelicem. Inquit Ethicus, Tu adeo

nullo thure litabis,
Hæreat in stultis breuis vt semiuncia recti.

Agnitio quidem certitudinem habet, & velut in scientia vel in fide consistit. Sed fidei regula paulisper differatur, quoniam eam tempus, & locus suus expectat. Cæterum scientia sui notitiam habet. Quod euenire non potest, si non metiatur vires suas, si ignorat alienas.

B

Cap. II.

Quid sit contemplatio hominis sapientiam affectantis, & quis sit fructus speculationis huius.

EST ergo primum hominis sapientiam affectantis qoid ipse sit, quid intra se, quid extra se, quid infra, quid supra, quid contra, quid ante, vel postea sit, contemplari. Inde est forte quod illi qui prima totius Philosophiæ elementa posteris tradere curauerunt, substantiam singulorum arbitrati sunt intuendam, quantitatem, ad aliquid, qualitatem, situm esse, vbi, quando, habere, facere, & pati, & suas in omnibus his proprietates an intensionem admittant, & susceptibilia sint contrariorum, & an in eis ipsis aliquid inueniatur aduersum. Proinde quidem hæc & diligenter, etsi in eo negligentiores extiterint, quod sui ipsius notitiam in tanta rerum luce non assecuti sunt, & lucis inaccessibilis notitiam perdiderunt, dum euanuerunt in cogitationibus C suis, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt & obscuratum est insipiens cor eorum. Quod ex eo conuincitur, quod traditi in passiones ignominiæ faciebant quæ nec sexui, nec ætati, nec fortunæ conueniant, nec naturæ, & personas omnium operis testimonio deuenustent. Dati siquidem sunt in sensum reprobum, quod planum est his qui Apostolum plenius nouerunt. Argumentum ad omnia validissimum est, vt de fide & sinceritate singulorum credatur operibus suis. Opera enim quæ facit aliquis, testimonium perhibent de eo. Verum qui seipsum ignorat, quid vtiliter nouit? Si ignoras te, inquit, pulcherrima inter mulieres, abi post vestigia sodalium, & post greges. Oraculum Apollinis est, & descendisse de cœlo creditur, γνῶθι σεαυτόν, id est, scito teipsum. Nonne sciuit hoc Ethicus dicens,

Discite ô miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut meta † quam mollis flexus & vnde, († al quæ)
D *Quis modus argento, quid fas optare, quid asper*
Vtile nummus habet, ‡ patriæ charisque propinquis (‡ al patriæ.)
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Iussit, & humana qua parte locatus es in re.

Hæc etenim contemplatio quadripartitum parit fructum, vtilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. An non est arbor bona, quæ tantam fructuum dulcedinem affert, tantam affert vtilitatem? Certe non superbit, qui paruus est in oculis suis. Dum quisquis quæ adsunt vel absunt, expetibilium numerum cogitat, quis de sua paupertate non erubescit? Si quis non appetenda sui recenseat, ei iugis materia modesti doloris, & humilitatis occurrit. Quocunque se vertat, in seipso deiicitur, qui petit à Domino confortari, dicens, Humiliatus sum vsquequaque, viuifica me secundum eloquium tuum. Itemque, Ego, inquit, in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

E

Cap. III.

Quod superbia radix est omnium malorum, & concupiscentia lepra generalis, quæ omnes inficit.

SVperbia vero radix omnium malorum est mortisque fomentum. Arescunt riuuli, si fontis vena præscinditur. Nec rami conualescunt, radice succisa. Deficiunt vitia, si elatio iugulatur. At si stercora radici congerantur, pinguescunt rami, & arentium sterilitas resiluescit. Si fonti liquentia superfundas, accessio transit in riuulos. Si camino ignem adiicias, in ligna incendium recrudescit. Sic si vitiatæ naturæ elationis innatæ toxicum foueas, quin vitalia ipsa mortiferum virus inficiat, nec si volueris, poteris impedire. Est enim omnibus non tam cognatus, quam innatus amor sui. Quod si modum excesserit, vergit ad culpam, Omnis enim virtus suis finibus limitatur, & in modo consistit. Si excesseris, in inuio es, & non in via. Si amor hic inualuerit, F nemo speret de cura. Lepra siquidem est, incurabilior omni lepra. An nescis concupiscentiam lepram esse? Giezi consule; Si erubuerit confiteri, quod sentit conuince eum macula corporis. Sed quid dico Giezi consulendum, ac si solus sit? Orbem conueni, quia totus infectus est. Meipsum interroga, qui misertotum vnus sum. Certe concupiscentia misera & miserabilis lepra est. Nescis forte quid dicam. Concupiscentiæ pestem, nescius infirmitatis ignoras. Homo non concupiscens, & in eo supra hominem constitutus, sed testis meus in cœlo fidelis, mecum asserit, quia omnes corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. An tu sis ille, tu videris. Scio enim non esse hunc Paulum, qui huius pestis incursu clamat, & ingemiscit, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Scio hunc non esse illum, qui de pectore veritatis sapientiæ fluenta potauit, cum orbem infectum hac labe intonet, G dicens: quæcunque in hoc mundo sunt, concupiscentiam oculorum esse, aut carnis, aut superbiam vitæ. Qui ergo hunc amorem non temperat, timeat lepram, & cæcitatem oculorum; quæ ex ea imminet, pertimescat. Si itaque illi, qui non reprimunt concupiscentiam, malorum vtique fontem & fomitem, dispendium salutis incurrunt, quid erit illis, qui eam assentatorum inflammant stimulis, & quasi fomenta vitiorum accendunt; Qoid facient, aut potius quid patientur, qui à veritate auertunt auditum, in admiratione rerum corruptibilium & corrumpentium, non claudunt oculos, manus expandunt, & omnium sensuum viuacitatem exercent. Deinde quasi diei non sufficiat malitia sua, fallacia vnius alterius fallaciam trudit. Terentiano siquidem verbo libentius vtor, dum ad concupiscentiæ fornacem succendendum conueniunt adulatores, & relatores, delatores, & detractores, inuidi, ambitiosi, elati, factiosi, & superstitiosi, flagitiosi, omniumque officiorum præuaricatores, quos quia fere vbique terrarum sunt, facilius est inuenire, quam H dinumerare. Aduersus huiusmodi est omnis lex, in hos omnia iura coniurant, & in eosdem quasi in publicæ salutis hostes quandoque omnis armabitur creatura.

Cap. IV.

Quid adulator, & assentator, & palpo, & quod eis nihil perniciosius.

ADulator enim omnis virtutis inimicus est, & quasi clauum figit in oculo illius, cum quo sermonem confert. Eoque magis cauendus est, quo sub amantis specie, nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum id luminis, quod adesse videbatur, extinguat. Ad hæc auditorum aures obturat, ne audiant verum, quo quid possit esse perniciosius, non facile dixerim. Scitum est illud Lælij aut potius

 Ciceronis:

A Ciceronis : Cuius auræ clausæ sunt veritati vt verum audire non possit, eius salus desperanda est. Quid vero infidelius quam eum, cui fidem debeas, circumuenire verborum blanditiis, ludibrio habitus, gestus transfiguratione, & totius vanitatis lenocinio excæcatum, in sordes vitiorum impellere, & præcipitationis abyssum? Quid odibilius fraude & dolo, quo sub imagine amoris & fidei, in simplicem & credulum, & quod detestabilius est, amicum, perfidiæ & inimicitiarum nequitia exercetur? Hoc siquidem genus hominum omnia loquentium ad voluptatem, ad veritatem nihil. Verba oris eius iniquitas & dolus, qui etiam errantibus amicis, ad eorum subuersionem ingeminat, euge, euge. Quos vt plenius noueris, generationem apud Comicum vide, & quid de se fateatur ausculta.

Negat quis, nego, ait, aio. Denique imperaui egomet mihi,
Omnia assentari.

B Tota enim gnathonicorum factio, comœdia est.

Rides, maiores cachinno
Concutitur, flet, si lachrymas conspexit amici,
Nec dolet, igniculum si bruma tempore poscas,
Accipit endromidem, si dixeris æstuo, sudat.

Vnde Vmbricius inquit,

Non sumus ergo pares melior qui semper & omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie iactare manus, laudare paratus,
Si bene ructauit, aut si quid fecit amicus
Quod proferre palam non possit lingua modestè.

Quod quidem non modo amico, sed ne libero homine dignum est, cum vera & vnica libertas in virtutis speciem cadat, & turpitudo quos inficit, postremæ subiiciat seruituti. Histrionem esse vel mimum, infamiam ingerit bis, quos à tantæ abiectionis opprobrio naturæ vel personæ dignitas videtur excepisse. Porro qui vultum induit alienum, & variis affectuum alternat facies, incolumitati sensuum insidias parat, &

C *Sordidus auriculis alienis colligit escas,*

& si histrionem verbo diffiteatur, eum motibus & turpitudine confitetur. Quod assentatoris proprium est qui ad alterius viuit nutum, & antequam suum proferat iudicium, de singulis exspectat alienum. Cæterum palpo, qui tamen assentatoris vel adulatoris censetur nomine, quoniam eadem res multis notatur indiciis, hominum mentes explorat, prætentat voluntatem, vt cui rei volucris sensus accommodet, vt gratiam illius, cum quo agitur, fraudulenter surripiat. Nouit enim Deus cursu sensuum & voluntatum vnione, quasi riuulos scaturire. Idem siquidem velle & nolle, (vt ait historicus) ea demum firma amicitia est. Quidni?

Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum.

Cum vero præsenserit voluntatem, sic palpat, sic demulcet, tanta suauitatis perungit gratia, vt virtuti somnium inducat, & totam moderationis, sine qua nunquam recte viuitur, formam Lethæi fluminis infusione

D subuertat. Magnas gratias agere, Thais mihi? Iocundus est enim Comicus, & aptus qui se nugis nostris frequenter immisceat, Ingentes inquit. Fuerat quidem satis si magnas respondisset. Sed quia adulatoris fraus omnia extollit in maius, & de suo aliquid adiicit vnde sibi gratiam cumulet, ingentes inquit. Sed nec mendacium erubescit. Qui enim sibi potuit persuadere, vt honestatem hominis tantæ turpitudinis macula decoloraret quacunque de causa, vtique persuadebit, vt quod appetit, faciat, si possit, recte, si non, quocunque modo rem. Verum qui suo nomine, vt proprie eloquamur, dicitur adulator, vitia cuiusque dealbat, & ne se ipsum videat, oculos colloquentis quadam nube vanitatis implet, & aures falsis præconiorum titulis reficit. Ait Ethicus,

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis :

E *Miratur vocem angustam, qua deterius nec*
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Hoc autem minime videtur mirum, si perditissimi homines, & quibus hic grauis moribus, & fæculentus mundus sordidatur, ad tantam turpitudinem possint impelli. Sed hoc potius duco mirabile, quod populum qui sibi credat habent : qui de se magis alienæ linguæ acquiescat, quam propriæ iudicio conscientiæ, dum seipsum quilibet extra se quærit, & nosse dedignatur, quam sit sibi curta supplex. Nihil est enim quod credere de se non possit cum laudatur, non modo diis æqua potestas, sed quæcunque anima de fermento superbiæ intumescit.

Cap. V.

De cautela adulatorum & fraude multiplici, & comitibus adulationis, & sequela eorum.

F SVnt tamen, qui vulgares & adulationes plebeias non admittant, vt qui nolunt vili vnguento, oleoue corrupto, quod omnibus fœtet, inungi, cum amicorum aut conuiuatum expetunt gratiam. Quid enim turpius est, quam ad lenocinia histrionis transfigurare vultum, mutare habitum, motum ducere, & non tam videre alium, quam se ipsum gerere histrionem; Quid ineptius, quam cum alius magno hiatu oris, ad te impellendum vanitatis spiritum proferat, si tu aurium vela, & latitudinem cordis ad tumorem † concupiscendum oppandas. Et † al. concupiscendi appanas.
quia videntur ab omnibus, facilius hæc à plerisque vanis vanitatis obsequia contemnuntur. Veruntamen illa magis timenda, quia magis perniciosa sunt, quæ quodam cautelæ velamento studiosius occultantur, & quasi sub imagine increpationis aut correctionis, alteriusve officij, aut virtutis, irrepunt. Quod nonnullos dum beneuolentiam immoderatius captant, fecisse reperies. Ait enim Lælius, non ille lator legis amicitiæ, sed suasor

G belli ciuilis, & furoris incentor, qui & ab aliis Lentulus appellatur :

Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur, deerat ne tibi fiducia nostri?
Dum monet † hac calidus spirantia corpora sanguis, † al. his.
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam, regnumque senatus?
Vsque adeo miserum est ciuili vincere bello?

Sic & in Comœdiis seruorum calliditate, domini deluduntur, præmissis increpationibus rationes suas infirmari permittunt, & tandem se victos simulant, vt & credulorum senum confirment errorem, & de proditionis perfidia gratiam aucupentur, magna satagentes industria, vt sic semper decipiant, vt nunquam possint argui falsitatis. Eorum namque veritas mendacio seruit. Quid quod aucupes nouitatum rumusculos congerunt, eisdemque curiosorum auribus satisfaciunt, vt hac via compendiosius ad id quod desideratur, accedant. Temporis quoque diligentissimi obseruatores sunt, ne quid

H intempestiue ingerant, sed inter prandendum, aut cum vino quis exhilaratus fuerit, aut cuiuscunque compos voluptatis. Huius cautelæ meminit Maro, cum ad Æneam reuocandum sororem à Didone missam asserit, quæ sola viri molles aditus & tempora norat. Quis autem non rideat, cum agaso non tressis, titulorum fascibus purpuratur, & non sine sanna & cachinno audientium Dama transit in Marcum :

Pape! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit : ita est, ad signa Marco tabellas.

Est quidem omnium captanda beneuolentia, quæ fons amicitiæ, & primus charitatis progressus est; sed honestate incolumi, officiorum studiis, virtutis via, obsequiorum fructu, integritate sermonis. Adsit & fides, dictorum scilicet factorumque constantia, & veritas : quæ officiorum & bonorum omnium est fundamentum. Gratiam bonorum, sed & omnium, si fieri posset, virtus appetit, sed ad eam dedignatur per sordes accedere.

Nobilis

A Nobilis vtique res est & delicata, & quæ omne, quod dedecet, aspernatur. Omnis etiam species, quæ ex seipsa non lucet, ei suspecta est. Nunquid igitur mentitur, vt placeat? Nunquid bonum dicit malum, & malum bonum? Nunquid amicum, qui parum sanus est, instigat, vt amplius faciat insanire? Porro cum omnis assentatio turpis sit, perniciosior est cum ad subornandum vitium personæ, vel naturæ, vel dignitatis accedit authoritas. Nempe philosophi probabile dicunt, quod videatur vel omnibus vel pluribus, aut sapientioribus, aut quod in propria facultate artifici. Si ergo sapientiam cuiusque Plato commendet, aut Socrates, Aristoteles acumen ingenij, Cicero dicendi copiam, Mathematicæ studium Pythagoras, metrorum varietates Flaccus, Naso leuitatem versificandi, quidni credat? Subeunt enim citius & fortius singulos fomenta vitiorum,

magnis
Cum subeunt animos autoribus.

B His tamen sui compos animus non seducitur, certe quia nemo nouit, quid sit in homine, præter spiritum hominis qui in ipso est. Vnde apud Virgilium compos sui pastor, & sapientibus & magnis viris nostri temporis doctior, ait,

Me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Tu quoque præmisso si palles improbe nummo,
*Si facis, in penem quicquid tibi venit * amorum.*

al. amarum. Licet te tota vicinia modestum dicat, ac pudicum, minime vel iurantibus credas. Memoriter tene quod paruulus didicisti,

Plus aliis de te, quam tu tibi credere, noli.

Non facile dixerim, vter sit prior in vitio, qui linguam adulationibus polluit, aut cuius cor ex eis se in lætitiam resoluit. In hoc enim elationis cæcitas; in illo, fraus excæcandi damnatur. Vbique vero damnatur dolus, sed & cæcitas, quæ à superbia est, nusquam absoluitur. Esto quod adulator sit nequior, iste non minus contemptibilis est. Nec caperetur linguæ tendiculis alienæ, si
C non blandiretur ipse sibi. Quid itaque alium arguit elationis, qui sibimet adulatur? In quo enim alium accusat, seipsum condemnat. Eadem enim facit, quæ indicat. Væ, inquit Dominus, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & ponunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Vtique puluillos consuunt, qui auribus parant insidias, qui vana & mollia congerunt, quibus sensus demulceant, qui opera commendant hominum, vt eos famæ præconiis, & quadam suaui iucunditate fauoris, inducant ad quietem. Vsus enim puluinaris & ceruicalis, est mollities quietis. Puluinar ergo sub omni cubito manus ponitur, quando non modo operatio, sed quicquid ei adiacet commendatur. Caput vniuersæ ætatis ceruicali superponitur, dum quis adulantium verbis in totius vitæ operibus delectatur. Et alibi: Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum. Parietem ædificat, non domum, quisquis induratæ mentis vitio, prauitatem congerit operum. Qui in pariete
D solo ostium facit, quocunque ingrediatur foris est. Quicunque in prauitate operis, indurata mente conuersatur, à Sanctorum societate seiungitur. Ædificatum ergo parietem linit, quisquis prauis operibus alicuius adulanter applaudit. Cum vero sit turpe omnibus adulari, longè turpius est si in præcipuæ autoritatis, aut ordinis, viros, adulatio cadat. Adeo quidem vt sacrorum canonum institutis cautum sit, clericos irrefragabiliter deponendos, qui noscuntur adulationibus inseruire. Recte quidem, quia omnis adulatio comites habet dolum & fraudem, proditionemque & notam mendacij. Sequelam quoque ignominiam seruitutis, execrationem proximi, & exterminium totius honestatis. An non est talis non modo eiiciendus à clero, sed à toto fidelium cœtu?

E
Cap. VI.

Quod adulatores multiplicati sunt super numerum, & à præclaris domibus honestos & dissimiles sui expellunt.

Hæc tamen pestis; iam in tantum, Domino indignante, inualuit, vt si ventum forte fuerit ad conflictum, vereor ne modestos & bonos viros possint facilius expellere, quam expelli. Serpit enim illuuio fœda, & morbus cancerosus in omnes, vt nullus aut rarus sit, quem labes ista non maculet. Omnes enim affectant beneuolentiam eorũ, cum quibus viuitur. Quod quidem non modo licitum est, sed honestum, vtpote omnia, quæ natura virtutum parens, & recte viuendi dux optima, gignit. Sed dum hanc affectionem, moderationis regula deserit, fertur in præceps, discurrensque per omnia
F agenda, & non agenda, per infamiam & bonam famam, fauoris auceps, gratiæ sollicitator incestus, vt cum amicum blanditiis præcorruperit, more meretricantis fortunam surripiat, extenuet facultates, aliena in se congerat spolia, & suum omnia conuertat ad lucrum. Efficitur ergo vt nulla sit ei molesta seruilis obsecundatio, nullum indecens videatur obsequium, omnium officiorum personas induit, dum præmia omnium fraudulenter præripiat. Qui sunt enim qui vestibus nitent, qui fastigiati incedunt, qui sequipedarum stipantur comitatu, commilitonum & contubernalium dealbantur obsequio, qui primis salutationibus in foro gloriantur, qui primos recubitus habent in cœnis, quorum aures mulcentur fomento prænominum, & quibus nobilium molles referentur auriculæ. Quos fortunæ gratiæ alarum suarum remigio ad sublimia subuehit & extollit, & à quibus quælibet magna domus, dispositionis suæ formulam trahit, & habitum mutuatur? Nempe adulatores alienum viuunt ad nutum, dum eos fraudulen-
G ter emungant. Veritas aspera est, & plerumque molestiam parit, dum aliquem palpare dedignatur. Verum amaritudo eius vtilior est & integris sensibus gratior, quam meretricantis linguæ distilans fauus. Meliora siquidem sunt (S. Salomone testante) amici verbera, quam fraudulenta oscula blandientis. Quidni? Fides enim perfidiæ semper antefertur. Non manet fides incolumis, vbi aliud agitur, & aliud simulatur, præsertim animo & voluntate nocendi. Dicitur enim fides, si sequimur Stoicos, eo quod fiat quod dictum est. Lux mea, salus mea, refugium meum, cor meum, & vita mea, dux inuicte, viuentium sapientissime, omnium largissime & benignissime, viuendi forma, virtutis speculum, & cætera huiusmodi importune ingesta, nonne plena sunt, non tam adulationis vitio, quam veneno? Sunt enim qui nec scurrantis speciem vitant, cum amicitiam profitentur. Venena, inquit sapiens, non dantur, nisi melle circumlita. Nullæque occultiores sunt insidiæ, quam hæ quæ latẽt in simulatione officij, aut aliquo necessitu-
H dinis nomine. Tu obsequium putas, amicitiam suspicaris, metiris affectum, insidiæ sunt. Nec, vt est in fabulis, (quoniam & mendacia Poëtarum seruiunt veritati) Iuno Semelen deceptam in incendium impulisset, si non esset nutricis induta faciem, & mentita affectum. Tibi credis impendi famulatum, extremæ & miserrimæ subiiceris seruituti. Nam

cum facilem distillat in aurem
Exiguum, de natura vtrque veneno,

dispeream nisi submoueat omnes qui vera loquuntur, dedignati assentationis subire notam. * Lumine submouetur, & bene si non iudicatur inimicus, qui potentis amici voluptatibus etiam turpioribus non modo contradicit, sed etiam non consentit. Equidem vero consensus ad gratiam sufficit, approbare, commendare, applaudere, insanienti necesse est: cum omnia malefecerit, laudandus est quasi re bene gesta. Sicut enim identitas voluntatum, amoris indicium est; sic ex dissensu inimicitiarum quisque reus arguitur. Proinde Satyricus inquit, al. limine.

A *Quid Romæ faciam? mentiri nescio; librum*
Si malus est, nequeo laudare & poscere: motus
Astrorum ignoro, funus promittere patris
Nec volo, nec possum, ranarum viscera nunquam
Inspexi: ferre ad nuptam quæ mittit adulter.
Quæ mandat, norunt alij, me nemo ministro
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, & extinctæ corpus non vtile dextræ.

Fugio ergo vrbem tantis obscœnitatibus plenam, adulatorum veneficio toxicatam, suis adulatoribus derelinquo.

al. Arterius. *Viuant * Arturius illic,*
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt.

Nec tamen vnius vrbis tantum vitia depingi credas, iam totius orbis sunt. Quoad istud, orbem Romanum crede. Memini me audisse Romanum Pontificem, solitum deridere Lombardos, dicens, eos pileum omnibus colloquentibus facere, eo quod in exordio dictionis B beneuolentiam captent, & eorum cum quibus agitur, capita quodam commendationis demulceant oleo. Fili mi, inquit Salomon, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Ipsi enim contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas. Prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim eorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem.

Cap. VII.

Fraudem adulatorum initio vitandam, & quod muneribus aut obsequtorum difficultate validissimè procedit.

ECce vir sapientissimus in filio erudiens vniuersos, assentatorum gratiam omnibus suspectam reddit, omnesque deterret, & hoc quidem in initio eo forte quod recte gradientem primus adulatorum congressus C impugnat. Hæc fortasse meretrix est, cuius indicit fugam. Fauus, inquit, distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem eius amara quasi absinthium, & lingua eius acuta quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in montem, & ad inferos gressus eius penetrant, per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Hæc etsi ad sectam hæreticorum censeantur præcipue referenda, ab adulationis fraude non aliena sunt. Si ergo ad fores domus eius non licet accedere, nunquid admittéda est in præcordia pectoris? Cæterum cum multiplex sit vitium adulandi, aliis vultu, aliis verbo, aliis opere vel munere assentantibus, efficacissima est adulationis fraus, cum simulatione confirment munera, aut ei difficilius obsequium contestatur. Si aliter credis,

quàm te tua tempora fallunt,
D *Qui stirpe mel sumta dulcius esse putas.*

Probatio siquidem veræ dilectionis est sub huius tempestatis corruptione, frequentatio muneris. Ars artium est, si placere vis, frequenter dato.

Si calidum scis ponere sumen
Scis camisem horridulum trita donare lacerna.

Alter Mercurius eris ei, & si vis amplius, es Apollo,
Phœbo pulchrior, & sorore Phœbi.

Nec est quod de suffragio ipsius desperes, quem muneribus pascis. Alimenta siquidem vmbratilis gratiæ, & nominis prostituti munuscula sunt, & nisi fuerint frequentata, amicitiæ nomen interimunt. Frustra de muneris quantitate præsumitur, nisi animam cupiditatis igne succensam, crebræ visitationis refrigerio temperes, & auaritiæ iugem esuriem frequenti beneficiorum interpolatione demulceas. Aquilarum dicitur esse natura, vt cum stomachum pleniori refectione ingurgitauerint, in quintum decimum diem vel vt aliis placet, in quadragesimum suspendant esuriem, oblatorumque ciborum copiam aspernentur, vna saturitate contentæ. Sane longe alia conditio diuitum, imo eorum qui venalem prostituunt gratiam. Magis enim aliquatenus accedút ad homines, qui necesse habent, quia crebro esuriunt, crebro refici. Vix possunt collectam esuriem in diem quadragesimum protelare, quin indignentur amicis, si non auaritiæ hiatum vel obimpleuerint. Solebant antiquitus gratiarum simulacra effigiari nuda, eo quod soliditas amicitiæ, & veritas fidei, sine qua nec gratiæ quidem nomen subsistit, nullo simulationis fuco valeat obumbrari. Sed iam cum ad homines ventum sit, qui non amicos, sed seipsos in singulis amant, multiplicatis fucus vt placeat necessarius est. Apud istos enim gratia, quia gratis non est, iam non gratia, sed lucri inescatorum est. Facies siquidem meretricis facta est ei, nec quodcunque vitium erubescit, dum lucri tendit ad quæstum. Vetus querela est sapientis, indignum amicitiæ lugentis occasum:

Illud amicitia quondam venerabile nomen F
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.

Quod ex eo constat, quod si cesset vtilitas, rarus aut nullus est, qui propter se virtutem amicitiæ colat. In tot circulis sæculorum, in tanto ætatum lapsu; in tanta multitudine & differentia personarum, vix, vt ait Lælius, tria inueniuntur, aut quatuor paria in amore. Hoc ipsum Arbiter noster ingemiscit, etsi alterius videatur induisse personam. Ait enim

Nomen amicitiæ si quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
*Cum fortuna manet vultum * seruantis amici,* al. formatis.
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Cap. VIII.

G *De mundana Comœdia, vel Tragœdia.*

ET quidem eleganti vtitur similitudine, quia fere quicquid in turba profanæ multitudinis agitur, comœdiæ quam rei gestæ similius est. Militia est, inquit, vita hominis super terram. At si nostra tempora propheticus spiritus concepisset, diceret egregie quia Comœdia est vita hominis super terram, vbi quisque sui oblitus, personam exprimit alienam. Sed forte eo Prophetæ reddit oraculum, vt eos quos nondum terra absorbuit, doceat iugiter militare. Nam qui captiui vitiorum impulsu trahuntur ad pœnam, sicut bos immolandus ad victimam, abeuntes post concupiscentias suas, etsi corpore videantur inhabitare superficiem terræ, viui tamen absorpti sunt, & descendunt in infernum viuentes. Et si alium orationis insequimur tropum, terram vsquequaque inhabitant: quorum conuersatio in cœlis est minime, nec sibi sciunt aliquid in cœlo esse, & id dumtaxat affectant animo, quod cernitur super terram. His quoque militia iugis indicitur, quibus vt ad H ad fabulas redeamus, nec vnda Tantali, Titij vultur, rota Ixionis, Belidum vrna, saxum Sisyphi deest, dum voluntas mundo implicita, nequit implere propositum, quandiu peregrinatur à Domino. Iustorum vita militia, & certe militia est. Quod si abhorres, alia interpretatione doceberis, quia vita hominis super terram tentatio est: quæ, si proprietatem nominis sequimur, mali frequentius habet notam. In hac vtique tentatione, vel militia, licet sibi septem millia virorum Dominus reseruauerit, fere totus mundus ex Arbitri nostri sententia * mimum videtur implere, ad Comœdiam suam quodammodo respiciens, & quod deterius est, eousque Co- al. in vanum. mœdiæ suæ insistunt, vt in se cum opus fuerit redire non possint. Vidi pueros tam diu balbutientium vitia imitari, vt postmodum nec cum vellent, recte loqui potuerint. Vsus enim, vt ait quidam, ægre dediscitur, & consuetudo alteri naturæ assistit. quam licet

Expellant

A *Expellant furca, tamen vſque recurret.*

Vnde & Ethicus prouide quidem & vtiliter, optimam, inquit, viuendi conſuetudinem ab ineunte ætate elige, eam tibi iucundam vſus efficiet. Magnorum proinde virorum ſenſus, ſæcularis hæc expugnat Comœdia. Varia figura temporum, actuum quædam varietas eſt. Porro actibus perſonæ deſeruiunt, dum in eis fortunæ iocantis ludus impletur. Quid enim aliud eſt, quod nouum quemlibet, & ignotum, nunc ampliſſimo inducit potentatu, & regni faſtigium erigit, nunc alium purpuratum antequam natum de regni culmine in catenas hoſtiles proiicit, & ſeruituti addictum, in miſerias extremas præcipitat. Aut quid frequens eſt, non modo Tyrannorum, ſed & principum ſanguine, infimorum hominum, aut etiam vilium ſeruorum, infames cruentat gladios?

Si fortuna volet, inquit, *fiet de rhetore Conſul:*
Si voles hæc eadem, fiet de Conſule rhetor.

B In eoque vita hominum Tragœdiæ quam Comœdiæ videtur eſſe ſimilior, quod omnium fere triſtis eſt exitus, dum omnia mundi dulcia quantacunque fuerint amareſcunt, & extrema gaudij luctus occupat. Quantumlibet in viis ſuis iniqui floreant, & proſperorum concurſu inaurentur, eis ad nutum fortuna ſeruiat, ſubuertet in fine greſſus eorum, & tandem amara erit, quaſi abſinthium. Quare, inquit beatus Iob, impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit & non abortiuit; & vacca peperit, & non priuata eſt fœtu ſuo. Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Quis lætitiæ præcedentis exitus poteſt eſſe amarior, aut felicis viæ, infelicior finis; Hæc eſt enim via illorum,
C qui in labore hominum non ſunt, neque cum hominibus flagellabuntur. Vtique deiecit eos conſilium Domini dum alleuarentur. Et ſiquidem hæc potius adſcribenda ſunt omnia, quam fortunæ, quæ aut ab ipſo, aut quod magis reor, omnino non eſt. Ait namque Ethicus,

Noli fortunam, quæ non eſt, dicere cæcam.

Homerus quoque in illo celeberrimæ perfectionis opere dedignatus eſt noſſe fortunam, adeo quidem vt in nulla parte tanti carminis nominetur. Maluit enim ſoli Deo quem Morphan nominauit, vniuerſa regenda committere, quam vt aliquid adſcribere temeritati fortunæ, quam vtique ſic conſtat minime eſſe Deam, ſicut certum eſt, dici & pingi cæcam. Fruſtra ergo cæcitas ejus arguitur, quæ in natura rerum inueniri non poteſt. Vnde & caſus non eſſe conuincitur, ſi eum quis improuiſum euentum eſſe definiat, cum nihil fiat, cuius ortum legitima cauſa, & ratio non præcedat, & fidelis concionator nihil in terra doceat fieri ſine cauſa. Verum-
D tamen quia propter intentionem gerentium aliqua, nonnulla contingunt præter opinionem, caſus appellatione clauduntur, licet æque diſponentis ratione præuiſa ſint, ſicut ea quæ lege naturæ, neceſſitatis neſibus videntur arctata. Proinde & hæc ipſa contingentia, primævæ omnium cauſæ ſic conſtat eſſe annexa, vt ad eam omnia referantur; & pro mea opinione, hæc ipſa ad poſitionem omnium quæ ſunt, neceſſario conſectatur. Ridebunt forte prudentiores inſipientiam meam, qui Deum eſſe, ad exiſtentiam omnium ſequi conſentio: ſed ab effectu cauſam inferri, vel probabiliter me peripatetici docuerunt. Porro doctores fidei eam ex omnibus cauſam neceſſario inferunt, ex qua omnia, per quam omnia, & in qua ſunt omnia, & ſine qua factum eſt, aut ſubſiſtere nihil poteſt. Quod ergo aliquid fortunæ videmur adſcribere, ei nequaquam præiudicat. Sed quia nobis ad homines ſermo eſt, hominum verbis vtimur, pingui (vt prædiximus) Minerua agentes de ſingulis, de nullo ſubtilem reddentes rationem. Quod ſi hoc ipſum patienter admittitur, ea quæ à philoſophis gentium publicæ vtilitatis gratia ſcripta ſunt, audiri quid prohibet? E
Quæcunque enim ſcripta ſunt, inquit, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Dum enim pax abeſt filiis Adam, qui ad laborem nati ſunt, parati ad flagella, concepti in peccatis, editi in labore, non tam euntes quam currentes ad mortem, qua nihil triſtius eſt, neceſſaria eſt patientia, vtilis conſolatio, quæ de oleo lætitiæ in conſcientia, & de immenſitate clementiæ Dei, prædeſtinatos ad vitam, ſpe futurorum fouet & roborat. O Cuſtos hominum, inquit beatus Iob, humani generis calamitates in ſe exprimens, quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi grauis? Nemo ſiquidem eſt qui exigentibus culpis, in ſeipſo non inueniat cauſas materiamque doloris, cum ipſius Philoſophiæ teſtimonio, vnicuique contingat adeſſe, quod nollet, vel abeſſe quod vellet. Vnde & fidelis anima cui veræ beatitudinis gaudia differuntur, cum inferiori irri- F
guo, irriguum ſuperius petit. Vt ergo gentilium figmentis piùm accommodemus auditum, rerum omnium tragicus finis eſt. Aut ſi nomen Comœdiæ gratioſius eſt, non duco contentionis funem; dum conſtet inter nos quod fere totus mundus iuxta Petronium exerceat † hiſtrionem. Quod & quidam temporis noſtri ſcriptor egregius, infidelium tamen verbis eleganter expreſſit: † al. blaſtrionem.

Ridiculos hominum verſat ſors cæca labores,
Sæcula noſtra iocus, ludibriumque Deo.

Huius itaque tam immenſæ, tam mirabilis & inenarrabilis Tragœdiæ vel Comœdiæ theatrum, quo peragi poſſit, ei mirabiliter coæquatur. Tanta eſt area eius, quanta & orbis difficillimum eſt vt quiſquam admittatur excluſus, vel emittatur incluſus, dum carnis gerit luteum indumentum. Eam quippe tanta ſubtilitate neceſſe eſt exui, vt per foramem acus poſſit ſine omni attritione tranſiri. Alioquin integer nemo aggreditur, forte ideo, quia capacem hanc aream Styx nouies interfuſa coercet. G
Vidi, inquit Eccleſiaſtes, cuncta ſub ſole, & ecce ſtatim omnia vanitas, eo quod omnia, quæ à ſolido veritatis ſtatu recedunt, vanitati, quæ noſtram Comœdiam deceat, ſubiecta ſunt. Vanitati enim ſubiecta eſt creatura non volens. Licet enim nouem orbibus, ſiue globis potius ſedium noſtrarum habitatio tota claudatur, omnibus tamen quandoque egrediendum eſt, omneſque Charon ille inexorabilis vetuſta ſui temporis naue traiiciet. Omnibus quoque ſuccedent alij, & ſic tranſiens homo manet in ſpecie quemadmodum aqua prætereunte, notus amnis manet in flumine. Vbi ſunt, inquit, viri potentes, ab initio ſcientes bellum, aut qui in auibus cœli ludunt, theſaurizant ſibi aurum, in quo confidunt homines iungentes agrum agro, domum domui, vſque ad terminos loci, & non eſt finis poſſeſſionis eorum. Statimque ſubiecit, quod vſu & aſſiduitate iam omnibus perſuaſum eſt: hi ad inferos deſcenderunt, & alij in locum illorum ſucceſſerunt Veruntamen bene cum egredientibus agitur, qui non ab hoc fortunæ ludo transferuntur, eiiciendi in tenebras exteriores, vbi erit fletus H
& ſtridor dentium, & qui ab aquis niuium, quas Sanctus Iob commemorat, ad calorem nimium minime tranſeunt Bene cum illis agitur, qui ſuos exſpectant Elyſios, quos præſentia ſua iuſtitiæ ſol verus illuſtrat. Sed quid eſt, quod Elyſios campos à mutabilium rerum ſeptis verbis excludo? Certe pro parte incluſi ſunt, patentes in latitudine bonarum mentium? quibus à patre luminum datum eſt, vt in notitia & amore boni, toto ſui agitatu verſentur. Vnde ethicus inquieto extra ſe ineptam beatitudinem inquirenti,

Quod quæris vbique eſt,
Et lugubris animus ſi te non deficit æquus.

A

Cap. IX.

Quod mundus suos habet Elysios; & quod eadem fides est nostri temporis & præcedentium patrum, & virtutis cultores inspectores sunt theatri huius.

MVndus igitur suos habet Elysios, solemque suum & sua sydera nouit. Virtus siquidem solaris quidam radius est, à fonte charitatis omnibus datus in vsum, & qui omnia quæ attingit, claritate sui facit eximia. Inde est, quod etiam illi, quos huius radij venustas, quasi repercussa specie sui videtur afflasse, statim in subiectorum conspectu clarescunt, fiuntque quodammodo virtutis titulo gloriosi. Absit enim, vt quisquam vere sit gloriosus, nisi qui in Domino gloriatur. Non enim
B qui se ipsum, aut quem homo commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Quod vtique vera & sola virtus meretur, non quantumcunque virtutis imago. Hoc autem esse arbitrur, quicquid minoribus egregium de naturæ beneficio, & exercitio mentis citra gratiam, Philosophi sibi repromittunt, eoque ipso euanuerunt in cogitationibus suis, de libero consilij arbitrio, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, stultique apparuerunt. Vnde Ethicus.

Satis orare Iouem qui donat & aufert,
Det vitam, det opes, animum mihi ego ipse parabo.

Alius quoque,

al. abest.
Nullum numen † habes, si sit prudentia; sed nos
Te facimus fortuna deam caloque locamus.

Catoque licet verum non agnouisset Deum, gentiumque superstitionibus aberraret, in Libya tamen Iouis, quem colebat, contempsit oracula, se ad ea quæ sibi gerenda erant, sufficere arbitratus. Et quidem etiam ipsa imago virtutis, suam quandam habet venustatis decorisque
C claritatem, vt quicquid in ea cernitur, eius merito venustum credatur & decorum. Non tamen vsquequaque decorum est, quod in tenebris ignorantiæ obscuratur, nec potest quisquam clarescere, nisi in fide illius, qui lux vera est, & illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Ex quo patet, quod nisi in veri Dei notitia, & cultu, vera virtus esse non possit. Quod & visio Ezechielis non tacuit, qui eorum, quæ præcedebant & sequebantur Christum, eandem confessionem esse asserunt: Sanctorum quippe veteris & noui testamenti in eo distinguitur fides, quod isti iam sibi gaudent impleta, quæ illi expectabant & desiderabant implenda. Sit ergo venerabilis imago virtutis, dum sine fide & dilectione substantia virtutis esse non possit. Et vtinam inueniatur in nobis, qui vel virtutis imaginem teneat.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam?

Quis etiam vmbras virtutum induit, quibus videmus floruisse gentiles, licet eis subtracto Christo, veræ beatitudinis non apprehenderint fructum? Quis Themisto-
D clis diligentiam, Frontonis grauitatem, continentiam Socratis, Fabricij fidem, innocentiam Numæ, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlyssis, Catonis parcitatem, Titi pietatem, imitatur? Quis non cum admiratione veneratur?

Probitas siquidem *laudatur & alget.*

Porro prædicti, & consimiles magni quidem & laudabiles viri quasi quædam seculorum suorum sydera splenduerunt, illustrantes tempora sua præambuli coætaneorum suorum in id iustitiæ & veritatis, quod dispositione diuina illuxerat eis. Sic quoque in successionibus populi fidelis, nunquam humano generi, ad noctis suæ tenebras, cæcitatisque molestias depellendas, sua sydera defuerunt; viri quidem virtutis titulo nobiles, magnorumque operum fulgentes insignibus, quorum exemplis ad cultum iustitiæ semper alij peruehantur. Nonne Abel innocentiam docuit, Enoch munditiam actionis? Quid de longanimitate spei & operis non habuit Noe? quid de obedientia fideliter implenda defuit Abrahæ? Isaac coniugij castimoniam instruit, & Iacob laboris E
tolerantiam ostendit. Ioseph parricidas fratres, boni retributione remunerat, eoque docet à bonis bona pro malis tribuenda. In multis millibus increduli, indurati, & Deum semper exacerbantis populi, Moysi mansuetudo ostenditur, & imminentibus aduersis, confidentis Iosuæ magnanimitas declaratur. Iob patientiæ indicit exemplum. Et præambulus gratiæ Baptista saluatoris dum pœnitentiam prædicat, & vitiis indicit fugam, confessionem eruit veritatis, & ad increpationem iniuriæ, & condemnationem iniquitatis, omnium fidelium linguas exacuit. Quid vtriusque testamenti referam patres, quorum exempla sunt disciplina morum, & rectissima instituta viuendi? Hi quid sunt in septem millibus virorum, quos sibi Dominus reseruauit, vt non curuarent genua sua ante Baal, aut cuicunque vanitati prostituant animas pretiosas. Hi sunt qui inter sensatos habentur insani, quia alienæ insaniæ nolunt esse participes. Et finem sine honore habituri creduntur, quia dignitatem naturæ, mundani histrionis habitu polluere dedignantur. Hi sunt forte qui de alto futurum culmine theatrum mundi despiciunt, ludumque fortunæ contemnentes, nullis illecebris impelluntur ad vanitates, & insanias falsas. Hi iam in suis gaudent Elysiis, ad vtilitatem suam vident plurima, & ad eam omnia visa retorquent. Cum enim fidelis anima de terra exaltatur, tunc deinde omnia trahit ad seipsam. Speculantur isti Comœdiam mundanam cum eo qui desuper adstat, vt homines actusque eorum, & voluntates indesinenter prospiciat. Cum enim omnes exerceant histrionem, aliquem necesse est esse spectatorem. Nec queratur aliquis motus suos ab aliquo non videri, cum in conspectu Dei agat, angelorumque eius, paucorumque sapientium, qui & ipsi ludorum istorum Circensium spectatores sunt. Erubescat potius, si quis in tanta luce indecenter moueatur, & se totum exercitatione † mimica deuenustet.

† inimica.

G

Cap. X.

Quod sibi personæ coaptantur, & depretiantur dissociatæ: & de Cleopatra, Augusto, & Scipione: & quod Romani vanitati dedisi sunt; & quis sit adulatoriæ finis.

CÆterum in hoc fortunæ ludibrio, personæ sibi inuicem coaptantur, & si altrinsecus diuertant, totius actus facies immutatur, vt si Glycerium tollas, aut Pamphilum. Sublato enim alterutro nomen alterius perit, & si eum amantibus suspiciosum tollas senem, nullus est, aut inutilis omnino Dauus: hinc est illud,

Fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis
Cum duce priuato, terras atque æquora lustrat.

Si enim personas, quæ sibi assueuerunt, sibique faciunt, H
decretum fortunæ dissociet, fit plerumque vt vtraque ad omnia agenda sua videatur inepta, & quasi exclusa ratione officij depretiatur. Facta sunt lenocinia Cleopatræ, ex quo nec Iulium inuenit, nec Antonium. Equidem orbis victorem Cæsarem donis flexit, & inuicti viri insuperabilem animum meretricius decor & prostituta facies superauit. Vnde lenocinij eius solicitudinem poëta exprimens, adicit,

Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.

Cum vero Iulius rebus humanis exemptus esset, quæ Romani Imperatoris coniugio fuerat gloriata, principis Romanorum ausa est affectare seruitutem. Nec frustra, cum ad omnia paratum inuenisset Antonium. Putabat enim ad Cæsaream gloriam sibi nihil deesse, si lectum eius ascenderet, qui successor rerum Pompeij, & vt simulabat iuris Cæsarij, magis de temeritate fortunæ, quam de virtutis conscientia confidebat. Porro

cum

A cum ad solicitandum Augustum, muliebris impudicitiæ audacia accessisset, spe sua frustrata, amorem honestatis reputauit iniuriam, castitatis nomen dedit superbiæ, bellumque credidit indicendum ei, quem Iulio Cæsare expertafuerat fortiorem. Omnes nocendi artes aggressa est, tandemque capta, & prouoluta ad pedes Augusti, etiam tunc sollicitauit oculos ducis.. Sed frustra quidem. Nam pulchritudo eius infra pudicitiam principis fuit. Quod vbi desperata se ad triumphum victoris prænouit reseruari, incautiorem nacta custodiam, egressa, se in Mausoleum Regum recepit, ibique nobilissimis ex more induta cultibus, odoribus conquisitis, solioque diuitiis vsquequaque referto, se iuxta suum collocauit Antonium, & mamillis venisque suis apponens aspides, sic morte quasi somno resoluta est. Psylli siquidem, Augusti mandato adhibiti, qui malitiam veneni solent linguis educere, eo quod sero vocati essent, opem ferre non valuerunt. Digna quidem sic perire meretrix venenosa, nata mores corrumpere, no- B biliumque virorum pudiciam expugnare. Profecto antea regibus imperauerat, postmodum misera nece miserabilis sibi sorte tragicum, sed Romano imperio, quod subuertere moliebatur, finem Comicum fecit, inter cætera clarioribus Augusti titulis connumeratur, quod in tantæ pestis congressu, mansit inuictus Veruntamen in Scipione Africano aliquid non inferius inuenitur, qui post singularem de Hannibale victoriam singularis continentiæ insigne præconium meruit. Hannibal namque Romanorum cecidit exercitum vsque ad hostium satietatem, & donec præciperet militi suo, vt vel ferro parceret. De cæsorum cadaueribus in torrente Vergello pons solidus factus est victoris iussu. Duo modij annulorum Carthaginem missi sunt, vnde Martem suum Libyæ præsidem aureo clypeo, ob insignem victoriam, honoraret; essetque proculdubio tunc Roma diem vltimum habitura, si Hannibal quemadmodum vincere, sic & victoria vti sciret. In vindictam istorum à senatu missus est Scipio Africanus, qui à Pyreneis montibus C ad columnas Herculis, & Oceanum vsque tanta felicitate prouinciam recuperauit amissam, vt vix sciatur, citius an facilius vicerit. Qui etiam captiuos pueros & puellas egregiæ pulchritudinis, restituit barbaris, nec in conspectum suum, eorum quempiam venire passus est, ne quid de virginitatis integritate, saltem oculis delibasse videretur. Qualiter ei Hannibal cesserit, & manifestam victoriam nota in puppi prætoria laurus polliceretur, scriptor belli Titus Liuius refert. Cæterum in tanti triumphi gloria, quid illo ciue modestius, qui se in tanto successu, nec Dominum, nec victorem, ab aliquo, nisi ab Hannibale paucisque complicibus, qui conditiones pacis, rupto fœdere, fraudulenter abiecerant, passus est salutari. Eos quoque qui castigati non obtemperabant, prohibentis imperio, quasi adulationis reos, & publicæ salutis hostes ab exercitu remoueri iussit; cum tamen genus Æneadum hanc mollicie aurium non dum † exurit, quin adulationibus delectentur. Cum vero ab initio grauissimi fuerint, in D quo Troianæ leuitatis originem præcipue diffitentur, eos hoc vitio continue laborasse, historiarum celebre testimonium est. Inde est illud: Romanus omnis adulatione corrumpitur, aut corrumpit. Certe si non verbis, possunt omnes fraudulentis muneribus expugnari. Et quos munuscula non deiiciunt, honoribus capiuntur. Vrbis auspicia, sacrilegio parricidij, & fraterni sanguinis cruore, numinibus suis Romulus consecrauit. Deinde lemuribus infestatus, bonore vario simulata communicatione imperij, fratrem placauit occisum. Suos quoque Imperatores, quos de more Romanus populus fideliter iugulabat, deificauit fidelius inani solatio, perfidiam prætexens manifestam, perinde ac si sorbitiunculas ei, quem peremerat, ministraret. Eosque mentiebantur in sortem transiisse numinum, ac si cœlo suo quandoque regendo, nisi tyrannis adscitus, omnipotenos non sufficiat manus. Facti sunt ergo diui indigetes, aut vt aliis places, heroes, quos

† al. exueruit.

E nec etiam humana sorte dignos Romanorum perfidia reputauit. Tractum est hinc nomen, quo principes virtutum titulis, & veræ fidei luce præsignes, se diuos audeant, nedum gaudeant appellari, veteri quidem consuetudine etiam in vitio, & aduersus fidem catholicam obtinente. Si vero veniatur ad verba, in eo iam Romanus Græcorum perfidiam antecedit, qui eousque adulandi lenocinium docuit, vt à docili populo facillime transeatur. Voces quibus mentimur Dominis, dum singularitatem honore multitudinis decoramus, natio hæc inuenit, & ad finitimos posterosque sui nominis autoritate transmisit. Si quando quæris, illud tibi tempus occurrat, quo C. Cæsar, exuens nescio an perficiens dictatorem, omnia factus, omnia occupauit. Illius certe temporis mihi sæpe occurrit imago, cum ad potentioris nutum, subiectorum omnia disponantur, & licet animo reluctante, in seipsos parati sunt exilij, aut mortis dictare sententiam. Hinc quippe potestas terribilis; hinc angentis & vrentis conscien- F tiæ stimuli, meticulosa corda concutiunt, & præcipuam in omnibus sibi vendicant autoritatem. Adeo quidem, vt sacerdotes legis diuinæ præcepta dissimulent, sapientiam nesciant seniores, iuris sit iudex ignarus, prælatus autoritatis nescius, disciplinæ subiectus, libertatem contemnat ingenuus, totus denique populus quietem & pacem; dum enim omnes vnius præsidentis voluntate feruntur, vniuersi & singuli suo priuantur arbitrio. Nonne hæc erat facies temporis, quando

Sedere patres censere parati,
Si regnum, si templa petat, iugulumque senatus,
Passurasque infanda nurus.

Eoque solo bene cum ciuibus actum est, quod Cæsar plura iubere erubuit, quam Roma pati? Nonne tyranni opinio, ad tyrannidis transiit successores, dum suspicantur, quod leges à se maluit tolli, quam ab humilibus obseruari? In eoque libertatis seruatur vmbra, si se quisque quod præcipitur simulat voluisse, facitque, G imo videtur facere, de necessitate virtutem, dum necessitati iungit consensum, & quod incumbit gratanter amplectitur. Hic porro nullæ sunt partes veræ, aut ingenuæ libertatis, vbi totum sibi adulatio vendicat, vanitas totum, nihilque veritati relinquitur, aut virtuti. Adulationem vero sine dolo esse non dubitas, cum in adulatorum persona de se confitentur Gnatho, quia cum maxime decipio tunc triumpho. Sicut enim finis oratoris est persuasisse dictione, medici curasse medicina; sic adulatoris finis est suauiloquio decepisse. Nam &

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps:

Et venena propinantur melle circumlita, quo citius noceant. Verum

Non est in medico semper releuetur vt æger.

& finem suum qui in altero est, orator non semper assequitur. Sic adulator quidem non semper decipit, aut de amico triumphat. Fine tamen suo non destituitur, si ex contingentibus nihil omiserit. Nec enim Vlysses Sirenum voces euasit, quod ai aliquid suauitatis de- H esset ad gratiam, sed quia stimulis voluptatis, & meretricantibus illecebris vanitatis, solidæ virtutis opposuerat robur. Tentator quoque Pharisæus, & Herodianus insidiator, quas fraudis suæ non adhibuit artes, vt eum caperent in sermone lingua dolosa, in cuius ore non est inuentus dolus? Magister, inquit, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, neque enim accipis personas hominum. Quid quæso blandius? Sed dolus quo tendat, inuidia quo feratur, subiecta interrogatio patefecit. Sequitur enim, Licet censum dare Cæsari an non? Ecce laqueus paratur pedibus innocentis, & ad subuersionem eius decipulas suas frustra tetendit iniquitas. Si enim censum dandum esse censuerit, peculiarem populum Domini, semen liberum, præclaram hæreditatem Domini, decimis & primitiis, & legalibus cerimoniis tantum obnoxiam, subiiciet seruituti. Si vero tributa

neganda

A neganda responderit his, qui pro salute & quiete omnium militabant, quasi seditionis autor, & reus imperatoriæ maiestatis, à publicanis iuste poterit comprehendi. Verum quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, totius calumniæ laquei dissoluuntur, dum prolato numismate census, suam cuique census restituendam esse imaginem; & ita quæ Cæsaris sunt, Cæsari restituenda, vt suo iure Deus, non defraudetur. Equidem non omnibus datum est, vt blanditiarum laqueos sic euadant, cum eos alius non præueniat, alius etiam præuisos nequeat declinare. Vnum tamen certum est illis, qui huic vitio dediti sunt, non magis placere virtutem, quam illos bene olere, qui in culina habitant.

Cap. XI.

De munuscularijs & promissarijs, & quod promittere non expediat ad virtutem.

B IN eo autem adulatoriæ vis magna consistit, si omissis propriis, aliena commoda curare videaris, de tuo nunquam aut raro, semper aut sæpe loquens de illius, quem aucuparis, emolumento. Prætetea manum contine, ne si quid etiam inuito ingeratur, accipiat, dum influat Iordanis in os eius, qui dum omnia cupit, sibi quoque omnia de iure petat competere. Esuriens gula insatiabilium quorundam animalium, donec satietur communem aliis inuidet cibum, & in quo aliorum subuenitur inopiæ, se fraudem perpeti suspicatur. Sic furnmatus sibi interdum subtrahi putat, quicquid quocunque titulo confertur in alium, teste Crasso, qui, vt dicitur, milite dissimulante, eo quod solus, aut præ cæteris apud Parthos aurum sitierat, aurum bibit. Iugurtha quoque sæpe Romanum exarmauit, & fregit imperium & exercitum, ipsius quoque vrbis concussit maiestatem. Nunc dant plura, promittent interdum plurima. Sed hoc liberum est his, & sæpe conducit, C qui aliqua donare consueuerunt. Alioquin promissio gratiæ conciliandæ non proficit, sed quasi decepto fraudulenta, illam quæ esse videtur plerumque extinguit. Tanto quidem validius, quo cum prudentiori & grauiori viro negotium geritur. Simplicitas namque circumuenientium insidiis latius patet, & facilius supplantatur. Vnde ille qui non vrbem, sed orbem lasciuis impleuit amoribus, sollicitatorem puellarum & impudicum instruens amatorem, ait:

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

At philosophus nunquam, aut rarissime, & hoc ex iusta causa asserit conducibile. Si enim promissionis implendæ facultas non suppetit, temerarium est promittere quod præstari non potest. Si vero potestas affuerit largiendi, nisi voluntas beneficij producat effectum, promissor non gratiam de promisso, sed de mendacio contrahit maculam. Quod si ex interuallo promissi fidem impleuerit, liberiatis decor, & beneficij species D ipsa fuscatur, eo quod qui distulit, interim visus est noluisse. Vnde versificator egregius.

Demgrat meritum dantis mora, nam data raptim
Munera, plus laudis, plusque fauoris habent.

Præterea quis de futuro certus, vt sciat se quandoque posse implere quod differt? Nonne consiliarius veritatis, assertor fidei, electionis vas (doctorem gentium loquor) fidelium animos, quos aduentus sui expectatione suspenderat, frustrauit à desiderio suo? Quid aliud agit illa ipsius excusatio, quia apud se non fuisse est & non, sed est tantum commemorat, & se leuitate non vsum protestatur? Si non potuit ille, Domino impediente, quod voluit (hoc enim voluit quod promisit) quis sapiens secure quod ex facilitate naturæ pendet promittit, cum leuiter possit, ex causis quam plurimis impediri? Ad hæc ex iusta causa potest interdum mutare quilibet voluntatem. Dignus etenim beneficio pro tempore videtur aliquis, qui processu rerum, co-E dem reperitur indignus. Et interdum indignus est, qui ad frugem melioris vitæ conuersus, beneficium meritis etiam à manu extranea, vt vulgo dici solet, extorquet. In his mutare propositum sæpe non est criminis, sed virtutis. Nam vt fabulis doceamur, Theseus vnico filio suo non fuisset orbatus, si voluisset mutare propositum. Et Phœbus vrgente stimulo doloris, quem de Phaëthontis ruina conceperat, exul à cœli regione, Admeti non pauisset armenta, si ei votum, quod ei Stygis interposito sacramento, filio ambitioso obligauerat, mutare licuisset. Et ne fabularum instrumenta contemnas, rex incredulus, quod ex Euangelica habes historia, salubrius incautum & perfidum soluisset iuramentum, quam in extinguenda lucerna verbi, ausferendo præambulum gratiæ, veritatis occidendo præconem, mensam pollueret, conuiuium incestaret, regiam pessundaret maiestatem, dum incestui cuncta seruiunt, & obtemperant saltatrici. Ethica quidem regula est quia non omnia sunt semper promissa soluenda, si forte F aut accepturo damnosa, aut perniciosa sint promittenti. Et lex amicitiæ illa præualuit, qua sola honesta peti licet ab amicis aut fieri, ipsoque iure cautum est, vt nulla promissio, quæ turpem aut tristem habeat exitum, impleatur. Postremo antecedens promissio, consequentis beneficij gratiam aut extinguit aut minuit. Et sicut iacula, quæ præuidentur, feriunt minus, & quæ omnino non præcauentur magis lædunt, ita & in beneficiis quod ex promissione conceptum est, minus accipitur, & quod ex insperato prouenit, gratius acceptatur. Licet enim nuda promissio apud iuris, vt dicitur, peritos non pariat actionem, promissor omnis apud veritatem (vt dici solet) pollicem fixit, & iure ciuili cessante, fidei naturaliter obligatur. Sed quis actor durius aget, quam fides, si ipsa cœperit accusare? Si agit conscientia, quis absoluet? Certe,

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet autori, prima est hæc vltio, quod se
Iudice, nemo nocens absoluitur.

G Si vero ipsa iustificat, quis condemnat? Proculdubio qui in illo timetur articulo, Dominus est, vbi & dies contemnitur humanus, & conscientia quod obloquatur non inuenit. Si vero animam accusant opera, & illi conscia testis assistit, & causam veritas examinet † æquitatis, quis quæso Prætor in ream, obnoxiamque mendacio grauius vindicabit? Sane Prætor etsi viua vox iuris esse dicatur, sententiam eius veritas plerumque retractat. Sed veritatis sententia manet irretractabilis. Quia iustitia eius iustitia in æternum, & lex eius æquitas. E contra in prætorio sæpe summum ius, summa iniuria est. Quisquis ergo promittit debitor est, & veritatis vrgente sententia, sponsionis fidem compellitur adimplere. Porro quod necessitas extorquet, gratiam minuit. Vnde illud Philosophicum quod præmisi. Promittere ne festines, ne cum volueris non possis, aut nolis ex iusta causa cum possis, aut cum effeceris gratiam perdas, aut minuas: eo quod te ante illaqueaueris in verbo oris H tui. Fit tamen vt non modo licitum sit promittere, sed & conducibile. Et vt aliorum ad præsens taceantur exempla, paracletum Christus ipse discipulis & promisit & misit. Eisdemque quid futurum esset illis, qui omnia pro eo reliquerant, interrogantibus, sedes in regeneratione promisit, & iudiciariam, quam cum eo habituri sunt, potestatem. Ex quibus constat, quia causa propositum, opus quod commendat. vt si liqueat ex his, quia non necesse est, philosophi regulam vitiari.

* * *

† al. veritatis.

Cap. XII.

De rationalibus & secretariis diuitum, & quod amicitia non nisi in bonis est, & quod diues familiarem potius exprimat quam amicum, & licet familiaritas diuitum vtilis videatur, sæpe periculosa est, & quod innocenter viuendum est.

Sed si non modo promissores, sed munusculatios in gratia illius, quem captas antecedere pergis te ratiociniis eius immisceas, parcas sumptibus, eo quod secretorum conscius qui loculis parcit, diligenti patrisfamilias displicere non potest. Grata sunt vitia eius, qui deformitatem morum, sumptuum parcitate compensat. Optimum: vt ait Cicero, si nescis, vectigal parsimonia est. Tenuis parcus impletur facile, & facillime exinanitur prodigus diues. Arca sane capacissima fundum habet, & breui exitu congestarum aquarum quantalibet copia defluit, fontisque abundantia tollitur, scaturientis venæ fæcunditate sublata. Exili plerumque meatu inclusum egent vrna liquorem, sic minutissimis dum frequentibus & continuis sumptibus amplissimæ exhauriuntur opes, & breuium subtractione minutiarum, maxima hæreditas expilatur: nisi forte prodigus pecuniam inueniat rediuiuam.

Est luxus populator opum, cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Illis ergo parcendum est, quorum necessarius imminet vsus, & aliquid adiiciendum est quantitati, quæ iugi partium deductione decrescit. Et licet vsu defluant vnciolæ patrimonij, gratum est diligenti patrifamilias, si vel ratiocinij calculo teneantur, peritque dupliciter, quod elabitur nescienti. Ad hæc

Lucri bonus est odor ex re Qualibet.

Illa tuo sententia semper in ore versetur, Diis atque ipso Ioue digna, poetæ,

Vnde habeat quærit nemo, sed oportet habere.

In his quidem versari, est arctioris gratiæ finibus vincire diuitem, licet versibilitate ingenij lubricum Protea vincat. Aut si veritatis deficit gratia vel vlterioris familiaritatis exhibitio constat. Cæterum licet vtrumque non possis assequi, & rerum priuatarum participationem, & calculi cautiones, te secretis ingere, quauis arte. An nescis quod qui pergunt ipsis Imperatoribus imperare,

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri?

Et quo studiosius occultantur, eo diligentius sunt perscrutanda. Nempe

Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult,
Accusare potest.

Si tamen inter malos charitas & amicitia esse potest; hoc etenim quæsitum est. Sed tandem placuit, eam nisi in bonis esse non posse. Magna vtique inter molles & malos concordia; sed ea tantum à charitate discedit, quantum lux distat à tenebris. Et licet interdum mali, sicut & boni, idem velle, & idem nolle possint, amicitiæ tamen titulum non assequuntur. Vnde & Crispo, historicorum inter Latinos potissimo, sed & ipsi Ciceroni placuit, in malis factionem esse, quod in viris bonis vera amicitia est. Sed quamuis vitiosus, præpediente malitia, amicus esse non possit, & si non venerabilis, verendus tamen erit, qui conscientia secretorum, conscio terrorem potest incutere. Scitum est illud Ethici, quia

Nil tibi se debere putat, nil conferet vnquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.

Hoc quoque iam pridem venit in dubium, an quenquam diuitum & potentum, amare contingat. Tandemque receptum est, eosdem nunquam amare, vel raro, & in eis præcipue causis; in quibus se potius, quam alios amare videantur. Contraria siquidem in eodem esse non possunt. Et quo diuites plurimum cupiditatis, eo habent minimum charitatis. Hæc etenim inuicem maxime aduersantur. Porro vt ait quidam, omnis diues iniquus aut iniqui hæres est; & rarissimum est, vt diuitiæ affluant, nisi amoris & cupiditatis glutino solidentur. Eas desiderantis animi vigilantia & labor acquirit; sed ægrior sollicitudo retinet & conseruat, inquit Ethicus:

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri:
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Cum ergo istud ars, illud casus nomine censeatur, quis eas sine applicatione mentis intensa diutius seruat? Certe vetus prouerbium est, Quia vbi amor, ibi oculus; & vbi vigil mentis intentio, ibi fixa cordis positio. Vnde licet inuito & repugnanti animo plerumque affluant, cor tamen apponere fidelis Philosophus prohibet, & doctor gentium eos, qui diuites fieri cupiunt, in laqueum diaboli, & tentationis dicit incidere. Et qui vtroque maior est, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ asserit, Deo & Mammonæ simul seruiri non posse. Quoniam

Imperat aut seruit collecta pecunia cuique.

Sed diuiti numquam seruit, aut raro. Vnde liquet diuites frequentius iniquos quam heredes iniquorum. Quomodo regnat charitas, vbi iniquitas dominatur? Vtque diues familiaris esse nouit, amicus nunquam, aut raro. Hic tamen non de eo, qui habet diuitias sermo est, sed qui amat. Ex quibus liquet, quia quantacunque ex familiaritate potentioris gratia videatur, diligentem cautelam exigit subditorum. Alioquin omnis eius illecebra, plus aloes, quam mellis in exitu habitura est. At expedit plurimum ad successus esse conscium secretorum. Quidni? Reuerentia crescit, inualescit autoritas, arcentur incommoda, proueniunt vtilitates, amicorum augetur numerus, cultoribus accedit deuotio, & fortuna totius gratiæ suæ & felicitatis auram videtur beatulis inspirare. Ceterum istorum omnium nouissima, quouis absinthio amariora sunt, & si interim non amarescunt, iustam amaritudinis habent suspicionem. Res siquidem periculosa est, diuitum aut potentum communicare secretis. Si quid enim eis per iniuriam forte elabitur, cui, nisi conscio imponetur? Quod cubicularij, aut ciniflones, mimiue, aut quicunque nebulonum, quibus delicatus diuitis sensus, aut furor carere non potest, in lupanari vel taberna sparserunt, aut vt se vendicarent à familiaritate potentis, deuulgauerunt in populo, in illius calumniam retorquetur, qui in consiliis aliquem locum visus est tenuisse. Si motus rerum præscire desideras, meritoria discute, & lixarum castrensium inquire sententias. Nihil enim adeo occultum est, quod eis ex aliqua parte non reueletur. Si mihi non credis, vel Aquinati nostro aures accommoda. Ait enim

O Corydon, Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora: claude fenestras,
Vela tegant rimas, † iunge ostia, tollito lumen
E medio, † taceant omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet.

† al. claude. † al. clament

Procedo. Si terræ secretum suum infodiat, vel arundo succrescens hoc producet in publicum, & leui flatu in auras proferet, quoniam

auriculas asini Midas habet.

Pallas quoque Erichthonium suum occultare non potuit, quin ipsum iam cognitum cornicis garrulitas publicaret: vnde quia alieni admissi delatrix fuit & conscia, coloris perdidit venustatem, & garrulitatis incurrit notam. Præterea secretarij diuitum, quasi quidam colutarij, vel clitellarij sunt, & qui eorum delictis onerentur, quicquid ab eis delinquitur in istorum infamiam cuditur; nisi forte ea sit de potente opinio, vt nullo possit consilio deprauari. Si enim solemnis est malitia eius, si fraudis & doli vulgata opinio, totius familiæ fama purgatur, ac si capitis languor infirmantium denigret dolorem laterum. Alioquin si benignior, si ciuilior creditur potentatus, omnia

A delitamenta eius familiares, quasi clitellarij quibusdam nominis sui humeris portant. Sed recte gestorum nil nisi benignitati, aut ciuilitati potentis ascribitur. Et si quando calculus grauior imminet, quasi pellem pro pelle animam tuam dabit diues pro fama sua, & vt in te retorqueat culpam suam, caput tuum meritis criminum, potius non verebitur obiectare. Sed quod magis mirabile, gratulabitur, si astutia sua industriæ tuæ labores & sollicitudines, hac mercede donauerit, vt te reddat infamem, & si fecerit, aut finxerit te criminibus inauditis obnoxium. Non est enim malum in ciuitate quod non in diuitis consiliarios impingatur, cum inanis sit excusatio, eo quod omne officium sibi potentatus conformat, nemoque sapiens diu fluctuat consilio imprudentum. Omnia namque discernit & iudicat. An eum putas in conscientia tua securum quiescere, cuius turpitudinem producere potes in lucem, & proferre in publicum? Certe omnis, qui malus est, odit lucem. Et

B opus omne, artificis sui videtur habere imaginem. Meretricantium mulierum fucus dum argui veretur à lumine petit vmbras & timet ne seipsis deformiores sint, si immediata luce videntium obtutibus pateant. Hoc ergo illarum tota vigilantia quærit, vt quod non est in eis, præstricti oculi videant, & qui vident cæci fiant. At in his quæ natiuo colore confidunt, longe aliter est, quia

Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.

Licet itaque secretorum communio aliquid felicitatis videatur adducere, securitati tamen plurimum demit. Difficile aut potius impossibile est illos percurrere, qui hac via ad inferos descenderunt, aut pœnis nouissimis se ingemuerunt affectos.

Heu mihi cur vidi, cur noxia lumina feci!

inquit ille, qui an de conscientia alieni, an proprij operis noxa deportationem meruerit incertum est. Certum tamen est, quod mala aliena nouisse non expedit. Ve-

C runtamen siue sciantur, siue non, nihil tutius est, quam propriam † conscientiam conseruare. Philosophus sic inter hostes viuendum censuit, tanquam inter amicos; & inter amicos, ac si in mediis hostibus viueretur. Et Satyricus,

† al. innocentiam.

Viuendum est recte tum propter plurima, tum de his
Præcipue causis, vt linguas mancipiorum
Contemnas, nam lingua mali pars pessima serui.

Sed non modo propter linguas seruorum, verum propter gladios, & venena potentum, & insidias omnium, præcepto Satyrici † parcendum est.

† al. parendum.

Cap. XIII.

Quod vendicari possunt, quæ sunt adulationibus acquisita; & de lenonibus & mollibus, & pœna eorum, & quod pudicitia auferri non potest violenter, nisi mens ipsa consentiat.

D ATqui adulator ei nequaquam parere potest, qui nihil aliud quærit, nisi vt placeat. Si potest, per se, sin autem personam suppositam quærit, vxorem forte, aliamue coniunctam, vel iure vel affectione. Affectio tamen efficacior est, eo quod ad naturam familiarius accedit, ipsique vnitur animæ, quicquid affectionis fœdere copulatur. Non est vtique perniciosior assentatio, quam ea quæ affectionis inductione procedit. Inde est quod sæpe mariti arctius amplectuntur, & se riualibus suis exponunt, plenius & sæpius inuitant ad cœnam matrimonij corruptores, dum, vt prouerbialiter dicitur, amator incautus pudicæ magis vxori, quam infidelibus oculis credit. Nonne satis delusus est, qui oculis suis assertionem fœmineam, quæ ex eo solo decipit crebrius, quod intercipitur rarius anteponit? Pica siquidem puluinaris efficacissima est, & vt dici solet, cornix nocturna quouis oratore disertior, & cuiusque operis faciem, quocunque libuerit colore, vestit. Quo ergo

E cautior, eo suspectior habenda est. Si dolus dedit causam contractui, rescinditur, & renouantur omnia, quæ ex eo, vel ob id profecta sunt. Heredes quoque defuncti in solidum & in perpetuum tenentur, de eo quod ad eos constiterit peruenisse. Sed quid adulatore dolosius? At mihi forte obiicies, quia non omnes noui. Verum quidem est; sed a multis mihi didicisse videor omnium mores. Duellius iam senex, iam decrepitus corpore, cordeque trementi, dolens sibi exprobratum esse in iurgio, quod oris vitio fœtidus esset, se domum contulit. Cumque vxori grauius quereretur, quod nunquam eum monuerat huius vitij quærere medicinam: fecissem, inquit, nisi putassem ora virorum omnium sic olere. Laudare poteris eius matrimonij pudicitiam, & præferre patientiam mulieris, quæ viri vitium tanta patientia tulit, vt ille infelicitatem corporis, non vxoris fastidio, sed maledicto senserit inimici. At & ego de adulatoribus aliquid tale respondeo, quia omnes arbitror sic olere. Omnes fallaciam & dolum redolent, & quocunque se vertant, pudicis naribus, hunc important, non odorem, sed

F fœtorem. Quicquid ergo ex ea causa acquiritur, etiam ab hærede iusto potest auelli. Nec credo quod possit petitoribus obuiari, si vendicare audeant, quod adulatoribus contulerunt. Sed quis sapiens & intelliget ista? Aut ad hoc quis idoneus, cum non modo in omni domo, aut conuiuentium cœtu, adulantium tanta sit copia, vt si quis modestus aduersus eos mutire audeat, illos

Defendat numerus, iunctæque vmbone phalanges.

Certe dum vir honestus innitens conscientiæ, virtutum insistens officiis, esurit, sitit, alget, & multiplices fortunæ indignantis iniurias excipit,

Vilis adulator picto iacet ebrius ostro.

deliciis ingurgitatur ad crapulam, vino æstuat, lautioribus cibis distenditur, & pro arbitrio variis artificiis cœlum sibi contemperat. Primos habet recubitus in cœnis, in conuentibus primos consessus, prælecto prænomine

G conclamatur, salutationes excipit primas, primas sententias in iudiciis profert, in demonstrationibus honestissime, in deliberationibus vtilissime sentit, quicquid loquitur, sal merum est; quicquid agit, iustitia vel liberalitas. Age ergo & inter istos sapere aude Ilico multa adulatorum venient manus, & veluti te Iudæi cogent in suam concedere turbam. Multitudine itaque tuti sunt, & artificio, vt ipsos possint etiam Reges, & principes expugnare. Et miro modo inermis populus præualet in armatos, & mollitie quæ robustissima sunt, potenter expugnat. Disposuerat tamen silere de mollibus, qui sicut ignominiosi, ita sunt & videntur nominabiles. Silentium indicit reuerentia morum, & verecundus animus natura dictante, illorum declinat aspectum. Quid multa?

Si natura negat, facit indignatio versum.

Apud istos ars est suam pudicitiam prostituere, alienam violare, vel oppugnare. Nec quidem simpliciter suam, cum matrimonij temerentur iura, & coniugis adulte-

H rium coniux procuret. Dum egreditur sponsa de thalamo suo, coniugem noli maritum credere, sed lenonem. Producit eam, libidinosis exponit, & si spes dolosi nummi refulgeat, affectus callida simulatione prostituit. Filia namque decentior, aut si quid aliud in familia placeat ditiori, publica merces est, exposita quidem si emptorem inueniat. Sed licet iustus dolor eos aliquatenus cruciet, qui tori participes admittunt, aut faciunt; ægritudo tamen vtilitatis compendio mitigatur, aut saltim doloris dissimulat cruciatum. Si enim res serio agatur, si libera donentur cunctis iudicia, non est dolor, sicut dolor ille, quo corpus suum quis videt aliena libidine pollui. Cetera namque peccata extra corpus sunt; sed qui fornicatur, in corpus suum peccat. Hoc, inquit, os ex ossibus meis, & caro de carne mea, vt iam non duo sint vir & mulier, sed vna caro. Hoc vtique sine dolore non scinditur, neque sine inuidia communicatur.

Non

A *Non bene cum sociis regna Venusque manent :* & sicut nulla fides regni sociis, ita nec tori. Certe facilius est, regni diuitias, quam affectionem coniugi alij cedere. Atqui nec isti coniuges sunt, sed lenones. Tunc deinde omnia creduntur exposuisse diuitibus, cum fidei fidem faciat fides violata. Sed quid filias & vxores, quod licet iura prohibeant, tamen quocunque modo natura permittit, exponi quæror, aut prostitui? In ipsam naturam quasi gigantes alij Theomachiam nouam exercentes, insurgunt. Filios offerunt Veneri, eosdemque in oblatione pupparum virgines præire compellunt. In illis etenim ætatis maturitas expectatur; at in his sufficit alienæ impudicitiæ voluptatem posse expelli. Pudet dicere, quod seipsos viri ætate prouectiores & sensu, turpitudini tantæ non subtrahunt, & cum eos in nobiliori sexu natura creauit, ad deteriorem quantum in ipsis est, ex innata malitia prolabuntur, effœminati viro & corruptela morum, cum tamen naturæ beneficio, fœminæ esse non possint. B Cum lasciuientis diuitis luxus libidini vota sua præcingit, recumbentis pedes calamistratus comatulus excipit, nitorem inuidens meretrici, histrioni habitum, cultum procis, virginibus ornatum, triumphalem quoque principibus apparatum, & in aliorum conspectu pedes, & ne plus dicam, teneris manibus tibias tractat. Chirothecatus enim incessit diutius, vt manus soli subtractas emolliret, ad diuitis vsum. Deinde licentia paululum procedente, totum corpus impudico tactu oberrans pruriginem scalpit, quam fecit, & ignes Veneris languentibus inflammat. Verum hæc abominatio, non tam ostendenda est quam conspuenda, puderetque eam nugis nostris esse insertam, nisi eandem Apostolus Romanis scribens verbis manifestius expressisset dicens, quia fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum qui est contra naturam, & masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos, turpitudinem operantes, vt darentur in sensum reprobum, facerentque quod minime C conueniret, & vitiis vniuersis obnoxij indignationem Dei, & omnium pœnarum in se aculeos prouocarent. Et tunc quidem in auribus Romanorum hoc tuba Apostolica conclamabat, quando impiissimus Imperator Nero luxuriæ sæuientis puerum Sporum exectis testiculis in muliebrem naturam transformare conatus est. Ab eo tempore prouerbium natum est: Quia vsus formosorum abusio est, & illud: Formæ gratia eo minus grata sapienti est, quo corruptio est gratior corruptori. Difficilius etenim ab infirmis defensoribus custoditur, quod plures appetunt. Illud incauto facilius surripit fraudulentus, aut inuito pudicitiæ prædo violentus extorquet. A patribus tamen pridem diffinitum est, quia pudicitia auferri non potest, nisi mentis corruptio antecedat. Quod enim, vt magnus asserit Augustinus, non præcedente libidine violenter patitur corpus, vexatio potius dicenda est, quam corruptio. Ibi ergo seruari pudicitia potest, vbi nulla, nisi voluntaria esse potest corruptio, in mentis scilicet integritate, vbi in D æternum seruari pudicitia potest. Nec magnum est integram esse carnem, vbi mens tetra corruptione polluitur. At nunc si deceptor amans, aut violentus abest, ita male à teneriori ætate instituuntur adolescentes, vt oculis lasciuientibus, nutu faciei, corporis gestu habituque exteriori, & lenocinio vix ipsis meretricibus concesso, sollicitent corruptores, & legum quæ in eos iam plurimæ latæ sunt, nullam habent reuerentiam vel timorem, licet in eos grauissime animaduertendum decreuerit Imperator. Ait enim, cum vir nubit in fœminam vires porrecturam, quid cupiat? Vbi sexus perdidit locum, † nec scelus est quod non proficit scire, vbi Venus mutatur in alteram formam, vbi amor quæritur & non inuenitur, iubemus insurgere leges, armari iura, vt gladio vltore, & exquisitis pœnis, subdantur infames, qui sunt vel futuri sunt rei. Sed neque consentientibus parcit, quin eis pœnam irroget capitalem, cum & lege diuina facientes & consentientes pari

† al. vbi.

pœna plectantur. Ipsosque (magno Episcopo autore, E Ambrosium Mediolanensem attende) consentientes diffiniuit esse, qui notorum errorem reticent, aut corrigere cum possint, dissimulant. Sed quid de eis verecundum, odiosumque sermonem protendimus? Vt sortem eorum condigna conclusione claudamus, proculdubio pluet super eos Dominus laqueos vt non effugiant, ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum, & cum autoribus suis, quos Sodoma deuorauit, erunt sæculis in fœtorem & opprobrium sempiternum. Quid proderit quæso eis tunc diuitum fauor? Aut quis potest esse temporalium vsus aut voluptas, quem tantus dolor, & tanta erubescentia non absorbeat.

Cap. XIV.

Adulatores puniendos esse, tanquam hostes Deorum & hominum, & veritatem gratanter amplectendam, & patientiam custodiendam, tam rationibus, quam exemplis maiorum. F

Sed vt vulgari prouerbio dicitur, Deus ille præ cæteris colendus creditur, qui subuenit in præsenti. Ideoque non curant quomodo, dum tamen hoc quod expetunt faciant. Egregie quidem Cæcilius Balbus, Imperator, inquit, Auguste, tum in multis, tum in eo maxime elucet prudentia tua, quod isti non dum te omnino insanum reddiderunt, qui vt tibi applaudant, non modo Diis, sed tibi ipsi, & populo iniuriam faciunt. Deorum siquidem minuunt reuerentiam, quos parificant tibi. Te arguunt insipientiæ, dum conditionis tuæ repugnante natura, te parem numinibus esse persuadere præsumunt. Nota superstitionis † inutunt populum, cui mortales Deos pro immortalibus persuadent esse colendos. Sane in eo aliquid diuinum tibi inesse monstrabis, si omnes istos qui diuinitati tuæ fraudulenter applaudunt, rapi feceris ad tormenta. Quis enim Deorum ei pareat, à quo se deceptum iri intelligit? Quis G non irruat in eum, qui aureos Iouis oculos eruit, aut argento gemmisque sublatis Vestam nititur excæcare? Quis de Martis capite adamantinum lumen impune temerariis effodit vnguibus? Nempe Deos inuisibiles, & immortales circumuenire, & eis fallaciæ parare insidias, grauioris culpæ est, eo quod ab his visibilium Deorum fabrica sustentatur & regitur, & honorem aut contemptum qui istis exhibetur, illi remunerant. Si sapis ergo Auguste in Deorum hostes insurges, & te si non Deum, quod nequaquam es, vel Deorum te docebis esse cultorem, si deceptores istos exterminaueris, excæcatores tuos, Deorum contemptores, & vtrorumque iniuriam punias. Hæc Cæcilius. Factio tamen oculatorum præualuit, quod & præsentium rerum declarat status. Adeo quidem vt si quis popularium modestiæ conscius, assentationis & scurrilitatis vitio crediderit temperandum, hostis † felicium censeatur aut inuidus. H Eorum siquidem aures teneræ sunt, & iam obsorduerunt vero, & lingua sæuiorem sine offensione grauissima non admittunt. In quo quantum à virtute maiorum ætas nostra degenerauit, perspicuum est, cum sine patientia aut nullum aut ratum esse opus virtutis verbis docuerit, & exemplis. Vnde & Aristippus à maledicente se discedens, dixisse legitur; vt tu linguæ tuæ, sic & ego mearum aurium Dominus sum. Antitanes quoque cuidam dicenti, maledixit tibi ille, non mihi, inquit, sed illi qui in se quod ille culpat agnoscit. Sed etsi mihi maledicere curet, non curo, quia auditus lingua debet esse robustior, cum singulis hominibus linguæ sint singulæ, sed aures binæ. Aliquatenus tamen curo quia eo ipso, me fatetur esse superiorem, quoniam superioris personæ vsus est detractionibus subiacere, inferioris inferre. Gauderem itaque nisi vrgente humanitate compaterer infelici. Item T. Tatius maledicenti sibi Metello, facile, inquit, est in

† al. nutriunt.

† al. fidelium.

A me dicere, cum nec sim responsurus. Quid Xenophon? Tu, inquit cuidam, maledicere didicisti, & ego conscientia teste didici maledicta contemnere. Sed & Diogenes, cum ei nunciasset amicus, te amici cuncti vituperant, oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri, esse enim meliorem indicat mala lingua quem carpit. Quid Plato? totius philosophiæ robur, patientia est. Cum & Socrates non modo verbo neget sapientem posse offendi, sed aduersus omnem fortunam robore virtutis suæ manere immobilem. Et ne Philosophis solis patientiam sic placuisse credas, ipsorum Imperatorum ad eam publicandam exempla concurrunt. In Græcia quis maior aut clarior Alexandro? Ei Antigonus pædagogus citharam fregit, abiecitque dicens: Ætati tuæ iam iam regnare conuenit, pudeatque in corpore regni voluptatem luxuriæ dominari. Quod & ille patientissime tulit, licet plerumque impatientissimus fuerit, & parrem sibi sicut virtute, ita vitiis superaret. Eidem quoque eleganter & vere comprehen-
B sus pirata scribitur respondisse; cum enim Alexander interrogaret, quid ei videretur quod mare haberet infestum, ille libera contumacia, quid tibi inquit, vt tu orbem terrarum? Sed quia id ego vno nauigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, diceris imperator. Si solus & captus sit Alexander, latro erit. Si ad nutum Dionidi populi famulentur: erit Dionides Imperator. Nam quo ad causam non differunt, nisi quia deterior est qui rapit improbius, qui iustitiam abiectius deserit, qui manifestius impugnat leges. Quas enim ego fugio, tu persequeris, ego vtcunque veneror, tu contemnis. Me fortunæ iniquitas, & rei familiaris angustia, te fastus intolerabilis, & inexplebilis auaritia, furem facit. Si fortuna mansuesceret, fierem forte melior. At tu quo fortunatior, nequior eris. Miratus Alexander constantiam hominis eum merito arguentis: Experiar, inquit, an futurus sis melior, fortunamque mutabo, vt non ei à modo quod deliqueris, sed tuis moribus adscribatur. Eum itaque iussit conscribi militiæ, vt pos-
C sit exinde saluis legibus militare. Sed ne à solis Græcis mutuemur instrumenta virtutum. Scipio Africanus, cum eum parum pugnacem quidam arguerent: Imperatorem, inquit, me mater peperit, non bellatorem. Marius quoque cum eum Teutonus quidam ad pugnæ certamen prouocaret, respondit, si cupidus mortis esset, se vitam laqueo posse finisse, & sapientem non tam pugnam quam victoriam quærere. Primus Romanorum Imperator Iulius Cæsar quam patientissime multa sustinuit. Cum enim caluitium iniquissime ferret, & deficientem capillum à ceruice conuocaret ad frontem, ab irato milite ei dictum est, Facilius est Cæsar te caluum non esse, quam me in exercitu Romano quicquam egisse, vel acturum esse timidius. Item lato clauo vsque ad manus fimbriato vtens, laxius cingebatur. Vnde Sylla optimates sæpius admonens dicebat, vt puerum male præcinctum cauerent. Præterea margaritarum cupidissimus erat, quas pondus earum interdum manu conferens discernebat. Cum ergo Cæcilio inui-
D to, rem vt faceret Senatus autoritate denunciasset, vt ei videbatur iniustam, ante, inquit, satiebaris margaritis. At hæc forte aut aliena videbuntur, & quæ viri fortis animus honestius dissimularet. Verum & famosi libelli de eo scripti sunt, & iocularia carmina in eum publice diuulgata, vt est illud militum in triumpho Gallico celebratum,

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem,
Nicomedes non triumphat qui subegit Cæsarem.

Eo quod Nicomedes Rex Bithyniæ Cæsarem ferebatur stupro subegisse, in vlteriorem familiaritatem dum iunior esset admissum. Facilitatem quoque Cæsaris in † augendo Senatu Cicero nimis acriter & palam irrisit. Nam cum ab hospite suo P. Manlio rogaretur, vt priuigno suo decurionatum expediret, ait assistente frequentia, Romæ si ius habebit Pompeius difficile est. Sed & in Epistola ad C. Cassium violatorem Dictatoris mordacius scripsit. Vellem Idibus Martiis me ad cœnam

† al. al- log ndo.

E inuitasses, profecto reliquiarum nihil fuisset, nunc me reliquiæ vestræ exercent. Sed Augustus fortunæ fauor, & Romani decus Imperij, auunculo suo Iulio longe patientior extitit. Cum enim Antonius maternam eius originem despiciens, eum Afrum genere, & natura panificum diceret, hoc ridens pertulit, & eundem sorore tradita in affinitatis gratiam admisit. Cum vero idem aduersus priuatum quendam grauius excandesceret, loquere inquit Auguste quod placet, quia diligentiam auribus, linguæ taciturnitatem indixi, quietem manibus, & in omnibus his potentiam tuam accusa, quia nihil aliud argui potest in patientia mea. Ad hæc non modo in se seruabat patientiam, sed eandem aliis indicebat. Vnde cum Tiberius quereretur per epistolam suam, quod multi de illo perperam loquerentur, ita rescripsit. Mi Tiberi, noli nimis indignari, quemquam esse qui te de male loquatur. Satis est enim si hoc habemus, nequis nobis malefacere possit. Idem tanta comitate quoslibet se adeuntes excipiebat, vt quendam Ro-
F manum ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere vereretur, quasi elephanto stipem. Et quantum Nero adulationibus captus est, tantum iste ab eis auersus est. Vnde appellationem Domini vt maledictum & opprobrium semper exhorruit. Denique cum eidem descendenti per sacram viam, desperatus quidam diceret, ô tyranne, si essem, inquit, non diceres. Obseruatum etenim est, quoties ingrediebatur vrbem, ne supplicium de quoquam sumeretur. Curtius eques Romanus delitiis affluens, cum macrum turdum sumpsisset in conuiuio Cæsaris, interrogauit an mittere liceret, respondit princeps, quidni liceat? Ille statim per fenestram misit. Miles peritus aucupij, noctuam, quæ Cæsaris noctes inquietauerat, spe ingentis præmij captam tulit ad Cæsarem. Laudato Imperator mille nummos dari iussit: At ille ausus est dicere, malo viuat, auemque dimisit. Abiitque contumax miles non sine admiratione multorum, Cæsare non offenso. Veteranus cum sibi die dicto periclitaretur, Cæsarem rogauit
G in publico vt adesset: Ille præstantissimum aduocatum, quem elegerat, sine mora dedit, commendauitque ei litigatorem. Veteranus autem exclamauit voce magna; At non ego Cæsar periclitante te bello Actiaco, vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, detexitque impressas cicatrices. Erubuit Cæsar, venitque in aduocationem, vt qui vereretur non superbus tantum, sed etiam ingratus videri. Intrauerat vrbem adolescens simillimus Cæsari, perductumque ad Cæsarem interrogauit Augustus, Dic mihi adolescens, fuit vnquam mater tua Romæ? Negauit ille, nec contentus adiecit, sed pater meus sæpe. Ioci itaque asperitate vrbana notitiam omnium, & familiaritatem Imperatoris sibi conciliauit. Augustus in Pollionem scripserat fescenninos. At ego, inquit Pollio, taceo. Non est leue in eum scribere qui potest proscribere. Sicut autem non facile concipiebat iram, ita nec facile admittebat ad amicitiam; & quem semel admiserat, constantissime retinebat. Ei-
H dem inter varia dedecora à quodam probrosè obiectum est, quod adoptionem auunculi stupro meruerit, quia cum Iulius arctius admisisse dictus est, non sine rumore prostratæ pudicitiæ. Alius quoque eidem iratus obiecit quod solitus esset crura ardenti face suburere, quo mollior surgeret pilus. Sed & eo tympanizante, vt in primo libro dixisse me memini, Vides ne, inquit plebeius quidam, vt cinædus orbem digito temperat? Et cum † gnauus ob corporis breuitatem conuitiantis cuiusdam impetu diceretur, sibi calceamentis grandiusculis vtendum esse respondit. Tiberius quoque cum in multis legatui fuisse culpabilis, tamen aduersus conuitia satis firmus ac patiens extitit, dicens: quia in ciuitate libera, linguas liberas esse, & mentes hominum oportebat. Et vt ad peiores transeam, Domitianus verborum satis patiens fuit, in quo sic lusisse fertur orator Licinius. Non esse mirandum, quod æneam haberet barbam, cui os ferreum, cor plumbeum esset, eo quod dura duntaxat loquebatur, quæ ex iniquitatis

† al. na- nus.

adipe,

adipe, quam corde conceperat, procedebant. Iniquitas enim sedere describitur super talentum plumbi. Vespasianus quoque, de quo in libro secundo, dum Hierosolymorum destructio describeretur, fecimus mentionem, etiam infirmorum conuitia patienter tulit; adeo vt sene bubulco proclamante in improperium eius, vulpem pilum posse mutare non animum, eo quod natura cupidissimus esset pecuniæ, nec auaritiam minueret processus ætatis, respondisse dicatur, Huiusmodi hominibus debemus risum, nobis correctionem, sed pœnam criminosis. Nam de Tito filius eius quid dicam? qui patris auaritiam tanta liberalitate purgauit, vt amor & deliciæ humani generis ab omnibus diceretur, constantissime tenens in moribus, ne quem postulandi gratia ad se accedentem, sine re vel spe, quocunque modo dimitteret. Vnde interrogantibus domesticis, cur plura polliceretur, quam præstare posset, respondit; non oportet quemquam à sermone principis tristem discedere. Idem quoque recordatus super cœnam, quod nihil tota die cuiquam præstitisset, dolens & gemens dixit: O amici, hunc diem perdidi. Quem in vita offenderit, à Hierosolymorum reuersus excidio, nondum legi, & forte illum vindicem innocentiæ, & crucifixi Redemptoris, elegit Dominus, qui populum excæcatum incolumi conscientia non modo innocentes, sed & religiose deprimeret & deleret. Nactus etenim horam, qua moriendum erat, cum lectica veheretur, suspexisse dicitur cœlum, multumque conquestus est, eripi sibi vitam immerenti. Neque enim extare vllum factum suum, quod sibi pœnitendum esset excepto vno dumtaxat. Id quale fuerit, nec ipse tunc prodidit, neque cuiquam notum fuit. Quid de patientia huius loquar, cuius tanta benignitas erat, vt sua iniuria, dum à conciuibus abstineret, vix crederet quemquam posse moueri. Tantæ siquidem ciuilitatis & humanitatis in imperio fuit, vt omnibus prodesse, nullumque punire studuerit; conuictos coniurationis contra se dimisit illæsos, & in pristinam familiaritatem admisit. Sed & Domitianus, qui grauissimam Theomachiam exercuit post Neronem, huius virtutis aliquid plerumque indulsit ciuibus, licet in eos gratis quandoque insaniret, homo quidem vsquequaque inutilis, & qui nihil aliud habebat virile, nisi nomen Imperij. Vt tamen ignauiam mentis & inertiam corporis, sub prætextu principatus occuleret, quotidie sibi secretum horarum spatium vendicabat, nec quicquam interdum facere consueuerat, nisi captare muscas, & easdem stilo præacuto configere, vt quidam interroganti, nequis intus esset cum Cæsare, non absurde sibi responsum sit à Metello: Nec musca quidem. Quod licet impiissimo Principi innotuerit, dissimulare maluit quam punire. Sed cur patientiæ exempla propono, cum omnibus liqueat nihil firmum esse & stabile, quod leui flatus aura concutitur? Quis virum fortem credat, quem verborum mouet impulsus, & ei quietem excutit, & virtutum compage dirupta, ipsius animæ sanguinem elicit? Vnde & publico iure statutum est, ne pro verbis friuolis, quisquam seueritate pœnarum inuratur. Ait enim Imperator, Diuorum Theodosij, Arcadij, & Honorij statuta confirmans, Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto, nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbolentus obtrectator temporum † fuerit, eum pœnæ nolumus subiogari, neque durum aliquid, neque asperum sustinere: quoniam si ex leuitate processit, contemnendum est, si ab insania, miseratione dignissimum; si ex iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant censeamus. Ex quibus colligitur, dictis hominum non moueri eum, qui aut virtutis amator est, aut iuris constitutioni obtemperans.

† al. temporum nostrorum.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit; & admissus circum præcordia ludit.

Familiare siquidem sapienti est, vt magno placet Augustino, potius à quolibet reprehendi, quam siue ab errante, siue ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. Si inimicus insultat, ferendus est; Amicus autem si errat, docendus; si docet audiendus. Laudator vero & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. Ait ergo Rex fidelis, electus in beneplacito Domini, relinquens, si sapiunt, Regibus, & Principibus, iustitiæ, humilitatis exemplum, & fortitudinis. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Consonat ei Ethnicus, dicens,

Falsus honor iuuat aut mendax infamia terret,

quem? nisi mendosum & mendacem.

Cap. XV.

Quod ei duntaxat licet adulari quem licet occidere, & quod tyrannus publicus hostis est.

VEruntamen cui debetur hoc oleum peccatoris, quod reprobat præambulus regum fidelium, & ad quod emendum, in fatuitate sua exclusas virgines, mittit Euangelicus sermo? Ei vtique qui in sordibus est, & iusto Dei iudicio sordescit amplius, & vulgi opinione potius splendere appetit, quam charitatis, operumque eius feruere incendio. Vnde & in sæcularibus litteris cautum est, quia aliter cum amico, aliter viuendum est cum tyranno. Amico vtique adulari non licet, sed aures tyranni mulcere licitum est. Ei namque licet adulari, quem licet occidere. Porro tyrannum occidere non modo licitum est, sed æquum & iustum. Qui enim gladium accipit, gladio dignus est interire. Sed accipere intelligitur, qui eum propria temeritate vsurpat, non qui vtendi eo à Domino accipit potestatem. Vtique qui à Deo potestatem accipit, legibus seruit, & iustitiæ & iuris famulus est. Qui vero eam vsurpat, iura deprimit, & voluntati suæ leges submittit. In eum ergo merito armantur iura, qui leges exarmat, & publica potestas sæuit in eum, qui euacuare nititur publicam manum. Et cum multa sint crimina maiestatis, nullum grauius est eo, quod aduersus ipsum corpus iustitiæ exercetur. Tyrannis ergo non modo publicum crimen, sed si fieri posset, plusquam publicum est. Si enim crimen maiestatis omnes persecutores admittit, quanto magis illud, quod leges premit, quæ ipsis debent Imperatoribus imperare? Certe hostem publicum nemo vlciscitur, & quisquis eum non prosequitur, in seipsum, & in totum reipublicæ mundanæ corpus delinquit.

LIBER QVARTVS.

POLICRATICI IOANNIS Saresberiensis.

PROLOGVS.

ARdua quidem res est, professio veritatis, & quæ incursantibus errorum tenebris, aut negligentia profitentis frequentissime vitiatur. Quid enim verum sit, quid recte examinat rebus incognitis? Notitia autem rerum, eo quod vias non dirigit contemptoris, iustitia aculeos exacerbat in pœnam delinquentis. Est ergo primus philosophandi gradus, genera rerum, proprietatesque discutere, vt quid in singulis verum sit, prudenter agnoscat: Secundus, vt quisque id veritatis, quod ei illuxerit, fideliter assequatur. Hac autem philosophantium strata, illi soli peruia est, qui de regno vanitatis proclamat in libertatem, qua liberi fiunt, quos veritas liberauit, & spiritui seruientes, colla iugo iniquitatis & iniustitiæ subduxerunt. Vbi enim spiritus Dei, ibi libertas

A al. veritatem. *metusque seruilis, vitiisque consentiens, exterminator Spiritus sancti est. Porro Spiritus est, qui loquitur † æquitatem, in conspectu principum non erubescit, & pauperes spiritu regibus anteponit, aut æquat, & quos sibi fecit cohærere, docet scire loqui, & facere veritatem. Qui vero veritatem non vult audire vel loqui, à spiritu veritatis alienus est. Sed hæc hactenus. Nunc in quo tyrannus distat à principe audiamus.*

Cap. I.

De differentia Principis & Tyranni, & quid sit Princeps.

Est ergo tyranni & principis hæc differentia sola, quod hic legi obtemperat, & eius arbitrio populum regit, cuius se credit ministrum, & in Reipublicæ B muneribus exercendis, & oneribus subeundis, legis beneficio sibi primum vendicat locum, in eoque præfertur cæteris, quod cum singuli teneantur ad singula, principi onera imminent vniuersa. Vnde merito in eum omnium subditorum potestas confertur, vt in vtilitate singulorum & omnium exquirenda & facienda sibi ipse sufficiat, & humanæ Reipublicæ status optime disponatur, dum sunt alterius membra. In quo quidem optimam viuendi ducem naturam sequimur, quæ *microcosmi* sui, id est, mundi minoris, hominis scilicet, sensus vniuersos in capite collocauit, & ei sic vniuersa membra subiecit, vt omnia recte moueantur, dum sani capitis sequuntur arbitrium. Tot ergo & tantis priuilegiis apex principalis extollitur, & splendescit, quot & quanta sibi ipsi necessaria credidit. Recte quidem, quia populo nihil vtilius est, quam vt principis necessitas expleatur: quippe cum nec voluntas eius, iustitiæ inuenatur aduersa. Est ergo, vt eum plerique definiunt, princeps potestas publica, & in terris quædam diuinæ C maiestatis imago. Proculdubio magnum quid diuinæ virtutis, declaratur inesse principibus, dum homines nutibus eorum colla submittunt, & securi plerumque feriendas præbent ceruices, & impulsu diuino quisque timet, quibus ipse timori est. Quod fieri posse non arbitror, nisi nutu faciente diuino. Omnis enim potestas à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. Quod igitur princeps potest, ita à Deo est, vt potestas à Domino non recedat, sed ea vtitur per suppositam manum, in omnibus doctrinam faciens clementiæ, aut iustitiæ suæ. Qui ergo resistit potestati, Dei ordinationi resistit, penes quem est autoritas conferendi eam, & cum vult, auferendi, & minuendi eam. Neque enim potentis est, cum vult sæuire in subditos, sed diuinæ dispensationis pro beneplacito suo punire, vel † exercere subiectos. (al. *arcere.*) Vnde & in persecutione Hunnorum, Attila interrogatus à religioso cuiusdam ciuitatis Episcopo, quis esset; cum respondisset; Ego sum Attila flagellum Dei, veneratus in eo scribitur diui- D nam maiestatem Episcopus; Bene, inquit, venerit minister Dei: & illud, Benedictus qui venit in nomine Domini, ingeminans, reseratis Ecclesiæ foribus, persecutorem admisit, per quem & assecutus est martyrij palmam. Flagellum enim Domini excludere non audebat, sciens quia dilectus filius flagellatur, & nec ipsius flagelli esse nisi à Domino potestatem. Si itaque adeo venerabilis est bonis potestas, etiam in plaga electorum, quis eam non veneretur, quæ à Domino instituta est, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, & legibus deuotione promptissima famulatur? Digna siquidem vox est, vt ait Imperator, maiestate regnantis, se legibus alligatum principem profiteri. Quia de iuris autoritate, principis pendet autoritas, & reuera maius imperio est, submittere legibus principatum; vt nihil sibi princeps licere opinetur, quod à iustitiæ æquitate discordet.

Cap. II.

Quid lex; & quod Princeps, licet sit legis nexibus absolutus, legis tamen seruus est & æquitatis, geritque personam publicam, & innocenter sanguinem fundit.

Nec in eo sibi Principes detrahi arbitrentur, vbi iustitiæ suæ statuta præferenda crediderint iustitiæ Dei, cuius iustitia, iustitia in æternum est, & lex eius æquitas. Porro æquitas, vt Iuris periti asserunt, rerum conuenientia est, quæ cuncta coæquiparat ratione, & in paribus rebus paria iura desiderat, in omnes æquabilis, tribuens vnicuique quod suum est. Lex vero eius interpres est, vtpote cui æquitatis & iustitiæ voluntas innotuit. Vnde & eam omnium rerum diuinarum, & F humanarum, compotem esse Chrysippus asseruit: Ideoque præstare omnibus bonis & malis, & tam rerum quam hominum, principem & ducem esse. Cui Papinianus, vir quidem iuris experientissimus, & Demosthenes, orator præpotens, videntur suffragari, & omnium hominum subiicere obedientiam, eo quod lex omnis inuentio quidem est, & donum Dei, dogma sapientum, correctio voluntariorum excessuum, ciuitatis compositio, & totius criminis fuga; secundum quam decet viuere omnes, qui in politicæ rei vniuersitate versantur. Omnes itaque legis necessitate seruandæ tenentur adstricti, nisi forte aliquis sit, cui iniquitatis licentia videatur indulta. Princeps tamen legis nexibus dicitur absolutus, non quia ei iniqua liceant, sed quia is esse debet, qui non timore pœnæ, sed amore iustitiæ æquitatem colat, Reipublicæ procuret vtilitatem, & in omnibus aliorum commoda priuatæ præferat voluntati. Sed quis in negotiis publicis loquetur de principis voluntate, cum in eis nihil sibi velle liceat, nisi quod lex aut æquitas persuadet, aut ratio communis vtilita- G tis inducit? Eius namque voluntas in his vim debet habere iudicij: & rectissime quod ei placet in talibus legis habet vigorem, eo quod ab æquitatis mente eius sententia non discordet. De vultu tuo, inquit, iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Iudex etenim incorruptus est, cuius sententia ex contemplatione assidua, imago est æquitatis. Publicæ ergo vtilitatis minister, & æquitatis seruus est princeps, & in eo personam publicam gerit, quod omnium iniurias & damna, sed & crimina omnia æquitate media punit. Virga quoque eius & baculus, adhibita moderatione sapientiæ, contractus omnium & errores ad viam reducit æquitatis, vt merito potestati spiritus congratuletur, dicens, Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Sed & clypeus eius fortis quidem, sed infirmorum clypeus est, & qui malignantium iacula pro innocentibus potenter excipit. Officium quoque eius illis qui minimum possunt, plurimum prodest, & illis qui H nocere desiderant, plurimum aduersatur. Non ergo sine causa gladium portat, quo innocenter sanguinem fundit, vt tamen vir sanguinum non sit, & homines frequenter occidat, vt non incurrat nomen homicidij vel reatum. Si enim magno creditur Augustino, Dauid vir sanguinum dictus est, non propter bella, sed propter Vriam. Et Samuel nusquam vir sanguinum, aut homicida scribitur, licet Agag pinguissimum regem Amalech interfecerit. Hic siquidem gladius est columbæ, quæ si sine felle rixatur, sine iracundia ferit, & cum dimicat nullam omnino concipit amaritudinem. Nam sicut lex culpas persequitur sine odio personarum, ita & princeps delinquentes rectissime punit, non aliquo iracundiæ motu, sed mansuetæ legis arbitrio. Nam etsi suos princeps † videatur habere lictores, ipse aut solus, († al. *fundatur.*) aut præcipuus credendus est lictor, cui ferire licitum est, per suppositam manum. Vt enim ad Stoicos transeamus, qui causas nominum diligentius inuestigant; Lictor dicitur, quasi legis ictor, eo quod ad ipsius spectat

officium

A officium ferire, quem lex indicat feriendum. Vnde & antiqoitus ab Officialibus, quorum manu iudex nocentes punit, cum reo gladius immineret, obtempera legis arbitrio dicebatur, vel legem imple, vt rei tristitiam mitigaret vel mansuetudo verborum.

Cap. III.

Quod princeps minister est sacerdotum, & minor eis, & quid sit ministerium principatus fideliter gerere.

HVnc ergo gladium de manu Ecclesiæ accipit princeps, cum ipsa tamen gladium sanguinis omnino non habeat. Habet tamen & istum, sed eo vtitur per principis manum, cui coërcendorum corporum contulit potestatem, spiritualium sibi in pontificibus autoritate reseruata. Est ergo princeps sacerdotij quidem B minister, & qui sacrorum officiorum illam partem exercet, quæ sacerdotij manibus videtur indigna. Sacratum namque legum omne officium religiosum & pium est, illud tamen inferius, quod in pœnis criminum exercetur, & quandam carnificij repræsentare videtur imaginem. Vnde & Constantinus Romanorum fidelissimus Imperator, cum sacerdotum concilium Nicеam conuocasset, nec primum locum tenere ausus est, nec se presbyterorum immiscere consessibus, sed sedem nouissimam occupauit. Sententias vero quas ab eis approbatas audiuit, ita veneratus est, ac si eas de diuinæ maiestatis sensisset emanasse iudicio. Sed & libellos inscriptionum, quos adinuicem conceptos, sacerdotum crimina continentes, Imperatori porrexerant, suscepit quidem, clausosque reposuit in sinu suo. Cum autem eosdem ad charitatem & concordiam reuocasset, dixit sibi tanquam homini, & qui iudicio subiaceret sacerdotum, illicitum esse Deorum examinare causas, qui non possunt nisi à solo Deo iudicari. Libellosque quos receperat non inspectos, dedit in- C cendio, patrum veritus crimina vel conuitia publicare, & Cham reprobi filij maledictionem incurrere, qui patris verenda non texit. Vnde & in scriptis Nicolai Romani Pontificis idem dixisse narratur: Vere si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui monachico habitu circum amicti sunt, peccantem, chlamydem meam explicarem, & cooperirem eum, ne ab aliqoo videretur. Sed & Theodosius magnus Imperator, ob meritam noxam, non tamen eatenus grauem, à sacerdote Mediolanensi à regalium vsu & insignibus imperij suspensus est, & indictam sibi pœnitentiam homicidij patienter & solenniter egit. Profecto vt doctoris gentium testimonio vtar, maior est qui benedicit, quam qui benedicitur, & penes quem est conferendæ dignitatis autoritas, cum cui dignitas ipsa confertur, honoris priuilegio antecedit. Porro de ratione iuris, eius est nolle, cuius est velle, & eius est auferre, qui de iure conferre potest. Nonne Samuël in Saülem ex causa inobedien- D tiæ depositionis sententiam tulit, & ei in regni apicem humilem filium Isaï subrogauit? Si vero constitutus princeps susceptum ministerium fideliter gesserit, tantus ei honor exhibendus est, & reuerentia tanta, quantum caput omnibus membris corporis antecellit. Gerit autem ministerium fideliter, cum suæ conditionis memor, vniuersitatis subiectorum se personam gerere recordatur, & se non sibi suam vitam, sed aliis debere cognoscit, & eam illis ordinata charitate distribuit. Totum ergo se Deo debet, plurimum suæ patriæ, multum parentibus, propinquis, extraneis minimum, nonnihil tamen. Sapientibus ergo & insipientibus debitor est, pusillis & maioribus. Quæ quidem inspectio communis est omnium prælatorum, & eorum qui spiritualium curam gerunt, & qui sæcularem iurisdictionem exercent. Vnde & Melchisedech, quem primum scriptura regem introducit & sacerdotem, vt ad præsens mysterium taceatur, quo præfigurat Christum, qui in cœlis sine matre, & in terris sine patre natus est: ille, E inquam, nec Patrem nec Matrem legitur habuisse, non quod vtroque caruerit, sed quia regnum & sacerdotium de ratione non pariant caro & sanguis, cum in alterutro creando patrum respectus citra virtutum merita præualere non debeat, sed salubria subiectorum fidelium vota; & cum alterutrius culminis apicem quisque conscenderit, obliuisci debet affectum carnis, & id solum agere quod subiectorum salus exposcit. Subiectis itaque pater sit & maritus, aut si teneriorem nouerit affectionem, vtatur ea: amari magis studeat, quam timeri, & se talem illis exhibeat, vt vitam eius ex deuotione præferant suæ, & incolumitatem illius, quandam publicam reputent vitam; & ei tunc omnia recte procedent, & pauco stipatus obsequio præualebit, si opus est, aduersus innumerabiles. Fortis etenim est vt mors dilectio; & cuneus, quem funiculi amoris constringunt, non facile rumpitur. Dorenses cum Atheniensibus pugnaturi de euentu prælij oracula consuluerunt. Respon- F sum est superiores fore, nisi Regem Atheniensium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia Regis custodia præcipitur. Atheniensibus eo tempore Rex Codrus erat. Qui responso Dei, & præceptis hostium cognitis, mutato Regis habitu, sarmenta collo gerens, in castra hostium ingreditur. In turba obsistentium, à milite quem falce percusserat, interficitur. Cognito Regis corpore, Dorenses sine prælio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis pro salute patriæ, morti se offerentis, bello liberantur. Item Lycurgus in Regno suo decreta constituens, populum in obsequia principum, principes ad iustitiam impiorum firmauit: Auri argentique vsum, & omnium scelerum materiam sustulit: Senatui custodiam legum, populo sublegendi senatum potestatem dedit. Statuit virginem sine dote nubere, vt vxores eligerentur, non pecunia. Maximum honorem pro gradu ætatis senum esse voluit; nec sane vsquam terræ locum honoratiorem senectus habet. G Deinde vt æternitatem suis legibus daret, iureiurando obligat ciuitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos, antequam reuerteretur. Proficiscitur autem Cretam, ibi perpetuum exilium egit, abiicique moriens ossa sua in mare iussit, ne relatis Lacedæmonem solutos se religione iurisiurandi in dissoluendis legibus arbitrarentur. His quidem exemplis eo libentius vtor, quod Apostolum Paulum eidem vsum dum Atheniensibus prædicaret, inuenio. Studuit prædicator egregius Iesvm Christvm, & hunc Crucifixum, sic mentibus eorum ingerere, vt per ignominiam crucis, liberationem multorum, exemplo gentilium prouenisse, doceret. Sed & ista persuasit fieri non solere nisi in sanguine iustorum, & eorum qui populi gererent magistratum. Porro ad liberationem omnium, scilicet Iudæorum & gentium, nemo sufficiens potuit inueniri, nisi ille cui in hereditatem datæ sunt gentes, & præfinita est omnis terra possessio eorum. Hunc autem alium esse non posse, quam filium omnipotentis Dei asseruit, cum præter Deum gentes, & terras omnes, nemo subegerit: Dum H ergo sic crucis ignominiam prædicaret, vt gentium paulatim euacuaretur stultitia, sensim ad Dei verbum, Deique sapientiam, & ipsum etiam diuinæ maiestatis solium, verbum fidei, & linguam prædicatoris † erexit. (al. euocauit.) Et ne virtus Euangelij sub carnis infirmitate vilesceret à scandalo Iudæorum, gentiumque stultitia, opera crucifixi, quæ etiam famæ testimonio roborantur, exposuit; cum apud omnes constaret, quod ea non posset facere, nisi Deus. Sed quia multa in vtramque partem crebro fama mentitur, ipsam iuuabat famam, quod discipuli eius maiora faciebant, dum ad vmbram discipuli, à quacunque infirmitate sanabantur ægroti. Quid multa? Astutias Aristotelis, Chrysippi acumina, omniumque Philosophorum tendiculas resurgens mortuus confutabat. Decios duces Romanorum, se pro suis exercitibus deuouisse percelebre est. Iulius quoque Cæsar, dux, inquit, qui non labora vt militibus charus sit, militem nescit amare. Nescit

A humanitatem ducis, in exercitu aduersus hostes esse. Idem, nunquam dixit militibus ite huc, sed venite. Dicebat enim quia participatus cum duce labor videtur militibus minor. Prætetea voluptas corporis, eodem autore vitanda est. Aiebat enim in bello corpora hominum gladiis, in pace voluptatibus vulnerari. Senserat enim gentium triumphator, voluptatem nullo modò tam facile superari, quam fuga, eo quod ipsum, qui gentes docuerat, Veneris nexibus innodauit mulier impudica.

Cap. IV.

Diuinæ legis autoritate constat principem legi iustitiæ esse subiectum.

SEd quid ad emendicata gentium exempla decurro, quæ tamen plurima sunt, cum rectius quisque B posuit ad facienda legibus, quam exemplis vrgeri? At ne ipsum Principem vsquequaque solutum legibus opineris, audi quam legem imponat Principibus rex magnus super omnem terram terribilis, & qui aufert spiritum Principum: Cum, inquit, ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & possederis eam, habitaueris que in illa, & dixeris, constituam super me Regem sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus: præsertim cum Dominus præcepit nobis, vt nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas, quæ † afficiant animam eius, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Le- C uiticæ tribus, & habebit secum legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cerimonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tempore regnet, ipse & filius eius super Israël. Nunquid quæso vlla lege arctatur, quem lex ista constringit? Hæc vtique diuina est & impune solui non potest. Singula verba eius si sapiant in auribus principum, tonitrua sunt. Taceo de electione eius, & forma, quæ in Principis creatione exigitur. Viuendi formulam quæ ei præscripta est, mecum paulisper attende. Cum, inquit, fuerit constitutus, qui se totius populi fratrem religionis cultu, & affectu charitatis profiteatur, non multiplicabit sibi equos, quorum numerositate sit subditis onerosus. Equos quidem multiplicare, est plures quam ipsa necessitas exigat, vanæ gloriæ causa, vel erroris alterius congregare. Multum enim & parum, si Peripateticorum principem sequimur, le- D gitimæ quantitatis diminutionem in singulis rerum generibus significant, vel excessum. Licebit ne ergo canes multiplicare, volucresue rapaces, aut truces bestias, aut quælibet portenta naturæ, cui equorum qui ad militiam necessarij sunt & vsum totius vitæ, ex legitima quantitate præfinitus est numerus? Nam de histrionibus & mimis, scurris & meretricibus, lenonibus, & huiusmodi prodigiis hominum, quæ principem potius oportet exterminare, quam fouere, non fuerat in lege mentio facienda; quæ quidem omnes abominationes istas, non modo principis aula excludit, sed eliminat à populo Dei. Equorum nomine, totius familiæ & impedimentorum omnium, necessarius intelligitur vsus. Cuius legitima quantitas est, quam ratio necessitatis, aut vtilitatis exposcit. Ita tamen vt vtile & honestum coæquentur, & ciuilitas conscribatur honestis. Philosophis enim iam pridem placuit, perniciosiorem nullam esse opinionem, illorum opinione qui vtile separant ab honesto; & scientiam verissimam & vtilissi- E mam esse, honestum & vtile in se vsquequaque conuerti. Plato, vt ferunt historiæ gentium, cum vidisset Dionysium Siciliæ tyrannum, corporis sui septum custodibus, Quod tantum, inquit, malum fecisti, vt à tam multis necesse habeas custodiri? Hoc vtique principem non oportet, qui officiis ita sibi omnium vincit affectus, vt quisque subditus, pro eo periculis imminentibus caput opponat. Cum etiam vrgente natura, se pro capite soleant membra exponere, & pellem pro pelle, & cuncta quæ homo habet, ponat pro anima sua. Sequitur: Nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus. Magna siquidem diligentia præcauendum est omni, qui in sublimitate constituitur, ne inferiores corrumpat exemplis, & abusione rerum, & per superbiæ aut luxuriæ viam ad confusionis tenebras reducat populum. Frequens enim est vt subditi superiorum vitia imitentur, quia magistratui populus studet esse conformis & vnusque libenter appetit, in quo alium cernit illustrem. Celebre est illud versificatoris egregij, sen- F sum & verba magni Theodosij experimentis,

In commune iubes si quid censesque tenendum,
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Autorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis,
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Verum singulorum facultates nequaquam omnium copiis adæquantur. De loculis propriis quilibet sumit, at potestas de arca publica vel † ciuilia haurit: quæ si forte defecerit, ad singulorum recurritur facultates. Atqui priuatum quemque suis necesse est esse contentum. Quæ si fuerint extenuata qui nunc potentis appetebat fulgorem, paupertate sordidus confusionis suæ tenebras erubescit. Inde etiam Lacedæmoniorum decreto, potestatibus in vsu publicorum bo- G norum parcitas indicta est, dum tamen hæreditariis vti, & his quæ pinguiori fortuna accedunt, communi iure liceat.

† al. alliciant animum eius

† al. ciuilia. f. similia.

Cap. V.

Quod principem castum esse oporteat; & auaritiam declinare.

ADdicit lex: Non habebit vxores plurimas, quæ afficiant animam eius. Licitum quidem fuit quandoque in populo Dei, vt propagandæ sobolis gratia & fidelem populum dilatandi, plures quis sortiretur vxores. In exemplum licentiæ huius occurrunt Patriarchæ, cum Sara vsa sit iure suo, corpore scilicet Abrahæ, in vtero alieno ancillæ ministerio, de viro suscipiens filium, Hismaëlem, Iacob quoque sororum sibi duplicato coniugio, fœcundas earundem ancillas adsciuit. Atqui regis perpetuæ prohibitionis laqueus tenet, & à plurium vxorum amplexibus arcet, & cum H in aliis, plures vnius esse licitum fuerit, in regibus perpetuo obtinet, vt vna vnius sit. Nunquid fornicari, vel adulterari stuprumve committere licet cum pluribus, cum nec etiam generis multiplicandi causa, aut procreandi hæredis, liceat vxoribus admisceri: Quomodo stupra, adulteria, aut quaslibet fornicationes puniet potestas eisdem subiecta criminibus? Nec vxores Dauid quisquam obiiciat, qui forte in hoc, sicut & in multis aliis, speciali priuilegio gaudet. Licet facile concesserim, quod & ipse in hac parte deliquerit. Sane cum affectus ille vxorius, proditione & homicidio in adulterium impegit, nec in illius excusatione laboro, qui prophetica conuentus & conuictus parabola, seipsum virum mortis esse respondit. Habes itaque regem, cum regibus delinquentem, & vtinam cum pœnitente pœniteant, & fateantur cum confitente culpam, & satisfacientes cum satisfaciente reuer-

tantur

A cantur ad vitam ipsam quoque sapientiam Salomonis mulierum infatuauit amor. Sequitur: Nec habebit argenti & auri immensa pondera. Eant nunc, & Domino prohibente, argentum sibi & aurum thesaurizent, facientes ex calumnia quæstum, de paupertatibus aliorum abundantiam quærant, de rapinis diuitias, & singularem sibi beatitudinem statuant in calamitate multorum. Sed copiam Salomonis obiicit aliquis. Esto, principem locupletem fieri non prohibeo, sed auarum. Nonne aurum & argentum Salomonis tempore viluerunt. Non vtique viluissent, si eorum immensa pondera, & quæ vsum excederent, sibi rex cupidus congessisset. Poruerat ea in terram defodiens, quo cariora fierent, humanis vsibus subtraxisse. Apud Petronium Trimalchio refert, fabrum fuisse, qui vitrea vasa faceret tenacitatis tantæ, vt non magis, quam aurea vel argentea frangerentur. Cum ergo phialam huiusmodi de vitro purissimo, & solo, vt putabat, dignam Cæsare, fabricasset, cum munere suo Cæsarem adiens, admissus
B est. Laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata est deuotio donantis. Faber vero vt admirationem intuentium verteret in stuporem & sibi plenius gratiam conciliaret imperatoris, petitam de manu Cæsaris phialam recepit, eamque validius proiecit in pauimentum tanto impetu, vt nec solidissima & constantissima æris materia maneret illæsa. Cæsar autem ad hæc non magis stupuit, quam expauit. At ille de terra sustulit phialam, quæ quidem non fracta erat, sed collisa, ac si æris substantia, vitri speciem induisset. Deinde † martiolum de sinu proferens, vitrum correxit aptissime, & tanquam collisum vas æneum crebris ictibus reparauit. Quo facto se cœlum Iouis tenere arbitratus est, eo quod familiaritatem Cæsaris, & admirationem omnium se promeruisse credebat. Sed secus accidit. Quæsiuit enim Cæsar, an alius sciret hanc condituram vitrorum. Quod cum negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens, quia si hoc artificium innotesceret, aurum & argentum vilescerent,
C quasi lutum. An vera si relatio & fidelis, incertum est, & de facto Cæsaris diuersi diuersa sentiunt. Ego vero sapientiorum non præiudicans intellectui, deuotionem potentis artificis male remuneratam arbitror, & vtiliter humano generi prospectum, cum ars egregia deleta sit, vt fomes auaritiæ, pabulum mortis, contentionum præliorumque causa pecunia, pecuniæque materia seruaretur in pretio, quod sine diligentia hominis fuerat habitura, cum sine se esse non possit, quæ rerum pretium est. Vtique

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias: Pauper vbique iacet.

Longe vtilius quidam omnem materiam iurgiorum, & causam odij, à suis rebuspublicis exterminare studuerunt, vt causa deficiente, effectus malitiæ euanesceret: quale est decretum Lycurgi apud Lacedæmones, & in antiqua Græcia, quæ nunc pars Italiæ est, Samij doctrina Pythagoræ, qui constitutionum suarum robore & virtute, totam traditur seruare Italiam. Vtinam au-
D rum cum argento vilescat, dum sit sola virtus in pretio, & illa quorum vsum, optima dux viuendi natura, commendat. Pauper itaque non iacebit, nec diues solius pecuniæ beneficio honorabitur, dum vnusquisque sui ipsius dote erit in pretio, vel vilescet. Porro quædam a se, quædam ab aliorum opinione habent pretij dignitatem. Panis siquidem, aut victualia, quæ in alimentis, aut indumentis necessariis constant, dictante natura sunt vbique terrarum in pretio. Quæ sensus oblectant, naturaliter omnibus grata sunt. Quid multa? Quæ naturæ sunt, non modo eadem, sed vigent apud omnes. Quæ opinionis arbitrium sequuntur, incerta sunt: & sicut ad placitum sunt, ita & ad placitum euanescunt. Non fuerat ergo timendum Imperatori, ne materia commerciorum deficeret, cum etiam adhuc apud illos venalitium frequens sit, qui pecuniam non nouerunt. Scio equidem, tantæ sapientiæ fuisse Salomonem, vt nunquam timuerit, ne aurum & ar-

† al. marculum.

gentum vilesceret posteris, quorum naturam videbat esse famelicam, & pro parte maxima nihil aliud, quam pecuniam esurire. Vnde per insperatam sapientiam, hanc rubiginem rex contempsit egregius, vel ad contemptum pecuniæ sui ipsius exemplo posteros inuitaret. Præterea regem esse expedit copiosum, ita tamen vt diuitias suas populi reputet. Non habebit ergo diuitias, quas nomine alieno, nec sibi priuata erunt bona fiscalia quæ publica confiterur. Nec mirum, cum nec ipse suus sit, sed subditorum. E

CAP. IV.

Quod debet legem Dei habere præ mente & oculis semper, & peritus esse in literis, & literatorum agi consiliis.

POstquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine. F
Ecce quia princeps non debet esse iuris ignarus, & licet multis priuilegiis gaudeat, nec militiæ prætextu legem Domini permittitur ignorare. Describet ergo Deuteronomium legis, id est, secundam legem in volumine cordis; vt sit lex prima, quam litera ingerit; secunda quam ex ea mysticus intellectus agnoscit. Prima quidem scribi potuit tabulis lapideis; sed secunda non imprimitur, nisi in puriore intelligentia mentis. Et recte in volumine Deuteronomium scribitur, quia sic apud se sensum legis princeps reuoluit, quod ab oculis eius litera non recedit. Et sic quidem insistit literæ vt nequaquam ab intellectus discordet puritate. Litera namque occidit, spiritus autem viuificat & penes ipsum, humani iuris & æquitatis, media interpretatio necessaria & generalis extat. Accipiens, inquit, exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus. Recte quidem. Omnium legum inanis est censura, si non diuinæ legis imaginem gerat; & inutilis est constitutio principis, si non Ecclesiasticæ disciplinæ sit conformis. Quod & Christianissimum non latuit principem, qui legibus suis indixit, ne dedignentur sacros canones imitari. Et G
non modo sacerdotis exemplaria peti præcipit, sed ad Leuiticam tribum, mutuandi gratia, principem mittit. Sic enim legitimi sacerdotes audiendi sunt, vt reprobis & adscendentibus ex aduerso, omnem vir iustus claudat aditum. Sed qui sunt sacerdotes Leuiticæ tribus? Illi vtique quos sine auaritiæ stimulis, sine ambitionis impulsu, sine affectione carnis & sanguinis, lex in Ecclesia introduxit. Non autem lex literæ, quæ mortificat, sed spiritus, quæ in sanctitate mentis, munditia corporis, fidei sinceritate, & operibus caritatis, iustificat. Sicut enim vmbratilis lex, & gerens omnia figuraliter, sacerdotes in singularitate carnis & sanguinis prælegit; sic, postquam cessantibus vmbris veritas patefacta est, & iustitia de cœlo prospexit, quos vitæ commendat meritum, & bonæ opinionis odor, & vnitas fidelium, aut prælatorum diligens prouidentia, in opus ministerij segregauit, spiritus applicat ad Leuiticam tribum, & legitimos instituit sacerdotes. Adicitur: Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus H
vitæ suæ. Attende, quanta debeat esse diligentia principis in lege Domini custodienda, qui eam semper habere, legere præcipitur & reuoluere, sicut rex regum factus ex muliere, factus sub lege, omnem impleuit iustitiam legis, ei non necessitate, sed voluntate subiectus. Quia in lege voluntas eius, & in lege Domini meditatus est die ac nocte. Quod si ille in hac parte non creditur imitandus, qui non regum gloriam, sed fidelium amplexus est paupertatem, & indutus forma serui, reclinatorium capiti non quæsiuit in terris; & interrogatus a iudice, regnum suum de hoc mundo non esse, confessus est, proficiant vel exempla regum illustrium, quorum memoria in benedictione est. Procedant ergo de castris Israël, Dauid, Ezechias, & Iosias, & cæteri, qui in eo sibi regni gloriam constare, credebant, si Dei quærentes gloriam, se & subditos diuinæ legis nexibus

innoda

A innodarent. Et ne illorum remota videantur exempla, & ex eo sequenda minus, quod à lege eorum, & ritu operum, & religionis cultu, & fidei professione, aliquantisper videmur abscedere: licet nobis & illis eadem fides sit, ita tamen, vt quod illi futurum exspectabant, nos ex parte magna gaudeamus & veneremur impletum, abiectis tamen vmbris figurarum ex quo veritas de terra orta est, & in conspectu gentium reuelata. No, inquam, illorum quasi aliena, aut profana contemnantur exempla, Constantinus noster, Theodosius, Iustinianus, & Leo, & alij Christianissimi principes, principem possunt † instruere Christianum. In eo namque præcipuam operam dabant, vt sacratissimæ leges, quæ constringunt omnium vitas, scirentur & tenerentur ab omnibus, nec illarum esset quisquam ignarus, nisi aut publica vtilitate erroris dispendium compensaret, aut miseratione ætatis, aut sexus infirmitate legitimæ * acerbitatis euiter aculeos. Illorum vtique gesta, virtutum incitamenta sunt: Verba quot sunt, tot institutiones morum.

† al. instituere.

* al. arbitratu.

B Denique vitam, vitiis subiugatis & captiuatis, quasi arcum triumphalem consecratum posteritati, magnificæ virtutis titulis erexerunt; fideli confessione prædicantes in omnibus, quia non manus excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia. Et quidem Constantinus Romana Ecclesia fundata & dotata, vt cætera eius taceantur egregia, perpetua benedictione insignis est. Iustinianus & Leo qui fuerint ex eo claret, quod totum orbem sacratissimis legibus enucleatis, quasi quoddam templum iustitiæ sacrare studuerunt. Nam de Theodosio quid dicam, quem isti virtutis habuerunt exemplar, & Ecclesia Dei ob religionis & iustitiæ venerabilem notam, & sacerdotibus, patientissime tamen & humillime indignantem, non modo vt imperatorem venerata est, sed vt antistitem? Qui leges tulerat, quam patienter tulit sententiam sacerdotis Mediolanensis: Et ne sententiam emolliti presbyteri, & principibus applaudentis fuisse teneram putes. a regalium vsu suspensus est Princeps, ex-

C clusus ab Ecclesia, & pœnitentiam coactus est explere solennem. Sed quid cum tantæ necessitati subiecerat? Voluntas vtique subiecta iustitiæ Dei, & legi vsquequaque obtemperans. Et nisi quæ metrica leuitate scribuntur, dixeris habenda contemni, ex his quibus filium instruit apud Cl. Claudianum, quis ipse in sacrario morum extiterit, paucis agnosces. Cæterum cum præmissæ legis verba reuoluo, singula mihi videntur onusta, & quasi spiritu intelligentiæ fœcundata menti occurrunt. Habebit ergo, inquit, secum legem, prouidens ne ad damnationem suam, cum eam habere necesse sit, habeat contra se. Potentes etenim potenter tormenta patientur. Et adiecit, legetque illud. Legem siquidem habere in mantica parum prodest, nisi fideliter custodiatur in anima. Legenda est ergo omnibus diebus vitæ suæ. Ex quibus liquido constat, quam necessaria sit Principibus peritia litterarum, qui legem Domini quotidie reuoluere lectione iubentur. Et forte quod sacerdotes legem quotidie legere iubeantur, non

D frequenter inuenies. Princeps vero quotidie legit, & diebus vitæ. Quia qua die non legerit legem, ei non dies vitæ, sed mortis est. Hoc vtique sine difficultate illiteratus non faciet. Vnde & in litteris quas regem Romanorum ad Francorum regem transmisisse recolo, qui hortabatur vt liberos suos liberalibus disciplinis institui procuraret, hoc inter cætera eleganter adiecit, quia rex illiteratus est quasi asinus coronatus. Si tamen ex dispensatione ob egregiæ virtutis meritum, principem contingat esse illiteratum, eundem agi literatorum consiliis, vt ei res recte procedat, necesse est. Assistant ergo ei Nathan propheta, & Sadoch sacerdos, & fideles filij prophetarum, qui eum à lege Domini diuertere non patiantur, & quam ipse oculis & animo non ostendit, linguis suis introducant, quasi quodam aurium ostio literati. Legat ergo mens principis in lingua sacerdotis, & quicquid egregium videt in moribus, quasi legem Domini veneretur.

E Nam & vita & lingua sacerdotum, quasi quidam vitæ liber est in facie populorũ. Eo forte spectat, quod exemplar legis à sacerdotibus Leuiticæ tribus iubetur assumi; quia prædicatione eorum debet potestas commissi magistratus gubernacula moderari. Nec expers omnino lectionis est, qui etsi ipse non legit, quæ leguntur ab aliis, fideliter audit. Qui vero neutrum facit, quomodo in contemptu præcepti quod præcipitur fideliter adimplebit? Concussus namque desiderabilium omnium sapientiæ accessio est. Ptolomæus ad cumulum beatitudinis, nonne sibi aliquid deesse credidit, donec accitis septuaginta interpretibus, licet gentilis esset, legem Domini Græcis communicauit? Nihil enim refert, an interpretes in eadem cellula clausi contulerint, an prophetauerint in diuersis, dum constet Regem in veritatis inquisitione solicitum, legem Domini in Græciam traiecisse. In Atticis voluminibus legisse memini, quod cum Philippi Macedonis morum legantur insignia, inter cætera litteratorum studium, quasi belli negotia, &

F victoriarum triumphos liberalitatem mensæ, humanitatis officium; & quæcunque lepide communiterque dicta vel facta sunt, colorauit. Verum & hoc ipsum in quo se aliis excellentiorem nouerat, quasi bonorum hæreditariorum fundamentum, ad vnicum quem sperabat regni & felicitatis futurum hæredem, transmittere curauit. Ob quam causam epistola eius destinata Aristoteli nuper nati Alexandri, vt sperabatur, magistro visa est hic scribenda. Est igitur concepta ad hanc ferme sententiam. Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum scito, quo equidem diis habeo gratiam, non proinde quia natus est, quam pro eo quod eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Si vero etenim fore, vt educatus eruditusque à te, dignus existat & nobis, & rerum istarum susceptione. Romanos Imperatores aut duces, dum eorum respublica viguit, illiteratos extitisse non memini. Et nescio quomodo contigit, quod ex quo in principibus virtus languit literarum, armatæ quoque militiæ infirmata est manus, & ipsius

G principatus quasi præcisa radix. Nec mirum, cum sine sapientia, nullus stare, aut esse valeat principatus. Quia Sapientia Dei dixit, sine me nihil potestis facere. Socrates Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus est, & qui sine contradictione septem illos, qui dicti sunt sapientes, incomparabiliter antecessit, non in opinione sapientiæ, sed virtute, tunc demum respublicas fore beatas asseruit, si eas Philosophi regerent, aut rectores earum studere sapientiæ contigisset. Et si tibi Socratis videtur contemnenda autoritas: Per me, inquit Sapientia, Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Melior est fructus meus auro & lapide pretioso, genimina mea argento electo. In viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros illorum repleam. Item: Meum est consilium & æquitas, mea est

H prudentia, mea est fortitudo. Et alibi, Accipite disciplinam, & non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Cum gentiles nihil sine numine numinum crederent faciendum, vnum tamen quasi Deum deorum, & omnium principem excolebant, scilicet Sapientiam, ideo quod ipsa omnibus præest. Vnde & Philosophi veteres imaginem Sapientiæ præ foribus omnium templorum pingi, & hæc verba scribi debere censuerunt:

Vsus me genuit, peperit Memoria.
Sophiam me vocant Graij, vos Sapientiam.

Et hæc item: Ego odi homines stultos, & ignauia opera, & philosophicas sententias. Et quidem eleganter illi ista finxerunt, licet veritatem ipsam plene non nouerint: ad eam tamen aliquatenus accedentes, dum sapientiã omnium, quæ recte fiunt, ducem & principem arbitrantur, cum & ipsa veraciter glorietur, quod in omni gente

&

A & populo à principio primatum tenuit, superborum & sublimium colla propria virtute calcans. Salomon quoque se eam super salutem, & omnia pulchra dilexisse fatetur, & ad ipsum cum ea omnia bona accessisse.

Cap. VII.

Quod timorem Dei doceri debet, & humilis esse, & sic seruare humilitatem: quod autoritas publica non minuatur: & quod praeceptorum alia mobilia, alia immobilia.

SEquitur vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba eius quæ in lege præcepta sunt, Causam legitimæ obseruationis, lex ipsa subiungit; vt discat, inquit. Diligens namque lector, legis discipulus est, non magister: nec ad sensum suum captiuatam retorquet legem, sed menti eius & integritati, sensus B suos accommodat. Sed discipulus iste quid discit? Vtique timere Dominum Deum suum. Recte quidem, eo quod sapientia parit, & firmat principatum. Atqui initium sapientiæ timor Domini. Qui ergo timoris non initiatur gradu, frustra ad legitimi principatus culmen aspirat; Legitimi inquam. Quia de quibusdam dum alleuantur, deiectis & miserius deiiciendis, scriptum est, isti regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & ego ignoraui; & alibi: tenentes legem nescierunt sapientiam. Timeat ergo princeps Dominum & se prompta humilitate mentis, & pia exhibitione operis, seruum profiteatur. Dominus etenim serui Dominus est. Seruit itaque Domino princeps, dum conseruis suis, subditis scilicet sibi, fideliter seruit. Sed & Dominum Deum esse agnoscat, cui non plus timoris ex maiestate, quam amoris ex pietate exhibendum est. Pater etenim est, & cui nulla creatura ipsius faciente merito, negare potest dilectionis affectum. Si ergo, inquit, Dominus sum, vbi est timor meus: Si pater sum, vbi C est amor meus? Verba quoque legis custodienda sunt, quod ex primo timoris gradu, quadam quasi virtutum scala, fœlici procedit ascensu. Dilectio, inquit, illius custodia legum est, quia omnis sapientia timor Domini est. Porro qui timet Deum faciet bona, & qui continens est iustitiæ apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorifica. Sed quæ verba, diligentia tanta custodiet? Vtique quæ præcepta sunt in lege, vt apud * Principem iota vel apex legis non cadat in terram, quod non ille propriis vel manibus subiectorum excipiat. Sunt autem præcepta quædam, perpetuam habentia necessitatem, apud omnes gentes legitima, & quæ omnino impunè solui non possunt. Ante legem, sub lege, sub gratia, omnes lex vna constringit: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris; & quod tibi vis faciendum, hoc facias aliis. Procedant nunc dealbatores potentum, susurrent, aut si hoc parum est, publicè præconentur principem non esse legi subiectum, & quod ei placet, non modo in iure secundum formam D æquitatis condendo, sed qualitercunque legis habere vigorem. Regem quem legis nexibus subtrahunt, si volunt & audent exlegem faciant, ego non modo his renitentibus, sed mundo reclamante, ipsos hac lege teneri confirmo. In quo enim, inquit, qui nec fallit nec fallitur, iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et certe iudicium grauissimum in his qui præsunt fiet, eo quod mensura bona, conserta, & coagitata, & superfluens refundetur in sinus eorum. Nec tamen dispensationem legis subtraho manibus potestatum, sed perpetuam præceptionem, aut prohibitionem habentia, libito eorum nequaquam arbitror supponenda. In his itaque dumtaxat quæ mobilia sunt, dispensatio verborum admittitur; ita tamen vt compensatione honestatis aut vtilitatis, mens legis integra conseruetur. Nec eleuetur, inquit, cor eius in superbiam, super fratres suos. Quod præcipue necessarium est, sæpius replicat, eo quod humilitas nunquam satis videtur commendata principibus, & difficillimum est, vt gradus honoris tumorem E non patiatur in animo imprudentis. Superbis vtique resistit Deus, & humilibus dat gratiam. Proinde rex orat ne veniat ei pes superbiæ, quia in eo ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare. Non vtique superbiat super fratres, sed eum fratrum meminerit, fraternum subiectis omnibus impendat affectum. Et quidem prudenter humilitatem cum discretione & charitate indicit principibus, quia sine istis omnino subsistere non potest principatus. Quisquis ergo gradum propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum minoribus diligentissime teneat. Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis suæ fastigio, tumoris pondere cadit. Obtinet enim perpetuo, quia qui se humiliat exaltabitur, & vice versa, qui se exaltat deprimetur. Regem Romanorum nouissimum Tarquinium fecit esse superbia, & ei ab humilitate magis necessarios subibitur magistratus. Denique quem superborum legisti regnare diutius? Eorum namque F qui per superbiam ceciderunt, historia copiosa est. Nec tamen eatenus superbiam vitet, vt incidat in contemptum: quia sicut elatio, ita & abiectio declinanda est. Vnde & in iure Romano cautum est, vt qui ius reddit, se quidem in adeundo facilem præbeat, contemni tamen non patiatur. Mandatis quoque adiicitur, ne Præsides prouinciarum in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant, eo quod ex conuersatione æquali contemptio nascitur dignitatis. Veneretur ergo in publico populi maiestatem, & apud se priuatæ conditionis statum pariter metiatur. Hoc ipsum antiquis Philosophorum documentis faciendum agnosce. Ad Philosophum Taurum Athenas, visendi cognoscendique eius gratia, venerunt pariter Cretæ prouinciæ præses, & pater eius, sed priuatus. Taurus venientibus placide assurrexit, reseditque post mutuam salutationem. Allata est mox vna sella, quæ in promptu erat, & dum aliæ promebantur apposita est. Inuitauit ergo Taurus patrem præsidis vt sederet. At ille; sedeat hic potius qui populi Romani magistratus est. Absque præiudicio, inquit Taurus, tu interea sede, dum conspicimus, quærimusque quid conueniat, tene potius sedere qui pater G es, an filium qui gerit Romani populi magistratum. Cum pater assedisset, appositumque esset aliud filio, super ea re Taurus bis, qui conuenerant, verbum fecit, cum summa boni, æqui, bonorum atque officiorum perpensatione. Eorum verborum sententia hæc fere fuit. In publicis locis, atque muneribus patrum iura * cum filiorum qui in magistratu aut potestatibus sunt collata, interquiescere & paulum conniuere. Sed cum extra rempublicam in domestica re, atque vita sedeatur, ambuletur, in conuiuio quoque discumbatur familiari, tunc inter filium magistratum, & patrem priuatum, publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. Hoc quoque, inquit Taurus, quod ad me venistis, quod nunc loquimur, quod de officiis disseramus, priuata actio est. Itaque tu pater vtere his honoribus prius, quibus quoque domui vestræ te vti H priorem decet. Hæc ego magistratibus generaliter persuadenda arbitror, vt in splendore publicæ dignitatis memores sint propriæ conditionis & sic attendant propriæ conditionis statum, vt non deuenustent publicæ dignitatis gradum; sic etiam collati sibi honoris integritatem seruet, vt aliorum non minuat dignitatem: & sic priuata quisque polleat dignitate, vt non fiat iniuria publicæ potestati.

al. iudicem.

al. causa.

Cap. VIII.

De moderatione iustitiæ & clementia principis, quæ debent in eo ad vtilitatem Reipublicæ contemperari.

OBtineat ergo in principe, quod debet in omnibus obtinere, nemo quæ sua sunt quærat, sed quæ aliorum. Verumtamen ipsius affectionis modus, quo

A charitatis brachiis ſubiectos vt fratres amplexatur, moderationis limitibus clauditur. Sic enim fratres diligit, quod errores eorum medicinaliter corrigit, ſic in eis carnem agnoſcit & ſanguinem, vt ea ſpiritus ſubiiciat ditioni. Medicorum vtique conſuetudo eſt, vt morbos, quos fomentis & leuioribus medicinis curare nequeunt, grauioribus adhibitis, igne puta vel ferro, curent. Nec vnquam vtuntur grauibus, niſi cum leuium beneficio deſiderata ſanitas deſperatur: ſic & poteſtas cum inferiorum vitia manſueta manu curare non ſufficit, pœnarum acrimoniam dolens recte vulneribus infundit, & pia crudelitate ſæuit in malos, dum bonorum incolumitas procuratur. Sed quis ſine dolore proprij corporis membra valuit amputare? Dolet ergo cum exigentibus culpis, vindicta expoſcitur, ea tamen peragit inuita dextra. Siniſtram namque non habet princeps, & in cruciatu membrorum corporis, cuius ipſe caput eſt, legi triſtis & gemens famulatur. Philippus cum audiſſet

B Phiſciam quendam bonum pugnatorem, alienatum animo ſibi, † quod tres filias inops vix aleret, nec à rege adiuuaretur, monentibus amicis, vt eum caueret, Quid, inquit Philippus, ſi haberem partem corporis ægram, abſcinderem ne potius, quam curarem? Deinde familiariter ſecreto elicitum Phiſciam, accepta difficultate neceſſitatum domeſticarum, pecunia ſufficienter instruxit, ac meliorem fideliorem que habuit, quam fuerit antequam crederetur offenſus. Vt enim ait Lucius, Principem ſimilem morbus eſſe oportet, & qui moderatiora ſequatur conſilia, & vicem gerere medicorum, qui morbos curant, nunc inanitione † in oppletis, nunc refectione in vacuis; & dolorem ſedant nunc cauterio, nunc fomentis. Præterea ſit in verbo affabilis, munificus in beneficiis, & integræ autoritatis, ſeruet in moribus dignitatem. Famam namque benignitatis conciliat ſermo bonus, & lingua gratioſa. Amorem fideliſſimum & & conſtantiſſimum, etiam a durioribus extorquent beneficia, & quem fecere, fouent & ſolidant. Et morum

† al. fore inimicum, &c.

† al. in obeſis.

C dignitati debetur reuerentia ſubditorum. Egregie quidem Traianus, gentilium optimus Auguſtorum, arguentibus eum amicis, quod in omnes nimium, & vltra quam imperatorem deceat, communis eſſet, reſpondit: Se talem velle Imperatorem eſſe priuatis, quales Imperatores ſibi eſſe priuatus, optaſſet. Vnde & relatu Plinij Secundi admonitus, qui tunc inter cæteros iudices perſecutor Eccleſiæ deſtinatus erat, à nece martyrum perſecutionis gladium reuocans, edictum temperauit. Et forte cum fidelibus egiſſet mitius, niſi deceſſorum ſuorum legibus & exemplis, & prudentum vt putabatur conſilio, & autoritate iudicum, ad delendam ſectam hominum, opinione publica ſuperſtitioſam, & veræ religionis inimicam, inuitaretur. Nec tamen vſquequaque commendo iuſtitiam hominis, qui Chriſtum ignorabat, ſed culpam ipſius extenuo, qui aliorum excedebat impulſu, & ad beneficium † reuſerendorumque propriæ pietatis † agebatur inſtinctu, natura clemens in omnes, auſterus in paucos, quibus parcere nefas eſſet; adeo, vt totius imperij ſui curriculo, vnus

D damnatus ſit, ſenatorum nobiliumve vrbis, licet inueniantur plurimi in ipſum grauiter deliquiſſe. Hic autem a ſenatu damnatus eſt ignorante Traiano. Dicebat enim inſanum eſſe, qui oculos ſi habebat lippientes, eos malit effodere, quam curare. Aiebat etiam, vngues ſi acriores fuerint, reſecandos eſſe, non auellendos. Si enim citharœdus, aliique fidicines, multa diligentia procurant, quomodo oberrantis chordæ compeſcant vitium, & eandem aliis vnanimem reddant, faciantque dulciſſimam diſſidentium conſonantiam, chordis non ruptis, ſed tenſis proportionaliter vel remiſſis: quanta ſollicitudine oportet principem moderari, nunc rigore iuſtitiæ, nunc remiſſione clementiæ, vt ſubditos faciat quaſi vnanimes eſſe in domo, & quaſi diſcordantium in miniſterio pacis & charitatis operibus, vnam faciat perfectam, & maximam harmoniam? Hoc autem certum eſt, quia tutius eſt chordas remitti intenſas, quam protendi. Remiſſarum namque intenſio artificis peritia con-

† al. miſerendorumque.

† al. angebatur.

ualeſcit, & debitam ſoni reddit gratiam, ſed quæ ſemel rupta eſt, nullo artificio reparatur. Profecto ſi ſonus exigitur, quem non habent, fruſtra renduntur, & ſæpe citius venitur ad nullum, quam ad † eum qui nimis exigitur. Ait Ethicus:

B

† ſonum.

Eſt piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Qui que dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Alterum namque iuſtitiæ, alterum pietatis eſt, quæ adeo principi neceſſariæ ſunt, vt quiſque ſine illis, non modo principatum, ſed quemlibet magiſtratum vendicat fruſtra, ſe ipſum irrideat, ſed & aliorum in ſe prouocet riſum, contemptum, & odium. Miſericordia, inquit, & veritas non te deſerant, circumda eas gutturi tuo, & ſcribe eas in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus. Gratia namque debetur miſericordiæ, iuſtitiæ diſciplina. Vtrique gratia & amor ſubiectorum, quam diuina perducit gratia, optimum inſtrumentum eſt omnium gerendorum. Sed & amor ſine diſciplina non proficit, quia ceſſante iuſtitiæ ſtimulo, populus ſe in illicita reſoluit. Meditatur ergo iugiter ſapientiam, & de ea ſic iuſtitiam operatur, quod lex clementiæ ſemper eſt in lingua eius: & ſic clementiam temperat vigor iuſtitiæ, quod lingua eius iudicium loquitur. Officio namque eius iuſtitia in iudicium vertitur, ea quidem neceſſitate, vt vacare non liceat, quin ſe ipſum ſibi collato deſtituat honore. Honor etenim Regis iudicium diligit, & delinquentium culpas tranquilla mentis moderatione compeſcit. De magiſtratuum moderatione librum fertur ſcripſiſſe Plutarchus, qui inſcribitur Archigrammaton, & magiſtrum ſuæ vrbis, ad patientiam & iuſtitiæ cultum, verbis inſtituiſſe dicitur & exemplis. Hic autem ſeruum habebat, hominem nequam & contumacem, ſed liberalibus diſciplinis eruditum egregiè, & exercitatum ſatis in diſputationibus Philoſophicis. Contigit vt ob neſcio quam noxam, ei tunicam detrahi, cædique iuberet Plutarchus. Loro cœperat verberari duriuſcule, cum tamen inficiaretur culpam, dicens, ſe nihil egiſſe mali, nihil ſceleris admiſiſſe, & obloquebatur ſe multis demeruiſſe obſequiis vt vapularet. Poſtremo cum non proficeret, vociferari cœpit, & inter vapulandum iam non querimonias & gemitus eiulatuſque, ſed verba † ſeria, & obiurgatoria iaculabatur. Nec ita ſe habere Plutarchum, vt Philoſophum deceret, iraſci turpe ei eſſe præſertim qui de malo iræ ſæpius diſſertauerat, librumque pulcherrimum ſcripſerat de Patientia. Adiiciebat eſſe probroſum, quod doctrinam ſuam moribus impugnabat: eo quod à mentis integritate prolapſus, effuſus & prouolutus in iram, pluribus plagis mulctaret innoxium. Ad hæc Plutarchus, lente quidem & leniter, ſed ſumma cum grauitate, Nunquid quod vapulas tibi iraſci videor? Eſt ne ira mea ſi à me debitum recipis? Ex vultune meo, an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis, ita me corruptum intelligis aut correptum? Mihi quidem neque oculi opinor truces ſunt, neque os turbidum, neque † inaniter clamo, neque in ſpumam ruboremque omnino trepido ira aut geſtio. Hæc omnia quippe, ſi neſcis, ſigna irarum eſſe ſolent. Et ſimul ad eum qui cædebat conuerſus, interim dum ego atque hic diſputamus, tu hoc age: & ſine iracundia mea retunde ſeruilem contumaciam, & iniquum pœnitere doceas magis, quam iurgare. Sic Plutarchus. In quo nonnihil eruditionis relictum eſt omnibus, qui in ſublimitate ſunt.

F

G

† al. ſana.

H

† al. immaniter.

CAP. IX.

Quid ſit declinare ad dextram, vel ſiniſtram, quod principi prohibetur.

SEquitur: Neque declinet in partem dextram, vel ſiniſtram. Ad dextram declinare eſt, virtutibus ipſis vehementer inſiſtere. Ad ſiniſtram declinare eſt, in virtutis operibus quæ in modo conſiſtit, modum excedere. Omnis vero vehementia ſaluti inimica eſt, & exceſſus

omnis

A omnis in culpa: bonarumque rerum consuetudo nimia, pessima est. Vnde Ethicus:

Insani sapiens nomen feret, aequus iniqui,
Vltra quam satis est, virtutem si petet ipsam.

Et Philosophus: Caue quod est nimium, quia si haec ipsa cautela modestiam deserit eo ipso à tramite virtutis incaute recedit. Salomon quoque, Noli, inquit, esse nimis iustus. Quid ergo nimium prodest, si regina virtutum iustitia, in sui nimietate obest? Alibi quoque nimia humilitas, maxima pars superbiae est. Ad sinistram declinare est, per abrupta vitiorum à via virtutum declinare vel deuiare. Item, deflectitur ad sinistram, qui in subiectorum culpis nimis pronus est ad vindictam; & ad dextram gressum torquet, qui † diligentibus ex mansuetudine nimis indulget. Iter autem vtrumque deuium est, quod ad sinistram vergit perniciosius est.

† al. delinquentibus.

Cap. X.

B *Quid vtilitatis de cultu iustitiae principes consequantur.*

SEd legitimae huius obseruantiae quaenam erit vtilitas? Eam vtique propheticus sermo proximus subdit. Ait enim: Vt longo tempore regnet ipse, & ipse, & filius eius super Israël. Ecce quaenam tantae difficultatis futura sit merces, dum regna paterna filiis longo tempore protelantur. De virtute namque parentum protenditur successio filiorum, & succedentium felicitas, ex decedentium iniquitate † praescinditur. Nam Spiritus sancti certum est testimonio, quia iniusti deperibunt simul, & reliquiae impiorum interibunt, Salus autem iustorum à Domino est, qui protegit eos in tempore tribulationis. Sed cum aeternitas totius temporis quantacunque sit, per minutissima momenta deficiat, & in eo toto non nisi admodum breue momentum subsistat, quid in eo poterit esse longum, cum ea omnia, si colligantur in vnum, verè aeternitati collata, nec puncti quidem C locum obtineant: eo quod finitorum ad infinita omnino nulla est comparatio? Certe centri ad περιφέρειαν vel circumferentiam, etsi exigua, aliqua tamen, vt pluribus placet, proportio est. Aeternitatis & temporis nulla. Quid ergo longum erit, in eo, quod totum breue est: aut quae beatitudo temporis animae videbitur diuturna, si ea fidelis & perpetua anima est quantolibet tempore emenso caritura? Sed ego in loco isto, vt tamen sine praeiudicio sententiae melioris vel sanioris dictum intelligatur, longi temporis regnum, dici arbitror, ipsius animae indeficientis aetatem, quam pro bene administrato regno, aeternae beatitudinis gloria coronabit. Cum enim certum sit quod Deus remunerabit opera singulorum, & omnium in misericordia vberi, vel iustitia pleniori, quos lumine clariori respiciet, quam illos qui omnes ad iustitiam exercent, vel secum traxerint ad mortem? Sicut ergo potentes potenter tormenta patiuntur; sic & iustitiae praemiis fruentur ple- D nius, si recte exercuerint potentatum; & tantam in futuro prae subditis habebunt gloriam, quanta virtute eos in magna delinquendi licentia praecesserunt. Potuit, inquit, transgredi; & non est trangressus; facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Ad iustitiam namque principibus reputatur etiam cum temperant ab iniuriis; & facultas delinquendi, est eis materia meritorum. Declinare à malo in eis magnum est, etiam si magna bona non faciunt, dum tamen subditos indulgentia malorum non perimant. Nonne magnum est quod beatitudinis quam habere videntur, eis si recte egerint promittitur continuatio? Impossibile dicunt quidam, & hic florere cum mundo, & in aeternum gaudere cum Christo: & sententia quidem vera est, si inter mundi flores, reputes lenocinia vitiorum. Atqui & reges † florere possunt, & mundialium florum dulcissimos & vtilissimos in aeternum carpere fructus. Quid autem beatius est, quam si de diuitiis ad diuitias; de delitiis ad delitias, de gloria ad E gloriam Principes transferantur, de temporalibus ad aeterna.

† al. praecidetur.

† al. flores.

Cap. XI.

Quae sit alia merces Principum.

NEc tamen quod litterae prima facies promittit excludo, quae & longi temporis regnum promittit patribus, & eiusdem successionem protendit ad filios, qui sicut temporalis regni, ita erunt & aeternae beatitudinis successores. Scio enim quia lex carnali populo loquebatur; qui cor adhuc habens lapideum, incircumcisus mente, non carne, vitam ex magna parte nesciebat aeternam, magnificiens si ei bona terrae darentur, vel promitterentur in cibum. Carnaliter itaque sapienti facta est promissio carnis, & ei promissa est diuturnitas temporis, qui nondum spem conceperat aeter- F nae beatitudinis, & temporale in successionem filiorum protenditur regnum, illis qui nondum quaerebant aeternum. Patri ergo temporaliter succedit filius, si patris iustitiam imitatur. Aufer, inquit Salomon, impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius. Si enim à vultu, id est, à voluntate recedit impietas, totius regni opera, virga aequitatis, & cultu iustitiae diriguntur. Vnde illud: Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. Ecce quanto priuilegio gaudeant Principes, quibus vt de aeterna beatitudine taceam, perpetuatur Regni gloria, etiam in carne & sanguine suo. Gloriatur Dominus se virum inuenisse secundum cor suum, & cum eum in regni apicem postmodum sublimasset succedentium sibi filiorum curriculo, regnum ei perpetuum pollicetur. De fructu ventris tui: inquit, ponam super sedem tuam, & si custodierint filij tui mandata mea, quae iam dedi, & testimonia mea, quae per me vel vicarios meos docebo illos, & ipsi & filij eorum sedebunt super sedem tuam, & ponam in saeculum saeculi sedem eius, & thronum eius sicut dies G caeli. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint; Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, vt translato regno de gente in gentem, & deletis his haeredibus, qui secundum carnem esse videntur in semine, transferatur successio ad illos, qui fidei & iustitiae inueniuntur haeredes. Inconque promissionis subsistit veritas, & rata permanent, quae ex ore altissimi processerunt, quod iustis regibus successione fidelium semen permanet in aeternum. Haec autem vt ad praesens de Christo, qui factus ex semine Dauid secundum carnem, Rex Regum est, & Dominus dominantium, nulla fit mentio, etiam secundum literam, perpetuo arbitror obtinere, vt succedant parentibus filij, si eos in mandatis Domini fideliter fuerint imitati. Adeo siquidem, vt si omnibus rectè dispositis, & in eo manentibus, nulla videatur esse sollicitudo, vel officium praesidentis, H constat his qui semel principem admiserunt, de semine illius successionem non defuturam, etsi non ob aliud vel ad conseruandam sanguinis claritatem. Quod & historiarum liquet exemplis. Fertur enim quod cum magnus Alexander vltimum littus Oceani perlustraret, Brachmanorum insulam debellare parabat. Ad quem illi in his verbis epistolam miserunt: Audiuimus inuictissime Rex praelia tua, & felicitatem victoriae vbique subsecutam. Sed quid erit huiusmodi satis, cui totus non sufficit orbis? Diuitias non habemus, quarum cupiditate nos debeas expugnare, omnium bona omnibus communia sunt. Esca est nobis pro diuitiis, pro cultibus & auro, vilis & rara vestis. Foeminae autem nostrae non ornantur, vt placeant; quem quidem ornamentorum cultum, potius oneri deputant, quam decori. Etenim nesciunt in augenda pulchritudine plus affectare, quam quod natae sunt. Antra nobis duplicem vsum praestant, tegumentum in vita, in morte sepulturam

A Regem habemos, non pro iustiria, sed pro nobilitate
conseruanda. Quem enim locum haberet vindicta, vbi
nulla sit iniustitia? His verbis motus Alexander, nullam
tanis victoriam si eorum pacem perpetuam turbaret, in
quiete sua dimisit. Et forte si eos bello fuisset aggressus,
minime præualuisset aduersus innocentes, eo quod in-
nocentia non facile superatur, & veritas suis viribus con-
stans, de militia quantumuis armata triumphat. Sed quia
nihil est quod magis desiderent homines, quam vt in bo-
nis suis habeant filios successores, vt qui propriam ex
conditione præuident mortem, in propagine carnis suæ
perpetuent vitam. Hoc principibus est promissum, vnde
maximè possunt ad cultum iustitiæ inuitari. Contingit
enim eos qui de seipsis securi sunt, de statu filiorum iu-
giter esse sollicitos. In eoque minimum charitatis ordo
seruatur, quod amorem, qui patriæ parentibus præci-
pue debeatur, pater transfundit in filios, dum filialis
affectus paterni pectoris cellam solus exhaurit. Condi-
B gna quoque vice respondent parentibus filij, eundem
suis impartientes affectum, quo à parentibus accepti
sunt, licet alium ordinem exigat charitas ordinata, quem
Poëtarum doctissimus prudenter expressit. Senem nam-
que Anchisen euersa Troia in humeris pij filij collocauit,
patefitis Æneæ dexteram dedit Ascanio, & marito con-
iunx Creusa cohæsit, antecedentium pro muliebri infir-
mitate legens vestigia. Compatriotis omnibus ducem
dedit virum armis, & pietate præsignem. Alias enim
dux esset inutilis, cum sine viribus regna acquiri non
valeant, aut sine iustitia retineri. Nunc vero omnium
vnica sollicitudo est, liberos, qualescumque sint di-
uitiis & honoribus potius, quam virtutibus insignire.
Negligitur etenim quod onus reipublicæ imponatur.
Expulso Superbo Tarquinio, qui regnauit in vrbe no-
uissimus, cum Brutus primus Consul liberos suos de re-
uocandis in vrbem regibus agere cognouisset, eos pro-
traxit in forum, & in media concione virgis cæsos tan-
dem securi percuti iussit, vt plane publicus parens, in
C locum liberorum videretur populum adoptasse. Ego
quidem etsi parricidium perhorrescam, Consulis non
possum non approbare fidem, qui maluit salutem libe-
rorum suorum periclitari, quam populi. Rectè ne fece-
rit iudicent sapientes. Ego enim campum istum orato-
ribus late patere cognoui, & in eo declamatores in anci-
piti materia sæpius desudasse, dum in absolutione parri-
cidij fides laborat, & parricidalis impietas meritum fidei
conatur extinguere. Quod si me ad sententiam vrges,
respondeo quod in causa Smyrnensi, Areopagitas Cn.
Dolabellæ inuenio respondisse. Ad quem prouinciam
Asiam proconsulari imperio obtinentem, mulier Smyr-
nensis adducta est confitens se maritum, & filium datis
clam venenis occidisse, eo quod illi filium eius ex alte-
ro matrimonio optimum, & innocentissimum iuue-
nem exceptum insidiis nequiter occidissent, sibi lici-
tum esse asserens ex indulgentia legum, & ius ignora-
re, & suam, & suorum, & totius reipublicæ suæ, tam
atrocem iniuriam vindicare, Ius extra causam erat, cum
D de facto constaret, & de iure quæreretur. Cum ergo
Dolabella rem in concilium deduxisset, non fuit qui in
causa, vt putabatur ancipiti manifestum veneficium,
& parricidium auderet absoluere, vel vindictam, quæ
in impios, & parricidas processerat, condemnare. Rem
itaque ad Areopagitas Atheniensium, tanquam ad iu-
dices grauiores exercitatioresque reiecit. At illi cau-
sa cognita, actores & ream mulierem centesimo anno
al. abesse. † adesse iusserunt. Sic autem neque veneficium, quod
de lege non licuit, absolutum est, neque nocens punita
mulier, cui ex sententia multorum venia poterat in-
dulgeri. Hoc ita fuisse, nonus liber memorabilium
dictorum vel factorum Valerij Maximi docet. Cæterum
& Brutum, & mulierem deliquisse consentiam facile, eo
quod excesserit medicina modum,

nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere manum.

Et licet magna fuerunt crimina, præstantius fuerat ea-
dem sine punientis crimine vendicari. Vnde & infelici-
tatis testimonium Bruto perhibet etiam poëta laudator: E
ait enim in sexto Virgilius,

Natosque pater noua bella mouentes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
*Infelix, vtcunque ferent * & facta minores.* al. ea.

At Infortunium parricidij sic versu sequenti excusat, vt
inanis gloriæ arguat vanitatem, dicens,

Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Sed ne quis à modo Brutum imitetur, populum liberis
præferens, frustra sollicitaberis cum vel vitia liberorum
saluti reipublicæ præferantur: Licet etenim sit quod
salutem populi liberis omnibus oporteat anteferri. In li-
bro Regum arguitur Saul, quod cum facto voto de
diurno ieiunio, sub discrimine illius quo ante noctem
contra votum sumeret cibum, Ionathas filius eius mel
quod sceptro, id est, hasta tetigerat, prægustasset, pa-
terno motus affectu, contra religionis votum pepercit
filio, cuius præuaricatione populus Israël ea die visus
est corruisse. Heli quoque licet sanctus in se fuisse le- F
gatur, quia filiorum pepercit vitiis, auersa sella fractis
ceruicibus corruens, exspirauit. Vt de cæteris taceam,
quantum quæ in publicam hominum dilexit, & quæsi-
uit salutem, qui proprio filio non pepercit, sed pro no-
bis tradidit illum, vt quæ merueramus vincula, flagel-
la, crucem sustineret immunis, & innocens morte tur-
pissima condemnatus est. Regum scrutare historiam, ad
hoc petitum Regem à Deo inuenies, vt præcederet fa-
ciem populi, & præliaretur bella eorum, & ad simili-
tudinem gentium totius populi onera sustineret. Qui
tamen non fuerat necessarius, nisi & Israël præuaricatus
esset in similitudinem gentium, † vt Deo Rege sibi non al. nisi.
videretur esse contentus. Si enim iustitiam per se co-
luisset, si in mandatis Domini fideliter ambulasset, pro
nihilo humiliaret Deus hostes eorum, & super tribulan-
tes eos mitteret manum suam vt solito Dei auxilio vnus
persequeretur mille, & duo fugarent decem millia. Hos-
pitem meum Placentinum dixisse recolo, virum vtique
sanguine generosum, habentem prudentiam mundi hu- G
ius in timore Domini, hoc in ciuitatibus Italiæ vsu fre-
quenti celeberrimum esse, quod dum pacem diligunt,
& iustitiam colunt, & periuriis abstinent, tantæ liber-
tatis & pacis gaudio perfruuntur, quod nihil est omnino,
quod vel minimo quietem eorum concutiat. Cum vero
prolabuntur ad fraudes, & per varias iniustitiæ semitas,
scinduntur in semetipsis, statim vel fastum Romanum,
vel furorem Teutonicum, aliudve flagellum inducit Do-
minus super eos, & permanet manus eius extenta, donec
ipsi ab iniquitate per pœnitentiam reuertantur. Quo solo
remedio apud illos omnis cessat tempestas. Adjiciebat
etiam quod merita populi omnem euacuant principa-
tum, aut eum faciunt esse mitissimum, cum è contrario
certum sit, quod propter peccata populi permittit Deus
regnare hypocritá, & impossibile esse vt diu regno gau-
deat qui populi humiliatione, & proprio fastigio † su- al. superbia.
perbè nimis exultat. Sed illius dicebat protendi princi-
patú, qui apud se de conscientia humilitatis semper in se
angitur quasi regnaret inuitus. Hæc mihi Placentinus H
hospes, & vt credo fidei consentaneum est. Tale aliquid
inuenitur in scriptis maiorum. Cum enim Helius Romæ
præfecturam splendidius gereret, ex Senatore Imperator
creatus est, qui cum obsecrante Senatu, vt filiú Cæsarem,
quem habebat Augustum appellaret, sufficere, inquit,
debet, quod ego ipse inuitus regnauerim cum non mere-
rer. Principatus enim non sanguini debetur, sed meri-
tis: & inutiliter regnat, qui Rex nascitur, non meretur. Et
proculdubio parentis affectum exuit, qui paruulos suos
importabili mole subiecta extinguit. Hoc quidem est
suffocare liberos, non promouere. Alendi prius sunt, &
in virtutibus exercendi; & cum in eo profecerint, vt pro-
bentur illos virtutibus antecedere, quos debent honore
anteire, inuitati ascendant, & se ciuium suorum nequa-
quam subtrahant votis. Quis enim illos ambigit aliis præ-
ferendos, qui quasi naturali probitatis priuilegio am-
pliati, maiorum titulis inuitantur ad virtutem, & eo-
rundem beneficio futuræ bonitatis aliis faciunt fidem?

A Hæc ille. Et quidem eleganter priuilegium expressit principis, cui ex antiquo munere Dei, succedunt filij indubitanter, nisi iniquitas subuertat principatum.

C A P. XII.

Ex quibus causis transferantur principatus, & regna.

CElebre est illud Sapientiæ, quia regnum à regno in regnum, à gente in gentem transfertur propter iniustitiam, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Nonne vides quam breui subuersum sit solium primi Regis in populo Dei? Saül & Ionathas cum cæteris filiis exigentibus culpis, in montibus corruerunt, vt thronus illius, qui depost fœtantes electus est, firmaretur. Omnium historiarum percurre seriem, & regum successiones in breui videbis, & quasi in exordio telæ Domi- B no præcidente succisas. Et quo Reges fuerint clariores, eo citius, si aduersus Deum intumuerint, conculcatur semen eorum. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, certe nec fortitudo. Si ille insurgit, si persequitur, ad emendicata sacramentorum suffragia, ad præsidia munitionum, frustra decurritur, quia non est, qui de manu illius possit eruere. Quis Alexandro maior in Græcia? Ei tamen non suus legitur successisse, sed filius saltatricis. Quis Cæsareæ domus seriem nescit? Rarus eorum, aut nullus filium reliquit hæredem, & omnes in breui post varia pericula, & cædes sui, & suorum plurimas diuersis mortibus, & fere ignominiosis quasi in momento deleti sunt, & descendentes ad inferos, successores habuerunt aut hostes aut ignotos. Quid obsecro tam potentia regna, tam cito subuertit & transtulit? Certe indignatio Dei, quam in se multiplex iniustitia prouocabat. Est autem (vt Stoicis placet) iniustitia mentis habitus, quæ à regione morum exterminat æquitatem. Animam namque priuare iustitia, C vel ex priuatiua particula nominis declaratur. In eo autem maxime iustitia constat, si non noceas, & ex officio humanitatis prohibeas nocentes. Cum vero noces, accedis ad iniuriam. Cum nocentes non impedis, iniustitiæ famularis. Est autem contumelia, quando tumorem mentis in læsione alterius manifesta operis sequela committitur. Eoque iniquitati seruit, quod in eum, cui reuerentia pro conditione officij vel naturæ consortio debetur, insolenter insurgit. Dolus autem est (vt diffinit Aquilius) cum aliud agitur, & aliud simulatur. Malus vtique, quotiens fit intentione nocendi. Differt autem plurimum dolus à contumelia, quoniam hæc superbe & manifesto, ille fraudulenter & quasi ab insidiis nocet. Hæc sunt, quæ tamen incurrunt, cathedras subuertunt omnium potestatum, quia à contrariis perpetuatur principum gloria. Dolus namque ex timiditatis imagine infirmitatis notam habet, & fortitudini plurimum aduersatur. Contumeliam prudentia reprimit, ingeminans iugiter, quid in terram & cinerem superbit D terra & cinis? Iniuriam temperantia non admittit, nolens inferre alij, quod sibi nollet ab alio irrogari. Et iniustitiam iustitia excludit, vsquequaque faciens alij, quod faciendorum vellet ab alio fieri sibi ipsi. Hæ sunt quatuor virtutes, quas Philosophi cardinales appellant, eo quod à primo fonte honestatis, quasi primi riuuli emanare credantur, & de se bonorum omnium fluenta propagare. Hæc forte sunt quatuor flumina, quæ de paradiso deliciarum Dei egrediuntur, vt irrigent omnem terram, quo fructum desiderabilem afferat in tempore suo. Vtinam & ad me de fonte vitæ (diuinam gratiam loquor) huius plenitudinis pertranseant riuuli, ariditatis meæ inebriantes terram, vt succrescente fructu bonorum operum, saltem declinare valeam imminentis securis ictum, quæ exigentibus culpis meis, ad radicem meam, quasi ad radicem infructuosæ arboris posita est. Quodcunque lignum secus aquas istas positum est, non arescit. Quod vero vel radicitus non humectant,

E dissoluitur & aridum perit tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Hinc quidem non duces exceptos arbitror, non potentes, quia regum gloria transfertur, si iniusti, iniuriosi, contumeliosi, inuenti fuerint aut dolosi. Os siquidem Domini locutum est; Veruntamen saluo intellectu sapientiorum, non ab re est (vt opinor) quod nomina vitiorum, locutione plurali exposuit, & in ipsa pluralitate diuersitatem quandam prudenter inseruit. Ait enim, vt prædictum est, Quia regnum de gente in gentem transfertur, propter iniustitias & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Quod autem diuersos in fine subiecit, puto communiter ad omnia referendum, & tam pleno concipiendum intellectu, vt non modo referatur ad diuersas species vitiorum, sed & varias figuras personarum complectatur, & modos omnes, quibus à quocunque hæc vitia committuntur. Princeps enim tenetur de omnibus, & omnium autor esse videtur, quia cum omnia possit corrigere, eorum merito particeps est, F quæ noluit emendare. Cum enim potestas publica sit, vt prædiximus omnium vires exhaurit, & ne in se deficiat incolumitatem omnium debet procurare membrorum. Quot autem in administratione principatus extant officia, tot sunt principalis corporis quasi membra. Dum autem singulorum officia in integritate virtutis, & suauitate opinionis conseruat, quandam quasi membris sanitatem procurat & decorem. Cum vero ex negligentia aut dissimulatione potestatis circa officia, fit virtutis aut famæ dispendium, quasi in membra eius, morbi & maculæ incurrunt. Nec diu subsistit incolumitas capitis, vbi languor membrorum inualescit.

LIBER QVINTVS.

POLICRATICI IOANNIS Saresberiensis.

PROLOGVS.

NOn solent ad vnguem grandia sine mora lustrari, nec facile est prouinciarum longitudinem & latitudinem in momento transcurrere. Sic res magna succincte quidem à sapiente interdum proponitur, sed nunquam perfecte sub angustio sermonis nimia explanatur. Quid autem humanis rebus maius est principatu, cuius officium quodammodo omnia circumit, implet, & penetrat, & quasi robore virtutis suæ, totius Reipublicæ molem portat. Eius itaque contemplatio tractum habet, & moram exigit, tum præ magnitudine sui, tum præ venustate quam in capite Reipublicæ, iucundum est omnibus contẽplari. Modesta ergo breuitate, in inspiciendo corpore eius immoremur, & quid super hoc Plutarchus censeat audiatur. Nam deducta superstitione gentilium, fidelis est in sententiis, in verbis luculentus, & in sacrario morũ tantus arbiter, vt facile præceptorẽ Trajani possis agnoscere. Si quid autem apud eum à fide dissentit, aut moribus, tempori potius quam viro adscribatur. Si enim Virgilio licuit aurum sapientiæ, in luto Ennij quærere, quæ innata est, quæ ad eruditionem nostram à gentibus scripta sunt nostris communicare? His ergo omissis ad reliqua procedamus.

C A P. I.

Epistola Plutarchi instruentis Trajanum.

EXstat Epistola Plutarchi Trajanum instituentis, quæ cuiusdam Politicæ constitutionis exprimit sensum. Ea dicitur esse huiusmodi. Plutarchus Trajano Salutem dicit. Modestiam tuam noueram non appetere principatum, quem tamen semper morum elegantia mereri studuisti. Quo quidem tanto dignior iudicaris, quanto à crimine ambitionis videris esse remotior. Tuæ itaque virtuti congratulor, & fortunæ meæ, si tamen recte gesseris, quem probe meruisti: Alioquin te periculis, & me detrahentium linguis subiectum

A iri non dubito, cum & ignaviam Imperatorum Roma non ferat, & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores. Sic Seneca Neronis sui merito detrahentium carpitur linguis, adolescentium suorum temeritas in Quintilianum refunditur, & Socrates in pupillum suum fuisse clementior criminatur. Tu vero quidvis rectissime geres, si non recesseris a te ipso, si primum te composueris, si tua omnia disposueris ad virtutem, recte tibi procedent vniversa. Politicæ constitutionis maiorum vires tibi expressi, cui si obtemperas, Plutarchum viuendi habes autorem. Alioquin præsentem epistolam testem inuoco, quia in perniciem imperij non pergis autore Plutarcho.

Cap. II.

Quid Respublica secundum Plutarchum, & quid vicem animæ in ipsa obtineat, aut
B *membrorum.*

SEquuntur eiusdem politicæ constitutionis capitula, in libello qui inscribitur Institutio Trajani, quæ pro parte præsenti opusculo curaui inserere, ita tamen, vt sententiarum vestigia potius imitarer, quam passus verborum. Est ergo primum omnium, vt princeps se totum metiatur, & quod in toto corpore Reipublicæ, cuius vice fruatur, diligenter aduertat. Est autem Respublica, sicut Plutarcho placet, corpus quoddam, quod diuini muneris beneficio animatur, & summæ æquitatis agitur nutu, & regitur quodam moderamine rationis. Ea vero quæ cultum religionis in nobis instituunt, & informant, & Dei (nec secundum Plutarchum Deorum dicam) ceremonias tradunt, vicem animæ in corpore Reipublicæ obtinent. Illos vero, qui religionis cultui præsunt, quasi animam corporis suspicere & venerari oportet. Quis enim sanctitatis ministros Dei ipsius vicarios esse ambigit? Porro sicut
C anima totius habet corporis principatum: ita & hi, quos ille religionis præfectos vocat, toti corpori præsunt. Augustus Cæsar eousque sacrorum pontificibus subiectus fuit, donec & ipse, ne cui omnino subesset, Vestalis creatus est Pontifex, & paulo post ad Deos acclatus est viuus. Princeps vero capitis in Republica obtinet locum, vni subiectus Deo, & his qui vices illius agunt in terris, quoniam & in humano corpore, ab anima vegetatur caput & regitur. Cordis locum senatus obtinet, à quo bonorum operum & malorum procedunt initia. Oculorum, aurium, & linguæ officia, sibi vendicant iudices & præsides prouinciarum. Officiales & milites manibus coaptantur. Qui semper adsistunt principi, lateribus assimilantur. Quæstores & commentarienses, non illos dico qui carceribus præsunt, sed comites rerum priuatarum, ad ventris & intestinorum refert imaginem. Quæ si immensa auiditate
D congesserint, & congesta tenacius reseruauerint, innumerabiles & incurabiles generant morbos, vt vitio eorum totius corporis ruina immineat. Pedibus vero solo iugiter inhærentibus, agricolæ coaptantur, quibus capitis prouidentia tanto magis necessaria est, quo plura inueniunt offendicula, dum in obsequio corporis in terra gradiuntur, eisque iustum tegumentorum debetur suffragium, qui totius corporis erigunt, sustinent, & promouent molem. Pedum adminicula robustissimo corpore tolle, suis viribus non procedet, sed aut turpiter, inutiliter & moleste manibus repet, aut brutorum animalium ope mouebitur. Ponit in hunc modum, more suo, quam plurima, quæ diligentius diffusiore tractatu prosequitur, ad informationem Reipublicæ, & magistratuum eruditionem. Quæ omnia syllabatim exequi, seruilis interpretationis est, quæ potius affectat speciem, quam vires authoris exprimere. Et quia apud ipsum de ceremoniis, & cultura Deorum, plura quæ religioso principi putabat ingerenda, superstitiosius disputata sunt, his omissis, quæ ad idololatriæ cultum per-
E tinent, perstringamus breuiter sensum hominis, quo principem, & officia Reipublicæ ad cultum iustitiæ informabat.

Cap. III.

Quæ præcipue versentur in intentione Plutarchi: & de reuerentia exhibenda Deo & rebus sacris.

IN summa ergo quatuor sunt, quæ nititur Reipublicæ principibus inculcare: Reuerentiam Dei, cultum sui, disciplinam officialium, & potestatum, affectum & protectionem subditorum. Deum ergo in primis asserit honorandum, deinde seipsum colendum vnicuique, vt secundum quod Apostolus sentit, (licet ille Apostolum non agnoscat) vnusquisque vas suum possideat in sanctificatione & honore. Post, vt doctrinam præpositi, totius disciplina domus redoleat, & tandem vniuersitas subiectorum, de capitis præpositorum sibi incolumitate
F lætetur. Magnorum quoque virorum strategematibus, & strategematicis vtitur, quæ si per singula inserantur, tædiosa erunt lectori, & pro parte à fidei nostræ sinceritate recedent. Cæterum, quia sancti Patres, & principum leges, illius, deducta tamen perfidia, videntur inhærere vestigiis, doctrinam eius, sermone catholico & succincto, adiectis ex parte strategematicis eius, attingamus. Porro ei initium à reuerentia numinum est, nobis à Deo, qui ab omnibus generaliter amandus est, & colendus ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus suis. Probatio vero dilectionis: exhibitio operis est. Et licet per seipsum possit amari, tanquam qui citra opem medij se infundat amanti, tamen ad cultum exteriorem alicuius medietatis interuentus necessarius est, eo quod Deum nemo viderit vnquam. Videndi vero nomen ad appellationẽ omnium sensuum vtriusque naturæ dilatabis, quia præsentialiter & pure non sentiet eum homo, & viuet, nisi forte ea sensuum parte, quæ corporis nescit angustias, nec defectum temporis sentit, sed viuacitate sui, ex gra-
G tia permanet in æternum. Charitatem loquor, quæ non euacuatur, sed proficit, quanto ad eum, quem desiderat familiarius accedit. Nam fides & velum habet, & spes de gratiæ meritique fomento, conscientia demulcente, voti sui lætitiam in futura protendit. Fides itaque & spes imitantur quidem sensum, subsistunt tamen citra, agentes interim quasi per speculum, & in ænigmate, donec earum species, immutata veritatis substantia, plenarie illucescat. Qui vero nullo potest sensu perspicue videri, facile nequit agnosci. Quod autem non agnoscitur, diligenter coli non potest, nisi per medium. Vnde & Numam Pompilium ceremonias quasdam legimus indixisse Romanis & sacrificia, vt sub immortalium Deorum prætextu, ad colendam pietatem, religionem & fidem, & cætera, quæ eis intimare volebat, ipsos facilius inuitaret. Testantur hoc ancilia atque Palladium, sacra quædam imperij pignora, Ianus bifrons, belli & pacis arbiter, focus Vestæ virginibus con-
H secratus, quo in honore cælestium siderum flamma, custos imperij, iugiter vigilaret. Sed & annus in menses duodecim dilatatus, fastorum & nefastorum dierum varietate depictus, Pontifices, Augures & sacerdotiorum varij ritus, quibus ita barbariem occupauit, vt ab iniuriis temperarent, feriarentur ab armis, iustitiam colerent, & ciuilem sibi inuicem impartirent affectum; eoque ferocem redegit populum, vt imperium, quod vi (vt dicitur) & iniuria occupauerat, iustitiæ & pietatis legibus feliciter gubernaret. Sed quid profero Numam, cum & patres fidei nostræ, veteris legis sacrificia asserant instituta, ne in dæmoniorum cultu populus occupatus, veræ religionis dedisceret cultum, ritu gentium sacrificia sua dæmoniis immolans, & non Deo? Colitur ergo Deus, aut affectu mentis, aut exhibitione operis. Sed affectus dilectionis ipsum pure attingit, licet aliquo sensu corporis vel animæ, dum peregrinatur à domino, & mens mole corporis prægrauatur, plene nequeat comprehendi; & certe eo amatur ardentius,

A & studiosius quæritur, quo altitudo & immensitas diuitiarum potentiæ & sapientiæ suæ omnem exuperat intellectum: virtute tamen tanta omnem creaturam circumit, penetrat, implet & protegit, vt nequaquam latere valeat quamlibet rationabilem creaturam. Ipsa quoque irrationabilia ipsum esse, & talem esse, & tantum, plurimis indiciis protestantur. Miro itaque modo sic intelligentiam sui infundit vt subtrahat, sic subtrahit vt infundat, & secundum mensuram beneplaciti sui sic operatur in singulis, vt cum intensionis & remissionis vices ignoret, etsi non per essentiam, qua omnem replet vniformiter creaturam, plus vel minus videatur inesse per gratiam. Nam per vnionem in solo vnigenito virginis filio esse fideliter approbatur. Est itaque nunc quasi singula in singulis futurus, vt scriptum est, omnia in omnibus electis. Et sicut natura ignis, collatione tamen dispari, quoniam ei nihil potest pariliter comparari, à sole diuersos pro corporum diuersitate producit effectus: sic illa (si tamen magna B maximis conferre liceat) in multis multipliciter lucet. Solaris siquidem radius, si forte incidat in carbunculum, egrediens aut reuerberans rutilus, vicinum facit aërem rutilare. Idem ignis in smaragdo virescit, firmamento puriori in sapphyro conformatur. Hiacynthi quoque speciebus efficitur concolor. In topazio, quo rarior est, eo preciosior est. † omnium fere colore superbit. Si ei Irim obiicias, Thaumantiadis repræsentabit imaginem. Aquæ superiectus, vndat in lacunari, sed & ignem cœlestem in supposita traiicit per berillum. Vides igitur in multis quam multa sit ignis. Sic in aliis est prudentia, fortitudo in aliis, temperantia in quibusdam, in quibusdam iustitia, in nonnullis fides, longanimitas spei in aliis, in his est feruor charitatis, hic patientia laborum, illic dolorum consolatio, alibi perseuerantia bonorum operum: quæ tamen singula in singulis est vnus & idem Deus. At in futuro, quando immediata facie per gratiam eius videbimus eum sicuti est, omnia in omnibus erit, quando nulli ad beatitudinem alicuius C virtutis substantia deerit, cum ipse in omnibus futurus sit plenitudo virtutis, & cumulus beatitudinis; adeo quidem; vt iuxta traditionem patrum, tanta maiestatis sua plenitudine videatur adesse electis, vt nihil eis desit in vlla gratia, & ipse fere solus videatur & illius nomine censeantur, salua veritate substantiæ & sine omni versabilitate naturæ. Hinc forte est illud: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*, cum sibi tunc peruia credantur esse corda sanctorum, & vnusquisque non modo in sua, sed in omnium conscientia glorietur. Sicut enim ignis, vt in prædicta moremur similitudine, ferri naturam penetrat, & accendit, vt nihil cernatur in eo nisi ignis, & sicut solaris radius illustrans aërem, solis vel radij censetur nomine, sic Deus omnes replebit electos, vt omni infirmitate & mutabilitate absorpta, cum mortale immortalitatem, & corruptibile incorruptibilitatem induerit, Deus fere solus in omnibus agnoscatur. Ad hanc nonnulli sententiam referunt, quod angeli iam futuræ beatitudinis partici-D pes, visi ab hominibus adorantur, eo quod in eis visa est quædam præsentia deitatis, cum tamen creaturam à creatura adorari omnino non liceat. Sic etiam in facie saluatoris aliquid deitatis resplenduit, quando de funiculis facto flagello, vendentes & ementes eiecit de templo, docens omnem negotiationem exterminandam esse à domo orationis. In aliis vero etsi adsit diuinitatis præsentia, plenitudo eius in præsenti nequaquam adest, sed vsquequaque latere non potest. Est igitur in maiestate mirabilis, venerabilis à sapientia, à bonitate amabilis, & hunc cultum citra omnem medietatē potest ei fidelis impendere creatura. Quid enim aliud necesse est ad hoc vt eum timeamus, veneremur, & diligamus? Et hic forte est funiculus triplex inter creatorem & creaturam, qui facile solui non potest. Sed omnium tenacissima est vis amoris. Charitas siquidem nunquam excidit, quâ si quis adhæret Deo, vnitur ei, & cum eo vnus spiritus est. Vtique qui vnitur ei, & sicut vnus

† al. emicat.

spiritus, sic familiaris est, & ab obsequio eius quod est E in spiritu, arceri non potest. Ille autem cultus, qui in exterioris operis exhibitione consistit, medio indiget, eo quod ad spiritum, corporalis nobis non patet accessus: quod & illum planum est docuisse, qui in Samaritana Ecclesiam instruens, ait; *Spiritus est Deus & eos qui volunt adorare, in spiritu & veritate oportet adorare.* Vt tamen ad thronum illius quocunque modo humilitatis nostræ conscendat infirmitas, & aliquam habeat materiam meritorum, sensualiter coli voluit, qui sensum dedit, & qui animam glorificabit, & carnem, vtriusque fidelem expetit famulatum. Se quoque voluit etiam corporaliter honorari, vt quantavis tarditas infidelitatis, aut negligentiæ, excusationem non habeat.

Cap. IV.

De reuerentia personarum, & rerum; & quot modis persona sit venerabilis.

Reuerentia ergo quæ corporaliter impenditur, aut in personis consistit, aut in rebus. Personarum vero ratio habetur aut à natura, aut ab officio, aut à moribus, aut à conditione, aut a fortuna. Natura parentes veneramur & liberos, & quos nobis caro coniunxit, vtputa vxorem, cognatos, & affines. Vnde & gentium iure receptum est, eo quod peræque fit apud omnes gentes. Ad hoc etiam diuino iure vrgemur, qui scriptum nouimus, *Honora patrem tuum & matrem, vt sis longæuus super terram, & qui patri vel matri maledixerit, morte morietur.* Liberos non multum oportuit commendari, eo quod nemo carnem suam odio habuit. Sed nec vxorem, propter quam homo patrem relinquit & matrem, adhærens vxori suæ, vt sint duo in carne vna. Non tamen in hac parte diuinæ legis mandata desunt, etsi propter naturæ stimulum, qui satis vrget, rarius inserantur, protenduntur tamen ad cognatos & affines, quos per se natura commendat. Offi-G cium vero est debitum exequendi quæ vnicuique ex institutis, aut moribus agenda sunt. Ex eo namque personis singulis proprij congruunt actus. In his autem quæ sic agenda sunt, alia ad publicum, alia ad suum cuiusque pertinent statum. Ex quo liquet officiorum quædam publica, quædam priuata conuenienter dici. Priuatorum vero tanta multiplicitas est, quanta fere est diuersitas personarum. Publica quidem omnia referuntur ad duas species, aut enim à diuino, aut ab humano iure descendunt. Hæc autem ex libris officiorum latius parent, sed pertinent ad præsentem articulum, vt publicis officiis reuerentia impendatur. Tanta namque debetur eis, quanta est eminentia cuiuslibet magistratus. Hanc quidem aut facit, aut indicat vniuscuiusque competens iurisdictio, cum reuerentia magistratuum, aut contemptus redundet in honorem, aut contumeliam subiectorum. Vnde in constitutionibus principum, magistratuum edictis, aut promulgationibus, per prolepsim plurium fit conceptio personarum, vt H non tam personæ, quam vniuersitatis constitutio videatur esse, vel quævis alia promulgatio. Hoc etiam iura, vel canones ignoranti, ex vsu quotidiano perspicuum est. Porro rationem officiorum, non modo canonum & legum scita, sed & ethicorum omnium præcepta exequuntur. Mos autem est mentis habitus, ex quo singulorum operum assiduitas manat. Non enim si quid fit semel aut amplius, statim moribus aggregatur, nisi assiduitate faciendi vertatur in vsum. Hic † autem virtutes & vitia † [non mores esse,] æque complectitur, licet vitia non mores esse, sed à plerisque dicantur moribus obuiare. In quo planum est, solas virtutes censeri nomine morum, cum bonos tamen, aut malos dicimus mores, vitia distinguimus & virtutes. Vnde moratos à bono, siue morigeros, morosos vero à vitiis nominamus. Quod & ipsum plenitudinis nomen videtur innuere, cum nulli in carne contingat

† al. aut.
† al. absunt.

A adess: satietatem morum, & mulris adsit superfluitas
vitiorum. Cum ita à moribus quis reuerentiam con-
trahere dicitur, ei virtutes quibus honor exhibendus
est, inesse significatur. Quis enim non veneretur, &
vereatur illum, quem prudentem, fortem, temperan-
tem, credit & iustum? Hinc est etiam consilium sa-
pientis, ei qui timeri appetit, amari, honorari, & præ-
ferri, vt Deum timeat, amet, veneretur, & ei se tota
deuotione summittat. Conditionem qoidam esse defi-
niunt, fortuitum personæ statum, quo aut aduersis de-
primitur, aut extollitur prosperis, & alterutrius sortis
naturam sui ipsius facie protestatur. Quale est quod alios
veneramur ingenuos; aliis seruiles contumelias irroga-
mus. Istorum diuitias colimus; illorum contemnimus
paupertatem. Naturam diffinire difficile est, vt asserit
Tullius. Ego difficilius credo diffinire fortunaio, eo
quod huius nulla, illius aliqua substantia est. Natura
siquidem rebus originem præbet; quod nequaquam ef-
B ser, si in veritate ipsa non esset. Quod enim omnino
non est alicui præstare non potest vt sit. At fortuna cum
non sit; oon potest diffiniri. In eo siquidem quod non
est, noo potest cuiquam constare quid sit. Efferant
Epicurei præcipuas sententias suas, quas κυρίας δόξας vo-
cant, quibus totius Philosophiæ putant seruire proces-
sum, & more suo fortunæ subiiciant vniuersa. Ego
in hoc, sicot & in Plurimis, Plutarchum censeo audien-
dum, qui deam cæcam colendam esse negat, asserens
eam nisi à cæcis coli non posse. Multa quoque propo-
nit exempla, quibus liquet omnes cæcæ deæ cultores
cæcatos, & præcipitatos tandem in foueam exterminij.
Testatur hoc Galba, qui totam ætatem luculenter pro-
ducens in senium, huius deæ familiaritate & culto, in
breui elatus, & io breuiori præcipitatus est. Qualiter
autem apud Suetonium quære. Queritur tamen præfa-
tus Philosophus, & in aure iam dicti principis lachry-
mabiliter ingemiscit, & quod hæc vitio cæcitatis, &
temeritatis probrosa dea, & omnibus ignominiosa nu-
C minibus, omnium deorum templa fœdauerit, & deo-
rum omnium præripuerit cultum, vt præter ædes pri-
uatas, quas in orbe & vrbe passim habet, rupem etiam
Tarpeiam occupauerit, supremo Ioui coæquata, & pu-
blicæ fortunæ imago aurea in Capitulo ab aduenis, con-
uenis, & indigenis, publice adoretur, & tantam præ
cæteris habet autoritatem quod in tota ratione morta-
lium (vt dici solet) sola vtramque paginam videtur im-
plere. Videas eam ibi rotam versare volubilem, quod-
que magis mirere, eiosdem rotæ impulsu de pectore Io-
uis sororum pensa præcipitat & conculcat. Quisquis
enim fortunam statuit, fata præcipitat & conuellit.

Fata, inquit Stoicus, *regunt homines, fatum*
est in partibus illis,
Quas sinus abscondit.

Hinc paradoxæ Stoicorum κυρία δόξα Epicuri reclamat
Fatalem inquit tolle necessitatem, quia

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul;
Si voles hac eadem, fies de Consule rhetor.

D Cæterum vt cum fortuna vel mitius agamus, sit ioopi-
natorum euentuum forma, & licet conditioni videatur
plurimum vicinari, eo quod fortuitorum concursus sta-
tum efficiat, quam conditionem esse prædiximus, in eo
tamen plurimum differt, quod conditio nunc à natura,
nunc ab officio, nunc à moribus est, nunc à variis figu-
ris euentuum. Fortuna semper consistit in his quæ im-
prouisa emergunt. Eam vsquequaque nititur euacuare
Plutarchus, & ex præmissis quatuor locis, naturæ, of-
ficij, morum, conditionis, totius reuerentiæ manare
credit originem. Superstitiosius tamen hoc infidelium
more exequitur. Vnde nonnullas sententias eius, sensu
& sermone catholico curaui inserere. Ille quidem in
cultu deorum eos præcipue asserit venerandos, qui ei
familiarios & vicinius accedunt. Aut natura, vt Liber
Indorum domitor, Hercules, qui eo ipso in se Iouem
protestatus est, quod angues iugulauit in cunis. Aut
officio, vt pontifices, præfectosque sacrorum. Aut
moribus, vt Philosophos, qui mentis diuinæ haustum
inuestigatione & dispensatione sapientiæ indicant. Aut E
conditione, vt quos fauor numinis extulit, vt aliis
præcellent, ex causa potius familiari, quam officio pu-
blico. Sermo quidem perfidus est, & omni reproba-
tione dignus, sensusque verborum, qui Philosophum
non decet. Sed forte quid de natura Deorum non sen-
tiret, in auribus corrupti populi proloqui non aode-
bat, qoi legerat combustos esse libros Philosophi Pytha-
goræ, & ipsum actum esse in exiliom ab Atheniensibus,
eo quod dubitauerat, an de diis vera essent, quæ vulgo
dicebantur. Quid ergo contrarium auderet asserere, qui
nec ipsam dubitationem erroris oouerat impunitam? Est
itaque verisimile quod morem auditoribus gesserit, &
vt eos ab illicitis reuocaret, aliquid indulsisse errori.
Nam in doctrina morum, luculentissimus est. Eoque
huic opioioni facilius acquiesco, quod Apostolus gen-
tium, fide tamen & religione incolumi, omnibus om-
nia factus est, vt omnes lucrifaceret. Nos autem qui-
bus de cœlo veritas illuxit, non deorum qui nulli sunt,
sed veri Dei ministris, & amicis magnam reuerentiam F
credimus exhibendam; sed & inimicis eius interdum,
quoniam hoc ipse præcipit, qui sæpe maximam ad eru-
ditionem suorum, pessimis hominibus contulit pote-
statem. Vnde illud, *Subiecti estote omni humana crea-
tura propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue duci-
bus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, lau-
dem vero bonorum.* Et illud, *Serui subditi estote dominis
vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*
Amici quidem fiunt Dei, aut gratia cessantibus meritis,
vt Hieremias, & Ioannes sanctificati antequam nati,
& gemma sacerdotum Nicolaus quarta & sexta feria
semel lactens in cunis. Aut meritis ex gratia, vt qui
facili via bonorum operum, sicut pœnitens latro, vide-
licet difficili & felici transitu meretur Regna Cœlorum,
velut Apostolorum chorus, & Martyrum. Hos autem
tres ordioes innuit Maro,

Facilis descensus Auerni.
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras, G
Hoc opus, hic labor est, pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dis geniti potuere.

Quos ergo morum elegantia diuinæ videmos bonitati
conformes, debemus tanquam verissimam & fidelissi-
mam Dei imaginem venerari. Ministri vero sunt, quos
dispositio diuina vocauit, vt corripiendo & corrigendo
vitia, aut virtutes inserendo, aut propagando, suam &
aliorum procurent salutem. Qui vero ei in iure humano
ministrat tanto inferiores sunt his qui ministrant in di-
uino, quantum diuinis humana cedunt.

Cap. V.

*Quæ pœna immaneat his, qui ministris Ecclesiæ loco-
corumque venerabilium iniurias inferunt: & de
priuilegiis locorum venerabilium: & quod absolutio
nec per vim extorqueri, nec surripi potest per* H
fraudem.

IN his autem qoi intra diuina ministrant, Deus præ cæ-
teris honoratur aut spernitur; cum illorum honorem,
aut contemptum proprium reputet. Hinc est illud,
Ego dixi Dij estis, & labia sacerdotis custodiunt scien-
tiam, & legem requirunt ex ore eius, qoia Angelus
Domini exercituum est. Ipsa quoque veritas ait, Qui
vos audit, me audit. Qui vos recipit, me recipit, &
qui vos spernit, spernit eum qui me misit. Et qui tan-
git vos, tangit pupillam oculi mei. Illa vero reueren-
tia, quæ in rerum veneratione cousistit, multiplex est.
Aut enim corporales res sunt, vt ædes & loca sacra, &
quæ piis dicantur vsibus, & sacrificia quæ visibiliter exer-
centur. Aut incorporales, vt iura quæ sacris rebus com-
petunt, quæ temerare sacrilegium est, morte piandum,
aliaue pœna grauissima, pro qualitate admissi. Rerum

A ergo sacrorum immunitatem conuellere, insurgere in Deum est, & quasi vendicare eum in seruitutem. Et quidem de iure diuino pro se possent multa proponi, sed vt æmulæ potestatis non obloquatur audacia, in hac parte statuta principum latius & benignius patent, quæ fidem Christianam venerantur, approbant, & Ecclesiarum & ministrorum omniumque locorum venerabilium priuilegia vniuersa confirmant. Quis enim principis, cuius memoria in benedictione est, Arcadium loquor, constitutionem non audiuit? Si quis in hoc genus sacrilegij prorupit, vt in Ecclesias Catholicas irruens, sacerdotibus & ministris vel in ipso cultu locoue aliquid importet iniuriæ, quod geritur à prouinciæ rectoribus animaduertatur, atque ita prouinciæ moderator, sacerdotum & Ecclesiæ ministrorum, loci quoque illorum & diuini cultus iniuriam, capitali in conuictos siue confessos reos sententia nouerit esse vindicandum. Nec expectet vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, B cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, sitque cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias, veluti publicum crimen persequi, ac de talibus vltionem mereri. Item: Placet clementiæ nostræ vt nihil commune clerici cum publicis actionibus habeant, vel ad curiam pertinentibus, cuius corpori non sunt annexi. Et alibi, Si Ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri condemnatione plectatur. Quæ vero priuilegia Ecclesiarum locorumque venerabilium, & ministrorum sunt, diuino fiunt & humano iure notissima, cum vel vsu iam liqueat, quod non possunt nisi apud iudices Ecclesiasticos conueniri; & si quis in aliquem de clero violentas manus iniecerit, anathemate feriatur, vt nisi per Romanum Pontificem absolui non possit. Huius criminis alibi frustra quæritur venia, nisi articulus mortis forte immineat, quia nec per vim extorqueri, nec surripi potest per fraudem. Authore Claudiano Theodosius ait,

C *Non extorquebis amari;*
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Nihilominus verum est, quia non extorquebis absolui, quod sola contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis promerentur. Vtique non ius, sed gratia sola iustificat impium, & fraus peccatori non prodest, quia Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum, nec habitat in corpore subdito peccatis. Alibi me dixisse recolo, quia, teste magno patre Augustino, simulata innocentia non est innocentia, sed duplex malitia, quia & malitia est, & simulatio. Æquitas quoque simulata non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est & simulatio. Vnde immoderato stupore confundor, cum frequentissime videam, nescio fideles an infideles dicam, in sacrilegio huiusmodi deprehensos, ad hoc totis viribus anhelare; vt & minis & terroribus vrgeant sacerdotes ad absolutionem præstandam, quam nec isti fideliter dare, nec illi in contumacia vtiliter accipere possunt. Sane facilius est vtrumque inuolui, D quam alterum istorum expediri. Vtrius tamen culpa sit grauior, non facile dixerim. Hæc de his quæ in politica constitutione Plutarchi, vicem animæ obtinent.

Cap. VI.

De principe qui caput est reipublicæ & de electione eius, & priuilegiis, & præmio virtutis & culpæ; & quod beatum Iob debeat imitari; & de virtutibus beati Iob.

SEquitur vt eius imitantes vestigia de membris Reipublicæ dispiciamus. Dictum est autem principem locum obtinere capitis, & qui solius mentis regatur arbitrio. Hunc itaque, vt iam dictum est, dispositio diuina in arce reipublicæ collocauit, & cum nunc arcano prouidentiæ suæ ministerio, cæteris præfert, nunc quasi E suorum iudicio sacerdotum, nunc ad præficiendum totius populi vota concurrunt. Vnde & in veteri testamento legitur, quia Moyses cum † ordinatos; qui præesset in populo, conuocauit omnem synagogam, vt eligeretur astante populo, ne qua post modum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Legitur in libro Regum, quod Saül Rex futurus apparens in facie populi, ab humeris sursum supereminebat vniuersum populum. Quare quæso, nisi quia quem oportet præesse aliis, pectore debet & ore prominere, vt quasi bonorum operum vlnis totius populi latitudinem amplexari valeat, & protegere tanquam doctior, sanctior, circumspectior, & omni virtute præstantior? Dicit enim Dominus ad Moysen; Assume ad temetipsum Iesum filium Naue, hominem qui habet spiritum Dei in semetipso, & impones manus tuas super eum, & statues coram Eleazaro sacerdote, & præcepta ei dato in conspectu totius synagogæ, & præcipe de ipso coram eis, & dabis claritatem tuam super illum, vt audiant illum filij Israël. F Audis euidenter ordinationem principis populi tam manifeste descriptam, vt pene expositione non egeat. Si eam tamen manifestius quæris, eam tibi autore Domino, suo loco & tempore cum præceperis explanabo, adiciens indumentorum, & quorundam sacramentorum significationes. Hic autem plane nulla est populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Mortuo Salphaat, filiæ paternam apud Moysen vendicant hereditatem. Petitionem earum iustam esse, Deus ipse testatur. Propinquis namque agrorum, & prædiorum hæreditas relinquenda est, & vt plurimum actionum. Gubernatio vero populi, illi tradenda est, quem Deus elegerit homini scilicet tali, qui habet spiritum Dei in se, & præcepta Dei in conspectu eius sunt, qui Moysi valde notus sit & familiaris, id est, in quo sit claritas legis & scientia, vt possint eum audire filij Israël. Nec tamen licitum est fauore nouorum, recedere à sanguine principum, quibus priui- G legio diuinæ promissionis, & iure generis debetur successio liberorum, si tamen (vt præscriptum est) ambulauerint in iustitiis Domini. Si vero à via paulisper deflexerint, non statim vsquequaque deiiciuntur, sed patienter corripiuntur in iustitia, donec fiat conspicuum eos pertinaces esse in malo. Neque enim Roboam statim excussus est à solio patris, sed ex quo seniorum contempto consilio, recessit à via Salomonis, onus importabile volens imponere filiis Israël. Veruntamen scissum est regnum eius, recedentibus decem tribubus post Hieroboam seruū Salomonis, fueruntque regna diuisa, dum Regnum habuit Iuda vel Israël. Sensit ergo de contumacia pœnam, de gratia Dei & priuilegio sanguinis misericordiam, vt rex quidem maneret, sed magna Regni parte mutilatus. Vnde hoc illi? Quia adhæserat consiliis iuuenum, contemnens vias & præcepta prudentiæ. Impossibile enim est, vt salubriter disponat principatum, qui non agit consilio sapientum. Væ, inquit, terræ cuius Rex puer est, & cuius consiliarij mane comedunt. H Beata terra cuius Rex nobilis est, & cuius principes vescuntur tempore suo, ad refectionem, non ad luxuriam. Ibi enim sapientia esse non potest. Hinc sanctus Iob: Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Non æquabitur ei labentium quicquam, trahitur enim sapientia de occultis. Longe vtilius iuuenes repulisset acquiescens consilio seniorum, vitam beati Iob habens regnandi formam. Audi ergo quid de se fateatur. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Quando procedebam ad portam ciuitatis & in platea, cathedram parabant mihi. Videbant me iuuenes & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & supponebant digitum ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns, testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor. Benedictio pe-

† *forte ordinatum esset.*

A ritiuti super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Conterebam molares iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Dicebamque, In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur. Qui me audiebant, sententiam expectabant, & intenti tacebant ad consilium meum Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum. Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. Cumque sederem quasi Rex exercitu circumstante, eram tamen mœrentium
B consolator. Ecce regnandi in viro iusto ex magna parte expressa est formula, quam si per singula exequi voluerimus, integri libri magnitudinem, inserrarum virtutum series vel sola complebit. Diligens lector singula verba discutiet, quia in his omnibus nec iota, nec apex à mysterio salutis vacat. Pauca tamen quæ in ipsa superficie verborum eminent, quanta potero breuitate perstringam. Quando, inquit, lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei, cum in parata cathedra residerem in platea, abscondebantur iuuenes, & mihi senes astabant. Innuit ergo quia rerum affluentia, gratiarumque concursus, ei prudentiam non excusserint, sed in his omnibus ex conscientia, & testimonio bonorum operum autoritas inconcussa permansit. Egrediebatur enim ad portam qui latebris, non egebat, & qui docendi promeruerat sedem, senum prudentiam erigebat, leuitate iuuenili abscondita. Cessabant loqui principes, & lingua ducum gutturi adhærebat, non audientes grandia loqui, & imponere in
C humeris hominum onera importabilia, quæ nec super-
† al. folie ficie digiti tangi † possunt. Docebat enim omnem virtutis laudem in actione consistere, cassumque esse splendorem verbi, cui nec est soliditas operis. In omni opere, inquit Salomon, erit abundantia, vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. Principum vero
† al. das tam & † diuitum est, alios in via morum præcedere, non quæ facienda sunt, aliis tumide intonare. Auris audiens, & oculus videns beatificabit me. Instrumenta corporis eleganter expressit, quibus sensus animæ maxime conualescit. Exteriorum namque notitia oculi & auris obsequio fidelissime transit ad animam, & thesauros cordis sæpius lingua incauta dispergit. Quod vero audiens & videns adiecit, sapientis iudicium exprimit, iuxta illud, Beatus qui loquitur in aure audientis. Non itaque beatificatum se dicit linguis hominum, quæ in alterutram partem vel amore, vel odio frequenter impelluntur. Sufficit ei testimonium conscientiæ, præsertim cum roboratum sit iudicio sapienrum. Eo, inquit, quod libe-
D rassem pauperem, pupillum & perituum, & consolatus sum cor viduæ. In his enim maxime principalis claret autoritas, quæ à Domino instituta est, ad iniurias propulsandas. Hæc quidem opera sunt misericordiæ, & erit nomen agentis ea, benedictum in secula. Sed ne credas cum remissiore clementia vitiis audaciam præstitisse: Iustitia, inquit, indutus sum, & diademate iudicio meo. Causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Oportet enim iudicem cuncta timari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec ante obuiare alicui, quam causa sit legitimis rationibus plenissime limitata. Vt enim ait Ethicus, ad pœnitendum properat, quisquis citu iudicat. Conterebam molas iniqui. Iniquus est quisquis in iudiciis sequitur non causam, sed prædam. Qui sic munera diligit, vt sequatur retributiones. Et licet æquum sit, quod decernit ad pretium, auaritiæ seruiens pergit in mortem. Vnde sequitur; Et de dentibus illius auferebam prædam, dicebamque in nidulo meo moriar. Mentem itaque com-

posuerat, qui rerum suarum amplitudine contentus erat. E
Nec auaritiæ aut ambitionis stimulo vrgebatur, vt domum domui, agrum agro coniungeret; vsque ad terminos loci, ac si solus habitaturus esset in superficie terræ. Et sicut palma multiplicabo dies. Rem admirandam! Aristoteles in septimo problematum, & Plutarchus in octauo memorabilium dicit, Si super palmæ, inquiunt, arboris lignum, magna pondera imponas, ac † tantum † al. tam.
grauiter vrgeas, onere, vt magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum cedit, nec in terram flectitur, sed aduersus pondus surgit, & sursum nititur, recuruaturque. Propterea, inquit Plutarchus, placuit palmam signum esse victoriæ in certaminibus, quoniam ligni ingenium huiusmodi est vt vrgentibus opprimentibusque non cedat. Fertur item quod ramus eius palmæ, quæ Græce dicitur basileros, auelli non potest si trahatur deorsum, sed si sursum producas cedit. Constat autem quia truncus palmæ, vel stipes à radice contrahitur, F
sed in superioribus dilatatur. Secus autem est in quauis arbore, quæ tanto magis turgescit, quo ad terram stipes vicinius accedit. Per palmam ergo significatur iustitia inuincibilis, quæ descensum nou nouit, sed solum ad superiora processum. Vnde iustus vt palma florebit. Radix mea aperta est, secus aquas scripturarum vtique & virtutum, de quibus supra, & ros scilicet gratiæ morabitur in messione mea. Intellige bonorum operum, quorum manipulos electis reponet apud se in illa die iustus iudex. Vnde sequitur; Gloria mea sempet innouabitur, & arcus meus instaurabitur, quia

Est aliquid quo tendit, & in quod dirigit arcum
iustus, *nec passim sequitur coruos testaque lutoque.*

Qui me audiebant, expectabant sententiam, &c. Sæpe dictum, sententiam in bono semper accipiendam esse, iuxta illud, Sapientior videtur sibi piger septem viris loquentibus sententias. Audis in sapiente tria concurrere. Intenti, inquit, tacebant ad consilium meum, verbis meis nihil addere audebant, stillabat super eos eloquium meum. Res ardua desiderat attentionem, & virum grauem decet cosilia meditari, vt quicquid agit, G
quicquid loquitur, sit pro consilio homini sapientiam affectanti. Est autem oris circumcisi illa proferre, quibus nihil liceat demi vel apponi. Est autem viro graui turpissimum, si iugiter se fabulis & nugis immisceat, & inter congarrientes perstrepet, veluti rabulus anser admixtus oloribus, & omnem materiam credat aptam esse litigiis.

Ambigitur quid enim Castor sciat, an docilis plus.
Brundusium Numici melius via ducat, an Apy.

Præterea quæ abundant, sui copiositate vilescunt, & cum multiloquio peccatum non desit, pauca prudenter loquentis sermo est pretiosus. Vnde Socrates quo quærenti modo quis famam optimam compararet, si gesserit, inquit, optima, & locutus fuerit pauca. Hoc est quod vir iustus & veritus delinquere in sermone, dicit stillasse eloquium suum. Qui enim non delinquit in verbo, hic perfectus est vir. Si quando ridebam ad eos, non credebant. Risus leuitatis indicium, & quo potentior, eo pudentior, & reprehensibilior est. Ait enim, Stultus in risu exaltat vocem suam: & saluator fleuit, qui vtique risisse non legitur. Nec enim facile crediderim pronum esse ad cachinnum, qui sub tanta ambiguitate de risu loquitur, vt etsi riserit non credatur. Et lux vultus mei non cadebat in terram. Risit forte vir iustus, sed cum in hilaritate, temporalis ineptia non resoluit, & quicquid terrenum in moribus, vultum verebatur austerum. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. Prima siquidem cathedra dignus erat, qui alios tantarum virtutum itinere præcedebat. Cum sederet quasi Rex famulantibus aliis, lachrymas mœrentium abstergebat. Iocunda siquidem conclusio; cum potestas publica sic studet præesse, vt in vniuersitate sua tristem aliquem esse non patiatur. Qua vero arte id fiet; moralis campus subiectus exequitur, tanta quidem amœnitate florum, & fructuum vbertate,

vt

A vt si quis eum ingreditur, Paradisi se deliciis gaudeat interesse. Miraris forte & attonitus obstupescis, quemquam in exilio carnis huius, tantæ dulcedinis esse participem, & cælestium ciuium esse conciuem. Sed an ita esse possit, ex operibus viri iusti tu ipse diiudica. Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. Si despexi prætereuntem eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerint mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Si leuaui super pupillum manum meam, cum viderem me in porta superiorem, humerus meus a iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus conteratur. Semper enim quasi tumentes fluctus super me timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Si putaui aurum robur meum, & dixi obrizo fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitiis meis, &
B quia plurima repent manus mea. Si vidi Solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum. Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt saturemur? Foris non mansit Peregrinus, ostium meum patuit viatori. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui & egressus sum ostium. Si aduersum me terra clamat, & cum ipsa sulci eius deflent; si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. An non credis eum ambulare in latitudine deliciarum Dei, qui de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, sub imprecatione tanta de se ista fatetur? Quis istorum verborum desiderat interpretationem, aut in tanta vir-
C tutum luce non videt? Nimium plane hebes est, & obtusi ingenij, cui per se ista non lucent. In vnum hic plurima congeruntur, quorum vel vnum, orbem quendam illustrare sufficeret. Si principes plura legere, vel audire fastidiunt, saltem hoc tantillum legant, audiant, & inquisitione diligenti discutiant dum initentur. Sequitur enim in eodem: Si audierint reges, & obseruauerint vocem Domini, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur stultitia. Videsne inutilium regum duplicem exitum? Aut enim per gladium transeunt, aut stultitia consumuntur. Et recte dicuntur transire per gladium, non finiri, eo quod gladius quasi quidam transitus est eis ad locum, vbi secundum multitudinem iniquitatum suarum, potentes potenter puniuntur. Sed & stultitia consumit impios, quia in depressione populi, robur principis eneruatur. Populus namque contritus, erigere vires principis non potest, aut non vult.

D

Cap. VII.

Quæ mala vel bona subiectis proueniant de moribus principum quod & aliquorum stratagematicis roboratur exemplis

QVasi, inquit, qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, sic qui dat insipienti honorem. Hoc à diuersis diuerso modo exponitur. Ego sapientiorum venia impetrata, aceruum credo Mercurij, in quo consistit ratio calculandi, quia Mercurius numen eorum est qui negotiationem exercent, & ratiociniis suis diligenter inuigilant: Mittere ergo lapidem in aceruum, quo regitur ratio calculandi, est totam turbare calculi rationem: & honorem conferre insipienti, est reipublicæ

E subuertere vitam. Et impossibile est, vt alios vtiliter regat, quem proprius subuertit error. Ait enim, vbi non est gubernator, populus corruet. Et alibi, Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates habitabuntur per sensum prudentium. Omnis potentatus vita breuis, languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidet medicus, sic & rex hodie est, & cras morietur. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, bestias & vermes. Nunquid quæso pauperes opprimuntur iniuriis, attenuantur exactionibus, rapinis multiplicibus spoliantur, iubentur in se concurrere populi, & orbem concutere, vt potentibus isti succedant hæredes? Isti namque succedunt omnibus iure suo, nec desideratur solemnitas testamenti, ab intestato emergunt omnia; velis nolis, hos habebis hæredes. In secularibus literis fertur dixisse Plato, Perinde est cum subditos opprimit magistratus, ac si caput corporis intumescat, vt à membris aut omnino, aut sine molestia ferri non possit. Hanc autem passionem sine
F grauissimo dolore membrorum tolerari vel curari, impossibile est. Si vero incurabilis fuerit passio, sic viuere quam mori miserius est. Miseris autem nihil vtilius est, quam vtcunque finire miseriam. Idem quoque dixisse legitur, Cum in subiectos potestas sæuit, idem est ac si tutor pupillum persequatur, vel eum suo mucrone iugules, ob cuius defensionem, ab eodem traditum tibi gladium accepisti. Rem namque publicam frui iure pupilli percelebre est, & eam tunc demum recte procedere, cum caput eius se vtile esse cognoscit, nisi fideliter membris cohæreat. Hæc ille, & quidem eleganter & vere. Sed vt mihi videtur, cohærentia fidelis & firma esse non potest, vbi non est vnio tenax voluntatum, & quasi ipsarum animarum conglutinatio. Quæ si defuerit, * homioum frustra sibi congruunt opera, (* al. [illegible]) cum dolus in perniciem pergat, sine affectu proficiendi. Simulatores, inquit Iob, & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effæ-
G minatos. Operibus namque causam præstat nunc pudor, timor interdum. Sed iunctura illa sordidissima est, quæ ex adipe fidei & dilectionis procedit, & in solo virtutis fundamento subsistit. Opera tamen quia morum argumenta sunt, gratiam pariunt, quia nihil vtilius, nihil efficacius est ad statum magistratuum, & processum. Inde est illud Imperatoris, aut (si mauis) versificatoris egregij, dum tamen idem eos sensisse non ambigas.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,
Rumorumue auidus: qui talia curat, inanes
Horrebit strepitus, nulla non anxius hora,
Non sic excubiæ, nec circumstantia pila,
Quam tutatur amor, non extorquebis amari.
Hac alterna fides, hoc simplex gratia donat,

Alexander cum hyeme ducens exercitum, resideret ad
H ignem, recognoscere prætereuntes copias cœpit. Cumque respexisset quendam prope exanimatum frigore iussit eum sedere in loco suo, dicens, Si in Persis natus esses, in regia sella resedisse capitale foret, sed in Macedonia naro conceditur. Fertur & aliud de eodem. Quod cum virgo eximiæ pulchritudinis, finitimæ gentis principi desponsata, inter captiuas adesse nuntiaretur, ei abstinentia summa pepercit, vt ne illam quidem aspexerit. Qua mox ad sponsum remissa, vniuersæ gentis per hoc beneficium sibi mentes reconciliauit. Sic humanitate suorum, alienorum animos sibi iustitia deuinxit. Simile est quod Scipio Africanus in Hispania egisse legitur, cui cum virgo nobilis omnium in se decoris admiratione conuertens oculos, adducta esset, eam sponso nomine Alicio reddidit, adiiciens & aurum, quod parentes in redemptionem captiuæ attulerant, vt esset virgini in dotem, aut marito in munus nuptiale. Itaque multiplici * magnificentia vniuersa gens victa, (* al. munificentia.)

quæ

A quæ forte alias cessura non fuerat. Romani imperij populo accessit. Camillo Faliscos obsidenti, magister ludi liberos Faliscorum, tanquam ambulandi causa, extra murum eductos, tradidit, dicens retentis obsidibus, ciuitatem necessario facturam imperata. Camillus vero non solum spreuit perfidiam, sed restrictis manibus post terga, magistrum virgis agendum ad parentes pueris tradidit, adeptus beneficio victoriam, quam fraude non concupierat. Nam Falisci ob hanc iustitiam sponte se dediderunt. Extat quoque eiusdem Camilli non ignobilior titulus. Cum enim post subactas ciuitates & triumphos insignes, militaris manus inuidia concitata, damnatus & expulsus est ciuitate, quasi præda communi inquius distributa. Irruentibus Senonibus Gallis in vrbem, & Romanis vndecimo milliario victis apud flumen * Alliam, nec in ipsa vrbe quicquam præter Capitolium seruari posset, & hoc auro dato, vt Galli recederent. Camillus etiam ingratæ compatiens patriæ, eosdem cæcidit, aurum abstulit, Romanorum aquilas reportauit. Vnde in sexto Virgilius. Inter cæteros Æneades prædicit Æneas.

** al. Albam.*

B

referentem signa Camillum.

Itaque ab exilio reuocatus, tertio triumphans vrbem ingressus est, & appellatus secundus Romulus, quasi alter patriæ conditor. Iulius * Hyginus in libro sexto de vita rebusque virorum illustrium, quod de Fabricio sequitur refert. Nam præcedentia Plutarchi in institutione Trajani, & Iulij Florentini in libro stratagematum sunt. Venerunt ergo secundo legati Samnitum ad C. Fabricium, multas & magnas res memorantes, quas bene ac beneuole post redditam pacem Samnitibus fecerat, offerentes dono grandem pecuniam, & orantes vt eam acciperet & vteretur, eo quod multa ad necessitatem victus, & splendorem domus tanto viro deesse constaret. Nihil enim lautum paratumque erat pro amplitudine hominis, & dignitate virtutis. Fabricius vero planas manus ab auribus & ad oculos & infra, &

** al. Iginus.*

C deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, & deinde ad ventrem & imadeduxit, & legatis in hæc verba respondit: Dum omnibus his membris quæ attigi, resistere atque imperare potero, mihi nihil omnino deerit, ideoque vobis reseruare pecuniam necessariam vsibus vestris, nec eam quibus necessaria, aut grata non est, ingeratis. Romani siquidem non curant habere aurum, sed imperare volunt habentibus aurum. Hoc Iulius * Hyginus. Frontinus vero refert, quod ad Fabricium ducem Romanorum, medicus Pyrrhi Epirotarum regis peruenit, pollicitus se venenum daturum Pyrrho, dum merces sibi in qua operæ pretium foret, constitueretur. Quo facinore Fabricius egere victoriam suam non arbitratus, regi medicum detexit. Atque ea fide meruit, vt ad amicitiam Romanorum appetendam, compelleret Pyrrhum. Pace mea decertent in casu isto Valerius Maximus, & Claudius Quadrigarius, contendentes de nomine & officio conditoris. An Timocares fuerit iuxta Valerium pater illius, qui in regis conuiuio pocula ministrabat, an secundum Quadrigarium Nicias medicus, non multum curo, dummodo constet Consules Romanorum eo subegisse Pyrrhum, quod perfidiam fuerant aspernati. Epistolam vero Consulum ad Pyrrhum, hanc fuisse Quadrigarius refert. Consules Romani salutem dicunt Pyrrho regi. Nos pro tuis iniuriis continuo animo commoti, inimiciter tecum bellare studemus, sed cum munus exempli & fidei. Ergo visum est vt te saluum velimus, quo sit, quem armis possimus vincere. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi à nobis præmium peteret, si te clam interfecisset. id nos negauimus velle, neve ob eam rem quicquam commodi expectaret, denuntiauimus. Simul etiam visum est, vt te certiorem faceremus, ne quid huiusmodi si accidisset, nostro consilio factum putarent ciuitates, scitutæ quod nobis non placet promissis, aut pretio, aut dolis pugnare. Tu, nisi caues, iacebis. Quid referam, quod cum ei regni medietatem Pyrrhus obtulisset,

** al. Iginus.*

D

E vt pacem conditionibus æquis admitteret, contemptus est. Sed nec regni medietatem acquieuit accipere, vt amicitiam promitteret regi. Cum vero Cyneas vir præstantissimus, qui Romam missus fuerat, reuersus interrogaretur qualis Roma esset, respondit se regum vidisse patriam, eo quód fere omnes tales essent illic, qualis esset solus Pyrrhus in Epiro, vel reliqua Græcia. Audita ergo constantia Fabricij, inquit rex; Hic est vtique ille Fabricius, qui difficilius à virtute, quam Sol à cursu suo auerti potest. Imperator Cæsar Augustus Germanicus, eo bello quo victis hostibus Germanici cognomen meruit, cum in finibus copiarum; castella poneret, pro fructibus locorum, quæ vallo comprehendebat, pretium solui iussit, atque ista iustitiæ fama, omnium fidem astrinxit. Quid de continentia dicam, rerumque contemptu, quandoquidem Plutarchi stratagematica nonnulla promisi? M. Catonem eodem vino, quo remiges, contentum fuisse traditur. Attilius Regulus, cum summis rebus præfuisset, adeo pauper fuit, vt se, coniugem, liberosque toleraret agello, qui colebatur per vnum villicum. Cuius audita morte, scripsit Senatui de successore sibi creando, & destitutis rebus obitu serui, necessariam esse præsentiam suam. C. Scipio post res prosperè in Hispania gestas, in summa paupertate decessit, ne ea quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem filiarum, quas ob inopiam publicè dotauit Senatus. Idem præstiterunt Athenienses filiis Aristidis post amplissimatum rerum administrationem in summa paupertate defuncti. Hannibal de nocte surgere solitus non quiescebat ante noctem, crepusculo demum socios ad cænam vocabat, neque amplius quam duobus lectis discūbebatur apud eum. Idem cum sub Hasdrubale militaret Imperatore, plerumque super nudam humum, † sagulo tectus, capiebat somnos. Æmilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane vesci solitum. Idem & de Alexandro Macedone dicitur. Augustus Cæsar minimi cibi erat atque volgaris. Fere secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum † bibulum manu pressum & ficus biferas, virides maxime appetebat. Vescebaturque ante cænam quocunque tempore & loco stomachus desiderasset. Vnde ipse in quadam epistola: Ne Iudæus equidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbathum seruat, quam ego hodie seruaui, qui in balneo post horam primam noctis, duas † buccatas manducaui, priusquam vngi inciperem. Iram quoque citissimè remittebat, dum iniuriantis animum videret immutatum. Et sicut ipse dicebat, celerius quam asparagi coquantur. Hoc enim verbo rei festinatæ velocitatem solebat exprimere. In sermone siquidem & hoc, & quædam alia nobiliter vsurpauerat, quod litteræ eius antigraphæ ostendunt. In quibus cum aliquid nunquam futurum credebat, illud fore dicebat ad Calendas Græcas. Massinissam nonagesimum ætatis annum agentem, meridie ante tabernaculum stantem; vel ambulantem, capere solitum cibos legimus. C. Corius cum victis ab eo Sabinis, ex Senatusconsulto ampliaretur ei modus agri, quem consummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit, malum ciuem dicens, cui non esset idem, quod cæteris, satis. Vniuersi quoque exercitus sæpe notabilis fuit continentia, sicut eius qui sub M. Scauro insignem gloriam meruit. Nam memoriæ tradidit Scaurus continentiam militarem, pomiferam, inquit, arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postremo die concinentibus æneatoribus, & abeuntibus nobis, intactis fructibus exercitus reliquit indemnem. Auspiciis ergo Imperatoris Cæsaris Domitiani Augusti Germanico bello, quod Iulius Ciuilis in Gallia mouerat, Lingonum opulentissima ciuitas, quæ ad Ciuilem desciuerat, cum aduenientem ab exercitu Cæsaris populationem timeret, quod præter spem inuiolata, nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta, septuaginta millia armatorum tradidit mihi. Lucilius † Metomius qui Corintho capta non Italiam solum, sed etiam prouinciam tabulis statuisque

F

† al. fasciculo.

G

† al. bubulinum.

† al. buccellas.

H

† al. Mummius.

exornauit,

A exornauit, adeo nihil ex manubiis tantis in suum conuertit vsum, & filiam eius inopem Senatus ex publico dotauerit. Constantia quoque eum ex pluribus strategematibus pateat, in virtute Romanorum maximè claret. Eorum siquidem magnificentia & virtute, si omnium gentium historiæ reuoluantur, nihil clarius lucet, Declarat hoc amplissimi splendor Imperij, quo nullum maius ab exordio, neque maioribus incrementis processu continuo dilatatum, humana potest memoria recordari. Nam & quiete libertatis, iustitiæ cultu, retentenria legum, finitimarumque gentium amicitiis, maturitate consiliorum, & grauitate verborum, & operum, obtinuerunt vt orbem suæ subiicerent ditioni. Sed quia de constantia eorum cœpimus, vnum de strategematibus Iulij Frontini, pro multis ponatur in medio. Cum itaque vrbis mœnibus Hannibal assideret, ostendendæ fiduciæ gratia, supplementum exercitibus, quos in Hispania habebant, diuersa porta miserunt.

B Idem agrum in quo castra Hannibalis erant, defuncto forte Domino, venalem ad id pretij licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum venerat. Hi dum ab Hannibale obsidentur, & ipsi obsiderent Capuam, decreuerunt ne nisi ea capta, reuocaretur inde exercitus.

Cap. VIII.

Quare Traianus videatur omnibus præferendus.

Nunc autem vt in Traiano, Plutarchi strategematicis ponatur modus, tantæ fortitudinis & ciuilitatis fuit, vt Romani Imperij fines, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, longe latéque diffunderet. Gloriam tamen militarem moderatione superauit, Romæ & per prouincias omnibus se æqualem exhibens, amicos salutandi causa frequentans, vel ægrotantes, vel festis diebus cum eisdem indiscreta vicissim habens conuiuia, vehiculis eorum, & vestibus indifferenter vtens, publicè & priua-

C tim ditans omnes, immunitates ciuitatibus largiens, relaxans tributa prouinciis, nulli grauis, charus omnibus, adeo, vt vsque ad nostram ætatem, in Senatu, non aliter principibus acclametur, Feliciot Augusto, melior sis Traiano. Sic itaque memoriæ eius delatum est, & opinio bonitatis eius in tantum præualuit, vt amicis laudantibus vel assentationibus occasionem magnificentissimi præstet exempli. Rectè laudatur in Iulio animi magnitudo inuicti, & efficacia operis, cum illius mens, & manus ad fere impossibilia sibi sufficerint. Quantus in armata militia fuerit, non modo Galli, Britonésque primum ab eo subacti, sed tota ciuilis belli fortuna, & Cæsareæ domus series protestatur. In litteratorio studio tantus erat, vt quatetnas simul dictaret epistolas. Quis in iuris ciuilis peritia fuerit, veteres Romanorum indicant leges. Potentis ingenij vires, quàm iugiter in philosophia exercuit, prædicat & extollit vel sola inuentio bisexti. Quod autem omnibus

D mirabilius est, amoribus, & negotiis simul operam dabat, & in singulis, quæ aggrediebatur, tantus erat, vt eis solis vacare crederetur: simul totus erat singulorum, & omnium. Laudes vero Augusti totus orbis concelebrat, & Titum amorem humani generis, suas scilicet delicias, iocunda memoria veneratur. Ego his omnibus Traianum præferre non dubito, qui in solius virtutis cultu, regni constituit maiestatem. Ethicum iuxta qui rectè fecerit, regem arbitratur. Tale est illud quod sub nomine Theodosij præcipit Claudianus:

Tu licet extremos late domineris per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis
Cum poteris Rex esse tui, proclinior vsus
In peiora datur, suadétque licentia luxum,
Illecebrisque effrena fauet, tunc viuere castè
Asperius, cum prompta Venus, cum durius ira

E *Consulitur, cum pœna patet: sed comprime motus,*
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Vt vero in laude Traiani facilius acquiescant, qui aliis ei præferendos opinantur, virtutes eius legitur commendasse sanctissimus Papa Gregorius, & fusis pro eo lachrymis, inferorum compescuisse incendia, domino remunerante in misericordia vberi iustitiam, quam viduæ flenti exhibuerat Traianus. Cum enim memoratus Imperator, iam equum ascendisset, ad bellum profecturus, vidua apprehenso pede illius, miserabiliter lugens, sibi iustitiam fieri petiit, de his qui filium eius optimum, & innocentissimum iuuenem iniustè occiderant. Tu, inquit, Auguste imperas, & ego tam atrocem iniuriam patior? Ego, inquit Imperator, satisfaciam tibi cum redieto. Quid, inquit illa, si non redietis? Successor meus, ait Traianus, satisfaciet tibi. Et illa, Quid tibi proderit, si alius benefecerit? Tu mihi debitor es, se-

F cundum opera mercedem recepturus. Fraus vtique est, nolle reddere quod debetur. Successor tuus iniuriam patientibus, pro se tenebitur. Te non liberabit iustitia aliena. Bene agetur cum successore tuo, si liberauerit se ipsum. His verbis motus Imperator, descendit de equo, & causam præsentialiter examinauit, & condigna satisfactione viduam consolatus est. Fertur autem beatissimus Gregorius Papa tamdiu pro eo fudisse lachrymas, donec ei reuelatione nuntiatum sit Traianum à pœnis inferni liberatum sub ea tamen conditione, ne vlterius pro aliquo infideli Deum sollicitare præsumeret. Vnde & merito præfertur aliis, cuius virtus præ cæteris ita sanctis placuit, vt eorum meritis, solus sit liberatus. Et hæc quidem de capite reipublicæ dicta sunt.

Cap. IX.

G *De his qui in republica obtinent locum cordis, & quod iniqui arcendi sunt à consiliis potestatum, & de timore Dei, & sapientia & Philosophia.*

Cordis locum, autore Plutarcho Senatus obtinet. Senatus vero, sicut maioribus placuit, officij nomen est, & habet ætatis notam. Siquidem sic dicitur à senectute. Eum vero Athenienses Areopagum dicebant, eo quod in illis totius populi virtus consisteret, & cum ab eis præclara plurima mucuta sint, nihil salubrius, nihil gloriosius institutum est quam Senatus. Quid enim nobilius est cœtu senum, qui emeriti à vulgaribus officiis, ad consilij & regiminis officium transeunt, & in marcido corpore exerunt mentis vires † eo sapientiæ magis apti negotiis, quo in exercitiis corporis minus possunt. Eorum vtique tantus honor extitit apud Græcos, vt duces Reipublicæ nusquam procederent, nihil egregium ageretur, quod senes instituti non inducerent, aut approbarent, & quod magis est ab initio vrbis conditæ, nomina eorum aureis literis scripta sunt. Ipsique patres conscripti appellati, qui alios sapientia, ætate, &

H affectu paterno præcedebant. Penes istos consiliorum erat autoritas, & omnium publicè gerendorum. Cæterum licet ab ætate nominis videatur esse origo, hanc ego arbitror tam corporis esse quàm mentis. Æras namque mentis sapientia est, in qua omnium officiorum consistit distributio, & † artificium totius vitæ. Ars namque rectè viuendi (vt Stoicis placet) ars artium est. Nullam vero esse artem maximarum rerum, cum in minimis quoque artem esse nullus ignoret, opinio est hominum parum consideratè loquentium & in maximis rebus errantium, omnia magis pro libito statuentium, quam pro veritate. Est autem, vt antiquis Philosophis placet, sapientia, rerum diuinarum humanarumque princeps, & gerendorum omittendorumque scientia. Huic vero insistere philosophari est, eo quod Philosophia sit studium sapientiæ. Vt ergo antiquis placuit, ad ostium sapientiæ Philosophia pulsat, & cum ei apertum fuerit, anima rerum luce dulciter illustrata, nomen

† *esto.*

† *al. officium.*

A Philosophiæ euanescit. Aut sicut perspicacioribus visum est, voluntatis appetitus impletur, cum flos studij vergit in fructum. Nam Philosophiæ finis, sapientia est. Sed nescio quo iam pacto versamur in fine illius, cuius initium nondum agnouimus, quod in rebus omnibus potentissima pars esse censetur. Veruntamen qui finem nouit, initium ignorare non potest, cum radix initij, per multiplices virtutis tramites, vsque ad coronam finis, fructusque dulcedinem, viuacitatis suæ soliditate pertranseat. Ecce, inquit beatus Iob, timor domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Aliam vero radicem sapientiæ nunquam inuenio, cum in eo consentiant omnes, quod initium sapientiæ timor Domini. Timor ergo initium, & in timore processus est, & omnium virtutum culmen, siue illud charitatem, siue sapientiam dicas, non vsquequaque alienum est à timore. A filiali, seruilem diuide: in hoc initium, in illo sapientiæ constitue profectum, & exin se perfectionem. Quocunque modo se luxus verborum extollat,
B verum est, quia sapientia initiatur in timore, & quod sanctus timor Domini permanet in sæculum sæculi. Manet itaque radix, & incrementis gratiæ inualescens in ramos virtutum proficit, & vis eius ad fructum perfectæ charitatis vsque pertingit, quæ pœnarum nescit aculeos, cum non sit metus in charitate, qui pœnam habet, & sit timoris indicium, † & bona opera iugiter facit, & iustitiæ continens eandem apprehendit. Metus ergo videtur cedere, dum gratia proficit ad virtutem, quia iam non timet seruiliter, qui filiali affectu ad reuerentiam, & bona opera incitatur. Semper, inquit beatus Iob, quasi tumentes fluctus super me timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Vtique se non quandoque dicit timuisse, sed semper, & eum perfectum esse non dubitas cui ipsius Domini testimonio, vir similis non erit in terra. Nec eum metu pœnarum charitate deducta, credibile est a malis temperasse, quem in perfectione iustitiæ fuisse non ambigis consummatum. Iam in commendatione timoris sermo processit, & non
C dum innotuit, quid sit timor. Sed vtinam consistat in corde, cuius appellatio totiens versatur in ore. Si enim mentem ille tetigerit, lingua efficacius, & sibi salubrius disputabit. Nam in ore frustra voluuntur verba, si virtutis deficiunt opera. Est autem timor Dei, sicut beatissimus Papa Gregorius asserit, nihil eorum quæ agenda sunt, prætermittere. Hoc vtique prætermittitur, quod nec opere, nec voluntate impletur. Quicquid enim vis, & non potes, factum Deus reputat, eo quod voluntas plena totius operis mercedem consequitur. Certum est aut quia qui Deum timet, nihil negligit, & bona facit. Qui vero diligenter omnia inuestigat, & cognitis rebus, quæ sunt agenda exequitur, procul dubio sapiens est, & aptissimus consiliis principum, [seu à prælatione non est arcendus, si morum grauitate illustratur.] Vbi tanta morum grauitas innotuerit, ætatem corporis frustra quisque causatur. Hic est enim senex, quem præeligendum consiliis, sapientiæ monita docent. Ait enim: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero an-
D norum computata. † Gloria senum canities. Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Beatus planè qui hanc apprehendit ætatem, vt de innocentia vitæ, conscientiæ suæ testimonio gaudeat. Sed dicis forte: Quis est hic, & laudabimus eum? Vtique non eum arbitror expectandum dandum consiliis, qui peccatum non fecerit, sed quem peccare non iuuat, qui peccatum oderit, virtute gaudeat, & eam magno desiderio concupiscat, hominem scilicet bonæ voluntatis. Sed nec istud ad vnguem resecandum est, benigniori potius vt dicitur Minerua, qui non simpliciter, sed aliorum collatione innocens videatur. Quis enim gloriabitur, se vsquequaque castum habere cor, cum & astra munda non sint in conspectu illius, qui in angelis suis reperit prauitatem? Iniqui ergo arcendi sunt, superbi & auari, & omnis huiusmodi pestis hominum. Nihil enim perniciosius est iniquo diuitis consiliario. Omni, inquit, custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita

[margin: † al. quod.] [margin: † al. dignitas.]

E procedit. Est itaque prouidendum potestati, ne consiliarij eius indigeant, ne aliena immoderatius concupiscant: Quod etiam ad eos vsque protenditur, qui in corpore reipublicæ, interiorum obtinent vicem, quos quæstores & commentarienses, & rerum priuatarum comites esse prædiximus. Hæc enim omnia ad satietatem reficienda sunt, & hanc ex necessitate, & vsu, habita ratione personarum, oportet interpretari. Si enim reficiantur auidius, & minus digerant, generant morbos, aut incurabiles, aut difficiles. Impossibile siquidem est, quemquam iustitiam & pecuniam sequi. Aut enim vni illorum quilibet adhærebit, & alterum contemnet, aut torquebitur altero, melioris expers. Auaro namque, teste sapientia, nihil scelestius, & nihil iniquius quam amare pecuniam. † Hic enim animam suam venalem habet, & in vita sua proiecit intima sua. Et forte ideo crates pectoris, costarumque soliditatem, & extremæ cutis claustrum, natura diligentissima parens, circumposuit
F intestinis, quo aduersus omnem exteriorem violentiam fierent tutiora, & eis, quod necesse est, ministrat, nec vnquam sine salutis suæ dispendio, exterioribus exponuntur. Oportet autem in republica hanc naturæ opificis seruari imaginem, & his necessariorum copiam de publico ministrari.

[margin: † hac.]

Cap. X.

De lateribus potestatum, quorum necessitas explenda est, malitia reprimenda, [& de causidicis, quorum lingua damnifica, nisi funibus argenteis vincta fuerit, de munerum acceptoribus, & quod munus est à manu, à causa, à tempore, à loco, vel modo.]

[margin: † al. hæc desunt.]

SEO & in lateribus, his scilicet qui principibus debent assistere, hæc naturæ formula seruanda est. Constat enim quia à conuictu mores formantur. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.

Vnaque contacta liuorem ducit ab vua.

G Nec domi illorum iustitiam credas, aut veritatem, aut pietatem, apud quos vides omnia esse venalia. Christus ipse exclusus est, cui pulsat ad ostium, non aperitur ei, fugiunt & fugant gratiam, qui omnia ad pretium, & gratis faciunt nihil. Si preces porrigendæ sunt, si causa examinanda, si executioni mandanda sententia, si conficienda cautio, omnia nummus agit, veritas cæca est, pietas manca, dum

Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.——
——Contemnere fulmina pauper
Creditur atque deos, dis ignoscentibus ipsis.

Qui corruptior moribus, & corrumpentior muneribus, apud istos beatior est. Si principum manus euaseris, grandis tibi restat via, arcta, & ardua, antequam tortores extremos effugias, sudandum est tibi. Ecce instrumenta tua conficit Cossus, si eum salutare licuerit, pro magno repura. Si scedulam non attuleris, frustra acce-
H des: Si autem attuleris, inutilis est, nec acquiescet vt manus nobilis vitio membranæ degeneret. Quid multa? Suam necesse est comparari, cum nec opera, nec calamus, aut sepiolæ, aut nigræ loliginis succus, tibi constet inemptum. Sed & ipsas syllabas, & apices, nisi eum tibi propitium feceris, si distorquebit, tot tibi verborum ponet tendiculas, vt pro pace bellum, pro quiete litigium, amici instrumento videatur inscribere. Si cingulum forte tibi venustius fuerit, si incisorium aptius, si quid in minuta supellectili decentius, rebus eius connumera, nisi tibi perire velis operam, & impensam. Aut enim precibus extorquebitur, aut eas liberalitate præuenies. Tandem pilrum qualecunque sit, asportabit amicus in memoriam tui. Iam à Cosso digrederis, sed tibi ignis purgatorius imminet, superest † Vriento, quem multa sollicitabis instantia, & magno artificio gestus, precum, & munerum, vt te clauso labello respiciat. Tunc de singulis verbis in consilium itur, delibera-

[margin: † al. Vagento.]

tioni

A tioni præscribit tempus, & apices singuli ponuntur in statera nisi cum præmulseris, occurret tibi non fideliter rei gestæ concepta series, aut stilus incultus oberit, aut à publica forma notarij vel scriniarij diuertens benignitas, aut negligentia iuris, & aliquis semper nodus pecunia vindice indigebit. Vt vero minimum lædat, longa expectatione torqueberis, dum † differt quod negari non potest. Experto crede, in manus eorum millies incidi, & & vt aliquid de fabulis mutuemur, portitor inmitis Charon, qui nemini pepercit vnquam, istis longe clementior est. Stipe siquidem vel triente solet esse contentus. At isti asses integros sibi multiplicari iubent. Sed quid est, quod apud curiales omnia queror esse venalia, cum eo etiam quæ non sunt, rerum scilicet priuationes, venalitio constet esse obnoxia? Non opus, non sermo gratuitus est, non tacetur nisi ad pretium. Silentium namque res venalis est. Hoc forte à Demosthene acceperunt, qui cum Aristodemum actorem fabularum interrogasset, quantum mercedis vt ageret ac-

† al. differtur.

B cepisset, & responderetur ei talentum: at ego, inquit Demosthenes, plus accepi vt tacerem. Causidicorum siquidem est lingua damnifica, nisi eam, vt dici solet, funibus argenteis vincias. Nec vnum si forte potentissimus sit, proficit illaqueare muneribus quia in quo vnius tibi conciliatur gratia, aliorum inuidia concitatur. Sibi namque præreptum arbitrantur, quod aliis erogatur. Hoc autem à maximis pertransit ad minimos, qui nisi mulceantur obsequiis, & reficiantur muneribus, sibi fieri iniuriam suspicantur.

Maxima quæque domus seruis est plena superbis,

& eadem cupidis plena est & auaris. Illi tamen perniciosius nocent inter omnes Curiæ nugatores, qui sub prætextu honestatis, & libertatis, militiæ suæ solent ineptias colorare, qui nitidiores incedunt, qui splendidius epulantur, qui propriam ad mensam sæpius extraneos compellunt accedere, humaniores domi, foris benigniores, affabiliores in sermone, liberiores in sententiis, in proximorum cultu munifici, & omnium vir-

C tutum imitatione præclari. Vt enim ait ethicus, totius iniustitiæ nulla est capitalior quam eorum, qui cum maximè decipiunt, id agunt vt boni viri esse videantur. His vtique virtutis vmbra, licentiam facit, & vode vix oporteret sperari veniam, gloriam assequuntur. Possunt impune plurima extorquere, qui paruo non possunt, immo non dignantur esse contenti. Notum quidem est, & generale prouerbium, quia

Seruiet æternum, qui paruo nesciet vti.

Ne tamen cum his me bellum inexorabile gerere putes, munera curiales licenter accipiant, dum non extorqueant impudenter. Pudor autem abiicitur, simul ac ad exactiones ventum est. Verbum inquit verecundum supplici ac submissa voce dicendum rogo, nec gratis tulit, qui cum rogaret accepit. Bis enim emit, qui rogat. Ad rei namque vel spei pretium, verecundiam vendidit. Munus vero iustæ reprehensionis non habet notam, quod

D deuotio liberalitatis obtulit, non improbitas deprecantis extorsit. Ita tamen iniquorum munera non acceptet, cum ingrati hominis sit, votis non fouere beneficium, & impium pro muneribus iustificare, dicente domino, sir iniquum. Vtique beneficium accipere est vendere libertatem, & dedecens est fetnos esse qui debent aliis imperare. Verumtamen & causæ ratio habenda est & personæ, vt nec à turpi, nec turpiter accipiatur, quod ex loco, & tempore, & modo latius oportet inquiri. Nam plerumque à manu, plerumque à causa, à tempore, interdum, interdum à loco, vel modo, splendent munera vel sordescunt. At improbitas curialium cousque inoeuit, vt de testimonio conscientiæ, de venustate morum, de odore opinionis, de sinceritate causæ, de torrente eloquentiæ, nisi pretio interueniente, quis frustra confidat.

Ipse licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Non modo leones & tigrides, eloquentiæ beneficio leniisse dictus est Orpheus, sed apud ipsum Ditem vox dulcior perorauit, canemque tricipitem exorauit causa fauorabilior, vt amissam semel Eurydicem ecotta morem inferorum liceret educere. Tu vero licet Orpheus sis, aut Arion, vel ille qui solo testudinis sono, saxa, vt dicitur emolliuit, nihil apud curiales efficies, nisi plumbea eorum corda aureo vel argento malleo vanitatis vel cupiditatis liceude emollias. Inclementiam cerberi omnes abhorrent. Ego me credo vidisse ostiarios Cerbero duriores. Apud inferos tamen Cerberus vnus est. Quot sunt diuerticula Curialium, tot Cerberi sunt. Atrienses quoque Cerberos sustinebis, totamque familiam, quæ semper aut mordet, aut latrat. Omnes vero quotquot sunt, in vno medicos audientur, dicentes: Dum dolet accipe, facturi etiam si sibi expedire crediderint, vt doleat quod sanum est. In vno tamen piissimos esse mirabens, quod querelas libenter audiunt, fouent humiliorum causas, & eousque patrocinantur afflictis, dum exhauriant loculos pleniorum. Nam quocunque modo

F causa procedat, hoc semper agitur vt loculi impleantur, etsi auaritia nequeat satiari. Quisquis in istorum manus inciderit, si pœnitens inuenitur, opinor hæc tormenta ei sufficere posse ad veniam. Nihil enim adeo graue est, quod hic expiari non possit. Quid enim miserius est, quam superbis assidere liminibus, prætergredientium tolerare fastum, & contemptibilium calcari contemptu, perferre molestias excussorum, & ab indignis quæuis indigna perferre? Socrates, cum eum Alcibiades interrogaret, quare Xantippem vxorem admodum morosam, iurgiosam, & quæ diu noctuque muliebribus scatebat, molestiis, domo non abigeret, inquit, Cum talem domi perperior, insuesco, & exerceor vt cæterorum quoque foris petulantiam, & iniuriam facilius feram. Veteri celebratur prouerbio, Quia vacuæ manus temeraria petitio est, & profecto importunus precator est, qui dandas res ad verba condidit, Vtrobique enim scilicet apud Curiales & medicos, obtinet,

G *Pro solis verbis, montanis vtimur herbis,*
Pro charis rebus, pigmentis & speciebus.

Inter alios tamen benigniores sunt, qui minimum possunt, licet fere omnes proni sint ad nocendum, quod cuiuis longe facilius est, quam prodesse. Exerceant ergo nundinas suas, loculos alienos exhauriant, farciant suos, possideant quantum Pacuuius, montibus aurum exæquent, nec ament aliquem, nec amentur ab vllo, sint admirationi ignotis, dum domesticis sint odio, vel contemptui: Tale aliquid in veterum Romanorum scriptis inuenies. Cum P. Cn. Græcinus, aut si alio potius dicitur nomine argueretur ab amicis, quod vxorem formosam, castam, & nobilem repudiaret, respondit; Et hic soccus quem cernitis, nouus, elegans, & inspectoribus omnibus placens est, sed nemo scit præter me solum vbi me premat. Legitur in libro Numerorum, quod cum Madianitis fornicans Israël, indignationem Domini prouocauerit, donec

H Phinees Zambri, filium Salomi cum succuba Madianitide, educto ense transuerberauit, & in occasu nocentum quieuit ira Dei. Factus est ergo sermo Domini ad Moysen dicens: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis. Peccauerat quidem populus, & fornicatio principum non exprimitur, rapi tamen præcipiuntur principes ad patibulum, & in pœna eorum quies delinquenti populo reparatur, eo quod ex negligentia præsidentium sæpissimè prouenit excessus subditorum. Refert itaque potestatis istorum cohibere malitiam, & eisdem de publico prouidere, vt omnis grassandi occasio subtrahatur. Quod & in iure Romano antiquitus cautum est, alioquin autor videbitur malefici]. quod prætermisso officio emendare contemnit. His enim flagellis hominum, innocentiumque terroribus, quo prælatior & potentior, eo plenior & perniciosior curia est. Frequens etenim est, vt curia recipiat vel faciat vitiosos, apud quos inualescit audacia delinquendi, cum ex familiaritate potentum, vitiis indulgetur. Sed de anteacta vita, cuiuscunque

A frustra præsumitur, cum inter curiales vix possit innocentia retineri. Quis est enim cui virtutem non excutiant curialium nugæ? Quis est tantus, quis tam solidus, vt corrumpi non possit? Optimus est qui resistit diutius, qui validius, qui corrumpitur minus. Nam vt sit virtus incolumis a curialium vita diuertendum est. Proinde quisquis hoc dixerit, & prudenter curiæ naturam expressit. Exeat aulam, qui vult esse pius. Vnde eleganter fons Salmacis infamia mollitiei insignia, eidem comparatur. Vt enim in fabulis est, vnda illius aspectu decora est, gustu dulcis, suauis tactu, & omnium sensuum vsu gratissima, sed tanta mollitie ingredientes eneruat, vt viris effœminatis nobiliorem adimat sexum; nec ante quisquam egreditur, quam stupeat & doleat se mutatum esse in fœminam. Aut enim cedens omnino sexus inferiorem degenerat, aut veteris dignitatis aliquo manente vestigio, hermaphroditum induit, qui quodam delinquentis naturæ ludibrio, sic vtriusque sexus ostentat imaginem, vt neutrius retineat veritatem,
B Hac autem Poetici nube figmenti nugarum curialium repræsentatur imago, quæ viros abiecta virtute emolliunt, aut virtutis imagine retenta peruertunt. Qui curialium ineptias induit, & Philosophi, vel boni viri officiū pollicetur, Hermaphroditus est qui duro vultu & hispido muliebrē deturpat venustatem, & virum muliebribus polluit, & incestat. Res siquidem monstruosa est, Philosophus curialis: & dum vtrumque esse affectat, neutrum est, eo quod curia Philosophiam excludit, & ineptias curiales Philosophus vsquequaque non recipit. Non tamen ad omnem curiam comparatio transit, sed ad illam duntaxat, quæ insipientis distemperatur arbitrio. Qui enim sapiens est, nugas abigit, componit domum, & vniuersa illius subiicit rationi. Vt enim ait sapientia, quæ communicatio sancto homini ad canem, aut luci ad tenebras? Omne animal diligit sibi simile, & omnis homo proximum suum. Omnis caro ad similem sibi coniungitur, & omnis homo sociabitur simili sibi,
C si lupus agno aliquando communicauit, si peccator iusto.

CAP. XI.

De oculis, auribus, & lingua potestatum & de officia præsidis, & quod iudicem oportet habere iuris & æqui notitiam, voluntatem boni & potestatem exequendi, & quòd iuramenta debet esse alligatus legibus, & à sordibus munerum alienus.

SEquitur oculorum, aurium, & linguæ, collatio, quam in præsidibus prouinciarum consistere superius dictum est. Præses igitur qui in iure reddendo, prouincialibus præsidet. Hic autem æqui & iniqui debet habere notitiam, & facultatem, & animam eius quod iustum est exequendi. Nam sicut medico euentus mortalitatis imputari non debet, ita si quid triste per imperitiam eius contigerit, ei merito imputatur. Quod si
D nouit, & non vult, non ex ignorantia, sed ex malitia condemnatur. Finis siquidem vtriusque damnatio est. Licet ignari mitius puniantur, nisi forte ignorantiam negligentia procurauerit. Nam si ignorantia inuincibilis est, non affert mortem, sed ab innatis tenebris excusatur. Si vero scit, & vult æquitati seruire; nec potest, non tam præsidis est culpa quam principis. Sed ad religionem iudicis, hæc eadem pertinere certissimum est, cum ipsum iuris oporteat habere notitiam, voluntatem boni, vires exequendi, & sacramento debeat esse legibus obligatus; vt sibi omnino illicitum nouerit, ab earum sinceritate diuertere. Nam de sapientia eius, sapientia docet. Iudex, inquit sapiens, iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Sed [&] vires necessarias esse, non tacuit, dicens: Noli quærere iudex fieri, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate
E tua. Non pecces in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata, nec enim in vno eris immunis. Noli esse pusillanimis in anima tua, exorare & facere eleemosynam non despicias. Ne dicas in multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo munera mea suscipiet. Non irrideas hominem in amaritudine animæ, est enim qui humiliat & exaltat circumspector Deus. Ex diligenti lectori occurret, quod voluntas boni non minus iudici necessaria est, quam notitia, vel potestas, cum non modo de suis, sed ex alienis delictis teneatur, & duplici suorum & aliorum prematur onere, vt nec in multitudine munerum citra munditiam voluntatis sit ei fiducia ante Deum. Vnde & Plato egregie quidem & luculenter (si tamen audiatur) eos, qui de reipublicæ gerendo magistratu contendunt, ita inter se versari asserit, vt si nautæ sub aduersa tempestate decertent,
F quis eorum potissimum debeat gubernare, in quo fortunæ calculo, aut nullus, aut rarus idemque temerarius est, qui sine arte & viribus vendicet magistratum. Et in eo quidem tempore nihil miserabilius vidi, quam iudices scienciæ legis ignaros, bonæ voluntatis inanes, quos conuincit amor munerum & retributionum, id vitium quod habent in obsequio auaritiæ, iactantiæ, aut carnis, & sanguinis exercentes, & à necessitate sacramenti legitimi absolutos. Ex quo planum est, principes qui eis ordinariam iurisdictionem contulerunt, iuris esse ignaros vel contemptores. Sed quicquid de peritia iuris dicamus, aut de viribus exequendi, iudicem oportet esse religiosissimum, & qui omne iniquum morte ipsa magis oderit. Quia ergo præsides ordinariam habent iurisdictionem, vel iuris dicendi potestatem, ipsorum, & iudicum aliorum vna est speculatio, & quod de his dicitur, facile ad aliorum consequentiam trahitur. Est itaque primum quod ex necessitate officij vtrisque indicitur, vt iustitiæ in omnibus pareatur, & nihil eorum quæ facienda sunt, fiat ad pre-
G tium. Nam quod iniustum est, vsquequaque non licet, vt nec pro temporali vita fieri liceat. Quod vero iustum est, mercedis interuentu non indiget, cum per se fieri debeat, & iniquum sit vendere quod debetur. Iustitiam ergo vendere iniquitas est; iniustitiam, iniqua insania. Hæc siquidem vbique reprobata est, vt nusquam esse debeat, illa vbique debita est, vt sine scelere vendi non possit. Neque enim Balaam ex eo culpatur, quod populi Dei causam condemnauerit, aliudve dixerit, quam quod Dominus inspirabat, sed quia auaritia excæcatus est, infidelium causam instruens quomodo ad prouocandum iram Dei delinqueret Israël, dictante malitia procurauit. Quærebat ergo quomodo iustè iustificaret causam impij, & quasi illuso Deo, gratiam eius subtraheret electis. Aut si aduersa iustificari non posset causa, hoc saltem agebat, vt & ab ista recederet Deus. Compugnantibus namque iniquis, vincere (vt dicitur) consueuit qui viribus † superior est.
H Balaamitas videas plurimos, qui licet iniquam nolint ferre sententiam, corrupti tamen muneribus, iustitiam partis vnius, in alteram quauis arte transferre moliuntur. Non facile dixerim vtrum sit nequius, licet venditor † æquitatis, malitiam fuco fallaciori coloret. Potest tamen videre nequior, qui officij sui principem & reginam, cui fides famulatur, quasi mercem in foro distrahit, ac si seruus infidelis dominum vendat. Omnis enim magistratus, iustitiæ famulus est. Constat enim quia æqualitas alienatur à venditore, licet ad emptorem non transeat, & empta iniquitas sic ad emptorem transit, vt nequaquam à venditore recedat. Et quod in aliis contractibus non reperitur, solus ille iustitiam vendit, qui non habet. Siquidem ante commercium relinquit sordidum venditorem. Nonne sordidus est, qui ad acceptas, vel oblatas sordes conscientiam polluit, & non tam iustitiam venalem habet, quàm animam suam doctor gentium diuitias, honores, & totius mundi variam supellectilem contemnit vt ster-

Marginal notes: † al. addunt, iuris notitiam necessariam esse & — † al. superbior. — † iniquitatis.

cora

cora, vt solum lucrifaciat Christum, ratus omnia, quæ dispendium saluti afferunt, sordibus aggreganda. Recte quidem & fideliter, eo quod nihil mundum, nihil honestum, nihil decens salutem impedit, sed sola turpitudo, quæ sicut dedecet, sic & immunda est, & certè inutilis, adeo damnosa, vt nullo temporali emolumento valeat compensari. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, faciens detrimentum animæ suæ? Et vide, quia non dixit mundum inutilem vbi salus perditur, sed etiam vbi minuitur gloria. Quantumvis rutilent gemmæ, aurum splendeat, & omnibus lenocinijs suis arrideat mundus, quicquid munditiam hominis perimit, sordidum; quod decorem animæ extinguit, turpe; quod honestatem subuertit, ignominiosum est. Vnde & apud antiquos etiam salutiferæ veritatis ignaros, omne quod ex debito officij gratuitum esse oportet, si fiat ad pretium, in sordibus computatur. Ipsius quoque pretij sic dilatant interpretationem, vt non modo pecuniam, speciemve contineat, sed obsequium, omnemque operam, quatenus aliàs non debetur. Quod enim ex sordibus est, quid erit nisi sordidum? Non enim potest arbor mala, fructus bonos facere, cum in eo vis naturæ consistat, vt similia ex similibus procreentur. Cæterum quia præsidum, & aliorum iudicum, communem esse inspectionem præmisimus, æquitatis, & publicæ quietis, ministri sunt, quos tanto circumspectiores, & cautiores oportet esse, magisque sollicitos, qui illius reseruantur examini, cuius prudentia circumueniri non potest, aut iustitia corrumpi, illo obtinente, vt in quo iudicio iudicauerint, iudicentur, & mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem in sinus suos à iudice iusto recipiant.

Cap. XII.

De sacramento iudicum, & collatione Pythagoræ & Alexandri, & in quibus rebus gratiam partibus possit facere iudex; & de quæstionibus captiosis.

ET quidem iudices sacramento legibus alligantur iurati, quia omni modo iudicium cum veritate, & legum obseruatione disponent. Ipsoque iure cautum est, vt sacrorum Euangeliorum Scripturæ terribiles, ante sedem iudicialem deponantur, ibique ab initio litium, ad finem vsque permaneant, nec amoueantur, nisi sententia recitata, quo totius consistorij latitudo, Dei ipsius repleta præsentia, omnibus ad sacrosanctas Scripturas metum incutiat, & reuerentiam, & ab inquisitione veritatis omnis iniquitas propulsetur. Omnes quoque carnis & sanguinis, religio iudiciaria, propellit affectus, euacuans iram & odium, metum & amicitiam: quia, vt ait Iulius Cæsar, haud facile animus verum prouidet, vbi ista † proficiunt. Hinc est illud prouerbium autore Cicerone, apud antiquos celeberrimum: Exuit personam iudicis, quisquis amicum induit. Æquitas enim cui iudex obsequium debet, odij sinistram, aut amoris dextram nescit. Nam à veritate non licet in iudiciis declinare. Vt vero plurimum indulgeatur amicitiæ, amico interdum dilationis gratiam facit. Hoc tamen ipsum raro, & non nisi causa cognita. Porro dum causa anceps est, dilatio protelatur, si non contentionis, saltem decisionis. Nam iudicia festinata pœnitentiam pariunt. Vnde & Græci cum vrgentur ad sententiam antequam de causa liqueat, respondent patres suos solem apud antipodes non vidisse; sed expectasse semper, donec & ipsis oriretur. Dicunt enim præproperum esse viatorem, qui antequam lucifer oriatur, crassis adhuc tenebris, luceque remota, diætam aggreditur. Sed nec iudicem terreat autoritas litigatorum, cum Pythagoræ in longissimum tempus sit dilata petitio, & Alexandri Macedonis in castrensi iudicio sit causa damnata. Quod & ille acceptum habuit, iudicibus agens gratiam, quorum in eo fidem probauerat, quod iustitiam omni potentatui præferebant. Nihil vero præclarius de Alexandro illo, quem publica opinio magnum asserit, in aliquà historia meo iudicio reperi. Mihi quidem semper, vt tamen pace eorum loquar, qui temeritatem virtuti præferunt, ditissimo Alexandro, pauper Pythagoras maior erit. Quod vt mecum conjicias, collationem Philippi, & Alexandri, Trogo Pompeio, vel Iustino compendiario eius, si mauis, autore, reuoluamus. Ait ergo: Fuit Philippus Rex, armorum quam conuiuiorum studiosior, cui maximæ opes erant instrumenta bellorum, diuitiarum quæstu, quam custodia solertior. Itaque inter quotidianas rapinas, semper inops erat; misericordia in eo & perfidia, pari iure dilectæ. Apud eum nulla ratio vincendi turpis, blandus pariter & insidiosius alloquio, qui plura promitteret, quam præstaret. In seria & iocos artifex; amicitias vtilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia; apud vtrumque gratiam quærere solennis illi consuetudo. Inter hæc eloquens & insignis oratio; acuminis & solertiæ plena, vt nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentionis deesset ornatus. Huic Alexander filius successit, & virtute & vitiis patre maior. Itaque vincendi ratio vtrique diuersa. Hic aperta, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere. Hic vbi exarsisset nec dilatio vltionis, nec modus erat. Vini nimis vterque auidus, sed ebrietatis diuersa vitia. Patri mos erat etiam de conuiuio in hostem procurrere, se temere periculis offerre. Alexander non in hostes, sed in suos sæuiebat. Quamobrem sæpe Philippum vulneratum prælia remisere, hic amicorum interfectorum conuiuio frequenter excessit. Regnare cum amicis ille nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malebat, hic metui. Litterarum cultus, vtrisque similis. Solertiæ pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis, filio animus promptior & honestior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperij fundamenta pater iecit, operis tanti gloriam filius consummauit. Ast in vno non modo patris, sed omnium ingenuorum transcendit vitia, quod incontinentissimæ fuit inuidiæ, adeo vt etiam paterni triumphi ei lachrymas extorquerent, ac si ei virtus paterna omnium gerendorum præriperet gloriam. Eos etiam aut propriis manibus interficiebat, aut rapi præcipiebat ad pœnam, qui paternæ virtutis præconia prædicabant. At Pythagoras apud Philosophos tantæ extitit autoritatis, vt ad omnium quæstionum decisionem sufficeret, si in parte crederetur Pythagoras extitisse. Tantum namque opinio præiudicata poterat, vt nihil conualesceret ab opposito, dum hoc ipse dixisse diceretur, & ex vsu acquiescentium, vox Ipse pronominis, Pythagoram indicabat. Cum enim simpliciter dicebatur, ipse hoc dixit, ex præcepta autoritate, teste Tullio, Pythagoram intelligi oportebat. Hic tamen tota autoritate sua, nequaquam iudicium flexit, sed adhuc interueniente dilatione, propter rei ambiguitatem pendet sententia. Thema quidem huiusmodi est. † Euallus adolescens diues eloquentiæ discendæ gratia, causasque orandi cupiens fuit. Hic in disciplinam Pythagoræ se dedit, promittens pecuniam quantam Pythagoras petierat, data medietate antequam ingrederetur, daturus alteram quo primum die causam apud iudices perorasset, & vicisset. Postea cum diutius auditor, affectatorque Pythagoræ fuisset, facundiamque promouisset à studio, & transcurso tempore longiori, causantibus patrocinium denegaret, vt putabatur, ne doctoris impleret mercedem, habito consilio, litem cum eo Pythagoras contestatur. Cum ergo ad iudices ineundæ constituendæque causæ venissent gratia, Pythagras sic exorsus est. Disce, inquit, stultissime adolescens, vtroque id modo fore, vti reddas quod peto, siue pro te pronunciatum erit, siue contra te.

† al. essiniunt.

† Euathlum.

A Nam si contra te lis erit data, merces debebitur mihi ex sententia quia ego euicero sin vero secundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debetur, quia tu viceris. Ad ea placide Euallus. † Opto, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni isse obuiam, si verba non ipse facerem, atque alio patrono vterer. Sed magis in ista victoria, præludium est cum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto euicero. Disce ergo tu magister sapientissime, vtroque modo futurum vti non reddam quod petis, siue contra me pronunciatum fuerit, siue pro me. Nam si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero; si contra pronunciatum fuerit, nihil tibi ex pacto debeo, quia non vicero. Sic ab adolescente discipulo, magister eloquentiæ inclitus suo argumento confutatus, & captionis versutæ, & cogitatæ frustratus fuit. Tunc iudices vt antiquæ historiæ verbis vtar, dubiosum hoc inexplicabiléque esse quod vtrinque dicebatur, rati, ne sen-

B tentia sua vtramque in partem dicta, ipsa sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt, causam in diem longissimum prorelantes. Nec multum refert ad propositum, Pythagoras, an Protagoras sicut Quintiliano placet & Aulo Gellio, litigauerit, neque enim vis est in nomine, dum constet rem ambiguam sine temeritate diffiniri non posse. Sunt autem multæ captiosæ quæstiones, quæ tutius & commodius præsertim in iudiciis differuntur, quam accelerentur. Vnde & apud Dialecticos, genus hoc Tractus appellatur, & à Græcis dicitur † Z ... , vbi quicquid verum esse statueris, falsum repetitur. Etsi plerumque in his per exceptionem doli mali possit res temperari, & æquitas ipsa iuris interdum queat mitigare rigorem, nisi vrgentissima rerum necessitas cogat, in talibus sententiam expedit differre, quam ferre. Fere à puero didicisti, quia in quæstionibus quæ habent positiones implicitas, & quæ latenter inuoluunt contraria laboriosa solutio est, nisi forte te antiquo Nestore repures cautiorem. Ne credas somnio; Agamem-

C noni dictum est in somniis, dum in excidio Troiæ Græcia laboraret. Huius quoque somnij interpretationem, Ioui censuerunt Græcorum sapientissimi reseruandam. Laborantes vidi quamplurimos, dum quæritur an qui dicit, ego mentior, verum dicat. Sed neminem vidi qui Scyllam vitaret & Charybdim, nisi debilem aut propitium sustinuerit hostem. At in litigiosis disputationibus & declamationibus scholasticis, sine periculo isto ista versantur. Sed vbi ad forum ventum est, in quo inanis ostentatio ingenij conquiescit, & seria duntaxat agitantur, sine periculo litigatorum, aut iudicis, in sententiæ calculo non erratur. Nec est, vt opinor, quicquam vtilius, quam periculum differri, si omnino vitari non potest. Iniquissimum tamen est, iurgia protelari, cum alterutrius litigantium periclitatur vtilitas, & rei difficultas moram non contrahit. Quicquid igitur expediri potest, accelerandum est; quod consultiore tractatu indiget, differendum.

D

Cap. XIII.

Quomodo iudicium debeat ordinari & de conceptione sacramenti calumniæ, quod ex necessitate præstant actor & reus, & quid immineat illi, qui iuramentum subire detrectat, & de sacramento aduocatorum, & pœna calumniatorum, siue præuaricantium, aut tergiuersantium.

VT vero rerum veritas citius illucescat, litigatores ipsos, personas videlicet principales non ante ad litem iudex admittit, quam ei præstito sacramento faciant fidem, quod iustitiæ suæ insistent, & calumniam omnem procul facient. Actor quidem iuret, non calumniandi animo litem mouisse, sed existimando bonam habere causam, & quod nihil in tota lite faciet calumniose, vt nec probatio, nec dilatio frustratoria exigatur, sed id solum quod iustitia videtur exigere. Reus

E autem iurabit, quod putans se bona instantia vti, peruenit ad reluctandum, & quod in nullo litis articulo calumniose versabitur, id solum à iudice, vel aduersario exigens quod pro veritate putat ex necessitate iustitiæ exibendum. † Vterque vero iuramenti sui extrema clausula hoc complectetur, vt iurent se nihil dedisse, aut promisisse, aut daturos esse, vel per se, vel per mediam personam, siue iudicibus, siue aliis quibuscunque personis pro ea causa, exceptis his, quæ aduocatis, & quibusdam aliis certis personis de iuris indulgentia præstari licet. Quod si actor sic iurare recusauerit, exclusus à lite cadit ab actione, tanquam improbus litigator. Reus vero detrectans subire iuramentum, habetur pro confesso, & sententiam damnationis expectat. Sed & ipsi patroni causarum, quo fidelior possit esse examinatio, ab ipsa contestatione litis, iuramento arctantur ad veritatem, & fidem, iurantes quod cum omni virtute sua, omnique ope quod iustum &

F verum examinauerint, clientibus suis inferre procurabunt, nihil studij relinquentes prout cuique possibilé est; & quod ex industria sua non protrahent lites. Nam eas oportet à iudicibus infra biennium vel triennium terminari. Ipsos quoque aduocatos pari distributione partibus exæquabit, hoc eos petierint, siue non, vt æquo Marte possit causa procedere. Hæc autem paritas, & in virtutis merito, & viuacitate ingenij, consilij profunditate, & opinione scientiæ, & nominis autoritate consistit, vt hæc omnia, si fieri potest, apud partes quadam æquitatis lance librentur. Quod si vnius præ cæteris est fama hilarior, ex officio iudicantis prout poterit parti aduersariæ compensabitur. Qui tamen alicuius litigatorum arcana prænouit, non patrocinabitur aduersario; nisi forte citra conuenientiam iudicis, separatim cum pluribus aliter tractauerit, vt alteri paris defensionis copia subtrahatur. Nec est qui à iudice monitus, sine excusatione probabili, possit cuicunque parti patrocinium denegare, nisi forum sibi præcludi velit, vt postmodum in caussis agendis minimè audiatur. Si vero

G præuaricatus fuerit aduocatus, in conuictum oportet, pro qualitate commissi pœnam grauissimam exercere. Munus siquidem patrocinij fidelissimè implendum est, & sine aduersariorum iniuria. Rationibus namque non probris contendendum est, & ex edicto principis patitur opinionis dispendium, quisquis negotio derelicto, procax in aduersarij sui contumeliam aut palam pergit, aut subdole. Sed licet patrono merces ex causa honorarij debeatur, † concinnatorem vel redemptorem litium esse non licet, vt certæ partis emolumentum cum graui damno litigatoris, & quadam † deprecatione paciscatur. Quicquid autem patronus allegauerit præsente domino, perinde est habendum, ac si proferatur à domino, nisi ex continenti, id est, infra proximum triduum contradixerit. Licet autem patronum vinci contigerit, in nullo læditur fama eius, si nihil omisit ex contingentibus, & clientis sui iustitiam fideliter fouit. Non enim cogitur patro-

H cinari mendacio. Si quid vero læsionis affert causa, in litigantes cadit, siue ciuiliter siue criminaliter actum sit. Hoc autem quicquid sit, sententia diffinitiua declarat, quæ reos condemnat, vel absoluit, & interdum in ipsos autores consultissime acerbitatis effundit aculeos. Nam vt de ciuilibus taceatur, in quibus tamen est eadem inuenire, accusatorum temeritas tribus modis detegitur, tribusque subiicitur pœnis. Aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur. Est autem calumniari, crimina falsa intendere: Præuaricari, vera abscondere. At in vniuersum ab accusatione desistere, tergiuersari est. Sed lege Remia calumniantes ad vindictam poscit similitudo supplicij, ita tamen vt postquam reus absolutus fuerit cum de accusatoris consilio & mente constiterit, si iusto errore lapsus est, absoluatur: Si vero in euidenti calumnia deprehensus est, pœna legitima condemnetur. Quod ipsius pronunciationis manifestatur verbo Nam si pronunciatum est, non probasti, pepercit actori. Si vero

calum

† al. Potui.

† al. abest.

† vtrinsque.

† al. contennatorem.

† al. deprædatione.

A calumniatus es, condemnauit eum: & licet de pœna infamiæ nihil subiecerit, tamen potestas legis aduersus eum exercebitur, adeo vt importet infamiam.

Cap. XIV.

De ratione instrumentorum.

AT in ipsa disquisitione consilij, tam in ciuilibus, quam criminalibus causis, ad examinandas probationes instrumentorum ratio habenda est. Et quidem instrumenta dicuntur omnia, quibus causa instrui potest, siue sint testimonia, siue testes; hæc tamen illis potiora sunt, eo quod testes testimoniis præferuntur. Nam cum testes examinari possint, testimonia semper, & apud omnes eadem sunt. In ipsa vero testium examinatione, non potest ex regula aliqua diffiniri, quid magis iudicem sequi oporteat. Si enim omnes testes eiusdem honestatis & æstimationis sint, & negotij qua- B litas, ac iudicis motus cum his concurrerit, sequenda sunt omnia testimonia. Sin vero quidam eorum aliud dixerint, licet † in pari numero, credendum est quod naturæ negotij conuenit, quod inimicitiæ aut gratiæ suspicione caret? confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testium fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit. Ipsis quoque præsumptionibus frequentissime stabit, donec probetur contrarium. Nam & Salomon cum in litigio meretricum, infantem diuidi præcepisset, & altera eum mallet alteri viuum cedere, ipsa tamen reclamante, nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur, illi viuum infantem restituendum censuit, quæ non acquieuit, vt viuus moreretur. Argumento siquidem probabili trahebatur vt matrem crederet quæ diligebat; cum opinionem eius, aut fidem, aduersa probatio euacuaret. Vnde & C D. Adrianus rescripsit, iudicantis dilatans in examinatione testium facultatem. Et verba quidem Epistolæ sunt hæc. Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus cuius dignitatis, & cuius æstimationis sint, & qui simpliciter visi sint dicere, vtrum vnum eundemque sermonem meditatum attulerint, an ad ea quæ interrogaueris ex tempore verisimile responderint. Quæ argumenta & quemadmodum, cuique rei probandæ sufficiant, nullo certo modo satis diffiniri potest. Alias numerus testium, alias dignitas & autoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc igitur solum tibi respondere possum summatim, non vtique ad vnam speciem probationis, cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui, te æstimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris. Iudici vero plurimum licet, dum in omnibus seruiat veritati, quam si (vt solet) apud improbos periclitari cognouerit, ad professionem eius qui necessarij fuerint, euocabit, & D ad testimonium compellet inuitos: his tamen exceptis, quos aduersus certas personas testificari iura non cogunt.

† al. impari.

Cap. XV.

Quæ pertinent ad religionem Proconsulum, præsidum, & ordinariorum iudicum, & quatenus Xenia protendi liceat; & de Cicerone, Bernardo, Martino, Gaufrido Carnotensi.

PErtinet autem ad religionem præsidis, prouidere ne potentiores viri iniuriis afficiant humiliores, ne defensores eorum calumniosis criminibus insectentur innocentes. Prohibebitque † illatas exactiones, & violentias factas & extortas metu venditiones, & cautiones vel sine pretij numeratione, ne & ipse prouinciam in præbendis hospitiis oneret, denique ne quis E iniquum lucrum, vel damnum sentiat, præcauebit. Congruit enim bono & graui præsidi, curare vt pacata & quieta sit prouincia: quod facile obtinebit si sollicitè agat, vt malis hominibus prouincia careat, eosque conquirat. Nam & sacrilegos, latrones, fures, plagiarios, conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animaduertere, receptatoresque eorum, sine quibus latro diutius latere non potest. Omni vero ius reddenti obseruandum est, vt in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur. Vnde mandatis adjicitur, ne præsides in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant. Nam ex conuersatione æquali contemptio nascitur dignitatis. Et summatim ita ius reddi debet, vt autoritatem dignitatis ingenio suo augeat. Sed & in cognoscendo, nec excandescere aduersus eos quos malos putat, nec precibus calamitosorum illachrymari oportet. Id enim non est constantis & recti iudicis, cuius motum animi vultus detegit. Quid F enim in viro graui deformius, quam si ad † auram genæ pallent, cutis in rugis contrahitur, scintillant oculi, turbatur vultus; aut si sanguinem faciei ira accendit, & quasi excludit in superficiem, spumantia torquentur labia, brachia iactantur, saliunt pedes, corpus trepidat, & toto gestu non tam iratum exprimit quam insanum. Certè cum tales video, compatior illis, mihique metuo, memor hominum, quos in Africa esse, in libro naturalis historiæ apud Plinium didici. Dicuntur enim effascinare voce & lingua, vt si impensius forte laudauerint pulchras arbores, & segetes amœniores, lætiores infantes, equos egregios, pecudes pastu & cultu optimas, repente moriantur, aut pereant. Fascinatio quoque oculorum exitialis est. Refert idem homines esse in Illyricis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint. Eosque ipsos mares, feminasque qui visu nocentes sunt pupillas in singulis oculis habere binas. Apollonides quoque perhibet, in Scythia nasci feminas, quæ Bithiæ vocantur, & easdem in oculis binas G habere pupillas & perimere si quem visu forte iratæ aspexerint. Vereor ne his cognati sint iudices iracundi. Tradunt etiam Pysiognomi, eos qui habent oculos maculosos, ad nequitiam proniores. Quæ vero de præsidibus, aliisque iudicibus dicta sunt, debent & apud proconsules, quos nostrates vulgariter dicunt iustitias esse errantes, obtinere. Et nomen quidem erroris, etsi non officio, personis tamen eorum conuenit, qui euntes post concupiscentias suas, in sectatu auaritiæ, & deprædatione popularium, à tramite æquitatis aberrant. Debent autem officia omnium esse gratuita, vt nihil vltra statutum exigatur, sed nec recipiatur. Sed forte quid statutum sit, quæris. Plebiscito continetur, ne quis præsidum munus donumue caperet, nisi esculentum poculentumve, & id quidem intra dies proximos prodigatur. Quod & ad proconsules, aliosque magistratus ex mandato Principis transit. Non vero in totum debent xeniis abstinere, sed modum adhibere. Vt vero nec in totum abstineant, nec auare modum Xeniorum excedant, Diuus Seuerus, & Imper. Antoninus elegan- H tissimè sunt Epistola moderati. Cuius Epistolæ verba sunt hæc: Quantum ad Xenia pertinet, audi quid sentimus. Vetus prouerbium est, nec omnia, nec semper, Nec ab omnibus. Nam valde inhumanum est, à nemine accipere; sed passim, vilissimum; & per omnia auarissimum. Quod autem mandatis continetur, ne donum vel munus ipse Proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematue quid, nisi victus quotidiani causa, quod ad Xenia iam non pertinet, sed ad ea quæ edulium excedant vsum. Sed nec Xenia producenda sunt, ad † munerum qualitatem. Licet enim patrocinium iustum possit vendere aduocatus, & peritus iuris sanum consilium, iudicium vendere omnino non licet. Cicero cum in Palatio domum vellet emere, & pecuniam in præsens non haberet, à Sylla qui tunc reus erat, mutuo sestertium vicies tacitè accepit. Ea res priusquam emeretur prodita est, & in vulgus exiuit, obiectumque est ei, quod pecuniam domus

† al. illicitas.

† al. aurea.

† al. minimam.

A

emendæ causa, à reo accepisset. Tunc Cicero inopinata approbatione permotus, accepisse se negauit, dicens se domum non esse empturum. Atque adeo falsum est quod objicitis, vt verum sit me pecuniam accepisse, si domum emero. Sed cum postea emisset, & hoc mendacium in Senatu ei ab inimicis obiiceretur, risit satis; atque inter ridendum imprudentes, inquit, homines estis, cum ignoratis prudentis & cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, se empturum esse negare, propter competitores emptionis. Sic itaque quod inficiari non poterat, vrbano facetoque diluit dicto, rem magis dignam faciens risu, quàm crimine. Familiare siquidem habebat, vt quotiens obiectum turpe abnegare non posset, responsione ioculari illud eluderet. Amplectendæ memoriæ, & imitandæ sanctitatis summus Pontifex Eugenius, quem vidisti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Vnde cum in aduentu suo Prior quidam modicæ

B

facultatis, cuius causam non dum audierat, ei marcam auri deuotione multa instanter offerret, nondum inquit domum ingressus es, & iam vis corrumpere dominum? Corruptionem namque vir sanctus credidit, quicquid offerebatur iudici lite pendente. Bernardus Clareuallensis Monachus, & Sanctorum Cosmæ & & Damiani Diaconus Cardinalis, Romæ degens in excelsis, singulariter habitauit, excutiens manus suas ab omni munere, vt nondum natus sit, cuius aurum, vel argentum in munus acceperit. Quid referam Martinum, qui contra morem à legatione rediens pauper, cum ab Episcopo Florentino equum socio necessarium magna compulsus instantia, accepisset eundem restituit donatori, ex quo eum ab initio dati muneris, causam in Romana † Ecclesia ventilandam habuisse cognouit.

† al. crena.

Quid & plenius S. Bernardus Clareuallensis Abbas, qui eum perfectius nouerat, refert in libro doctrinali, quem ad S. Eugenium de contemplatione vel consideratione scribit. Taceo quod venerabilis pater Gaufridus Carnotensis, legatus Aquitaniæ prouincialium munera

C

non recepit, nisi in causa esculenti & poculenti, & hoc cum summa frugalitate; sed omnia quæ in Xeniorum ratione offerebantur, vt stercora contemnebat. Testatur sanctus Clareuallensis, quod piscem quem vulgo † flurionem dicunt, à deuoto quodam legationis suæ clerico gratis accipere noluit, nec ante acquieuit offerentis improbitati, quam ei pro admisso Xenio pretium numeraret.

† al. flurmonem.

Cap. XVI.

De crimine repetundarum, quo tenentur & præsides & iudices, qui aliquid omnino accipiunt, propter eas res, quæ sibi sunt ex officio facienda: & de Samuele, qui docet iuge sacrificium esse debere in domo iudicis, quæ seipsam † oblationem iustitiæ, & bonorum operum exhibet templum Dei.

† l. rellatione

D

SEd crebrescentibus vitiis, etiam in Clero sunt hodie continentiæ tantæ exempla rarissima, cum tamen de censura legum summa continentia magistratibus omnibus sit indicta. Adeo quidem, vt qui ordinariam gesserit potestatē, quicquid ex vetere delegationis titulo profligauerit cum dispendio pudoris atque fortunæ, id est, honoris atque dignitatis de propriis facultatibus intra prouinciam positus inferre cogatur. Lege Iulia repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem habetet, ob iudicandum, vel non iudicandum, vel non decernendum, aut ob denunciandum testimonium vel non denunciandum pecuniam acceperit; & in summa, quo magis aut minus quid ex officio suo faceret, nec vsucapi potest quod accipitur, antequam redeat in potestatem eius à quo profectum est, aut hæredis. Venditiones quoque & locationes, pluris minorisve factas lex ista rescindit, & ea damnati, testimonium publicum dicere, aut iudices esse, aut postulare prohibentur. Et licet conuicti extra ordinem puniantur, plerumque damnantur exilio, vel etiam durius, prout admiserint.

E

Sed & ab hæredibus pœna repetitur. Inspice verba legis, & quanta indignatione crimen hoc persequatur attende. Vt vnius, inquit, pœna, metus possit esse multorum, ducem qui malè egit ad prouinciam, quam nudauerat, cum custodia competenti ire præcipimus, vt non solum quod egit, non dicam domesticus, sed manipularius & minister accepit, verum, vt id quod ipse à prouincialibus meis rapuit, aut sustulit; in quadruplum inuitus exsoluat. Itemque, Omnes cognitores & iudices pecuniis, atque patrimoniis manus abstineant, neque alienum iurgium putent suam prædam. Etenim priuatarum litium cognitor, idemque mercator, statutam legibus cogetur subire iacturam. Et illud, Iubemus quoque, & hortamur, vt si quis forte honoratorum, decurionum, possessorum, postremo etiam colonorum, à cuiuslibet ordinis iudice fuerit aliqua ratione concussus, si quis sciat venalem de iure fuisse sententiam, si quis pœnam vel precio remissam, vel

F

vitio cupiditatis ingestam, si quis postremo quacunque de causa improbum iudicem potuerit approbare, is vel administrante eo, vel post administrationem depositam in publicum prodeat, deferat crimen, delatum approbet; cum probauerit & victoriam reportaturus & gloriam. Vtinam hæc vel audiantur à nostris, nam vt serventur optare vix audeo. Quos quotiens diligentius intueor, concussores mihi potius videor videre, quam iudices, ac si ad hoc solum dati sunt, vt prouinciam spolient. Sed & leges ipsæ & consuetudines, quibus nunc viuitur, insidiæ sunt & laquei calumniantium. Verborum tendiculæ proponuntur, & aucupationes syllabarum, † væ simplici qui syllabizare non nouit. Feci inquit iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. Ac si apertè dicat: Qui iudicium peruertunt, & iustitiam deserunt, tradantur calumniatori, qui filios Adam ante conspectum domini accusat die ac nocte. Legitur in libro Regnum, ad vniuersum

† l. vel.

G

Israël dixisse Samuelem: Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui vobis regem. Et nunc Rex graditur ante vos, ego autem senui & incanui, Porro filij mei vobiscum sunt. Itaque conuersatus sum coram vobis, ab adolescentia mea, vsque ad diem hanc. Ecce præsto sum. Loquimini de me coram domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. O pudicum animum, ò continentem manum, ô iudicem incorruptum, & vocem magnificam, admirandam, & imitandam vniuersis, quæ de conscientia pura sic loquitur! Loquimini de me coram domino & Christo eius, qui in cœlo & terra iudices iudicant. Loquimini, inquam, si bouem cuiusquam aut asinum tulerim. Vtique villas & prædia, aut immensa pondera auri vel argenti, aut pretiosæ supellectilis onera non extorserat qui magni reputabat iudicem bouem oblatum accepisse vel asinum. Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem. Neminem iniustè vexauerat,

H

qui omnes calumnias excludebat, nec iudicium eius peruertebat caro vel sanguis, qui nullum vnquam oppressit. Si enim in manus eius quisquam inciderat, non eum iudex, sed propria iniquitas opprimebat. Si de manu cuiusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituamque vobis. Quid quæso expressius dici poterat? Vt in summa omnem auaritiæ suspicionem tollat, nullius muneris conscientiam docet se habuisse, paratus contemnere & restituere, si quid omnino exigi posset. Malebat enim istud restituere in præsenti, quam cum vsuris reddere in futuro, & contemnere illud hodie, satius iudicabat, quam in conspectu Dei & omnium electorum ex ea causa in æuum contemptibilis apparere. Sed quid ad hanc † constitutionem eius respondit auditor? Audi. Et dixerunt, Qui? Vtique totus Israël. Nam ad omnes sermonem direxerat.

† al. contestationem.

Non

Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. Si quis proconsulum, præsidumve, aut tribunus, aut centurio, decuriove, aut omnino aliquis magistratus tale testimonium à prouincialibus meruit, ad prouinciam nostram quæso accedat, vt nostros doceat magistratus. Nam de vice comitibus & iustitiis, quæ vt vulgari nostro vtat, rectè dicuntur, errantes, nihil tale auditur, eo quod diligunt munera, & sequuntur retributiones, nec liberant pauperem à potente, aduenæ & pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos. Porro nec iudices ecclesiastici sequuntur Samuelem, sed sicut populus, sic & sacerdos. In commune conqueritur sapientia: Tenentes legem nescierunt me: principes facti sunt, & ego ignoraui. Quod vt ab humilioribus liqueat, qui decani sunt, vel archidiaconi, nisi illi vt Simon noster venerabilis doctor in lege domini, dicere consueuerat, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus? Felicissimum regem Anglorum, & Normanniæ & Aquitaniæ adhuc inuictissimum ducem, interroga, quid etiam de suis sentiat, quos intrudit, & dicet vt opinor, non est malum in clero, quod isti non faciant. Episcoporum nomen & officium venerabile est, si tanta impleretur solicitudine, quanta interdum petitur ambitione. Et diligerentur vt patres, timerentur vt domini, colerentur vt sancti, si exactionibus parcerent, & projicerent ex animo quicquid prouenit ex calumnia, & omnem quæstum minimè crederent pietatem. Cæterum sibi reuerentiam subtrahunt & amorem, dum honores ambiunt, pecuniam cupiunt, & vel suas faciunt, vel alienas calumnias fouent. Et quidem nescio quomodo notam & pœnam omnem euadant, qui exactionem totius calumniosi quæstus sibi ad minus bessem vendicant. Nam vt solidum assem vsurpant sibi, aut vt multum trientem, duntaxat archidiaconis & aliis officialibus, ne dicam cum populo, ministris iniquitatis cedunt. Sed nec legati sedis Apostolicæ, manus suas excutiunt ab omni munere, qui interdum in prouinciis ita debacchantur, ac si ad ecclesiam flagellandam, egressus sit Sathan à facie domini. Concutiunt angulos domus, vt prosternant filios & filias eius, qui languores & dolores animarum curauit in cruce. Commouent & conturbant terram, vt videantur habere quod sanari oporteat. Hic tamen non de omnibus sermo est, sed de his qui patris voluntate contempta, seruiunt suæ. Constat enim quia in omni officio domus domini, sic relinquuntur quidam, vt alij assumantur. Vidi ego ipse in omnibus his, decanos scilicet, archidiaconos, episcopos, & legatos, tanta solicitudine in messe domini, vt merito fidei & virtutis rectè videri posset vineam patris in manu eorum prudenter & vtiliter collocatam. At alij sic versantur, ac si ad Thebas in † facinus excitandas mittatur ab inferis Thesiphone vel Megæra. Nam fere sic ab aula contra omnium vota fidelium, ad ecclesiæ publica officia accesserunt. Apud hos

iudicium nihil est, nisi publica merces,
Atque eques in causa qui sedet empta probat.

Iustificant impium pro muneribus, exultant in rebus pessimis, lætantur cum mala fiunt:

Vixque tenent lachrymas, cum nil lachrymabile cernunt.

Si quidem peccata populi comedunt, & vestiuntur eis, & in eis multipliciter luxuriantur. Acceptores personarum, & quasi quidam bonorum mallei hoc didicerunt ab eis à quibus electi sunt. Ait sapientia: Venatio leonis, onager in eremo, sic & pascua diuitum sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio diuitis pauper. Diues commotus confirmabitur ab amicis, humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis. Diuiti decepto multi recuperatores, locutus est superba, & iustificauerunt illum. Humilis deceptus est, & insuper arguitur. Locutus est sensatè, & non est ei datus locus. Diues locutus est, & omnes † tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est & dicunt, Quis est hic? Et si offenderit, subuertunt illum. Et hæc quidem sunt iudicia eorum, quos curia docuit, imo omnium qui iustitiæ diuitias præferunt, & nihil potius ducunt, quàm habere diuitias, quo tamen vix aliquid inutilius est. Nullus istorum exultat, cum Christum videt in terris, nullus eorum est, qui velit cum eam hominibus conuersari, nullus qui ad bona opera proximorum decantet; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc siquidem canticum est fidelium prælatorum, qui speciosis incedunt pedibus, & ex eo beatis, quod pacem portant, & † pacem sanctimoniæ sociam, sine qua nemo videbit Deum. Dicunt & hi cum sapientia, quia bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij. Clamitant in plateis, quia beatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit. Ac si apertè dicant, Quisquis in munere cuiuslibet magistratus, aurum quærit, maculam inuenit, sine qua nec acquiri, nec esse potest apud auidum possessorem. Quis vnquam pecuniam sine sordidatione manuum tractauit diutius? Ex ea tamen certè minus manus sordet, quam animus. Nolo mihi maiorum frigescant limina, aut de nare canina sonare hic litera videatur, non pono os meum in cœlum, vt de patribus, qui orbem iudicant, & à nullo iudicantur in terris, aliquid dicam, nisi plenum fide, charitate, & reuerentia. Dicam tamen quod verum est, adeo vt ei nemo fidelium audeat refragari, dicam quod ipsi prædicant. Dicam inquam, quia non potest ciuitas abscondi supra montem posita, & nequaquam latere possunt notitiam publicam, quæ in conspectu gentium fiunt. Si quidem

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Sal quoque infatuatum ad nihilum valet vltrà, nisi vt projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus, vtpote vilis abiectio, quæ nec ad stercorationem agrorum prodest. Sol quoque orbem illustrat plenius, quia in eminenti est. Quid multa? Opera singulorum, testimonium perhibent de eis. Sic Samuel operum testimonio iustificatus est, sed ne videretur populus ei blandiri, & quasi ex timore vel fallacia falsæ innocentiæ, & inanis iustitiæ, testimonium perhibere, populum religione iuramenti ad professionem veri tamen arctandum censuit, dicens: Testis est dominus aduersus vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inuenetitis in manu mea quippiam. Et dixit populus, Testis. Ac si fidem Deo & regi suo debitam, religiosæ affirmationis obsidem faciant. Quod autem esculentum & poculentum acceperit, de scriptura certum non habeo. Sic enim scriptum est. Iudicabat quoque Samuel Israel cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Masphat, & iudicabat Israelem in supradictis locis, reuertebaturque in Ramatha. Ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israel. Quid aliud videtur sonare litera, nisi quod prouinciam ex officio circuibat, ad expletionem iudicij, & reuertebatur domum, vt de proprio satisfaceret necessitati? Ædificauit etiam ibi altare domino. Rectè quidem, eo quod iuge sacrificium esse oporteat in domo iudicis, quæ cultu iustitiæ & morum honestare & luce bonorum operum, seipsam exhibet templum Dei. Vbi amodo non immolatur sanguis hircorum & vitulorum, nec cinis vitulæ inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, sed per pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, vbique locorum offerri debet

Compositum ius fasque animi sanctique recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Veri siquidem adoratores, sic adorant patrem in spiritu & veritate. Anne credis eum accepisse aliquid nomine sportularum? Hoc enim prætextu non tam iudices quam iudiciorum caupones, qui nequitiam suam honesta volunt palliare licẽtia, iniquitatem suam colorare nituntur, quærentes scilicet aliqua emolumenta negotiorum, quorum pro parte onera portant. Aut si emolumentum esse non licet, sit saltem compensatio sumptuum & damnorum. Hi tamen rari sunt. Quis enim erubescit dicere, quid mihi dabis vt tibi iustitiam faciam?

† al. in festinis exercendas.

† tacuerunt.

† al quietem.

A ciam? Nam vt pro seipsa exhibeatur, frustra expectas. Nonne simile est, ac si dicatur, quid vultis mihi dare vt me ipsum abnegem, officium prodam, & dominum vendam.

CAP. XVII.

Pecuniam contemnendam esse præ sapientia: quod etiam veterum Philosophorum probatur exemplis.

Leguntur plurimi Philosophorum non modo diuitias contempsisse, sed abjecisse quasi impedimentum sapientiæ & virtutis. Fecit hoc Socrates, quem omnium Philosophorum sectæ quasi prudentiæ, & veritatis vnicum fontem venerantur. Antisthenes quoque cum gloriosè rhetoricam docuisset, audissetque Socratem, dixisse fertur ad discipulos suos, Abite, magistrum quærite, ego enim iam reperi. Statimque venditis quæ

B habebat, & publicè distributis, nihil sibi plus quam palliolum reseruauit. Huius Diogenes ille famosissimus sectator fuit, potentior rege Alexandro, & naturæ humanæ victor. Cum autem Antisthenes discipulorum nullum reciperet, & perseuerantem Diogenem remouere non posset, nouissime ei minatus est clauam, nisi abiret. Tum ille subjecisse caput fertur, atque dixisse, Nullus tam durus baculus erit, qui me à tuo possit consortio separare. Refert † Satyrius, qui virorum illustrium scribit historias, quod iste Diogenes palliolo duplici vsus sit propter frigus, peram pro cellario habuerit, secumque portauerit, & quod clauam gerebat ob corpusculi fragilitatem, qua iam senex membra sustentare solitus erat, & emorathios vulgo sit appellatus, in præsentem horam posceus à quolibet & accipiens cibum. Habitauit autem in portarum vestibulis, & in porticibus ciuitatum, vsquequaque profitens verum, & transeuntium abigens aut notans vitia, quæ mores fœdabant. Cumque se torqueret in dolio, se domum vo-

† al. Satyrus.

C lubilem habere iocabatur, & se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æstate ad septentrionem; & vbicumque Sol se inclinauerat, Diogenis simul prætorium vertebatur. Quodam vero tempore cum in vsum potandi, † calicem ligneum gereret, vidit puerum manu concaua bibere, & elisit eum in terra dicens, Nesciebam quod natura haberet poculum. Nihil vnquam de animi rigore remisit, in eodem vultus tenore etiam aduersus interpellantes perstitit, & vt plenè Socraticum nosces, calcatis turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorem & miseriam, vniformi durauit proposito. Dicebat enim hæc semper à Philosopho aliena, & impotem sui animum, in quem fortunæ quippiam licet. Virtutem eius & continentiam, mors quoque indicat. Nam cum ad agonem Olympicum, qui magna frequentia in Græcia celebrabatur, iam senex pergeret, febri in itinere apprehensus, † occubuit in crepidine viæ. Volentibus autem amicis, aut in iumentum, aut in vehiculum tollere, non acquie-

† al. canum ligneum.

† al. accubuit.

D uit, sed transiens ad arboris vmbram, ait; abite quæso, & spectatum pergite. Hæc nox aut me victorem probabit, aut victum. Si febrem vicero, ad agonem veniam; si me vicerit, ad inferna descendam. Ibique per noctem eliso gutture, non tam mori se ait, quam febrem morte excludere. Deceptus opinione virorum fortium & exemplo, in extremæ difficultatis articulo, ne aliunde aferretur, mortem vltroneam credidit appetendam. Præiudicata siquidem opinio sapientioribus persuaserat in commune, vt mortem prouocare mallent, quam turpe aliquid sustinere. Fecit hoc Cato, fecerunt & alij, qui ferrum aut cicutā, aliudve toxicum præoccupantes, omnem & solam (vt putabant) turpitudinis effugiebant notam. Veritatis namque ignorantia eis patrocinari videtur; sed crassa est & supina, quæ certa postponit incertis, & quicquid habetur optimum ex causa inani abjicit, & expellit. Nec in eo fortitudinis nomen assequitur, quod se præ cæteris fraudulenta opinio

E consequi gloriatur. Vtrique fraudulenter & vanè, quia, vt ait * ille,

* al. addunt, Senecam.

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam,
Fortius ille facit qui miser esse potest.

Nemo eorum qui mortem prouocant excusabilis est. Excusabiliores sunt, qui imminentem abhorrent. Quis enim cognouit consilium Domini, & an possit mortem impendentem quacunque ratione effugere? Sandrococtus à rege Alexandro interfici iussus, salutem celeritate pedum quæsiuit. Ex qua fatigatione cum somno captus iaceret, leo ingentis formæ, ad dormientem accessit, sudoremque fluentem lingua ei detersit, & blande expergefactum reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni, * maiestate ominis impulsus est. Molienti deinde bellum aduersus præfectos Alexandri, elephantus infinitæ magnitudinis vltro se obtulit, & veluti domita mansuetudine, eum tergo suscepit, duxque belli, & præliator postmodum insignis extitit. Andronicus quoque damnatus ad bestias, cum leoni obiectus esset,

* al. maiestatemque ominis.

F qui & vastitudine corporis, & impetu feruoris fremitu terrifico, sonoro quoque toro, comisque ceruicum fluctuantibus, animos omnium oculosque in se conuerteret, illæsus euasit, eo quod vbi eum leo procul aspexit, repente quasi admirans stetit, ac deinde sensim, & quasi iocabundus placide accessit ad hominem. Tum caudam more atque ritu adulantium canum, clementer & blande mouit, hominisque se corpori adiungens, crura eius & manus, prope iam metu exanimati, lingua leniter demulsit, cum homo inter illata atrocis feræ blandimenta, amissum animum recuperare posset, & vix paulatim oculos ad contuendum leonem aperire. Hoc * se Apion in vrbanis spectaculis Romæ vidisse refert, adjiciens quia tunc facta quasi recognitione mutua, lætos inquit videres & gratulabundos leonem & hominem. Et hanc ob rem, & clamores populi maximos, accersitus est homo à Cæsare, & quare illi vni atrocissimus leo pepercerit, diligenter quæsitum est. Ille vtrique rem mirificam narrans ait: Cum prouinciam Africam pro-

* al. Serapion.

G consulati imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis eius, & quotidianis verberibus, ad fugam coactus sum, & quo mihi latebræ terræ illius forent à domino tutiores, in camporum & arenarum solitudines concessi. Et quasi aliud defuisset, consilium fuit quocunque modo mortem petere. Cum itaque sole medio rapido & flagranti, quandam pro tempore cauernam nactus essem latebrosam, in eam penetro meque recondo. Nec multo post ad eundem specum venit hic leo, debili & cruento & crudeli pede, gemitus edens & murmura, dolorem cruciatumque vulneris ingemiscens, cum miserantia auditoris si quis adesset. Atque illic primo quidem conspectu aduenientis leonis territus sum, & quasi toto animo consternatus. Sed postquam introgressus leo, vti res ipsa apparuit, in habitaculum illud suum, me videt ingressum procul, & delitescentem, mitis & mansuetus accessit, & sublatum pedem ostendere mihi, & porrigere opis gratia, visus est. Ibi, inquit, ego stipitem ingen-

H tem vestigio pedis eius hærentem, reuulsi, conceptamque saniem vulnere intimo expressi, accuratiusque iam sine magna formidine siccaui penitus, omnemque detersi cruorem. Ille tunc mea opera & medela leuatus, pede in manibus meis posito, recubuit & quieuit, atque ex eo die totum triennium ego & leo in eodem specu, eodemque victu viximus. Nam si quas venabatur feras, membra opimiora ad specum subgerebat, quæ ego ignis copiam non habens, meridiano sole tosta edebam. Sed vbi me, inquit, vitæ illius ferme iam pertæsum est, leone venatum profecto, reliqui specum, & viam ferme tridui permensus, à militibus visus apprehensus, & ad dominum ex Africa Romam deductus sum. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias procurauit. Intelligo autem hunc quoque leonem, me tunc separato captum, gratiam nunc beneficij referre & medelæ. Solutus itaque est pœna Andronicus, & eidem leo totius populi suffragio donatus. Exinde amicantibus sibi homine & leone, & vrbem peragrantibus &

circum

A circumeuntibus, dicebant omnes; Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis. Quæris ne historias notiores? De lacu leonum exiuit Daniel, & pueri de camino ignis euaserunt illæsi. Et apud omnes gentes ex gratia, præter opinionem, ab imminentibus malis liberati sunt plurimi. Vnde nullus eorum, qui manus iniecerunt sibi, satis excusatus est mihi, licet magnis præconiis Ecclesiastica historia aliquos efferat, prouocantes mortem, quia † temporariam vitam apud se, quam pudicitiam periclitari malebant. At eos sic excusant infirmitas carnis, & ignorantia iuris, & incendium charitatis, & forte mandatum familiare Dei, vt sic in simplicitate sua saluentur, vt nequaquam ad consequentiam transeat, quod simpliciter præsumpserunt. Quis enim locus est fortitudini, si sic tædeat animam vitæ suæ, vt quasi patientia victa, & præcisa semita meritorum, quod præcipitur, aut nequeat, aut negligat sustinere? Apud sapientes sic vita contemnitur, quod turpi- B tudinis pretium, etiam ætas altera sordet, sic diligitur, vt dum innocenter teneri potest, nullius difficultatis irruente articulo propellatur. Sic ergo seruanda est vita, vt sit contemptui; sic contemnenda est, vt proficiat saluti. Sed quis est qui hodie contemnat animam, cum nullus aut rarus sit qui in toto mentis hiatu pecuniam non concupiscat? Quidni?

† al. temporaneā.

Cum genus & formam regina pecunia donet;
Ac bene nummatum decoret suadela Venusque?

Qui diues est, qui prosperatur in viis suis, sapiens & felix iudicatur. Ad hoc alius vxorem ducit, alius quinque iuga boum, aut villam emit, commutantes pro his animam suam, cæcosque & claudos & debiles reputant, quibus mundus nequaquam arridet, quos tamen eiectis diuitibus in cœnam nuptialem sapientia introducit, vbi inebriantur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis æternæ potantur electi. Interim quicunque non habet diuitias stultus est, asinus, stipes, caudex, plumbum, aut si quid insensibilius est. Stultus ergo miser- C que est, si quis pauper. Sed nec amari potest ab aliquo, quem mala fortuna premit, eo quod

Nulla fides vnquam miseros elegit amicos,

& iuste creditur quisque mala ferre, quæ sustinet. Adeo regnum pecuniæ inualit, vt desperetur de fide iudicis, qui repellit munera offerentis. Si pacisci detrectas pollicentis videris odisse causam. Et fortasse affectu vel munere crederis præcorruptus, si permanere vis incorruptus. Sententia vel opinio Philosophorum omnino euanuit, dum sic omnes post diuitias currant, ac si alibi laborum requies dolorumque solatium inueniri non posset? ac si naufragi de profundo queant enatare facilius, si prægraui sarcina fuerint onerati. Sed quis vnquam vlcerosus spinas congessit, vt volutatus in eis quiescat mollius? Profecto si ei perfecte crederes qui ait, diuitiæ sunt spinæ, minimè tanto studio à sapientibus nostri temporis quærerentur. Vt ergo † Publius Carpus ait, diuites pauperibus miseriores sunt, eo quod à sapientia longius abeunt. Appetitus diuitiarum sapientiæ exclusio est, & D fuga virtutum, fœcunda virorum paupertas, naturam optimam bene viuendi ducem imitatur, & virtutum parens, & custos est, solaque securitatem parit, quæ sola nescit incentiua bellorum. Non habet iurgia qui contentionis causas ignorat. Trepidat orbis, & Cæsaream manum solus pauper non timet. Vtique si ob aliam causam non fugerentur, aut contemnerentur diuitiæ, nisi quia sapientiæ vias sæpiunt spinis, eas oportuerat non amari. Ne tamen his qui paupertatis erubescunt vilitate sordescere, philosophorum sit molesta opinio, diuitiarum non indicit fugam Philosophia, sed inhibet appetitum. Mentem sui compotem quærit, & quæ in omni fortunæ calculo sufficiat sibi, ita tamen vt sufficientia eius ex Deo sit. Sic auro tanquam fictilibus; fictilibus quasi auro vtatur. Nam sicut opes admittuntur ad vsum, sic à sapiente contemnuntur abusu. Sed forte supellex vilis videbitur ignominiosa magnatibus, & honoris splendorem res tenuis decolorat. Atqui longe præstantius est, moribus splendere quàm rebus, nec rerum vnquam specie illustrabitur, quem suæ turpitudinis macula dehonestat.

† al. Publicus.

E

Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea Regem,
Atque Abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul,
Quærenti causam respondit, Rex ego qui sum
† Siciliæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere † domo.

† al. Sicaniæ.
† al. loco.

Res itaque non sunt in vitio, sed vsus. Et est philosophantis animi fructus nobilis generosa æquanimitas mentis. Nam si ex stupore est, vt æquanimiter portet, mens ægra† ab incolumitatis virtute degenerat. Cum vero Philosophandi sint multæ semitæ, illa præ cæteris mihi videtur esse nobilior & laudabilior,

† al. à bonitate.

Quæ sic prandet olus patienter, rebus vt vti
Nouerit, & rerum quæ sic versatur in vsu,

F vt olus & quælibet extremæ paupertatis xenia docta sit non fastidire. Fructus siquidem Philosophiæ eximius est, vt nouerit quis abundare, & penuriam pati, vt læto animo æquanimiter omnia portet, vt obiecto solidæ virtutis obice omnem fortunam exarmet. Profecto quisquis hæc assecutus est, non sperat aut extimescit, & in eum semper fortuna quælibet manca fuit. Quid, inquit curiosus Philosophiæ perscrutator, tibi Philosophia contulit? Et Aristippus, vt cum omnibus, ait hominibus intrepide fabularer. Vtique si honoris esset, aut pecuniæ, reiue alterius cupidus, hoc minimè posset veraciter respondere. Ad salutem tamen via tutissima est, diuitiis & rebus aliis expedito. Difficillimum enim est, vt possessorem sui non impediant cursum. Quis nescit Hipodamiam præuolasse ad palmam, dum concertantium procorum cursum, proiecto auro potuit retardare? Mansit itaque virgo inuicta, donec ventum est ad pecuniæ contemptorem, qui in contemptu auri virginem superauit, aurum obtinuit, & ex eo (vt fingitur) certa- G tricis puellæ cereos axes fecit, dum incorruptionis amor, pecuniæ amorem absorbuit. Nonne hoc ipsum commendat iudicium Dei, & eas contemptibiles facit, quod in egestate bonorum ipsis iniqui affluunt? Fit tamen interdum nescio quo pacto, vt ad subuersionem iustorum, se eis ingerant, & quo diligentius excluduntur, ad ostium contemptoris studiosius pulsant. Quo beatus Eugenius munera cautius abigebat, ad eum vndique multipliciusconfluebant. Hoc quoque fere vbique accidit, vt fugiant, dum quæruntur, dum fugantur accelerant. Et hæc quidem via compendiosa, & honestissima est ad diuitias. Cum enim diuitiæ prudenter excluduntur, & vita æterna acquiritur, & cumulus diuitiarum accedit. Et si hoc nimis arduum videtur aliis, vel à iudicibus tam Ecclesiasticis, quam mundanis, qui professione aut sacramento iustitiæ obligati sunt, impleri oportet. Vtrorumque siquidem forma Samuel est, qui sic præfuit sacrificiis, vt non parceret sanguini impiorum, sic iudicia vtraque exercuit, vt nullum oppri- H meret, & de manu cuiusquam nihil accepit. Hoc testatur conscientia Samuelis, attestatur & populus, & tamen non satisfit conscientiæ scrupulosæ, nisi sacramento suum populus testimonium roboraret. Ait enim; Testis est Dominus aduersus vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inuenetitis in manu mea quippiam Et dixit, Testis. Cuicunque obtestati prouinciales tale testimonium perhibent, ad iudicium omnipotentis, & omnia scientis Dei securus accedat. Prouidè namque causam instruit, qui in examine conscientiam producit, & diem humanum, quorum est iudex conscius in excelso. Qui vero cum Samuele non discutiunt hîc iudicia sua, sed prompti ad excusationes in peccatis, quasi lotis manibus cum Pilato clamant, mundus ego sum à sanguine iusti huius, quia contra legem peccauerunt, & per legem damnabuntur. Sed & illi damnationis erunt participes, qui eos possunt cohibere nec volunt. Et de his quidem satis dictum est sapienti. Proinde ad proportionem manuum, quam Plutarchus induxit, transeat stilus.

A

LIBER SEXTVS.

POLICRATICI IOANNIS Saresberiensis.

PROLOGVS.

NOTVM est illud Ethici, quia

Æmilium circa ludum faber vnus & vngues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos.
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet, hunc ego me si quid componere curem,
Non magis esse velim, quàm naso viuere prauo;
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Dum Plutarchi vestigia in Traiani institutione familiarius sequor, meipsum hac imagine arbitror compellari, eroque B *ludibrio omnium, nisi diligentius persequar quod incepi. Me enim in præsenti clientem eius esse professus sum. Sequor ergo eum, & à capite Reipublicæ eum eo vsque ad pedes descendam, ea tamen conditione, vt si his, quibus iura permittitur ignorare, mordacior in hac parte apparuero, id non mihi, sed Plutarcho adscribant, aut sibi potius qui regulam quam profitentur, & qua viuendum est eis, discere noluerunt. Nam quod nostratibus dictum est, ea sola intentione adieci, vt ad virtutis viam redeant vel inuiti. Eos namque ad agenda sufficiunt animare tam exempla maiorum, quàm principis magnitudo inuicti, cuius titulos nunc apud me in vnum congero, vt cum aliorum tuba & litui, & omne genus musicorum laudes eius pariter in vnum conclamabunt, ego vir plebeius & indoctus, mei similibus præconia eius fistula stridenti dispertiam. Nam quis à semipagano tibiam aurichalco iunctam, & æmulam tubæ grandioris expectet? Adero tamen & me tantis solemniis ingeram, & quod ingenij vena subtrahit, deuotionis copia supplebit.*

C

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Quod si duces in iniuriam suam aliquid dictum putant, doceantur à principe, quia non in perniciem, sed salutem ægrotantium propinantur amara medicina. His præmissis, ad reliqua progrediatur oratio.

CAP. I.

Quod manus reipublicæ aut armata est, aut inermis; & quæ sit inermis, & de officio eius.

MAnus itaque Reipublicæ aut armata est, aut inermis. Armata quidem est, quæ castrensem & cruentam exercet militiam. Inermis, quæ iustitiam expendit, & ab armis † feriendo iuris militiæ seruit. Neque enim D reipublicæ militant soli illi qui galeis thoracibusque muniti, in hostes exercent gladios, aut tela quælibet, sed & patroni causarum, qui gloriosæ vocis confisi munimine, lapsa erigunt, fatigata reparant; nec minus prouident humano generi, quàm si laborantium vitam, spem, posterosque, armorum præsidio ab hostibus tuerentur. Militant & publicani, apparitores, & officiales omnium iudicum. Sicut etenim alia sunt officia pacis, alia belli, ita eadem necesse est per alios & alios expediri. Armata itaque manus in hostem duntaxat exercetur, at inermis extenditur & in ciuem. Porro vtriusque necessaria est disciplina, quia vtriusque solet insignis esse malitia. Visus quoque manuum capitis sui protestatur imaginem, quia, vt ait sapientia, rex iniquus omnes ministros impios habet; & qualis rector est ciuitatis, tales sunt & inhabitantes in ea. Oportet, inquit Pericles collegam Sophoclem arguens, prætorem non modo manus sed oculos habere continentes. E Est autem præsidentium continentia illa laudabilis, cum ab exactionibus, & iniuriis continent manus suas, & cohibent alienas. Manus tamen vtriusque militiæ, armatæ videlicet & inermis, manus est principis; & nisi vtramque cohibeat, parum continens est. Et quidem arctius compescenda est inermis, eo quod cum armati præcipiantur abstinere ab exactionibus & rapinis, inermis etiam à muneribus arcetur. Si tamen pœna alicui irrogatur legitima, si exigitur aut accipitur quod iure statutum est vel concessum, nequaquam punitur aut reprehenditur. Hoc enim quicquid sit exactionis nomen non recipit; neque cadit in muneris rationem, quod officiales accipere prohibentur. Quia vero officialium licentia maior est, dum sub prætextu officij, spoliare possunt, aut vexare priuatos, quod contra officium præsumunt, pœna feriendum est grauiori. Ait enim beatus Laurentius Mediolanensis Episcopus, Quid est publicanus? Nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? F Quid est publicanus? Prædo sine pudore, medicus exterminij. Nonne immanior est furibus publicanus? Fur namque vel timens furatur: hic autem delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet, hic quicquid fecerit, legem putat. Lex furem deterret ab illicitis; hic ad iniquum malitiæ suæ compendium, legem trahit. Quis eo iniquior, qui verbis iustitiæ iustitiam damnat, & armis innocentiæ, spoliat, vulnerat, occidit innocentes? Lege vtique legem perimit, & dum alios vrget ad legem, exlex est. Nam sicut prætor etiam cum iniquè decernit, ius dicit, habito tamen respectu non ad id quod facit, sed ad id quod facere debet; sic & publicanus etiam cum delinquit, ius videtur implere habita tamen officij non malitiæ ratione. Sed quid est officium publicani? Luca referente didicimus, quia Publicani venerunt ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt, Magister quid faciemus? Respondens autem dicebat illis: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis exigatis. Ecce officium publicani exigere & G recipere quod statutum est. Quicquid autem amplius est, à malo exigentis est & accipientis, non præbentis. Hoc autem ad omnium magistratuum officiales porrigitur, vt ab eis nihil amplius exigatur. Apparitores itaque licenter exigunt, quod eis debetur ex sportulis, & omnium stratilatum ordines, salarium constitutum iuste accipiunt. Concutere tamen & vexare non licet, vt extorqueantur & munera. Ignis, inquit beatus Iob, deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Concipit dolorem conuentus eorum, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos. Publicanorum omnium à maximo vsque ad minimum, cœtus concussioni nunc potius, quam iustitiæ vacat, & ita in populum debacchatur, vt quod reliquit vnus, alij non morentur auferre, ac si iuxta conquestionem propheticam ad hoc constituti sint, vt residuum locustæ comedat Bruchus. Et vt eis sit maior licentia nocendi, vnus in se plura coaceruat officia, vt quod ab vno non accepit officio, tollat ab alio. Tradunt Physiologi, quod H ex locusta nascitur bruchus, qui ita vocatur quousque alas habeat. Exinde succrescentibus alis, cum cœperit volitare, vocatur athelebus. Cum enim plenissime volare poterit, efficitur locusta. Iterum & multo grauior est bruchus, quam locusta, & athelebus, quia ei desunt alæ, nec cito potest abscedere. Ideoque quocunque venerit, fruges omnino consumit. Locusta tamen & athelebus quocunque venerunt nocent, & forte in locis pluribus, sed tamen minus brucho, qui cum insederit non mouetur, donec labores hominum omnino exhauriat. At in officiis eundem bruchum, athelebum inuenies, & locustam, qui propinquis noceat & remotis, & illius cui semel insederit, fortunam deuoret, nec ante abscedat, quam omnes eius auferat facultates. Quis numerare potest, quot pupillos officiosissime circumscripserit, & quot venales iniuria fecerit agros, & quot apud nos licentia istorum suis nudatos bonis, sub imagine religionis aliove prætextu, non

tam

† al. ferian is.

A tam Romipetas & peregrinos, quam exules fecerit? Vtique iam fiunt ista palam, nec eos præsides aut proconsules cohibent, quia (vt dici solet) operibus lupi congratulatur coruus & ministro iniquitatis, impius iudex applaudit. Hoc autem omnibus his vsu innotuit, principes quorum infideles sunt socij furum, quos cum in maleficio viderint, currunt cum eis, adiicientes iniquitatis partem, vt lucri quamcunque recipiant portionem. Si misertus fueris pauperis, si occasum iustitiæ fleueris, si decreueris subuenire, si obmutire audes, vt ad singula quæ dicunt, aut faciunt, non dixeris euge, euge, accusantibus Herodianis læsæ maiestatis reddes coram præside rationem. Cum nisi in omnibus acquieueris, Cæsari contradices, & quicquid dictet, nisi sic eat, & nisi sic stet, est in personam regis, contraque coronam. Consurget, ingeminabitur, & vsque ad nubes inualescet officialium clamor, replicantium voce magna, hunc inuenimus subuertentem populum, & prohibentem tributa dari Cæsari, negantemque Cæsa- B rem regem esse, & ministris eius vniuersa de iure licere. Hunc inuenimus euacuantem paternas leges, nouas introducentem, & vetustissimæ consuetudinis contemptorem. Huius rei testes sumus. Quod si tuam purgare volueris innocentiam, aut pro iustitia quicquam astruere, si Christum dixeris regem esse, cui magis oporteat quam hominibus obediri, si Ecclesiæ eius, quoniam hoc odiosissimum est, aliquod protuleris priuilegium, continuo vociferantes intonabunt, quid amplius desideratis testes? Ecce vos ipsi audistis blasphemiam. Quisquis asserit talia, contradicit Cæsari. Si vero iudex innocentiam videns, iustitiamque reueritus dissimulauerit, vndique conclamabunt, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Vt vnius pœna liberatio sit multorum, tolle & dele hunc, vt viuat & valeat Barrabas. Omnes enim sunt quasi corpus vnum, quod sicut manifesta conuincunt opera, ex patre diabolo est, cuius isti sunt membra. Egregie quidem de istis beatus Iob ait; Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactum C squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne quidem spiraculum incedit per eas. Vna alteri cohærebit, & tenentes se, nequaquam separabuntur. Assistunt sibi, quia conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Tantaque vigent autoritate, vt quicquid dixerint ita obtineat, ac si inueniatur in actis. Attestatio eorum veritati præiudicat. Non est præter principem, cui liceat obuiare eorum sententiis. Nisi eos princeps coërceat, licet omnes dicant quia pax est, non est vtique pax, aut illa pax sola est, in qua est amaritudo amarissima. Nam cum alias habita moderatione inculpatæ tutelæ, vim vi repellere liceat, concutientibus, spoliantibus, torquentibus his, mutire non licet. Iuris etenim videntur esse ministri. Excusatur qui aliquid ob tutelam proprij corporis fecerit, si tamen quauis iniuria trahentibus his restiterit, dignus pœna qualibet iudicatur. Si crinem turbatum & turpatum protrahit, si barbam vellit, si aures quasi ni- D mium breues producit, si dat alapam, aut percutit pugno impie, si alterum eruit oculum, sustine patienter, nisi vtrumque mauis amittere; quia quicquid præsumunt, Cæsaris dextera factum iactitant. Si telum manu gestas, si spontaneam detrectas præbere ceruicem, ventrem nudat, ostentat iugulum, ceruicem extendit, & te prouocat, vt si audes, Cæsaris intestina telo timeris, & quo libuerit modo, manum mittas in Cæsarem. Se enim personam Cæsaris gerere gloriatur. At si hæc est dextera Cæsaris, quænam sinistra erit? Profecto factio istorum, non iustitiam exequitur, sed illudit, & non implet, sed euacuat legem: licet nonnulli sæua prærogatiua verborum, aduersus mentem legis suum fraudulenter tueantur errorem. Sapientes enim sunt, vt faciant mala. Cum vero prouincialibus sit hæc pestis perniciosa, nulli perniciosior potest esse, quam principi. Bona siquidē prouincialium principis sunt. Ad necessitatem & vsum principis, omnia quæ prouincialium sunt, de iure exponuntur. Prouincia tota quasi arca principis est, quam quisquis exhaurit, grauissime delinquit in principem, E cuius extenuat facultates. Nam prouinciales quasi quidam superficiarij sunt, & quoties vsus exigit potestatis, rerum suarum non tam domini sunt, quam custodes. Si vero necessitatis non incumbit articulus, sua sint prouincialium bona sua, quibus nec ipse princeps licenter abutitur. Si enim expedit reipublicæ ne quis re sua male vtatur, abuti aliena vsquequaque non licet. At cum per ministros iniquitatis & sceleris, & satellites Satanæ, viros Herodianos fuerit exhausta prouincia, si necessitas imminet quibus vtetur princeps? Proinde si sapit, in chamo & freno maxillas eorum confringet, ne videlicet more luporum, quos improba ventris † agit (†angit.) ingluuies, vastare possint, & lacerare prouinciam, & iniuriam principis, quasi vires totius reipublicæ exhaurire. Alioquin & ipse maiestatem incidet, prouincialibus omnibus odiosus, redditurus suo iudici rationem in districto examine, de operibus manuum suarum, & de læsione prouincialium, quos iniuste, & quasi per F fraudem sub vmbra tuitionis manu spoliauit, & lacerauit inermi.

Cap. II.

Quod militia delectum exigit, scientiam & exercitationem.

Restat armata manus, quæ castrensem & cruentam (vt dictum est) exercet militiam. In huius autem moderatione sapientia & iustitia principis elucet plurimum. Vt enim ait Vegetius Renatus, nullus est quem oporteat, vel plura, vel meliora scire, quam principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis. Cum enim pacis itemque belli debeat opera moderari, legum reique bellicæ ipsum oportet habere peritiam. Et quidem de pacatis studiis aliqua superius dicta sunt, nunc manus armata discutitur, quæ sine delectu, scientia, & exercitatione non conualescit. Quibus enim istorum cessante, non prodest inutilis manus. At in his, G scientia & exercitatio vtiliora sunt. Scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est, quam rudis & indocta multitudo exposita semper ad cædem. Quid enim Romanos gentium omnium fecit esse victores? Scientia vtique & exercitatio, & fides, quam electi ex sacramento reipublicæ impendebant. Nam quid aduersus Gallorum multitudinem, Romana paucitas valuisset? quid aduersus Germanorum proceritatem, breuitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero, sed & viribus corporis manifestum est præstitisse Romanis. Afrorum dolis atque diuitiis semper impares extiterunt. Vnde aduersus hæc omnia, profuit tyronem solertem eligere, & vt dictum sit, docere ius armorum, quotidiano exercitio roborare doctrinam, quæcunque possunt in acie & prœliis euenire, prænosse meditatione campestri, & in desides seueritas vindictæ. Hoc memoratus autor testatur, & H fere verbis eisdem adjiciens inutilem esse † militem nutritum tenere († al. militia.), & deliriis assuetum, præferens tanquam aptiorem plebem rusticam, quæ sub dio & in labore nutritur, solis patiens, negligens vmbræ balneorum nescia, ignara deliciarum, simplicis animi, paruo contenta cibo, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris. Cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est. Nunquid cantores, aleatores, aut aucupes, cum opus fuerit, ad hæc inuenientur idonei? Plane & istos, & piscatores, † dulcoarios († al. dulcearios.), linteones, & omnes qui aliquid tractasse videbuntur ad gynæcea pertinens, à militari officio sic repellit, vt fabros ferrarios, itemque lignarios, ceruorum aprorumque venatores, in vsum militiæ censeat eligendos. Nam & Hierobaal vt figuralium mysteria taceantur, Domino mandante prohibitus est in multitudine timida, & inexercitata habere fiduciam, & illos solos aduersus Madia-

A nitas producere, quos robur animi, & exercitium corporis approbaret. Cum ergo Gedeon cunctis audientibus proclamaret, qui formidolosus & timidos est reuertatur, recesserunt ex populo viginti & duo millia virorum, & tantum decem millia remanserunt. Sed ab his decem millibus illos solos tanquam expeditiores ad bella iudicium Domini prælegit, qui in siti sua velut canes festini lamberent, manu ad os proiiciente aquas, his relictis, qui deflexo poplite biberant. In trecentis itaque viris facta est liberatio populi, hostes cæsi, captiuati reges, & interfecti non tam militiæ quam malitiæ principes, percussitque Zebec, & Salmana in ore gladij, & tulit ornamenta & bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent, ornamenta quoque monilia & vestem purpuream, quibus reges Madian vti consueuerant, sibique de tanta præda solas inaures aureas Hismaelitarum reseruauit, cæteris ex ratione populo distributis. Vicit ergo innumerabiles hostium copias, in expedita paucitate virorum fortium, quos non

B facile crediderim in delitiis vrbium, aut regalibus epulis, quotidianisque conuiuiis didicisse vt aquam lamberent, vnde eos Dominus præ cæteris censuit eligendos. Si tamen interdum necessitas exigit, vrbanos delicatioresque ad arma compelli, ex quo primum nomen dedere militiæ laborare, decurrere, portare pondus, & Solem puluerenque ferre condiscant, parco victu vtantur & rustico. Interdum sub dio; interdum sub papilionibus commoretentur, tunc demum ad vsum erudiantur armorum. Et si longior expeditio emergit, in angariis plurimum detinendi sunt, proculque habendi ab illecebris ciuitatis, vt eo modo & corporibus eorum robur accedat, & animis. Nec inficiandum est, post vrbem conditam Romanos ex ciuitate semper profectos esse ad bellum, sed nunc nullis delitiis fungebantur, sudorem cursu & campestri exercitio collectum, nandi vsus iuuentus abluebat in Tiberi. Idem bellator, idemque agricola; sed genera tantum commutabat armorum. Quod vsque adeo verum est, vt aranti Quintio

C Cincinnato dictaturam constet oblatam.

Quem trepida ante boues dictaturam induit vxor,
Et sua aratra domum lictor tulit.

Ex agris ergo robur exercitus præcipue supplendum est. Vt enim ait, nescio quo pacto mortem minus timet, qui deliciarum minus nouit in vita.

Cap. III.

De militibus gloriosis, qui militiæ inutiles sunt.

ERubescent forte milites gloriosi, & qui Thrasonem comicum potius vita & moribus, quam professione & nomine repræsentent, hæc armatæ militiæ munia, quæ non tam (vt eis videtur) disciplinam redolet militarem, quam ignominiosæ seruitutis angustias. In eo namque militarem gloriam constare opinantur, si nitidiori splendeant habitu, vt lineas suas, vestesue sericas, sic perstringant & torqueant, vt quasi

D cutem cerusatam, aliisve fucis obnoxiam carni faciant cohærere, si gradariis equis insidant mollius, si calamistrati, curatiue Actæo non cedant Apollini, & delitiis sint magis, quam virtute præsignes. Eorum si forte constituxeris aciem, castrum Thaidis, quam Hannibalis tutius expugnabis. Quisquis eorum in aulæ iactantior est, cum ad prælij discrimen accedirur, Lacones duce Saiga turmarum præmittet ad pugnam, nouissimos præsidij causa subsequens, cum funditoribus aliisque qui in hostem tela eminus mittere, quam manum conserere volunt. Cum vero sine vulnere & cicatrice (quod frequentius euenit) domum redeunt,

Tunc exhausta canunt prælia Marte graui.
Illic Æacides, illic tendebat Achilles,
Et pingunt fluido Pergama tota mero,

Et quisque mortes mille circa tempora sua errasse gloriatur. Exinde gloriam eorum ferre non poteris. Fabula

E hæc in annum centesimum protelabitur. Filij quoque qui nascentur & exurgent, enarrabunt filiis suis. Si hastas aliquot, quas † ad modum cannabis fragiles, diligens inertia procurauit, quis fregerit, si aurum, minium, colorve alius, quocunque ictu, casuve à clypeo excidit, hoc garrula lingua, si licuerit, memoriale faciant in sæculum sæculi. Isti primos recubitus habent in cœnis, & quicquid Renatus noster de re militari tradiderit, epulantur si fortuna permittit, quotidie splendide, omnemque laborem & exercitationem, quem non inuincibilis necessitas ingerit, cane & angue deterius fugiunt, & quicquid imminet difficultatis, reiiciunt in subiectos. Interim clypeos sic inaurant, sic exornant omnia instrumenta castrorum, vt quemlibet eorum non tam cultorem quam præsidem Martis credas. Cuius istorum clypeus detrahatur aut galea, spolia eius ipsum Martem poterunt honorare.

† al. ad modum canutas & frag.

F

Cap. IV.

Quarum rerum scientiam & exercitium oporteat habere milites, & quod eos ociari non licet. Et de Augusto, qui filias suas fecit institui in lanificio.

EGregie quidem Scipio Africanus, sicut in libro Strategematum Iulius Frontinus refert, cum scutum elegantius cuiusdam vidisset ornatum, dixit non mirari se quod tanta cura ornasset, in quo plus præsidij, quam in gladio haberet. Sed nec fastum illorum perferre poteris, nisi fueris patientiæ grandioris. Nam vt ineptias eorum non rideas, nulla modestia poterit cohibere. Quis Octauiano Augusto felicior aut maior? Filios & si non genuerit, adoptauit, quibus etsi sufficere posset clarus sanguis ad gloriam, & bona hæreditaria magis ad copiam, quam ad vsum, ea tamen diligentia instituti sunt, ac si sua retineri, vel aliena acquiri nequaquam possint, nisi per virtutem. Eos ergo ad gra-

G dum militarem, & cursum, & saltum fecit excitari, vsumque natandi, & cæsim & punctim feriendi & iaciendi missilia, & lapides manu vel funda docuit, & qualiter bellum omne aut sustineri debeat, aut inferri. Nouit enim prudentissimus & diligens imperator, quia

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu,

& quod non tantum celerius, sed etiam perfectius imbuuntur, quæ discunt à pueris. Deinde militaris alacritas saltus & cursus, ante comparanda est, & temperanda, quam corpus ætate pigrescat. Velocitas enim quæ percepta & firmata est exercitio, strenuum efficit bellatorem. Nec multum refert si cætera probitatis concurrant insignia, proceri sint, an staturæ breuioris. Vtilius est enim milites fortes esse, quam grandes. Delectori suo fertur dixisse Pyrrhus: Tu grandes elige, ego eos fortes reddam. Ad tumulum Archemori dum ludos solemnes Græcia celebraret, Tydeum Capaneo præsti-

H tisse percelebre est, quia

Maior in ex guo regnabat corpore virtus.

De exercitio Magni Pompeij memorat Sallustius, quod cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte, certabat? Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se & milites suos frequentibus exercitiis præparasset ad prælia. Recedendi, assultandi, insiliendi ars non mediocris est, cuius beneficio illa seruatur cautela, vt miles ad inferendum vulnus, sic insurgat in hostem, vt eidem ex aliqua parte non pateat ad plagam. Exercitium natandi percommodum est, cum in terrestri prælio vel nauali, quod cui necessitas paret, nemini perspicuum sit, nec est promptum quempiam artem, quam non didicit, à periculis expediri. Missilium quoque vsus maximus est, quibus hostis eminus læditur, aut terretur; & exercitio eorum, lacertis robur accrescit, & iaculandi peritia atque vsus acquiritur. Hoc autem tanti exercitij assidua meditatio conferebat,

vt

A vt in tumultu bellico vtiliter versarentur intrepidi, qui in pace fuerant tam studiose instructi. Filias quoque legitur præfatus Augustus sic in lanificio fecisse institui, vt si præter spem eas in extremam paupertatem fortuna proiecisset, vitam possent ante deductis facultatibus exhibere. Nam & nendi, texendi, & acum exercendi, vestesque formandi, fingendi, componendi, non modo artem sed vsum habebant, & consuetudinem. Vtique qui ocia non indulgebat, virginibus nequaquam permittebat milites ociari, quorum professio instituta est ad laborem. Nec credo eum de molliori habitu militum gloriari, ad quem nisi seueriori vultu & honestiori habitu accedere filia non audebat. Lucanus breui quodam † præconio commendat Catonem, & militiam Romanorum, adjiciens inter cætera, quod ei vestiri fuerat pretiose.

† al. compendio.

Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
Induxisse togam.

B Quod profecto non diceret, nisi durioris togæ vsus, de Quiritum consuetudine processisset. Sed modo qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, imo in castris, & sic ad bella procedunt, quasi ad nuptias dealbati. Magnis antiquæ militiæ priuilegiis se tuentur, quoniam in eo imitantur plurimum quod iura ignorant. Et hoc quidem tolerabile esset, nisi æque diuinas & humanas contemnerent leges, vt velis nolis, Satyricum illud tibi frequenter occurrat,

Dinomaches ego sum, suffla, sum candidus, esto,
Dum non deterius sapiat Pannucia Baucis,
Cum bene distincte cantauerit ocyma verna.

C a p. V.

Duo esse præcipua quæ militem faciunt, delectum scilicet & instrumentum.

C NE me tamen putes inimicari militiæ & vitia personarum in officia retorquere, ego patrocinium eius quouis renitente suscipio, & eam autore domino, sufficientissime excusabo. Professio namque tam laudabilis est, quam necessaria, & quam nemo vituperare potest salua reuerentia Dei, à quo est instituta. Veteris † instrumenti reuolue seriem, & inuenies ita esse vt dico. Nihil enim ad rem attinet, si isti præuaricantur, quoniam eis lex militiæ posita non est, nec aliquis eorum, vt recte loquamur miles est. Lege libros tam Ecclesiasticos quam mundanos, quibus agitur de re militari; & manifeste inuenies duo esse, quæ militem faciunt, electionem scilicet & sacramentum. Hæc enim duo communia sunt his, qui spiritualem & corporalem militiam exercent. Hos enim ad ministerium altaris, & cultum Ecclesiæ vocat lingua Pontificis, illos ad defensionem reipublicæ eligit lingua ducis. De quibus officiis, & locis, quales & qualiter ad alterutrum officium eligendi sint, maiorum scripta declarant. Sed quia nunc sæcularis militia versatur in manibus, vel

† al. testamenti.

D Vegetius renatus super electione militum audiatur. Ait ergo: In hoc totius reipublicæ salus vertitur, vt tyrones non tantum corporibus, sed etiam animis præstantissimi delegantur: vires regni & Romani nominis fundamentum, in prima delectus examinatione consistunt. Nec leue hoc putetur officium, aut passim quibuscunque mandandum, quod apud veteres inter tam varia genera virtutum præcipue constat esse laudatum. Iouentus enim, cui defensio prouinciarum imminet, & moribus excellere debet & viribus. Honestas enim idoneum militem reddit, & verecundia dum prohibet fugere, sæpe facit esse victorem. Quid enim prodest si exerceatur ignobilis, si pluribus stipendiis moretur in castris? Nunquam exercitus proficit in tempore belli, cuius in probandis tyronibus claudicauit electio. Et quantum vsu experimentisque cognouimus, hinc tot vbique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem incuriosius legit, dum inutiles quique ciuilia sectantur officia,

E dum † indicti possessoribus tyrones per gratiam aut dissimulationem probantium, tales sociantur armis, quales domini habere fastidiunt. A magnis ergo viris, magnaque diligentia idoneos conuenit eligi † iuniores. Cum vero diligens electio iudicio fuerit approbata, signandi sunt, & adscribendi militiæ, qui ad eam inueniuntur idonei. Nam & velocitas requirenda est, & robur, & vtrum armorum disciplinam quis ediscere valeat, & an habeat confidentiam militarem. Plerique enim quamuis non improbabiles videantur specie, tamen experimentis comprobantur indigni. Repellendi ergo minus vtiles, & in locum eorum strenuissimi subrogandi. In omni enim conflictu, non tam prodest multitudo quam virtus. In qua exploranda, formanda & promouenda, ducis vertitur tam opera, quam iudicium. Signatis namque tyronibus, per quotidiana exercitia armorum est demonstranda doctrina, vt leui armatura & graui, terra item & pelago pedites sint aut equites, strenuum militem possint implere.

† al. in dictis possessionibus.
† al. tyrones.

C a p. VI.

F *Quæ mala prouenient nostris neglecto delectu militum, & qualiter Haraldus Vualenses subegerit.*

SEd huius disciplinæ vsus in desuetudinem abiit, aut ex indulgentia longæ securitatis, aut irruente mollitie, & vitiorum animos frangente luxuria, aut ignauia iuuentutis & inertia ducum temporis nostri. Quem enim inuenies, qui strenue docere possit, quod ipse non didicit.

Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem.

G Antiquas & modernas reuolue historias, & plane inuenies, quia concussio populorum, armorum collisio, clades hominum, & plaga terribilis, luxuriam semper aut comitatur aut sequitur. Ne longe petantur exempla, Nunc collimi Britones irruunt, & iam protendunt terminos suos, & egressi de cauernis suis latebrisque siluarum, plana occupant, nobilium procerum videntibus ipsis impugnat, expugnant, & diruunt, aut sibi retinent munitiones, eo quod iuuentus nostra

—— Quæ tecto gaudet & vmbra,

nata fruges consumere, in lucem dormiens scortationi honesta postponens officia, tota die insectans voluptatem, cytharam, lyram, & tympanum, & vocem organi in conuiuiis magis agnoscit, quam lituum aut tubam in castris. In qua aut non fuit, aut errauit ducis electio, cessauit aut languit disciplina. Nam si manum conserere oporteat, in armatura leui parum habent fiduciæ, & in graui minimum alacritatis. Hac itaque onerantur vt hostem sequi non possint; illa exanimantur, vt eum tanquam ad vulnus expositi nequeant sustinere.

H Depopulantur illi fines nostros, dum iuuentus nostra instruitur, & dum nobis miles armatur, hostis euadit, & vt dici solet, dum canis mussitat, tutas latebras ingreditur lupus. Non est qui comprehendat abeuntem, aut insequatur hostem, eo quod impeditus nec sufficit, nec proficit aduersus expeditum. Ille tamen non murorum, fossatumve petit præsidia, sed locum qui militi meo sicut & sibi, etsi non æque notus, tamen accessibilis est. Vtique totus est illi, quia miles meus non in propria virtute, sed in præsidio confidit armorum. Anglorum recens narrat historia, quod cum Britones irruptione facta Angliam depopularentur, à piissimo rege † Eduardo ad eos expugnandos missus est dux Haraldus, vir quidem armis strenuus, & qui tam suam quam suorum posset apud posteros gloriam dilatare, nisi meritorum titulos nequitiam patris imitans, perfide præsumpto regno decoloraret. Cum ergo gentis cognosceret leuitatem, quasi pari certamine militiam eligens expeditam, cum eis censuit congrediendum, leuem

† al. Edwardo.

A rem autem vixisse, & in tanta angustia fidem seruasse
Romanis. Pecilini à pœnis obsessi, parentes & liberos
propter inopiam eiecerunt, ipsi coriis madefactis &
igne siccatis, foliisque arborum & omni genere anima-
lium vitam trahentes, vndecim menses obsidionem to-
lerauerunt. Hispani Fabrenses omnia eadem perpessi
sunt, nec tamen oppidum Herculeio tradiderunt. Ci-
zium cum oppugnaret Mithridates, captiuos eius vr-
bis produxit, ostenditque obsessis arbitrans futurum,
vt miseratione suorum ad deditionem compelleret op-
pidanos. At illi cohortati captiuos ad mortem forti-
ter excipiendam, fidem seruauere Romanis. † Egilonien-
ses cum à † Iuriaco his liberi & coniuges redderentur,
præoptauerunt spectare supplicia pignorum suorum,
quàm a Romanis deficere. Numantini ne se dederent,
fame moti præfixis foribus domuum suarum maluerunt,
vicissentque Romanos, autore Orosio, nisi illi sub
Scipione pugnassent.

† al. Egilonnenses.
† al. Viriace.

B

Cap. XII.

Quod varia animaduersio procedit in eos, qui duci non obtemperant, & quatenus debeat obediri, & in quibus mandatis locum habeat examinatio militaris; & in quibus non.

IN eos qui ducis, aut legis non obtemperabant arbi-
trio, varia animaduersio procedebat. Nam alij in
fortuna, alij in fama, alij in sanguine puniuntur. Fron-
tinum relege, & vsquequaque ita inuenies. Nam Au-
relius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate
cogente, iussisset accedere, eorumque pars detrectasset
imperium, questus apud Censores effecit, vt à partibus
notarentur, deinde obtinuit ne eis præterita æra pro-
cederent. Tribuni quoque plebis de eadem re ad popu-
lum pertulerunt, omniumque consensu stabilita est
disciplina. Q. Metellus Macedonicus in Hispania quin-
C que cohortes, quæ hostibus cesserant testamentum fa-
cere iussas, ad locum recuperandum remisit, minatus
non nisi post victoriam receptum iri. Senatus cum mi-
lites Publij Valerij fugati essent, decreuit ne ei auxilia
subinitterentur, nisi victis hostibus. His vero legioni-
bus, quæ Punico bello militiam detrectauerant, in Si-
ciliam velut relegatis, per septem annos hordeum ex
Senatus consulto datum est. Appij Claudij sententia,
senatusque consultum omnes, qui à Pyrrho rege Epi-
rotarum capti, & postea remissi erant, equites ad pe-
ditem redegit, ad leuem armaturam omnibus extra
vallum iussis tendere, donec bina hostium spolia sin-
guli referrent. Hæc Frontinus. At Plinius asserit, quia
fuit hæc quoque antiquitus animaduersio militaris, iu-
bere ignominiæ causa militi venam solui, & sanguinem
dimitti. Cuius rei rationem, etsi in veteribus literis
non potuerit inuenire, hoc tamen primò factum opi-
natur in militibus stupentis animi, & à naturali habitu
declinantis, vt non tam pœna, quam medicina vide-
D retur. Postea tamen ob pleraque alia delicta id factita-
tum esse credit, per consuetudinem, quasi minus sani
viderentur omnes, qui contra officium delinquerent.
Nam leuioris culpæ non erat ignominiosa animaduer-
sio, etsi nec illa ex vigore disciplinæ militaris dissimu-
latione locum relinqueret. Veteres quoque Græcos
anulum habuisse in sinistræ manus digito qui minimo
proximus est, celeberrimè traditur. Romanos quoque
homines aiunt sic plerumque vsitatos anulis: Causam-
que huius rei Apion in libris Ægyptiacis dicit, quod
insectis apertisque corporibus, vt mos fuit, quas Græ-
ci ἀνατομὰς vocant, † compertum est quendam te-
nuissimum neruum ab eo vno digito, de quo diximus,
ad cor hominis pertingere, ac peruenire. Visumque
esse eum potissimum digitum tali honori decorandum,
qui continens, & quasi connexus cum principatu cor-
dis videretur. Vnde & quasi excordes arbitrati sunt cu-
randos aut puniendos, qui in militate officium deliquis-

† al. aperitum a. reperitum.

E sent. Vt redeam ad Frontinum: Crassus à Sempronio
Asello & plerisque aliis historiæ Romanæ scriptoribus
traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima &
præcipua: Quod esset ditissimus, quod nobilissimus,
quod eloquentissimus, quod iuris consultissimus, quod
Pontifex maximus. Is cùm in consulatu obtineret
Asiam Prouinciam, & circumsidere atque oppugnare
Leucas pararet, opusque esset, † summa atque procera
trabe, qua arietem faceret, quo muri oppidanorum qua-
terentur, scripsit ad Magnum Gaium maiorem Athe-
niensium sociorum amicorumque populi Romani, vt
ex malis duobus, quos apud eos viderat, vter maior es-
set ei mittere procuraret. Tunc Magnus Gaius comper-
to quam ob rem malum desiderasset, non vti iusserat
maiorem, sed quem magis esse idoneum, aptioremque
faciendo arieti, facilioremque portatu existimabat, mi-
norem misit. Crassus cum vocari iussit, & cum inter-
rogasset, cur non quem iusserat, misisset, causis rationi-
busque quas dictabat, spretis, vestimenta detrahi iussit,
F virgisque multum cæcidit, corrumpi atque dissolui ra-
tus omne officium imperantis, si quis ad id, quod facere
missus est, non obsequio debito, sed consilio non desi-
derato responderit. Quid quæso amplius in monachum
arctioris regulæ dictasset Abbas seuerus? in eo namque
solo deliquerat, quod non paruerat mandato, etsi forte
reipsa vtilius esset quod fecit. Nam sicut in religione
degentibus, prælatorum mandata, dum præceptionem
perpetuam non impugnant, à subiectis non oportet
discuti, sed impleri, sic in re militari, circa mandata du-
cis, nulla est examinatio militaris, nisi forte quod præ-
cipitur, expressim saluti reipublicæ inueniatur aduer-
sum. Nam in eo non obtemperat nisi perfidus & im-
pius miles. Quid enim iniquius, quid detestabilius, quam
sine fidei reuerentia aggredi quicquid dictauerit Impe-
rator? Nonne apud omnes vox funesta est, & crudelis,
plenaque perfidiæ,

Pectore si fratris gladium, iuguloque parentis
Condere me iubeas, plenoque in viscera partus
G *Coniugis, inuita peragam tamen omnia dextra.*
Castra super Tusci si ponere Tybridis vndas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu † quoscunque voles in planum effundere muros,
Hic aries actus disperget saxa lacertis.
Illa licet penitus tolli quam iusseris vrbem,
Roma sit.

† al. quoscunque.

Quid nequius dici potuit, & vnde magis deberet, si fide-
lis esset, Romanus Imperator offendi? In eo namque
sceleratus miles fidei suæ fidem facere studuit, vnde
seipsum maxime infidelem & perfidum esse conuincit.
Magna quidem reuerentia debetur duci, sed fidei reli-
gione seruata. Quædam ita necessaria sunt, vt manda-
tum nec expectent; alia sic detestabilia, vt nullum om-
nino mandatum admittant. Media quidem quæ neque
sunt necessaria bona, nec detestabilia mala, consistunt
in arbitrio præsidentis. Velit nolit præfectus, ex neces-
sitate boni, diligendus est Deus. Velit nolit præfectus,
ex malitia iniquitatis, est adulterium declinandum. At
H militare, vel non militare, egredi vel non egredi, cæte-
raque quæ Philosophi indifferentia reputant, ad præ-
positi diligentiam & reuerentiam spectant. In his nisi
mandato præsidentis, oculum aperire, instar criminis
est, aut ex scientia sua ad cuiuscunque operis fructum
manum irreuerenter extendere. Sit cæcus in hac parte
obiectus vt viuat, quia quacunque die quasi propria
discretione ad arborem scientiæ, quam sibi & prælatis
reseruat dominus, temerariam manum miserit, laqueum
mortis incursit. Quid enim bonum, aut malum in ta-
libus sit, non licet iudicare subiectis, dum plena reue-
rentia præpositis exhibeatur, & fidelis obedientia man-
datorum. Militem ergo in omnibus his quæ ad statum
publicum pertinent, nihil omnino tentare licet, nisi
ducis iussu vel licentia, quod ipse faciendum decreue-
rit, roboretur. Vnde hi plerumque, qui ducum con-
tempto vel non expectato imperio, congredientes cum
hoste reipublicæ victoriam contulerunt, sæpe non

tam

tam gloriam assecuti sunt de victoria, quam de temeritate, vel negligentia pœnam. Quid ergo merebitur transfuga, stationisve desertor, si ex disciplina militari tanta seueritate corripitur triumphator? In stratagematibus Iulij inuenitur † Clearcum Lacedæmoniorum ducem dixisse, Imperatorem exercitui potius timendum esse quam hostem, eo quod qui in prælio dubiam mortem timuerant, eos statione relicta certum manebat supplicium. L. Papilius Cursor, Fabium Rutilium, magistrum equitum, quod aduersus edictum eius, quamuis prosperè pugnauerat, virgis poposcit cæsum, securi percussurus, nec contentioni aut precibus militum concessit animaduersionem, cumque profugientem Romam persecutus est; nec ibi quidem remisso prius supplicij metu, quam ad genua eius, & Fabius cum patre prouolueretur, & pariter Senatus ac populus rogarent. Et ne eum credas hoc fecisse, ex odio præcedenti, Manlius, cui Imperioso postea cognomen fuit, filium quod is contra edictum patris, cum hoste pugnauerat, quamuis victorem in conspectu exercitus virgis cæsum, securi percussit. Fuit autem disciplina militaris sicut reipublicæ necessaria, ita & omnibus gratiosa, adeo quidem vt Manlius filius pro se aduersus patrem exercitu seditionem parante, negauerit tanti esse quemquam, vt propter illum corrumperetur disciplina militiæ, & obtinuit vt ipsum puniri paterentur. Appius Claudius ex his, qui loco cesserant, decimum quemque militem sorte ductum, fuste percussit. Fabius Rutilius consul, ex duabus legionibus, quæ loco cesserant, vicenos sorte ductos, in conspectu militum securi percussit. Idem ternos ex centuriis quorum statio ab hoste perrupta erat, addixit securi. Q. Fabius Maximus, transfugarum dextras præcidit. M. Cato tradidit in furto deprehensis inter commilitones, dextras esse præcisas, aut si benignius in reum animaduertere voluissent, † in principiis sanguinem missum. Seditio quoque securim prouocat, ita tamen vt pro arbitrio ducis in pœna paucorum, securitas & quies reipublicæ reformetur. Iulius Cæsar orta seditione militum, paucis percussis, castra sedasse legitur, & fidem militum reparasse.

† al. Klearcum.

† al. principiis.

Cap. XIII.

Quare cingulo priuentur milites, & quod exautoratus non habet aliquod cum gladio, telove commercium, & quare gladius insertus est cingulo.

Fit interdum vt ex delicto suo priuetur miles militiæ cingulo, in his maxime, vbi sacrilegia committuntur. Veteri namque iure statutum est, & nouo non est abolitum, vt qui non seruato militiæ sacramento, religionem quam profitetur, impugnat, cinguli amissione mulctetur. Fertur hoc edicto Iulius compescuisse militem suum, quando vrbem ingressus, non licuit homines spoliare, aut templa deorum, quod ei postmodum ingrauescente seditione improperant. Numinibus namque Romanis ciuibusque iurati, oppugnare non poterant, quos sacramento militiæ susceperant defendendos. Sic quoque C. Curio bello Dardanico circa Dyrrachium, cum vnam de quinque legionibus seditiosam vidisset, eam procedere iussit inermem discinctamque in conspectu armati exercitus stramenta coegit secare. * Postremo autem die similiter fossam discinctos milites facere, nullisque precibus legionis impetrari ab eo potuit, ne signa eius submitteret, nomenque aboleret. Milites autem in supplementum aliarum legionum distribuit. Non enim restituebantur, qui meruerant priuati cingulo, antequam eos præ cæteris virtutum meritæ insignirent. Milites qui ex Cannensi pugna cedentes, in Siciliam fuerant relegati, postulauerant à M. Marcello consule, vt in prælio ducerentur. Ille Senatum consuluit, Senatusque negauit placere sibi, eis committi rempublicam, qui eam deseruissent. Marcello tamen permisit facere quod videretur; lege tamen præscripta, ne quis eorum muneri vacaret, neve donaretur præmio, aut honore, aut reportaretur in Italiam, dum Pœni in ea fuissent. Dum vero cingulo spoliati sunt, eis nec æra procedunt, nec militaribus priuilegiis gaudent, nec habent aliquod cum gladio telove commercium. Ideoque prouida constitutione maiorum est gladius insertus cingulo, vt collato honore cinguli, potestas quoque ipsius gladij aliquatenus intelligatur collata. Et rectè cingulo decoratus, ad militiam quisquis accedit, quia eum expeditum esse ad munia reipublicæ, officij sui necessitas exigit. Accingi namque solet, cui gerenda imminent; & cui vacatio datur, licet esse discinctum. Vnde illud in libro Regum; Non æquè glorietur accinctus, vt discinctus. Quia sollicitudo laboris imminentis, gloriandi licentiam non admittit, & otiandi libertas & securitas quietis plerumque extollentiam parit. Cingulum ergo indicium est laboris, labor honoris meritum, vt liqueat omnibus, quod qui laborem indictum militiæ, subire detrectat, honorem gladij in militari cingulo frustra portat. Ipsius quoque cinguli cassa est significatio, nisi fidem eius roboret & solidet labor. Videas multos cinguli honore tumentes, sed nisi honorem laboriosa impleant merita, idem est ac si pro solida substantia quis vendicet spumam. Profecto dignus est priuilegium perdere, qui concessa sibi abutitur potestate. Abutitur autem quis, vel non faciendo quod oportet, vel faciendo quod fieri non oportet; & cum vtrumque sit malum, vt dicitur peccatum delicto grauius esse solet. Delinquit enim qui non implet officium; sed plane peccat, quisquis committit contrarium. Albo siquidem nigrum magis opponitur, quam non album, & tristitia lætitiam magis impugnat, quam spes aut timor, quæ neque in lætitiæ rationem cadunt, nec ei maxime aduersantur. Et cingulo quidem abutitur, tam ille qui non implet quod oportet ex militiæ sacramento, quam ille qui impugnat militiæ sacramentum. Delinquit tamen grauius, qui impugnat, sicut hostis vetus ignauo milite odibilior est. Vnde qui rempublicam & inermem manum militaribus armis impugnat, iustissimè exautoratur, tanquam ille qui figuram hostilem induerit. Sed præ cæteris omnibus diuino & humano iure grauius feriuntur sacrilegi, & hi qui variis perturbationibus impugnant Ecclesiam Dei, quibus lex non præcisionem dexterarum, sed pœnam irrogat capitalem. Si patrocinium illorum assumant Cicero, & Demosthenes, si in defensione eorum linguam acuat, & totius ingenij sui vires exhauriat Quintilianus, si iura viguerint, quod post Deum in manu principis est, fortunas eorum & capita, quin legitimis suppliciis feriantur, tueri non poterunt. Quod si gladium suum aduersus tales non exerit princeps, in seipsum proculdubio prouocat gladium bis acutum, quem in ore suo gerit filius hominis, gladium vtique qui viuus & efficax est, qui corpus fundit, & animam mittit in gehennam; ad quem obtusus est omnis gladius, & omnis armatura fragilis, & fluida & infirma, præter illam quam sola construxit gratia in bonorum fabrica meritorum. Sunt autem plurimi, qui malorum clamore operum, quando militiæ consecrandi cingulum altari obtulerunt, videntur protestari, se eo tunc animo accessisse, vt altari, & ministris eius, sed & Deo, qui ibi colitur, bellum denunciarent. Facilius crediderim hos malitiæ execratos, quam ad legitimam militiam consecratos.

* al. postero

Cap. XIV.

Quod disciplina militaris plurimum prodest, & quid militiam maximè frangit.

Proinde necessaria est disciplina militaris, cuius quanta sit vtilitas, non facilè dixerim. Vt enim dictum est, Romanis adeo profuit disciplina, vt orbem suæ subjicerent ditioni. Alexander quoque Macedo,

A Nam si contra te lis erit data, merces debebitur mihi ex sententia quia ego euicero sin vero secundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debetur, quia tu viceris. Ad ea placidè Euallus. † Opto, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni isse obuiam, si verba non ipse facerem, atque alio patrono vterer. Sed magis in ista victoria, præludium est cum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto euicero. Disce ergo tu magister sapientissime, vtroque modo futurum vti non reddam quod petis, siue contra me pronunciatum fuerit, siue pro me. Nam si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero; si contra pronunciatum fuerit, nihil tibi ex pacto debeo, quia non vicero. Sic ab adolescente discipulo, magister eloquentiæ inclitus suo argumento confutatus, & captionis versutæ, & cogitatæ frustratus fuit. Tunc iudices vt antiquæ historiæ verbis vtar, dubiosum hoc inexplicabiléque esse quod vtrinque dicebatur, rati, ne sententia sua vtramque B in partem dicta, ipsa sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt, causam in diem longissimum protelantes. Nec multum refert ad propositum, Pythagoras, an Protagoras sicut Quintiliano placet & Aulo Gellio, litigauerit, neque enim vis est in nomine, dum constet rem ambiguam sine temeritate diffiniri non posse. Sunt autem multæ captiosæ quæstiones, quæ r‹ectius› & commodius præsertim in iudiciis differuntur, quam accelerentur. Vnde & apud Dialecticos, genus hoc Tractus appellatur, & à Græcis dicitur † Z‹…›, vbi quicquid verum esse statueris, falsum reperitur. Etsi plerumque in his per exceptionem doli mali possit res temperari, & æquitas ipsa iuris interdum queat mitigare rigorem, nisi vrgentissima rerum necessitas cogat, in talibus sententiam expedit differre, quam ferre. Fere à puero didicisti, quia in quæstionibus quæ habent positiones implicitas, & quæ latenter inuoluunt contraria laboriosa solutio est, nisi forte te antiquo Nestore reputes cautiorem. Ne credas somnio; Agamem-C noni dictum est in somniis, diuo in excidio Troiæ Græcia laboraret. Huius quoque somnij interpretationem, Ioui censuerunt Græcorum sapientissimi reseruandam. Laborantes vidi quamplurimos, dum quæritur an qui dicit, ego mentior, verum dicat. Sed neminem vidi qui Scyllam vitaret & Charybdim, nisi debilem aut propitium sustinuerit hostem. At in litigiosis disputationibus & declamationibus scholasticis, sine periculo isto ista versantur. Sed vbi ad forum ventum est, in quo inanis ostentatio ingenij conquiescit, & seria duntaxat agitantur, sine periculo litigatorum, aut iudicis, in sententiæ calculo non erratur. Nec est, vt opinor, quicquam vtilius, quam periculum differri, si omnino vitari non potest. Iniquissimum tamen est, iurgia protelari, eum alterutrius litigantium periclitatur vtilitas, & rei difficultas moram non contrahit. Quicquid igitur expediri potest, accelerandum est; quod consultiore tractatu indiget, differendum.

† al. Poeni.

† al. absit.

D

CAP. XIII.

Quomodo iudicium debeat ordinari & de conceptione sacramenti calumniæ, quod ex necessitate præstant actor & reus, & quid immineat illi, qui iuramentum subire detrectat, & de sacramento aduocatorum, & pœna calumniatorum, siue præuaricantium, aut tergiuersantium.

VT vero rerum veritas citius illucescat, litigatores ipsus, personas videlicet principales non ante ad litem iudex admittit, quam ei præstito sacramento faciant fidem, quod iustitiæ suæ insistent, & calumniam omnem procul facient. Actor quidem iuret, non calumniandi animo litem mouisse, sed existimando bonam habere causam, & quod nihil in tota lite faciet calumniose, vt nec probario, nec dilatio frustratoria exigatur, sed id solum quod iustitia videtur exigere. Reus E autem iurabit, quod putans se bona instantia vti, peruenit ad reluctandum, & quod in nullo litis articulo calumniose versabitur, id solum à iudice, vel aduersario exigens quod pro veritate putat ex necessitate iustitiæ exibendum. † Vterque vero iuramenti sui extrema clausula hoc complectetur, vt iurent se nihil dedisse, aut promisisse, aut daturos esse, vel per se, vel per mediam personam, siue iudicibus, siue aliis quibuscunque personis pro ea causa, exceptis his, quæ aduocatis, & quibusdam aliis certis personis de iuris indulgentia præstari licet. Quod si actor sic iurare recusauerit, exclusus à lite cadit ab actione, tanquam improbus litigator. Reus vero detrectans subire iuramentum, habetur pro confesso, & sententiam damnationis expectat. Sed & ipsi patroni causarum, quo fidelior possit esse examinatio, ab ipsa contestatione litis, iuramento arctantur ad veritatem, & fidem, iurantes quod cum omni virtute sua, omnique ope quod iustum & F verum examinauerint, clientibus suis inferre procurabunt, nihil studij relinquentes prout cuique possibile est; & quod ex industria sua non protrahent lites. Nam eas oportet à iudicibus infra biennium vel triennium terminari. Ipsos quoque aduocatos pari distributione partibus exæquabit, siue eos petierint, siue non, vt æquo Marte possit causa procedere. Hæc autem paritas, & in virtutis merito, & viuacitate ingenij, consilij profunditate, & opinione scientiæ, & nominis autoritata consistit, vt hæc omnia, si fieri potest, apud partes quadam æquitatis lance librentur. Quod si vnius præ cæteris est fama hilarior, ex officio iudicantis prout poterit parti aduersariæ compensabitur. Qui tamen alicuius litigatorum arcana prænouit, non patrocinabitur aduersario; nisi forte citra conuenientiam iudicis, separatim cum pluribus aliter tractauerit, vt alteri partis defensionis copia subtrahantur. Nec est qui à iudice monitus, sine excusatione probabili, possit cuicunque parti patrocinium denegare, nisi forum sibi præcludi velit, vt G postmodum in caussis agendis minimè audiatur. Si vero præuaricatus fuerit aduocatus, in conuictum oportet, pro qualitate commissi pœnam grauissimam exercere. Munus siquidem patrocinij fidelissimè implendum est, & sine aduersariorum iniuria. Rationibus namque non probris contendendum est, & ex edicto principis patitur opinionis dispendium, quisquis negotio derelicto, procax in aduersarij sui contumeliam aut palam pergit, aut subdole. Sed licet patrono merces ex causa honoratij debeatur, † concinnatorem vel redemptorem litium esse non licet, vt certæ partis emolumentum cum graui damno litigatoris, & quadam † deprecatione paciscatur. Quicquid autem patronus allegauerit præsente domino, perinde est habendum, ac si proferatur à domino, nisi ex continenti, idest, infra proximum triduum contradixerit. Licet autem patronum vinci contigerit, in nullo læditur fama eius, si nihil omisit ex contingentibus, & clientis sui iustitiam fideliter fouit. Non enim cogitur patro-H cinari mendacio. Si quid vero læsionis affert causa, in litigantes cadit, siue ciuiliter siue criminaliter actum sit. Hoc autem quicquid sit, sententia diffinitiua declarat, quæ reos condemnat, vel absoluit, & interdum in ipsos autores consultissimè acerbitatis effundit aculeos. Nam vt de ciuilibus taceatur, in quibus tamen est eadem inuenire, accusatorum temeritas tribus modis detegitur, tribusque subiicitur pœnis. Aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur. Est autem calumniari, crimina falsa intendere: Præuaricari, vera abscondere. At in vniuersum ab accusatione desistere, tergiuersari est. Sed lege Remia calumniantes ad vindictam poscit similitudo supplicij, ita tamen vt postquam reus absolutus fuerit cum de accusatoris consilio & mente constiterit, si iusto errore lapsus est, absoluatur: Si vero in euidenti calumnia deprehensus est, pœna legitima condemnetur. Quod ipsius pronunciationis manifestatur verbo Nam si pronunciatum est, non probasti, pepercit actori. Si vero

† vtrinsque.

† al. contionatorem.

† al. depradationem.

A calumniatus es, condemnauit eum: & licet de pœna infamiæ nihil subiecerit, tamen potestas legis aduersus eum exercebitur, adeo vt importet infamiam.

Cap. XIV.

De ratione instrumentorum.

AT in ipsa disquisitione consilij, tam in ciuilibus, quàm criminalibus causis, ad examinandas probationes instrumentorum ratio habenda est. Et quidem instrumenta dicuntur omnia, quibus causa instrui potest, siue sint testimonia, siue testes; hæc tamen illis potiora sunt, eo quod testes testimoniis præferuntur. Nam cum testes examinari possint, testimonia semper, & apud omnes eadem sunt. In ipsa vero testium examinatione, non potest ex regula aliqua diffiniri, quid magis iudicem sequi oporteat. Si enim omnes testes B eiusdem honestatis & æstimationis sint, & negotij qualitas, ac iudicis motus cum his concurrerit, sequenda sunt omnia testimonia. Sin vero quidam eorum aliud dixerint, licet † in pari numero, credendum est quod naturæ negotij conuenit, quod inimicitiæ aut gratiæ suspicione caret? confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei apiora, & vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testium fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit. Ipsis quoque præsumptionibus frequentissime stabit, donec probetur contrarium. Nam & Salomon cum in litigio meretricum, infantem diuidi præcepisset, & altera eum mallet alteri viuum cedere, ipsa tamen reclamante, nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur, illi viuum infantem restituendum censuit, quæ non acquieuit, vt viuus moreretur. Argumento siquidem probabili trahebatur vt matrem crederet quæ diligebat; cum opinionem eius, aut fidem, aduersa probatio euacuaret. Vnde & C D. Adrianus rescripsit, iudicantis dilatans in examinatione testium facultatem. Et verba quidem Epistolæ sunt hæc. Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus cuius dignitatis, & cuius æstimationis sint, & qui simpliciter visi sint dicere, vtrum vnum eundemque sermonem meditatum attulerint, an ad ea quæ interrogaueris ex tempore verisimile responderint. Quæ argumenta & quemadmodum, cuique rei probandæ sufficiant, nullo certo modo satis diffiniri potest. Alias numerus testium, alias dignitas & autoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc igitur solum tibi respondere possim summatim, non vtique ad vnam speciem probationis, cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui, te æstimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris. Iudici vero plurimum licet, dum in omnibus seruiat veritati, quam si (vt solet) apud improbos periclitari cognouerit, ad professionem eos qui necessarij fuerint, euocabit, & D ad testimonium compellet inuitos: his tamen exceptis, quos aduersus certas personas testificari iura non cogunt.

† al. in pari.

Cap. XV.

Quæ pertineant ad religionem Proconsulum, præsidum, & ordinariorum iudicum, & quatenus Xenia protendi liceat; & de Cicerone, Bernardo, Martino, Gaufrido Carnotensi.

PErtinet autem ad religionem præsidis, prouidere ne potentiores viri iniuriis afficiant humiliores, ne defensores eorum calumniosis criminibus insectentur innocentes. Prohibebitque † illatas exactiones, & violentias factas & extortas metu venditiones, & cautiones vel sine pretij numeratione, ne & ipse prouinciam in præbendis hospitiis oneret, denique ne quis E iniquum luctum, vel damnum sentiat, præcauebit. Congruit enim bono & graui præsidi, curare vt pacata & quieta sit prouincia: quod facile obtinebit si sollicitè agat, vt malis hominibus prouincia careat, eosque conquirat. Nam & sacrilegos, latrones, fures, plagiarios, conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animaduertere, receptatoresque eorum, sine quibus latro diutius latere non potest. Omni vero ius reddenti obseruandum est, vt in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur. Vnde mandatis adjicitur, ne præsides in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant. Nam ex conuersatione æquali contemptio nascitur dignitatis. Et summatim ita ius reddi debet, vt autoritatem dignitatis ingenio suo augeat. Sed & in cognoscendo, nec excandescere aduersus eos quos malos putat, nec precibus calamitosorum illachrymari oportet. Id enim non est constantis & recti iudicis, cuius motum animi vultus detegit. Quid F enim in viro graui deformius, quam si ad † auram genæ pallent, cutis in rugis contrahitur, scintillant oculi, turbatur vultus; aut si sanguinem faciei ira accendit, & quasi excludit in superficiem, spumantia torquentur labia, brachia iactantur, saliunt pedes, corpus trepidat, & toto gestu non tam iratum exprimit quam insanum. Certè cum tales video, compatior illis, mihique metuo, memor hominum, quos in Africa esse, in libro naturalis historiæ apud Plinium didici. Dicuntur enim effascinare voce & lingua, vt si impensius forte laudauerint pulchras arbores, & segetes amœniores, lætiores infantes, equos egregios, pecudes pastu & cultu optimas, repente moriantur, aut pereant. Fascinatio quoque oculorum exitialis est. Refert idem homines esse in Illyricis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint. Eosque ipsos mares, feminasque qui visu nocentes sunt pupillas in singulis oculis habere binas. Apollonides quoque perhibet, in Scythia nasci feminas, quæ Bithiæ vocantur, & easdem in oculis binas G habere pupillas & perimere si quem visu forte iratæ aspexerint. Vereor ne his cognati sint iudices iracundi. Tradunt etiam Physiognomi, eos qui habent oculos maculosos, ad nequitiam proniores. Quæ vero de præsidibus, aliisque iudicibus dicta sunt, debent & apud proconsules, quos nostrates vulgariter dicunt iustitias esse errantes, obtinere. Et nomen quidem erroris, etsi non officio, personis tamen eorum conuenit, qui euntes post concupiscentias suas, in sectatu auaritiæ, & deprædatione popularium, à tramite æquitatis aberrant. Debent autem officia omnium esse gratuita, vt nihil vltra statutum exigatur, sed nec recipiatur. Sed forte quid statutum sit, quæris. Plebiscito continetur, ne quis præsidum munus donumue caperet, nisi esculentum poculentumve, & id quidem intra dies proximos prodigatur. Quod & ad proconsules, aliosque magistratus ex mandato Principis transit. Non vero in totum debent xeniis abstinere, sed modum adhibere. Vt vero nec in totum abstineant, nec auare modum Xeniorum H excedant, Diuus Seuerus, & Imper. Antoninus elegantissimè sunt Epistola moderati. Cuius Epistolæ verba sunt hæc: Quantum ad Xenia pertinet, audi quid sentimus. Vetus prouerbium est, nec omnia, nec semper, Nec ab omnibus. Nam valde inhumanum est, à nemine accipere; sed passim, vilissimum; & per omnia auarissimum. Quod autem mandatis continetur, ne donum vel munus ipse Proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematue quid, nisi victus quotidiani causa, quod ad Xenia iam non pertinet, sed ad ea quæ edulium excedant vsum. Sed nec Xenia producenda sunt, ad † munerum qualitatem. Licet enim patrocinium iustum possit vendere aduocatus, & peritus iuris sanum consilium, iudicium vendere omnino non licet. Cicero cum in Palatio domum vellet emere, & pecuniam in præsens non haberet, à Sylla qui tunc reus erat, mutuo sestertium vicies tacitè accepit. Ea res priusquam emeretur prodita est, & in vulgus exiuit, obiectumque est ei, quod pecuniam domus

† al. illicitas.

† al. auram.

† al. munerum.

A emendæ causa, à reo accepisset. Tunc Cicero inopinata approbatione permotus, accepisse se negauit, dicens se domum non esse empturum. Atque adeo falsum est quod objicitis, vt verum sit me pecuniam accepisse, si domum emero. Sed cum postea emisset, & hoc mendacium in Senatu ei ab inimicis obiiceretur, risit satis, atque inter ridendum imprudentes, inquit, homines estis, cum ignoratis prudentis & cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, se empturum esse negare, propter competitores emptionis. Sic itaque quod inficiari non poterat, vrbano facetoque diluit dicto, rem magis dignam faciens risu, quàm crimine. Familiare siquidem habebat, vt quotiens obiectum turpe abnegare non posset, responsione ioculari illud eluderet. Amplectendæ memoriæ, & imitandæ sanctitatis summus Pontifex Eugenius, quem vidisti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Vnde cum in aduentu suo Prior quidam modicæ B facultatis, cuius causam non dum audierat, ei marcam auri deuotione multa instanter offerret, non dum inquit domum ingressus es, & iam vis corrumpere dominum? Corruptionem namque vir sanctus credidit, quicquid offerebatur iudici lite pendente. Bernardus Clareuallensis Monachus, & Sanctorum Cosmæ & & Damiani Diaconus Cardinalis, Romæ degens in excelsis, singulariter habitauit, excutiens manus suas ab omni munere, vt nondum natus sit, cuius aurum, vel argentum in munus acceperit. Quid referam Martinum, qui contra morem à legatione rediens pauper, cum ab Episcopo Florentino equum socio necessarium magna compulsus instantia, accepisset eundem restituit donatori, ex quo eum ab initio dati muneris, causam in Romana † Ecclesia ventilandam habuisse cognouit. Quod & plenius S. Bernardus Clareuallensis Abbas, qui eum perfectius nouerat, refert in libro doctrinali, quem ad S. Eugenium de contemplatione vel consideratione scribit. Taceo quod venerabilis pater Gaufridus Carnotensis, legatus Aquitaniæ prouincialium munera C non recepit, nisi in causa esculenti & poculenti, & hoc cum summa frugalitate; sed omnia quæ in Xeniorum ratione offerebantur, vt stercora contemnebat. Testatur sanctus Clareuallensis, quod piscem quem vulgo † sturionem dicunt, à deuoto quodam legationis suæ clerico gratis accipere noluit, nec ante acquieuit offerentis improbitati, quam ei pro admisso Xenio pretium numeraret.

† al. ero-na.

† al. sturnonem

CAP. XVI.

*De crimine repetundarum, quo tenentur & præsides & iudices, qui aliquid omnino accipiunt, propter eas res, quæ sibi sunt ex officio faciendæ: & de Samuele, qui docet iuge sacrificium esse debere in domo iudicis, quæ seipsam * oblationem iustitiæ, & bonorum operum exhibet templum Dei.*

† l. collatione

D SEd crebrescentibus vitiis, etiam in Clero sunt hodie continentiæ tantæ exempla rarissima, cum tamen de censura legum summa continentia magistratibus omnibus sit indicta. Adeo quidem, vt qui ordinariam gesserit potestatē, quicquid ex veteræ delegationis titulo profligauerit cum dispendio pudoris atque fortunæ, id est, honoris atque dignitatis de propriis facultatibus intra prouinciam positus inferre cogatur. Lege Iulia repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem haberet, ob iudicandum, vel non iudicandum, vel non decernendum, aut ob denunciandum testimonium vel non denunciandum pecuniam acceperit; & in summa, quo magis aut minus quid ex officio suo faceret, nec vsucapi potest quod accipitur, antequam redeat in potestatem eius à quo profectum est, aut hæredis. Venditiones quoque & locationes, pluris minorisve factas lex ista rescindit, & ea damnati, testimonium publicum dicere, aut iudices esse, aut postulare prohibentur. Et licet conuicti extra ordinem puniantur, plerumque damnantur exilio, vel etiam durius, prout admiserint. E Sed & ab hæredibus pœna repetitur. Inspice verba legis, & quanta indignatione crimen hoc persequatur attende. Vt vnius, inquit, pœna, metus possit esse multorum, ducem qui malè egit ad prouinciam, quam nudauerat, cum custodia competenti ire præcipimus, vt non solum quod egit, non dicam domesticus, sed manipularius & minister accepit, verum, vt id quod ipse à prouincialibus meis rapuit, aut sustulit, in quadruplum inuitus exsoluat. Itemque, Omnes cognitores & iudices pecuniis, atque patrimoniis manus abstineant, neque alienum iurgium putent suam prædam. Etenim priuatarum litium cognitor, idemque mercator, statutam legibus cogetur subire iacturam. Et illud, Iubemus quoque, & hortamur, vt si quis forte honoratorum, decurionum, possessorum, postremo etiam colonorum, à cuiuslibet ordinis iudice fuerit aliqua ratione concussus, si quis sciat venalem de iure fuisse F sententiam, si quis pœnam vel precio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam, si quis postremo quacunque de causa improbum iudicem potuerit approbare, is vel administrante eo, vel post administrationem depositam in publicum prodeat, deferat crimen, delatum approbet; cum probauerit & victoriam reportaturus & gloriam. Vtinam hæc vel audiantur à nostris, nam vt seruentur optare vix audeo. Quos quotiens diligentius intueor, concussores mihi potius videor videre, quam iudices, ac si ad hoc solum dati sunt, vt prouinciam spolient. Sed & leges ipsæ & consuetudines, quibus nunc viuitur, insidiæ sunt & laquei calumniantium. Verborum tendiculæ proponuntur, & aucupationes syllabarum, † væ simplici qui syllabizare non nouit. Feci inquit iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. Ac si apertè dicat: Qui iudicium peruertunt, & iustitiam deserunt, tradantur calumniatori, qui filios Adam ante conspectum domini accusat die G ac nocte. Legitur in libro Regnum, ad vniuersum Israël dixisse Samuelem: Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui vobis regem. Et nunc Rex graditur ante vos, ego autem senui & incanui, Porro filij mei vobiscum sunt. Itaque conuersatus sum coram vobis, ab adolescentia mea, vsque ad diem hanc. Ecce præsto sum. Loquimini de me coram domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. O pudicum animum, ô continentem manum, ô iudicem incorruptum, & vocem magnificam, admirandam, & imitandam vniuersis, quæ de conscientia pura sic loquitur! Loquimini de me coram domino & Christo eius, qui in cœlo & terra iudices iudicant. Loquimini, inquam, si bouem cuiusquam aut asinum tulerim. Vtique villas & prædia, aut immensa pondera auri vel argenti, aut pretiosæ supellectilia onerata non H extorserat qui magni reputabat iudicem bouem oblatum accepisse vel asinum. Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem. Neminem iniustè vexauerat, qui omnes calumnias excludebat, nec iudicium eius peruertebat caro vel sanguis, qui nullum vnquam oppressit. Si enim in manus eius quisquam inciderat, non eum iudex, sed propria iniquitas opprimebat. Si de manu cuiusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituamque vobis. Quid quæso expressius dici poterat? Vt in summa omnem auaritiæ suspicionem tollat, nullius muneris conscientiam docet se habuisse, paratus contemnere & restituere, si quid omnino exigi posset. Malebat enim istud restituere in præsenti, quam cum vsuris reddere in futuro, & contemnere illud hodie, satius iudicabat, quam in conspectu Dei & omnium electorum ex ea causa in æuum contemptibilis apparere. Sed quid ad hanc † constitutionem eius respondit auditor? Audi. Et dixerunt, Qui? Vtique totus Israël. Nam ad omnes sermonem direxerat.

† l. vel,

† al. contestationem.

Non

A Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. Si quis proconsulum, præsidumve, aut tribunus, aut centurio, decuriove, aut omnino aliquis magistratus tale testimonium à prouincialibus metuit, ad prouinciam nostram quæso accedat, vt nostros doceat magistratus. Nam de vice comitibus & iostitiis, quæ ve vulgari nostro vtat, rectè dicuntur, errantes, nihil tale auditur, eo quod diligunt munera, & sequuntur retributiones, nec liberaue pauperem à potente, aduenæ & pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos. Porro nec iudices ecclesiastici sequuntur Samuelem, sed sicut populus, sic & sacerdos. In commune aonqueritur sapientia: Tenentes legem nescierunt me: principes facti sunt, & ego ignoraui, Quod vt ab humilioribus liqueat, qui decani sunt, vel archidiaconi, nisi illi vt Simon noster venerabilis doctor in lege domini, dicere consueuerat, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est mune-
B ribus? Felicissimum regem Anglorum, & Normanniæ & Aquitaniæ adhue inuictissimoum ducem, interroga, quid etiam de suis sentiat, quos instudit, & dicet vt opinor, non est malom in clero, quod isti non faciant. Episcoporum nomen & officiom venerabile est, si tanta impleretur solicitudine, quanta interdum petitur ambitione, Et diligerentur vt patres, timerentur vt domini, colerentur vt sancti, si exactionibus parcerent, & projicerent ex animo quicquid prouenit ex calumoia, & omnem quæstum minimè crederent pietatem. Cæterum sibi reuerentiam subtrahunt & amorem, dum honores ambiunt, pecuniam cupiunt, & vel suas faciunt, vel alienas calumoias fouent. Et quidem nescio quomodo notam & pœnam omnem euadant, qui exactionem totius calumniosi quæstus sibi ad minus bessem vendicant. Nam vt solidum asseio vsurpant sibi, aut vt multum trientem, duotaxat archidiaconis & aliis officialibus, ne dicam cum populo, ministris iniquitatis cedunt. Sed nec legati sedis Apostolicæ, manus suas excutiunt ab
C omni munere, qui interdom in prouinciis ita debacchantur, ac si ad ecclesiam flagellandam, egressus sit Sathan à facie domini. Concutiunt angulos domus, vt prosternant filios & filias eius, qui languores & dolores animarum curauit in cruce. Commouent & conturbant terram, vt videantur habere quod sanari oporteat. Hic tamen non de omnibus sermo est, sed de his qui patris voluntate contempta, seruiunt suæ. Constat enim quia in omni officio domus domini, sic relinquuntur quidam, vt alij assumantur. Vidi ego ipse in omnibus his, decanos scilicet, archidiaconos, episcopos, & legatos, tanta solicitudine in messe domini, vt merito fidei & virtutis rectè videri posset vineam patris in manu eorum prudenter & vtiliter collocatam. At alij sic versantur, ac si ad Thebas in † facinus excitandas mittatur ab inferis Thesiphone vel Megæra. Nam fere sic ab aula contra omnium vota fidelium, ad ecclesiæ publica officia accesserunt. Apud hos

† al. in fascinis peccandas.

iudicium nihil est, nisi publica merces,
D *Atque eques in causa qui sedet empta probat.*

Iustificant impium pro muneribus, exultant in rebus pessimis, lætantur cum mala fiunt:

Vixque tenent lachrymas, cum nil lachrymabile cernunt.

Si quidem peccata populi comedunt, & vestiuntur eis, & in eis multipliciter luxuriantur. Acceptores personarum, & quasi quidam bonorum mallei hoc didicerunt ab eis à quibus electi sunt. Ait sapientia: Venatio leonis, onager in eremo, sic & pascua diuitum sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio diuitis pauper. Diues commotus coofirmabitur ab amicis, humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis. Diuiti decepto multi recuperatores, locutus est soperba, & iustificauerunt illum. Humilis deceptus est, & insuper arguitur. Locutus est sensatè, & non est ei datus locus. Diues locutus est, & omnes † tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est & dicunt, Quis est hic? Et si offenderit, sobuertunt illum. Et hæc quidem sunt iudicia co-

† tacuerunt.

E rum, quos curia docuit, imo omnium qui iustitiæ diuitias præferunt, & nihil potius ducunt, quàm habere diuitias, quo tamen vix aliquid inutilius est. Nullus istorum exultat, cum Christum videt in terris, nullus eorum est, qui velit eum cum hominibus conuersari, nullos qui ad bona opera proximorum decantet; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc siquidem canticum est fidelium prælaeotum, qui speciosis incedunt pedibus, & ex eo beatis, quod pacem portant, & † pacem sanctimoniæ sociam, sine qua nemo videbit Deum. Dicunt & hi cum sapientia, quia bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij. Clamitant in plateis, quia beatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit. Ac si apertè dicant, Quisqois io munere cuiuslibet magistratus, aurum quærit, maculam inuenit, sine qua oec acquiri, nec esse potest apud auidum possessorem. Quis vnquam pecuniam sine sordidatione manuum tractauit diutius? Ex ea tamen certè
F minus manus sordet, quam animus. Nolo mihi maiorum frigescant limina, aut de oate canina sonare hic litera videatur, non pono os meum in cœlum, vt de patribus, qui orbem iudicant, & à nollo iudicantur in terris, aliquid dicam, nisi plenum fide, charitate, & reuereotia. Dicam tamen quod verum est, adeo vt ei nemo fidelium audeat refragari, dicam quod ipsi prædicant. Dicam inquam, quia noo potest ciuitas abscondi supra mootem posita, & nequaquam latere possunt notitiam publicam, quæ in conspectu gentium fiunt. si quidem

† al quietem.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Sal quoque infatuatum ad nihilum valet vltrà, nisi vt projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus, vtpote vilis abiectio, quæ nec ad stercorationem agrorum prodest. Sol quoque orbem illustrat plenius, quia in eminenti est. Quid multa? Opera singulorum, testimonium perhibent de eis. Sic Samuel operum testimonio iustificatus est, sed ne videretur populus ei blandiri, & quasi
G ex timore vel fallacia falsæ innocentiæ, & inanis iustitiæ, testimonium perhibere, populum religione iuramenti ad professionem veri tamen arctanduin censuit, dicens: Testis est dominus aduersus vos, & testis Christus eius io die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixit populus, Testis. Ac si fidem Deo & regi suo debitam, religiosæ affirmationis obsidem faciant. Quod autem esculentum & poculentum acceperit, de scriptura certum non habeo. Sic enim scriptum est. Iudicabat quoque Samuel Israel cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos anoos circumiens Bethel, & Galgala, & Masphat, & iodicabat Israelem in supradictis locis, reuertebaturque in Ramatha. Ibi enim erat domos eius, & ibi iudicabat Israel. Quid aliud videtur sonare litera, nisi quod prouinciam ex officio circuibat, ad expletionem iudicij, & reuertebatur domum, vt de proprio satisfaceret oecessitati? Ædificauit etiam ibi altare domino. Rectè quidem, eo quod iuge sacrificium esse oporteat in domo iudicis, quæ cultu iustitiæ & morum honestate & luce bonorum operum, seipsam exhi-
H bet templum Dei. Vbi amodo non immolatur sanguis hircorum & vitulorum, nec cinis vitulæ inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, sed per pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, vbiq; locorum offerri debet

Compositum ius fasque animi sanctique recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Veri siquidem adoratores, sic adorant patrem in spiritu & veritate. Aune credis eum accepisse aliquid nomine sportularum? Hoc enim prætextu non tam iudices quam iudiciorum caupones, qui nequitiam suam honesta volunt palliate licétia, iniquitatem suam colorare nituntur, quærentes scilicet aliqua emolumenta negotiorum, quorum pro parte onera portant. Aut si emolumentum esse non licet, sit saltem compensatio sumptuum & damnorum. Hi tamen rari sunt. Quis enim erubescit dicere, quid mihi dabis vt tibi iustitiam faciam?

A ciam? Nam vt pro seipsa exhibeatur, frustra expectas. Nonne simile est, ac si dicatur, quid vultis mihi dare vt me ipsum abnegem, officium prodam, & dominum vendam.

Cap. XVII.

Pecuniam contemnendam esse præ sapientia: quod etiam veterum Philosophorum probatur exemplis.

Leguntur plurimi Philosophorum non modo diuitias contempsisse, sed abjecisse quasi impedimentum sapientiæ & virtutis. Fecit hoc Socrates, quem omnium Philosophorum sectæ quasi prudentiæ, & veritatis vnicum fontem venerantur. Antisthenes quoque cum gloriosè rhetoricam docuisset, audissetque Socratem, dixisse fertur ad discipulos suos, Abite, magistrum quærite, ego enim iam reperi. Statimque venditis quæ B habebat, & publicè distributis, nihil sibi plus quam palliolum reseruauit. Huius Diogenes ille famosissimus sectator fuit, potentior rege Alexandro, & naturæ humanæ victor. Cum autem Antisthenes discipulorum nullum reciperet, & perseuerantem Diogenem remouere non posset, nouissime ei minatus est clauam, nisi abiret. Tum ille subjecisse caput fertur, atque dixisse, Nullus tam durus baculus erit, qui me à tuo possit consortio separare. Refert † Satyrius, qui virorum illustrium scribit historias, quod iste Diogenes palliolo duplici vsus sit propter frigus, peram pro cellario habuerit, secumque portauerit, & quod clauam gerebat ob corpusculi fragilitatem, qua iam senex membra sustentare solitus erat, & emorarbios vulgo sit appellatus, in præsentem horam poscens à quolibet & accipiens cibum. Habitauit autem in portarum vestibulis, & in porticibus ciuitatum, vsquequaque profitens verum, & transeuntium abigens aut notans vitia, quæ mores fœdabant. Cumque se torqueret in dolio, se domum voC lubilem habere iocabatur, & se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æstate ad septentrionem; & vbicumque Sol se inclinauerat, Diogenis simul prætorium vertebatur. Quodam vero tempore cum in vsum potandi, † calicem ligneum gereret, vidit puerum manu concaua bibere, & elisit eum in terra dicens, Nesciebam quod natura haberet poculum. Nihil vnquam de animi rigore remisit, in eodem vultus tenore etiam aduersus interpellantes perstitit, & vt plenè Socraticum nosces, calcatis turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorem & miseriam, vniformi durauit proposito. Dicebat enim hæc semper à Philosopho aliena, & impotem sui animum, in quem fortunæ quippiam licet. Virtutem eius & continentiam, mors quoque indicat. Nam cum ad agonem Olympicum, qui magna frequentia in Græcia celebrabatur, iam senex pergeret, febri in itinere apprehensus, † occubuit in crepidine viæ. Volentibus autem amicis, aut in iumentum, aut in vehiculum tollere, non acquieD uit, sed transiens ad arboris vmbram, ait; abite quæso, & spectatum pergite. Hæc nox aut me victorem probabit, aut victum. Si febrem vicero, ad agonem veniam; si me vicerit, ad inferna descendam. Ibique per noctem eliso gutture, non tam mori se ait, quam febrem morte excludere. Deceptus opinione virorum fortium & exemplo, in extremæ difficultatis articulo, ne aliunde aferretur, mortem vltroneam credidit appetendam. Præiudicata siquidem opinio sapientioribus persuaserat in commune, vt mortem prouocare mallent, quam turpe aliquid sustinere. Fecit hoc Cato, fecerunt & alij, qui ferrum aut cicutã, aliudve toxicum præoccupantes, omnem & solam (vt putabant) turpitudinis effugiebant notam. Veritatis namque ignorantia eis patrocinari videtur; sed crassa est & supina, quæ certa postponit incertis, & quicquid habetur optimum ex causa inani objicit, & expellit. Nec in eo fortitudinis nomen assequimur, quod se præ cæteris fraudulenta opinio

† al. Satyrus.

† al. canum lignum.

† al. accubuit.

E consequi gloriatur. Vtique fraudulenter & vanè, quia, vt ait * ille,

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam,
Fortius ille facit qui miser esse potest.

Nemo eorum qui mortem prouocant excusabilis est. Excusabiliores sunt, qui imminentem abhorrent. Quis enim cognouit consilium Domini, & an possit mortem impendentem quacunque ratione effugere? Sandrococtus à rege Alexandro interfici iussus, salutem celeritate pedum quæsiuit. Ex qua fatigatione cum somno captus iaceret, leo ingentis formæ, ad dormientem accessit, sudoremque fluentem lingua ei detersit, & blande expergefactum reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni, * [illegible] maiestate omnis impulsus est. Molienti deinde bellum aduersus præfectos Alexandri, elephantus infinitæ magnitudinis vltro se obtulit, & veluti domita mansuetudine, eum tergo suscepit, duxque belli, & præliator postmodum insignis extitit. Andronicus quoque damnatus ad bestias, cum leoni objectus esset, F qui & vastitudine corporis, & impetu feruoris fremitu terrifico, sonoro quoque toro, comisque ceruicum fluctuantibus, animos omnium oculosque in se conuerteret, illæsus euasit, eo quod vbi eum leo procul aspexit, repente quasi admirans stetit, ac deinde sensim, & quasi iocabundus placide accessit ad hominem. Tum caudam more atque ritu adulantium canum, clementer & blande mouit, hominisque se corpori adiungens, crura eius & manus, prope iam metu exanimati, lingua leniter demulsit, cum homo inter illata atrocis feræ blandimenta, amissum animum recuperare posset, & vix paulatim oculos ad contuendum leonem aperire. Hoc * se Apion in vrbanis spectaculis Romæ vidisse refert, adjiciens quia tunc facta quasi recognitione mutua, lætos inquit videres & gratulabundos leonem & hominem. Et hanc ob rem, & clamores populi maximos, accersitus est homo à Cæsare, & quare illi vni atrocissimus leo pepercerit, diligenter quæsitum est. Ille vtique rem mirificam narrans ait: Cum prouinciam Africam proconsulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniG quis eius, & quotidianis verberibus, ad fugam coactus sum, & quo mihi latebræ terræ illius forent à domino tutiores, in camporum & arenarum solitudines concessi. Et quasi aliud defuisset, consilium fuit quocunque modo mortem petere. Cum itaque sole medio rapido & flagranti, quandam pro tempore cauernam nactus essem lacrymosam [?], in eam penetro meque recondo. Nec multo post ad eundem specum venit hic leo, debili & cruento & crudeli pede, gemitus edens & murmura, dolorem cruciatumque vulneris ingemiscens, cum miserantia auditoris si quis adesset. Atque illic primo quidem conspectu aduenientis leonis territus sum, & quasi toto animo consternatus. Sed postquam introgressus leo, vti res ipsa apparuit, in habitaculum illud suum, me videt ingressum procul, & delitescentem, mitis & mansuetus accessit, & sublatum pedem ostendere mihi, & porrigere opis gratia, visus est. Ibi, inquit, ego stipitem ingentem vestigio pedis eius hærentem, reuulsi, conceptamque saniem vulnere intimo expressi, accuratiusque iam H sine magna formidine siccaui penitus, omnemque detersi cruorem. Ille tunc mea opera & medela leuatus, pede in manibus meis posito, recubuit & quieuit, atque ex eo die totum triennium ego & leo in eodem specu, eodemque victu viximus. Nam si quas venabatur feras, membra opimiora ad specum subgerebat, quæ ego ignis copiam non habens, meridiano sole tosta edebam. Sed vbi me, inquit, vitæ illius ferme iam pertæsum est, leone venatum profecto, reliqui specum, & viam ferme tridui permensus, à militibus visus apprehensus, & ad dominum ex Africa Romam deductus sum. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias procurauit. Intelligo autem hunc quoque leonem, [illegible] tunc separato captum, gratiam nunc beneficij referre & medelæ. Solutus itaque est pœna Andronicus, & eidem leo totius populi suffragio donatus. Exinde amicantibus sibi homine & leone, & vrbem peragrantibus &

* al. addunt, Sonatur.

* al. maiestatemque omnimu.

* al. Serapion.

A circumeuntibus, dicebant omnes; Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis. Quæris ne historias notiores? De lacu leonum exiuit Daniel, & pueri de camino ignis euaserunt illæsi. Et apud omnes gentes ex gratia, præter opinionem, ab imminentibus malis liberati sunt plurimi. Vnde nullus eorum, qui manus iniecerunt sibi, satis excusatus est mihi, licet magnis præconiis Ecclesiastica historia aliquos efferat, prouocantes mortem, quia † temporariam vitam apud se, quam pudicitiam periclitari malebant. At eos sic excusant infirmitas carnis, & ignorantia iuris, & incendium charitatis, & furte mandatum familiare Dei, vt sic in simplicitate sua saluentur, vt nequaquam ad consequentiam transeat, quod simpliciter præsumpserunt. Quis cum locus est fortitudini, si sic tædeat animam vitæ suæ, vt quasi patientia victa, & præcisa semita meritorum, quod præcipitur, aut nequeat, aut negligat sustinere? Apud sapientes sic vita contemnitur, quod turpitudinis pretium, etiam ætas altera fordet, sic diligitur, B vt dum innocenter teneri potest, nullius difficultatis irruente articulo propellatur. Sic ergo seruanda est vita, vt sit contemptui; sic contemnenda est, vt proficiat saluti. Sed quis est qui hodie contemnat animam, cum nullus aut rarus sit qui in toto mentis hiatu pecuniam non concupiscat? Quidni?

† al. temporaneā.

Cum genus & formam regina pecunia donet;
Ac bene nummatum decoret suadela Venusque?

Qui diues est, qui prosperatur in viis suis, sapiens & felix iudicatur. Ad hoc alius vxorem ducit, alius quinque iuga boum, aut villam emit, commutantes pro his animam suam, cæcosque & claudos & debiles reputant, quibus mundus nequaquam arridet, quos tamen eiectis diuitibus in cœnam nuptialem sapientia introducit, vbi inebriantur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis æternæ potantur electi. Interim quicunque non habet diuitias stultus est, asinus, stipes, caudex, plumbum, aut si quid insensibilius est. Stultus ergo miserque est, si quis pauper. Sed nec amari potest ab aliquo, C quem mala fortuna premit, eo quod

Nulla fides vnquam miseros elegit amicos,

& iuste creditur quisque mala ferre, quæ sustinet. Adeo regnum pecuniæ inuasit, vt desperetur de fide iudicis, qui repellit munera offerentis. Si paciscei detrectas pollicentis videris odisse causam. Et fortasse affectu vel munere crederis præcorruptus, si permanere vis incorruptus. Sententia vel opinio Philosophorum omnino euanuit, dum sic omnes post diuitias currant, ac si alibi laborum requies dolorumque solatium inueniri non posset? ac si naufragi de profundo queant enatare facilius, si prægraui sarcina fuerint onerati. Sed quis vnquam vlcerosus spinas congessit, vt volutatus in eis quiescat molliter? Profecto si ei perfecte crederes qui ait, diuitiæ sunt spinæ, minime tanto studio à sapientibus nostri temporis quærerentur. Vt ergo † Publius Carpus ait, diuites pauperibus miseriores sunt, eo quod à sapientia longius abeunt. Appetitus diuitiarum sapientiæ exclusio est, & D fuga virtutum, fœcunda virorum paupertas, naturam optimam bene viuendi ducem imitatur, & virtutum parens, & custos est, solaque securitatem parit, quæ sola nescit incentiua bellorum. Non habet iurgia qui contentionis causas ignorat. Trepidat orbis, & Cæsaream manum solus pauper non timet. Vtique si ob aliam causam non fugerentur, aut contemnerentur diuitiæ, nisi quia sapientiæ vias sæpiunt spinis, eas oportuerat non amari. Ne tamen his qui paupertatis erubescunt vilitate sordescere, philosophorum sit molesta opinio, diuitiarum non indicit fugam Philosophia, sed inhibet appetitum. Mentem sui compotem quærit, & quæ in omni fortunæ calculo sufficiat sibi, ita tamen vt sufficientia eius ex Deo sit. Sic auro tanquam fictilibus; fictilibus quasi auro vtatur. Nam sicut opes admittuntur ad vsum, sic à sapiente contemnuntur abusu. Sed forte supellex vilis videbitur ignominiosa magnatibus, & honoris splendorem res tenuis decolorat. Atqui longe præstantius est, moribus splendere quàm rebus, nec rerum vn-

† al. Publi. cas.

E quam specie illustrabitur, quem suæ turpitudinis macula dehonestat.

Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea Regem,
Atque Abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul,
Quærenti causam respondit, Rex ego qui sum
† Siciliæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere † domo.

† al. Sicaniæ.
† al. loco.

Res itaque non sunt in vitio, sed vsus. Et est philosophantis animi fructus nobilis generosa æquanimitas mentis. Nam si ex stupore est, vt æquanimiter portet, mens ægra † ab incolumitatis virtute degenerat. Cum vero Philosophandi sint multæ semitæ, illa præ cæteris mihi videtur esse nobilior & laudabilior,

† al. à bonitate.

Quæ sic prandet olus patienter, rebus vt vti
Nouerit, & verum quæ sic versatur in vsu,

F vt olus & quælibet extremæ paupertatis xenia docta sit non fastidire. Fructus siquidem Philosophiæ eximius est, vt nouerit quis abundare, & penuriam pati, vt læto animo æquanimiter omnia portet, vt obiecto solidæ virtutis obice omnem fortunam exarmet. Profecto quisquis hæc assecutus est, non sperat aut extimescit, & in eum semper fortuna quælibet manca ruit. Quid, inquit curiosus Philosophiæ perscrutator, tibi Philosophia contulit? Et Aristippus, vt cum omnibus, ait hominibus intrepide fabularer. Vtique si honoris esset, aut pecuniæ, seu alterius cupidus, hoc minime posset veraciter respondere. Ad salutem tamen via tutissima est, diuitiis & rebus aliis expedito. Difficillimum enim est, vt possessorem sui non impediant cursum. Quis nescit Hipodamiam præuolasse ad palmam, dum concertantium procorum cursum, proiecto auro potuit retardare? Mansit itaque virgo inuicta, donec ventum est ad pecuniæ contemptorem, qui in contemptu auri virginem superauit, aurum obtinuit, & ex eo (vt fingitur) certatricis puellæ cereos axes fecit, dum incorruptionis G amor, pecuniæ amorem absorbuit. Nonne hoc ipsum commendat iudicium Dei, & eas contemptibiles facit, quod in egestate bonorum ipsis iniqui affluunt? Fit tamen interdum nescio quo pacto, vt ad subuersionem institutum, se eis ingerant, & quo diligentius excluduntur, ad ostium contemptoris studiosius pulsant. Quo beatus Eugenius munera cautius abigebat, ad eum vndique multiplicius confluebant. Hoc quoque fere vbique accidit, vt fugiant, dum quæruntur, dum fugantur accelerant. Et hæc quidem via compendiosa, & honestissima est ad diuitias. Cum enim diuitiæ prudenter excluduntur, & vita æterna acquiritur, & cumulus diuitiarum accedit. Et si hoc nimis arduum videtur aliis, vel à iudicibus tam Ecclesiasticis, quam mundanis, qui professione aut sacramento iustitiæ obligati sunt, impleri oportet. Vtrumque siquidem forma Samuel est, qui sic præfuit sacrificiis, vt non parceret sanguini impiorum, sic iudicia vtraque exercuit, vt nullum opprimeret, & de manu cuiusquam nihil accepit. Hoc testa- H tur conscientia Samuelis, attestatur & populus, & tamen non satisfit conscientiæ scrupulosæ, nisi sacramento suum populus testimonium roboraret. Ait enim; Testis est Dominus aduersus vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inuenetitis in manu mea quippiam Et dixit, Testis. Cuicunque obtestati prouinciales tale testimonium perhibent, ad iudicium omnipotentis, & omnia scientis Dei securus accedat. Prouide namque causam instruit, qui in examine conscientiam producit, & diem humanum, quorum est iudex conscius in excelso. Qui vero cum Samuele non discutiunt hic iudicia sua, sed prompti ad excusationes in peccatis, quasi lotis manibus cum Pilato clamant, mundus ego sum à sanguine iusti huius, quia contra legem peccauerunt, & per legem damnabuntur. Sed & illi damnationis erunt participes, qui eos possunt cohibere nec volunt. Et de his quidem satis dictum est sapienti. Proinde ad proportionem manuum, quam Plutarchus induxit, transeat stilus.

LIBER

LIBER SEXTVS.

POLICRATICI IOANNIS Saresberiensis.

PROLOGVS.

N*OTVM est illud Ethici, quia*

Æmilium circa ludum faber vnus & vngues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet, hunc ego me si quid componere curem,
Non magis esse velim, quàm naso viuere prauo,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Dum Plutarchi vestigia in Traiani institutione familiarius sequor, meipsum hac imagine arbitror compellari, eroque ludibrio omnium, nisi diligentius persequar quod incepi. Me enim in præsenti clientem eius esse professus sum. Sequor ergo eum, & à capite Reipublicæ cum eo vsque ad pedes descendam, ea tamen conditione, vt si hic, quibus iura permittitur ignorare, mordacior in hac parte apparuero, id non mihi, sed Plutarcho adscribant, aut sibi potius qui regulam quam profitentur, & qua viuendum est eis, discere noluerunt. Nam quod nostratibus dictum est, ea sola intentione adieci, vt ad virtutis viam redeant vel inuiti. Eos namque ad agenda sufficiunt animare tam exempla maiorum, quàm principis magnitudo inuicti, cuius titulos nunc apud me in vnum congero, vt cum aliorum tuba & litui, & omne genus musicorum laudes eius pariter in vnum conclamabunt, ego vir plebeius & indoctus, mei similibus præconia eius fistula stridenti dispertiam. Num quis ü semipagano tibiam aurichalco iunctam, & æmulam tubæ grandioris expellet? Adero tamen & me tuntis solemniis ingeram; & quod ingenij vena subtrahit, deuotionis copia supplebit.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Quod si duces in iniuriam suam aliquid dictum putant, doceantur à principe, quia non in perniciem, sed salutem ægrotantium propinantur amara medicina. His præmissis, ad reliqua progrediatur oratio.

CAP. I.

Quod manus reipublicæ aut armata est, aut inermis; & quæ sit inermis, & de officio eius.

MAnus itaque Reipublicæ aut armata est, aut inermis. Armata quidem est, quæ castrensem & cruentam exercet militiam. Inermis, quæ iustitiam expendit, & ab armis † feriendo iuris militiæ seruit. Neque enim reipublicæ militant soli illi qui galeis thoracibusque muniti, in hostes exercent gladios, aut tela quælibet, sed & patroni causarum, qui gloriosæ vocis confisi munimine, lapsa erigunt, fatigata reparant; nec minus prouident humano generi, quam si laborantium vitam, spem, posterosque, armorum præsidio ab hostibus tuerentur. Militant & publicani, apparitores, & officiales omnium iudicum. Sicut etenim alia sunt officia pacis, alia belli, ita eadem necesse est per alios & alios expediri. Armata itaque manus in hostem duntaxat exercetur, at inermis extenditur & in ciuem. Porro vtriusque necessaria est disciplina, quia vtriusque solet insignis esse malitia. Vsus quoque manuum capitis sui protestatur imaginem, quia, vt ait sapientia, rex iniquus omnes ministros impios habet; & qualis rector est ciuitatis, tales sunt & inhabitantes in ea. Oportet, inquit Pericles collegam Sophoclem arguens, prætorem non modo manus sed oculos habere continentes. Est autem præsidentium continentia illa laudabilis, cum ab exactionibus, & iniuriis continent manus suas, & cohibent alienas. Manus tamen vtriusque militiæ, armatæ videlicet & inermis, manus est principis; & nisi vtramque cohibeat, parum continens est. Et quidem arctius compescenda est inermis, eo quod cum armati præcipiantur abstinere ab exactionibus & rapinis, inermis etiam à muneribus arcetur. Si tamen pœna alicui irrogatur legitima, si exigitur aut accipitur quod iure statutum est vel concessum, nequaquam punitur aut reprehenditur. Hoc enim quicquid sit exactionis nomen non recipit; neque cadit in muneris rationem, quod officiales accipere prohibentur. Quia vero officialium licentia maior est, dum sub prætextu officij, spoliare possunt, aut vexare priuatos, quod contra officium præsumunt, pœna feriendum est grauiori. Ait enim beatus Laurentius Mediolanensis Episcopus, Quid est publicanus? Nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? Quid est publicanus? Prædo sine pudore, medicus exterminij. Nonne immanior est furibus publicanus? Fur namque vel timens furatur: hic autem delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet, hic quicquid fecerit, legem putat. Lex furem deterret ab illicitis; hic ad iniquum malitiæ suæ compendium, legem trahit. Quis eo iniquior, qui verbis iustitiæ iustitiam damnat, & armis innocentiæ, spoliat, vulnerat, occidit innocentes? Lege vtique legem perimit, & dum alios vrget ad legem, exlex est. Nam sicut prætor etiam cum iniquè decernit, ius dicit, habito tamen respectu non ad id quod facit, sed ad id quod facere debet; sic & publicanus etiam cum delinquit, ius videtur implere habita tamen officij non malitiæ ratione. Sed quid est officium publicani? Luca referente didicimus, quia Publicani venerunt ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt, Magister quid faciemus? Respondens autem dicebat illis: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis exigatis. Ecce officium publicani exigere & recipere quod statutum est. Quicquid autem amplius est, a malo exigentis est & accipientis, non præbentis. Hoc autem ad omnium magistratuum officiales porrigitur, vt ab eis nihil amplius exigatur. Apparitores itaque licenter exigunt, quod eis debetur ex sportulis, & omnium stratilatum ordines, salarium constitutum iuste accipiunt. Concutere tamen & vexare non licet, vt extorqueantur & munera. Ignis, inquit beatus Iob, deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Concipit dolorem conuentus eorum, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolus. Publicanorum omnium a maximo vsque ad minimum, cœtus concussioni nunc potius, quam iustitiæ vacat, & ita in populum debacchatur, vt quod reliquit vnus, alij non morentur auferre, ac si iuxta conquestionem propheticam ad hoc constituti sint, vt residuum locustæ comedat Bruchus. Et vt eis sit maior licentia nocendi, vnus in se plura coaceruat officia, vt quod ab vno non accepit officio, tollat ab alio. Tradunt Physiologi, quod ex locusta nascitur bruchus, qui ita vocatur quousque alas habeat. Exinde succrescentibus alis, cum cœperit volitare, vocatur athelebus. Cum enim plenissime volare poterit, efficitur locusta. Iterum & multo grauior est bruchus, quam locusta, & athelebus, quia ei desunt alæ, nec cito potest abscedere. Ideoque quocunque venerit, fruges omnino consumit. Locusta tamen & athlebus quocunque venerunt nocent, & forte in locis pluribus, sed tamen minus brucho, qui cum insederit non mouetur, donec labores hominum omnino exhauriat. At in officinis eundem bruchum, athlebum inuenies, & locustam, qui propinquis noceat & remotis, & illius cui semel insederit, fortunam deuoret, nec ante abscedat, quam omnes eius auferat facultates. Quis numerare potest, quot pupillos officiosissime circumscripserit, & quot venales iniuria fecerit agros, & quot apud nos licentia istorum suis nudatos bonis, sub imagine religionis alioue prætextu, non

† al. ferian is.

tam

A tam Romipetas & peregrinos, quam exules fecerit? Vtique iam fiunt ista palam, nec eos præsides aut proconsules cohibent, quia (vt dici solet) operibus lupi congratulatur coruus & ministro iniquitatis, impius iudex applaudit. Hoc autem omnibus his vsu innotuit, principes quorum infideles sunt socij furum, quos cum in maleficio viderint, currunt cum eis, adiicientes iniquitatis partem, vt lucri quamcunque recipiant portionem. Si misertus fueris pauperis, si occasum iustitiæ fleueris, si decreueris subuenire, si obmutire audes, vt ad singula quæ dicunt, aut faciunt, non dixeris euge, euge, accusantibus Herodianis læsæ maiestatis reddes coram præside rationem. Cum nisi in omnibus acquieueris, Cæsari contradices, & quicquid dictet, nisi sic eat, & nisi sic stet, est in personam regis, contraque coronam. Consurget, ingeminabitur, & vsque ad nubes inualescet officialium clamor, replicantium voce magna, hunc inuenimus subuertentem populum, & prohibentem tributa dari Cæsari, negantemque Cæsarem regem esse, & ministris eius vniuersa de iure licere. B Hunc inuenimus euacuantem paternas leges, nouas introducentem, & vetustissimæ consuetudinis contemptorem. Huius rei testes sumus. Quod si tuam purgare volueris innocentiam, aut pro iustitia quicquam astruere, si Christum dixeris regem esse, cui magis oporteat quam hominibus obediri, si Ecclesiæ eius, quoniam hoc odiosissimum est, aliquod protuleris priuilegium, continuo vociferantes intonabunt, quid amplius desideratis testes? Ecce vosipsi audistis blasphemiam. Quisquis asserit talia, contradicit Cæsari. Si vero iudex innocentiam videns, iustitiamque reueritus dissimulauerit, vndique conclamabunt, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Vt vnius pœna liberatio sit multorum, tolle & dele hunc, vt viuat & valeat Barrabas. Omnes enim sunt quasi corpus vnum, quod sicut manifesta conuincunt opera, ex patre diabolo est, cuius isti sunt membra. Egregie quidem de istis beatus Iob ait; Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactum C squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne quidem spiraculum incedit per eas. Vna alteri cohærebit, & tenentes se, nequaquam separabuntur. Assistunt sibi, quia conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Tantaque vigent autoritate, vt quicquid dixerint ita obtineat, ac si inueniatur in actis. Attestatio eorum veritati præiudicat. Non est præter principem, cui liceat obuiare eorum sententiis. Nisi eos princeps coërceat, licet omnes dicant quia pax est, non est vtique pax, aut illa pax sola est, in qua est amaritudo amarissima. Nam cum alias habita moderatione inculpatæ tutelæ, vim vi repellere liceat, concutientibus, spoliantibus, torquentibus his, mutire non licet. Iuris etenim videntur esse ministri. Excusatur qui aliquid ob tutelam proprij corporis fecerit, si tamen quauis iniuria trahentibus his restiterit, dignus pœna qualibet iudicatur. Si crinem turbatum & turpatum protrahit, si barbam vellit, si aures quasi nimium breues producit, si dat alapam, aut percutit pugno D impie, si alterum eruit oculum, sustine patienter, nisi vtrumque mauis amittere; quia quicquid præsumunt, Cæsaris dextra factum iactitant. Si telum manu gestas, si spontaneam detrectas præbere ceruicem, ventrem nudat, ostentat iugulum, ceruicem extendit, & te prouocat, vt si audes, Cæsaris intestina telo rimeris, & quo libuerit modo, manum mittas in Cæsarem. Se enim personam Cæsaris gerere gloriatur. At si hæc est dextera Cæsaris, quænam sinistra erit? Profecto factio istorum, non iustitiam exequitur, sed illudit, & non implet, sed euacuat legem: licet nonnulli sæua prærogatiua verborum, aduersus mentem legis suum fraudulenter tueantur errorem. Sapientes enim sunt, vt faciant mala. Cum vero prouincialibus sit hæc pestis perniciosa, nulli perniciosior potest esse, quam principi. Bona siquidē prouincialium principis sunt. Ad necessitatem & vsum principis, omnia quæ prouincialium sunt, de iure exponuntur. Prouincia tota quasi area principis est, quam E quisquis exhaurit, grauissime delinquit in principem, cuius extenuat facultates. Nam prouinciales quasi quidam superficiarij sunt, & quoties vsus exigit potestatis, rerum suarum non tam domini sunt, quam custodes. Si vero necessitatis non incumbit articulus, sua sint prouincialium bona sua, quibus nec ipse princeps licenter abutitur. Si enim expedit reipublicæ ne quis re sua male vtatur, abuti aliena vsquequaque non licet. At cum per ministros Iniquitatis & sceleris, & satellites Satanæ, viros Herodianos fuerit exhausta prouincia, si necessitas imminet quibus vtetur princeps? Proinde si sapit, in chamo & freno maxillas eorum confringet, ne videlicet more luporum, quos improba ventris † agit ingluuies, vastare possint, & lacerare prouinciam, & iniuriam principis, quasi vires totius reipublicæ exhaurire. Alioquin & ipse maiestatem incidet, prouincialibus omnibus odiosus, redditurus suo iudici rationem in districto examine, de operibus manuum suarum, & de læsione prouincialium, quos iniustè, & quasi per F fraudem sub vmbra tuitionis manu spoliauit, & lacerauit inermi.

† *angit.*

Cap. II.

Quod militia delectum exigit, scientiam & exercitationem.

Restat armata manus, quæ castrensem & cruentam (vt dictum est) exercet militiam. In huius autem moderatione sapientia & iustitia principis elucet plurimum. Vt enim ait Vegetius Renatus, nullus est quem oporteat, vel plura, vel meliora scire, quam principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis. Cum enim pacis itemque belli debeat opera moderari, legum reique bellicæ ipsum oportet habere peritiam. Et quidem de pacatis studiis aliqua superius dicta sunt, nunc manus armata discutitur, quæ sine delectu, scientia, & exercitatione non conualescit. Quibus enim istorum cessante, non prodest inutilis manus. At in his, G scientia & exercitatio vtiliora sunt. Scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est, quam rudis & indocta multitudo exposita semper ad cædem. Quid enim Romanos gentium omnium fecit esse victores? Scientia vtique & exercitatio, & fides, quam electi ex sacramento reipublicæ impendebant. Nam quid aduersus Gallorum multitudinem, Romana paucitas valuisset? quid aduersus Germanorum proceritatem, breuitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero, sed & viribus corporis manifestum est præstitisse Romanis. Afrorum dolis atque diuitiis semper impares extiterunt. Vnde aduersus hæc omnia, profuit tyronem solertem eligere, & vt dictum sit, docere ius armorum, quotidiano exercitio roborare doctrinam, quæcunque possunt in acie & præliis euenire, prænosse meditatione campestri, & in desides H seueritas vindictæ. Hoc memoratus autor testatur, & fere verbis eisdem adijciens inutilem esse † militem nutritum tenere, & deliriis assuetum, præferens tanquam aptiorem plebem rusticam, quæ sub dio. & in labore nutritur, solis patiens, negligens vmbræ balneorum nescia, ignara deliciarum, simplicis animi, paruo contenta cibo, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris. Cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de iure est. Nunquid cantores, aleatores, aut aucupes, cum opus fuerit, ad hæc inuenientur idonei? Plane & istos, & piscatores, † dulcoarios, linteones, & omnes qui aliquid tractasse videbuntur ad gynæcea pertinens, à militari officio sic repellit, vt fabros ferrarios, itemque lignarios, ceruorum aprorumque venatores, in vsum militiæ censeat eligendos. Nam & Hierobaal vt figuralium mysteria taceantur, Domino mandante prohibitus est in multitudine timida, & inexercitata habere fiduciam, & illos solos aduersus Madia-

† al. *militia.*

† al. *dulcarios.*

A nitas producere, quos robur animi, & exercitium corporis approbaret. Cum ergo Gedeon cunctis audientibus proclamaret, qui formidolosus & timidus est reuertatur, recesserunt ex populo viginti & duo millia virorum, & tantum decem millia remanserunt. Sed ab his decem millibus illos solos tanquam expeditiores ad bella iudicium Domini prælegit, qui in siti sua velut canes festini lamberent, manu ad os proiiciente aquas, his relictis, qui deflexo poplite biberant. In trecentis itaque viris facta est liberatio populi, hostes cæsi, captiuati reges, & interfecti non tam militiæ quam malitiæ principes, percussitque Zebee, & Salmana in ore gladij, & tulit ornamenta & bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent, ornamenta quoque monilia & vestem purpuream, quibus reges Madian vti consueuerant, sibique de tanta præda solas inaures aureas Hismaelitarum reseruauit, cæteris ex ratione populo distributis. Vicit ergo innumerabiles hostium copias, in expedita paucitate virorum fortium, quos non
B facile crediderim in delitiis vrbium, aut regalibus epulis, quotidianisque conuiuiis didicisse vt aquam lamberent, vnde eos Dominus præ cæteris censuit eligendos. Si tamen interdum necessitas exigit, vrbanos delicatioresque ad arma compelli, ex quo primum nomen dedere militiæ laborare, decurrere, portare pondus, & Solem pulueremque ferre condiscant, parco victu vtantur & rustico. Interdum sub dio; interdum sub papilionibus commorentur, tunc demum ad vsum erudiantur armorum. Et si longior expeditio emergit, in angariis plurimum detinendi sunt, proculque habendi ab illecebris ciuitatis, vt eo modo & corporibus eorum robur accedat, & animis. Nec inficiandum est, post vrbem conditam Romanos ex ciuitate semper profectos esse ad bellum, sed nunc nullis delitiis fungebantur, sudorem cursu & campestri exercitio collectum, nandi vsus iuuentus abluebat in Tiberi. Idem bellator, idemque agricola, sed genera tantum commutabat armorum. Quod vsque adeo verum est, vt aranti Quintio
C Cincinnato dictaturam constet oblatam.

Quem trepida ante boues dictaturam induit vxor,
Et sua aratra domum lictor tulit.

Ex agris ergo robur exercitus præcipue supplendum est. Vt enim ait, nescio quo pacto mortem minus timet, qui delitiarum minus nouit in vita.

Cap. III.

De militibus gloriosis, qui militiæ inutiles sunt.

ERubescent forte milites gloriosi, & qui Thrasonem comicum potius vita & moribus, quam professione & nomine repræsentent, hæc armatæ militiæ munia, quæ non tam (vt eis videtur) disciplinam redolet militarem, quam ignominiosæ seruitutis angustias. In eo namque militarem gloriam constare opinantur, si nitidiori splendeant habitu, vt lineas suas, vestesue sericas, sic perstringant & torqueant, vt quasi
D cutem cerusatam, aliusve fucis obnoxiam carni faciant cohærere, si gradariis equis insidant mollius, si calamistrati, curatiue Actæo non cedant Apollini, & delitiis sint magis, quam virtute præsignes. Eorum si forte construxeris aciem, castrum Thaidis, quam Hannibalis turius expugnabis. Quisquis eorum in aula jactantior est, cum ad prælij discrimen acceditur, Lacones duce Sanga turmatim præmittet ad pugnam, nouissimos præsidij causa subsequens, cum funditoribus aliisque qui in hostem tela eminus mittere, quam manum conserere volunt. Cum vero sine vulnere & cicatrice (quod frequentius euenit) domum redeunt,

Tunc exhausta canunt prælia Marte graui.
Illic Æacides, illic tendebat Achilles,
Et pingunt fluido Pergama tota mero,

Et quisque mortes mille circa tempora sua errasse gloriatur. Exinde gloriam eorum ferre non poteris. Fabula
E hæc in annum centesimum protelabitur. Filij quoque qui nascentur & exurgent, enarrabunt filiis suis. Si hastas aliquot, quas † ad modum cannabis fragiles, diligens inertia procurauit, quis fregerit, si aurum, minium, colorve alius, quocunque ictu, casuve à clypeo excidit, hoc garrula lingua, si licuerit, memoriale faciant in sæculum sæculi. Isti primos recubitus habent in cœnis, & quicquid Renatus noster de re militari tradiderit, epulantur si fortuna permittit, quotidie splendide, omnemque laborem & exercitationem, quem non inuincibilis necessitas ingerit, cane & angue deterius fugiunt, & quicquid imminet difficultatis, reiiciunt in subiectos. Interim clypeos sic inaurant, sic exornant omnia instrumenta castrorum, vt quemlibet eorum non tam cultorem quam præsidem Martis credas. Cuiuis istorum clypeus detrahatur aut galea, spolia eius ipsum Martem poterunt honorare.

† al. ad modum cannatas & frag.

F Cap. IV.

Quarum rerum scientiam & exercitium oporteat habere milites, & quod eos ociari non licet. Et de Augusto, qui filias suas fecit institui in lanificio.

EGregie quidem Scipio Africanus, sicut in libro Stratagematum Iulius Frontinus refert, cum scutum elegantius cuiusdam vidisset ornatum, dixit non mirari se quod tanta cura ornasset, in quo plus præsidij, quam in gladio haberet. Sed nec fastum illorum perferre poteris, nisi fueris patientiæ grandioris. Nam vt ineptias eorum non rideas, nulla modestia poterit cohibere. Quis Octauiano Augusto felicior aut maior? Filios & si non genuerit, adoptauit, quibus etsi sufficere posset clarus sanguis ad gloriam, & bona hæreditaria magis ad copiam, quam ad vsum, ea tamen diligentia instituti sunt, ac si sua retineri, vel aliena acquiri nequaquam possint, nisi per virtutem. Eos ergo ad gra-
G dum militarem, & cursum, & saltum fecit exercitari, vsumque natandi, & cæsim & punctim feriendi & iaciendi missilia, & lapides manu vel funda docuit, & qualiter bellum omne aut sustineri debeat, aut inferri. Nouit enim prudentissimus & diligens imperator, quia

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu,

& quod non tantum celerius, sed etiam perfectius imbuuntur, quæ discunt à pueris. Deinde militaris alacritas saltus & cursus, ante comparanda est, & temperanda, quam corpus ætate pigrescat. Velocitas enim quæ percepta & firmata est exercitio, strenuum efficit bellatorem. Nec multum refert si cætera probitatis concurrant insignia, proceri sint, an staturæ breuioris. Vtilius est enim milites fortes esse, quam grandes. Delectori suo fertur dixisse Pyrrhus: Tu grandes elige, ego eos fortes reddam. Ad tumulum Archemori dum ludos solemnes Græcis celebraret, Tydeum Capanco præstitisse percelebre est, quia
H *Maior in ex quo regnabat corpore virtus.*

De exercitio Magni Pompeij memorat Sallustius, quod cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte, certabat? Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se & milites suos frequentibus exercitiis præparasset ad prælia. Recedendi, assultandi, insiliendi ars non mediocris est, cuius beneficio illa seruatur cautela, vt miles ad inferendum vulnus, sic insurgat in hostem, vt eidem ex aliqua parte non pateat ad plagam. Exercitium natandi percommodum est, cum in terrestri prælio vel nauali, quod cui necessitas paret, nemini perspicuum sit, nec est promptum quempiam artem, quam non didicit, à periculis expediri. Missilium quoque vsus maximus est, quibus hostis eminus læditur, aut terretur; & exercitio eorum & lacertis robur accrescit, & iaculandi peritia atque vsus acquiritur. Hoc autem tanti exercitij assidua meditatio conferebat,

A vt in tumultu bellico vtiliter versarentur intrepidi, qui in pace fuerant tam studiose instructi. Filias quoque legitur præfatus Augustus sic in lanificio fecisse institui, vt si præter spem eas in extremam paupertatem fortuna proiecisset, vitam possent ante deductis facultatibus exhibere. Nam & nendi, texendi, & acum exercendi, vestesque formandi, fingendi, componendi, non modo artem sed vsum habebant, & consuetudinem. Vtique qui ocia non indulgebat, virginibus nequaquam permittebat milites ociari, quorum professio instituta est ad laborem. Nec credo eum de molliori habitu militum gloriari, ad quem nisi seueriori vultu & honestiori habitu accedere filia non audebat. Lucanus breui quondam † præconio commendat Catonem, & militiam Romanorum, adjiciens inter cætera, quod ei vestiri fuerat pretiose.

† al. compendio.

Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
Induxisse togam.

B Quod profecto non diceret, nisi durioris togæ vsus, de Quiritum consuetudine processisset. Sed modo qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, imo in castris, & sic ad bella procedunt, quasi ad nuptias dealbati. Magnis antiquæ militiæ priuilegiis se tuentur, quoniam in eo imitantur plurimum quod iura ignorant. Et hoc quidem tolerabile esset, nisi æque diuinas & humanas contemnerent leges, vt velis nolis, Satyricum illud tibi frequenter occurrat,

Dinomaches ego sum, suffla, sum candidus, esto,
Dum non deterius sapiat Pannucia Baucis,
Cum bene distincte cantauerit ocyma verna.

Cap. V.

Duo esse præcipua quæ militem faciunt, delectum scilicet & instrumentum.

C Ne me tamen putes inimicari militiæ & vitia personarum in officia retorquere, ego patrocinium eius quamuis renitente suscipio, & eam autore domino, sufficientissime excusabo. Professio namque tam laudabilis est, quam necessaria, & quam nemo vituperare potest salua reuerentia Dei, à quo est instituta. Veteris † instrumenti reuolue seriem, & inuenies ita esse vt dico. Nihil enim ad rem attinet, si isti præuaricantur, quoniam eis lex militiæ posita non est, nec aliquis eorum, vt recte loquamur miles est. Lege libros tam Ecclesiasticos quam mundanos, quibus agitur de re militari; & manifeste inuenies duo esse, quæ militem faciunt, electionem scilicet & sacramentum. Hæc enim duo communia sunt his, qui spiritualem & corporalem militiam exercent. Hos enim ad ministerium altaris, & cultum Ecclesiæ vocat lingua Pontificis, illos ad defensionem reipublicæ eligit lingua ducis. De quibus officiis, & locis, quales & qualiter ad alterutrum officium eligendi sint, maiorum scripta declarant. Sed quia nunc sæcularis militia versatur in manibus, vel Vegetius renatus super electione militum audiatur. Ait

† al. testamenti.

D ergo: In hoc totius reipublicæ salus vertitur, vt tyrones non tantum corporibus, sed etiam animis præstantissimi delegantur: vires regni & Romani nominis fundamentum, in prima delectus examinatione consistunt. Nec leue hoc putetur officium, aut passim quibuscunque mandandum, quod apud veteres inter tam varia genera virtutum præcipue constat esse laudatum. Iouentus enim, cui defensio prouinciarum imminet, & moribus excellere debet & viribus. Honestas enim idoneum militem reddit, & verecundia dum prohibet fugere, sæpe facit esse victorem. Quid enim prodest si exerceatur ignobilis, si pluribus stipendiis moretur in castris? Nunquam exercitus proficit in tempore belli, cuius in probandis tyronibus claudicauit electio. Et quantum vsu experimentisque cognouimus, hinc tot vbique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem incuriosius legit, dum inutiles quique ciuilia sectantur officia, dum † indicti possessoribus tyrones per gratiam aut dissimulationem probantium, tales sociantur armis, quales domitū habere fastidiunt. A magnis ergo viris, magnaque diligentia idoneos conuenit eligi † iuniores. Cum vero diligens electio iudicio fuerit approbata, signandi sunt, & adscribendi militiæ, qui ad eam inueniuntur idonei. Nam & velocitas requirenda est, & robur, & vtrum armorum disciplinam quis ediscere valeat, & an habeat confidentiam militarem. Plerique enim quamuis non improbabiles videantur specie, tamen experimentis comprobantur indigni. Repellendi ergo minus vtiles, & in locum eorum strenuissimi subrogandi. In omni enim conflictu, non tam prodest multitudo quam virtus. In qua exploranda, formanda & promouenda, ducis vertitur tam opera, quam iudicium. Signatis namque tyronibus, per quotidiana exercitia armorum est demonstranda doctrina, vt leui armatura & graui, terra item & pelago pedites sint aut equites, strenuum militem possint implere.

E

† al. in dictis possessionibus.

† al. tyrones.

F

Cap. VI.

Quæ mala proueniant nostris neglecto delectu militum, & qualiter Haraldus Vualenses subegerit.

Sed huius disciplinæ vsus in desuetudinem abiuit, aut ex indulgentia longæ securitatis, aut irruente mollitie, & virorum animos frangente luxuria, aut ignauia iuuentutis & inertia ducum temporis nostri. Quem enim inuenies, qui strenue docere possit, quod ipse non didicit.

Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem.

G Antiquas & modernas reuolue historias, & plane inuenies, quia concussio populorum, armorum collisio, clades hominum, & plaga terribilis, luxuriam semper aut comitatur aut sequitur. Ne longe petantur exempla, Niuicollini Britones irruunt, & iam protendunt terminos suos, & egressi de cauernis suis latebrisque siluarum, plana occupant, nobilium procerum videntibus ipsis impugnant, expugnant, & diruunt, aut sibi retinent munitiones, eo quod iuuentus nostra

—— Quæ tecto gaudet & vmbris,

nata fruges consumere, in lucem dormiens scortationi honesta postponens officia, tota die insectans voluptatem, cytharam, lyram, & tympanum, & vocem organi in conuiuiis magis agnoscit, quam lituum aut tubam in castris. In qua aut non fuit, aut errauit ducis electio, cessauit aut languit disciplina. Nam si manum conserere oporteat, in armatura leui parum habent fiduciæ, & in graui minimum alacritatis. Hac itaque onerantur vt hostem sequi non possint; illa exanimantur, vt eum tanquam ad vulnus expositi nequeant sustinere. Depopulantur illi fines nostros, dum iuuentus nostra

H instruitur, & dum nobis miles armatur, hostis euadit, & vt dici solet, dum canis mussitat, tutas latebras ingreditur lupus. Non est qui comprehendat abeuntem, aut insequatur hostem, eo quod impeditus nec sufficit, nec proficit aduersus expeditum. Ille tamen non murorum, fossarumve petit præsidia, sed locum qui militi meo sicut & sibi, etsi non æque notus, tamen accessibilis est. Vtique tutus est illi, quia miles meus non in propria virtute, sed in præsidio confidit armorum. Anglorum recens narrat historia, quod cum Britones irruptione facta Angliam depopularentur, à piissimo rege † Eduardo ad eos expugnandos missus est dux Haraldus, vir quidem armis strenuus, & qui tam suam quam suorum posset apud posteros gloriam dilatare, nisi meritorum titulos nequitiam patris imitans, perfide præsumpto regno decoloraret. Cum ergo gentis cognosceret leuitatem, quasi pari certamine militiam eligens expeditam, cum eis censuit congrediendum, leuem

† al. Eduuardo.

A exercens armaturam, perornatus incedens fasciis pe-ctus, & præduro tectus corio, missilibus eorum leua obiectans antilia, & in eos contorquens nunc spicula, nunc mucronem exercens, sic fugientium vestigiis inhærebat, vt premeretur

—— *Pede pes, & cuspide cuspis,*

& vmbo vmbone repelleretur. Nimium itaque collem ingressus, vastauit omnia, & expeditione in biennium protogata, reges cepit, & capita eorum regi, qui eum miserat, præsentauit, & vsque ad miserationem paruulorum omnem masculum, qui inueniri potuit interficiens, in ore gladij pacauit prouinciam, legem statuit vt quicunque Britonum exinde citra terminum, quem eis præscripsit, fossam scilicet offæ, cum telo inueniretur, ei ab officialibus regni manus dextra præcideretur. Adeoque virtute ducis tunc Britones confecti sunt, vt fere gens tota deficere videretur, & ex indulgentia iam dicti regis mulieres eorum nupserunt Anglis. Videsne B quantum electio ducis & exercitium iuuentutis, militiæ conferant?

Cap. VII.

Qua sit conceptio sacramenti militaris, & quod sine eo militare non licet.

VEruntamen citra religionem sacramenti ex antiqua lege, nemo militiæ cingulo donabatur. Nam sicut apud Iulium Frontinum legitur, L. Flacco & C. Varone Coss. milites primo iureiurando facti sunt. Antea enim sacramento tantummodo à tribunis rogabantur. Cæterum ipsi inter se coniurabant, se fugæ atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi, hostisve feriendi causa, aut ciuis seruandi. Et hoc dicebatur militiæ sacramentum, quod & Christianissimorum principum autorita-C te firmatur & vsu. Conceptio vero iuramenti, teste Vegetio, huiusmodi est. Iurant equidem milites per Deum, & Christum eius, & Spiritum sanctum, & per maiestatem principis, quæ secundum Deum humano generi diligenda est & colenda. Nam cum quis legitimum accepit principatum, tanquam præsenti & corporali Deo, fidelis ei est præstanda Deuotio, impendendus peruigil famulatus. Deo enim vel priuatus vel militans seruit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat autore. Iurant, inquam, se strenue facturos omnia, quæ præceperit princeps, nunquam deserturos militiam, vel mortem recusaturos, pro republica cuius sunt conscripti militiæ. Cum vero hoc præstiterint iusiurandum, cingulo militari donantur & priuilegiis. Adeoque obtinuit vt electio, & sacramentum militem facerent, vt sine electione nemo conscriberetur aut iuraret; sine iuramento nemo nomen militis aut officium sortiretur. In libro officiorum M. Tullius refert, quod Pompilius Imperator tenebat prouinciam, in cuius D exercitu filius Catonis tyro militabat. Cum autem Pompilio videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Pompilium scripsit, vt si pateretur in exercitu remanere, eum secundo obliget sacramento, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. M. quidem Catonis senis epistola est ad M. filium, in qua scribit se audisse, eum factum † missum esse à Consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur vt caueat, ne prælium ineat; negat enim ius esse, cum hoste pugnare, qui miles non sit. Ecce quia vir sapientissimus militem non credebat, nisi eum qui sacramento ad militiam consecratur.

† al. dimissum.

Cap. VIII. E

Armatam militiam ad religionem ex necessitate teneri, sicut illam quæ in clero diuinis obsequiis consecratur; & quod miles sicut honoris, ita laboris nomen est.

SEd ipsius iuramenti verba reuolue, & inuenies armatam militiam non minus, quam spiritualem ex necessitate officij ad religionem, & Dei cultum arctari, cum fideliter & secundum Deum principi debeatur obsequium, & reipublicæ peruigil famulatus. Vnde quod prædixi, qui nec electi sunt, nec iurati, etsi militum nomine censeantur, non magis in veritate milites sunt, quam sacerdotes & clerici, quos ad ordines Ecclesia non vocauit. Nemo vero sibi honorem sumit, sed qui vocatur à Domino, de collato honore gloriatur. Moyses & fidelis populi duces, cum hostes oportuerat impugnari, eligebant viros fortes, & ad bella doctissimos. F Electionem namque ista præueniunt. Qui vero non electus seipsum militiæ ingerit, in se gladium prouocat, quem propria temeritate vsurpat. In constitutionem ergo perpetuam incidit, quia qui gladium accipit, gladio peribit. Si vero in eo Ciceronis autoritas recipitur, is non miles, sed sicarius recte nominatur. Nam in veterum scripturis sicarij dicuntur & latrones, quicunque lege non præcipiente, arma tractant. Arma namque quibus lex non vtitur, legem impugnant. Duos gladios sufficere imperio Christiano, Euangelij sacra testatur historia; omnes alij eorum sunt, quid cum gladiis & fustibus accedunt, vt captiuum capiant Christum, nomen eius delere cupientes. Illi ergo quid habent militis; qui vocati ex sacramento non obtemperant legi, sed in eo militiæ suæ gloriam constare credunt, si contemptibile sit sacerdotium, si Ecclesiæ vilescat autoritas, si ita dilatauerint regnum hominis, vt Christi imperium contrahatur, si laudes suas prædicent, & seipsos G falsis præconiis mulceant & extollant, cum irrisione audientium, imitantes militem gloriosum. Horum virtus in eo maxime elucescit, si clerum & inermem militiam, aut linguis aut telis confodiant. Sed quis est vsus militiæ ordinatæ? Tueri Ecclesiam, perfidiam impugnare, sacerdotium venerari, pauperum propulsare iniurias, pacare prouinciam, pro fratribus, vt sacramenti docet conceptio, fundere sanguinem, & si opus est, animam ponere. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles in manicis ferreis. Sed quo fine? An vt furori, vanitati, auaritiæ seruiant, an propriæ voluntati? Nequaquam. Sed vt faciant in eis iudicium conscriptum, in quo quisque non tam suum, quam Dei, Angelorum, & hominum sequatur ex æquitate & publica vtilitate arbitrium. Vt faciant inquam, quia sicut iudicum est dictare iudicium, ita & istorum H faciendo exercere officium est. Vtique gloria hæc est omnibus sanctis eius. Nam & hæc agentes milites sancti sunt, & in eo fideliores principi, quo seruant studiosius fidem Dei, & virtutis suæ vtilius gloriam promouent, quo fidelius Dei sui, in omnibus gloriam quærunt.

Cap. IX.

Quod fides Deo debita, sit cuiuis homini præferenda, nec seruatur homini, nisi Deo seruetur.

NEc refert fideli quis militet, an infideli, dum tamen militet fide incolumi. Diocletiano & Iuliano & aliis impiis leguntur militasse fideles, & eis in defensione reipublicæ tanquam principibus fidem exhibuisse, & reuerentiam. Impugnabant enim hostes imperij, sed mandata Dei seruabant. Si vero præcipiebantur temerare legem, Deum homini præferebant. Sedebant

principes

A principes & accuſabant eos, illi exercebantur in iuſtificationibus Domini, conſtanter loquentes, & agentes ſine confuſione mandata eius cum omni fiducia. Dauid quoque militaſſe legitur Achis, & fidem & reuerentiam militantis impleſſe. Hæc autem omni militiæ formula præſcribenda eſt & implenda, vt Deo primum fides debita, deinde principi & reipublicæ ſeruetur incolumis & ſemper maiora præiudicabunt minoribus, quia nec reipublicæ nec fides principi ſeruanda eſt contra Deum, ſed ſecundum Deum, ſicut habet ipſa conceptio militaris ſacramenti. Vnde plurimum miror, ſi quis princeps illis habeat fidem, quos videt Deo ſuo, cui vt cætera taceam, etiam ſacramento militiæ obligati ſunt, fidem debitam non ſeruare. Quoniam morbo rationis laborat, qui eum ſibi fidelem fore credit, quem videt eſſe corruptum & perfidum in illum, cui plurimum debet. Sed timet principem. Certe ſi fortior ſuperuenerit, prætimebit illum. Amatur forte princeps. At
B ſi benignior & beneficentior apparuerit, & illum præamabit. Non eſt quo ſe vertat impius, qui hominem Deo præfert, nequaquam ſeruabit fidem ſecundam, qui primam irritam facit.

Cap. X.

De priuilegiis militum; & quod ſacramento aſtricti ſunt Eccleſiæ, & quare gladius offeratur altari.

Recte vero militantium priuilegia multa ſunt, quæ de iure antiquo latius patent. Nam & † vberiores ſunt, & pluribus immunitatibus gaudent. Ab angariis & parangariis, & ſordidis muneribus alieni. Iura quoque licenter ignorant, & licet in poteſtate ſint, in caſtrenſi peculio teſtari poſſunt, & ex publica ſollicitudine, quod maximum eſt, non permittuntur egere, & in hunc modum plurima quæ longum eſt enarrare. Licet
C autem ſint, qui ſibi non teneri videntur Eccleſiæ ex ſacramento ſolenni, quia iam ex conſuetudine plerumque non præſtatur, nullus tamen eſt qui ſacramento tacito vel expreſſo Eccleſiæ non teneatur obnoxius. Et forte ideo ceſſat ſolennitas iuramenti, quia ad hoc omnes inuitat & coarctat neceſſitas officij; & ſinceritas fidei. Vnde iam inoleuit conſuetudo ſolennis, vt ea ipſa die qua quiſque militari cingulo decoratur, Eccleſiam ſolenniter adeat, gladioque ſuper altare poſito & oblato, quaſi celebri profeſſione facta, ſeipſum obſequio altaris deuoueat, & gladij, id eſt, officij ſui iugem Deo ſpondeat famulatum. Neque neceſſe eſt vt hoc profiteatur verbo; cum legitima profeſſio militiæ, facto eius videatur inſerta. Quis enim in homine illiterato, & qui magis arma debeat noſſe quam litteras, profeſſionem exigat † literarum? Nam † Epiſcopi, & Abbates profeſſione ſcripta vel dicta, ad fidem & obedientiam videntur arctari. Et reuera arctantur, quia Deo mentiri non licet. Sane aut plus eſt, aut non minus; quod milites faciunt, qui non ſcedulam, ſed gladium offerunt, & quaſi
D primitias officij redimunt ab altari, vnde Eccleſiæ in perpetuum famulentur. Nam ſicut eis pro Eccleſia plurimum, ita contra Eccleſiam, licet nihil. Refert Lucas, quod milites vt baptizarentur acceſſerunt ad Ioannem, interrogantes, Magiſter quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, qui deceat præambulum gratiæ, præconem veritatis, domini præcurſorem. Nouerat enim manum militarem promptam ad iniurias, rapinis aſſuetam, & cui nunquam aut raro ſufficiunt ſua, quin appetat aliena. Concuſſione ergo prohibita, excluſit iniurias, rapinas exterminauit, excluſa calumnia. Auaritiam quoque damnauit, dum præcepit vnumquemque contentum eſſe ſtipendiis ſuis. Sicut enim dictum eſt militem egere non licet, cui dum militat, militiæ ſuæ præſtantur ſtipendia, & cum emeritus eſt, prædia vel alimenta quoad neceſſitas exigit, de publico prouidentur.

† al. liberiores.
† al literatam
† al. & ipſi.

E

Cap. XI.

Quod milites durius caſtigandi ſunt ſi militiæ lege contempta, priuilegiis abutuntur.

Si vero contra prohibitionem Ioannis & legitimas ſanctiones, in furta dilabitur & rapinas, durius caſtigandus eſt, vt qui ſemper ferrum, duraque tractauerit, & ita cohibenda eſt audacia eius, vt in ſeipſo diſcat quanta animaduerſione feriendi ſunt, qui legem impugnant, quam ſuſceperant defendendam. Sicut enim multis immunitatibus & eminentioribus priuilegiis militia gaudet, ita acerbioribus pœnis ſubdenda eſt, ſi ſua demeruiſſe priuilegia conuincatur. Nec in ea ſibi parte prodeſt ignorantia iuris, cum etſi iura publica permittatur, ſuum tamen officium non liceat ignorare. Licet enim ſacerdos ordinatione ordinis ſui difficultatem
F ignoraret, eo ipſo quod ſine contradictione onerofo ſuccedit officio, ſuſcepti tamen ſacerdotij onera cogitur ſuſtinere. Si vero negligit, aut malignatur, corripitur grauius; eo quod maiori pœna digni ſunt hi, quibus cum multum debeatur honoris, aut occulto, aut manifeſto inueniuntur in crimine. Aliter tamen crimina, aliter puniuntur exceſſus, quoniam illa plerumque pœnam irrogant ſanguinis, hæc quaſi medicinalem pro qualitate delicti exigunt curam. Ipſa vero nunc ſimplex eſt, nunc quaſi quandam acrimoniam miſcet. Veruntamen cum in omni profeſſione diſciplina neceſſaria ſit, nuſquam magis, quam in clero & re militari. At res militaris, quæ minus exercitatur in ſpiritum, acerbius eſt corporaliter punienda. Nihil eſt autem quod vtrumque magis impugnet, quam luxuria, quia omnis intemperantia ordinationi plurimum aduerſatur. Porro vbi ordo non eſt, confuſio locum habet, & niſi reprimatur correctionis ſtimulo, procul dubio ignominiam ex neceſſitate importat. Quid enim faciet fortiter, quem lu-
G xuria & intemperantia non tam exarmauit, quam exanimauit? Quartus liber Stratagematicorum Iulij Frontini refert, quod P. Scipio miſſus ad Numantiam, corruptum ſuperiorum ducum ſocordia, exercitum correxit, dimiſſo ingenti lixarum numero, redactis ad munus quotidiana exercitatione militibus, quibus cum frequens iniungeret iter portare complurium dierum cibaria imperabat, ita vt frigora & imbres pati, vada fluminum pedibus trajicere aſſueſceret miles, exprobrante ſubinde imperatore timiditatem & ignauiam, frangenteque delicatioris vſus, ac parum neceſſaria expeditioni vaſa. Quod maxime nobiliter accidit C. Nummio tribuno cui dixiſſe traditur Scipio, Mihi paulisper, tibi & reipublicæ ſemper † nequam eris. Q. Metellus bello Iugurthino ſimiliter lapſam militum diſciplinam, pari ſeueritate reſtituit, cum inſuper prohiberet alia carne quam aſſa elixaue milites vti. Philippus cum primum exercitum conſtitueret, vehiculorum vſum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam ſingulos † lacones habere permiſit. Peditibus autem
H denis, ſingulos qui molas & funes ferrent. In æſtiua exeuntibus, triginta dierum farinam collo portari imperauit. C. Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen oneratur, vaſa & cibaria militis in faſciculos aptata, furcis præpoſuit, ſub quibus & habile onus, & facilis requies eſſet. Vnde prouerbium natum eſt, Multi milites Mariani. Liſander Lacedæmonius egreſſum via quendam caſtigabat. Cui dicenti ad nullius rei rapinam ſe ab agmine receſſiſſe, reſpondit: Ne ſpeciem quidem rapturi præbeas, volo. Publius Naſica in hybernis quamvis claſſis vſus non eſſet neceſſarius, ne tamen miles deſidia corrumperetur, aut per licentiam otij ſociis inferret iniuriam, naues ædificare inſtruit. Idem quoque Frontinus inter multa conſtantiæ inſignia refert, quod Caſſilini obſidente Hannibale tantam inopiam perpeſſi ſunt, vt murem venisſe centum denariis memoriæ proditum ſit, eiuſque venditorem fame periiſſe, empto-

† al. nequaquam
† al. latrones.

A tem autem vixisse, & in tanta angustia fidem seruasse Romanis. Pecilini à pœnis obsessi, parentes & liberos propter inopiam eiecerunt, ipsi coriis madefactis & igne siccatis, foliisque arborum & omni genere animalium vitam trahentes, vndecim menses obsidionem tolerauerunt. Hispani Fabrenses omnia eadem perpessi sunt, nec tamen oppidum Herculeio tradiderunt. Ciziium cum oppugnaret Mithridates, captiuos eius vrbis produxit, ostenditque obsessis arbitratus futurum, vt miseratione suorum ad deditionem compelleret oppidanos. At illi cohortati captiuos ad mortem fortiter excipiendam, fidem seruauere Romanis. † Eglonienses cum à † Iuriaco his liberi & coniuges redderentur, præoptauerunt spectare supplicia pignorum suorum, quam a Romanis deficere. Numantini ne se dederent, fame mori præfixis foribus domuum suarum maluerunt, vicissentque Romanos, autore Orosio, nisi illi sub Scipione pugnassent.

† al. Eglomenses. † al. Viriaco.

B

Cap. XII.

Quod varia animaduersio procedit in eos, qui duci non obtemperant, & quatenus debeat obediri, & in quibus mandatis locum habeat examinatio militaris; & in quibus non.

IN eos qui ducis, aut legis non obtemperabant arbitrio, varia animaduersio procedebat. Nam alij in fortuna, alij in fama, alij in sanguine puniuntur. Frontinum relege, & vsquequaque ita inuenies. Nam Aurelius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate cogente, iussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium, questus apud Censores effecit, vt à patribus notarentur, deinde obtinuit ne eis præterita æra procederent. Tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerunt, omniumque consensu stabilita est disciplina. Q. Metellus Macedonicus in Hispania quinque cohortes, quæ hostibus cesserant testamentum facere iussas, ad locum recuperandum remisit, minatus non nisi post victoriam receptum iri. Senatus cum milites Publij Valerij fugati essent, decreuit ne ei auxilia submitterentur, nisi victis hostibus. His vero legionibus, quæ Punico bello militiam detrectauerant, in Siciliam velut relegatis, per septem annos hordeum ex Senatus consulto datum est. Appij Claudij sententia, senatusque consultum omnes, qui à Pyrrho rege Epirotarum capti, & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, ad leuem armaturam omnibus extra vallum iussis tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent. Hæc Frontinus. At Plinius asserit, quia fuit hæc quoque antiquitus animaduersio militaris, iubere ignominiæ causa militi venam solui, & sanguinem dimitti. Cuius rei rationem, etsi in veteribus literis non potuerit inuenire, hoc tamen primò factum opinatur in militibus stupentis animi, & à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna, quam medicina videretur. Postea tamen ob pleraque alia delicta id factitatum esse credit, per consuetudinem, quasi minus sani viderentur omnes, qui contra officium delinquerent. Nam leuioris culpæ non erat ignominiosa animaduersio, etsi nec illa ex vigore disciplinæ militaris dissimulatione locum relinqueret. Veteres quoque Græcos anulum habuisse in sinistræ manus digito qui minimo proximus est, celeberrimè traditur. Romanos quoque homines aiunt sic plerumque vsitatos anulis: Causamque huius rei Apion in libris Ægyptiacis dicit, quod insectis apertisque corporibus, vt mos fuit, quas Græci ἀνατομὰς vocant, † compertum est quendam tenuissimum neruum ab eo vno digito, de quo diximus, ad cor hominis pertingere, ac peruenire. Visumque esse eum potissimum digitum tali honori decorandum, qui continens, & quasi connexus cum principatu cordis videretur. Vnde & quasi excordes arbitrati sunt curandos aut puniendos, qui in militare officium deliquissent. Vt redeam ad Frontinum: Crassus à Sempronio Asello & plerisque aliis historiæ Romanæ scriptoribus traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima & præcipua: Quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iuris consultissimus, quod Pontifex maximus. Is cùm in consulatu obtineret Asiam Prouinciam, & circumsidere atque oppugnare Leucas pararet, opusque esset, † summa atque procera trabe, qua arietem faceret, quo muri oppidanorum quaterentur, scripsit ad Magnum Gaium maiorem Atheniensium sociorum amicorumque populi Romani, vt ex malis duobus, quos apud eos viderat, vter maior esset ei mittere procuraret. Tunc Magnus Gaius comperto quam ob rem malum desiderasset, non vti iusserat maiorem, sed quem magis esse idoneum, aptioremque faciendo arieti, faciliorem que portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari iussit, & cum interrogasset, cur non quem iusserat, misisset, causis rationibusque quas dictabat, spretis, vestimenta detrahi iussit, virgisque multum cæcidit, corrumpi atque dissolui ratus omne officium imperantis, si quis ad id, quod facere iussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato responderit. Quid quæso amplius in monachum arctioris regulæ dictaret Abbas seuerus? in eo namque solo deliquerat, quod non paruerat mandato, etsi forte re ipsa vtilius esset quod fecit. Nam sicut in religione degentibus, prælatorum mandata, dum præceptionem perpetuam non impugnant, à subiectis non oportet discuti, sed impleri, sic in re militari, circa mandata ducis, nulla est examinatio militaris, nisi forte quod præcipitur, expressim saluti reipublicæ inueniatur aduersum. Nam in eo non obtemperat nisi perfidus & impius miles. Quid enim iniquius, quid detestabilius, quam sine fidei reuerentia aggredi quicquid dictauerit Imperator? Nonne apud omnes vox funesta est, & crudelis, plenaque perfidiæ,

† al. apertum o. reperti m.

E

† al. firma.

F

Pectore si fratris gladium, iuguloque parentis
Condere me iubeas, plenaeque in viscera partus
Coniugis, inuita peragam tamen omnia dextra.
Castra super Tusci si ponere Tybridis vndas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu † quoscunque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis.
Illa licet penitus tolli quam iusseris vrbem,
Roma sit.

G

† al. quos cunque.

Quid nequius dici potuit, & vnde magis deberet, si fidelis esset, Romanus Imperator offendi? In eo namque sceleratus miles fidei suæ fidem facere studuit, vnde seipsum maxime infidelem & perfidum esse conuincit. Magna quidem reuerentia debetur duci, sed fidei religione seruata. Quædam ita necessaria sunt, vt mandatum nec expectent; alia sic detestabilia, vt nullum omnino mandatum admittant. Media quidem quæ neque sunt necessaria bona, nec detestabilia mala, consistunt in arbitrio præsidentis. Velit nolit præfectus, ex necessitate boni, diligendus est Deus. Velit nolit præfectus, ex malitia iniquitatis, est adulterium declinandum. At militare, vel non militare, egredi vel non egredi, cæteraque quæ Philosophi indifferentia reputant, ad præpositi diligentiam & reuerentiam spectant. In his nisi mandato præsidentis, oculum aperire, instar criminis est, aut ex scientia sua ad cuiuscunque operis fructum manum irreuerenter extendere. Sit cæcus in hac parte obiectus vt viuat, quia quacunque die quasi propria discretione ad arborem scientiæ, quam sibi & prælatis reseruat dominus, temerariam manum miserit, laqueum mortis incurrit. Quid enim bonum, aut malum in talibus sit, non licet iudicare subiectis, dum plena reuerentia præpositis exhibeatur, & fidelis obedientia mandatorum. Militem ergo in omnibus his quæ ad statum publicum pertinent, nihil omnino tentare licet, nisi ducis iussu vel licentia, quod ipse faciendum decreuerit, roboretur. Vnde hi plerumque, qui ducum contempto vel non expectato imperio, congredientes cum hoste reipublicæ victoriam contulerunt, sæpe non

H

tam gloriam assecuti sunt de victoria, quam de temeritate, vel negligentia pœnam. Quid ergo merebitur transfuga, stationisve desertor, si ex disciplina militari tanta severitate corripitur triumphator? In stratagematibus Iulij inuenitur † Clearcum Lacedæmoniorum ducem dixisse, Imperatorem exercitui potius timendum esse quam hostem, eo quod qui in prælio dubiam mortem timuerant, eos statione relicta certum manebat supplicium. L. Papirius Cursor, Fabium Rutilium, magistrum equitum, quod aduersus edictum eius, quamuis prospere pugnauerat, virgis poposcit cæsum, securi percussurus, nec contentioni aut precibus militum concessit animaduersionem, eumque profugientem Romam persecutus est; nec ibi quidem remisso prius supplicij metu, quam ad genua eius, & Fabius cum patre prouolueretur, & pariter Senatus ac populus rogarent. Et ne eum credas hoc fecisse, ex odio præcedenti, Manlius, cui Imperioso postea cognomen fuit, filium quod is contra edictum patris, cum hoste pugnauerat, quamuis victorem in conspectu exercitus virgis cæsum, securi percussit. Fuit autem disciplina militaris sicut reipublicæ necessaria, ita & omnibus gratiosa, adeo quidem vt Manlius filius pro se aduersus patrem exercitu seditionem parante, negauerit tanti esse quemquam, vt propter illum corrumperetur disciplina militiæ, & obtinuit vt ipsum puniri paterentur. Appius Claudius ex his, qui loco cesserant, decimum quemque militem sorte ductum, fuste percussit. Fabius Rutilius consul, ex duabus legionibus, quæ loco cesserant, vicenos sorte ductos, in conspectu militum securi percussit. Idem ternos ex centuriis quorum statio ab hoste perrupta erat, addixit securi. Q. Fabius Maximus, transfugarum dextras præcidit. M. Cato tradidit in furto deprehensis inter commilitones, dextras esse præcisas, aut si benignius in reum animaduertere voluissent, † in principiis sanguinem missum. Seditio quoque securim prouocat, ita tamen vt pro arbitrio ducis in pœna paucorum, securitas & quies reipublicæ reformetur. Iulius Cæsar orta seditione militum, paucis percussis, castra sedasse legitur, & fidem militum reparasse.

† al. Elearcum.

† al principiis.

Cap. XIII.

Quare cingulo priuentur milites, & quod exautoratus non habet aliquod cum gladio, telove commercium, & quare gladius insertus est cingulo.

Fit interdum vt ex delicto suo priuetur miles militiæ cingulo, in his maxime, vbi sacrilegia committuntur. Veteri namque iure statutum est, & nouo non est abolitum, vt qui non seruato militiæ sacramento, religionem quam profitetur, impugnat, cinguli amissione mulctetur. Fertur hoc edicto Iulius compescuisse militem suum, quando vrbem ingressus, non licuit homines spoliare, aut templa deorum, quod ei postmodum ingrauescente seditione improperant. Numinibus namque Romanis ciuibusque iurati, oppugnare non poterant, quos sacramento militiæ susceperant defendendos. Sic quoque C. Curio bello Dardanico circa Dyrrachium, cum vnam de quinque legionibus seditiosam vidisset, eam procedere iussit inermem discinctamque in conspectu armati exercitus stramenta coegit secare. * Posttemo autem die similiter fossam discinctos milites facere, nullisque precibus legionis impetrari ab eo potuit, ne signa eius submitteret, nomenque aboleret. Milites autem in supplementum aliarum legionum distribuit. Non enim restituebantur, qui meruerant priuari cingulo, antequam eos præ cæteris virtutum meritæ insignirent. Milites qui ex Cannensi pugna cedentes, in Siciliam fuerant relegati, postulauerant à M. Marcello consule, vt in prælio ducerentur. Ille Senatum consuluit, Senatusque negauit placere sibi, eis committi rempublicam, qui eam deseruissent. Marcello tamen permisit facere quod videretur; lege tamen præscripta, ne quis eorum munere vacaret, neve donaretur præmio, aut honore, aut reportaretur in Italiam, dum Pœni in ea fuissent. Dum vero cingulo spoliati sunt, eis nec æra procedunt, nec militaribus priuilegiis gaudent, nec habent aliquod cum gladio telove commercium. Ideoque prouida constitutione maiorum est gladius insertus cingulo, vt collato honore cinguli, potestas quoque ipsius gladij aliquatenus intelligatur collata. Et recte cingulo decoratus, ad militiam quisquis accedit, quia eum expeditum esse ad munia reipublicæ, officij sui necessitas exigit. Accingi namque solet, cui gerenda imminent; & cui vacatio datur, licet esse discinctum. Vnde illud in libro Regum; Non æquè glorietur accinctus, vt discinctus. Quia sollicitudo laboris imminentis, gloriandi licentiam non admittit, & otiandi libertas & securitas quietis plerumque extollentiam parit. Cingulum ergo indicium est laboris, labor honoris meritum, vt liqueat omnibus, quod qui laborem indictum militiæ, subire detrectat, honorem gladij in militari cingulo frustra portat. Ipsius quoque cinguli cassa est significatio, nisi fidem eius roboret & solidet labor. Videas multos cinguli honore tumentes, sed nisi honorem laboriosa impleant merita, idem est ac si pro solida substantia quis vendicet spumam. Profecto dignus est priuilegium perdere, qui concessa sibi abutitur potestate. Abutitur autem quis, vel non faciendo quod oportet, vel faciendo quod fieri non oportet; & cum vtrumque sit malum, vt dicitur peccatum delicto grauius esse solet. Delinquit enim qui non implet officium; sed plane peccat, quisquis committit contrarium. Albo siquidem nigrum magis opponitur, quam non album, & tristitia lætitiam magis impugnat, quam spes aut timor, quæ neque in lætitiæ rationem cadunt, nec ei maxime aduersantur. Et cingulo quidem abutitur, tam ille qui non implet quod oportet ex militiæ sacramento, quam ille qui impugnat militiæ sacramentum. Delinquit tamen grauius, qui impugnat, sicut hostis verus ignauo milite odibilior est. Vnde qui rempublicam & inermem manum militaribus armis impugnat, iustissime exautoratur, tanquam ille qui figuram hostilem induerit. Sed præ cæteris omnibus diuino & humano iure grauius feriuntur sacrilegi, & hi qui variis perturbationibus impugnant Ecclesiam Dei, quibus lex non præcisionem dexterarum, sed pœnam irrogat capitalem. Si patrocinium illorum assumant Cicero, & Demosthenes, si in defensione eorum linguam acuat, & totius ingenij sui vires exhauriat Quintilianos, si iura viguerint, quod post Deum in manu principis est, fortunas eorum & capita, quin legitimis suppliciis feriantur, tueri non poterunt. Quod si gladium suum aduersus tales non exerit princeps, in seipsum proculdubio prouocat gladium bis acutum, quem in ore suo gerit filius hominis, gladium vtique qui viuus & efficax est, qui corpus fundit, & animam mittit in gehennam; ad quem obtusus est omnis gladius, & omnis armatura fragilis, & fluida & infirma, præter illam quam sola construxit gratia in bonorum fabrica meritorum. Sunt autem plurimi, qui malorum clamore operum, quando militiæ consectandi cingulum altari obmlerunt, videntur protestari, se eo tunc animo accessisse, vt altari, & ministris eius, sed & Deo, qui ibi colitur, bellum denunciarent. Facilius crediderim hos malitiæ execratos, quam ad legitimam militiam consecratos.

al postero

Cap. XIV.

Quod disciplina militaris plurimum prodest, & quod militiam maximè frangit.

Proinde necessaria est disciplina militaris, cuius quanta sit vtilitas, non facilè dixerim. Vt enim dictum est, Romanis adeo profuit disciplina, vt orbem suæ subjicerent ditioni. Alexander quoque Macedo,

A exiguam manum militarem suscepit à patre, sed doctam, qua assuefacta militiæ orbem terrarum aggressus, innumeras hostium copias fudit. Xerxes à trecentis Lacedæmoniorum ad Thermopilas vexatus, cum eos manu infinita, plurimisque suorum amissis, vix confecisset, in eo se deceptum dicebat, quod multos quidem homines, viros autem disciplinæ tenaces nullos. Hoc equidem vere dixit, quod & fuga illa testatur, qua apud Salaminam turpiter victus, qui tot gentes in bella trahebat, vt duces non possent facile numerari, vix vna naue euasit. Fertur enim quod duces exercitus eius non consueuerit præ multitudine aliter numerare, quam singulis telis receptis à singulis, vt ex numero telorum, ducum quoque numerus teneretur. Est autem dux vsquequaque inutilis, apud quem disciplina non viget; & frustra sperat victoriam, qui animos manusque militum assiduè non exercet. Miles subitus subito deserit ducem, & laborem ferre non sustinet, quem continuus non exercuit labor. Cæsaris animum fiducia roborauit, B quod ei res erat aduersus militem subitum, ducemque emeritum, & qui longa pacis quiete dedidicerat ducem. Sed & vbi victoria desperatur, ad spem vindictæ erigendos est animus. Est enim interdum

Vna salus victis nullam sperare salutem,

& vt se victores putent, si non moriantur inulti. Magni namque muneris loco est, satiari vltione, & dispendium vitæ, vindictæ solatio compensari. Facile assumit pugnandi necessitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. Audaciores sunt qui bellum inferunt, & sæpe alij dum honeste vtiliterque mori cupiunt, feliciter vincunt.

Audentes namque *fortuna iuuat*,
& vt pugnæ discrimen imminet,
Degeneres animos timor arguit,
quo nihil ignominiosius est his, qui nomen & officium militiæ profitentur. Timidos namque grauissime lex militaris percellit. Duci quoque in re militari, diligen- C tissimè præcauendum est,

Ne Venus & vinum pugnantia pectora frangant.

Semper enim vincit luxuria, sed eos duntaxat, quos ante corrumpit. Eoque studiosius fugienda est, quo in clientelam suam acerrimè sæuit. Antiochus tantæ luxuriæ & superfluitatis instruxit exercitum, vt etiam gregarij milites auro caligas facerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi dimicant. Gens quoque Parthorum sæpissime superatur, eo quod luxuriosissima est. Nam

Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Ibitur, emollit gentes clementia cœli.

Solent non in acie quominus præliari, sed quoad possunt, hostem eminus lædunt. Obsessas vrbes mora & viribus nesciunt expugnare. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus, sæpius etiam simulan- D tibus fugam. Signum his ex antiquo more non tuba, sed tympano datur. Nec pugnare diu possunt, quia intolerabiles essent, si quantus est eorum impetus, tanta esset perseuerantia. Natura taciti; ad faciendum, quam ad dicendum promptiores. In cibum parci, fides dicti, promissique nulla. Principibus metu, non pudore vel religione parent. Principatus vero quem corrumpit luxuria, diu stare non potest. Aut si steterit, opprimente iudicio Dei, euomet quicquid immoderatio luxuriæ hausit. Modum siquidem sui nescit, nec ante intemperantiam reprimit, quam ex indulgentiore licentia in extremam turpitudinem prolabatur. Assyriorum discute plagas, & historiarum testimonio conuinces, regna eorum, impulsu luxuriæ esse subuersa. Inter cætera refert Trogus, quod postremus rex Assyriorum regnauit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum, quod nemini ante eum permissum fuerat, præfectus, cum admitti magna ambitione ægrè obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, muliebri habitu, cum mollitie corporis & oculorum lasciuia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali fœminæ tantum virorum iri subiectum, tractantesque ferrum & arma habentes parere, progressus ad socios, quid viderit, refert. Negat se ei parere posse, qui se fœminam mallet esse, quam virum. Fit ergo coniuratio. Qua ille audita, in aulam regiam se recepit. Vbi extructa incensaque pyra, & se & diuitias suas in incendium mittit. Hoc solo imitatus virum. Et præcedentium quidem regum robur à luxuria emollitum est, deinde per singulos quasi per gradus inualescente mollitia, in hoc tandem effœminatum, fractum, & comminutum est. Imperium fere Romanum exhaustum est, & diuulsum, Nerone imperante, cuius gula fere omnia deuorauit, maculauit libido, exhausit auaritia, fregit ignauia, luxuria cum superbia exinaniuit. Hic nullam vestem bis induit, vt vel in aliquo cæteris singulari gloria præluceret. Sed dum Roma permisit, totum orbem fecit inglorium. Quicquid aliorum quæsiuit industria, F huius inertia fere amisit.

Cap. XV.

Romanos in disciplina præ cæteris viguisse, & in eis Iulium Cæsarem floruisse præ cæteris.

SEd cum omnium gentium exempla reuoluo disciplina Romanorum præ cæteris lucet. Mesis quoque plurimum profuisse legitur disciplina, vt in paucitate sua finitimis superatis, cum Romanis ausi sint super imperio gentium dimicare. Quam feri autem extiterint, ex verbis eorum colligitur, quibus aduersus Romanos pugnaturis, vnus ducum ante aciem postulato silentio, Vos, inquit, qui estis? Responsum est, Romani gentium domini. Et ille: Ita fiet, inquit, si vos viceritis nos. Graui tandem conflictu pugnatum est, sed Romani vicerunt, & numero plures, & fortiores G viribus, & exercitatiores vsu; multis tamen amissis suorum, eo quod eis colluctatio fuerat aduersus populum disciplinaliter eruditum. Verum in tota re militari nihil vtilius, nihil clarius duce erudito. Nam virtus & industria ducis, efficaciam exercitus; sicut prouerbialiter dici solet, quasi altera lance compensat. Cæsareos triumphos duci potius, quam exercitui vetustas adscripsit. Vt enim Solinus ait, quantum Senicius aut Sergius inter milites, tantum inter duces, imo inter omnes homines Cæsar Dictator enituit. Huius ductibus * vndecies centum viginti & duo millia hostium cæsa, [† nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotari.] Signis collatis quinquagies & bis dimicauit. M. Marcellum solus supergressus, qui nouies & tricies pari modo fuerat præliatus. Ad hæc nullus celerius scripsit, nemo velocius legit, quaternas etiam epistolas perhibetur simul dictasse. Benignitate adeo præditus, vt quos armis subegerat, clementia magis vicerit.

* al. xlij. m. Minus annotauit.
† al. absunt.

H

Cap. XVI.

Quæ nostratibus mala proueniant ab indisciplinatione.

SEd quid maiorum virtutem replico, & reuoluo? Defecit ætas nostra, & fere ad nihilum redacta est, honoribus intumescit, honorum nesciens gradus, vanitate nominum delectatur, contempta rerum veritate & fructu. Aleator, anceps, quodque magis mirere, stulticines, & qui nunquam virilia tractauerunt, sed neque nota habuerunt officia, cum ad opera lasciuiæ pilo fruticante, cuteque indurata tanquam inhabiles reprobantur, militem induunt, primipilatum, ducatumque affectant, & se ductores & doctores pollicentur officij, quod nunquam didicerunt. Porro nullum vnquam imperium sic virtus dilatauit, cuius isti non sufficiant con-

trahere

A trahere fines aut omnino vires euacuare. Si mihi non credis, vel operibus crede. Pudet dicere, quod dolor est, & ignominia sustinere. Dum armata nobis militia stertit, dum alienam expugnant pudicitiam, suam prostituunt, dum nobilium circumeunt domos, conuiuia explorant, vt epulentur quotidie splendide, dum ampullas projiciunt, & sesquipedalia verba, sine cruore trucidantes Saracenos & Parthos, & si quid aliud hostili censetur nomine, dum hoc faciunt milites gloriosi, † Niuicollinus indomitus insolescit, inermes Britones intumescunt, ipsosque qui dicuntur Palatini comites, & regum sanguine gloriantur, fere ad deditionem compellunt, & quasi tributarios faciunt. Non est qui cum eis velit manum conserere, aut qui velit æquo Marte quid valeant experiri. Armati inermes ad campestria prouocant; sed inermes ad siluestria, quia de propria virtute diffidit, nemo nostrorum persequitur. Vtinam memoriter tenuissent, quid de Cisalpinis Romana narrat historia, cuius verba sunt hæc: Cisalpinorum incolis animi ferarum, corpora plusquam humana erant. Sed experimento deprehensum est, quia virtus eorum sicut primo impetu maior est quam virorum, ita sequens minor quam fœminarum est. Alpina enim corpora humente cœlo educata, habent aliquid simile niuibus suis, cum mox incaluerint pugna, statim in sudorem eunt, & leui motu quasi sole laxantur. Alibi quoque Alpinarum gentium feritas facile vel per mulieres ostenditur, quæ deficientibus telis, infantes suos afflictos humi in ora militum aduersa miserunt. Si essent plane qui impugnarent † Niuicollinos nostros, proculdubio vincerentur. Sed vt ait Amenrius, non est qui faciat facienda, quæ fere perfici vltronea fortuna compellit. Armatam prouinciam inermis imbellisque barbaries aggreditur, depopulatur & vastat, & qui domi suæ esurit, milite nostro cedente, de nostro satiatur, & in nostro facit luxuriæ diem festum. Nunquid enim nun cedit miles, qui non repellit hostem irruentem, imminentem? Si vero nec amor patriæ, nec rerum damna, nec salutis imminentis ab hoste dispendium, vel pudoris stimulus virtutem militiæ nostræ excitare debuerat, cui iam inermis & insolens Vvalensis insultat. Prouerbialiter dici solet, quia misera terra quam agaso vel mulio depopulatur. Quod si nulla exhortatione virili, nostri possunt milites ad virilia incitari, vel matres & vxores cedentium eos vrgeant ad virtutem. Nam aliquid tale in priscis historiis inuenitur. Cum enim irruentibus Medis, acies Persarum pulsata in fugam ageretur, & omnino deficiens, nec victorem respicere auderet, matres & vxores eorum passim obuiam fugientibus currunt, & mulierum densata acie orant in prælium reuertantur. Nolentibus sublata veste obscœna corporis ostendunt, rogantes num in vteros matrum & vxorum velint refugere. Hac repressi castigatione in prælium redeunt, & facta impressione, quos fugiebant, fugere compulerunt. Vtinam sic faciant vxores & matres nostrorum Mirchionum, dum quacunque occasione patriam seruent incolumem, & labem pudoris amoueant.

al. Nimicolinus. — al. Nimicolinos.

Cap. XVII.

Nobis à nostratibus esse exempla virtutum, & quas ciuitates in Italia condiderit Brennus secundum antiquas historias.

VErbum quod à nostris nunc quærimus, iampridem præterijt, & eousque maiorum nostrorum virtus manauit ad alios, vt plenitudo diuitis venæ à fonte videatur in riuulos defecisse. Neque enim à Romanis & Græcis tantum nobis sunt exempla virtutis; nam & domesticis abundamus. Tradunt historiæ Brennum ducem Senonum, qui exercitum Romanorum apud flumen † Alliam confecit, ipsam vrbem Romam irrupit, cepit, & cæsis patribus, & subacta Italia inuasit Græciam, vastans omnia, vniuersisque terribilis, vsque ad Delphici Apollinis templum, quod situm est in monte Parnasso, processit, ipsiusque Apollinis appetens spolia, scurriliter iocatus ait, Locupletes deos largiri hominibus oportere. Hunc, inquam, tradunt de maiori Britannia, quæ ab aduentu Saxonum in insulam, appellatur Anglia, oriundum. Apud Trogum Pompeium in vicesimo reperitur, quia Senones Galli commilitones Brenni, cum in Italiam venissent, Tuscos à suis sedibus expulerunt, in ea condiderunt vrbes egregias, Mediolanum, * Cornum, Brixiam, Veronam, † Bergamum, Tridentum atque Vincentiam. Nam quod vrbem Senensium senibus suis, & valetudinariis, armentariisque construxerint, non modo fides historiæ, sed celebris traditio est; ex eo quidem validior, quod Senenses & lineamentis membrorum, & venustate faciei, & coloris gratia, moribus quoque ipsis ad Gallos & Britones, a quibus originem contraxerunt, videntur accedere, licet vetustas eos temporis, orbis plaga, situs regionis, connictus finitimorum, quibus sanguine & moribus diu permixti sunt, ex magna parte mutauerit. Nondum tamen colorem Gallicum, candorem scilicet, hæc omnia ad vicinorum similitudinem exterminasse sufficiunt. Græci namque lac γάλα dicunt, vnde & γαλαξίας lacteus appellatur, & Galli quasi colore lactei, & Galatæ, qui quandoque dicti sunt Gallo græci, in finibus Græciæ, quos Gallorum militia occupauit. Mansit autem exercitus ille Brenno duce triumphator, & semper inuictus, donec insurgere ausus est in deos, ipsum Apollinis Delphici inuadens templum. Vbi cum incolæ Dei opem suppliciter implorarent, iuuenem supra humanum modum insignis pulchritudinis in delubri culmine conspexerunt. Auditus est etiam stridor arcus, & strepitus armorum. Subito etiam terræ motu pars montis abrupta, Gallorum strauit exercitum. Insecuta deinde tempestas est, quæ grandine & frigore saucios absumpsit. Dux ipse Brennus, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finiuit. Nec nuncat quemquam (vt dictum est) in templo visum esse Apollinem, ad ducis inuicti audaciam coercendam, delendumque exercitum, qui permittente Deo, exigentibus culpis hominum multas deleuerat nationes, cum certum sit aëreas potestates plurimum nequitiæ suæ exercere in illos, qui sanæ fidei expertes sunt, & veræ religionis ignari. Eis namque gratia subtrahitur, daturque malignis spiritibus licentia nocendi, cum nisi Domino permittente, omnino nocere non possint, nec si velint: & sicut Euangelico docetur testimonio, non impetrata licentia non audeant, aut queant irruere in gregem porcorum.

al. Albâ. — * Comum. † Vergomum.

Cap. XVIII.

Exempla recentium historiarum, & quomodo Rex Henricus II. tempestatem & procellas regis Stephani serenauerit, & pacauerit insulam.

ET quia Brenni historia alicui nimis forte remota videbitur ad monstrandam virtutem gentis, cui non natura, sed doctrina, exercitium, ars, & forte dux deest: accedo propius, & ea quæ fere sunt omnibus nota, compendioso sermone proponam. † Enudus quanta virtute Anglorum, Dacos Danosve fregerit, motusque compescuerit Noricorum, vel ex eo perspicuum est, quod ob egregiæ virtutis meritum, quam ibidem potenter & patenter exercuit Cantia nostra, primæ cohortis honorem, & primos congressus hostium, vsque in hodiernum diem in omnibus præliis obtinet. Prouincia quoque Seueriana, quæ moderno vsu & nomine ab incolis Vviltesira vocatur, eodem iure sibi vendicat cohortem subsidiariam, adiecta sibi Deuonia & Cornubia. Ad tempora nostra descendo: Rex Anglorum, qui Ruffus cognominatus est, armis quidem strenuus, sed parum religiosus, & qui per-

al. Giniâus.

A secutione sanctorum, & præcipue sancti Anselmi Cantuariensis, spiculum inuidiæ quo suffocatus est, in se visus est prouocasse, is inquam Cenomanum expugnauit, Comitem cepit, nec tamen dignatus est eum carcerali custodiæ mancipare, totique operi attestabitur in perpetuum mons Barbatus, aut si alio nomine censere malueris, dicatur mons barbarus aut barbarorum. Transeo ad successorem eius Henricum inclytum Regem, qui leo iustitiæ appellatus est, quem sicut publice notum est, non modo vrbes, sed & turres Galliæ timuerunt. Sed qualiter Regem Francorum commisso prælio fregerit & fugauerit, quia percelebre est, & victoriæ illius in vtroque regno qui publico prælio interfuerunt, plurimi testes extant, ne replicate notissima tædiosum sit, scienter prætereo. Normannorum ducem virum bellicosum, armis strenuum, qui Hierosolyma liberata redierat, sub vmbra nominis, quomodo ceperit alieni regni ingressus terminos, referre superuacaneum credo, **B** cum etiam iuniores eundem captum viderint in custodia publica, habita tamen æstimatione dignitatis & sanguinis. Testantur hoc Normannorum proceres, alij capti, alij incarcerati, alij exheredati, in hodiernum diem. Sed & sepulchrum captiui ducis apud nos est. Postremo, ne longe petantur exempla, nepos illius totius æui, si collatæ iam gratiæ virtutum in fine cohæserint merita, Rex optimus apud Britannias, Normannorum, & Aquitanorum dux felicissimus, & primus tam amplitudine rerum, quam splendore virtutum, quam strenuus, quam magnificus, quam prudens & modestus, ab ipsa, vt ita dicam, infantia fuerit, nec ipse liuor silere aut dissimulare potest, cum opera recentia, & manifesta sint, & à Britanniarum finibus, ad Hispaniæ limites, virtutis suæ protenderit & continuarit titulos.

Scilicet ingenium & rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendaque callet,
Et potis est nigrum vitio præfigere theta.

C Volens namque Deus gentis præuaricatricis punire malitiam, rupto fœdere quod iuramento procerum cum filia Leonis iustitiæ firmatum fuerat, nouorum permisit sublimari fauorem, & in regno alieno regnare hominem contemptorem boni & æqui, cuius consilium infatuatum est ab initio, cuius causa in iniquitate & perfidia fundata est, negligentem disciplinæ, vt eo non tam regnante, quam concutiente & collidente clerum & populum, prouocarentur omnes ad omnia. Mensura namque iuris vis erat. Inuadens ergo regnum, exheredauit, exclusit Dominum, pro quo si fides esset in homine, & decessorum meritis, & ex necessitate iuramenti sibi fuerat moriendum. Vicinas studuit corrumpere nationes, cum principibus matrimonia contraxit & amicitias, ne quo Dei beneficio paruulus, qui adhuc vagiebat in cunis, ad petitionem hereditatis posset accedere. Plurima quidem aduersus innocentiam machinabantur, sed in omnibus his mentita est iniquitas sibi. Eoque innuit, quia Deus verax est, quod fidem quam Deo suo, Dominoque terreno non seruauit, eam nequaquam reperit in **D** subiectis. Eadem namque mensura remensum est ei, qua ipse alijs præmensus fuerat: ac si omnes apud Ennium didicissent,

Neque dedi, neque do infideli cuiquam fidem.

Sed cum multa male, pauca bene, illud pessimè egit, quod in contemptum Dei, in † Christos eius, manus iniecit, non sine nota perfidiæ & perditionis, quam nefarij operis merito, contraxit apud omnes, vt ad curiam eius exinde nemo secure accederet. Non tamen solos, etsi primos ad perniciem sui cepit Episcopos, sed omnibus quos suspectos habuit, proditionis suæ tetendit insidias. At in captione Episcoporum initium malorum fuit, & ab ea die non defuit gladius lateri eius, & facta sunt semper nouissima hominis deteriora prioribus. Quid multa? In diebus eis multiplicata sunt mala in terra, vt si quis ea summatim recenseat, historiam Iosephi possint excedere. Veruntamen se illis pueri virtus opposuit, & ferè ante ætatem aut manus militare sic malignantium impetum fregit, vt Theodosio iuniore quem

al. Christianos.

E historiæ conferunt Alexandro † non inueniatur inferior. Nec mora, in primis adolescentiæ annis, impubes adhuc, militiam aggressus est, vultuque ferociori, & fortiori manu diuini auxilij, hostium corda concussit & fregit. Statimque insurrexerunt in eum Reges Francorum, & Anglorum, collectis viribus suis, & vtroque immanior hostis Eustachius ille sororius Regis Francorum, qui propriam agens causam, non tam patri, quam sibi, paternum diadema conseruare nitebatur. Et eos quidem non modò viriliter Neoptolemus noster sustinuit, sed ex maxima parte potenter superauit. Vnde tactus dolore cordis intrinsecus Eustachius, quem prædixi, quod in vita optimum fecit, rebus excessit humanis, quem lætantibus bonis, & publicæ fortunæ congratulantibus, quoniam hic flagellum aliud patriæ imminebat, luxerunt

al. addūt, quanquā dictu sit non esse, & vtinā nunquā.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne.

F Ne tamen obitus eius gloriæ ducis nostri quicquam detraheret, deditionem Craumersiæ, in cuius subsidium cum patre venerat in manu valida, & numero ampliori † viuus, armatus, militum instructus copia, sustinuit præsens & vidit. Dux autem consilio vnius præmonitus, inter castrum quod Rex munierat, & Regis copias, suum, sed longe minorem exercitum interiecit. Ne tamen hoc alienigenæ ascribant viribus suis, nostro præcipuè milite nitebatur. Ad hoc demum exigentibus culpis perductus est, qui regnum occupauerat, vt cogeretur exheredare filium, & duci cedere regni successionem, & totius regni proceres & militiam fidelitate præstita obligare. Transeo ad obsidionem † Chinonis, quia ibi Anglos & Normannos, quos iam multiplex confœderatio vniuit, præcipuos & magis strenuos in captione castri extitisse, nullus ignorat. Nam * si Leo de Nannero, & toto minoris Britanniæ, quamuis grandis prouincia sit, comitatu, qui rebellis esset in hodiernum diem, nisi robur gentis Anglorum esset formidini. **G** Hoc ipsum aut veritus aut amore & virtute allectus (incertum est enim) illustris Blesensium & Carnotensium comes castra, quæ pupillaris ætatis tempore amissa fuerant, ducatui Normannorum restituit. Longum est si inclyta gesta tanti principis enumerare contendam, quæ sicut omnes admirari necesse est, ita plene describere impossibile. Nec ego viribus meis arrogo, in quo si iuxta gratiæ cursum sibi diu successerint prospera, sudare poterunt Orosius, Egesippus, & Trogus. Cæterum adolescentiæ exitus aliquibus suspectus est, & vtinam frustra a bonis timeatur.

al. nimis.

al. Chinonum.

al. filio de Nannero.

Cap. XIX.

De honore militibus exhibendo, & modestia indicenda. & qui militiæ artem tradiderint, & generalia quædam præcepta eorum.

H QVid motor in commendatione gentis quam de natura constat esse laudabilem? B. Eugenius eam ad quæcunque vellet applicari, dixit esse idoneam, & præferendam alijs, nisi leuitas impediret. Sed sicuti Hannibal negabat posse vinci Romanos nisi in patria sua, ita & hæc dum peregrinatur inuincibilis est. Nam in sedibus suis facilius expugnatur. Hoc autem forte commune habent cum cæteris gentibus incolæ Britanniarum atque Italiæ. Si vero rectè fuerint instituti, & doctrinam exercitatione firmauerint, honorati incedant, habeantur patriæ defensores, niteant cultu, qui tamen viros deceat, nam cultus lasciuior nec in muliebri sexu vitio caret, aut nota. Crebro namque compertum est in bellis militiæ lasciuientē & splendidum apparatum, non tam ciuibus conferre victoriam, quam hostes inuitare ad prædam. Vnde & Hannibal, cum apud Regem Antiochum moraretur causa profugij, facetissimè cauillatus est, Rege ostentante exercitum insignibus aureis, & argenteis florentem, inducentem currus cum falcibus, &

cum

A cum turribus elephantos, & omnem æquitatum, frenis, ephippiis, monilibus ac phaleris præfulgentem. Cum ergo Rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus, gloriabundus Hannibalem aſpexiſſet, Putaſne, inquit, ſatis eſſe Romanis hæc omnia? Tunc Pœnus eludens ignauiam, imbelliamque militum eius precioſe armatorum, Plane, inquit, ſatis eſſe credo, etſi Romani auariſſimi ſint. Lepide quidem breuiter, & acerbè. Nam Rex de numero exercitus, & de æſtimanda æquiparatione quæſierat, & illum liquet reſpondiſſe de præda. Denique ſi Naſo à militia artis ſuæ arcet, & iubet eſſe procul iuuenes vt fœmina comptos, quis credat eos ad robuſtam militiam admittendos? Opifices artium ſingularum id rerum ſuarum præ cæteris ornant, à quibus ſe ſciunt præ cæteris honorari. Vnde liquet milites oportere armis, quam veſtibus nitidiores eſſe. Æneas a digitis gemmas ad enſem, Vitem ad pocula legitur tranſtuliſſe, Machabæos quoque conſtat, clypeos inauraſſe,
B & ex fulgore eorum fortitudinem gentium diſſipatam. Eos tamen credibile eſt veſte communi fuiſſe contentos. Nihil eſt quod minos deceat militem, quam cultus mollior, & deliciæ veſtium exquiſitæ, niſi forte cum Thraſone ad munitionem Thaidis expugnandam, Veneri deuouerit militiam ſuam, Marte contempto. Sordes quoque vitandæ ſunt, & mediocritati, quæ auree incedit tramite, iugiter inſiſtendum. Hoc autem volo ire perſuaſum noſtratibus, ſi exerceantur, virtutem non deeſſe, quæ tamen frequenter intercidit, ſi non diſciplina firmatur. Artem vero rei militaris, Lacedæmonij tradidiſſe dicuntur. Vnde & Hannibal Italiam petiturus, Lacedæmonium quæſiuit ductorem armatorum. Qui deſiderat pacem, præparet bellum. Qui victoriam cupit, diligenter imbuat militem. Qui ſecundos optat euentus, dimicet arte, non caſu. Nemo prouocare, nemo offendere audet, quem ſcit ſuperiorem fore, ſi pugnet. Athenienſes vnum præ cæteris mandaſſe militibus priſci loquuntur anna-
C les: Miles nondum emeritus exercitio & labori iugiter aſſueſcat. Nam hæc ſolent in caſtris ſanitatem, & in conflictu præſtare victoriam. Iidem etiam tradiderunt, quia in peditibus robur conſiſtit exercitus, & parumper aptum eſſe militiæ, qui niſi eques ſit, pugnare non nouit. Verumtamen nec exercetur, nec ad pugnam vocatur vtiliter, cui ſtipendia non procedunt. Si enim ſubtrahas alimenta, ubi miles obſequium negabit, aut fidem. Fames enim, vt dici ſolet, pugnat interius, & ſola hæc, quæ tutiſſima videntur, expugnat. Neſcit plebs ieiunia non timere. Si vero alimenta proceſſerint, nunc timore pœnæ, nunc præmiorum ſpe ad officium incitetur. Sint vbique campi ductores, & militarium exercitiorum magiſtri, & his ipſis æra proueniant, & videbis in breui gentem in id virtutis eſſe reductam, quo vigebat quando maximus Imperatorum Iulius Cæſar,

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

Sed & deliberationes caſtrenſes fictitiæ tamen frequen-
D tius agitentur, vt in his exercitatus miles cum vſus exegerit, quid maximè expediat, ſciat eligere. Si vero res fuerit ſeria, lateat militem, eo quod militare præceptum eſt, quid fieri debeat tractato cum multis, quid vero facturus ſis, cum paucis & fideliſſimis, vel potius ipſe tecum. Raro enim manet abſconditum, quod ad notitiam multitudinis venit. Militaria quoque præcepta & exempla ſtrenuorom iunioribus ſæpe referenda ſunt, vt his ad ſcientiam inſtruantur, illis accendantur & animentur ad virtutem. Nec tamen propoſitum meum eſt, militarem hic tradere artem, quæ quidem maxima eſt, & pernéceſſaria, & ſine qua (vt verbis Plutarchi vtar) mancus quilibet intelligitur principatus. Quam ſi quis ediſcere voluerit, adeat Catonem * Cenſorium, legat & illa quæ Cornel. Celſus, quæ Iulius † Hyginus, quæ Vegetius Renatus, cuius eo quod elegantiſſime rei militaris artem tradidit, licet exempla præſtrinxerit, plura inſerui, legat inquam, quæ iſti poſteris præſcribenda duxerunt. Hoc tamen in omnium artium vtilitate ver-

† Cenſo-rinum
† Iginius.

E ſatur, vt nequaquam præceptis exercitium deſit. Nam, ſicut ait Cicero, in vnamquamque rem dare præcepta facillimum eſt, ſed eam efficaciter exequi laborioſiſſimum. Quod vero in præceptis eloquentiæ ad Herennium ſcribens, de arte dicendi aſſeruit, eam ſcilicet inefficacem & inutilem eſſe ſine vſu & exercitatione dicendi, ad omnes artes arbitror transferendum, quatenus non firmantur vſu nec exercitio roborantur. Adeo quidem vt ſi artem vſumque diſſocies, vtilior ſit vſus expers artis, quam ars quæ ſui vſum non habet. Nam & Dauid in funda & lapide, quorum peritiam & vſum habebat, Allophylum ſtrauit, & in baculo ſuo aggredi auſus eſt virum cunctis terribilem, & bellatorem ab adoleſcentia ſua. Reiecitque loricam Regiam & arma, quibus exercitatus non fuerat, ratus eſſe omnia impedimento militiæ, quorum vſus exercitio non firmatur. Cæterum ſicut ars ſterilis eſt vſus ignara, ſic & vſus imperfectus eſt, qui ex arte non prouenit. Eſt ergo ſingulorum ini-
F tium à natura, qua reluctante, & (vt dici ſolet) inuita Minerua, nihil recte aggredimur. Progreſſus ab vſu, ab arte perfectio, ſi tamen iugi exercitatione fuerit ſolidata. Obtinet hoc in liberalibus artibus & mechanicis, aut ſi quæ ſunt, quarum nondum audierimus mentionem, vt ars infœcunda ſit ſine vſu, & vſus temerarius ſine arte. Militia ergo ſine arte iners eſt, inofficioſa ſine vſu. Quocirca qui miles eſſe voluerit, prædiſcat artem, eamque vſu & exercitio firmet, vt cum electus fuerit & militiæ ſacramento † aſcriptus reipublicæ, & ſibi vtiliter viuat, & non ſit, prout Plutarchus ait, manus manca. His enim verbis in inſtitutione Traiani nouiſſimè vſus eſt, cum à manibus prolapſus eſt ad pedes. Sequamur ergo eum, & ſicut ipſe ait, quaſi ſoccos pedibus faciamus, vt non offendantur ad lapidem obicemve alium, quem multiplex ingerit caſus.

al. aſtri-ctus.

Cap. XX.

G *Qui ſint pedes reipublicæ & de cura eis impendenda.*

PEdes quidem, qui humiliora exercent officia, appellantur, quorum obſequio reipublicæ membra per terram gradiuntur. In his quidem agricolarum ratio vertitur, qui terræ ſemper adhærent, ſiue in ſationalibus, in conſitiuis, ſiue in paſcuis, ſiue in floreis agitentur. His etiam aggregantur multæ ſpecies lanificij, arteſque mechanicæ, quæ in ligno, ferro, ære, metalliſque variis conſiſtunt, ſeruiles quoque obſecundationes, & multiplices victus acquirendi, vitæque ſuſtentandæ, aut rem familiarem amplificandi formæ; quæ nec ad præſidendi pertineot autoritatem, & vniuerſitati reipublicæ vſquequaque proficiunt. Hæc autem tot ſunt, vt reſpublica non octipedes cancros, ſed & centipodes pedum numeroſitate tranſcendat. Et quidem præ multitudine numerari non poſſunt, cum tamen non infinita ſint per naturam, ſed quia tam variæ figuræ ſunt, vt nullus vn-
H quam officiorum ſcriptor, in ſingulas ſpecies, eorum ſpecialia præcepta dederit. Veruntamen quod generale eſt omnibus & ſingulis procuratur, vt legis ſcilicet limites non excedant, & ad publicam vtilitatem omnia referantur. Debet autem obſequium inferiora ſuperioribus, quæ omnia eiſdem viciſſim debent neceſſarium ſubſidium prouidere. Vnde Plutarchus ea dicit in omnibus exequenda, quæ humilioribus, id eſt, multitudini proſunt. Nam paucitas ſemper pluribus cedit. Ea ergo cauſa inſtituti ſunt magiſtratus, vt à ſubditis iniuriæ propulſentur, ipſaque reſpublica quaſi illorum opificio calcietur. Eſt enim quaſi diſcalciata, quando iniuriis exponitur, quo nihil poteſt ignominioſius eſſe gerentibus magiſtratum. Afflictus namque populus, quaſi principis podagram arguit & conuincit. Tunc autem totius reipublicæ ſalus incolumis præclaraque erit, ſi ſuperiora membra ſe impendant inferioribus; & inferiora ſuperioribus pari iure reſpondeant, vt ſingula ſint quaſi aliorum adinuicem membra, & in eo ſibi quiſque maxime

credat

A credat esse consultum, in quo aliis vtilius nouerit esse prospectum.

Cap. XXI.

Rempublicam ad naturæ similitudinem ordinandam, & ordinem de apibus mutuandum.

SCripserunt de republica etsi diuerso modo, Cicero & Plato, cum alter qualis esse debeat differuerit, alter qualis fuerit à maioribus instituta. Hanc tamen vterque & institutæ, & instituendæ præscripsit formulam, vt vita ciuilis naturam imitetur, quam optimam viuendi ducem sæpisse nominamus. Alioquin, non modo inciuilis, sed potius bestialis & bruta rite censebitur. Quæ sit autem naturæ institutio, ipsa rationis experientia monstrare sufficit. Poëtarum doctissimus Maro, ad quem Plutarchus suum destinat Traianum, vt ciuilem vitam ab apibus mutuetur,

B *Admiranda canis leuium spectacula rerum,*
Sola communes natos consortia tecta
Vrbis habent, magnisque agitant sub legibus æuum.
Et patriam sola, & certos nouere penates,
Venturaque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.
Namque alia victu inuigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris, pars intra septa domorum,
Narcissi lachrymam & lentum de cortice gluten,
Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras, alia spem gentis adultos
Educunt fœtus, alia purissima mella
al. Sed lent. *† Stipant & liquido distendunt nectare cellas.*
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inque vicem speculantur aquas; & nubila cœli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto,
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Tum veluti lentis Cyclopes fulmina massis
C *Cum properant, alij taurinis follibus auras*
Accipiunt, redduntque: alij stridentia tingunt
al. Antrum. *Æra lacu, gemit impositis incudibus † Aetna.*
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter (si parua licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor vrget habendi,
Munere quemque suo, grandæuis oppida curæ
Et munire fauos, & Dædala fingere tecta.
At fessæ multa referunt se nocte minores
Crura thymo plenæ, pascuntur & arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamque crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.
Omnibus vna quies operum, labor omnibus vnus.
Mane ruunt portis, nusquam mora, rursus easdem
Vesper vbi è pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus mussantque oras & limina circum,
Post vbi iam thalamis se composuere, siletur
D *In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.*
Nec vero à stabulis pluuia impendente recedunt
Longius, aut credunt sese aduentantibus Euris,
Sed circum tutæ sub mœnibus vrbis aquantur,
Excursusque breues tentant, & sæpe lapillos,
Vt cymbæ instabiles fluctu iactante saburram,
Tollunt, his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipsæ foliis natos & suauibus herbis,
Ore legunt, ipsæ regem, paruosque Quirites
Sufficiunt, aulasque & cerea regna refigunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attriuere, vltroque animam sub fasce dederunt.
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamuis angusti terminus æui
Excipiat, neque enim plus septima ducitur æstas:
At genus immortale manet, multosque per annos
E *Stat fortuna Domus, & aui numerantur auorum.*
Præterea Regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec Populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant, rege incolumi mens omnibus vna est;
Amisso, rupere fidem, constructáque mella
Diripuere, ipsæ etiam crates soluere fauorum,
Ille operum custos, illum admirantur & omnes.
Circumstant strepitu denso, stipantque frequentes,
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Reipublicæ omnes autores percurre, rerum publicarum † resolue historias, vita ciuilis tibi rectius & elegantius nusquam occurret. (al. reuolue.) Essentque proculdubio beatæ ciuitates, si hanc sibi viuendi præscriberent formam.

Cap. XXII.

F *Quod sine prudentia & sollicitudine nullus magistratus subsistit incolumis, nec viget respublica cuius caput infirmatur.*

LOca quoque venerabilia si apum insistant vestigiis, via compendiosissima & expedita, proficiscuntur ad vitam. Vide apud Maronem fundamenta Carthaginis, & earum collatione beatæ vrbis auspicia poteris admirati. Omnium namque laborem communem agnosces, & neminem otiari, ipsamque reginam, cuius ope ciuitatis structura consurgit, etsi labori inferiorum manus suas nequaquam immisceat, oculos tamen impendit operi, & totius mentis exercet sollicitudinem. Nam sine prudentia & sollicitudine non modo respublica non procedit, sed nec minima consistit domus. Vnde in Commendatione Vlyxis Homerus ei comitem docet semper prudentiam affuisse, quam Ritu poëtico Mineruam nuncupauit. Imitator quoque illius Maro virum insignem armis & pietate describens, & quem dignum censuit, vt patrem faceret Romanorum, recte ei in gerendis omnibus Achatem sociauit, eo quod sollicitudo prudentiæ, G quæ gerenda sunt rectissime promouet, & viro circumspecto sic negotia sæpe procedunt, vt nullis insidiantium dolis præpediatur, & quasi visibilis via gerendorum non publicata, ad finem intentionis perueniat destinatum. Eleganter equidem, cum nec res militaris, nec pietatis opus sine sollicitudine & prudentia valeat exerceri. Fidelis vtique contractus est, cum sollicitudo prudentiæ sociatur, quia & ingenium perspicax retunditur otio, & sollicitudo non proficit, nisi diuitis venæ fundamento nitatur, Alterius sic altera poscit opem res, & coniurat amicè. Sed cuiuslibet rei quantumlibet recta initia non procedunt, Minerua recedente. Procedat tibi poeta Mantuanus, qui sub imagine fabularum totius philosophiæ exprimit veritatem. Attende ergo nouorum ciuium diligentiam:

Qualis apes æstate noua per florea rura
Exercet sub Sole labor, cum gentis adultos
H *Educunt fœtus, aut cum liquentia mella*
Stipant & liquido distendunt nectare cellas.
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto,
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Ita variis tenentur occupationibus ciues, & dum sic coluntur officia singulorum, vt vniuersitati prospiciatur, dum iustitia colitur, fines omnium mellea dulcedo perfundit. Veruntamen nullius reipublicæ est diutina felicitas, nisi vniuersitati prospiciat caput incolume. Quod si non noueras, vel Didonis docearis exemplo. Quanta enim leuitate Æneas admittitur, quantam cito inuenit gratiam homo ignotus, exul, fugitiuus, cuius causa ignota est persona suspecta Quanta curiositate exceptæ sunt ab auribus principum fabulosæ narrationes hominis suam euacuantis culpam, propriam quærentis gloriam, & id captantis vnde posset auditorum subuertere mentes. Procedunt ergo ad introitum hominis sermones blandi, illecebræ laudum conciliant hospitij gra-

tiam

A tiam, conuiuinm accuratius instruit omnium captata sedulitas, fabulæ sequuntur conuiuia, venaodi multiplicisque lnxuriæ leuitas comitatur incestum. Pariunt hæc, incendium, desolationem ciuium, & perperuæ bostilitatis prorogant causas. Hic finis fœminei & effœminati regni, quod licet virtutis habuerit fundamentum, succedentibus prosperis minime potuit inuenire processum. Leuiter admissus est, qui quamuis ex pietatis officio vt hospes non fuerat exclidendus, oportunius tameo fuerat eum vt aduenam, non quasi iudicem inttoire.

C a p. XXIII.

Leuitatem sicut loquendi, ita audiendi vitandam, & quod finis voluptatis, pœnitentia est.

B OMnia, inquit, fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Ptæterea sicut principem leuia ptoferte non decet, sic nec facilem quidem esse ad leuia audienda. Ait enim sapientia princeps qui libenter hudit verba mendacij, omnes ministros habet impios. Confabulationibus & conuiuiis se toris viribus immiscet Venus, cuius qui prima missilia libenter admittit, quin posterioribus grauius vulneretur, vix euadit.

Visus & alloquium, contactus & oscula, factum,

sicut se præcedunt ordine, ita & ex necessitate doloris, inferunt partum. Voluptatis siquidem finis, pœnitentia est. Si mihi non eredis, vel Demostheni crede, qui satis vrbanè hoc Laidi dicitur respoodisse. Hæc autem Lais Corinthia ob elegantiam venustatemque formæ grandem pecuniam demerebat. Conuentusque ad eam diuersorum hominum ex omni Græcia Celebres erant, nec admittebat, nisi qui dabat quæ poscebantur. Poscebat autem illa nimium quantum. Hinc natum est frequens illud prouetbium apud Græcos. Frustra quis Corinthum tendit ad Laidem, nisi queat, aut velit dare, C quæ poscitur. Ad hanc ille Demosthenes clanculo adit, & vt copiam sui faceret, petit. At Lais hoc quantum poposcit, quod nostratis nummi denatium faciat decies mille, æquaturque medietati talenti maioris, quod nostratis denarij viginti millia claudit. Tali petulantia mulieris atque pecuniæ magnitudine ictus, expauidusque Demosthenes, auertitur, & discedens, Ego, inquit, pœnitere tanti non emo. Visne proximiora? Nosti quis dixerit, quia habet hoc volnptas omnis, stimulis agit furentes, apeumque par volantium vbi grata mella fudit, fugit & nimis tenaci ferit icta corda morsu. Initiá namque cupidinis, dulcia sunt super mel & fauum. At nouissima eius quouis absinthio amariora sunt. Quis est enim finis confabulationis conuiuiorum, & expletæ libidinis, nisi pyra incensa, & quæ in omnes ciues desulationis incendia spargit?

C a p. XXIV.

D *Vitia potestatum ferenda sunt, eo quod in eis auspicia publicæ salutis constant, & quod dispensatores salutis sunt, sicut stomachus in corpore animali nutritiua dispertit, & hoc ex sententia Domini Adriani Papæ.*

VAde, inquit Salomon, ad formicam, ô piger, vt ptouidentia habeatur. At Philosophus virum politicum mittit ad apes, vt ab illis suum discat officium, cui si Tyrij acquieuissent, nequaquam luxuriæ indulsissent, & de gentis perpetua incolumitate gauderent. Sed quia vitium in muliere domina radicauit, effœminati ciues subduxerunt colla virtuti. Porro etsi in officio virtutum sit remissior principatus, colendus tamen est: & sicut apes in humeris regem suum attollunt, ita subiecti, quos pedes & membra prædiximus esse, dummodo vitiis perniciosus non sit, omnimodum exhibeant famulatum. Nam & si laboret vitiis, ferendus est tanquam in quo salutis auspicia prouincialibus E extant.

Rege incolumi mens omnibus vna;
Amisso, rupere fidem,

Illyrici & Thraces quotidiano exercitio indurati gloria bellicæ laudis fioitimos Macedones terrebant qui prælio pulsi rege suo regis defuncti filio in cunis prolato, & pone aciem posito, acrius certamen repetiere, tanquam ideo victi fuissent, quod bellantibus defuerant auspicia regis sui victores futuri, vel propterea quod ex superstitione vel fide animum vincendi ceperant. Nam & miseratio infantis eos tenebat; quoniam si victi essent, captiuum de rege facere videbantur. Conserto itaque prælio, magna cæde Illyricos fuderunt, ostendentibus hostibus suis priore bello Regem, non virtutem Macedonibus defuisse. Quanti ergo esse debet iam prouectus ætate & dignitate, si tanti habetur vtroque prouehendus? Licet autem duriuscule videatur tractare populum, tamen autoritas dignitatis, & officij vtilitas F debent prouincialium animos irrigare. Memini me causa visitandi Dominum Adrianuo Pontificem quartum, qui me in vlteriorem familiaritatem admiserat, profectum in Apuliam, mansique cum eo Beneuenti ferme tres menses. Cum itaque vt fieri solet, inter amicos, sæpe plurimis conferremus, & ipse quid de se & Ecclesia Romana sentirent homines, à me familiarius & diligentius quæreret: ego apud eum vsus spiritus libertate, mala, quæ in diuersis prouinciis audieraio, patenter exposui. Sicut eoim dicebatur à multis Romana Ecclesia, quæ mater omnium Ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis quam nouercam. Sedent in ea Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia io humeris hominum, quæ digito noo cootinguot. Dominantur io clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretiosam supellectilem congerunt, auro & argento onerant mensas, sibi etiam ab auaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quam vana gloria introducit. G Concutiont Ecclesias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Ecclesiarum lætantur spoliis, & quæstum omnem reputant pietatem. Iustitiam non tam veritati, quam precio reddunt. Omnia namque cum precio hodie, sed nec cras, aliquid sine pretio obtinebis. Nocent sæpius, & in eo dæmones imitantur, quod tunc prodesse putantur cum nocere desistunt, exceptis paucis, qui oomen & officium pastoris implent. Sed & ipse Romanus Pontifex omnibus grauis, & fere intolerabilis est. Præterea omnes arguuntur, quod ruentibus & collabentibus Ecclesiis, quas patrum construxit deuotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipse non modo purpuratus, sed deauratus incedit. Palatia splendent sacerdotum, & in manibus eorum Christi sordidatur Ecclesia. Prouinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare. Sed recte cum eis agit altissimus, quoniam & ipsi aliis, & sæpe vilissimis hominibus dati sunt in direptionem. Et vt opinor, dum H sic in inuio errauerint, nunquam deerit eis flagellum Domini. Os siquidem Domini locutum est, quia quo iudicio iudicauerint, iudicabuntur, & sua mensura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non nouit. Hæc, inquam, pater loquitur populus, quandoquidem vis vt illius tibi sententias proferam. Et, tu, inquit, quid sentis? Angustiæ inquam sunt vndique. Vereor enim ne meodacij vel adulationis contraham notam, si solus populo contradixero. Sin autem reatum vereor maiestatis, ne tanquam qui os meum in cœlum posuerim, crucem videar meruisse. Veruntamen quia Guido Clemens Sanctæ Poteotianæ Presbyter Cardinalis populo testimonium perbibet, ei vsquequaque contradicere non præsumo. Asserit enim in Romana Ecclesia quandam duplicitatis esse radicem, & fomentum auaritiæ, quæ caput & radix est omnium malorum. Neque id quidem in angulo, sed considentibus fratribus, sancto Eugenio præsidente, quando aduersus innocentiam meam Feren-

A tini gratis excanduerant hoc publice protestatus est. Vnum tamen audacter conscientia teste profiteor, quia nusquam honestiores clericos vidi, quam in Ecclesia Romana, aut qui magis auaritiam detestentur. Quis Bernardi Redonensis, sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconi Cardinalis continentiam, contemptumque pecuniæ non miretur: Nondum natus est a quo munus acceperit. Quod tamen a communione fratrum sinceriore iure proueniebat, interdum accipere persuasus est. Quis non stupeat Episcopum Prænestinum, qui scrupulum conscientiæ metuens & à participatione bonorum communium abstinebat? Plurium tanta modestia, tanta grauitas est, vt Fabricio non inmittantur inferiores, quem agnita salutis via, modis omnibus antecedunt. Quia ergo instas, vrges, præcipis, cum certum sit quod Spiritui sancto mentiri non licet, fateor, quia quod præcipis, faciendum est, etsi non sitis omnibus operibus imitandi. Nam qui à doctrina vestra dissentit, aut hæ-
B reticus, aut schismaticus est. Sed Deo propitio, sunt qui non omnium vestrum opera imitentur. Paucorum ergo labes sinceris maculam, & vniuersali Ecclesiæ ingerit. Et in ea opinione, frequentius moriuntur, ne totam corrumpant Ecclesiam. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur, & quia Roma corrupta apud Deum, his reperitur indigna. Tu ergo quia id habes officij, quære & infere humiles vanæ gloriæ & pecuniæ contemptores. Sed timeo ne dum pergis quærere quæ vis, ab impudente amico audias quæ non vis. Quid est pater quod aliorum discutis vitam, & te ipsum minime perscrutaris; Omnes applaudunt tibi, pater omnium vocaris & Dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo pater es, quare a filiis munera & retributiones expectas? Si Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repressa, eos ad fidem non reuocas? At vrbem vis Ecclesiæ tuis muneribus conseruare. Nunquid eam sic Silvester muneribus acquisiuit? In immo pater es, & non
C in via. Eisdem est conseruanda muneribus, quibus est acquisita. Quod gratis accepisti, gratis dato. Iustitia regina virturum est, & erubescit quouis precio permutari. Si gratiosa futura est, sit gratuita. Nequaquam prostituatur ad pretium, quæ corrumpi non potest. Integra est, & semper incorrupta. Dum premis alios, & tu grauius opprimeris. Risit Pontifex, & tantæ congratulatus est libertati, præcipiens vt quotiens sinistrum aliquid de ipso meis auribus insonaret, hoc ei sine mora nunciarem. Et cum plurima nunc pro se, nunc contra se respondisset, apologum huiusmodi mihi proposuit. Ait ergo, Accidit vt aduersus stomachum membra omnia totius corporis conspirarent, tanquam aduersus eum qui voracitate sua labores omnium exhauriret. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu, laboribus insistunt manus pedes ab itinere callum induunt, ipsaque lingua vtiliter sermonē & silentium moderatur. Omnia denique membra publicis inuigilant commodis, & in tanta sollicitudine omnium & labore, solus quiescit venter, & cum
D omnia parata fuerint quæ labor multiplex acquisiuit, solus omnia deuorat & consumit. Quid multa condixerunt vt à laboribus abstinerent, & graui inedia conficerent illum inertem & publicum hostem. Exacta est sic vna dies, secuta est altera tædiosior. Tertia adeo perniciosa fuit, vt fere omnibus defectum indiceret. Vrgente itaque necessitate, fratres iterum in vnum conuenerunt, acturi de salute sua, & hostis publici statu. Cum vero omnes assisterent, oculi languerunt, pes molem corporis non erexit, torpebant brachia, sed & ipsa lingua iners & deficienti palato sociata, causam communem exponere non præsumpsit. Ad cordis ergo consilium omnia redierunt, ibique habita deliberatione, ratio patefecit, quoniam hæc mala ingerebat, qui ante denunciatus fuerat publicus hostis. Ex quo enim ei tributa subtracta sunt, & ipse quasi publicus dispensator, omnibus alimenta subduxit. Et quia nemo potest sine stipendiis militare, cum stipendia non procedunt, debilitatur & frangitur miles. Sed nec in dispensatorem pote-

E rat culpa refundi, qui quod non acceperat, minime potuerit aliis erogare. Longéque tutius esse, vt ei quod distribuat ministretur, quam illo euacuato omnia membra esuriant. Factumque est ita: suadente ratione impletus est venter, refocillata membra, & pax omnium reformata. Absolutus est itaque stomachus, qui licet vorax sit, & auidus alieni, non sibi tamen petit, sed aliis, quæ eo exinanito nequeunt sustentari. Tale est inquit frater si recte attendas in corpore reipublicæ, vbi licet plurimum appetat magistratus, non tam sibi quam aliis coacervat. Si enim exinanitus fuerit, nihil est quod membris valeat impartiri. Nam stomachi in corpore, & principis in republ. idem officium est, iuxta illud Q. Sereni.

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Huius enim validus firmat tenor omnia membra.
At contra eiusdem franguntur cuncta dolore.
F *Quin etiam nisi cura iuuet, vitiare cerebrum*
Fertur, & integros illinc auertere sensus.

Noli ergo neque nostrum, neque secularium principum duritiam metiri, sed omnium vtilitatem attende.

Cap. XXV.

De cohærentia capitis & membrorum reipublicæ: & quod princeps quadam imago deitatis est, & de crimine majestatis, & de his quæ sunt in fidelitate seruanda.

MIhi vero satisfactum est, & persuasus sum deuotos humeros supponere potestati; nec modo fero eam; sed grata est, dum Deo subiecta est, & illius ordinem sequitur. Alioquin si diuinis reluctetur mandatis, & me Theomachiæ suæ velit esse participem, libera voce respondeo, Deum cuiuis homini præferendum. Sic ergo cohæreant inferiora superioribus, sic vniuersa mem-
G bra se subjiciant capiti, vt religio seruetur incolumis. Rem politicam legitur Socrates instituisse, & in eam dedisse præcepta, quæ à sinceritate sapientiæ, quasi quodam fonte naturæ manare dicuntur. Hoc autem in summa colligitur, vt quæ in republica humiliora sunt, maiorum officio diligentius conseruentur. Institutionem Trajani, cuius mentio superius facta est, diligentius relege & hæc latius conscripta inuenies. Nobis autem hæc de vnitate capitis & membrorum ad præsens dixisse sufficiat, hoc adiecto quod præmisimus, quod læsio capitis, vt prædiximus, ad omnia membra refertur, & cuiusque membri vulnus iniuste irrogatum, ad capitis spectat iniuriam. Cæterum quod aduersus caput aut vniuersitatem membrorum dolo malo malitia præsumit, crimen est grauissimum, & proximum sacrilegio: quia sicut illud Deum attentat, ita & istud principem, quem constat esse in terris quandam imaginem dei-
H tatis. Et ex eo quidem majestatis dicitur crimen, quod persequitur illius imaginem, qui solus sicut illustris Comes Legecestriæ Robertus modeste proconsulatum gerens apud Britannias, dicere consueuit, veræ & ingenuæ maiestatis retinet veritatem. Pota cum quis aduersus principis securitatem, aut populi, quid molitur, siue per se, siue per alium. In huius autem persecutione omnibus æqua conditio est: & plerumque fit, vt nec mortis beneficio, in his etiam quos nemo conuenit in vita, liberentur. Sed conuictis mortuis illorum damnatur memoria, & bona successoribus auferentur. Nam ex quo sceleratissimum quis consilium cepit, exinde quodammodo sua mente punitus est. Ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manu mittere posse constat, nec ei soluere iure debitorem. Famosi quoque qui alias ius accusandi non habent, sine vlla dubitatione hic admittuntur; sed & milites, qui alias causas defendere non possunt. Nam qui pro pace excubant, magis magisque ad hanc accusationem admittendi sunt. Serui quoque Dominos licenter deferunt, & li-

berti

A berti patronos. Hoc tamen crimen à iudicibus non in occasionem ob principalis maiestatis venerationem habendum est, sed in veritate. Nam & spectanda est persona an potuerit facere, & an fecerit, an cogitauerit, & an antequam hoc præsumpserit, sanæ mentis fuerit, nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum est: quanquam enim temerarij pœna sunt digni, tamen & illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex scriptura legis descendat, vel quod ad exemplum legis vindicandum est. Audiuntur & mulieres in læsæ maiestatis quæstione. Nam coniurationem Sergij Catilinæ Iulia mulier detexit, & M. Tullium consulem in iudicium eius instruxit. Tormentis quidem subdendi sunt, si hoc ratio necessitatis, aut vtilitatis inducat, qui criminis eius rei esse creduntur, cum illis quorum consilio atque instinctu ad accusationem visi sunt accessisse, vt ab omnibus commissis consciis vindicta possit instituta reportari. Sunt autem plurima, quæ maiestatis informant crimen, vt si de morte principis tractetur, B aut magistratuum, aut arma quis contra patriam tulerit, aut relicto principe de publico bello profugerit, aut concitatum in seditionem aduersus rempublicam sollicitauerit populum, cuiusue opera, doloue malo, hostes populi, reique publicæ; commeatu, armis, telis, pecunia, quaue alia re adiuuantur, vel ex amicis hostes reipublicæ fiunt, cuiusve dolo malo opera factum erit, quo magis obsides, pecunia dentur aduersus rempublicam, quo minus etiam gens extraneæ regionis reipublicæ obtemperet, fecerit. Item qui confessum in iudicio reum, & propter hoc in vincula coniectum emiserit, & in hunc modum plurima, quæ longum aut impossibile est enarrare. Sed quia formam fidelitatis in eo præ cæteris seruari oportet, pauca sunt ex quibus quid non liceat, commodissimè colligi potest. Necessarij namque contrarium, impossibile est, & ei quod oportet fieri, sola illicita contradicunt. Exigit autem fidelitatis forma, quæ necessario fidei sunt in serta, incolume, tutum, honestum, vtile, facile, pos- C sibile. Ne cui fidelitate tenemur adstricti, incolumitatem lædamus corporis, aut munitiones quibus tutus est detrahamus, aut præsumamus committere, vnde honor aut illius vtilitas minuatur, sed neque id quod facile est difficile, fieri licet; aut quod possibile est, impossibile. Præterea qui beneficium ab eo, cuius fidelis est, possidet, gerendis eius auxilium & consilium debet. Vnde quantum omnium Domino debeatur, sole clarius lucet, si tantum debetur his, quibus sola fidelitate tenemur astricti. Sed & pœna huius criminis est tanta, vt non facile crediderim, nec à Dominis insularum, qui frequentius tyrannidem inducunt, seuerius quippiam excogitari posse. Et ne à tyrannorum sæuitia pœnæ seueritas processisse credatur ipsius modestissimi viri verba pro parte posuimus. Ait ergo; Quisquis cum militibus, vel cum priuatis, vel barbaris etiam scelestam inierit factionem, aut facinoris ipsius susceperit sacramentum, vel dederit, de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis & consistorio nostro intersunt, D Senatorum etiam; nam & ipsi pars corporis nostri sunt, vel cuiuslibet, postremo qui nobis militat, cogitauerit, eadem enim seueritate voluntatem sceleris, quam effectum puniri iura voluerunt. Ipse quidem vt maiestatis reus gladio feriatur, omnibus bonis eius fisco nostro addictis. Filij vero eius quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus; paterno enim debent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarij criminis exempla metiuntur, à materna vel auia, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant. Sint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos semper paterna comitetur. Ad nullos vnquam honores, ad nulla prorsus sacramenta perueniant. Sint postremo tales, vt his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vita supplicium. Denique iubemus etiam eos notabiles esse sine venia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint. Ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tamen ex E bonis matris, † siue testatæ, siue intestatæ, volumus peruenire, vt habeant potius mediocrem filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum & nomen heredis. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus, minus ausuras esse confidimus. Vxores sane prædictorum recuperata dote, si in ea conditione fuerint, vt quæ à viris titulo donationis acceperunt, filiis debeant reseruare, tempore quo vsusfructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ iuxta legem filiis debeantur. Falcidia etiam ex his rebus filiabus tantum, non etiam filiis deputetur. Id quod de prædictis, eorumque filiis cauimus, etiam de satellitibus consciis ac ministris filiisque eorum simili seueritate censemus. Sane si quis ex his in exordio initæ factionis, studio veræ laudis accensus, ipse prodiderit factionem, & præmio à nobis & honore donabitur. Is vero qui vsus fuerit factione, si F tamen incognita ad hæc consiliorum arcana patefecerit, absolutione tamen & venia dignus habebitur.

al. testata siue intestata defecerit.

Cap. XVII.

Quod vitia ferenda sunt, aut tollenda, & à flagitiis distant, & generalia quædam præcepta de officio principis; & breuis epilogus quanta sit reuerentia ei exhibenda.

HÆc quidem pauca de multis excerpta, de sincera vena iuris, præsenti opusculo curaui inserere, quo & iuris ignari, à maiestatis crimine seipsos longius amouerent his inspectis, & ne quisquam meipsum calumnietur in aliquo aduersus autoritatem principis quippiam præsumpsisse. Dici solet, quia sine læsione vnguium, non facile remouetur robur à fuhere, sed multo æquius & citius læditur, quisquis obsequium membrorum seiungit a capite. Vigeat semper G excellentia capitis, quia in eo totius corporis consistit salus. Varro in Satyra quæ Menippæa inscribitur, & de officio matrimonij instituta est, ait Vitium coniugis aut tollendum est, aut ferendum. Qui tollit vitium, commodiorem coniugem præstat; qui fert, seipsum efficit meliorem. Sic principis & subiectorum vitia, aut ferenda sunt, aut tollenda. Horum quippe confœderatio affectum coniugis æquat, aut præcedit. Sed & ipsa Varronis verba, ferre & tollere, lepide quidem composita sunt. Apparet autem quia tollendi nomen, correctionis est nota. Constat equidem eius esse sententiam, vt feratur, quod tolli non potest. Hoc tamen fidelis adjicit interpretatio, vt vitium intelligatur, quod honestè ferri potest, & religione incolumi. Vitia enim flagitiis leuiora sunt, & sunt nonnulla quæ non ferri licet, aut quæ fideliter ferri non possunt. Ex causa fornicationis licenter diuertit coniunx à coniuge, & plerumque patronus est turpitudinis, qui crimen celat vxoris. Inde est forte; Qui adulteram retinet, stultus & impius est. H Hæc autem in mœchia corporali & spirituali, quoad aliquid æque obtinent, etsi deterior sit spiritualis, & studiosius declinanda. Similiter & in membrorum compagine, ferendi aut tollendi Varronis est regula admittenda. Nam quin membra curari oporteat, nemo ambigit, siue in fomento olei, siue in austeritate vini, quod Samaritanus infundit vulnerato, procedat cura. Quod autem tollenda sint, ex eo liquet quod scriptum est; Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Hoc in membris omnibus principi arbitror obseruandum, vt non modo euantur, abscindantur, & procul eiiciantur, si fidei aut publicæ saluti dentur in scandalum, sed ita conterantur, vt in exterminio vnius, vniuersorum incolumitas procuretur. Cui inquam parcet, qui etiam in oculos suos sæuire præcipitur. Vtique nec auris, nec lingua, aut si quid aliud in corpore reipublicæ degit, securum est,

A est, si insurgat in animam, ob gratiam cuius ipsi oculi effodiuntur. Cum autem Deus offenditur abusu criminum, aut Ecclesia conculcatur, totius animæ periclitatur salus. Quod ita alienum est ab officio principis, vt quotiens ista proueniunt in republica, aut omnino non sentire credatur princeps, aut dormire, aut in diuersorio esse. Sol eminet vniuersis, vt cuncta videat, & diiudicet vniuersa, Solem alterum, principem esse credo. Recte vtique facit, cum

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcet,

qui alocaria spoliant, & quicquid dulce est, ebibunt, aut asportant. Recte facit cum Ecclesiæ promouet culmen cum religionis dilatat cultum, cum superbos humiliat, & exaltat humiles, munificus in egenos, in copiosos frugalior; cum virtutes præmio, & vitia æqua pœnarum lance remunerat, cum iustitia vsquequaque ambulat ante eum, & ponit in via prudentiæ aliarumque virtutum gressus suos. Equidem

B *Sic petitur cælum, non vt ferat Ossan Olympus,*
Summaque Peliacus sidera tangat apex.

Inquit sapientia: Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris. Eoque spectat sapientis edictum, vt quisque non humiliatur in facie principis, merito confusione obductus, gloria quam vsurpauit, dignus est spoliari. Honorum siquidem distributor est, & dum recte ministrat principatum, penes eum est perpetua dispensatio munerum. Recte quidem ministrat, cum eo præsidente, lætantur populi, & in regno æquitatis totius terræ latitudo exultat. Perpetuam, inquam, quia vt scriptum est, rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. Quis ergo honorem detrahat ei, quem audit à Domino perpetuo munere honoratum? Plane in insensibilem principis statuam quicquam præsumere, quandoque crimen extitit maiestatis, & morte acerbissima, prout veteribus placuit, puniendum. Quis ergo imaginem Dei, qui est princeps, malitia præsumente impune offendit? Proinde C consiliosissimum est illud sapientis: In cogitatione tua regi non detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annunciabunt sententiam. Nunquid ergo quicquam licebit in opere, aut verbo, cum & ipsa cogitatio, cubiculique secretum, & sententia cordis arceatur, ne quid moliatur, aut concipiat aduersus principem?

Cap. XXVIII.

Quod Gnathonici peruertunt, nec vera fateri patiuntur, & quod eis exemplo Marsia corium detrahendum est, si sapiant diuites: & quod calumniatores pauperum Deus ipse persequitur.

Cæterum si Gnathoni creditur, quisquis non arridet diuitibus, etiam cum malefecerint, aut non applaudit in pessimis eorum, videtur aut inuidere fortunæ, aut officio non differre. Nam apud Gnathonicos D veritatis eloquium, crimen est maiestatis. Impetrata tamen venia, vnum pro membris in auditu capitis infero, non ego, sed spiritus sapientiæ, spiritus veritatis, spiritus sanctus, qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Non equidem exaudietur à capite suo, quoniam caput eius Christus est, & in Christo Deus, & Deus Christus, qui liberat pauperem à potente, & confringit omnia inrumentia regna terrarum, lapis præcisus de monte sine manibus, eripiens inopem de manu fortiorum eius; egenum, & pauperem à diripientibus eum. Si ergo quisquam, quicunque sit ille, insurgit in eos, quorum patronus imo pater est Christus, proculdubio in seipsum prouocat lapidem, quo irruente comminuta est statua, quam vidit Nabuchodonosor, quæ regnorum varij splendoris & roboris seriem figurabat. Nec proficit in tortura pauperum, multiplicate vota, & quasi

E Deus muneribus corrumpi queat, cum simulatis potius, quam veris ab impœnitente eleemosynis attentare, cum sapientia protestatur, quia ruina est homini † deuorare sanctos, & post vota retractare. Et illud: Hostiæ impiorum abominabiles Domino, quia offeruntur ex scelere: & qui offert sacrificium de rapina pauperis, quasi filium immolat patri. Nec mihi imputetur, si de manu eorum fraternus sanguis exquiritur, aut operum suorum reportant præmia in eadem mensura quam ipsi intulerunt: quoniam non ego, sed altissimus dicit & facit hæc omnia. Ego quidem non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis arbitror seruiendum in omni humilitate & reuerentia, fideliter tamen & in cultu potestatis Domini venerandum, à quo est instituta. Vnde & Hebræi præcipiuntur orare pro Babylonis, quia in pace principum, quies est populorum, & Christus ipse Cæsari tributa à fidelibus censuit esse soluenda. Omnia tamen peruertit Gnatho, & F eo iudice veri professio, maiestatis crimini coæquatur, dignus plane cui alumnus Apollinis, id est, sapientiæ cultor, pellem detrahat, exemplo Marsiæ, qui contendit.

† al. deuastare.

Phœbum superare canendo.

victus indumento naturæ spoliatur. Eum namque adulatorum factio imitatur, & infœlicem Satyrum implet, dum numina sua (fortunatos loquor) vanis laudibus velut instrumentis musicis, non tam superare molitur, quam excæcare. Semper quidem iuuenescit in vitio, quæ nunquam grauitate sensuum maturatur, leuis, lasciua, loquax, & quæ ad omnem auram, quauis arundine citius agitatur.

Cap. XXVII.

Autoritate Socraticorum quando quis de suo commendatur, & quando aliena sit laudatio.

G Et licet hi tibicines vanitatis aliorum supplantationi semper insistant, vt in commendatione illius, quod maxime suum cuiusque est, aut rarius aucupantur, aut minus. Tunc enim quisque maxime, & de suo commendatur, cum ad sapientiæ laudes lingua prædicantis accedit. Cætera namque omnia aliena sunt. Suum cuiusque quod sapit. Suum inquam, non tamen à se, sed ab eo, cuius munus est quicquid laudem meretur in homine. Et hic quidem non meus est sermo, sed quem omnium sapientum cœtus concelebrat, & quem in libro, qui inscribitur de Deo Socratis, facile est inuenire. Cuius verba propter elegantiam sensuum, & orationis lepidam venustatem, curaui inserere, vt his quæ scribuntur, promptius adhibeatur fides, cum de purissimo fonte maiorum eadem profluxisse constiterit. Ait itaque Apuleius: Nihil æque miror, quam cum omnes & cupiant optime viuere, & sciant non alia re viui quam animo, nec fieri posse, quin vt optime viuas, H animus colendus sit; tamen homines animum suum non colant. At si quis velit acriter cernere, oculi curandi sunt quibus cernitur. Si velis perniciter currere, pedes curandi sunt, quibus curritur. Itidem si pugillare valide velis, brachia vegetanda sunt, quibus pugillatur. Similiter in omnibus cæteris membris sua cuique cura pro studio est. Quod enim facile omnes perspiciant, nequeo satis mecum reputare, & proinde vt res est admirari, cur non etiam animum suum ratione excolant. Quæ quidem ratio viuendi, omnibus æque necessaria est. Non ratio pingendi, nec ratio psallendi, quas quiuis bonus sine vlla animi vituperatione, sine turpitudine, sine labore contempserit. Nescio vt Ismenias tibiis canere, sed non pudet me tibicinem non esse. Nescio vt Apelles coloribus pingere, sed non pudet me non esse significum. Et idem in cæteris artibus, si omnes persequar, licet tibi nescire, nec pudet. Enimuero dic sodes nescio bene viuere vt Socrates, vt

Plato,

Plato, vt Pythagoras vixerunt, nec pudet me nescire bene viuere. Nunquam hoc dicere audebis. Sed in primis mirandum est, quod ea quæ minime volunt nescire, discere tamen negligunt, & eiusdem artis simul disciplinam & ignorantiam detrectant. Igitur quotidiana eorum æra dispungas, & inuenies in rationibus multa prodige profuga, & in semet nihil, in sui dico Dæmonis cultum, qui cultus non aliud quam Philosophiæ sacramentum est. Plane quidam villas opipate extruunt, & domos ditissime exornant, & familias numerosissime comparant. Sed in istis omnibus in tanta affluentia rerũ, nihil est præter quam Dominus ipse pudendum. Nec iniuria. Cumulata enim habent, quæ sedulo percolunt. Ipsi autem sordidi, indocti, incultique circumeunt. Igitur illas species in quæ patrimonia sua profuderunt, amœnissimas & extructissimas, & ornatissimas deprehendas, villas æmulas vrbium conditas, domos vice templorum exornatas, familias numerosissimas, & calamistratas, opiparam supellectilem, omnia affluentia, omnia ornata præter ipsum Dominum, qui solus Tantali vice in suis diuitiis inops, egens, pauper, non quidem fluentem illum fugitiuum captat, & fallacis vndæ sitim, sed veræ beatitudinis, id est secundæ vitæ, & prudentiæ fortunatissimæ sitit, & esurit. Quippe non intelligit æque diuites spectare solere, vt equos mereamur. Neque enim in emendis phaleras consideramus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissimæ ceruicis diuitias contemplamur. Si ex auro, & argento & gemmis, monilia variæ gazæ dependent, si plena artis ornamenta capiti & collo circumiacent, si frena cælata, si ephippia fucata, si cingula aurata sunt, sed istis omnibus exuuiis amolitis & amoris, equum ipsum nudum, & solum corpus eius & animum contemplamur; vt sit ad speciem honestus, ad cursuram vegetus, & ad vecturam validus. Iam primum in corpore si sit.

Arguum caput, breuis aluus, obesaque terga,
Luxuriatque toris animosum pectus honestis.

Præterea si duplex agitur per lumbos spina. Volo enim vecto non modo perniciter, verum etiam permolliter peruehat. Similiter igitur & in hominibus contemplandis noli illa aliena æstimare, sed ipsum hominem penitus considera, ipsum vt meum Socratem pauperem expecta. Aliena autem voco, quæ parentes pepererunt, & quæ fortuna largita est, quorum nihil laudibus Socratis mei admisceo, nullam generositatem, nullam prosapiam, nullos longos natales, nullas inuidiosas diuitias. Hæc enim cuncta, vt dico, aliena sunt. † Sata Prothaonio gloria est, qui talis fuit, vt eius nepotem non puderet. Ergo omnia similiter aliena numeres licebit. Generosus est, parentes laudas; diues est, non credo fortunæ. Magis ista dinumero. Validus est, ægritudine fatigabitur, pernix est, abibit in senectutem; formosus est, expecta paulisper & non erit. At enim bonis artibus doctus, & apprime est eruditus, & quantum licet homini, sapiens & boni consultus. Tandem aliquando ipsum virum laudas. Hoc enim nec à patre hæreditarium est, nec casu pendulum, nec a suffragio † adminiculum, nec à corpore caducum, nec ab ætate mutabile. Hæc omnia meus Socrates habuit, & ideo cætera habere contempsit. Quin igitur & tu te ad studium sapientiæ ingeris, vel propera saltem, vt nihil alienum audias in laudibus tuis; sed vt qui te volet nobilitare, æque laudet, vt Accius Vlixem laudat in Philoctetа primo eiusdem tragœdiæ suæ principio;

Inclyte, parua prodite patria;
Nomine celebri, claroque potens
Pectore, Achiuis classibus auctor,
Grauis Dardanis gentibus vltor,
Laertiade.

Nouissime patrem memorat. Cæterum omnes laudes eius viri audistis. Nihil inde nec Laertes sibi, nec † Anticlia, nec Acrius vendicat. Hæc tota vt vides laudis huius propria Vlixi possessio est. Nec aliud te in eodem Vlixe Homerus docet, qui semper ei comitem voluit esse prudentiam, quam poetico ritu Mineruam nuncupauit. Igitur hac eadem comitante, omnia horrenda subiit, omnia aduersa superauit. Quippe ea adiutrice Cyclopis specus introiit, sed egressus est. Solis boues vidit, sed abstinuit. Ad inferos deineauit, sed ascendit. Eadem sapientia comitante, Scyllam prænauigauit, nec ereptus est, Charybdi consęptus est, nec retentus. Circes poculum bibit, nec mutatus est. Ad Lothophagos accessit, nec remansit. Sirenas adiit, nec accessit.

† al. Sato Prothaanio.
† al. amminiculum
† al. Anticlia.

Cap. XXIX.

Quod pro merito principis formatur populus, & ex merito populi formatur principatus, Deoque placido creatura qualibet mansuescit, & seruit homini.

Hæc Apuleius eleganter quidem & splendide: & vtinam audiatur. Si enim in suipsius cultu quisque laboret, & quæ exteriora sunt, reputet aliena; profecto optimus erit status singulorum, & omnium, vigebitque virtus & ratio præualebit, regnante vndique mutua charitate, vt sit caro subiecta spiritui, & spiritus plena deuotione Domino famuletur. Quæ si processerit, nec tumore capitis onerabuntur membra, nec destitutione membrorum, aut ignauia languebit caput. Ista siquidem à peccati infirmitate proueniunt. Nam & inferiorum delicta, bonum principem demerentur, & peccata superiorum subditis sunt occasio & autoritas delinquendi. Vnde illud: Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Mansuescit itaque princeps ab innocentia populi, & populares motus reprimit innocentia principalis. Placido namque Deo, omnis creatura mitis est, & seruit homini, & eo indignante omnis creatura armatur in vltionem eius. Coruus Heliam pauit. Vrsus famulatum impendit Prophetæ. Vt pareat Danieli, ferocitatem naturæ dediscit leo, & collectam nescit esuriem. Vnda siccis iustorum calcatur pedibus, aduersus pueros succensus ignis in fornace non proficit. Ad votum fidei, aër, imbres, & terra fructum negat, & cœlum ipsum in impios euomit ignes suos.

Cap. XXX.

Breuis Epilogus aduersus Gnathonicos.

Cæterum dum ista prosequimur, nobis insidiantur Gnathonici, vt in inuidiam felicium, quæcunque sunt dicta retorqueant. Vt mendacij, aut temeritatis nos reos faciant, mentiuntur nos legem imposuisse principibus, & colla eorum iugo importabili onerasse. Veritas siquidem inimica est illis, & inimicitias diuitum procurant amatoribus veritatis, quorum vt gratiam consequantur, nihil in verbo aut opere erubescunt. Ad singula clamat Gnatho, seu bona, seu mala sint, pulchre, bene, recte.

Pallescet super his etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram,
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor vero plus laudatore mouetur.

Et nescio quomodo omnes ipsos etiam probos expugnant, & qui adulatorum nequitiam detestantur, à quibus etsi non sit laus quæsita, nihilominus oblata delectat. Istis dum veritati insisto, nequaquam placere possum, sed nec ob eorum gratiam dignor non acquiescere veritati. Non est tamen quod mihi possint opponere, nisi quod mihi & illis conuenit, & quod interdum alicui amicorum, dum in manibus eorum labitur, in aure suggero,

Nec te decipiant animi sub vulpe latentes.

Hi quidem imperatores sunt curialium nugatorum, quorum si vnum offenderis, omnibus aliis reus eris. Gnathonicorum ergo consilio conuenerunt ambitiosi, inuidi, superstitiosi & similes, dicentes sibi bella parari, & me in eos velle (vt dici solet) caninam facundiam exercere, cum tamen id minime proposuerim, nisi aut

A corum iniuriis vrgeat, aut autoritate superioris amici, ad hoc stilum licet hebetem, impellentis. Est quidem quod magis affectat animus, vt curialibus cedens nugis, illis quibus placent, faciam locum. Nam, vt de aliis taceam, non possum ferre. Quirites Gnathones, qui sibi nil actum credunt, dum aliquis restiterit, cuius oculos non obducant ad tenebras, reprobato oleo peccatoris. Quod si quis effugerit non tam Gnathonis, quam principalium virorum censetur hostis. Valeat curia cum tolerabilibus nugis, dum Gnathonicorum factio abeat semper in malam rem, & fiant semper nouissima illius deteriora prioribus. Cæteros dies suus expectat & ocium, etsi infœcundi pectoris angustia, & oris ariditas infacundi non habeat penes se, quod possit omnibus impartiri. Tu quando ambitiosos, & inuidos, cæterosque domi nostræ latentes egredi velis, si tamen præmissi libelli placuerint, expectanti denuncia, & in verbo tuo calcaribus vrgebuntur, vt in publicum prodeant. B Non enim omnes aggrediendi sunt pariter, nec posset consertus eorum cuneus facile expugnari, cum nec ipsæ cohortes leuiter in numerum cadant.

Non mihi si centum linguæ sint, oraque centum,
Omnia nugarum percurrere nomina possem.

LIBER SEPTIMVS.

POLICRATICI IOANNIS Saresberiensis.

PROLOGVS.

EGRESSVS aura curialium, declinassem consortia nugatorum, nisi me in ipso limine abeuntem, tua præceptionis detinuisset autoritas. Cum enim tibi cordis mei angustias † denunciarem, & de temporis ac vitæ iactura conquererer, omnia me, quoad Deus aliud reuelaret, statumque meum reformaret in melius, forti animo perferre præcepisti, suadens vt more laborantium, qui cantilenis & vocum dulcedine, laboris tædia propulsant aut minuunt, rerum temporisque dispendia compensarem. Nam & itinerantibus via facilior videtur & breuior, si iocundæ narrationis sensibus, aut vocis dulcissimæ modulis recreetur. Sic & me lectioni, aut alterius officij studio iubes insistere, & si aliud non conceditur, de meipso, & variis fortunæ formis conqueri, saltim mihi & Musis. Grandis enim profectus est ad philosophiam adspiranti, virtutis in se deplorare defectum. Ad hæc quid tibi respondeam, Comicus suggerit, quia

[margin: denunciarem] C

Omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus.

Tu autem si hic sis aliter sentias. Sic sic à captiuis, quorum organa in salicibus suspensa sunt, quæruntur verba cantionum, quæ cantari omnino nequeunt, aut non solent in terra aliena. Licet enim virtus iniurias captiuitatis ignoret, aut suo priuari non possit officio, rarus est admodum, qui philosophicis & curialibus officiis sufficiat merem gerere, cui hæc sibi plerumque constet plurimum aduersa. Vnde D *rem fere impossibilem videris imperare, præsertim cum ego sim homo sub potestate constitutus, & inuitus faciam plurima necessitate obsequendi, & in his quæ propria voluntatis & sapientiæ instinctu gerenda sunt, mihi vix tempus indulgeatur ad pauca. Dies & nox necessariis & alienis occupationibus transfiguntur, vt nec rei familiari curam impendere liceat, & tu hortaris vt scribam? Homo quidem imperitus † sum scientia & sermone, & vnum quod non accepi aliis erogabo?*

[margin: sine.]

Nauim si poscat sibi peronatus arator,
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus.

Si itaque vis vt scribam, da, vel potius ab eo qui scientiarum Dominus est, scientiam impetra, vnde scribam, da tempus expeditum, & necessitatum domesticarum exclude molestias.

Nam si Virgilio † puer & tolerabile desit
Hospitium, caderent omnes à crinibus hydri.

[margin: piam.]

E *Præterea vereor ne dum ad obsequium deuotus accingor, dispendium pudoris faciens, æmulorum prouocem linguas, qui mala aliena facillime carpunt, & bona difficillime imitantur. Quod autem si aliud non licet, vis vt de fortunæ calculo, mihi & Musis querar, suadente quidem mẽtis angustia, facillimum est, cum, teste Gregorio Nazianzeno, nihil suauius videatur hominibus quam aliena loqui, vel aliena curare, sed à composita mentis arbitrio videatur alienum. Decet enim sapientem mentem componere, vt ad omnem fortunæ impetum, querelis exclusis scutum rationis quasi volubile prætorium philosophantis opponat. Qui enim cum status sui qualitate rixatur, nisi forte de peccati corruptione languidus ingemiscat, nondũ philosophantis ingressus est viam. De me quidem merito queri possum, qui exigentibus culpis meis, in id miseriæ prouectus sum, vt in flagella paratus videar, & os meum nocte doloribus perforetur, & qui me comedent, non quiescant. Cum ergo dolor meus in conspectu meo sit semper, putasne possit calami, vel stridentis fistulæ suauitate mulceri? Faciam tamen † vtrũque autore Domino,* F *quod hortaris, & inter varias opes & delicias nationum, quibus affluis, ieiuni pectoris, & arida lingua qualiacunque munuscula tuo nomini consecrabo. Non enim de subtilitate sententiarum, aut verborum venustate præsumo, sed de sinceritate deuotionis † vitæ, cum quouis oratore contendam, certus quod eam præ auro sapientum, & eloquentium argento acceptabis, discipulus illius, qui duo minuta viduæ, pomposis oblationibus diuitum prætulit. Erit etiam fauore digna simplicitas, & non quem sensum prima facie verba significent, sed ex quo sensu, vel ad quem sensum fiant, fidelis lector attendes. Sic enim nugis seria immisceatur, & falsa veris, vt ad summæ veritatis cultum, omnia ex proposito referantur. Nec moueat, si qua eorum, quæ hic scribuntur, aliter inueniantur alibi, cum & historiæ in diuersis gestorum casibus sibi inuicem reperiantur contraria, sed ad vnum vtilitatis & honestatis profi iunt fructum. Nam periculum veri statuendi mihi non facio; sed quæ apud diuersos autores legi, ad vtilitatem legentium, sine inuidia communicare proposui. Nam & Apostolus, non quæcunque scripta sunt, vera sunt, ait, sed quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam* G *scripta sunt, licet vniuersitas eorum, de quibus loquitur, ad illa sola possit † arctari, quæ in lege scripta sunt & Prophetis, de quorum veritate nemo ambigit, nisi qui fidei Catholicæ non concordat. Quædam vero quæ in libris autorum non reperi, ex vsu quotidiano & rerum experientia, quasi de quadam morum historia excerpsi. Si qua vero ad grauioris philosophiæ exercitationẽ videntur accedere, academicorum more potius, quam † pertinacia contendendi, sic constet esse proposita, vt in examinatione veri, suum cuique iudicium liberum reseruetur, & inutilis scribentium censeatur autoritas, vbi sententia potior refragatur. Propositum tamen est, in his præcipue versari, vnde perniciem error non contrahit, & ad illorum definitionem præsumptione temeraria non assurgere, in quibus sine periculo non erratur. Nemo autem in iniuriam suam reputet quippiam dici, cum nulla sit derogatio personarum, sed fugiendorum sola concussio vitiorum, in quo quidem me præstiturum ire obsequium tam malis, quam bonis arbitror, dum in his approbatur quod facimus, & his notatis vitiis possint proficere, vt probentur. Sed hæc hactenus.* H *Cur autem academicos præ cæteris placeat imitari, sermo succinctus aperiet.*

[margin: al. vtrunque.] [margin: al. in te.] [margin: † al. aptari.] [margin: † al. pertinacia.]

CAP. I.

Quod academici modestiores fuerint aliis Philosophis, quos temeritas excæcauit, vt darentur in reprobum sensum.

ANtiquos quidem Philosophos floruisse ingeniis & studio profecisse, iam non celebris opinio est, sed omnibus in commune persuasa sententia. Ad res enim ex natura fere incomprehensibiles, studio & exercitatione viam sibi fecit ingenium, & illorum beneficio plurima publicata sunt posteris, quibus gaudemus & miramur inuentis. Mundum dimensi sunt, cœlum

A ſuis regulis ſubiecerunt, naturæ varias ſcrutati ſunt cauſas, & vniuerſitatem opificis, defæcatis quodam modo ſunt oculis contemplati. Quaſi ergo mole Gigantea ſubuecti, & iam non humanis viribus roborati, intumuerunt, indixeruntque bellum gratiæ Dei, de vigore rationis liberi confiſi arbitrio, ac ſi ſecundum fabulas, eſſent cœlo captiuo, virtutum quibus efferebantur brachia inuecturi. Deiecti ſunt itaque dum alleuarentur, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt; & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, vt qui omnia fere pernoſcitant, perniciosiſſime errarent in maximis; & variis diſtracti opinionibus, etiam ignorarent. Sed cui vero fabularum inſtrumenta vileſcunt, licet & ab hoſte doceri ſapientis animus non detrectet, cum peculiaris populus Dei auro, argento, veſtibus, & toto Ægyptiorum ornatu reſplendeat. Si gentilium, inquam, figmenta vileſcunt, ſic dum in campo Sennaar fundamenta Babylonis iacit impietas, dum turris elationis, & contradictionis machina in cœlum erigitur, de alto præcipitij à Deo B facta eſt linguarum diuiſio, ſubtractoque impiis verbi commercio, ex neceſſitate ſecuta eſt ſeceſſio populorum. Sic & Philoſophi, dum ingenij ſui machinas, ſuo quodam Theomachiæ genere in altum erexerunt, vere eis incommutabilis & indeficientis veritatis ſubtracta eſt vnitas; & ignorantiæ nebulis obuoluti, eorum quæ ab vna & ſingulari veritate vera ſunt, maximam notitiam perdiderunt, vti in ſenſum reprobum dati eſſe conuincerentur ab operibus ſuis, & tanquam recedente duce, ſpiritu ſcilicet veritatis, diſpergerentur in varias ſectas erroris, & inſanias falſas. Et eo quidem miſeriores effecti ſunt, quod in his defectum ſuum minime agnoſcebant. Hinc eſt, quod dum Pronoen ſuam Stoicus veneratur, omnia neceſſitatis lege conſtringit: Epicurus econtra, dum rerum tuetur libertatem, diſpoſitionem euacuat, & omnia caſibus fluctuare contendit. E regione conſiſtunt vtriuſque cultores, & de ſingulis fere rerum articulis dimicant; & quaſi Palladis ſacramento adſtricti, ſolas paradoxas loquuntur, aut *κυρίας δόξας*, & eas vſquequaque veras eſſe confirmant. C Academici vero vitantes præcipitium falſitatis, in eo quidem modeſtiores ſunt, quod defectum ſuum minime diffitentur, & in rerum ignorantia poſiti, fere de ſingulis dubitant. Quod quidem longe tutius eſt, quam incerta temere definire. Academicorum quoque iuuat opinionem, quod non modo Heraclides Ponticus & Cicero noſter, in ſumma ingenioſorum virorum laude recepti, tandem ad eos tranſierunt; ſed & alij plures, quos percurrere longum eſt. Nonne ergo præferendi ſunt aliis, quos & aſſerendi modeſtia, & tantorum virorum † commendat autoritas?

† al. *comprobauit.*

Cap. II.

De errore Academicorum: & quos eorum liceat imitari, & quæ ſunt dubitabilia ſapienti.

D NOn tamen omnes, qui Academicorum cenſentur nomine, hanc dico modeſtiæ regulam tenuiſſe; cum & profeſſio ſciſſa ſit, & pro parte tam riſui pateat, quam errori. Quid enim ineptius, quam fluctuare in ſingulis, & nullius rei habere certitudinem, & nomen Philoſophi profiteri? Nam qui de omnibus dubitant, eo quod nihil habent certum, tam à fide, quam à ſcientia alieni ſunt. Licet enim fides ad ſcientiæ brauium non perueniat, dum quaſi per ſpeculum veritatem abſentium contuetur, habet tamen certitudinem, caligine ambiguitatis excluſa. Porro ſi de ſingulis Academicus dubitat, de nullo certus eſt, niſi forte & hoc ipſum incertum habeat. an contrariis exiſtentibus, in eodem, circa idem, poſſit & dubius & certus eſſe. Sed an dubitat incertum habet, dum hoc ipſum neſcit, an neſciat. Cum vero in eo homo ceteris animalibus præſtet, quod ratione viget, & intelligentia; nam in ſenE ſibus, qui licet animæ ſint corporis eſſe dicuntur, facile ſuperatur, neque lynci valeat æquari perſpicacia oculorum, ſus auditu præualet, vultur aut canis odoratu, guſtu ſimia, aranea tactu. Cum, inquam, diſcernendi & intelligendi viribus homo præcedat, quis præſtantiorem beſtiis aut potius quis non inferiorem, & vt ita dicam quis brutiorem non credat hominem, cui ratio non diſcernit, intellectus non ſapit; cum & bruta ad quandam rationis imaginem quodammodo videantur aſſurgere. Nam & canis ſuos diſcernit affectus, beneficiorum memor eſt, familiaritatem cum homine ab experientia rerum & vſu contrahit, & amicitiæ præ cæteris, quaſi fidem familiaribus exhibens, rationis & intellectus quodam nobilitatur ingenio. Sed & iniuriarum memoria camelo tenaciter reſidet, & Rhinoceros, qui & vnicornis eſt, virginis integritatem ſic agnoſcit, vt duntaxat illius fere amplexibus capiatur. Odorem Pantheræ cetera ſequuntur animalia; & quod F mirabilius eſt, piſces in gurgitibus ad ſpeciem auri conueniunt, vnde & ſæuientis luxuriæ Imperator Nero, aureis vt dicitur retibus piſcabatur. Quid multa?

Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem citiſum ſequitur laſciua capella.

Et in hunc modum voluptate ſua trahuntur plurima: quod (vt credo) euenire non poſſet, ſi de affectibus ſuis dubitarent. Qui ergo ad ſingula neſcij ſunt, qua temeritate vel impudentia, philoſophandi profeſſionem arripiunt? Nam ſicut ab eo, quod notum eſt, notio, ſic & ratio ab eo quod ratum eſt, id eſt certum & firmum, grammatice denominatur: & profecto inanis eſt ratio hominis, cui nihil perſuaderi poteſt, quin ſemper & in omnibus opinionum lubrico vacillet. Quid enim ei Philoſophia confert qui ſemper fluctuat opinionibus; & cui in oſtendenda felicitatis via rationis lumen extinguit, & quaſi oculum eruit, vt cautius & rectius pergat viator, cui oſtenſura eſt viam? Nonne & plurimum obeſt illi qui excæcatur? Quid potius ſequetur qui tanta contrarietate diſtrahitur? Sane ad patriam G nemo perueniet, niſi qui vnam ſequitur viam; & qui omni verbo aurem accommodat, nunquam quietus erit. Nonne ſimilior eſt lethargico, aut inſipienti, ſiue inſano, quam Philoſopho, qui cum ſomnij meminerit, an dormierit dubitat, & cum cibo ſatiatus eſt, an ieiunus ſit, neſcit, & nullius eorum quæ egit vel in proximo, ſcientiam habet? Deinde, quanam via in Philoſophiæ inueſtigatione proficiet, cui ratio nihil perſuadeat, quod teneat, aut ſequatur, ſed eſt ad omnia ſemper incertus? Talis vtique Academicus, cum nec brutis animalibus valeat adæquari, nec dignus eſt hominis, nedum Philoſophi vel honore vel nomine. Et quidem aduerſus iſtorum ineptias, magnus pariter & fidelis doctor Eccleſiæ Auguſtinus, ſed & Cicero validis rationibus & ſermone elegantiſſimo copioſius diſputant. Veruntamen ad illos, qui de ſingulis dubitant, quæ ſapienti faciunt quæſtionem, Cicero ſeipſo teſte tranſiuit, nec eos noſter Auguſtinus perſequitur, cum & ipſe in H operibus ſuis Academico temperamento vtatur frequentius, & ſub ambiguitate proponat multa, quæ alij confidentius, ne magis temeritatie diſputanti, non viderentur habere quæſtionem. Mihi tamen non videtur quiſquam eo loqui ſecurius, qui ita circumſpectus eſt in verbo, ne prolabi poſſit ad falſa. Sunt autem dubitabilia ſapienti, quæ nec fidei nec ſenſus, aut rationis manifeſtæ perſuadet autoritas, & quæ ſuis in vtramque partem nituntur firmamentis. Talia quidem ſunt quæ quæruntur de prouidentia, de ſubſtantia, quantitate, viribus, efficacia, & origine animæ, de fato, & facilitate naturæ, caſo & libero arbitrio, de materia & motu, & principiis corporum, de progreſſu multitudinis, & magnitudinis ſectione, an terminos omnino non habeant, an eos duntaxat *αλόγως* tandem inueniant. De tempore & loco, de numero, & oratione, de eodem & diuerſo, in quo plurima attritio eſt de diuiduo & indiuiduo, de ſubſtantia & forma vocis,

de statu vniuersalium de vsu & fine, ortuque virtutum & vitiorum, an omnes virtutes habeat, qui vnam habet an omnia sint peccata æqualia & æqualiter punienda. Item de causis rerum & adiunctione earum, vel repugnantia, de effluxione & defluxione Oceani, de ortu Nili, de humorum in animalibus corporibus augmento & diminutione ad motum lunæ, de variis latentis naturæ secretis, de officiis & figuris causarum, quæ in contractibus, aut quasi contractibus, maleficus, aut quasi maleficiis, aut aliis rerum formis varie oriuntur, de natura & operibus eius, de varietate, & primis rerum initiis, in quibus humanum ingenium deficit, an angeli omnino sua non habeant, aut qualia habeant corpora, & quæ pie quæruntur de ipso Deo, qui totius naturæ rationalis excedit inuestigationem, & super omnia, quæ mente possunt concipi, exaltatur. Possent in hunc modom enarrari quam plurima, quæ sic dubitationem sapientis admittunt, vt tamen dubitatio ipsa vulgus prætereat. In his itaque facile crediderim Academicos tanto modestius dubitasse, quanto eos temeritatis præcipitium diligentius præcauisse repetio. Adeo quidem, vt cum apud scriptores in locis non passim dubiis, verba quodammodo ambigua, qualia sunt hæc, si forte, fortasse, & forsitan, proferuntur, Academico dicantur vsi temperamento, eo quod temperantiores aliis Academici fuerint, qui omnem veriti sunt temerariæ definitionis subire notam, & præcipitium falsitatis.

Cap. III.

Vnde dicti sint Academici, aut quis timor, aut passio mentis, secundum † A. Gellium & Stoicos, in sapientem cadat.

al. Agellium.

ACademici quidem dicti sunt ab Academia, vnde Plato extitit oriundus, qui eundem suæ natiuitatis locũ, & studendi vsu, & discipulorum frequentia, † moruumque suorum celebritate fecit insignem. Illum vero locum ceteris prætulit, eo quod ad incutiendum timorem, quo vitia reprimerentur, & agnita conditione sui, modestia fidelius reseruaretur, maxime visus est ex frequenti terræmotu, quo sæpe colliditur, esse idoneus. Timor enim sicut modestiæ cognatus est, ita familiaris est sapienti. Non ille tamen qui mentem turbat, & quasi turbine quodam rationis & intelligentiæ præstringit oculum, sed qui componit animum, & quasi humilitatis fomes hominem reddit ad omnia virtutis officia aptiorem. Vnde in libris Noctium Atticarum scribit † Aulus Gellius, vir elegantis eloquij. & multæ scientiæ, se aliquando nauigasse cum quodam philosopho, eoque nobili inter Stoicos. Illis autem ex magna parte in sententiam sedit, timori locum non esse in animo sapientis, cum omnia ex necessitate proueniant, stultumque sit timere, quod vitari non potest, & è contra vnicum sit remedium, vt vir prudens fortitudinis vires præparet, & robore patientiæ, quasi solidissimo animi inuicti clypeo, omnia tela necessitatis excipiat. Cũ ergo nauigium turbato mari, ventorum vehementia, cœloque minaci periculosissime iactaretur, philosophus vi timoris expalluit. Deinde cum tempestate transacta securitas præbuisset colloquendi, vt fit, & congarriendi locum, sociorum vnus diues, luxuriosus, Asiaticus, cœpit compellare Philosophum & illudere ei, eo quod contra professionem suam timore palluerat, cum ipse, qui minime philosophabatur, mansisset interpidus in eo, quod impendebat exitio. At ille Aristippi Socratici responsum retulit, qui eum in re simili similiter, & à consimili argueretur, respondit illum pro anima nequissimi nebulonis merito non fuisse solicitum, se autem debuisse timere pro anima Astristippi. Diuitis ergo quæstione depulsa, accessit Aulus Gellius, non exagitandi animo, sed discendi, familiariter quærens, quænam esset causa timoris sui, cum præceptum sit disciplinæ Stoicorum, ne mortis timeatur aduentus, quam constat esse indubium terminum vitæ.

al. moriturumque.

al. Agellius.

Ille autem eum discendi auiditate grauiter accensum vidisset hominem, librum Epicteti Stoici de mantica protulit, in quo scripta erant ea, quæ congruebant decretis Zenonis & Chrysippi, qui dicuntur fuisse principes Stoicorum. Cum ergo librum in manibus Aulus Gellius tenuisset, inuenit Stoicis placuisse, non esse in potestate hominis, vt visa, quæ phantasias appellant, in animum veniant, aut recedant, & cum venerint ex terribilibus rebus aut contra, necesse asserunt moueri animũ etiam sapientis, vt paulisper metu trepidet, tristitia contrahatur, dilatetur lætitia, cupiditatibus moueatur, tamquam his passionibus præuenientibus rationis & mentis officium, nec tamen ideo conscientia mali in mente versari, nec approbari ista, aut eis aliquem indulgeri consensum. Hoc enim esse volunt in potestate, idque interesse censent inter animum sapientis, & stulti, quod stultus consensu mentis passionibus cedit, sapiens autem, licet eas necessitate patiatur, retinet tamen de rationabiliter appetendis vel fugiendis, veram & firmam inconcussa mente sententiam Hæc quidem illi autore A. Gellio, & pro parte eleganter & vere. Errant tamen, si istarum passionum, quæ necessariæ sunt, repressionem & castigationem extra gratiam viribus suis adscribunt, eo quod solius miserentis Dei est, non vtique currentis hominis aut volentis, vt hæ in vsum iustitiæ conuertantur. Hoc autem sufficiat demonstrare, quod timore modestia dispensatur, & philosophandi prima sternitur & disponitur via. Siquidem scriptum est, quia initium sapientiæ, & finis modestiæ, timor Dei.

Cap. IV.

Vnde dicatur philosophia: & de Samio Pythagora, & doctrina eius, qui Italicis philosophandi autor extitit.

IPsum vero philosophiæ nomen, à Pythagora Italico inuentum est, qui tantæ fuit autoritatis apud antiquos, vt præiudiciali opinione, sententias omnium superaret, essetque satis ad quamlibet sententiam roborandam, si hoc ipse dixisse doceretur. Ipsa namque vox pronominis, vsurpatione quadam, proprij nominis explebat officium. Fuit autem hic natione Samius, negotiatoris diuitis filius, cui nomen Maratus erat, sed parente longe ditior erat, eo quod negotiatio patris tanta nequiuit acquirere, quanta filius contemnere maluit, quam habere. Magnis itaque sapientiæ formatus incrementis, Ægyptum primo, mox Babyloniam, ad perdiscendos siderum motus, originemque mundi spectandam, profectus, summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam & Lacedæmona, ad cognoscendas Minois & Lycurgi inclytas ea tempestate leges, contenderat. Quibus omnibus instructus, ad CrotoniCorum vrbem applicuit omnino resolutam, & solius virtutis opera indigentem. Fortunæ siquidem indignantes oderant arma, quæ aduersus Locrenses infeliciter sumpserant, mutassentque vitam luxuria, nisi eis Pythagoras Philosophus obstitisset. Ex quo patet, quantum homo præstet homini cum vnius personæ autoritas, iam lapsum ad frugem melioris vitæ, reuocauerit populum Laudabat ergo virtutem quotidie, & vitia luxuriæ denudabat, & casuum vrbium perditarum enunciabat causas. Tanto quoque studio ad frugalitatem multitudinem prouocabat vt aliquos ex his luxuriatos esse incredibile videretur. Matronarum vero separatam à viris doctrinam, & puerorum à parentibus, frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam & obsequia in viros, nunc illos modestiam & literarum studium. Inter hæc, velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat. Consecutusque disputationem assiduitate erat, vt matronæ auratas vestes, ceteraque dignitatis suæ ornamenta, quasi luxuriæ instrumenta deponerent, eaque omnia delata in Iunonis ædem, ipsi deæ consecrarent, præse † feren-

al. præferentes. *al. præferens.*

tes,

A res, vera ornamenta matronarum, pudicitiam non vestes esse. In iuuentute quoque quantum profligatum sit, victi fœminarum contumaces animi manifestant. Sed trecenti ex iuuenibus cum sodalitij iuris sacramento separatam à ceteris ciuibus vitam agerent, quasi cœtum clandestinæ coniurationis habentes aduersus Pytagoram, ciuitatem in se conuerterunt, quæ eos, cum in vnam domum conuenissent, cremare voluit, in quo tumultu sexaginta ferme periere, ceteri in exilium profecti sunt. Ab hoc itaque philosophorum genus Italicum, nomenque Philosophiæ exortum est. Tantus autem extitit in illa parte Philosophiæ, quæ speculatiua vocatur, vt ei quisquam philosophantium vix poterit adæquari. Tantus in innocentia, vt ab omnium animantium temperasse credatur edulio. Tantus in cultu iustitiæ, vt populos illius partis Italiæ, quæ antiquitus Magna Græcia dicta est, etiam post mortem nominis eius autoritas rexerit. Cum vero antea sapientes dicerentur, B qui videbantur aliis præstantiores esse, interrogatus quid se profitetur, Philosophum se esse respondit, id est studiosum vel sapientiæ amatorem; quoniam sapientem profiteri, arrogantissimum videbatur. Denique cum ad propulsandam labem morum, viginti annos egisset Crotonæ, Metapontum migrauit, ibique decessit. Cuius tanta admiratio fuit, vt ex domo eius templum facerent, ipsumque pro Deo colerent, nacti forte occasionem ex verbis eius dicentis † domum philosophantis esse sacrarium sapientiæ, & verissimum Dei templum. Traditur etiam persuasisse hominibus, esse animas immortales, & post dissolutionem corporis, vitæ præcedentis præmia recepturas. Impie tamen fabulam mille annorum primus dicitur induxisse.

Cap. V.

De Ionico genere Philosophorum, & autoritate Socratis & dogmate Platonis, & opinione eius post mortem,

C Alterum vero Philosophorum genus est, quod Ionicum dicitur, & à Græcis vlterioribus traxit originem. Horum princeps fuit Thales Milesius, vnus illorum septem, qui dicti sunt sapientes. Iste cum rerum naturam scrutatus, inter ceteros emicuisset, maxime admirabilis extitit, quod astrologiæ numeris comprehensis, solis & lunæ defectus prædicebat. Huic successit Anaximander eius auditor, qui Anaximenem discipulum reliquit & successorem. Diogenes quoque eiusdem auditor extitit, & Anaxagoras, qui omnium rerum quas videmus, effectorem diuinum animum docuit, ei successit auditor eius Archelaus, cuius discipulus Socrates fuisse perhibetur, magister Platonis, qui teste Apuleio prius Aristoteles dictus est, sed deinde à latitudine pectoris Plato, & in tantam eminentiam Philosophiæ, & vigore ingenij, & studij exercitio & omnium morum venustate, eloquij quoque suauitate D & copia subuectus est, vt quasi in throno sapientiæ residens, præcepta quadam autoritate visus est, tam antecessoribus, quam successoribus philosophis, imperare. Et primus quidem Socrates vniuersam Philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur, cum ante illum omnes physicis, id est rebus naturalibus perscrutandis, maximam operam dederint. Probe quidem & sapienter eum ad vtilitatem suam oporteat omnia retorqueri, parumque prosit nouisse opera Dei, quæ sunt omnia valde bona, & creatori suo consequenter similia, nisi quis id præcipue agat, ne ipse sit malus. Præclara igitur vitæ mortisque fama Socratis, Philosophiæ suæ reliquit plurimos sectatores, qui partiti sunt verba eius in varias sectas, de quibus in sequentibus pauca dicentur. Porro tantæ multitudinis dissidentiam Plato, qua præminebat autoritate cohibuit, & in se attentionem omnium diutius prouocauit & tenuit. Sunt qui Platonem credant † non vel Aristonis, vel Aristidis, filium

E sed augustiore conceptu natum, eo quod Apollinis figuratio matri eius Perictioni se miscuerit; quam constat à Solone sapientissimo, fundatore legum Atticarum, traxisse originem. Natus est autem mense qui apud Atticos Targelion dicitur, die qua apud Delon Latona peperisse creditur Apollinem & Dianam; pridie quidem Socratem genitum ferunt. Talis ergo & de talibus ortus, non solum Heroum virtutibus præstitit, sed æquiparasse dictus est deorum potestates. Nam Speusippus domesticis documentis instructus, & pueri eius acre in percipiendo ingenium, & admirandæ verecundiæ indolem laudat, & pubescentes primitias labore atque amore studendi imbutas refert, & in viro harum incrementa virtutum conuenisse testatur. Ex eisdem genitoribus Glaucus & Adamantius ei fratres fuerunt: doctores habuit in prima litteratura Dionysium, in palæstra Aristonem Argis oriundum, tantosque progressus ei exercitatio contulit, vt Pythiæ luctando certamina vicerit. Picturæ non aspernatus artem, tragœdiis quoque & dithirambis se vtilem finxit. F Itaque carminum confidentia elatus certatorem se profiteri cupiebat, nisi Socrates humilitatem huius cupidinis ab animo eius expulisset, & veræ laudis gloriam ei curasset ingerere. Et ante ea quidem Heraclidis secta fuerat imbutus, verum cum se Socrati dedisset, non solum ingenio atque doctrina ceteros Socraticos vicit, sed etiam labore & elegantia sapientiam illustrauit, eique recta assertione sensuum & maiestate verborum, plurimum adhibuit dignitatis. Socrate siquidem excedente, se ad Pythagoræ contulit disciplinam, quam etsi ratione diligenti & magnifica videbat instructam, rerum tamen conscientiam & castitatem magis cupiebat imitari. Deinde Theodorum † Ciræneusem adiit, vt Geometriam disceret. Inde Ægyptum petiit vt Astrologiæ vacaret, ibique à plerisque creditus est didicisse oracula Prophetarum. Vnde rursus in Italiam rediit, & Pythagoreum Tarentinũ Architam secutus est, atque ad Indos, Medos Magos G animum intendisset, nisi eum procedere vetuissent bella Caletica. Quapropter inuenta Parmenidæ & Zenonis diligentius executus, quæ apud magnos philosophos admirationi fuerant singula, in libris suis collegit vniuersa, docens primus studia Philosophiæ non esse contraria, sed inuicem necessaria sibi, eo quod mutuis auxiliis vniuersa consistunt. Multi auditorum eius vtriusque sexus in Philosophia floruerunt. Patrimonium in hortulo, qui Academiæ iunctus erat, in duobus ministris, & patera qua diis supplicabat, reliquit. Auri tantum habuit, quantum puer auricula gestauerat, in nobilitatis insigne. Tres aduentus eius ad Siciliam; mali diuersis opinionibus carpunt. Sed primo vt historiam naturæ cerneret in Ætna, & incendiorum intelligeret rationem, illuc profectus est. Secundo petitu Dionysij, vt Syracusanis adsisteret, & vt municipales prouinciæ illius disceret leges. Tertio vt fugientem Dionem restitueret patriæ suæ, venia à Dionysio impetrata. H Sed in his omnibus adeo diligens extitit, vt à studiis aut officiis Philosophiæ, nullo vnquam tempore suspenderetur. Itaque cum studium philosophiæ partim in actione, partim in contemplatione versetur, Socrates actiuam exercuit, mores instituens, quibus fideliter ad beatitudinem vita transigitur. Pythagoras contemplatiuæ institit, per quam ingenium exercetur, & propagatur scientia. Proinde Plato vtramque iungendo alteri, Philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit, Ethicam, Physicam & Logicam, id est, moralem naturalem, & rationalem, qua verum discerminatur à falso, & sine qua disseri nequeunt, quæ vel in actione vel in contemplatione versantur. Putatur à nonnullis, quod in peregrinatione sua Hieremiam Prophetam viderit, audieritque in Ægypto, & legerit scripturas propheticas. Sed supputata ratio temporum, quæ in Chronicis continentur historiis, docet eos nequaquam contemporaneos extitisse, cum ortus Platonis vix ætatem illam apprehenderit, & inter labentis centum septem annis tempus quos prophetauit Hieremias attigerit. Et

al. mentis. — *al. non Aristidis filium.* — *al. Cyrenensem.*

A Scripturæ prophetiæ, post mortem Platonis, annis ferme sexaginta, regnante Ptolomæo, qui literarum studiosus, à Hierosolymis septuaginta adsciuit interpretes, Ægyptum intrauerint. Opinio tamen illa conualuit, quia in libris Platonis inueniuntur multa dictis consona prophetarum. Nam in Timæo, dum causas mundi subtilius inuestigat, manifeste videtur exprimere Trinitatem, quæ Deus est, efficientem causam constituens in potentia Dei in sapientia formalem, finalem in bonitate, quæ sola induxit eum, et omnem creaturam bonitatis suæ participem faceret, prout natura cuiusque capax beatitudinis esse potest. Vnam tamen in his visus est intellexisse & docuisse substantiam, dum opificem vniuersitatis & formatorem Deum vnum esse asseruit, quem ob insigne bonitatis, & dulcis affectus, dixit omnium genitorem, quem propter infinitatem maiestatis, potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis suæ, tam est inuenire difficile, quam inuentum digne profari impossibile. Eun-
B dem quoque remuneratorem, sperantium in se esse, & colentium se, videtur adstruere, dicens sapientem esse cultorem Dei philosophum, qui animo & voto accedit ad sapientiam, & eum esse amatorem Dei, qui sicut constitutæ vniuersitatis causa est admirabilis, ita bibendæ felicitatis, id est, fons indeficiens & singularis. Moyses autor est, quia in principio creauit Deus cœlum & terram, & in medio eorum aquam collocauit & äërem. Plato quod ab initio, vt mundus qui solidus & visibilis futurus erat, videri posset & tangi, Deus iecit duo prima mundani corporis fundamenta, ignem & terram, & eis concordi proportione media sociata insolubili vinculo interiecit, nisi tamen voluntas conditoris, quæ sola tanti firmitudinis nexus fidelissimus est, vt dissoluantur, admittat. Omne siquidem quod vinctum est, natura dissolubile est, sed vt bonæ conciliationis fœdus pereat, non est voluntas Dei, volentis bona duntaxat. Ait Moyses: Qui est misit me ad vos, & illum singulari verbo, & prærogatiua significatione censuit esse, qui sem-
C per idem est, vt ei nec præteritum transeat, nec futurum immineat, sitque immunis omnium motuum. Nam illa subsistendi dedignatus est verbo, qui cum tempore festinant ad non esse, & singulis momentis per varios motus sui proficiscuntur in mortem. Et de homine quidem planum est, quia vita eius non status est, qui verbo substantiuo debeat exprimi, sed transitus de vtero ad tumulum, aut quasi fuga aut vmbra existendi. Plato quidem id quoque solum proprium dicit esse, quod semper est idem, nec moribus variatur. Quæ vero sunt obnoxia motui, non quidem sunt, sed videntur esse, & nequaquam manent, sed iugiter euanescunt & fugiunt, nec expectant appellationem. Sunt præterea Platonicis & nostris multa communia, vt sint omnino inexcusabiles, dum veritatem Dei in mendacio detinent. Magnus pater Augustinus autor est, (si tamen quæ sub nomine eius concepta legi, recolo fideliter) quod in libris Platonicorum inuentum sit, quod beatus Euangelista Ioannes altius cœlo intonuit, & quam humana mens percipere
D queat, licet auris vtcunque possit audire. Inuentum est inquam, quod ait ab initio Euangelij: In principio erat verbum, &c. vsque ad locum quo ait, Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ego quidem nisi in patrum scriptis legeretur, nequaquam alicui infidelium concessum crederem, vt os in tantæ lucis oraculum aperiret, quam oculus mundanus non sufficit intueri. Apostolicum tamen & familiaritatis intimæ priuilegium adstruit, quod verbum fidei boni operis perseuerantia illustrauit, eum philosophi euanuerint, non modo in cogitationibus, sed operibus suis. Scripsit libros plurimos, & politici hominis merita contemplatio non repressit, & contemplationis acumen actionis necessitas non extinxit. Sed liber, qui de dogmate eius est, contemnitur, in laudem eius Origenes Hieronymus, Augustin. omnium philosophorum adtestationibus freti sufficiunt. De morte eius diuersi diuersa scripserunt; sed probabilius est eum qui innocenter vixerat, & philosophiæ præcepta pro viribus fuerat insecurus, vitam risui non cessisse. Nam quod

E de eo nonnulli tradunt, quia verecundia motus emisit spiritum, eo quod nautarum propositam non potuit soluere quæstionem, constat nominis errore compositum. Quicquid enim de eo Græcorum loquuntur fabulæ, hoc de Homero, non Platone Maximus Valerius refert. Ex eo tamen & hoc vulgatum est, quia fuerunt qui Homerum æquiuocum Platonis dicerent, propter excellentiam sapientiæ, sermonis elegantiam & latitudinem pectoris. Nam viros nobiles certum est polyonymos extitisse. Decessit autem octoginta annis & vno expletis, in tanta reuerentia omnium & integritate autoritatis, vt diu dubitatum fuerit, diis aut semideis esset potius aggregandus. Sed & cum ætate illa deficiente, merita virtutum eius tanquam incredibilia quodammodo ad antiquitatis fabulas vergerent, ipsum inter semideos venerandum Labeo scribit, vt quiddam maius homine, minus Deo fuisse doceatur.

F

Cap. VI.

De Aristotele, & opinione eius, & studiis, & quod variis disputationibus dubitationem Academicorum mouit & de regula eorum.

SOl è cœlo visus est cecidisse; qua die philosophorum princeps Plato rebus excessit humanis, & quasi lucernam mundi extinctam defleuerunt, qui ad thronum sapientiæ, cui ille diu præsederat, sua arbitrabantur studia referenda. Sed cum ei Aristoteles discipulus, vir excellentis ingenij, & Platoni impar eloquio, sed multos facile superans, in docendi officium successisset, quasi matutinum sidus effulsit hominibus & quibusdam multiplicis philosophiæ præceptis, velut variis sapientiæ radiis illustrauit orbem, & tanquam oculorum detersa caligine, ad contuendam veritatis speciem, mentes hominum reparauit. Sectam hic Peripateticam con- G
didit, sic vtique dictam, quod deambulans disputare consueuerat, plurimosque discipulos præclara fama excellens & arte suadendi viuo adhuc præceptore in suam hæresim congregauit. Tractauit quidem omnes philosophiæ partes, & præcepta dedit in singulas, sed præ ceteris sic rationalem redegit in ius suum, vt à possessione illius videatur omnes alios exclusisse. Ita tamen in aliis viguit, vt commune nomen omnium philosophorum, antonomastice, id est, excellenter sibi proprium esse meruerit. Sicut enim vrbs Romam, Maronem Poeta exprimit, sic & Philosophi nomen circa Aristotelem vtentium placito contractum est. Fuit autem facundus eloquio, sed vberior sensibus, & doctus omnium sententiis obuiare. Hic est qui primus studiorum genera, in acroaticum & exotericum dicitur distinxisse. Nam & familiares & quasi domestici admittebantur in acroatica Exoterica vero non modo extraneis, sed hospitibus patebant & peregrinis. Fuerunt qui eum Incubi dæmonis filium crederent, propter agi- H
litatem corporis, perspicaciam ingenij, & gloriæ appetitum, quam multiplici industria omnibus præripere consueuerat. Testatur de eo Valerius Maximus, qui supremæ vitæ reliquias senilibus ac rugosis membris in summo literarum ocio vix custodiens, adeo valenter pro salute patriæ incubuit, vt eam ab hostilibus armis solo æquatam, in lectulo Athenis iacens, quidam Macedonum manibus quibus adiecta erat, † eriperet. Ita al. exciperet.
vrbe strata atque euersa. Alexandri que familiaritate qua restituta est, Aristotelis notum est opus. Licet autem nominum & verborum turbator habeatur, non modo subtilitate, qua cunctis celebris est, sed & mira suauitate dicendi eualuit, adeo quidem, vt Platoni merito proximus fuisse videatur. Eum laudis fuisse auidissimum, vel ex eo constat, quod cum Theodocti discipulo libros artis oratoriæ vt eos ederet concessisset, moleste ferens postea, tantum laudis & gloriæ titulum se alij cessisse, proprio volumine quibusdam rebus in-

sistens,

A sistens, planius sibi de his in Theodoctis libris dictum adiecit. Vnde Valerius Maximus: Nisi me tam latæ & tam patentis scientiæ verecundia teneret, dicerem dignum Philosophum, cuius stabiliendi mores altioris animi Philosopho traderentur. Ceterum gloria ne ab his quidem, qui contemptum eius introducere conantur, negligitur. Nam & voluminibus nomina sua diligenter adiiciunt, vt quod professione leuant vsurpatione memoriæ assequantur. Hic est cuius disputationibus effectum est, vt Academia moueatur magis rationum quam collisione ventorum. Licet enim Peripateticus non Academicus censeatur, eo tamen sollicitante de singulis maxime cœperunt Platonici, qui soliti erant, fere de omnibus dubitare. Siquidem post mortem Platonis Eusippus sororis eius filius, & Xenocrates dilectus eius discipulus, in scholam quæ Academia vocabatur, eidem successerunt, & ob hoc ipsi & successores eorum Academici vocabantur à loco, sicut Platonici à magistro. B Ex quibus valde nobilitati sunt Græci, Plotinus, Iamblicus & Porphyrius Catholicæ veritatis, vt dicitur, pessimus impugnator. In vtraque vero lingua, Græca scilicet & Latina, nobilis extitit Apuleius Afer, vir magnus in primis, & qui venustate morum, & dicendi copia, Socraticum fontem, & torrentem Platonicum facile redoleat, vel tenuiter sapienti. Ab his fluxerunt & alij multi, qui dubitabilia discutere sic, vt nulli præiudicaretur, maluerunt, quam ausu temerario definire, maxime cum occultam crederent veritatem eorum, de quibus in vtramque partem probabiliter disputatur. Vnde & Academicorum antiquissima regula est, vt quisque quod sibi occurrit probabile, suo iure defendat.

Cap. VII.

C *Quod alia sensus, alia rationis, alia religionis autoritate probantur: & quod fides in omni doctrina aliquod stabile initium vendicat, quod probari non debet; & quod alia per se doctoribus innotescunt, alia rudibus: & quatenus dubitandum sit, & quod pertinacia veritatis inquisitionem plurimum impedit.*

SVnt enim nonnulla, quæ seorsus rationis, aut religionis persuadet autoritas. Horum dubitatio infirmitatis, erroris notam habet, aut criminis. Quærere enim an sol splendeat, albeat nix, ignis caleat, hominis est sensu indigentis. At vero an ternarius binario maior sit, ipsumque totum & medietatem eius contineat, quærere, & an quaternarius sit duplus binario, indiscreti est, & cui ratio otiosa, aut deest omnino. Qui vero an Deus sit deducit in quæstionem & an idem potens, sapiens sit, an bonus, non modo irreligiosus, sed perfidus est, & pœna docente dignus est instrui. D Sint enim in omnibus † Philosophicis quædam prima, & vt ita dicatur Cratini verbo, primitiua principia, de quibus eodem autore dubitare non licet, nisi his quorum labor in eo versatur, ne quid sciant. Nam sicut quædam se corporeis sensibus ingerunt, vt apud sensatos, latere non possint. Quædam subtiliora sunt, vt nisi familiarius adhibita & prospecta diligentius & pertractata sint, non sentiantur. Sic suot aliqua tanta sui luce perspicua, vt latere non possint rationis aspectum, sed communiter videantur ab omnibus, magis tamen & minus pro capacitate & viribus singulorum. Alia quædam sunt, quæ quasi quodam scrutinio indigent, & quia istorum consecutiua sunt, diligentius perscrutantem latere non possunt. Et his tamen & illis, quædam videntur anteriora esse, quæ ratio Philosophiæ quasi in fidei fundamento constituit, petens, vt in spe proficiendi ea sibi gratuito concedantur. Sic & Geometræ primo petitiones quasdam, quasi totius artis iaciunt fundamenta, deinde communes animi conceptiones adiiciunt: E & sic quasi acie ordinata, ad ea quæ sibi sunt demonstranda procedunt. Sed & petitiones ipsæ adeo consentiunt rationi, vt proteruire videatur, quisquis eas vel hosti non concedit. Hic tamen nequaquam agitur de his, quæ ad cultum religionis pertinent, quoniam & ibi nonnulla quodammodo petuntur, quæ vt fides amplius mereatur, experientiam rationis excedunt, sed hæc ipsa etsi ratio non vrgeat, debentur pietati. Vt enim sacramentis, vbi ratio deficit adhibeatur fides, multis beneficiis, magnisque miraculis promeruit Christus, cui non credi impium est, sicut à probabilibus dissentire pertinaciter, proteruum est. Quis enim nisi insanus, aut proteruus, negauerit, quin ab omni puncto, ad omne punctum oppositum possit linea recta protendi? Nam sicut in ædificiis necesse est aliquid fixum esse & stabile, cui erigenda structura possit inniti, sic in omni doctrina aliquod stabile initium procedendi necessitas consultissimæ rationis exposcit. F Alioquin quicquid opifex adiicit, nutat ac si in lubrico arenæ, aut bituminis quis ædificet, aut scribat in fluminis lapsu. Nam incertis certiora faciunt fidem. Si ergo nihil sequitur, nisi aliud antecedat, si motus omnis à quiete procedit quis potest ei probationis esse processus, qui nusquam quiescit, aut nulli acquiescit? Ei namque cui omnia probabilia sunt, nihil probari potest. Sed eorum quæ perspicua sunt, alia sunt omnibus nota, alia doctioribus tantum, vnicuique secundum propriam facultatem. Nam numerum omnem parem esse, vel imparem, ita publice notum est, vt nec pueros lateat quibus licentia ætatis indulget

Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Ædificare casas, plostello adiungere mures.

Hoc autem quod omnis multiplex quoto loco distat ab vnitate, tot super particulares sui generis antecedit, his duntaxat innotuit, qui numeris operam impenderunt. Mathematicus autem consoltior nouit, quia diuersa sunt id quod est, & esse rei. G Et sic in singulis disciplinis, quædam suis opificibus innotescunt, quæ non modo vulgo, sed aliis Philosophis occultantur. Habet & religio quælibet principia sua quæ aut ratio communis, aut pietas persuasit, quibus proficit in cultu Dei, & morum exercitio, ad beatitudinem obtinendam. Est autem vnum omnium religionum principium, quod pietas gratis & sine vlla probatione concedit, Deum scilicet potentem, sapientem, bonum, venerabilem, & amabilem esse. Nam Epicureorum Deum esse negantium, & casui subiicientium omnia, iam pridem autore Deo homine, explosa sententia est. Obuiare ergo principiis, aut rebus per se notis, sine de his ambigere, insensati est aut vecordis, siue quod deterius est, criminosi. Sed hæc de his dubitare licet, quæ ex principiis consequuntur, dum ea tamen sequi planum sit. Interimnamque sunt quæstionibus agitanda, dum illorum ad principia vel consecutiua eorum, cohærentia † pareat. Nam de singulis istorum dubitare non est inutile. H Et quidem in talibus, donec apprehenderent veritatem Academicorum probabilium disceptatio versebatur. Quid enim refert, aut quorum interest, si qui semper & omnia quærebant, discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, quia nihil certum habere nouerant? Hanc ergo legem Academicorum præscribit Cicero, vt cui philosophandi propositum est, dum res obscura est quærat, dum probabiliter elucescit veritas, acquiescat. Ait enim: Nos qui sequimur probabilia, nec vltra id quod probabile occurrit, progredi possumus, & refellere sine iracundia, & refelli sine pertinacia parati sumus. Hæc enim duo inuentioni veritatis plurimum aduersantur, si aut vera dicenti quis succenseat, aut pertinaciter in falsitatis defensione laboret. Nam vt ait Ethicus,

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Et veritas ipsa incarnata recessit ab eis, qui in Corozaim & Bethsaida Spiritui sancto pertinacius restiterunt. Sed & Iudæos pertinacia excæcauit, vt adhuc oculos eorum velum templi teneat, quod Domino patiente scissum est à summo vsque ad deorsum.

† al. physicis.
† al. non.

Cap.

A

Cap. VIII.

Quod virtus vnica via est philosophandi, & eundi ad beatitudinem: & de tribus gradibus accedentium, & de tribus sectis philosophorum.

Veruntamen, quia non omnes omnia possunt, & spiritus vbi vult spirat, & frequens est eorum quæ à doctoribus proferuntur, multitudinis sit multiplex intellectus, ex verbis Socratis & Platonis, sectæ multæ profluxerunt; omnes tamen ad vnum, sed quasi per varias semitas properantes. Illud autem quo omnium rationabilium vergit intentio, vera beatitudo est. Nemo etenim est, qui non velit esse beatus; sed ad hoc quod desiderant, non vna via omnes incedunt. Vna tamen est omnibus via proposita, sed quasi strata regia, scinditur in semitas multas. Hæc autem virtus est. Nam nisi per virtutem, nemo ad beatitudinem pergit. Citra virtutis opera forte quis, & procul dubio sine operibus ad beatitudinem trahitur, sed eo nullus, nisi virtutis passibus pergit. Virtus ergo felicitatis meritum est, felicitas virtutis præmium. Et hæc quidem bona sunt summa, alterum viæ, alterum patriæ. Nihil enim virtute præstantius, dum exul peregrinatur à Domino, nihil felicitate melius, dum ciuis regnat & gaudet cum

B

Domino. Sunt autem hæc omnibus aliis præstantiora, quia virtus omnia agenda, felicitas omnia optanda complectitur. Felicitas tamen virtuti præstat, quia in omnibus præstantius est, propter quod aliquid, quam quod propter aliquid. Non enim felix est quis vt recte agat, sed recte agit, vt feliciter viuat. Vnde & Socraticum illud in Saturnaliorum libro laudatur: Multos homines propterea velle viuere, vt ederent & biberent; se bibere atque esse; vt viueret. Vnum igitur & singulare summum omnium bonorum beatitudo est, sed ab eo est aliud quodammodo quorundam † collatione summum, & eo ipso superius aliis, quod ad † aliud quod vere singulariter & vnice summum est, familiarius accedit. Ceterum ad neutrius apprehensionem, nisi philosophia duce, humana infirmitas conualescit. Quisquis enim sine ea ad beatitudinis viam tendit, quasi cæcus in lubrico tendens ad alta præsumptuosus cadit. Vnde eam diuinarum & humanarum rerum compotem esse, Chrysippus asseruit, nec vnquam satis posse laudari, quæ vitia expellit, virtutes ostendit & confert, & in humana infirmitate diuinam quodammodo reparat integritatem. Et vt sensum suum expressius proferat, omnes qui nun ab illa, vel ad illam vigilant, quod tamen ab illa est, brutis animalibus dicit esse conformes, imo & stupendum contra naturam miraculum, in corporibus humanis brutos homines esse. Tria vero genera hominum, qui homines sunt: alios enim brutos esse asseruit. Alij enim iam iocunditate sapientiæ perfruuntur, & hi sapientes sunt, alij accedunt vt fruantur, & hi sunt philosophi, alij adspirant ad accendendum, scilicet quo nondum sunt, & esse philosophi concupiscunt. Constat enim esse quam plurimos, qui nondum philosophantur, & vitam philosophorum si non opere, saltem desiderio æmulantur. Ego sententiam eius tanto securius approbo, quanto eam mihi videre videor sancti Spiritus autoritate subnixam, dicente Propheta: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. In quo mihi tres præmissos ordines manifeste videtur expressisse. Cum enim Plato sapientem dicat esse cultorem Dei, quis alius habendus est sapiens, quam ille qui moratur in iustificationibus Domini, & mulcente se conscientia bonorum operum, veræ felicitatis saporem, tota mentis auiditate iam prægustat & sentit? Proculdubio nequaquam illius expers est, cui agnita beatitudo dulcescit, & ei expetibilium cumulus adest, qui in vita gustat & videt quam suauis est Dominus. Philosophus autem, cuius intentio dirigitur illuc, vt sapiat, eodem autore amator Dei est, & vitia subigens, rebus agnoscendis applicat animum, vt

al. celle

C

il one.

al. illud

D

E

his agnitis ad veram beatitudinem possit accedere. Hæc enim hominem beatum faciunt, si & vitiorum soluantur vincula, & quasi quibusdam gradibus contemplationis, lucidum & indeficientem fontem boni detur inuisere. Nam

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Et vt ait Poeta, Nobis enim vndecunque proueniant, placent incitamenta virtutum.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitiisque iocisque
Altius humanis exeruisse caput.
Nam Venus & vinum sublimia pectora fregit,
Officiumque fori militiæue labor.
Nec leuis ambitio, perfusaque gloria fuco,
Magnarumque fames sollicitauit opum,
Admouere oculis distantia sydera nostris,
Ætheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur cælum, non vt ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sydera tangat apex.

F

Nullum tamen officium est militiæ aut domi, quod non Philosophia pertractet, quippe quæ sola excludit vitia. & sine qua nul recte foret homines geri potest. Sicut autem morari in iustificationibus, id est in expletione mandatorum Dei, sapientem facit, nam & propheta dicit, A mandatis tuis intellexi, sic animum explendis aptare, eadem philosophia verissima est. Sed sunt qui nondum explent, aut aptantur explendis, approbant tamen quod suscipiunt in aliis, & illis autore Deo desiderant conformari. Est ergo gradus eminentissimus eorum, qui in iustificationibus occupantur, medius quorum animus expeditus est à vitiis, vt ex amore occupetur in illis, infimus, qui desiderant expediri, vt hoc ipsum concupiscere possint. Qui etsi non sint, desiderant tamen esse philosophi. Horum personam induerat propheta, dicens: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Eius namque tanta est pulchritudo, quod si, vt ait Plato, videri posset oculis corporis, amore sapientiæ mirabiliter homines inflammaret, adeo quidem, vt primo aspectu necesse esset omnes in amorem incidere. Hanc amat & exquirit à iuuentute sua fidelis anima, cuius senectus constat in grauitate morum, & puerilis ætas, in ignorantia & lubrico vitiorum. Super salutem, inquit, & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam: venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Si ergo bona omnia sapientiæ accessoria sunt, & philosophia studium sapientiæ, profecto philosophandi contemptus bonorum omnium exclusio est. Vnde colligitur, quod quanto quis philosophiæ diligentius insistit, eo fidelius & rectius ad beatitudinem pergit. Nam virtutes quibus itur in singulis officiis illa dispensat. Sed quia veteres, licet ex parte animas crederent immortales, vitæ æternæ, quæ post istam futura est, nondum instructionem acceperant: summum bonum in virtute constituerunt, quo plane nihil melius est, nisi frui eo, qui summe bonus, & summum bonum est. Vsus enim virtutis optimus est, & vtendi Deus ipse est fructus. Cum vero virtus sola beatum faciat, ad thronum eius sumpta occasione, ex traditionibus doctiorum per varios calles ascendere conati sunt. Stoicus enim vt rerum contemptum doceat, in mortis meditatione versatur. Peripateticus in inquisitione veri voluptatur. In voluptatibus Epicurus. Et licet ad vnum tendant, varias sententias, quasi vias beatitudinis auditoribus suis aperiunt. De quibus dubitare & quærere liberum est, donec ex † collatione propositorum, quasi ex quadam rationum collisione, veritas illucescat. Sed de his latius in sequentibus dicetur. Nunc sufficiat ostendisse, in quibus Academicos vacillantes liceat imitari.

G

H

al. collisione.

A

Cap. IX.

De arrogantia multitudinis imperitæ: & qualiter legenda sunt ea, quæ prodesse poterunt & obesse, & quod ingenio vel exercitio sine gratia sapientiæ non contingit.

PAuci tamen suot qui Academicorum imitatores esse dignentur, cum vnusquisque pro libitu potius, quam ratione eligat quod sequatur. Alij namque proptiis, alij doctorum opinionibus, alij multitudinis consortio distrahuntur. Quid enim dubitat, qui iuratus in verba magistri, non quid, sed à quo quid dicatur attendit? Quiduis enim elattat acriter, & quo imbuta est puerilis ætas, de intimis philosophiæ abditis erutum putat. Paratus & de lana caprina contendere, credens inopinabile, si quid ignotum auribus eius insonuit, nec rationibus acquiescit, quem doctoris captiuauit opinio. B Quicquid ille protulit, authenticum & sacrosanctum est. Ille tamen contradicit citius, & pertinacius reluctatur, qui in paucitate rerum addiscenda, consumpsit ætatem, & tanta verborum angustia premitur, vt si verbum vnum aut duo subduxeris, elinguis fiat, & quauis statua taciturnior. Marmoreum putes, & in auditorio Pythagoræ, aut monachorum claustro, non tam vsum, quam necessitatem silentij didicisse. Si quis istorum in manus tuas forte erudiendus inciderit, merito facies quod Timotheum, qui in arte tibiarum excellebat fecisse refert Quintilianus in libro de institutione Oratoris. Hic quidem duplas mercedes exigebat, & accipiebat ab his, qui fuerant male præinstituti, quam si omnino rudes accederent. Error enim duplicem laborem exigit, cum & delenda sunt peruersæ institutionis semina, & bonæ fidelius sint inserenda. Suspice ad moderatores philosophorum temporis nostri, illos qui altius præconantur, qoos auditorum multitudo circumstrepit, diligenter attende, eos in regula vna, aut duobus aut pauculis verbis inuenies occupatos, aut vt multum pauculas quæstiones aptas iurgiis elegerunt, in C quibus ingenium suum exerceant, & consumant ætatem. Eas tamen non sufficiunt enodare, sed nodum, & totam ambiguitatem cum intricatione sua per auditores suos transmittunt posteris dissoluendum. Eo loci vt congrediaris inuitant, instant, postulantque conflictum; si differs manum conferere, si paululum moraris, insiliunt. Si accedis, si tandem inuitus congrederis, si premis, latebras quærunt, variant faciem, verba distorquent, præstigiis conformant, lubricum & volubilem Protea miraberis rediisse, nisi quod teneri facilius potest, si io eo perstiteris, vt quocunque verba defluant & volitantur, qoid velint intelligas, & quid sentiant in tanta varietate verborum, & tandem vincientur sensu suo, & capientur in verbo oris sui, si substantiam eorum, quæ dicunt, attigeris, firmiterque tenueris. Ea tamen de quibus maxime disceptatur inutiliora, aliis, & aliis viliora sunt, cum patuerint. Si progrederis, si pudet, & piget in nugis diutius occupari, ad diuerticu- D la propositæ quæstionis relabitur, & quasi ad sinum matris recurrens, more Antei, ab eo, in quo genitus & nutritus est, vires reparare contendit. Sic circumit, tot facit anfractus, vt ad vsitata recurrat, ac si labrinthum oporteat circumiri.

Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta,
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur iumento & canibus crucibusque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaueris adfert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis, propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Iouis, & generosæ
In saltu venantur aues, tunc præda cubili
Ponitur: inde autem cum se matura leuabit
Progenies, stimulante fame festinat ad illam,
Quam primam rupto prædam gustauerat ouo.

Si ergo eos à verbis suis suspenderis, fere in omni fa- E cultate, inopiæ eorum poteris misereri. Sunt enim qui præstare videantur in singulis, sunt qui partes philosophiæ vendicent vniuersas: nec minus tamen sunt in singulis philosophiæ copia destituti. Sunt qui ab vna perfectionem sperent, sunt qui vniuersis inuigilent, inopes singularum. Non facile tamen dixerim, quos magis credam esse erroneos, cum nec ab vna perfectio constet, & nemo fideliter queat omnibus inseruire. Qui tamen ab vna petit omnes, ineptior est. Arrogantior qui omnes profitetur, imo ad omnia occupari desidis, est, sed fastidientis & non proficientis, omnia circumire. Ceterum, qui multa percurrit, vt eligat cui sit potius insistendum, circumspectus est & aliis examinatis, prælectioni suæ fidelius seruit. Eo forte spectat præceptum Ethici, legere libros præcipientis. Io bello quoque quo paruuli initiantur, vt virtutis instructio, & vsus teneris ebibitus animis, facile nequeat aboleri, quoniam & testa diutius seruat odorem eius,

F *Quo semel imbuta recens est.*

Ait vel Cato vel alius, nam autor incertus est,

Multa legas facito, perlectu perlege multa.

Quo quidem aliquid esse vtilius ad scientiam adspitanti, facile non crediderim, præter obseruantiam mandatorum Dei, io qua singularis & vnicus indubitanter est philosophandi profectus. Sic tamen omnia legenda sunt, vt eorum aliqua cum lecta fuerint, negligantur, reprobentur nonnulla, aliqua videantur in transitu, ne sint omnino incognita, sed præ omnibus maiori diligentia insistendũ est, iis quæ aut politicam vitam, siue in iure ciuili, siue in aliis Ethicæ præceptis instituunt, aut procurant corporis aut animæ sanitatem. Cum enim illa quæ præcipua est inter liberales disciplinas, sine qua nemo recte docere vel doceri potest, sit in transitu, & quasi à limine salutanda, quis in aliis censeat immorandum, quæ aut intellectu difficiles, aut effectu inutiles, & perniciosæ, non faciunt hominem meliorem? Nam & ea ipsa, quorum vsus necessarius est, si homi- G nem immoderatius occupauerint, perniciosissima sunt. Poetas, historicos, oratores, mathematicos probabilis mathematicæ, quis ambigit esse legendos, maxime cum sine his viri esse nequeant, vel non soleant literati? Qui enim istorum ignari sunt, illiterati dicuntur, etsi literas nouerint. Cum tamen quasi in ios suum vendicant animum, etsi polliceantur notitiam rerum, virtutis tamen dedocent & submouent cultum. Vnde Cicero cum de poetis ageret, vt diligentius audiatur, exclamat: Clamor & adprobatio populi, quasi magni cuiusdam & sapientis magistri, & qoi ad commendationem sufficiat plausu suo, quos vult facit authenticos. At illi, qui tantis laudibus efferuntur, quantas obducunt tenebras! Quos inuehunt metus! Quas inflammant cupiditates! Hi stupra adulteriaque conciliant, varias doli reparant artes, furta, rapinas, incendia docent, quæ sunt aut fuerũt, imo quæ fingi possunt, malorum exempla, proponunt oculis multitudinis imperitæ. Quæ incendia cæli succensi, aut maris inundatio, aut terræ hiatus, tantas fecit H populorum strages, quantas isti faciunt motum? Comicus qoi præ cæteris placet, in Eunucho refert adolescentis libidinem inflammatam, cum tabulam pictam videret continentem, quo pacto Deus, qui cæli templa sonitu concutit, per impluuium auro misso inclusam turre, & septam custodibus corruperit Danaen. Similes io singulis picturas videt, imitatur & laudat multitudo. Nam quæ virtutis incitamenta sunt, rarus spectator attendit.

Ea res quæ in se neque consilium, neque modum
Habet vllum eam consilio regere non potest.
In amore hæc omnia insunt vitia: iniuria,
Suspiciones, inimicitia, induciæ,
Bellum, pax rursum. Incerta hæc si postules,
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, vt cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? Quæ illum? Quæ me? quæ non? Sine modo

Meri

Mori me malim semiet qui vir siem.
Hæc verba vna mehercle falsa lachrymula,
Quam oculos terendo misere vix vi expresserit,
Restinguet: & te vltro accusabis, & ei dabis
Vltro supplicium.

Ad depellendum meretricum contumelias ratio euidens est, quam seruus inducit: sed quicquid in hanc partem loquitur, ita accipitur ac si insanum amatorem reuocet seruus. Eos tamen alibi commendat plurimum idem Cicero, dicens: Poëtas & varios scriptores artium aut rerum gestarum, solus ille contemptibiles facit, qui non veretur contemni. Nam & virtutis habent vsum, & philosophandi materiam præbent. Notant enim non docent vitia, & aut vtilitatis causa grata sunt, aut voluptatis. Sic autem per motum discrimina transeunt, vt virtuti faciant locum. Nam per tela, per ignes, per maris varias procellas, per tot motus, seditiones & insidias populorum, Scyllam pertransiit & Charybdim, vt ad patriam suam saltem in senectute Vlysses repedaret. Socios variis exilij amisit casibus, sed eos aut fortunæ violentia, aut naturæ infirmitas, aut animi voluptas absumpsit. Horum tamen omnium, iocunda relatio est. Nam vel amici præmissus casus, etsi amarus sit, proficit ad cautelam. Et quo familiarior fuit cum labente societas, eo casus quemque magis absterret. Siquidem exemplis sæpe magis proficitur, quam præceptis. Mala enim vitantur facilius, quo fidelius præcognita fuerint. Vix & quodammodo solus euasit Vlysses, sed ad Philosophiæ iocunditatem, & quasi propter as voluptates, pauciores euadunt. Consonat ei, si Lyricum conticente lyra dignaris audire, Flaccus, aut si mauis Horatius, qui plus honestatis & vtilitatis se apud Mæonidem inuenisse gratulatur, quam plurium Stoicorum sit præceptis expressum. Ait enim:

Troiani belli scriptorem Maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi,
Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Pulchrius & melius Chrysippo & Crantore dicit.
[Cur ita crediderim nisi quid te detinet, audi]
Fabula qua propter Paridis narratur amorem,
Græcia barbariæ lento collisa duello
Stultorum regum & populorum continet æstus
Antenor belli censet præcidere causas.
Quid Paris? vt saluus regnet viuatque beatus,
Cogi posse negat.
Seditione, dolis, scelere atque libidine, & ira,
Iliacos intra muros peccatur & extra.
Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.

Ego autem in illorum sententiam facillime cedo, qui non credunt sine lectione autorum, posse fieri hominem litteratum. Literarum tamen copia nequaquam philosophum facit. Gratia siquidem est, quæ ad sapientiam sola perducit. In summa siquidem copia literarum, aut ignorantia interdum, aut negligentia veritatis est, sine qua impossibile est quemquam fieri sapientem. Vnde & doctor ille Ecclesiæ, cuius nemo satis memor esse potest, Augustinus, Varronem arguit, quem tamen vt literatissimum fuisse docet, ait post cætera, quibus singulari præconio commendatur: Denique & ipse Tullius, huic tale testimonium perhibet, vt in libris Academicis dicat, eam quæ ibi versatur disputationem, se habuisse cum M. Varrone, homine, inquit, omnium facile acutissimo, & sine dubitatione doctissimo. Non ait eloquentissimo vel facundissimo, quoniam reuera in hac facultate multum impar est, sed omnium facile acutissimo, & indubitanter doctissimo. In primo autem libro, cum eiusdem Varronis literaria opera prædicaret, nos, inquit, in nostra vrbe peregrinantes, errantesque tanquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, vt possemus aliquando qui & vbi essemus agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, & causas aperuisti. Iste igitur vir tam insignis excellentisque peritiæ, qui tam multa legit, vt ei aliquid scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quam multa vix quenquam legere credamus. Iste inquam, vir tantus ingenio, tantaque doctrina, si rerum velut diuinarum, de quibus scribit, oppugnator esset, atque destructor, easque non ad religionem, sed ad superstitionem diceret pertinere, nescio vtrum tam multa in eis ridenda, contemnenda, & detestanda conscriberet. Cum ergo viri acutissimi, & sine vlla dubitatione, Cicerone teste, doctissimi, superstitio scriptis propriis eam conuincentibus arguatur, constetque superstitionem falsitatis vitio, virtuti, quæ in sola veritate consistit, esse oppositam, & sapientiam sine virtute esse non posse, quis ex sola lectione, nisi adsit gratia illustratrix, viuificatrix virtutum, credat posse fieri hominem sapientem?

Cap. X.

Omnes scripturas esse legendas, & de benedictione quæ primigenitis data est, & filiis Noe, & quod rationi autoritas nullius gentilium præiudicet.

Omnes tamen legendas scripturas probabile est, nisi sint reprobatæ lectionis, cum omnia non modo quæ scripta, sed etiam quæ facta sunt, ad vtilitatem hominis, licet eis abutatur interdum, instituta credantur. Nam & Angeli quodammodo propter animam, mundus corporeus secundum assertionem patrum, ad corporis vsum institutus est. Ab initio benedixit Deus homini, dicens; Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Et adijciens omnem herbam afferentem semen, & vniuersa ligna in vsu suo (nam à carnis edulio, ante diluuium creduntur abstinuisse) concessit eis in cibum. Illis quoque quos à peste diluuij arca præfiguratrix Ecclesiæ liberauerat, benedixit, & legem dedit, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur in terra, omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum. Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Ecce quia primogenitis & filiis Noe, eadem benedictionis collata est gratia, eadem autoritas dignitatis, eadem & ciborum fere concessa est indulgentia. Augmentum namque & multiplicatio, gratiæ † delationem exprimit, dominium terræ, & bestiarum terror, priuilegium potestatis, victualium vniuersitas, est indicium libertatis. Omnia siquidem munda mundis. Nec recolo huius benedictionis priuilegium alio indultum tempore, quam quo innocentia per creationem data est, aut per medicinam sacramenti vel pœnitentiæ reparata. Nam & is statim post diluuium, & illis ante peccatum, ideo forte dictum est: Crescite & multiplicamini, vt illius duntaxat augmentum & multiplicatio acquiratur, quod Deus homini contulit per naturam, aut reformauit per gratiam. Hoc autem & crescere iubetur in se, & quodammodo multiplicari in sobole. In se quidem ad meriti profectum, in sobole, numerosa quadam propagatione virtutum. Cum vero natura sit vitiata per culpam, vt crescere aut multiplicari iubeatur, non memini. Licet autem quæ præmissa sunt, stare queant ad literam, cum omnia in vsum vitæ hominis cedant, & ea ipsa quæ videntur esse mortifera etiam visu, odoratu, auditu, nedum tactu vel gustu, qualia sunt nocentius venenosa, cibus sint hominis, aut eius vel tantum in cibum; poterit tamen & alium sensum scrutator mysticus inuenire. Sensum tamen historicum roborat, quod pisces sanissimos, & feras quorum carnes vtilissimæ sunt, vi-

† al. dilatationem.

demus crebro venenatissima reptilia deuorare, & ipsa venena inseruntur medicamentis, quibus non modo natura sustentatur humana, sed etiam infirmitas conualescit. Cum vero primum sit excutiendus sensus historicus, quicunque animum vel ad fidem, vel ad opera fidei, quæ sunt boni mores, magis informat, laudabilior & plane vtilior est. Hoc enim lectione semper quærendum est, vt homo seipso melior iugiter fiat. Verum cum litera præcedens, vtiliter ad multa possit referri, & ad hoc posse aptari consentio, vt per gratiam ex benedictione Dei collatam, ad virtutis incrementum & multiplicationem, liberum excitetur arbitrium, & virtutibus multiplicatis per gratiam, adiiciatur subiectio terræ, quam cum in se ipso homo subiecerit, dominium sui, aliorumque consequitur, vt cunctis animantibus prælatus, timorem & tremorem incutiat omnibus, quæ mouentur in terra. Sunt ergo ei cuncta in cibum, quia in omnibus creaturis, ei verba salutis suæ loquitur Dominus. Plane cibatur in cunctis, quibus ad vitam vel mores componendos vita hominis proficit. Constat enim quod omnis ædificatio morum à Domino est, & cum quis aut virtutem, aut ab opere, aut à verbo, aut quocunque modo instruitur, concessis sibi à Domino vtiliter cibatur. Omnis enim instructio salutis, quodammodo verbum Dei est; & à quocunque veritas doctrinæ proferatur, acceptanda est, eo quod veritas incorrupta semper & incorruptibilis est. Ante diluuium & post, dum sanguine, in quo sedes est animæ, abstineatur, concessus est omnium vsus; & ante baptismum & post, dummodo peccatum vitet, nemo vndecunque instrui prohibetur. Si Apostolus est aliquibus odor mortis in mortem, quid prohibet, & vasa mortis alicui prodesse ad vitam? Cum ergo dicitur quicquid vis præter sanguinem comede, perinde est ac si quadam imagine dicatur, dummodo vitia fugias, quod volueris lege. Sicut in escis carnalibus quædam sunt quæ digeruntur vtiliter, quædam vertuntur in crudos humores alia per vim expulsiuam eiiciuntur omnino, quædam sunt, quæ sanis, si tamen modestè sumantur, conferunt; & obsunt ægrotatiuis: quædam debilioribus faciunt minus, tamen conducunt sanis & sanatiois. Nam hæc ipsa non adeo naturam corroborant: delicatiora siquidem minus nutriunt, magis communia, & alimenti, vt ita dixerim, pinguioris. Sic & in libris sunt quæ omnibus prosunt, dum tamen legantur modestiâ dispensante, vt quæ nihil continent nisi ædificationem fidei & morum. Sunt quæ solidioribus animis faciant, habenda quidem procul à lectione simplicium; sunt quæ natura bonæ mentes omnino eiiciant: sunt quæ digerant in vsum morum, aut eloquentiæ: sunt quæ indorent animam, & in fide & bonis operibus solam faciant eruditatem. Vix autem inuenietur scriptum, in quo si non in sensu vel in verbis, non reperiatur aliquid, quod prudens lector emittit. Cæterum libri Catholici tutius leguntur & cautius; & gentiles simplicioribus periculosius patent: sed in vtrisque exerceri fidelioribus ingeniis vtilissimum est. Nam exquisita lectio singulorum, doctissimum, cauta electio meliorum, optimum facit. Vt enim in libro Saturnaliorum, & in epistolis Senecæ ad Lucilium legitur, apes quodammodo debemus imitari, quæ vagantur, & flores carpunt, deinde quicquid attulere, disponunt, & per fauos diuidunt, & succum varium in vnum saporem mixtura quadam & proprietate spiritus sui mutant. Nos quoque quicquid diuersa lectione quæsiuimus, conuertamus in vsum virtutis, vt omnia in ordinem gerendorum rationis iudicio digerente coalescant. Nam & in animo melius distincta seruantur, & ipsa distinctio, non sine quodam fermento, quo conditur vniuersitas, in vnius saporis vsum varia libamenta confundit, vt etiam si apparuerit vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quam vnde sumptum noscetur, appareat, quod in corpore nostro facere videmus, sine omni opera, nostram naturam. Alimenta quæ accipimus, quamdiu in sua qualitate perseuerant, & solida innatant, malo stomacho oneri sunt. At cum ex eo quod erant, mutata sunt, tum demum in vires transeunt. Sanguis enim ex diuino mandato diducitur, dum vitia declinantur. Pastor Ecclesiæ reptilia & immunda mactare præcipitur, & comedere: quod licet ad vocationé gentium proprie referatur, vel exempli conformitate docere potest, vt iugulatis erroribus gentilium dogmata nequaquam horreamus. Dum innocentiam, frugalitatem, contemptum mundi docent Pythagorici audiantur; dum animas, quas in cœlum euexerunt, retrudunt in corpora bestiarum, iuguletur vel Plato. Nam in eo Pythagoram nimis secutus est, quod sicut mortuos ex viuis, ita ex mortuis reciproce viuos fieri docuit, & per varia corpora pro morum qualitate migrare. Vnde illud:

Ipse ego nam memini Troiani tempore belli,
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore læuo
Hæsit ab aduerso grauis hasta minoris Atridæ.

Sic ergo legantur, vt authoritas non præiudicet rationi, nam & vrtica dum legitur rosa, quamque manum tangentis vrit. Sapientia siquidem fons quidam est, de quo egrediuntur flumina, quæ irrigant omnem terram, & non modo hortum deliciarum diuinæ paginæ replent, sed etiam ad gentes pertranseunt, vt nec etiam Æthiopibus omnino desint. Inde sunt floridi redolentes & fructiferi gentium horti: quos si forte simplex lector ingreditur, semper poetici illius meminerit,

Qui legitis flores & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Nam & poma Hesperidum, quæ Draco peruigil seruat, nullus asportat ignauus, aut qui scripturas, non quasi vigilans legerit, sed quasi dormitans somniauerit, ac si ad finem legendorum vtens calcaribus properet. Cæterum quia fidelis lector, & prudés, & qui literis ex amore inuigilat, vitia semper excludit, & in omnibus accedit ad vitam. Hinc est illud doctoris doctorum Hieronymi; Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Cap. XI.

Quid sit vere philosophari: & ad quem finem scripturarum vergat intentio.

HOc autem reuera Philosophari est, & hic est multæ lectionis iucundissimus & salubertimus fructus. Ipsa siquidem rerum omnium continet disciplinam, & omnium moderatrix vniuersis humanæ vitæ actibus, & verbis, & cogitationibus modum & terminos ipsa constituit. Est tamen cui nec ipsa nouit terminum præfinire. Est cui in eo præscribit modum, vt non habeat modum. Quicquid agit aut loquitur; illuc tendit quod apud recte philosophantes non habet terminum. Nam & eius substantia in eo consistit, vt illud nequaquam terminetur. Si enim secundum Platonem Philosophus Dei amator est, quid aliud est Philosophia, nisi diuinitatis amor? Hoc est vtique quod terminari vult ne & ipsa quod non expedit, finiatur. Quod enim finitur, esse desinit: & si amor Dei extinguitur, philosophiæ nomen euanescit. Sic & incarnata sapientia Dei, cum multis præscribat modum, Deum sine modo præcipit diligendum. Nisi quia charitati modus ille præscribitur, vt Deus sine termino amoris diligatur. Qui enim ait: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, idem præmisit, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, idem quoque adiecit. In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ. Si ergo omnia quæ scripta sunt, Prophetis famulantur & legi, id est, si omnis doctrina illuc tendit, vt homo subiectus sit legi Dei, quis ambigit ad regnum charitatis vniuersa referri? Qui vero philosophando charitatem acquirit, aut dilatat, summum philosophantis assecutus est finem. Hæc est itaque vera & immutabilis philoso-

A phantium regula, vt sic in omnibus legendis aut discendis, agendis, aut omittendis, quisque versetur, vt proficiat veritati & charitati. Ipsa vero nunquam inanis aut sola est, sed honestatem, modestiam, cum sobrietate pudicitiam, & aliarum venerabilium virtutum cœtum in ipsum hominem, quem pietati consecrat, quasi in templum Domini introducit. Quicquid aliorsum vergit in artibus, siue quibuscunque scripturis, non philosophiæ dogmata, sed inanes fabulæ sunt & figmenta eorum super quorum impietatem ira Dei de cœlo reuelatur. Quicquid illi garriant, recte philosophanti ineptum videtur, insipidum & insulsum. Audi non me, sed prophetam dicentem de talibus; Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Loqui ergo vera & iusta philosophantibus & non philosophantibus commune est. Vera & falsa loqui, bona & mala docere, non philosophantium est. Sed & recta interdum docet vanus philosophi imitator; sed qui recta quæ
B docet sequitur, vere philosophus est.

Cap. XII.

De ineptiis nugatorum, qui sapientiam verba putant: & quod aliter legendi sunt libri diuini, aliter gentiles.

ERrant vtique & impudenter errant, qui philosophiam in solis verbis consistere opinantur. Errant qui virtutem verba putant, vt lucum ligna. Nam virtutis commendatio consistit ab opere, & sapientiam virtus inseparabiliter comitatur. Vnde constat, quia illi qui verbis inhærent, malunt videri quam esse sapientes. Plateas circumeunt, terunt limina doctiorum, quæstiunculas mouent, intricant verba, vt suum & alienum obducant sensum; paratiores ventilare, quam examinare si quid difficultatis emersit. Verentur ta-
C men prodere imperitiam suam iactatores sapientiæ, non amatores, & id quod nesciunt, prauo pudore nescire, quam quærere & discere malunt, præsertim si adsunt
al. desunt. alij, quibus notum [arbitrentur quod ipsi nesciunt: falsum tamen] eorum ferre non poteris, de omni materia loquuntur subito, diiudicant omnes, culpant alios, seipsos prædicant, iactant se inuenisse de nouo, quod tritum est ab antiquis, & testimonio librorum per ætates multas ad tempora nostra perductum. Verba multiplicant, vt sæpe minus intellecti sint onere, & multitudine verborum, quam rerum difficultate. Cum enim ne intelligeretur effecit, arbitratur se meruisse, vt præ cæteris philosophus videatur. Et sæpe qui paucissima nouit, proponit plurima, quæ nec ipse Pythagoras sufficeret explanare. Interdum eadem replicat & reuoluit. Et quia non habet, quo diuertat, laborat misere, idem terit, & easdem circuit auras; dum enim procul audias, tertium Catonem è cœlo mitaberis cecidisse: Quemlibet enim hominem
D attulisse videbitur. Si professionem quæras, & artem, est

Grammaticus, Rhetor, geometer, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia nouit,

& esuriente Græculo longe præstantior. Nam & si iusseris ibit in cœlum, & Dædalo doctior, teipsum quo volueris incolumem per inane traiiciet. Accede vt docearis, quid in scriptis suis autores senserunt diligenter inquire, excute literam; statim increpabit duritiam tuam, & asino Arcadiæ te dicet tardiorem, Plumbo hebetior es, dum quid in litera lateat interrogas. Littera inutilis est, nec curandum est, quid loquatur. Si instas, moneberis fugere, quoniam perniciosa est, & occidit. Caue ne serpens sit, qui terram comedit omnibus diebus vitæ suæ. Aut ludendum, aut fabulandum; aut disceptandum est tibi. Nam qui verbosior est, videtur doctior. Nec curandum est, vnde aut quid, de quo sentiat, aut proferat aliquis, dum loquatur. Nec refert qua quisque ratione nitatur, dum
E non instantiam, sed vmbram eius quisque dare sufficiat. Quid verum aut fasum, quid probabile aut quid non probabile sit, frustra quæritur, cum omnibus imago probabilium proferatur. Statue quod volueris, statim illud aliqua similitudo euacuat. Nam quod obtinet in vno simili, velis nolis in alio obtinebit. Constat tamen quod vero simile est, non statim esse verum, & quod falsum videtur, non falsum esse semper. Si propositorum similium dissimilitudinem niteris aperire, rem inanem aggrederis. Aut enim te vel clamore præpediet, aut superfluam operam deridebit; cum omnium similium aliquam dissimilitudinem esse oporteat, Alioquin non tam similia, quam eadem merito esse dicentur. Docere cur ita non sit, non modo friuolum, sed irrisione dignissimum iudicatur. Statim quæritur an velis concionari. Dicunt se vt Peripateticum, non † Hermogaram audiant, conuenisse;
al. Emargorum. cum tamen deambulatione & circumitione viarum, po-
F tius quam diligenti inuestigatione rerum, Peripateticos imitentur. Si tamen hæc ad copiam eloquentiæ comparandam exerceatur disceptatio, & similia & dissimilia conquirantur. Exercitium quidem laudabile est, & quo aliud esse conducibilius iuuentuti, non facile dixerim, dummodo fallaciarum nube multiplici, sibi nequaquam perstringi oculos patiantur. Nihil enim vtilius, nihil ad gloriam aut res acquirendas commodius iuuentuti, quam eloquentia, quæ ex eo plurimum comparatur, si rerum in mente, & in ore copia sit verborum. Verba namque proferre rebus incognitis, desipientis potius quam docentis est, aut discentis. Multos videbis huiusmodi, qui totum longo deriment sermone diem, & nihil omnino dicunt, aut minimum. Tu fessus es audiendo, & is nisi verbosior esset, loquendo perfatigari potuerat; quo tamen tendat, aut quid velit, nondum intelligis; tu finem expectas, ille nondum initium fecit. Perfer tamen, vt videas qua exiturus sit; recollige tandem, quæ con-
G texuit, & occurrent tibi velut ægri somnia, vanas fingentis species, vt nec pes, nec caput, vni reddatur formæ. Turbati cerebri hominem credas, & qui ex defectu rationis linguam continere non possit. Putes eum noctes continuare insomnes, & sopita ratione, melancholiam solam in eo excitatam. Si forte miseratione ductus, ei modestiam persuaseris; succendetur, & quælibet in quemuis finget opprobia, compatientibus & deridentibus æquè conuitiabitur; nec amicus nec hostis ab eo consputus abscedet. Si cœpisti perferas necesse est, aut procacis linguæ sustinebis iniurias. Desiste ergo, nisi sordida lingua malueris inquinari. Nam & immunda quo magis mouentur, eo amplius fœtent. Viri prudentis dictum agnosces, quia

Vesanum tetigisse timent, fugiuntque poetam,
Qui sapiunt, agitant pueri, incautique sequuntur.

Licet autem apud priuatos, aut serio viuentes, homo huiusmodi rectissime videatur inutilis, commodus tamen
H est in cœtu multitudinis, quæ hilaritatis & iocularis lætitiæ materia gaudet. Optimum enim instrumentum est ad risus conciliandos, & efficacior quouis mimo. Vt venenum eius effugias, patientiam indicas auribus, morem geras insano, qui nulli parcit, & si eum forte vis reprimere, benignissime obsecra, vt in docendo aut disputando sententiæ plus apponat, & eam verborum deductione compenset. Nam qui verba eius, & res temporis opportunitati contemperat, modestissimum totius eloquentiæ regulam tenet. Illa vero copia laudem parit, cui veritas virtuti, & omnibus officiis amica consentit. Multa siquidem & fallaciter loqui, nugigeruli est, & famam omnino negligentis, & in se virorum grauium prouocantis odium & contemptum. Nam & spiritus sapientiæ author est, quia qui sophisticè loquitur odibilis est. Non mediocris tamen vtilitas est, in deprehendendis importunitatibus sophisticis, sine quarum notitia quisquis ad examinationem veri & rerum ventilationem progreditur, quasi miles inutilis est, qui aduersus

exercitatum, & instructum hostem, procedit exarmatus. Licet ergo ad exercitium colloquentē vicissim fallere, & quasi in campiductorum schola inter ciues ocularem militiam exercere: sed vbi se colloquentium intentio, ad Philosophiæ sobrietatem exigit, importunitates sophisticæ delitescunt. Et si forte ab alterutra parte emerserint, sic à sapientibus corripiuntur, sicut in republica inter contrahentes dolus malignantium coërcetur. Cæterum verba rebus, res temporibus contemperare, & interuenientes fallacias prudenter arguere, non paucorum dictum est, aut leuis opera. Vnde plurimi accedentes, retrorsum abeunt, & aliquam vestium philosophiæ portiunculam præferentes, gloriantur apud indoctos, ac si in iurisdictionem eorum tota concesserit. Vt enim ait quidam, (verbis namque manentibus nomen excidit.)

Gnatho quisque duas post quam scit iungere partes,
Sic stat, sic loquitur velut omnes vouerit artes.

De generibus & speciebus nouam adfert sententiam, quæ Boëtium latuit, quam doctus Plato nesciuit, & quam iste felici sorte in secretis Aristotelis nuper inuenit. Veterem paratus est soluere quæstionem, in qua laborans mundus iam senuit, in qua plus reiopotis consumptum est, quam in acquirendo & regendo orbis imperio consumpserit Cæsarea domus; plus effusum pecuniæ, quam in omnibus diuitiis suis possederit Crœsus. Hæc enim tamdiu multos tenuit, vt cum hoc vnum tota vita quærerent, tandem nec istud nec aliud inuenirent. Et forte ideo, quia curiositati non sufficiebat in eis, quod solum potuit inueniri. Nam sicut in vmbra cuiuslibet corporis, frustrà soliditatis substantia quæritur; sic in his quæ intelligibilia sunt, duntaxat & vniuersaliter concipi, nec tamen vniuersaliter esse queunt, solidioris existentiæ substantia nequaquam inuenitur. In his ætatem terere, nihil agentis, & frustra laborantis est. Nebulæ siquidem sunt rerum fugacium, & cum quæruntur audius, citius euanescunt. Expediunt hanc autores multis modis, variisque sermonibus; & dum indifferenter verbis vsi sunt, varias opiniones inuenire * visi sunt, & litigiosis hominibus multam contendendi materiam reliquerunt. [al. nisi.] Inde est quod sensibilibus, aliisque singularibus apprehensis, quoniam hæc sola veraciter esse dicuntur, ea in diuersus status subuehit, pro quorum ratione in ipsis singularibus specialissima generalissimaque constituit. Sunt qui more mathematicorum, formas abstrahunt, & ad illas quicquid de vniuersalibus dicitur, referunt. Alij discutiunt intellectus, & eos vniuersalium nominibus censeri confirmant. Fuerunt & qui voces ipsas genera dicerent & species: sed eorum iam explosa sententia est, & facile cum autore suo euanuit. Sunt tamen adhuc qui deprehenduntur in vestigiis eorum, licet erubescant authorem vel sententiam profiteri, solis nominibus inhærentes, quod rebus & intellectibus subtrahunt, sermonibus adscribunt.

Magno se iudice quisque tuetur,

& ex verbis autorum, qui indifferenter nomina pro rebus, vel res pro nominibus posuerunt, suam adstruit sententiam vel errorem. Oriuntur hinc magna seminaria iurgiorum, & colligit quisque quo suam possit hæresin confirmare. A generibus & speciebus nequaquam receditur, sed eo applicabit, vndecunque institutus sit sermo. Poëticum illum te subito miraberis inuenisse pictorem, qui ad omnia quæ necessitas exigit, scit fortasse simulare cupressum. Desipit ita Rufus in Næuia, à qua eum, teste coquo, nullus casus auertit. Nam.

Quicquid agit Rufus, nihil est nisi Næuia Rufo,
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit, vna est
Næuia: si non sit Næuia, mutus erit.

Res illa ad philosophandum videtur aptior, in qua liberior est licentia fingendi quod volueris, & minor ex rei difficultate, aut disceptantium imperitia, certitudo. Sæpe sicut ad hostem impediendum, facilius salebras & angustias transeundi miles cautus obseruat, sic difficiles quis aut à scripturis aut à rationibus excitat quæstiones, aut si aliud propositum est, ex industria in eas, quasi ex incidenti prolabitur. Et si satisfacere non sufficis, quia nemo est, qui omnia quæ etiam ab imperitis quæruntur, sufficiat explanare, statim annuit oculis, distorquet vultum, brachium iactat, clamat, salit, & transfiguratur gestibus, qui in quouis histrione vel mimo videantur inepti. Non vtique satisfacies, nisi ei respondeas verbis suis, & id tantum dicas, quod consueuit audire. Ipse tamen licet scrupulosior sit, totius est solutionis ignarus. In vno tamen fortasse sibi prospexit cautius, quod in marsupio omnia quibus inflatur, ingessit. Facile tamē & quasi acu vesicam hanc perforando, quid quid loquacitatis in follibus imperiti gutturis resonabat, interdum vno sapientis verbulo acquiescit. Nec illos ad philosophandum crediderim aptiores; qui omni verbulo longam orationem subiiciunt, ac si ad omnia quæ quæruntur, sermo sit ad populum faciendus. Regulariter siquidem proditum est, quod qui plus vel minus respondet quam quæratur ab eo, lineam recte disputandi ignorat. Cæterum cum quis docendus est, illa sunt discenda duntaxat, quæ solutionis propositorum adminiculum præstant. Vnde illos qui in singulis legunt omnia, & dum vnum quæritur, nituntur omnia expedire, planum est recte docentium formulam non tenere. Aut enim nesciunt quis sit recte docendi modus, aut dissimulatione officij vendicant forte ingenia sua. Et vt ait Cicero, non quid proposita disciplina, sed quid ipsi possunt, ostentant. Qui ergo † Porphyriolum omnibus philosophiæ partibus replent, introducendorum obtundunt ingenia, memoriam turbant. [al. Porphyrium.] Et qui instituendus erat, tanta grauitate concutiunt, vt onus reputet importabile, quod suscepit. Diuinæ paginæ libros, quorum singuli apices diuinis pleni sunt sacramentis, tanta grauitate legendos forte concesserim, eo quod thesaurus Spiritus sancti, cuius digito scripti sunt, omnino nequeat exhauriri. Licet enim ad vnum tantummodo sensum accommodata sit superficies literæ, multiplicitas mysteriorū intrinsecus latet. Et ab eadem re sæpe allegoria fidem, tropologia mores variis modis ædificat. Anagoge quoque multipliciter sursum ducit, vt literam non modo verbis, sed rebus ipsis instituat. At in liberalibus disciplinis, vbi non res sed duntaxat verba significant, quisquis pro sensu literæ contentus non est, aberrare videtur mihi, aut ab intelligentia veritatis, quo diutius teneantur, se velle suos abducere auditores. Plane Porphyriolum ineptum credo si ita scripsit, vt sensus intelligi nequeat, nisi Aristotele, Platone, & Plotino perlectis. Valeat quicunque me in aliquam disciplinam disponit introducere compendio tali. Ergo siquidem illum sequar, qui literam aperit, & quasi superficie patefacta, sensum, vt ita dicam, historicum docet.

Cap. XIII.

Quæ sint necessaria & quasi claues philosophandi, & quod simplicitas amica est veritatis: & quid sit luctari cum angelo, vel cibare eum, & quid sit aut prosit ad vocationem sapientiæ, relinquere patriam.

QVæ vero sint discendi claues, quæ philosophantibus ad intuendam speciem veritatis, viam eo tendentis expediunt, senex Carnotensis paucis expressit. Et licet metri eius suauitate non capiar, sensum approbo, & philosophantium mentibus credo fideliter ingerendum. Ait ergo:

Mens humilis, studium quærendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Hæc reserare solent multis obscura legendo.

Humilibus namque dat gratiam Dominus, & illis veritatis intelligentiam confert, qui timore initiati, ei in dilectione Dei, & executione mandatorum suorum fideliter adhærent. Nam ex testimonio sapientis qui

A confidunt in Domino, intelligent veritatem; ſuperbis autem reſiſtit Deus. Quis eo inuito philoſophabitur? aut eo renitente in aliquo obtinebit? Humilitas eſt, vt nec perſonam docentis contemnat quis, aut quamcunque ſcientiam, niſi forte quam religio reprobauit. Si, vt dici ſolet, inuita Minerua nihil rectè aggredimur, quis ad ſcientiam ſine eo perueniet, qui ſcientiarum Dominus eſt, & in quo ſunt omnes ſapientiæ theſauri abſconditi? Hoc itaque moliri arduum nimis eſt, & difficilius & longè maius, quàm, vt fabularum vtamur verbis, clauam eripere de manu Herculis. Imo certe longe minus eſt, quoniam nihil eſt; ſi tamen quod omnino nihil eſt, aliquo maius aut minus eſt. Quiſquis ergo viam philoſophandi ingreditur, ad oſtium gratiæ eius humiliter pulſet, in cuius manu liber omnium ſciendorum eſt, quem ſolus aperit agnus, qui occiſus eſt, vt ad viam ſa- B pientiæ & veræ felicitatis ſeruum reduceret aberrantem. Fruſtra quis ſibi de capacitate ingenij, de memoriæ tenacitate, de aſſiduitate ſtudij, de linguæ volubilitate blanditur. Quia ſi hæc in initio fuerint, quo efficaciora videntur, eo longius aberrabunt. Nam & equus quo velocius aberrat, eo tardius domum, quiſquis inſidet, redit. Eſt autem humilitati coniuncta ſimplicitas, qua diſcentium intelligentia plurimum adiuuatur. Humilitas enim his quæ ſcribuntur à doctoribus, acquieſcit, & ſimplicitas, ſi qua ſecus ac oportuit dicta videntur, in partem meliorem, fidei interpretatione retorquet. Ineptus enim eſt, qui ſcripturis à quibus inſtruendus eſt, appetit dominari, & captiuo ſenſu earum, ad intellectum ſuum eas nititur trahere repugnantes. Nam in his quærere, quod non habent, proprium ſenſum obſtruere eſt, non addiſcere alienum. Nonne & diſcipulorum oculi tenebantur, ne ſapientiam, quæ eos ex ardore comitabatur, agnoſcerent? Quia tardi erant C ad intelligendum quæ Prophetæ loquebantur, quærentes quod aberat a mentibus Prophetarum, & non attendentes Chriſtum qui latebat in litera? Sed quia charitatis ardenti ſtudio quærebant, quid latebat, ſapientia quæ quærebatur ad fuit, & aperuit oculos eorum, vt intelligerent ſcripturas, & ſuam viſo domino arguerunt tarditatem. Sic enim prodeſt quærendi ſtudium, ſi auiditas ipſa ſciendi referatur ad Chriſtum. Sed nec ipſe, niſi in fractione panis agnoſcitur, quia mens ſcripturarum, niſi refectio fidei aut morum detur animæ, omnino non videtur. Quiſquis enim ad voluptatem ſuam ingenij aut ſtudij viribus, ſcripturarum integritatem attentat, quaſi à ſacrario philoſophiæ excluſus, ab intelligentia veri alienus extat. Nam & Sodomitæ, dum angelos correptores malitiæ, & viri iuſti hoſpites corrumpere voluerunt, cæcitate percuſſi ſunt. Et circa parietem aberrantes, palpando in meridie craſſis tenebris obuoluti, iuſto Dei iudicio ſubmerſi ſunt. Sic dum clari & maligni oberrant ad parie- D tem ſcripturarum, ſenſum fidelem, qui in domo ſimplicis, cum quo & ſermocinatio Dei, & qui correptorem malitiæ videt angelum, non attingunt. Angelus ſiquidem ſcriptura eſt, quam Deo mittente conſtat ad increpandam malitiam hominum, in mundi Sodomam deſcendiſſe. Audite, inquit, verbum Domini, principes Sodomorum, auribus percipe verba mea populus Gomorrhæ. Seruiendum eſt ergo ſcripturis, non dominandum. Niſi forte quis ſe ipſum dignum credat, vt angelis debeat dominari. Vtique viri iuſti eos adoraſſe & cibum miniſtraſſe leguntur: & eis humana temeritas vult præferri. Cibantur autem fidei & honorum operum cibis. Nam & magni conſilij angelum ad puteum ſic cibauit mulier Samaritana. Et forte eos adoraſſe non proderit, ſi ſubtrahatur cibus. Nonne quærendi ſtudio viguiſſe ſcribitur Patriarcha, qui ſcalam videns, cuius ſummitas cœlos tangebat, angelos adſcendentes & deſcendentes vidit, & ipſum Dominum innixum ſcalæ, & cū angelo donec aurora illuceſceret, luctaminis certamen exercuit: nec ante ab angelo fatigatus acquieuit, vt cederet, quam femore altero debilitatus, benedictionis gratiam voti compos accedente angelo reportaret. Hæc ei in ſpiritu, aut in figura contigerunt: ſed E nobis Apoſtolo teſte figuralia ſeruiunt. In via ergo peregrinationis noſtræ, apprehendamus angelos ſcripturarum, & infatigabili certamine luctantes cum eis, non cedamus, donec nos veritatis aurora illuſtret. Nec ſolam noſſe ſufficiat veritatem, niſi femore amoris temporalium marceſcente, eo veræ virtutis aditum de benedictione angelica facilius conſequamur, quo magis æternorum amore excitato, in appetitu temporalium claudicamus. Eo enim lucta perducit, vt triumphantis hominis teſtimonio, Deus ipſe, qui ſumma veritas eſt, facie ad faciem videatur. Quicquid enim boni in fide, aut operibus apparet, imago quædam viſionis diuinæ eſt. Et recte aurora ſine benedictione non expedit angelum, quia notitia veritatis ſine gratia bonæ operationis, ſanæ conſcientiæ non habet fructum. Porro ad ſtudium quærendi, non modo do- F meſticis, ſed etiam extraneis animamur exemplis. Nam Solon, qui ſummo ſapientiæ feruore ſemper flagrauerat, ſupremo die, aſſidentibus amicis & conferentibus, iam fere merſum fatis caput erexit, interrogatuſque cur hoc feciſſet, reſpondit, vt cum iſtud quicquid eſt, de quo diſputatis, percepero, moriar. Migraſſet profecto ex hominibus inertia, ſi eo animo vitam ingrederentur, quo eam Solon egreſſus. Carneades laborioſus & diuturnus ſapientiæ miles, in ſtudio xc. expleuit annos, & ſiquidem idem viuendi & philoſophandi finis fuit. Cato octogeſimum & ſextum agens annum, animo tamen iuuenili, virili robore, grauitate ſenili, in republica agens, vt nec memoriam tardiorem, aut laterum infirmitatem aut quaſſatam carnem, membra torpentia, aut linguam impeditam quiſquam animaduerteret. Græcis etiam literis appetiit erudiri, qui ſero & fere ſenex Latinas didicit. Cum vero ſibi eloquentiæ gloriam comparaſſet, id egit, vt iuris quo- G que ciuilis peritiſſimus haberetur. Eius vero proles mirifica, & patre Catone digna, adeo doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, qua ſenatus cogebatur, temperaret ſibi, quo minus Græcos libros lectitaret. Qua quidem induſtria oſtendit aliis tempora deeſſe, alios ſupereſſe temporibus. Vitam quietam neceſſariam eſſe vel Ethicus docet, qui ſtudentis inane exercitium reputet, ad oſtium eius prementium ſe tumultuum turba pulſat. Ait enim:

Quis locus ingenio, niſi cum ſe carmine ſolo
Vexant, & dominus Cyrrha, Nyſaque feruntur
Pectora noſtra, duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda,
Attonitæ, currus & equos, facieſque deorum
Adſpicere, & qualis Rutilum confundat Erinnys.

Nam quod turba veritatis lumen impediat, cæcus euangelicus docet, quem turbæ præcedentes & ſequentes H increpabant pariter, vt taceret. Siquidem dicente Domino, qui verſatur in turbis, turbatur erga plurima, quo nihil ſtudiis aut bonis moribus exercendis eſt pernicioſius. Si enim ſtudium, vt Ciceroni placet, eſt vehemens applicatio animi, ad aliquid agendum magna cum voluntate; profecto mens quæ turbata ad plura diſtrahitur, nequaquam in vno virtutis opere, fideliter occupatur. Sed ſtudij tunc exercitio plurimum in ſingulis, quæ legit aut audit homo, tacito apud ſe veri iudicij ſcrutinio conualeſcit. Ibi namque ratio cuncta examinat, & fructum omnium appendit in ſtatera. Cæterum vita quieta eſſe non poteſt, ſi naturæ neceſſaria ſubtrahuntur; & è contra ſi luxuriat animus in delitiis, rerum affluentia lumen orationis extinguit. Vnde fœcunda virorum paupertas, & veræ humilitatis cuſtos, & ſocia virtutis, præmiſſis adhibetur, vt luxuriam moderatrix iſta compeſcat, & ſtimulis ſuis hominem ſui memorem, officio virtutis iugiter inſtare compellat. Honeſta quidem res eſt, vt ait ſapiens, læta paupertas, nec tamen eſt paupertas ſi læta, ſed Crœſi diuitiis potior. Vnde Democritus, cum diuitiis cenſeri poſſet, quæ tantæ fuerunt, vt pater eius exercitui Xerxia epulum

dare

dare ex facili potuerit, quo magis vacuo animo studiis literarum esset operatus, patria admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donauit. Athenis autem compluribus annis moratus omnia temporum momenta, ad percipiendam & exercendam doctrinam conferens ignotus illis vrbi vixit, quod ipse quodam volumine testatus est. Crates quoque ille Thebanus, proiecto in mare non paruo auri pondere, Abite, inquit, pessum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Sed & Anaxagoras, cum a diutina peregrinatione, patriam repetisset, possessionesque desertas vidisset, Non essem, inquit, ego saluus, nisi ista perissent. Socraticum fertur oraculum, neminem locupletem fieri vt doceat, nisi se ad discendum pauperem & egenum credat; semper enim discentibus plura deerunt, quæ scitu iocunda aut necessaria sunt. Tertio alienam philosophia exigit, & suam interdum alienam facit, imo alienam facit suam, & nullo vnquam grauatur exilio. Hoc est quod domesticas & quæ carnis sunt, abigit sollicitudines, vt homo totus quodammodo versus in spiritum, omne quod sapientiæ profectum impedit, reputet alienum. Vbique tamen domi, & vbique in patria, quia vbique locorum apud se, & vbique apud sapientiam commoratur. Et forte huc Patriarcham inuitat Dominus, dum eum exire de terra, & de cognatione sua præcipit, vt in peregrinatione proficiens, multiplicetur in gentem magnam, ipsamque terram acquirat feliciter quam reliquit, dum ad vocationem sapientiæ, omnia quæ sunt mundana cõtemnit. Siquidem virtus modestæ paupertatis exercitio crescit, & fortitudo facilius diuitiis, quã laboribus expugnatur. Qui vero in cognatione temporaliũ, quibus quodammodo ingenitus est, pedem sui figit affectus, seruit & minoratur, & iure dominij feliciter acquiruntur omnia, quæ mundi cordis affectione, quasi mentis pede calcantur. Sed quis est, qui hanc arduam viam vel intrare disponat? Angelum forte quis aggreditur, aut quis si aggreditur perseuerat? Nec tamen sine discrimine colluctandi, videtur facies veritatis. Et nisi pauperis exilij amaritudo præcedat Rachelis & Liæ coniugio nõ dulcescit, nec succrescit soboles numerosa, nisi in virtutis baculo Iordanem labentium solitudo transierit, & in duabus turmis spiritualium & corporalium bonorum in patriam diues regreditur, qui etiam inter cognatos exul, in puræ contemplationis & rectæ operationis labore diutius sudauit. Qui vero alia via Philosophari nituntur, errant, & vrgente fame primogenita distrahent, si tamen inuenerint germanum, qui vel lenticulam sapientiæ, precij nomine largiatur. Est enim, vt fertur dixisse Aristippus, Indulgere vitiis, à legendi studio temperare.

Cap. XIV.

De septima claue discentium.

IN libro Quintiliani de institutione oratoris, septima discentium clauis ponitur, amor docentium, quo præceptores vt parentes amandi sunt & colendi. Sicut enim illi corporum, ita & isti quidem sunt genitores animorum, non quidem de se † propagando substantiam, sed quasi sapientiam in auditorum mentibus gignunt, in melius reformando naturam. [al. ipsis.] Et hæc quidem pietas, studio plurimum confert. Nam & libenter audiunt, quos amant, & dictis credunt, & eis esse similes concupiscunt, & pio faciente affectu, in ipsos cœtus scholarium læti alacresque conueniunt. Emendati non irascuntur, laudati non erubescunt, vt sint & ipsi charissimi studio merebuntur. Nam vt doctorum officium est docere, sic auditorum se præbere dociles. Alioquin neutrum sine altero sufficit. Nam sicut hominis ortus ex vtroque gignentium est confectus, & frustra sparseris semina, nisi ea præmollitus fouerit sulcus. Itaque eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque concordia. Hæc quidem Quintilianus in præceptis eloquentiæ, sed nihilominus sunt ad institutionem sapientiæ applicanda. Profecto nec eloquentia, nisi præceptis sapientiæ comparatur. Et in totum illorum, qui aures audiendi habent, non modo ridiculosus, sed quodammodo vesanus irrumpit, quemcunque Philosophia vt loqueretur diligentius non instruxit. Septem alias claues, quas ad intelligentiam scripturarum, Ticonius posuit in lucem profert liber, qui de doctrina Christiana inscribitur, sed nequaquam istis obuiant, omnes potius versantur in vna istarum. Eas namque studium quærendi complectitur. Cæterum de traditione gentilium, sermo fuerat institutus, ita tamen ad institutionem fidelium ex proposito referatur. Vna tamen est & singularis, & quasi clauium clauis, clauis illa quæ aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, & sine qua ad intelligentiam veri nullus accedit, quam quisquis aut non apprehendit aut non tenet, potius insanire crediderim, quam Philosophari.

Cap. XV.

In quo Epicurus & sui summum bonum constituant, & quod per multos labores itur ad voluptates.

MVlta quidem sunt & difficilia, quibus philosophantium probatur virtus, quia ad summum non est iter nisi per ardua. In spe tamen proficiendi omnia mansuescunt, & dum labiis pensatur vtilitas, mens ad omnia roboratur. Et quidem ad summum tendunt omnes, sed via dispari. Nemo tamen, vt opinor, illuc sine labore pertingit, aut tendit. Cum enim sint tres Philosophantium sectæ, quæ & ipsæ scinduntur in semitas multas, omnes etsi dissimiliter, laborant tamen assequendo finem quem statuunt. Siquidem Epicurus & totus grex sodalium eius vitam beatam asserit, quæ tanta semper iocunditate lætatur, vt tristitiæ & perturbationis non interueniat vel tenuis motus. Vera quidem definitio est, & qua nihil potest esse rotundius. Ab ea tamen plebs quæ eum sequitur, deflexit in voluptates, reputans se carum vsu beatissimam esse futuram. Mihi tamen persuaderi nequit hoc aliquem hausisse de fonte Socratico, qui tantam morum docuit puritatem, vt à posteris creditus sit, non humanum modo, sed diuinum spiritum habuisse. Sed quia facile est aure vel ore insipientium, dicta optima deprauari, ad compendium immunditiæ tracta sunt, quæ virtutis esse debuerant instrumentum. Caro siquidem opinata est, (nam hoc vtique cordatus homo non sentit) quod amore iocisque nihil est iocundius, nihil suauius parasitica vita, aut eorum qui epulantur quotidie splendide, qui vino æstuant, splendidis vtuntur vestibus: denique omnia quæ mens, lingua, manus appetit, cogitare, loqui, & facere, & in nullo contraire sibi, aut motum reprimere propriæ voluntatis, vitam esse hominis vera & summa felicitate gaudentis. Sed nunquid huc sine labore venitur? Quot obices, ne sic viuatur, varietas humanæ sortis interiacit? Vt rebus namque vtaris ad libitum, opulentia necessaria est. His enim egenus ita non vtitur, quia desunt, aut parcit sæpe ne desint. Sed ponantur adesse. Inter multos competitores, & tanta currentes auiditate, eos fortior asportabit. Viribus itaque opus est, vt seruentur. Exigitur ergo & potentia. Nunquid hæc gratis, id est, sine labore, & sollicitudine acquiruntur? Sed in his contemnit durum quidem est & intolerabile, eo quod amor commodi innatus est homini, vt etiam qui non agit vt bonus sit, bonus videri velit, & in æstimatione sui aliorum credit errare iudicia. Nam vt bonus sit, non commodi quidem sed iusti amor efficiet. Quæritur ergo reuerentia † conniuentium, sed hæc ipsa nisi famæ beneficio protendatur, leuiter euanescit. [al. conuenientium.] At illa quæ gloriam parit & prorogat, ex multis surgit articulis, sed maxime a virtutum exercitio conualescit. Patet ergo quam

A laboriosus sit transitus ad beatitudinem per voluptates. Qui sufficientiæ causa diuitias congerunt, vt potentia nitantur, † amplitudines quærunt, dignitates ad reuerentiam & fugam contemptus, & conciliandæ celebritatis gratia, adspirant ad gloriam. His tamen omnibus non ea vita, quam Epicurus describit, acquiritur, & quæ tristitiæ sit & totius perturbationis ignara. Aut enim hæc in vnum quemlibet non concurrunt, aut non conferunt, quos pollicentur effectus. Imo & sæpissime tanquam è regione consistunt, quærentium votis contraria operantur: Si mihi non credis, liber de Consolatione Philosophiæ reuoluatur attentius, & planum erit hæc in contrarium cedere. Et licet liber ille verbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos qui ratione nituntur, non mediocris autoritas est, cum ad reprimendum quemlibet exulceratæ mentis dolorem, congrua cuique medicamenta conficiat. Nec Iudæus siquidem nec Græcus sub prætextu religionis, medicinæ declinet

al. ita habent: fugiant contemptus, amplitudines quærunt dignitates & concil. &c.

B vsum, cum sapientibus in fide & in perfidia desipientibus, sic viuidæ rationis confectio artificiosa proficiat, vt nulla religio quod miscet abominari audeat, nisi qui rationis expers est. Sit difficultate profundus in sententiis, in verbis sine leuitate conspicuus, orator vehemens, efficax demonstrator, ad id quod sequendum est, nunc † probabiliter suadens, nunc quasi stimulo necessitatis impellens. Si huic vt necesse est acquieueris, videbis ista laboriose nimis quæri ob aliud, & id cuius quæruntur gratia ex eis minimè prouenire. Illud tamen cuius quæruntur gratia, verius & compendiosius poterat inueniri, si non aliunde quam à se quæreretur. Sed iam fere malitia inualescente non quæritur, sed neglectui ducitur præ istis, etiamsi occurrat. Nam cum omnia bona sapientiæ accessoria sint, ipsamque constet super salutem & omnem pulchritudinem appetendam, ipsa cæterorum collatione vilescit, & sola sunt accessoria eius in precio. Quis enim philosophatur vt sapiat? Nam vt rebus abundent, aut temporaliter floreant, videbis multos, &

al. trolabitur.

C si non philosophantur, tamen philosophos imitari. Ceterum facilius est, vt diuitiæ philosophantem impediant, quam vt philosophiæ quippiam conferant. Deo enim & Mammonæ fideliter non seruitur. Ne verearis vt quis patriam deserat, vt paupertatem spontaneam amplectatur, vt studio vacet: nam philosopia ipsa labor videtur inutilis, nisi fructus opulentiæ consequatur. Alios vt sciant, curiositas excitat. Alios vt scire videantur, elationis stimulo vanitas vrget. Alios ad quæstum pestifera cupiditas inflammat. Rarus est qui charitatis aut humilitatis pede sapientiæ vias scrutetur, vt doceatur aut doceat. Nam ad immundæ voluptatis aut vanæ vtilitatis ineptias, omnia referuntur. In his enim finis est animæ aberrantis. Philosophia interim viaticum est, paucorum tamen, quia alia via longe videtur esse compendiosior. Nam vt dici solet, amor ingenij nunquam hominem diuitem facit.

C A P. XVI.

D

De amore diuitiarum, & quod in eis anima non quiescit.

QVi solas diuitias congerere curant, nihil in vita potius credi volunt via, quam ceteris prætulerunt. Vt eius indigentia expleatur, diuersa probantur à diuersis. Nullum graue periculum est, si spes dolosi nummi refulgeat. Ipsam fere naturam vincit amor pecuniæ, & res pene impossibiles ad possibilem redigit facultatem. Auaro nihil vile videtur, aut sordidum, & sibilante populo, seipsum consolatur, imo & sibi applaudit, simul ac nummos contemplatur in arca. Petronianum illud ingestum omnibus credas:

Quisquis habet nummos, secura nauigat aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen, ipsumque licebit,
Acrisium iubeat credere quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet omnes
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Iuris consultus PARET NON PARET. *habeto*
Atque esto quicquid Seruius & Labeo.
Multa loquor, quiduis nummis præsentibus opta,
Et veniet; clausum possidet arca Iouem.

E Dum itaque quæstum faciat, nulla pars mundi videtur inaccessibilis, & ipsius torridæ æstum, maior auaritiæ ignis exuperat. Inde est quod hic mutat merces, surgente à sole, ad eum quo vespertina tepet regio. Hic toto impetu fertur in hostem,

— concurritur, hora
Momento, cita mors venit, aut victoria læta.

Alius superbis gaudet assidere liminibus, vt ex familiaritate maiorum facilius ad opes, quæ desiderantur accedat. Si potest versatur in aliquo ministerio? sin autem, sufficit in matricula curialium esse conscriptum. Sola siquidem conscriptio quæstuosa est. Vt minimum lo-

F cum parsimoniæ facit, quia nullum vectigal vtilius. Suis enim commodissime parcit, quem loculi exhibent alieni. Militatur in curia vsque ad canos, imo & illos consumit curia. Vix est, vt quem curia perduxit ad canos, domum redeat vel exclusus. Si migrauerint, fame pereunt, quia vt ait Sidonius, eos non tam bonus pascit, quam panis alienus. Suauior enim est, & quiddam ab alieno innatæ dulcedinis habet. Nescit vti suo, qui semper abusus est alieno. Si honesta finiuntur officia, parasiti partes non erubescit explere & mimi. Quæuis indigna patietur antequam exeat. Apud † Virronem Crebrium cogites discumbentem. Nam & huic idem propositum, & semper eadem mens est,

† al. Atironem Trebium.

Vt bona summa putet, aliena viuere quadra.

& ea patienti perferre anima,

— qua nec Sarmentus, iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

Innumerabiles viæ sunt, quibus palam aut clanculo properatur ad quæstum: & quem non subigit amor pecu-

G niæ, interdum superat cupiditas specierum. Equos, vestes, aues armatas, venaticos canes, † numerosos greges armentorum, & pecorum, & variam mundi supellectilem (quoniàm per singula currere vires humanas excedit) plerique pecuniæ præferunt, & totius hominis vires exhauriunt, in acquirendis his aut tenendis. Nam in his duobus articulis, furor totius auaritiæ constat, quod immoderatius appetit aliena, aut sua tenacius seruat. Et quidem immoderatius appetit, quisquis quod deest, legem necessitatis excedens, & vsus exposcit. Tenentur quoque auidius quæ vsui subtrahuntur. Ea quoque quæ sine vsu possessoribus elabuntur, inutilia sibi esse quis dubitat? Auaritiam vel ex eo non modo fugiendam, sed detestandam constat, quod à cælestibus procul sectatores suos, à consortio diuinitatis, & vsu cælestis beatitudinis remouet, & elongat. Omnia siquidem quo cælestibus viciniora sunt, minus cupiunt, & congregant pauciora. Volatilia cæli neque serunt, neque metunt, neque nent, neque congregant in horreis, nec penum constituunt; sed omnem excludunt sollicitudinem crastini. Econtra mu-

† al. innumerosos

H res & reptilia congerunt in futurum. Et generationes prohibentur esse, quibus terra est in cibum, & eædem parce viuunt, timentes ne quando eis terra deficiat, in quam tamen ipsæ proculdubio resoluentur. Sentiat vnusquisque quod vult, ego auarum posse fieri compotem voti non credo, nisi forte & Epicurus famelicum, & siti aridum & languentem, plenæ voluptatis iocunditate frui consentiat. Siquidem vterque famelicus est; sed perniciosius esurit auarus, qui semper indiget, & satiari non potest. Maior enim est hiatus mentis, quam corporis: & nisi seipsum Deus infundat, omnino nequit impleri. Nam cum natura spiritualis virtute propria sic corporalia comprehendat, vt nulla quantitate distendatur; nec res vna loco præoccupato, alterius impedimento sit, quo minus illa comprehendatur, & quo plura accipiuntur, eo pluribus locus est, luce clarius est, quia res corporalis animam, quæ spiritus est,

A implere non potest. Totus mundus angustus est ad animæ quantitatem. Ex quo paret, quod in eo tota anima non quiescit, nisi forte in angusto clausum ergastulo, spinis suppositis incubantem, Epicurus quiescere molliter opinatur.

Cap. XVII.

De ambitione, & quod cupiditas stultitiam comitetur, & quis sit ortus tyrannidis, & de diuersis vitiis ambitiosorum.

Declinare nituntur aliqui; etsi non maculam, odibilem tamen auaritiæ notam. Nam & ab alienis videntur abstinere, & suis, cum res exposcit, liberè vti parati sunt. Eis tamen de fonte malorum oritur alicuius vitij vena, quæ semitas eorum à tramite veræ felicitatis deflectat. Sicut enim in horto delitiarum, de
B vno fonte oriuntur flumina, quæ fæcundant suauissimi odoris agrum, cui dominus benedixit: Sic in loco horroris & vastæ solitudinis, in terra scilicet obliuionis, quam illi inhabitant, qui sui obliuiscuntur in mundo, velut stupidus ludorum vanitate captus in theatro, quasi de fonte vno, omnium capita pullulant vitiorum. Hic autem puteus cupiditatis est. Eam vero sic patrum diffiniit autoritas, vt dicatur cupiditas esse amor eorum, quæ quis amittere potest inuitus. Sociatur enim ei stultitia comes, suadens id amari & quæri, quod tenere non potest. Et est stultitia eorum quæ scienda sunt, vitiosa ignorantia. Sic eam libet magni Augustini de libero arbitrio pingit. Si enim nesciatur quod sciri non potest, in nomen stultitiæ minime cadit. At cum sui ignorantia quis tenetur, transit ad stultos. Si in bonis, quæ minora patenter sunt, maioribus præfert, stulte iudicat. Si vitia sequens, partem suam deteriorem faciat, stultitiæ maledictione damnatur. Si ergo error fuerit cupiditate succensus; præcipitij multiplex via
C patet, cum ab errore sit, vt homo, quid sit sequendum ignoret, & ipsum in inuio abeuntem, fornax cupiditatis inflammet. Et quidem adhuc præualent verba iniquorum, dum homo propriæ conditionis ignarus, & debitæ subiectionis detrectans iugum, fictitiam quandam affectat libertatem, vt possit viuere sine metu, & impune quod voluerit facere, & quodammodo iam esse sicut Deus. Non tamen quod diuinam velit imitari bonitatem, sed Deum, dando impunitatem malis, ad suam vult malitiam inclinari. De radice ergo superbiæ surrepit ambitio, potentiæ scilicet cupiditas & honoris, vt hinc vires habeat ne prematur. Hinc proueniat reuerentia, ne vilescat. Nemo enim est qui non gaudeat libertate, & qui vires, quibus eam tueatur, non optet. Nihil est quod non in permutationem eius veniat, si locus adsit: Seruitus enim quædam imago mortis est, & libertas securitas vitæ. Inde est, quod ad conciliandam potentiam effunduntur opes; & quanto quis potentiæ cupidior est, tanto eas facilius expendit. Cum
D vero potentiam nactus est, erigitur in tyrannidem, & æquitate contenta, naturæ & conditionis consortes, inspiciente Deo deprimere non veretur. Et licet omnes occupare non possint principatus & regna, à tyrannide tamen omnino immunis est aut nullus, aut rarus. Dicitur autem quia tyrannus est, qui violenta dominatione populum premit; sed tamen non in populo tantum, sed in quantauis paucitate, potest quisque suam tyrannidem exercere. Nam etsi non populo, tamen quatenus quisque potest, dominatur. Non enim de his institutus est sermo, qui sunt omnino animi defæcati, & subiectione continua gaudentes, alicui in vita præesse refugiunt. Vita potius politicorum excutienda est. Quam mihi dabis inter illos, qui non velit vel vnum potentia anteire? Quis est qui nolit sibi ius esse in aliquem? Quis est qui sic subditum tractet, sicut se vellet tractari, si subderetur? Dum ergo ambitio inualescit, calcata æquitate, procedit iniustitia, & tyrannidis procurans ortum, omnia quibus illa crescit, exequitur. E
Qui ergo suis non præualet viribus, nititur alienis. Est videre quam plurimos aucupes potestatum, honorum procos, adhærere potentibus, & se Reipublicæ muniis immiscere, tentantes viam, qua se possint è latere, vel ex aduerso in altum tollere, quo præ aliis possint, aut saltem posse ratione consortij videantur. Effundunt patrimonia, labores immensos aggrediuntur, & perferunt instare obsequiis, & blanditiis sollicitare, quos captant, non verentur. Nullum ergo officium gratuitum est, non dux aut iudex, centurio aut decanus, sed nec præco, nec caupo, nisi ad pretium fiet. At hæc in profanis tolerabilia, dum quæ publica sunt, ambitio non corrumpat. Nam quæcunque publica sunt, pietati debent & fidei consecrari. Cæterum hæc ambitiosiora sunt, & vix aut nunquam gratis in aliquem cadunt. Sed poterunt de his quæ sunt ab institutione Traiani superius dicta sufficere. Domesticas calamitates, & thalamum sapientiæ expositum fornicatoribus, & sanctuarij interioris recessum, in prostibulum permutatum, sine F
gemitu & lachrymis nequeo deplorare. Domus namque orationis, negotiationis, domino prohibente, facta est domus; & templum fundatum in lapide adiutorij, in latronum speluncam versum est. Siquidem Ecclesia data est in direptionem, aliis palam, aliis clam occupantibus eam. Nam & ipsa occupanti conceditur, eo forte quod in nullius bonis est. Non est enim inuentus, nisi perraus, qui accingatur gladio super femur suum, ad præsumptionem ambitionis reprimendam. Illa namque machinas multiplices erigit, vt eam expugnet nemine defendente. Alius enim de nobilitate confisus, aut viribus potestatum, violenter in sancta irruit, & si forte pulsat ad ostium, parietem aut limina suffodere non veretur. Nam & seditionem concitabit in Moysen, & alienum ignem in templum inferet, & vasa sanctuarij contaminabit. Alius sperans in multitudine diuitiarum, Simone ducente ingreditur, non inueniens ibi, qui eum & pecuniam suam iubeat ire in perditionem. Alius in muneribus ad Petrum reformidat accedere, clan- G
culo tamen per impluuium auri, ac si per tegulas Iupiter elabatur in gremium Danaes, sic in sinum Ecclesiæ procus descendit incestus. Alius obsequio quasi muneris ignarus, adest, ac si obsequia non cedant in muneris rationem, profecto nullum maius est munus, quam cum homo seipsum hominis deuouet seruituti. Alium † collusione quadam vocantis liberalitas præuenit; sed postmodum collatam gratiam suo Giezi plenius compensabit. Alius agit ne ipsum pulsare oporteat; sed ad ingrediendum compellatur inuitus, & quasi obnubilans lucernam Dei, vt eum impune irrideat fraudulentus. Diu siquidem alius simulauit. Ambitionem namque multis indiciis prodidit, & se diuitem, potentem, insignem velle fieri confessus est, sed alia via, sed in alio statu, sed in minori periculo, maiore libertate. Voluit esse nobilis inter Laicos, aut certe magnus in clero. Ob hoc principum virorum quæsiuit gratiam, familiaritatem iniit, ab eis quascunque suscepit functiones. Scriniis forte prædatus est, aut consignandi susce- H
pit officium, aut cimelij custodiam, aut publici claues ærarij, aut ratiocinij varias cautiones, aut si quid aliud nequit, vt cordibus præficeretur obtinuit. Non tamen quod ad eum pertineat de egenis, aut de pauperibus curam gerat; sed quia fur est, & loculos habet, quos auaritia soluit ad tempus, vt sub imagine pietatis, eos sacrilegus farciat, & de mendicitate, & de morte egentium priuatas sibi diuitias paret. Si enim veræ compassionis moueretur affectu, suis fidelius & vtilius pauperibus erogaret, quam ad dispensationem alieni mercator impurus accederet. Iam palam emuntur omnia, nisi modestia venditoris impediat. Adeo enim sacris altaribus auaritiæ profanus imminet ardor, vt hæc omnia quasi quædam parodica præemantur, & quia per se non veniunt in commercium, licitè & iuste creduntur acquiri si præempta fuerint, aut coempta. Quid enim? Nunquid in forum approbante prætore non veniunt

† al. Allusione.

quæ iure antiquo sic possidentur à laicis, vt transeant ad hæredes, & titulo donationis, aut permutationis, alienentur ab eis. Ius ergo aduocationis aut patronatus Ecclesiæ quid probibet distrahi? Nam quod Beatos Ambrosius hæresim simoniacam committi dicit in talibus, prouinciale decretum interpretantur esse, & quod in sola Italia, & inter Lombardos debeat obtinere. At constitutio Apostolica, inhibens ne illi qui dum Ecclesias ambiunt, quo facilius subintrent ius aduocationis quærunt, admittantur in Ecclesias, quarum aduocatio fraude quæsita est, ad timorem dictum referunt, & nequaquam esse perpetuum, sed pro loco & tempore dispensandum. Vt enim ait Beatus Cyrillus in Epistola Ephesinæ Synodi, dispensationis modus nulli vnquam displicuit sapientû. Si dispensationis modum quæris, probabilis est quidem, si erga diuites, erga nobiles, erga potentes, & regales aut curiales, rigor canonum temperatur. Nam de motibus vltima fiet mentio, & istis canonum † rigiditas nequaquam posita est. Iustitiæ quidem liberi sunt, & eo ducuntur spiritu, vt necesse non habeant esse sub lege. Statuat ergo lex quod placuit latoti: nam isti priuilegij principalis gaudentes beneficio quicquid ambiunt sibi competere opinâtur. Episcopos ad prima beneficia obligant, & de futura successione pacisci non verenter. Restat vtique vt tristi pactio repleatur euentu, & illius quisque animetur & armetur in necem, cuius ambit successionem. Si enim cedere moretur, aduersantur, vexant, & multipliciter concutiunt possessorem. Possessio namque parit aduersarium actioni in rem. Si vero quispiam prælatorum suæ conditionis memor, eis pro voto non obaudierit, amaras illico audit historias, eo quod indignum, & contumeliosum omnino reputant, si turpis & inhonesta petitio repulsam alicubi patiatur. Interim ergo alarum suarum feruntur remigio, nidificant in prouinciis singulis, vix quot nidos habent, vel ipsi sciunt, diurna ad peragendas alicui orbis plagas eis præparantur hospitia, & in tanto numero, vix hospitiolo vno dônatur horridulus comes. Nam si quis huc fecit, probatæ liberalitatis est. Vtique & insignis prudentiæ, si quis tot quocunque modo conquirit altaria, vt quasi ritu Memphitico, quotidianas hostias nouis possit altaribus immolare. Nolunt tamen sacerdotio dominari, aut seruire altario, qui de altario viuunt, ne, vt populus arguit, dicam luxuriantur, sed personatos quosdam introduxerunt, quorum iure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta. Et cum Apostolus dicat, qui non laborat, non manducet, qui minimum meretur, plus percipit, & in labores alienos otiosus aut flagitiosus ingreditur. Quis ergo dicat in hac emenda licentia, cum non res sacra sit, sed profana simoniam posse committi? Huc enim, vt vulgo dici solet, per argenteum pontem transitur à sordibus, quæ transeuntem vel ponte aureo persequuntur.

Cap. XVIII.

Quod ambitiosi dissimulant se velle quod maxime appetunt; & quibus excusationibus propositum tegant.

SEd ecce ad aliquem istorum promouendum, aut cogitur aut circumuenitur Ecclesia, vt dicat hosti domestico, amice ascende superius. Stupidi itaque obstupescunt, nomen dignitatis abhorrent: refugiunt onus, & vt auidius impellantur, more (vt dicitur) arietis, vt fortius feriat recedentis, cum suspiriis, gemitibus, & singultibus interrompentibus simulatas lachrymas, retrocedunt. Notum siquidem est, quia sedes hæc trahit & impellit inuitos, & quos notat ambitio repellit. Nituntur ergo rationibus & autoritatibus docere, quare eos Episcopari non deceat. Non sum, inquit, medicus, & in domo mea non est panis, nec penes me thesauri sunt, vnde in necessitatis articulo, noua & vetera indigentibus proferam. Possum itaque vti excusatione prophetica, quoniam loqui nescio, & quia puer ego sum, & si non ætate, reuera scientia & lenitate morum. Sordidis vestibus ab initio indutus sum, & eas nunquam sanguine agni, aut vestibus studui dealbare. Quomodo ergo sancta tractabo pollutus, aut quod sacerdotem oportet, polluta mundabo? Nam legem indesinenter contempsi, & Sanctum Dei, increpante Ezechiele, polluere non cessaui. Mea ergo promotio, populi deiectio est. Ruina siquidem populi sacerdotes mali. Facti sunt enim in laqueum populi, existentes in specula, & sicut rete extensum ad inuoluendas animas. Terret me Aggæus, parabola mystica sacerdotij periculum exprimens, & manifeste docens, quia populus à sacerdotum moribus facilius vitia contrahit, quam virtutes. Interroga, inquit, sacerdotes legem, & dic eis; Si sacrosancta vel vas sanctum contigerit alicuius vestimentum, si sanctificant eum ex eo quod contingit? Et cum dixissent sacerdotes quia non sanctificat, dicit ad eos rursum: Si immunditia contigerit vestimentum mundi, vtrum polluat eum? Et dixerunt, quia polluit. Tolerabilius ergo est me vnum propriis consumi viriis, quam in multos vitiorum diffundi pestem. Ad hæc si persona esset vsquequaque laudabilis, si non essem curiæ nexibus illigatus, me Michæas durissime repellit ab aditu, non ferens Sion ædificari in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate principum suorum. Hic aut nulla est, aut compulsa, aut simulata electio. Hanc quoque partem protensa disputatione prosequitur. Postremo se promoueri non posse sine suspicione simoniacæ prauitatis, eum ob hocius, & autoritatem sigilli, aut cimilij, aut scrinij, emisse videatur, licet alia mente ad obsequium potestatis, sicut præsens testatur dies, qua delatum honorem respuit, teste conscientia accesserit, affectans vt per hoc sine onere sortiretur honorem. Apostolicas quoque sanctiones replicat & reuoluit, quibus pridem statutum est, vt à sacris ordinibus & omni promotionis spe arceantur, qui cuiuslibet secularis curiæ emunt officia, aut qui viles, aut seruiles obsecundationes principibus præstant, aut quorum electio non est à clero in Ecclesia, & sine prænominatione cuiusque mundanæ potestatis canonica celebrata: quod si aliter electi fuerint, sub periculo anathematis vniuersalis Ecclesia prohibet consecrari. Vnus principum nostrorum, nominis siquidem immemor sum, in causa simili egregium facinus egisse memoratur. Henricus fuit an Robertus, non multum refert. Cum ambitiosus quidam monachus ad abbatiam, quam præmerat, vocaretur & ille modestiam simulans, vt auidius peteretur, onus refugeret, recusaret honorem, & se palam tantæ rei fateretur indignum, Plane, inquit princeps, indignus es, quia eam clam data mihi tanta pecunia (summamque expressit) emisti. Sed quandoquidem per me non stat, quo minus pactio impleatur, liberum me haberi iustum est, & tu domum redeas; & qui dignus est destitutæ præficiatur Ecclesiæ. Sed nunc longe aliter succedit excusatori ambitioso. Hæc enim & alia quam plurima multiplicat, vt credatur nolle quod appetit, & tandem gratis accipere, quod præemit. Vnde tanquam vir modestæ singularis capitur, trahitur, & ad cathedram conclamantibus turbis concinentibus choris, multitudine pressus deducitur. Nec prodest ignobilitatem prætendisse carnis, aut sanguinis, eo quod imperatori non quæritur successor, sed piscatori, fabri filio, non Augusto. Scientiam accurata excusatio prodit, & religiosus esse conuincitur ex eo, quod inuitatus ascendere diutius recusauit, visus est enim noluisse, qui distulit. Qui vero de canonibus sibi opposuit, habita ratione loci, temporis, & personæ, simili via tendentium ad honores socia multitudo dispensat. Si de præsentibus niti nequeunt, aut præteritis futurum vaticinantur profectum. Sic callidus mango, dum qui durius prouehit equum: aut pullum probitatis incognitæ gradatium promittit in futurum, & fractis gressibus mollius incedentem propensiori laude in stabulum incauti mercatoris extrudit.

† al. lex.

Cap. XIX.

De his qui impudentius irruunt, sine dissimulatione ambitionis, quos neque ratio, nec autoritas reprimere potest.

Consistunt è regione quam plurimi, nequaquam dissimulantes propositum, sed ambitionis quasi (vt dici solet) insignia præconantes, prædictorum derident ignauiam, velut militum, qui militiæ suæ titulos non audeant profiteri. Hi licet impuri sint, & nec vitam suam velint erigere, nec sciant instruere alienam immundis vt dicitur pedibus, certatim irrumpunt in sancta sanctorum, panes dominicæ propositionis, & carnes agni immaculati assas igne passionis in cruce, non modo illotis, sed pollutis (si liceat) manibus tractaturi. Hi sunt qui licet primo aditu, ac ianuis habeantur indigni, continuo tamen tendunt ad sacerdotium; festinant ad tribunal, & repulsis ceteris, sic sacris altaribus incubant, vt iam non ad formam, & exemplum præbendum plebi, ordo ille videatur institutus, sed esse occasio quædam in abundantia & securitate viuendi. Nec putatur officium districto Dei iudicio obnoxium, sed secura quædam, & nusquam discutienda administratio. Credas illud poëticum voce præconis omnibus sonuisse:

Occupet extremum scabies.

Inde est quod omnes, quasi in stadij agone, contendunt, anhelantibus singulis, ut Episcopatum accipiat alter. Votis ergo, & si non re, plures numero sunt rectores, quam illi quos regunt. Nam qui regi velint perpauci sunt, cum quisque vt emancipetur à iugo rectoris proprij, totis viribus quærat. Priuilegio siquidem Apostolico, aut regio præcepto, plurimi tuti sunt, ne iudicibus suis obtemperent, ne iustitiam faciant, ne lege Dei subiecti sint. Non reprehendo clementiam Apostolicæ sedis, sed hanc indulgentiam eius Ecclesiæ Dei non arbitror expedire. Nihil tale in illa gloriosa familia Christi legimus, licet & in illis contentio facta sit, quis eorum videretur esse maior. Nullam emancipationem huiusmodi ab Apostolis factam meminimus, licet Paulum & Barnabam audierimus ab inuicem discessisse. Nullam in illa superna ciuitate, quæ sursum est mater nostra, contradictionis materiam credimus, sed nec hic esse debere, nisi vrgentissima ratio flagitet. De his enim (vt pace multitudinis & eorum qui illius fouent iniquitatem, loquar) dicam quod sentio, ne quid subtraham veritati, aut probabilitati. Dico ergo quod indubitanter credo, quod hi, qui efferente superbia, huiusmodi emancipationes quærunt, à ceruice sua iugum Christi, & patris eius, si fieri posset, excuterent. Plus dico, imo & quantum est in ipsis excutiunt, & diuinæ ordinationi fallaciter contradicunt. Nusquam ergo illud Apostoli: non omnes Prophetæ, non omnes magistri sunt. Omnes enim Prophetæ & magistri sunt. Ita vt secundum antiquum prouerbium merito dicatur, quod & Saul inter Prophetas. Et reuera ait Gregorius Nazianzenus, nulla historia tradidit, vel tantum in Ecclesia fuisse numerum ministrorum, vel tam vtiliter congregatum. Vnde religioni & doctrinæ Christianæ, graue opprobrium nascitur, quod sacerdotia vel ministeria ambitione potius & ad gratiam, quam meritorum iudicio deferuntur. Omnes itaque currunt, sed cum eo ventum est, vnus accepit brauium. Ille qui in cursu ambitionis aliis velocior extitit, & qui præcurrit citius Petro, & quouis discipulorum Christi. Ascendit enim illico, & omnem celeritatem festinatæ vocationis præuenit. Hi sunt qui crebris muneribus visitant potestates, laterales & familiares eorum sollicitant, Ecclesiarum primis se commendant, applaudunt omnibus, & etiam magnarum domuum non modo officiales, sed ciniflones regant, vt cum locum viderint, meminerint sui. Hi sunt amici omnium, & qui non se sed amicos io se desiderant promoueri. Hi sunt qui vitam scrutantur alienam, negligunt suam, infulatorum annos dinumerant, canis lætantur, physicos & Genethliacos de fatis præsidentium consulunt, librant humores, & quasi in statera appendunt elementa viuentium, & quos diutius superesse conspexerint, ætatem Nestoris dicunt excedere, & † cerui aut cornicis iam implere mensuram. Debiles ætate vel morbo concutiunt, etiam sinceros criminibus incrustant simulatis, & quasi hæredipetæ vacillantium cathedris insidiantur, turpique interueniente commercio occupatarum sedium sæpe illicitas impetrant sessiones. Hi sunt qui de se coadiuuandis & promouendis, nefarias obligationes interponunt; & tandē cum ad rem ventum est immemores fidei contra fidem datæ, se ipsos ambitionis & inuidiæ stimulis impediunt & repellunt. Sic ergo plerumque dum competitorum rixa credescit, sapientia Dei per occultam & rectam dispositionis suæ viam fidelem incognitum introducit, de quo nequaquam præcesserat sermo vel cogitatio. Illi tamen ex contingentibus nihil omittunt, nisi forte in ea contingentia prætermittant quod ambiendo modum excedunt, si tamen in eo aliquis est modi excessus, vbi nullus est omnino modus. Pulsant itaque & præcipitant potestates, si obsequia non sufficiunt si intercessiones non prosunt, vires suas ambitio exerit suæ & alienæ facultatis diuitias ostendit, iam palam loquitur, & in montem elationis ascendit & clamat: Hæc omnia tibi dabo, si à fundamento fidei cadens, promoueris me. Hoc siquidem cadere est, cum certum sit ex autoritate sanctorum patrum, quod per hæresim simoniacam, à sinceritate fidei corruit, quisquis in spiritualibus, id est, rebus sacris & Ecclesiasticis, mercimonium auaritiæ committit. Nec refert quod pecunia intercedat, in contractu, vel ante, vel post, cum omni tempore negotiantes in talibus damnatio simoniacæ prauitatis inuoluat. Cum enim perpetuo prohibitum sit, ob hoc accipere vel dare quippiam, nunquam dare vel accipere erit licitum, quod est vsquequaque prohibitum. Vt enim ait Tharasius Patriarcha, dare est quemcunque dare, & accipere quemcunque accipere. Egregium quiddam in talibus accidit in Apulia temporibus meis, regnante Rogero Siculo: contigit vacare Ecclesiam Auellanam Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ. Robertus iam dicti regis Cancellarius præsidebat, vir quidem in rebus gerendis strenuus, & sine magna literarum copia acutissimus. In primis prouincialium facundissimus eorum non impar eloquio, verendus omnibus priuilegio potestatis, & morum elegantia venerabilis, eoque mirabilior in partibus illis, quod inter † Longobardos, quos parcissimos, ne auaros dicam, esse constat, faciebat sumptus immensos, & gentis suæ magnificentiam exhibebat. Erat enim Anglicus natione. Ad eum itaque viri tres accesserunt, Abbas quidam, alter Archidiaconos, tertius laicus quidam præpositus regis, fratris sui clerici causam agens, singuli clam pro iam dicto Episcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus seorsum, cum vnoquoque eorum conuenit de precio. Emptio ergo & venditio vndique perfecta est, de solutione implenda sufficientissime cautum, pignoribus & fideiussoribus datis, diesque præfixus est electioni solemniter celebrandæ. Cum itaque ad diem Archiepiscopi, & multæ venerabiles personæ conuenissent, præfatus Cancellarius competitorum causas, & quid cum vnoquoque eorum egisset, exposuit dicens, se exinde ex Episcoporum sententia processurum. Damnatis ergo competitoribus simoniacis, pauper monachus & totius rei ignarus, canonice electus, approbatus & introductus est. Illi tamen coacti sunt soluere id, in quo se obligauerant, vsque ad nouissimum quadrantem. Vtinam ita agatur cum † procis nostris, qui omnes sedes olfaciunt, ardentius quidem & curiosius, quam odora vis aut sagacitas canum, formellas leporum, aut ferarum latebras deprehendat. Si mihi crederetur, sic excludederentur, & illi, qui dissimulata ambitione cedunt, vt

† al. corui.

† al. Lombardos.

† al. procacibus

A validios irrumpant in sedem, à qua sicut ipsi fatentur, fuerant repellendi. Siquidem iustum erat, vt de se sibi contra se crederetur. Quid enim in eas lateat, nemo fidelius nouit: Plures tamen incontinenter ambiunt, & impudenter. Frustra enim, vt quemque eorum excipias, aliquem oppones titulum, quia clamore conductio præualente delebitur, concurrentibus exemplis & sanctionibus patrum. Ignobilis est; sed nec Petrus patricius extitit, aut alicubi de claritate sanguinis gloriatur. Minor est: Hieremiam & præcursorem domini habet autores. Puer est: & monstrat seniores à Daniele puero condemnatos. Illiteratus est; nec scholas frequentasse leguntur Apostoli. Coniugatus est; Apostolus vnius vxoris virum præcipit eligendum. In initiam matrimonij sui suam reliquit vxorem, & Ioannes à nuptiis ad Euangelium traditur reuocatus. Opicus aut potius elinguis est: sed Aaron vices Moysi, qui erat impeditioris linguæ, & sacerdotium legitur ministrasse. Si moderniora desiderantur B exempla; Valerius Vincentio fidei & morum doctor extitit, & exemplar martyrij. Scorta sectatus est, sed Osee mandante Domino amplexibus meretricis adhæsit. Insipiens est, sed per insipientiam mundi decreuit Deus saluare credentes. Percussor est; sed Petrus gladium exerens, serui principis sacerdotum auriculam amputauit. Meticulosus est: Sed Ionas ad Niniuitas veritus accedere, Thomas ad Indos. Tenetur functionibus publicis alligatus: sed Matthæus de teloneo assumptus est. Vinolentus est, & deditus gulæ: sed Dominus ipse dictus est potator vini, vorator carnium. Non acquiescit maioribus, sed & Paulus in faciem restitit Petro. Contentiosus est: & inter discipulos IESV facta contentio memoratur. Garrulus est & linguosus: facundus habeatur, quoniam & Apostulus sic dictus est seminiverbius. Militiam exercuit: sed Martinus Iuliano legitur militasse. Vir sanguinum est: sed Moyses Ægyptium interfecit, & abscondit in sabulo. Manifestum est homicidium; & Samuel præsente populo Regem pinguissimum interfecit. C Perfidus est & periurus, sed Petrus perfidiam periurio cumulauit. Mutus est, sed hoc Zachariam à sacerdotio non exclusit. Cæcus est, sed & Paulus videre non poterat, quando eum Ananias domino consecrauit. Exigentibus culpis depositus est: sed multi tales restituti sunt, & postmodum Ecclesiæ Dei plurimum profuerunt. Surdus est: sed hoc præconari legem Dei non prohibet. Prædicator enim quæritur, non auditor. Leprosus est: sed de pastore pastorum Ecclesia recolit. Quia nec speciem, nec decorem habens apparuit, qui excludendus videretur tanquam leprosus, & nec humano dignus aspectu. Persona despicabilis est: sed in simili repulsæ titulo, aduersus Martinum non audiuit Ecclesia defensorem. Errat in fide: hoc fecisse dicitur Cyprianus. Valetudinarius est: sed Gregorius in summo languore Romanam optime gubernauit Ecclesiam. Superbus & vanus est: sed talis fuit Brictius Turonensis. Corpore & membris debilitatus est: sed hoc egregio confessori Pannocio legitur accidisse. D Condemnationem ambitus tulit: sed & filiorum Zebedei petentium primatum, est petitio reprobata. Hæresim quandoque docuit: sed Augustinus se Manichæum fuisse fatetur. Coluit idola; sed & Marcellinus martyr insignis in papatu thurificare compulsus est. Forte nondum est Christianus: sed dum catechumenus esset, beati Ambrosij fuit (vt traditur) electio celebrata. Persecutus est Ecclesiam Dei; sed & Paulus ex persecutore factus est prædicator. Electio deest: sed & Apostoli non petentibus populis missi sunt. Non vacat sedes in quam posset intrudi, accedat præcedenti. Nam & Augustinus Valerio Hipponensi non tam successisse, quam accessisse describitur. Auarus est, dispersa poterit congregare: & inutiliter non distrahet congregata. Vt pauci vniuersa complectat, ad omnia ineptus est; sed Samson mandibula asini Philistium expugnauit. Potens est & nunc Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Adhæc dubium esse non debet quod cathedra Episcopalis sanctos recipit, aut sanctos facit. Nam & cum Saul inunctus

E esset in regem, insiliit in eum spiritus Domini, prophetauitque, & mutatus est in virum alium. Caiphas quoque licet sacrilegus, & qui cum Iudæis conspirauerat in necem saluatoris, cum esset pontifex anni illius, prophetauit, vt constet ipsum ab officio prophetiæ, gratiam quam demeruerat, accepisse. Cum ergo sedes suauis, & dulce lignum, gratis & sine labore omnia desiderabilia conferant, nonne superflua sollicitudo est, dies laboriosos, & noctes insomnes ducere, vt ad sacrarium Philosophiæ accedant?

Dulcius est iacuisse toro, tenuisse puellam,
Threiciam digitis increpuisse lyram.

Aut si hoc nimis videtur esse arduum quoniam tactus lyræ sonum eliciens suum laborem habet, & industriam exigit, tutius est exultare quiescentem ad sonum lyræ & vocem organi, & portas omnium sensuum voluptatibus aperire. Interim philosophantium studia deridentur: si quid auditur incognitum, quasi prophanum sit, condemnatur; aut si minoris est contemnitur. F Nam vt ratione & autoritate reprobetur, frustra expectas. Si ratione vel autoritate niteris, consuetudinem qua abutuntur, & quam fecerunt, obijcient. Dicitque procerum alter ad alterum:

Hoc est cur palles, cur quis non prandeat hoc est,
Doctoresque tuos curto centusse licetur,

Et psallunt in sobrios hi qui bibunt vinum. Nec tamen ambitione tanta Episcopalis dignitas duntaxat opugnatur, eo quod iam summis & minimis eadem est dominandi præsidendique libido. Qui enim aspirare non audet ad cathedram, pari auiditate & eisdem machinis præfecturas, archidiaconatus, & alias aggreditur dignitates. Indulge ei modicum, audebit ampliora, procedet paulatim, reminiscens, quod

audentes fortuna iuuat,

& timor animos conuincit esse degeneres. Nemo repente turpissimus fuit. Si paululum successerit eis, nihil est quod à se fieri posse non sperent. Tandem itaque quod G petitur, obtinetur; sed vt dici solet, Deo irato.

Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi iam miseri vitam gemuere relictam.

Nouam ergo concipiunt sollicitudinem, & seram, eo quod temporis iactura reparari non potest. Quod in claustralium pluteis continetur, excutiunt, literatorum expilant scrinia, corrogant scedulas, verborum flosculos legunt, oratiunculas conquirunt, & modis omnibus elaborant, vt videantur scire quod nesciunt. Nam vt sciant, aut in virtute proficiant, non dum solliciti sunt. Vmbram duntaxat virtutis affectant, quam semper virtuti prætulerunt. Vtique nihil miserius est, quam in alieno fulgore gloriari? & eo constat esse inopem debitorem; qui solutionem celebrare non potest, nisi noui gratia creditoris. Veruntamen sic tempus redimere gestiunt, vt tibi satyricus recte videatur occurrere, cum improperio ingerens,

Vdum & molle lutum es, iam nunc properandus, & acri † al. & fuis.
Fingendus sine fine rota, tibi luditur † effluis amens. H
Contemnere, sonat vitium percussa, maligne
Respondet, viridi non cocta fidelia limo.

Hoc enim non modo aduersus prælatos Ecclesiæ, sed omnes qui ante docendi officij præsumpserunt, quam discipuli formam impleuerint, ad pigritiam excitandam quasi stimulum libertas veritatis adducit. Vnde ergo noua & vetera proferunt, qui semper æque noua & vetera contempserunt? Nec est quod error concurrentium sub prætextu multitudinis excusetur, quia viuendi forma à conuenientium similitudine nequaquam trahitur, sed à verbo Dei, in cuius vita beati ambulant, & recto calle ad veræ felicitatis patriam pergunt. Neque enim quod à multis peccatur, peccatum non est; sed ideo grauius, quia multum. Nec delinquentia culpam socia minorat multitudo, sed prægrauat eo quod viribus suis, ne corrigatur, obstat. Ne tamen aduersus iustitiam Dei, ambitiosorum multitudo præualeat, non modo diuina, sed humana iura armantur. Lex & prophetæ, Euangelium,

A & omnes regulæ patrum illorum detestantur audaciam. Nihilominus tamen aduersus dominum eriguntur. Erubesce Sidon, ait mare, & tu clerice quid sentis, cum laicus legis fere ignarus, ambitionem tuam arguit & compescit? Obstupesce propheta, cum asina te sessorem suum reuocat, & tuos conuincit errores. Brutum animal, homo stupidus, angelum videt tenentem gladium, id est spiritum, qui latet in litera, & tu cæcus in tanto lumine scripturarum insanus ruis in mortem? Erubesce ergo, obstupesce, subsiste, & à maledictione, ad quam auaritia stimulante festinas, recede, & qui contemnis Moysen & prophetas, vel asinam quam ambitionis tuæ calcatibus vrges, audi. Miraculo siquidem opus est. Balaam etenim non corripitur, nisi asina loquatur. Nonne erubescis, quod te sic excæcauit, sic pessundedit sui ipsius ignara ambitio, vt propheticis & diuinis oraculis ruditum asinæ præferas? Terreris forte, & contremiscis in vocem asinæ, sed nequaquam compungeris. B Hoc enim diuini verbi munus est, & donum illius, qui solus in mentibus electorum, ignem charitatis accendit. Vnde liquet, quia inutiliter asinam audit, quicunque verbi Dei contemnit vocem. Audi tamen & asinam vtilia suadentem, quia & in ea eruditionem tuam spiritus loquitur. Præuidet angelum cohibentem illicitos gressus tuos, & eum ostendit tibi qua via ad honores Ecclesiasticos ascendendum sit, quæ via sit fugienda, canones docent. Contemnis tamen, quia in via mandatorum Dei, non vides angelum tenentem gladium, vt occidat te. Eadem incedit asina, homo tui collatione. Stolidus & tardus, & qui verbi & exempli tui calcaribus vrgendus est, vt faciat legem, videt angelum, timet, subsistit, & consilium Dei tibi enunciat. Loquitur in casu isto. Tu miraculum venerare, & singula verba eius repone, & exculpe in tabulis cordis tui.

Cap. XX.

C *De legibus secularium principum, quibus curiales & officiales arcentur ab honoribus Ecclesiasticis, & quibus exemplis Dathanitæ & Abironitæ nitantur obtinere:*

Ait ergo Imperator Iustinianus: Maxima sunt in omnibus dona Dei de superna collata clementia, sacerdotium & imperium: illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex vno eodemque principio vtraque procedentia, humanam exornant vitam. Ideoque nihil sic erit studiosum imperatoribus, sicut sacerdotum honestas, cum vtique pro illis ipsi semper Deo supplicent. Nam si hoc quidem inculpabile sit, vndique & apud Deum fiduciæ erit plenum. Imperium autem recte & competenter exornet traditam sibi rempublicam, erit consonantia quædam bona, omne quicquid vtile est, humano conferens generi. Nos igitur maximam ha- D bemus sollicitudinem circa vera Dei dogmata, & circa sacerdotum honestatem, quam illis obtinentibus credimus quia per ea maxima nobis dona dabuntur à Deo, & ea quæ sunt, firma habebimus, & quæ nondum venerunt, acquiremus. Bene autem vniuersa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens, & amabile Deo. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum obseruatio custodiatur, quam iusti, laudati, adorandi inspectores, & ministri verbi Dei tradiderunt Apostoli, & sancti patres custodierunt, & explanauerunt. Sancimus igitur, sanctas per omnia sequentes regulas, dum quispiam sequenti omni tempore, ad ordinationem Episcopatus perducitur, considerari prius eius vitam secundum sacrum Apostolum, si honesta, si inculpabilis, & vndique irreprehensibilis sit, & in bonis testimonium habeat, & sacerdotem decens, & neque ex officiali, aut ex curiali veniat fortuna. Neque ex idiota mox clericus, deinde paruum aliquid præteriens, Episcopus appareat, sed aut in virginitate degens à princi- E pio, aut vxorem siquidem habens, ex virginitate ad eum venientem, neque filios odibiles. Alioquin qui præter hæc aliquid agit, & ipse cadat sacerdotio, & qui eum ordinat extra Episcopatum sectabitur hanc legem offendens. Sed neque ineruditus existens sacrorum dogmatum, ad Episcopatum accedat. Prius ad monasticam vitam professus, aut in clero constitutus, non minus mensibus sex, vxori tamen non cohærens. De cetero autem nulli permittimus à positione legis vxorem habenti, talem imponi ordinationem. Sicut bonam gratiam, vel gloriam in eo, qui ordinandus est, quærimus; ita etiam in eo calumniam, qui frustra accusauit, punimus. Si autem aliquis dicat conscium se esse alicuius illicitorum eius, non prius mereatur Episcopi ordinationem, quam querelæ examinatio fiat, & vndique innoxios appareat. Quod si post huiusmodi contradictionem, non passus is qui ordinem facit, legitimam examinationem imponi causæ, currat ad ordinationem, sciat quod ab eo fit, pro F nihilo esse, sed is qui contra legem fit cadat sacerdotio, & qui sine probatione ordinationem imponit, & ipse similiter cadat sede sacerdotali. Item Leo: Si quemquam ad Episcopatus gradum prouehi Deo autore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis scientia, sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotij precij venalitate mercetur. Qualiter quisque mereatur, non quantum quisque dare sufficiat, æstimetur. Profecto enim quis locus tutus & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritati, aut vallum fidei prouidebimus si auri sacra fames, veneranda penetralia proserpit? Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta, corrumpitur? Cesset altaribus imminere profanus ardor auaritiæ; & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus & humilis eligatur nostris temporibus Episcopus, vt locorum quocunque peruenerit, omnis vitæ propriæ, integritate purificet. Non precio, sed precibus ordinetur antistes, G tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Cum sane quisquis hanc sanctam & venerabilem antistitis sedem pecuniæ interuentu subiisse, aut si quis vt alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepisse deregitur, adinstar publici criminis, & læsæ maiestatis accusatione proposita, à gradu sacerdotij retrahatur. Nec solum deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnate decreuimus, vt eos, quos facinus par coinquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur. Item Iustinianus nouella: Præ omnibus istud obseruari sancimus, vt nullus per suffragium alicuius muneris, Episcopus ordinetur. Si quid autem tale committatur, ipsi dantes & accipientes, & eorum mediatores damnationi subjiciantur. Et præterea qui dat, & qui accipit, & mediator, sacerdotij aut cleri honore remoueatur. Quod autem pro hac causa datum est, Ecclesiæ illi vindicetur, H cuius voluit sacerdotium comparare. Si forte laicus mediator pro hac causa aliquid acceperit, in duplum id Ecclesiæ restituat. Idem. Sed neque quemlibet venerabilis domus gubernatorem, aut aliam quamcunque sollicitudinem Ecclesiasticam agentem, dare aliquid illi à quo constituitur, vt nulli personæ liceat, pro commissa sibi gubernatione. Qui vero dat aut accepit, aut mediator fit, clero nudabitur. Acceptis, vendicandis venerabili loco. Si autem secularis sit qui accepit, aut mediator est, quod datum est, duplum eidem venerabili loco ab ipso præbeatur. Idem: Sancimus cum opus fuerit Episcopum ordinare, clericos mox in tribus decreta facere personis † propositis Sacrosanctis Euangeliis, dicentes (al. sanctis) in ipsis decretis, quia neque propter aliquam donationem, aut promissionem, aut amicitiam hos elegerunt. Sed & scientes eos rectæ fidei, & honestæ vitæ esse, & litteras nosse; & quia neque vxorem, neque concubinam, neque filios habent, neque hos curiales aut officiales esse. Idem: Sed neque curialem aut officialem

A clericum fieri permittimus: vnde ex hoc venerabili clero iniuria fiat, nisi forte monasticam vitam aliquis eorum non minus 25. annis impleuerit tales enim ordinari præcipimus, quarta propriæ substantiæ sibi retenta, reliquis partibus curiæ & fisco vendicandis, si in clero constituti monacho condecentem vitam impleuerint. Idem: ab Episcopis Deo amabilibus secundum diuinas regulas religiosos clericos cum multa fieri inquisitione, & boni testimonij viros ordinari sancimus literas omnimodo scientes, eruditos, sed nullos magis in sacris ordinationibus diligimus, quam cum castitate viuentes, aut cum vxoribus non cohabitantes. Hæc quidem sæculi principes. Nam licet Ecclesiæ doctores hæc latius prosequantur, quoniam nimis videntur ardua, quæ dicuntur ab ipsis, vilescunt, vtique qui vel istos non audit, cæcior est Hypsæa, & Dulichio remige surdior, & qui merito præcipitandus est, prostratus ab angelo, quem
B contemnit, infernũ in inferiorẽ. Nabad & Abiu igne suo succensos & extra tabernaculũ elatos domino mandante audieras: sed hi Templum Domini & sancta sanctorum, Moyse repugnante, id est, lege domini prohibente, nituntur irrumpere. Successit eis soboles numerosa, replet atrium domus domini, alienum ignem accendunt. Adolere thura nituntur prohibiti, & Dathanitarum & Abitonitarum societate contracta irruunt in Moysen, scindentes Ecclesiam, sacerdotium perturbantes, seditionem facientes in populo, nisi ad sacerdotium permittantur accedere. Cum enim sibi conciliauerint gratiam potestatum de iure patere sibi asserunt vniuersa, eo quod princeps, vt dicunt, legibus non subjicitur; & quod principi placet legis habet vigorem. Cum ergo populus ei & in eum omnem autoritatem suam contulerit, ei obuiare crimen majestatis est, & manifesta subuersio principatus. Siquidem sacrilegij instar est, dubitate an is dignus sit, quem princeps elegerit. Nec temeritas effugit notam; & bene cum eo agitur, si vel pœnam
C quisquis ex quacunque causa voluntatem principis euacuare parat. Nullas leges credant ciuilibus præferendas. Has Anacharsis Scytha telis Araneæ comparauit, quæ muscas & culices detinent, sed volatilia transmittunt grandiora. Sic & iura ciuilia, humiliorum reprimunt voluntates; sed profecto potentioribus cedunt. Nam ex transgressione vel contemptu legitimam eis non irrogant pœnam; sed nec interpellatas quidem cauta dissimulatione prætereunt. Ad hæc conquæsita tyrannorum exempla proponunt, quibus persuadeant potestatibus, vniuersa licere. Maxime tamen sicubi locorum fuerint, vbi inueterata consuetudo obtineat, etiam si rationi aduersetur & legi. Narrant quis tyrannus domesticum suum aut familiarem in quam Ecclesiam sine electione intruserit, quis clerum; vt ignotum & indignum eligeret, terroribus & damnis impulerit, quis Ecclesiam Dei vendiderit palam, quis metropolitanum compulerit reprobabilem consecrare, quis Episcopos religiosos in exilium egerit, aut actos ab aliis coegerit exulare, quis
D Ecclesiam & res sacras honorauerit muneribus sordidis, quis indignis suppliciis torserit religiosos, quis vilipenderit & pessundederit clerũ, quis in prouincias induxerit ferale iudicium, quis leges & canones exterminauerit à finibus suis; quis indixerit silentium Episcopis, vt quæuis flagitia impune & sine vlla reprehensione committeret, quis aduersus Ecclesiam Romanam diutius & perniciosius intumuerit, quis omnia non tam sua, quam peruersa lege tractauerit, quis tandem consueuerit libito licitum coæquare. Si quis autem in his commemorandis copiosior est, & inexplenda malitia nequior, sincerioris est fidei, & efficacioris industriæ. Qui vero pro veritate fidei, aut sinceritate morum de iure diuino aliquid loquitur, aut superstitiosus est, aut inuidus, aut (quod capitale est) principis inimicus. Si dicas quia ignis per septuaginta annos Babylonicæ captiuitatis sub aqua vixerat demum extinctus est, Antiocho vendente Iasoni sacerdotium, aut quod Beatus Gregorius testatur, quia pestilentiæ & fames, concussiones gentium, collisiones regnorum, & quam plurima aduersa terris proueniunt, ex eo quod honores Ecclesiastici ad precium vel humanam gratiam conferuntur personis non meritis. Si dicas E
Ozam percussum à Domino, eo quod arcam nutantem præsumebat erigere. Si regnante Ozia Rege leproso, siluisse dixeris Esaiam, & eo mortuo vidisse Dominum sedentem super solium excelsum. Si dixeris onera tabernaculi humeris & plaustris Leuitarum duntaxat imminere, & si qua sunt in lege Dei similia, bene agetur tecum, si non mutilatus retrudaris in carcerem, aut in exilium propellaris. Vnde conclamaberis, & tam ambitiosi, quam fautores eorum extremæ damnationis † vitæ non verebuntur ferre sententiam. Vnum tamen al. in te.
remedium tibi Dominus procurabit, quod cuiusque sapientis & timentis Deum conscientia consonat verbis tuis. Inde est quod sententia eorum de te Domino autore, non semper obtinet. Si enim ipsis creditum fuerit, tu quasi læsæ majestatis reus, hostis publicus iudicaberis. F
Diceris vtique publica euacuare iudicia, & dum professionis propriæ zelator, Ecclesiasticam erigis libertatem, sapientiam subuertis principum, & eos quasi stultos & contemptibiles reddere machinaris. Satius erit vt diadema detraheretur principis capiti, quam principalis & egregiæ partis reipublicæ dispositio, quæ in religione versatur, illius subtrahatur arbitrio.

Non priuata cupis Romana quisquis in vrbe
Pompeium transire paras.

& forte arrogantius priuatorum vota transgreditur, qui sub imagine libertatis principibus appetit dominari. Nam si quis principum superstitioni huiusmodi acquiescat, insipiens est, & ab illustrium regum virtute degenerat. Dauid tamen, sicut Regum narrat historia, & omnis Israël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & tympanis & lyris, & sistris, & cymbalis; licet ei non defuerit eiusmodi increpator. Historia namque memorata prosequitur: Et egressa Michol filia Saül in occursum Dauid, ait: quam gloriosus fuit hodie Rex Israël discooperiens se ante ancil- G
las seruorum suorum, & nudatus est quasi nudetur vnus de scurris. Dixitque Dauid ad Michol? Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me, potius quam patrem tuum, & quam omnem domum eius; & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israël, & ludam, & vilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es, gloriosior apparebo. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque ad diem mortis suæ. Dauid vero sedit Rex in domo sua, & dedit ei Dominus requiem vndique ab vniuersis inimicis suis. Videsne quam diligenter puniri docet historia hunc contemptum religiosis, cum arrogantia tumoris, inde deuotionem fidei & humilitatis cultum remunerat? Nam & Dauid quietem regni assequitur, & Michol prauæ increpationis merito sterilis obit, & nullum inclyti generis, & felicis matrimonij reliquit fructum. Recte quidem, cum & Michol omnis aqua, vel ex omnibus interpretetur. H
Siquidem multitudinis imperitæ consilium, & quæ populare iudicium sequitur, fructus boni, nec iucunditatem, nec memoriam habet. Veruntamen cum istos consiliarios magnatorum audieris, nequaquam suspicaberis Michol sine sobole decessisse. Omnes enim filios Michol esse mitaberis etsi non carnem, spiritum ex traduce illius putabis processisse. Et quo istud facilius tibi persuadeas, hi qui diuinam euacuare nituntur, vt suam statuant autoritatem, sine liberis moriuntur, aut eos relinquunt degeneres & ignauos. Proculdubio quisquis Ecclesiasticam deprimit libertatem, aut punitur in se, aut punitur in sobole. Amittunt ergo filij etiam propria, cum bis quæ fauore eorum, paterna impietas occupauit.

***

Cap.

A

Cap. XXI.

De hypocritis, qui ambitionis labem falsa religionis imagine nituntur occultare.

Licet autem populi temeritas, aut licentia potestatum, præceptis legitimis, & diuina institutione reprimi possit, ambitio tamen domari non potest. Si enim in manifesto non audet, clanculo serpit, & fraudulenter ingreditur. Si fores Ecclesiæ muneribus non aperiat, si nec sua, nec aliena violentia reserantur, confugit ad artes fallaciæ suæ, omnia quæ libertatem impugnant, quæ † doctorum statuta conuellunt, & quæ religioni contraria sunt, tota libertate spiritus detestatur. † Sinonem, vt simplices & credulos circumueniat, miraberis redisse, Simulat & dissimulat, &

astutam gerit sub pectore vulpem;

Stoico quouis liberior est, Catone rigidior. Est quoque B interdum simplicior, Paulo doctore gentium sollicitior, feruentior Petro; & ei viuere Cristus est, & mori lucrum: nec gloriatur in aliquo, nisi in cruce Christi, quam iugiter portat in corpore, vt spiritus saluus sit, dissolui duntaxat cupiens, & esse cum Christo. Mortificat ergo carnem cum vitiis, & concupiscentiis; & non sicut ceteri hominum, cum hominibus degens, vitam agit Angelicam, & in cœlestibus conuersatur. Ieiunant hi continuè, sine intermissione orant, clare tamen, & vt audiat hospes, asperis & sordidis vestibus induuntur, & populum increpant. Arguunt clerum, de moribus corrigendis sollicitant principatos & potestates, testimonium sibi acquirentes iustitiæ, si vitæ detrahant alienæ. Vt vero fraus sub honestatis specie conualescat, laudabilium virorum collegiâ expetunt, arduas subeunt professiones, ostentant difficilia, & familiarius sibi propitij, possibilia & quæ humaniora sunt, exequuntur. Sic ergo Basilij, Benedicti, Augustini, aut si hoc parum est, Apostolorum & prophetarum fatentur successores; C vestes Carthusiensium, Cisterciensium, Cluniacensium, induunt, & dignantur esse canonici, gloriantur in laneis tunicis & pellibus agninis. Veniunt enim in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: sed, vt ait Dominus, euidentissime cognoscuntur à fructibus suis. Non tamen à fraude istorum, religionis veræ diminuitur gloria. Nam indubitanter omnibus constat, quia nomina quæ profitentur, & quorum pollicentur officia, honestissima & fidelissima sunt. Nam religio in his adeo vera, adeo probata consistit, vt nullus reprehensionis aculeos reformidet. Siquidem Carthusienses, quasi auaritiæ triumphatores, præcipui vbique clarescunt Cistercienses B. Benedicti, quem omnium iustorum spiritu plenum fuisse constat, præcepta & vestigia sequuntur ad vnguem. Cluniacenses, religionis formam multis † prouidentiis tradiderunt. Et Canonicis sufficere debet ad plenissimam laudem, quod regulam eorum oportet omnes clericos imitari D Eremitæ quoque baptistam saluatoris, & filios prophetarum, institutionis suæ habent autores. Fratres templi Machabeorum exemplo, ponunt animas suas pro fratribus suis. Xenodochi siue hospitalium procuratores, Apostolorum sequuntur vestigia, & ad perfectionis cumulum aspirantes, in eo fidelissimè audiunt Christum, quod viuunt innocenter & omnia quæ habent, pauperibus erogant. In his tamen omnibus fideles inueniuntur, & reprobi, nec ob id religionis aut professionis veritas deformatur. Quæ enim professio est, aut quæ legitur vnquam fuisse societas, in quam macula non irrepserit? Angelum Apostatam legimus, in primis fratribus parricidium, prophetam reprobum, Apostolum proditorem, discipulos Christi perfidos, nec tamen corrumpitur puritas persistentium Angelorum, aut minus sancta est societas innocenti diligentium fratrum, aut prophetæ gratia electis culpabilis, aut Apostolatus in fidelibus contemptibilis, aut disciplina Christi per varios errores aberrantium est infamis. Sicut ergo Angelus Sathanæ transfigurat B se in Angelum lucis, & Apostoli pseudo ad authoritatem Apostolicam aspirabant potius, quam ad vitam. Sic & Hypocritæ ad supercilium Pharisæorum confugiunt, dilatantes phylacteria, & magnificantes fimbrias; & quæ in lege Dei scripta sunt, nolunt contingere digito, nisi vt videantur ab hominibus, à quibus honoris aut alterius remunerationis mercedem exspectant. Inde est, quod facie pallorem ostentant, profunda ab vsu trahunt suspiria, artificiosis & obsequentibus lachrymis subito inundantur, obstipo capite, luminibus interclusis, coma breui, capite fere raso, voce demissa, labiis ab oratione mobilibus, incessu tranquillo, & quasi gressu quadam proportione compositi, pannosi, obsiti, sordes vestium, & affectatam vendicant vilitatem, vt eo facilius ascendant, quo sestudiosius videntur in locum nouissimum deiecisse, & qui sponte sua decrescunt, crescere compellantur inuiti. F Hi sunt qui, si quid maculæ inhæsit Ecclesiæ dum peregrinatur, publicis aspectibus detegunt, vt ipsi ab omni macula videantur immunes. Hi sunt qui beneficia, quæ needum sanctis collata sunt, prædicant auferenda. Hi sunt qui potestatibus persuadent, vt propter vitia personarum, iure suo priuentur Ecclesiæ. Decimationes & primitias Ecclesiis subtrahunt, & Ecclesias ipsas accipiunt de manu Laicorum, Episcopis inconsultis. Hi sunt qui prædia auita subtrahentes indigenis, vicos & pagos redigunt in solitudinem, & in suos vsus vicina quæque conuertunt. Ecclesias diruunt, aut in vsus reuocant sæculares. Quæ domus orationis fuerat, aut efficitur stabulum pecoris, aut opilionis, aut lanificij officina. Et quidem maiora impune faciunt, & quasi cornibus geminæ potestatis, Ecclesiam, in cuius sinu quiescunt, & proteguntur vmbra, ventilare non cessant. Ad Ecclesiam namque Romanam confugiunt, quæ mater pietatis, religioni consueuit prouidere quietem. Implorant opem eius, protectionis impetrant clypeum, ne cuiusquam possint malignitate vexari, & vt G se possint plenius exhibere, & charitatis implere manus, ne decimas dent, Apostolico priuilegio muniuntur. Procedunt vlterius, & quo sibi plura impune liceant, à iurisdictione omnium Ecclesiarum seipsos eximunt, & efficiuntur Romanæ Ecclesiæ filij spirituales. Ita tamen, vt pro foro rei vbique conueniant; sed tamen conueniri non possunt, nisi Romæ vel Hierosolymis. Deinde sæcularium potestatum implorant auxilium, & eis diuinam gratiam pollicentur. Fiuntque mediatores Dei & hominum, & eos qui venia indigent, suis aggregant societatibus, confessiones excipiunt, & claues Ecclesiæ vsurpantes, aut surripientes Petro, ligare præsumunt & soluere, & Domino prohibente falcem mittunt in messem alienam. Potentiores tamen & diuites, fauore vel mercede recepta, facilius exonerant, & peccatis alienis humeros supponentes, iubent abire in tunicas & vestes pullas, quicquid illi se commisisse deplorant. Amplificant misericordiam Domini, qui ne- H minem vult perire, quam sicut apertam & patentem pænitentibus, sic solis desperantibus præclusam esse, pronunciant. Indulgent interim his qui criminibus ardentius & tenacius inuoluuntur, peccare in spe, dum tamen sibi in redemptionem eorum, aliquid prærogent, & audacter promittunt veniam, eo quod sicut aqua ignem, ita eleemosyna peccatum extinguit. Pœnitentia quoque nunquam sera est, si tamen vera. Consentiunt ergo moribus iniquis, & popularem prouocantes affectionem, assentationibus obturant aures hominum, ne increpationes audiant prælatorum. Adhuc rumusculos inquirunt, tumultibus gaudent, diffidentium secreta explorant, & eadem nunc ad amicos perferunt, nunc ad hostes, vtrisque grati, vtrisque perfidi, magis tamen ad ista videntur idonei, quia ab imagine religionis minus habentur suspecti. Quid in palatio, quid in foro, quid in agris expediat, quid in castris, soli creduntur nosse, quia vniuersa hæc præ ceteris videntur curare, qui istis iugiter immiscentur. Si

† al. decretorum.

† al. Simonem.

† al. prouinciis.

A conueniant partes in curia, ciues in foro, milites io expeditione, si denique concilium, aut synodus conuocetur, præcipuam sedium partem præoccupabit vmbratilis ista religio. Claustrorum fracta credas repagula, exausta ptochia, vel xenodochia, & à locis venerabilibus examina conuentium euolasse. Adeo quidem sa religionis species turbis, & publicis aspectibus ingerit. Primas cathedras, recubitus primos, primas salutationes vsurpant, & si eas differas, vehementissime indignantur. Si eis obloqueris, religionis inimicus & veritatis diceris impugnator. Feras itaque patienter, si iniurias & damna intulerint, qui licentiam omnium, Apostolica & regia autoritate obtinuisse videntur. Nam & hoc meritis eorum deberi creditor. Sane qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Nec ego Apostolicæ maiestati, & regiæ arbitror reluctandum. Miror tamen, vt fidelium pace loquar, quidnam sit, quod decimas & iu-

B ra aliena vsurpare non erubescunt? Inquient forte, religiosi sumus. Plane decimas soluere religionis pars est, & eas † à Deo populus duntaxat religionis † exigitur. At qui eas exigunt, irreligiosi sunt. Vos autem quis constituit iudices super eos; Aut qui estis vt exerceatis iudicium in seruos alienos? Vnusquisque suo Domino stat, aut cadit. Stabunt autem. Sumus, inquiunt, tuti Apostolico priuilegio, cur beneficio de nutrimentis animalium & laboribus nostris decimas retinemus. Nempe Apostolis omnia licent; sed omnia ab Apostolicis fieri nequaquam expedit. Esto quod illi vobis hoc licenter concesserint; vos an recte petieritis, videatis. Nempe qui petit vt quod debet non faciat, iustitiæ spontaneus non obedit. Numquid de nutrimentis Abel Dominum non respexit? Cain fruges obtulit; rectè quidem, quia Domino debebantur, sed in partitione iniqua, dum diuisioni aliquid subtrahit, peccatum committit. Acceptantur præ illo munera eius, qui fœtus animalium cum Domino partitur. Et forte de animali-

C bus redduntur rectius, quia sine cultura & cura nostra proueniunt. Plus enim laboris est in frugibus serendis & metendis. Non coguntur dare de suis. Quis enim de laboribus alienis redditurus est rationem? Quid multa? Multis & longis allegationibus videntur adstructe, quoniam alias decimas dare non prohibent, dum ipsi ab eis dandis immunes sint, quia adeo religiosi sunt, quod in ea parte derogare possunt, constitutioni diuinæ, & in eo licenter minus grati sunt gratiæ Dei, quo eam amplioribus beneficiis experiuntur. Quæ enim ex sola gratia proueniunt, vt sunt fœna & sponte nascentia non censentur obnoxia religioni. Primo quidem dum religio paupertate gaudebat, & in aliorum necessitates aut vsus effundebat viscera inopiæ suæ, indulta sunt priuilegia professionibus, quæ necessitate cessante, & frigescente charitate, potius auaritiæ, quam religionis instrumenta creduntur. Ecce enim quia omnes hi priuilegiati, quæ sua sunt quærunt, & IESVS

D qui prædicatur in publico, aut omnino abest, aut in abditis latet. Inde est, quod cum ad iniquum compendium auaritiæ priuilegia trahi conspiceret B. Adrianus, volens ea omnino reuocare, licentiam eorum hac moderatione compescuit, vt quæ de laboribus vsurpant, circa noualia duntaxat interpretetur. Sic enim gaudere poterunt priuilegiis, sine graui dispendio iuris alieni. Vnum tamen est quod tantus pater vtcumque sustinuit; & quia patrum canonibus refragatur, mirabile est in oculis nostris. Milites namque templi illi fauore ecclesiarum dispositionem vendicant, occupant personatus, & quodammodo sanguinem Christi fidelibus ministrare præsumunt, quorum fere professio est humanum sanguinem fundere. Non equidem quod eos viros sanguinum dicam, qui pene soli inter homines legitima gerunt bella, cum & Dauid non propter bella, quæ legitimè exercebat, vir sanguinum dictus sit, sed propter Vriam, cuius sanguinem innocenter effudit. Vt enim in Canonibus cautum est, Laicis quamuis religiosis, nulla de rebus Ecclesiasticis legitur attributa facultas. Esset vtique veræ religionis indicium, si ab illius rei di-

† al. adeo
† al. exigis.

E spositione temperarent, quam sibi Domino prohibente tractare non licet. Sed nec de rapinis, non dico Ecclesiarũ, sed nec quorumcunque fidelium, munus hospitalitatis implendum arbitror, quia panem sacrilegum odit Dominus, & aspernatur oblationes quæ offeruntur ex sanguine: & quotiens inuocatur a talibus, claudit aures suas, vt non pateant ad preces eorum. De his quæ in fraudem iustitiæ Dei committuntur à talibus, ad præsens nequaquam sermo est institutus: licet omnino iniquum sit, quod amore pecuniæ illecti, Ecclesias, quas Episcopi clauserunt, aperiunt. Diuina suspensi celebrant, sepeliunt mortuos, quos reiicit Ecclesia & semel in anno faciunt, vt toto anno erroneus populus ad vocem Ecclesiæ obsurdescat, & quia coërceri nõ potest, emendari contemnit. Circumeunt ergo Ecclesias collegiorum suorum merita præconantur, abolitiones criminum portant, & interdum prædicant Euange-

F lium nouum, adulterantes verbum Dei, quod annunciant non ad gratiam, sed ad precium, viuentes ad voluptatem, non ad veritatem: & tandem cum in latibulis sero conueniunt, die de virtute locuti, clunem agitant errore & labore nocturno. Si sic itur ad Christum, fallax & vana est doctrina patrum, quæ arctam & arduam monstrauit viam, homini tendenti ad vitam. Cum vero istis Ecclesia indignetur, nulli omnino æquius commouentur, quàm viri verè religiosi in quorum iniuriam hæc omnia refunduntur. Succenset populus: sed religiosæ professiones aduersus hanc hypocrisis labem iustius amaricantur. Non enim hoc fecisse dicuntur hypocritæ, sed Cistercienses, aut Cluniacenses, aut alij quorum hi ventiloqui, aut ventriloqui habitum induunt, & vitam mentiuntur. Nam claustrales, qui plane vere religiosi sunt, dum professionibus seruiunt, ab hac malitia immunes sunt. Nulla vita fidelior, nulla simplicior, nulla felicior, quam eorum qui in claustris fideliter degunt, & humiliter abiectione

G sua gaudentes, obedientes prælatis suis in omni subiectione & reuerentia, nec appetentes sub obedientiæ nomine dominatum, aut fraudandi, aut vagandi aut ociandi licentiam, vasa sua possidentes in sanctificatione & honore, præstolantes in silentio & patientia salutare Dei, à detractione & murmure alieni, excipientes ab ore Domini, in quiete verbum, quod saluare potest animas suas, grata miscentes cum Deo colloquia, & quasi terrestres angeli, sunt totius mundanæ perturbationis ignari. Si quid autem est, quod eos contristare videatur, ad charitatem fraternam referendum est, quia & in cælis angeli nostris quodammodo lapsibus compatiuntur, & super vno peccatore pœnitentiam agente, congaudent. Cum vero philosophos imitari nostro tempore, quo virtus exinanita est, & Astræam relictis hominibus ad cœlos constet rediisse, sit arduum, vita claustralium virtutem philosophorum incomparabiliter antecedit, aut quod melius crediderim, rectissime & tutissime philosophantur. Qui vero ad explen-

H das necessitates eorum egrediuntur humiliter, & in eis fideliter versantur, etsi non securiorem, plane vtiliorem exercent es vitam, maxima laude digni & reuerentia, nequaquã ad Epicureorum & Hypocritarum factionem accedunt. Nam hypocritas Epicureis rectissime aggregabis, qui philosophiam profitentur, & propriæ seruiunt voluptati. Cum lites foueant, priuilegiis abutantur, seruiant cupiditati, charitatis officia nequaquam exerceant, propriam quærant gloriam, nonne secundum carnem ambulant, licet se spirituales mentiantur; merito expectantes interitum carnis, participes futuri gehennæ illius, cuius & nequam spiritus est, & inani gloria intumescens, altissimo conformari voluit aut præferri, deiectus & præcipitatus est in lacum damnationis æternæ? Sanè insani sunt, qui hac via incedunt, & miserabiliores omnibus gentibus, qui & præsentis vitæ bonis priuantur, & æternæ, maximè cum ille, qui pro peccatoribus peccatum sustinuit fieri, & familiarem se exhibuit publicanis, & meretricibus, cum hypocritis pacem habere nequiuit, qui non indigebant

iustitia

A iustitia eius, quod plannm est his, qui altercationes, quas cum Pharisæis exercuit diligenter attendunt. Nituntur tamen Pharisæorum exemplo locum tenere primum.

Cap. XXII.

De eisdem, & de Ezechia, qui thesauros, quos ostentauit, amisit.

Difficillimum aut impossibile asserunt sapientes, in præsenti gaudere cum mundo, & in æternum exultare cum Christo: & plane miserrimum est, torqueri cum mundo, & in æternum cum Diabolo flagellari. Si ergo & in hac vita tantum sperantes sunt hypocritæ tristes, qui exterminant facies suas vt probi hominibus appareant, & quasi præcinentibus tubis, iustitiæ suæ opera præconantur, à Domino frustra retributionem
B exspectant, quoniam in præsenti receperunt mercedem suam. De his enim qui verbo & habitu senus honorant Dominum, ex sententia eius constat, quoniam ipse elongatur ab eis, eo quod cor eorum ab eo elongatum est: Sed & ipsa opera eorum dispendium salutis afferunt, & Babyloniorum principi Satanæ famulantur. Omnia enim quæ ostentationis gratia fiunt, proficiscuntur in mortem. Regum narrat historia, quod cum Ezechias Rex Hierusalem per manum Esaiæ filij Amos signum incolumitatis & salutis à Domino accepisset, vmbra horologij retrorsum cedente decem gradibus, quod naturæ videtur aduersum, cum vmbra procedere soleat, non redire, misit Baradach † Balandam filius Balandam Rex Babyloniorum litteras & munera ad Ezechiam; audierat enim quod ægrotasset Ezechias. Lætatus est in aduentu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quicquam quod non
C monstraret eis Ezechias in domo sua & in omni potestate sua. Venit autem Esaias propheta ad regem: & dixit ei: Quid dixerunt viri isti, aut, vnde venerunt ad te? Cui ait Rex, De terra longinqua venerunt, de Babylone. At ille respondit. Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias, Omnia quæ sunt in domo mea, viderunt. Nihil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis. Dixitque Esaias Ezechiæ: Audi sermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, vsque in diem hanc, in Babylonem. Non remanebit quicquam, ait Dominus. Sed de filiis tuis qui egredientur de te, quos generabis, tollentur & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis. In superficie quidem historiæ secundum Hebræos, autore Hieronymo, veritas liquet, cum Ananias, Azarias; Misaël, cum Daniele captiuati sunt in Babylonem, ibique castrati, vt in regis palatio, secundum morem gentium ministrarent, nisi forte repugnet, quod pueri sine macula à Rege iubentur introduci, vt linguam
D Chaldæorum discerent, & constet quod non modo thesauri Regis † Iudæ in Babylonia translati sunt, sed magna pars vasorum Templi Domini in Hierusalem asportata legatur & profanata. Eleganter tamen cum Dominus Regi miraculum indulsisset, Babyloniorum dicuntur nuncij cum muneribus accessisse. Quia tunc præcipuè quis sollicitatur à nunciis confusionis, quando per admirabilem clementiam Dei, virtus eius clarius innotescit? Sed tunc imprudentis est exsultare, quia hi non modo suspecti habendi sunt, sed quasi hostes perniciosissimi studiosius deuitandi, quia timendi sunt etiam cum dona ferunt. Qui ergo aromata bonorum operum, virtutis aurum, argentum eloquentiæ, cogitationum pigmenta, vnguenta misericordiæ, & vtensilium suorum aptitudinem ostentat & decorem, & si qua in thesauris bonæ conscientiæ cautius & vtilius reponuntur, audiat verbum Domini, sciatque pro certo, quia omnia quæ militare videbantur ad gloriam, confusionis stipendium, & mortis acceptura sunt. Ipsaque etiam
E filiorum successio Babiloniorum castratur principi, quia ea quæ alias meritum virtutis habent & fructum, dum inanis gloriæ causa fiunt, inutilia sunt autori. Iustus enim remunerator hypocritas spernit & solius veritatis in bono cultum acceptat, cuius oculi nullo fuco, nulla malitia perstringi possunt, quia videt in abditis, & cordium profunda scrutatur. Species discernit à rebus.

Neque sub ærato mendosum tinnuit auro.

Vnde & Hypocrisis nomen accepit, quæ quidem Epicureorum indubitata species est.

† Balandam.

† inde.

Cap. XXIII.

Quod Carthusienses, dum moderationis habenis, auaritiam cohibent, & magni montis noua religio, dum omnia mundana contemnens, & de crastino non
F *cogitans repellit omnia, auaritiam excludit, ab Hypocritarum nota & nomine longius absunt: & qui sunt seculares aut religiosi, & qua regula actiuorum, & quæ ociosorum, & quis sit finis Hypocriseos.*

Hypocritarum autem nomen & notam cautissime & fidelissime declinant Carthusienses & magni montis noua professio, in antiquæ virtutis culmine, saluatore præuio, solidata. Siquidem Carthusienses cupiditati suæ, imo necessitati, limites præfixerunt, & moderationis habenis omnem auaritiam cohibent, & interdum ipsi necessitati aliquid subtrahunt, ne sub obtentu illius, quippiam auaritia moliatur. Magni proculdubio viri, & inter præcipuos numerandi, cum non modo professiones, sed iam senescente mundo, in tanta multitudine labentium seculorum, pauci processerunt homines, qui satietatis sibi aliquos præscripserint ter-
G minos. Necesse est semper deesse aliquid curtæ rei, & ipse hiatus desiderij aliquid vlterius iugiter affectantis, imperfectionis signum est. Signum dico, defectum potius dixerim conscientiæ manifestum. Quodam igitur modo, eoque glorioso, perfectus est, qui præuidet vnde valeat satiari: quod etsi neminem vel admodum paucos gentilium assecutos credam, huic tamen nonnullos institisse proposito, certum habeo; cum & Ethicus dicat: Certum voro pete finem, sine quo in infinitum animi humani conatus protenditur, & id quod omnino nequeat apprehendi. Porro magni montis incolæ vitam peraruam elegerunt, & non modo auaritiæ, sed ipsius naturæ quodammodo domitores, omnia necessitatis imperia excluserunt, abiecerunt sollicitudinem crastini, omnia mundi oblectamenta contemnere parum est apud eos, quacunque ad portas eorum quis pulset imagine, excluditur & confusus abscedit: in eas quippe solus Christus ingreditur, cuius innituntur gratiæ. Iactantes cogitatum suum in eum, qui paruulos
H enutrit, dat iumentis escam, pullisque coruorum. Lilia vestit agri, & omnibus sperantibus in se, aut constitutionis suæ obtemperantibus legi, necessaria præstat, vt nihil desit his, qui se eius non subtraxerunt voluntati. Totam ergo sollicitudinem suam, & omnem in eum proiiciunt curam, cui de fidelibus cura est, adeoque prouidentiæ deuitant angustias, vt vita eorum tota nonnullis tentatio videatur. Sancti siquidem patres genus tentationis diffiniunt, cum quis agendorum habenas diuino duntaxat committit miraculo, humano nondum auxilio destitutus. Ceterum ego vitam placentem Deo arbitror cupiditatis ignaram, insistentem innocentiæ, & peruigilem in opere charitatis. Quid ergo in his, aut in illis, sibi palliata hypocrisia vendicabit cupiditate deducta? Regula namque verissima est, quod de radice charitatis non oriuntur mala, & de cupiditatis planta nequaquam bona prouenient. Nec est quod displiceat Deo, vbi sinceræ voluntatis

A victima immolatur aut quod eum non offendat, si in qualibet pingui oblatione, propriam ei quis subtraxeris voluntatem. Ergo qui suam voluntatem facere disponit, irritat dominum, & qui sua postposita, illius se subiicit voluntati, altissimum placat. In eo siquidem solo veræ iustitiæ summa consistit. Vnde illud in Euangelio: Iudicium meum, inquit Dominus, iustum, quia non facio voluntatem meam, sed eius voluntatem, qui misit me. Moyses quoque in Leuitico: Omnis oblatio, quæ offertur domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Superbiæ namque fermentum offertur & mellis, cum quis neglecta humilitate, & amaritudine mandatorum, quippiam offert ad nutum propriæ voluntatis. Qui vero mandatis legitimis propriam subicit voluntatem, quicquid offerat, † tumorem fermenti & mellis, à sacrificio prohibitam scilicet excludit dulcedinem. Isti itaque propriæ voluntatis immemores, quæ-
B rentes iugiter quomodo placeant ei, cui se probauerunt, laudem, quæ ab hominibus est contemnentes; nec habentes nec volentes habere diuitias, quam dicendi sunt habere cum Hypocritis portionem? Quod tamen miraberis, iam ad Carthusienses diuertisse dictus est aliquis, vt à sanctorum consortio euocatus ascenderet, & postea conuersus retrorsum, quid quæsierit operum testimonio declarasse. At ille iudicem suum habet, nec tamen vnquam committere potuit, vt sanctissimæ professionis gloriam denigraret. De magno monte neminem adhuc assumptum audiui, sed vtinam aut nunquam assumatur, aut talis qui nullo decoloret actu hominum singularis eminentiæ venustatem. Alij Basilium, alij Benedictum, hi Augustinum, at isti singularem magistrum habent, Dominum Iesum Christum. Licet autem istas duas professiones, minus tamen quàm meruerint, commendauerim, nihil, Deo teste, in sugillatione aliorum in professionibus suis recte incedentium protuli. Sancti sunt vtique Cistercienses, Cluniacenses sancti; sancti Monachi & canonici
C regulares, & in his sicut stella à stella differt in claritate, sunt alij aliis sanctiores, & quamuis professionem professio antecedat, in quamis eorum forte reperientur, qui possint sanctis superioribus adæquari. Plane virginum primus gradus & singularis gloriæ titulus est, in continentibus tamen & coniugatis forte sunt aliqui multis virginibus præferendi. Confessoribus martyres præferendos Catholica confitetur Ecclesia, & tamen nonnullos confessores, aliquibus martyribus forte quoad aliquid non verebitur coæquare. Nec est quod se aliquis sæcularium, mei scilicet similium, iam dictis professionibus conferat, quia vix est vt quispiam talis vel ignauo cœnobitæ possit æquari. Si quis enim in nobis à Septembris Idibus vsque ad Pascha ieiunet omni die, nocturnis adsit vigiliis, iugiter abstineat ab vsu carnium, omnem Veneris immundiciam nesciat horis competentibus nunquam desit, aut raro, & hoc
D ea iusta causa; sobrietatis limites non excedat, cautam ponat silentij custodiam ori suo, & diurnos excessus deleat satisfactione quotidiana, & quod præcipitur incunctanter, & sine mora explear, & non modo verborum, sed & verberum acrimoniam sufferat patienter, vt coram tondente se, obmutescat; quis non eum quasi virtutis egregiæ, & singularis meriti hominem admiretur, & cum reuerentia præconetur, tanquam reuera Apostolicum virum, & expressum Christi imitatorem? Hæc autem etiam ignaui, ex necessitate tamen faciunt cœnobitæ. Nam in eo à studiosis differunt, quod illi ex dilectione exercent ea, ad quæ isti stimulo necessitatis vrgentur, & sæpe inuiti. Sunt tamen in habitu communi, quos sæculares non audeo nominare, cum nihil sæculare sit dicendum in talibus, nisi quod sæculo nequam amoris fœderantur affectu. Sicut enim præputium nihil est, circumcisio nihil, sed obseruatio mandatorum Dei, sic, vt religiosorum pace dicam, monachatus nihil est, & canonicatus nihil, mandatorum obseruatione deducta. Hæc igitur tandem prosunt, si quis legem

E obseruet. Si vero sine his quispiam obseruat legem, eum nequaquam dixerim sæcularem. Verum tamen geramus morem religiosis sint sæculares interim, quos vestis pulla ab aliis non discernit. Nulla enim iactura nominis, nisi sæcularis sit & vita. Indignantur aliqui quod de religiosis ego habitu sæcularis & conuersatione peccator, ista pronuncio, & dum commendo cœnobitas, me aliis detrahere criminantur. Aduersus hos non Cæsarem, sed Benedictum appello, qui sicut Gyrouagos & Sarabaitas arguit, sic manifeste commendat Cœnobitas. Autor mihi Hieronymus est, licet eum nonnulli monachorum minus benigne audiant, eo quod clericos ad aliquid visus est prætulisse. Autor est inquam, quod vestis nequaquam religionis differentiam faciat, sed in omni habitu qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Idem quoque ait: Vestes pullas æquè vita vt candidas. Ornatus vt sordes pari modo fugienda, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absque lineo amictu incedere, sed precium linearum vestium
F non habere, laudabile est. Et manifeste videtur exprimere sectam temporis nostri, hominum scilicet, qui irregularem quandam regulam profitentur, quos an ex verbis eius possis agnoscere, audi quid in continenti subiungat. Alioquin, inquit, ridiculum & plenum dedecoris est, referto marsupio quod sudarium & orarium non habeas gloriari. Sunt qui pauperibus parum tribuunt, vt amplius accipiant, & sub prætextu eleemosynæ quærunt diuitias; quæ magis venatio appellanda est, quam eleemosyna. Sic bestiæ, sic aues, sic capiuntur & pisces. Modica esca in hamo ponitur, vt in eo matronarum sacculi protrahantur. Est vtique melius non habere quod tribuas, quam vt tribuas petere † impudenter. Non habent fratres hospitales, vel alij quod hic de me querantur. Qui enim hæc loquitur, doctor Ecclesiæ est, & forte ad eos Hieronymus non respexit. Ipsi, licet ego non nouerim, nouerunt regulam suam. Noui tamen regulam veritatis, qua mihi constat, quia religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc est, visitare
G pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Hæc autem politicorum omnium est: & bene cum istis agitur, si eam fideliter seruant. Porro in sacro ocio Dei degentium, regulam in se propheta exprimit dicens: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commoueat; propter hoc lætatum est cor meum. Et Maria exempta à turbis, & in Euangelio, sedens secus pedes Domini vt audiret verbum eius. At vt de Hypocritis sermo claudatur, quid beatus Iob de his pronunciet proferatur in medium. Hoc, inquit, scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ adinstar puncti. Si ascenderit vsque in cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.

CAP. XXIV.

H *De inuidis & detractoribus.*

Ecce quam miser est finis hypocritarum, qui sacro testante eloquio, perdentur vt sterquilinium, quo nihil immundius est. Frustra ergo affectauerunt vmbram bonorum operum, nam si bona essent, reuera nequaquam perderentur. Vt desideria carnis implerent, quæ aduersus spiritum concupiscit, multa sustinuerunt in fame & siti; in frigore & nuditate, & similibus, quibus Christi preciosum emi poterat margaritum. Non enim in sola immunditia, vel gula consistunt opera carnis; cum Apostolus ad Galatas loquens, ea in multis vitiis manifesta esse conuincat, vt sunt fornicatio, immunditia, auaritia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietas, commessationes, & similia. Quæ qui committunt, regnum Dei non possidebunt. Sine ergo ad finem immunditiæ & luxuriæ, siue ad inanis

gloriæ

† al. deft.

† al. imprudenter.

gloriæ vel auaritiæ exitum, opera referantur, quia priuantur fine suo, mortem incurrunt. Vnde idem Apostolus: Non efficiamini, inquit, inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Sane vitia quibus falsa iustitia innotescit, prudenter & eleganter expressit, cum arrogantiæ tumor facile prouocet, vnde sibi victoriam opinatur, & liuor illis inuideat, quos superiores putat esse, vel pares. Quo quidem nihil crediderim esse miserius, licet nulla miseria minus moueat misericordiam (& hoc recte) quam calamitas eorum, qui sponte beatitudinem abiecerunt. Quis enim compatiatur eis, qui à felle malitiæ malunt esse miseri, quam beari? Patribus siquidem pridem placuit beatitudinem consistere in virtute, & nullam sine charitate posse esse virtutem. Cuius vtrique fructus iocundissimus est, Apostolo testante, qui operibus carnis hæc opera spiritus, quæ ad vitam proficiunt, euidenter oponit, quæ sunt, pax, patientia, longanimitas, bonitas, gaudium, mansuetudo, continentia, castitas. Qui ergo hos virtutis ramos à terra cordis sui succidunt, & radicem charitatis de qua oriuntur, exterminant, quanam via ad beatitudinem pergunt? Plane nihil est quod magis charitatem impugnet, quam venenum inuidiæ. Est autem inuidia, vt Philosophis placuit tristitiæ ex apparenti prosperitate alicuius initium. Si enim de tyranni vel peruersi cuius; apparenti quis prosperitate tristatur, nequaquam deturpetur inuidiæ macula. Nam & bonis displicet cum in perniciem multorum succedit his, qui ad mala credũtur prõriores. Si ergo liuor bonis affligitur alienis, planum est quod à charitate plurimum distat, quæ sua non quærit, sed quæ proximorum. Charitas in bonis nihil suum, in malis reputat nihil alienum: malis compatitur alienis, bona sua diffundit in proximos. Nam & animos vnit, vt idem velint, idemque nolint. Ait magnus pater Augustinus: Tolle inuidiam: meum tuum est, & tuum meum. Et forte non erit aliquid meum vel tuum, si omnia nostra erunt. Ipsa enim est quæ, quod sibi vult abesse, idem proximo abesse desiderat, & si non absit infeliciter cruciatur, & sæpe in eo quod non desiderat, dum illud proximo videt abesse, torquetur. Recte quidem, cum & Ethicus dicat, quia

Inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Autorem rodit, excrucians animum.

Nec leue tormentum credas quo nullum grauius potuerunt Siculi excogitare tyranni. Pestem hanc, licet poetica nube figmenti, Naso depinxit eleganter quidem & vere:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, suffusa est lingua veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores,
Vixque tenet lachrymas, quia nil lachrymabile cernit,
Nec fruitur somno iugulantibus excita curis.
Sed videt ingratos intabescitque videndo
Successus hominum carpitque & carpitur vna,
Suppliciumque suum est.

Non est autem minus vera descriptio, licet rei incorporali corporis compositionem autor adscribat, cum in eo figuræ, quæ sarcophœgia, vel sarcographia dicitur, vis consistat, quod rebus incorporalibus corporis lineamenta licenter adtribuit. Hoc quidem potius attendendum, quod nulla vis beneficij aut naturæ flammam restinguit inuidiæ. Nam & Palladis viribus & forma, motam describat inuidiam, & sororis felices thalamos, soror stimulata ferre non potuit, & vt promissam numini vel germanæ fidem seruaret, nullo precio potuit inclinari:

Sæpe mori voluit, ne quicquam tale videret.

Ad parricidij, facinus, vt fratrem, patriarchas excitauit inuidia, vt nec impune reuelare licuerit gratiam, quam spiritus innocenti monstrabat in somnis. Ergo seruitute damnatur innocens frater, pater orbitate, & vt dispositionem gratiæ Dei euacuet, in se famem, seruitutis iugum, calamitatem exilij, calumnias Ægyptiorum, sæuitiam Pharaonis à iusto iudice iniquitas impetrauit. Manus Ioseph in laboribus seruierunt, successio eorum in luto & latere ipsisque paleis reputatur indigna. Videas multos eiusdem liuoris stimulis vrgeri, vt quos possunt obices opponant gratiæ, & dispositionem altissimi nitantur impedire. Si forte quasi somniando conjiciunt alicuius prouectum, obstant, reluctantur vt quasi fratrem Hismaheliris exponant, si non occidant, incrustant ipsam sinceritatem, & vt proprium prætexant scelus, innocentis tunicam ostendunt cruentatam. Hanc enim in multis video descriptionem, qui ad omnia felicioris auræ momenta vtuntur, sibique vellent aduersari fortunam, dum alij grauius læderentur. Et vt Æsopo vel Auieno credas; videbis qui sibi oculum alterum erui gaudeat, dum vtroque priuetur proximus. Nec est qua via declines inuidiam, nisi miserrimus fias. Celebre namque est ab antiquo prouerbium, quia sola miseria nescit inuidiam. Fortunaque hominis miserrima est, cui non inuidetur. Fertur Plato cum ei condiscipuli inuiderent, Socratem interrogasse, qua ratione posset hominum declinare inuidiam: Cui Socrates; Esto inquit vt Thersites. Dum ergo torquentur inuidi, alios miseriæ suæ volunt esse participes, vndique quærentes vt noceant, & ipsam innocentiam, quandam putant esse mortis imaginem. Vnde Maro, vt ab vno discas omnes, notans inuidum ait:

Et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

Quo nihil minus decet Philosophum, aut virum autoritate vel moribus grauem. Vnde Socrates, non ille antiquus, sed quem autorem gestorum Cassiodorus in tripartita laudat historia; Quod, inquit, Iulianus tonsores coquos palatio expulit, non modo Imperatoris, sed & philosophi opus egit. Vt autem detraheret, atque dilaceraret, neque philosophi, neque principis fuit. Cum enim ex quacunque causa cessant opera, decurritur ad malitiam detrahendi. Hæc est vtique indubitata proles inuidiæ: & charitatem abesse manifesto indicio protestatur. Et nunc quidem bona aliena præuertit, nunc minuit: mala autem fingit quæ non sunt; aut magnificat & extollit, si qua sunt. Charitas non agit perperam, at hæc sola peruersitate lætatur. Cum Apostolus vitia gentium multa enumeret, nouissime, & quasi in culmine malorum, siue profundo rectius dixerim, posuit detractores, eosque tanquam singulari nota diuinæ bonitatis hostes exprimens, quasi solos Deo odibiles esse, pronunciat. Veruntamen illos Deo odibiliores inter ceteros esse crediderim, qui latenti odio, vt magis noceant, eisque credatur fidelius laudes prædicant alienas, amicitiam simulant, subiicientes tamen in calce sermonis vel modicum, quod præcedentibus titulis aduersetur:

Felix & nato, felix & coniuge Proteus:
Et cui, si demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant.

Numquid tanti parricidij labes, omnes non modo fortunæ dotes, sed quamuis magnificos virtutis titulos grandes non obliterat? Tale est illud Oratoria: Iulium Fortunatum fateor virum fortem, & quem constat strenue egisse quam plurima: quo tamen pacto iudicium repetundarum apud iudices iustos euaserit, mirarer quidem, si via eloquij eius mihi esset incognita. Hoc nonne venenum est, & quodammodo † spem boni operis, & vt ita dicam, virtutis vitam extinguit? Et quidem de Gnatonicis, id est, adulatoribus multa superius dicta, sed quos deteriores dixerim, Gnatonicos an detractores, non satis liquet. Vtrumque tamen vitium apud antiquos inuenio morte mulctatum. Nam & Athenienses Timagoram inter officia salutationis, Dario Regi more gentis illius adulantem, capitali supplicio affecerunt; & Lacedæmoniorum senatus, Caristolum interimi iussit, eo quod magnorum virorum carpere facta maluit, quam palam constantis vitili arguere. Hoc enim apud bene compositos semper licuit, vt quisque suo iudicio vteretur, palamque reprehenderet, quod nequaquam recte factum videretur. Si quidem

† al. forsit.

A hanc reprehendendi licentiam, charitate subnixam, libertas approbat, tyrannica duntaxat rabies perhorrescit & impedit. Ceterum detractores & inuidos sic in curia videbis abundare, ac si in eam totius orbis sentinam confluxerint. Non est coetus conuiuentium, nisi religiosissimus sit, quem liuoris stimulus non attingat. Vbique tamen qui illustrioribus clarescunt meritis, acrius inuidiæ toxicato dente roduntur.

Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas, extinctus amabitur idem.

Sed præ ceteris serui dominos, Prælatos subditi insequuntur. Nam sicut seruorum, ita & subditorum genus plerumque querulum est, & aut se iniustè premi, aut indignè remunerari studia, aut officia male administrare causatur. Raroque inuenies, qui in aliquo non detrahat præsidenti, etsi interdum omnia rectè gerantur. Comicos relege; reuolue tragicos, familiam fere semper patrisfamilias videbis ingratam. At non modo in curia, sed in schola, sed in claustro, sed in Capitulo B morem hunc, si tamen domestica vitia sunt moribus aggreganda, miraberis obtinere. Venerabilis pater Gilbertus Herefordensis Episcopus, mihi referre consueuit claustralium morem, quem in se ipso se fatebatur expertum. Cum enim monasterium ingressus esset, feruens adhuc igne, quem de nouo conceperat, magistratuum suorum ignauiam arguebat. Nec mora, promptus in modico miseratione complicium motus est. Nondum tamen pepercit maioribus. Paulo post ad priores ascendit: prioribus compatiens, carpere non cessauit Abbates. Factus est & ipse Abbas, & propitius in coabbates, Episcoporum cœpit vitia intueri. Tandem & ipse Episcopus, coepiscopis parcit. Nec tamen ipsum inuidiæ vitio arbitror laborasse: sed vir prudens, quod hominibus quodammodo ingenitum est, eleganter expressit. Et forte hoc sibi præfatus pater imposuit, vt sic laborantium turbæ sponte consertus, benignius audiretur. Sane Iulius Cæsar, audita Catonis morte, tandem compassus est laboribus & ærumnis extincti, & C egregium ciuem rebus humanis defleuit exemptum. Publice tamen confessus est, quod & Cato virtuti eius inuideret, & quod ipse Catonis gloriæ inuidebat. Quæ vero ad gratiam sine inuidia via expeditissima sit, senex docet in Andria, dum filium omnibus obsequi, neminem lædere refert. Ait quoque sequendæ beatitudinis pater Augustinus, quia dentem caninum vel euitabit cautissima humilitas, vel retundet solidissima veritas. Alia siquidem virtute, nemo detractionis declinat aculeos, liberæ tamen reprehensionis medelam, sana mens minime aspernatur. Licet iure conuitia puniantur, famosique libelli. Nam

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque.

est, & aduersus conuitiatores iam pridem lex est accepta, chorusque de inepta licentia præsumentium, & abutentium,

Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

Cap. XXV.

D *De libertatis amore & fauore, & de his quæ liberè dicta patienti animo maiores tulerint: & de differentia ladoriæ & scommatis.*

Libertas ergo de singulis pro arbitrio iudicat, & quæ sanis videt moribus obuiare, reprehendere non veretur. Nihil autem gloriosius libertate, præter virtutem, si tamen libertas rectè à virtute seiungitur. Omnibus enim rectè sapientibus liquet, quia libertas vera aliunde non prouenit. Vnde quia summum bonum in vita constat esse virtutem, & quæ sola graue, & odiosum seruitutis excutit iugum, pro virtute quæ singularis viuendi causa est, moriendum, si ingruit necessitas, philosophi censuerunt. At hæc perfectè sine libertate non prouenit, libertatisque dispendium, perfectam conuincit non adesse virtutem. Ergo & pro virtutum habitu quilibet & liber est, & quatenus est liber, eatenus virtutibus pollet. E Econtra vitia sola seruitutem inducunt, hominemque personis & rebus indebito famulatu subiiciunt: & licet seruitus personæ quandoque miserabilior pateat, vitiorum seruitus longè semper miserior est. Quid est itaque amabilius libertate? Quid fauorabilius ei, qui virtutis aliquam reuerentiam habet? Eam promouisse omnes egregios principes legimus; nec vnquam calcasse libertatem, nisi manifestos virtutis hostes. Quæ fauore libertatis sunt introducta, nouerunt iurisperiti, & quæ ob illius amorem magnificè gesta sunt, historicorum testimonio percelebre est. Cato venenum bibit, asciuit gladium, & ne qua mora protenderet vitam ignobilem, iniecta manu dilatauit vulnus, sanguinem generosum effudit, ne regnantem videret Cæsarem. Brutus arma mouit ciuilia, vt vrbem eximeret seruituti. Ipsaque sedes imperij miserabili maluit bello semper affligi, quam dominum licet mitissimum sustinere. Transeo ad infirmiorem sexum. F Coniuges Teutonorum, ob amorem pudicitiæ rogantes victorem Marium, vt dono mitterentur Vestæ virginibus, se quoque promittentes concubitus futuras expertes; cum minimè audirentur, proxima nocte laqueis sibi spiritum eripuerunt eliso gutture, ne seruirent, aut pudicitiæ dispendium paterentur. Si singula huiusmodi referre voluero, tempus antequam exempla deficiet. Libertatis itaque vsus eximius est, eique soli displicet, qui moribus seruilibus viuit. Quæ libere dicuntur aut fiunt, sicut timoris, ita & temeritatis expertia fiunt, & dum recta via inceditur, laudem merentur & gratiam. At cum sub imagine libertatis, temeritas spiritus sui profudit vehementiam, reprehensionem incurrit; vulgi quidem auribus gratior, quam sapientissimi cuiusque animo probabilior, vtpote frequentius tuta venia aliena, quam prouidentia sua. Viri tamen optimi & sapientissimi est, habenas laxare libertati, & quælibet dicta eius patienter excipere. Sed nec operibus se opponit, dum virtutis iacturam non incurrat. G Cum enim per se ipsam virtus quæque resplendeat, patientiæ titulus gloriosiori fulgore clarescit. Priuernatium quidam, cum interrogaretur qualem pacem habituri essent captiui Priuernates, sibi impunitate donata respondit consuli Romanorum, si bonam dederitis, perpetuam: si malam, non diuturnam. Qua voce libertatis non modo veniam rebellionis obtinuerunt Priuernates, sed etiam beneficium ciuitatis Romanæ, quia sic in senatu loqui Priuernas ausus est. Philippus quidam aduersus ordinem Senatorum libertatem exercuit, segnitiemque pro rostris exprobrans, alio sibi senatu opus esse dixit: nec tamen senatoria grauitas moueri potuit, sicut nec prudentia Philippi consulis, cum ei à reo diceretur, cui lictores præceperat iniici manum: Non es, inquit, Philippe mihi consul; quia nec ego tibi senator sum. Magni Pompeij inter cæteros in hac parte virtus enituit. Cum enim Gneius Piso, Mallium Crispum reum ageret, eumque euidenter nocentem, Pompeij gratia eripi videret, iuuenili impetu ac studio ad accusationem prouectus, multa & grauia crimina præpotenti defensori obiecit. H Interrogatus deinde ab eo cur prædes quoque non accusaret: da, inquit, & tu prædes Reipublicæ, te si postulatus fueris, ciuile bellum non † excitaturum, & ego etiam de tuo priusquam de Mallij capite in consilium iudices mittam. Ita eodem iudicio duos sustinuit reos, accusatione Mallium, libertate Pompeium, & eorum alterum lege peregit, alterum professione qua solum poterat. Cn. Lentulus Marcellinus consul, cum in concione de Magni Pompeij nimia potentia quereretur, assensusque ei clara voce populus esset; Acclamate, inquit, Quirites acclamate, dum licet, iam enim vobis intumescente Pompeio id facere non licebit, impune tamen tunc eximij ciuis pulsata potentia est, hinc inuidiosa querela, hinc lamentatione miserabili. Eidem candida fascia crus alligatum habenti; Fauonius, non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema. Res

† al. de- ... est om.

† al. exercitaturum.

A

eius regias exprobrans cauillatione panni exigui. Sed is neutra in parte mutato vultu, vtrumque cauit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam, aut tristi iram profiteri videretur. Idem cum † Heluio Formiano libertini filio improperans, quod redierat ab inferis, vt Lucium Libonem, amicum Pompeij, accusaret; Ab inferis, inquit, † Heluius in Libonem venio accusator; sed dum illic moratus sum, vidi quam plurimos in diuersa ætate, & sexu innocentes, ibidem de te grauissime conquerentes, quos ipsos per hanc importabilem bonis potentiam tuam nequiter condemnaueris; & omnia Pompeij peruersa & reprehendenda, audientibus cunctis exposuit. Itaque eodem tempore & fortissimum erat Pompeio maledicere, & tutissimum. Vnde & † Deiphilus Tragœdus inter agendum populo, directa in Pompeium manu, *Miseria*, inquit, † *vestra Magnus* † *est.* Item C. Carbone consule iubente obsides dari à Placentinis, Marcus † Casturius libertate inflammatus, nec minis, nec viribus cessit, imo consuli dicenti se habere

B

gladios, respondit, & ego † annos. Seruius Galba pro Pompeio obligatus, cum in foro conueniretur; C. inquit, Cæsar, pro Pompeio genero quodam tuo, tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? An dependam? Palam atque aperte ei bonorum Pompeij venditionem exprobrando, vt à tribunali summoueretur meruerat, sed illud ipsa mansuetudine mitius pectus æs alienum Pompeij, ex suo fisco solui iussit. Pisistratus Atheniensium tyrannus, cum eum vxor hortaretur, vt capitale supplicium sumeret de adolescente, qui filiæ eius amore succensus, eam in via publica obuiam fuerat osculatus, respondit: Si eos qui nos amant interficimus, quid faciemus his, quibus odio sumus? Vox quidem ciue dignior, quam tyranno, quæ & filiæ laudabiliter tulit iniuriam, & laudabilius suam. Idem à Thrasippo amico conuiciis in cœna sine fine laceratus, & animum & vocem ab ira cohibuit, & licet eum Thrasippus impe-

C

tu temulentiæ sputo in os eius iniecto resperserit, filios & familiam ab vltione retraxit, posteroque die supplicem, & voluntariam de se mortem exigentem, data fide in pristinæ gradum amicitiæ recepit. Nobilissimis ciuibus, fortunæ tamen disparis, à senatu Hispania prouincia delegabatur, audiente Seruio Sulpitio humili viro, sed libertini spiritus. Cum ergo senatui etiam populus præstitisset assensum, neutrum mitti mihi placet, inquit Sulpitius, quoniam alter nihil habet, alteri nihil est satis; æquè malam licentis imperij magistram iudicans inopiam atque auaritiam. Romanum quoque consulem, Brutum, Lusitaniæ imperatorem legatus Cinniotum, aduersus Romanum imperium arma tractantium, verbi grauitate mouisse potuerat, nisi Romanus esset, quoniam huic populo præ ceteris moderatio semper amica fuit. Cum enim Cinnij ad redemptionem libertatis inuitarentur, legatus ferrum sibi à maioribus, quo vrbem tuerentur, relictum esse respondit, non aurum, quo ab imperatore auaro emerent libertatem. Pas-

D

chelius Iunius, vir summa libertate multaque scientia, & domi forisque clarus, sed in solo philosophandi studio, interrogatus quid sibi tantam daret, quæ veller dicendi licentiam, duo respondit, quæ homines horrent senectutem & orbitatem. Quid enim timebit senex orbus? Pyrrhus percunctatus est eos, qui in conuiuio Tarentinorum parum honoratum sermonem de se habuerant, an quæ audierat vera essent. Tum ex his vnus, nisi, inquit, vinum nobis defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ his quæ dicturi eramus, ludus ac iocus fuissent. Tam vrbana crapulæ excusatio, tamque simplex confessio veritatis, iram tyranni conuertit in risum. Inserit se iuris liberi spiritus, mulier barbari sanguinis, quæ à Philippo rege temulenti mœrens damnata, prouocarem, inquit, ad Philippum, sed sobrium. Sic ergo excussit crapulam oscitanti, & præsentis animi ebrium resipiscere, causaque diligentius inspecta, coegit iustiorem ferre sententiam. Syracusana quædam sola quotidie tempore matutino, votis expectantibus à

Diis salutem grauissimi & importabilis tyranni Dionysij deuotissime exorabat. Quod vt is cognouit, non debitam sibi admiratus beneuolentiam, ad se vocatam, cur, aut quo suo merito hoc faceret, interrogauit. Tum illa: Certa est ratio, inquit, propositi mei. Puella enim cum grauem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. Quo interfecto, aliquanto terrior arcem occupauit: eius quoque finiri dominationem, magni æstimabam. Tertium te superioribus importuniorem cœpimus habere rectorem. Timens itaque ne si & tu absumptus fueris, etiam tibi succedat deterior, caput meum pro salute tua deuoueo. Tam facetam audaciam Dionysius etsi teterrimus, tamen punire erubuit. Quid enim securum erit, si etiam virtutes, inter quas præcipuum fere locum libertas obtinet, puniuntur? Romani ergo, sicut aliis præstantiores, ita & reprehensionis patientiores extiterunt; adeo quidem, vt dummodo in conuiuiis & locis minus sobriis caueatur, quisquis eam iustam tamen horret ac refugit; sobrietatis videatur ignarus.

F

Nam etsi contumeliam habeat euidentem, vel absconditam, patientia reprehensionis apud sapientes longè gloriosior est, quam pœna. Inde lœdoriarum & scommatum etiam aduersus viros summa potestate præditos, exercitium, licentiosum magis quàm licitum est. Est autem, vt in libro Saturnaliorum Eustaebius docet, lœdoria, quæ exprobrationem & directam contumeliam continet. Scomma quidem morsus est figuratus, quia sæpe vel fraude, vel vrbanitate tegitur, vt aliud sonet, aliud intelligas; nec tamen semper ad amaritudinem pergit, sed nonnunquam his, in quos iacitur, & dulce est. Quod genus maxime vel sapiens, vel alius vrbanus exercet, præcipue inter mensas & pocula, vbi facilis est ad iracundiam prouocatio. Nam sicut in præcipiti stantem, vel leuis tactus impellit; ita vino vel infusum, vel aspersum, paruus quoque dolor incitat in furorē. Ergo cautius in conuiuio abstinendum scommate, quod tectam intra se habet iniuriā. Tanto enim pressius hærent dicta talia, quam directæ lœdoriæ; vt ha-

G

mi angulosi, quam directi mucrones, tenacius infiguntur. Maxime quia dicta huiusmodi risum præsentibus mouent, quo velut assensus genere, confirmantur iniuriæ. Est autem lœdoria huiusmodi: Oblitus ne es, quia salsamenta vendebas? Scomma autem, quod dictum est; contumeliam esse † relatam, tale est: Meminimus, quando brachio te emungebas. Nam cum res eadem vtrobique dicta sit, illud tamen lœdoria est: quod aperte obiectum exprobratumque est: Hoc scomma, quod figurate. Sunt scommata minus aspera, quæ quasi edentatæ belluæ sunt morsus. Vt Tullius in consulem, qui vno tantum die consulatum peregit: Solent, inquit, esse flamines diales, modo consules diales habemus. Et in eundem: Vigilantissimus est consul noster † Caninus, qui in consulatu suo somnum non vidit. Eidemque exprobranti sibi quod ad eum consulem non venisset, veniebam, inquit, sed nox me comprehendit. At de vsu lœdoriæ, vel scommatis, & ciuilitate, dicetur in se-

H

quentibus, nunc ostendisse sufficiat, quia arguere licitum est, quod æquum est esse correctum. Vnum tantum de scommatibus Alexandri, quasi in calce libelli huius, superioribus annectam. Cum enim Rex Darius vno & altero prælio virtutem eius expertus, partem regni Tauro monte tenus, & filiam in matrimonium, cum decies centum millibus talentum polliceretur, eique Parmenion, vir magnus inter Alexandrinos, dixisset, se si Alexander esset, vsurum hac conditione, respondit; Et ego si Parmenion essem, eadem vererer: tacite quidem consiliarij timiditatem arguens, voce duabus victoriis respondente, dignaque cui tertia, sicut euenit, tribueretur. Liberum ergo fuit, & semper licitum libertati, parcendo personis, dicere de vitiis; quoniam & tus est, quo licet veras exprimere voces, & quod etiam seruis aduersus Dominos, dum vera loquuntur, Decembrem indulget libertatem. Tunc ergo non impetrata venia, quæ ipso iure competit, linguas acuunt, & quicquid eos toto anno vrit, impune redarguunt, palam

† al. Heluio

† al Heluius.

† al. Delphilus.

† nostra.

† es.

† al. Castricius.

† al animos.

† al celatam.

† Caninus.

detegeotes, & erimina, dum tamen expletis Saturnalibus, citra veniam nequaquam ad accusationem Dominorum patronorumve prosiliant. Vtot ergo libertate Decembtis, & iussis tuis obtempetans, quod me & te vtit, beneficio iutis communi fidentet arguo, non necesse ratus, veniam impetrare, in his, quæ publicæ seruiunt vtilitati, & tuæ sunt placita voluntati.

LIBER OCTAVVS.

POLICRATICI IOANNIS Saresberiensis.

PROLOGVS.

SOLENT *qui mare enauigant, illis habere gratiam & referre, quorum beneficio pericula euaserunt. Accenduntur ignes, clamores excitantur & signa, quibus Scyllaa vorago, turbo Charybdis, saxa latentia, tractus & tenacitas Syrtium à nauigantibus queant salubriter declinari. Sic & his qui ea imminere denunciant, quibus salus periclitatur humana, rectissimè gratia debetur ex merito: & qui eam merentibus non rependit, ingratus beneficy, dignus est salutis dispendium sustinere. Nemo autem est, qui salutem vitiis nesciat impediri, eáque ex amore proximorum notari ad fugam, publico interest. Vita siquidem humana, quouis freto procellosior est, nec possunt vitari discrimina, nisi suis denuncientur indiciis. Ad hanc vero operam, publica vtilitatis, & tua iussionis stimulis vrgeor, licet in me nihil agnoscam, quod attentionem prouocet auditorum. Homo vndique immunitus & imminutus, cui nec vita ad conscientiam, nec ad doctrinam scientia, nec opera suppetunt ad exemplum. Vnde in me à plurimis conclamatur vt taceam, dicentibus quod nec etiam virtutis speciosa laus est in ore peccatoris. Hoc hi soli faciunt, quibus vitia placent, currentes in mortem, nemine reuocante, aut qui saluantur inuiti. Nam quibus bona placent, non a quo, sed quid dicatur attendunt, & ex causis, dicentis dicta pensantes, gratum habent quicquid vndecunque elicitum proficit ad virtutem. Non ego quis, sed quid, quave de causa scribam, diligens lector attendat, & vbi maledicta inuenerit, sincerus iudex, & nec inuidia, nec ody, nec alterius affectione motu concussus, testimonium de malo perhibeat & vbi bene dixero, non me cadat. Mihi tamen pro minimo est, si innocentia mea gratis detrahitur à peruersis, quos emendari vellem, si me tamen benignitatis tua fauor exceperis. Quiquid autem a præsentibus patiar, spero autore Deo, & charitate, qua vrgeor ad scribendum, mihi præstante fiduciam, quòd labori meo gratia non deerit posterorum. Odio siquidem vel amore in partem alterutram præsentium plerumque indicia prolabuntur. Nihil equidem præsenti operi ex proposito inseritur, quod non sit ratione, vel præcedentium scriptorum autoritate subnixum. In quibus tamen quid sequendum sit, lectoru relinquetur arbitrio, vt procul à nomine meo faciam vitium, & notam mentiendi. Sed hac hactenus. Nunc transeamus in Epicureorum castra, & quod ibi pro certo fuerit exploratum, in medium proferatur. Nam ad eorum sectum indubitanter pertinere noscuntur, qui in omnibus propria seruiant † voluntati.*

† al. voluntati.

CAP. I.

Quod Gnathonica subest Thrasoniana, & de septem principalibus vitiis, & sequela eorum, secundum beatum Gregorium: & quòd inanis gloria nobilem habet ortum.

IN tota ergo Epicureorum familia insignis est Thraso; & licet non exierit primus, aut omnium primus habendus est, aut non minimus inter primos. Ei namque licet ineptus sit, tota Gnathonicorum factio famulatur. Et forte Comicus ideo Gnathonem introduxit seruum militis gloriosi, vt eleganter innueret, quoniam & in vita hominum & in assertione morum subest Gnathonica Thrasonianæ. Altera tamen pendet ex altera, adeo quidem, vt inuicem sine se esse non possint. Nam & Gnathonis opera inutilis est, si non sit miles gloriosus, & forte Thrasonis arrogantia conquiescet, si non eam fallacia Gnathonis exceperit. Comici forte contemnis Eunuchum, sed in Eunucho fere omnium vitam expressit. Et eo quidem liberius & elegantius omnes arguit, quo cautius fictitio argumento sine læsione personarum vitia denudauit. Si nobiliorem quæris autorem, multi procedunt cenodoxiæ reptessores. Est autem cenodoxia, vt patribus placuit, Inanis gloria, quæ mentem ioflat & aures, & nihil aliud emolumenti de soliditate virtutis mortalibus affert. Cum autem superbia sit totius peccati initium, hanc de se primam sobolem gignit. Ab hac enim virulenta radice superbiæ, septem principalia vitia oriuntur, quæ quidem principalia dicuntur respectu minorum, quæ ex his velut hydræ capitibus multipliciter pullulant. Quorum vt nomina & figuræ fidelius teneantur, qualiter hanc pestiferam arborem beatissimus Papa Gregorius depingit in moralibus, si vacat, paulisper attende. Primos ergo ramos huius plantæ sic distinguit, vt sit primus, inanis gloria, secundus inuidia, tertius ira, quartus tristitia, quintus auaritia, sextus ventris ingluuies, luxuria septimus. Vnde & saluator, quia nos superbiæ vitiis captiuos doluit, ad spirituale liberationis prælium septiformis gratiæ spiritu plenus venit. Cum vero vitiorum quinque spiritualia sint, duo carnalia, vnumquodque eorum tanta sibi cognatione iungitur, vt non nisi de altero generetur. Habentque rami singuli ramusculos de se procedentes, tanta quidem amplitudine dilatatos, vt mundum fere totum in maligno positum pene operiant. Nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrysis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & nouitatum præsumptiones oriuntur. De inuidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis circa illicita prodeunt. De auaritia, proditio, fraus, fallacia periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis egrediuntur. De ventris ingluuie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquia, hebetudo sensus, circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generatur. Sed quomodo ab inuicem principalia prodeant, idem doctor exponit. Prima namque superbiæ soboles dum oppressam mentem corrupetit, mox inuidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis alios hanc adipisci valeat, intabescit. Inuidia quoque iram generat, quia quanto interno liuoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus, velut grauius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens quos inordinate se concutit, eo ad dicendum mala confundit. Et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit. Tristitia quoque ad auaritiam deriuatur, quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, vnde consolari debeat foris quærit. Et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinsecus recurrat. Et quidem singula eorum suæ pernicie afferunt fructum, cum inanis gloria Deum inuidia proximum, ira auferat & seipsum, tristitia solatij fit ignara, auaritia dum per exteriora vagatur, edacitatis suæ macerat ieiunio. Vt vero macies suæ indigentiam expleat, prolabitur ad duo carnis vitia quæ sequuntur

quuntur

A quuntur. In quibus liquet quod de ventris ingluuie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum, ventri genitalia videantur essa † subnexa. Vnde dum vnum inordinatè reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur. Hæc quidem Gregorius, imo per Gregorium Spiritus sanctus. Ex quo constat ei qui ad salutem tendit, primam superbiæ soholem extinguendam. Quæ si paulisper succreuerit, omnium vitiorum frutices de se, vt prædictum est, gignit. Nam etsi sit apud aliquem quandoque præcipua, nequaquam possibile est, vt sit sola. Si enim quempiam inanis gloria stimulat, necesse est, vt per abrupta vitiorum præceps ruat. Hoc est autem quod nobile censetur vitium, adeoque humanæ fragilitatis demulcet ingenium, vt vix sit vel à præclaris mentibus alienum. Nam & ortum nobilem habet, suique dispendij processum nescit, antequam à fastigio corruat, quod optauit. Nam & de se inuicem vitia oriuntur, at inanis gloria etiam in virtute originis B suæ figit radicem. In quo enim quisque præ cæteris pollet, in eo nisi adsit moderatrix gratia, facilius intumescit.

† al' submixa.

Cap. II.

Quòd rarus est contemptor gloriæ, & de tribus locis à quibus laudis materia trahitur, & quæ sit laus vera, quæ perfecta, quæ neutra; & de moderatione largitionum.

VIx tamen est, qui vanæ gloriæ non insistat, & eam quæ ab hominibus est, non concupiscat laudem. Ad hanc alij virtute, alij virtutis imagine, alij naturæ, aut fortunæ beneficio; proficiscuntur. Ex his enim tribus locis, placuit oratoribus laudis esse materiam. Nam ab animo, aut corpore, aut ab extrapositis peti debet. Porro animi bona, aut corporis, aut natu-C raliter insita sunt, aut studio comparata, aut causaliter & casualiter accesserunt. At in his certi sunt gradus pro dignitate eorum in quibus consistunt, & quibus petuntur. Primus siquidem commendationis gradus est, qui ab animi dote prouenit. Secundus & medius, qui corporis valetudinem approbat & venustatem. Tertius idemque nouissimus, qui exteriorum continet laudem. Quod & Apuleium docuisse, superius retuli. Et laus quidem animi vera est, sæpeque perfecta, si tamen ei tenaciter bona, quæ in ipso commendantur inhæserint; adeo quidem vt sint inseparabilia. Certum est enim quia inuito auferri non possunt. Alias quidem vera fortasse, sed perfecta esse non potest. Corporis autem verisimilis est commendatio, sed perfecta nunquam. Nam bona eius queunt semper auferri inuito. Natura enim eius, & debilitari potest iugiter & corrumpi. Aduentitiorum vero perfunctoria gratia est, & nec veram nec perfectam habeut laudem, imo nec verisimilem. Sufficiat eis si vel probabilem imitentur. Si qui-D dem in vtramque partem flectuntur facile. Et nisi possidentium iuuentur vsu, non tam ad laudem sunt, quam ad vituperium proniora. Nam diuitiæ & potentiæ & gratia, cum plurimum † vitium dent, in vtramque partem certissimum faciunt experimentum morum, fitque possessor morum ab eis quandoque melior, interdum peior. Cæterum opera ipsa mentis aut corporis etsi simpliciter bona, vel absolute mala sint, vituperationem interdum, aut laudem contrahunt pro arbitrio iudicantis. Vnde & interesse plurimum putat Aristoteles, vbi quidque laudetur aut vituperetur. Nam plurimum refert, qui sint audientium mores, quæ publice recepta persuasio, docetque in Rhetoricis, vt illa maximè quæ probent, esse in eo qui laudabitur publicè, credant; aut in eo contra quem dicitur, ea quæ omnes oderunt, eritque quotiens quid fieri poterit, singulorum ducenda vtilitas. Quod enim expedit, omnes approbant, etsi honestum aliud alias videatur. Studia literarum minus bonoris meretur Lacedæmone quàm Athenis, forte

† al. virium.

E plus patientia, fortitudo. His rapm viuere honestum est, aliis cura legum, frugalitas apud Sybaritas fortassis odio foret. Veteribus Romanis summum luxuria crimen. Eius quoque qui laudatur habenda est ratio, cùm operibus necessariis gratuita recte facta laudem præripiant, & pro ratione personarum, res plerumque habeatur vel honesta vel turpis. Si ergo recta via, id est, virtute sibi quis laudem conciliat, suo laudis innititur fundamento. Si vero aliunde gloriam quærat, planè desipit, nec ad eam, quam videtur affectare pertinget. At inter ipsa virtutis opera censentur gloriæ amplioris, quæ de liberalitatis, aut magnanimitatis fonte proueniunt. Ea enim fauore populari, clarius efferuntur, & videntur esse præcipua, quæ magis ardua sunt, vel quæ pluribus prosunt. In his tamen longe liberalitas antecellit, quæ & animi indignationem mitigat, detrahentium linguas obtundit, cohibet etiam manus hostiles, & à facie hominum operit multitudinem peccatorum. Qui F ergo linguas hominum aut captant, aut metuunt, effundunt patrimonia sua, mittunt in vulgus missilia, conuiuia extruunt, pusillis & maioribus adulantur, & pletique porcum potius agentes, quàm hominem, comessationibus & ebrietatibus insistunt, mimos & histriones fouent, nequissimas artes remunerant, admittunt nebulones, maledicorum excitant linguas ad implendam procacitatis suæ maliriam, dum silentium eorum, aut virulenta dicacitas, male merito donatur præmio. Sunt qui in his maximum & vere solum diuitiarum reputant vsum, si multiplicent ollas carnium, conuiscerationes exerceant quotidianas, si nec modum conuiuij, nec numerum nouerint conuiuarum, nec aliquam habeant regendæ familiæ rationem. Quam si forte videris conuenisse, forum conuocatum credas, non prandentium aut cœnantium turbam. Hoc tamen apud ditissimos, licet & manus inferior in eo pro modulo suo præpotentium vestigia imitetur. Quisquis enim famæ petitor est, vires suas excedit, & non quid possit, sed G quid aliis placeat, attendit, & illud festinat implere. Sed esto, vt ad famam potius, quam ad conscientiam quis liberalitatem exerceat, quia nulli virtuti præcludenda est via, mimos tamen & professiones obscænas fouere beneficiis illicitum est, & infame. Refert Valerius quod ciuitas Massiliensium tantæ grauitatis custos extiterit, vt nullum aditum mimis daret in cæna, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continerent actus, ne talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam faceret. Nunquid ergo honestum est illos à Christianis, imo & clericis audiri in cæna, qui nec à gentibus audiebantur in scæna? Lacedæmonij libros Archilochi è ciuitate sua exportari iusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. Itaque maximum Poëtam, aut certè summo proximum, quia domum sibi inuisam obscœnis maledictis H lacerauerat carminum, exilio mulctarunt. Simili fere sententia, condemnata est lasciuia carminum in Nasone. Nunquid licitum est audiri in poculis, quod ieiuna sobrietas non audebat audire? Eadem ciuitas omnibus, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærebant, clausas habebat portas, mendacem & fucosam superstitionem summouendam esse existimans. Hi tamen qui superstitionis sibi conscij sunt, præcipuam partem vendicant apud eos qui laudis amore macerantur. Porro sicut auarum à largo; ita & prodigum quadam contrarietate differre censuerunt, qui duo vnius opinati sunt esse contraria quantitate alterum, alterum qualitate. Siquidem magnanimitati timiditas aduersatur, qualitate mala, dum audenda metuit; & audacia quantitate, dum plus quam audenda præsumit. Prodigalitas itaque eroganda, & non eroganda profundit in eas res, quæ nullam sunt omnino aut breuem habituræ memoriam. Hanc autem effusionem Cicerone autore commendasse dictus est Theophrastus in libro quem de diuitiis scripsit. In quo multa

præclare

A præclare, illud absurde, quod multum in laudanda magnificentia, & spparatione popularium munerum, tantumque sumptuum facultatem, fructum diuitiarum putat. Quanto Aristoteles grauius & verius has pecuniarum reprehendit effusiones, præsertim cum neque necessitati subueniant, nec augeant dignitatem, ipsaque illa delectio delinitæ multitudinis, ad breue exiguumque tempus sit, eaque à leuissimo quoque in quo tamen ipso vnà cum satietate, memoria quoque moritur voluptatis. Benè etiam colligit hæc pueris, & mulierculis, & seruis, & seruorum simillimis liberis grata esse, graui vero homini & ea quæ fiunt certo iudicio ponderanti, nullo modo posse probari. Valerius Maximus, sed & Cicero refert, quod in Alexandro, qui largitione beneuolentiam Macedonum sectabatur, hanc profusionem pecuniæ Philippus arguerit, & epistolæ quidem verba sunt hæc: Quod te, malum, rationis in istam
B spem induxit, vt eos tibi fideles putes, quos pecunia corrupisses? An tu ideo agis vt Macedones te non regem suom, sed ministrum, & præbitorem putent? Quod quidem regi sordidum esse non ambigis, & corruptelam, quam largitionem potius dici. Fit enim deterior qui accipit, atque ad idem semper expectandum paratior. Quid autem est stultius, quam quod facies, libenter curare, vt id diutius facere non possis? Largitiones immoderatas rapinæ sequentur: cum enim dando egere cœperis, bonis alienis manus cogeris inferre. Itaque cum beneuolentiæ comparandæ causa sis prodigus, non tanta studia assequeris eorum quibus dederis, quanta eorum odia quibus ademeris. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, vt omnibus pateat: sed vtrinque modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Et quidem eleganter siue Philosophus, siue alius popularis huius profusionis immoderationem cohibuit, quæ
C quidem gloriam videtur afferre, sed more meretricio cum res defecerint, euanescit. Nam gratiæ, quam non virtus, sed fortuna conciliat, amor meretricis rectissimè comparatur.

C A P. III.

Quid omnis professio suos Thrasones habet, & de personis qui ad similitudinem Eunuchi Terentiani sint apud inaniter gloriantes, & quod vana gloria meretricis more loculos sequitur.

Et, vt diximus, in quauis professione inuenire militem gloriosum, qui obsequiis & muneribus suam Thaidem, idest, nomen celebre, & quasi famæ gratiam captat. Sed ei nec Gnatho, vt decipiat, nec Phædria, qui laudem præripiat, nec qui dona corrumpat adolescens, aut seruus Parmeno, qui desipientem irrideat,
D deest. Apud Eunuchum Comici audi Gnathonem, & an ipsum in familia gloriantium videas, diligenter attende.

Est, inquit, *genus hominum, qui esse primos se omnium rerum velint,*
Nec sunt: hos consector, his ego non comparo me vt rideant,
Sed his vltro arrideo, & eorum ingenia admiror, simul
Quicquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque
Negat quis, nego, ait, aio, postremò imperaui egomet mihi
Omnia assentari, is quæstus nunc est multo vberrimus.

Talemne vidisti alicubi? Imo nec quempiam illorum qui felices esse videntur, sine huiusmodi mancipio agnouisti, adeoque scitum hominem vbique reperies, *qui homines ex stultis*, vt ait Parmeno, *prorsus insanos faciet*, Vide & quid de se sentiat Thraso.

Istud, inquit, *est datum*
Profecti, vt grata mihi sint quæ facio omnia.
Vel rex semper maximas mihi agebat gratias, quicquid feceram. Alis non ita.
Me semper habebat in oculis, omnem credebat exercitu, E
Consilia, & vbi eum satietas
Hominum, aut negotij si quando odium ceperat,
Requiescere vbi volebat, vt illam expueret miseriam ex animo,
† Tum me conuiuam solum abducebat sibi. † al. tamen.
Inuidere omnes mihi,
Mordere clanculum, ego flocci pendebam.
Illi inuidere miserè,

ego alios palam reprehendebam, alios mordaciter irridebam, vt *risu emorerentur omnes qui aderant.*

Denique metuebant omnes iam me.

Profecto magnus hic est in oculis suis, & non ei similis in tota Comœdia. Dignus est ergo qui intromittatur ad Thaidem, excluso Phædria, qui in eo non minus insanit. Dolet exclusus, à seruo docetur sobrio, vt recedat à meretrice, bonoque sit animo, quia si ignem accesserit, calescet plus satis, nec patiatur contumelias F meretricum, quæ vna falsa lachrymula, quam oculos miserè terendo, vix vi expresserint, restringent amantis bilem, & vltro accusantes id agent, vt vltroneum supplicium præstent. Nam sapienter amare nemo facilius potest, quàm ratione insanire. Huius ergo Phædriæ & Thaidis ea conditione interest verbis, vt quod verum audierit, taceat, & contineat optimè; sin falsum aut vanum, aut fictum, continuo palam effundit:

Plenus rimarum est, hac atque illac effluit.

Vtrumque arguit, irridet vtrumque, quando alterum fallere, alterum videt irreuocabiliter insanire. Ait ergo exclusus & gemens præ dolore:

O Thais vtinam esset
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret, vt
Aut hoc tibi doleret, aut ego istud ab te factum nihili penderem!

Ad hæc Thais:

Ne crucia te obsecro anime mi Phædria,
Non pol quo quemquam plus amem, aut plus diligam, G
Eo feci, sed ita erat res, faciendum fuit.

Planè *credo*, inquit Parmeno, *misera præ amore exclusit hunc foras.*

Quid multa? Id agit fallacia meretricis, vt vnus amantum alteri priores partes cedat per aliquot dies, dum deterius rebus amissis emungatur admissus. Mos est enim gerendus Thaidi, quæ profusiores & perditiores admittit. Interim quid donare queant, aut mittere exclusi, deliberent. Nam potissimus est apud eam, qui nouissima mittit. Vbi vero priorem emunxerit, redit alter, exclusoque priore, delegat ei mœstam doloris sui prouinciam. Insanit ergo miles, & in impetu doloris potius vel moriendum esse decernit, quã in se contumeliam tam insignem accipiat. Familiam conuocat, disponit bellum, & prostibulum collectis viribus expugnare decernit. Progreditur, mente & ore reuoluit iniuriam. Loquitur grandia, minis feruet: sed cum ad conflictum accedit, memor amoris pristini, præceptum recolit militare, quo ex autoritate Scipionis liquet, quia H omnia prius consilio experiri, quam armis sapientem decet. Thaidem ergo suam ex pacto sic conuenit, iure non viribus agens. Primum

Thais hoc mihi responde, cum tibi do istam virginem, dixtin' hos dies mihi soli dare te?

Thais: *Quid tum postea?*

Concedere videtur, quæ non negat:

Thraso: *At mihi ante oculos coram amatorem adduxisti tuum.*

Et illa: *Quid cum eo litigas?*

Ecce quia amicæ patrocinio, nec verba miscere cum riuali licitum est;

Cum eo inquit *te mihi clam subduxisti.*

Et illa,

Libuit, inquit, *Pamphilam ergo redde huc, nisi mauis eripi.*

Æquum & iustum videtur petere, cum repeti possit, quod ob causam datum est, si ea secuta non fuerit. Quid multa? Ad clamorem meretricis contribules, conuicaneique

A neique conueniunt, turba fit, conuitiatur miles, petenti viribus & iure resistitur, denunciaturque furcifero omnium ineptissimo, vt linguam manusque contineat, quia si quippiam turbæ fecerit, aut moliminis, sibi loci, dici, tortorisque memoria inustione signorum, promittitur, in † eum protendenda. Interrogantem se Thais quærere iubet qui respondeat sibi. Miles opera & re perdita, cogitur redire inglorius. Et hunc fructum reportant miseri amatores; eo tamen addito, quod alius rebus, quas illi perdiderunt, abutitur. Et quo magis doleant, qui eas meretrici surripuit, sibi successisse non putat, nisi stultitiam & infortunia amantium, suosque successus in auditu omnium præconetur & publicet. Audi Chæream occultum dare Pamphilæ corruptorem. Quid meretrice decepta, loquatur egrediens.

† al. suũ.

Num quis hic est? Nemo est. Num quis hic me sequitur? nemo homo est.
Iam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? Proh Iupiter,
Nunc est profecto interfici, cum me possum perpeti:
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
B *Sed neminem hic curiosum interuenire nunc mihi*
Qui me sequatur, quique iam rogando, obtundat, enecet, cruciet.
Quid gestiam, aut quid lætus sim, quo pergam? vnde emergam, vbi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sim, an insaniam?

Interrogatus hæc omnia, imo ego inquit te obsecro Antipho, vt audias omnia, audias diem festum, iocundum euentum, suauem fortunam, in æuum omnibus historiam memorandam. Et sui quoque furoris subtexuit dolos. In summa totius argumenti eo ad præsens vniuersa hæc arbitror posse referri, vt constet pro certo quia amicitiæ prostitutæ fides haberi non debet. Nam quæ venit à sinceritate animi, fidelis, certa, & fixa est; quæ ab arca vel loculis, fluida, incerta, erronea, & deficiente viatico emarcescit.

Cum fortuna manet vultum seruatis amici,
C *Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.*

Omnis enim res quæ in commercium venit, ab vno transit ad alium, & ditiorem & auidiorem comitatur emptorem. At foro isto nihil iniquius est, quo rem semel emisse non proderit, nisi semper ematur, & vbi quisque rem ab alio venditam vendicat, nisi & ipsi de precio satisfiat. Quis enim popularem fauorem vendiderit? Si publice habendus est, ematur ab vniuersis. Singulis enim non licet publica bona distrahere. In prouerbij quoque consuetudinem venit, quia incauta largitio non habet fundum. Præterea quem popolaris fauor ad munera extulit, si forte Thrasonis more emptam celebritatem exigit, contumeliis affectum, honore spoliatum, Thais altera fama, & quauis Thaide minus fida, à præempto honoris gradu arcet, deprimit, & repellit. Insultat riualis, sobrius † correptor exultat, Gnato vix submurmurat, dum tamen spes est. aut silet omnino si desperat, & ad alios transit, quia ei consilium est, D semper felicioribus adhærere.

† al. corruptor.

Cap. IV.

Quod nullum vitium peius auaritia, nec amari posse qui suspectus est auaritia: & de duplici fonte liberalitatis, & vter sit potior, & de Considio & Gillia.

Nec tamen etsi prodigalitas videatur in culpa, locum arbitror auaritiæ relinquendum. Nullum enim vitium deterius est, nullum detestabilius, præsertim in his qui principatum aut magistratum aliquem in republica gerunt. Non enim res ipsa, sed etiam opinio eius vitanda est; & omnino impossibile est, vt fidelis videatur alicui, aut amore dignus, qui ex merito apud graues & circumspectos viros auaritiæ suspitionem incurrit. E Cum vero laus & fauor humanus quasi à duplici fonte proueniant, operæ scilicet & pecuniæ, facilior est, hic præsertim locupleti. Sed illa † lautior & splendidior & dignior viro forti & claro. Nam qui virtutis opera & industria liberales erunt, quo pluribus profuerint, eo plures ad benefaciendũ habebunt adiutores. Deinde benefaciendi consuetudine paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Si tamen arca suppeteret, nihil gloriosius est ea liberalitate, quæ consistit in donis: maximè cum & Socrates, vt dicitur, interrogatus quænam esset substantia beatitudinis, dignis donare respondit. Ego quidem Socraticam diffinitionem sic interpretandam arbitror, vt dignitas in accipientium necessitate credatur esse vel meritis. Illis enim qui promeruerunt, donare iustum est; & eis qui indigent, subuenire pium: ita tamen vt id respiciatur in singulis, quod in facie sapientis sine rubore & nota valeat denudari. Si quidem imitari debemus eum, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. F Si enim pauperem histrionem videamus, aut mimum, non debemus vtique fouere malitiam; sed correptam, & si fieri potest emendatam, fraternæ charitatis iure oportet sustentari naturam. Expedit quidem omni petenti tribuere, vel affectum mentis vel solatium charitatis. Interdum tamen increpare pigrum, meretricem vel histrionem confundere salubrius est, quàm quod exigunt elargiri. Quid moror? Quicquid charitas erogat, remuneratur a Domino. Quod dispensat vanitas, euanescit. In Quinto Considio saluberrimi exempli, nec sine paruo ipsius fructu liberalitas, referente Valerio, annotata est, qui Catilinæ furore ita consternata republica, vt ne à locupletibus quidem debitæ pecuniæ propter cumulum pretij possessionum diminuti solui creditoribus possent, cum centies atque quinquagies sestertij summam in fœnore haberet, neque de sorte quemquam debitorum suorum, neque de vsura à suis passus est conueniri, quantumcunque in ipso fuit amaritudinem publicæ confusionis priuata tranquillitate mitigans. Opportunè mirificeque testatus, se nummorum suorum G non ciuilis sanguinis esse fœneratorem. Nam qui nunc præcipue † negotiatione delectantur, cum pecuniam domum cruentam retulerunt, quam improbando exultant gaudio, cognoscent si diligenter Senatus consultum quo Considio gratiæ actæ sunt, legere non fastidierint. Subnectit huic Agrigentinum Gilliam, quem propemodum ipsius liberalitatis præcordia constat habuisse. Erat opibus excellens, sed multo etiam animo, quàm diuitiis, locupletior. Semperque in eroganda potius, quam in corripienda pecunia occupatus, adeo vt domus eius quasi quædam munificentiæ officina crederetur. Illic enim publicis vsibus apta monumenta extruebantur, illinc grata publicis oculis spectacula edebantur, illinc epularum magnifici apparatus, labentique annonæ subsidia oriebantur. Et cum hæc vniuersis, priuatim alimenta inopia laborantibus, dotes H virginibus, paupertate pressis subsidia detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur. Hospites quoque tum vrbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam vero tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestiuit. Quid multa? Non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum esse diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat, pro cuius salute & incrementis, tum Agrigentina ciuitas, tum etiam vicinæ regiones, cum luca è contraria parte sint arcas habentia inexorabilibus claustris obseratas, nonne præstantiorem aliquanto existimes illam impensam, quam hanc custodiam? Denique quicquid sapientia disponit, approbatur; quod temeritas præsumit, veræ laudis fructum nequam assequitur.

† al. laudatior.

† al. fœneratione.

A

Cap. V.

De duobus naturalibus affectibus, scilicet amore iusti, & amore commodi: & de sequela eorum, amore scilicet libertatis, & amore dominandi: & de comparatione Cæsaris & Catonis, de Alexandro, Aristotele, Augusto & Platone & de his qui via deuia ad gloriam pergunt.

QVos quidem affectus in homine ab initio extitisse Sacræ Scripturæ designat autoritas, appetitum scilicet iusti, & commodi appetitum. Quorum alter in voluntate, alter in necessitate consistit, & quanto appetitus iusti qui in voluntate est, amplius crescit, tanto melior est & dignus ampliori beatitudine. Nam nimis velle quod iustum est, nemo potest, nisi forte quis B queat esse iustus nimium, aut beatus. Porro si appetitus commodi mensuram necessitatis excedat, vergit ad culpam, & cupiditatis conscius, sibi vitiorum parit originem. Alter ergo istorum quoniam militat charitati, quærit quæ Dei sunt; alter in propria vtilitate versatur, postponens quæ Dei sunt, aut proximorum. Ab hoc duplici fonte mores oriuntur. Recte quidem, si faciat quis alij, quod sibi vult fieri, & ab eo abstineat alij inferendo, quod sibi nollet ab eo irrogari. Distorti vero, si quis alium lædat, vel non prosit, cum possit, quæ quidem vtrimque multipliciter fiunt. A priore quidem amor libertatis, amor patriæ, & tandem extraneorum amor. Nam libertatem non amare, non potest, qui se ipsum & patriam amat, & in gradu suo extraneum quicunque sincera charitate diligit proximum. Siquidem in eo consistit charitas ordinata. Ab altero vero cupiditas dominationis procedit, & laudis, & gloriæ, & adeo inualescit, vt ex opinione multorum, res tamen parum considerate examinantium virtutibus connume- C retur. Nam qui rectum sapiunt, huc vitiis maioribus aggregant, licet ei ab imperitis, qui tamen sapientum censentur nomine, virtutes subesse videantur. Vnde & veteres primique Romani prout eorum docet & commendat historia, laudis auidi, pecuniæ liberales erant. Ingentem gloriam appetebant diuitiis spretis, & honestatem vtilitati quantælibet præferebant. Hanc quidem gloriam ardentissime dilexerunt, eo totam referentes vitam & mortem. Cæteras cupiditates huius vnius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam seruire videbatur ingloriuim, dominari vero atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt. Prius enim pro libertate, deinde pro dominio certatum est. Fuerunt tamen quibus iustitia, quantum gentili dabatur, sufficiebat, cupiditate deducta. Aliis nihil satis erat, sed sub imagine magnanimitatis vel impossibilia præsumentes, laudem maximam consequebantur & gloriam. Longe igitur virtus Catonis videtur veritati propinquior fuis- D se quam Cæsaris. Quod ex ipsa sententia eius facile liquebit. Nolite, inquit existimare maiores nostros armis rempublicam ex parua magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus nunc. Quippe sociorum atque ciuium, præterea armorum & equorum maior copia nobis, quã illis est. Sed alia fuere quæ illos virus magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: Domi industria, foris iustũ imperiũ, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque auaritiã, publice egestatem, priuatim opulentiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam. Inter bonos & malos, discrimen nullũ. Omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, vbi vos separatim sibi quisque consilia capitis vbi domi voluptatibus, † hinc pecuniæ aut gratiæ seruitis. Eo fit vt impetus fiat in vacuam rempublicam. Paucorum igitur virtus ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id est ipsa virtute nitentium, à Catone laudata est. Hic erat domi industria, quam Cato commemorat, vt ærarium esset opulentum, E tenues res priuatæ. Vnde corruptis moribus virium econtrario posuit publice egestatem, priuatim opulentiã. Ipse Tullius hoc dissimulare non potuit in eisdem libris quos de republica scripsit, vbi loquitur de instituendo principe ciuitatis, quem dicit alendum esse gloria, & consequenter commemorat maiores suos multa mira atque præclara gloriæ cupiditate fecisse. Huic ergo vitio non solum non resistebant, verum etiam id excitandum & accendendum esse censebant, putantes hoc reipublicæ expedire. In libris quoque Philosophiæ idem Tullius hanc intulit vniuersalem generalemque sententiam: Honor alit artes, & gloria accenduntur omnes ad studia, iacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur. Huic ergo cupiditati melius est resistere sine dubitatione; quam cedere. Vt enim ait beatus Augustinus in libro de ciuitate Dei, tanto quisque est Deo similior, quanto & ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia be- F ne proficientes animos tentare non cessat saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ. Nam sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit. Nec solus id Augustinus: sed etiam gentilium sententia est, gloriam hanc nihil aliud esse, quam ventosi quodammodo spiritus tumorem fumo simillimum. Nam & fumus oculorum obtundit aciem, & quo magis ascendit, citius deficit; & quo magis dejicitur, amplius solidatur. Cum ad excelsa peruenerit, euanescit. Recte quidem, eo quod à principe totius vanitatis traxit originem. Nimio sui capiuntur amore qui dum nubes & inania captant, & nescio quid inani solidum apprehendere moliuntur, obliuiscuntur sui, cum tamen nihil aliud, quam se oculis contueantur iniquis. Nolunt enim apprehendere quod sunt, & illud ad emendationem vero iudicio intueri, sed phantasticas duntaxat vanæ opinionis sequuntur vmbras. Siquidem alios spernunt præ se, & aspirant ad impossibilia, de fallaci rerum præsumentes imagine. Sic Narcissus in fabulis dum vana sui G imagine capitur, abit in florem, & dum seipsum imprudenter aspicit, flus sine fructu pueriliter euanescit.

Multorum quoque fuit opinio, & eorum qui in veteri Philosophia præ cæteris floruerunt, Alexandrum, & Aristotelem, à numinibus esse progenitos, eo quod in omnibus propriam quærebant gloriam. Platonem quoque propter diuinam quodammodo, qua † eminuit sapientiam, & Augustum propter potentiam fortunamque tranquillam, a Diis traxisse originem tradiderunt. Et quidem in contrarium rectius collegissent, eos aut diuini non esse generis, aut Deorum filios esse degeneres, nisi quia Dij gentium dæmonia sunt, & incubi dæmones vanitatis & malitiæ suæ certa indicia, si quem tamen gignunt, relinquunt in sobole. Nam & verus Dei filius Deus homo, propriam non quærit gloriam in omnibus quæ gloriose fiunt ab eo, sed patris, eoque illustratur gratia ampliori, quod ad eum ex quo sunt omnia, bonorum operum gloriã refert. Sic & vere sapiens om- H nis vere potens & vere bonus, ad vnicum omnium bonorum fontem, sua omnia laudabilia refert, summam scilicet creatricem, & indiuiduam Trinitatem. Alexandri pectus laudis insatiabile, qui Anacharsi comiti suo ex autoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti, Heu me inquit miserum, quod nec vno quidem adhuc potitus sum? Planè miser, dignusque miseria, cuius virtutes omnes absorbuerat laudis insatiata & insatiabilis fames vna. Insultant ei tragœdiæ antiquorum, eo quod angusta homini possessio fuit, quæ Deorum omnium domicilio sufficit. Sed tamen licet appetitus gloriæ semper videatur in culpa, error eorum perniciosior est, qui vel sceleribus innotescere magni duxerunt. Pausanias cum Hermoclea percunctatus esset, quonam modo subito clarus posset euadere, atque is respondisset, si occidisset aliquem virum illustrem, futurum vt in gloriam eius idipsum redundaret, continuo Philippum interemit, & quidem quod petierat assecutus est. Nam & se parricidio notum posteris

reddidit,

† emicuit.

A reddidit, & celebri supplicio patibuli cui affixus est corona aurea, quam Myrtalis, quæ & Olympias dicta est, capiti eius pendentis imposuit nullum dante solatium. In vindictam tamen pudicitiæ per iniuriam prostitutæ Philippo non puniente, sed deridente iniuriam, potest autore Trogo aliquatenus crimen sacrilegij excusari. Inuentus est qui Dianæ Ephesinæ templum vellet incendere, vt pulcherrimo opere consumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur, furoremque suum detexit impositus eculeo: & nisi Theopompi magnæ facundiæ ingenium eum suis comprehendisset historiis, bene consuluerant Ephesii decreto communi statuentes, vt teterrimi hominis memoria aboleretur silentio. Simili quidem videntur gloriam affectare, imo maiori insania, qui non Ephesinæ Dianæ templum religiosis moribus excidendum, sed templum Spiritus sancti, homines totos, animas scilicet & corpora, vt per hoc hominibus innotescant, luxuriæ vastant incendiis. Nam ab eo laudem appetunt, & plerumque assequuntur honorem, vnde æquius fuerat ignominiam sustinere & pœnam.

B

C A P. VI.

De luxuria & libidine, & quinquepartito mortis introitu, & quorum sensuum sit voluptas perniciosior, & triplici genere conuiuarum secundum Portunianum, & pernicie gulæ: & de conuiuio Didonis & Euandri, apud Virgilium.

EAtenus iam sermo processit, vt ad virtutem aut publicam fere opinionem oporteat impugnari. Imminet enim iam colluctatio aduersus carnem & sanguinem, & fores videmus liberalitati præcludere, & C iocunditatem auferre de vita, cum geminæ vias luxuriæ Epicureis reclamantibus coarctamus. Est enim blandum, vt ait Valerius, luxuria malum, quam accusare aliquanto facilius est, quam vitare. Nam & volumen quod Propheta vorare præcipitur, in ore quidem dulcescit vt mel, sed amaricatur venter eum ipsa dulcedo verborum digerenda est in vsum operum. Est autem libido cognata & coniuncta luxuriæ, cuius sequela immunditia, finis indubitatus confusio est. Præcedat ergo sermone, quæ origine & causa prior est.

Licet autem per quinque sensuum portas lenocinia luxus æque introcant, voluptas aurium ad inuidiam magis videtur accedere, & quæ ex gustu, vel tactu prouenit, sordidior est, & olfaciendi & videndi delectatio medium locum tenet. Nam neque satis interdum habet munditiæ, nec ad sordes perniciosissimas vsque prolabitur. Si quidem mors per oculorum fenestras ingreditur, cum quispiam delectatur censibus, certamine athletarum, histrionum mobilitate, mulierum formis, splen-D dore gemmarum, vestium, metallorum, aliorumque quibus libertas animæ captiuatur. Rursus si auditus vario organorum cantu, vocumque flexionibus mulceatur ad carmina poëtarum, Comœdiarum, & Tragœdiarum actus, mimorũ vrbanitates, & strophas, & quicquid huiusmodi per aurem incedit, virilitatem mentis effœminat.

Odoris autem suauitas, & diuersa thymiamata, & amomum, & muscus, peregrini muris pellicula, quod dissolutis moribus faciant, nemo nisi dissolutus negat. Nam peregrinos odores non nisi dissolutis & amatoribus conuenire, comicus & Coquus docent. Porro ciborum auiditas auaritiæ mater, & hominem quasi quibusdam compedibus degrauatum tenet in terra. Ergo propter breuem gulæ voluptatem, terræ lustrantur, & maria, & vt mulsum vinum preciosusque cibus fauces pertranseat, totius vitæ opere desudatur. Ipsi quoque muri Hierusalem, etsi videantur in petra solidari, tandem ruunt & complanantur æquati solo, Nabuzardan coquorum principe imperante. Tactus autem alienorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus, vicinius insaniæ est. Quicquid sensus quilibet

E moliatur, ludus ac iocus est, præ his quæ affert, vt verbis Comici vtar, huius rabies. Hinc enim cupimus, irascimur, gestimus, æmulamur, solliciti sumus, & expleta voluptate per quandam pœnitudinem rursus accendimur, quærimusque facere, quod cum fecerimus, iterum pœniteamus. Ergo cum per his portas quasi quidam cunei perturbationum ad arcem nostræ mentis intrauerint, vt ait Beatus Hieronymus, vbi erit libertas, vbi fortitudo eius, vbi de Deo cogitatio, maxime cum recordatio tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, & rememoratione vitiorum cogat compati, & quodammodo exercere quod non agit? Porro hinc est quod cum Apostolus vitiis omnibus censuerit reluctandum, aduersus fornicationem non congressus, sed fugam indicens, fugite inquit fornicationem. Nam hæc fere dum exercetur Domini immemor est, & præterita dum ad memoriam re-F dit, pestiferas excitat voluptates. Vt de ceteris taceam, quos simplicitas egit in culpam, philosophus acutissimus, & litteratissimus Christianus, & feruentissimus in fide Origenes, sicut Ecclesiastica refert historia, seipsum castrauit, fornicationem efficacissime fugiens, imo & omnem quæ fingi posset præcauens suspicionem, vt exinde sine nota cum virginibus habitaret.

Quod autem admirabilius est, leguntur quidam Philosophorum sibi etiam oculos effodisse, ne exteriorum illecebris caperentur. Vtrique admirando boni & honesti feruebant zelo, etsi recti scientiam non haberent. Scitum est scitu dignum Aristotelis dictum, quo voluptatum initia obliuioni mandanda asseruit, & solus exitus recordandos. Fessas enim pœnitentiæque plenas, quo minus auide † repetantur, subiicit animus, & quod in eis iocundum est, ne tedeant, iubet abscondi. [† al. repetantur.]

G Dicat Apostolus quod voluerit, quia fornicationem fugere, & gulæ seruire, aut omnino impossibile, aut difficillimum est. Nam & illa pars gulæ, quæ corpori vires adimit, nequaquam mœchiæ expers est. Venerem Bacchus plerumque expugnat, & tamen in sacello voluptatis nemine reclamante conueniunt. Si Bacchus obtinuerit, Venerem non voluptatem extinguit. Aut nulla ebrietas, aut tanta sit vt tibi vires eripiat, si qua est inter vtramque nocet. Vtrobique à Deo receditur sed qua magis aberretur, non facile dixerim. Sed iam alterum erroris nomine non censetur, quia auaritiæ † propellit notam, & ingenuæ liberalitatis habere videtur imaginem. Cum autem liberalitatis effectus nunc à loco, nunc à tempore, nunc à quantitate, nunc à personis, nunc ab vsu & assiduitate exercendi, laudetur: Illa præcipue commendabilis creditur, quæ in alimentis & his quibus natura indiget, aut vita ciuilis ornatur, clarius elucescit. Ergo qui omnes admittit ad mensam exactissimæ liberalitatis est. Plane qui-H dem, eoque liberabilior, quo plures admittit. Sed hoc calculo paucissimi colliguntur. Proximus est, qui etsi non omnes admittat, eos quos introducit sic cibat, sic potat, sic in tricliniis fulcit, & locat discumbentes in sedilibus, vt nihil vel excogitari lautius possit. Multiplicantur fercula, cibi alij aliis farciuntur, condiuntur hæc illis, & in iniuriam naturæ innatum relinquere, & alienum coguntur afferre saporem. Conficiuntur & salsamenta. Cato nihil vilius est, nisi compluriũm polliceatur effectus, & indicia specierum. Egregium tamen est in huiusmodi quod mimis, & histrionibus, & rumigerulis placet. Hæc enim non ad veritatem, sed ad opinionem omnia fiunt. Coquorum sollicitudo feruet arte multiplici, eliciuntur iura, quid quo die geri oporteat, & quotidianis ministrari conuiuiis domesticus dictator nocte dieque deliberat. Vndecunque conquirit irritamenta gulæ, & vnde palati vires excitet hebetati, nihil arbitrans expeditum, nisi cum intemperantiæ fuerit satisfactum. Sunt & qui poculis fercula subruant, & quasi Homerici autoritate decreti [† al. percellit.]

A incentiuum ingenij, & fomitem virtutis, & quendam hilaritatis fontem opinantur, si se omnino mero sicetrave ptoluerint. Phæacum ergo more consurgunt, & qui inexhauriendis poculis perditior est, potior iudicatur. Dici solet, quia aleator quanto in arte doctior, tanto nequior; & planè qui bibacior est, alios malitia & iniquitate transcendit. Immolauit Israël apostatans à salutari suo filios & filias suas dæmoniis, & isti dum ingurgitatione vini aut siceræ spiritum depriment, extinguunt scintillulam rationis, se totos immunditiæ prostituunt, & bacchantium spiritui deuouent, quidnam possunt familiarius immolare? Cæterùm sunt qui ista contemnant, quoniam hæc vulgatiorum, & (vt ita dicam) plebeiorum conuiuiorum videtur esse professio. Siquidem alia prophetica, alia ciuilia, alia dicuntur esse plebeia. In his laudi plerumque ducitur, si sic tua prodigas semel, vt trimenstrino toto esuriens conuiua impudens mensas circumeas alienas. Hoc quidem sæpe B prodigalitatis, interdum & auaritiæ nota est. Nam vt dici solet, auarus cùm incipit, modum excedit. Poteris videre quamplurimos, qui fere anno toto parsimoniæ student, & ad purgandam auaritiæ labem, epulones conuocant & parasitos, & collegium nugatorum, qui aliunde nidore culinæ capiuntur, & quos magis honorare voluerint, maioribus oneratos minoribus poculis ingurgitant & distendunt, & donec rabidam orexin excutiant, aliquid amicitiæ, aut festiuitati credunt esse substractum. At hoc ab omni vrbanitate adeo procul est, vt barbarie vitiis familiarius sit, quam vitæ ciuili. Siquidem conuiuiorum ciuilium ratio media est, vt etiam sobrietatem exhilaret, & in satietate opulentia crapulam vitet. Nam & abundantiam cibi & potus habet, & quasi copiæ cornu dispensans omnia sic parcit vt effundat, sic effundit vt parcat, & quam habet penes se rationem, non negligit quidem, sed vt ait Portunianus, fides rationem non ostentat impensæ. Nihil enim molestius est, quam si triclinij præsul in con- C uiuio sedere videatur ad calculum. Vnde non satis mihi videntur esse ciuiles quidam de liberalitate inepta gloriantes, qui singulis noctibus cum seruis suis calculum ponunt, & quod effuderunt vsu vel abusu diurno, quasi nocturnis lachrymis deflent. Suboriuntur lites, accedunt minæ, arguuntur aut furti aut insipientiæ serui, & quasi re male administrata, eiiciuntur & torquentur interdum, quandoque quod effundere iussi sunt, refundere compelluntur: & conscij turbantur omnes, dum dominus pecuniam quæ euasit, suspiriis & dolore prosequitur. Sæpe etiam euenit, vt qui ad requisita naturæ ingressus est, ibidem quo verecundia fugit humanum aspectum, cum ministris exactissimam sumptuum habeat rationem. Recte quidem, quia nullus locus tractandis sordibus eis magis videtur accommodus. Sane non quod sordidum dixerim, si diligens paterfamilias id agit, vt ei ratio constet impensæ: si tamen hoc gradus aut dignitas personæ non adimit. Sed in eo vitam terere, & tota mente versari, & sic quidem vt alius sit D & alius videatur, nequaquam arbitror à sordibus alienum. Et quidem conuiuiorum ciuilium teste Portuniano regula est, vti his plurimum pro more condegentium licet sobrietate hilari non soluta. Nam conuenientibus sic morem geri oportet, vt licentia lætior nequaquam in turpitudinem luxuriæ proruat. Illa siquidem quasi omnium gentium hostis teterrima & acerbissima vitanda est. Diogenes tyrannos & subuersores vrbium, bellaque vel hostilia vel ciuilia non pro simplici victu olerum pomorumque, sed pro carnibus & epularum delicijs asserit excitare. Rectius quidem bellorum hostilium, vel ciuilium matrem & altricem luxuriam, quæ non in sola gula placanda consistit, posuisset, sed totum intellexit in parte, dum illam quæ in cibo, & potu, & Venere, & cultu splendido consistit, ad gulæ speciem coarctauit. Nam in his præcipue luxuria eminet, & perniciosius nocent quorum meditatio, & iuge exercitium est, vt epulentur quotidie splendide. Hæc enim intemperantia bonos mores subuertit, & totius hominis saluti præiudicat, & nisi coerceatur, prorsus humani E corporis fabricam soluit. Autor est Hippocrates, crassa & obesa corpora cum crescendi modum impleuerint, necessariam esse sanguinis demptionem, vt habeant in quæ rursus crescere possint. Alioquin plenitudinis distentæ satietas in paralysim, & pessima genera morborum erumpit. Impossibile est enim in vno statu corporum permanere naturam, sed motu suo crescere vel decrescere necesse est: & nisi crescendi capax sit animal, omnino subsistere nequit. Ferunt & Galenum semper decimæ diei abstinentiam loco efficacissimæ & saluberrimæ medicinalis curæ indixisse; nec facile posse, nisi corruptioris naturæ fuerit, morbis grauioribus subiacere, qui decima quaque die ab omni cibo abstinet, aut simplissima diæta transigit vitam. Sunt adhuc qui sextam feriam in ieiunio sine cibo transigant, vel eo vtantur minimo: quod quidem religioni & incolumitati, sicut experti loquuntur, certissime seruit. Refert Pompeius Trogus quod teterrimus Siciliæ tyrannus Dio- F nysius dum gulæ & edacitati deditus erat, oculorum lumen amiserit. Nihil enim est quod certiorem aut citiorem inducat caliginem iugi ingluuie: quia, vt ait Portunianus, edacitas cibos terit, sed oculos vorat. Galenus, autore Hieronymo, & doctissimus interpres Hippocratis dicit in exhortatione medicinæ athletas quorum vita & ars sagina est, nec viuere posse, nec diu esse sanos, animasque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus & ructu cogitare, & ventris ingluuie. Legimus etiam quosdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptioue bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos conualuisse. Carebant enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animam. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt pœnitentiam.

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Et cum in amœnissimo agro in morsum voluptuoso- G rum hominum se crassum pinguemque describeret, lusit his verbis:

Me pinguem & nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Sed & ex vilissimis cibis vitanda satietas est. Nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter & exæstuans, & huc illucque se vertens, in ructus vel in crepitus ventorum efflatione respirans. Quale illud ieiunium, aut qualis refectio post ieiunium, cum pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum. Dumque volumus prolixioris mediæ famam quærere, tantum vorumus, quantum vix alterius diei nox digerat. Itaque non tam ieiunium appellandum est, quam crapula, ac fœtens & molesta digestio. Hæc quidem Hieronymus. Et licet ieiunij faciat mentionem, etiam religione deducta, frugalitatis maximas & saluberrimas commendat vtilitates. Hoc autem eleganter & vere ait Portunianus neminem ciuiliter con- H uiuari, nisi qui in cibo sibi & potu frugalitatis & modestiæ præscribit formam. Immoderatio cibi & potus, dispensatricè omnium officiorum temperantiam abigit. Ea impellente fit homo ad audiendum tardus, velox ad loquendum, & velox ad iram. Fit ad libidinem pronus, & ad quæuis flagitia præceps. Qui modestiam deserit, ad plebeiam conuiuandi consuetudinem facile prolabitur à ciuili. Innuit hoc Maro Homericæ † perfunctionis fidelissimus imitator, qui dum à rege Phæacum Vlyxem exceptum recolit, Æneam naufragum in conuiuium Didonis introducit, & Phæacum & Afrorum luxuriam, in vno conuiuio eleganter expressit:

† al. perfectionis.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateres magnos statuunt, & vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic Regina grauem gemmis, auroque poposcit.

Implenit

A *Impleuitque mero pateram, quam Belus & omnes*
A Belo soliti: tum facta silentia tectis,
Iupiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur,)
Hunc lætum Tyriisque diem Troiaque profectis,
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.
Adsit lætitia Bacchus dator, & bona Iuno.
Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.
Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.
Post alij proceres, cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores
Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber & ignis,
Arcturum, Pleiadasque, Hyadas, geminosque triones.
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
B *Ingeminant plausu Tyrij, Troesque sequuntur.*
Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infœlix Dido longumque bibebat amorem.

Vides ne delicati instituta conuiuij processium & exitum? Superflua quidem processisse, & luxum epularum grauem fuisse indicat, quod præmisit:

Postquam prima quies epulis.

Qui alibi parcioris mensæ sobrietatem notans, & quæ solis necessariis gaudet, ait;

Postquam exempta fames epulis.

Verum quia cibus homines tacitos efficit, potus loquaces, strepitum & cætera luxus insignia, quæ de licentia bibendi proueniunt, prudenter adiunxit. In ipsa quoque agapetarum consuetudine planum est inuenire superstitionem, qua numinis solicitatur gratia, & quasi religiosis precibus innitatur, qui luxu & immunditia piis mentibus inimica procul abigitur. Siquidem aut Deus sobrius non est, aut ei ebrietates displicent. Sine mensura bibitur ad mensuram, & is cæteris præualet, qui gula aut dolo strauit, aut vicit compotatores.

C *Inuenies illic qui Nestoris ebibat annos,*
† Quem sic per calices facta Sibylla † suos.

(Margin: † al. quot. † al. quos. † al. semen)

Potus quidem animum à curis redimit, soluit mentem, conceptam lætitiam dissimulare non potest. Prorumpit in cantica, & ab eis libidinem vergit. Cithara crinitus Iopas, non stultissima vel bucolica personat amatorum, sed ea quæ ciuilis conuentus venustatem deceant, & philosophici maiestatem. Vtinam in Christianis legibus remorarentur illa, quæ in luxurioso Didonis conuiuio crinitus & incompositus Iopas personuit. Vtinam bucolica vel stulticinia amatorum conquiescant in domo sapientis, & in ea auditu omnium resonent, quæ aut prosint, aut sine turpitudine & corruptione demulceant. Et quidem eleganter innuit in cantico citharœdi poëta doctissimus veterum grauitatem. Qui in cœtu ciuili admittebant, nisi quod naturæ aut morum instructione polleret. Plausum conuiuij D varius sermo prosequitur, eoque Veneris munia procurante mens ebria longum, insolubilem, & pestiferum bibit amorem, quem diffiniuit Philosophus esse concupiscentiam coeundi. Campanam luxuriam vrbi fuisse perutilem, historicorum testimonio celebre est. Inuictum enim armis Hannibalem illecebris suis complexa, Romani militi vincendum tradidit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vsu lasciuiore ad somnum & delitias euocauit. Ac tum demum fracta & contusa Punica feritas est, cum seplasia, & † Albiana † casta esse cœperunt. Quid his ergo vitiis fœdius & damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ relanguescunt, sopita gloria in infamiam vertitur, animi & corporis vires adeo expugnantur, vt nescias ab hostibusne, an ab illis capi perniciosius habendum sit. Vrbs Volumniensium opulenta diuitiis, ornata moribus, & legibus ordinata, caput & curiæ habeatur. Sed postquam luxuria prolapsa est, in

(Margin: † al. campana. † al. castra.)

E profundum iniuriarum & turpitudinis decidit, vt seruorum se insolentissimæ dominationi subiiceret, qui primi admodum pauci senatorum ordinem intrare ausi, mox vniuersam rempublicam occupauerunt, testamenta ad arbitrium suum scribi videbant, conuiuia cœtusque ingenuorum fieri vetabant, ducebant filias dominorum. Postremo lege sanxerunt, vt stupra sua in viduis ac in nuptis impunita essent; ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante aliquis ex numero impiorum delibasset. Æsopus Tragœdus furiosæ luxuriæ depingit iuuenem, quem constat aceto liquefactos grandis summæ vniones potionibus aspergere solitum, vt amplissimum patrimonium posset vna sorbitiuncula deglutire. Metellus Pius ab his qui res memorabiles scribunt, arguitur, quod se aris & thure patiebatur ab hostibus excipi, lætoque intuebatur animo Attalicis aulæis in aduentu suo contectos parietes, & immanibus epulis ludos apparatissimos F sinebat interponi & in veste palmata conuiuia celebrabat, dimissasque lacunaribus velut cælesti capite recipiebat coronas. Et vbi ista? Non in Græcia neque in Asia, quarum luxuriam vel ipsam seueritatem corrumpere solet, sed in horrida & bellicosa prouincia, & quæ Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis præstringere consueuit. Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eousque luxuria gaudebat, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus reperisset, qua & delitiis dum nimis capitur, cum amplissima ruina imperij apud Salaminam vix vna naue euasit. Sed quia luxuriosum muliebris intemperantiæ conuiuium apud Maronem accepisti, frugalioris mensæ sobrietatem, & continentiorem cœtum Æneæ apud Euandrum officio humanitatis excepto inuenies. Siquidem confœderantur viri, rex pacis dexteram dat, humanitatis verba officiosissimus hospes præloquitur.

Hæc vbi dicta, dapes iubet & sublata reponi
G *Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili*
Præcipuumque toro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque inuitat acerno.
Tum lecti iuuenes certatim, araque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas simul & Troiana iuuentus,
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Ibi cuncta sunt aurea, & vniuersa suo nitore præfulgent. Hic sedile gramineum, acernum solium, & quæ virum fortem deceat, spoliati leonis pellis villosa. Hic lecti iuuenes necessaria: ibi famulæ superflua & perniciosa ministrant. Ibi vix tandem ab epulis quies indulgetur: Hic eximitur fames, & edendi epulis frugalibus comprimitur ardor. Ibi crinitus Iopas luxuriantium lætificat cœtum: Hic aræ sacerdos refectionem sobriam consecrat religioni. Hic post mensam seria tractantur, & ad erigendam rempublicam exigitur virile robur: Ibi luxuriæ faueant fusis precibus inuitantur & H numina. Latæ sunt ergo sicut in Saturnaliorum libro legitur, ad luxuriam reprimendam leges plurimæ, quarum perfunctoriam mentionem in calce ciuilis conuiuij nec tædiosum erit ponere, nec omnino inutile.

Cap. VII.

De cibariis & sumptuariis legibus veterum, ad intemperantiam coercendam: & differentia earum secundum Portunianum, & de intemperantia Antonij, & frugalitate Iulij Cæsaris, de Augusto, & Nerone, & C. Caligula, & Vitellio, & Metello.

PRima ergo omnium ad populum lex Orchia peruenit, præscribens summam & numerum conuiuarum. Verum tamen immoderationem sumptuum nequaquam cohibuit, quin vnicuique liceret pro arbitrio bona sua inter paucos consumere. Secuta est ergo

A lex † Tarannia, quæ in sumptibus modum fecit, scriptaque est in omnes, vt non solum eius vrbani, sed omnes vbique Italiæ lege sumptuaria tenerentur. Nam in eo Didiæ legis vis consistit. At istis adiecta est Licinia, quæ numero conuiuarum & quantitati sumptuum & cautioni locorum, dierum & temporum præscripsit regulam, ne quotidianis liceret exultare conuiuiis, dies certos perfiniens quibus permissum est conuiuari. Ergo etiam sobrietate seculi, præscripto legum coërcetur impensa cœnarum. Siquidem ab initio cœpit radix luxoriæ pullulare. Vnde & vetus verbum est; Leges bonæ ex malis moribus procreantur. Lex quoque Cornelia sumptuaria est adiecta prioribus. In qua non conuiuiorum magnificentia prohibita est, nec gulæ modus factus, sed minora pretia rebus imposita. Sed quibus rebus? Quam exquisitis & pene incognitis generibus deliciarum? Quos illic pisces, quasque illic offulas nominat, & tamen pretia illis minora constituit. Ausim

B dicere, vt vilitas eduliorum animas hominum ad parandas obsoniorum copias incitaret, & gulæ seruire, etiam qui prauis essent facultatibus possent. Ergo apprime luxuriosus & prodigus videri potest, cui hæc tanta in epulis vel gratuita ponantur. Præterea Lucius Sylla, Lepidus Consul, Anius Restio, leges traduntur tulisse cibarias. Sic enim sumptuarias leges Cato appellat. Differunt tamen, quod cibaria gulam iugulant, sumptuariæ altimodam, vt ait Portunianus, luxuriam cohibent. Hoc autem magnæ libertatis laudibus effert, quod cum multæ leges de cænis & sumptibus ferrentur ad populum, castigatissimæ illius vigor diu obtinuit, quæ nil obscænum habet, quæ nil probat occultum. Præcepit enim vt patentibus ianuis pransitaretur, & cænitaretur, vt sic oculis ciuium testibus factis luxuriæ modus fieret. Hoc autem ideo tuto probat Portunianos, quia apud populum castigatum, & posterioris respectu aureum, laudi erat frugalitas, &

C paupertas non poterat esse contemptui vel rubori. Nec verecundum erat vt ad cænam alienam quispiam inuitatos impudenter irrueret. Superuenire enim fabulis non euocatos, haud equidem turpe existimatur. Verum sponte irruere in conuiuium aliis præparatum, nec Homero sine nota, vel in fratre memoratum est. Ceterum leges illæ valuipatæ, seu valuifragæ, licet Portuniani iudicio optimæ fuerint, obstinatione tamen luxuriæ & vitiorum inuicta concordia, nullo abrogante irritæ factæ sunt. Antonius etsi nulli sumptuariæ legi paruerit, legem tamen de cohibendis sumptibus tulit. Homo quidem temerarius, sed manu inualidus, & luxuriæ deditus vsquequaque, sumptuumque merito, Magno Pompeio successit ex decreto C. Cæsaris, de quo triumphatore orbis, vilis adulator, & homo vitiis sordidus triumphauit. Captus est tamen Cæsar virtutis imagine, eo quod profusione pecuniæ, & conuiscerationibus, & latronum, & histrionum sti-

D patu, magnificus vulgariter videbatur. Ergo bene agitur cum principibus popularibus, qui ex necessitate coguntur ad custodiam famæ vilissimis nebulonibus adulari. Nam in republica nemo tyrannorum, Cæsare magis accessit ad principem. Licet enim rempubl. oppressisset, populus tamen Romanus omnia quæ ipse decreuerat, approbauit, forte veritus seditionem, & ciuilis belli recidiuam passioné, opinio tamen præualuit, vt quia summa virtute, idest, clementia præditus fuerit, statuta eius quasi ex magna parte benigniora populis approbaret. Vnde in laudem eius Cicero ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec † gratior misericordia est. Pium ergo animum egregiæ virtutis imagine facile supplantauit Antonius. Hic enim cum quicquid mari, aut terra, aut etiam cœlo gigneretur, ad satiandam ingluuiem suam natum existimans, faucibus ac dentibus suis subderet, eaque re captus de Romano imperio facere vellet Ægyptium regnum, Cleopatra vxor, quæ vinci à Romanis nec luxuria dignaretur, sponsione prouocauit insumere se posse in vnam cœnam sestertium centies. Id mirum Antonio visum.

E Nec moratus sponsione contendit. Dignus culina † Numatius Plancus, qui tam honesti certaminis arbiter electus est. Altera die Cleopatra pertentans Antonium pollucibilem sane parauit cœnam, sed quam non miraretur Antonius. Quippe qui omnia quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnosceret. Tunc regina ardens phialam poposcit, cui nonnihil aceri acris infundit, dimisitque festinabunda illuc vnionem ex altera aure demptum, & eundem mature dissolutum, vti natura est eius lapidis, absorbuit. Et quamuis eo facto sponsione vicisset, quippe cum ipsa margarita centies sestertium, sine contentione valuisset, manum tamen ad alterius auris vnionem similiter admouit, nisi Numatius Plancus, iudex seuerissimus, superatum Antonium mature pronunciasset. Ipsa autem vnio cuius fuerit magnitudinis, inde colligi poterat, quod qui superfuit, postea victa regina, & capta Ægypto, Romam

F delatus dissectusque est, & facta ex vna margarita duæ, impositæque simulachro Veneris vt monstruosæ magnitudinis in templo, quod Pantheon appellatur. Sed his & similibus demeruit intemperantissimus & flagitiosissimus non populi Romani, sed virtutum publicus hostis, ne edictum quod triumuiratus tempore de sumptibus posuit, legis nomen habeat, aut vigorem. Locum autem, imo & necessitatem legibus fuisse cibariis, vel ex eo constat, quod cibariorum delegendorum regulam luxuria adinuenit. Testatur hoc M. Varro, qui enumeratis, quæ in quibus Italiæ partibus optuma ad victum gignantur, pisci Tyberino his verbis tribuit palmam, in libro vndecimo rerum humanarum. Ad victum optimum fert, ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinus oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tyberis. Hæc Varro. Sed inter eos præcipuum locum lupus tenuit, & quidem is qui inter duos pontes captus esset. Id ostendunt cum multi alij, tum etiam C. Titius, vir æta-

G tis Lucilianæ, in oratione, qua legem Fanniam suasit: cuius verba ideo ponenda sunt, quia non solum de lupo inter duos pontes capto erunt testimonio, sed etiam mores, quibus tunc plerique viuebant, facile publicabunt. Describens enim homines prodigos in forum ad iudicandum ebrios commeantes, quique soleant inter se sermocinari, sic ait. Ludunt alea studiose, delibuti vnguentis, scortis stipati. Vbi horæ decem sunt, iubent puerum vocari, vt comitium eat percunctatum, quid in foro gestum sit, quid suaserint, quid dissuaserint, quot tribus iusserint, quot vetuerint. Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant, dum eunt, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habent. Veniunt in comitium tristes, iubent dicere quorum negotium est. Narrant, Iudex testes poscit, & † ipsus it mictum. Vbi redit ait se omnia audiuisse, tabulas poscit, litteras inspicit, vix præ vino sustinet palpebras. Eunti in con-

H cilium, ibi hæc oratio: Quid mihi negotij est, cum istis nugatoribus? Potius quam potemus mulsum mixtum cum vino Græco. Edimus turdum pinguem, bonumque piscem, lupum germanum, qui inter pontes captus fuit. Hæc Titius. Sed & Plinius sui temporis eleganter tetigit gulam. Cum enim scriberet de pisce acipensere, qui licet rarus esset, pretium eius viluerat, post præmissa subiecit. Nullo in honore nunc est, quod equidem miror, cum sit rarus inuentu. Sed non diu stetit hæc parsimonia. Nam temporibus Seueri principis, Sammonicus Serenus vir seculo suo doctus, subiiciens verba Plini, non est dubium ait, piscem hunc nullo in honore Traiani temporibus extitisse. Verum ab eo dici apud antiquos fuisse in pretio. Ego autem testimoniis palam facio, vel eò magis quod gratiam eius video ad epulas quasi postliminio rediisse. Quippe qui dignatione vestra, cum intersim conuiuio sacro, animaduertam hunc piscem à coronatis ministris cum tibicine introferri. Longum erit si omnia quæ leges cibarias induxerunt, vel à cibariis legibus nata sunt, voluero enarrare, cum nec luxus morum sermone valeat

compre

† al. Fannia.

† al. gratior.

† al. Minatius.

† al. ipsus it ad mictum.

comprehendi, & sint plurima sæculo nostro incognita, quæ illi vel verbis exprimere vel exercere moribus potuerunt. Sicut enim Græcia capta ferum victorem cepit, & artes intulit agresti Lano, sic omnium gentiũ mores boni & mali Romanorum victorem persecuti sunt. Siquidem oumina, imo dæmonia gentium, superstitiosius quam religiosius aduocabant: magnamque sibi sunt assequuti religionem, quia nullam respuerant falsitatem. Deos tutelares non tam pio, quam impio cultu, omnibus subtrahebant, vt omnes in vna vrbe collecti in illius custodia iugiter vigilarent. Sic & quæ vbique locorum placuisse audierant, in vrbem traiecerunt, vt esset vnde possent gratiam omnium in se & gloriam prouocare. Simile aliquid fecisse visus est rex Anglorum Vilhelmus primus, cuius virture Normannia Cenomannis, & tandem maior Britannia cessit. Assumpto namque regni diademate, & pace composita, legatos misit ad exteras nationes, vt à præclaris omnium dominibus quicquid eis magnificum aut mirificum videretur, † afferrent. [† al. auferat.] Defluxit ergo in insulam opulentam, & quæ fere sola bonis suis est in orbe contenta, quicquid magnificentiæ, imo luxuriæ potuit inueniri. Laudabile quidem fuit magni viri propositum, qui virtutes omnium orbi suo volebat infundere. Sed in eo arbitratu laudabilius extitisset, si in gentem, quam armis vicerat, & quam luxoriæ præuicerat magnitudo, legem temperantiæ promulgasset. Sane † virtuosius esset, eam [† al frustra fuisset.] roborare verbo & opere, quam lasciuiendi ab autoritate multorum magnorumque propagare audaciam. Secus egisse C. Cæsarem pace vrbi reformata, refert Portunianus; qui sumptuariæ legis insistens vestigio, domum ciuilem potius, quam imperatoriam in mensa prima tribus solennibus pulmentis, siue ferculis, statuit esse contentam, dum tamen bellaria parenthetica pro necessitate aut dignitate personarum, aut exercenda liberalitate, aut solennitate diei, primis mensis liceret immiscere. Solennia quidem pulmenta suot, quæ in omoes pertranseunt, & a Græcis Catholica, hoc est, vniuersalia nominantur. Parenthetica vero, quæ ex causa necessitatis aut vrbanitatis, in præceptam aliqua ratione veniunt partem, sic dicta, eo quod solennibus, id est, vniuersalibus particulariter soleant interponi. Nec enim polmenta in olere aut legumine duntaxat constare certum est, tum ex multis, tum ex eo quod Patriarcha Isaac de venatione filij sui sibi pulmentum fieri imperauit. Significant autem bellaria omne genus mensæ secundæ, quoniam ibi solent apponi quæ pulchriota sunt & delicatiora. Vtitur autem hoc nomine M. Varro: Bellaria: inquit, ea maxime mellita sunt, quæ mellita noo sunt. Quod forte eo referri potest, quod vtenti grauiora sunt ea, quæ necessitas appetit, quam quæ irritatio gulæ inuenit. Sed forte pusilli viderur animi, qui ad hunc modum primæ mensæ luxuriam cohibet, aut qui facit in talibus legis sumptuariæ mentionem, nec tamen Cæsare maior est, aut † magnificentior quispiam eorum, qui motum rerumque [† al munificentior.] iactura exercent golam, Luxuriæ obsequuntur, seruiunt vanitati, & nequitiam aut negligentiam suam nituntur liberalitatis imagine consolari. Quis Cæsare Augusto frugalior, qui in summo fastigij culmine secundario pane, & pisciculis, quos vulgo † asparagos, vel [† al. [illegible]] spinaticos, vel tipileones, vocant, contentus erat, & non nisi necessitate vrgente comedebat, vel amico? Quis Nerone gulosior aut sumptuosior? Et tamen hic nunquam magnus, aut laudatus erit alicui sapienti, noo magis quam C. Caligula, aut Vitellius, sed etiam † minus. Nam & hic prandia & cænas & commessationes immodice frequentabat. Famosissima super ceteras fuit cæna, in qua inuitatus à fratre fuit, habens duo millia lectissimorum piscium, septem millia auiũ. Hanc quoque exuperauit ipse in dedicatione pateræ; quam ob immensam magnitudinem, clypeum Mineruæ appellauit. In hac phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes ex certis, maris partibus petitarum commiscuit. Nunquid Iulio vel Augusto maior est Metellus Pontifex luxuriosus, cuius cœnam facilius est referre, quam intelligere? Nam & ipse famosam imo infamem fecit cœnam, & anticœnium, vel vt ait Portunianus patacœnium, tanta instruxit luxoria, vt non modo splendorem cœnæ ciuilis, sed etiam Ægyptium luxum excederet. Quis tunc luxuriam accusaret aliorum, quando tot rebus facta fuit cœna Pontificum? Nam & ipsa eduliorum genera vel dictu turpia sunt, & nostratibus licet nimis in luxus splendore glorientur, pro parte inaudita. Si quis ea nosse desiderat, recenseat Saturnalia, percurrat Portuniani ciuilia instituta. Ne tamen vitiorum longe petantur exempla, maiorum erroribus suos nostra ætas adiecit. Memini meipsum in Apulia diuitis cuiusdam interfuisse cœnæ, quæ ab hora diei oona fere vsque ad duodecimam noctis & hoc quidem tempore æque diali protracta est. In hanc itaque Canusinus hospes, Constantinopolitanas, Babylonicas, Alexandrinas Palæstinas, Tripolitanas, Barbarorum, Syrias, Phœniciasque congessit delicias; ac si Sicilia, Calabria, Apulia, Campaniaque non sufficiant conuiuium instruere delicatum. Copiam rerum, ministerij disciplinam, sedulitatem obsequij, vrbanitatem hospitis plenius & melius referet vir singularis eloquij, & qui omnibus quos viderim trium linguarum gratia præstat. Is quidem est Ioannes thesaurarius Eboraci. Nam & ipse interfuit. Sed quod sine rubore fidelium dici vel audiri non potest, infidelibus, teste Macrobio, plura turpia & luxuriosa videbantur, quæ sæculo nostro placent, & obtinente luxu, magnifica appellantur. Nam Titius in suasione legis Fanniæ obiicit sæculo suo, quod porcum Troianum mensis inferant; quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus grauidum, sicut Troianus ille equus grauidus armatis fuit. Cœnam Trimalchionis apud Petronium si potes, ingredere, & porcum sic grauidari posse miraberis, nisi forte admiratione multiplex ignota, & inaudita luxuria tollat. Et multa quidem, quæ nos vsu vel abusu edocti non miramur, visa sunt admiranda, imo & stupenda maioribus. Nam & porcum non iam Troianum, sed domesticum dicimus, & in hunc modum † faciendo quam plurima facimus [† al farciendo.] esse Troiana. Vnde M. Varro in libro tertio de agricultura: Hoc quoque nuper institutum est saginari & lepores, cum exceptos è leporario concludant in caueis, & loco clauso faciant pingues. Sed & cochleas luxus effecit saginatas. Hæc Varro. Nihil autem istorum luxus iam habet notam, sed est ciuilitatis insigne quicquid incentiuum est gulæ.

C A P. VIII.

De conuiuio Philosophico, & quod ei ciuile connexum est: & de sumptuariis legibus eius.

A Ciuili ad philosophicum transeamus. Licet his qui rerum substantiam perspicacius intuentur, philosophicis ciuilia videantur esse connexa. Siquidem philosophia rerum omnium moderatrix, à conuiuiis non potest abesse ciuilibus, cum nihil omnino officiosum sit, aut ciuile, quod non illa pertractet. Ipsa quæ vniuersis præscribit modum, & dum disponit officia, etiam plebeis, & vulgaribus interesse dignatur. Alioquin nihil aliud recte procedit, nisi & ipsa rebus asserat, quod verbis docet. Quid enim prodest verbis inanibus ventilare in scholis virtutis officia, si non actibus & vita solidentur? Dicuntur tamen esse plebeia, quæ ad modestiam minus accedunt & quasi philosophiæ soluta legibus ab indisciplinatione aut esuriem inuehunt à parcitate, aut à luxu & auiditate furorem. Si apud † Nasidianum conuiuæ conueniant, sordidus displicet [† al. Nasidienum.] apparatus, domus incomposita susurris incrustator, & auarina illius qui tricliniis præest, conuiuarum irrisoriam prouocat gulam, vt cum † Aliphanis vinaria tota inuerterent, submurmurent inuicem illud [† al. Alliphanis.] Horatij.

A *Nos etsi damnose bibimus, moriemur inulti.*

Hoc enim modis omnibus agitur, vt paterfamilias, cui impensa perit & opera, damnificetur. Si autem apud Cepheum discumbatur, opulentia & defectus rationis ad infamiam vergit, & facillime fit à Baccho concursus ad Martem. Hoc enim in fabulis exprimunt illa conuiuia Centaurorum, vbi Bacchi non cessant munera, donec eliciant sanguinem. Hæc quidem sunt vulgarium conuiuiorum commercia, & quæ philosophiæ non temperantur arbitrio. Quos si videris citra modestiam conuenire, non fabulosos centauros crede, sed veros. Semiferi enim sunt; & aura spiritus sui, aut spiritus Bacchi, inaniter intumescunt. Nam quæ à plebis, id est, tenuioribus celebrantur, interdum ciuilia, interdum philosophica sunt, nisi forte Socratis, Alcibiadis, Epicteti, aliorumque philosophorum conuiuia inciuilia opineris. Ciuilia tamen sunt, vt morem sequamur nostrum, qui pinguiori Minerua vtimur, non quidem dissoluta, sed B liberioris licentiæ, & opulentia magis, & quæ ad communem lætitiam, salua tamen modestia, magis quam ad philosophicum rigorem accedunt. Ab his ergo Nasidianitæ arcentur, & quicunque supercilij grauitate, & inanimo vultu administrorum hilaritatem offendit. Quicquid enim in olla ferueat, aut in † culina paretur, aut congestum sit in promptuario, aut in mensa resplendeat, insipidum est & insulsum, si non hilaris vultus iudicio saporem ingerat charitatis. Nam & Iupiter, vt in fabulis est, pauperis hospitij acceptauit conuiuium, & magnas reputauit delitias, quod deuota Philemonis angustia ministrauit. Et quidem de illo dictum est, sed obtinet apud omnes, quia

† al. coquina.

super omnia vultus
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.

Est ergo ciuiliter conuiuari, hilari vultu, larga manu, diligenti officio amœnare conuiuium, & quod in vsum suppetit, habita ratione personarum, loci, & temporis, singulis dispensare, non quidem ex tristitia vel ex necesC sitate, cum hilarem datorem & Deus diligat. In vsus istorum licet & † Catio

† al. Tatio.

Ponere signa nouis præceptis, qualia vincant
Pythagoran Anytique reum, doctumque Platona.

Porro conuiuia Philosophica omnino castigata, & suis regulis limitata sunt, vt qui versantur in his, possint nulla cibi & potus impediente molestia, suis officiis inseruire. Sobria enim sunt, & omni luxuria castigata, non impediunt Socratem ne positiuam iustitiam exequatur, à naturali inquisitione Platonem non reuocant, memoriam rerum gestarum non excutiunt † Critiæ. Timæus non prohibetur causas rerum omnium aperire, nec aliquis a quocunque virtutis officio retardatur. Hic nec tristitiam, nec vultum nubilum contingit in bonis ducere, nec Crassum illum, quem Cicero autore Lucilio, semel in vita risisse scribit, magnopere admirari. Adsunt vtique voluptates, sed quæ lascivia careant. Adest grauitas, sed quæ lætitiam non excludat. Habent autem D & hæc conuiuia suas sumptuarias vel cibarias leges: non tamen vt rebus, sed vt personis parcant. Res enim quatenus vtilitas, aut honestas exposcit, effundere non vetemur. Siquidem in eis nil sapienti charum est, præter vsum. Videtur autem beatus Hieronymus ad custodiam sobrietatis, cuius iocundissima & vtilissima voluptas est, egregiam statuisse cibariam legem. Ait ergo: Adesse debet ratio, vt tales & tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur: quia & comedendum est, deambulandum, & dormiendum, & digerendum, & postea inflatis venis incentiua libidinis sustinenda. Luxuriosa res est vinum, & contumeliosa ebrietas. Omnis autem qui his miscetur non erit sapiens. Nec tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos magno partos & perditos labore doleamus. Oleum & pomorum ac leguminum, & facilior apparatus est, & arte impendiisque coquorum non indiget, & sine cura sustentat humanum genus, moderateque sumptus,

† al. Critiæ.

E quia nec auide deuoratur quod irritamenta gulæ non habet, leuiori digestione concoquitur. Nemo enim vno & duobus cibis, hisque vilibus, vsque ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium, & saporis delectatione concipitur, cum variis nidoribus fumant patinæ, & ad esum sui expleta esurie quasi captiuos trahunt. Vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ, vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Sed forte nimis austerus videtur esse Hieronymus, & cuius edicto difficillimum sit parere. Esto, liceat contemni Hieronymum, Stoicorum vilescat authoritas, excludantur Peripatetici, dum vel Epicurus voluptatis assertor audiatur. Testantur enim, vt de nostris taceam, Seneca & multi alij clari inter philosophos, quòd ille omnes libros suos repleret oleribus & pomis & vilibus cibis, dicens eis viuendum, quia carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura & miseria præparentur, maioremque pœF nam habeant in quærendo, quam voluptatem in abutendo. Corpora autem nostra, cibo tantum & potu indigere. Vbi aqua & panis sit, & cætera his similia, ibi naturæ satisfactum. Quicquid supra fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis Bibere & comedere, non deliciarum ardorem, sed sitim famemque restringere. Qui carnibus vescuntur, indigere etiam his, quæ non sunt carnium. Qui autem simplici victu vtuntur, eos carnes non requirere. Sapientiæ quoque operam dare non possumus, si mensæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget. Cito expletur naturæ necessitas, frigus & fames simplici vestitu, & cibo expelli potest. Hoc quidem Epicurus, licet à turpi sequacium grege contraxerit infamiæ notam. Porro Aristoteles docet à quibus sit voluptatibus præcipue abstinendum. Cum † enim de quinquepartito sensuum fonte voluptas oriatur, illam quæ est gustus & tactus, id est cibi & † ventris solam hominibus communem dicit esse cum belluis, & idcirco in pecudum feG rorumque animalium numero habetur, quisquis hac voluptate ferarum occupatur. Cæteræ ex tribus aliis sensibus proficientes hominum tantum propriæ sunt. Quis ergo habens aliquid humani pudoris voluptatibus istis duabus coeundi atque comedendi, quæ homini cum sue atque asino communes sunt, gratuletur Hoc Aristoteles. Socrates autem dicebat multos homines propterea velle viuere, vt ederent & biberent; se bibere atque esse, vt viueret. Vnde Satyricus:

† al. ergo. † al. Veneris.

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas,

Refert Valerius vini vsum olim Romanis fœminis fuisse ignotum, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad † inconcessam Venerem esse consueuit. Conuiuium etiam solemne maiores constituerunt, idque charistia appellatum est, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ & inter hilaritaH tem animorum, & fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Senectuti iuuentus ita cumulatum & circumspectum honorem reddebat, tanquam maiores natu adolescentium communes patres essent. Quocirca iuuenes ita senectutem die, vt aliquem ex patribus conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixique valuis expectabant, donec reducendi officio fungerentur. Qua quidem voluntaria statione, & corpora & animos ad publica officia impigre sustinenda roborabant. Breuique processu in lucem virtutum suarum verecunda laboris meditatione ipsi doctiores erant. Inuitati ad cœnam diligenter quærebant quinam ei conuiuio interessent, ne senioris aduentum discubitu præcurrerent. Sublataque mensa priores consurgere & abire patiebantur. Ex quibus apparet cœnæ quoque tempore, quam parco & quam modesto sermone, his præsentibus soliti sunt vti maiores natu in conuiuiis. Ad tibias egregia † superorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitando vir-

† al. incestam.

† al. superiorum.

tutem

A tutem alacriorem redderent. Quid hoc ſplendidius; quid etiam vtilius certamine? Pubertas ſuum carnis decus reddebat, defuncta viri curſu ætas, ingredientis actuoſam vitam fauoris nutrimentis proſequebatur. Quas Athenas, quam ſcholam, quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones Fabricij, Fabij, & Marcelli. At ne ſingula Romani Imperij lumina percurrendo ſim longior, † inde ſuperioris cœli clariſſima pars diui Cæſares effulſerunt. Hæc Valerius. Sed & ipſe Plato, cum eſſet diues, pro tempore tamen & conditione, & toros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt poſſet vacare Philoſophiæ, elegit academiam villam ab vrbe procul, non ſolum deſertam, ſed etiam peſtilentem, vt cura & aſſiduitate morborum libidinis impetus frangeretur: Diſcipulique ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum, quas diſcerent. Eſt autem via omnibus præcluſa diſciplinis, ſi comes ſapientiæ ſobrietas amouetur. B Quam vtique tenere non poſſunt, qui clamitant apud inſulſos omnia ſiccis dura eſſe propoſita. Ego quidem noui hominem longe inferiorem Platone, niſi quia Chriſtianus eſt, nec licitum arbitror Chriſtiano præferre vel Platonem, noui inquam hominem ægrotatiuum, morborum incurſu aſſiduo, dum tamen non excreſcant ſuper, id quod ferre poteſt, gaudentem, vt carnis laſciuia coerceatur, & ſpiritus erigatur, & roboretur in agnitione Dei, contemptum mundi, & exercitium virtutis, & id ſolum deſiderantem, dum ſenſus animæ & corporis ſeruentur incolumes, & ipſe violentia ægritudinis à gerendis non reuocetur, aliquod flagellum, leue tamen & infirmo tolerabile de manu Domini expectantem & amplectentem; Platonici ergo & Stoici in templorum lucis & porticibus verſabantur, vt admoniti auguſtioris habitaculi ſanctitate, nihil aliud, quam de virtutibus cogitarent. Hanc autem meditationem non habent illi, quorum Deus venter eſt, & expectatio in confuſione, quorum gloria ſtercus, & ignis & vermis. C Videtur & Apoſtolus his, quos ad veram erudit Philoſophiam, ſumptuariam præſcribere legem, dicens, Habentes victum & veſtitum, his contenti ſimus. Cæterum vt cum mei ſimilibus, pinguiori Minerua vtens, mitius agam, omnia quæ vſus neceſſitatis, aut veræ honeſtatis alicuius in ſe, aut in ſuis adhibita ratione, & deducta abutendi licentia exigit, in alimentorum & indumentorum rationem cadant. Nam & hoc Philoſophia clientibus ſuis indulget, & ſolius immoderationis cohibet intemperantiam.

† viri.

Cap. IX.

Quod etiam in Sacra Scriptura ſunt optimæ ciuilitatis regulæ, & quod nihil virtute ciuilius: & quæ ſunt regulæ ciuilitatis in conuiuiis obſeruandæ, & de verecundia.

D Dictum eſt Philoſophiam totius ciuilitatis, & omnium agendorum eſſe magiſtram, & eorum, quæ in conuiuiis exercenda ſunt, officia diſpenſare. Cum ſint ergo plura ciuilitatis præcepta, illius qui omnibus Philoſophis & ſapientibus antecellit, & qui quouis Philoſopho ciuilior eſt, ciuilis regula videtur merito anteponenda poſterioribus. Ait ergo: Cum inuitatus fueris ad nuptias, noli locum præoccupare primum, ne forte honoratior te ſit inuitatus, & dicat tibi, qui te inuitauit, da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. Sed recumbe in nouiſſimo loco, vt cum te viderit, qui te inuitauit dicat tibi, Amice, aſcende ſuperius, & erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Deinde hunc articulum, quaſi generali loco confirmans ait: Omnis enim qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Et licet religionis potius, quam ciuilitatis videatur edictum, ego religionis formam à ciuilitate non diuido, cum nihil ciuilius ſit, quam cultui virtutis inſiſtere. E Cæterum nec valuifragam admittit legem, nec lætitiam excludit, nec lautiorem refugit apparatum, gulæ tamen irritamenta non quærit. Ait enim: Tauri mei & altilia occiſa ſunt. Et vbi redeunti prodigo patet pius iucundum inſtruxit conuiuium, ad conciliandam lætitiam, ſymphoniam admiſit & chorum. Occiſus eſt vitulus ſaginatus, & ne veſtis abjecta conuiuium deuenuſtet, annulus & ſtola miniſtrorum officio in vſum nudi & ornatum promitur de conclaui. Sicut autem digna liberalitatis oſtia patent, ita ſunt turpibus præcludenda. Nam & fatuæ virgines, licet pulſent ad ianuam, ob ſtultitiæ notam repulſam patiuntur, ne forte ejiciantur admiſſæ. Conſtat enim, quod

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes,

& tamen hoc omne ejicitur, ſi ſua turpitudine deformet conuiuium. Siquidem & ille ejectus eſt, qui veſtem non habuit nuptialem. Hæc autem licet myſticum habeant F intellectum, nihilominus in ipſa ſuperficie ciuilitatis præferunt rudimenta. Nam & illud quidem fideliter ſonat ad litteram, quod Apoſtolus præcipit: Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Ad hoc ergo eſt liberali domui ianua, vt laſciuos, crimino ſos & infames excludat. Ad hoc ianitorem habet, aut oſtiarium, ne quis inſulſus irruat, & vt ſit qui dignos & admittendos reuerenter excipiat, honeſtè alloquatur, ſolatietur ignotis, inſtruat nouitatis ignaros; & cum opportunitas fuerit, ad dominum introducat. Eſt & rerum copia ſine luxu; iocunditas ſine laſciuia, & vſus rerum licentioſus, imo liber, ſed virtute incolumi. Nam conuiuium Herodis, aut Pharaonis, dum immoderatam ad geſtus ſaltatricis, aut feruorem vini, lætitiam concipit, ſine tragico exit, & homicidio maculatur. Hoc etiam nec gentilium grauitas approbat. Valerius autor eſt, quod Portius Cato Lucium Flaminium ſuſtulit à numero Senatorum, quia aliquem damnatum impie ſecuri percuſſerat, G tempore tamen ſupplicij, ſed ad arbitrium & ſpectaculum conuiuantis mulierculæ, cuius amore tenebatur allectus. Sed & Lucius Flaccus, & collega eius Cenſores, † Duronium ſenatu mouerunt, quod legem de coercendis conuiuiorum ſumptibus latam, tribunus plebis abrogauerat, mirifica notæ cauſa. Quam enim imprudenter † Duronius roſtra conſcendit, illa dicturus? Freni ſunt iniecti nobis, Quirites nullo modo perpetiendi. Alligati & conſtricti eſtis amaro vinculo ſeruitutis. Lex eium data eſt, quæ nos frugi eſſe iubet. Abrogemus ergo illud horridæ vetuſtatis rubigine obſitum imperium. Etenim quid opus eſt libertate, ſi volentibus luxu perire non licet? Eſt & alia in ſacris litteris ciuilitatis nota, vt ab initio gratiarum præcedant actiones. Nam & illud conſtat, quod liberaliſſimus & ciuiliſſimus aut facetiſſimus paterfamilias, qui de quinque panibus ſatiauit quinque millia conuiuarum panem antequam frangeret, benedicere conſueuit. Sed & illud celebre eſt ſapientis, quod Philoſophia, quæ vnicum munus eſt Deorum, & diſciplina diſciplinarum, honoranda eſt H anteloquio. Ciuile quoque eſt, & ſacris literis conſentaneum, aut omnino ſilere in menſa, vt audias ad profectum, aut vnde proficiant alij, aut ſine culpa lætentur, doctum proferre ſermonem. Siquidem & inter comedendum Dominus parabolas, aut verba vitæ frequenter auditoribus miſcet. Sunt autem nimia triſtia, & fere ciuilitatis ignara, vbi citra voluptatem audiendi, ſolus venter impletur, aut vbi clamore anſerino, & ineptis fabulis conuiuia perſtrepunt. Nec eſt qui Muſicam arceat, cum ars innocens ſit, adeo quidem, vt eam Socrates diſcere in ſenectute curauerit.

Cantabunt mihi Damætas & Lictius Ægon;

ciuile eſt.

Saltantes Satyros, imitabitur Alphiſibæus,

ad plebeia tranſit. Illa ergo quæ apertiora ſunt verba, & quæ luxuriam iugulant; amota tamen vel tenui ſuſpicione auaritiæ. Licet enim intemperantibus ſit ſopita vena ingenij, non omnino extinctam eſſe correctus

† Durionium.

† Durionius.

A Polemio testis est. Hic autem perditæ luxuriæ adolescens Atheois fuit, neque illecebris eius tantummodo, sed & ipsa infamia gaudens. Cum è conuiuio non post occasum Solis, sed post ortum surrexisset, domumque rediens, Xenocratis Philosophi patentem ianuam vidisset, vino grauis, vnguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam eius intrauit: nec contentus tam deformi introitu, consedit, & vt clarissimom eloquium & prudentissima præcepta temulentiæ † lascinils eleuaret. Orta deinde, vt par erat omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissaque re, quam de modestia ac temperantia loqoi cœpit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemio, primum coronam capiti detractam projecit: paulo post brachium intra pallium reduxit. Procedenti tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit, ad vltimum totam luxuriam exuit, vniusque orationis saluberrima B medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus euasit. Peregrinatus est itaque huius animus in nequitia, nec habitauit; diuertit paululum, sed nequaquam domicilium fixit. Postremo vnum est, ad quod totius Philosophiæ cœtus tendit intentio, scilicet finis honestus, lætus exitus & iocundus, qui plane euenise non poterit, nisi Philosophia omnibus officinis, & omnium ministris officiorum custodem adhibeat verecundiam, quæ parens est, vt ait Cassianus, omnis honesti consilij, solennium officiorum tutela, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, priuatas negligens facultates, vt communes amplificet, omni loco, omni tempore præ se fauorabilem gerens vultum, Adeo quidem, vt etiam inuerecundis feratur accepta. Athenis quidam vltimæ senectutis, cum spectatum ludos in theatrum venisset, cumque nemo è ciuibus sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos forte peruenit, qui hominis ætatem, canos eius & annos assurgendi officio venerati sunt, sedemque ei inter ipsos honoratissimo lo- C co dederunt. Quod vbi fieri populus aspexit, maximo plausu alienæ vrbis verecundiam comprobauit. Ferunt tunc vnum e Lacedæmoniis dixisse: Ergo Athenienses quid sit rectum sciunt, sed id facere negligunt.

† lachrymis.

Cap. X.

Regula conuiuandi, sensu & fere verbis Macrobij, sumpta de libro Saturnaliorum, & de scommatibus & de cauenda ebrietate, & de obseruantia conuiuantium, & de C. Claudio Cæsare, dicente, quod sicut nautæ scopulum fugiunt, sic fugiendum est infrequens & insolens verbum.

Videntur autem forte parum ciuilia, & superstitiosa nimis, quæ de sacris apicibus proferuntur. Cæterum vt mitius agamus nobiscum, gentilium Philosophorum conuiuandi regula in medium proferatur. Et D quidem plures in hanc partem officiorum præcepta dederunt, sed ad præsens pauci sufficiunt. Inter alios Saturnaliorum liber primus occurrit, talis si inspiciatur secte, & tantus, vt nihil aliunde oporteat mutuari. Eum ergo in præsenti capitulo non tam vestigiis, quam passibus decreuimus imitari, & ex opulentia promptuarij sui, cellulæ nostræ supplere angustias. Siquidem conspicuus est in sententiis, in verbis floridus, & tanta morum venustate redundans, vt in institutione conuiuij & dispensatione, Socraticam videatur dulcedinem propinare. Ait ergo: Scio Philosophiam, quæ rerum omnium moderatrix est, hoc primum obseruaturam, vt secum æstimet, præsentium ingenia conuiuarum, & si plures peritos, vel saltem amatores sui in conuiuij societate reperetit, sermonem de se patietur agitari. Quia velut paucæ literæ mutæ dispersæ inter multas vocales, in societatem vocis facile mansuescunt, ita rariores imperiti gaudentes consortio peritorum, aut consonant si qua possunt, aut rerum talium capiuntur auditu. Si vero plures ab institutione disciplinæ eius alieni sunt, prudentibus qui pauciores interrerunt, sanciet dissimulatione sui, & patietur loquacitatem maiori parti amicitiorem sanare, ne tata nobilitas à plebe tumultuosiore turbetur. E Et hæc est vna de Philosophiæ virtutibus. Quia cum orator non aliter nisi orando probetur, Philosophus non minus tacendo pro tempore quam loquendo philosophatus. Sic ergo pauci qui aderunt doctores, in consensum sudis consortij salua & intacta quæstione migrabunt, vt omnis discordiæ suspicio facessat. Nec mirum, faciet quod fecit quondam Pisistratus Athenarum Tyrannus. Qui cum filiis suis sectum dando consilium non obtinuisset assensum, & ideo esset in simultate cum liberis: vbi hoc æmulis causam fuisse gaudij comperit, ex illa discordia sperantibus in domo regnantis nasci posse nouitatem, vniuersitate ciuium conuocata ait succensuisse quidem se filiis non acquiescentibus patriæ voluntati, sed hoc postea sibi visum esse paternæ aptius pietati, vt in sententiam liberorum ipse concederet. Sciret igitur ciuitas sobolem regis cum patre concordem, F hoc commento spem detraxit insidiantibus regnantium quieti. Ita in omni genere vitæ præcipueque in lætitia conuiuali, omne quod videtur absonum, in vnam concordiam soni salua innocentia redigendum est. Sic Agathonis conuiuium, quia Socrates, Phædros, Pausanias & † Herisimacos habuit, verbum nullum nisi Philosophicum sensit. At vero Alcinoi vel Didonis mensa, quasi solis apta deliciis habuit hic Iopam, illa Polyphemum cithara canentes. Nec deerant apud Alcinoum saltatores viri, & apud Didonem Bitias sic hauriens merum, vt se totum superflua eius infusione prolueret. Nonne si quis aut inter Phæacas, aut apud Pœnos sermones de sapientia erutos, conuiualibus fabulis miscuisset, & gratiam illis cœtibus amicam perderet, & in se risum plane iustum moueret? Ergo prima eius obseruatio erit æstimare conuiuas. Deinde vbi sibi patere locum viderit, non de ipsis profunditatis suæ inter pocula secretis loquetur, G nec nodosas & anxias, sed vtiles quidem, faciles tamen, mouebit quæstiones. Nam sicut inter illos, qui hoc exercitij genus habent in mediis saltare conuiuiis, si quis vt se amplius exerceat, sodales videlicet ad cursum, vel ad pugilatum lacessiuerit, quasi ineptus relegabitur ab alacritate conuiuij. Sic apud mensam quandoque philosophandum est, vt crateri liquoris ad lætitiam nati adhibeatur non modo Nympharum, sed Musarum quoque admixtione temperies. Nam si vt fateri necesse est, in omni conuentu aut tacendum est aut loquendum, quæramus silentiumne conuiuiis, an opportunus sermo conueniat. Si enim vt apud Athenas Atticas Areopagitæ tacentes iudicant, ita inter epulas oporter sileri, non est vltra quærendum inter mensas philosophandum sit, necne. Si vero non erunt muta conuiuia, cur vbi sermo permittitur, honestus sermo prohibetur? Maxime cum non minus, quam dulcedo vini hilarent verba conuiuium. Quid hoc, inquis ad Philosophiam? Imo nihil tam cognatum sapientiæ, quam locis & temporibus H aptare sermones, personarum quæ aderunt, æstimatione in medium vocata. Alios enim relata incitarunt exempla virtutum, alios beneficiorum, nonnullos modestiæ, vt & qui aliter agebant, sæpe auditis talibus ad emendationem venirent. Sic autem vitiis irretitos, si & hoc in conuiuiis exegerit loquendi ordo, feriet Philosophia non sentientes, vt Liber pater thyrso ferit, per obliquationem circumfusæ hederæ latente mucrone, quia non ita profitebitur in conuiuio censorem, vt palam vitia castiget. Cæterum his obnoxij repugnabunt; & talis erit conuiuij tumultus, vt sub huiusmodi inuitati videantur edicto:

Quod superest læti bene gestis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam sperate parati,

Ergo si opportunitas necessariæ reprehensionis emerserit, sic à Philosopho proficiscetur, vt & recta & efficax sit. Quid mirum, si feriat sapiens, vt dico non sentientes, cum interdum sic reprehendat, vt reprehensus hilaretur? Nec tamen fabulis suis, sed interrogationibus

† Hisimacus.

quoque

A quoque vim Philoſophiæ nihil ineptum loquens oſtendet. Hanc ergo nullus honeſtus actus, locuſve, cœtus nullus excludat, quæ ita ſe aptat, vt vbique ſic appareat neceſſaria, tanquam abeſſe illam nefas fuerit. Et poſt pauca lœdoriæ & ſcommatis differentiam facit, quæ ſic interdum proferentur à ſapiente, vt non modo amaritudine careant, ſed afferant tempeſtiuam dulcedinem. Deinde interrogandi ciuilitatem vel faceriam docet. Qui vult ergo amænus eſſe conſultor, ea interrogat quæ ſunt interrogato facilia reſponſu, & quæ ſcit illum ſedula exercitatione didiciſſe. Gaudet enim quiſquis pronocatur ad doctrinam ſuam in medium proferendam, quia non vult latere, quod didicit, maxime ſi ſcientia, quam labore quæſiuit, cum paucis illi familiaris, & plurimis ſit incognita, vt de Aſtronomia vel Dialectica, cæteriſque ſimilibus. Tunc enim videntur conſequi fructum laboris, cum adipiſcuntur occaſionem publicandi, quæ didicerant ſine oſtentationis nota; qua caret, qui non

B ingerit, ſed inuitatur, vt proferat. Contra magnæ amaritudinis eſt, ſi coram multis aliquem interroges, quod non † opima ſcientia quæſiuit. Cogitur enim aut negare ſe ſcire, quod extremum verecundiæ damnum putant, aut reſpondens temere ſe euentui veri, falſiue committere. Vnde ſæpe naſcitur inſciniæ proditio, & hoc omne infortunium pudoris ſui imputat conſulenti. Nec non & qui † obierunt maria & terras, gaudent cum de ignoto multis vel terrarum ſitu, vel ſinu maris interrogantur, libenter reſpondent, & loca deſcribunt, modo verbis, modo radio; glorioſum putantes quæ, ipſi viderant, aliorum oculis objicère. Quid duces, vel milites, quam fortiter à ſe facta ſemper dicturiunt, & tamen tacent arrogantiæ metu. Nonne hi ſi vt hæc referant inuitentur, mercedem ſibi laboris æſtimant perſolutam remunerationem, putantes inter volentes narrare, quæ fecerant? Adeo autem id genus narrationis habet quendam gloriæ ſaporem, vt ſi inuidi vel æmuli forte præſentes ſunt, tales interrogationes obſtrependo

C diſcutiant, & alias inſerendo fabulas, prohibent illa narrari, quæ ſolent laudem creare narranti. Pericula quoque præterita, vel ærumnas penitus abſolutas, qui euaſit, vt referat, gratiſſime prouocatur. Nam qui adhuc in ipſis vel paululum detinetur, horret admonitionem, & formidat relatum, vt Virgilius:

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Iuuat ſi quem dicere iuſſeris amici ſui repentinam felicitatem, quam ſponte non audebat dicere vel tacere, modo iactantiæ, modo malitiæ metu. Qui venatibus gaudet, interrogatus de ſyluæ ambitu, de ambage luſtrorum, de venationis euentu. Religioſus ſi adeſt, da illi referendi copiam, quibus obſeruationibus meruit auxilia Deorum, quantus illi ceremoniarum fructus, quia & hoc genus religionis exiſtimant numinum beneficia non tacere. Adde quod volunt ſe amicos numinibus æſtimari. Si vero & ſenex præſens eſt, habes occaſionem qua plurimum illi contuliſſe videaris, ſi eum interroges, vel quæ ad illum omnino non pertinent. Eſt

D enim huic ætati loquacitas familiaris. Vt vero ad ſcommata redeamus, illa quæ plus vrbanitatis, & minus amaritudinis habent, ſunt interiacenda conuiuiis: vt ſunt illa, quæ de nonnullis corporum vitiis, aut parum, aut nihil gignentia doloris, vt ſi in caluitium cuiuſquam dicas, aut naſum aut curuam erectionem, ſeu Socraticam depreſſionem. Hæc enim quanto minoris infortunij ſunt, tanto ſuauius lædont. Contra oculorum orbitas, non ſine excitatione commotionis objicitur. Quippe Antigonus Rex Theocritum Chium de quo iurauerat, quod ei parſurus eſſet, occidit propter ſcomma ab eodem de ſe dictum. Cum enim quaſi puniendus ad Antigonum raperetur, ſolantibus eum amicis ac ſpem pollicentibus, quod † omnimodo clementiam Regis experturus eſſet, cum ad oculos eius veniſſet, reſpondit: Ergo impoſſibilem mihi dicitis ſpem ſalutis? Erat autem Antigonus vno orbatus oculo, & importuna vrbanitas maledicacem luce priuauit. Nec negauerim Philoſophos quoque incurriſſe per indignationem hoc genus ſcommatis. Nam cum regis libertus ad nouas diuitias nuper erectus Philoſophos ad conuiuium congregaſſet, & irridendo eorum minutulas quæſtiones ſcire ſe velle dixiſſet, cur & ex nigra & ex alba faba pulmentum vnius

E coloris edat: Aridices Philoſophus indigne ferens, tu nobis, inquit, abſolue, cur & de albis & de nigris loris ſimiles maculæ gignantur. Commendat ſcomma & conditio dicentis, ſi in eadem cauſa ſit, vt ſi alium de paupertate pauper irrideat, ſi obſcurè natum, natus obſcurè. Nam Tarſeus Amphias cum ex hortulano diues eſſet, & in amicum quaſi degenerem nonnulla dixiſſet, mox ſubiecit: ſed & nos de eiſdem ſeminibus ſumus, & omnes pariter lætos fecit. Illa vero ſcommata directa lætitia eum in quem dicuntur, infundunt, vt ſi virum fortem vitupetes quaſi ſalutis ſuæ prodigum, & pro aliis mori volentem. Aut ſi objeceris liberali, quod res ſuas profundat minus ſibi quam aliis conſulendo. Sic &

F Diogenes Antiſthenem Cynicum magiſtrum ſuum ſolebat velut vituperando laudare. Ipſe me, aiebat, mendicum fecit ex diuite, & pro domo ampla fecit habitare in dolio. Melius autem iſta dicebat, quam ſi diceret Gratus illi ſum, quia me Philoſophum, & conſummatæ virtutis virum fecit. Ergo cum vnum nomen ſcommatis ſit, diuerſi in eo continentur effectus. Ideo apud Lacedæmonios inter cætera exactæ vitæ inſtituta, hoc quoque exercitij genus à Lycurgo inſtitutum eſt, vt adoleſcentes & ſcommata ſine morſu dicerent, & ab aliis in ſe dicta perpeti diſcerent. At ſi quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapſus fuiſſet, vlterius ei in alterum dicere non licebat. Vtrum quia lætitiæ in conuiuiis frequenter inſidiatur ira, ab huiuſmodi dictis temperandum eſt, & quæſtiones conuiuales in omnes proponendæ ſunt, aut ſoluendæ. Quod genus veteres ita ludricum non putarunt, vt & Ariſtoteles de ipſis aliqua conſcripſerit, & Plutarchus, & Apuleius cum Frontone. Nec contemnendum ſit, quod tot philoſophantium metuit curam. At in exercitio

G Rhetorum Oratorumve foro longe commodiorem habent ſcommata locum. Quippe vbi motus aduerſarij ſæpe proficit ad triumphum. Vnde & hoc Ciceroni perfamiliare fuiſſe traditur. Ipſis quoque lœdoriis crebro in † concionibus fori locus eſt, dum tamen ad probra non perueniant: quæ etſi non quieſcant fauore litigantis, ceſſare tamen debent ob reuerentiam iudicis & auditorum. Offenditur enim

——Quibus eſt equus & pater & res

ſi quis niſi euidentiſſima ratione ad probra proſiliat. Sed & qui ea ſuſtinet patienter, fauorem omnium † ac temperantiam viſus eſt meruiſſe. Conuiuia ergo lœdorias excludunt, ne felle earum tota conuiuialis dulcedo amareſcat. Ad id quod hilaritatem conciliat, modeſtiæ conſciam, vndique conquirendum. Iocus enim comis, & venuſtus conuiuantium riſus, omnibus parentheticis iocundior eſt. Siquidem eleganter licet in perſona deriſuris Ethicus ait: Sed conuiuatoris, vti ducis ingenium res aduerſæ nudare ſolent, celare ſecundæ. Sed &

H vini indulgentia, licet dici ſoleat, quia ſiccis Deus omnia dura propoſuit, modum habet, etſi fuerint qui Platonis autoritate ea paſſim crediderint haurienda.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Et Plato ab eiſdem vinoſus conuincitur extitiſſe. Certum eſt vtrumque eorum vini laudaſſe vſum, quod & naturam roborat, & acuit ingenium, & ad res gerendas animum remiſſum accendit. At Platonem inter minuta & modeſta pocula, iocundiorem liberalioremque inuitationem probaſſe fidelius traditur, quæ fieret ſub quibuſdam quaſi arbitris ſobriiſque magiſtris conuiuiorum. Et hoc eſt, quod in primo & ſecundo de legibus non inutile viris eſſe decernit. Nam & modicis honeſtiſque inter bibendum remiſſionibus, refici integrarique animo ad inſtauranda ſobrietatis officia exiſtimauit, redditoſque ſenſim lætiores, intentiones rurſus capeſſendas fieri habiliores, & ſimul ſi qui penitus in his affectionum cupiditatumque errores ineſſent, quos celarent. Alioquin

pudor

† optima. † ambiunt. † omnino. † contentionibus. † à temperantia.

A pudor reticens, ea omnia sine graui periculo libertate per vinum data detegi, & ad corrigendum medendumque fieri opportuniora. Atque hoc Plato ibidem dicit: Non diffugiendas esse huiuscemodi exercitationes aduersus vini violentiam propulsandam. Neque vllam continentem prorsus, aut temperantem satis fideliter visum esse, cui vita non inter ipsa errorum pericula, & in mediis voluptatum illecebris explorata sit. Nam cui licentia, gratiæque omnes conuiuiorum incognitæ sunt quique illarum omnino expers sit, si eum forte ad participandas huiusmodi voluptates aut voluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas impulerit, mox deliniri, & capi, neque mentem eius animumque consistere. Congrediendum igitur & tanquam in acie quadam cum voluptatis rebus, cumque vini licentia cominus decernendum, vt aduersus eos non fuga, nec absentia simus tuti, sed vigore animi & constanti præsentia, moderatoque vsu temperantiam continentiamque tueamur, & calefacto simul, † refectoque animo, si quid B in eo vel frigidæ tristitiæ vel torpentis verecundiæ fuerit abluamus. Poterit autoritas Platonis mouere complures, sed mihi nimis arduus, & temerarius infirmioribus animis videtur, cum Baccho, imò & cum quauis voluptate congressus. Si Loth vir iustus, & dignus, qui de Sodomorum eriperetur incendio, impellente vini stimulo corruit in incestum. Si Noe fœmora denudauit, fide & perseuerantia boni subtractus diluuio, alter humani generis pater & salutis opifex, quis tuto congreditur, nisi forte seipsum tantis ducat patribus præferendum? Vt tamen Platonis non reluctemur edicto, congredi cum voluptate sit fortius; dum tamen tutius sit fugere & illius declinare conflictum. Nec memini quemquam me inuenisse de prouocatoribus voluptatum, quem non legerim cecidisse. Eo forte spectant figmenta Poetica, quæ orgia sine furore transacta non recolunt, nec erubescunt sacra Bacchi cruore, parricidiis, & multiplicibus flagitiis maculare. Est præterea in conuiuiis C obseruandum, vt instruendæ familiæ, & domus regendæ cura, & seruilis obsequij moderatio, vni alicui demandetur, ne quid ineptum & imparatum appareat, ne quid stupendum, aut erubescendum emergat, ne dominum oporteat ad se gerendorum reuocare sollicitudinem, & vt dici solet, quasi in humeris portare conuiuas. Vitet etiam qui conuiua † comis esse voluerit, consiliandi consuetudinem, verbique secreti faciendi morem, eo quod in conuiuiis, id est in iucundo amicorum conuenientium cœtu, debent omnia esse nuda, & in amore & fide nihil debet esse absconditum, sed si fieri posset, oculos in pectora sua inuicem mutuo transferre conspectu. Nullus enim locus, actitandis consiliis, aut vix vllus ineptior est. Siquidem verba secreta solent assidentibus exclusis esse molesta. Nam ipsa exclusio habet imaginem diffidentiæ. Sed & in his, quæ palam dicentur fideliter exequendum erit, quod in primo libro de analogia scripsit C. Claudius Cæsar, vir excellentis ingenij, magnæque prudentiæ. Ait enim: Tanquam scopulum D nautæ fugiunt, sic fugiendum est infrequens atque insolens verbum. Et quidem numerum conuiuarum expresserunt antiqui; vt nec pauciores essent, quam Gratiæ, quæ clauduntur ternario, nec plures quam Musæ, id est, nouem, aut in summa Gratiarum & Musarum explerent numerum ad duodenarium ascendentes. Obtinuit tamen apud eos, qui rectius intuentur, vt in his officium patrisfamilias latissime pateat.

† refecto.

† cantu.

Cap. XI.

De molestiis & oneribus Coniugiorum, secundum Hieronymum & alios Philosophos: & de pernicie libidinis, de mulieris Ephesinæ & similium fide.

Sicut ergo sobrietas in conuiuiis necessaria est, ita rebus omnibus necesse est adesse modestiam. Siquidem de saturitate libido, de libidine immunditia, & multiplex pernicies generatur. E At ex his nihil nisi dolor pœnitudinis sequitur: & benè agitur cum mœrentibus, si fructuosa sit pœnitudo. Vnde hebetati cordis videtur opinio, quæ sine expletione libidinis, diffinit perfectam non esse voluptatem. Traditur hoc sensisse Epicurum, Sed quicquid gregis illius grunniant sues, & tam immundam, & tam funestam vocem, nulli Philosophorum arbitror placuisse, nedum Epicuro; qui tantus fuit, vt inter Philosophos propriam fecerit sectam. Sunt eius, autore Seneca, egregia multa, quæ passim possunt apud Philosophos inueniri, & pro parte expressa sunt, & congesta in libro, qui de vestigiis, siue de dogmate Philosophorum inscribitur. Sileni senis inueteratis videtur amentia, potius quã sententia Philosophi, & est certò asellæ cui insidebat brutior, cui hoc nequitia potuit suadere. Idipsum forte innuunt figmenta gentilium, quæ delirum senem vino æstuantem, aliis naturæ obtemperantibus, & quiete fessa recreantibus corpora, Lotide F præ cæteris captum referunt, & tandem cum omnium irrisione, quem nec ætas, nec verecundia refrenabat, asini sui rudim reuocatum. Omnis ergo voluptas libidinis turpis est, ea excepta, quæ excusatur fœdere coniugali & indultæ licentiæ beneficio, quicquid erubescentiæ poterat inesse, abscondit. Vnde & nuptiæ à nubendo dici maiores tradiderunt, quia pudenda humanæ infirmitatis nubit id est abscondit, vt ait Nonius Marcellus, indulgentia legis. Inoleuit etiam consuetudo, vt quos in commercium carnis, Ecclesiæ iungit autoritas, pallio velentur altaris, aut alio ab Ecclesia constituto, vt torus qui Christo conciliante † construitur, sic in fide castitatis, frugalitatis suæ maculas contegat, vt totius sit probri, aut confusionis ignarus. Præferuntur & faces, lampades, & luminaria accenduntur, quia geminum torum, qui palam, & non sua vrgente libidine sed honesta consentientium voluntate sternitur, decus boni coniugalis illustrat. Nam Hymenæus lucem amat, & alacer pharetra puer Cupido, furtiuam succendens flammam, latebras & angulos quærit. Licet autem honesta G sit, & vtilis copula maritalis, angustiæ quam lætitiæ fœcundior est: Parit enim in dolore vel filios: nec aliquem producit fructum, quem non amaritudo præcedat, aut sequatur. Vnde referente Valerio, Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, ab adolescentulo quodam consultus, vtrum vxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret, respondit, cum vtrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam. Hic te, inquit, † solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic hæres alienus excipiet. Illic perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus, lingua † subcesoria alieni matrimonij, incertus liberorum euentus. Non passus est iuuenem in contextu rerum asperarum quasi lætæ materiæ facere delectum. Concinit in hunc modum totus recte philosophantium chorus: vt si qui Christianæ religionis abhorrent rigorem, discant vel H ab Ethnicis castitatem. Non tamen quod coniugali detraham castitati, sed centesimum aut sexagesimum fructum, licet de radice vicesimi oriantur, minime arbitror tricesimo componendum. Zeno, Epictetus, Aristoteles, Critolaus, & Epicureorum quamplurimi traduntur posteris hanc publicasse sententiam. Fertur autore Hieronymo aureolus Theophrasti liber de nuptiis: in quo quærit; an vir sapiens ducat vxorem. Et cum diffinisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus orta; si ipse sanus & diues, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit. Hæc autem raro in nuptiis vniuersa concordant. Non est igitur vxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia Philosophiæ, nec posse quenquam libris & vxori pariter inseruire. Multa esse, quæ matronarum vsibus necessaria sint. Pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, suppellex varia, lecticæ, & exedra deaurata. Deinde per totas noctes garrulæ conquestiones. Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in conuentu fœminarum misella despicior.

† consternitur.

† sollicitudo.

† subsecutoria.

Cur

A

Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens qoid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem: Alterius amorem, suum odium suspicatur. Si doctissimus Præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem relinquere; nec cum sarcina ire possumus. Pauperem alere difficile est, diuitem ferre, tormentum. Adde quod nulla est vxoris electio; sed qualiscunque obuenerit habenda, si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcunque vitij est, post nuptias discimos. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia, vestes quoque & lebetes, sedile ligneum, calx & vrceolus fictilis probantur prius, & sic emuntur. Sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur. Attendenda est semper eius facies, & pulchritudo laudanda, ne si alteram aspexeris, se æstimet displicere. Vocanda domina, celebrandus natalis eius, iurandum per salutem illius, vt sit superstes optandum, honoranda nutrix eius & gerula. Seruus paternus & alumnus,

B

& formosus assecla, & procurator calamistratus, & in longam securamque libidinem exectus spado, sub quibus nominibus adulteri delitescunt. Quoscunque illa dilexerit, ingrati etiam amandi. Si totam ei domum regendam commiseris, seruiendum est. Si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non putabit, & in odium vertetur ac iurgia, & nisi cito consulueris, parabit venena. Anus, & aurifices, & ariolos, & institores gemmarum, sericarumque vestium, si intromiseris, periculum pudicitiæ est; si prohibueris, suspicionis iniuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia; cum vxor seruari impudica non possit; pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas, & illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, sed noluit. Pulchra cito adamatur; fœda facillime concupiscit. Difficile custoditur quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa seruatur. Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant, alius for-

C

ma, alius facetiis, alius ingenio, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo expugnatur, quod vndecunque incessitur. Quod si propter dispensationem domus, & languoris solatia, & fugam solitudinis ducuntur vxores, multo melius dispensat seruus fidelis obediens autoritati domini, & dispensationi eius obtemperans, quam vxor, quæ in eo se æstimat dominam, si aduersus viri fecerit voluntatem; id est, quod placet, non quod iubetur. Assidere autem ægrotanti magis possunt amici, & vernulæ beneficiis obligati, quam illa quæ nobis imputat lachrymas suas, & hæreditatis suæ spe vendat illuuiem, & sollicitudinem iactans, languentis animum desperatione conturbet. Quid si languerit, coægrotandum est, & nunquam ab eius lectulo recedendum. Aut si bona fuerit, & suauis vxor, quæ tamen rara auis est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Sapiens autem nunquam solus esse potest. Habet secum omnes qui sunt, qoique vnquam fuerunt boni, & animum liberum quocunque vult transfert. Quod corpo-

D

re non potest, cogitatione complectitur. Et si hominum inopia fuerit, loquetur cum Deo. Nunquam minus solus erit, quam cum solus fuerit. Porro liberorum causa vxorem docere, vt vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus præsidia senectutis, & certis vtamur hæredibus stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes è mundo, si nomine nostro alius non vocetur, cum & filius non statim patris vocabulum referat, & innumerabiles sint, qui appellentur eodem nomine? Aut quæ senectutis auxilia nutrire domi, qui aut prior te forte moriatur, aut peruersissimis moribus sit, aut certe cum ad maturam ætatem peruenerit, tarde ei videaris mori? Hæredes autem & meliores & certiores sunt amici, & propinqui, quos iudicio eligas, quam quos velis nolis habere cogaris. Licet certa hæreditas sit, dum adhuc viuis bene vti substantia tua, quam tuo labore quæsita, in incertos vsus relinquere. Hæc & huiusmodi Theophrastus, quæ vel sola matrimoniorum angustias, & calamitates exquisitæ dulcedinis sufficiunt

E

explanare. Scite fertur dixisse P. Clodius; quia improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium fecit. At non illud inelegantius improbe veretè † accusat aduersam, qui secundam ducit vxorem. Quis enim ei compatietur, qui † semel solutus à vinculis terroluat ad catenas. Plane indignus est libertatis honore & quiete, qui ad excussum seruitutis recurrit iugum. Vnde monstris simile est, quod hi qui non modo Philosophiæ; sed & religionis sibi vendicant nomen arceri nequeunt ab amplexibus mulierum. Sæpe enim qui antequam nomen profitetur alterutrum, si tamen hæc, religio scilicet & Philosophia, numerum faciunt; cum sine religione nemo recte valeat philosophari, continentissime vixit: cum in aliquem gradum promotus est, pactusque quietem, primæ & summæ deliberationis acumen exercet in eligenda vxore vel ducenda. Aut quod nequius est, vicinorum matrimonia sollicitare, & corrumpere non veretur. Erumpit interdum inuerecunda intemperies

† causatur.

† exutus

F

mulierum: quia, vt scribit Herodotus, mulier cum veste deponit & verecundiam. Erumpit nequam impudens, & in facie erubescentium populorum, genialis tori reuelat & denudat arcana, & de mariti frigiditate conqueritur, allegans hanc sufficientem & euidentem repudij vel diuortij causam, quod semiuir est, & inutilis matrimonio, qui non est promptus ad coitum. Eleganter quidem Gaufridus de Heroum villa, familiaris meus, vnius talium in causa huiusmodi confudit audaciam. Cum enim ei patronus datus esset à iudice celebraturo, vt putabatur diuortium, & mulier generosa audientibus amicis & suffragatoribus, aduocato vt sit diligentius merita causa suæ exponeret, scrutatus est ab ea vir prudens an alium maritum quandoque habuerit. Quod cum illa negasset quæsiuit iterum, an adhuc virgo esset, dicens: Hoc sibi inquisitu, & scitu pernecessarium, ne à diserto iudice caperetur occasione aliqua in sermone. Illa vero hoc verecunde tamen, eo quod sibi non bene credebatur, asseruit. Et ille, An simul de noctu dormire con-

G

sueuerint, & se inuicem osculari & amplexari maritus & ipsa inquisiuit. Quæ omnia cum illa fateretur: Vnde ergo, inquit patronus, nosti virgo pudicissima, prudentissima, pudoratissima, quod efficacem tecum virum non impleuerit, & totius matrimonij iura persoluit? Quis te docuit, quid sit coitus, vt eum tecum coijsse neges, inter tot oscula, tot amplexus, qui te pro libitu quotiens voluit pertractauit licentia maritali? Nam & quædam animantia certum est se inuicem osculando misceri. Alia se tenuiter tangendo concipiunt. Et sunt qui suo grauidante calore, ab aëre temperato impræegnantur, & pariunt. † Hic illa tandem erubuit, hoc solum dicens, se quid ad huiusmodi captiones † hisceret, non habere. Sed bene cum philosohantibus, id est, cum clericis agitur, quod nemo eorum frigidus est aut in iudicio perfusus huiusmodi macula. Cicero rogatus, vt post Terentiam sororem Hircij duceret, omnino facere supersedit, dicens se non posse & vxori & Philosophiæ pariter operam dare Philippum Regem Macedonum,

† hoc audiens illa.

† responderet.

H

contra quem Demosthenis Philippicæ tonant, introeuntem ex more cubiculum, vxor exclusit irata. Qui exclusus tacuit. & iniuriam suam versu tragico consolatus est. Gorgias Rhetor librum pulcherrimum de concordia, † Græcis tunc inter se dissidentibus, recitauit Olympiæ. Cui Melantius inimicus eius, hic nobis, inquit, de concordia præcipit, qui se, vxorem, & ancillulam, tres in vna domo, concordare non potuit. Æmulabatur quippe vxor eius ancillulæ pulchritudini, & castissimum virum † quotidianis iurgiis exagitabat. Vnde vt cesset inuidia, & quies † matrimoniis reformetur, dictioribus in consuetudinem versum est, ne quam habeant in domo pulchriorem. Socrates cum duarum vxorum iurgia vellet reprimere, in eum nouissime verterunt impetum, & male mulctatum, fugientemque diu persecutæ sunt, & à solio, in quo morabantur, postmodum lotio perfuderunt. In muliebrem leuitatem ab autoribus passim multa scribuntur. Fortasse falso interdum finguntur plurima, nihil tamen impedit ridentem dicere

† quotidie.

† matrimonij.

verum,

A vetum, & fabulosis narrationibus quas Philosophia non rejicit, exprimere quid obesse possit † mioribus. Ex his enim liquet, quam facile ament, quanta oderint leuitate, quam cito obliuiscantur affectuum, & naturæ immemores, interdum in filios armentur, interdum inuiscera sua. Sunt aliquæ pudicissimæ, licet, Satyricus dicat, quoniam

Rara auis in terris nigroque simillima cygno,

mulier exactæ castitatis. Et tragicus, nullam esse fœminam tam pudicam, quæ non peregrina libidine vsque ad furorem incendatur. Matrona quædam, referente Petronio, Ephesi tam notæ erat pudicitiæ, vt vicinarum quoque gentium fœminas ad spectaculum sui euocaret. Hæc ergo cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus, prosequi, crinibus sparsis & turbatis, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in † hypogæo Græco more, corpus custodire ac B flere totis noctibus diebusque cœpit. Sic afflictantem se, ac mortem inedia persequentem, non parentes potuerunt abducere, non propinqui. Magistratus vltimo repulsi abierunt. Complorataque singularis exempli fœmina ab omnibus quintum iam diem sine alimento trahebat, assidebat ægræ fidissima ancilla, simulque & lachrymas commendabat lugenti, & quotiescunque defecerat positum in monumento lumen, † renocabat. Vna igitur in tota ciuitate fabula erat, solum illud affulsisse verum pudicitiæ amorisque exemplum, omnes ordinis homines confitebantur. Tum interim Imperator Prouinciæ latrones crucibus jussit affigi, secundum illam casulam, in qua recens cadauer matrona deflebat. Proxima ergo nocte cum miles qui cruces seruabat, ne quis ad sepulturam corpus detraheret, notasset sibi & lumen inter monumenta clarius fulgens, & gemitum lugentis audisset, vitio gentis humanæ cupiit scire quis aut quid faceret. Descendit itaque in conditorium, visaque pulcherrima muliere, primo quasi quodam monC stro infernisque imaginibus turbatus † subsistit. Deinde vbi corpus iacentis aspexit, & lachrymas considerauit, faciemque vnguibus sectam, ratus scilicet id quod erat, desiderium extincti fœminam pati non posse, attulit in monumentum cœnulam suam, cœpitque hortari lugentem ne perseueraret in dolore superuacuo ac nihil profuturo gemitu pectus diduceret. Omnium eadem esse, scilicet idem domicilium, & cætera quibus exulceratæ mentes ad sanitatem renocantur. At illa ignota consolatione percussa lacerauit vehementius pectus, raptosque crines super pectus iacentis imposuit. Non recessit tamen miles, sed ex eadem exhortatione tentauit dare muliercula cibũ, donec ancilla † fumi (certũ habeo) odore corrupta, primum ipsa porrexit ad humanitatem inuitantis victam manum. Deinde refecta potione & cibo, expugnare dominæ pertinaciam cœpit, & quid proderit inquit tibi hoc, si soluta inedia fueris, si te viuam sepelieris, si antequam fata poscant, indemnatum effuderis spiritum.

D *Id cinerem aut manes credis curare sepultos?*

Vis tu reuiuiscere, reluctantibus fatis extinctum? Vis discusso muliebri errore quamdiu licuerit lucis commodis frui: Ipsum te iacentis corpus admonere debet vt viuas. Nemo inuitus audit, cum viuere cogitur, aut sumere cibum. Itaque mulier aliquot dierum abstinentiã sicca, passa est frangi pertinaciam suam. Nec minus auide repleuit se cibo, quam ancilla quæ prior victa est. Cæterum scitis, quid plerumque tentare solet humanam satietatem. Quibus blanditiis impetrauit miles, vt matrona viuere vellet, eisdem etiam pudicitiam eius aggressus est. Nec deformis aut infacundus iuuenis castæ videbatur, ancilla gratiam conciliante, ac subinde dicente,

——Placitoné etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem quorum consederis aruis?

Quid diutius moror? Ne hanc quidem partem corporis mulier abstinuit, victorque miles vtrumque persuasit. Iacuerunt ergo vna, non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postera etiam ac tertia die, præclusis videlicet conditorij foribus, vt quisque ex notis ignotisque ad monumentum veniens, putasset expirare super corpus viri pudicissimam vxorem. Cæterum delectatus miles & forma mulieris, & secreto quicquid boni per facultates poterat, coemebat, & prima statim nocte ferebat in monumentum. Itaque vnius cruciati parentes, vt viderunt laxatam custodiam, detraxerunt nocte pendentem, & supremo mandauerunt officio. At miles † circumscriptus dum desidet, vt postero die vidit vnam sine cadauere crucem, veritus supplicium, mulieri quid accidisset exponit. Nec se expectaturum sententiam iudicis, sed gladio ius dicturum ignauiæ suæ commendans modo perituro locum prouideret, & fatale conditorium familiari ac viro faceret. Mulier non minus misericors, quam pudica, nec istud inquit, Dij sinant, vt eodem tempore duorum mihi charissimorum hominum duo funera spectem. Malo mortuum impendere, quam viuum occidere. Secundum † hanc rationem iubet ex arca corpus mariti sui tolli, atque illi, quæ vacabat, cruci affigi. Vsus est miles ingenio prudentissimæ fœminæ. Posteroque die populus miratus est, qua ratione mortuus isset in crucem. Tu historiam aut fabulam, quod his verbis refert Petronius, pro libitu appellabis. Ita tamen ex facto accidisse Ephesi, & Flauianus auctor est, mulieremque tradit impietatis suæ, & sceleris parricidalis & adulterij pœnas luisse. Non quidem solus est in mulierum ineptiis ridendis, aut exprimendis Petronius. Scribit B. Hieronymus, quia totæ Euripidis tragœdiæ in mulieres maledicta sunt, & quod Epicurus, quanquam Metrodorus discipulus eius Leontion habuerit vxorem, raro dicit sapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta sunt nuptiis. Et quomodo diuitiæ & honores, & corporum sanitates, & cætera quæ indifferentia nominamus, nec bona, nec mala sunt, sed velut in medi ullio posita, vsu & euentu vel bona vel mala fiunt: Ita & vxores sitas in bonorum malorumve confinio. Graue verò esse viro sapienti venire in dubium, vtrum bonam an malam ducturus sit. Si ergo tanta est molestia nuptiarum, quæ procul dubio bonæ sunt, & a Domino institutæ, vt eas sapiens reformidet, quis nisi demens eam approbet voluptatem quæ illicita est, & tota versatur in sordibus, quam homines culpant, & Deus procul dubio condemnabit? Nam cum hæ duæ voluptates, scilicet gulæ & Veneris, quodammodo brutorum sint, altera porci immunditiam, altera & hirci videtur habere fœtorem. Vt enim pudicitia inter virtutes eminet, sic petulantia in vitiis abiectissima est: & cum illa vtrumque deceat sexum, muliebrem tamen magis exornat. Siquidem doctissimi viri vox est, pudicitiam inprimis esse retinendam, qua amissa omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. Bene de liberis, quibus nec de matre erubescendum est, nec de patre dubitandum est. Bene imprimis de se, quam a contumelia alieni corporis vendicat. Cupiditatis nulla maior calamitas est, quam ad alienam libidinem trahi. Viros † consulares illustrat eloquentia, in nomen æternum transfert gloria militaris, triumphosque nouæ generis consecrat. Multa sunt, quæ per se clara ingenia nobilitant mulierum propriè virtus pudicitia est. Hieronymus testis est, quod antequam religio Christiana fulgeret in mundo, vnicubas sẽper habuisse inter matronas decus: per illa Fortunæ muliebri sacra fieri solitum: nullum Sacerdotem bigamum, nullum flaminem himaritum Hierophantas quoque Atheniensium diutissime cicutæ sorbitione castrari & postquam in pontificatum fuerint allecti, viros esse desinere. In immensum pagina protenderetur, si ea perstrinxero, quæ in hac parte tragici oratores, comici, Satyrici, Poetæ, vt de Philosophis, Ethicis, & Theologis taceam, prodiderunt, Sed tamen nec omnes istos sufficisse ad hanc, non dico malitiam deridendam aut reprimendam, sed nec ad exponendam. Si dixero quod multi sunt experti, quia

Nec

A

Nec melior pedibus silicem quæ concutit atrium
Quam quæ seruorum vehitur ceruice † suorum.

† Syrorū.

Hoc in iniuriam mulierum dictum, malitias calumniabitur. Nihil enim melius, nihil vtilius muliere pudica, nihil eorum quæ possunt excogitari, iocundius his, qui continere non possunt, aut nolunt. Sed desipientis est ab his laudem † spectare, quæ veniam rectius merentur quam gloriam, si tamen moderationis bono fuerint temperata. Alioquin non venia, sed pœna, sed ignominia vtriusque libidinis maculam prosequetur: nisi forte decorus habendus sit, qui in hircum transformatur aut suem.

† sperare.

Cap. XII.

Quod brutis & insensibilibus quidam appetunt conformari, & quanta humanitate cum seruis viuendum sit: & de trium reliquorum sensuum voluptate.

B

NVlli vtique animantium generi rectius conformantur, qui summum bonum vitæ, in gustandi & tangendi voluptate, ne dicam luxurie, posuerunt. Cæterum hoc aliorum sensuum luxuriam non excusat, cum manifesta sit humanæ dignitatis abiectio, si non hirco aut sui, sed leoni aut pardo, sed pantheræ aut Satyro, sed pauoni, philomenæ, aut psittaco, sed cuicunque brutorum insensibilium studeat coæquari. Siquidem ad Angelicam puritatem rectius aspirabit qui in ea creatus est dignitate originis, vt in cumulo veræ & æternæ beatitudinis perfectioni Angelicæ possit esse conformis. Nam & patrum inconcussa sanxit authoritas, quia natura mentis solus Dominus dignior est, & quod omnia hæc, quæ humanus miratur error, vt homini seruiant, ab eo facta sunt, qui hominem fecit, vt æternitatis & beatitudinis suæ participem faceret.

C

Quis ergo præsidentis Domini non vilipendet arbitrium, si seruilem & abiectam affectat conditionem? Non tamen quod seruos dicam habendos esse contemptui, nisi seruilibus vitiis viuant. Sicut enim vera & vnica libertas est, seruire virtuti, & ipsius exercere officia; ita vnica & singularis seruitus est, vitiis subiugari. Errat plane quisquis aliunde conditionem alterutram opinatur accidere. Siquidem omne hominum genus in terris simili ab ortu surgit, eisdem constat & alitur elementis, eundemque Spiritum ab eodem principio carpit, eodemque fruitur cœlo, æquè moritur, æquè viuit. Vnde & prætextatus in Saturnalibus Euangelium reprimens, his vtitur argumentis. Serui, inquit, sunt, imò homines. Serui sunt, imò conserui. Si cogitaueris tantundem in vtrosque licere Fortunæ, tam tu illum videre liberum potes, quam ille te seruum. Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater qua Diogenes, qua Plato ipse. Postremo quid ita nomen seruitutis horremus? Seruus est quidem, sed necessitate, sed fortasse libero animo seruus est. Hoc illi nocebit, si ostenderis quis non sit. Alius libidini seruit, alius, auaritiæ, alius ambitioni, omnes spei, omnesq; timori. Et certe nulla seruitus turpior, quam voluntaria. At nos iugo à fortuna imposito, subiacentem tanquam miserum, vilemque calcamus. Quod vero nos nostris ceruicibus inferimus, non patimur reprehendi. Inuenies inter seruos aliquem pecunia fortiorem, inuenies dominum spe lucri oscula aliorum seruorum manibus infigentem. Non ergo fortuna homines æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, conditionem casus assignat. Quemadmodum stultus est, qui empturus equum, non ipsum conspicit, sed stratum eius ac frenos: Sic stultissimus est, qui hominem aut ex conditione, aut ex veste æstimandum putat. Non est, mi Euangele, quod amicum tantum in foro, & in curia quæras, si diligenter attenderis, inuenies & domi. Tu modo viue cum seruo clementer, comiter quoque & in sermonem illum, & in necessarium nonnunquam admitte consilium. Nam & maiores nostri omnem dominis inuidiam; omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, seruos familiares appellauerunt. Colant ergo te potius serui tui, mihi crede, quam timeant, nec tibi parum videatur esse, quod Diis satis est. Nam quod colitur, etiam amatur. Nec potest amor cum timore misceri. Vnde enim putas arrogantissimum illud manasse prouerbium, quod iactatur, totidem nobis hostes esse, quot seruos? Non habemus hostes illos, sed facimus, cum in illos superbissimi, contumeliosissimi, & crudelissimi sumus, & ad rabiem nos cogunt venire deliciæ, vt quicquid non ex voluntate responderit, iram furoremque prouocet. Domi enim nobis animos induimus tyrannorum, & non quantum decet, sed quantum licet exercere volumus in seruos. Nam vt cætera crudelitatis genera prætercam, sunt qui dum se mensæ copiis; & auiditate distendunt, circumstantes seruos mouere labra, nec in hoc quidem, vt loquantur, permittunt. Virga omne murmur compescitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt. Tussis, sternutamentum, singultus magno malo luitur. Sic fit vt isti de domino loquantur, quibus coram domino non licet. At illi quibus non tantum præsentibus dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem, & periculum imminens in caput suum vertere. In conuiuiis loquebantur, sed in tormentis tacebant. Hæc prætextatus: & de fide seruorum multa & præclara subiungit, & quæ essent in quantauis nobilitate sanguinis gloriosa, & cuiuis imitanda. Nihil enim decorum est, quod non a virtute profluxerit, & se inuicem turpitudo & vitium infausto ambitu circumscribunt. In hoc autem solo vitiorum impulsu quisque prolabitur, vt eorum se deiiciat, & deuoueat seruituti, quibus natus est imperare. Qui ad spectacula confluunt, aut euocant ad se spectacula inhonesta, aut seipsos affectatis nugis volunt esse spectaculo insipientium, quoniam hæc lenocinia vanitatis recte sapienti placere non possunt, oculorum capiuntur illecebris, & licet mitius elidantur, corruunt tamen à dignitate conditionis suæ, & ad eam, quam diffitentur, seruilem relabuntur. Quid ergo aliud faciunt mimi, histriones, parasiti, & huiusmodi monstra hominum, nisi quod ineptam conuincunt felicem seruitutem? Sed & illi, qui † voculis capiuntur, licet aurium sensus purissimus & defæcatissimus sit, seruiunt quidem, iugo tamen premuntur mitiori, si alias non præualeant vitia. Nam ab olfactu vix aliquis omnino capitur, nisi forte Lotophagum viuat. Non aliquid aduersus cantores, aut Musicos struo, cum teste Quintiliano, Valerio, Flauiano & aliis multis, Socrates etiam in senectute didicerit Musicam, credens si Musica deforet, sibi cumulum sapientiæ defuturum. In ea tamen nimium occupari, citra Philosophicam grauitatem est. Nunquid enim virum decebit sapientem, præsertim quod etiam in sexu muliebri turpitudinis non effugit notam? Nam & Salustius Semproniam reprehendit, non quidem quod saltare & psallere, sed quod optimè sciebit. Ait enim psallere & saltare elegantius quam necesse est probæ. Optime tamen cantare, si citra leuitatem posset haberi, plane desiderabile est. In omnibus enim, quæ simpliciter expetibilia sunt, quo intensiora sunt in qualitate boni, eo expetibiliora sunt. Sed ex adiunctis possunt nonnulla esse suspecta. Lucius Sylla vir tanti nominis, optime cantasse traditur: sed dotem libidinis & crudelitatis nota perstrinxit. Catoni quoque visum est benè cantare, non serij hominis esse. Vnde nimirum Marcum Senatorem non ignobilem, Cecilium spaciatorem, & fescennium vocat, eumque staticulos dare his verbis ait: Descendit de cantherio, inde staticulos dare, ridicularia fundere. Et alibi, Præterea cantat vbi collibuit, interdum Græcos versus agit, iocos dicit, voces † demutat, staticulos dat. Porrò illa voluptas aurium

E F G H

† ocmli.

† demutat.

A grata est honestati, quæ virtutis est amica, aut non est conscia turpitudinis. Oculorum vero voluptas histriones introduxit, & mimos: quod & Scipio Africanus Æmilianus in oratione contra legem iudiciariā Tiberij Gracchi non mediocriter reprehendit. Docentur præstigias, inhonestas cum cinædulis, & sambuca, psalterioque eunt in ludum histrionum, discunt cantare quæ maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt, eunt inquam in ludum saltatorium inter cinædos virgines puerique ingenui. Hæc cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere, eā liberos suos homines nobiles docere. Sed cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque ducentis. In his quod me Reipublicæ maxime miseratum est, vidi vnum filium petitoris puerum bullatum non minorem annis duodecim cum crotalis saltare. Croton Græcè pulsus dicitur, & inde cymbala sic dicuntur; vel Musicum notat instrumentum, quod in sono vocem ciconiæ imitatur: nam ipsa apud Ægyptios crotalus appellatur. Crotala quoque dicuntur sonoræ sphærulæ, quæ quibusdam granis interpositis, pro quantitate sui & specie metalli B varios sonos edunt. Quam saltationem impudicus seruulus honestè saltare non posset. Patet ergo quanto effectu ingemuerit Africanus, quod vidisset cum crotalis, saltare filium petitoris, id est, candidati, quem ne † cum quidem spes & ratio adipiscendi magistratus, quo tempore se suosque ab omni probro debuit vindicare, potuerit coërcere, quo minus faceret, quod scilicet turpe non habebatur. Nam & ab eo tempore, quo optimis moribus in vrbe viuebant scilicet inter duo bella Punica, ingenui filij Senatorum in ludum saltatorum commeabant, & illic crotala gestantes saltare discebant. Adeo quidem vt ab heroicis conuiuiis nequaquam arceretur ludus saltatorius. Nam & Socraticum symposium ab authoritate Philosophorum, qui illic conuenerant celebre est, & tamen defuit, qui sub illorum supercilio peteret psaltriam intromitti, vt puella supra naturam molliora canora dulcedine, & saltatio- C nis lubrico, exerceret illecebris philosophantes. Cæterum histriones non inter turpes habitos Cicero autor est, qui, sicut Furius Albinus refert, Roscio & Æsopo familiariter vsus est; adeo quidem vt res rationesque eorum sua solertia tueretur. Quod cum ex aliis multis, tum ex epistolis eius declaratur. Nam illa oratio celebritate sui innotuit, in qua populum Romanum obiurgat, quod Roscio agente tumultuarit. Et quidem constat cum ipso histrione contendere solitum, vtrum ille sæpius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diuerso pronunciaret. Quæ res ad hanc artis suæ fiduciam Roscium abstraxit, vt librum conscriberet, quo eloquentiam cum histrionia compararet. Is est Roscius, qui etiam Syllæ charissimus fuit, & annulo aureo ab eodem dictatore donatus est. Tanta autem fuit gratia & gloria, vt mercedem diurnam de publico mille de- D narios sine gregalibus solus acciperet. Æsopum quoque ex pari arte ducentis sestertium reliquisse constat. Sed † vter si histriones videntur ab autoritate Ciceronis, & prædictorum herōum, in cœtum sapientium admittendi, eligantur Roscio similes, & Æsopo, qui etsi non facere, quod tamen illi nouerant, vel intelligere libros sciant, & amatores sint potius, quam impugnatores literarum, quas nemo vnquam sapiens, aut bonus odio habuit. Ciceronem refert Valerius literas contempsisse, & in contemptu ipso fuisse fontem abundantissimum literarum, ob hoc forte quod studium negociis † præponebat. Nam instruit eis etiam dum contempsit. Ipseque contemptus Ciceronis, multorum studio studiosior est. Non facile tamen crediderim, ad hoc quenquam impelli posse literatum, vt † histrionem profiteatur, licet facile inueniantur quamplurimi, quos non pudet agere, & implere sordidum histrionem. Gestus siquidem exprimunt, rerum vtilitate deducta. Fertur Beatus Hieronymus tres à mensa cleri-

al. tamen.

al. vtinam.

al. postponebat.

al. histrionicam.

E cos exclusisse, quia ipsos incompositos vidit, turpe ducens honesto & graui viro in eius consortio aliquem incompositum inueniri. Et quidem hoc laude maiori dignum est, quam si vt ab eis laudaretur, admitteret. Licet autem aliqua sit voluptas oculorum in talibus, vix sine turpitudine exercere poterit, vel admitti. Est & illa voluptas in viro graui notabilis ex causa luxuriæ, quæ ornatum suum in pretio vestium, aut colora aut forma, aut vsus nouitate consistere opinatur. Vt enim ait Ethicus:

Maltinus tunicis demissis ambulat, est qui
Inguen ad obscœnum demissis vsque facetus.

Alter solis lineis brumæ horrores excludit, & dum omnia gelu constricta rigent, tenui suadet in cyclade, & illius delicias, etiam bombicinus vrit pannus, aut premit. Hic cæpa tunicatior, densatis pellibus & Epitogiis, chlamydi penulam superducit, & quasi conglobatus in orbem rotulari, quam incedere magis idoneus F est. Ille nunc vtitur penulla, nunc campestri: id solum agens, vt aliis dissimilis habeatur. Ille tantas exquisiti ornatus affectat munditias, vt nimio splendore cultus operosi, ad sordes videatur accedere. Quicquid enim dedecet, & quodammodo polluit, aut potius expellit honestatem, sordidum est, & habendum in sordibus. Non tamen arguitur, quod necessitas introducit, quia non omnes omnia possunt, & est, cuius natura exigit, vnde alius oneratur, aut quod omnino ferre non potest. Hoc autem Philosophia præcipit obseruari, vt quisque in omnibus fugiat notam, indicens actioni rectitudinem, ne sit reprehensibilis; sermoni cautelam, ne sit contemptibilis; habitui modestiam, ne sit notabilis. Intemperantiam namque nota continet. In hodiernum diem arguitur intemperies Hortensij, à quo isti dealbati adhuc dicuntur Hortensiani, non quod primus, sed quod præcipuus talium fuerit, adeo vt sufficeret ad notam † seculi sui. Vir vtique alloquio ex professo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem suum. Fuit enim vestitu ad munditiem curiosus, & vt bene amictus iret, faciem quærebat in speculo. Vbi se G intuens togam corpori sic applicabat, vt rugas non forte, sed industria locatas, artifex nodus astringeret, & sinus ex composito defluens modum lateris ambiret. Is quondam cum incederet elaboratus ad speciem, collegæ de iniuriis diem dixit, quod sibi in angustiis obuius offensu, fortuito structuram togæ destruxerat, & capitale putauit, quod in humero suo, locum ruga mutasset. Nihil tale sapientem decet, aut virum probum: imò & matronæ honestæ, & virgines nupturæ facilius & felicius ob dotes formæ tantam cultus sui sollicitudinem erubescunt. Mirum itaque est, qua impudentia ætatis nostræ *cultum gestare decoros,*

Vix nuribus rapuere mares.

Quid ergo quod milites? Quid quod clerici? Siquidem hæc omnia fallacem meretricis fucum, & malitiam imitantur. Quid ergo viro cum speculo, nisi in eo casu, quo illud Platonem gestasse testis est Flauianus, vt H videret in eo quantum peregrinatio, studij feruor, acumen temporis, processus ætatis, de naturali statu mutasset faciei indicio, quæ bona & mala fidelissimè protestatur? Hoc quidem egit, vt seruaret, aut releuaret naturam, ne labore & diæta insueta corrumperetur. Vt autem ad alia transeamus, quis istorum, qui dotes brutorum affectant, brutus esse dignetur? Aut cui non præponderare videbitur, si collata sibi præ illis conferat rationem? Nunquid virium amator leo vellet esse, aut pardus? Dicunt † Physiologi, quia lyncis aut pantheræ odorem animalia cætera sequuntur, istos tamen qui musco, & speciebus exoticis placant olfactum, & prouocant, velle si possent non arbitror in pantheram aut lyncem transformari. Non vtique credam, quod qui Satyrum induit, Satyrus esse velit, sed nec illi qui seipsos poliunt, pauonis in se poterunt transformare colores. Concinant hi, & totius Musicæ melos pro viribus expleant, nemo eorum Philomelam æquabit, aut psittacum. Nonne ergo indecens & probrosum

† al. filij.

al. Philosophi.

est

A est humanæ celsitudini, si postposita dote sua, in qua præualet, ad alienas, quibus superatur adspirat? Verum si moderatio adhibeatur in his, interdum sensuum voluptate versari sapienti non arbitror indecorum: vt sæpenumero dictum, nihil decorum est sine modo. Nam & ociari interdum sapienti familiare est, non tamen vt virtutis exercitium euanescat, sed quo magis vigeat, & quodammodo recreetur. Siquidem Lælius & Scipio, illud par amoris insigne, simul lectitabant, & sicut remissionis eorum certissimus testis Scæuola autor est, ciuilibus fatigati negociis, pila ludebant. Idem quoque Scæuola aleæ & calculis interdum vacasse traditur, cum bene ac diu iura ciuium, ceremoniasque Deorum ordinasset. Vt enim in rebus seriis Scæuolam, ita in lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. Idque vidit Socrates, qui nullam sapientiæ partem dicitur habuisse ignotam, ideoque non erubuit, tunc cum interposita arundine cruribus suis, B tum paruulis filiolis ludens, ab Alcibiade risus est. Homerus quoque cœlestis vates ingenij, non aliud sentit, vehementissime Achillis manibus canoras fides optando, nisi vt earum militare robur, leni pacis studio, relaxaret. In summa, histrioniam, saltatoriam, & huiusmodi lenocinia exercere, leuitatis aut turpitudinis est. Sed delectari in eis, nunc ad ocia, nunc ad flagitia accedit. Si enim modeste fiat ad recreationem, sub ociandi licentia excusatur: Si ad lasciuientis animi voluptatem, cadit in crimen. Hæc autem facillime distinguit, loci, temporis, modi, personæ & causæ superius memorata discretio, quam forte nimis reuoluere posset lingua verbosior, sed eam mens cauta reuoluere nimis, aut continere non potest. Hæc est enim fons & origo totius modestiæ, sine qua nihil recte in officiis exercetur. Ab hac alios alia decere vel dedecere certum est.

Nam quod turpe bonis Seio Titioque decebit
Crispinum.

Perspicui ergo erroris est, ad fundamentum famæ & C gloriæ, consumere vitam in talibus, quæ aut ociosæ occupationis sunt, aut flagitiosa negotia. Profecto sic delinquentium particeps est, qui eorum lasciuiam exhibet, & autor videtur esse luxuriæ alienæ, qui eam mauult sumptibus prosequi, vel fauore, quam persequi increpatione adhibita, & sumptibus denegatis. Siquidem Ambrosius autor est, qui talibus donat, peccatum grande committit. Hoc enim fouet in eis, in quo nequissimi sunt.

Cap. XIII.

De frugalitatis commendatione, & nota Quintiliani in Senecam, & quomodo frugaliter possit auaritia suspicio deuitari.

LVxuriam persequi videor ad laudem frugalitatis, mihique ab insulsis, ineptè viuentibus, & indiscretè loquentibus, illud Publ. Clodij subsannando ingeritur, D quia frugalitas boni rumoris † inserta est. [al. misoria.] Hi sunt, qui dum luxuriam vitare nolunt, vel nequeunt, quicquid pro virtute dicitur, auaritiæ patrocinium putant. Secus quidem est, luxuriam per se turpem nemo ambigit, & licet frugalitatis sit tanquam virtutum, bonorumque operum origo laudabilis, non tamen omnibus placet, nec credunt auaritiam malitiæ fomitem posse vitari, nisi & frugalitas fugiatur. Nempe indoctorum hæc opinio est. Vt enim ait Ethicus:

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt,

recedentes à medio vitiorum, quæ regia virtutis est. Sunt tamen quibus frugalitas est inhibenda, vt quorum natura procliuior est ad auaritiam. Sunt tamen quibus est indicenda calcarius, vt qui sua prodigunt, & ratione contempta effundunt, non discernentes quid vsus sit vel abusus. Quo quidem temperamento vsum esse Seruium Opidium Canusinum in vltimo elogio, cum E filios peste contraria videret occupatos, refert Horatius. Simpliciter tamen constat, frugalitatem in bonis numerandam; vtpote illam, quæ Saturno regnante regna aurea temperauit, & eorundem omnia dispensauit officia. Hæc, quæ Astræam, & pudicitiam in terris diutius tenuit, donec eas inualescente luxu, regnante Ioue ad Superos contigit euolasse. Nos hæc fabula respicit, vt sciamus sine frugalitate non posse iustitiam, aut pudicitiam conseruari. Siquidem necessitas exercendi luxus excludit iustitiam, & exercitij voluptas pudicitiam propellit. Ait enim qui festinat ditari, non erit innocens. Illud tamen Clodij nequaquam denigrat frugalitatis honorem, sed videtur potius commendare decorem. Constat enim nequaquam malum esse, quod in patrocinium, & excusationem sinistri † rumoris assumitur. [al. tamru.] Sic fuscus color nigrum extenuat, & quod turgidum est, nomine plenitudinis honoratur. Est autem frugalitas virtus moderatrix vtendi, & F abutendi ignara. Nihil gelide ministrat aut timide, sed ei tamen ratio constat impensæ. Rebus quidem, sed sibi magis parcit. Nihil autem minimum subtrahit vsui, sed luxuriæ nihil omnino indulget. Siquidem diligentissima est. Possunt ad commendationem eius sufficere quæ Zeno, quæ Socrates, quæ Plato, quæ Aristoteles, quæ omnium Philosophorum chorus de frugalitate seruanda tradiderunt. Sed quia hæc perueтusta sunt nomina, aut eorum non sunt præcepta celebria, vel Seneca noster audiatur qui eam tantis laudibus effert, vt quisquis aliquid omnino adiicere tentauerit, ociari quam aliquid agere rectius videatur. Sunt tamen qui eum contemnere audeant, Quintiliani autoritate freti, suum ex eo nobilitantes iudicium, si ei detrahant, qui pluribus placet, vt apud indoctos eorum gloriam videantur præcedere, quorum virtutem nequeunt imitari. Mihi tamen desipere videntur, qui quemcunque secuti, non venerantur eum, quem & Apostoli familiaritatem meruisse constat, & à doctissimo patre Hieronymo in sanctorum catalogo positum. Vt tamen & de G Quintiliani possis iudicare iudicio, verba ipsius, quæ scriptoribus enumeratis, in sugillationem Senecæ posuit, hæc sunt: Ex industria Senecam in omni genere eloquentiæ distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum, & inuisum quoque habere creditus sum. Quod accidit mihi dum corruptum, & omnibus vitiis fractum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendo, cum iam solus hic fere in manibus adolescentum fuerit. Quem non equidem conabar omnino excutere, sed potioribus præferri non sinebam, ille non destiterat incessere, cum diuersi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse in quibus illi placerent, diffideret. Amabant eum magis, quam imitabantur, tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum, pares ac saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, & ad ea quisque dirigebat effingenda, quæ poterat. Deinde cum se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cuius & multæ alioquin, H & magnæ virtutes, ingenium facile & copiosum, plurimum studij, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his quibus inquirenda quædam mandabat deceptus est. Tractauit etiam omnem fere omnium studiorum materiam. Nam & orationes eius, & poemata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In Philosophia parum diligens, egregius vitiorum insectator fuit. Multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum genera legenda, sed in eloquendo corrupta plæraque, atque eo perniciosissima, quod abundabant dulcibus vitiis. Velles enim cum suo ingenio dixisse alieno iudicio. Nam si nil æqualium contempsisset, si † non concupisset, [al. parum non.] si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis, & seueriore genere satis firmatis legendum, vel ideo quod exercere potest vtrumque iudicium.

A Multa enim vt dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt. Eligere vero cutæ, sit quod vtinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet; quod voluit, effecit. Hæc in Senecam Quintilianus. Sed an rectè senserit, sapientiorum judicio derelinquo. Hoc tamen quod ei adscribit, multam morum scilicet elegantiam, etsi in eloquendo corruptam, nequaquam arbitror detrahendum. Moralia ergo eius præcepta admittantur, & eo genere loquatur quisque quod cæteris præfert, & planum erit virtutum riuulos de purissimo fonte frugalitatis oriri. Legantur Epistolæ eius libri de beneficiis, aut clementia, illi quoque quos decem oratorum sententiis sub imagine declamationum scholarium illustrauit, & hi, quos de naturalibus quæstionibus edidit & quos de Philosophia parum diligentes arguit Quintilianus; vbique fidelis custos virtutis vbique vitiorum hostis occurrit; tantus vbique vt eum Fronto secundum quosdam nepus Plutarchi, cuius meminit in primo Iuuenalis sic,
B

Frontonis platani conuulsaque marmora clamant.

Semper enim inquam, sic asserit, vniuersos exterminare errores, vt aurea videatur secula reformare, & Deos ab humano genere exulantes, eius opera reuocatos hominibus contracta societate miscere. Consentiam facile liberatiorem extitisse Quintilianum, & acumine & grauitate dicendi præcedere. At ille diligentior est, & quantum in Rhetoricis vincitur, tantum vincit in Ethica. Ipse quoque Quintilianus in magnis & præcipuis bonis frugalitatem ducit, & in commendatione eius tantus est, vt vel solus possit sufficere. Quis tamen est, qui non laudet? Quis non eam necessariam credit? Ne tamen à luxuriosis arguar auarus frugalitatis laudator, eam liberalitati credo & fateor cohærere. Cicero mihi testis est, & Iulius Cæsar, & alij, quos nemo tenacitatis insimulare præsumet. Aduersus hanc multa superius dicta sunt, & liberalitatis officia ex libris officiorum facilè innotescent. Vt tamen liberalitatis ingenuæ facies C denudetur, modus ille largiendi nobilior & laudabilior est, & absque omnimoda contradictione optimus, qui spem remunerationis excludit. Siquidem ad retributionem dare, à liberalitate alienum est, & consentaneum auaritiæ. Nam fœnerator vt plus recipiat, interdum aliquid prælargitur. Vnde † Coquus:

† M Coquus.

Munera quod senibus viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum Gargiliane vocem.
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius vno,
Qui potes insidias dona vocare tuas,
Sic auidis fallax indulget piscibus hamus,
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare docebo,
Si, nescis dona Gargiliane mihi.

Vis hominem videre liberalem? Vis verum & fructuosam largitatem audire? Deflecte oculos ad eum, qui vermibus scatens, iacet in sterquilinio, & testa fluentem de corpore saniem radit. Audi quid loquatur vir iustus, tiD mens Deum, & recedens à malo: Non vtique dicit cithara & lyra, & psalterium & sambuca, & omne genus Musicorum in conuiuiis meis. Non dicit epulabar quotidie splendide, gustus per omnia elementa quærens, sollicitudine multa contrahens, vnde conficerentur stercora, aut venter distentus facile in libidinem dispumaret. Non dicit induebar purpura & bysso opereve plumario, affectans quod in † locis acus complexum pectine serum, falsis inanis vitæ obduxit imaginibus, & vestibus fulgebam deauratis, circumdatus varietate. Non dixit, ad me confluebant vndique

† & in latu.

Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne,

venatores clamosi, dulcotarij mendaces, histriones vani & pasitati edaces, meretrices dolosæ, rumigeruli, falsiloqui & relatores, aut concentores inanium fabularum. Non dicit, leones, vrsos alebam & simias, & huiusmodi monstra, aut probra naturæ. Quid ergo? Nonne hæc sunt, quibus nostræ ætatis liberalitas illustratur? Nunquid sine his largitas esse potest? Humerus inquit meus à iunctura sua cadat, & brachium meum E ossibus conteratur, si negaui quod volebant pauperibus. Si oculos viduæ expectare feci, si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Si foris mansit peregrinus, & ostium meum non patuit viatori. Si despexi prætereuntem eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius; & de velleribus ouium mearum calefactus est. Vter tibi videtur liberalior, hic an Antonius, qui liberalitati satisfieri non posse credidit, nisi gulam & totius luxuriæ vitia procuraret? Vides ne quia multiplici potest via auaritiæ suspicio frugaliter declinari? hospitalitatis bonum commendat Apostolus, per quod Deo adeo officiosi hospites placuerunt, vt etiam Angelos hospitio recipere mererentur. Abraham descendentibus in via viris occurrit, & exercendæ liberalitatis optans gratiam, Angelos in hospitium humilitate victos & precibus introducit. Eis tamen incentiua gulæ nequaquam apponit, nec vitu F lum, quem de armento tollit, impendiis rerum & coquorum arte fecit esse Troianum. Loth quoque luxuriæ punitores Angelos deuotione vrgente in domum suam egit, & licet eis ad gulam, aliamve luxuriam non seruiret, nihil tamen defuit charitati: adeo quidem vt & Sodomitarum furori virgines filias, quam hospites mallet exponere. Cum in domo Tobiæ dies festus ageretur, Vide, inquit, & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum: neque enim diem festum agi posse putabat, nisi aliquem ad domesticum cœtum charitas adiecisset. Sed in omnibus his est eadem ordinatæ † dispensatio charitatis. Quos enim per viam descendentes aspexit Abraham, illis potiorem præstant autoritatem, qui in via morum, lege scilicet Domini gradiuntur. Et rectè descendentes scribuntur, quos ad visitationem, & præbendam materiam promerendi, ad conspectum fidelis patrisfamilias gratiæ destinauit. Sic & ipse primo tribum suam agnoscit, quæ Dominum specia G liter agnoscebat, & in ea ipsa illos cæteros præfert, non quos sanguis aut lenocinia mundi exinaniti commendant, sed quos diuinus timor illustrat. Non vtique ventriloquos & vaniloquos vir sanctus asciuit; sed eos qui Dei, quem colebat, imaginem præferebant. Sed nunquid diei festiuitas fratrum cœtus, aut opulentia eduliorum à gerendis pro more sanctum hominem retardauit? Vtique in ipsa lætitia conuiuantium mereparus à fratribus, Hebræum, quem ab impiis perculsum audierat, post Solis occubitum, quia ante non licuit profectus est sepelire. Nec veritus est offensam Principis, dum expleret officium charitatis, illi plane consimilis, qui in se & sobole, quam in hospitibus recipere maluit, à conciuibus luxuriosis insignem iniuriam. Discipuli quoque persuasionibus vsi sunt, vt Dominum volentem ire longius, hospitio detinerent, & nobis hospitalitatis formam præscribentes, exemplo coegerunt eum, visique sunt ei locum cessisse primum, quem postmodum agnouerunt Dominum in fractione panis. Alias namque delicias, nisi quas forte necessitas exigebat, ei H non legimus fuisse appositas. Britannia quoque nostra produxit Albanum ab officio hospitalitatis insignem, qui seipsum maluit tyrannorum exponere telis, quam hospitem quem susceperat Christianorum. Quid de fidelibus loquor? cum & infideles consueuerint, etiam aduersus hostes, & proprio periculo patrocinari, quos infra quatriduum hospitio suscepissent. Criminis enim contrahebant notam, quisquis ante quartum diem hosti, id est, peregrino humanitatis patrocinium denegabat. Autore Siquidem Cicerone, ob æquitatem hospitibus exhibendam, hostis dicebatur antiquitus, quem modo dicimus peregrinum. Cui quisquis fuerit inhumanus, de iure antiquo iniquus est. Declarant hoc legum tabulæ, & titulus iuris, qui est statutus dies cum hoste. Qui vero humanitatem exhibet hospitij, & charitatem implet, nihil eorum subtrahit, quæ ratio permittit exponi. Effundit quidem in hospites viscera sua, sed memor officij, si

† dispensatio.

disertus

A disertus est, ad turpia non impellit, nec vrget quempiam in id, in quod se nollet vrgeri. Est itaque in hospitem peregrinum omnis humanitas, & sobria liberalitas exercenda, & indigenæ hospiti gratiam pleniorem referre debet, tenaci beneficiorum memoria peregrinus. Hanc quoque gratiam nec aduersæ religionis, nec præcedentis inimicitiæ titulus perimit. Nam & Beatus Gregorius Neocæsariensis Episcopus, cum vrgente temporis & procellæ angustia, in alpibus interceptus, in fanum Apollinis, qui ibi ab indigenis colebatur, diuertisset, & à Sacerdote loci licet profano, officiosissimè exceptus esset, hospitio, memor officij & hospitij Apollinem, quem suspenderat à responsis, & ludificationibus animarum, sacerdotis precibus relaxauit. Siquidem apud Eusebium Cæsariensem in Ecclesiastica historia poterunt hæc plenius inueniri. Eoque referente constat, quod Sacerdos querulus Beatum Gregorium prosecutus, & agens aduersus eum ingratitudinis, & exprobrans
B humanitati suæ iniquo pondere esse rependum, banc à sancto viro, ad Apollinem suum Epistolam reportauit. Gregorius Apollini: Permitto te redire ad locum suum, & agere quæ consueuisti. Cum ergo idolo Sacerdos Epistolam reddidisset, solutus dæmon responsis more solito ludificare cœpit. Vnde Sacerdos admiratus illius majestatem, cuius serui, humiles possunt sic etiam diis gentium imperare, & verbo suspendere & torquere, contempto Apolline suo, sequensque Gregorium adhæsit ei; factusque est discipulus Christi, qui Sacerdos Apollinis fuerat, ita in fide & religione profecit, vt beato Gregorio credatur in regimine Neocæsariensis Ecclesiæ successisse. Et sic quidem sedulitas hospitis humane prius, deinde salubriter remunerata est. Postremo etsi vrbanitatis in hospites exercendæ apud Ethicos nulla regula esset, B. Benedictus in capitulo de hospitibus, frugalem humanitatem non modo religiose, sed etiam comiter & vrbane videtur exprimere, hoc tamen quod in libro consuetudinum Cistereiensium apud
C plerosque legitur & tenetur, quod ad duos articulos spectet hospitalitatis instituendæ, ab omni ciuilitate, ne dicam humanitate, alienum est. Si tamen verum est, huc in tantæ profectionis consuetudinibus inueniri, vt nec carnes apponantur hospitibus, nec propter eos aliquid ematur, cum & ipsa ieiunia propter hospitem perfecto soluat, & in multis de rigore suo plurimum indulgeat charitati. Ethnicus quoque in eo fidelius & familiarius videtur insistere virtuti, quod statuit, vt ea quæ intus sunt, hospitibus hilari modestia apponantur.

Quodque domi non est, & habet vicinus ematur,

Crediderim satius esse & perfectius, vt seipsam paululum virtus soluat, modestèque decipiat. Nam & in loco decipere, vt ait Ethicus, interdum dulce est, & tam virtuti consentaneum quam humanitati. Augustinus quoque & Hieronymus ad hanc rem pertinentia multa proponunt. Sed Beatus Gregorius electionem cuiusdam, quasi auari reprobat, eo quod audierat, eum ad
D charitatem domi suæ exercendam, neminem inuitasse. Nec tamen crediderim quod tantus pater luxuriosum conuiuium vellet instrui inuitatis. Quis ergo ambigit auaritiam posse frugaliter declinari? Aut quis audebit Abraham, Loth, Tobiam, & Iob auaritiæ nota respergere? Beati Iob descriptionem audisti. Nunc si vis audi quomodo M. Cœlius describit Antonium: Ingredientes, inquit, ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordiis stertentem: Ructuosos spiritus geminare præclarasque contubernales ab omnibus spondis transuersas incubare, & reliquas circumiacere passim, quæ tamen exanimatæ terrore ab hostium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, frustra ceruicibus tollebant, blandius aliæ ad aurem, aliæ vehementius inuocabant, nonnullæ etiam feriebant. Quarum cum omnium vocem tactumque nosceret, proximæ cuiusque collum amplexu petebat, neque dormire excitatus, neque vigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurio-

E num concubinarumque iactabatur. Hæc quidem aut vera fuerunt, aut verisimilia. Nihil enim his neque credibilius fingi, neque vehementius exprobrari, neque manifestius ostendi potuit. In summa ergo aut virtuti insistendum est, aut de gloria desperandum. Gloria siquidem aliunde non prouenit.

Cap. XIV.

Quod nihil ad gloriam fructuosius est laude & fauore bonorum & maximè scriptorum: & quod turpium familiaritas non tam prodest quàm obest, & quod vno benefacto vel dicto gloria propagatur.

Interest sane inter cupiditatem gloriæ humanæ, & cupiditatis ardorem. Nam licet procliues sint, vt qui
F humana gloria nimium delectantur, etiam dominari ardenter affectent: tamen qui veram licet humanarum laudum gloriam concupiscunt, dant operam bene iudicantibus non displicere. Refert enim plurimum quis, cui, & vnde placeas. Necesse ab eo laudari gloriosum, cuius familiaritas ignominiam redolet. Laus vnius studiosi multis profecit, & suffecit ad gloriam: & multorum sæpe commendatio, infamiam peperit. In Rhetoricis locus est celebris à conuictu, morumque similitudinem indicat: & ab ea amicitiæ & commendationis manare originem, sæpe traditum est. Nolo, inquit sapiens, ab his laudari, quorum laus vituperium est; nec ab his culpari vereor, quorum criminatio laus est. Cum ergo histriones, mimi parasiti, & huiusmodi ineptiæ hominum nihil indice vita laudabilium probent, nonne perspicuæ desipientiæ est, illorum, vt quis fulgeat, aucupari fauorem, qui sordibus obsiti sunt, & quorum gratia nisi per turpia acquiri non potest? Huiusmodi monstris hominum amplissimum patrimonium
G Pompeij, & fere totius orbis opes contulit M. Antonius; & tamen eorum præconiis non clarescit, sed eo sordidior occurrit posteritati. Si vnius sapientis, si scriptoris egregij gratiam meruisset, aliquid celebre illius manasset ad posteros. Virgilius, Marcelli citra magna virtutum merita perpetuauit gloriam, & Poetica licentia fidem peruertens historiæ, Didonem, licet pudicissima fuerit, hospitis quem ex ratione temporum videre non potuit, in incesto amore posteris persuasit fuisse † correptam. Nisus & Eurialus nostram non attigissent ætatem, nisi eos obliuioni diuina Maronis carmina subduxissent. Implet adhuc promissi fidem, & nomina eorum situ non patitur aboleri. † correptam.

Viuite felices, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

Quid est ergo, quod qui scurrarum, viliumque mancipiorum ignominiæ tanto sumptu conducunt gratiam, honestis viris, peritisque & maxime scriptoribus placere non appetunt? Nunquid suas ineptias transmitti H
nolunt ad posteros? Ignotus esset Lucilius, nisi eum † volunt.
Epistolæ Senecæ illustrarent. Laudibus Cæsareis plus Virgilius, & Varus, Lucanusque adiecerunt, quam immensum illud ærarium, quo vrbem & orbem spoliauit. Nemo prudentiam Ithaci, aut Pelidæ vires agnosceret, nisi eas Homerus diuino publicasset ingenio. Vnde nihil mihi videtur consultius, viro ad gloriam properanti, fidelium fauore scriptorum. Nihil stultius, quam captare Tigellium, qui nec suam potis est redimere famam. Sunt autem multa in moribus bona, de quibus multi bene iudicant, quamuis ea multi non habeant, & quo rariora, eo præclariora sunt. Per ea ergo nituntur quidam ad gloriam, ad imperium, ad dominationem. Quisquis autem sine cupiditate gloriæ, qua veretur homo bene iudicantibus displicere, dominari atque imperare desiderat, etiam per apertissima scelera quærit plerumque obtinere quod diligit. Proinde qui gloriam concupiscit, aut vera via nititur, aut certe dolis

A & fallacis contendit, volens videri bonus esse, quod non est. Et ideo virtutes habenti magna virtus est contemnere gloriam, quia contemptus eius in conspectu Dei est, iudicio autem non aperitur humano in laudatoribus autem suis quamuis paruipendat quod eum laudant, non tamen paruipendit, quod amant. Nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes. Ideoque instat ardenter vt potius ille laudetur, à quo habet homo, quicquid in eo iure laudatur. Qui autem gloriæ contemptor, dominationis est auidus, bestias superat siue crudelitatis vitiis, siue luxuriæ. Tales quidem, teste magno patre Augustino, Romani fuerunt. Nam cum eorum vitia percurruntur, gens nulla deterior, cum virtutes, nulla potior inuenitur. Alias tamen gentes non crudeli dominio, sed mansueto subiugauerunt imperio Et quod moderatio acquisiuit, aut crudelitas aut luxuria perdidit. Non enim existimationis amissa, dominationis cupiditate caruerunt. Sed huius vitij summitatem, B & quasi arcem quandam Nero Cæsar primus obtinuit. Cuius tanta fuit luxuries, vt nihil ab eo putaretur virile metuendum: Tanta crudelitas, vt nihil molle habere crederetur, si esset ignotus. Nemo eo gulosior, nemo cantorum & histrionum similiumque magis gaudebat consortio, nemo luxuriosior. Siquidem vt se vendicaret à cultu & liberalitatis imagine, nullam vestem bis induit. Quis tamen adeo perditus est, vt ipsum laudet? Demosthenes antequam virtus eloquij eius innotuisset, cultus operosioris dicitur appetisse nitorem; sciens quia purpura causidicum vendit. At postquam notitiam & famam assecutus est eloquentiæ, toga contentus est, dicens se velle sibi à se potius, quam à nitore vestium, aut cultu exquisito constare gloriam.

Omnis Aristippum decuit color, & status & res,
Quolibet indutus celeberrima per loca vadit.

Quem enim proprius attollit honos, vilitas aliena non deprimit. Emendicatum laudis videtur esse suffragium, C quod ab extrinsecis pendet. Profecto vnius egregiæ virtutis titulo quisque magis clarescit, quam splendidissimo luxuriæ instrumento, & omni lenocinio vanitatis. Cum ergo virtus omnis à se polleat, iustitia clarius enitescit. Huius rei Themistocles testimonio est, & exemplo. Qui cum salubertimo consilio Athenienses in classem migrare coegisset, Xerxeque Rege & copiis eius Græcia pulsis, ruinas patriæ in statum pristinum reformaret, & opes clandestinis molitionibus ad principatum Græciæ capessendum nutriret, dixit in concione se habere rem deliberatione sua prouisam, quæ si sortiretur effectum, nihil maius aut † potius populo Atheniensi futurum asserit, sed eam vulgari non oportere, postulans aliquem dari, cui tacitè exponeretur. Ei ergo datus est Aristides vel vt aliis placet, Aristoteles, etsi supputata ratio temporis indicet Themistoclem, & Aristotelem coæuos non fuisse. Is autem postquam cognouit eum velle incendere classem Lacedæmoniorum, quæ subducta erat apud Gytheum, vt ea consumpta dominatio maris ipsis cederet, processit ad cines, & D retulit Themistoclem vt vtile consilium, ita minime iustum animo voluere. E vestigio vniuersa concio clamat, id quod iustum non est, minime expedire, eumque iussit desistere ab incepto. Sic ergo edicto ciuium antelata est iustitia prudentiæ, imò & non esse prudentiam sed potius calliditatem, cui iustitia aduersatur. Zaleucus vrbe Locrensium à se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cum filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab eo constitutum, vtroque oculo priuari debuerit, ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit. Ad vltimum populi precibus euictus, prius suo eruto, deinde filij oculo, visum videndi vtrique reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus. Nonne memoria talium fidelius inhæret mentibus auditorum, quam si nebulonum aluissent exercitum, aut

petin ius.

E mutatoria vestium imperitæ multitudinis aspectibus ingessissent? Age quid Solonis prudentia metuit, felicitatis inquit iudex, dies vltimus est, & appellationis honorem sapienti confirmat rogus. Si quidem rerum initia debentur fortunæ, Philosophiam solus consecrat finis. Idem, nihil homini metuendum, nisi ne Philosophiam finis excludat. Vnde cum ex amicis quendam grauiter mœrentem videret, perduxit in arcem, hortatusque est, vt per omnes subjectorum ædificiorum partes oculós circumferret. Deinde cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis & olim fuerint, & modo versentur, & in sequentibus seculis sint futuri, & mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Quia si recte intendas, vrbes nihil aliud sunt, quam humanarum cladium miseranda consepta. Rex etiam ille subtilis iudicij, quem ferunt autore Valerio, traditum sibi diadema priusquam capiti imponeret, recentem pannum diu considerasse atque dixisse: O nobilem magis, quem felicem F pannum, quem si quis penitus cognosceret, quam multis sollicitudinibus & periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem iacentem tolleret. Aristophanes quoque non oportere, inquit, in vrbe nutrire leonem; sin autem alitus sit; obsequi ei conuenire. Monet enim vt præcipuæ nobilitatis & concitati ingenij iuuenes refrenentur, nimio vero fauore, ac profusa indulgentia patei quominus potentiam obtineant ne impediantur quidem, quod stultum & inutile sit eas obtrectare vires, quas ipse foueris. Aristoteles quoque Calisthenem auditorem suum ad Alexandrum mittens hortatus est, vt cum eo nunquam, aut iocundissime loqueretur, quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. At ille dum Alexandrum Persica saltatione exultantem obiurgat, & mores eius studet componere, vita priuatus est. Idem Aristoteles de semetipso in neutram partem loquendum esse dicebat, quoniam laudare se vani, & vituperari se stulti est. Agesilaus cum aduersus Rempublicam Lacedæmoniorum ortam seditionem de nocte comperisset, G leges Lycurgi continuo abrogauit, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant. Comprehensis autem & interfectis sontibus, è vestigio easdem restituit, simul vtrumque prouidens, ne salutaris animaduersio vel iniusta esset, vel iure impediretur. Hannibal nauali prælio victus, timens amissæ classis pœnas dare, offensam auertit astutia. Nam ex illa infelici pugna, priusquam nuncius mali domum veniret, vnum ex amicis misit Carthaginem qui curiam ingressus, statim quæsiuit, an cum Romanorum copiis, quæ superuenerunt, oporteret dimicari. Senatu verò acclamante, oportet: dimicauit, inquit nuncius & superatus est, non relinquens eis liberum, vt damnarent factum, quod ipsi indicauerant faciendum. Gorgias Leontinus Isocratis, & complurium magni ingenij virorum præceptor, ea innocentia vixit vt centesimo & septimo anno interrogatus, quare tamdiu in vita vellet manere, quia nihil, in- H quit, habeo, quod senectutem meam accuset. Hoc credo accidisse ex gratia, & multa peritia literarum, quibus ætate sua præstabat, adeo vt primus in conuentu poscere ausus sit, qua de re quisque audire vellet, vnde & ei in templo Delphici Apollinis vniuersa Græcia, statuam ex solido auro posuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocasset. Occurrent multa huiusmodi, quæ laudis veræ poterunt præstare materiam, si quis antiquorum vafrè dicta vel facta strategemata, & strategematica quoque recenseat. Cæterum quia sæpe strategematum mentio facta est, & res nominis non vsquequaque cunctis innotuit: Valerius Maximus strategemata sic diffinit, vt dicat, quia est pars calliditatis egregia, & ab omni reprehensione procul remota, cuius opera quia appellatione vix aptè exprimi possunt, Græca pronunciatione strategemata appellantur. Propriè tamen strategemata sunt, quæ ad rem pertinent militarem. Nam & ab eo dicuntur stratilates. Quæ vero contra propriæ appellationis notam ad res alias pertinent, Iulio Frontino teste, strategematica appellantur.

A lautur. Distat enim strategematicum à strategemate quomodo genus à specie differt. Redit iterum Publ. Clodius, vt ipsius pauca subiiciam, quorum vel minimum dixisse maius est, & fructuosius ad gloriam, quam fecisse quod faciunt, qui seipsos euiscerant ob inanem laudis amorem. Ait ergo.

Beneficium accepit dando, qui digno dedit.
Feras non culpes, quod mutari non potest.
Cui plus licet, quam par est, plus vult quam licet.
Comes facundus in via pro vehiculo est.
Frugalitas est † inferta rumoris boni.
Herodis fletus sub persona risus est.
Furor fit sapius læsa patientia.
Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium fecit.
Nimium altercando veritas amittitur.
Pars beneficij est, quod petitur, si cito neges,
B *Ita amicum habeas, vt posse inimicum fieri putes.*
Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.
Nunquam periculum sine periculo vincitur.
Necesse est, vt multos timeat, quem multi timent.

† al. *miseria.*

Postremo vel tenui virtutis indicio, siue in verbo siue in opere, fama protenditur, & virtute relicta, quantumlibet sumptus non tam gloriam, quam ignominiam parit.

Cap. XV.

Honestatem aut solam, aut præ cæteris expetendam, & in ea tota liberalitatis locum esse præcipuum, & contra auaritiam plurimum aduersari.

Sicut autem gloria, quæ est, vt Ciceroni placuit, frequens fama cum laude, à radice virtutis oritur, & ipsius lumine duntaxat illustratur, ita ignominia confusio, & si quid aliud dedecet, à vitio trahit originem, & C prouectum. Siue enim aut sola honestas bonum sit, vt Stoicis quibusdam placet, siue præcipuum & præ cæteris expetendum, sicut asserunt Peripatetici, hoc vsque quaque indubium est, quia nihil expetendorum aduersatur honesto. Laudantur cætera, & non insipienter optantur, vt bona valetudo, clarus sanguis, rerum copia, sed nihil istorum turpem & honestum hominem facit esse laudabilem. Siquidem de valetudine bona vires, de viribus temeritas, de temeritate violentia, de violentia stimulus vltionis, quasi odij & bellorum fax accensa inflammatur, sequiturque iustitiæ contemptus, legum præuaricatio, & concussio inquieta publici status. Clarus sanguis elationem parit, potentiam affectat, conculcat inferiores, pares contemnit, superiores habere dedignatur, loquitur grandia, totus tumet † alto magnoque sanguine, tanquam fecerit ipse aliquid, propter quod nobilis esse debeat, sui immemor, eorum D qui retro esse videntur, obliuiscitur, & se in anteriora sine cultu virtutis ridiculus Thrasonis imitator extendit. Inquit Ethicus.

† al. *altis maiorum.*

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Nolo tamen, vt in iniuriam suam dictum noster Simonides opinetur, atauis quidem editus regibus, & Capitolinis generosior & Marcellis, & omnibus ad podium spectantibus, & quasi à purioribus & felicioribus ouis exclusus erupit, germanis & vterinis, vt ei attestantur, longè nobilior est. Crediderim facilè quicquid sincerum, & defæcatioris naturæ in massa generis eius ab initio extitit, in ipsum vt quasi gentis suæ stella præfulgeat, confluxisse, quod verò † feculentius & obscurius, resedisse in germanis & vterinis. Lætantur tamen sicut in claritate illius, sic in propria abiectione, ne nobilitate generis, cum res exegerit, ex causa cognationis prohibeantur cum finitimis matrimonio copulari. Cesserunt ergo. Simonidæ reges, & præsides, principes, † tribuni, centuriones, & † primi prouinciarum sua E mediocritate contenti, nituntur virtute sua, nihil in officiis legitimis vile ducunt, aut ignominiosum; & culinæ, si res exegerit, non dedignantur habere memoriam, aut peritiam exercere. Recolunt quia animalia muta non generosa putat quis, nisi fortia,

† al. *feculentissime.*
† *tribuni.*
† al. *primos.*

——nempe volucrem
Sic laudamus equum, facilis cui plurima palma,
Feruet & exultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.
Sed venale pecus Corythæ posteritas &
Hirpini, si rara iugo victoria sedit.
——Dominos pretiis mutare iubentur
Exiguis, tritoque trahunt epiredia collo.

Siquidem
Nobilitas sola est atque vnica virtus.

Ergo generositas & clari sanguinis lumen, etsi eo magnum quid esse per se Simonides glorietur, nihil aliud F sunt, quàm morum manifestatio, gloriosa quidem, si boni fuerint, ignominiosa si mali. Hoc tamen vnum meo iudicio, quicquid ille sentiat, bonum habet generositas, quod necessitatem indicit probitatis. At rerum copia nunc auaritiam accendit, nunc in exitium & exterminium sui luxuriam instruit. Huius

——Ingeniosa gula est:

Hæc *Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertit,*
Vt sit Venalis populus, venalis curia patrum.

Hæc vires soluit & vtrumque sexum frangit in Venerem, legis & naturæ imperio reluctatur. Hanc abrogat, extinguit, & sepelit. Hanc infatuat, eneruat, & subuertit. Lex ergo ipsi non est, & ei natura fere ociosa & ebria est,

Quærit se natura, nec inuenit. Omnibus ergo
Scorta placent, fractique eneruі corpore gressus,
Et laxi crines & tot noua nomina vestis,
Quæque virum quærit.

G Sed vtinam in hac dominatione luxuriæ inueniantur viri, vel mulieribus similes, naturæ tamen legi obtemperantibus. Ex his patet, quia nec valetudinis, nec generositatis, nec copiæ laus prima, sed virtutis, cuius hæc instrumenta sunt, & * ideo appetenda. Siquidem non decet naturam, quæ virtutem aut solam, aut fecit præ cæteris expetendam, ei non expetenda fecisse instrumenta. In eoque rectius videntur sentire Peripatetici, quod cum virtutem suis fateantur ad exercitium gerendorum egere instrumentis, ipsa quoque instrumenta, etsi propter aliud fatentur expetenda, Stoicis tamen placet sibi virtutem sufficere ad beatitudinem: nec ego eos erroris arguo, sed expeditiorem dico per instrumenta virtutem. Cæterum vt alias dixisse me memini, cum omnis virtus gratiosa sit, liberalitas gratissima est, eo quod plurimis prodest; & certè vbi facultas deest, effundit viscera, id est, proprium largitur affectum. Alioquin quomodo iuxta Apostolum in eo H charitas manet, qui pulsante necessitate proximi, mentis viscera claudit? Econtra ingratissimum & odiosissimum vitium, quod nec effectu prodest aliis nec affectu. Hæc est auaritia latentium indagatrix lucrorum; manifestæ prædæ auidissima vorago, neque habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima.

* al. *omnino.*

Quid non mortalia pectora cogit,
Auri sacra fames?

Heriphile viri vitam auro distraxit. Suam Philippo vendidit Græcia libertatem. Et in ipsam Valerius Maximus his exemplis inuehitur. Cum admodum locupleti L. Munitio Basilio falsum testamentum quidam in Græcia subiecisset, eiusdemque confirmandi gratia potentissimos ciuitatis nostræ viros M. Crassum, & Q. Hortensium, quibus Munitius ignotus fuerat, tabulis heredes inseruisset, quanquam euidens fraus erat, tamen vterque pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiauit. Quam tamen culpam, quam leuiter retuli; lumina curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debuerant, inhonesti lucri captura inuitati, autoritatibus suis texerunt. Verû aliquanto maiores vires in Q. Cassio

A exhibuit, qui in Hispaniam Sillium & Albinum Purnium occidendi sui gratia, cum pugionibus deprehensos, quinquagies sestertium ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit. Anne dubites si alterum tantum daretur, iugulum quoque suum æquo animo illis fuisse præbiturum? Cæterum auaritia ante omnes Vitij † Septimuli præcordia possedit, qui cum C. Gracchi familiaris fuisset, caput eius abscindere, & per vrbem pilo fixum, ferre sustinuit, quia † Opimius Consul auro ipsi rependendum edixerat. Sunt qui tradunt liquato plumbo eum cauatam partem capitis, quo ponderosius esset, explesse. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo, clientis tamen scelesta fames, in has vsque iacentis iniurias, esurire non debuit. O dira menta † Septimuli auaritia. Ptolomæi autem regis Cypriorum risu prosequenda. Nam cum anxiis sordibus magnas opes corrupuisset, propterque eas periturum se videret, & ideo omni pecunia imposita nauibus in altum processisset, vt classe perforata, suo arbitrio perirent, & hostes præda carerent, non sustinuit mergere aurum & argentum, sed
B futurum necis suæ præmium, domum reuexit. Proculdubio hic non possedit diuitias, sed à diuitiis possessus est, titulo rex insulæ, animo pecuniæ miserabile mancipium. Hæc Valerius. Sed possunt etiam nequiora auaritiæ inueniri exempla. Siquidem Prophetæ oculos cupiditas excæcauit, & pecunia corruptus Apostolus, Dominum innocentem crucifigendum tradidit manibus impiorum. Potest quidem deturpari verbis, sed non satis, quia deformior est & turpior, quam vt ore humano possit exponi. Itaque autem est auaritia studiosius declinanda, quia tenacius inhæret ab imagine vtilitatis, & perniciosius nocet ab exterminio charitatis. Inde est quod ridiculam & miserandam cum senibus contraxit familiaritatem, vt quo minus egent, auidius concupiscant, & quo rebus sunt citius carituri, eas parcius ministrent vtilitati: Nam & manus in iuuentute porrecta ad dandum, in senectute contrahitur, & quæ in iuuentute contracta est, aut nunquam,
C aut raro in senibus dilatatur. Cum vero eis beneficio naturæ libertas vicina immineat, seipsos vano timore miserrimæ subiiciunt seruituti. Siquidem Diogenes ait, indigentia naturæ, fortunam non timet. Beatus quoque Hieronymus, grandis, inquit, exultatio est animæ, cum paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, & omnem eius potentiam, epulas libidinosas, & ea propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & grossiori tunica compensare. Hæc quidem laudabilia sunt, si non fiunt ad famam, sed ad conscientiam, quæ omnia æquanimiter portat. Vt enim ait Xenophon, conscientia iusti, scit maledicta contemnere. Vsus ergo rerum laudabilis aut culpabilis est, rerum duntaxat differentia est. Vnde Diaspenis, pecunia profuso decus, auaro supplicium est. Fugienda sunt, inquit Macrobius, omnibus modis & abscindenda igne & ferro, totoque artificio separanda languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à ventre, à ciuitate seditio,
D à domo discordia, & in commune à cunctis rebus intemperantia.

Marginal notes: † al. Parmium. — al. Septimu y. — al. Apimium. — al. Septimu y.

Cap. XVI.

De quatuor fluminibus, quæ de fonte libidinis oriuntur Epicureis, faciuntque diluuium, quo fere mundus mergatur, de aquis contrariis & vestibus Esaü.

EO quidem hæc vniuersa concurrunt, vt ostendatur quietum statum in rebuspubl. aut priuatis, nisi à fonte sapientiæ, quicquid sentiat Epicurus, prouenire non posse. Hanc enim esse hortum deliciarum vberrimum, superius dictum est, de quo quatuor virtutum flumina oriuntur. E diuerso & Epicureorum hortus fontem suum habet libidinem, qui & ipse † parturit flumina, quæ irrigant vniuersam hanc vallem lachrymarum & miseriæ, in quam eiectus est exul, qui quod libuit,
E † & quod licuit, facere præelegit. Et quidem quasi vnus rious est amor habendi, quo ad sufficientiã rerum copia quæritur, in quo auaritia laborat præter licitum possidere vel scire. Alter vero luxuriæ lenocinia diffundit, & defluit in varias voluptates, dum ad tranquillitatis, & lætitiæ gaudia tendens aspirat. Tertius vires colligit, quibus tueatur naturæ libertatem, & cuiusuis molestiæ propulsare possit iniurias: & cum viribus abundauerit, prosilit in odibilem tyrannidis venam. Quartus ab appetitu celebritatis, & reuerentiæ, dum eminentiam quærit, fallaciter intumescit. Hæc sunt quatuor flumina, quæ infundunt & circumeunt orbem, & de fonte peruersæ voluntatis scaturiunt, qui sedem habet in imo, & originem contrahunt à luto vanitatis. Cum autem excreuerint, diuersos ex se pariunt riuos, & quasi intumescentibus aquis diluuij, mundum obruunt, animantia perimunt, & sic omnia delent, vt terra videri possit in solitudinem redigenda, nisi quia paucas, id est, octo
F animas, resurrectionis scilicet filios domus Domini arca conseruat. Hi sunt vtique quos ex omni carne Dominus præelegit. Veruntamen qui sunt in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt. Et quidem amor commodi de quo prædictum est, has quasi in mare altum fundit aquas, & inualescente malitia, velut cataractis cœli apertis, varias pluit Dominus in augmentum diluuij, delinquendi occasiones, permittens vt subtracta gratia, qui in sordibus est, sordescat amplius, & quem proprio committit arbitrio, quasi vlciscens ferit. Non quod appetitum commodi si temperatus sit, dicam esse culpabilem, aut copiam rerum sufficientem, aut lætitiam mentis, aut naturalem libertatis amorem, aut eminendi meritum ducam in crimine: sed nihil istorum quod pollicetur affert; eo quidem modo quo quæritur, contrarium potius operatur effectum. Hæc autem omnia bona sunt, si eis docente gratia, recte filius aduersus carnem luctans & sanguinem, & à patre gaudij & exultationis benedicendus vtatur, & eisdem quasi florido, frugifero, & iocundo
G induitur vestimento. Si vero sanguineus, faterque carnalis contemnens matris gratia familiaritatem, hæc omnia morum indumenta vsurpet, nec fragrant, nec decent, nec † parcendo deficiunt. Et hoc est forte quod vestes Esaü placuisse scribuntur in Iacob, & eis * aut non vsus, aut odorem suauitatis dedisse patri non scribitur Esaü. Nam dum bonis abutitur sensibus, integris gratus esse non potest. Ergo vana bonorum species nec satiat, nec lætificat, nec liberat, nec exaltat. Porro aduersus luxuriam, auaritiam, cenodoxiam, quædam superius dicta sunt: Virium affectatio quodammodo hactenus mansit intacta, quæ etsi libertatis & celsitudinis videatur afferre suffragium, à veritate vtriusque perniciosius abducit errantem. Hæc est enim quæ perniciosissimam inducit pestem, & tyrannidis procurans ortum, compagem quietis & pacis, qua nihil salubrius
H est, molitur extinguere. Siquidem hæc flumina charitatem extinguunt his, quibus vita negatur. In his Tantalus laborat in fabulis citra satietatem, & sermo propheticus degentium in his aquis increpat sitim. Sitientes ergo ad aquas inuitat appositas, quæ à spiritu profluunt absque commutatione gratis accepturos à gratia vinum & lac. Quare, inquit, appenditis argentum non in panibus; & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Non vtique in illa in qua delectationem non habet anima, sed caro; in illa in qua recalcitrauit dilectus, incrassatus, impinguatus, dilatatus, sed in qua benedicitur filius, vt in rore superuenientis gratiæ, & pinguedine liberi arbitrij, voluntatem Dei prudenter intelligat, potenter impleat, toleret patienter. Hæ itaque impinguantes & dulces aquæ sunt, & quæ alias omnes temperant, quia his salsuginem earum absorbuit lignum crucis, & dulcorauit eas, & sapientiæ cœlestis infusio, easdem in salutem animarum & satietatem fecit esse potabiles. Hæ quoque liberant,

Marginal notes: * partiter in quatuor flumina. — al. quam quod. — † al. pascendo. — * al. aut.

&

A & totius tyrannidis incursum impediunt, aut premunt, aut puniunt. Non ergo vanæ vitæ, sed veritas liberat in æquitate consistens, & licet vanitas promittat liberationem, vere liberi nequaquam sunt, nisi quos filius liberauit. Tu naturæ, gratiæ, & gloriæ distingue libertatem, & inuenies nullam earum de vanitate contingere, nec tibi conditio magis seruilis occurret, quam tyranni. Si enim vbi spiritus Domini, ibi libertas, miserrima profecto seruitute deprimitur, quem spiritus nequam exagitat.

Cap. XVII.

In quo tyrannus à principe differat, & de tyrannide sacerdotum, & in quo pastor, fur, & mercenarius ab inuicem differunt.

B IN quo princeps differat à tyranno, dum reuolueretur autore Plutarcho institutio Traiani, superius dictum est, & quæ principis sint officia, aut reipublicæ membra diligenter expositum. Vnde facilius & paucioribus poterunt innotescere, quæ è regione dicenda sunt de tyranno. Est ergo Tyrannus, vt eum philosophi depinxerunt, qui violenta dominatione populum premit, sicut qui legibus regit princeps est. Porro lex donum Dei est, æquitatis forma, norma iustitiæ, diuinæ voluntatis imago, salutis custodia, vnio & consolidatio populorum, regula officiorum, exclusio & exterminatio vitiorum, violentiæ & totius iniuriæ pœna. Hæc autem aut violentia, aut dolo impugnatur, & quasi aut leonis immanitate vastatur, aut draconis supplantatur insidiis. Quocunque autem modo id fiat, planum est gratiam oppugnari, & Deum quodammodo prouocari ad prælium. Princeps pugnat pro legibus & populi libertate: tyrannus nihil actum putat, nisi leges euacuet, & populum deuocet in seruitutem. Imago quædam diuinitatis est princeps, & tyrannus est ad-
C uersariæ fortitudinis, Luciferianæ prauitatis imago. Siquidem illum imitatur, qui affectauit sedem ponere ad aquilonem, & similis esse altissimo, bonitate tamen deducta. Si enim bonitati studeret esse conformis, nequaquam potentiæ aut sapientiæ gloriam præripere moliretur. Remunerandi tamen autoritate aspirauit fortasse coæquari. Imago Deitatis princeps, amandus, venerandus est & colendus, tyrannus prauitatis imago, plerumque etiam occidendus: Origo tyranni iniquitas est, & de radice toxicata mala & pestifera germinat, & pullulat arbor, securi qualibet succidenda. Nisi enim iniquitas & iniustitia charitatis exterminatrix tyrannidem procurasset, pax secura, & quies perpetua, in æuum populos possedisset, nemoque cogitare de finibus producendis. Essent etiam, sicut magnus pater testis est Augustinus, ita regna quieta, & amica pace gaudentia, sicut in composita ciuitate diuersæ familiæ, aut in ea-
D dem familia diuersæ personæ. Aut forte, quod credibilius est, omnino regna non essent, quæ sicut ab antiquis liquet historiis, iniquitas aut per se aut præsumpsit, aut extorsit à Domino. Et quidem non soli reges tyrannidem exercent, priuatorum plurimi tyranni sunt, dum id virium quod habent, in vetitum efferunt. Nec moueat quod reges tyrannis visus sum sociasse, quia licet rex dicatur à recto, quod principem decet, tamen appellatio eius abusu cadit in tyrannum. Inde est illud,

Quo potuit populus quemquam perducere liber
Ascendi, supraque nihil nisi regna reliqui.

Et illud:

Spes mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Et si officium contra officium, & recte viuendi regulam dici licet, sententia vnius omnium † aperit officia, imo vitia tyrannorum. Photinus is est, à quo & ipsi possunt non immerito appellari Photiani, primus in monstris pellicæ domus, id est inter alia portenta Ægypti immunditia & crudelitate insignis, qui Pompeium letho

al. aperit.

B damnare ausus, aut potius mores tyrannorum sueta præsumptione exprimens, ait,

Ius & fas multos faciunt Ptolemæe nocentes.
Dat pœnas laudata fides, cum sustinet, inquit,
Quos fortuna premit, fatis accede deisque,
Et cole felices, miseros fuge, sidera terra
Vt distant, vt flamma mari, sic vtile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta
Incipis, euertitque † acies respectus honesti.
Libertas scelerum est, quæ regna inuisa tuetur,
Sublatusque modus gladijs: facere omnia sæue
Non impune licet, nisi cum facis, exeat aula
Qui volet esse pius: virtus & summa potestas
Non coeunt, semper metuit quem sæua pudebunt.

al. auerti.

Ergo respectu honesti & iusti minimus aut nullus est, in facie tyrannorum, & siue Ecclesiastici, siue mundani sint, omnia posse volunt, contemnentes quid potentiam antecedat aut sequatur. Vtrisque tamen hoc persuaderi vellem, diuinum nondum expirasse iudicium, quo primigenis, & semini eorum inflictum est, quod quia noluerunt cum possent: inflictum est, ne possint etiam iustitiæ obtemperare cum volunt. Nam & prouerbio dici solet, quia qui non vult cum potest, non vtique poterit cum volet. Huius etiam verbi magnus Basilius author est. Rogatus enim à muliercula, vt pro ea principi intercederet, chartam eius accipiens sic scripsit principi: Paupercula hæc accessit ad me, dicens posse me apud te. Si ergo possum, ostende. Et dedit mulieri chartam. Quæ abiens dedit epistolam principi. Legensque eam princeps, rescripsit hæc: Propter vos ô Pater sancte volui misereri mulierculæ, sed non potui, pro eo quod tributis subiacet. Sanctus vero rescripsit ei: Si quidem volens non potuisti, bene vt cunque se res habet: Si autem potens noluisti, ducet te Christus ad indigentium chorum, vt quando voles non possis. Sed organo suo quo semper electis adest veritas, nequaquam defuit. Nam in breui princeps idem imperiali indignatione tentatus, ductus est victus in-
G ter captiuos, vel pœna sua satisfaciens iniuste oppressis. Oratione tamen Basilij post sextum diem de abductione liberatus est, descendente signo imperiali sicut vir sanctus optauerat. Itaque & tyranni nomine rex, & è conuerso interdum principis nomine tyrannus appellatur; iuxta illud: Principes tui infideles, socij furum. Et alibi: Principes sacerdotum & seniores populi concilium fecerunt in vnum, vt IESUM dolo tenerent, & occiderent, qui vtique iusto legis iudicio debuerat liberari. Nam & in sacerdotio inueniuntur complures, id tota agentes ambitione, & omnibus artibus eius, vt sub prætextu officij, suam possint tyrannidem exercere. Habet enim & respublica impiorum caput & membra sua, & quasi ciuilibus institutis, legitimæ reipublicæ nititur esse conformis. Caput ergo eius tyrannus est, imago diaboli, anima hæretici, schismatici, sacrilegi sacerdotes, & vt verbo Plutarchi vtar, præfe-
H cti † regionum impugnantes legem Domini. Cor, consiliarij impij quasi senatus iniquitatis. Oculi, aures, lingua, manus inermis, iudices & leges, officiales iniusti. Manus armata, milites violenti, quos Cicero latrones appellat. Pedes qui in ipsis humilioribus negotiis præceptis Domini, & legitimis institutis aduersantur. Hæc omnia possunt à superioribus facillime comprehendi. Mihi vero indignari non debent sacerdotes, si & in eis fatear inueniri posse tyrannos. Alioquin quorsum est illud propheticum: Fili hominis propheriza de pastoribus Israel, prophetiza, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis, lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod fractum est, non alligastis, quod abiectum, non reduxistis, quod perierat, non requisistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia; & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor,

al. religionum.

&

A & factæ sunt in deuotionem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Quid sibi aliud adesse docet, Ezechiëlis hæc & imprecatio, & increpatio, nisi pastoribus abesse quæ adesse debuerant, & adesse quæ abesse oportuit? Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra in escam eis. Nonne tyrannidem sacerdotij videtur exprimere manifestam, & vitam illorum depingere, qui in omnibus quæ sua sunt, quærunt, & quæ IESV CHRISTI sunt, post tergum faciunt? Siquidem non meum, sed alienum est, & profecto intemeratæ veritatis oraculum, quo apud familiarem altissimi inter mercenarium pastorem, & furem, differentia manifesta præscribitur. Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

B Cuius si quæris officium, apud iam dictum prophetam inuenies: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum. Educam eas de nube, & congregabo de caligine, inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis, in montibus excelsis erunt pascua earum, requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Pascam eas, & accubare faciam, quod perierat requiram, quod abiectum erat reducam, quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum erat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam. Hæc est enim diligentia, qua gregibus debent inuigilare pastores. Quod autem subiungit, & pascam illas in iudicio & iustitia, ei vtique respondet quod præmisit, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia.

C Scriptum est enim, quia pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum. Apud homines tamen qui negotiationem exercent, grandis videtur esse prudentiæ, sed tamen illicitæ, quæ calliditas & dolus est, si alio pondere vel mensura sua distrahant, & aliis comparent aliena. At in prælato ratio exigit æquitatis, vt quod aliis imponit onus, ipse præferat, & quod docere voluerit, opere studeat adimplere. Hoc est enim in iudicio & iustitia pascere, & non in austeritate & potentia imperare. Quod vtique faciunt, qui humeris hominum alligant onera grauia importabilia, & digito suo ea contingere recusant. Vnde sequitur: Et cum purissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oues meæ, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant. Propterea ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum, pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras.

D Mercenarius autem oues quidem vel specie pascit, sed quia omnia facit ad pretium, si lupum videat irruentem, dimittit oues & fugit, quia non pastor, sed mercenarius est, nec quidem ouium, sed lucri curam habet: Canis vtique mutus latrare non valens, vt vel clamore & tumultu lupum absterreat venientem. Siquidem eum timet, qui temporalium diripit facultatem, & eum non attendit, qui animum cruciaturus est in gehenna. Cæcus siquidem est ad grandia, & quæ nullius sunt perhorrescit. De his inquit: Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui Israël erunt. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Nihil enim in eis libertatis est, vt mundi potestatibus obloquantur, nihil virtutis, vt veritatem in periculo tueantur, in omnibus lucrum, in nullis aut paucis quærunt salutem animarum. Dum in suis obtineant, dum ambitionis aut auaritiæ succedat votum, eorum quæ Christi sunt, iactura contemnitur. Fiat pax in diebus eorum, sint fœtosæ oues, boues crassæ, promptuaria plena, cibis & vasis onusta mensa in admirationem in-

E tuentium splendeat, variæ & preciosæ supellectilis operosus cultus abundet, honorentur & colantur à turbis, ditentur, visitentur à subditis in muneribus, sit denique liberum impune, & sine nota facere quicquid libido dictauerit, ad singula dicentium, euge, euge, vt iuxta increpationem propheticam luto absque paleis liuisse peccati indurati parietem videantur, qui præcipiente Domino, fuerat fodiendus vt rueret, & abominationes pessimæ à domo Domini disperirent. Hi sunt qui consuunt puluillos sub capite vniuersæ ætatis, ceruicalia supponentes vt capiant animas, & lac comedant, lanis operiantur ouium, & quasi in somnum negligentiæ vel audaciæ induxerunt. Fur autem conuincitur ab operibus suis, quia non venit nisi vt furetur, & occidat, & mactet, & perdat. Inimicus vtique perniciosus & apertus, qui nec rem pastoris habet nec speciem, & nec ad lucrum pascit, sed suum lucrum reputat, etiam cum

F occidit. Pastori itaque debetur amor, quia diligit. Mercenario patientia, quia videtur amantem imitari. Furi vero non debet Ecclesia nisi pœnam. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non sineret perfodi domum suam. Vocem pastoris audiunt oues & sequuntur. Vocem mercenarij interdum audiunt: sed eum quia non vadit ad vitam, sequi contemnunt. Vocem furis aspernantur, horrent & fugiunt, quia in manu vident, & in ore audiunt opera mortis. Siquidem non modo fur est & latro, sed lupus rapax, sequipeda leonis, qui rugiens circumit quærens quem deuoret. Quis ergo illum non repellat, aut saltem fugiat, qui ad hoc ouile ingreditur, vt mactet, & occidat? Si quis, Apostolus inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed nescio quo pacto res in contrarium versa est, vt cum omnes fere desiderent episcopari, cum quod appetunt adepti fuerint, ocio marcent: aut quod turpius est, in vanitatis operibus occupantur.

G Quanta curratur ambitione volui quidem superius, sed vt se res habet, plene non potui explanare: & profecto quam inutiliter multi versentur in gradu optato, referre difficilius potero. Vnum tamen scio, quia non ea auiditate currunt, vt pro aliis animas ponant, qui fortunæ munuscula, vel quod rectius dixerim, gratiæ Dei temporalia dona, in hunc tamen concessa vsum, vt promereantur æterna, recusant in necessitate fratribus erogare. Hanc tamen esse pastoralis officij formam, præmonstrauit tam exemplo, quam verbo pastorum princeps. Ergo tanto currentes ambitu, mercenarij properant, aut fures fieri. Bene tamen agitur cum ouibus, quæ illius custodiæ demandantur, qui eas vel ad pretium pascat. Nam & in ipsis mercenariis gradus & differentiæ sunt. Laxant quidem omnes retia in capturam. Sed hi in capturam animarum & rerum, illi res piscantur duntaxat, contempto periculo animarum. Et sæpe turbant omnia, quo piscandi ad votum vberior succedat occasio. Mirabeřis variam supellectilem, &

H Crœsi vt dicitur facultates apud eos, qui prædicant pauperem Christum, & quia suis non coguntur stipendiis militare, euangelizant, vt comedant, & euangelistarum stipendiis abutantur. Calicem quidem in quo Ioseph augurari consueuerat, in sacci sui ore reuoluunt, sed non descendit in manus. Lingua siquidem sacerdotis, calix est eius, qui in veritate & præfiguratione nominis interpretatur saluator mundi, institutus vt vaticinetur abscondita, & fidelium mentes potet eo spiritu, quo repleti discipuli verbum fidei & salutis eructantes, in Iudæa ebrij reputati sunt, dispensantes granum frumenti, quod in terram cordis eorum ceciderat, & iam in castitate eloquij eorum, fructum plurimum domino germinabat. Alij quidem sine euangelio de euangelio viuunt, & bene si viuunt tantum, vt non etiam luxurientur. Hos vix mercenarios dixerim qui non laborant, vt manducent, sed sine labore non manducare, quod necessitatis est, sed ociari & luxuriari desiderant. Omnibus quidem qui pastoris exercent officium, gratia debetur & reuerentia, & qui Christum quacunque ratione annunciant, & lucrum faciunt, cum sua tamen, &

A pro sua vtilitate animarum, pastoribus & salutis dispensatoribus aggregentur, sintque amici, sint & venerabiles, & patruio lætentur honore; & si mercenarij sunt, mercede sua nec nunquam priuabuntur autore. Vtinam sit in istis, qui verbum Dei loquatur, qui ædificet Ecclesiam Dei, vel ad luctum. Non inuideo lucro, si opera antecedant. Qui sic vero inhiant lucris, vt quæ Christi sunt, vniuersa contemnant, & si nec hæresin doceant, nec contentionibus Ecclesiam scindant, nec pastoris nec mercenarij digni sunt nec honore nec nomine. Non loquor de legatis. Ecclesiam Romanam quæ parens (autore Deo) & nutricula fidei, & morum est, & non potest ab homine iudicari & argui, cœlesti priuilegio munita, relinquo intactam: nec enim credibile est, quod ea committere præsumant, vt dignentur quæ de iure gentilium in præsidibus prouinciarum, & proconsulibus, id est, legatis Cæsaris constat esse illicita. Qua vero impudentia hoc attentare audeat discipulus cru- B cifixi, vicarius Petri, pastor animarum, quod vigente infidelium disciplina, vicarius imperatoris sub officio consulis rector corporum præsumere non audebat? Pœna repetundarum ex superioribus liquet, & tam institutis legum, quam historiarum exemplis sæculo nostro innotuit, & quod nisi in causa esculenti & poculenti iudici à prouincialibus accipere non licebat, ita tamen vt accepta nequaquam cederent in muneris rationem. Quis ergo credet, quod patres Ecclesiæ, iudices orbis, & vt ita dicam, clarissima lumina mundi, diligant munera, sequantur retributiones, prouincias concutiant, vt excutiant loculos, exinaniant alienos, vt solident suos; verbis prædicent paupertatem & criminibus ad diuitias properent, bonorum spiritualium damnent commercia, vt cum eis duntaxat in talibus contrahere liceat, id agentes vt omnibus sint terrori, amentur à nullo, quietem doceant, vt faciant rixas, humilitatem indicant, & simulent, vt vendicent fastum, alienam pulsantes, & suam fouentes auaritiam, dictantes largi- C tatem, tenacitati insistentes, & vt paucis loci huius anfractus & volumina spaciosa complectar, cum sceleratis & flagitiosis omnibus ponentes portionem, aut illa gnia vendicantes in solidum, vt videantur concilium vanitatis iniqua † gerentium in synagoga Ecclesia malignantium, in quorum manibus iniquitates sunt, & dextra eorum repleta est muneribus? [al. gentium synagoga.] Absit vt hoc quisquam audeat suspicari, ne cadat in quenquam tantum scelus, vt os suum ponat in cœlum, & patrum quæ sunt pudenda denudet. Omnia eorum alba sunt & decora, nihil in eis, quod canino morsui pateat, aut sannam, vt Satyricus ait, posticam vereatur. Si tamen quispiam hoc præsumpserit, ei vno validissimo respondebitur argumento, cui resistere, & contradicere non audebunt omnes aduersarij nostri. Quo? inquis. Opera, inquam, quæ ipsi faciunt testimonium perhibent de eis. Si locum quæris, effectiuo quo de causæ sinceritate constet attende. Cuius enim opus bonum D est, ipsum quoque bonum est. Si autorem eum qui ait: A fructibus eorum cognoscetis eos. Non enim potest arbor mala fructus bonos facere; aut conuersim, arbor bona fructus malos. Possent pro eis, si quis tamen est, qui eis † censeat detrahendum, plura proponi: sed in defensione eorum hoc vnum sufficiat. [al. consentiat.] Constat enim quia Apostolorum oportet adorare vestigia; & illos esse vt patres honorandos, colendos vt dominos, qui eorum possident sedem, & imitantur vitam. Illos potius hæc pagina respicit, qui plumis vehuntur pensilibus, in saturitate disputant de ieiuniis, & quod verbis astruunt, operibus destruunt, in curru eunuchi reginæ Æthiopum clausis oculis scripturas loquuntur, & lectitant, & eum qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & os suum coram se tondente non aperuit, respicere dedignantur aut nequeunt, nec discipulum veritatis interpretatio, donec descendant ad aquas, quibus mundentur ab operibus mortuis † dignantur colligere. [al. dedignantur.] Vt que licet scripturarum insideant rotis, & pennatorum animalium impetu perferantur, lingua eorum cum E de superioribus disputauerit, terram lingit: nec scripturas intelligunt, quia cor eorum non aperit scientiarum Dominus, qui aperuit, sicut in actibus Apostolorum scriptum est, cor Lydiæ purpurariæ, vt audiret ea, quæ dicebantur à Paulo, quæ fidelius humili obedientia mandatorum, quam disputatione verbosa Deum timentibus innotescunt. Fur autem quis sit, duplici ratione colligitur. Nam ille qui de conuersatione terrena, per superbiæ scalam, ambitionis & vitiorum gradibus innitentem, in ouile ascendit Christo contempto, id est, neglecta recta via & plana, sinuosis anfractibus liminaria suffodit, aut parietum iuncturas irrumpit, aut per tegulas infusus illabitur, profecto fur est & latro. Qui vero Christo aperiente ostium, id est, Ecclesia vocante ingreditur, & postmodum sub vmbra pastoris efficitur persecutor, id est, spoliat, mactat, occidit, & perdit, fur indubitatus est. Tu vide in quo gradu ponendi videantur, quibus non sufficit diuini iuris F licentia tondere & deuorare pecus, nisi secularium legum implorent auxilia, & officiales principum facti, ea committere non vereantur quæ facile alius quilibet publicanus erubescat. Interim voluptati seruient, aut auaritiæ: & qui eos elegerunt, vel admiserunt in custodiam sui, depopulantur & premunt, mortemque eorum desiderant, quos foueri oportebat in carne & spiritu. Tenent profecto memoriter illud propheticum: Ecce constitui te super gentes & super regna, vt euellas, & destruas & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Quæ vero plantata inuenerunt, nituntur auellere, vt ædificent sibi domum Domini in muneribus manus, aut linguæ, aut obsequij, aut eos substituant explantatis, quos elegit affectio carnis, id est, aut genitos à se, aut sibi ab aliis carnaliter genitos. Immensum hic aperitur opus & via calamo dilatatur; sed subsisto parcens articulis, qui publicis aspectibus ingeruntur. Si quis autem hic quippiam dici durius calumniatur, si ea quæ à patribus dicta sunt, legerit, mihi facile veniam G indulgebit. Si enim tyrannus secularis, iure diuino & humano petimitur, quis tyrannum in sacerdotio diligendum censeat, aut colendum? Quod si istud videtur acerbum, illum qui non nisi vera loquebatur & dulcia, in patrocinium aduoco beatum Gregorium, qui acerbius ista persequitur. Et vt cætera taceam, hoc ipsius omnibus notum est, quia scire prælati debent, quod cum ipsi delinquunt, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos, perditionis exempla transmittunt.

Cap. XVIII.

Ministros Dei esse tyrannos: & quid tyrannus: & de moribus G. Caligulæ, & Neronis nepotis eius, & exitu vtriusque.

Ministros Dei tamen tyrannos esse non abnego, H qui in vtroque primatu, scilicet animarum & corporum, iusto suo iudicio esse * voluit, per quos punirentur mali & corrigerentur, & † exercerentur boni. [* al. voluit. † al. exercerentur;] Nam & peccata populi faciunt regnare hypocritam, & sicut Regum testatur historia, defectus sacerdotum, in populo Dei, tyrannos induxit. Siquidem primi patres & patriarchæ, viuendi ducem optimam naturam secuti sunt: Successerunt duces à Moyse sequentes legem, & iudices qui legis autoritate regebant populum, & eosdem fuisse legimus sacerdotes. Tandem in furore Domini dati sunt reges, alij quidem boni, alij vero mali. Senuerat enim Samuël, & cum filij eius non ambularent in viis suis, sed auaritiam & immunditias sectarentur, populus qui fortasse & ipse meruerat vt ei tales præessent sacerdotes, a Deo quem contempserat, sibi regem extorsit. Electus est ergo Saul, regis tamen iure † prædicto, id est, qui filios eorum tolleret, vt faceret aurigas, & filias vt panificæ fierent, & focariæ, agros & prædia, vt ea pro libito distribueret seruis suis, populumque totum seruitutis premeret [al. prædicto.]

iugo.

A iugo. Idem tamen Christus Domini dictus est, & tyrannidem exercens, regium non amisit honorem. Incussit enim Deus timorem omnibus, vt eum quasi ministrum Domini, cuius quodammodo gestabat imaginem, venerarentur. Amplius quidem adiiciam, etiam tyranni gentium reprobati ab æterno ad mortem, ministri Dei sunt, & Christi Domini appellantur. Vnde Propheta: Ingrediantur portas Babylonis duces, videlicet Cyrus & Darius. Ego enim mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, & exultantes in gloria mea. Ecce quia sanctificatos vocat Medos & Persas, non quod sancti essent, sed Domini aduersus Babylonem implebant voluntatem. Alias quoque: Ecce ego adducam, inquit Nabuchodonosor, seruum meum, & quia bene mihi seruiuis apud Tyrum, dabo ei Ægyptum. Omnis autem potestas bona, quoniam ab eo est, à quo solo omnia & sola sunt bona. Vtenti tamen interdum bona non est, aut patienti, sed mala, licet quoad vni-

B uersitatem sit bona, illo faciente qui bene vtitur malis nostris. Sicut enim in pictura † fuluus aut niger color aut aliquis alius per se consideratus, indecens est, & tamen in tota pictura decet, sic per se quædam inspecta indecora & mala, relata ad vniuersitatem, bona apparent & pulchra, eo omnia sibi adaptante, cuius omnia opera valde sunt bona. Ergo & tyranni potestas bona quidem est, tyrannide tamen nihil est peius. Est enim tyrannus à Deo concessæ homini potestatis abusus. In hoc tamen malo multus & magnus est bonorum vsus. Patet ergo non in solis principibus esse tyrannidem, sed omnes esse tyrannos, qui concessa desuper potestate in subditis abutuntur. Porro si potestas accedat sapienti, qui rerum omnium nouit & habet vsum, omnibus bonis grata est, & omnibus vtilis. Si vero cadat in insipientem, etsi bonis, quibus omnia cooperantur in bonum, mala esse non possit, molesta tamen ad modicum temporis est. Nam eam vtrisque contingere manifestum est, licet exigente malitia temporis nostri, qui

C in nos flagellum Domini iugiter prouocamus, malis, id est, insipientibus sæpius concedatur. Quid enim in rebus humanis Romano imperio potentius potest vlla memoria recordari? Si temporum series ab vrbe condita reuoluatur, illud inueniuntur mali gessisse frequentius. Quis enim C. Caligula, Augusti tertio successore, terrior, aut immanior, præter Neronem, qui antecessores & successores omnes turpitudine vitæ & inauditis flagitiis superauit? Hic autem Caligula omnium flagitiosissimus tamen texit, aut potius torsit imperium, ea quidem crudelitate, vt propriæ inuidens felicitati, de conditione suorum temporum quereretur, eo quod nullis insignirentur calamitatibus publicis. Ille siquidem ortu suo pacauerat secula, qui delere venerat contradictionis & mortis imperium. Licet enim hæc immensitas pacis ascriberetur Augusto, Christo tamen potius ascribenda est, qui ciuis Romanus indictione census

D ascriptus est, regnante Augusto. Siquidem euangeliorum & historiarum veridica relatione constat, quia sub eo natus est autor veniens pacis, Deus homo, virginis filius Christus, cuius æterna dispositio ad veram pacem, & felicissimi regni beatitudinem conscripsit electos, cuius aduentus multis prænuntiatus est, patefactus indiciis. Nam vt Orosius refert, cum Cæsar Iulio interfecto ex Appollonia rediens vrbem ingrederetur, hora circiter tertia repente, liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit: & hoc octauo Idus Ianuarij, die, qui dicitur Epiphaniorum, creditur accidisse quo Cæsar primum Iani portas sopitis finitisque bellis ciuilibus clausit, & Augusti adeptus est nomen, apicem declarans imperij, vt penes vnum doceretur summa rerum & potestatum esse, quam monarchiam nominant Græci. Refert idem historicus, quod cum à Sicilia rediens receptis legionibus à Pompeio & Lepido triginta millia seruorum dominis restituisset, & omnia superiora populi debita donanda literarum etiam monumentis abolitis censuisset, in diebus ipsis fons olei largissimus, da taberna meritoria per totum diem defluxit, illum vtique manifeste adesse imperio nuncians, qui per seruos diaboli peccatores iusto

E Dei dominio subdere venerat, & pauperum misereri. Cum ergo à facie Christi silerent omnia, & tantas miserationes altissimi obstupesceret mundus summa rerum & potestatum in tertium ab Augusto Caligulam cecidit. Cuius ferocia, vt breuibus liqueat, exclamasse fertur, Vtinam populus Romanus vnam tantum ceruicem haberet! Et quia hostis deerat, magno & incredibili apparatu profectus est hostem quærere. Ociosisque visibus Germaniam, Galliamque percutiens, in ora Oceani circa prospectum Britanniæ subsistit, Romamque reuersus est belli deficiente materia, & nullo expleto negotio, nisi quod Belinum Britannorum regis filium, quem pater expulerat, cum paucis in deditionem accepit. Infestissimus quidem Iudæis extitit, & sacra Hierosolymorum loca profanari, & statuis repleri iussit, & se coli vt Deum. Pilatum Iudææ præsidem tantis

F coarctauit angoribus, vt sua se transuerberans manu, malorum compendium, mortis celeritate quæsierit. Sorores quas Caligula primum stupro polluerat, damnauit exilio, & post omnes simul exules iussit occidi. Ipse autem à suis protectoribus occisus est. In secreto eius inuenti sunt duo libelli continentes lectissimorum nomina ciuium, quos morti destinauerat: eratque alterius inscriptio, gladius, alterius pugio. Arca quoque ingens multiplicium venenorum inuenta est, quibus Claudio Cæsare iubente demersis maria ipsa, magno piscium exitio protestante, traduntur infecta. Successit auunculo Caligulæ, Claudio tamen interposito, Nero Cæsar, rerum vitiorumque successor, imo transgressor, petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatemque scelere quouis exercuit. Teste namque Orosio percitus petulantia, omnia pæne Italiæ & Græciæ theatra perlustrans, assumpto etiam varij vestitus dedecore, Ceryeas, id est, cornices, citharistas, tragœdos, & aurigas, sæpe visus est superasse.

G Libidinibus quoque tantis exagitatus est, vt ne à matre quidem, vel sorore, vllave consanguinitatis reuerentia abstinuisse referatur, virum in vxorem duxerit, ipse à viro vt vxor acceptus sit. Luxuriæ tam effrenatæ fuit, vt retibus aureis piscaretur; quæ purpureis funibus extrahebantur; frigidis & calidis lauaret vnguentis, nullam vestem bis induit, nec vnquam minus mille carrucis confecisse traditur iter. Denique vrbis Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit, per sex dies septemque noctes ardens ciuitas regios pauit aspectus. Horrea quadro structa lapide magnæque illæ veterum insulæ, quas discurrens flamma adire non poterat, magnis machinis quondam ad externa bella præparatis, labefactæ atque inflammatæ sunt, ad † adyrorum mansiones, bustorumque diuersoria, infelici plebe compulsa. Quod ipse ex altissima Mæcenatiana turre prospectans, lætusque flammæ vt aiebat pulchritudine, tragico habitu † helioseles odam sonat sacerdotales hymnos ciuitatis, in qua Solis splendor colitur, decantabat.

H Auaritiæ autem tam præruptæ extitit, vt post hoc incendium vrbis, quam se Augustus ex lateritia marmoream reddidisse iactauerat, neminem ad reliquias rerum suarum adire permiserit. Cuncta quæ flammæ quoquo modo superfuerant, ipse abstulit, centies centena millia sestertium annua à senatu conferri sibi imperauit. Plurimos Senatorum nulla extante causa, bonis priuauit negotiatorum omnium sub vna die, tormentis quoque adhibitis omnem penitus censum abstorsit. Crudelitatis autem rabie ita † effrenatus est, vt plurimam Senatus partem interficeret, equestrem ordinem pene destrueret. Sed ne parricidiis quidem abstinuit, matrem, fratrem, sororem, vxorem, cæterosque omnes cognatos, & propinquos sine hæsitatione prostrauit. Auxit hanc molem facinoris eius temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit. Ipsumque nomen extirpare conatus, beatissi-

l. fuscus.

al. abditorum.

al. monumentorum.

al. heliofeles.

al. Iliadem decantabat.

al. offrenatus.

A nos Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio interfecit. Mox acerbissime miseram ciuitatem obortæ vndique oppressere clades. Nam subsequente autumno tanta vrbi pestilentia incubuit, vt triginta millia funerum in rationem † Libitinæ venirent Britannica deinde clades è vestigio accidit, qua duo præcipua oppida magna ciuium sociorumque clade & cæde direpta sunt. Præterea in oriente magnis Armeniæ prouinciis amissis Romanæ legiones sub iugum Parthicum missæ, ægreque Syria retenta est. In Asia tres vrbes, hoc est, Leodicea, Hierapolis, Colossæ, terræmotu conciderunt. Hæc Orosius fere; cuius verbis & sensu libentius vtor, quod scio Christianum & magni discipulum Augustini, propter religionem fidei nostræ veritati diligentius institisse. Hæc quidem possunt & apud alios historicos inueniri diffusius, qui tyrannorum atrocitates, & exitus miseros plenius scribunt. Quæ si quis diligentius recenseri voluerit, legat ea quæ Trogus Pompeius, Iosephus, Egesippus, Suetonius, Q. Curtius, B Corn. Tacitus, T. Liuius, Serenus, & Tranquillus, & alij historici, quos enumerare longum est, suis comprehenderunt historiis. Ex quibus facile liquebit, quia semper tyranno licuit adulari, licuit eum decipere, & honestum fuit occidere, si tamen aliter coërceri non poterat. Non enim de priuatis tyrannis agitur, sed de his qui rempublicam premunt. Nam priuati legibus publicis, quæ constringunt hominum vitas, facile coërcentur. In sacerdotem tamen, & si tyrannum induat, propter reuerentiam sacramenti, gladium materialem exercere non licet, nisi forte cum exautoratus fuerit, in Ecclesiam Dei cruentam manum extendat, eo quidem perpetuo obtinente, vt ob eandem causam non consurgat in eum duplex tribulatio. Præter rem tamen non videtur, si hæc quæ dicta sunt, aliquibus astruamus exemplis.

al. libitinianæ.

C

CAP. XIX.

De morte Iulij Cæsaris, & aliorum gentilium tyrannorum.

OCcurrit ergo imprimis domus Cæsarea, qua nihil potentius aut gloriosius, vlla ætate recolit mundus. Siquidem Iulius Cæsar primus orbem prudentiæ & rei militaris viribus acquisiuit. Homo perpaucorum, & cui nullum expresse similem, adhuc edidit natura mortalium. Licet enim Cicero eum alicubi criminetur, quod citra omnem vtilitatis aut honestatis speciem, delectabatur iniuriis, adeo vt eum ipsum peccare iuuaret: idem tamen tantis laudibus eundem effert, vt deorum censeat munus ex virtutibus temperatum, Romano indultum imperio, vtpote qui nec prosperis extolli, nec aduersis frangi nouerit, magnificus sine crudelitate, sine temeritate magnanimus. D Quamuis enim si alius esset, posset temerarius videri; Cæsar tamen audax videri non debet, cuius voluntas deorum aspirante fauore, semper infra potestatem fuit. † Nemo ferum expertus est Cæsarem, nisi superbia rebellaret. Prouocatus iniuriis, pronus fuit ad veniam. Quos vicit, viribus, prudentia antecessit. Excessus eius videbantur sperare, & ad iustitiam aspirare. Quod ex eo coniici potest, quod nullum tempus sibi noluit esse philosophiæ expers. His videtur Orosius pro parte consentire. Cum enim in Ægypto magna pars militum eius † cecidisset, & ipse sicut Lucanus meminit, cogeretur respicere Sceuam, qui singulari virtute eminens inter Cæsarianos, obsedit.

al. nemo ferrū expertus est Cæsaris.

al. cessisset.

Muris calcantem mœnia Magnum,

insistentium Ægyptiorum vi pressus Cæsar scapham ascendit, qua mox pondere sequentium grauata & mersa, per ducentos passus ad nauem vna manu elata, qua charitas tenebat, natando peruenit. Hic tamen quia rempublicam armis occuparat, tyrannus reputatus est, & magna parte Senatus consentiente, strictis pugionibus occisus in Capitolio, sed & ibi honestatis memor extitit. Vt enim animaduertit se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima deduxit, quo honestius caderet. Successor eius Augustus felicissimus omnium, se sub interminatione pœnæ dominum prohibitus est appellare, & ciuem gerens, tyrannidis rem declinauit & notam. Tiberius autem à Iulio tertius, veneno obiit, cuius morte ita lætatus est populus, vt terram matrem, & & deos manes orarent, ne mortuo sedem vllam darent nisi inter impios. Et licet veneficium detestabile semper fuerit, venenum quo ille extinctus est, orbis censuit esse vitale. Siquidem veneni certum habitum est, quod cor inter ossa cremati inuentum est incorruptum. Ea enim rerum æstimatur natura, vt tinctum veneno igne confici nequeat. Tertius tyrannus C. Caligula occisus est à domesticis suis. Tiberius Claudius quintus a Iulio, etsi tyrannidem vitauerit, manifestis vt alter Tiberius veneni signis extinctus est. At Nero sextus à Iulio F omnium immanissimus & vilissimus, hunc exitum habuit. Postquam enim deformitate veterum officiorum, & angustiis flexurisque viarum offensus, vt prædictum est, vrbem incendit, ab omni populo sicut Suetonius refert, desertus est: & cum ingressus in cubiculum quæreret percussorem, & non inueniret, omnes quippe discesserant, ergo ego, inquit, nec amicum nec inimicum habeo? Idem paulo antequam se confoderet, scrobem coram se fieri præcepit ad corporis sui modulum, componique in ea si qua inuenirentur marmoris frusta, & aquam simul & ligna conferri ad curandum cadauer, flens ad singula, atque identidem dictitans: Qualis artifex pereo? Cum autem audiret se à Senatu adiudicatum supplicio, quale id esset interrogauit. Et cum comperisset debere nudi hominis † ceruicei furcam inseri, corpus vero virgis ad necem cædi, conterritus; duos pugiones, quos secum extulerat, arripuit, tentataque vtriusque acie, rursus condidit, causatus nondum esse fatalem horam. Ac modo Sporum G hortabatur vt lamentari inciperet, modo orabat, vt se aliquis ad mortem coexemplo animaret. Interdum segnitiem suam his versibus increpabat:

al. ceruicem furcæ.

Viuo deformiter, turpius pereo.

Iamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat vt viuum extraherent. Quod vt sensit, ferrum adegit iugulo, in eoque consumpta est omnis familia Cæsarum. Et ne in sola illa familia aduersus tyrannidem tantum licere legibus quispiam suspicetur, Vitellius nonus à Iulio, Galba & Othone; inter Neronem & Vitellium intersertis, turpissime protractus est à cellula, in quam se contruserat, nudusque deductus per viam sacram passim fimum in os eius coniectantibus alus, & à populo Romano apud Gemonias scalas minutissimis ictibus excarnificatus, vnco tractus est in Tiberim. H Duodecimus Domitianus, Vespasiano & Tito interpositis, post multam & cruentam tyrannidem à suis crudeliter interfectus est. Ex qua causa tamen in Christianos mitius egerit, autore Eusebio Cæsariensi, paucis aperiam, cuius verba sunt hæc libro tertio, capite decimooctauo. Apud ipsum vero Domitianum cum iussisset omnes perimi, qui de genere Dauid, & regia stirpe descenderant, sicut vetus habet traditio, delati sunt quidam quasi essent de posteritate Iudæ, quē fratrem fuisse Saluatoris secundum carnem tradunt. Duplicique vrgebantur inuidia, veluti qui ex genere Dauid, & ex ipsius Christi propinquitate descenderant. Quæ Egesippus per ordinem his verbis refert. Adhuc autem viuebant quidam de carnali Domini nostri genere, nepotes eius Iudæ, qui secundum carnem frater Domini dicitur, quos quidem detulerunt tanquam ex Dauid stirpe venientes. Hos quidam Reuocatus nomine, qui in hoc missus fuerat, perducit ad Domitianum Cæsarem. Nam & ipse formidabat de aduentu Christi, sicut & in initio Herodes. Interrogati ergo à Domitiano si essent ex familia Dauid, confessi sunt. Tunc quæsiuit quantis possessionibus vel quantis facultatibus essent præditi. At illi responde-

A eunt, quod vtrisque non amplius esset in bonis nouem millibus denariorum, ex quibus, singulis media pars pro portione deberent. Neque hæc sibi in pecunia subsistere, sed in æstimatione terræ quæ eis esset, in quadraginta minus vno iugere constituta, per quam suis eam manibus excolentes, vel ipsi alerentur, vel tributa † expenderent. (al. dependerent.) Simul & testes rusticis & diuini operis, manus labore rigidas, & calle obduratas, proferebant. Interrogati vero de Christo quale sit regnum eius, vel quis ipse, aut vnde, aut quando venturus, responderunt, quod non huius mundi regnum, neque huius terræ ei designetur imperium, sed cæleste ei per angelorum ministeria, præparetur. Quando scilicet aduenturus in gloria de viuis ac mortuis iudicabit, & restituet vnicuique pro factis & meritis suis. Ad hæc Domitianus, cum in eis nihil criminis inueniret, & vilitatem eorum quam maxime contemneret, abire eos liberos iussit. Hæc illi. B Ex quibus patet, quod non ex mansuetudine, quæ decet principem, sed fastu impio à nonnullis fidelium crudelitatis suæ cohibuit rabiem. Si ergo ad tantam paucitatem, & paupertatem genus regale deductum est, vt regnante Domitiano de stirpe Dauid vix duo potuerint inueniri, quis sibi in carne & sanguine propagatis perpetuitatem esse confidit? Et quia Ecclesiam Dei, imo & totum imperium lacerauit Domitianus, eodem in se Dei vsus iudicio, & ipse laceratus est. Cuius cadauer populari sandapila per vespillones exportatum, atque ignominiosissime sepultum est. Successor eius Nerva, omnia acta eius reuocauit in irritum, & asscriptus principibus non tyrannis, morbo confectus diem obiit, Traiano adoptato in regnum. Qui tanta moderatione successit, vt sicut Augustus felicissimus, ita & iste imperator optimus ditissime habitus sit, & vt ferunt apud Seleuciam vrbem Isauriæ profluuio ventris extinctus est. Ei successit Helius Adrianus pater patriæ, qui rempublic. iustissimis legibus ordinauit, & Iudæos scelerum suorum perturbatione exagitatos, vt in Palæstinam irruerent, vlti-C ma cæde perdomuit, vltusque est Christianos, quos illi excruciabant, præcepitque ne cui Iudæo introeundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantum ciuitate permissa, quam in optimum statum murorum instructione reparauit, præcepitque vocare Heliam de prænomine suo. Antoninus cognomento Pius, tranquille & sancte gubernauit imperium, succedens Adriano cum liberis suis, & merito pius, & pater patriæ nominatus est, & intercedente Iustino Philosopho se Christianis benignum exhibuit. M. Antoninus Verus successor Pij cum Aurelio Commodo fratre suscepit imperium. Aurelius autem casu morbi, quem Græci apoplexian vocant, suffocatus interiit. Eoque defuncto, frater solus reipublicæ præfuit, vir quem admirari quam laudare, si Eutropio creditur, facilius est. A principio vitæ tranquillus & constans, adeo vt ab infantia vultum nec gaudio, nec mærore mutauerit, philosophiam edoctus Stoicæ eique deditus, vita pariter & eruditione philosophus. D Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium, ad scientiam literarum Græcarum per Chæronensem Plutarchi nepotem. Latinas autem eum Fronto nobilissimus orator docuit, & pro quorundam opinione Plutarchi nepos. Inter cætera bellum gessit, quod præ magnitudine Punicis conferri potest. Et licet orationibus militum Christianorum, sicut idem Imperator literis suis dicitur attestatus, magna bella confecerit, grauis eorum exarsit persecutio, multique Sanctorum † martyrum coronati sunt. (al mar tyrio.) Postremo Lucio Commodo filio suo in regnum assumpto, in Pannonia constitutus repentino morbo interiit. Lucius Antoninus Commodus quintusdecimus ab Augusto, per omnia crudelitatis, luxuriæ, & obscœnitatis dedecora deprauatus, gladiatoriis quoque armis sæpissime depugnauit, & in amphitheatro feris sese frequenter obiecit. Interfecit etiam plurimos Senatores, maxime quos aduertit nobilitate industriaque excellere. Flagitia regis pœna vrbis insequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta flammatio, bibliothecam illam maiorum cura stu-E dioque compositam, ædesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremauit. Fertur tamen beatus Gregorius bibliothecam combussisse gentilem, quo diuinæ paginæ gratior esset locus, & maior autoritas, & diligentia studiosior. Sed hæc sibi nequaquam obuiant, cum diuersis temporibus potuerunt accidisse. Commodus autem cunctis incommodus in domo Vestiliani strangulatus est, viuus autem hostis humani generis iudicatus. Ec hæc quidem est descriptio tyranni, qua explicatur res quæ latet in nomine. Sicut ergo damnatum hostem licet occidere, sic tyrannum. † Hæc tamen non impediat † supputatio veritatem historiæ, quoniam hic Galbæ, (al. Hoc. al. supputare.) Othonis & similium ratio neglecta est. Nec quis quotus sit imperatorum attenditur, sed quomodo omnium domuerit tyrannidem, aut repressserit clementia Dei, qui pro decreto iustitiæ quando vult, flagellum inducit in delinquentium pœnam, & quando vult quos fecit pæ-F nitentes admittit ad veniam. Decreueram hic subsistere, & ad alias à Romanis transire historias: sed quia in catalogum imperatorum ille à quo genti meæ nomen est Seuerus occurrit, qui aduersus Christi nomen tyrannidem grauem exercuit, illum adhuc solum adiiciam, ne Seueriæ vel Saresberiæ nostræ parcere videar. Sed profecto hanc profanam in Christianos & Ecclesiam persecutionem cœlestis vltio è vestigio prosecuta est. Emerserunt enim continuo bella ciuilia, quibus Romani sanguinis plurimum effusum est. Hic quidem Afer genere. Tripolitanus ab oppido Lepti, natura sæuus multis sæpe bellis lacessitus, fortissime quidem rempublicam, sed laboriosissime rexit. Congressus est cum multis gentibus, vt de multis triumpharet. Pescennium Nigrum, ad tyrannidem aspirantem, vicit & interfecit: Iudæos & Samaritas rebellantes ferro coërcuit. Parthos, Arabes, Adiabenosque superauit. Hic est Seuerus gentum victor, qui in Britannias defectu pene omnium sociorum tractus, magnis ibi grauibusque præliis sæpe gestis, receptam partem insulæ à cæteris indomitis gentibus vallo distin-G guendam putauit. Itaque maximam fossam, firmissimumque vallum crebris insuper turribus communitum per centum † viginti duo millia passuum à mari ad mare duxit. (al xxxII. II.) Ibique sicut Orosius & alij historici referunt, apud oppidum Eboracum morbo obiit. Siquidem Britannia veneno semper exhorruit, & principes nō nouit, sed pro suis principibus inuictos gladios exercere. Præfatum vero oppidum, in id virium & temeritatis, temporis processu excreuit, vt vrbibus antiquis audiat se conferre. Hoc ei forte tanti Imperatoris contulit sepultura. Ipsum tamen gentilium ritu & infidelium prauitate tyrannidem in Christianos exercuisse, & pœnas sceleris luisse, certum est. Nemo enim à sæculo, se ad apostatæ angeli egit imaginem, qui damnationis eius & confusionis non fuerit particeps.

Cap. XX.

H *Quod autoritate diuina pagna licitum & gloriosum est, publicos tyrannos occidere si tamen fidelitate non sit tyranno obnoxius interfector, aut honestatem non † amittat.* (al. admittat.)

LOngum est si gentilium tyrannorum ad tempora nostra seriem voluero trahere. Sed vnius hoc ætatis non memorabitur homo. Hoc enim mentem effugit, & linguam vincit. Libellus tamen qui de exitu tyrannorum inscriptus est, quid de tyrannis sentiam plenius poterit aperire, diligenti tamen compendio, vt nec de prolixitate tædium, nec de breuitate obscuritas generetur. Sed ne Romanæ historiæ vilescat autoritas, quæ plerumque ab infidelibus & de infidelibus scripta est, hoc diuinæ & fidelis historiæ comprobetur exemplis. Vndique enim apparet; quia vt ait Valerius, ea demum tuta est potentia, quæ viribus suis modum imponit. Et sane nihil tam præclarum est, aut tam magnificum, quod non moderatione desideret temperari. Primum

A ergo tyrannum nobis obicit diuina pagina Nemroth robustum contra Dominum venatorem, quem & Ninum dici nonnullæ testantur historiæ, etsi ratio temporia non acquiescat, eumque fuisse reprobum, superius dictum est. Regnare siquidem voluit, & non à Domino, & sub eo turrim in cœlum erigere conata est cæca dispergenda & confunda mortalitas. Progrediamur ad eum, quem populo diuina præfecit electio, datumque in reprobam dominandi, non regnandi voluntatem deseruit, adeoque afflixit, vt vigente doloris angustia, mortem sibi cogeretur inferre. Nihil enim aut minimum pendest sana assumptio, si consequens vita dissentit, nec initia rerum apud iudicem obtinent, cuius sententia pendet ex fine. Regum & libri dierum celebris historia est, in qua, autore Hieronymo, Israel edocetur sub tyrannis ab initio laborasse. Et Iuda præter Dauid, Iosiam, & Ezechiam reges omnes reprobos habuisse monstratur. Salomonem tamen, & forte aliquos aliorum in Iuda conualuisse facile crediderim Domino reuocante. Mihique facile persuadebitur populum duræ ceruicia, & corde indomabili, & qui semper restitit spiritui sancto, & non modo Moysen famulum legis, sed

B Deum Dominum legis abominationibus gentium ad iracundiam prouocauit, pro principibus meruisse tyrannos. Nam tyrannos, quos peccata impetrant, inducunt & erigunt, pœnitentia delet, excludit, & perimit. Et quidem ante reges suos, sicut Iudicum narrat historia, seruierunt sæpenumero filij Israël sub tyrannis multis & variis pro dispensatione diuina afflicti temporibus, sæpeque sunt clamantes ad Dominum liberati. Licebatque finito tempore dispensationis, nece tyrannorum excutere iugum de ceruicibus suis, nec quisquam eorum, quorũ virtute pœnitens & humiliatus populus liberabatur, arguitur, sed iocunda posterorum memoria, quasi minister Domini † memoratur. Quod suppositis liquet exemplis. *al. benemoratur.* Seruierunt ergo filij Israel Eglon regi Moab decem & octo annis: Et postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo † Aioth inclytum filium Gerari filij Gemini, qui vtraque manu vtebatur pro dextera. *al. Aoth*

C Miseruntque filij Israel per illum munera Eglon regi Moab, qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus est eo subter sagum in dextro femore, obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios qui cum eo venerant. Et reuersus est de Galgalis vbi erant idola, dixitque ad regem: Verbum secretum habeo ad te ô rex. Et ille imperauit silentium. Egressisque omnibus qui circa eum erant, ingressus est † Aioth ad eum. *† Aoth.* Sedebat autem in æstiuo cœnaculo solus. Dixitque ei: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. Extendit † Aioth manum sinistram, *† Aoth.* & tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventrem eius tam valide, vt capulus ferrum sequeretur in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur.

D Nec eduxit gladium, sed ita vt percusserat, reliquit in corpore. Statimque per secreta naturæ alui stercora proruperunt. † Aioth autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi, & obfirmata sera, per posticam egressus est. *† Aoth.* Et alibi. Sisara fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris † Aber Cynei. *al. Abner* Erat enim pax inter Iabin regem Asor, & domum † Aber Cynei. *al. Abner* Egressa igitur Iahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, & opertus est ab ea pallio, dixitque ad eam: Da mihi obsecro paululum aquæ, quia valde sitio. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi, & cum venerit aliquis interrogans te & dicens, nunquid hic est aliquis? Respondebis, nullus est. Tulit itaque Iahel vxor † Aber clauum tabernaculi assumens pariter & malleum. *al. Abner* Et ingressa est abscondite & cum silentio posuitque supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram. Qui soporem morti socians, defecit & mortuus est. Laudene ergo, aut vituperium consecuta est posterorum: Benedicta, inquit scriptura, inter mulieres Iahel, vxor † Aber Cinei, & benedicatur in tabernaculo suo. *F* *† Abner Cinei.* Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Sinistram manũ misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos. Percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans. Vt autem & ab alia constet historia, iustum esse publicos occidi tyrannos, & populum ad Dei obsequium liberari, ipsi quoque sacerdotes Domini necem eorum reputant pietatem, & si quid doli videatur habere imaginem religione mysterij dicunt. Domino consecratum. Sic Holofernes non virtute hostili, sed suis vitiis gladio mulieris occubuit, & qui viris formidabilis fuerat, luxuria & ebrietate victus à femina interfectus est. Nec feminæ ad tyrannum patuisset accessus, nisi hostilem animum pia simulatione texisset. Non est enim dolus qui seruit fidei, & militat charitati. Siquidem fidei est, quod increpat sacerdotes qui diuinæ miserationi præscripserant tempus, ex pacto hostibus se dedituri, & vrbem nisi infra quinque dies eis Dominus subueniret. Charitatis autem quod nulla formidabat pericula; dum fratres & populum Domini ab

F hostibus liberaret. Nam & hoc egredientis saltem indicant verba: Fac, inquit, Domine vt gladio proprio eius superbia amputetur, & capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ. Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum, & virtutem vt euertam eum. Erit enim memoriale nominis tui, cum manus feminæ deiecerit eum. Vocauit ergo Abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium, & exuit se vestibus viduitatis, & lauit corpus suũ, & vnxit se myrrha optima, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestibus iucunditatis suæ, cingens sandalibus pedes suos, assumpsitque dextralia, & † lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamẽtis suis ornauit se. *al. vittilia.* Contulitque ei splendorem Dominus, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat Et ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore oculis omnium appareret.

G Illuc ergo perueniens, & publicum captans hostem, dixit Iudith Holoferni: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si ea secutus fueris, perfectam rem faciet Deus tecum. Viuit enim Nabuchodonosor rex terræ & viuit virtus tua quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium, quoniam non solum homines, sed & bestiæ agri seruiunt illi per te, & obtemperant ei. Nunciatur enim virtus & industria animi tui vniuersis gentibus, & indicatum est omni seculo, quia solus potens es & bonus in omni regno eius, & disciplina tua omnibus gentibus prædicatur. Et adiiciens ait; Veniens nunciabo tibi omnia, ita vt adducam te per mediam Hierusalem, & habebis omnem populum Israel sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te, quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei. Quid quæso insidiosius excogitari, quid captiosius dici potest, hac mystici dispensatione consilij?

H Dixit itaque Holofernes: Non est talis mulier super terram in aspectu, & pulchritudine, & sensu verborum. Cor enim eius concussum ardebat in concupiscentia eius. Dixitque bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inuenisti gratiam coràm me. Ipsa vero quæ luxuriari non venerat, fidei & fortitudinis suæ instrumento, vsa est luxuria aliena. Et crudelitatem quam semel sopiuit blanditiis, in populi liberatione charitatis armis occidit. Percussit ergo Holofernem in ceruicem, & abscidit caput eius, & tradidit illud ancillæ suæ, vt poneretur in peram reportandum in vrbem, quæ salutem fuerat consecuta in manu feminæ. Hoc tamen cauendum docent historiæ, ne quis illius moliatur interitum, cui fidei aut Sacramenti religione tenetur astrictus. Nam & Sedechias ob neglectam fidei religionem, legitur captiuatus, & quod in alio regum Iudæ non memini, eruti sunt oculi eius, quia Deum, cui iuratur, etiam cum est iusta causa cauerit tyranno, lapsus in perfidiam,

non proposuit ante conspectum suum. Sed nec veneni, licet videam ab infidelibus aliquando vsurpatam, vllo vnquam iure indultam lego licentiam. Non quod tyrannos de medio tollendos non esse credam, sed sine religionis honestatisque dispendio. Nam & Dauid regum, quos legerim optimus, & qui excepto sermone Vriæ Ethei, in omnibus inculpatus incessit, licet tyrannum grauissimum sustineret, & eum perdendi sæpe nactus fuerit occasionem, ei tamen maluit parcere confisus de misericordia Dei, qui eum sine peccato poterat liberare. Decreuit ergo expectare patienter, vt ille visitaretur à Domino reddita charitate, aut in prælio caderet, aut alias iusto Dei iudicio moreretur. Siquidem vel ex eo potest insigniri patientia eius, quod cum oram chlamydis Saul præcidisset in spelunca, & alibi de noctu castra ingressus, custodum negligentiam increpasset, ipsum regem coëgit profiteri, quia Dauid causam agebat iustiorem. Et hic quidem modus delendi tyrannos, vtilissimus est, & tutissimus, si qui premuntur ad patrocinium clementiæ Dei humiliati confugiant, & puras manus leuantes ad Dominum deuotis precibus flagellum quo affliguntur, auertant. Peccata etenim delinquentium, vires sunt tyrannorum. Vnde Achior dux omnium filiorum Amon, saluberrimum hoc consilium dedit Holoferni. Perquire inquit nunc Domine mi si est aliqua iniquitas populi in conspectu Dei eorum, & ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si autem non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.

Cap. XXI.

Omnia tyrannorum finem esse miseriatur: & quod vindictam exercet, si manus cesset humana, ac hoc in Iuliano apostata, & multis sacra scriptura patet exemplis.

Finis enim tyrannorum confusio est, ad interitum quidem, si in malitia perseuerant, si reuocantur, ad veniam. Nam & ipsi flagello paratur incendium, cum in correctionem filiorum eo fuerit vsus pater. Et inquit, Achab reueritus est faciem meam, non inducam malum hoc in diebus eius. At Iezabel in sæuitia perseuerans, condigno crudelitatis exitu sanguinem suum canibus lingendum præbuit, in loco vbi sanguinem innocentis Naboth linxerant canes. Quod si ita Nabothæ innocentis sanguis exquiritur, nunquid tot innocentium sanguis irrequisitus erit? Vineam iusti concupiuit impietas, & in permutationem eius totius regni iura amisit. Punitur autem malitia semper à Domino, sed interdum suo, interdum quasi hominis vtitur telo, in pœnam impiorum. Afflixit Pharao populum Dei, & ab eodem grauissimis, sicut in Exodo legitur, flagellatus est plagis. Quas breuiter, vt fidelius teneantur, metro comprehensas curaui inserere.

Prima rubens vnda, rana tabesque secunda,
Inde culex tristis, post musca nocinior istis.
Quinta pecus strauit, vesicam sexta creauit.
Pone subit grando, post bruchus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat vltima prolem.

Nec curo quis versus fecerit, hoc solum attendens, quia plagas Ægypti sub Pharaone satis compendiose comprehendit. In his tamen omnibus non est auersus furor eius à populo Dei, sed egredientem persequens cum curribus & equitibus suis in mari submersus est. Aquis ergo pro muro, ad populi defensionem, & pro telo aduersus subuersionem tyranni vsus est Dominus. Salmanasar quoque regnante Ezechia premebat populum Domini, conuersusque rex in preces aduersus minas tyranni, clypeum diuinæ protectionis opposuit. Vnde & eam per prophetam confortauit Dominus, dicens, Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam qua venit reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamque vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Factum est ergo in nocte illa, venit angelus Domini, & percussit castra Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit. Et reuersus Sennacherib rex Assyriorum & mansit in Niniue. Cumque adoraret in templo Nesrach Deum suum, Adramalech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit † Asaraddon filius eius pro eo. Nec moueat si alio & alio nomine censeatur in diuersis historiis, quia pro traditione Hebræorum, sicut Hieronymus autor est, idem pantonymus extitit. Dictus est enim Salmanasar, & Sennacherib, & Phul, & Teglad † Phalasar, & Sargon. Nisi enim polyonymus habeatur, historicorum quadam contrarietate dissidentium quandoque vacillabit autoritas. Hic ergo angelico gladio primum aduersus exercitum vsus est Dominus, deinde aduersos impium manibus filiorum. Ipsa quoque natura vindictas stupet interdum altissimi, & hominum prouocante malitia, creatoris sui legibus mirabiliter acquiescit. Hinc est quod aduersus Dominum Nabuchodonosor intumescens, exacto septennio bestiam egit, & pœnitens est denuo reuersus in hominem, rebus restitutus & regno, licet eo postmodum meruerit misero exitu spoliari. Ad tempora transeo Christiana, quoniam in omni gente & populo manifesta est nequitia tyrannorum, & euidens pœna. Iulianus vilis apostata, & sordidus imperator, dolo potius quam viribus persecutus est Christum, nec tamen viribus temperauit. Nam sub eo grauissima Christianorum exorta est persecutio, dum Galilæi, quem dicebat conatu impio, nomen moliebatur extinguere. Verum dum aduersus Parthos infaustam expeditionem, ageret, & idolis, in reditu suo, pro sacrificio, cædem deuoueret Christianorum, Magni Basilij, aliorumque sanctorum precibus misertus est Deus, Mercuriumque martyrem destinauit, qui tyrannum in castris mandato beatæ virginis lancea perforauit, morientemque coëgit impium confiteri Galilæum, Christum scilicet, quem persequebatur esse victorem, & de se triomphasse. Cum enim præfatus Episcopus fideles Cæsareæ in Ecclesia perpetuæ virginis genitricis Dei, pernoctantes in orationibus collegisset, ipsa nocte beatam virginem in visione sanctus agnouit, & huiusmodi consolationem accepit: Vocate, inquit illa, mihi Mercurium, & abibit interficere Iulianum, in filium meum, & Deum timide blasphemantem. Sanctus autem cum armatura sua aduentens, velociter abiit, & aduocans quæ apparuerat Magnum Basilium, dedit ei librum habentem in historia omnem mundi facturam, dextrorsum vero hominem à Deo plasmatum. In principio autem libri superscriptio erat, † dic. In fine homine iam plasmato, Parce, Suscipiens itaque librum legit ab initio vsque ad Parce. Similem quoque visionem vidit eadem nocte quæstor Iuliani in expeditione Libanius Rediens Basilius ad martyrium sancti Mercurij nocte ipsa, Mercurij arma non reperit, sed die sequenti inuenit † eadem, & lanceam recenti sanguine cruentatam. Orosius tamen de Mercurio martyre non facit mentionem, sed in expeditione Parthica, tyrannum refert obuij militis telo esse peremptum. Eutropius quoque qui Romanam eleganti compendio describit historiam, peremptum fatetur in castris, sed nullum exprimit cædis autorem: persecutionem tamen quam eodem autore in Christianos supra modum exercuit, ei constat plurimum nocuisse. At historia tripartita diligentius persequitur flagitia Iuliani, & quanta immanitate persecutus sit Christum, quem Galilæum nominabat, toto sexto volumine comprehendit. Ex quibus ad laudem Galilæi nonnulla inserui, compendiose decerpta ab his, quæ de eo Socrates, Theodoricus, & Sozomenus, teste Cassiodoro,

† *Esaradon.*
† *Phalasar.*
al. *dic.*
al. *eadem nocte.*

A tradiderunt, Iulianus ergo & regio sanguine oriundus, & ex Constantino nepos Constantini Magni, qui Byzantium à suo nomine Constantinopolim appellauit, ab initio extitit Christianus, crescensque in auditoriis Constantinopolitanæ vrbis, exercebatur in basilica, vbi doctores erant, habitu priuato procedens. Pædagogum habebat nomine † Marconium, Grammaticum; † Nidoclem Laconiensem. Rhetoricam vero legebat apud Eubolium Sophistam, iam opera & diligentia Magni Basilij Christianum. Prouidebat enim Imperator ne apud paganum Sophistam legens, ad impietatis dogmata declinaret. Profecit ergo vt ei fama deferret vires imperij gubernandi. Vnde in suspicionem ductus imperatori, ab vrbe regia iussus est abstinere, missusque Nicomediam, prohibitus est conuenire apud Libanium Sophistam Syrum paganumque, qui ibi à pædagogis Constantinopolitanis expulsus morabatur. Vtebatur tamen lectione librorum eius, & in Rhetorica proficiens Maximo Philosopho Ephesio, quem

al. Marconium. al. Nicoclem Laconem.

B postea quasi artes magicas exercentem, Valentinianus imperator fecit occidi, familiaris effectus est. Cumque ab eo verba philosophica prægustasset, cœpit eius imitari religionem, magis & magis cupidine succensus imperij. Imperatorem vero timens, suspicionemque cauens, tonsus † monachicam simulabat vitam, agens proditorem in habitu Christiano, & in Ecclesia Nicomediæ lector ordinatus, sic furorem declinauit Imperatoris. In manifesto autem sacros Christianorum legebat libros, & latenter exercebatur in Philosophia, præualescente semper ambitione imperij. Vnde & amicis dicebat felicia fore tempora, quibus ipse rerum potiretur imperio. Et quidem manus non euasisset imperatoris, nisi Imperatrix Eusebia inueniens latitantem, & pro eo intercedens obtinuisset, vt ad Philosophandum mitteretur Athenas. Refert Theodoricus quod exinde discurrens omnem Helladam, vates quærebat consulens, an ad imperium perueniret. Inuentoque

al. monasticâ.

C viro qui se potentissimum in magica fateretur, introductus est ab eo in locum idolorum, vt in abdito euocatos a mago dæmones præsens consuleret. Quibus solemniter apparentibus, compulsus est Iulianus frontem suam crucis munire signaculo. Quo facto, repente dæmones disparuerunt. Magus itaque cœpit culpare Iulianum. At ille prætendens metum, crucis se dixit obstupuisse virtutem, eo quod signum hoc dæmones fugerint. Non suspiceris hoc bone vir, inquit magus, quia timuerint sicut ais, sed abominati hoc signum potius abscesserunt. Et ita capiens miserum, odio Christiani signaculi repleuit Iulianum. Post hæc, sicut Socrates autor est, imperator euocans Iulianum, eum constituit Cæsarem, & data sorore Constantia in vxorem, ipsum contra Barbaros destinauit ad Gallias. Successit ergo ei, fecitque sibi initium vincendi barbaros, quod amorem suum apud milites collocauit. Fertur etiam quod dum in aliquam ciuitatem fuisset ingressus, corona laurea, quibus solent ornari ciuitates, inter colum-

D nas pendens rupto fune supra caput eius decidit, eumque aptissime coronauit. Quo facto, cuncti clamauerunt quia ei signum foret imperij. Congrediens deinde cum hostibus, tanta felicitate prouectus est, vt à militibus appellaretur Augustus. Cumque corona deesset imperialis, vnus signa portantium, torquem quem habebat, capiti eius circumposuit & hoc modo factus est imperator Iulianus. Quæ vero postea gesserit ille Philosophus, iudicent audientes. Nam in ipso principio omnia pro libito disponebat, figmentumque Christianæ religionis abiecit, & singulatim vrbium templa aperiens, idolis offerebat, dicens seipsum esse Pontificem paganorum. Intestino quoque bello lacerasset imperium, nisi ei degenti in Thracia, fuisset mors Imperatoris Constantij nunciata. Vt vero fauorem multitudinis sibi conciliaret, ius sibi præferendæ religionis omnibus indulgebat. Studebat ob hoc omnibus omnia fieri. Hinc vanæ gloriæ causa largus, hinc affectans simulatione Philosophi parens, hinc à ciuilitate fictitia,

E comis hinc grauis à mole Imperij & quod maxime erat, ne crudelis haberetur, mansuetudinem mentiebatur. Cæterum qualis esset religione monstrabat. Episcopos ergo in exilium deportatos, iussit euocari, & confiscatas eorum sibi reddi substantias. Templa quoque paganorum velociter suis necessariis præcepit aperire & quæ eis ablata fuerant, incunctanter restituere sanciuit. Palatio expulit eunuchos, tonsores & coquos. Eunuchos quidem, eo quod vxor eius obierat, post quam non duxit aliam. Coquos autem, quia more Philosophi cibis simplicibus vtebatur. Tonsores, quoniam, vt ipse ait, vnus sufficit multis. Scriptores plurimum venerabatur, cultoresque disciplinarum, sed maxime philosophantes. Vnde & fama viros huiusmodi vndique congregabat circa palatia, qui circumamicti palliis, magis habitu, quã magisterio gaudebantur. Erantque graues vniuersis Christianis seductores viri, & Imperatoris semper religioni fauentes. Noctibus vigilans conscribebat li-

F bros, quos in Senatu publice recitabat. Solus enim Imperator à Iulio Cæsare in curia recitauit orationes. Publicum cursum mularum, & caballorum inhibuit, iubens eos vtilitatibus publicis ministrari. Hæc eius opera laudant pauci, plurimique vituperant, quia remoto fastu palatij, contemptibile videatur imperium. Apud Sozomenum fertur, quia mox in ipso principio sic aperte & impudenter negauit Christianam fidem, vt quibusdam sacrificationibus, quas expiationes pagani vocant, & sanguine immolatitio nostrum baptisma studeret abluere, & abrenunciare Ecclesiasticæ confessioni. Ex illo enim tempore, tam † secretim quam publice, & in templis, pagani licenter sacrificia celebrabant. Fertur autem quia dum aliquando sacrificaret, ostensum sit ei in visceribus hostiæ signum crucis corona circumdatum. Quo viso, alij quidem perterriti, veræ religionis virtutem, & Christiani dogmatis æternitatem intellexerunt, eo quod corona victoriæ indicium

al. secretò.

G est, & ambitus circularis, in se redeiens est finis ignarus. Princeps autem confortans eos, sibi prospera monstrari asseruit, & quia signum dogmatis Christiani coerceretur, ne ei dilatari liceret, † circuli termino esse conseptum. Cum autem adhuc pueri Gallus & Iulianus ad sepulturam Mammæ † martyris, opere inter se diuiso certatim basilicam fabricarent, res dictu mirabilis & forsitan incredibilis accidisse narratur. Galli namque pars augebatur, vtiliterque crescebat. Iuliani vero labores alij quidem fodiebantur, alij terra ipsa euomente rudenibus implebantur, aliquotiens terræ deposita fundamenta copulari non poterant, ac si quædam violenta virtus ab inferiore loco ea repercutiendo depelleret. Res prodigiosa visa est omnibus existimantibus, quia non esset vir ille in Christiana religione salubris. Nec falso: quod patuit ex post facto. Nam Ecclesias & ministros possessionibus & priuilegiis spoliauit, & quod nimis graue, & plane iniuriosum est, clericos iussit mi-

al circulari
al martyris.

H litibus aggregari, duci prouinciæ seruituros, plurimosque eorum curiæ tradidit. Populum vero Christianum cum vxoribus & filiis inscribi præcepit, & tanquam vicaneos tributa persoluere, & Galilæos omnes censuit infelici diminutioni capitis subiacere. In initio autem Christianis parcens mitior visus est, sciens priores persecutores nihil profecisse in pœna Christianorum, qui magis inde creuerunt, & facti sunt gloriosi, pro vero dogmate morientes. Inuidens ergo eorum gloriæ abstinuit à tormentis, iudicans esse necessarium, vt sermone potius & admonitione ad paganitatem colendam populum suaderet sperans etiam hinc se monstrare clementem. Dicitur enim quia dum Constantinopoli apud Fortunam sacrificaret vrbis, accessit ad eum Maris Episcopus Chalcedoniæ, & publice impium & sine Deo apostatam vocitauit. At ille solam ei improperans cæcitatem, eo quod senex cæcus manu alterius agebatur, adiecit: Neque Galilæus Deus tuus curare te potest. Respondit Maris: Gratias ago Deo qui hæc egit, ne te viderem pietate nudatum, Imperator autem silens abscessit, philosophum simulans, vt ostentatione patientiæ paganitatem

A

roboraret. Lege autem inhibuit, ne Galilæorum filij, Poetarum, Rhetorum, & Philosophorum legerent disciplinas. Proprijs, inquit, telis secundum prouerbium, vulneramur. Ex nostris enim armati, ex nostris conscriptoribus contra nos bella suscipiunt. Posuit & & aliam legem præcipiens Galilæos expelli militiis. Adiecit & aliam, vt Galilæis bona auferrentur, quoniam Christus eorum eos pauperes esse præceperat. Scripsit Apollinaris vir doctus & ingeniosus, heroicis versibus pro Homeri poemate Hebraicam antiquitatem, & in alio opere imitatus est Comœdias Menandri, fabulositate deducta. Euripidis quoque tragœdias, & lyram Pindari secutus est, & absolute dicendum, quia ex diuinis scripturis argumenta sumens, omnes † endeticas lectiones tempore paruo composuit, numero, virtute, moribus, conscriptione, charactere, & dispositione Græcorum valde pares. Fecit & librum nobilem, ad ipsum Imperatorem, siue contra Philosophoa, in quo tacitis sacræ Scripturæ testimoniis illos irrefragabili ratione desipere probauit, & se vera sentire de Deo.

al. encyclical.

B

Quæ legens Imperator, claris tunc scripsit Episcopis, legi & reprehendi. Cui Episcopi rescripserunt: Etsi legisti, non agnouisti. Si enim agnouisses, nequaquam reprehendisses. Basilij autem Cappadoceni creditur hæc fuisse Epistola. Veniens Imperator Antiochiam, eo quod ei esset barba valde prolixa, derisus est, dicentibus Antiochenis Tondeatur, vt ad funes barba eius proficiat. Et quia Taurum consueuerat immolare; taurum & aram suo formari præcepit in solio. † Lacerantes ergo dicebant, iste taurus euertit mundum, & nisi eum Libanius reuocasset, grauiter afflixisset Antiochenos, aduersus quos † tum librum satis vrbanum scripsit. Vt autem etiam Iudæos denuo animaret & armaret in Christum, templum Hierosolymis eos instaurare præcepit. Concurrentibusque quos de toto orbe conuocauerat, plurima ministrauit, misitque præsidem impiorum executorem dignissimum præceptorum. Aiunt enim quoniam ad † repugium faciendum argenteos hamos & cophinos & scaphas habuerint.

al. Lacrymantes

al. tamen

al. repurgium.

C

Cumque fodere iam cœpissent, statuta quidem die hæc multitudo plurima faciebat. Nocte vero spontanea terra de valle crescebat. Solutis itaque prioris fundamenti reliquiis noua omnia præparabant. Cumque & gypsi & calcis multa modiorum millia congregassent, vis magna ventorum repente respirans tempestates atque procellæ subito factæ quicquid congregatum fuerat, disperserunt. Adhuc autem vesanientibus eis, & nequaquam diuina longanimitate correptis, maximus primo terræ motus factus est, & quisquis non fuerat diuinis mysteriis imbutus, vehementer attritus est. Cum vero neque hoc terrerentur indicio, ignis ex fundamentis quæ suffodiebantur, egrediens plurimos fodientium concremauit, aliorum membra dissoluit. Nocte plurimis in vicina porticu dormientibus cadens subito cum tecto ipsa porticus, dormientes oppressit. Alia vero die in cœlo signum splendens crucis salutaris apparuit, sed etiam Iudæorum vestes crucis signaculo sunt impletæ, non signatæ tamen splendenti colore, sed nigro.

D

Hæc itaque Dei rebelles considerantes, & diuina contremiscentes flagella, ad propria sunt reuersi, confitentes esse Deum, qui ab eorum progenitoribus ligno probatur appensus. In his tamen omnibus non est auersus furor impij, sed indurato corde præcepit, vt quicunque sacrificare nollent, palatium non intrarent, & neque collegio, neque foro, neque arbitrio, neque dignitate, neque qualibet administratione participarentur. Cum vero torquebantur Christiani, aut spoliabantur, eis patientiam indicebat, quoniam hanc Galilæus eorum expresso verbo legis & testimonio operis suos docuerat sectatores. Vnde & multi Christianorum retrorsum abierunt, aut strati metu, aut capti dolo: & inualescebat sænitia paganorum. Vt autem ad idololatriam milites facilius assuescerent, studuit ad priscum schema reformare illud signum sublimius Romanorum, quod Constantinus in formam crucis mutauerat. Verum in publicis imagini-

E

bus Iouem quasi de cœlo sibi coronam deferentem & purpuram, Mercurium quoque & Martem in se respicientes, velut pro testimonio sapientis & fortis depingebat, hoc agens in imaginibus, vt sub occasione imperij latenter adorarentur dij, & hoc modo subiecti clanculo fallerentur, exinde sic capti facilius impleturi quod vellet. Si vero detrectarent, torquerentur tanquam imperij contemptores. Approbabat autem studia Christianorum, licet persequeretur fidem & exercitia virtutum, quo paganorum roboraret terrorem, apud Galilæos non vera mentiebatur esse, sed ficta. Decreuit ergo eis virtutes præripi, & paganos Christianis absque fide moribus institutis, Philosophiæ voluit esse cultores, sicut Arsatio Pontifici Galatiæ, scripta ab eo in hunc modum docet Epistola. Paganorum ritus nondum agitur secundum intentionem nostram, propter cultores eius in negligentia positos. Nam deorum claritas, magnitudo atque sublimitas omni oratione, omnique spe maior est. Sed propitij sint nobis dij propter † negligentiam quam habemus, cum illorum prouidentia in paruo tempore, tanta mutatio facta sit, quantam neque orare primitus aliquis præsumpserat.

al. clementiam.

F

Cum ergo credimus hoc posse sufficere, nequaquam respicimus quemadmodum superstitionem Christianorum auxit cura peregrinorum, & circa sepulturas & mortuos, multa solatia honestæque conuersationis studia non vera, sed ficta. Quas res arbitror apud nos debere sub veritate geri. Non itaque sat est te talem esse, sed omnes absolute circa Galatiam sacerdotes. Quos aut deprecare, aut ratione flecte, aut certe festinanter à sacerdotali ministerio remoue, nisi diis cum coniugibus & filiis atque seruis colla submiserint, non ferentes vlterius eorum seruos, aut filios hoc facere contemnentes, aut Galilæos impiè contra deos agentes, & impietates pietatibus præponentes. Deinde cunctos admone, vt sacerdos neque ad spectacula procedat, neque in tabernis bibat, aut cuilibet arti operibusque turpibus aut impudentibus præsit. Qui obediunt, honorentur, inobedientes expelle.

G

Xenodochia construe per singulas ciuitates, vt nostra peregrini clementia fruantur, non tantum nostri, sed etiam extranei pecunia indigentes. Vt habeas vnde fiat, interim decreui singulis annis triginta millia tritici modios per vniuersam dari Galatiam, & sexaginta millia vini sextarios. Horum quinta pars pauperibus templa obseruantibus debet expendi, reliqua peregrinis, indigentibusque distribui. Turpe namque est, vt Iudæos non abiiciant, sed potius nutriant impij Galilæi, & suos pariter necnon etiam nostros, nostri vero, nostrorum solatio destituantur. Quapropter doce etiam collationes facere paganos ad talia ministeria, paganorumque viciis offerre primitias frugum. Eosque huiusmodi benefactis institue, docens eos hoc opus olim fuisse nostrorum. Homerus enim hoc probat, introducens Emenæum talia facientem. Nos ergo neque † bona nostrorum imitamur, sed aliis * remittimur, negligentia non confusi, magis autem deorum reuerentiam † respuentes.

al. bonis nostrorũ mutamur.

** al remittimur.*

† al respicimus.

H

Si igitur hæc te facientem cognouero lætitia plenus ero. Præsides prouinciarum rarius domi suscipe, frequenter eis scripta transmitte. Ingredientibus eis ciuitatem, sacerdotum nullus occurrat. Cumque ad templa venerint deorum, intra ianuas eos nemo præcedat militum forte, aut præcedentium officiorum, sed qui voluerit subsequatur. Cum ad ipsum limen templi peruenerit, priuatos existat. Tu enim sicut nosti intus es iudex. Hoc enim etiam sacra sanctio videtur exigere. Obedientes igitur pro veritate pij sunt, reluctantes vanæ gloriæ comprobantur. Quid enim patiantur, aut quod mereantur auxilium, qui matrem deorum propriam habere noluerunt? Qui ergo eam neglexerint, non solum sine querela non erunt, sed etiam nostræ indignationis impetum sustinebunt. Neque enim fas est vt illi pareatur, qui deos habuerit inimicos. Suade siquidem eis, vt si mea volunt frui tuitione, omnes matri deorum studeant offerre culturam. Hæc quidem scripsit, & ad similitudinem Ecclesiæ, dæmonum

templa

A templa constituit & instituit ministros in diuersis gradibus ad instar clericorum, vt essent qui cæteros docerent cultum perfidiæ, & pœnitentes post culpam secundum traditionem Christianorum correctione mediocri reformarent. Nihil autem quod à paganis committeretur in Christum, enorme videbatur. Adeo quidem vt nec sæuire in mortuos inhumanum aut crudele paganis videretur. Vnde in ciuitate † Sebasta Ioannis Baptistæ sepulchrum aperuerunt, ignique tradiderunt, ossa vero ac puluerem dispeserunt. Si vel capita flagitiorum eius, vel summatim quæ per ipsum in orbe aduersus Ecclesiam gesta sunt, voluero enarrare, multis magnisque voluminibus tanta egebit materia. Sed progrediamur ad finem, quem pius Galilæus intemeratæ virginis filius, impio persecutori suo, ad consolationem Ecclesiæ suæ, & ad gloriam maiestatis, qua patri coæqualis & consubstantialis est, potenter inflixit. Procingens ergo se ad Persicam expeditionem, pro more misit Delphos & Delum, atque Dodonem, consulens an expediret ad bella procedere.

[al. Sebastea.]

B Vates itaque vniuersi victoriam promittebant, vno inter cætera animati responso, quod pro exemplo mendacij ac seductionis inserere non pigebit. Est autem huiusmodi. *Nunc omnes aggredimur Dei victoria trophaa referentes circa fluuium Thirem: Horum ego dux ero, belligerator Mars.* Quisquis ergo Pythium Musarum principem & Dominum rationis credit, vim & mentem carminis huius interpretetur. Quo miser animatus, omnimodam sibi victoriam somnians, etiam Galilæos delere præparabat. A plurimis tamen, vt oportuit, vilis Apostata contemptus est. In Antiochia namque vir quidam optimus pædagogus adolescentium habitabat, eratque illic famosissimus sophista Libanius, expectans victoriam Iuliani, habensque præ oculis minas eius. Ait ergo veram deridendo religionem: Nunc fabri filius quid putas agit? At pædagogus completus gratia dixit: O sophista, creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, locellum sepulturæ Iuliano componit. Post paucos dies

C mors nunciatur Iuliani. Et in locello adductus est, minarumque timor euacuatus. Eodem quoque tempore, vir religiosissimus Iulianus cognomento Saba, subitæ hilaritatis causam à ministris interrogatus respondit: Ferus sacræ vineæ deuastator, pœnas exactus est vastationis suæ: Iacetque mortuus terroribus minisque frustratus. Sed exprimendus est ordo, quo decessit impius persecutor. Cum ergo tam ciues, quam hostes, bello Persico laboribus & fame multipliciter afflixisset, veniens Thesiphontem ciuitatem in tantum obsedit regem, vt crebris legationibus ei offerret partem regni, dum solutus bello discederet, quod Imperator contempsit elatus, nec attendens, quia vincere quidem bonum est, superuincere nimis inuidiosum. Confidebat enim magicis artibus, & arbitratus secundum Pythagoream opinionem, animas diuersa corpora peragrare, se credebat possidere animam Alexandri, aut quod potius in altero corpore esset alius Alexander. Querebantur ergo Romani de principe, qui bellum finire nolebat,

D resistebant tamen † insistentibus Persis, ita vt frequenter nunc hi, nunc illi verterentur in fugam. Porro Iulianus in equo residens exercitum confortabat, inermis quidem spe felicitatis suæ præsumens, contra quem iaculum repente delatum, discurrens per brachium eius in latus immersum est. Ex hoc vulnere suscepit terminum vitæ. Qui vero iustissimum intulit vulnus, hactenus ignoratur. Sed alij quendam inuisibilium hoc intulisse ferunt, alij vnum pastorum Hismaëlitarum, alij militem fame & itinere fatigatum. Sed siue homo siue Angelus fuerit, patet quia diuinis iussionibus † ministrauit. Aiunt enim quia cum fuisset vulneratus, mox manum compleuit sanguine suo, & in aerem proiecit dicens: Vicisti Galilæe, vicisti, & in eo ipso confessus victoriam est, etsi blasphemos. Defunctus est autem tertio anno imperij sui, vitæ tricesimo primo, nimium tamen vixisse visus est bonis, qui non modo in Ecclesiis, sed etiam in theatris prædicabant

[al. insistentibus.] [al. obtemperauit.]

E victoriam Galilæi. Omnes enim clamabant, maxime fatue vbi sunt vaticinia tua? Vicit Deus & Christus eius. Defuncto impio inuenta sunt in templis simulachra stupenda principis, & mira insignia sapientiæ conclamatæ, & famosissimæ pietatis. Nam in Carris aperto templo, quod vsque ad reditum suum clausum esse præceperat, inuenta est mulier à capillis appensa, manus extensas habens, aperto vtero, in cuius iecore euentum belli Persici fuerat speculatus. In Antiochia quoque arcas in palatio plurimas humanis capitibus plenas inuenerunt, & demersa puteis innumera corpora mortuorum. Prodigiosa & scelesta illius, quæ nec Imperatorem, nec Philosophum decuerunt, sed impium & magnum Dei hostem & hominum, tripartita latius pandit historia. In gente quoque Britanniarum, sicut quædam nostratum testatur historia, ad compescendam & puniendam tyrannidis rabiem, gloriosissimi martyris regis Eadmundi manus exercuit. Cum enim † Soanus

[Seanus.]

F Britanniæ insulam, quam ex magna parte occupauerat, vastaret, spoliaret, & membra Christi persecutionibus multis affligeret, indictione census, quem lingua Anglorum Danageldum nominant, prouinciam onerauit, præcepitque possessiones memorati martyris conferre in censum, supplicatumque est ei, contempsit preces. Missus à martyre religiosus frater, sub interminatione inhibuit, ne Ecclesiam Christi, domum martyris & liberam familiam eius, tyrannis indebita premeret seruitute. Sed impietas ad preces obsurduit, intumuit ad prohibitionem, ad minas induruit, & conuitiis & iniuriis afficiens humilem nuncium, Dei vltricem accelerauit manum, flagellum prouocauit, & patientia Dei contempta, temeritate cæcus incurrit in mortem. Nec mora. Nam tyrannus è vestigio expirauit. Inter milites enim agens in castris, solus sicut ipse confessus est, cum telo vidit adesse beatum Eadmundum, increpantem eum durissime, & cædentem ad mortem Et ab ea quidem die, licet insula graues tyrannos habuerit, Ecclesia beati Eadmundi à præfata indictione fisci mansit immunis.

G Nemo enim eorum martyrem ausus est prouocare, aut in opprimenda Ecclesia eius periculum facere sui. Nostris tamen temporibus Eustachius filius Stephani, qui in Ecclesiam Dei sæuire decreuerat, cum omnia pro viribus depopulatus esset, & terram beati Eadmondi, cui omnes prædones detulerunt videret opulentam, sibique non esset consumptis opibus regni vnde semel & secundo militibus æra procederent, iam enim defecerant donatiua, † præsidia iam dictæ Ecclesiæ depopulatus est. Nondum tamen digesserat cibum, quem de facultatibus loci acceperat, ipsaque die, antequam se domi suæ reciperet, quæ nimis vicina erat, tactus est martyris manu, & lethali percussus morbo, die circiter octaua rebus cessit & vita. Quid moror in paucis? Vbi sunt, vt, de domesticis loquar, Gaufridus, Milo, Ranulphus, Alanus, Simon, Gilbertus, non tam comites regni, quam hostes publici: Vbi † Guillelmus Saresbenensis? Vbi † Marimo, qui impellente beata virgine incidit in foueam quam parabat? Vbi alij quorum

[al. prædia.] [al. Villianus.] [al. Marinus.]

H vel nomina conficerent librum. Horum vtique malitia insignis est, infamia celebris, infelix exitus, & quem præsens ætas ignorare non potest. Si ergo quis antiquas nescit historias, si ignorat quomodo † Cyrus, cui reges terga præbebant, à regina Scytharum Tomiri prostratus est, si casus & præcipitia præcedentium non recolit tyrannorum, vel ea quæ oculis ingeruntur inuitis attendat, & luce clarius intuebitur, omnes tyrannos miseros esse.

[al. Tirus.]

Cap. XXII.

De Gedeone qui forma præsidentium est, & Antiochus.

QVid itaque sibi velint, qui Rempublicam, id est populum Dei in debito seruitutis iugo nituntur opprimere, non video, nisi forte ea de causa potentiam appetunt, vt tormenta miseriæ potenter ferant

A Si enim regere tantum appeterent, non dominari, onus officij metientes, nequaquam tanta currerent auiditate. Voluntas enim regentis de lege Dei pendet, & non præiudicat libertati. At tyranni voluntas concupiſcentiæ ſeruit, & legi reluctans, quæ libertatem fouet, conſeruis iugum ſeruitutis conatur imponere. Docet hæc ſcriptura cui contraire nō licet. Dixerunt omnes viri Iſraëlis ad Gedeō: Dominare noſtri tu & filius tuus, & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur Dominus. Dixitque ad eos. Vnam petitionem poſtulo à vobis, date mihi inaures de præda veſtra. Videor mihi in huius literæ facie quod dixeram intueri. Nam Gedeon qui interpretatur circumiens inutile, vel tentatio iniquitatis eorum, nomine & verbis videtur principis officium indicare. Eius enim eſt circumire inutilia, & ea vel delere, vel reuocare ad frugem, & quod iniquum deprehendit, excludere à fi-
B nibus ſuis, vt ſibi aduerſus hoſtes procedat victoria. Defertur honor dominij, & recuſat, legi tamen ſubjicit, quos à iugo ſeruitutis abſoluit. Patri filiorum † ſucceſſurus defertur honor: at ille Deum maluit honorari. Quis eorum recte huic aſſimilabitur, qui fas nefaſque confundunt, & verſantur in laboribus & ærumnis, vt filios poſſint non tam honoris, quam rapinæ & iniquitatis habere hæredes? Quis eſt enim qui legem Dei, & iuſtitiam eius, quæ in ſola charitate conſiſtit, filiis anteponat? Qui amat, inquit, patrem aut matrem, aut filius plus quam me, non eſt me dignus. Et profecto qui tranſitorȷ Chriſto præponunt, ipſis tranſitoriis citius tranſeunt, nec eorum perpetuatur gloria, apud quos poſtpoſitis aliis Chriſtus manet inglorius. Ergo caſum timeat princeps, qui liberorum aut carnis motus affectu, honorem diuinum minuit immemor charitatis. Sed nemo eſt qui in Deum ſe fateatur inſurgere, inſurgunt tamen plurimi, & iam iſta palam fiunt. Intrauit Antiochus in ſanctificationem cum ſuperbia, & hoc quidem
C faciunt multi. Ozias quem literæ irrefragabiles iuſtum in multis fuiſſe cōmemorant, mortuo Zacharia ordinem ſacerdotalem non tam pie, quam audacter inuaſit, & reclamantibus Leuitis, nonne tu es Ozias Rex & non ſacerdos, audire contempſit. Statimque lepra partem illam corporis eius inuaſit, quam ſacerdos ex lege auri tegebat lamina, vt iuxta imprecationem propheticam, facies eius ignominia repleretur. Rex quidem notus eſt, & ex coæuis regibus, & ex eo maxime quod anno mortis eius natus eſt Romulus, à quo genus eſt Romanorum. Imitantur plurimi Oziam, ſacerdotalia præſumentes, ſed lepram eius pauciſſimi erubeſcunt. Plures tamen ſequuntur Antiochum, qui non cum deuotione vt offerat vice ſacerdotis ſancta ingreditur, ſed vt deleat ſi quid eſt in templo Domini ſanctum. Cum enim Antiochus deſolationis & abominationis idolum fabricaſſet, libros legis Dei combuſſit igni, & ſcidit eos, apud quemcumque inueniebantur libri teſtamenti Domini, & quicunque obſeruabant legem Dei, ſecundum edictum Regis
D Antiochi trucidabant eum. Vidi temporibus meis nonnullos ſacerdotali ſe immiſcentes officio, & humeros temerariæ ſupponentes, vt arcam præriperent ab humeris Leuitarum, loci immemores, qui in præſentem
† Oza.
diem dicitur † oze percuſſio. Alios vidi, qui libros deputant igni, nec ſcindere verentur, ſi in manus eorum iura peruenirent aut canones. Tempore Regis Stephani a regno iuſſæ ſunt leges Romanæ, quas in Britanniam domus venerabilis patris Theobaldi Britanniarum primatis aſciuerat. Ne quis etiam libros retineret
† Vacario.
edicto regio prohibitum eſt, & † Vacario noſtro indictum ſilentium, ſed Deo faciente, eo magis virtus legis inualuit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare. Quis autem in tot millibus regnare affectantium eſſe vult ſimilis Gedeoni? Aut quis legem ſibi vult dominari & populo? Omnibus tamen vnum illud deberet ſufficere, quod Gedeon à ſubditis petit, id eſt ſi ſolas ex præda ſibi conſequatur inaures. Si enim quæ lex loquitur, indicare curauerit, & ei obediens populus ac-
E quieſcat, vt non ſit iniquitas & contradictio in ciuitate & populo cui præeſt, debet profecto ſufficere præſedenti.

† ſucceſſurus.

CAP. XXIII.

Conſilio Bruti vtendum eſſe aduerſus eos, qui pro ſummo pontificatu non modo certant, ſed ſchiſmatice dimicant: & quod tyrannis nihil quietum.

SEd eſto vt his liceat, qui carnales ſunt, contendere de primatu, viris Eccleſiaſticis hoc vſquequaque arbitror eſſe illicitum. Carnalium tamen exemplo ſub imagine religionis obrepit impietas, & iam non modo contenditur pro ſacerdotio, ſed pugnatur. Antiqui quondam trahebantur inuiti, & proni ad martyrium, primas cathedras, carcere peius & cruce fugiebant. Con-
F tra iam palam loquuntur ſacerdotes, & prouerbium nullum dicunt. Nolumus, inquiunt, martyres eſſe, ſed ſedium noſtrarum gloriam non damus alteri. Miſera quidem & miſerabilis vox in ore ſacerdotis, qui Chriſtum ſic agnoſcit, vt ſe nolle eum ſequi palam confiteatur. Dubitari poterit an vetus moriatur confeſſor, qui perſecutorem ſi opus fuerit, non expectat? Ait enim Cyprianus: Epiſcopus ſi timet, actum eſt de eo. Sed liceat timere, non ſtare in neceſſitate illicitum eſt. Fugitiuus inutilis infamis eſt. Eſt tamen in quo videntur imitari conſtantiam martyrum, ſi pro cathedra ſcilicet fuerit decertandum. Fertur à quibuſdam & verum eſt, quod ſuper Romano pontificatu ab ambitioſis quandoque, imo ſæpe litigatum, & non ſine ſanguine fraterno ſancta ſanctorum ingreſſus ſit pontifex. Concitata ſunt iterum bella pluſquam ciuilia inter Cæſarem & Pompeium, & quicquid Philippis, Leucade, Mutinæ, in Ægypto, Hiſpaniaue præſumptum eſt, quicquid impie geſtum, pugna ſacerdotalis abſoluit. Nunquid Chri-
G ſtiani ſanguinis procurant effuſionem, vt eis præ cæteris liceat pro grege, quod paſtoris eſt, animas ponere? Nunquid Eccleſiam diruunt, profanant ſancta, vt ſit quod ædificari & ſanctificari oporteat? Concutiunt populos, regna ſollicitant, Eccleſiarum deripiunt facultates, forte vt ſibi faciant materiam promerendi, vt componant omnia, vt pauperibus miſerendi, & prouidendi, aliis concurrentibus neceſſitatem præripiant. Si enim vt plura ſibi impune liceat, ſi vt pecuniam congregent, ſi vt carnem & ſanguinem foueant, dilatent & corrumpant, ſi vt familiam nobilitent, ſi denique vt gloriam ſuam quærant in clero dominantes non forma facti gregis ex animo, licet labiis & ſimulatione officij paſtorem induant, tyrannis quam principibus facilius accedunt. Dicunt Philoſophi, & verum arbitror, nihil in rebus humanis vtilius homine, & in ipſis hominibus principe eccleſiaſtico vel mundano nemo vtilior. E diuerſo nihil homini pernicioſius homine, & in eis tyrannus ſecularis, aut Eccleſiaſticus pernicioſior eſt.
H Sed profecto in vtroque genere, ſecularem Eccleſiaſticus antecedit. Sal enim infatuatum ad nihil omnino valet, niſi vt projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Porro

Vſque adeo ſolus ferrum mortemque timere
Auri neſcit amor, pereunt diſcrimine nullo,
Amiſſæ leges. Sed pars viliſſima rerum
Certamen mouiſtis opes.

Ergo diuidatur vnitas, integritas ſcindatur, ſinceritas corrumpatur, maculetur & ſanctitas, mundi nouum indicium celebretur, & princeps eius qui in paſſione Chriſti electus eſt, redeuns ſcandala ſpargat, vt beatus ſit, qui non capitur tendiculis eius:

——Tauro e veneratur
Prouentu ſcelerum quærunt vter imperet orbi?
Vix tanti fuerant ciuilia bella mouere,
Vt nemo

Rectiſſimam eminendi viam docuit Chriſtus, qui diſcipulos ſuos regibus gentium noluit conformari, vt do-

A minentur in subditis, & qui potestatem exercent benefici dicantur, sed qui maior est, sponte minoretur, & solum præ cæteris, † iure, quiete, viribus, & contentione remota, sibi vendicet officium ministrandi. At isti aliam præsulerant ascendentes ex aduerso fratrum, & ministrandi humilitate reiecta appetunt præ regibus gentium dominari. Nec dubium quin refrigescente, imo extincta charitate, sedem suam & ipsi ponant ad aquilonem. Siquidem productos odere pares. Vtinam secuti essent, qui ea viderunt, tempora, consilium Bruti, à quo cum, imminente bello ciuili Catonis auertit autoritas. Decreuerat enim manus suas ab armis continere ciuilibus, quibus quanto quisque libentius & foetius immiscetur, tanto iniquior & immanior est. Ait ergo:

† vita quieta.

Nunc neque Pompeij Brutum, nec Cæsaris hostem,
Sed bellum victores habes.

Si ergo sapiant hi pro quorum dominio schismatici litigant, eos solos concurrere patiaotur, alterutri B metuant opem ferre, incerti quis victor futurus sit, certique quanta, quam grauis ruina victus immineat.

Nulla manus belli † mutuato iudice pura est.

† mutato.

Nam &

Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni.

Gaudeat plane mundus, cum alter solos vicerit, sed propensiori lætetur gaudio si vicerit vterque vel neuter. Coueniant ergo si placet in insula Lycaonia, aut alio, si quis tamen locus bellis siue duellis est aptior, nam antiqui, teste Quintiliano, bellos dicebant quos modo duellos appellamus, & sine orbis & vrbis periculo vincat alteruter duellorum, quem Deus scilicet approbauerit, aut victorem esse permiserit. Victus quoque, si id victori placeat, demergatur io Tyberim, aut si cum eo mitius agendum videtur, retrodatur in caueam. Cui cum abbas loci claustrum, imo carcerem aperuerit, protestetur se non illud ei qui damnatur præparasse, sed victo. Siquidem

C *Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.*

Qui vero vicerit, id est qui violentior fuerit, in Liparem, aliamue insulam exul perpetuus deportetur ad marmora secanda aut ad metalla damnetur. Facinus enim schismatis quos inquinat æquat, nisi qoia plerumque qui fortior, imo ferocior, idem & iniquior est. Quid perniciosius aut odibilius bello ciuili? Nihil plane præter rabiē schismaticorum, aut hæreticam pestem, Quorum vtrum perniciosius sit, non facile dixerim, si tamen in his numerus est, vt vnum segregetur ab altero. Cessabunt plane bella ciuilia, si præsumptioni desit temeritatis adiutor. Nec est qui concioes possit vrgere ad furorem, nisi eos aliquatenus ipsa delectet insania. Vtique necessitas confurendi, aut nulla omnino, aut vt multum imaginaria est. Hæc quoque permultis maximisque periculis patet, quorum nemo satis declinat euentum, nisi præcaueat facultatem. Ionuit hoc Poeta grauissimus, aut si iuxta Quintilianum rectius dicere malueris oratorem, non repugnò, dum constet præcauenda esse etiam quæ possunt euenire pericula, & vni-D uersitatem ab vno quolibet cogi non posse, vt sceleri obsequatur inuita. Ait enim.

Hic quamuis nullo maculatus sanguine miles,
Quæ potuit, fecisse timet, quid pectora pulsas?
Quid vesane gemis? quid fletus fundis inanes?
Nec te sponte tua sceleri parere fateris.
Vsque adeone times, quem tu facis esse timendum?
Classica det bello, diros tu neglige cantus.
Signa ferat, cessa iam iam ciuilis Erynnis
Concidet, & Cæsar generum priuatus amabit.

Sic sic si Ecclesia Dei erigatur in spiritus libertatem. Si ministerium sceleris subire detrectat, aut omnino schismata sopientur, aut manente compage vnitatis, soli inter se schismatici dimicabunt. Interim contineat Ecclesia manus suas, quoniam gladius Petri, qui sanguinem carnali sitiebat affectu, mandato Domini ad præsens tegitur in vagina, & discipuli eradicare zizania properantes, præcipiuntur messores angelos expectare. E Oret vnitatis integritas, vt in se colligat dissidentes lapis incisus, in quo fundatur Ecclesia, quem schismatici reprobant, qui fecit vtraque vnum, & vestem suam in sortem fidelium integram cedere maluit, quam secari. Oret inquam ne deficiat fides, & expetens in cribro Sathanas non disperdat, conculcet & triticum. Oret pacem, quærat pacem, & persequatur etiam fugientem. Meminerit eius, qui cum posset producere plus quam duodecim legiones angelorum, exaltatus in crucem omnia acquisiuit. Ipsa enim exinanitio adeo meruit exaltari, vt ad gloriam eius flectatur omne genu. Schismaticos nocentes accipiunt, se consentientes iustos, nocentes faciunt bella sacerdotalia. Quiescant ergo stantes à longe cum Petro, vt videant finem. Recolant illud ethnicum:

——*Si cælicolis furor arma dedisset,*
Aut si terrigenæ tentarent astra Gigantes,
Non tamen auderet pietas humana, vel armis,
Vel votis prodesse Ioui.

F Hoc quidem videtur esse seruandum in his vbi quis iustus induit arma, scire nefas. Nam si hæreticus, schismaticusue Catholicum impugnat, assistere veritati pium est, & Romano Pontifici deuotissime famulari. Hoc quidem cum innotuerit, nam schismaticus se Catholicum esse sæpe mentitur. Quis enim præsumet summum iudicare pontificem, cuius causa Dei solius reseruatur examini? Vtique quisquis hoc attentauerit, laborare quidem, sed proficere nequaquam potest. Nec ad vnguem nomen Pontificis arto habeatur, hic pontifex cuiuscunque canonica præcessit electio. Ionas vt naufragium tolleret, naufragium fecit, maluitque perire solus, quam alios inuoluere periculis suis. Nec tamen regendæ nauis curam susceperat. Salomon ab eo maternum conuincit affectum, quod integrum meretricis calumniæ filium cedere maluit, quam partiri. At isti perichitari malunt Ecclesiam, & scindi, quam honorem non vsurpare, & inoocenti matri Ecclesiæ non inferre calumniam. Hæc est, inquit, mater eius quoniam ex dile-G ctione refugit sectionem. Econtra hic priuignus est, qui

Ferro rimatur viscera matris.

Quot & quantos tumultus, & strages dedit illa collisio, quando filius Petri Leonis aduersus Innocentium bonæ memoriæ quintum, Domini Adriani præcessorem, cuius vitam & felicitatem in se æuum protendat Dominus, conatus est ab aquilone ascendere? Nonne & stellarum partem secum traxit ruina eius? Quis nescit Egidium Tusculanum? Quis Petrum Pisanum, cui nullus aut vix similis alter erat in curia? Quis recenseat Episcopos, qui in tota fere Italia corruerunt? Profecto dum ruinæ illius exstabit ætate nostra memoria, incredibile est quempiam adeo misere ambitiosum esse, vt Ecclesiam scindere non formidet. Neminem ita † stupidum esse credo, qui non malit se deleri, quam vt pro ea tanta fiat turbatio. Sic delictis nostris exigentibus, carnificum istorum quisquam ascenderit sedem Petri, & ad guber-H naculum nauis eius Domino indignante, accesserit, plane naufragium non immerito faciet, cum & Petrus vocatus à Domino, ad validiorem territus auram cœperit mergi, & nauis quæ Dominum habebat vectorem, de salute desperet, donec Christus dormiens precibus excitetur. Vtique qui misere ascendit, rotatur miserius, & miserrime deijcietur, nec lætos habent exitus, quæ malo sunt inchoata principio. Discordia certissimum iniquitatis, & defectus indicium est. Siquidem

† cupidū.

——*Minimas rerum discordia turbat,*
Pacem summa tenent.

Phaëton in fabulis, dum paternos currus affectat, incendit orbem, & tandem miseratione Dei, & ipse succensus corruit præceps, curru disiecto. Tunc.

——*Ipse diem sine sole ferunt:*

& dum flagrat Ecclesia succensa schismate, Christus videtur abesse. Icarus quoque dum elatus iuuenili leuitate fertur in cœlum, marinis fluctibus mergitur. Deiectus

A & factæ sunt in deuotionem omninm bestiarum agri, & dispersæ sunt. Quid sibi aliud adesse docet, Ezechiëlis hæc & imprecatio, & increpatio, nisi pastoribus abesse quæ adesse debuerant, & adesse quæ abesse oportuit? Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra in escam eis. Nonne tyrannidem sacerdotij videtur exprimere manifestam, & vitam illorum depingere, qui in omnibus quæ sua sunt, quærunt, & quæ Iesv Christi sunt, post tergum faciunt? Siquidem non meum, sed alienum est, & profecto intemeratæ veritatis oraculum, quo apud familiarem altissimi inter mercenarium pastorem, & furem, differentia manifesta præscribitur. Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Cuius B si quæris officium, apud iam dictum prophetam inuenies: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum. Educam eas de nube, & congregabo de caligine, inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis, in montibus excelsis erunt pascua earum, requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Pascam eas, & accubare faciam, quod perierat requiram, quod abiectum erat reducam, quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum erat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam. Hæc est enim diligentia, qua gregibus debent inuigilare pastores. Qnod autem subiungit, & pascam illas in iudicio & iustitia, ei vtique respondet quod præmisit, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. Scriptum est enim, quia pondus & pondus, mensura & men- C sura, vtrumque abominabile est apud Deum. Apud homines tamen qui negotiationem exercent, grandis videtur esse prudentiæ, sed tamen illicitæ, quæ calliditas & dolus est, si alio pondere vel mensura sua distrahant, & aliis comparent aliena. At in prælato ratio exigit æquitatis, vt quod aliis imponit onus, ipse præferat, & quod docere voluerit, opere studeat adimplere. Hoc est enim in iudicio & iustitia pascere, & non in austeritate & potentia imperare. Quod vtique faciunt, qui humeris hominum alligant onera grauia importabilia, & digito suo ea contingere recusant. Vnde sequitur: Et cum purissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oues meæ, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbauerant, hæc b.bebant. Propterea ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum, pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. Mercenarius autem oues quidem vel specie pas- D cit, sed quia omnia facit ad pretium, si lupum videat irruentem, dimittit oues & fugit, quia non pastor, sed mercenarius est, nec quidem ouium, sed lucri curam habet: Canis vtique mutus latrare non valens, vt vel clamore & tumultu lupum absterreat venientem. Siquidem eum timet, qui temporalium diripit facultatem, & eum non attendit, qui animum cruciaturus est in gehenna. Cæcus siquidem est ad grandia, & quæ nullius sunt perhorrescit. De his inquit: Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui Israel erunt. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Nihil enim in eis libertatis est, vt mundi potestatibus obloquantur, nihil virtutis, vt veritatem in periculo tueantur, in omnibus lucrum, in nullis aut paucis quærunt salutem animarum. Dum in suis obtineant, dum ambitionis aut auaritiæ succedat votum, eorum quæ Christi sunt, iactura contemnitur. Fiat pax in diebus eorum, sint fœtosæ oues, boues crassæ, promptuaria plena, cibis & vasis onusta mensa in admirationem in- E tuentium splendeat, variæ & preciosæ supellectilis operosus cultus abundet, honorentur & colantur à turbia, ditentur, visitentur à subditis in muneribus, sit denique liberum impune, & sine nota facere quicquid libido dictauerit, ad singula dicent, euge, euge, vt iuxta increpationem propheticam luto absque paleis liuisse peccati indurati parietem videantur, qui præcipiente Domino, fuerat fodiendus vt rueret, & abominationes pessimæ à domo Domini disperirent. Hi sunt qui consuunt puluillos sub capite vniuersæ ætatis, cetuicalia supponentes vt capiant animas, & lac comedant, lanis operiantur ouium, & quasi in somnum negligentiæ vel audaciæ induxerunt. Fur autem conuincitur ab operibus suis, quia non venit nisi vt furetur, & occidat, & mactet, & perdat. Inimicus vtique perniciosus & apertus, qui nec rem pastoris habet nec speciem, & nec ad lucrum pascit, sed suum lucrum reputat, etiam cum F occidit. Pastori itaque debetur amor, quia diligit. Mercenario patientia, quia videtur amantem imitari. Furi vero non debet Ecclesia nisi pœnam. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non sineret perfodi domum suam. Vocem pastoris audiunt oues & sequuntur. Vocem mercenarij interdum audiunt: sed eum quia non vadit ad vitam, sequi contemnunt. Vocem furis aspernantur, horrent & fugiunt, quia in manu vident, & in ore audiunt opera mortis. Siquidem non modo fur est & latro, sed lupus rapax, sequipeda leonis, qui rugiens circumit quærens quem deuoret. Quis ergo illum non repellat, aut saltem fugiat, qui ad hoc ouile ingreditur, vt mactet, & occidat? Si quis, Apostolus inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed nescio quo pacto res in contrarium versa est, vt cum omnes fere desiderent episcopari, cum quod appetunt adepti fuerint, ocio marcent: aut quod turpius est, in vanitatis operibus occupantur. G Quanta curratur ambitione volui quidem superius, sed vt se res habet, plene non potui explanare: & profecto quam inutiliter multi versentur in gradu optato, referre difficilius potero. Vnum tamen scio, quia non ea auiditate currunt, vt pro aliis animas ponant, qui fortunæ munuscula, vel quod rectius dixerim, gratiæ Dei temporalia dona, in hunc tamen concessa vsum, vt promereantur æterna, recusant in necessitate fratribus erogare. Hanc tamen esse pastoralis officij formam, præmonstrauit tam exemplo, quam verbo pastorum princeps. Ergo tanto currentes ambitu, mercenarij properant, aut fures fieri. Bene tamen agitur cum ouibus, quæ illius custodiæ demandantur, qui eas vel ad pretium pascat. Nam & in ipsis mercenariis gradus & differentiæ sunt. Laxant quidem omnes retia in capturam. Sed hi in capturam animarum & rerum, illi res piscantur duntaxat, contempto periculo animarum. Et sæpe turbant omnia, quo piscandi ad votum vberior succedat occasio. Miraberis variam suppellectilem, & H Crœsi vt dicitur facultates apud eos, qui prædicant pauperem Christum, & quia suis non coguntur stipendiis militare, euangelizant, vt comedant, & euangelistarum stipendiis abutantur. Calicem quidem in quo Ioseph augurari consueuerat, in sacci sui ore reuoluunt, sed non descendit in manus. Lingua siquidem sacerdotis, calix est eius, qui in veritate & præfiguratione nominis interpretatur saluator mundi, institutus vt vaticinetur abscondita, & fidelium mentes potet eo spiritu, quo repleti discipuli verbum fidei & salutis eructantes, in Iudæa ebrij reputati sunt, dispensantes granum frumenti, quod in terram cordis eorum ceciderat, & iam in castitate eloquij eorum, fructum plurimum domino germinabat. Alij quidem sine euangelio de euangelio viuunt, & bene si viuunt tantum, vt non etiam luxurientur. Hos vix mercenarios dixerim qui non laborant, vt manducent, sed sine labore non manducare, quod necessitatis est, sed ociari & luxuriari desiderant. Omnibus quidem qui pastoris exercent officium, gratia debetur & reuerentia, & qui Christum quacunque ratione annunciant, & lucrum faciunt, cùm sua tamen, &

pro

pro sua vtilitate animarum, pastoribus & saluris dispensatoribus aggregentur, sintque amici, sint & venerabiles, & patrum lætentur honore; & si mercenarij sunt, mercede sua nec nunquam priuabuntur autore. Vtinam sit in istis, qui verbum Dei loquatur, qui ædificet Ecclesiam Dei, vel ad lucrum. Nou inuideo lucro, si opera antecedant. Qui sic vero inhiant lucris, vt quæ Christi sunt, vniuersa cootemnant, & si nec hæresin doceant, nec conteutionibus Ecclesiam scindant, uec pastoris nec mercenarij digni sunt nec honore nec nomine. Non loquor de legatis. Ecclesiam Romanam quæ parens (autore Deo) & nutricula fidei, & morum est, & non potest ab homine iudicari & argui, cœlesti priuilegio munita, relinquo intactam: nec enim credibile est, quod ea committere præsumant, vt dignentur quæ de iure gentilium in præsidibus prouinciarum, & pro consulibus, id est, legatis Cæsaris constat esse illicita. Qua vero impudentia hoc attentare audeat discipulus crucifixi, vicarius Petri, pastor animarum, quod vigente infidelium disciplina, vicarius imperatoris sub officio consulis rector corporum præsumere non audebat? Pœna repetundarum ex superioribus liquet, & tam institutis legum, quam historiarum exemplia sæculo nostro innotuit, & quod nisi in causa esculenti & poculenti indici à prouincialibus accipere non licebat, ita tamen vt accepta nequaquam cederent in muneris rationem. Quis ergo credet, quod patres Ecclesiæ, iudices orbis, & vt ita dicam, clarissima lumina mundi, diligant munera, sequantur retributiones, prouincias concutiant, vt excutiant loculos, exinaniant alienos, vt solident suos; verbis prædicent paupertatem & criminibus ad diuitias properent, bonorum spiritualium damnent commercia, vt cum eis duntaxat in talibus contrahere liceat, id agentes vt omnibus sint terrori, amentur à nullo, quietem doceant, vt faciant rixas, humilitatem indicant, & simulent, vt vendicent fastum, alienam pulsantes, & suam fouentes auaritiam, dictantes largitatem, tenacitati insistentes, & vt paucis loci huius anfractus & volumina spaciosa complectar, cum sceleratis & flagitiosis omnibus ponentes portionem, aut flagitia vendicantes in solidum, vt videantur concilium vanitatis iniqua † gerentium in synagoga Ecclesia malignantium, in quorum manibus iniquitates sunt, & dextra eorum repleta est muneribus? Absit vt hoc quisquam audeat suspicari, ne cadat in quemquam tantum scelus, vt os suum ponat in cœlum; & patrum quæ sunt pudenda denudet. Omnia eorum alba sunt & decora, nihil in eis, quod canino morsui pateat, aut sannam, vt Satyricus ait, posticam vereatur. Si tamen quispiam hoc præsumpserit, ei vno validissimo respondebitur argumento, cui resistere, & contradicere non audebunt omnes aduersarij nostri. Quo? inquis. Opera, inquam, quæ ipsi faciunt testimonium perhibent de eis. Si locum quæris, effectum quo de causæ sinceritate constet attende. Cuius enim opus bonum est, ipsum quoque bonum est. Si autorem eum qui ait: A fructibus eorum cognoscetis eos. Non enim potest arbor mala fructus bonos facere; aut conuersim, arbor bona fructus malos. Possent pro eis, si quis tamen est, qui eis † censeat detrahendum, plura proponi: sed in defensione eorum hoc vnum sufficiat. Constat enim quia Apostolorum oportet adorare vestigia; & illos esse vt patres honorandos, colendos vt dominos, qui eorum possident sedem, & imitantur vitam. Illos potius hæc pagina respicit, qui plumis vehuntur pensilibus, in saturitate disputant de ieiuniis, & quod verbis astruunt, operibus destruunt, in curru eunuchi reginæ Æthiopum clausis oculis scripturas loquuntur, & lectitant, & eum qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & os suum coram se tondente non aperuit, respicere dedignantur aut nequeunt, nec discipulum veritatis interpretem, donec descendant ad aquas, quibus mundentur ab operibus mortuis † dignantur colligere. Vt quæ licet scripturarum insideant rotis, & pennatorum animalium impetu perferantur, lingua eorum cum de superioribus disputauerit, terram lingit: nec scripturas intelligunt, quia cor eorum non aperit scientiarum Dominus, qui aperuit, sicut in actibus Apostolorum scriptum est, cor Lydiæ purpurariæ, vt audiret ea, quæ dicebantur à Paulo, quæ fidelius humili obedientia mandatorum, quam disputatione verbosa Deum timentibus innotescunt. Fur autem quis sit, duplici ratione colligitur. Nam ille qui de conuersatione terrena, per superbiæ scalam, ambitionis & vitiorum gradibus innitentem, in ouile ascendit Christo contempto, id est, neglecta recta via & plana, sinuosis anfractibus liminaria suffodit, aut parietum iuncturas irrumpit, aut per tegulas infusus illabitur, profecto fur est & latro. Qui vero Christo aperiente ostium, id est, Ecclesia vocante ingreditur, & postmodum sub vmbra pastoris efficitur persecutor, id est, spoliat, mactat, occidit, & perdit, fur indubitatus est. Tu vide in quo gradu ponendi videantur, quibus non sufficit diuini iuris licentia tondere & deuorare pecus, nisi secularium legum implorent auxilia, & officiales principum facti, ea committere non verentur quæ facile alius quilibet publicanus erubescat. Interim voluptati seruient, aut auaritiæ: & qui eos elegerunt, vel admiserunt in custodiam sui, depopulantur & premunt, mortemque eorum desiderant, quos foueri oportebat in carne & spiritu. Tenent profecto memoriter illud propheticum: Ecce constitui te super gentes & super regna, vt euellas, & destruas & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Quæ vero plantata inuenerunt, nituntur auellere, vt ædificent sibi domum Domini in muneribus manus, aut linguæ, aut obsequij, aut eos substituant explantatis, quos elegit affectio carnis, id est, aut genitos à se, aut sibi ab aliis carnaliter genitos. Immensum hic aperitur opus & via calamo dilatatur; sed subsisto parcens articulis, qui publicis aspectibus ingeruntur. Si quis autem hic quippiam dici durius calumniatur, si ea quæ à patribus dicta sunt, legerit, mihi facile veniam indulgebit. Si enim tyrannus secularis, iure diuino & humano perimitur, quis tyrannum in sacerdotio diligendum censeat, aut colendum? Quod si istud videtur acerbum, illum qui non nisi vera loquebatur & dulcia, in patrocinium aduoco beatum Gregorium, qui acerbius ista persequitur. Et vt cætera taceam, hoc ipsius omnibus notum est, quia scire prælati debent, quod cum ipsi delinquunt, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos, perditionis exempla transmittunt.

[Marg.: † al. gentium synagoga. † al. consentiat. † al. dedignantur.]

Cap. XVIII.

Ministros Dei esse tyrannos: & quid tyrannus: & de moribus C. Caligulæ, & Neronis nepotis eius, & exitu vtriusque.

Ministros Dei tamen tyrannos esse non abnego, qui in vtroque primatu, scilicet animarum & corporum, iusto suo iudicio esse * voluit, per quos punirentur mali & corrigerentur, & † exercerentur boni. Nam & peccata populi faciunt regnare hypocritam, & sicut Regum testatur historia, defectus sacerdotum, in populo Dei, tyrannos induxit. Siquidem primi patres & patriarchæ, viuendi ducem optimam naturam secuti sunt: Successerunt duces à Moyse sequentes legem, & iudices qui legis autoritate regebant populum, & eosdem fuisse legimus sacerdotes. Tandem in furore Domini dati sunt reges, alij quidem boni, alij vero mali. Senuerat enim Samuël, & cum filij eius non ambularent in viis suis, sed auaritiam & immunditias sectarentur, populus qui fortasse & ipse meruerat vt ei tales præessent sacerdotes, a Deo quem contempserat, sibi regem extorsit. Electus est ergo Saul, regis tamen iure † prædicto, id est, qui filios eorum tolleret, vt faceret aurigas, & filias vt panificæ fierent, & focariæ, agros & prædia, vt ea pro libito distribueret seruis suis, populumque totum seruitutis premeret

[Marg.: * al. noluit. † al. exercitarentur. † al. prædicto.]

iugo.

A iugo. Idem tamen Christus Domini dictus est, & tyrannidem exercens, regium non amisit honorem. Incussit enim Deus timorem omnibus, vt eum quasi ministrum Domini, cuius quodammodo gestabat imaginem, venerarentur. Amplius quidem adiiciam, etiam tyranni gentium reprobati ab æterno ad mortem, ministri Dei sunt, & Christi Domini appellantur. Vnde Prophetæ; Ingrediantur portas Babylonis duces, videlicet Cyrus & Darius. Ego enim mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, & exultantes in gloria mea. Ecce quia sanctificatos vocat Medos & Persas, non quod sancti essent, sed Domini aduersus Babylonem implebant voluntatem. Alias quoque; Ecce ego adducam, inquit Nabuchodonosor, seruum meum, & quia bene mihi seruiuit apud Tyrum, dabo ei Ægyptum. Omnis autem potestas bona, quoniam ab eo est, à quo solo omnia & sola sunt bona. Vtenti tamen interdum bona non est, aut patienti, sed mala, licet quoad vni- B uersitatem sit bona, illo faciente qui bene vtitur malis nostris. Sicut enim in pictura † fuluus aut niger color aut aliquis alius per se consideratus, indecens est, & tamen in tota pictura decet, sic per se quædam inspecta indecora & mala, relata ad vniuersitatem, bona apparent & pulchra, eo omnia sibi adaptante, cuius omnia opera valde sunt bona. Ergo & tyranni potestas bona quidem est, tyrannide tamen nihil est peius. Est enim tyrannus à Deo concessæ homini potestatis abusus. In hoc tamen malo multus & magnus est bonorum vsus. Patet ergo non in solis principibus esse tyrannidem, sed omnes esse tyrannos, qui concessa desuper potestate in subditis abutuntur. Porro si potestas accedat sapienti, qui rerum omnium nouit & habet vsum, omnibus bonis grata est, & omnibus vtilis. Si vero cadat in insipientem, etsi bonis, quibus omnia cooperantur in bonum, mala esse non possit, molesta tamen ad modicum temporis est. Nam eam vtrisque contingere manifestum est, licet exigente malitia temporis nostri, qui C in nos flagellum Domini iugiter prouocamus, malis, id est, insipientibus sæpius concedatur. Quid enim in rebus humanis Romano imperio potentius potest vlla memoria recordari? Si temporum series ab vrbe condita reuoluatur, illud inueniuntur mali gessisse frequentius. Quis enim C. Caligula, Augusti tertio successore, terrior, aut immanior, præter Neronem, qui antecessores & successores omnes turpitudine vitæ & inauditis flagitiis superauit? Hic autem Caligula omnium flagitiosissimus tamen rexit, aut potius torsit imperium, ea quidem crudelitate, vt propriæ inuidens felicitati, de conditione suorum temporum quereretur, eo quod nullis insignirentur calamitatibus publicis. Ille siquidem ortu suo pacauerat secula, qui delere venerat contradictionis & mortis imperium. Licet enim hæc immensitas pacis ascriberetur Augusto, Christo tamen potius ascribenda est, qui ciuis Romanus indictione censu D ascriptus est, regnante Augusto. Siquidem euangeliorum & historiarum veridica relatione constat, quia sub eo natus est autor vnicus pacis, Deus homo, virginis filius Christus, cuius æterna dispositio ad veram pacem, & felicissimi regni beatitudinem conscripsit electos, cuius aduentus multis præunciatus est, patefactus indiciis. Nam vt Orosius refert, cum Cæsar Iulio interfecto ex Appollonia rediens vrbem ingrederetur, hora circiter tertia repente, liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit: & hoc octauo Idus Ianuarij, die, qui dicitur Epiphaniorum, creditur accidisse quo Cæsar primum Iani portas sopitis finitisque bellis ciuilibus clausit, & Augusti adeptus est nomen, apicem declarans imperij, vt penes vnum doceretur summa rerum & potestatum esse, quam monarchiam nominant Græci. Refert idem historicus, quod cum à Sicilia rediens receptis legionibus à Pompeio & Lepido triginta millia seruorum dominis restituisset, & omnia superiora populi debita donanda literarum etiam monumentis abolitis censuisset, in diebus ipsis fons olei largissimus, de taberna meritoria per totum diem defluxit, illum vtique manifeste adesse imperio nuncians, qui per seruos diaboli peccatores iusto E Dei dominio subdere venerat, & pauperum misereri. Cum ergo à facie Christi silerent omnia, & tantas miserationes altissimi obstupesceret mundus summa rerum & potestatum in tertium ab Augusto Caligulam cecidit. Cuius ferocia, vt breuibus liqueat, exclamasse fertur, Vtinam populus Romanus vnam tantum ceruicem haberet! Et quia hostis deerat, magno & incredibili apparatu profectus est hostem quærere. Ociosisque viribus Germaniam, Galliamque percutiens, in ora Oceani circa prospectum Britanniæ subsistit, Romamque reuersus est belli deficiente materia, & nullo expleto negotio, nisi quod Belinum Britannorum regis filium, quem pater expulerat, cum paucis in deditionem accepit. Infestissimus quidem Iudæis extitit, & sacra Hierosolymorum loca profanari, & statuis repleri iussit, & se coli vt Deum. Pilatum Iudææ præsidem tantis coarctauit angoribus, vt sua se transuerberans manu, F malorum compendium, mortis celeritate quæsierit. Sorores quas Caligula primum stupro polluerat, damnauit exilio, & post omnes simul exules iussit occidi. Ipse autem à suis protectoribus occisus est. In secreto eius inuenti sunt duo libelli continentes lectissimorum nomina ciuium, quos morti destinauerat: eratque alterius inscriptio, gladius, alterius pugio. Area quoque ingens multiplicium venenorum inuenta est, quibus Claudio Cæsare iubente demersis maria ipsa, magno piscium exitio protestante, traduntur infecta. Successit auunculo Caligulæ, Claudio tamen interposito, Nero Cæsar, rerum vitiorumque successor, imo transgressor, petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatemque scelere quouis exercuit. Teste namque Orosio percitus petulantia, omnia pæne Italiæ & Græciæ theatra perlustrans, assumpto etiam varij vestitus dedecore, Ceryeas, id est, cornices, citharistas, tragœdos, & aurigas, sæpe visus est superasse. G Libidinibus quoque tantis exagitatus est, vt ne a matre quidem, vel sorore, vllave consanguinitatis reuerentia abstinuisse referatur, virum in vxorem duxerit, ipse à viro vt vxor acceptus sit. Luxuriæ tam effrenatæ fuit, vt retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur; frigidis & calidis lauaret vnguentis, nullam vestem bis induit, nec vnquam minus mille carrucis confecisse traditur iter. Denique vrbis Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit, per sex dies septemque noctes ardens ciuitas regios pauit aspectus. Horrea quadro structa lapide magnæque illæ veterum insulæ, quas discurrens flamma adire non poterat, magnis machinis quondam ad externa bella præparatis, labefactæ atque inflammatæ sunt, ad † adytorum mansiones, bustorumque diuersoria, infelici plebe compulsa. Quod ipse ex altissima Mæcenatiana turre prospectans, lætusque flammæ vt aiebat pulchritudine, tragico habitu † heliofeles odam sonat sacerdotales hymnos ciuitatis, in qua Solis splendor colitur, decantabat. H Auaritiæ autem tam præruptæ extitit, vt post hoc incendium vrbis, quam se Augustus ex lateritia marmoream reddidisse iactauerat, neminem ad reliquias rerum suarum adire permiserit. Cuncta quæ flammæ quoquo modo superfuerant, ipse abstulit, centies centena millia sestertium annua à senatu conferri sibi imperauit. Plurimos Senatorum nulla extante causa, bonis priuauit negotiatorum omnium sub vna die, tormentis quoque adhibitis omnem penitus censum abstorsit. Crudelitatis autem rabie ita † effrenatus est, vt plurimam Senatus partem interficeret, equestrem ordinem pene destrueret. Sed ne parricidiis quidem abstinuit, matrem, fratrem, sororem, vxorem, cæterosque omnes cognatos, & propinquos sine hæsitatione prostrauit. Auxit hanc molem facinoris eius temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit. Ipsumque nomen extirpare conatus, beatissi-

al. fuscus.

al. abditorum.

al. monumentorum.

al. holoseles.

al. illadem decantabat.

al. effrenatus.

mos Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio interfecit. Mox acerbissimoe miseram ciuitatem obortæ vndique oppressere clades. Nam subsequente autumno tanta vrbi pestilentia incubnit, vt triginta millia funerum in rationem † Libitinæ venirent Britannica deinde clades è vestigio accidit, qua duo præcipua oppida magna ciuium sociorumque clade & cæde direpta sunt. Præterea in oriente magnis Armeniæ prouinciis amissis Romanæ legiones sub iugum Parthicum missæ, ægreque Syria retenta est. In Asia tres vrbes, hoc est, Leodicea. Hierapolis, Colossæ, terræmotu conciderunt. Hæc Orosius fere; cuius verbis & sensu libentius vtor, quod scio Christianum & magni discipulom Augustini, propter religionem fidei nostræ veritati diligentius institisse. Hæc quidem possunt & apud alios historicos inueniri diffusius, qui tyrannorum atrocitates, & exitus miseros plenius scribunt. Quæ si quis diligentius recenseri voluerit, legat ea quæ Trogus Pompeius, Iosephus, Egesippus, Suetonius, Q. Curtius, Corn. Tacitus, T. Liuius, Serenus, & Tranquillus, & alij historici, qoos enumerare longum est, suis comprehenderuor historiis. Ex quibus facile liquebit, quia semper tyranno licuit adulari, licuit eum decipere, & honestum fuit occidere, si tamen aliter coërceri non poterat. Non enim de priuatis tyrannis agitur, sed de his qui rempublicam premunt. Nam priuati legibus publicis, quæ constringunt homioum vitas, facile coërcentur. In sacerdotem tamen, & si tyrannum induat, propter reuerentiam sacramenti, gladium materialem exercere non licet, nisi forte eum exauctoratus fuerit, in Ecclesiam Dei cruentam manum extendat, eo quidem perpetuo obtinente, vt ob eandem causam non consurgat in eum duplex tribulatio. Præter rem tamen non videtur, si hæc quæ dicta sunt, aliquibus astruamus exemplis.

al. libitinam.

CAP. XIX.

De morte Iulij Cæsaris, & aliorum gentilium tyrannorum.

OCcurrit ergo imprimis domus Cæsarea, qua nihil potentius aut gloriosius, vlla ætate recolit mundus. Siquidem Iulius Cæsar primus orbem prudentiæ & rei militaris viribus acquisiuit. Homo perpaucorum, & cui nullum expresse similem, adhuc edidit natura mortalium. Licet enim Cicero eum alicubi criminetur, quod citra omnem vtilitatis aut honestatis speciem, delectabatur iniuriis, adeo vt eum ipsum peccare iuuaret: idem tamen tantis laudibus eundem effert, vt deorum censeat munus ex virtutibus temperatum, Romano indultum imperio, vtpote qui nec prosperis extolli, nec aduersis frangi nouerit, magnificus sine crudelitate, sine temeritate magnanimus. Quamuis enim si alius esset, posset temerarius videri; Cæsar tamen audax videri non debet, cuius voluntas deorum aspirante fauore, semper infra potestatem fuit. † Nemo ferum expertus est Cæsarem, nisi superbia rebellaret. Prouocatus iniuriis, pronus fuit ad veniam. Quos vicit viribus, prudentia antecessit. Excessus eius videbantur sperare, & ad iustitiam aspirare. Quod ex eo coniici potest, quod nullum tempus sibi noluit esse philosophiæ expers. His videtur Orosius pro parte consentire. Cum enim in Ægypto magna pars militum eius † cecidisset, & ipse sicut Lucanus meminit, cogeretur respicere Sceuam, qui singulari virtute eminens inter Cæsarianos, obsedit.

al. nemo ferrũ ex pertus est Cæsaris.

al. cessisset.

Muris calcantem mœnia Magnum,

insistentium Ægyptiorum vi pressus Cæsar scapham ascendit, qua mox pondere sequentium grauata & mersa, per ducentos passus ad nauem vna manu elata, qua charitas tenebat, natando peruenit. Hic tamen quia rempublicam armis occuparat, tyrannus reputatus est, & magna parte Senatus consentiente, strictis pugionibus occisus in Capitolio, sed & ibi honestatis memor extitit. Vt enim animaduertit se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima deduxit, quo honestius caderet. Successor eius Augustus felicissimus omnium, se sub interminatione pœnæ dominum prohibitus est appellare, & ciuem gerens, tyrannidis rem declinauit & notam. Tiberius autem à Iulio tertius, veneno obiit, cuius morte ita lætatus est populus, vt terram matrem, & & deos manes orarent, ne mortuo sedem vllam darent nisi inter impios. Et licet veneficium detestabile semper fuerit, venenum quo ille extinctus est, orbis censuit esse vitale. Siquidem veneni certum habitum est, quod cor inter oss[illegible]cremati inuentum est incorruptum. Ea enim rerum æstimatur natura, vt tinctum veneno igne confici nequeat. Tertius tyrannus C. Caligula occisus est à domesticis suis. Tiberius Claudius quintus a Iulio, etsi tyrannidem vitauerit, manifestia vt alter Tiberius veneni signis extinctus est. At Nero sextus à Iulio omnium immanissimus & vilissimus, hunc exitum habuit. Postquam eoim deformitate veterum officiorum, & angustiis flexurisque viarum offensus, vt prædictum est, vrbem incendit, ab omni populo sicut Suetonius refert, desertus est: & cum ingressus in cubiculum quæreret percussorem, & non inueniret, omnes quippe discesserant, ergo ego, inquit, nec amicum nec inimicum habeo? Idem paulo antequam se confoderet, scrobem coram se fieri præcepit ad corporis sui modulum, componique in ea si qua inuenirentur marmoris frusta, & aquam simol & ligna conferri ad curandum cadauer, flens ad singula, atque identidem dictitans: Qualis artifex pereo? Cum autem audiret se à Sena tu adiudicatum supplicio, quale id esset interrogauit. Et cum comperisset debere nudi homiois † ceruici furcam inseri, corpus vero virgis ad necem cædi, conterritus, duos pugiones, quos secum extulerat, arripuit, tentataque vtriusque acie, rursus condidit, causatus nondum esse fatalem horam. Ac modo Sporum hortabatur vt lamentari inciperet, modo orabat, vt se aliquis ad mortem coexemplo animaret. Interdum segnitiem suam his versibus increpabat:

al. ceruicem furca.

Viuo deformiter, turpius pereo.

Iamque equites appropioquabant, quibus præceptum erat vt viuum extraherent. Quod vt sensit, ferrum adegit iugulo, in eoque consumpta est omnis familia Cæsarum. Et ne in sola illa familia aduersus tyrannidem tantum licere legibus quispiam suspicetur, Vitellius nonus à Iulio, Galba & Othone; inter Neronem & Vitellium interfertis, turpissime protractus est à cellula, in quam se contruserat, nudusqoe deductus per viam sacram passim fimum in os eius coniectantibus aliis, & à populo Romano apud Gemonias scalas minutissimis ictibus excarnificatus, vnco tractus est in Tiberim. Duodecimus Domitiaons, Vespasiano & Tito interpositis, post multam & crudelitam tyrannidem à suis crudeliter interfectus est. Ex qua causa tamen in Christianos mitius egerit, autore Eusebio Cæsariensi, paucis aperiam, cuius verba sunt hæc libro tertio, capite decimooctauo. Apud ipsum vero Domitianum cum iussisset omnes perimi, qui de genere Dauid, & regia stirpe descenderant, sicut vetus habet traditio, delati sunt quidam quasi essent de posteritate Iudæ, quẽ fratrem fuisse Saluatoris secundum carnem tradunt. Dupliciqoe vrgebantur inuidia, veluti qui ex genere Dauid, & ex ipsius Christi propinquitate descenderant. Quæ Egesippus per ordinem his verbis refert. Adhuc autem viuebant quidam de carnali Domini nostri genere, nepotes eius Iudæ, qui secundum carnem frater Domini dicitur, quos quidem detulerant tanquam ex Dauid stirpe venientes. Hos quidam Reuocatus nomine, qui in hoc missus fuerat, perducit ad Domitianum Cæsarem. Nam & ipse formidabat de aduentu Christi, sicut & in initio Herodes. Interrogati ergo à Domitiano si essent ex familia Dauid, confessi sunt. Tunc quæsiuit quantis possessionibus vel quantis facultatibus essent prædici. At illi responde-

A runt, quod vtriſque non amplius eſſet in bonis nouem millibus denariorum, ex quibus, ſingulis media pars pro portione deberent. Neque hæc ſibi in pecunia ſubſiſtere, ſed in æſtimatione terræ quæ eis eſſet, in qua- al. dependerent. dragintaminus vno iugere conſtituta, per quam ſuis eam manibus excolentes, vel ipſi alerentur, vel tributa † expenderent. Simul & teſtes ruralis & diuini operis, manus labore rigidas, & calle obduratas, proferebant. Interrogati vero de Chriſto quale ſit regnum eius, vel quis ipſe, aut, vnde, aut quando venturus, reſponderunt, quod non huius mundi regnum, neque huius terræ ei deſignetur imperium, ſed cæleſte ei per angelorum miniſteria, præparetur. Quando ſcilicet adventurus in gloria de viuis ac mortuis iudicabit, & reddet vnicuique pro factis & meritis ſuis. Ad hæc Domitianus, cum in eis nihil criminis inueniret, & vilitatem eorum quam maxime contemneret, abire eos liberos iuſſit. Hæc illi. B Ex quibus patet, quod non ex manſuetudine, quæ decet principem, ſed faſtu impio à nonnullis fidelium crudelitatis ſuæ cohibuit rabiem. Si ergo ad tantam paucitatem, & paupertatem genus regale deductum eſt, vt regnante Domitiano de ſtirpe Dauid vix duo potuerint inueniri, quis ſibi in carne & ſanguine propagatis perpetuitatem eſſe confidit? Et quia Eccleſiam Dei, imo & totum imperium lacerauit Domitianus, eodem in ſe Dei viſus iudicio, & ipſe laceratus eſt. Cuius cadauer populari ſandapila per veſpillones exportatum, atque ignominioſiſſime ſepultum eſt. Succeſſor eius Nerva, omnia acta eius reuocauit in irritum, & aſſcriptus principibus non tyrannis, morbo confectus diem obiit, Traiano adoptato in regnum. Qui tanta moderatione ſucceſſit, vt ſicut Auguſtus feliciſſimus, ita & iſte imperator optimus diutiſſime habitus ſit, & vt ferunt apud Seleuciam vrbem Iſauriæ profluuio ventris extinctus eſt. Ei ſucceſſit Helius Adrianus pater patriæ, qui rempublic. iuſtiſſimis legibus ordinauit, & Iudæos ſcelerum ſuorum perturbatione exagitatos, vt in Palæſtinam irruerent, vlti- C ma cæde perdomuit, vltuſque eſt Chriſtianos, quos illi excruciabant, præcepitque ne cui Iudæo introeundi Hieroſolymam eſſet licentia, Chriſtianis tantum ciuitate permiſſa, quam in optimum ſtatum murorum inſtructione reparauit, præcepitque vocare Heliam de prænomine ſuo. Antoninus cognomento Pius, tranquille & ſancte gubernauit imperium, ſuccedens Adriano cum liberis ſuis, & merito pius, & pater patriæ nominatus eſt, & intercedente Iuſtino Philoſopho ſe Chriſtianis benignum exhibuit. M. Antoninus Verus ſucceſſor Pij cum Aurelio Commodo fratre ſuſcepit imperium. Aurelius autem caſu morbi, quem Græci apoplexian vocant, ſuffocatus interiit. Eoque defuncto, frater ſolus reipublicæ præfuit, vir quem admirari quam laudare, ſi Eutropio creditur, facilius eſt. A principio vitæ tranquillus & conſtans, adeo vt ab infantia vultum nec gaudio, nec mærore mutauerit, philoſophiam edoctus Stoi- D cã eique deditus, vita pariter & eruditione philoſophus. Inſtitutus eſt ad philoſophiam per Apollonium Chalcedonium, ad ſcientiam literarum Græcarum per Chæronenſem Plutarchi nepotem. Latinas autem eum Fronto nobiliſſimus orator docuit, & pro quorundam opinione Plutarchi nepos. Inter cætera bellum geſſit, quod præ magnitudine Punicis conferri poteſt. Et licet orationibus militum Chriſtianorum, ſicut idem Imperator literis ſuis dicitur atteſtatus, magna bella confecerit, al. martyrio. grauis eorum exarſit perſecutio, multique Sanctorum † martyrum coronati ſunt. Poſtremo Lucio Commodo filio ſuo in regnum aſſumpto, in Pannonia conſtitutus repentino morbo interiit. Lucius Antoninus Commodus quintuſdecimus ab Auguſto, per omnia crudelitatis, luxuriæ, & obſcœnitatis dedecore deprauatus, gladiatoriis quoque armis ſæpiſſime depugnauit, & in amphitheatro feris ſeſe frequenter obiecit. Interfecit etiam plurimos Senatores, maxime quos aduertit nobilitate induſtriaque excellere. Flagitia regis pœna vrbis inſequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta flammatio, bibliothecam illam maiorum cura ſtu- E dioque compoſitam, ædeſque alias iuxta ſitas rapaci turbine concremauit. Fertur tamen beatus Gregorius bibliothecam combuſſiſſe gentilem, quo diuinæ paginæ gratior eſſet locus, & maior autoritas, & diligentia ſtudioſior. Sed hæc ſibi nequaquam obuiant, cum diuerſis temporibus potuerunt accidiſſe. Commodus autem cunctis incommodus in domo Veſtiliani ſtrangulatus eſt, viuus autem hoſtis humani generis iudicatus. Et hæc quidem eſt deſcriptio tyranni, qua explicatur res quæ latet in nomine. Sicut ergo damnatum hoſtem licet occidēre, ſic tyrannum. † Hæc tamen non impediat al. Hoc. al. ſupputare. † ſupputatio veritatem hiſtoriæ, quoniam hic Galbæ, Othonis & ſimilium ratio neglecta eſt. Nec quis quotus ſit imperatorum attenditur, ſed quomodo omnium domuerit tyrannidem, aut repreſſerit clementia Dei, qui pro decreto iuſtitiæ quando vult, flagellum inducit in delinquentium pœnam, & quando vult quos fecit pænitentes admittit ad veniam. Decreueram hic ſubſiſtere, F & ad alias à Romanis tranſire hiſtorias: ſed quia in catalogum imperatorum ille à quo genti meæ nomen eſt Seuerus occurrit, qui aduerſus Chriſti nomen tyrannidem grauem exercuit, illum adhuc ſolum adiiciam, ne Seueriæ vel Sareſberiæ noſtræ parcere videar. Sed profecto hanc profanam in Chriſtianos & Eccleſiam perſecutionem cœleſtis vltio è veſtigio proſecuta eſt. Emerſerunt enim continuo bella ciuilia, quibus Romani ſanguinis plurimum effuſum eſt. Hic quidem Afer genere. Tripolitanus ab oppido Lepti, natura ſæuus multis ſæpe bellis laceſſitus, fortiſſime quidem rempublicam, ſed laborioſiſſime rexit. Congreſſus eſt cum multis gentibus, vt de multis triumpharet. Peſcennium Nigrum, ad tyrannidem aſpirantem, vicit & interfecit: Iudæos & Samaritas rebellantes ferro coërcuit. Parthos, Arabes, Adiabenoſque ſuperauit. Hic eſt Seuerus gentium victor, qui in Britannias defectu pene omnium ſociorum tractus, magnis ibi grauibuſque præliis ſæpe geſtis, receptam partem inſulæ à cæteris indomitis gentibus vallo diſtin- G guendam putauit. Itaque maximam foſſam, firmiſſimumque vallum crebris inſuper turribus communitum al. xxxii. per centum † viginti duo millia paſſuum à mari ad mare duxit. Ibique ſicut Oroſius & alij hiſtorici referunt, apud oppidum Eboracum morbo obiit. Siquidem Britannia veneno ſemper exhorruit, & principes nō nouit, ſed pro ſuis principibus inuictos gladios exercere. Præfatum vero oppidum, in id virium & temeritatis, temporis proceſſu excreuit, vt vrbibus antiquis audiat ſe conferre. Hoc ei forte tanti Imperatoris contulit ſepultura. Ipſum tamen gentilium ritu & infidelium prauitate tyrannidem in Chriſtianos exercuiſſe, & pœnas ſceleris luiſſe, certum eſt. Nemo enim à ſæculo, ſe ad apoſtatæ angeli egit imaginem, qui damnationis eius & confuſionis non fuerit particeps.

CAP. XX.

H *Quod autoritate diuina paginæ licitum & glorioſum eſt, publicos tyrannos occidere ſi tamen fidelitate non ſit tyranno obnoxius interfector, aut honeſtatem non † amittat.* al. admittat.

LOngum eſt ſi gentilium tyrannorum ad tempora noſtra ſeriem voluero trahere. Sed vnius hoc ætatis non memorabitur homo. Hoc enim mentem effugit, & linguam vincit. Libellus tamen qui de exitu tyrannorum inſcriptus eſt, quid de tyrannis ſentiam plenius poterit aperire, diligenti tamen compendio, vt nec de prolixitate tædium, nec de breuitate obſcuritas generetur. Sed ne Romanæ hiſtoriæ vileſcat autoritas, quæ plerumque ab infidelibus & de infidelibus ſcripta eſt, hoc diuinæ & fidelis hiſtoriæ comprobetur exemplis. Vndique enim apparet; quia vt ait Valerius, ea demum tuta eſt potentia, quæ viribus ſuis modum imponit. Et ſane nihil tam præclarum eſt, aut tam magnificum, quod non moderatione deſideret temperari. Primum

ergo

A ergo tyrannum nobis obiicit diuina pagina Nemroth robustum contra Dominum venatorem, quem & Ninom dici nonnullæ testantur historiæ, etsi ratio temporis non acquiescat, eumque fuisse reprobum, superius dictum est. Regnare siquidem voluit, & non a Domino, & sub eo turrim in cœlum erigere conata est cæca dispergenda & confunda mortalitas. Progrediamur ad eum, quem populo diuina præfecit electio, datumque in reprobam dominandi, non regnandi voluntatem deseruit, adeoque afflixit, vt vigente doloris angustia, mortem sibi cogeretur inferre. Nihil enim aut minimum prodest sana assumptio, si consequens vita dissentit, nec initia rerum apud iudicem obtinent, cuius sententia pendet ex fine. Regum & libri dierum celebris historia est, in qua, autore Hieronymo, Israël edocetur sub tyrannis ab initio laborasse. Et Iuda præter Dauid, Iosiam, & Ezechiam reges omnes reprobos habuisse monstratur. Salomonem tamen, & forte aliquos aliorum in Iuda conualuisse facile crediderim Domino reuocante. Mihique facile persuadebitur populum duræ ceruicis, & corde indomabili, & qui semper restitit spiritui sancto, & nonmodo Moysen famulum legis, sed

B Deum Dominum legis abominationibus gentium ad iracundiam prouocauit, pro principibus meruisse tyrannos. Nam tyrannos, quos peccata impetrant, inducunt & erigunt, pœnitentia delet, excludit, & perimit. Et quidem ante reges suos, sicut Iudicum narrat historia, seruierunt sæpenumero filij Israël sub tyrannis multis & variis pro dispensatione diuina afflicti temporibus, sæpeque sunt clamantes ad Dominum liberati. Licebatque finito tempore dispensationis, nece tyrannorum excutere iugum de ceruicibus suis, nec quisquam eorum, quorũ virtute pœnitens & humiliatus populus liberabatur, arguitur, sed iocunda posterorum memoria, quasi minister Domini † memoratur. Quod suppositis liquet exemplis. Seruierunt ergo filij Israel Eglon regi Moab decem & octo annis: Et postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo † Aioth inclytum filium Gerari filij Gemini, qui vtraque manu

al. honoratur.
al. Aoth

C vtebatur pro dextera. Miseruntque filij Israel per illum munera Eglon regi Moab, qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus est eo subter sagum in dextro femore, obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios qui cum eo venerant. Et reuersus est de Galgalis vbi erant idola, dixitque ad regem: Verbum secretum habeo ad te ô rex. Et ille imperauit silentium. Egressisque omnibus qui circa eum erant, ingressus est † Aioth ad eum. Sedebat autem in æstiuo cœnaculo solus. Dixitque ei: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. Extendit † Aioth manum sinistram, & tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventrem eius tam valide, vt capulus ferrum

† Aoth.
† Aoth.

D sequeretur in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita vt percusserat, reliquit in corpore. Statimque per secreta naturæ alui stercora proruperunt. † Aioth autem clausis diligentissime ostijs cœnaculi, & offirmatis sera, per posticam egressus est. Et alibi. Sisara fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris † Aber Cynei. Erat enim pax inter Iabin regem Asor, & domum † Aber Cynei. Egressa igitur Iahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, & opertus est ab ea pallio, dixitque ad eam: Da mihi obsecro paululum aquæ, quia valde sitio. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi, & cum venerit aliquis interrogans te & dicens, nunquid hic est aliquis? Respondebis, nullus est. Tulit itaque Iahel vxor † Aber clauum tabernaculi assumens pariter & malleum. Et ingressa est abscondite & cum silentio posuitque supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram. Qui soporem morti socians, defecit & mortuus est. Laudem

† Aoth.
al. Abner
al. Abner
al. Abner

E re ergo, aut vituperium consecuta est posterorum? Benedicta, inquit scriptura, inter mulieres Iahel, vxor † Aber Cinei, & benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Sinistram manũ misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos. Percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans. Vt autem & ab alia constet historia, iustum esse publicos occidi tyrannos, & populum ad Dei obsequium liberari, ipsi quoque sacerdotes Domini necem eorum reputant pietatem, & si quid doli videatur habere imaginem religione mysterij dicunt Domino consecratum. Sic Holofernes non virtute hostili, sed suis vitiis gladio mulieris occubuit, & qui viris formidabilis fuerat, luxuria & ebrietate victus à femina interfectus est. Nec feminæ ad tyrannum patuisset accessus, nisi hostilem animum pia simulatione texisset. Non est enim dolus qui seruit fidei, & militat charitati. Siquidem fidei est, quod increpat sacerdotes qui diuinæ miserationi præscripserant tempus, ex pacto hostibus se dedituri, & vrbem nisi infraquinque dies eis Dominus subuenirer. Charitatis autem quod nulla formidabat pericula; dum fratres & populum Domini ab

† Abner Cinei.

F hostibus liberaret. Nam & hoc egredientis saltem indicant verba: Fac, inquit, Domine vt gladio proprio eius superbia amputetur, & capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ. Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum, & virtutem vt euertam eum. Erit enim memoriale nominis tui, cum manus feminæ deiecerit eum. Vocauit ergo Abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium, & exuit se vestibus viduitatis, & lauit corpus suũ, & vnxit se myrrha optima, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestibus iucunditatis suæ, cingens sandalibus pedes suos, assumpsitque dextralia, & † lilia, & inautes, & annulos, & omnibus ornamẽtis suis ornauit se. Contulitque ei splendorem Dominus, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex vir-

al. viriola.

G tute pendebat Et ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore oculis omnium appareret. Illuc ergo perueniens, & publicum captans hostem, dixit Iudith Holoferni: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si ea secutus fueris, perfectam rem faciet Deus tecum. Viuit enim Nabuchodonosor rex terræ & viuit virtus tua quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium, quoniam non solum homines, sed & bestiæ agri seruiunt illi per te, & obtemperant ei. Nunciatur enim virtus & industria animi tui vniuersis gentibus, & indicatum est omni seculo, quia solus potens es & bonus in omni regno eius, & disciplina tua omnibus gentibus prædicatur. Et adiciens ait; Veniens nunciabo tibi omnia, ita vt adducam te per mediam Hierusalem, & habebis omnem populum Israel sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te, quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei. Quid quæso insidiosius excogitari, quid captiosius dici potest, hac mystici dispensatione consilij?

H Dixit itaque Holofernes: Non est talis mulier super terram in aspectu, & pulchritudine, & sensu verborum. Cor enim eius concussum ardebat in concupiscentia eius. Dixitque bibe nunc, & accumbe in iocunditate, quoniam inuenisti gratiam coram me. Ipsa vero quæ luxuriari non venerat, fidei & fortitudinis suæ instrumento, vsa est luxuria aliena. Et crudelitatem quam semel sopiuit blanditiis, in populi liberatione charitatis armis occidit. Percussit ergo Holofernem in ceruicem, & abscidit caput eius, & tradidit illud ancillæ suæ, vt poneretur in peram reportandum in vrbem, quæ salutem fuerat consecuta in manu feminæ. Hoc tamen cauendum docent historiæ, ne quis illius moliatur interitum, cui fidei aut Sacramenti religione tenetur astrictus. Nam & Sedechias ob neglectam fidei religionem, legitur captiuatus, & quod in alio regum Iudæ non meminî, eruti sunt oculi eius, quia Deum, cui iuratur, etiam cum est iusta causa cauetur tyranno, lapsus in perfidiam,

non proposuit ante conspectum suum. Sed nec veneni, licet videam ab infidelibus aliquando vsurpatam, vllo vnquam iure indultam lego licentiam. Non quod tyrannos de medio tollendos non esse credam, sed sine religionis honestatisque dispendio. Nam & Dauid regum, quos legerim optimus, & qui exceepro sermone Vriæ Ethei, in omnibus inculpatus incessit, licet tyrannum grauissimum sustineret, & eum perdendi sæpe nactus fuerit occasionem, ei tamen maluit parcere confisus de misericordia Dei, qui eum sine peccato poterat liberare. Decreuit ergo expectare patienter, vt ille visitaretur à Domino reddita charitate, aut in prælio caderet, aut alias iusto Dei iudicio moreretur. Siquidem vel ex eo potest insigniri patientia eius, quod cum oram chlamydis Saul præcidisset in spelunca, & alibi de noctu castra ingressus, custodum negligentiam increpasset, ipsum regem coëgit profiteri, quia Dauid causam agebat iustiorem. Et hic quidem modus delendi tyrannos, vtilissimus est, & tutissimus, si qui premuntur ad patrocinium clementiæ Dei humiliati confugiant, & putas manus leuantes ad Dominum deuotis precibus flagellum quo affliguntur, auertant. Peccata etenim delinquentium, vires sunt tyrannorum. Vnde Achior dux omnium filiorum Amon, saluberrimum hoc consilium dedit Holoferni. Perquire inquit nunc Domine mi si est aliqua iniquitas populi in conspectu Dei eorum, & ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si autem non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.

Cap. XXI.

Omnia tyrannorum finem esse miseriatur: & quod vindictam exercet, si manus cesset humana, ac hoc in Iuliano apostata, & multis sacra scriptura patet exemplis.

Finis enim tyrannorum confusio est, ad interitum quidem, si in malitia perseuerant, si reuocantur, ad veniam. Nam & ipsi flagello paratur incendium, cum in correctionem filiorum eo fuerit vsus pater. Et inquit, Achab reueritus est faciem meam, non inducam malum hoc in diebus eius. At Iezabel in sæuitia perseuerans, condigno crudelitatis exitu sanguinem suum canibus lingendum præbuit, in loco vbi sanguinem innocentia Naboth linxerant canes. Quod si ita Nabothæ innocentis sanguis exquiritur, nunquid tot innocentium sanguis irrequisitus erit? Vineam iusti concupiuit impietas, & in permutationem eius totius regni iura amisit. Punitur autem malitia semper à Domino, sed interdum suo, interdum quasi hominis vtitur telo, in pœnam impiorum. Afflixit Pharao populum Dei, & ab eodem grauissimis, sicut in Exodo legitur, flagellatus est plagis. Quas breuiter, vt fidelius teneantur, metro comprehensas curaui inserere.

Prima rubens vnda, rana tabesque secunda,
Inde culex tristis, post musca nociuior istis.
Quinta pecus strauit, vesicam sexta creauit.
Pone subit grando, post bruchus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat vltima prolem.

Nec curo quis versus fecerit, hoc solum attendens, quia plagas Ægypti sub Pharaone satis compendiose comprehendit. In his tamen omnibus non est auersus furor eius à populo Dei, sed egredientem persequens cum curribus & equitibus suis in mari submersus est. Aquis ergo pro muro, ad populi defensionem, & pro telo aduersus subuersionem tyranni vsus est Dominus. Salmanasar quoque regnante Ezechia premebat populum Domini, conuersusque rex in preces aduersus minas tyranni, clypeum diuinæ protectionis opposuit. Vnde & eam per prophetam confortauit Dominus, dicens, Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam qua venit reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamque vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Factum est ergo in nocte illa, venit angelus Domini, & percussit castra Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit. Et reuersus Sennacherib rex Assyriorum & mansit in Niniue. Cumque adoraret in templo Nesrach Deum suum, Adramalech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit † Asaraddon filius eius pro eo. Nec mouent si alio & alio nomine censeatur in diuersis historiis, quia pro traditione Hebræorum, sicut Hieronymus autor est, idem pantonymus extitit. Dictus est enim Salmanasar, & Sennacherib, & Phul, & Teglad † Phalasar, & Sargon. Nisi enim polyonymus habeatur, historicorum quadam contrarietate diffidentium quandoque vacillabit autoritas. Hic ergo angelico gladio primum aduersus exercitum vsus est Dominus, deinde aduersus impium manibus filiorum. Ipsa quoque natura vindictas stupet interdum altissimi, & hominum prouocante malitia, creatoris sui legibus mirabiliter acquiescit. Hinc est quod aduersus Dominum Nabuchodonosor intumescens, exacto septennio bestiam egit, & pœnitens est denuo reuersus in hominem, rebus restitutus & regno, licet eo postmodum meruerit misero exitu spoliari. Ad tempora transeo Christiana, quoniam in omni gente & populo manifesta est nequitia tyrannorum, & euidens pœna. Iulianus vilis apostata, & sordidus imperator, dolo potius quam viribus persecutus est Christum, nec tamen viribus temperauit. Nam sub eo grauissima Christianorum exorta est persecutio, dum Galilæi, quem dicebat conatu impio, nomen moliebatur extinguere. Verum dum aduersus Parthos infaustam expeditionem, ageret, & idolis, in reditu suo, pro sacrificio, cædem deuoueret Christianorum, Magni Basilij, aliorumque sanctorum precibus misertus est Deus, Mercuriumque martyrem destinauit, qui tyrannum in castris mandato beatæ virginis lancea perforauit, morientemque coëgit impium confiteri Galilæum, Christum scilicet, quem persequebatur esse victorem, & de se triumphasse. Cum enim præfatus Episcopus fideles Cæsariæ in Ecclesia perpetuæ virginis genitricis Dei, pernoctantes in orationibus collegisset, ipsa nocte beatam virginem in visione sanctus agnouit, & huiusmodi consolationem accepit: Vocate, inquit illa, mihi Mercurium, & abibit interficere Iulianum, in filium meum, & Deum timide blasphemantem. Sanctus autem cum armatura sua adueniens, velociter abiit, & aduocans quæ apparuerat Magnum Basilium, dedit ei librum habentem in historia omnem mundi facturam, dextrorsum vero hominem à Deo plasmatum. In principio autem libri superscriptio erat, † dic. In fine homine iam plasmato, Parce, Suscipiens itaque librum legit ab initio vsque ad Parce. Similem quoque visionem vidit eadem nocte quæstor Iuliani in expeditione Libanius Rediens Basilius ad martyrium sancti Mercurij nocte ipsa, Mercurij arma non reperit, sed die sequenti inuenit † eadem, & lanceam recenti sanguine cruentatam. Orosius tamen de Mercurio martyre non facit mentionem, sed in expeditione Parthica, tyrannum refert obuij militis telo esse peremptum. Eutropius quoque qui Romanam eleganti compendio describit historiam, peremptum fatetur in castris, sed nullum exprimit cædis autorem: persecutionem tamen quam eodem autore in Christianos supra modum exercuit, ei constat plurimum nocuisse. At historia tripartita diligentius persequitur flagitia Iuliani, & quanta immanitate persecutus sit Christum, quem Galilæum nominabat, toto sexto volumine comprehendit. Exquibus ad laudem Galilæi nonnulla inserui, compendiose decerpta ab his, quæ de eo Socrates, Theodoricus, & Sozomenus, teste Cassiodoro,

tradide

† Esaradon.
† Phalasar.
al. dic.
al. eadem nocte.

A tradiderunt, Iulianus ergo & regio sanguine oriundus, & ex Constantino nepos Constantini Magni, qui Byzantium à suo nomine Constantinopolim appellauit, ab initio extitit Christianus, crescensque in auditoriis Constantinopolitanæ vrbis, exercebatur in basilica, vbi doctores erant, habitu priuato procedens. Pædagogum habebat nomine † Marconium, Grammaticum, † Nidoclem Laconensem. Rhetoricam vero legebat apud Eubolium Sophistam, iam opera & diligentia Magni Basilij Christianum. Prouidebat enim Imperator ne apud paganum Sophistam legens, ad impietatis dogmata declinaret. Profecit ergo vt ei fama deferret vires imperij gubernandi. Vnde in suspicionem ductus imperatori, ab vrbe regia iussus est abstinere, missusque Nicomediam, prohibitus est conuenire apud Libanium Sophistam Syrum paganumque, qui ibi à pædagogis Constantinopolitanis expulsus morabatur. Vtebatur tamen lectione librorum eius, & in Rhetorica proficiens

al. Marcomum. al. Molodem Laconem.

B Maximo Philosopho Ephesio, quem postea quasi artes magicas exercentem, Valentinianus imperator fecit occidi, familiaris effectus est. Cumque ab eo verba philosophica prægustasset, cœpit eius imitari religionem, magis & magis cupidine succensus imperij. Imperatorem vero timens, suspicionemque cauens, tonsus † monachicam simulabat vitam, agens proditorem in habitu Christiano, & in Ecclesia Nicomediæ lector ordinatus, sic furorem declinauit Imperatoris. In manifesto autem sacros Christianorum legebat libros, & latenter exercebatur in Philosophia, inualescente semper ambitione imperij. Vnde & amicis dicebat felicia fore tempora, quibus ipse rerum potiretur imperio. Et quidem manus non euasisset imperatoris, nisi Imperatrix Eusebia inueniens latitantem, & pro eo intercedens obtinuisset, vt ad Philosophandum mitteretur Athenas. Refert Theodoricus quod exinde discurrens omnem Helladam, vates quærebat consulens, an ad imperium perueniret. Inuentoque

al. monasticā.

C viro qui se potentissimum in magica fateretur, introductus est ab eo in locum idolorum, vt in abdito euocatos a mago dæmones præsens consuleret. Quibus solemniter apparentibus, compulsus est Iulianus frontem suam crucis munire signaculo. Quo facto, repente dæmones disparuerunt. Magus itaque cœpit culpare Iulianum. At ille prætendens metum, crucis se dixit obstupuisse virtutem, eo quod signum hoc dæmones fugerunt. Non suspiceris hoc bone vir, inquit magus, quia timuerint sicut ais, sed abominati hoc signum potius abscesserunt. Et ita capiens miserum, odio Christiani signaculi replent Iulianum. Post hæc, sicut Socrates autor est, imperator euocans Iulianum, eum constituit Cæsarem, & data sorore Constantia in vxorem, ipsum contra Barbaros destinauit ad Gallias. Successit ergo ei, fecitque sibi initium vincendi barbaros, quod amorem suum apud milites collocauit. Fertur etiam quod dum in aliquam ciuitatem fuisset ingressus, corona laurea, quibus solent ornari ciuitates, inter columnas

D pendens rupto fune super caput eius decidit, cumque aptissime coronauit. Quo facto, cuncti clamauerunt quia ei signum foret imperij. Congrediens deinde cum hostibus, tanta felicitate prouectus est, vt à militibus appellaretur Augustus. Cumque corona deesset imperialis, vnus signa portantium, torquem quem habebat, capiti eius circumposuit & hoc modo factus est imperator Iulianus. Quæ vero postea gesserit ille Philosophus, indecent audientes. Nam in ipso principio omnia pro libito disponebat, figmentumque Christianæ religionis abiecit, & singulatum vrbium templa aperiens, idolis offerebat, dicens seipsum esse Pontificem paganorum. Intestino quoque bello lacerasset imperium, nisi ei degenti in Thracia, fuisset mora Imperatoris Constantij nunciata. Vt vero fauorem multitudinis sibi conciliaret, ius sibi præferendæ religionis omnibus indulgebat. Studebat ob hoc omnibus omnia fieri. Hinc vanæ gloriæ causa largus, hinc affectata simulatione Philosophi peruus, hinc à ciuilitate fictitia,

E comis hinc grauis à mole imperij & quod maxime erat, ne crudelis haberetur, mansuetudinem mentiebatur. Cæterum qualis esset religione monstrabat. Episcopos ergo in exilium deportatos, iussit euocari, & confiscatas eorum sibi reddi substantias. Templa quoque paganorum velociter suis necessariis præcepit aperire & quæ eis ablata fuerant, incunctanter restituere sanciuit. Palatio expulit eunuchos, tonsores & coquos. Eunuchos quidem, eo quod vxor eius obierat, post quam non duxit aliam. Coquos autem, quia more Philosophi cibis simplicibus vtebatur. Tonsores, quoniam, vt ipse ait, vnus sufficit multis. Scriptores plurimum venerabatur, cultoresque disciplinarum, sed maxime philosophantes. Vnde & fama viros huiusmodi vndique congregabat circa palatia, qui circumamicti palliis, magis habitu, quā magisterio pandebantur. Erantque graues vniuersis Christianis seductores viri, & Imperatoris semper religioni fauentes. Noctibus vigilans conscribebat libros, quos in Senatu publice recitabat. Solus enim Imperator

F à Iulio Cæsare in curia recitauit orationes. Publicum cursum mularum, & caballorum inhibuit, iubens eos vtilitatibus publicis ministrari. Hæc eius opera laudant pauci, plurimique vituperant, quia remoto fastu palatij, contemptibile videatur imperium. Apud Sozomenum fertur, quia mox in ipso principio sic aperte & impudenter negauit Christianam fidem, vt quibusdam sacrificationibus, quas expiationes pagani vocant, & sanguine immolatitio nostrum baptisma studeret ablui, & abrenunciare Ecclesiasticæ confessioni. Ex illo enim tempore, tam † secretim quam publice, & in templis, pagani licenter sacrificia celebrabant. Fertur autem quia dum aliquando sacrificaret, ostensum sit ei in visceribus hostiæ signum crucis corona circumdatum. Quo viso, alij quidem perterriti, veræ religionis virtutem, & Christiani dogmatis æternitatem intellexerunt, eo quod corona victoriæ indicium est, & ambitus circularis, in se rediens est finis ignarus.

al. secreto.

G Princeps autem confortans eos, sibi prospera monstrari asseruit, & quia lignum dogmatis Christiani coerceretur, ne ei dilatari liceret, † circuli termino esse conseptum. Cum autem adhuc pueri Gallus & Iulianus ad sepulturam Mammæ † matris, opere inter se diuiso certatim basilicam fabricarent, res dictu mirabilis & forsitan incredibilis accidisse narratur. Galli namque pars augebatur, vtiliterque crescebat. Iuliani vero labores alij quidem fodiebantur, alij terra ipsa euomente rudentibus implebantur, aliquotiens terræ deposita fundamenta copulari non poterant, ac si quædam violenta virtus ab inferiore loco ea repercutiendo depelleret. Res prodigiosa visa est omnibus existimantibus, quia non esset vir ille in Christiana religione salubris. Nec falso: quod patuit ex post facto. Nam Ecclesias & ministros possessionibus & priuilegiis spoliauit, & quod nimis graue, & plane iniuriosum est, clericos iussit militibus aggregari, duci prouinciæ seruituros, plurimosque

al. circulari
al. martyris.

H eorum curiæ tradidit. Populum vero Christianum cum vxoribus & filiis inscribi præcepit, & tanquam vicaneos tributa persoluere, & Galilæos omnes censuit infelici diminutioni capitis subiacere. In initio autem Christianis parcens mitior visus est, sciens priores persecutores nihil profecisse in pœna Christianorum, qui magis inde creuerunt, & facti sunt gloriosi, pro vero dogmate morientes. Inuidens ergo eorum gloriæ abstinuit a tormentis, iudicans esse necessarium, vt sermone potius & admonitione ad paganitatem colendam populum suaderet sperans etiam hinc se monstrare clementem. Dicitur enim quia dum Constantinopoli apud Fortunam sacrificaret vrbis, accessit ad eum Maris Episcopus Chalcedoniæ, & publice impium & sine Deo apostatam vocitauit. At ille solam ei improperans cæcitatem, eo quod senex cæcus manu alterius agebatur, adiecit: Neque Galilæus Deus tuus curare te potest. Respondit Maris: Gratias ago Deo qui hæc egit, ne te viderem pietate nudatum. Imperator autem silens abscessit, philosophum simulans, vt ostentatione patientiæ paganitatem

A roboraret. Lege autem inhibuit, ne Galilæorum filij, Poetarum, Rhetorum, & Philosophorum legerent disciplinas. Propriis, inquit, telis secundum prouerbium, vulneramur. Ex nostris enim armati, ex nostris conscriptoribus contra nos bella suscipiunt. Posuit & & aliam legem præcipiens Galilæos expelli militiis. Adiecit & aliam, vt Galilæis bona auferrentur, quoniam Christus eorum eos pauperes esse præceperat. Scripsit Apollinaris vir doctus & ingeniosus, heroicis versibus pro Homeri poemate Hebraicam antiquitatem, & in alio opere imitatus est Comœdias Menandri, fabulositate deducta. Euripidis quoque tragœdias, & lyram Pindari secutus est, & absolute dicendum, quia ex
al. encyclicas. diuinis scripturis argumenta sumens, omnes † endeticas lectiones tempore paruo composuit, numero, virtute, moribus, conscriptione, charactere, & dispositione Græcorum valde pares. Fecit & librum nobilem, ad ipsum Imperatorem, siue contra Philosophos, in quo tacitis sacræ Scripturæ testimoniis illos irrefragabili ratione desipere probauit, & se vera sentire de Deo.
B Quæ legens Imperator, claris tunc scripsit Episcopis, legi & reprehendi. Cui Episcopi rescripserunt: Etsi legisti, non agnouisti. Si enim agnouisses, nequaquam reprehendisses. Basilij autem Cappadoceni creditur hæc fuisse Epistola. Veniens Imperator Antiochiam, eo quod ei esset barba valde prolixa, derisus est, dicentibus Antiochenis Tondeatur, vt ad funes barba eius proficiat. Et quia Taurum consueuerat immolare, taurum
al Lacrymantes & aram suo formari præcepit in solio. † Laetantes ergo dicebant, iste taurus euertit mundum, & nisi eum Libanius reuocasset, grauiter afflixisset Antiochenos,
al tamen aduersus quos † tum librum satis vrbanum scripsit. Vt autem etiam Iudæos denuo animaret & armaret in Christum, templum Hierosolymis eos instaurare præcepit. Concurrentibusque quos de toto orbe connocauerat, plurima ministrauit, misitque præsidem impiorum executorem dignissimum præceptorum. Aiunt enim quo-
al repurgium. niam ad † repugium faciendum argenteos hamos & co-
C phinos & scaphas habuerint. Cumque fodere iam cœpissent, statuta quidem die hæc multitudo plurima faciebat. Nocte vero spontanea terra de valle crescebat. Solutis itaque prioris fundamenti reliquiis noua omnia præparabant. Cumque & gypsi & calcis multa modiorum millia congregassent, vis magna ventorum repente respirans tempestates atque procellæ subito factæ quicquid congregatum fuerat, disperserunt. Adhuc autem vesanientibus eis, & nequaquam diuina longanimitate correptis, maximus primo terræ motus factus est, & quisquis non fuerat diuinis mysteriis imbutus, vehementer attritus est. Cum vero neque hoc terrerentur indicio, ignis ex fundamentis quæ suffodiebantur, egrediens plurimos fodientium concremauit, aliorum membra dissoluit. Nocte plurimis in vicina porticu dormientibus cadens subito cum tecto ipsa porticus, dormientes oppressit. Alia vero die in cœlo signum splendens crucis salutaris apparuit, sed etiam Iudæorum vestes crucis signaculo sunt impletæ, non si-
D gnatæ tamen splendenti colore, sed nigro. Hæc itaque Dei rebelles considerantes, & diuina contremiscentes flagella, ad propria sunt reuersi, confitentes esse Deum, qui ab eorum progenitoribus ligno probatur appensus. In his tamen omnibus non est auersus furor impij, sed indurato corde præcepit, vt quicunque sacrificare nollent, palatium non intrarent, & neque collegio, neque foro, neque arbitrio, neque dignitate, neque qualibet administratione participarentur. Cum vero torquebantur Christiani, aut spoliabantur, eis patientiam indicebat, quoniam hanc Galilæus eorum expresso verbo legis & testimonio operis suos docuerat sectatores. Vnde & multi Christianorum retrorsum abierunt, aut strati metu, aut capti dolo: & inualescebat sæuitia paganorum. Vt autem ad idololatriam milites facilius assuescerent, studuit ad priscum schema reformare illud signum sublimius Romanorum, quod Constantinus in formam crucis mutauerat. Verum in publicis imagini-

E bus Iouem quasi de cœlo sibi coronam deferentem & purpuram, Mercurium quoque & Martem in se respicientes, velut pro testimonio sapientis & fortis depingebat, hoc agens in imaginibus, vt sub occasione imperij latenter adorarentur dij, & hoc modo subiecti clanculo fallerentur; exinde sic capti facilius impleturi quod vellet. Si vero detrectarent, torquerentur tanquam imperij contemptores. Approbabat autem studia Christianorum, licet persequeretur fidem & exercitia virtutum, quo paganorum roboraret terrorem, apud Galilæos non vera mentiebatur esse, sed ficta. Decreuit ergo eis virtutes præcipi, & paganos Christianis absque fide moribus institutis, Philosophiæ voluit esse cultores, sicut Arsatio Pontifici Galatiæ, scripta ab eo in hunc modum docet Epistola. Paganorum ritus nondum agitur secundum intentionem nostram, propter cultores eius in negligentia positos. Nam deorum claritas, magnitudo atque sublimitas omni oratione, omnique spe maior est. Sed propitij sint nobis dij propter † ne- al. clementiam.
F gligentiam quam habemus, cum illorum prouidentia in paruo tempore, tanta mutatio facta sit, quantam neque orare primitus aliquis præsumpserat. Cum ergo credimus hoc posse sufficere, nequaquam respicimos quemadmodum superstitionem Christianorum auxit cura peregrinorum, & circa sepulturas & mortuos, multa solatia honestæque conuersationis studia non vera, sed ficta. Quas res arbitror apud nos debere sub veritate geri. Non itaque sat est te talem esse, sed omnes absolute circa Galatiam sacerdotes. Quos aut deprecare, aut ratione flecte, aut certe festinanter à sacerdotali ministerio remoue, nisi diis cum coniugibus & filiis atque seruis colla submiserint, non ferentes vlterius eorum seruos, aut filios hoc facere contemnentes, aut Galilæos impiè contra deos agentes, & impietates pietatibus præponentes. Deinde cunctos admone, vt sacerdos neque ad spectacula procedat, neque in tabernis bibat, aut cuilibet arti operibusque turpibus aut impudentibus præsit. Qui obediunt, honorentur, inobe-
G dientes expelle. Xenodochia constitue per singulas ciuitates, vt nostra peregrini clementia fruantur, non tantum nostri, sed etiam extranei pecunia indigentes. Vt habeas vnde fiat, interim decreui singulis annis triginta millia tritici modios per vniuersam dari Galatiam, & sexaginta millia vini sextarios. Horum quinta pars pauperibus templa obseruantibus debet expendi, reliqua peregrinis, indigentibusque distribui. Turpe namque est, vt Iudæos non abiiciant, sed potius nutriant impij Galilæi, & suos pariter necnon etiam nostros, nostri vero, nostrorum solatio deserantur. Quapropter doce etiam collationes facere paganos ad talia ministeria, paganorumque vicos offerre primitias frugum. Eosque huiusmodi benefactis institue, docens eos hoc opus olim fuisse nostrorum. Homerus enim hoc probat, introducens Emenciùm talia facientem. Nos ergo neque † bona nostrorum imitamur, sed aliis * remittimus, ne- al. bonis nostrorũ mutamur.
H gligentia non confusi, magis autem deorum reuerentiam † respuentes. Si igitur hæc te facientem cognouero lætitia plenus ero. Præsides prouinciarum rarius domi suscipe, frequenter eis scripta transmitte. Ingredientibus eis ciuitatem, sacerdotum nullus occurrat. * al remittimus. Cumque ad templa venerint deorum, intra ianuas eos nemo præcedat militum sorte, aut præcedentium officiorum, sed qui voluerit subsequatur. † al respiciamus. Cum ad ipsum limen templi peruenerit, priuatus existat. Tu enim sicut nosti intus es iudex. Hoc enim etiam sacra sanctio videtur exigere. Obedientes igitur pro veritate pij sunt, reluctantes vanæ gloriæ comprobantur. Quid enim patiantur, aut quod mereantur auxilium, qui matrem deorum propriam habere noluerunt? Qui ergo eam neglexerint, non solum sine querela non erunt, sed etiam nostræ indignationis impetum sustinebunt. Neque enim fas est vt illi pareatur, qui deos habuerit inimicos. Suade siquidem eis, vt si mea volunt frui tuitione, omnes matri deorum studeant offerre culturam. Hæc quidem scripsit, & ad similitudinem Ecclesiæ, dæmonum

templa

A templa constituit & instituit ministros in diuersis gradibus ad instar clericorum, vt essent qui cæteros docerent cultum perfidiæ, & pœnitentes post culpam secundum traditionem Christianorum correctione mediocri reformarent. Nihil autem quod à paganis committeretur in Christum, enorme videbatur. Adeo quidem vt nec sæuire in mortuos inhumanum aut crudele paganis videretur. Vnde in ciuitate † Sebasta Ioannis Baptistæ sepulchrum aperuerunt, ignique tradiderunt, ossa vero ac puluerem dispeserunt. Si vel capita flagitiorum eius, vel summatim quæ per ipsum in orbe aduersus Ecclesiam gesta sunt, voluero enarrare, multis magnisque voluminibus tanta egebit materia. Sed progrediamur ad finem, quem pius Galilæus intemeratæ virginis filius, impio persecutori suo, ad consolationem Ecclesiæ suæ, & ad gloriam maiestatis, qua patri coæqualis & consubstantialis est, potenter inflixit. Procingens ergo se ad Persicam expeditionem, pro more misit Delphos & Delum, atque Dodonem, consulens an expediret ad bella procedere. Vates itaque vniuersi victoriam
B promittebant, vno inter cætera animati responso, quod pro exemplo mendacij ac seductionis inserere non pigebit. Est autem huiusmodi. *Nunc omnes aggredimur Dei victoria trophæa referentes circa fluuium Thiram: Horum ego dux ero, belligerator Mars.* Quisquis ergo Pythium Musarum principem & Dominum rationis credit, vim & mentem carminis huius interpretetur. Quo miser animatus, omnimodam sibi victoriam somnians, etiam Galilæos delere præparabat. A plurimis tamen, vt oportuit, vilis Apostata contemptus est. In Antiochia namque vir quidam optimus pædagogus adolescentium habitabat, eratque illic famosissimus sophista Libanius, expectans victoriam Iuliani, habénsque præ oculis minas eius. Ait ergo veram deridendo religionem: Nunc fabri filius quid putas agit? At pædagogus completus gratia dixit: O sophista, creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, locellum sepulturæ Iuliano componit. Post paucos dies
C mors nunciatur Iuliani. Et in locello adductus est, minarumque timor euacuatus. Eodem quoque tempore, vir religiosissimus Iulianus cognomento Saba, subitæ hilaritatis causam à ministris interrogatus respondit: Ferus sacræ vineæ deuastator, pœnas exactus est vastationis suæ: iacetque mortuus terroribus minisque frustratis. Sed exprimendus est ordo, quo decessit impius persecutor. Cum ergo tam ciues, quam hostes, bello Persico laboribus & fame multipliciter afflixisset, veniens Thesiphontem ciuitatem in tantum obsedit regem, vt crebris legationibus ei offerret partem regni, dum solutus bello discederet, quod Imperator contempsit elatus, nec attendens, quia vincere quidem bonum est, superuincere nimis inuidiosum. Confidebat enim magicis artibus, & arbitratus secundum Pythagoream opinionem, animas diuersa corpora peragrare, se credebat possidere animam Alexandri, aut quod potius in altero corpore esset alius Alexander. Querebantur ergo Romani de principe, qui bellum finire nolebat,
D resistebant tamen † insistentibus Persis, ita vt frequenter nunc hi, nunc illi verterentur in fugam. Porro Iulianus in equo residens exercitum confortabat, inermis quidem spe felicitatis suæ præsumens, contra quem iaculum repente delatum, discurrens per brachium eius in latus immersum est. Ex hoc vulnere suscepit terminum vitæ. Qui vero iustissimum intulit vulnus, hactenus ignoratur. Sed alij quendam inuisibilium hoc intulisse ferunt, alij vnum pastorum Hismaëlitarum, alij militem fame & itinere fatigatum. Sed siue homo siue Angelus fuerit, patet quia diuinis iussionibus † ministrauit. Aiunt enim quia cum fuisset vulneratus, mox manum compleuit sanguine suo, & in aerem proiecit dicens: Vicisti Galilæe, vicisti, & in eo ipso confessus victoriam est, etsi blasphemus. Defunctus est autem tertio anno imperij sui, vitæ tricesimo primo, nimium tamen vixisse visus est bonis, qui non modo in Ecclesiis, sed etiam in theatris prædicabant

al. Sebaste. — al instantibus. — al. obtemperauit.

E victoriam Galilæi. Omnes enim clamabant, maxime satue vbi sunt vaticinia tua? Vicit Deus & Christus eius. Defuncto impio inuenta sunt in templis simulachra stupenda principis, & mira insignia sapientiæ conclamatæ, & famosissimæ pietatis. Nam in Carris aperto templo, quod vsque ad reditum suum clausum esse præceperat, inuenta est mulier à capillis appensa, manus extensas habens, aperto vtero, in cuius iecore euentum belli Persici fuerat speculatus. In Antiochia quoque arcas in palatio plurimas humanis capitibus plenas inuenerunt, & demersa puteis innumera corpora mortuorum. Prodigiosa & scelesta illius, quæ nec Imperatorem, nec Philosophum decuerunt, sed impium & magnum Dei hostem & hominum, tripartita latius pandit historia. In gente quoque Britanniarum, sicut quædam nostratum testatur historia, ad compescendam & puniendam tyrannidis rabiem, gloriosissimi martyris regis Eadmundi numen exercitur. Cum enim † Suanus Britanniæ insulam, quam ex magna parte occupauerat,
F vastaret, spoliaret, & membra Christi persecutionibus multis affligeret, indictione census, quem lingua Anglorum Danageldum nominant, prouinciam onerauit, præcepitque possessiones memorati martyris conferre in censum, supplicatumque est ei, contempsit preces. Missus à martyre religiosus frater, sub interminatione inhibuit, ne Ecclesiam Christi, domum martyris & liberam familiam eius, tyrannis indebita premeret seruitute. Sed impietas ad preces obsurduit, intumuit ad prohibitionem, ad minas indurauit, & conuiciis & iniuriis afficiens humilem nuncium, Dei vltricem accelerauit manum, flagellum prouocauit, & patientia Dei contempta, temeritate cæcus incurrit in mortem. Nec mora. Nam tyrannus è vestigio expirauit. Inter milites enim agens in castris, solus sicut ipse confessus est, cum telo vidit adesse beatum Eadmundum, increpantem eum durissime, & cædentem ad mortem. Et ab ea quidem die, licet insula graues tyrannos habuerit, Ecclesia beati Eadmundi à præfata indictione fisci mansit immunis.
G Nemo enim eorum martyrem ausus est prouocare, aut in opprimenda Ecclesia eius periculum facere sui. Nostris tamen temporibus Eustachius filius Stephani, qui in Ecclesiam Dei sæuire decreuerat, cum omnia pro viribus depopulatus esset, & terram beati Eadmundi, cui omnes prædones detulerunt videret opulentam, sibique non esset consumptis opibus regni vnde semel & secundo militibus æra procederent, iam enim defecerant donatiua, † præsidia iam dictæ Ecclesiæ depopulatus est. Nondum tamen digesserat cibum, quem de facultatibus loci acceperat, ipsaque die, antequam se domi suæ reciperet, quæ nimis vicina erat, tactus est martyris manu, & lethali percussus morbo, die circiter octaua rebus cessit & vita. Quid moror in paucis? Vbi sunt, vt, de domesticis loquar, Gaufridus, Milo, Ranulphus, Alanus, Simon, Gilbertus, non tam comites regni, quam hostes publici: Vbi † Guillelmus Saresberiensis? Vbi † Marmio, qui impellente beata vir-
H gine incidit in foueam quam parabat? Vbi alij quorum vel nomina conficerent librum. Horum vtique malitia insignis est, infamia celebris, infelix exitus, & quem præsens ætas ignorare non potest. Si ergo quis antiquas nescit historias, si ignorat quomodo † Cyrus, cui reges terga præbebant, à regina Scytharum Tomiri prostratus est, si casus & præcipitia præcedentium non recolit tyrannorum, vel ea quæ oculis ingeruntur inuitis attendat, & luce clarius intuebitur, omnes tyrannos miseros esse.

Suanus. — al. prædia. — al. Villiamus. — al. Marinus. — al. Tirus.

Cap. XXII.

De Gedeone qui forma præsidentium est, & Antiochus.

QVid itaque sibi velint, qui Rempublicam, id est populum Dei in debito seruitutis iugo nituntur opprimere, non video, nisi forte ea de causa potentiam appetunt, vt tormenta miseriæ potenter ferant

A Si enim regere tantum appeterent, non dominari, onus officij metientes, nequaquam tanta currerent auiditate. Voluntas enim regentis de lege Dei pendet, & non præiudicat libertati. At tyranni voluntas concupiscentiæ seruit, & legi reluctans, quæ libertatem fouet, conseruis iugum seruitutis conatur imponere. Docet hæc scriptura cui contraire nó licet. Dixerunt omnes viri Israëlis ad Gedeó: Dominare nostri tu & filius tuus, & filius filij tui, quia liberasti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur Dominus. Dixitque ad eos. Vnam petitionem postulo à vobis, date mihi inaures de præda vestra. Videor mihi in huius literæ facie quod dixeram intueri. Nam Gedeon qui interpretatur circumiens inutile, vel tentatio iniquitatis eorum, nomine & verbis videtur principis officium indicare. Eius enim est circumire inutilia, & ea vel delere, vel reuocare ad frugem, & quod iniquum deprehendit, excludere à finibus suis, vt sibi aduersus hostes procedat victoria. B Defertur honor dominij, & recusat, legi tamen subjicit, quos à iugo seruitutis absoluit. Patri filiorum † successurus defertur honor: at ille Deum maluit honorari. Quis eorum recte huic assimilabitur, qui fas nefasque confundunt, & versantur in laboribus & ærumnis, vt filios possint non tam honoris, quam rapinæ & iniquitatis habere hæredes? Quis est enim qui legem Dei, & iustitiam eius, quæ in sola charitate consistit, filiis anteponat? Qui amat, inquit, patrem aut matrem, aut filios plus quam me, non est me dignus. Et profecto qui transitoriis Christo præponunt, ipsis transitoriis citius transeunt, nec eorum perpetuatur gloria, apud quos postpositis aliis Christus manet inglorius. Ergo casum timeat princeps, qui liberorum aut carnis motus affectu, honorem diuinum minuit immemor charitatis. Sed nemo est qui in Deum se fateatur insurgere, insurgunt tamen plurimi, & iam ista palam fiunt. Intrauit Antiochus in sanctificationem cum superbia, & hoc quidem C faciunt multi. Ozias quem literæ irrefragabiles iustum in multis fuisse cómemorant, mortuo Zacharia ordinem sacerdotalem non tam pie, quam audacter inuasit, & reclamantibus Leuitis, nonne tu es Ozias Rex & non sacerdos, audire contempsit. Statimque lepra partem illam corporis eius inuasit, quam sacerdos ex lege auri tegebat lamina, vt iuxta imprecationem propheticam, facies eius ignominia repleretur. Rex quidem notus est, & ex coæuis regibus, & ex eo maxime quod anno mortis eius natus est Romulus, à quo genus est Romanorum. Imitantur plurimi Oziam, sacerdotalia præsumentes, sed lepram eius paucissimi erubescunt. Plures tamen sequuntur Antiochum, qui non cum deuotione vt offerat vice sacerdotis sancta ingreditur, sed vt deleat si quid est in templo Domini sanctum. Cum enim Antiochus desolationis & abominationis idolum fabricasset, libros legis Dei combussit igni, & scidit eos, apud quemcumque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicunque obseruabant legem Dei, secundum edictum Regis D Antiochi trucidabant eum. Vidi temporibus meis nonnullos sacerdotali se immiscentes officio, & humeros temerarie supponentes, vt arcam præriperent ab humeris Leuitarum, loci immemores, qui in præsentem diem dicitur † oræ percussio. Alios vidi, qui libros deputant igni, nec scindere verentur, si in manus eorum ista peruenirent aut canones. Tempore Regis Stephani à regno iussæ sunt leges Romanæ, quas in Britanniam domus venerabilis patris Theobaldi Britanniarum primatis asciuerat. Ne quis etiam libros retineret edicto regio prohibitum est, & † Vacario nostro indictum silentium, sed Deo faciente, eo magis virtus legis inualuit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare. Quis autem in tot millibus regnare affectantium esse vult similis Gedeoni? Aut quis legem sibi vult dominari & populo? Omnibus tamen vnum illud deberet sufficere, quod Gedeon à subditis petit, id est si solas ex præda sibi consequatur inaures. Si enim quæ lex loquitur, iudicare curauerit, & ei obediens populus acquiescat, vt non sit iniquitas & contradictio in ciuitate & populo cui præest, debet profecto sufficere præsedenti. E

† successiuus.

† Oræ.

† Vacario.

Cap. XXIII.

Consilio Bruti vtendum esse aduersus eos, qui pro summo pontificatu non modo certant, sed schismatice dimicant: & quod tyrannis nihil quietum.

SEd esto vt his liceat, qui carnales sunt, contendere de primatu, viris Ecclesiasticis hoc vsquequaque arbitror esse illicitum. Carnalium tamen exemplo sub imagine religionis obrepit impietas, & iam non modo contenditur pro sacerdotio, sed pugnatur. Antiqui quondam trahebantur inuiti, & proni ad martyrium, primas cathedras, carcere peius & cruce fugiebant. Contra iam palam loquuntur sacerdotes, & prouerbium F nullum dicunt. Nolumus, inquiunt, martyres esse, sed sedium nostrarum gloriam non damus alteri. Misera quidem & miserabilis vox in ore sacerdotis, qui Christum sic agnoscit, vt se nolle eum sequi palam confiteatur. Dubitari poterit an verus moriatur confessor, qui persecutorem si opus fuerit, non expectat? Ait enim Cyprianus: Episcopus si timet, actum est de eo. Sed liceat timere, non stare in necessitate illicitum est. Fugitiuus inutilis infamia est. Est tamen in quo videntur imitari constantiam martyrum, si pro cathedra scilicet fuerit decertandum. Fertur à quibusdam & verum est, quod super Romano pontificatu ab ambitiosis quandoque, imo sæpe litigatum, & non sine sanguine fraterno sancta sanctorum ingressus sit pontifex. Concitata sunt iterum bella plusquam ciuilia inter Cæsarem & Pompeium, & quicquid Philippis, Leucade, Mutinæ, in Ægypto, Hispaniane præsumptum est, quicquid impie gestum, pugna sacerdotalis absoluit. Nunquid Christiani sanguinis procurant effusionem, vt eis præ cæteris liceat pro grege, quod pastoris est, animas ponere? G Nunquid Ecclesiam diruunt, profanant sancta, vt sit quod ædificari & sanctificari oporteat? Concutiunt populos, regna sollicitant, Ecclesiarum deripiunt facultates, forte vt sibi faciant materiam promerendi, vt componant omnia, vt pauperibus miserendi, & prouidendi, aliis concurrentibus necessitatem præripiunt. Si enim vt plura sibi impune liceat, si vt pecuniam congregent, si vt carnem & sanguinem foueant, dilatent & corrumpant, si vt familiam nobilitent, si denique vt gloriam suam quærant in clero dominantes non forma facti gregis ex animo, licet labiis & simulatione officij pastorem induant, tyrannis quam principibus facilius accedunt. Dicunt Philosophi, & verum arbitror, nihil in rebus humanis vtilius homine, & in ipsis hominibus principe ecclesiastico vel mundano nemo vtilior. E diuerso nihil homini perniciosius homine, & in eis tyrannus secularis, aut Ecclesiasticus perniciosior est. H Sed profecto in vtroque genere, secularem Ecclesiasticus antecedit. Sal enim infatuatum ad nihil omnino valet, nisi vt projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Porro

Vsque adeo solum ferrum mortemque timere
Auri nescit amor, pereunt discrimine nullo
Amissæ leges. Sed pars vilissima rerum
Certamen mouistis opes.

Ergo diuidatur vnitas, integritas scindatur, sinceritas corrumpatur maculetur & sanctitas, mundi nouum iudicium celebretur, & princeps eius qui in passione Christi eiectus est, rediens scandala spargat, vt beatus sit, qui non capitur tendiculis eius:

——Tanto te nomine
Prouentu scelerum quærunt vter imperet vrbi?
Vix tanti fuerat ciuilia bella mouere,
Vt nemo

Rectissimam eminendi viam docuit Christus, qui discipulos suos regibus gentium noluit conformari, vt e-

A immentur in subditis, & qui potestatem exercent benefici dicantur, sed qui maior est, sponte minoretur, & solum præ cæteris, † iure, quiete, viribus, & contentione remota, sibi vendicet officium ministrandi. At isti aliam præualetant ascendenees ex aduerso fratrum, & ministrandi humilitate reiecta appetunt præ regibus gentium dominari. Nec dubium quin refrigescente, imo extincta charitate, sedem suam & ipsi ponant ad aquilonem. Siquidem productos odere pares. Vtinam secuti essent, qui ea viderunt, tempora, consilium Bruti, à quo eum, imminente bello ciuili Catonis auertit autoritas. Decreuerat enim manus suas ab armis continere ciuilibus, quibus quanto quisque libentius & fortius immiscetur, tanto iniquior & immanior est. Ait ergo:

[† vita quieta.]

Nunc neque Pompeij Brutum, nec Cæsaris hostem,
Sed bellum victores habes.

B Si ergo sapiant hi pro quorum dominio schismatici litigant, eos solos concurrere patiantur, alterutri metuant opem ferre, incerti quis victor futurus sit, certique quanta, quam grauis ruina victis immineat.

Nulla manus bello † mutuato iudice pura est. [† mutato.]

Nam &

Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni.

Gaudeat plane mundus, cum alter solus vicerit, sed propensiori lætetur gaudio si vicerit vterque vel neuter. Conueniant ergo si placet in insula Lycaonia, aut alio, si quis tamen locus bellis siue duellis est aptior, nam antiqui, teste Quintiliano, bellos dicebant quos modo duellos appellamus, & sine orbis & vrbis periculo vincat alteruter duellorum, quem Deus scilicet approbauerit, aut victorem esse permiserit. Victus quoque, si id victori placeat, demergatur in Tyberim, aut si cum eo mitius agendum videtur, retrudatur in caueam. Cui cum abbas loci claustrum, imo carcerem aperuerit, protestetur se non illud ei qui damnatur præparasse, sed victo. Siquidem

C *Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.*

Qui vero vicerit, id est qui violentior fuerit, in Liparem, aliamue insulam exul perpetuus deportetur ad marmora secanda aut ad metalla damnetur. Facinus enim schismatis quos inquinat æquat, nisi quia plerumque qui fortior, imo ferocior, idem & iniquior est. Quid perniciosius aut odibilius bello ciuili? Nihil plane præter rabiē schismaticorum, aut hæreticam pestem, Quorum vtrum perniciosius sit, non facile dixerim, si tamen in his numerus est, vt vnum segregetur ab altero. Cessabunt plane bella ciuilia, si præsumptioni desit temeritatis adiutor. Nec est qui concives possit vrgere ad furorem, nisi eos aliquatenus ipsa delectet insania. Vtique necessitas confurendi, aut nulla omnino, aut vt multum imaginaria est. Hæc quoque permultis maximisque periculis patet, quorum nemo satis declinat euentum, nisi præcaueat facultatem. Innuit hoc Poeta grauissimus, aut si iuxta Quintilianum rectius dicere malueris oratorem, non repugno, dum constet præcauenda esse etiam quæ possunt euenire pericula, &

D vniuersitatem ab vno quolibet cogi non posse, vt sceleri obsequatur inuita. Ait enim.

Hic quamuis nullo maculatus sanguine miles,
Qua potuit, fecisse timet, quid pectora pulsas?
Quid vesane gemis? quid fletus fundis inanes?
Nec te sponte tua sceleri parere fateris.
Vsque adeone times, quem tu facis esse timendum?
Classica det bello, diros tu neglige cantus.
Signa ferat, cessa iam iam ciuilis Erynnis
Concidet, & Cæsar generum priuatus amabit.

Sic sic si Ecclesia Dei erigatur in spiritus libertatem. Si ministerium sceleris subire detrectat, aut omnino schismata sopientur, aut manente compage vnitatis, soli inter se schismatici dimicabunt. Interim contineat Ecclesia manus suas, quoniam gladius Petri, qui sanguinem carnali sitiebat affectu, mandato Domini ad præsens tegitur in vagina, & discipuli eradicare zizania properantes, præcipiuntur meliores angelos expectare.

E Oret vnitatis integritas, vt in se colligat dissidentes lapis incisus, in quo fundatur Ecclesia, quem schismatici reprobant, qui fecit vtraque vnum, & vestem suam in sortem fidelium integram cedere maluit, quam secari. Oret inquam ne deficiat fides, & experens in cribro Sathanas non disperdat, conculcet & triticum. Oret pacem, quærat pacem, & persequatur etiam fugientem. Meminerit eius, qui cum posset producere plus quam duodecim legiones angelorum, exaltatus in crucem omnia acquisiuit. Ipsa enim exinanitio adeo meruit exaltari, vt ad gloriam eius flectatur omne genu. Schismaticos nocentes accipiunt, se consentientes iustos, nocentes faciunt bella sacerdotalia. Quiescant ergo stantes à longe cum Petro, vt videant finem. Recolant illud ethnicum:

——Si cælicolis furor arma dedisset,
Aut si terrigenæ temtarent astra Gigantes,
Non tamen auderet pietas humana, vel armis,
Vel votis prodesse Ioui.

F Hoc quidem videtur esse seruandum in his vbi quis iustus induit arma, scire nefas. Nam si hæreticus, schismaticusve Catholicum impugnat, assistere veritati pium est, & Romano Pontifici deuotissime famulari. Hoc quidem cum innotuerit, nam schismaticus se Catholicum esse sæpe mentitur. Quis enim præsumet summum iudicare pontificem, cuius causa Dei solius reseruatur examini? Vtique quisquis hoc attentauerit, laborare quidem, sed proficere nequaquam potest. Nec ad vnguem nomen Pontificis arto habeatur, hic pontifex cuiuscunque canonica præcessit electio. Ionas vt naufragium tolleret, naufragium fecit, maluitque perire solus, quam alios inuoluere periculis suis. Nec tamen regendæ nauis curam susceperat. Salomon ab eo maternum conuincit affectum, quod integrum meretricis calumniæ filium cedere maluit, quam partiri. At isti periclitari malunt Ecclesiam, & scindi, quam honorem non vsurpare, & innocenti matri Ecclesiæ non inferre calumniam. Hæc est, inquit, mater eius quoniam ex dilectione refugit sectionem. Econtra hic priuignus est, qui G

Ferro rimatur viscera matris.

Quot & quantos tumultus, & strages dedit illa collisio, quando filius Petri Leonis aduersus Innocentium bonæ memoriæ quintum, Domini Adriani præcessorem, cuius vitam & felicitatem in se æuum protendat Dominus, conatus est ab aquilone ascendere? Nonne & stellarum partem secum traxit ruina eius? Quis nescit Egidium Tusculanum? Quis Petrum Pisanum, cui nullus aut vix similis alter erat in curia? Quis recenseat Episcopos, qui in tota fere Italia corruerunt? Profecto dum ruinæ illius exstabit ætate nostra memoria, incredibile est quempiam adeo misere ambitiosum esse, vt Ecclesiam scindere non formidet. Neminem ita † stupidum esse [† cupidū.] credo, qui non malit se deleri, quam vt pro ea tanta fiat turbatio. Sic delictis nostris exigentibus, carnificum istorum quisquam ascenderit sedem Petri, & ad guber- H naculum nauis eius Domino indignante, accesserit, plane naufragium non immerito faciet, cum & Petrus vocatus à Domino, ad validiorem territus auram cœperit mergi, & nauis quæ Dominum habebat vectorem, de salute desperet, donec Christus dormiens precibus excitetur. Vtique qui misere ascendit, rotatur miserius, & misertime dejicietur, nec lætos habent exitus, quæ malo sunt inchoata principio. Discordia certissimum iniquitatis, & defectus indicium est. Siquidem

——Minimas rerum discordia turbat,
Pacem summa tenent.

Phaëton in fabulis, dum paternos currus affectat, incendit orbem, & tandem miseratione Dei, & ipse succensus corruit præceps, curru disiecto. Tunc.

——Isse diem sine sole ferunt:

& dum flagrat Ecclesia succensa schismate, Christus videtur abesse. Icarus quoque dum elatus iuuenili leuitate fertur in cœlum, marinis fluctibus mergitur. Deiectus

enim

enim est dum alleuarentur. Subiectio siquidem impiorum, grauioris ruinæ præparatio est. Quis autem eo † iniquior, qui ministerium pacis, sacrificandi officium in rixas mittit, & carnificium? Quorsum quæso tanta immanitas? Numquid ad vitam? Sed eorum finis interitus. An ad gloriam? Sed gloria eorum in confusione est. An ad voluptatem? Ergo & eorum Deus venter est. An vt nobilitentur in carne & sanguine? Sed caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Nam aduersus carnales non ego, sed hæc & grauiora his, apostolica intonat tuba. Quorum inquit finis interitus, quorum Deus venter, & gloria in confusione, quia terrena sapiunt. Si vt suam expleant voluntatem, aliis dominantes quod tyrannicum est, eis nihil minus proueniet. Tyranno siquidem nihil tutum est, aut quietum. Interroga Damoclem, & se hoc à tyranno Siciliæ didicisse fatebitur, cum ei vndique in ardentes prunas ruina immineret ad primum nutum, & quasi texentis licio dependens gladius inter regales delitias ceruici illius similis ferienti irrueret. Hoc quidem apud Claudianum astruit Theodosius. Ait enim,

† al. nequior.

Qui terret plus ipse timet, sors ista tyrannis
Conuenit, inuideant claris, fortesque trucident.
Muniti gladiis viuant, septique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.
Tu ciuem patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tua te moueant, sed publica vota.....

Erubesce Sydon ait mare, quia iam carnalis loquitur, quæ vir spiritualis audire non potest. Si enim audirent sacerdotes vocem hanc, nequaquam per tela, per hostes currerent, vt primas cathedras occuparent. Sed licet omnes summi pontificatus apicem deferant, quantum salua religione licet, fugiendum, quam suscipiendum arbitror sapienti. Vt enim ex conscientia verum loquar, illius laboriosissima, & quantum ad statum præsentis seculi pertinet, miserrima videtur esse conditio. Si enim auaritiæ seruit, mors ei est. Sin autem non effugiet manus & linguas Romanorum. Nisi enim habeat vnde obstruat ora eorum, manusque cohibeat, ad conuitia, ad flagitia, & sacrilegia perferenda, aures oculos, dutet & animum. Tria quidem sunt, quæ præ cæteris, etiam prudentum omne iudicium subuertunt, amor munerum, acceptio personarum, facilitas credendi. Nam ad ista moueri & iustitiam dispensare, nullus omnino potest. Ergo & ab his immunem Romanum necesse est esse Pontificem, qui omnium coercere debet excessus. Si odit munera, quis beneficia confert in inuitum? Quid largitutus est, qui non accipit? Aut quomodo si non largitur placabit Romanos? Si personas eorum non accipit, quomodo subsistet ante faciem eorum? Vix enim in conclaui causam poterit pensare sacerdotalem, quin eos in consiliis omnibus admittere compellatur. Quid quod cogitur damnare Simoniam, munera & retributiones? Si ea sequitur, nonne seipsum propria voce condemnat? Si in summa potentia minima licentia est, profecto qui legibus præest, nulli subiicitur, sed ab illicitis arctius coarctatur. Ergo & Romano Pontifici minimum, eo ipso quo plurimum licet. Quid ponderosius est sollicitudine omnium Ecclesiarum? Apostolicum priuilegium transit ad successores, & plane pars priuilegij est, quam Apostolus ad Corinthios loquitur. Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si totum non vultis reuoluere, vel istud vendicet, qui de primatu contendit, & vt puto cito faciet locum. Præterea qui Romanus Pontifex est, eundem pro conditione Ecclesiæ quæ nunc est, esse seruum seruorum necesse est. Non equidem nuncupatiue ad gloriam, vt quidam opinantur, sed substantiue, vtpote qui seruis Dei seruiet vel inuitus. Omnis enim persona Dei seruit, & dispensatrix est clementiæ vel iustitiæ suæ. Seruit Angelus, seruit homo, seruiunt boni, seruiunt mali, & ipse princeps mundi diabolus seruit. Ergo & Romani seruiunt Dei, & tyranni, quibus Romanorum necesse est seruire Pontificem. Adeo quidem vt nisi seruierit, aut expontificem, aut exromanum esse necesse sit. Quis cum ergo seruum seruorum esse ambigit? Dominum Adrianum, cuius tempora felicia faciat Deus, huius rei testem inuoco, quia Romano Pontifice nemo miserabilior est, conditione eius nulla miserior. Et licet nihil aliud lædat, necesse est vt citissime vel solo labore deficiat. Fatetur enim in ea sede se tantas miserias inuenisse, vt facta collatione præsentium, tota præcedens amaritudo, iucunditas & vita felicissima fuerit. Spinosam dicit cathedram Romani Pontificis, in tantum acutissimis vsquequaque consertam aculeis, tantæque molis, vt robustissimos premat, terat & comminuat humeros. Coronam & phrygium clara merito videri, quoniam ignea sunt. Se nunquam à natali solo Angliæ malle exisse, aut in claustro beati Rufi, perpetuo latuisse dicit, quam tantas, nisi quia diuinæ dispensationi reluctari non audet, intrasse angustias. Dum superest, ipsum interroga, & crede experto. Hoc etiam mihi sæpissime adiecit, quod cum de gradu in gradum à claustrali clerico per omnia officia in Pontificem summum ascenderit, nihil vnquam felicitatis aut tranquillæ quietis vitæ priori adiectum est ab ascensu. Et vt verbis eius vtar, nihil enim cum præsens sum, sui gratia vult apud se absconditum esse ab oculis meis. In incude inquit, & malleo semper dilatauit me Dominus, sed nunc oneri quod infirmitati meæ imposuit, si placet supponat dexteram, quoniam mihi importabile est. Nonne ergo miseria dignissimus est, qui pro tanta pugnat miseria? Sit sane ditissimus qui eligitur, sequenti die pauper erit, & infinitis fere creditoribus tenebitur obligatus. Quid ergo erit ei, quem nulla vocat electio, sed repugnante in membris Christo, ambitio cæca & cruenta non sine sanguine fraterno † intrudit? Hoc quidem est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in commissi dispensatione ouilis.

† al. intrudatur.

Cap. XXIV.

Epicureos nunquam assequi finem suum.

Nisi dissimulet contentiosus, quæ tamen dissimulari ratio non permittit, ex superioribus luce clarius liquet Epicureos nunquam assequi finem suum. Cum enim ad tranquillam aspirent vitam, & ad libidinem explendam se retrahant & philosophentur, imo desipiant, nemo enim quod male libet, potest sapienter explere, hoc per ista Babylonis fluenta nullus assequitur. Illos quoque Epicureorum nomine censendos arbitror, qui suam volunt in omnibus implere voluntatem. Nam cum res libidini seruiunt, in voluptatem transit affectus. Si affectus affectui non pareat, quo magis vis, torqueris magis, si tamen sit libido in voluntate. Alioquin interdum velle quod non potes, iucundum est & fructuosum, si forte esurias & sitias iustitiam, laboriosum tamen. Mundus itaque Epicureis plenus est, eo quod in tanta multitudine hominum, pauci sunt, qui non famulentur libidini, id est, corruptæ voluntati, sed laboriosæ voluntatis nexibus non implicati, aut nulli, aut pauciores sunt. De loco voluptatis exclusus est homo, ex quo libido præualuit, eo quod vita iucunda & tranquilla frui non potest, cui cœperit libido dominari. Maluit facere quod libuit, quam quod iussus est, & proiectus in locum miseriæ, in terram laboris missus est, vt ei & semini suo terra spinas & tribulos germinet, & in sudore vultus sui comedat panem suum, qui in rectitudine voluntatis obediens, sine difficultate & labore plenam poterat habere voluntatem. Siquidem ad necessitatem & voluptatem, parata inuenerat omnia. Vultus autem sicut is placet, qui curiosius scrutantur verborum originem, dicitur à volendo; & sudor eius laborem, & angustias indicat corruptæ voluntatis. Si ergo sudatur in eo, qui confirmat cor hominis, & etiam in sumendo quid lætificat, quid est, quod sine labore sibi natura mortalis

A credat indultum? Anima sibi dictum recolit, quod matrimonium nostrum peccatrici sententia creatoris incorsit. Parit ergo in dolore filios virtutum, quæ sine labore parit sobolem vitiorum. Natura namque peccatris ad malum prona est, & corrupta ab adolescentia sua, quæ ætas origini vicinatur, vt sine labore & difficultate labi, & non possit erigi ad bona sine labore, & erectus sine difficultate & gratia stare non possit. Parit itaque vitia filias vtique non filios sine dolore, sed proculdubio ad dolorem, sed in dolore filios, sed plane ad gaudium, non dolorem. Ergo Epicureus versatur in dolore, cuius vita filios parit, aut filias, & semper præsentes, aut futuras ingemiscit angustias. Nam vt cætera taceam, præsentibus non lætatur, aut si cæcus non est, dum rerum metitur exitus, ea tanquam abeuntia & fugientia deplorat. Lætis etenim stare negatum est, nisi quis lætetur in his quæ beatum faciunt, aut ad perpetuam proficiunt vitam. Præterit namque mundus hic, & omnia desiderabilia eius. Quantumlibet blan-
B diatur incautis, & dulces fallaciæ suæ propinet illecebras, nouissima eius quouis absinthio amariora sunt. Et quia ratio præsentem statum eius imperfectum esse, vsquequaque conuincit, nescio quid solidum semper pollicetur in posterum, vt in omnibus amatoribus & sequacibus suis nec votum ab initio duxerit ad perfectum, aut voti compotem fecerit. Hinc est quod auarus in mediis opibus esurit, potens & præsidens in summo fastigio seruit in profundo luxu, voluptuosum gaudij defectus angit, & famæ procus & gratiæ, in toto tumore inanis gloriæ vilescit. Cui ista non patent, nimium cæcus est, cum vnusquisque eorum qui versantur in his, sibi quod appetit, deesse fateatur. Sunt tamen quorum oculos ita perstrinxit malitia, vt quæ per se lucent, nequeant intueri. Sic oculis capti talpæ lucis beneficium non agnoscunt, & innatis gaudentes tenebris, oderunt aerem puriorem, nec viuere queunt, si diutius arceantur ab humo & latebris suis. Nonne talparum gerunt imaginem, qui semper in humo ver-
C santur, quorum tota conuersatio in terra deprimitur, vt nihil altum sapiant vel diuinum? Sed nec humanum quidem, cuius est cum cætera animalia prona ferantur in terram, cælum & quæ cælestia sunt, erecta dignitate corporis & animi contemplari. Hi tamen suo, sed talpæ quodam naturæ vitio, deprimuntur. Profecto deterior est, quem culpa maculat, eo qui naturæ laborat impetio. Nec credas altum sapere, qui naturæ consortes, non tam virtute quam vitiis vult præire. Sed quid in grege isto talparum arguo cæcitatem, nisi quod aliorum funis esse videtur? Ab eo namque scaturiunt tinuli vitiorum, vt quasi in corpore vno videas confinxisse rapacitatem leonis, sæuitiam tigridis, gulam lupi, varietatem pardi, fraudem vulpis, tenacitatem harpyiæ, immunditiam suis, petulantiam hirci, superbiam equi, stoliditatem asini, obstinationem muli, toxicum hydræ, nigredinem corui, & quicquid aliud peruersitatis infundere potuit homini teterrima creatura. Nam ab eo vniuersa hæc incommoda profluxerunt,
D dum boni & mali scientiam & similitudinem Dei promittit per rapinam. Exinde inclinata est ad malum natura hominis, cuius quasi quædam infantia præcessit innocens, dum in colloquiis peruertentibus & peruersis abstinuit. Siluit homo & mansit innocens, immisso sopore obdormiuit innocens, expergefactus & agnoscens auxilium simile, quod ei fabricauerat Deus innocenter locutus est magnalia Dei. Sed ex quo factus verbosior per ostium curiositatis eductus, exercuit cum tentatore verbi commercium, quasi ab infantia adolescens concepto calore intumuit, & præuaricatus mandatum, cuius custodia ad gloriam fuerat profutura, corruptus est, vt ex tunc mirabili & inuincibili lege conditionis inflictæ, sibi vnio colluctetur carnis & spiritus, vt nulla ratione componi possint, nisi illius gratia intercedat, qui fecit vtraque vnum, & carnem in electorum fine, faciet à spiritu absorberi. Si verbis gentilium vti licet Christiano, qui solis electis diuinum, & Deo

E placens per inhabitantem gratiam esse credit, ingenium, & si nec verba, nec sensus credam gentilium fugiendos, dummodo vitentur errores, hoc ipsum diuina prudentia in Æneide sua sub inuolucro fictitij commenti, innuisse visus est Maro, dum sex ætatum gradus, ex librorum distinctionibus prudenter expressit. Quibus conditionis humanæ dum Odysseam imitatur, ortum exprimere visus est & processum, ipsumque quem educit & prouehit, producit & deducit ad manes. Nam Æneas, qui ibi fingitur animus, sic dictus, eo quod est corporis habitator, † ἔνοικος enim vt Græcia placet, habitator est, δέμας corpus, & ab his componitur Æneas, vt significet animam quasi carnis tugurio habitantem. Sic etiam Neptunum ennosigæum, eo quod Sigæum inhabitet. Primus itaque liber Æneidos sub imagine naufragij manifestas infantiæ, quæ suis procellis agitatur, exponit tunsiones, & in fine suo abundantia cibi & potus adulta prosilit ad lætitiam conui-
F ualem. In confinio ergo adolescentiæ prodeunt colloquiorum commercia, & eorum intemperies aut fabulas narrat, aut veris falsa permiscet, eo quod multiloquio peccata deesse non possunt. Porro tertius varios iuuentutis, quasi suos canit errores. Eo quod illa ætas solos fere nouit errores. Siquidem vt ait Ethicus,

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris.

Prima ergo ætas nutricem, secunda custodem habet, tertia quo liberior, eo facilius errat, nondum tamen procedit ad crimina. Quartus illicitos amores conciliat, & ignem imprudenter conceptum in pectore, ad amantis infelicem producit rogum. Neque enim inconcessis fatalem beatitudinem esse sub typo Mercurij ratio persuadet, docetque illum, qui dum fuerat paruulus sapiebat vt paruulus, fuga irrefragabiliter apprehensa euacuare quæ erant paruuli. Vnde vt ad memoratum Ethicum redeamus.

G
Conuersis studiis ætas animusque virilis
Quærit opes, & amicitias, inseruit honori.
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.

Ergo & virilis ætas puerilia, & iuuenilia erubescit, & si peruersa voluptate & immundo amore nauigij sui soluere non potest anchoram, præscidit & funem. Sic & Patriarchæ pudicus filius pallium reliquit adulteræ, ne adulterij crimine inuolueretur. Quintus maturitatem ciuilem promit, & ætatem depingit vicinam senectuti, imo quæ ipsam iam ingreditur senectutem. Nam & patrum honores recolit, maiorum memoriam veneratur, & quasi ad tumulum Anchisæ solennes celebret ludos, in his ipsis exilij sui miseriam recognoscit. Dum vero hinc egreditur, transit ad sextum, & amissis Palinuro & Miseno, duce scilicet nauigij dormitante & temerarij prælij incentore, cum iam frigescat affectus, viresque deficiant, non tam senectutem sentit quam senium, & velut quendam descensum ad inferos, vbi quasi rebus inutiliter gestis, totius anteactæ vitæ reco-
H gnoscat errores, & discat alia via incedendum esse his qui volunt ad dulces Lauiniæ complexus, & fatale regnum Italiæ, quasi ad quandam arcem beatitudinis peruenire. Constat enim apud eos qui mentem diligentius perscrutantur autorum, Maronem geminæ doctrinæ vires declarasse, dum vanitate figmenti Poetici, philosophicæ veritatis inuoluit arcana. Licet autem de prima corruptione specialiter dictum sit, potest & de singulis manifesta ratione monstrari, quia natura hominis ab adolescentia sua prona est ad malum, vt ex quo libero, licet depresso, cœperit vti arbitrio, per se cadat sponte in culpam, & inde merito suo præceps prolabatur in pœnam: erigi tamen nequaquam potest ad bonum, nisi gratia Dei supponat manum suam. Lata est ergo Epicureorum via, & haud dubiam ducit ad mortem, per † pericula tamen, per errores, per amaritudines, & per omnimodas vanitates, vt lætum & quietum tranquillæ vitæ statum in ea nullus inueniat, vel ad illum tandem

† Ensof.

al. *spicula.*

ea

A ea ducente perueniat. Nam vt vera beatitudo possideatur, non vanis, sed veris insistendum est bonis. Vana enim cultorem suum protrudunt in tenebras exteriores, ad fletum oculorum, stridorem dentium, tinnitum aurium; & varias pressuras, & pœnas inferorum, apud quos nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Cap. XXV.

Qua via fidelissima sit ad assequendum, quod Epicurei appetunt, vel pollicentur.

Sententiæ tamen non struo calumniam, quæ beatitudinem esse definit, lætum semper & quietum tranquillæ vitæ statum. Sed interpretatione sinistra & vitiosa executione arbitror infamatam. Adeo quidem, vt cum Epicurei sint plurimi, id est, vani sectatores voluptatis, nomen hoc pauci profiteantur. Erubescunt B enim dici quod sunt, & propriam turpitudinem occultare nituntur nomine alieno, dum non tam boni esse cupiunt, quam videri. Si vero diffinitioni fidelis detur interpres, & sententiæ commodus executor, qui manum apponat ori, id est, qui faciat quod loquitur, nihil verius & rectius apud Stoicum, & Peripateticum esse conuinces, quos ad te iucundo grandis viæ compendio cum præceperis introducam. Ne tamen vllam eo, quo Epicurei diffinitio tendit, viam putes, eam tibi in calce libri, quasi in fine viæ, conabor aperire. Est autem ardua & arcta, plana tamen & recta diligentibus Deum, quo ducente, docente, & subuchente, non offendit quis ad lapidem pedem suum. Ipse namque lapis offensionis, & petra scandali, gradientes in se quos accipit, erigit, & corroborat, vt humiliati in se, in eo gloriantes, audacter & liberè præconentur, quia omnia in eo possumus, qui nos confortat. Via siquidem hæc virtus est, duobus interiecta & arctata limitibus, cognitione scilicet & exercitio boni. Nosse C namque bonum, & non facere, meritum damnationis est, non via beatitudinis. Vnde inquis hanc ingrediar, qui in inuio sum, & non in via? In tanta varietate viarum ignotarum, aduena & peregrinus, cuius oculi languerunt præ inopia, & fere iam deficiunt, quibus eam discernam indiciis, vt ad id tranquillitatis & gaudij perueniam, quod promittis.

Est, inquam, *via sublimis cælo manifesta sereno,*
Lactea nomen habet.

Serena tibi cœlum, ne turbetur præ indignatione oculus animæ tuæ, & facile lacteam hanc agnosces viam. Redi ad te, patrum suscipe monumenta, & ibi intuere diligenter vbi à via deflexeris gressum, & vbi cecideris in errorem. Recolo autem nos aberrasse ibi primum, vbi impulsus & euersus est homo, vt caderet præuaricatione mandati, quando ad vetitum scientiæ lignum, suadente diabolo, temerariam & incautam manum extendit. Abinde enim peccatum accepta occasione per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Ipsum D namque mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, quia semper

Nitimur in vetitum, ... Quod non licet acrius vrit.

Ad arborem scientiæ manum extendit, gulam impleuit, & contra promissum fallacis inimici, & secundum interdictum veracis Dei, obtenebratus est homo, & in esuriem prostratus, fœdus feriens cum morte, & pactum faciens cum inferno. Boni tamen, & mali sciens factus est per experientiam, & multiplici miseriæ locum fecit in se. Ergo à ligno scientiæ dum prohibitus illud ascenderet, à veritate, virtute, vita cecidit & demiauit homo, nec reuertetur ad vitam, nisi ad arborem scientiæ redeat, & inde veritatem in cognitione, virtutem in opere, vitam in iucunditate mutuetur. Rationis itaque acumen exerceat, vt discernat inter bonum & malum, & in ipsis bonis aut malis quid cui præponderet, agnoscat, ingi deinde curet sollicitudine, ne partem suam faciat deteriorem, sed toto conatu mentis & corporis, præeligendis inseruiat. Ipse quoque labor E dulcescat sibi, & totam amaritudinem rerum præsentium (vt ait beatus Gregorius) spe temperet futurorum. Nam & Propheta diu noctuque sub expectatione Dei sui cibatur lachrymis: & sic lugentibus veritas ipsa, quæ nec fallit nec fallitur, veram beatitudinem repromisit. Nec vereatur quis ad arborem scientiæ boni & mali manum extendere primæ prohibitionis exemplo, quia exulem & erroneum ad illam inuitauit ille qui docet hominem scientiam, & iuxta promissionem propheticam ignaro indicat quid sit bonum. In arbore ergo scientiæ quasi quidam virtutis ramus nascitur, ex quo tota vita proficientis hominis consecratur. Neque enim ad genitorem vitæ, Deum scilicet aliter redit, nisi qui virtutis ramum excisum de ligno scientiæ prætendit. Sed quis cito auellet ramum, cum vel ipsam arborem, id est, quid fieri oporteat perpauci nouerunt? Nunquid ramus facile innotescet, vbi præ multitudine desipientium & male agentium, ipsa arbor occulitur? Hoc ip- F sum forte sensit & Maro, qui licet veritatis esset ignarus, & in tenebris gentium ambularet, ad elysios campos felicium & chari genitoris conspectum Æneam admittendum esse non credidit, nisi docente Sybilla, quæ quasi Διοβουλή consilium Iouis vel sapientia Dei interpretatur, Ramum hunc Proserpinæ, quæ proserpentem & erigentem se à vitiis vitam innuit consecraret. Ait ergo;

Accipe quæ peragenda prius: latet arbore opaca
Aureus & foliis, & lento vimine ramus,
Iunoni inferna dictus sacer, hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt conuallibus vmbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpsit ab arbore fœtus:
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus,
Instituit, primo auulso, non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Plane quid terrarum lateat in terrenis, vel quid in his G possit mereri solus agnoscit, qui de arbore scientiæ ramum bonæ operationis auellit. Eoque auulso, alter non deficit, quia quo amplius exercentur, eo magis succrescunt & proficiunt scientiæ & virtutes. Non tamen eatenus Maronis, aut gentium insisto vestigiis, vt credam quempiam ad scientiam aut virtutem propriis arbitrij sui viribus peruenire. Fateor gratiam in electis operari, & velle & perficere, ipsam veneror tanquam viam, imo reuera viam, quæ sola ducit ad vitam, & quemque boni voti compotem facit. Lactea hæc est, innocentiæ manifesta candore, & alimentorum sedulitate nutricis explet officium, & sola præparata ad † profectum. Nam sine ea proficit nullus. Clamat hæc in voce tubæ præuaricatoribus, vt redeant ad cor, eisque ad arborem scientiæ, amoto gladio versatili & flammeo, ducatum in patriam promittit & ingressum. Plus dicam ipsam arborem scientiæ, & lignum vitæ, in quo sunt omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, & in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter extraxit, H inscissa tamen substantia, & produxit in terram peregrinationis nostræ, & plantauit in medio Ecclesiæ, vt ab eo illustretur per scientiam, roboretur per virtutem, & exultet in misericordia vberi, & gaudium eius plenum sit, gaudium à Deo, & in Deo, gaudium quod nemo tollet ab ipsa. Accedat ergo ad arborem ducente gratia, quia abducente concupiscentia deliquit in arborem, quia salus nostra ab eadem procurata est in ligno, quia mors ante processit à ligno. Accedat, sed contrarius passibus; quoniam contrariis expedit curari contraria. Et quia non fuerat hominem deiecturus tentator, nisi in mentem eius elatio præcessisset, à timore concipiat vnde humilietur sub potenti manu Dei, qui exaltari desiderat in die visitationis. Abstineat à licitis, qui præsumpsit illicita, & incendium concupiscentiæ ordinata mitiget charitate. Delectetur in his, videat & nunc quia lignum pulchrum est visu, & ad vescendum suaue, & fructum veræ beatitudinis, & semper lætum

† al. perfectum.

tranquillæ

A tranqoillæ vitæ statum dabit in tempore suo. Porro iucundus timor qui in dilectionis reuerentiam cadit, non nouit ociari aut præscriptam sibi prætiaricari legem, sed timoris foras mittit aculeos, & ex amore facit bona, sponte sua adhærentes iustitiæ, & quasi viribus obedientiæ cum gratia quodammodo violenter nititur acquirere vitam, qui per inobedientiam ex leuitate arbitrij cucurrit in mortem. Timor innocentiam parit, iustitiam beneficiendi, mandatorum obedientia promouet, rectoque calle ad veram beatitudinem iustus perducitor. Nam & is est quem deduxit Dominus per vias rectas, dans ei scientiam Sanctorum, honestans eum in laboribus, & in omnibus complens ei beatitudinem, pro qua fideliter & vtiliter laboratur. Possem dicere, quia ad hunc tendunt tota lex & Prophetæ, omnesque Scripturæ canonicæ, quia tendunt ad finium. Neque enim istud ambigoum est, cum & infidelium dogmata nihil vtilitatis habeant, nisi aliquid conferant beatitudini. Sed his omissis, aut potius præmissis, dico B quia hæc sola sunt.

Quæ sola possunt facere & seruare beatum,

cum ab altero iustitiæ ramo proueniat, ne cui noceatur, ab altero, vt sibi quisque & aliis prosit. Vis tibi constare quæ dico? Visne beatus esse? Porro beatus vir qui timet Dominum. Potentiamne desideras? Non modo ipse, sed potens in terra semen erit eius. An fauorem sectaris, & laudes hominum? Generatio rectorum benedicetur. An ad celebritatem dilataris, & ad opulentiam sinum expandis? Gloria & diuitiæ in domo eius. An perpetuitatem quæris operibus? In memoria æterna erit iustus. Visne securus esse? Ab auditione mala non timebit, sed omnes despiciet inimicos. Gratiamne linguæ affectas? Labia iustorum distillant gratiam. Item memoria iusti cum laudibus, nomen impiorum putrescet. Vis tibi futura innotescere? Expectatio iustorum lætitia. Vis iucunditatem tibi prorogari in sempiternum? Et iusti in perpetuum viuent, & in pace sunt, licet mori insipientibus videantur. Ecce habes viam ve C tissimam & fidelissimam, ad sequendum statum quem desiderat Epicurus. Et si eam tenueris, beatus es, & bene tibi erit. Hæc ad bene beateque viuendum potest sola sufficere, adeo quidem vt extra posita vniuersa, aut nihil, aut minimum perfectionis adjiciant. Nec inhibeo quin vestibus niteas deauratis circundatus varietate, quin epuleris quotidie splendidé, quin primos honores habeas, & vt paucis multa complectar, quin tem- (al. es.) pori, sed & peruersis moribus, rectus tamen, vt † & ipse in omnibus morem geras suis lenocinijs irridentem irrideas mundum. Maior enim es, quam vt debeas, aut possis (licet iam hic ceperit multos) capi tendiculis eius. Rex illustris Anglorum Henricus secundus, maximus regum Britanniæ, si initiis gestorum fuerit exitus concolor circa † Garumnam, & (vt dicitur) te au- (al. Garumnam.) ctore, te duce, fulminat, & Tholosam felici cingens obsidione, non modo prouinciales, vsque ad Rhodanum & Alpes territat, sed munitionibus † diruptis, po- (al. dirutis.) pulisque subactis, quasi vniuersis præsens immineat, ti- D more principes Hispanos concussit, & Gallos. In tantis rerum tumultibus quæso custodi innocentiam, & vide, & dicta, & prædica æquitatem, nec amore, nec odio, timore vel spe declines a via recta. Iusti enim hæreditabunt terram, & vt auctoritate constat altissimi, semen impiorum peribit. Si hæc quæ tibi sincera deuotione curaui scribere, in tanto tumultu legere non vacat, quia aut insipida sunt sensibus, verbis inculta non placent, vel ipsa deuotio non displiceat, quæ honori tuo studuit inseruire. Si probaueris intentionem, patrocinaberis operi. Sin autem vt volueris, condemnetur. Quid enim ad alios, vt seruum iudicent alienum? Liber enim hic, vt quilibet suo, tibi Domino stat, aut cadit. Multitudinis imperitæ non formido iudicia, meis tamen rogo parcant opusculis, & si curiales sunt quidam, quia libris eorum nunquam derogaui in aliquo. Si preces meas audire noluerint, improbitatis iudicio tenebuntur obnoxij, quia, vt ait Martialis, Improbe facit, qui in E alieno libro ingeniosus est. Quæ autem de curialibus nugis dicta sunt, in nullo eorum, sed forte in me, aut mei similibus deprehendi, & plane nimis arcta lege constringor, si meipsum & amicos castigare & emendare non licet. Profecto qui ad hæc rugabit nares, frontem contrahet, aut faciem rubore vestiet, aut pallore confundet, cuius labia contrahentur, aut salient, toxicabitur lingua, genua trement, manus proteruiet, seipsum nugis nostris conuincet obnoxium. In quibus fuit propositum semper à nugis ad bona transire seria, & ad id, quod decet, aut prodest, instituere vitam. Qui autem iustum reprehensioni locum viderit, ea ex charitate licenter vtatur, & emendatione mea acquirat sibi & possideat præmium vitæ. Scio enim quia in multiloquio peccatum non deest, & inuito, & in charitate Dei exhortor lectorem, quod mei memor in orationibus suis impetret, vt filius Dei viui, & virginis intemeratæ, Deus homo manifestet seipsum, & palam faciat viam, qua nobis incedendum est in beneplacito suo, & dirigat in eo no- F stros gressus.

INDEX AVCTORVM,

quos Auctor in hoc opere nominatim laudat.

N

Nicolaus Pontifex. R.
Nonius Marcellus.

O

Origenes
Orosius
Ouidius.

P

Papinianus
Petronius
Plato
Plautus
Plinius
Plinius secundus
Plotinus
Plutarchus
Porphyriolus
Pertunianus
Publ. Carpus
Publ. Cladius
Pythagoras

Q

Quadrigarius
Quintilianus
Q. Curtius.

S

Satyrius
Salustius
Seneca
Serenus
Sibylla
Sidonius
Simon
Socrates
Socrates Const.
Solinus
Sozomenus
Seranus
Statius
Suetonius

T

Tacitus
Tharrasius Patriarcha
Terentius
Theodoricus
Theophrastus
Ticonius
Titius.
Trismegistus
Trogus.

V

Valerius Maximus
Varro
Varus
Vegetius
Virgilius

X

Xenophon.

Zeno.

EPISTOLÆ IOANNIS SARESberiensis Episcopi Carnotensis.

Studio & industria Papyrij Massoni in lucem edita.

EPIST. I.

Domino Papæ Adriano.

INTER Monachos Abbatiæ Hugonis, & Clerum de Henham controuersia diutius agitata est. Monachi siquidem à nominato Hugone XXIII. solidos petebant, dicentes eos esse debitos nomine pensionis, in quam eius tenetur ab antiquo Ecclesia de Henham. Adiicientes memoratum H. ad solutionem eorundem esse ex speciali pacto, interueniente fidei vinculo, literarum testimonio obligatum. Et vt petitionis suæ intentionem stabilius fundarent, se à duobus decessoribus prædicti H. Vuillelmo. s. H. H. & ab ipso Hugone dicebant recepisse præfatam pensionem, parati hoc probare incontinenti. Ad hæc Huntfredus Ecclesiam suam ab antiquo liberam esse dicebat: Licet Monachi ab Hugone antecessore eius marcam indebitam violenter extorserunt. Negabat enim constantissimè secum ipsis de aliqua pensione reddenda quamcunque iniuisse pactionem. Asserens se ab Abbate Abbendione Ecclesiam liberam, & sine expressione cuiusque oneris recepisse, & per Archidiaconum Episcopi vt mos est in possessionem liberam canonicè introductam, nec fidei, aut alicuius obligationi vinculum ex quo conueniri possit, intercessisse. Illos vero à quibus Monachi se præfatam quantitatem recepisse dicebant, asserebat iam dictæ Ecclesiæ non fuisse personas, scilicet conductos sacerdotes, & Ecclesiam & prædia instructa à Monachis accepisse, vt præfatæ pensionis summa solui posset. Producebat septem testes hoc ipsum probare paratos: ipsorum quoque Monachorum testimonio vtebatur, contra eos proferens scriptum, quo nobis persuaserant, ... * non personam prædictæ Ecclesiæ, sed Vicarium, ipsumque conductitium extitisse. Præterea Ecclesiam suam tantæ paupertatis esse dicebat, vt deductis Episcopalibus & ministrorum necessariis alimentis onus vnius marcæ vix posset sustinere. Sed quomodo non debet obesse, si nomine Ecclesiæ aliquid quandoque inuitus soluit, cum & Ecclesia vtatur iure pupilli, & ei beneficio minoris ætatis debeat subueniri? Monachi vero pactum interuenisse, modis omnibus probare nitebantur, producentes viros plures, qui assertionem eorum suo volebant testimonio roborare, & quoniam de paupertate Ecclesiæ causatus fuerat, ei XX. solidos annuos sine omni onere, dum illi Ecclesiam ad tempus traderent, promittebant. Quidam vero volentes inter eos componere, XL. solidos annuos, deducto omni onere, dum illi Ecclesiam cederent, offerebant, parati super hoc idoneos fideiussores dare. Quod cum Huntfredus recipere videretur, habito incontinenti Aduocati sui, amicorumque consilio, resilijs, dicens non esse tutum se eis aliquomodo rem suam confidere, qui eum omnino moliebantur eijcere: præsertim cum ab eis tantopere grauaretur, vt præ timore Monachorum ei nulli amicorum suorum vel testium audeat assistere, sed & patrem suum contra ipsum venire compellerent: vnde ad vestram Audientiam appellauit, diem præfigens festum Epiphaniæ.

EPIST. II.

Domino Papæ Adriano.

EX mandato Apostolicæ sedis lator horum Berengarius in vestra præsentia stetit aduersus Rogerium de Pichevvteda acturus, & post multas vtriusque allegationes inter eos compositum fuit. Sed ne processu temporis alter aduersus alterum suscitandi litem vllam posset habere occasionem, compositionem inter eos factam fidei religione iuramento fecimus roborari. Porro præfatus Rogerius nihilominus contra pactionem illam veniens, & fidei religionem, compositioni stare noluit, de quo in nostra conuictus præsentia, suspensionis pœnam reportauit, quia postea per satisfactionem congruam, quam se præstiturum euadens promittebat*, iterum tergiuersari cœpit, & vt manus nostras euaderet, ad vestram appellauit præsentiam, diem præfigens. Dominicam, qua cantatur? *Lætare Hierusalem.* Ne possit vestram itaque circumuenire clementiam, eum manifestissime contra fidem venisse, & iuramentum pro certo sciat eminentia vestræ Sanctitatis.

EPIST. III.

Domino Papæ Adriano.

VT de his quæ ad aures Sanctitatis vestræ ab Insulanis nostris perferuntur, cognita rei totius serie, melius ac lucidius iudicare possitis, delatorem præsentium, quatenus factum nobis innotuit, vestram mittimus certificare excellentiam. Bamb. quidem lator horum à venerabili fratre vestro Henrico bonæ memoriæ Eboracensi Archiepiscopo Presbyter ordinatus in ordine suo aliquandiu ministrauit: Contristor autem eum in comitatu quodam extitisse laicorum, qui præcipitem sequentes temeritatem homicidium quoddam incõsultius

perpetra

A perpetrauerunt. Ipse dum in comitatu existeret, cuio qui postea occisus fuit, noo animo concidendi, sed vt furem qoi ei vestimenta sacerdotalia furto subtraxerat, persequebatur. Fratres enim eius in persequendo eo citius incedentes, furem eum vestimento consecuti sunt, & eo vidente, vt subsequebatur, veruntamen vt fatetur, volente, furem deprehensum trucidauerunt: exinde euolotis paucis diebus ab Archidiacono ab ordinis sui officio suspensus est, eo quod Sedes Eboracensis tum temporis vacabat: oihilominus in Diaconatus officio ministrare præsumpsit. Quid autem pœnæ ei ad peregrinationis iudiciom crucem gerenti infligendum sit, vestra sublimitas prouidebit.

Epist. IV.

Domino Papæ Adriano.

CVm inter Magistrum Richardum Licheffeldens. & B H. de S. A. super Ecclesia Bradeleia controuersia esset in auditorio Cestrensis Episcopi diutius protracta, tamen ad audientiam nostram translata est per appellationem. Partibus itaque è regione constitutis, iam dict. Richardus memoratam Ecclesiam sibi restitui postulauit, dicens eam pertinere quasi Capellam ad Ecclesiam de H. & antecessorum suorum, Vuillelmi & Vualteri tempore qoietè pleno iure fuisse possessam. Ad hæc Helias Staffotd. Archid. processit in medium, asserens petitionem hanc minime Richardo competere, eo quod Præbenda quam d. Rich in præfata Ecclesia possidebat, ei esset ab Episc. Cestrensi donata & tradita. Chartam donationis Episcopi proferebat, præterea dicebat se litem injicere super alia Ecclesia ab eodem Richardo, * qui tam Episcopo quam Archidiacono Syoodalia & quosdam reditus Episcopales moliebatur auferre: ob hoc ipsum ad Sedem Apostolicam appellauit, diem præfigens octauum à festo Beati Andreæ. Econtra iam dictus Richardus Præbendam, quam nunc calumniatur, C in manu Episcopi refutasse respondit, ipsumque ad eundem terminum ad vestram audientiam appellauit super pactionibus illicitis, malè acquisito Archidiaconatu super introitu, quem in Ecclesiam de Haltona per manum laicam dicitur habuisse, Archidiaconos tamen super eiusdem donasione Ecclesiæ chartam Episcopi proferebat. Vobis itaque causam integram reseruauimus.

Epist. V.

Domino Adriano Papæ.

STeterunt ante vestram præsentiam latores horum V. & R. quorum R. querebatur, quod temere V. se ab Ecclesia sua violenter & absque ordine iudiciatio expulisset. Per potentatum Comitis R. dicebatur promotus, neque hac iniquitate contentus, per temeritatis suæ fautores eundem Presbyterum in alternis * Ecclesiæ suæ cunctanter inuasit. Eductis itaque sociorum gladiis, D tensis quoque arcubus paratis; ipsemet in manu lanceam gestans necem maturam comminabatur, nisi incootinenti fidem daret se ante Archidiaconum venturum ibique memoratæ Ecclesiæ renunciaturum. Sacramenti itaque reuerentia tentus, necnon impressione aduersarij potentis, quem non poterat nisi cum patria effugere, metuens * sibi cum pollicitus fuerat, in manu Archidiac. Ecclesiæ suæ renunciauit. Hæc & his similia allegans super iniuria sibi irrogata, satisfactionem petebat, duos sacerdotes in medium, qui sibi vim factam testificarentur, producens. Econtra R. vim, se huiusmodi * inficiabatur, modo de patrooorum * propitia coofisus, modo ad legum sobtilitatem confugiens, cum Ecclesiam illam peteret quamve actionem proponeret, aut quo iure sibi satisfieri postularet, interrogabat. Porro cum veritatem facti diligentius inquirere tentaremus, vt quid iuris esset postmodum lucidius appareret, appellationem interposuit, cui deferre habemus, diem præfigens Dominicam qua cantabitur, *Quasi modo geniti*, quem terminum coarctauit ad B. Virginis purificationem. E

Epist. VI.

Domino Papæ Adriano.

ADuersus nobilem virum Comitem Rag. & Osbertum Clericum suum Ernaldus de diuisis in præsentia nostra querelam sæpe deposuit, dicens sibi à Comite, vt Osbertum suum intruderet, Ecclesiam de Hanrona violenter & contra omoem reuerentiam iuris esse ablatam, quam canonicè diu vt dicebat, possederat authoritate venerabilis fratris nostri I. Sat. Episcopi, cuius chartam, quæ donationis eius titulum astruebat, in medium proferebat: & vt possessionem suam omni solemnitate iuris doceret esse subnixam, concessione cuiusdam militis, quem Ecclesiæ Aduocatum esse dicebat, F se eandem obtinuisse ab Episcopo dicebat, asserebatque, & ob hoc sibi Ecclesiæ, & omnium ablatorum restitutionem fieri postulabat. Tandem post multas citationes & comminatiooes, à Comite, qui hæc omnia inficiabatur, restitutionem Ecclesiæ, quam prædictus Ernaldus petebat, extorsimus, dummodo Comes suus O. citra frustratorias dilationes, & aliarum difficultatum molestias, ad quæstionem vitos admitteret. Cum ergo partibus super huc dies esset præfixa, ea die iam dictus O. & procuratores Comitis aduersus prænominatum E. petitorium instituerunt, dicentes ipsum iniustè occupare Ecclesiam, quam sine assensu Comitis, & Aduocatorum eiusdem Ecclesiæ, quam contra consuetudinem totius Ecclesiæ Regni Anglorum, contra constitutiooem Regis antiquam, omnium Procerum dignitatem ingressus erat manu & violentia prædonis, qui præfato Comiti totum fundum in quo sæpe dicta Ecclesia sita est, diu abstulerat. Proferebatur insuper mandatum Regis, quo præcipiebamur Comiti super aduo- G catione Ecclesiæ suæ iustitiam exercere, aut O. prætaxatam Ecclesiam restituere, qua post decessum Regis contra ipsius edictum fuerat destitutus. Ad hæc Ernaldus se iustè per Episcop. assensu Aduocati Ecclesiam possidere dicebat. Sed Aduocatus ille & alij amici eius, potentatu Comitis vt asserebat, à Domino terrebantur, quod nullus eorum in hoc iudicio & regno contra ipsum asserere audebas, præsertim cum Comes & suus O. non modo sua, sed & se regiæ magnitudinis pondere in iudicio tutarentur contra pauperem, quem ab Ecclesia sua multis annis excluserant. Hac de causa ad vestram appellauit audientiam, præfigens diem qua cantatur *Ad te leuaui*, O. non sibi cauens, & Ecclesiam tanti non esse respondens, litis cessit appellationi.

Epist. VII.

Domino Papæ Adriano.

PReeibus nobilis viri Rah. de S. Vuallerico, venera- H bili fratri nostro Rich. Londoniensi Episcopo dedimus in mandatis, vt ei de Comite Alberico, à quo sibi lx. marcas fide interposita deberi dicebat, canonicam iustitiam exhiberet. Episcopus vero causis quibusdam interuenientibus mandatum nostrum exequi præpeditus, cognitionem venerabilibus viris Rad. Lund. Decano, Hug. Archidiacono delegauit. Cum ergo reus tertio legitimis interuallis citatus esset, & ductore probato propositam intentionem implens, non faceret copiam sui, nec vt oportebat, sufficientes excusatores aut responsales misisset, memoratus R. actor magna postulauit instantia vt iudices & tramites * suo officio fungerentur. Illis autem respondentibus cognitionem audisse, non decisionem, sibi ab Episcopo delegatam esse, & ob hoc eo inconsulto in causa non posse procedere, prænominatus R. expetiit, vt aus procederent

si licebat, aut patentibus literis sibi traditis, agitationem negotij Episcopo significarent: & quia ab eis in hac petitione non meruit exaudiri, eosdem ad nostram audientiam appellauit. Cum itaque die præfixa in præsentia nostra adessent, & rei seriem præfato modo partes exponerent, sæpedictus R. dicens se à delegatis sibi iudicibus delusum, ipsos ad Sedem Apostolicam intimauit, diem præfigens in Octauis Pentecostes. Illi vero suam excusantes innocentiam dicebant Episcopum decisionem causæ proprio reseruasse examini, & se in causa nequaquam malignatos esse, parati hoc ipsum iuramento corporaliter præstito demonstrare. Vos autem cui diffinitionis, vt oportuit, reseruatus est calculus, causæ finem debitum imponetis.

Epist. VIII.

Domino Papæ Adriano.

VEniens ad nostram præsentiam Prior Rumeliacensis postulabat Ecclesiam de Goggeshala, quam Monachi * Coggeshala per intrusionem occupauerat vestro officio sibi restitui. Elapsis vero paucis diebus Abbas citatus & fratres iam dicti loci coram nobis apparuerunt, Priori super Ecclesia illa responsuri. Cum vero Prior suam intentionem renouasset, Abbas habito consilio cum fratribus H. respondit se iam d. Ecclesiam canonicè habuisse assensu cuiusdam Theobaldi, qui in Rumeliacensi Monasterio Prior extiterat, Conuentu Prioris concessionem annuente, approbante adiecerunt & se de donatione istius Ecclesiæ, pro pensione, de qua Monasterio Rumiliacensi soluenda inter eos conuenerat, testes habituros de Monachis Rumiliacensibus. Vt autem suis instrumentis & testibus vti possent ad suam innocentiam ostendendam, terminum sibi postulabant indulgeri: quod cum iudicio obtinuissent, Rumiliacum profecti coadunatis vniuersis fratribus cum Capitulo, eos, quorum nitebantur testimonio, minime repererunt, quia cum Prior loci omnibus fratribus aliis † illi soli remanerent qui concessioni sæpe dictæ Ecclesiæ Abb. Monachis prædictis factæ interfuerunt, nec vnus solus, vt nobis dictum est, remansit. Quod cum fratres memorati loci vidissent, astruere cœperunt, P. VV. I. R. ad alium Cœnobium ex industria Prioris missos, esse, ne suæ veritati Milonis Episcopi Morinorum † Præfatum Priorem appellauerunt, ibidemque ad Apostolatus vestri ad excellentiam eundem, vt ex testimonium quorundam Abbatutum accepimus, innouauerunt.

Epist. IX.

Domino Papæ Adriano.

CAusam, quæ inter Abbatem de Coggeshala & Priorem Rumiliacensem super Ecclesia de Coggeshala multum diu agitata est, nequaquam potuimus terminare, quia post multas citationes & dilationes in nostram præsentiam venerunt, & ibidem vterque alterum ad Apostolatus vestri præsentiam inuitauit. Prior Rumiliacensis Abbatem appellauit, eo quod sibi Ecclesiam sæpedictam auferebat, decimas Parrochianorum,† quos à domibus & terris expulerant, denique præfixit Octauas Pentecostes Monachi vero exinde suam prætendentes paupertatem se Priorem in præsentia Episcopi Morinorum ad audientiam vestram appellasse, & festum S. Lucæ terminum suæ appellationi fecisse allegarunt, & eandem coram nobis appellationem renouauerunt.

Epist. X.

Domino Papæ Adriano.

DIes quatuor à iudicio venerabilis fratris nostri Episcopi Londoniensis à Priore Rumiliac. per appellationem tracti † in vnum præsentes constiterunt, à quibus idem Prior se querebatur nuper spoliatum quadam Capella Ecclesiæ suæ de Tira absque iudicio, quam annis LX. & eo amplius quietè inconcusse possederat. Ad cuius rei probationem bis allegationibus vtebatur, primo quia sacerdotes illi qui ad memoriam huius ætatis poterant peruenire, ambas pariter nomine Monasterij Rumiliacensis possederant, tum quia ad aduocationem eiusdem Domini æqualiter vtraque pertinere videbatur, quia eandem Capellam in Parochia de Tira sitam esse asserebant. Postremo quia corpora defunctorum ad Capellam pertinentium ex iure consuetudinis in sæpedicta Ecclesia sepeliebantur. Contra hæc illi eo quod sibi de mandato vt dicebant non constaret, cautionem denuo à memorato Priore exigebant. Prior vero hanc cautionem exigi non oportere asserebat, cum de mandato constaret, tam ex literis Abbatis Cluniacensis Conuentus Rumiliacensis, quam ex apicibus Domini Morinensis Episcopi. Præterea dilatoriam hanc exceptionem in initio optauerat eos opposuisse in auditorio Domini Londoniensis, ex abundanti tamen ne causam diutius possent more suo protrahere præfati laïci, nobis idoneos fideiussores dedit. Aduersarij vero de legum subtilitate nitentes aliam satisdationem sibi fieri exigebant, eo quod si pro [illegible] lata foret sententia, post tempora nostra captiosum illud futurum esset, si denuo Monachi litem mouere tentarent, maxime cum ijdem laïci sæpius à diuersis personis se litibus & sumptibus super hac eadem causa vexatos esse quererentur. Prior vero sufficere debere contendebat, quod iudici fides facta foret. Quibus in hunc modum contendentibus nos interlocuti sumus, nihil tale ab Ecclesia Rumel, ad nos vsque emanasse, nec meminisse nos aliquid huiusmodi in Decretis expressum, contra consuetudinem Regni Anglorum esse quod postularent. Vnde præfati viri accepta occasione audientiam vestram appellarunt, diem præfinientes Octauas Pentecostes. Cum ergo causam integram nos opportune maiestati vestræ reseruaremus definiendam, Prior se admodum grauatum esse conquestus est, quod de transmarinis partibus ad nos sæpius veniens, nec per nos, nec per Dn. Lond. aliquam sit iustitiam assecutus, quod ab Ailvvardo Archiepiscopo sæpe iniuste in hac causa vexatus sit, & quod nunc tandem iustitia sua interuentu appellationis ferè in annum differretur, iam dictum Archid. quem videlicet laicis patrocinantem, per quem vt dicebat, hæc mala sibi prouenicbant, ad Sedem Apostolic. appellauit, diem præfigens in Octauas Beati Martini.

Epist. XI.

Domino Papæ Ariano.

ALanus de N. Ecclesiam illam, qua se iniustè spoliatum esse dicebat, officij nostri autoritate sibi restitui postulabat præsente A. eiusdem Ecclesiæ possessore, cui diem respondendi A. post multas citationes peremptorium præfixeramus. Alanus vero petitionem A. exceptione rei iudicatæ submouere nitebatur, dicens eum à possessione iam dictæ Ecclesiæ cecidisse, iudicio venerabilis fratris nostri Richardi Lond. Episcopi, tum Archid. lata sententia pro Ernaldo decessore; super hoc literas Dn. Episcopi hoc attestantes in medium proferebat. Econtra A. sententiam illam, si lata fuit, ei suffragari non posse respondit, cum res inter alios acta & iudicata aliis prodesse non debeat & obesse, Et licet merito posset de sententiæ iniquitate causari, qua absena nec contumax condemnatus, cum aliquantulo causæ suæ dispendio propter reuerentiam Episcopi sui Dn. Lond. cuius ad præsens sibi quantum fuit nolebat attentare sententiam, omisso iudicio possessorio petitorium instituit, asserens Ecclesiam suam esse, & se personam eius à tempore Mauricij bonæ memoriæ Londoniensis Episcopi extitisse, & se hoc tempore

A Gilberti piæ recordationis Epiſcopi Lond. legitimorum aſſertione teſtium canonicè comprobaſſe, plures producentes teſtes, quos eiuſdem iudicio interfuiſſe dicebat. Cum ergo ex mandato noſtro teſtes examinaſſent venerabiles fratres noſtri Rog. Eborac. Archiep. Episc. H. Lat. Ciceſtr. R. Lincoln. Epiſcopi, aliique prudentes viri, quibus iniunxeramus, eos concordes in omnibus inuenissent, & nos audito teſtimonio cauſam fine debito terminare diſponeremus Ei. ſententiam noſtram interpoſita appellatione præuenit; diem præfigens Dominicam, qua cantabitur, *Quaſi modo geniti*. Hos ergo vt oportuit Maieſt. Apoſtolicæ deferentes cauſam terminandam ſanctitati veſtræ integram reſeruauimus.

Epist. XII.

Adriano Papæ.

INter Richardum Clericum, & Rad. Nauſellum ſuper B Eccleſia de Preſtehiam controuerſia diutius agitata eſt. Cum vero venerabilis frater noſter Vvalterus Conuentrenſ. Epiſc. poſt multas citationes eam tandem debito fine terminare diſponeret: Richard. vtpote, qui præfatam Eccleſiam ſibi, vtpote violenter ſine iudicio deſtitutus, reſtitui poſtulabat, probationes quibus ſe contra Rad. abundare dicebat, in Synodo Ciceſtrenſi * exactæ ſunt. Producti ſunt itaque ſeptem teſtes, qui ſicut ex teſtimonio Epiſcopi præfati accepimus, Richar. in præfata Eccleſia canonicè inſtitutum, & ſine iudicio eiectum iureiurando firmauerunt. Interuenientibus verò precibus Domini Reg. cauſa, antequam ſententia ferretur, ſortita eſt dilationem. Vnde memoratus Rich. noſtram audientiam appellauit: illis autem die præfixa conſpectui noſtro aſtantibus, Rich. reſtitutionem iam dictæ Eccl. petens, querimoniam inſtaurauit, producens tres teſtes, qui ſicut in foro Epiſcopi, ita in audientia noſtra eum canonicè inſtitutum, ſiue iudicio eiectum aſſerebant. Ad hæc Rad. quod in præſentia Epiſcopi ge- C ſtum eſt ſibi non debere obeſſe reſpondit, eum & ipſe antè dilationem metuerit, & illo abſente ſæpèd. Rich. ab Epiſcopo inciuiliter ſit recepta probatio, * reciperetur. Rad. duobus teſtibus crimina in modum exceptionis oppoſuit, Alterum ſ. S. Sacerdotem, dicens infamem reumque homicidij, & falſificationis monetæ, multiſque latrociniis inuolutum: Alterum verò Andream acolytum eſſe aſſeruit homicidam: Tertium vero reliquit intactum. Ad hæc quoque crimina comprobanda dilationem ſibi petiit indulgeri. Nos itaque ne non malitiæ, ſed iuſtitiæ cauſa dilationem petere videretur, ab eo legitimam exegimus cautionem, qua nobis fidem faceret, ſe non modo maligandi, aut fruſtratoriæ dilationis cauſa eam poſtulare. Cum vero à nobis dilationis ſpatium vltra canonicam & legitimam definitionem, quam ei offerebamus, obtinere non poſſet, ad veſtram præſentiam appellauit à pridie Calend. Aprilis præfixa Dominica, qua cantabitur *Ad te leuaui*. Actor vero de temporis prolixitate cauſatus terminum coarctauit diem D Pentecoſtes.

Epist. XIII.

Adriano Papæ.

LIteras Sanctitatis veſtræ debita cum veneratione ſuſcepimus, quibus continebatur vt tam Domino Lond. quam Capitulo eiuſdem Eccleſiæ, itemque Vvaltero ſacerdote ante noſtram præſentiam euocatis, controuerſiam quæ inter eos vertebatur, appellatione remota fine canonico terminaremus. Partibus itaque è regione conſtitutis, cum Vvalterus proponeret duos de præcipuis illius Eccleſiæ viris, H. Archidiaconum, & M. Albericum, ambos ex parte Capituli ſe denunciaſſe, alterum autem, videlicet magiſtrum A. ex parte Epiſcopi ſe dixiſſe, vt in ſacerdotem ordinaretur, altario B. Pauli ſicut vnus ex aliis miniſtraturus, non ſolum Dom. Lond. verum & vniuerſum Capitulum ſe id E mandaſſe conſtanter ſunt inficiati. Duo quoque memorati viri pro ſe reſpondentes idem diffitebantur, fatentes tamen quod ex proprio motu animi M. Vvalterum tanquam amicum ſuper ordinatione conuenerint, interrogauerint, conſuluerint, vt ad ordinem Presbyteratus accederet, dicentes hoc placere Capitulo: nihil tamen iſtorum ex parte Capituli ſe dixiſſe, aut aliquid promiſiſſe aſſerebat. Deinde cum ſuper his conſilium haberemus, aſſidentibus nobis venerabilibus fratribus noſtris Rodb. Lincol. & Vvillelmo Norvvic. Hilar. Diceſtr. Epiſcopis; Lond. Epiſcopum, eiuſque conuentum à petitione Vvalt. abſoluimus, eo quod aduerſus eos nullas afferret probationes. Porro quoniam duo viri prænominati ex confeſſione ſua quaconque aliquomodo teneri videbantur, ad emendicatum pro paupere decurrentes ſuffragium, ſacramentum eis detulimus, vt ſe ex parte Epiſcopi & Capituli nihil Vvaltero denunciaſſe & promiſiſſe iuraverent, qui cum propoſitis ſacroſanctis F Euangeliis iurare parati aſſiſterent, Vvalterus in appellationem prorupit aduerſus Lond. Epiſcopum, & eius Decanum, & ſæpedictos Hug. Archid. & magiſtrum A. perſonæ tamen Decani deferens, vt per procuratorem appellationem iſtam proſequatur, ſenectuti & inualetudini eius parcens. Diem eius præfiniuit Octauas Beati Andreæ Apoſtoli H. S. quia auctoritate Apoſtolici mandati omnis in hac cauſa inhibita fuerat appellatio, ad vlteriora procedentes accepto ſacramento à memoratis viris, eoſdem omnino abſoluimus.

Epist. XIV.

Adriano Papæ.

SAnctitatem veſtram circa plurima nouimus occupatam, vtpote quæ ſola inter homines totius Eccleſiæ Domini incolumitati inuigilat. Opottet itaque qui ad aures veſtras accedit ſermonem ferre abbreuiatum: noſter dum voce quidem breuis eſt, ſed toto dilata- G tus affectu, eoque magis quòd ad Eccleſiæ Anglorum vtilitatem proficit, & gloriam nominis veſtri. Venerabilis frater noſter Nigel. Elien. Epiſcopus in explendo mandato veſtro ſuper reuocandis illis quæ bellica tempeſtas Eccleſiæ ſuæ extorſerat, ad ſanguinem nihil veretur, dum Eccleſiæ ſibi commiſſæ proſpiciat veſtræ ſatisfaciat voluntati. Laboribus quidem eius, ſumptibus doloribus qui ei vicinamur, omnes compatimur. Et tanto amplius quod aduerſus eum nondum quieuit indignatio veſtra, ſed in ceruicem Apoſtolica manus intentata eſt. Veruntamen vt auris paterna quod ipſi expedire credimus patienter admittat; ei mandatum veſtrum non debuit eſſe captioſum, ſed ex quo in exequendo obediens inuentus eſt & fidelis, ipſum veſtro auxilio oportuerat roborari. Fiat ergo ſi placet, quod Patrem, quod Romanum decet Pontificem, vt iam dictus Epiſcopus auxilium veſtrum inueniat in tribulatione, quam pro executione manda- H ti veſtri humiliter portat. Reſtituite ei ſi placet gratiam veſtram, aduerſus hoſtes Eccleſiæ fortius dimicabit. Ei namque ad beſtias pugnandum eſt. Quis vnquam ſuum ſuſpendit athletam, vt melius dimicaret? Pugnam Epiſcopo indixiſtis, manus eius tenetis alligatas. Maieſtatis itaque veſtræ prouoluti pedibus ſupplicamus, vt ſoluto Epiſcopo in eos qui contra Epiſcopum, nos ipſos, imo quod maius eſt, contra Apoſtolicas factiones, bona Eccleſiæ auſu ſacrilego detinere præſumunt, debitæ animaduerſionis pœna torqueatur, & Apoſtolici nominis contemptores veſtris ſtimulis vrgeantur ad viam, ad quam, arcu quam gladio, facilius reducantur.

* * *

A

Epist. XV.

Adriano Papæ.

SAnctitatis vestræ mandatum nuper accepimus, vt quod de ortu & natiuitate venerabilis viri Gauterij Canonica S. Rufi ex diligenti inquisitione nobis innotuit, Maiestati vestræ significare non differamus. Res autem quam quæritis, apud nos multa quæstione non indiget, cum luceat per seipsam à Domino, vt præ nobilitate maiorum, claritate totius cognationis latere non possit. Præfatus namque Gauterius (sicut pro certo nouimus) filius fuit illustris Militis, de Matre nobili legitimo susceptus matrimonio, nobilem vestrum Vv. de Braiosa vicinâ sanguinis cognatione contingit. In Comitatu Cicest. diutius honestissime conuersatus est, claritatem quam à maioribus contraxit quippe virtutis titulo decorauit, semper in omnibus apud nos incessit
B sine querela. Hæc quidem quæ dico, nobis, venerabili fratri nostro Cistersiensi Episcopo, aliis conuicinis celebri totius Prouinciæ testimonio nota sunt.

Epist. XVI.

Adriano Papæ.

IN causa, quæ inter G. latorem horum & Gregorium quendam vertebatur, in præsentiam nostram tracta per appellationem hoc modo processum est: Aug. filius Greg procurator asserebat Dominum suum Ecclesiam de Beclest possedisse, eaque absque ordine iudiciario spoliatum, laicos quosdam, vnum Clericum, quem iste inimicum suum causatus est, in suæ assertionis testimonium producebat. Econtra verò Gaufridus Gregorium possedisse inficians, dicebat, post tempora illa, de quibus Aug. loquebatur, Bald. quendam per Abbat.
C B. Eadmundi, & conuentum Dominum Nordvic. præfatam Ecclesiam in plena Synodo fuisse repræsentatum, cumque Dominus Nordvic, verum Eadem Ecclesia vacaret, diligenter disquisisset, habito tractatu cum fratribus Capituli eam vacare respondit. Archid. cæteris attestantibus in publica audientia ita introductum B. memorabat, cui iste se successisse referebat, ingressus sui satis idonea proferens instrumenta. Aug. verò testes suos audiri instanter postulabat. Deinde G. Gregor. per procuratorem semper litigare, nunquam sui copiam facere, cum tam sanus, & prope esset, querebatur, adijciens, si personam eius videret, ipsum talem esse ostensurum, quod hanc Ecclesiam nec aliam possidere posset. Huiusmodi loquebatur quasi crimen aliquod vellet intentare. Porro cum exigeremus, vt rem manifestius aperiret, ad examen Apostolicæ Sedis Gregor. appellauit, ibi dicturus ea quæ in Anglia non audebat, diemque præfiniuit Dominicam, qua cantabitur, *Quasi modo geniti.*

D

Epist. XVII.

Adriano Papæ.

SVper Ecclesia de Boltefold inter Alexandr. Malambestiam, & Roger. Presbyterum controuersia diotius agitata est, tandem cum Alex. authoritate Episcopi Lincol. in iam dictæ Ecclesiæ possessionem propter contumaciam Rogerij esset inductus, restitutionem fructuum perceptorum à memorato Rogerio peteret, Rogerius ad nostram audientiam appellauit: Cum ergo causas appellationis præsente aduersario Rogerius allegaret, se ab Episcopo Lincol. in eo contra rationem iuris grauatum asseruit, quod absens, inauditus, indefensus, spoliatus est, contumacia sibi imposita, cum nullam vnquam vocationem iudicis contumaciter neglexisset. Præterea si contumax extitisset, possessionem suam intra annum venienti parato satisdare iudicio sisti
E sibi restituendam esse dicebat de iure legum, Canonum, S. Ecclesiæ Rom. consuetudine, vestigia cuius, vt iustum est, Anglorum Ecclesia imitatur. Illo itaque vt satisdationem reciperemus instante, restitutionem possessionis petente, A. præfigens Dominicam proximam post Octauas Paschæ vestram audientiam appellauit, qui per misericordiam Domini finem causæ debitum imponetis.

Epist. XVIII.

Adriano Papæ.

CVm inter Priorem de Pritelévvelia, & Robertum quendam controuersia super Ecclesia de Vvacheringis, quadam collusione, vt de eadem Ecclesia Richardo de Ambli præiudicium fieret, verteretur, absente tum citatu, Rich. de Ambli, qui præfatæ Ecclesiæ fuerat possessor, per eiusdem Prioris concessionem, re-
F clamantibus quibusdam Clericis Richardi, iterum atque iterum absentiam eius, & eum non citatum objicientibus, Dn. Lond. nihilominus pro Richardo sententiam tulit aduersus Priorem, qui sic vinci victoriam reputauit. Deinde cum incontinenti facta appellatione, à Clericis Rich. de Ambli ad nostram præsentiam, * Dn. Lond. sententiam suam, misso quodam Sacerdote Vvillelmo, uiteretur executioni mandare, Clerici Richardi Robertum non admiserunt, nec iniuriose restiterunt, sicut postmodum Sacerdos confessus est, sed aduersariorum manus vi moderatissima repulerunt: Quamobrem Dn. Lond. audita querimonia Roberti quod in se manus violentas Clerici de Ambli miecissent, eos denunciauit excommunicatos. G. f. Sacerdotem, S. A. quos licet huius criminis * crederemus, sæpenumero mandauimus D. Lond. quatenus eos pro non excommunicatis haberet, vt fuerunt die appellationis ad nos factæ, aut saltem accepto sacramentu ab eis quæ
G iuri parerent, absolueret. Quod cum facere distulisset, ab eis sacramentum, quod iudicio Ecclesiastico parerent, accepimus, die sibi præfinito, aduersariis in probatione deficientibus, & audita reorum purgatione, ab obiecto sibi crimine eos absoluimus.

Epist. XIX.

Adriano Papæ.

CAusa quæ vertebatur inter Magistrum Iordan. Fantasma & M. Ioannem Ioichet clericos Dn. Vvintoniensis super Vvinton. tandem translata est ad audientiam nostram. Auditis ergo allegationibus M. Iordan. instrumentis diligenter inspectis, memorato Ioanni vestra nostra authoritate inhibuimus, ne contra voluntatem Iord. scholas regere præsumeret in præfata ciuitate. Die verò sequenti in nostra præsentia constiterunt, multa in se proponentes ad inuicem: Iordanus, siquidem
H iam dictum Ioannem contra Religionem fidei in prædicta ciuitate sibi scholas vsurpasse, damna plurima intulisse dicebat, officio nostro sibi super his satisfieri postulans. Econtra Ionnes se iudicio Synodi super fidei læsione innocentiam suam purgasse asserebat, Magistr. Iordan. cui similis purgatio adjudicata est, quoniam super fidei læsione similiter fuerat impetitus, omnino defecisse dicebat, petens vt vrgeremus ad purgationem ex iudicio præstandam, vel ad implendam pactionem quæ fide interposita dicebatur fuisse roborata. Illis itaque sic altercantibus, Ioannes vestram audientiam appellauit, dicens se ostensurum quod sæpedictus Iordanus Religionem fidei sacramento temerauerat, diem præfigens natiuitatem B. Ioannis. Cum verò Iord. prolixitatem temporis causaretur, eo quod ab initio Decembris vsque ad finem Iunij terminum prorogasset, eam sæpedictus Ioannes in festum B. Michaelis protelauit. Nos autem quæstionem criminis vestræ reseruantes discretioni, quia de iure Scholarum Mag. Iordani constabat

communica

A communicato fratrum nostrorum Licestr. Henford. Vvigorn. Episcoporum consilio, Dn. Vviton. dedimus io mandatis, ne præfatum Iordan. super scholis pateretur à Ioanne vlterius fatigari: etsi eum inueniret vestræ & nostræ autoritatis contemptorem ipsum publicè denuntiaret anathematis vinculo innodatum. Postmodum vero elapsis paucis diebus in nostram præsentiā redierunt, Iordano veterem querelam innouante. Dicebat enim Ioannem post interdictum vsurpasse scholas, in sententiam anathematis incidisse. Ioannes vero hoc constantissime inficiatus est, paratus incontinenti tactis sanctis Euangeliis iurare, quod post prohibitionem nostram à magisterio destiterat. Econtra Iord. se die præfixa probaturum dicebat, assertione legitimorum testium, quod post edictum magisterium exercuerat, sed Ioannes diem recusauit recipere, dicens se iam in procinctu B Romani itineris esse, vos autem autore Domino litigiis eorum finem debitum imponeris.

Epist. XX.

Adriano Papæ.

IN causa quæ vertitur inter Vvillelmum filium Godefridi, & Vvillelmum Lichesfeldensis Ecclesiæ Canonicum, super Ecclesia de Salavva, quam Sanctitas vestra venerabili fratri nostro Gauterio Conuentreusi Episcopo delegauit, ad nostram audientiam appellatum est, eo quod Vvillelmus G. Curiam Episcopi tum ei omnem iuxta mandatum vestrum iustitiam offerentem. * Cum ergo iam dictus Villel. resistente aduersario in præsentia nostra suam proponeret actionem, eidem Vvill. Lichesfeldensis fori præscriptionem opposuit, appellationem ad nos factam non tenere, eo quod à iudice delegato nisi ad delegantem appellari non liceat. C Alter itaque Vvillel. statim ad sedem Apostolicam appellauit, diem præfigens Calend. Maias.

Epist. XXI.

Adriano Papæ.

CVm inter Rodbus Vvnegorum, & Vvillelmum de Desturmunster super quibusdam parochianis & decimis sedente Adelelmo Archid. Dorseiæ controuersia verteretur, Rodb. petente sibi restitui, eo quod ea aliquādo sibi adiudicata & resignata fuissent, quod testibus se probare paratum asserebat, prædictus Vvillelm. aduersus quem vt possessorem petebatur, ad nostram audientiam appellauit. Cum itaque se nostro conspectui ambo præsentassent, eo quod Vvillelmus, licet appellauerit, minime instructus veneras, ad venerabilem fratrem nostrum I. Sar. Diocesanum eorum Episcopum causam duximus remittendam, qui cum in Synodo sua de causa sufficienter cognouisset, ita vt ad pronunciandum D accingeretur, sæpedictus Rodb. petitione sua super præfatis parochianis & decimis exposita, tres testes produxit sacerdotes, iurare paratos se præsentes adfuisse cum ordine iudiciario adiudicatum fuerat Rodb. ius parochiale quod petebat, cum decimis. Quibus diligenter examinatis satis concordibus inuentis, cum iam post suscepta testium iuramenta pronuntiaturi essemus, assidentibus nobis venerabilibus fratribus nostris, Hilar. Cicestr. Gilleberto Henford. & Richardo Lond. Episcopis, sæpedictus Vvillelmus absque vllius grauaminis allegatione, tertio quàm * viris formam vt vobis visum est, ad Consistorij vestri excellentiam appellauit, terminum appellationi præfigens Dominicam qua cantabitur, *Lætare Ierusalem.* Robertus vero terminum coarctauit, diem præfigens Epiphaniam.

Epist. XXII.

Adriano Papæ.

COntrouersiam quæ inter Rodbert. quendam, & Richard. de Ambly vertebatur, super Ecclesia de E Vvaccheringis, Serenitas vestra nobis discidendam delegauit. Partibus itaque è regione constitutis, cum assiderent nobis venerabiles fratres nostri, Rich. Lond. H lar. Cicestr. Episcopi, Rodb. Ecclesiam petebat, quam sibi in Curia Lond. adiudicatam asserebat. Econtra Richar. quandam collusione aduersus Monachos de Pretelevvilla dictamm esse iudicium allegabat. Se vero Ecclesiæ possessorem citatum, nullam inter se & Rodb. latam fuisse sententiam constanter asseuerans, quod ipse Lond. Episcopus palam omnibus confessus. Rodb. itaque ad hæc nihil respondens, audientiam vestram appellauit, diem constituens Octauas B. Andreæ.

Epist. XXIII.

Alfredo Vvigorn. Episcopo.

F NVper prudentiam vestram satis admirari non potuimus, quæ nostro, & fratrum nostrorum consilio postposito & contempto in se videtur prouocare indignationem superiorum fere potestatum omnium. Summus Pontifex, Serenissimus Princeps, illustris Regina à fraternitate vestra modicum quid expectant, in quo honestati, indemnitati vestræ, quam vtilitati eorum, magis prospectum erit. Certe si rem grandem eorum quilibet peteret sigillatim, iure optimo debuerat exaudiri. De nobis fratribus nostris taceatur ad præsens, quod si placuisset non oportebat in Consiliu vestro locum tenere nouissimum. Vereor, dilectissime frater vereor ne Consiliarij vestri consilium insipiens, inutile dederint, dum nobis omnibus apud vos præferri studuerunt. Omnes consulunt in commune, vt iuxta principum voluntatem Magistro Salomoni cedant Ecclesiæ, quæ in transactionem Godefridi & Vvillelmi venisse G dicuntur. Nonne fuerat eorum tam laudabilis non modo acceptanda, sed præmianda voluntas? Honestum, literatum virum vestris volunt obsequiis mancipare, dum liberalitatis vestræ munus implebitis, id agite ne fiant irrita quæ de labiis Episcopi processerunt. Fuerat sane contemplatione literarum & morum, iure societatis antiquæ adsciscendus, id etiam nemine postulante. Nonne iudicandus est in opportunitatibus suis, fratrum consiliu, qui illud tam leuiter aspernatur? Nonne preces illius merentur excludi, qui tam piam voluntatem Principum non admittit? vt de aliis taceatur qui tum apud vos plurimum posse debent ex merito, voluntas Domini Papæ pleniori bonitate interpretanda erat Vulgo dici solet acceptum fideliter, verum est quia summi Pontificis voluntas, decretum est: & ne in iure constituendo causarumque discissionibus duntaxat obtinere credatur, faciendi necessitatem, cum innotuerit, amantium deuotioni solet indicere. Sed forte dicetis S. denunciasse magistrum S. qui aduersus innocentiam vestram Reginæ animum concitauit: quid aliud est quam H Reginam, quæ eum vobis audientibus excusauit, ream mendacij facere? Et quia voluntatem Domini Papæ vobis innotuisse non ambigimus, fraternitati vestræ præsentium significatione præcipimus, vt eam impleatis, prohibentes ne quid contra eam super eisdem Ecclesiis innouetur: præcipimus vt nobis faciatis copiam literarum, quas G. Archid. super hoc attulit. Nouit discretio vestra quid eum sequatur, qui scit nec facit Domini voluntatem.

Epist. XXIV.

Regi Anglorum.

SIcut clementis famæ beneficio vobis innotuit, virtus vestra semper in Domino prosperatur, qui successus vestros adiectis successibus cumulare non desinit, in tanto prosperorum cursu, * vestri sui dedit habere notitiam. Et quidem quæ apud nos sunt tanta pacis, lætitia perfruuntur, vt bellicæ tempestatis, cladis publicæ totamque præcedentium malorum seriem regni nostri

A felicitas præter opinionem popularem demulceat, & omnino absorbeat. Digitus Domini est hic, qui in manu pueri sui Domini mei Regis aurea reformat sæcula, omnium authore Domino molestiarum. A commissis vobis nationibus, linguis, propulsauit incursum: tantæ tamen felicitati derogatur in vno, quod languentibus desideriis; diutius destituimur corporali præsentia vestra, qui maiestatis, virtutis vestræ beneficiis indesinenter assumimus. Scimus quid loquamur, qui ex abundantia cordis loquimur, pro regni vestri incolumitate ætatem ex parte transegimus in laboribus ærumnis, veruntamen vrgente amoris fide non possumus pro vobis non esse solliciti. Beatitudini vestræ, quam in longa, felicia tempora protendat Dominus; supplicamus, vt per latorem præsentium ea quæ circa vos sunt nobis significare dignemini. Certo quidem certius est, quod ab incolumitate vestra, non modo totius Insulæ, quæ vobis votis felicibus, salutem precatur, salus pendet, sed omnium etiam circumiacentium nationum.

B

Epist. XXV.

H. Episcopo Dunelmensi.

IVxta relationem vestram habemus quod possimus de fraternitate vestra causari, qui ex constitutione sacrorum Canonum, denuntiasse debuistis flagitiosum illum, quem Epistola vestra nobis depinxit, ab Ecclesia vestra ob tanti sceleris atrocitatem, anathemate condemnatum. Nos autem, licet venerabilis fratris nostri Eboracensis Arch. literis fretus fuerit, pro eo multi magni viri, culpam aut omnino reticentes, aut minuentes supplicauerunt: ei neque communionem indulsimus, nec itineris pœnam remisimus, sed tantum terminum prorogauimus vsque ad Exaltationem Sanctæ Crucis, nihil eorum quæ ei iniuncta fuerunt, in alio immutantes. Quia ergo malitia sua aut fallacia ei lucrosa esse non debet, eundem fraternitati vestræ iuxta canonicas sanctiones C tractandum relinquimus, mandantes vt pro modo culpæ tanti flagitij, scelus ea seueritate puniatis, vt delictum eius autore Domino per pœnitentiam deleatur, & cæteri vel timoris metu à similibus terreantur. Nos enim per misericordiam Domini criminum patroni esse nolumus, sed vltores: gratum habentes, quod zelum iustitiæ inter barbaros retinetis, ratum habituri quicquid secundum Dominum statuetis in illos, qui crucifixum adhuc, qui in Ecclesia adorandus est, persequuntur.

N. Epist. XXVI.

ARguendus essem, pater, si non conatibus meis in executione mandati vestri necessitas potius quam negligentia obstitisset. Ergo quia Magistrum Guillelmum ex quo à vobis discessi, videre non potui, antequam D visis literis vestris ipsum ad Dn. A. per Dn. Archiepiscopum ad impetrandas inducias fecerim euocari. Laborauit Archiep. ad hæc, & ego adhibitis sociis laboraui, sed non periit in eo labor noster. Veniet itaque ad diem sibi præfixum, & forte qui nostras contempsit, si tamen necesse fuerit, preces nostras admittet. Conuenimus super negotio Dn. Cicestr. explorantes animum eius quem proculdubio in hac re timere non oportet, quia nobis iureiurando firmauit, quòd licet sibi ipsi magnam irrogaretis iniuriam, nullam sibi vellet fieri vltionem, nisi adeo enormis esset, quod saluo honore dissimulari non posset. Nouit enim innocentiam vestram, & quem in se habeatis affectum. Præcepit ergo vt vobis scriberem sibi non displicere, si mandatum Dn. Papæ ad vnguem exequimini. Scit quia necesse est vobis vt illud impleatis. Vestro quoque A. dedit in mandatis vt vobis dicat: quatenus scripto me credatis. Scitis forte quare ipsum hoc idem scribere non decreuit. Hoc quidem vult haberi secretum. In festo Magdalenæ, de pertinentiis Ecclesiæ de Clerica, F quæ ad ius vestrum pertinet, ante Dn. Archiepiscopum litigabitur. Consulo vt ipsa die aliquis vestrorum, adsit saltim cursor cum scriptis munimentorum vestrorum, vt ius vestrum possimus protestari. Si quid est quod nuntij vestri attulerint, quod ad Vvigorniensem spectat, sine mora exhibeatur ei & Archiepiscopo.

Epist. XXVII.

Domino Papæ Adriano.

IMmoderatus amor tantam mihi dedit audaciam, vt solicitare præsumerem pro meis, amicorum meorum necessitatibus, cùm sim puluis & cinis, Apostolicam Maiestat. verum pro his fiducialius supplico, quos vobis, Pater amande, S. Romanæ Ecclesiæ fideliores agnosco, inter quos est venerabilis pater Dn. Norvvic. qui sicut promptiori, pleniori deuotione Apostolatui vestro submittitur, in Ecclesia Anglorum fructuosius famulatur. Ita manifestis calumniis sæpius affligitur, indebitis vexationibus F mandatorum occasione prosternitur, sicut ex rescriptis Episcoporum potestis percipere. Vvalchel. Archid. comprehensus in operibus manuum suarum, vt non modo mandatum nostrum, sed iustitiam Domini euacuet, sacrarũ constitutionum laqueos, vt iudicum manus effugiat religionem vestram circumuenire nititur, sub prætextu & habitu restitutionis, cum tamen per ipsum steterit, si quid ei deest, quo minus eam habuerit. Taceo quod in redemptionem criminis multa promisit in contemptu Sedis Apostolicæ, ab ea reuersus plura commisit. Ad iniuriam vestram venio: spurium, quem ei renitenti à vobis focaria peperit, de sacratissimo nomine vestro appellari præcepit Adrianum: eandem reliquit pater grauidam, * sibi prouida dispositione statutum, vt si forte pepererit masculum appellent Beneuentum, quia illic peregrinatur pater, si fœminam, dicatur Adriana. O verum Romani Pontificis amicum: qui in flagitiis ipsius huius G memoriam, de bonitate vestra, quam impune deludit, nequitiæ suæ nomen imponit: Hic est Domine, hic est, qui sanctum Episcopum ea sola ratione persequitur, quia criminibus eius Episcopus aduersatur. Cum videatis inquam, cuius crimina manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, non ponetis cum eo malitiæ portionem, licet ille vos, quantumque in se est, infamiæ suæ reddat participem. Cum enim si non deiectus à vobis redire debuerit, & correctus, facta sunt semper hominis illius nouissima deteriora prioribus. Dicam Pater, dicam quod consona voce omnium fama concelebrat, qui hunc dimittit, iustitiæ inimicus est, vitio consensus, iustitiæ, honestatis, incontinentiæ profanator. Vvigornens. Episcopus, cui commissa est causa eius, in executione mandati vestri piger est, in proximo Insulam egressurus. Placeat ergo vobis ei subrogare quemcunque volueritis in Anglia iustitiæ amatorem, H vt causa Episcopi quandoque debitum finem sortiatur.

Epist. XXVIII.

Domino Papæ Adriano.

AD ostium Maiestatis vestræ pulsare totiens erubescerem, nisi pudorem meum deuotionis meæ sinceritas, eminentiæ vestræ benignitas animaret, eorum, quibus nulla ratione deesse possum, instantia me ad scribendum compelleret vel inuitum. Sanctorum fratrum, qui apud Meritonam Domino famulantur, luce bonorum operum illustrant Insulam nostram, vexationibus, iniuriis tanto magis compatior, quanto certius habeo eosdem à læsione omnium abstinere, & quod omnibus Insulanis patet, vtilitati proximorum totis viribus inseruire. Ad vestrum ergo Apostolatum confugere compelluntur, vt laboribus eorum manum misericordiæ porrigatis. Inter cætera Ecclesiam de Effigeham, quam eis petente Domino fundi, donauit Dominus

Vvinton.

A Vvinton. gloriosus decessor vester Eugenius secutus, eiusdem Domini Vvintoniensis scriptum sub priuilego confirmauit, in iniuriam Apostolicæ Maiestatis, confusionem sanctorum Canonum contulit memoratus Episcopus cuidam publicano ferè laico filio sacerdotis, qui in ea Ecclesia ministrauerat. Ecclesiam quoque eorum de Vppetona miles quidam dissimulante Episcopo impune suis decimis spoliauit. Hoc a. præpediente magnitudine quorundam iustitiæ detrahentium, inualescente malitia multorum, nisi vrgente mandato vestro non poterit emendari. Placeat ergo dignationi vestræ, prædictorum fratrum causas, personas benigne admittere, cito remittere quia temeritas eorum, qui in vsus pauperum, vltra quam hunc, domi expendunt, moram refugit longiorem. Profectò si latores præsentium familiarius inspexeritis, multarum magnarumque virtutum paruum hospitiolum in altero poteritis admirari, cum vtrumque charitati vestræ commendet spiritus: alteri caro, sanguis gratiam * comparabit. Prosit Meritonensibus, quod dum essetis in Ecclesia B. Ruffi, bonus
B odor eorum ad vos vsque peruenit, quod mihi seruo vestro communicare solebat inter loquendum dignatio vestra.

Epist. XXIX.

Domino Papæ Adriano.

AMicorum negotiis aures clementiæ vestræ pulsare præsumo, cui forte satis esse debebit, si vel in propriis meream exaudiri: verum hanc temeritati meæ contulistis audaciam, quando me occasionem scribendi vobis ex multorum negotiis rapere præcepistis. Nunc a. quia latoris præsentium Vvillelmi necessitati deesse non potui, Maiestati vestræ, quanta possum deuotione, tanta mente pedibus vestris prostratus supplico, vt laboribus eius nunc tandem debitum finem imponatis, iam se-
C cundo ad sedem Apostolicam aduersarij sui malitia trahitur, qui ad appellandum velox, ad prosequendum tardus, sacrorum Canonum non magis ignarus, quam contemptor, fautor curiæ, persecutor Ecclesiæ, suffragio secularium potestatum, Catholicæ vnitatis robur nititur eneruare. Hoc nouo tergiuersationis genere nostrates instruit ad Rom. Pontificem, Regem & Reginam pariter appellare, vt pro reuerentia vestra, Episcoporum manus effugiat, Regis & Reginæ indignationem prouocet ad innocentiam conterendam.

Epist. XXX.

Adriano Papæ.

SIlentium quod mihi indixeram, venerabilis pater Eliensis Episcopus interrupit, qui me Maiestati Vestræ deuotionis suæ indicia compulit nuntiare. Credit
D enim se posse apud Eminentiam vestram fidelium vestrorum testimonio, intercessione iuuari, & quia deuotionis suæ fidem mihi vestra gerenti negotia, manifesta operis exhibitione monstrauit: serenitati vestræ attentius supplico, vt ei gratiam illam integram conseruetis, quam à benignitate vestra promeruit, antequam super capita filiorum hominum thronum vestrum Dominus exaltaret. Petit hoc ipsum Dominus Cant. apud quem centum marcbas sterlingorum deposui, quas ad mandatum vestrum implendum à præfato Episcopo acceperam. Pronus quidem est in obsequium vestrum memoratus Episcopus, sed longe pronior erit, si ei clementiæ vestræ dulcedinē porrexeritis, memor eorū quæ mihi reuertenti à maiestate vestra iniuncta sunt. Voti eorum, quorum recepi curam, ei credidi commendandum. Vt ergo gratia vestra possit esse securior, ei, si placet, indultæ relaxationis litteras transmittatis. Valeat in eum paternitas vestra. Vnam memoriter teneat quod omnes sciunt in auribus vestris paucissimi profitentur, Romanum Pontificem non posse diu pontificari.

Epist. XXXI.

E LIcet silere disposuerim, negotium Domini Papæ quod gessi cum Domino Elien. me compulit aures Apostolicas litteris onerare. Necesse ergo est vt intentionem meam vestra industria prosequatur, cum enim negotium viriliter gestum sit, iuris authoritate quod factum est roborabitur. Centum marcbas sterlingorum, sicut Dominus Boso præceperat, nobis ad implendum mandatum Domini Papæ tradidit Dominus Eliensis, decem quoque marcas pro marca auri Domino Bosoni per Dominum Cant transmittit. Agite itaque cum Domino B. vt indultæ absolutionis, sicut promisit, Episcopo litteras mittat. In quo itaque grauari non debet, si accepto auro verba remiserit. Decreto nihil est apud nos innouatum, nisi quod inter Archiepiscopum Eboracensem, Abbatem Gloucestrensem pax reformata est,
F Archiepiscopo liti renunciante, accepto reditu xcIII. librarum. Præterea consulo, vt in itinere isto * ei vnius anni contrahatis societatem bonorum cum annona: cætera victualia Lond. cara sunt, quibus prope fluenta Magister Rad. abundat. Cum deductis sumptibus x v. millia alecium expectant.

Epist. XXXII.

Ioanni Thesaurario Cantuariensi.

LIcet vestro sim offensus silentio, amicos tamen alloquor vel offensus: Alloquor quidem, sed alio sermone quam negligentia vestra meruerit. Fueratis enim de immoderato silentio obiurgandi, sed indignantis spiritum venerabilis pater Rod. Episcopus S. Andreæ cohibuit, personam suam, causam industriæ vestræ com-
G mendari desiderans: vexat eum Abbas Calcoensis, Acephalorum prouocatus exemplo, per viam inobedientiæ quam Christus ignorat, quandam libertatis imaginem apprehendens ad Episcopalis authoritatis parilitatem assurgit. Episcopi vero causam vobis Pater Cant. commendat, & ego, & quem contemnere non audebitis, similiter commendat iustus Christus Dominus, nomen illi silentij: vestrum vitium aliquatenus in Episcopi causa purgabitur, dum tamen culpa præcedens continuatione sui non vertatur in crimen. Si vero amplius silueritis, non credatis vobis esse parcendum: quia qui nunc amicis non datis verba extorquebimus & verbera Apud nos nihil est innouatum, nisi quod Dominus Eliensis mandato Domini Bosonis satisfecit, sicut ille vobis secundo iam scripsit.

Epist. XXXIII.

MVltorum excessibus viam aperit, qui subiectorum dissimulatis erroribus, eis præstat audaciam
H delinquendi. Tu autem in iniuriam sedis Apostolicæ contemptum nostrum grauiter diceris deliquisse, qui postquàm ad nos super causa quæ vertebatur inter Alexandrum de Draitona, Rad. Externeum, appellatum fuit in præiudicium, à contempta authoritate nostra aliquid ausus est innouare. Vnde tibi præcipiendo mandamus, quatenus proxima Dominica, qua cantabitur, *Cantate Domino*, nostro conspectui appareas, responsurus memorato A. & R. fratri eius, de inobedientia, contemptu Domini Papæ, & nostro, participatione sacrilegij, anathematis: hoc quoque prouideas ne multiplicis incontinentiæ, qua nomen tuum sinistræ famæ rumor aspersit, quod minime optamus reus inueniaris. Nos enim tantos excessus præterire non poterimus incorrectos; ne ex negligentia officij nostri grauius corripiamur ab eo, apud quem, sicut nec munerum, ita nec est acceptio personarum.

A

Epist. XXXIV.

Ioanni Thesaurario Eboracensi.

POst. discessum Magistri Vvillelmi & Rad. qoibus negotium, de quo locuti sumus, multa precum instantia commisi, Norvvic. profectus sum, ibique negotium vestrum quanta oportuit deuotione & fide gessi. Mea ergo instantia, & amicorum nostrotum, Ioannis Monachi, & Magistri N. quod vobis debebatur à Domino Norvvic. obtinui, licet ille de vobis plurimum conquereretur & forte merito. Dicebat enim quod cum inter amicos vos præcipuum reputaret, solus in necessitatis articulo ab eo defecistis. Hoc autem contigit cum sub discrimine capitis aduersus Archid. suum in summo honotis, famæ periculo dimicaret. Vrgebant mala vndi-
B que, hinc aothotitas Apostolica, inde Maiestas Regis. Altetum, potestati fauentes sanguini eius vndique imminebant, quod perniciosius teputabat: omnes ioimici domestici eius. Aioicorom tunc implorauit opem, explotauit fidem, aliisque sibi pto modulo suo assistentibus, solus faciem auertistis in die belli. Cum etgo apud vos sui omnes repulsam paterentur, randem ipse in propria persona accessit, sed noo est exauditus pro teuerentia sua. Noluistis enim differre prandium, dum istius pugnæ videretis euentum. Porro Discipulus, qui Dominum cum iuramento negauerat, vrgente charitate, Dominum sequebatur vt videret finem. Vos autem accessistis ad mensam, dum ille, cui promittebatis amotis obsequium, traheretur ad crucem. His vero de causis credidit vos illius contemnere beneficium, cui in tanta necessitate noluistis præstare subsidium. Ego vero istas alias obiectiones eius, si mihi validæ viderentur, quasi araneatum tela dissolui, taudem homini persuasi vt vos
C inter fidelissimos, amicissimos reputet. Scio enim quod iuxta verbum meum opetam dabitis, diligentiam, vt ope vestra turus sit ab æmulotum suorum insidiis. A vobis namque ooo aliunde mandatum accepi. Transit enim fere rem omnino non prætereundam, cum ad incolumitatem honoris & vtilitatis vestræ plurimum spectauerit. Si Dominus Eboracensis Regem coronare vel aliud aduersus Ecclesiam, teroeritatis instinctu moliri tentauerit in prouincia nostra, nolite communicare illi, sed causam Reipub. inite, quia iniutiarum nostrarum vltor est Dominus vltionum Cantuariensium Deus: si tamen vos Aquilonatis sedes nostra læsit in aliquo, satisfacere prompti sumus, dum grauemini nobiscum calculum ponere.

Epist. XXXV.

Attestatio.

D PRæsentium attestatione notum facimus Vniuersitati vestræ, controuersias, quæ inter venerabilem fratreo nostrum R. Lond. Episcopum, & Henricum de Londonia vertebantur amicabili compositione in hunc modum esse sopitas. Nobis siquidem assidentibus viris venerabilibus Rodberto Lincol. Vvillelmo Norvvic. Gileberto Hunfotd. Hilario Cicestr. Episcopis, idem Henricus in medio contendens asserebat Archidiaconatum Colecestr. Ecclesias de Fuleham, Stubeham iuste sibi coompetere ipsum Episcopum teneri obnoxium: ad hæc incontinenti probanda testes producere, instrumenta profetre paratus erat. Factum est itaque vtriusque patris assensu, nostra interueniente authoritate, quod Rog. le Brun Ecclesiam de Fuleham, quam tenebat in manu Episcopi sponte refutauit, idem Episcopus statim eam prædicto Henrico concessit inde eum inuestiuit, hac ioserta conditione, quod cum idem Rog. Ecclesiam de Stubeham morte aut sponte, & quacumque ratione tenere desierit, Henricus eam sicut suam libere recipiet, post Ecclesiam de Fuleham Episcopo Lond. qui pro tempore fuerit, resignabit. Et hæc volente Rog.

F pto bono pacis consentiente facta sunt, ipso & Decano. Capitulo Ecclesiæ Beati Pauli Lond. præsensente, annuente, vnde Henticus propter hæc memoratis controuersiis omnino renuntiauit, Episcopo plenarie reconciliatus est, ita quod Episcopus & Ecclesia eius chartis suis hanc compositionem debent confirmare. Et oos igitur ipsam authotitate Sedis Apostolicæ, cuius vice fungimur, toboramus, inconuulsam manere præcipimus.

Epist. XXXVI.

Alexandro Papa.

EXcellentissimo Domioo & Patri A. Dei gratia summo Pontifici T. Sanctæ Cant. Ecclesiæ minister humilis S. & O. S. Do, Apostolicæ Sedis mandata filij
F obedientes exequuntur: qui ei reluctantue, constat damnationis in se prouocare sententiam. Nos autem ab Initio promotionis vestræ, interdum eum salutis vitæque discrimine, summi Pontificis amplexati sumus obedientiam, antequam nos innocentiæ crimen subruat, desideramus vita luceque priuari. Et vos quidem si reminisci placet obedientiæ nostræ prompta habetis experimenta. Nam decessorũ vestrorum tempore, naufragium, exilia, nuditatem, pericula mottis, sicut Ecclesia Domini nouit, pto fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ non subterfugimus, sed ex aduerso Principum stetimus, parati, si opus esset, pro indemnitate Ecclesiæ proprium sanguinem immolare. Vestris quidem, creditoribus satisfecimus, onus vestrum libentissime transtulimus in humeros nostros. Nunc demum oous vestrum potius portamus, quam nostrum, eo quidem grauius, quo, nisi prouideritis, non modo vestram minuet authoritatem, sed Romani Pontificis, quod magis veremur, gloriam
G adnollabit. Si quidem latorem præsentium Hugonem fidelem vestrum, iuxta mandatum vestrum, exigente contumacia Domini Lond. Præbenda Lond. Ecclesiæ inuestiuimus. Episcopus tamen non modo vestris, sed Apostolicis decreuit obuiare mandatis. Vos itaque si placet, honorem vestrum seruabitis, faciem nostram ex causa obedientiæ confundi non patiemini. Nam qui sedis Apostolicæ contemnit Legatum, eum videtur pótius contemnere qui misit illum. Cætera quæ ad præsentem articulum pertinent, lator præsentium poterit viua voce commodius aperire.

Epist. XXXVII.

Electio Abbatis.

PAstorum absentia & negligentia tantam infert Ecclesiis læsionem, vt quod facile, breui tempote in moribus, aut rebus perit, vix magno labore, multa
H vigilantia, longo temporis spatio valeat instaurari. Exercitus namque, rapinæ, multiplex temporalium iactura eminent, domi grassatur hostis, imo ramorum Religionis tam propagioe quam radice succisa, leo rugiens expositum inuenit inique quem deuoret. Qui veto, lo tanto periculo constitutus, non timet; non tam exaoimis quam exanimatus est. Sed & illi qui tantis debent morbis occurrere vel mederi, periclitantur: saltem nisi totam vigilantiam suam erogeot in procuranda salute subditorum, vnde nos desolationi vestræ paterno compatientes affectu, à Domino nostro Rege obtinuimus, vt secundum institutionem sacrorum Canonum Pastorem idoneum vobis præficere valeamus. Res autẽ celeritatem, diligentiam exigit, eum omois mora salutis differendæ periculum trahat, & ecclesiæ vestræ status in eo versetur calculo, vt religiosis vestris lugendus potius quã referendus videatur. Religio perit interius exteriora distrahuntur, diripiuntur, defluunt, non est domi quia uxilium & consilium porrigat. Morbus iam inueteratus est cum diu defuerit, quia mala propulsare vellet & posset. Quia ergo præsentiã nostram vobis ad præ-

sens

ſens non poſſumus exhibere, venerabiles fratres noſtros Gauter. Conuentr. Alu. Vvigornenſ. Epiſc. dilectos filios veſtros, per Sorcinſ. & Vvinchelcumbenſ Abbates ad vos tranſmittimus, in virtute obedientiæ pro autoritate Apoſtolica præcipientes, vt eorum conſilio proxima Dominica poſt feſtum S. Ioannis Baptiſtæ eligatis vobis in Abbatem perſonam religioſam, literatam, habentem bonum teſtimonium ab his, qui foris ſunt, qui autore Domino præeſſe valeat, & prodeſſe. Si vero prænominatorum fratrum aliquem animo & corpore abeſſe cõtigerit, nihilominus obtineat apud vos conſilium reliquorum. Scimus autem quod tam religioſo, tam ſalubri conſilio gratanter acquieſcet, quiſquis in vobis non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Iesv Christi. Illorum vero vocem omnino euacuamus, qui S. Spiritui reſiſtentes à prænominatis fratribus ad hoc deſtinatis, inuenientur ſuam, & aliorum, quantum in ipſis eſt, impedire ſalutem: * hoc ad Dominum Regem ſe credat, aliquis veſtrum habere confugium, quia ei ſalutis veſtræ dilatio moleſta erit, qui vobis ne differetur, in hac parte commiſit vices ſuas.

Epist. XXXVIII.

Domino Papa Adriano.

Dilectus filius noſter R. Cantor Lincol. Eccleſiæ, vir litterarum eruditione, morum honeſtate laudabilis, vrgente neceſſitatis articulo, ad lapidem adiutorij, ſucceſſorem, petit confugere, cogitur ſedis Apoſtolicæ auxilium implorare, quod illa in exhibenda iuſtitia conſueuit omnibus impertiri. Cauſam eius, ſi nobis ad plenum non liqueat, iuſtam eſſe oſtendimus: nec enim ex conſcientia credimus in læſionem alterius tranſgredi lineam æquitatis. Supplicamus itaque Majeſtati veſtræ, vt perſonam eius, ſi placet benigne admittatis. Vir enim tantus qui in eo verſatur officio, cum indemnitate Eccleſiæ ſuæ diu abeſſe non poterit. Quicquid autem eſt quod aduerſus eum, imo contra ſanctam Romanam Eccleſiam præſumptum eſſe videritis, illud authore Domino clementia veſtra in melius reformabit.

Epist. XXXIX.

Alexandro Papæ.

EXcellentiæ ſanctitatis veſtræ tutius audeo commendare, quos fide, charitate illuſtres, vita, moribus nouimus regulariter eſſe inſtitutos. Placeat itaque ſucceſſori beati Petri, iniuriis, vexationibus pauperum fratrum, in Eccleſia Sanctæ Oſidæ Virginis in habitu regulari deuotum Domino famulatum exhibentium, Apoſtolica dignum authoritate adhibere remedium. Eccleſia quidem illa luce, bonorum operum, religionis, integritate vitæ, conuerſationis ſanctitate, totam Inſulam noſtram irradiat, Eccleſiam, quæ apud nos eſt, in tantum charitatis adornat exemplis, vt eam merito Majeſtati Apoſtolicæ debeam commendare. Lator horum Abel nomine Eccleſiæ illius Abbas à venerabili fratre noſtro Richardo Lond. Epiſcopo, ſumptibus, vexationibus fatigatus, ad auxilium miſericordiæ veſtræ confugere neceſſe habuit. In cauſam namque à præfato Epiſcopo tractus eſt ſuper quibuſdam Eccleſiis ad Eccleſiam ſuâ donatione Richardi bonæ memoriæ Lond. Epiſcopi, fundatoris eiuſdem Eccleſiæ qui quartus ante eum in Eccleſia B. Pauli militauit, deuolutis: Cartam quoque Illuſtris Regis Henrici primi, & confirmationem bonæ, iucundæ recordationis Rad. Cant. Archiepiſcopi eis de Eccleſiis in teſtimonium donationis collocatam, authoritas Calixti Papæ, qui tunc temporis ſanctæ Romanæ Eccleſię feliciter præſidebat, ſuo priuilegio dignum duxit roborare. Genibus itaque Majeſt. veſtræ prouoluti, pro fratribus iam dictæ Eccleſiæ cum eis ſupplicamus attentius, vt Abbatem benigne ſi placet admittatis, quod tamdiu poſſederunt authoritate Apoſtolica roboratum de cætero quiete poſſideant, vt orationibus pro Rom. Pontifice ex debito faciendis, negotiis ſuis liberius, & affectuoſius valeant inuigilare. Cartas autem, quarum reſcripta vobis ſignata mittimus, vidimus, manibus noſtris tractauimus.

Epist. XL.

Alexandro Papæ.

CVm inter Moniales de Giſnüs & Bald. Noruuic. ſuper Eccleſia de Neonton. controuerſia ageretur, Baldouuinus in modum exceptionis bonorum, quæ ſibi à Monialibus ablata dicebat, reſtitutionem, antequam ad cauſam principalem accederent, ſibi fieri poſtulauit. Ad hæc Monialium procuratores, Eccleſiam ſuam à Baldouuino ſæpe plurimum iniuſte vexatam querebantur, ſe tergiuerſationes eius ſuſtinere non poſſe, cum illas in partibus ſuis deprehendere nemo ſufficiat. Ideo ad Sedem Apoſtolicam ipſum appellauerunt, diem præfigentes Purificationem beatæ Virginis Mariæ.

Epist. XLI.

Adriano Papæ.

ECcleſia Motienſis his qui eam impugnant, ſancto Epiſcopo Milone, patre optimo, deſtitutam, maternum ſemper impendit affectum. In neceſſitatibus ſuis multa pietatis ſolatia dignoſcitur contuliſſe: ipſi autem pro bonis mala retribuunt, quærentes quæ ſua ſunt, matrem ſuam ſcindere moliuntur. Inde eſt quod Sanctitatis veſtræ genibus prouoluti, quanta deuotione poſſumus, ſupplicamus, vt gratia veſtra quæ conſueuit punire ingratos, ſinum clementiæ dignis; bene merentibus aperire, Eccleſiam Motienſem clementer reſpiciat, conatus manifeſtæ ambitionis excuset. Dextera ſiquidem Apoſtolica teneras plantationes gratiæ ſuæ beneficiis irrigare conſueuit, vt proficiant: omnem ne marceſcant, aut deficiant concuſſionis moleſtiam amouere.

Epist. XLII.

Domino Papa Alexandro.

QVanti me faciunt, qui ſe meis precibus apud Majeſtatem veſtram confidunt poſſe iuuari! vtinam mihi fiat ſecundum verba eorum? Et quidem apud vos fiducialiter ago, non de meorum conſcientia meritorum, ſed de veſtra benignitate præſumens, ſemper reminiſcens cum gaudio, exultatione, quæ proceſſerunt de labiis veſtris, quando Futeutini arcam futurorum, annulum proprium mihi contuliſtis, & balteum. Ab illo ego die ſperaui ſemper in his, ſcio per miſericordiam Domini veſtram, quoniam non confundar. Ex tunc lator præſentium amicus mihi extitit, licet bonæ memoriæ Henrico Eboracenſi Archiepiſcopo, qui me perſequebatur, vt ſcitis, adhæſerit his diebus, vnde ei debeo gratias ampliores. Vobis pro eo ſupplicatus à magnis viris, & talibus, vt magni reputare debeam, ſi veſtigia eorum mihi liceat adorare. At certus ſum quod quanticumque ſint, nullus eorum me minimo ſeruulo veſtro vobis fidelior eſt, aut deuotior. Ad pedes ergo miſericordiæ veſtræ prouolutus ſupplico, vt iuſtitiam eius promoueri præcipiatis, nec eum ab arctioris vitæ via, quam Religioſorum conſilio egreſſus eſt, permittatis auelli ob eorum improbitatem, quibus videtur eſſe Religio conſummata, ſi in cauſis omnibus obtinuerint.

Epist. XLIII.

Abbati de Arroſia.

VEnerabilibus amicis fratribus in Chriſto dilectiſſimis, R. Abbati, & filiis pacis, qui in Capitulo, Arroaſiæ conuenient, T. Sanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis ſalutem. Ab ordine veſtro de nouo

apud

apud vos scandala emerserunt, tanto quidem amariora fidelibus, quanto præuisa minus, præter opinionem omnium acciderunt, Zelus quidem, contentio, carnalis affectus, indicia sunt propriæ dignitatis: inordinata defensio ambitionem arguit conuincit. Ecce inter fratres vestros non modo æmulatio, sed iam rixa est, iam fere agit in pugnam. Sæpe interposuimus partes nostras, vt pax reformaretur in Domo Domini, compositione & iudicio scandala de medio tollerentur. Vexati ergo sumus, non profecimus quicquam, sed fiunt in dies, nisi Deus manum apponat, nouissima eorum deteriora prioribus. Abbas de Lissesbulla, fratres eius iustitiæ semitas non sequuntur, eo quod aberrant longius à charitate, nesciunt viam pacis, vtraque pars culpam refundit in alteram: Ne tum veritas elucescat, pars Abbatis videtur impedire. Inde est quod vnanimitati vestræ supplicamus in Domino, vt nostris laboribus nunc demum finem imponatis, & aut pacem reformetis Ecclesiæ, si tamen fieri potest, partibus commanentibus, aut in securi iustitiæ succidatis radicem arboris, quæ dissensione iurgiorum fructus amarissimos facit. Valeat semper dilectio vestra, memor nostri in orationibus suis apud Altissimum.

Epist. XLIV.

Domino Regi Anglorum.

ILla est Regnorum vera pax, & semper optanda tranquillitas cum in fide & dilectione sibi cohærent membra Ecclesiæ, Sacerdotibus debitam reuerentiam Princeps, & Principi plenæ fidelitatis exhibent obsequium Sacerdotes. Si vero suis in se facultatibus collidantur, tam secularis, quam Ecclesiæ potestatis eneruabitur vigor, quia iuxta vocem Altissimi, in se diuisum Regnum quodlibet desolatur. Nos autem semper, maxime temporibus vestris, huic vnitati conciliandæ, seruandæ, inuigilauimus, & corporis rerumque dispendia fecimus, vt in vnum fidei, charitatis hæ concurrant Potestates, & Domino quidem authore huc vsque profecimus, sed modo versamur in labore & periculo grauiori. Scissura enim Ecclesiæ Romanæ nouitatis suscitat amatores, præsumptionibus multam dedit audaciam. Si quidem alij apud nos Alexandrum, alij disponunt & audire & visitare Victorem. Nobis autem incertum est quis eorum causam habeat potiorem, nec possumus eos, qui ad alterutrum inconsulta leuitate euolant, authoritate vestra reprimere, & tenere, sed aliquem recipere, nisi consilio vestro, dum res in pendulo est, in Regno vestro licitum esse credimus: hoc expedit aliquo modo vt Ecclesia Anglorum Romanæ Ecclesiæ scindatur exemplo, regno & sacerdotio præstet materiam contendendi. Cum ergo Episcoporum quidam, Abbatum Romam eant aut mittant, quid faciemus nos, qui præ cæteris pendemus à consilio vestro, sumus præ cæteris Romanæ Ecclesiæ obligati? Quidquid enim alij faciant, nos eam ex professione nostra statutis temporibus cogimur visitare. Erit autem nobis periculosum, si apud eum, qui victurus est, quem nondum nouimus, alij qui minus honoris ab Ecclesia Romana acceperunt, deuotionem nostram præuenerint. Dicitur autem quod Maiestas vestra quibusdam dedit illuc eundi licentiam, nominatim his qui lætantur de morte Adriani, qui, sicut mater vnicum amat filium, ita vos diligebat: & sunt nonnulli eorum, sicut celebre est, in insidiis personæ aut Ecclesiæ nostræ. Supplicamus itaque dulcedini vestræ, vt in hac parte prouideatis ætati, infirmitati nostræ, quod magis optamus & oramus, gloriæ vestræ. Amodo enim iam breues erunt dies nostri, nec pro eis multum sollicitamur ad præsens, sed pro Ecclesia Cantuariensi, quam paruitati meæ, Maiestati vestræ commisit Deus. Nec est quod vestram magis deceat excellentiam, quam vt eam seruetis indemnem. Ipsa est enim caput regni vestri, & vobis, toti regno, fidei parens in Christo. Quicquid autem ei detractum fuerit, vestrum deturpabit honorem, eo quod honor capitis æque numquam cæteta membra decebit. Incautus est enim qui caput exponit periculis, vt ignobilem sui honoret patrem. Super his expectamus, desideramus consilium & auxilium vestrum. Valeat in æuum sublimitas vestra. Lator præsentium rem plenius exponet.

Epist. XLV.

Abbatibus vniuersis Vvauliæ.

DIlectis in Domino filiis Abbatibus vniuersis, de sinu monasterij Vvauliæ procreatis Salutem. Commonuimus scripto nostro fratres illos, qui à sui Abbatis reuerentia recedentes, vocem alterius, cui nullo professionis vinculo tenebantur adstricti, audierunt, & cum eo à congregatione, vnitate monasterij sui declinauerunt. Illi verò nihilominus, vt dicitur, in schismate persistentes, in contumeliam ordinis vestri iniuriam Capituli Cistriensis quo ab Abbate Vvauliæ appellatum est, officij nostri admonitione contempta eundem Abbatem sequi non desistunt. Vnde charitatem vestram præsentium authoritate sollicitare compellimur, vt venerabilem amicum nostrum Philippum Abbatem, eleesymonæ cuius, vt dicitur, armantur consilio, diligentius conueniatis, vt fratrum illorum inobedientiam nequaquam foueat, sed ad Patrem suum, qui eos in Christo dignoscitur genuisse, adire permittat. Eisdem quoque fratribus authoritate nostra præcipiatis, vt redeant, & matris suæ scissuram charitatis vinculo, fructu obedientiæ, vnitate Spiritus studeant resarcire. Si vero mandati nostri contemptores in schismate suo perseuerare maluerint, sententiam, quam in eos Abbas suus canonice dederit, ratam habebimus, authore Domino in regno Anglorum faciemus inuiolabiliter obseruari.

Epist. XLVI.

Hilario Episcopo Cistren.

SÆpe quidem dilectissime frater, accusauimus moram silentij vestri, & coniiciebamus ab eo charitatis tepuisse feruorem, eo quod taciturnitas non amantis specie videtur induta. Cæterum cum ex post facto diuturni silentij causa nobis innotuit, pro certo cognouimus non tam dilationi veniam indulgendam, quam dilectioni, & sollicitudini, super sano consilio gratiam referendam. Nemo si quidem fratrum aut fidelium nostrorum, qui circa vos sunt, tantam nostri curam habere visus est, vt eorum quæ circa Dominum Regem fiunt, nos certos faceret, aut ignaros euentuum præmuniret. Vnde & vobis nos ampliorem fatemur gratiam debere, qui licet plus quam vellemus, silueritis, postmodum tamen taciturnitatis moram discretione prouida compensastis. Et quia articulus grauior videtur incidisse, vos sicut fratrem & amicum charissimum rogamus attentius, vt nos in singulis quæ expedire noueritis præmuniatis, quia consilio vestro plurimum adquiescere iampridem decreuimus. Et hic modus est, quo vestram absentiam nobis facere poteritis fructuosam, si quæ Ecclesiæ nostræ salubria sunt studueritis procurare.

N. Epist. XLVII.

SVscepimus litteras Domini Regis, quibus queritur Vvilhelmum Abbatem Ecclesiam suam de Lissesbula à nobis male tractatam esse, petens causam, quæ inter vos & iamdictum Abbatem vertatur, à nobis sine canonico terminari, & nisi velit is quiescere, non patietur, quod iam dictæ Ecclesiæ aliquid à modo habeatis. Nos autem iam dicto Abbati persuasimus vt appellationi omni renuntiet, si ei vos renuntiare volueritis, nostrum subire iudicium, & iam sub hac conditione renuntiauit appellationi & factæ & faciendæ. Inde est quod nobis, si conditionem hanc admiseritis, diem præfigimus Dominicam, qua cantabitur, *Misericordia Domini*: tunc

authore

A authore Domino, quod in Abbatem statuistis, si iustum apparuerit, roborabimus, euacuabimus si fuerit iniustum. Nobis autem merita causarum facilius clarescent, poteruntque partes sine vexatione iustitiam consequi, Religionis cultus in Ecclesia reformari, si partium assertione veritas innotuerit. Et hoc modo regium, qui pernecessarius est, poteritis retinere fauorem, quem amitteretis omnino, si Ecclesiam suam aliqua improbitate volueritis conculcare. Si vero memorata die conditione præscripta adesse placuerit, nobis, si placet, sine mora rescribite, aut si conditio displicuerit: indecens enim est, si aut nos deludimur ab amicis, aut alios deludimus.

Epist. XLVIII.

T. Cantuariensis, Regi Anglorum.

ET si propriis & priuatis vrgeamur angustiis, procellis tamen publicis magis affligimur, fortius cruciamur. Nos enim in propria persona manus Domini visitauit, in flagello clementiæ suæ, de longa, graui infirmitate B aliquantulum iam erexit. Veruntamen omni infirmitate grauior est animæ nostræ procella discordiæ, quæ Domino permittente scidit Ecclesiam, regnaque, colludens; Principatus, à populo Domini securitatem excussit, pacem. Hæc est afflictio nostra quotidiana, hic omnium bonorum iustissimus dolor, amarissimus gemitus, & quidem eo amarior, quod in absentia vestra incerti sumus quid sperare oporteat, quid timere. Inde est quod serenitati vestræ affectuosius supplicamus, vt nos de statu vestro sollicitos certiorare dignemini. Si enim res vestræ prosperæ fuerint, speramus in Domino, quia nos Ecclesia Domini, quæ apud nos est, prosperabitur. Nam in vnitate consistit, Domino authore nunquam schismaticis adhærebit. Ecclesia vero Gallicana, sicut nobis veridica relatione innotuit, recepit Alexandrum, ab Octauiano recessit. Quod autem ad humanum spectat examen, meliori, sanioti parti videtur adhæsisse, cum C omnibus constet quod persona Alexandri honestior est, prudentior, litteratior, eloquentior: causa eius ab omnibus inde venientibus sincerior, iustior prædicetur. Et quamuis neutrius illorum adhuc nuntium aut scriptum viderimus, scimus tamen, quia omnes nostrates, si vester consensus affuerit, proniores sunt in partem Alexandri. Audiuimus autem quod Imperator vos in partem Octauiani trahere conetur: sed absit, vt in tanto periculo Ecclesiæ pro amore & honore hominis faciatis nisi quod crederetis Domino placiturum, nec decet Maiestatem vestram, si placet, vt in tota Ecclesia regni vestri superponatis & hominem, qui sine electione, vt publice dicitur, sine gratia Domini per fauorem vnius Imperatoris tantum honorem ausus est occupare. Nam tota fere Ecclesia Romana in parte Alexandri est. Incredibile autem est, quod pars illa possit obtinere, præualere per hominem cui iustitia deest, cui Dominus aduersatur: Eos vero in D humili casu præualuisse, crebra recolimus lectione quos Gallicana recepit & fouit Ecclesia, & infelicem exitum eorum quos tentationis impetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus nostris Innocentius aduersus Petrum, Calixtus aduersus Burdinum, Vrbanus aduersus Vvibertum, Paschalis aduersus tres Albertum, Maginulfum, Theodoricum, & multi similiter in diebus patrum. Nobis ergo prouideat dignatio vestra, vestrumque in partem illam Deus declinet assensum, quæ iustitiæ veritati innititur, Christo propitio triumphabit, & si vobis placet, in tanto periculo totius Ecclesiæ Domini, vtendum est vobis consilio Regni vestri, nihilque in præiudicium eius statuendum est sine consilio Cleri vestri.

Epist. XLIX.

Cantuar.

GRauati sumus plus quam tibi & aliis dicere possumus & nondum bene euasimus. Spes tamen nobis E est euadendi salubrior, quia nobis, authore Domino, propositum est satisfacere flagellanti. Flagellum æternum declinare castigatione præsenti: neque certiores sumus de venia, quo grauius affligimur præsenti corporis pœna. Flagellat enim Dominus omnem filium quem recipit. Parati ergo sumus patienti & læto animo amara suscipere de manu Domini, qui dulcia toties in vsum accepimus. Itaque siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. Nihil enim aliud desideramus in vita, licet aliquid propositi differamus, donec Domini Regis, tuo vtamur consilio. Interim domui nostræ, animæ nostræ disponemus, pro consilio Religiosorum, autem modo præstante Domino efficacius disponemus. Est autem quod tam de consilio Religionis, quam de proprio concepimus spiritu, vt omnes malas consuetudines quæ nostris temporibus per nos ortæ sunt in Archiepiscopatu, emendemus ante exitum nostrum. Vnde cum in extremis agere videremur, Domino vouimus inter cætera, quod consuetudinem de secundis auxiliis, quam frater noster Archidiaconus Ecclesiis imposuit, destrueremus, F ab ea relaxantes, liberantes Ecclesias: sub anathemate prohibuimus, ne vlterius ab aliquo exigantur. Et ne hoc nostrum beneficium, aut potius debitum in posterum valeat infirmari, hoc ipsum scripto nostro confirmauimos. Tu quoque si præsens nostras vidisses angustias, gratum haberes quicquid fieri videres pro nostra salute, nostram malles animam liberari, quam de peccatis, damnatione nostra, pecuniam, diuitias infinitas acquirere. Inde est quod te ad præsens in vexatione huius auxili audire non possumus, sine læsione voti, salutis nostræ periculo. Sed si Deus nobis vitam dederit, sanitatem quam nondum bene adepti sumus speramus quod adhuc ita tibi per manum nostram Dominus prouidebit, quod talibus, non egebis auxiliis; gratias ages Domino, quod à mala consuetudine suam temporibus vestris liberauit Ecclesiam. Rogamus itaque quod fecimus gratum habeas, quia nobis parum prodesset totus mundus, si animam perderemus. G

N. Epist. L.

CAusam, quæ inter dilectos filios nostros Canonicos Meritonenses, & Monachos de Messa vertebatur, super possessione loci qui dicitur Accahab. & B. & damnis, quæ sibi Canonici querebantur illata, ex mandato Domini Papæ decidentes, Monachos Canonicis condemnauimus, in restitutionem præfati loci, ad damna sibi resarcienda. Quarum summam cum illi ad octoginta marchas, seruata veritate, adhibita moderatione extenderent, nos partibus nostris interpositis eam ad xl. marcarum reduximus quantitatem. Vestræ itaque fraternitati mandamus. Domini Papæ authoritate præcipimus, vt præfatos Monachos memoratis fratribus, iam dictum locum, pecuniam præfatam, omni occasione postposita restituere compellatis, ne in executione mandati Apostolici negligentiæ vos quisquam arguere possit obnoxios. H Hoc autem Monachis non debet suffragari, quod præscriptum fundum Aduocato illius, sicut nobis confessi sunt, tradiderunt, cum ille qui dolo desiit possidere pro possessore damnetur: vnde locum incontinenti restituant, pecuniam infra instantem festiuitatem omnium Sanctorum persoluant. Quod si Dominus fundi vobis quacumque occasione se opposuerit, eum seueritate Ecclesiastica, adhibita diligentia, coercere non differatis.

Epist. LI.

Cuidam.

INterdum sibi læsit nasum, vel eruit oculum, qui salutifero signo faciem munire disposuit. Quorsum hæc? inquis. Ad illa quæ mihi scripsistis respondeo, non tamen infortunio tuo insulto, miror magis, tanto acerbiore dolore compatior, quanto vtrumque sincerius diligo: quorum alteri, si querela iusta est, opera petit

A impensa: alterum perniciosius vitium ingratitudinis dehonestat. Porro alterius iactura longe grauior est. Hinc enim rerum, inde honestatis dispendium. Cæterum, si sapis, hæc versatilis fortunæ iniuria tuis vsibus militat: compensat enim cognitione rerum, quod ingratitudinis vitio visa est subtraxisse. Auxit ergo prudentiam, quæ te hoc stimulo voluit excitari. Iubent ab aula Duces mercenarios milites, si hostem fortuna subduxerit: eodem imminente auidius. Quisquis ergo vult stipendiis gaudere perennibus, à militia non recedat. At istud non Ducis tantum, hostis quoque beneficium est. Profecto nisi mauis dissimulare, in portu nauigas, & pro arbitrio tuo, vestra licet lubrica sit, fortuna mutabit, flabit spiritus tuus, fluent aquæ, grando concidet, coruscationes, tonitrua imminebunt. Mouebuntur ad hæc mentes hominum, ad conditionis suæ notitiam reducentur.

B

N. EPIST. LVII.

Ad Populum Pastore destitutum.

Licet orbitati vestræ paterno compatiamur affectu, magnum tamen ex eo concepti doloris habemus solatium, quod beatum Patrem vestrum ad superna migrasse confidimus, & apud Patrem misericordiarum solitis precibus, sed efficacia maiori patrocinari poterit & nobis & vobis. Cæterum quia sine periculo animarum, rerumque, dispendio, viduitas Ecclesiæ desolatæ protelari non potest, charitatem vestram rogamus, exhortamur in Domino, vt id ipsum sapiatis, omnem scandalorum, schismatis occasionem, omni cum diligentia declinetis, incedentes vnanimes in domo Domini, quæ IESV CHRISTI sont, priuatis commodis præferentes. Quo vero sicut oportet, possitis in prouidendo vobis Pastore procedere, præcipimus quatenus ad conseruandam Ecclesiæ pacem, Dominum Regem, honesta de Collegio vestro legatione transmissa, C adeatis, preces ei deuotione debita porrigentes, vt canonice eligendi vobis Pastorem, libertatem concedat, destitutioni Ecclesiæ, ea quæ Christianum Principem decet, miseratione prouideat.

EPIST. LVIII.

Domino Papæ Alexandro.

Venerabilis frater noster Mauritius Pangorensis Episcopus, facultate & possessione tenuis, sed opinione nostra vir Religiosus, & timens Dominum, Ecclesiam, cui authore Domino præsidet, turbatam & deturpatam inuanit à malitia inhabitantium in ea, vtpote legis diuinæ ignaram Canonicas institutiones penitus ignorantem. Gens enim rudis & indomita, bestili more viuens, aspernatur verbum vitæ, & Christum nomine tenus profitentes, vita & moribus diffitentur. Ab his enim Christiani vsitato commercio in partes transmari- D rinas venundati, ab infidelibus concaptiuntur. Legem vero matrimonij contemnentes concubinas, quas cum vxoribus habent, commutant pretio, & crimen incestus ignorantes, consanguinearum turpitudinem reuelare non erubescunt quod autem miserabilius, vt populus, sic & sacerdos, eiusdem imbuti erroribus, pestem fouent, pernicioso corrumpunt exemplo, quos ad viam virtutis & veritatis reducere oportebat. Ad hunc vero pestilentiæ cumulum, istorum barbarorum Princeps Oy, Rex auunculi sui abutens filia, tam à nobis quam ab Episcopo suo, frequenter admonitus, vt licentius & liberius possit in sua malitia permanere, partem Cleri non modicam in patrocinium flagitiorum suorum traxit, & ipsum Episcopum bonis suis spoliatum ab Episcopatu expulit, quia tam eius quam populi zelo charitatis succensus, adeo audacter redarguebat errores. Episcopus vero quosdam de Clero, quosdam de populo contumaces, anathematis vinculo innodauit, ipsi vero palantes & vagi ad vicinos Episcopos, Vvaliæ Angliæ, Hyberniæ, E Scotiæ, confugiunt, & ab ipsis Ordines, Chrisma, & alia Sacramenta Ecclesiæ fraudulenter percipiunt. Vnde rigor Ecclesiasticæ disciplinæ in partibus illis adeo iam deperiit, vt ibi iam pæne hæresis & schismatis seminarium pullulet. Idcirco Sanctitati vestræ, Pater reuerende, supplicamus, vt nobis & præfato Episcopo suffraganeo nostro in auxilium exurgatis, patentibus litteris vestris communiter ad Episcopos. A.VV.H.L. destinatis, præcipiatis, quatenus quod nos vrgente necessitate Episcopi apud nos exulantis Canonice statuemus in Vvallenses, ipsi ratum habeant, & sententiam nostram firmiter obseruent.

N. EPIST. LIV.

Regi Anglorum, Cantuariensis Archiepiscopus.

Qvam pia deuotione vobis seruierim, verbis enarrare superfluum duco, cum mihi multorum tem- F porum manifesta opera attestentur, & fidei meæ testis in cœlo sit, & conscientiæ conscius in excelso. Attrita est caro mea, & tam ætate quam laboribus præfatigati sunt artus, ægritudo grauis, diuturna, dierum meorum finem in breui adesse denuntiat. Desideratam diu faciem vestrá videre sperabam, antequam moriar, & eos quos meæ custodiæ in regno vestro commendauerat Deus, ipso inspectore vobis præsentialiter decreueram commendare. Sed quia ad eius examen citius vocor, ante cuius tribunal in breui stabimus omnes, serenitatem vestram, regios corde prouolutus ad pedes, litteris coram Domino iudice omnium præsentibus alloquor, attentius supplicans, vt fidelem vestrum cuius in vos nunquam deuotio tepuit, agentem in extremis dignemini exaudire. Exaudite quæso, vt vos in extremis vestris exaudiat Deus. Exaudite me pro domo Domini, & pro paruulis eius, quos humano destitutos solatio derelinquo, vt domum vestram tueatur Altissimus, & paruulos vestros, & filiorum vestrorum consoletur. Transmitto vobis, semini vestro, G benedictionem a Domino IESV CHRISTO: vos si placet destitutis meis maiestatis vestræ solatium mittite. Commendo vobis sanctam Cantuar. Ecclesiam, de cuius manu per ministerium meum regni gubernaculum accepistis, vt eam si placet ab incursu prauorum hominum tueamini: Mihi, qui eam, licet indignus, disponente Domino, hactenus vt potui, rexi, talem studeatis subrogare Pastorem, qui tanta Sede non videatur indignus, cui Religio placeat, qui virtutum meritis placere credatur Altissimo, fidelis vester, suum vobis consilium debet. Ecce coram Domino, omnibus Sanctis eius consilium do. Non quæratis in hac re quæ nostra sunt, sed quæ Domini, quia ego pro eo respondeo vobis, quod si causam eius fideliter procurraueritis, ipse vestras vtiliter procurabit. Post multas vexationes authore Domino, in Ecclesia Cantuariensi reformauimus pacem, religionis promouimus cultum, idoneos ex conscientia nostra custodes præfecimus ordini, ne quis eorum cuiusquam temeritate H mutetur, antequam Episcopus subrogetur, prohibeat dignatio vestra eosque cohibeat qui scissuras, noua molimina molientur. Quoniam & nos hoc sub anathemate inhibuimus, eos excommunicamus, qui dispositioné ordinis quam fecimus disponent immutare: Præterea alumnos nostros, clericos, laicos, quos nostri & sæpe vestri obsequij ministros nostros habuimus, vestræ committimus protectioni, rogantes, vt quæ eis contulimus misericorditer conseruetis, nec eos patiamini alicuius importunitate vexari. Audiat ad hoc Dominus meus clementissimus verbum vnum, egredientem animam meam lætificet, residuum bonorum meorum mobilium, quæ vsque ad exitum pro incerto vitæ, diuturnitate ægritudinis, in vsu visa fuerant conseruanda, sicut Deus inspirauit, post exitum meum præcepi pauperibus erogari. Illos qui fraudem committent, aut qui, quominus pro salute mea, & vestra, & liberorum vestrorum erogentur, impedient, anathemate iam promulgato condemnamus, Ratá habere si placet dispositionem

meam

A meam, eam transmissis ad officiales vestros patentibus litteris confirmate. Neque enim quicquam auri superest pauperibus vobis nullo erunt emolumento, vel minimo,

Epist. LV.

Vvaltero Rofensi Episcopo.

GRauiter offendit in Christum, cui in fratrum vnitate amoenissimus factus est locus, qui ea quæ in domo eius ad pacem facta sunt, nititur perturbare. Nos autem Cantuariensis Ecclesiæ semper dileximus pacem, Domino propitio, nobis in fratres nostros charitatis indies profecit affectus, ab eis post tempora nostra omnem auferri cupimus materiam scandalorum. Ex nostra itaque conscientia idoneos pro facultate custodes præfecimus Ordini, quorum ministerio per gratiam Domini iam annis pluribus Religio proficit: & extrinsecæ administratio possessionis solito laudabilius procurata est. Quod
B enim statuimus, authoritate qua fungimur manere præcipimus inconuulsum. Priores amoti, vtilitate subditorum insistere subditos in omni humilitate, reuerentia, suis obedire Prælatis. Gaolterium quoque, quem ob suam non Ecclesiæ culpam, a Prioratu amouimus, ab officio Prioratus Subprioratus, omni Prælatione, ordine in Ecclesia Cantuariensi in perpetuum submouemus, indulgentes tamen ei, si pacificus fuerit, consortium fratrum, cohabitationem Cantuariensis Ecclesiæ: & si laudabiliter se priuatus habuerit, eum ad alias obedientias Ecclesiæ nostræ, & ad alterius Ecclesiæ regimen ascendere non vetamus, dum ad Prioratum & Subprioratum, & cæteras claues Ordinis interdictas nequaquam aspiret. Si vero vnquam ad hoc aspirauerit, omnes quos huius moliminis habuerit adiutores anathemati subiugamus. Tibi quoque Vvaltere ne hoc facias, ex parte omnipotentis Domini, sub anathemate interdicimus, quacumque die hoc attentaueris, omnibus fratribus nostris Episcopis, & omnibus parrochianis & subditis vestris in vir-
C tute obedientiæ præcipimus, ne tibi donec cesses, condigne satisfacias, vllo modo communicare præsumant. Sed & si quid machinatus fueris in fraudem huius nostræ Constitutionis, te cum omnibus complicibus tuis iam dictæ sententiæ noueris subiacere. Noli ergo frater, errare, noli, Deus enim non irridetur, sed habe pacem cum fratribus tuis: quod in nos immeritos deliquisti, tibi indulgeat Deus. Deus pacis & solatij sit vobiscum, dilectissime frater, nos quod ad præsens separat humanæ conditionis infirmitas, in æterna beatitudine secum perpetuo faciat exultare.

N. Epist. LVI.

NOs super re non ambigua consuluistis & quam præsertim à sapientibus expediri potius oportuerat, quam differri. Si quidem rerum turpium nulla deliberatio est, turpitudinis dilata repulsa, quandam consensus inhonesti prætendit imaginem. Quid autem turpius est,
D quam totius diuinæ legis authoritate contempta, in Sancta Sanctorum impudenter irruere, & impellente auaritia, contra ius & fas, ius hæreditarium in rebus Ecclesiasticis, imò in ipso altari vendicare. Quis, nisi profanus, patienter audiat, nedum petat, quod tam manifeste sacri Canones exhibent, quod vtriusque testamenti tam expresse cōdemnat authoritas. Reuoluite Canones, quoniam in parte hac latissimè patent, plane videbitis petentium talia improbatam esse petitionem, & eorum qui tales audiunt, durissimè plectendum esse assensum. Non relictus nobis dissimulandi locus, quia in Concilio Lateranensi[t], cui nos & vos, frater Episcope interfuimus, Domino Innocentio præsidente audiuimus, vota talia, promulgato Canone condemnari. Sed forte regia vos vrget authoritas, rectè quidem nisi sciretis Dominum homini præferendum, nisi religio Principis posset circumueniri, nisi per sobreptionem ab eo nonnulla esse extorta, iam fuissetis experti. Summa ergo consilij nostri hæc est, vt legi Domini & sacris Canonibus, iuxta professionem vestram obtemperetis: quoties vos tales E angustiæ presserint incidere in manus hominum, quam Domini viuentis, tutius iudicetis. Sed est forsan vnde meruetitis super successionibus huiusmodi vexari, eo quod in fraudem Canonum ad cessiones & substitutiones illicitas nimium proni estis.

Epist. LVII.

Theobaldi Cantuariensis Episcopi Testamentum.

SVpremis deficientium voluntatibus suum accommodant iura fauorem, & ipse velut inhumanus prouocat iram Domini, qui piis eorum desideriis obuius contradicit. Nostra quidem voluntas est, & quæ Domino authore nunquam mutabitur, vt residuum bonorum nostrorum mobilium, quæ propter necessitates domesticas, & diuturnitatem languoris vsque ad exitum vitæ duximus conseruanda, in vsus pauperum omnino cedant, secundum quod nobis Dominus inspirauit, sicut dedimus in mandatis venerabili fratri nostro Vvaltero Rof- F fensi Episcopo, fidelibus nostris Philippo Cancellario nostro, magistro R. Lexouiensi, & Ioanni de Sar. quos Eleemosynæ nostræ dispensandæ præfecimus: & omnibus ministris & fidelibus nostris per fidem quam nobis debent, iniungimus, vt istis obtemperent, & eis omnia nostra exponant, amicos Cleri omnes suppliciter exoramus, vt pro misericordia Domini omnipotentis, eis auxilium & consilium præbeant. Omnes autem qui in præfatis pauperum rebus commitient, aut qui, quo minus dispositio nostra procedat, impedient, anathematis sententia condemnauimus, ipsique Officiales Regis, si se dispositioni perturbandæ immiscuerint, se fidelium communione nouerint esse priuatos, tanquam sacrilegi, excommunicati ab introitu omnium Ecclesiarum abstineant. Omnibus autem dispositionis nostræ adiutoribus benedictionem Domini nostram damus, ipsos beneficiorum Cantuariensis Ecclesiæ participes constitui- G mus, eisque de iniuncta sibi pœnitentia xl. dierum indulgentiam facimus. Præterea ex parte omnipotentis Domini sub anathemate interdicimus, ne quis officialium Domini Regis ad res, quæ propriis Monachorum Cantuariensis Ecclesiæ vsibus dicatæ sunt, temerariam manum prætendat extendere, sed habeant omnes res suas in ea integritate, libertate, qua easdem ipsis Domini Papæ, nostro priuilegio fecimus confirmari. Ad hæc sub eodem anathemate, terrarum, quæ ad Archiepiscopum pertinent, omnem alienationem fieri prohibemus, & excidia, & damna nemorum, donec nobis successor subrogetur, nisi quantum necessarius Ecclesiæ exigit vsus, vel Dominus Rex proprio ore præceperit, vel misericordia discreta cum moderatione, pauperum hominum necessitati induiserit. Sub eadem quoque interminatione Clericis Episcopatus nostri prohibemus indebitis exactionibus & iniustis vexationibus opprimi: eis omnes libertates & consuetudines iustas, quas habuerunt tempore Vvilhelmi bonæ memoriæ decessoris no- H stri præcipimus obseruari.

N. Epist. LVIII.

QVæ rectum ordinem deserunt, aut nunquam, aut raro lætos exitus sortiuntur. Est autem in causis ordo rectissimus, vt præcedet sententiam examinatio, & tunc demum quis pœna feriatur legitima, cum innocentiam suam tueri aut non potest, aut contemnit. Vos autem si Adelitiæ de Valonus iusta est querimonia, ipsam contra legitimū ordinem defensionis ei præcluditis viã. Meminimus quidem nos vobis super hoc alia vice scripsisse, quatenus ipsam loco & tempore congruo euocatam ordine canonico tractaretis, quicquid in ea re statuendum foret, maturo, non præcipiti iudicio consuluimus: præcepimus roborari. At illa se exinde durius tractari conqueritur. Nos vero religionis propositum nolumus impedire, sed præeunte iustitia, quæ sapientis fac'ē antecedit, illud sine scandalo officij nostri cupimus adimpleri.

A Inde est, quod dilectioni vestræ iterato mandamus, vt lo-
memoratã causa ordine legitimo procedatis, ita iustitiam
prudentia temperantes, vt qui zelum, quem in Domino
habetis, audierint, scientiam quoque vobis gaudeant af-
fuisse. Præcipimus itaque vt ei audientiam debitam præ-
beatis, tunc secundum Dominum causa debitum finem
sortiatur. Conuenient Lond nobiscum authore Domi-
no, in breui, fratres nostri, vt de eorum consilio, si in-
terim vestro officio exequendo diligentiam placuerit
adhibere, causam hanc tutius possitis definire.

Epist. LIX.

De electione Romani Pontificis Alexandri.

Amicissimo suo Magistro R. de Sertis suus Ioannes
de Sar. salutem, si quid est melius. Angustiarum no-
strarum, dilecte mi, te non ambigo esse participem, cum
nos licet aliter, & dissimiliter, non alia vel dissimilis cau-
sa sollicitet. Nos è vicino iacula fortunæ sæuientis exci-
B pimus, in manibus nostris est, oculis iugiter subest con-
tinui materia laboris, & doloris, & mœroris. Non locum,
non tempus indulget amara sors lætitiæ, aut quieti, vix
solatij tenuis spes relinquitur. Sed illa à Domino. siqui-
dem iam de humano desperatur auxilio: & me quidem
rei familiaris sub onere alieni æris & importunitate cre-
ditorum vrget angustia, sed hanc sollicitudinem deui-
gtat mœror, & quicquid priuatum est, impetus fortiu-
ris, & publici metus absorbet. Sentis ipse quid sentiam,
quod loquor, tibi ipsi, vt arbitror, iugi meditatione pro-
loqueris, & mœstum dicturientis verbum mente præue-
nis circumspecta. Nam tu, & nisi teipsum exueris, dum
communis Domini nostri sollicitaris infirmitate, cura
vigili & continua, versaris in laboribus & doloribus no-
stris: dum vniuersalis Ecclesiæ, à cuius vberibus coalui-
mus, collisiones vides, causam pensas, pericula præmeti-
ris, dolorem dolori adiicit meditatio, dolorem quem fer-
C te non sustines. In his tamen omnibus mitius agitur te-
cum, qui ad omnem auram, ad omnem querelam fami-
liæ desolatæ præsens non cogeris lachrymari, qui libe-
rioris conditionis fortuna nactus, nequaquam times tibi
aut exilium imminere, aut necessitatem piaculare fla-
gitium committendi. Degis enim sub Principe, cuius me-
moria in iucunditate & benedictione est. Nos autem ti-
memus supra modum ne Teutonicus Imperator circun-
ueniat fraudulentiis suis, subuertat serenitatem Princi-
pis nostri, mihi tam parum videtur habere discretionis,
quem conuenticuli Papiensis præsumptio mouet, verò
vt Alexandri, si quis de ea dubitet, electio, etiam partis
aduersantis testimonio roboretur. Vt enim temeritatem
illius præteream, qui Romanã Ecclesiam, quæ solius Do-
mini reseruatur examini, iudicare præsumpsit, & eum qui
fuerat excommunicatus, sicut Cardinalium indicat in-
honoratio Bisuntina, edicto peremptorio citauit ad iu-
D dicium, & præiudiciali sententia alterum veteris officij,
& dignitatis nomine, alterum appellatione Romani Pō-
tificis salutauit, Senatoribus & populo fauoris sui reue-
lans arcana: quidquid Papiæ gestum, tam æquitati, quam
legitimis constitutionibus, sanctionibus Patrum inueni-
tur aduersum. Quippe absentes condemnati sunt, & in
causa non examinata, imo potius non ibi, non sic, non à
talibus examinanda, impudenter, imprudenter, nequiter
est præcipitata sententia. Sed forte absentantes quam ab-
sentes potius dici placet. Hoc plane his qui S. Romanæ
Ecclesiæ priuilegium aut ignorant, aut dissimulant. Vni-
uersalem Ecclesiam quis particularis Ecclesiæ subiecit
iudicio? Quis Teutonicos constituit iudices nationum?
Quis hanc brutis, impetuosis hominibus authoritatem
contulit, vt pro arbitrio Principem statuant super capita
filiorum hominum? Et quidem hoc furor eorum sæpissi-
mè attentauit, sed authore Domino toties prostratus &
confusus super iniquitate sua erubuit. Sed scio quid Teu-
tonicus moliatur. Eram enim Romæ præsidente B. Eu-
genio quando prima legatione missa in regni sui initio,
tanti ausi impudentiam tumor intolerabilis, lingua incau-
E ta detexit. Promittebat enim se totius orbis reformatu-
rum imperium, vrbem vrbi subiiciendum orbem, euen-
tuque facili omnia subacturum, si ei ad hoc solius Ro-
mani Pontificis fauor adesset. Id enim agebat, vt in quē-
cumque denuntiatis inimicitiis materialem gladium Im-
perator, in eundem Rom. Pontifex, spiritualem gladium
exereret. Non inuenit adhuc qui tantæ consentiret ini-
quitati, ipsoq; repugnante Moyse id est contradicente le-
ge Domini, Balhamitam sibi asciuit Pontificem per quē
malediceret populo Domini. Filiū itaque maledictionis,
per cuius designationem & expectationem, per multas
successiones, à primis familiæ Patribus ad ipsum, cui
reseruabatur, maledicti deriuatum est & cognomen &
nomen. Et forte ad purgationem & probationem Eccle-
siæ Romanæ, Teutonicorum impetus, tanquã Cananæus
alter relictus est in æternum, vt semper ad eruditionem
ipsam inquietet, victasque corruat, ipsaque fortior, gra-
tior, gloriosior Sponsi reddatur amplexibus post trium-
phum. Sic ad gloriam Patrum teste Lateranensi Palatio,
vbi hoc in visibilibus picturis & laici legunt, ad gloriam
F Patrum, Schismatici, quos secularis potestas intrusit, dan-
tur Pontificibus pro scabello, & eorum memoriam reco-
lunt posteri pro triumpho. Libera debent esse iudicia, &
quisquis ea viribus nititur perturbare, capitalem ab an-
tiquis Constitutionibus meretur pœnam. Porro Eccle-
siastica debet esse liberrima, de sacrorum Canonum san-
ctione, sicut electio pastoris est in Ecclesia liberè, & sine
mundanæ potestatis prænominatione celebranda, sic ea-
dem in Ecclesia à iudicibus Ecclesiasticis, amotis secula-
ribus terribilibusque personis, secundum regulas Eccle-
siasticas examinanda est: quicquid vero contra præsumi-
tur, in irritum deuocatur. At hæc velut in castris, & sub
gladio, minis, terroribus, spes examinationis à simplici-
bus, à meticulosis, fraudulenter, violenter extorta, à do-
losis, violentis, malitiosis, contra ius, fas, præcipitata est.
Quid tamen inquisitum est, quid probatum? vtrius scili-
cet electorum Canonica, aut sanior esset electio, facti
quæstio simulabatur & iuris. Factum itaque, pro volun-
G tate partis, quæ ponit carnem, brachium suum, proposi-
tum est, & probatum. Probatum inquam Victorem so-
lum electum, à saniore parte Cardinalium, petitione po-
puli, consensu & desiderio Cleri, & solemniter immanta-
tum locatum esse in Sede Petri, præsente Rollando, non
contradicente, immo consentiente, & suis Clericis præ-
cipiente vt ei obedirent, quem in Sede Apostolica vide-
bant Pontific. insignibus decoratum. Hoc quoque pro-
batum est, quod duodecimo die post promotionem Vi-
ctoris, egressus ab vrbe Rollandus prope terram Seculi
in loco non celebri primum est immantatus. An non in-
spexisti probationis modum? Hoc enim iurauerunt, De-
canus Basilicæ B. Petri, & duo fratres eius in persona to-
tius Capituli, iurauerunt Religiosi, Rectores Cleri Ro-
mani, hoc ipsum Præfectus vrbis, alij ciues iurare obtu-
lerunt; Sed Clericorum duntaxat recepta sunt iuramen-
ta, quoniam hæc omnia tractauerunt manibus suis. Quis
H cæcus non deprehendat manifestam malitiam mendacia
tam aperta? Nam ferè omnibus notum est, cuius momēti
sint, præsertim in electione Rom. Pontificis, Rectores
illi, quos ad tuendam malitiam suã Concilium Papiense
magnificat. Cui non est incredibile eos hæc tractasse, qui
iactitant. Sed esto quod interfuerint initio † Virgiorum,
nunquid R. vsque ad consecrationem suam per dies duo-
decim persequuti sunt? Nunquid hoc vidit Capitulum
B. Petri in cuius persona iuratum est, an Rectores qui pro
se iurauerunt? Nunquid hæc omnia Præfectus vidit, exul,
& cui vrbem intrare non licet? Sed & ipse, vt vulgariter
dici solet, Octauiani nepos est, & è vicino, vt rectius di-
xerim, dignatus, vt pote sororis filius. Sed alij ciues hæc
omnia inspexerunt, vt tuto iurarent. Nunquid ad terram
Seculi accesserunt? Planè fideliter examinati sunt testes,
qui hæc omnia, præsente illo sacro Concilio, iurauerunt.
Sed de industria ciuibus remissa est necessitas iuramenti,
quoniã non erant vtique iuraturi. Nam si non consciē-
tiæ, at famæ dispendiũ apud cõciues suos incurrere vere-
bantur. Cæterum sanior pars & numerositas quo defluxit?

A Si prudentiæ, iustitiæ incolumitate vigebant, quo motu recesserunt à veritate & iustitia quã tenebant? Anne pecunia illa corrupti sunt, quam Senatores se ab Octauiano accepisse, confessi sunt, vt iurarent promotionem eius? quæ reparationi murorum à populo addicta est, acclamantibus multis, quod non licet mittere eam in Corbonam, eo quod pretium sanguinis est? Ex illo magno neruo soli tres remanserunt, digni quidem Cardinales de quibus Teutones in castris ferrent sententiam. Audiuit hæc omnia Vuillelmus Papiensis Cardinalis S. Petri ad vincula, præsente Concilio non negauit. Sed quid pro Victore asseruit? quare neglecta est attestatio eius? Interrogandus erat, satis enim habebat oris & pectoris, ætatem, vt pro se loqueretur. Sed planè interrogatus non est, quod fuerat negaturus, & sciens obmutuit in tumultu, qui furoris videbat impetum, & quod hæc præsumptio in nullo præiudicat Ecclesiasticæ libertati. Vnum tamen edoctus sum silentio eius, quia qui in tanto discrimine B Ecclesiæ non videtur ad martyrium properare, si Victoris adeò sana fuit electio, quare Cardinales Episcopi omnes alij, exceptis his tribus, quos tu quidem noueras, sed amodo mundus agnoscet consecrationi illius defuerunt? Quid asertos Tusciæ Episcopos à consecratione inhibuit, nisi sacrilegij conscientia? Miror quod omnes pauperè sequuntur Alexandrum, maluntque cum eo exulare à facie Principum, quàm adhærentes æmulo eius cum Principibus imperare. Hic Episcopi, hic Presbyteri, hic Diaconi, hic Curia tota, & Ordine de tanto quisquis non exulat, hic esse reos Papiensis Concilij sententia non terret, sed in ipsum Imperatorem, & idolum suum omnibus cultoribus suis, sperantes in Domino, in potentia virtutis eius, confortati Spiritu S. sententiam anathematis intorserunt. Transeo ad nouas & inauditas decretalis Synodi subscriptiones, in quibus ea Episcoporum defectu pro eis comites admittuntur, in quibus illi præcipuam sibi vendicant authoritatem Episcopalium sedium, quarum aut nulla est aut electio reprobata. Reginaldus enim C Cancellarius Imperatoris se Coloniensem gessit Archiepiscopum, cum certum sit electionem eius à Romano Pontifice, B. Adriano, fuisse damnatam, nec video quare, cum Episcopatum dotauerit, à Victore suo distulerit consecrari, nisi quia imminentem ruinam timet. Guido Comes de Blanderada, Rauennatis Archiepiscopi supplevit vicem, cum nec filius suus, cuius electio quassata est, licet bonus iuuenis sit, adhuc vice Archiepiscopi fungi possit. Cui nõ hæc ridicula videantur? Scenæ theatralis hæc species est, potius quàm reuerendi imago Cõcilij. Quid, quod Regnorum & Prouinciarum magnus, falsus tamen, collectus est numerus, vt subscriptores ignaros rerum secum facilius in præcipitium trahant? Quis ad illius Concilij statuta moueatur, vbi sedere Patres censere parati,

Si regnum, si templa petat, ingulum que Senatus,
Passuros que infanda nurus.

& si quid tyrannicũ atrocius excogitari potest? Et quidem benè cum Ecclesia actum est, quod Cæsar qui adestat, plura iubere erubuit, quàm ipsa pati. Possem pluribus D ad ea quæ scripsisti rescribere, sed hæc satis esse arbitror ad persuadendum, vt si fieri potest, Alexandrum Dominus Remensis recipiat, & consensus, si ita viderit expedire, donec fiat, commodè differatur. Nam hoc satis persuasum credo vt non acquiescat Imperatoris idolũ adorare. Si vero periculum immineret, rem interim differri commodissimum est. In rebus arduis periculosa est præcipitatio, moraque in rebus expeditis periculum trahit, frequenter parit opportunitatem gerendorum. Papiensis & Placentinus Episcopi supra modum, pro parte quæ confidit in homine, supra modum sollicitati sunt, sed neuter eorum consensit consilio & actibus iniquorum. quoniam expectant ipsi regnum Domini, eis tamen imminet Imperator, vt eorum exemplo roborati ceteri, tres verbum faciant pro veritate securius, ascendentes ex aduerso luporum, seipsos murum opponant inexpugnabilem pro domo Israel. Et quia tibi non aliter ac mihi loquor, quicquid feruet in pectore, patenter exponam.

E Tu quasi vicinior, & cui rerum facies familiarius innotescit, poteris de singulis plenius & fidelius iudicare. Si Schismaticus furor roboratis partibus minus ingruerit, vt penes quos Ecclesiæ Romanæ constet authoritas, esse possit ambiguum, nihil mihi videtur consultius, quàm prælectionis sententiam differri in diem reuelationis iusti iudicij Domini, quam illa sola dies victum facturus nocentem est. Si quidem, vt ait ille,

Nulla manus belli mutato iudice pura est.

Hominis iustitia meritorum veritate non planè, non pleno intellectu, aliqua erroris nube plerumque subuertitur. At iustitia Domini in æternum iustitia est. Interim donec illuminet abscondita tenebrarum, inuocandus est & rogandus, vt manifesto demonstret iudicio, quem ipse prælegit accipere sortem ministerij huius. Si tamen nihil est quod quæstioni faciat locum, aut dubitare permittat vel Academicum ferè ad omnia fluctuantem, cum nouum par decertantium, in omnium intuentium stuF porem Domino permittente processerit, hinc tota stante Ecclesia, inde solis tribus flagellis arundineis, in se, dum scindere vnitatem moliuntur, diuinam prouocantibus vltionem. Si personam personæ conferas, alter litteratus est, modestus, humilis, iustitiæ zelator: alter solam semper amplexus est vanitatem: si causam causæ, alter ingessit se, tanquam fur & latro manu violentâ exquisitis dolis, Sponso indignante, in Sponsæ amplexus irruit; alter casto pudore substitit antequam introduceretur à Sponsa. Vnde verendum ne tam manifesti sceleris dilata damnatio suum schismati videatur præbere consensum. Licet Dominus Cantuariensis languore grauissimo, vt nosti, teneatur, huius tamen necessitate verbi conuocatis Episcopis & Clero totius regni, Londinum properat, vt fratrum conuocato concilio, quid facturus sit, Domino Regi cum consulenti significet. Timebamus ne ex causa itineris amplius grauaretur; ideoque Arcadum vestrum per aliquot dies detinui renitentem, vt de statu Domini, ipso referente quæ viderat, certiorari possis. Ex quo autem lecticam ascenG dit, aliquatenus videtur confortatus, licet adhuc nimium infestetur: aliquantulum interdum quievit vomica sponte naturali, purgatio reparatur. Vuinton. & Dunelmensis, vt mont, si Octauiano palam auderent pro voto suffragari, libenter cederent in partem eius. Econtra Eboracensis, & Thesaurarius noster fouent totis viribus Alexandrino, non tamen soli sunt, quoniam pars hæc pluribus est & melioribus accepta, sed eam vehementius tuentur.

N. Epist. LX.

Solent pigmentarij diuersas species commiscere, acumen pungentium sic mitigare, lenibus & amaris contemperare dulcia, vt cum in nouam speciem, saporem, efficaciam coaluerint vniuersa dulcescant, & ad subuersionem mentium efficaciora sint vniuersa, quàm quæ singula. Hoc autem idcirco fortè sæpius euenit quod ea quæ dulciora sunt, sumuntur auidius, immoderatio H sobrietatis metam deserit, cum hostem qui minimè præcauetur, gratia dulcedinis introducit. Tu quidem an pigmentarius quandoque fueris incertum habeo, certus equidem quod pigmentarios in aliquo imitaris, si tamen rectè diceris imitari, quos in quarumdam conspectione specierum videris rectius anteire. Et fortè in Domino, præcedenti.....† vini species coemisti, quarum coëmptio & comportatio, (sanctè se mihi scripsisse recolo) operam tuam à gerendis alijs auocabant. Sed licet manum vulgaris pigmentarij dedigneris, linguam tamen & calamum cum vniuersi pulueris pigmentarij, qui rum Philosophum decet; vim redoleant, nequaquam sufficies excusare: nam loquela tua manifestum te facit, dissimulantem pagina nuper mihi missa conuincit. In amicum siquidem impetitur, sermone & scientiâ ingenium illud Lexouiense exens, linguam acuis Lexouiensem, cum qua nunquam manum conserere mihi propositum est ab initio, vel dici orator præpotens: nunc

A tua stabiliens, nunc destruens aliena, mihi omnem defensionis præcludis viam, & quidem perclusa esset, vt mutire non possem, si occupationes meas nouisses ad plenum. Sed in eo benè tum simplicibus, mei scilicet similibus, agitur, quos vos sapientes Spiritus Prophetiæ non semper illustrat. Facile tamen crediderim Lexouienses, cum plurima faciant, quæcumque voluerint eloquantur, esse diuinos. Nunquid ergo ex quacumque causa ausu temerario contendam tecum, qui authoritate & merito Lexouiensibus Patribus adæquaris. Domini siquidem Lexouienses Patres non modo eloquentium, sed eloquentiæ quodammodo sunt. Nam cum Anteliacensibus qui multarum rerum peritiam & vsum habent, æquentur in plurimis, in eo facillimè antecedunt, quod hîc nascuntur & fiunt eloquentes, adeo quidem vt omnem ætatem & sexum geminus eloquentiæ vsus imbuat, & informet. Quid ergo impeditioris linguæ homuncio, tortori tantæ eloquentiæ respondebo? Licet autem nequeam de pari resistere, tamen quibus me immeritò iniustum perstrinxeris, impunè forte percurrere licet, licebit B venia impetrata. Accusas itaque diminutatem silentij mei, nonne silere licitum est? imo & iustum apud sapientes, & facundos, cum qui impeditioris linguæ est, & animi obtusioris. Nonne si frequentius loquatur aut scribat, ad hæc minus idoneus, suam ignominiam denudabit, aut perpetuabit? Transeunt enim quæ dicuntur, sed quæ scripta sunt permanent. Qui tamen te ipso taciturnior videor, tibi, qui scribenti rescribo semper, interdum scripto præuenio te scripturum. Sed fortè illiterata facies litterarum, & aridæ linguæ color exanguis, scripturientem aut dicturientem exprimunt potius quam scribentem aliquid, aut dicentem. Rectè quidem sic dico relinguis aut mutus, cum & simili verborum schemate, male formata mulier dicatur informis, litteræ quæ minimum sonū mutarunt, eo nomine censeantur. Cæterum taciturnitatis meæ aliam exprimis causam, notans supercilium elationis meæ, qui de throno potestatis, qua me vti fingis, amicum humilem qualiquali cartula visitare de-C dignor: vnde peccatum hoc in me iacis, aut quis eorum, cum quibus vixi, criminationis huius author est, aut delator. Thronum mihi potestatis & vsum improperas: at quantulacumque temporis experientia didicistis, (nam de sola dierum, quibus commorati sumus, conqueror breuitate,) didicistis inquam quod in domo Domini mei primos recubitus non vsurpo, quod sponte mea & vltronea voluntate pluribus cedo. Iustum si quidē est vt in tanta patris domo, sicut meritis, dignitatibus; ita me honoribus, vsu potestatis plurimi antecedant. Amicum inquis humilem. Quid quæso aliud est hæc humilitatis professio, quam callida quædam ostentatio dignitatis & gradus, subaffectata dissimulatio celsitudinis & honoris? Qualiquali cartula adiecisti. Quam enim aliam, nisi qualemqualem, videlicet ineptam, mittet inductus & rudis, qui præuisus ab aliquo Lexouiensi, tanquam Mœris alius obmutescet? Hic vtique apertos oculos habuisti, de viribus meis rectè iudicas, dum à me nonnisi cartulam qualemqualem expectas. Deinde vt supercilij me conuin-D cas, aut negligentiæ, numerum nostrorum qui Tolosam aggrediuntur mihi obiicis, ac si omnes Tolosipetas per vrbem Lexouiensium aut Baiocensium transitum nouerim habituros. Situm namque vrbium vestrarum ignoro, & nescio quà transituri erant, quos in vrbe Pictauorum ex Edicto Regis oportuit conuenire. Te quidem minimè ibi inueniendum credidi, nec audieram quod tu fœlicem expeditionem alio modo quàm orationibus prosequaris. Noueram tamen ex relatione multorum quia res sine Lexouiensibus duci non poterat, quia linguæ eorum incendia belli factæ sunt, ipsique in manibus ignem ferentes & gladiū Domino exercituū famulantur. Vnde liquet & quauis luce clarius est, quod legē requiri oportet ex ore eorum: custodes enim scientiæ sunt, & authoritate qua præeminēt, possunt, & debent, vt in se conturbant populi, imperare. Te interim domus tuæ composita pace quiescere arbitrabar, ignorans an te visurus esset aliquis eorum qui egrediebantur à finibus nostris. Nam

E cum de vestris plurimi reuertantur nemo præter Vvielielmum nuncium mihi tuæ salutationis & alloquium reportauit. Vidisti tamē de domo, mensa Domini mei plurimos redeuntes. Tu quidem hæc fecisti, & tacui: immo tu tacuisti, & ego conticui. Negare non possum, quin pluribus transeuntibus operam dederim, quorum nonnullos, vt tibi in aure loquar, cum litteris ad te perferendis libentius dimisissem, quam cū variis portionibus supellectilis meæ, qua me militantium nudauit improbitas. Postremo genius mihi, vt ais, fuerat defraudandus, & somniorum dulcedine, & solemnitatibus epularum. Nosti siquidem quia voluptatis amatorem nihil aliud impediuit. Nam Domini mei amicorumque negotia, sed nec curam rei familiaris attendis. Cum itaque innocentiæ meæ, superbiæ, negligentiæ, & voluptatis notam inussetis, hæc in Epistola, quasi conterens velut varium puluerem pigmentarium miscuisti, & quia poterant amarescere singula, aures mihi ante dulciloquio perfricuisti; ne intelligam quid loquaris. Charitatis hoc igne F concoquis, vt vniuersa propinata dulcescant. Fiat ergo quod vis, cedo maiori, & omnia bene & amicè interpretor.

Epist. LXI.

Domino Regi Anglorum.

MAiestatem Regiam excogitatis circumuenire fallaciis, sacrilegij instar est, præsertim vbi indignationem potestatis aduersus innocentiam procurat dolus, & in dispendia salutis laborans impietas odij seminatrix fraternam molitur extinguere charitatem. Cum alia crimina Deus oderit, hoc est quod ob insignem sui malitiam detestatur anima eius. Vestram vero sanctitatem, sicut accepimus & dolemus, iniqui circumuenire conati sunt, literas vobis nostro conceptas sermone porrigentes, quibus significabatur, me in extremæ difficultatis articulo positum pœnitere super promotione venerabilis fratris nostri Rog. Eboracensis Archiepiscopi, &, maiestati vestræ preces porrigere, vt G quia mihi quod in parte deliqui negatum est emendare, vos illud per collatam vobis à Domino potestatem, accepto tempore iustitias iudicandi, exercendi vindictas, in nationibus emendetis. Ecce Domino inspectore & iudice loquar in auribus vestris quod verum est. Litteras istas nec scripsi, nec scribere volui, nec ab aliquo meorum scriptas noui. Falsæ sunt, & eis ad delusionem vestram, & sui damnationem solus falsarius scienter vsus est, quisquis sit ille, planè suum portabit iudicium, & ex authoritate sacrorum Canonum in laqueum anathematis incidet, quoniam qui talia agunt, tanquam discordiarum, scissurarumque satores & incentores detestatur anima Domini. Supplicamus itaque serenitati vestræ, vt tantæ malitiæ authores, si placet, comprehendi iubeatis ad pœnam, & eos tam acerba animaduersione puniri faciatis, vt qui vindictam audierint doceantur, & doceant vero & iusto Principi fallacias, & malitiam non placere.

H

Epist. LXII.

Regi Anglorum.

VIrtus Principum nullo clarius elucet indicio, quàm si Maiestate eius paceam populus, Ecclesia quietem, & Religio gratum Domino recipiat incrementum. Regum enim thronus in eum vigore solido roboratur, qui tantarum virtutum nititur fundamentis. Hæc enim auribus vestris crebro repetimus, eo quod constat ipsa grata esse auditui vestro: & sicut in opere clariora, ita ex vsu frequenti Maiestati vestræ gratiora sunt. Dum in his vestra versatur intentio, prosperabuntur in Domino, & in totius mundi gloria gressus vestri. Nam & hoc Sanctorum, quorum quieti prospicitis, suffragia impetrabunt. Incumbit orationibus pro vobis ad Dominum Monasterium S. Mariæ Eboracensis, quod

tanto

A tanto vobis fiducialius commendamus, quanto ex omnium Prouincialium testimonio illud, & vero Religionis cultu, & pia deuotione in vos, & liberos vestros commendatione dignius esse confidimus. Turbauit pacem eius diutius, sicut pro certo accepimus, frater quidam, qui tandem vrgente sua malitia, & leuitate morum, velut palea inutilis ab area Domini auolauit. Deinde vestram adiit Maiestatem, vt ex eo se odibilem Domino conuinceret, quod monasterio detrahere non erubuit, & contra Regulam Beati Benedicti priuilegium delinquendi conatus est impetrare: pro reuerentia vestra voluerunt eum recipere fratres secundum statuta ordinis sui. At ipse non adquieuit intrare, nisi ingressu eius ordo monasticus solueretur. Vestræ itaque Excellentiæ supplicamus vt eiusdem Religiosos loci fratres benignè audiatis, & illi negetis auditum, qui fratres pro vobis iugiter orantes nititur impedire. Adhæc causam vniuersalis Ecclesiæ ante pedes misericordiæ vestræ prouoluti vobis attentius commen- B damus: Rogantes Dominum pro vobis, & pro nobis, & Ecclesia vestra, ne ad preces Imperatoris aliquid statuatur à vobis, vnde furor schismatis amplius inualescat.

Epist. LXIII.

Regi Anglorum.

QVi non spernit pauperum preces, misericors Dominus Ecclesiæ suæ gemitus exaudiuit, & per gratiam suam vobis restituit pacem, quam possitis, vt oportet, restituere subditis vestris. Iustum enim est, vt sint consolationum participes qui contriti sunt in laboribus vestris, qui vestrum, facultates, corpora, animas, exposuerunt ad libitum vobiscum, & ad modicum valeant respirare, vt vestris postmodum obsequiis sint, cum opus fuerit, aptiores. Cæterum quia in ab- C sentia vestra, nec spes quietis est coætaneis nostris, vultum vestrum desiderat vniuersa terra, rogat Dominum, in cuius manu corda sunt Regum, vt vobis veram pacem, & sibi vestram gratiam largiatur, & vt in regno vestro ad consolationem & vtilitatem Cleri & populi, placeat amplius commanere: eos qui pro vobis orant, audire consueuit Altissimus, & hanc ipsam petitionem humilium acceptam esse confidimus apud eum. Supplicamus itaque Maiestati vestræ, vt vobis placeat, quod placere Domino arbitramur, & vt redeatis ad peculiarem populum vestrum, pro cuius necessitate & precibus pacem vobis à Domino credimus vndique reformatam. Moueat vos deuotio populi, moueat affectus liberorum, a quorum aspectu vix rigidissimus parens posset tam illu oculos continere: fides moueat coniugalis, moueat amœnitas locorum, & affluentia deliciarum, quas non sufficimus enarrare: & ne propriam prætereamus causam, moueat animum vestrum desolatio mea, quæ pro ætate & ægritudine desideratum ad- D uentum vestrum diu non potero expectare. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, recessum minatur spiritus, hæret tamen membris in desiderio & spe aduentus vestri, expectat quidem & sperat, & interim autem sudam præstat vocanti naturæ, recusat oculos claudere nisi præuisa facie vestra. Summa itaque precum & desiderij est, vt quam citò opportunè redire poteritis, redeatis. Præterea fama est quod Imperator per Cancellarium suum, vos in Apostolicum, qualiscumque sit causa eius, nititur inclinare, sed Domino protegente amicum suum, vestrum Dominum cuilibet homini præferetis. Scitis quia. *Maledictus omnis qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Et quidem in rebus tam arduis & tam periculosis tutius est differre in tempus, quàm ante tempus præcipitare consensum. Super hoc autem, & quibusdam aliis, vestro & saltem Archidiaconi mei consilio & præsenti colloquio plurimum indigerem.

Epist. LXIV.

Anglorum Regi.

E IN eo maximè viget & proficit gloria Principis Christiani, si pium Domino, à quo omnis Principatus est, impendit famulatum, eique pacis, exultationis & gloriæ perpetuatur hæreditas, qui procellas componit Ecclesiæ laborantis, & fideli, & felici procurat obsequio, vt exultans Sponsa capitis Sponsi queat amplexibus inhærere. In se vero prouocat omnipotentem manum Altissimi, quæ naufragium Christi pleno miserationis affectu non excipit, qui Ecclesiæ collisiones aut operatur, aut negligit, & abutens potestate concessa, consensu fouet malitiam quam non reprimit aut extinguit. Collisio siquidem populorum, indubitata regnorum subuersio est, fomes schismatis est prædamnati à Domino, & iam iam labentis iudicium Principatus. Spe- F ramus autem in patre misericordiarum, authore consolationum, quod Thronus vester benedictione perpetua solidabatur, quod filij vestri, & filij filiorum solium regni quod ab eo accepistis, & salubri administratione disponitis, fœliciter hæreditabunt, cum in subditis vestris tantam, ipso propitio, inuenimus vnitatem, vt fidem eorum in petra Ecclesia soliditatam esse, fidelissimis & manifestissimis constet indiciis. Cum enim ex mandato vestro Anglorum conuenisset Ecclesia, proposita est in auribus sapientum quæstio, super qua fidei vestræ sinceritas, vt oportuit, Optimates regni vestri dignata est consultare. Lecta sunt hinc inde plurima quibus pars alterutra sententiam suam tueri poterat, vel errorem. Deinde in medium prolata est norma fidei, regula gerendorum quæ in Patrum Sanctionibus inuenitur, vt sic innotesceret vniuersis, verius causæ facies ei commodius posset apparere, adeoque propitiante Patre misericordiarum, processum est, vt ex assertionibus par- G tium veritas eluceret, cum & testes ab inspirato procedentes, apud nos causam veritatis instruxerint, & nefanda schismatici opera præconante fama publicarentur. Itaque, super ea quæ proposita sunt, non quidem iudicatum est, quia nec licuit, non statutum aliquid in præiudicium Regiæ Maiestatis, quia nec debuit: sed quod licuit, quod debuit, quod iussio Maiestatis vestræ exegit, consilium, Domino teste & iudice, formatum est, quod fidelis prudentia, subditorum vero Principi dictare debuerat non rogata: Illud quoque vt prima, sicut iustum est, vobis gratia debeatur, operis gloria consummari; prout præcepistis, sine omni publicatione in libris conscientiæ signari facimus, quos vobis à latoribus præsentium Magistro Rairbal. Archidiacono, & Vuillelmo de Ner Capellatio nostro, iussimus aperiri. Nam prædictus Archidiaconus scrutiniis & deliberationibus interfuit vniuersis, & vota singulorum, & omnium explorauit nobiscum. Quæ accipietis ab eo, de nostro pectore processisse non dubitetis. Eos vobis commendamus, rogantes attentius, vt personas eorum, si placet, commendatas habeatis, nostras, quæ in manibus sunt eorum, petitiones, benignè admittatis, Amor fiduciam parit, & apud eum quem ardenter amat, fiducialius agere consueuit. Quo autem affectu vos semper amauerim, operibus quam verbis ostendere, semper honestius & vtilius reputaui, cum tamen pro voto nunquam affectum implere potuerim. Qui omnia nouit mihi conscius est, quod deuotio quam in vos habui, vires meas semper excessit. Spero itaque quod & Maiestas vestra in affectu dulcedinis condescendet mihi, & paruulis meis. Et quidem omnes alumnos meos me pridem vobis memini commendasse. Nunc autem eum vobis commendo præ cæteris, qui in obsequio meo præ cæteris laborauit, & minimum accepit de manu mea, cum sinceritate fidei, & exhibitione operis meruit plurimum. Ad pedes ergo clementiæ vestræ prouoluor, quanta possum deuotione supplicans, vt eum commendatum

A habeatis, ipsique meum defectum suppleat benignitas vestra, & cum me amiserit, ei pro me serenitas vestra, si placet, respondeat in affectu dulcedinis, & consolatione patris amissi. Ioannes is est de Sat. quem vtique alij commendarem, si alium inter amicos & Dominos haberem potiorem. Nonquam satisfiet in eo ne desiderio meo, nisi desideratissimam faciem vestram mihi in carne videre contigerit. Dimittet tum in pace seruulum suum Christus, si antequam egrediar à patientiæ robore ad pacem, filium pacis mihi videre dederit Christum Dominum. Det mihi Christus videre Christum suum, & exinde morti properanti gratulabundus occurram. Expecto in spe, in spe ista, & crebris apud me dico suspirijs, numquid non dabit mihi Christus meus, vt videam, quem desideranti dedit inungere Christum? Numquid non videbo filium dexteræ à laboribus temperantem, temperantem à periculis, antequam moriar? Est mihi domi thesaurus incomparabi-
B lis; thesaurus paternæ benedictionis, quem vobis reseruo, si ad Patrem agentem in extremis Maiestas vestra dignetur accedere. Constitui vos in caput gentium, matris vestræ, pedibus vestris subiecti filios, & adhuc quidem de promptuario gratiæ plenioris, dum audiatis vocationem Patris adducetur vobis de rore cœli desuper, & de pinguedine terræ benedictio cumulata. Quod si redire non licet, & non placet, thesaurum hunc vobis restituendum ab Ecclesia, sedi ipsius commendo, & vos commendaui, & ipsam vobis esse desidero commendatam, mater vestra est, sponsa Christi est. Et quæ gloriosior, & quis potentior Principatus? nec aduersus eam portæ inferi præualebunt. Accepit à Christo suo, vt illuc, quos decreuit, nullo prohibente intrudat, & inde quos voluerit potenter ejiciat. Si vultis, immo quia vultis Christum habere propitium. Nam cui deest gratia Ecclesiæ, tota creatrix Trinitas aduersatur. Suggerunt vobis filij sæculi huius, vt Ecclesiæ minuatis authoritatem, vt vobis Regia dignitas
C augeatur. Certe vestram inpugnant Maiestatem, & indignationem Domini procurant, quicumque sunt illi. Ipse est qui dilatauit terminos vestros, ipse qui vestram prouexit gloriam. Omnino iniquum est si vos benefactoris vestri & Domini gloriam contrahatis, pœna dignum est, & proculdubio pœna acerbissima punietur, immo Domino propitio non punietur, quia ipso propitiante non fiet. Conuenit vos Sponsus Ecclesiæ per os meum, conuenit Pastor omnium, Princeps Apostolorum Petrus, rogantes attentius, vt si eos principatus vestri habere vultis patronos & adiutores, Pastorem in Ecclesia Exoniensi secundum Dominum velitis ordinari, & eandem de tanto naufragio eripere studeatis. Prima omnium est, cui prospexistis in regno. Attendat si placet dignatio vestra quid sit exindè consequuta. Nostis quos exclusit ab Ecclesia, qui & columbarum venditores ejecit, & absit vt quisquam introeat, quem Christus exclusit. Sponsorem me pro Petro constituo,
D quia honor quem ei exhibebitis, vobis & in præsenti centuplata mercede rependet. Ad hæc si moram feceritis longiorem, & Archidiaconum meum si cum indemnitate vestra fieri potest, mihi remitti quæso.

Epist. LXV.

Episcopis Anglorum.

VEnerabilibus fratribus Episcopis, & vniuersis Christi fidelibus, per Angliam constitutis Salutem. Experiit, vt audistis, hostis antiquus integritatem Ecclesiæ, & omnibus fallaciæ & nequitiæ suæ innitens viribus, insolubilem findere molitus est vnitatem. Cæterum foris est indeficiens pietas, sicut ad probationem fidelium procellas præuidet eminentes, ita easdem emergentes & inualescentes in vsum electorum salubri dispensatione contemperat: vt qui erudiuntur in pœna, probati per pœnitentiam coronentur. Qui ergo a malitia inhabitantium suam turbari permisit Eccle-
E siam, eam præcisis membris putridis, iam imminente spe pacis incipit sanare, & in capite Ecclesiæ Sede Petri virum Apostolicum statuit, electum & consecratum canonicè, ab omnibus qui rectè sapiunt Catholicè approbatum. Is est Dominus Alexander, quem in Patrem & Pastorem, assensu Principum nostrorum, Anglicana & Gallicana receperunt Ecclesia, & S. Rom. Eccl. plena deuotione obediens, Octauianum cum omnibus fautoribus suis velut manifestè schismaticũ & hæreticum condemnauit. Inde est quod vniuersitati vestræ præcipiendo mandamus & exhortamur in Domino, quatenus D. Alexandro tanquam Patri obediatis, & ei reuerentiam Romano Pontifici debitam, per omnia exhibeatis.

N. Epist. LXVI.

EX litteris, quas mihi vestra Serenitas destinauit, planum est prudentiam vestram suggestione mali-
F gnantium aduersus innocentiam meam fuisse circumuentam. Si quidem illi, quos vestros Parochianos esse asseritis, à Domino Archiepisc. per Decan. & alios Officiales suos sæpe citati sunt, & cum in sua contumacia pertinaces semper inuenirentur, tandem denonciatum est eis sub interminatione anathematis, vt copiam sui in Synodo facerent, illis itaque absentibus, immo potius se contumaciter absentantibus, præsentes fuerunt Officiales Archid. per quos illi sæpissimè citati fuerant. Cum autem per eos, & de citationibus, & de contumaci responsione absentantium constitisset, rem ad consultationem Domini Archiepiscopi, licet Synodus aliud suaderet, credidi referendam. Mihi namque ferè tota Synodus reluctabatur, & nonnulli detrahebant, dicentes me dissimulare Iustitiam Cantuariensis Ecclesiæ, & Domini Archiepiscopi, ob fauorem vestrum, qui accepto tempore languoris eius, ex insperato in ipsum insurgere decreuistis, & Cantuariensis Ecclesiæ termi-
G nos ingredi, eamque his quæ centum annis possedit mutilare. Stupebant autem omnes super tanti ausus pertinacia imposita. Cum autem quinque aut septem interiacentes parochiæ, vt aiunt, oculatæ fidei, manifestent fundum, de quo agitur, nullo modo ad Cistrensem Ecclesiam pertinere: Erant quoque præsentes Clerici, qui sibi vim & atroces iniurias illatas querebantur, & vicinis constabat omnibus, quod eisdem Parochianis Sacerdotes nostri per totum annum omnia diuina ministrant. Hæc & multo plura ad Dominum Archiepiscopum, & pro parte me inuito, prolata sunt, adeoque vndique conclamatum, vt & ego de dilatione nonnullam suspicionem contraherem. Accepi ergo vt contumaces Parochianos suos vestros, sicut Decanus & Synodus suadebat, anathemati subiugare. Ego vero die sequenti hoc illi Decano cæteris audientibus, sicut iniunctum fuerat denuntiaui. Et hæc etiam illa mea sententia, quam ex ignorantia iuris processisse vestra discretio deprehendit, & reprehendit. Me siquidem sermone & scientia fateor imperitum, & quod nunc suffi-
H cio intueri quicquid volueritis impugnare. Nam ad hoc is idoneus? Sed nescio an ex vestra prudentia istud processerit, quod illi, qui semper fuerunt nostræ iurisdictioni subiecti, concipientes spiritum sapientiæ grandioris, vocationes illius, cui etsi non Episcopali iure, tamen Metropol. subiecti fuerunt dedignati sunt facere copiam sui, & ad hæc vt fori præscriptione vterentur. Scio enim hæc ex alto processisse consilio. Non tamen hæc allego ad excusationem mei, si me esse in culpa pronuntiaueritis, quia malo à vobis veniam postulare, quam vti rationibus iuris, & allegare mandatum Domini & necessitatem obsequendi. Ad reliqua seorsim respondebitur; consulo tamen vt Dominum meum ante Concilium videatis.

Epist. LXVII.

EX testimonio vestro accepimus, quia latrix præsentium à Clerico, cui matrimonio iuncta erat, de-

A relicta alteri nupsit, & ex eo susceperunt liberos. Clericus verò peregrè moratus in Sacerdotem promotus est, reuersusque, vxore, quam duxerat, contempta cœpit in sacerdotij ordine ministrare. Cum vero tam ex eorum confessione, quam ex legitima testium assertione constet, ipsam cum Clerico matrimonium contraxisse, planum est quòd secundo marito deinceps adhærere non potest. Quod enim Clericus se tempore contracti matrimonij Subdiaconum fuisse asserit, cum hoc probare nequeat, eatenus proficit, vt indignus censeatur ordine quem contempsit, nec permittatur in eo ministrare, quem coniugatus illicita vsurpatione præsumpsit. Siquidem constat cum ex multis, tum ex secundo Concilio Toletano, quod eos qui ad Subdiaconatum accedunt, oportet continentiam profiteri. Itemque ex Concilio Arelatensi liquet, quia assumi aliquem coniugatorum ad Sacerdotium non oportet, nisi fuerit præmissa conuersio: vnde nisi vxor continentiam quam vouere vult præeligeret, proculdubio B priori viro restituenda esset, ipseque sacerdotij administratione priuatus, corporis sui potestatem iuxta S. Apostolum indulgeret vxori: & hoc enim & B. Eugenius in causa simili diffiniuit, vt qui relicta vxore ad Presbyteratum accesserat, ab altari rediret ad officium coniugale, quoad vxor vellet continentiam profiteri. Nunc autem quia Clericus in ordinatione continentiam vouit, & vxor votum mariti ob amorem castitatis, & spem pœnitentiæ fructuosæ, ratum habet & gratum, imminet vtrique necessitas continendi, & sacerdoti ad præsens præclusa est licentia ministrandi. Qui enim ad Presbyteratum accessit, votum continentiæ dissimulare non potest, cum illud aut expressum, aut tacitum, & Diaconatum ordinationi ex decreto Martini Papæ doceatur insertum. At enim Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & se dixerit in castitate manere non posse, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, sit alienus à ministerio, & va- C cet à Clero. Consonat huic & Leo, tuba cœlestis, qui Subdiaconibus carnale interdicit connubium, & omnibus sacris Ordinibus sincerissimam castimoniæ indicit puritatem. Erunt igitur hi perpetuo coniuges, & separati, & in coniugio positi, tanquam coniugium non habentes, manebuntque, arcente se voto continentiæ, cui obligati sunt, perpetuo singulares. Quod si ad opus carnalis commercij forte redierint, si quidem secum, voti facti; si cum aliis, adulterij reatum incurrent. Nec in eo iuuatur præsumptio Sacerdotis, quod ab ipso iusiurandum; vt se tempore contracti matrimonij Subdiaconum fuisse doceret, ex abundanti accepistis, cum hoc solus asseruerit, & postmodum in præsentia Domini Cicestrensis, vt scribitis, se deierasse confessus sit, vt nec dicenti fides habenda sit, nec neganti, nisi vt confessio ipsius contra se eundem sufficiat condemnare. Si enim Subdiaconus erat, puniendus est contemptor ordinis, si non erat, æque plectendus est coniugalis fidei violator, eo quidem magis quo secundis nuptiis, si ta- D men nuptiæ sunt dicendæ, causam visus est præstitisse. Vt enim ait B. Augustinus in libro de adulterinis coniugiis: Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ. Quid ergo, si deseris? quid si decennio aut amplius peregrinatis? quid si reuertens, cælibem vitam ignara coniuge simulas, & in alterius transis amplexus? proinde tota ferè culpa videtur esse Presbyteri, mulieris æque leuis, nisi quatenus consensu secundo, ex quo primum virum superesse cognouit, secundi viri quidem aut omnino nulla, aut certe minima, nisi & ipse forte prioris matrimonij conscius fuerit. Quia ergo secundæ quæ visæ sunt non fuerunt nuptiæ, maritus posterior si continere non potest, aut non vult, quod forte magis expediret propter liberos, quam voluerit ducat, tantum in Domino: Presbyter vero quia causam dedit dissidio, ad restitutionem dotis tenetur vxori præsenti, præsertim cum in præsentia vestra, in verbo veritatis, quod E omni stipulationi præualet, in ore sacerdotis se æstimationem promiserit redditurum. Si quid autem sincerius & vtilius a Domino charitati vestræ illuxerit, ex officio vestro illud explere. Non enim ista consulendo præscripsimus, sine pro iudicio sententiæ & amoris, Episcopo Lincol. Presbyter, quem cum latrice præsentium constat matrimonium contraxisse, quia adulterio causam dedit, & vxore relicta sacerdotium vsurpauit, arcendus est à ministerio quod præsumpsit; cum vxor eius continentiam elegerit. Illicitum est Presbytero redire ad nuptias quas contempsit. Continentiæ siquidem votum sacris Ordinibus aut expressum aut tacite insertum est, nec prodest Presbytero, quod se tempore contractus Subdiaconum fuisse iurauit solus præsente & petente Domino Vvigornensi, cum idem disquirente Episcopo Cicestrensi se deierasse confessus sit. Profecto si Subdiaconus contraxit matrimonium, ordine contempto & temerato indignus est & præsumpto; cæterum qui dissidio causam dedit ad restitutionem dotis tenetur vxori, præsertim cum in præsentia Vvigorn. Episcopi se iura- F mento obligauerit. Præcipimus itaque, vt ipsum compellatis restituere, quod in æstimatione dotis promisit in præsentia Domini Vvigorn. aut amplius, quantum ratio exegerit, si ad hoc eius suppetunt facultates.

N. Epist. LXVIII.

CHaritatis zelus accenditur in Prælatis, quoties deprehendunt in moribus subiectorum, vnde eis possit salutis dispendium imminere. Nos autem ex tuarum conceptione litterarum te decorem domus Domini desiderare confidimus, eique operi diligentiam præstituram, vt in tua custodia mundi sint, qui ferunt vasa Domini, & vt Domino puritate actuum, & morum innocentia consecretur, qui debent ex iniuncto sibi officio sibi subditos consecrare. Cæterum quod à nobis in rebus non ambiguis consilium exigere voluisti, humilitatis nota est, non ignorantiæ argumentum. Siquidem tua G discretio non ignorat quid sacri Canones statuant de continentia Clericorum. Nam & Siricius Papa alias in domo Clericorum esse non patitur nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem Synodus Nicæna permisit. Eas autem tam ex Decretis Symmachi, quam ex Concilio Carthaginensi, variisque Sanctionibus Romanorum Pontificum facile est colligere, vt hæ solæ videantur admitti, à quibus aut natura, aut reuerentia morum, aut honesta causa. qualis est miseratio, nam hæc afflictis & corpore debilitatis omnem sinistræ opinionis maculam demit: & licet plerique Canones, matrem, sororem, auiam, materteram, neptes, domesticamque familiam & personas quas conciliant primi gradus affectionis, ex cohabitatione noluit esse suspectas: Beatus tamen Augustinus nec cum sorore Clericum habitare consensit, eo quod cum sororibus interdum habitent non sorores, vbi, sicut ais Ethnicus. *Cognato poterit nomine culpa tegi.* Ex his ergo qualiter tibi agendum sit, cum Renero, quem cum H quadam quondam fornicaria sua sub paterni famulitij imagine habitare scripsisti, tua discretio poterit, habita ratione personarum facilius moderari, quàm nos, quibus personæ ignotæ sunt; & opinio personarum. Neque enim quia cohabitant eosdem fornicari consequens est, cum possint Domino propitiante non esse quod fuerunt, & erratus præcedentes coercere, sed pœnitentia subsequenti. Verum si personæ suspectæ sunt, ad legitimam purgationem vrgeri possunt: denique pœna & absolutio consequetur, cum innocentia eorum in iudicio apparuerit, aut reatus. Quod autem de iuramento, quod secundum consuetudinem Lincolniensis Ecclesiæ præstatur ab his qui ordinantur, adiecisti, non damnamus, quod à Patribus, qui in ea præcesserunt Ecclesia meliores nobis, admissum est, nec approbamus quidem cum ex eo liqueat maximi causam periculi natam esse, & facilem materiam grauius delinquendi. Noo itaque quod ÷ peccauerim, si nouero

sublimia,

A sublimia, sed quia humana infirmitas nititur in vetitum semper, & quod non licet, & eum acerbissime vrit, acceptat; sic & lege data subintrauit & culpa, factumque, vt ait Apostolus, vt supra modum peccans peccatum fuerit, cum illicitorum prohibitioni datæ legis accessit præuaricatio. Viderint authores & fautores iuramenti, quid fecerint. Vtinam esset præuaricatio, castitasque seruetur, vt non ex delinquentium, præsidentiumque consensu, suscipiat vires peccatum, & negligentia & malitia incrementum: De illo autem Sacerdote, qui in fornicariæ abusum Ecclesiæ bona dilapidans, Sanctuarij contemnis curam, Calicemque inhabili & inepto redemptionis nostræ, indignè & periculose tractauit pretium; hoc præcipimus, vt eum seueritate canonica corripias, vt in pœna vnius multorum corrigantur errores. Sit itaque sollicitudinis tuæ attentius prouidere, vt in omnibus Ecclesiis tibi commissis, pro facultatibus earum non modo argentei calices instaurentur, sed vestimenta, & omnia vtensilia sacri ministerij sic reparentur, vt B modo possit honestè Domino ministrari. In hac autem parte, non Monachis, non Canonicis, non alicui omnino personæ parcas, qui in Domino de bonis suis honoris primitiæ persoluuntur, & plane quisque sicut Dominum diligit, & animam suam, sic commissam sibi honorabit Ecclesiam. Lincol vero sacerdos, si in iudicio culpæ, quæ in eum impingitur obnoxius apparuerit, & quod illa quæ ei pepererat, sine confessionis & communionis participatione decesserit, & deinde, vt Christianam haberet sepulturam, in Ecclesia fecerit purificari, tam diu secundum statuta Patrum Ordinis sui administratione priuetur, donec ipsum condigna pœnitentia, quantum ad humanum spectat examen, constet veniam meruisse. Sed & Capellanus eius eidem pœnæ subiaceat, nisi suam condignè valeat innocentiam declarare. Eoque si purgatio præstanda est, magis videtur hic onerandus, quo minus meruit habere fidei, dum confessioni propriæ visus est reluctari. Et quidem eius est mortuum soluere & ligare, qui solus potest mortuos suscitare, & qui potestatis hujus arbitrium Discipulis con- C tulit super terram, hanc speciali priuilegio diuinæ majestatis in cœlis retinuit dignitatem. Cæterum, dilecte in Domino fili ea cautela diligentiæ versare in talibus, vt videri non possis sitire pecuniam delinquentium, sed quod Pastorem decet quærere salutem animarum. Nosti siquidem quod & seculi leges, eos acerbissimè puniunt. Lege Iulia repetundarum qui in faciendis ex officio, & non faciendis, sordidum sectantur lucrum. Sed & Canones Prælatis omnibus Ordinis Officij sui periculum infligunt, qui interdictum subiectis officium pretio accepto aut promisso restituunt. Ergo vt in tua sedulitate glorificetur Deus, & tuum ministerium honoretur, excute manus tuas à sordibus & calumniis. Officium Iudicis quod tibi à Domino commissum est, negotiationis species videatur.

N. Epist. LXIX.

D QVæ perniciosius lædunt, & Ecclesiam immundioribus sordibus polluunt, ex officio pastoralis debemus acrius persequi, & à domo Domini validius propulsare. Si quidem & nos ex consensu culpa subditorum inuoluit, & reos conuincit ante Dominum, nisi eorum delicta, cum valemus, studuerimus emendare: Meminimus autem vos per Alanum de Vvilva, Archidiaconis & Decanis, Officialibus Conuentrensis Ecclesiæ scripta nostra misisse ad conuellendam pestiferam radicem Simoniacæ prauitatis, quæ in Episcopatu Cicestrensi de nouo dicitur germinare. Nam Vicarij, vt in Ecclesiis admittantur singuli XII. denarios coguntur exsoluere, & hanc redempta quodammodo Domino sanctificandi licentia, annuam Ministris potius Sathanæ quam Ecclesiæ, soluere pensionem. Hoc autem amplius fieri sub anathemate prohibuimus, tradentes Sathanæ Principi suo eos, qui hanc Simoniacam prauitatem vlterius exercebunt. Præcepimus Archidiaconus E & Ministros eorum antiquis consuetudinibus esse contentos. Sicut autem iterata Clericorum de ... lacrymabilis indicat querimonia, iam dictus Alanus mandatum nostrum diu fraudulenter suppressit, donec ipse & complices sui suam in dispositione pauperum potuerint explesse prauitatem, & quasi eos ad vetitum nostra prohibitio animasset, imminente solemnitate Paschali sacerdotes, quibus ex necessitate Sacramenti sacrum chrisma deesse non poterat, illud emere compulerunt. Id quam sit sacris Canonibus aduersum fidelis nouit Ecclesia, nec ipsi poterant ignorare, cum constet sanctæ memoriæ Gauterum Episcopum vestrum hanc venditionem chrismatis apud vos condemnasse, & sub anathemate prohibuisse, ne vlterius distrahatur ad pretium. Vnde quidam ad nos venientes retulerunt, se à Ioanne Lexouiensi, & complicibus suis grauamina multa passos. Quidam etiam querebantur quod eos per appellationem ad nos factam ab officio suo suspendere conatus sit. Inde est quod discretioni vestræ præcipiendo mandamus, quatenus rei veritatem exactissima diligentia in- F quiratis, & si A. litteras nostras fraudulenter suppressisse constiterit, eum auctoritate nostra ab officio suspendatis, donec vobis & Ecclesiæ Cant. condignè satisfaciat. Ioannem quoque Lexouiensem, & ministros Archid. Dorberiens. compellatis auctoritate vestra restituere Clericis quod ex praua, quam præmisimus, consuetudine, & sacri Chrismatis execrata venditione ab eis extorserunt, postquam hanc nos nequitiam condemnauimus. Si vero vobis in hoc obtemperare neglexerint, eos auctoritate vestra ab introitu Ecclesiæ suspendatis, donec ablata Clericis restituant, & satisfaciant nobis. Si autem aliquos post appellationem ad nos factam suspendere præsumpserint, eos relaxetis, & suspensores denuntietis à nobis esse suspensos à luminibus Ecclesiæ, quamdiu alij in inflicta sibi suspensionis sententia perstiterint. Quod si hanc nostram contempserint auctoritatem, præcipimus vt cum literis nostris adeatis venerabilem fratrem nostrum Herfordensem Episcopum, G & contemptores sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ faciatis publicè communicari.

Epist. LXX.

Regi Anglorum.

AVdita vndique collisione Regnorum, & emergentibus nouis rerum figuris, & increbescentibus à nostra iniquitate malis, præcipuam de salute vestra, vnde tot populorum salus, concepimus sollicitudinem, quæ super flagellum Domini, quo per gratiam flagellantur in corpore, die noctuque affligit in mente. Vnde cogimur statum vestrum per nuntium explorare, qui eum si fieri posset, mallemus præsentialiter intueri. Meminimus autem nos vobis supplicasse, vt salutem, cum præsentiam vestram malitia temporis inuideat, Archidiaconum nostrum, qui nobis vnicus est, & consilij nostri primus redire permitteretis. Debuerat enim venisse non vocatus, fueratque inobedientiæ ante Dominum & homines H arguendus, nisi eum vestra necessitas excusaret. Sed quia voluntatem vestram nostræ semper prætulimus, quatenus licuerit proferre decreuimus, ipsi quod deliquit pro voluntate vestra indulgemus: volentes vt quamdiu necessitas exegerit insistat obsequio vestro, & vt totam fidem suam & industriam necessitati vestræ accommodet præcipimus; ita tamen vt quàm citò potueritis carere eo, si placet, ipsum redire permittatis. Nam & ego ipse quem misericordia Domini afflixit lecto, cum temporalis vitæ dispendio, negotia vestra libentissimè portarem in humeris meis, dum pax reformaretur terris & populis, quos vestro regimini commisit Dominus. Spero autem quod quanto libentius acquiesco, & semper acquieui voluntati vestræ, tanto si placet benignius condescendetis necessitati meæ; & preces meas de R. Cancellario, & promouendo negotio Exoniensis Ecclesiæ facilius audietis, noueritisque pro certo quod id nullo

A modo peteremus, nisi illud crederemus esse Domino gratum, & vobis vtile & honestum. Audite si placet quod in isto tam affectuosè postulamus articulo, fortasse nihil amplius petituri.

Epist. LXXI.

R. Archidiacono.

SÆpe iam reuocatus es, qui ad vnius patris senis & languentis vocationem rediisse debueras. Et quidem verendum est ne tarditatem tuam puniat Dominus, si ab inobedientia obsurdescis, beneficiorum immemor, patrisque quem languentem in humeris portare debueras contemptor etis omninò inexcusabilis & maledictioni nostræ proximus, nisi tuam absentiam sub prætextu necessitatis suæ Dominus Rex excusaret. Cæterum quia publicam vtilitatem quæ in negotiis Domini Regis vertitur, priuatæ vtilitati præferimus voluntatem ipsius, B quam semper, quatenus licuit, & expediebat, nostræ prætulimus. Adhuc sustinemus nostro præiudicasse mandato, sub ea tamen conditione, vt quam cito gratiam eius potueris obtinere, ad nos redire non differas. Et hoc tam necessitati tuæ, quam voluntati eius ad præsens indulgemus, veriti periculum tuum, si eo offenso redieris. Timemus enim ne si periculum amissæ gratiæ pro nobis incurras, eam per nos recuperare non possis. Breues enim sunt dies nostri, & quam sumus nos ipsi, aut nostri pro nobis exinde gratiam habituri, non satis exploratum est. Languet enim plerumque gratia defunctorum, & cum ipsius meritorum memoria leuiter euanescit. Speramus tamen, & vtinam spes nostra nullum confundat, inualescente charitate in cordibus amicorum nostrorum per Spiritum sanctum. Tu vero ne quid in fraudem huius indulgentiæ facias, modis omnibus præcaue, certus quia iustitia Domini nullius hominis errore deluditur. Ad hæc in promouendis precibus nostris apud Dominum Regem super negotio Exoniensis Ec- C clesiæ, dilectionem & diligentiam tuam experiendam esse decreuimus, rogantes attentius vt ea sic procures, vt hoc absentiæ & Domini Regis, & tuæ habeamus solatium, & promissi inuicem amoris & obsequij certissimum argumentum. In eo autem sumus articulo, vt consilium nostrum suspectum esse non debeat, & quo non auderemus, præsertim in Ecclesiasticis aliquid postulare, quod non credamus Domino placiturum, & Ecclesiæ & regno conducere, & modis omnibus expedire. Vtique si rem grandem peteremus, confidimus esse nos audiendos, de Monacho, qui se Abbatem Boxelgerit, rescribe voluntatem Domini Regis, consilium tuum.

N. Epist. LXXII.

QVoties personæ Ecclesiasticæ omni iure contempto Ecclesiasticas impugnant Sanctiones, eo quidem grauius puniendæ sunt, quo ad sacrilegij crimen & scelus apostasiæ quodammodo videntur accedere. In D eos siquidem merito exercetur acerbitas iuris, qui sub habitu Religionis, & quodam impio velamine pietatis impunè iustitiam subuertere moliuntur. Hoc tui esse propositi sæpe audiuimus, sed si vera sunt quæ dicuntur, iam palam erumpit impietas, & vt audaciam tuam exerceas in innocentum læsione, Romano schismati, & nostræ infirmitati æquè gratularis. Sed potens est Dominus, suam serenare Ecclesiam, & nostrum pro beneplacito suo releuare laborem, & tibi pro meritis respondere. Distuleramus pœnam suspensionis ad tempus, sed, vt dicitur, tu diutius pœnam suspensionis non pateris suspendi. Niteris enim Sedis Apostolicæ statuta conuellere. Et ad succidendam radicem fundaminis tui, securum prouocas festinantem. Constat enim dilectum filium nostrum Iord. Sat. Ecclesiæ Thesaurarium à Domino Papa Adriano in possessionem Ecclesiæ de Froila confirmatum: tu, sicut eius indicat querimonia, in iniuriam Sedis Apostolicæ & nostram violenter, & manu E armata, quod nec fœminam, nec Monialem, nec Religiosum quempiam † Dech. destituere præsumpsisti. Quia ergo ei in iustitia deesse non possumus tibi præcipiendo mandamus, quatenus ei aut præfatam Ecclesiam cum ablatorum integritate sine dilatione restituas, aut in Octauis Assumptionis B. Mariæ nostro conspectui super obiectis appareas responsurus. Licet enim de iure tuam possemus punire inobedientiam; maluimus tamen per patientiam expectare dum cito errata corrigas, & sic imminens flagellum euadere merearis. Munitus est Iordanus Apostolico priuilegio, munitus litteris tuis, munitus est testium sufficientia, sicut nosti, & meminisse debueras, quàm fideliter, quàm vtiliter ipse, sui persæpe sudauerunt.

N. Epist. LXXIII.

OPtatos mihi successus fortuna inuidet, & pio affectui sæpissimè impia reluctatur. In partibus ve- F stris cordis mei thesaurus pridem locatus est, & quod in mundo pretiosissimum duco apud vos mihi est fidelium copia amicorum. Sin autem deceptus sum, gratus tamen est admodum labefactæ & credulæ opinionis error. De moribus enim amicorum sanctum semper esse debet, venerandumque iudicium, peruersi ingenij est de eis facile perperam iudicare, rectè quoque copiam dixerim, eo quod multis amicus me vice versa à multis amari confido. Confido inquam a spe indubitata non ambigens, & scio quod spes ista non confundit, eo quod charitas nescit finem confusionis. Licet enim interdum errorem habeat ex simplicitate conscientiæ, omnem vitat confusionem ex merito subuenientis gratiæ, virtutisque perfectæ. Quid ergo dulcius quam talem thesaurum frequenter inuisere? vnde anima iucundatur & alios iucunditatis suæ facit esse participes. Vbi est amor, inquit, ibi est oculus, & vbi est thesaurus, ibi est cor tuum. Quid ergo amarius quam ab eius contemplatione suspendi, quod aut soluit; aut præ cæteris cor appe- G tit, & in quod radius oculi semper tendit? Hæc quidem amaritudo mea iampridem, & amaritudo amarissima, vt neminem apud vos videre licuerit amicorum, vnde teste conscientia, vt huic mederer angustiæ, me nuper impelli permisi, vt descenderem ad gentem amicam, sed causam inuisam. Accessi quidem ad vos, sed ibidem grauatus, cumulatus, & exulceratus est dolor meus. Cum enim desideratam faciem vestram nocturno tempore, & ad modicum, & vix vidissem, eadem mihi solito infortunio nimis cito subtracta est, vt eam nec ad salutandum mihi discedenti, & eo magis cupienti mane licuerit videre. Quæsiui diu, diu expectaui, rogaui, sollicitaui multos, sed non fuit qui adiuuaret, hoc in me tunc fortuna potuit, sed licet temeraria sit amare & salutare absentem, nec audebit, nec quidem poterit prohibere. Valete & præsentiam vestram animo meo subtrahi non posse noueritis.

N. Epist. LXXIV.

H REgia nos impellit auctoritas, vt S. Rom. Ecclesiæ vindicemus iniuriam, &, vt de nostro taceamus, contemptum Regiæ Maiestatis. Nos autem, ne istud facere cogeremur, vos paterna mansuetudine commonuimus, quatenus dilecto filio Iordano Thesaurario restitueretis possessionem Ecclesiæ de Froila quam ei constat præsidente B. Adriano fuisse à Romana Ecclesia confirmatam. Vnde & ipsum post edictum Domini Regis, in contemptum Ecclesiæ Romanæ violenter, & absque ordine iudiciario ejecistis, sicut eius iterata indicat querimonia. Sed quia adhuc in vestra contumacia perseueratis, vobis præcipiendo mandamus, quatenus iuxta mandatum Dominæ Reginæ, quod suscepistis, memorato Iordano præfatam Ecclesiam tenere permittatis, sicut in transitu D. Regis auctoritate Apostolica possidebat. Alioquin tamen in Octauis B. Mariæ nobis apparueritis contemptum S. Rom. Ecclesiæ præterire non

A poterimus impunitum. Et si Domina Regina quod in edictum Regis commisistis, condigna correctione emendauerit, nos illi ratum habebimus, quoniam ex authoritate Canonum, si iura taliter contemnuntur, ad reprimendam malitiam manus adhibenda est militaris. Prohibemus cum auctoritate Ecclesiæ Romanæ & nostra, ne decimas & bona Ecclesiæ ante iudicij examen distrahere præsumatis.

Epist. LXXV.

Cellensi Abbati.

QVantam operam dederim promouendo negotio, pro quo in Angliam miseratis, veritas nouit, & discretioni vestræ non sit incognitum. Et licet nunquam bene sperauerim de profectu, quia noueram mores hominis, qui semper aduersus Ecclesiam dimicat, & loca
B venerabilia potius deprimit quàm exaltet, & quatenus promittitur, destructioni quàm ædificationi magis insistit: cum tamen primo per nuntium & litteras sollicitaui absentem, itemque præsentem in facie Domini Cantuariensis, & tandem cum ex aliis causis ad partes illius descenderem, acceitis amicis & familiaribus eius satis institi, vt si non poterat induci vt daret quod promisisse dictus est, dispendium Ecclesiæ vestræ, & concussionem vestram, transmisso alicuius solatij beneficio compensaret. Cæterum, quod ab initio præsagiebam, quanto magis pulsabatur, eo magis & magis innotuit. Dimisso ergo Comite, illum qui vos deceperat, persecutus sum, obtinuique vt eum anathematis vinculo Cantuariensis Archiepiscopus innodaret, & transmissis ad Episcopos litteris iuberet comprehendi. Profugus itaque factus est à facie Domini, vt à fidelibus eius omnino nequeat inueniri. Latitans autem forte cellas & monasteria circuit, &
C si nunc Cluniacensem, nunc Remensem, aut cuius libuerit professionis Monachum gerit, & sicut accepimus ab his, qui eum viderunt, iam abiecit nomen infamiæ, & se Barathri filium radendum omnino de libro iustorum & omni fidelium congregatione, Radulfum Baratri dicitur. Puto quod qui Monachum pridem abiecit, proiecit & nunc habitum eius, in quo metuit deprehendi. Sed authore Domino spero, licet hoc moram habeat, qui comprehendetur in operibus manuum suarum. Fratri autem qui cum eo venerat, euentus negotij imputari non debet, quoniam ex contingentibus nihil omisit, sed satis vigilanter institit, donec ei, accepta corporaliter Comitis responsione, constaret se frustra laborasse. Hoc enim à festo B Remigij responsum accepit. Exinde sicut vobis scripsisse me memini, aliquantulam moram fecit, vt amicos quos nondum viderat, visitaret: rediit tamen. Si patrocinio indiget alieno, & meum quid potest, quæso vt eum paterno recipiatis affectu, & ea tractetis mansuetudine, quam motibus eius nouistis expedire. An plura orare liceat, an expediat plenius nostis. Scio vtique quia qui vos familiarius nouit, rem improbam aut petere non audet, aut impudenter petit. Hoc itaque vobis adscribere
D fidelius ausim, quam Portio Catoni familiari suo Cicero pridem adscripserit. Mitto vobis munus exiguum eo fiducialius, quod ab antiquo didici vos in talibus non tam pensare pretium muneris quàm mittentis affectum. Minus tamen est acceptione dignum, si tamen cum mittentis affectu significatio muneris attendatur. Hoc vtique vas salarium est argenteum anteas habens notas. Rectè quidem eo quod illius salis habetis copiam, quod ex præcepto legis sacrificiorum est omnium condimentum. Sed & illud Domino offertis examinato eloquij casti argento, & aureæ virtutum imagines in speculo verbi & operis resident, in euentibus, eos prouocant, vt imitatione virtutum possint esse speculum aliorum. Sed & ipsa rotunditas formæ congruit perfectioni vestræ. Nostis aut quia sacrarum rerum signa venerabilia fiunt, & in materia viliori. Eo autem arbitror quod & si minus vilesceret ab æstimatione sui, conualeret tamen gratia eius, eoque meam charitatem & vestram cum sapientia significat & sanctitatem. Quia frater Thomas solus erat, ei seruientem equitem dedi, quem, cum ad vos venerit, prout E
magis placuerit retinebitis aut remittetis, equitem siue peditem, tardè quoque aut cito. Equum enim Domino Thomæ dedi, ita tamen vt eum sibi distrahere in Anglia non liceret. Exinde autem cum à nobis exierit, pro animi sui arbitrio vtetur, & abutetur eo, sicut suo, immo reuera suo. Nec ob aliud legem dixi donationi, nisi vt honestati accipientis consulerem, & necessitati itinerantis prouiderem. Nam quod ad sumptus necessarios quidem, & si forte non omnes voluntarios, libenti animo ministraui. Seruienti quoque non tenetur in aliquo, nisi forte ex cultu Religionis ad charitatem & ad familiaritatem, iure coniunctus & sociatus. Ego siquidem ei ex pacto teneor, & authore Domino satisfaciam. Mora ergo ipsius aut reditus à vestro pendet arbitrio, & per eum quod placuerit rescribetis. Præterea quia expositio Magistri Hugonis apud nos inueniri non potest, illam si placet transmittite. Recolo enim quod apud vos est. Boetium F
quoque de Trinitate, quem apud vos, & libros, quos apud Dominum Simonem Priorem Prumni deposui, quoniam eis frater meus indiget, si placet, per eundem mihi mittatis.

Epist. LXXVI.

Eidem Cellensi.

DEuotionis meæ fidem vobis pridem arbitror esse notam, vt de ea non debeatis omni spiritui credere. Hoc dico ne si frater Thomas sinistri quippiam auribus vestris instillare præsumpserit, fidem adhibeatis, quoniam est aliquid inter me & illum, vnde nostrum, aut discreti cuiuslibet non reformido subire indicium. Quod vt possetis examinare facilius, rem paucis aperiam. Elapsis admodum paucis diebus, postquam ad nos applicuit, palam omnibus factum est, quia ei labor perierat, & vobis G
opera & impensa. Deinde nobiscum, & in circuitu nostro moratus est per dies aliquos, & se leuius quàm expediret, in verbo dumtaxat & gestu (nihil enim criminosum in eo argui potest) paulisper habere cœpit. Confluunt ad nos multi sapientes & insipientes, vt error aut prudentia nusquam possit facilius deprehendi. Sic ergo placebat hominis sobrietas & continentia, sic leuitas verbi, & gestus, & consiliorum inconstantia displicebat. Mouebatur enim facile & intemperanter, sed iram interdum facile deponebat, & quia conuictus Curialium, popularisque tumultus simplicioribus animis nunquam, aut raro proficit ad Religionem, consulto ipsum circa monasteria, & Canonicas, quibus familiaris eram, dum apud nos degebat, volui immorari. Interim quoque consului, vt cognatos suos, quos volebat, inuiseret, Ita tamen vt eis nequaquam daret spem reditus sui. Expertus enim sum in multis negotiis, quod cum in turba seculari solum Monachum versari periculosum est, in gente nostra periculosissimum est. Puerum ergo per quem vobis gratias egi de panibus, potum quoque petens, quoniam non H
magis epulo quàm bibo sum, sicut nostis, ad vos destinaui, vt vestrum super mora & reditu eius consilium reportaret. Quo moram faciente, cum hoc expedire cernerem, fratrem Thomam monui, vt rediret. Molestum quidem fuit, nec ob hoc destiti, sed eo magis institi, quod de eo retinendo, plures, qui eum ad modicum, & vt sic, in transitu viderunt, videbam sollicitos. Nam & me quidam eorum sollicitabant. Magis itaque motus sum, & vt rediret, maiorem operam dedi. Nam de industria subtraxi sumptus, consilia reprobabam, quasi calcaribus vrgebam vt rediret. Hoc autem ei molestissimum fuit, eo quod natalium dierum festa inter cognatos & amicos, & notos in locis plebeiis, & ab omni reuerentia exemptus transigere decreuerat & condixerat. Malui ergo me opponere indignationi eius, quàm acquiescere consilio periculoso. Frater enim mitis est, & bonæ voluntatis, vt credo, sed simplicior adhuc, quàm vt in turbis populorum regimini suo committi expediat. Nam præter leuitatem,

aut

A aut nihil, aut minimum in ipso arguo, eo tamen excepto quod aut nullus aut rarus est, in quo non inueniat qood carpat, & hoc ab innatæ leuitatis fomite arbitror euenite. Videbam quidem mihi alterutrum imminere discrimen, vt aut ego periclitarer in gratia eius, aut vestram vererer amittere. Fateor culpam meam, deliberaui quidem, & amplius quàm per mensem, sed tandem collecto spiritu me constanter indignationi eius opposui, oe fidei, quam vobis debeo, periculum facerem. Compuli ergo ad reditum, & hæc quoque est culpamea. Consilio tandem meo inuitus adquieuit, sed gratum habeo quod adquieuit tandem & inuitus. Inde simultatis causæ, inde detractionis fomes, inde totius officij mei obsequij denigratio. Misistis ad nos quandoque fratrem Thomam Norvvicensem, fratrem Guillelmum, & aliquos alios. Adquieuerunt omnes, sed neminem eorum piguit meo adquieuisse consilio. Solus hic suum meo aliquandiu prætulit, sed tandem adquieuit. B Aodeliquerim iudicate. Et quoniam frater quidem simplex est, & minime, vt credo, malitiosus, precor vt eum charum habeatis, & vtamini eo; quoniam vtilis est, & sicut sibi in locis publicis nequaquam committendus, ita in obsequio vestro necessarius. Aliud forte de seipso testimonium perhibebit, sed me nihil vrget ad mentiendum. Solebatis & mihi credere. Nec adhuc quidem demerui, conscientiæ & verbi mei testis in cœlo fidelis est, & qui omne mendacium punit ense, mercede autem remunerat veritatem. Latorem præsentium minus diligere consueui, ex quo eum coegi ad reditum, suspicatus quod me induceret, adeo quidem vt illum vix coëgerim transfretare, sed ad hæc me coëgerat amor vester, cui debeo quicquid sum & possum, immo & quicquid ero & potero; & si quid tamen amplius potuero. Valete.

N. Epist. LXXVII.

C GRatiæ vestræ congratulor, quæ dum amicorum meorum, vt creditur, profectum querit, meum promeruit famulatum. Sicut non possum non approbare charitatis affectum: sic non possum simplicitatis non reprobare consilium. Gradus enim in quem illum amicum vestrum voltis intrudere, nec proposito eius congruit, nec ætati, sed certè nec saluti. Desiderio quoque vestro cum multis aliis ratio temporis refragatur, & loci. Nemo potest duobus Dominis seruire, vt liquidum sit iustum non posse & profectui fratrum inuigilare vtiliter, & satellitibus curiæ ad gratiam famulari. Nonoe isti in patrocinium improbitans, ne dicam flagitiorum, ad singula Regiam opponunt auctoritatem? Benè ergò agenti & tuenti Ecclesiasticam libertatem apud vos obitat Regis; sed malè agenti reclamat vbique auctoritas legis Domini. Quis semel in Consulatus angulo positus, comede * faciat circuire punicam, & emergenobus nouæ difficultatis articolis in momento transcurrere? Alienum fuit semper à proposito hoD minis aliorum ob auaritiam explorare vitam, vicinorum insidiari opetibus, amicos reos facere, notos pariter & ignotos, vt placeret alij, aut quæstum faceret sibi, spoliare. Sed amodo erit, auctore Domino, alienissimus. Non ad iniuriam alicuius hæc scribo. Sed depingo organum Satanæ, quod sub pallio huius quandoque videmus latitare: latitare inquam, at insanire & debacchari rectius dixerim. Nomen enim honestum & vtile, & à Sanctis Patribus proinde institutum est, sed sub velamine pietatis, rectique officij, latuit actio impudica, cita ambitio, crudelitas impia, insignis auaritia, impurus & impudens quæstus. Quid delatore sene, sacerdote, imputius, impudentius, aut nequius? Nunquid tantam famæ & conscientiæ iacturam faciet, vt placeat satellitibus Curiæ? aut quomodo si eis displicuerit, muiistrabit? In summa, aut illos, aut vos habebit iofestos, cum neutrum ei expediat, aut suos. Parcite ergo amico, nec ei multorum, & quod maximè veremur, Domini inimicitias procuretis. Nouer-E tis autem quis Dominus Archiepiscopus petitionem vestram omnino reprobat. nec aliquem ex amicis Decanorum, huiusmodi delatorem conuicancorum fieri sustinebit.

Epist. LXXVIII.

Cancellario Angliæ.

IVxta mandatum dilectionis vestræ, litteras Domini mei ad Dominum Regem & vos sub ea authoritate conceperam, vt vobis redeundi festinata necessitas indiceretur, nisi crimen inobedientiæ malletis incurrere, & cum pœna anathematis dispendium bonorum quæ à Cantuariensi Ecclesia habetis, sustinere. Cæterum ad preces Regias ab insperato per Hugonem de Donra Domino meo porrectas cum blanditiis & promissionibus transmissis, hunc coactus sum, vrgente mandato Domini mei, temperare rigorem, & necessitati publicæ aliquid indulgere. F Si enim vera suot quæ dicuntur à redeuntibus, & vtinam vera sint, Rex & tota Curia adeo pendent de consilio vestro, vt nec spes pacis immineat, nisi eam vestra prudentia præfiguret. Vnde Dominus meus quandoque hæsitare cœpit quid sit Dominus Rex & vos sopes reditui vestro maturando aut differendo interdum contraria postulastis, scribitis, cum in aure & ore vulgi sonet, vobis esse cor vnum & animam vnam vel vrgente familiaritatis amicæ stimulo idem velle, & idem nolle necesse sit vobis. Quæsiuit enim quandoque an aliqua in re ista posset esse collusio. Et ego, quid veritas * hanc mihi videot præsentire, & quodam modo statum absentis & laborantis præsentialiter intueri. Cum itaque litteras conceptas damnare compellerer, fluctuare cœpi, an expediter nuntium magis retinere, quam mittere. Sed quia iam accepta licentia, quam præmachinati eramus, egressurus erat, sedit tandem animo, vestrum animum explorare, G litterasque quam vrgentes potui, licet aliquid indulgeat Regiæ voluntati, vobis & illi transmittere procurau. Porrigit per vos & per litteras suas preces D. noster Regiæ Maiestati, confiditque se fore audiendum, si vos operam dederitis promouendis illis. Nec vnquam memini ipsum aliquid affectuosius postulasse: & quidem honestæ sunt, & quas iustum est exaudiri, & quarum repulsa ei non modo confusionem, sed & diffidentiam gratiæ, quam semper promereri studuit, super omnia reportabit. Hoc autem est vt de promouendo in Ecclesiæ Exoniensis magisterio, B Exon. Archid viro honesto & litterato, & pro quo fideiubere audet, regium consensum & authoritatem obtineat: sæpeque familiaribus suis dicit, illis tamen duntaxat, quibus hoc verbum communicare licet, sed non multum habere grauem Dominum Regem si repulsam patiatur, de persona honesta, illiterata, & inutili pridem audierit, nisi per Canonicos Exonienses, & alios timentes Dominum, consensus ille fuerit impeditus. H Scripsit enim super hoc Dom. Rex, ipsumque Archiepiscopum lecto languoris decumbentem, quidam sollicitare ausi sunt, ideoque donari sibi petit, quod canonicè fieri potest, quod contra Canones pecunioso pridem indultum est. Fama est apud nos quod trium vacantium Episcopatuum reditus ad liberationem vestram vobis Dominus Rex concesserit, sed non ideo nunc de patrocinio vestro in opere isto confidit. Multa quidem sunt quæ in hac parte poteritis allegare, nec dubito de affectu & si operā dare placuerit. Nota est industria vestra, & quid Lincol. quid Eborac. & in aliis multis egeritis, neminem nostrûm latet. Dimittite animam patris vestri, accepto beneficio petitionis, hilarem, & preces illius faciatis audiri, qui, sicut ipse litteris suis Domino Regi scribit, nihil vlterius petiturus est: verba sua in ore nuncij posuit, eique dedit in mandatis, vt in omnib. id loquatur & faciat, quod ei prædictaueritis. Noueritis autem, quia si distuleritis vsque ad aduentum D. Regis, petitionis effectum, eo ipso putabit quod in morte eius dilatio quæratur de his, satis

A præsertim sapienti. De cætero mihi & magistro Vuillelmo de Sadis Clerico vestro, de exhibenda iustitia duo breuia D. Regis necessaris, iuxta formam petitionum quas vobis transmitto. Valete, & quod placuerit, transfretabite. Hoc autem sciatis, quia vobis modis omnibus expedit, vt ante exitum Domini nostri sedeatis, & si vos incontinenti oportuerit transfretare. Valete iterum & semper. Nouit Dominus quia ille pro quo Dominus Archiepiscopus sollicitat, totius huius verbi ignarus est.

Epist. LXXIX.

Forma eligendi.

EX relatione nobilis viri Richardi Comitis Denoniæ & Alani de Furnellis, qui se interfuisse asserunt, iis quæ S. memoriæ R. Prior vester agens inextremis disposuit nuper accepimus, quod præfatus amicus Do-
B mini interrogatus à vobis quem fratrum, si ipse forte in fata concederet, sibi duceret, subrogandum, fratrem Richardum ex nomine designauit, suadens, & pia, quâ præditus erat, modestia, sub imagine consilij præcipiens, vt omnes ipsius obtemperaretis arbitrio. Obseruandum quidem erat S. Patris mandatum, præsertim illud quod dictabat spiritus Domino plenus, cum de carnis ergastulo migraret ad Christum. Nunc autem, sicut nos ab intermeantibus de nouo accepisse dolemus, post mortem S. viri expetiuit vos Sathanas, & per Petrum de Tautona, & Villelmum fratrem eius, vos in cribro ventilet leuitatis, & eiectis parietibus è regione, eam, quam in vobis S. Pater fundauerat, scindat & dissipet vnitatem. Planè quicumque hoc moliuntur, quantum in ipsis est, Christum exterminant de medio vestri. Siquidem in sanctitatis & iustitiæ pace factus est locus eius, sine qua nemo videbit Dominum. Inde est quod vniuersitati vestræ in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus fratri memorato, quem vobis pater decedens
C præfici voluit, in omnibus quæ ad Dominum sunt fideliter obediatis, donec in Ecclesia Exoniensi, cui domus vestræ custodia duplici iure, spiritualium & temporalium commissa est, auctore Domino possimus ordinare Pastorem, siue cum præiudicio interim hoc præcipimus obseruari. In eos autem qui præfati Prioris dispositioni aduersari præsumpserint, iubemus seueritaté Canonicam exerceri, ratam habituri sententiam quamcunque in Petrum, aut Vuillelmum, aut alios complices eorum, si quos habent, sæpedictus Richardus à priore prænominatus protulerit.

N. Epist. LXXX.

LAtor præsentium Lond. oriundus, vt ait, de genere suo diligentios perscrutatus, locum natalem citra Cornubiam vlteriorem non potuit inuenire. Is amicus noster, si vera sunt quæ proponit, à quodam Decano vestro spoliatus est, & longè aliter iniuriatus, qui cum
D Londinum oporteret, præceperat Dominus Rex, vt accito Decano, & complicibus eius, causam hanc Dominus Archiepiscopus examinaret. Sed quia de prudentia vestra & iustitia confidit plurimum, eam committit vobis, vt ad faciem potentioris aduersarij, Dominum in paupere, si veritati innititur, attendatis. Alioquin ad exhibendam conciui nostro iustitiam, regio mandato: non sine vexatione Decani, vrgetur Archiepiscopus. Seria res est. & si pauperum spolia Decani & Archidiaconi * ioditim ducant. Quidni? aliorum tristitia in eorum gaudium cedit, in quorum manibus iniquitates sunt, & sinistra eorum aut repleta est muneribus, aut eis inhiat. Hæc enim hominum monstra dextras non habent. Sicut enim quidam in virtutis exercitio ambidextri sunt, sic isti ambilæui conuincuntur ab auaritia & rapina. Hæc aduersum Archidiaconorum rabiem, pro paupere concine nostro quem secretus vlterioris Cornubia sinus iuxta turrem Lond. edidit. Quod autem
E ad statum domus nostræ pertinet, idem est qui fuit, & paulo lætior. Nam metus ille, quem vobis Episcopus Roffensis, & Rad. noster incusserant, superuacaneus extitit, cis res seria agebatur, & ad quam præsertim cupidè fuerat propetandum: Vocati enim erant centum marchas & aliquid amplius accepturi. Alter tamen eorum vigilias, & sollicitudinem suam doluit esse delusam, eo quod sibi nihil acceperat. Alter enim tulit omne punctum, & miscuit vtile dulci. Nunc intelligam si viget in te spiritus propheriæ, vt respondeas incunctanter, vtinam eorum res ad votum cesserit, quo si fueris destitutus, consule adolescentem, & nostrum, qui quotiens accedit ad me, sicut doctior, ita tenuior ab eo. Expedit enim vt quod loquor sit absconditum ab oculis eius, ne si forte * trium vocalium deprehenderit, turpis soni & regularis verbi mulctam cogar exsoluere. Nam in patrocinium meum abusionem authorum frustra prætendam iuueni regulare iua opponenti, & qui Grammaticæ præ-
F ceptis inuigilat. Quod si secretum istud minori, vt pœnam exigat, frater noster maior prodiderit, tu meum procura negotium dicasque non aggressum esse, vt cum Grammatico adolescente de Grammatica contendam, sed vt quibuscumque verbis potero amici Lond. à Cornubia causam agam. Quod si alterutrius periculum imminet, satius duco dispendio Grammaticæ, causam lucrari, quàm vt Grammaticè loquar, causæ subire iacturam. Cum enim duo quondam patroni causarum, nunc pastores, vt dicitur animarum, & officio Episcopi, Lexouiens. scilicet, & Cicestr. dispari vis procederent, & Lexouiens. causæ mallet facere detrimentum, quam verbi, qui nunc Cicestr. est, ei pictam cedebat linguam sed triumphi gloriam diligenti rerum obseruantia præripiebat: Neutrum imitari valeo, sed alterius credo præferenda vestigia. G. agamus quod agitur, & pauperis concinis nostri causam habeas commendatam. Quod vt diligentius facias, ei crepidas dedi, quas amicus noster Iord. Subprior
G Leuvensis tibi transmiserat. Paginam verborum impleui foliis, & quia dulce erat loqui in aure amici, & quia non erat res noua, quam tibi significari oporteat. Valete, & vt valeant, fratribus nostris denuntia, fraterni nominis sic appellatione dilatata, vt non modo ad magistrum extendatur, & peccatorem, sed & filium Reinfredi, & alios, qui nobis fraternitate charitatis iunguntur, ita vt in qui * intelligatur, & quæ. Iterum & semper valete.

Epist. LXXXI.

Cellensi Abbati.

VIrtus amicorum omnia inuicem communicanda esse præfinit & à sacrario amicitiæ censura discretionis excludit, qui sibi præ amicis proprios vendicant affectus. Quis enim res ambigit participandas eis, quia vnus est animus si veritas professionis in amoris fi-
H de seruatur? Siquidem is est qui compage charitatis animos vnit, facitque, vt ait calend. * vt mirabili nexu vnus animus fiat ex pluribus, & sicut Plato autor est, eundem spiritum multis veré amantium corporibus præsidere, qui licet vnus sit ad innatæ & cognatæ virtutis officia, interdum amplius conualescit in singulis, aut pro qualitate corporum retardatur. Cum ergo me vobis amicum esse professus sum, participium rerum & animorum libens agnosco, excepto affectu modestiæ quam de Domini & Patris mei diuturna & dubia infirmitate concepi, cuius miseriæ nescupio omnes esse expertiores, quo in fide & charitate fuerint chariores. Istud quidem interim, quoniam sic oportet, meum sit, vestrum enim esse non expedit: cætera omnia, si vobis displicet, quoad expedierint, & licita sunt, quantum ad mea spectat, nostra sint & præuia honestate sint omnia nobis communia. Neque enim aspiro ad illa quæ ad

A ſocietatem non admittunt, aut dirimunt, aut repugnantibus Arithmeticis, Phyſicis reclamantibus, immò & ipſa ſtupente natura inſecabilem diuidunt vnitatem. Abſit vt ego cauſam præbeam ne in appetendis & fugiendis ſit idem velle & idem nolle in nobis, mallem vtique operam dare, vt nobis in Domino ſit cor vnum, & anima vna. Sic participant inferiora ſuperioribus, & Sol, quanquam lucidiſſimus ſit & puriſſimus, amnes cognatos nubibus, & fæculenta terræ ad receptionem ſui caloris & vigoris agnoſcere non dedignatur. Mutuis auxiliis conſtant omnia, & grauia viciſſim leuibus temperantur, & profectò eo ſic vniuerſa procedunt, quod tantam diſſidentium concordiam, & concordium diſſidentiam, idem vnanimitatis ſpiritus, intus alit & vt ſibi inuicem vicario quodam miniſterio conſonent, mundani corporis partes velut membra diſponit. Sic ſi in humano corpore ſibi inuicem membra deſeruiunt, & ſingulorum officia publicis vſibus deputantur: abſint B quidem hæc magis, illa minus, proinde corporis, ſed in effectu ſalutis eius omnia vniuntur, varios habent affectus: ſed ſi vſum ſalutis penſes, in idem vniuerſa concurrunt. Non tamen omnia coæquantur, ſed ſuperioribus inferiora deſeruiunt. Pes enim qui verſatur in cœno nequaquam aſpirat ad capitis dignitatem: ſed & caput quod in cœlum erigitur, non aſpernatur pedem qui verſatur in cœno. Sic & nos ſi non diſplicet, vobis coutamur, & veſtris. Ego autem quod in promptu habeo proferam, ſi tamen nugas ſerietas veſtra dignatur admittere. Vos itaque ſeria rependite nugis, quoniam & ego in Apulia expertus ſum, quia ad ſtuppas aurum diſtrahitur. Edidi librum de Curialium nugis & veſtigiis Philoſophorum, qui mihi à veſtro placebit aut diſplicebit arbitrio: incultus eſt, & ex edicto meo à vobis amicis deſiderat emendari. Ad illuſtrem virum Regis Anglorum Cancellarium properabat, ſed eum niſi proceſſus expedierit, cohibete. Garrulus enim eſt, & qui vix amicum habebit in Curia. Nollem tamen quod nos Cu-C rialibus faceret inimicum. Precor vt eum incunctanter erudiatis, eumque expectanti amico temeritate caſtigatum. Non equidem vt fur ille Cantuar. Brito, de cuius manu auelli non potuit, antequam totus depingeretur, fortè vt facilius poſſit argui hoſtium oculis ingerendus. Hanc itaque Græcorum conſuetudinem eſſe audieram, ſed eſſe Britonum ignorabam.

Epist. LXXXII.

Cellenſi Abbati.

Cum hæc ſcriberem, Notario riſum mouit præmiſſa ſalutationis inſcriptio, cuius cauſam inquiſitus, ridiculum ſalutatorem monuit loqui conſultius, & ne amara & inſipida dulcibus miſceam, temperare: ait enim te ſicut ſalutem acceptare oblatam, ſic aſpernati quod ſubjungitur, & ſeipſum. Fortè quia amarum, quia inſipidum, præſertim domi ſuæ dulcioribus abundanti. D Ego autem quid ad iſta? mutare inſcriptionem turpe quidem, ſed eam ſine diſcuſſione tranſmittere temerarium videbatur. Præterea cui hæc mandanda diſcuſſio, incertum: Si enim ipſe diſcutiam clemens, tibi potero eſſe ſuſpectus, ſi calumnianti, recolo quia calumniantis os non loquitur veritatem. Si tibi æmulus non adquieſcit, dicens, te ſinceram non poſſe ferre ſententiam, qui aut de nouo hoſtis es, aut de antiqua familiaritate amicus. Priuata namque affectio ſententiam non parit incorruptam. Poſt multam itaque deliberationem tandem ſedit, vt iudicem eligam domus tuæ te abſente, præſente Vvaltero de Calua, qui tamen & ipſe doli argui poteſt, cauſa familiarius agitetur partis aduerſæ, non timeo adjutores, licet Mandrogenis grunniat, Ramathio intabeſcat, rideat Bromius, & Mercurialium clientum cætus mibi patronum ſubtrahat, vel Cordone patrocinante adiutus, non ſubterfugio venerabilis tribunalis examen. Tuum quandoque iudicium non declinarem, qui me quandoque amabilem credidiſti, & reuera eram, vt diſturbatur tunc dignus amari. Quod autem nunc decliE no, tibi imputandum; qui faciem perſonæ attendens amorem nouum amicitiæ veteri prætuliſti. Nam quod ad me, idem ſum qui fueram, poſſideo plus quam nos duo primum habuerimus. Canto quidem non deterius ſolito, diſſimiliter Sareſberienſib. multis, etſi optimi cantores ſint, nec ſum adeo informis, pridem me in littore vidi Piſano, cum placidum ventis ſtaret mare. Cætera familiarius in aure & ore iudicis, cui cadam aut ſtabo, reuoluam plenius & euoluam, & vt ipſius dictante ſententia amice licenter ſcripſerim, & ſeipſum qualemcumque ſententiam ſentiam, appellationem meam audiet nullus, ſed modis omnibus operam dabo, vt partem grauem oppoſitam, antequàm ab eis grauemini, appellem. Quantacumque ſit concuſſio, nequaquam ex propoſito meo ad aures extranei perferetur. Quod ſi Vvalterus adeſſe nequiuerit, ego eum tecum facile abeſF ſe conſentiam, niſi partes ſuffragatoris implere maluerit. Salutem ergo habeas, & me ipſum, & quod volueris reſcribas: ita tamen vt aut minus acceptes oblatum, aut electum, dum tu abſis, ſubeat deuotio mea iudicium.

N. Epist. LXXXIII.

Totius Eccleſiæ periclitatur ſalus, ſi remigium, cui Petrus præſidet, manibus committitur impudicis. Nauem piſcatoris egregij Eccleſiam eſſe ſcimus: Romanum Pontificem Principis Apoſtolorum non ambigimus eſſe Vicarium, qui, ſicut rector clauo nauem, ita ſigilli ſui moderamine Eccleſiam regit, corrigit, & dirigit vniuerſam. Huius ergo ſigilli corruptio vniuerſalis Eccleſiæ periculum eſt, cum ad vnius ſignaculi notam ſolui & claudi poſſint, quorumlibet ora Pontificum, & culpa quælibet impunita pertranſeat, & innocentia condemnetur. Vnde in eos qui hoc G attentare præſumunt, animaduertendum eſt, ſicut in hoſtes publicos & totius Eccleſiæ quantum in ipſis eſt ſubuerſores. Horum, vnus apud vos latitat, A. ſ. de Grimeleg. qui crimen falſi, quod in Apoſtolicis commiſit apicibus, periurio cumulans, anathematis vinculo meruit innodari. Præcipimus itaque vt ipſum publicè excommunicatum denuntietis, & ſi comprehendi poteſt, ſicuti manifeſtè periurum & falſarium ad nos faciatis adduci. Ne vero crimen falſi ipſum commiſiſſe dubiteris, exſcriptum litterarum Domini Papæ vobis tranſmitti præcepimus, quas penes ſe bullatas eſſe, ipſe & Iord. Presbyteri iurauerunt.

N. Epist. LXXXIV.

Eccleſia S. Trinitatis Lond. aduerſus Martinum de Vvaltam agens, decimas quaſdam pertinentes ad Eccleſiam de Vvelcumeſton. & quas in die conſecrationis iam dictæ Eccleſiæ Radulfus Rotundus obtulerat, Epiſcopo Lond. præſente & approbante, ſibi reH ſtitui poſtulauit, dicens ſe eiſdem abſque iudicio ſpoliatam, tantoque ius ſuum dicebat eſſe liquidius, quanto pluribus in vicinia conſtabat quod has decimationes ab anteceſſore Martini & Eccleſia de Vvalth. in Canonici S. Trinitatis euicerant. Cum vero cauſa hæc diutius in foro Lond. Eccleſiæ pertractata eſſet, ad audientiam veſtram per appellationem tranſlata, eſt tandemque Martinus, qui dilationes plures ex variis cauſis obtinuerat, poſt iuramentum dehinc M. præſtitum, & hoc de conſenſu & petitione partium, dies peremptorius, licèt hoc Martinus inficiaretur, præfixus eſt, quo cum ſuam Canonici vellent fundare intentionem, iam dictus M. oratorias exceptiones eis oppoſuit, dicens ſibi aliquid per Canonicos abeſſe, eo quod datis fideiuſſoribus obligatus erat ad conſeruandas præfatas decimas, vſque ad litis deciſionem, & quia eas diſtrahere non licebat, ſibi præiudicium factum aſſerit. Ad hæc Canonici ſe nullam obligationem à Martino extorſiſſe, & aliquem nomine eorum conſtanter aſſerebant. Ille

quoque qui fideiussores à Martino susceperat, se neque nomine, neque mandato Canonicorum eos sicut iurare paratus erat, accepisse dicebat; sed quia decimationes litigiosas esse videbat, sibique nolebat in hac parte prospicere, ne forte ab eo repeti possent, si eas imprudenter iniusto exactori soluisset. Idem enim fideiussionis obligationem Martino remisit, & fideiussoribus suis: vnde cum interloquendo pronuntiaretur, hanc exceptionem nequaquam sufficere ad causæ dilationem, & vt Martinus in causa procedere exigeretur, ad vestram audientiam appellauit ad *Quasi modo geniti*.

Epist. LXXXV.

Domino Cellensi Abbati.

NOn est nouum quod mihi vestra benignitas alimentorum subsidia procurauit, quæ sic meam in terra aliena paupertatem excepit, vt nec patris munus, nec maternus mihi deesse videretur affectus. Magnum quidem erat sic exuli prouidere, vt apud exteras nationes ciuium commoditatibus fruerer, sed multo maius est quod mihi diligentia vestra prospexit, ne à natalis soli dulcedine, qua totius humani generis vniuersitas capitur, perpetuo exularem. Vestrum namque munus est, quod reuersus sum in terram natiuitatis meæ, vestrum munus est quod Principum virorum assecutus sum notitiam, familiaritatem, gratiamque multorum: vestrum munus est quod florere in patria video, & auctore Domino multis præferri conciuibus & coætaneis meis. Sed quid est quod liberalitatis & munificentiæ vestræ titulos membratim exequor, cum illorum numerus & immensitas sic totum animum impleant, vt effluant, & totius mentis capacitatem exsuperent? A Domino quidem, vt & illa sola, quæ non sufficio recordari, debeant meruisse quicquid sum & possum. Obligatus itaque sum, vt nulla gratiarum actione valeam liberari, cum merita vestra omnes conatus meos absorbeant, præsertim cum deuotio vestra me sibi continuis obliget beneficiis. Nam & mihi panem quotidianum procurat vestra dignatio, & quæ pauperem pascere consueuerat temporalibus alimentis, nunc alias abundantem, æternæ vitæ quodammodo deliciis reficis. Profecto cuicumque cibus hic non dulcescit, infatuatus est insipienti languore palati, & nescio quo pane eget iam mellitis potiore placentis, vtque sacerdotis fugitiuus liba recusat. Quis enim in tanta abundantia panum non reficiatur, cum nemo Regum delicatiores in mensa sua conspexerit? quis plures vnquam delicatissimi panis congessit species? habet enim satietatem sine fastidio, dulcem sine defectu & inanitione esuriem: conferunt & miro condimenti genere, quos terrena deprimit inhabitatio, felici Superiorum euectione suspendunt. Vnde manum correctionis eis apponere non præsumo, quia nihil inuenio in eis corrigendum, qui eos tanta auiditate vorasse voluerim, vt nec de substantia sensuum aut specie verborum elabatur mihi mica, etiam tenuis: Micas enim & crustula Domino authore deglutiam. Cæterum nouit experientia vestra, quia non in solo pane viuit homo, & quod potationis assiduitas apud exteras nationes fecerit Anglos insignes. Vnde iustum arbitror, vt egregie cibato propinetis, & cui apposuistis panem, porrigatis & poculum. Iam enim sitio, poteroque vorator panum in siccitate strangulari, nisi clementia vestra mihi vinum prouideat. Hoc itaque vobis paratius est quàm cœlia, quæ à nostratibus vsu vulgari ceruisia nuncupatur. Ego tamen vtriusque bibax sum, & non abhorreo quicquid inebriare potest. Sed quoniam vobis est copia, teste illo * venti amico meo, qui nunquam nisi potus ad artes prosiluit, versusque faciebat, qui numero syllabarum & pedum, Virgilianos versus excederent. Præ cæteris inebriantibus vnum peto, vt sit, quod pane confirmatum exhilaret. Porro inter cæteras, vinea Domini Soreth vobis notior est, & quæ ad vsum eius faciunt instrumenta omnia penes vos esse non ambigo. Extruxistis ibidem & vos torcular, cuius interueniente officio vobis vinum frequenter exprimitur in vsum conuersionis peccantium, aut iucunditatem deuotionis, & salutem fratrum, & vtilitatem omnium auditorum: Et nunc rubet in calice passionis, nunc albet in sanctitate & munditia castitatis: nunc feruet charitate, nunc redolet hilaritate conuersationis honestæ: subtiliatur interdum, vt conferat delicatis, nunc solidus est, vt rudioribus proficiat & ignaris. Sunt & illæ differentiæ, quas enumerare longum est, quarum qualibet Falerno prætulerim aut Panormitano, aut Græco, quæve * seculis Cancellarius ad perniciem salutisque dispendium potare consueuerat. Peto itaque, vt inde mihi faciatis copiam, aut misericordiam, ita tamen quod Anglico & potori sufficere debeat. Alioquin potero vobis notam proditionis inurere, & conuenire doli, qui me panibus ingurgitastis, & quo in vsum digeri possint subtrahitis potum, vtque Gallorum consuetudine, vt quos inuitant ad mensam dimittant sæpe sobrios, nunquam siccos. Hæc hactenus qualiter iste vilis Apostata Radulfus vobiscum, & cum fratre Thoma egerit, me alia vice vobis scripsisse memini, sed postmodum idem Rad. ob hoc publice excommunicatus est, iussusque comprehendi si inueniri posset. Litteras vestras me præsente, & interpretante tradidit frater Thomas Comiti Hugoni, sed non profecit quicquam, eo quod se totius negotij Comes ignarum esse dicebat. Moratus est hoc vsque nobiscum frater Thomas, & circa vos, cum præceperitis reuersurus. Sed quia neminem cognatorum vidit adhuc, eos si placet vestra licentia visitabit antequam redeat. Ego autem famulum inueni, & facienda præscribo. Ad hæc precor, vt Thomam nostrum, qui diu vobiscum, & pro vobis laborauit, sicut ego conscius sum, commendatum habeatis, vt tam ipse quàm alij Anglici, dum honestas permiserit, preces meas sibi sentiant profuisse. Iacobum quoque aliquo, si fieri potest, releuetis solatio. Pro ipso enim spondeo confidenter, quia claustrum seruat inuitus, & sicut ipse mihi scripsit, sic credit: bis qui se obedientias contemnere gloriantur, sicut lupus adquiescit.

N. Epist. LXXXVI.

RAtio humanitatis exigit, vt veritatis amator testimonium perhibeat veritati, præsertim vbi veritas periclitatur. Inde est quod causam latoris præsentium, quatenus in auditorio nostro ventilata est, prout series eius in scriniis nostris diligentius inquisita potuit inueniri, transferre curauimus ad notitiam vestram, qui eam ex mandato felicis memoriæ Eugenij Papæ, iam dictum H. de Hameledona ab omni obligatione, quæ ab eo extorta fuerat, ex qua nempe fratri vestro Vvintoniensi Episcopo teneri videbatur, absoluimus. Vt ergo absolutionis huius ratio discretioni vestræ lucidius innotescat, litteras Apostolicas vobis exscribi præcipimus. Sic itaque scriptum est Domino Vvioton. pro H. Clerico de Hameledona. Iuxta Osberti Clerici tui suggestionem fraternitati tuæ nos scripsisse meminimus, postmodum vero idem Osbertus in præsentia nostra super mendacio & falsa suggestione sua confutatus atque conuictus extitit, quoniam prædictus H. neque cum amicis, neque cum rapina iouentus & captus fuit. Quocirca licet sicut homines decipi quandoque possumus, tamen vt occasione litterarum nostrarum Henricus ipse iniustè tractetur, & condemnetur, nec volumus, nec pati debemus. Ideoque per præsentia tibi scripta mandamus atque præcipimus, quod in omni occasione & dilatione remota, eiusdem H. restitutis omnibus quæcumque, si per te forte ablata sunt, omnino absoluas, & liberum abire permittas. Quod si effectui mancipare neglexeris, neglectum tuum non poterimus tolerare impunitum. Ad nos autem sic idem Pontifex scripsit, sicut ex transcripto litterarum nostrarum cognoscere poteritis, venerabili fratri nostro H. Vvintoniensi

A Episcopo per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus H. de Hameledona omnino absoluat liberumque abire permittat. Quod si effectui mancipare neglexerit, præsenti authoritate mandamus quod eundem fratrem nostrum ad absolutionem & liberationem ipsius Henrici, dic...vice nostra constringas. Nos ergo mandato Apostolico, vt oportuit, prompta deuotione patentes, procurauimus, vt sæpedictus Henricus & ab extorta obligatione absolutus & custodia qua tentus fuerat, liber esset, & præfato fratri nostro Vuinton. secundum formam Apostolicæ præceptionis iniunximus, vt ei ablata omnia cum integritate restituere non differret. Hæc apud nos gesta sunt. Vos qui mandatum suscepistis, authore Domino reliqua salubriter disponetis.

EPIST. LXXXVII.

B

Papæ Alexandro.

CAusam quæ inter Rog. Presbyterum de Guiga, & Abbatissam de Berchig. in auditorio venerabilis fratris nostri Lond. Episcopi diutius ventilata est, cum eo diffinitiuæ sententiæ calculus immineret, Abbatissa quæ conueniebatur super illicita vsurpatione quorumdam parrochianorum, & decimarum ad Ecclesiam de Guiga vt dicebatur, pertinentium, ad nostram audientiam appellauit. Post multas itaque dilationes quas variis occasionibus Abbatissa obtinuerat, peremptoria die præfixa partibus, cum pars aduersa sufficienter instructa testibus suam vellet fundare intentionem, territa metu vano, & imprudenti seducta consilio, appellatione nostrum declinauit examen. Nos autem sedi Apostolicæ vt oportuit deferentes, nos ipsos exinde è decisione & cognitione suspendimus, donec à Sede vestra causæ huic iudicium prodeat, aut iudicandi authoritas cui placuerit delegetur. Interim de medio sublatus est piæ C memoriæ decessor vester Dominus Adrianus, & dum Saluator fidelium precibus excitetur, inualescente schismatis turbine, & emergente collusione tegnorum, tam Deus permisit turbari Ecclesiam, & velut interiecto in fidelium obice, quem Deus dissipet, chaos quodammodo inter vos & nos firmatum est, vt sine magno periculo non posset quis ab aliis ad alios pertransire. Elapsum est ergo tempus, quo appellationem suam ex promisso prosequi debuerat appellans: Ita quidem, vt tam auctor quam reus ab executione causæ videatur omnino destitisse, deinde fere circa sequentis anni initium, iamdictus Rog. ad nos cum litteris Domini Regis accedens, appellationi quam fecerat, renontiauit, & pro reuerentia regij mandati petiit sibi iustitiam exhiberi. Itaque demum post vnam & alteram appellationem tertio edicto peremptorio citata est Abbatissa, quæ missis procuratoribus suam conata est absentiam excusare: insufficientes tamen causas, vt videbatur, prætendens, vnde quia prohibita, dilationem vlterius obtinere non potuit, ad ve- D stram audientiam appellauit, diem præfigens Dominicam, qua cantabitur, *Quasi modo geniti*, dicens se ab aduersario diutius iniuste vexatam, & ei nihil iuris competere in iis quæ moliebatur per calumniam extorqueri, & se aduersus eum longissimi temporis præscriptione innixam.

EPIST. LXXXVIII.

Papæ Alexandro.

MAlignantium excessus ij potissimum sufficiunt coercere, quibus merita partium familiarius innotescunt; & qui contingendi potestatem à Domino acceperunt. Vnde & vos controuersiam, quæ inter Rog. & Pag. vertitur, commodius decidetis, cum apud vos veritas latere non possit; & inter eos necessitate officij iuris dicendi debitum discretioni & fidei vestræ immineat. Quod enim fori vestri controuersiæ ad nos manant, E nota defectus, aut dissimulationis est. nec tam authoritatis aut prudentiæ quisquam credat esse defectum: nam vtrumque contulit tibi Dominus dare operam; ne iustitiæ implendæ voluntas merito desse videatur. Quod si dissimulatis, æque vestro insistitis nostroque dispendio, cum & nobis labor accrescat, & vobis quod non expedit, conceptæ virtutis opinio minuatur. Vobis enim debemus, vt cum amico liberius loquar, quod nos C. D. Vuardus & Helitias diutius vexauerunt, & vt verbis vestris vobis respondeam, quod mihi de præfatis præscripsistis, de R. & P. rescribo, respondeat scilicet vtrique iustitia sua. Quod si aliter in manifesto diuinæ inobedientiæ & alterius sceleris deprehendatur, pœna manifesta puniatur, vt cæteri metum habeant, & recolant, quare vigor iudiciarios sit in medio constitutus. Nouit & prudentia vestra quædam tanta rerum luce clarescere, vt ventilatione non egeant, sed pœna duntaxat aut præmio.

F

EPIST. LXXXIX.

Papæ Alexan

ASsertiones partium fideli debemus prosequi testimonio, cum causæ recedentes à nobis ad Apostolicam euolant Maiestatem. Inde est quod setiem controuersiæ quæ inter Richardum de Anestia & Mabilam de Francheuilla diutius in auditorio nostro ventilata est, ad notitiam vestram transferre curamus, prout emergentes articuli colligi potuerunt. Cum itaque iam dictus Richardus cognatus Vuillelmi de Sacauilla & nepos, sicut sororis filium vulgus nepotem dicere consueuit, petitionem hæreditatis ad bona auunculi obtinenda instituerit, memorata Mabila filia Vuillelmi se illi in foro secularium iudicum, vbi res agitabatur, opposuit, asserens filiam nepoti in paterna hæreditate præferendam. G Richardus vero ei nihil iuris hæreditarij competere respondit eo quod non esset ex legitimo suscepta matrimonio, sed adulterino procreata complexu. Cum itaque matrimonij quæstio verteretur, quod de Ecclesiis Ecclesiasticis infirmatur aut conualescit, decreuit curia Catholici principis serenissimi Regis Anglorum Henrici secundi, vt ad examen Ecclesiasticum causa rediret, vbi de iure Canonum quos Cletus nouit, vulgus ignorat, quæstio matrimonij finem debitum sortiretur. Partibus quoque diem ex Regio mandato præfiximus, & tandem post dilationes quas Mabila ex variis causis obtinuit, petitionem suam Richardus instaurauit. Vt autem liquidius causam suam astrueret, & aduersariam spuriam esse doceret, auunculum suum Vuillelmum cum quadam Abbenda de Tref. Gord. matrimonium contraxisse asseruit, & exinde illa contra fidem coniugij derelicta, duxisse Adeletiam filiam Aufridi Vicecomitis, & ex ea Mabilam & alios liberos legitimos suscepisse H asserebat: quod cum Vuillelmus Adeletiam superduxisset, Abbenda, quam præduxerat, in ipsis nuptiis pro se ius fœderis coniugalis protestata est, authoritate Ecclesiastica inhibens ne superdicta in mariti sui illicitos transiret amplexus. Præterea cum ibi pæ turba, & mariti sui peruersitate non posset audiri, ad Dom. Vuinton. tum Apostolicæ sedis Legatum accessit, sed sicut idem suis litteris testabatur, tandem post sententiam eius obtinuit, vt ei relicta adultera maritus suus restitueretur. Ipsum quoque iudicium Episcopo Vuintoniensis authoritate Sedis Apostolicæ dicebat roboratum, quoniam eam iam dictus Episcopus: dum cum controuersaretur, consultauerat, scriptum concilio à Domino Innocentio decessore vestro, vt aiebant, receperat, in hæc verba. Nos enim originales nunquam, sed Domini Vuintoniensis litteras super hoc duntaxat accepimus. Super eo quod interrogastis de Sacramento coniugij breuiter respondeo, illam quam dixisti à patre coniugem traditam, & ab eo cui tradita fuerat rursum patri commendatam,

A donec statuta die in suam ille domum traduceret, dico quia legitimo consensu interueniente ex eo statim coniux fuit, quia spontanea pactione sese coniugem esse consensit. Non enim futurum promittebatur, sed præsens firmabatur. Quapropter quicquid postea cum alia factū est, siue in coitu siue in generatione prolis, tanto reprehensibilius est secundum, quanto verius primū. Constante enim primo, quanto amplius in secundo committitur, tanto magis culpa augetur. Vnde cum ex Apostolico scripto fuerit diuortium celebratum, nec elapso decennio, aut amplius sit aliquo iuris remedio sententia attentata, illud esse matrimonium habendum quod Legatus conciliauit, & adulterinum esse complexum, quem Sedes Apostolica condemnauit. Ad hæc, iam non esse in quæstione verum illorum matrimonium fuerit, cum hoc liqueat ex re iudicata, ex diuortio celebrato, ex eo quod vsque ad dies vitæ nouissimos relicta adul-

B tera priori cohæsit vxori. In omnibus autem articulis sibi copiam testium esse dicebat, vt nec de matrimonio prius contracto, nec de interpellatione sequentis contubernij, nec de diuortio canonice celebrato quisquam possit ambigere. Et quidem cum pro se plurima allegaret, maxime rei iudicatæ insistebat articulo, & sententiæ, quam in Synodo Lond. vbi diuortium celebratum, aduersus matrem Mabilæ à Domino Vvitoniensi tunc Legato, & Lond. Ecclesiæ Vicario latam esse dicebat. Produxit enim testes quos eisdem Synodo & diuortio interfuisse asseruit. Quia ergo liberi qui ex damnato & illicito coitu, seu ex effusa concupiscentia geniti sunt ab omnis prorsus hæreditatis beneficio excluduntur, eosque nec iura ciuilia, nec leges agnoscunt, Canonumque adeo improbat vigor, vt nec alimenta decernat, sed quodammodo viri quod illa subtrahit, adquiescat, ipsam tanquam paterni criminis argumentum, à totius hæreditatis spe contendebat esse arcendam. Ad hæc M. ad cognati sui calumniam depellendam parentes suos Vvillelmum, Adelitiam legitime coniunctos asserebat,

C & nuptias non clandestinas, sed solemnes in facie Ecclesiæ contraxisse. Non multum tamen inficiabatur, quando pater suus Vvillelmus, pactum sponsalitiorum de Albreda ducenda, cum pater ipsius antequam duceret Adeliciam Mabilæ matrem, inierit, sed illud vsque ad matrimonium peruenisse negabat, sed quia in contrahendo & distrahendo liberum esse debet de consensu partium pactum sponsalitiorum, vtrumque duxit esse remissum, quod ex eo probare nitebatur, quod testes apparebant parati probare, patri Albredæ pecuniam, quam Vvillelmus ab eo receperat esse refusam: adjiciebat & Albredam, & patrem eius omnem obligationem, quæ intercesserat, ex causa matrimonij, vt sperabatur, copolandi, remisisse Vvillelmo & patri eius, eo quod nuptiarum Vvillelmi & Adeliciæ, pater Albredæ communis fuerit, & matrimonij huius promptissimus approbator. Sponsam vero non esse coniugem, tam leges Principum, quam decreta Pontificum ostendunt, cum desponsata puella possit Monasterium præeligere, viro

D dissentiente, sicut Eusebius author est: & leges teste Gregorio nullam infligunt pœnam sponsæ, si ad collegium euolauerit puellare. Præterea coniugium non esse perfectum, quod non confirmat & perficit commixtio corporalis, licet à prima desponsationis fide initium sortiatur. Si ergo initiatis perfecta præiudicant, omnino iniquum est vt sponsalitiorum pactio vero dicatur præiudicasse coniugio. Nam & Vvaristus Papa, cum formam matrimonij contrahendi, & sacrum ritum, qui in Ecclesia est, permiserit nuptiarum, ita subjicens. Ità peracta legitima scitote esse connubia, aliter vero præsumpta, non coniugia, sed adulteria, & stupra, & contubernia, aut fornicationes potius quam legitima coniugia esse, non dubitatur, nisi voluntas propria suffragata fuerit. At Vvillelmus dissoluto pacto priore, sicut licet, licitas contraxit nuptias, nec vnquam consensum adhibuit vt ab illa diuerteret cui fuerat legitime copulatus. Diuortium vero quod pars aduersa objicit, aut omnino non fuisse: aut non recte fuisse celebratum. Si-

E quidem cum iustitia defuncto Rege pacis amatore à Regni finibus exularet, & inualescente furore nouis * tradentium omnes prouocarentur, Ad. omnino matrem suam Adelitiam vllo iure à coniuge separatam asseruit, sed violenter à domo mariti exclusam & eiectam, & hoc machinatione Gaufridi Lond. Archid. qui accepto pretio eam indefensam, inauditam, sed & inde citatam studuit condemnare, fretus authoritate Domini Vvinton. qui vt ipse asserit, per sordes corruptus erat, nondum legationis officio fungebatur. Hoc autem ea ratione nitebatur ostendere, quod Adelitia sanctum virum Albericum Apostolicæ sedis in Anglia legatum, cum à marito excluderetur, adiit, petens sibi super iniuria à marito & Archid. illata iustitiam exhiberi, cum ex ratione temporum constet, quod Dominus Vvintoniensis primum legationis officium nactus sit post exitum à nobis iam dicti Episcopi Hostiensis. Exinde vero cum iam dictus Vvinton. in Synodo Lond. vt Sedis va-

F cantis impleret officium, præsideret, sæpedicta Adelitia palam prolato Legati mandato, quod obtinuerat, petiit super his quibus ab Archid. & à marito iniuriata fuerat, iustitiæ supplementum, licet iniquitatis & acceptarum sordium pondus sic iudicantis animum depressisset, vt nec Domino, nec Legato mandante posset erigi ad iustitiam exhibendam. Matrimonium vero prius inter Vvillelmum & Albredam V I. ex eo non contractum esse constabat, quod tunc primum inter eos, sponsalitiorum solemnitas in Ecclesia, & nuptiarum ritus in populi audientia solemniter celebratus est, quando per fraudem iam dicti Archidiaconi & Episcopi Vvintoniensis, vxor à marito projecta est, & huius quidem rei testes præsentialiter apparebant. Fuit ergo, vt dicebat, aut de facto, aut de iure nulla sententia, qua absens condemnata est, non contumax, sed indecitata, cum constet sententiam nihil habere fortitudinis, quæ contra solemnem ordinem iudiciorum lata est. Replicabat & multa de priuilegio personarum & ignorantia iuris cum parentibus

G aut propter militiæ cingulum, aut sexus infirmitatem liceret ignorare, illud habere vim coniugij quod coniugij præcedit initium, quod ex authoritate legum & Canonum, non ad matrimonij nexum conualuit, quod prisca consuetudo apud nos hactenus in consummatione matrimonij non agnouit: patrem quoque, dum ageret in extremis, sic Gillebertus venerabilis Abbas Tolecestriæ litteris suis, non signatis tamen, sed testibus munitis, & alij Religiosi qui affuerant, testabantur, palam pœnituisse dicebatur, quod fraudulentiæ iamdicti Archidiaconi in ejicienda vxore adquieuerat. Sed quicquid inter parentes actum fuerit, sibi aut liberis non debere obesse asserebat, eo quod Archid. aut Episcopus Vvinton. nihil contra liberos pronuntiassent, sed hoc quoties conueniebantur expresserint, sicut plures testabantur, se nihil pronuntiasse aduersus liberos illius matrimonij, quod tamen infirmare moliebantur. Vnde vt asserebat illustris Blesensium Comes Theobaldus, Princeps quidem iustitiæ amator, & iuris Cismontani peri-

H tissimus, ad quem Episcopus Vvintoniensis liberorum causam transmiserat, eo quod ad ipsum res ista iure feudi pertinebat, accitis potioribus Episcopis Galliæ, consilio eorum aliorumque sapientum, causa cognita, patre defuncto, eos legitimos agnouit hæredes, eisque obesse non debere censuit, quicquid in fraudem eorum dolus artifex procurauit. In his autem omnibus se dicebat copia testium abundare, eosque in plurimis producebat articulis, sed Richardus rei iudicatæ, ab articulo illo auelli non poterat, quin oporteat tenere sententiam quæ non modo elapsis decem legum diebus, sed toto vicennio iuris nullo remedio attentata est. Producebat & testes quibus nitebatur ostendere, se ab auunculo suo Vvilhelmo institutum hæredem, & alios tanquam spurios abdicatos. Sed nec priuilegium obesse personarum dicebat, cum factum proprium nulli liceat ignorare. Licet enim Vvilhelmus pater Mabilæ miles fuerit, tamen non debuit ignorare quid egerit cum Albredam receperit, non spe quidem futuri, sed præsentis contractu

coniugij,

coniugij, cum Matrimonium consensus efficiat: quicquid in iniuriam legitimi præcedentis consensus præsumptum est, nexum inseparabilem prioris matrimonij non dissoluit. Quod si carnale commercium, & ex eo concepta soboles exinde contra fidem coniugij processerunt, non ex eo inficitur primum, sed sequentis contubernij reatus arguitur. Patet ergo, quicquid egerit, aut sciuit, aut scire debuit, sed nec liberis eius prodesse debet, si ex priuilegio militari sibi licitum esse crediderit, vt recte agentium fidei impune illuderet: forte si materna peteretur hæreditas; liberis prospici poterat in hac parte, eo quod mater poterat in contrahendo coniugio sinistram conscientiam non habere. At quia de paterna successione agitur, patris fallacia nequaquam liberis suffragatur, parcit interdum mansuetudo legum his, ab ignorantia conuictis, qui ratione cognationis ab inuicem separantur, liberosque eorum ab infamia, & hæreditatis damno liberat, quos Ecclesiæ per ignorantiam detentæ coniungit authoritas. Sed in eos rigor legum & Canonum exercetur, qui incestuose, aut illicite coeunt, scienter iure diuino & humano pariter prohibente. Contra hæc pars Mabilæ multa proposuit in suffragium rituum & legum, multis vtebatur exemplis dicens, impossibile, aut difficillimum, vt liberi Regis Francorum, aliorumque quos nominabat, exhæredarentur, ob hoc quod inter parentes eorum sit diuortium celebratum: nec tamen inter parentes suos diuortium legitime celebratum pars Mabilæ fatebatur, iura quoque dicebat proniora ad absolutionem, præsertim innocentium, quos iniquum est alieno delicto condemnari: Separationem vero in Synodo Lond. à Domino Vvintoniensi non factam eo nitebatur ostendere, quod antequam Synodus illa, quam solam iam dictus Episcopus Londoniæ conuocauit, celebraretur, Adeliciam, sicut multi præsentes testabantur, sæpedictus Archidiaconus inauditam & indefensam in Capitulo Colecest, nullo præcedente iudicio præceperat amoueri, & quod grauius, vxorem totius huius quæstionis ignaram à domo mariti præsens eiecit. Cum autem in iam dicta Synodo Londoniæ memoratum Vvintoniensem Adelicia conuenisset, non hoc quidem egit, nisi vt illatam sibi ab Archidiacono deploraret iniuriam, & iuxta mandatum quod Dominus Albericus Legatus Vvintoniensis fecerat, iustitiam consequeretur. Nullum autem aliud verbum, sicut probare nitebatur, ibi habitum est cum ipsa nisi querelam suam apud Iudicem surdum deposuit. Querebatur enim quod idem Vvinton. ad dispendium eius, consilium Domini Innocentij trahere disponebat, cum in supradictis litteris Domini Innocentij nihil de parentibus eius expressum fuerit, sed nescio de quibus male coniunctis parentes enim eius nequaquam sic conuenerant: sicut eos conuenisse sæpedictus Episcopus Domino Papæ suggessit. Et falsæ suggestionis culpa, & alieni mendacij crimen obesse non debet. In summa sicut Richardus præcipue insistebat, institutioni auunculi petitionem hæreditatis instituens, & ad damnatum, vt dicebat, adulterium conuincendum sententiæ Vvinton. Episcopi, Sic & contra Mabila maxime patris nouissimæ voluntati innitebantur, & iudicio Comitis Theobaldi. Nam vtrumque docere testibus promittebat: adhæc si non vsquequaque pars aberraret authoris, sibi diuturnitate temporis & Iuris ignorantia, numero liberorum, & authoritate Ecclesiæ, quæ matrimonium illud coniunxerat, subueniendum esse protestabatur. Nam in causa duriori Diuus Marcus & Lucius benignius responderunt, ita Flauiæ Tertullæ per mensorem libertum rescribentes. *Monemur & temporis diuturnitate quo ignorantia iuris in matrimonio auunculi tui fuisti, & quo ab auia collocata es, & numero liberorum. Idcircoque cum hæc omnia in vnum concurrant confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæsitorum, quod ante annos XL. conciliatum est, proinde atque si legitime concepti essent.* Si enim tanta est clementia sæcularium Principum, vt fauore liberorum, etiam incestui parcant, quænam erit audacia Christianorum Pontificum, vt eos, quos Ecclesiæ sinus legitime conceptos edidit inaudita temeritate condemnent? Cum itaque hæc hinc inde proponerentur, & ad probationes partium producendas, tandem fere in fine biennij, dies peremptorios eis præfixus esset, post dilationes, quas partes emeruerant, ita tamen frequentius, vtpote quæ interueniente puerperio aliaue infirmitate, aut ex iusta, vt dicebat, mariti absentia se excusabat, & ipsa missis excusatoribus, suam ab infirmitate absentiam excusaret, Richardus ad vestram audientiam appellauit, præfigens Dominicam qua cantabitur, *Lætare Ierusalem*, in eo se grauatum asserens quod dilationibus iam fere biennio vexatus erat, & tergiuersatione mulieris delusus ne iustitiam consequi posset.

EPIST. XC.

Magistro B. Ansidiamo Exoniensi.

SAlutem & gratiam Spiritus qui ad bonum vniuersa disponit. Dominus tecum sit, delectissime amicorum, te in soliditate virtutum stabiliat, vt nequaquam arundinea leuitate frangaris, nec omni eiusdem leuitate agiteris, adamas fortis, & potens est Dominus exercituum idemque suauiter disponens omnia, & eos qui ad dispositionem eius reluctantur, potenter conterit sub pedibus suis. Vtique quod statuit de te, sine te deliberat ipse, & in actibus Apostolorum ex sententia Gamalielis arbitrio Domini commissa est nascens Ecclesia, nutu cuius omnia infirmantur aut conualescunt. Noli pusillanimis esse in illo quoniam, corpori paruulorum dictum est, *iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Siquidem adulti iam non nutricis alimento, sed conseruationis egent præsidio. Ergo desiderium sit oratio tua, vt non modo de te, sed etiam à te voluntas Domini impleatur. Quod si ipse pro nobis, quis contra nos? Nec erit irritum verbum eius, etsi plerumque ad gloriam disponentis malis repugnantibus, * implentur. Steterunt contra eum ab initio viri fortes, potentes, habentes prudentiam huius sæculi, & gratiæ collocatione famosi, scientes bellum, sed præcipitauit eos Dominus, & diuisit linguas eorum, quoniam vidit ab iniquitate manare maledictionem in ciuitate, quæ præfigurabat Ecclesiam. Non itaque verearis, si sit in parte aduersa Domini, cui te militare confido, os Lampadis, quoniam in parte orientis ex alto æternitatis consilio, sermo lucidior, copiosior, & efficacior est. Nec mouearis, si gratiam Domini aliquando vmbratilis impugnet gratia, quoniam illa, quæ quærit quæ sua sunt, euanescet. Licet enim exultet ad horam in lumine alieno, deficiet plane, & obscurabitur, cum iustitia in iudicium conuertetur. Quod si quis de solo nititur Vlpiano, imo de opinione Vlpiani Domino propitio eruditur, nec de spiritu proprio, nequam sit aduersus eum, qui superbos humiliat, & exaltat humiles. Singuli pro suo loquuntur arbitrio, sed penes vnum est general. & necess. interpretatio legum & canonum totius diuini & humani iuris, & omnium quæ statuta sunt ab initio. Ipsum inuoco testem, quem velim nolim habiturus sum iudicem, quia ex animi mei conscientia, tu nec actor huius verbi fuisti, nec procurator, immo nec conscius, & vt vocationi diuinæ securius adquiescas, siue Archiepiscopus pro verbo hoc Domino Regi scripserit, siue non scripserit, scio quia ille litteras huius non suscepit. Sollicitabatur quidem pro filio Hardingi, qui vtinam vir Episcopalis esset, sed nec Simone impellente: nec inducentibus * Gregitis potuit inclinari, vt in alieno compendio dispendium faceret animæ suæ. Sic repulsam passus est filius H. modo quam dicendo potius quam scribendo. Ita tamen vt alterius ei beneficij spes relinqueretur incolumis, sed siue tu epuleris, siue non, moriaris, aut viuas, ille nunquam rege nostro authore erit Episcopus. Profecto, vt creditur, sine Domino, quia semper nisus est contra Dominum, & pro viribus suis, aut suorum, omnes turbauit Ecclesias. Consulit me Ma-

A gister. Vv. Archid per Bosonem socium suum, & dispositioni diuinæ, adhibitis sociis, quos poterit, sedulus adquiescet. Sic & R. de Litnesheia, sane si electionem tuam, quod tamen authore Domino non poterunt, aliquo modo possent æmuli impedire. nihil eorum quæ volent, facerent, sed iam prouisus est qui ceruicosis imponeretur, & quæ ferre non possent. Verbum autem quod de te motum est, Ecclesiæ Romanæ, Domino Regi, Metropolitano, Coepiscopis; sed & omnibus qui illud audierunt, placet, exceptis his quos aut ambitio, aut auaritia, aut inuidia, aut immundicia excitauit. Quod si forte apparuerint in conspectu bonorum, in sua malitia persistentes, confundet eos Deus, ne ipse dispositione frustrata confundatur ab eis. Silueram quidem, & dissimulaueram gaudium meum, quia te, si fieri posset, vellem ignarum vocari à Domino. Nunc autem quia ei aliter visum est, & puerum suum Batchal. consilij sui per multa iudicia conscium fecerunt, consulo

B quod consulueram ante, sed ne præuenias inuitaturum, ne despicias inuitantem. Si dixerit, ascende superius, obtempera iubenti. Sin autem, dum ei placuerit permane in ea vocatione in qua vocatus es. Nam iubenti descendere obtemperabis. Vnum est quod ad redimendum fauorem, si deest, consulo, sed te facias, non tamen simules meliorem. Quod si virtutis odio displices, non multi facias placere, quibus ipsa displicet, nisi facias vt ipsa complaceat Opportune tamen omnia, memor eius, qui vt omnes lucri faceret, omnibus omnia factus est. Non est enim à præcipiti abrupto initianda correctio: dehortari autem ne aliqua ex causa promotionis tuæ pactionem ineas superfluam. Scio quoniam mihi notus est, nec de Archidiaconatu in filium Hardingi conferendo, movearis, quoniam rumor vanus est; qui multos plerumque sollicitat: Si quidem antequam Episcopus sis, nullius authoritate alij dabitur: cum Episcopus fueris, tum erit ipsum dare cui volueris. Preces forte interim, aut postea audies, sed vt exaudias, ex

C tuo, non ex alieno procedet arbitrio. Quod si trepidaueris vbi non est timor, increpabit te is cuius, authore Domino, minister futurus es, quibus increpatus est verbis, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* In summa consilium tuum ex magna parte in Domino Archiepiscopo est, cui Deus dedit iam aliquantulum conualescere, vt tibi possit consulere. Sine eo super hoc nihil facies, quicquid faciebant filij Belial, tu & filij pacis ad diem vocationis, sicut vobis præscriptum est, venietis. Veniant autem cum cæteris, aut præ cæteris magister B. filius Reinfredi peccator, * frat. meus, & quicunque nostrorum sunt, immo Domini. Prior quoque Plinton. & Abbas Trinstoch, si tamen sapiunt pacem. Et tu si potes sine turpitudine conscientiæ & famæ declinare indignationem æmulorum, id facias. Nam quæ cura de mobilibus ego te non curo, nisi præcipue mores curaueris. Valere cum fratribus meis, & aliis, de quibus optare debemus vt valeant Hoc tibi impertiuntur domestici nostri quos valere desideras.

D

N. Epist. XCI.

GRatias quantas possum refero sublimitati & fidei vestræ, quæ me per terrarum & maris spatia dignata est scripti sui solatio recreare. Fortunæ quidem sæuitiam dum in vtrumque nostrum sæuiebat vehementer exhorrui, sed ex quo spiritus eius, vobis reddita quiete detumuit, auram mihi, & si non sentire, vel certe authore Domino, & vestra faciente industria, prospicere videor mitiorem. Quod si exigentibus peccatis meis, spem meam, quod absit, falli contigerit, forti & læto animo per misericordiam Domini corpus meum flagello dispensationis diuinæ subjiciam, certus quod nulla nocebit aduersitas, si iniquitatis iugo colla subtraxero. Porro mentis meæ angustias serenat testimonium conscientiæ innocentis, quæ illius solius veretur iudicium, ante cuius tribunal conuenient in breui diues & pauper, & cogentur omnes filij hominum pro se reddere

E rationem. Cæterum innocentiam meam quid attinet excusare, cum eam sanctitas vestra plenius & planius nouerit? Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Bis exulat, qui domi exulat, & peregrinantes interdum, gratia præordinatæ felicitatis non deserit.

Epist. XCII.

Monachis de N.

OMnem animam potestatibus superioribus subjicit, Spiritus S. per Apostolum suum emissa præcepto, cui quisquis resistit, diuinæ dispositioni conuincitur contraire. Virtus siquidem obedientiæ est, qua diuinis humana, terrena cœlestibus sociantur. Cuius contemptores, quantum in se est, scindunt Ecclesiæ vnitatem, & dirumpunt compagem spiritus, quæ consistit in vinculo pacis. Vnde de vestra fraternitate, quæ per misericordiam Dei, arctioris vitæ professa est regulam, & eminentissimæ Religionis assecuta est gradum; satis admirari non possumus, quod mandatum Domini F Papæ & nostrum hactenus contempsistis. Cum enim vos ex mandato Apostolico sæpius, vt oportuit, & forte sæpius quam oportuerit paterna diligentia commonuissemus, quatenus Decimas Roff. Ecclesiæ Paridi Archid. vt iustitia exigit restitueretis, iteratis præceptis non modo non profecimus, sed nec subiectionis, aut alicuius humilitatis verbi aut operis testimonio, nobis apparuere vestigia. Quia ergo licet nostram æquanimiter interdum portare possimus iniuriam, contemptum Domini Papæ dissimulare non possumus, nec debemus vobis præcipiendo mandamus, ut omni occasione & dilatione remota, præfatas decimas memorato Archidiacono, iuxta mandatum Apostolicum restituatis, à diuinis secundum statuta Patrum, abstinentes, donec Domini Papæ mandatum, & nostrum impleueritis: Ecclesiam quoque nullus vestrum præsumat ingredi, dum crimine inobedientiæ, scelus * ariolandi & idololatriæ G perpetretis.

Epist. XCIII.

Episcopo Norvvicensi.

DIlecti filij nostri R. de Dractona, & A. frater eius, sua nobis quæstione flebiliter suggesserunt, quod in iniuriam sacrorum Canonum & nostram à filio nostro R. Archidiacono Norvuic. iniuste tractati sunt, nec eis potuerit apud eundem Archid. interposita appellatio suffragari. Adjiciunt etiam, quod postquam fuerat ad nos appellatum fraternitas vestra sub regiæ iussionis obtentu quadam imagine iudicij iamdictum A. aduocationis Ecclesiæ S. Andreæ de Rung. conata sit spoliare, vt in R. extraneum transferrent, vnde & idem R. ausu sacrilego, nisi * sententiæ sibi, sed patrocinante R. Archid. prædictam Ecclesiam memorato Richardo qui eam iudicio nostro, & fratrum qui aderant, legitime possidebat, præscripsit auferri. Super his autem quia H testibus & instrumentis nobis fidem facere parati erant non potuimus non moueri. Veruntamen, vt merita totius causæ partium assertione plenius agnoscamus, terminum quem vestra dilectio postulauit, partibus duximus indulgendum, omnibus tamen in irritum deuocatis, quæ post appellationem præsumpta sunt. Licet enim interdum propriæ personæ æquanimiter iniurias supportemus, iniuriam tamen sanctæ Cantuar. Ecclesiæ, & contemptum Sedis Apostolicæ, cuius vice fungimur, dissimulare non possumus, nec debemus. Huiusmodi ergo authoritate sæpe fatum Archidiaconum Dominica, qua cantabitur, *Cantate Domino*, nostro conspectui apparere iubeatis, prænominatis fratribus R. & A. super damnis & iniuriis responsurum; & inobedientia, & contemptu Domini Papæ & nostro, & participatione sacrilegij, R. quoque de Pauh. generum Archid. ad Sedem Apostolicam excom-

A municatum transmittatis, eo quod instinctu Diaboli Presbyterum interfecit. Nouerit autem Archid. quid eum consequatur, si prædicto sacrilego communicare ausus est, dum à participatione eius Ecclesia abstinet. Præcipimus vt Ecclesiam de Reg. cum ablatorum integritate prænominato R. restitui faciatis. Quod si Rad. extraneus nostris & vestris mandatis obedire contempserit in eum seueritatem ecclesiasticæ disciplinæ exercere non differatis. Si autem aduersus Richardum aliquid iuris sibi competere crediderit, illud media æquitate vbi iustum fuerit, postmodum poterit obtinere.

Epist. XCIV.

Magistro Gaufrido.

Amicu & cognatu suu magistru Gaufrido suos Ioannes Sar. salutem, & si quid ea iucundius. Cum sæ-
B pe, rarius tamen quam vellem, litteras vestras receperim, nullarum gratior fuit aduentus, quam illarum quæ mihi sub Dominicæ eruditionis authoritate necessitatem veritatis induxerunt. Gaudeo namque quod de thesauro scientiæ vestræ nunc tandem probitatis exemplum, quod vobis reseruabatis, & mihi communicatum est. Potero quidē his & similibus animari ad fortia, & Dominu prouchente, ad altiora conscendere, si mihi propitiationis suæ manum porrexerit, qui illorum dumtaxat operum finem illustrat, quorum se meminit esse principium. Et licet illius nostri, quisquis fuerit, si iocunda memoria, & sententia probabilis videatur, est tamen, vt arbitror, vnde mærori suo poterit quis exhibere solatium. Magnum equidem est honorum fascibus illustrari, sed procul dubio maius est eosdem virtutum titulis promereri: Vnde qui virtutis assequutus est præmium, etsi rerum opulentia & fastus non accedat honoris, collato tamen bono debet esse contentus: nisi impatientis conscientiæ stimulo, quasi iniuria murmurauerit, vitio ingratitudinis,
C hoc ipso quod habere visus est se fecisse videatur indignum, Et vtinam si studiorum præmium non assequimur, saltem non destituamur & merito. Non tamen hæc idcirco propono, quod à senis nostri eruditione recedam, cui, Domino faciente, tota vigilantia mentis & corporis obtemperandum esse decreui: quod pusillanimitatem spiritus veremini, & timorem timetis suspicionum, prudenter quidem facitis & amice. Non enim Pompeio, aut eo qui ipsum vicit maior, aut Augusto prudentior, Cicerone aut Curione disertior sum, quibus quantum suspicionis aura nocuerit, vos historiarum series tota perdocuit. Taceo quod toties victorem Machabeum ante fregerit pusillanimitas, quam Gentium fortitudo, vt constat, quod illorum impetum à me sustinere non potero, nisi me interim foueat, qui protegit hominem à pusillanimitate spiritus & tempestate: in illius autem virtute non timebo, quid exterius ingerat homo, aut interius murmuret caro. Cæterum equus qamlibet velox cessante stimulo fit tardior, vt ait quidam, corrumpunt
D ocia mentem, & capiunt vitium ni moueantur aquæ: sicut & mens mea, quæ suo vitio, ne dicam natura hebes est, innatam ignauiam non deponet, si non crebrius exhortationum aculeis excitetur. Erit ergo industriæ vestræ frequentius somnulentiæ meæ torporem excutere, vt quem ad bene agendum non propria saltem virtus, accendat aliena: in eo vero maxime veræ amicitiæ fide agnoscam, si me, sicut reddideritis mihi vt vitiis non parcatur, & vt de cætero necentur, cautius statuatis ea contra faciem meam, ne in eo deterius displiceam semper aliis, in quo mihi quoque non nunquam displicere.

Epist. XCV. E

Iosselino Episcopo Saresberiensi.

FRatres Hospital. nouo quodam & inaudito humanitatis titulo, vt priuatas faciant eleemosynas, calumnias ingerunt manifestas, rapiunt vt distribuant, de alieno placant Altissimum, & in contumeliam Apostolorum ligandi & soluendi vsurpant officium, vsurpant claues Ecclesiæ, liberalitate Pontificum abutentes, Ecclesias, quas semel occupauerint, Episcoporum subtrahunt potestati, quorum tuentur potestate, & autoritate, si aliquem prouincialium conuenire voluerint. Si vero conueniantur ab alio, Pontificalis autoritas euanescit, cum asserant se forum non habere nisi Romanum, vel Hierosolymitanum. Vnde sublimitati vestræ consulendum & supplicandum decreui, ne malitiæ eo-
F rum, quam exercent, aduersus latorem præsentium, Clericum & Sacerdotem vestram magis lædere videantur Ecclesiam, quam istius personam. Omnem enim Ecclesiam quam eis concesseritis, vobis & successoribus vestris auferetis.

Epist. XCVI.

Abbati Cellensi.

LIteras beatitudinis vestræ mihi lator præsentium attulit, sed ipsis Paschalium solemniis feriauerunt. Increpationis ergo vestræ querelas grauiter accepi, & eodem animo quo eas nouerant esse conscriptas, nisi quod in anima puriori sinceriorem esse credo charitatis affectum. Si enim super his, vel vitio arrogantiæ & ingratitudinis vobiscum contenderem, præter eam quæ perspicuis & perpetuis virtutum titolis illustratur, domestica probatione conuincerem. Gratia siquidem Domini & vestra, sum quicquid sum, si quid tamen sum, & institu-
G tionis vestræ beneficio me spero semper futurum meliorem. Scripseram quidem vobis aduentu nostro, quod ex subiectis causis fore credideram. Quod vero sententiam mutaui vel distuli, non leuitas mea, sed consilium amicorum meorum fuit. Vnde hæc aut nullam arbitror, aut leuem culpam, cum & Altissimus sententiam mutet, cuius consilium manet in æternum. Non enim fortunæ insidias solus potui declinare, cum omnia quæ sub Sole sunt, lubricæ sortis vana versentur in alea. Fluxus etenim temporis, motus rerum, caligo mentium, leuitas animorum, axem fortunæ tanta sui agilitate circumferunt, vt non modo totam eius, sed & totius orbis molem facile constet esse volubilem. Verum ne non tam me excusare, quam rerum conditionem frustra videar accusare de omnibus, sed causa cognita iudicate. Status itaque mei faciem parumper inspicite, Sereniss. Domini nostri Regis Anglorum, ab anno præterito, grauis in me studio æmulorum excitata est indignatio. Si causam quæritis, professio libertatis, veritatis defensio crimina
H mea sunt. Testis est mihi scrutator cordium, quem inutilis & perniciosa vita mea tota semper & nimis offendit, quia alterius culpæ, quod ad Dominum Regem, conscientiam nescio. Ipsum, vt audistis, adire disposueram, meam innocentiam purgaturus, sed per familiares suos didici me nullomodo admittendum in absentia Domini Cantuar. & eo mediante mihi posse gratiam reformari. Præterea Domini Regis reditus nobis in dies singulos promittebatur. Quid ergo facerem? Insula egredi imaginem videbatur habere diffugij: calumniatorum declinare congressum, esse reum conscientiam profiteri: Principis non expectare conspectum, caput meum læsæ-majestatis obnoxium legibus faceret: ad suum testimonium, innocentis conscientiæ, authoritas Romani Pontificis, prudentum consilia, familiarium preces tandem persuaserunt, tantum examen causæ, si fieri potest, domi expectem, vbi finis poterit esse, & sumptu facilior, & copia amicorum fertilior. Sed hæc,

vt

A vt scribitis, renunciasse debueram; has equidem partes fidelibus vestris amicis meis, venerabilibus viris, Ioanni Thesaurario Eboracensi, & M. Vuilhelmo communicatam procurandas. Proprium nuntium idcirco destinare distuli, quia naufragij breuis, vt videbatur, licet magni, adhuc dubius erat euentus, & quia mallem læta quam tristia nuntiare. Vnde & cursorem vestrum mecum retinui per dies aliquot in aduentum illustris Reginæ Anglorum, & clarissimi viri Cancellarij Regis, qui per misericordiam Domini, procellam mihi detumuisse dixerunt. Potens est autem Dominus vestris, & Ecclesiæ suæ, pro qua patior, precibus, eam, quantacumque sit, in autam commutare, & innocentiam meam perducere ad portum quietis optatæ. Hæc hactenus. Ex quo fidelem nuntium inueneritis, mihi si placet, Epistolas beati B. transmittite. Precor etiam, vt flores aliquos verborum eius, & vestrorum, & Cantoris Trecensis, si qui sunt similes, colligi faciatis: Ita tamen vt filiorum lætitia non petionat aut minuat fructus vtilitatem. Ego pro- B culdubio, authore Domino, vos in mea, aut proprij nuntij persona, antequam Autumnus exeat, visitabo. De liberalitate, quam in fratrem meum exercuistis, quas possum, vobis gratias refero. Magistrum autem nostrum, Præpositum vestrum nomine meo persalutate. His quoque salutatis qui vos diligunt, & me nouerunt, quos etsi non cartæ breuitas, mentis tamen complectitur latitudo.

Epist. XCVII.

Ad eundem.

IN aduentu nuntij vestri ad nos Serenissi. Domini nostri Regis Anglorum, qui ad Alpinos, & sub-Alpinos Britones profectus est expugnandos, expeditio nos tenebat occupatos quidem totius regni negotiis, sed præcipue sollicitos in custodia illustris Reginæ Anglorum C & liberorum Domini Regis, qui commissi sunt fidei Domini Cantuariensis, à cuius ego latere non recedo; inde vtique vt eminentiam vestram nec per nuntium meum tam cito potuerim visitare. Cæterum quid doloris & mœroris animæ meæ nuntius vester attulerit, prudens & sciens taceo, ne si super dolorem vulnerum vestrorum, meum quoque addidero, ampliori tristitia absorbeamini, cum saucia mens recordatione, ne * ante inundatione tristium exultari solebat potius, quam foueri. Malorum quidem meminisse iuuat, sed cum fortior peruaseris. Miserum quoque fuisse iucundum est, iam de fœlicitate gaudenti. Sic, sic infortunij grata est recordatio, sed cum de fortunæ iniuria triumpharis. Quis ædium suarum ruinam lætis oculis aspicit? quis domus suæ flagrantis aut fumantis incendia libens intuetur? Proinde, mi R. à tanti mœroris memoria animum pariter paululum auertamus, conuersi ad eum qui fideles suos tentari non patitur supra id quod possunt, faciens quidē de tentatione prouentum, vt omnia cooperentur in bo- D num. In sorte namque iustorum peccatorum virga non permanet, & quicquid ab iniquitate recedit, seu prosperi, seu aduersi faciem induat, nihilominus proficit ad salutem, & conatur ad gloriam. Ex rerum namque difficultate crescit meritum fidei, & gloriosior est triumphus, quem assiduitas laborum, & periculorum susceptio, & iugis patientia præcesserunt. Si de se præsumit aliquis in quo deficit, si de Domino in quo non proficit. *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere*: & in eo cuius spiritu agitur Apostolus, omnia potest. Quis virorum fortium & sublimium illud non libenter amplectitur?

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinat.

Quid ergo? quem Verbum Patris inuitat ad fortia, & animat in tribulatione malorum & dolore? dicens, *Confidite in me, ego vici mundum.* Dilatare voluit Dominus nomen suum, & Martyris sui gloriam transferre ad externas nationes, vt qui quasi sub modio Senonensis Ec- E clesiæ latebat, respondeat in medio nationum, & multitudine populorum, ædes suas tandem forte permissio incendio, vt quasi beneficio ignis examinatæ, authore Domino, cum reædificatæ fuerint, sicut mundiores, ita appareant pulchriores. Cum vero Ecclesiam Anglorum sollicitare placuerit, diligenti sollicitudine prudentes & honestos viros in hoc opus eligere studeatis, quorum peccata minime ruborem incutiant innocentiæ vestræ: veniant, qui muniti commendatitiis precibus principum vestrorum, non quo res aliter expediri non possit, sed quia facilius & felicius promouetur negotium, quod magnorum virorum est authoritate subuixum. Affectum spondet Dominus Cantuariensis, effectus autem Dominus procurabit. Quid de me dicam, qui totus vester sum, & illorum? De cætero liberalitati vestræ pro Epistolis beati B. gratias ago, antiquis insistens precibus, vt flores verborum eius quos conquirere poteritis mihi transcribi faciatis, & si quid F huiusmodi apud vos paratum est, per nostros nuntios afferatur. Præterea veri Argulfi mihi * pignora promisistis, cui satis gratulari non possum; sed licet mihi sufficiat gratia vestra, precor, si fieri potest, vt de reliquiis B. Sannæ, Memoriæ, Frodoberti & aliorum quorum pane nutritus sum, per eosdem mihi mittatis. Quod autem huiusmodi mitti placuerit, manu vestra signatum tradat nuntiis, & litterarum vestrarum prosecutione fiat authenticum.

Epist. XCVIII.

Episcopo Vuintoniensi.

QVot & quanta mala Ecclesiis Christi prouenit Pastoris absentia, si antea nobis fuisset incognitum, ex solo peregrinationis vestræ dispendio potuimus didicisse. Biennium enim est ex quo fames cœpit in terra vestra, non equidem fames victualium, quorum satietate à cultu Domini auertitur, & plerumque recalcitrat G populus incrassatus, dilatatus, sed fames audiendi verbum Domini. Paruuli siquidem petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Si enim ad aliquem vicinorum solos Euangelij tres panes, domui vestræ mutuaturi accedemus, creditorum continuo sustinemus difficultates, ea se copia excusationum opponit, vt filiis quiescentibus in cubili, ad importunitatem nostram vix surgat aliquis, & aperiat nobis pro reuerentia nostra. Si autem ad extraneum & peregrinum vrgente necessitate confugimus, timemus, ne pro pisce serpentem, aut ne pro ouo porrigat scorpionem. Præterea oues vestræ aut non audiunt aut minus audiunt vocem aliorum. Quid multa? iacturam Domini, quæ quotidie fit in rebus & moribus, non sufficiunt enarrare. Audite, ergo dilectissime frater in Domino, planctum esurientium, audite voces vagientium paruulorum, audite vocem Sponsæ quæ amore languet, & vestro desiderio intabescit. Audite denique vocem Sponsi, qui vos constituit super familiam suam, vt ei cibum detis in tempore. Redite ita- H que ad Ecclesiam vestram, & totam Insulam sapientiæ & virtutis vestræ radiis illustrate. Nec vos moueant damna rerum, quem respiciunt pericula animarum. Proculdubio satius est & æquius, vt sollicitudinis vestræ vigilantiam commissis vobis Ecclesiis impendatis, quam alienis. Dominus Rex de securitate vestra nos fecit securos, & duobus, quos nominatim excludit, exceptis, quos volueritis, ad gratiam eius poteritis introducere. Nos autem reditui vestro congratulabimur, & quicquid auxilij & consilij poterimus, libenti animo conferemus. Vale.

Epist. XCIX.

Ad eundem.

AMicis nostris vrgente tentationis articulo, illam consilij viam credidimus ostendendam, quæ ho-

nestatis

A nestatis specie, aut vtilitatis fructu videtur præ cæteris eligenda. Et licet ambigentis animus recte consulenti obtemperare detrectet, charitatis tamen instantia non quiescit, donec reluctantem amicum ad bona pertrahat, & inuitum. Sic nos reuerende & amantissime frater in Domino, fraternitatem vestram ad propria redire monuimus, omnino non credentes honestati vestræ, aut Ecclesiæ vtilitati magis aliquid expedire. Vt enim cætera taceamus, quæ longum est enarrare, profecto morum ruina longe miserabilior est, quam nummorum. Tunc est de temporalium amissione dolendum, vbi dispendium incurritur duorum namque dolorum circa eundem animum maior denigrat alterum. Absit autem vt aliquis de vestra prudentia audeat suspicari, quod vilissima rerum, opes scilicet, animum vestrum moueant vbi periculum eminet animarum. Absit vt inuidia antiquo suo vobis possit insultare prouerbio, dicens,

B ——— *quod defles, illud amasti.*

Vnum è duobus eligite, aut litis discrimen vultis, aut pacem. Si litis incertum præfertis, aduertite quia nihil turpius est quam suis armis expugnari, & quasi mucrone proprio iugulari. Si pacem, redite, & pax est: Si timetis & quidem vbi non est timendum. Numquam enim venit in mentem serenissimi Domini nostri Regis tanto deturpare opprobrio, vt manum suam in quacumque causa extenderet in Christum Domini, & aliquam contumeliam à quocumque pateretur inferri. In eo si quidem plurimum motus est, quod conductum petere necessarium credidisti, cum neminem eorum vnquam læserit, qualescumque processerint inimicitiæ, qui ad se veniebat. Quid ergo timebatis, cum vos sua, & omnium nostrum voce & literis reuocaret? Sed vos mandatum Domini Papæ, & Cluniacens. vestrorum necessitas detinet. Porro & ipse Dominus Papa reditui vestro congratulabitur, nolens mandatum illud vtilitati vestræ præiudicium facere, & personam vestram Vvinton. **C** & Glaston. Ecclesiis, plus quam Cluniacensi non ambigitis obligatam. Illarum quippe regimen suscepistis à Cluniacensibus absoluti. Qua ergo ratione ab illis ad illos diuertistis? Nunquid æquum est istis esurientibus, eorum pane illos satiari? Hæc non modo Domini Regis, sed fere omnium querela est. Certe an iusta sit, vos videritis. Præterea ex absentia vestra se in necessitatibus Regni à consilio vestro & auxilio queritur destitutum, cum Domino propitiante Cæsari reddi debeant quæ sunt Cæsaris. Vnde plurimi suaserunt, vt in omnes vestros durius ageret, & in Bona Ecclesiæ, vsque ad thesauros intimos, manum extenderet. Ipse tamen incitante se turba continet manus suas, & aduentum vestrum vtrumque expectat. Quod si Ecclesiam, & omnes vestros hac prouocatione Regiæ indignationi exposueritis, timendum est ne veniant maiora metu & vos, quos declinare non vultis præuisos, sentiatis aculeos postmodum duriores. Precamur ergo, & in virtute charitatis consulimus vt redeatis, & ex quo vos audiuimus esse Boloniæ, vobis in ipso littore nostro **D** occurremus, procuraturi quomodo ad Dominum Regem cum honore perueniatis, & finis iucundus tantis laboribus imponatur.

EPIST. C.

Domino Papa Alexandro.

EX mandato Sanctitatis vestræ in præsentiam nostram citauimus venerabilem virum G. Abbatem Vvestmonaster. Monachis de Malum. responsurum super his quæ in audientia vestra aduersus eum proposuerant. In ipsa autem ventilatione causæ nobis ex testimonio venerabilium virorum Gileberti Honford. Episcopi, Hamelini Abbatis Glocestr. Raginaldi Persor. Abb. euidenter apparuit, quod Monachi Malum. grauiora quam passi sunt promeruerant, vitio contumaciæ suæ & inobedientiæ culpa, quam Beatus Benedictus in **E** Monasteriis docet cæteris acrius puniendam; & quam tota fides Catholica, & omnis Ecclesiastica disciplina, quasi scelus idololatriæ detestatur. Tandem conuersi ad cor ab Abbate suo, quem multis iniuriis & vexationibus grauiter læserant, saniori consilio vsi, prostrati ad pedes eius, veniam petierunt, & satisfactionem promittentes, restituto priuilegio, quod à Maiestate vitiosa suggestione obtinuerant, interuenientibus nobis, & venerabilibus viris qui aderant, G. Roffensi Episc. Siluestro Abbate S. August. in ipsius gratiam recepti sunt, & sic concordia reformata. Et quia Cellulam Malum. Ecclesiæ Vvestmonast. pleno iure ab initio constat esse subiectam, Excellentiæ vestræ preces porrigimus, rogantes, ne contra consuetudinem omnium Monasteriorum, eam patiamini iure suo priuari & iustas petitiones Abbatis, de quo meliora speramus, misericorditer audiatis.

F

EPIST. CI.

Episcopo Vvintoniensi.

SVper incolumitate vestra, quam à nuntiis vestris accepimus, lætamur plurimum, sed de ea mentis integritate, quæ rerum damna non sentit congratulamur Altissimo bonorum omnium largitori. Grauis quidem fuerat de rerum iactura tentatio, si non in fortem animum incidisset: vera fortitudo clarius elucescet, si tribulationis igne probata redierit ad ouile, quod ex Pastoris absentia insidiantium morsibus patet. Nec est, dilecte frater, quod vos amodo vereri oporteat, cum ipse Rex aduentum vestrum desideret, & pacem & securitatem omnimodam repromittat, & ne de ea possitis aliqua ratione dubitare, cum in manu nostra cepimus, ducatum vobis dantes, à mari vsque ad Regem, moram vobis, & reditum, si expedierit, præparaturi. Si enim diligitis Ecclesiam vestram, si animam vestram, immo quia vtramque diligitis, accepta opportunitate redire non differatis **G** ne quod absit, quod sæpe diximus, fiant conditionis vestræ nouissima semper deteriora prioribus. Potestatis enim à Domino constitutæ geminabitur indignatio, si porrectam gratiam contemni præsenserit.

EPIST. CII.

Domino Papa Alexandro.

SAnctitatis vestræ mandatum debita veneratione suscipientes, creditoribus vestris satisfecimus, parati semper Apostolicis obedire mandatis, sed Apostolatus vestri tempore paratissimi. Nos etenim misericordiam Domini à fidei Romanæ Ecclesiæ, ab obedientiæ famulatu, non carcer, non gladius, non, si qua grauior est persecutio, separabit, præsertim cum illum videamus in Throno Petri regnantem, à quo doloribus nostris solatium expectamus. Multa siquidem sunt, & ferè importabilia, quæ pro Domo Domini libenter, cum ita oporteat **H** fieri, sustinemus, & certe maiora quam quæ scripto committi expediat. Speramus autem quod in ea breui authore Domino in auribus vestris commodius præsentes exponemus, eo quod vos ad Galliarum partes descendere, fama fere omnium consona voce concelebrat. Supplicamus enim Majestati vestræ, vt nos de aduentu vestro, si placet, dignemini præmunire, quo paternitati vestræ, vt decet, promptius occurramus, & desideratissimo beatitudinis vestræ visu & alloquio citius gaudeamus. Interim, Pater dulcissime, nos scriptorum vestrorum solatio, & Apostolicæ salutationis beneficio petimus sæpius visitari, ne pij desiderij nostri dilatio, aut seruitutis nostræ contemptum, aut defectum gratiæ vestræ, aut veteris amicitiæ obliuionem, si non nobis, aliis tamen significare videatur. Et quia indefessa sollicitudine super afflictione matris oostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ iugiter concitantur viscera nostra, & ora filiorum infidelium dilatantur, qui laborem capitis pro languore nobis improperant, expedit vt vestram &

sanctæ

A ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtatum, & ſi tempeſtas adhuc ceſſat à ſæcl. & ſerenum futuræ pacis alicunde reſplendeat, litteris quas in gente noſtra ad confirmationem fidelium poſſimus oſtendere, nobis ſignificari præcipiatis. Me grauis languor exigentibus culpis meis ætate præterita adduxit ad portas mortis, cui me ad modicum facto iam teſtamento, rebuſque omnibus vſque ad victum tenuem erogatis clemens Omnipotentis manus, vt hac breui morula liceat commiſſa deflere, ſubduxit, de reliquo namque breues ſunt dies mei. Verum vt anima de carnis ergaſtulo lætior exeat, ad conſpectum Altiſſimi gratias pro benefactoribus actura, ad pedes clementiæ veſtræ tota mentis intentione iaceo prouolutus, vt profeſſionem Abbatis ſancti Auguſtini, quam omnes prædeceſſores mei habuerunt, & mihi nouiſſimo, & omnium minimo nunc pro beneplacito veſtro ſubtrahitur Eccleſiæ meæ reſtituatis. Hic eſt enim dolor ille vnicus, qui corpus meum depaſcitur, lacerat animum imum, & inualeſcit tantum ſub hoc pectore vulnus, B vt me patienter audiat clementia veſtra, mœreo & doleo, quod præterita hyeme, nec in vna petitiuncula potui exaudiri, cum Monachi S. Auguſt. contra me multitudinem obtinuerint litterarum. Litteras illas, quas ſolas pro nobis, de negotio illo noſtro vobis nuntij attulerunt, Domino teſte, pro reuerentia & honore veſtro quem conſeruari deſidero ſemper illæſum, nulli adhuc credidi oſtendendas. Ego, cum illis placet, ex mandato veſtro, ad Suffraganeorum meorum tribunal protrahor & inuitus.

Epist. CIII.

R. Cancellario.

GRatias quantas poſſum, quia quantas debeo, reddere non ſufficio, refero paternitati veſtræ, pro honore & beneficiis mihi & meis à vobis ſemper exhibitis, C & maxime eo quod ſolus inter multos, quibus deuotio mea quandoque innotuit, me litteris veſtris in manu nuntiorum meorum, adhibita conſolatione curaſtis inſtruere. Veſtro itaque conſilio adquieſcens, conuocatis iis, quos oportuit, in verbo, ſicut me docuiſtisproceſſi, à mandatis Apoſtolicis, nec pro temporali vita, & in minimo receſſurus. Videat Eccleſia Romana quid præcipue velit, aut quid expediat, pro ipſa, ſi neceſſe eſt, paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire: quiſquis in Eccleſiæ auribus Rom. de me aliud dicit, de ſuo loquitur, quia mendacium loquitur. Exhibitio præteritorum, probatio futurorum eſt. Me iam tertio pro mandatis Apoſtolicis periculis, immo & morti expoſui. Nunquid in fine viæ & vitæ ſenex æternum longi laboris & iugis obedientiæ præmium pro quacumque temporis fallaci promiſſione immutabo? Ante mihi pereat totus mundus, quam ego pro ipſo peream Domino meo. Hæc ideo quia quoſdam Dominorum meorum Cardinalium aliter quam mihi & Eccleſiæ meæ expediat, D aut quam ego de conſcientia mea meruerim, in me audio animaduerſos: Quibus ſi deliqui, quod tamen non recolo, tanquam Dominis & Patribus debita humilitate libentiſſime ſatisfaciam. Si non deliqui, obſecro per miſericordiam Domini & iuſtum iudicium eius, vt amoueant conceptæ indignationis aculeos, antequam mihi bene promerendi amodo reſtituant gratiam. Et quia nuncij mei à quibuſdam minus bene recipiuntur, petitionem hanc, ſi hoc tamen auderem poſtulare, Dominis meis Cardinalibus per manum veſtram deſidero præſentari, & reſponſa eorum per litteras veſtras recipere. Celebris fama eſt Dominum Papam ad Galliarum fines accedere. Vt ergo promptius illi & vobis occurramus, me per latorem præſentium, ſi placet, adhibita celeritate præmonere. Viuat & valeat paternitas veſtra, memor mei in orationibus ſuis.

Epist. CIV.

E *Ioanni Scor. & Ioan. Paul. Card.*

AB ineunte ætate amplexus obedientiam, nihil exinde ei prætuli, pro quo ab initio vniuerſa omnia reliqui. Cum vero placuit ei qui me vocauit, vt puerum ſuum Cantuar. Eccleſiæ præficeret, licet indignum, nihil poſtea potius credidi, quam vt me ſanctæ Eccleſiæ Rom. tota deuotione ſubmitterem, & ei promptiſſimum ſemper exhiberem famulatum. Mihi voluptas erit & gloria, meam ſingulis annis, aut ſæpius deuotionem Sedi Apoſtolicæ repræſentare. Miror autem & admodum doleo, quod quorumdam Dominorum meorum Cardinalium citra meritum meum in me incanduit indignatio. Mihi ſiquidem in nullo conſcius ſum: verum ſi deliqui, humiliter ſatisfacientem admittant ad gratiam: ſi non deliqui, miſericordia & iuſto Domini interueniente iudicio, bene ſemper de cætero promerentem F fraterna charitate recipiant, & à perſecutione ceſſantes, noſtri non declinent famulatus obſequia. Noſtra hæc petitio veſtris manibus promoueatur, quia nuntiorum noſtrorum præſentia minus bene recepta eſt à quibuſdam. Sinceri amoris ſecuta eſt petitio, celebris fama eſt, &c.

Epist. CV.

Boſoni Cancellario.

PRo honore & beneficiis à vobis mihi & meis ſæpe collatis bonitati veſtræ gratias ago, orans, vt in me non tepeſcat veſtræ charitatis affectus, quia mei obſequij deuotio non quieſcit. Verum quia amicorum ſibi inuicem reſeranda ſunt pectora, quid animam meam maxime torqueat, paucis aperiam. Ex quo promotus ſum in Epiſcopum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtudui G totis viribus inſeruij, credens, amore & cultu iuſtitiæ, & iugi deuotionis exhibitione me poſſe ipſius gratiam comparare. Cæterum ſecus accidit. Nullo ſiquidem mali merito de conſcientia mea procedente, me quidam Dominorum meorum Cardinalium, vt à quibuſdam audio, admodum perſequuntur. Quod ex eo verum eſſe maxime perpendo, quod detractoribus meis fauent, & aduerſarios fouent. Sit ergo ſollicitudinis veſtræ, vt ſi hoc culpa mea promerui, cum debitæ ſatisfactionis fructu non reſpuant pœnitentem. Si non, vt credo, promerui, contemplatione miſericordiæ, & iuſti iudicij Dei, moleſtias huius acerbitatis amoueant, & à ſe non reijciant noſtræ deuotionis famulatum. Præterea, quod mentem meam dolore grauiore exturbat, Dominus Papa, qui præterita hyeme petitiones meas non admiſit, aduerſariis meis, & præſertim Monachis Sancti Auguſtini, faſciculos, quibus ſenectutem obruerent, contulit literarum: ad Abbatẽ Sancti Auguſtini de facienda profeſſione H literas mihi indulſit, quæ, vt pace eius loquar, ei non eſſent honori, & mihi fuiſſent dedecori, & Abbati eſſent futuræ contemptui. Scripſit enim tenuiter, vt profeſſio fieret. At diu Cardinales econtra literis inſtruxerunt Abbatem, vt appellaret. Quis non videt literas hinc inde miſſas, niſi ad ancipitis pugnæ diſcrimen inuitaſſe? Præcepit item vt pro beneplacito Monachorum ad tribunal. Lond. litigaturus accederem. Quid multa? ego nec in minimo, qui tot ac tantos amicos in Eccleſie Romana habeo: Monachi illi ſunt in omnibus exauditi. Hæc in auribus veſtris corde & ore mœſto depono, vt quandoque ſimilibus obuiare ſtudeatis. De cætero creditoribus veſtris ſatisfecimus, nihil accipientes de pecunia ſancti Bertini.

Epist. CVI.

Domino Papæ Alexandro.

Nostrum, & Ecclesiæ, quæ apud nos est, statum, vobis per Heribertum vestrum missis litteris significauimus, at ille per malitiam prodidit, aut perdidit per negligentiam, aut eas amissas esse fraudulenter simulauit. Cum enim dimissus à vobis apud Cancellarium Regis Anglorum per mensem & amplius contra prohibitionem vestram expectasset, remisso in Angliam nuncio nos per litteras memorati Cancellarij sollicitauit, vt ei litteras prioribus similes, quas sibi sublatas querebatur, remitteremus ad vos fideliùs deferendas. Quia igitur parum fidelis in primis extitit, maluimus proprium nuncium vestrum pro beneplacito vestro conueniretis, & si placet, eum, vt cautiùs & fideliùs negotia vestra exequatur, instruite. De cætero Monachi sancti Augustini Ecclesias in fundis eorum sitas nobis subtrahere machinantur, & quia in oculis Ecclesiæ Romanæ gratiam inuenerunt, si quid salutis nobis, aut Ecclesiæ nostræ decernitis relinquendum, preces eorum vlterius in dispendia nostra non admittatis. Præterea noueritis liberum esse omnibus appellare. Quod ex eo vobis constare poterit, quod aliqui ad vos confugientes hoc solo remedio euaserunt. Vos, qualiter agatis cum eis, prouidete, & si quid in causis eorum nobis debetur honoris, prout placuerit, reseruate.

Epist. CVII.

Domino Papæ Alexandro.

Norvvic. Archidiaconus, vir malitia, dolositate, & arte mentiendi conspicuus regnum nostrum præterita æstate tumoribus suis concussit, & Optimates regni aduersus fideles vestros; imò Ecclesiam Domini grauiter concitauit, vulgo dicens; in Episcopatu Norvvicensi se à vobis in Angliam destinatum, vt à Vvilelmo Comite Vvarennæ filio Regis Stephani DCC. marchas reciperet, quas pro audiendis conditionibus suis contra Regem vobis præfatus Comes debebat appendere: sub hac excusationis imagine, ne in ius traheretur iuxta mandatum vestrum à Domino Norvvicensi sæpius impetrauit, & causam, quæ inter ipsum, & Magistrum Vvilelmum Clericum Domini Cantuarien. vertebatur super Ecclesia de Aluestona, diutiùs distulit. Beneficio tamen litterarum vestrarum, dictante iustitia, in facie Ecclesiæ Norvvicensis per præsentiam Episcopi, cui causam commiseratis, absque remedio appellationis infra præscriptum terminum finiendam, in ea prostratus est, & iamdicta Ecclesia delectus. Si ergo causam iniquam reparare tentauerit, non ditet honitatem vestram, vt ipsius preces, ne dicam fallacias admittatis, sed potius puniatis, quod se procuratorem vestrum, & gestorem negotiorum mentitus est, aut ineptè gloriatus. Male enim sonuit in auribus omnium gloriatio eius.

Epist. CVIII.

Domino Papæ Alexandro.

Possem temeritatis & arrogantiæ argui, qui aures vestras toties pulsare præsumo, si timiditatem meam Patris benignitas non excitaret, vel ausum non excusaret fraternæ charitatis officium. Suadente ergo pietatis vestræ dulcedine, & vrgente paupérie honesti, & litterati necessitate, Maiestatis vestræ pedibus toto animo prouolutus, quas licet Clementiæ vestræ preces offero, quatenus latoris præsentium personam benignè recipiatis, & causam, & solatium vitæ Senonensis Archiepiscopi violentiá non permittatis auferri. Quid iustitiam eius impediat, ipso referente, si placet audietis. Præterea Præcentor Senonensis, & honestate morum, & litterarum eruditione, & speciali qua vester est deuotione, in quantum æquitas permiserit, dignus est exaudiri. Nunc ad me redeo. Episcopo Lexouiensi, cum excellentiæ vestræ visum fuerit, gratiam rependetis, pro eo, quod in me seruum vestrum, Serenissimi Domini Regis tantam conflauit indignationem, vt morari in Anglia mihi tutum non sit, & exire, aut impossibile sit, aut difficillimum. Senes nostri incolumes sunt ab Abbate Radingiensi; licet vos cum Thoma suo circumuenerit. Ad opus R. nostri vix aliquid extorquebimus, Osbertus Eboracensis Archidiaconus in purgatione defecit. Quisquis vobis suggesserit aliter, non credatis.

Epist. CIX.

Domino Papæ Alexandro.

Andreas Clericus de Lenham, Ecclesiam suam de Lenham quibusdam decimationibus iniustè spoliatum esse, in præsentia nostra conquestus est, postulans sibi de G. Presbytero de Vvichelenia, qui eas occupauit, & quodam milite, Richard. qui fundi Dominus est, & occupanti patrocinatur, iustitiam exhiberi. Partibus vero tandem peremptoria die præfixa cum præfatus A. adesset, pars aduersa tergiuersando, ad frustratorias dilationes confugit, quas cum ei iuris ratio denegasset, iam dictus miles sibi à nobili viro Vvilelmo fratre Regis, Domino suo, dixit esse prohibitum, ne eo absente, super decimis, de quibus agebatur, causam ingrederetur. Præmemoratus quoque Presbyter, cum cedere * incederet Milite, cuius patrocinio nitebatur, se non litigaturum respondit. Cum ergo actor productis idoneis testibus, quibus abundabat, summa instantia, vt ipsius probatio reciperetur, à nobis impetrasset, & ea recepta consilio Synodi cum pro eo laturi essemus sententiam, sæpe dictus Presbyter ad vestram audientiam appellauit, diem præfigens *Quasi modo geniti*. Vos itaque prout Deus vobis inspirauerit, causæ debitum finem imponetis.

Epist. CX.

Domino Papæ Alexandro.

Magnam dulcissime Pater, conceperamus lætitiam, sperantes vt fama erat, nos citra Alpes posse præsentiæ vestræ solatio recreati. Versa est tamen in luctum cythara nostra, & gaudium transiit in mœrorem, ex quo pro certo nobis innotuit; quod Vrbs beatitudinem vestram inuidens Cisalpinis, nominis vestri gloria maluit illustrari. Cum ergo Apostolatus vestri culmen neq; ieamus pro voto visitare, quod possumus iterum per nuntios, celeritate adhibita, consuetæ visitationis supplebimus obsequium. Placeat itaque dignationi vestræ, vsque ad illorum aduentum causam Monachorum sancti Bertini, & Osberti Eborac. Archid. & si qua nos, & Regnum Angliæ negotia contingunt, suspendere; quoniam illi super his omnibus discretionem vestram facient certiorem, & auditis eis ad singula, Domino propitio, tutius & vtilius procedetis.

Epist. CXI.

Domino Papæ Alexandro

Præter opinionem, & contra spem; litteræ vestræ, quarum iucunda solet esse conceptio, nobis mœstitiam attulerunt. Cum enim ad Galliam cum summo desiderio præstolaremur aduentum vestrum, accepimus vos ad vrbem, vtinam salubriter! esse reuersos, & spei nostræ sic euacuatam esse lætitiam. Præterea petitiones nostræ caruerunt effectu, quia scriniarij vestri, vt scripsistis,

A ſcripſiſtis noſtras forte litteras amiſerunt. Nos autem quomodo poſſumus acerbitatem vtriuſque infortunij releuantes, nuncios qui vos vice noſtra viſitent, & litterarum damna reſtituent, ſub omni celeritate ad Sedem Apoſtolicam deſtinamus: rogantes vt cauſam Monachorum ſancti Bertini, & Osberti Eboracenſis Archidiaconi, & ſi qua ad nos, & regnum Angliæ negotia ſpectant, vſque ad illorum aduentum protrahi faciatis. Illis enim auditis authore Domino, ſingula ſalubrius ſtatuetis.

Epist. CXII.

Ioannes Ernulfo.

AMico ſuo intimo Magiſtro Ernulfo ſuus Ioannes ſalutem, & veræ dilectionis obſequium. Dominum Cancellarium ſcio emergentium tumultu negotiorum, B variis curiæ occupationibus, & rei familiaris neceſſitatibus impeditum, amicorum petitionibus promouendis, niſi alio incitante vacare non poſſe. De veſtra itaque familiaritate præſumens, precor, vt inſpectis litteris, quas ei mitto, ipſum ad reformandum mihi Domini Regis gratiam animetis, & recurrente ſcripto veſtrum mihi conſilium ſignificetis. Quando vero Dominus Rex Domini Papæ Cantuarienſis Epiſcopi, Cancellarij ſui petitiones accipiat, diligenter litteris veſtris, ſi placet, reſcribite. Amicum ſiquidem longe honeſtius eſt veraciter præmunire, quam fallaciter decipi. Iacula quoque minus lædunt, quæ præuidentur.

Epist. CXIII.

Cancellario Regis.

INter multiplices, & graues in me ſæuientis fortunæ C iniurias, nihil eo moleſtius fero, quod amicorum ſolatio deſtitutus neminem curarum ſocium, aut participem mentis inuenio. In quo calculo ſors mea verſetur, citra meæ conqueſtionis iudicium, ex his quæ videtis & auditis, & quæ longo didiciſtis experimento, facile poteritis intelligere. Vt tamen qui ſit paucis aperiam. Ex quo ſocij noſtri à vobis redierunt, communem Dominum, me fere excuſo, niſi cum onera fuerint ſubeunda, ſuum promiſſis & rumoribus effecerunt.

Non equidem inuideo, miror magis,

Si quid ergo poteſt apud excellentiam veſtram paruitatis meæ deuotio, ſi qua eſt antiquæ familiaritatis memoria, ſi ſpectatæ amicitiæ fidem, fortunæ impetus non ſubuertit, id agite, quo Sereniſſimi Domini noſtri Regis gratis in me concepta indignatio mitigetur, vt pro arbitrio eius excuſem innocentiam meam, aut ſi maligne gratiam eius demerui, ſatisfactione D condigna eandem mihi liceat promereri, & exinde honeſtius & liberius, & gratia litterarum, vel occupatione alterius ſtudij, tantæ ſollicitudini, laboribus, ſuſpicionibus & periculis meipſum ſubtrahere potero. Nunc enim, ſi quid recte fiat, alij; ſi quid male, mihi adſcribitur. Non eſt malum in ciuitate, quod ego non faciam, me forte excuſabit commodiſſime abſentia mea, vt eius animum facilius poſſitis inclinare. Litteras Domini Papæ pro me facientes dilectioni veſtræ transmitto, quas ſi placet, mihi reſtitui faciatis: eas mihi ſine reſcripto non rogatus attulit nuncius Domini Elienſis. Hanc Domini Papæ petitionem Dominus Cantuarienſis litteris ſuis proſequitur. De cætero rerum veſtrarum nos curam habere præcepiſtis: libens pareo, etiam nunc proficit cura mea. Dominus noſter propriarum Eccleſiarum vobis ſubtrahi præcepit auxilium. Reſiſtentibus mihi aliis, fruſtra contra torrentem direxi brachia mea. Vos autem ſuper hæc ei reſcribite. De ſtatu Inſulæ & Curiæ familiaribus vobis plura ſcribere vereor, cum per inuidiam fortunæ, literarum E mearum aliæ incidant in latrones, aliæ naufragium patiantur, aliæ meo diſpendio ſe impudenter Principum oculis ingerant. In his tamen, & aliis, quid me oporteat facere, reſcribetis.

Epist. CXIV.

Matthæo Præcentori Senonenſi.

MIror, amice, & doleo, ſi Dominus Papa indulgentiæ ſuæ beneficium reuocauit, & te illorum præcepit ſubire iudicium, qui tibi merito poſſunt eſſe ſuſpecti, & abſque ſuprema & fere inuincibili difficultate non poterunt conueniri. Mihi quidem, licet paulisper hæream, perſuaderi non poteſt, quod partis aduerſæ ſiniſtra aduerſus dexteram Romani Pontificis præualuerit. Leui tamen geſtamine integritatem virginis oppreſſam Maieſtatis verbis, fraudulenta Senonum F irruptione fere ſubuerſam memini. Debuit at Roma Senones & dona ferentes habere ſuſpectos. Sed Cubicularij & Aſſeſſores Principis, & ſacri Palatij Quæſtores diligentiſſimi, ſub imagine iuris Præſidentis forte religionem circumvenerunt, & Gallos, dum emungerentur, cenſuerunt admitti. Non equidem inuideo ſucceſſibus eorum, ſed tuæ Domini Præcentoris læſioni compatior, tanto magis, quanto minus his malis mederi poſſum. Facies namque rerum, quæ apud vos ſunt mihi ignota eſt, negotij vires ex abſentia mea plena non poſſum inquiſitione diſcutere, incidentes articulos citra partium aſſertiones examinare non valeo, & ob hoc in re incerta non poſſum certi conſilij facere copiam: hoc tibi, authore Domino, innata & exquiſita prudentia, amicorum fida ſedulitas, ſapientum affectata inſtructio, longe commodius præſtabit; veruntamen ſine conſilij præiudicio, interuentu Domini, Altiſſiodorenſis Epiſcopi, vt preces Domino Papæ pro te porrectas admittat, ſtudioſius ſollicitabit, & per eundem, & alios miniſterium conſilij partis aduerſæ dili- G genter inquires, vt ex eo cauſam tuam facilius & felicius poſſis inſtruere. Si preces contempſerit, cum quaſi inuitus trahes ad iudices, maxime ſi litteris Apoſtolicis aliorum iudicio ſtare non coegeris. Neque enim in hac parte aduerſariorum vocibus credes, niſi Principis apices præſentauerint. Si iudicibus tuis executionem mandati Apoſtolici conſequi poteris, adquieſces; ſin autem honeſtam interius cauſam, ſi ad Dominum Papam proficiſci diſponis, amici tui formabunt, quos rerum qualitas, & cauſæ calculus viſibili ſpecie plenius edocebunt. Ego quoque in quo poſſum tibi non deero, litteras quas ex parte mea Domino Papæ trades, accipies à latore præſentium, tibi & fratribus Domini Præcentoris bonum optantes, & vtinam obtinentes! Si affectum effectus non ſequitur, animum veteris amici non argues, ſed fortunam.

Epist. CXV. H

Cellenſi Abbati.

OCcaſionem ſcribendi vobis gratanter arripui, cum apud nos viderem hominem, quem ad vos credebam reuerſurum. Nuncio igitur ſalutationis veſtræ benigne ſuſcepto, cum eo de referenda vobis ſalutatione contradixi, ſub accepta cautione, quia perſona mihi erat incognita. Quia itaque circa me ſunt, ex parte deſcribo, & poſſem vtinam ſcribere lætiora! Poſtquam ab Eccleſ. Rom. reuerſus ſum, tantas acerbitatis ſuæ moleſtias in me fortuna congeſſit, vt fere nihil aduerſitatis exiſtimē meam animam prætuliſſe. Miramini forſitan, & obſtupeſcitis, quid me tantopere potuerit perturbare. Hæc in aure veſtra paucis aperiam. Sereniſſimi Domini, potentiſſimi Domini Regis, Iuuictiſſimi Principis noſtri tota in me incanduit indignatio. Si cauſam quæritis, ei forte plus iuſto faui, promotioni ſuæ vltra quam oportuerit inſtici,

A stiti, ad hoc toto desiderio cordis suspirans, vt quem fortunæ inuidia credebam exulantem, miseratione diuina regnantem cernerem in Patrum solio, & iura dictantem in populis & nationibus. Sic forte decreuit Dominus punire in pœnitentiam desiderium mei. Quicquid enim impatienter impeditur; & fuga & accessu doloris importat aculeos. Huius tamen culpæ non arguor, sed quod vires meas omnino transcendit, & paruitatem meam magnitudine sui poterit excusare; in innocentiam meam impingitur. Solus in regno Regiam dicor minuere Maiestatem. Cum admissi mei factum diligentius exprimunt, hæc in caput meum intorquent. Quod quis nomen Romanum apud nos inuocat, mihi imponunt. Quod in electionibus celebrandis, in causis Ecclesiasticis examinandis, & vmbram libertatis audet sibi Anglorum Ecclesia vendicare, mihi imputatur. Ac si Dominum Cantuariensem; & alios Episcopos, quid facere oporteat solus instruam. His de B causis totus concutior, quibus etiam vrgentibus mihi creditur exilium imminere. Ego illud propter iustitiam, si oportuerit, non modo æquanimiter, sed etiam cum gaudio tolerabo. Vnde infra Calendas Ianuarias me opinor ab Anglia exiturum, & quidem habito consilio vestro, & moraturum in Gallijs, & inde ad Romanam Ecclesiam transiturum. Interim quantas possum bonitati vestræ gratias ago pro honore & libertate, quam in fratrem meum exercuistis, & vt vice mea Abbati Vallecurtensi de visitatione fratris mei gratias referatis exoro: Postquam Prior de Cantumeruliæ litteras istas secreto inspexerit, ne ad oculos & aures plurium transeant prouidere.

Epist. CXVI.

Thomæ Præposito Cellensi.

INspectis litteris; quas Domino Cellensi transmitto, C statum meum pro parte conjicere poterit prudentia vestra. Quod autem specialiter ad vos spectat, amicum vestrum P. sanum esse sciatis, & incolumem, & in magna prosperitate versari. Illum vero quem vestris precibus Domino Cancellario Regis commisimus, ego & Thesaurarius Eboracensis, nuper sanum in bono statu vidimus, licet ab exactionibus Regis non omnino possit esse immonis.

Epist. CXVII.

Domino Papæ Alexandro.

CAusa; quæ vertitur inter Simonum & Baldevvinum Sacerdotes, super Ecclesia de Chiteldis. ab auditorio venerabilis fratris nostri Richardi Lond. Episcopi, appellationis auxilio ad vestram tracta est audientiam. Agebat itaque memoratus S. vt iam directa sibi restitueretur Ecclesia, qua se querebatur esse iniuste & sine iudicio destitutum. Baldevvinus adhæc dilatoria D exceptione opposita de supermemorata Ecclesia de iure conueniri non posse dicebat, citra restitutionem bonorum eiusdem Ecclesiæ, quæ sibi vi & fraude præfati S. dicebat ablata: paratus tamen de principali negotio respondere, si S. innocentiam suam delato sibi iuramento purgaret S. vero nec subire voluit iuramenti discrimen, nec referre, asserens iudicio Domini Lond. intentionem suam non posse alicuius exceptionis obstaculo submoueri: Quod cum pars fateretur aduersa, dicens se ideo appellasse, quia vna die ab eodem Lond. cum isto alia duo peruersa iudicia reportauit, S. ad præsentiam appellauit vestram, præfigens Octauas Apostolorum; cum tamen vtrique parati essemus omnem iustitiam exhibere.

Epist. CXVIII.

Domino Papæ Alexandro.

E CHaritatis fraternæ compassio nos admonet, pro venerabili fratre nostro Vvilelmo Norvvicensi Episcopo vestræ Maiestatis supplicare, vt vexationibus, quas ei Vvachelinus Archidiaconus incessanter continuat, finem debitum imponi præcipiatis. Quod quam necesse sit, vestræ sinceritati innotescere procurauimus, iniquitatis odio & abominatione scandali potius, quam aliquo personarum intuitu. Factum est siquidem Lond. nuper cum Conuentum celebraremus, exigentibus quibusdam necessitatibus, iam dictus Episcopus venerabilem fratrem nostrum Lond. Episcopum, cui videlicet, & Vvigornensi Episcopo cognitionem accusationis, qua Vvachel. impetitur, delegastis, miserabili admodum supplicatione conuenit, F vt saltem ea die, quæ ei tunc tertia fuerat peremptoria constituta, post multas, & bonorum virorum multorum vexationes eius admitteret probationes, quod iam dicto Archidiacono iuxta mandati vestri formam ablata restituisset, & iustitiam exhibuisset, nisi in omnibus per ipsum Vvachel. stetisset. Produxitque in medium copiam virorum religiosorum, Abbatum, Archidiaconorum, Priorum, & Clericorum, eorum testimonio, quos allegauerat, probaturus. Processerunt & alij quamplures illæsæ opinionis viri, qui amore iustitiæ; & ad confusionem iniquitatis dicebant se paratos esse probare, quod sæpe dictum Archidiaconum audierant, offerente Episcopo, remissionem omnium restitutionum quas reposcebat, & insuper de proprio sexaginta marcas argenti, ea conditione, vt ei absolutionem criminum suorum idem Episcopus impetraret, & Episcopum repudiasse, partim quia non poterat, partim ne videri posset pro tantorum criminum redemptione marcas recepisse, in quibus cum vniuersi tam Clerici G quam Laici, supra modum scandalizarentur, dissimulare non potuit, nec voluit Dominus Lond. prædictas probationes tum tertiò productas fuisse; sed Vvachel. nulla trium citationum peremptoriarum apparuisse: & adjecit, quod sine Vvigornensi Episcopo; cui condelegata erat causæ cognitio, & non apparebat, die condicto nihil decernere poterat, & debebat. Sit itaque vestræ discretionis in breui, si placet, sæpe dicti Archidiaconi subterfugiis, in quibus confidit, obuiare, & vexationibus tandem afflicti Episc. pacis remedio subuenire.

Epist. CXIX.

Domino Papæ Alexandro.

ADuersus Osbertum Presbyterum super Ecclesia de Trichestana, Iord. Prior Arceusiæ instituit controuersiam, dicens, eum præfatam Ecclesiam possidere, quam sine Prioris assensu, & alterius Aduocati, citra solemnem ordinem iuris, & regni consuetudinem, H inuitis & reclamantibus Parochianis ingressus fuerat. Ad hæc Osbertus se in eandem Ecclesiam Canonicum ingressum habuisse respondit, Aduocato Comite Vvaren. ipsum præsentante, & Vvilelmo Archidiacono Norvvicensi vice Ebiardi bonæ memoriæ Norvvicens. Episcopi, introducente, & ei cum omni iure suo iam dictam Ecclesiam concedente. Adiecit etiam hoc legitimorum testium assertione in præsentia venerabilis fratris nostri Vvilelmi Norvvicens. Episcopi se probasse, quod & Episcopus destinatis ad nos litteris testabatur. Se tamen minime cogendum esse dicebat, vt possessionis suæ laudaret authorem, aut titulum diceret, cum reus & si nihil præstet, obtineat, authore non probante, quod intendit. Cum ergo venerabilis frater noster Episcopus Cicestr. instaret, vt Prior, si in causa vellet procedere, suam fundaret intentionem, præfatus Presbyter ad vestram audientiam appellauit;

diem præfiniens Dominicam, qua cantabitur, *Lætare Hierusalem.*

Epist. CXX.

Domino Papæ Alexandro.

VEnerabilis frater noster Rodb. Batton. Episcopus dilecto filio nostro, fideli vestro Vvilelmo Cumini Ecclesiam de Cerda restituit iuxta mandatum misericordiæ vestræ, quo præceperatis eandem sibi appellatione remota restitui, si ipsum Dunelmensi Ecclesiæ plene satisfecisse constaret. Dicitur autem Clericus quidam nomine A. vt hoc beneficium clementiæ vestræ infirmet ad Sedem Apostolicam proficisci. Nos itaque quas possumus Maiestati vestræ pro Vv. preces porrigimus sufficientes, vt quod ei misericorditer conferre dignata est bonitas vestra, fideliter conseruare dignetur, & vt ipsum in petitionibus iustis clementer audiatis.

Epist. CXXI.

Domino Papæ Alexandro.

IN omnibus quæ gessit bonitas vestra, nihil Domino Regi Anglorum gratius est beneficio quod Vvilelmo Cumini fideli vestro misericorditer impendistis. Hoc autem nititur euacuare frater quidam nomine A. de Cerda, vtinam melioris vitæ, & integrioris famæ! & Maiestatem vestram leuitati & inconstantiæ, quod absit, submitti desiderat. Rectius, Pater, fuerat, omnino non audire clamantem, quam gratis destituere restitutum, & absque culpa deijcere legitimè possidentem. Placeat ergo dignationi vestræ iuste cumseruare, quod misericorditer contulistis, & ipsum in petitionibus iustis clementer audite. De cætero Episcopus Lexouiensis malleus iniquitatis est ad conterendam Ecclesiam Dei, hic in me pauperem tantam Regis euacuauit indignationem, vt Domino Cantuariensi & Cancellario suo Rex ipse denuntiauerit, me Maiestatem Regiam minuisse, & ob hoc amicorum & fidelium numero excludendum. Auditis etiam litteris, quibus innocentiam meam vestra benignitas excusauit, mendosus ille, & mendax dicere ausus est: *Dominus Papa scripsit quod voluit, ego Domino Regi refero, quod verum noui.* Prouideat igitur mihi pietas vestra, & Regis gratiam studeat reformare.

Epist. CXXII.

Domino Papæ.

CLericus quidam de familia Vvilelmi bonæ memoriæ Eboracensis Archiepiscopi, nomine Symphorianus, in præsentia Regis, The. & Episcoporum, & Baronum Angliæ, in quodam Conuentu celebri Osbertum Eboracensem Archidiaconum impetiuit super crimine veneficij, quo prædictum Archiepiscopum dicebat extinctum, veneno sibi per Archidiaconum in mensa Domini propinato, promittens constanter sa hoc ferri candentis, aut aquæ feruentis, aut monomachiæ, aut alio iudicio probaturum. O vero constantissime crimen inficiatus, priuilegio dignitatis & ordinis se non laicorum, sed Ecclesiastico tantum iudicio subiacere, & se illi per omnia paratum stare respondit. Datis ergo ab vtrisque fideiussoribus de lite exequenda iuxta consuetudinem gentis nostræ in manu Regis, qui nobis & fratribus nostris reclamantibus & contendentibus, causam hanc propter atrocitatem criminis, & quia eo præsente initiata erat, ad forum suum pertinere dicebat, in Octauas Epiphaniæ dilata est controuersia. Interea Regi S. Serenissimus Dominus noster Rex Henricus successit, de cuius manibus vix cum summa difficultate, in manu valida, cum indignatione Regis; & omnium procerum, iam dictam causam ad examen Ecclesiasticum reuocauimus. Cum ergo, interuenientibus multis dilationibus quæstio ex necessitate protracta esset, & actor, S. scilicet secundum subtilitatem legum & Canonum accusationem non posset implere, inspectis sacris Canonibus de consilio venerabilium fratrum nostrorum Ric. Lond. Hil. Cicest. Iosel. Rat. Rodb. Exon. Episcoporum, & aliorum sapientum, qui aderant, quia verbum istud per totam insulam diuulgabatur, iam dicto Archidiacono purgationem indiximus in manu Archidiaconorum, adhibitis secum aliis quatuor Diaconis, diem præstandæ purgationis præfinientes, qua imminente accessit ad nos memoratus Archidiaconus, dicens se malle innocentiam suam demonstrare in facie Ecclesiæ Romanæ, ad quam verbum forte peruenerat; se & omnia sua vestræ protectioni subijciens, auctoritate Apostolica inhibens, ne in læsionem eius quippiam ab aliquo statueretur. Adiecit etiam quod in Octau. Epiphaniæ se nostro conspectui præsentabit. Nos ergo, vt oportuit, Apostolicæ Maiestati deferentes defensionem negotij, vestræ reseruauimus Sanctitati.

Epist. CXXIII.

Domino Papæ Alexandro.

AD hoc Ecclesiam vestram capiti omnium Ecclesiarum dispositio diuina præfecit, vt exterminatis vitiis de domo Domini virtus iucundum capiat incrementum, & vt imperfectum totius humanitatis, vestræ Maiestatis suppleat consummata perfectio. Causa quæ vertitur inter dilectos nostros Rad. Donelmensem, & Monachos Cantuar. Ecclesiæ, appellationis auxilio nuper ad examen Apostolicum à nostris manibus euolauit, ea est huiusmodi. Memoratus R. reditus lx Abra. quos in Ecclesia Doutensi habuerat, officio nostro restitui postulabat, aut aliorum redituum æquam recompensationem sibi reponderari; dicens eos ad hæc teneri ex iuramento, quod Abr. Cancellarius nomine ex mandato conuentus præstitit, quando Rad. cessit, vt in Ecclesiam Doutæ Monachi ingrederentur. Hoc quoque se legitimis testibus promisit probaturum. Prior vero & Monachi hanc eius petitionem inanem esse dicebant, eo quod sibi semper prædicta pactione in assignato redditu fuerit satisfactum: adjicientes se paratos esse ad calculi rationem accedere, vt suppleant pro arbitrio boni viri, si quid ei vlterius competierit. Ad hæc R. se citra audientiam vestram minimè super hæc litigaturum respondit, inuitans Priorem specialiter, & Hug. fratrem eius super contemptu vestro, eo quod in Parrochia illius protectionis vestræ præsidio gaudentis, me inuito contra iuris reuerentiam Capellam construxerint, præfixitque terminum Dominicam in Ramis Palmarum.

Epist. CXXIV.

Domino Papæ Alexandro

IN seipsum, teste Anania prouocat sententiam mortis, qui Spiritum Sanctum merito virtutum successionis grata prærogatiua Sedis habitantem in vobis, aliquo mendacij fuco circumuenire præsumit, præsertim cum in dispendium iuris, & alterius læsionem mendax precator inuigilet. Porro lator præsentium Nicolaus à venerabili fratre nostro Dunelm. Episcopo, Archidiaconatu, quem Canonicè habebat, contra omnem reuerentiam iuris absens spoliatus, inauditus, non conuentus, occasione litterarum, quas quidam Iord. forte vobis incognitus, falsis precibus non sine admiratione totius Ecclesiæ Anglorum a vestra clementia impetrauit. Hic est, Pater optime, hic est ille publicè periurus homicidij ex præcedenti insimulatione publica respersus infamia,

A quem ob crimen falsi in Apostolicis apicibus commissi, sanctus decessor vester Eugenius officio & beneficio Ecclesiastico condemnauit: quia ille prostratus sententia, exquisitis ignotarum gentium angulis latuit, donec prædictum Patrem rebus humanis cognouit exemptum. Supplicamus itaque Maiestati vestræ, quatenus latoris præsentium inspecta iustitia & miserabili paupertate quod in eum enormiter factum est, misericorditer corrigatis, & eo restitutum causam iubeatis per legitimos tramites suo marte discutere, si tamen decessoria vestri sententiam euacuandam esse decernitis, & homini iam damnato actionem potius deberi quam pœnam.

Epist. CXXV.

Domino Papæ Alexandro.

B CVm omnes fideles sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidio gaudeant, ad sinum misericordiæ eius fiducialius in necessitate confugiunt, quorum desideriis iustitia suffragatur, qui sanctæ conuersationis incitamento virtutes promouent proximorum. Tales esse fratres, qui apud Theochesbiam Domino deuotissimè famulantur, publico præconantis famæ testimonio didicimus. Pro eis ergo tam sinceras, quam securas preces vestræ porrigimus Maiestati, quanta possumus deuotione supplicantes, vt eorum iusta desideria compleatis, vt exitu negotiorum facili & felici exhilarari, vtriusque vitæ successus vobis præcordialius studeant ab Altissimo promereri. Inter cætera miles quidam Ecclesiam, quam quadraginta annis inconcusse tenuerunt, eis molitur auferre sub prætextu aduocationis quam aduersus Ecclesiam Domini laici apud nos pertinacissimè vendicant. Trahuntur ad Sedem Apostolicam, ac si possent inde iniuriarum reportare molestiam, vbi iura nascuntur. Sed Domino authore, Sanctorum decessorum C vestrorum vestigiis inhærendo, ita vnius temeritatem retundetis, vt eius exemplo alij instructi ad similia nequaquam audeant aspirare.

Epist. CXXVI.

Domino Papæ Alexandro.

IVxta sanctitatis vestræ mandatum, nobilem virum Hugonem de Douera diligenter commonuimus, vt Monachis sancti Bertini Ecclesiam de Cillehaim, quam ad ius monasterij sui, vt dicebant, pertinentem sibi, violenter, & absque iudicio querebantur ablatam, restitueret. Ille autem se mandatis Apostolicis, & iuri promisit per omnia pariturum: verum falsitatem precum, quas vobis Monachi porrexerant, in multis arguebat. Primo quidem iam dictam Ecclesiam ad ius Monasterij non pertinere asserit, quam nunquam ipsius, & alicuius prædecessorum suorum assensu habuerant, præsertim cum non assentiente, nedum reluctan- D te fundatore status Ecclesiæ mutari non possit, aut subjici seruituti. Deinde Monachos nunquam suo nomine possedisse dicebat, sed cuiusdam Odonis, quem famosissimus ille Tyrannus & Ecclesiæ nostræ grauissimus persecutor, Vvilhelmus de Hipra, exhæredato Domino fundi, vtcumque in possessionem admitti impetrauerat. Fraude vero collusionis interuenientis, vt eis præfatam Ecclesiam cederent, Monachos præfato Odoni certos reditus assignasse, & hoc etiam notum esse publicè asserebat, & ita mediante Simonia detentionem Ecclesiæ qualemcunque habuisse, venerabili fratre nostro Rogero Eborac. qui nunc est, tunc Cantuariensi Archidiacono. Hoc ipsum Apostolica auctoritate inhibente, postremo Abbatem & Monachos sancti Bertini, qui adfuerant, cum supradictus Tyrannus à regno Angliæ exterminaretur, liti & detentioni quam habuerant, in perpetuum renunciasse dicebat, vt fructus supradictæ Ecclesiæ permittente Domino, liceret E asportare. Hæc quidem omnia promisit se sufficientissimè probaturum. Præterea se ad Maiestatem vestram vt fraudem & malitiam Monachorum detegeret, iam nuncios destinasse dicebat: nihilominus in nostra audientia suam paratus innocentiam & iustitiam demonstrare. Cum ergo de veritate precum, vt oportebat, cognoscere volentes, Monachis præfigeremus diem, ipsi se non subituros causam, nisi citra cognitionem restituerentur, responderunt. Nos ergo in præiudicium rei, & subuersionem iuris procedere nolentes, mandatum expectamus, vobis in omnibus per omnia parituri.

Epist. CXXVII.

Domino Papæ Alexandro.

LIcet in ore nunciorum nostrorum, quibus merito honestatis & fidei fidem haberi oportet, posuerimus verba nostra, literarum tamen indicio paternitati F vestræ significare curauimus, qualiter in præsentia nostra processum sit in causa Monachorum sancti Bertini super Ecclesia de Cilleham. Nobilis vir Hugo de Douera à nobis ex mandato vestro commonitus, vt præfatam Ecclesiam cum ablatorum integritate restitueret Monachis, qui se ab eo violenter spoliatos esse conquerebantur: respondit eis, nullo iure restitutionem competere, cum destitui non potuerint, qui nunquam fuerant instituti. Detentionem siquidem rerum iam dictæ Ecclesiæ, ex qua niti videbantur, non suo, sed nomine alieno habuisse dicebat, cuiusdam scilicet Odonis, quem nos ipsi scimus memoratam Ecclesiam possedisse: sed quod ei renuntiauerit, aut eam alij cesserit, penitus ignoramus. Certum quoque habemus Archidiaconum nostrum, qui nunc est Eboracensis Archiepiscopus, appellatione interposita prohibuisse, ne Monachi rebus illius Ecclesiæ se immiscerent. Veruntamen quia dies mali erant, & famosus ille Tyrannus, & Ecclesiæ nostræ grauissimus persecutor Vvilhel- G mus de Hipra, cui iam dictus Odo adhærebat, nostris capitibus imminebat, necesse habuimus dissimulare, quando patrimonio Vvilhelmi contenta appellatione Monachi res Odonis, qui sibi prospiciebat in posterum, nomine eius contrectare cœperunt. Præterea etiam si constaret Monachos suo nomine possedisse, petitionem eorum submouebat, dicens eos possessioni & liti renuntiasse, quando eis fructus Ecclesiæ asportare permisit, offerens se hoc sufficientissimè probaturum. Cum ergo miles instaret, vt Monachi sui fundarent intentionem, aut exceptionis eius admitteretur probatio, Monachi declinantes conflictum se contra cognitionem causæ restitui postulabant. Ad hæc Miles vestram Maiestatem non præcepisse, vt illi instituerentur, sed restituerentur, & ex verbo restitutionis, aliis quæ in sacro rescripto vestro continebantur, causæ cognitionem nobis plenissimè demandari: & quia religionem vestram, vt dicebat falsa suggestio- H ne circumuenerant, ij in probatione procedere nolebant, Hip. omnia ad consultationem vestram dixit relaturum, & vobis tanquam Patri & Domino in omnibus pariturum. Procedente vero tempore, antequam eius nuncius ad vos peruenisset, mandatum vestrum de coercendo milite iterastis. Nos itaque mandatis vestris iterato debitam reuerentiam, & obedientiam exhibentes, licet miles se iustitiæ semper offerret, & è contrà Monachi euentum iudicij fugerent, Ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis, & eum periculo nostro sequestrauimus, eam retinentes in manu nostra, donec vobis, & rei veritas, & nobis voluntas vestra plenius innotescat. Si vero chartam nomine nostro conceptam illi protulerint, eam vt imperfectam nostrum fateamur, à nobis vi & metu supra dicti Tyranni sciatis extortam. Hoc quoque & vestram non lateat Maiestatem, quod deuotus vester Ioannes Thesaurarius Eboracensis, quem Monachi, sæpe nominatam Ecclesiam per manum laicam asserunt occupasse

nunquam ad eam manum extendit. At causam eius sine dedecore & amicorum enormi damno non poterat in necessitate deserere. Supplicamus ergo dignationi vestræ quatenus ea moderatione quod placebit super hoc præcipiatis vt Monachi, si quid iuris habent, id ita consequantur, ne nos indignationem Domini Regis, & persequutionem omnium Procerum, qui scandalizati sunt in hoc verbo, incurramus, precamur, vt fidelem vestrum, dilectum filium vestrum Ioannem Thesaurarium Eborac. cui vitiosa Monachorum suggestione aliquatenus lætitiam excussistis, debitæ consolationis beneficio exhilaretis.

Epist. CXXVIII.

Episcopo Norvvicensi.

NVncios vestros à Domino Rege redeuntes sanos recepimus, promittentes in aduentu Regis, optatum petitionibus nostris effectum. In omnibus enim consilio Domini Archiepiscopi adquiescet, & honori, & vtilitati Ecclesiæ tota mentis intentione studiosius inuigilabit. Verum interim scutagium remittere non potest, & à quibusdam exactionibus abstinere, quoniam fratris gratia male sarta nequicquam * coegit, sed ob hoc perniciosissimè scissa est, quod Domino Regi fratri totam hæreditatem paternam, nominatim terram, * cuius ei possessionem vis maior abstulit; noluit abiurare, cum tamen muniriones & Regi cedere, & obsides dare paratus esset, vt terram quam dono patris habuerat, recuperaret. Profectus ergo ad Regem Francorum Comitis Theobaldi fretus auxilio, Francos sollicitare in dispendia nostra, & ..... eorum diuitiis nostris, viribus, & potestati tentat opponere. Agit forte vt sic fortuna possit grauius promereri, quomodo Regem & gentem Francorum, fauente iustitia Dei, in manibus nostris, impleuimus in eo mensuram patrum nostrorum, si tamen eorum forte voluerimus esse contenti. Sed profecto maius est quod nobis restituto Vernone fortuna promittit. Speratum colloquium nobis subtraxerunt Franci consilio Comitis Theobaldi. Dominus Rex ab Andegauis, & Pictauia rediens ad nos transmittet, qui summam rerum gerant, & absentes ipsius damna commissa sibi à viris administratione compensent.

Epist. CXXIX.

Domino Papæ Alexandro.

HAbent à capite membra vt vigeant, & sancta Romana Ecclesia, Domino auctore, sal est omnium Ecclesiarum. Vnde necesse est, omnes ad vos recurrere, incumbente necessitatis articulo, quem per se nequeunt expedire. Est autem apud nos causa difficilis inter venerabilem fratrem nostrum Michaelem Laudauensem Episcopum, & Rodbertum filium antecessoris sui, quam nisi Apostolica auctoritas interueniat, finem diebus nostris non credimus habituram. Vexati sumus in ea diutius, sed temeritatem præfati R. nullo correctionis genere potuimus coercere, quin nouissima eius, prout nobis referebantur, semper essent deteriora prioribus. Vt enim de corporis immunditia taceamus, incendia, rapinas, & varias figuras criminum eius ad nos plurimi perferebant. Quotiens inter eum & aduersarios suos multo studio, multoque labore reformauimus pacem; toties ab eo pax scissa & reformata recessit, tandem excommunicatus ab Episcopo suo vestram adiit Maiestatem; sed an absolutionis vestræ meruerit gratiam ignoramus. Apostolicas tamen litteras retulit, quibus venerabilis frater noster Vvigorn. Episc. præcipiebatur illi, & quibusdam complicibus suis, & Episcopo Landauensi, & Rad. Archidiacono suo iustitiam exhibere: Deinde paucis diebus elapsis aduersarij eius nobis vestræ beatitudinis apices attulerunt, præcipientes causam sine debito, sine appellationis subterfugio terminari, non obstante rescripto, quo Rodb. aurem mansuetudinis per subreptionem obtinuit. Partibus itaque in nostra præsentia iuxta mandatum Apostolicum conuocatis, prædicti Rodberti petitionibus aduersarij eius crimina multa in modum exceptionis, opposuerunt, in quibus etiam conueniebant eum super crimine læsæ Maiestatis, dicentes eum commisisse falsum in litteris vestris, quas proferebat. Vobis quidem, & fratribus vestris qui aderant obstiti, dissimilitudinem, & litteras quas de industria fecisse visus est, omnino suspectas: & ideo, vt nobis visum est, ad celsitudinis vestræ examen remittendas. Ipse vero constanter se ad causam à vobis accepisse dicebat, & omnium quæ continentur in litteris, Romanum Pontificem laudabat authorem. Vnde habito fratrum nostrorum consilio, accepta ab eo iuratoria cautione, quod vestro stabit mandato, easdem vobis transmittimus per dilectum filium vestrum Rad. Laudauensem Archid rogantes, vt eum in iustis postulationibus suis audiatis, & miserias Laudauensis Ecclesiæ, quas vobis exponet, oculis propitiationis vestræ respiciatis. Præterea nobis, si placet, rescribite, qua animaduersione feriendi sunt corruptores litterarum vestrarum. Difficile enim est ad singula huiusmodi, quæ emergunt, Maiestatis vestræ consilium expectare.

Epist. CXXX.

Abbatissæ.

NEgligentiæ tuæ, vt interim sic dicatur, multiplices & graues excessus vlterius dissimulare non possumus, cum ad aures Romani Pontificis delicta tua peruenerint, & aduersus innocentiam vestram sanctæ Romanæ Ecclesiæ promoueant indignationem. Te quidem sæpe monuimus, vt à famosa familiaritate & cohabitatione Hug. Officialis, roti qui tuæ religioni est in offensionem & scandalum, modis omnibus abstineret, cum ex mandato Domini etiam pes vel oculus sit ob huiusmodi causam projiciendus. Huc vsque contemptum vestrum, vtcumque portamus, adhuc de periculo animæ tuæ & famæ dolemus, & te profecto sine mora dolere faciemus, nisi vitam tuam in melius commutaueris, & domus tuæ famam correctione celeri * studueris reformare. Apostolicum namque mandatum & increpationes suscepimus, quæ nobis indicunt, non esse parcendum, si tibi vlterius pepercerimus in erroribus tuis. Proinde in virtute obedientiæ tibi præcipiendo mandamus, vt præfatum H. à familiaritate & conuersione domus tuæ amoueas infra vij. diem à susceptione præsentium litterarum, & administrationes Ecclesiæ tuæ gerere non permittas, ne si aduersus hæc venire præsumpseris, te Domini Papæ authoritate sententias condemnatam.

Epist. CXXXI.

Domino Papæ Alexandro.

VT de his, quæ à nobis ad Maiestatis vestræ examen transeunt possitis commodius iudicare. Sanctitati vestræ gestorum series est fideliter intimanda. Apud nos inter Philippum de Dantebeia, & Raginald. de Lidecumba huiusmodi controuersia vertitur. Osmundus de Sax. nomine iamdicti Philippi, Ecclesias de Renetebia, & Lidecumba, & Fulesleia possidebat. Porro iamdictus Raginaldus Ecclesias de Lidecumba & Fulesleia præfati Procuratoris nomine, O. videlicet possidebat, reddens ei annuam pensionem. Cum itaque memoratus O. infirmitate grauatus se regularium fratrum Canoni contulisset, * Philippum, qui possidebat, vocauit, vt ei res suas resignaret. Rationibus ergo Procuratoris expletis pacificè P. ingressus est in Ecclesiam de Renetebia. Transiens autem ad Lidecumb. & Fulesleiam, à

supradicto

A supradicto Raginaldo minime admissus est. Implorato autem ad vim pulsandam præsidio Iudicis, cum in possessionem inducendus videretur, Rag. qui iam possessionem induetat, ad nostram audientiam appellauit. Die igitur complacita assistentibus partibus nostro conspectui, P. testibus, instrumentis & chartis Sar. Episcopi, & Monasterij Ambresbiensis, sufficienter munitus, Ecclesias de Lidecumba & Fulesleia suas esse, & se eas per O. possedisse dicebat. Ad hæc Rag. se eas diu tanquam suas quiete possedisse dicebat, sed minus instructum venisse, cùm instrumentis & testibus abundaret: vnde ei circiter duorum spacium mensium quod causam suam procuraret, duximus indulgendum. Quo fere elapso sæpedictus Rag. nobis apparuit dicens se Curiam nostram habere suspectam, & testium & instrumentorum sibi ob hoc deesse copiam, quod ante dictus P. domesticus noster & cognatus esset, & eum ideo multis esse terribilem. Nos autem parati eramus compellere testes, si quos haberet, vt darent testimonium veritati, aut causam alij Episcopo, de quo magis confideret, de- B legare, ne sibi nostra authoritas in aliquo obesse videretur: Ipse vero ob hoc nihilominus, ad vestram appellans audientiam, festum beati Andreæ examinationi causæ præscripsit. Nos itaque vestro pro voto & debito deferentes, vobis causam transmittimus, id solum postulantes, vt seruata vtriusque iustitia causam sic ab aliis decidi iubeatis, vt nobis omnis suspicionis occasio, & laboris necessitas subtrahatur.

Epist. CXXXII.

Domino Papæ Alexandro.

Ecclesiam de Vvacheringiis Richardus de Ambly nomine Monachorum quorundam, de quorum iure esse dignoscitur, asserens se possidere eam quidam apud Lond. Episcopum à præfatis Monachis petiuit, R. de Ambly nec præsente, neque citato. Veruntamen C Episcopus, sicut sui postmodum nobis nuncij monstrauerunt, confessione aduersariorum, & quibusdam motus instrumentis, iam dictam Ecclesiam, volentibus ita forsan Monachis, Rad. adiudicauit, quamuis duo Clerici Richardi de Ambly adessent, quorum alter se gestorem negociorum Richardi asserebat. Ambo vero publice protestabantur Rich. absentem & non citatum minime debere condemnari. A sententia igitur Dn. Lond. ad nostram audientiam appellarunt, die præfinito comparuerunt Rich. & Rad. cum Monachis sibi fauentibus. Cum ergo causa diu ventilaretur, protulit memoratus Rad. duo instrumenta quæ apud nos fecimus detineri, quoniam alterum vitio manifestæ turpitudinis præditum est, alterum falsitatis arguitur. Nihilominus memoratus Rad. repetebat Ecclesiam sibi adiudicatam. Porro quia Prior Monachorum aberat, qui de causa nos diligentius instruere poterat, qoia & de instrumenturum veritate D plenius cognoscere volebamus, causa in alium diem differenda videbatur. Sed sæpe dictus R. causam appellationis suspendi non debere allegans, ad Apostolicæ sedis audientiam appellauit, diem præfigens Dominicam, qua cantabitur. *Lætare Ierusalem,*

Epist. CXXXIII.

Thomæ Præposito Cellensi.

Svscepimus olim mandatum felicis recordationis Papæ Eugenij, vt inter Monachos de Croislenda, & Haldenum quendam super Ecclesia de Sutettona, & decimis quibusdam causam decideremus. Igitur idem mandatum exequentes super præfato negocio, & diligenter cognoscentes, præfatam Ecclesiam Monachis adiudicauimus cum ablatorum plena restitutione, quæ ad æstimationem x v. marcarum fuit idoneorum testium sacramento probata. Monachis ergo frequenter restitutionem exigentibus, & easdem decimas, in præsentia E Domini Lincol. tandem H. ad nostram audientiam appellauit, cumque ambæ partes ante nos consisterent, cœpit H. causam diu definitam super Ecclesia Sutertona instaurare. Porro cùm Monachi in petitione sua perseuerarent, xv. marcas sibi adiudicatas cum quibusdam decimis exigentes, Haldenus asserens se non debere super his respondere, ad audientiam sedis Apostolicæ appellauit, diem præfigens Dominicam, qua cantabitur, *Quasi modo geniti.*

Epist. CXXXIV.

Ioannes Gaufrido de Sancto Ædmundo.

Cvm in solemnitate Paschali reformandæ mihi pacis gratia Andegauum profectus essem ad Regem, ipsum ante Dominici corporis perceptionem per Abbatem S. Victoris Pariensis, & alios religiosus, feci diligentius conueniri super pace R. filij vestri, adhibitis etiam aliis amicis, de quorum fide in Curia spem conF ceperam pleniorem: Sollicitaueram enim antea super hoc virum optimum, & suis meritis mihi reuerendum, Magistrum Galterium de Insula, & per ipsum alios Patres, quorum fides mihi videbatur esse sincerior. Rex autem & pro Dei Religione, & intercedentium reuerentia, respondit benignius: audito tamen quod ad Dominum B. Abundi res ista pertineret, Vvilelmum de Hasting per quem veritatem inquisiuit, fecit acciri, ne quid per surreptionem diceretur ab ipso. Ille autem quatenus potuit & ausus est, benignius exposuit causam vestram. Præcepit ergo Rex puerum ad se mitti, vt indulgentiæ remissionis præsens reciperet literas, quas ad regni Officiales, vt de pace ipsius constaret, asportaret rediens. Itaque puerum cum festinatione sicut Domino placuit, & nostra necessitas exigebat, ad Magistrum Galterium de Insula transmisi, cuius fidem & charitatem nobis exhibitam remuneret fundator Ecclesiæ Christi, pro cuius fide & amore, sicut nobis conscientia testis est, læti G quandoquidem necesse est, damna, iniurias, contumelias, & exilium sustinemus, certi quam fidelis est Dominus, qui non tentari nos patietur supra id quod possumus, sed de ipsa tentatione profectum salutis & anteactæ vitæ purgationem eliciet. De me loquor & quibusdā aliis, quos scio in hac tribulatione congratulari, vt crebrò meditentur, & dicant ei *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo.* Patimur enim per gratiam Dei, non vt adulteri aut homicidæ, non vt incendiarij aut sacrilegi, sed velut Christiani. Hanc fidem vestram insaniam reputat mundus, & constantiam fidei pertinaciam vocat: Professionem veritatis & nota & nomine vanitatis, verum cultum Religionis appellatione hypocrisis aut superstitionis, aut alterius falsitatis dehonestare conatur, sed Princeps Apostolorum aliter sentit, & contrarium docet. *Est enim*, vt ait, *gratia apud Dominū, quia in hoc vocati estis à Christo, vt sequamini vestigia eius. Et, Si quid patimini propter iustitiam, beati eritis.* H Aderit dilecte mi, aderit arbiter conscientiarum & iudex, cuique reddituius vt meruit, & tunc palam fiet, quicquid modo garriat mundus, qua mente quisque vixerit. Interim quæso tuis & Sanctorum quos nosti, me facias precibus adiuuari, vt si minime sum, quod non credo, in Christi via, iustorum reducat ad se viam, si in via sum, me per prospera & aduersa, vt tibi beneplacitum fuerit, perducat ad vitam. Si Magistrum Galterium videris, ei per te, & per amicos quantascunque poteris, gratias referas, & maxime per Comitem Gaufridum, quem diligit & si facultas affuerit, eum recipias, & ab aliis recipi facias tanquam Angelum Domini, quoniam & ipse, vt arbitror, Dei minister est, & quantum licet in Curia membra Christi multipliciter consolatur. Quos puer inuenerit adiutores, quia nescit meus status, pro parte poterit indicare. Imputabis quæso fortunæ, non mihi, quod in eum humanitatem ampliorem non potui exercere. Vtinam amicos amodò meliores inueniat! Ego profui quatenus tempora permittebant

A Audio Magistrum Galterum iuramento arctari, vt neque literas, neque nuncios recipiat exulantium. Ex quo patet, quàm misera necessitas bonis viris immineat, quos non licet mandata diuinæ legis, officia videlicet charitatis implere.

Epist. CXXXV.

Abbati Sancti Edmundi.

SVper statu vestro, quem Deus prosperum faciat, non sollicitari non debeo, præ mente iugiter habens meritа sinceritatis vestræ. Siquidem nec charitas elabitur per incuriam, nec fraude surripitur, nec excutitur violenter, eò quod in mentibus electorum solidius à Christo & in Christo fundatur. Obsequium meum vobis subtrahit malitia temporis, sed voluntatem nullus auferre potest: ad hoc nulla proficiet violentia, totiusque B fraudulentiæ conatus euacuabitur, eo misericorditer largiente profectū, qui gratuita bonitate charitatis dedit initiū. Erit itaque dignationis vestræ naufragium Ecclesiæ, & exilium Christi sollicitudines, & labores, vestris, & Sanctorum qui vobiscum sunt, orationibus subleuare: vt qui nos tempestati exposuit, & pro se patiendi contulit animum, patientiæ perseuerantiam largiatur, *Hæc est*, enim, *gratia*, sicut Petrus loquitur, vt Christi & Sanctorum passionibus aliquatenus communicemus, certi quod compatientes & conregnabunt. Numquid enim mentis inflammet Gehennam? Ridet ad hæc prudentia carnis, & perfidorum vocibus Iudæorum insultat, & maledicit ei qui cum Christo pendet in ligno: sed interim, iuxta vaticinium Deboræ, *noua bella disponit Dominus, portas hostium ipse subuertit.*

Epist. CXXXVI.

Nicolao de Monte S. H.

C NOuit fraternitas tua, quàm patienter sustinuerimus damna, iniurias & contumelias nobis & nostris illatas à dilectissimo Domino nostro Illustri Rege Anglorum. Ipse, autem abusus patientia nostra ad sanctissimæ matris suæ prorupit iniurias, sponsam loquimur Crucifixi, & illam non est veritus ancillare, pro cuius liberatione Filius Dei Dominus morte turpissima voluit condemnari. Monuimus eum sæpius affectu patris, fide Domino debita supplicauimus, corripuimus authoritate Pastoris: ipse in persona nostra patrem suum itidem fidelem contempsit, & pastorem, & nequid de cætero veritati subtractum sit, quod Ecclesiæ periculosius, & sibi perniciosius est, illum, cuius inesse gerimus, conspuit Christum. Habebuntur hæc vana, & contemnat vt solet, si Filius Dei Ecclesiæ non dicit Pastoribus, *Qui vos spernit, me spernit, & qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Processit vlterius sollicitudo nostra, vt pro pace Ecclesiæ summus Pontifex deuotas preces D porrigeret, sed non est exauditus: exhortationes adhibuit, & surdum reperit auditorem: increpationes adiecit, contemptæ sunt: tandem Apostolica turba comminationes intonuit, sed nec sic potuerunt fides & religio excitari. Ne quid autem omitteremus ex contingentibus, Rex Francorum, qui ei est amicus & Dominus, omnem adhibuit operam & diligentiam: sed nec ille pro sua reuerentia meruit exaudiri. Ad colloquium eius accessimus; sed nec ad conspectum eius sumus admissi, nec vestri nominis aut causæ Dei permisit fieri mentionem. Misimus ei postea nuncios venerabiles viros, & literas patentes, vt par erat, in quibus expressa erat & iustitia Ecclesiæ & nostræ petitionis sententia: sed noster & eorum labor, quantum in eo, cessit in cassum. Secuti eramus fidem Dominæ Imperatricis, sicut tu nosti, & ipse ignorare non debet: sed nos vsquequaque delusit. Quia ergo hæc patientia nostra Ecclesiæ Dei perniciosa est, sed perniciosior illi cuius nouissima fiunt in dies deteriora prioribus, nobis autem perniciosissima, quos oportebit ante Tribunal Sponsi non E modo de operibus propriis, sed & de sanguine eius, & afflictione Sponsæ reddere rationem: pro certo noueris, & Dn. Imperatrici intimes, quod in personam eius & terram in breui, imò breuissimo, vita comite, & Domino autore, exeremus gladium Spiritus sancti qui omni gladio ancipiti penetrabilior est, vt sit in ruinā induratæ carni, & sopito, imò ferè extincto spiritui in salutem. Persuadeas ergo Dominæ nostræ, vt nos de cætero habeat excusatos, in eo quod vltrò dissimulare non licet: sciat quia pro certo quod si reuixerit vir eius, & consilium matris recipiat audiens vocem Domini, nos ad honorem Dei & voluntatem suam paratos inueniet. Interim morientem filium pariter, & eodem lugeamus affectu, qui salutem eius & honorem, Deo teste, consimili desiderio oramus pariter, & optamus. Hæc cum dolore, lacrymis, singultibus, & suspiriis loquimur, tanquam viscera nostra de claustro pectoris acerbitate ferri extracta ardore cauterij inuramus: quod & Deus scit, in F cuius iniuriam exercere vlterius non debemus impiam impietatem, ei in terris, matrem, patrem, sororem præferendo, & Dominum: non est dolor sicut dolor iste: Sed charitas Dei, & vtilitas, & honor eius qui curatur, nos vrget vt hæc forti animo sufferamus. Vale, saluta, & sollicita fratres nostros, vt nobis impetrent spiritum consilij & fortitudinis orantes pro Domino Rege, vt ei assit Spiritus scientiæ & veritatis, quatenus pax eius Ecclesiæ Dei & nobis reformetur in Domino.

Epist. CXXXVII.

G. Prioribus sanctæ Ecclesiæ Cantuariensis.

MEminisse potest & debet vestra discretio, quanta reuerentia sit Patribus exhibenda, & quantam humanitatem sancta Cantuariensis Ecclesia Archiepiscopis suis impenderit. Licet illum qui præsidet nobis non audeam suis decessoribus coæquare, qui in Ecclesia G nostra coruscant miraculis, tamen causam, quam iste tuetur, inferiorem esse non arbitror. Eadem enim est; cum vtrobique pro libertate & salute Ecclesiæ certatum sit. Spero autem in Domino, quoniam & Ecclesia Romana multis indiciis dat ausum confidendi, hanc patris nostri peregrinationem & laborem conualescere ad restaurationem Cantuariensis Ecclesiæ, & integram reformationem dignitatum & priuilegiorum, quibus beato Lanfranco præsidente gaudebat. Sed hoc in auribus vestris dictum sit, vnde & vos decet omnem pro viribus, imò & ferè supra vires opem ferre patris naufragio, & eum beneficiis promereri, vt cum Deo authore obtinuerit, vestri possit & debeat meminisse in bono. Nonne enim indecens est & probrosum, si Episcopo pro iustitia exulanti alieni subueniunt eius necessitatibus, eius filij cuius honorem & gloriā thesaurisant, communicare noluerunt? Nonne ei in Capitulo omnia, & sanctorum capsas obtulistis, vt hæc vobis acquireret? Ergo quia ob hanc causam Romanæ Ecclesiæ tenetur in H aliquantula pecunia, supplicat ipse, & ego fidelis vester consulo, quatenus ei in hac necessitate subueniatis, ne Dominum Papam beneficij sui pœniteat & pigeat inhumanitatis vestræ in perpetuum. Moueant vobis extraneorum exempla, qui propriis vsibus & necessitatibus subtrahunt, & labore manuum exquisita, quæ vsibus vestris impertiunt.

Epist. CXXXVIII.

M. R. Rodonensi.

DIu est amicorum amantissime quod de statu tuo, & aliorum veterum amicorum certiorari desidero, eo quidem ardentius quo rarius sollicitum vel de te, vel à te certiorari contingit. De te tamen aliquid interdum audio, & hoc beneficio intermeantium, sed à te nihil vnquam audiui: quod vnde contingat, non plane

video,

A video, nisi quod te conijcio, quoniam dies mali sunt, & tu vir prudens, ex quadam silüisse cautela. Ego vt infirmitatem meam fatear in auribus tuis, & insipientiam meam amico reuelem, tanquam mihi nunquam hanc potui habere cautelam, quoniam vellem amicorum opportunitatibus communicare, & eorum pro modulo meo gerere sollicitudinem. Cum ergo tibi sæpius scripserim, & tu nunquam scripseris, amplius succensa sollicitudo nequit vlterius cohiberi, quin per proprium inquirat nuncium, quis tuus vel veterum sit status amicorum, nec sic veteres dixisse arbitreris, vt inueteratos, in quibus charitas refrigescit, dictos intelligas; cum ego nec senserim, nec dixerim eos aliquod charitatis dispendium sustinere. Quis enim ego sum, vt seruum iudicem alienum, qui Domino suo stat aut cadit? Stabit autem Deo auctore, & mihi vtique charitas officiosa est, ignara totius mali, fortis vt mors, & sinceritatem suam multis & perennibus prodit indiciis: habet hæc testi- B monium iugiter maius Ioanne, quod ei perhibent tam opera quàm fructus operum. Si vacas, & licet; & id curas per latorem præsentium, quem ad hoc misi, de statu meo & aliorum poteris certiorari, idemque aperiet tibi quomodo de tuo faciat certiorem. Noueris autem quoniam mihi licet, & ad hoc vacuus sum, & tota deuotione sollicitus, vt tuis & tuorum, si quid peregrinanti dignaris iniungere, mandatis libenter obediam, mihique loco magni muneris erit, si me aliquo obsequio tui, mandato tuo contigerit occupari. Aude ergo amice, aude aliquid petere aut præcipere amico se & sua tota affectione animi exponenti.

Epist. CXXXIX.

R. Priori Nintonæ.

VBi humanum consilium deficit, ex necessitate confugitur ad diuinum, quod, vt opinor, nulla via fa- C cilius aut felicius obtinetur, quam si amici Dei illud precibus studeant obtinere, culpa patrocinio indigentium demeretur. Ego quidem exulo & proscriptus sum, & quod ad hominem alteratus, pene vllam causam non video, licet apud Dominum me acerbiora meruisse conscius sum, & fortassis peccatis meis exigentibus euenit, vt hic flagellis acerbioribus feriar, & tamen causam percussionis ignorem. Eo autem magis timenda sunt iudicia Dei, quo de occultiori iustitia & secretiori ratione proueniunt. Est autem pœna duplex, cum & ipsa sentitur, & causa ignoratur. Si tamen diuinæ miserationis est vt me pro iustitia pati velit, gratissimum habeo, certus quoniam ita amicos beare consueuit, quia per multas tribulationes itur ad regnum. Fateor me Ecclesiæ Dei seruasse fidem, & Archiepiscopo meo, vt oportuit, fideliter obedisse, nec me, Domino auctore, vnquam seruatæ fidei aut obedientiæ pœnitebit. Spero autem, quod & Archiepiscopus vester recto calle Patrum sequens vestigia per viam mandatorum Dei pergit ad vitam. D Vnde paternitati vestræ, & domui, & fratribus vestris, quanta possum deuotione, supplico, quatenus agonem nostrum Domino precibus commendetis, vt si minime sumus, reducamur ad viam, si in via, quod vtique credimus, proficiamus & perducamur ad vitam. Nihil enim nobis aliud necessarium est, nisi vt Domino placeat causa nostra.

Epist. CXL.

Baldevvino Archidiacono Exoniensi.

LIcet multis retro temporibus dilectioni vestræ obnoxius tenear, tamen vestræ sinceritatis non tam frequens quam iugis sollicitudo deuotionem meam sibi reddit indies arctius obligatam. Quem enim non promereatur in aduersis infatigata & indeficiens fides, cuius pectus non succendit & inflammat in periculis & constitutio tentationum, charitas incorrupta, officiosa, & supereminens? Quod in vobis commendo, in me mul- E tum expertus sum, sed in fratre meo magis experior: nam sortem eius mea reputo duriorem, nisi quod mea & illius ex animo sunt communia, & sic eadem conditio est. Grauius tamen exulat, qui domi exulat. Sicut enim in ciuitate sua florere gloriosum est, & iucundum nobilitari in patria, ita apud suos egere, aut vilescere calamitosum est. Minoris namque erubescentiæ est apud extraneos mendicare. Nonnullus autem, imò & multus est vsus aduersitatis huius, vtique nostrum, per quam & nos nobis, & mundus, & fidelius & familiarius innotescit. Gaudentes enim discimus, quod à multis temporibus audieramus, & scriptum est à seculis multis, Qui in prosperis amicus non apparet, in aduersis non latet inimicus. Ergo dilectissime in procella turbinis huius laruam quisque deposuit, quam induerat, & fallaces abstersit fucos, & suum ostendit vultum facie reuelata. Vnde quia fidei & charitatis vestræ faciem in vestra, quæ videtur, tribulatione, eandem quidem cernimus, si vti- F que clariorem & illustriorem eam iure & merito amplius approbamus, & vt ei condigne respondeatur à nobis crebris suspiriis optamus, & maximo desiderio: & quod interim respondemus affectu, Deus autem charitati procul dubio respondebit effectu, vt iuxta quod promisit, mensuram bonam & coagitatam & superfluentem refundat in sinum vestrum. In qua autem conditione versetur causa vestra, Domino Episcopo scripsi, & deinde quæ circa vos sunt orationibus adiuuetis, ne deficiat fides vestra, aut aliquid faciamus ad turbinem huius procellæ, vnde Dominus offendatur, sed quod suum est faciat, cum tentatione & prouentum: & quidem iam cœpi, quia & deuotionem contulit pro iustitia patiendi, & acerbitatem mitigauit exilij: leuius enim est modò quam fuerat die prima. Nunquid enim aliquid defuit nobis? Nonne Patres habuimus, quomodo notos & familiares, & quia amorem, quem profitentur, officio- G rum exhibitione declarauerunt? Asseritur ergo ad amoris comprobationem testimonium maius Ioanne: opera enim quæ ipsi faciunt testimonium perhibent de eis.

Epist. CXLI.

R. fratri suo.

TIbi perpaucis scripsi, quia statum meum tam ex literis Domino Episcopo missis, quam ex ipsa voce latoris agnosces. Cum autem quid relatu dignum emerserit, illud tibi significare non differam. Tu vero interim consilium & voluntatem Domini Episcopi & M. B. Archidiaconi diligenter explora, & omnium aliorum amicorum, vt ex his authore Domino aut rescribas, aut exequaris quod maxime videbitur expedire. Nec super meo mouearis exilio, sed memento, quia nihil intulimus in hunc mundum, sed nec efferemus quidem. Deus causam iustificet, quoniam & ego confido iustam esse, H quia conditio mea non modo mihi tolerabilis est, sed iucunda, præsertim cum ad causam respicio: nec dico quin amariora meruerim sed illa mihi a persecutore non opponuntur, sed peccatum ponitur. Flagellum purgationis meæ gratanter excipio, si probatur patientia, spero, quia proficiet ad coronam: si sic vt superbia contereatur affligor, scio quia deuota humilitas conscendit ad gloriam. Constat autem quod omne flagellum prodest patienti, quod ad contemptum mundi & virtutum exercitia reddit animum promptiorem. Si enim indurat animum acerbioris gehennæ stimulus, opinio brutorum hominum est merita ex euentibus esse pensanda, cum iusti sint impiis in derisum & similitudinem improprij, & æquissimo Dei iudicio persecutores iustitiæ à se inuicem colliduntur, prosternuntur, confringuntur & pereunt. Iustus etiam dormiens de inimicis suis tanto gloriosius, quanto innocentius triumphabit. Quis sperauit in Domino, & derelictus est? quæretur ab initio temporis, sed nec in nouissimo die poterit reperiri.

A

Epist. CXLII.

Rogero de Sideberia.

ROgero de Sideberia, I. salutem, & adoptatum benedictionis fructum. Omnes aliorsum præuolantis, aut præpedientis obstaculo & molestia præuenire spero... * quia desiderium meum in hac te facile adimplebitur, nisi forte M. de Sideberia, iuuenili alacritate, diligentiæ tuæ præripiat palmam. Sed si istud in mentem eius venerit, Deus ei tantam lætitiæ & iucunditatis materiam tribuat, vt ei excutiat necessitas reddendi, quod tibi iuuenilis temeritas præripere moliebatur: Si tamen in hoc & in aliud patrem fuerit imitatus, quod & pertinere videatur ad culpam, nos qui prouectiores sumus ætate, & gradu, & similes nostri, corripiamus eum in spiritu lenitatis: considerantes nos an & ipsi quandoque tentati fuerimus. Nonne hoc puero indulgendum est, si semel inclinatur in nocte, cum & iustus in die
B septies cadat? quod si incessisset * rem, quo alius non fuisset ingressus, si mater iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum: cur à modo sentiet pater angustias parturientis? Ergo hactenus puniatur, vt nostrum benedicite vsque ad præfinitum diem ei proclamare non liceat, nisi venia impetrata, dum tamen fructui benedictionis communicet. De cætero, de honore & amore, quem mihi exhibetis, & fratri meo, vobis gratias refero. Nam quod ei fit, mihi fieri arbitror adeo & vt de velleribus ouium vestrarum in ipso calefacta reputem latera mea.

Epist. CXLIII.

Guidoni Catalaunensi Episcopo.

GRatias ago paternitati vestræ, quæ me in oblatæ consolationis gratia dignata est præuenire: & quidem
C tanto me vestra benignitas ad obsequium suum amplius animauit, quanto liberalitas vestra non modo ex relatione amici vestri Abbatis S. Remigij, verum ipsa operis exhibitione fidelius innotescit. Esset autem laudabile apud homines, & magni meriti apud Deum, in vlnis misericordiæ venientem excipere peregrinum, sed longe gloriosius & proculdubio remunerabilius est exulem, imò pro Domino, & libertate Ecclesiæ exulantem ad bonorum participium inuitare. Quid ergo ad hæc respondebo Domino meo? Sed profecto charitati vestræ respondebit Altissimus, qui non modo opera manuum, sed vberi retributione in electis suis bonam remunerat voluntatem. Is, serenissime Pater, is super vos aperiet oculos misericordiæ suæ, quia vos in me apertos oculos habuistis. Ego vero quam cito potero expediri veniam ad vos gaudens, si mihi vnquam diuinitus collatum fuerit, vt vestræ valeam obsequi voluntati.

D

Epist. CXLIV.

Ælredo de Cerda.

TAnto dilectioni vestræ ad pleniores gratiarum teneor actiones, quanto sinceriori & feruentiori charitate mei compassionem habuistis exilij, præsertim cum mea non præcesserint merita, licet semper affuerit voluntas promerendi. Et quia ad præsens & meritis vestris respondere non possum, interim meipsum obsequiis vestris promptissima voluntate deuoueo, quandoque deuotioni promptæ, authore Domino, exhibiturus effectum. Deus autem procul dubio vestræ charitatis remunerabit officium, & licet nobis subtraxerit retribuendi facultatem, ipse cuius manus nec inops est, nec auara, nec impotens, benignitati vestræ, quod ipsum decet, respondebit, in misericordia vberi mensuram bonam & coagitatam, & superfluentem refundens in sinum vestrum.

E

Epist. CXLV.

Roberto filio Egidiæ.

A Gratiarum mihi incipiendum est actione, nisi & conscientiam & famam velim ingratitudinis vitio deturpare. Hoc enim multipliciter promeruisti, multum quidem in persona mea, sed maxime in fraterculo nostro, cuius prædicaris communicare necessitatibus, & eas supportare vt tuas, & vt eis communicent alios animare. Nosti enim illud Apostoli Petri, si vt Christianus quis patitur, non erubescat, sed glorificet Dominum, hæc est enim gratia apud ipsum. Certus es autem, vt arbitror, quoniam iste noster fraterculus non patitur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut appetitor alienorum, & hoc ipsum, vt audio, per te aliis innotescit, ad consolationem quidem nostram, sed gloriam eorum & salutem, qui ei officia humanitatis impendunt. Gratias itaque interim maximas tibi agit affectus meus,
F dum aliud non permittit facultas exulantis, authore Domino quandoque maximas exhibiturus effectu. Precor autem vt in humanitate quam incepisti ad fratrem meum laudabiliter perseueres, quia quod vestræ subtrahitur facultati, tibi à bonorum omnium retributore supplebitur. Valete.

Epist. CXLVI.

Magistro Gaufrido de sancto Edmundo.

PRecor, reuerendissime, vt innocentiæ meæ patrocinium præstes aduersus, vel apud illos, quos Deo teste gratis perielitatur, & apud quos meipsum posse præstare patrocinium efficacissimum confidebam, & adhuc quidem non diffido, si tamen amicis nostris & Dominis veritas innotuerit. Causa autem hæc est. Suggestum
G est Domino Nutvvicensi, & Magistro Nicolao me à Senonis scripsisse Benedicto de Dingeham literas aduersus honorem & vtilitatem, & pacem, & securitatem eorum, quas quidem non possem scribere sine dispendio conscientiæ & vota proditoris. Exscriptum earum mihi transmisit frater meus, & ego remitto tibi Dominum in animam meam iudicem & testem inuoco, quia nec ego illa scripsi, nec est in conscientia mea, quis scripserit. Plus dico sub eadem adiuratione testificans, quia neque de mandato, neque de conscientia aut voluntate, aut ratihabitione conceptæ aut scriptæ sunt. Adhuc amplius dicam, ita Deus reducat me in terram natiuitatis meæ, & tuo & aliorum amicorum concedat frui visu, & alloquio, sicut nunquam in vita mea iam dicto Benedicto, vt ex certissima conscientia loquor, vel istas vel alias meminerim literas misisse. Adiicio ad hæc, quia cum potui me pro Nicolao totis viribus Benedicto opposui. Sed fortasse Benedictus ipse me litterarum laudauit au-
H torem. Numquid verbo eius credi debuit, qui sicut mihi aduersario suo gratiam detrahere studuit amicorum, ita illis meum subtrahi desiderabat obsequium? Vtique callide circumuenit credulos hostes suos, vt literarum falsus citaretur author, & non caueretur vetus, sed efficacius læderet non suspectus. Si tamen Calumniator meus Benedictus, aut alius me velit arguere, procedat, & palam arguat, & nisi meam defendero, innocentiam, absque contradictione concedo, me proditoris pœna puniendum. Quod si innocentia mea claruerit, quæso ne antiqui amici & Domini gratiam debitam subtrahant innocenti: Si vero criminator meus tacendo detrahere maluerit, quam palam arguere, precor, vt purgatione, quæ Dominis meis placuerit, accepta, habeatur absolutus. Nec hoc dixerim, vt ab eis emolumentum temporale expectem, cui iam per triginta mensium curricula exulanti sufficit liberalitas Christi, qui & cœli, pascit volatilia, & lilia vestit agrorum. In quis ergo, quid petis? sane quod illis magis quam mihi prosit, antiquam & debitam in Domino Charitatem:

A Eos enim authore Christo diligam quamdiu ero, velint
nolint. Quod si illi diligere noluerint diligentem se,
eras respondebit mihi iustitia mea, si quid in monte Do-
minus videbit. Sed dicit Nicolaus meus, vt audio, quod
stilus meus est: Ego plane illum meum esse non credo,
Dominusque mihi testis est, quod magis doleo, quod
soliditas eius titulo falsitatis admisit suspicionem faci-
lem; quoniam iactura quam ex multis diebus perpes-
sus sum.... * Non enim erat leuiter amplectenda occa-
sio vt ab amico discederet, præsertim tempore isto. Ego
liberante me cordium inspectore, facile euadam. Et vti-
nam ipse de leuitate iudicij aduersus amicum innocen-
tem, non facile turpitudinis incurrat notam.

Epist. CXLVII.

Magistro Nicolao.

B Diu quidem à scriptitationibus quas tibi mittere
consueueram continui calamum: sed eò magis fer-
uet affectus. Nam & dolor plerunque immoderatus af-
fectatas suspendit lachrymas, eoque magis cruciat ani-
mum in exulceratæ mentis clausus angustiis quos diu-
tius egrediendi & diffundendi se & prodeundi in lucem
libertas denegatur: Nec hoc dixerim tanquam inundan-
tis procellæ subactus impetu, cum Philosophia docente
didicerim, quod sicut male cincta ministrat impetus,
ita vigor eius diuturnus esse non potest, impulsus turbi-
ne surgente ab insperato, subito cuncta confundit, sed
in momento disparet, sed fere ante deficit quam langue-
scat. Cum ergo figura huius mundi pertranseat velut
vmbra, in momento turbinis, vt fumus euanescat in
conspectu philosophantium, & magis constet ex fide
Christianorum, quonam pacto in prosperis vel aduer-
sis, sapienti aliquid verborum esset diuturnum. Quod
autem, momentaneum est, cuius philosophantis ani-
mum deiiciet vel extollet? Mihi itaque persuasum est
C quod * vlla re non possum æquanimiter sustinere, & nisi
me conscientia non remordet, gaudere in tribulationi-
bus & in rapina bonorum, diuinæ dispensationi: tamen
quod amicos videre non licet, quod grata beneuolorum
colloquia subtrahuntur, quod eorum, quæ mihi essent
ex officio gerenda, denegatur materia & facultas: super
his, inquam, moueor, moueor inquam, super his; sed
super afflictione Ecclesiæ longe amplius moueor, & in
turbatione amicorum, quam continuis fere diebus au-
dio. Concutiuntur omnia viscera mea, verum nulla do-
loris causa valentior aut violentior est, quam hæc; quo-
dam turbine hanc à quorundam mentibus de quibus
confidebam, & qui videbantur aliquid esse, excussit, vt
operum testimonio conuincitur, charitatem. Et hoc est,
amicissime, quod in auribus tuis, quod istic dissimilem
opinor, deploro, quod colorem optimum video im-
mutatum, & argentum fidelium versum esse in scoriam.
Quæris fortasse, vnde ista coniiciam. Ad quod ego.
Hæc non coniicio, sed conuinco, quod cum multos
D annos habuerim in prosperis constitutus, vix vnus &
alter inuenti sunt, qui in aduersis, vt credunt positum,
aut velint aut audeant salutare; veruntamen si saluta-
tionis mihi impertitæ specie, quam occasione mei, peri-
clitentur. Sed fortesse meas recipere literas criminosum
est, & sic potero cohiberi, ne scribam, verum Domino
autore vt amicos, & minus diligentes, aut omnino ad-
uersos non diligam, nullus poterit inhibere. Sed de
his hactenus. De cætero precor, vt fratrem meum, qui
& si non plenam gratiam, quam nunquam demeruit, pa-
cem tamen Domini Regis adeptus est, habeas commen-
datum, & Domino meo Episcopo Norvvicensi com-
mendes: & quoniam mihi tres marcas de præsenti festo
sancti Ioannis reddere non auderet, precor vt eas quo-
cunque volueris nomine transferat in fratrem meum,
quia quicquid ei boni fecerit, gratius acceptabo, quam
si mihi in propria persona esset exhibitum.

Epist. CXLVIII.

Dn. Henrico electo Baiocensi.

Gaudeam magis an doleam de verbo isto, quod fa- E
ctum est de nobis à Domino, fere incertum est,
etiam mihi diutius deliberanti. Cum enim subuectio-
nem vestram præsertim de bonis meritis procedentem
intueor, diuinæ dispensationi congratulor, & virtutibus
quas à primæua ætate vestra velut in altero Patriarcha
Iacob succrescentes & proficientes amplectebatur, &
vt omnino nescirent defectum, eas continuæ rationis &
quotidianæ benedictionis auxilio roborabat. Sed cum ea
alio latere illa, quæ quondam fuit inclyta Saresberiensis
Ecclesia velut orbata suo Sole se menti ingerit, & Cle-
rus occurrens mœstus lachrymabili voce ingeminat, *Pa-
ter mi, Pater mi, Currus Israël & auriga eius*, cui nos de-
seris, aut cui nos desolatos relinquis? & in hunc mo- F
dum plura multiplicans, quæ facilius est cogitare, quam
scribere; lachrymas continere non possum, quin lugeam
cum lugentibus, & participatione doloris matris meæ
Saresberiensis Ecclesiæ, morem geram: cum cogito de
successore, competitorum turba concurrit, sed si quis
sit, quem animus meus coniicit alios præcessurum, de-
cessoris habita collatione, peræquum habetur, ac si
Phaeton currus paternos vsurpet. Cuius ergo tam fer-
reum pectus est, vt contineret lachrymas; tristitia absor-
beret, nisi & hunc animo intimaret, quia suis incom-
modis angi, non amici, sed se amantis est. Itaque animos
consolantis adquiesco, & gratias ago Deo, qui solus po-
tens est, & splendore vestro ad gloriam suam, & aliud
regnum voluit illustrare. Verum quia nunc à partibus
nostris recedistis, precor attentius, vt ante discessum
vestrum mihi semper, & vbique vestro, pacem refor-
mare studeatis, & fratri meo. Nouit enim Dominus,
quia hanc indignationem me prometuisse non credo.
Prouidete itaque Pater, si placet, in quo calculo re- G
linquitis amicos vestros.

Epist. CXLIX.

R. Abbas sancti Remigij, Abbati sancti Amandi.

Amicorum fidem articulus necessitatis examinat, &
quaquisque moueatur ad alium affectione conuin-
cit. Nobis autem, quia iam pridem totum animum
deuouimus obsequio vestro, deuotumque Domino au-
thore inuiolabiliter conseruamus, grauis & onerosa in-
cumbit necessitas, quoniam vestra gratia, de qua plu-
rimum confidimus, speramus, & petimus subleuari.
Nam quod fortasse mirabimini, addicti sumus exilio,
& in eo iugi sollicitamur & torquemur angustia. Si
quidem Clericus quidam nobis longe semper amicissi-
mus, cuius omnia tam prospera, quam aduersa à multis
retro temporibus nostra sunt, literarum eruditione &
morum honestate, tanto cunctis probatior, quanto no- H
tior, ab Anglia exulat apud nos, & nos domi nostræ
exulamus cum illo. Sustinet enim indignationem Re-
gis Angliæ, non suo quidem merito, vt de nostra, &
ipsius loquamur conscientia, sed quia Domino suo
Cantuariensi Archiepiscopo, vt oportuit, seruiuit. Is
est magister Ioannes de Saresberia, bonum testimonium
habens in partibus Cismarinis & Transmarinis. Vt er-
go a nobis ipsis tam proprij quam futuri exilij amo-
ueatis angustias, dilectioni vestræ attentius supplica-
mus, vt cum interuentu Comitis Flandiensis & vestro,
reconcilietis Regi Anglorum, & sicut videritis expe-
dire, ei literas Regis patentes perquiratis, quibus secu-
re redeat, & suis in pace fruatur bonis. Sciatis pro cer-
to, quia nos in nulla re magis poteritis promereri, nec
est quod dissimuletis, quia constat pluribus, potestatem
vobis esse collatam, si voluntas affuerit.

A

Epist. CL.

Domino Exoniensi.

POst recessum Domini Papæ multa vobis relatu digna emerserunt, nec de Curia Imperatoris aliquid certum est, ideoque ab eorum quæ publicè dicuntur relatione desciasco, & propriis incumbo negotiis. Promisit mihi Pictau. Archid. vt ante iam scripsi, quod reconciliationi meæ operam daret, si quatenus processerit, non respondit. Nunc autem eum per Episcopum Laudau. qui Regis gratiam dicitur habere præ cæteris, iteratò sollicitavi scripto, sicut vobis lator præsentium poterit indicare. Si vero alicubi in præsentia vestra de pace mea actum fuerit, ad eam quæso firmandam per vos, & alios laboretis, quæ nec perfidiæ maculam, nec turpitudinis irroget notam, alioquin malo perpetuo

B exulare. Si enim exigeretur à me, vt abnegarem Archiepiscopum meum, quod nullus suorum fecit adhuc, nec aliquis de tota Anglia; absit vt adquiescam tantæ turpitudini primus, aut vltimus. Seruaui quidem debitam fidem venerando meo Archiepiscopo, sed ex conscientia mea saluo honore Regis, contra quem si quis dixerit me esse versatum, vbi hoc excusare nequiuero, ad honorem & beneplacitum eius dictante iustitia paratus sum emendare. Nouit enim cordium inspector, & verborum iudex & operum, quod sæpius & asperius quam aliquis mortalium corripuerim Dominum Archiepiscopum de his, in quibus ab initio Dominum Regem & suos, zelo quodam inconsultius visus est ad amaritudinem prouocasse, cum pro loco & tempore, & personis, multa fuerint dispensanda. Credo autem indubitanter, quia & mihi saltem cras respondebit iustitia mea per misericordiam Domini, & proculdubio Domino Cantuariensi, quod ad literaturam & mores, plurimum profuit exilium istud, & aliquantulum mihi ipsi, vt dispositionis

C diuinæ gratias habeam. Nollem quidem expromittere, quod Cantuariensi de cætero non seruirem, & tamen mihi Deus testis est, quod ex proposito vestro ero de cætero curialis. Si vero mihi Dominus redeundi viam aperuerit, rescribite, si placet. An me redire oporteat cum cibis & tota sarcina. Nam si hoc fuerit, plures equi necessarij erunt, & prætera quæ ad præsens desunt.

Epist. CLI.

Priori Meritonæ.

GRatias ago vobis, quod, sicut ex literis vestris, & plurimorum relatione didici, mei sollicitudinem geritis, & spero, quod per misericordiam Dei mihi proderit sollicitudo vestra. Credo iam profuisse, & vestris & amicorum ascribo precibus, quod mihi prospere cesserunt omnes dies peregrinationis meæ. Et quia me vestrum semper & vbique reputo, precor attentius, vt pro

D me intercedatis ad Dominum, ne me supra id, quod possum, tentari patiatur, sed cum tentatione prouentum faciam: quando, & quomodo sibi visum est, si tantum hoc visum fuerit, me reducat in terram natiuitatis meæ sine dispendio conscientiæ & famæ, & conceptam indignationem Domini Regis, qui me Domino & conscientia teste gratis diu persequutus est, & adhuc persequitur, mitiget. Parcat illi Deus, & non sinat, vt procella turbinis huius ab animo meo excutiat charitatem. Confido autem, quod Dominus Lond. & Archid. Pictau. si oportunitatem viderint, agent de pace mea. Nec diffido de Ricardo Delnci. Precor itaque vt & vos, si opportunitatem videritis, istos pro me sollicitetis, quatenus tamen Ecclesiæ vestræ non credideritis obfuturum. Si autem homines interpellare tutum non fuerit, Dominum quæso deuotius exoretis, vt gressus meos dirigat in semitis suis, petens hic vbique locorum mihi patriam facere, & quicquid auferetur domi, peregre salubriter compensare.

E

Epist. CLII.

Domino Morinensi.

TEntatio fidem probat, & affectio mentis ex operibus fidelissime innotescit, & quidem cum tota Cantuariensis, imò Anglorum Ecclesia fidem vestram experta sit, & probatam iure æquissimo prædicet charitatem, eò quod Patris nostri & Domini primus omnium naufragium excepistis, & paternè recepistis exules suos, & eis non modo exposuistis, sed & communicastis bona vestra ad libitum suum supra vires vestras; sed tamen infra animum libertate nobili generosum. Ego tamen ad gratiarum actionem spiritualius teneor, * quem in Magistro R. cognato meo spiritualiter recepistis & amplæ miserationis impendistis solatium, & quia tantæ humanitati vt deceret respondere non possum, desidero

F vt quod ei fecistis & facitis, vobis retribuatur à Domino, qui potens est, & mensuram bonam, & coagulatam & superfluentem reddat, & superfundat in benefacientium sinus. Ego autem totum id, quod possum, obsequio vestro libens deuoueo, acturus Deo gratias, si misericorditer dederit, vt possim vobis officiosus esse in aliquo.

Epist. CLIII.

Richardo Diacono Pictauensi.

MEminisse potest vestra discretio, in qua spe à vobis discesserim, quando me sinceritas vestra quadam reconciliationis & pacis via præostensa exhilarauit: & quia mihi nundum innotuit quatenus conualuerit fidei vestræ promissio, quæso vel nunc, me, quem incerta spe fecistis, non sine temporis rerumque dispendio graui, hactenus fluctuare, à dubitationis hunc ambiguo absoluatis, vt de cætero semper vester sim & vestrorum.

G Nam si redire tutum fuerit, paratus sum Domino Regi, & condignè satisfacere, vbicunque non potero meam innocentiam excusare. Vos fortasse ab huius verbi tractatu militares tumultus hactenus præpedierunt, aut domesticus hostis, & cui si.......... * fuerit, nunquam habebo pacem. Non enim ante nocuit quam fidem & amicitiam pollicitus est, & multam promotionem. Nunc autem obsecro mihi significetis, quatenus me sperare oporteat, & qua via incedendum sit, si alia vobis placet, quam quæ prius ostensa est: & si aliquo modo mihi redeundum fuerit, prouidere, vt per Cantiam secure transire possim, memineritisque numarum, & verbi quod vobis exposui Parisiis.

Epist. CLIV.

Henrico electo Baiocensi.

H NOn paruæ temeritatis est, si quis euacuare nititur consilium Domini, cuius etsi mutetur summa, dispositio tamen semper impletur, proinde nec fortunæ sæuientis acerbitas nec adulantis blandities compositum animum sui reddit immemorem, vt statum speret, nisi de gratia, vel casum timeat, nisi de malorum conscientia meritorum. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat, & quem mundus persequitur, clamet ad Dominum, per cuius est misericordiam liberandus, si conuersus clamauerit. In quantum quis desperat de gratia, eo ipso gratiam demeretur. Nam quis sperauit in Domino, & derelictus est? Vt vobis hæc constent, non magis potestis eligere in Patrum liberis, quam oculata fide conspicere in viis vestris. Nam & ego hoc video recolens annos adolescentiæ vestræ, & processus, licet se aduersitatum turbines frequenter ingererent, iugiter prosperatos esse in Domino. Hoc fortasse sanctus & tanta prole dignus Pater vester, velut alter Iacob, præsagiebat in Spiritu sancto, qui vos sicut suum, & sibi no-

tum

A tuum Ioseph, in germine virtutum succrescentium, quas videbat, amplectebatur præ cæteris, & fere vsque ad inuidiam, fratrem se totum indulgebat ei, quem à Domino nouerat præelectum, & pro aliorum salute per prospera & aduersa, per infamiam & bonam famam in Principum gratiam præmittendum. Siquidem vos pro Domino & Ecclesia, pro Patre & fratribus gustâtis de calice isto, & circa situm vobis absynthium propinatum est & acetum ab his, qui nobis nuscent & porrigunt calicem, & vtinam calicem Salutaris! gustatus inquam, & vtinam amodò subtrahatur, vt pro voto vestro Domino possitis familiarius & quietius inhærere: si tamen sic vobis expedit, & Ecclesiæ Domini. Hæc autem, vtpote conscius manuum vestrarum, quia coaluimus ab antiquo, retexui, promotioni vestræ congaudens, & gratias agens quantas possum Deo promotionis auctori, licet meo, imò totius Ecclesiæ vestræ infortunio & reparabili iacturæ compatiar. B Didici enim apud Ethnicos, quia suis incommodis grauiter angi, non amici, sed se amantis est. Sed quid faciet illa quondam nobilis & gloriosa præ cæteris, nunc autem, quod sine lachrymis nequeo dicere, vilis & abiecta inter filias Ierusalem, Ecclesia Sareb. tanto patre orbata? quis Episcopo naufraganti porrigat dexteram? quis Clerum consolabitur? Nam hiue mihi audire videor voces eiulantis Cleri & populi vna voce clamantium, *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis?* Vtique inter eos, quos tunnigeruli substituerunt vobis, vix quisquam occurrit vobis dignus sedere in scabello pedum vestrorum: & profectò nullus, & si libertas adesset, nunc mihi apparet idoneus magis quam si Sole sublato de mundo quæratur inter nunc existentes, quis impleat vices eius. Dominus tamen potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Sed iam à luctu publico ad causam redeo propriam, qui in quo calculo versetur conditio mea, postquam ab Anglia recessistis, prorsus ignoro. Nam interim spes erat certior, vt ante sæpe scripsi. Non diffiteor quin Ecclesiæ & C Archiepiscopo Cantuariensi debitam fidem seruauerim, sed quod ex conscientia contra honorem Regi debitum, aut vtilitatem, me in nullo versatum esse monstrare paratus sum, aut si alicubi deliqui, sicut Regi & Domino condignè satisfacere, iustitia dictante, si placuerit illi. Nec est quod possem cum integritate famæ & conscientiæ facere, quod pro recuperanda pace & gratia eius, animo libenti non faciam. Placeat itaque vestræ dignitati, me in hac parte ad honorem Dei instruere, & mihi per Imperatricem & alios, vt commodius visum fuerit, pacem sub æquis conditionibus, scribi sine turpitudine procurare.

Epist. CLV.

Richardo fratri suo.

SI affectum aut preces à tua salutatione suspenderem mihi salutis propriæ, quæ sine tua esse non potest, me- D rito viderer gaudia præclusisse. Cum ergo eam de more scribentium ad amicos pagina non prætenderit, non fecit hoc defectus charitatis, aut meæ pusillanimitatis motus, sed contemplatio necessitatis tuæ. Vt ergo meo de te desiderio satisfiat, illius te salutis participatione salutet Altissimus, qua Virgo puerpera, cuius incorruptissimam mentem esse & fuisse non ambigo, filium suum sincerissima charitate cupiebat esse salutatum. Miraris fortasse cum populo & cum amicis doles quod pacem, quæ mihi à Serenissimo Rege Angliæ oblata dicitur esse, non recepi, præsertim cum literatores & meliores viri non modò admiserint, sed auiditate rapuerint eam. Memineris autem eam sub ea mihi fuisse conditione oblatam, qua Naue, qui vertitur in serpentem, Princeps filiorum Amon, qui coangustans ac comprimens est, aut populus mœroris, in confœderatione volebat recipere habitatores Labes, quæ dicitur exsiccata, in Galaad, aculeo videlicet testimonij. Inquit enim in Scriptura, *Feriam vobiscum fœdus, si eruam omnium vestrum oculos dexteros, E ponamque vos opprobrium vniuersis filiis, & finibus Israel.* Poteram namque recipere quæ mihi, vt opinor, per iniuriam auferuntur, si æternam vellem vsque quaque postponere, & libertatem spiritus pernicioso, & certe periculosissimo arctare iuramento. In suo sensu quisque abundat. Ego dextrum oculum in cœlestium contemplatione, & fide inuisibilium, & futurorum spe occupari non dubito, & sinistrum ad caduca & temporalia & admomentum defluentia inclinari. Illi benignius admissi sunt, & Domino authore poterunt in fidei suæ sinceritate saluari. Ego prout exigebatur, sine dispendio salutis & famæ, petitam non possem præstare cautionem. Spero itaque conuersus ad Dominum, quoniam & mihi die crastina erit salus, cum incaluerit Sol, qui reuelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, cuique respondente ....* & iniuria sua. Licet enim hæc dictum hebdomada premat meas cum Amonitis suis, populo scilicet mœroris, & filiis Gehennæ, cum Christus F aderit, & consolabitur in electis suis, in quibus nunc patitur ad momentum. Consolare dilecte mi, dilecte mi consolare, qui si modicum pertransieris, nec locus eorum inuenietur, quia impij vt fumus euanescent. Quod si interim angit expectatio, in arbitrio tuo & consilio Episcopi erit, vt declines ad me à facie tribulantis, quia si ita placuerit, te sincerissime brachiis charitatis venientem excipiam, habiturus te non modo comparticipem bonorum omnium, sed etiam quatenus ipse permiseris, tam mihi, quam meorum custodem & Præceptorem, & si dici sustines, affectione patrem. Cætera perpendes & literis aliis, & tuas, quibus soles non verebetis communicare. Rex Francus, & Gallicana Ecclesia coexulibus nostris nullam exhibent humanitatem. Vtinam tu non immaniores inuenias conciues tuos & domesticos fidei compromissæ! Quod si necessitas vrgeat, licet præsentes habeas fratres, nullum me humaniorem inuenies, quia nullus sanguine grauior est, sed G nec charitate, vt arbitror. Salutabis amicos, & sanctos sollicitabis, vt necessitatibus vestris communicent subleuando eas intercessionibus suis. Felices tibi semper ad vota successus Altissimus largiatur.

Epist. CLVI.

Nicolao de Sigillo.

ERat, vt memini genus hominum, qui in Ecclesia Dei Archidiaconorum censentur nomine, quibus vestra discretio omnem salutis viam querebatur esse præclusam. Nam vt dicere consueuistis, diligunt munera, sequuntur retributiones ad iniurias præmium faciunt, calumniis gaudent, peccata populi comedunt, quibus viuitur ex rapto, vt non sit hospes ab hospite tutus. Qui in eis præstantissimi sunt, debent vtique seruare legem Domini, sed non faciunt. Hæc & similia solebat in miserrima conditione hominum, vestræ pietatis miseratio deplorare. Bonis autem viris & amicis vestris agen- H dum est gratias Deo & Domino Lincol. vt qui aperuit oculos vestros & viam docuit, qua hoc genus hominum non modo perueniat ad salutem, inenarrabili saluandorum corona decoratum, sed superiorem consequatur aureolam, quæ sicut martyrio laureatos, & virginitate vernantes, sic Prædicationis officio corruscantes insignit. A Domino factum est istud, qui oculos cæcitatis vestræ aperuit, & patefacta veritate in causa Archidiaconorum perniciosam fecit mutare sententiam. Licet autem merito gaudeant Archidiaconi vestro iudicio absolutæ, cum me minorem quam ipsos concepisse de vestra promotione lætitiam* .... quia vbicumque locorum sum, me ad honorem & obsequium vestrum, in quibus discretionis vestræ censura præscribere dignatur, pro iustissima dignitate deuoui. Magni siquidem muneris instar esset, si mihi aliquid infra vires meas velletis iniungere, & peregrinantis affectum vtcumque experiri. De cætero lator præsentium in obsequio mei & fratris nostri diutius immoratus est, & inuentus vs-

A que quam fidelis. Habet autem scribendi peritiam, & plurium experientiam vtilitatum, quem si pro amore vestro vobis in obsequio vestro retinere placeret, & vti obsequio eius, nobis esset gratissimum, quia ei ad præsens voluntatem nostram non possumus prouidere. Confidimus autem, quoniam apud vos opera sua & diligentia promerebitur, vt exinde nostra vel alicuius commendatione non egeat.

EPIST. CLVII.

Magistro Hunfrido.

A Sapiente quærendum esse consilium, scripturarum monita docent; & fidem amicorum in angustiis comprobandam. Cum vero minus dubito de sapientia vestra, quoniam literarum copia, tum rerum experientia comparastis, tum quod præuium est, suscepistis de gratia; nec de ea apud vos quam natura & virtus vestra multis probata mihi pollicentur, charitate diffido. Inde est, quod à vobis in huius meæ necessitatis articulo consilium petens, precor attentius, quatenus mihi per nuncium, quem ad Dominum Baiocensem direxi, super statu meo rescribatis, quod salua honestate, sine qua nihil
B expediens arbitror, maxime videbitur expedire. Vt autem de consilio dando plenius instruamini, causa mea hæc est. Ecclesiæ & Archiepiscopo Cantuariensi debitam seruaui fidem, & ei vbi iustitia & modestia videbantur adesse, & in Anglia, & in partibus Cismarinis fideliter astiti. Sicubi vero aut exorbitare à iustitia, aut modum excedere videbatur, restiti, & in faciem horum mihi Deus testis est, & conscientia, & amici & socij, qui nobiscum versati sunt. In his autem omnibus contra honorem Domino Regi debitum, aut vtilitatem, ex proposito nihil feci, sicut dictante iustitia docere paratus sum, si liberum & tutum fuerit: aut si in aliquo inueniter obnoxius, condigne & animo libente satisfaciam. Tractatum est in hoc anno de pace mea, &
C obtentum est à Rege, vt mihi liceret redire, si tactis sanctis iurare vellem, quod contra honorem vel vtilitatem eius non fuerim in partibus Cismarinis. Retuli hoc ad Dominum Papam, & respondit Regem & Curiam interpretatos fuisse contra eius honorem, si quid à me factum agnosceret contra ipsius voluntatem, & dissuasit, ne sub ea conditione redirem, sed expectarem, vt ita eius aliquantulum deferretur. Deinde sollicitauerunt me quidam, vt præstarem securitatem, quod in nullo deinceps iuuarem Archiepiscopum, vt sic redirem in gratiam Regis. Ego autem, licet non tenear Archiepisco ad fidelitatem ex hominiopo vel iuramento, nec fidei obligatione, vtpote qui nihil ei debeo, nisi obedientiam, quæ omni Episcopo debetur à subiectis suis; quia tamen inhonestum credidi esse Dominum abnegare, & renuntiare obedienti, quod nullus adhuc de toto regno fecit, conditionem hanc recipiendam esse
D non credidi. Alias autem quicquid salua conscientia & fama possem, libenter facerem. Cum hæc Dn. Rothomagensi, de quo multum confido, exponerem, mihi constanter auxilium repromisit. Placeat itaque vobis mihi super hoc rescribere consilium vestrum, sciatisque pro certo, quia mihi propositum est, vt non sim de cætero Curialis: & hoc ipsum bene nouit Dn. Cantuar. à cuius me subtraxi consortio, sed nec fidem subtraho, nec charitatem.

EPIST. CLVIII.

Roberto..... Egidiæ.

PRæter eam quam affectio fraterna remunerationem vestræ excitat, crebra in mente mea congratulandi vobis causam & gratiam, colloquendi occasionem sæpissime præstat transmissum mihi à vobis signaculum fidei & deuotionis insigne. Ipsa enim materia muneris, si qualitates ipsius diligentius intueamur, vt cum B. Archid. & R. de Sidrberia & fraterculus vester non dissentiant, expresse indicat quid principaliter dominetur in
E animo mittentis. Aurum enim imputribile, largum ad dilatationem, nec igne, nec tunsionibus incontaminabile, vt pote quod nullum admittit rubiginem, verum & aliorum metallorum custoditiuum est, nonne fidem imputribilem, largam & dilatatam figurat, charitatem constantem in aduersis, moderationem virtutum conseruatricem in prosperis? ea enim sicut melius nostis, cui rerum natura physica docente innotuit, auri natura est quam prædixi. Vnde prudentes, qui pecuniam suam volunt imputribilem conseruare, auro miscent argentum, vt ea auri consortia argentum absque rubigine conseruetur. Formæ vero rotunditas perfectionis iudicium est, vt mittentem doceat, in præfatis virtutibus consummatum. Geonimus fulgor elucentis prodentiæ & scientiæ imago est. Quid, quia color ipse cælestis rectissime innuit, quo in actibus suis præcipue tendat animus mittentis? ipsum vero lapidis nomen verborum & operum designat venustatem. Iacinthus enim, si de formæ gra-
F tia, dictionis attendamus originem, totus flos, vel vniuersaliter florens interpretatur. Ia etenim vniuersalem sonat, & cinthus vertitur in florem. Et ne in huius temporis statu * articulo fidei vacillet, aut humanis persuasionibus seducatur, & subscriptio fidem confirmat, & illuminat rationem. Nam rationem ab errore purgans eum mittit ad Christum, & ne tribulationibus & pressuris Christiani fides ab infirmitate deficiat, victoriam ascribit Christo. Quibus duobus verbis & fides ab infirmitate, & ratio ab errore purgatur. Et quia finis pugnæ victoria est, & fructus victoriæ corona, Christo consequenter regnum attribuit, vt eum eo regnaturos doceat, qui cum Christo certaminum & laborum discrimina pertulerunt, & aduersarios eius, quando iustitia in iudicium conuertetur, contritione & confusione duplici conterendos. Si quidem honor Regis iudicium diligit, & oculi eius vident quia diligit æquitatem. Nam vbi amor ibi oculus. Et hæc mihi videtur esse duarum con-
G ceptio clausarum: tertia vero nomen Christi reperit, & imperij reticet dignitatem, ea dispensatione vt arbitror, quo & animus suscipientis in persecutorum suorum victore, & Regum Rege figatur Christo, eique cohæreat inseparabiliter, & vt ostendatur non esse hodie imperatorem, qui ad Christum pertineat, cum schismaticus per vim fraudem & labem hæreticorum, nitens insecabilem scindere vnitatem, integritatem corrumpere, incestare pudicitiam, & quantum in ipso est, euertens, & promissiones veritatis euacuans, Rom. imperium Christo machinatur auferre. Instat ergo vt nomen Christi de imperio deleatur: sed vt munera tui docet inscriptio nomen Christi singulariter permanet, in æternum, & præsumentis imperium, & de falso nomine gloriantis exinanitus est honor, & profecto humiliabit eum, qui est ante sæcula. Hæc omnia & plura, quæ breuitati insistens prætereo, in annulo contemplatus sum fraternam
H charitatem agnoscens in munere, & ad virtutem salubriter & multipliciter eruditus ex muneris qualitate. Nonne ergo talis omni iure & merito amandus est & colendus? & quod amare semper licet, nec prohiberi potest, & hoc indefinenter & intensiuè efficia, & habeo in proposito, vt cùm licuerit, debitum amori cultum gratanter impendam. Interim vero quantas possum gratias ago, rogans attentius, vt fraterculum nostrum commendatum habeatis, & his quæ nos contingunt, quam licuerit diligentiam impendatis.

EPIST. CLIX.

Domino Exoniensi.

LIcet ex more scribentium ad amicos salutis votum pagina non prætendat, nihil tamen affectuosius est in votis, & orationibus meis, quam vt vitæ vestræ iugiter, prosperetur in Domino. Salutationem etiam Domino & Patri debitam nequaquam suspendit defectus,

A aut immutatio charitatis, sed consulta dispensatio & officiorum, & omnium quæ rectè geruntur ratio moderatrix. Dispensationis verò causa in propatulo est, vt eam omnino non oporteat, aut paucis expediat allegari. Nam insidiis dicunt omnia plena esse, vt bonis inuicem colloquendi aut scribendi tutum non possit esse commercium. Nescio quid friuolum contra innocentiam molitur iniquitas, & vrgente stimulo conscientiæ incessanter pungentis, & vrentis omnes suspectos habet, & omnia, iure quidem & meritò, quia pax impiis esse non debet, hostes suos iustitia impugnante, & præualente. Et profecto quod auet impius, veniet super eum, iustusque de angustia liberabitur, quoniam os Domini locutum est. Ad momentum turbinis aduersus Ecclesiam malitia debacchatur, & aduersus Dominum qui debent præualere, impij quibus in breui Christus, quem persequuntur, sic respondebit ad merita, vt præponderare videatur libra vindictæ, & quos potenter puniet non tam examinare lance æquitatis, quam molis magnitudine prægrauare. B Non quidem quod iniuriam inferat, sed quia sine mensura & modo peccantibus immensam & immoderatam ingeret pœnam. Nec opinetur quispiam me in longa tempora prophetare, licet oraculi diuini sicut autoritas, sic & fides perpetuetur, cum planum sit iam aliquatenus inchoatum esse iudicium, imo executioni mandari sententiam. Nonne Teutonicus tyrannus, nominis sui fama nuper orbem perculerat, & fere subegerat regna vicina, & imperium Græcorum terrore concusserat, vt magis deditionem quam fœderationem legationibus missis videretur offerre? sed ecce Domino autore timetur minùs, & qui tam vicinos quam remotissimos solo metu terrebat, Principes Teutonicos suos ab iniuriis cohibere non potest, qui solo verbo pacem Gentibus ad arbitrium indicebat, & bella, nunc à suis & inter suos petitus & acceptis treugis gratulatur. Nam sicut ipsemet conqueritur, ex quo Latonam venit, vt Regem Francorum & Gallicanam Ecclesiam separaret à fide, & in suam hæresim peruerteret, vt adoraret idolum suum, C successus eius relapsi sunt, & quæ eum extulerat, in depressionem ipsius cœpit fortuna fluctuare. Spes autem fidelium est, quod ad honorem Dei, in breui amplius deprimetur, donec eum omnino Christus, cuius sponsam persequitur, conterat sub pedibus suis. Nonne & apud vos iam iudicium exercetur aduersus terrores Ecclesiæ? Intuemini quantus erat Rex Anglorum, cum paruulus videretur in oculis suis: & ad Ecclesiam Domini vestri speciem fidei & reuerentiæ prætendebat, & plane videbatis eum iam nullo frustratum conatu. Sagitta eius retrorsum non abiit, clypeus non declinauit in bello, & hasta non est auersa: super prædam accumbebat vt leo, vt nullus eum excitare præsumeret; vel visu terrebat hostes, vicini se inclinabant obsequiis, remoti Principes amicitias expetebant, colebatur à suis, honorabatur ab extraneis, prædicabatur a cunctis, à bonis diligebatur, sed maximè à Clero qui eum colebat supra vires, pro viribus, venerabatur, & vnanimi proposito diligebat super amorem mulierum. D Quid multa? Rerum expectabilium omnium abundantia, quod ad humanum iudicium, fruebatur, sublato timore & sollicitudine, vbi eam non necessitas, aut ratio, sed voluntas, aut impetus ingerebat, sed quo fine hæc vniuersa Dei dona conclusit, si tamen sine pœnitentia, & satisfactione substiterit in finibus istis, vt singularum Ecclesiarum, quas ante ignorantiam, vt putabatur, aut sui iuris prætextu læserat, taceamus dolotam *, bello aggressurus, omnibus contra antiquum morem & debitam libertatem indixit Ecclesiis, vt pro arbitrio eius, & Satraparum suorum conferrent incensum, nec permisit vt Ecclesiæ saltem proceribus coæquarentur: in hac contributione vel magis exactione tam indebita quam iniusta. Nam Ecclesiæ in deteriori calculo vertebantur, vtpote quæ rebus suis aut honore videbantur indignæ. Sed quem successum attulit hæc pecuniarum immensitas tantis exactionibus & iniuriis acquisitis? nonne proiecta est in sacculum pertusum, vt hosti suscipienti proficeret, E & effundenti non modo esset inutilis, sed damnosa? Numquid non ab ea die fortuna eius retrorsum cessit, & successuum vbertas emarcuit? Sed dicet aliquis, quoniam hoc in dicto census & Ecclesiarum vexatio, in Cancellarium eius, qui nunc, aut archiepatatus, vt credo, aut archiepatari contendit, vt æmuli mentiuntur, penitus retorquenda est, qui Regem tunc ad omnia pro arbitrio impellebat, & hæc secularia multa mala induxit. Quod si ego falsum esse nouerim, vtpote qui eum scio tunc non autoritatem præstitisse libidini, sed obsecundatione necessitati, tamen eũ ministrum iniquitatis fuisse non ambigo, iure optimo taliter arbitror puniendum; vt eo potissimum puniatur autore, quem in talibus, Domino autore, bonorum omnium autori præferebat, eique sic vice versa in pœnam, quem habebat & laudabat suæ peruersitatis autorem. Nam in sapientium corde & ore celebre est illud Sapientiæ, *quoniam per quæ peccat quis, per hæc & punitur*. F Sic Cain primus homicida occisus est, Chanaan seruitutem ingerens aliis, perpetua seruitute damnatur, Pharao in aquis submersus est cum potentatu suo, quibus Hebræos submerserat innocentes. Parcent in hunc modum quamplurima, sed esto, non pœnitentia agatur: agnoscit & confitetur culpam, & si cum Saulo quandoque Ecclesiam impugnauit, pro ea cum Paulo ponere paratus est & animam suam. Quis ergo negabit iudicium, cum iustitia Dei in conspectu gentium reuelatur? Nonne enim Principes populi sunt hi duo, quorum alter dispensat spiritualia, alter temporalia administrat. Nonne lex dispensationis & ministerij huius, manibus istorum tractanda committitur? Hi enim sunt duo Cherubim, quorum alis sex Propitiatorium adombratur, se mutuo respicientia, versis tamen vultibus in propitiatorium, quia sic sibi inuicem debent aspectu mutuo complacere, vt legem Dei in arca pectoris iugiter inspiciant & venerentur, nec pro se ad inuicem, ob aliam causam admittant, vnde propitiationem Dei debeant demereri. Non enim licet à Propitiatorio vultus auertere. Si ergo in his suis Angelis reperit Deus prauitatem, eamque puniat quis subditorum causas apud Altissimum iam ventilari diffidit, aut esse ventilatas? G circumferat, quis oculos mentis & intueatur quot & quales aduersarios ei Dominus suscitauerit, ex quo aduersus Dominum in depressione Ecclesiæ erexit calcaneum suũ, & plane mirabitur, & si prudens est, venerabitur iudicium Domini, qui non Imperatores, non Reges, non Principes nationum, vt ipsum domaret, elegit, sed extremos hominum Britones...... primo, & postea illos ad contradictionem & solemne certamen animauit, qui vestigia pedũ eius consueuerant adorare, & hæc quidem, vt non glorietur omnis caro, sed nomen Domini sit benedictum in secula. Sic ad puniendam ingratitudinem Salomonis recedentis à Domino, non tam Principem erexit, quam latrunculos seruos abiectos. Nec suspicetur quispiam vt amodò prosperetur conditio eius, nisi Domino propitiante per pœnitentiam reuertatur, & magis pio vtatur consilio. Nam vt propheta loquitur: *In diebus & regionibus nostris inuenti sunt stulti Principes Thaneos*, H qui Regi suo consilium dederunt insipiens. Videntur enim vndique sollicitudines, sed bellum quod aduersus Christum & Ecclesiam exercet, vlterius prægrauat, & ei videtur execrabilis labor. Accitis ergo nuper ad colloquium Chinonense Magnatibus suis cum familiaribus, qui rerum malarum industriam habere dignoscuntur & vsum, sapientes sunt vt dicant & faciant mala, studiosius inquisiuit, cum promissis viuis, & obtestatione quamplurima, quoniam consilio sibi vtendum esset, aduersus Ecclesiam de Cant. Archiepiscopo grauissimè conquerens, non sine gemitibus & suspiriis multis: & vt tunc præsentes postea retulerunt, lachrymatus est dicens que idem Cantuariensem, ei corpus & animam pariter auferre. Tandem dixit quod omnes proditores erant, qui eum adhibita opera & diligentia ab vnius hominis infestatione nolebant expedire. Ad hoc Dominus Rothomagensis aliquantulũ aduersus S. excanduit, corripiens eũ, mitius tamen more suo in spiritu lenitatis, cum causa-

Dei magis exigeret, seueritatem & autoritate Pontificis morbo languentis, rationis, & fidei fuisse adhibitam. Erat autem dolor acerbior, vrgente metu, quem conceperat ex literis quas iamd. Cantuariensis illi & matri suæ transmiserat. Earum exemplum vobis transmittitur. Timebatur quidem, & meritò. ne in terram eius interdicti, & in personam anathematis sententia....* ferretur, autoritate & mandato summi Pontificis. Cum igitur angustiis premerentur Lexouiensis Episcopus vnicum dixit esse remedium, imminentem sententiam appellationis obstaculo præpedire: & ita nescio quo pacto, nisi quia veritas ventilata plus pollet, & iustitia, quo magis concutitur, eo magis conualescit, dum Rex per auitas consuetudines appellationum ius euacuare conatur, magis confirmat, dum ipsemet pro capite suo ad appellandi refugium cogitur euolare. Ab illo ergo Consilio egressi sunt à facie Domini & Regis sui Lexouiens. & Sagiensis Episcopi, ad sæpedictum Cant. properantes, vt appellatione interposita vsque ad Octauas Paschæ suspenderent sententiam eius. Rothomagensis quoque cum eis profectus est, non quidem appellaturus, vt ait, sed de pace quam desiderat tractaturus. Archiepisc. vero noster in procinctu ferendæ sententiæ constitutus, iter arripuerat ad vrbem Suessionum orationis causa, vt B. Virgini, cuius ibi memoria celebris est, & B.* Diansio, ad quem confugiunt pugnaturi, & B. Gregorio Anglicanæ Ecclesiæ fundatori, qui in eadem vrbe requiescit, agonem suum precibus commendaret. Est autem B. Dianius gloriosissimus Confessor, qui, sicut Franci & Lotharingi credunt pugiles qui ad memoriam eius pernoctant, reddit inuictos, vt & de Burgundia & Italia in tali necessitate confugiatur ad ipsum. Nam & Robertus de Monteforti ei pernoctauit aduersus Henricum de Essexa dimicaturus. Sic ergo Domino faciente delusa est sollicitudo Episcoporum Regalium, quia cum venissent Pontiniacum, Archiepiscopum quem appellarent non inuenerunt, sed frustrati à proposito suo reuersi sunt, queruli quia sua consumpserant, laborauerant, & non perfecerant. Archiepiscopus vero cum in præfatis Sanctorũ memoriis triduò pernoctasset, die proxima post Ascensionem versus Vexiliacum properabat, vt ibi in die Pentecostes in Regem, & suos anathematis sententiam daret, sed nutu diuino contigit, vt dum esset in Ecclesia Reginiacensi, VI. feria iam dictam præcedente solemnitatem nunciatum esset ei certissimè & veriss. quod Rex Anglorum grauissima laborabat infirmitate, vt ad colloquium Regis Francorum, quod multo desiderio, & magnis muneribus expetierat, accedere non potuerit, sed miserit excusatores Rich. Pictau. & R. de Humaz, qui causam hâc absentiæ eius, præstito iuramento volebant astruere. Hac ergo ratione cum hoc per nuntium Reg. Francorum nouisset, Archiepiscopus in Regem sententiam ferre distulit, sicut ei à me consuluerat Ioannes vester suadens, nec ad pœnitentiam præpararet. Ioannem vero de Oxeneford. publicè denunciauit excommunicatum, & autoritate Rom. Pontificis excommunicauit, vt verbis eius vtar eo quod in hæresim damnatam inciderit, præstando Imperatori sacrilegum Sacramentum, excommunicauit Colon. Scismaticum, & contra mandatum Domini.....* vsurpauit Decanatum Saresf. Ecclesiæ Has autem causas allegauit in pulpito in auditu omnium, qui Veziliaci de diuersis nationibus ad diem festum conuenerant. Ibidem & allegatis variis causis & iustis excommunicauit Richar. Pictau, Archid. R de Luci, Iocel. de Baillot, Rauen. de Brog. Hug. de S.Claro, & Thomam filium Bernardi, & omnes qui de cætero in possessiones & bona Cantuar. Ecclesiæ manus extenderint, vel eis abutantur, aut eorum vsus impediant, quorum necessitatibus deputata sunt. Regé vero quem ante per literas & nuncios secundum regulam & morem Ecclesiæ vocauerat ad satisfactionem. publicata vocatione ad fructum pœnitentiæ inuitauit, comminans se in eum laturum sententiam anathematis, si breui non resipuerit, & de tantis aduersus Ecclesiam ausis satisfecerit: quod tamen nunnisi inuitus faciet, nec noui aliquem domesticorum suorum, qui ad lationem huius sententiæ pronus sit. Præterea scriptum illud in quo continentur prauitates malignantium aduersus Ecclesiam, quas auitas consuetudines dicunt, publicè condemnauit, omnes innodans anathematis vinculo, quicunque de cætero authoritate illius scripti vtentur, & nominatim de consilio Ecclesiæ Romanæ. Hæc capitula imprimis damnata sunt, quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem qui de Rege teneat sine licentia ipsius. Quod non valeat Episcopus coercere aliquem parochianorum suorum pro periurio vel fide læsa. Quod ad secularia iudicia trahantur Clerici. Quod laici, siue Rex, siue alius, causas de Ecclesiis & decimis tractent. Quod non appelletur pro causa aliqua ad Sedem Apostolicam, nisi Regis & officialium suorum venia impetrata. Quod non liceat Archiepiscopo, vel Episcopo, & aliis personis venire ad vocationem Domini Papæ absque licentia, Regis. Alia quoque in hunc modum, quæ Decretis, Legibus, & Constitutionibus Sanctorum Patrum inueniuntur aduersa: Episcopos vero omnes absoluit à promissione, quam de scripto illo seruando contra institutionem Ecclesiasticam fecerant. Hoc etiam per literas suas Archiepiscopis, & Episcopis denuntiauit, sicut eo ab Ecclesia Romana consultum fuerat. Hæc quidem interim gessit Archiepiscopus & Rex; quod ad vestram notitiam venisse non ambigo. Verum V. M. Galt. de Insula misit in Angliam cum literis à Colloquio Chinonensi, vt Insulanos super facta appellatione præmuniret, & portas & transitus faceret diligentius obseruari, & Clerum ab obediendo suspenderet, cum iam tamen nondum facta sit appellatio, & Archiepiscopus possit facile inueniri. Nec dubito quin prædicto Galtero machinatio ista displiceat, cum omnibus quæ præsumuntur aduersus Ecclesiam Dei, quoniam Dominum timet. Acciuit & ad se Rex Dominum Cister. & alios, per quorum prudentiam, malitiam consilij sui aduersus Dominum posse credit armari: sed profecto si saperent, vel sibi & huic parerent in hac causa, quoniam pœna reuersa est in caput ista suum. De cætero Dominus Papa in vrbe prosperatur. Cremona contra Teutonicum cum aliis octo ciuitatibus pro certo dicitur rebellare. Episcopus Tusculanus & Vbaldus Cardinalis diem obierunt. Obiit quoque Vvillelmus Rex Siculus, cui successerunt filij sui alter in regnum, alter in Ducatum Apuliæ, & in extremis agens LX. millia florenorum Ioanni Neapolitano tradi fecit ad vsum Domini Papæ. Filius quoque, qui ei successit in Regnum totidem misit. Rex Francorum Cantuariensi Archiepiscopo patrocinatur in omnibus, & eum magis veneratur quam fratrem. Quæ autem circa Anglorum Curiam innouantur, vbi rerum crebræ mutationes sunt, vobis notiora esse arbitror quam nobis. Vigeat & prosperetur in Domino paternitas vestra, & nos Sanctorum orationibus studeat commendare, vt nos consoletur in omni tribulatione nostra. Reuertemur autem cum ei placuerit, qui nos segregauit ad exulandum, & pro qua, quatenus ei beneplacitum fuerit, voluntate promptissimè decreuimus exulare, & aduersa pati quæ iusserit, & ad hæc perferenda roborauerit infirmitatem nostram. Det vtinam sua gratia patientiæ perseuerantiam, quæ indignè pro se patiendi contulit voluntatem! Valete pro voto & oratione mea, Ecclesia, & domus vestra tota, & omnes qui intercessionum beneficio communicant necessitati vestræ.

EPIST. CLX.

Domino Cantuariensi.

EA fere omnia quæ mihi vestra suggessit dignatio fama diuulgante audieram, sed authore in Domino Pictauiensi, adiectis iis quæ de Angliæ statu audieram, rogans attentius vt vobis super hæc consilium daret. Ex quo vero per literas vestras certioratus sum, illico cum amicis vestris, de quorum sinceritate non dubito,

adhibito

A adhibito M. Philippo contuli super negotio vestro, nulli tamen ostendens transmissarum vobis exempla litterarum. Et licet, vt præscripseratis, singulatim conuenerim amicos vestros, Abbatem S. Remigij, & M. Fulc. & M. R. omnes tamen non modo in eundem sensum, sed ferè in eadem verba conuenerunt. In summa ergo nullus eorum est, qui Domini Papæ consilio aduersetur, omnesque communiter approbant consilium quod vobis dedit Nicol. Xenodochus Rothom. licet nec de literis, nec de consilio eius audierint aliquid. Attendenda enim est instantis temporis conditio, Ecclesiæ Romanæ necessitas, Regni Anglici periculum, non modo sedis vestræ, sed commissarum vobis Ecclesiarum & animarum, quibus si vel occurrere, & subuenire potueritis, vix tanti debetis facere animam vestram, vt non pro salute ipsius animæ, & liberatione Ecclesiæ naufragantis, accedatis ad Colloquia persequutorum, & experiamini quid per humilitatem vestram dignetur efficere Christus Iesvs qui post Ascensionis gloriam protestatus est, sicut in literis inuenitur authenticis, se adhuc paratum esse mori pro
B humilibus, & crucis ignominiam sustinere, præsertim cum illi qui vos persequuti sunt, & Christum in vobis, dicantur aliquantulum à Regis gratia excidisse & in ea conditione versari, vt eos iam tædeat vitæ suæ. An M. sit, nescio sed timor apud nos publicus est, siue an ita sit, siue non certo certius est, quia proculdubio Christus triumphabit, & reddet vnicuique non modo iuxta opera sua, sed & voluntati confirmatæ perfecti operis attribuet coronam. Perfectorum amicorum, à quibus ego & Niph. non dissentimus, consilium est, vt si vos Imperatrix vocauerit, ad ipsam ducente Rothomagensi Archiepiscopo securè accedatis: & si ibi boni aliquid audieritis, agatis gratias Domino, & ita per omnia incedatis, vt modestia vestra omnibus innotescat. Si vero, quod absit, secus acciderit, reducente præfato Archepiscopo in terram peregrinationis vestræ, cum honestate & securitate reuertemini. De Clericis vero ducendis, hoc consuitum, vt non multitudinem ducatis,
C sed paucos, prouidos & discretos, si quos tamen habetis tales, quorum possitis inniti consilio, si opus fuerit, & sub prætextu eorum qui defuerunt, si hoc necessitas exegerit, dilectionem possitis commodè impetrare. Ego autem me ad hoc opus non ingero, sed nec refugio, si me decreueritis, itineris vestri, & laboris, & sortis fore consortem. Nam in omnibus huiusmodi casibus paratus sum, authore Domino pro fidelitate Ecclesiæ & vestra, si tamen placuerit vt vobis occurram, me tanto temporis spatio præmunire, vt ad locum & diem, quem præscripseritis, commodè valeam peruenire. Nam in me mora non erit vlla, licet multas domi pro tempore necessarias habeam occupationes, tum ex instantia Abbatis M. tum ex præsentia Ger. Archid. quorum desideriis, sicut vobis, deesse non possim.

Epist. CLXI.

D *Engelberto Priori de Valle Sancti Petri.*

Rerum subitæ mutationes solent afferre molestias, & qui honores ambierant, dum eis cohærentia sustinent onera plerumque fatiscunt, dolent se non compotes extitisse, rectè quidem. Si enim reprobi sint, iniquitates eorum iusta pœna persequitur: si præordinati ad vitam, conceptæ ambitionis excessum consumit pia correptio, & exercitatio laboriosa cohærentes honoribus aut extinguit, aut reprimit voluptates. Te quoque facile crediderim de tam subitis mutationibus aliquas concepisse molestias; sed ex aliis, & longe diuersis, & ferè aduersantibus causis. Quis enim suspicetur te alicuius ambitionis stimulo incitatum, vt honores appeteres, vt concupisceres mollitias voluptatum, vt opinione plebeia ventos sequereris in fastu mundano? Nam hæc omnia contempsisti vt stercora, vt solum lucrifacias Christum, qui tibi non momentaneos & inhonoros, honores quos preciosa paupertate mutasti, restituet, sed
E æternos in cœlis, qui Imperatorum purpuram maiestate incomparabili antecedat. Illuc voluptas mollis & effœminata non habebit accessum, vbi carnem in veritate naturæ permanentem spiritualis implebit vigor, & exultatio Angelica permulcebit. Ibi laudis tuæ præconia, non de falsidicorum pendebunt arbitrio, sed magnificentiam virtutum tuarum sancti Angeli incessabiliter prædicabunt. Hæc tibi dilecte, non tam de verbis nostris, quam de sacris scripturis constare debent, si in eo perstiteris quod cœpisti. Sola enim perseuerantia est, quæ virtutum omnium consequitur fructum. Nec diu, si rectè futura metiaris, in labore isto sudandum est tibi, quia oculis tuis laborum gloriosa merces impendet, & remunerator tuus astat in ianuis. Pro illo itaque si quæ molestiæ irruunt ex tibi impacto Prioratu, & de sollicitudine animarum & corporum, quæ humeris tuis, ad tantum onus, vt tibi videtur, debilibus & infirmis, imposita est, sustine patienter, clama ad ipsum, quoniam prope est. Quod tibi visum fuerit importabile, pia confidencia reiicias in humeros eius, qui ouem reduxit per-
F ditam, & totius humani generis in ligno portauit onera, quando Principatus ipsius factus est super humerum eius. Ipse vero te sublevabit, quia fidelis est, & non patietur tentari supra id quod potes, sed faciet tentationem ipsam tuum esse profectum.

Epist. CLXII.

Idem Eidem.

Causam exilij mei ex relatione Prioris de Monte Domini, & ex mea vobis notam esse arbitror: vt tamen vobis liquidius constet, eam paucis expono. Domino Cantuariensi, & Ecclesiæ, vt potui astiti, vbi tamen, quod conscientia teste securè audeo profiteri, Dominum Regem Anglorum, ex proposito iniuste non offendi. Ipse autem, & me, & fratrem meum proscripsit bonis nostris, & ego exilium patior. Mihi vero nec
G opes, nec amici, nec arma sunt, quibus tantum principem valeam expugnare, aut quas de beneplacito suo mihi & meis inferret, propulsare iniurias. Vnde ad vestrum, & aliorum Sanctorum patrocinium confugere necesse habeo, vt vestris intercessionibus flagellum illud ab Ecclesia sua, & nobis amoueat Dominus, aut conuertat in vsus salutis nostræ, neque nos patiatur in procella turbinis huius aliquid committere contra ipsum, sed dirigat gressus nostros in beneplacito suo. Expectabamus pacem, & ecce Ecclesiam iam grauior infestat turbatio, tanta quidem, vt ad subueniendum inane videatur auxilium hominis. Ad pedes itaque Sanctitatis vestræ, & fratrum vestrorum tota mentis deuotione prouolutus affectuosius supplico, vt misereamini nostri, saltem vos amici Domini, & Cant. Ecclesiæ, & meum, & fratris mei, & coexulantium nobis, vestris precibus subleuetis exilium. Iam enim de humano auxilio desperamus. Hoc quoque attentius deprecor, vt pro Rege
H Angliæ intercedatis ad Dominum, quatenus eum Deus reuocet ab hac pressura Ecclesiæ, vt miserator Dominus, qui solus huic morbo mederi potest, persecutores Ecclesiæ aut conuertat, aut conterat.

Epist. CLXIII.

Abbati S. Medardi.

Causa Christi multa commendatione non indiget, præsertim apud vos, qui & piæ deuotionis famulatu, & Sanctorum intercedentibus meritis, desideratis Christo felicius commendari. Quis autem causam sanctorum pauperum de Valle sancti Petri esse dubitat causam Christi; quis eorum contristatione, vel consolatione Christum ipsum contristari nesciit aut consolari, nisi qui Euangelicam ignorat Prophetiam, ex cuius veritate sententiam proferet in iudicio Christus, in condemnatione impiorum, & prælectorum salutem

A & glorificationem? Et quia memoratis fratribus, vt audimus, pietas vestra compatitur, & humanitas libenter subuenit, cum eis & pro eis charitatis vestræ immensas referimus gratias, cū præceperitis, & res & tempus experierint, relaturi gratiatum quantas poterimus actiones, certi quidem quod Christus, quem in membris suis ad præsens consolamini, quas debet, referet in misericordia verbi, mensuram coagulatam & supereffluentem refuoderit in sinus vestros. Precamur autem, & quanta possumus supplicatione deposcimus, vt Priorem eorum C. reuerendum alumnum vestrum charum habeatis, & eos & fratribus suis, in quibus patrocinio suo eguerint, auxilium & consilium impendatis, & quod tantum Patrem decet & tantæ nobilitatis Ecclesiam, pauperum, cum expedierit, preces præueniēdo, eorum parcatis erubescentiæ, & vestram dilatetis gloriam, & conscientiam mulceatis. Et quia eos aliqui de fratribus vestris, quod nec honori, nec vtilitati vestræ expe-B dit, molestare dicuntur, supplicamus attentius, vt ei pacem reformetis, & fratres vestros ab eorum inquietatione suspendatis. Quicquid autem eis feceritis, si nobis factum dixerimus, veraciter quicquid dicetur. Sed Pater eorum ad expressionem meriti vestri cum Christo personaliter intendatur, quicquid istis in alterutra sorte boni & mali exhibitum fuerit.

Epist. CLXIV.

Domino Noruuicensi.

Scio pater, quod fideles vestros sincera consueuistis charitate diligere, & deuotionem & obsequia eorum acceptare & remunerare pro facultate & merito. Vnde ego, quia me vobis semper fidelem exhibui & deuotum, spero, quod mihi compatiemini tum pro sinceritate causæ, tum pro affectione personæ. Itaque paternitati vestræ attentius commendo fratrem meum, qui C magis de aliena voluntate, quam de merito suo bonis suis proscriptus est. Nec enim vobis commendarem, nisi quia Domini Regis pacem habet, licet plenam gratiam nondum adeptus sit, & quia redituum meorum inhibita est solutio, vt tres marcas de præsenti festo S. Ioannis non exigam, precor vt tres marcas quocunque nomine volueritis, siue in causam mutoi, siue in aliam, & si placet, tradi faciatis, quia hoc imputari non poterit, si homini innocenti & habenti pacem Domini Regis subueniatur.

Epist. CLXV.

Domino Pictauiensi.

Ad notitiam vestram arbitror peruenisse quod Ger. Archid. Parisiensis amicissimus mihi est, & suo & suorum merito familiarissimus, qui vnum seruientem suum Iord. nomine meis apud vos precibus desiderat D & sperat promoueri. Abbas S. Maxentij, vt asserit, ei pecuniam debet, & cum eo nunc amicè versatur, vt diffidat de fide debitoris, nisi vestra paternitas eum esse fidelem faciat vel inuitum. Precor ergo attentius vt ita institiam seruientis promoueatis, quatenus præfatum Archidiaconum, cuius contemplatione has preces porrigo, vobis & vestris reddatis obnoxium, & seruiens eius, quod sibi debitum esse constiterit, vestra interueniente diligentia, si possibile est, sine difficultate consequatur & mora.

Epist. CLXVI.

Domino Cantuariensi.

Salutem & confortari in eo qui dissipat consilia gentium, & impiorum conatus euacuat & potentatus euertit. Recepi me per literas paternitatis vestræ, quibus præcipitis vt vobis rescribam quod mihi visum fuerit, inspectis literis Dn. Sar. & Ioannis de Oxeno- E ford. & M. H. & Dn. Nicol ......neque Ioannes neque M. H. quas plurimum desidero literas tradidit, sed mentem Ioannis ex vestris & Episcopi, & Capituli Sar. facile est agnoscere. Electus vero Carnotensis quid vobis significauerit nescio, quia in literis eius nihil aliud continetur, nisi vt Vincentio credatis. Hoc ergo definit instructioni meæ, quod plurimum appetebam, & quod scitu dignissimum est, nosse videlicet qualiter negotia vestræ prosperata sunt in manu M. H. & quam opem naufragio Ecclesiæ Anglicanæ sedes Apostolica, pro qua patimur, decreuerit impertiri, inde enim oportebit cautelam consilij informare, vt iuxta parabolam Euangelicam turrim quis ædificaturus sedens sumptus computet, & cum Rege congressurus copias suas domi recenseat, ne magni conaminis aut ostentationis subita & inconsiderata præsumptio risui aut ruinæ turpiter exponatur.

F Nec hoc dixerim, quod Ecclesiam Romanam, spei nostræ fundamentum arbitrer statuendam, sed ipsum solum super quo & illa fundata est, & in quo quælibet opera fideliter radicata conualescit ad fructum, & consummatur in gloria. Ille nobis sit in conscientiæ fundamento, & homo proculdubio non præualebit, nec timere oportet vel tyrannorum minas, aut tendiculas carnaliter sapientum, aut perditorum perfidiam, aut pusillanimitatem iudicis, aut auaritiam & inconstantiam eorum, qui quærunt in omnibus quæ sua sunt, carnis, non quæ Iesv Christi. Nam vt fidelissimè Scriptura docet, *turris fortissima nomen Domini, ad ipsum iustus confidit, & de omni angustia liberatur.* Quia ergo paruitatis meæ consilium quæritis, consulo nunc, quod semper, vt omnem & totam spem nostram proijciamus in eum, qui eruere nos potest a tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Quod vt iustè & misericorditer velit, ponamus, monente Aggæo, corda nostra, superbias nostras, & G facientes pœnitentiæ dignos fructus suscipiamus poculum huius salutiferæ amaritudinis in lætitia de manu Domini, quibus muneribus abutentes pestifera dulcedine prosperorum, in perniciem nostram ... exhilarati sumus. Hæc est enim gratia illius, qui innouos beat amicos suos, vt per multas tribulationes examinatos purgatiores & clariores & solidiores introducat ad regnum, omnium temporum seriem procurans, quem ab initio inuenimus electorum de deliciis migrasse ad delicias, hominum quem legimus hic floruisse & exultasse cum mundo, & nunc in vbertate fructuum lætari & regnare cum Christo: mente autem sic exulcerata in se per pœnitentiam, per patientiam roborata, & mitigata, & erecta per spem, & sanctæ conuersationis testimonia. Nihil consultius arbitror secundum ea quæ proposita sunt, quam in sequendo consilium Nicolai, quem Domini Spiritum habere confido. Scribatis Imperatrici & Archiepiscopo, & Episcopis Normanniæ, vos semper fuisse & esse paratos obtemperare....... secundum censuram Canonicam, & redire ad Sedem vestram, & vestra recipere, & vestrorum, dummodo vobis & illis H securitas procuret, & Ecclesia in eam restituatur libertatem, in qua erat antequam ipsam iniquitatis huius procella concuteret, eoqoemodo istuc scribendum, & conditiones censeo exigendas, quo mihi certior esse videor animos aduersariorum Ecclesiæ Domini sic induratos esse, vt nullam omnino conditionem admittant, vbi qui Ecclesiæ libertatem euertat, & vestram, & omnium nostrum subruat honestatem. Scriptum tamen eatenus proderit, vt vobis sit contra malignantes Episcopos in testimonium, & modestia vestra, quod plurimum expedit, omnibus innotescat.

Si vero, quod non spero, illi hæc Regi obtulerint, & ipse conditiones admiserit, vsque ad cautionem securitatis, non videtur mihi quod vos in verbo illo nimis scrupulosos esse expediat, dummodo Imperatrix & Archiepiscopus se interponat, & Rex protestatione publica & scriptura patente vos & vestros iubeat esse securos. Quid enim si Deus hac sollicitudine vos exercitare

decreuit

A decreuit, vt viuatis in medio insidiantium, & obsidiamini ab illis qui quærunt animam vestram vt auferant eam? Nonne ex causa consimili Gad Propheta Dauid peregrinantem à facie Saülis redire monuit, & compulit in Iudæam, vt ei inimicorum insidiæ ad exercitia virtutum proficerent, & meritorum insignia sic clarius radiarent? Sed arguet quis fortasse temeritatem huius consilij, caput vestrum hostilibus gladiis obiectantis, diceretque commodius esse, & tutius expectare, vt peregeritis pœnitentiam, quia ex conscientia peccatorum nondum apti estis martyrio, ad quod ego. Nemo non aptus est, nisi qui non vult pati pro fide & operibus fidei, paruulus sit an adultus, Iudæus an Gentilis, Christianus an infidelis, vir an mulier non refert. Nam quicumque pro iustitia patitur, martyr est, id est Testis iustitiæ, assertor causæ Christi. Sed quorsum hæc? Scio enim, quod præsagit animus, quod Rex eatenus non conualescet, vt de securitate agi oporteat, & quia illa robustissima columna templi Domini, quod quicquid B agitis, exhibitione moderationis, tam in factis & dictis, quàm in gestu & habitu; quod tamen apud Dominum non multum prodest, nisi de arcano conscientiæ prodeat. De negotio Satesberiensi recolo, quod ex parte Episcopi, & Ecclesiæ, & intentione Decani, audiui vobiscum, & Episcoporum circumuentione, qui Episcopos & Ecclesiam suo consilio induxerunt ad transgressionem Apostolici mandati: & si apud homines, sicut iure cautum est, nulli patrocinabitur apud Dominum, qui disperdet labia dolosa, & prudentiam prudentum reprobabit. Et sicut mihi ab vrbe significatum est, & ego vobis scripsisse me memini, Dominus Papa iam vestram sententiam confirmauit, imo suam vindicauit iniuriam. De appellatione Episcoporum quid sentiam non silebo, quia liberi esse nolunt, timeo ne perpetuetur eorum seruitus, iure quidem, quia cùm annus remissionis adesset, annus videlicet gratiæ Ecclesiam in libertatem euocantis, post sex annos quibus afflicti erant, quasi in luto & latere manserint, eo quod C quidam eorum vxores duxerant, quarum tenentur affectione, alij iuga boum plurima sociarunt, alij thesaurizant pecuniam, nescientes tamen cui congregetur, alij aliis & variis voluptatibus se dederunt, & prementes se iugo sibi placentium viciorum, maluerunt in quam in antiqua seruitute teneri, & aures suas perforari subula perpetuæ seruitutis, quam se profitentur moribus obedire seruilibus peruersatum consuetudinum, quam in libertatem spiritus velle euadere. An non recolitis, quia duæ tribus & dimidia, quæ pecora multa habebant, & possessiones plurimas, non sortitæ sunt hæreditatem in medio fratrum, id est, communi terra, scilicet promissionis, sed Iordane nondum transito in Amorrhæorum finibus substiterunt? Nonne hoc in Euangelio interpretatur plenius Iesus, per figuram dictione affirmans, quia facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum? Et quidem qui ad transeundum Iordanem pigri fuerant, altare contradictionis & scandali postea D extruxerunt; sicut Episcopi nostri, qui sub prætextu iuris, formam & vigorem iustitiæ conantur eludere, sed & hoc ad vnitatem & pietatis cultum triumphator gentium legatione missa reuocabit, hoc enim ad professionem legis & iustitiæ cultum, vt quod rectum est coram Deo sapiant, loquantur & faciant, & armati exhortatione Moysi diuinæ legis, præcedant fratres suos, donec Christo hæreditas sua, Ecclesia scilicet liberetur de manibus hostium, & post inclinatos de vitiis triumphos stabiliatur in terra. Sed interim H. Herfordensis Episcopus, qui à plerisque videbatur liberaturus Israel, & contemptu mundi, & peritia Literarum, quarum ab ignaris, vel eum ignorantibus creditur habere copiam, vos conturbatores Ecclesiæ nuncupat. Ei & complicibus suis responderi poterit verbis Heliæ similiter obiurgati, dicentis ad Achab: *Non ego turbaui Israel; sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim*: nec quod ore vestro velim; qui modestiam suadeo. Hæc Episcopis respondet, sed sibi à conscientiis suis, vel ab aliquo Religioso, qui corripiat eos, eo quod sunt cultores Iezabel, quæ cohabitatrix; quod nomen meretricis est, interpretatur, aut fluxus vanus, quia more meretricum, quæ conuiuia sectantur & tabernas, se luxuriæ primum, & omni postmodum turpitudini exponentes non nisi fluxus, cum quibus & Episcopi perefluant, consectantur, & in momento pariter euanescant cum vanitatibus suis. Vos igitur istis nuncupatoribus, imo detractoribus vestris quid poteritis modeste respondere? nempe quòd modestissimus & sanctissimus Dauid intorsit in Ecclesiam Abner, qui in patris lucernam vertitur, quoniam Saülem in castris dormientem custos somnolentus exposuit hostibus, vt in argumentum desidiæ lanceam Regi & scyphum aquæ auferrent à capite eius, & asportarent. Dicatur ergo Huford. quoniam ipse Saulis sui custos est, vt aiunt & Londinensi, qui à Summo Pontifice custodiam hanc, cum à sede sua migraret in aliam, noscitur accepisse. Dicatur, inquam, vtrique eorum, *Numquid non vir tu es, quis alius similis tui in Israel? Quare non custodisti Dominum Regem tuum?* vinit Dominus, quia filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum, Christum Dominum. Vbi enim hasta Regis iustitiæ directionem significant, & scyphus aquæ, vas scilicet legis puræ, qui fuerat ad caput eius ad refrigerium carnis & refectionem spiritus in siti sua? Sed & illi continuo verbis Abner fidei, & sollicitudini vestræ, & increpationi respondebunt, dicentes: *Quis es tu qui clamas, & inquietas Regem?* Ac si dicant. Permittite nobiscum in contemptu mandatorum, & persequutione Sanctorum dormire Regem nostrum, vt eum pausantem sic in contemptu diuinæ legis producamus, & perducamus ad somnium mortis. Vos tamen qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei, sed exequimini quod ait Apostolus, *Argue, obsecra, increpa, opportunè, importunè*, & quacumque opportuna importunitate. Sub prætextu tamen appellationis omnes se de cætero tuebuntur, parati quamlibet incurrere inobedientiam, expectantes interim aut mortem Domini Papæ, quam optant, aut vestram, aut alium casum, qui eorum malitiæ patrocinetur. Rex enim, * & cuius excommunicationis communione se vnquam * suspenditur: nonne ei semper Pontifices & Clerus ferè totus astiterunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? Credo tamen in Episcopis aliquos esse, qui nobiscum, imo cùm Domino & Ecclesia eius, votis & orationibus firmiter perseuerant, & si inimicis & persecutoribus Ecclesiæ corpore & verbotenus in multis communicent. Sic Ionathas cum Saüle patre suo corpore versabatur, sed tota mentis sinceritate cum Dauide exulabat: Sic & ad filij parricidæ consortium Cusai Arachitem in exilium properantem remisit Dauid, mallens illum cum amicis Sadoch & Abiathar sacerdotibus inter inimicos vtiliter commorari, quam inutiliter coexulare sibi. Quosdam Episcoporum iustitiæ Domini & vobis fauere non dubito, & maximam partem Cleri. Sed vel ex necessitate vel pusillanimitate dissimulant. Quis enim opinetur omnia sydera defectum pariter sustinere? Vt ergo de cætero manum contraham, consilium, quod à me quæritis, ingenioli nostri vires excedit, neque vnquam vt in Regem Dominum vestrum anathematis, aut in innocenter regni feratis sententiam interdicti. Præcipitabo consilium, adhuc est apud me, quod auribus vestris intimaui apud castrum Theodorici, nec ab illa recedo sententia. Quod illud & si potestis meminisse, quia idem sentiebatis, hoc tamen adiicio, vt super his & aliis quæ postea emerserunt, consulatis Dominum Pictauicosem, & aliorum sapientum sententias exploretis, & Heruej, si eum interim reduxerit Dominus, habeatis consilium: sed ante omnia incumbatis precibus, & aliis exercitiis militiæ Christianæ, & agonem vestrum media Sanctorum intercessione Domino commendetis, & sic prodeatis ad id, quicquid illud sit,

A quod per organa sua, sapientes & fideles dico, docuerit Spiritus sanctus, & quod causa sua desiderat: credo quod & vos ipsi habetis Spiritum Domini, quia qui zelum dedit immerito, benemerenti credendus est, in necessitatis articulo consilium ministrare. Non ergo suadeo, vt secundum quod communis Pater noster & Dominus dicere consueuerat, consilium quod Dominus inspirauit cordi vestro, in caligula reponatis, & aliorum nimis in causa vestra vigilantium præferatis opinioni. Post festum Beati Petri disposito statim, Deo auctore, venire ad vos; & tunc ex multa collatione mutua adinuicem clarere poterunt, quæ pagina non sufficit expedire. Quid egeritis Veziliaci Archiepiscopo, & Ecclesiæ Remensi à multis diebus innotuit, nec operæ pretium puto diuulgata referre. Si Templariis offensos est, dissimulatione vtendum arbitror, quia qua facilitate concipere, eadem .... facere consueuit: & cum ei nihil debeatis, adhuc non consulo, vt vos obnoxios B illi reddatis in talibus. Ad hæc, si ei fuerit supplicatum, magnificabit iniuriam; si dissimulatum, & si qua processit iniuria, dissimulatione poterit aboliri: via autem reconciliationis facillima erit, vt in aliquo munusculo capiatur. Video tamen Templarios in Curia eius benignè recipi, & negotia eorum commode expediri. Ipse autem ad Claramuallem profectus est, accitus, vt aiunt, à maiore parte Conuentus in ruinam Abbatis. Fromandus, qui hoc iter eius procurauerat, obiit pridie Idus Iulij, & in Monasterio sancti Remigij sepultus est.

Epist. CLXVII.

Domino Cantuariensi.

ETsi certum sit quod Episcopi ad inobedientiam proni, & Pastores pascentes seipsos, qui amore quietis & luxus, & temporalium metu damnorum impio C impietatem suam annuntiare detrectant, ad omnem subuersionem iuris, & singula præiudicia Ecclesiarum, dicente Euger. se de cætero aduersus omnia mandata vestra, & Apostolicas Sanctiones, quatenus eis displicuerit, sub prætextu appellationis exhibitæ tueri proponat. Expedire tamen arbitror, vt de vestris suffraganeis testato si fieri potest, aliquos euocetis, vel audituros Domini Papæ mandatum, aut vobiscum de statu Cantuariensis Ecclesiæ tractaturos, aut alia euocationis eorum causa proposita, si qua vobis, & his, qui vobiscum sunt, occurrerit commodior. Cum enim iam appellauerint, quod fortasse iam Domino Papæ significatum est, & in omnibus Regi suo obtemperant, non video de cætero quare colloquium eorum oporteat euitari, sed neque Regis. Credo enim quod metu laboris quem subituri sunt, & sumptuum quos verentur, & imminentium periculorum instantiam, & dubium causæ euentum, paci Ecclesiæ, & reconciliationi vestræ diligentiorem operam dabunt; quia nec vnum eorum D opinor inueniri, quem tot & tantarum incommoditatum dispendia subire non pigeat, & si transfretauerint fortasse mediante Imperatrice pax Ecclesiæ reformabitur, aut Domino propitio causa vestra in meliori calculo relinquetur. Instat enim tempus, vt aiunt, quo Aquila rupti fœderis, iuxta Merlini vaticinium, frænum deauratum est, quod Apro eius datur, aut modo fabricatur in sinu Armorico. Nam sicut accepi pro certo postquam priores litteras exarauueram, in accessu Fulgeriatum graue damnum perpessus est, quod adhuc deplorant apud nos amici Francorum, quorum quidam capti sunt, alij vulnerati, dum putum sitientes argentum, nitebantur strenui præ cæteris apparere. Audieram hæc prius in curia Christianissimi Regis Francorum, apud Laudunum honestè & reuerenter susceptus ab eo: sed non facile rumigerulo credidi, licet aliquantulum fidem faceret dubitanti, quod Comes Robertus tristitiam inde conceptam dissimulare non poterat. Dicunt & quod famelici saturos, & inopes copiosos rerum omnium obsident hostes, & quod obsessus obsidente longosecutior est. Radulfus enim, vt perhibent castrum suum optime præmuniuit, vastauitque quicquid alimentorum in circuitu suo potuit inueniri, nec ad remotiora sine magnis copiis pabulatum progredi licet, eo quod electissimorum militum Radulfus memoratus copiam habens, vias eorum acutissimè sepis spinis, & aculeis vrget equos vt cadant ascensores eorum retro, & in exercitum ipsum crebras, vt loquuntur, facit irruptiones. Adjiciunt quod potentissimis Britanniæ Proceribus, excepto Comite Eudone confœderatus est fœdere mutuo. Nonne sic ferus singularis, aut singulari proximus aper, qui depascitur & conculcat vineam Domini, cohiberi poterit & infrænari? Ego quidem sic illam interpretor Prophetiam, expectantes vt Aquila quacumque subornatione incommoditates istas inaurret: nisi forte Alexander noster Merlini cognatus, & oraculorum eius Interpres prudentior aliud sentiat. De his hactenus. De cætero pergratum mihi feceritis, si Domino Lugdunensi, quem apud vos esse audio, & plurimum videre desidero, nomine meo fueritis gratulati, & quæ circa vos sunt diligenter rescripseritis.

Epist. CLXVIII.

Thesaurario Remensi.

VEstro mallem, si cum vtriusque nostrum commoditate fieri posset, desiderato frui colloquio, quam quæ & me dixisse iustum est, & vos diligentius audire expedit, chartulæ commendare, quæ id solum eloquitur quod illi creditum est: nec ea quæ inter amicos vtiliter adinuicem proponerentur, commodè dilatantur. Cæterum hoc desiderium meum tum multiplicium & ineuitabilium negotiorum instantia, tum aliquantula corporis mei infirmitas præpediunt, vt scribi necesse sit, quod dici potius expediret. Meminerit itaque Dominus & amicus meus, quoniam, vt ait Orator: *Primo decipi incommodum est, secundo stultum, tertio turpe.* Doleo quidem contigisse quod ad memoriam vestram reducere necesse est; quia vos semel decipi contigit in matricularia ad incommodum, secundò in cessione Præbendæ Parisiensis, ad errorem, nec de cætero omni spiritui adquiescatis, vt in Subthesauraria disponenda turpiter decipiamini. Est autem vir probus Laurentius concanonicus vester, cui eam Dominus Archiepiscopus dare disposuit, & maiore, si vocaretur à Domino, & vitio ambitionis purgaretur; dignus honore. Sed numquid vobis conducit, & honori vestro, vt Domini vestri collateralem eligatis in ministerium vestrum, imo intrudi patiamini, vt non tam vobis, quam alteri debeat quod ministrabit? Numquid de Thesaurario Subthesaurarius esse vultis? nonne satius est vos officialium vestrorum esse custodem, quam vobis & illis cum incommoditate custodem alium deputari? Vos de cætero videte quid egeritis, ego pro fide & affectione quam habeo ad vos, & pro reuerentia venerandi & pij Patris nostri beati Samsonis, hoc vobis quem video in multis labefactatum, propono, vt memineritis vestri, & nostri, qui vobis semper fideles extitimus: atque absit, vt probabiliter dici possit, nos vitio ingratitudinis laborare. Cum autem redieritis, non displicebit vobis, si feceritis de ministerio vestro quod vestram deceat, & nostram non dedecoret honestatem. Nam in his quæ honori vestro conducent, nos beneplaciti vestri, quoad poterimus, habebitis adiutores. Ad hoc inuitat fides, suadet affectio, sed Samson ille compellit, cuius memoria in benedictione est.

* * *

A

Epist. CLXIX.

Domino Exoniensi.

Me causa duplex impræsentiarū impulit ad scribendum, tum ne præter consuetudinem sine litteris abire patiar aliquem ad vos de mea conscientia proficiscentem, tum vt amicis, quorum voluntati satisfacere par est, morem geram. Voluerunt enim latorem præsentium à * Denoma oriundum, vt asserit, etsi credi possit eum ab vlterioribus conuicaneis vestris circa montem B. Archangeli in fine Amorico traxisse originem, paternitati vestræ, meæ paruitatis officio commendari, vtpote quem in pago Remensi per annos laudabiliter & sine querela perhibent conuersatum. Illis itaque satisfaciens pietati vestræ tam securas, quam sinceras porrigo preces, cum .... & rerum experien-

B tia, & conditio mihi sicut & multis constet discretionem vestram legis, quæ inter amicos, tam æquitatis suasu, quàm decreto philosophantium sancita est, non esse ignarum. Ea autem est, vt melius nostis, vt honestas precum sit moderatrix, & in his dumtaxat audiantur amici, quibus illa non aduersatur, præscribit, hac ratione ex causa amicitiæ, illicita petantur, aut fiant. Quia ergo amicorum gratia amicum apud patrem & Dominum commendare suscepi, precor, vt contemplatione Domini, & meatum interuentu precum, eum si experierit, audiatis, in his quæ necessitati eius & honestati vestræ discretio dictauerit expedire. Et si forte eum de conscientia vestra ad nos redire contigerit, me super statu vestro, & amicorum, acceptis saltem publicorum rumorum litteris poterit certiorare. De meo statu autem ad præsens parcius scribo, non quia aliquid meorum à vobis velim esse absconditum, sed quia tecolo me per Fulconem nuperrime omnia plenissime

C nunciasse. Nam si quid deerat, paginæ grandiori portitoris offcio, & diligentiæ, ratus eum esse supplendum.

Quod ad publicum vero statum, hæc postea multorum assertione vulgata sunt Anglorum, simul omnes Episcopos ex mandato Regis conuenisse, & ne sententia, quam Dominus Papa dictauerat, locum haberet, appellasse contra Archiepiscopum suum, qui pro salute eorum & libertate Ecclesiæ facultates raptoribus, fortunam periculis, famam ludibrio, & caput hostilibus gladiis, si res exegerit, obiectare non dolet; non formidat, non erubescit, aut timet. Venerunt ad eum nuper Clerici duo sicut mihi pro certo relatum est, ab eo qui tunc erat Paulmiaci, hoc publicantes, & appellantes? vnus ex parte Domini Saresberiensis, alter ex parte Decani sui, inficiantis omnino se iuramentum aliquod præstitisse Imperatori, vel Reg. Colon. Scismatico in aliquo communicasse. Idem & confitens se Clerum familiarem de mensa M. Ioannis de Oxenefordia, qui Clericus Regis est, se Regis ad Archiepiscopum verbum habere dixit, appellans ex parte & nomine Re-

D gis, & mandato eius, vt aiebat, eundem Archiepiscopum ad audientiam Domini Papæ Alexandri, & per eum appellabat, diem præfigens qua cantabitur: *Ego sum Pastor bonus*. Archiepiscopus vero ei in hæc verba respondit. Tu cum ignotus nobis sis, nec mandatum, nec litteras Regis habeas, & ex communione Domini tui Ioannis de Oxenef. quem excommunicatum esse constat per litteras Domini Papæ excommunicatus sis, appellantis officium implere non potes. Nos autem mandatum Apostolicum exequemur, & Domino authore implebimus.

Quod autem attinet ad Saresberiens. habeat scite; volens ad eum proprium nuntium destinaui, qui mentem eius familiarius exploraret. Cæterum istud Episcoporum tota Francia miratur; dicens, eos oportuisse conuenire, vt tractarent de salute Regis sui, quem sicut Imperatorem ex causa schismatis, ita propter Clerum & Ecclesiam, quam collidit, quotidie labefactari conspicerent. Oportebat quoque eos de liberatione Ec-

E clesiæ & pace sollicitari, & operam dare, & intelligentiam quomodo reformaretur pax clero, non quomodo se & sua, sumptibus, & laboribus, & periculis exponerent, & famam suam deturpantes, in posterum Ecclesiam subjicerent seruituti. Rem quoque mirabilem, si tamen vera est, omnes qui audiunt, pariter admirantur.

Quod si Episcopus Herford. vir literatus & mundi contemptor habitus, in Archiepiscopum suum, & consecratorem inuehitur, dicens eum turbatorem rerum; quia Ecclesiæ vendicat libertatem, nonne sic præpositi filiorum Israël, in Moysem & Aaron diuinæ legis executores culpam refuderunt, quod flagellabantur ab exactoribus, negatis paleis quæ debebantur de iure? nonne Ministris Domini improperabatur, quòd Præpositorum nomina fœtere fecerant coram Rege & seruis suis? Illi tamen etsi queruli & murmuratores; tamen sequuti sunt Moysem. Et vtinam hi qui modo queruntur & murmurant, Domini sequantur legem. Quod si F

fecerint, conuenient hinc Regem, inde Archiepiscopum, & quem in culpa viderint, palam arguent, & e diuerso stabunt vno consensu, aut dissimulatione alienæ iniquitatis, contractu immunditiæ polluentur.

Epist. CLXX.

Richardo fratri suo.

In te omnium amicorum dulcissime, plane viderer iniurius, si cuiquam à peregrinatione mea scripsero, subticens tibi quem super statu meo cum Domino amabili, miseriæ nostræ non ambigo præ cæteris mortalibus esse sollicitum. Licet enim interdum desit materia, vel occasio scribendorum, hoc ipsum tibi scribendum arbitror, scribendi occasionem & materiam defuisse. Quod autem Domino Episcopo scripsi pariter innotescet, sicut ea quæ tibi scripta sunt, sinceritati enua poteris præsentare. G Vobis enim vt ei in omnibus acquiescas quæ ad te pertinebunt, & consilium eius præferas meo; tum quia nobis sapientior est, tum quia eum vberiorem gratiam Domini habere confido, & nos semper ex charitate sinceta sicut authoritate, sic & meritis antecedit. Quod autem ei scribendum fuerat, ni deficientis prothocolli breuitas obstitisset, ei meo nomine suaderi desidero; & vtinam Spiritus suadeat, qui in necessitatis articulo sperantes in se, solatio consilij destitutos esse non sinit. Hoc autem est, vt in hoc conflictu potestatis & iuris ea moderatione incedat, præuia lege, duce gratia, iuuante ratione, vt nec temeritatis reus videri debeat aduersus potestatem quam Deus ordinauit; nec metu potestatis, aut amore bonorum euanescentium iniquitati consentiat in depressionem Ecclesiæ, & in perniciem tam præsentium quàm posterorum, non modo desertor officij, professionis præuaricator, sed & impugnator iustitiæ habeatur. Sed dices fortasse, quod mihi, sicut cuique facilius est dictu, facienda præscri- H bere, quam factu, quæ præscripta fuerint adimplere. Nam & liber vorandus dulcescit in ore Prophetæ, sed ad interiora transmissus amarescit. Orator quoque in arte dicendi docet, quia in artem præcepta tradere, & de arte dicere facillimum est, sed ex arte difficillimum, quæ præceperis obseruare mandata. Nusquam vero difficilius, quam in arte viuendi. Illa siquidem ars artium est, & sicut vtilitate, sic & difficultate incomparabiliter alias transcendit vniuersas. Illud quoque Comici nostri adjicies, quia omnes cum valemus recta consilia ægrotis damus: tu autem si hic sis, aliter sentias. Ad quod ego replicabo, quoniam licet hanc auream mediocritatem, quam præscribo, seruare non nouerim, aut non quæram, Lyricum tamen licenter imitabor,

——fungens vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa secandi.

Non quidem hanc sollicitudinem gero, quod de tanto,

A & de tam sincero parte (Dominus scit) sinceram aliquam suspicionem conceperim ; sed quia in periculis amici charitatis non sollicitari non potest. Noui enim præpotentium persecutorum instantiam, debilitatem Ecclesiæ, licet Dominus Papa iam plurimum conualescat, & confortetur in Domino : noui & pusillanimitatem quorundam Episcoporum, tum aliorum inuidiam, vt nihil sit quod magis verear quam ne in ...... fratribus, & his qui videbantur aliquid esse, & authoritate gradus, & litterarum & habitus ...... periclitetur innocentia eius. Nam & Duces qui in Israel officio principabantur & merito, Moyses videlicet & Aaron, ad aquas contradictiones, impetu multitudinis lapsi sunt, vt terræ promissionis demererentur introitum. Apud nos vero fama vulgauit, Anglorum Episcopos iam sæpius conuenisse, vt deliberent & decernant quid facto opus sit. Sed quid vere, quæso decernent, nisi se turbari & timeri, & vtique supra modum? quid decernerit, nisi quod cedere maluerunt impudenter, B quam iniuriam viriliter propulsare? quid decernent vere, nisi quod iniquitas dominetur, & ipsi peccantibus non annunciant vitam suam, nec viam Domini ostendunt? Nec hoc dixerim, quod eum velim, aut suadeam

Dirigere brachia contra
Torrentem, aut se famulis imprudenter opponat,

& Ecclesiam suam exponat periculis & ærumnis ; sed vt imitetur quod bonus fecisse legimus Cusai Arachitem, qui consilium & malitiam Achitophel moderatione adhibita studuit dissipare, & in eo & fidelius cum Absalone versatus est, quod ei materiam peccandi sustulit, & parricidij præclusit occasionem. Numquid enim fideles opinaris, qui peccandi vias Domino Regi expediunt, & in eo studiosi sunt, vt prosperetur in his, quæ aduersus Domini iustitiam præsumuntur? Vter tibi videtur fidelior, an qui perniciosas abigit voluptates? Sentiat vnusquisque quod voluerit. Ego nunquam Dominum & amicum reputabo fidelem, qui sic illius ob- C temperaret voluptati, vt salutis & viæ dispendium afferat. Nisi forte Sauli fidelem putes fuisse Idumæum Doech, qui sacerdotes Domini gladio, quo seipsum transfossurus erat, occidit, & Achitophel fuit necessarius Absaloni, quo suadente palam in vxores patris commisit incestum, & parricidium committere disponebat. Dicitur (vtinam falsum sit!) Dum. Londin. & illum meum amicum Episcopum Cicestrensem ministros iniquitatis armare aduersus Ecclesiam Cantuariensis Archiepiscopi sitiue sanguinem, & id agere, ne ei vnquam reditus pateat Numquid timent ne seueritas manifestescat, aut, vt a Cicerone vsurpatum est, ne refugiat hasta Cæsaris, aut gladius hebetetur? Sed ego quod non plurimi fabulam puto. Neque enim tanti sacerdotes sapientes sunt, vt faciant mala; præsertim cum ipsi nouerint, quoniam si iniquitas præualuerit,

Pœna reuersura est in caput ista suum.

Neque enim eos latere potest quomodo de Rhamno in Regem sublimato ignis egressus est, qui deuoret Ce- D dros Libani. Vale, & officiose saluta quos noueris salutandos, sed affectu præcipuo ...... impetra nobis orationum suffragia, ne nos à via sua patiatur Dominus aberrare ; sed pro beneplacito suo, siue per prospera, siue per aduersa, triumphatis affectionibus carnis, & vitiis omnibus deducat & pertrahat ...... exulantes, in eo, & in nobis despiciamus inferiora, & compatiamur miseris, qui modo circa sarcinula Ecclesiæ, & nostra dispendias inutiliter occupantur.

EPIST. CLXXI.

Magistro Rodulfo Nigro.

EXcusationem quam diuturnitatis silentij porrigere studuistis, sicut probabilis est, ita probatam habeo, & acceptam, sciens dilectioni vestræ nequaquam diligentiam defuisse ; sed ipsi diligentiæ non adstitisse fortu- E nam. Eo autem de diligentia clarius liquet, quod post diuturnam & odiosam mihi moram charitatis vestræ sedulitas ad instructionem meam compegit omnia, quæ ex opinione vestra vobis obesse poterunt vel prodesse. Et licet quædam eorum per alios ante cognouerim, nullus tamen sic specialiter vniuersa peregit, & singula. Fuerunt autem bona omnia quæ auditis, licet plurima falsa esse non ambigam. Quid aliud sine salutis dispendio facere possum, quam quod ex testimonio conscientiæ præscribit ratio, & ipsa officij mei necessitas inexorata compellit? Nonne cum ad Domini Regis Curiam accessissem, in omni humilitate offerens quamcumque satisfactionem, iura permitterent ; vel voluntas sua mihi induceret, honestate incolumi, exclusus sum à forma pacis, quæ tunc M. Philippo oblata est & ablata? Quidnam erat vlterius faciendum? Numquid possessiones mihi pro lege Domini violenter & crudeliter ablatæ? quæ si iuste protestor coram Domino, qui velit nolit mundus, iudicaturus est causam istam, tam F turpi erant commercio redimendæ, vt iuratem me obseruaturum consuetudines, quas lex Domini condemnat, & omnem Archiepiscopo meo obedientiam abiuratem? Possent hæc ad subuersionem fidei meæ sufficere ; sed tamen vlterius processum est in ea, quæ & ab aduersariis honestius essent tacita quam expressa. Non vtique in Regem ista refundo ; sed in eos qui se causam Domini plenius nosse dicebant, erantque, vt iactitabant, interpretes voluntatis eius. Ipse enim me audiente non dixit quod aut meam, aut ipsius dedeceat honestatem, in eoque solo ipsum possum arguere, quod cum responsum flagitarem, de dispendio rerum & temporis conquerens, sic detorquebat verbum, vt tam Maiestati & honestati suæ, quam meæ necessitati esse vsquaquam inutile. Sciens ergo & prudens, pro instantia temporis ab eo diuerti, vt innocentiæ necessitati & verecundiæ meæ prospicerem ; imo & causæ Domini: tamen Domino propitio, si quando, quod spero, mihi cum indemnitate conscientiæ & famæ recta apparuerit G pacis via ; alioquin, ait, mihi mortem inferat temporalem pius IESVS, quam ipsum pro pace vel gratia hominis recuperanda scienter offendam. Sed tu multas proponis difficultates ; primo quod Ecclesia Anglorum in arcum prauum conuersa calcaneum erigit aduersus Dominum, & Episcopi sub appellationis prætextu malitiam suam nituntur colorare & euacuare sententiam, quæ de Sedis Apostolicæ iudicio emanauit. Sed profecto, si Dominus vobiscum est, pro se patientibus & proscriptis ; quia et in causa ista ex conscientia nostra decreuimus famulari vsque ad mortem, pariter vobiscum sunt ; quoniam est ill. certumque est à modo quod & ipsis imminet labor & dolor, nisi salubriori consilio acquiescentes, pacem Ecclesiæ, quam non prodendam, sed custodiendam susceperunt, nunc studeant reformare Rex in Imperatore confidit, & in captione Domini Papæ, quam ei vaticinantur Prophetæ Baal, falsa videntes & stulta, quæ non loquuntur à Domino : sed ita Achab deceptum esse : Sapiens interim audiat à H Catone,

In morte alterius spem tu tibi ponere noli,

præsertim innocentis & Domini, cuius diem præuenire, vel voto parricidij instar est ; sed Domino authore, Dominus Papa prosperatur, & capto nuper Albano, sicut certissime constat, dilatati sunt gressus eius. Cum è contra Teutonici Tyranni & hæresiarchæ sui vias sepiat Deus quotidie spinis, & quod dissimulare non possunt, eorum minuantur vires, & euanescat authoritas. Quod audistis de Siculo, falsissimum esse dicunt milites Reinenses, qui stipendiarij eius fuerant anno integro, & pridie reuersi sunt : quod illi non æmulantur, quos Dominus Cantuariensis denunciauit excommunicatos. Nam tam ipsus lædit, quam eos qui eis communicant. Ipsi viderint qua conscientia communicent, & qui excommunicati sunt, qua innocentia aut negant, aut excusent crimina, quæ eis impinguntur. Ego scio quod neque inferendia sententia ...... su, neque

A de consilio meo, aut de conscientia lata est, & necdum, Domino teste, quosdam eorum, qui notati sunt, noui, nec quæ meminerim vidi. Tentabo vtique vt consulens, Archiepiscopum flectere per Archid. Pictau. si tamen intellexeris quod ad pacem Ecclesiæ possit proficere labor meus. Alioquin probrosum esset & turpe Patrem circumuenire & Dominum. Sed nostis quod cum hoc ab anno præterito egerimus, nec semel nobis responsum est ab Archid. verbum vnum. De itinere autem vestro quid consulam nescio, sed iter præcise dictarem, nisi quia non video quomodo à participio excommunicatorum possitis abstinere. Nam quoniam sententiam metuerunt, vobis aliquatenus; sed illis ex testimonio conscientiæ plenius liquet: cum qui seminat inter fratres detestetur anima Domini, quemadmodum eum, qui cum Idumæo satellite persequitur sacerdotes, & tabernaculum Domini succendit, ... & gladio Principis in Leuiticũ ordinem debacchatur. In hoc B ergo articulo consulite conscientiam, & aliquem Religiosum, & discretum arbitrum adhibete: & cum effuderitis cor vestrum in conspectu eius, sequimini quod Dominus inspirabit. Si vero vos ad Curiam, suadentibus amicis contigerit proficisci, Archidiacono, quem diligitis, & ego, quatenus permittit sinceritas carnalis, tota mente veneror, & amplector, persuadete, vt iuxta quod Propheta monet, reflectat oculos mentis ad suas, & Domini sui vias, & ponat cor super illas, & non à modo subiiciat mollia, sperans in incerto diuitiarum & variis lenocinantis fortunæ blandimentis, memineritque, quia summis negatum est stare diu, & ante ruinam exaltatur cor. Nam quantumcumque dissimulet, nouit sententiam Pastoris, iusta sit, an iniusta, timendam esse. Quid multa; si potest Loth esse in Sodomis, Ioseph in aula Pharaonis, Cusai in colloquiis & consiliis Absalon, Abdias in obsequio Achab & consortio Iezabel, si Daniel in Babylone: illuc salubriter tibi & illis proficisceris, quibus persuadebis, vt C custodiant innocentiam, & videant æquitatem; quoniam reliquiæ homini pacifico: & cum iniusti simul dispereant, salus iustorum expectatur à Domino, qui fidelis est in promissis, & electos suos supra id quod possunt, tentari non patitur, sed eis vniuersa cooperantur in bonum. Iter & actus tuos dirigat Dominus.

Epist. CLXXII.

Comiti Henrico.

QVod proscriptus & exul, tantam alloquor Maiestatem, & publicis incumbentem vtilitatibus, ad Philosophantium exercitia, inculto præsertim stylo, & exangui genere dictionis, & ad momentum reuocare ausus sum, temeritati posset adscribi, nisi paruitatem meam supereminentis bonitatis vestræ erigeret contemplatio, & me ad scribendum non tam inuitaret, quam cogeret mandati vestri authoritas, cui corde magno, & D animo volenti desidero in omnibus obtemperare, quæ fieri possunt in Domino. Et quidem eo me vobis obnoxium fateor, quo tam mihi, quam multis aliis, certum est me in terra vestra plurium bonorum cepisse profectum, & sub beato patre vestro, cuius memoria in benedictione est, eo quod eleemosynas eius enarrat omnis Ecclesia Sanctorum, & plurimarum virtutum eius præconia celebrat, me pro omnibus coætaneis meis, eo patrocinante, cum adhuc adolescentior essem, floruisse in Francia, ea præeunte gratia, sine qua nullus boni potest esse processus, id assecutus sum ...... & bonorum notitia, & mundi prospera, quibus in patria mea supra & contra merita mea præcoætaneis & conterraneis meis abundaui, vt publice notum est, præuenerunt: mihique facile persuaserim, quoniam credibile est tanti Patris meritis adquisitum, vt hæredem relinqueret, qui ipsum, licet optimus fuerit, in virtutum cultu, & magnificentia operum animaret. Sed quid hæredem dico relictum, cum omnes liberos tales reli-E quærit, vt quilibet eorum merito probitatis, non tam optimi Comitis decedentis repræsentare videatur imaginem, quam Regis instar esse? Verum iuxta constitutionem Altissimi in primogenito bona duplicia resederunt, & qui fratres præcessit tempore, eis bis antecessit, sicut amplitudine rerum, ita & eximiarum splendore virtutum. Inter alias vero præ cæteris radiat liberalitas insignis, quam totus mundus prædicat, & excellens humilitas, quam ego diuinarum litterarum propositis quæstionibus ad recreationem in angustiis exilij mei lætus experior; quas cum mihi Albericus Remensis, quem cognominant de porta Veneris, quæ vulgo Valesia dicitur, nomine vestro, adhibitis aliquot litteratis viris proposuisset, vt verum, Domine, fatear, obstupui, nec quærenti potui habere fidem, donec venerabilem virum fidelissimum & deuotissimum vobis Abbatem Sancti Remigij adduceret, qui & ipsas proponeret quæstiones, & ad eas cum multa precum instantia, F pro amore vestro & suo, peteret responderi, pro certo asserens vobis in via nihil esse iucundius, quam cum litteratis viris, & de litteris habere sermonem, adiecitque in aure familiariter, vos ...... sæpissime imperitæ multitudinis offensam contrahere; quia vos à studendi officio nequeunt reuocare, & pro arbitrio suo negotiorum & tumultuum procellis immergere. Opinantur enim omne tempus effluxisse superflue, quod non aut in curialibus nugis, aut in tumultuantis malitiæ voragine, aut causarum turbinibus exercetur. Nesciunt quod Philosophia paucis est contenta iudicibus, officiique sui sinceritatem vulgari arbitrio committere dedignatur. Mihi itaque pro vobis complacuit, vt propositas exciperem quæstiones, & eis habita ratione temporis, & ineuitabilium necessitatum, responderem, etsi non pro voto, certe pro tempore. Quæsitum vero est quem credam numerum esse librorum veteris, & noui Testamenti, & quos authores eorum, qui Hier. in Epistola ad Paulinum Presbyterum de omnibus libris G diuinæ pagellæ scripta dicat mẽsam Solis à Philosopho Apollonio litteras persequente visam in sabulo: quid item Virgilij Centonas, & Homeri Centonas in eadem dicat Epistola: postremo vbi scriptum sit, & quo tendat quod legitur, & vsurpatur à plurimis; quia deformiora sunt ea quæ non sunt, quam ea quæ sunt, hoc quoque incertum est: vt hæc omnia rationum suarum subnixa fundamentis, auctoritatumque testimoniis diligenter & citò in schedula vobis transmittenda, omni occasione propositis, explanarem, quod quam difficile sit, aut potius impossibile, facile perpendit prudentia vestra, cuius acutissimum ingenium, linguam ad dicenda expeditam, capacissimam, & tenacissimam memoriam ætas nostra stupet & veneratur. Nam vt ait Apuleius in libro de Deo Socratis, laudem celeritatis simul & diligentiæ nullus assequitur; sed & grandium librorum graues materiæ in eandem schedulam nulla vnquam diligentia compinguntur. Nam de primis duabus quæstionibus, de numero scilicet librorum & au-H thoribus eorum, Cassiodorus elegantem composuit librum: sed quia in hac parte fides mea discutitur; mea & aliorum non multum interesse arbitror, quid credatur: sed hoc credatur, an alterum, nullum salutis affert dispendium. In eo autem quod nec obest, nec prodest, aut in alterutro parum momenti affert acrius litigare: nonne idem est ac si de lana caprina inter amicos acerbius contendatur? Proinde magis fidem arbitror impugnare, si quis id de quo non constat, pertinacius statuat, quam si à temeraria diffinitione abstinens, id vnde Patres dissensisse videntur, & quod plene inuestigare non potest, relinquat incertum. Opinio tamen in alteram partem potest & debet esse procliuior, vt pro omnibus, aut pluribus, aut maximis notia atque præcipuis, vnicuique probato artifici secundum propriam videtur facultatem, * facilius admittatur, nisi ratio manifesta, aut probabilior in his quæ rationi subiecta sunt, oppositum doceat esse verum: rationi vero subiecta inserui, propter illos articulos, qui omnem om-

A nino transcendunt rationem, in quibus stulta esse prælegit Ecclesia, vt in insipientia fidei apprehenderet Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam ...... cum Philosophis Gentium, qui dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, & euanuerunt in cogitationibus suis, vt darentur in sensum reprobum. Quia ergo de numero librorum diuersas & multiplices Patrum lego sententias, Catholicæ Ecclesiæ Doctorem Hieronymum sequens, quem in construendo literæ fundamento probatissimum habeo, sicut constat esse viginti duas litteras Hebræorum, sic viginti duo libros veteris Testamenti in tribus distinctos ordinibus indubitanter credo. Et primus quidem ordo Pentateucum continet, quinque scilicet libros Moysi, sic pro Sacramentorum varietate diuisos, & si continuam de historia constet esse materiam. Hi sunt Genesis, Exodus, Leuiticus, liber Numerorum, Deuteronomium. Secundus ordo continet Prophetas, & octo libris expletur, qui quare

B præ cæteris dicantur Prophetiæ, cum aliqui eorum nudam referre videantur historiam, & alij Prophetiam texentes, sicut Daniel, liberque Psalmorum, in propheticis non censeantur operibus, nec in quæstione propositum est, nec temporis, aut schedæ angustia me patitur explicare; sed nec instantia petitionis. In his ergo numerantur, Iosue, liber Iudicum, cui compingitur & Ruth; quoniam in diebus Iudicum, facta narratur historia, itemque Samuël, qui in duobus primis Regum voluminibus, & Malachim, qui in duobus sequentibus expletur, quos sequuntur voluminibus singulis, Isaias, Ieremias, Ezechiel, liber duodecim Prophetarum in agiographis consistit. Tertius ordo continens Iob, Psalterium, Eccles. Cantica Canticorum, Danielem, Paralipomenon, Esdram & Hester. Et sic colligũtur in summa viginti duo libri veteris Testamenti, licet nonnulli libri Ruth, & Lamentationes Ieremiæ, in agiographorum numero censeant supputandos, vt in viginti quatuor summa omnium dilatetur. Et hæc

C quidem inueniuntur in Prologo libri Regum, quem B. Hieronymus vocat galeatum Principem omnium scripturarum, quæ ab ipso de fonte Hebræorum manauerunt ad intelligentiam Latinorum. Liber vero Sapientiæ, & Ecclesiasticus, Iudith, Thobias & Pastor, vt idem asserit, non reputantur in Canone; sed neque Machabæorum liber, qui in duo volumina scinditur, quorum primum Hebræam redolet eloquentiam, alterum Græcam, quod stylus ipse conuincit. Ille autem qui Pastor inscribitur, an alicubi sit nescio, sed certum est quod Ieremias & B. illum vidisse & legisse testantur. His adduntur noui Testamenti octo volumina, scilicet, Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Epistolæ Pauli quindecim, vno volumine comprehensæ, licet sit vulgata, & fere omnium communis opinio non esse nisi quatuordecim, decem ad Ecclesias, quatuor ad personas: si tamen illa quæ ad Hebræos est, connumeranda est in Epistolis Pauli, quod in præfatione eius astruere videtur Doctorum Doctor Hieronymus, illorum dissoluens argutias, qui eam Pauli non esse con-

D tendebant. Cæterum, quintadecima est illa quæ Ecclesiæ Laodicensium scribitur, & licet vt ait Hier. ab omnibus explodatur; tamen ab Apostolo scripta est: neque sententia hæc de aliorum præsumitur opinione, sed ipsius Apostoli testimonio roboratur. Meminit enim ipsius in Epistola ad Colossenses his verbis: *Cum lecta fuerit apud vos hæc Epistola, facite vt Laodicensium Ecclesia legatur, & ea quæ Laodicensium est legatur vobis.* Sequuntur Epistolæ Canonicæ septem in vno volumine, deinde Actus Apostolorum in alio, & tandem Apocalypsis. Et hunc quidem numerum esse librorum, qui in sacrarum Scripturarum Canonem admittuntur, celebris apud Ecclesiam, & indubitata traditio est, quæ tanta apud omnes vigent auctoritate, vt contradictionis, aut dubietatis locum sanis mentibus non relinquant, quia conscriptæ sunt digito Dei. Iure ergo & merito cauetur, & condemnatur vt reprobus, qui in morum, verborumque commercio, præsertim in foro

E fidelium, huius diuini eloquij passim & publice non admittit argentum, quod igne Spiritus sancti examinatum est, purgatum septuplum. Istis ergo secure fides incumbat & illis, qui hunc probatum & debitum accipimus firmamentum; quoniam infidelis & hæreticus est, qui eis ausus fuerit refragari. De librorum verò Authoribus variantur opiniones, licet ista præualuerit apud Ecclesiam eos ab illis esse præscriptos, qui in singulorum titulis prænotantur. Isidorus sexto Etymologiarum libro cap. 2. rationem nominum, quæ libris indita sunt, à fonte litterarum Ier. mutuatus exponit, & authores eorum. Rabanus quoque in libro de Ecclesiasticis officiis, quem nonnulli de Sacramentis dicunt, & Cassiodorus in libro de institutione diuinarum litterarum quæ ad hunc articulum pertinent, latius exequitur. Cassiodorus enim non modo de Scripturis Canonicis & earum auctoribus disserit, sed à quibus exponantur, eleganti, vt solet, describit eloquio. Præterea

F singuli Patrum librum aliquem expositurі, sicut ratio exigit, de auctore, & materia eius, intentione, & causa, & titulo; & si qua alia sunt quæ auditoribus, & lectoribus faciliorem intelligentiam sequentis operis præparent, in Tractatibus suis præmittere consueuerunt; & hæc quidem habita ratione loci, & temporis, & eorum ad quos sermo dirigitur, vt ad formam Euangelicæ institutionis, familiæ Domini mensuram sibi salutaris opportune dispensent. Nam vt ait Palladius, magna pars prudentiæ est, consulta ratione personam illius qui scribit permetiri. Vnde ab excussione vulgatæ opinionis de industria stylum suspendo, ad alia transiturus, nisi forte dignatio vestra præceperit, vt & hanc diligentius exequar. Interim certum habeat vestra discretio; quoniam Philo, cuius meminit Ier. vndecimo capitulo libri de viris illustribus, ab aliis dissentit in libro qui inscribitur, *Quare quorundam in Scripturis mutata sint nomina.* Hunc sequuntur Theophilus Alexandrinus in Chronicis suis, & Epiphanius Constantiæ

G Cypri Episcopus in libro de viris illustribus quod & Theodorus, qui vrbano sermone libros eorum de Græco transtulit in Latinum, attestatur. Dicit enim quod & Gamaliel, ad cuius pedes Apostolus se gloriatur didicisse legem, & publica assertio Hebræorum, qui de littera legis rectius sapiunt, cum Philonis opinione concordant. Sed ne prætercam verbum, cum ad reliqua properandum sit, & istorum proponatur opinio. Ea autem est quod Moyses Pentateucum scripsit, & si de fine Deuteronomij, vbi de morte eius agitur, non conueniat, aliis asserentibus, & hanc particulam prophetali certitudine, sicut & illam quam de mundi creatione præmisit in capite, & quam in benedictionibus Patriarcharum de futuro vaticinatus est, ab ipso Moyse fuisse conscriptam, aliis autem à Iosue, aliis ab Esdra dicentibus eam fuisse appositam. Iosue librum scripsit, qui denominatur ab eo. Sophthim vero, i. Iudices, item librum Ruth, & partem libri Regum, qui denominatur ab ipso, scripsit Samuël, reliqua excepit Dauid,

H sed tandem à Ieremia scriptus est Malachim, id est duo posteriores libri Regum. Inde librum suum cum Lamentationibus edidit. Hic autem vulgata non contradicit opinio. Ezechias & viri sapientes, quos in scholam virtutum & litterarum sociauerat sibi annis quindecim, quibus Deus prorogauerat vitam eius, diuitiis de cætero vacans, in vnum volumen compegerunt vaticinia Esaiæ, quæ ille in populo declamasse (quod ex verbis eius apparet) visus est potius quam scripsisse: nec repugnat quod in grandi libro scribere iussus est stylo hominis, quia liber ille iam scriptus erat, & grandis, nec ad ipsius Prophetias, vt aiunt, pertinet colligendas; quia excerptæ sunt ab auditoribus, & à præfato Rege dispositæ. Iidem & Parabolas compilauerunt; ante quidem à Salomone dictatas, & silenter ab excipientibus vt vt sit, vsu vulgatas Vnde in iisdem parabolis hæ quoque sunt parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda. Transtulisse autem dicuntur, quia quasi de loco ad locum, ab vsu

vulgari,

A vulgari, & priuatis fortasse schedulis singulorum, publica auctoritate traduxerunt in Canonem Scripturarum. Inde & roboratur hæc traditio, quod in tertio Regum scriptum est, *Locutus est Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia, & disputauit à Cedro Libani vsque ad hyssopum, &c.* Hoc enim dixisse potius creditur, quam scripsisse. Sunt qui carmina eius referant ad Cantica Canticorum: disputationem naturalium à maximis ad minima procedentem, ad significationem eorum quæ Ecclesiastes in totius mundi concionatur auditu. Sed de his alias. Nam & Ecclesiasticum, & Cantica Canticorum Canoni Scripturarum Rex Ierusalem Ezechias & conscholares sui dicuntur adiecisse. Salomonis tamen auctoritate prolata, quem in his conscribendis inuentorem, & quasi publicæ vtilitatis præconem habuerant. Hoc tamen contra vulgatam opinionem, sed an contra veritatem dictum sit, diffiniat ille qui nouit. Aggæus, Zacharias, & B Malachias, adhibitis quindecim viris, maxime fideliter Synagogæ .... oracula composuerunt. Ipse enim prædicauit visiones, & infixit memoriæ auditorum, quas in terra polluta scribere noluit, ne sancta prophanaret, sed præcepit vt scriberentur in terra Domini. Huic autem suspensioni alludit Psalmus, dicens, *In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra, &c.* Et ab hac quidem opinione, vulgata non dissentit, sicut Isidorus attestatur. Iidem Prophetæ scripserunt Daniëlem. Nam Daniël & propter causam, quæ in Ezechiele reddita est, se à scriptitatione suspendit: & quia præpediebatur administrationibus publicis. Iidem quoque tres Prophetæ, & conscholares eorum scripserunt librum Ester, quem vulgata opinio ab Esdra compositum asserit, librum quoque duodecim Prophetarum, quem vulgus ab ipsis duodecim Prophetis compositum tenet. Præfatus autem Philo cum sequentibus suis superius nominatis, memoratos tres Prophetas huius libri & præcedentium, vt .... est, laudat authores. Quia enim C breues erant singulorum visiones, satis visum est ipsis Prophetis eas prædicando publicare, & sic aliis demandare Scriptoribus, præsertim cum quidam eorum rustici fuerint, & Pastores, & aliis officiis dediti, litterarum fuisse credantur ignari. Librum Psalmorum composuit Dauid, vtens interdum ministerio virorum, qui in quorundam Psalmorum titulis ascribuntur. Fuerunt autem hi viri decem, qui licet aliquos Psalmos composuerint, quod & vulgata, quam Isidorus refert, non negat opinio, attamen omnes Psalmi dicuntur esse Dauidis, qui eis suam accommodauit auctoritatem, iuxta quod Iustinianus docet in Codice, dicens: *Omnia merita nostra sunt, quibus nostram impertimur auctoritatem, quia ex nobis eis omnis impertitur auctoritas.* Nam qui non subtiliter factum emendat, laudabilior est eo qui primus inuenit. Esdras librum composuit, qui prænotatur ab ipso, & Paralipomenon, vsque ad dies suos. Reliquum vero scripserunt sapientissimi fideliter Synagogæ, quæ templum reædificauit in Ierosolymis. Muyses scripsit D Iob secundum istos, de quo nihil definire præsumit vulgaris opinio, licet in eam partem videatur esse procliuior, vt ipse beatus Iob subactis tentationibus proprium scripserit librum. De Thobia, Iudith, & libro Machabæorum, qui non sunt recepti in Canone, à quibus authoribus scripti sunt, nec vulgata docet opinio, nec de his sequaces Philonis faciunt mentionem: quia tamen fidem & religionem ædificant, pie admissi sunt. Librum Sapientiæ composuit Philo, diciturque Pseudographus, non quis malè scripserit, sed quia malè inscripsit. Inscriptus enim est Sapientia Salomonis, cum à Salomone non sit editus, sed propter stylum quem induit, & elegantiam morum, quam ei .... informat, dicitur Salomonis. Ecclesiasticum scripsit Iesus filius Sirach, qui & ipse styli conformitate & morum, Salomonis dicitur, sicut è contra à Latinis vsu vulgato dicuntur esse quædam de libro Sapientiæ, quæ non ibi, sed in Parabolis inueniri haud dubium est. Vnde in Ecclesia, Periocha Parabolarum incipit. *Mulierem fortem quis inueniet?* titulo Sapientiæ prænotatur. Hæc de nu- E mero & authoribus librorum veteris Testamenti, in quibus pro parte præfati Authores à vulgata opinione dissentiunt. Numerus Librorum noui Testamenti certus est, & Authores; & fere nulla est altercationis quæstio. Siquidem singuli Euangelistæ sua volumina ediderunt. Paulus suas Epistolas texuit, etsi illam quæ ad Hebræos est suspicentur aliqui fuisse Barnabæ & Clementis Epistolas Canonicas illi scripserunt; quorum nominibus inscribuntur. De duabus tamen Epistolis Ioannis nouissimis quæstio est. Actus Apostolorum tam fideli & salubri, quam dulci stylo, Lucas dignoscitur exarasse. Apocalypsim alij à Ioanne Apostolo, alij à quodam Sanctissimo Sacerdote Ephesino Ioanne, sicut litteratorum beatus pater Hieronymus refert, descriptam opinantur: sed apud credulitatem Ecclesiæ vincit Apostolus. Hæc interim de numero & auctoribus librorum nuui Testamenti dicta sint, quorum conceptiorem si F quis nosse desiderat, epistolam beati Hieronymi ad Paulinum, de diuinis libris legat; quia vt de conscientia mea loquar, nusquam melius inuenietur, aut plenius. Sed quæ cura est, serenissime Domine, has atque alias in inuestigatione Authorum discutere opiniones, cum vnum omnium sanctarum Scripturarum constet esse authorem Spiritum sanctum? Nam beatus Gregorius in moralibus verissime & elegantissime, cum constet beati Iob, quem exponebat, Spiritum sanctum esse authorem, de Scriptore libri postmodum, quærere, pro eodem habendum esse; ac si cum de Scriptore certum sit, de calamo, quo liber scriptus est, dubitetur. Non ergo magni facias si Scripturarum teneantur auctores; sed si veraciter intelligantur; imo certe si piè & fideliter impleantur. Non enim auditores legis, vt ait Apostolus, apud Dominum iusti sunt, sed factores. Ad hæc in illis occupari optimum est, quia, vt per fidelissimum organum suum, veritas ipsa eloquitur. Ama sententiam Scripturarum, & carnis vi- G tia non amabis: Proinde intelligenti otium sine litteris mors est, & viui hominis sepultura. Ad tertiam progredior quæstionem: Quidnam sit mensa Solis in sabulo, quam famosissimam inter Gymnosophistas serutator veritatis, & litterarum diligentissimus persequutor Apollonius conspexit in sabulo, super quo omnes consului, qui in Francia primatum dicuntur habere Scripturarum, sed quia eos Gentilis historia latuit, non multum reprehendo, si quod non didicerant, docere nequiuerunt. Quidam tamen imprudentiam suam impudentius detexerunt, id solum in sua responsione persuadentes, quod à Doctoribus, quos diu & nulla mercede conduxerant, nihil scire didicerunt. Historia autem hæc quam veritate refertur & litteris Hier. in præfatis apicibus tangit, apud Valerium Maximum reperitur in lib. 3. cap. 1. Titulu de moderatione. Accidit enim, vt refert, quod à Piscatoribus in Milesia regione euerriculum trahentibus, quidam iactum emerat. Extracta demum magni ponderis aurea Delphica mensa, orta controuer- H sia est, illis se capturam piscium vendidisse affirmantibus, hoc è contra dicente se emisse duntaxat fortunam iactus. Audita quæstione populus ciuitatis, propter nouitatem & magnitudinem rei, causam ad consultationem Delphici Apollinis censuit referendam. Consultus vero respondit ei dandam esse, qui omnes alios sapientia antecederet; alioquin accipienti iniucundam fore, & noxiam. Itaque quia Thales Milesius iudicio auditorum, inter septem, quos tunc præ cæteris Græcia celebrabat, sapientissimus habebatur, denunciauerunt ei, vt iam dictæ mensæ possessionem adiret, qui audita consultationis forma, & responso Apollinis, prudenti humilitate, non se, sed Biam Pyreneum dixit Apollinis oraculo designatum. Aditus est & ille priori similiter, & in eundem modum conditionem in Mitilenæum Pittacum transtulit; interim mensa iacente in sabulo, & propter nouitatem euentus, & moderationem sapientum: & quia nullus de populo præsumebat inuadere, aut quod tanto studio sapien-

A tissimi à se remouebant, casum hunc non tam mirabilem quam stupendum, talium præconatrix fama longè, lateque vulgauit. Mensa itaque famosissima facta est, dum ad singulos sapientum septem sic ipsius procedebat oblatio, donec ventum est ad Salumonem, qui & titulum amplissimæ sapientiæ, & munus oblatam contulit in Apollinem, in quo Sol colitur; quia omnia contemplatur, & cuius virtus ignea penetrat vniuersa, vt ei nihil possit esse absconditum: vnde & mensa Solis dicta est, quam Apollonius in sabulo iacentem, dum litteras persequeretur, inspexit. Restant adhuc duæ de quinque propositis quæstionibus absoluendæ: sed tempus respondendi deest, & ocium: quas quidem si dignationi vestræ visum fuerit lubens aggrediar, meisque connumerabo successibus, si mihi cælitus datum fuerit honori & voluntati vestræ in aliquo inseruire.

Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
B *Rectorem dubia nauita puppe amat.*

Et Principem Philosophiæ cultorem, & qui litteratorum honesta studia amplectitur, & fouet, litterarum possessores non amabunt? Nec inficior quin Princeps illiteratus interdum Reipublicæ commodus esse possit; sed ad parilitatem litteratorum si rite procedat, vterque aut nunquam conscendet, aut raro. Nam vt vester ait Vegetius, nullus est quem oporteat aut plura, aut meliora scire, quam Principem, cuius scientia potest omnibus prodesse subiectis. Nec ambigo super his quæ hic scripta sunt, diuersos diuersa censuros; sed assequutus sum finem meum, si placuerit vobis Epistola, quæ sicut non habet vnde placeat ex sui venustate; sic ex deuotione scribentis non habet vnde debeat displicere. Nec illorum formido iudicium, qui antequam exaudiant temerariam sententiam ferunt, eo quod memini Scripturæ dicentis: *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Nonne & vobis notum est genus hominum, quos Salomonis C parabola tangit, quod stultus non respicit verba prudentis, non ea dixeris quæ versantur in corde eius. Tunc demum credam paruitatis meæ deuotionem, gloriosissime Comes, non esse contemptam, si aliquid eorum quæ mihi possibilia sunt, Eminentia vestra, quam in tempora longa beatificet & conseruet Omnipotens, dignetur iniungere mihi, mandatis vestris in omnibus fideliter parituro.

Epist. CLXXIII.

Magistro Radulfo Nigro.

Fides & deuotio tua testimonium habent maius Ioanne, quæ non verborum strepitu, sed operum exhibitione clarescunt. Nam & ipsius veritatis vtinam sic imitatores simus, sicut sumus & professores. Attentionem operum Ioannis testimonio præfert; nec hoc quidem condemnans vt reprobum, sed tanquam illud proD babilius sui innotescentiæ censuit præferendum. Siquidem opera cuiusque testimonium perhibent de eo: & arbor, nec ex sui proceritate & robore, nec ex ramorum multitudine & venustate; nec ex vbertate foliorum, & condensitate, sed ex fructuum vtilitate pensatur. Cum ergo tu nihil omiseris ex contingentibus, & fidei tuæ, & deuotionis fructus, & si non pro voto, plane pro tempore præcesserit, & speretur: cur ad allegationes charitatis astruendæ oratio tua progreditur? Si eam vis esse fidelibus commendatam, acta agis, si infidelibus nihil. Vnus autem, & singulariter vnus est, cui eam desidero commendari, sed non tam allegationum ornatu, & phantasmatibus dictionum, quam charitatis sinceritate, & vitæ continentis, & affectuosæ orationis instantia, & quod ex his locis tibi arbitror prouenisse, vt amico nostro Hugoni responderes id, quod etsi imperitus rerum videatur afferre dispendium conscientiæ; tamen & salutis proculdubio compendium adfert. Vnde & studiis tuis congratulor, quem agnosco, E & signis perspicuis in vrbe garrula & ventosa, vt pace scholarum dictum sit, non tam inutilium argumentationum locos inquirere, quam virtutum. Nam qui argumentorum multiplices locos & sedes credit, & virtutum nullos, garrulus vtique potest esse, & vanus; sed proculdubio non Dialecticus, imo nec Philosophus est. Vt tamen à generalibus ad specialia transeam, quod Archidiaconi Pictauiensis dum excommunicatus est, quicquid tibi offeratur, detrectas inire consortium, laudo: quod Dominum homini, temporalibus æterna prætulisti; sed vt sine præiudicio ...... loquar, & Canonum reuerentia salua sit, distinctionem in participationem cum excommunicatis censeo admittendam. Nam qui malitiæ eorum communicat, seipsum quoque anathematis obligatione condemnat. Cæterum in his quatuor, quorum cautio perspecialis videtur, in officio & mensa, oratione & salutatione personarum & rerum multiplex, vt arbitror differentia attendenda est. Aliter enim hi F possessionem perfectionis habentes, aliter imperfecti declinant, aliter qui necessitate vrgentur, aliter expediri. Nam perfectus nulli vnquam excommunicato communicat, nec in verbi commercio, quin ei denunciet culpam, quare ipsum oporteat euitari: quanto magis ergo in mensa vel in Ecclesia similibus? Vnde Helisæus a Rege Iuda super exitu expeditionis conuentus, & Ioram Rege Israel, quem nouerat esse idololatram, respondit: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem.* Ecce quis Propheta in perfectionis gradu constitutus ob alterius reuerentiam, necessarium quod quærebatur, diuinæ voluntatis, quamuis idololatræ culpa, vt oportuit, denunciata, reuelauit arcanum. Naaman vero Syrus, etsi curatus à lepra, & verum Dominum agnoscens, & confitens, nullum perfectionis gradum assecutus, de sancta terra duorum burdonum onus deferens secum, ab eodem Helisæo obtinuit, vt ei orationibus Domini sui, G quod ex necessitate officij cogebatur, liceret assistere, & Dei gratiam non demereri. Ait enim: *Quoniam ingreditur Dominus meus Templum † Remmon vt adoret, & illo innitente super manum meam si adorauero cum eo in eodem loco, precor vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.* dixitque Helisæus: *Vade in pace.* Patet hinc quatenus imperfectos vrget interdum reuerentia publicæ potestatis. Ex quibus quod tibi ausim suadere, colligo, vt si præfatus Archidiaconus tuum vult habere consortium, accedas ad ipsum exploraturus, quatenus apud ipsum possis proficere, & ei quod fides exigit, familiariter, & in aure denunties, vt meminerit se Christianum esse, & sententiam, qua innodatus est vereatur, & præ omnibus mortalibus timeat illum, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Vtinam cum Rege, & tam isto, quam aliis omnibus excommunicatis sint aliqui viri timentes Dominum, qui eos familiariter & amicè statuant contra faciem suam, & reuocent ab impietatibus suis. Quod si ille H te, quia Christianus es vocare destiterit, Christus, quem in te odit dispendium hoc facillime & felicissime, nisi merita tua præpediant, poterit compensare. Salus hæc iustorum a Domino est, qui protegit eos in tempore tribulationis.

Epist. CLXXIV.

Domino Pictauiensi.

Licet apud nos fortuna nouorum parens, & fama nutrix & propagatrix euentuum verorum & fictorum nihil renouauerint relatu dignum, & quod vobis oportuerit intimari scribendo; tamen necessarium rumor tristis inuexit, ex quo post discessum boni, & vtinam semper .... Domini nostri, nihil omnino, quod verbis meis Dominus, & conscientia attestantur, tristius audiui & vidi, quamuis sors mea periculis cunctis exposita sit, & iactata procellis indesinentibus, ab

ea

A ea die, qua Patrem nobis & Dominum dispositio diuina subtraxit. Siquidem socij nostri, qui Parisiis moram faciunt, mihi nuper scripserunt, se à quibusdam rumigerulis accepisse, quod vos lecto decumbere compulerat ægritudo, quam non natura, & solitus, vt fit humanitus casus intulerat, sed malitia veneficorum, qui nescio cuius instinctu vobis, & cuidam viro religioso toxicum miscuerunt. Dictum est & quod vir ille religiosus ex ea causa iam obiit. Quia ergo inuidiam quorundam vobis cohabitantium à multis diebus audieram, & aliorum noueram crudelitatem, nonnullorum etiam audax ambitio venit in mentem, timui, & timeo, donec veritas ipsa sit certius explorata, timebo supra modum, ne Diabolo & Angelis eius, qui modo fere pro libitu in Ecclesiam debacchantur, etenus in bonos sæuire concessum sit. Ante quidem timueram ne castrum Ecclesiæ vobis auferretur, ne vos bonis vestris iniqui proscriberent, ne illi qui libito coæquant licitum, compellerent & vos Ecclesiæ filiis & fidelibus coexulare.
B Sed ecce, duorum timorum circa eundem Dominum & amicum maior denigrat, & omnino absorbet alterum, vt perinde accipiam ac si animam meam pertranseat gladius, & humerus meus à vinctura sua cadat, & brachium cum ossibus conteratur. Spiritui meo non erit requies, donec veritas certius innotescat. Placeat itaque dignationi vestræ, quæ circa vos sunt, sub omni celeritate mihi interim certitudinis desiderio languenti significare: & si vos ipsi, quod vtinam absit, huic peotiotui meæ vacare non potestis, precor attentius vt Magister Scholarum eam cum omni diligentia & festinatione exequatur.

Epist. CLXXV.

Magistro Raimundo.

RVmor acerbissimus exulcerauit, & grauissime affligit animam meam, nec erit requies donec me litteris vestris, super his quæ maxime timeo certiorari
C contingat. Scripserunt hæc mihi socij Parisienses, quod illi qui quærunt animam Domini Pictauiensis, nescio quorum vteotes ministerio & arte, * morti, & omnino execranda, & venenum propinauerunt: ex quo iam quidam religiosus Prior, qui calicis toxicati fuerat particeps & Episcopus, vt aiunt, incidit in languorem. Timui ergo, & timui supra modum, eo quod audiui quorumdam inuidiam, & aliquem de Episcopis Pictauiens. nuper veneno peremptum. An fama hæc fideliter asserat incertum est, aliorum vero tanta crudelitas est, vt nec † remotos. Cunctis autem innotuit quam præceps & audax sit, & ignara timoris Domini, cæca ambitio, vt metus quam fiduciæ causæ plurimæ concurrere videantur. Precor itaque, vt sub omni festinatione, quæ circa vos sunt, diligentissime perscribatis, & Domino Episcopo, si ægritudine, quæ absit, non præpeditur, persuadeatis, vt & ipse scribat, quæ fuerint scribenda pro tempore. Pueram rogatus vt ipse & vos scri-
D beretis de his quæ gesta sunt in colloquio Chinonensi, & postea, pro nobis, & contra nos, & quid videatur vobis de his, quæ me taliter absentant, vt nec pacem receperim cum aliis sub iuramento & conditionibus oblatis; quia ex tunc non vidi litteras vestras: sed causa maior, quæ me nunc compulit, ad scribendum omnes huiusmodi curas absorbuit; si tamen, quod vter Dominus largiatur, cum Domino Episcopo rite, quod ad Iacob .... dico ageret, * tunc & adhuc responderi gratissime acceptabo. Cæterum quia hæc sollicitudo ab animo meo non recedit, si quod Dominus auertat, Dominum Episcopum sic ægrotare contigerit omnem, sicut vir sapiens & prudens, operam dare, vt in huiusmodi periculo se exhibeat Christianum, & mortem, si necesse fuerit, tanquam Christi Sacerdos expectet, & domo disposita, naturæ munus, quod euitari non potest, patienter excipiat. Confido autē in Domino Iesu Christo, quod qui ei dedit prudentiam transeundi

E per bona temporalia, ei in consummatione cursos præstabit gratiam, vt cuius vita apud commensales effulsit, mors & eius morituris omnibus proficiat ad exemplum: fidem deuotionis & fidei nullo quis vnquam argumento fidelius faciet, quam si operam dederit & diligentiam, vt quos in carne coexulantes, & in Domino peregrinantes amauit, exhortatione virtutum, & insignibus bonorum operum, & maxime in fine viæ promoueat transeuntes, & quasi geminæ charitatis brachiis persequatur & impellat migrantes & ascendentes ad Christum. Si vero per misericordiam Dei circa vos lætius agitur, precor attentius, quatenus interpretem nostrum minis omnibus ad hæc inducere studeatis, vt quod Hierarchiæ, cuius vnum librum transtulit, residuum est, ad formam suam transferat & emendet: quia id quod præmisit, his qui illud viderunt in Francia, satis placet. Plura scripturus eram, sed festinatio non permittit.

F

Epist. CLXXVI.

Domino Cantuariensi.

LItteras, quas ad consolationem vestram, & subleuationem Ecclesiæ, post longum tandem exilium, & proscriptionem vestri, & vestrorum omnium, vobis Patri suo, filij Cantuariensis Ecclesiæ, fratres, & Coëpiscopi vestri, nuper transmiserunt, diligentius relegens, nihil probabilius ex earum inspectione potui opinari, quam ea consilio Achitophel, quem credibile est in perniciem fidelium ab inferis redisse, per manum Doech Idumæi, sitientis adhuc sanguinem sacerdotum, & quærentis, & insatiabiliter persequentis animam Christi, qui in electorum fide & charitate viuit, fuisse dictatas; sic vt perurriant omnia, vt cuiuis & parum intelligenti perspicuum sit, mentem earum longe esse ab opinione communi, sed à veritate longius distat. Namque omnes blanditiæ, & exquisiti colores eo ten-
G dunt, vt sub appellationis prætextu iure videatur subuertendus esse .... sacerdotum, neve qui vertitur in latratum, signatque Pastorum Ecclesiæ diligentem custodiam, vt post hanc conspirationem eorum quisquam in grege Domini audeat vigilare, & lupotum imminentium, prædicationis officio propulsare furorem. Ait Salomon in Prouerbiis, quia melior est finis orationis, quam principium; sed profecto finis huius principio deterior est: si quidem in iudicio salutem optant, profitentur obedientiam; & vtinam vterque fideliter, vt contra prohibitionem Domini non loquantur bona cum proximo, & mala sint in cordibus eorum: subinde * amatas, & .... gratias agendum est Deo. Falsas, & quas captiuus à piratis consueuit porrecto audire iugulo, subtexunt historias, quibus iustificant causam impij, & dicunt bonum malum, & malum bonum: vnde tamen per consequentem rationis videantur inferre: Reus est mortis, qui contradicit Cæsari. Nonne ille, quem præfigurauit Achitophel,
H Iudas proditor non modo Iudæis in nece Christi, sed & Scribis nostris & Pharisæis proditionis, & parricidij relinquens exemplum, ad Christum sic accessit, humili salutatione honorans Dominum & Magistrum, dicens, *Aue Rabi*, ei quem verbo prodebat, & osculo; & subinde cum gladiis & fustibus militum, quibus isti freti sunt, fugatis discipulis & dispersis, trusit ad Principes Sacerdotum, vt illic argueretur, & falsis conuinceretur testibus, paternasque & auorum ....., euacuare leges, & leges Cæsaris impugnare; quia sententia Domini imaginem deducta ratione Cæsari docebat esse reddendam, vt reus videretur imperatoris; quia alloquebatur, reclamabat, imo repugnabat iniquitati. Dicunt hæc; sed quia conscientia, viderit Dominus, & iudicet. Dominum Regem numquid ounquam peccasse dicimus, sed semper paratum Domino satisfacere confidenter dicimus, & prædicamus? Numquid non facies meretricis facta est eis, &

A frons adamante durior, vt non erubescant confidenter, vt aiunt, prædicare innocentiam hominis, cuius malitiam & iniquitates nouit, prædicat & detestatur Christianus orbis? Conuenerunt enim, vt dicitur Episcop. Lond. & Hereford. quibus se, vt aiunt, ad omnem iustitiam obtulit. Nonne Episcopus Lond. ille est, qui primus in Anglia scidit Ecclesiæ vnitatem, quod omnes nouerunt, & archieporaudi, quod plurimum suspicantur, ambitione tractus, totius huius discordiæ fomes in primis extitit, & incentor? Nonne stylus ipse conuincit Achitophel & Doech, quorum spiritu plenus est, in hac epistola expressisse, communicatis his, quæ fingere potuit ex spiritu suo, qui neutro eorum in talibus, rerum experientia comprobatur inferior. Nam & loquela eius ipsum manifestum facit. Nec curo de mendaciis quæ super introitu vestro interserere ausus est, præsens audiui, & vidi solus. Ille verbum electionis vestræ gratum non habuit, qui præ cæteris omni- B bus, quod ex multis claruit, & claret indiciis, vt in sedem vestram induceretur aspirauit: non tamen diu obloqui ausus est, aliis arguentibus ambitionem & imprudentiam eius. Quicquid ergo habere animi: quem de conscientia iudicat Dominus, imprimis eligendum fuit, & electioni factæ fere omnibus plus applausit. Quid dicam de Hereford. nisi quod aliquandiu, etsi non magni fterit, tamen alicuius nominis vmbra, antequam sciretur quis esset: nunc autem sub obtentu eius, qui * litteratus earum, ab his qui litteras ignorant, aut ipsum, suam volunt impij malitiam procurare vt videatur consentaneum rationi quicquid litteratus, & antiquus clerum Archiepiscopus approbauit. Ergo istis duobus respondere, vel sententiæ eorum acquiescere, est transire omnino in sententiam Lond. ac si in Cæsarem compromittatur & Bibulum. Ethnici siquidem meministis.

Nam Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare gestum est,
C *Nam Bibulo gestum Consule nil memini.*

Qua autem impudentia dixerunt, & ne verba in ventos euanescerer, scripserunt, quod omnibus falsum esse innotuit; quia Rex, quem impatientissimus esse nullus ambigit, gratum habet cum corripitur, & dulce putat obsequium cum monetur, vt corrigat si quid deliquit in Dominum. Si quid, inquiunt, ac si dubium sit eis illum deliquisse in Dominum, qui Ecclesiæ libertatem impugnat, auitas peruersitates Euangelio Christi præfert & Sanctionibus Patrum. Et vt de vobis taceam, & Clericis quos iniuste proscripsit, qui in mulierculas & paruulos in cunis innocentes omni solatio destitutos, non tam crudeli sententia quam insania compulit exulari: qui schismatis furorem iam fere sopitum excitauit & roborauit, & resuscitata procella, quæ iam plurimum demnierat nauem Apostolicam, quantum in ipso est, cum Christo submersit; imo & adhuc mergitur. Quidnam quæso dicunt in crimine, qui se esse innocentes glorianiur? aut nunquid hæc probationibus in- D digent, quæ mundus agnouit, quæ in suis doloribus & tormentis indesinenter sentit Ecclesia, quæ quotidianis rerum experimentis luce clarius patent. Sed si corripi dulce putat obsequium, planum est eos amplioris esse perfidiæ, qui Dominum suum, cuius obsequio corpus deuouerunt & animam, tam enormiter patiuntur errare. Sane impletum est in eis hodie Propheticum illud: *Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israel*, cum ad subuersionem Ecclesiæ, qui Prophetarum in ea locum tenent, dolositatis suæ multiplices laqueos texant, dulcæ salutationis promittent alloquium, deuotam profitentes obedientiam, auxilium & consilium promittentes, vt transeuntes per nubeculas rationum, & verbis legitimis abutentes in dispendium legis, tandem inferant: *Reus est mortis, crucifige, crucifige eum, neque nobis reseruetis hunc, sed Barrabam.* Ecce quam salutem Patri desiderant, qua fidei deuotione debitam adimplent obedientiam, qua diligentia pacem inter regnum & sacerdotium cupiunt reformari. Et quidem tam vobis, E quam omnibus causam & historiam proscriptionis vestræ intelligentibus dicta esse non dubito ex abundanti, sed impietatis & doli, impudentiæ & falsitatis attendens cumulum, profecto nolui animum nec calamum continere: nam &,

Si natura negat, facit indignatio versum.

aduersus malitiam & impudentiam eorum, quorum omne in præcipiti vitium stetit, vt nequitiæ eorum vix aliquid possit addere, aut excogitare quamlibet subtilis, & in malo ...... arguta posteritas. Sed quid in his moror? Retribuat eis Deus, & plane, nisi veritas ipsa, quod possibile est, vertatur in falsitatem, retribuet abundanter facientibus & fouentibus nequitiam istam. Vos autem, vt mihi visum est, litteris & malitiæ eorum prudentissime, & elegantissime respondistis, & argutias eorum diu excogitatas, & elaboratas, velut araneatum cassiculos, validissimis rationibus dissoluistis. Et licet grandiuscula sit epistola, quæ tamen ne- F cessaria sola exequitur; vellem tamen hoc circa vnum articulum, qui & verus & notus est, diligentius institisse, scilicet vt ostenderetis patientiam quamdiu in silentio habuistis, & sollicitudinem, quam paci reformandæ habuistis, Regem sæpius cum omni humilitate reuocando per litteras & nuncios Domini Papæ, per vestros, per matrem suam, cui credi debuisset, per Episcopos transmarinos & cismarinos, per fratres Templi & Hospitalis, per Regem & Optimates Regni Francorum, & tandem in propria persona accessistis ad colloquium eius, & sustinuistis repulsam. Cæterum quia Episcopi vestri scribunt, & confidenter prædicant eum ad omnem iustitiam & debitam satisfactionem esse comparatum, & est satis dare volentem: si ratio exegerit, mihi & quibusdam aliis amicis vestris videtur consilium, & euocetis Episcopos, & nominatim illos qui litteras signauerunt, & Saresb. qui de iniusta suspensione conqueritur, & Vvigorn. qui est principium genera- G tionis vestræ in Domino, & si qui alij sunt, quorum vtilem credatis esse præsentiam, & experiamini an fida sit testificatio, prædicatio, & scriptura eorum. Vocati autem in virtute obedientiæ forsitan non venient, licet inobedientiam nulla vnquam appellatio tuetur. Sed causa vestra liquidior erit, si falsitas & malitia eorum fuerit reuelata. Non tamen arbitror omnes Episcopos sicut nec personas Diœcesibus constitutas, quas fallax claudit inscriptio, huic malitiæ consentire, cum certum sit, aut saltem videatur esse probabile, in tanta Ecclesia octodecim Episcopatuum adhuc inueniri, vel illos decem, quorum contemplatione interim Dominus Insulæ parcit, ne cum sororibus suis, quarum imitatur luxuriam & impietatem, funditus deleatur. Licet enim aliqui plus iusto taceant, & quacumque consideratione dissimulent: Credo tamen aliquos in Episcopis, & multas personas de puritate fidei & conscientia bonorum operum sperare & expectare regnum Dei. Nam & Ioseph fidelis inuentus est in domo Pharaonis, Loth H iustus mansit in Sodomis, Chusai in consiliis Absalon vtiliter versatus est, Daniel innocenter profuit in Babylone, Abdias in consortio Achab & Iezabel, dissimulans cum dolore, quæ emendare non poterat. Prophetas Domini in atriis latitantes salubriter * exhibens clementiam Dei, & gratiam Prophetiæ patientia longa promeruit. Vnde commodum arbitror, vt si chaos quod inter nos, & patriam nostram firmatum est, permiserit, hanc epistolam vestram ad singulos Episcopos & celebriores Ecclesias transmittatis, vt nutantium firmetis fidem, & omnium prouocetis affectum, crebris exscriptionibus singulos Episcopos in spiritu mansuetudinis, & lenitatis sollicitetis, vt redeant ad cor, & meminerint conditionis suæ: & in omnibus prouideatis, ne quid vestrum arrogantiæ, aut immoderationis prætendat imaginem. Ad hæc accepi ab his Herford. Episcopum se familiarius nosse dicunt, quod dum versaretur in scholis, laudis auarus erat, & lautus amator gloriæ, quantus pecuniæ videbatur esse contemptor.

A Putatur itaque quod nihil illum magis mouere posset, quam si eum magistri Scholarum, & viri religiosi, vtpote Prior Sancti Victoris, & similes, quos in Gallia familiares habuerat, socordiam eius, qui sperabatur redempturus Israël, suis litteris excitarent, & animarent, vt nunc ostendat Episcopum, quem in scholis depingere consueuit, & ea à se propellens vitia quæ in aliis arguebat, amissam redimat famam. Idem etiam de Vvigorn. consulitur; ego tamen nec de ipsis, vnde spero, nec de Rege Francorum, quod sicut cætera, in aure dictum sit, cum ad supremæ necessitatis articulum ventum fuerit, præsumo supra modum, nec de Ecclesia Romana, cuius mores & necessitates nobis innotuerunt, multum confido. Vtique Dominus Papa vir sanctus & iustus est, & Dominum Albertum, vt à plerisque dicitur, imitatorem habet: sed eius sunt tantæ necessitates, & tanta auiditas & improbitas Romanorum, vt interdum vtatur licentia potestatis, procuretque ex B dispensatione, quod Reip. dicitur expedire, & si non expediat Religioni. Timeo ergo ne appellationis diem oporteat expectari, & cum eo ventum fuerit, ne qui diligunt munera, sequantur retributiones. Metior enim angustias temporis, & circumstantias nostras, & aliorum, nostris, imo Christi & Ecclesiæ aduersariis. Decretum est vt nos vulnerent & confodiant spoliis nostris, quibus si interim vexatio data fuerit, ad intellectum fortasse proniores erunt, more laborum & sumptuum, ad pacem reformandam sibi & nobis. Nam hoc ipsum malitiam eorum & audaciam nutrit, quod nobis solis laborantibus, illi in opulentia & voluptatibus suis hactenus quieuit. Et quia humanum nobis deest auxilium, tota mentis intentione confugiamus ad Dominum, vt à præsentibus & imminentibus malis expediat, & scuto miserationis suæ circumdet nos veritas eius.

C

Epist. CLXXVII.

Domino Exoniensi.

MVlta quidem scribenda essent; sed angustia temporis, & necessariarum tumultus occupationum cogunt, vt ea perstringam potius quam exponam. Recepi nuper auctore Domino fratrem meum benignitati, & liberalitati vestræ congratulantem in plurimis, & me præter plurimam, quam habebam ad vos deuotionem, longe deuotiorem fecit, & magis obnoxium. In ipsius vero aduentu cuiusdam amicissimi nostri recepi litteras, quibus me voluit præmunire, & vos si fieri posset, me, quod Rex præceperit per Iocel. de Balolio, & quosdam alios ministros pietatis suæ, vos & Dominum Vvigorn. sic habendos in omnibus, & tractandos, vt capitales inimicos regni, & publicæ salutis hostes. Vtinam vanus sit timor meus! Sed quicquid Episcopi in appellatoriis suis prope diem scripserunt, quicquid prædicent de pietate & mansuetudine D eius, de iustitia & affabilitate, de reuerentia Sacerdotum, nihil adeo impium est in Deum, in homines inhumanum, quod Franci & Latini de eo facilius non credant: vnde plurimum mirantur & stupent omnes qui audiunt, qua conscientia, qua impudentia, qua fronte ausi fuistis asserere, scribere, & Episcopalis auctoritatis characteribus confirmare innocentiam hominis, cuius iniustitiæ sunt omnium fabula, cuius supplantationes, & violentias mundus agnouit: quomodo in subuersionem iustitiæ falsum dedit tot & tantorum patrum venerabilis vniuersitas pro malitia testimonium. Nam scripti vestri verba sunt hæc pro Rege, cuius causam notarius vester iustificare conatur, Rex omnem promittit iustitiam, & eam factis implere paratus est, & dulce reputat obsequium, cum monetur, vt corrigat, si quid offenderit in Deum, nec solum satisfacere; sed & si ius exigat, in hoc satisdare paratus est. Et post pauca subiungit. * Diuidit se iudicio in his quæ sunt Ecclesiæ, nec in modico subtrahentem, E sed colla Christi iugo subdentem. Et paulo superius. Dominum Regem non quidem nunquam peccasse dicant, sed Domino semper paratum satisfacere, & confidenter dicimus, & prædicamus. O, inquiunt, quam sana, quam sancta prædicatio Episcoporum Angliæ! quam sincerum & incorruptum pro libertate Ecclesiæ testimonium! quam vera est assertio Sacerdotum, qui illud prædicant, quod mimus aut histrio sine dispendio verecundiæ non loquerentur. Si fidem quam non habet desiderat scriba vester, & si qui ei consentiunt, exeundum est eis de orbe Latino, ne quoties hæc prædicauerint, quare peregrinum vicinia rauca reclamet, & ne tantum aduersus Ecclesiam pro consuetudinibus, imo prauitatibus auitis testimonium daret sapiens ille tabellio, & facundus, & aduersus populum testificatus inseruit scripto vestro. Rex à Domino constitutus paci per omnia prouidet subiectorum, & vt hanc conseruet, de Ecclesiis & commissis sibi populis, dignitates, Regibus, ante se debitas & exhibitas sibi vult & F exigit exhiberi. Quod audiens Ecclesia Gallicana: Ita, inquit Dominus & Euangelij verba adiuuent eos à quibus, & pro quibus scripta sunt hæc, prouidet fortasse pacem omnibus, sed à longe, quia præsentialiter omnia turbat. Dom. Episcopi, aut forsitam, vt verius dicatur Episcopus; quoniam pax est, & omnes è contra clamant, quia pax non est, sed amaritudo omnium amarissima. Si vero nonnisi debitas exigit consuetudines, sicut vester Demosthenes asserit, illis profecto debuerat esse contentus, quæ non sunt diuinis legibus inimicæ, quæ bonis moribus non aduersantur, quæ sacerdotium non dehonestant, quæ periculum non ingerunt animarum, quæ matris Ecclesiæ, de cuius manu suscepit gradum, ad ipsam tuendam, & iniurias propulsandas, non subruunt libertatem, sed in votis ipsius omnia contraria sunt, sicut scriptura eius, sanctorum Patrum auctoritate, & Summi Pontificis ore damnata testatur, & quotidianæ querelæ cleri & populi: Et timeo ne Pontifices ipsi contra scripta sua venire cogantur, & deprædicare quod prædicant, & G quam modo damnant, iustificare causam, & quam significant condemnare. Signata est attestatio eorum omnium quidem concepta nomine, sed trium duntaxat Episcoporum roborata sigillis, Archisynagogi videlicet Lond. & Domini, & amici mei, cui interim parco Episcopi Vvinton. æque doctrina & eloquio pollentis, veteris quidem scholastici, sed nouitij Episcopi Herford. quorum præeminebat auctoritas, si non opinioni bonæ consensit, iniquitatis, & manifestæ falsitatis attestatio, scripto vterque, & sigillorum munimine conuincente præiudicaret. Alij interim quos libelli concludit inscriptio, mitius arguuntur; quia non facile credi potest. vt tot sapientes conuenerint, tot conuenerint religiosi in fraudem diuinæ legis & Canonum, & in perniciem Ecclesiæ conscripserint; vnde conualescat & præualeat vsquequam iniquitas, & iustitia opprimatur. Sed vt audio, omnes illi scripto prætulerunt H auctoritatem: quod si ante viderant, impiissimum fuit tantæ iniquitati testimonium perhibere: si non viderunt, stultissimum alienæ iniquitati suorum imponere, characterum præstare auctoritatem. Sed quid in re conspicua, cum ex necessitate plura dicenda sint, protendo sermonem? Nam pagina illa, etsi vestrorum cessaret opera; nostrorum tamen diligentia ad Romanum defertur Pontificem, qui & mores illius, quem iustificatis ex nullis nouit indiciis, & facile deprehendet, qua sinceritate Episcoporum concepta sit hæc attestatio, quæ fuerit intentio scribæ vestri, qui quoniam Domino aliter disponente, qui ambiebat esse non valuit, Cantuariensis Archiepiscopus in Anglicana Ecclesia de consensu, consilio, & auctoritate eorum, qui Christum persequuntur, factus Archisynagogus. Scripsit ei nuper Dominus Rex per Radulphum Dicetensem Archidiaconum suum, quod se totum regnum suum, & causam, quæ inter eum, & Ecclesiam vertitur, ipsius tanquam patris & fidissimi amici,

A committit arbitrio, & præcipit, vt Officiales sui ei in omnibus vsquequaque obediant. Si quid ergo vobis, vel Ecclesiæ vestræ, aut Domino Vvigornensi incubuerit, illum faciatis conuenire, vt pro vobis & Ecclesia Dei commoneat Regem, qui, sicut in illa nobili Epistola sua, quæ iam prouincias & regna circuit, testatus est, dulce putat obsequium, cum admonetur vt corrigat si quid deliquit in Dominum. Nam qui deliquit in proximum, in Dominum quoque deliquit, & sponsum exhonorat Christum, quicumque inhonorat Ecclesiam Sponsam eius. Sunt enim corpus vnum, imo & spiritus vnus, & quod amplius est, collatione gratiæ quodammodo sunt Deus vnus, dum admirabili commercio illa, quæ carnis sunt ex natura primitiua Domino impertit, vt ab eo plenitudinem diuinæ recipiat, & oleo exultationis quadam ratione consortij abundet ab illo, & effluat tota. Primitiuam naturam dixerim ne abusionis iouerteratus mos ...... reputetur, iuxta quem omnes sumus natura filij iræ, non quod in ea conditi sumus, sed B quia in eam degeneramus. Nam, vt ait Orator, vsus altera natura est, à quo difficillimum est auelli. Nec tamen Archisynagogum idcirco conueniendum censeo, quia multum sperem vos ipso patrocinio posse proficere, sed vt veritas amplius elucescat, & vt in verbis mendacij, quod Spiritus Sanctus inhibet per Prophetam, vlterius nemo confidat, vt paucis concludam quod sentio, aut Scriptura quæ solui non potest, fallax & falsa est, & veritas Dei à seipsa degenerat, aut in laqueis suis comprehendentur iniqui, & qui fratri foueam parat, incidet in eam. Prior Christe teipsum conuenio, te, qui indeficiens Veritas es, appello, in extremo die iudicij tuum, si ratio permiserit, redarguturus mendacium, nisi quo iudicio quis iudicauerit, iudicetur, & mensuram condignam recipiat pro mensura. Certè spiritus sapientiæ est, qui loquitur: *Quia per quæ peccauit quis, per hæc & punietur.* Homicida primus Cain occisus est. Pharao dum submersionem moliebatur, submersus est. Adonibesech vicissitudinis huius expertus est legem. C Cham dum seruitutem aliis affectabat indicere, perpetua seruitute damnatur. Et in omni genere & ætate, si quis diuinæ dispensationis animaduertat historiam, planè cognoscet semper esse conformitatem quandam culpæ & pœnæ. Quod loquor experimur, & nos agnoscimus iustum flagellum culparum, conscij, expectantes, sed non desiderantes, vt in proximo virga corripientis retorqueatur in tortores & aduersarios nostros. Mallemus enim quod redirent vt filij, quam vt, quod eis imminet, torquerentur vt serui. Nam talium genus nonnisi suppliciis emendatur. Scribit Ezechiel, & verum est, quia qualis consultor, talis & Propheta eius, & à facie Domini spiritus mendax egreditur adhuc, vt sit in ore omnium Prophetarum Achab, & similium Regum. Sic & Rex Angl. vt Dom. qui appellatorias Archisynagogi audierunt Episcopos sibi conformes habet, qui, vt & aliis scriptum est, docuerunt linguam suam loqui mendacium, & vt inique agerent, laborauerunt, sollicitat alios vt subuertat, & dum alij sollicitando subuer- D tunt, quam gloriosam, quam Catholicam, quam piam Epistolam Colon. schismatico nuper miserint, ex rescripto eius, quod vobis mittitur, poteritis conijcere, vt pateat omnibus quam verum sit, quod de pietate & iustitia Regis vestri tanta confidentia prædicatur. Ad ipsum quoque nuper venerunt ex parte de Monteferrandi vani illusores, Abbas scilicet Clusinus & electus Ipperiensis postulantes vnam filiarum Regis filio Marchionis, constantissimè repromittentes, quia Cant. Archiepiscop. deponi fauent, dummodo filiam Petilem obtineat. Rex sub hac spe direxit nuncios suos cum illis, Ioannem scilicet cum R. de Tamevvrda, Ioannem de Meneford. in quem depositionis à decanatu est lata sententia, & Summi Pontificis auctoritate & scripto roborata. Scriptum vero est penes Cant. Archiep. Primatem Angl. & Apostolicæ Sedis legatum, cuius sententiam, quam tulit in depredatores Cantuar. Ecclesiæ, & Regis Consiliarios, Dominus Papa ratam habuit & confirmauit, & ab Episcopis cismarinis & transmarinis præcepit obseruari. E Ei namque & Legatio data est, & Primatus totius Angliæ confirmatus. Scripsit super hæc Lond. & vobis omnibus, & credo quod idem Lond. iam recepit litteras Legationis vobis omnibus ostendendas. Præterea memoratus Archiep. & Legatus Apostolica auctoritate excommunicauit, & excommunicari iussit omnes qui potius obseruant, vt impediant appellantes & appellatos, aut ex pia deuotionis causa tendentes ad Apostolorum limina, vel ad ipsum qui vices Apostolicas habet & agit. Præcepit, & vt hanc sententiam eius faciant omnes Episcopi per suas diœceses publicari, licet ante appellationem, quam aduersus eum fecerunt Episcopi, nullius credat esse momenti: tamen oportebat, vt qui eam aliquas vires habere opinantur, vtpote Rex, Episcopi, & Proceres, ponentes prudentiam carnis brachium suum, omnia ad Archiepiscopum pertinentia, in eodem statu esse permitterent; quia nihil innouari debet appellatione pendente. Postea vero de F mandato Regis captus est Vvillelm. Capellanus, & alij clerici, vt de laicis taceretur, & Ecclesiæ possessionibus ablatis, atrociter tractati sunt. Vnde & Archiepiscopus Regem ipsum denunciauit Domino Papæ in Canonem incidisse, & facto suo esse excommunicatum, nisi forte Sedes Apostolica leges Ecclesiasticas censeat ciuilibus comparandas, quæ, sicut ait Anacharsis Scyta, telis aranearum conferuntur retinentibus quidem muscas, sed transmittentibus volatilia grandiora. Præceperat autem Dominus Papa, vt Bituricensis, Rothomagensis, Turonensis, & Burdegalensis, & Eboracensis obseruent, & in suis Prouinciis faciant obseruari sententiam quam Cant. Archiep. Sedis Apostolicæ Legatus fecit in malefactores Cant. Ecclesiæ, & suos. Hoc tamen adiecit in litteris illis; quia non dat mandatum vt personam Regis excommunicet: sed nec prohibet quidem, quia eum potestate sua priuare non debet, præsertim cum idem Rex patientia Ecclesiæ abutatur in multis. Præcepit & sub anathemate, vt omnes qui de mandato Regis, Clericorum Archiepiscopi reditus receperint, & bona om- G nia cum integritate eisdem restituant, quibus ablata sunt; quia Rex qui in causa prædonis versatur, nulli potest præstare auctoritatem. Egi satis apud Cantuar. ne litteræ istæ procederent: sed consilium præualuit aliorum suadentium, vt dum Dominus Papa superest, cuius mortem Rex desiderare dignoscitur, sibi indulto priuilegio, & beneficiis vtatur; præsertim cum ad patientiam eius semper erubescat inhumanitas & immanitas Regis. Cæterum si ad vos mandata hæc peruenerint, nulla occasione eorum, quæ nobis allata sunt; apud vos periculum timeatis, quia quicquid de rebus nostris fiet ad beneplacitum vestrum, nos illud, auctore Domino, ratum & gratum habebimus. Personatus enim retinentes, & iura, mobilium iacturam non magni facimus, dum proficiat vobis. Excusamus innocentiam vestram apud Dominum Cant. & satis excusata est, vt nulli fidenti contrarium, fidem habeatis. Præmetitur, & timet pericula vestra, vt vos malit cum aliis exulare Do- H mino, quàm inutiliter, & probrosè conteri mundo. Vos vtramque partem ponderate, & de consilio eius, & vestro semper sequimini meliora, vtque Domino, si innotuerint vobis, magis placita fuerunt. Quod si in illud ambiguum est aut occultum, fides sequenda est, quia quod non est ex ea, peccatum est. Mittit ergo vobis litteras vocationis Apostolica auctoritate, præcipiens in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis vestri, vt infra quadraginta dies à susceptione earum, omni occasione & dilatione postposita accedatis ad ipsum, audituri mandatum Domini Papæ, & de necessitatibus Ecclesiæ tractaturi. Vos autem si videritis vobis expedire, mandato quidem vtemini: sin autem sic accipiatis de consensu mandantis, quasi mandatum non fuerit. Vnde enim vobis laqueum procurauimus, sicut alicui suorum negligens diligentia præparauit. Sed pueto dedimus in mandatis vt Magistro B. Archidiacono aut R. filio Ægidiæ fratri nostro tradat litteras, &

postea

A postea si eas volueritis recipere, & videre, fiat pro beneplacito vestro. Hæc autem pro certo sciatis, quia nisi Rex Vvillelmum Capellanum reddiderit, in caput eius feretur sententia anathematis, nec ei amodo parcetur in aliquo, si talia attentare præsumpserit.

Epist. CLXXVIII.

Magistro Girardo.

QVod dilectioni vestræ respondeo, tardius & rarius scribo, cum iam literas vestras secuodo receperim, facit intermeantium raritas, locorum distantia, & transituum difficultas nostratibus ignotorum: Sed eo quidem magis feruet affectio, lingua silet impatientius, quo charitati, succensæ per exhibitionem obsequiorum prodire non licet in publicum, & commercio verbi negatum est, mutuas in corda nostra mote amicis vsitato & iucundo trabere sententias animorum. B In hoc itaque malo aliquis vsus est, dum per absentiam corporum magis inualescit raritas animorum, & amoris impatientia mentem exulcerans, doloris sui dispendio, & vsu exercitij sui io virtutis compendium proficit, & ex assuetudine displicentium ad laborum tolerantiam roboratur. Malim tamen, & si prosit, huius impatientiæ abesse vsum, dum cohabitare possumus, & mutuis frui colloquiis, consiliis instrui, & auxiliorum officiis muniri & firmari in omnem casum. Sed quandoquidem dispositioni diuinæ aliter visum est, prompta deuotione ipsius pareamus arbitrio, cuius & si possimus euitare sententiam, mutare coosilium non valemus, quo diligentius sibi omnia cooperantur in bonum, & salubri dispensatione procurat, vt omnia cedant in vsum sapientiæ. Exposuistis mihi vestram, gratias ago, sed maximas. Quæsistis consilium meum ministerio magistri Rad. Respondeo quod desidero, quod spero de misericordia Domini, quia & citra operam meam vobis Deus salubria prouidebit, & vtinam paruitatis meæ officio, C fraternitati vestræ dignetur erogare quod ad honorem vestrum conferat, expediat ad vtilitates & proficiat ad salutem. Dicam ergo quod seutio, vt ex conscieutia nihil subtraham veritati, ea fide & deuotione vobiscum agens, qua agendum didici cum amico, & qua Dominis meis placere consueui. Noueritis itaque, quia de recessu vestro variæ fuerunt sentētiæ, multis accusantibus excusantibus paucis traositum quem fecistis. Non enim nouerat multitudo quid animi haberetis, quæ vos vrgeret necessitas, quatenus vobis Romanus Pontifex indulsisset, quid vtilitatis ex huius vestri dispensatione consilij, prouenire possit Ecclesiæ. Verum inuentur schismatis crimen, malitiam eorum ad quos transistis, periculum communicandi excommunicatis ex iusta causa, & iuste, & quem vident damnatorum contactibus immisceri, consentire quoque opinantur errori. Ego qui causam vestram & animum aliis quibusdam familiarius noui, in parte consentio multitudini, sed dissentio io parte magna. Nam quoad schismatis condemnationem, D recte seotiunt, eo quod ab initio legis datæ, quanta sit malitia criminis huius constat, cū schismaticos primos, Chore, Dathan, & Abyron, & sequaces eorum insueta hominum morte consumptos sacra Scriptura tradat, eorumque periculosissimus est conoictus, nisi à crimine eorum sit manifestus vita & verbo dissensus. Vnde in libro Numerorum. Scienti etenim & docenti legem loquor. Moyses à fidelium cœtu Dathanitas & Abyronitas eiiciens ait: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinet, ne inuoluamini in peccatis eorum, sed nec sacrificiis talium culpa redimatur.* Quod patet ex eo capitulo leg. vbi Chore thurificans diuino ignis incendio vastatur. Cæterum societas corporalis salutis dispendium non iogerit illis, qui ab impiis pietate dissentiuot, & errores aliorum, tam operum dissimilitudine, quam verborum increpatione corripiuot, sic in quarto Regum Helisæus Regis Israel idolo latriam detestatur, & ei oraculum Prophe E tiæ non subtrahit, sed quis sit, quidue passurus ex merito palam loquitur, & prouerbiom nullum dicit. Sic itaque protestati defert, sic pro reuerentia alterius respondet alteri, vt non Religio iacturam faciat, sed zelus exprimat charitatem. Ait enim. *Quid mihi & tibi Rex Israel? vnde ad Prophetas patris tui, & matris tuæ. Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iuda erubescerem, ne attendissem quidem te, nec respexissem.* Eorum vero sacrificiis periculosissime, & vt opinor, non sine salutis detrimento communicatur, quod ex Canonum lectione plenius, vt nostis, patet. Nam & Naaman Syrus ministerio Helisæi curatus à lepra, Domini sui & Regis, sine publicis orationibus interesse non audet nisi venia impetrata, nisi onus duorum burdonum, cui instet & sedeat, asportet in idolium de terra, vbi Propheticis orationibus huius purget excessum, dicens. *Quando ingreditur Dominus meus templum Remon vt adoret, & illo innitente super manum meam, adorauero Dominum verum in eodem loco, ora quæso vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.* F Si ergo tantum timuit Gentilis, ignatus legis, quantum timere debet Philosophus Christianus Doctor legis? Porro qui inter tales veritatis assertor est, cultor iustitiæ, diuini præco iudicij, aliorum non inquinatur attactu. Sic enim Loth Domino placet in Sodomis, Ioseph in domo Pharaonis, Moyes inter Æthiopes, Cusai in consilus Absalon, Abdias in consortio Achab & Iezabel, Daniel à Domino dirigitur & diligitur in Babylone. Meum itaque consilium est & desiderium, vt inter schismaticos & hæreticos fidem prædicetis, & pacem, ea sapientiæ moderatione, quæ prosit Ecclesiæ, pro cuius fortasse vtilitate & salute personam vestram Dominus ad hos barbaros destinauit. Apostolus omnibus omnia factus est, vt lucrifaciat vniuersos, & per infamiam & bonam famam, & quacumque potest occasione Christum annuntiat. Sic & vos, si potestis, apud Imperatorem, quia..... apud Colon. annunciate Christum, non est, vt fraudulentia verborum astutia suum excusare G nitantur errorem, redarguit eos conscientia sua male de eis respondit vestra, non dico quod ad dispensationem vestram, sed quod ad temeritatem eorum, terra clamat aduersus eos, & expectatur vt cæli propediem reuelent iniquitatem eorum. Licet enim nomen reueleretur, omnino tamen iam eneruari & exinaniri cœpit potestas eorum, & fastus euanescit in fumum. Quis enim similis erat Federico in filiis hominum, antequam in tyrannum verteretur ex Priocipe, & ex Catholico Imperatore, schismatichus & hæreticus fieret? Non dico quod in articulis fidei, ne recte credatur, inducat errorem, sed quia in sinceritate Ecclesiastici ordinis procedere non sinat veritatem. Ille sacerdotium scidit aduersus Dominum, & à Domino scissuram sentit imperij. Sic & Rex Anglorum, qui vicinis Principibus terrorem incusserat, ex quo calcaneum erexit aduersus Ecclesiam, & eam conatus est subiicere seruituti, ab inermibus hominibus expugnatur, vt adiacentium nationum opem cogatur H implorare, & aduersus Dominum iotumescens, illico manifesta vitium suarum & suorum sensit dispendia plurima: vt scripsistis machinatur adhuc, sed profecto, vt Spiritus sanctus * quæ nec prophanus credit, fallax, & falsus non est, aut conuertetur dolus eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. In laqueis enim suis comprehenduntur iniqui. & qui fratri fou[illegible] parat, incidit in eam prior. An non meministis Scripturæ dicentis, quia *Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum?* Misi literas vestras Domino Cantuariensi, sed quia nuncium vestrum vltra festum sancti Remigij non potui retinere, responsum eius nondum acceperam. Certum quidem est quod officiositati vestræ plurimas habet gratias, quas & aget authore Domino, accepto tempore opportuno. Hoc autem de statu ipsius nobis indubitanter constat, quoniam pluris est quod in virtutibus & literis acquisiuit, quam quod Regis & malignantium sibi extorsit improbitas. Confirmatus est ei de nouo Primatus & Ar-

A chiepisc. Eboracensis, qui ideo Interim huic nostræ iurisdictioni subetrahitur, quia Archiep. Eborac. Legatus est Scotiæ, nec solet Ecclesia Romana alicuius Legati Ecclesiam tempore legationis indultæ, alteri Legato subiicere ratione legationis: sed nec subtrahit quidem, si alio iure subiecta est. Quærit Rex noster, vt Vuillelmus Papiensis, & alius Cardinalis mittantur legati, sperans vt causam hanc ad ipsius diffiniant voluntatem. Ipsi vero ne voluntas sua procedat, multis & magnis procurauit iniuriis, & rapinis. Vnde mihi commodum videretur, vt si fieri posset, Coloniensis induceretur, quatenus sub consilij specie & amoris, Regem statueret contra faciem suam, & causæ difficultates ostenderet. Quo enim iure, qua ratione, qua lege & canone, cogetur Cantuar. causam ingredi spoliatus post appellationem? nonne ei debent antea vniuersa restitui, & pax integra reformari, & cætera quæ Canones in hac parte diligentius explorati præscribunt? vtique plusquam X. millia marcarum ei & suis ablata sunt postea, nec citra restitutionem earum iure aliquo cogi potest, vt respon- B deat, & si quid competeret bis qui eum persequuntur, Can. * ne hic orationis discretioni vestræ Latine patet, vt si fieri potest, quoniam orationes melius nostis, ei per Colon. persuadeatis, vt desistat ab iniuriis & rapinis, & intentionis suæ in vsus aduersariorum, non multiplicet exceptiones. Hoc ipsum nuper aggressus est Episcopus Cicest. intimans Regi, quod Cantuar. iuuaret plusquam aliquis hominum: quærenti modum respondit, quia causam eius crebris, & eisdem multis & magnis iustificatis iniuriis, & iustitiam vestram, si qua fuerat suffocastis: datis ei & consilium & auxilium, aut meliores, aut de melioribus Clericis, quos habebatis in terra vestra, quos cogitis ei exulare, nec permittitis vt reuertantur. Motus est Rex ad ista, & sollicitudinem suspirus protestatus est, sed conceptæ indignationis vehementia non permisit, vt saperet ad hæc, quia Regem Francorum amicum quandoque habuistis, & nescitis quid pariat venturas dies consuleremi vt cum aliquibus, C aut placaretis si recessu vestro offensus est, aut magis alliceretis munusculis, si in veteri amicitia perseuerat. Nihil autem est vnum, adeo ipsum, & totam Gallicanam Ecclesiam, imo & Romanam vobis conciliare possitis, quam si adierint vos, quod Philosophum decet, imo Christianum in vtroque iure peritum, veritati quod debetis testimonium reddere, & honestati non opes.... nec aliquas præferre delicias. Si enim Ethicus & Ethnicus laudabiliter ad literatum commendationem dixit, quia * satis auarus haud temere est amicus, nonne Philosophum doctorem honestatis, præconem Euangelij pudebit, si à mundana supellectile opinatur, quem gentilis Poëta contempsit; Spero autem in Domino, quod deuotioni vestræ dabit opportunitatem, vt & in consiliis & in inquisitionibus, & alio modo prout expedire nouit, possitis cum indemnitate vestra, in auribus Principum, ad vestram & illorum salutem, pro veritate D facere verbum, & spiritus Patris vestri promouebit illud, nec retardet vos si in Ecclesia Romana videtis aliquid reprehensibile, qui meministis in Euangelio mandatum esse fidelibus, vt non imitentur opera sedentium in cathedra Moysi, sed doctrinam eorum operibus impleant. Valete, & mei semper memoris vestri, quam amicum decet, habeatis memoriam.

Epist. CLXXIX.

Abbati sancti Ædmundi.

Ciceronem in Epistola ad Marcellum scripsisse memini, quia sapientis iudicio refert plurimum cum quis obligetur, & honesti viri grauatur animus, quotienscum, aut rei familiaris angustia, aut articulus temporis illi constituit debitorem, quem ratio honestatis & morum titulus coli prohibet, & amari. Et hoc quidem, vt arbitror, eleganter, & vere dictum est, quod si fideliter exaudiatur, nec à naturæ consortibus vincu- E lum subtrahit charitatis, nec contemplatione naturalis consortij, erroris quoque participatione confederat moribus dissidentes. Bene igitur cum his agitur, qui in ratione accepti beneficij viris honestis solummodo obligantur, quorum, vt de testimonio conscientiæ loquar, vnus ego sum, quem diuina indignatio diuturna procella tempestatis huius emergentis ab Aquilone contra Ecclesiam non permisit esse, ex causa liberalitatis mihi aut meis exhibitæ, nullorum debitorem. Cum tamen ante obsequiis & beneficiis promeruerim multos: si quidem iam exilij mei quartus agitur annus, & tertius proscriptionis, nec possum nisi de paucorum fide amicorum, vel pauca & parua ad animum reducere momenta. Nam plurimi in Photini videntur incidisse sententiam, dicentis,

Dat pœnas laudata fides, cum sustinet illos
*Quos fortuna premit * fatis accede, Deusque,*
*Et cole felices, miseros fuge, sidera **
Vt terris distant, vt flamma mari, sic vtile recto.
Nulla fides vmquam miseros elegit amicos.

F Hæc profecto est prudentia carnis, Domino proculdubio inimica, mendax, plena turpitudine, vitiorum mater & nutrix Et quoniam parens altrix virtutum & officiorum moderatrix Philosophia, non modo fidelium, sed & gentilium verissimis & eruditissimis rationibus damnat & detestatur. Præscribit enim quam vtile & honestum se prædicatione mutua circumscribunt, vt nihil vnius admittat nomen, quod non & alterius exigat rationem. Hoc vtriusque testamenti astruit pagina, hoc consona voce matris Ecclesiæ Doctores prædicant, quoniam quæ inhonesta & turpia sunt, dispendium quidem salutis ingerunt, & nulla ratione possunt esse vtilia. Quid enim proderit homini si mundum lucretur vniuersum, & animæ suæ detrimentum conquirat! Sed ad vocem hanc vulgares amici obsurdescunt, qui volunt beneficiis obligari, non obligare, qui fidem vmbratilem (veram enim non habent) ponunt & deponunt G ad arbitrium fortunæ, qui vt qualiter cumque viuant, viuendi, quæ penes solam virtutem sunt, abiiciunt causas. Expertus hoc loquor, & paucis obnoxius, quibus vtique tanto arctiori vinculo obligatus sum, quanto sinceritas fidei eorum probabilior ex perspicuis indiciis enitescunt; sed in primis horum nobis merita vestra præcipuum dedere locum, & si illa discutiantur, ad purum, iure & merito dixerim primom. Multa sunt enim & magna, & vnde clarescunt magis necessaria sæpe, vt quorum vsus frequens, imo quotidianus est, gratiam iugiter ad * largitatem cogant,..... nihil excidit à memoria; de vniuersis & singulis gratias ago, reputans & illa mihi à vestra liberalitate esse exhibita, quæ ex relatione nuntij mei, & vestrarum testimonio literarum voluistis & præcepistis meis vsibus exhiberi. Nescio enim qua secreti dispensatione consilij amicus & socius meus M. G. mandato vestro non paruit, subtrahens aut differens auxilium quod vestra dilectio necessitati meæ & H meorum decreuerat exhibendum. Non enim facile crediderim quod ille præter meritum meum & contra opinionem omnium hæc fecerit, vt mihi noceat, sed aliqua dispensatione, cuius rationem ignoro, vestrum suspendit beneficium, sed deuotionis meæ ad vos, & gratiarum actionis nemo suspendet affectum. Gaudeo vero quod cum Episcopi sub appellationis obtentu languorem Ecclesiæ quæ authore Domino conualescet, in breui studuerunt protelare, vos, vt audio, tendiculas eorum eleganti veritatis & iustitiæ compendio declinastis, vt nec poneretis cum iniquis portionem malitiæ, nec sit quod ante Prouinciæ Præsides vobis de iure debeat imputari. Illi scripserunt & prædicant quod Rex dulce putat obsequium cum monetur vt corrigat si quid deliquit in Dominum. Numquid adeo excitati sunt vt eum dubitent hac Ecclesiæ vexatione, & innocentium, vt de aliis taceam, paruulorum, & mulierum proscriptione delinquere; vel ita reprobi, vt Dominum patientem, imo benigne audientem, & correptoribus habentem gratias! noluit quod desiderat commoueri,

A vt satisfaciat Domino. In consilium illorum non veniat anima iusti, quorum furor maledictus est, quia pertinax est indignatio, quia dura, quærentium dumtaxat, vt quod male diu libuit, impune diutius liceat. Sed qui sperat in Domino non confundetur, & qui Dominum præ mundi potestatibus timuerunt, non deficient omni bono. Valete.

Epist. CLXXX.

Magistro Nicalao.

QVod tibi ratius scribo, ex variis causis est, quas referre non oportet, tum quia plures earum tibi notæ sunt, tum quia alias non expedit publicare. Nunc autem à scribendo meum animum nec manum potui cohibere, cum in aduentu fratris nostri didicerim, quod B ex liberalitatis tuæ iudicio ei innotuit, quem ad me & meos affectum habeas. Quantas itaque possum de humanitate illi per manum R........exhibita, dilectioni tuæ gratias ago, quandoque authore Domino condignas acturus. Magni vtique facio quod fecisti, sed eo maioris, quo fidē in hominibus, iuxta Prophetam Euangelij iam chariorem esse perspicuum est: præsertim cum in ea ætate & gente editi simus, vbi sine dispendio fidei vix aliquis fidem facit fidei suæ. Verissimum namque argumentum fidei est contenta fides: & qui Domino promissam fidem ad arbitrium mundanæ voluptatis non facit irritam, conuincitur infidelis. Si mihi non credis, & operibus habe fidem, quæ vt ait Iesvs, quem denuo crucifigunt, perhibent moribus testimonium certius & maius Ioanne. Bene tamen agitur cum nostratibus, & mitius tractatur ibi Iesvs: si tamen vera est attestatio quam appellatoriis suis, quas dicunt, nuper ediderunt Principes Sacerdotum, prædicantes, scribentes, & ad maiorem authoritatem assertionis suæ sigillatim pluribus patentem scripturam consignantes, C quia Dominus Rex dulce putat obsequium, cum monetur vt corrigat si quid deliquit in Dominum, ad formam iustitiæ libentissime satisfacturus: si deliquit, inquiunt malorum inexperti, & quibus nondum certum est contra Dominum in aliquo deliquisse, aut condigna satisfactione purgasse delictum. Bene, inquam, cum eis agitur, si prædicationi & attestationi eorum veritas subest. Sed quid si pariter quidem Dn. Papa dicit, & Ecclesia Romana cognouit in scripto quod illuc transmissum est, mentiuntur. Non est de cætero, dilecte mi, quod querantur, quia hoc dulci quidam prædicant correptionis obsequio à Rege quicquid æquum & bonum fuerit, potuerunt impetrare, non est de cætero quod eis quisquam compati debeat, qui tanta facilitate possunt procellam quamlibet & in auram commutare. Sed nobis longe alia mens est, qui aliud experimur, vt vtinam prædicatio eorum in nobis impleretur & ill. interim petelegimus rapinam bonorum sustinere in patientia, & expectare qui auferat iniquitatem à Iacob, & im-D pietatem ab Israël, quam cum his qui conuenerunt aduersus Dominum & aduersus Ecclesiam eius conspirauerunt, iniquitatis ponere portionem, & diuinæ legi bonorum temporalium flosculos anteferre. Sed finis chartulæ sit & verbi, vt vbicunque locorum sim, me noueris tuum esse. Valete.

Epist. CLXXXI.

Magistro Ganfrido.

EXpectabam in reditu nuncij mei ad consiliom & auxilium contra fortunæ sæuientis iniurias, literarum tuarum solatio recreari, sed qua eas præter morem tuum, & contra spem meam dispensatione subtraxeris amico, diu exulanti & ex fidei causa proscripto, incertum est. Neque enim mihi facile persuaderi potest, quod vt calamum a scriptitatione continueris, vel mandatum Dn. Abbatis quod ex literis eius ad te, mihi innotuit, suspenderis, vt mihi incommodares, sed ex necessitate E & dispensatione, quæ nec fidei notam ingerat, nec amicitiæ deuenustet officium. Absit enim vt cito perperam sentiam de amico. Vnum autem est, quod audio te esse tot & tantis de nouo, & tibi tunc vtiliter negotiis implicitum, vt non modo amicis scribere nequeas, sed nec eorum literas facile legere vel audire: vnde & tibi parcius scribo, & ad quæ si tamen id cordi fuerit poteris leuiter respondere. Licet autem omnino sileas, te tamen vt Cicero in epistola ad Tironem de amico scribit, vtique & in omnibus habeo excusatum ponens si quando distuleris ab officio, tibi opportunitatem defuisse, non animum. Hoc est autem quod facile poteris, cum authore Domino opportunitas non negabitur volenti. Saluta domum tuam totam. Si quæsieris forte quid agatur in Francia, noueris quoniam tibi Dominus colitur, qui non de nouo mortuus est; nec Monachum induit, nec bonis suis renuntiauit, vt ne habeat de cætero vnde pascat exules suos. Si de me, paucis respondeo, quia est F bona librorum Domino propitio, & prouisæ frugis in annum copia. Cætera Dominus ministrabit, qui sperantes in se non deserit, nec aliquid boni reseruat deserentibus fidem, & simulatoribus fidei, & persequutoribus thesaurizat iram in die furoris sui.

Epist. CLXXXII.

Domino Pictaniensi.

PAtri misericordiarum qui vos ad honorem suum, & Ecclesiæ vtilitatem, & naufragij nostri solatium, de graui infirmitate erexit, multiplices & omnimodas gratias ago, deinde vestræ dignationi, quæ mei sollicitudinem indesinenter & efficaciter gereos timoris & doloris mei de vestra ægritudine concepti, literarum solatio mitigauit angustias. Sed quia postea, nec de plena conualescentia vestra, nec de promissa & sperata pace certioratus sum, latorem præsentium ad vos censui G transmittendum, per quem mihi singula, quæ expedire noueritis, diligentius rescribi tota mentis affectione deposco: & quidem pacem vestram desidero plurimum, nec video quibus in causa ista possitis vti instrumentis ad recuperanda & conseruanda iura Ecclesiæ vestræ, nisi his quæ Ecclesia ipsa & filij eius ministrauerint vobis, aut quæ de iure communi cæteris Ecclesiis suffragantur, præsertim cum homo alienigena, & apud exteras gentes nutritus & institutus, speciales Aquitanorum consuetudines, & inaudita iura non sufficiat edocere. Vnde cum vos nihil ex contingentibus omiseritis & omittatis, si causa Ecclesiæ, filiis eius dissimulantibus, aut præuaricantibus periclitatur, non est quod vestræ negligentiæ debeat imputari. Quis ergo vir parum sanæ mentis, &...... aut hostis consulet, vt...,Rom. & iurium suffragio solus contra torrentem, qui omnia post se trahit, & subuertit, brachia in cassum præsumatis erigere. Nam complacita pacis forma spem prætendit æquitatis &......si fidei sinceritate simpliciter vtrin- H que in contrahendo geratur, negotium plenam continet æquitatem, nisi forte tempore pacis antecessorum nostrorum sperte alterutra consuetudo vsurpata sit contra Dominum. Nullo enim vmquam tractu temporis aut placito contrahentium continebit, vt quod contra Dei mandata scienter præsumitur, licenter, nedum iuste fiat, imo vt non criminaliter committatur. Cæterum mihi suspecta sunt, & infidelitas quam audio gentis vestræ, & terribilis & maliciosa potentia, quam multi experiuntur, partis aduersæ, vt non facile credam quod voluntati eius quisquam audeat reluctari, & fortasse cum Archid. vestro cuius verebatur industriam, & familiaritatem eius ad vos habebat suspectam exercuit inimicicias, vt cum reconciliatus fuerit, de cætero contra eum mutire non audeat: Sed nec alij, quos huius exemplo terruit, sed magis nostro, maximè ante, quia se talem exhibet, vt videri velit sine timore Domini, & reuerentia hominum. Potens est autem Deus erigere, &

A ditigere causam vestram, imo suam in manibus vestris. Et qui Israeli ex mandato Domini ad promissionis patriam festinanti gratiam contulit inimicorum, vestros quoque Ægyptios poterit aut placare, aut omnino subuertere. Vnum scio, quod Iustus tandem de angustia liberabitur, & tradetur...... pro eo. Gaudeo autem pacem & gratiam eius vobis plenariè restitutam. Sed timeo quod absit, ne more hominis, omnibus noto, simulatoria & momentanea sit, hæc pacis & gratiæ restitutio: eo quidem magis quo celebre est apud omnes incumbere consilio locustarum, quarum potestas duntaxat in linguis est & caudis earum. Quod si momentanea fuerit, certum est eam fuisse simulatam, ex ea præcipue causa, vt sic extorqueret obligationem fidelitatis, & nisi fallor, aliquid in eam venire opinatur, ad quod ratio fidei Christianum non sinit obligari, vt scilicet, amodo his quos audisse decreuerit, subtrahatis debitæ caritatis officia, & impugneris omnes, saltem ope consilij, quos suos dixerit inimicos: & si aliter vrgente reli- B gione fidei Christianæ versari fueritis cum eo, vos, sicut cæteros amicos beare consueuit, nota non seruatæ fidelitatis in auribus nationum tentabit inurere: à suis quoque locustis conclamabitur. Ille & ranas in cœno fouet, quæ status sui pure impuro omnem incrustent sinceritatem, & iuramentorum fallacia quemlibet nigrum in candida vertant. Hæc sunt membra criminum cohærentia sibi, vbi squamma adhæret squammæ, vt ne spiritus quidem incedat per eas. Sed liceat eis quod voluerint opinari, & vt qui in sordibus sunt, sordescant amplius, impudicitiam mentis scurrilitate gestuum & oris turpiloquio prætextentur, quia Christiano nedum Sacerdoti licitum est, ex obtentu fidelitatis.....charitas periclitetur quæ vita fidei est, & operum testimonio declaratur. Nam fides sine operibus mortua est. Illa tamen expressio qua sibi & hæredibus suis contra omnes mortales caueri vult, quanto sit apud eum ex literis Teutonici tyranni, quas misit ad comitem H. & quas vobis transmisissem, nisi quia mihi elapsæ sunt, Dn. Can- C tuariensi transmisisse perspicuum est. Nam cum Ioann. de Maneford. nomine Regis Teutonico tyranno coniuraturus esset, & opem auxilij & consilij sacramento promitteret contra omnes homines, excepto solo Rege Francorum, ait Teutonicus per interpretem sicut attestantur magni, & multi, & religiosi nostrates, de Prouincia dico Remensi, qui interfuerunt. Rollandus hostis Ecclesiæ & Imperij, homo quidem est mortalis, & omnes Cardinales sui, vt nullus eorum Rex Francorum est: Vnde nullum eorum exceptum intelligo nec volo intelligi in hac confederatione mei & Regis Anglorum, si vos ita sentitis, an aliter publice profiteamini. Qui Ioannes, Nos inquit, & Dominus noster ita intelligimus, vt vos, & sub hoc intellectu, vice Regis nostri iuramenta præbeamus. Quid multa; exiuit aduersus Dominum & Eccles. sic in ea confederatione processum est, quod & plenius aduerteris ex literis mihi nuper à Colonia transmissis, quarum vobis inscriptum mitto, in quibus Rex nuncijs suis aduersus Can- D tuariensem ituris Romam, conductum petit, & qua deuotione Romanæ Ecclesiæ facile innotescet. Verum in laqueis suis comprehendentur iniqui, & qui fratri foueam parat, incidet in eam prior. Felix tamen est qui in tantis insidiis meretricis magnæ, & impetu bestiæ conscientiam seruare potest & famam, alteram Domino, alteram proximo, vtramque sibi. Nam qui ex iusta causa arguitur alterutrius dispendium facere, vnde solatium habeat, nisi virtute redimat quod amisit omnino non video. Inde est quod nouissimo litterarum vestrarum respondens articulo, precor attentius per ineffabilem charitatem Domini quatenus si de pace mea, & per Archid. vestrum, & per alium, quod quidem desidero, censueritis agendum, eam in tali forma procuretis, quæ famæ, imo conscientiæ famam integram conseruantis non possit afferre dispendium. Quid enim prodesset mundum lucrari vniuersum, & in his periclitari? Et si me videritis, quod Dominus auertat, pronum ad aliquid turpitudinis, quod in mei similibus, sæpe ex infirmitate, semper autem ex culpa contingit, E subleuet quæso me dextera vestra. Ego autem nomine turpitudinis arbitror contineri quicquid de industria præsumitur contra Dominum. Licet & rei familiaris angustia, & refrigescens charitas amicorum, me & fratrem meum, qui mihi ex necessitate coexulat, acrius videatur vrgere. Domino tamen vrgente nondum cedo malis, sed contra audentior ibo, quoniam mea me fortuna iuuat. Scio autem quod de consilio vestro nullam recipiam conditionem, quæ vel speciem habeat inhonesti. Dominus interim, quæ necessaria fuerint, sicut fecit hactenus, prouidebit. In ratione dati & accepti paucissimis teneor, sed Abbati meo & vobis super omnes, & fere solis.

Epist. CLXXXIII.

Magistro Raimundo Pictauiensis Ecclesiæ Cancellario. F

PVer meus à vobis rediens, vnde sinceritati vestræ innumeras gratias ago, literas retulit, multa fidei, & charitatis indicia præferentes. Eo enim ...... videntur esse conceptæ, vt singula verba & ferè singuli apices signis fidelibus protestentur, sed ad amicum de sincerissimæ dilectionis adipe processisse. Sed quia in illis, sicut in Domini mei Episcopi scripto plura continebantur capita negotiorum quæ sollicitudinem amantis angere poterant: vtpote quod plena conualescentia ipsius, quæ nondum erat, sperabatur; & quod de pace inter ipsum & Regem reformanda conuenerat, & de me reconciliando mentio habita est: & in hunc modum plura, in quibus amico gessistis morem. Latorem præsentium ad vos vsque transmisi, vt eo intermeante me de prædictis, & cæteris quæ statum vestrum contingunt, aut publicant, per literas vestras si placet reddatis certiorem Obtemperans autem vestro consilio, de industria talem misi, qui nulli sit apud vos, aut paucis notus, & mihi & meis omnibus fidelis inuentus est. In- G iunctum est illi, vt apud Du. Episcopum gerat negotium M. Galteri Clerici Dn. Remensis, pro recuperandis libris quos idem G. Magistro P. Heliæ commendauerat. De quibus vobiscum locutus sum apud Andegauim, & monitorium dedi. Ipsum itaque tanquam puerum de domo Remensis Archiepiscopi tractare poteritis, vt Episcopus exposcet, sed vt cito remittatur, exigit continuæ sollicitudinis stimulus animæ meæ quietem denegans, donec aliquid certius de præmissis agnoscam. Si vero, quod plurimum desidero, ad honorem Dei & Ecclesiæ pax Dn. Episcopo reformata est & completa, quæ spetabatur implenda, qualiter in electione Iuratorum processum sit, & in quibus finibus causa steterit, mihi diligentius recurrentibus literis vestris placeat significare. Nam quid timuerim, imo quid timeam, in omnibus articulis oblatæ conditionis perspicuum est ex literis, quas Domino Episcopo misi. Neminem tamen arbitror sapientem, qui dissuadeat pa- H cem, quæ fieri potest in Domino, & ante hinterinum diem, honestati non detogat: fiat vtinam cum salute conscientiæ, & integritate famæ in diebus nostris, sed quæ nec sunt......sit nec momentanea, horum tamen neutrum in vobis est. Nam alterum ab aduersario, alterum à Domino pendet. Quomodo autem ille, cum quo vobis negotium geritur, amicos & contrahentes secum beare consueuerit, ex quo ei in omnibus voluntatibus suis, & cum dispendio famæ & conscientiæ non acquiescunt, multis patet exemplis. Ex quo longe periculosius, quam inconsiderati homines opinentur esse, arbitror aliquando ad promissiones eius iacturam facere conscientiæ & honestatis, quæ si semel læduntur, facile nequeunt reparari. Nam quæ in alterutro fiunt vulnera, ferè lethalia sunt, vt tamen fere magis ex infirmitate carnis dictum accipiatur, quam ex iudicio rationis. Hac enim iudice perniciosiora sunt, quam illa,

quæ

quæ corporis & animæ compagem soluunt, & huic nedum Christiano dicenti :

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Vnde tota mentis affectione deposco, vt si de pace mea actum fuerit, ea prouideatur forma, in qua non offendatur Deus & honestas, quam non audeo dicere ego, sed Deus mihi hactenus integram conseruauit, illæsa quoque in posterum ad homines conseruetur : & si forte taliter poterit inueniri, agam gratias Domino & vobis, & omnibus, qui ad hoc operam dederint. Si vero de iuramentis actum fuerit, nouit Dominus meus Episcopus, quam subtili reuerentia in talibus tenear. Numquid ergo iurare possem in ea præscriptione, quæ ab aliis vt audio], exigitur &.....vbi nec Domini, nec legis, nec ordinis saluandi licet fieri mentionem ? sed & de consuetudinibus reprobis, & legibus ignotis aut repugnantibus legi Domini, seruandis, quis sacramentum præstat, nisi alienus à fide & omnium Sacramentorum contemptor ? sane temerarium nimis, & omnino præcipitantem se in mille damnationis laqueos reputarem, qui se ad obseruantiam sacrorum Canonum, aut certe ipsius Euangelij custodiam iuramento præstito obligaret, nisi forte eo .. ..quæ suæ conscius infirmitatis, & testis nostræ humiliter confitetur, quia in multis offendimus omnes. Si de præteritis agatur, non nego, me Cantuariensi Archiepisopo, sicut Domino & Patri meo, debitum & deuotum præstitisse obsequium: & vtinam efficacius præstitissem, nec vnquam Domino proposito ab hoc pro quacunque vtilitate & damno deducar. Vt enim meum, quicunque sit, abiurando & abnegando, maculem vitam meam, imo & memoriam nominis & gentis meæ coram Deo & hominibus. Cæterum sic à pluribus accepi. Ad hoc itaque proficiat si placet vigilantia Domini Episcopi, & vestra, vt si de reconciliatione mea actum fuerit, iniquæ & periculosæ conditiones amoueantur : & ego in omnibus quæ sine periculo salutis & famæ fieri possunt, Domini Episcopi, & vestrum, quod ab eo non discrepat, consilium sequar : sed nec proficisci vellem ad Curiam pacem facturus, nisi aliquatenus præcognita forma eius. Nam rei familiaris angustia, & negotiatio literarum, quæ mihi solatium pariter, & subsidium præbet, nec magnos sumptus facere, nec diu abesse patiuntur. Facultas enim solito magis tenuis est, sed onera non decrescunt. Rarescunt autem auxilia, si ab * inuito rarissima fuerint. In profectione versus Andegauim, & Paschalibus colloquiis ad Regem, XII libras expendi, & duas amisi equitaturas, vt de laboribus, molestiis, & curarum tædiis taceatur, quodque magis piget, cuncta cesserunt in cassum. Nam labor periit & impensa, nec si fieri vellem posset occupationum & rerum humile subire dispendium. Status meus vobis ex parte per nuncium innotescet, Idem enim est fere quod fuit. De causa Cantuar. non despero, quia ipse pœnitentiam agens super commissis in Curia, de Domino non desperat, nec ponit, vt opinor carnem brachium suum. Credo autem quod Dominus adhuc supremum remediũ differt, quia nondum est omni humano auxilio destitutus Vocat me M. Git. vt salua fide Ecclesiæ Rom. Ecclesiam transeam, sed authore pio IESV, pro nullo quæstu ponam cum schismaticis ad subuersionem domus Domini, schismatis portionem. Ipsum tamen G. nequaquam schismaticum reputo, quia fidei eius perspicua patent indicia ex literis eius, quarum rescriptum Domino Episcopo mitto, suppresso tamen authoris nomine, ne & illi, & aliis noceat, si fuerit diuulgatum. Non dubito quin mihi compateremini, si constaret, in qua sollicitudine versatur animus meus, nec tantum Domino teste pro me, licet apud duricordes habitem, quantum pro amicis sollicitor, quia mihi quod ad me sufficeret commercium literarum, nisi vigerent & alij quorum oportet me necessitudinibus communicare. Si nescitis, Belgica secunda, quæ modo Remorum dicitur, in antiquis historiis Prouincia Duricordium appellatur, licet habita contemplatione quorundam possit & Mellicordium appellari. Neque enim duricordiam Archiepiscopi & suorum quisquam familiarius accedens, probabiliter arguere potuerit. Sed quis quæso nostratum & veterum amicorum degente Duricordium non conuincitur esse ? Dicam quod fortasse non creditis, sed certo verum est. Filius M. Gaufr. mihi coexulauit mensib. VIII. sed cum ad eum nuntius meus ab Episcopo Norvvic. & Abbate S. Ædmundi diuertisset, profecto nec vanas ad me literulas potuit impetrare. Scit tamen Dominus, quia nihil ab aliquo eorum petij, in toque mihi bene actum est, quod nondum ab initio proscriptionis meæ erubescentiam sustinui de repulsa. Ex his & præcedentibus patet via rationi sed in literas ex affectione totus diffluerem, nisi modestia & multiplicitas occupationum, quibus id tantillum subripui, compellerent, vt dicam ex animo, Valete.

Epist. CLXXXIV.

M. Ioanni Sarraceno.

Literæ dilectionis vestræ, super quibus, quo ad vixero, gratiæ vobis habendæ sunt & agendæ, Philosophum & Christianum pariter redolent, & multiplicia protestantur indicio, quod de abundanti virtutum & literarum promptuario processerunt. Sed nec orator illis cudendis defuit, aut condendis, quæ quidem ratio Philosophica, & Christianæ religionis professio suggerebat, efficacissimè persuasit. Viguit enim per gratiam dictio apposita ad persuasionem, & catenus cepit & profecit in me, vt de cætero pigeat, si forte ex infirmitate contigerit acerbitatem exilij nominare, & omnino pudeat nominasse. Nam licet exilij quartus, & proscriptionis meæ tertius agatur annus, iam turbine fortunæ vnius in dies concutior aut moueor damnis, profecto sciens nunquam in meis fuisse bonis quæ tam facile inimicus extorsit : & fortasse rectius amicum dixerim, qui oculos meos phantasticis fortunæ ludibriis præstrictos aperuit, & excussis curialibus nugis, & illecebris voluptatum, me in vitam virtutis impulit, & philosophantium cætibus aggregauit. Longe ergo liberior, quam cum mundana supellectile & sarcinulis fortuitorum premerer. Læta quidem conditione, ne dicam paupertate, quod Philosophia dictat experior, quia omne solum forti patria est, quod ad animum in aduersis erigendum, & Christiano mundus totus exilium est, dum peregrinatur à Domino, vt nunquam prosperis extollatur. Cessent, ergo de ludibriis fortunæ querelæ ; de reliquo, dum nos, quatenus licet à quæstionibus Philosophicis non cessemus, indulgeamus persequutoribus nostris nescientibus fortasse quid faciunt, & Prælatis Ecclesiarum non vestratibus, sed nostratibus dico, qui quod Caio Cassio Cicero in Epistola ad eundem Cassium improperat, iam à multo tempore virtuti & officio suo nuntium remiserunt, nec cum eis agant delinitis diuitiis & illecebris voluptatum. Expecto à gratia vestra residuum Hierarchiæ transferri vt vero beneficio vobis ad æternam gloriam, Francis suis Beatus Dionysius plenius innotescat. Vtinam detur mihi locus ad pedes vestros vt cum Maria sedente secus pedes Christi, quem in corde vestro habitare confido, cælestis oraculi verba edocere, Philosophiæ sententias excipiam ab ore vestro. Sed hoc desiderium meum impedit indignatio Regis Anglorum, cui ille qui corda Regum dirigit, tribuat si placet intellectum, vt sapiat quæ Dei sunt. Interim quod possum dignationis vestræ genibus prouolutus, precibus & literis pulso supplicans, vt in explenda translatione B. Dionysij me vestra sinceritas dignetur audire. Ad hoc nuper in libro B Ambrosij de Incarnatione verbi obstaculum reperi, quod nullus Magistrorum nostrorum sufficit amouere, quia Græcæ linguæ expertes sunt. Hæc autem sunt verba Ambrosij facientia quæstionem. Ousiam ita Latinus interpretatus est, vt substantiam diceret. Ousia autem Domini cum

A dicitur, quid aliud significat nisi Dominum semper esse? Quod literæ ipsæ exprimunt, quamuis diuine ousia ai * acta ai, hoc est cum sit semper, Oussia dicitur, vnius literæ mutato ordine propter sonum & competentiam decoremque sermonis. Ergo Oussia, quod semper sit Dominus, significat, Sic quidem Ambr. colligit, sed ratio infer......vobis plenius liquet & Græcis, mihi vero & mei similibus nubeculosior est. Hilarius autem in lib. de Synod. similiter de essentia ratiocinatur, vt Ambr. de Oussia, fortasse quia idem est essentia quod Oussia. Et quidem verba Hilarij hæc sunt. Essentia est res quæ vel est, vel ex quibus est, qui in eo quod maneat subsistit. Dicitur autem essentia, & natura, & genus, & in substantia manet. Cum ergo essentiam dicimus significare naturam, &c. Horum verborum Hilarij subtilissima speculatio est, difficilis intelligentia, sed arbitror quod in Græca lingua petitis planiora sunt. Nam de B. Hilario dicit sanctissimus pater, & literatissimus Doctor
B Hier. quod Gallicano cothurno attollitur, & floribus Græcis adornatur, & procul est a lectione simplicium fratrum. Alibi autem præcipit, vt Hilarius & Anathasius in offenso currantur pede. Quod si apud Græcos expressam haberes differentiam, qua hic quotiens inculcata, sunt essentia, natura, genus, substantia, eã expedites, omnium arbitror interesse quamplurimum: Vnde vobis ad meritum & gloriam profecturum esse non dubito, & proficiet ad vitam, si ad ostium scripturarum pulsanti aperueritis, & panes vobis à Christo creditos in multitudinis vsum fregeritis, vt nostra sollicitudine reficiantur turbæ, quarum adeo in via peregrinationis huius bonus miseretur Iesvs, vt seipsum illis quotidie velit irrogare in cibum. Nonne Doctoribus improperabitur, quia paruuli petierunt panem, & non fuit qui frangeret illis?

Epist. CLXXXV.

C *Magistro Girardo.*

PLenam deuotione & eruditione nuper à vobis recepi epistolã, quam quo diligentius relego, eo societatis vestræ solatium nobis subtractum esse acerbius ingemisco. Cæterum cum tota epistola cum sui venustate, cum affectione & reuerentia nominis vestri plurimum mereatur, illud præ ceteris placet quod in calce literarum prudenter, & , vt spero, veraciter intulistis, vos dixisse, fecisse, scripsisse propenso tenore literarum mearum, quicquid dici, scribi, & fieri oportebat. Mihi autem nunquam persuaderi potuit quod in tanto salutis discrimine aliquid ex contingentibus omitteretis, & sordidam diuitiarum euanescentium commutationem pro anima recipiendo, non modo Philosophantis nomen velletis amittere, sed (quod longe perniciosius est) abiicere conscientiam Christianam. Absit, hoc (absit dilectissime) à discretione & honestate vestra, vt pro Episcopali emolumento ponatis cum schismaticis
D portionem, & quicquam de Iericontino anathemate imprudentius & impudentius rapiatis, quod castris Domini exercituum in ruinam & perniciem conuertatur. Et quid vt sententiæ vestræ imo Catholicæ Ecclesiæ auctoritati consentiã, dum grana cum paleis, & boni malis admixti fiant: & adimplendis mandatis Moysi, & promouenda prædestinantis gratiæ dispositione laborat Ierico, Anathema in medio Israel est, cuius occasione pereunt multi: & qui præordinati sunt post triumphos gloriosius coronantur. Vnde & nauis Petri quasi Domino dormiente fluctibus variis sæpe colliditur; sed quia de Christo vectore confidit, semper ad salutis enauigat portum. Nec ambigitis quin & in medio vestri, Coloniens. Eccl. dico, non eam lateat anathema, quasi aliquam Dei reuerentiam & hominum verecundiam habens, quia insaniat & sæuiat aduersus Deum & Ecclesiæ vnitatem: præsertim cum toti mundo fere iam innotuerit quantus contemptor Ecclesiæ semper, quantus incentor, & auctor schismatis ex quo
E potuit fuit ille Coloniensis præsumptor Ecclesiæ maximus inter locustas bestiæ, quarum potestas est in linguis, & caudis earum. Defecerat illud schisma, pacem fuerat tyrannus vester Ecclesiæ redditurus, nisi eam Colonia etiam adhuc aduersus Ecclesi. incitaret, vt pari voto non tam summi Pontificis vitam, quam Petri dignitatem conentur extinguere, dicentes. *Alligemus iustum, quoniam inutilis est nobis: scientiam viarum Dei nolumus, Regem nesciemes nisi Cæsarem.* Eo enim (vt aiunt) proposito in Italiam profecti sunt, vt Cretensem hæresiarcham intrudant in sedem Petri, & vicarium Christi aut comprehendant, aut eiiciant, aut occidant. Verumtamen oratio sine intermissione fit ab Eccl. ad Deum pro eo, vt supra modum timere non debeat à duabus caudis fumigantium titionum Frederico & Reginaldo, qui ponentes carnem brachium suum, sanctum Israel blasphemare non cessant. Profecto vbi humanum deest, diuinum auxilium necessitatibus Ecclesiæ
F suffragatur. Nemo suum fraudulenta verborum excusatione tueatur errorem, voluptatibus suis nullus applaudat, quia Deus non irridetur, qui non secundum visionem iudicat oculorum, nec auditum aurium sequitur, sed in æquitate iudicat orbem terrarum, & pro mansuetis cõdemnans impios, potentiores potentius punit, & peruertitur cum peruersis. Iustum est quod affectuosius peto, quatenus instantius agatis, quod agitis, dicendo, scribendo, faciendo, quod ad euacuationem schismatis per collatam vobis sapientiam à Domino cognoueritis pertinere, vt & conscientia sit tutior apud Deum, & apud proximum fama plenissime conualescat. De cætero (vt de conscientia loquar) de Cantuariensi & suis iniustam concepisti suspicionem: quia (quantum perpendere potui) & de illo & de illis plenam in charitate debetis obtinere fiduciam. Non ergo illis imputetis indignationem Regis Francorum, sed vobis qui sine conscientia eius recessistis, vt conqueritur, ipso prope transitum vestrum existente ad duas leugas. Eoque magis motus est, quod cum vos habuerit
G familiarissimum, sic transistis quasi ad æmulos Regni Francorum, & nominatim ad schismaticum Coloniensem, qui non modo Ecclesiam Dei persequitur, sed & ipsum, vt audiuit, impudenti scurrilitate verborum consueuit Regulum appellare: sed, cum vobis id cordi fuerit, benignitatem Christianissimi principis vobis placabilem fore non dubito.

Epist. CLXXXVI.

Domino Exoniensi.

EXpectatione longa suspensi, & impatientia desiderij æstuantes, nuntij nostri præstolabamus aduentum, sperantes in reditu eius nos amicorum diligentia fore vel litterarum solatio recreandos. Et quidem secus accidit, cum ille non retulit iota vel apicem. Nec hoc dicimus, vt aut charitatis defectum, aut negligentiam velimus in amicis arguere, quos tanto acerbius affligi coniicimus,
H quanto minus audent suas angustias deplorare. Comprimuntur vel castigatione crudeli, puerorum more, quos præceptorum seueritas cogit, vt eductas doloris impetu, & extortas verberibus lacrymas redire faciant in sinum oculorum, & latentes sui fontis origines. Metiebantur ante pericula conditionis vestræ malitiã temporis, debilitatem Ecclesiæ, rabiem persecutoris, sed è latere sperabamus, quia iniquitas cohærens talento plumbi, diu in summo stare non potest: Et Amorrhæus citius & validius eliditur, & detruditur ad ima terræ, cum ad impleta malitia in excelsa prorumpit. Amicis ergo compatimur, & Ecclesiæ desolationem in regno Anglorum ingemiscimus. Et miramur quo abierit zelus tot religiosorum & litteratorum: Et cum vix vnus & alter appareat speculator, qui iuxta commonitionem propheticam audeat impio impietatem suam ex ore Domini nunciare. Impij ergo in facie speculatorum descendũt in infernum viuentes, vt à speculatoribus, quia siluerunt, sanguis eorum iure & merito exquiratur. Sed, quid

dicimus

A

dicimus nos esse ex causa silentij punjendos? sane quidam eorum sunt qui furem videntes currunt cū eo; immo præuij ductores & Doctores ipsum in furta præcipitant, & rapinas, & suam ponunt in quouis iniquitatis symbolo cum impiis portionem. Quorum primus est Archisynagogus vester, & qui primo auro videbantur inducti, & columnæ videbantur Ecclesiæ amplexati sunt stercora. Dederat eis argentum Dominus & aurum, & sicut ipse per prophetam conqueritur, *Ipsi ex eo operati sunt Baal dum magis verentur hominem quā Deum, & colunt & seruiunt creaturæ potius quam creatori:* quod sicut beatus docet Apostolus, idololatriæ rectissima & certissima diffinitio est. Nā quod quisque colit præ cæteris cōstituit sibi Deum, vt alius ventrem libidini præferat seruiens: Alius dum munera quærit & retributiones, & interdū in fraudes & in rapinas impingit, Lauernam veneretur: Alius vento inflatus terram Moab inhabitet in supercilio Babylonis: Alius gulam sequens porcum induat Epicuri: Quod enim de talibus scribitur, quoniam eorum Deus venter est, & gloria in confusionem, ad cætera quo-

B

que vitia probabili interpretatione protenditur. Vnde & in Euangelio veritas docet, Deo & Mammonæ simul seruiri non posse: Et qui amicus seculi esse desiderat, Dei se constituit inimicum. Doctor gentium præconatur & clamat, quia si hominibus placere vellem Christi seruus non essem: & qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus spreuit illos. Sed alia profecto Archisynagogi & complicum eius sententia est, qui fraudulenta verborum interpretatione ad arbitrium, non ad mentem auctoris detorquent legem, eique nolunt suum accommodare intellectum: sed id agunt modis omnibus vt quod eis libitum fuerit, diuino quoque iuri consentaneum videatur. Dicit enim quia non est pro libertate Ecclesiæ decertandum. Sed fallax & falsa hypocrisis quo progrederis? Quid hæreses moliris & schismata: nonne ab initio nascentis legis ad libertatem Dei vocatus est populus? & Ægyptus intolerabilibus afflicta plagis, quæ Ecclesiam de antiqua & auita consuetudine, & fere per 300.

C

an. obtenta vindicabat in seruitutem? Nonne Macabæi Martyres pro libertate fratrum suorum laudabiliter & religiose sanctissimas animas posuerunt? Dauid nunquid non strauit Allophylum lapidibus de torrente congestis in peram pastoralem, vt Domini exercituum agmina ab indebitæ seruitutis iugo, & religionis opprobrio liberaret? sed quid pauca & parua proponuntur exempla? scriptura ferè tota quæ in historiis digesta est, talibus virorum illustrium referta est monimentis. Duæ autem causæ sunt quas homines affectuosissime tuentur, & quas præponunt animabus suis; altera fidei & religionis. Illa tamen quæ fidei est, creditur esse præstantior, & proculdubio iustior est, adeo quidem vt & prophanæ religionis homines hoc constantissimum habeāt. Nam & Achab, quem reprobum fuisse constat, regi Syriæ cum subiicere volenti seruituti, argentum & aurum, seruos & ancillas, & omnimodam supellectilem, vxo-

D

rem, filios & filias, & tandem se ipsum incunctanter exposuit & pro lege diuina duntaxat non est veritus inire certamen. Cum enim ille vellet scrutari domum vt diriperet legem, contradixit ei Achab victoriamque promeruit. Quia etsi alias reprobus vel in hac parte Dominum honorauit, pro qua ergo causa religiose contenditur, si non pro lege Dei seruanda: nempe hæc iniquitatem prohibet, & pastoribus Ecclesiæ præscribit, vt omnem vlciscantur inobedientiam. Sed fortasse Archisynagogus iniquitatem nouit, quam Deus non prohibet: aut quam nolit ab Ecclesiæ pastoribus increpari, & si fieri potest mandari vindictæ. Hanc sane Moyses & Doctor gentium non nouerunt: sed prætendit quia Ioannes arguebat Herodem in spiritu lenitatis illicitum esse denuncians vt fratris viuentis abuteretur vxore Quod vtique dicens non tam imperitiæ quam ignauiæ solatium quærit cum certum sit Ioannem ibi non gessisse personā pontificis, cui incumberet correctio delictorum, se præconis verbi, penes quem erat duntaxat gerendorum denunciatio, & increpatio vitiorum. Heli corripuit filios,

E

sed affectu potius & mansuetudine patris quam seueritate & auctoritate pontificis. Pro omni ergo diuinæ legis articulo contendendū & potestatibus ascendendum ex aduerso, & quicquid charitatem impugnat, quæ legis est plenitudo, totis viribus subuertendum. Sed profecto in figuram sacerdotij Deus tribum Leuiticam à publicis functionibus, sicut in Numeris legitur, immunem esse decreuit, & summi tantum Pontificis dispositionibus subiacere. Abiathar quoque, qui Spiritui sancti restiterat in dispositione Dauid, amotus est sacerdotio, ea ratione sententiam mortis euasit, quia arcam portauerat, & præcedentis officij priuilegio tutus diem expectauit fatalem. Quod clerus in priuilegia tribus Leuiticæ non succedit, & Apostolus vanus est, & fallaces omnes Interpp. Scripturarum. Ex quo liquidum esse debet omnibus iustissimam esse causam eorum qui pro libertate Ecclesiæ dimicant, & pretiosiorem habent legem Dei quam fortunas, imo quam animas suas. Sed fortasse dicet aliquis, quid hoc ad causam vestri Cantuariensis, qui in causa Ecclesiæ cessit apud Clarendonem

F

in pecuniaria conuentus, in iure sibi conscius iniquitatis, & de præstigiis suis diffisus subterfugio imprudenti & impudenti suam quodam modo, immo plane professus est iniustitiam, & partem iustificauit aduersam. Esto sane quod ecisserit. Propitietur Deus Episcopis qui eum ad hoc induxerunt, & circumuentoribus qui eum eduxerunt, cum tamen iustus esset metus, & præsens, & qui in constantissimum hominem caderet. Mittitur vobis Epistola eius, vbi pro se satisfacit ex parte; sed quia deliquit, pœnituit, confessus est, à Domino Papa absolui meruit causa cognita, & vt Ecclesiam Anglorum ab illicitis & extortis obligationibus absolueret impetrauit. Qui ergo imitati sunt (vt aiunt) delinquentem, quare pœnitentem, confitentem & satis facientem non imitantur? nunquid malunt in sordibus immorari quam surgere, mundari & reparari in pristinum gradum? Sed causam veritus est (vt obiicitur) pecunia-

G

riam, hoc falsum est, sed iudicent iniquitatem qui eum iniqua sententia condemnauerant parati iudicare quicquid tyranno libuisset. In eoque verecundiæ seculi nostri pepercit Deus, quod tyrannus plura iubere erubuit, quam illi adimplere. Omnes erant Balaamitæ excogitantes qua arte maledicerent & condemnarent causam cui benedixit Dominus. Suadebant mala fieri vt proueniant bona, & ad mitigandam persecutoris insaniam perniciosas possessionum & diuini iuris dispensationes admitti. Quod certum erat reuocabatur in dubium, vt Comicum illud fere in omnium volueretur animis, quod scio, nescio. Quis enim nesciebat quod Rex Cancellarium suum ab omni administratione & obligatione liberum reddidit ad regimen Cantuariensis Ecclesiæ? Cui ignotum est quanta instantia illi à sede Apostolica pallium impetrauit? quid pro ea promisit vt consuetudines admitterentur (quas dicunt) auitas, & reuera prauitates sunt, plurimis notum est. Archiepisco-

H

pus tamen ad malitiam calumniatoris ex iudicum iniquitate aut simplicitate, aut dispensatione, cum tamen ad hoc vocatus non venisset, vrgebatur ad litigandum, ad satisdandum, cum tamen possessor esset amplissimæ rei immobilis, vt vix ex causa grauissimæ infirmitatis ad deliberandum vnius diecułæ posset inducias impetrare. Antea tamen eum iniquo iudicio condemnauerunt, & quod sedes Apostolica causa cognita retractauit. Cuius retractationis apud nos priuilegium extat. Nonne ergo iudices potuit & debuit habere suspectos? sed fortasse dicetur quia ipsos oportebat non de conscientia sua, sed de partium allegationibus ferre sententiam: Quia & Dominus Iudam quem proditorem nouerat, non condemnauit: Et mulieri in adulterio deprehensæ pepercit, cum nullus procederet accusator. Inde etiam ad informationem vestram dictum est. Ego sicut audio iudico: Sed profecto audire ibi pro intelligere ponitur, vt pro rationabili motu animi sui decernat iudex interdum assertionibus, interdum præsumptionibus victus: vt numquam ex conscientia iustus & innocens

A condemnetur, & si multitudo stare videatur in parte aduersa. Nam scriptum est, *Insontem & iustum non occides, quia aduersor impium.* Et alibi: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententia vt à via declines.* Si verò contra conscientiam, præsertim in præiudicium innocentis sententiam tulerit, grauissime peccat: Quia sicut dicit Apostolus, *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Salomon in causa meretricum coniecturali argumento vtens condemnauit calumniatricem. Et Daniel in liberatione Susannæ præsumptionibus reuelauit malitiam sacerdotum. Quod si iudices in causa Dn. Cantuariensis vigorem debitum habuissent, si lege præscriptam exercuissent diligentiam, si potestati supra modum & fas non detulissent, posset fortasse probabiliter argui qui illorum iudicium declinauit. Sed vbi furor omnia vindicauit, qui locus potuit esse rationi vel iuri? ante præsidem ductus est Christus Dominus, *Conuenerunt principes Scribæ & Pharisæi aduersus eum.* Et profectò præses iste illo sub quo condemnatus B est Christus truculentior. Nam Pilatus id agebat exquisitis occasionibus, vt Christus euaderet accusatus: hic autem operam dabat & diligentiam, vt innocens accusaretur & damnaretur Christus. Ille ne sub iudice puniretur, Christum transmisit ad Herodem, vbi vel contemptus euasit Christus, remissusque est indutus veste alba: hic modis omnibus agebatur, ne quocunque modo Christus euaderet. Dicat vir amator veritatis quicumque audet coram Deo, cui de hoc testimonio in districto examine redditurus est rationem, dicat certe si audet quod Archiepiscopus ibi malitiose quod ad calumniatorem & complices suos, & fraudulenter aut debiliter quod ad iudices tractatus non est, & contemptibiliter, quod ad Ecclesiæ dignitatem, & ignominiose: & ipse competenti securitate recepta ad iudicium reuertetur. Dicat ergo probus vir & discretus hoc, & vt consilio eius adquiescatur facile obtinebit. Nec est credibile quod & Archisynagogus vester aliter sentiat, licet contrarium prædicare non erubescat: sed ipse & omnes C sui sic dentium soliditate gaudeant, sicut eis respondet conscientia, quod iuste & ad honorem Dei Ecclesiæ ibi tractatus est Archiepiscopus, & omnes qui Archiepiscopo consentiunt simul versentur in calculo.

Quia ergo Archiepiscopus semel iniquam frariam reportauerat, & videbat ex malitia persecutoris & debilitate iudicis imminere nequiorem, declinauit iudicium, causam transferens ad audientiam eius qui fidelium omnium iudex est à Domino constitutus, & locum adiit cui specialiter mandata est omnium sacerdotalium decisio causarum. Nec hoc de iure Imperatorum aut canonum, sed ipsius Dei autoritate dicentis per Moysem: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, ascende ad locum quem elegerit Dominus ad sacerdotes Leuitici generis, & iudicem qui præfuerit tempore illo, & facies quæcunque dixerit tibi, sequerisque sententiam sacerdotum: Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio & decreto iudicis qui eo tempore ministrat, Domino* D *morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* Ecce quod à iudicio sacerdotum nec causam excipit, nec personam, licet alias per se ipsos, alias per ministros vicarios Ecclesiæ decidant sacerdotes. Nonne in persona sacerdotum, sicut Ecclesiæ Doctores fideliter tradunt, Ieremiæ dictum est, *Ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas & disperdas: & ædifices & plantes.* Quid ergo peccauit Dominus Cantuariensis si appellauit, si prospexit sibi, si pepercit Episcopis quos oportebat iterato ad damnationem & ignominiam sui perperam iudicare, aut regiæ indignationis intolerabile subire dispendium?

Qualiter autem pars aduersa, quæ & ipsa appellationem instituit, causam prosecuta sit, & cum Ecclesia, & cum aduersario nouit Deus & iudicet, & vobis ignotum esse non potest. Seipsum poterit quis irridere & texere dolos in animam suam: sed profectò Deus non irridetur. Biennium iam elapsum est, Episcopus videlicet quod appellantibus suffragatur, eoque euoluto pro parte Dn. Cantuariensis est lata sententia: Et si adhuc ex E dispensatione quarundam rerum executio differatur. Omnibus autem iam persuasum est Deum timentibus quod Archiepiscopus & sui iniuste proscripti sunt. Quo enim iure confiscati sunt reditus Clericorum? Et qua Episcoporum patientia Ecclesiæ & bona altaris Christi persecutoribus Ecclesiæ ad libitum exponuntur? Quæ iustitia proscripsit innocentes sine delectu professionis & ordinis, ætatis & sexus? Quis vnquam tanta immanitate distraxit copiam nuptiarum? Et tamen ei qui facit hoc, ab Episcopis innocentiæ & iustitiæ testimonium redditur, vt in suam confusionem & perniciem dicere & scribere non erubescant, quia rex dulce putat obsequium cum monetur vt corrigat, si quid deliquit in Deum. G. aut ex eorum sententia non deliquit, aut ei infideliter gratum & debitum obsequium subtrahunt, aut palam mentiuntur in capita sua: quia os quod mentitur, occidit animam. Non est qui ei audeat denunciare F quod expedit audienti pariter & dicenti. Non est qui dicat cum Moyse: *Dimitte populum Domini cum omnibus quæ ipsius sunt, vt ei sacrificet in deserto.* Non est qui trium dierum itineri vacationem impertet clero degenti sub Moyse & Aaron, & in cultu legis & ritu diuini sacrificij occupato. Et quid credibile est, quod si hi præsentes essent Moyses & Aaron ad ostium eius, cuius innocentia prædicatur, aut eis omnino non pateret accessus, aut negaretur auditus, aut quod ibi non inuenerunt, suppliciis, aut certe contumeliis afficerentur. Neque enim desunt Iamnes & Mambre qui Spiritui S. resistant. Achitofel multos in deliberationibus reliquit hæredes, qui infatuant animas Principum, & contra Deum protulerunt & præferunt consilium toxicatum. Quid enim nunc aliud in Cantuariensi Archiepiscopo persequuntur, nisi quia in conspectu Regum ausus est Dei iustitiam protestari, tueri legem, Ecclesiæ libertatem? Certè dum magnificus erat nugator in Curia, dum legis contemptor videbatur & cleri, dum scurriles cum potentioribus sectabatur ineptias, magnus habebatur, G clarus erat, & acceptus omnibus, & solus dignissimus summo Pontificio, ab vniuersis conclamabatur & singulis: sed ex quo in Pontificem sublimatus suæ memor conditionis & professionis exprimere voluit sacerdotem, & verbo Dei maluit vti magistro quam populo, factus est eis inimicus vera dicens, & vitam corrigens, vt & hi impleant mensuram patrum suorum, qui ex causa simili Prophetas & Apostolos persecuti sunt: Et quidam eorum adhuc Martyres Christi, id est, testes veritatis & iustitiæ persequuntur. Quid in Elia persecuti sunt Achab & Iezabel? Nempe religionis oraculum, testimonium fidei, iustitiæ professionem, exterminium Idololatriæ, medelam vitiorum, criminum abolitionem. Paulus & Petrus gladium Neronis euasissent, imo nec incurrissent inimicitias, nisi voluptatibus hominum & erroribus contraria prædicassent. Nemo enim in aliquo persecutus est quod erat aut dicebatur Helias: Nemo puniuit aliquem quia Petrus esset aut Paulus: & Ioannes tutus esset in conspectu Herodis, nisi di- H ceret, *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Nullus enim in tantam euasit tyrannidem, vt naturam persequeretur. Sed frequens est, & multis vulgatur exemplis, quia veritas odium parit. Qui ergo persequuntur in hac causa Cantuariens. Archiepiscopum, non hoc persequuntur, quod Thomas est, quod natione Londoniens. Clericus professione, gradu sacerdos, Episcopus dignitate: sed quod annunciat populo Dei scelera eorum, & vt legem Dei audiant & obediant principes Sodomorum & populus Gomorrhæ. Quid est ergo quod persequuntur? profectò Apostolorum spiritus & prophetarum, spiritus iustitiæ & veritatis, spiritus Patris & Filij indubitanter Spiritus sancti. Nam id abominantur, abhorrent & puniuntur, quod per Prophetas & Apostolos docuit Spiritus sanctus. Et si ipse Paulus aut Ioannes quod scripsit præsentialiter doceret in carne, aut torqueretur suppliciis, aut diceretur ei ad minus, *recede à nobis*

scientiam viarum tuarum nolumus, quia nobis contrarius est. Semel locutus est Deus, & id ipsum secundo non repetit: nec ad eruditionem viuorum suscitat mortuos: Cum in Ecclesia præsentes sint Moyses & prophetæ, vt audiantur & doceant populum: & vt pars quæ verbo Domini condemnatur ex sententia Moysi & prophetarum, alteri victoriam cedat applicetur ephot, vbi manifestatio est veritatis & iudicij, & respondeatur vnicuique secundum opera sua. Formam hanc non declinat Cantuariens. Archiepiscopus neque sui: imo optant & orant, vt de vultu verbi Dei, id est, legis diuinæ iudicium illorum prodeat, & oculi Domini declarent æquitatem. Si quid enim exigit quod legi Dei repugnet, si de verbo Dei nituntur consuetudines quæ petuntur aduersus Ecclesiam libenter cedet: & de contradictione & vexatione partis aduersæ satisfaciet libens. Quod si causa eius innititur verbo Dei, si ei Assistunt Apostoli & Prophetæ, nemo eum aut suos per gratiam Dei auellet à fide ista. Hæc est enim in Christiano iustissima causa exilij pro qua non modo substantiam ponere debet, sed & animam suam. Iam enim sola iniquitas consuetudinum, & æquitas diuinæ legis ab aduerso confligunt, & de causa pecuniaria quæ tunc quidem simulabatur, & in veritate nulla erat, nec mentio est. Aduersus hoc multa fingit, machinatur, & in pelle vulpeculæ laborat improbitas, sed mentitur iniquitas sibi, non attendens aut dissimulans quam suauis est homini panis mendacij, sed postea implebitur os eius calculo. Sed profecto vnum est quod omnes mirari, imo dolere debent, illos videlicet Cantuariensibus exulibus insultare, pro quorum libertate se Cantuarienses ad omnia discrimina deuouerunt. Illi pro communi libertate versantur in torcularí, & quis astitit illis? Illi satagunt vt hæreditas Domini liberetur à seruitute, & ad ollas carnium & allia Ægyptiorum voto recurrunt, qui in libertate fuerant educendi, Vtique miserabiliores sunt omnibus gentibus. Si hic proscribuntur, affliguntur, & deputantur cum impiis: si consolationem à Domino non expectant si exulantibus conscientia non respondet ad meritum: si in persecutionibus causam non habent Christiani. Deridet eos prudentia carnis, quæ ob euentu merita pensat. Sed Deus consolatur eos in tribulatione sua, tandem responsurus & illis qui mundo lenocinantur, & ceruicalia ponunt sub capitibus vniuersæ ætatis, & puluinaria sub omni cubito manus, communicantes excommunicatis, claues Ecclesiæ ludibrio habentes, & putantes legem Dei, nihil aliud esse quam verba. Nos interim Deo in omnibus donis suis gratias agimus, & maxime quod nos dignatus est illorum numero aggregare, qui persecutionem pro iustitia patiuntur. Suscepimus de manu Domini dulcia quibus sæpe ad perniciem nostram abusi sumus. Quare & ab ipso æquanimiter non suscipiemus amara ad medicinam, in profectum salutis nostræ? siue viuimus, siue morimur Domini sumus, vt id solum peti oporteat ab amicis quatenus exilij nostri angustias subleuent orationibus suis, vt non deficiat fides nostra, sed de afflictione nostra salutem nobis & Ecclesiæ pacem & libertatem misericorditer operetur.

EPIST. CLXXXII.

M. Gualtero de Insula.

PRomeruerat quid humanitatis vestræ sedulitas, & exhibitio promptissimæ liberalitatis, & omnem vobis aut vestris obsequendi opportunitatem gratanter arriperem: & si alio modo nequeam, saltem deuotionis meæ sinceritate salutationis indicio protestarer. Nullus enim nostratum est, cui, cum omnes rerum circumstantias diligentius metiar, me secolam amplius debitorem. Vnde silentium meum merito fuerat arguendum, nisi multarum & probabilium rationum suffragio purgaretur: Quas vtique iure prætenderem accusanti & nimium non constaret inter vos & nos chaos magnum esse firmatum: ita vt nobis impossibile, vobis autem difficile sit ad amicos transire vel mittere. Inimicus homo hoc fecit, & in Idumæa zizaniorum sementem nō cessat spargere & iugi laborat instantia vt angelos præsides Ecclesiarum euellat à laude Dei. Quasi vulpes in deserto prophetæ eius qui sequuntur spiritum suum & nihil vident. Hi sunt qui clarissi. Dominum suum magnum principem subuertere conati sunt, mansuetudinem eius succendentes felle malitiæ, & rationis aciem extinguentes consiliis toxicatis. Eripiat eum Deus de manibus eorum, & subjiciat sibi vt principatus eius & Deo placitus sit, & quietus, & iocundus gerenti, & Ecclesiis quarum patronus est, & populis lætus esse valeat & fructuosus. Scio vtique quia si redierit ad cor, placabit Dominum suum sponsum Ecclesiæ satisfactione condigna, & à cruore innocentium potestatis suæ gladium reuocabit, vt ei propitietur Deus, & non exquirat sanguinem eorum ab ipso & domo eius. Si exules & proscriptos Dei contemnit, quia pauperes sunt, meminerit quia talium patronus est Christus. Ad vlciscendum pauperis. Nabuthæ sanguinem deleuit Deus domum Achab & Iezabel. Saul quia consulente & procurante Doeg Idumæo custode mulorum gladio regni, qui ad sacerdotij tuitionem commissus est, sacerdotes appetiit, & Nobem vicum eorum deleuit, in se prouocauit gladium Dei, quo & ipse & domus eius Allophilorum ministerio irreparabiliter deleti sunt, generi suo relinquentes titulum hæreditatis, quo ad Gabaonitarum precem, quorum gentem inter sacerdotes Doeg Regiæ indignationis minister afflixerat, patibulo legatur affixum. Et adhuc respicit Deus in orationem humilium, & non spernit preces eorum Qua spe ducti proscripti pauperes orant & Deo pro quo patiuntur auctore iugiter orabunt, vt serenissimus Dominus Rex condignos fructus pœnitentiæ faciat, & iram declinet imminentem. Interim dispensationem Domini æquanimiter toleramus, certi quod nihil nobis nocere poterit, si boni & diuinæ legis æmulatores fuerimus. Non enim vt criminosi patiuntur, quod publice notum est, nisi his qui laborant vt non sapiant quæ Dei sunt, sed affligimur vt Christiani. In quo & te, dilectissime, nos gaudemus habere consortem: non quidem tuo (quod nefas esset) insultantes rejectui, sed congratulantes virtuti. Nam & tu fidei tuæ fecisti fidem & temporalium iacturam contempsisti, dum seruareris honestatem, & satisfaceres charitati. Quid, dilecte mi, obstupescis? quid mussitas? quid lucernam niteris obfuscare? crimen tuum mundo innotuit: omnes de te vnam sententiam ferunt. Et ne diutius protraham, Euangelicum implesti votum, pro fratre animam ponens, dum te pro iustitia maluisti condemnari, quam alium, cui virtus obedientiæ reputanda videbatur, in crimine, si verum fateretur, accusari, sed nec ille (vt vulgo dicitur) fidem & obedientiam ausus est profiteri, nec tu, quod gaudenter amplector, diffiteri dignatus es fidei & obedientiæ titulum. Cum ergo gratis virtus fidei sit in te punita, aut potius probata per homines, nunquid perfidia præuaricatorum, & calumniatorum iniquitas non condemnabitur apud Deum? Deus mihi testis est quam doleo Christi Regis sigillum esse subtractum. Sed eodem iudice fateor, quia malo te in hac conditione versari, quam illud perfidia aut etiam quacumque nota turpitudinis redemisse. Sit ergo nunc amice mi, qui meus a multis diebus fuisti, consolatio tua, quæ mea & mihi coexulantium est, innocentis conscientiæ testimonium, qua in vita nihil potest esse iucundius? Siquidem illa iudice nemo nocens absoluitur, quæ & vermem immortalem & ignem inextinguibilem parit: aut vt verius dixerim, perenniter fouet. Non enim conscientiæ, sed culpæ est partus iste, quem semper à te Deus faciat alienum. Si de me quæris, sano & incolumi, suffragatur negotiatio litterarum expectanti misericordiam Domini in affluentia illorum quæ natura deposcit, aut conniuentium mores. Coexulat mihi frater meus mecum ad omne tuum in Domino promptus obsequium. Cum autem ad præsens aliud nequeamus

A quęamus, salutationis & deuotionis munus offerimus,
pro te dicentis salutem quibus noueris expedire, & nominatim clericis aulæ qui nec ex nomine excommunicati sunt, nec excommunicatorum participatione.

EPIST. CLXXXVIII.

Nicolao de monte Rothomagensi.

NOtam ingratitudinis iure contrahit, quem ad promerendum amorem & obsequium beneficiorum
memoria non accendit. Etenim tanto vberior debetur
gratia, quanto cumulatius & frequentius ad nec meritum nec merentem à sola diuite vena liberalitatis innatæ beneficia præcesserunt. Sed vnde, mi dilecte, &
omni iure & merito diligende, vt humanitati tuæ condigna liberalitatis compensatione respondeamus? Exulo, proscriptus sum, expositus paupertati, coexulantium mihi magis quam propriis incommodis vrgeor,
B & eorum quæ in pressuris Ecclesia Dei patitur, à me
nihil reputo alienum. Sed in his omnibus Deum mihi
propitium sentio, cuius muneris est vt exilium pro iustitia subeam libens: rapinam bonorum meorum pro
fide, si necessarium est, gaudenter excipiam, nec angustias timeam, aut erubescam ignominiam paupertatis,
discipulus & professor pauperis Christi. Certus ab
ipsius veritatis oraculo, quod tristitia nostra vertetur
in gaudium. Fidelis enim est, nec patietur pusillos &
pupillos suos tentari supra id quod possunt: sed ad
gloriam suam faciet vt humilium tentatio eis transeat
in profectum. Ceterum vnde mihi interim (amicorum
dulcissime) vt tuæ respondeam liberalitati? Eam namque dissimulare non possum, quam toties expertus
loquor, cuius beneficia toties mei senserunt, quoties
opportunitas data est, vt tuæ caritatis solatio fruerentur. Quod itaque possum ad præsens gratias deuotione maximas ago, indubitanter expectans, vt miserationi vestræ respondeat in misericordia vberi, cui in vo-
C bis beneficiorum pecuniam dedistis ad vsuram. Hoc
enim solum est honesti fænoris genus, & quod vsurarum & totius auaritiæ, condemnatrix pagina veritatis
non modo absoluit, sed centupli mercede remunerat.
Nam & hoc Salomon in prouerbiis testatur dicens:
fœneratur Domino qui pauperis miseretur, & vicissitudinem suam reddet ei: temporaliter quidem quatenus
expedierit: plenissima autem retributione in vita æterna. Quod si diuina dignatio eatenus meis desideriis
satisfaceret, vt benefactoribus meis sua authoritate &
meo desiderio vicem duceret rependendam, votorum
temporalium summam mihi fere omnino videretur assecutus. Sed quid de pace vestra sentiam non plane video, aliis asserentibus eam desperatius elongari, eo
quod Dominus Rex prosperatur in viis suis: aliis econtra dicentibus quod ei pax non displicet, si honesta reconciliationis occurreret forma. Et hoc vtique crediderim citius, eo quod vir prudens hanc ipsam successuum facilitatem & copiam debet habere suspectam,
D & viarum suarum conscius tutus esse non poterit, si
iniuriando Ecclesiæ & pauperibus Christi Deum sibi
reddiderit inimicum, sed Deo propitiante non faciet,
quod principatus sui gloriam debeat obfuscare, nec
contra Deum præsumet de facilitate aut potius fallacia successuum, qui meminit quam fallax est equus
ad salutem. Asael velocitate ceruos (vt refert historia)
anteibat, & pernicitate currendi capreis præualebat:
sed quia agilitati nimis indulsit hostem persequens fugientem, eum coegit vt instanti fatalem inferret plagam qui fatum disposuerat declinare per fugam. Fugit
interdum Christus à facie persequentis, sed væ impœnitenti in quo prouocatus toruo respicit oculo. Saluta
socios curiales qui excommunicati non sunt.

E

EPIST. CLXXXIX.

M. Gualtero de Insula.

DIuturnitas silentij mei iure videtur esse desidis amici aut negligentiæ argumentum, nisi causis probabilibus quas Deus enacuet huiusmodi suspicio purgaretur. Eas ad præsens allegare non expedit, quia
sicut mihi graues, ita & tibi conspicuæ sunt, & notæ
mundo. Vtinam soluatur chaos quod inter nos firmatum est, & pax inter regnum & sacerdotium reformetur: vt si intermeandi facultas patuerit, eius quæ in
Domino est, nobis possimus ad inuicem exhibere officia caritatis. Non enim excidit à memoria mea quam
tibi exigentibus meritis obnoxius sum vt magistro &
Domino. Et tu licet adhuc mea in te non existant merita, me vt Christianum debes diligere & amicum. Temere tamen non dixerim ei rationem deesse merito- F
rum: cui ad amandum intensa famulatur affectio, &
voluntas ad obsequium prompta nihil auidius concupiscit, quam vt ei opportunitas adeo præparetur, qua
amici sui satisfaciat votis aut vsibus. Nam & Deus deuotam acceptat pro adimpleto opere voluntatem, &
pro qualitate & quantitate affectionis quemque remuneret. Expecto autem & spero à Domino, quia & deuotioni meæ facultas dabitur, & procella nostra in
auram auctore Deo in breui facilius & felicius transitura est quam credatur. Hæc tamen potius accipiantur dicta ex certitudine fidei quam scientiæ: Eo quod
Deum fidelem nouimus in promissis, qui tunc demum gloriosius pro se patientibus suum ministrat auxilium, quando prorsus cessat humanum. Interim
probat nos Dominus an diligamus eum, & si moram fecerit, æquanimiter tolerandus est, quia quicquid
nobis videatur, proculdubio veniet & non tardabit.
Vnde secure dico quia in breui subueniet, cum pro certo nouerim in humanis rebus nihil nisi momentaneum G
esse, & quod gloria mundi vt fumus euanescit, & iniquorum huis est ignis & vermis. Etenim reliquiæ impiorum interibunt: & est salus iustorum indubitanter
expectanda à Domino. Licet enim impius extollatur
super cedros Libani, si modicum pertransieris patenter intelliges, quia etiam quando florere videbatur, iam
non erat, & non erat vlterius locus eius. Ridet hic prudentia carnis, sed profecto Deus non irridetur, qui interim iuxta Salomonem irrisoribus flagella parat, &
duros malleos dorsis & ceruicibus contemptorum. Cæterum quod ad humanam opinionem, tibi facilius paret, in qua conditione versemur, & quid ex decreto aulicorum nos timere oporteat aut sperare. Sperabimus
autem: Nam ad omnem humilitatem prompti sumus,
qua conscientia seruatur indemnis, dum legi diuinæ
non derogemus nec honestati, qua amissa satius est mori quam viuere. Nullam pacis respuimus conditionem:
certum habentes quia melius est incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei, vel turpitudinis H
incurrere maculam. Nec tamen præsumimus vitare obseruantiam Euangelij, memores infirmitatis nostræ: vt
liquidum sit quam temerarium est iurare in consuetudines reprobatas. Hoc autem supra modum miror, quod
Cantuariensis Archidiaconus aut per se aut per alium
non laborat de pace: Cum ei constet Deo & mammonæ seruiri non posse. Vale. Salutat te frater meus R. &
domum tuam mecum. Salutem dic clericis capellæ, quia
nec ex nomine excommunicati sunt, nec aliorum participatione. Memento nostri in orationibus tuis memoris tui.

EPIST. CXC.

M. Radulpho de Bellomonte.

VEræ titulus pietatis nullo melius clarescit indicio
quã cum illis misericorditer subuenit, qui humano

A ſolatio deſtituti ſunt, & quos ingratus Deo gratis
perſequitur mundus. Hoc itaque te aſſecutum eſſe gra-
tulor, gaudens, quod præter opinionem multorum &
ferè omnium non dico ſecularis adminiculo Philoſo-
phiæ, ſed igniculo Spiritus ſancti, tuum ad veram ſa-
pientiam animum accendentis pariter & illuſtrantis
exerces opera pietatis. Et, ſicut ex relatione latoris præ-
ſentium didici, inter caritatis impugnatores (quod ve-
rum decet Chriſtianum) fraternitatis quæ in Domino
eſt, auſus es reminiſci. Sed vnde hoc tibi mi Radulphe,
præſertim cum, qui columnæ videbantur eſſe Eccleſiæ,
trepident: Et gigantes qui orbem portare debuerant,
facilius inundatione aquarum ſubmergi acquieſcant,
quam gemere? Mandauit Dominus nubibus ſuis, ne in
partibus illis pluant imbrem: Et tu in eiſdem non es
veritus ad ſtillicidium diuinæ gratiæ, germinare fructus
miſericordiæ & opera Saluatoris. Credideram profectò
te Philoſophantis habere verba, non animum: ſed nunc
recolo te aliquatenus eſſe magni diſcipulum Ariſtip-
pi, qui omni conditione temporis æquanimiter vteba-
B tur, & in ipſis Philoſophabatur nugis, iocundus om-
nibus, nulli grauis: Qui aliquando interrogatus quid
ei Philoſophia contulerit, dicitur reſpondiſſe. Vt cum
omnibus hominibus intrepide fabularer. Ego de cetero
in te ſecurius arbitror confidendum, quia non diffidis
de regno Chriſti. Qua ſpe rogo, vt, ſicut cœpiſti, latori
præſentium, contemplatione Dei & obſequij eius, in
opportunitatibus ſuis adeſſe memineris. Certus quod ſi
dum tantum placerent literæ nobiſcum, quantum aues
& curiales nugæ tecum, ei omnia neceſſaria libentiſſime
miniſtrarem. Vale.

Epist. CXCI.

Magiſtro Girardo.

Licet mihi dilectio veſtra non ſcripſerit, ego tamen
oportunitate inuenta, ſicut ferunt eſt animi, præſer-
C tim ad amicos, & in aſſertione iuſtitiæ adhibere non
poſſum: ſic à ſcribendo non potui calamum continere.
Et fortaſſe plura ſcriberem noſtrum Eccleſiæ Anglo-
rum contingentia ſtatum, niſi quia opinor communem
partem noſtrum Dominum Cantuarienſem vobis ſuper
his plenius reſcripſiſſe. Progrediens ego ad reliqua Deo
imprimis gratias ago qui mihi ſupra & contra merita
mea dedit in omni tribulatione ſolatium & omnes ad-
uerſariorum tendiculas in gloriam ſuam conuertit, &
paruitatis meæ profectum. Quanti enim facere debeo
exercitium literarum & negotiationes virtutis & expe
rientiam propoſiti rectè Philoſophantium, id eſt, pa-
tientium innocenter & pro aſſertione fidei & iuſtitiæ
defenſione? Sed & ſorti veſtræ congratulor, audito
quod inter hoſtes Eccleſiæ authore Domino gratiam
inueniſtis, vt & temporalibus abundetis ad materiam
gerendarum, & quadam litterarum & virtutum præ-
D eminearis auctoritate, vt apud barbaros quod diſcretio
veſtra dictauerit, reputent ſacroſanctum. Verum quod
plurimi facio, illud eſt, quod odiſtis Eccleſiam mali-
gnantium, & vt audio contra ſchiſmaticos in virtute
Spiritus S. publicè pro fide in omni libertate conſcien-
tiæ loquimini, & ſcribitis veritatem. Nam profectò *vbi
ſpiritus Dei eſt, ibi libertas*. Nec eſt quod magis Philoſo-
phum deceat quam profeſſio veritatis, iuſtitiæ cultus,
contemptus mundi, & paupertatis cum neceſſe eſt amor.
Legimus Philoſophos gratis tanquam virtutis impedi-
menta contempſiſſe & abieciſſe diuitias. Sed quod & in
gentilibus aliquis eorum operibus præpoſuerit verita-
tem, hactenus inauditum eſt, in eo namque totius Ethi-
cæ gentilis præcepta vigent, vt carnalium paſſiones af-
fectionum, quas nequeunt penitus extinguere, reprimant
& ſubiiciant rationi. Quod ſi cui diuinitus datum fuit,
quia ad hoc natura impotens eſt, non ambigitur eum
rectè philoſophantis via ad vitam incedere, vt æterna-
liter videat dies bonos: & quatenus in eo quiſque profe-
cerit, eatenus ad verã Philoſophiam accedit. Vnde, quia
vos confido rectè philoſophantis habere propoſitum E
rogo, moneo & modis omnibus conſulo, vt errantes ſtu-
deatis à ſchiſmate reuocare, vt Deum præferant homini,
nec ſe metu imperatoris aut ſchiſmatici Colonienſis
circumuentione patiantur à Chriſti corpore ſeparari.
Nam fortaſſe pro ſalute multorum vos Dominus ad hos
barbaros deſtinauit. Nec credo rem iſtam adeundam
iurgiis, ſed fœlici moderatione complendam, præſertim
à ſapiente, qui meminit, quia modeſtia ſapientiæ à fine
ſuauiter vſque ad finem vniuerſa diſponit. Alioquin per-
tinacibus communicandum eſſe non arbitror vel in mi-
nimo, cum meminerim illum, cuius figuram geritis, Zo-
robabel qui vertitur in principes vel Magiſtrum Baby-
lonis non adquieuiſſe hoſtibus Iudæ & Beniamin, vt
etiam ad reædificandam domum Domini cum filiis ca-
ptiuitatis aliquid omnino conſerrent. De his hacte-
nus. De cætero iam porrectas itero preces, quate-
nus de reliquiis regum & virginum mihi veſtro ali-
quid tranſmittatis cum veſtrarum teſtimonio littera-
rum. Valete. F

Epist. CXCII.

Domino Pictauienſi.

Liberalitatis veſtræ ſedulitas id non tam crebris
quam continuis perennibus beneficiis promeretur,
vt non ad frequentes, ſed perennes vobis gratiarum te-
neat actiones. Teneor quidem teneborque perpetuo. Et
quo plus ſinceræ affectionis, quod ſolum poſſum ad
præſens rependere, eo amplius & arctius me non dubito
obligari. Nã in caritatis contractũ indubitanter venit, &
ſpecialiter obtinet, vt habita reddatur ſemper & vt niſi
reddita nullatenus habeatur. Sed quantum eſt hoc quod
me totum, id eſt hominem Paruum nomine, facultate
minorẽ, minimum merito vobis deberi profiteor. Nam
totum iſtud pro merito parum eſt. Sed dum mecum in G
ratione dati beneficij, humanitatis exhibitæ, profuſæ li
beralitatis contraxiſtis affectione religioſa, obligaſtis
vobis & illum totum, qui menſuram bonam & coa-
gitatam & ſupereffluentem mercede centupla refundet
in ſinum veſtrum. Totum inquam, & fiducialiter di-
xerim totum, qui nulli cedit in partem: Licet & ſin
gulis electis gratiarum vſus conferat ſpeciales, ſui ta-
men munere integro non deciſo, nec diſtracto particu-
latim: quia cuius totus adeſt, aut totus elabitur, hic
certe ſe pro me totum debet, & proculdubio totum
reddet, quoniam fidelis eſt in promiſſo, & munificen
tiſſimus in retribuendo. Secuti eſtis & ſequimini fidem
eius, vt ſe de mandato & promiſſo teneri meminerit,
præſertim cum operatoribus miſericordiæ publicum
Euangelij munimentum, quod confirmare dignatus eſt
charactere crucis ſuæ, & inſignire ſanguine proprio
Hæc ergo erit miſerationis veſtræ retributio copioſa;
hæc humanitatis exhibitæ diuina merces & impendij
temporalis æternum compendium. Et quidem vt iu- H
ſtum eſt, magni facio terrenæ facultatis ſubſidia, ſed
pluris ſũt ſolatia recti conſilij quæ à vobis indeſinenter
recipio, & adminicula veræ vitæ, monita & inſtrumen-
ta dixerim ſapientiæ. Cauſa ergo frequenter ſcribendi
vobis, duplex mihi eſt: primo vt ſtatum veſtrum quem
periclitari timeo explorans ſatisfaciam ſollicitudini:
Deinde vt veſtra prudentia inſtruar, qualiter me ad va-
rios fortunæ motus oporteat præmuniri. Primum pla-
ceat veſtræ dignationi reſcribere quatenus cum Domi-
no rege proceſſeritis in verbo pacis. Quid actum ſit in
curia Pictauienſi vbi credibile eſt vulpes foueas inue-
niſſe & volucres cœli nidos, & paruulo cuius natalis
celebrabatur, pene reclinatorium defuiſſe. Contici-
tur enim Radulphi de Fata ſpiritum ibi præpotuiſſe, vt
& Prophetæ & præcones palatij inebriati ſint dolis &
temeritate illius. Vtique vetus prouerbium & quod
Veſpaſianus Auguſtus in ſe dictum patienter audiuit,
Vulpem poſſe mutare pilum, non animum. Tradunt &
qui de animalium ſcripſere naturis, quia hoc genus

A Necesse autem est vt patiatur repulsam, qui in petitionibus modestiam nescit.

Epist. CXCIV.

Magistro Girardo.

ETsi nuper vobis scripserim quæ videbantur scribenda pro tempore; tamen instar amicitiæ torpentis arbitror inter necessarios cessare verbi commercium, præsertim oblata ex quacumque occasione opportunitate colloquij. Celebre siquidem prouerbium est, verba amantibus, & seruilibus ingeniis querelas non deesse. Quantum vero silentium in professionibus religiosis ad cultum iustitiæ proficere commendatur, tantum profecto conuincitur amoris perdere & generare defectum. Impulit ergo me stimulus charitatis, portitoris opportunitate diuinitus collata, per litteras sciscitari an circa statum vestrum, aut alterutram fortunæ partem de nouo B sit aliquid immutatum, & an aliquid pro ea certum acceperitis de expeditione Imperatoris, & vestro Coloniensi, quos Deus conuertat si prædestinati sunt, & per condignos fructus pœnitentiæ in vnitate Ecclesiæ constitutis donet veniam, & purgatos introducat & perducat ad vitam: Alioquin virgam furoris sui cædentem populos in indignatione, corripientem Ecclesiam castigatione crudeli confringat Altissimus misericors, & miserator Dominus. De statu meo noua scribere nequeo; quia circa me nihil est innouatum. Sed qui vester fui recedens, vbicumque sim, & vbicumque locorum vos degatis, auctore Domino vester ero. Nec dubito quin & opportunitatibus meis si res exegerit, officiosa esse disponat vestra sedulitas. Poterimus autem magis ad inuicem officiosi esse, si ipsi Philosophiæ (cuius professioni diutius operam dedimus) curauerimus diligentius inseruire, vt simus (scilicet) potius mandatorum executores, quam inanium ventilatores verborum. Res enim quærit, curat, & assequitur ve- C ritas Philosophiæ, non verba. Et mihi quidem nunquam placuisse scientiam, quæ in solis versatur sermonibus, vobis pridem notum est. Nec auditores verbi, nec præcones apud Dominum iusti sunt, sed factores: eisque veræ Philosophiæ certissimum argumentum, cum quis virtutis obice retundit stimulos carnis, & totius fortunæ elidit incursum. Sumus (Amice) in conflatorio Domini eo per patientiam philosophemur auctore. Nam doctrina viri per patientiam noscitur. De cætero communicate si placet nouorum aliquid, quæ in expilatis inuenitis armariis, si non aliud occurrit, quod nostratibus desit, saltem visiones & oracula beatæ illius & celeberrimæ Hildegardis apud vos sunt, quæ mihi ex eo commendata est & venerabilis, quod eam Dominus Eugenius speciali charitatis affectu familiarius amplectebatur. Explorate etiam diligentius & rescribite an ei sit de fine huius schismatis aliquid reuelatum. Prædixit enim in diebus Beati Eugenij, quod non esset, nisi in extremis diebus pacem & gratiam in D vrbe habiturus. Precor autem attentius, vt tus Beati Remigij apud vos sic protegatis, sicut protegeretis animam meam.

Epist. CXCV.

Domino Morinensi.

EO sinceritatis vestræ titulus in charitate splendidius elucescit, quo ex relatione latoris præsentium certius constat, quod inter fortuitorum euentuum turbines, & varias procellas negotiorum, quibus officij vestri instantia indesinenter concutitur & acriter, sine tamen virtutis elisione colliditur. Amicorum potestis sollicitudinem gerere, & eorum onera per fraternæ charitatis exhibitionem facitis vestra. Sic enim & Apostolus scandalizatis vritur, & fratribus confirmatur infirmis, & per compassionem fit in Christo omnibus E omnia, ad formam Ethicæ purioris, & consummationis humanum à se nihil reputat alienum. Reposita est vobis (Pater) huius corona misericordiæ, quam reddet vobis in illa die misericors & miserator Dominus, qui vos interim exules, & proscriptos seruos, sanctorum suorum ministerio, necessitatibus vestris pro ipso communicantium, consolatur in omni tribulatione vestra. Nam Christianissimus Rex Francorum patrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum in vlnis charitatis excipiens eum in Ecclesia beatæ Columbæ Senonensis regia magnificentia exhibet, & sic tractat in omnibus vt à Christo tractari decet Christum Domini. Aliter enim exprimere nequeo affectionem, quam naufrago sacerdoti exhibet Christianissimus princeps. Nos autem domestici sacerdotis proscripti quidem rebus; sed ascripti fidelibus, qui pro iustitia patientes honorificauerunt ministerium suum, dispersi sumus, vt exules in regno Francorum. Sed vbique nobis adest qui pascit volatilia cœli, & lilia vestit agrorum. Speramus autem F quod idem pater noster, & omnium Dominus procellam vestram in auram conuertet imbuum, licet maius nobis imminere naufragium hostes Ecclesiæ glorientur. Mentiuntur enim Romanam Ecclesiam nobis conuersam esse in arcum prauum, & Dominum Papam Regis Anglorum petitionibus annuisse, ex eo sumentes coniecturam, quod excommunicati nostri absoluti sunt in aduentu Io. de Oxenefordia: qui etiam quasi re bene gesta in curia Imperatoris, vbi schisma confirmatum est, acceptum de manu Domini Papæ reportauit Saresberiensis Ecclesiæ decanatum. Sed si quis ea quæ Romæ gesta sunt diligentius recolat, plane videbit quod Romanus Pontifex etiam circumuentus causam Ecclesiæ & nostram fidelissimè procurauit. Iam dictus enim Iohannes tandem præstito iuramento de more absolutus, vt itidem publicè iurauit, quod nihil in præfato schismaticorum conuentu fecerat contra fidem Ecclesiæ & honorem & vtilitatem Domini Papæ, & vtinam non deierasset: postmodum commendatitias & deprecatorias porrexit ex parte Domini Regis quibus insertum erat, G vt illi tanquam Regi ipsi in omnibus crederetur. Deinde tanta fultus auctoritate, causam quæ inter Regem & Archiepiscopum super prauis consuetudinibus vertitur, Domini Papæ commisit arbitrio, vt illæ ad nutum eius roborarentur, aut caderent, & Archiepiscopo per formam mandati eius pax omnimoda confirmaretur. Et hoc item iuramento confirmans obtinuit vt Dominus Papa concederet se ad hoc legatos esse missurum. Quorum iter (vt aiunt) suspensum est, iuratoris fraude comperta.

Epist. CXCVI.

Guillelmo Subpriori.

MIhi nuper locutus es in parabolis, dicens tuas, imo Ecclesiæ opes de nouo publicatas, & stu- H diosius deprecaris ne me eas prodente transferantur in Babyloniam. Sed si publicatæ sunt, miror quare vsque ad patrem se pro filiorum salute & libertate matris deuouentem, & iam triennio ærumnis expositum ante liberalitatis beneficia non peruenerunt. Si publicatæ sunt, debueramus & nos esse de contentium populo. Si patrem profitemini, vbi est amor eius? si Dominum recepistis, debitæ venerationis quo profectus est timor? si vos fratres asseritis & amicos peregrinantium, cur cessant humanitatis officia, & debita solaria charitatis? sed fortasse quo gratius patri præstetis obsequium, expectatis vt amplius egeat. Interim picturis inanibus imperitæ multitudinis oculos oblectantes rati impensum ire publicis vsibus, quod in spectaculis & curiosorum lenociniis oculorum ineptius erogatur. Profecto non hoc asta sibi tempus spectacula poscit. Illudque satyricum videtur in vos, scio cui & quibus loquor, probabiliter retorquendum,

Non habet infælix Numitor quid mittat amico,

A *Quintillæ quid dones habet, nec defuit illi,*
Vnde emeret multa pascendum carne leonem

Nec hoc dixerim quod verbum hoc in omnes cadat, sed in eos quos indubitanter nostis; quia potuerunt non transgredi & transgressi sunt: bona facere, nec fecerunt. Nouit inspector cordium, quia mihi tristitia est, & dolor continuus cordi meo, quod vobis dormientibus in periculo vitæ, soli alieni naufragio vestro ferunt opem. Dicitur tamen ad cumulum doloris mei, quod circa vnum in tanta necessitate patri præstitistis obsequium & diligentem adhibendo custodiam ne euaderet: quia de manu carnificum elapsus cõuolauerat ad nostrorum præsidia patronorum. Sed timorem prætenditis. At profecto Deus non irridetur, si timetis eum cui ad momentum credita est dispensatio peccata corripiendi in corporibus, quare non pertimeris eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam? Expergiscimini igitur, & memineritis Abdiæ dispensatoris Achab, qui
B centum Prophetas in specubus latitantes pauit in persecutione Iezabel. Quicquid autem in alterutra parte feceritis, proculdubio mensuram bonam & supereffluentem in sinus vestros refundet Altissimus. Neque hoc ille impediet vester collega Baroniensis, qui vtinam submergatur in thermis quibus dignus est, quas meruit vt conjiciatur in rutefolium, cuius Pectonus in pœnam delinquentium meminit, aut sepeliatur in salinario Heduorum. Vt ad parabolam tuam redeam, scias quia nomina librorum apud me sepulta sunt. Sigillum quod nouiter tuo recepi, illud mihi tuus abstulit Britonellus, quod ex condicto tuo factum suspicabor, nisi ablatum restitueris.

Epist. CXCVII.

O. de Fauerensbem.

C A Mentis est, non amantis se & sua curare dumtaxat, & quæ aliorum sunt ducere aliena: humanum teste Comico nihil charitas à se reputat alienum; sed per congratulationem recte gaudentibus adest, & per compassionem dolentibus congemiscit. Suas tamen affectiones ordinatissima ratione dispensat, vt sint omnes in Domino, & humanitatis officia in singulos legẽ naturæ, & gratias informantis magis aut minus exercet. Et cum beneficia gratiæ latioris ad omnes porrigat, maximè tamen dilatatur ad domesticos fidei, & iudicio eius in his ipsis qui curam suorum & maxime domesticorum, quos affectui natura ingerit, & fidei consortium pietati commendat, curam non agit, fidem negauit, & est infideli deterior. Te autem in hac esse sententia omnino non ambigo, vt pro nepote tuo Adam (more scholarium,) degente, & patiente, & regente in studio litterarum fiducialiter intercedam: certus quod sicut honestatem acceptas officij, & meritorum patris eius in te per ingratitudinem non obliuiscerer,
D sic necessitatibus eius oportunum & debitum non tardabis præstare subsidium. Quod si præmissis rationibus, quas vtiqua prudenter pensas, preces meæ aliquid possint ferre momenti, totus in preces assurgo, & efficaciam earum experior, tuis plena deuotione genibus prouolutus, si de me sollicitaris conditionem meam diuiniæ munus gratiæ gratanter amplector, crebra meditatione reuolueris quam suspecta fuerit omnibus rectè sapientibus continuata mundi prosperitas, & quam certum sit argumentum dilectionis, filiorum delinquentium culpas per flagella purgari.

Epist. CXCVIII.

Regnaldo Saresberiensi Archidiacono.

INhomanus est, & extremæ impietatis maculam incurrit & notam, qui paterna afflictione non læditur, præsertim vbi paternæ benignitatis in filium plura & grandia luce clarius radiant argumenta. Constat enim
E ex sententia Domini totam Cananæorum gentem perpetua seruitute damnatam; quia pater eorum Cham à quo & genus & nomen contraxerunt, inhumanus extitit in parentem. Nam ex commisso auctoris impij tota posteritas præiudicium tulit, & dum odibile seruitutis excipit iugum, deuitandæ impietatis salutare omnibus procurat exemplum. Sane & ego me deteriorẽ Cananæo quolibet arbitrer, si patri non compaterer laboranti: si flagella eius non exulceratent animam meam super dolorem vulnerum propriorum. Huius rei testis est conscientia, testis est conscientiæ scrutator & arbiter Deus, qui fortè citius quam credatur illustrabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et iam quidem stamus ante tribunal eius, vt eum in causa nostra iudicem expectemus, vt in conspectu ipsius stultum sit & temerarium mentiendo totius laboris & vitæ, si quid tamen salubriter patimur aut recte agimus, mercedem perdere. Laboraui ergo (sicut ipse
F nouit) apud Dominum Cantuariensem, vtens nunc mitigatius, nunc acerbioribus & omni sermonum genere. Sed labor meus (quod doleo) cessit in cassum. Quos autem obices ille precibus & persuasionibus nostris opponat, & retexere longum est, & fere superfluum, cum Magister Gilbertus quem vobis fidelem esse non ambigo omnia plenissimè audierit ex ore eius. Deum tamen testem inuoco in animam meam, quod vt exanimi mei sententia loquar, Archiepiscopus Episcopum sincere diligit, & saluti & indemnitati eius cupit esse prospectum: sed insistit, vt qui inobedientiæ & illiciti ausus aliis dedit formam, se ipsum salubris, & necessariæ obedientiæ cæteris præstet exemplum. Quod si sibi scripturæ auctoritate, amicorum consilio, & Domini Papæ mandato persuaderi permiserit, ipsum Archiepiscopum, quem nunc fortasse plus iusto timet clementissimum patrem inueniet, & longe proniorem ignoscere quam vlcisci. Potestis enim & expedit reminisci, quid super hoc à Sede Apostolica nuper Domino
G Constantiensi rescriptum sit: nam ad vestram aut venit, aut debuit peruenire notitiam. Scitis etiam quid solatij mihi retulit Decanus vester, aut si nescitis, vtinam omnia quæ Romæ gessit, tam in hac causa, quam in cæteris, non modo vobis, sed & toti innotuerit mundo. Et si liceret adhuc ea publicari per nos, facile innotesceret quid actum sit, & de consuetudinibus vnde litigium vertitur inter regnum & sacerdotium de pace Archiepiscopi & libertate Ecclesiæ, de integra restitutione & securitate omnium exulum: Quid etiam iurauerit, & qua cautione firmauerit pactiones. Ea interim silemus necessitate mandati dum promissionum spectatur & expectatur fides. Sed nihil opertum quod non reueletur: idque Deo auctore in breui iuxta enim est dies perditionis eorum, qui vindictæ adesse festinant tempora. Quod si meum consilium interim quæritur, ecce coram Deo, quem huius verbi in extremo examine testem inuoco, tota spiritus libertate, & in fide illi tanquam patri promissa & debita respondeo, quod in om-
H ni ardua dubietate censeo faciendum. Scilicet vt primo omnium quæramus, & sequamur quid super hoc lex diuina præscripsit, quæ si nihil certum exprimit, recurratur ad canones & exempla Sanctorum, vbi si nihil certum occurrit: tandem explorentur ingenia & consilia sapientum in timore Domini, illique seu plures, seu pauciores sint, cæteris præferantur, qui honorem Dei commodis omnibus anteponunt. Nullus enim salubriter incedit, lege Dei, quæ omnibus est certissima forma viuendi, neglecta, & qui patrum vestigia detrectat imitari, ad consortium regni quo illi gaudent intrare non potest. Nam & Iosue & seniores Israël in fœdere Gabaonitarum paruerunt culpæ: quæ sicut scriptura testis est sumptis eorum cibariis os Domini non interrogauerunt. Quid autem significatur per os, nisi verbum Domini, quo semel locutus est, vt id ipsum repeti non oporteat: huius autem perspicua est & clara in lege sententia; quoniam melior est obodientia quam victimæ: quia & ariolandi crimen est, repugnare, &

quasi

A quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Hanc Christus edicto promulgauit & firmauit exemplo, factus obediens vsque ad mortem, docens quibus finibus virtus obedientiæ debeat limitari Obediendum enim est non modo vsque ad iacturam temporalium & corporis cruciatus; sed vsque ad exitum mortis, si certa in necessitate cessatur, virtus obedientiæ non assequitur palmam. Sapientiores amici melius fortasse consulent: sed ego (Deo teste) ad præsens commodius nescio. Sic enim Domini mei Iesu Christi gratia persuasus sum, & omnes amicos persuaderi desidero, quod summum credo nefas animam præferre pudori, & propter vitam viuendi perdere causas.

Epist. CXCIX.

R. Constantiensi Episcopo.

B SVper afflictione Domini mei Saresberiensis Episcopi, quod quidem iustissimum est, anxiatur Spiritus meus eo quidem grauius, quo minus laboris huius facilem exitum videt. Quanta autem sedulitate apud Dominum Cantuariensem egerim vt eum relaxaret, nouit inspector & iudex omnium. Si labori meo successus desuit ex variis causis, quas retexere superuacaneum arbitror; quia plurimas earum M. Gillebertus fidelis vester ab ipsius Archiepiscopi ore audiuit. Vt vero taceam plurima, ex eo maxime mouetur Archiepiscopus, quod Dominus Saresberiensis formam inobedientiæ cæteris dedit, & adhuc assistit Londoniensi, & aliis qui quærunt animam eius, vt auferant eam. Adijcit etiam quod ei contumaciter scripserit, & sub prætextu friuolæ appellationis, qua se tuetur, opponit obicem corripienti: Et cum simulata humilitatis reuerentia misericordiam petit. Nihil aliud ergo ab eo potest aliquis impetrare, nisi vt Episcopum ab appellatione recedentem, & culpam publice profitentem, & de cæ-

C tero obedientem paterna benignitate recipiat: & exinde quasi filium charissimum in omnibus tracket. Nam de Archiepiscopi mansuetudine, si hoc quod necessarium esse scitis. Episcopo fuerit persuasum, omnino non dubito. Nostis enim quid super hoc vobis nuper scripserit Dominus Papa, & quid remedij Decanus huic causæ retulerit ab Apostolica Sede. Cuius tamen si promissa processerint, & eorum quæ iuramento firmata sunt, fides fuerit adimpleta, Archiepiscopus & sui reconciliabuntur in breui, & pax cum honestate Ecclesiæ inter regnum & sacerdotium reformabitur. Interim quod vobis innotuisse potest ad silentium eorum quæ Romæ gesta sunt, necessitate mandati arctamur. Sed cum de fide aut perfidia constiterit pactionum, propalare licebit vniuersa. Quia ergo Dominus Saresberiensis & R. Archidiaconus me in causa ista sollicitant, rogantes vt quod inuenero eis rescribam, aut vobis, precor attentius, vt iam dicto Archidiacono litteras quas mitto, habere faciatis, & fœlicem, Deo auctore, pro-

D uideatis exitum causæ.

Epist. CC.

Magistro Vinifrido Boni.

NOn est amice quod possim de statu mei qualitate causari, quia omnia hominis machinamenta miseratio Dei mihi cooperatur in bonum. Nam temporaliter ferè vniuersa succedunt: & spes est quod hæc ipsa quæ videtur esse vexatio, sicut intellectum excitat, sic veræ salutis est paritura profectum. Illud tamen aliquatenus mouet, quod quidam amicorum, super conditione mea acerbius sollicitantur, & more hominum carnaliter & temere magis quam prudenter & vere amantium sæpe & fere semper vano concussi terrore timent grauiora pericula veris; & quod vere prosit aut noceat, attendentes parum, illic trepidant vbi non est timor. Nam iacturam conscientiæ, aut famæ nequiquam subtiliter pensant, & dum vmbra virtutis in opi-

E nione hominum constet, nugiloquos euitent detractores, parum curant quid ad sinceræ rationis examen cuique debeatur ex merito. Nam plurimi talium pluris faciunt videri quam esse bonum. Alij sublata sibi temporalium subsidia ingemiscunt, quæ per me illis ministrabantur a Domino. Sed ad petitionem vtrorumque ratio consulta respondet, quod eum qui in agone Ecclesiæ Christum sequi cœpit, nec rei familiaris dispensatio, nec patris reuocat sepultura. Fixum est mihi Deo auctore propositum quatenus ipse dederit honestatis formulam sequi, & animæ salutem in mundi commercio non distrahere ad boni cuiuscumque pretium temporalis. Ipse viam doceat, & ducat per semitam virtutis, & perducat ad illorum consortium, qui pro iustitia patiuntur. Desidero tamen, si salua honestate fieri posset, reconciliari: & in Ecclesiis quibus ascriptus sum ad honorem Dei, & amicorum solatium ministra-

F re. Vnde dilectioni vestræ supplico quatenus quid expediat & deceat, per Dominum Baiocensem & alios amicos vestros explorare & rescribere non grauemini, quatenus tutum fuerit, & vestrum mihi præbere consilium. Hoc enim de genere eorum quæ ratione humanitatis nulli negari debent; quia & suppressa non proficiunt, & tenacitatis conseruatione non crescunt, & erogatione sui non minuuntur; sed amplius quo magis fuerint publicata clarescunt.

Epist. CCI.

Episcopo Baiocensi Henrico.

AVdio, Pater, & gaudeo quod pro merito vobis vniuersa succedunt: Et qui Decanorum nomen & ordinem, dum licuit, honorastis, nunc vestrarum splendore virtutum in terra aliena vsque ad multorum inuidiam Pontificis illustratis officium. Quod quidem quanto salubrius ad conscientiam, tanto gloriosius

G est ad famam. Quanto rarior inuenitur ouium pastor, aut qui in Ecclesia Dei ministerium suum studeat honorare, in tanto fastu & numero nomine tenus illustrium sacerdotum. Iam enim, vt Deus pridem in Propheta conquestus est, sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus, & tenentes legem, iustitiam nescierunt. Vnde & iustum est vt eminentia vestra honoretur & diligatur etiam ab his qui exigentibus meritis vestris sacerdotium præsens videntur habere contemptui, & legem Dei, quæ solui non potest, euacuare nituntur. Licet enim Ægyptij pastores ouium detestentur, & Samaritani temporis nostri non curantur his qui verbum Dei publicè confitentur: Tamen & Ioseph inuenit gratiam in Ægypto, & apud Assyrios claruit Daniel, & prærogatiua meritorum etiam regnante Achab Heliam fecit insignem. Non est ergo mirum, si apud principem Christianum & Officiales eius suum virtus reperit locum, & si diligitur ab hominibus quem diuina gratia constat esse perfusum,

H sic vnguentum a capite Christo in Ecclesiæ defluxit barbam, & inde in oram vestimenti deriuatur, vt pro diuinæ dispensationis decreto, & meritorum gratia quemlibet irriget electorum. Vtinam dilectissime Domine de hac plenitudine vestra aliquid accipiamus & nos, & agonizanti Ecclesiæ prosit, quod in conspectu Domini Regis gratiam inuenistis. Quæ sit enim conditio nostra non expedit replicare, cum vobis, & de causa vestra plenius constet, & immerita pœna. Sed consilium salubre ad conscientiam, & honestum ad famam à vobis impetrare operosum est, & prece dignum. Quamuis enim mihi assint subsidia temporalium, Deo propitio, non modo ad necessitatem, sed ad gloriam: tamen quatenus salua integritate conscientiæ & honestate famæ licuerit, paratus sum iuxta consilium vestrum Domini Regis gratiam promereri; nihil enim spondeo contra Deum, aut si vnquam tentauero, eos conatus pietas eius impediat. Valete.

Epist. CCXII.

Magistro Ri. Episcopo Constant. Archid.

PRoscripsit me gratis, quod nouit Altissimus, & vos scire arbitror, violentia publicæ potestatis; sed vnde ad gratiarum non sufficio actionem, Deus sic tamen mea direxit & opera, vt rerum experimento didicerim, quia cum timentibus nihil deest; sed nec aliquem coëxulantium noui, cui non dico, tolerabilis, sed iocunda esse non debeat conditio sua. Me tamen (quod sine timore non eloquor) Dominus cæteris mitius tractat, & vberiori temporalium affluentia consolatur: fortasse indignum reputans, qui aliquid aduersitatis pro ipso debeam sustinere. Nulli enim recrum sapienti venit in dubium, quin affluentia successiuum debeat esse suspecta. Eo quod mundus hominum more fallacium illis sollis continuato fauore blanditur, quos prodit, ac si insidiantibus aduersariis potestatibus clamet, quemcumque osculatus, & amice diutius amplexatus fuero, ipse de reprobis est, torquete eum. Vnde & perpetua laudum gloria illustrium Doctorum Doctor Anselmus, vt à suis accepi, dicere consueuit, se nihil magis habere suspectum quam quod eum Deus in tota vita nulla corriperet aduersitate. Vbi enim se patrem exhibet, omnem filium corripit & castigat. Ipse autem nouit figmentum nostrum cui stamus aut cadimus, aut verum eo semper stetimus auctore, & prospera vel aduersa cuique prout electis nouit expedire, salubri moderatione dispensat. Ab ipso itaque spero vitæ huius & expecto processum accepturus, eo propitiante quod dederit. Plura autem & certiora scribam cum innotuerint. Interim super statu vestro, quem Deus optimum faciat, certiora desiderans, & orans attentius, vt vestris recurrentibus litteris mihi fidelius innotescat. Et si pacis meæ formam aliquam sine conscientiæ & famæ dispendio poteritis explorare, eam lætus excipiam; & quatenus licitum fuerit & honestum, etiam ipsis aduersariis (quibus Deus dignos pœnitentiæ fructus largiatur ad vitam) libenter obtemperando. Alioquin non est in proposito meo, vt pro peponibus Ægyptiorum & alliis, vel minimum subeam detrimentum. Diues vero Iesus, qui virtutis dedit affectum, perseuerantiam largiatur: quia sine eo nihil recte incipitur aut finitur. De cætero iam à multo tempore porrectas itero preces, quatenus libros Aristotelis quos habetis, mihi faciatis exscribi, & notulas super Marcum: meis tamen sumptibus, quæso, in hac re nulla ratione parcatis. Precor etiam iterata supplicatione, quatenus in operibus Aristotelis, vbi difficiliora fuerint, notulas faciatis, eo quod interpretem aliquatenus suspectum habeo; Qui a licet eloquens fuerit alias, vt sæpe audiui, minus tamen fuit in Grammatica institutus.

Epist. CCIII.

Magistro Siluestro Thesaurario Lexouiensi.

AVdita, dilectissime, pace tua, vt oportuit pro amico lætatus sum, sed omni emolumento mihi gratior est perseuerantia honestatis, & vsque ad nouissimum veterum amicorum famæ purioris hilaritas. Primus itaque & adhuc solus formam perseuerantiæ in agone Christiano cum Ecclesia laborantibus præbuisti, & per gratiam Dei reliquis de cætero proderit ad erectionem spei, ad tuitionem libertatis, ad virtutis profectum, quod in te præcessit fœlicitatis exemplum. Felicius tamen reputo quod ex amore possessionum & facilitate, & temeritate iurandi primam fidem irritam non fecisti; quam quod rerum compendia temporalium assecutus es pro voto amicorum & merito tuo. Pro merito sane dixerim, quamuis certo certius constet, plura & longè maiora & clariora tuis deberi meritis. Quæ proculdubio reddet, qui neminem ab initio fefellit creditorum, & mensuram coagitatam & supereffluentem refundit in promerentium sinus. Liquet ergo in te quia Deus, qui inaniter gloriantibus resistit, humilibus dat gratiam, & iuxta Apostolum, qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, seipsum semper, interdum vero seducit & alios. Quia ergo Deo propitio naufragium euasisti, adhuc in alto nauigantibus, & cum Petro naufragantibus quam potes opem ferre meministis, & agnum Christi iuuare, nunc orationum suffragio, nunc tuarum solatio litterarum. Hæc enim sunt (dixerim quod ad me) quibus maximè indigemus. Ego enim per misericordiam Dei temporalibus abundo, vt formam potius habere videar florentis in patria quàm exulis & proscripti. Dominum Cantuariensem Christianissimus Rex Francorum Senonis exhibet Regia magnificentia in Ecclesia beatæ Columbæ: Eumque in omnibus sic veneratur & colit, vt Christum Domini decet à Christo honorari. Eidem quoque fidelissimo Principi, sicut ipse fatetur, pauci videntur dies, & parui sumptus præ amoris magnitudine, quos sacerdotis Christi & Apostolici viri impendit obsequiis. Sed & fidem eius, quod satis humiliter recolit condigna mercede remunerat Deus, cuius muneris est, vt sine cruore & tumultu in medio hostium degens prosperetur in omnibus, & quod maximum reputat, ametur & honoretur à subditis, sicut Obethedom arca Domini recepta in ancillarum fœcunditate, & gregum & totius possessionis multiplicatione, diuinæ benedictionis expertus est fructum. Et Olda per eiusdem arcæ receptionem, quando eam impius Achaz eiecerat a templo Domini, assecuta est in silentio Pontificum & sacerdotum gratiam Prophetiæ: sic Rex Christianissimus recepta in regno suo Ecclesia Romana, de vxore suscepit filium fidei auctore Domino & regni hæredem, quem data sibi omnium expetibilium optione fuerat petiturus. Nunc autem pro humanitate Ecclesiæ exhibita Anglicanæ, nouam, quàm pro arbitrio suo dabit Dominus gratiam confidenter expectat. Dominus Papa Cantuariensem Archiep. verbis & scriptis nuper consolatus est, & vt omnibus innotescat quibus pactionibus & cautionibus obtinuerit ille iurator insignis ea de quibus Ecclesiæ aduersarij gloriantur. Et tamen si pactiones fuerint adimpletæ, nobis alunde in restitutione ablatorum & pace & securitate prospectum est. Silentur hæc interim necessitate obedientiæ; sed spes est in breui omnia propalanda esse, quia, vt pro certo didicimus, legatorum, qui sperabantur, aduentus suspensus est, aut omnino sublatos iurator is fraude comperta. Rescribe quatenus licitum fuerit, quod Ecclesiæ & nobis in agone Christiano expedire fueris arbitratus, & me vbicumque locorum sim noueris esse amantissimum tui.

Epist. CCIV.

Domino Vvigornensi.

COnfidentia securas emittit preces, nec iustæ petitionis repulsam veretur apud amicum, qui ad illius semper est accinctus obsequium. Quid autem iustius est quàm vt Dominum fidelis animet ad officia charitatis: & Dominus in salutis suæ compendium amici vota compleat deprecantis! Expedire autem arbitror sanctitati vestræ ad vitam & nobilitatem, decere ad gloriam, vt contemplatione diuinæ miserationis paruulorum Christi necessitatibus communicetis, & vbicumque ratio permiserit, in eorum consolatione aut promotione charitati quæ in Christo est satisfaciatis, & generi vestro, quod plures paruulos suos dignoscitur exaltasse, quàm mundus licet in maligno positus adhuc possit deprimere. Lator præsentium vnus paruulorum Christi est: Est & mecum vnus de paruulis vestris potestisque collata vobis opportunitate diuinitus, vt dici solet, sine sanguine & sudore, sine dispendio facultatum, & cum augmento opinionis vestræ & conscientiæ, necessitatibus eius iuxta preces Domini Archie-

piscopi

A piscopi subuenire. Quod vt faciatis tantæ maiestatis precibus meæ paruitatis adjicio preces, mihi reputaturus impensum quicquid ei beneficij aut honoris à vestra fuerit bonitate collatum. Nec immemor sum consolationis, quam Senonibus à vestræ liberalitatis verbo percepi, nec vero immemorem esse patiar, cum aut necessitas importunior vrgebit; aut modestia verecundiæ, necessitatis importunitati, quam nondum inexorabilem expertus sum, victa succumbet; vnum autem præ cæteris rogo, moneo, & in veræ amicitiæ consulo fide, vt memineritis in causa Ecclesiæ conscientiæ, quod ad Deum, famæ, quod ad homines: nec in calamo Ægyptii confidatis, qui & nulli opem fert, & membra perforat incumbentis: verumque exhibitione monstretis, quod ad vos, fallacem esse & vanum, qui malitiam, quæ aduersus Ecclesiam exercetur excusans, accusantibus prætendere cõsueuit: Gens sua & Pontifices tradidit eam mihi. Sacerdotem Christi alloquor, Ecclesiæ Pastorem, Pontificem animarum, filium illustris B Comitis, qui in Regum catalogo dignus fuerat numerari, nisi quia magnificæ virtutis titulo meruit, vt in libertatis culmine constitutus, Reges viderit in ordine secundo, & Regum parens (quos adoptione promouit) haberi debet in sempiternum. Non ergo vereor ne in ventum verba emiserim, aut mihi captiosum sit in tantæ sanctitatis auribus vera esse locutum. Non tamen ex causa veritatis insidiantium laqueos timeo, qui verum totam vitam deuouerim veritati, & in assertione eius impenderim animam, in inuio est Pater, qui Ecclesiam regere putat esse damnatum in clero, & fastum in populo, pauperum Christi loculos exhaurire, vt hostes Crucifixi histriones & mimos, & cæteras huiusmodi mulceat pestes: placere potestatibus sæculi, vt perniciosa & insani patientia pastorum Christi conculcetur Ecclesia, sua quærere, non quæ Iesu Christi: ociari in talento Domini, & vsurariam virtutum actionem negotiatione sollicitudinis & laboris non exercere. Aderit in breui pastorum Pastor, qui à vobis & nobis di- C strictam exiget rationem; Eritque tunc memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Sed ne in longum videar prophetare, citissimè per misericordiam Dei videbitis Ecclesiam resurgere, vt qui eam hactenus perdiderunt, aut cum Petro lacrymentur ad veniam, aut cum Iuda laqueo se suspendant.

Epist. CCV.

Rad. Priori Vuigornensi.

AQuarum copia nequit extinguere charitatem, & sinceræ dilectionis affectus se perspicuis indiciis prodere consueuit. Poterat ergo videri iure silentij mei diuturnitas arguenda, nisi & necessitas peregrinationis, & locorum distantia, & intermeantium raritas, & difficultas commeantium, & perniciosa sibi & odibilis Deo, officiosa tamen Ecclesiæ insidiatorum diligentia, charitatis silentium excusarent. Officiosam sane dixeri- D mus præordinatis ad vitam, quibus omnia cooperantur in bonum, rabiem persecutorum: quia & dum impius superbit, incenditur pauper: & dum malitiâ debacchatur insanius, qui in consistorio Domini sunt, purgantur amplius aut probantur. Nunc autem quia mihi diuinitus collata est impertiendæ & optatæ salutationis occasio, & oportunitatem granater arripui, & vestro interueniente officio precor attentius totam Vuigorn. Ecclesiam nomine meo diligentius salutari, orans vt memoriam mei habeatis, & haberi faciatis in orationibus eius, & agonem Ecclesiæ Domino sedulius precibus commendetis. Nam quod ad temporalia & solatium corporis, vbi tam ad necessitatem quàm ad delicias promissionem Christi esse verissimam, ego & coexules experimur, vt nihil nobis defuerit probabiliter expetendorum, pro tempore, ex quo in eum solum contulimus patrocinium causæ nostræ; & vnde magis grati esse debemus Altissimo: a domesticis, & antiquis E familiaribus nihil hac tempestate recepimus: sed amici nostri & proximi steterunt contra nos ponentes carnem brachium suum, & tenebras lucem. Vt enim de aliis taceam, iam quadriennium mihi exulanti elabitur, nec in ratione dati & accepti alicui carentis obligatus sum, quin omnibus in commune satisfacere possem, delegato eis ad soluendum pauperrimo debitore. Nec hoc tamen dixerim ad arguendam ingratitudinem veterum amicorum; sed ad magnificandam gratiam Dei, qui contra & supra merita mea tam me quàm paruulos eius qui mecum sunt, consolatus est in omni tribulatione nostra. Vt autem hæc nobis consolatrix gratia propitia perseueret, vestris & Sanctorum desidero precibus adiuuari. Cantuariensis vero Archiepiscopus, qui, velut alter Ionas, vt Ecclesia liberetur, sponte neum ex charitate naufragium fecit: gratiam quam apud suos meruerat, Domino ducente apud extraneos reperit, & filiorum expertus deuotionem, stipendiis suis Ecclesiæ militat Anglicanæ. Noueritis pro certo; quia F per misericordiam Dei in breui patenter videbitis, quod (vt credo) desiderat anima vestra, persecutores scilicet Ecclesiæ aut conuerti aut conteri. Sed cætera quæ ad hunc articulum pertinent, necesse habeo præterire, ne præuaricator obedientiæ publicæ, quibus pactionibus & cautionibus obtenta sunt, quæ in præiudicium Domini Cantuariensis & suorum a Domino Papa indulta esse iactitant, qui Ecclesiam persequuntur. Hoc autem licenter eloquor & verum est; quia si pactiones fuerint adimpletæ, negotium Cantuariensis Archiepiscopi & totius Ecclesiæ commodius geri non potuit.

Epist. CCVI.

M. Simoni Lupello.

SPecies est conscientiæ diffidentis apud amicum in articulo necessitatis insinuatione verborum preces inuoluere, & officium deprecantis expedire potius ar- G te quam fide. De tua ergo dilectione, dilectissime, à multis diebus concepta fiducia vlteriori fiducialiter agens amotis omnium circumlocutionum inuolucris precor attentius, quatenus latorem præsentium apud Dominum Vuigornensem, & vbi expedire cognoueris, sic promoueas vt me ipsum. Nam quod ei mei contemplatione exhibitum nouero, perinde acceptabo, ac si mihi personaliter esset exhibitum. Quis autem sit status meus, & aliorum qui in agone Ecclesiæ constituti sunt, si tamen id audire placuerit, aliquatenus eo referente cognosces. Spero autem quod & tu videre desideres diem Domini, vt Ecclesia conualescat. Lex Dei in conspectu gentium & inuidentium roboretur, & sic splendeat in capitibus Regum insigne fidei & publicæ potestatis, vt de cætero non dentur cornua peccatori. Et hoc quidem facile obtineret, nisi quia si vera sunt quæ vulgo dicuntur, tenentes legem, iustitiam nescierunt: Et à Sacerdotibus & Prophetis egressa est pollutio super omnem terram. Aderit tamen, auctore H Domino in breui fidelium consolator; & propter electos ventis imperabit & mari, vt momentanea tristitia lugentis Ecclesiæ in gaudium perpetuum conuertatur. Si liceret obligationes & cautiones, quibus impetratum est quod in præiudicium Cantuariensis Archiepiscopi à Sede Apostolica nuntiis Regis iactitatur esse concessum, libenter exponerem; sed sine singulorum expressione certum sit hoc pactionibus esse insertum, quod præfati Archiepiscopi & suorum plenam indemnitatem & omnimodam securitatem contineat, & ad totius Ecclesiæ proficiat libertatem. Hoc autem mirum est in oculis omnium, & omni stupore dignum quod nec semel inter comprouinciales conuenit Episcopos, vt de pace Ecclesiæ tractantes vel vna vice conuenirent Regem, cuius innocentiam publico vniuersitatis suæ testimonio astruunt; & patientiam tantam prædicant, vt dulce putet obsequium quotiens monetur; & corrigat, si quid forte deliquit in Dominum. Et profecto aut

A eum Deo propitiante reducent ad viam, aut de necessitate citius quàm credatur Domino Papæ vapulabunt: aut Regi, cuius ad præsens dum plus iusto verentur iram, negligere, immo & occidere videntur animam. Quare autem hæc scripserim tibi notum arbitror sapienti. Vale.

Epist. CCVII.

Adæ Abbati de Puescham.

PRæteream quam ab initio mutuæ cognitionis ad inuicem contraximus charitatem, vlterior quædam iure societatis initæ conciliata est inter nos amicitia, vt alter alterius fortunam sic in vtriusque sortis calculo excipere debeat velut suam. Nam affectionem quam studiorum communicatio peperit, promouit in peregrinatione similitudo morum, & familiaritatis non B tam frequens quàm iugis & perpetua adinuicem exhibitio. Possemus ergo iure de tam diuturno vicissim silentio conqueri, nisi & distantia locorum, & intermeantium raritas, & difficultas, aut magis impossibilitas conueniendi taciturnitatis indebitæ purgaret notam. Nam vt prouerbialiter vsurpatum est, charitas clinguis prætendit speciem non amantis. Prius ergo vt iustum est, studui superiori & Domino quod potui, & semper debeo sedulæ venerationis obsequium exhibere. & quæ circa vos & Ecclesiam vestram geruntur & vestros sollicitius & diligentius perscrutari, vt his quæ rectè geruntur congratulari valeam, & si quid (quod absit) deprehendero vobis esse molestum, mutua affectione compatiar. Erit ergo si placet dilectionis vestræ de statu nostro rescribere: & si sedulitas mea vobis officinsa esse potuerit in aliquo, præscribere & præcipere ex animi sententia pro viribus pariturо. Precor autem & obtestor in fide Dei & charitate, quatenus charissimum mihi fratrem vestrum in Domino, & nostræ C peregrinationis socium diligatis, & vestræ familiaritatis munere honoretis: & sic eum tractetis de cætero mearum contemplatione precum, vt eas apud vos experiatur alicuius esse momenti. Si de statu meo curatis audire, noueritis quod hoc exilij mei quadriennium sic infirmitati meæ contemperat Dominus, vt processu temporis vexationem meam successus comitetur vberior, & plenior miseratio consoletur. Alimenta & indumenta meis assunt ad abundantiam: dulcium & vtilium in exilio multiplicatur copia amicorum: & euanescente ex magna parte fide veterum familiarium, nouorum charitas amplius solidatur. In ratione dati & accepti me conterraneorum nullus obligat, sed extraneorum ministerio me totum sibi soli reddit obnoxium qui volatilia pascit, & decore incomparabili vestit lilia, floresque vernantes. Neque hoc dictum accipiatur, vt amicos arguam frigescentes; sed vt glorificetur pauperum pater qui in cœlis est, & electos tentari non patitur supra id quod possunt. Quæso itaque & affectuosius D supplico quatenus peregrinationem meam, & naufragium Ecclesiæ laborantis vestris & Sanctorum precibus faciatis Domino attentius commendari. Quæ circa Dominum Cantuariensem sunt vbi auctore Domino prosperius agitur quam credatis lator præsentium poterit aperire: ei enim dedi in mandatis, vt fidei vestræ vniuersa communicet.

Epist. CCVIII.

R. Abbati Persorensi.

QVi amicis nec in salutis voto communicat procul est à charitate; & non amare conuincitur qui oblata opportunitate colloquij, amatorem sui nec salutationis recreat verbo. Nam nec illis verba deesse solent, qui lingua diligunt, & simulatione duntaxat: qui fidei munus & charitatis officium nec affectione retinent, nec exercent opere & veritate. Memor ergo E contractæ inter nos amicitiæ, latori præsentium natale solum inuisere satagenti dedi in mandatis quatenus vos salutaret nomine meo, & de statu vestro, quem Deus optimum faciat, diligenter inquireret, vt audita per eum forma conditionis vestræ possim, vt iustum est, amici pressuris, quas pater misericordiarum à domo vestra arceat, compati: vel successibus, quos multiplicari & perpetuari desidero, congaudere. Vos etiam de statu meo & coexulantium (si tamen cura hæc quempiam sollicitat veterum amicorum) per eundem certiorari poteritis, & Deo auctore veraciter audire prospera de præsenti, & sperare vobiscum in breui de futuro prosperrima. Nisi enim pactiones quæ de libertate Ecclesiæ & restitutione, & pace & securitate Cantuariensis Archiepiscopi & suorum, cum Domino Papa initæ sunt, & firmatæ cautionibus, quas ad præsens exprimi non oportet, fideliter impleantur, per gratiam Dei citissimè confundentur & erubescent qui oderunt Sion, & F suam cum Scribis & Pharisæis fraudulenta verborum astutia nituntur iustificare malitiam. Nam ex verbis nuntiorum Domini Regis, qui nunc coarauerunt in curia, liquido deprehensum est, qua sinceritate agatur cum Ecclesia Dei: & quidem qui videbantur columnæ Ecclesiæ esse corrupti peponibus & alliis Ægyptiorum, malunt seruire, & Ecclesiam fatigari in luto & latere, quàm itinere trium dierum in veram prodire libertatem, & abominationes Ægypti Domino immolare. Precor autem attentius, quatenus mei memoriam habeatis in orationibus vestris, & peregrinationem nostram Sanctorum, qui vobiscum sunt, orationibus commendetis.

Epist. CCIX.

Domino Saresberiensi.

ACceptis litteris amicissimi mei R. Archiep. Dominum Cantuariensem, quod & ante sæpius feceram, super consolatione vestra instantius sollicitaui: & G sicut antea quando Magister G. præsens affuit, omnem operam dedi & diligentiam, vt satisfieret petitioni vestræ. Sed qualis primo inuentus est, talis perseuerat adhuc. Non quidem, vt conscientia teste loquor coram Deo, in proposito constans odio vestri, sed ne dentur cornua peccatori, & ne facto isto inobedientium temeritas inualescat. Nam si ad obedientiam redieritis, non dubito quin eum illico inueniatis clementissimum patrem. Nititur autem in facto isto, & de consilio amicorum quos habet in Ecclesia Romana, & Sapientium Ecclesiæ Gallicanæ qui vexationem eius ita acerbè ferunt vt suam. Nec est aliquis eorum qui consulat vt sententiam reuocet, dum inobedientes extiteritis, & excessum vestrum sub appellationis prætextu velitis excusare. Recepit enim appellatorias vestras & alias nomine Episcoporum, & si neutram receperit appellationem, vt ex receptione eius nobis palam est. Vos autem H (vt ait) nec recessistis adhuc, nec ei vnquam super appellationum renuntiatione scripsistis, cum tamen hoc patentibus literis oporteat fieri, si ab eo misericordiam expectatis. Appellatorias vero vestras Domino Papæ misit: & verum verum esset quod in suis Episcopi testificati sunt, de innocentia & iustitia Domini Regis qui (vt aiunt) dulce putat obsequium quotiens monetur, vt corrigat, si quid forte deliquit in Dominum. Si tanta est benignitas eius, quare non conueniunt eum, vt Ecclesiæ Dei parcat & sibi? si non est quare patentibus litteris testificati sunt in animas suas? hæc prætendit Archiepiscopus, & sic reluctantibus, & parentes sitientibus sanguinem eius contra Ecclesiam, & seipsum acquiescere non decreuit. Ceterum si vos subtraxeritis cœtui persecutorum, & redieritis per exhibitionem obedientiæ, pronior erit ad veniam & omnem misericordiam exercendam, quàm vos ad preces, & hoc quod sicut ipse videtis, fieri expedit, immo necesse est. Scitis enim, quod Dominus Papa rescripserit fratri vestro

Episcopo

A Episcopo Constantiensi, quid etiam solatij vobis à sede
Apostolica retulit Decanus vester. Nam conatus eius &
processus non latet Archiepiscopum, qui per nuncios
suos recepit Apostolicam consolationem cum multarum
fasciculis litterarum. Præfatus quoque Decanus, si di-
gnum ducit, meminisse potest pactionum quas iniit,
& cautionum quas præstitit Domino Papæ, & si ab in-
iuriis Archiepiscopi sui & Domini postea aliquantulum
temperasset, fortasse sibi ipsi vtilius prospexisset in po-
sterum. Ex eo tamen ipso vnde præiudicatum videtur
Archiepiscopo, præter intentionem gerentium ei pro-
spectum est: & patet ex absolutione excommunicato-
rum eius quam periculose eis antea communicatum sit.
De hac tamen absolutione, & aliis causam contingen-
tibus, necessitate mandati ad silentium cuiretamur vsque
in diem certum quo constet an Dominus Papa pactio-
nibus, quas admisit in causa Ecclesiæ, instructus sit, an
illusus. Interim nihil aliud consulere possum quam quod
B lex diuina præscribit; quia Deo potius oportet obedire
quam hominibus: nec vnquam acceptantur victimæ
obedientiam subtrahentis; nec salubriter incedit, qui de-
bito officij sui præponit voluntatem mundanæ potesta-
tis. Hoc vobis loquor tanquam patri & Domino coram
Deo, quem testem inuoco in animam meam in districto
examine: quia si salubrioris consilij mihi pateret via, illá
vobis deuotione promptissima aperirem. Et si videritis
in quo vobis valeam officiosius esse, securè præcipite ex
animo pro viribus parituro. Credo vos recepisse litteras
quas misi Domino Constant. & amicissimo meo Archi-
diacono, vt ad præsens plura scribere non oporteat.

Epist. CCX.

Guillelmo Britoni.

Refloreſcit auctore Domino status vniuersalis Ec-
clesiæ, & schismaticorum impetus frustratus est, &
superbia Moab indies infirmatur. Nec de nocte vastatus
C est nunc, vt ab initio, sed in meridie suffosa est Ar, & mu-
ri eius. & deiecti sunt funditus, vt exultatio Moab ex
necessitate Petro cedens de cætero conquiescat. Vnde
spes est in Domino vt vociferantibus tubis sacerdotali-
bus in proximo corruat & Hierico, & Regnum pro-
prio sanguine adquisitum obtineat triumphator Iesvs,
& in pace possideat quod sui iuris est Sponsus & custos
Ecclesiæ Christus. Cum enim Romanus Pontifex per
patientiam Teutonicum tyrannũ diutius expectasset, vt
vel sic prouocaretur ad pœnitentiam, & schismaticus
abutens patientia eius, peccata peccatis adderet iugiter,
vt error in amentiam verteretur, Vicarius Petri a Do-
mino constitutus super gentes, & Regna, Italos, & om-
nes qui ei ex causa imperij & regni religione iurisiuran-
di tenebantur astricti, à fidelitate eius absoluit: & Ita-
liam ferè totam à facie furentis & præsentis tanta fæli-
citate & celeritate excussit, vt in ea nihil habere videa-
tur, nisi tortores quos euitat interdum, & angustiarum,
D quas euitare non potest, iuge supplicium. Abstulit ei
etiam regiam dignitatem, ipsumque anathemate con-
demnauit: & inhibuit auctoritate Dei ne vires vllas
amodo in bellicis congressionibus habeat: aut de Chri-
stiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quie-
te & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos
operetur. In quo secutus est exemplum Gregorij VII.
decessoris sui, qui nostra ætate Henricum Imperatorem
Ecclesiæ priuilegia conuellentem deponens in Consilio
Romano simili sententia condemnauit, & quidem illa
sententia effectum sortita est: & hanc de priuilegio Petri
latam videtur ipse Dominus confirmasse, Hoc enim Itali
audito ab eo discidentes, reædificauerunt Mediolanum,
schismaticos expulerunt. Catholicos reduxerunt Epi-
scopos, & Apostolicæ sedi vnanimiter adhæserunt. Sed
quid nota recenseo? Hoc vtique locorum fama quasi
præconia voce concelebrat. Nec aliquibus dubium pu-
to, nisi forte lateat illos qui soli hac tempestate exulant
domi suæ. Quia ergo ab oriente iam radius serenitatis il-
E luxit per Christum, & incolumitas Ecclesiæ in capite
reparatur, superest spes fidei certissima, quod vnguen-
tum à capite in Apostolicam barbam exuberans, descen-
det in caput & oram Anglicanæ Ecclesiæ: Et qui Pro-
phetam exterminare nititur de Israël, nisi forte resi-
piscat, diuinam sententiam excipiet; dicente Amos ad
ipsum: Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, &
filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua in funiculo me-
tietur, & tu in terra polluta morieris, & populus tuus
captiuus migrabit de terra sua. Hæc est enim terra resi-
stentium verbo Dei, & potestatum, quæ ora sacerdotum
nituntur occludere. Profecto tunc risus dolore misce-
bitur, & extrema gaudij luctus occupabit, & amarum
erit cibum & potum & amica colloquia cum excom-
municatis communicasse. Numquid tunc Balaamitæ
pontifices & sacerdotes & principes Tanneos & Arioli
consiliis suis saluare poterunt Madianitas, cum eos gla-
dius Domini persequetur? Numquid Cardinales pote-
F runt & Legati, si Balaamitæ fuerint in die Domini? Certe
si ipse affuerit Balam, aut benedicet tabernaculis Iacob,
quæ nunc proscribi & exulare videntur in eremo, aut
gladio cadens verbi Dei sibi aduersarium esse experietur
Spiritum sanctum: & sentiet quia Allophylorum mes-
ses & sata, & incendentium vulpium caudas ignis exu-
rit. Hæc idcirco præmiserim ne quis amicorum ponat
carnem brachium suum, & excommunicatis participans
in se gladium prouocet bis acutum. Dicitur autem,
quod sine dolore & lachrymis nequeo reminisci quod
sancta Cantuariensis Ecclesia participatione illius insi-
gnis excommunicati Randulphi de Broc anathema con-
traxit. Et lege Dei contempta Melchon adorans litte-
ras Domini Papæ pro Archiepiscopo sibi missas, Regi
ad subterfugium obedientiæ & opera debitæ misericor-
diæ excludenda transmiserit. Vnde precor, attentius
consulo, & quanta possum instantia moneo, vt si falsa
sunt quæ dicuntur, & adhuc ab anathemate immunis
est, sibi ne tale quid de ea probabiliter fingi possit, de
cætero caueat. Et si in anathema incidit, redeat per
G pœnitentiam, ne qui inter occidentales Ecclesias ha-
ctenus religione insignis extitit, in pollutum sit insi-
guis & crimine. Si hæc duriusculè videantur esse con-
cepta, scio quia nec Cleobolo loquor nec schismatico
Batoniensi, sed amico veritatis & fidei, & per eum Eccle-
siæ Christi habenti caritatem. Velit nolit mundus,
Cantuariensem Ecclesiam, quod Deus nouit, sincera di-
ligo caritate, & periculo ei imminente tacere non possum.
Nam vt ait Propheta, *Leo rugiet, quis non timebit? Domi-
nus locutus est, quis non prophetabit?* De cætero si voca-
tionem Domini Cantuariensis audisti, ex ea causa Ec-
clesiam tuam inuitus non exeas, nisi alia ex causa te exire
compellat. Scin enim, & tu verum scites, quid ab ipso
obtinuerim tibi, Vale.

Epist. CCXI.

Petro Scriptori.

H Raritas intermeantium nobis subtrahit mutua sola-
tia litterarum, & chaos quod inter nos meritis no-
stris exigentibus à Domino firmatum est, securum in-
termeantibus denegat commeatum. Sed licet nobis sub-
trahatur opportunitas colloquendi, non præpeditur
mutuæ dilectionis affectio: sed amantium more quo
magis succensos animos vexat metus & manus corri-
pientium, eo cumulatius & ardentius caritas suscipit in-
crementum. Si te ergo & alios amicos videre non licet,
si mutuis deseruire obsequiis non permittimur, amare
certe licet, votis & orationibus adiuuare. Caritas enim
vt dictum est, cohiberi non potest, quia vbicumque
Spiritus Domini ibi est & libertas. Non licet Ecclesia-
sticam tenere & defendere libertatem. Certe procla-
mare licet, & protestari mandata legis diuinæ Licet pro
verbo Dei quod in carne suscepta se pro nobis morti
exposuit; exponere non modo facultates & peritu-
ram supellectilem huius mundi, sed & animas nostras.

Ille autem bonarum mentium Spiritus institutor nobis in hac affectione perseuerantiam largiatur, qui ipsius affectionis contulit voluntatem. Et quidem spes est reformandæ pacis in breui, interueniente opera & diligentia Cardinalium qui ad hoc missi sunt, nisi forte hoc pacem differat, quod Dominus Cantuariensis nullis conditionibus acquiescet nisi Ecclesia Anglorum debita gaudeat libertate. Qood autem dico (debita) non ad alicuius Henrici tempora referatur, sed ad verbi Dei legitimas sanctiones, quia ex professione non Henricianus esse debet, sed Christianus. Sed fortasse objicies: si ita statuit quare fugit? Quare tot & tantis periculis exposuit Ecclesiam pro qua sacerdotibus animam ponendam esse præuouerat, si leges principum & auitas Regni consuetudines diuinis sanctionibus postponere decernit? quare apud Clarendonam in reprobarum consuetudinum verba intrauit? quæ diuinis legibus & sanctorum Patrum consuetudinibus penitus aduersantur? Quare se non ingerit vt in conspectu Regum & principum legem Dei loquatur intrepidus? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Fugæ quidem habet auctorem Christum & Apostolum eius qui dimissus in sporta persequentium manus euasit, sciens à facie personam non causam persequentis ab vna ciuitate fugiendum esse in aliam. Videbat enim Reges & principes conuenisse aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Confugit ergo ad Romanum Pontificem quem appellauerat, vt eius præsidio validius opitularetur Ecclesiæ naufraganti, quam in Anglia (vt dicitur) principes sacerdotum maxime submergebant. Hoc autem non fuit Ecclesiam exponere, sed liberationi eius operam dare. Nisi forte & ille tibi nauem relinquere videatur, qui eam vt ad portum pertrahat, scapham ingreditur. Pollicitationem Clarendonæ ad quam de consilio Episcoporum impulsus est, purgare non possum, quia non fuerat vtique facienda: sed offensam confessio diluit, accepta solemniter pœnitentia à summo pontifice qui peruersas illas consuetudines multis audientibus auctoritate Apostolica condemnauit. Si se non ingerit quærentibus animam eius, cum via pateat commodior & salubrior, recte facit, Prophetarum & Apostolorum fretus exemplo: Cum Dauid, Helias, Petrus, & Paulus hoc idem fecisse legantur. Est enim tentare Deum, se ipsum certis & manifestis obiectare periclis, cum in Domino pateat opportunitas euadendi. Deus autem qui iam incepit Ecclesiam suam consolari in capite, per misericordiam suam consolidabit & membra: Et qui Teutonicum tyrannum schismaticorum principem coëgit ab vrbe recedere confusum, ipse Dominum Regem Anglorum gratia sua reducet & deducet in viam rectam, vt de cætero consiliariis malis non acquiescat. Et si Astrologis creditur (quos tamen ego non multum audire dignor) annus ille ex forma constellationis dicitur esse mirabilis: Et in eo Regum consilia mutabuntur, & in orbe crebescent bella, feruebit terra seditionibus, deprimentur mercuriales, sed tamen in fine releuabuntur. Ego tamen hæc, somnia vana puto, licet pro parte verum dixisse videantur. Obierunt enim consiliarij Imperatoris, Raginaldus Coloniensis Archiepiscopus, & Magontinus intrusus, Leodiensis, & Ratisponensis Episcopi, & plures schismatici principes. Bella & seditiones vbique feruent, Mercuriales adeo depressi *sunt, vt Francia omnium mitissima & ciuilissima* nationum alienigenas scholares abegerit. Est & reuelationis argumentum quod seditio Remensis pacificata est, & vrbis soluta est obsidio. Hanc enim sibi germanitatem (vt aiunt) hæ duæ exhibent ciuitates, vt eisdem subiaceant fatis & simul patientes gaudeant simul. Vale.

Epist. CCXII.

Domino Cantuariensi.

INspectis litteris quas Domino Vuillelmo Papiensi mittere decreuistis, & si mentem scribentis iudicare non audeam, stili tamen formam probare non possum. Non enim sonare videntur humilitatem aut processisse de mente hominis qui Apostolum audient exhortantem discipulos Christi, Modestia vestra nota sit omnibus, Dominus prope est. Si enim litterarum vestrarum & ipsius articuli singuli conferantur, ex amaritudine potius & rancore animi quam ex caritatis sinceritate videbitur processisse responsio. Quid autem scripsit, vt ledorias & scommata, id est, patentes morsus & figuratos taceam, vt eum recte dicatis in medio litterarum vobis propinare venenum? Numquid vobis visus est Cardinalis Presbyter, immo & Apostolicæ sedis legatus in prima salutatione suspicionibus inurendus & gratis exacerbandus contra consilium Domini Papæ, & contra Romanæ Ecclesiæ reuerentiam dehonestandus conuiciis. Profecto ego nec Domini Papæ cursorem sic alloquendum fuisse arbitror. Si suas & vestras Domino Papæ remiserit litteras, regis causam iustificasse videbitur attestatio scripti vestri, & propriam contumaciam conuicisse. Esto quod fuerit & sit adhuc Vuillelmus inimicus. Dissimulandum puto donec mala eius opera in lucem prodeant, quoniam & Dominum Papam ita consuluisse ex relatione nuntiorum vestrorum certum est. Nec tamen dico quod antequam fidem hominis bonis operibus exploretis & experiamini, acquiescatis eum recipere iudicem: sed nec recusare præpropere consulo & si iudicium declinandum esse non ambigam restitutione, quæ ad præsens fieri nequit non habita. Hic interim habendum credidi, & ipsos Cardinales alliciendos quatenus salua conscientia & fama fieri poterit: Et expectandum à Domino, vt in parte aduersa deprehendatur iniquitas, & impugnatio veritatis, & defectus promissionum. Si se dixit missum ad terminandas quæstiones, prout Ecclesiæ Dei viderit expedire, in quo vos læsit? Nonne possunt, sicut per sententiam, ita & per compositionis benignitatem terminari? Si exhortatus est, vt euitetis, quantum in vobis est, ea quæ solent amplioris dissidij causas generare, non video quid peccauerit: Cum hoc ipsum sapientissimi & amicissimi consulant monentes vt quatenus salua honestate Ecclesiæ & personæ vestræ licuerit, paci diligentius intendatis. Rogandus ergo fuerat, vt opinor, quatenus ea quæ vitanda dicit, præscribat, vt de restitutione vestra & vestrorum & Ecclesiæ libertate agat cum Domino rege, vobisque rescribat quatenus profecerit, quia vobis & vestris sumptus desunt ne ad colloquium eius possitis accedere: nec tutum esset alicui vestrorum ingredi terminos Regis Angliæ. Doceat vos magni consilij Angelus, & sit in ore & corde eorum quos mittetis, Spiritus Sanctus, Si legatus quod in fine litterarum est, adimpleuerit, ei multiplices gratias arbitror referendas. Si Londoniensis Episcopus, & vester Archidiaconus à Domino quod merentur, sibi imputent: vos tamen videte an sententia vestra si citatio non præcessit robur sit habitura. Nam vtinam sicut de merito, ita de iure & facto sortiri possit effectum.

Epist. CCXIII.

Magistro Gerardo.

INstantia portitoris, & temporis angustia scribentis quidem verba coarctant, sed scripturientis affectionem cohibere aut coarctare non possunt. Essent autem nunc plura scribenda pro tempore, sed animus sapientis ex paucis plura deprehendere consueuit. Vt ergo vobis primum innotescat nostra, quam optimam desideratis, conditio, noueritis Dominum Cantuariensem & coexules eius primum Regi Christianissimo, deinde totius Franciæ optimatibus, secundum quod operis exhibitio iudicat esse acceptos, & pacem Ecclesiæ in breui, vt spes est, affuturam à Domino expectare. Ad hoc etenim destinati Cardinales laborant. Quod si alia via vulpeculas Allophilorum compescere nequeunt, caudas eorum & sata iam in messes germinantia facibus succensis

& succendentibus inurent in correptiones & exemplum omnis carnis & generationis. Sed quid verba eorum recolo? à fructibus eorum cognoscemus eos. Vos autem (dilectissime) quæ circa vos sunt nobis rescribere non grauemini, & interim in subuentione Ecclesiæ naufragantis, immo iam auxiliante Deo conualescentis talentum vobis creditum erogate. Nam fortasse pro salute multorum vos ad illam barbariem Dominus destinauit, vt contrito schismatis capite Coloniensis Ecclesia per industriam vestram ad Catholicam redeat vnitatem. Imperator enim, quasi torris captus de incendio confusus ab vrbe recessit: Et licet fœtor cadauerum à castris in nares eius ascenderit Domino manum suam extendente super eum, nondum tamen voluit agnoscere & confiteri errorem suum. Erigatur itaque Spiritus vester, quoniam Christus vincit, regnat & imperat, & recordatus pauperum suorum potentes impios potentius torquet. Valete.

Epist. CCXIV.

Domino Pictauiensi.

REgnorum collisiones & terræ motus magni & imminentium periculorum exitus me calamum suspendere diutius coegerunt, & commodiora scribendi tempora expectare. Bellici namque tumultus æstate fere tota feruentes intermeandi facultatem litterarum portitoribus præcluserunt, & in vrbe Remensi orta seditio sic turbauit prouinciam, vt vix tutum fuerit ingredi vel egredi ciuitatem. Conspirauerant enim ciues de clericorum consilio & auxilio militum, mittentes contra Archiepiscopum qui nouas quasdam indebitas & intolerabiles seruitutes volebat imponere ciuitati, & Ecclesiarum turres & domos munitiores occupantes officialibus & amicis Archiepiscopi eiectis ab vrbe multas ei iniurias intulerunt. Et primo quidem ei omnem humilitatem exhibuerant parati duo millia librarum, sicut multi testantur conferre in ærarium eius, dum modo eos iure tractaret & legibus viuere pateretur, quibus ciuitas continuè vsa est à tempore Sancti Remigij Francorum Apostoli. Adierant etiam Christianissimum Regem, sed nec per eum, rigorem Archiepiscopi flectere potuerunt. Confugerunt itaque ad comitem Henricum & ex eius consilio cesserunt Regi quem Archiepiscopus adduxerat, vt in brachio eius contereret ciuitatem. Rex autem dolens, sed tamen fratris satisfaciens voluntati, circiter quinquaginta domos dirui fecit, & recessit. Ciues vero die tertia redierunt, & in vltionem dirutarum domuum funditus euerterunt domos militum fauentium Archiepiscopo Vicedomini scilicet sui & alterius qui in vrbe gesserat præfecturam. Vnde motus Archiepiscopus Comitis Flandriæ implorauit auxilium, eumque cum mille militibus adduxit Remos vt ciues perirent in ore gladij, aut redimendi & torquendi coniicerentur in vincula. Sed illi præsentientes aduentum Comitis, iterato cesserunt. Sic euacuantes vrbem vt Flandrenses inedia confecti vix vnius diei & noctis moram potuerint sustinere. Et quia Archiep. in recessu eorum ciues ad propria redituros non dubitabat, per Comitem Robertum fratrem suum ignaris Flandrensibus cum eis pacem fecit acceptis quadringentis quinquaginta libris in recompensationem damnorum: quæ vt multiplices iniurias & contumelias taceam, in quadruplum excreuerant, concedens vt de cætero legibus vtantur antiquis. Sic itaque damnosam & ignominiosam cum ciuibus faciens pacem adhuc cum clero exercet inimicitias, & se illi offerentes exercet Ecclesias. Hæc apud nos: ceterum ad partes vestras accepimus venisse legatos de quibus adhuc incertum est quid nobis sperare oporteat, quid timeri. Hoc autem certissime constat, quod Dominus Cantuariens. iudicium Cardinalis ad vincula non subire disposuit, multis (vt puto) & iustis suspicionibus motus, quia manifestus aduersarius eius hactenus exstitit: sed an expediat adeo manifestæ suspicionis causas exponere, non satis liquet. Nam Archiepiscopus (vt audio) ei iam rescripsit contra meum & quorumdam aliorum consilia, quod se illius iudicio non supponet, nec tenetur supponere, & plura congessit quibus animum hominis exasperasse potest: cum ego potius crederem verbis blandioribus demulcendum, & retinendum in amicitia donec ipsum aduersarium esse conuincant opera eius. Pacem vero ad honorem Ecclesiæ Dei & suum libenter recipiet per manus legatorum: sed an ad colloquia eorum accessurus sit nisi restituantur ablata, vnde se & suos valeat exhibere, nondum habeo exploratum. Certo autem certius est, quod nisi componatur per eos, nullam citra restitutionem ingredietur causam: cum illata sibi iniuria & violentia lippis & tonsoribus nota sit. Sed nec aliquem suorum mittet, donec intermeantibus eundi & redeundi securitas procuretur. Et quoniam conditionis nostræ calculus in aduentu eorum aliquantulum immutatus, precor attentius, vt mihi per latorem præsentium rescribatis qualiter ad indemnitatem conscientiæ & famæ me versari oporteat. Nam si de iuramentis agitur quæ Dominus Rex à nobis exigere consueuit, rogo Deum meum, vt ante mihi mortem misericorditer largiatur, quam conscientiam & famam iuramentis talibus maculare.

Epist. CCXV.

Magistro Raimundo.

QVid me tamdiu silere coegerit in quo statu versatus sum, vobis ex litteris Domino Pictauiensi missis facile innotescet. Vnde ad reliqua necessitatis meæ progrediens attentius precor quatenus conditione mea diligenter inspecta ex omnibus circumstantiis personarum & causæ & temporis rescribere placeat quid potissimum videatur, hoc in prælectione consilij obseruato, semper vt honestas vtilitati præiudicet. Et si Domino Episcopo, & vobis, & M. Laurentio visum fuerit vt mihi & exulibus aliis Christi procuretur facultas secura legatos adeundi, eam vobis desidero procurari: Ita tamen vt (antequam illos adeam) Domini Episcopi & vestro, & M. Laurentij, si tamen ab Anglia rediit, super negotiis gerendis sim informatus consilio. Varius autem rumor est aliis asserentibus Cardinales fideliter pro Ecclesia Dei laboraturos; aliis dicentibus quod proposuerunt distrahere Ecclesiæ libertatem, & euacuare iustitiam causæ nostræ pro pecunia, quam tamen non licet mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Erit itaque diligentiæ vestræ rescribere, quid de consilio eorum & statu Domini Regis & curiæ habueritis exploratum, & quæ circa Dominum Episcopum & vos agantur fidelius intimare. Precor etiam vt mihi remittaris si quid M. Ioannes rescripsit, petitionibus meis; aut si nondum rescripsit, detis operam vt rescribat. Valete.

Epist. CCXVI.

Magistro Laurentio.

EX inspectione litterarum vestrarum lætus accepi quod Domino Vuillelmo Papiensi legatione fungenti adhærebitis: Nec dubito quin vobis & nobis possit officiosa & vtilis esse familiaritas eius. Et quia vobis notius est, quam alicui nostrûm in quo calculo quantum ad vestrates causa nostra versetur, precor attentius vt inspectis his quæ Domino Episcopo scripsi & Magistro scholarum quod causæ nostræ credideritis expedire per latorem præsentium rescribatis. Dicitur autem quod huiusmodi legati neminem recipere consueuerint in vlteriorem domus suæ familiaritatem, qui non eis de exhibenda fidelitate & fide eruenda & occultandis secretis præstent iuratoriam cautionem. In quo quidem articulo dilectione vestra si tale quid exactum fuerit, desidero præmuniri, vt se sic si res exegerit obliget ad

A humanum obsequium, ne conscientia innocentiæ dispendium patiatur. Et licet arcana sua sic studeant occultari, non facile crediderim quod nisi, quatenus Romanis de more antiquo licet, exercere velint opera tenebrarum: præsertim cum sciant omnium oculos in se esse defixos. Nam fratnoribus credi oportet, alter eorum proposuit Regi Anglorum Ecclesiæ vendere libertatem, & sanguinem innocentum exulantium & proscriptorum pro Domino. Valete.

Epist. CCXVII.

Domino Cantuariensi.

Nec prior, nec posterior mihi placet conceptio litterarum quas ad Dominum Vuillelmum mittere decreuistis: quanimis plenæ videntur suspicionibus, & supra modum dentosis salibus abundare. Timeo enim ne temeritas nostra & illum & alios nobis inimicantes B iustificet. Vnde eam Pictauam misurus essem latorem præsentium per vos transitum facere iussi, vt & sententia mea vobis innotescat, & Domino Pictauiensi, si quid placuerit, per eum mittere valeatis. Ego mihi aliam Cardinales imprimis conueniendi formam prælegi, quam quidem vestræ personæ eminentia non deceret: sed tamen similiorem arbitror condecenti. Ita tamen prælecta intelligatur, si discretioni vestræ sederit vt procedat: Vestræ (inquam) quia nolo vt sensus insulsus, & ariditas linguæ meæ dispendium publicetur. Non displicebit tamen si errori meo compatientibus Lumbardo secretius innotuerit & Alexandro. Alter enim princeps meus est: Alter autem frater aut amicus ordinis nostri. Ea si quidem conditione emisi litteras, vt si vobis placuerint, progrediantur ad Episcopum Pictauiensem: Et si ei visum fuerit pertranseant ad Cardinales, immutato tamen ante si quid decreuerit immutare. Alioquin in domo vestra vel illius dentur incendio.

C

Epist. CCXVIII.

Nicolao de monte Rothomagensi.

Dissipat Dominus gentes quæ bella volunt, & qui se à pace Dei elongant, indubitanter peribunt. Quis persecutorum Ecclesiæ vltricem dextram Dei, qui potentes potentius punit, legitur euasisse? Vnde Domino nostro Regi Angliæ, quem Deus si in beneplacito suo est, optimum faciat: & hæredibus suis, quod sine dolore non dico, plurimum timendum est ne scindatur Regnum eorum, & potestas infirmetur, qua contra Ecclesiam abutuntur. Nam si differtur vltio ad correptionem & probationem filiorum, quos Pater misericors castigat vt coronet, non tamen aufertur. Sed post Sanctorum patientiam in impios acerbius exeandescit. Quare quæso vir sapientissimus & tantis virtutibus & potestate amplissima, & fere bonis omnibus donatus à D Domino non redit ad cor, & qui tot & tantarum vrbium domitor est, intemperantiam hanc domare non potest? Cur Ecclesiam persequens vnice dilectam Sponso iram illius prouocat qui aufert Spiritum principum, & sublimium colla propria calcat virtute? profecto si sapetet in eos retorqueret indignationis suæ aculeos, qui eum impulerunt: Et saltem Babylonis Regem vt eo non inueniatur crudelior imitaretur, qui illos conjecit in lacum leonum, quorum consilio illue detruserat & incluserat Danielem, vt pœnam quam intentauerat innocenti, consiliatij nocentes exciperent. Et si historiarum non monetur exemplis, eum vel Fredericus exhaustus potest instruere, qui de fastigio Romani Imperij ob Ecclesiæ persecutionem in paupertatem & ignominiam miser, sed nulli miserabilis ortuit ad gloriam eius, qui solis arbitrio suo Regna & imperia transfert, erigit quas vult & deijcit potestates. Ille suos punire noluit, qui eum dept nauerant, consiliatios: sed in illos digitus Dei gloriosam exercenit vltionem. Numquid Rex Angliæ vltimus pœnitentiæ fructus offeret Deo qui eum præ cæteris principibus sublimauit? Archiepiscopus sancti Iacobi diu proscriptus iam à multo tempore reuocatus est à Rege suo. Rex Danorum suum reuocans, consilio eius agit omnia, compescit inimicos, & eum colit vt patrem. Lugdunensis suam recepit sedem, & prouinciam Catholicæ reddidit vnitati. Vrbes Italiæ eiectis eorum Frederico schismaticis, Catholicos Episcopos receperunt. Deo teste nisi Dominus Rex suum reuocet, quod de illo timeo, dicere reformido. Et si eum reuocauerit, & Ecclesiæ Dei reddiderit pacem, confido spe haud dubia, quod circa eum & suos antiquorum gratia successuum precibus Ecclesiæ reflorebit. Quid multa? vna via patet consilij, vt prauos & inimicos Ecclesiæ excludat Consiliarios, & Deum quem offendit placare studeat, quo inuito regnare non potest, aut feliciter principari: sustinuit eum hactenus in multa patientia, sed, nisi caueat aduersus immoderationem eius vt parturiens loquetur in breui.

E

F

Epist. CCXIX.

Baldeuuino Archid. Noruerb.

Honor cinguli militaris, quo me ad Apostolorum limina properantem tu inde rediens decorasti in vrbe Senarum, quam Brennus dux Senonum ad locandos ibi valetudinarios suos legitur construxisse, me sæpius quam collato vtar gladio, tui in caritate & gaudio memorem esse compellit, & vtrum hoc peteat rubigine cœlum, sed qui nos * commotit melius non tangere clamo, flebit, & insignis toto cantabitur orbe, illo agente qui iam extendit manum suam in retribuendo, & Christianorum hostem Fredericum ad gloriam suam fecit misericorditer exaugustum. Contra eum & collatrones suos iam quinto anno milito peregrinus, ignarus an in patria nostra mihi relictus sit aliquis amicorum, an omnes sint in fata collapsi. Timeo enim ne nusquam sint, qui nusquam inueniuntur, quibus cum pulsantur, non est vox neque sensus. Si superesset vel vnus, probabile est quod saltem ab intermeantibus quæreret. Viuit ne Godricus & aura vtitur æthera, an crudelibus occubat vmbris? Vnde dilectionem tuam, cuius fides velut in conflatoria probata super aurum rutilat, & omni Topazio preciosior est, credidi attentius exorandam, vt de statu eorum si qui tamen sunt diligentius inquiras: & si qui eorum adhuc viuunt, ægri tamen, eis medicinam procura quam morbis eorum oportet expedire. Vt saltem audita vita eorum, & si non sospitate, quam mihi nemo persuadere potest, aliquod tantæ peregrinationis & laboriosæ militiæ, qua pro libertate patriæ pugnamus ad bestias, recipiamus te interueniente solatium, illos enim nosse, consueueras. Age ergo strenue quod cæpisti & lætare & spera in his quæ dicta sunt nobis, quia auctore Deo in proximo recipiemus stipendia, & hostem publicum conjiciemus in vincula, aut à patriæ persecutione cessabit se dedens principi qui iure & merito dominatur in vniuersa terra. Fredericum inter Papiam clausimus & tenemus obsessum: Electos à schismaticis Episcopos reduximus in sedes suas, & contrito capite impiorum membra carnium cohærentia sibi facile dissoluentur. A tuo igitur sensu, id est recto, nequaquam non mouearis, neque per Spiritum neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam ab Apostolico missam, quasi instet ita Dei iustos deserens in tribulatione: & impiis in malitia perseuerantibus gloriam largiens & triumphum. Videbis in gloriam Dei, & impleri promissiones patrum quas infidelis percipere non meretur. Nam & qui Ierusalem imminente Sennacherib oraculum prophetiæ audiens diffusus est, & eam tam cito liberatione, & victualium copia, & gloria triumphi sublevandam esse non credit, in porta ciuitatis extinctus est, concurrentibus fidelium turbis ad magnalia diuinæ promissionis. Si me mutato

G

H

nomine

nomine audieris in Italia militare obstupescas, sed imputa tibi qui me in Italia donasti cingulo militari. Vale, Cura letargicos: & si tricipitem canem tibi insidiari aut vt parenter lædat occurrere contigerit, eum inuocato musarum auxilio studeas demulcere, aut Herculea domare claua. Salutat te castrorum fidei iocunda & meritis sois amplectenda militia.

Epist. CCXX.

Domino Papæ Alexandro.

ANima nostra Pater, in amaritudine est, vt quod in conspectu vestro timeo plurimum, verbo molestiam sobtrahat vis doloris, & patientia præ miseriarum cumulo querelas omnino nequeat cohibere. Alij enim nostrum pro defensione iustitiæ morientes à Deo & ab Ecclesia expetunt innocentis sanguinis vltionem: alij variis afficiuntur suppliciis: Omnes exulamus, & diu proscripti sumus, vt vel sic nefarias hominum traditiones compellamur præferre legi Dei & sanctionibus Patrum; sed vnicum est fidelibus in tribulatione remedium, precibus aures pulsare majestatis, & totius mentis arcana reserare, vt sic patris clementiam moueant, & miseriæ solatium consequantur. Hoc quotiens vsi sunt filij Israel, totiens de necessitatibus & angustiis leguntur erepti. Recurrebant illi ad tabernaculum fœderis, vbi Sancta Sanctorum seruabantur, id est mandata Dei quæ cunctis iustificationibus antecellunt & oportunitatibus sois conueniebant Moysem & Aaron Sanctos Domini. Et miseris Cantuariensibus, ad quos inter Deum & se mediatores confugiendum est nisi ad Romanam Ecclesiam? vbi viget diuinæ legis custodia, & totios sacerdotij principatus? Nam si illa post Deum decreuerit saluare nos, continuo liberabimur. Si manus erexeritis sternetur Amalech, & qui vos Pharaoni dederit in Deum dejiciet omnes aduersarios Ecclesiæ à facie vestra. Et vtinam ille qui se gloriatur annulo, honore & beneficio manu Apostolica subarratum iuramentis & promissionibus suis prudentiam vestram non delusisset, nec erectarum manuum flexisset rigorem, quia Ecclesia iam nauigabat in portu. Quin ille rediens cum triumphos sacrilegos impœnitentes fecit absolui, & suspensa potestate Domini Cantuariensis vsque in aduentum legatorum quorum erat præambulus persecutoribus Ecclesiæ adiecisset audaciam delinquendi. Nam antea plures obediebant Archiepiscopo, sed exinde quod meminerim nullus vel admodum rarus. Data enim erat spes æmulis eius, quod à legatis dejiciendus sit: quod spoliatus citra restitutionem rerum aut temporis debeat subire iudicium qood legati veniebant in ea plenitudine potestatis vt abrogatis his quæ nunc vigent, possint noua condere iura. Proni erant homines ad credendum videntes assertoris annulum & honorem Et quia conuocatis Episcopis in aduentu eius excommunicati Domini Cantuariensis absoluti sunt impœnitentes & ipsius euacuatæ sententiæ. De facto inquam absoluti certe adhuc ligati sunt ante oculos Domini, qui criminosos nunquam absoluit. Constat autem de impœnitentia quia nec satisfaciunt cum possint, nec aliquid restituunt ablatorum. Profecto si res ablata reddi potest, & non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Vana sunt hæc si non adhuc Cantuariensis Ecclesiæ possessionibus incubant, si alicui vestrum de tot & tantis ablatis vel obolus restitutus est, nisi illis qui retro abierunt & iuramento præstito firmauerunt sibi iure Regis esse viuendum. Nec tamen est quo sanctitati vestræ illa non absolutio, sed iuris illusio debeat imputari. Cum in fraudem mandati vestri non tam præstita sit, quam commissa. Indulseratis enim, vt si quem eorum ægritudine laborare contingeret, mortis imminente periculo præstito iuramento secundum morem Ecclesiæ quod vestro mandato pareret, tunc demum absolueretur. In quo Ecclesiæ Dei & nobis prospectum esse voluit dignatio vestra. Illi autem absolui doli patrocinio meruerunt, simulantes se in mortis periculo versari, quia eis de mandato Domini Regis imminebat necessitas transfretandi. Vnde quia ille qui absoluit, nec ordinariam habebat potestatem, nec à vobis præscriptam seruauit formam, credo si vobis aliter non videtur, collatam absolutionem de iure non tenere; & illos Ecclesiæ peruasores in anteriori manere sententia. Nam illi qui vobis illudendo Gallicanam & Anglicanam Ecclesias scandalizando peccauit in Spiritum Sanctum, Deo inspirante & vestra iustitia cooperante respondebunt merita sua: & hoc sicut Christianissimus Rex & Regnum eius confidit de vobis io breui. Exultat enim in his quæ dicta sunt, & quæ in aduentu Cardinalium plenius innotuerunt: Vanam scilicet esse gloriationem eorum qui Cantuariensi Archiepiscopo, immo Ecclesiæ Angliæ ruinam minabantur. Nam si ob hanc causam dejiceretur Archiepiscopus, qois auderet mutire de cætero? Si Rex auctoritate vestra confirmationem vel dissimulationem consuetudinum, quas petit, obtineret, quid vereretur amodo princeps aliquis contra Ecclesiam postulare? Vnum scio quod salua professione, & citra diuinæ legis iniuriam eas non modo Episcopus, sed nec Christianus poterit conseruare. Nec satis mirari possum, qua mente sacerdos ausus est innuere sacerdoti vt Siculorum vel Hungarorum exemplo tantis prauitatibus tolerantiam adhiberet. Absit hoc consilium à sanctitate pontificatus vestri, & vt tantarum præsumptio prauitatum remanens impunita à diebus vestris in alias ætates ad consequentiam protrahatur. Non tamen legatos quos misistis ad compescendam immanitatem regis populus credit idoneos, quia idem Rex semper alterius patrocinio vsus est, & de eo præsumit plurimum: alter & si bonam hanc voluntatem eam ex causis variis non potest producere in effectum, sed nec aliquem: vt ex animi sententia loquatur, ad hoc credo idoneum, qui fructum legationis expectet io terra sua: nec litigatori vel iudici ad dicendum aliquid contra eum in potestate sua locus est opportunus. Non creditur à prudentibus alterutrius regni, quod ille quem Rex à sanctitate vestra potuit ex nomine, modo aut fide purior, aut caritate feruentior, aut virtute constantior, quàm fuit Papiæ inter cognatos & amicos & notos vbi siluit: videns ab hæreticis qui cōuenerant, causam fidei condemnari, & Apostolicæ sedi grauissimum de schismaticorum consensu roborato subinferri dispendium. Sed benedictus Deus qui misertus Ecclesiæ contriuit auctorem schismatis illum detestandum Seculis Fredericum coram facie vestra, docens annum placabilem Domino, & tempus miserationis iam aduenisse: vt & vos qui gladiom Dei videtis eductum in capita tyrannorum, in eos Petri gladium exeratis; satisque quod constituti estis, coadiutores Dei io exterminio eorum, qui vt stabiliant iniquas hominum traditiones, verbum Dei moliuntur extinguere. Sic vtique manus vestras consecrabitis in exterminio idoli; Leui restituetur vt gaudeat benedictione patris, & sacerdotium vestrum plusquam Phinees reddetur omnibus seculis gloriosum.

Epist. CCXXI.

Roberto filio Ægidia.

ARctior nexus est caritatis quam sanguinis: & vbi cognatio distrahitur animorum, carni coniuncta caro non prodest quicquam. Ex quo fit vt inter ipsos fratres sit alius germanior alio, dum pro conformitate morum, pro dilectionis augmento vera cognatio suum recipit incrementum. Nam quæ carnis duntaxat est, non magis est hominum quam brutorum. Quæ quia rationis expertia sunt, & virtutis ignara, non reminiscuntur quod mala sunt, legitimos obliuiscuntur affectus, & quo prouectior fuerit ætas, eo longiùs recedunt à natura, & inutiles carnis sequuntur appetitus. Expertus experto loquor, qui veram cognationem à carne desertus

A & sanguine inter alienigenas reperi. Tu ergo cum mihi sanguine (quod facies ipsa conuincit) iunctus sis, & caritate quidem, tum multa, cum inauratus hyacinthus quotidie probat, alios antecedas, quem præferam tibi? scio enim quod & tum paucos admodum præferas mihi nisi forte nepotulus meus, adeo transfundit in se patris affectionem, vt nihil caritatis aut solito minus reliqueris patruo. Sed certe hoc mihi persuaderi non potest. Nec dubito quin in pectore tuo mihi reseruatus sit amplissimus locus. Si & in domo tua mihi locum optimum destinasti: & iocundissimum post illum quem occupabit arca, quæ species rerum continet perutiles ad omnem medicinam. Quæ si exhaustæ aut imminutæ sont æstate præterita, ne turberis quia in eisdem succrescunt hortis, vbi eas colligere consueneras: Et si radices abdiderint in profundum, eas profundius fodito: quia odor earum suauissimus est, & vsus maximus: eo quod omni die & hora solatium & compendium affertur. Hoc est fortasse lignum scientiæ singularis, & vnicæ sapientiæ,
B pulchrum visu, & ad vescendum suaue, quod patribus quidem prohibitum, nostris coætaneis est concessum. Valete.

Epist. CCXXII.

Domino Cantuariensi quando Reginaldus fuit Romæ.

Romanos amicis verba dare iam nemo miratur, quia percelebre est, & innotuit vniuersis quod apud eos quantum quisque nummorum habet in arca, tantum habet & fidei: & plerumque obliquata mente legum & canonum qui munere potior est potentior est iure. Si ergo ibi duplicitas reperitur, nihil accidit inopinatum cum frequens sit vt diuina lex dispendium patiatur, vbi dispensandi necessitatem fingit auaritia: cum tamen æquitatis euersionem, & honestatis ludibrium nunquam ratio introducat. Veruntamen vnde gratias ago Deo &
C Domino Papæ, adhuc bene nobiscum agi censeo quod ad tot & tanta tonitrua comminationum, ad tot & tantarum promissionum blanditias, ad machinas Balaamitarum, quas subornatis & exquisitis mandanis ab oriente vsque in Siciliam dolo multiplici erexerunt, non omnino fractus est, sed vt arbitror, artem eorum arte conatur eludere, & furoris impetum frangere ratione, & sapientia declinare, laudes tamen eius prout meruerit in fine canam: nec in inchoatæ virtutis auspiciis exultabo nisi perseuerantia meritorum finem deduxerit ad triumphum, Interim vero in partem meliorem interpretanda sunt omnia præsertim opera Patris & Domini quæ non constat in peruersitate criminis contineri. Hic autem puto Regi & illi pro quo intercedit, verba potius esse data quam vobis cum in litteris ad vos destinatis post consilium post preces rei summa in vestræ discretionis arbitrium conferatur. Et cum pro relaxando Domino Saresberio adhuc preces vobis porrigat, perspicuum est quod sententiam Cardinalium aut ignora-
D uit, aut ratam habendam esse non credidit. Et quo minus credam quod Episcopus ante reditum nuntiorum suorum his litteris non vtetur: vel quia hæc forma negotij Regi displicebit: vel quia Archidiaconi consilio plenius desiderat informari, si tamen eis vsus fuerit, credo indubitanter, quod vos expectabitis reditum nuntiorum vestrorum, & ab ipsis annuente Domino audietis quid possitis aut quid expediat. Cætera nostis me Domini Sarisberij esse à multo tempore debitorem & Deus nouit quantum infortunio eius compatiar: Ideoque quod semper feci, & auctore Domino facturus sum, omni deuotione supplico, vt ipsius quantum salua honestate Ecclesiæ & vestra, poteritis, misereamini: nec à me vnquam, aliud consilium audietis. Cum illi redierint qui hinc inde Romam profecti sunt, confido quod causa nostra plenius elucescet, & Deo propitiante reformabitur in statum meliorem. Precor autem vt quam cito re-
E dierint, mihi per vos quæ referenda attulerint, innotescant.

Epist. CCXXIII.

Guillelmo Papiensi.

Fama vulgante didicimus vos & Dominum Ottonem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem ad preces illustris Domini nostri Regis Anglorum ex mandato Domini Papæ in partes Aquitaniæ descendisse, vt auctore Deo, si fieri potest, Anglicanæ Ecclesiæ debitam redderis libertatem Et inter Dominum Regem & Cantuariensem Archiepiscopum pacem & concordiam reformetis. A magnis etiam & à venerabilibus viris, auditum est, quod præfatus Dominus noster Rex adeo de amore vestro confidit, vt consilio vestro in omnibus obtemperare decreuerit: vnde vehementer exhi-
F laratus consilium vestrum & auxilium mihi censui implorandum, vobis in omnibus pariturus salua indemnitate conscientiæ, & honestate personæ. Confido enim in Domino quod tanti non erit apud vos acceptio personarum & munerum, vt aliquid committatis vnde lædatur Ecclesia, scandalum generetur in mundo, obfuscetur claritas nominis vestri. Hæc enim sunt opera eorum, qui aut legem nesciunt, aut legis Dominum non verentur. Vos autem non sic, cuius & prudentiam adeo Dominus approbauit vt vos in capite mundi super candelabrum aureum VII. Lampadarum tanquam lucernam eximiam collocaret, vt qui ingrediuntur lumen videant. In vos ergo omnium oculi diriguntur timentque plurimi ne lucifer denuo tentatus extinguatur & corruat, veriti ne familiaritas quam cum Rege, vt dicitur, vlterius contraxistis, vobis sit occasio delinquendi. Et profecto omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto maior qui peccat habetur. Ceterum ego interim spero quod hæc vestri & Domini Regis familiaritas quæ multis adeo suspecta est, fructuosa erit Eccle-
G siæ, necessaria nobis, salubris illi, & vobis gloriosa. Si enim vos audierit, in eo quod iuris necessitas cogit, & quod sine salutis suæ dispendio vitare non potest, proculdubio pœnitebit, confitebitur culpam, & humiliter satisfaciens, Ecclesiæ pacem & libertatem nobis omnibus ablata cum integritate restituet, & fraternum odium de corde prorsus auellet. Alioquin quis eum eripere potest à laqueo mortis? Scio vtique quoniam indubitanter verum est & notissimum quod nec Petrus ipse hanc accepit à Domino potestatem, vt impœnitentes possit absoluere, & proculdubio constat, quia si res ablata reddi potest, & non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Vbi autem principis Apostolorum cohibetur anctoritas, nulla ratione crediderim conualescere posse cuiusquam hominis potestatem. Fateor autem & verum esse Domino Regi, vtpote gloriosissimo principi quamplurimum deferendum, sed ita vt Deus nec in minimo offendatur. Alioquin species Idololatriæ est sub cuiuscumque vtilitatis prætextu
H creaturam creatori præponere, sicut beatus docet Apostolus. Mala enim facienda non sunt, vt proueniant bona, nec licet alicui dispensare contra præceptum Domini, quod in lege vel Euangelio perpetuam habet causam. Vt autem mihi possitis commodius prouidere, vt clamor pauperis introeat in aures vestras, quartus exilij mihi annus elapsus est, cum tamen Domino Regi per me & per alios sæpe obtulerim, quod licet conscientia teste, non meruerim iram eius, tamen pro recuperanda gratia eius, libenter facerem quicquid ei placeret, salua conscientia & famæ integritate. Actum est autem mecum per quosdam mediatores, vt recederem à fidelitate, & obsequio Domini Cantuariensis, & iurarem fidelitatem Regi, & obseruantiam consuetudinum regni. Quod quia facere nequeo nec volo, quoniam contra conscientiam est & honestatem, proscriptus exulo, & exulabo libenter, dum Deo placuerit. Numquid enim obediendi necessitatem rumpens in pe-

A ricolo Ecclesiæ, in causa Dei, Patrem & Dominum deseram, & in consuetudines iurabo quas sacri canones reprobant? & Dominus Papa de consilio fratrum apud Senonas vobis ipsis (vt opinor) audientibus condemnauit? Certe obseruantiam canonum aut etiam ipsius Euangelij non iurarem, quia vt Apostolus ingemiscit, in multis offendimus omnes. Et minus malum est simpliciter præuaricari, quam præuaricationem cumulare periurio. Scio autem quod periurij aut inobedientiæ aut cuiusquam turpitudinis nemo vos habebit auctores. Sed quia timeo ne vos tædeat verbositatis meæ, verbi hunc facio finem, supplicans vt vos Ecclesiæ diutius naufragantis studeatis finire miseriam, & quæ nobis iugiter inferuntur propulsare iniurias. Valeat semper Dominus meus, & proscriptorum Christi misereatur. Intercedo enim vice omnium coexulantium: Et si mihi non fuerit exhibita consolatio, mihi tamen reputabo impensum quicquid aliis proscriptis Christi per vos fouero esse
B exhibitum.

Epist. CCXXIV.

Domino Pictauiensi.

Inscriptionis mutatæ causas reddere superfluum puto, cum perspicuum sit præsertim sapienti, quoniam malitia temporis, & insidiantium vigilantia præter morem scribere cogant, & contra rationem. Indulgendum est ergo necessitati, si non defertur honori: Nec habere debet suspicionem iniuriæ cui conspicua suffragatur approbatæ ratio causæ. Vnde vero præsumptio videtur officij attulisse dispendium, inde caritas necessitatis arctata stimulo suscipit incrementum. Nam & fornacis augentur incendia, si in flammas erumpere prohibentur. Et vt experto credatur auctori, quanto plus tegitur: tectus magis æstuat ignis. Et sicut hic semper in motu versatur, & impatiens est quietis, ita caritas ocij
C nescia, iugiter officiosa se ipsam semper aliquo prodit indicio: si non colit obsequiis, si opportunitates non expedit, si prohibetur vtilitatibus deseruire, certe quin votis adiuuet, quin desideriis obsequatur, quin precibus necessaria & obedientia procuret omnino præpediri non potest. Huius itaque purgetur officio si quid temeritas inscriptionis videtur in limine præsumpsisse. Et quia memini me promisisse nouorum qui emergerent apud nos communicationem, pauca, quæ postquam vobis scripsi nouissime per seruientem M. Reginaldi innouata sunt, adhibita celeritate segregare curaui. Innotuit vobis præfati seruientis ministerio quid actum sit in colloquio Cardinalium & Domini Cant. inter Gisorcium & Triam. Illis autem ab inuicem discedentibus Cardinales adeo turbatum regem inuenerunt, vt palam quereretur se proditum esse à Domino Papa & minaretur se ab eo recessurum, nisi de Cant. Archiep. iustitiam faceret exhiberi. Deinde multis consiliis vltro citroque habitis, & rege nunc proceres, nunc Episco-
D pos & Abbates, nunc familiares suos, nunc Cardinales simul, nunc alterum sine altero consulente, tandem se ad iustitiam obtulit, dicens se paratum esse per omnia stare iudicio & mandato eorum super omnibus querelis quæ vertuntur inter ipsum & Dominum Cant. adjiciens se præstaturum in initio omnem cautionem tam iuratoriam quam fideiussoriam & ampliorem si Cardinales vellent, quod de verbis eorum nec iota nec apicem præteriret inobseruatum: dummodo illi quod minimo debetur homini id est iustitiam exhiberent. Cui cum Cardinales respondissent, quod non acceperant potestatem super Cant. iudicandi sed componendi, Rex ab eis petiit & obtinuit, vt hanc humilitatem eius scriberent Domino Papæ & sinceritatem causæ eius sicut didicerant à sapientibus & religiosis Eboracensi Archiepiscopo & Episcopis Londoniensi & Cicestrensi & Vuigornensi transmarinis, & item cismarinis Rothomagensi, Lexouiensi & Baiocensi. Post processit Episcopus Londoniensis & cum in Archiepiscopum

E suum veneni multum euomuisset, obtulit causam suam & aliorum Episcoporum qui contra memoratum Cantuariens. appellauerant, instans nomine Regni & sacerdotij vt audiretur & finiretur: legatis vero dicentibus itidem se non posse compellere Cantuar. & illum nolle contendere, prorupit Episcopus & alij qui aderant nomine Regni & sacerdotij in appellationem, inhibentes ne Cantuariensis contra alterutrum aliquid innouaret, ponentes vtrumque sub protectione Domini Papæ vsque ad diem appellationis quam prorogauerunt in annum alterum (scilicet) ad festum sancti Martini. Londoniensis tamen speciales causas pro se posuit impugnans libertatem Ecclesiarum, quas Cantuariensis Archiepiscopus habet in Episcopatu illius. Quo facto direxerunt Cardinales duos nuncios ad Cantuariensem, qui ei proxima die post festum sanctæ Luciæ porrexerunt litteras quibus continebatur ex parte series: horum & idem Archiepiscopus prohibebatur ex parte
F Domini Papæ & legatorum aliquid facere contra hanc appellationem, antequam adeatur Dominus Papa, Episcopi quoque duos nuncios miserunt Galterum Cantorem Saresberiæ & M. Iocelinum Cancellarium Cicestrensem, vt factam denunciarent appellationem, & eam coram Archiepiscopo innouarent. Sed Archiepiscopus Episcoporum nuncios ad colloquium non admisit: eo quod inter alios Episcopus London. quem Archiepiscopus excommunicatum habet, & Cardinalibus denuntiauerat legatione fungebatur. Et quia communicauerant excommunicatis eius, & si in fraudem Apostolici mandati viderentur minus prudentibus absoluti. Hoc enim tandem & tantum indulserat Dominus Papa, vt si essent in periculo mortis absoluerentur, præstito ante iuramento, quod starent Domini Papæ mandato si conualescerent. Illi autem simulantes se in mortis periculo constitutos, quia oportebat eos ex mandato Domini Regis nunc transfretare, nunc in Gualiam proficisci, à quodam Episcopo Gualensi vtriusque iuris prorsus aut fere ignaro, Laneulensi scilicet,
G qui monasterium Abendonensem vtpote quæstuosius, pro Episcopatu receperat de manu Regis, absolutionem impetrauerunt. Et ne de mandato Domini Papæ possit ambigi, litteras Apostolicas misit Archiepiscopus legatis, quibus districtè præcipiuntur illos sic absolutos reponere in anteriorem excommunicationis sententiam, nisi possessiones Archiepiscopi & suorum & omnia ablata cum integritate restituant, nullius appellationis obstaculo Apostolicum hoc impediente mandatum. Receperant & alias litteras ante, quibus iussi sunt operam dare vt pax sic reformetur inter Reges, ne de eis alteruter queri possit, & prohibentur Angliam ingredi, vel se intromittere de negotiis Regni, nisi prius pax plenissima Cant. Archiepiscopo fuerit reformata. Cum vero Episc. suo & Regni nomine appellassent, quidam clericus Gaufredi Cantoris Archid. vice Domini sui appellauit: Et vnus monachorum cantor non ad hoc tamen missus à fratribus suis, sed vt regis clementiam
H implorarет, ne scelerosus ille Ranulphus de Broc in res monachorum mortuo Priore manum posset extendere. Arch. autem rescripsit Cardinalibus se scire & illos non ignorare quatenus eis obedire teneretur, & facturum auctore Deo, quod Ecclesiæ Dei nouerit expedire. Nunciis quoque eorum & suo plura verbis exponenda commisit, increpans eos in pluribus ex iustis & euidentibus causis: rogauit etiam attentius vt iuxta mandatum Domini Papæ excommunicatos suos vrgerent ad satisfactionem, vel in sententiam anathematis reuocarent: Nec antea credi posset quod Papiens. facundia collegæ sui fidem subuertere valeret nisi nunc arundinea leuitate & concauitate flecteretur ad auram venti non increbescentis, sed communant sibilum excitantis, non plagam inferentis aut ictum. Fortasse sicut hactenus credebatur Spiritus hominis promptus esse: sed deprehensum est carnem esse infirmam. Nam de Guillelmo quod ab initio creditum est nunc clarius elucescit: quia quam magnanimus, quam fidelis in causa Ecclesiæ

A Romanæ coram Frederico Papiæ inuentus est: talis & tantus in causa Ecclesiæ Anglicanæ (si libitum fuerit) inuenietur præsidente vel assidente Henrico. Es quo Domino Cantuariensi persuasum est, vt istorum Cardinalium vel aliorum qui fructum legationis expectent in terra, Regis Angliæ iudicio se nulla ratione subjiciat. De cetero tractatur de pace Regum, Rex Angliæ & comes Henricus contendunt vt alter alterum in hoc negotio possit astutia soperare, sed quia nihil adhuc peperit conceptus eorum relatu dignum, verbi huius executionem in aliud tempus credidi protelandam. Lugdunensis Archiepiscopus Ecclesiam & ciuitatem suam cum honore & lætitia omnium recepit in festo beati Martini. Eadem congressus Fredericus Augustus cum Mediolanen. amissis xxv. militibus in fugam versus est. Dominus Papa receptis nunciis qui Constantinopolim profecti fuerant cum muneribus & honore & similiter legatis Regis Siculi prosperatur in viis Domini, moram
B faciens Beneuenti. Cum plura innotuerint scitu digna, ea vobis Deo propiciante scribere non pigritabor. Valete interim & semper.

Epist. CCXXV.

Magistro Raimundo Pictauensis Ecclesiæ Cancellario suo R. suus Ioannes salutem, & pro voto successus.

SI salutationis antiquæ mutatur species, non imputetur præsumptioni, sed illis qui fidem persequuntur, qui caritatis munus impediunt: qui veritati moliuntur insidias. Sperabant Cantuarienses in aduentu Cardinalium se laboris & doloris solatium recepturos; sed vt timeo, frustra: Nam vt pro animi mei loquar sententia, Vnus eorum plus quam expedit hominem timet, Alter Dominum non veretur. Ita enim, vt dicitur, hactenus in causa Domini processerunt, ac si ille coram rege constitutus ad includendam veritatem secum attulisset car-
C cerem Tullianum. Hic ad comprehendenda iura legum & Canonum vincula Petri. Francorum hæc de eis sententia est. Res tibi latius innotescet ex litteris quas meo I. plenius exaraui. Vnum scio quod aduentus eorum quibusdam amicis tuis quietem abstulit, labores & sollicitudines attulit, & eos sumptibus attenuauit quos vtrum non fecissent incassum. De cætero quotiens opportunum fuerit, sollicita M. I. Sarracenum vt petitioni meæ satisfaciat, & transmittat mihi librum beati Dionysij de Ecclesiastica Hierarchia & diuinis nominibus, quos sicut apud beatum Dionysium didici, nuper transtulit.

Epist. CCXXVI.

Magistro Baldeuuino Archidiacono Exoniensi.

D VBi de feriis agitur, nugas multiplicare non expedit: & indecens est (medicorum more fallacium) cum necessitas aliud exigit, amicis indigentibus verba dare pro rebus. Nosti pridie nominalium tuorum eo mihi minus placere sententiam quod in sermonibus tota consistens vtilitatem rerum non assumpserit, cum rectum sapientibus indubitum sit quod res quærit philosophia non verba. Vt ergo compendiosius agam tecum meorum more realium, ex litteris quæ nostro Benedicto directæ sunt, colliges in quo calculo causa sacerdotij versetur & regni. Tibi vero specialiter scribendum censui, quod interim grauius exulcerat animam meam, & cor tuum, vt arbitror acerbius vret: si tamen verum est quod de Vvigornen. nostro in auribus multorum diuulgauit fama celebrior. Dicitur enim quod imprudentius & impudentius versatus est in causa Archiepiscopi & consecratoris sui, conatus ex eo in præsentia Episcoporum & aliorum docere causam Domini Cantuariensis non niti de sinceritate iustitiæ, nec Ecclesiæ quære-

re libertatem, sed duntaxat quæ sua sunt, non quæ IESV CHRISTI, quia cedere non vult ea conditione vt Rex E
perpetuo concedat debitam Ecclesiæ libertatem. Dicitur etiam adiecisse insultando se paratum esse renunciare Episcopatui suo sub eodem pacto. Quod vt aiunt nec illis placuit, qui hanc puritatem ipsius audierunt, tum pro persona dicentis quam diligebant, & opinabantur sanioris esse consilij & voluntatis: tum quia perniciosum esset exemplo: tum quia facile posset hæc Domini Regis benignitas reuocari & Ecclesia in anteriorem immo deteriorem retrudi seruitutem? Quis enim auderet de cætero proclamare in libertatem? Quis causam suscitare in qua & pro qua meminisset tantum cecidisse pontificem? Alia est ergo quærenda via libertatis: Aliud consilium poterit amicis intimare: Et si vult experiri in se ipso an Ecclesiæ & Episcopatus sui sic possit redimere libertatem: quia prout à Cantuariensibus didici, Archiepiscopus huic consilio non acquiescet: neque aliqua promissione se deludi patietur, vt aut F
permutet Episcopatum, sicut aliqui moliuntur, aut desistat à persecutione iuris sui, aut pacem faciat manentibus consuetudinibus super quibus controuersia orta est. Hæc idcirco transcripsi, vt si oportunitatem videris, persuadeas memorato Domino nostro & amico, vt si ei res tanti est, hanc suspicionem purgare non negligat. Omnes enim qui mecum verbum hoc audierunt compassi sunt anteactæ vitæ eius & famæ. Ipse vero Cantuariensis narrantes inhibuit, dicens rumoribus credi non oportere, præsertim cum verbum tanto sit indignum viro. Scio tamen quod aliquantulum motus fuit, sed vt homo prudens gessit tempori morem. Videbis ex rescripto litterarum Domini Papæ, vnde post communiones multas Archiepiscopus Lond. Episcopum denunciauerit excommunicatum: & quare illos quos Episcopus sancti Asaph circumuentus imprudenter absoluit excommunicatos habeat, donec iuxta mandatum Domini Papæ satisfaciant. Et quia Cardinales ipsi fines mandati dignoscuntur excessisse, consilium de reliquo minus audiet. G
Nam iudicandi de eo, nisi velit, non acceperunt aliquam potestatem. Quod Vuigorn. volui præmuniri prodiit ex adipe caritatis & quoties oportunum fuerit, honoricius libenter operam dabo.

Epist. CCXXVII.

Conuentui Cantuariensis Ecclesiæ.

VNiuersitati sanctorum qui in prima Britanniarum sede sancta Cantuariensi Ecclesia Domino famulantur, conseruus eorum, & fratrum minimus salutem, & gratam Deo obedientiam victimis omnibus anteferte. Vnde amantissimi Domini mei & dulcissimi fratres exordiar? Vnde spiritus tristis & alieno consternatus errore verbi sumet initium? Quo miseræ & præ dolore languentis animæ progredietur oratio? Poterat H
hactenus vestra (vt verbo temperatissimo & digno Dominis vtar) negligentia excusari: sed ecce si quis vulgi sequatur opinionem, tepor in odium commutatus est, negligentia transit in contemptum, caritatem mentita simulatio, erupit in fraudem, & se manifestis rerum argumentis conuincit esse perfidiam. Ita (inquam) si vulgi conualescat opinio. Sed quibus de cætero poterit allegationibus infirmari: Profecto quidem in fraudem Dei præsumit sapientia carnis, semper in contrarium proposito pergit euentum, vnde sperabantur compendia voluptatis, inde totius vtilitatis & intentionis dispendia oriuntur. Sic Iudæi ne locum perderent, ne sacerdotum principes gentis amitterent potestatem, Christo tetenderunt insidias: & corruentes in foueam quam fecerunt venientibus Romanis locum perdiderunt, & gentem. Sic & vos si tamen vera sunt quæ vulgus clamat, neque enim facile crediderim quod in tantam vigilantiam & sollicitudinem cæcitas tanta ceciderit, sic

inquam

A inquam misistis ad Regem vt quod ad eum pertinet, priore mortuo vobis alium subrogaret. Quid aliud quæso, fecit Israël absente Moyse, ab Aaron expetens vt Deos fabricaret qui se præcederent in deserto secundum morem gentium, & extorquens caput bouis pro numine, & pro maiestate adorans idolum? sed sicut illud contritum est Moyse redeunte, ità & illud quodcunque vobis datum fuit idolum conualescente lege Domini, & ad Ecclesiam redeunte iustitia, conteretur. Illud in pulùerem comminutum sparsum est in liquorem quem populus bibiturus erat, vt sic quod adorauerant, egerere compellerentur. Et quisquis ille sit carnis opus, non Dei, si tamen bene cum illo agitur de capite vertetur in caudam, & erit abominatio timentium Deum. Nam si male non inuenietur locus eius in terra sanctorum, quam dignoscitur prophanasse. Sed quo pacto accidit quod primi inter omnes Ecclesias regni totius priorem à principe credidistis esse petendum? hac forB asse cautela, ne de cetero vendicare sibi quispiam possit Archiepiscopus in creatione prioris. Non sic fratres, non sic, quin potius verendum fuerat, ne ius amittatis antiquum; dum in prophanam pergitis abusionem, & priuilegium demereamini proprium cum præripitis alienum. Vtinam perniciei huius non dedissetis exemplum beati Benedicti formulam deserentes, terga vertentes ad legem neglectis constitutionibus quibus sancti Patres docuerunt Christianis esse viuendum. Quibus autem rationibus aboleri poterit celebris, & vulgata opinio? Priore mortuo misistis ad Regem. De Archiepiscopo nec mentio facta est inter vos. Prudenter vtique, vt absolueret defuncti fratris animam Rex, ad quem iura sacerdotij credunt qui desipiunt pertinere. Alioquin ratio non occurrit quare curam animarum suscipiat aliquis de manu eius ne dum vestrarum, qui merito scientiæ, religionis, & dignitatis estis in capite Regni prima sede Britanniarum à Domino constituti, quo tota possit insula per vos illustrari, tam doctrinæ verbo C quam sanctæ conuersationis exemplo. Ille quoque sapiens & religiosus frater (nominis etenim non recordor) inito consilio cum Principibus sacerdotum & aliis quos de industria taceo, studiosissimè procurauit, ne vestra, si qua tamen est, possit innocentia per alicuius amici diligentiam excusari, contra Archiepiscopum nomine totius Conuentus appellationem formans & statuens eum aduersarium Ecclesiæ, quasi vobis in aliquo nocuisset, aut constaret eum nocendi propositum concepisse. Visus est homo prudenti consilio qui maluit vos habere patrem & Dominum aduersarium quam amicum. Multi qui aderant hominem diriserunt & imprecationibus persecuti sunt, vbi sentiebant tutam colloquendi esse libertatem colloquij dicentes nihil accidisse mirum, quia Monachi Cantuarienses hoc quasi hæreditariom semper habent, vt Archiepiscopos suos oderint. Et vt verbo faciant fidem, Anselmo inquiunt, bis pro iustitia exulanti nihil vnquam solatij contulerunt. Contempserunt Radulphum; oderunt Guillermum: Theobal-D do tetenderunt insidias; & ecce nunc Thomam gratis insatiabiliter persequuntur. Quis amicorum Ecclesiæ nedum alumnus hoc in compitis Ascalonis & in triuiis Geth sine dolore ab incircuncisis audiet decantari? Quis fidelium Christi lachrymas poterit continere? Deus mihi testis est, quod fratrem illum, quisquis sit, in præsumptionis huius insania, consilio conuentus vsum esse non credo. Hoc tamen aliis persuaderi non poterit, si ratum habueritis quod factum est: si in præsumptorem illum non animaduerteritis castigatione crudeli: si consilio vel auxilio astiteritis illorum qui quærunt animam patris vestri vt auferant eam. Alioquin videbimini mandasse & consentire dicentibus, *Non habemus Regem nisi Cæsarem, Crucifige, crucifige pontificem, qui stare ausus est pro Ecclesiæ libertate:* qui legem Dei traditionibus humanis asserit præferendam. Nescitis quid pariat ventura dies, & ex litteris Domini Papæ coniicietis quanto in periculo positi sint, quos Archiepiscopus excommunicauerat, & vniuersi participes eorum. Nec tuti sunt E appellandi subterfugio, cum summus pontifex appellationes excludat, & legatis iam præceperit, vt eos qui videbantur absoluti, reponant in anteriorem sententiam, nisi satisfecerint incontinenti. Archiepiscopus vero & Episcopum Londoniensem, & alios plures denunciauit Cardinalibus excommunicatos esse, causasque subiecit quas enumerare longum est. Plura vobis interdum & à pluribus scriberentur, nisi quia quæ vobis amici significant ad cautelam, vos velut inimici defertis ad Regem. Valete dilectissimi fratres & Domini, & operosius agite, vt amici vestri qui pauci sunt, proficere possint in excusatione innocentiæ vestræ.

Epist. CCXXVIII.

Roberto Archidiacono de Surr.

INgratitudinis vitio nihil odibilius est apud Deum & F homines, cuius nota merito videbor inurendus si actiones gratiarum lingua siluerit, quotiens post beneficia datur oportunitas colloquendi. Agens ergo quas & quantas pro tempore possum, illum retributorem meritorum vobis confidenter audeo delegare qui bona cuncta larga & copiosa manu remunerat, & nullum malum relinquit impunitum. Hæc est interim consolatio nostra, hæc spes est iugis timentium Dominum. Quis enim sperauit in illo, & derelictus est: fingat qui voluerit: quia inueniri non potest in tota serie sacrarum scripturarum, sed nec antiquus dierum mendax inuenietur, qui se voluntatem timentium se promisit esse facturum. Arram promissionis huius accepimus, iam pollicentis experimur fidem, & miserentis sentimus affectum qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Quintus annus exilij mei euoluitur, & ecce cum mihi nihil ante defuerit solatij, cumulus est quod Ecclesiæ libertas videtur astare pro foribus, & pro parte iam pedem fixit in Insula. Renunciauit enim Rex, sicut nuncij Cardina- G lium attestantur, quibusdam consuetudinibus pessimis quas tamen ante consueuerat vendicare, cum iuramento detestans illas & auctores earum. Consentit vt liberum sit ad sedem Apostolicam appellare: vt Clerici ad secularia iudicia non trahantur: & quædam alia, quæ sic verum probaret facto sicut firmat eloquio, Cardinales nullam habent in Archiepiscopum potestatem: & iussi sunt litteris Apostolicis quas nuper receperunt, Angliam non intrare neque intromittere se de consecrationibus Episcoporum, vel aliis Regni negotiis: nisi prius Cantuariensi Archiepiscopo pax plenissima fuerit reformata. Aliis quoque præceptum est eis, vt omni appellatione cessante reponant in anteriorem sententiam excommunicatos Domini Cantuariensis qui videbantur absoluti, nisi satisfaciant incontinenti; restituentes illi & suis Ecclesiarum possessiones & omnia quæ M. perceperunt. Londoniensis Episcopus Cardinalibus denunciatus est excommunicatus & Domino Papæ, ex causis quas percurrere longum est. Innotescent hæc per vos si placuerit, Domino Episcopo, cui ideo minus scribo, H ne mea necessitas sub obtentu litterarum quæsisse videatur occasionem mendicandi. Vnde vnquam sub exilij huius angustia scribendum censui suspiciosis & coniectantibus indigentium verba semper ad quæstum & consolationem angustiæ tendere: sed his duntaxat quos arbitror amici sermonem non interpretaturos precum esse improbitatem, cum vero precor nomine meo salutari, cui multas habeo, & auctore Deo gratias agam, propter sinceritatem caritatis quam mihi seruat in corde, & cum necesse fuerit ostendet in opere. Valete.

Epist. CCXXIX.

Domino Exoniensi.

SI nihil humani à se Comicus reputat alienum, non ambigo te curare quem sortiatur exitum causa Dei

A & amicorum labor, qui pro libertate Ecclesiæ patiuntur, aut imminentia sibi pericula reformidant. Si quidem mihi pridem multis argumentis innotuit benignitas tua suo merito bonis omnibus gratiosa; sed quod de conscientia dixerim, nulli mortalium quàm mihi dulcior. Poterunt autem tibi quæ gesta sunt in colloquio Domini Cantuariensis & Cardinalium, & item qualiter Episcopi qui transfretauerunt aduersus Archiepiscopum denuo prouocauerunt, constare, cum ex relatione multorum, tum fidelius vt arbitror ex litteris quarum tibi mittuntur exempla. Contraxi namque familiaritatem cum Domino Cantuariensi & coexulibus suis, vt amicis, si forte opus fuerit, possim commodius suffragari, cum nec ille, nec illi secreta sua mibi censeant occultanda: quæ Deo propitiante celabo fideliter, & sic opportunitatibus amicorum subsidium feram, vt hi qui de fidei meæ sinceritate præsumunt, dispendium non incurrant. Hoc enim officiorum gerendorum norma præscribit: hoc certum est vniuersis Cantuariensi-B bus complacere. Amici tui sunt eorum plurimi, & de iure societatis antiquæ velut de fratre confidunt. Vnde se necessarius suis fatentur obnoxios, & illis tanquam sibi contemplatione tui desiderant esse prospectum. Nam quisquis amicis eorum comodius est, est & illis. Licet itaque Dominus Exoniensis, qui sine tuo grauamine molestari, non poterit, nec Archiepiscopo nec alicui suorum amicus inuentus sit aut officiosus in aliquo: tamen quia tibi iure amicus est, doleo quod peruersitas quorundam vix execrabiles ei tetendit insidias, prouideat illi Deus: Et præeunte gratia sollicitus esto suffragiis eleemosynarum, orationis instantia, & deliberandi studio consilium provt à Patre luminum impetraueris ministrare. Nam nisi Deus impediat, aut Archiepiscopum offendet cum dispendio conscientiæ, aut Regem & Cardinales suos. Recepturus est enim si nondum recepit litteras legatorum, præcipientes vt absoluat excommunicatos Domini Cantuariensis, cum ipsi tum præcipiendi sic nullam habeant potestatem, sed inhibiti C sint litteris Apostolicis Angliã ingredi, vel se de regni negotiis intromittere, nisi prius Achiepiscopo pax plenissimè reformetur. Alia quoque præceptione iussi sunt memoratos excommunicatos sine dilatione omni appellatione cessante reponere in sententiam excommunicationis, nisi satisfecerint: provt videre potes ex litteris quarum tibi mitto rescriptum. Archidiaconum quoque Pictauiensem Cardinalis Papiæ nuper absoluit. Ex quo patet quam nulla fuerit à Gualen. Episcopo eis collata absolutio, & quam periculosè sit eis exinde communicatũ. Si ergo illos absoluerit Exoniensis, cum liquidum sit eos impœnitentes esse, offendet primo in Deum, deinde Archiepiscopum grauiter exasperabit. Si vero non absoluerit, Regis & Cardinalium suorum indignationem meruisse. Dicét enim: Ecce iã in propatulo est quod Archiepiscopo prorsus fauet: quod Domini Regis honorem nõ diligit: quod Apostolicæ sedis contemnit auctoritatem. Potuerant Cardinales si circumspecti essent, si timerent Dominum, si brachium suum non ponerent carnem, D reuoluere quid susceperint in mandatis, quæ sit Apostolicarum conceptio litterarum, quid Ecclesiæ expediret, & à mandatis, huiusmodi penitus abstinere. Aut si hominem Deo præferendum decreuerint, quare non iniunxerunt hoc munus vni eorum qui præsentes aderant, & festinabãt ad reditũ? Nam Lond. Saresb. Cicest. Vvigorn. assidebant eis. In humeros Exoniensis vt dicitur impegerunt hoc onus. magis tamẽ impositur Vvigornensi. Qui si vera sunt quæ dicuntur, plus quam tantæ modestiæ virum deceat, in Archie. suum locatus est. Sed accusarentur Episcopi. Nouit Dominus qui sunt eius, & declarabitur veritas in illa die, nec interim nocẽs se iudice absoluetur: Et qui fratri foueam parat, incidet in eam prior. Quid ergo faciet inter has tẽdiculas tuus & pro amore tuo meus Exoniensis? Si consilio polles aut aliquis tuorum gaudẽs eo vtere. Sin autẽ meo interim, quod sine melioris præiudicio dictum sit, adquiesce. Scio enim quod libenter te audit Exoniensis, Si illi venerint absoluendi, mandati tenorem inspiciat, flagitet pœnitentiam, extorqueat E confessionem: Et si mandati forma non impedit, legitimã de satisfactione exigat cautionem. Ostendat & Apostolicas litteras, quibus in anteriorem sententiam ex necessitate reponendi sunt, si satisfactionem exhibere distulerint. Exerceat admonitiones & quæ pericula imminent, diligenter exponat. Quod si per eos steterit, quo minus absoluantur, res ei in tuto est. Quod si pœnitere nolunt, & tamen absolutionem importunius quærunt, respondeatur eis in omni caritate & modestia, quia hæc absolutionis forma Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contraria est, & quæ ab antiquo Episcoporum sine maiori auctoritate exerceri non potest, vt sic ad Cardinalium consultationem negotium referatur. Dicatur etiam eis quod absolutio, non proderit eis ad salutem, nisi præcedant pœnitentia & confessio & satisfactio pro facultate. Numquã enim sic impudentes erunt legati, vt impœnitentes iudicent absoluendos. Si vero pœnituerint, & emendationem publice promiserint, licet ab eis cautio nequeat ex-F torqueri, nec inserta mandato sit, absolui fortasse poterunt, vt Regis & Cardinalium indignatio declinetur: quia præsumi poterit mandatoribus fuisse cautum. Habeatur autem quotiens aderunt vbique publicè protestatio diuini iuris. Veruntamen, Archiepiscopo displiciturum scio, si mandato illorum absoluantur, qui non de accepta potestate, sed de temeritatis audacia mandare præsumunt Episcopis, super quos nullam habent auctoritatem. Et quidem merito displicebit. Sed quia ego & alij amici tui Cantuarienses in multis promeruimus Archiepiscopum quamuis læsum confido fore placabilem, & quod nobis plenè remittet in animo, si quid hac necessitate contra se viderit esse præsumptum. Si vidissem mandati conceptionem, planior esset via consilij. Quare precor attentius, vt ipsius litteras, si adhuc traditæ sunt, mihi mittere non moreris. Nec excidat à memoria, quoniam in litteris quas Ioannes de Oxenoford. attulit, iussit Dominus Papa, vt si excommunicati essent in mortis periculo constituti, tunc absoluerentur præstito iura-G mento, Quod si conualescerent Apostolico parerent mandato. In litteris quoque quibus Cardinales præcipiuntur eos reducere in sententiam Anathematis, nisi satisfecerint incontinenti, eiusdem iuramenti conditio inserta est: Et posteriorum tibi mitto rescriptum litterarum, vt eorum sententia publicetur, & possit indigentibus esse præsidio. Nam qui Deum timuerit, mouebitur vt minus audeat in mortem suam, sed si nondum istum ille tuus amicus aliqua ratione expedierit, laqueum timeo duriorem. Vereor enim ne principes sacerdotum qui consilium inierunt quomodo occidant Christum Domini, & Ecclesiæ perimant libertatem, accitis Officialibus Regis, illum tuum Exoniensem inducere velint aut compellere, vt appellationi factæ consilio Regis & Cardinalium, nomine Regni & sacerdotij, subscribat, & actionem muniat suarum testimonio litterarum. Et fortasse Regis auctoritate præcipient per fidem quam illi debet, & sicut honorem regni & sacerdotij diligit, vt cum aliis nunciis causam suscipiat, & in persona propria subsequatur. Quorum si vnum fecerit, indubitan-H ter credo quidem Deum, & scio quod offendet Archiepiscopum fortassis irreparabiliter. Fuit enim cum aliis appellatoribus apud Norhamtonam aduersariis eius. Item secundo Appellantibus astitit, & habita sunt hæc quasi non fuerint. Si vero nunc tertio non grauatus ratihabitione retorquet ad se malitiam aliorum, cum eis videbitur sitire sanguinem Patris, & magis vulnerabit conscientiam propriam quam Ecclesiæ causam, quam personam illius cuius ruina quæritur. Si non fecerit præterita non proderunt merita, quin Regni & sacerdotij enuncietur publicus hostis. Et licet hæc omnia fecerit, hunc eundem exitum timeo. Ea enim est natura hominis, vt apud eum iacturam faciat omnium meritorum, qui quacunque ratione prætermiserit aut distulerit vnum qualecunque sit adimplere mandatum. Ea autem est moderatio precum & sobrietas mandatorum, vt ei quandoque necesse sit obuiari. Quare summa consilij mei est vt adhi-

A bita diligentia & tota mentis sollicitudine semper teneatur amicus dum fieri potest incolumi religione, Si vero contingat articulus vt aut ipsum offendere necessitas vrgeat aut peccare, Deus est præferendus, & conscientiæ seruetur integritas. Nec fieri mala debent vt proueniant bona: nec offensi placanda est indignatio maiestatis, vt fidelium suorum conuertat aut conterat inimicos. Si ille pro nobis quis contra nos? Itaque si ratihabitionem exegerint, si petierint subscriptionem, mihi videtur salua reuerentia consilij potioris, quod dilatio peti potest, donec Episcopus Ecclesiam suam consulat, & religiosos viros parochiæ suæ. Non enim videtur grandis esse prudentiæ, si homo sine querela se immergat litigiis alienis: Et cum testis sit asserere quæ vidit & audiuit, quid testificari poterit, qui nec interfuit negotio, nec audit nisi partis alterius hostes quærentes quæ sua sunt, non quæ Dei? Et hac eadem ratione vti poterunt, qui appellantibus defuerunt: præsertim cum nec mandauerint
B rint appellari, nec conscij fuerint. Poterunt itaquam, si qui tamen sunt in tanto regno, qui veritatem, quam mente conceperunt, audeant profiteri. Londoniensis timet capiti suo, & ideo furoris socios quærit, vt remaneat imponitum quod à tam multis constiterit fuisse præsumptum. Quod si instantius vrgeant, deferatur si fieri potest ad Cardinalium consultationem. Hoc tamen voluntati Regis negandum non erit, quin pro eo scribatur: quatenus appareuerit iustitia eius: & exoretur Dominus Papa vt Ecclesiæ reformet pacem & Regis honorem seruet, & iustitiam promoueat, sicut docuerit Spiritus sanctus. Si autem specialiora quæsierint, quicquid contra conscientiam & honestatem specificabitur, non habebit speciem vel decorem, certe nec exitus fœlices. Persecutionem causæ suscipere quidem non expedit? sed qui coactus fuerit, gaudebit fortassis dilatione qua necessaria quærat, & domui suæ disponere possit: fortasse sub eo prætextu colligi poterunt, quæ Deo gratius erogentur. In ipsius vero
C legationis susceptione omnia causæ vitia & impedimenta protellanda sunt, vt & conscientia seruetur indemnis, & vt amatus exitus postea non debeat imputari. Exigetur forte de mandatis diligentius exequendis noui cautio iuramenti: sed non video quo modo sine turpitudinis nota præstetur. Nihil autem vtilius esse dilatione credo si potest impetrari: quia auctore Domino interim aut pax reformabitur; aut Dominus Papa, vel Cardinales alio procedent consilio, aut totius negotij formam oporteat immutari. Vtinam veris grauiora sint pericula quæ timentur, & sollicitudo varios timores incusserit amanti. Si Cicestren. & Vvigorn. operam dederint & diligentiam, quod, vt arbitror poterunt, quo modo tuus Exoniensis expediatur, rumoribus minus credam. Alioquin præsumetur eos machinatos esse periculum fratris quod noluerint impedire. Hoc autem certum habeas, quod Archiepiscopus ratas non habet absolutiones quasdam factas à Cardinalibus: Et hoc ipsum significauit eis: deferens tamen Apostolicæ sedi
D noluit eos arguere publice: præsertim cum promittant se celeriter correcturos quod circumuenti præsumpsisse noscuntur. Rogauerunt Cardinales Archiepiscopum ne Londonien. vel alios denunciaret excommunicatos, dum spes pacis esset, & ipse tunc adquieuit.

Epist. CCXXX.

Idem Galtero Albaniensi Episcopo.

MAgnam mihi præstat apud vos audendi fiduciam, quod ille cuius memoria in benedictione est, vtriusque nostrum Pater sanctissimus Adrianus, qui vos in sancta Romana fortissimam (vt spes est) columnam plantauit Ecclesia, me speciali quadam caritatis gratia præ cæteris conterraneis diligebat, & fortunæ meæ casus sortis suæ euentibus connumerandos arbitrabatur. Hæc ipsius ad me affectio nobis adinuicem & aliis insensim paucis innotuit. Sed nisi eum fata præpropere,
E quod nunc luget orbis Christianus, è medio rapuissent, iam innotuisset & mundo. Vnde & mihi de vestra dilectione censeo tutius & in Christo amplius præsumendum, credens quod sicut vos vir beatissimus successorem prælegit honoris, ita immo magis habere studuit hæredem caritatis. Ea ergo fiducia qua ipsum consueueram, alloquor & vos, quia sicut illi obsequium meum plena & sincera affectione deuoueram: ita & quod in me promptum est, honori vestro & gloriæ paratus sum inseruire. Ceterum non video quo modo vester aut Ecclesiæ Romanæ subsistere possit honor, & vnitas seruari corporis Christi, si personarum estis acceptores & munerum, si vobis iudicibus perit innocens: Et quod nuper Gallia fieri vidit & doluit, impœnitens absoluitur criminosus: si Ecclesia Dei spolianda & conculcanda tyrannis exponitur: si iniquitas potens & patens in consistorio vestro de iustitia manifesta triumphat: si Clerici vobis consentientibus aut dissimulantibus dan-
F tur ad victimam sicut oues occisionis: si vsurpatæ prauitates vestro silentio & torpore seruandarum robur obtinent legum. Hoc enim est pro quo exultant, & proscripti sunt miseri Cantuarienses quia mutire audent pro Ecclesiæ libertate: quia sedis Apostolicæ priuilegium protestantur: quia traditionibus impiorum anteferendas prædicant Sanctorum Patrum canonicas sanctiones. Reuoluite, si placet, libellum detestandarum abominationum, & plane videbitis quod aduersarij nostri, immo & vestri & totius Ecclesiæ Dei dorsum conuerterunt ad sanctuarium Domini, & legem non prophanare, sed euertere moliuntur. Si illis decernitis ignoscendum, quia potentes sunt, nos imbecilles; illi opulenti, nos pauperes: si tempora periculosa metuimini, si dies malos expauescitis, vt contra iustitiam ducatis pro malitia dispensandum, nunquid creditis vos hac via Deum placare posse, vt meliora tempora largiatur: vt vos ditet & roboret: vt aduersarios vestros extenuet, & eneruet: nunquid hæc est via Domini? vbi lex? vbi Pro-
G phetæ? vbi Euangelium Christi? vbi decreta & exempla sanctorum? Lex vtique sempiterna est, & solui non potest, quia in quo iudicio iudicaueritis iudicabimini: & per quæ peccat quis, per hæc & punitur. Sed fortasse minuti homines indigni videntur vt pro eis tanti principes debeant exacerbari, & pro aliis æque potentibus esset rigor iustitiæ exercendus. Verum hoc non Apostoli distinctio est, sed arguti Philosophi Trasimachi definientis in eo constare iustitiam, vt plurimum prosit ei qui plurimum potest: cum è contra probati Philosophi definierint eam esse virtutem, quæ plurimum prodest ei qui minimum potest: liberat enim pauperem à potente, & decernit meritis præmia, non personis. Si Rex immunis creditur, quia licet ipsius auctoritate, aliorum tamen ministerio maleficia exercentur, potest & Dauid non imputari sanguis Vriæ, quia ab eo non proprio, sed gladio filiorum Amon interfectus est. Et Achab & Iezabel innocentis Naboth non luent sanguinem, quia fraude iudicij legitur interem-
H ptus: sed ab vtroque regum & pauperum & duntaxat innocentum sanguis exquiritur, eisque non imputantur prælia commissa iure legum. Nonne in consistoriis vestris teritur quod regulariter proditum est, quia ratihabitio mandato comparatur? Nonne & omnia nostra facimus quibus nostram impertimus auctoritatem? A vestro itaque iure collegio infereos, quia si auctoritatem accommodaueritis, si dissimulatione iustitiæ rata habueritis quæ contrà Ecclesiam præsumuntur, totius malitiæ huius reatum incurritis coram Deo & hominibus. Hæc idcirco vobis tanquã Patri & Domino credidi familiarius intimanda, ne consensum detis iniquitati: sed animam vestrã liberetis apud Deum & homines. De cætero quia Remensis Ecclesia dicitur ad curiam proficisci, precor, vt M. Radulpho per Dominum Papam & alios ab Archiepiscopo & canonicis Decaniam obtineatis. Iam enim de eo eligendo sermo habitus est: nec credo quod sit apud eos aliquis litteratior aut honestior moribus, aut liberalior in pauperes Christi. Valete.

Epist. CCXXXI.

Idem Alberto Cardinali.

VEritatem libenter audit amicus veritatis, & salus illius desperanda est, cui gratior est fraudulentæ adulationis illecebra, quam veri salubris asperitas, vnde & vobis quem amatorem veritatis esse non dubito, audentius scribo, ratus non displiciturum quod Ecclesiæ Dei noueritis profuturum. Scio enim in vestro desiderio esse, si cælitus datum fuerit illius imitari vestigia qui pro liberatione eius posuit animam suam. Hæc in potestate Regis Angliæ colliditur & tanta premitur seruitute, vt etiam mentionem fecisse libertatis, læsæ majestatis videatur esse reatus. Collegerunt item pontifices, & nostri temporis Pharisæi in aduentu Ioannis illius insignis viatoris consilium, & in eo consilium inierunt quomodo perderent Christum Domini excommunicatos impœnitentes absoluerent: Euacuarent diuinæ legis & canonum sanctiooes: Et sine crimine committerent & teuerentur inobedientiæ crimen. Sentit hoc Cantuariensis Archiepiscopos & coexules sui qui bonis omnibus proscripti sunt, quia mutire audent pro Ecclesiæ libertate Sperabatur in aduentu Cardinalium aliqua consolatio: sed ecce eo magis erudescunt cornua tyrannorum, quod vident palpari, & non remordeti illum qui fecit & facit omnia hæc. De altero tamen Legatorum merito confidit Ecclesia, quia creditur agi Spiritu Dei. Et vtrum alter potentatui & gratiæ Regis quam appellat hactenus, præferat veritatem. Quod si fecerit, nec confirmationem, nec tolerantiam aut dissimulationem consuedinum Regis ab aliquo Episcoporum exiget, quæ legi Dei patenter aduersantur, sedis Apostolicæ priuilegium dissipant, & omne ius & auctoritatem eorum quæ gerenda sunt in Ecclesia Dei, ut principis conferunt voluntatem. Si pastorale officium non nisi ad nutum principis liceat exercere, procol dubio nec crimina punientur, nec tyrannorum arguetur immanitas, nec reipsa diu stabit Ecclesia. E. quisquis ille sit qui in tantarum prauitatum vsurpatione silere & dissimulare consulit sacerdotes, Hæreticum esse non dubito, & præambulum Antichristi, si ipse non sit personaliter Antichristos. *Clama* (inquit Spiritus per Prophetam) *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Et Apostolus in quo loquitur Christus, *Argue* (inquit) *obsecra, increpa*; & omnem punire inobedientiam promptus ipsi Angelo qui in cælis est anathema denunciat, si se erigat contra Christum, & doceat contra Euangelij veritatem. Et audet homuncio monere & consulere sacerdoti, vt taceat & dissimulet iniuriam Christi, mala faciens vt proueniant bona? Nonne pereuntis impij sanguis de manu sacerdotis obmutescentis sic exquiritur, vt & ipse pro silentio moriatur? Moyses manus non demisisse, sed erexisse describitur, vt Amalech sterneretur. Arca Dei non legitur captiuata nisi quoniam peruersa consuetudine patris sacerdos filios arguens vti maluit, quam seueritate & auctoritate Pontificis. Achab & si reprobus fuerit, præ quibusdam sacerdotibus nostræ ætatis diuinæ legis habuit zelum. Nam qui aurum, argentum, variam suppellectilem, liberos & vxores Regi Syriæ in commercium pacis exposuerat, domorum scrutinia non concessit, vt diuinæ legis seruaret libros quos Rex inimicus præ cæteris omnibus cupiebat auferre. Vnde & legis zelus à Deo auctore ipsi Achab consolationem retulit & triumphum. Petrus solidas inuenit aquas ambulans in fidei fundamento: mergi tamen cæpit, ex quo imminentis auræ timuit flatum. Sed quid ad Patrum exempla decurritur? Nonne Dominus Papa, cuius vitam ad pauperum consolationem optimam & diuturnam faciat Dominus zelo iustitiæ, quem semper habuit, meruisse credendus est, vt hostis fidei Fredericus contritus sit à facie eius, & ira Dei eius castra exterminaret, qui iam videbatur de vrbe & orbe & vniuersali Ecclesia triumphasse. In quo tamen magis (vt indubitanter credo) adiuti estis precibus pauperum Christi, quam vestrorum consiliis aut viribus Romanorum. Audenter quoque dixerim, quod vos suo miraculo citra humanum consilium de faucibus leonis eripuit; vt de cætero semper tantam habeatis in Deo fundatore Ecclesiæ & custode & eodem vestro liberatore fiduciam, quod nec aduersantium minis nec blandientium fraudibus recedatis à via recta, aut contra legem credatis de lege dispensandum. Nam qui Fredericum dejecerit coram vobis, profecto & alios tyrannos si institeritis mandatis eius subjiciet vobis aut omnino dejiciet. Dignetur ergo sanctitas vestra, apud quam non est acceptio personarum Dominum illum qui Anglicanam conculcat Ecclesiam Domino Papæ & fratribus vestris verba veritatis & virtutis ingerendo reprimere: quia si Ecclesia Romana voluerit, & de Domino non diffidat, eum facile perdomabit, sed quidem non istorum ministerio legatorum, nisi altera via incesserint: cum Rex ille de altero eorum præsumat plurimum, quem petiuit ex nomine. Nec tutum esse ducunt multi sapientes & religiosi in tali loco & tanto discrimine sub eo iudice causam Ecclesiæ ventilari, qui Papiæ inter cognatos, amicos, & notos præsens & silens * adminus; nam alij aliud suspicantur, audiuit & vidit Ecclesiæ Romanæ, cuius est membrum, tantum fieri præiudicium, & causam fidei publicæ condemnari. Non enim creditur nunc aut fide sincerior, aut caritate feruentior, aut virtute constantior, nonam ex alto fortitudinem induisse, vt non possit muneribus aut metu flecti, aut gratia hominis qui eo patrono semper vsus est in causa ista. Iam vero vicisset Ecclesia nisi auxilio & consilio eius iurator ille decanus præualuisset: & vtinam nunquam fuisset annulus ille, quem in signum confusionis & sui triumphi videntibus cunctis semper ostentat. Vtinam Dominus Papa peccatum alienum nunquam fecisset suum, & intrusum quem ad gloriam Dei dejecerat iuste, ipse qua cunctis præeminet auctoritate non instruxisset: nec illum fecisset custodem animarum, qui & Ecclesiæ persecutor extitit, & adhuc non nisi carnem sapit.

Epist. CCXXXII.

Idem Ioanni Pictauiensi Episcopo.

PAritum est consilio vestro pro viribus; missum est ad Dominum Papam cum litteris Christianissimi Regis & optimatum Franciæ. Cardinalium nomen viluit apud Francos, eo quod Balaamitæ quatenus licuit inuenti sunt, & digni qui cum suis Madianitis corruant gladio Moysi: Viuificant enim animas quæ non viuunt, & Moabitarum captantes munera populum Dei maledicto & infamia conantur inuoluere. Nec veriti sunt mentiri in litteris quas contra Cantuariens. Archiepiscopum miserunt Domino Papæ sicut multis innotuit qui interfuerunt colloquio eorum: & memorati Cantuarienses audientes & plene intelligentes factam eis ab Archiepiscopo responsionem, quam tamen isti Balaamitæ peruersa interpretatione toxicare conati sunt, & insinuationum fallacia meram subuertere veritatem. Iurauerat enim Christianissimus Rex quod præfatus Cantuariensis non modo non fuis incentor discordiæ Regum, sed conciliator concordiæ, & quantum licuit, pacis adiutor, & cooperator eorum, qui eam plurimum exquirebant. Debuerant Regi credidisse iuranti: nisi quia de suis moribus alios metientes nec Deo nec hominibus habent fidem, vbi dolosi spes refulserit numini. Et quidem de altero nemo miratur, cuius fides ad Deum & Ecclesiam ab ea die innotuisse debuit, qua in hæreticorum consilio Papiensi, vbi Octauianus hæresiarcha receptus est: Frederico mutus assedit: etsi plores opinentur eum expressum dedisse consensum.

A Nonne prouerbialiter tritum est, quod taciturnitas imitatur concessionem? sed tuebitur se regula iuris, & si diuini iuris contemptor sit: Quia qui tacet non vtique consentit: sed tamen verum est eum non negare: Et ita gloriosæ vocis munimine & festiuo eloquio suam apud homines plerosque perfidiam palliabit. Cæterum Francorum prouerbio in ipsum luditur, quia mala corporis operimenta coaptat, cui verecunda & nates patent. Othonis autem fama videbatur hilarior, ideoque multi mirantur & compatiuntur ei quod tam facile recessit à via Domini: nec satis sufficerent admirari, nisi quia celebre est, quia à conuictu mores formantur: Qui tangit picem inquinatur ab ea: vuaque conspecta liuorem ducit ab vua. Cætera posita sunt in ore latoris præsentium: Et ique diligentiæ vestræ rescribere quotiens fuerit opportunum quod credideritis expedire. Expedit autem nosse studia & consilia Balaamitarum: & si quid Moabitæ contra Ecclesiam moliantur: & si B quis est qui manum porrigat Israel: Hoc autem certissimum sit quod Cantuar. Archiep. nullam causam dedit dissidio inter Regem Angliæ & Comitem Flandriæ: quod per gratiam Dei in breui plurimis innotescet.

Epist. CCXXXIII.

Idem Eidem.

Beneficia sæpe conferuntur inuitis: & enim qui in suam perniciem properat, reuocare Charitas consueuit. Quod vtinam Rex Angliæ experiatur. Debitores enim eius sumus: Et vterque nostrum si fieri posset, ei debet ex multis causis (quas enumerare longum est) ea quæ ad salutem pertinent & honorem diligentissimè prouidere, & quantumlibet detrectantem reuocare ab his quæ salutis dispendium offerunt. Quis enim non doleat tantum principem & Ecclesiæ Dei tam necessarium in eo fortunæ calculo esse positum, vt impellente consilio reproborum in suam & liberorum suorum C (quam Deus auertat) subuersionem totus præceps currere videatur? Ex quo enim Ecclesiam Dei (quod sine dolore & gemitu nec dicere, nec meminisse possum) vexare cœpit, & proscribere innocentes, statim excitauit ei Deus hostes vndique, & tantam vexationem, vt vix sedari possit ætate nostra. Locus hic nimis conspicuus est, patens vndique à Britannorum extremis finibus vsque ad nouissimos terminos Gallorum. Ergo in eo diutius immorari nec oportet, nec expedit. Fredericus ille schismaticus insignis dum in Ecclesiam maliciosius & crudelius sæuit, factus est exangustus, & eò perductus est, vt iam optauerit Italiam perdidisse, quam retinere non potest. Timeo ne præfatus Rex ambulans in viis eius, exitum (quod Deus impediat) similem consequatur. Profectò mirum est quod nullus religiosorum ei denunciat tanta pericula imminere. Quid faciunt nunc illi Grandimontani, quos ille adeo diligere consueuit & venerari? vbi nunc Fontis Ebrau-D di fides & feruor in Domino? Certè confido quod si ille Ecclesiæ pacem reddiderit, & recesserit à via mala, propitiabitur illi Deus & impendentia pericula transferet à domo eius. Nam & Achab quia reueritus est faciem Domini, diuinæ comminationis flagella declinauit. Scriptum quoque memini quod in prouerbiis legitur, *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Si ergo expedire credideritis, precor attentius quatenus procuretis vt sancti illi Grandimontani, vel alij quos audire benignius consueuit, eum statuant contra faciem suam, commonentes redire ad cor, declinare à vestigiis Frederici, ne Domino irascente Tyrannum quem habuit in culpa præambulum, præuium habeat in ruina. Nec desistant si obdurescat ad preces, si irascitur ad commonitiones: meminerit potius illud Catonianum: Cumque mones aliquem, nec se velit ipse moneri, si tibi sit charus noli desistere cœptis. Si vero sapiat audiet illos, & per se ipsum cum Domino Cantuariensi faciet pacem, nec me-E diante Romano Pontifice, nec Rege Franciæ, nec opera Cardinalium, nec aliquo præter illum qui medius est, vbicumque duo vel tres congregantur in nomine eius. Sed istud adimpleri non potest, nisi ipsi personaliter colloquantur, & sibi mutuo ad inuicem fecerint fidem: Scio enim quod si alter de altero possit confidere, ipsi sibi optimam dictarent & inirent concordiæ formam. Et quidem Rex bene plenam de Archiepiscopo, sicut certissimè arbitror, posset habere fiduciam: quia vir religiosus est, & id duntaxat agere studet, quod ad gloriam Dei proficiat & conferat ad salutem. Rediens nuper à sancto Ægidio sanus & incolumis per ipsum transitum feci, & tam eum quàm coexules suos sanos esse gauisus sum, & in diuinis exercitiis occupatos. Expectabat nuncios suos à Sede Apostolica redeuntes: sed quia quatenus profecerint incertum est, quid super eo scribendum sit nescio. Paruum munusculum vobis mittit frater meus sibi nuper transmissum: in quo, si placet, po-F tius metiemini deuotionem mittentis, quam gratiam vel vsum muneris. De his quæ vertuntur inter Reges quid scribam nescio, quia adhuc incertum est quid nuncij regis Angliæ, qui ad Comitem Henricum tam crebro discurrunt, valeant obtinere. Comes enim procurat apud Regem Franc. causam alterius Regis. Dom. Goillel. Papiens. interfuit ordinationi Carnotensis electi, viri quidem magnæ spei, & famæ clarissimæ, & magnæ auctoritatis, & virium multarum in regno Francorum. Is est post Regem Franciæ qui Domino Cantuar. & suis patrocinium, consilium & auxilium singulariter præstat. Vobis autem desiderat familiaris esse, & vtinam quandoque Deo propitiante amicitiam vlterius ineatis. Non est enim in Clero Franciæ, vt ex animi sententia loquar, qui eum prudentia & eloquentia antecedat.

Epist. CCXXXIV.

Idem Bartholomæo Exoniensi Episcopo.

G Ex quo prosperè per gratiam Dei circa mediam quadragesimam à sancto Ægidio reuersus sum tuam (dilectissime) super his quæ in Francia & Italia gerebantur præmunire decreui charitatem. Scio enim quia interdum expedit, & sæpe iocundum est, prænosse temporum motus, & quasi factorum seriem ex his quæ nutu diuino mortalium proueniunt meritis contemplari. Sed quia de pace Regum tractabatur, & Fredericus factus crimine & pertinacia schismatis exangustus simulabat se velle ad Catholicam redire vnitatem, propositum distuli, donec plenius innotesceret quem tanta negotia sortirentur euentum. Cum enim Teutonicus Tyrannus, sentiret se militum præsidio destitutum, & Italiæ ciuitates in ipsum irruere præpararent, & ipse temeritate suorum, qui nobilem quendam Papiensem excæcauerant, Papiæ minime tutus esset, eique Mauriennensis Comes ob iniurias sibi illatas omnem exi-H tum præclusisset, vt Lombardorum manus nulla ratione posse euadere videretur, ipse Comitis Blandratensis & Marchionis montis feracis fretus auxilio, diuertit in terram Marchionis, relictis triginta obsidibus Lombardorum apud Blandratum. Alios autem obsides, quos acceperat per Castra Marchionis diuisit custodiendos, & ipse cum præfato Comite, & Marchione; quia eum Lombardi congregato exercitu vsque ad viginti millia militum persequebantur, & obsidere decreuerant; per castella quasi in vmbra mortis latitans fugitabat, vt vix sicut aiunt probi viri pleni fide & auctoritate, qui interfuerunt duobus diebus, aut tribus auderet in eodem hospitio pernoctare: hanc miseriam Tyranni, aut potius gloriam Dei & Ecclesiæ consolationem de nostratibus quidem viderunt Canonici Nouiomenses & nuncij Comitis Henrici: de vestratibus autem legati illustris Regis Angliæ illuc profecti ex variis causis. Nouiomenses enim Archidiaconum suum Bonifacium Italiæ Marchionum, quem elegerant in Episcopum, virum honestum & tota schismatis tem-

A pestate Catholicum reducere curabant. Comes Henricus statum explorabat imperij nuncij vero Regis Angliæ iuramenta præstiterunt de matrimonio contrahendo inter filium præfati Marchionis, & sororem Regis Scotiæ, & ad sæpe dictum tyrannum legatione functi sunt, vt de opinione multorum loquar, quo sic vires & familiaritatem prætendentes imperij, terreant Francos. Sed calliditas hæc in contrarium prorsus exitum pergit: Franci siquidem magis animantur, dum vident hostes quasi desolatos, immo desperatos emendicata suffragia quæritare, & illos implorare patronos quibus opus est defensore. Dum itaque in tantis Imperator versaretur angustiis, & omnino de exitu desperaret, tractatum habuit cum viris religiosis, quos constabat fideles esse Domini Papæ, simulans se cum Ecclesia Dei pacem esse facturum. Est autem in domo Cantuariensi vir admodum religiosus, quondam familiarissimus Imperatori, qui ab eo pridem recesserat ob conscientiam schismatis, & ei plurimo compatiebatur
B affectu. Hic ergo accessit ad eum cum lachrymis sibi pro certo innotuisse asserens, quod pacem non erat habiturus, nisi Ecclesiæ Dei redderet pacem: institit autem, & obtinuit vt euocaret per litteras suas Priorem Cartusiensem, Abbatem Cisterciens. & Episcopum Papiensem, quem expulerant, & promitteret se consilio eorum in omnibus adquieturum: dummodo illi in se reciperent periculum iuramenti, quod contra Papam Alexandrum fieri fecerant. Omnes qui verbum hoc audierunt exhilarati sunt: Et Lombardi iam cœperunt mitius agere, sperantes hominem esse conuersum. Interim sæpedictus Marchio egit cum cognato suo Comite Moriennensi vt Imperatorem permitteret egredi; promittentes ei non modo restitutionem ablatorum, sed montes aureos, & cum honore & gloria imperij gratiam sempiternam. Viri autem Religiosi quos euocauerat, arripuerunt iter excepto Abbate Cisterciensi, qui graui detentus infirmitate, vice sua misit Dominum Gaufridum Antissiodorensem, qui Clareuallensis
C fuerat Abbas, præmittentes fratrem quendam, qui à Tyranno exploraret vbi & quando eorum vellet vti colloquio. At ille audito aduentu eorum, & litteris iam de exitu suo certus inducus impetratis, respondit eos ob hanc causam frustra venturos esse, nisi Angelum de cœlis secum patenter adducant, aut veniant in potestate faciendi miracula, vt possint mundare leprosos, & mortuos suscitare: Et sic illi ad propria reuersi sunt. Hoc mihi idem conuersus Cartusiæ qui legationem gesserat retulit. Imperator autem collectis obsidibus quos dispersesat ad reditum properans, venit ad sanctum Ambrosium habens circiter trigiota milites in comitatu suo, & inde mane festinanter egrediens prope Secusiam in eminentia cuiusdam montis suspendit quendam obsidem nobilem Brixensem, imponens ei quod coniurationis Italorum conscius fuerat, & (quod plus est) artifex congregati exercitus, qui eum ab Italia expellebat: Alios vero obsides secum duxit intra
D Secusiam. Ciues autem & incolæ loci portas claudi fecerunt appositis custodibus armatis, & tyranno obsides abstulerunt, dicentes sibi ab aliis ciuitatibus excidium & exterminium imminere, si vicinos suos & amicos viros Italiæ nobilissimos sic paterentur abduci in Alemanniam occidendos: præsertim cum adhuc in Italia suspenderit virum potentem & generosum: sibi vero & suis exitum patere cum libitu. Tantam quidem adhibuerunt diligentiam obsidibus retinendis, vt neminem permitterent egredi qui Italicè loquerentur. Imperator autem assumpto habitu seruientis quasi vt alicuius magni viri procuraret hospitium, cum aliis V. seruientibus noctu egressus est lætus, quod ei fata concesserant Italiam perdere, quam demeruerat diutius retinere. Inde transiens Crisopolim suam turbauit Burgundiam proceribus intentans minas: Et progrediens Alemanniam & Saxoniam supra modum turbatas reperit, & fratrem suum sentit præ cæteris inimicum, cum tamen ei plurimi aduersentur. Porro Lombardi post egres-

E sum eius Blandratum diruerunt, extractis inde obsidibus qui ibi relicti erant, & interfectis Teutonicis fere omnibus quos ad custodiam castri deseruerat Imperator. Decem autem nobilissimos & ditissimos Alemannos dederunt in solatium mariti, vxori illius Brixiensis, quem supra prope Secusiam suspensum retuli, vt illa prout libuerit eos aut suspendat, aut perpetuæ subjiciat seruituti: vel redemptionem accipiat. Exinde damna multa Marchioni dicuntur intulisse: & nunc rumor est eos obsidere Papiam. Et certum est quod Papienses iam in Alemanniam miserunt nuncios Imperatori, denuntiantes quod nisi redierit & opem tulerit, nulla ratione poterunt diutius resistere ciuitatibus. Hæresiarcha Cremensis Romæ est apud sanctum Petrum, vbi cum Romani morari patiuntur inito commercio de reddendis captiuis suis: sed tamen vt aiunt recedere non paterentur. Episcopus Albanensis Domini Papæ vices agit in vrbe: Et si Lombardi Papiam cœperint, spes est Guidonem Cremensem captum iri. Et quidem
F non modo Romani omnes, sed & Tuscia tota schismaticos impugnabit. Adhuc autem incertum est an Dominus Papa Lombardorum velit audire preces se transferendo ad illos: creditur tamen. Prosperatur autem adhuc Beneuenti, nisi nuncij Regis Angliæ, & Domini Cantuariensis in ipsius præsentia conuenerint. Et quidem vtrique benigne & honorifice recepti sunt; sed regalium sicut iustitia minor, sic pompa & diuitiarum ostentatio maior. Cum autem Dominum Papam blanditiis & promissis dejicere non præualerent, ad minas conuersi sunt, mentientes quod Rex eorum Noradini citius sequeretur errores, & prophanæ religionis iniret consortium, quam in Ecclesia Cantuariensi Thomam pateretur diutius Episcopari. At vir Dei nec terrore concuti, nec seduci potuit blandimentis: eisque duas proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis, respondit eos vt cœperant facile posse contempta gratia & patientia Dei pereuntium præeligere viam: sed se Domino propitiante non recessurum à via recta. De-
G tumuit ergo in breui Spiritus eorum: & videntes se hac via contra iustitiam non posse proficere, miserunt in Siciliam nuncios & litteras Regis sui, quibus muniti venerant, vt ope Siculi Regis & Reginæ possent aliquid à Domino Papa aduersus Ecclesiam impetrare. Sed Christianissimus Rex Francorum præsagiens hanc versutiam malignantium, Panormitano electo causam Ecclesiæ & Domini Cantuariens. commendauit vt propriam. Quis alterutrius legationis profectus sit, hactenus ignoratur. Superuenerunt interim nuncij legatorum quos Rex Angliæ impetrauerat, minime coaraptus. Nam quicquid cecinerat alius, alius in curia decantabat: sed nec de istis certum est quid sint ad Dominos suos relaturi. Supplicatum est ex parte Regis & legatorum, adhibitis multis intercessoribus, Domino Papæ pro Episcopo Saresberiensi. Et tandem obtentum vt ei Summus Pontifex suam remitteret iniuriam & offensam, & Domino Cantuariensi scriberet rogans & consulens vt ei dimitteret iniuriam suam, & ipsum à
H suspensionis sententia relaxans in gratiam reciperet & amorem; si tamen ei in propria persona de satisfactione sufficientem præstiterit cautionem, aut duos de maioribus clericis Ecclesiæ suæ excepto Decano transumpserit, qui iurent quoniam Episcopus eis mandauit, & postea non demandauit hoc præstare iuramentum, quo ipsius Episcopi nomine & vice iurabunt, quod Archiepiscopo de contumacia & iniuria satisfaciet. Ex quo probabiliter colligi potest, quod Dominus Papa sententiam legatorum, qua iam dictum Episcopum absoluerunt, aut ignorauit, aut ratam habendam esse non credidit. Obtinuerat autem idem Episcopus ante litteras fere consimiles, quæ tamen ipsum, & [illegible] non onerabant aliquo iuramento: sed eis nondum vsus est, vel quia Regi displicuerunt, vel quia minoris efficaciæ reputatæ sunt. Quem vero calculum reportaturi sunt alterutri, nesciebatur adhuc quando recentius est prædictarum portitor literarum, sed Dominus

Papa

A Papa rescripsit Christianissimo Regi se Ecclesiæ Dei &
suo Cantuariensi non defuturum quamdiu partem eius
iustitia comite poterit subleuare. Nunc ad Regum no-
strorum colloquia transeamus. Illustres viri Henricus
Campanorum, & Philippus Flandrensium Comites
procurauerunt in conuentu Suessionensi causam Regis
Angliæ apud Christianissimum Regem, & iuxta tan-
dem preces memorati Regis Anglorum in hanc formam
pacis decursum est. Rex Angliæ debebat redire in ho-
minium Regis Franciæ, & fide corporaliter & publice
data coram omnibus profiteri quod ei tanquam Domi-
no suo de Ducatu Normanniæ seruiet, sicut præcesso-
res sui Duces consueuerunt seruire Francorum Regi-
bus. Comitatum vero Andegauensem & Cenomanen-
sem, & fidelitates procerum ad memoratos honores
pertinentium cedere tenebatur Domino Henrico filio
suo, qui inde hominium & fidelitatem Regi Franco-
rum contra omnes homines facturus erat, nec aliquid
B debiturus patri vel fratribus, nisi quod exigit ratio me-
riti vel naturæ. Ducatum vero Aquitaniæ lege simili
Rex Francus Ricardo filio Regis Angliæ concedebat,
dans ei in matrimonium filiam suam; sed sine dote,
quæ tamen erat pro libitu parentis donationem propter
nuptias receptura. De Tolosa nec mentio habita est.
Milites qui altrinsecus capti erant, debebant liberari,
& sic consolidari pax & concordia Regum. Cum vero
Rex Angliæ voti compos audiret comitem Henr. ad se
venire, vt hæc ineundæ concordiæ forma confirmare-
tur, demandauit ei ne progrederetur proficiscens in
Pictauiam, vt Lizioiscum castrum auferret proceribus,
qui illud reædificare conuenerant & munire. Causam
vero quam cum Francis tractabat, commisit Archie-
piscopo Rothomagensi & Richardo de Humaz, & R.
de Luci finiendam vice sua: quorum iuramenta contra
voluntatem Domini sui Franci nostri non appreciantur
vel obolum. Vnde Rex Francus ratus se delusum esse
dolo partis alterius, Bituricas indignans profectus est;
C ibique a partibus Pictauorum iuramenta recepit & ob-
sides, quod nullam sine consilio & voluntate eius cum
Rege Angliæ faciet pacem eis auxilium mutuum repro-
mittens: & iuramento Petri fratris sui, & Comitis Ste-
phani, & Vvillelmi militis Carnotensis, firmans quod
nec ipse faciat pacem, nisi facta pace eorum, & nisi ei
restituantur ablata. Iterato itaque, sed diligentius per
ante dictos comites Campanum, & Flandrensem egit
Rex Angliæ, vt alterius Regis haberet colloquium:
& pacem pro forma, in quam conuenerant, reforma-
ret. Et quidem in Octauis Paschæ colloquium obtinuit
optimatium Francorum, sed faciem Regis videre non
meruit, nisi ante securitatem præstiterit quod Pictauien-
sibus; & omnibus qui Regi adhæserunt, pacem & vni-
uersa ablata cum integritate restituet: Excepto quod
non tenetur Pictauiensibus, sicut nec ei Pictauienses
mortuos suscitare, & casas reædificare combustas. Hanc
ergo fide corporaliter data præstitit cautionem. Et qui-
dem alios articulos pacis apud Suessionem dispositæ fi-
D deliter obseruabit. Hoc ipsum simili modo cautum est a
proceribus eius. Proceres autem Franciæ ei se fide obliga-
uerunt, quod Rex Franciæ si sibi pacta superius posita
& suis seruata fuerint, præmonstratam pacis obserua-
bit conditionem; excepto quod filiam suam non con-
sentit Richardo destinato Duci Aquitaniæ in matrimo-
nium collocare. Hoc tamen de Tholosa expressum est,
quod si Richardus de Comite Sancti Egidij sibi petie-
rit iustitiam exhiberi, Rex causam tractabit iudicio
curiæ suæ. Quæ cum Regi Francorum relata fuissent
ex ordine, consensit vt cum Rege Anglorum loquatur
Dominica proxima post Ascensionem, & secundum
prædictas conditiones faciat pacem. Sed Pictauienses
ei postea conquesti sunt quod Rex Angliæ eos transmis-
so exercitu expugnabat, dum verba concordiæ tracta-
rentur: Exercitum tamen confecerant, sed inuiti. Vn-
de Rex Francus plurimum motus est; sed an hoc impe-
dire pacem possit ignoro, licet enim pœniteat sic con-
sensisse. Cæterum aliquatenus inductus fuit contempla-
E tione deuotionis, quam Regem Angliæ opinatus est
concepisse: Cum enim idem Rex pro reformanda sibi
pace, Francos, de quorum amicitia confidebat, ope-
rosius sollicitaret, & electum Carnotensem didicisset
Christianissimo Regi familiarem esse præ cæteris, eo
quod alios optimates præcedere creditur in timore Do-
mini & operibus sapientiæ accessit ad eum operosius
supplicans vt eum reconciliaret Domino suo, cum quo
& pro quo si placeret paratus erat in Ægyptum profi-
cisci: Electus vero, vtpote vir prudentissimus, volens
verbi latebras sibi profundius aperiri, Estne (inquit)
verum quod dicitis, vt cum eo velitis ire Ierosolymam?
At ille, Nihil vnquam feci libentius si placuerit Do
mino meo, & me permiserit domui meæ disponere, &
liberis prouidere. Carnotensis autem & si dolum subes-
se suspicaretur, hoc retulit Regi Francorum. Ille au-
tem respondit quia turpe erat toties decipi, nec se ali-
qua ratione crediturum ante quod ex animo locutus sit,
F quam humerum eius crucè videat insignitum. Nam cum
hoc antea ei promiserit, & firmauerit cautione, qua
commissa nemo fidelis est, & religionis præstitæ præ-
uaricator appareat, ait stultum esse nudo verbo eius
haberi fidem. Pronior tamen fuit exinde ad concordiam
ineundam. Nunc autem cum audisset, quod dum hoc
promitteret, Pictauos aggrederetur, adeo turbatus est,
vt ei per nuncios suos denunciauerit se ad colloquium
non venturum, nisi ille Pictauensibus securum præ-
beat commeatum, & det obsides, quod nec in itu, nec
mora, nec reditu ipse vel sui aliquam eis inferet læsio-
nem. Etiam certum est, quod si salua honestate potue-
rit à conditionibus resilire opportunitate temporis gra-
tanter vtetur. Sunt etiam qui putent, quod Rex An-
gliæ nullo modo tantam possit ignominiam sustinere,
vt his pacem & castra cum cæteris ablatis restituere
compellatur: Qui interfecerunt proceres suos, & ho-
mini & voluntati eius tanta contumacia restiterunt. So-
let enim improbus esse, præsertim vbi impetum impa-
G tientis animi succendit iniuria, alij autem quia homo
versutus est, & se videt in arcto positum, opinantur
quod solita simulandi arte vtetur ad præsens, & acce-
pto tempore de inimicis optatam expetet vltionem. Sed
quicquid faciant Reges, non creditur quod Pictauenses
cum eo ineant pacem, eo quod desperant se posse fidem
reperire in homine à quo se etiam innocentes contra fi-
dem læsos esse queruntur. Verum superuacaneum est
varias retexere opiniones, cum rerum euentus in breui
ipsam detegat veritatem: quam, cum innotuerit tibi,
auctore Deo, quantocius potero significare non pigri-
tabor, tam de pactis Regum quam de statu Domini
Papæ, & causa Ecclesiæ Anglicanæ diligentissime refe-
rens quicquid relatu dignum esse credidero. Tu mihi
de statu tuo & amicorum rescribens vicem redde: ha-
bens & à sanctis haberi faciens in bono, mei & meorum
memoriam ante Dominum.

EPIST. CCXXXV.

H *Idem Baldevvino Archidiacono.*

ET si paruitas mea ad dignas gratiarum non suffi-
ciat actiones: opinioni tamen præiudicium fa-
ciam, si de taciturnitatis merito præsumatur, me
beneficiorum esse immemorem, & vicem referen-
di in officiis amicitiæ deesse voluntatem. Vbi ergo fa-
cultas suspenditur voluntatis, par est, & voluntas cu-
mulata charitate, & gratia suppleat inhibitæ facultatis
officium. Si enim verum est, quod nulli dubium est
verum esse; quia totiens experti sumus fidem haben-
dam esse prouerbio.

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negatum,

probabiliter conijci poterit me quo magis inhibeor &
arceor ab amicis, eo amplius ad amicitiæ officia re-
pendenda, & ardentius incitari. Si mihi non credis
consule amatores: Et si perfectè vis instrui, disce vel

A nunc quod te hactenus arbitror ignotare. Te mulieres fidelissime perdocebunt quanta sint prohibiti amoris incendia. Et si adhuc perfectius desideras erudiri, te tibi commissi docere poterunt sacerdotes. Ago ergo deuotione quæ cohiberi non potest amplissimas gratias, certus quod qui calicem aquæ frigidæ remunerat præmiis sempiternis, & hic tibi iuxta fidem Euangelij centuplum reddet, & in futuro pietatis meritis coronabit. Et quidem spes est quod procella quæ tamdiu collisit Ecclesiam, serenabitur in breui: Et qui eam turbauerunt ab Aquilone & occidente, iam videntur in illius iudicio conueniri, qui potentes potenter punit, & aufert Spiritum principum. Iam qui ab Italia proscripti fuerant redierunt, Schismaticus Exaugustus turpiter & ignominiose perturbatus, fugatus & exclusus est à Lombardis, in transitu suam turbauit Burgundiam: Alemanniam totam reperit turbatam, vt ei iam videatur promeritum præcipitium imminere. Quid er-B go superest a Domino expectandum, nisi vt & ei competant latera sua: Et quos complices habuit in errore, comites habeat in ruina. Nam & in Rithmachia ludentium hoc indicat iocus, vbi quotiens aufertur pyramis intercepta, totiens concidunt latera eius. Nonne harum pyramidum instar habent sæculi potestates, & quælibet amplæ domus, vbi quia corporis membra capiti suo concurrunt, qui de illius viribus contra Dominum intumuerant, & in Christi pauperes sæuiebant, profecto cœlum & terra transibunt, sed non verba Domini G. & qui nunc prædator est, erit & ipse in præda: & qui sine misericordia iudicat, sine misericordia condemnabitur. Et cum peruerso peruertetur & Deus, & per quæ peccauit quis, per hæc & punietur: & pro iustitia patientibus veræ beatitudinis dabitur consolatio. Hoc vtique probabilius, quàm vt cœlum & terra transeant; quia euidentior assistit ratio æquitatis, sed non verius: quia vtrumque Dei decretum est, & integritas fidei. Valete.

C

Epist. CCXXXVI.

Idem Roberto filio Ægidia.

MAgnum (frater) est quod prorogatiua exigit Sacerdotis: sed gratia Dei est quæ maxima largiri consueuit, sine ea nihil potest humana fragilitas, & per eam quæuis infirmitas ad quantumlibet grandia conualescit, vt exigente necessitate vel vtilitate saliat sicut ceruus claudus, & eloquens sit lingua mutorum. In eam ergo te projicias totum, & vt obtineas profectum in illa studiosius elabora. Nam sicut indigentes præuenire, sic negligentes deserere consueuit. Non est (frater) damnum dispendiosius quàm si quis à gratia excidat: Et vt nosti iactura turpissima est quæ per negligentiam fit. Omnes Ethici tam nostri quàm Ethnici negligentiam conantur excutere, vt & Cato, qui à teneris medullis ebibitur, quatenus animo firmius hæreat, filio D dixit: custodi rem tuam. Et Salomon precepit nos imitari formicam quæ æstate colligit vnde viuat in hyeme. Quid autem magis est nostrum quam gratia & munus Dei? Dicitur enim gratia quasi gratis data. Huius acerrima impugnatrix est negligentia quam patribus familias sæpe ingerit genus dæmonij, quod non ejicitur nisi in oratione & ieiunio. Tu cum decreueris aduersus hoc poteris ieiunare, sed sine intermissione orabis: non quidem vtens verbis sapientium huius mundi, qui fere dicunt, pulchra Lauerna da mihi fallere, da sanctum iustumque videri: sed Euangelicis quibus ad Patrem vsus est Filius dicens: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*, & aliis conuenientibus huic causæ. Sed adhuc excellentissimam omnium viam, fraternam dico & docet Apostolus charitatem, qua te conuincit incedere proscriptorum commemoratio fratrum. Et cum fraterna commendatur, non excluditur vt opinor, sororina. Valete.

E

Epist. CCXXXVII.

Idem Radulpho de Arundel Monacho Cantuariensi.

QVod hactenus tibi non scripsi, ratio ex causa duplici, si tamen intueri placeat, in absoluto est. Primo quod ignorabam an reuerentiæ tuæ placeret paruitatis meæ scripta suscipere, qui proscriptus eram violentia publicæ potestatis, & talis habebar à plerisque pro causa Domini, qualis ab hæreticis schismaticis & excommunicatis denominabar, sunt enim homines temporalium amatores quos non ætas discernit aut sexus, non titulus professionis, non gradus ordinis, non eminentia dignitatis, non fortunæ conditio, non naturæ fere in omnia creata dominantis impulsus, non insigne habitus aut qualitas vestis excipit, sed sola euidentia F meritorum, qui adeo verentur potestates, vt nisi ab eis venia impetrata, nec cum ipsa salute audeant vel solius verbi habere commercium. Et quidem verbum Dei, salutis commercium est, quod vtique protestari non audent coram hominibus, sed impugnare præsumunt publice confidenter. Deinde nesciebam & si personam meam eo quod Ecclesiam Cant. semper amaui, & vt multis constat ei in multis patenter profui, à te sicut ab aliis quos promerueram, amari confiderem; quid de causa suscepta sentires, & an votis & fauore velles assistere cum turbis & principibus sacerdotum eis, qui Christum Domini persequuntur, an expectare nobiscum, (Catholicæ Ecclesiæ filiis dico) regnum Dei. Ex quo autem mihi de sinceritate tua constitit, te per illos quorum mihi fides in Domino fuerat explorata, non distuli salutare, paratus habere tecum prout decreueris verbi obsequiique commercium. Nam ab Apostolo didici, quia verbum Domini non est alligatum. Certe nec Charitas: quoniam fortis est vt mors: & sicubi non si-G mulatoria, sed vera est ab exhibitione officij cohiberi non potest, otij torporem nescit, & sui conuincit veram esse substantiam non verbo vel lingua, sed opere & veritate. Et tua quidem quam ad Ecclesiam habes ex eo perspicua est, quod ipsum operose & efficaciter excusasti ex contingentibus, quatenus causæ genus admittebat, nihil omittens. Sed vtrum ille Manerius, cui forte congruum nomen quod mane ruens in præcipitium tendit, datum est, nec apud nos, nec apud posteros habebitur excusatus, qui syluis & saltibus peragratis, summo surgens diluculo curialium venaticam exercuit in patrem & Dominum innocentem, cum tamen pelle ceruina nondum esset indutus, nec expositus ad prædam diuino nutu. In se Poeticum scommatice poterat retorquere. Ab Actæone S. D. C. V. & in venatores huiusmodi Euangelicam ledoriam, quam in Iudæos Christus intorsit. *Multa bona opera ostendi vobis à Patre Deo, propter quod horum me vultis occidere?* Ille tamen habet Ecclesiam suam, & habebit à modo excu-H satam, si tamen rei exitus scripti tui fidem corroborauerit. Nam arbor cognoscitur ex fructu suo, & operi singulorum eis testimonium reddunt maius Ioanne. Sunt tamen inter vos tenentes doctrinam Balaam, excommunicatorum complices, & auctures erroris, quorum merito, quod Deus auertat, timendum est, ne tota Ecclesia labem contrahat, & maculam famæ. Non enim, vt nosti, dicunt insidiatores, hoc fecit ille vel ille, sed hoc faciunt Monachi Cantuar. aut monachis. Qualis fabula est nunc in partibus cismarinis de prædicto Manerio, cuius nomen celebre est ex causa criminis, quod virtute non potuerat promereri? Quod si ei falso imponitur, non me, sed Cardinales accuset, qui de ipsius appellatione scripserunt. Valete.

* * *

A EPIST. CCXXXVIII.

Idem Vuillelmo Britoni.

ASseris, vt ex litteris, quas Magistro Radulpho misisti, conjicio, quod exceptio mea vel declamatio facile poterit confutari; quia factum quod arguebam, non eo quod expositum fuerat processit modo: & vtinam ego potius errauerim in facto exponendo, quam Ecclesia in committendo. Sitis igitur probabiliter excusati, dum tamen innocentia de meritis operum, quam de persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis potius elucescat. Interim vos Archiepiscopus habebit excusatos, nisi vos accusent opera vestra. Scio enim (quantum licet homini de homine iudicare) quod vniuersitatis vestræ profectum diligit & honorem, & affectione maiori singulos amplecteretur, nisi essent aliqui **B** inter vos qui serenitatem eius prauis suggestionibus aduersus alios incitarent. Vtuntur enim ad hoc ministerio quorundam nugatorum quibus interdum patet accessus, vt auribus eius possint venena sua, vel alienæ malitiæ instillare; ipse tamen frequentissime contempnit talia: Et si interdum sed ad horam non possit non moueri: parcat illi Deus, & ad studia dirigat meliora. Quia ergo te (quod ex inuidia prouenire non dubito) præ cæteris insectantur, custodi innocentiam tuam, & in his quæ vice Prioris egeris palam operare, vt fratrum tuorum testimonio contra æmulos tua sinceritas conualescat. Hoc autem tibi de nouo imputatur, quod Ecclesiam quandam donari feceris, & carta Ecclesiæ confirmari cuidam excommunicato, nepoti scilicet Ranulphi de Broc, quem nullus ambigit anathemate condemnatum. Et sciat quod Dominus Vuillelmus Cardinalis mihi confessus est se non recepisse vt aliquis excommunicatorum vestrorum absolueretur, nisi ante dimissis possessionibus Ecclesiarum, & iuramento secundum morem Ecclesiæ præstito de restituen**C**dis ablatis, & condigna satisfactione exhibenda. Debent etiam quod detrahunt tibi, quod defuncti prioris thesauros occupasti, & ordine plus iusto & solito resolui promittis, in his tamen omnibus nondum auersus est animus Archiepiscopi operum expectans testimonium. Partes tuas & Ecclesiæ quantum Deus donauerit, tuebor & proprias: immo sicut inspector cordium nouit, maiorem his operam dedi, & dare paratus sum. Hoc ab eo impetrare non potui vt Episcopo Rofensi, vel alij de officio suo quicquam committat. Sed & si quis se immiscuerit non feret patienter. Vale post Odonem, & saluta amicos nostros memor mei vtiliter.

EPIST. CCXXXIX.

Idem Richardo Priori de Douara.

FAcies cœli serenatur ab oriente, caput schismatis in aquilone conteritur, & membra linguentia con**D**tabescunt, dolent latera, squammæ soluuntur, vt spiraculum per eas possit incedere. Et iam in occidente suos iustitiæ sol radios vibrat: vnde in breui pax Ecclesiæ speratur affutura, vt possimus amicis soluere gratiarum debitas actiones. Et quidem (amice dilectissime) ego me tibi profiteor debitorem ad tuum vbi & quando potero promptus obsequium. Ergo si res ex liberalitate videtur abesse, tibi ex ea seruum adesse meminens, obtinente eo quod regulariter perditum est; quia beneficium accipere est vendere libertatem: Sed quid dico singulariter seruum; cum me & meos qui intermeant hoc iure teneas obligatos? Horum meminisse iuuabit, cum ille auctore Deo euicerit Ecclesiæ libertatem: qui nunc (quod nostra tam perpetua ignominia est) torcular solus calcat, & de gente sua, Ecclesia scilicet Anglicana comitem vir inuenit.

E EPIST. CCXL.

Idem Roberto vice-Archid. Cantuar.

DOctissimi viri sententia est verba accipienda esse ex sensu ex quo fiunt, non ex sensu quem faciunt. Quam si secutus fueris, mea interpretaberis ex charitate. Quia si loquendo insipiens factus sum, charitas me coëgit. Potueram enim silere qui non conueniebar verbo, nec inuitabar obsequio, nec iniuriis prouocabat, nisi tibi quem diligo viderem periculum imminere. Dominus enim Cantuariensis multa proponit contra te iuste vt asserit; quia & in proprias Ecclesias eius, & in homines dicitis multa præsumere, & cum excommunicatis suis, qui iuris executor esse debueras, palam communicare, & vbi clerici ad redemptionem compelluntur, adhibere consensum vel dissimulationem, &, quod grauis est, ad participium non **F** tam lucri quam sceleris. Neque enim absoluti sunt impœnitentes perseuerantes in scelere & voluntate peccandi. Hoc namque conferre nec Cardinalis, nec Apostolicus poterit. Sensisse autem indignationis eius aculeos, nisi aliquid amicorum tuorum dato consilio obstitisset. Quæ si a te moleste accepta esse cognouero, de te apud illum, & apud te de cætero silebo. Non longas credas solis Regibus esse manus: sunt enim & Pontificibus longiores. Dominus Cantuariensis, sicut pro sua, ita pro tua & totius Ecclesiæ dimicat libertate, quem persequi pro tali causa crimen idololatriæ est. Valete.

EPIST. CCXLI.

Idem Magistro Laurentio.

DE munere vestro caro & glorioso, quod mihi per communem amicum nostrum Magistrum schola**G**rum transmisistis, liberalitati vestræ gratias ago, desiderans vt ei quandoque valeam, prout gestit animus respondere. Et spero, quod per gratiam Dei, nobis in breui dabitur oportunitas inuicem obsequendi; quia iam conteritur caput schismatici, & quæ ei cohæserunt, immo in stercore suo computruerunt membra, necesse est coperire. Nam quo magis insaniunt, eo ruinam suam sitiunt, & vicinius indicant imminere. Morbus cum in summo est properat in defectum, & si peritus est artifex, causa cognita facilius curat. Cæterum medicus Ecclesiæ qui medetur infirmitatibus nostris, & vulnera sanat nunc cauterio, nunc fomentis; miscuit potionem, quæ propinabitur filiis Babylonis, vt inebrientur & corruant, & vasa transmigrationis redire patiantur ad cultum Dei sui. Nec moueamini ad desolationem, si publici languoris impetus Pictauiam nunc infestat. Quia sic frequens est morbos crudescere sanitate vicina. Mouebor autem, si Dominus Pictauiensis ad alicuius preces clauum refigat in oculum, **H** latusque sagitta perforet irreuocabili, & compedibus vinciat pedes; si cum semel quocumque beneficio Dei contingat liberari. Vtinam meminerit, quia primo decipi incommodum est, secundo stultum, tertio turpe. Nam & Phœbum pœnituit munus sine nomine petitum concessisse vel filio: sera tamen pœnitentia, cum cœlum suum tradidisset incautius peturendum. Si Ericius à sede ipsius auulsus fuerit, quærat in quo mollius sedeatur. Oculum non quærat cæcum, qui curare debueras lippientem. Satius est vt vobis Archidiaconatum tribuat, quam alicui iuris ignaro, & religionis inimico. Si cum ipso fueritis, & poteritis, vt arbitror præcauere. Valete & omnes vestri.

* *
*

Epist. CCXLII.

Idem Magistro Osberto de Franresham.

Lator præsentium alumnus tuus est, cui, si distoleris subuenire, notam ingratitudinis incurres apud homines, & forte non eris excusabilis apud Deum. Neque necesse est beneficiorum, quæ tibi contulit pater eius, nunc historiam texere: quia dum sani capitis fueris, nunquam excident à memoria tua. Chirurgicos quidem duriores inhumanos audieram. Sed aliud medicorum genus mansuetos & mites humanitati operam dare: non humanitati dico generandorum carnaliter hominum: sed qua mollius tractantur ægri, qui compatiuntur infirmis, quam consuetum est, homines indigentibus subuenire. Philosophi namque diffiniunt humanitatem esse virtutem, quæ consistit in miserationis affectu, quam præ cæteris virtutibus, & præ cæteris animalibus homo à parentibus, gratia videlicet & natura dotem accepit. Mihi si quid forte peterem, & si magnum esset, credo daturus eras. Huic ergo quæso facias, vnde tibi & mihi debeat gratulari: & ego mihi personaliter impensum multipliciter tibi ad gratiam reputabo. Nec te tantis precibus honorarem, nisi ex ante visis considerem te operam tuam & impensam vtiliter collocare. Et aliqua de mandato meo gerenda sunt, quæ tibi communicabit. In quibus precor (quo fiant commodius) eum adiuues exequendis. Etsi personam tuam in aliquo videris necessariam, quatenus tutum fueris adesto negotiis. Valete.

Epist. CCXLIII.

Idem Galtero Rofensi Episcopo.

Quanta fide & deuotione Domino meo fratri vestro vsque in finem & post finem carnis seruierim, & vos si dignum ducitis potestis meminisse: & mundo notum est: mihique & benedictione quam necessitatis quasi viaticum itineris & naulum sæculi contulit. Confido quos in exilio & proscriptione reperi, prouenire successus. Nam & ipse fere moriens, vt ei nunc quod inspector & iudex cordium nouit, fictitium nihil imponam, me consolari nisus est exhortans quatenus, vt cœpisse videbar, in cultu honestatis & virtutis perseuerarem, & capiti meo manum imponens, data benedictione me præcepit habere fiduciam: promittens, quod si perseuerauero, eatenus mihi proderit benedictio, vt nunquam opportunitatibus meis desit gratia Dei. Ego autem quasi de collata hæreditate securus, & de tanti patris confidens meritis, adhuc spero, & iugiter sperabo, me, prout meum ipsum habere patronum apud Deum: & per hoc gratiam eius mihi non defuturam. Vnde me vobis & vestris fie obnoxium fateor, vt vobis in omnibus assistere debeam, quatenus vestram & meam decuerit honestatem. Teneor enim honori vestro & commodis prouidere, & propulsare incommoda. Et quia hoc mihi ad præsens causa fuit scribendi, si credideritis expedire, mihi prout iustum est, fidem habeatis. Nam in fide quam fratri vestro debeo, ex animi conscientia fideliter, vobis vtiliter loquor, Dominus & pater vester pro libertate Ecclesiæ, & causa Dei exul est & proscriptus, & multis coexulibus oneratur. Si ei subueneritis, & conscientiam liberabitis, & cum liberum fuerit quæ cumque sint opera declarare, expedietis famam, & vobis, & vestris prospicietis in posterum. Sed forte timetis Regem, aut prætenditis paupertatem, & onera gentis vestræ. Certe Deus est homini prætimendus. Et sumptus multos facitis præter conscientiam Regis & suorum, immò & familiarium vestrorum. Nescio enim quid de Episcopo sentiam, cuius dextera ad pauperes noster tenditur ignorante sinistra: & cuius omnia opera vulgi præconio celebrantur, si vos vrget pauperies sane amicis indigentibus si subueniunt pauperiores, si vestris vos onerantibus vultis esse prospectum, date operam, vt ei post dies vestros amicus aliquis reseruetur. Ecclesia per gratiam Dei in portu nauigat: Et satis indignum & probrosum erit in posterum meminisse, si discipulis in remigando laborantibus, nauigio Christi nullam tuleritis opem. Hoc dixerim, non quod Deo teste mihi, qui per gratiam Dei abundo, quæram aliquid erogari: sed vt consulam vobis, & officium peragam debitæ charitatis. Hæc quilibet interpretabitur vt volet, sed testis meus in cœlo est, & conscius in excelso. Valete.

Epist. CCXLIV.

Idem Magistro Radulfo Lexoniensi.

Quas referre non possum, nec proferre liberum est, habeo tibi (frater amantissime) gratias: & eas Domino propitiante tibi vel tuis rependam tempore suo. Non immemor sum, & quondam initæ societatis, & deuotionis in prosperis acceptæ, & benedictionis exhibitæ in aduersis. Et quidem benedictionem pro benedictione tibi dabit Altissimus, cui familiare est pro gratia sua largiri gloriam: & elementiæ suæ dona reputare merentibus ad coronam. Non est amice, qui bonis eius gratuitis non vtatur. Abutuntur quamplurimi præuenti a gratia, præcedentem sequuntur multi: sed electorum paucitas in exitu laboris, quod fideliter optauit, fideliter assequitur, & in calce itineris coronatur. Soli enim perseuerantes vsque in finem, supernæ vocationis brauium apprehendent. Tu ergo (dilectissime) perseuera in eo quod cœpisti: Et qui benedictus Domini es, & Christi Sacerdos, imò & Christus inter filios Patriarcharum, qui super montem Garizin ad benedicendum constituti sunt, exequere quod ordinatus es: benedicito frequenter, sed maxime domesticis fidei, consolare dispersos Israël, miserere pauperum, communica proscriptorum necessitatibus. Et vt ab Apostolo didicisti, ministerium tuum imple, pronem quantælibet difficultatis articulum, si de eo confidis expedies, qui Abrahæ filium hostiam offerenti arietem substituit immolandum.

Epist. CCXLV.

Idem Vuilhelmo de Nordhalla.

Sobrij moris est inualescente strepitu vir grauis silentium moderetur & verba: vt nec velit occlamare clamosis, nec garrientibus oggarrire. Sed ingruente procella turbinis inter tonitrui coruscationes & fulgura fabulam recitare dementis est, & importuna narratio instar est musicæ in luctu funeris iocularium exercentis. Licet ergo te dilexerim, & diligam præ consortibus fere omnibus, quibus commilitabamus in curia: tamen inualescente tempestate calamum censui reprimendum, qui nunc detumescente procella in salutationis & congratulationis alloquium solutus est. Ecclesia namque ab Oriente serenata est: Et Aquiloni iam dixit Spiritus, vt recedat à terra vestra, cedens austro, qui virtutum producat flores, & charitatis opera perducat ad fructum. Interim de te & aliis multis sollicitus per latorem præsentium quid apud te agatur explorare decreui, qui & te de statu meo (qui auctore Deo bonus est) poterit reddere certiorem: & per quem mihi quod placuerit, poteris intimare. Adiecerem aliqua dicenda pro tua quidem vtilitate: sed vereor, ne sub prætextu profectus alieni, proprium viderer captare lucrum. Nihil enim est præter charitatem, quod ab amicis censeam exigendum, qui per gratiam Dei & veterum amicorum, satis abundo: & Apostolum audio suadentem, nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Dominus Cantuar. non sibi laborat, sed aliis, quia profectus eius Dei gloria erit,

A triumphus Ecclesiæ, cleri totius liberatio. Militat quidem publicæ vtilitati, sed adhuc suis stipendiis: imò quod nostratum ignominia est, gentis alienæ.

EPIST. CCXLVI.

Idem Radulpho de Vvingram.

DEdit tibi, dilectissime frater (vt audio) Dominus sacerdotio fungi, sed vtinam promereatur habere laudem in nomine eius. Et quidem spes est, quod gratia quæ tanti boni initium contulit, conferet incrementum, nec tantæ expectationis plantam Christus patietur arescere: qui hortū protectionis suæ munimine conclusum excolere solitus est & rigare. Eras industrius inter conterraneos & coætaneos ante promotionem, & præsumendum est de misericordia Dei, quod iuxta Apostolum vnctio eius te de omnibus expedientibus edocebit. Omnia autem quæ magistra charitate fiunt, expediunt: B Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & oblectant animum. Quoniam hoc cuique sic arbitrij laxat habenas, vt agere liceat impune quod libeat. Hæc vt mihi dicendi causa est, sic, tibi precor, si tamen expedire crediderīs, ratio sit consiliis adquiescendi. Dominus meus & pater tuus exul & proscriptus pro libertate Ecclesiæ cum Petro & aliis discipulis diutius laborans in remigando, iam per gratiam Dei detumescente procella suffragio fidei conualescens, ambulare videtur super aquas & portui appropinquare, si ei opem tuleris, & quasi in terram proiectum apprehenderis: finem vt ex conscientia loquar, tibi & tuis vtiliter prouidebis. Quod per te non potes, poteris fortasse per alium, & sic alieni meriti tibi reputabitur merces. Nec est vt si tepueris, vtaris publica excusatione, prætendens metum: tum quia auctore Domino suspectus non haberis: tum quia vbi libuerit licitum est & facile sumptus fieri, quibus nullus insidiator assistat. Si voluntas affuerit, scio tibi industriam non deesse. Nec hoc dixerim, viuit Dominus, vt mihi cui gratia Dei ministrat C necessaria, faciam quæstum: qui in ratione debiti & accepti nostratibus nondum communicaui, sed vt fraternæ charitatis expleam munus. Amicos enim colere satius, quàm se in seruitutem acceptis muneribus obligare. Valete.

EPIST. CCXLVII.

Idem Henrico Vvintoniensi.

SAnctorum necessitatibus communicare vestra magnificentia consueuit, & oculos in omnem ventum prouidentia circumducit vt beneficentia dignos eligat, reficiat esurientes, & Christi pauperes, prout cuique expedire cognouerit, consoletur. Non enim more nugatorum huius seculi in histriones & mimos, & huiusmodi monstra hominum ob famæ redemptionem, & dilatationem nominis effundiris opes vestras, sed apud eos prudentius & salubrius collocatis, qui timent & in-D uocant nomen Domini, amicos in æterna tabernacula recepturi. Cum itaque vestras eleemosynas enarret & approbet omnis Ecclesia Sanctorum, numquid proscriptos Christi, qui pro iustitia exulant, & Ecclesiæ tuentur libertatem, non respiciet liberalitas vestra? Nec mei (Deus scit) causa dico, cui gratia Domini ministrat necessaria ad abundantiam quantum in exilio complenti animum, & à cuius proposito semper extitit alienum, & est odiosum sub quocunque prætextu mendicare. Res enim semel empta commodius acquiritur in foro rerum venalium; quia vt Philosophus testis est, bis emitur cum rogatur, sed mouet Dominus Cantuariensis, qui multis coexulibus oneratus quod Anglicanæ Ecclesiæ & vestratum ignominia est, suis & gentis alienæ stipendiis militat, pro causa publica totius cleri. Neque enim sibi duntaxat immunitatem quærit, quam facillimè poterat obtinuisse: sed omnibus vendicat libertatem. E Nam cum auctore Deo, quod in breui futurum speratur, obtinuerit, etiam qui in Clero minimus est, de aduersariis Ecclesiæ triumphabit. Scio tamen qui ei aliquam tulit opem, & quantascunque possum gratias ago, certus quod ei centenarij merces centupla refundetur, & quando condiscipuli Petri, qui iam in portu videntur nauigare, optata littoris statione gaudebunt, & ad comprandendum Christo fuerint inuitati: tunc vt iustum est in illa iocunda refectione ei inter cæteros, & præ cæteris sedes gloriosa parabitur, eo quod Ecclesiæ filios audiuit laborantes in remigando. Nam qua fronte tunc apparebit, aut quid dicent, qui nihil auxilij laborantī nauigio contulerunt. Nam certum est, quod Ecclesiam renauigabit, & tunc adiutoribus suis, prout quisque merebitur, erit gloria & confusio sicut persequentibus, ita deserentibus eam.

EPIST. CCXLVIII. F

Idem Roberto de Limescia.

VEritas fuco caret, & amicitia loqui non nouit, nisi facie reuelata. Ad amicum itaque loquens in veritate, precor vt latoris præsentium dirigas vias, & promoueas negocium eius quoniam pium est. Rogatus sum scribere Domino Vvinton. & pro illo intercedere, qui pro me quicquam petere semper erubui & erubesco. Et quidem Deo gratias ago, quod tam clementer prospexit necessitati meæ, vt mendicare oporteat, nec multis teneat obligatus. Paucis enim nostratum quicquam debeo præter charitatem, quam omnibus non debere non potest Christianus. Cæterum Dominus Cantuariensis exul & proscriptos pro tuenda libertate Ecclesiæ & Cleri, omnibus quidem militat, sed stipendiis suis, & multis coexulibus oneratus est. Et cum Dominus tuus subueniat aliis, nescio vbi Eleemosynas suas possit melius & honestius collocare. Da ergo operam, G vt ei opem ferat.

EPIST. CCXLIX.

Idem Roberto Archidiac. Surr.

HAnc inter amicos ratio præfinit legem, vt ab inuicem non nisi honesta petantur: Et si inhonesta petita fuerint, non admittantur. Vbi autem amici petitionibus honestas suffragatur, & eas admittendi facultas suppetit, admittendus est sine difficultate consensus: & adimpletione voti si potest fieri, præuenienda est molestia exigendi. Hanc inter nos seruari cupio, qui amicitiam profitemur: & si contra illam excessero, malo corripi, quam audiri. Compelli quoque desidero, si opportunitate collocata in exequendis officiis amicitiæ fuero pigritatus. Quia ergo preces quas Domino Vvinton. porrexi de honestate nituntur; eas precor vestra industria promoueri. Et quidem non pro me rogo, sed H pro alio, cui magis debitor esse intercedo. Nam pro me precari semper erubui, licet semper gerendi negocia amicorum promptissimam habuerim voluntatem. Dominus Cantuar. suis stipendiis, nisi quatenus Christianissimi Regis Francorum sustentatur munificentia, pro libertate Ecclesiæ militat, exul & proscriptus, & in tota Anglicana Ecclesia paucissimos reperit adiutores. Causam non agit propriam, sed communem. Consolatio eius omnium profectus est. Sibi & suis pacem fecisse poterat, si persecutoribus Ecclesiæ Clerum voluisset exponere. Non video vbi Dominus Vvinton. possit thesaurizare salubrius inter omnes Eleemosynas quas Ecclesiis & pauperibus erogat, quam si Christi proscriptis qui se & sua pro iustitia exposuerunt, & pro libertate Ecclesiæ sustinent, quod sibi visum fuerit, largiatur: præsertim cum patrem suum & filium, qui multorum onera portat, tantum pro lege Dei videat incurrisse naufragium. Patrem dico, quia ei metropolitico iure præsidet. Filium vero quia de manu eius con-

secrationis munus accepit. Ipse enim se illi dedit in filium, quem præ cæteris desiderabat habere patrem, quando eum ad hoc elegit officium: vnde ab aliquibus fratrum suorum stimulos inuidiæ sensit. Nonne plus huic debet ex iure multiplici, quam debuerit Vuillelmo bonæ memoriæ Archiepiscopo Eboracensi, quem sedis Apostolicæ sententia depositum, etiam cum indignatione Rom. Pontificis, ad perpetuam liberalitatis & magnificentiæ gloriam exhibuit in domo sua dolentibus & detrahentibus multis, donec alterius Pontificis miseratione restitueretur? Quo euanuit tantæ nobilitatis insigne? quæ nobis à nostatibus bona vel mala fiunt: Et si præsens ætas mutire non audeat, futura in æuum secula decantabunt. Nec sub prætextu iusti metus, poterit quis fraternæ charitatis colorare defectum: Quia quæ palam facta plena videntur esse periculo, clam fieri poterunt maiori compendio conscientiæ, nec rerum aliquod dispendium importabunt. Qua arte satis nouit, quisquis non est adeo resupinus vt nullos sumptus faciat rege nescio, vel sine conscientia delatorum.

Epist. CCL.

Idem Vuillelmo Noruuicensi Episcopo.

INtermissionem officij, quod me vobis debere profiteor, indicat necessitas, non contemptus. Voluntas enim obedire parata est, si obsequium decreueritis admittendum. Sed fortasse pro tempore dispensatis: & dum furor in cursu est, cedendum potius ducitis quam reluctandum. Nec ego consilium improbo, quod ratio prudentiæ moderatur, vt vtilitati prospiciat, & non deserat honestatem. Cæterum per gratiam Dei in breui futurum est, vt hac dispensatione non sit opus, quia procella iam detumuit, & Ecclesiæ pax esse videtur in ianuis. In proximo est, auctore Deo, vt quod loquor plenius innotescat. Laborauit Petrus & condiscipuli in remigando, quorum vnus est Dominus Cantuar. qui suis aut gentis alienæ stipendiis militans, totius Anglicanæ Ecclesiæ seruit vtilitati. Nam cum obtinuerit, redundabit in gloriam Dei. Triumphum consequetur Ecclesia, Clerus liberationem, & populus consolationem. Et quidem tunc, sicut nec in extremo iudicio, non displicebit si quis testimonio conscientiæ gaudeat, vt opem tulerit Ecclesiæ naufraganti. Aduersus hæc fortasse prætendetur publicæ potestatis metus, & persecutorum insidiæ. Sed certe non est, qui sine eorum conscientia quando libitum est, non faciat sumptum. Nec hoc Deo teste mei compendij causa dixerim, sed vt præmuniam Dominum meum, & expleam officium debitæ charitatis.

Epist. CCLI.

Idem Ioanni Priori Noruuicensi.

DVra est proscriptorum conditio, sed non tam suo damno, quam dispendio amicorum. Vix enim possunt aliquem salutare, qui non ilico suspicetur sub affectionis & venerationis prætextu exerceri negociationem, & officiosos inhiare ad quæstum. Quod ne putes mei esse propositi (charissime) diligentius precor, certus quod iis me Deo propitiante necessariis vsque ad honorem & gloriam abundare. Non igitur tua quæro, sed te, si tamen non excidisti à gratia, & adhuc retines charitatem. Et licet excideris, te tamen quæram, eam in te desiderans reformari, immò te in illa sine qua non nisi deformis eris, quia possum diligere etiam non amantes: Non quod te reputem inter illos, sed etiam si talis fueris exprimo sensum. Reputabo pro munere si me de statu tuo reddideris certiorem. Etsi de meo curas, exilij mei quintus feliciter expletur annus sub Domino Cantuariensi, qui pro libertate Ecclesiæ suis vel alienæ gentis stipendiis militat, nec in Israel reperit fidem. Omnes amici eius spreuerunt ipsum & Ecclesiam inter angustias, & quod grauius est, plurimi persequuntur. Est enim prouerbium sapientiæ: Amicus non cognoscetur in bonis, & in malis non abscondetur inimicus. Nostrates manet, quod sine dolore non eloquor, hæc ignominia sempiterna. Nec hoc dixerim, quod fidelitas Regi præstita lædatur ab aliquo, nisi forte sit præstita contra fidem. Nam sic interdum fides exigitur & præstatur, vbi satius est pœnitere, quam perdita charitate sub prætextu fidelitatis fidem periclitari. Veritas quia directa est, non habet angulos: Et qui se mendacio solo operit, nudus est; hoc proscribendus sensit Adam. Non est iustus metus, qui diuini mandati contemptum ingerit. Rarus aut potius nullus, qui non habeat arcanum Regi incognitum, & qui ex delatorum conscientia faciat omnes sumptus. Hæc ex charitate, quia ex ea processerunt, par est interpretari.

Epist. CCLII.

Idem suo Nicolao.

TEmpora si numeres bene quæ numeramus amantes, non venit ante suam nostra querela diem. Nec suspiceris quod de te queri velim, cuius fidem & deuotionem à multis argumentis probatam habeo, sed tibi conqueror, quod amicos sentio grauissimum passos esse dispendium, & eo quidem grauius quod sæpe præpediente stupore iacturam vix reparabilem non aduertunt. Amicitiam veram, cuius initium, perfectum finem quoque fideliter apud Ciceronis Lælium, sed fidelius ipsius virtutis experientia didicisti, Philosophi gentium prædicant, vt eam vitæ censeant præferendam; quia sine illa sicut iniocunde, sic & Deo & hominibus viuitur odiose. Hanc ego nihil aliud esse crediderim, quam charitatem, sine qua quod fides Catholica docet, nemo fruetur Deo. Ab hac amicos doleo excidisse, vt rarus sit, qui non profiteatur se obligatum esse, aut carni & sanguini & possessionibus suis, aut expressim publicæ potestati in id quod salua caritate non potest obseruari. Quam obligationem si quis licitam esse contenderit, ego illum hæreticum esse non dubito, & reclamante mundo pronuncio euitandum. Ego cautiones istas expertus sum, cui exulanti iam sextus imminet annus, & quod maius est, Dominus Cantuar. & coexules sui quartum peragunt, publicam procurans vtilitatem ad ignominiam nostratum, suis aut gentis alienæ stipendiis militat pro libertate Ecclesiæ, pro sanguine Clericorum, pro consolatione populi, & non est qui respiciat eum. Non est in Ecclesia Anglicana, qui Petrum & condiscipulos adiuuet in remigando laborantes. Sed dices, verentur delatores, quasi sine eorum conscientia nullos cum voluntas adest, faciant sumptus. Et cautio præstita potestati, certè non tenet obligatio. Timent Regem probabile quidem est, & magis quam Deum. Nam cum altero præcipiente prohibeat alterum, vel contra, perspicuum est, cui pareatur. Exigetur fortasse purgatio; sine dispendio conscientiæ & famæ præstari non poterit. Conducibilius enim est subtiliter prætendere reuerentiam & priuilegium Cleri qui immunis est ab huiusmodi iuramentis. Sed inquis, nobiscum iure vel ratione non agitur, sed furore. Nunquid ergo furentibus confurendum est reiecto iure, & ratione contempta. Sed auctore Deo pax videtur esse in ianuis. Nec video, qua fronte in quiete ipsius audeant apparere, qui videntes periculum, & totiens inuocati naufragio eius nihil auxilij contulerunt, vtinam ei vel Dominus meus vel amici porrigant dexteram, ne eos postmodum pœniteat, cum nauigantes Christi discipulos in littore viderint exultare, & reuocari, vt comprehendeant illi. Nec hoc dictum putes, vt aliquid mihi tribuatur, qui per gratiam Dei & illorum quibus à iuuentute coalui floreo & abundo, sed Deo teste desidero satisfacere charitati. De tuo & amicorum statu sollicitus nuncium misi præsentem fidei mihi probatæ: A quo si dignum

ducis

ducis de meo iniquirere poteris, & quod placuerit eidem secure intimare.

E p i s t. CCLIII.

Idem Girardo Cellario Norvvicensi.

GAudens audio te dilectissime, quod honestam Ecclesiæ desideras & speras pacem; nec portionem consensus ponas cum impiis, expectans & ipse regnum Dei: vnde ad eam quam tuo pridem merito comparasti, mihi ad te duplicata est charitas, prompta pro viribus tuis & tuorum vsibus inseruire & parere mandatis. Vtique nec diffido mihi opportunitatem fore, cui diuina gratia supra & contra merita mea & citra operam amicorum necessaria contulit etiam in exilio, quibus possum commode necessarius esse Dominis & amicis, & qui cœpit perficiet: Quoniam sicut præuenit vota iustorum; ita eo auctore, quod timet impius, veniet super eum. Ipso quoque præstante poterit Archiepiscopus, qui solus pro totius Anglicanæ Ecclesiæ salute dimicat, amicis debitum præstare solatium: quia pax Ecclesiæ reformatur contrito capite schismatis & lateribus eius collabentibus in ruinam. Ora ergo & sollicita fratres tuos; quia iam expergefactus est Christus.

E p i s t. CCLIV.

Idem Vvalcamo Norvvicensi Archid.

PRæfinit vir doctissimus & eloquentissimus ex causis dicendi sumendam esse dictorum intelligentiam, quæ regula si in sermone meo fuerit à vobis seruata, non putabor quæstus gratia dixisse quippiam, cui mendicandi tam deest necessitas quam voluntas. Verum dulce est post exiliû quinquenne eo quo fieri modo licet cum amicis non visis à multo tempore gratum communicare sermonem, quis eorum status sit explorare. Nam calculum fortunæ eorum excipere paratus sum, & opportunitatem desidero obsequendi. Nec diffido per gratiam Dei, quin in breui facultas offeratur, cum Ecclæsiæ pacem mihi videre videat accelerare, & Dominum Cant. & condiscipulos Petri, qui sub tempestate naufragij huius in regenda naue sudauerunt ad optatum peruenire portum iam fere conspicuum sit. Nam quæ capiti schismatis conferebant membra conterentur: Eoque succiso corpus totum necesse est interire. Vidimus, vidimus hominem, qui consueuerat esse sicut Leo in domo sua, domesticos euertens, & opprimens subiectos sibi, latebras quærere, & tanto terrore concuti, vt vix tutus esset in angulosis abditis suis. Illum, illum Imperatorem qui totius orbis terror fuerat, vtinam vidissetis ab Italia fugientem cum ignominia sempiterna, vt his cautelam procuret aut ruinam, qui Catholicorum laboribus insultabant ex successibus & furore eius. Ergo conceptam laudem Dei silere qui poterit? ipse enim est qui facit mirabilia magna solus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ne ex acceptis beneficiis hominibus obligemur, qui ei soli debemus, quod viuimus, abundamus, & nunc quam quondam in patria magis in exilio honoramur.

E p i s t. CCLV.

Idem Magistro Nigello.

INtercapedo locorum non præiudicat fidei; & amicitiæ titulus radiat clarius in aduersis. Licet autem iam quinquennis exul, & quod mihi futurum grauius crediderunt Ecclesiæ persecutores, proscriptus: tamen non tam super iactura propria moueor, quam quia in articulo necessitatis fere nostratû nullus est qui naufraganti Ecclesiæ ferat opem. Nam cum multos in pace filios & amicos habere videretur eosque claros eruditione, & insignes virtutum meritis, a latere eius mille & à dextris eios decem millia ceciderunt: & qui croceis inducbantur, amplexati sunt stercora. Sed iam per gratiam Dei turbinis impetus eneruatus est Petri nauis optatum ingreditur portum. Quod tibi ideo curaui innotescere, quia te gaudiis Ecclesiæ non ambigo congauisurum: præsertim cum amicos recepturus sis in pace Ecclesiæ, qui honorem & vtilitatem tuam poterunt auctore Domino promouere. Dominus enim Cantuar. qui pro omnium dimicat libertate, virum induit, qui honori Ecclesiæ velit iugiter inseruire.

E p i s t. CCLVI.

Idem Hugoni Abbati sancti Ædmundi.

QVod in salutatione variatus inscriptio, causa in absoluto est, quia vrgente tempestatis articulo aut nomina supprimenda sunt, aut commerciis non vtendû. Sed non ideo minor est reuerentia personarum, si dignitatum titulus reticetur, nec charitati præiudicat cohibita libertas obsequendi. Nam plerumque & vt in pluribus Poeticum illud obtinet: quod licet, ingratum est: quod non licet, amplius vrit. Et mihi quidem magno futurum erat solatio, si in aliquo liceret sedulitati meæ erga amicos officiosum esse. Et sicut in beneficus obligari necesse habeo, sic alios mihi contingeret obligare. Non esse tamen præter vos fere quisquam, cui in ratione dati & accepti teneat obligatus, cum omnes sub prætextû metus inanis quærant ingratitudinis suæ solatium. Vnde & vobis arctius teneor, qui me citra merita totiens in benedictionibus dulcedinis præuenistis. Ecce enim exilij mei sextus annus astat prosoribus, & nulli eorum, qui mihi dum florerem in patria familiares erant debitores, exstititi onerosus, & per gratiam Dei necessitas nondum ingruit in preces descendendi, quia mihi cuncta non modo ad necessitatem, sed ad honorem & magnificentiam per veteres amicos, ministrat Christus. Et quidem non nostris meritis tot coexulantes & proscriptos exhibet in terra aliena, sed Ecclesiæ suæ parcit & prospicit. Dominus enim Cant. publicam procurat vtilitatem, pro causa Dei dimicat, honorem Cleri vendicat, Ecclesiæ tuetur libertatem, adhuc tamen suis stipendiis militat, aut quod nostratibus infamiam ingerit & causa damnationis est, miseratione gentis alienæ seruit ei populus quem non cognouit, & ipsius sanguinem sitiunt summi principes Sacerdotum. Quis Ecclesiæ status sit aut Regum conditio, lator præsentium plenissime referet, cui quod placuerit, securissime poteritis intimare.

E p i s t. CCLVII.

Idem Azoni Monacho.

AFfectus ab effectu conuincitur, & plerumque sermo bonus donum magnum transcendit in gratia. Quid ergo dicam, qui obice tempestatis exclusus amicis seruire nequeo, nec liberum est mihi illis communicare vel verbo? Scribam ne? sed alienus portitor tutus incertus. Mittam proprium? sed meis tenduntur insidiæ: nec est aliquis qui se in præuisum periculum sponte proiiciat. His ergo difficultatibus rarius & minus scribo: sed certe non minus amo: facilius & verius dixerim magis. Nam vt infirmitatis humanæ conscius & in veteris sæpius attentamur. Sed auctore Deo procella quæ collisit Ecclesiam iam detumescit, & vt in ipsum confidimus prorsus euanescet in breui. Interim mihi propositum est gratia præeunte pro causa Dei & libertate Ecclesiæ Domino Cantuar commilitare, qui cum publicæ seruiat vtilitati, adhuc tamen militat suis stipendiis; aut (quod probrosum nostratibus est) gentis alienæ. Vtinam illi quantulumcumque solatij ministrassem, quod Deus scit, ob tuam quam illius magis loquor vtilitatem. Mihi autem nihil precor, nisi vt Quintilianum quem petij scriptum & emendatum mittas.

Epist. CCLVIII.

Idem Vuilelmo de Dicera.

EXperientia rerum fidelissimam scientiam parit: Et est in vna quaque facultate probabile, quod ex ea videtur artifici. Artis autem cuiusque præcepta intellectu quidem facilia sunt, sed vsu non ita. Difficiliora tamen sunt in Ethicæ præceptis, id est, in virtutum officiis excolendis. At in illis omnibus obtinet charitas principatum, quam ego nihil aliud esse quam verum amicitiam dixerim confidenter & rectè: quæ non modo sui maiestate, sed etiam raritate, omnia in terris expetenda transcendit. Huic ab ineunte ætate operam dedi, meque multos obsequiis promeruisse credideram, sperans quod in affectione dilectionis mihi referrent vicem. Assiduitas ergo amandi & obsequendi contulit vsum: & ille versus in habitum me semper amare compellit etiam non amantes. Nec tamen præsumo me solidatum esse in charitate, quæ religionis culmen est, licet illam sitiat anima mea. Sed mihi teneram quandam fateor adesse affectionem beneuolentiæ qua conuiuentibus etiam nonnullos gentiles legimus placuisse. Hoc autem etsi non radicis firmitudine, naturæ tamen genere & intentionis fine præsertim in Christiano charitas est. Cæterum rarus inuentus est in toto exilij mei quinquennio, qui mihi rependat vicem vnde & maior gratia habenda est raritati. Sed in cuius aure querelam hanc deponi oportuit, nisi tuam? qui & dulcem affectionem ad conuenientes habere dignosceris, eamque radicibus fidei solidasse in Domino. Neque quod Deus & conscientia nouit, querela deposita est de amicis, vt faciam quæstum, quia mihi necessaria ministrat Deus ad abundantiam: sed quia iocundum visum est ei ingratitudinem exponere aliorum, cui omnia loqui possis vt tecum. Hoc duntaxat in calce exigitur literarum, vt charitatis profectui, pariter intendamus, & in me semper & vbique repute tuum.

Epist. CCLIX.

Idem suo Gaufrido.

COmmunis Dominus noster innocentiam tuam apud me satis reddidit excusatam, nisi quia eam anta non crediderim excusandam. Ad quid enim proficit excusatio, vbi culpa præcessisse non creditur? Nam nec ille quem delatorem hoc agere conatus est, vt de tua dilectione aliquid sinistrum suspicarer. Hoc autem solum habeo aduersum te, qood me tanta facilitate corruptibilem credidisti, imò etiam corruptum. Numquid enim corruptus non est, cui suggestionis impetus excutit charitatem? Aut si nosti edisere, quæ sit corruptio maior, quam auulsio charitatis. Certe æque necessarium membrum, nec in membris animæ, nec in membris corporis inuenitur. Si & hæc tua culpa purgabilis est, eo quod ipsum genuisse visus est zelus, fouisse timoris semper indiuidua comes sollicitudo firmasse. Sic & Petrus trepidauit vbi non erat timor, & impedire conatus est humanæ salutis mysterium, dum carnalis affectio studuit ab illa Dominum præpedire. Non sum adeo stupidus, quin perpendam necessitates tuas, quin angustias sentiam quin metiar discretionem, qua oportet temporimotem gerere, & transire per infamiam & famam bonam, seruata tamen radice fidei & virtutis. Si taces, si non scribis, cautela declinas insidias. Expedit enim vt officiorum moderatrix prudentia sapientis actus verba dispensat. Mentis autem agitatio nulla vi potest cohiberi: Nec aquæ multæ præualent extinguere charitatem. Huius instinctu latorem præsentium emisi, vt de amicis certificet, & eos de statu meo faciam certiores. Valeo enim & iocundor si sic illi. Valete.

Epist. CCLX.

Idem Vuillhelmo Priori de Meriton.

AVdita promotione vestra gauisus sum, videns illum Domino meo & amico substitui, cui ad honorem Dei & vtilitatem fratrum neminem in tota Ecclesia censui præferendum. Nam quanta affectione Ecclesiam diligam, nouit ille solus qui dedit vt amarem, mihique testimonium quale potest conscientia reddit. Nec diffido, quin per gratiam Dei in eius succedatis charitatem, qui successistis in sedem: & quin apud vos illum teneam locum, quem tenere consueueram apud ipsum. Vt autem ex animi sententia loquar, me inter primos charissimos reputabat, & paucos & multos qui me præcesserant meritis, gratia præcedebam. Nam de meritis gloriari non possum: & si voluero, videbor & ero insipiens. Tota ergo gloriatio mea nihil aliud est nisi diuina miseratio, & meritum alienum, bonorum dico, quorum post Deum, & per Deum, ope; sum modicum id quod sum. Horum meritum est, quod supra & contra merita mea de stercore erexit me Dominus, & direxit, cum sim puluis & cinis. Et nunc proscripto in gente & terra aliena bona dedit ad abundantiam & honorem. Sed quia male mihi merita respondent & casum timeo, vestris quas affectuosius precor & aliorum timentium Dominum precibus necesse habeo adiuuari. Et hoc quidem est mearum summa precum. Lator præsentium vobis notus est, cum quo, si placet, ibitis ad Dn. Vuintoniensem vt negocium eius promoueatur: si non potestis, mittite fidelem & sapientem.

Epist. CCLXI.

Idem eidem & fratribus vniuersis.

QVotiens vobis preces porrigimus, non eas de nostris meritis ducimus promendas, sed de benignitate vestra quæ gratis nos diu charos habuit, & in multis studuit subuenire. Nam quod exulibus & proscriptis succedit ad temporalium abundantiam & honorem, vestris orationibus & meritis confidimus prouenire. Nos enim quid nisi flagella meruimus & tortores? Ipse tamen, qui nos consolatur in omni tribulatione nostra, plenissime (quod ex conscientia dicimus) nouit quia non hoc merueramus ab illo qui nos persequitur licet à Deo meruerimus grauiora. Præcepit illi fortasse Dominus, vt malefaciat nobis: & si ita est, odoretur sacrificium. Vobis itaque prostrati mente supplicamus attentius quatenus vestris orationibus impetretis à Domino, vt nostri meminerit in bonum. Nam qui nouit figmentum suum nos, scit quid figmento expediat, hoc est vnicum quod postulamus, denunciantes in charitate, quæ Deus est, ne de temporalibus vestris vel cogitetis nobis ferre subsidium. Sit quoque vobis Ecclesiæ causa & Domini Cant. operosius commendata, quia ipse pro libertate Ecclesiæ dimicans, stipendiis propriis & laboribus, omnium seruit vtilitati.

Epist. CCLXII.

Idem Ioanni de Tilebya.

AVdita sanitate tua & verbo salutis, quo me tua dilectio censuit honorandum, gauisus sum medicatione reuersus in tempora meliora, quibus & Ecclesia Dei pace debita, & nos sub optimo Domino societate gratissima gaudebamus, vbi Philosophiæ meditatio, exercitio iuris, officiorum mutua communicatio, collatio literarum, disceptatio vtilis & iocunda tedium propulsabant, & contrahebant moras temporis, vt fere semper ad agenda videretur Augustum. Sed dum hoc loquor, iam mihi videor intueri amicum, cui sermo dirigitur. Philosophus enim est auditis, indignari sermo-

A nibus, & mihi ex charitate compatique languenti, vel erraturi, vel alterutrum simulanti. Timeo namque ne ex præteritorum laude præsentia videar accusare, & amator huius prosperitatis quæ videtur aduersitas, & non est, aculeis superam. Sed si ita esset, frustra per spiritum, qui totas propheticas sibi inuicem cohærentes, & connexas agit & erigit & sistit cum Patribus & filiis Prophetarum, Chaldæam, Chanaam, Ægyptum perlustrassem, aut peragrassem desertum, aut transcendissem montes Samariæ; & post Babylonicam captiuitatem sine causa redissem ad domum Domini: non illam dico manufactam, quæ hircorum & vitulorum sanguine expiata purgatione vmbratili irreparabiliter excisa & euersa est ministerio Romanorum: sed illam in quam Apostolus introducens, & potans me quatuor fluminibus Paradisi docet omnem mundi supellectilem, vt stercora contemnendam, vt solum in quo omnes thesauri expetibilium sunt lucri faciam Christum. Et quidem vt ad tuos gentiles transeam, non modo Stoici, sed etiam B Epicurei, & omnium philosophantium sectæ rerum mundialium contemptum prædicant. Et si eis vtendum pro necessitate conditionis & temporis probabiliter arbitrentur, si contristati de dormientibus, eorum duntaxat est, qui spem non habent, nonne probrosum est Christiano præsertim Philosophum profitenti super amissione temporalium macerari? Non est tamen (vt insipientium verbis vtar, accusantium fortunam aut defendentium, quod ei debeam imputare; quia sic temeritate malignantium in mei consolatione occurit gratia, vt per misericordiam Dei antiquorum beneficiis amicorum (si forte veniatur ad calculum) plus collatum mihi videri debeat quam ablatum: sed & hæc ipsa procella iam Deo propitiante detumuit: & pax Ecclesiæ videtur astare pro foribus. Tu interim pasce oues nostras non iuxta, sed intra tabernacula Pastorum. Valete.

EPIST. CCLXIII.

C *Idem Nicolao Vicecomiti Essexiæ.*

COmites à societatis participatione dici quisquis ignorat, ignarus est literarum quas liberalis institutio primas tradere consueuit. Nam sicut alij præsules in partem sollicitudinis à summo Pontifice euocantur vt spiritualem exerceant gladium, sic à Principe in ensis materialis communionem Comites quidam quasi mundani iuris præsules asciscuntur. Et quidem qui hoc officij gerunt in palatio iuris auctoritate, Palatini sunt: Qui in Prouinciis Prouinciales. Vtrique vero gladium portant, non vtique quo carnificinas expleant veterum Tyrannorum, sed vt diuinæ pareant legi, & ad normam eius vtilitati publicæ seruiant, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Tu ergo quia Prouincialium vices agis, prout loci & nominis index est titulus, vtinam sic exequaris quod exigit Princeps, ne offendatur is, qui aufert spiritum Principum, terribilis apud Reges terræ, cuius Ecclesia sponsa est, qui in D sacerdotium suum sic animaduerterit contemptores, & malefactores quasi pupillam appetierint oculi sui. Quæ enim sibi sapiens optas, tibi dator sapientiæ largiatur. Tibi debitor sum, & de affectione quam ad me & meos habes quantas possum gratias ago, certus quod condignas rependet Altissimus, & benignissimus retributor. Status meus auctore Deo iocundus est, sed de tuo & amicorum certiorari desidero, & securè poteris quod placebit latori præsentium intimare. Valete.

EPIST. CCLXIV.

Idem Petro Scriptori.

ZElus quem habes in Domino mihi notus est à multis annis, vt te sciam super Ecclesiæ statu non posse non moueri. Quippe, sydera quis velit, mundum videre cadentem, expers ipse sollicitudinis, præsertim F si charitas vigeat, vt nihil humanum à se reputet alienum. Talis quidem nuper erat facies mundi, cum ab Aquilone & Occidente in Orientem irrupisset & Austrum, maximam vt videbatur, partem deiectura stellarum, sed sauit in Italia Spiritus sanctus contriuitque schismatis caput, vt ei iam latera contabescant, & membra commoriantur. Non est enim medicus, non incantator, qui ea de manu Domini possit eruere. Spes ergo fidelium est, quod in breui descendet in Angliam Spiritus idem, vt illam quoque serenet Ecclesiam, aduentusque eius multa produntur indicia. Vtique condiscipuli Petri, qui ministerio nauigandi diutius vexati sunt sibi videntur apprehendere portum, & optata littoris statione gaudere, inuitati ad comprandendum Christo. Cæterum quia desideranti animæ nihil satis festinatur, mihi quid responsurus in ore habeas videor intueri. Noui si quidem festinationem perspicaciæ tuæ. Dices ergo vnde hæc non confidentia, sed præsumptio? Quibus quod vaticinatus approbas argumentis? vnde proF missa doces esse complenda? pollicitis diues quilibet esse potest. Nonne flagella duriora meruistis à Domino? Ad quod ego: Expecta modicum, & videbis gloriam Dei: Tunc publicabuntur argumenta, quibus non miraberis nos credidisse: memineris quod cum obsideretur Iesrael in Samaria, & nulla spes euadendi pateret obsessis, ille qui incredulus fuit, quod vno statere modios similæ aut hordei modij duo venderentur, in crastino in porta Samariæ vidit quidem quod Propheta dicente non credidit, sed expers beneficij factus est ob infidelitatem, quia conculcatus à turbis expirauit. At inquis, numquid & tu Propheta es? non vtique: sed nec filius Prophetæ. Cæterum nihil prohibet exulem in deserto pastorum cum eis sicamina vellicare. Nec præsumo de meritis, sed de misericordia eius, qui fideles non patitur tentari supra id quod possunt. Meruimus duriora: sed misericordia eius circa pœnitentes consueuit præiudicare iudicio. Vnum autem est, quod supra modum miror, nonnullos esse in Clero, qui more Iudæorum conspirauerunt cum Principibus Sacerdotum in pernitiem eius, qui solus laborat exul & proscriptus exposiG tus tanquam signum ad sagittam, vt eruat eos à tribulatione malorum & dolore. Nam Dominus Cantuariensis communem omnium procurat vtilitatem, pro libertate Ecclesiæ dimicat, pugnat ad bestias, sanguinem sacerdotij sitientes; suum & totius generis sui sanguinem minoris fecit quam causam Dei, dum legem ipsius ad subuertendas fictas aut inolitas prauitates constanter ausus est profiteri. Suis hactenus & extraneorum stipendiis militauit. Et in Ecclesia Anglicana quis est ei adiutor? Restant plura quidem communicandæ dilectioni, sed suo tempori reseruantur.

EPIST. CCLV.

Idem Turstino de Acolt.

PLura sunt (amice) quæ nostram perpetuare debent H charitatem, & officiorum sedulitatem, sine qua virtus amicitiæ non subsistit, nobis potenter ingerere. Primo contracta familiaritas ex conuictu: Deinde inita iura societatis, quando multo tempore sub eisdem Dominis militabamus. Postremo quod vir meritorum titulis omni laude maior Dominus Pictauiensis vult, vt nos inuicem diligamus, & studeamus nos in alterutrum mutuis officiis præuenire. Nam & gratiam eius ad illum nequaquam dubito minuendam, quam in propulsandis amici incommodis viderit negligentem. Harum contemplatione causarum tibi tandem scribendum censui. Quod tamen tuis & tuorum vsibus magis quam meis certum sit expedire. Nihil enim de bonis tuis, quibus nec indigeo quidem, mihi concupisco, vel exigo, sed vt prospicias tibi. Nosti siquidem quod Dn. Cant. qui tibi iure multiplici Pater & Dominus est, suis & gentis alienæ stipendiis cum grauissimo periculo suo & omnium suorum Ecclesiam Dei à seruitute nititur

liberare,

liberare, & vix in aliquo fidelium suorum reperit fidem. Tu ergo si sapis, vel nunc dum licet prouide tibi, redime tarditatem, communicare necessitatibus eius, vt consolationi possis communicare. Alioquin timeo, ne tibi damnosa fiat familiaritas quã cum excommunicatis eius habuisse diceris & habere. Nec solum Regem timeas; quia & prodesse & obesse possunt Ecclesiasticæ potestates. Hæc tibi secreto tanquam amico dixerim, vtpote quia præfato Dn. Pictauiensi te si quid aduersi immineat, sæpe numero iussus sum præmunire. Si vero voluntas adest, facultas tibi non deerit. Valete.

Epist. CCLXVI.

Idem Baldevvino de Valle Darij.

QVi te loquentem vel scribentem audit, meminisse potest officij quod primum exercuisti in curia, quando sub Rege Stephano, & cum præfato Richardo militabas adhuc pene puer. Solebas esse ingenij perspicacis, & ad omne & omnium super omnes coætaneos tuos promptus obsequium, antequam te Grammaticorum immergeres turbis. Ergo quæ loqueris partim antiquam institutionem redolent, partim doctrinam modernorum. Inde est quod licet antiquam pellem mutare non possis, te tamen literæ faciunt insanire. Sed vt olim scire consueueras, saous insanis videtur furiosus, & ebrius lucernæ duplicari: Et frequens est, vt homines bestias putent, & vt sui non meminerint aut suorum. Quod tamen tibi tuique similibus imputari non debet, quibus tam natura quam mos patrius ebriositatem ingerit, vt ieiuni sobrij esse non possint. Moribus enim Thebani estis. Sic Agaue filium pro vitulo immolat, & quisque apud vos se & sua sacrificat Baccho. Cum Cerere tamen & Baccho lis est. Sed in cereuisia quæ apud vos vincit, regnat, imperat, præualet Ceres, & ingenia vestratum acuit vt Franciam nostram veruecum patriam credas, & Francos esse verueces. Quod vnde tibi in mentem venerit nescio, nisi ex prædicta causa, vel quia tu cum gente tua, nostra id est Francorum cornua times, Nos Francos ebriosos putas, ac si loripes rectum derideat, Æthiops album. Sed hæc & similia vestratibus licent, imò & decent. De cætero si nondum ebrius es, insta oportune importune Britoni super Epistolis Beati Hieronymi, & latori præsentium quam poteris opem feras saluis proprietatibus. Valete.

Epist. CCLXVII.

Idem Magistro Odoni.

AD exilij & proscriptionis meæ cumulum nihil acerbius potuit accessisse, quam vt mihi subtrahatur solatium literarum, quæ præeunte gratia mentem purgant à vitiis, notitia veritatis illustrant, accendunt charitatem, exercitio sui virtutes stabiliunt & confirmant. Dum his operam dare licuit sub alis vestris, & totam in medio totæ cum Propheta, imò cum filiis Prophetarum doctrinæ vestræ beneficio contemplari, & audire per os vestrum, quid Spiritus loquatur Ecclesiis, mihi Regis Anglorum indignatio licet multa gratis abstulit, tamen magnum visa est attulisse compendium, adeo vt fructuosa videretur esse iactura, iocunda læsio, & grata iniuria. Sed cum auulsus sum à sedibus vestris, tunc primum dispendij & læsionis ac aleos expertus sensi, & quidem non solus, eo quod omnium fere scolasticum iactura communis est, non quia desint qui dicendi profiteantur officium, sed quia desunt qui doceant. Magistri enim sunt plurimi, sed operarij pauci: vt plerisque eorum sedentibus in curru Eunuchi Æthiopis ruminantibus legem, ministeria præconantibus & verborum flosculis exquisitis picturantibus speciem verbi Dei, merito dici possit: Putas intelligis quæ legis? Redit iterum miserationis Elogium, quia adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Horum vnus ego ad quem ibo, nisi ad illum, qui panem discipulis frangere consueuit, vt digeri possit & transire in alimenta scientiæ & morum? Alios namque didici integros & duros opponere panes, quibus auditores facilius possunt strangulari quam refici. Precor ergo si placet, vt mihi rescribere dignemini, in quo reperta sit glossa, quæ Augustini concepta nomine tradit Iudæos celebrasse septimum diem, septimam septimanam, septimum mensem, &c. Nam secundum M. Petrum ter in psalterio posita est & in Epistolis semel. Nec ob hoc quæro, quia septimus annus septimæ Decadis ibi dicitur Iubilæus. Constat enim quomodo soleat hic articulus explanari. Sed quia certum est Iudæos nunquam iubilæum id est, quinquagesimum celebrasse. Aut si quis hoc credit, dicat quando: Nam reuinci poterit argumentis, & scio quod in Veteri Testamento non legitur. Quod vtique non tacuissent, qui minima retulerunt; Et si hoc aliquis dicit expositor, sic fortasse accipiendum est, vt dicantur fecisse quod de necessitate mandati facere tenebantur. Nam in scripturis modus loquendi celeberrimus, vt aliquid enuncietur simpliciter quod nisi sub alicuiusmodi distinctione fidelem non recipit intellectum. Hoc & iura speculantibus notum est, & vulgato probatur vsu. Sic dicitur aliquid esse de iure, cum de facto constat esse contrarium, & eandem rem alius de iure, alius de facto dicitur possidere. Scienti legem loquor, & ei qui nutritus & tritus est examinare sermones, & vim ponderare verborum: si quis celebrauit Pascha nobilius: Si quis piscinam construxit, ædificauit aquæductus, aut quid fortiter fecit: aut contrà si maledicenti pepercit, aut serui misertus est delinquentis, hoc auctorum diligentia transit ad posteros. Nunquid ergo probabile est & credibile quod solemnitatem iubilæi potuerint reticere? vbi quæso legitur rescissa venditio? vbi restituta hæreditas? vbi seruorum generalis emancipatio? vbi à ciuitate refugij proscriptus homicida post mortem summi Pontificis inuenitur in patriam redisse? vbi aut quando indicta Sabbata celebrauit terra? Certe Ieremias testis est, quod nec septimum celebrauerunt patres eorum: Et cum tempore Sedecbiæ ad comminationem Propheticam se ad illius solemnia celebranda coram Domino obligassent, & professionem firmauerant iuramento, verbo tenus quidem seruos & ancillas emancipauerunt, sed eos incontinenti reuocauerunt in seruitutem. Quis ergo credat, præsertim hoc non docente scriptura, quo iubilæi legitimos executi sint ritus? Sed nec post captiuitatem sub Esdra & Nehemia docet scripturæ canon, eos hoc habuisse negocij, cum tamen ea quæ gesta sunt diligentius exequatur. Quin potius per Prophetas sæpe Dominus comminatur se terræ legitima daturum Sabbata, quæ inobediens populus denegabat. De Machabæis certum est, quod bellis occupati tantis ociis & solemniis vacasse nequiuerint. Exinde ad Christum medium tenuere cuncta silentium. Et sub Romanis Principibus inualescebat diuinæ legis tam ignorantia quam contemptus. Ad hæc quanta possum deuotione supplico quatenus si habetis aliquam expositionem Ieremiæ in Mateum, eam mihi si placet communicetis, aut si non habetis vos ipsi apponite, quia opus sanctum est, & tam Ecclesiis quam Scholaribus auctore Deo gratissimum. Nec deerit oportunitas scribendi, si Dominus inspirauerit voluntatem.

Epist. CCLXVIII.

Idem Bartholomæo Exoniensi Episcopo.

ALterna fortuna rerum vices mortaliumque conditionem nunc deiicit, nunc extollit. Rectius tamen dixerim & verius quod is qui ventis & mari imperat, exigentibus hominum meritis in polisi mundana, republica degentium in hoc seculo seditiones esse patitur,

A titur & interdum quasi procellas excitat, nunc eas beneplaciti sui miseratione compescit. Hac autem ipsius
dispensatione nuper accidit, quod Illustris Rex Angliæ, licet sæpe solemniter & publice iurasset, se in hominium Christianissimi Regis vlterius quoad viueret,
non seditturum, saniori consilio acquiescens propositum mutauit, & in proximo Epiphaniorum die apud
Montem mirabilem in pago Carnotensi ad memoratum Regem supplex accessit, se liberos, terras, vires
& thesauros, exponens vniuersa contulit in arbitrium
eius, vt omnibus vteretur, abuteretur pro voluntate,
retineret, auferret, daret quibus & quantum vellet pro
libitu, nulla prorsus inserta vel adiecta conditione. Secretas quoque eidem per internuncios obligationes
ante præstiterat, sed nulla eorum occulta est, quin
vt credimus publicetur in breui. Eum ergo benignè
mansuetiss. Princeps recepit Deo gratias referens, qui
ipsius animum emollierat, & ei qui salubri consilio
adquiescens debita humilitate Ecclesiæ & populis vti-
B lem quærebat pacem. Sic in hominium eius reuersus
est fide corporaliter præstita, quod ei tanquam Domino cui ante regnum suum hominium & fidelitatem
fecerat, fidem seruabit contra omnes homines, eique
præstabit auxilium & obsequium, quod Regi Francorum Normannorum Dux præstare debet. Inde sibi
dextras & oscula dederunt. Restituitque Rex Francus Anglico Britones & Pictauos accepta prius ab eo
cautione quod ei castra & terras ab initio dissensionis
huius ablatas restituet, pacemque seruabit: compensatione homicidiorum & incendiorum inde admissa. Die
vero sequenti filios suos adduxit Henric. & Ricar. quorum primus hominium & fidelitatem fecit Regi Francorum de Comitatibus Andegauensi & Cenomanensi.
Nam ipse Rex in hominio Comitis Theob. pro Turonensi remanet. Alter vero præstita fidelitate similiter & hominio Pictauicosem recepit Comitatum:
Huius pacis præcipui inuentores fuerunt Comes
Theob. & frater Bernardus de Grandimonte, qui primi
C cum Regibus conscij fuerunt secretæ obligationis,
cuius feci superius mentionem. In hac autem honorum distributione Franci Regno suo arbitrantur plurimum esse prospectum: eo quidem magis quo cum
acerbiori dolore meminerant Henricum filium Regis
Angliæ Regi Francorum pro omnibus hominium fecisse, quando inter ipsum, & filiam eiusdem Regis Angliæ sponsalia contracta sunt. Receperat ante
paucos dies Rex Anglorum per sanctiss. virum Priorem de monte Dei, & iam dictum Bernardum de Grandimonte pro Cantuariensi Archiepiscopo commonitorias Dn. Papæ quarum tibi exemplum mitto, pacisque probandæ spem dederat, si modo Dominus Cantuar. ei coram hominibus speciem humilitatis prætenderet, persuaseratque viris religiosis, quod eum in omni
honore & libertate Ecclesiæ totius regni post se Dominum & Principem constituere disponebat, vnde eorumdem consilio accitus Archiepiscopus Rege Christianissimo, cum coexulantibus sibi huic colloquio in-
D terfuit, & in omni humilitate flexis genibus ad Regis
sui pedes accessit in conspectu omnium: hac forma verborum vtens. Miseremini mei Domine, quia pono me
in Deo, & vobis ad honorem Dei & vestrum. Sed Rex
qui pacem promiserat Ecclesiæ, dum timebat suam posse turbari, successibus nouis elatus prorupit in contumeliam supplicantis, & impudentia loquendi promeruit, vt qui antea minus verus, nunc à Francis habeatur
& inurbanus. Et vt causam suam, quam omnes iniquam
nouerant coram sanctiss. Rege & aliis Principibus iustificaret contumelias & fabulas hoc fine concludit. Nihil Domine mi Rex & vos sancti viri & Principes, qui
adestis aliud ab Archiepiscopo peto, nisi vt mihi seruet
consuetudines quas quinque proximi antecessores sui,
quorum aliqui sancti sunt, & miraculis coruscant meis
obseruauerunt, quas & ipse promisit, & hoc in præsentia vestra tanquam Presbyter & Episcopus similiter
sine malo ingenio mihi polliceatur. Hæc est enim sola

E causa dissensionis inter me & ipsum, quod eas infringit, & quasdam earum obseruatoribus inis apud Ecclesiasticæ libertatis Professores esse, permisit assertores
iustitiæ; & testes legis asseuerantis quod nec exilium
nec proscriptionem, dummodo illa vigeat, pro ipsa fidelis debeat formidare. Omnes causæ nostræ articulos
tenes, iuramentorum quæ à nobis, exacta sunt, nosti
conceptionem: vt in hac parte diligentius explananda
non oporteat immorari. Sed forte dices, quia pridem proposita mutabitur formula iuramenti, nec cogetur aliquis in reproborum consuetudinum verba iurare,
contentus erit exactor iuramenti, si fidelitatis seruandæ
sibi succinctim absolute verba præstentur: Ita quidem
vt non adiiciatur fidem Ecclesiæ & Prælatorum obedientiam saluam fore. Nam vt aiunt, istis nec vult nec
voluit præiudicare, quod nec exigitur iuramentum. Verum si præiudicare non debet, quare necessariæ ad salutem obseruationis non licet fieri mentionem? Si præ-
F iudicat, qua conscientia præstabitur à fideli? Consilium inquis sapientum est, cum pro bono pacis & omnium suspicione vitanda, tum pro adipiscenda materia
gerendorum, vt necessariis & amicis possit quisque officiosus esse. Nunquid amicorum & negantium familiarium fauore, qui nos deseruerunt in aduersis relinquendus est pater misericordiarum, qui nos consolatus est, &
consolatur in omni tribulatione, imò nec tribulationis nos permittit habere conscientiam: suadent alij vt
iuremus. At ille dat consilium non iurandi: cui nam
putas esse credendum? Ego certe Dei pro me incarnati
& mortui consiliu fidelius & salubrius credo, & illum
frontis attritæ esse non ambigam, qui suum duxerit
præferendum. Vt ergo cæteras maiores & tibi notas
exilij & proscriptionis causas taceam, quia Christo iuramenta dissuadentis credidi, proscriptus sum, cui quicumque non credit longe periculosius proscribetur:
Nam in conuentionibus & promissis æque fidelis est.
Nec dico quod omne licet à malo procedat, sit illici-
G tum iuramentum; habet enim interdum veniam: cui locus omnino non est nisi cum occurrentis culpæ ratio
causæ veniam impetrarit. Locum istum prætereo Deo
potius discutiendum & conscientiis singulorum: ne
si quid argutius prout ratio suggerit elocutus fuero, in
aliorum & fortasse innocentium, qui iuramenta præstiterunt suggillationem, Spiritum videar effudisse. Malo enim moderationis habena calamum cohibere, quàm
diuinæ legis articulos congerere: qui & si recte prolati
fuerint, interdum non nisi ad subuersionem proficiunt
auditorum. Transeo ergo ad illa quorum tu dedisti
materiam, orans, obsecrans, & obtestans, vt non deficiat
fides tua: nec credas spiritui eorum, qui suum Neptunum sequentes ipso mediante properant ad Plutonem,
& descendunt in infernum viuentes. Loquantur interim
quod voluerint: iactitent se aduersus Christum Domini præualuisse vanitate sua, perditio eorum astat
pro foribus, quorum gaudium est ad instar puncti:
Et gloria, ignis, stercus & vermis. Quod via in breui
Deo propitiante scies, & tinnient aures eorum à sibilis
H & clamore fidelium, quibus pauperes Christi fuerunt
in sibilum & derisum. Nec dubites, nisi forte tibi persuasum sit mortales non esse morituros, quin in sententiam anathematis reponantur: Qui fraude tacendi & mentiendi astutis meritos laqueos videntur euasisse. Hoc autem amicis nostris (si qui tamen nostri
sunt) non fortunæ persuadere memineris, vt non
fleant super nos. Et vtinam super se ipsos flere non debeant, quis nobiscum agit Altissimus, verbere tamen
deducto quo modo pater serenissimus cum filiis charissimis agere consueuit. Cæterum tibi compatior,
qui minorem securitatem in portu quam in naufragio
reperisti. Sed si tibi Deus vel ad modicum patientiam
dederit, tibi quod indubitata fide pronuncio, naufragi
de quibus desperator citissime poterunt & volent opitulari. Sta ergo, in ea conditione, in qua à Domino vocatus es, & saltē quatenus sine periculo poteris, diuinæ
legis assertor existe. Satis humanum est quod dico pro-

 X x pter

A pter infirmitatem carnis nostræ, quia nisi qui legis custodiam periculis omnibus anteponis, saluari non posse, testis est Beatus Apostolus & tota concio perfectorum. Scripsi homini, pro quo sollicitaris, & credo quod ab ipso per latorem præsentium de statu eius, qui Deo propitiante bonus est certioraberis. Amicos nostros saluta diligentius quorum nomina sicut paginæ subducta, sic animo portitoris confido multiplicatis precibus esse impressa. Valete.

Epist. CCLXIX.

Idem Simoni Priori de monte Dei & Ilgeberto de valle Sancti Petri.

VEnerabilibus Dominis & amicis Priori de monte Dei & I. de Valle Sancti Petri suus Ioannes Saresb. salutem & in causa Dei prosperari. Potest vestra meminisse discretio, quod nunquam Domino B Cant. placuit vt Apostolici mandati fines exequi differretis, adquieuit tamen fratri Bernardo successus feliciores promittenti, si vsque in aliud colloquium deliberandi spacium regi indulgeretur. Pollicebatur enim ferocitatem hominis interim in mansuetudinem conuertendam. Sed ecce ex litteris quas nuper accepi luce clarius patet, quia & legatio Domini Pictauiens. procurata est in fraudem Ecclesiæ & nostram. Et vtinam ipsa dilatio non habuerit dolum; nam hoc rei exitus declarabit, dum nos promissam expectamus mansuetudinem, ille sollicitus agit, quomodo honorem Dei subruat, & totam subuertat Ecclesiæ libertatem. Quid ni faceret? Explorauerat, vires vestras, & iniquitate sua (non dico) meruerat, quoniam falsum est, sed subripuerat fauorem omnium: & ille qui solus in tantæ difficultatis articulo honorem Dei ausus est protestari, omnibus in derisum & sibilum datus est, & quasi ab vniuersia C consputus abscessit. Nonne de cætero facilem poterat iniquitas armata consiliis & fauore sperare triumphum? Institi, vt consuluistis apud Dominum Remensem vt fratri Bernardo scriberet, sed non adquieuit, dicens literas suas non profuturas, quia credit eum fauere parti aduersæ. Frequens enim est, vt qui nihil habere prædicantur, aut rem aut gloriam plurimum concupiscant. Non placet Domino Cant. me aut aliquem suorum interesse colloquio præter Magistrum Lombardum Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, quem inuenietis in familia Domini Senon. Vos autem illuc producat Dominus in spiritu & virtute Heliæ, & gladium Phinees cum zelo, quem habetis dirigat & roboret in manibus vestris. Nec timeatis a facie vel multitudine hominum, quia plures & fortiores nobiscum sunt quam cum illis. Scribit Remensis Archiepiscopus pro causa nostra Domino Papæ præcipiens literas suas ad meum formari arbitrium: promittens etiam se necessitatibus nostris quamdiu res D exegerit affuturum. Viriliter agite quæso dilectissimi Domini, & dilationis periculum executionis officiositate & diligentia compensate, vt per vos innotescat, quoniam quicquid vltra quod obtulit, à Cantuar. exigitur, non modo potestatis excessus est, sed plenæ & planæ infidelitatis indicium. Vnde sunt quidam vt scitis in excusationem erronei consilij prætextu sanctitatis vestræ: sed nunc pateat ex professione veritatis & libertatis spiritus, quod nunquam illi consensistis errori. Vbi enim Spiritus Dei, ibi libertas est: Et vos proculdubio veritas liberabit. Valeat semper & prosperetur in Domino sanctitas vestra, nostri memor iugiter apud Deum, & quatenus honestati expedit apud homines.

E

Epist. CCLXX.

Idem Ioanni Pictauiensi Episcopo.

GRandis est apud nos expectatio præstolantium, quid paritura sit collatio Illustris Regis Anglorum, & Sanctorum Grandimontan. qui pro celebritate, vtinam nominis, quam in Ecclesia Dei subito nacti sunt, pacem Ecclesiæ studeant procurare. Creduntur enim talentum gratiæ Principum in tantum meruisse & percepisse à Domino, vt dispensatio regnorum quatenus ipsi permiserunt eorum committatur arbitrio. Fama si quidem præconatur quod in eorum manibus sunt consilia & opera Regum. Quia ergo vos eorundem sanctorum non dubito amatores, & familiares esse con- F fido, quanta possum prece instauria quatenus eos per gratiam vobis diuinitus collatam adhibita omni diligentia animetis, vt in colloquio quod cum præfato Rege habituri sunt, si tamen nondum celebratum est prospiciant Ecclesiasticæ paci, quæ Deo teste ipsi Regi longe erit vtilior, quam illis qui se & sua omnia gaudent exposuisse pro Christo. Siue enim viuunt, siue moriantur Domini sunt, & secundum multitudinem laborum & dolorum, quibus ad modicum flagellantur, consolationes eius expectant in misericordia vberi. Quid autem à iusto iudice cuius voluntas omnipotentia est, poterit nisi pænitens expectare? qui gratis persequitur, & torquet innocentes? Aut quis erit pœnitentiæ fructus, nisi corde contrito & humiliato confiteatur culpam; componat iniuriam, damna pro facultate resarciat, & similia in posterum cauere disponat. Si vero membra sancti tanto Domino, tam sincero amico victi spe vel timore di- G cenda tacuerint, quis eum de cætero statuet contra faciem suam? Quis à domo eius auertet gladium Domini, qui potentes potentius punit, torquet & aufert spiritum Principum? Ecce cum Teutonico Tyranno quid egerit, quem sicut fama publica est apud nos velut illam statuam, quam Nabucodonosor vidit in somnis podagra percussit in pedibus vt incedere nequeat, nisi stipatorum auxilio fulciatur. Et quidem spes est in breui pateat ruinæ magnæ, Christoque quem in membris persequitur, dum libertatem Ecclesiæ subuertere quærit, concedat gloriam vel inuitus. Iter autem Ierosolymitanum quod à Regibus dispositum est, quid proderit, si non ante pax reddatur Ecclesiæ? Nam cum ætate nostra maximi & plurimi Principes similem peregrinationem fuissent aggressi, rei miserrimus & Ecclesiæ dolendus euentus edocuit de rapinis & iniuriis oblata munera Deo non placere, H dum ingrati labor obsequij prorsus in contrarium proposito cessit euentum: sui inconsolabiliter lugent similiter incedentem & patientem similis Comitem Niuernensem quem non Parthorum iacula, non Syrorum gladij, vt nec gloriosa mors viri fortis aliquid consolationis afferret: sed lachrymæ viduarum, pauperum gemitus, Ecclesiarum querelæ creduntur inglorium extinxisse. Licet autem sit in finem biennij memoratæ profectionis dilata necessitas; tamen si ad honorem Dei & demigrantium salutem inchoari debet aut peragi, tempus breue est. Nam prouerbio Francorum dici solet: Stulto dormiente terminus creditoris accelerat. Dormit stultus, sed vsuræ non dormiunt. Sed quid est, quod vos in hac parte sollicito, qui indesinenter & supra vires hanc sollicitudinem geritis: nisi quod scio, vos multam ad tantum Principem tam bonum, Domini habere charitatem, vt saltem & eius honorem, quod quidem & ego facio, cupiatis vt vestrum, Vir enim est omni laude maior, si Eccl. Dei vt oporteret

deferret

A deferret magis, & cum his modestius ageret, qui cum eo contrahunt aliqua ratione, & impetu iræ, vel altetius reprimendi affectus ad mensuram Regiæ grauitatis linguam cohiberet & animum. Alias autem naturæ pariter & gratiæ tot & tantis dotibus præditus est, vt ei Principum nullus, quod magis crediderim, vel admodum rarus, quod indubitanter dixerim similis inueniretur in orbe. Timeo verò, ne vobis apud eum nocuerit fides & officiositas vestra, eo quod colloquium sicut ad honorem eius volebatis, non potuistis à Cantuar. Episcopo impetrare. Vnde precor attentius, vt mihi quis illius verbi fuerit exitus, & quæ circa vos sunt, & vestrates significare dignemini. In negocio autem, quod vobis præsentium lator exponet, sic procedat diligentia vestra, sicut maximè videritis expedire. De his vero qui Romam profecti sunt nihil adhuc certum teneo, sed cum innotuerint referenda, data diuinitus opportunitate meo studio procurante proficiscentur ad vos.

B

Epist. CCLXXI.

Idem Hugoni de Gant.

ACtiones gratiarum debitas parturit animus. Sed vt ait Propheta, vires non habet parturiens. Nam deuotionis effectum suspendit hactenus persecutionis acerbitas, sed affectum, qui in partum gratulationis erumpere gestiat, nulla vis potest aut potuit cohibere. Et quidem Deo propitiante iam in eum calculum Christi & Ecclesiæ suæ causa perducta est, vt de cætero periclitari non possit, eo quod schismatis capita defecerunt, & Anglicanæ Ecclesiæ malleus comprehensus in operibus suis de cætero, cui innitatur inuenire non valet. Ventum erat ad summum, vbi constat habitudines periculosas esse, cum ille, qui sollicitando tam curiam quam schismaticos, Fredericum videlic. & complices suos videns se hac via non posse proficere apud C Dominum, & aduersus Christum eius, transmissa legatione transfugit ad Italiæ ciuitates, promittens Mediolanensibus tria millia marcarum, & murorum suorum validissimam reparationem, vt cum aliis ciuitatibus quas corrumpere moliebatur impetrarent à Dn. Papa & Ecclesia Romana deiectionem vel translationem Cantuariensis Archiepiscopi. Nam ob eandem causam Cremonensibus millia marcas promiserat. Parmensibus mille, & totidem Bononiensibus. Domino vero Papæ obtulit, quod eum data pecunia liberaret ab exactionibus omnium Romanorum, & decem millia marcas adiiceret: Concedens etiam vt tam in Ecclesia Cantuariensi quam in aliis vacantibus in Anglia Pastores ordinaret ad libitum. Sed quia fidem multa promissa leuabant, & in precibus manifesta continebatur iniquitas, repulsam passus est, & quod per se impetrare non poterat, Regia Siculi viribus conatus est extorquere. Sed nec ille licet toto nisu ad hoc Syracusanus Episcopus, & Comes D Robertus de Bassenuilla multiplicatis intercessoribus laborauerint, exauditus est pro sua reuerentia & potentia vel gratia, quamuis eam in Ecclesia Romana plurimam habeat. Dimissi sunt ergo nuncij Regis impotes voti, hoc solum impetrato, vt Dominus Papa mitteret nuncios, qui pacem procurarent, Gratianum scilicet, Subdiaconum, & Magistrum Viuianum vrbis veteris Archidiaconum, qui munere aduocationis fungi solet in curia. Eos tamen ante præscripta forma pacis Sacramenti religione astrinxit, quod præfinitos terminos non excedent: mandatis quoque adiiciens, vt à Regiis sumptibus contineant, nisi pace Ecclesiæ impetrata, & ne vltra diem qui præstitutus est aliquam faciant moram. Forma autem pacis quæ Archiepiscopo expressa est, nihil inhonestum continet, vel quod Ecclesiam dedeceat aut personam, nec auctoritatem eius in aliquo minuit, quin libere omni occasione & appellatione cessante in ipsum Regem, in regnum & personas regni seueritatem Ecclesiasticam valeat exercere, pro-

E vt sibi & Ecclesiæ Dei expedire cognouerit. Consilium tamen amicorum est, eorumque sapientum, vt dum pacis verba tractantur mitius agat, & multa dissimulet: postea (si quod absit) pax non processerit grauius quasi resumptis viribus persecutores Ecclesiæ prostraturus. Spera ergo dilecte mi, & quicquid interim audieris, non mouearis, quia Deus in tuto posuit causam suam. Audies forte superbiam Moab: sed memineris, quod superbia maior est quam fortitudo eius. Nam territi sunt in Syon peccatores, possedit timor hypocritas, qui nisi reuertantur à prauitate sua expellentur & stare non poterunt: iam enim securis ad radicem eorum posita est, & ventilabrum habet Angelus in manu sua, vt grana discernat à paleis. Præfati nuncij ad Regem profecti sunt, sed quid apud ipsum inuenerint, nondum nobis innotuit: hoc tamen certum quod se Rex verbo & scripto obligauit ad exequendum consilium & F mandatum Dn. Papæ, scriptumque eius præmanibus est, à quo si resilierit, facile conuincetur, sed nec si credendum censuit Ecclesiæ, antequam verborum fidem operum testimonio roboraret. Salutatus à te plurimum & affectuose te resalutat Archiepiscopus se ad amorem & honorem tuum exponens promptissima deuotione.

Epist. CCLXXII.

Idem Conuentui Cantuariensi.

DOleo dilectissimi, & admodum doleo in his, quæ de vestra fraternitate dicta sunt mihi, quoniam schismata in vobis sunt, vt non idem sentiatis aut dicatis in Domino. Nam (vt aiunt qui conuersionem vestram familiarius inspexisse, & perspicacius intellexisse creduntur) Alius vestrum dicit, Ego sum Regis, ego Ranulphi: ego fortunam sequor, & vincentibus adhærebo. Inter hæc rarus admodum est, si quis tamen qui G suæ possessionis memor, Archiepiscopum cui oporteat obediri, se recolat habere: qui verbum Dei loquatur cum fiducia: qui publice protestari audeat, quod Deo potius oportet quam hominibus obedire. Miror (si tamen vera sunt quæ dicuntur) & vtinam falsa apparerent, quod sic tam cito transferimini à via Domini in aliud Euangelium, quod Ecclesiæ Catholicæ subuertit auctoritatem, & eis qui meritis exigentibus Sathanæ traditi sunt, indulget communionem fidelium, & ad participium voluptatis aut lucri cum prædonibus furibus, fornicatoribus & Simoniacis docet iniquitatis ponere portionem. Quod quidem inde creditur euenisse quod sunt aliqui in corpore vestro, qui vos conturbant: & alij foris, qui cæca ducti ambitione, dum vobis appetunt dominari blandis promissionibus à conformitate ordinis vestri & exquisitis dolis circumueniunt innocentiam vestram. Sed si non estis adeo mentis stupidæ, vt brutissima animalia stoliditate vincatis, luce H clarius potestis intueri in quem finem illorum molimina dirigantur. Ecce enim Londoniensis Episcopus publice non sine dolore fidelium protestatus est, quod primæ Britanniarum sedi, videlicet Cantuar. Ecclesiæ nullam debet obedientiam, & quod Cathedram metropoliticam illuc transferri faciet vbi eam esse debere fingit, ne dicam mentitur, scilicet ad Ecclesiam Londoniensem, vbi archiflaminem gloriatur sedisse, dum Iouialis religio colebatur. Et fortasse vir prudens & religiosus cultum Iouis instaurare disponit, vt alio modo archiepiscopari non potest, Archiflaminis saltem nomen & titulum assequatur. Fretus tamen est oraculo Merlini qui nescio quo repletus spiritu perhibetur ante aduentum Beati Augustini Anglorum Apostoli vaticinatus esse delendam esse Christianam religionem, & denuo reformandam, quando Londoniensis dignitas Doroberniam adornabit. Sed quia Merlinus Philosophus Prophetæ sui fidelem nouit auctoritatem, etiam ad validiora certe subsidia dicitur confugisse, præsumens de potentatu Principis, de Ecclesiæ debilitate, de

A auaritia Romanorum, de pusillanimitate vestra, de paupertate Archiepiscopi, & multitudine diuitiarum suarum, quibus aduersus sapientiam & iustitiam Dei confidit se præualiturum in vanitate sua. Quid ergo dicetis & facietis ad hæc? Nunquid adeo prænominatos patronos vestros aut vt verius dixerim pietatis & fidei timetis hostes, vt ei detis locum, qui matrem vestram tam patricidali impietate iugulare molitur? Nonne hic non modo facultates Ecclesiæ erogandæ, sed sanguis fundendus est, vt ei resistatur, & Ecclesiæ conseruetur authoritas? Pudeat quæso sanctitatem vestram, quod nullam hactenus Patri exulanti, proscripto exhibuistis humanitatem consolationis: aut nihil, aut (quod melius nostis) minimum impendistis, cum tamen fere totus Latinus orbis euidenter agnosceret iustitiam Dei, & Ecclesiæ libertatem titulum esse exilij & proscriptionis illius. Alias ergo Ecclesias iam quinquennio non dico spoliauit, quoniam sponte & vltro communicauerunt necessitatibus suis & tribulationibus eius: sed ab eis sti- B pendium accepit ad ministerium quietis, libertatis, honoris & gloriæ vestræ. Non quod tenacitatem aut inhumanitatem vestram accusem hæc scribo, quia forte occupati eratis, sed vt fratres carissimos moneo, vt tandem aliquando in operibus charitatis reuiuiscat & floreat fides vestra: vt pace, quam speramus in proximo reformata, non erubescatis, sed fructum charitatis exhibitæ cum fenore multiplici recipiatis in lætitia & exultatione. Venit enim temporis plenitudo, & Satanæ non licet vlterius tanto furore in Ecclesiam debacchari: Et pater vester potestatem accepit à Domino, vt possit parcere subiectis & debellare superbos. Vtinam videant oculi mei vos præ cæteris de merito nobilitari posse in consolatione sanctorum compatientium nobis. Vtinam vos arctiori charitatis vinculo socios gaudij nostri in reditu amplectamur. Vtinam nunc vestra diligentia seminet in ariditate indigentium fratrum, & maximè in corde Patris vestri quod postmodum metatis in gaudio. Scitis quis dixerit, Qui parce seminat, parce & metet, C & qui in benedictione seminat, de benedictione & metet. Quid? inquies, cum gratia temporali vitam æternam. Sed fortasse pertimescitis minantium, & intentantium labores & dolores, vt non audeatis quod tempus exigit, & Ecclesiæ deposcit necessitas, lachrymis seminare, sed profecto fere soli qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Nihil est quod vobis defuerit hactenus, opulentiam & quietem aliis de egestate & labore pro defensione Ecclesiæ laborantibus, diuina gratia ministrauit: nunc demum si placeat, & vestræ discretioni visum sit, vt compassionem charitatis, quam tribulationi fratrum verbis iugiter prætendistis exhibitione operis comprobetis. Non quidem vt illis remissio sit, & vobis tribulatio: sed ex æqualitate vt in præsenti tempore vestra abundantia, si non fraternæ, quod oporteret, saltem paternæ inopiæ sit supplementum. Alioquin patens erit iniquitas, vbi nulla æquandorum reperitur æqualitas. Nam de his, qui versantur vnanimes in domo Domini, scriptum est. Qui multum habebat, non D abundauit, & qui modicum non minorauit. Nunquid vos soli in castris Domini Gomor legitimum perdidistis? si manna prohibente Domino reseruatum minus quidem cœleste, & panis & pastus Angelicus putrescit & vermes facit: Quid putredinis & vermium contrahat putredo Domino prohibente, seruata in dispendium charitatis, in esurie & nuditate fratrum? non vtique quod illi esuriant aut nudi sint, sed quod illos nisi charitas in vobis per gratiam amplius excitetur, famæ, nuditati & periculis omnibus exposuistis. Versentur hæc & similia in amicis & terantur in colloquiis vestris, & ponite corda vestra super vias vestras: & causam & itinera patris, & vias aduersantium: Et attendite, quis Deo inspectore & iudice possit ab his exitus prouenire. Ita tamen vt non alius consultator Ranulphi, alius Iamne, alius Mambres, alius Achitophel Magorumque similium: sed conscientiam suam quisque discutiat & consulat legem Dei. Iam sane præuia ratione E illustrati per gratiam reducetis ad animum, quoniam misericordia plenitudo virtutum est, & recedentes in viis pristinis cum eo facietis misericordiam, qui eam Deo propitiante cito respondere poterit in cornu verbi, & affligentes se potenter affligere. Sit spiritus consilij vobiscum, & dirigat corda vestra, vt in bonum memineritis vestri. Hoc enim à corde & labiis meis Deo inspectore, teste & iudice charitas expressit ad dulcissimos & reuerendissimos fratres, vt mihi de cætero coram Deo, quem testem horum & iudicem inuoco, imputari non debeat, si me salubria consulentem dedignantur audire.

Epist. CCLXXIII.

Idem Vuilelmo Subpriori Cantuariensi.

Licet communis Pater noster & Dominus Magister à charitate didicerit abundare & penuriam pati, & vbique & in omnibus in quibus est pro Christo suffi- F ciens esse. Gaudeo tamen propter te, quod tandem aliquando qualitercumque charitas tua refloruit, & indicio operis, quamuis sero, & modico prius apparentem, conuicit vel tenuiter viuere fidem, quæ (vt nosti) teste Iacobo sine operibus mortua est. Et quidem ille nullam hactenus aut honestam duntaxat sustinuit paupertatem Deo temperante flagella, & persecutiones hominum vt tolerabiles sint fidelibus, clementiùs mitigante, sed ad horam tentatus est, vt se plenius agnosceret, & planius innotesceret mundo, & in tantæ tribulationis angustia fidem amicorum manifestius comprobet. Iam per ignem transiuit & aquam, vexillum fidei & iustitiæ ante Reges & præsides reluctantes & contradicentes erigere & perferre nec erubuit, nec expauit, nec pretio, nec minis aut blanditiis aut tormentis frangi vel flecti potuit, vt nomen Domini reticeret, & honoris eius quantuluncumque dispendium pateretur. Numquid non ei dictum est, & fere verbis eisdem, sed diuerso proposito, sine me vt honorem diuinum mi- G nuam, vt Ecclesiæ deleam libertatem, & faciam te crescere in gentem magnam, dummodo consuetudines auitas procedere facias, & eis non anteponas aut opponas diuinorum reuerentiam mandatorum. Sed vas electionis fidem fiducialiter eloquens, aut (inquit) me delebis, aut hæc Deo inimica præsumptio tua delebitur: quia tibi talia molienti & illi seruire non possum. Vnde nutu faciente diuino contigit, vt qui se pro honore Dei contempsit, plenam & gloriosam acceperit à Domino potestatem, qua conterere poterit aduersarios suos. Attende quæso, quomodo Episcopi & alij qui eum impugnabant, deficiunt: & persistens in eo quod tandem cœpisti, conuerte & robora fratres tuos. Exhibe te patri fiscum, quoniam in eius manibus post Deum & per Deum salus Ecclesiæ posita est. Nec differas benefacere cum possis, sed si aliter salus eorum expedire non potest, fratribus vtcumque subtrahere aliquid ignaris aut inuitis: vnde incolumitas & indemnitas eorum in die obductionis valeat procurari. Tu Deo auctore H in portu nauigas, quid te oporteat agere per latorem præsentium auditurus.

Epist. CCLXXIV.

Idem Bartholomæo Exoniensi Episcopo.

Excussus propriis, aliena curans, quasi cum Cantuariensibus aut æmulis eorum mihi sit aliquod familiaritatis commercium, nuper in festo B. Mariæ Magdalenæ Vizeliacum profectus sum occurrens ibi nunciis Dn. Papæ causa (sicut videbatur) addiscendi quid Cantuarienses timere oporteat vel sperare. Nam hæc fabula fere sola linguas & aures vtriusque regni quod ad Clerum spectat, & certe in magna parte ad populum, creditur occupare. Desiderabam autem reuera meum videre cognominem, & quod magis est compatriotam & quodammodo fratrem Gratianum, cuius tu, vt

meminisse

meminisse potes à sanctæ recordationis Papa Eugenio Ferentini decretus es institutor, illum fratrem dixerim confidenter, cum quo mihi fidei & societatis sunt iura communnia, & licet nos non ediderit vna ciuitas patriam tamen nobis vnam esse non ambigit: qui patriam fortium quæ nobis indiuidua est, & quam Carmentis ostendit, reducit ad animum. Ab illo ergo & socio eius Vmiano amicè & reuerenter exceptus familiarius didici, quod Dn. Papa & Ecclesia Rom. Cantuariensibus plurimum fauent: Adeò quidem vt nisi Rex nunc cum Domino Cantuariensi iuxta consilium Dn. Papæ fecerit pacem, ei denunciaturi sint, quod non modo in manus Archiepiscopi dabitur, sed ipse Rom. Pontifex in eum aggrauaturus est manum suam. Quod autem multos mirari asseris quo iuris ordine Cantuarien. excommunicauit Episcopos & alios non conuictos de crimine seu de contumacia, nec confessos, sed nec citatos semel, & quod grauius est post appellationem: mirandum quidem esset, si de veritate querimonia niteretur sed secus est, quoniam opera eorum non modo præcesserunt ad iudicium: sed in se quasi pigram & tardantem condemnationem prouocabant; & non tantum cum oportuerit ab hominibus conuincentur, sed clamat contra eos cœlum & terra: vnde & eis appellationis subsidium à Romano Pontifice iure subtractum est: & Archiepiscopo in ipsum Regem & regnum & personas regni collata plenæ potestatis auctoritas ad omnem inobedientiam puniendam, & reprimendos Ecclesiæ malefactores, & suos. Procedit ergo Apostolicæ sedis munitus consilio: & nuper receptus: propriis nunciis & literis Dn. Papæ securus factus est, quod ea quæ statuerit non mutabuntur. Archiepiscopus tamen paratus est excommunicatos illos absoluere, secundum institutionem Patrum & Ecclesiæ formam, si pœnituerint fructu condigno: si vero in ea qua cœperunt contumacia, quod absit, duxerint persistendum, ipse vita comite procedet vlterius: nec ante reponet gladium Spiritus in vaginam, quam terra purgetur à tantis abominationibus. Nam in infectum & concretum puluere septies mucro stringendus est, vt Syria conteratur. Quod autem, vt aiunt Remens. Archid. iactitat quod hi nuncij Domini Papæ omnes conatus & facta Archiepiscopi Apostolica auctoritate euacuabunt, ipsi plane diffitentur asserentes cum iuramento quod in dispendium Archiepiscopi, nihil ex proposito facient, sed nec facere possunt, sed vtilitatem eius & honorem Ecclesiæ quibuscunque modis secundum vt poterunt, procurabunt. Et quidem illis forma scripta est, cuius fines excedere non audebunt, quia ad hoc iuramento arctati sunt, adeo quidem vt iussi sint nisi pace reformata in totum à regis muneribus abstinere, vt nec sumptus ab eo recipere permittantur. Loquentur alij quod voluerint, mihi spes interim pacis maior est, quàm antea fuerit. Nam & in morbis per augmenta dolorum ad summum veniendum est, vt inualescente natura & defæcata corruptione salus & incolumitas reparetur. Et licet aliqui glorientur se à Dn. Papa absolutos, certo certius sit, quod neminem eorum absoluit: Quippe nondum legatos nouerat, sed cum postmodum itinerantibus innotuisset, hanc de qua nunc agitur, latam esse sententiam, remissus est ad Dominum Papam Radulphus Archid. Laudanens. vt eum sollicitaret excommunicatos absoluere: sed non creditur exaudiendus. Nam vt cætera taceam, se illi Dominus Meldensis auctoritate maior & iure potior viribus totis opponet. Audietur autem in breui Deo propitio quid pars alterutra vel vtraque proficiat, neque nunciorum, qui iam vsque Antissiodorum peruenerunt ad illos quorum negocium geritur, in ianuis est. Res in suspenso diu esse non poterit. Et quia pro tuo, & quia tuus est, Exoniensi meo sollicitaris, interim probo quod fecit, subtrahens se ab excommunicatorum participatione. Indubium enim est quin à fidelibus tales oporteat euitari quousque de absolutione constiterit. Deo enim quam hominibus obedire potius oportet. Quod tamen sæpissime præsertim in talibus sine periculo non contingit: & quod per multas tribulationes intratur regnum Dei, hæc est, dilecte mi, via iustorum, hæc purgatio vitiorum, virtutum conflatorium, Electos statuens inter malleum & incudem: sed de omnibus his liberat eos Dominus, & probatos illustriori corona glorificat. Si licentiam, tamen non credo, transfretandi obtinuerit, timeo ne cogatur non ad suum, sed exactoris arbitrium appellare. Si enim ad nutum ipsius non processerint vniuersa, exacerbabitur impatientia eius cui citra aliorum euersionem nihil est satis. Si processerint, iustitia relinquetur. Et quo nihil deterius aut turpius est, offendetur Deus. Si quod magis credo transfretare prohibeatur, timeo ne solus subsistere non possit tot insidiis appetitus, tot prouocatus iniuriis, & tortoribus cunctis expositus. Nam & hoc fortasse mandatis principalibus inseretur. Mitius tamen, si quid mansuetum esse valeat, in tormentis tolerari poterunt inferiores ministri Sathanæ, quam ille præsens qui exigentibus peccatis maiorem accepit à Domino potestatem. Vnde consultius arbitror, vt quàmdiu per dispensatoria diuerticula, quæ tamen iustitiam nullatenus impediant, euadere poterit, patienter interim sustineat habitare cum filiis Cedar expectans consilium & consolationem a Domino. Si vero Regem redire contigerit, & durius conueniatur vt transeat in collegium impiorum, vocem pontifice dignam exerat in Spiritum libertatis, & antequam lædat Ecclesiæ conditionem, sumpta quam Deus ministrabit honesta causa, exeat de medio Babylonis, ne tangens immundum accipiat de plagis eius, funem, si alias solui Archid. Dominus Cant. paterna charitate recipiet, & consolabitur ex quo se filios exhibuerint, & omnes excommunicatos quos absolui licitum est viam fidei ingredientes: sinceræ charitatis brachiis amplexabitur. Quid multa? nihil est, dummodo conditio Ecclesiæ non lædatur quod non sit ad voluntatem Domini Regis paratus implere, si gratiam eius sibi & suis plene senserit reformatam. Vos autem de cætero negociamini cautius, & absolutione quæsita diligentius, excommunicatorum participationem studiosius euitetis, nisi ab Ecclesia velitis excludi citius, & cum eis anathematis recipere portionem. Sane præcedens ruina vos cautiores reddidisse debuerat, eritque sequentis grauior reparatio, si (quod absit) post commonitiones & pericula totiens instructa discretio non declinauerit casum. Optata salute vos impertiat, cum licuerit.

Epist. CCXXV.

Idem Bartholomæo Exoniensi Episcopo.

Mitto tibi literas, quas Domino Cantuar. nuncij sui à curia nuper miserunt, ex quibus esse cautior poteris, vt non facile omni spiritui adquiescas. Nam à fautoribus vtriusque partis in alteram multa dicuntur, & quælibet earum in assensum suum quos potest & quibus modis valet, conatur inducere. Sedis Apostolicæ gratiam vtrinque quærunt: & (vt arbitror) qui eam minus meruerunt, aut assecuti sunt, amplius gloriantur se voti compotes esse. Iactitant se hæc & illa obtinuisse: sed scio quod eis præsertim in his quæ contra ius videntur illicita, nullus sapiens habebit fidem, nisi scripta autentica & originalia proferant. Vnum scio & mundo reclamante indubitanter & libere assero, quia qui Christo adhæserit, in finem non pœnitebit. Momentaneum est gaudium impiorum & instar puncti, quibus in breui linea substernetur & operimentum erūt vermes: & electos suos consolabitur Dominus, nec patietur, vt eos affligat duplex tribulatio. Pacem vniuersalis Ecclesiæ sperant omnes, & eam fere vniuersi desiderant: nec alios excipiendos esse crediderim, nisi quos scelerum conscientia torquet, conuincens eos propriæ damnationis meruisse sententiam. Nam ipse Imperator iam exaugustus patenter expertus est se in augustalem non posse redire dignitatem, nisi pacem cum Ecclesia fecerit, nec detrectat iam conditionibus æquis,

fœdus inire cum Italis: Accitique Consules ciuitatum cum nunciis eius ineundæ pacis in curia librant, & formant articulos, & valituras in posterum componunt cautiones. Huius rei exitum præstolatur Dominus Senonensis, qui tamen Paschalem solemnitatem domi suæ creditur & sperarur acturus. Repertentur cum eo vita comite Cantuariensis Ecclesiæ Procuratores, qui Domino suo scripserunt petitiones suas benignius quam sperauerunt exauditas, licet de fide & constantia Domini Papæ sibi antea viderentur esse certissimi. Præuenerant eos nuncij Domini Regis, Ragin. Archid. Saresber. M. Ric. Barre, & Rad. Landauensis Archidiaconus. Sed nulla instantia potuerunt efficere, vt eos nisi confusos dimitteret Dominus Papa, antequam suum reciperet Gratianum, in cuius aduentu cornua eorum repressa sunt, & retusa, & Ecclesiæ causa, reuelata plenius veritate, magis & magis inualuit. Nam & coniuratio, quæ ad instar scismatis fieri cogebatur in Anglia, Ecclesiæ contra quam parabatur profectibus militabat. Secuti sunt alij nuncij ex parte Regis. Egidius Rothomagensis & Ioannes Sagiensis Archidiaconi, & famosus ille iurator Decanus Sar. retractantes priorum petitiones, & dicentes, Dominum Regem causam, quæ inter ipsum & Cantuar. Archiepiscopum vertitur, & formam pacis inter eos reformandæ prorsus in Domini Papæ conferre arbitrium, & super hoc ipsius Regis bullatas literas protulerunt. Quod Dominus Papa benignius audiens Regi gratulatorias scripsit literas, quarum tibi rescriptum mitto. Interim Rex cum alio Rege mediante Tyronen. Archiepiscopo, de tollenda cruce tractabat, eique persuaserat interpositis cautionibus (quas exprimi pro personæ reuerentia non oportet) quod à proximo Pascha in annum arripiendo itineri accingetur. Et quidem sub eo prætextu Christianissimum Principem in componendis finibus suis habebat adiutorem, donec collusio inita cum Heruæo de monte mirabili, illum ex causa probabili fecit esse suspectum: suspectiorem vero quod colloquium & concordiam Regis Francorum & Comitis Flandr. studuit impedire. Vt tamen deuotionem tollendæ crucis probabilius astrueret, per viros magnos & religiosos & per familiares suos, (sicut ex literis eorum videbis) cum Ecclesia de pace tractabat, vtens Domini Tyronen. officio in hac causa, cui etiam præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & multis Proceribus conuocans, primo Deum & (vt dici solet) Christianitatem suam obsidem dabat; Deinde patruum suum Regem Ierosolymorum, & omnes qui conuenerant, constituebat fideiussores: Quod ex animo in fide & sinceritate Cantuar. Archiepiscopo remiserat omnes querelas, & iram, & animi rancorem, & omnibus suis petens vt redirent, sua omnia in pace & securitate recepturi: nec aliquid exigebat, nisi vt ei faciat Archiepiscopus, quod Regi debetur: & ipse vicissim illi quod Rex debeat Archiepiscopo. Misit autem Abbatem Cisterc. & fratrem G. Fulcherij, Magistrum templi, & G. Antissiodorens. Senonas, vt præfatum Cantuar. ad ipsum cum Episcopo Sagiensi in hæc verba adducerent. Sed cum fidem eorum secutus Archiepiscopus Pontissaram venisset, denunciauit ei Dominus Rothomagen. ne procederet, quia Rex erat in Angliam transiturus sub omni celeritate pace infecta. Receperat autem duos de nunciis suis M. Ric. Barrei & Landauen. Archid. in quorum reditu pax impedita est, machinatione (vt aiunt) G. Cantuar. Archid. cui Deus quandoque respondebit ad merita. Iactitabatur tunc Regis nuncios absolutionem Episcopi Lond. & omnium aliorum obtinuisse, & quod Archiepiscopo subtracta erat potestas animaduertendi in Regem & terram suam sine regni personas, sed mendacia illico defecta sunt, superuenientibus literis Domini Papæ etiam antequam Londonens. Episcopus ad curiam iter arriperet: qui procul dubio labori pepercisset & sumptibus, si (vt quidam mentiti sunt) sine tanta difficultate absolui potuisset. Fama celebris est, quod memoratus Cantuar. Archid. Regi persuasit in Angliam transfretare vt Episcopos torqueat & clerum; qui contra Dominum Papam & matrem suam Cant. Ecclesiam iurare noluerint. Vndique metus & angustiæ vndique, longe necessitate vitandorum inflicta. Melius est incidere in manus hominum quam derelinquere legem Dei. Alterum enim semper gehennam ingerit. Alterum via est ad coronam, & perpetuam gloriam. Nam qui persecutionem propter iustitiam patiuntur beati sunt: quoniam quos pugna purgat, probat & illustrat, finis pugnæ sine fine coronat. Sathanas autem amplius sæuit, cum exterminium suum videt accelerari: & illa pars hyemis terrior est, quæ veris imminentis præcedit amœnitatem. Historias replica, Tyrannorum gesta reuolue, & plane reperies in pressuris semper dilatatam Ecclesiam: Et quod persecutio quanto atrocior erat, tanto citius sedabatur. Regem autem tam ab amicis, quam ab aliis nunciis qui præmiserunt istos, vt præmuniretur indubitanter significatum est, quod nisi citius cum Ecclesia fecerit pacem, secundum quod ad petitionem suam Dominus Papa præscripsit, & hoc infra Cal. Mai. ex tunc nulla ratione differri poterit, quin in personam eius & terram cismarinam & transmarinam Ecclesiastica seueritas exerceatur. Et hoc quidem arbitror huic exacerbationi quam Deus mature prout Ecclesiæ nouit expedire, compescat, dedisse originem procurantibus fomitem ardoris & incendij, causas iugiter subrogantibus his qui oderunt pacem: & sciunt secum perpetuæ nota infamiæ futuros detestandum schismatis & apostasiæ exemplum. Lator præsentium, si tibi visum fuerit, vt eum admittas, plura supplebit, cum redierint, quorum in breui speratur aduentus, referenda quæ emerserint tibi Deo propitiante scribere non pigritabor: & vtinam me de statu tuo, quem Deus successibus impleat, mature certiorari contingat.

Epist. CCLXXVI.

Idem Roberto Sacristæ.

Deuotionem quam habes ad me nuncius vester diligenter exposuit, & me non mediocriter ad referendas gratias quantum verbis potuit obligauit. Cum enim me tanto exilij tempore veteres amici prorsus omiserint & contempserint, illis qui saltem bona verba sub hac tempestate proscriptis communicant his quos alij contempserunt, præsertim cum facultas non suppetat, vt eos opere consolentur, amicitiam prout possunt, videntur colere, & vlteriorem gratiam promereri: siquidem ratio, non minus animorum quam rerum pensat indemnia. Censetque præponderare lancem quæ solidata charitate repletur. & quæ rerum leuitatem præfert, & fictæ dilectionis vmbratiles ostentat imagines, suspendit in auras. Perseuerate ergo in eo, quod fideliter incepistis, & deuotionem, quam patri vestro debetis, & Ecclesiæ laboranti continua charitatis exhibitione quotiens fuerit opportunum proferte in lucem: vt tam à Deo quam ab ipso Archiepiscopo vobis in retributione verbi respondeatur pro meritis. Quod Deo propitiante futurum speratur in breui: quia non creditur apud nos quod pax Ecclesiæ diu differri possit. Sed & hanc ad honorem Dei & Ecclesiæ vtilitatem creditur prouenturam, non vt quidam mentiti sunt in confusionem Domini Cantuar. & eorum, qui pro iustitia decreuerunt, ponere si opus fuerit animas suas. Nec doleatis si Rothomagensis Archiepisc. & Episcopus Niuernensis in Angliam venerint; quos sicut pro Ecclesia plurimum, ita contra Dominum Cantuar. aut suos nihil omnino posse certissimum est. Sed nec eos velle nocere credimus: quin potius quod ad honestam pacem & vtilem totis viribus laborabunt. Hoc scripsi, ne nuncij vestri videar contempsisse sermonem, qui ad obsequium vestrum vbi facultas affuerit, sum paratus in Domino. Valete.

A

Epist. CCLXXVII.

Idem Conuentui Cantuariensi.

Dilectissimis fratribus, & amicis charissimis, qui in sancta Cantuariensi Ecclesia congregati sunt, & piam sapiunt vnitatem proscriptorum minimus I. de Saresb. semper eorum facie sua fœliciter ambulare. Æquum est dilectissimi me de vestris gaudere profectibus, anxiari periclis, damnis & iniuriis compati, & quantum Christiano licet, si forte quod absit immineat exanimari defectu. Lugere siquidem parum est, quod etiam in hostium occasu iustos piè fecisse recolimus, cum charitatis virtus extincta Spiritus sancti protestetur occasum. Cuius funus perfunctoriis lacbrymis non est, aut dolore momentaneo prosequendum: sed vita

B

per pœnitentiam & fructum bonorum operum instantius reparanda. Nec moueat si Spiritum sanctum, qui proculdubio immortalis est, & beata vita iustorum dictum est in aliquibus interire, cum Paulum audieritis dicentem, Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere. Et vtinam efficaciter audissetis, quod vt Sapiens meminit, non auditores verbi, sed factores iusti sunt apud Deum. Neque hæc in suggillationem omnium vestrum dicta credantur, quia Spiritus sanctus testis est, quod ex charitate potius quam ille solus inspirat qui charitas est, prolata sunt, quam in alicuius iniuriam Christiani. Licet aliquos de numero vestrum pro iniuria Spiritus & fraternæ charitatis exterminio iure & merito ne pereant, sed salubriter confundantur, crediderim arguendos. Euoluat vnusquisque & relegat propriæ conscientiæ librum: in ambiguis si qua sunt, interpretem quærat & inuocet Spiritum sanctum, qui docet hominem scientiam, & absconditam reuelat veritatem, vt eo docente sibi fidelius & familiarius innotescat: & vt arbitror plane & plene deprehendet quid ab accensa vel incensa, quid a tepida vel remissa, quid

C

ab extincta vel fugata & perdita sibi prouenerit Charitate. Absit tamen vt per blasphemiam aut obstinationem aut desperationem aut impœnitentiam peccatum irremissibile commiserit quis in vobis, quia licet in ramis debilitata & fracta sit charitas, spes tamen est quod maneat in radice. Et rigata & perfusa cælestis gratiæ imbribus poterit reuirescere, & veræ compassionis & iustitiæ facere fructus, si cor posuerit anima super vias suas si pœnituerit, si culpam fateatur, si pro facultate satisfaciendo redimat quod commisit. Sed fortasse dicetis: Tu quis es, aut quæ est domus Patris tui in Israel, vt religiosos arguas viros, præsertim in Ecclesiarum Britanniæ cardine constitutos? Aut nos quid commisimus, vnde charitatem probes extinctam aut remissam? Ego quidem pro me respondeo, quod præmisi, quia proscriptorum Christi minimus sum, & quod ex conscientia loquor quem zelus domus Dei, vt alterius parcam iudicio vel errori, iam multo tempore fecit exula-

D

re proscriptum: & qui vt propriam fatear insipientiam, scandala fratrum patienti animo sine scrupulo nequeo tolerare. An non licet mihi præsertim Apostolo docente proprium vstionem deplorare in scandalis? Non licet coægrotantes quibus coinfirmor inuitare vt pariter curramus ad medicum? Profecto cuilibet discipulo Christi etiam minimo liberum est, Ipso inspirante dare testimonium veritati: quam quisquis ex Deo est, non modo patienter, sed libenter audit. Audite ergo & vos, animo patienti quam ego reputem culpam vestram, quod dispendium charitatis: quod quæso vbi apparuerit, nolite vanis verborum foliis adumbrare, sed opere potius expurgetur & veritate. Sex anni fere euoluti sunt, ex quo pro iustitia proscriptus exulat Pater vester multis & magnis arctatus angustiis, multis vtriusque sexus cuiuscunque ætatis coexulibus Christi pauperibus oneratus. Et quid ei vel coexulantibus sibi tanto tempore impenderitis, si quid tantum à memoria vestra elapsum esse

E

non arbitror? Vbi interim (quæso) caritas? ubi amor? vbi affectio filialis? Nam vt ait per organum suum Spiritus sanctus, probatio dilectionis exhibitio operis est: & eodem constat auctore, amorem non posse otiari. Sed prætenditis publicæ potestatis vires, satellitum insidias, & metum iustum, ne locum perderetis & gentem. Plane magnæ sunt, & vtinam sint semper in Domino vires Regiæ potestatis; sed non tantæ vt omnes vestras cohiberet impensas: quas vbi sæpius fecerint, qui poterant quisquis diffiteatur, veritas nouit, & fortasse etiam ante diem Domini quandoque saltem pro parte reuelabitur. Hoc indubitanter dixerim, Christum nunquam puniturum, nec homines culpaturos, si aliquid substraxissetis necessitati vestræ nedum deliciis, quod posset Christi pauperibus pro iustitia & libertate Ecclesiæ exulantibus erogari: nisi forte quispiam credat Deum in extremo examine glorificaturum illos qui duplicibus induti sunt, & epulantur quotidie splendidè.

F

Sathanas vobis pietatis affectui satellitum ministerio multas tetendit insidias: sed eas aliquorum fides & diligentia licet paucorum euasit. Quod vos facilius potuisse conjicio, si quando fuisset attentatum. Vtinam pietatem vestram saltem voluisse cuiuscunque operis testimonio conuinci potuisset? Superest vt de timore vobis Apostolus Christi respondeat, quoniam timor iste non est in charitate. Iudæi ne locum & gentem perderent; Christum, vt recolitis, occiderunt, & eo ipso quod maxime volebant euitare de merito, amiserunt locum & gentem. Nam fere quotiens ex aliqua causa consulto Deus offenditur, res in contrarium voto pergit euentum. Si tamen illi longo tempore expectati pœnitentiam egissent, potuissent loci & gentis retinuisse primatum, qui illis induratis genti traditus est facienti fructum eius. Vos itaque dilectiss. quoniam adhuc tempus est propitiationis & meriti, accelerate ad veniam per dignos pœnitentiæ fructus, & præoccupate faciem iudicis in confessione, & satisfactionis diligentia redimite motam, & lapsam erigite caritatem. Facilis &

G

gloriosa si vera sunt quæ dicuntur apud nos satisfaciendi & redimendi famam vobis offertur occasio, cum Dominus Rex (vt aiunt) in iniuriam Ecclesiæ vestræ filium suum per manum Archiepiscopi Eboracens. aut alterius Episcopi velit inungi & consecrari in Regem. Prohibet hoc Dominus Papa mandato iterato, & sunt prohibitoriæ eius in regno; Quas si porrigere cessauerint alii, & ad vos peruenerint induantur quæso aliqui vestrum virtute ex alto vt eas porrigant, Dei & summi Pont. auctoritate prohibentes, etiam interposita appellatione si opus fuerit ne tantum præiudicium sanctæ Cantuar. Ecclesiæ inferatur? præsertim cum it ad quem spectat Dominus Cantuar. paratus sit hoc implere. Nihilominus si eas in fraudem Ecclesiæ suppresserit aliquis vt ad vos peruenire non valeant, vos tamen de diuina misericordia confidentes prohibitionem & appellationem ad propulsandam iniuriam imminentem interponere non differatis, & omnibus Ecclesiæ vestræ

H

suffraganeis auctoritate sedis Apostolicæ præcipere, vt præsentiam suam huic operi subtrahant, & præiudicio matris suæ nulla prorsus ratione communicent. Quod si vobis tacentibus præsumptum fuerit, quis de cætero poterit persuaderi zelum non periisse, & caritatem non esse extinctam? sic enim est in vobis aliquis qui non faciat pretiosiorem momentaneam vitam, quam salutem Ecclesiæ suæ & coronam iustitiæ. Non enim nunc à vobis vestra quæruntur, sed vt vos doceatis esse Dei cultores & Ecclesiæ filios. Hac virtute procedentes redimeretis offensas, & tam perspicua caritas multitudinem quæ præcesserunt operiet peccatorum. Eis tamen qui inspirante Christo armaturam zeli assumpserint, induti pro thorace iustitiam, & pro galea iudicium certum, dux & custos aderit fidelis Deus, qui eos super vires tentari non patietur, sed ea quæ nunc videntur imminere pericula in veram pacem, plenam securitatem & perpetuam gloriam commutabit. Nam Dominus Rex quicquid loquantur homines, se meminit

A esse Christum Domini, & pro debito officij, pro generis nobilitate, pro elatissimi virtute animi non modo iusta petentibus non irrogabit iniuriam, sed alios ne irrogent cohibebit. Scit enim quia Regis honor iudicium diligit. Videor mihi videre plures in vobis qui præclari huius meriti coronam affectent, & dicant singuli cum Propheta in auribus Ecclesiæ: Ecce ego, mitte me: Conantes cæteris præripere titulum quo fama redimetur vniuersitatis, & priuilegium Ecclesiæ stabili vigore perpetuabitur.

Epist. CCLXXVIII.

Idem Thomæ Cantuar. Archiepiscopo, à Carnoto.

Consilium Domini Senonensis & nostrum est, si vobis melius non occurrit, vt litteræ vrgentiores quas habetis penes vos de iustitia exercenda si pax non fuerit, celerius Rotbomagen. & Turonen. Archiepiscopis ostendantur: saltem vt audiat hospes & terreatur. B Præterea desiderat vt suæ reddantur Auxitano & Burdegalensi, quia & causæ prodesse poterit, & persecutoris minuere vires. Si in Guasconia auditum fuerit terram eius interdicto subjiciendam esse. Nam ad Bituricenses quicquid de terris contingat semper facilior probabiliter speratur accessus. Et memineritis, quantum periculum & infortunium ad se traxerit mora porrigendi conuentionales Archiepiscopo Rothomagensi & Episcopo Niuernensi, & item prohibitorias Eboracensi Archiepiscopo & Episcopis transmarinis. Nec dixeritis quæ prouenerunt vobis non fuisse prædicta, sed potius quod omnium auspicantium more subtilitatem vestram vaticinia quæ non erant a spiritu deluserunt. Vtinam non sit deceptionis huius morbus irreparabilis: sed nisi cælitus data releuatio seu consolatio non occurrit. Et quidem rectè vt arbitror cum nos aliem ingenij imaginationibus vanis præsumemus euoluere cordis humani latebras, quarum solus Deus C arbiter est. Quid quæso magis temerarium, aut in Deum, qui hoc singularis eminentiæ priuilegio vendicat, iniuriosius est? Nam seipsum nosse etiam Apollinis oraculo summam esse sapientiam adeo celebris est sententia apud Philosophos, vt ei nemo veterum ausus sit refragari. De cœlo siquidem (vt aiunt) descendit γνῶθι σεαυτόν, (id est) scito teipsum. Quia ergo hic humana deficit, & Euangelica eatenus non attingit, sola Dei sapientia est quæ consilia & cogitationes hominum non imaginatione fantastica conjicit, sed sicut sunt vsquequaque cognoscit. Vaticiniis ergo renunciemus in posterum; quia nos in hac parte grauius infortunia perculerunt. Qui corda finxit illa examinet: nos quid domi nostræ sit exploremus.

Epist. CCLXXIX.

D *Idem Guillelmo Subpriori, Roberto Sacristæ, & Magistratibus Ecclesiæ Cantuariensis.*

Amicis & fratribus charissimis G. Subpriori & R. Sacristæ, & aliis qui sanctæ Cantuar. Ecclesiæ curam gerunt, suus Ioannes salutem & dirigere prudenter in futura prospectum. Preces vestras & vota fidelium tandem misericors & miserator Dominus exaudiuit ad honorem suum, vt ex multis & certis indiciis patet, Anglicanæ Ecclesiæ restituens pacem, & ab exilio reuocans Patrem vestrum. Vtinam fuissent aures vestræ ad os Domini Regis quando in colloquio Regum nuper habito, inter castrum Blesense & Ambasiam, dimisit Dominum Archiepiscopum vt à Francis quibus tenebatur licentiam maturè reciperet sub omni celeritate rediturus ad ipsum, inde in Angliam transiturus. Igitur vt condictum est Deo propitio in festo omnium Sanctorum Senonis vale faciet ex proposito & condicto rediturus ad propria, & quam cito poterit Sanctorum vrbem reditu suo Cantuar. illustrabit. Vos itaque E sicut honori & Ecclesiæ vestræ prospectum esse vultis in posterum, Patri vestro occurrite, & in partibus cismarinis si quid deuotionis aut consilij est transmittere non differatis, vnde si possit exonerare, & vobis perpetuo teneatur obnoxius. Redimite vel nunc moram, ne forte ad se ineuitabile iacturæ rerum, & famæ periculum trahat. In historia nouorum reperi decessores vestros primos occurrisse reuertenti ab exilio Patri Anselmo. Nunquid vos degeneres eritis, vt nihil solatij aut minimum, & non secundum vos reuertentibus Patri & fratribus conferatis? Absit hoc semper à prima Britanniarum sede Cantuar. ne tam fœdum temporis nostri, tam inhumanum & indeuotum, & indisciplinatum exemplum transmittat ad posteros. Dolor & cordis angustia me vobis compatientem & timentem ne ex pusillanimitate & tenacia quorumdam (quod Deus auertat) Ecclesia Dei contrahat opprobrium sempiternum, scribere non patiuntur omnia quæ locus & causa ingerit: sed vt arbitror Deum timentibus & sapientibus & amantibus honestatem satis dictum est. Hactenus ergo F amicos præmonuisse sufficiat. Nec dubito quin amantibus honestatem satis dictum est. Hactenus ergo amicos præmonuisse sufficiat. Nec dubito quin amantibus charitatis reddantur fructus, & in surdos (vt veteri prouerbio dici solet) faba cudatur. Valete vestri & nostri memores in charitate.

Epist. CCLXXX.

Idem Petro Abbati S. Remigij.

Mora mea rectissime poterat accusari, si non eam necessitas accusaret. Debueram enim ex quo primum in Angliam pedem posui, nuntium remisisse, per quem vestra dilectio de alumnorum suorum statu posset certiorari. Sed quia mihi in ipso nauis egressu, noua & stupenda rerum facies occurrit; alium certiorare non potui, qui ex variis opinionibus & verbis hominum G reddebar incertus. Nam triduo antequam applicarem omnia bona Domini Cantuar. & suorum annotata fuerant procuratoribus suis ab administratione submotis: & in portubus edicto publico inhibitum est sub interminatione exilij & proscriptionis, ne quis nostrorum si forte Angliam vellet exire transueheretur, pissimi tamen officiales Domini Regis prouida nimis cautela & perniciosa nobis circumspectione præcauerant, vt Archiepiscopus & sui ab exilio redeuntes nihil prorsus aut minimum inuenirent præter domos vacuas ex magna parte consumptas, & horrea demolita, & areas nudas, & hoc ad consolationem diuturnæ proscriptionis & emendationem sacrilegij perpetrari. Et cum pax nostra nobis in festo B. Magdalenæ fuisset reformata, & serenissimus Dominus noster Rex filio suo nouo Regi litteris patentibus præcepisset, vt Archiepiscopo & suis omnia restituerentur in integrum, prout fuerat tribus mensibus antequam Angliam egrederentur, omnes tamen reditus nomine eius percepti sunt, qui vs- H que ad natale Domini percipi potuerunt. Plures possessiones & Ecclesias quas ipso iure & ratione pacti conuenti restitui oportebat Ecclesiæ Cantuariensi, adhuc publicæ potestatis auctoritate occupant curiales. Ego inter cæteros vna Ecclesia priuatus sum quæ xl. Marc. annuas soluebat antecessori meo. Contigit autem me triduo applicare ante Octauas B. Martini, & in Octauis erat Cantuar. Synodus celebranda in qua me vices absentis Archiepiscopi gerere oportebat. Cum itaque præter spem, & contra bonam opinionem & bonas promissiones Domini Regis sic omnia turbata reperissem, vt de pace nostra, & de reditu Archiepiscopi desperaretur ab omnibus, & me tanquam in carcere positum agnouissem, vultu hilari & animo constanti Cantuariam petij, vbi à Clero & populo cum magno honore, & quasi Angelus Domini receptus sum, fidelibus iam ex aduentu meo meliora sperantibus, eo quod eis persuasum erat quod me nullo modo Archie-

piscopus

A piscopus præmisisset, si non esset in breui secututus. Inde Synodo celebrata ad nouum Regem pronectus sum, & satis humanè receptus, & licet custodes sui aliquid timoris prætenderent suspicantes pacem nobiscum non simpliciter factam esse, sed rancoris palam remissi firmius hærere radices. Quod & si ex variis signis patenter aduerterem, sic egi ac si omnia ad votum procedere arbitrarer. Festinanter inde ad matrem meam deflexi iter, quam iam altero languentem anno, & amodo iam diem Domini cum gaudio præstolantem, ex quo me vidit vestris & Sanctorum quibus cohabitatis orationibus precor attentius commendari. Receperat autem responsum à Spiritu se mortem non visuram donec me & fratrem meum videret ab exilio redeuntes. Interim illi veteres amici Domini Cantuar. & Ecclesiasticæ libertatis propugnatores, Dominus Eboracens. Episcopus Londoniæ & complices eorum, consilium inierunt cum publicanis legatione transmissa ad Dominum Regem, B ne præfatum Cantuar. in Angliam redire pateretur antequam renunciaret legationis officio, & restitueret ei vniuersas litteras, quas emeruerat ab Apostolica sede, & repromitteret se Regni iura inuiolabiliter seruaturum, vt sub obtentu cautionis huius ad obseruantiam consuetudinum arctaretur. Dicebant enim quod reditus eius Domino Regi damnosus & periculosus futurus erat, nisi ista præcederent. Fecerant etiam de singulis vacantibus Ecclesiis senes euocari personas, in quas de pastore eligendo vniuersitatis arbitria conferrentur, vt electiones de Ecclesia in aliud Regnum & palatium protractæ celebrarentur ad nutum Regis: vbi si de Cantuar. ob reuerentiam Canonum pro officij sui debito obloqueretur, Regiam offenderet maiestatem: si consentiret, reus esset in Deum & conuinceretur in constitutiones Ecclesiasticas incidisse, sæpedictus autem Dominus Cantuar. ex mandato Domini Regis Rothomagum venerat, inde ex promisso liberandus ab obligatione creditorum, & cum honore in patriam remittendus. C Sed fefellit eum opinio, Ioanne de Oxeneford. afferente litteras Domini Regis, quibus rogabat & monebat, vt sine mora rediret ad Ecclesiam suam, & antedicti Ioannis conductu & solatio in itinere frueretur. Paruit Archiepiscopus, in redeundo æmulorum per amicos machinamenta cognouit, qui iam ad mare profecti ventum commodum expectabant, Archiepiscopo nostro in littore opposito similiter expectante. Vbi cum de transitu eorum & machinationibus certior fieret, conatus eorum via qua potuit, elisit, mittens Archiepiscopo Eboracensi litteras Apostolicas quibus ipse & Dunelmensis Episcopus propter vsurpationem noui Regis coronationem ab Episcopali officio suspenduntur. Alias quoque porrexit nuncius London. & Saresb. Episcopus, quibus in sententiam Anathematis reuocantur, & suspenduntur omnes Episcopi qui præfatæ coronationi interfuerunt, quo facto prosperior aura spirans à Flandria Dominum Archiepiscopum in Angliam felici nauigatione perduxit, venientemque ad D portum cui Sanduuicus nomen est, regij satellites exceperunt, custodiis per littora dispositis vt creditur ad nocendum & armatis perstrepentibus, antefactus Ioannes Oxenofor. cohibuit & compulit arma deponere, non tam vt putatur fauore nostrorum, quam ne temeritas eorum Dominum Regem & liberos suos nota proditionis inureret. Exegerunt tamen vt alienigenæ qui cum Archiepiscopo venerant Sacramentum præstarent de seruanda fidelitate Regi & Regno. Nec apparebat quisquam alienigena præter Simonem Seonens. Archid. qui ad præstandum iuramentum facile fuisset inductus, si Archiepiscopus permisisset, qui exempli perniciem veritus respondit bonis moribus hoc prorsus esse contrarium, vt inaudita barbarie compellerentur hospites & peregrini ad huiusmodi iuramenta: Et fortasse satellites vim parassent, nisi eos compescuisset tumultus popularis verentes plebis impetum, quæ sic de recepto pastore gauisa est, ac si de cœlo Christus inter homines ipse descenderet. Cum vero se die sequenti Cantuariæ recepisset, E venerunt ad eum & alterius Archiepiscopi & Episcoporum suspensorum nuncij ad sedem appellantes Apostolicam, licet eis indubitanter constaret, quod Summus Pontifex omnem appellandi præclusérit facultatem. Venerunt ex alio latere Domini Regis officiales, suo rogantes nomine, & publica denunciantes auctoritate, vt Archiepiscopus latam in Archiepiscopum Eboracens. & alios Episcopos sententiam relaxaret, nisi Regis & regni decerni vellet publicus hostis, vt qui nouo Regi coronam moliebatur auferre. Ad quod Archiepiscopus respondit, se nullo modo impugnare Regiam dignitatem, sed potius vires, opes, & gloriam pro viribus in Christo augmentaturum. Hoc tamen nulla ratione impetrari posse, quin aduersus præsumptores Episcopos Ecclesiæ suæ iustitiam prosequatur. Illis autem instantibus acrius adiecit, quod pro honore Domini Regis, licet ei periculosum esset & vires eius excederet, quia iudex F inferior superioris non potest relaxare sententiam, paratus erat duos Episcopos absoluere, recepto prius ab eis secundum morem Ecclesiæ iuramento, quod Domino Papæ qui eos vinxerat mandatis obedirent. Officiales autem non permiserunt vt fieret dicentes huiusmodi iuramentum ab Episcopis non debere præstari, quia Regni consuetudines impugnabat. Replicauit ad hoc Archiepisc. quod cum Dominum Papam modis omnibus antea sollicitassent, vt eos absolueret à vinculo anathematis quo solius Cantuar. Ecclesiæ auctoritate fuerant innodati, non nisi præstito iuramento absolui potuerunt. Quod si necessarium fuit ad vnius Episcopi sententiam dissoluendam, quæ longe est infirmior edicto Summi Pontificis: luce clarius est quod sententia Apostolica sine eo præsertim à iudice inferiori solui non debet. Ad huiusmodi & similes allegationes Episcopi moti sunt: Et sicut pro certo relatum est ad clementiam Archiepiscopi refugissent, nisi eos sæpe nominatus Eboracens. seduxisset dissuadens ne quid Rege facerent inconsulto, quem patronum habuerant in om- G nibus operibus suis. Illis itaque cum indignatione properantibus ad Dominum Regem noster Archiepiscopus ad nouum Regem iter arripuit. Cum vero Londonias peruenisset denunciauit ei Rex iunior ne progrederetur, nec ciuitates eius aut castella intraret, sed reciperet se cum suis infra ambitum Ecclesiæ suæ, & suis denunciatum est, ne Regni fines exeant, ne prodeant in publicum: sed sicut seipsos diligunt, caueant sibi. Qua denunciatione publica, se & suos Cantuar. recepit Archiepiscopus, ibique salutare Dei cum Christo præstolamur. Neque nobis via consolationis aut securitatis alia patet, quam vt vestris & Sanctorum orationibus euadamus insidias eorum qui nostrorum sanguinem sitiunt & quærunt, vt de terra peritus auellamur, aut celerius pereamus in ipsa. Licet autem persecutio grauissima sit, & ad Archiepiscopum rarus de numero diuitum vel honoratorum visitator accedat: ipse tamen cunctis ad se venientibus pontificali grauitate ius red- H dit, reducta prorsus acceptione personarum ac munerum. Frater meus ad vestrum Exoniensem, quem mihi nondum licuit visitare, profectus ::: * non potest rumpens, nec cum periculo conscientiæ & nota infamiæ saluatricem cogatur rumpere charitatem. Interim quia tot angustiæ vndique imminent consulo, vt quatenus poterit de rebus suis prospiciat sibi, & maxime spem ponens in operibus misericordiæ, & orationibus Sanctorum. Sic enim quidem, & illum si nondum legitur legere desidero, Magnus Basilius se & populum suum à faucibus Iuliani eripuit. Deus certe ex alto prospicit, qui electos suos supra id quod possunt tentari non patietur, de ipsa iocundum & gloriosum facturos tentatione prouentum. Vt autem sollicitudinem tuam ex aliqua parte mitigarem, Fredericus Teutonicus tyrannus Deo propitiante cum Ecclesia pacem facturus creditur, petens vt filium suum natu secundum quem in Regem eligi fecit, in Imperatorem recipiat Dominus Papa, & Catholicis Episcopis præcipiat consecrari, Aposto-

licæ

A licæ Sedi pariturum. Dumtamen Fredericus in persona sua nullum Apostolicum, nisi velit, recipere compellatur, præter Petrum & alios qui in cœlo sunt. Et nihil facile audiretur, si non pactis insereret, vt in gradibus & dignitatibus suis remaneant qui sunt à schismaticis hæresiarchis ordinati & consecrati. Stat in hoc calcenlo lis adhuc, sed vtraque pars ex aliquibus signis in quadam petitionis parte alteri cessura esse præsumitur ..... verbi procuratores huius Cisterciens. & Clareuallens. Abbates ab Ecclesia Romana redierint. Pauca familiarius lator præsentium prosequetur, cuius precor curam haberi facias donec conualescat. In quo & fratrem meum, quod ad medicinam pertinet sollicitum esse desidero, cum relatu digna emerserint. Ea fauente Deo citissimè ad tuam notitiam perferentur. Valete, & tuorum memineritis ante Deum.

Epist. CCLXXXI.

B

Idem Ioanni Pictauiensi Episcopo.

GAudeo, si tamen famæ præconiis fides est habenda, quod vos Rex Anglus a prædestinati itineris limine reuocauit, vt processum & exitum negotij videatis, quod ei cum Cantuariensi, imo contra Ecclesiam geritur. Et vtinam vestro & sapientum consilio adquiescat! Et quidem si Gratianus, vt iam dicitur Incepisse, viriliter egerit, tandem adquiescet sano consilio vel inuitus. Et tamen spes multorum quod filius gratiæ cui ex re nomen est, & B. Eugenij nepos rectè incedet ad veritatem Euangelij, & Apostolicæ maiestatis gloriam, & Ecclesiæ laborantis honestatem & pacem. Scit enim indubitanter quod si hac via incesserit, æternam gloriam coram Deo & hominibus promerebitur. Et quia paucos inuenit quibus confidenter possit inniti, vos constantiam quæso eius erigatis & roboretis in Domino. Rex Deo propitio bene soluendo est: C Et constat impœnitentibus peccata non posse remitti: si vero res ablata cum reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Quid excommunicatis conferet absolutio, nisi satisfecerint de iniuriis & rapinis, & tam manifesto inobedientiæ crimine? Crimina publicatione sui euidentissima totam Ecclesiam graui scandalo affecerunt: Et quæ in lumine commissa sunt, non debent in tenebris aboleri: præsertim cum non sit aliquid occultum quod non reueletur, & quod non prædicetur in compitis, & super tecta. Si sine iuramento fuerint absoluti, contra formam publicam & in læsionem Ecclesiæ grauiter præsumetur: nisi restitutionis faciendæ verbum rite processerit, principibus & tyrannis tam coætaneis quam futuris perniciosum relinquetur exemplum. Si Rex obtinuerit vt pactis inseratur regni dignitates saluas fore, consuetudines euicit mutato duntaxat nomine, & omnem Ecclesiæ auctoritatem eliminauit ab Anglia. Sed absit vt aliquid istorum fiat: Et certus sum quod Dominus Cantuariensis D præelegit exulare perpetuo, quam vt propter pacem eius lædatur Ecclesia, & Sedis Apostolicæ priuilegium conuellatur. Suadete ergo Domino Gratiano, vt in omnibus, & præcipue in his articulis caueat sibi, ne eum quem Deus auertat decipiant animi sub vulpe latentes. Iam enim, ni fallor, expertus esse potest, quoniam verba præcipitationis diligit lingua dolosa; Nulla, inquit, sapiens vnquam securitas est, vicino serpente dormire. Et in Sede Sathanæ certum est habitare structiones & scorpiones cum his, qui tenent doctrinam Balaam. Valete.

Epist. CCLXXXII.

Idem Bartholomæo Exoniensi Episcopo.

ECclesia in arcto est, & ex dissensione regni & sacerdotij eam vndique premunt angustiæ. Nam quoniam Rex perimit, illa vendicat libertatem, & si E vellet à status sui defensione cessare & acquiescere iussionibus tyrannorum, ilico indignationem Apostolicæ Sedis exciperet. Sed quia longè tolerabilius est incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei, officiosissimum, & consiliosissimum reputo non modo facultates & fallacis dona fortunæ pro tuenda libertate, pro legibus paternis exemplo Sanctorum exponere: sed & ipsum corpus quod quibuscumque flagellis atteratur, quibuscumque tyranniorum carnificinis torqueatur ad præsens, velint nolint persecutores, pulchrius & fortius prout merita præcesserint, glorificatum in illa die restituet Christus, pro cuius fide & obedientia nunc salubriter exponitur aut deponitur. Sed etsi eo vsque tyrannorum rabies inualuerit, facilis est iactura sepulchri, vbi cælo tegitur qui non habet vrnam. Consilium in ambiguis duntaxat habet locum: nec debet esse ambiguum quod gerendum præscribit lex diuina. Nam nec minimum de mandatis Dei, siqui- F dem tamen quod vix crediderim paruum est, pro temporali vita nedum pro mundana supellectili vel quiete vana, consiliove deseritur. Nam & minima seruata vitam acquirant, & plerumque martyrij gloriam promerentur. Neglecta vero ex crimine inobedientiæ & contemptus internam ingerunt mortem. Captam auiculam cum pullis occidi prohibet Dominus subjiciens præmium esse huius mandati si obseruetur, vt longo viuas tempore: Quod quidem adjici mandatis aliis non facile reperies, nisi vbi patrem & matrem præcipit honorari. Idem ergo magno & ei quod minimum videtur subintulit præmium, vt doceret quoniam & minimi diligens obseruantia vitæ promeritoria est. Nunquid non scriptum est, quoniam qui minima spernit paulatim decidet: & qui in modico fidelis super multa constituetur? Nec hoc dixerim quod omnes capiant verbum istud: aut quod ego minima diligenter obseruem, qui sæpe & multum in magnis delinquo & maximis. Siquidem obedientia maximum est mandatum, sine cuius diligentiori custodia salutem prouectorum nullus asse- G quitur. Melius est enim quam victimæ. Sicut é latere crimen ariolandi est, repugnare, & quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere. Et vt ad obediendi virtutem fortius animeris, Domini Papæ te munit auctoritas, sicut habes ex litteris quas Episcopo Vvigorn. nuper scripsit, consulenti an ad Episcopatum suum potius redire deberet, & Regis obsequi voluntati, an assistere Dom. Cantuar. pro libertate Ecclesiæ & defensione diuinæ legis, omnia supra quam dici possit pericula in se & suis fortiter sustinenti. Exemplum litterarum inferius subiectum est. Executorem voluntatis suæ te faciat Dominus, & eam fidei fortitudinem & perseuerantiam conferat, vt fratres coæuos & posteros in timore Domini & cultu iustitiæ fœliciter valeas roborare.

Epist. CCLXXXIII.

Idem Cantuariensi Ecclesiæ. H

VEstram sæpius, si reminisci placet commonui charitatem, quatenus Patri vestro & Domino pro libertate Ecclesiæ agonem in sextum annum quod hactenus exegit necessitas protrahenti fideliter (vt oportebat) assisteretis, & vt communicaretis necessitatibus eorum qui acerbitates exilij, proscriptionis iniurias contumelias detrahentium, persecutorum molestias, ne furores dixerim pro verbo Domini pertulerunt. Et vtinam salutaria & honesta monentem audissetis vel audiatis adhuc, ne vos (quod absit) nimis sero pœniteat incredulitatis & duritiæ vestræ. Nam ego hactenus vobis vt Cassandra Troianis semper vera prænuncians videor insanire: & ab incredulis dicitur: homo iste de corde suo prophetat. Et vt simpliciores inducat in erroris & infortunij sui consortium, vanis terret oraculis: Et nunc rectum sapientibus intentat aduersa, nunc acquiescentibus prospera pollicetur. Sed ecce in ceruices inimicorum Ecclesiæ Petri gladius potenter exertus

est,

A est, & Malcho nisi declinet ictum amputabit auriculam dexteram. Quid Malcus Latino sonet eloquio, nostis: Loquor enim scientibus, tenentibus, diligentibus, & amplectentibus legem. Non credebatur quod Episcopus Lond. & alij auctores schismatis & incentores essent anathematis gladio percellendi: sed illos iam à corpore suo rejecit Ecclesia & exclusit. Non credebatur quod condemnationem eorum Rom. Pontifex approbaturus esset: sed ex eo constat ratam esse sententiam, quod nuncij à sede Apostolica missi sunt, qui eis præstito iuramento secundum morem Ecclesiæ secundum quod Dn. Papa præscripserat, faceret pacem. Cuius spe dati Cantuar. Archidiac. & alij qui erant in partibus transmarinis absoluti sunt præmissa iuratoria cautione. Et quia pax infra festum B. Michaëlis (vt condictum fuerat) secuta non est, in eandem sententiam anathematis iuxta condictum reducti sunt. Liquet ergo quam periculosa sit participatio eorum: nam & ea excommunicati erant quos oportebat absolui.
B Superest autem vt animaduersio procedat vlterius quia hæreditas Domini non potest liberari de manu hostium nisi in manu forti. In quo conflictu parenter agnoscet Dominus qui sunt eius, & qui pluris faciunt ollas Ægyptias, pane cœlesti, verbo scilicet Dei quod dat vitam mundo. Quicunque vero fuerint hi sortem damnationis recipient cum his quos terra viuos absorbuit. Nam qui peccatis communicat alienis, communicabit & morti. Exite ergo quæso de medio eorum, ponite corda vestra super vias vestras: Et qui ex magna parte (quod cum rubore & dolore confusus eloquor) pinigni fuistis hactenus, vel nunc tandem transeatis in sortem filiorum communicando paternis necessitatibus, fructus pœnitentiæ & obedientiæ exequendo, & infamiam ab Ecclesia propellendo: Quæ, quod Deus auertat, nisi præcaueritis, vestra duritia promerente perpetuabitur in sempiternum. Monuerat hoc, imo præceperat Dn. Papa, sed nec ipse pro sua reuerentia exauditus est. Nunquid
C & vos infidelium more dicturi estis Christo iterum pro Ecclesia patiente, Nos non habemus Pontificem aut Papam nisi Cæsarem? Nunquid adeo timetis illum, qui accepta diuinitus potestate corpora vexare potest, non perdere, vt illum contemnatis, qui totum corpus potest & animam perdere in gehennam? Is certa præcepit, vt prælatis obediretur, vt filij parentes honorent, eorumque necessitates excipiant promptissima caritate. Quam profecto non habere conuincitur qui fratrem in tribulatione positum pro facultate sibi data non consolatur. Affectum namque mentis validissime conuincit exhibitio operis. Valeat semper sanctitas vestra & in his quæ monui, verbum Dei potius consulat quam vicinos.

Epist. CCLXXXIV.

Idem Vuillelmo Subpriori Cantuariensi.

D SVo Britoni suus I. Sar. & pium in futura prospectum. Ex his quæ vniuersitati scripta sunt colligere poteris quid te oporteat facere. Nec est quod nugatorias vt hactenus prætendas excusationes, quia tempus est vt Ecclesia vestra patiatur aut compatiatur. Si enim communicauerit necessitatibus Patris, in consolationibus quas indubitanter Deo propitio speramus in breui reflorescet. Et quidem à centum annis tempus extitisse non arbitror quo tam facile posset ad reparanda omnia antiqua priuilegia respirare. Si patri in his sollicito viriliter & efficaciter velles assistere, & necessariis participare sumptibus. Sed nescio quo pacto regnare vultis sine onere & sollicitudine: cum certum sit non nisi supremo magno labore peti. In his autem eatenus iam profecit per Dei gratiam industria pauperis & proscripti vt in emerendis duo millia marcarum antecessorem suum, si data esset occasio, expensurum fuisse non dubitem. Dicitur quod candelabra alienastis in vsus vanos, fortasse non sine conscientia sacrilegij: & adeo tenaces estis in Ecclesiæ necessitatibus & honoribus reformandis. E Circa hoc sollicita fratres tuos: Et si illi contemnendo desipiunt, tu Ecclesiæ & tibi prouidere memineris. Si Episcopus Londoniensis iter arripuerit ad curiam, pro cura sicut tibi iniunctum est, vt duo Monachi sufficienter instruantur, ei cum vocati fuerint occursuri.

Epist. CCLXXXV.

Idem M. Girardo.

MOleste tulit Dominus meus Archiepiscopus quod vos qui clauem habetis scientiæ, & in lege Domini quam publice docetis iugiter occupamini, adeo vt mundanis disciplinis penitus reiectis, solius veritatis & iustitiæ sacra profiteamini, Cantuar. Archidiacono, F quem solemniter excommunicatum esse non ambigitis communicare præsumpsistis exemplo pernicioso, & quod sicut vestram conscientiam lædit, sic non modice denigrat & famam. Nam nec in minus perito tantus facilis esset excessus, ne dum in illo, cuius non modo doctrina, sed & vita debet auditoribus esse virtutis exemplar. Sed quia credibilius est vos de humana infirmitate, quam de malitiæ peruersitate, licet graue nimis sit quod admisistis peccasse, de mandato ipsius literis vestris respondeo quæ sequuntur: mitroque rescriptum literarum quas ad excusationem sui Dn. Sagiensi transmisit qui monuerat vt ei Parisius occurreret in incertum. Sed (vt scitis) nec equitaturas, nec expensas, nec socios qui per regnum dispersi sunt ad tam crebros & inutiles discursus potest subito præparare. Quod etiam sapientes qui eum tam facile euocant oportuerat præmetiri. Vos autem diligentiores extitistis qui ei vno duntaxat interposito die certum præstitistis diem, vt diplomate incedens Episcopo Sagiensi & Archid. Cantuar. occurreret. Sed quatenus Episcopum verba & literæ vestræ obligent, melius nostis: Et ipse recolit G qualiter eiusdem Episcopi literis, & aliorum consilio nuper delusus sit, vt socios conuocaret, & varias inutiliter procuraret expensas. Nam ad iter accinctus erat, & fatigauerat multos, cum ipsum fama vulgante didicit in Normanniam redisse: incertum an dignus haberetur qui literis deberet aut nuncio præmuniri. Fortasse Ecclesiæ negotium adeo humile est, vt non nisi de latere & ex accidenti tractari debeat, & transcurrentibus tangi potius quam expleri. Sed quicunque personas quæ plurimum læsæ sunt, despicit causam meminerit esse Christi, qui comprimit elationes maris, & pro arbitrio suo potestatum dispensat habenas. Ipse Cantuar. Ecclesiæ patronus est, & inspirabit animo Dn. Regis, vt diuinitus indultam sibi licentiam moderetur, nec eam quæ satis & supra & contra fas & modum gratis afflicta est, & tam ipsum quam antecessores suos tanquam pia mater promouit, aluit, & protexit, affligat amplius. H Sapientior enim est, quam vt saluris suæ dispendium & filij sui perniciem procuret, neque nos ignari sumus quid nuncij sui quæsierint ab Apostolica sede vel obtinuerint. Cessent minæ, quoniam Ecclesia Dei per misericordiam eius in portu nauigat; nec est à strata publica, quam Christus ostendit, recedendum, præsertim his qui in tanta acerbitate exilij tam patenter experti sunt misericordiam Dei. Oscula promittitis & amplexus, si morem geramus homini, & is qui forma Christianorum est audiuit a tentatore, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Ipse iudicet causam suam, & Dn. Regem perducat ad veniam, qui malignantium consiliis impulsus innatæ benignitatis quam habere consueuerat, nimis oblitus est: Et dum inimicis Ecclesiæ vehementius cessit, speciem induit inimici. Nec dubito quin ipse sibi dum hoc gereret displiceret, sed quasi inuitus insipientium clamoribus agitabatur & trahebatur funiculis impiorum? Adjicitis vt Dominus Cantuar. occurrat nominato Episcopo & Archidiac.

A Cantuar. quasi illum recepturus sit nedum ei occisurus, quem ipse solemni anathemate condemnauit, sententiamque in eum latam confirmauit Apostolica sedes. Vtique mirum ducit quod ei præfatus Sagiensis & alij venerabiles viri prælati Ecclesiarum citra absolutionem communicant, quod à se sciunt in districto examine requirendum: Et fortasse Ecclesiá præsenti non dabitur obliuioni. Certo tamen certius est, quod tam Episcopum Londoniensem, & ante nominatum : : : * lateri eius adhæret in timore multo & iugi sollicitudine Longum erit, & vereor ne tædium generet, si cunctas angustias uostras cepero replicare: sed quæ desunt Epistolæ supplebuntur officio portitoris. Sit, itaque, si placet, miserationis vestræ sollicitare S. Priorem & amicos Christi de monte Dei & valle S. Petri, & Abbates sanctorum Nigasij & Crispini, & alios sanctos familiares vestros, quatenus nobis apud Altissimum suffragentur, vt eorum meritis salubriter liberemur qui periclitaremur ex nostris. Carissimos autem fratres nostros & B Dominos qui beatissimo Remigio iugiter famulantur vix sine gemitu, suspiriis aut mari lachrymarum possum ad animum reuocare. Recolens me quiddam instar paradisi fœliciter incoluisse, dum illorum præsentia fruebar, & caritatis experiebar imaginem, quæ in æterna vita speratur Illos quæso diligentius sollicitate, vt alumnorum suorum meminerint in orationibus suis. Quam cito Deus prospera donabit nobis, currentium literarum ministerio Christo propitiante communicare non differam. Valeat semper & vigeat sanctitas vestra, & totius Ecclesiæ prosperitas in bonis omnibus proueliatur, & si placet pauperem sacerdotem S. Cosmæ commendatum habeatis.

Epist. CCLXXXVI.

Idem Ioanni Pictauiensi Episcopo.

C Ex inspetato & in transitu mihi gratia Dei propitiante nuper innotuit, quod ad vos lator præsentium esset transiturus. Gauisus ergo diuinitus ministratá occasionem scribendi eam gratanter arripui, arbitratus mihi longe calamitatis magnum dari solatium, quod in tutis auribus licebat angustiarum cumulum deplorare. Sed vnde sumetur exordium? Nam dicendi parit inopiam materia copiosa & exuberans, & quæ non, nisi tempore nostro malitia excreuisset ad summum, fidem excedit. Publicas angustias an domesticas deplorabo? Sed generales mundus agnouit. Sua quemque miseria perurit acrius nisi forte quispiam sectatorum Christi tanta sit charitate succensus vt vniuersorum subeat onera, & vratur in scandalo proximorum. Et quia vobis de passione gloriosi martyris Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi qui non modo Ecclesiam propriam, sed vtramque prouinciam Anglorum miraculis multis & maximis irradiat, constare non dubito, in ea censui mihi diutius immorandum: præsertim cum & tempus scribendi breue sit, &, vt opinor iam fere per orbem D Latinum ex relatione plurimorum sit nota & vulgata materia. Hoc tamen in tanto diuinæ dispensationis munere silendum esse non credidi quod ad Dei & martyris sui gloriam vniuersi mirantur. Quia sic omnes circumstantiæ concurrerunt in agone Pontificis, vt patientis titulum perpetuo illustrarent, & persequentium reuelarent impietatem, & nomen sempiterno macularent opprobrio. Si enim personas hinc inde tueri & metiri placuerit, occurrit hinc religiosus Archiepiscopus Britanniarum primas, sedis Apostolicæ legatus iudex incorruptissimus, vtpote nec acceptor personarum nec munerum, assertor Ecclesiasticæ libertatis, & quasi turris erecta in Ierusalem contra faciem Damasci, malleus impiorum, sed pauperum & mœrentium consolator. Viderit qui voluerit, quis è regione procedat. Et si causa martyrem facit, quod nulli rectum sapienti venit in dubium, quid iustius, quid sanctius causá eius? qui opes & omnem mundi gloriam, qui amicorum &

E totius cognationis affectionem pro Christi amore contemnens, exilium subiit, se & suos omnes exposuit periculis, & paupertati: qui pro lege Dei sui tuenda & euacuandis abusionibus veterum tyrannorum certauit vsque ad mortem: nec in aliqua obligatione postquam semel lapsus est, captus insidiantium dolo, induci potuit vt aliquid eorum quæ ab ipso exigebantur promitteret, quin in omnibus adijceret honorem Dei & honestatem Ecclesiæ saluam fore. Nec ad modicum & quasi ad horam credens, in articulo tentationis recedens aduersa perpessus est; sed exilium & acerbam proscriptionem in annum septimum protelauit; tanta quidem virtute constantiæ via regia incedens, & Christi & Apostolorum virorum sequens vestigia, vt inuictus eius animus nec fortunæ sæuientis impetu posset frangi, nec blanditiis emolliri. Sed & vbi sit immolatus aduertite. Certe in Ecclesia quæ caput regni est & aliarum omnium mater in Christo, coram altari, inter sacerdotes & manus religiosorum quos armatorum carnificum tumultus fecerat ad stupendum & miserabile F spectaculum conuenire. Qui ergo se ipsum à multo tempore exhibuerat hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, qui carnem suam in orationibus, vigilus, ieiuniis & asperioris cilicij vsu, cum vitiis & concupiscentiis crucifixerat, qui dorsum quod sancti familiares eius nouerant, tanquam Christi puerulus exponere consueuerat ad flagella, qui Christi corpus & sanguinem solitus erat offerre in altari, coram altari prostratus effusum manibus impiorum obtulit proprium. Nec licuit ministris sathanæ in immolatione discipuli & serui, quod præambulis eorum in crucifixione magistri & Domini. Christus enim ne ciuitas fædaretur ne pollueretur sabbatum, iudicio licet iniquo damnatus, qualem qualem allegandi pro se acceperat facultatem, & ab vrbe ductus, & extra portam crucifixus est, ministerio vtique gentilium, qui Dominum non nouerant, & auctoritate publicæ potestatis, his rerum deferentibus quorum legem ius est impugnare, discipulo filio perditionis proditionis perfidiam G procurante. At iste non modo in vrbe, sed intra Ecclesiam, non tempore prophano, sed die quem natiuitatis dominicæ solemnitas consecrabat, & omni iure decuit vt natalis eius ad gloriam Dei qui innocenter & sanctissime vixerat, natalem sanctorum innocentium sequeretur. Et quidem vt creditur necem ipsius traditores procurauere discipuli, sacerdotum principes formauerunt. Tanto in malitia Annam & Caipham, Pilatum & Herodem amplius præcedentes quanto diligentius præcauerunt ne in iudicium traheretur, ne conueniretur ab accusatoribus, ne appareret ante faciem Præsidis, ne priuilegio sacri loci, vel temporis aut dignitatis, aut gradus, aut reformatæ pacis, & datæ securitatis conditione sacrilegas manus euaderet. non gentilium non hostium sed eorum qui legem Dei profitebantur & amicorum fidem. Sane mira Dei cuncta & sapienter & salubriter ordinantis dispensatione contigit, quod qui H hæc tam male, tam impudenter & imprudenter permisit fieri, eadem non est passus abscondi: vt hic etiam temporaliter impleatur, quod veritas protulit, nihil esse occultum quod non reuelctur. Nam quod de signifero proditorum Iuda sermone celebri vulgatum est, pari iure trahendum est & ad complices eius, eo quod de similibus rebus idem constet esse iudicium, vt Christianis omnibus ex fide liqueat, quod cœli reuelabunt iniquitatem ipsorum, & aduersus eos terra consurget. Quis enim fidelium audeat dubitare quod Deus auctores & perpetratores tanti sacrilegij aut conuertet aut conteret? Passurus ante in Ecclesia vt dictum est coram altari Christi martyr, antequam feriretur eum se audisset inquiri, militibus qui ad hoc venerant in turba Clericorum Monachorum vociferantibus, vbi est Archiepiscopus, occurrit è gradu quem ex magna parte ascenderat vultu intrepido dicens: Ecce ego quid vultis? cui vnus funestorum militum in spiritu furoris intulit: vt modo moriaris, impossibile enim est,

A vt vlterius viuas. Respondit autem Archiepiscopus non minori constantia verbi quam animi, quia (quod omnium Martyrum pace ex animi mei sententia dixerim) nullus eorum videtur in passione isto fuisse constantior. Et ego pro Deo mori paratus sum; & pro assertione iustitiæ & Ecclesiæ libertate. Sed si caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei & sub anathemate, ne cuiquam alij siue Monacho siue clerico vel laico, maiori vel minori in aliquo noceatis, sed sint immunes à pœna, sicut extiterunt à causa: Non enim illis, sed mihi imputandum est, si qui eorum causam laborantis Ecclesiæ susceperunt. Mortem libenter amplector, dummodo Ecclesia in effusione sanguinis mei pacem consequatur & libertatem. Quis isto videtur in charitate feruentior? qui dum se pro lege Dei persecutoribus offerebat, in id solum erat sollicitus ne proximi in aliquo læderentur. Verba eius nonne Christum B videntur exprimere in passione dicentem; si me quæritis sinite hos abire! His dictis videns carnifices eductis gladiis, in modum orantis inclinauit caput, hæc nouissima proferens verba, Deo & S. Mariæ & sanctis huius Ecclesiæ patronis & B. Dionysio commendo me ipsum & Ecclesiæ causam. Cætera quis sine suspiriis, singultibus, & lacrymis referat? Singula persequi pietas non permittit quæ carnifices immanissimi Dei timore contempto, & tam fidei quam totius humanitatis immemores commiserunt. Non enim suffecit eis sanguine sacerdotis & nece prophanare Ecclesiam, & diem sacratissimum incestare, nisi corona capitis quam sacri chrismatis vnctio Deo dicauerat, amputata, quod etiam dictum horribile est, funestis gladiis iam defuncti eiicerent cerebrum, & per pauimentum cum cruore & ossibus crudelissimè spargerent? immaniores Christi crucifixoribus, qui eius crura quem obiisse viderant, sicut adhuc viuentium, non censuerunt esse frangenda. Sed in his omnibus cruciatibus inuicti animi C & admirandæ constantiæ martyr nec verbum protulit, nec clamorem emisit, nec edidit gemitum, nec brachium aut vestem opposuit ferienti, sed caput inclinatum quod gladiis exposuerat virtute admiranda, donec consummaretur, tenebat immobile; & tandem in terram procidens recto corpore non pedem mouit aut manum. Carnifices autem non minus cupidi quam crudeles, inde tam integræ potestatis quam diuinæ maiestatis iniuriam ad Ecclesiæ palatium redeuntes, vniuersam supellectilem & quicquid in scriniis aut clitellis Archiepiscopi & suorum potuit inueniri, siue in auro, siue in argento, aut vestibus aut variis ornamentis, aut libris, aut priuilegiis, aut aliis quibuscumque scriptis, aut equitatum insatiabili auaritia & stupendo ausu diripientes, ea, vt libuit inter se diuiserunt: imitatores eorum facti qui inter se Christi vestimenta partiti sunt: licet eos quodammodo præcedant in scelere. Et vt Pontifici iam per martyrium coronato hominum gratia auferretur, omnia scripta quæ sacrilegus prædo surripuit, ad Regem in Normanniam transmissa sunt. Sed D nutu diuino contigit quod quanto magis athletæ fortissimi gloriam offuscare nitebatur humana temeritas, tanto eam amplius Dominus illustraret in ostensione virtutis, & miraculorum manifestis indiciis. Quod viri impij qui eum insatiabiliter oderant intuentes, inhibuerunt nomine publicæ potestatis, ne miracula quæ fiebant quisquam publicare præsumeret. Cæterum frustra quis obnubilare desiderat, quod Deus clarificare disponit. Eo enim amplius percrebuere miracula, quo videbantur impiis studiosius occultanda. Homo videt in facie, solus Deus est qui renes & corda scrutatur. Nam cum beati martyris corpus sepulturæ tradendum esset, & de more pontificalibus indueretur, quod admodum pauci familiares eius nouerant, inuentum est cilicio pediculis & vermibus referto inuolutum, ipsaque femoralia eius interiora vsque ad poplites cilicina quod apud nostrates antea fuerat inauditum reperta sunt. Exterior tantum habitus cæteris conformabatur iuxta sapientis edictum: frons sua populo conueniat, intus omnia dissimilia sint. E Quis referat quos gemitus, quantos lachrymarum imbres sanctorum cætus qui aderat in reuelatione adumbratæ religionis emiserit? Nec tamen in his omnibus persecutorum quieuit furor, dicentium corpus proditoris inter sanctos Pontifices non esse humandum, sed proiiciendum in paludem viliorem, vel suspendendum esse patibulo. Vnde sancti viri qui aderant vim sibi timentes inferri, eum in crypta antequam satellites Sathanæ qui ad sacrilegia perpetranda conuocari fuerant conuenirent, ante altare sancti Ioannis Baptistæ & sancti Augustini Anglorum Apostoli in sarcofago marmoreo sepelierunt: vbi ad gloriam omnipotentis Dei per eum multa & magna miracula fiunt cateruatim confluentibus Prælatis, vt videant in aliis & sentiant in se potentiam & clementiam eius qui semper in sanctis suis mirabilis & gloriosus est. Nam & in loco passionis eius & vbi ante maius altare pernoctauit humandus, & vbi tandem sepultus F est, paralytici curantur, cæci vident, surdi audiunt, loquuntur muti, claudi ambulant, euadunt febricitantes, arrepti à dæmonio liberantur, & à variis morbis sanantur ægroti, blasphemia dæmonio arrepti confunduntur. Illo hæc & plura quæ referre per longum est, operante; qui solus est super omnia benedictus in secula, & eos prælegit esse gloriæ suæ consortes quos pro veritate fidei zelum iustitiæ, confessionis virtutem, & inuictæ constantiæ perseuerantiam facturus erat de veritatis ac fidei aduersariis triumphantes. Quæ profecto nulla ratione scribere præsumpsissem, nisi me super his fides occulata certissimum reddidisset.

Epist. CCLXXXVII.

Idem Gullelmo Senonen. Archiepiscopo.

Vnerabili Domino & Patri charissimo Vuillelmo G Dei gratia Senonen. Archiepiscopo, & sedis Apostolicæ legato, suus I. salutem, & promptissimæ deuotionis obsequium. Licet Anglicanæ Ecclesiæ adhuc quidem ad multa sit ingens desolatio, tristitia tamen illius iam ex maxima parte in gaudium transiit, & luctus in cantica fœlici prorsus & læta mutatione conuersus est: si quidem iam à Deo ad memoriam martyris inaudita miracula crebuerunt, vt si alias inaudita illic prouenerint, vix censeantur illius miraculis ascribenda. Sicut enim in omni conditione nobilis animus studuit conniuentibus præeminere, sic nunc vt aliorum sanctorum pace dixerim, alios de quibus legerim vel audierim in miraculorum exhibitione præcedit. Quod ideo facile dixerim prouenisse, vt fidem in pluribus orbis nostri partibus non tam sopitam quam fere extinctam Dominus excitaret, spem erigeret, solidaret charitatem, & obstrueret ora iniquorum, qui sancto viro detrahebant in vita, & odio personæ causam Christi persequebantur. Quis enim amodo veram & fidelem H dubitet doctrinam Christi, qui verbis suis adhærentem hominem nobis notum tanta fœlicitate remunerat? Quis causam fuisse iniquam (nisi dæmoniacus) dicet, qui patronum suum tanta coronat gloria? Dubitatur à plurimis an pars Domini Papæ in qua stamus de iustitia niteretur: sed eam à crimine schismatis gloriosius martyr absoluit, qui si fautor esset schismatis nequaquam tantis miraculis coruscaret. Erat namque vir tantæ prudentiæ vt non facile posset errore supplantari in tanto periculo animarum. Mirarer itaque modum cur eum Dominus Papa in catalogo martyrum recipi non præceperit, nisi quia in Ecclesiastica historia legisse me recolo, quod cum Pilatus missa relatione Tiberium Cæsarem consuluisset an Christum qui tot & tanta fecerat, & à plurimis colebatur vt Deus coli oporteret vt Deum: Senatus ab Imperatore consultus respondit colendum quidem fuisse vt Deum, nisi quia id prouinciales citra senatus auctoritatem præsumpserant. Et quidem sic nutu faciente diuino responsum est, ne

A deitas Christi, cuius nomen erat Iudæis & gentibus prædicandum, terrenæ potestati videretur obnoxia, & emendicatam dicerent infideles, qui velint nolint coguntur audire: Quoniam Dominus regnauit, irascantur populi, & exultet terra in qua Christi fundatur Ecclesia. Sic ergo nutu diuino arbitror euenisse vt martyris huius gloria, nec decreto Pontificis, nec edicto principis attollatur, sed Christo præcipue auctore inualescat, cuius honorem quo ad vixit, studuit dilatare, honorem Christi saluum fore semper expressit, & Christus ei vicem non referret? Absit vt veritas fallat sit in promissis. Legitur in Actibus Apostolorum quod quidam nondum baptisati citra authoritatem Apostolorum Spiritum sanctum acceperant: sed numquid hoc Senatus Apostolicus infirmauit? Profecto vbi Deus auctor est, frustra superior desideratur auctoritas. Si quis autem huius tanti martyris gloriam euacuari desiderat quicunque sit ille antequam ei credamus, aut maiora aut saltem similia operetur. Alioquin peccare B creditur in Spiritum sanctum, cuius operibus detrahere non veretur.

Epist. CCLXXXVIII.

Rogerus Archiepisc. Eborac. Hugoni Dunelm. Episcopo, Roberto Decano, & vniuerso Capitulo Eboracensi.

ROgerus Dei gratia Eborac. Archiepiscopus & Apostolicæ sedis legatus venerabili fratri H. Dei gratia Dunelm. Episcopo, dilectis filiis R. Decano, & Vvillelmo Cant. & vniuerso Capitulo Eborac. omnibusque Canonicis sanctæ Mariæ de Sudevvelle sanctique Vvilfridi de Ripum, sanctique Ioannis de Beulei Abbatibus, Prioribus, Clero & vniuerso populo per Ebor. prouinciam constitutis salutem & gratiam. Non ignorat dilectio vestra quanta pro dignitate Ecclesiæ nostræ hac tempestate sustinuerim, in qua tantum inui-C diæ mandari aduersum me licuit, vt vix aliquis veritati relinqueretur. Familiare est omnibus iniquis quoties nancisci possunt occasionem, maledictis eos quibus inuident inurere, & venenatis verborum iaculis figere innocentes. Fecerunt hoc qui iam pridem sederunt mihi in insidiis. Et quidem primo parauerunt laqueum suspensionis, quo Dominus Papa plus eorum suggestiones quam iuris ordinem secutus, me innodauit. Deinde ne quoquo modo solui possem, iniquitatem iniquitati addentes, hinc maximorum virorum libellos arte multiplici sicut tam a pluribus retro, annis instructi fuerant conquirebant, inde peregrinorum & qui me numquam viderant multitudinem subornabant vt quæ non nouerant mentientes, apud summum Pontificem & curiam Romanam quocunque modo famam onerarent. Absens eram, & qui ex parte mea in curia pauci tantæ multitudini vix resistere poterant, tam exquisitis pressi mendaciis, maxime cum quidam solo habitu religiosi videntes illos prospe-D rari iniquitatibus suis cum illis currebant, & neglecto Dei timore ad euersionem dignitatis Ecclesiæ nostræ, vna cum meretricibus suis quas secum duxerant, ne quis sexus persecutioni meæ deesset; multa diaerant. Hi omnes in vnum conuenientes proposuerunt in cordibus suis gigantes imitari, parietem ex maximis quasi quibusdam lapidibus & multis mendaciis, fictis ad tempus suspiriis & gemitibus, non solum domos, sed & plateas replentes diurno & nocturno vlulatu, eumdemque ipsum parietem tanquam quodam indissolubili velamine vim naturæ facientes simulatis lachrymis linierunt, sperantes hoc modo cælum claudere se posse, & veritatem perpetuo carceri deputare. Quid plura? Idem Pharao illorum, ille spiritualis cuius ipsi membra sunt, in tali equitatu incedere videbatur cum corona, & ego miseræ cophini seruituti deputatus, respiciebam ad auxilium hominum, & non erat: Cum enim meæ consumptis carnibus os E meum adhæserat. Leuaui ergo ad cœlum oculos, & angustia spiritus mei ad Deum clamaui; & intercedentibus meritis & orationibus vestris exaudiuit me pro sua reuerentia, qui malleo bonitatis suæ innatæ prædicto pariete contracto & in nihilum redacto fugientibus Babylonis quæ clausa tenebatur, veritatem eduxit, & squalore carceris detersô liberam in publicum exire præcepit. Quæ simul ac suæ reddita est libertati, ad me velociter aduolauit: & in præsentia Dominorum R. Rothomagensis, & eorum quos Episcopus Ambianensis delegauit, quibus negotium meum a Domino Papa commissum erat: nec non & Episcopi Ebroicensis, multorumque religiosorum tam Abbatum quam Priorum a dextris mihi luce liquidior astat. Cuius faciem grauem & fulgentem prædicti Archiepiscopus & viri religiosi a Domino Ambianensi destinati, intuentes, gauisi sunt gaudio magno valde: & nullam moram sustinentes iuxta formam quam eis Dominus Papa præscripserat, incontinenter me a suspicione qua tenebar absoluerunt, F vniuersis qui aderant benedicentibus Dominum qui superbos humiliat, qui sapientes in astutia sua comprehendit, qui de misericordia sua præsumentes liberat, & vinctos educit in fortitudine. Ipsi gloria & nunc & per immortalia secula seculorum Amen. Veniam autem ad vos Deo volente in proximo, vt gaudium meum in vobis impleatur. Quos ego vltra quam dici possit videre desidero. Benedictio Dei Patris & Filij & Spiritus sancti descendat super vos pro nobis orantes. Acta sunt hæc secunda feria post Dominicam qua cantatur, Gaudete, die festo sanctæ Luciæ apud Albamarlam.

Epist. CCLXXXIX.

Henricus Rex Angliæ Bartholomæo Exoniensi Episcopi.

HEnricus Rex Angliæ & Dux Norman. & Aquit. & Comes Andegau. Exoniensi Episcopo salutem. G Sciatis quod concessi pacem meam omnibus qui exierunt de Anglia propter Thomam Cantuar. Archiepiscopum, & omnes res suas sicut eas melius habuerunt, quando eadem causa exierunt de Anglia, & beneficia quæ idem Archiepiscopus eis postea contulit. Quare eos secure venire faciatis, & res suas habeant bene, & in pace, salua fidelitate mea, quam mihi facient Gaufr. Archid. Cant. Ric. Archid. Pict. Ric. de Huin. Const. Bac. de Luci Reginald. de Curtenai apud Cloec.

Epist. CCXC.

Idem eidem.

HEnricus Rex Angl. & dux Norman. & Aquitan. & Comes Andeg. B. Episcopo Exon. caro & fideli suo salutem. Sciatis quod per gratiam Dei prospera nauigatione applicui in Normanniam, & inueni totam terram meam cismarinam in summa pace & tranquillitate dis-H ponente Deo constitutam, & homines ac fideles meos de aduentu meo (vt oportebat) vberiori lætitia perfusos. Accessi deinde ad Dominos legatos & quamquam eos in principio duos inuenissem, & vt videbatur penitus flecti non possent, tamen contra spem omnium, contra opinionem singulorum pax denique secuta & ad honorem Dei & Ecclesiæ & meum & Regni mei inter nos est reformata, sicut ex sequentibus vobis plenius innotescet. Hæc enim sunt quæ me ad eorum instantiam obseruaturum promisi: quod scilicet ab instanti festo Pentecostes vsque in annum tantam pecuniam dabo, vnde ad arbitrium fratrum templi CC. milites ad defensionem terræ Ierosolymitanæ per annum valeant tenere, & quod licebit fieri appellationes ad Dominum Papam libere; ita tamen vt si quos suspectos habuerim, antequam de regno exeant, iurent quod in itinere illo nec malum meum, nec dedecus regni mei perquirent: Et quod consuetudines quæ tempore meo

contra

A contra Ecclesias terræ meæ inductæ sunt dimittam: quas quidem aut paucas aut nullas æstimo: Et quod possessiones Cant. Ecclesiæ si quæ oblatæ sunt plane restituam, sicut habuit vno anno antequam Archiepiscopus de Angl. egrederetur. Clericis præterea & laicis vtriusque sexus pacem meam & possessiones suas restituam, qui occasione prænominati Archiepiscopi destituti fuerunt. Et hoc mihi ex parte Domini Papæ in remissionem omnium peccatorum iniunxerunt obseruandum. Ego autem pace reformata statim in Angliam venissem, nisi quia Domini legati colloquium habituri sunt apud Cadomum die martis proxima post ascensionem Domini. Cum autem rediero, vos mihi statim occurrere non prætermittatis.

Epist. CCXCI.

Alexandro Papæ Bartholomæus Exoniensis, & Rogerus Vvigornensis.

B Sanctissimo Domino & Patri charissimo A. Dei gratia summo Pontifici B. Exon. & R. Vvigorn. dicti Episcopi, & C. dictus Abbas Fausamen. salutem & omnem cum summa deuotione obedientiam. Apostolatus vestri mandatum suscepimus vt ad Monasterium sancti Augustini Cantuariensis pariter accedentes diligenter inquireremus, an vera essent quæ de dilapidatione bonorum Ecclesiæ, & enormitatibus C. electi, & dissolutione ordinis, & subuersione bonarum consuetudinum, & aliis malis quæ ex conquestione conuentus per eiusdem electi incuriam vel malitiam prouenisse audieratis, & Monasterium ipsum studeremus modis omnibus ad honorem Dei in statum pristinum reformare. Præcepistis etiam sub arcta districtione, quatenus si nobis constaret Ecclesiæ statum reformari non posse absque amotione electi & quorumdam Monachorum, tam electum quam illos auctoritate vestra omni occasione & appellatione cessante, postposito timore & gratia nullatenus amouere differemus, & loco illorum personas C honestas & vtiles Deo auctore substitueremus: vt ex fructu reformati in melius monasterij deberet sollicitudo tam vestra quam nostra apud Deum & homines commendari. Præceptorias quoque vestras ad sæpe dictum direxistis electum, vt nostro qui nullam in eo iurisdictionem habeamus nisi ex delegatione vestra, omni occasione & appellatione remota, pareret iudicio. Cum vero in capitulo fratrum ei vestræ fuissent literæ præsentatæ, tandem præcepit vt eas Cantor aperiret & legeret: sed antequam plene perlegerentur dixit se & sua in vestra protectione consistere, & eos qui literis vti decreuerant ad vestram audientiam appellare, sicut nobis post modum sacramento testium rite præstito & reuelatione conuentus, scilicet quinquaginta duorum Monachorum innotuit. Postea vero ad se reuersus, in cœtu fratrum mandatum vestrum totum plene audiuit. Publica vero fama sic consonabat his quæ ad vos perlata fuerant, vt nulli prouincialium veniret in dubium quin excessuum electi magnitudo, ne dicamus & criminum, Monacho- D rum querimoniam vinceret: mirumque fere omnibus videbatur, quod ad ruinam & lacrymas domus vestræ tam sero, quos toti mundo debetis oculos reflexistis. Nos itaque receptis literis vestris non pepercimus laboribus nostris aut sumptibus, sed ad obedientiam prompti, postposito, vt præceperatis timore, die congruo quem præfixeramus partibus, accessimus ad Monasterium. Et plane sicut solemni iuramento maioris & sanioris partis conuentus constitit, intelligentes, quod sæpe dictus Electus in fraudem mandati vestri, & perniciem Monasterij, asportatis ornamentis & libris & pecunia non modica, præelegerat fugam, aditurus ex proposito aliquam potestatem quam Deo & Apostolicæ sedi posset opponere, tanto studiosius veritatem studuimus inquirere, quanto nobis ex assertione plurium certius constitit ipsum antequam fugam iniret dixisse multis audientibus se Abbatiam à Ro-

E mano Pontifice non habere, sed curam porcarum, de quibus non curabat animarum, securumque esse de temporalibus bonis, quia ei Romanus Pontifex prædia auferre non poterat, quæ ab alio possidebat. Inuenimus ergo tantam dilapidationem bonorum, vt de reparatione possit nostra & conuiuentium ætas merito desperare. Ecclesiæ lapsum & desolationem, claustrum & officinas imbribus & ventis peruias, & ruinam ædificiorum his qui ea viderant inspicere miserum est. Audire calamitates colonorum Ecclesiæ, quas electi illius, aut potius à Deo reprobati hominis concupiscentia, & rapacitas fecit, piis auribus est tormentum. Alienationes prædiorum fecit multas, enormes, & eo minus tolerabiles quod patrimonium Christi patronis immunditiæ & conciliatoribus turpitudinis suæ repertus est fœdissimo commercio distraxisse. Sigillum Ecclesiæ fratribus abstulit, vt male factas alienationes possit pro libitu roborare. Pecunia super qua nomine Ecclesiæ Iudæis & Christianis fœneratoribus F cauit, in immensam & prorsus importabilem Monasterio, excreuit quantitatem ......est, vt conuentum, quia bonorum quæ distrahere moliebatur auctor extenuit, militari, quod vulgo notum est, cinxit obsidione, & conficere inedia conatus sit. Periit hospitalitas in diebus eius, quæ quondam in domo illa floruerat. Cultus religionis quantum ad ipsum & familiares suos abiit in exterminium. Quasi stratam publicam adolescentulis, & seruientibus suis, quos suos, idest, militari modo congesserat, fecerat claustrum dolentibus & reclamantibus his qui religiosius fuerant instituti. Pro monachandis pecuniam palam recipiebat, nec aliquem admittebat in monachum nisi vestris Patrumque decretis pessundatis omnino, manus eius prius sordibus adimpleret. Ab vno talium lxx. Mar. accepit, quod negari non potest, quas consumpsit enormius, quam nunc dici expediat. Quæ ad fabricam Ecclesiæ & sarta tecta in diebus G eius à fidelibus collata sunt, maximam quidem summam faciunt, sed eam Ecclesiæ necessitate contempta, penitus erogauit in prauos vsus, honestas consuetudines domus probabiliter à Patribus institutas & obseruatas, ex maxima parte per eum abolitas esse conquesti sunt, nec fuit qui posset inficiari. Magnus & venerabilis conuentus Monachorum enormiter imminutus est. Vestræ sanctitatis aures veremur offendere, si de incontinentia eius retulerimus, quod (vt dici solet) lippis & tonsoribus notum est; sed quantumcumque verecundia pudoris obsistat, silere tamen non possumus, quæ tacita perniciem bonis motibus ingerent, & scandalum Religioni, & Apostolicæ sedi opprobrium, ad quam domus ista specialiter dicitur pertinere. Polluentur fortasse labia nostra proferendo, quia in nimis polluta versantur materia: sed ea Deo propitio purgabit calculus quem vobis mittet Seraphin de altari, præsertim cum non sit hæc nostra, sed popularis assertio, cui non audet aliquis refragari, nisi mendosus & mendax apud H nostrates haberi non formidet. Electus ille aut potius equus emissarius, iugi, quod Leuiticus damnat, fluit semine, & hinnit in fœminas, adeo impudens vt libidinem nisi quam publicauerit, voluptuosam esse non reputet. Matres & earundem filias incestat pariter; nec timet aut erubescit palam temerare coniugum sanctitatem: fornicationis abusum comparat necessitati. Proletarius est adeo vt quod paucis annis ei soboles tanta succreuit, vt Patriarcharum seriem antecedat. Inter assertores turpitudinis eius, quorum maxima erat copia, religiosissimus presbyter de cuius sinceritate nemo dubitat, nobis retulit, quod in vna duntaxat villa & adiacentiis eius x. & vii. genuit spurios. Quot in aliis effuderit referre longum est, & indicibile nobis. Et vt ab expressione huius immunditiæ quandoque lingua nostra recedat, nouit Deus & spiritus eius, qui animæ nostræ præsidet, quod tot spurcitias in homine religionis nomen aut habitum præferente numquam au-

A diuimus, nec tantum sensimus manare fœtorem, Totus conuentus vnanimiter stabat aduersus eum, & clerus & populus patriæ. Quia ergo patenter aduertimus quod sine amotione eius res emendari non poterat, & non vestro arctamur mandato, qui præceperatis vt eum (si ita esset) omni occasione & appellatione remota amoueremus: Dei & vestra auctoritate freti postposito timore & gratia eum amouimus: & fratres ab obedientia eius, & laicos à subiectione eius absoluimus, decernentes etiam vt probatæ maiorum institutiones de cætero inuiolabiliter obseruentur salua in omnibus auctoritate vestra. Erit itaque Deo & Apostolatu vestro dignum opus roborare quod factum est, ne pestifera arbor semel auulsa radices iterum figat in horto vestro, & ad ignominiam Apostolicæ sedis & religionis opprobrium fructus faciat toxicatos. Cum autem sententia lata esset, vniuersi fratres à nobis veniam petierunt & absolutionem super eo quod feculentibus electi scilicet G. B Marescalco & quibusdam aliis, qui aliis sicariis à mensa eius recedentes gloriosissimi martyris Sancti Thomæ sanguinem effuderunt, & iterum ad eum reuersi sunt, communicauerant, inuiti tamen, sed Domino suo, quem vt Abbatem venerabantur, & timebant vt familiarem Regis, eisdem palam communicanti resistere non audebant. Nos autem pensantes contritiones cordis eorum & necessitatis articulos, & de vestra quidem misericordia præsumentes, ipsis in sustentatione Ecclesiæ vestræ modicam iniunximus pœnitentiam, & quam licuit interim contulimus absolutionem, rogantes vt, si placet præscribatis quid eis amplius iniungendum sit. Si quidem necessitas Ecclesiæ, & meritum martyris exposcit vehementer, vt tam sicarij qui pretiosum sanguinem effuderunt, quam complices & fautores eorum grauius puniantur, vt illorum pœna terreat alios. Hoc autem indubitanter nouerit serenitas vestra quod quicumque huic reformando operam dederit, inimicus Dei & Ecclesiæ subuersor credetur in nostris C partibus.

Epist. CCXCII.

Ioannes Alberto & Theodino Presbyteris Cardinalibus.

Reuerendis Dominis & patribus in Christo carissimis A. & T. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteris & sedis Apostolicæ legatis I. de Sar. sanctitatis eorum seruus salutem, & promptæ deuotionis & reuerentiæ famulatum. Diuina præeunte & vobis cooperante gratia, spes illuxit Ecclesiæ, & in sedibus apud nos vacantibus tandem rite licuit idoneos ordinare pastores. Vnde & contigit vt Ecclesia Vvinton. sibi in Patrem & pastorem elegerit virum quem vt fidelium spes ad hoc ante Dominus prælegerat, vt pote ex magna parte talem qualem Paulus Episcopum præcipit ordinari. Is est deuotissimus Ecclesiæ Romanæ filius R. quondam Pi- D ctauiensis Archidiaconus, cuius Eleemosynæ consolantur Ecclesias sanctorum, cuius facultates sunt egenorum subsidia, cuius potestas est firmamentum iustitiæ & iniquitatis exterminatio. Est autem vir prudens in consiliis, discretus in opere modestus in verbo, cuius vt opinor industriam & affectum potuistis vos ipsi quandoque experiri. Si enim ad Deum tota mente creditur esse conuersus, vt sua omnia contemnat pro lege Domini, & se ipsum in necessitatis articulo paratus sit offerre sacrificiū Deo. Electio eius primo in Episcopali sede celebrata est, prius in Episcoporum conuentu solemniter approbata, & tam electionem quam approbationem Regius roborauit assensus. Placeat itaque sanctitati vestræ perficere quod per vos tam laudabiliter cœptum est, & prouidere quo modo maturitate adhibita possit accepta plenitudine potestatis, diuinæ vocationis implere munus. Erit enim propitiante Deo firmissima columna in domo Domini, & tam propriæ quam aliarum Ecclesiarum necessitates fortissime sustinebit.

Epist. CCXCIII. E

Idem Hubaldo Ostiensi Episcopo.

Venerabili Domino & Patri charissimo Hu. Dei gratia Ostiensi Episcopo, I. de Sar. salutem & plenæ deuotionis obsequia. Vererer tantam alloqui maiestatem, nisi me vestra benignitas releuaret, & animaret ad verbum illius veræ charitatis recordatio quam præ cæteris fere mortalibus ad sanctum tunc confessorem, nunc gloriosum martyrem habuistis, cui me pro libertate Ecclesiæ coexulare diuina fecit misericordia. Hac fiducia roboratus audeo sanctitati vestræ attentius commendare virum proculdubio commendabilem Ric. Vvinton. electum, cuius facultates sunt egenorum subsidia, Ecclesiarum consolatio. Cuius potestas iniquitatis exterminatio est, & iustitiæ firmamentum. Is tanta F affectione amicum vestrum gloriosum martyrem Christi diligit, vt se illius constituerit seruum, vt alumnos qui multi ad eum confluunt in suis necessitatibus consoletur, & eum pro viribus studeat imitari. Sanctitatis itaque vestræ pedibus prouolutus meo & eorum qui nobis coexulauerunt nomine precor attentius, quatenus negotia eius sic gratia vestra promoueat, ac si eum videretis sancti Thomæ negotiis insudantem. Nam & ipse sua omnia, imo & se ipsum gloriosissimo martyri quem patronum prælegit, mente deuotissime consecrauit.

Epist. CCXCIV.

Idem Gratiano notario Domini Papæ.

Domino Gratiano Io. Veritas Christi quam in vobis esse præ cæteris qui missi fuerant in negotio sancti Thomæ mundus agnouit, mihi confidentiam G præstat, vt eos quos præfato martyri deuotos esse constat dilectioni vestræ secure audeam commendare. Horum vnus est & numerandus in primis, Venerabilis vir R. Vvinton. electus, quondam Pictauiens. Archid. pupillorum pater, & mærentium consolator, fautor Ecclesiasticæ libertatis, iustitiæ cultor, & iniquitatis aduersarius, quantum pro tempore licet, imo vlterius, vt ibi sæpe pro Domino contendentem non sine periculo malorum impetus excandescat. Homo deuotus est Apostolicæ sedi & cuius familiaritas bonori vestro valeat inseruire. Et quidem desiderat vt sedulitas eius vobis officiosa possit esse in aliquo, magnique censebit instar muneris si ei quicquam iniungere voluerit dilectio vestra. Quia ergo secundum Deum ad regnum Ecclesiæ salubriter & ad consolationem multorum vocatus est charitatis vestræ genibus prouolutus quantacumque possum instantia supplico, quatenus & personam eius & causam habeatis propensius commendatam, & sic H ipsius promoueatis negotia, sicut expediendas nouistis Anglicanæ Ecclesiæ necessitates. Se enim totum vt indubitata spes est Christi deuouit obsequio, paratus etiam propriam animam pro Ecclesia victimare. Valete.

Epist. CCXCV.

Alexandro Papæ Bartholomæus Exoniensis Episcopus.

Domino Papæ Exoniensis Episcopus. Sacrosancta Romana Ecclesia sicut indignos ab Ecclesiarum regimine depellere consueuit, sic ad sollicitudinem pastoralis officij personas idoneas euocat, & eis Apostolicæ tuitionis impendit gratiam & munimen. Vvinton. vero Ecclesia cum ex absentia pastoris multis & magnis periculis subiaceret: Tandem cælitus vt speratur ei data est consolatio, pastore secundum Deum electo, cui iustum est si vobis placet gratiæ vestræ vlteriorem accommodare fauorem. Is est deuotissimus filius

A vester Ric. quondam Pictauens. Archid. cuius eleemosynæ consolantur Ecclesias sanctorum, cuius facultatates egenorum subsidia, cuius potestas est firmamentum iustitiæ, & iniquitatis exterminatitio. Est autem vir prudens in consiliis, discretus in opere, modestus in verbo, & qui in habitu & gestu temperantiæ normam sequitur, sic ad Dei cultum vt ex animi sententia loquamur, tota mente conuersus est, vt non modo sua omnia sed & se ipsum impendere paratus sit pro lege Domini. Sic pater credimus, & multis & certis signis intuiti sumus vt credamus quod loquimur. Conuenit in eum libere tota Vvinton. Ecclesia, & canonice facta electione postmodum in presentia nostra & fratrum nostrorum regius est ei datus assensus. Quod cum Dominis nostris legatis vestris innotuisset, gratum admodum sicut ex literis eorum percipimus habuerunt. Et merito quia non apparebat alius qui tam commode posset præfatæ Ecclesiæ ruinas instaurare, qui sedis
B Apostolicæ posset apud nos tam efficaciter solidare vigorem. Supplicamus itaque paternitati vestræ quatenus eum adhibita maturitate promoueri faciatis, vt promotus Ecclesiæ necessitates facilius & felicius expedire & promouere possit vtilitates. Valete.

Epist. CCXCVI.

Alexandro Papæ Prior Contuariensis & conuentus.

Domino Papæ Prior Contuariensis & conuentus. Eos vobis securius commendamus, quos sincerius diligimus, & quos ad sanctam Romanam Ecclesiam sinceriorem credimus habere charitatem. Horum vnus & in primis fere primus est. pater pauperum & mœrentium consolator, protector noster in angustiis, venerabilis frater noster R. Vvintoniensis electus quoniam ad hoc, vt fidelium spes est, ad Eccle-
C siæ suæ tegimen Christus elegit, vt aduersariis eius è regione possit ascendere & se murum opponere pro domo Israel, & potenter conterere iustitiæ inimicos, & iustis debitum conferre subsidium, Majestatis itaque vestræ pedibus prouoluti quotquot sumus attentius supplicamus, quatenus eum ad expediendas propriæ Ecclesiæ necessitates & aliorum consolationem faciatis, maturitate adhibita promoueri: & vt precibus eius quas non nisi in domino facturus est, gratiæ vestræ fauor accedat. Valete.

Epist. CCXCVII.

Alexandro Papæ Bartholomeus Exoniensis Episcopus.

Membris est vigor à capite, & à sancta Romana Ecclesia post Deum salus est omnium Ecclesiarum. Domini Cardinales legati vestri desolatis apud
D nos compatientes Ecclesiis, districta præsumptione iusserunt, vt postposita omni occasione & mora sibi secundum Deum Patres eligerent & pastores. Itaque Herefordensis Ecclesia, quæ diutius luxerat & languerat pastore proprio viduata, pari voto, vnanimi consensu libere & secundum instituta sacrorum canonum elegit venerabilem virum R. Richard. Oxeneford. Ecclesiæ suæ canonicum tam morum quam literarum honestate conspicuum, natalibus nobilem, habentem vtriusque iuris peritiam, qui domui suæ præesse nouit, & Ecclesiæ Dei sollicitudinem gerere, gratiosum & boni testimonij apud omnes. Electioni eius in præsentia nostra & fratrum nostrorum, qui omnes in facto isto lætati & roborati sunt, regius est datus assensus, & omnium qui audierunt fauor decessit. Pietatis itaque vestræ genibus prouoluti supplicamus attentius, quatenus eum faciatis maturius promoueri ad expediendas tam suæ quam aliarum Ecclesiarum necessitates. Valete.

Epist. CCXCVIII. E

Idem eidem.

EXcellentissimo Domino & patri charissimo A. Dei gratia summo Pontifici, B. Exoniensis Episcopus salutem. Apostolatui vestro pluribus ex causis Anglicana solito magis congratulatur Ecclesia, sed alias ad conciliandam omnium gratiam antecedit quod gloriosum Christi martyrem sanctorum catalogo præcepistis ascribi, & legatorum vestrorum industria desolatis Ecclesiis spes vestræ consolationis illuxit, vt ad plenam confidentius libertatem audeant aspirare. Inter quas mater nostra Cant. Ecclesia quæ tot & tantorum martyrum sanguine laureatur, & se ab initio pro iustitia, pro libertate Eclesiæ, pro sedis Apostolicæ fidelitate periculis semper exposuit: tandem post labo-
res, post damna, post calamitates innumeras quas referre superfluum est, cum totus eas Christianus orbis agnouerit, meritis eius diuina respondente clementia videatur ad finem naufragij peruenisse: nuper enim cum & hi qui in prima sede degunt, & suffraganei Prouinciæ, & omnes ad quos pertinebat electio conuenissent præeunte desiderio & prece populi vnanimi consensu tota Ecclesia libere & secundum institutionem sacrorum cononum sibi in Patrem & pastorem elegit virum, cui vita ad conscientiam & exemplum, literarum eruditio ad formam vitæ, & ad doctrinam facundia suffragatur. Richard. videlicet Cantuariens. Ecclesiæ Monachum Priorem Monasterij Douerensis, cuius sollicitudinem à multis annis tam laudabiliter gessit, & athletæ Christi proscripto, & pro libertate Ecclesiæ agonizanti in necessitate fidem exhibuit, vt nunc dignus habeatur eius successione. Impetrato itaque regis assensu ad metropolitanam sedem prouinciales Episcopi de more conueniunt, vt ex officio suo
manus consecrationis quam necessitas exigebat explerent. G Sed quia hostis antiquus profectui inuidet animarum, eo multis visum est, machinante ex insperato literæ regis iunioris conceptæ nomine, in medium prodierunt, quibus protestabantur se ad vestram audientiam appellasse aduersus electiones quæ suum non habuerunt assensum. Et licet literæ ex variis causis, quas renunciare longum est, suspectæ viderentur, & plurimorum esset sententia eas consecrationi debitæ presertim in tanta necessitate non debere generare dispendium, tamen maiestati vestræ censuit Ecclesia deferendum, sperans indubitanter quod tanto apud Apostolicam sedem maiorem inueniet gratiam, quanto ei plus honoris & reuerentiæ etiam cum discrimine suo in tam euidenti necessitate studuit humiliter exhibere. Quis ergo desolationem Ecclesiæ prætendere idem est ac si ipsius ruina & cæterarum perpetua desolatio procureretur, pietatis vestræ pedibus prouoluti supplicamus attentius, quatenus nos & Anglicanam Eccle-
siam cælitius (vt spes est) electo pastore gaudere faciatis, H
& sancto Thomæ substituatis virum, quem in angustiis suis fidelem expertus est. Moueant vos pater, Ecclesiæ laborantis angustiæ, filiorum moueant preces, moueat vos gloriosissimi martyris reuerentia, quem orare confidimus, vt ei in sancta Cant. Ecclesia successor idoneus subrogetur.

Epist. CCXCIX.

Alexandro Papæ Odo Prior, & Conuentus Cant.

Domino Papæ Odo Prior & conuentus Cant, Calamitates quas Ecclesia nostra pleno decennio iam sustinuit Apostolicæ sedi non possunt esse incognitæ, quia eas totus Christianus orbis agnouit. Si causa quæritur, iustitia se ostendit, apparet libertas Ecclesiæ, reuerentia sedis Apostolicæ, cuius auctoritas euacuabatur in partibus nostris, se esse potestatur, pro qua

A & gloriosus martyr Christi occubuit: pro qua fratres & ab omni Ecclesiæ proscripti diutius exulare coacti sunt, & habiti sicut oues occasionis, spectaculum facti sumus & hominibus & Deo & Angelis, & persecutorum Christi canticum tota die. Attestatur bis apud nos effusus martyrum sanguis, sed is præcipue qui de terra clamans ad Deum fidelium deuotione descitur in vniuersum orbem. Sed benedictus Deus, benedictus Apostolus vester qui nos consolatus est dominorum Cardinalium gratia Dei cooperante industria, in tribulatione nostra vt post angustias tanti naufragij ad debitæ libertatis portum accessisse videatur Ecclesia, vt abominationes Ægyptiorum Deo suo secure valeat immolare. Nuper enim emanauit ab eis mandatum de celebrandis electionibus in regno, & Dominus Rex eorum precibus acquiescens idoneos in Ecclesiis secundum Deum pastores præcepit ordinari. Vniuersi lætati sunt, sed nos omni iure præ cæteris qui in maiori discrimine versabamur. Conuenimus ergo sæpius accitis Episcopis B prouincialibus, & aliis ad quos electio pertinebat, & tandem Deo dirigente gressus nostros in beneplacito suo factum est omnibus cor vnum & anima vna. Quod sine nutu diuino non potuit accidisse, vt tam dissonæ voluntates in adimplenda sacrorum Canonum forma tam facile vnirentur. Præeunte ergo desiderio & prece populi, pari voto, vnanimi consensu conuenimus in virum, de quo Dominus videtur dixisse nobis. Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum eligite: quoniam eum martyri meo, quem ipse pro me patientem in veritate dilexit, deuote coluit: & in domo mea ab ineunte ætate fideliter conuersatus est, prælegi vicarium, & ordinari præcipio successorem. Is est R. Ecclesiæ nostræ ab adolescentia sua Monachus, & apud nos ad omnes promotus ordines, prior Monasterij Douerensis, morum honestate & literarum eruditione conspicuus, modestus in verbo, prouidus in consiliis, discretus in opere, in habitu & gestu veram temperati animi exprimens formam: C Decentissime sacerdotis explet officium, zelus Christi succensus est in corde eius, manum suam libenter aperit inopi, liberalitatem gaudenter exercet, & exteriorum sollicitudinem laudabiliter administrat. Quid mirum ergo si in tantum & talem virum vniuersi libentissime conuenerunt qui etiam rapiendus fuerat, si aliter haberi non posset? Cum ergo libere & secundum institutionem sacrorum canonum fuisset electio eius celebrata, regius (vt mos est) accessit assensus: Eligentes prosecutus est plenus fauore clamor, debita laude Dei tota cæpit Ecclesia resultare. Ad metropolitanam sedem cum electo, prouinciales Episcopi aliarum Ecclesiarum electo pariter accesserunt, pro ritu gentis & maiorum consuctudine solemniter intronizatus est. Grata Deo, & ab hominibus desiderata ipsius instabat consecratio, cum ecce ex improuiso literæ Regis iunioris nomen præferentes prolatæ sunt, quibus protestabatur se appellasse aduersus electiones quæ suum non haberent assensum. Literæ quidem ex D variis causis & probabilibus signis arguebantur suspectæ, eisque fidem non esse habendam erat sententia plurimorum, præsertim in tanto discrimine vbi libertas potuit periclitari & animarum salus, & Ecclesiæ protelari desolatio, & rerum iactura irreparabilis. Causas enumerare longum est, sed vtique pro Rege illo præsumi debuerat, quod cum periculo suo & temporali æmulorum compendio nollet Ecclesiam diutius captiuari. Sed licet præfatæ literæ sapientioribus non magni viderentur esse momenti, de humilitate tamen & deuotione ipsius electi processit, & de fidelitate quam patres & maiores nostros ad Ecclesiam Rom. semper habuisse recolimus, & de paucorum consilio vt pro reuerentia nominis vestri consecratio differretur. Speramus enim indubitanter quod tanto maiorem inueniet in oculis clementiæ vestræ necessitas Ecclesiæ nostræ gratiam, quanto maiorem etiam eum irreparabili dispendio nostro vobis honorem videbitis esse exhibitum. Scitis pater, quia nos supra modum oppressit dira E & diuturna calamitas. Videtis quam tristia fuerint, quam periculosa sint, & quanto periculosiora vt timetur, immineant tempora. Occurrit irreparabilis quam Deus auertat, desolatio, recidiuam veremur tempestatem, grandisque necessitas solatium desiderat festinatum. Pietatis itaque vestræ pedibus prouoluti supplicamus attentius, & tota nobiscum supplicat Ecclesia Anglicana, quatenus prouisum à Deo nobis pastorem data plenitudine potestatis, prout sanctitas vestra melius viderit expedire, auctoritate Apostolica aduersus eos qui ruinas Ecclesiarum perpetuare machinantur, roborare dignetur. Vt prædecessorum suorum Apostolico munimine fretus, secundum quod ei Deus inspirauerit, vestigia valeat imitari. Supplicamus inquam vos, Ecclesia supplicat, supplicant & patroni Ecclesiæ nostræ gloriosi martyres & confessores & consona voce omnium sanctus Thomas iterat & multiplicat preces. F Donec sacratissimum cor vestrum verbum bonum, verbum consolatorium nobis eructet, squalida lugebit sponsa Christi, nec est qui eam consolari valeat donec antistitem suum recipiat in plenitudine potestatis. Quia pedes vestros nequimus vt volumus lachrymis rigabimus genas nostras, nec erit eis requies quo ad vsque eas Deo miserante abstergat dextera clementiæ vestræ.

Epist. CCC.

Alexandro Papæ Ioannes.

DOmino Papæ Ioannes. A finibus terræ ad vos clam Anglicana Ecclesia, vt miserabilis illius Ecclesiæ, quæ præ cæteris omnibus in partibus occidentis fundata est in variis agonibus confessorum, minuatis angustias & electum suum quem legatorum vestrorum procurante industria tandem obtinuit, iubeatur G accepta consecratione vigere plenitudine potestatis. Petunt hoc Episcopi & Abbates: petit Clerus & populus, quorum votis & vocibus meæ paruitatis non est fas abesse suffragium. Et quidem electionis suæ formam ipsa mater mea Cantuariens. Ecclesia literis suis vobis luculenter expressit, quæ tam Episcoporum quam eorum qui ad vacantium Ecclesiarum Regimen electi sunt, roborata est. Ipsius quoque electi merita retulerunt tanti & tales viri, vt tam ab electo quam ab electione procul arceatur omnis sinistra suspicio. Cum ergo canonica sit electio & electus omni acceptione dignus, non ob aliud forte credendum est tanti patris consecrationem fuisse dilatam, nisi vt illustrius splendeat & fortius vigeat, cum à sanctitate vestra acceperit firmamentum. Plura loqui vereor in auribus maiestatis vestræ, præsertim cum materiæ excellentiam deprimat stylus humilior, & ad exprobranda susceptæ causæ merita, quæ per se patent, mens inops & victa lingua succumbat. Pietatem vestram doceat Spiritus sanctus vt H fidelium vota promoueatis pro vt Ecclesiæ expedit: & celeritate adiiciatis quod oratio non præsumit. Si calamus serenissime pater, excessit, necessitati quæ legibus arctari nescit, ascribatur, non homini. Angustiæ enim nostræ multiplicatæ sunt super numerum. Valeat semper & vigeat sanctitas vestra.

Epist. CCCI.

Idem Bosoni Presbytero Card.

VEnerabili Domino & patri carissimo Bosoni Dei gratia sanctæ Rom. Ecclesiæ Presbytero Card. suus Ioannes de Sar. salutem, & promptæ deuotionis obsequium. Familiaritas quam a diebus Domini Lucij Cantuariensibus dilectio vestra semper exhibuit, mihi multam dat apud vos interueniendi fiduciam: vt quod necessitati nostræ & saluti vestræ expedire non dubito, bonitati vestræ confidenter exponam. Meministis

præ

præ cæteris quoniam Ecclesiæ Romanæ negotia præ cæteris didicistis, quomodo Cantuariensis Ecclesia sedi Apostolicæ fidem & deuotionem semper exhibuit fere præ cæteris quæ in orbe sunt. Recolitis enim quomodo bonæ memoriæ Theobaldus eiusdem Cantuariensis Ecclesiæ Archiep. amicus, vester quoque familiaris pro tuendo iure Ecclesiæ & constitutionibus Apostolicæ sedis pertulerit: & quomodo Ecclesia Archiepiscopos martyres semper habuerit. aut confessores egregios. Quia ergo vobis Ecclesiæ causam ad plenum commendatam esse non dubito, paternitati vestræ preces quantas Patri & Domino licet deuotissime porrigo, quatenus electum nostrum tantis, vt spes est, decessoribus idoneum successorem, & vobis Deo propitiante deuotissimum in omni tempore, ea charitate amplectamini, & diligentia tueamini, qua fouere consueuistis anteriores Archiepiscopos, quia ipse in obsequio vestro pro facultate sua prioribus non inuenietur inferior.

Epist. CCCIII.

Idem Guillelmo Senonensi Archiepiscopo.

Venerabili Domino & Patri carissimo Vuillelmo Dei gratia Senonensi Archiepiscopo & sedis Apostolicæ legato, suus Ioannes de Saresberia salutem, & felices semper ad optanda successus. Nisi membra capiti cohæserint, corporis incolumitas non subsistit, & merito publicus hostis arguitur quisquis Ecclesiæ profectibus aduersatur. Quia ergo me Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ membrum licet modicum esse constat, necesse est, vt votis communibus pro facultate feram suffragium, & tota diligentia prosequar id in quod se ostendunt studia potiorum. Et vestra quidem sanctitas eidem Ecclesiæ semper astitit in laboribus suis, & meritorum vestrorum concurrentibus titulis gloriosis martyr agonem suum fœliciter consummauit, & clerus optata diu consolatione respirat. Cum enim Dominus noster Rex Anglorum præfatæ Ecclesiæ, sicut per officiales suos Episcopis & clero innotuit, liberam concessisset eligendi sibi Archiepiscopum facultatem, tandem concurrentibus eorum qui in majori degunt Ecclesia, & aliorum votis canonice conuenerunt in virum, cui diuina præeunte gratia literarum eruditio ad doctrinam suffragabitur, vita proficiet ad exemplum, elegantia morum promerebitur gratiam cohabitantium, facundia verbum Dei salubriter dispensabit. Siqoidem indubitata spes est, quod sanctissimus quem semper dilexit & coluit, necessitatibus eius patronus accedet: Et quem successorem elegisse & vocasse visus est ad laborem, promouere disponat ad participium coosolationis & gloriæ. Is est venerabilis vir Ric. quondam prior Ecclesiæ Douerensis, pro quo sanctitatis vestræ genibus prouolutus quanta possum deuotione supplico, quatenus ei dexteram gratiæ & opem consilij clementer porrigat excellentia vestra: & Ecclesiæ quam de naufragio traxistis ad portum, labores & angustias optato solatio releuetis. Id ita demum proueniet, si dignatio vestra obtinuerit, vt electus accepto consecrationis munere plenitudine gaudeat potestatis, vt Deo debitum reddere possit obsequium, & indigentibus solatium exhibere. Quod serenissime & dulcissime pater tanto magis necesse habeo postulare, quanto majori meo discrimine quidam mentiri ausi sunt, quod ego apud vos & per vos consecrationem eius debuerim impedisse. Hoc autem falsissimum esse nouit Deus, & sinceritas conscientiæ vestræ & meæ. Placeat itaque sanctitati vestræ, qui in hac parte nouistis innocentiam meam, diuinæ miserationis intuitu eam cum optimum fuerit excusare, vt Deus vos & vestros ab omni discrimine tueatur.

FINIS.

SANCTÆ HILDEGARDIS Abbatissæ in monte S. Roberti apud Naam Fluuium, prope Bingam, Sanctissimæ Virginis & Prophetissæ.

EPISTOLARVM LIBER.

Continens varias Epistolas summorum Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Principum, & aliorum plurimorum vtriusque secularis & Ecclesiastici status Magnatum ad S. Hildegardim, & eiusdem sanctas ad easdem responsiones.

ITEM EIVSDEM S. HILDEGARDIS ALIA quædam, quæ hic subijciuntur.

AD CONFIRMANDAM ET STABILIENDAM Catholicam nostram fidem & Religionem Christianam, moresque in Ecclesia instruendos & emendandos, apprime vtilia:

Nunc tertio in lucem edita.

Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *Psalm. 39.*

Ad Clerum Moguntinen.
Ad Clerum Colonien.
Ad Clerum Treuiren.
Ad Griseos Monachos.
Quæstionum 38. solutiones.
Regula S. Benedicti explicatio.
Ad sorores suas explicatio Symboli S. Athanasij.

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri Visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. *Ioelis & Actorum 2.*

REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri, eidemque clarissimo Principi ac Domino, D. Danieli, Moguntino Archiepiscopo, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario & Principi Electori Domino suo colendissimo, &c.

Totum mundum in maligno positum esse, Reuerendissime in Christo pater ac Domine, Diuus Ioannes Apostolus iam olim scripsit ac monuit. Quod si vnquam obtinuit, certe hac nostra periculosissima tempestate quam verissimum esse nemo est nisi plane cæcus sit, qui non videat: Tam multis (proh dolor) in fide errantibus, & in tot hæresum & sectarum discrimina distractis, multis in fide nutantibus & vacillantibus, alijs in fide Catholica quidem persistentibus, sed in moribus à vita & vero tramite, in vtroque Ecclesiastico pariter & seculari statu enormiter deuiantibus. Vnde ad obuiandum eiusmodi malis, nihil præsentius esse palam est, quam ea in lucem proferre, quæ ad fir-

A mandam Catholicam nostram & orthodoxam fidem & religionem Christianam, & mores in Ecclesia instruendos & emendandos pertinent. Eiusmodi autem esse hæc B. Hildegardis opera, satis ex iisdem relucet. Quæ ego nuper manibus propriis ex Archetypo quod in monasterio in Monte S. Roberti prope Pingam sanctè adseruatur, descripsi: Eademque pietatis tantum zelo ductus, in lucem emittere & Reipubl. Christianæ communicare operæ precium duxi, sperans inde non paruum fructum ad Rempl. Christianam rediturum. Patronum autem huius operis quærens, non putaui cuiquam rectius dedicari posse, quam R. C. T. cum quod eidem R. C. T. quasi debeatur, quod in suo dominio & Diœcesi Moguntinens. Beatam Hildegardim cum suis monumentis habeat, thesaurum certe Ecclesiæ preciosissimum, tum vero, quod R. C. T. singularem defensorem & adsertorem Catholicæ & Orthodoxæ Religionis nostræ Christianæ nemo sit qui nesciat. Obnixe orans, vt
B R. C. T. hunc meum conatum boni consulere, & hæc B. Hildegardis opera, & me vna in Clientelam suam & patrocinium clementer recipere velit. Referet is, qui pietatis officia multo cum fœnore remetiri solet Deus. De laudibus B. Hildegardis & eiusdem operum, non est quod nos multis agamus, post Ioan. Thaulerum, Trithemium, Nauclerum, & alios qui vitam eiusdem ad longum descripserunt. Bene valeat R.C. Tua, cui me totum consecro dedicoque.

R. C. T.

humillimus cliens

Iustus Blanckwalt Presbyter.

VITA HILDEGARDIS EX Trithemio.

C *Hildegardis Abbatissa cœnobij sancti Ruperti confessoris, in opposita Bingensi oppidi, ex altera parte Nay fluuij, Moguntina diœcesis ordinis Diui Patris Benedicti, natione Teutonica, ex comitatu Spanheimensi, discipula quondam beata Gutto (*forsan Iutta, aut Iuditha) virginis, sororis Megenhardi Comitis de Spanheim, fundatoris nostri, Virgo sanctissima conuersationis, & à pueritia sua diuinis reuelationibus illustrata, cuius vita multis miraculis comprobata, odorem sua sanctitatis in longinquas dispersit regiones, adeo vt Eugenius, Anastasius quartus, Hadrianus quartus, Alexander tertius, Romani Pontifices, scriptis eam crebrius visitantes, se & Romanam Ecclesiam illius orationibus commendarent. Sed & Eugenius tertius in Consilio Treuirensi, sancto Bernardo præsente, scripta & opuscula eius coram omnibus lecta, publice approbauit: eamque, vt cœpto perstaret in proposito litteris denuo roborauit. Omnia autem qua scripsit, ex reuelatione diuina didicit. E quibus ista sunt:*

In Regulam S. Benedicti	*lib. 1.*	*Et ego paupercula fœm.*
Triginta quæstionum	*lib. 1.*	*Charitas quæ cũ abstin.*
D *Vita S. Ruperti confessoris*	*lib. 1.*	*Nam vt in vera visione*
Vita S. Dysibodi Episcopi	*lib. 1.*	*In mystica visione &c.*
Homilia 58. in Euangelias	*lib. 1.*	*Homo quidam qui h*
De Sacramento altaris	*lib. 1.*	*In visione quæ anima*
** Scinias grande volumen*	*lib. 1.*	*Et factũ est in anno no..*
Vita meritorum	*lib. 3.*	
Simplicis medicina	*lib. 1.*	
Composita medicina	*lib. 1.*	
Diuinorum operum	*lib. 1.*	*Et factum est in 6. anno*
Ad Colonienses	*lib. 1.*	*Qui erat, & qui est. &*
Ad Treuirenses	*lib. 1.*	*Ego paupercula fœm.*
Exhortatorium secularium	*lib. 1.*	*O turba hominum nascẽ*
Ad sorores suas	*lib. 1.*	*O filia quæ vestigia*
Ad Monachos griseos	*lib. 1.*	*Ego paupercula in le.*
Carmina diuersa	*lib. 1.*	*Qui sunt hi qui vt nub.*
Et sancto Bernardo	*epi. 1.*	*In spiritu mysteriorum*
Epistolarũ ad diuersos 135.	*lib. 1.*	*O mitis pater, ego paup.*

Scripsit & alia. In omnibus autem opusculis suis Catholica doctrina relucet, quæ vel fidem confirmet, vel instruat mores, nec quicquam dixit aut scripsit vnquam, quod in dubium possit vocari. Et cum Latini sermonis esset ignara; tamen reuelante spiritu Dei, omnia Latine & congrue dictauit, notariis excipientibus. Vidimus multas Epistolas Conradi tertij & Friderici primi Imperatorum, & Episcoporum Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis, Bremensis, Hierosolymitani, & aliorum pene innumerabilium, qui ex diuersis mundi regionibus, fama sanctitatis & reuelationum eius prouocati, se scriptis commendabant orationibus ipsius, & diuersarum quæstionum solutiones quærebant. Moritur sub Frederico Imperatore primo, Anno Domini 1180. ætatis suæ 82. indictione tertiadecima, decimoquinto Calendas Octobris. E

VATICINIA QVÆDAM SIVE Prophetiæ sublimis ac illuminati Theologi D. Ioannis Thauleri, in vetustis codicibus repertæ.

F

QVasi mortales omnes, ex animo & multo cum timore atque tremore magnam Dei iram, & iam olim meritas Diuinæ iustitiæ plagas attendite, quæ licet hoc tempore plus quam in quadringentis retro annis mundo grauiter imminerant, valde tamen metuendum est, multo incomprehensibilius insuperabiliusque, grauiusque etiam supra quam æstimari queat adhuc irruituras. Tum enim graues ac magnæ erunt calamitates illæ, vt quotquos tunc superesse contigerit, optaturi sint atque dicturi: O vtinam nos plagæ priores assumpsissent: nam tunc forte vel animarum nostrarum iacturam nullam fecissemus: nunc verò cum corporis, tum animæ grande periculum sustinemus. Porro signa quæ terribiles has magnasque plagas portendent, partim sunt breues istæ atque discissæ, & in varias subinde formas abominabili quadam metamorphosi nunc quidem sic, nunc vero aliter commutatæ vestes, cum insolentibus ac lasciuis gestibus. Quod totum haud dubie ex malignorum spirituum suggestione, & in corda hominum instillatione procedit. Sicut & sancta Hildegardis ante annos ferme ducentos apertissime prædixit, & prædicendo mundum præmonere studuit. Et hæc quidem necnon & pleraque alia signa, iam annis decem euidenter apparuere. Cuiusmodi vero plagæ supradictæ futuræ sint, eadem sancta Hildegardis multa cum distinctione descripsit. Nec tamen has aliquis vulgo edicere audet, eo quod ipsas minime capiat, & metuendum sit, huiusmodi publicatione comminatas plagas accelerari magis debere, quam impediri. Verum vt piis quibusque perspicuum ac notum fiat, quomodo sese harum calamitatum temporibus habere ac gerere debeant, libet eas hic sub parabolis ac similitudinibus ob oculos ponere. Concernent quippe sacrosanctam fidem nostram, & sacramenta, & omnes Ecclesiasticas atque Christianas constitutiones. Vnde in tantam homines fluctuationem ac errorem præcipites ibunt, vt cuinam ceu Catholicæ veritatis assertori, credere tuto possint atque confidere, prorsus sint ignoraturi. Et hoc quidem idcirco diuina permittet iustitia, quod nos ex multo iam tempore ita negligenter, imo & vitiose viuendo, ipsam fidem moribus ac vita impugnauimus: ac dignissimum Christi corpus vna cum aliis Ecclesiæ sacramentis, cum omni denique sanctimonia Christiana, tam plane irreuerenter indigne, impure, infructuose tractare ac suscipere ausi sumus. Magna igitur tunc pericula contaminatis, vitiosis, & diuinam inspirationem contemnentibus imminebunt. Quotquot vero signum Thau frontibus suis impressum habuerint, id est, omnes qui per fidem Christi viuam in quodam melioris vitæ initio atque profectu inuenti fuerint, ab his plagis immunes erunt. Id quod beatus Ioannes Apocalypseos capite nono has plagas subobscuris quidem verbis, sed à B. Hildegarde luce clarius detectas, recensens testatur. Cæterum fidelis ac saluberrimi consilij omnibus, qui periculosis illis temporibus victuri sunt, nobis per B. Hildegardem reuelati, ista summa & intentio est: Vt videlicet senescenti, ac propemodum effœtæ matri suæ

G *Quid si hodie videat? vestitus diuersitatẽ* [margin note]

H

Ezech. 9. [margin note]

Ecclesia

A *Ecclesia sancta, animo resignato ac propensissima voluntate, patienter atque humiliter condescendentes, omnibus ordinationibus atque doctrinis illius, quæ nobis hucusque palam in suggestis à concionatoribus proponuntur, spontanea ac obedienti subiectione obtemperent: nec vlli alteri persuasioni fidem adhibeant: etiamsi vel angelus de cælo, præter id quod Euangelizatum est, annunciet ac persuadere moliatur, sicut & à Domino nostro* Iesv Christo *diligenter præmoniti sumus, cum diceret: Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Item beatus Paulus: Sed licet nos, inquit, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Immensa ac inexhausta Dei misericordia, dignetur nos in viua ac vera Christi fide semper stabiles conseruare. Scriptum est prædictum vaticinium in eo libro, vnde huc translatum est, Anno à Christo nato millesimo trecentesimo quadragesimo octauo.*

Gal 1. Matth. 23. — Gal. 1.

B *Nunc igitur, dilectissimi, certi estote, quod nisi melius vitam nostram commutare studeamus, grauiter nobis plaga prædicta immineant, ita quod tanta erit afflictio, vt iudicium extremum nobis ad memoriam sit reuocatura. Quæ enim nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexatione erunt, & Dei verba peruertentur, cultusque diuinus pene in obliuionem ibit: & vnus huc alius illuc properabit: nec facile sciri poterit quorsum hæc tandem euasura sint. Interim tamen fidelissimus Deus nidulam aliquem habebit, vbi suos conseruet protegatque. Discat ergo quisque pati, & abnegare seipsum: auscultans intus vocem patris sui, quid ille in se loquatur: ac foris matris suæ, id est, Ecclesiæ sanctæ. Horum quippe vox vna est. Quare qui has voces non didicerit agnoscere, in æternum pereat necesse est. Exurget enim vox fallax, quæ omnes paterna voci auscultare nolentes, in errorem abducet. Sonat autem nobis paterna vox per vocem sanctæ matris Ecclesiæ in omnibus doctrinis, præceptis atque consiliis illius.*

Tempora hic nostra acu tanguntur.

C *Væ proinde ac iterum væ omnibus, voci huic obtemperare nolentibus, vt seipsos in veritate paruipendant, & studeant esse humiles. His enim teterrima desperationis vox inspirabitur, dicentibus pseudo doctoribus falsum esse atque confictum, quicquid vnquam priscæ veritatis doctores hic edocuere. Quicunque igitur in fundo humilitatis destituti fuerint, & pro suo ipsorum sensu ac proprio beneplacito in suis illis vafris ac subtilibus conceptibus perdurauerint, hi omnes in tantos deducentur errores, vt cunctos Ecclesiæ ritus ac instituta, fallacia & à veritate aliena sint credituri. Quod profecto ex ipsorum vitiosissimo vel maximo procedet fundo: tum etiam, quod veri illius atque viui fundi penitus expertes erunt. Vera namque humilitas est, dilectissimi, verum totius boni fundamentum. O si prævidere possetis, charissimi, quantis angustiis atque periculis mundus ipse & quotquot Deo in fundo suo vel saltem Dei amicis reuera non adhæserint olim inuoluendi sint, quamque terribiliter cum illis agetur, (sicut adhuc in proximo veris Dei amicis significatum est per reuelationem) & quam denique vera*

D *fides conculcabitur: si, inquam, hæc sciretis dilectissimi, sensus vestri naturales hoc nulla ratione sustinerent. Qui tunc victuri sunt, cogitent hæc ipsis longe ante prædicta fuisse.*

* * *



E

AD BEATAM HILDEGARDIM,

summorum Pontificum, Imperatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque plurimorum Magnatum, Ecclesiasticorum pariter & secularium, Epistolæ variæ, eiusdemque B. Hildegardis ad eosdem sanctæ Responsiones.

EVGENIVS PONTIFEX HILDEGARDI.

Evgenivs Seruus seruorum Dei, Dilectæ in Domino filiæ Hildegardi, præpositæ in Monte beati Roberti, salutem & Apostolicam benedictionem. Miramur ô filia, & supra id quod credi potest, miramur, quia Deus iam nostris temporibus noua miracula ostendit: cum te spiritu suo ita perfudit, quod diceris multa secreta videre, intelligere, & proferre. Hoc à veridicis personis ita esse percepimus, qui se fatentur te & vidisse & audisse. Sed quid nos ad hæc dicere valemus, qui clauem scientiæ habentes, ita quod claudere & aperire possimus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus? Congratulamur igitur gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ, hoc admonentes, vt scias quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Gratiam autem hanc quæ in te est, conserua & custodi, ita vt ea quæ in spiritu proferenda senseris, prudenter proferas, quatenus illud audias: Aperi os tuum, & adimplebo illud. Quod autem insinuasti nobis de loco illo, quem in spiritu tibi præuidisti, hoc permissione & benedictione nostra & Episcopi tui fiat, ita quod ibi regulariter cum sororibus tuis viuas secundum regulam S. Benedicti sub clausura eiusdem loci.

F — Iac. 4. 1. Pet. 5. — Ps. 70. — G

Eugenio Apostolico, Hildegardis.

O Mitis pater, ego paupercula fœmina scripsi tibi hæc in vera visione in mystico spiramine sicut Deus voluit me docere. O fulgens pater, in tuo nomine tu venisti in terram nostram, sicut Deus prædestinauit, & vidisti de scriptis veracium visionum, sicut viuens lux me docuit, & audisti eam amplexibus cordis tui. Nunc finita est pars scripturæ huius. Sed tamen eadem lux non reliquit me, sed in anima mea ardet, sicut eam ab infantia mea habui. Vnde nunc mitto tibi literas istas in vera admonitione Dei. Et anima mea desiderat vt lumen de lumine in te luceat, & puros oculos infundat, & spiritum tuum exsuscitet ad opus scripturæ istius, quatenus anima tua inde coronetur, quod Deo placet: quia multi prudentes de terrenis visceribus spargunt hæc in mutationem mentium suarum propter pauperem formam quæ ædificata est in costa, & quæ est indocta de philosophis. Tu ergo pater peregrinorum, audi illum qui est fortiss. Rex, & in palatio suo sedit, & magnas columnas coram se stantes habuit aureis cingulis præcinctas, & multis margaritis & preciosis lapidibus valde ornatas. Sed regi huic placuit, quod paruam pennam tetigit, vt in miraculis volaret, & validus ventus eam sustinuit ne deficeret. Nunc iterum dicit tibi, qui est lux viuens in supernis, & in abysso lucens, ac latens in abscondito audientium cordium: Præpara scripturam hanc ad auditum me suscipientium, & fac illam viridem in succo suauis gustus, & radicem ramorum, & volans folium contra Diabolum, & viues in æternum. Caue ne spernas hæc mystica Dei, quia sunt necessaria in illa necessitate, quæ absconsa latet, & quæ nondum aperte apparet. Odor suauissimus sit in te, & non fatigeris in recto itinere. Sed ille qui loquitur, & non silet, hæc dicit propter imbecillitatem

H

illorum

A illorũ qui cæci sunt ad videndum, & surdi ad audiendũ, & muti ad loquendum, in nocturnis insidijs mortiferi laquei latrocinantium morum. Quid dicit? Gladius radiat & circuit, occidens illos qui prauæ mentis sunt. O qui in tua persona es fulgens lorica, & prima radix in nouis nuptiis Christi, & in duas partes diuisus, in partem scilicet hanc, quod anima tua iterata est in mystico flore virginitatis: & in partem hanc, quod radix es Ecclesiæ, audi illum qui acutus est in nomine, & fluit in torrente, tibi dicentem: Oculum de oculo non abjicias, & lumen de lumine non abscindas, sed sta in plana via, ne de causis illorum, in anima accuseris, quæ in sinum tuum positæ sunt, nec permitte eas in lacum perditionis 3 dimergi per potestatem conuiuantium prælatorum. Gemma iacet in via: Sed vrsus veniens, & illam valde elegantem videns, pedem suum porrigit, eamque leuare vult, & in sinum suum ponere. Sed subito aquila veniens, ipsam gemmam rapit, & eam in tegmen alarum suarum inuoluit, & in cancellos palatij Regis B portat. Et eadem gemma ante faciem Regis multum fulgorem dat, vnde a rege valde diligitur: Et Rex propter amorem eiusdem gemmæ, aquilæ illi aurea calceamenta dat, & eam ob probitatem suam valde laudat. Nunc tu qui es in vice Christi sedens in cura Ecclesiasticæ cathedræ, meliorem partem tibi elige, vt aquila sis, vrsum superans: & vt in animabus tibi commissis, cancellos Ecclesiæ ornes, quatenus in aureis calceamentis in superiora veniens, te ipsum alieno subripias. Nam oculus viuens, videt & dicit, qui sapit, & discernit quasque creaturas, qui & eas omnes exsuscitat, & vigilat: Valles plangunt super montes, & montes cadunt super Valles. Quomodo? Subditi nudati sunt de disciplina timoris Dei, & incitati sunt rabie, vertices montium ascendere, prælatos incusare: & ipsorum temeritas non accusat praua opera sua. Sed dicunt, Vtilis sum vt sim prælatus vtilitate. Et omnia prælatorum opera habent indigna, quia eos sibi excellentiores esse C dedignantur. Quoniam subditi iam sunt nubes nigræ, & in femoribus suis non sunt accincti, sed dispergunt omnia instituta agri, dicentes, quod hæc vilia sint. Et hoc faciunt, quia venenosi sunt per inuidiam. Pauper homo magnam stultitiam habet, quando vestimenta sua scissa sunt, semper in alium adspiciens, considerans quem colorem vestimentum illius habeat, nec n. 4. suum a sorde abluit. Montes autem transiliunt clauem viæ veritatis, & eorum itinera non sunt parata volare ad montem myrrhæ. Ideo obtenebratæ sunt stellæ diuersa nube. Luna stat, stellæ clamant quod luna cædit. Sol illas premit; quia nulla earum clarescit, sed in turbine implicatæ sunt. Vnde ô pastor magne, & post Christum nominate, præbe lumen montibus, & virgam vallibus. Da præcepta magistris, & disciplinam subditis: montibus iustitiam cum oleo sparsis, & vallibus ligaturam obedientiæ, mixto bono odore, & fac illis recta itinera, vt non appareant viles soli iustitiæ. Puteos fac vt vbique oculos habeas. Mens tua puro fonte rigetur, vt cum sole splendeas, & agnum imiteris. D Paupercula forma tremit, quod in sono verborum loquitur ad tam magnum magistrum. Sed ô mitis pater, antiquus vir & præliator magnificus dicit hæc. Vnde audi: De summo iudice dirigetur ad te, vt graues & impios tyrannos eradices, & à te ejicias, ne stent in magna irrisione in tua societate. Esto autem misericors publicis & priuatis ærumnis, quia Deus non spernit vulneratos, nec spernit dolores trementium se. Vnde ô pastor ouium, audi hæc super laborantes in fatigatione multorum. Lux dicit, Mystica Dei sunt iudicia super vnumquemque secundum meritum illius. Multi tamen homines volunt habere scrutinium per zelum suum, & per ignorantiam morum suorum, sed iudicium meum nesciunt. Quapropter in æstimatione sua supra modum mentiuntur, vt lupi prædam rapientes. Ideo quamuis homo dignus sit propter scelera sua iudicari, tamen mihi non placet, quod homo sibimetipsi vult habere iudicium secundum arbitrium suum. Et hoc dolo. Sed

E tu vnamquamque causam discerne secundum materna viscera misericordiæ Dei, qui à se non separat mendicum & egenum quoniam plus vult misericordiam quam sacrificium. Osee 6. Matth. 9. & 12. Nunc igitur nigri volunt abluere nigredinem per turpitudinem suam, sed ipsi sunt polluti & sordi in fossa iacentes. Illos erige, & adiuua pusillos. Tu enim qui es pastor populorum, audi vt viuas in æternum. Lux viuens dicit: Dic audaci populo, qui sibi terrores inuenit in via errantium viarum. Dominus quidam habuit marmoream ciuitatem: & venatores venientes, ciuitatem illam inspiciebant, volentes dispergere recta instituta eius, quæ in flore illo apparuerunt, quem virginea mens inuenit. Et ecce mons magnus & excelsus, valde elegans & expolitis lapidibus factus, contra orientem apparuit: supra quem quoddam ædificium ad orientem stabat, de lignis & lapidibus communis ædificationis factum. Tunc venerunt multi riuuli, quasi de medio orientis, in idem ædificium fluentes: Sed & in eodem ædificio fortissimus odor boni F vini erat, sed tamen cum aqua mixti. Et multus populus in idem ædificium corruit, in eo curuo corpore ambulans. Sed alij in quadam valle coram prædicto monte stabant, & illos attendebant, qui in eodem ædificio curui ibant. Et ecce supra eundem montem etiam aliud marmoreum ædificium candidissimi & integri lapidis, quasi magna turris contra aquilonem stabat, in lucidiss. ampulla plena optimi balsami, velut ignis ardens pendebat, & in cuius pauimento multum oleum diffluebat. Sed tamen ventus de aquilone interdum veniens, balsamum & oleum illud commouit. Tunc multi ex populo in idem ædificium venerunt, qui & oleo illo spargebantur, & balsamo illo in frontibus suis signabantur. Et facta est vox de cœlo, dicens: Isti sunt signati. Et qui hoc modo signati sunt, signum hoc non potuerunt abluere, sed ita signati permanserunt, sicut & illi qui in Christo renati sunt, baptismum suum conseruare debent. Qui autem signati erant, ad illos qui signati non fuerunt, non transibant; nec so- G cietatem eorum suscipiebant: quia si hoc fecissent, fatui & inutiles dicerentur: qui vero signati non fuerunt, ad istos qui signati erant, transibant, & societatem eorum suscipiebant, & inde optimam partem sibi elegerunt. Sicut stella multiplicat splendorem suum in nube, & sicut fœminea forma coronatur in virginitate. Et vir magnus aurea zona præcinctus, supra eadem ædificia stans, dextrum brachium supra marmoreum ædificium, & sinistrum supra aliud posuit. Intellectus iste, ad duo instrumenta Ecclesiasticæ dignitatis est. Omnipotens enim pater instituit nobilem partem à secularibus causis separatam, & in secretis suis coram Deo fortiter ardentem: quam quidam insidiatores despicientes, volunt destruere rectitudinem eius, quæ in filio Dei manifeste apparuit. Sed tamen mons iustitiæ expolitus in multis iustificationibus, in ortu veritatis ascendit, in quo vtilis institutio ad Deum tendens, & tamẽ hominibus assistens surgit, lumẽ vtilitatis hominibus H præbens, ita vt etiam plurima doctrina & odor rectarum scripturarum de vigore veritatis ad ipsum fluat: quas quidam eorum in diuersa sine ratione multoties refundunt. Quapropter & multi in ea curui in prauitate ambulant, ita vt etiam aliqui terrenis inhiantes, turpitudinem illorum imitentur. Sed etiam in eodem monte iustitiæ prædicta pars, in secretis suis coram Deo ardens, in integritate sua, vt Diabolo resistat, exurgit, optimam partem in Deo habens, in exemplo suo misericordiam ostendens. Sed tamen multæ tentationes à Diabolo emissæ, optimam partem & ipsam misericordiam inquietant. Multi autem homines ad eandem partem transeunt, & veram misericordiam consequuntur, cum optimam partem sibi eligunt. Vnde & coram Deo signati dicuntur. Et qui signum huius partis suscipiunt, in eo sicut & in baptismo suo, fortiter permanent. Quapropter ad suos qui idem signum non habent, socialiter non descendunt, ne inanes velut fatui efficiantur: & qui signum eiusdem partis non habent,

ad

A ad eundem ordinem socialiter ascendunt, & ita in plu- Apoc. 1. rimis bonis multiplicantur. Quod & ille ostendit, qui aurea zona præcinctus, demonstrat se esse Deum & hominem vtrosque scilicet illos & illos, regens cum brachio fortitudinis suæ: istos protegit ita, vt in eo fortiter ardeant, secularia abjicientes: & brachio mansuetudinis suæ illos tegit, ita vt vtiles in diuina protectione sint, cum lumen veritatis proximis suis vtiliter præbent. Nunc tu qui es pater populorum, discerne in perspicuitate verba hæc, e summo iudice tibi directa pro necessitate errantium, qui superbia vult opprimere humilitatem, quod esse non debet, velut inconueniens esset, si luna vellet pugnare cum sole, splendorem suum cupiens similem facere splendori ipsius. Vnde propter hanc ineptam conuenientiam, fons aquarum clamat ad te imitatorem eius. Per me viuum & acutum, comprime atque corrige nigros insidiatores & furtiuos speculatores qui in plumbum vertuntur in tortuosis peccatis, B & qui de aquilone adsperguntur in nequitia diaboli, & qui se contrarie porrigunt ad caput prælatorum suorum per nimietatem iniquitatis. Fuga ergo illos de pastorali cura, quæ pœnam de canibus portant. Et quamvis quidam prælati sint obtenebrati per vicissitudinem morum, tamen non decet aliquos eorum propter quosdam subditos abjici. Ideo inspice hæc per purissimum oculum, vt non deficiat honor tuus, qui propter nomen suum tangit illum qui fuit, & est rectus & iustus, parans vias suas in omnibus instrumentis suis, Psal 9. Can 4. ea præuidendo ante instituta dierum antiquorum. Ipse faciat puros oculos tuos, qui non spernit pupillum & pauperem, quia mons myrrhæ & thuris es præ valli- Ps. 10. bus sordium puteis. Audi ergo illum, qui semper vigilat viuentibus oculis; & qui non est tædiosus propter procellas, quæ sunt pars calicis eorum, qui assimilantur simulacris quasi dum sint per prosperitatem suam. Tu autem qui vis habere potestatem honoris magni in palatio regis, dilata iustitiam summi ad illius ho- C norem. Hoc decet te propter te, propter clarum nomen tuum. Nunc ergo adspice in igneum datorem, qui infundit bonum intellectum hominibus. Sed quis homo potest sonare contra vocem illam? Num potest vox hæc paruam pennam facere volare sic, vt nullus gladius contra eandem pennam se possit mouere? Potest. Nunc tu ô imitator excelsæ personæ, fons viuus clamat hæc ad te, quia personam tuam non decet, vt habeas oculos cæcorum, & vestigia viperarum morum, & furtiuam rapinam, denudans altare Dei. Et cur hoc faceres? Sed qui hoc facit, non potest soluere corrigiam calceamenti corporis Dominici. Ideo, ô cuncti, castigate vos. Ego autem, ô pater, in loco cælitus mihi ostenso, iuxta verba benedictionis tuæ, secundum regulam S. Benedicti, sub clausura eiusdem loci cum sororibus meis maneo, & hoc me tam viuente, quam defuncta, semper obseruari desidero.

D

Anastasius Papa Hildegardi.

ANastasius Episcopus seruus seruorum Dei, Hildegardi dilectæ filiæ in Christo, salutem & Apostolicam benedictionem. Exultamus in Domino & gratulamur quod nomen Christi de die in diem glorificatur in te, ita vt & admirantes dicamus, Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia. Audiuimus enim & vidimus multa de te. Scimus etiam quod piæ memoriæ prædecessor noster, cui ad nutriendum sponsam Christi per Diuinam gratiam successimus, te multo affectu dilexit, amplexus est, & audiuit. Cuius & nos vestigia secuti, scribere tibi studuimus, & rescripta tua videre desideramus, quærentes illa quæ Deus in te operatur, quamuis nos in bonis claudicemus, in quibus tam lassitudine corporis, quam mentis nostræ, suspiramus cum non ad cœlestia per negligentiam nostram sursum non erigimus, vt iure deberemus: Occultorum autem cognitor, & voluntatem & possibilitatem nostram nouit. Admonemus igitur, rogamus, & obnixe tibi E iniungimus, vt cum sororibus tuis preces ad Dominum fundas, quatenus per virtutem ipsius, ad iustitiam nos erigere valeamus, ita vt per hoc æterna præmia adipiscamur, ad illa in præsenti vita anhelare non deficientes Pax tibi & omnibus tuis sit.

Is fuit etiam in initio quartus. Exod. 15. 1

Responsio Hildegard.

O Persona, quæ es præcellens armatura, & mons magistrationis valde ornatæ ciuitatis, quæ constituta es in desponsatione Christi, audi illum qui non incepit viuere, nec lassatur in defectione. O homo, qui in oculo scientiæ tuæ lassus es ad refrenandum magniloquia superbiæ, in hominibus in sinum tuum positis, cur non reuocas naufragos, qui de ma- F gnis casibus suis surgere non possunt, nisi per adiutorium? Et quare non abscindis radicem mali, quæ suffocat bonas, & vtiles herbas, dulcem gustum & suauem odorem habentes? Filiam regis, scilicet iustitiam, quæ in supernis amplexibus est, & quæ tibi commissa fuerat, negligis. Tu enim permittis hanc filiam regis super terram prosterni, quia diadema & decor tunicæ eius scinditur per rusticationem diuersorum morum hominum illorum, qui in similitudine canum latrant, & in similitudine gallinarum, quæ in noctibus interdum cantare tentantes, ineptam exaltationem vocum suarum emittunt. Isti sunt simulatores, in vocibus suis fictam pacem ostendentes, sed inter se in cordibus suis frendentes, velut canis qui ad sodales sibi notos caudam suam mouet, sed probum militem qui in domo regis vtilis est, dentibus suis mordet. Cur prauos mores in hominibus suffers, qui in tenebris insipientiæ sunt, ad se quæque nociua colligentes, sicut gallina quæ in nocte clamans, sibimet terrorem incu- G tit: Qui sic faciunt, in radice vtilitatis non sunt. Audi ergo ô homo illum, qui acutam discretionem valde amat, quam vt maximum instrumentum rectitudinis instituit, quod contra malum pugnaret. Hoc tu non facis, cum malum non eradicas, quod bonum suffocare cupit. Sed malum se superbe attollere permittis: & hoc facis propter timorem illorum, qui pessimi insidiatores sunt in nocturnis insidiis, plus amantes pecuniam mortis, quam pulchram filiam Regis, scilicet iustitiam. Omnia autem opera quæ Deus operatus est, lucidissima sunt. Audi ô homo, Nam supernus pater ante exortum mundi in secreto suo intonuit, O mi fili. Et globus mundi exortus est, hoc quod pater intonuit, excipiens, diuersis tamen speciebus creatu- Gen. 1. rarum, adhuc in obscuro latentibus. In ipso autem quod scriptum est, Dixitque Deus, fiat, diuersæ species creaturarum processerunt. Sic per verbum & propter verbum patris, omnes creaturæ factæ sunt in voluntate patris. Deus autem omnia videt, & omnia prænouit. H Sed malum nec surgendo, nec cadendo, quidquam per se facere aut creare aut operari potest; quia nihil est, sed tantum fallax optio, & contraria opinio computatur, ita quod homo malum operatur, cum hoc, quod contrarium est, facit. Misit autem Deus filium suum in mundum, vt diabolus, (qui malum amplectendo cognouit, & homini suggessit) superaretur per eum, & vt etiam homo (qui per malum perierat) redimeretur. Quapropter Deus spernit peruersa opera, videlicet fornicationes, homicidia, rapinas, seditiones, tyrannides & simulationes iniquorum hominum, quoniam ea per filium suum contriuit, qui spolia tartarei tyranni omnino dispersit. Vnde tu ô homo, qui sedes in principali cathedra Domini, contemnis quando malum amplecteris, ita quod illud non abjicis, sed osculàris, quoniam ipsum sub silentio in prauis hominibus sustines. Et ideo omnis terra turbatur per magnam vicissitudinem errorum: quia quod Deus destruxit, homo amat. Et tu ô Roma velut in extremis iacens, conturbaberis ita, quod fortitudo pedum tuorum,

super

super quos hactenus stetisti, languescet, quoniam filiam Regis, videlicet iustitiam, non ardenti amore, sed quasi in torpore dormitionis amas, ita vt eam à te expellas, vnde & ipsa à te fugere vult, si non reuocaueris eam. Sed tamen magni montes maxillam adiutorij tibi adhuc præbebunt, te sursum erigentes, & magnis lignis magnarum arborum te fulcientes, ita quod non tota in honore tuo, videlicet in decore desponsationis. Christi omnino dissipaberis, quin aliquas alas ornamenti tui habens, vsque dum veniat nix morum diuersarum irrisionum, multam insaniam emittentium. Caue ergo ne ad ritum paganorum te commisceri velis, ne cadas. Nunc audi illum, qui viuit & non exterminabitur. Mundus modo est in lasciuia, postea erit in tristitia, deinde in terrore, ita vt non curent homines se occidi. In omnibus his sunt interdum tempora petulantiæ, & interdum tempora contritionis, & interdum tempora fulgurum & tonitruum diuersarum iniquitatum. B Oculus enim furit, nasus rapit, os occidit. Pectus autem saluabit, vbi aurora, velut splendor primi ortus, apparebit. Quæ vero sequuntur in nouo desiderio & in nouo studio, dicenda non sunt. Sed ille qui sine defectione magnus est, modo paruum habitaculum tetigit, vt illud miraculum videret, & ignotas literas formaret, ac ignotam linguam promeret, atque vt multimodam, sed sibi consonantem, melodiam sonaret. Et dictum est illi: Hoc quod in lingua desuper tibi ostensa, non secundum formam humanæ consuetudinis protuleris, quoniam consuetudo hæc tibi data non est, ille qui limam habet, ad aptum sonum hominum expolire non negligat. Tu autem ô homo, appareos constitutus pastor, surge, & curre citius ad iustitiam, ita vt coram magno medico non accuseris, quod ouile ipsius à sorde non extersceris, nec oleo vnxeris. Vbi autem voluntas crimina nescit, & vbi homo desiderium * non rapuit, ibi homo omnino in profundum iudicium non cadit. Sed culpa huius ignorantiæ per flagella tergitur. C Ergo tu ô homo, sta in recto itinere, & Deus saluabit te, ita quod in stabulum benedictionis & electionis te reducet, & in æternum viues.

[* id est, non consensit.]

Adrianus Papa, Hildegardi.

ADrianus Episcopus seruus seruorum Dei, Hildegardi, dilectæ in Christo filiæ, præpositæ sancti Roberti, Salutem & Apostolicam benedictionem. Gaudemus filia & exultamus in Domino, quod honestatis tuæ opinio ita late longeque diffunditur, vt multis fias odor vitæ in vitam, & à turba fidelium populorum in tui præconium exclametur: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum tanquam virgula fumi? Vnde cum animam tuam vsque adeo existimemus diuini amoris igne succendi, vt ad bene operandum exhortatione aliqua non indigeas: superuacaneum duximus exhortatoria tibi verba multiplicare, animumque tuum virtute diuina sufficienter innixum, aliqua verborum suppositione fulcire. D Veruntamen quia & ignis aura flante fit grandior, & velox equus calcaribus vrgetur ad cursum, id tuæ religioni duximus proponendum, vt videlicet à memoria tua non excidat, quia non incipienti, sed perficienti palma debetur & gloria, dicente Domino: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Cogita itaque filia, quoniam ille serpens, qui primum hominem à paradiso deiecit, magnos perdere cupit, vt Iob, & deuorato Iuda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatem: & quia scis multos esse vocatos, paucos autem electos: ita intra numerum paucorum te colligę, ita vsque ad finem in sancta conuersatione persiste, ita creditas dispositioni tuæ sorores salutis operibus instrue, vt cum eis ad illud gaudium valeas præstante Domino peruenire, quod nec oculus vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. De cætero autem commonitoria verba de te audire desideramus, quia spiritu miraculorum Dei imbuta diceris, vnde plurimum gaudemus, & Diuinæ gratiæ gloriam damus.

[Is est huius nominis IV. — 2 Cor. 2. — Cant. 3. — Apoc. 2. — Luc. 22. — Mat. 20. — Esa. 64. — 1. Cor. 2.]

Hildegard. Respon.

E QVi vitam dat viuentibus, dicit: O homo, diram duritiam leænarum & fortitudinem leopardorum patiendo sustinebis, & naufragium in captura prædarum senties, quoniam omnibus his datus es in fatigationem ad te currentibus. Habes enim intelligibilem intellectum contra sæuissimos mores hominum, in quibus æstuando refrenabis capillos currentium equorum, qui non desistunt currere ad semitas prædarum. Sed tamen rixando contra te ipsum, inclinas te interdum quasi ad probitatem quorundam hominum, vbi celas loculos aliquorum, qui mortui sunt præliari in planis viis. Vnde patieris pugnam Semeiæ præliorum, sed destrues mobilia reliquiarum illorum, qui in foueam vadunt per asperitatem suam. F Attamen venam habes fortiss. clauis, quæ non vadit libenter ad azyma in forma Sardij.

In pectore ergo tuo quære saluationem aquarum, ne in turbinem vadas. Sed vt in mansuetudine requiescas ad languorem & liuorem illorum, qui permixti sunt maceratione diuersorum vulnerum, in hoc imitans saluatorem tuum qui te redemit. Sed hoc graue pondus magisterij, quod portas, non est in indignatione Dei, vbi etiam mores vrsorum & pardorum & interdum venenum aspidum, tibi & subsequentibus occurrent. Sed gladius Dei illos occidet, ita dum inter illos bonus dux surgat. Nunc autem moneo te, vt subiectis tuis frenum imponas, nec eos malum aduersus te loqui sinas.

Vnde & vera lux tibi dicit: Quare non percutis nequiss. seruos, qui tibi occulte insidiantur, sicut araneæ quæ pungunt? Vigila ergo strenue, quod postulat causa in moribus populi in hoc tempore. O mitiss. pater, memorare quod homo in terra es, & ne timeas, quod Deus derelinquat te, quoniam lumen illius videbis. G

[Gen. 3.]

Alexandro Apostolico, Hildegard.

O Summa & gloriosa persona, quæ primum constituta es per verbum Dei, per quod omnis creatura rationalis & irrationalis in genere suo facta est, tibi specialiter idem verbum claues regni cælestis per indumentum humanitatis suæ, scilicet ligandi atque soluendi potestatem, concessit. Tu quoque excellentiss. pater, instella omnium spiritualium personarum existis, quæ tuba iustitiæ Dei sonant in Ecclesia, quæ variis ornamentis circumamicta fulget, dum alij aliis bona exempla, vitam sanctorum imitando, præbent: quæ etsi quid recte agunt, Deo, & non sibi, attribuunt, & de bonis imitatoribus suis gaudent, sequentes priores sanctos, qui carnem suam domabant, & seipsos cum manifesta victoria cælestis militiæ contra vitia diaboli pugnantes roborabant, & cum bona voluntate velut angeli in Deum adspiciebant. H Sic & tu, ô mitis pater, benignum patrem imitare, qui pœnitentem filium & ad se reuertentem, saginatum vitulum propter illum occidens, cum gaudio suscepit: & fauciati ex latronibus vulnera vino lauit, caligine confusa, asperitatem correptionis & pietatem misericordiæ designat: & stella matutina, quæ solem diei præcucurrit, esto in Ecclesia, quæ diu schismatis caligine confusa, lumine iustitiæ Dei caret. Et tu ergo secundum zelum Dei corripe, & de oleo misericordiæ pœnitentes vnge, quoniam Deus magis vult misericordiam, quam holocaustum.

Nunc ô mitiss. pater, ego & sorores meæ, genua nostra coram paterna pietate tua flectimus, orantes vt digneris paupertatem paupercułæ formæ respicere, quæ nunc in magna tristitia sumus, eo quod abbas de monte sancti Dysibodi, & fratres eius, priuilegiis & electioni nostræ contradicunt, quam semper habuimus, de qua semper magna cautela prouidendum nobis est, ne ali-

[Mat. 16. — Luc. 15. — Luc. 10. — Osee. 6.]

quatenus nobis tollatur: quia si nobis timoratos & religiosos, quales quærimus, non concederent, religio spiritalis omnino in nobis destrueretur. Vnde Domine mi, propter Dominum adiuua nos, vt vel electionem nostram obtineamus, vel alios vbi possimus, qui nos secundum Deum & vtilitatem nostram procurent, libere quæramus & accipiamus. Nunc iterum rogamus te piiss. pater, ne petitionem nostram & etiam nuncios istos despicias, qui per fidelem amicum nostrum monitu, te petentes, ad nos diuerterunt, & hoc quod apud te obtinere quærunt, facias, quatenus post finem huius vitæ, quæ ad vesperum iam declinat, in indeficientem lucem peruenias, & dulcem vocem Domini audias: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Inclina ergo supplicationibus nostris aures tuæ pietatis, & nobis & illis clara dies sit, vt ex indulgentia tuæ largitatis communiter Domino gratulemur, quatenus & tu in æterna felicitate semper gaudeas.

Matth. 25.

Responsio Alexandri Papæ ad Vvezelinum Præpositum.

Is est huius nominis III.

ALexander seruus seruorum Dei, dil. filio Præposito S. Andreæ in Colonia, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectæ in Christo filiæ nostræ Hildegard. Priorissæ Montis S. Roberti in Bings, & sororum eiusdem loci, ad nostram audientiam nouetis peruenisse, quod cum magistrum sibi & præpositum de monasterio S. Dysibodi, sicut consueuerant, elegissent, abbas illius loci, quæ de persona monasterij sui facta fuerat, concedere noluit, sed eandem personam eis renuit adhuc assignare. Vnde quoniam prædictis sororibus in his, quæ ad salutem pertinent animarum, diligenter conuenit prouideri: discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vtramque partem, cum super hoc fueris requisitus, ad tuam præsentiam conuoces, & rationibus super electione Præpositi hinc inde diligentius intellectis, causam ipsam, iustitia mediante, decidas: & si prædictæ sorores de illo monasterio Præpositum habere non potuerint, facias vt saltem de alio habeant competentem.

Henricus Archiepiscopus Moguntinensis, Hildegardi.

HEnricus Dei gratiâ Moguntinæ sedis Archiepiscopus Hildegardi dilectæ magistræ de monte S. Roberti confessoris, gratiam suam cum paterno affectu.

Cum multa bona, & admiranda miracula de te audiamus, pigritiæ nostræ reputandum est, quod te tam sæpe non visitamus vt possemus. Sed plurimis negotiis impediti, animam ad ea quæ æterna sunt, vix aliquando & tarde sustollere valemus. Vt autem ad id veniamus, ad quod intendimus, notum tibi facimus, quod nuncij quidam religiosi cuiusdam nobilis Ecclesiæ nobis notæ, ad nos peruenerunt, obnixe rogantes quatenus soror illa quam petunt, quæ apud te in religioso habitu manet eis secundum electionem suam concedatur in Abbatissam. Quod & nos authoritate prælationis & paternitatis nostræ tibi mandamus, & mandando iniungimus, ita vt in præsenti eam quærentibus & desiderantibus, ad magisterium suum repræsentes. Quod si feceris, gratiam nostram deinceps plus, quam hactenus experta fueris, senties: Sin autem, eadem tibi iterum fortius mandabimus, nec cessabimus donec præcepta nostra in hoc, facto compleas.

Responsio Hildegardis.

PErspicuus fons, qui non est fallax, sed iustus dicit: Hæ causæ quæ de potestate huius puellæ sunt allatæ, apud Deum inutiles sunt, quoniam ego altus & profundus & circuiens, qui sum incidens lux, eas nec constitui, nec elegi, sed factæ sunt in conuiuenti audacia ignorantium cordium. Omnes fideles audiant hæc in capacibus auribus cordis, & non in auribus quæ foris audiunt, vt pecus quod sonum capit, & non verbum. Spiritus Dei in zelo dicit: O pastores, plangite & lugete in hoc tempore, quia nescitis quid facitis, cum officia in Deo constituta, dispergitis in facultates pecuniæ, & in stultitiam prauorum hominum, timorem Dei non habentium: vbi maledicta malitiosa & minatoria verba vestra, non sunt audienda. Virgæ vestræ hoc modo superbe elatæ, non sunt in Deo extentæ, sed in pœnis præsumptionis flagitiosæ voluntatis vestræ. Sed & ille qui est, o homo, tibi dicit: Audi quæ in multis seruitiis me negligis. Cœlum de vltione Domini apertum est, & nunc in inimicis funes dimissi sunt. Tu autem surge, quia dies tui breues sunt, & reminiscere quia Nabuchodonosor cecidit, & quod corona ipsius periit. Et multi alij ceciderunt, qui se temere in cœlum exaltauerunt. Ah tu cinis, quare non erubescis in altum te spargere, cum debeas esse in putredine? Nunc ergo rabidi erubescant. Tu vero surge, & maledictionem relinque, illam fugiendo.

Exod. 3.

Dan. 4. Gen. 9.

Arnoldus Archiepiscopus Moguntinensis Hildegardi.

ARnoldus Dei gratia Moguntinæ sedis Archiepiscopus, Hildegardi Deo dicatæ virgini & magistræ in monte S. Roberti constitutæ, gratiam suam cum paterna dilectione. Scimus quia Spiritus vbi vult, & quomodo vult, inspirat, diuidens vnicuique dona sua prout vult. Hoc autem dicimus, nihil hæsitantes de te. Nam quid mirum est, si ille inspiratione sua te docet, qui quondam agricultores & sycomoros vellicantes, prophetas constituit, & asinam humana verba proferre fecit. Dona ergo Dei refutare non debemus, nec valemus. Rogamus ergo dilectionem tuam, vt precibus tuum ad Dominum nobis succurras, quatenus dies nostri in timore & amore creatoris nostri saltem sint, ita vt in bonis consummati, vitam in longitudine dierum perpetuæ felicitatis habere mereamur.

Ioan. 3. 1. Cor. 12. Num. 22. Amos 7.

Responsio Hildegar.

O Pater, viuens lumen hæc verba mihi ad te dedit: Quare faciem tuam abscondis à Deo, quasi in perturbatione iracundæ mentis tuæ? Nam mystica verba à me non profero, sed secundum ea in viuenti lumine video, ita quod sæpe quæ mens mea non desiderat, & quæ etiam voluntas mea non quærit, mihi ostenduntur, sed illa multoties coacta video. Posco tamen à Deo, vt auxilium suum non sit tibi quasi exilium, & anima tua sit deuota in pura scientia, respiciens in speculum saluationis, vt in æternum viuas. Splendidum etiam lumen gratiæ Dei à te nunquam abscindatur. Sed misericordia Dei te protegat ita, ne antiquus insidiator te decipiat. Nunc autem oculus tuus in Deo viuat, & viriditas animæ tuæ non arescat. Lux viuens tibi dicit: Cur non es fortis in timore tuo? Quasi zelum habes, quasi triticum excribres, ita vt superando dejicias quod tibi contrarium est. Sed hoc nolo. De oculo autem cordis tui inquietam mentem absterge, & de teipso & de populo tuo iniustitiam abscinde, quia tempus bellorum in moribus hominum nunc instat, ita quod nec in disciplina, nec in districtione timoris Domini sunt. Tu autem ne formides eos ad bonum coercere, quoniam si propter hoc tribulationem & angustiam sustinueris, ne paueas, quia filius Dei eadem passus est. Surge ergo ad Dominum, quoniam tempus tuum cito veniet.

* * *

A

Christianus Archiepiscopus Moguntinensis Hildegardi.

CHristianus Dei gratia Moguntinæ sedis Archiepiscopus, Hildegardi dilectæ magistræ sororum de S. Roberto in Pingis, deuotionem gratiæ suæ tam cum paterno quam cum filiali affectu. Plurimis negotiis impediti, per pauca tibi scribimus, cum tam dilatato corde, toto mentis annisu ad piam dilectionem tuam anhelemus. Et quia diuino spiritu te inspiratam cognoscimus; exhortatoria verba tua desideramus, quoniam dum terreno regno exterius seruire conamur, cælestem regem multoties interius negligimus. Igitur & orationibus tuis ac sororum quæ apud te sunt, nos committimus, ita vt per illas adiuti, turbinibus & procellis huius seculi, in quibus multum fatigamur, Deo succurrente, clementer eripiamur. Nos autem vobis in omnibus necessitatibus vestris adesse, ac in omnibus prodesse, prout Deus donauerit, pro certo sciatis.

B

Responsio Hildegar.

MYstica visio tibi dicit: O tu persona prælationis, in vice Christi ab ipso constitutus es, quemadmodum omnis potestas à Deo est. (Rom. 13) Deo autem nullus similis inuentus est. Ipse pater omnium est, quoniam ab ipso omnia procedunt, & ob hoc ea regit, & sacerdos in sacerdotali officio est, quia per purum sacrificium, quod homo factus est, hominem liberauit. In iuramento namque ille Sacerdos est, quod scriptum est: (Ps. 109) Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundũ ordinẽ Melchisedech. Deus quippe in semetipso prædestinauerat homo fieri sine omni maculositate peccati, & sine omni indigentia emendantis pœnitentiæ, & sine omni commixtione & diuisione, quæ in homine cũ peccatis sunt, quatenus ita malum vinceret, vt in Melchisedech præfiguratum est. (Ioan. 11.) Tu autem ô homo qui nunc in die es, C antequam nox adueniat, cum plus operari non possis, stude vt in vera potestate populum tuum præcepta Dei doceas, & in recta iustitia eum regas, sicut Deus eum regit, & per magnum studium in misericordia eum habeas, quoniam Deus per semetipsum eum liberauit. Tali enim modo Magistratus, dominatio & potestas à Deo est. (Luc. 16.) Sed & de mammona iniquitatis amicos per misericordiam tibi fac quatenus cum defeceris, in æterna tabernacula te suscipiant. Nunc ô Pater & Magister, post Christum pauperculam formam de vero lumine tibi hæc scribentem, audi, vt nobis omnibus in necessitate positis, qui ad te confugiunt, auxilium porrigas, quatenus propter gaudium illud quod eis impendis, in gaudium æternorum tabernaculorum suscipiaris, & in æterna beatitudine, ad quam Deus te creauit, in æternum viuas.

Hildegard. ad Christianum Moguntinensem Archiepiscopum.

D

O Mitiss. Pater & Domine, qui in vice Iesu Christi super oues Ecclesiæ Pastor cõstitutus es, summo Deo & paternæ pietati tuæ gratias humiliter agimus, pro eo quod literas paupertatis nostræ misericorditer suscepisti, & quod pro nobis tribulatis & angustiatis in misericordia tua litteras ad prælatos nostros Moguntiam mittere dignatus es & etiam pro dulcibus verbis solitæ clementiæ tuæ, quibus per Dominum Hermanum Ecclesiæ sanctorum Apostolorum in Colonia decanum, ita consolatæ & lætificatæ, sumus, quod in omni tribulatione & angustia nostra, sicut filiæ ad te dilectum patrem securæ confugimus. Vnde, bone Domine, nos famulæ tuæ quæ sedemus in tristitia tribulationis & angustiæ, in spiritu humilitatis pedibus tuis prouolutæ, causam intolerabilis doloris nostri in pura veritate lachrymabiliter tibi aperimus, ea fiducia, quod ignea charitas, quæ Deus est, tibi inspiret, (1. Ioan. 4.) vt eum paterna pietate lamentabilem vocẽ, quã in tribulatione nostra afflictæ ad te clamamus, misericorditer exaudire digneris. O mitis Pater, cum prælati nostri Moguntini mortuum iuuenem ante mortem suam ab anno diu absolutum, & omnibus Christianæ fidei sacramentis munitum, sicut etiam ante in literis tibi insinuaui, apud nos sepultum, à cæmeterio nostro ejicere nos iussissent, vel à Diuinis nos cessare, ego ad verum lumen, vt soleo, adspexi, & in illo Deus mihi præcepit, ne vnquam voluntario consensu meo ejiceretur, quem ipse à sinu Ecclesiæ in gloriam saluationis deputandum susceperit, quoniam nigredo magni periculi nobis inde proueniret, eo quod contra voluntatem eius veritatis esset. Si enim iste timor omnipotentis Dei mihi nõ obstitisset, eis humiliter obedissem, & quemcunque in nomine tuo, qui Dominus & aduocatus noster es, eundem mortuum iussissent efferre, si excomunicatus non esset, seruandum nos Ecclesiæ, grata voluntate concessissem. Cum autem per aliquod tempus non sine magno dolore & tristitia cessassemus, in vera visione animæ meæ à summo iudice (cuius præcepto resistere ausa non fui) pondere grauiss. (F) infirmitatis coacta, ad prælatos nostros in Maguntiam veni, & verba quæ in vero lumine videram, vt ipse mihi præcepit, scripta repræsentaui, quatenus in illis cognoscerent quæ voluntas Dei in hac causa esset. Veniam quoque coram ipsis, qui tunc aderant, amaris lachrymis petens ab eis, flebiliter & suppliciter misericordiam quæsiui. Sed cum eorum oculi ita caligassent, vt nullo respectu misericordiæ me respicere potuissent, plena lachrymis ab eis discessi. Sed cum plurimi homines super nos misericordia mouerentur, licet pro voluntate sua nos adiouare non possent, fidelis amicus meus, scilicet Coloniens. Archiepisc. ad ipsos in Moguntiam venit, & quodam milite libero homine assistente, qui sufficientibus testibus probare voluit, quod ipse & prædictus mortuus, adhuc in corpore viuens, cum pariter in codẽ excessu fuissent, pariter etiam ab anno, eodem loco, eadem hora, ab eodẽ Sacerdote soluti essent, eodem Sacerdote, etiam qui eos absoluit præsente, ab eis cognita huius rei veritate, idem præsul de te præsumens, licentiam celebrandi diuina, vsque ad reditum tuum secure & in pace obtinuit. (G) Cum autem dulciss. Domine fiduciam maximam de tua misericordia haberemus, per eosdem prælatos nostros post reuersionem suam à Roma, è Synodo literas tuas Diuinorum interdictorias accepimus: quas vt paternæ pietati tuæ confido, nunquam misisses, si veritatem huius rei agnouisses. Sicque mitiss. pater, in priori ligatura multo maiori dolore & tristitia tuimetipsius iussione constitutæ sumus. Vnde in visione animæ meæ, in qua nunquam me aliquo verbo turbasti, iussa sum corde & ore dicere: Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere præceptum Dei mei. (Dan. 13. Act. 5.) Ergo mitiss. pater, obsecro te in amore Spiritus sancti, vt propter pietatẽ æterni patris, qui pro salute hominis in suaui viriditate misit verbum suum in virginis vterum dolentium & plorantium filiarum tuarũ lachrymas despicere non velis, quæ ob timorem Dei, tribulationes & angustias huius iniustæ ligaturæ sustinemus. Spiritus sanctus infundat tibi, vt ita super nos misericordia mouearis, vt etiam tu post finem vitæ tuæ pro hoc misericordiam consequaris. (H)

Christianus Archiepiscopus, Moguntinensis, Hildegardi.

CHristianus D.g. Moguntinæ sedis Archiepiscopus, Reuerendæ & in Christo dilectæ Dominæ Hildegardi, & vniuersis sponsis Christi, cum ipsa Deo famulantibus, de virtute in virtutem ascendere, & Deum deorum in Sion videre. (Ps. 83.) Etsi in admiranda ac laudanda potentia Dei & Saluatoris nostri clementia, minime sufficientes, imo prorsus indigni simus, tuo tamen vt digni efficiamur, charissima in Christo Domina, sedulo confisi suffragio, illum gratiarum actione prosequimur, (Iac. 1.) à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens, vtpote à patre luminum, cui in anima tua digne complacuit, & eam vero & inæstimabili lumine suo illustrauit, cuius gratia præueniente & subsequente collatum est sanctæ deuotioni tuæ, cum Maria ad pedes Domini sedere, & supernæ Hierusalem visio- (Maxima laus Hildegardis. Luc. 10.)

nibos

A nibus vacare. Hæc manifesta sanctæ conuersationis tuæ indicia & stupenda veritatis testimonia, ita animam nostram charissima in Christo Domina tuis iussionibus, ne dicam precibus obligatam tenent, vt quicquid vnquam sanctis votis tuis accedere nouerimus, ad hoc cordis nostri intentionem merito inclinare debeamus: sperantes, & summam, post Deum, in tua sanctitate fiduciam habentes, nos sanctiss. odoramento orationum tuarum, gratiam Dei præuenientem & subsequentem percipere, & hanc peccatricem animam nostram, tuæ sanctitatis interuentu, clementiam creatoris sui, sibi tandem placitam inuenire. Inde est quod super tribulatione & afflictione, quam ex suspensione Diuinorum vna tecum Sacer conuentus sustinet, tanto arctius vobis condolemus, quanto euidentius innocentiam vestram in hac parte perpendere valemus. Verum quia constabat Ecclesiæ sepultum apud Ecclesiam vestram defunctum, in vita sua excommunicationis sententiam incurrisse;
B dum adhuc eidem Ecclesiæ de absolutione ipsius incertum extitit, vobis interim propter statuta sanctorum patrum (non euitanda) clamorem cleri declinare, & scandalum Ecclesiæ dissimulare, periculosum nimis fuit, donec idoneo testimonio bonorum virorum, in facie Ecclesiæ illum absolutum fuisse comprobetur. Proinde vestræ (vt dignum est) afflictioni ex intimo corde compatientes, Ecclesiæ Maguntinæ rescripsimus in hunc modum, vt si bonorum virorum veraci assertione, de absolutione præfati defuncti ei ostensum fuerit, Diuina vobis officia celebrari præcipimus, rogantes & obnixe Sanctitati vestræ supplicantes, quatenus si ex culpa nostra vel ignorantia vos in hac parte molestauimus, petenti veniam non subtrahatis misericordiam: & patrem misericordiarum exorare dignemini, vt sanos incolumes nos vestro sancto conspectui & Ecclesiæ Maguntiæ repræsentet, ad honorem Dei & Ecclesiæ vestræ, & salutem animæ nostræ. Conseruet vobis Dominus sanitatem & sanctitatem.

C

Hertuuigus Bremensis Archiepiscopus, Hildegardi.

HIldegardi magistræ S. Roberti in Christo, Hertuuigus Bremensis Archiep. & Richardis Abbatissæ frater, id quod est loco sororis, & plus quam sororis, obedientiam.

Notifico tibi, sororem nostram illam meam, imo tuam, meam corpore, tuam anima, vniuersæ carnis viam intrasse, & honorem quem ei contuleram paruipendisse, dum ad regem terrenum, Regi cælorum Domino suo obedisse, & sancte & pie confessam fuisse, & inunctam oleo sancto post confessionem, habita plena Christianitate, & claustrum tuum ex toto corde lachrymabiliter desiderasse, seque Domino per matrem & Ioannem committens, & signo crucis tertio signato, Trinitatem & vnitatem confitens in perfecta fide Dei, & spe & charitate, certi sumus, 4. Calend. Nouemb. obiit. Rogo ergo te, si dignus sum, quantum possum, quantum te dilexit, eam diligas & si in aliquo deliquisse videtur, cum ex
D ea non fuerit, sed ex me, saltem lachrymas eius, quas pro recessu claustri istius effudit, quarum multi testes sunt, attendas & nisi mors impediuisset, vix habita licentia ad te venisset: & quia morte detenta est, me pro ea venturum, si Deo placet, scias. Sed Deus qui remunerator omnium bonorum est, de bonis quæ sibi exhibuisti sola inter omnes, & super omnes iam cognatos quam amicos, de quibus Deo & mihi gratulabatur, hic & in futuro ad omnem voluntatem tuam te remuneret. Sororibus tuis de omnibus benefactis suis gratias referas.

Respon. Hildegard.

QVi in primo die te vidit, & oculos tibi ad videndũ cum volatibus pennis omnis creaturæ dedit, & qui hominem speculum in plenitudine omnium miraculorum suorum fecit, vt scientia Dei in illo clareat, sicut
Psal. 81. scriptum est, quoniam dij estis, & filij excelsi omnes: ille ad te adspiciat, & te ad ipsius voluntatem dirigat. Homo E
tangit Deum, qui nec initium nec finem habet, vbi rationalitas in homine Deum imitatur, & scientia boni & mali Deum ostendit. Sic est rota æternitatis. Ipse etiam Deus faciat vt malum illud fugias, quod in primo die incepit, & boni voluntate caret, & quod Deo semper contradicit. Faciat etiam in te fenestras, quæ in cælesti Hierusalem luceant, quæ sunt pulchra ædificia in virtutibus, & faciat te volare in amplexibus charitatis Dei, sicut ille dixit, quem Deus perfuderat: Qui sunt hi qui vt nubes volant, Esa. 60.
& quasi columbæ ad fenestras suas? Et iterum: Ego paupercula forma vidi in te lumen saluationis. Nunc præcepta Dei imple, quæ gratia ipsius tibi dat, & quæ Spiritus sanctus te docet. Sed & in Spiritu mystici doni tibi dico: Tu es laudabilis persona, quæ necessaria est homini, habens in altissimo Deo successionem, quod est pontificale officium: ideo oculus tuus Deum videat, sensus tuus iustitiam eius intelligat, & cor tuum in amore Dei valde
ardeat, vt anima tua non deficiat, sed sit in summo studio ædificare turrim cælestis Hierusalem, & Deus det tibi adiutricem, videlicet dulciss. matrem misericordiam. Esto etiam lucida stella, lucens in tenebris noctium prauorum hominum: & velox ceruus, currens ad fontem aquæ viuæ. Respice quia hoc tempore multi pastores sunt cæci, & claudi, & raptores pecuniæ mortis, suffocantes iustitiam Dei. Sed Deus sciens omnia, scit vbi pastoralis cura vilis est. Ideo fidelis homo non circueat quærens prælationem. Quod si quæsierit, in inquieta mente sua potestatem magis voluptate appetens, quam voluntatem Dei inspiciens, lupus rapax in persona sua est, & anima ipsius nunquam quærit spiritalia, sed ibi simonia est. Vnde & in spiritu tibi dico: O quam magnum miraculum est in saluatione animarum hominum illorum, qui in prælatione absque Simonia sũt, quos Deus ita inspicit, quod gloria eius in ipsis non obumbratur: sed facit in ipsis velut fortis bellator, qui hoc studet, ne ab vllo superetur, sed vt victoria ipsius stabilis fit. Nunc audi Sic factũ est
in filia mea Richardi, quam filiam meam nomino, quia G
plena charitas in anima mea fuit ad ipsam, quoniam viuens lux in fortiss. visione docuit me ipsam amare. Audi: Deus eam in hoc zelo habuit, quod voluptas seculi illam amplecti non potuit: sed contra eam pugnauit, quamuis ipsa velut flos in pulchritudine & decore in symphonia huius seculi appareret. Sed dũ ipsa adhuc in corpore viueret, audiui de ipsa in vera visione dici: O virginitas, in regali thalamo stas. Ipsa enim in virginea virga in sanctissimo ordine societaté habet, vnde filiæ Sion gaudent. Sed tamen antiquus serpens voluit eã à beato honore retrahere per altam generositatem humanitatis. Sed summus iudex traxit hanc filiam meã ad se, abscindens de illa omnem humanam gloriam. Vnde anima mea magnam fiduciam habet in ea, quamuis mundus pulchram formam & prudentiam ipsius, dum in corpore viueret, diligeret. Sed Deus illam plus dilexit. Idcirco noluit Deus amicam suã dare inimico amatori, id est mũdo. Nunc tu ô chare sedens in vice Christi, perfice voluntaté animæ sororis tuæ, quoniam postulat necessitas obediẽtiæ. Et vt ipsa semper sol- H
licita fuit pro te, ita & nunc esto pro anima ipsius, & fac bona opera secundum studiũ ipsius. Vnde & ego abjicio doloré illum de corde meo quem mihi fecisti in hac filia mea. Deus concedat tibi per suffragia sanctorum, rorem gratiæ suæ & beatam remunerationem in futuro seculo.

Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus Hildegardi.

ARnoldus D. g. Coloniensis Archiepiscopus, Hildegardi lucernæ ardenti in domo Domini, de monte Psal. 90.
S. Roberti, in protectione Dei cæli commorari. Si bene valetis, & omnia quæ circa vos sunt, diriguntur à Domino, congaudemus. Sed & nos meritis vestris valemus. Quia enim vt iam diu disposuimus, ad vos minime venire valemus, in quantum in præsentiarum possumus, nos vobis committimus, manus nostras in vestras damus, fidem fide coniungimus, totum nos vobis commendamus. Præterea librum quem ipsa Diuino spiritu inspi-

A rata scripsistis, remota omni occasione, quia nec volumus nec possumus eo carere, siue impatatus siue non, per præsentium portitorem nobis transmittere non dubitetis: vbi Deum tentare nolumus, sed vbi mirabilia eius videre desideramus.

Responsio Hildegar.

IN vera visione hæc vidi, audi ergo. Quendam hominem in valle cuiusdam magni montis videō stantem, qui optionem in gustu animæ suæ habet. Et idem homo mittit opinionem quam habet, in altitudinem eiusdem montis aer ipsius montis illam suscipit, ita quod inde igneum colorem accipit, sicut oleum quod ab igne accenditur. Sed mundæ aues quæ ab immundis separatæ sunt, veniunt, & aerem illum in alas suas suscipiunt, & inde celeres in volatu suo fiunt. Quod nobiliss. pater videns, dicit: Vnde venitis? Quæ respondent. Quidam alienus homo in valle montis stans, suauiss. ventum in altitudinem
B ipsius ad nos misit, & inde veloces factæ sumus ad volandum ad te. Et idem paterfamilias ad eas dicit: iste homo quamuis à longe stet à me tamen propter cursum quo vos ad me misit, volo illū amare. Qui autē bene vult vigilare, hunc intellectum percipiat. Deus multoties propter orationes sanctorum, de lupis agnos facit, sicut etiam de peccatoribus iustos. Vnde & qui omnia nonit, dicit: vide ne Deum in speluncis latronum ames & ne ipsum in vanitatibus nomines, ita quod Deum tantum in verbis inuoces, & non in operibus. Qui in verbo loquitur, illi respondebo. Qui autem in verbo loquitur, illi alienus sum. Nam contumeliam deleo, & contradictionem illorum, qui me contemnunt, per memetipsam contero. Væ væ malo iniquorum spernentium me. Hoc audio ô homo, si viuere vis, alioquin gladius meus percutiet te: Nunc autem ô pastor populi tui, ego paupercula scripta veracium visionum istarum tibi misi, sicut petisti, nihil humani ingenij & propriæ voluntatis
C meæ continentia, sed quæ indeficiens lumen compositione sua, & eisdem verbis manifestare voluit, quomodo sibi placuit, cum nec ipsum quod nunc tibi scribo, ingenio meo, nec vllo humano arbitrio, sed superna ostensione compositum sit.

Orationes sanctorum quid possint.

Archiepiscopus Iuvauensis Hildegardi.

IVuauensis Ecclesiæ Dei gratia minister & Archiepiscopus, licet indignus, Hildegardi sorori & Magistræ de S. Roberto in Pingis, quidquid valet peccatoris oratio, & post huius carnis trophæum, ad amplexus cœlestis sponsi cum prudentibus virginibus introire. Ego peccator in valle lachrymarum positus, multis seculi turbinibus & procellis attritus, intus timores, foris pugnas passus, obnixe tuam postulo dilectionem, vt pro me preces fundere digneris quatenus diuina misericordia suæ pietatis viscera super me aperiat, & ab omnibus tribulationibus clementer eripiat, quia & imperator pro schis-
D mate, quod nunc in Ecclesia est, nobis vim inferre conatur. Meminisse etenim debet charitas tua, virgo Deo digna, quia cum essem apud Moguntiam in circu eiusdem Imperatoris, sanctis orationibus tuis attentius me commendaui, pro eo, vt per tuam intercessionem status vitæ meæ profectum haberet in Domino & felicem consummationem. Vnde etiam pollicita es paruitati meæ, vt acceptis literis meis, secundum quod Dominus dignaretur tibi reuelare, non grauaeris mihi rescribere. Huius pollicitationis debitum requirit paruitas mea à tua sanctitate. Vale virgo Dei, & memento mei. Quidquid tamen illud est quod rescribis, pone sub sigillo.

i Salsburgens.

Matth 25. 1. Cor 7

Respon. Hildegar.

O Tu persona, quæ in vice filij Dei viuentis es, statum tuum nunc video, velut duos parietes quasi angulari lapide coniunctos, quorum alter vt candida nubes apparet, alter aliquantulum vmbrosus: sic tamen, quod
E nec candor ille huic vmbrositati, nec eadem vmbrositas huic candori se intermiscet. Parietes isti labores tui sunt, animo tuo coniuncti, vbi ex altera parte intentio & suspiria tua per angustam viam ad Deum in candore anhelant, & ex altera circuitus laboris tui aliquantulū in vmbrositate ad populum tibi subiectum pertinet, ita tamen, quod cādorem intentionis tuæ velut domesticum habes, & vmbrositatem secularium laborum velut quoddam tibi alienum inspicis, nec hæc tibi intermisceri permittis, & ideo fatigationem in animo tuo frequenter habes. Nam intentionem tuam ad Deum, & laborem tuum ad populum non habes velut vnum: sed cum bona intentione ad cælestia anhelas, & cum populum in Deo procuras, in vita mercede coniungi possunt: Sicut & Christus cælestibus inhæsit, & tamen ad populum se inclinauit, vt scriptum est: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Dij scilicet in cælestibus, & filij excelsi in procuratione populi. Tu ergo, ô pater, labores tuos fonte sapien-
F tiæ, perfunde, quem duæ filiæ hauserunt, quæ regalibus circumdatæ sunt vestibus, videlicet charitas & obedientia, quoniam Sapientia cum charitate omnia ordinauit, plurimos riuulos educendo, vt dicit, Gyrum cæli circuiui sola, & quia Deus homini per obedientiam præceptum dedit, vestimentum quidem charitatis est, quod vultum Dei in angelico ordine adspicit: sed vestimentum obedientiæ, circumamictio humanitatis Domini est. Istæ puellæ ad ianuam tuam pulsant, & charitas ad te dicit: Tecum manere desidero, & volo vt in lectum strati tui me ponas, & in diligenti amicitia me habeas. Nam quando vulnera cum misericordia tangis & tergis, in lecto tuo iaceo: & quando simplices & bene viuentes cum beneuolentia in Deo tenes, in diligenti amicitia tua sum. Sed & obedientia ad te dicit: Tecum maneo propter ligaturam legis & præceptorum Dei. Ergo strenue & in forti vi me tene, non vt villicum, sed vt clariss. amicam. Nā in initio baptismus me suscepisti, & in aliqua progressione tua me tenuisti; scilicet in disciplina subiectionis,
G & in prælatione, vbi præceptis Dei obedisti. Charitas enim materia mea est, & ex illa orta sum. O pater, sapientia verum tibi dicit: Esto similis patrisfamilias, qui stultitiam filiorum suorum inuite audit: & tamen prudentiam suam non deserit, velut etiam ego cælestia & terrestria in vtilitate populi in vnum coniungo. Tange ergo & tinge vulnera & simplices & bene viuentes, atque gaudium in vtraque parte habe Deo adiuuante: Nunc ô pater ego, paupercula forma video quia voluntas tua ianuam virtutum optat quæ tibi veniet, ita quod in istis virtutibus molendinum finis corporis tui complebis. Qui est, & qui omnia perscrutatur, animam & corpus tuum in salute sua teneat.

Ps. 81. Ioan. 10.

Eccl. 24.

Hillinus Treuirorum Archiepiscopus Hildegardi.

HIllinus Dei gratia Treuirorum humilis minister & seruus, ac eorundē Archiepiscopus, licet indignus, Hildegard. clariss. sorori agnum & sponsum sequi quocūque ierit. Quoniam Dei sapientia quæ infirma mundi eli-
H git, vt fortia confundat, iocundū tibi habitaculum in tua virginitate eligere complacuit, lucis suæ gratiam in spiritu cōsilij & scientiæ amplioris in te largius effudit, cuius, vt arbitror, lucis effusione etiam aliorum mentes ad studia meliora & saluti vitiniora excitari voluit & illustrari, te mediante, mater veneranda, & sinceriss. charitate amplectenda. Superest igitur virgo Christi dilectissima, veræ vitis, cuius sub vmbra quiescis, cuius fructus gutturi tuo dulcis & amplexabilis, veræ, inquā, vitis propagines in hoc mare procellosum latius extendere, cælestis poculi, quod inebriaris, dulcissimum saporē ad lucra animarū quaque versum propensius deriuare, quæ gratis accepisti gratis dare, ne forte arguaris lucernam, ad vtilitatē proximorum accensam, sub modio abscondere voluisse. Rogo ergo mater sancta, cum cæteris ad portū consolationis tuæ cōfugientibus spe desiderij mei vbertima fretus, rogo, inquā, & contestor viscera tua materna, per sanctam charitatē, quatenus de cella illa tegis vinaria (cuius

Apoc. 14.

1. Cor. 2.

Heb. 6.

Ioan. 15. Cant. 2.

Cant. 5.

Matth. 10.

Matth. 5. Luc. 8. & 11.

Cant. 2.

voluptatis

A voluptatis abundantia etiam in hac vita mirabiliter inebriaris) guttas aliquas ad me peccatorem, per præsentium latorem, stillare scripto digneris: tum propter eum, qui tibi ea posse præstitit, tum ea propter, vt veritatis experientia comprobet, quod quorundam auribus, de gratia tibi cælitus infusa, rumor dubitanter infert. Phil. 1. Ille igitur qui cœpit in te bonum opus, consummet in vita viuentium.

Respons. Hildegard.

SApientia sonat, dicens: Nunc squalidum tempus muliebris formæ est, Oi, Oi, Adam nouum testamentum omnis iustitiæ, & radix omnis seminis hominum fuit. Postea, in genere ipsius virilis animus surrexit, qui inter turmas exiit, velut arbor quæ se in tres ramos extendit. Prima turma talis erat, quod filij Adæ elegerunt quicquid possibilitas eorum habuit. Secunda, quod homines in temeritate homicidij surrexerunt. Tertia vero, quod fecerunt quicquid in idolis & similibus erroribus B voluerunt. Nunc arbor hæc arida est, & mundus in multis periculis Gen. 3. euersus est. Tempus enim istud, ad tēpus istud respicit, quando prima mulier nutum primo viro in deceptione fecit. Sed tamen vir plures vires habet, quam mulier perficere possit. Mulier autē est fons sapientiæ & fons pleni gaudij, quas partes vir ad perfectum ducit. He He, tempus hoc nec frigidum, nec calidum est, sed squalidū. Post hæc tempus veniet, quod in magnis periculis, in timore, iniustitia & ferocitate virorum viriles vires proferet. Deinde error errantium errorum flabit, sicut quatuor venti, qui in magnis periculis famam suam effundunt. Nunc autem ô pastor audi, quia gratia Dei in vanum te non constituit, vnde iustitiam ipsius contine. Cum bona opera facis, cito fatigaris: cum vero ad symphoniam vocaris, ita quod ad orationē consistis, ilico arescis. He He, qui in vice Christi es, iterum audi: Quidam rex quandam vrbem in magnis honoribus habuit, quam tribus viris de suis hominibus commendauit, ita vt curam illius in custodia haberent. C Primo autē turrim, secundo planitiem vrbis, Tertio murum ipsius cum propugnaculis commisit. Tu in turrim positus es populus tuus in planitiē vrbis, clerus autem tuus super murum eius cum propugnaculis. Quod si murus vrbis impugnabitur, & planities eius deprædabitur: tu autem turrim eius custodi, & talis esto, ne tota vrbs destruatur, & non dissipabitur. Species Apoc. 3. Ps. 2. columbæ te docet, & verbum Dei non caret in te scientia. Nunc ergo vigila, & in virga ferrea constringe: doce, & vulnera tibi commissorum vnge, & in æternum viues.

Eberhardus Bambergensis Episcopus, Hildegardi.

EBerhardus Dei gratia Bambergensis Ecclesiæ Episcopus, licet indignus, Hildegardi venerabili sorori & magistræ de S. Roberto, deuotæ deuotionis obsequium & æternæ beatitudinis meritum. Superna fauente gratia, tuæ sanctitatis præconium, circumquaque auribus populorum dulciter resonat, ita vt vere possimus dicere, D 2. Cor. 2. quia Christi bonus odor sumus Deo: Sed & quoniam Ps. 13. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si quis intelligat, aut forte habitantem in te requirat. Huius bonæ opinionis tuæ fragrantiam odorati, ad Dominum qui in te veneratur & consulitur; ex toto corde occurrimus. Quod enim multis præstitisti, vni nobis non denegabis. Nam cum de curia Imperatoris per te transiremus, quia Spiritu Sancto imbuta es, tuæ charitati exponendum commisimus In patre manet æternitas, in filio æqualitas, in Spiritu sancto æternitatis æqualitatisque connexio: quod & nunc secundum quod Deus tibi reuelauit, expositum videre desideramus. Dominus tecum sit, & vt nos orationibus tuis adiuuemur.

Responsio Hildegard.

QVi est, & quem nihil latet, dicit: O pastor, non arescas in dulci fluento odoris balsami, quod est viExod 3. redo, quæ præbenda est stultis mentibus, quæ non habent vbera maternæ misericordiæ quæ sugant. E Quæ hæc non habent, deficiunt. Præbe ergo tuis lampadem regis, ne asperitate dispergantur, & iugiter viuens in lumine. Nunc ô pater, ego paupercula ad verum lumen prospexi, & secūdum quod ibi in vera visione vidi & audiui quod tibi exponi petisti, ita expositum, non verbis meis, sed veri luminis, cui nunquā vllus defectus est, in hunc modum transmitto. In patre manet æternitas, hoc est, æternitati patris nec abscindendum nec addendum est, quia æternitas manet in similitudine rotæ, quæ nec incipit, nec finem habet. Sic in patre est æternitas ante omnem creaturam, quia semper & semper æternitas fuit. Et quæ est æternitas? Deus est. Æternitas autem non est æternitas, nisi in perfecta vita. Ideo Deus nunc in æternitate. Vita autem non procedit de mortalitate. Sed vita est in vita. Arbor enim non floret nisi de viriditate, nec lapis est sine humore, nec vlla creatura sine vi sua. Ipsa enim viuens æternitas, non est sine floriditate. Quomodo F verbum patris omnem creaturam in officio suo protulit, Et sic pater in fortissima vi sua ociosus non est. Vnde Deus pater nominatus, quoniam omnia ab eo nascuntur. Et ideo etiam in patre manet æternitas, quia ipse ante principium pater fuit, & æternus ante inceptionem fulgentium operum, quæ omnis in præscientia æternitatis apparuerunt. Quod autem in patre manet, hoc ita non est, sicut causa in homine est, quæ aliquando dubia est, aliquando præterita, aliquando futura, aliquando noua, aliquando vetus: Sed semper stabile, quod in patre est. Pater claritas est, & illa claritas splendorem habet, & & splendor ille ignem, & vnum sunt. Quisquis hoc in fide non habet, Deum non videt, quia ab eo abscindere vult quod est, quoniam Deus diuidendus non est. Opera etiam quæ Deus condidit, integram proprietatem nominum suorum non habent, quando homo illa diuidit. Claritas est paternitas, ex qua omnia nascuntur, & quæ omnia circundat, quia de vi ipsius sunt. Nam & eadem Gen. 2. vis hominem fecit, & in ipsum spiraculum vitæ misit. Sed G & homo in eadem vi efficacem effectum in se habet. Quomodo? Caro de carne, & bonum de eo quod bonum est, in bona fama emittitur, & id bono exemplo in alio homine augetur. Ista & carnaliter & spiritaliter in homine sunt, quia aliud de alio procedit. Homo vtilia opera sua valde diligit, quia de scientia sua in actu sunt. Sic & Deus vult, vt & sua vis per omnia genera sua se ostendat, quia opus eius sunt. Et splendor oculos dat, & splendor Gen. 1. ille filius est, qui oculos dedit, cum dixit, Fiat. Tunc omnia in viuenti oculo corporaliter apparuerunt. Et ignis hæc duo vocabula penetrat, qui Deus est, quia possibile non esset, vt claritas splendore careret. Et si iste ignis deesset, claritas non clarescerer, nec splendor fulgeret. In igne enim flamma & lumen latent: alioquin ignis non esset. In filio æqualitas. Quomodo? Omnes creaturæ ante æuum in patre fuerunt, ipso eas in semetipso ordinante, quas postea filius perfecit in opere. Quomodo? Scilicet, sicut homo qui in semetipso scientiā magni operis habet, quod postea in verbo suo profert, ita vt illud H in bono rumore procedat. Pater ordinat, filius autē operatur. Nam pater omnia in semetipso, omnia ordinauit, & filius ea in opere compleuit. Et lumen est de lumine ante æuum in æternitate, quod erat in principio, & hoc est filius, qui ex patre splendet, & per quem omnes creaturæ factæ sunt. Et etiam filius tunicam induit de homine, quē de limo formauerat, quæ ante corporaliter non apparuerat. Sic Deus omnia opera sua coram se, vt lumē vidit, & quando Fiat dixit, vnumquodque secundum genus suum tunicam induit. Tunc Deus ad opus suum se inclinauit: & sic in patre ista æqualitas etiam ad hominē in filio Dei manet, quoniam ipse humanitatem induit, sicut & opera Dei corpora sua induerunt. Deus enim omnia opera sua præsciuit, quę patrauit, vnde in humilitate humanitati ad hominem se inclinauit, quia Diuinitas tam perfecta est, quod nihilo in homine non parceret, quod contra bonum pugnat, nisi humanitatem induisset, quoniam omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est Ioan. 1. nihil. Omnes enim res visibiles & palpabiles atque

A gustabilas, per ipsum factæ sunt, & has omnes in ali-
qua necessitate hominis prævidit, quasdã scilicet ad am-
plexionem charitatis, quasdam ad timorem, quasdam
ad disciplinam, quasdam ad cautelam cuiusque causæ. Et
sine ipso factum est nihil: hoc nihil, superbia est. Illa enim,
opinio est, quæ in se respicit, & quæ in nullum confidit.
Nam ipsa vult, quod Deus non vult: & semper hoc com-
putat, quod ipsa constituit: & tenebrosa est, quia lumen
veritatis despexit, & incepit quod perficere non potuit:
vnde nihil est, quia à Deo nec facta, nec creata est. Ipsa in
primo angelo incepit, cum ille fulgorem suum inspexit,
& opinionem iniit, & non vidit de quo eundem fulgo-
sa. 14. rem haberet: sed in se ipso dixit, Dominus esse volo, &
alium nolo. Sic gloria eius ab ipso euanuit, & eam per-
didit, & princeps gehennę factus est. Tunc Deus alio filio
suo gloriã illius dedit, qui in tã robusta vi factus est, quod
omnes creaturæ ipsi assunt: & qui etiam in tam forti vi
constitutus est, vt gloriam illam per omnia non perderet.
B In illa enim maledictione qua Diabolus Deum noluit,
stultitia in homine, Deo in honore similis esse deside-
rauit, scilicet vt Deus est. Sed tamen illum amorem, quod
Deum esse sciuit, non amisit. Vnde materia Diaboli om-
nino tenebrosa est, quia claritatẽ Dei esse noluit. Adã cla-
ritatẽ Dei esse voluit, sed in societate eius esse desiderauit,
vnde perfectus in materia sua est, quoniam aliquid luci-
di, sed tamen plenus multis miseriis, est. In Spiritu san-
cto, æternitatis æqualitatisque connexio. Spiritus san-
ctus igneus est, & non extinguibilis ignis, qui interdum
per flagrantiam apparet, & interdum extinguitur. Ipse
enim Spiritus sanctus æternitatem & æqualitatem per-
fundit & connectit, ita vt vnum sint, sicut homo manipu-
lum constringit: quia si manipulus non constringeretur,
manipulus non esset, sed dispergeretur: & sicut faber duas
vires æris cum igne in vnum coniungit. Vnde est sicut
versatilis ensis, qui vndique vibratur. Spiritus sanctus
æternitatem ostendit, æqualitatem accendit, ita quod vnũ
sunt. Spiritus sanctus ignis & vita in æternitate & æqua-
C litate ista est, quia Deus viuit. Sol enim candidus est, & lu-
men eius flagrat, atque ignis in eo ardet, qui totum mun-
dum illuminat, & vna tota apparet. Sed quælibet causa, in
qua nulla vis est, mortua est, sicut abscissum lignum ab
arbore aridum est, quia viriditatem non habet. Spiritus
sanctus enim est solidamentum & viuificatio. Nam æter-
nitas non esset æternitas sine Spiritu sancto. Æqualitas
quoque non esset æqualitas sine Spiritu sancto. Et Spi-
ritus sanctus in ambobus est & vnum in Diuinitate vnus
Deus est. Rationalitas etiam tres vires habet, scilicet
sonum, verbum, sufflatum. In patre filius est, vt verbum in
sono, Spiritus sanctus in vtroque, vt sufflatus in sono &
verbo. Et hæ tres personæ, vt præfatum est, vnus Deus
sunt. In patre æternitas, quia nullus ante illum, & æter-
nitas non incepit, sicut opera Dei principium habent. In
filio autem æqualitas, cum filius de patre nunquam abs-
cessit, nec pater filio caruit. Sed in Spiritu sancto conne-
xio, quia filius in patre semper mansit, & pater cum filio:
quoniam Spiritus sanctus in eis ignea vita est, & vnum
D sunt. Et scriptum est, Spiritus Domini repleuit orbem
p. 1. terrarum. Hoc est, omnes creaturæ quæ videntur & non
videntur, spiritali vita non carent, & quas homo non
cognoscit. Nam de viriditate flores, de floribus fructus
pomorum sunt. Nubes etiam cursum habent. Luna quo-
que & stellæ cum igne flagrant. Ligna per viriditatem
flores educunt, aqua tenuitatem & ventum mandando
& riuulos educendo habet. Tertia etiam humiditatem
cum sudore habet: Nam omnes creaturæ habent quod
videtur, & quod non videtur. Quod videtur, debile est:
& quod non videtur, forte & vitale est. Hoc intellectus
hominis quærit, vt cognoscat, quoniam illud non videt.
Hæ sunt vires operum Spiritus sancti. Et hoc quod con-
p. 1. tinet omnia. Quid hoc est? Homo continet omnia. Quo-
modo? Dominando, vtendo, iubendo. Hoc Deus illi se-
cundum se donauit. Scientiam habet vocis. Hoc est ra-
tionalitas quæ cum voce sonat. Vox est corpus, rationa-
litas anima, calor aëris ignis, & vnum sunt. Ideo quando
rationalitas dictando creando per vocem auditur, omnia
opera ipsius perficiuntur, & per hoc adest ei creare: quia E
vt iubet, sic erit. Ideo omnia opera Dei inania non sunt.
Nam si quispiam vas plenum pecunia haberet, magnum
gaudium inde teneret. Sed si in vase nihil esset, pro mini-
mo illud haberet. In prauis operibus inanitas est, & fu-
giunt ignem Spiritus sancti. Tunc adest eis delectatio pec-
candi, de suggestione Diaboli. Cum autem homo praua
opera sua pro nihilo computat & cognoscit, & tamen ab
eis reuersionem facit, similis est peregrino filio, qui post
famem suam, panis patris sui recordatus est, & dixit: Pa- Luc 15.
ter, peccaui in cœlum & coram te: in cœlum, quia in ra-
tionalitate cœlestis sum: & coram te, quia te Deum scio.
Tunc diabolum repudiat, & denuo Dominum suum eli-
git. Inde omnia vitia Diaboli confunduntur, & omnes
cœlestes harmoniæ mirantur: quia quod in inutilitate
lutum prius computabant, in principali vtilitate colum-
nam nubis postea vident: quia quæ vilia viderunt postea,
pulchriora eligunt, quoniam omnia vitia Diaboli pro
nihilo computant, (in ipsis enim prauis operibus vtili- F
tas non est) sed vtilitatem in bonis operibus faciunt. Hæc
sunt opera Spiritus sancti. Nunc ô pastor & pater popu-
lorum, Deus tibi det, vt ad lumen peruenias, vbi scien-
tiam veræ beatitudinis accipias.

Episcopus Spirensis, Hildegardi.

Gonterus D. g. Spirensis Ecclesiæ minister & Epi-
scopus, Hildegardi Magistræ de monte S. Roberti
in Pingis, Sal. æter. in Christo. Quod bonus odor es tam
remotis, quam vicinis, & de Spiritu sancto solamen om-
nibus te quærentibus, Diuinæ pietati gratias referimus.
Vnde & certum habere dicitur dilectio tua, quod hono-
rem & vtilitatem Ecclesiæ tuæ libenti animo videmus,
& modis omnibus quibus voluntatem vestram in pro-
uectum eiusdem Ecclesiæ tuæ effectui mancipare poteri-
mus, libenter faciemus. Rogamus autem intime sancti-
tatem tuam, quatenus pro dilectione nostra Deum pro
nobis interpelles, & orationibus tuis eum nobis placabi- G
lem facias, & scias omni ambiguitate remota, quod si
Deus vitam nobis concesserit, non carebis honesta re-
muneratione. Nam iustum est vt orationum tuarum suf-
fragia nobis impendas, sicut & nos de necessitate tua sol-
licitamur. Rescripta quoque tua ad nos desideramus.

Responsio Hildegard.

Lux summæ inspirationis, ô homo, tibi dicit: Admo-
nitionem Spiritus sancti, qui in te ascendit, ne abscin-
das à te per malam consuetudinem operum tuorum, quia
Deus requirit in te, quod olim attendit perditam ouem
reducere, quando crimina hominum abstersit. Et anti-
quus illusor confusus est, cum eum fortiss. bellator su-
perauit. Deus per fenestras adspicit ad te, quia pius &
misericors est. Hoc nullus homo derideat per vllam opi-
nionem voluntatis suæ. Audi, hanc causam admonitionis
noli abscindere à te, ne Deus te percutiat per flagella sua.
Quoniam vult in zelo suo hanc inimicabilem causam H
prosternere, quod sodales ipsius per socios suos ipsum
in ostensione sua derident. Vnde arcum admonitionis
suæ vibrat demonstrans quia nullus ei resistere possit.
Vnde tu homo, qui multa nigredine inuolutus es, surge
citius ad ruinam, & ædifica in cœlestibus vt nigri & sor-
didi erubescant in tua exultatione, cum surgis à nigredi-
ne tua, quia anima tua vix viuit propter opera tua. Tu
autem adspicis quasi per figuram ad aliam vitam, quæ
intentio fulget in te sicut aurora lucis. Mens tua cribrat
& excutit se in magnis tormentis, vbi pinguis natura te
affligit in tortuosis desideriis. Hunc humorem euade.
Audi homo: Vir quidam terram habuit, quæ magnam
vim in se ostendit, quando aratrum ipsam euertit, ita
quod multo germine protulit quemque fructum, qui in
ipsa seminabatur. Tunc placuit viro huic, vt in terra illa
ortum aromatum faceret, & in eo crescerent aromata in
suauiss. odore ad medicinam vulnerum & cicatricum. Et
terra illa melior effecta est, quam prius fuisset. Nunc tu ô

A homo elige, qoid in his duabus partibus tibi vtilius sit. Fundamentum enim cælestis Ierusalem positum est primum de istis lapidibus, qui in magnis casibus vulnerati erant, & in cicatricibus vitiorum polluti, qui postmodum crimina sua opprimunt in pœnitentia. Faber mundi, fundamentum istud primum de rugosis, & impolitis lapidibus posuit, & lapides isti totam ciuitatem Dei sustentant. Ideo fuge lasciuiam huius mundi in naufragio immunditiæ, & esto similis sardio & similis topazio, & velox sicut ceruus haurire in lingua purissimum fontem, & viues in æternum.

Episcopus Vuormatiensis, Hildegardi.

CONradus Dei gratia Vuormatiensis Ecclesiæ (indignus licet) Episcopus Hildegardi dilectæ Sorori de monte S. Roberti, cum heu parua orationum exhibitione, suauem in omni obsequio deuotionem. Deo
B gratias agimus, qui te lucernam clarissimam aureo candelabro imposuit, & lucis suæ claritatem longe lateque per te in domo sua clarescere fecit. Quapropter Soror & filia dilectissima, ex radiis qui te solem iustitiæ indubitanter illuminare credimus, nubila mentis nostræ, quæ nos opprimunt, ex incongruenti tribulationum turbine & diuersarum cogitationum inundatione, depelli obniae exoramus. Plurima quidem sanctitati tuæ, necesse haberemus insinuare, si prolixitas verborum tibi ea explicare non obstitisset, viua autem voce per præsentem latorem tibi præsentialiter loquimur, & responsum admonitionis tuæ toto corde efflagitamus.

Respon. Hildegard.

TV persona es sedens super cathedram Christi, & virgam ferream in manu tua habes ad regendum oues tuas. Adspice ad solem iustitiæ, & ad plurimas
C stellas, quæ sunt genera virtutum, vt non deficias in cibo vitæ: quia bonus pastor est, qui semper in bonis operibus floret, & qui in recta viriditate oues suas pascit. Hoc tibi det, qui in prima die sonuit, & in cuius verbo omnis creatura processit, & qui in nouiss. die tuba canet, ita quod omnes filios hominum suscitabit. Nam quidam homines iuste viuentes tabernaculum Dei sunt, quia Deus in eis habitat. Homo enim ædificium Dei est, in quo ipse mansionem habet, quoniam igneam animam in illum misit, quæ cum rationalitate in dilatatione volat, quemadmodum murus latitudinem domus comprehendit. Sed & qui per præcepta Dei in operibus suis iustificatus est, in quibus legem Dei non neglexit, cælestem Ierusalem ædificat. Qui vero secundum carnem operatur, & non secundum Spiritum, de sancta ædificatione cadet. Qui vero proprietatem voluntatis suæ de se abscidit, cæleste ædificium, cum margaritis & preciosis lapidibus & optimo auro ornat. Tu igitur te talem fac vt lapis preciosus fias, & in summa Hierusalem orneris.

Gen. 1. 1. Cor. 15.

Gen. 1. & 2. Ioan. 14.

D

Episcopus Constantiensis Hildegardi.

COnstantiensis Ecclesiæ D. g. Episcopus, quamuis inutilis, & indignus Hildegardi sponsæ Christi de cœnobio S. Roberti in Pingis, intimæ charitatis augmentum, & vtriusque vitæ feliciss. cursum. Fama sapientiæ tuæ longe lateque diffusa à nonnullis veridicis mihi relata, ad id desiderium me prouocauit, vt de remotis partibus solatium atque subleuamen tuum quærerem, & me precibus tuis commendarem. Durum namque est, vt qui vitæ suæ moderamina nescit tenere, iudex fiat vitæ alienæ. Quapropter dilectionem tuam sincera deuotione deposco, quatenus apud Dominum orationibus tuis mihi succurras, & rescripto tuo me munias: Quia tam propria voluntas mea, quam cura terrena, fere omnibus modis à seruitio Dei me abstrahit.

E

Respon. Hildegar.

IVstissima lux dicit: O homo, mentem tuam argue quæ perforat consilium antiquorum prælatorum, quos non tetigit ventosa mens vanitatum. Qualis est æstimatio tua, qui non erubescis ambulare in tenebris per gustum operis tui? Nam reuelatio illius cui nihil occultum est, ostendit per viuentem oculum, quod arcus zelus Dei, temeritati hominum minatur. Cur non vides, (Luc. 15) vbi sit mammona iniquitatis, in quo te excuses? Multi operarij veniunt in causis suis, & quærunt arctam viam & angustam, tu vero labia tua moues per magniloquos sufflatus morum cordis tui, & ad indignationem illos reducis. Vnde dirige te à tenebris in vias rectas, & illumina sensum cordis tui, ne tibi dicat pater omnium, Quid per stultitiam ascendis columnam quam, non fecisti? Nam dies obscuratur illi, qui non operatur in viis
F recti itineris: quod tu precaue, sorge ergo citius, & ambula recta itinera, antequam sol tibi occidat, & antequam dies tui deficiant.

Episcopus Virdunensis, Hildegardi.

ADelbertus Dei gratia Virdunēsis Ecclesiæ minister & Episcopus, quamuis indignus, Hildegardi matri suæ clarissimæ de monte S. Roberti, visionibus Dei delectari præsentibus & æternis. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo, (Ezech) quæ te sibi à teneris annis mancipauit famulam. Ego autem, tanquam si cæcus iter videnti monstrare vellet? charitati tuæ suggero, vt gratiam istam cum humilitate cognoscas, attendendo prophetiam illius antiquam Balaam, qui licet nouiss. sua in contrarium direxerit, memorabile tamen est in visione: sua cum dixit: Qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius: humi- (Num. 24) litatem profecto in visione significans: Doctor quoque (Num. 2.) gentium dixit, Ne magnitudo reuelationum extollat me
G &c. Hæc itaque magis fiducia mei affectus ad vos dicta sunt, quam præsumptione doctrinæ. Porro noueritis, (2. Cor. 12.) quod ad vos in præsenti venire non possum, licet prope vos sim, tamen in aduersitatibus meis vos fidam patronam in orationibus vestris expeto, & suffragiis sororum vestri collegij ancillarum Dei adiuuari postulo. Diu est, quod scriptum vestrum habere non merui, quod nunc saltem merear, oro.

Responsio Hildegar.

LVx viuens, quæ miracula ostendit, dicit: Qui pater es in persona tua, & pastor in propositione animarum extende brachium tuum, ne inimicus homo superseminet zizania in agro tuo Prouide ergo hortum illum, (Matth. 13.) quem diuinum donum plantauit: & caue ne aromata illius sint arida, sed ab eis putredinem abscinde, & eam foras mitte, quæ vtilitatem illorum suffocat. Et sic fac ea virescere. Namque sol radios suos abscondit, mun-
H dus etiam gaudium suum subtrahit. Et dico: Non obscura hortum tuum in tædio silentij, sed in vero lumine cum discretione corripe ea quæ corripienda sunt. Illumina quoque templum tuum per beneuolentiam, atque in thuribulo tuo ignem accende, myrrham imponens, ita vt fumus eius ascendat ad palatium viuentis Dei: & in æternum viues.

Episcopus Leodiensis Hildegardi.

RVdolphus Dei gratia Leodiensium Episcopus, Hildegardi famulæ Christi de S. Robert. in Pingis, Regi Regum incessanter seruire, & brauium æternæ beatitudinis apprehendere.

In maxima mentis & corporis fluctuatione constitutus, tibi scribere disposui, quia clementia Dei nimis indigeo, quam innumeris malis me offendisse & irritasse non abnego. Quia igitur dilectiss. soror, veraciter Deum tecum esse noui admoneo & rogo per misericordiam

A ipsius sanctitatem tuam, vt omnino mihi fluctuanti & ad te confugium facienti, manum porrigas. Cura namque tibi sit pro negligentia à me remouenda; deuotis precibus inuigilare: & quidquid ex indeficienti & viuenti lumine tibi ostensum fuerit ad excitandam somnolentiam meam mihi rescribas. Concedat clementiss. Deus, vt scriptis tuis certiss. per te consolationem percipiam, & vt intercessionis tuæ obtentu vel vltimam æternæ quietis sortiar mansionem.

Responsum Hildegardis.

O Viuens lux dicit, Viæ scripturarum directæ sunt ad excelsum montem, vbi flores preciosissima aromata crescunt, & vbi suauissimus ventus volat, validum odorem eis faciens, & vbi rosæ & lilia splendidas facies ostendunt. Idem mons dudum non apparuerat propter vmbras cæci viuentis aëris, quia etiam Filius Altissimi
B mundum nondum illustrauerat. Tunc Sol venit de aurora, mundum hunc illuminans, & omnes populi viderunt aromata illius. Et dies valde ornatus est, & dulcis rumor ortus est. O pastores, nunc plangendum & lugendum est, quod in nostro tempore mons istis nigerrimis nebulis tectus est, ita vt bonus odor ex eo non redoleat. Tu autem esto pastor bonus & nobilis in moribus. Et sicut aquila in Solem videt, sic recordare & respice, vbi possis pigros & peregrinos ad patriam reuocare, & aliquod lumen huic mundo conferre, quatenus anima tua viuat, & vt amantissimam vocem illam audias
Matth. 25. de summo Iudice: Euge serue bone & fidelis, & vt anima tua in hac parte fulminet, sicut miles in prælio fulget, cum socij eius ipsi congaudent, quia victor extitit. Vnde tu ô præcessor populi, pugna in bona victoria, & sic errantes corrige, & pulchras margaritas de putredine ablue, præparans illas summo Regi: & sic mens tua in bono studio anhelet has margaritas ad montem istum reuocare, sicut eas donum Dei instituit. Deus te
C protegat, & animam tuam de æterna pœna liberet.

Episcopus Traiectensium, Hildegardi.

GOdefridus Diuina fauente gratia, Traiectensium Episcopus, vnicæ suæ speciali suæ, singulari suæ Hildegardi, Magistræ sororum de S. Roberto, salutem
Ps. 43. ab eo, qui mandat salutem in Iacob. Soror charissima, ex quo primò te cœpi in Christi charitate diligere, nun-
Ps. 18. quam memoria tua super mel & fauum dulcis, in animo meo potuit excidere, Cogit enim me in tuam dilectionem virtus Dei, quæ habitat in te, quæ operatur per te, quæ familiarem præ cæteris illi sponso reddit te, qui
Psal 16. Rom 5. æternaliter saluat omnes sperantes in se. Et quoniam charitas diffusa est in corde tuo, rogo te in charitate, qua in omnes abundas, vt omni diligentia, omni conamine studeas Deum pro me exorare, quatenus in hoc seculo oneribus peccatorum meorum merear alleuiari. Dominus te illuc perducat, vbi est felix æterni-
D tas, & æterna fælicitas, iocunda tranquillitas, sine fine iocunditas. Vt sitiens fontem, sic tua scripta desidero.

Responsum Hildegardis.

O Tu persona à Deo sumpta & vocata es, quatenus secundum ipsum opereris, eum imitando, quoniam Deus omnia ædificat, regit & vngit. Omnipotens enim Deus per verbum suum mundum creauit, quem etiam regit, & omnia in aqua sanctificat, peccata hominum ab-
Gen. 1. Ps. 33. luendo. Deus namque omnes creaturas creauit, & eas gubernauit, & hominem cum illis perfudit, quemadmodum faber vasa sua per ignem elegantia facit. Sed deinde præclarus dies in obscuram noctem per inobedientiam in casu Adæ se declinauit, & ob hoc homines in peccatis
Gen. 7. & in obliuione, quasi Deus non esset, vixerunt. Tunc Deus omnem terram per aquas diluuij de criminalibus peccatis hominum inundauit, & sic sancti & Lex & Pro-
E phetæ surrexerunt. Nouissime autem Filius Dei venit, quem non decebat, vt in vacuo tempore adesset, in quo nullam iustitiam inueniret, sicut etiam homo creatus non est, antequam omnis creatura eum ostendebat. Sed & Filius Dei venit, vt rotum mundum per obedientiam, per chrisma baptismatis, & per pœnitentiam redimeret. Nunc tu ô Pastor prouide, ne puerili tempore, quod Dominum nescit, sis: sed esto in tempore iustorum & sanctorum, & in ostensione Prophetarum, in operibus tuis iustitiam apprehendens, sicut & Deus omnia præuidit, antequam illa operaretur, & secundum ipsum populum tuum rege. Tu etiam populo adiutorium in vice Christi præbe, ne sis sicut tuba quæ sonat, & non operetur. Sed esto bonus odor virtutum, vt in æternum viuas. Et dic, Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Nam Ps. 144.
quando intelligis, quia in Episcopali cathedra es, in omnibus viis tuis Deum lauda, in bonis operibus eum exalta, & præcepta eius sine tædio iterando rumina, per fi- F
dem eum osculare, & in bonis operibus eum amplectere: in bona conuersatione Deum tuum ipsum ostende, & in iudiciis suis eum vt iustum Regem magnifica, ita vt populum tuum recte regas, & cum misericordia vngas, & noxiale crimen post te non trahas, scilicet vt munus pro iustitia accipias: & sic inuoca nomen ipsius, vt in omnibus his timorem ad ipsum habeas, quoniam Rex est, & hoc omnibus diebus vitæ tuæ facias, quousque in hoc seculo viuis, quatenus postea in infinito seculo in æternum viuas.

Episcopus Pragensium Hildegardi.

H. Dei gratia Pragensium minister inutilis & Episcopus, licet indignus, Hildegardi sponsæ Christi, & Magistræ de S. Roberto in Pingis, qualecunque munusculum orationum suarum cum omni deuotione. Dominum Deum nostrum magnificando glorificamus, cuius spiritu illuminata, plurimorum tribulationibus, consolando & subleuando, subuenis, & fructum boni operis, G
eodem spiritu cooperante, in multorum mentibus multiplicas, sicut etiam per plurima terrarum spacia de te referri audiuimus. Vnde sanctitas tua nouerit, quia magnum desiderium inest nobis te videre, atque colloquio tuo perfrui in Christo, sed magna difficultas locorum hoc fieri impedit. Et quoniam caritatem tuam plurimorum necessitatibus subuenisse percepimus, hac fiducia animati, dilectionem tuam imploramus, quatenus nobis in tribulationibus mundanis quassatis, orationibus tuis subuenias, & bona consilia porrigas: Quia ex quo nomen tuum & gratiam tibi à Deo collatam audiuimus, memoriam tuam in cordibus nostris semper habuimus, & vt eadem gratia quæ de vero lumine est, apud te semper maneat, exoptamus.

Responsum Hildegardis.

VOx vitæ & salutis dicit: Quid est hoc, quod homo manducat, & non vult scire quæ sit uva, quæ de terra alio modo sudauit post peremptionem populi, cum Deus terram extersit & excribrauit in alium modum, quam primus homo illam desideret. Hoc est quod homo leuis est per vicissitudinem motum suorum, & per tempora lucis & tenebrarum. Nam homo interdum se aliquantulum in prosperitate erigit, interdum in pericula cadit. In his vtrisque homo non inspicit amplexus filiæ regis, scilicet iustitiæ & veritatis: sed amputat coronam de capite illius, cum pastor fugit, non defendens Ecclesiam Christi, quia arma sua in fortitudine non tenet, sed in motibus suis sicut lascivus puer, qui nullam sollicitudinem habet, ludit. Homo qui istud facit, desiderat sic manducare & viuere per voluntatem suam, sicut natura hominis postulat cibum, & non videt acutis oculis suis, vbi discretio sit, quæ de sapientia sudauit, quæ in hac uva intelligitur. Cum enim Adam in ortu mundi obedientiam derisit, tempora temporum perie-

A runt vsque ad effusionem aquarum. Vbi Deus tertam
Gen. 9. de horribili iniquitate tersit, & aliam vim dedit. Vbi Noe
nobilissimũ germen obedientiæ in vineis protulit, quod
Adam fugit, per simplicitatem motum suorum, sicut la-
scinus puer, sed in Noe terra vim uvæ protulit, vbi etiã
post eum sapientia surrexit in saluatione. Nunc ô tu ho-
mo, qui circuis in moribus tuis per plateas vicissitudi-
num tuatum, & non ardenter intueris, aspiciens in me-
dicinam tuam & alterius, surge, respiciens in Solem, in
recta moderatione, & lumen non fuge, illud abjiciens
per austeritatem iniquitatis, quatenus non erubescas,
quando summus Rex inquirit opera tua in sacculo tuo,
& in æternum viues.

Episcopus Hierosolymitanorum Hildegardi.

I. Dei gratia & ordinatione Hierosolymitanorum ser-
uos & Episcopus, Hildegardi dilectæ filiæ & Magi-
B stræ de monte S Roberti in Pingis, scilicet in Moguntino
Episcopatu humillimam orationem & salutem in Chri-
sto. A multis per longa terrarum spacia partes nostras
adeuntibus, & genua sua ad sepulchrum Domini flecten-
tibus, multoties percepimus, quod diuina virtus in te
& per te operetur, vnde ipsi gratias indefessas, provt
possimus, humiliter offerimus. Ad te igitur filiam dile-
ctissimam sermo nobis iamdiu fuit, sed quia internũcius
hactenus abfuit, desiderium nostrum penitus frustra pro-
cessit. Nunc verò quoniam quidem post longa tempo-
rum curricula opportunitas se obtulit, per præsentia scri-
pta. Te cunctasque Sorores tuas, tibi (vt audio) in Chri-
sto subiectas, alloqui congruum duximus. Inde est, quod
si qua dulcia verba præ nimiis angustiis, quibus assiduè
premimur, nobis adessent, quoniam ex altero, gladio
paganorum, ex altero latere insidiis malignorum spiri-
tuum impugnamur, te vt Christi Sponsam, vt Christi ar-
canis semper intentam, extollere dignum existimare-
mus. Sed non opus est laudibus humanis extolli, quam
C diuina gratia laudibus concessit angelicis admisceri: &
illas felices dicimus, quæ de die in diem dulcissimis allo-
quiis tuis interesse ac satiari merentur. Felices etenim il-
las haud incongruè dixerimus, quæ speculo diuinæ can-
didationis innixæ, brauium cursus sui meritorum suo-
rum a Domino quotidie percipere affectant. Felices in-
quam ac nimium felices, quibus ob remunerationem
cœlestium, terrena cuncta vilescunt, & à quibus despi-
citur, calcatur, vilipenditur, quicquid in hac vita cæteris
mortalibus dulce, delectabile atque præstabile videtur.
Ecce verè filiæ Hierusalem, in quibus non est inuenta
macula, in quibus mundus nihil quod diligat, habet: quæ
Apoc. 14. etiam sequuntur agnum, quocunque ierit. Nunc au-
tem ô filia, ad te referentes consolationem tuam cœli-
tus tibi ostensam, humiliter requirimus, ac nos oratio-
nibus tuis cunctarumque sororum tuarum commenda-
mus quatenus nobis in procellis mundanarum curarum
fluctuantibus, piè apud illum interueniatis, cuius tha-
lamum post huius vitæ terminum intrare desideratis.
D Faciat Dominus, O dilecta, vt videas bona Ierusalem
omnibus diebus vitæ tuæ.

Respons. Hildegard.

Viuens lux hæc in miraculis suis dicit: Prima radix
in die apparuit, & in omnibus ramis floruit, atque
duas vias constituit. Altera via plena ædificiorum erat, in
quibus aquilæ & alia volatilia habitabant. Altera autem
magnæ optionis plena fuit, in qua gigantes cõcurrerunt,
qui contra aquilas istas & cætera volatilia pugnabant,
sed eis præualere non poterant. Tunc Sol processit, & in
extremo brachio suo aureos clypeos habuit, & contra
Gen. 3 gigantes illos pugnauit. Nam casus primi Angeli à vita
ceciderat, & postea casus Adæ luce Paradisi carebat, &
idem Adam in suggestione Diaboli cum omnibus filiis
suis ambulauit. Sed Sol in topazio & sapphiro emicuit,
quod est in misericordia & charitate quæ verbum Dei
incarnatum protulit. Sol autem æqualiter fulsit, sicut in
initio processerat, & ita permansit, vt omnino nulla vm- I
bra vicissitudinis super illum ceciderit, veluti in primo
Angelo, in Adam & in suggestione Diaboli factum fue- Ps. 1c
rat. Et ideo dictum est, Tu es sacerdos in æternum se-
cundum ordinem Melchisedech. Nam in topazio mise-
ricordia, & in sapphiro charitas intelligenda est, quas vir-
tutes Sacerdos ille velut testimonium sacerdotale pro-
pter hominem induit. Nunc tu ô pater quies in vice Sa-
cerdotis huius, anima tua fluat sicut aqua quæ de petra
in virga Moysis effluxit, ita quod verba tua incredulis
cordibus potum salutationis dent, atque dies, quæ in ani-
ma tua lucet, crescat in multitudine virtutum. Video
autem te in anima tuá sollicitũ in via, quæ ad Deum ten-
dit. Sed cum mens tua in turbinem ierit propter vicissi-
tudinem laborum tuorum & aliorum, columba te per-
fundet, & simplicem turtim ante conspectum Dei te fa-
ciet. Pugnam vero quam intus & exterius in vtroque
scilicet homine pateris, Deus in temporibus tuis circa
te hoc modo alleuiabit, vt eam sustinere possis, vnde F
fiduciam tuam in ipsum pone, nec de misericordia
eius despera. Et hoc faciens in gratia Dei, ad vitam
viues.

Episcopus de Beuez Hildegardi.

Henricus Dei gratia de Beuez solo nomine vocatus
Episcopus, Hildegardi dilectæ Magistræ sororum
in monte S. Roberti de Pingis, si quid in Spiritu contri-
to & humilitate valet peccatorum oratio. Benedictus Eph.
Deus, qui benedixit te in omni benedictione spirituali,
ita, quod in odore vnguenti, quo vnxit te Deus vnctione
misericordiæ suæ, trahatur etiam per te in longinquis
partibus mundi multorum deuotio. Nam manifesta Dei
circa te dignatio mihi peccatori, ac turbinibus seculi gra-
uato, magna est consolatio, quamvis à te corpore sed
non mente plurimum remoto. Confidimus enim sine
dubio meritis & precibus tuis Christi misericordiam
patere cunctis, auxilium orationum tuarum fideliter C
quærentibus. Nos igitur propriæ conscientiæ diffiden-
tia nullam in actibus nostris adipiscendæ salutis ha-
bentes confidentiam per charitatem Spiritus sancti te
obsecramus in remotis regionibus, vt orationibus tuis
indulgentiam peccatis nostris implores à Domino Præ-
terea quantulamcunque consolationem seu admonitio-
nem saluti nostræ necessariam, nobis rescribere non pi-
geat tuam dilectionem. Ipse autem qui omnia potest,
& quem nulla latet cogitatio, secundum beneplacitum
suum precibus satisfacere dignetur cordis nostri desi-
derio.

Respon. Hildegard.

Viuens lux, ostendit mihi hæc, & dixit: Dic ad ho-
minem illum: vidi quasi pulchram formam virtutis
quæ fuit pura scientia. Facies eius valde clara erat, oculi
eius velut hyacinthus, & indumenta ipsius quasi pallium
sericum Habebat quoque super humeros suos Episco- F
pale pallium simile sardio. Et hæc aduocauit pulcherri-
mam amicam regis, videlicet charitatem, dicens: Veni
mecum. Et venientes, pulsabant ambæ ad ianuam cor-
dis tui, dicentes: Tecum habitare volumus. Caue ergo,
ne resistas nobis: sed esto fortis ad resistendum vitiis &
secularibus causis & vicissitudinibus illorum ventorum,
qui in turbinibus sicut malus fumus ascendunt, & vt
aquæ quæ in tempestate volant. Hæc sunt inquietudi- Esa. 5
nes mentium hominum in iracundia & in aliis simili-
bus. Silentium non habe in tædio, sed vox tua sit sicut
tuba resonans in ceremoniis Ecclesiæ, & oculi tui sint
puri in scientia, ita quod non sis piger tergere te ab in-
digno puluere oneris tui. Nam plenus es guttis no- Cant.
ctium. Et persuasio superbiæ sic locuta est tibi: Ne
abluas te. Sed nos hoc nolumus: volumus autem, vt
quæque tenebrosa de te abstergas, & non sis timidus
de multis terroribus inimicorum tuorum, qui nec rectè
nec benè loquuntur de te. O miles, da nobis habitacu-

lum

A. lum in corde tuo, & perducemus te ad palatium Regis nobiscum.

Episcopus Treuirorum Hildegardi.

ARnoldus Dei gratia Treuirorum Ecclesiæ humilis electus, dilectæ in Christo cognatæ suæ Hildegardi de S. Robert. salutem & dilectionē ab eo, qui est salus & dilectio. Amicitia cognationis cœlestis est, quia seruum ei non obest, sed confert: & vera est, stare nescit, sed in aliquo crescit & proficit quotidie. Cum autem ab ineunte ætate vlnis veri amoris nos amplexi sumus, miramur, cur vos adulatorem plus vero amico diligatis, cum dicat Propheta: Oleum autem peccatricis non impinguet caput meum.
Psal. 103. Fratrem nostrum Præpositum S. Andreæ, hic adulatorem vestrum reputamus, nos autem verum amicum intelligi volumus. Quia vero prouentum nostrum, gladij vestri materiam esse scimus, ideo
B per Dei gratiam prospere nos rediisse, vestræ dilectioni significandum duximus. Sed quia nihil est beatum alicui quod ipse pro pœna reputat, coram Deo & vobis dicimus, quod dignitas, ad quam vocati sumus, contra nostram (teste Deo) voluntatem nunquam (vt fieri solet) nos allexit, nunquam permulsit: & ideo hoc, quia nostra inscitia, nostra fragilitas suam deflet insufficientiam, suam deplangit indignitatem. Sed quia nescimus, cuius vocatione sumus ad tale ministerium, hoc maxime anxietatem nobis infligit.
Phil. 1. Si ex Deo esse sciremus, crederemus quod qui cœpisset in nobis opus bonum, & perficeret,
Psal. 67. cum necessitate magis, quam virtute, ad sacerdotium promoueri proponamus. Et scimus quod Deus in loco sancto suo apud vos salutem operatus, obsessam misericorditer liberando,
Psal. 73. visitauerit plebem suam. Vnde vt modum liberationis obsessæ nobis rescribatis; & sæpius in verum lumen adspiciendo, sæpius nobis aliquid salutaris gratiæ per litteras tuas impartiamini, & vt manus vestras ad portam refugij pro nobis interpellando,
Exod. 17. exemplo Moysis leuetis, dum nos contra Amalech in valle
C mundanæ miseriæ pugnamus, attentissime rogamus. Cum autem hæc coram Abbate S. Eucharij fideli & dilecto nostro conscriberentur, ipse opitulando dulcedine sua verba nostra condiuit. Volumus ergo, vt per ipsum rescriptum vestrum nobis transmittatis.

Responsum Hildegardis.

Rom. 13. TV arbor es à Deo constitutus, quemadmodum Paulus dicit: Omnis potestas a Deo est, quia secundum summum Magistrum per inuocationem nominis sui, omnis potestas nominata est, vnde in illa, arbor viriditatem honoris nominis sui habet. Quod absque Deo est,
Esa. 14. & quod sinistra operatur, tibi non assit, ne in cadente turbo superbiæ, cum primo Angelo, scilicet Satana, qui contra Deum honorem furtim rapere voluit, cadas, quem multi secundum voluntatem suam rapiunt, non curantes, quoquo modo eis ille conferatur. Istud coram Deo
D nihil est quoniam sine ipso factum est nihil, & sic Deus
Ioan. 1. occidit quidquid ipsum non tangit. Ob hoc ergo sollicitus esto, vt per præcepta Dei, quæ sicut folia arboris multiplicata sunt, populo testimonium, quantū per gratiam ipsius potueris, perhibeas. Multæ enim tribulationes oneris tui, velut paupertas, te constringunt, quia diuitiæ & multæ pecuniæ, cœlestia non amant: ideo propriam voluntatem homini Dei abstrahit, quatenus ad cœlestem
Psal. 118. patriam suspiret. Vnde decet, vt pauper pauperem diligat, & diues diuitem agnoscat, quia sapientia pauperi anulum dat, & diuiti inaurem negat. Propter sacerdotale enim officium tuum tibi istud adest. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dilexi. Quid dicitur? Iustitia Dei se non abscondit, sed itinera sua dilatat, nec ea currere erubescit. Vulnera quoque non abscondit, malum bono præponendo, velut in iustitia vitam & gehennam esse, & in vtraque parte currendum esse dicit. In hac fallacia iustitia se non macerat, nec multiplicibus verbis iniustitiam osculatur, sed ipsam totam conculcat. Veritas quoque opera, quæ sine Deo E
operantur, non laudat sed impugnat, contradicere illa, vt probus miles se præparat. Iustitia Dei scutum tibi sit, & veritate ipsius quasi lorica induere, ita vt coram Deo bene armatus & non fugitiuus per societatem vanitatis appareas, & disce vt vbera iustitiæ sugas. Disce quoque vulnera peccatorum cum pœnitentia in misericordia curare, quemadmodum summus Medicus salutare exemplum vobis ad saluandum populum reliquit. Tu namque qui in viriditate beati viri per instructionem nominis sui positus es, qui impium Diabolum non attendit, Eccl. 31.
qui ideo impius nominatus est, quia nullum bonum amauit, vide ne in thesauris pecuniæ glorieris, quæ in fine malitiosa est, quia post tricesimum annum, velut post annum vnum deficit. Sed exulta in monte Sion, vbi adiutorium Altissimi æternale in æternitate est, & omnis Psal. 150.
spiritus laudat Dominum. Tu autem eburneus mons esto, de quo fenestralia iacula in recto iudicio iustitiæ Dei, contra aduersarios tuos volitant. Curre quoque in F
altitudinem legis & iustitiæ Dei, sicut capricornus, ne per instabilitatem inermis cadas, & filij tui de latere Ecclesiæ surgant, & postulent à te cibum iustitiæ: & ideo bonam doctrinam disce, quatenus per te saturentur. Ego autem, vt iussisti, ad verum lumen adspexi, & vix inceptionem bonorum operum adspicere potui. Tu quidem bona opera studiosius operare, vt postea per gratiam Dei plura scribam: & fidelis amicus animæ tuæ esto, ita vt in æternitate viuas. In illa autem quæ obsessa fuit, de qua quæritis, multa mirabilia vidimus, quæ modò per scripta proferre non possumus, sed cognouimus, quod diabolicus sufflatus de die in diem vsque ad recessum suum defecit, & eadem mulier à fatigatione Diaboli liberata est, & etiam infirmitate, quam ante in se non cognouit, tunc occupata est. Sed nunc vires tam corporis quam animæ plena sanitate recepit.

Episcopus Coloniensis Hildegardi.

PHilippus Dei gratia Coloniensium Archiepiscopus, G
Hildegardi Sorori dilectæ, diuino spiramine mirabiliter infusæ, illum in cœlestibus gloriosè videre, cuius amplexibus exoptat iugiter inhærere. Quamuis locorum diuersitas mutui aspectus & desiderabilem collocutionis subtrahat gratiam, quos Christi charitas coniunxit, semper tamen tenebit animorum vicinitas: Vnde est mihi desideratissimum, quod in hoc anno, dum transitus viæ, & gratia te videndi, diu desiderata, occurrit: Sed ægritudo & tenuitas tui corporis, cor meum multorum in terra nostra a Te in Christo amplectentium turbauit & perculit, semper exoptantium vitæ tuæ sospitatem, veræque salutis æternitatem. Complacuit ergo & dignum duximus, perquiri certosque reddi de statu tuo, & maxime indicare & notificare tibi, quod turbinibus & procellis secularium quotidie ita perturbamur, quod etiam aliquando mentis oculos ad cœlestia leuare conamur. Sed quia plurimorum nouit industria, te perfusam diuini charismatis munere, de quo H
gaudet concio fidelis Ecclesiæ, & nos pro modulo nostræ discretionis congratulamur: scientes hominem carnis tegmine degentem, & iuxta Apostoli vocem in Phil. 3.
cœlo conuersantem. Tali igitur dote ditata, quasi bonæ Matth.
margaritæ inuentrix, ea occulto Dei quod petimus, in- 13.
quiras, nobisque commonitoria verba, prout Deus tibi donauerit, transmittas: quoniam in sapientia & the- Eccl. 20.
sauro abscondito, iuxta veridicum, non est vtilitas. Valete.

Responsum Hildegardis.

IN mystico spiramine veræ visionis, hæc verba vidi & 1. Ioan. 4.
audiui: Ignea charitas, quæ Deus est, tibi dicit: Stella quæ sub sole lucet, quod nomen in parte sua habere potest, lucida scilicet nominatur, quoniam per Solem aliis stellis amplius irradiatur. Sed quomodo deceret, quod eadem stella lumen suum ita absconderet, quod aliis mi-

noribus stellis minus luceret? Si enim hoc faceret, gloriosum nomen suum non haberet; sed cæco nomine nominaretur: quia quamuis lucida diceretur, lumen tamen eius non videretur. Miles etiam qui ad prælium sine armatura venerit, ab inimicis certissime conculcabitur, quia corpus suum lorica non circumdederat, nec capiti suo galeam imposuerat, nec clypeo se texerat, vnde & in magna confusione caperetur. Tu autem qui lucida stella per Episcopale officium appellaris, & qui de nomine summi Sacerdotis radias, lumen tuum, quod verba iustitiæ sunt, subditis tuis non abscondas, quoniam in corde tuo sæpe dicis: Si ego mihi subiectos verbis terrerem, molestum me haberent, quia eos superare non valeo, vtinam amicitiam eorum, tacens retinere possem. Itaque sic dicere & facere tibi non expedit. Sed quid? Terribilibus verbis propter Episcopale nomen & corporis tui nobilitatem, eos vt rapiens accipiter non terreas, nec periculosis verbis, velut claua eos percutias: sed verba iustitiæ cum misericordia eiua misce, & ipsos cum timore Dei inunge, proponens eis quam periculosa animabus & felicitate eorum iniustitia sit. Certissimè, certissimè, certissimè, hoc modo audient te: Per squalidos autem & instabiles mores te illis non admisceas, nec quid cuique placeat seu displiceat, inspicias: quoniam si hoc feceris, minor cæteris coram Deo & hominibus apparebis. Nam talia personam tuam non decent. Vide etiam quod munda animalia quæ ruminant, macerarentur, si pabulo eorum, cibus porcorum per quem ipsi pinguescunt, admiscerentur. Sed & tu, si squalidis moribus & societati peccatorum te adiungeres, pollueteris, per quod nefarij gauderent, perfecti viri turbarentur, dicentes: Ah, ah, væ, væ, qualis Episcopus noster est? per recta itinera iustitiæ nobis lucet. Populum autem tuum ab inimica infidelitate corripe, & auerte ita, ne lorica fidei nudus sis, & de Scripturis sanctis viam iustitiæ illi ostende, & galeam spei capiti tuo, & scutum veræ defensionis collo tuo impone, quatenus in omnibus ærumnis & periculis Ecclesiæ defensor, quantum præuales, existas. Lumen quoque veritatis sic tene, vt probus miles in militia mea, quæ vera charitas sum appareas, & in naufrago mundo, & in duris bellis iniquitatis, strenuus & fortis sis, quatenus lucida stella in æterna felicitate fulgeas. Nunc, ô tu pater, qui in pastorali nomine es, paupertatem hominis hæc scribentis non dedigneris, quoniam ista non secundum me, nec secundum altum hominem dictaui, nec protuli: sed ea hoc modo scripsi, quemadmodum ipsa in vera visione, vigilans mente & corpore, vidi & audiui: quia, vt aliqua ad te scriberem, iussisti.

(Eph. 6.)

Conradus Imperator, Hildegardi.

(Is est huius nominis III.)

CONradus diuina fauente gratia Rex Romanorum, Hildegardi Deo dicatæ virgini, & Magistræ Sororum de sancto Roberto in Pingis, salutem & gratiam suam. Quia regali culmine impediti, ac diuersis turbinibus & procellis quassati, te inuisere pro velle nostro non possumus, literis tamen nostris te adire non omittimus. Nam vt audiuimus, reuera superabundat in te confessio summæ laudis per sanctimoniam vitæ innocentis, & per magnificentiam Spiritus desuper mirificè in te venientis. Vnde quamuis secularem vitam agamus, ad te properamus, ad te confugimus, ac orationum & exhortationum tuarum suffragia humiliter quærimus, quoniam longe aliter viuimus, quam debeamus. Pro certo autem scias, quod tibi & sororibus tuis, in omni causa & in omni necessitate vestra prodesse & adesse, vbi possumus, properabimus. Vnde & filium meum, quem superstitem desidero esse, orationibus tuis, sicut & meipsum, attentius commendo.

Conrado Imperatori, Hildegardis.

QVi vitam dat omnibus, dicit: Beati sunt, qui candelabro summi Regis digne subiacent, & quos Deus in magna prouidentia procurauit, ita vt eos de sinu suo non abscindat. In illo, ô tu Rex, permane, & squalorem de mente tua abjice: Quoniam Deus omnem, qui eum deuote, & pure quærit, conseruat. Sed & regnum tuum ita tene, & tuis vnamquamque iustitiam prouide, vt à superno regno alienus non fias. Audi, in quadam parte à Deo se auertis: & tempora, in quibus es, velut in muliebri persona, leuia sunt, & etiam in contrariam iniustitiam, quæ iustitiam in vinea Domini destruere tentat, se inclinant. Postea vero peiora tempora venient, in quibus veræ Israelitæ flagellabuntur, & in quibus Catholicus thronus in errore mouebitur: & ideo nouissima eorum, velut cadauer in morte, blasphemiæ erunt. Vnde & hic dolor in vinea Domini fumigat. Et post hæc fortiora prioribus tempora surgent, in quibus iustitia Dei aliquantulum erigetur, & in quibus iniustitia spiritalis populi ad ejiciendum notabitur. Sed tamen prouocari & exacerbari ad contritionem acriter nondum audebitur. Sed deinde alia tempora instabunt, in quibus diuitiæ Ecclesiæ dispergentur, ita quod etiam spiritalis populus velut à lupis lacerabitur, & à locis suis & de patria sua expelletur. Vnde primi eorum ad solitudinem transibunt, pauperem vitam in multa contritione cordis deinceps habentes, & sic Deo humiliter seruirent. Prima etenim hæc tempora ad iustitiam Dei sunt squalida, sequentia vero tædiosa. Quæ autem deinde superuenient, ad iustitiam se ad modicum erigent: Sed quæ postea insurgent, quasi vrsus cuncta diuident, & diuitias sibi per malum congerent. Sed quæ illa sequentur, signum virilis fortitudinis ostendent, ita vt omnes pigmentarij ad primam auroram iustitiæ cum timore, verecundia & sapientia currant, & Principes concordiam vnanimiter habeant, eam quasi vir præliator sicut vexillum contra erraria tempora maximorum errorum eleuantes, quos Deus destruet & exterminabit secundum quod ipse nouit, & vt sibi placet. Et iterum ille, qui omnia nouit: Tibi ô Rex, dicit: Hæc tu homo audiens, teipsum à voluntate tua compesce, & te corrige, quatenus ad tempora illa purificatus venias, in quibus de factis tuis amplius non erubescas.

(Prophetia.)

Fredericus Imperator, Hildegardi.

FRedericus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, Dominæ Hildegardi de * Pingia, gratiam suam & omne bonum. Notum facimus sanctitati tuæ, quoniam ea quæ prædixisti nobis, cum Ingelheim manentes, te ad præsentiam nostram venire rogauimus, iam in manibus tenemus. Sed nos tamen in omni conatu pro honore regni laborare non cessabimus. Quapropter dilectionem tuam quam inuime admonemus, vt cum sororibus tibi commissis, ad omnipotentem Deum preces pro nobis fundas, quatenus in terrenis negotiis laborantes, ita se conuertat, vt gratiam ipsius obtinere valeamus. Certum autem debes habere, quod super omni negocio tuo, ad nos per te directo, neque amicitiam, neque odium alicuius personæ attendemus, sed solius iustitiæ respectu, æquitatem iudicare proponimus.

Frederico Imperatori, Hildegardis.

(Is fuit eius nominis I. Barbarossa cognominatus.)

A Summo Iudice hæc verba diriguntur ad te: Valde admirabile est, quod hanc personam homo habet necessariam, scilicet quæ tu Rex es. Audi: Quidam Rex stabat in excelso monte, & in omnes valles respiciebat, quid quisque faceret in eis, videns. Et virgam manu tenens, quæque recte diuidebat, videlicet quod erat aridum, vt viride esset, & quod dormiebat, vt vigilaret. Sed & virga hæc istis pœnam stuporis abstulit, qui in magno studio erant. Cumque idem vir oculum suum non aperiret, venit nigra nebula, quæ valles istas texit. Sed & corui & aliæ volucres, quæque circumposita dissipabant. Nunc ô Rex, solicite prouide, quia omnes regiones sunt obumbratæ cum fallaci turba illorum, qui

A in nigredine peccatorum iustitiam delent. Raptores & errantes, viam Domini destruunt. O tu Rex, cum sceptro misericordiæ pigros & peregrinos & sæuissimos mores rege. Tu enim habes nomen gloriosum, quod Rex es in Israël. Vade gloriosum est nomen tuum. Vide ergo, quando summus Rex te considerat, ne accuseris, quod officium tuum recte non diiudicaueris, & ne tunc erubescas. Quod absit. Manifestum est, quod iustum est, vt præceptor prædecessores suos in bono imitetur, quia nigerrimi sunt mores illorum prælatorum, qui in lasciuia & in putredine currunt. Hoc fuge, ô Rex. Sed esto armatus miles, Diabolo fortiter repugnans, nec te Deus dissipet, & ne terrenum regnum pro hoc erubescat. Deus liberet te de æterna perditione, & tempora tua non sint arida, & Deus te protegat, vt viuas in æternum. Auaritiam abiice, abstinentiam elige, quod summus Rex valde amat. Nam valde necesse est, vt in causis tuis prouidus sis. Video enim te in mystica visione, in
B plurimis turbinibus & contrarietatibus viuentem ante oculos viuos. Sed tamen ad tempus regnandi habes in terrenis materiis. Caue ergo, ne summus Rex prosternat te propter cæcitatem oculorum tuorum, qui non recte vident, quomodo virgam recte regendi in manu tua habeas. Vide etiam, vt talis sis, ne gratia Dei in te deficiat.

Philippus Comes Flandriæ, Hildegardi.

* Veromandensis.

PHilippus Flandriæ & * Viromensis Comes domicillæ Hildegardi, ancillæ Christi, salutem & plurimam dilectionem. Vestra nouerit sanctitas, me paratum esse ad faciendum quicquid scirem vobis placere, quia sancta conuersatio vestra & vita honestiss. sæpissime meis insonuit auribus, omni fama suauior. Quamuis enim peccator sim & indignus, tamen Christi seruos & amicos toto corde diligo, & omnimoda veneratione libenter
Iac. 5. honoro, illius scripturæ memor: Multum valet assidua
C iusti deprecatio. Vnde est, quod ad pietatis vestræ gratiam mitto præsentium latorem, fidelissimum seruientem meum, qui pro me misero peccatore vobiscum loquatur, cum ego tamen multo libentius ad vos venissem, & vobis locutus fuissem, quod desideraui. Sed tot & tanta sunt negocia mea, quæ singulis diebus emergunt, quod ad hæc vacare non poteram. Instat etiam iam tempus, quo aggredi debeam Hierosolymitanum, ad quod, opus est mihi magno operatu, super quo consilium vestrum mihi intimare dignemini per litteras vestras. Credo enim quod ad vos sæpius peruenit fama nominis mei & actuum meorum, & multis de Dei miseratione indigeo. Vnde & vos maxima precum instantia suppliciter exoro, vt pro me miserrimo & indignissimo peccatore, ad Dominum intercedere velitis. Rogo etiam humiliter, vt in quantum vobis concesserit diuina misericordia, inquiratis à Deo quid mihi expediat, & literis vestris per latorem præsentium mihi renuncietis consilium vestrum, quid & quomodo faciam, vt nomen Chri-
D stianitatis temporibus meis exaltetur, & dira Saracenorum feritas deprimatur: & si vtile mihi erit in terra illa morari vel reuerti, iuxta id videlicet, quod de statu meo forsitan audistis, & diuina reuelatione cognouistis, aut cognitura estis. Valete in Christo Soror dilecta, & scitote, quod multum desidero audire consilium vestrum, & quod maximam in vestris orationibus habeo fiduciam.

Philippo Comiti Flandriæ, Hildegardis.

Gen. 2. & 3. O Fili Dei, quia ipse in primo homine te plasmauit: audi verba, quæ vigili mente & corpore in anima mea vidi & audiui, cum propter sollicitam inquisitionem tuam, ad verum lumen adspexi. Deus præceptum Adæ in Paradiso dedit, & post præuaricationem eiusdem præcepti eum (qui consilio serpentis consenserat) iusto iudicio de Paradiso expulit. Cum iusto quoque iudicio, homines qui eum omnino obliuioni tradiderant, ita

E quod eum nec desiderabant, nec quærebant, per diluuium dimersit, vbi illos qui eum amabant & quærebant, Gen. 6. & 7.
à diluuio per arcam saluauit. Sed mitissimus agnus, scilicet Filius Dei, in sanguine suo, quem in cruce pendens effudit, omnia crimina & peccata, quæ homo per veram pœnitentiam cognoscit, saluat. Nunc autem attende, ô fili Dei, vt puro oculo iustitiæ in Deum, velut aquila in Solem, adspicias, ita vt absque proprietate voluntatis tuæ iudicia tua iusta sint, ne à summo iudice, qui præceptum homini dedit, quem etiam in misericordia per pœnitentiam ad se vocat, tibi dicatur: quare proximum tuũ sine iustitia mea interemisti? Homines quoque qui iudicio rei sunt, illos secundum Scripturas sanctorum, (qui columnæ Ecclesiæ erant) cum lege & cum timore mortis constringe, in omnibus tamen attendens maledictionem hominis illius, qui homicidium in ira sua perpetrauit. Tu etiam pro omnibus negligentiis & peccatis ac pro omnibus iniustis iudiciis tuis cum signaculo crucis, ad
F Deum viuum confuge, qui via & veritas est, & qui etiam dicit, Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Ioan. 14. Ezech. 18.
Et si tempus venerit, quod infideles fontem fidei destruere laborant, tunc eis (quantum per adiutorium gratiæ Dei potueris) resiste. Ego enim in anima mea video, quod sollicitudo, quam de angustiis animæ tuæ habes, auroræ quæ mane oritur, similis est. Vnde Spiritus S. te in pura & vera pœnitentia ardentem Solem efficiat, vt eum quæras, & ipsi soli seruias, ita vt in summa beatitudine in æternum viuas.

Bernardus Claræuallis Abbas, Hildegardi.

DIlectæ in Christo filiæ Hildegardi, frater Bernardus Claræuallensis vocatus Abbas, si quid potest oratio peccatoris. Quod de nostra exiguitate longe aliter, quã nostra sese conscientia habeat, quidam sentire videntur, non nostris meritis, sed stultitiæ hominum imputandum est. Ad dulcedinem autem piæ charitatis tuæ scribere
G properaui, quamuis id breuius omnino quam vellem, negociorum multitudo compellat. Congratulamur gratiæ Dei, quæ in te est, & vt eam tanquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis & deuotionis affectu studeas respondere, admonemus: sciens quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Iac. 4. 1. Pet. 5.
Quod in nobis est, hortamur & obsecramus. Cæterum vbi interior eruditio est, & vnctio docens de omnibus, quid nos aut docere possumus aut monere? 1. Ioan. 2.
Diceris enim cœlestia secreta rimari, & ea quæ supra homines sunt, Spiritu S. illostrante dinoscere. Vnde rogamus magis & suppliciter postulamus, vt nostri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter qui nobis in spiritali soe etate iuncti sunt. Nam cum Spiritus Deo coniungitur, confidimus quod nobis multum prodesse valeas & subuenire. Multum enim valet deprecatio iusti assidua Iac. 5.
Nos etiam pro te assidue oramus, vt conforteris ad bona, instruaris ad interiora, dirigaris ad permansura, ita vt ne hi qui spem suam in Deum posuerunt, desperando pro te claudicent; sed
H vt in profectu benedictionis, quam à Deo accepisse cognosceris, bene confortati, in melius & melius proficiant.

Bernardo Hildegardis.

IN Spiritu mysteriorum tibi dico, O venerabilis Pater, qui mirabiliter in magnis honoribus virtutis Dei, valde metuendus es, illicitæ stultitiæ huius mundi, vexillo sanctæ Crucis cum excelso studio in ardenti amore Filij Dei, capiens homines, ad bella pugnanda in Christiana militia, contra Tyrannorum sæuitiam, quod sum valde constricta in visione, quæ apparet mihi in Spiritu mysterij, quam non video exterioribus oculis carnis. Ego misera & plus quam misera in nomine fœmineo, ab infantia mea vidi mirabilia magna, quæ lingua mea non potest proferre, nisi quod me docet Spiritus Dei, qualiter ea dicam. Certissime & mitissime pater, audi me, in tua bonitate indignam famulam

A tuam, quæ nunquam ab infantia mea secure vixi, & de tua pietate & sapientia intellige in anima tua, secundum quod doctus fueris in Spiritu sancto, quoniam ea quæ tibi de me dicta sunt, secundum hunc modum sunt. Scio enim in textu interiorem intelligentiam expositionis psalterij, Euangelij & aliorum voluminum, quæ monstrantur mihi in hac visione, quæ pectus meum tangit, & animam meam sicut flammam comburens, docens me hæc profunda expositionis, sed tamen non docet me literas in Teutonica lingua, quas nescio. Sed tantum scio in simplicitate legere, non in abscissione textus, quia homo sum indocta, de vlla magistratione cum exteriori materia: sed intus in anima mea sum docta, vnde loquor tibi, de te non dubitans, sed de sapientia & pietate tua consolabor pro eo, quia multa schismata sunt in hominibus sicut audio homines dicere. Nam cuidam Monacho, quem seruara sum in conuersatione probatioris vitæ, hæc primum dixi, & illi omnia secre- B ta mea monstraui, & consolatus est me, ita quod hæc magna & timenda sunt. Volo, pater, vt propter amorem Dei in orationibus tuis mei recorderis. Ego ante duos annos te in hac visione vidi, sicut hominem in Sole adspicere, & non timere, sed valde audacem: & ploraui quod ego tantum erubesco, & inaudax sum. Bone pater & mitissime, pono me in animam tuam, ora pro me, quia magnos labores in hac visione habeo, quatenus, quod video & audio, dicam. Et interdum in magnis infirmitatibus de hac visione, in lectum prosternor, quia taceo, ita quod non possum me erigere. Ergo cum mœrore coram te plango, quia mobilis sum, cum motu in torculari arbore in natura mea, orta de radice surgente in Adam, qui factus est exul in peregrinum mundum de suggestione Diaboli. Nunc autem surgens, curro ad te. Ego dico tibi: Tu es mobilis, sed semper erigens arborem, & victor in anima tua es, non tantum teipsum solum, sed etiam alios homines in saluationem erigens. Tu autem aquila es C adspiciens in Solem. Oro te per serenitatem patris, & per eius verbum admirabile, & per suauem humorem compunctionis, scilicet Spiritum veritatis, & per sanctum sonitum, per quem sonat omnis creatura, & per ipsum verbum, de quo ortus est mundus, & per altitudinem patris, qui verbum suaui viriditate in vterum virginis misit, vnde illud carnem, sicut circum ædificatur mel fauo, suxit, vt non ociose in verbis meis torpeas. Sed ea in cor tuum pone, ita vt non cesses, tum transeas per formam animæ tuæ, ad DEVM pro me adspiciens, quia ipse te vult. Vale, vale in anima tua, & esto robustus in certamine in DEO, Amen.

Adam Abbas de Ebra Hildegardi.

DOminæ & matri suæ dilectissimæ Hildegardi, Magistræ sororum de sancto Roberto in * Pinguis. [Matt 2.] frater Adam Abbas (licet indignus) de Ebra, modicum D id quod est. Cum primum notitiam nominis vestri suscepi, gauisus sum gaudio magno. Adauxit Deus gaudium meum, cum nutu benigno & mirabili direxit, vt videretur facies, & audiretur vox vestra in terra nostra, mihique quod vix sperare poteram, mutuam concessit [Cant. 1.] collocutionem. De quibus autem me vobis dixi anxium, confido vos non immemorem esse, & quia diuersi diuersa sentiunt, alij istud, alij illud, si bonum est & salus apud Dominum, benedictus Deus: si periculum, orate Deum, bonum mihi & salutem animæ tribuat, & omne periculum excludat. Nunc vero literas mitto, & nuncium nostrum Domino Imperatori pro causa vestra, & spero per gratiam DEI, nos exaudiri, & vbicunque seruitij nostri indigueritis, parati erimus seruire vobis. Exoramus quoque, vt pro nobis orare dignemini, quia vere in turbine sumus pro solicitudine fratrum nostrorum, vt Spiritus sancti gratia, quæ multa mirabilia Spiritu prophetico in vobis operatur, inspi- E ciat etiam & nos, & muniat. Rogamus etiam, vt & nos scriptis vestris consolari & præmunire dignemini.

Responsum Hildegardis.

IN vera visione Spiritus vigilans corpore, hæc verba audiui: Qui est, dicit: Sol micat, & radios emittit. Qui- [Exod. 31] dam autem vir amicus Solis, hortum habuit, in quo multa aromata & multos flores in magno studio plantare desiderabat, & Sol in igne radiorum suorum calorem super aromata & flores misit, & ros & pluuia illis humorem viriditatis dederunt. Tunc ab Aquilone tortuosa imago nigris crinibus & horribili facie exiuit, & ab Oriente pulcherrimus iuuenis, candidis crinibus, plena & amicabili facie, processit, & ad ipsum hortum venerunt. Et tortuosa imago ad iuuenem illum dixit: Vnde venis? Qui respondit: Ab Oriente ad hortum huius sapientis viri venio, quia magnum deside- F rium veniendi ad illum habui. Tortuosa imago dixit: Audi me: Periculosus ventus, grando, ignis & pestilentia super hortum illum venient, & eum arefacient. Sed iuuenis ille respondit: Non sic, non sic erit, quia hoc nolo, sed purissimum fontem educam, & hortum illum irrigabo. Et tortuosa imago respondit: Vah vah, hoc ita possibile est, velut si locusta durum lapidem transfodiat. Et sic imago illa in dolo suo hyemem super hortum illum induxit, & aromata & flores illius arefacere voluit. Sed præfatus iuuenis officium suum in citharis suis colens, illud non videbat. Et cum deinde hoc vidisset, in magno sono Solem ad uocauit, vt in signo tanti veniret, & denuo viriditatem æstatis super hortum illum adduceret. Ac ita cornu eburneum & cornu de ceruo sumptum tollens, tortuosam imaginem illam ad terram per ea prostrauit. Et tunc ad virum illum, cuius prædictus hortus erat, dixit: modò in te ita negligenter non confidas, quin hortum tuum tanta munitione circumdes, vt nigerrimæ aues in G tempestatibus eum non arefaciant. Nunc, ô tu pater, qui per summam vocationem in vice CHRISTI es, hæc verba ad te dicta intellige. Audi ergo: Gratia Dei velut Sol micat, & dona sua sic interdum emittit, vno videlicet modo in sapientia, altero in viriditate, tertio in humiditate. Sapientia autem in pinguem naturam cadit, viriditas vero magnos labores subintrat, & humiditas in duram amaritudinem vadit. Sed tu vir amicus gratiæ Dei, hortum populi habes in quo per vicem Christi multa bona desideria & bona opera studiose plantare debes. Et gratia DEI in virtute donorum suorum efficaciam bonæ voluntatis super desideria & super opera illa emittit, & rore ac pluuia fontis aquæ viuæ virescere facit. Sed à Diabulo vitia in inquietudine vanæ gloriæ, & in strepitu propter me iusto magisterio resistentis, exeunt: à DEO autem virtutes in contemptu secularium, cum plena beneuolentia subiectionis in charitate procedunt, ad populum istum venientes. At vitia à H virtutibus quærunt, ad quid venerint. Sed illud respondent, quod à DEO ad populum amici DEI venerint, quia magnum desiderium ædificandi in eo hostiam laudis habeant. Et vitia dicunt, vt verba hæc audiant: Ruina magna & ira & sciscitatio cum multa inquietudine, super populum istum irruent, ita quod in ministerio Dei fatigabitur. Et virtutes respondent: Non sic eueniet, quoniam in bonis non cessabimus sed viuus fons emanabit, & populum hunc misericordia sua defendet. At vitia dicunt cachinnantia, quod hoc possibile sit, velut si fragilitas in carnem fixa, durare valeat sina tegi. Tunc vitia in dolis suis frigidam nebulam ignorantiæ populo huic inducunt, ita quod bona desideria & bona opera illius iam in defectu sunt, cum in seipsum confidit. Sed virtutes famulatum in laudibus suis DEO exhibentes, hoc iusto DEI iudicio fieri permittunt, ita vt homines intelligant quid sint. Qui cum ad seipsos in humilitate virtutum redeunt, cædem virtutes magno studio circumspectionis gratiam DEI

A tenent, vt mentibus illorum passionem CHRISTI imponant, quatenus hoc modo ad primam laudem Dei eundem populum adducant. Et sic diuinitatem & humanitatem Filij Dei attendentes, vitia illa ad contritionem prosternunt. Sed & ad illum, sub quo populus iste est, dicunt: Per hoc admonitus, proprijs viribus non confidas: sed præuide, vt ad gratiam Dei fugias, vt tuos in omnibus modis ita munias & moneas, ne diabolicæ insidiæ diuersis vitiis eos per neligentiam euertant. Vidi etiam quasi pulcherrimam puellam in tanto fulgore splendidæ faciei fulgentem, vt eam perfectè intueri non possem. Et pallium candidius niue & clarius stellis habebat. Calceamentis quoque velut de purissimo auro induebatur. Solem autem & Lunam in manu dextera tenebat, & eos suauiter amplexabatur. In pectore etiam eius tabula eburnea erat, in qua species hominis sapphirini coloris apparebat, & omnis creatura puellam hanc Dominam nominabat.

B — Psal. 109. Sed & ipsa ad speciem, quæ in pectore suo apparuit, dicebat: Tecum principium in die virtutis meæ in splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Et audiui vocem mihi dicentem: Puella hæc quam vides, charitas est, quæ in æternitate tabernaculum habet. Cum Deus mundum creare voluit, declinauit se in suauissimo amore, & omnia necessaria præuidit, quemadmodum pater filio suo hæreditatem præparat, & sic in magno ardore omnia opera sua disposuit. Tunc creatura in his speciebus, & in formis suis creatorem suum agnouit, quoniam charitas in principio materia eiusdem creaturæ sic fuit, vbi Deus dixit: Fiat, & facta est, quia omnis creatura quasi in ictu oculi per illam formata est. (Gen. 1.) Quæ in tanto fulgore splendidæ faciei fulget, & eam perfectè intueri non possis, quia ipsa timorem Domini in tam pura scientia ostendit, quod mortalis homo eam ad finem perducere non poterit. Et pallium candidius niue, & clarius stellis habet, quoniam sine simulatione in candida innocentia

C cuncta comprehendit, cum splendidissimis operibus sanctis. Calceamentis quoque velut de purissimo auro induitur, quia hæc itinera habet, quæ in optima parte electionis Dei sunt. Solem autem & Lunam in manu dextera tenet, & eos suauiter amplectitur, quoniam dextera Dei omnes creaturas complectitur, & quia etiam dilatata est in gentibus, in regnis, & in omnibus bonis. Vnde etiam scriptum est: Dixit Dominus (Psal. 109.) Domino meo, sede à dextris meis. In pectore quoque eius tabula eburnea est, quoniam in scientia Dei integritas scilicet in virgine Maria semper floruit, ita quod in ea species hominis sapphirini coloris apparet, quia Filius Dei in charitate ex antiquo dierum effulsit. (*Hæc referum ad Christum, qui dicitur omnis creatura*) Et omnis creatura puellam hanc dominam nominat, quoniam ab ipsa processit, & illa primitiua fuit omnia creans, quemadmodum species in pectore eius ostendit, quia Deus humanitatem propter hominem induit. Nam omnis creatura in iussione Dei impleta fuit, sicut ipse dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terram.

D — (*& omnia creans*) (Gen. 1.) Calor veri Solis sicut ros in vterum virginis descendit, & de eius carne hominem fecit, vt etiam ipsum Adam de limo terræ carnem & sanguinem formauit. Et virgo illum in integritate genuit. Sed non decuit, vt charitas pennis careret. Nam quando creatura in primo circuiuit, ita quod in pressura volare voluit, & cecidit, pennæ charitatis illam eleuabant. Hoc sancta humilitas fuit. Cum enim horribilis sensus Adam prostrauit, diuinitas acutè inspexit, ne ille in casu omnino periret, sed vt eum in S. humanitate redimeret. Nec alæ magnæ potentiæ fuerunt, quod hominem, qui perditus fuit, humilitas in humanitate Saluatoris eleuauit, quoniam charitas hominem creauit, humilitas autem eum redemit. (*Caritas Humilitas. Spes amor, Fides. Abstinentia. Obedientia.*) Spes verò est quasi oculus charitatis, amor autem cœlestis velut cor illius, & abstinentia compago ipsius. Fides est velut oculus humilitatis, obedientia vero quasi cor eius, & contemptus mali quasi compago illius. Charitas in æternitate fuit, & in initio omnis sanctitas omnes creaturas sine commixtione ma-

E li produxit, & Adam & Euam de munda creatura terræ procreauit. Et sicut hi duo omnes filios hominum genuerunt; ita & hæ duæ virtutes, omnes reliquas virtutes producunt. Istæ virtutes ad ianuam tuam ó homo, cui hæc loquor, pulsant, & dicunt: O tabernaculum viri huius, qui in mane nobiscum manet, iam in fatigatione est. Et charitas ad te dicit: O fide amice, nolumus, vt te abstrahas de officiali ligatura tua. Nam cum Deus in gyro cœli omnes creaturas disseminare voluit, omnia opera eius in amplexione habuimus, & cum eo laborauimus. Sed homo cecidit, & cum illo fleuimus, nec eum reliquimus, quamuis in maxillam nostram nos cæderet. Et humilitas ad te specialiter dicit: Hei hei, quam magnis doloribus hominem sustinui. Tu autem dicis, fugere volo. Sed sarcinam ad portandum in vineam habes, & stas, nec ambulare vis, sed in tædio inuolueris, & in aliam viam adspicis. Certe comes noster sic non faciet. Cum autem populus te amat, cum

F illo labora. Sed cum rugitum venti cum inquietudine belli vicissitudinis morum efflat, vide ad me, & in tota potentia alarum mearum te adiuuabo. Samson fortissimus, per stultitiam mulieris vim suam perdidit. (Iudic. 16.) Caue ergo, ne tibi sic contingat, si tædio per consensum dederis responsum. Gloria quoque Salomonis, per stultitiam mulierum euacuata est. (3. Reg. 11.) Vide etiam cum sollicitudine, ne per vicissitudinem harum cognitionum tuarum, viriditas, quam à Deo habes, arescat: Sed ornamenta auri & preciosi lapidis, quæ charitas & humilitas in te habent, obserua. Tu etiam propter armillas, quas sapientia tibi dedit, & propter quas populus tibi accurrit, da gloriam Deo, & cum populo labora; & ita cum Sole permanebis. Et tu pater audi: Sicut stella matutina auroram in lumine suo præcurrit, sic omnibus præbe auxilium ab osculo dilectionis, quam tibi Deus dedit: & vitam tibi dabit, quam in prima die inspexit.

Abbas de Eberbach, Hildegardi.

G — DIlectæ Deo & hominibus venerandæ Dominæ & Magistræ Hildegardi in Binga frater E. Abbas (licet indignus) de Eberbach, modicum id quod est. Magnificamus & glorificamus pro vobis Christum Saluatorem nostrum, qui respicit se trementes, potens exaltat humiles, qui & magna vobis fecit, quia potens est. (Psal. 50.) Elegit, sicut ipsi audiuimus & vidimus, sacrarium pectoris vestri in habitaculum sibi, scientiamque diuinam, incerta & occulta sapientiæ suæ vobis manifestauit, introducens in cubiculum suum ad flores rosarum & lilia conuallium, (Cant. 2.) ad florida rura montium æternorum: Læua eius sub capite vestro, & dextra eius amplexatur vos, ita vt veraciter dicere valeatis: Dilectus meus mihi, & ego illi. (Cant. 1.) In omnibus his oleum effusum nomen vestrum, & ideo adolescentulæ dilexerunt vos, & nos currimus in odorem vnguentorum vestrorum. Rogamus & Dominum, vt & dona naturæ & munera gratiæ suæ vobis conseruare

H dignetur, sibi ad gloriam, vobis ad coronam, nobis ad gaudium, multis ad exemplum. Oramus quoque & humili prece deposcimus, vt nostri etiam memor esse dignemini, atque in aduentu sponsi vestri nostram sibi paruitatem commendare, vt sicut de opinione sanctitatis vestræ lætamur & gaudemus, sic intercessione vestra mereamur gaudium & exultationem percipere. Si quid de seruitio nostro percipere dignamini, lætanter amplectimur, faciemus quoque, sicut & modo facimus, & ad omnem S voluntatem vestram subseruire parati sumus.

Responsum Hildegardis.

QVi est, dicit: Serena lux videt stabulum & statutum prandium cuiusque congregationis, quæ officium in ministerio suo habet, cibum refectionis in recta moderatione distribuens, ne fidelibus sibi adhærentibus lætitia animæ desit, pastoralis villicus

A debet fortissimis moribus, sagittas in pharetra ostendere, & capaci beneuolentiæ, aromata medicinarum tribuere. Nigri autem Tyranni, flagella occisionis portant. Probus miles sine tædio derisionis pugnat, & suauis sensus sufficientiam in communi bono labore captat, & epulantes mores in rectitudine, præcincti sunt in omnibus virtutibus, ita vt famem habeant iustitiam perficere. Sed sæuissimi & à nobili matre misericordiæ peregrini, simplices oues quæ in atriis domus regis sunt, ingolant. Heu heu, qui sic in occisione insaniunt, à domo Regis, nisi pœniteant, peregrini sunt, quia oues Domini dispergunt. Tu autem, ô pastor, lætam faciem in miseria pauperum, qui pusillanimes sunt, habe, non valentes aratrum disciplinæ apprehendere. Boni vero & beneuolentiam habentes, sint tibi in symphoniam Spiritus sancti. Caue etiam, ne torpescas in lumine. Sed intellectus tuus vigilet, & non sit duplex in sono, (Hypocalis.) ita ne aliud dictes interius, quam sonas exterius. Qui B hoc faciunt, in tenebris faciem suam obnubilant. Sed si postea in tremore timent, quoniam in corde suo hoc non capiunt, quod in facie sua ostendunt, eripiuntur ab infidelitate, conclusi in pœnitudine. Tibi autem, ô homo, refectio fiet in cinctura femorum tuorum, vbi verum desiderium in manibus tuis habes, cum thesaurum veræ pecuniæ non negligis. Terra tibi dormit, quoniam naufragium mundi te non lædit. In fine temporis tui Deus suscitabit te. Ipse in magno honore te constituet. O serue bone, illum laudabis, & ipse in æternum saluabit te.

Dominæ Hildegardi. Abbas S. Anastasij.

Dilectæ in Domino, & deuotissimæ sorori Hildegardi, Dei gratia Magistræ in cœnobio S. Roberti, frater E. Sancti Anastasij vocatus Abbas, salutem & orationem. Gloria Deo, qui bonus odor Christi es, & apud tuos & apud nostros. Bonum nomen Christi, & (1. Cor. 6.) benedicitur, & laudatur per te, & qui sanctificatur in C te. Glorificas enim & portas in corpore tuo Christum, digne digna vocatione qua vocata es, teipsam faciens, & cooperando gratiæ, quæ data est tibi, in domo Domini omnibus te exhibens vas in honorem. Et quoniam familiare Christi organum & receptaculum Spiritus eius es, humili prece te poscimus, vt in spiritu & veritate ores pro me & his, qui curæ nostræ commissi sunt, vt quod cœpit in nobis, perficiat & velle (Philip. 1.) & perficere pro bona voluntate sua, vt & nos cursum boni certaminis in Christo consummemus, & gloriemur simul in laude eius. De cætero rogo, vt spiritus qui reuelat arcana & occulta sapientiæ suæ, indicet tibi, quid mihi expediat in portando obedientiæ Christi onere, scilicet perseuerare, an quiescere, vt vacem (Ps. 108.) ipsius contemplationi. Quicquid super hoc reuelatum fuerit tibi, ne abscondas mihi:, quia paratum cor meum Deus, paratum cor meum, vt faciam voluntatem tuam. Librum quem scripsistis, vt scribatur nobis, & consilio & adiutorio vestro opus habemus, & D bona vestra voluntate. Desideramus enim quam maximè habere illum, & inspicere mirabilia Dei in illo. Præterea obnixe rogo, vt rescripto literarum vestrarum visitemur, & consolemur in labore & patientia pro Christo ab vberibus consolationum per vos. Valete, salutate sorores vestras, & orate pro nobis.

Responsum Hildegardis.

Qvi est, dicit tibi ô homo: Mens tua desideranter surgit per opinionem bonorum operum, & te erigis in altum, plura desiderans quam opereris. Sed aliquando ipsa mens tua decipit te, cribrando causas tuas, sic dicendo: Hæc optima sunt, quæ tamen non operaris ad præsens. Vnde & ipsam causam, quam in propositione tua habes, si à te excutis. Perfice ergo sustentationem ouilis tui, & da ei præcepta, scilicet virgam magistri præbendo, & postea vnguentum Medici exhibendo, quia vtilius tibi est, vt in hoc labore vigiles, aliis per doctrinam tuam in subiectione ministrantibus, quam teipsum in voluntate tua exerceas. Nam si te supponeres, tædium te vallaret, ita vt mens tua aresceret. Ideo vigila super gregem tuum, præbendo ei bona exempla, quæ desiderat anima tua, ne mens tua in irrisionem reducatur. Nam ille qui in alto stat, & in vallem clamat, interdum in vtroque nescit, quo vadet. Propterea sta in humilitate, ita vt Deo adiuuante bona opera exerceas, quæ cœpisti, & permane in vestigiis Christi, nec teipsum decipias: & in æternum viues. E

Abbas de Keisheym, Hildegardi.

Conradus de Keisheym Abbas, licet indignus, sanctissimæ Dominæ Hildegardi, in claustro S. Roberti in Binga Prælatæ, deuotas orationes cum humili obsequio. Ex quo primum insignia virtutum tuarum, mater sanctissima & speciale munus à Deo tibi collatum, audire potui, quamuis corporali præsentia tibi incognitus, tamen te tota mentis affectione dilexi. Congaudeo ergo gloriæ tuæ, quia dilectum quem quæsiuit anima tua, inuenire meruisti, & non necesse habes vagari post gregem sodalium, quoniam qui in liliis pascitur, requiescit in tabernaculo tuo, implens hortum tuum copia diuersarum deliciarum. Miror tamen, Domina charissima, quia cum sis quasi quidam riuulus, ab ipso fonte bonitatis emanans, diffundens beneuolentiam tuam in omnes, qui desiderant scire & audire magnalia Dei per te, cur mihi tantillo in magna cordis anxietate laboranti, viscera pietatis claudis, & munusculum quod ex charitate magis quam ex præsumptione desidero, tam morosè transmittis. Obsecro igitur cum omni deuotione, vt ad ipsum sponsum, qui requiescit in cubiculo cordis tui, qui tuis petitionibus aurem clementiæ suæ libenter inclinat, pro me intercedas, & ab ipso petas, quatenus tibi manifestetur, vtrum mihi vtilius sit onus pastoralis curæ deponere, an diutius ferre, quia in eo valde premor, & memetipsum obliuioni trado. Sed in hoc sciam te exauditam, si responsum tuum inde habuero. Vale Deo chara. F (Cant. 1.) G

Responsum Hildegardis.

Lvx acuta videt, & dicit: O homo pallidus es per dubietatem mentis tuæ, quasi non possis stare. Et quare hoc? Video opera tua. Ipsa enim tangunt me. Sed tu nosti agnitionem rebellium. Quare ergo erubescis ante altare meum displicere ad sanctuarium meum, vt ornes illud velut templum quod viuentes oculos habet? O onus, vbi pastor bonus agnos suos leuauit super humeros suos. Vbi enim oues per vias rectas non ambulant, debet eas mitis pastor leuare per sollicitudinem animi sui, & corrigere & vngere, ac docere in bonis operibus. Et sicut manus operatur in brachio, sicut etiam brachium mouetur in scapula: sic pastor ouibus suis exempla in manu bonorum operum porrigat, & medicinam in brachio adiutorij, & solutionem diuersorum vitiorum per ligaturam crucis velut in humero potestatis. Nam vere pœnitentibus vitia sua remittenda sunt. Diabolus enim vim cordis sui, & gustum gutturis sui, & flagrantem flammam viperei oris sui euomit. O homo, audi planctum doloris in effusione criminis, quod est in contagione carnis in pulchra forma hominis. Plange, ô virginitas, integritatem primi ortus tui. Nam manus summi artificis formauit te, & posuit te in hortum voluptatis. Sed flagrans mens hominis decepit eum in vana optione voluntaria suæ, per superbiam consilij criminosi deceptoris. Vnde ipse expulsus est per gustum inobedientiæ. Et sic venter eius præuaricatus est, cum prius latus eius per sanctissimum donum perforatum esset. At nunc femur eius pollutum est veneno sudante. Sic tetigit homo gustum gutturis serpentis, quando æstuauit in venenosis H

A venis suis. Vnde & postea fornicatus est in vipereo desiderio, quod est flagrans flamma ab ore Diaboli. Genes. 2. Nunc in obedientia cibum operata est. Et quia Deus fœminam de costa fecit, ideo Diabolus deinde homicidium suggessit, ita vt omnia opera sua per aliam viam duceret in reuelationem peccatorum ebullientium per vim cordis sui. O homo, quam magna crimina facis in similitudine antiqui proditoris. Quomodo? Pessimus enim accusator retrò deiectus est, & abscissus ab omni beatitudine. Et quia retrò proiectus est, ideo cogitauit in malignitate cordis sui, vt hominem duceret retrorsum in contrarium peccatum. Sic homo reliquit formam costæ, vnde & formatio hominis ibi perit in huiusmodi effuso semine. Lugeat ergo terra, & tremiscant cœlestia propter hæc crimina. Nam cum homo peccat per gustum operis sui, non relicta formatione costæ, sentit aliquantulum, quod factura Dei est. Sed crimina ista retrò incidentia, non sunt in vlla creatione: quia homo, qui ea facit, se hominem esse non videt. B O homo, cur abiicis quod factura Dei es? Ah, ah, ô homo, in magno studio Deus te formauit, sed tu in multa crimina te inuoluis: sed Deus iterum per Filium suum te ad se reducet. Vnde per pœnitentiam surge, & cito curre ad me. Nunc tu ô miles, esto robustus & armatus per vias planas, & ibi viriditatem fac, vbi viriditas est: & cura cincturam tenuum, illorum qui tecum sunt, & coerce teipsum in bonis operibus, vt cor tuum illuminetur in Sole, & non fatigeris in recto itinere, contra teipsum bellans. Ergo pastoralem curam non relinque, quia pigmentarius qui irriguum & bene olentem hortum habet, videat, vt hortus ipsius vtilitatem fructuum afferat, vt non deficiat. Nam cum oculus tuus videat, & cum scientia tua vigilet, quare dormis sicut lassus in cinctione tectæ prouidentiæ oculi tui? Mat. 25. Circui ergo sollicitè in bona prouidentia, ne talentum tuum infeliciter abscondas, quoniam ubi non prodest, C vt abiicias alligationem illam, qua ligatus es, dum duos oculos vel vnum, aut aliquam partem viuendi sub tua custodia habes. Si autem nullum oculum viuendi in tuis viues, sed semper claudicationem, tunc fuge, & abstine te à villicatione tua.

Hildegardi Abbas de Hirsaugia.

SAnctissimæ Dominæ ac matri suæ, Hildegardi, M. Abbas indignus de Hirsaugia, orationem cum obsequio. Audiui quidem & apud Cyrenen, quandam aquarum venam vino effluere, & te bona mater apud Alemannos ingredientium & egredientium aquarum venam atque specierum suauium fumum sicut myrrhæ & thuris visum esse. Hauris enim mea Domina & effundis, & in formas specificas & practicis in theoriam vis & motus existis. Ea propter mihi impetus fuit diu & est, diligere te, honorare te, mirari te, seruire tibi tuisque, & in omnibus verbo vel opere, tuis & tuarum esse orationibus, in quantum mihi fas est, & obsequiis. Rogo D te mea mater & Domina, memento mei in tuis sanctissimis orationibus, dilige humillime te diligentem. Recognosce in Christo te venerentem, & literas mihi rescribe in D a o rogata.

Responsum Hildegardis.

Nulli ed amicd. quam hunc rescripsit.

O Dulcissime pater, & in amore Christi frater: Ollam video circundatam tam magna claritate, vt vix videre possim, si olla sit. Sed & ibi video aliquantulum amari gustus, contrariam tamen magna contentione, & postea turbinem, qui tamen ad præmium Dei prædestinatur, Vigila ergo strenue, quia causa populi in moribus in hoc tempore talia postulat. O mitissime pater, ego paupercula forma in vera luce non video, Psal. 88. vt omninò de officio tuo mouearis. Memorare autem quia homo es in terra, & ne valde timeas, quoniam Cant. 3. Deus in te diuersa non requirit. Tu enim in præsentia Dei es, sicut fumus myrrhæ & thuris, vnde mons Sion quærit, vt sis esca in domo Iacob. Sed si quis columnam quæ totam domum sustentat, abscinderit, domum E Iudic. 16. deiicit. Quapropter per septem fenestras prospice, considerans vbi accipiter veniat, & caue, ne ille te decipiat. Pasce ergo oues tuas in mansuetudine correptionis, quia dies salutis non fugit, & nondum cinis eris. Esto quoque speculum vitæ in oculis vitæ.

Prouisor sancti Emmeramni, Hildegardi.

REligiosissimæ Christi ancillæ Hildegardi, A. indignus prouisor cœnobij S. Emmeramni Ratisponæ, Iacob. 1. perseuerantiam in omnibus bonis, à patre luminum collatis. Gratias agimus Deo nostro, qui Ecclesiam suam mirifice ornauit, te ei donando. Per te enim omnes iusti magnifice gloriantur, & hactenus desperati, beatifice lætificantur, quia sperant se per te posse reconciliari Christo. Vnde & præsentium literarum lator, vt asserit, de salute sua desperans, nuper mihi miserias suas F conquestus est, obsecrans, vt eum, ad præsentiam tuæ beatitudinis cum literis commendatitiis dirigerem. Idcirco ô famula Christi, pietati & compassioni tuæ eum commendo, suppliciter rogans, vt pro amore Dei omnipotentis, pro saluatione eius totis viribus cum omnibus tibi obedientibus labores. Insuper ô Deo dilecta, almitati tuæ supplico, vt me & omnes mihi commissos, assiduis orationibus tuis digneris commendare Christo, qui est retributor & retributio laborum sanctorum suorum. Amen. Vale.

Responsum Hildegardis.

QVi est, dicit: O homo, vbique circumspicere debes, vt abigas insidiatores ouium tuarum. Vide etiam vt inspicias cicatrices vulnerum illorum, quia multæ nebulæ circueunt in spiritali populo. Et hæ nebulæ vitiis plenæ sunt. Quas cum Diabolus viderit, ad G illum festinanter persuasionem suam in irrisione mittit, & cum diuersis modis eum volantibus iaculis vbique mouet, Nebulæ istæ, sunt molestiæ & incredulitates in variis, quæ pœnas habent, & non epulas: quia vbi hæc sunt, ibi tristitia est, & rara victoria, & aridæ venæ in eisdem hominibus, cum requirunt peccata sua in inquietudine mentis suæ, semper adspicientes ad infelicitatem, velut saluari non possint, contradicentes etiam gloriæ Dei, non tamen sic, quasi Deus non sit. Sed quædam nebula scientiam ipsorum comprehendit, hæc illis suggerens cum fallacibus verbis. Sed ipsi tamen repugnantes, sciunt ea sic non esse: sed tantum illa in scientia sua ita percipiunt, sicut auditus hominis turpissima verba capit, quæ tamen mala esse cognoscit. Pœnæ istæ sæpe martyres faciunt, vbi homo vitia eorum non perficit in operibus. Nunc ô tu homo, qui in ouibus tuis ad speculationem positus es, inspice in oculo scientiæ tuæ, vbi istæ nebulæ in oculi tuo sunt, & cum misericordia & cõsolatione vnge homines, in his pœnis labo- H rantes. Sed epulantia crimina corrige in virga disciplinæ, ne in lacum vadant. Nam in conscientia tua fulget lumen gladij, sed tamen in moribus tuis turbines sunt. Tu autem ad verum lumen adspice, & viues.

Abbas Nuenburgensium.

HIldegardi beatissimæ sanctimoniali fœminæ, E solo nomine Nuenburgensium fratrum Abbas, quicquid vtriusque hominis valet optare affectus. Quia fama sanctitatis vestræ cunctorum aures dulci rumore respersit, ad videndam faciem vestram, animum nostrum ardentissime prouocauit. Vnde in æstate præterita, sumptus ad viaticum iter arrepturus, ad vos properaui. Sed bellorum tempestatibus territus sum. Nuncium tamen cum literis ad vos direxi, per quem nihil aliud responsionis accepi. Et ne hoc ex nuncij incuria euenerit, in eia continentia iterum replicabo. Primum de consortio fraternitatis à nobis susceptæ, ex intimo

A corde gratias ago, deinde vestris precibus & in instantibus & periculis apud Deum iuuari deposco. Qui à enim in regimine positus, secularium turbinibus impellor, ad portum sanctitatis & orationis vestræ confugio, vt in his per omnia & super omnia non...,..peccaro. Et licet hæc studiosè deposcam, præcipue tamen, expleto vitæ cursu, vt à Domino saluari merear, & corpore & Spiritu, vestris precibus exoro. Inter quas pressoras vna præstantior cæteris imminet, pro qua & vos instantius Dominum exorare peto. Aliquod pignus salutis per quod prosperare valeam, & vestri memoriam habeam, per præsentium latorem transmitte. Veniendi ad vos mihi non deest affectus, donec (si vita comes fuerit) opere compleam. Valete.

Responsum Hildegardis.

MEns tua in similitudine est, quæ fixuram luminatium habet, & illa hac & illac distribuit: sed de
B turbine & nigredine ignium & aquarum nubes sæpe turbatur, vsque dum Sol per igneam sphæram suam omnia perforet. Tu tædium dubitando habes, & propter varia bella morum hominum, laborare non vis. Nam nouus miles gaudet cum arma portat, quia in fortissima vi miles nominatur, cum inimici eos contra eum præliantur. Sed si dixerit, inimicos meos superare non possum, & arma abiecerit, stultus nominatur, propter irrisionem hominum, quoniam arma illius in probitate belli non fulminant. Tu enim magister nudum te nominans, sicut coluber in foraminibus iaces, cum per armaturam non contendis superare varietatem tem-
Luc. 16. pestatum hominum. Sed non sic erit. Nam in prima ætate Dominus villicos & procuratores in omni possessione constituit, qui rationem sibi darent. Cum enim villicus dona accepit, arma & sagittas ad se colligat, in armis scilicet rabidos scripturis, & in sagittis impios & dolosos & furtiuos imbuendo cum parabolis cæterarum scripturarum. Sed cum interim tem-
C pestas magna cum nigredine ignis & aquæ, & ira & obliuione & transgressione præceptorum Dei, occurrerint, cedat vsque dum tempestas illa attenuatur: adhibeat medicinam cum Sole scripturarum, vt scriptum est,
Oseæ 6. Matt. 9. & 12. quia misericordiam volo, & non sacrificium. Misericordia orationem postulat, quam Deus diligit, & quam Spiritus S. inter nos & vos igneam faciat, quatenus nos in cœlestem Ierusalem perducat. Amen.

Hildegardi Abbas S. Mariæ.

DOminæ suæ Hildegardi, sanctæ religionis honore præfulgenti, H. S. Mariæ inutiliter dictus Abbas, qualecumque orationem & precum officium, & S. debitæ seruitutis affectum. Mallemus præsentiæ vestræ loqui, quam absentiæ scribere, si aut tempus nobis vacaret, aut vitæ longinquitas, nostræ non obsisteret voluntati. Siquidem vestræ sanctitatis alloquium, licet
D breuissimum aliquando nacti sumus, & idcirco crebrò vos audire vellemus: quia tunc placet quidquid adiuimus. Hac vero occasione nunc scribendi vobis fiduciam concepimus, quod vtrisque nobis in Christo dilectus lator præsentium, sicut in plerisque cœnobiis fecit, sic etiam pauperculis nostris orationibus, cum apud nos moraretur, vestram beatitudinem commendauit, & se internuncio id nos flagitare asseruit: Memoriam igitur vestri, quamuis nihil simus & facimus, & faciemus; nosque cum nostris omnibus vestras intercessiones mereri, humiliato corde & corpore supplicamus. Per
2. Cor. 1. & 5. ipsum autem cui deuote viuitis, à quo & arrham Spiritus accepistis, hoc singulare ac secretum munus à vobis expetimus, quatenus familiaritatem impetrandi obtinere studeatis a Domino, vt inter cætera reuelationum charismata, nostræ conditionem humilitatis vobis insinuare dignetur, videlicet vtrum in hoc officio honoris & oneris, prælationis & periculi, animæ salutem mereri me prouiderit, vel ab hoc absolui, vtile mihi
E fore prospexerit: & siquid reuelationis super hac re acceperitis, per eundem præsentium latorem scripto id continente, mœstitiam nostram consolari, vestram non pigeat charitatem. Nam & nos vestram salutem sitimus, vt diximus, atque vt in reuelationum magnitudine necessariæ humilitatis augmentum vobis
2. Cor. 12. Dominus subministret, exoptamus: quatenus lampadem quam accensam accepistis cœlitùs, tali ad
Matt. 25. homines custodiatis lumine, vt in deficienti oleo, Christo quem expectatis, cum venerit, in gloria possitis occurrere.

Responsum Hilgardis.

IN speculo veræ visionis vidi te valde turbidum, sicut mixtam nubem, cum periculosus aër in implexo vento infusionis magnæ pluuiæ mouetur, sic sunt cogitationes tuæ per inquietam mentem tuam in hac re, quam amplexus es in medio cordis tui. Et audiui vocem de te
F dicentem: Vir qui in aratro & bubus in arida terra laborat, dicens ad seipsum. Hunc magnum laborem sustinere non possum, quia durus mihi est. Et ita vadit ad inaquosa loca, vbi tamen sunt molles flores, sine labore hominum crescentes, qui etiam per inutiles herbas suffocantur, & dicit, aratrum dimittam, & has inutiles herbas auferam, quæ vtilitas in hoc est? Nunc tu homo vide vtrum ille probior sit, laborans cum vtilitate aratri in terra, an cum eradicatione inutilium herbarum in floribus. Sed ego hanc causam, quam requiris, inutilem tibi esse vidi. Vnde teipsum cum officio tuo coërce, apprehenso aratro. DEVS autem succurrat tibi in omnibus necessitatibus tuis, & non sinat te inutiliter laborare.

Abbas S. Dysibodi, Hildegardi.

CVno Abbas de monte S. Dysibodi, licet indignus, Hildegardi Dominæ & matri suæ dilectissimæ de monte S. Roberti, gratia Dei tantillum quod est. Quia
G variis hinc inde præpeditus occupationibus, per aliquod tempus supersedi inuisere, salutare vos & alloqui, accepta nunc opportunitate temporis, eo me attentius orationibus vestris committo, quo me proh dolor inueterari potius in augmento delicti, quam in aliquo profectu iustitiæ recognosco. Sed quia sanctitas vestra in eo, qui nec fallit nec fallitur, plurima secreta spiritu videt, peto, vt si qua de patrono nostro Beato Dysibodo Deus vobis reuelauerit, mihi aperiatis, quatenus cum fratribus meis illi ex hoc deuotissimas laudes referre non differam. Sed quia negligentiam, quæ in me est, nulla meæ possibilitatis manu de me excutere possum, suffragium tam vestrum, quam cæterarum filiarum Dei vobiscum conuersantium, deuoto corde requiro: & non solum paruitatis meæ personam, verum etiam commissos mihi fratres & locum nostrum orationibus omnium vestrum commendo, sicut etiam cum apud vos sum, viua voce sæpius facere soleo.

H *Responsum Hildegardis.*

O Quam magna stultitia in homine illo est, qui seipsum non corrigit, sed quærit quid in alieno sinu sit, & crimina illa quæ in eo inuenit, non celat secundum modum in impetu decurrentium aquarum. Qui hoc facit, audiat responsum istud à Deo: O homo, quare dormis in sonitu gustus, quæ coram Deo quasi symphonia sonant? Et cur petulantiam lasciuiæ non abnegas, per scrutinium domus cordis tui? Sed in maxillis meis me percutis, quandò membra mea repudias in vulneribus suis, vbi ad me non adspicis, errantem
Luc. 15. ad gregem reportantem. Et ideo de domo cordis tui mihi respondebis, & de ciuitate, quam feci, & quam in sanguine agni ablui. Et quare non times frangere hominem, quem non creasti? Tu enim non vngis eum ita, vt nec eum regas, nec colas. Sed in nimietate illum corrigis. Nunc tempus deficiendi tibi adest.

A Sed Deus qui te creauit, te perdere non vult. Hæc ergo intellige. Quod autem ô Pater petiisti, vt tibi scriberem, si aliqua de Beato Dysibodo, sub cuius patrocinio es, viderem & intelligerem: Hæc de ipso in visione Spiritus audiui, vidi & intellexi secundum modum hunc: O mirum admirandum quod absconsa forma præcellit ardua in honesta statura, vbi viuens altitudo profert mystica. Vnde ô Dysibode, surges in fine, succurrente flore omnium ramorum mundi vt primum surrexisti. Et ô viriditas digiti Dei, in qua DEVS constituit plantationem, quæ in excelso resplendetur, vt statuta columna, tu gloriosa es in præparatione DEI. Et ô altitudo montis, quæ nunquam dissipaberis in discretione DEI. Tu tamen stas à longe vt exul. Sed non est in potestate armati qui te capiat. Sed & ô præsul veræ ciuitatis, qui in templo angularis lapidis ascendens in cœlum, in terra prostratus fuisti propter DEVM, tu peregrinus à semine mundi, desiderasti exul fieri propter amorem Christi. O mons clausæ mentis, tu assi-
B due pulchram faciem aperuisti in speculo columbæ. Tu in absconso latuisti inebriatus odore florum, per cancellos sanctorum emicans Deo. Oculum in clauibus cœli, quod propter perspicuam vitam mundum vendidisti, hoc certamen alme confessor, semper habens in Domino. In tua enim mente, fons viuus clarissima luce purissimos riuos eduxit per viam salutis. Tu magna turris ante altare summi Dei, & huius turris cultum obumbrasti per fumum aromatum. O Dysibode, in tuo lumine per exempla puri soni membra mirificæ laudis ædificasti in duabus partibus per filium hominis. In alto stas, nun erubescens ante Deum viuum, & protegis viridi rore laudantes Deum ista voce: O dulcis vita, & ô beata perseuerantia, quæ in hoc Beato Dysibodo gloriosum lumen semper ædificasti in cœlesti Ierusalem. Nunc sit laus Deo in forma pulchræ tonsuræ viriliter operante, & superni ciues gaudeant de his, qui eos hoc modo imitantur. Tu autem ô Pater, qui hæc à me paupercula forma petiisti, talem te in conspectu Dei fac, vt
C cum tempus in hoc seculo tibi defecerit, tempus tuum in æternitate feliciter prolongetur, ita vt in saluatione iustorum appareas.

Helengerus Abbas S. Dysibodi, Hildegardi.

HIldegardi dilectæ matri suæ, supra omnem preciositatem amplectendæ, H. filius eius & prouisor ouilis B. Dysibodi, heu non opere, sed nomine tenus, quicquid bono temporali est melius. Cum totus mundus veraci præconio clamet, vos sancti Spiritus ditatam esse iubilo, ego qui primus debueram esse, & alios ad beatitudinem vestram inuitare, hucusque inerti tædio destitui: sed nunc tandem timore & pudore correptus, Ioan. 2. his verbis vos salutare necessarium duxi. Nam quibus prodesse deberem, præesse magis studeo, quærens quæ mea sunt, non quæ aliorum. Sed tamen pondus diei & Matt. 20. æstus in vinea Domini hucusque, quamuis tepide, por-
D tauj, & Deo adiuuante, donec quandoque denarium percipiam, perseuerare decreui. Verum nunc, mater mi, in Dominicis nuptiis spiritale vinum omnino defecit, quia feruor monasticæ religionis pene deperiit, quoniam mater IESV ibi non est, nec ipse IESVS, nec discipuli eius aduocantur: & ideo omnia aduersa contra nos grassantur. Itaque non est opus longa vos protrahi verbositate, præsertim cum impetitus sim sermone & scientia. Scio mater mi, scio, quod à planta pedis vsque ad verticem, non est in me bonitas. Consolationis ergo vestræ scripta, humilitati meæ dirigite, vt nomen vestrum habeat in Sion liber æternæ vitæ. Valete.

Responsum Hildegardis.

IN spiritali visione, quæ à Deo est, hæc verba audiui: Valde necessarium est homini, qui animam suam in desideriis ipsius inuenire vult, vt mala opera perdat, & beatam scientiam habeat, quo modo viuat, ita etiam,

E vt anima eius domina, & caro ancilla sit, secundum quod Psalmista dicit: Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et quis est Psal. 93. homo iste? Scilicet ille, qui corpus suum sicut ancillam, & animam suam sicut dilectissimam dominam habet. Nam qui etiam ferox est in impietate tanquam vrsus, & ferocitatem illam recusans, ad Solem iustitiæ, qui pius & clemens est, anhelat: hic Deo placet, ita vt illum super præcepta sua constituat, dans virgam ferream in manu ipsius ad erudiendum oues suas ad montem myrrhæ. Nunc audi & disce, vt in gustu animæ Psal. 2. tuæ super his erubescas, quia aliquando mores vrsi (qui in seipso occulte murmurat) habes, interdum etiam mores asini, quia non es prouidus in causis tuis, sed tædiosus, & etiam in aliis quibusdam rebus inutilis: ideo malitiam vrsi aliquando in impietate non perficis. Interdum etiam mores aliquorum volatiliú, quæ nec de superioribus, nec de infimis sunt, ita vt ea superiora vincant, & infima illa lædere non possunt. Ad huiusmo- F di mores nobilis pater respondet: Hei hei, hanc vicissitudinem morum tuorum nolui, vt mens tua de iustitia mea murmuret. Sic quod rectum responsum de ea non quæris. Sed quandam murmurationem in te abscondis secundum murmurationem vrsi. Cum autem bonum intellectum in te habes, modicum curas, & iterum tædium incurris, & orationem tuam non perficis. Sed viam quam corpus tuum sapit, libenter facis, & eam à te totam non abscindis. Sed & desideria tua ad me, aliquando ascendunt in aliqua parte, quæ non est ex toto sancta in opere, sed tantum iacens velut in opinione fidei. Tales tamen aliquando elegi de vicissitudine morum suorum, vt sonum intellectus ipsorum audirem, quid in semetipsis reportarent, vbi tamen inutiles inuenti sunt, & ceciderunt. Nunc autem mens tua non derideat opus, quod Deus fecit, quia nescis quando gladio suo te percutiat. Ego autem paupercula video in te nigerrimum ignem contra nos accensum. G sed eius in bona scientia obliuiscere, ne gratia Dei & benedictio ipsius à te recedat tempore officij tui. Dilige ergo iustitiam Dei, vt à Deo diligaris: & fideliter crede mirabilibus ipsius, vt æterna præmia percipias.

Abbas Campidonensis Ecclesia Hidegardi.

HIldegardi Sponsæ Christi, sed ancillæ Deo & hominibus acceptæ, H. solo nomine Abbas Campidonensis Ecclesiæ, deuotum cum assidua oratione seruitium. Benedictus Deus, cuius Spiritus vbi vult spirat, & cordis vestri penetralia dulcedine cœlestis har- Ioan. 3. moniæ sic implere & pinguescere consueuit, vt admodum mirabilem ac venerabilem viris æque & fœminis vos effecerit. Iam enim iam (inquam) vestræ opinio sanctitatis, longe lateque diffusa quia magna vobis fecerit, qui potens est, facile aduertitur: quodque vos Luc. 1. ancillam humilem respexerit, dum inaudita cunctis nobis instillare curat, non ambigitur. Iam vos sibi sponsam, imo & filiam Rex ille cœlestis manu tenens as- H sumpsit, & in voluntate deducens, in cubiculum introduxit, vbi innixa dilecto vestro, secreta ipsius audire meruistis, eaque mortalibus diligenter enunciare. Hæc vestræ conueniunt sanctitati, quæ vt relatu cognouimus, ab ipsis infantiæ cunabulis audistis. Audi filia, & vide, Can. 3. & 8. &c. Et nos, Quanta audiuimus & cognouimus ea. Et hæc, Sicut audiuimus & vidimus. Vt ergo in his suæ virtutis efficaciam ipse qui cœpit, in vobis perficiat, Psal. 44. votis omnibus experimus: vtique & vos pro nostris Psal. 77. supplicare curetis peccatis, & aliqua de statu nostro & Ecclesiæ nostræ, nobis diuinitus reuelata, intimare humillime deposcimus.

Responsum Hildegardis.

O Homo, declina à malo, & fac bonum: quia homo in se habet, quod semper in mente errat, & mil- Psal. 33. & 36. lenarium numerum ibi proponit, quem nequaquam 1. Petr. 3.

A perficit, sicut etiam Adam non adspexit quod faceret, desiderans se similem Deo esse. Sed tamen illud malum non habuit, vt Deum honorem & potestatem habere inuideret. O Fili Dei, vnamquamque tempestatem per fidem abscinde. Adam enim cum Deo in potestate & honore se simul gaudere æstimabat, quod magna vanitas fuit: & cum tamen Deum esse sciuit. Sic etiam omni homini adest, vt se Deum habere sciat, quem creatorem & liberatorem suum credit: & ob hoc etiam tu ad Deum confuge, quoniam eum in fide Deum esse scis, Ps. 85. quemadmodum scriptum est: Omnes gentes quascunque fecisti venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Hoc est; Homo qui cum creaturis factus est, se Deum habere scit: & ob hoc in bona fide sit, & studiosè eum quærat & adoret, atque nomen eius glorificet. Vnicuique enim homini adsit, vt ab illo malo declinet, quod DEVM esse dubitet, B qui ipsum creauit: sed ipsum, qui eum creauit & liberauit, amet: & in illo proximum suum diligat, qui ei benefacit: & non imitetur Diabolum, qui creatorem suum, qui multa bona illi concesserat, odio habuit. Diabolus DEVM amando non cognouit, & ideo liberationem ab ipso non quærit, sed illum super se scit. In hac autem odiali parte Adam Deum non recusauit, sed in multa vanitate similitudinem eius quæsiuit. Et Diabolus odium, quo DEVM odit, in Adam non inuenit; sed per consilium suum eum decepit: vnde & millenis artibus suis circuit, quærendo illum, qui in fide dubitet. Cum millenis enim artibus homini bonum prohibet; quia cum homo bona facere anhelat, tela sua ad ipsum mittit: & cum toto corde Deum in charitate amplecti desiderat, anxiali molestia eum peruolat, ne hoc coram Deo rectum sit: & cum viriditates virtutum quærit, ille in suggestione sua dicit ad ipsum, quod nesciat quid faciat; eumque docet, vt secundum proprietatem suam hanc legem sibi constituat, quam ipse bene cognoscat. Cuncta hæc prælium est, vt scri- C ptum est: Mille Clypei pendent ex ea, omnis armatu- Can. 4. ra fortium, hoc est: Primus enim clypeus, Confessio peccatorum est, quam vetus lex non habuit, vnde etiam cæca fuit: & pœnitentia post confessionem peccatorum, vt bonus pastor iubet, pallium nuditatis ve- Can. 4. teris legis est: & ideo sicut turris Dauid, collum eius exaltatum est in humanitate Saluatoris, de qua pendet omnis armatura fortium, quod sunt bene viuentes in coniunctione secundum præceptum legis, & continentes & virgines, qui ex turre ista pendent: quæ omnia vetus lex præsignauit, & CHRISTVS in incarnatione sua per seipsum ostendit, & post ascensionem suam per discipulos suos, & per cæteros, qui eos sequuntur vsque in nouissimum diem, complebit quod sunt mille clypei qui pendent ex ea, cum quibus bellum Gen. 3. contra antiquum serpentem (qui in primo homine cæteros seduxit) fit, vt cum homo in medio inimicorum suorum stat, his defendat, & vbique pugnet; ne ab inimicis suis occidatur, quemadmodum sponsus ad D Cant. 5. sponsam in Canticis loquitur: Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Quid dicitur? Christo Iesu, qui caput omnium est, homines velut crines adiuncti sunt, qui delictis per dulcedinem carnis, & criminosis peccatis pleni sunt, quos illi Ecclesia denuo regenerat, & ab immundo fœtore pulueris peccatorum, per pœnitentiam & confessionem purificat, velut etiam crines de rore & de guttis concutiuntur & soluuntur; quemadmodum etiam lana de puluere excutitur & mundatur, sic tu chare fili Dei, fac, quia in æternum viues, & quoniam lapis in cœlesti Ierusalem eris; ideo etiam acriter lucrari debes.

Abbas sancti Martini in Colonia Hildegardi.

DEo amabili Dominæ Hildegardi, A. qualiscunque minister S. Martini in Colonia, post cursum vitæ præsentis, Paradisum possidere æternæ amœnitatis. Domina Domina, vt vere creditur, à Deo dilecta E & benedicta, omnia quæ per vos virtus operatur diuina, vera profecto esse noui & sancta. Nec etiam fallor, quin quæcunque à Deo petieris, impetrare possitis, vti fideles homines adstruunt, qui hoc in veritate probauerunt. Vnde & ego certus, quantum audeo, sanctitatem vestram rogo, DEO pro me peccatore clementiam implorare, quatenus mihi nimium fluctuanti, & in miseriis laboranti, quodlibet solatium, consolationis impendere dignetur. Siquidem anxiatus est in me Ps. 142. inopinabiliter spiritus meus, & in me turbatum est cor meum, pro his quæ heu peccatis meis exigentibus, multis annis & nunc maxime patior, & nemo præter Deum nosse poterit, cuius oculis omnia nuda sunt & Hebr. 4. aperta. Et quia tantum in solius Dei cognitione sunt, quæ erga me sentio, nec certe cuilibet mortalium (si referrentur, essent credenda) quippe qui inexperta audiret, ac extra fidem constituta; idcirco per gratiam cooperatoris & protectionis nostri Spiritus sancti obsecro, vt quicquid eo reuelante vobis innotuerit, vel F spei de me ostendere dignatus fuerit, per omnia; sicut se res habet, scriptis tradita, per hunc reuerendissimum D. Abbatem renuncientur, vti ipse idem repromisit. Domina in Christo venerabilis, vtinam ad præsentiam sanctitatis vestræ; quod optatissimum haberem, venire potuissem, & agere vobiscum facie ad faciem: proculdubio quæ hactenus à scientia omnium abscondi, per singula vobis explananda crederem. Quid ergo? No- Ezech. 18. Matt. 9. ui, docente scriptura & fide Christiana tenente, nemini in carne constituto de Dei misericordia desperandum esse. Qua spe ductus, & præsertim Deum manifestè vobiscum esse sciens, his scriptis causas miseriarum mearum vobis suggerere præsumpsi, non incertum habens per vos quodammodo consolari, quod & summopere precor, si possibile est. Sponsus vester Christus, in suis vos perseueranter teneat amplexibus.

Responsum Hildegardis.

G DE viuente lumine hæc verba audiui: Tu fabro similis es, qui multa vasa fundit; & ea fulgentia per ignem non facit. Hinc disce quod opera tua fulgore charitatis non careant. Sed discretione ea circumfode, quatenus vnumquodque opus tuum rationabile sit. Et hæc quoque in abstinentia & oratione, ac in bona consuetudine Sanctorum fiant, qui de viuo fonte velut riuuli emanabant; & qui cibum hominibus dederunt, quem in gaudio deglutire potuerunt. Si enim tribuli pro pane dantur, comedi non possunt: ita etiam si stridentia verba per magistros discipulis dicuntur, ipsos non ædificant, sed in errorem eos ducunt. Magister *Modus docendi optimus.* namque verba doctrinæ suæ in materna dulcedine cribrare debet, ita vt discipuli gaudentes os suum aperiant, & illa deglutiant. Molendinum quippe granum molit; & hoc in multas varietates diuidit. Sic etiam plantatores Ecclesiæ ex veteri & noua lege legalia præcepta sumpserunt. Vetus enim lex Christum Dominum nasciturum prophetando ostendit. Sed ipse Christus H verbum suum in omnem terram prædicando emisit. Molendinum namque vetus lex est, quæ in Christo omne granum veritatis protulit: & pura farina, quæ de omni strage cribratur, virginitas est? quæ materies *Virginitas.* omnis spiritalis vitæ in Ecclesia existit, & hæc prolem obedientiæ gignit. Vnde etiam obedientes filij, osculum oris Christi sunt. Magister quoque obedientes discipulos in amplexione charitatis, & non in offensione iræ habeat: quia osculum Dei sunt, & pane puræ farinæ pascendi sunt. Inobedientibus autem filiis dura fa- *Inobedientia.* rina, id est, aspera correctio danda est. Sed his qui obedientiam omnino relinquunt, furfures proponendi sunt, quos animalia illa comedunt, quæ intellectu carent. Tu autem prouidus esto, & memoriam sanctitatis illorum, qui manna manducauerunt, tene, & de riuulis aquæ viuæ bibe, & pacificus, & timoratus esto in Deo, quatenus in horto ipsius de viriditate aliorum bonorum pigmentorum floreas: & stultitiam illorum fuge, qui

A Solem quem vident, relinquunt, & alium quem nec
vident, nec inuenire possunt, quærunt. Sed nouos
pigmentarios fuge, qui in proprietate sua legem pone-
re volunt, & non præualent. Nunc ergo incipe in eo
qui est, vt in illo finiaris qui erat, & qui venturus est.
Exod. 3. Apoc. 1. In duabus viis à Deo constitutus es: ita quod ipse in
bona scientia te vocat, & à mala scientia te protegit.
In his enim viis fulgentia opera & multæ passiones tri-
bulationum & ærumnarum sunt, quando temetipsum
per duas alas scientiæ boni & mali eleuas. Vnde etiam
tres vires addendæ, quas Deus homini posuit, scilicet
intellectum, & sensualitatem, & corporis motionem:
quæ omnia ipsi secundum possibilitatem suam nota
sunt. In istis tribus viribus, & in istis prædictis duabus
viis, Deus te habet. Nam per spiritum, Deum cum
intellectu vides: & per corpus, mala cum sensualitate
sentis. Bonum enim & malum scis, & spiritualis, &
corporalis es. Gratia Dei in admonitione te vocat, &
Spiritus sanctus igne suo te accendit, vt Deum diligas,
B &cum bonis operibus ad Deum ascendas. Sed sugge-
stio Diaboli interdum ab admonitione Dei abstrahit, &
prohibet ne Deum diligas, & per incendium suum te
hominem esse ostendit, & propter hoc etiam declarat,
impossibile tibi esse, quod inuisibilia interdum facias.
Quandam enim nigram & malam vicissitudinem sugge-
stio diaboli ad hominem flat, cum Deum negat, cum
enim Diabolus Deum esse negat, se fallacem scit, quia
cum se esse scit, Deum esse nouit. Ipse autem in pecca-
to nascentium hominum aliquam partem habet, per
Psal. 52. quam multos in carne lacerat. Qui enim in corde suo
Deum non esse dicit, cœlum & terram, & omnia vi-
uentia, quæ in Deo & cum Deo sunt, & seipsum esse
Contra atheistas. negat. Magna autem insipientia est, quod homo, qui
se videt, & se scit, in dubietate dicit, non sum: quia
etiam paruus puluis absque Deo non est. Sed cum ho-
mo in hac dubietate corpus suum superat; in spiritua-
libus etiam nequitiis Diabolum occidit: vnde præmium
& coronam coram Deo & Angelis eius, & coram om-
C ni cœlesti exercitu accipiet. Sufflatus quoque diaboli
multa illicita homini infert, quæ bona scientia dicere
erubescit. Consilium autem eius est, quod vana gloria
Iacob. 3. hominem adeat, sicut ibi fecit, vbi magnam ruinam
ædificauit, qua totam natiuitatis hominis torrenter
circuire fecit. Incendium quoque suum est, quod ho-
minem, quem ad imaginem Dei factum esse scit, ad
plurima illicita prouocat: vnde etiam in creaturis multa
impossibilia ei ostendit. Sed ipse nullam possibilitatem
in eis habet. Vnde persuasiones suas homini mittit,
vt ipse malitiam suam in opinione perficiat, & sic iter
legis Dei in irrisionem ducit, quatenus vnusquisque
homo legem, quasi Deus, per proprietatem voluntatis
suæ sibi ponat. Et hoc illi valde placet; quoniam nec
se, nec alium Deo subditum esse vult. Tu autem ô Fili
Dei, Deus qui te creauit, per victoriam militiæ suæ te
vult, vt in oculo scientiæ suæ appareas; quoniam te
non derelinquet. Solem ergo per fidem aspice, vt fi-
delis seruus sis, & in nocte lunam attende, quan-
D do vitia te opprimere volunt; ita vt timor Domini
omnia in te pertranseat, & non læderis; sed in æter-
num viues.

Abbatissa S. Glodesindis Hildegardi.

CHarissimæ sibi in Christo sorori Dominæ Hilde-
gardi, A. Abbatissa, quamuis indigna, S. Glode-
sindis in Meti, salutem in vero salutari. Quia de gratia
vestra & beneuolentia multum præsumimus, nolumus
vos latere, quod in periculo magno positæ sumus, dum
multorum regere animas cogimur, quæ nobis non suf-
ficimus. Inde est, quod sanctitatem vestram rogamus
attentius, & obsecramus in Domino Iesu, quatenus in-
scitiam nostram litteris vestris confirmare & exhortari
curetis, quid facere debeamus, vel stare in obedientia
nobis iniuncta, vel cedere, vt alia succedat, & melius
agat: si quid Dominus Iesus inde vobis reuelare digna-
bitur. Valete, & pro Deo Deum pro me orate, & be- E
neplacitum vestrum mihi citò rescribite.

Responsum Hildegardis.

MOns Sion altus est, & vmbra ipsius in valles ex-
tenditur, altitudinem ipsius sic ostendens. Alij
etiam montes in hac peregrina terra sunt, per quos ip-
sa firmatur; & qui etiam populis ad intuendum pulchri
sunt. In altitudine Sion & aliorum montium, Prælati
& Magistri qui firmamentum Ecclesiæ sunt, designan-
tur: & discipulæ, filiæ Sion nominantur. Sed si mons
iste caderet, vel si eum alij destruerent, magna iniuria
esset. Hinc enim quisque qui in Magisterio est, rectè
prouideat quomodo seipsum deponat, & quomodo per
alios deijciatur. Nam sicut montes plurimis ad defen-
sionem minorum suorum sunt; sic etiam qui in magi-
sterio stant, per doctrinam & obedientiam, quæ eis in
Deo exhibetur, defensio multorum ab insidiis inimico-
rum suorum est. Vnde vnusquisque magister, quandiu F
verba doctrinæ proferre potest, virgam correctionis,
quam de manu Dei accepit, non abijciat: quia sæpe lu-
tum luto abjicitur, sicut magister per discipulos, &
discipuli per magistrum abluuntur. Propter metum
enim discipulorum se affliget, & à tortoribus inquie-
torum discipulorum punitur; vt summum magistrum,
qui eum sic præcessit, imitetur. Et dicet: Præcepta tua
eis ostendi; &c. Et etiam dicet: Qui habet aures au- Mat. 13.
diendi, audiat. In his enim disce, ne propter nebulam
vicissitudinis discipulorum tuorum; nec etiam propter
tædium laboris fugias. Nam multi plus propter tædium
laboris, quam propter necessitatem illam, quod disci-
pulos suos vincere non possunt, fugiunt. Clara autem
dies, quam tempestas non obnubilat, gaudium pleni-
ter habet. Illam Adam ante casum habuit. Sed primus
fallax deceptor ipsam diem, & per suggestionem suam
obnubilauit, in qua septem Plagæ sunt, quæ animam 7. Plagæ.
vulnerant. Prima plaga, vana gloria est, quæ hoc ad se Prima.
colligit, quod nec messuit, nec seminauit; & quod ei G
donatum à Deo non est, sibi constituit. Hoc primus
deceptor docuit; quia ipse idem fecerat, & ideo vana
gloria Deum non quærit. Secunda, quod homo sentit,
quia peccare potest; & inde delectationem carnis sibi 2
thesaurizat, & de gustu ipsam delectationem ample-
ctendo osculatur. Tertia ruinam cum magnis doloribus 3
in squalidis moribus ædificat, ita quod homo viuit quasi
Deo mortuus sit, & quod vix etiam sperat quod Deus
eum sciat. Sed quarta fallacia est, per quam homo de
prædictis peccatis se excusat & defendit; ita scilicet 4
quod tam periculosa non sunt vt ei ostendantur, atque
ideo ita odiosus ad homines fit, quod nemini confidit.
Quinta, superbia est, quæ dicit; quia homo propter
carnem humanitatis suæ, de peccatis se abstinere non 5
possit, & ideo inconueniens esset, quod à carnalibus
desideriis secederet. Hanc legem superbia in temeritate
sibi ponit, vnde & nullum respectum ad Deum habet.
Et sexta plaga est, quod homo salutem suam à creatura 6
quærit, & ab ea postulat, vt ipsi vnamquamque rem
ostendat, & ita creatorem suum in irrisione habet, &
nihil ab eo quærit velut ipsum adiuuare non possit. H
Septima verò plaga, est idololatriæ seruitus, quæ dia-
bolum adorat & Deum contemnit. Et ista septem vitia,
quasi militiam sibi subditam in negotiis suis super nu- 7
merum ramorum arborum habent; quia omnia hæc in
transgressione comestionis, quod Adam comedit, la-
tuerant: idèoque Deus ad ipsum dixit: In qua hora co-
mederis, morte morieris. Idcirco Deus hoc præceptum
ei constituit, ne diabolo quid simile faceret, scilicet Genes. 3.
quod sine præcepto non esset, sicut ille esse voluit: vn-
de nullus homo propter primam suggestionem diaboli,
quam Adam suscepit, in hac vita securus esse potest.
Vnde, ô tu filia Dei, fortissima armatura septem dono-
rum Spiritus sancti te circumcinge, cum quibus hæc
septem vitia tibi subijcies, ne de ipsis plangens vulne-
reris, & vt probus miles per fortissima bella ea supe-
rando

A tando surge, quærens in æternum viuas. Deus in speculo saluationis te ô filia videat.

Sacerdos quidam Hildegardi.

Cant. 2. Hildegardi castæ columbæ in foraminibus petræ latitanti, C. ex famulis Christi minimus sacerdos, intimæ orationis deuotionem, & quidquid spectat ad æternam salutem. Quia Dei gratia lux vestra coram hominibus salubriter lucet, patrem vestrum, qui vos ardentem lucernam ad illuminationem Ecclesiæ supposuit, glorifico : & quamuis fragilis & peccator, Sanctitati tamen vestræ qua cælestis sponsi amplexibus singulari priuilegio inhæretis, cordialiter congaudeo. Charitatem etiam vestram ignorare nolo, quod die noctuque vos facie tenus videre desidero, & assidue vestri memoriam in oratione mea faciens, vos absentem corpore quasi præsentem interdum amplector mentè. Ergo perfectionem vestram humiliter deprecor, vt sponso vestro, sub cuius vmbra secure requiescitis, me iuxta viam mendicantis commendetis, ne prætereiens turba clamorem meum compescat : sed orationibus vestris ad Dominum adductus, merear illuminari, & à cæcitate cordis sanari. De corpore & de sanguine Christi, in quibus tota spes fidelium est, etiam docete me, & qualiter in spiritu tam incorrectum quam correctum, ad idem sacramentum sacerdotem accedentem videatis, mihi in Domino manifestare curetis. Dominus qui in omnibus, & super omnia est, vobis infundat ea, quæ Ecclesiæ sanctæ suæ ad gloriam conueniunt. Valete.

(Margin: Matt. 5. — Mat. 21. B Marc. 11.)

Hildegardis de corpore & sanguine Christi.

August. IN vera visione vigilantibus oculis, de sacramento Dominici corporis hæc verba audiui & vidi : Deus id quod fuit, permansit : & quod non erat, assumpsit. Quod est : Diuinitas vt ante æuum fuit, ita in æternum permansit, velut tota diuisa non est. Sed incarnatio filij nondum caro & sanguis apparuit, quæ ante æuum in corde patris prædestinata latuit. Tempore autem illo, quo prædestinatum fuit, filius carnem induit, & vi fortitudinis suæ se præcinxit, quemadmodum scriptum est : Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Et ipsa indumenta sanctæ incarnationis Angelus simplicitati Virginis nunciauit, in qua fundamentum humilitatis inuenit, sicut Deus illud posuit, quia ancillam Domini se nominauit, vbi idem Angelus ad eam dixit : Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Nam Spiritus sanctus omni humanæ scientiæ superexcellentius eam visitauit, alio scilicet modo se illi infundens, quam nunquam vlli fœminæ in pariendo infunderetur, & virtus Altissimi illam obumbrauit, quoniam in calore suo ipsam ita deliniuit; vt ei omnem feruorem peccati in dulcissima obumbratione sua ex toto abstergeret, velut homo propter æstum solis vmbram quærit. Itaque eadem virtus Altissimi, quæ in vtero Virginis carnem operata est, super altare ad verba sacerdotis oblationem panis & vini in Sacramentum carnis & sanguinis conuertit, virtute sua illud fouens. Vnde & natiuitas, passio, sepultura, resurrectio, ascensioque Filij superni Patris, in eodem sacramento apparent, velut circulus nummi dominum suum ostendit : & hoc ideo fit, quia vulnera hominum, qui in præuaricatione Adæ inuolui in peccatis semper peccantes sunt, in vulneribus & sanguine Christi sanentur, abstergantur, & vngantur; & sic membra ipsius efficiantur, & hoc vsque ad nouissimum diem erit. Et iterum vidi, quod si etiam sacerdos propter multas putredines cicatricum peccatorum suorum dignitate sanctitatis caret; si tamen per ligaturam superioris magistri ligatus non est, virtus Altissimi miracula sua in eadem oblatione operatur : & omnes, qui idem sacramentum de manu eius fideliter accipiunt, quasi radio solis illuminantur. Si autem ille fide & opere iustus est, anima ipsius super radiantem fulgorem solis illustratur. Sed omnes qui per consilium antiqui serpentis, illusiones & schismata in hac sacratissima oblatione faciunt, similes perditis Angelis sunt, qui Deum in honore suo vnum esse negauerunt, cum similes illi esse voluerunt : ita & homines isti proprietatem voluntatis suæ, per sacramenta hæc perficere volunt; quapropter etiam cum illis pereunt, nisi per confessionem peccatorum, & per pœnitentiam eorum, ac per lacrymabilem vocem ad Deum currant, dicentes: Ah! ah! quia peccauimus. Tunc Deus Pater suscipit eos, qui filium suum ignorantes vulnerauerunt. Hoc sacramentum, resurrectionemque vitæ Sadducæi, qui per omnia errant, hoc modo proterue errando negant: velut homo ille erraret, qui carnem sine spiritu, & spiritum sine carne hominem esse diceret : quod nullo modo esse potest. Ideo isti omnibus errantibus peiores, quoniam cum minima creatura, quæ à Deo facta est, solummodo vno vocabulo non perficiatur, quomodo homo, qui omnem creaturam comprehendit, vno vocabulo diffiniri posset? Hyems enim arescit, æstas vero floret : Sed tamen hyems æstati viriditatem suam retinet, donec ipsa grossos suos in plenitudine proferat. Sic sunt corpus & anima. Corpus deficit, anima autem in indeficienti vita permanet, in quacumque parte sit.

(Margin: C — Psal. 92. Luc. 1. — Luc. 1. — D — E — Thr. 5. — F)

Abbatissa in Elostat.

1. Cor. 2. Hildegardi Dominæ suæ, O. famularum Christi in Elostat gubernatrix indigna, per hoc quod intime gustauit cæleste donum consequi, perfectiusque illud bonum. Benedictus Iesus Christus, cuius odor bonus estis Deo in omni loco, quoniam non iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri in vos defluxit vnguenti, cuius odor suauissimus, nomen vestrum cunctorum ita indulcauit cordibus & auribus, vt in simul omnes vestræ humilitatis & affabilitatis insignia commendent, & patrem vestrum qui in cælis est, in vobis glorificent. Igitur mater benedicta da veniam, & sustine non modicum quid insipientiæ meæ : sed magnam insipientiam meam sine vi paululum coram te cordis mei dolorem aperiam, & cum audieris, consolare (obsecro) ancillam tuam. Porto enim pondus importabile, quoniam iubeor fortitudines sororum mearum corrigere, cum nec aliqua pericula, quæ me vbique impugnant, quamuis modice valeam deuitare. Cum ergo egressa fueris ad videndum Regem Salomonem in decore suo, memor esto horum quæ à te petiui toto ex animo. Valete.

(Margin: Math. 5. G 2. Cor. 11.)

Responsum Hildegardis.

O Filia Dei, quandiu possibilitatem habueris inter filias ipsius, labora, & in pusillanimitate ad Deum suspirando, legem tuam obserua; quia labor tuus ad Deum clamat & orat. Homo enim qui in cauerna iustitiæ Dei & in arcta via laborat; sed tamen casui Adæ annuit, & de hoc flagella pœnitentiæ quærit : & nullus in hoc dubitet, quin post flagella pœnitentiæ, cælestis ianua eum suscipiat. Nam quicunque agrum corporis sui per discretionem lacerat, subitanea præuentio finis illi non nocebit, quia symphonia Spiritus sancti & læta vita eum suscipiet. Sed cauendum est, ne homo per nimietatem laborum, corpus suum occidat, sed in rationalitate peccata prohibeat. Filia, memor esto quod possibilitatem, hominem creare, non habes, vnde Deum leniter ora, vt meliorem vitam tibi det, & hoc Deo acceptius est, quam quod in nimietate tristitiæ ipsum deprecetis. Deus te templum vitæ faciat.

(Margin: Math. 7. H)

Elizabeth Magistra in Schonaugia Hildegardi.

DOminæ Hildegardi venerabili magistræ sponsarum Christi, quæ sunt in Pingia, E. humilis monacha & magistra sororum quæ in Schonaugia sunt

A devotas cum omni dilectione orationes. Gratia & consolatio Altissimi repleat nos gaudio; quia meæ perturbationi benigne compassa estis, sicut ex verbis consolatoris mei intellexi; quem de mei consolatione diligenter commonuistis. Sicut enim vobis de me reuelatum fuisse dixistis, fateor vere quandam perturbationis nubem me nuper in animo concepisse, propter ineptos sermones populi multa loquentis de me, quæ vera non sunt. Sed vulgi sermones facile sustinerem, si non & hi qui in habitu religionis ambulant, spiritum meum acerbius contristarent. Nam & hi nescio quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me derident: & de his quæ ignorant, temere iudicare non formidant. Audio & quosdam, litteras de suo spiritu scriptas, sub nomine meo circumferre: De die iudicij me prophetasse diffamauerunt, quod certè nunquam facere præsumpsi, cum omnium mortalium cognitionem fugiat eius aduentus. (Mat. 24.) Sed eius famæ occasionem vobis aperiam, vt iudicetis vtrum præsumptuose quicquam in hac re fecerim, aut dixerim. B Sicut per alios audistis, magnificauit Dominus misericordiam suam mecum supra quam meruerim, (Luc. 1.) aut mereri vllatenus possim; in tantum vt cœlestia quædam mihi sacramenta frequenter reuelare dignatus sit. Significauit etiam mihi per Angelum suum frequenter, qualia ventura erant super populum suum in his diebus nisi agerent pœnitentiam de iniquitatibus, atque vt palam hæc annunciarem, præcepit. Ego autem vt arrogantiam euitarem, & ne Auctrix nouitatum viderer, (inquantum potui) omnia hæc studui occultare. Cum ergo solito more, quadam Dominica die essem in mentis excessu, adstitit mihi Angelus Domini, dicens: Quare abscondis aurum in luto? hoc est, verbum Dei, quod per os tuum missum est in terram, non vt abscondatur, sed vt manifestetur ad laudem & gloriam Domini nostri, & ad saluationem populi sui? Et hoc dicto, eleuauit super me flagellum, quod quasi in ira magna quinquies mihi amarissime inflixit, ita vt per triduum in toto corpore meo ex illa percussione languerem. C Post hæc apposuit digitum ori meo, dicens: Eris tacens vsque ad horam nonam, quando manifestabis ea quæ operatus est Dominus tecum. Ego vero vsque ad horam nonam muta permansi. Tunc significaui magistræ, vt afferret ad me libellum quendam, quem in strato meo absconderam, continentem ex parte ea, quæ fecerat Dominus mecum. Quem cum offerrem in manus domini Abbatis, qui ad visitandum me venerat, soluta est lingua mea in hæc verba: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. (Ps. 113.) Post hæc cum & alia quædam ipsi reuelassem, quæ scripto committi nolueram, videlicet de vindicta Domini magna, quam vniuerso mundo in breui superuenturam ab Angelo didiceram, rogaui illum diligentissime, vt verbum illud apud se haberet absconditum. Præcipit autem mihi, vt operam darem orationi, atque à Domino postularem, vt daret mihi intelligere, vtrum ea quæ dixeram, silentio tegi vellet, an non. Cumque per aliquod tempus pro hac re orationi insistendo me afflixissem, in D aduentu Domini in festiuitate S. Barbaræ, in prima vigilia noctis corrui in extasim, & adstitit mihi Angelus Domini, dicens: Clama fortiter, & dic, Heu! ad omnes gentes, quia totus mundus in tenebras est conuersus. Et dices: Exite, ille vos vocauit, qui de terra vos formauit, & dicit: Pœnitentiam agite, quia prope est regnum Dei. (Matt. 3. & 4.) Hoc ergo sermone inductus dominus Abbas, cœpit diuulgare verbum coram magistratibus Ecclesiæ & viris religiosis. Quorum quidam cum reuerentia verbum exceperunt, quidam vero non sic, sed sinistre locuti sunt. Factum est ergo, vt multi apud quos sermo iste diffamatus est, per totum tempus quadragesimale in timore magno per pœnitentiam sese affligerent, & eleemosynis & orationibus insisterent. In tempore illo, quidam nescio quo zelo ductus, ad vrbem Coloniam in persona domini Abbatis, ipso (nouit Deus) ignorante, litteras direxit, in quibus terribiles quædam comminationes (audiente omni populo) lectæ

E sunt. Vnde quanquam ab insipientibus illusum nobis sit, prudentes tamen (vt audiuimus) reuerenter sermonem animaduerterunt, & pœnitentiæ fructibus Deum honorare non contempserunt. Factum est autem in quarta Feria ante diem Paschæ, cum post magnos labores corporis in extasim venissem, apparuit mihi Angelus Domini, & dixi ad eum: Domine, quid fiet de verbo quod locutus es ad me? Qui respondit: Noli contristari, neque perturberis, si non in die quam determinaui tibi, euenerint quæ prædixi; quoniam multorum satisfactione placatus est Dominus. Post hæc in sexta Feria circa horam tertiam cum graui passione veni in mentis excessum, & rursum adstitit mihi, dicens: Vidit Dominus afflictionem populi sui, & auertit indignationis suæ iram ab eis. Cui dixi: Quid ergo Domine mi: nonne ero in irrisionem omnibus, apud quos verbum hoc diuulgatum est? Qui ait: Omnia quæ occasione hac euenerunt tibi, patienter & beneuolè sustineto. Illum diligenter animaduerte, qui cum esset totius orbis creator, hominum irrisiones sustinuit. F Nunc primum patientiam tuam Dominus probat. Ecce Domina mea totum ordinem rei vobis explicaui, quatenus & vos innocentiam meam & Abbatis mei cognoscatis, & aliis manifestare possitis. Obsecro autem, vt & orationum vestrarum participem me faciatis, & prout spiritus Domini vobis suggesserit, aliqua mihi consolatoria verba rescribatis. Gratia Christi vobiscum.

Responsum Hildegardis.

EGo paupercula & fictile vas, hæc non à me, sed de serena luce dico: Homo vas est, quod Deus sibimetipsi ædificauit, & quod sua inspiratione imbuit, vt opera sua in illo perficeret: quia Deus non operatur vt homo, sed in iussione præcepti eius omnia perfecta sunt. Herbæ, ligna & arbores apparuerunt: Sol quoque, luna & stellæ in sua ministratione processerunt, (Gen. 1.) & aquæ pisces, & volatilia produxerunt: precor etiam & bestiæ surrexerunt quæ omnia ministrant homini, H sicut Deus ea posuit. Solus autem homo illum non cognouit. Nam cum Deus magnam scientiam homini daret, homo in animo suo se erexit, & se à Deo auertit. Deus omnium, illum sic inspexerat, quod cuncta opera sua in illo perficeret. Sed antiquus deceptor illum fefellit, & crimine inobedientiæ illum infecit cum delectatione incongrui venti, dum plus quæreret quam deberet. Ah! ô! væ. Tunc omnia elementa implicuerunt se in vicissitudinem luminis & tenebrarum, sicut & homo fecit in transgressione præceptorum Dei. Deus autem quosdam homines irrigauit, ne homo ex toto derideretur. Abel bonus erat, Caïn autem homicida. (Gen. 4.) Et multi mystica Dei in luce viderunt, sed alij plurima peccata fecerunt, vsque dum venit tempus illud, in quo verbum Dei claruit, vt dictum est: Speciosus forma præ filiis hominum. (Psal. 44.) Tunc sol iustitiæ processit, & homines cum bonis operibus illuminauit in fide & in opere, sicut aurora primum procedit, & cæteræ horæ diei subsequuntur, vsque dum nox accedat. G Sic, ô filia Elizabeth mundus mutatur. Iam enim mundus lassus est in omni viredine virtutum: scilicet in aurora, in prima, in tertia, & fortissimè in sexta hora diei. Et ideo in hoc tempore necesse est, quod Deus aliquos homines irriget, ne instrumenta ipsius ociosa sint. Audi ô solicita filia, quia homines istos quos inspiratio Dei ita imbuit, aliquantulum fatigat ambitiosa suggestio antiqui serpentis. Cum enim idem serpens elegantem gemmam viderit, mox rugit, dicens: Quid est hoc? Et fatigat illam multis miseriis flagrantis mentis, supra nubes volare cupientis, quasi dij sint, sicut & ipse facit. Nunc iterum audi: Qui opera Dei perficere desiderant, (2. Cor. 4.) semper attendant, quod fictilia vasa sunt, quoniam homines existunt, & semper adspiciant quid sint, & quid futuri sint, & cœlestia relinquant illi qui cœlestis est, quoniam ipsi exules sunt, cœlestia nescientes, sed tantum mystica Dei canentes: sicut tuba, quæ solummodo

sonos

A sonos dat, nec operatur, sed in quam alius spirat, vt sonum reddat. Sed & loricam fidei induant mites, mansueti, pauperes & miseri existentes, sicut etiam agnus ille fuit, cujus sonus tubæ ipsi sunt, mores etiam simplices infantis habentes, quia Deus illos semper flagellat, qui in tuba ipsius canunt, præuidens ne fictile vas illorum pereat; sed vt sibi placeat. O filia, Deus faciat te speculum vitæ. Sed & ego quæ iaceo in pusillanimitate timoris, interdum sonans aliquantulum velut paruus sonus tubæ à viuente lumine; vnde Deus iuuet me, vt permaneam in suo ministerio.

Præpositus in Franckenfort Hildegardi.

Hildegardi in Christo dilectæ Dominæ suæ, G. solo nomine Præpositus in Franckenfort, post Marthæ laborem, Mariæ consolationem. Desiderio desideraui vestram conspicere personam. Sed diuersis negotiis nos impedientibus, nunc saltem facultatem nobis
B dedit Deus per litteras vos amplecti atque salutare. Nolumus etiam vos ignorare nomen nostrum, personam nostram, simulque cum salute super omni diligentia nos amplecti atque honorare, Deumque pro vobis pro posse nostro die noctuque interpellare. Rogamus ergo clementiam vestram, vt mei peccatoris coram Diuinæ maiestatis clementia mentionem facere velitis. Valete quandiu in supernis dicitur Hodie.

Responsum Hildegardis.

IN vera visione hæc verba vidi & audiui: Prima lux diei rutilat, postea aurora denudatur, & etiam interdum cum magna vicissitudine nubium implicatur, & sic aquilo surgit, & magna suspiria facit; quia priora tempora diei absque vicissitudine turbinis pulchra erant. Vnde ô vir qui scientiam boni & mali habes, prouide qui mores tui, & quæ opera coram Deo sint à pueritia tua, ne zelus Domini percutiat te, & ne anima tua
C cum de corpore tuo exierit, dicat: O væ mihi! quo ambulo? & quo ibo? vel quales dies mihi sunt? & qualia opera me tangunt? Illa scilicet, quæ mihi molendinum corporis mei exhibuit. Caue etiam ne tremiscas, cum superni ciues tibi dixerint: Vide qualis sit Deus. Nunc in æternum viues.

AD PRÆLATOS MOGVNTINENSES propter diuina per illos interdicta, Hildegardis.

IN visione, quæ animæ meæ antequam nata procederem, à Deo opifice infixa est, coacta sum ad scribendum ista, pro ligatura, qua à Magistris nostris alligatæ sumus propter quendam mortuum, conductu sacerdotis sui apud nos sine calumnia sepultum. Quem post paucos sepelitionis suæ dies, cum eundem Magistri nostri nos à cœmeterio nostro ejicere iussissent, ex hoc
D non minimo terrore correpta, ad verum lumen vt solita adspexi, & vigilantibus oculis in anima mea vidi, quod si iuxta præceptum ipsorum corpus eiusdem mortui efferretur, eiectio illa in modum magnæ nigredinis ingens periculum loco nostro minaretur, & in similitudine atræ nubis, quæ ante tempestates & tonitrua apparere solet, nos circumuallaret. Vnde corpus eiusdem defuncti, vtpote confessi, inuncti & communicati, & sine contradictione sepulti, nec efferre præsumimus, nec consilio seu præcepto istud suadentium vel iubentium acquieuimus, non consilium proborum hominum, aut Prælatorum nostrorum omnino parupendentes; sed ne Sacramentis Christi, quibus ille viuens adhuc, munitus fuerat, iniuriam sæuitate fœminea facere videremur. Sed ne ex toto inobedientes existeremus, à Diuinarum laudum canticis hactenus secundum eorum interdictum cessauimus, & à participatio-

E ne Domini corporis; quoniam per singulos fere menses ex consuetudine frequentauimus, abstinuimus. Super quo dum magna amaritudine tam ego quam omnes sorores meæ affligeremur, & ingenti tristitia detineremur, magno tandem pondere compressa, verba ista in visione audiui: Propter verba humana, Sacramenta indumenti verbi mei, quod salus vestra est, & quod in virginea natura ex Maria virgine natum est, dimittere vobis non expedit: Sed inde vobis à prælatis vestris, qui vos ligauerunt, licentia quærenda est. Ex quo enim Adam de lucida regione Paradisi in huius mundi exilium depulsus est, omnium hominum conceptio merito primæ transgressionis corrupta est, & ideo necesse est, vt ex impenetrabili consilio Dei, ex humana natura homo sine contagione totius læsionis nasceretur, per quam omnes ad vitam prædestinati, à sordibus cunctis mundarentur, & vt ipse in eis, & illi in ipso ad munimentum suum semper manerent, corpore ipsius communicando, sanctificarentur. Qui autem, sicut Adam,
F præceptis Dei inobediens existit, & eum omnino in obliuionem habet, hic à corpore eius separari debet, quemadmodum per inobedientiam ab eo auersus est, donec per pœnitentiam purgatus, à magistris iterum corporis eiusdem Domini communicare concedatur. Qui vero in tali ligatura se esse nec conscientia, nec voluntate cognouerit, securus ad perceptionem viuifici Sacramenti accedat, mundandus sanguine agni immaculati, qui seipsum obediens patri ad salutem omnibus restituendam in ara crucis immolari permisit. In eadem quoque visione audiui; quoniam in hoc culpabilis essem, quod cum omni humilitate & deuotione ad præsentiam magistrorum meorum non venissem, vt ab eis licentiam communicandi quærerem, maxime cum susceptione illius mortui culpa non teneremur, qui omni Christiana rectitudine munitus à sacerdote suo, cum tota Pingensi processione sine contradictione cuiusquam sepultus esset. Et ita hæc vobis Dominis & Prælatis nuncianda, mihi diuinitus imposita sunt. Adspexi
G etiam aliquid super hoc, quod vobis obediendo hactenus à cantu Diuini officij cessantes, illud tantummodo legentes remisse celebramus, & audiui vocem à viuente luce procedentem de diuersis generibus laudum, de quibus Dauid in Psalmis dicit: Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in Psalterio & cithara, &c. vsque ad id: Omnis spiritus laudet Dominum. (Psal. 150.) In quibus verbis per exteriora de interioribus instruimur, quomodo secundum materialium compositionem, vel qualitatem instrumentorum, interioris hominis nostri officia, ad creatoris maxime laudes conuertere & informare debeamus. Quibus cum diligenter intendimus, recolimus, qualiter homo vocem viuentis spiritus requisiuit, quam Adam per inobedientiam perdidit, qui ante transgressionem adhuc innocens, non minimam societatem cum Angelicarum laudum vocibus habebant, quam ipsi ex spiritali natura sua possident, qui à spiritu qui Deus est, semper vocantur. (Ioan 4.) Similitudinem ergo vocis Angelicæ, quam in Paradiso habebat, Adam perdidit, & in
H scientia qua ante peccatum præditus erat, ita obdormiuit, sicut à somno euigilans de his, quæ in somnis viderat, inscius & incertius redditur, quando suggestione Diaboli deceptus, & voluntati creatoris sui repugnans, tenebris interioris ignorantiæ ex merito iniquitatis suæ inuolutus est. Deus vero qui animas electorum luce veritatis, ad pristinam beatitudinem reseruat, ex suo hoc adinuenit consilio, vt quandoque corda quamplurium, infusione prophetici spiritus innouaret, cuius interiori illuminatione aliqua deficientia in illa recuperarent, quam Adam ante præuaricationis suæ vindictam habuerat.

Vt autem etiam Diuinæ illius dulcedinis & laudationis, qua in Deo, priusquam caderet, idem Adam iocundabatur, & non eius in hoc exilio recordarentur, & ad hæc quoque ipsi prouocarentur, iidem S. Prophetæ eodem spiritu quem acceperant, edocti, non solum Psalmos & Cantica, quæ ad accendendam audien-

A tium deuotionem cantarentur, sed & instrumenta musicæ artis diuersa, quibus cum multiplicibus sonis proferrentur, hoc respectu composuerunt, vt tam ex formis quam ex qualitatibus eorundem instrumentorum, quam ex sensu verborum, quæ in eis recitarentur audientes, (vt prædictum est) per exteriora admoniti & exercitati, de interioribus erudirentur. Quos, videlicet sanctos Prophetas, studiosi & sapientes imitati, humana & ipsi arte nonnulla organorum genera inuenerunt, vt secundum delectationem animæ cantare possent, & quæ cantabant, in iuncturis digitorum, quæ flexionibus inclinantur, adaptarunt, vt & recolentes Adam digito Dei, qui Spiritus sanctus est, formatum [Gen. 11. Exod. 8.] in cuius voce sonus omnis harmoniæ, & totius musicæ artis antequam delinqueret, suauitas erat; & si in statu quo formatus fuit, permansisset, infirmitas mortalis hominis virtutem & sonoritatem vocis illius nullatenus ferre posset. Cum autem deceptor eius diabolus audisset, quod homo ex inspiratione Dei cantare coepisset, & per hoc ad recolendam suauitatem canticorum B cœlestis patriæ inuitaretur, machinamenta calliditatis suæ in irritum ire videns, ita exterritus est, vt non minimum inde torqueretur, & multifariis nequitiæ suæ commentis semper deinceps excogitare & exquirere satagit, vt non solum de corde hominis per malas suggestiones & immundas cogitationes seu diuersas occupationes, sed etiam de corde Ecclesiæ, vbicumque potest, per dissensiones & scandala, vel iniustas depressiones, confessionem & pulchritudinem Diuinæ laudationis & spiritualium hymnorum, perturbare vel auferre non desistit. Quapropter summa vigilantia vobis & omnibus Prælatis satagendum est, & antequam os alicuius Ecclesiæ, laudes Deo canentium per sententiam claudatis, vel eam a tractandis, vel percipiendis sacramentis suspendatis, causas pro quibus hoc faciendum sit, diligentissime prius discutiendo ventiletis. Est studendum vobis, vt ad hoc idem zelo iustitiæ Dei, non indignatione vel iniusto motu animi, C seu desiderio vltionis trahamini, & cauendum semper, ne in iudiciis vestris circumueniamini à Sathana, qui hominem à cælesti harmonia, & a deliciis Paradisi extraxit. Pensate itaque; quoniam sicut corpus Iesu Christi de Spiritu sancto ex integritate Virginis Mariæ natum est, sic etiam canticum laudum, secundum cælestem harmoniam per Spiritum sanctum in Ecclesia radicatum: corpus vero indumentum est animæ, quæ viuam vocem habet, ideoque decet vt corpus cum anima per vocem Deo laudes decantet. Vnde & Propheti- [Psal. 150.] cus Spiritus per significationem iubet vt in cymbalis iubilationis, & cæteris instrumentis musicis Deus laudetur, quæ sapientes & studiosi adinuenerunt, quoniam omnes artes quæ ad vtilitatem & necessitatem ho- [Gen. 2.] minum pertinent, a spiraculo, quod Deus misit in corpus hominis, repertæ sunt: & ideo iustum est, vt in omnibus laudetur Deus. Et quoniam in auditu alicuius cantionis interdum homo sæpe suspirat & gemit, naturam animæ cælestis harmoniæ recolens, Propheta spiritus naturam considerans & sciens; (quia symphonia- D lis est anima) hortatur in Psalmo, vt confiteamur Do- [Psal. 32. & 91.] mino in cithara, & in Psalterio decem chordarum psallamus ei: Citharam quæ inferius sonat, ad disciplinam corporis: Psalterium, quod de superioribus sonum reddit, ad intentionem spiritus: Decem chordas, ad contemplationem legis referre cupiens. Qui ergo Ecclesiæ in canticis laudum Dei, sine pondere certæ rationis, silentium imponunt, consortio Angelicarum laudum in cælo carebunt, qui Deum in terris decore suæ laudis iniuste spoliauerunt, nisi per veram pœnitentiam & humilem satisfactionem emendauerint. Qui [1. Tim. 3.? 11.] ergo cœli claues tenent, districte caueant, ne eis & claudenda aperiant, & aperienda claudant: quia iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet; nisi vt ait Apostolus, præsint in sollicitudine. Et audiui vocem [Rom. 12.] sic dicentem; Quis creauit cœlum Deus? Quis aperit fidelibus suis cælum? Deus. Quis eius similis? nullus.

E Et ideo ô fideles, nemo vestrum resistat, vel se opponat, ne fortitudine sua super vos cadat, & nullum adiutorem, qui vos in iudicio eius tueatur, possitis habere. Istud tempus muliebre est, quia iustitia Dei debilis est. Sed fortitudo iustitiæ Dei exudat, & bellatrix contra iniustitiam existit, quatenus deuicta cadat.

O Vera sapientia, quæ absque omni initio & constitutione æternus Deus existis, quanta mysteria in creaturis operi tuo, scilicet homini, subditis, fecisti, quando vires potentiæ tuæ creando emisisti? Tu enim pulchrum tectum cum pulcherrimis fenestris suis, scilicet firmamentum cum luminaribus illis creasti, in quod Solem, qui lumine suo omnia super terram & sub terra regit & illuminat, constituisti, cui etiam cætera luminaria adhærent, & per quem lucent, sicut omnes creaturæ tibi obsecundant, & in te in genere suo vita existunt. Tu autem summus infimam creaturam tetigisti, & humanitatem ex illa induisti, per quam inimicum tuum ex toto superasti, qui inuidia sua hominem quem F plasmaueras, in Paradiso seduxit. Tu enim vera charitas æterne Deus, omnibus creaturis tuis sapienter creatis & ordinatis & præparatis, tandem hominem, quasi ad prandium præparatum vocandum, formasti in tam breui mora. Sic vocatur initium diei esse, quando sci- [Gen. 2.] licet aurora consurgit ante solem: & statim inspirasti in ipsum spiraculum vitæ; sicut etiam sol post auroram statim radios suos fulgendo emittit, spiraculum autem vitæ, anima est, quæ ignis existit, cuius flamma rationalitas est, per quam vires animæ in scientia boni & mali cognoscuntur, sicut etiam sol per splendorem suum cognoscitur. Mora autem, in qua Dominus Adam in Paradisum posuit, & gloriosam iocunditatem eiusdem Paradisi ei ostendit, omnem fructum illius, excepto ligno scientiæ boni & mali, ei concedens, fuit quasi prima vsque ad tertiam. Mora vero, qua vocauit Adam nominibus eorum cuncta animantia & volatilia cœli, quæ in visione scientiæ suæ vidit & cognouit, & in qua Dominum in claritate Diuinitatis suæ sibi lo- G quentem audiuit, spatium habebat sicut horæ tertiæ vsque ad sextam: Qua scilicet Deus ei tunc in orientali parte apparuit, nec eius vultum, sed claritatem quandam vultus eius vidit. Qua cognitione lætificatum, Deus in ipsum soporem misit; & ita læto animo in desiderio soporis, velut filius coram patre suo obdormiuit. In sopore autem illo Deus spiritum ipsius in eam altitudinem sustulit, de qua in corpus eius miserat cum scientia boni & mali, & ea, quæ ventura erant, scilicet de progenie illius ad cœlestem Ierusalem implendam, præostendit. Et in eodem sopore costam de ipso tulit, & in mulierem ædificauit, qua adducta & visa, Adam gauisus est valde. Ipse autem & vxor eius considerantes quid comedere vel operari primum deberent, ipsa propter lignum scientiæ boni & mali stans, virum suum expectabat. Antiquus vero serpens cognoscens, quia [Gen. 3.] in alium respiceret, sicut Angeli in Dominum respiciunt, eam ad decipiendum aggressus est. Mora autem in qua hæc facta sunt, fuit quasi spatium sextæ vsque ad nonam. Mulier quam Dominus in Paradiso de viui- H ficati hominis costa ædificauerat, tunc in præscientia [Gen. 2.] sua habens & præuidens vitam per quam omnis vita subsistit, quandoque in mulierem descensuram, per [Luc. 12.] quam homo in gloriam Paradisi cœlestis intraturus esset, à serpente seducta, cibum mortis viro suo porrexit. Ipsis ergo claritate sua ita denudatis, claritas Dei, quæ prius Adæ apparuerat, quasi in flamma eis apparuit in australi parte, & dixit: Adam vbi es? Per hoc [Gen. 3.] præsignauit quid in beneplacito suo haberet, quia ipsum per tunicam humanitatis suæ ex fœminea forma assumendam, quærere & retrahere vellet. Et hic dies eorum salutis se declinauerat. Mora vero ista, quasi spatium nonæ horæ diei fuit vsque in vesperum. Postea autem expulsi de Paradiso, in mundum venerunt, & noctem iam supra terram inuenerunt. Tunc etiam secundum naturam humanam, omnia sibi, & aliis animalibus necessaria repererunt, & ea vsui suo assumpserunt.

A HÆc dicit, qui spirans vita & mente sua, vnus Deus
est, Mens omnipotentis Dei, filius suus est, cui
adest opus, scilicet omnis creatura; quoniam per ver-
bum Dei, quod filius suus est, omnia facta sunt, quæ spi-
Ioan. 1. ranti vita viuificata sunt in altitudine cœli, & in infi-
mo, quod terra est, quæ obstaculum est superioribus lu-
centibus. Deus vero operi suo possibilitatem laudandi
& operandi tribuit: & quia ipse signifer præliator con-
tra inimicos suos tenebrarum habitatores exstitit, tene-
bris deputat omnes, qui sibimetipsis attribuunt ea, quæ
gratia Spiritus sancti in eis operata fuerit, & ipsi Apo-
statæ nominantur; quoniam in se, & non in suscitato-
rem vitæ adspiciunt: & paternum ministerium, quod ei
exhibere debent, cum obtrectatione scientiæ suæ retror-
sum abjiciunt, & illi cum omnibus operibus, quæ sibi
thesaurizauerunt in tenebris, quæ sine ipso factæ sunt,
torquebuntur cum illo, qui similis Altissimo esse voluit.
Esa 14. Tales enim, viscera diaboli sunt, quoniam ex consilio
illius operantur, & à claritate diuinæ lucis denudantur,
B & instigatione eiusdem tyranni, scripturam & doctri-
nam, quam Spiritus sanctus dictauit, destruunt. Sicut
cœlum ante tempus scindi non potest; sic etiam verba
Spiritus sancti mutari non possunt.

DE sacerdotali officio, quod in primo sacerdote
Gen. 14. Melchisedech in vmbra miraculorum Dei osten-
sum est, & ante eum homines latebat, eo quod præ mol-
litie sua illud capere non possent, Deus mihi hæc osten-
dit: Vidi quandam nubem velut auroram rutilantem, &
in illa arietem in spinis pendentem, quemadmodum
Gen. 22. aries qui pro filio Abrahæ oblatus est, pendebat, cuius
cornua velut saphirina existentia, fulgorem topazij ex
se reddebant, & corpus totum colori candidæ nubis
apparebat. Aries iste, Iesum Christum filium Dei viui,
qui absque admixtione vllius contagij, candidissimus
ex virginea natura natus est, significat. Cuius saphiri-
na cornua dulcissimam & coæternam ipsi claritatem
eius, per quam in vera humilitate humanitatem ad libe-
C randum perditum hominem assumpsit, designant: qui
de Spiritu sancto ex Maria Virgine Deus & homo na-
tus processit: quod fulgor topazij, qui ex saphirinis
cornibus resplendebat, exprimit. Nubes vero, quæ vt
aurora rutilabat, Angelicam multitudinem declarat, quæ
Luc. 1. sacramento Corporis & Sanguinis IESV CHRISTI
ministrat, quod in virtute Altissimi fit, quæ Mariam,
eundem filium Dei de Spiritu sancto concipientem, ab
omni calore humanæ voluntatis obumbrauit, quem aries
Ioan. 19. in spinis pendens, vt prædictum est, significat. Spinæ
autem clauos, quibus corpus eius cruci est affixum, ac
lanceam, qua latus ipsius perforatum est, atque totius
passionis eius asperitatem, quam patientissime vt mitis-
simus agnus pro peccatis nostris sustinuit, designant.
Ouis enim præ aliis animalibus patiens, humilis, mansue-
Gen 3. ta & munda existit. Vnde etiam Deus pelliceas tunicas
primis hominibus, per inobedientiam à claritate, qua ve-
stiti erant, denudatis, pelles scilicet ouium pro veste tri-
buens, significationes ouis, calliditati antiqui serpentis
D opposuit, & tali veste eos obtexit, ne nudi Paradisum
exirent. Ipse enim æternus Deus, qui in scientia sua æter-
naliter habuit tunicam, id est, humanitatem filij sui, ad
cuius imaginem hominem fecit, quemadmodum Moses
Gen. 1. ipsum ad imaginem & similitudinem Dei creatum esse
testatur, hominem deceptum vocauit, & tali veste induit,
in hoc ostendens, verbum scilicet vnicum filium sibi
coæternum, ad requirendum & liberandum ex virginea
natura humanitate induendum iussione in significatione
ouis, patiens, humilis, mansuetus, & absque omni ma-
Ioan 1. cula vllius contagij mundus existeret. Ioannes enim Ba-
Esa. 1. ptista & cæteri Prophetæ, idem in Spiritu sancto intel-
Psal. 44. ligentes, eum nomine agni & ouis, sæpissime appellant;
Ipse namque est immaculatus agnus, & speciosus forma
præ filiis hominum, qui non de virili semine, sed de Spi-
ritu sancto conceptus virtute altissimi Dei, de carne
Mariæ virginis, Deus & homo natus processit. In eadem
vero virtute altissimi Dei, oblatio panis cum vino &
aqua, in carnem & sanguinem Saluatoris, quam de Ma- E
ria virgine assumpsit, ad verba sacerdotis transubstan-
tialiter, quemadmodum lignum in ardentem carbonem
per ardorem ignis mutatur. Per hoc enim sacramentum
corporis & sanguinis Iesu-Christi, qui panis viuus est, Ioan. 6.
vt ipse testatur, animæ saluandorum reficiuntur. Vnde
ó sacerdotes, qui ad mensam Domini ordinati estis, præ- Luc. 15.
paratæ vos ad sacrificandum saginatum vitulum, qui Eph. 6.
omni macie peccatorum caret, & induite vos lorica ve-
ræ fidei, & scuto spei æternæ vitæ; & collum vestrum
stola obseruationis præceptorum Dei circundate, vt
competenter ei seruire possitis. Vos enim Angeli Do- Mals. 2.
mini exercituum estis: Quia sicut ad verba Angeli Ga- Luc. 1.
brielis Deus incarnatus est ex Maria virgine, vt per eius
natiuitatem, passionem & ascensionem homo perditus
liberari & saluari posset: sic ad verba vestra idem cor-
pus & sanguis eiusdem filij Dei, cum repræsentatione
natiuitatis, passionis, resurrectionis, & ascensionis eius,
pro salute nostra & omnium fidelium, tam viuorum,
quam mortuorum fit. Currite ergo desideranter in gau- F
dio lætæ mentis ad ministerium agni immaculati, quia Fructus
multa salus vobis & aliis fidelibus inde prouenit, cum Missa.
propter celebrationem illius peccata remittuntur, &
animæ liberantur; & multa pericula animæ & corporis
effugantur. Sanctitas autem eiusdem sacramenti no-
bis inuisibilis est, vt etiam Deum, & quamlibet in-
corpoream creaturam videre non possumus; sed per il-
lam anima nostra & corpus per remissionem peccato-
rum sanctificatur, & inuisibiliter refocillatur. Si autem
circa corpus Domini aliqua indigna accidunt, vt vel pu-
trescere, vel ab aliquo animali corrodi seu consumi videa-
tur, ista tantum in sacramento visibili, vel sola specie ex-
teriori sunt, virtute & gratia ipsius sacramenti, illibata &
incorrupta diuinitus conseruata. Quando sacerdos verba
Dei ruminat, corpus incarnati verbi Dei iterato confici-
tur, per quod omnes creaturæ processerunt, quæ prius
non apparuerunt, & quod etiam ex Maria virgine quasi
in momento ictus oculi incarnatum, cum ipsa, cum hu- G
militate dixit: Ecce ancilla Domini. Et caro eiusdem ver- Luc. 1.
bi Dei in verbis sacerdotis floret, & immutata caro per- Notent
manet. Dom. Iesus Christus nondum passus fuit, quando hæc Lu-
verba ista dixit, & discipulis suis prænunciauit se passu- therani.
rum, & sanguinem suum in ablutionem peccatorum ef- Mat 26.
fundendum, id est, ablutio, quæ per nullam carnem ante
eum fieri potuit; sed in carne ipsius, quæ absque liuore
peccati ex igne patris Diuina exstitit. In verbis vero sa-
cerdotis, qui sigillatim super vtrumque sacrificium di-
cuntur, & singulatim virtute altissimi, quasi in momento
ictus oculi sacramentum corporis & sanguinis Iesu-
Christi fit. Et officio altaris rationabiliter peracto, multa
remissio peccatorum viuis & defunctis prouenit. Si au-
tem per negligentiam vinum & aqua defuerint, vel sola
aqua ibi fuerit, in verbis prædictis corpus Domini fit, in
se habens sanguinem. In calice autem sanguis, qui in
passione sua effusus est, non fit, quia vinum & aqua de-
fuerunt, vel sola aqua ibi fuit, vnde denuo eadem verba
& signa repetenda sunt, quia sacrificium vini & aquæ ne- H
glectum fuit, & statim ex aqua & vino sanguis non ari-
dus, sed integer & fluens fit, corpore tamen ita perma-
nente, vt in verbis antedictis factum est: sed sanguine,
qui prius defuit, & gaudio redemptionis, qua homo libe-
ratus est, adornatur. Hæc fili Dei, in vero lumine mihi
ostensa, tibi scripsi, vt sacerdos Dei læto animo fias, spi-
ritusque sanctus efficiat, quatenus vera humilitate & pa-
tientia & mansuetudine agnum Dei imiteris, & a quoti-
dianis peccatis, quæ vitare non possumus, vera pœnitentia
laueris, & à sarcina criminalium, quæ quasi conuiuio
perpetrantur, Deus omnipotens te custodiat, vt in mun- Conti-
ditia ei, dum viuis, ita seruias, vt post finem huius vi- nua.
tæ, in summa beatitudine in æternum cum ipso gaudeas.
O serue Dei, qui in bona volantate ad vtilitatem tui &
aliorum multa ad te colligis, & tamen in hoc reprehen-
sibilis es, quod bonam terram in agro Domini tui
diligenter non euertis, audi: Negotium illud, quod
mihi commisisti, in eo tibi lucidius video, quod per

A te auertitur, ne bona illius Ecclesiæ per inutilem præpositum dissipentur. Sed in claritate ista nullo modo videre possum, vt per te religio spiritalis vitæ in ipsis restituatur. Sicut enim lutulentus puteus putredine immundorum vermium squalidus & inueteratus, facile mundari non potest: sic etiam mala consuetudo peccatorum, difficile in eis prohibenda erit. Quicunque enim lupum fugat & persequitur, ne oues ab illo rapiantur, & sic eas postea in rectam pascuam ducit, benefacit. Nunc autem ex consilio bonorum, & sanctorum hominum, elige quod tibi melius est, secundum statum Ecclesiæ qui modo est, scilicet vt minus malum eligatur.

at. 26. COenantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum. Benedicit scilicet panem ea benedictione, qua de corde patris, quemadmodum & ipse exiuit. Per hoc au-
B tem quod dicit, fregit, corpus suum per infixionem clauorum terebrandum, & tormento crucis vexandum, & postea mutandum esse, ostendit. Sic enim granum per molendinum contritum, cum aqua & igne panis efficitur: sic etiam corpus eius multa afflictione pœnarum, & passione crucis contritum, & per resurrectionem ad immortalitatem roboratum, panis vitæ fidelibus factum est. Quia vero non de carnali patre in terra, sed de Spiritu sancto in Virgine conceptum est, non potuit aut debuit corpus idem in cineres redigi vel spargi, per quod anima & corpus cuiusque hominis ad saluationem reficiuntur, sicut
. 103. etiam panis cor hominis confirmat. Maria autem terra erat, in qua sancta Diuinitas granum seuit, scilicet filium suum, de cuius corpore omnis fidelis viuere debet, quemadmodum etiam de pane, qui ex granis fit homines viuunt, id est, in cœna sua. Corpus tamen dedit eis impassibile diuina potentia sua in saluationem, eo quod gaudia æternæ saluationis, passione omnium
C dolorum careant, & hoc ei possibile fuit; quia in aliena natura homo est; & ideo eundem panem in Diuinitate sua benedixit. Item per hoc quod panem fregit, eis innotescit, se desiderare idem corpus suum pro redemptione humani generis passibile in mortem tradi, nec ab alio (si ipse nollet) sibi mortem inferri posse. Et accipiens Calicem, gratias egit, qui per effusionem sanguinis sui hominem de luore peccatorum redempturus erat. Et dedit illis sanguinem noui testamenti, scilicet saluationem perficiendo, quæ vtique in veteri testamento inueniri non potuit. Quod autem dixit, non se de genimine vitis huius bibiturum, donec illud nouum biberet in regno patris sui. Hoc ita intelligendum est, ac si diceret, donec eas & alias animas sanctas in regnum patris sui in gaudio susciperet per effusionem sanguinis sui. Dominus Iesus ante passionem suam Corpus passibile in cœna Discipulis suis dedit, vt eis esset cibus vitæ, quo & animæ, & corpora sanctificarentur. Per effusionem autem sangui-
D nis sui, qui in cruce effusus est, rationalis anima à casu animæ renouatur & lætatur, sicut etiam vinum læ-
. 103. tificat cor hominis. Christus itaque, qui in cœna Diuina potentia sua impassibilis fuit, Diuina etiam misericordia super hominem motus, & postea se passibilem voluit: quia nisi vt passibilis mori potuisset, homo liberatus non esset: & ita sine fructu redemptionis, solus Deus & homo mansisset, sicut ipse dicit:
oan. 12. Nisi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Homo ergo non potentia, sed iustitia liberari debuit, qui recto iudicio ad mortem deputatus est. Et ideo filius Dei in mortem traditus est, vt per satisfactionem innocentis, iustitia peccatori redderetur.

QVicunque ex infirmitate corporis sui vomitum patitur, & corpus Christi tota deuotione desiderat, huic Presbiter idem sacramentum dare non præsumat, E
propter honorem eiusdem corporis Christi, quod in specie panis latet. Sed corpus Domini super caput eiusdem hominis ponat, ac Deum qui animam in corpus misit, inuocet, vt corpore & sanguine animam illius sanctificare dignetur. Ponat quoque super cor ipsius, dicens: Deus omnipotens, cuius filium Maria in fide suscepit, da quæsumus, vt in vera fide anima & corpus huius hominis sanctificetur per corporis & sanguinis eius sanctificationem. Diuinum enim Sacramentum in specie panis latet, quemadmodum anima hominis inuisibilis existit. Vnde inuisibilis anima, inuisibilem sanctitatem statim in se trahit; quia spiritus hominis illum qui eum misit, mox sentit, & nunquam ab eo recedet, qui in fide eum suscipit. Ab indigno autem sanctitas illa, sicut à Iuda, aufertur. Itaque vomitum patienti, propter cautelam & reuerentiam, corpus Domini est vitandum. Fides tamen eiusdem sacramenti, firmissima habenda est, quod in specie panis solemniter sanctifi- F
catum est.

IOannes qui speculum sanctitatis & virginitatis est, quia propterea terrenam desponsationem repudiabat, & quem Filius Dei, qui à Patre suo in virginalem materiam humanitatis suæ descendit, quam omni ornamento virtutum ornauit, præ cæteris Sanctis specialiter diligendo, occultorum miraculorum suorum signaculum posuit, in mystica visione dicit: Vidi ciuitatem sanctam, &c.

Quod sic intelligendum est: Cœlestis Ierusalem, quæ Apoc. 21.
per summum artificem, scilicet omnipotentem Deum, ornanda erat coram ipso, quemadmodum materia omnium rerum, ante creationem mundi apparuit: & sicut Gen. 2.
hominem quem de limo formauerat, spiraculo vitæ suscitauit: sic etiam sancta ciuitas Ierusalem, quæ virum suum, scilicet Filium Dei, cui desponsanda erat, expectabat per effusionem sanguinis sui, cum omni ornamento noua effecta est. Ipsa enim, cum elementa tenebris inuoluta essent, victorioso vexillo ad crucem, in qua Filius G
Dei pendebat, descendit, & dotem istam ab eo qui in virginitate conceptus & natus est, suscepit, quod etiam ipsa spiritali genitura filios virgo procrearet, quia per rubicundum sanguinem Filij Dei, cœli illuminati sunt, & ianua Paradisi, quæ in expulsione Adæ homini clausa est, aperiebatur, Deus namque Ierusalem, quæ de sanctis operibus hominum ædificata est, & quæ vt sponso viro suo ornata apparet, ad laudem humanitatis suæ fieri voluit, sicut etiam ad laudem & honorem Diuinitatis suæ Angelos creauit. Et audiuit vocem quasi dicentem: Ego qui per verbum meum, quando Fiat dixi, super omnes creaturas intonui, dico, vt hæc quæ tibi de cœlesti Ierusalem ostenduntur, ad tutelam & salutem hominum cognoscas & manifestes; qui ad similitudinem nostram factus est, vox scilicet in anima, & tabernaculum in corpore, vt etiam vox ego in tuba, quæ per vocem sonat.
Deus enim dilecto suo Ioanni S. Ciuitatem viuis ex Apoc. 21.
lapidibus, qui homines sunt, & etiam ex operibus eorum constructam ostendebat, in qua Iesus-Christus la- H
pis angularis consistens, vtrumque parietem in templo cœlestis Ierusalem coniungit. Ipse quoque per indumentum humanitatis suæ cum hominibus habitat, & ipsi populus suus sunt, quem dote sanguinis sui eruit, ac ipse Deus eius est, quoniam magna potestate eum liberando, antiquum serpentem despoliauit, sicque Deus potentiæ, Deus misericordiæ & pietatis, ac plenum bonum super omnes creaturas consistit, quem nunquam vllæ tenebræ tangebant. Sed qui super eas fortissimus iudex est. Deus namque per humanitatem suam, & etiam per ornamenta cœlestis Ierusalem, populo suo omnem lachrymam ignorantiæ & infidelitatis, in qua cæcus veteræ fidei erat, abstergit, & in pura pœnitentia, confessa peccata remittendo, eius à potestate & habitatione gehennalis mortis saluat. In dulcissimo quoque, & amarissimo rumore humanitatis Filij Dei, qui esuriæ expectationis suæ eclarito, in magna saturitate gaudiorum in om-

nem

A nem terram exiuit, luctus Adæ, & posteritatis suæ,
qui introitum cœlestis regni non potuerunt habere,
& clamor Prophetarum, qui in magnis suspirus eum
ad redemptionem populi vocabant, amplius non erunt.
Dolor quoque & asperitas legis, in qua nullius pecca-
ti reatum per veniam misericordiæ aliquis redimere po-
tuit, etiam amplius non erunt, quomodo nobilis filius
hominis; qui iustus & misericors est, omnia peccata
hominis in vera pœnitentia misericorditer abluit. Sic-
que per plenam bonitatem humanitatis suæ, omnes
prædicti dolores, qui in primis erant, abierunt. Hæc
quæ Ioannes in sancta reuelatione vidit & audiuit, ve-
ra sunt; quoniam Filius Dei opera sua, vt patet suus
voluit, in magna claritate finiuit: vnde etiam in ma-
gna potentia in throno suo, omnes inimicos suos con-
culcando, sedet. Ipse etiam omnia noua facit; quia vt
ex prima materia omnes creaturæ per verbum Dei (sci-
licet Fiat) procedendo illuminatæ sunt: & sicut pri-
mus homo de limo formatus, spiraculo vitæ in car-
B nem & sanguinem mutatus est: sic etiam homo pecca-
tor, per misericordiam Filij Dei, qui in throno suo se-
det, cum pœnitentia peccatorum suorum renouatus,
nouus efficitur. Beatus enim homo, quem Deus taber-
naculum Sapientiæ cum sensualitate quinque sensuum
fecit, vsque in finem vitæ suæ cum sanctis desideriis
bonorum operum, & cum esurie iustitiæ, ac dulcissi-
marum virtutum, quibus nunquam saturari potest, de
nouitate in nouitatem per gratiam Dei semper ascen-
dit; & sic ad gloriam incommutabilis vitæ, quæ sine
tædio, & sine fine semper manet, feliciter perueniet.
Sic enim Deus vsque ad nouissimum diem omnia noua
facit, quæ autem post nouissimum diem cum poten-
tia & possibilitate sua facere velit, in sola ipsius scien-
tia sunt, cum beati homines, qui in prædicta nouitate
viuebant, in citharis & symphoniis, ac in sono om-
nium laudum, in conspectu Dei gaudium omnium gau-
diorum sine fine habebunt. O serue & fili Dei, quia
ipse in primo homine te formauit, stude vt per absti-
C nentiam carnalium desideriorum in sanctis desideriis &
bonis operibus in cœlesti Ierusalem tabernaculum tibi
facias; & vt pulcherrimis fenestris per esuriem iusti-
tiæ & charitatis Dei exornes; quia vt domus per fe-
nestras illuminatur, sic etiam per charitatem omnes vir-
tutes illuminantur, & cognoscuntur. Vide etiam vt
tribulationes tuas patienter sufferas; quoniam per
eas quæque virtutes in te elegantiores efficiuntur: &
vide vt etiam in corde tuo pulchram formam, de qua
tibi dixi, caute custodias; quatenus ipsa in cœlesti Ie-
rusalem luceat.

IN vera visione, quam in anima mea vigilantibus
oculis semper video, cum modo septuaginta &
trium annorum sim, à viuente lumine ad scriben-
dum hæc verba coacta sum: Deus viuus fons est,
Gen. 1. qui aquas emisit, quando per verbum Fiat, dixit:
Fiant Luminaria, &c. Quæ Luminaria firmamentum,
Solem scilicet, Lunam & Stellas portant, & quæ
D speculum eorundem Luminarium sunt; quoniam ra-
dios suos in eas mittunt. Ipse etiam splendens ignis
ac æternitas ante æuum est: in quo imago sua, scili-
cet forma hominis, semper & semper sine tempore ra-
diauit.

Homo enim, quem ad imaginem, & similitudi-
nem suam formauit, opus suum, & indumentum dei-
tatis suæ est, qui secundum Creatorem suum operan-
do, ad vtilitatem suam, quomodocumque voluerit,
Gen. 1. vtitur creatura. De limosa namque, & aquosa terra ho-
mo creatus est, quæ per humorem aquarum, quas ipsa
obtegit, ac pondere suo aggrauat, infunditur. Aquæ
vero cum calore Solis, qui infra circulum rotæ suæ
quandam imaginem habet, & qui per aquosum aë-
rem humidus est, totam terram perfundunt: & ita se
inuicem admiscendo, omnia germina proferunt: &
aquæ, quæ speculum eiusdem Solis sunt, ipsum coër-
cent, ne terra nimio ardore suo comburat; ipseque
aquas constringit, ne illæ per immoderationem plu- E
uiarum terram submergant. Deus quoque igneam ra-
tionalitatem animæ, quæ spiraculum vitæ est, homi-
ni quem formauerat, immisit; per quod in carne, &
sanguine, velut cibus per ignem, conforratur, & so-
lidatur. Anima etiam per corpus, & corpus per ani- Gen. 1.
mam operatur; & anima viriditas corporis est, & sic
plenus homo existit; in quo ignis, aqua, & aquo-
sus aër sunt, per quæ ipse humidum spiramentum at-
trahit; & emittit. Sicut enim Sol de constituto lo-
co rotæ circuli sui, cum mobili vento per calorem ra-
diorum suorum, omnes vires, & virtutes suas perfi-
cit: Sic etiam rationalis anima in corpore cum humi-
do spiramine, quæcumque vult, dictat; & ea in crea-
tura, quam per rationalitatem cognoscit, operatur.
Anima vero, & corpus cum singulis viribus & nomi-
nibus, quemadmodum caro & sanguis vnum sunt, ac
per tria, scilicet per corpus & animam, & rationali-
tatem, homo perficitur & operatur. Ipsa namque ani-
ma toti corpori se infundit, & cum rationalitate in illo F
operando, gustum & nutrimentum ipsi ministrat: ac
ita homo, omnis creatura est, quam ipse per rationa-
litatem scit, & cognoscit, & quæ ex præcepto Dei
per omnia ei subdita est. Deus enim ignis occultus
est, quem nemo mortalium inspicere valet. Sed An-
geli qui ignei sunt, etiam igneam faciem semper in-
spiciunt, & splendor Patris, filius eius, de cuius in-
dumento, quod tempus habet, Prophetæ propheta-
bant: & qui semper sine tempore ante æuum cum pa-
tre fuit, vt Ioannes Euangelista testatur, dicens: In Ioann. 1.
principio erat verbum, & verbum erat apud DEVM.
Sed verbum quod in principio apud DEVM erat, de
Maria virgine incarnatum, fons viuus processit, qui
omnes in se credentes aqua vitæ reficit, quemadmo-
dum ipse dicit: Qui in me credit, flumina de ventre
eius fluent aquæ viuæ. Ipse etiam per inextinguibilem Ioann. 7.
ignem Deitatis, omnem ignem sputcitiæ extinguit,
quia ante æuum in patre genitus erat, cuius volun-
tas indumentum eiusdem filij sui æternaliter habuit. G
Idem quoque Filius Dei in aquis se baptizari voluit, Matt. 3.
vbi eum paterna vox dilectum filium suum, qui ante & 17.
æuum in æternitate cum ipso erat, testatur: & qui
per speciosam formam humanitatis suæ, omnes inimi-
cos suos, qui contra eum pugnare volunt, conculca-
bit. In aquis enim memor erat, quomodo illas per Gen. 1.
verbum suum creauit, super quas spiritus Domini
(qui viuus fons est) ferebatur, qui eas mouit & fluere
fecit, ita quod omnem immunditiam mundant, &
nullam putredinem in se continere poterunt. Deus
namque humanitatem suam Diabolum celauit, quem
cum magna multitudine diabolicorum spirituum de
cœlo deiecit, ipsorumque numerum (Diabolo igno- Esa. 14.
rante) cum beatis hominibus compleuit. Et sic Deus
per casum Adæ, ruinam Diaboli (qui ex toto per-
ditus est) reparabit Filius etiam hominis comedit &
bibit, vt homini facere concessit, per quod caro &
sanguis crescunt, & nutriuntur: ne in officiali ope-
re suo arescendo deficiant. Cibum vero istum serpens H
contaminauit; quando primi homines ipsi consentien- Gen. 3.
tes, de Paradiso expulsi sunt; vnde & per suggestio
nem Diaboli, filios suos in peccatis concipiendo, in
dolore generabant. Sed istam mortiferam conceptio Luc. 1.
nem hominis, Filius Dei abstersit, cum de Spiritu & 2.
sancto ex Maria Virgine sine omni peccato virilis na
turæ conceptus, & natus est. Filius etiam Dei, corpus Mat. 16.
& sanguinem suum in pane, & vino Discipulis suis
dedit, quia hæc duo maxime ei conueniunt, & compa-
rantur, quoniam sicut granum in terra absconditum, Ioan. 12.
ex nulla alia coagulatione, nisi per calorem Solis, &
humorem aquæ, per gratiam Dei in viriditate sua oc
culte nascendo surgit, & sicut botrus vini, non per
putationem, sed per mysticam gratiam Dei viret, &
crescit; sic etiam ipse Filius Dei sine omni coagu
latione, & viriditate peccati carnalis naturæ ex oc-
culta Diuinitate verus homo processit. Ignis enim qui 1. Mat. 2.

in altum siccum puteum absconsus est, vbi postea crassa aqua inueniebatur, cum qua sacrificia adspergebantur, quæ per magnum ignem, qui accensus est, consumpta sunt, Deum inextinguibilem ignem, & viuum fontem esse designant. Nam ipse Deus, quem idem ignis & aqua significant, in alta profunditate sua tam occultus est, quod omnem intellectum humani ingenij excedit: vnde etiam omne carnale desiderium in Maria virgine ita consumpsit, quod filius suus absque omni incendio peccati ex ipsa humanitatem suam induit: Spiritus sanctus enim, qui viuus fons est, suauissimo humore suo eam perfudit, sicut ros super granum descendit; ita vt per virtutem altissimi ab omni ardore, qui per suggestionem diaboli nascentibus hominibus fit, & ab omni dolore humanæ naturæ & genituræ obumbrata sit, quemadmodum Angelus ad ipsam dixit: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. [Luc. 1.] Primus autem ortus immundæ coagulationis, quæ sine Spiritu sancto exoritur, in aquis Baptismi per Spiritum sanctum, velut aurum in igne mundatur, & purificatur; quoniam Spiritus sanctus super aquas ferebatur, [Gen. 1.] ac eas moueri, & fluere fecit. Ipsæque etiam spiritale elementum præ cæteris sunt, & in eis etiam animalia in natura ab aliis animalibus aliena, nascuntur & pascuntur. Homo namque charismate & oleo per gratiam Dei inunctus, & igne Spiritus sancti accensus, in baptismate sanctificatur, ac denuo in confusionem antiqui serpentis, qui primum ortum suum tetigit, renascitur; [Ioan. 3.] & ita per gratiam Dei, ab ipso, hoc modo potenter eripitur, ac in fonte baptismatis per fontem viuum, scilicet Spiritum sanctum, ad æternam saluationem regeneratur. Eadem etiam virtus altissimi, quæ superuenit in Mariam, ex ipsa carnem & sanguinem Filij Dei efficiens, super oblationem panis & vini, apertis vulneribus IESV CHRISTI, descendit, ita vt eadem oblatio panis & vini occulte in conspectu Dei & sanctorum Angelorum, in carnem & sanguinem transformetur: sicut etiam granum & vinum per occultam viriditatem, quam homo videre non potest, crescunt. Sed quia homo post ablutionem Baptismi in peccatis sæpissime labitur, vulnera eiusdem Filij Dei tamdiu aperta sunt, quousque rationalis homo peccauerit, quatenus ipse per pœnitentiam & confessionem in eisdem vulneribus mundetur & recipiatur. Sed homines, qui Hæretici & Sadducæi dicuntur, sanctissimam humanitatem Filij Dei, & sanctitatem corporis & sanguinis sui, quæ in oblationem panis & vini est, negant: ideoque diabolus, qui initium est ab illo, qui nec initium, nec finem habet, & qui in principio honoris sui, vnitati æternæ Diuinitatis contradixit, per homines istos, totam terram puluere mortis adspergit. [Ioan. 8.] Ipse enim mendax est, quoniam obcæcationem infidelitatis, oculis hominum istorum infundit, eos ita obcæcando, vt in Deum verum nec sperare, nec credere possint: & ita vipereo more omnem sanctitatem & honorem Dei per homines istos mordet, qui eum per suggestionem suam sequuntur, & qui per omnia Deum viuum per infidelitatem despiciunt. Deum namque verum, qui inuisibilis est, & etiam animam, ac spiritum hominis in recta fide non habent; quoniam omnis eorum intentio ad illa quæ carnalia sunt, tendit: ideoque omnia quæ Dei sunt, quemadmodum ille qui eos seducit, conculcant; quia verba veritatis contemnentes in mendacio & in falsa doctrina sua gloriantur. Perditus vero Angelus, per rationalitatem suam scit, quod homo rationalis possibilitatem operandi quæ vult, habet: & hoc in primo homine, qui præceptum à Deo acceperat, recognouit; ac ita in eadem qua mulierem deceperat, illud quod præcepit, scilicet vt crescerent & multiplicarentur, in hominibus istis destruere conatur, eis suggerendo, ne secundum præceptum legis; sed secundum hoc, quod ipsi per suggestionem diaboli sibimetipsis eligunt, viuant. Ipse quoque eis suggerit, vt corpus suum per ieiunium macerando constringant, & postea omnem voluntatem incesti desiderij eorum perficiant; & ita ipso suadente, ab omni sanctitate legalium præceptorum omnipotentis Dei deficiunt; quoniam in omnibus præceptis quæ Deus per Moysen, ac per alios Prophetas suos protulit; & quæ postea per filium suum reuelauit, mortui sunt: ideoque per eos tota terra polluta est. [Manichæi hic notantur, qui nullum præceptum legis obseruant, non vere continentes.] Vnde vos ô Reges, duces, & Principes, ac cæteri Christiani homines, qui Dominum timetis, verba ista audite, & populum istum ab Ecclesia, facultatibus suis priuatum, expellendo, & non occidendo, effugate; quoniam forma Dei sunt. Igneus autem spiritus Dei, qui viuus fons est, per gratiam suam vobis infundat, vt hæc ante diem vltionis Dei, faciatis, quatenus de omni honore & beatitudine corporis & animæ non deficiatis.

DEus homini præceptum, in quo omnis lex latebat, dabat; sed homo illud præuaricatus est: & ideo per casum expulsionis iudicatus est, in duobus modis mortalis existens, corpore scilicet moriendo, & veræ lucis visione carendo. Vnde etiam in mansione illa perdurare non potuit, ac prædictam visionem perdidit. Ipse enim Deum veracitet sciuit, & quod præceptum illius custodire deberet, agnouit: [Gen. 3.] sed quia serpentem audiuit; & quoniam mulieri sibi subditæ consensit, iustum iudicium iusti iudicis super eum venit. Et iudicium istud Deus homini super illos dedit, qui magistrum in obedientia agnoscere nolunt, & qui omnia mandata legis præuaricantur; vnde & corpora ipsorum morti dabantur; quoniam in luce legis mortui sunt. Sed tamen magistri, qui in vice Christi sunt, præuidere debent, si aliquam emendationem in se habeant, antequam illos morti tradant. Et cor eorundem magistrorum in hoc purissimum esse debet, ne vllam iniuriam, aut blasphemiam ipsis ab illis illatam, in iudicio attendant: & ita morti sanguinem damnatorum cum iudicio tradant. Quod si cor eorum purum non fuerit, à præsentia huius iudicij fugiant, ne verba ipsorum proximos suos interficiant, diligentissime Euangelium Domini attendentes, vbi dicitur: Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. [Math. 7.] Sed nec iudicabunt secundum quod ipsi constituunt, nec secundum placitum voluntatis suæ: sed secundum iudicium omnipotentis Dei, ita vt quicumque intolerabiliter omnibus præceptis legis aduersarius extiterit, & qui à criminalibus peccatis se abstinere noluerit, hic secundum iudicium Dei, & non secundum voluntatem hominis iudicetur. [Ioan. 7.] Quod si ille propter timorem mortis, culpam suam se emendare promiserit, semel, & secundo iudicium Dei differatur: & cum sic probatus non emendauerit, secundum verbum Filij Dei, pœnæ iudicij reus erit. Hoc modo de omni iudicio quisque homo prouideat, vt non secundum voluntatem hominis fiat. Attendendum quoque est, quid Iacobus de diuite, & de paupere loquatur, de diuite scilicet bene aurato, & vestito. [Iacob. 2.] Diues enim propter magnam pecuniam suam honorari vult, recipitur, & honoratur, videlicet propter auxilium adoerlitatis, & propter timorem potentiæ, qua sæpe homines lædit. Pauper autem propter amorem Christi suscipiendus est; & quoniam frater hominis existit. Nec isti pares habendi sunt; quia hoc sine discretione esset; quoniam qui diuitem & pauperem in vna sede sedere faceret, diues hoc facere dedignaretur, & pauper inde terreretur. Pauper namque propter amorem Dei recipiendus & habendus est, quia frater hominis est, & quamuis Deus diuitem permittat diuitias habere, & eas pauperi subtrahat, formam pauperis, quæ sua imago est, tamen diligit. Diues enim per superbiam diuitiarum suarum hominibus, quibus nocere potest, imperat, & eos tractat sicut non sint homines in forma sua: & hoc modo bonum nomen hominis, scilicet quod ipse imago & similitudo Dei est, blasphematur.

Deus

A Leu. 19. Matt. 5. Deus itaque præcepit: Diliges proximum tuum sicut teipsum: formam tuam scilicet in ipso attendendo, eique omnibus condolendo, & omnia quæ male egerit, moleste ferendo, quia forma tua in malis eius per ipsum blasphematur. Cumque homo hæc fecerit, bonum opus secundum filium Dei operatur, qui carnem induit, vt homini condolere possit. *Pauper.* Sed qui spernit pauperem, non solum in illum, sed etiam in omnipotentem Deum peccat, qui formam hominis apprehendit, per quam legem dedit, & ex qua redarguetur; *Iac. 2.* quoniam transgressiones legis sunt. Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus; quoniam quicunque cætera legis *Lex.* mandata tenuerit, & vno mandato in lege caruerit, illud propter odium non diligendo; sed velut picturam pictoris illud habendo, hic alia præcepta perfecte non implet. *1. Cor. 12.* Sic etiam fit, cum homo debilitatur in vno membro siue per natiuitatem, siue per aliquod infortunium, cætera membra sua ei condolebunt, nec in illo B debilitato perfectum solatium aut auxilium habebunt. Cibus quoque non bene coctus & insulsus, homini nec vim, nec gustum confert; sed vix homo per illum viuit. *Charitas.* Sic etiam qui igneam charitatem non habet, omnia mandata legis non recte coquit; sed ea vt debile membrum suum habet; & qui de sapientia opera sua non *Intentio.* colligit, nec discit, sed illa à seipso connectit & operatur, hic comparatur homini, qui imaginem secundum formam hominis ex ligno facit, quæ viuere non potest. Sicut etiam ipse, & opera sua mutua sunt, & etiam velut mutus est, qui voce rationalitatis caret; vnde & sicut reus in omnibus mandatis Dei existit, & de ipsis in iudicio Domino respondebit; quoniam ea secundum voluntatem suam operatus est. Præuaricatio itaque mandatorum legis, in Ethnicis, & in infidelibus, & in eorum sequacibus est, quia fide carent. Qui autem *Fideles.* per Baptismum & fidem fideles existunt, & quantum potuerunt, in mandatis Dei operantur, atque toto corde gemunt, & ad Deum anhelant, auxilium illius po- *Pœnitentes.* C stulando, & pœnitentiam de illis, quæ præuaricantur, faciendo; quoniam alij ab infantia, alij à iuuentute, alij in senectute Deum quærunt, & ab ipso omnia postulant, hi licet peccauerint; tamen per iudicium non *Esa. 60.* abijciuntur. Nam in omnibus istis, o Ierusalem, multitudo Sanctorum, iustorum & electorum, pœnitentium & publicanorum ad te veniet.

Diuina claritas, claritatis, quæ inter opus tuum clarescit, tu radix illa es, quæ plurimos ramos emisisti, & sol es cum innumerabilibus sphæris, scilicet Sanctis & electis tuis, quorum numerum nemo capere potest. *Gen. 2. Ier. 1.* Tu enim in principio radicem vnam plasmasti, quam spiraculo vitæ vigilare fecisti, & ad Ieremiam dixisti: Quid vides Ieremia? Qui tibi respondit, Virgam vigilantem ego video.

Quædam radix cum ramis suis processit, & noxiali poma obnubilata est, quod nox super eam edomuit: vnde & ipsa in tenebris ramos suos multiplicans, iustitiam cœli conculcare voluit. D Sed tu clara Diuinitas in aquas clarusti, & eas quasi in vtrem congregasti, in quibus omnes homines, excepto Noe & ramis eius *Psal. 32. Gen. 7.* submersi sunt. Istum vero, scilicet Noe, ad operandum miracula tua imbuisti: & ideo opus suum quasi in scientia infantis cum gaudio operatus est; quia nondum sciuit nec sapuit, quæ ei locuta es. Aëreum quoque fumum ei obiecisti, qui venas & medullas hominis concutit, vt humanis sensibus non impeditus, ædificium quod eum docuisti, velut in lætitia infantis ædificaretur. *Miracula.* Sic etiam facis in hominibus, in quibus miracula tua operatum es, cum per tuam inspirationem aliena humanis sensibus loquuntur. Postquam autem Noe in altitudine, in quam leuaueras, ædificium suum fecerat, primum ædificium Abel, quod in effusione sui transierat, de ipso excitasti, eumque ita inspirasti, vt altare ædificaret, super quod tibi altissimo Deo sacrificium obtulit.

E *Gen. 4.* Clara Diuinitas, quæ innumerabiles sphæras vitæ habuisti; primum hominem plasmasti de limo terræ, & illum in loco Paradisi constituisti, vt in Angelica laude societatem haberet. Serpens autem in dolo oculum suum mouit, & illum fallacibus verbis decepit, se apud eum accusans, qui etiam primum se tibi opposuit. Quod diabolus fecit, quatenus homo de Paradiso expelleretur, & ne in locum, de quo ipse expulsus est rediret, quem nouum opus creatum, præterquam se cognouit. Clara & ignea Diuinitas, in igneis sphæris, quas in te habuisti, per sanctam imaginem humanitatis tuæ caput serpentis contriuisti, vt se, priusquam opus tuum perfecisses, nunquam erigeret. Ipse enim ignem, qui tu es, nequaquam tangebat. Sed in quadam luce claritatis, in qua mendax factus fuit, & ideo humanitas tua ei abscondita est, & ideo etiam Angeli, qui ignem tuum tangunt, ab eo recesserunt. Postea vero opus tuum, scilicet hominem, cum igne & claritate fecisti, ita vt illi perdito nunquam ex toto similis efficeretur, quæ in F tanto numero ad imaginem tuam colliges, vt nec Angeli, nec animæ eum dinumerare possint. Quidam enim hominum ignei sunt, & ad ignem se conuertunt, & quidam in luce claritatis sunt, & de luce ruunt; & iterum postea ad ignem resurgunt, ac columnæ cœli efficiuntur. Tu clara Diuinitas, ignis & claritas es, quibus etiam fictile vas fecisti; de quo indumentum tuum induisti; & sic in tribus viribus existens, opus tuum etiam in tribus viribus constituisti. In claritate Adam constituisti, & in igne Noe conseruasti, vt de ipso nouus mundus cum igne sanctitatis procederet, qua ingluuies serpentis clausa, & vis eius ita combusta & superata est, vt illi qui per ignem & aquam regenerantur, in vera fide persistentes, nullo modo perdantur. Tu enim in igne tuo aquam exsiccasti, ne in vtrem Noe flueret, in quo præsignasti mortem perditionis hominum finiendam, sicut etiam homines in aqua morte finiti sunt. O sanctitas aquæ, in qua filius tuus mortem contriuit, quem virgo de tuo igne concepit, qui G *Gen. 3.* in ea omnem liuorem aquosi peccati exsiccauit, vt ex illo non læderetur, quemadmodum etiam Noe non lædebatur. In his enim signis præuidisti, quod in Maria perfecisti, quæ caput serpentis contriuit, per *Gen. 6. Gen. 9.* quem prima mulier decepta est. Noe, qui salutiferum signum es, quia Deus occulte te docuit, qualiter per aquam saluari posses, & cordi tuo inspirauit, vt ad sacrificandum ei, mensam ædificares, tu velut aurora exstitis, quæ scintilla solis es. Deus in te præsignauit nouam, & veterem sanctitatem Prophetarum, & Sapientum, & obseruationem integritatis, quæ non in latere viri, sed in forma mulieris plantata est, quæ in potestate viri non fuit; sicut etiam potestas aquæ tibi nocere non potuit. Deus etiam nouum mundum ea te procedere fecit, & rigatam terram per aquas tibi dedit, in qua vineas plantasti, vim vini tamen ignorans, per quod sensus hominis denudantur. Sicut enim filius, qui nuditatem tuam, te vt patrem honorans, rexit, gloriose libertatem suam detinuit, alio in seruum illius redacto; sic bonæ scien- H tiæ mala scientia seruitus constat. Tu etiam tam tortuosus in peccatis, vt filij tui, non fuisti, sicut etiam filij Adæ criminosiores ipso fuerant. In benedictionibus enim libertatis, sancti, & electi sunt, & etiam illi qui per pœnitentiam de seruitio peccatorum in libertatem redierunt. Illis quoque omnibus datur tuba *Apoc. 8.* canere, cuius sonus ante thronum Dei sonet. Angeli quoque vocibus suis Deo laudes symphonizant, de operibus bonorum hominum adhuc in corpore viuentium, quæ semper multiplicantur, & ante Deum ascendunt super aureum altare, quod in conspectu eius est, & de ipsis semper nouum Canticum Deo concinunt. *Aureum altare opera bona.* Aureum enim altare, opera Sanctorum intelligenda sunt, quæ ipsi, in corpore manentes, operati sunt, & quæ in conspectu Dei, quasi aureum altare fulminant, & quibus agnum, scilicet Filium Dei imitati sunt. Ipsi quoque sancti opera sua, & etiam opera

A Apoc. 1. ipsorum beatorum, qui feliciter operantur, dinumerant cum canente tuba, cuius sonus est vt vox aquarum multarum, quæ dulcissimo sono circumientis firmamenti intermixta esset, & hac voce laudis auxilium illi à Deo quærunt, quæ sanctis operibus, quæ sursum super altare ante Deum ascendunt, opera & merita ipsorum tangunt. Sic namque Deum pro ipsis orant, quatenus ipsi à bonis operibus, Leuiathan deceptione, non impediantur, quæ exemplis eorum cum elementis operabuntur, quod canens tuba eorum significat, quia Deus ab eis, sicut ab Angelis, quos claritate sua perfudit, laudatur & glorificatur. Vox enim Sanctorum, qui Deum de suis & de aliorum bonorum hominum operibus laudant, quasi canens tuba est: vnde & ipsi Canticum nouum ante thronum & Agnum cantant, & terra, scilicet terreni populi in voces eorum resultant, in meritis eorum Deum laudantes, & dicentes: Gloria tibi Domine. O sancta Diuinitas, tu in cœlo ab occultis Angelis glorificaris, qui de tua claritate scintillæ existunt, B & de homine (quem de limo formasti ad indumentum tuum) laudaris in terra. Quod Ioannes Euangelista claritate Dei inclaruit, & in flamma Spiritus sancti exarsit, & ideo in corpore suo cœlestis fuit, vt homo ante ruinam extitit, vnde pondus & grauedo corporis sui in terra remansit, ipso in cœlestia subleuato, quasi in ictu oculi, sicut post nouissimum diem omnis corporalis grauedo comburetur, sanctis animabus ad cœlestia volantibus. Ioannes Baptista fortitudine Diuinitatis perfusus in carne sua, omnino à spuma serpentis mortuus Matt. 3. Luc. 4. fuit; & ideo amaris verbis peccantes corripuit. Istud Deus ante humanitatem suam præmisit, antequam plenitudo temporis veniret, in quo Deus homo factus est. Nunc autem inuoco & adoro te, vt me pusillanimem, quæ verba illa vidi & audiui, quod tu solus scis, in Canticis beatarum animarum conseruare velis, & omnes qui propter puram fidem nominis tui studiose mecum laborant, in sinum gratiæ ita collige, vt à te nunquam peregrinemur. Tu enim solus ignorantiam C meam scis, quæ doctrina scripturarum stellata non sum, quæ miracula tua narrant, vt etiam in stellis tempora discernuntur. Vnde rogo te, vt ab omni nigredine malignorum spirituum me liberes; & ab omni dubio ignorantiæ meæ in corpore & anima conserues. Iterum rogo te mitis pater, vt mecum laborantes, igne charitatis tuæ ames, & in libro vitæ, qui scientia tua est, scribas, vt à te nunquam separentur. O Noe qui principium es sanctitatis & ramorum, qui à te processerunt, rogamus te, ne nostri in Canticis laudum tuarum obliuiscaris propter negligentias nostras: sed propter amorem illius, qui te in miraculis suis elegit, in laudibus & orationibus tuis ante Deum nostri memor esse digneris semper, Amen. Sancta Diuinitas, quæ absque omni diuisione integra existis, tu per verbum tuum in omni creatura puro nomine generas. Formæ, quæ per verbum tuum formatæ sunt in genere suo, à vita non euanuerunt. Quædam creatura ex viriditate; D quædam carnibus induta ex sensibili natura sua, quædam ex ventoso flatu suo, quædam ex aëre fluentis aquæ viuit. Tu enim integram & indiuisam obedientiam indumenti verbi tui, in Abraham præsignando scripsisti, & eam puram, & integram propter liberationem eorum qui pœnitentiam (de inobedientia, quæ in Adam exorta) agunt, custodisti. Tu præcepisti Abrahæ, vt in carne sua se vulneraret, quæ de deceptione, de sanctitate castitatis in incesta desideria mutata est, quæ tu per aquam & baptismum abluisti, in occultis mysteriis, quibus etiam ipse nescienter deceptus est. Abraham ad præceptum meum, carnem suam vulnerante, & diabolum confudit, qui mysterium illud non cognouit, & in ea parte hominis confusus est, Gen. 22. qua etiam hominem decepit. Tu etiam præcepisti, vt dilectum suum filium tibi sacrificaret, in quo præsignasti tuum filium pro populo sacrificandum. Sed vibrantem gladium super ipso ligato extensum, Angelus tuus prohibuit, & arietem ex aliis ouibus non procreatum, sed ostensionem tui miraculi illi ostendisti. E Homo enim, quem tu psalmasti, per diabolum deceptus est. Vnde omnis humana natura ita contaminata est; quod omnis homo totus in peccatis carnalis desiderij concipitur. Natura etiam hominis ita distorta & tortuosa facta est, vt nullus suum suum liberare posset de captiuitate diaboli; vnde in teipso ordinasti tunicam filij tui extentam de simplici terra, quæ de nullo germinauerat, cuius sanguinis calorem calor Spiritus sancti accenderat, quæ sicut ouum à carne nata est, quod per gallinam fotum, pullum emittit; sic ipsa virgo calore Spiritus sancti fota, filium genuit: & sicut pullus absque calore gallinæ, ex ouo nunquam procederet; sic virgo absque calore Spiritus sancti nunquam filium procrearet.

Gen. 22. Gen. 3. Mysterium istud totum in ariete præfiguratum fuit, qui in spinis pendebat, vt Dominus ad Adam dixit: Cum operatus fueris terram, spinas & tribulos germinabit tibi. In laboribus operis sui malitiosa vindicta ei F ostensa est; quia contempsit præceptum Dei, quod incepit, & non perfecit, & non gloriam suam contriuit; & ideo lucida vestis, quæ absque omni obnubilatione fuit, ab eo ablata & scissa est, vt etiam spinæ & tribuli hominem scindunt. Filius, qui absque omni virili sanguine natus est, in claritate Dei calore Spiritus sancti, ille solus in lignum suspensus est pro crimine Adæ; quia nullum similem habuit, animas liberauit, infernum despoliando: & quis est iste qui hoc fecit? Deus scilicet, qui absque omni inceptione, defectu & mutatione, dies illa est, cuius claritas nunquam aliqua luce illustrata est. Sed ipse lux omnis facturæ & creaturæ suæ est, de quo Dauid dicit: Quis Psal. 23. est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Hoc est, Deus inextinguibile lumen est, quod nunquam inueterascet, nec euanescet, *Interpretatio huius versiculi.* nec in tædium ducetur, & ipse est Rex gloriæ, cuius gloria absque omni noxiali obscuritate persistit, & non deficit, sicut tempora hominis deficiunt, quæ incipiunt & arescunt, & semper mutantur. Sed ipsa in G viriditate sua stabilis & immutabilis permanebit, sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Gloriam enim, quæ ipse Deus est, nec Angelus, nec Psal. 1. homo vllo numero finire, nec dinumerare valet. Quoniam ipse integra plenitudo est; & ideo Angeli nun- *Visio Dei.* quam saturabuntur eum intueri; quoniam semper ignota & noua in eo vident cum gloriosa iocunditate. Ipse vero fortis & potens; quoniam omnes creaturas in fortitudine sua potenter perduxit, & vnamquamque in genere suo mobilem constituit: & ita absque cæcitate omnia creata sunt & absque defectu. Dominus potens in prælio, qui contra draconem pugnauit, & eum in cœlo superauit, ac in inferno ad pœnas malitiæ suæ prostrauit, & portas inferni confregit, & animas illorum qui eum agnouerant, secum duxit, nec illud alius facere posset, nisi potens sit. O pura, vera & ignea Diuinitas, in tua potenti vi plantasti primum immortalem & immutabilem terram, in qua primi homines se H contaminabant, contra præceptum, & voluntatem tuam delinquentes, quos de eadem lucida regione expellebas forti potentia tua. Ruinam tamen istorum reædificauit, post effusionem aquarum nubium per nouam progeniem, quæ ex Noe processit, postquam serpentino generi ostendebas, quid in forti potentia tua facere posses contra furorem draconis, qui in æstimatione sua omne humanum genus deglutire deberet, quod diabolus tamen non cognouit; quia tibi nunquam seruire incepit. In omnibus quæ cum diluuio faciebas, quando homines dimersisti, ruinam errantis turbæ ostendebas. Tu enim sancta Diuinitas in Noe nouam sobolem plantasti, sicut etiam terra in alium modum euersa, nouum succum vini protulit. Abraham Num. 17. prima radix fuit, quæ in ramis generis sui floruit, sicut virga Aaron de radice abscisa fronduit, in qua præsignasti ortum tui incarnationem, qui in pudica aluo virginis, de vi tua sancta Diuinitas absque omni carnali

A conceptione floruit. O pura Diuinitas, tu attendisti ma-
Luc. 1. litiosum auditum primæ mulieris per serpentem dece-
ptæ, & nobilissimam virgam Mariam, de vi tua florere
fecisti, quæ nuncium Archangeli cum auditu veræ hu-
militatis suscepit, & in vera fide tibi obediuit. Hanc
tu super sidera in cælum vnicam matrem tuam alienæ
Assumptio Mariæ. naturæ leuasti, quo non venerat Eua: quæ nobis per-
didit Eua, ea per matrem saluationis cum omnibus or-
namentis paradisi, nobis reddita & reseruata sunt. Nunc
ô laudabilis Diuinitas laus tibi sit, quoniam omnia ma-
litiosa hominis reparabas, & in scientia tua scripsisti,
qualiter inimicum tuum superares. Ad pronuncian-
dam hanc scripturam viros elegisti, de quibus isti præci-
pui fuerunt, in quibus ostendisti, omnia malitiosa casus
Adæ, per filium tuum reparanda in melius, sicut post
diluuium terra & homines quadam nouitate in spe iu-
reparata sunt, & in Abraham inobedientia per obedien-
tiam deleta est. Abraham fuit radix incipientis san-
Genes. 17. ctitatis, qui per obedientiam præceptum Dei seruauit,
B & omnipotenti Deo hostiam bonæ voluntatis obtulit,
vnde & merito pater multarum gentium dicitur, quia
his tribus, scilicet obedientia, obseruatione præcepto-
rum Dei, te S. Diuinitas tetigit & signauit. Vnde etiam
nobilis Maria de stirpe ipsius processit, quæ nobile ger-
men filium DEI genuit, quod totum mundum illu-
minauit, per quod etiam caput serpentis contriuit. O
mitis sapientia, cuius ordinatio in omnibus creaturis
tuis iusta & vera est, salua hominem illum, qui istam
scripturam vidit & audiuit, & fac eum principem re-
demptionis filij tui, vt à numero istorum nunquam
separetur, qui in regno tuo gaudent. Libera me ab om-
ni fallacia malignorum spirituum, qui me cum omni
humano genere odio habent, ne me, ipsis consentiendo,
contaminent: hoc mihi concedere velis per sanctam
Mariam maris stellam, & per filium tuum, Amen.

Diuina Deitas, quæ cum alis potentiæ tuæ super pen-
Psal. 17. nas ventorum volas, quorum eleuatio & volatus per vim
tuam existit: per fortitudinem tuam rationalitas in an-
C gelis & hominibus, qui opus tuum sunt, volat: & tu
sapientia es, quæ istorum rationabilitati scientiam dat,
vt qualia opera eorum sint, agnoscant: & ea velut sa-
piens vir domum suam supra petram, scilicet Christum,
ædificent. Rationalitas hominis, cum sapientia terram
profundè fodit, quatenus supra petram domum suam
Matt. 7. ædificet. Vnde qui eum sapientia ad cælestem amo-
rem æterni Dei volat, viam vanam in peccatis viuendo
despicit. Tædiosus autem & stultus homo, quem tæ-
det terram in altum fodere, & domum suam supra pe-
tram fundare, hic desideria carnis suæ colit, & deride-
Exod. 2. bitur. Tu pura Diuinitas, Moysen de aquis sumptum
seruasti, quem filia Pharaonis tanquam filium suum
nutriuit, ne morte suffocaretur. Aqua Spiritui sancto
adest, quoniam per eam omnis fornicatio & forma exi-
nanitur, cui humiditas adest, quia omnia temperantur,
vt etiam ignis magisterio suo omnia temperat. Sapien-
tia rationalitati adiuncta est, & corpus eiusdem ratio-
nalitatis indumentum existit. O sancta Diuinitas, his
D tribus viribus omne opus tuum perfecisti, in illa vni-
tate in qua nulla diuisio est, nec vllum eorum aliud iniu-
1. Cor. 15. ste excellit. Sed tu es omne in omnibus. In possibili-
tate potentiæ tuæ creaturam tuam multiplicasti, quæ in
vna forma multos sensus habet. Tu etiam præuidisti in
visione antiquorum sanctorum, & in sanctis noui Testa-
menti incarnationem tuam, cui ipsi adsunt, sicut fecisti
per nubem in Noë, & per arietem in Abraham, & in
Moyse, quem de aquis sumpsisti, in quo legale funda-
mentum tuum scripsisti, & occulta mysteria & miracu-
la quæ hominibus ignota sunt, in mirabilibus tuis feci-
sti. Tu enim per clauem nubium aquas effudisti, & per
circuncisionem baptismum Abrahæ ostendisti, cuius
vnctionem per Moysen sanctificasti, quem filia Pharao-
nis de aquis sumptum seruauit. Filia Pharaonis Eccle-
siam significat, quæ ex gentilibus idola colentibus ad
Deum per ablutionem baptismi, & vnctionem Spiritus
sancti (cui maxime aqua pertinet) ad Deum conuersa

est. Futura miracula in Moyse præuidisti, qui per igneam E
columnam in nocte Israeliticum populum duxit, &
mare rubrum diuisit, per cuius significationem diabo-
lus cum omnibus sequacibus suis submersus est. Virga Exod. 14.
vero qua aquas diuisas, confluere fecit, legalem corre-
ctionem, qua plenum numerum primum constituit,
supplebit per filium suum. Ecclesia namque per in-
cendium vitiorum multas persecutiones patitur, sicut
etiam Israel in eremo multas perturbationes, contra
Deum murmurans, pertulit. Moysi, qui rubum non Exod. 3.
ardentem ardere vidit, Israeliticum populum saluan-
dum nunciasti, qui ignis signauit virginem per Spiritum
sanctum absque omni commixtione viri filium tuum
genituram, per quem populum Israeliticum in aquis
sanctificasti, quem in Abraham plantasti. Tu etiam Moy- Exod. 34.
si diligentissimo amico tuo dorsum tuum ostendisti, fa-
ciem tuam videre desideranti, per quod ostenditur,
à viuente homine æternitatem tuam in hac terra videri
non posse, nisi quantum in fide cognoscitur. Ipse enim
cetera miracula tua amplius humano sensu suscepit,
quam cæteri homines, vnde etiam exterritus & excus- F
sus est, & hominis latet quid de corpore ipsius feceris. Deut. 34.
O sancta Diuinitas, laus tibi in omnibus operibus, quæ
in his tribus columnis operatus es, & de omnibus mira-
culis quæ ad nouissimum hominem operaberis, quia
per Spiritum sanctum in his tribus viris omnes cæteri
prophetæ pennati sunt, & cum ipsis volant. Nunc
obsecro magnos & paruos, qui de Spiritu tuo scripse-
runt, & me pusillam quæ de spiramine Spiritus tui, cum
ista scriptura laboraui. Iosue volantes pennas Moysis
fecit, quia ab ipso pennatus fuit. Abraham etiam post Gen. 17.
Noe Spiritu sancto inspiratus, nouam legem, scilicet
circuncisionem, protulit, & omnis Philosophia Pro-
phetarum ab ipso solo exorta est & generata. Deus Gen. 1.
etiam cum cælum & terram creauit, cælum cum cæle-
stibus signis ornauit, & terram cum herbis & bestiis, &
tandem hominem creauit, insignitum omni creatura, &
intelligibilem omni scientia. Omnia miracula quæ an-
te IESVM fuerunt, scilicet per signum circuncisio- G
nis, & omnis prophetia Prophetarum, in ipso omnia
completa sunt & consisterunt, quia in aliena natura
nouus homo in mundum venit. Deus enim misit eum
in terram inaratam, & in terram aratro non euersam, in
qua ipse nobilissimus flos creuit, & dulcissimum odo-
rem præbuit vniuerso mundo, sicut & nobiles flores in
inarata terra crescunt. In floriditate namque sua, nouus
mundus processit in similitudine, sicut Deus Adæ dixit,
Crescite & multiplicamini, & replete terram. Sed Gen. 1.
quia germen illud periit per deceptionem antiqui ser-
pentis, ita quod in primo ortu non processit, postea
filius Dei mortem primi hominis suffocauit, & ma- Gen. 3.
gnos botros in noua vinea plantauit, qui optimum
vinum dederunt, ex quo omnes cum magno gaudio
inebriati sunt. Vinea vero ista fidem, quæ ex verbo,
scilicet filio Dei, emanauit, designat, cuius processio-
nem totus mundus enarrare non posset. Botrorum au-
tem optimum vinum suam dulcissimam doctrinam si-
gnificat, qua homines in parabolis docebat, quia Diuina H
mysteria, generi per consilium serpentis obnubilato, vi-
denda non sunt, nisi vt facies hominis in speculo, in
quo tamen non est, resplendet. Quomodo enim posset
vita à mortali homine videri? Ipse enim obscura verba
hominibus loquutus est, scilicet parabolas, quia in pec-
catis concepti, verba vitæ aliter capere non possent. Fi-
lius enim Dei, qui Diuina vita est, in mundum venit,
qui tabernaculum est hominis, noxiali pomo decepti,
quatenus eum ad vitam reuocaret verbis doctrinæ suæ,
quem in humana specie, quæ deitatem suam texerat,
videbat. Fons viuus, cuius Diuinitatem nullus intueri
potest, Deus omnipotens est, qui in præscientia sua præ-
destinauerat incarnandum filium suum, ex homine, quem
ad imaginem & similitudinem suam creauerat, quate-
nus per ipsius sanctam humanitatem, homo perditus,
liberaretur, ab æterna morte, qui nullo modo aliter li-
berari potuit. Filius namque Dei, vnica vita absque

A principio & fine existens, mortalem hominem ad vitam suscitauit, à morte æterna resuscitauit, quem in duabus naturis creauit de materia terræ, vnde peccata sentit: & ex anima, per quam Deum omnipotentem & inuisibilem intelligit, qui altissimus mons est, ad quem nulla creatura ascendere valet; vnde decebat eum, à quo omnis creatura descendit & mouetur, vt per filium suum, DEVM scilicet & hominem, liberaret, quatenus vacuus angelicus chorus per eum suppleretur. DEVS enim cælum & terram constituit, quemadmodum Moyses inspiratus Spiritu sancto, scripsit, quem in fictili vase, scilicet homine, designauit, quem diabolus ad plenum, vt in miraculis Dei constitutus est, non cognouit: sicut etiam Diuinitas in humanitate latens & occultata est: quia si perfectè eum cognouisset, nunquam ad decipiendum eum aggressus fuisset. Diabolus vero etiam ante ruinam suam eum nunquam vidit, quoniam à charitate cæcus fuit, quæ in omnibus rebus velut anima & oculus existit, IESVM CHRISTVM sine peccato esse sensit,
B & in eo opera, quibus homo ad vitam resurgit: ideo recolens primum hominem à se deceptum, cum etiam tentatum, decipere volens, & vt memoria ipsius deleretur, omni modo quamuis incassum, laborat. Sed cum superatum se vidisset, omnino perterritus erubescebat, & in malitia sua confidit, vt per Antichristum, Deum in opere suo confundere debeat, quia ex forti vena primæ deceptionis, suæ confidit in terreno homine perficere, quod in inextinguibili lumine non valuit, quod Iob, qui in dolore suo perfusus est, in prophetia sua intel-
Ioh. 40. lexit. Quando: Diabolus fiduciam habet, quòd Iordanis in os suum fluat. Ipse enim maximè odit ignem & aquam, quoniam omnes creaturæ per ipsa firmatæ & animatæ sunt. Ignis vero in quo secundum impietatem suam ardet, omni lumine caret, ipse etiam omnis viriditatis expers est, & ideo cum luce & humiditate partem non habet. Nobilissimus flos virgæ Aaron, per ignem florem, & in aqua mortem suffocauit, de quo floriditas sanctitatis, & cælestium virtutum exorta est,
C quoniam ipse nobile germen ab alto monte descendit, vnde etiam nouum genus plantauit. Prophetica namque verba, quæ in vmbra famæ sonuerunt, tunc formata apparuerunt, quando filius Dei de alto monte, scilicet de corde patris sui, descendit ad induendam humanitatem, qui omnem vocauit creaturam, & eam in cauernam naturæ suæ constituit, quoniam ipsum decebat, vt noua sanctitate cælestium virtutum homines indueret, noua humanitate indutus. Illi enim, secundum
Ioan. 1. Ioannem, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt: quia sicut Maria Virgo contra naturam DEVM & hominem genuit, ita isti contra naturam carnalis concupiscentiæ, ipsum imitando, in nouam sanctitatem nati sunt, quam ex ipso suxerunt. Filius namque Dei, sicut bonus & sapiens hortulanus, bonas & ad cuiusque vtilitatem perfectas colligit herbas, bonos & perfectos homines, qui quasi bona herba in bona terra fuerunt, quoniam eum
D audierunt. & sermones ipsius audientes, præceptis
Matt. 10. ipsius libenter obtemperabant in fide & charitate. Ipse quoque duodecim Apostolos elegit, ad numerum duodecim Prophetarum, qui vmbra fuerunt Christi, sicut vmbra corpus ostendit.

PHILIPPVS DECANVS CVM ceteris Clericis, Hildegardi.

PHilippus Decanus, licèt indignissimus maioris Ecclesiæ, totusque clerus Cololonien. Hildegardi de S. Roberto in * Pinguia venerandæ sectatrici partis illius,
Luc. 10. quam elegit Maria, & nunc per munditiam cordis, & in futuro facie ad faciem DEVM intueri. Quia maternam pietatem vestram diligimus, vobis notum facimus, quia postquam à nobis recessistis, cum per Diuinam iussionem ad nos venissetis, vbi verba vitæ, prout Deus vobis inspirauit, nobis aperuistis, in maximam admirationem ducti sumus pro eo, quod Deus in tam fragili vase,
E in tam fragili sexu hominis, tanta mira secretorum suorum operatur. Sed Spiritus vbi vult spirat. Nam ex mul-
Ioan. 3. tis rerum indiciis manifestum fit, quod in præcordiis vestris placitam sibi sedem elegerit: merito & nos in admirationibus nostris ad vos quasi ad viuum Dei templum, preces oblaturi, accedimus, & de corde vestro, sicuti reuera de Dei oraculo, veritatis responsa flagitamus. Beatitudinem enim vestram quam intime exoramos, vt desideria nostra, quoniam ad curam animarum respiciunt, intentius Deo commendetis: & si quid adhærens Deo, animus vester in vera visione (vt assolet) de nobis peruiderit, literis nobis intimare curetis. Rogamus etiam, vt ea quæ viua voce nobis prius dixistis, literis quoque commendetis, & nobis transmittatis: quia dum carnalibus concupiscentiis dediti sumus, spiritalia quæ nec videmus, nec audimus, facilè per negligentiam obliuioni tradimus. Valeat dilectio vestra, &
F ille vobiscum sit, quem toto corde diligitis.

Ad Clerum Coloniensem, Hildegardis.

QVi erat, & qui est, & qui venturus est, pastoribus
Apo. 1. Ecclesiæ dicit: Qui erat, creaturam facturus erat, ita quod testimonium testimoniorum in semetipso habuit, omnia opera sua faciendo sicut voluit. Qui enim omnem creaturam fecit, & testimonium testimoniorum in omnibus operibus suis ostendebat; ita quod quodque formarum apparuit. Qui venturus est, omnia purgabit, & ea denuo in alia vicissitudine iterabit, & omnes rugas temporum & temporum asterget, & omnia simul noua esse faciet, & post purgationem ignota ostendet. De ipso ventus flauit, sic dicens: Firmamentum cum omnibus ornamentis suis posui, nulla vi carens. Oculos enim quasi ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad gustandum habet. Nam
G sol, quasi lumen oculorum eius est; ventus autem auditus aurium eius: aër, odoramentum eius: ros, gustus eius, viriditatem sudando, vt oris spiramen. Luna quoque tempora temporum dat, & sic scientiam hominibus ostendit. Stellæ autem, velut rationales sint, sic sunt, quia circulum habent: sic etiam rationalitas multa comprehendit. Quatuor etiam angulos orbis, igne, nube & aqua firmaui, & sic omnes terminos terræ, quasi venas coniunxi. Lapides de igne & aqua sicut ossa sudi, & terram de humiditate & viridiate quasi medullam constitui. Abyssos velut qui corpus sustinent, in fixura extendi circa quas sudantes aquæ sunt ad firmamentum eorum. Sic omnia sunt constituta, ne deficiant. Si nubes ignem & aquam non haberent, velut cinis essent. Sed si cætera luminaria lumen de igne solis non haberent, per aquas non fulminarent, sed cæca essent. Hæc sunt etiam instrumenta ædificationis hominis, quæ tangendo, osculando, & amplectendo comprehendit, cum ei ministrant, tangendo scilicet quia nobilem potesta-
H tem cum eis exercet. Sed & homo nullam licentiam possibilitatis haberet, si ista cum eo non essent. Sic ista cum homine, & homo cum illis. O filioli, qui greges meos pascitis, de instanti instructione dominicæ vocis, quare non erubescitis, cum cæteræ creaturæ præcepta, quæ de magistro suo habent, non deserunt, sed perficiunt? Vos constitui sicut solem & cætera luminaria, vt luceretis hominibus per ignem doctrinæ in bono rumore fulgurantes, & ardentia corda parantes. Hoc in prima ætate mundi feci. Abel enim elegi, Noe dilexi,
Gen. 4. 6. 12. &c. Exod. 3. 4. 5. &c. Abrahæ me ostendi, Mosen ad institutionem legis imbui, Prophetas etiam amantissimos amicos meos constitui. Vnde etiam Abel sacerdotium præfigurabat, Noe principale magisterium, Abraham renouationem sobolis, Moyses regale nuncium, & Prophetæ plurima magisteria. Sed & Abel vt Luna splendorem suum effudit, quia tempus obedientiæ in munere suo ostendit, & Noe velut Sol, quoniam ædificium obedientiæ perfecit, ac Abraham vt fortes planetæ, cum circumcisionem ar-

tulit,

A tulit, & Moyses vt cæteræ stellæ cum per obedientiam legem collegit. Et Prophetæ vt quatuor anguli, qui terminos terræ sustinent, in fortitudine persticerunt, cum orbem terræ propter instantem iniquitatem corripuerunt, per quod etiam Deum ostenderunt. Linguæ autem vestræ, mutæ sunt in clamante voce canentis tubæ Domini, sanctam rationalitatem non amantes, quæ sicut stellæ circulum circuitionis habent. Tuba Domini, iustitia Dei est, quam magno studio ruminare deberetis, eam quoque in officiali lege & obedientia cum sancta discretione, per conuenientia tempora iterando populis, & non in nimietate eam illis incutiendo. Sed hoc propter pertinaciam propriæ voluntatis vestræ non facitis. Vnde firmamento iustitiæ Dei, luminaria in linguis vestris desunt, velut cum stellæ non lucent. Vos enim nox spirans tenebras estis; & quasi populus non laborans, nec propter tædium in luce ambulans: sed velut nudus coluber in cauerna se abscondit, sic vos

Psal. 73. fœditatem in vilitate pecorum intratis. He He, vos

B esse deberetis, vt dictum est, mons Sion, in quo habitasti in eo. Nam benedicti & signati in cælestibus personis habitaculum esse debuistis, myrrham & thus redolens, in quo etiam Deus habitarat. Sed hoc non estis, sed veloces estis ad lasciuiam puerilis ætatis, illorum scilicet, qui de salute sua loqui nesciunt, Sed & quidquid caro vestra postulat, facitis: quapropter de vobis dicitur, Leua manus tuas in superbias eorum in finem, quanta malignatus est inimicus in sancto? Nam potestas Dei, colla vestra iniquitate erecta deprimet, & ad nihilum deducet quæ velut in sufflatu venti inflata sunt, cum Deum non cognoscitis, nec hominem timetis, nec iniquitatem contemnitis, vt eam in vobis finiri desideretis, Deum non videtis, nec videre desideratis. Sed opera vestra inspicitis, & ea in vobismetipsis iudicatis, scilicet faciendo & relinquendo, secundum placitum vestrum quæ vultis. O quanta malignitas & inimicitia hæc est, quod homo nec propter Deum, nec propter hominem, in bona conuersatione esse vult: sed quod

C honorem appetit sine labore, & præmia æterna sine abstinentia, & quod tantum velut in sanctitate inaniter cupit personare, secundum quod Diabolus dicit, Bonus & sanctus sum. Sed non hoc. Quid nunc dicitis? Oculos non habetis, cum opera vestra in igne Spiritus sancti hominibus non lucent, & cum bona exempla eis non ruminatis. Vnde firmamentum iustitiæ Dei in vobis luce solis caret, & aer ædificio virtutum in odore

Ps. 113. suauitatis. Vnde dictum est: Oculos habent, & non videbunt: nares habent, & non odorabunt. Nam sicut venti flant, & omnem orbem perfundunt: sic vos, veloces venti cum doctrina vestra omni populo esse debe-

Psal. 18. retis, sicut dictum est: In omnem terram exiuit sonus eorum. Vos autem in vnaquaque volante seculari fama iam lassati estis, ita quod interdum milites, interdum serui, interdum ludificantes cantores existitis, sed per fabulosa officia vestra muscas in æstate aliquando abigitis. Per doctrinam quoque scripturarum, quæ de igne Spiritus sancti compositæ sunt, anguli fortitudinis

D Ecclesiæ esse deberetis eam sustentantes, sicut anguli qui terminos terræ sustinent: sed prostrati estis, nec Ecclesiam tenetis: sed in cauernam voluptatis vestræ fugitis, & propter tædium diuitiarum & auaritiæ & cæterarum vanitatum, subditos vestros non imbuitis, nec eos doctrinam à vobis quærere permittitis, dicentes: Omnia elaborare non possumus. Nam eos per præcepta legis perfundere & constringere debetis, ne vllus eorum per fragilitatem, quasi per medullam faceret quod sibi eligit, velut terra humiditate & viriditate perfusa & constricta est ne cinis sit. Propter vos autem sparguntur, & in vna quaque causa, quæ volunt, faciunt. Vos enim ignea columna esse deberetis, illos perdendo, & eis clamando, ac bona opera coram illis exercendo, ac dicendo: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Nam lex Domini per amorem & timorem plena disciplinæ est, & ideo quæque natura, & spiritualis & carnalis, in recto itinere exercenda est, ne creator minetur eis quos creauit, E

quod vias suas non ambulant. Sed vosmetipsos seducitis, dicentes: Nec hos, nec illos superare possumus. Quod si per rationalitatem, quam Deus vobis dedit, subditos vestros veraciter corriperetis, veritati resistere non auderent: sed quantum possint, verba vestra vera esse dicerent. Sed quia hoc non facitis, de vobis dici-

tur: Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis Psal. 106.

sapientia eorum deuorata est. Hoc tale est. Nam turbati estis, cum nullum respectum boni in vobis habetis, ita vt bene ambuletis. Moti quoque in magna dubitatione estis, cum opera vestra rectum responsum vobis non dant, velut nesciatis quid faciatis, sicut ebrius, quando illa quæ optio mentis ac propriæ voluntatis vestræ desiderat, facitis. Vnde omnis sapientia, quam de scripturis & de doctrina vbique quæsiuistis, in puteo propriæ voluntatis vestræ deuorata est, cum hoc quod tangendo & sapiendo sciebatis, in pleris desideriis vestris & in pinguedine carnis vestræ faciebatis, ve- F

lut infans qui in infantia sua nescit quid faciat. Quapropter ad vos dicitur: Mores moralitatis ad populum in recta stabilitate non habetis, sicut pedes reliquum corpus sustinent, quatenus scripturis eos circumdetis, velut abyssus aquis sudoribus vndique circumdata est. Sed dicitis: Tempus loquendi modo non habemus, nec etiam nunc tempus est vt audiamur, sicut in prioribus temporibus erat. Sed dico: Abel autem propter

odium fratris sui, munus suum non deseruit, sed illud Gen. 4.

Domino suo obtulit, quamuis ob hoc occisus sit. Noe Gen. 6.

in tremendo iudicio suffocationis creaturarum angustiatus, multum sudorem emisit, cum mortem valde timuit, vbi iussa Dei compleuit. Quod quidam alij homines dixerunt: Quid facit stultus iste? Venti enim destruent eum, sed tamen ipse impleuit, quod Dominus

ei præceperat. Abraham vero nec propter dolorem Gen. 22.

cordis sui, nec propter amorem filij sui cessauit, quin eundem filium suum in holocaustum ligaret. Moyses quoque legislator, dura & aspera à fratribus & vicinis

suis in nimio dolore passus est, sed tamen legem non G

dereliquit, sed præcepta Dei adimpleuit. Prophetæ etiam de infidelibus hominibus, velut de rapidis lupis occisi sunt, cum Deo obedirent. Vos autem in modico & congruente tempore iniurias à populis sufferre non vultis: & ideo innumerabilia & infinita tormenta in sinum vestrum colligitis. Dies esse deberetis, sed nox estis. Nam aut nox, aut dies eritis. Eligite vobis in qua parte stare velitis. Vos autem in firmamento iustitiæ & legis Dei, Sol & Luna & stellæ non estis, sed tenebræ, in quibus velut mortui iacetis. Vnde iterum dico: Deus opera quæ per semetipsum fecit, illis qui ab eo declinant, proponit, quoniam manipulos bonorum fructuum recte non ferunt. Quemadmodum pater opera probitatis suæ filiis suis, cum ab eo recedunt, ostendit, vbi in honestate non bene ambulant. Adam in beneuolentia præceptum Dei suscepit, sed consilio diaboli defecit: vnde claritatem quam velut lucidum vestimentum habuit, & patrimonium paradisi perdidit, ac lamentabile vestimentum in-

duit, & in tenebrosa terra iuit. Tunc Diabolus gaude- H

bat, quia hominem deiecerat, & hoc fecit vsque ad Abel, qui bona voluntate Deum dilexit, & voluntatem

illam bono opere ostendit. Ibi autem diabolus Cain Gen. 4.

inuasit, ita quod fratrem suum occidit. Hæc Deus in mente sua velut in libro scripta inspexit, quæ mysteria diabolus nesciuit, quoniam in S. Diuinitate tantum apparuerunt. Quia virginitas in Abel sacerdotali officio & sanguine martyrij ornata est, quod postea totum in filio Dei completum est. Deinde Deus per Noe in ædificatione arcæ cæleste fundamentum præfigurauit, vbi nouum mundum produxit. Tunc namque terra nouum succum, scilicet vinum dedit, in quo mors & vita est,

vbi etiam diabolus filio Noe persuasit, quod propter Gen 9.

nuditatem patrem suum inhonoraret, vnde etiam idem Gen. 17.

filius eius, de benedictione libertatis denudatus, etiam seruus factus est. Postea Diuinitas per circumcisionem & veram ostensionem motos eiusdem fundamenti

in

[A] in Abraham demonstrabat, & etiam in sterili muliere. Circumcisio enim confusio serpentis & vulnus mortis erat. Prima quoque mulier, sterilis vitæ fuit: Ecclesia autem fœta vitis per fidem erat. Diabolus autem in quibusdam in genere Abrahæ, cum maledictione irrisionem per homicidium & per alia praua opera fecit, vnde de benedictione Dei ceciderunt. Sed digitus Dei legem Moysi scripsi, vbi turres prædicti fundamenti in altum produxit, qua propter idem diabolus ibi pessimum & summum malum, quod prius consiliatus, hic manifeste ostendit, cum in Baal se esse Deum dixit. [Reg. 1. cap. 1.] Vnde Deus filios Israel multis plagis percussit. Tunc vnicornis venit, & in sinu virginis dormiuit, quando verbum Dei caro factum est, & cæleste fundamentum totum compleuit. [bel.] Ipse enim in virginea natura, sacrificium Abel per sanguinem martyrij plenitèr factus est. Antiquus quippe serpens ei insidiabatur, quia nesciuit quis esset, [Isa. 26.] & quoniam mysteria illa quæ in mente Dei erant, non cognouit, & Iudaicum populum hortabatur, ne illum [B] in mirabilibus suis audirent, sed quod enim à discipulo suo venditum caperent. Quapropter ipsi in diuersas regiones venditi sunt, & regionem suam perdiderunt. Filius autem DEI Ecclesiam quasi arcam Noæ super alios altos montes posuit, quando per discipulos suos, principes, duces & reges fidem docuit, vbi eam quoque omnibus generibus, scilicet iustorũ, publicanorum peccatorum impleuit. Ipse quoque in Abraham obedientiam incepit, cum incarnatus, patri suo vsque ad mortem obediuit, & in circumcisione baptismum in nomine sanctæ Trinitatis dedit, [Matth. 28.] cum discipulos suos baptizare credentes præcepit. In eodem autem baptismo serpens in confusione suffocatus est, & mors deuicta ac vulnerata est, vnde Ecclesia nouam generationem per alienam viam genuit, quia Eua sterilis vitæ fuit, Maria autem maiorem gratiam contulit, quam Eua nocuisset. Sed antiquus serpens Iudæis ac infidelibus hominibus persuasit, vt sanctus Dei persequerentur & occiderent. Filius autem Dei vexillum victoriæ in omnibus operi- [C] bus suis obtinuit, & discipulis suis sicut Moysi legem dedit, vt omnes populos docerent, & magistros constituerent, & Ecclesiam in omnibus ordinibus sui ornarent, & hoc perfecerunt per inspirationem Spiritus DEI, qui in cordibus eorum veram doctrinam scripsit. Et quia verbum Dei incarnatum erat, Deo placuit, quod omnes ordines angelorum, qui per nomina sua hominibus nota sunt, in spirituali populo spiritaliter designarentur, velut in presbyteris & Episcopis, ac in cæteris huiusmodi spiritalibus ordinibus. Tunc Ecclesia in spiritalibus hominibus sicut aurora apparuit, & ita in virtutibus fulgebat, quoniam in tribulationibus eorum defensionem quasi scutum, & protectionem quasi loricam habebat. Et ita spiritalis populus in magno honore coram Deo & hominibus stabat, vsque ad tyrannum quendam qui Baaliticus cum seruitute idolorum esse cœpit. Quod spiritalis populus videns, primo su- [Proprietas] spirauit & contremuit. Sed tamen idem spiritalis po- [D] pulus deinde singularitatem ac singularem proprietatem in actibus suis iniit, & à pacto quod Deo per Spiritum sanctum promiserat, declinauit, ac velut Iudæi fecerant, illud post illud, & aliud post aliud præceptum [Indebita desponsatio] reliquerunt, & vnusquisque ordo legem secundum voluntatem proprietatis suæ sibi posuit, & de bona conuersatione & de bona doctrina se auerterunt. Tunc etiam veste obedientiæ sicut Adam denundabantur, & ita secundum voluntatem carnis viuere cœperunt. Et illud in tenebrosa terra fecerunt, sicut etiam Adam post inobedientiam à DEO tenebrosus nominatus est, & Ecclesiæ sicut prius fulserant, non lucebant, sed velut obnubilatio turbinis facti sunt, quemadmodum etiam Adam propter inobedientiam obnubilatus, nec sibi nec aliis lucebat, sed in tenebris incedebant. Et de viuente luce iterum audiui vocem, dicentem: O filia Sion, corona honoris capitis filiorum tuorum Inclinabitur, & pallium dilatationis diuitiarum eorum imminuetur, quia tempus illud non cognouerunt, quod eis ad vi-

[E] dendum, & subditos suos ad docendum dedi. Nam & vbera, ad nutriendum paruulos meos, eis data sunt, quæ ipsis recto & congruenti tempore non præbent, vnde sicut peregrini filij fame multi defecerunt, quoniam recta doctrina non reficiuntur. Vocem quoque habent, & non clamant, opera etiam eis data sunt, & non operantur. Gloriam absque merito habere volunt, & meritum absque opere. Qui gloriam cum Deo habere vult, proprietatem suam abscindat, & qui meritum apud Deum habere desiderat, opus ad hoc exhibeat. Sed quia [Luc. 11. Gen. 9.] hoc non facitis, ad seruos seruorum computabimini, & ipsi iudices vestri erunt, ac libertas vestra à vobis declinabit, sicut benedictio à Canaan. Ista flagella præcurrent, alia autem & postea alia & peiora venient. Nam & diabolus in semetipso de vobis dicit: Escas epulantium & conuiuia omnia voluntatis meæ in istis inuenio. Sed & oculi & aures & venter meus ac venæ meæ de spumis istorum plenæ sunt, & vbera mea plena sunt de vitiis eorum. Nam ipsi in Deo suo laborare nolunt, [F] sed eum quasi nihilum computant. Quapropter incipiam cum eis militare, & iocando cum eis ludere, quoniam eos in agro Domini sui laborantes non inuenio, quemadmodum Dominus eorum ipsis iubet.

Sed ô vos discipuli & subditi mei, multo plus eis coram populo disciplinati estis. Et quia sic estis, erigite vos super illos, & omnes diuitias & omnem honorem eorum abstrahite ab eis, & omnino despoliantes suffocate eos. Hæc diabolus in semetipso dicit, quæ etiam in multis iudicio Dei complebit. Sed ego qui sum, audientibus me dico; In tempore illo cum istud fiet, per quendam errantem populum peiorem erranti populo, qui nunc est, super vos præuaricantes præuaricatores ruina cadet, qui vbique vos persequetur, & qui opera vestra non celabit. Sed ea denudabit, & de vobis dicet: Isti scorpiones sunt in moribus, & in operibus serpentinis. Sed & quasi in zelo Domini de vo- [Psal. 1.] bis imprecabitur: Iter impiorum peribit. Nam vias vestras in iniquitate vestra ad internecionem deridebunt & subsannabunt. Sed populus iste qui hoc faciet, à dia- [G] bolo seductus & missus, pallida facie veniet, & velut in omni sanctitate se componet, & maioribus secularibus principibus se coniunget. Quibus & de vobis sic dicent: Quare hos vobiscum tenetis, & quare eos vobiscum esse patimini, qui totam terram in maculosis iniquitatibus suis polluunt? Isti enim ebrij & luxuriosi sunt, & nisi eos à vobis abiiciatis, tota Ecclesia destruetur. Populus autem qui hoc de vobis dicet, vilibus cappis quasi alieni coloris sunt, induitur: & recto modo tonsus incedet, atque omnibus moribus suis placidum & quietum se hominibus ostendet. Auaritiam quoque non amat, pecuniam non habet, & in occultis suis tantam abstinentiam imitatur, vt vix vllus ex eis reprehendi possit. Diabolus enim cum hominibus istis est, latitante fulgore eis se ostendens, velut in constitutione mundi ante ruinam fuit, & Prophetis aliquantum se similem facit, & dicit: Populus iocando loquitur, scilicet quod velut rabida & immunda animalia & velut muscas [H] ei me ostendam. Sed nunc in pennas ventorum fulgurante tonitru volare volo, & eos omnibus modis ita infundere, vt omnem voluntatem meam perficiant. Et sic in hominibus istis signa mea omnipotenti Deo assimilabo. Nam diabolus per aerios spiritus hæc operatur, qui propter praua opera hominum in sufflatu venti & aeris, ita innumerabiles circa quosdam discurrunt, [De quibusdam seductoribus sub specie religionis.] sicut muscæ & culices, qui in ardore caloris homines multitudine sua infestant. Ipse enim homines istos hoc modo infundit, quod castitatem eis non aufert, & quod eos castos esse permittit, cum castitatem habere voluerint. Et iterum intra se dicit: Castitatem & continentiam DEVS diligit, quod & ego in istis imitabor. Et sic idem antiquus hostis per aerios spiritus eosdem homines inflat, ita quod ab incestis peccatis se abstinent. Vnde & mulieres non amant, sed eas fugiunt. Et ita quasi in omni sanctitate hominibus se ostendent, & illudentibus verbis dicent: Cæteri homines qui ante

nos

A nos castitatem habere volebant, vt assum piscem se torrebant. Nulla autem pollutio carnis & concupiscentiæ nos tangere audet, quia sancti sumus, & Spiritu sancto infundimur. Vah, errantes homines qui nunc sunt, nesciunt quid faciunt, sicut & illi qui nos in prioribus temporibus præcesserunt. Nam alij homines qui eo tempore in fide Catholica errant, istos homines timebunt, & seruili officio eis ministrabunt, & quantum poterunt, eos imitabuntur. Tunc de conuersatione istorum populus gaudebit, quoniam ei iusti videbuntur. Cumque isti cursum erroris sui hoc modo confirmauerint, doctores & sapientes, qui tunc in fide Catholica fideliter persistunt, vndique persequentes expellent. Sed tamen non omnes, quoniam aliqui eorum fortissimi milites in iustitia Dei sunt. Sed & quasdam congregationes sanctorum, quorum conuersatio sancta est, mouere non poterunt. Quapropter principibus & diuitibus consilium dant, vt eosdem Ecclesiæ magistros & reliquos spiritales homines, scilicet, subditos eorum, fustibus & lignis coerceant, quatenus iusti fiant.

B Et in aliquibus hoc complebitur, vnde alij territi contremiscent. Sed tamen secundum quod Heliæ dictum est, multi iustorum seruabuntur, qui in erroribus istis non confundentur, nec a fundamentis suis destruentur. (1. Reg. 19.) Seductores autem isti, in inceptione seductionis erroris sui mulieribus dicent: Non licet vos nobiscum esse. Sed quoniam rectos doctores non habetis, nobis obedite: & quæcunque vobis dicimus & præcipimus, facite, & saluæ eritis. Et hoc modo fœminas sibi contrahunt, & eas in errorem suum ducunt. Vnde etiam ipsi in superbia tumentis animi dicent: Omnes superauimus. Qui tamen postea eisdem fœminis secreta luxuria commiscebuntur, & ita iniquitas & secta eorum denudabitur. Sed qui sum, dico: Sic iniquitas, quæ iniquitatem purgabit, super vos ducetur, sicut scriptum est: (Psal. 17.) Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aeris. Nam Deus praua opera vestra

C quæ absque luce sunt, constituet ad vindictam, in qua se a vobis sine adiutorio abscondet, quoniam æquitatem super vos non clamabit, sed vos iniquos esse dicet. De cælo enim lex & doctrina est, in quibus apud vos habitare debuit, si ornamentum virtutum & redolens hortus deliciarum essetis. Sed malum exemplum in mentibus hominum estis, cum riuulus bonæ famæ de vobis non fluit, ita quod nec cibum ad vescendum, nec vestimentum ad operiendum in recta respectione animæ habetis, sed iniusta opera absque bono scientiæ. Vnde honor vester peribit, & corona de capite vestro cadet. Sic iustitia iustitiam prouocat, & quærit ac perscrutatur omnia scandala, vt scriptum est. (Matt. 13. Matt. 18.) Verumtamen væ homini per quem scandalum venit. Nam oportet vt per tribulationes & contritiones praua hominum opera purgentur. Sed tamen multæ ærumnæ & illis accumulantur, qui aliis in impietate sua miserias inferunt. Infideles autem homines isti, & à diabolo seducti, scopæ vestra erunt ad castigandum vos, quia Deum pure non colitis, & tam diu vos cruciabunt, quousque iniustitiæ & iniquitates vestræ purgentur. (Esa. 14.)

D Isti autem deceptores illi non sunt, qui ante nouissimum diem venturi sunt, cum diabolus in altum volauerit, vt ipse in initio contra Dominum pugnare cœpit, sed præcurrens germen illorum sunt, sed tamen postquam ipsi in peruersitatibus Baal & in aliis prauis operibus sic inuenti fuerint, principes & alij maiores in eos irruent, & velut rabidos lupos eos occident, vbicunque eos inuenerint. Tunc aurora iustitiæ & nouissima vestra, meliora prioribus erunt, ac de omnibus præteritis timorati eritis, & quasi purissimum aurum fulgebitis, & sic per longa tempora permanebitis. Nam prima aurora iustitiæ, in spiritali populo tunc surget, vt primitus cum paruo numero incepit, nec ipsi multas facultates, nec multas diuitias habere volunt, quæ animas occidunt, (Thren. 5.) sed dicent: Væ nobis, quia peccauimus. Ipsi namque de præterito timore & de præterito dolore ad iustitiam confortabuntur, quemadmodum angeli in casu diaboli in amore Dei confortati sunt.

E Et sic postea in humilitate viuent, nec prauis operibus Deo rebellare cupient. (Esa. 14.) Sed à multis erroribus purgati, deinceps in fortissima vi rectitudinis persistent, sed & multi homines mirabuntur, quod tam valida tempestas hanc lenitatem præcucurrit. Homines autem qui ante tempora ista fuerunt, multas & validas pugnas contra voluntates suas in periculis corporis sui sustinuerunt, de quibus eripere se non poterunt. Sed in temporibus vestris multa inquieta bella propter proprias voluntates & incompositos mores vestros habebitis, in quibus multas tribulationes patiemini. (Consilium contra mala prædicta.) Quicunque ergo pericula ista effugere voluerit, caueat ne in oculis suis ita contenebretur, quod in rebus ærumnarum istarũ occupetur. Sed vnusquisque, quantum præualebit, per bona opera & respectum bonæ voluntatis illa fugiat, & Deus auxilium suum illi prouidebit. Diabolus namque in opere Dei errorem fecit, etiam in primo homine incepit, vnde spumas vitiorum suorum super spiritalem populum expuit.

F Sed Deus populum quem sibi elegit, in rectitudine seruabit, sicut etiam quosdam homines contra nouissimum errorem seruat, vt illum dissipent. Sic diabolus in cauda erroris huius confundetur, & sicut coluber in cauernam abscondetur, velut etiam in nouissimo errore in confusionem ducetur. (Genes. 1. & 2.) Deus enim opera sua in Adam præuidit, quem de limo carnem & ossa fecit, cum ei spiraculum vitæ inspirauit. Sed cum Spiritus hominis ab eo recesserit, caro & ossa in cinerem vertuntur, sed tamen in nouissimo die renouabuntur. Quod autem Deus hominem de limo fecit, veterem legem homini dandam præfigurauit. Sed quod idem homo de limo in carnem & ossa surrexit, spiritalem legem ostendit, quam filius Dei per semetipsum attulit. Qui etiam post cinerem renouabitur, & æternus erit, in quo demonstrabitur, quod cum præmio sanctitatis & cum præmio veræ legis faciem creatoris videbit, quia ibi vere renouatus est, quemadmodum scriptum est: (Psal. 103.) Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

G (Explicatio eiusdem loci.) Quod dicitur, Tu Deus qui omnia creasti, emittes in nouissima tuba spiritum tuum, & homines in immortalitate surgent: ita quodammodo non crescent, nec arescent, nec in vllam putredinem conuertentur. Et sic renouabis faciem terræ, scilicet quod corpus & anima in vna scientia & in vna perfectione erunt. Hoc Deus faciet, in quo nec initium nec finis est. (1. Ioan. 4.) Nam Deus in nullum respicit, quia ipse totus est. Et ipse hominem creauit, in quem opus & miracula sua posuit, & cui quodque ædificium virtutum commisit, per quod, in idipsum tendat, quod idem Deus valde amat, quia charitas est. Nam Deus facit velut aliquis paterfamilias, qui familiari amico suo bona sua committit, quatenus pro bono opere eorundem bonorum mercedem ab ipso recipiat. Nunc ò filij Dei, audite & intelligite, (Apoc. 2.) quid Spiritus Dei ad vos dicat, ne de meliore parte pereatis. Et spiritus Dei vobis dicit: In ciuitatem & regionem vestram adspicite, & nefarios homines à vobis abiicite, qui peiores Iudæis sunt, & similes Sadducæis.

H Nam quamdiu vobiscum manserint, tuti esse non poteritis. Ecclesia enim super iniquitate istorum plorat & plangit, quoniam filij eius in iniquitate istorum contaminantur. Quapropter ipsos à vobis proiicite, ne congregatio & ciuitas vestra pereat, quoniam in Colonia pridem conuiuium regalium nuptiarum præparatum est, vnde plateæ eius adhuc fulminant. (Laus Coloniæ.) Ego autem timida & paupercula per duos annos valde fatigata sum, vt coram magistris & doctoribus ac cæteris sapientibus in quibusdam maioribus locis vbi mansio illorum est, viuente voce ista proferrem. Sed quia Ecclesia diuisa erat, vocem hanc interim subtraxi.

Præpositus sancti Petri, totusque clerus Treuirorum, Hildegardi.

R Peccator & Præpositus maioris Ecclesiæ S. Petri, ac totus Treuirorum clerus, Hildegardi famulæ

Dei,

Dei, ac mysteriorum ipsius quam plurimorum consciæ, in cœnobio B. Roberti deuote viuenti, cum gratiarum actione manus extensas pro ipsa. Cum per Diuinam permissionem reuelentur ex multis cordibus cogitationes nostræ ad vos, per Diuinam voluntatem, cum toto annisu corporis, tota deuotione mentis vos diligimus. Scimus enim Spiritum sanctum vos inhabitare, & plurima cæteris hominibus incognita, per ipsum vobis manifestari. Nam ex quo à nobis recessistis, cùm in diebus Pentecostes nuper ad nos superna dispositione venissetis, vbi comminationē Dei nobis imminere prædixistis, multa dispendia Ecclesiarum, & multa pericula hominum circa nos & apud nos vidimus & experti sumus, quia secundum bonum consilium, quod nobis dedistis, iram Dei placare neglexmus, & nisi per misericordiam Dei vindicta ipsius retracta fuisset, forsitan eisdem periculis imminentibus in desperatione succubuissemus. Et quia Deus in vobis est, & verba ipsius ab ore vestro sonant, quam intime maternalem dilectionem vestram exoramus, vt ea quæ viua voce nobis tunc propalastis, per præsentem baiulum, scripta nobis transmittatis, quatenus succedens posteritas & vindictam Dei, & misericordiam eius super nos directam videat, & vos consciam secretorum ipsius veracem & dilectam esse cognoscat. Protectio Domini super vos semper maneat, & quod in vobis cœpit, bono fine in vobis perficiat.

Ad Clerum Treuirorum, Hildegardis.

EGo paupercula forma, quæ in me nec sanitatem, nec vim, nec fortitudinem, nec doctrinam habeo, sed quæ magistris subdita sum, de mystico lumine veræ visionis, ad prælatos & clerum Treuirensium hæc verba audiui: Doctores & magistri tuba iustitiæ canere nolunt, ideo oriens bonorum operum in eis extinctus est, qui totum mundum illuminat, & qui quasi speculum luminis est. Oriens enim iste cum doctrina in eis lucere deberet, quæ diuersa præcepta regeret, sicut & sphæra solis diuersa est. Auster etiam virtutum cum calore suo in ipsis frigidus vt hyems est, quia bona opera & de igneo Spiritu sancto ignita, in se non habent, & quoniam absque viriditate aridi sunt. Occidens quoque misericordiæ, in nigredinem sacci cilicini versus est, quia bene viuendo passionem Christi non colunt, qui per humilitatem in humanitatem descendit, & Diuinitatem suam obtexit, sicut Sol interdum absconditur. Sed Septentrio cum aquilone in eis operantur, vbi vnusquisque eorum latitudinem proprietatis suæ in pœnas animarum conuerterent, sicut etiam cilicium corpus hominis constringit. Ipsi namque per bona opera cum oriente non surgunt, & ardore solis non ardent, nec cum occidente à malis declinant, sed cum septentrionali aquilone in proprietatem cordis sui se abscondunt. Ob hoc vere diabolus tres nigros ventos ex aquilone cum ludibrii sibilo emittit, primum scilicet cum superbia & odio contra orientem, qui extinctus est; Secundum, cum obliuione Dei contra austrum: Tertium, cum infidelitate contra occidentem. Nam cum doctores & magistri recte ambulando Deum imitati sunt, oriens aquilonem ita constrinxit, quod spirare non potuit, & auster in bonis operibus cum in illis cremabat, & occidens vires eius in tenebras deiecit, quando isti mundum & seipsos, agnum sequentes, relinquebant. Nunc autem vis virilis fortitudinis in muliebrem debilitatem inclinata est, quæ cum virili fortitudine pugnare non debet, quia vir caput est. Muliebre vero tempus istud, cum quodam tyranno incepit, cum omne malum exortum est. Ego autem in vera visione didici, quod multoties quilibet paterfamilias, qui potens Dominus est, filiis & famulis suis, qui propter præuaricationem præceptorum suorum ipsi displicent, probitatem ac potentiam & possibilitatem suam proponit: & quod postea manum suã extendendo cum virga correptionis eos inclinat, & dissipat secundum qualitatem ipsorum, dicens: Vnde venitis, & quid absque me estis?

Et de zelo Domini audiui, quod Deus absque vltione præuaricationem præceptorum suorum non dimittit. Adam enim præcepta Dei præuaricatus, visionem cælestium & claram vestem amisit, & in locum miseriæ missus est. Per zelum etiam Domini Cain propter effusionem sanguinis fratris sui, quem occidit, expulsus est. Plurimi etiam populi ex filiis Adam surrexerunt, qui obliuionem Dei habebant, ita quod se homines esse scire nolebant, vnde turpiter peccando secundum mores pecorum viuebant, exceptis filiis Dei, qui ab eisdem hominibus & amoribus eorum se separabant, de quibus Noe natus est. Tunc zelus Domini eleuatus est, & Spiritus Domini super aquas ferebatur, & nubes scidit, & aquas in diluuio eduxit, & sic terra de criminalibus peccatis mundata est, & de sanguine Abel quem biberat. Deus enim ista fecit. Et sic collum cupiditatis antiqui serpentis extritum est. Tunc terra quæ in sanguine Abel prius violata fuerat, nouum succum vini protulit, & sapientia iterum operari cœpit. Sed diabolus cum irrisione scelerum filio Noe perperrauit: vnde & zelus Domini peccantem in seruitutem dedit, ac benedictionem ei subtraxit, & in maledictionem seruitutis peccantes tradidit. Et ita sapientia noua in cælo & in terra operata est. Deinde S. Trinitas in Abraham magnum opus ostendit, præsignando & ostendendo obedientiam, vbi ille patriam reliquit, & vbi se circumcidit, & in obedientia illos præsignauit, de quibus dictum est: Qui sunt hi, qui vt nubes volant? & in circumcisione vulnus confusionis antiqui serpentis accepit. Sed mulier per cachinnum stultitiam primæ mulieris secuta est, in fœcunditate autem eius, filius Dei præfiguratus est. Nam in obedientia Abrahæ Deus præuaricationem Adæ mutauit, & in circumcisione ipsius morti vulnus intulit, & in fœcunditate sterilis fœminæ præuidit, quod alia fœmina, alium filium paritura esset, quoniam filius Dei omnem præsignificationem istam in natiuitate sua compleuit. Moyses autem legifer in adiutorium circumcisionis venit, & legem dedit, quod etiam à Deo perpetratum est. Sed populus illius propter multas præuaricationes præceptorum Dei, in idolis & in aliis peccatis interiit. Zelus autem Domini huiusmodi purgationes vsque in finem mundi operabitur. Sed tamen Deus vindictam suam emittit, multoties eam per hominem aut per aliam aliquam creaturam prænunciat, ne homines excusationem malorum suorum habeant: quapropter sæpe & multi inter eos surgunt, & pœnitentiam agunt, sicut & in Iona factum est. Et sic Deus per amicos suos laudatur, & per inimicos suos prædicatur. Nam Deus formam digiti sui cum præfata ostensione in viris & in fœminis sæpe tetigit, vt scriptũ est Et prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Postquam autem Deus præfigurauit, quod facere voluit, recordatus est, quod dixerat, quod contereret caput serpentis. Et quandam mulierem, scilicet virginem, obedientia & castitate, ac omni bono perfudit, & omni bono impleuit, ita quod superbia, quæ in Eua fuit, in hac aruit. Sed virgo hæc filium Dei de Spiritu sancto concepit, qui mirabiliter processit, & in mundum miraculis venit. Tunc Deus ab opere illo cessauit, quod sic carnaliter patrarat. Et huic filio suo omnia carnalia ad spiritalia reuocare dedit, quia ille caro sanctitatis est, quæ per alienam naturam processit, & quam consilium serpentis nunquam violauit. Vnde idem filius Dei veterem legem rigauit, cum in baptismo per fidem & obedientiam, & per abstinentiam carnalium desideriorum, viam sanctitatis demonstrauit: & cum pœnitentiam hominibus dedit, & cum omnia hæc in mortali corpore cum morte sua confirmauit, & cum miracula & signa Discipulis suis dedit, sicut pater ipsi dederat, quando Deus homo apparuit, cum tonitru Diuinitatis in discipulos suos nouũ ignem misit qui antea nunquam apparuerat, & discipuli nouis igneis linguis & noua scientia infusi sunt, quæ secundum cælestem harmoniam homines viuere docuit. Tunc oriens virtute sua resplenduit, & auster

A in calore suo arsit, nec occidens noxialis erat, nec septentrio cũ aquilone bacchabatur, quia per passionẽ Christi temperati fuerunt, vsque ad tyrannum quendam, à cuius tempore omne malum & iniustitia ac præuaricatio exorta est. Sed & hæc cum fame & pestilentia exanimata sunt, & cum bellis & prælijs incuruata sunt, & cum pœnis pœnitentiæ purgata sunt. Nunc autem lex in spiritali populo neglecta est, qui bona facere & docere contemnit. Magistri quoque & prælati, relicta iustitia dormiunt. Vnde vocem hanc de cælo dicentem audiui: *O filia Sion, & ancilla virgo.* O filia Sion, corona de capite tuo inclinabitur, & pallium dilatationis diuitiarum tuarum tibi imminuetur, & in paruum numerum constringetur, & de regione in regionem expelleris. Per potentes enim homines plurimæ ciuitates & claustra dissipanda sunt. Et principes dicent: Abstrahamus ab eis iniquitatem, quæ totum mundum in ipsis subuertit. Et vidi & audiui, quod hæc pericula & contritiones regionibus & claustris propter præuaricationem obedientiæ aliorum præceptorum legalium constitutionum occurrent, & vidi quod tum
B in huiusmodi præuaricationibus, aliqui Deo adhærebunt, & ad ipsum anhelabunt, quemadmodum in tempore Heliæ factum est. *3. Reg. 18.* Hi vero cum magno honore persistent, & velut holocaustum Dei habebuntur, quia à malis recesserunt, vt Noe & Loth. Et hæc eadem purgatio in hoc muliebri tempore in modico incipiet, & postea maior fiet, & deinde virile tempus veniet, in quo bella & prælia ex iusto Dei iudicio erunt. Sed hoc muliebre tempus tamdiu non durabit, quamdiu hucusque perstitit. Tunc iustitiæ & iudicia Dei surgent, & disciplina ac timor Dei in populo erunt, & iusti & boni homines in spiritali populo fient, qui tamen in paruo numero propter humilitatem manebunt, & in primam auroram sicut eremitæ reuertentur: & hoc etiam in timore præteritorum temporum facient, quæ sibi aduersa fuisse perspexerunt. Et homines stultitiam lasciuorum motuum non habebunt more puerorum, sed tristitiam de ignotis temporibus sustinebunt quæ ventura sunt.
C Et tunc fortes viri surgent, & prophetabunt, & omnia vetera & noua scripturarum, & omnes sermones per Spiritum sanctum effusos colligent, & intellectum eorum, sicut monile cum preciosis lapidibus ornabunt. Per hos & per alios sapientes plurimi seculares, boni fient, & sancte viuent. Hoc autem studium sanctitatis cito non arescet, sed diu durabit, quia hæc omnia propter errans tempus fient, vbi multi martyres in fide erunt. *Ephes. 4.* Nam vir præliator hæc faciet, qui initium & finem operum suorum in his adspicit, quatenus erranti populo in hoc resistat. Ipse namque prophetas primum constituit velut caput, sapientes velut oculos, doctores velut os, sicut etiam per verbum Dei omnia facta sunt. *Psal. 136.* Et quia deinde reliqua membra, scilicet fideles, bona opera operabuntur, Deus in sinum eorum caput ponit, id est, intellectui ipsorum prophetiam aperiet. Tunc & principes citharas & tympana in ærumnas & in tristitiam vertent, quemadmodum filij Israel fecerunt cum capti fuerunt. Post hæc omnia spiritalia sine tædio & de-
D fectu confortabuntur, & homines pupillam viuentis libri inspicient. Et tunc vires & fortitudo ac sanitas in populo fient, quia vir præliator aetem sanitate replebit; & etiam viriditatem virtutum producet, ne fideles corpore & anima in errante tempore deficiant. Istud autem vsque in errans tempus ita perdurabit, in quo fidelis populus, ad mortem quasi ad epulas festinabit. Sed & tempus hoc errorem hoc modo tenebit, vsque dum illud Deus in gratia & misericordia ac in zelo suo discutiat. In omnib. his hortulanus inutilia de horto suo projiciet, & vtilia ad se colliget, quemadmodum scriptum est: *Psal. 93.* Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit. Quod tale est: Deus in zelo suo caput iniquitatis conterit, & illud Dominus in casu prosternit, quia omnis iniquitas ex diabolo est, qui in inferno sepultus est. Ipse namque Deus vltionum est, quia in nullum adspexit vel respexit, à quo quicquam sibi addendum assumeret. Sed in semetipso vnumquodque distribuit, constituit
E & facit, & istud libere hoc modo egit, quia ipse solus & iustus & bonus & timendus in omnibus iudicijs suis est. Deus enim in vltione perditorum est, quia bona noluerunt, & ideo cum diabolo eos damnat, multos quoque per dolorem libere inclinat, quos iterum postea eleuat, vt propter bona opera velut columnæ cæli sint, sicut plurimos ex publicanis & peccatoribus sanctos fecit. Tunc diabolus se erigens in perdito filio suo super pennas ventorum volare vult. Deus autem in semetipso disponit ea quæ vult, quoniam nemo eum superare potest; & omnem vim diaboli dissipat, velut faber qui omnia inutilia in fabrica sua redigit & manum suam in zelo suo extendit, sicut ibi fecit, vbi eundem sathanam in prima delectione in abyssum proiecit. Vnde ille sicut coluber foramen suum intrat, ita in abyssum se abscondit, nec amodo se eriget, quia nunc totus deceptus est. Postea diuinitas ignota omni creaturæ operabitur, quia omni homini ignotum est, quando purgatio mundi per ignem fiat. *Act. 2.* Et Treuerim nouo igne, qui discipulis in
F igneis linguis apparuit, inter fideles primo valde ornatam vidi, ita quod omnes plateæ ipsius in aurea fide cum miraculis tunc diffusæ fuerant. Sed nunc per vagationem squalidorum morum, cum tædio, quasi Deum nesciat, circumdata, & alijs plurimis malis coinquinata est, & etiam in his tædio & in defectione iocunditatis & pulchritudinis principalium & honestarum institutionum inueterata est, atque in obliuionem multorum peccatorum inclinata. Quapropter igneæ vltiones ab inimicis super eos venient, nisi per pœnitentiam, sicut in Iona factum est, deleantur. *Ioan. 8. & 3.*

Decanus S. Apostolorum, primus magister Scholarum, Hildegardi.

T. Dei gratia, Ecclesiæ S. Apostolorũ, quæ est in Colonia, dictus Decanus, primus magister scholarũ, cum vniuersis eiusdem Ecclesiæ fratribus, Dominæ Hildegardi, omnibusque in monte S. Roberti Christo militantibus, deuotam in Domino orationem, & in vero salutari salutem. Ex die qua nobis innotuit, quod sororem, immo filiam nostram specialem Dominam Sige-
G unixen, in vestræ beatitudinis consortium collegistis, non solum nos, immo vniuersa Coloniensium ciuitas, motu Dei ad pietatis amorem succensa est. Inde est quod iam manifeste per omnes terminos terræ nostræ à cunctis proclamatur: *Gen. 27.* Ecce odor Dominarum de S Roberto, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Benedictæ itaque sitis a Domino, quæ in modico & humili vestro monticulo ea opera pietatis celebrastis, quæ cunctæ sublimitates montium, vniuersæque vallium nostrarum latitudines celebrare non dicimus, non potuerunt, sed neglexerunt. Audiuimus siquidem nuperrime fama prodente, quod ille hostis antiquus per orationes vestras eiectus sit: quod si ita est, obsecramus vt modum & ordinem eiectionis nobis rescribendo significetis, quatenus vobis congaudeamus, & perpetua vobiscum deuotione, Deum collaudemus. Ipsam quoque Dominam
H Sigeuuizen sicut familiarius cognoscimus, ita specialius salutamus, deuotas in Christo orationes promissas renouantes, & easdem ab ipsa expectantes. Vale.

Responsum Hildegar.

Deus opus suum fecit, sed illud vno modo non constituit. Adam enim periit, nam cursum circuli sui non compleuit. Sed post meridiem requisitus est. Deus autem spiramen suum in prophetas misit, vt veritatem nunciarent, & sic sapientia in ore illorum quos ipsa cõstituit, loquebatur, quatenus miracula proferrent Apostoli etiam per Spiritum S. opus Dei in fide perferrent, martyrium eorum & aliorum, Deum ostendit, spiritales quoque populos Spiritus sanctus inflauit, qui seculum in semetipsis finiunt, & Angelicum ordinem colunt, si opus Dei simile diei est. Omnes enim vnum dixerunt, sed tamen singulatim clamauerunt. In ortu namque diei aurora solem præcedit, & in mane radius

A solis resplendet, qui in tertia in calore suo pleniter ardet, & circa nonam calorem suum inclinat, circa vesperam autem calorem suum quem in die habuit, finit & ante noctem se abscondit, & sic dies completur, & ab operibus suis requiescit. Quæ si vno modo complerentur, homini displicerent. Vnde etiam Deo est nomen Sabaoth, quia vnusquisque huius mundi cursus plenum officium habet. Tali modo Deus in omnibus operibus suis operatur. Sic etiam in hac muliere, de qua quæritis, gestum est: pro qua alti & altiores, parui & minores, cum laboribus & orationibus vnum diacerunt, & singulatim clamauerunt, secundum quod Spiritus sanctus eos hoc officium docuit. Nam quidam per suspiria misericordiæ, & quidam per orationes & vigilias pro ipsa laborauerunt, quidam etiam ieiunia & castigationem in corpore suo sustinebant, multi quoque pro ipsa eleemosynas dederunt, & maxima turba cum adiutorio cuiusque boni quod facere potuit, se ad ipsam declinauit, & aliqui in magno studio sine tædio hoc perfecerunt, &
B ita omnes ad Deum pro ipsa simul adspiciebant, quemadmodum etiam dies circulum suum complet. Nunc autem cum laude simul dicamus: Gloria tibi Domine. Benedictio Dei in gratia ipsius super vos sit, & super omnes qui super illam misericordia moti sunt, quoniam ipse Dominus dicit, Misericordiam volo, & non sacrificium. (Ose 6. Matth. 9 & 12.)

Meffridus Prior in Eberbach, Hildegardi.

DEi dilectæ, Dei electæ Hildegardi Dominæ venerab. M. Prior, totaque congregatio fratrum in Eberbach, in thalamo summi regis perfrui deliciis sempiternis. Deo dignissima sanctitatis vestræ odorifera & suauissima opinione sæpe audita, nos inertes & indigni ineffabili spiritus lætitia sumus gauisi pro eo, quod Deus omnipotens gratia & misericordia vobis tanta suæ largitatis contulit dona mirifica. Patet enim luce
C clarius, quod vos diligat Dominus in hominibus ipsum diligentibus, quoniam tam digna, tam grata, tam amabilis, tam venerabilis estis eis omnibus, in quibus habitat, vt eum in vobis esse, vobiscum manere nullus ambigat. Cui vero virtutum tanta collata sunt beneficia, sanctæ quoque pietatis vobis inesse non dubitamus munera, & piæ charitatis, piæque compassionis non deesse viscera. Vnde pietatis vestræ largitatem suppliciter exoramus, vt quia pro peccatoribus redimendis ac saluandis natus est Dominus ex carne B. Mariæ semper virginis, amore ipsius Domini nostri omnipotentis, nostri conditoris ac piissimi redemptoris, nostri misereamini, participesque orationum vestrarum facere nos dignemini. Insuper etiam obnixe rogamus, vt litteras quas de secularibus & idiotis ad spiritalem conuersationem conuersis, quos nos Conuersos dicimus, Spiritu sancto vos scripsisse audiuimus, nobis benigne transmittere non dubitetis, quatenus mirifica opera Dei & voluntatem eius in ipsis videamus, & quantum poterimus, toto affectu bonorum operum illa sequamur & complea-
D mus. Vale.

Ad Griseos Monachos, Hildegardis.

EGo paupercula in lecto ægritudinis plusquam per biennium iacens, hæc vidi, & vocem de cælo ad me sic dicentem audiui: Ad spiritalem populum, quem Deus in præscientia sua cum miraculis prophetiæ, secundum quod ipsi placuit, præsciuit, quæ vides & audis scribe, hoc modo incipiens: Deus quædam virtuosa opera, quæ in sanctis & electis suis operatus est, per quatuor secretorum Dei animalia præsignauit. Ipse enim homini per eadem animalia & per cætera miracula occulta mysteria sua manifestat, quemadmodum Ezechieli prophetæ & Ioanni dilecto suo per ipsa animalia ostendebat, quod ex communi populo spiritalem populum segregari & congregari vellet. Ioannes quippe dicit, In medio sedis, & circuitu sedis quatuor animalia, plena oculis ante & retro. Quid dicitur? In fortitudine (Ezech. 1. Apoc. 4)

E potestatis Dei, qui Deus & homo est, & in omni parte qua potestas ipsius extenditur, quatuor Euangelistis imbuti fideles, præcepta Dei ruminantes, & plenitudinem circumspectionis virtutum habentes esse debent, ita vt videant, vnde facti processerint, & etiam quid futuri sint. Deus enim ignis est, & angeli miracula eius hominibus sæpe nunciant & mirabilia throni sui, vrentes spiritus sunt, qui ante faciem eius lucent, & qui in amore suo ita ardent, vt non aliud velint quam quod ipse vult. De quibus dictum est: Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. Quid dicitur? Omnipotens, tu ille es, qui facis nuncios tuos, scilicet eos qui ad salutem hominum à te diriguntur, esse spiritus cum emissione, cessantes in indeficienti vita in conspectu tuo sunt, & iterum spiritus esse nuncios tuos, cum ad præcepta tua adimplenda nuncij fiunt. Angeli namque nuncij sunt, quoniam vnamquamque inspirationem spiraculi illius, quod Deus in hominem misit, Deo renunciant. Hoc enim modo propter homines of- (Deut. 4. Hebr. 1. Ps. 103. Genes. 2.)
F ficiales sunt, quia propter opera eorum colligunt & discernunt, & propter opera hominum, quæ per spiritum operantur, ipsi etiam spiritus vocantur & angeli, quoniam à superno rectore ad iudicia sua explenda multoties diriguntur. Sed ministros tuos, qui vbique voluntati tuæ deseruiunt, facis ignem vrentem, cum in amore tuo ardent, in quo etiam ardore cum indefessa laude tibi iterum ministrant. Ministri enim Dei, qui faciem eius semper inspiciunt, velut flamma coruscant, & in eadem coruscatione miracula eius vident, & illa mirando & laudando agnoscunt, ideoque & ignis vrens sunt, & per Deum qui ignis est, ardent, nec per alium accendi nec extingui poterunt: sed in amore ipsius inextinguibiliter ardentes, quia ipse pallio humanitatis circumdatus, ad admiranda miracula eos semper induerit. Nam pallio fortitudinis suæ Deus se præcinxit, per quod hominem speculum honoris sui & miraculorum suorum constituit, quatenus homo contra diabolum pugnaret & eum superaret, & sic in Diuina laude semper persisteret. (Matt. 13. Matt. 18. Deut. 4. Psal. 92.)
G Eodem quoque modo Deus facit illos, qui nuncij sui sunt, filiis Ecclesiæ verba salutis pronunciantes spiritus, cum eos carni suæ resistere, & spiritui seruire iubet, quos sic toto corde spiritales effectos, iterum deinde tanto fiducialius præcepta sua populo propalare instituit: facit etiam & illos, qui sibi ministrando die ac nocte in laboribus sunt, in amore suo ardere, & ita ignem vrentem esse, & sic etiam ignem effectos, iterum seruitio suo sine tædio insudare. Deus namque in præscientia sua præordinauerat, quod miracula & occulta sua, quæ in angelis sunt, etiã in hominibus signanter operaretur, vnde & angelos hominibus loqui fecit, vt in Abraham & Iacob factum est, quemadmodum etiam Balaam asina locuta est. Angelicus etenim spiritus, qui ei ministrant, faciem ipsius laudantes & honorantes, occultis suis quasi vestimento operit: & ideo etiam vrens ignis dicuntur. Et per hos igneos ministros, qui secretis Dei velut vestimento tecti sunt, eremitæ designantur, (Num. 22)
H qui seipsos abnegantes, quasi homines non sint, viuunt, & consortium hominum fugiunt. Nam Deus per opus suum quod homo est, magna mirabilia operatur, quæ in Angelicis spiritibus prædestinauit, & quæ coram ipso cum laude & mirifico honore fulminant. Sed & vt præfatum est, in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro ostenduntur: quod sunt omnia opera sancta, quæ Deus in hominibus istis operatur, qui ad ipsum & ad thronum suum respiciunt, per fidem Oriens, per spem Auster, per recordationem lapsus, qui in primo parente factus est, Occidens, quasi retro existentibus, atque per prouidentiam oculos in ante, ad aquilonem dirigentibus, ne bellator aquilonis cum cadente morbo superbiæ, & cum ardente flamma incestus eos corruere faciat. Cum oculis itaque istis, quos vndique habent, ad Deum anhelare debent, ne à fide exnuguantur, & ne à luce separentur, & ne sic aquiloni appropinquent, vt morte æterna suffocentur. Istud quippe est, quasi in circuitu sedis:

quoniam

A

Apoc. 4.

quoniam oriens, auster & occidens DEVM ostendunt: sed aquilo totus ab ipso superatus, velot scabellum pedom ei subiectus est. Et deinde scriptum est: Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens quasi faciem hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti. Quid dicitur? Animal hoc primum cucullatos homines significat, qui primi in fortitudine leonis, se omnino à seculo abstrahunt: vnde etiam & illis igneis, qui occultis Dei velut vestimento cooperti sunt, & qui faciem Dei semper inspiciunt, assimilantur. Vestitus enim istorum non à seculo est, sed mirabiliter à Deo, quemadmodum Deus in illis ordinauit, qui hunc primitus ostendendo & docendo protulerunt. Nam cuculla eius ab Angelicis spiritibus præsignata est, qui in faciem DEI, & non in alium adspiciunt: & latitudo eius ad similitudinem nubis tendit, quoniam & angeli in nubibus multoties visi sunt: & quia etiam vestis innocentiæ Adæ, quasi lucida nubes erat. Homines itaque isti cuculla caput suum regunt, ne ad sinistram vel ad dextram declinantes, recte coram se in impetu spiritus gradiantur, Deum semper inspicientes, ne de bonis operibus reuertantur. Hæc omnia in obedientia, quam filius hominis per semetipsum ostendit, fieri debent, quatenus præcepta magistrorum cum timore Dei obseruentur, ita etiam, vt sicut homo à voce tonitrui penitus formidat, sic etiam peccata timeat. Nam sicut leo cæteras bestias in fortitudine præcellit, sic isti in fortissima vi diuinitatis cæteros homines præcellunt, quoniam quamuis homines sint, non sicut homines viuunt. Cum enim homo seculo abrenunciando se ipsum Deo obtulerit, mundum accusat, ita vt ille in omnibus sibi inutilis sit, & sic mentem suam eleuat, quemadmodum Daniel dicit: Adspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Quid dicitur? Cum mentem meam ad cælestia sursum eleuarem, adspiciebam in consideratione plurimarum aduersitatum, quod omnis superna & Diuina miracula, quæ Deus in angelicis spiritibus operatus est, per filium suum in hominibus præsignaret: & ita idem filius, vsque ad antiquum dierum peruenit, quia filius Dei, Deus & homo est, & ita Deus & homo, vnus Deus est. Deus enim homo est, & homo iste Deus est. Sed & bona opera hominum, & laudes angelorum se coniungunt, & vnum in Deo sunt. His quoque cucullatis hominibus turba virginum associatur, quæ virum cum amore & diuitiis & totum mundum relinquunt. Sicut enim virgo deliciis mundi ablata esse debet, ne vbera voluptatis sugat: sic etiam turba cucullata, à mundo relicta esse debet, ne vlla officia secularia cum illo exerceat. Et virgo à viro relicta est, ita vt sub cura & potestate ipsius non sit, sicut libera ab eo est, sic etiam Monachus à mundo relictus, illi subiugatus non sit; sed liber ab illo maneat. Virginitas quoque solem significat, qui totum mundum illuminat, quia Deus virginitatem sibi adiunxit, quæ viro relicto illum genuit, quem radius Diuinitatis perfudit, qui & omnia regit. Rex namque qui cuncta regit, Deus est: & illa virginitas coniuncta est, quando Deus & homo de virgine natus est. Sic adstitit regina à dextris eius in vestitu deaurato, circumdata varietate, quoniam diabolo repugnans adstitit virginitas virtuti Diuinitatis in opere fulgente, vbique comprehensa multitudine diuersarum virtutum. Diuinitas quippe virginitatem sibi desponsauit, cum primus angelus ad sinistram partem cecidit, & tunc etiam populum saluationis in Adam sibi elegit, quem dexteram suam nominauit, de quo populo virginitatem sibi adiunxit, quæ maximum opus protulit: quia vt DEVS per verbum suum omnia creauit, ita & virginitas per calorem Sanctæ Diuinitatis filium Dei genuit. Sic virginitas absque fœcunditate non est, quoniam virgo Deum & hominem, per quem omnia facta sunt, genuit. Sed & hoc modo omnes virtutes veteris & noui testamenti, quas Deus in sanctis suis

Pernenusta significatio cucullæ.

Mat. 18

Deut. 17

B

Peccati.

Dan. 7.

C

Opera bona.

Virgines

Laus virginitatis.

D

Psal. 44

E

operatus est, velut vestimentum auro decoratum, decoratæ sunt, & has virgo ad se libere colliget, quoniam ligatura viri eam non constringet. Rota quoque quam Ezechiel vidit, virginitatem præsignauit, quia eadem virginitas ante incarnationem filij Dei in lege præfigurata est. Post incarnationem autem eius illa mirabiliter plurima miracula operatur, quoniam Deus per ipsam omnia piacula purgauit, & vnamquamque institutionem recte ordinauit. Virginitas quippe vetera suffert, & noua sustinet; & ipsa radix & fundamentum est omnium bonorum, quia semper & semper cum illo fuit, qui sine initio & sine fine est. Nam natura hominis quæ propter peccata perdita fuit, per illam in saluatione reuixit, cum per alienam naturam peccata hominibus abstraxit. Secundum autem animal simile vitulo, in clericali habitu Diuino sacrificio insistentes ostendit, hos videlicet, qui vineam Domini Sabaoth circumfodiunt, & agrum præceptorum DEI arando vbique euertunt, & hos etiam qui Angeli Domini exercituum nominantur, qui ab hoc quoque cingulo castitatis se cingere debent, ne in vanitate carnalium voluptatum vadant, sed vt agrum cum aratro strenue euertant. Circumcisionem quoque sobrietatis habebunt, quoniam per ipsos peccata hominum abluuntur, & hoc in misericordia fiet, quia in semet ipsis peccata sentiunt. Hæc itaque præclara genera, videlicet hominum illorum, qui per leonem & vitulum designati sunt, aliud quoddam genus hominum ad se trahunt, quos ipsi Conuersos vocant, quorum plurimi se ad DEVM in moribus suis non conuertunt, quia contrarietatem potius quam rectitudinem diligunt, & opera sua cum lono temeritatis agunt, de prælatis suis sic dicentes: Qui sunt, & quid sunt isti? Et quid fuimus, aut quid sumus nos? Et quoniam sic agunt; pseudopropheris similes sunt, & quia non recte diiudicant, quomodo DEVS populum suum constituit. Vos ergo qui DEVM timetis, audite Spiritum Domini ad vos dicentem: Hæc supradicta mala à vobis auferte, & vosmetipsos ante dies tribulationum illarum purgate, cum inimici Dei & nostri vos fugabunt, & in rectum locum humilitatis & paupertatis vos conuertent, ne amodo in tanta latitudine permaneatis, quanta hactenus fuistis, quemadmodum etiam veterem legem Deus à consuetudine sua in spiritalem vitam mutauit, & vt vnamquamque priorem institutionem ad vtiliora purgauit. In primo enim ortu Deus Adæ concessit terram colere, Abel sacrificare, Noe ædificare, & hoc vsque ad summum sacerdotium, quod in Christi incarnatione exortum est, quod prius Abraham per circumcisionem; Moyses per legislationem præfigurabat. Sed hæc omnia idem filius Dei postea in humanitate sua perfecit, vnde & ad homines intelligenda sunt. Post ruinam autem Adæ, Deus tam in hominibus, quam in angelis ordinationem suam recte præsignauit. Nequaquam autem deceret, vt sacerdos officia agricolæ, discipulus officia magistri excerceret, cum agricola sacerdotem, discipulus magistrum in timore & humili patientia imitari debeat. Omnipotens enim Deus in operibus suis cognoscitur, quemadmodum in Adam operari incepit, cui terram colere & homines procurare dedit, quia & ipse Deus omnia creauit, & vt per sacrificium Abel filium suum pro redemptione populi sacrificandum præsignauit, & sicut per Noe, qui arcam ædificauit, quod in spiritali populo magistri constituendi essent, præfigurauit. Nunc vos magistri supradictos homines, scilicet conuersos, in ordine vestro corripite & corrigite, quia plurima pars eorum nec in die, nec in nocte operatur, quoniam nec Deo, nec seculo ad perfectum seruiunt, & eos ab ignorantia ista excitate, velut bonus pigmentarius hortum suum ab inutilibus herbis purgat: in vobis metipsis autem secundum ordinem vestrum præsidentes, & iuste intelligentes ne iniuste iudicetis. Inconueniens itaque esset, vt leo, vitulus, homo, & aquila, in significationibus suis sibi inuicem aduersarentur: sed vnumquodque istorum alteri iustitiam in figura hominis, ad curationem hominum signati sunt, sanare, vngere,

Ezech. 1.

2. Animal simile vitulo.

Mal. 2.

F

Conuersi.

G

Prophetia.

H

Gen. 6.

A & baptismum sanctificare cum humili obedientia possunt. Nam omnis sacerdos qui à Deo vnctus & sacerdos nominatus est, vulnera peccatorum & curare cum iudicante iustitia poterit, quoniam officium hoc à Deo habet: & ideo illud implere non negligat. *[...]rdo[...]m.* Et ego paupercula & indocta fœminea forma, quandam bestiam vidi, cuius facies & anteriores pedes eius similes vrso erant, & cuius reliquum corpus similitudinem bouis ostendebat, excepto quod posteriores pedes eius similitudinem pedum asini habebant, & quod cauda carebat. Tria autem cornua in capite habuit, quorum duo similitudinem bouis habentia, iuxta aures erant: tertium vero in medio frontis existens, cornu capricorni assimilabatur: facies vero eiusdem bestiæ ad orientem, posterior autem pars eius ad occidentem versa fuit. *[In]terpretatio.* Quod sic intelligendum est: Bestia hæc, cuius facies & anteriores pedes similes vrso sunt, bestiales mores latenter habentes quosdam homines ostendit, qui quidem mansuetudinem verborum proferunt, sed in exemplis vestigiorum suorum, vbi vt ante ad rectitudinem incedere deberent, B temeritatem & duritiam peruersitatis demonstrant. Cuius reliquum corpus similitudinem bouis ostendit, excepto quod posteriores pedes eius similitudinem pedum asini habent, & quod cauda caret: quoniam idem homines iugum Dei vt bos se ferre simulant, cum tamen in subsequentibus exemplis mores asini, qui sub pondere cadit, in se manifestant nec se caudam habere demonstrant, quia in ipsis deficit quod Dominus iubet hostiam cum cauda offerri: scilicet quomodo bonum quod in humilitate & paupertate inceperunt, ad finem beatitudinis non perducunt. *[...]u. 3. 4.* Quod autem tria cornua in capite habet, quorum duo similitudinem cornuum bouis habentia, iuxta aures sunt, in hoc tres vitas hominum in principali commercio stantes, designant, ita quod duæ effigiem in agro Dominico laborantium, & verbo Domini auditum præbentium simulant: tertium vero in medio frontis existens, cornui capricorni assimilatur, quoniam hoc in fortitudine fiduciæ suæ spiritales homines istos manifestat, qui in squalore capricorni altitudinem illam, in qua nullatenus permanere C possunt, ascendere satagunt. *[...]c 18.* In hac etenim altitudine cæteros populos, vt pharisæi publicanos, spernunt, & velut inutiles despiciunt, & se etiam officialibus quibusdam causis regionum adiungunt, quatenus per illas aliis duobus cornibus meliores & excellentiores habeantur: & vt etiam ita altitudinem sanctitatis ascendere videantur. Nam & sæculari sollicitudini se adiungunt, & multiplicem locupletationem comprehendunt, velut totam terram laboribus suis euertant, & per hoc latitudinem diuitiarum plusquam deberent capiunt, in similitudine quoque iuuenis huius illud facientes, cui filius Dei dixit, quod quæcunque haberet, venderet & daret pauperibus, & ille abiit mœrens, quia & diuitias seculi & vitam æternam habere volebat, quod difficile erat vt fieret. *[...] 19. [...]a de [...].* Homines enim isti cælum & terram simul habere volunt, quod impossibile est: quoniam in comprehensione & possessione diuitiarum absque superbia elationis & absque proprietate voluptatis nequaquam stare possunt, D sicut etiam impossibile esset, quod homo in cacumine verticis alicuius montis staret, & tempestate validi venti quassatus non caderet. Amorem quoque hunc & timorem non habent, quos egenus habet, qui manum suam ad auxilium & eleemosynam porrigit, sed in stultitiam asini se inuoluunt, qui magnis oneribus se onerari patitur, quousque sub eodem onere succumbit, quoniam iugum spiritalis vitæ & sollicitudinem seculi habere volunt: sed in ipsis stare non possunt, & idcirco vt asinus cadunt. Vnde & facies eiusdem bestiæ ad orientem, posterior autem pars eius ad occidentem versa est, quia cum spiritalem vitam attendere videntur, secularis quoque inhærent, in hoc perditos angelos imitantes, qui in semetipsos confidentes, de cælesti gloria corruerunt. *[I]sa. 14.* Et tertium animal habens faciem quasi hominis, secalares homines istos significat, qui opera sua cum sollicitudine corporis & animæ faciunt *[...] ani[m]alis in[te]rpretatio.* E & tamen bona intentione ad Deum ascendunt, quasi cum pennis volent, quia quæque bona desideria sicut radius solis, ex corde iusti emittuntur, vnde & velut penna videntur. Sed & ad obseruanda præcepta legis & sacerdotis currunt, & ad diuidendas eleemosynas in misericordia mouentur, atque in terram adspiciunt, quomodo in illa crescant, & in genitura prolis se puluerí terræ pares æstimant, & peccatores se nominant, & ita in seculari vita, magis pœnam quam voluptatem carnalis gaudij habent, & sic ad magistros suos scilicet sacerdotes perueniunt, faciem suam qua peccata gustabant, mutantes, atque per gratiam Spiritus sancti in pœnitentia peccata sua confitentes, & sic renouabantur, vt scriptum est: Renouabis faciem terræ. *Laus bonorum secularium.* *Ps. 103.* Quod dicitur: O Deus, in nouo Spiritu renouabis voluntatem hominis, qui peccare studebat, ita cum de malo studio ad bonum desiderium conuertes. Nam per pœnitentes, faciem terræ renouabis, cum homo sentit, & scit se peccatis ita inuolutum, vt se continere non possit quin peccet: & tamen ad renouationem, pœnitendo se conuertit, si F enim homo non peccaret, non renouaretur. Quidam etiam alio modo renouantur, videlicet cum peccata propter pœnam pœnitentiæ fugiunt, ita quod peccare non quærunt: & quidam alio modo, cum peccata, quæ in se sentiunt, & quæ facere possent, propter amorem virtutum deuitant: vnde & sic renouationem per Spiritum sanctum accipiunt. Sicut enim terra in tempore viriditatis non omittit quin fructum afferat, & sicut in tempore sicco pallescit & arescit, & deinde iterum ad viriditatem suam redit, sic etiam Deus hominem posuit, vt in operibus suis in semetipso renouetur. *Scriptura qui diuidenda.* Scriptura namque in omnibus operibus hominis recte diuidenda est, velut etiam ex vna aqua multæ aquæ diuiduntur, quemadmodum & Deus aquas in totum orbem terrarum diuisit. Isti quoque seculares homines semetipsos semper inspiciunt & considerant, quid sint & qualiter viuant, & quomodo sibi peccata abstrahant: & sic viuentes in timore Dei, in terrenis sunt, & cœlestia non dimittunt. Nam Deo in semetipsis immolant, G cum eum adorant, ita quod ipsi velut luna fulminant, cum ad Ipsum ex intimo corde suspirant. Sed cum in peccatis vt luna defecerint, ilico per pœnitentiam resurgunt, quemadmodum etiam luna post defectum suum per solem resurgit. Ipsi etiam dormiunt inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, quoniam vbi dormiunt, ne peccent, in medio magistrorum volantium in simplicitate puræ scientiæ sunt, & hoc faciunt, cum de inceptis peccatis declinant, & cum ab eis quiescunt, quemadmodum ales caput inter medias alas suas ad quiescendum declinat, videlicet cælestia amantes, & in terrenis causis peccata sua per pœnitentiam confitentes. *Psal. 67.* Vnde & beati mortui qui in Domino moriuntur, sunt qui seculariter secundum legem viuunt. *Apoc. 14.* O quantum miraculum in ipsis est, quod sic viuendo, & quod per amaritudinem pœnitentiæ peccata relinquendo, homines existunt. Sed & animali, quod faciem hominis habet, similes erunt, quoniam cum terrenis peccatis per pœnitentiam se opponunt, & eis alieni fiunt, H quemadmodum etiam natura animalium, naturæ hominis aliena est. Itaque in scientia bonorum operum deargentari apparent, quia simplices mores infantis, qui peccatum nescit, habent, cum ipsi peccatum nec amplecti, nec pascere volunt. Cumque in simplicitate hac fulgere student, tunc posteriora dorsi eorum in pallore auri apparebunt, quia posteriora eorum, in quibus in peccatis prius fortes erant, cum peccare consueuerant, nunc retro proiecta, in timore Domini sapientiam demonstrant, quoniam in bonis actibus deaurata resplendent. Quartum vero animal simile aquilæ volanti, quosdam homines de peccatis se continentes ostendit, qui ex præfatis secularibus ad continentiam surgent, velut in Maria Magdalena factum est, quæ omnia peccata sua abiiciens, ea pro luto computauit: & ita optimam partem elegit, & in aurora sanctitatis consedit, sed in veteri testamento multi propter tædium seculi huius peccata relin- *Quartũ animal aquila. Seculares homines.* *Luc. 7. & 10.*

quebant,

A quebant, & multi etiam propter amorem iustitiæ, de peccatis se continebant: nunc autem in nouo sole, scilicet in Christo IESV, continentes nominantur, quia in simplicitatem infantis qui peccata nescit, vertuntur, cum ipsi peccata repudiant, & cum ea in voluntate nesciunt. In duabus enim partibus ad cælestia ascendunt, quoniam cum bona intentione & cum sancto desiderio, ea quæ sursum sunt, præ cæteris qui sæculum prius non cognoscebant, diligunt: & quia sicut aquila, quæ præ aliis volatilibus altiora petit, sic sursum volant, quod ita in candorem æternæ vitæ conuertuntur, vt de illa saturari non possint: & quod hoc per ardorem veri solis conculcant, quod prius, peccatis inuolui, fecerunt. *Peccata.* In fortissima quoque vi sanctitatis considerant, quanti dolores & quam grauia pondera in peccatis sunt, quæ ipsi palpando prius tetigerant, & illa nunc vt mortiferum cadauer in semetipsis occidunt, & corpus suum vt occisam ouem constringunt & persequuntur: atque sic in ardentem solem aspiciunt, omnia secularia quæ ante B cognouerant, retro abiiciendo, & pro puluere computando, & in ardenti amore Dei, timorem gehennæ spernendo, & vt in fide & in spe perseuerare debeant, confidendo.

Esa. 6. Seraphin. Hoc itaque modo faciunt, vt Isaias dicit, quoniam Seraphin alis duabus velabant faciem eius, quæ alæ fidem & spem significant, quia in fide fideles homines Deum vident, & per spem præmia æterna desiderant, & duabus velabant pedes eius, qui sensualitatem & intellectum offendunt: quandoquidem iidem homines nuditatem peccatorum suorum tegunt, ne carnalia desideria propriæ voluntatis suæ perficiant. Sed & alis duabus volabant, quæ charitatem Dei & proximi demonstrant, quoniam cum Deum super omnia diligunt proximo suo in necessitatibus suis assistunt, & ita in fortitudine Dei super omnia volant, cum cuncta terrena transcendunt, atque vnamquamque rem in peccatis diligenter adspiciunt, quatenus per abstinentiam peccatorũ se affligant, & sic etiam in pleno desiderio cum preciosis C lapidibus bonorum operum cælestem Ierusalem ornant. In læta quoque via præceptorum Dei non dormitant, sed semper in nouitate desiderij animæ velut canens tuba sonant, quod sunt ardentia suspiria, quæ in nocturna obscuritate in peccatis nati ad Deum habent, quando eum in timore & amore cognoscunt, dicentes quod ipse sanctus sit qui omnia creauerit, & quod sanctus sit qui nunquam mortalis fuerit, & quod sanctus sit qui infernum fregerit, & ab illo electos suos eduxerit. Beati namque homines bene operando & Deum laudando nunquam cessabunt, & cum operari cessauerint, post finem tamen vitæ suæ à laude creatoris sui non desistent. Ego autem paupercula, ab infantia mea debilis & infirma, in mystica & vera visione ad hanc scripturam coacta sum, eamque in graui ægritudine in lecto iacens, Deo lubente & adiuuante, conscripsi, quatenus illam prælatis & magistris, qui ad seruitium Dei signati sunt, repræsentarem, vt in ipsa quasi in speculo considerarent, qui *Signum breu[is] virium.* & quales essent, & vt eam illis demonstrarent & aperirent, qui per obedientiam illis subiecti sunt. Et audiui vocem de cælo dicentem: Nemo verba hæc contemnat, ne si ea contempserit, vindicta Dei super eum cadat. D

Vvernerus de Kircheim, cum cæteris societatis suæ fratribus Hildegardi.

HIldegardi mente & corpore virgini immaculatæ, & à cunabulis Deo dicatæ, Vvernerus de Kyrcheim cum cæteris societatis suæ fratribus, in parochiis suis Deo quamuis indignum famulatum exhibentibus, exemplo Debboræ hostiles turmas Deo duce proterere. *Iudic. 5.* Quia virtutum vestrarum fragrantia non modica terrarum spatia dispersit, eo quod non solum operari bona, verum etiam prophetare futura, contemplari cælestia Spiritus sancti gratia cor vestrum mundum illustrauerit, dignum duximus, licet indigni, vestræ sanctitati obtentu fraternitatis nos committere. Et certe quia nos vltima E Christi membra vobiscum fore credimus, fidenter dicimus, quod quicquid in eius nomine vos poscimus, cum præstare potestis, non negetis postulantibus. Rogamus ergo benignitatem vestram mater & sponsa agni, quatenus in vestris orationibus nostri mem neritis propensius, certa de nostris, si quid possunt apud Deum; quod inter orandum semper vestri memoriam faciemus. Adhuc vnam petitionem vos petere præsumimus, *Phili.* scilicet vt verba quæ Spiritu sancto vos docente, nobis & aliis quam plurimis in Kyrcheim præsentibus, de negligentia sacerdotum, quam in Diuino sacrificio habent, aperuistis, materna pietate nobis scribere & transmittere non negligatis, ne à memoria nostra elabantur, sed vt ea attentius præ oculis nostris habeamus: quoniam cum terrenis & secularibus causis plus quam opus, inhiamus, verba transitoria in ventum multoties negligenter emittimus. Valeat materna dilectio in vobis.

Hildegardis.

F *Anno 1170: Visio mirabilis.* IN lecto ægritudinis diu iacens, anno Dominicæ incarnat. millesimo centesimo septuagesimo, vidi vigilans corpore & animo pulcherrimam imaginem, muliebrem formam habentem, quæ electiss. in suauitate, & chariss. in deliciis tantæ pulchritudinis erat; vt eam humana mens nequaquam comprehendere valeret, & cuius statura à terra vsque ad cælum pertingebat. Facies quoque ipsius maxima claritate effulsit, & oculus eius in cælum adspexit. Candidissima etiam veste ex albo serico induebatur, & pallio preciosissimis lapidibus, scilicet smaragdo, sapphiro, baccis quoque & margaritis ornato circumdabatur, calceamenta ex onychino circa pedes habens. *Ecclesia.* Sed facies eius puluere adspersa erat, & vestis in dextero latere scissa fuerat, atque pallium eius elegantem pulchritudinem suam miserat, & calceamenta ipsius denigrata erant. Et ipsa voce magna & lugubri in altitudinem cæli clamabat, dicens, Audi cælum quod facies mea sordidata est, & terra luge, quod vestis mea scissa est: & abysse contremisce, quod calceamenta mea denigrata sunt. G *Matt. 8.* Vulpes foueas habent, & volucres cæli, nidos: ego autem adiutorem & consolatorem non habeo, nec baculum super quem incumbam, & à quo sustenter. Et iterum dicebat: Ego in corde patris latui, quousque filius hominis, qui in virginitate conceptus & natus est, sanguinem suum fudit, qui etiam cum eodem sanguine me sibi desponsauit & dotauit, quatenus in pura & simplici regeneratione spiritus & aquæ, contractos & contaminatos à spuma serpentis, regenerarem. Nutricij autem mei, videlicet sacerdotes, qui faciem meam facere deberent velut auroram rubere, & vestem meam vt fulgur coruscare, ac pallium meum vt preciosos lapides radiare, & calceamenta mea vt candorem fulgere, faciem meam puluere consperserunt, & vestem meam sciderunt, palliumque meum vmbrosum fecerunt, & calceamenta denigrauerunt, & *Contra sacerdotes indigne sese gerentes.* qui me vbique ornare debuerant, me in omnibus his destituerunt. Nam faciem meam per hoc sordidant, quod corpus & sanguinem sponsi mei cum magna immunditia lasciuiæ morum suorum, & magna spurcitia fornicationum & adulteriorum, & pessima rapina auaritiæ, H *Fornicatio Adulterium, Rapina, Gen. 2.* vendendo & emendo quæque inconuenientia tractant & accipiunt, atque tanta sorde circumuoluunt, velut si infans in lutum ante porcos poneretur. Sicut enim homo, cum Deus ipsum de limo terræ fecit, & in faciem eius spiraculum vitæ inspirauit, mox caro & sanguis factus est, ita etiam eadem virtus Dei, oblationem panis & vini & aquæ super altare, ad verba sacerdotis Diuinitatem inuocantis, in veram carnem & verum sanguinem Christi, videlicet sponsi mei transfert, quod tamen propter cæcitatem hanc, qua homo in casu Adæ cæcatus est, homo carnalibus oculis videre non potest. Fixura namque vulnerum sponsi mei recens & aperta est, quamdiu vulnera peccatorum hominum patebunt. Hæc eadẽ vulnera Christi sacerdotes, qui me candidam facere, & mihi in candore seruire deberent, in nimia auaritia sua de

A Ecclesiis ad Ecclesias discurrentes contaminant. Vestem quoque meam per hoc scindunt, quoniam præuaricatores legis & Euangelij ac sacerdotij sui sunt, & pallium meum in hoc obfuscant, quia præcepta quæ in eis instituta sunt, per omnia negligunt, nec ea in abstinentia velut in smaragdo, nec in largitione eleemosynarum velut in Saphiro, nec in aliis bonis & iustis operibus (quibus Deus velut aliis generibus gemmarum honoratur) bona voluntate & perfecto opere complent. *(amaratos fecisti, sic rus beneficia pa.)* Sed & calceamenta mea superius denigrantur: quoniam ipsi nec recta scilicet, nec dura & aspera iustitiæ itinera habent, nec bona exempla subditis suis præbent, cum tamen subtus in calceamentis meis quasi in secreto meo candorem veritatis in aliquibus habeam. Falsi quippe sacerdotes in semetipsis decepti sunt, quoniam honorem sacerdotalis officij sine opere habere volunt, quod esse non potest, quia nulli merces, nisi præmisso labore operis, dabitur. *(seruitũ.)* Vbi autem gratia Dei hominem tangit, ibi ipsum operari, vt mercedem accipiat, facit. B Cum itaque varios dolores, qui hominibus contrarij sunt, in vltione Dei pluat, & totam terram nebula obtegat, ita vt viriditas eius arescat, & ornamenta ipsius fusca fiant, abyssus quoque contremiscat, quoniam in vltione & dolore cum cælo & terra in furorem mouebitur. Principes enim & temerarius populus super vos ô sacerdotes (qui me hactenus neglexistis) irruent, & vos abiicient & fugabunt, & diuitias vestras vobis auferent, pro eo quod tempus sacerdotalis officij vestri non attendistis. Et de vobis dicent: Adulteros istos & raptores & plenos omni malo, ab Ecclesia eiiciamus. Et in hoc facto obsequium Deo se exhibuisse volunt, quia Ecclesiam per vos pollutam esse dicunt. *Psal. 2.* Vnde scriptura dicit: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Nam permissione Dei, super vos in iudiciis suis fremere incipient plurimæ gentes, & multi populi de vobis meditabuntur inania, C cum Sacerdotale officium vestrum & consecrationem vestram pro nihilo computabunt. *(Ehem hæc nimium vera.)* His assistent in euersione vestra reges terræ, & terrenis rebus inhiabunt, & principes qui vobis dominabuntur, conuenient in hoc vno consilio, quatenus vos de terminis suis expellant, quoniam innocentem agnum à vobis per pessima opera fugastis. Et audiui vocem de cælo, dicentem: Imago hæc Ecclesiam demonstrat. Quapropter tu ô homo qui ista vides & audis plangentia verba, hæc sacerdotibus qui ad regendum & docendum populum Dei constituti & ordinati sunt profer, quibus cum Apostolis dictum *Marc. 16.* est: Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Cum enim Deus hominem creauit, omnem creaturam in ipso signauit, quemadmodum in paruo loco membranæ, tempus & numerus totius anni describitur. Et ideo Deus hominem nominauit omnem creaturam. Et iterũ ego paupercula fœminea forma gladium euaginatum in aere pendentem vidi, cuius acies vna ad cælum, altera ad terram versa erat. Et gladius *Esa. 16.* iste super spiritalem populum extendebatur, quem Pro- D pheta olim præuiderat, cum admirando dicebat: Qui sunt hi qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Isti enim, qui de terra eleuati, & de communi populo separati, sancte viuere & in columbina simplicitate morum & operum esse debuerunt, nunc praui in moribus & operibus suis sunt. Et vidi quod gladius iste quædam loca spiritalium hominum abscindebat, quemadmodum Ierusalem post passionem Domini ab- *Consolatorium. 3. Reg. 19.* scissa est. Sed tamen vidi quod plurimos timoratos, puros & simplices sacerdotes in aduersitate ista sibi Deus obseruabit, velut Heliæ respondit, vbi dicebat, quod dereliquisset sibi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal. Nunc autem inextinguibilis ignis Spiritus sancti, vt in meliorem partem conuertamini, vobis infundat.

Fratres in Hagenbe, Hildegardi.

E Hildegardi castæ columbæ in foraminibus petræ latitanti, fratres heu conturbati in Hagenbe, orationum suarum deuotionem, & quod spectat ad æternam salutem. *Cant. 2.* Quoniam Dei gratia, lux vestra coram hominibus salubriter lucet, patrem vestrum qui vos ardentem lucernam ad illuminationem Ecclesiæ superposuit, *Matt. 5.* glorificamus, & quamuis peccatores, sanctitati tamen vestræ, qua cælestis sponsi amplexibus singulari priuilegio inhæretis, cordialiter congaudemus. *Rom. 1.* Charitatem etiam vestram ignorare nolumus, quod die noctuque vos facietenus videre desideramus, & assidue vestri memoriam in orationibus nostris facientes, vos absentem corpore, quasi præsentem interdum amplectimur mente. Ergo perfectionem vestram humiliter deprecamur, *Cant. 2.* vt sponso vestro, sub cuius vmbra secure requiescitis, *Luc. 18.* nos iuxta viam mendicantes commendetis, ne prætereiens turba clamores nostros compescat: sed orationi- F bus vestris ad Dominum adiuti, mereamur à cæcitate cordium nostrorum illuminari. Hoc autem idcirco dicimus, vt dissensionem, quam in loco nostro ortam esse scitis, quemadmodum incepistis, (Spiritu sancto vos docente) sedare & extirpare non omittatis: & vt per hoc quoque literas commonitorias nobis transmittatis, quia nisi citius extinguatur, periculum magnum tam animarum quam corporum facile incurremus. Gratia Spiritus sancti quæ vos interius docet, & multa secreta vobis demonstrat, hæc etiam nobis, secundum quod sibi placuerit, manifestare dignetur.

Congregationi Fratrum in Hagenbe, Hildegardis.

Ego paupercula forma, multa ægritudine diu grauata, per veram sapientiam cogebar, vt hæc verba ipsius, populo loci huius proferrem. Et audiui quod eadem sapientia populo huic opus suum proponebat, scilicet, quomodo cælum & terram in recta mensura G constituisset, quatenus fratres eiusdem populi cognoscerent, qualiter institutio eorum primitus constituta esset, & qualiter nunc destituta esset. Et dixit: Gyrum cæli circuiui, altitudinem & profunditatem eius ita constituens, ne rectum modum suum superexcellerent: & latitudinem totius orbis sic ordinaui, ne ipsa mensuram suam inordinate excederet. Solem quoque feci, vt in die luceret, & tenebras obtegeret: & lunam, vt in nocte cum stellis claresceret. In verbo quippe illo, cum Deus dixit, Fiat, omnia hæc facta sunt, vt etiã nunc persistant: vnde in his velut in speculo vos populi considerate, quatenus in hoc quod incepistis, permaneatis. Deus enim homini spiraculum vitæ inspirauit: & ita *Gen. 1.* viuificatus, caro & sanguis factus est. Deinde autem consortium angelorum cum laude & ministerio illi dedit, & reliquam creaturam illi subiecit. Nam Deus lumen æternitatis illi concesserat. Sed ipse in omni honore isto vermem audiuit, & ita præcepta Dei præuaricando obcæ- H catus & extinctus est. Vnde diabolus in se gauisus, ait: Deum quem in cælo superare nequiui, in opere suo, videlicet in homine, qui alius Deus est, superaui. Diabolus namque hominem Deum nominauit, quemadmodum etiam se ipsum esse Deum voluit. Sed Deus in antiquo consilio, quod ante æuum in se habuit, computabat, quomodo ordinationem suam ita obseruaret, vt ei in illa nullus resistere posset, & idem antiquum consilium à scientia omnium creaturarum in se ipso abscondit, vnde & Diabolus illud nec sciuit, nec scit, atque eiusdem consilij vsque in nouissimum diem inscius erit, vbi tunc in maxima confusione sua eiusdem consilij, quædam sentiet & cognoscet, per quæ per omnia confũdetur. Nam diabolus hominẽ inseparabiliter perditum, vt ipse voluit, putabat. Homines enim in magna sæuitia & obliuione Dei, se homines fore obliti, inhumane vixerunt, quousque idem antiquum consilium quendam sanctificatum populum sibi elegit. Et Deus sobrietatem

&

A *Relatio tas Virginitas. Noe.*

& virginitatem in Abel præsignauit, qui propter iustitiam martyr effectus, hoc fecit quod pater suus facere neglexit. Sanctificati autem populi, se homines esse cognoscebant, & humane viuebant, de quibus etiam Noe surrexit, quem Deus in arca obseruauit. Sed Deus volens iniquitatem submergere, os abyssi aperuit, & plurimam creaturam in aqua submersit: & tunc per semetipsum iurauit, quod nequaquam vltra omnem carnem aqua perderet, recordans, quia homo per aquam regenerandus & saluandus esset. Post diluuium vero, antiquum consilium multa miracula ad confusionem diaboli ostendebat, qui de occisione Abel intra se gaudebat, dicens: Ecce opus Dei quod de Paradiso eieci, in terra diuisum iacet. Sed Noe sanctificatus, in Spiritu sancto operatus est, & altare Deo ædificauit, in quo antiquum consilium altare illud præsignauit, quod Ioannes in Apocalypsi vidit, super quod orationes Sanctorum ascendebant. Cum enim homo in pœnitentia peccatorum orat, & cum salutem à Deo quærit, sanctus nominatur. Antiquum quoque consilium plurima signa in Abraham operabatur, qui patriam & cognationem suam cum propria voluntate sua reliquit, & duram legem, per quam mors confusa, & serpentis nequitia insanabili vulnere vulnerata est, in sanctitate inijt, quando præcepta Dei adimpleuit, quod Adam non fecit, cum præceptum Dei præuaricatus, voluntatem suam secutus est. Idem etiam consilium, purificationem legis in Moyse constituit, & per sanguinem hircorum & vitulorum præsignauit, quod innocens agnus pro homine immolandus esset. Nam filius Dei de corde patris exiens, de virgine natus est, & omnia hæc per semetipsum impleuit. Virginitas in filio Dei surrexit, quæ erecto vexillo cœlos penetrauit, quoniam idem filius virginis totus integer, totus sanctus fuit, & per eum magnus ordo virginum surrexit, quem vetus lex non cognouerat. Sed & ipse sacerdos fuit, cum seipsum in ara crucis pro hominibus immolauit, cui etiam sacerdotes in sacerdotio suo adiuncti sunt; quia Angelos imitari debent, qui nuncij Dei existunt. Angeli quippe opera hominum ex debito officij sui velut scripturam Deo ostendunt, quod & sacerdotes faciunt, cum peccata hominum per pœnitentiam suscipiunt, & ea per indultam misericordiam Deo ostendunt. Sic & villicus fecit, qui diffamatus est apud Dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, cum vnumquemque debitorem domini sui minus scribere iussit quam deberet. Villicus etiam iste, synagoga est, quæ nullam liberationem per sanguinem hircorum & vitulorum habere potuit. Sed immolationem innocentis agni præfigurauit, per quem officio suo priuari timuit, & intra se dicebat, quod sufferre non posset duritiam legis quæ iussit, si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur: & etiam erubescat quod foras projiceretur; ita vt in nulla petitione misericordiæ reficeretur. Ex qua dum multi in filio Dei ad indulgentiam conuerterentur, ipsa pro indulgentia meritæ pœnæ laudabatur: quia dum seruus per pœnitentiam & confessionem Domino suo retributionem dederit, ab illo multum laudatur; quoniam eum multum dilexit, quemadmodum Maria Magdalena Christum dilexit, scriptura hæc sacerdotibus adest, vnde etiam decet illos, vt Christum imitentur, & castitatem ament, & incestum fugiant. Filius namque Dei, vt iniustos iustos faceret, in cruce passus est; & etiam ipsus ad se trahit, vt de villico dictum est. Sed Abel pro iustitia martyr extitit. Post passionem autem filij Dei multitudo martyrum exorta est, qui pro fide & confessione ipsius passi sunt, quos etiam alij martyres comitantur, scilicet illi qui contra peccata & vitia pugnando, se vincunt, & isti prædictorum martyrum pennæ sunt. Qui autem hos iniuste persequuntur, vindicta Dei super illos cadet. Sed & illi qui virginitatem tribulando persequuntur, ita quod illam doloribus perfundunt, vindictam Dei non effugient: & ideo multoties accidit, quod nobiles ex iudicio Dei ignobiles, & diuites egeni efficiuntur, & quod multis alijs periculis & calamitatibus subjiciuntur. Qui vero sacerdotale officium suum iniuste premunt & blasphemant, hi in terra suo similes sunt Cain, qui fratrem suum occidit: vnde pœna illius constringendi & puniendi sunt. Sacerdotale namque officium, in magisterio suo à Domino Deo est. Itaque Sapientia in turba loci huius turrim ædificauit, quam baccis, topazio & saphiro exornauit, & in ipsam speculatores posuit, & iuxta eam torcular construxit: quod quibusdam hominibus commisit, qui vinum in ipsa exprimerent: atque foetus illud domum etiam fecit, in qua alios esse iussit, qui omnia quæ ad agros suos pertinebant, procurarent. Sed tempestas valida & pestifera insaniæ exorta est; ita quod homines prædictum torcular custodientes, ad eandem turrim iacula emittebant, & quod alij in præfata domo manentes, saxa contra ipsam turrim projiciebant; vnde & illi qui in ipsa turri erant, lapides aduersus istos iaciebant. Turris hæc altitudinem magisterij designat, quæ baccis, videlicet illis, qui à pueritia in innocentia & sanctitate vixerunt, decoratur, & quæ topazio, id est, his, qui optimam partem eligentes, seculo renuntiant, elucidatur: & quæ Saphiro, videlicet ipsis qui propter amorem Dei pompam seculi & semetipsos abnegant, exornat: In ista speculatores sunt, videlicet hi qui subiectis suis in magisterio præsunt. Torcular autem officium illorum ostendit, qui per consecrationem iugati, ministerio passionis Christi ad altare insistunt, & vineam Domini Sabaoth colunt & conseruant. Sed domus custodiam & constrictionem istorum demonstrat, qui idiotæ existentes; & in seculo viuentes, seculum & semetipsos propter Deum relinquunt, & in necessariis rebus corporalibus laborant; & tamen spiritalem vitam conseruant: tempestas vero temeritatem notat, in qua in torculari manentes, ad Prælatos suos acumina superbiæ mittunt, & per quam etiam in domo stantes, duritiam inobedientiæ contra ipsos dirigunt: quapropter iidem Prælati ad iniuriam prouocati, se immites per verba iracundiæ subiectis suis exhibent. At omnibus istis sapientia inducias emendationis constituit, quemadmodum in Euangelio cultor vineæ ad dominum suum de ficu dicebat: Domine, dimitte illam, & hoc anno vsquedum fodiam circa illam, & stercora mittam. Nam fodere circa illam, est, vt homo voluntatem proprietatis suæ premat; alioquin nunquam obedire poterit: sed mittere stercora, est in humilitate & subiectione Prælato subdi. Cum enim homo ad obedientiam se inclinat, omnia carnalia desideria, & semetipsum quasi pro luto computat. Nunc itaque ego paupercula & debilis forma, vobis loci huius præfatis fratribus dico: Inextinguibilis vitæ ignis in vobis ardeat, & vos lumine suo ita perfundat; ita vt in ipso permanere valeatis, vt prius incepistis. Nam cum fructuosum tempus correctionis, & emendationis in vobis surrexit, lapides turris vestræ fulgorem suum, vt prius erat, recipient.

Margin notes (left column): *Gen. 6. Gen. 9. Baptismus.* — *Apoc. 8.* — B *Abrahā.* — *Moses.* — *Virginitas.* — C — *Luc. 16.* — *Villicus Euangelicus.* — D — *Gen 4.* — *Punitio eorum qui Sacerdotes cruciant.*

Margin notes (right column): E — *Prou. 9.* — F — G — *Luc. 13.* — H — *Gemblacensis monachus.*

TRIGINTA-OCTO QVÆSTIONVM SOLVTIONES

Per eandem S. HILDEGARDIM, VVIBERTO Monacho Gemblacensi transmissæ.

VVIBERTVS MONACHVS Hildegardi.

MATRI sanctissimæ Hildegardi, Vvibertus. Gaudium quod de visione & collocutione tua, cum Abbate nostro tempore quadragesimali, ad te proficiscendo, diuinitus mihi indultum credideram, ad tem-

A pus quidem mihi inuidia (vt puto) diaboli sublatum est. Nam cum Coloniam vsque processissemus, iter nostrum impediente Sathana, & per iniquas carnalium propinquorum suorum suggestiones propositum Abbatis ad te proficiendi conturbante, vlterius destitimus. Sed spero, quia quod ablatum mihi doleo, opportuniori tempore, remotis omnibus impedimentis, gratia mihi Diuina restituet. Interim tamen de quæstionibus illis, quas per me fratres Villarenses ad te soluendas mittebant, quasque ego reuocatus ab itinere, tibi perferendas, dilecto mihi Baldo commisi, quid actum sit, vehementer scire cupio, vtrum videlicet, necne ad te peruenerint. Quod si peruenerunt, obsecramus omnes, nostræ paruitas amica tua in spiritu, tuis affusi pedibus, vt mare solutionis earum fiducialiter ingrediens, auræ Spiritus sancti vela committere non pertimescas, tali duce freta sine difficultate, placido portui mox adlapsura. De quibus etiam precor, vt cum præscriptis litteris Villarensium & nostris solutionibus earum præ-
B scribas, vt alteræ ex alteris gratiores fiant, & clarius elucescant.

Responsum Hildegardis.

Charitas CHaritas, quæ cum abstinentia peccatorum fidem instituit, & castitatem cum patientia ædificat, columnæ quæ quatuor partes domus sustinet, similis est. Ipsa enim charitas plantauerat hortum valde gloriosum cum pretiosissimis aromatibus & nobilissimis floribus, rosis & aliis, qui suauissimum odorem spirabant, in quibus verus Salomon oculos suos pascere solebat. Hortus iste virtutes sanctas designat, quas Deus, qui vera charitas est, in virga Iesse operatus est. Maria videlicet, quæ in castitate floruit, & nobilissimum flo-
Cant. 2. rem protulit. De flore isto vox turturis audita est, quæ virginalem naturam vocauit, quam lilium significat, quod in suo stipite candidos flores, cum fragrantia gra-
Virginitas. tissimi odoris conterit. Sicut & ipsa virginitas propter
C dulcissimum odorem bonæ intentionis in mundo ho-
Monachi. noratur. Eremitæ quoque siue monachi, qui propter Christum seculo renunciauerunt, sine societate secularis pompæ viuere debent, sicut virgo post votum sine memoria viri; quia virgines & monachi inter Angelicos ordines idem sunt, quoniam sicut Angeli nihil aliud quam faciem Dei inspicere desiderant; sic & ipsi omnibus pompis secularibus abiectis, agnum Dei, Christum scilicet, crucem eius baiulantes, sequuntur, in quibus propter verum contemptum seculi rutilantes flores passionis Dominicæ generant. Nunc ô fili Dei, in valle veræ humilitatis positus, in quiete ambula sine elatione quæ præcipiti monti assimilata, difficilem, & velut impossibilem ascensum vel descensum præbet innitentibus, & in cuius summitate nullum ædificium patet.
Malum superbia. Homo enim qui tentat altius ascendere, quam possit peruenire, ille nomen sanctitatis absque securitate possidet; quia solo nomine sine ædificio bonorum operum & quadam inepta lætitia mentis gloriatur. Tu enim
D gloriosissimum hortum quem charitas plantauit, adspice, & vnamquamque virtutem in vera humilitate & simplicitate cordis ad te collige: & licet inter varias hominum mentes constitutus sis, disce tamen quoniam longanimiter & patienter omnes nos Diuina bonitas tolerat. Fuge etiam inconstantiam pigri serui, qui hodie vni Domino, cras alteri seruit: & gladio verbi Dei viriliter accingere, exemplo fortissimorum militum,
Cant. 3. qui lectum veri Salomonis ambientes custodiunt. Mentis quoque tuæ sinceritatem cum vigilantibus oculis Deo omnipotenti, ne in dubio dormire incipias, iterum atque iterum commenda. Esto probus & dilectus miles veri Salomonis, quem pro victoria quotidianæ pugnæ diligit & coronat. Spiritus sanctus igne sui amoris te accendat, vt in amore seruitij sui indeficiens perseueres, quatenus viuus lapis cœlestis Ierusalem quandoque fieri merearis.

E

QVÆSTIO.

Quomodo intelligendum est quod legitur, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, cum per sex dies opera sua Deus distribuisse referatur. *Eccl. 18. Gen. 1.*

SOLVTIO.

OMnipotens Deus qui sine initio & sine fine vita est, & qui omnia in scientia sua æternaliter habuit, materiam omnium cœlestium & terrestrium simul creauit, cœlum scilicet, lucidam materiam, & terram, quæ turbulenta materia erat. Ista vero lucida materia, de claritate quæ æternitas est, sicut spissa lux fulminabat, quæ etiam super turbulenta materia lucebat, ita quod ei adiuncta erat: & istæ duæ materiæ simul creatæ sunt, vt vnus circulus apparuerint. In primo namque, Fiat, Angeli de prædicta lucida materia cum eorum habitaculo processerunt: & quia Deus,
F Deus & homo est, ad faciem patris Angelos creauit: & hominem, de quo tunica induendus erat, ad imaginem & similitudinem suam formauit: Sic quoque ad imperium omnipotentis Dei, cum diceret, Fiat, quælibet creatura de turbulenta materia secundum speciem naturæ suæ apparuit. Sex enim dies, sex opera sunt: quia inceptio & completio singuli cuiusque operis, dies dicitur. Post creationem etiam primæ materiæ nulla *Gen. 1.* mora fuit; sed mox quasi in ictu oculi, Spiritus Domini ferebatur super aquas, nec etiam postea mora aliqua erat: sed Deus illico dixit, Fiat lux.

QVÆSTIO.

Quid est quod scriptum est: Diuisit Deus aquas, quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum? Nunquid credendum est, materiales aquas super firmamentum esse? *Gen. 1.*

G

SOLVTIO.

DEus aquas quæ super firmamentum erant, ab his quæ sub firmamento erant, ideo diuisit, vt sicut inferiores aquæ terrenis constitutionibus assunt, ita etiam & superiores aquæ superioribus constitutionibus adessent. In aquis enim superioribus nihil est quod crescat aut deficiat, sicut in istis inferioribus aquis, in quibus quicquid viuit, hoc quemadmodum homo crescit & deficit. Sed illæ superiores aquæ in primo statu suo sicut Deus eas constituit, persistunt, & in circulo suo fluunt, & materiales sunt, non tamen vt aquæ inferiores, quoniam multo subtiliores, & nostris visibus omnino inuisibiles existunt, quarum humiditate & ignis ibi existentis calore, desuper firmamentum solidatur, velut corpus per animam subsistit, ne dissoluatur. Aquæ vero inferiores istæ de sub firmamento grossiores, speculum sunt cœlestium luminarium, Solis scili-
H cet, Lunæ & Stellarum, quæ infinita diuersarum specierum animalia continent, quæ in eis nascuntur & subsistunt; ideoque officia superiorum & inferiorum aquarum in cunctis dissimilia sunt.

QVÆSTIO.

Antequam primus homo peccaret, videbat ipse corporeis oculis Deum, vel visuri sumus nos eum corporeis oculis, cum secundum Apostolum, corpora spiritalia in resurrectione receperimus? *1. Cor. 15.*

SOLVTIO.

IN resurrectione cum homo corpus spiritale receperit, & cum idem corpus animæ inseparabiliter vnitum fuerit, splendidam faciem sanctæ Diuinitatis cum Angelis sine fine intuebitur. Adam namque, qui ita

sapiens

A sapiens & perfectus à Deo formatus erat, quod scientia & sapientia super omnes homines repletus fuit, Deum in Diuinitate sua, sicuti est, nunquam videbat: Sed quando claritatem de vultu eius procedentem, exterioribus oculis vidit, in qua verum Deum esse veraciter cognouit. Sicut enim ante peccatum cum adhuc anima ipsius corpori suo dominaretur, oculis suis, qui per innocentiam tunc spiritales fuerunt, prædictam claritatem inspexit, quod postea facere non potuit, quia visionem istam in Paradiso post peccatum statim perdidit, cum oculi eius in præuaricatione præcepti Dei, quod ante cognouit, per carnale desiderium aperti sunt.

QVÆSTIO.

Gen. 2. *Quo genere locutionis vsus est Deus, & in qua specie primo homini apparuit, cum præceptum ei dedit, & in qua, cum post peccatum in Paradiso* B *deambulauit?*

SOLVTIO.

OMnipotens Deus Angelicis verbis Adæ locutus est, quæ ipse bene cognouit & intellexit. Per sapientiam enim suam quam à Deo acceperat, & per spiritum prophetiæ omnes linguas, quæ per homines postmodum inuentæ sunt; tunc in scientia sua habuit, ac naturas omnium creaturarum ad plenum nouit. Dominus etiam eum inæstimabili claritate ipsi apparuit, in qua nullius creaturæ forma fuit, & iterum post peccatum deambulans in Paradiso, in flamma ignis apparuit.

QVÆSTIO.

Gen. 3. *Quid est hoc, quod Deus dixit: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum?*

SOLVTIO.

C HOc tale est: Adam per scientiam boni & mali, aliquid commune nobiscum habuit; sed bonum in scientia boni deseruit, malum in scientia mali, cum gustu vetiti ligni elegit. Et iterum Adam à nobis alienatus, quia bonum quod prius experimento cognouit, per consilium serpentis contempsit, & per gustum delectationis, malum prius inexpertum, illi consentiendo, perfecit. Et iterum dixit: Videte ne forte sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Hoc Deus ideo dixit, quia in magna misericordia super opus suum, scilicet hominem qui peccauerat, mouebatur, ne ipse à gloria sic mutatus, miserabiliter in æternum viueret: & eum hoc modo, quemadmodum pater filium suum, qui ab eo discedere vult, ad se misericorditer traxit. Ipse enim hominem, quem indumentum verbi sui præsciuit, valde diligebat: nam etiam omnem creaturam ad seruitium suum creauit, & eum in locum, vnde ille lucidus velut cadauer in mortem cecidit, deputabat.

D

QVÆSTIO.

Gen. 3. *Quales oculi primis parentibus aperti sunt, cum ante peccatum ambo viderent. Vnde dicit: Vidit mulier lignum, &c.*

SOLVTIO.

PRimi parentes ante originale peccatum (anima per innocentiam corpori dominante) spiritales oculos habebant. Sed ipsius post peccatum spiritali visione eorundem oculorum priuatis, atque per conditionem peccati mortalibus effectis, carnales oculi aperti sunt, ita quod per scientiam mali, opera peccatorum videndo & cognoscendo, secundum desideria carnis, diabolo E suadente, faciebant. Sic etiam omnem gloriam quam prius habuerant, ita obliuioni tradiderunt, quod vix aliqua eorum recolebant, sicut homo qui rem aliquam de longe conspiciens, vix considerare potest quid sit, & sicut etiam vmbra pertransit, quæ in speculo videtur.

QVÆSTIO.

Quid est quod Dominus dicit ad Noe, & ad filios eius, sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis? Et paulo post: Quicunque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis eius? Gen. 9.

SOLVTIO.

DEus post nouissimum diem in resurrectione per indumentum hominis de manu, id est, de mobili natura cunctarum bestiarum sanguinem animarum Noe & filiorum eius, ac totius humani generis (qui sedes animæ est) requiret; quoniam ipse non vult, vt anima alio corpore aut sanguine induatur, nisi illo quod ipsa calefecit, & qui sedes ipsius fuit. F Ipse enim in potenti præscientia sua, qua hominem de limo terræ, spiraculum vitæ, quod anima est; cum carne & sanguine formandum, vt eum postea formabat, præsciuit, in eadem præscientia sua, eum etiam resurrecturum, requiret. De manu etiam hominis sanguinem animarum requiret; ita scilicet, vt homo ille, qui proximum suum comprimendo, animam suam emittere facit, per macerationem carnis & sanguinis sui in pœnitentia, cum mœrore plangentis vocis ad Deum creatorem suum semper clamet; quoniam animam illius quam ipse creauerat, vulneribus mortis exire coegit. Quicunque autem effuderit sanguinem humanum, hoc quasi pro vano ducens, sine labore amissi sudoris, super hunc iudicium Dei, vel per ferrum, vel paupertatem, vel diuitiarum suarum amissionem, & si non super eum, qui reus sanguinis factus est, super filios tamen eius & nepotes iudicetur. Homicida.

G

QVÆSTIO.

Qualia corpora habuerunt Angeli, qui apparuerunt Abrahæ, quibus similam, vitulum; butyrum & lac apposuit, & comederunt? Gen. 18.

SOLVTIO.

TRes Angeli, qui apparuerunt Abrahæ sedenti ad ostium tabernaculi, in humana forma apparuerunt, quia sicut ab homine, nullo modo videri possunt. Immutabilem quidem Spiritum mutabilis homo videre non potest, & hoc est ex inobedientia Adæ, qui spiritalibus oculis in Paradiso priuatus, in omne genus humanum cæcitatem suam transduxit. Omnis creatura (quod homo est) vmbram suam habet, quæ hominem in indeficientem vitam renouandum esse significat. *Quid vmbra.* Et sicut vmbra hominis imaginem suam ostendit; sic & Angeli, qui naturaliter inuisibiles sunt, per corpora quæ de aere sumunt, eis ad quos mittuntur, in humana forma visibiles apparent, H moribus illorum se aliquantulum contemperantes, non Angelicis loquelis, sed talibus verbis, quæ intelligere possunt, eis loquuntur, ipsique vt homines comedentes, sed eorum cibus euanescit tanquam ros, qui semper super granum cadens, à calore Solis in momento dissoluitur. Maligni vero spiritus, specie cuiuslibet naturæ ad seducendos homines vtuntur, eius creaturæ naturam considerantes, quæ vitio illi comparetur, per quod hominem quem impugnant, superare possint, quemadmodum tentator etiam per serpentem seduxit.

A

QVÆSTIO.

Gen. 24. & 48. *Cur Abraham & Iacob, ille seruo, iste filio, præceperunt, vt iuraturi, manus suas sub femoribus eorum ponerent.*

SOLVTIO.

ABraham, qui ad præceptum Domini patriam & cognationem suam reliquit, per vulnus carnis suæ (quod signaculum fidei fuit) tanquam gloriosus signifer, ad prælium contra vitia pugnaturus processit. Ipse enim per gratiam Spiritus sancti vexillum sanctitatis præ cæteris portabat, & per finem operum suorum, Humanitas Christi. priuilegium summæ sanctitatis obtinuit. Vnde in iuramento sub femore, sanctam humanitatem Christi præsignauit, qui antiquo consilio omnipotentis Dei, de semine ipsius descenderet per humanitatem suam, consilium antiqui serpentis, hominem liberando destruxit.

B

QVÆSTIO.

Gen. 23. *Quare in spelunca duplici, quam emit Abraham à filiis Heth, Sancti Patriarchæ tanto desiderio sepeliri voluerunt?*

SOLVTIO.

Vetus lex & noua. PEr speluncam duplicem, quam in sepulturam Abrahæ sibi pretio comparauit, vetus lex & noua figoratur; quia sicut anima in corpore, sic noua lex in veteri latebat, & in his duabus mors, quæ per mulierem subintrauit in mundum, sepulta est: Sancti vero Patriarchæ in eadem spelunca sepeliri desiderabant; quia spiritu Prophetiæ attacti, Sacramentum nouæ legis in Num. 17. veteri cognouerunt, vt etiam in virga Aaron, quæ floruit, Sacramentum filij Dei in redemptione hominis latebat, quoniam in creatura Creatorem cognouerunt, C vt etiam in sacrificio agnorum & arietum Christus passurus significabatur.

QVÆSTIO.

Exod. 3. Exod. 19. Actor. 2. *Fuit ne verus ignis, qui Moysi in rubo apparuit, & rubum non combussit, vel qui in monte Sinai resplenduit, vel qui in die Pentecostes super discipulos in linguarum modum cecidit, vel qui super caput Martyris Sacramenta celebrandis apparuit?*

SOLVTIO.

Spiritus sanctus. IGnis qui Moysi de medio rubi flammantis, & non ardentis, visus est, Spiritus sanctus credendus est: scintillæ vero prosilientes, diuersarum dona virtutum. Varia quidem huius ignis apparitio, nequaquam de superiorum elementorum coruscatione descendit. Sed de igne qui vita est, & qui sibi adhærentia non exurendo dissipat, sed viuificando confirmat.

D

QVÆSTIO.

Reg. 8. 2. Par. 5. Hebr. 9. *Quid est quod in libro Regum de Arca dicitur: In Arca non aliud est, nisi tabulæ testamenti: & in Epistola ad Hebræos legitur: Post velamentum aliud tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ* Num. 17. *fronduerat, & tabulæ testamenti.*

SOLVTIO.

QVi dixit, non aliud in Arca populo Israelitico in magna veneratione habita contineri, quam tabulas testamenti: ille nec plus in ea esse cognoscebat, nec E etiam plus inde scire quærebat: Paulus vero, qui ob spiritus sui profundam scientiam, diuina gratia reuelante, plus aliis sapiebat, quid amplius in arca secreti seruaretur, plenius edocuit.

QVÆSTIO.

Nunquid vere credendus est Samuël ad innocationem Pytonissæ euocatus. 1. Reg. 28.

SOLVTIO.

SAül qui propter peccata sua à Deo reprobatus & derelictus fuit, euentum futuri prælij per Pythonissam scire volebat; vnde Samuelem à mortuis sibi aduocari præcepit, qui ei indicaret quod quærebat. Sed hoc nullo modo fieri potuit; quia impossibile esset, vt sanctus & iustus homo post mortem mendacium loqueretur, cum nulla fidelis & infidelis anima à corpore soluta, mendacium loqui possit. Animæ namque Samuëlis & Saülis æqualem mansionem habere non possunt, F quia Samuël fidelis amicus Dei fuit, & Saül præceptorum eius rebellis præuaricator extitit. Diabolus etiam hominem per nullius hominis animam decipere potest, sed per phantasiam & per formam alicuius creaturæ eum decipit. Saül enim regnum cum vita amisit; quia à Deo recesserat: sicut etiam Adam propter præuaricationem, à gloria Paradisi nudatus, filius mortis effectus est; ideoque quod inquirebat apud Dominum, obtinere non potuit.

QVÆSTIO.

Quid est, quod Paulus dicit: Si linguis hominum & Angelorum loquar? Quæ sunt linguæ Angelorum. 1. Cor. 13.

SOLVTIO.

ANgeli qui spiritus sunt, nisi propter hominem verbis rationalitatis non loquuntur; quoniam G linguæ eorum sonans laus sunt. Homo enim, qui omnia quæ sonant, per sonum eorum cognoscit, iocunditatem cordis sui in sono vocis; quam cum spiramine animæ leuat, ostendit.

QVÆSTIO.

Quæ est longitudo & latitudo, & sublimitas, & profunditas, quæ Paulus optat Ephesios comprehendere cum omnibus Sanctis? Eph. 3.

SOLVTIO.

PEr longitudinem istam, diuina essentia, quæ sine fine & initio est, intelligitur: quoniam ipsa ab opere suo, quod initium habet, in nulla ascensione vllius scientiæ comprehendi potest. Per latitudinem vero, infinita potestas Dei significatur, quæ à nullo H incepit, & quæ proficiendo non augetur, nec deficiendo minuitur. Per sublimitatem namque claritas sanctæ diuinitatis, quæ nunquam clarescere incepit, & cuius fulgor nunquam transibit, accipienda est. Per profundum autem designatur, quod DEVS in his tribus prædictis viribus, contra abyssum Aquilonis, qui in potestate sua sunt, & qui nequaquam ei resistere valent, pugnat, in cuius claritate omnes Sancti comprehenduntur; qui eum amauerunt, & cum eo in bona perseuerantia ministerij sui, cum fide & operibus perstiterunt.

A

QVÆSTIO.

Act.17. *Quid est, quod Apostolus dicit: In ipso viuimus, mouemur & sumus.*

SOLVTIO.

IN ipso cum elementis mouemur, quibus ita vtimur, quod omnia, quæ ad vsum nostrum pertinent, ab eis quærimus: In ipso etiam illuminati, & per spiraculum vitæ viuificari viuimus, per quod eum Deum & creatorem nostrum esse cognoscimus. In ipso etiam sumus, quia finem vitæ in anima, qualiacunque merita ipsius sunt nunquam habebimus, per quam cum omni sensualitate nostra cum elementis & in elementis, sicut ventus volamus & mouemur.

QVÆSTIO.

B 1. Cor. 11. *Quid est, quod idem dicit: Nocte & die in profundo maris fui?*

SOLVTIO.

PAulus labores suos attendens, verba ista in mœrore dixit, per ea ostendens, quod ex permissione Dei in ærumnis & laboribus fuit, quasi in periculis tempestatum & fluctuum maris, quod nunquam inundare cessat, esset. Deus etiam voluit, vt per tenebras deceptionis Diaboli fatigaretur, & quod magna in quiete infirmitatum temperaretur, quæ tamen ab ipso confortatus, fideliter & patienter passus est.

QVÆSTIO.

1.Cor.6. *Quid est, quod dicit: Ego minimus Apostolorum, cum plus omnibus laborauerit?*

SOLVTIO.

C

PAulus se minimum vocat; quia cum Christo, qui sine peccato in humana forma apparuit, vt cæteri discipuli, non erat: & quia etiam per Filium Dei in spiritali visione, cum anima eius nec pleniter in corpore, nec pleniter extra corpus esset, ad fidem, quam nunquam discere, nec scire desiderabat, coactus est.

QVÆSTIO.

1.Cor.6. *Quid est quod dicit: Omne peccatum, quodcunque fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?*

SOLVTIO.

OMne peccatum, quod homo cum sensualitate per volantem scientiam suam, Diabolo suadente, in alium hominem operatur, diabolica arte agitur, quæ discordiam inter homines, eos ad iram & odium incitando seminat: & ideo illud extra corpus est: qui autem in calore carnis suæ cum incesto desiderio in venis & in medullis motus per fornicationem, seipsum tandiu incitat & vulnerat, quousque fessus fuerit, ille in corpus suum peccat.

D

QVÆSTIO.

A die resurrectionis vsque ad diem ascensionis, quando Dominus inter discipulos non erat, vbi fuisse credendus est?

SOLVTIO.

DEus qui per humanitatem suam apud nos visibiliter manendo, totam terram miraculis suis repleuit, post resurrectionem suam per illos quadraginta dies eadem humanitate sua, quam de Spiritu sancto conceptam ex Maria Virgine sibi assumpsit, omnia elementa, quæ per præuaricationem primi hominis immunditiam contraxerant, mundauit. Animæ quoque sanctorum & saluandorum, quas multitudine Angelorum comitatus cum victorioso vexillo potestatis suæ captiuas de inferno redemerat, in aëre, vbi omnia sanctificauit secum manebant. E

QVÆSTIO.

Quid est quod de Domino scriptum est: Et accesserunt Angeli, & ministrabant ei? In quo ministrauerunt? vel quale ministerium exhibuerunt ei? Matt. 4

SOLVTIO.

CVm Diabolus se à Christo ita separatum cognouit, vt nulla suggestione eum tangere posset; tunc eum reliquit, & ab eo fugiebat, vt homo ab inimico suo, à quo occidi timet, fugit: & mox Angeli in laudibus miraculorum sanctæ diuinitatis sonabant, quoniam humanitas, quæ in protoplastis deuicta fuerat in Paradiso, in Christo homine, omnia Diaboli tentamenta victoriose superauit, & ita ipsi viri, quem Deum & hominem esse sciebant, ministrabant. F

QVÆSTIO.

Cum noua anima de nihilo nouiter creatæ, prouidentia creatoris, in vteris matrum corpusculis paruulorum infundi credantur, qua ratione originalis peccati maculam contrahunt, & qua iustitia puniuntur?

SOLVTIO.

SIcut vas figuli, quod veneno perfusum est, omnia quæ in illud mittuntur, cum periculo immunditiæ inficit: Sic omnis caro hominum, per carnem primi hominis commaculata & infecta existit, nisi per mundam carnem Filij Dei, quam ex Maria virgine induit, in baptismo & pœnitentia mundetur. Anima enim ex forma, quam Deus in vtero matris ad hoc format, vt spiraculum vitæ ad hoc mittat, per consilium serpentis, quo primus homo deceptus est, peccati maculam, pro qua punitur, sibi contrahit, quæ per antiquum consilium sanctæ diuinitatis in Filio Dei per fidem & baptismum abluitur. Qui autem cum fide & baptismo carnalia desideria omni studio perfecerit, & ad hoc pœnitentiam non agit, ille cum his (qui per Christum redempti non sunt) in perditione manebit. G

QVÆSTIO.

Cum Dominus in Euangelio de seipso dicat: Ego ex Deo processi & veni: & de Spiritu sancto dicatur: Spiritus, qui à Patre procedit, inter processionem Filij & processionem Spiritus sancti, quæ differentia est, vt ille dicatur Filius, quod dici non debet, nec recte dici potest Spiritus sanctus? Inter generationem Filij & processionem Spiritus sancti, quæ distinctio, cum vtraque ex parte sit? Ioan. 8. Ioan. 15 H

SOLVTIO.

PAter meus potestas est. Et ego sonans verbum suum, ab eo processi, quando omnes creaturas per me creauit: & Spiritus sanctus ab ipso, scilicet Patre meo processit; quoniam ego in vterum virginis, cuius caro serpentina deceptione vulnerata non est, descendebam, & humanitatem ex ipsa, de eodem Spiritu sancto conceptam, indui. Igneus enim Spiritus sanctus, qui ignea vita & vera accensio & æqualis vita in æternitate est, &

A per quem omnes formæ quæ per Filium Dei formatæ sunt, inuisibiliter mouentur: in virginem, quæ creatura est, à patre processit: vterumque illius igne suo ita accendebat, vt ipsa per eum impræguata, verbum Dei (per quod omnes creaturæ factæ sunt) sine carnali patre genuerit. Sicut enim forma hominis videtur, & anima eius carnalibus oculis videri non potest, & tamen in duabus naturis vnus homo est: sic Filius Dei, qui in vtero Virginis de Spiritu sancto conceptus, homo factus est, in humanitate sua, ab omni carne videbatur, & in deitate sua inuisibilis est, & etiam in duabus naturis, sc. humanitatis & deitatis suæ, vnus Deus existit.

QVÆSTIO.

Cor. *Quid est, quod Paulus dicit, se in Paradisum, & vsque in tertium cælum raptum, nescire siue in corpore, siue extra corpus hoc factum sit, vtrum è corpore, cum anima eius ad ista raperetur, exiuit, an in corpore manens, & illud viuificans ad ista peruenit?*

B

SOLVTIO.

PAulus in ecstasi, per rationalem animam, quo Christus eam vocabat, volabat, vt homo, qui dormit, in multis per summa citouit; ita tamen, quod ipsa interim sanguinem in carne illius calefecit, ne per frigus coagulatus exsiccaretur, quemadmodum Sol, qui in altitudine stat, per vires suas cum splendore suo à longe lucet & ardet. Ipse miracula firmamenti, vt Deus illud constituit, conspiciendo penetrauit, & ipse etiam vsque ad tertium cœlum, id est, vsque ad claritatem suam illam raptus est, quæ de claritate (quæ S. Diuinitas est) fulminat, & in qua beatæ animæ requiescunt, & ibi tantam fortitudinem à Deo suscepit, qua nequaquam vltra dubitare potuit; sed vbi sancta Diuinitas ardet, & vbi Angeli, qui vt fulgor Solis sunt; & vbi etiam alij Angeli, qui vt splendor ignis apparent, qui immutabilem diuinitatem, quæ sine initio & sine fine est, intuentur, non venit; quoniam ea quemadmodum aquila C superiorem ignem sufferre non posset. Ipse etiam in splendore Angelorum, qui cum hominibus officia sua faciunt, in Paradisum venit, vbi omnia arcana, quæ per animam vidit, pleniter cognouit, & ea corpore ita scosit, vt sciret in scientia sua, illa homini importabilia esse, qui cinis est, & ideo omnibus Prophetis sapientior extitit, quorum prophetia, quam in vmbra videbant, melli apum, quod ad multas vtilitates multiplicatur, similis fuit. Omnia namque quæ anima vidit, corpore sensit: vnde in dubio dimisit, vtrum illa in corpore, an extra corpus videret: & ideo etiam omnia verba illius, profunda & acuta, & chalybi similia sunt. Deus vero, mox vt anima in corpus suum reuersa resedit, eum valde domabat; quoniam feroces mores habuit, ne in proprietate sua disceret, quæ ad altitudinem sancti non pertineret.

QVÆSTIO.

D *Gratia Dei & liberum arbitrium, quid habent commune, quid proprium?*

SOLVTIO.

LIberum arbitrium in anima est, quæ spiraculum à Deo existit, & quam Deus ad formam facturæ suæ creat, & per quam homo se Deum habere sentit, siue fidelis, siue infidelis, in quacunque professione vel opinione sit, qui in scientia sua malum eligendo, ad illud se declinat; quemadmodum Adam fecit, qui præceptum Dei sciuit, & per consilium serpentis ad malum declinauit. Gratia Dei & liberum arbitrium hoc commune habent, quod homo in scientia boni & mali, vtrumque & bonum & malum ad operandum eligere potest; & quod per proprietatem liberi arbitrij secundum gustum E & desiderium carnis, quæ nunquam coactus dimittere potest, elegerit, hoc Diabolo adiuuante perficit, & quod secundum voluntatem animæ elegerit hoc gratia Spiritus sancti adiuuante perficit.

QVÆSTIO.

Quomodo intelligendum est, quod dicitur: Omnia in pondere & mensura & numero constituisti? Sap. 11.

SOLVTIO.

DEus omnia tabernacula corporum nostrorum in recta mensura ita constituit, vt nullum eorum illus qui in ipsis habitant, pondere & latitudine excedant, vt etiam Sol, Luna, ignis, aër, aqua, terra, in firmamento æquali pondere, numero & mensura constituta sunt, & vt homo, qui omnis creatura est, in recta mensura consistit, quia omnia membra eius per animam ita impleta sunt, quod ipse, quandiu anima in eo est, nec arescere, nec deficere potest. Superbia vero, quæ super omnia, quæ Deus F constituit, volat, & quæ Dominum spernit, nec eum cognoscere, nec adorare vult: & quæ de omnibus creaturis Superbia. exul cadit, mors est, & nullam rectam mensuram habet, quoniam omnia, quæ Deus in prouidentia & sapientia sua recte disposuit & constituit, dispergit.

QVÆSTIO.

Quæ, & qualis est harmonia illa elementorum, de qua dicitur: In se elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt? Nunquid ad hoc pertinet, quod Dominus dicit: Et concentum cæli quis dormire faciet? Sap. 19. Iob. 38.

SOLVTIO.

DE torrente itinere superioris ætheris, per quem firmamentum euoluitur, sonus elementorum iocun- G dus & gloriosus existit, vt etiam symphonialis vox spiritus hominis, dulcis est in vita sua: Quia vnumquodque elementum, secundum quod constitutum est à Deo, sonum habet, qui omnes sicut sonus chordarum & citharæ in vnum coniuncti sonant. Concentus vero cœli ad harmoniam elementorum, quæ cum homine commutabuntur, non pertinet: vt etiam Sol, qui in firmamento positus est, mundo isti, & non summo cœli lucet.

QVÆSTIO.

Quomodo intelligendum est: Fons ascendebat de terra; irrigans vniuersam superficiem terræ. Gen. 2.

SOLVTIO.

EX præcepto Dei, fons in terra voluptatis ascendebat, qui eam cum omnibus fructibus suis absque di- H uersitate commutationis (vt primum à creatore constituta est) irrigat, quia ipsa vicissitudinem æstatis & hyemis & aliarum tempestatum, quæ in terra nostra sunt, & quæ instabilibus moribus hominum similes sunt, non habet. Sicut enim per splendorem Solis Luna obtegitur; sic & in splendore claritatis huius immutabilis terræ, Sol, Luna & stellæ obnubilantur, in qua nihil est, quod mortale sit, & quæ etiam nihil mortale recipit: & si aliquid in eam veniret, quod mortale esset, hoc per vires velut per aquam mortis suffocaretur. Terra autem, in qua ardor Solis tantus est, quod guttas pluuiæ, sicut magnus & fortis ignis guttas aquarum, quæ in eum funduntur, calore suo explicat, per aquam irrigatur, quæ de fonte, qui in Paradiso ascendebat, fluit, & qui stabilem ascensionem sanctarum virtutum, quæ per ignem Spiritus sancti accensæ sunt, significat.

A

QVÆSTIO.

Gen. 5. 4. Reg. 2. *Cum Enoch & Helias in terreno Paradiso corporaliter translati esse credantur, numquid in loco tantæ felicitatis corporeo cibo & indumento egere credendi sunt?*

SOLVTIO.

DEus in prouidentia sua, de Enoch & Helia ordinauerat, quod in loco illo esse deberent, vbi nec cibo, nec potu, nec etiam vestitu indigerent, & sic omnis: qui in miraculis Dei raptus fuerit, quandiu in illis moratur, istis quæ mortalibus assunt, non vtitur.

QVÆSTIO.

B 1. Reg. 14. *Quid est, quod de Ionatha dicitur, cum comedisset de melle, illuminati sunt oculi eius?*

SOLVTIO.

IOnathas, pingui & fructiferæ terræ, quæ per aratrum facile euertitur, & quæ etiam in aratra sæpe vtiles herbas germinat, similis erat, quoniam mitis in moribus suis fuit, & non in iudiciis, quæ vera & iusta erant, sine ira & sine odio libenter affirmabat. Quicunque enim tales mores habet, illius humores per omnes cibos, quibus reficitur, in cerebro, in venis, & in medullis sani & optimi sunt, quoniam in ipso per melancholiam, ira & tristitia cum vicissitudine diuersorum morum non surgunt, quoniam donum Dei illi adest, & eum quemadmodum ros super quod cadit, germinare & virescere facit. Qui autem per Melancholiam infirmatur, hic duræ terræ, quæ vix per aratrum euertitur similis est: Quoniam in moribus suis iram, tristitiam & contradictionem omnis iustitiæ habet, nisi per naturam animæ sibimetipsi semper resistat, nec etiam lætitiam in operibus habere potest. Sed qui prædictos mores habet, ille in omnibus operibus suis beneuolus est, & per cibos caro & sanguis illius crescunt, & ipse per eos confortatur, vt etiam Ionathas, cuius oculi præ imbecillitate corporis sui prius turbidi erant, acutum visum receperunt, quando per gustum mellis quod per aerem qui super eo volauit, majores vires alio melle habuit confortatus est.

Commendatur mititas.

Melancholia.

C

QVÆSTIO.

Matth. 15. Ps. 77. *Cum ex corde humano cogitationes malæ frequenter exeant, quomodo sciri potest, quæ ex corruptione nostræ prauitatis oriantur, vel quæ malorum Angelorum immissione moueantur?*

SOLVTIO.

D *De cogitationibus.* COgitationes, quæ ex primo originali peccato cordibus hominum ita infixæ sunt, quod ipsi per eas in carne & sanguine & in venis suis ad delectationem mouentur, illæ humanæ sunt: sed aëreæ cogitationes, quibus homines in cordibus suis habere optant, & scire desiderant quæ impossibilia sunt, quia fieri non possunt, illæ vanæ sunt: quoniam vndique vt aër inutiliter volant. De istis quoque cogitationibus scriptum est: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Ps. 93. Quid dicitur? Homo, qui per rationalitatem volat, & qui ea scit, quæ cum experimento, videndo & tangendo cognoscit, semper illa occulta, quæ ad animam pertinent, & quæ præ corporali sensibilitate comprehendere non valet, scrutatur. Malæ autem cogitationes, quæ ex diabolica arte homini immissæ, ex corde & ore ipsius exeunt, esca Diaboli sunt, quoniam ipse per eas animas (sicut homo in ventrem suum escam) deglutit, cum eas in deceptione sua, per infidelitatem Deo & præceptis eius contradicere facit & eum sic de ipsis expoliat, licet multi per sancta opera & per puram fidem cum Deo persistentes, ipsum per gratiam Dei fortiter superent. E

QVÆSTIO.

Numquid spiritalibus oculis corporalia videntur, & è diuerso corporalibus oculis aliqua spiritalia cognoscuntur? Cor. 4.

SOLVTIO.

SPiritalis oculi, scientia rationalis animæ sunt, qui nequaquam corporalia, vt sunt, videre possunt, sicut etiam cæcus exterioribus oculis non videt, sed quod tantum per auditum, quæ videntur, intelligit & cognoscit. Corporales etiam oculi possibilitatem non habent, vt spiritalia perfecte intueantur. Sed vt forma hominis in speculo, in quo non est, videtur: sic homo ea, F quæ spiritalia sunt per auditum verborum in fide videt & cognoscit. Nullus enim spiritus, sicut in natura sua est, homini apparere potest, quia ipse viuens spiraculum à Deo est, & qui tunicam suam, scilicet corpus viuificando confortat, & cum eo operari non cessat, qui etiam cum ab eo discesserit, vel in lumine beatitudinis, vel in tenebris pœnarum erit.

QVÆSTIO.

Ignis gehennæ corporeus est, an incorporeus? Si autem (vt sentiunt multi fideles) corporeus est, numquid de materia quarta elementorum credendus est?

SOLVTIO.

NEquaquam. Quia nec illis de his elementis, nec hic ignis ab illo, & ille inuisibilis. Corporales & spiritales pœnæ æquales non sunt, vt etiam corpus animæ dissimile, & vt anima corpori æqualis non est, quia ex G corporalibus pœnis corpus arescit & moritur, & in spiritali igne gehennæ spiritus & animæ torquentur, nec *Infernus.* tamen in ipsis moriuntur. Ignis quoque purgatorius, in quo saluandæ animæ viuunt & puniuntur, de igne gehennæ accensus non est: sed per iudicium Dei, secundum *Purgatorium.* peccata hominum surgit, de quo multi in ecstasi facti, valde obstupuerunt.

QVÆSTIO.

Sancti in cælo, & impij in inferno, numquid sciunt ea, quæ aguntur in terris?

SOLVTIO.

SAncti qui in cœlesti patria sunt, omnia quæ in terris geruntur, sciunt: Quoniam vel in iudicio Dei, vel in sonantibus laudibus Angelorum, omnia quæ in terris H aguntur, coram Deo apparent. Impij etiam qui à peccatis suis nunquam cessabãt, nec ea per pœnitentiam emendabant, ex irrisione qua sequaces suos deridẽt, ea quæ mala sunt, cognoscunt: & ex vlulatu, quo super beatos, qui eos non sequuntur, vlulant, ea, quæ bona sunt, intelligunt.

QVÆSTIO.

Parabolæ, quæ in Euangeliis multifariè referuntur, sicut est de eo, qui incidit in latrones, de Rege, qui fecit nuptias filio suo, de decem virginibus, & alia: Nunquid secundum rei gestæ veritatem contigerunt, an tantum ad ostendendum aliud, sola similitudine proponuntur? Luc. 22. Matth. 22. & 25.

SOLVTIO.

CHristus parabolas suis hominibus proposuit propter spiritalia vitia, quibus sæpe falluntur, & etiam

A propter virtutes, quibus contra illa victoriose pugnant, quatenus per eas cognoscerent, quia ipse pro malis eos iudicaret, & pro bonis præmia donaret.

QVÆSTIO.

Luc. 16. *Cum secundum animam Abraham & Lazarus in refrigerio, & diues sit in inferno, quid Abrahæ sinus, quid Lazari digitus, & quid lingua diuitis credenda est?*

SOLVTIO.

Gen. 22. & 17. Obedientia. Sinus Abrahæ obedientiam, quam per immolationem Filij sui & circumcisione Deo exhibuit: significat, quia obedientia omnia bona conseruat & sustentat, vt etiam sinus quæque congregata continet. Et digitus Lazari, ministerium obedientiæ (quæ materia præceptorum Dei est) intelligitur, quia ipsa omnia bona docet, B vt etiam homo digito suo, quæ vult, ostendit. Lingua autem propriam voluntatem designat, quæ conuiuio carnalium desideriorum profert: quia vt per gustum linguæ omnes cibi, quales sint, discernuntur, ita & per eam voluntas hominis dignoscitur.

QVÆSTIO.

Quid specialis meriti significat, quod, sicut in libr. Gregorij Turonensis Episcopi inuenitur, quod sanctus Martinus toties in specie ignis ostensus sit?

SOLVTIO.

Deus omnipotens, qui amor & fortitudo existit, animam beati Martini, ignea effusione Spiritus sancti perfuderat, & ideo propter merita humilitatis, pietatis & misericordiæ, quibus Deum viuum in contrito corde semper inspexit, toties in igne apparuit.

C

QVÆSTIO.

In quali corpore B. Nicolaus, vigilantibus nautis & dormientibus, tam Constantino quam præfecto apparuit, cum id in proprio corpore non fecerit? Sed & Petrus & Paulus & cæteri sancti, quorum corpora in terra sepultæ sunt, cum dormientibus vel vigilantibus visibiles fiunt, in quo vel quali corpore veniunt?

SOLVTIO.

Si ista spiritalis visio hominibus non appareret, eam non intelligerent, quid esset, nec etiam ei crederent, quoniam ipsi in duabus naturis corpus & spiritus sunt. Forma Dei, scilicet homo, cuius altera pars mutabilis, & altera pars immutabilis est, immutabilem spiritum nunquam videre posset, nisi in mutabili forma appareret, quoniam forma mutabilis non nisi per spiritum viuificatur: sicut etiam cornu per sonum, & non per se, D sonat. In bona enim intentione, quam Deus in sanctis hominibus illis significauerat, bonæ etiam intentioni hominum istorum respondebat, sicut etiam homines signa firmamenti inspiciunt.

CONGREGATIO HVNNIENSIS Cœnobij, Hildegardi.

In hac Epistola petunt interpretationem regulæ S. Benedicti.

Templo Spiritus sancti & Reuerendæ ac Deo dilectæ Sponsæ Christi Hildegardi, & Sororibus de S. Roberto in Rogis Magistræ exoptatiss. tota concors congregatio Hunniensis Cœnobij, cum bonorum operum humilitate & instantia, æterna sublimari gloria. Gratiosæ reuelantia opinionis vestræ tanquam paradisici narcissi in æstimabili flore respersi, vsque adeo delectamur, vt cum Apostolo dicere cogamur: Gratias ei qui E semper triumphat in nobis, in quibus odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco. (2. Cor. 2.) Contemplantes enim totam compagem vniuersi corporis Ecclesiæ, in qua vnus spiritus diuidit singulis prout vult, (1. Cor. 12.) eius exuberantiam in vestræ sanctitatis excellentia congaudemus effluitare. Quia igitur vos post tempora Apostolorum, quasi quoddam speculum diuinæ pietatis contemplamur, ideo in necessitatis articulo tanquam ad firmiss. inexpugnabilis municipij asylum confugientes, consilio & orationibus vestris, vt nobis succurratis, deprecamur. Ordo quippe noster, licet per omnia simus nobis dissimiles, per vos honoratur & beatificatur. Itaque relatum est nobis de operibus vestris, quoniam breuiter & lucidæ Ecclesiæ filiis, tanquam desiderabiles diuitias contulistis, & quia nec hoc dono caretis, pedibus sanctitatis vestræ conuoluti, omnes in commune petimus, pietatis vestræ almitatem, vt aliquid super Regulam B. Benedicti patris nostri memoriale vestrum relinquatis admodum F nobis necessarium. Dicimur enim mendaces, periuri, prædictæ regulæ transgressores, synodaliumque decretorum contemptores. Quod ideo maximè euenit, quia quisque prælatorum nostrorum pro libitu mentis suæ tam instituta canonum, quam regulæ, despicit, vt dum ipsi sibi sunt lex, secundum eiusdem regulæ testimonium, quod voluit, hoc dicunt sanctum & iustum: & quod nolunt, hoc putant non licere. Vnde fit, quod omni vento (Eph. 4.) doctrinæ circumferamur, & valde præsumptionibus hominum aggrauamur. Quas & B. Pater Augustinus abhorrens, (August. de religione.) de eis sic religionem nostram, quam pauciss. & manifestiss. celebrationum sacramentis, misericordia Dei voluit esse liberam, adeo seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum. Qui quamuis veræ libertatis tempus non cognouerunt, legalibus tamen sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur. Preciosius itaque opibus Crœsi, imò totius mundi gazis opus carius exhibebitis, si petitioni nostræ in hoc admodum vniuersis claustris G necessariæ, satageritis. Si enim totam S. Scripturam exponeretis, nihil tam vtile, tam charum nobis exhibere possetis. De reliquo orate pro nobis, vt Spiritu S. nostra collecta societas, nulla vnquam hostilis fraudis machinatione disturbetur. Si qui cœpit in nobis bonum opus, perseuerare in nobis dignetur in beneplacita sibi operatione. Valeat materna dilectio vestra.

Regula S. Benedicti iuxta S. Hildegardim explicata.

Et ego paupercula fœminea forma, & humano magisterio indocta, ad verum lumen & ad memoriam beati Benedicti, secundum petitionem vestram prospexi, quatenus ea, quæ in doctrina regulæ ipsius intellectui hominum difficiliora & obscuriora sunt, mihi per gratiam Dei manifestarentur. Et audiui vocem à vero lumine mihi dicentem: Lucidissima dona & mystica spiramina Spiritus S. in B. Benedicto operatus est, ita quod mens ipsius in amore Dei rutilabat, nec suasionem diaH bolicæ artis in operibus suis perfecit. Ipse enim gratia Spiritus sancti hoc modo perfusus erat, quod in nullo opere suo velut in puncto momenti & ictus oculi virtute Spiritus sancti carebat. Fons quoque clausus fuit, qui (Laus maxima S. Benedicti.) in discretione Dei doctrinam suam effudit, eum acutum clauum doctrinæ nec nimis in altum, nec nimis in profundum, sed in medium rotæ fixit, ita vt vnusquisque, siue fortis, siue imbecillis sit, ex ea secundum possibilitatem suam bibere competenter possit. Rota autem hæc circumiens potestas Dei est, qua Deus in antiquis sanctis vsque ad Moysen, qui populo Dei legem dedit, operatus est: & qua etiam in aliis sanctissimis viris operabatur, quorum clauus laborum in tam altam altitudinem infixus erat, vt communis populus illum capere non valeret. Beatus quippe Benedictus doctrinam suam in timore Dei mitissime hausit, & in pietate præcepta Dei docuit, & in charitate murum sanctitatis

regulæ

A regulæ constituit, & in castitate omnibus pompis & deliciis terreni seculi peregrinus fuit. Et quoniam ipse in timore & pietate, in caritate & castitate doctrinam suam scripsit, ideo nihil eidem doctrinæ addendum vel auferendum est, quia ei nihil deest, quoniam in Spiritu S. facta & completa est. Et quia filius columbæ erat, ausculta ô fili, præcepta patris tui, dicebat, & etiam idcirco sanctitate prædictarum virtutum plenus erat, quemadmodum Moyses vir mitiss. super omnes *Num. 12.* homines, qui morabantur in terra. Quod autem pius iste pater dicit, monachi quidam in diuersitate morum dispergunt: considerantibus apertum est, vnde ipsis secundum merita operum suorum merces dunabitur. Nam ante tempora B. patris huius Benedicti, nulla certa regula monachi confirmati, diuersa incertitudine & instabilitate hac & illac vagabantur, certo magisterio & certa locatione carentes. Quapropter ipse vitia instabilitatis morum illorum describens, vt vita eorum à fidelibus monachis deuitetur, monet.

B *Taciturnitas.* Sed doctrinam eius vere sequentibus propter taciturnitatis grauitatem rara loquendi concedatur licentia, scilicet tunc cum aliqua in consiliis, aliqua in negociis seu in majoribus necessitatibus agenda sunt, in inuicem, & non singulatim: loquendo, data licentia & modice ac breuiter quæ opus, & deinde signo facto; omnes in silentio secundum consuetum morem sileant, quoniam idem Benedictus licentiam hanc, statuta hora in qualibet die non præfixerat, sed eam in potestate sua, quemadmodum oportuit, habebat. Nam licentiam hanc non dabat, nisi aliqua iusta necessitate, seu aliqua pia vtilitate compulsus: attamen quia inhumanum est, hominem in taciturnitate semper esse, & non loqui, idem patet *Dispensatio Abbatis.* in potestate & discretione Abbatis dimittitur, quemadmodum alia plurima ei concedit, vt discipulis suis horam competentem præuideat, qua ipsi hæc, quæ honesta & necessaria sunt, adinuicem loquantur, & ne in indiscreto silentio tædio afficiantur, quoniam post huiusmodi ad inuicem loquendi permissionem, conuenientius & seuerius ad taciturnitatem silentij admoneri & C coerceri poterunt.

Qua hora nocturna surgendum. Quod autem dicit, hyemis tempore, id est, à Kalendis Nouemb. vsque in Pascha, iuxta considerationem rationis, octaua hora noctis surgendum est, vt modice amplius de media nocte pausetur, & iam digesti surgant: hoc ideo est, quia qui tertiam partem horarum noctis in hyeme vigilat, seu qui tertiam partem horarum noctis & diei in hyeme dormit, nec pro his vigiliis, nec pro hac dormitione in cerebro aut in reliquo corpore debilitatur: Quoniam homo qui aut supra modum vigilat, aut supra modum dormit, debilitatem sensus & corporis incurrit. Sicque *Temperamentum somni & vigiliæ.* dormientes ad vigilias digesti surgunt, quia cum cibus comestus & potus sumptus, per tam morosas horas iam in aliud se vertunt, oportet vt homo surgat, quoniam & vigiliæ istæ sanitatem homini infecunt: cum ille mecti somno se excusserit, & cum se purgauerit: quoniam si homo supra modum dormierit, febres facile D incurreret, atque per interiorem calorem, commotionem carnis suæ sentiret. Sed vt ab his se defendat, & *Lectio & meditatio.* vt Deo fideliter seruiat, exhortationem pij patris bono animo adimpleat. Et subditur: Quod vero restat post vigilias noctis, à fratribus, qui psalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur, monens, ne aut sopori, aut ociositati postea dediti sint: sed cautè vtilitati animæ, hoc hyemali interuallo ita disposito, secundum quod tempus tunc permittit, vsque dum laus matutinalis, illucescente iam die, incipiatur. Hic *Tempore æstatis.* post vigilias noctis, id est, psalmis nocturnis finitis, interuallum haberi per meditationem orationum aut lectionum designauit. Sed mox de æstiuali interuallo dicit: A pascha autem vsque ad supradictas Kalendas Nouembris, sic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruissimo interuallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur. In his itaque verbis notandum est, quod tam in æstate, quam in hyeme, E scilicet in tribus lectionibus & etiam cum vna dicitur, fratres me post nocturnos, nec post matutinos, ad lectum ad pausandum redibant; sed ita post mediam noctem nocturnas vigilias vtroque tempore temperabant, quod laudes iam cantantes, illucescentem diem viderent. Et profecto disposito temperamento non grauabantur, sed gaudebant, quia etiam amplius quam media nocte pausatione facta, & deinde excussa, homo postea vigilans, in viribus suis pro his vigilus non debilitatur, vt prædictum est.

De Lectionibus. Quod autem postea dicit, quibus dictis, dicto versu, benedicat Abbas, Dominicam orationem ibi præmitti non demonstrat: sicut nec illic, vbi de primo nocturno Dominici diei hoc modo scribit: Modulatis, vt supra diximus, sex psalmis & versu residentibus omnibus disposite per ordinem in subselliis, legantur in codice, vt supra diximus, quatuor lectiones; nec etiam, vbi de secundo & tertio nocturno loquitur, quia finito tertio nocturno dicit, dicto autem versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones F Dominicæ orationis nullam memoriam illic faciens, ne interruptio ibi esse videatur. Sed & finitis sex psalmis secundi nocturni priuati diei, dicit: Post hos lectio Apostoli sequitur ex corde recitanda, & post hæc pro ipsis tribus lectionibus vna de veteri Testamento memoriter legatur & iterum, deinde lectio vna Apostoli memoriter recitata, videlicet sequatur, in hoc ostendens, quod cum fratres lectionibus & meditationibus inseruiunt, ea quæ in diuina scriptura necessaria habent, memoriæ suæ commendent, ita vt cum opportunum tempus institerit, & cum necessitas se emerserit, absque materialiter scripto illa in medium proferant, quemadmodum & prædictas lectiones ex corde & memoriter; id est sine libro, quoniam breues sunt recitabunt, ne in breuitate eorum impedimentum sustineant, si aut codicem ad legendum, aut lumen ad videndum in promptu non habuerint. Sed quod in diurnis horis diuini operis de his reticet, hoc ideo est, quia in arbitrio ipsorum dimittit: quod aut ex corde & memoriter, aut in codice cum claritate diei capitula, id est, G prædictas lectiones proferant, quoniam minus impedimentum propter lucentem diem tunc sustinebunt. In Dominicis autem diebus & in aliis solemnitatibus post nocturnos Euangelium legi præcipiens, intelligi vult, quod omni tempore, videlicet tam in nocte quam in die, nuncium Dei auditi & completi, & per illud Deo seruiri debet: & vt etiam audito Euangelio, monachi illius Euangelij recordentur, Ecce nos relinquimus omnia & secuti sumus te: & etiam hoc intendit, vt si quis *Matth. 19.* pro raritate Sacerdotum seu præ occupatione alicuius impedimenti, eo die Missam habere, vel Missæ interesse *Missa.* non poterit, lectum & auditum Euangelium sibi sufficiat. Et quo Euangelio lecto, dicit, Data benedictione, scilicet in consuetudinaria oratione, incipiant matutinos: hic interuallum ad meditationem orationum seu lectionum non ostendit, nec in his diebus fratres, finitis matutinis ad quiescendum ad lectos cedire prohibet: sed si tempus permiserit, ita vt maturius surrexerint, quia in H prolixitate nocturni & diuini seruitij fatigati sunt, in arbitrium eorum, vt ad lectos redeant, silenter ponit. Quæ enim fieri recusat, ea apertè interdicit: & quæ fieri exhortatur, illa apertè manifestat. Hæc autem de quibus tali modo reticet, arbitrio & discretioni Abbatis & Fratrum dimittit. Vnde & in fine nocturnarum, matutina- *Matth. 16.* rum diurnaliumque diuini seruitij horarum, post Kyrie eleison Dominicam orationem dicendam manifestat, vbi dicit, Cæteris vero agendis, vltima pars eius orationis dicatur; vt ab omnibus respondeatur, Sed libera nos à malo: & ibi collectam dicendam esse non ostendit, quia dicto scilicet, Sed libera nos à malo: dicit, Et sic finiantur vigiliæ nocturnæ: & iterum, Et completum est: & iterum, Missæ sunt, nulla collecta designata, quatenus fastidium orantibus tollatur, & ne præmissa oratio Dominica in neglectum ducatur, quoniam orationem Dominica *Oratione Dominica preciosiorem orationem non esse.* Oratione preciosiorem non inuenit, per quam diuinum seruitium terminetur. Sed & deinde in fine completorij subdit: Kyrie eleison, benedictio & Missæ fiant,

A *Psal. 2. Ps. 46.* illa videlicet benedictio, quæ eo tempore hucuſque in vſu habetur. Et quod dicit, Semper memores ſimus, quod ait Propheta, Seruite Domino in timore: & iterum, Pſallite ſapienter: in hoc intelligi vult, quoniam diuinum ſeruitium abbreuiauerat, vt in gaudio & ſine tædio ſtudioſe illud deinde perficiatur, quia breue eſſe ſcitur, & quia vbi diſtinctio longa eſt, ad ſpiritum à pſallentibus pariter ſuſtineatur: vbi vero breuis eſt, ad ſpiritum non ſuſtinendo, procedatur. Garrulitates enim in diuino officio coram Deo quaſi pro minimo habentur. Quoniam dignum eſt, vt coram rege ſtans (beato Benedicto fatente) ipſum honeſte alloquatur. Poſtea autem ſubinfert: In conuentu tamen omnino breuietur oratio quoniam ante ſingulas Canonicas horas oratio nem dici admonebat, quia cum in ſequentibus iubeat, quod hoſpiti pacis oſculum non prius offeratur, niſi oratione præmiſſa, multo magis cum omnipotens Deus ſalutandus eſt, oratio præmittenda eſt & breuis, ne for-
B te pſalmodiæ poſtea inſiſtentes, minus ipſi pſalmodiæ intendant, cum per præmiſſam & prolixam orationem
De lectis. fatigati fuerint. Quod autem monachi lectiſternia pro modo conuerſationis ſecundum diſpenſationem Abbatis ſui accipiant, hoc manifeſtat, cum de veſtimentis fratrum loquitur, vbi dicit Stramenta autem lectorum ſufficiant, matta, ſagum, & lena & capitale. Veſtiti dormiant, ſcilicet ſimplici & ſola veſte, quæ proxima ad cutem hominis eſt, ne nudi iaceant, quæ lanea ſunt, & non duplici veſte induti: quia hoc pati non poſſunt, cincti cingulis aut funibus, ne veſtis, quia induti dormiunt, ab eis diffluat, & ne ita nudi appareant. Et etiam dicit, Si quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus &c. Et mox ſubiungit, Si intelligit qualis ſit
Excommunicatio. pœna, excommunicationi ſubjaceat, non illa iure ſacerdotij ſub ſtola prolata, ſed excommunicationi, qua verbis tantum ſimplicibus à conſortio fratrum, ſeu in refectorio, ſeu in diuino officio in choro, ſeu in dormitorio, ſeu his ſimilibus ſeparatur, quoniam pœna
C hæc intelligentibus grauiorem confuſionis ruborem infert quam vindicta corporalis, cum non intelligentibus
Punitio. corporalis diſciplina inferenda ſit, & ſubditur: Si autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur, id eſt, aut verberibus, aut aliis corporalibus caſtigationibus caſtigetur, quia hunc non verba, ſed diri morſus carnis
Cellarius. vix ad correptionem ducunt. Et de Cellario monaſterij ſic dicit: Fratribus conſtitutam annonam, ſine aliquo typo vel mora offerat, id eſt, ſine præſignata menſura determinatæ inſtitutionis, vbi etiam in typo intelligitur ti, quod eſt tibi: & po, quod eſt poteſtas, ſcilicet ne cellarius intra ſe dicat, Tibi poteſtas eſt dare & negare vbi vis, ita vt cui velit, plures & meliores cibos det: ſeu cui velit, pauciores & deteriores cibos ſubminiſtret, quemadmodum ſeculares in curiis Principum, aliquando facere ſolent, qui annonam ibi diſpenſant, & ne poteſtatem hanc accipiat, quod non plus indigenti, quam non indigenti annonæ ſubminiſtret, quando illi plus dabit, qui indiget, quam illi, qui indigus
D non eſt, nec etiam in dando, quæ danda ſunt, moram retardationis facit. Poſtea ſubinfertur: Egreſſurus de ſeptimana, Sabbato munditias faciat, ſcopis ſordes &
I tir pe nam. puluerem, vbi neceſſe fuerit, extergendo. Et iterum: Pedes vero tam ipſe qui egreditur, quam ille qui intraturus eſt, omnibus lauent, videlicet ad mandatum. Et deinde: Ante vnam horam refectionis, accipiat mixtum ſcilicet prandium, id eſt, panem & potum, panem videlicet potui intinctum, quod offæ ſunt, quoniam ibi panis potui commiſcetur, Et poſtea: Accipiat benedictionem egrediens, videlicet orationis: & mox ſubſequitur, Et accepta benedictione ingrediatur, id eſt,
Infirmis carnes. orationi conuenienti. Deinde dicit. Sed & carnium eſus infirmis omnino debilibuſque pro reparatione concedatur, carnes tam quadrupedum quam volatilium intelligi volens, & nullas carnes quas homines comedere
Vetantur carnes. ſolent, excipiens. At vbi meliorati fuerint, à carnibus omnes more ſolito abſtineant, ſcilicet à carnibus quadrupedum, quia ſani illas & ſuccum earum comedere non ſolebant, ſed infirmi: Sani vero carnes volatilium, quoniam mundæ ſunt, nec ardentem libidinem comedentibus inferunt, manducabant. Deinde ſubinfert: Et præueniant horas canonicas, ſcilicet in alimentis, id eſt, horas in regula conſtitutas, ita quidem vt ante alios & ſæpius aliis, ſenes & infantes prandium & ſuauiores cibos accipiant. Et iterum dicit, & ſic ingrediatur ad legendum, videlicet benedictione orationis: et mox ſubſequitur, Nec præſumat aliquis ibi de ipſa lectione, aut aliunde quicquam requirere, ne detur occaſio, niſi forte Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere, quia eo tempore is, qui ibi cæteris prælatus erat, præſentibus de eadem lectione monita ſalutis faciebat, antequam ab inuicem diſcederent, quoniam tunc pauci fuerunt, quod poſtmodum multitudine creſcente deuitabant, ne hac in occaſione in verba ocioſa prorumperent. Frater autem lector heb- *Lector.*
domadarius, accipiat mixtum vt ſupra dictum eſt, prius quam incipiat legere, propter communionem ſanctam, F
quia in tempore beati Benedicti ad menſam lecturus, velut Deo ad altare ſeruiret, quoniam ſancta verba proferre debebat, Dominica die communicabat: ſed deinde prandebat, ne ieiunans, in legendo forte defectum cordis ſentiret, in quo etiam præfatus pater intelligi volebat, quod quiſque fidelis poſt perceptam Euchariſtiam ſe cautius & diligentius ſolito in omnibus obſeruaret. Quod autem ſubinfert, Duo pulmentaria *De cibis.*
cocta fratribus omnibus ſufficiant: pulmentaria, cibos illos oſtendit, qui ad ignem poſiti, hac & illac lignio lo mouentur, ne comburantur. Et quod ſubſequitur, dicens: Si ibi fuerint poma, aut naſcentia leguminum, addatur & tertium. Fabas & piſa & alia huiuſmodi legumina demonſtrat, quæ de agro recentia colliguntur, velut poma de arboribus tolluntur, & illa non cocta, ſed à cortice ablata, pro tertio cibario fratribus apponi iubet. Piſces quoque aut caſei, aut ova, in tertio cibario intelligenda ſunt, & in gratia exiſtunt: & hæc G
pius pater non nominauit, quia præſciuit, quod monachi ab his ſe non abſtinerent: & ideo hæc non interdixit, cum nec illa nominauit. Poſtea iterum ſcribit: Carnium quadrupedum omnino ab omnibus abſtineatur comeſtio, præter omnino debiles & ægrotos, vbi de volatilibus reticet, quoniam comeſtionem illorum ſanis non interdicit. Nam idem patet, quia tempore ſuo monachorum conuerſatio rudis & adhuc fere inſolita fuit, eſum carnium ipſis per omnia interdicere deuitabat. Vnde vt eſu volatilium vterentur, eis permittebat. Deinde dicit: Vt videatur ab ipſo vel ab omnibus, vſque dum completo opere Dei, publica ſatisfactione prohibeat, proſtratus veniam petendo, & iterum: Ita tamen, vt ſatisfaciat reus per hoc, id eſt, ſuper terram ſe proſternendo. Poſtea ſubinfertur: Hora qua quis deſiderauerat hoc quod prius recuſauit, aut aliud, omnino nihil accipiat, vſque ad emendationem congruam, quoniam propter contemptum, quælibet neceſſaria res proteruo fratri denegabitur, vſque dum pœnitendo humiliatus, emendationem oſtendat. Et iterum: Deinde omnium veſtigiis fratrum, vt orent pro ipſo, H
videlicet ad Deum, quem grauibus culpis ſuis offendit. Et mox iterum, Et hoc perficiant vſque dum benedicat illos, in publico ſalutando, & ad humilitatem prouocando, & deinde niſi per ſatisfactionem, id eſt, in terram per corporis ſui deiectionem veniam petendo, ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ ſubjaceat, ſcilicet coram illis in carnis ſuæ exacerbatione. Sed quod dicit, ſi animæ vero peccati cauſa fuerit latens, id eſt, ſi frater in aliquibus cauſis latenter exceſſit, vel ſi peccatum aliquod occulte permiſit, tantum Abbati aut ſenioribus ſpiritalibus patefaciat, ſingulum peccati confitendo, & ſic indulgentiam conſequatur. Et ſubinfert: Hoc ipſum tamen quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat benedictione & voluntate. Nullus itaque fratrum regularem aut communem cibum & potum in conuentu fratrum ſuorum ibi regulariter & communiter appoſitum, de-

uitare

A uitare debet ex integro, nisi Abbatis sui permissione, nec cum fratres communibus orationibus aut operationibus insistunt, propria volontate sua ab eis declinabit, nisi à spiritali patre suo sibi permissum fuerit. Sed tamen de quolibet regulari & communi cibo & potu, in conuentu fratrum suorum sibi regulariter & communiter apposito, corpori suo partem subtrahere licenter poterit, ita sanè ne clamor inde rumoris exurgat, sic communem consuetudinem monasterij regulariter & humiliter sine querimonia vbique sequendo. Postea sic scribit: *De foris manducatione.* Non præsumat foris manducare, etiam si omnino à quouis rogetur, nisi forte ab Abbate sibi præcipiatur. Quod si aliter fecerit, excommunicetur excommunicatione, qua contumax & inobediens frater à communione & societate fratrum suorum, vt etiam supra dictum est, vsque ad satisfactionem separetur. Et dicit: Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt reuerenter exeuntes incurB uentur & vt reuerentiam in alijs operibus suis habeant, quasi in seruitio Dei sint, nec vllam lasciuiam, nec vllum excessum arripiant. *De hospitibus.* Deinde infert: Vt autem nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore vel à fratribus cum omni officio caritatis, & primitus orent pariter, id est, omnes quicunque sint ad Ecclesiam, ad adorandum ducantur, ita quod fratres Deum orent, ne cum eisdem hospitibus ordinem suum infringant: illi autem, vt conuersationem istorum videntes, meliores fiant. Et iterum: Inclinato capite, vel prostrato, omni corpore in terra, Christus in eis adoretur: qui & suscipitur, *Matth. 25.* quia cum hospites superueniunt, qui eos tunc suscipiunt: seu cum discedunt, qui eos tunc prosequendo benedicunt, aut coram eis ob reuerentiam Christi, se inclinabant, aut coram eis veniam petent, quasi Christus præsens sit. Mox quoque subinfert: Et post hæc omnis exhibeatur eis humanitas, quod est tam in affabili & sociali sermocinatione collocutionis, quam in omni necessaria corporali necessitate. Et iterum:

C Abbas aquam in manibus hospitibus det, propter humilitatis exhibitionem, & pedes hospitibus omnibus tam Abbas, quam congregatio lauet, scilicet illi, quibus Abbas idem opus iniungit. Nam B. pater Benedictus, cum hospites quos susceperat, comesturi essent, aquam manibus eorum porrexit: & cum à mensa surrexissent, pedes eorum lauit; & hoc propter exemplum Filij Dei, *Ioan. 13.* quod in cœna discipulis exhibuit, fecit: exceptis mulieribus, quarum pedes non tetigit, sed contemptum mundi & in habitu, & in sancta conuersatione sua eis ostendebat. Illo etenim tempore, monachi tumultum superuenientium extraneorum nondum sentiebant: sed qui eos adibant, Christum & non aliud ibi quærebant, quem etiam in sanctis operibus ibi inueniebant. *Vestes.* Et idem sic procedit: Vestimenta fratribus, secundum locorum qualitatem, vbi habitant, vel aëris temperiem dentur. Vbi ostendit, fratribus vestimenta dari secundum quod pati possunt, & vt etiam absque murmurationibus sint. Nam vbi regio

D tantæ frigiditatis est, quod homines à calidis indumentis in necessitate se abstinere non valent, quia superfluitatem illorum vitabunt, tam agnina lanæ pellicij, quam agninum filum tunicæ pro indumento monachorum superno iudici placent. Mox quoque subsequitur: Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam & tunicam: cucullam videlicet amplam, & ad talum descendentem, manicis breuibus & manum modice præcedentibus, duobus quoque gyronibus in vtroque latere sub ascella deorsum perfluentibus, cui caputium desuper adhærebat, quod singulare signum monachi est, significans, ne hac vel illac ad seculum prospiciat, cum illud super caput suum habet: *Cucullæ quid.* Tunicam vero laneam & aliquantum cuculla constrictiorem, sed circa crura aliquantulum largiorem, & ad pedes tendentem, brachialia nec multum amplis, nec multum constrictis ad manus tendentibus, immo autem gyrone in vtroque latere sub ascella deorsum descendente, quæ desuper caputio

E carebat. Et deinde: Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta, velut quorundam laicorum, sed ad talum descendentia, quoniam femoralibus in cella sua non vtebantur. Quapropter subinfert: femoralia hi qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: qui reuertentes, ibidem lota restituant: vbi intelligi potest, quod monachi sub magisterio eiusdem patris degentes, non nisi de cella exeuntes, femoralibus vtebantur. *Nota extunte* Nam quia multitudo hominum femoralibus eo tempore non vtebatur, idcirco idem pater propter mores hominum & propter signum puerilis simplicitatis & humilitatis, dum in cella residerent, discipulis suis femoralia non concessit, sed exeuntibus siue equestribus, *Femoralia quid* siue pedestribus, propter exemplum castitatis, & propter virilem honestatem & reuerentiam hominum, eis indulsit. Sed nunc tempore isto, quoniam mores hominum ita ostendunt, Deo non displicet, si monachi propter blasphemiam incestus, quam in nuditaF te carnis degustare poterunt, femoralibus vtantur, ne nudi carne carnem attingentes, carnalium peccatorum reminiscantur. *Strata.* Et iterum: Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum, videlicet aut de grosso lino, aut de canabe factum, & fere in modum facci formatum, & quodam genere stramentorum repletum, & sic super mattam positum, quod monachi pro lecti sternio habebant, & læna scilicet ex lana, quam in die super lectum propter honestatem expandebant, & qua in nocte, cum vellent, se tegebant. *Zona.* Statimque dicit: Dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, & subinfert, Zona, id est, qua super tunicam cingebantur, ne illa difflueret, quia absque femoralibus dormiebant, & brachiale quod ad cutem erat, à quo caligæ ligatæ dependebant, & mox prosequitur: Mappula velut sudarium ex lino formata, qua sudorem à se profluentem, dum in opere laborabant, abstergebant. Postea autem dicit: Et cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri inuoluant in palla altaris:

G vbi intelligendum est, quod petitio parentum pueri, pro testimonio & confirmatione literis commendabatur, cum illũ Deo offerebant, quemadmodum & illius, qui stabilitatem & conuersionem & obedientiam suam coram Deo & sanctis eius in consecratione sua promisit vt supra ostenditur. *Vbi id nunc fit. De susceptione Nouitiorum.* Et deinde: Si quis de ordine Sacerdotum in monasterio se suscipi rogauerit, non quidem citius ei consentiatur: qui Sacerdos intelligendus est ille, qui aut præpositurę, aut Archipresbyteratui, aut parochiæ præerat, qui etiam propter eandem prælationem, animam suam vix ad subjectionem coercere poterit. Non autem Episcopus, quia indecens esset, quod princeps animarum populi, qui & magister Abbatis extitit, Abbati subjiceretur. Sed hic, si conuerti voluerit, solus in pœnitentia sit absque subjectione magisterij. Deinde subinfertur: Et si forte ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in monasterio, id est si aut in obedientiis & in officiis magisteriorum, seu in negociis exteriorum, aliqua ibi per consilia tractanda sunt, illum locum attendat, quando ingressus

H est in monasterium, videlicet locum, id est, propositum conuersationis humilitatis & subjectionis, quæ bonum & altum gradum sibi acquirit, in quem locum ipse ideo venturus est, præ oculis in corde suo teneat, cum in monasterio monachalem habitum suscepit, qui contẽptum mundi demonstrat, non illum qui ei pro re- *Quid hic ... monachi.* uerentia sacerdotij concessus est: scilicet non attendat, quod prius locum Doctoris habuit, videlicet quod prius Doctor & Magister in populo seu in clero fuit, nec cogitet nec æstimet se prudentiorem & doctiorem, seu in loquendo promptiorem aut cautiorem, aliis fratribus suis in claustro nutritis esse, cum ipse in seculo conuersatus secularibus adhæsit, & eos omnes pertransiuit sed magis pro voluntaria conuersione. quia se disciplinæ regulæ sponte subjecit, & pro reuerentia sacerdotij sui cum aliis bonum exemplum sanctitatis dabit, obeditionem & subjectionem in omnibus causis se habere ostendat. Et idem pater deinde dicit: Si vero postea

A voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis
voluntas: Et deinde non ſolum, ſi petierit ſuſcipiatur,
congregationi ſociandus, verumetiam ſuadeatur vt ſtet
vt eius exemplo alij erudiantur: & quia in omni loco
vni Domino ſeruitur, vni Regi militatur. Itaque quod
pius pater iſte ſuperius ſcripſit, ſuſcipiendus omnibus in
oratorio, coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, &
quod mox intulit, De qua promiſſione ſua faciat peti-
tionem ad nomen ſanctorum, quorum reliquiæ ibi ſunt:
& quod hic dicit, Non renuatur talis voluntas: & po-
ſtea, verum etiam ſuadeatur vt ſtet: & iterum, quia in
omni loco vni Domino ſeruitur: ſic intelligi voluit.
Nam ſi quiſpiam Monachus monaſterium ſuum, in quo
ſtabilitatem & petitionem ſuam, vt ſupra ſcriptum eſt,
promiſerat, qualibet occaſione inſtabilitatis ſuæ laten-
ter vel protervè exierit, & ita ad longinquas prouincias
peruenerit, & ſi ibidem monaſterium conuerſationis
ſuæ viderit, in quo pœnitentia ductus, manere in ſta-
bilitate voluerit, & ſe ſuſcipi per confirmationem roga-
B uerit, tunc ſi dignus eſt, etiam quamuis præ longitudi-
ne peregrinationis literas commendatitias non habeat,
nec habere poſſit, melius erit, vt ſuſcipiatur, quam
introitus ei denegetur: quia ſi non ſuſciperetur, forſi-
tan aut debilitate, aut infirmitate, aut ſenectute, ſeu
alio quoque grauamine oppreſſus, ſeu longitudine iti-
neris & reuerſionis ad monaſterium, vnde exierat, in
deſperationem ductus, ad ſeculum rediret, & in ſeculo
permaneret, & eo modo in anima & corpore periret.
Sed tamen multò vtilius illi eſt, vt ad monaſterium
ſuum, de quo abſque permiſſione ſpiritalis patris ſui
exiuit, ſi vllo modo potuerit, redeat, aut remiſſionem
petat, quam in alieno pertinaciter maneat, ita ſane ſi ibi
diſciplinam monaſticæ religionis eſſe nouit. Quod idem
pater in ſequentibus affirmat. Caueat autem Abbas, ne
aliquando de alio noto monaſterio monachum ad habi-
tandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis eius aut literis
commendatitiis, vbi non vult, quod monachi ſupradi-
cta ſtabilitate & petitione obligati, de loco ad locum
C ſecundum librum ſuum ſine permiſſione moueantur,
ſed vt votum ſuum firma tenacitate conſeruent. Deinde
proſequitur: Nec occaſione ſacerdotij, obliuiſcatur
Regulæ obedientiam & diſciplinam, ſed magis ac magis
in Deum proficiat: Locum vero illum ſemper attendat,
quo ingreſſus eſt monaſterium, præter officium altaris.
Quod dicitur: Monachus Sacerdos in monaſterio ſuo
ordinatus, de ſacerdotio ſuo non ſuperbiat, ſed pia de-
uotione locum illum humilitatis & ſubiectionis præ
oculis in corde ſuo teneat, quo exemplum Chriſti ſe-
quens, monachalem habitum ſuſcepit, & contemptum
mundi arripuit, quoniam ea hora ſe & Deo & homini
ad ſeruiendum ſubiecit, & inſuper in humili mente co-
gitet, quod ſe ſeruum & miniſtrum Dei fecit, cum ſe ſer-
uituti altaris ſubiugauit. Vnde in omnibus humiliorem
ſe & ſubiectiorem demonſtrabit. Nam non ſolum atten-
dat, quod humiliter & deuotè habitum monachi ſuſce-
pit, quapropter ſe vilem & obedientem in omnibus ſi-
ne ſimulatione æſtimabit: ſed etiam attendat, quod pro-
D pter hoc, quod ſe Deo in officio altaris ſubjecit, hu-
milem & mitem atque vltimum ſe deinceps in æſtima-
tione ſua computabit. Et ſubinfert: Vbicunque autem
ſibi obuiant fratres, iunior à priore benedictionem pe-
tat, ſcilicet velut in ſalutatione, quia ſeniori ſuo ſe ſubie-
ctum eſſe in omni humilitate demonſtrabit. Deinde etiā
dicit; Et ſemper ad orationem vltimam operis Dei, com-
memoratio omniū abſentiū fiat, quæ oratio vltimi operis
Dei, oratio Dominica intelligitur, quoniam ſuperius
dicit, per eandem orationem diuinum opus finiri, quem-
admodum ibi oſtendit, videlicet Litania & Oratio Do-
minica, & Miſſæ fiant: quia diſcipuli huius patris, cum
in eadem oratione dicerent, Sed libera nos à malo: de
abſentibus addiderunt, & famulos tuos fratres noſtros
abſentes: in hoc, eorum commemorantes. Collectas
enim orationum plenariè illo tempore nondum habe-
bant: & ideo diuinum ſeruitium per Dominicam ora-
tionem ſæpius terminabant. Poſtea autem dicit, Infan-
tibus vero vſque ad quintumdecimum annum ætatis, E
diſciplinæ diligentia ſit, & cuſtodia adhibeatur ab om-
nibus: & hoc ideo dicit, quoniam cum puer infra quin-
tumdecimum annum tener in corpore eſt, tener eſt &
animo: atque interim timorem habet, & ad quæque
bona flecti poteſt, nec ſe corripientibus reſiſtere pro-
terve audet: cum autem ad quintumdecimum annum
peruenerit, iam in iuuentute floreſcit, velut arbor quæ
flores producit: & medulla ac ſanguis in ea confortatur,
vnde etiam vires animi eius exurgunt, ita quod pueriles
correptiones ſuſcipere & pati, vt prius fecerat, dedi-
gnatur. Ad vltimum vero beatus Pater omnia hæc ſic af-
firmat: Facientibus hæc regna patebunt æterna: quo-
niam omnia quæ in hac regula deſcripta ſunt, nec nimia
conſtricta ſunt, ſed ad dextram, & ad ſiniſtram, reſpi-
ciunt: quapropter ea conſeruantem, ad cœleſtia mox
producunt. Igitur ego paupercula fœminea forma, hæc
verba de ſapientia audiui, quæ me obſcura verborum
Regulæ ſupradicti Patris B. Benedicti docuit, quatenus
illa apertè proferrem. Vnde manſueti, mites & timorati, F
hæc audiant, & pio corde intelligant, & humili deuo-
tione ſuſcipiant.

AD CONGREGATIONEM SORORVM ſuarum Hildegardis.

O Filiæ, quæ veſtigia Chriſti in amore caſtitatis
ſubſecutæ eſtis, & quæ me pauperculam in humi-
litate ſubiectionis propter ſupernam exaltationem, vo-
bis in matrem elegiſtis, non ex me, ſed ex diuina oſten-
ſione per materna viſcera vobis dico: Locum iſtum, vi-
delicet locum requietionis reliquiarum beati Roberti
confeſſoris, ad cuius patrocinium confugiſtis, inueni
in euidentibus miraculis per voluntatem Dei in ſacrifi-
cium laudis, & in permiſſione magiſtrorum meorum ad
ipſum perueni, & cum mihi & omnibus me ſubſequen-
tibus, cum diuino adiutorio libere attraxi. Poſtea au- G
tem per admonitionem Dei, ad montem B. Dyſibodi, à
quo per licentiam ſeceſſeram, perrexi: & petitionem
hanc coram omnibus ibidem habitantibus perfeci, ſcili-
cet ne locus noſter & prædia eleemoſynarum loci noſtri,
ab illis eſſent ligata, ſed ſoluta, quærens tamen in oppor-
tunitate vtilitatis ſaluationem animarum noſtrarum, &
ſollicitudinem regularis diſtrictionis. Et ſecundū quod
in vera viſione percepi ad patrem, videlicet ad Abba-
tem loci illius dixi: Serena lux dicit: Tu ſis Pater præ-
poſiti & ſalutis animarum myſticæ plantationis filiarum
mearum. Eleemoſyna earum nec ad te, nec ad fratres tuos
pertinet, ſed locus veſter refugium earum ſit. Si autem
in contrariis ſermonibus veſtris perſeuerare volueritis,
contra nos frendentes, eritis ſimiles Amalechitis &
Antiocho, de quo ſcriptum eſt, quod templum Domini 1 Marc.
deſpoliauit. Quod ſi aliqui inter vos in indignitate ſua 1.
dixerint, Allodia earum volumus imminuere: tunc ego,
qui ſum, dico, quod peſſimi raptores ſitis. Si autem
paſtorem ſpiritalis medicinæ ipſis abſtrahere tenta- H
ueritis, tunc iterum dico: quod ſimiles ſitis filijs Be-
lial, & in hoc iuſtitiam Dei non inſpicitis: vnde &
iuſtitia Dei deſtruet vos. Et cum ego paupercula
forma his verbis prædictam libertatem loci & allo-
diorum filiarum mearum à præfato Abbate & à fratri-
bus eius peterem, eam cum permiſſione codicis omnes
mihi conſtituerunt. Cuncti autem, tam maiores, quam
minores, hæc videntes, audientes & percipientes, ma-
ximam beneuolentiam ad iſta habebant, ita vt etiam ad
nutum Dei ſcriptis firmata ſint. Vnde fideles hæc diſ-
cant, affirment, perficiant & defendant, quatenus be-
nedictionem illam percipiant, quam Deus Iacob & Iſrae-
li dedit. Sed ô quam magnum planctum hæ filiæ meæ
poſt obitum matris ſuæ habebunt, quoniam verba eiuſ-
dem matris ſuæ amplius non ſurgent, & ſic in gemitu
& luctu per plurima tempora cum lachrymis, Heu heu,
libenter matris noſtræ vbera ſugeremus, ſi eam modo

A nobiscum præsentem haberemus. Quapropter ô Filiæ Dei, admoneo, vt charitatem habeatis inter vos sicut ego mater vestra à pueritia mea vos admonui, quatenus carissima lux cum Angelis sitis propter beneuolentiam vestram, & fortissimæ in viribus vestris, sicut Pater vester Benedictus vos docuit. Spiritus sanctus vobis dona sua det, quia post finem meum, vocem meam amodò non audietis. Sed vox mea nunquam ducatur inter vos in obliuionem, quæ frequenter inter vos in charitate sonuit. Filiæ meæ nunc rutilant in cordibus suis, præ tristitia, quam habent de matre sua, anhelantes & suspirantes ad cœlestia. Postea in lucidissima & rutilante luce lucebunt per gratiam Dei, & fortissimæ milites in domo eius fient. Vnde si quis in hac turba filiarum mearum discordiam & discessionem huius habitationis & spiritalis disciplinæ facere voluerit, donum Spiritus S. auertat hoc de corde illius. Quod si Deum contemnens id tamen fecerit, manus Domini occidat illum coram B omni populo, quia dignus est, vt confundatur. Quapropter ô filiæ, locum istum, quem ad militandum Deo elegistis, omni deuotione & stabilitate inhabitate, quatenus in eo superna præmia adipiscamini. Vnde & *Eccl. 24.* charitas in sapientia dicit: Ego ab antiquo ordinata sum, & in formatione primi hominis fui, cum à Deo plasmatus est. quia cœlum & terram & reliquas creaturas Deus propter hominem sapienter creauit, vt ab illis & sustentaretur, & pasceretur. Vnde & sapientia faber rectè dici potest, quoniam cœlum & terram circuiuit, & æquali pondere ponderauit. Caro autem hominis, cum anima in venis & medullis pleniter perfusa est, ita vt caro per animam semper suscitetur: Et quia etiam homo creaturas per animam cognoscit, ipsas in iocunditate & gaudio habet. Sic namque homo in carne & anima velut de misericordia & charitate amabilis est, quemadmodum sapientia & charitas vnum sunt. Per has duas virtutes, *Humilitas* scilicet sapientiam & charitatem, Angeli & homines Deo in humilitate obtemperabunt, quoniam humilitas C ad honorem Dei frequenter se inclinat, & ita omnes virtutes ad se colligit. In his itaque virtutibus Deus hominem plasmauit, ne totus periret, sicut etiam Angeli omnes non perierunt, quia multi cum Deo persisterunt, alij vero cum antiquo serpente ceciderunt. Deus enim hominem in sapientia creauit, in caritate eum viuificauit, in humilitate vero & obedientia illum texit, quatenus intelligeret, quomodo viuere deberet: Sed primus Angelus hæc intelligere noluit, quod esse non potuit, quoniam vita vna à seipsa est, à qua omnia vitalia sunt: quapropter ille de vita cecidit, & aruit, velut etiam in creaturis, videlicet in arboribus, in herbis & in aliis creaturis quandoque fit, cum aliqua de ipsis cadendo arescunt, quia succum non gustauerunt. Angelus quippe à Deo vitalis est. *Homo.* Homo autem plenum opus Dei est, quoniam Deus in ipso semper operatur, quod homo in seipso intelligere potest: quia quamdiu in hac vita viuit, cogitare & operari non desinit aliqua, in quacunque parte sit: cum autem in hac vita finitus fuerit, in alia *Bona* D *opera.* vita infinitè viuit. Cum enim homo bona operatur, bonis Angelis similis efficitur: cum autem magnum honorem, quomodo Deus ipsum formauerit, non cognoscit, & cum à recta obedientia fugit, nec in humilitate operatur, sed à seipso esse vult, similis pessimis angelis effectus, de vita (vt Sathanas) cadit & arescit. Tu autem ô homo, Deum in his culpabilem habere vis: quapropter tibi respondetur, num teipsum creasti? Non. Conuenientius ergo est, vt magis tibi seruias, quam illi, qui te creauit? Et quam mercedem tibi parare poteris, cum teipsum non feceris? Nullam, sed pœnam ignis. Sic in duabus partibus istis Angeli & homines atque reliquæ creaturæ Dei diuisæ sunt, sicut etiam ibi factum est, cum Deus hominem in circumcisione signauit. *Causa circumcisionis. Gen. 17.* Quoniam primus deceptor primum hominem fallaciter illusit, ita quod inobediens Deo factus, verbis illius consensit, & per inobedientiam fecit, vt ei consiliatus erat. Sed eadem inobedientia per circumcisionem in præcepto Dei scissa est, quando Abraham beneuolus Deo

E obediuit, ita faciens, sicut ei præcepit. Tunc idem deceptor cum dolositate in se fremuit, quibusdam hominibus malum hoc immittens, quod possibile non esset, vt illum Deum confiterentur, quem nec videre, nec audire, nec palpare possent. Et sic in populo, qui per obedientiam signatus erat, bacchatus est, atque meminit, quia primum hominem deceperat, vbi dixit, Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum: & eis pessimum sufflatum immisit, dicens, quod nullo modo nisi in aliqua fornicatione Deum cognoscere possent: *Gen. 3.* Quia & homo forma esset, & si Deus hominem creasset, cur se ita absconderet, vt homo illum nec videre, nec audire, nec comprehendere valeret. Sed tota vetus lex & vere signatus populus, antiquum hunc deceptorem & errantes homines istos opprimere non potuit, nec adhuc poterit, sed Deus ante nouissimum diem illos opprimet, & coram omni populo vincet, tali modo vetus lex cum omnibus his, videlicet cum illis, qui circumcisionem obseruabant, & etiam cum eis, qui in prædicto errore F erant, vsque ad natiuitatem Christi cucurrit, vbi ipse verus Sol iustitiæ in veritate apparuit. Et idem Sol magnum splendorem per doctrinam suam dedit, in humanitate sua visus & auditus, quoniam Prophetæ ipsum præcucurrerant, quemadmodum quidam Planetæ supra Solem sunt, quod Deus præuiderat, quando firmamentum cum omnibus ornamentis suis constituit: Soli vero cum Luna & stellis, Deus aquam adiunxit, & nubes cum tempestate posuit, quas fulgura perforant, & quæ per sonitum tonitrui interdum scinduntur, ita vt moueantur. Sicut enim Deus creaturam istam ad seruitutem hominis constituit, ita etiam & Filium suum per eam præsignauit, quem Prophetæ prædixerunt, & cuius humanitatem cum seruitute prophetiæ tetigerunt, velut planetæ solum ipsi seruiendo sustentant. *Esa. 7.* Prophetia namque quæ dixit, Ecce virgo concipiet, humanitatem ipsius tetigit, quia integritas virginis de calore Spiritus sancti, & non de calore carnis, concepit: G *Aptissima comparatio incarnationis.* Quemadmodum Sol rem aliquam radiis suis ita transfigit, vt ex ardore ipsius tota caleat, nec tamen consumatur, quoniam Sol iustitiæ de illibata virgine processit, & totum mundum illuminauit, velut etiam Sol per firmamentum totum mundum illuminat, quod tamen integrum permanet, sic virgo peperit filium, cuius nomen Emanuel, quia in integritate ex ipsa processit, vt Sol per firmamentum fulminat neutro diuiso: & ideo nobiscum Deus, quoniam in eadem incarnatione, quæ de obumbratione Spiritus sancti in vtero virginis orta est, *Luc. 1.* sancta diuinitas integra tota fuit; sicut sol in firmamento, atque vis diuinitatis, cœlos, abyssos, & omnes creaturas transcendit: & tamen Filius Dei per sanctam humanitatem suam tunc nobiscum erat. Sed & per oblationem corporis sui, & per doctrinam suam nunc nobiscum est & erit, donec ipsum manifestè videamus. Eidem quoque Soli iustitiæ cum Luna & stellis aquæ assunt, scilicet vt discipulos suos in vniuersum orbem mitteret *Marc. vlt.* prædicare Euangelium omni creaturæ. Nam quæ Prophetæ de ipso prædixerant, in semetipso compleuit, H sicut etiam in die septima à creatione mundi, Deus ab *Gen. 2.* omni opere suo requieuit. Et vt Deus omnem tunc creaturam ad seruiendum homini subiecit, sic & nunc Filius Dei post ascensionem suam opera incarnationis suæ discipulis commisit, cum ex præcepto ipsius Euangelium omni creaturæ prædicabant. Ipsi namque hominibus fidem rectam de Filio Dei ostendebant, quemadmodum cum eo manentes miracula eius viderant & cognouerant, sicut Sol in firmamento lucet. Hanc itaque fidem innumerabili turba populorum suscipiente, *Ecclesia.* Ecclesia ordinata est, vt Luna cum stellis in firmamento constituta est. Sed & ijdem populi inter se diuersos *Prælati.* Magistros & Prælatos, Spiritu S. inspirante, constituebant, velut etiam firmamentum cum Sole, Luna & stellis illustratum est, qui totam Ecclesiam sustentarent. Deinde tonitrua & fulgura per infideles homines & per crudeles Tyrannos eleuabantur, qui fideles Domini, (qui in fide ardebant, sicut sol in virtute sua lucet)

A *Hæc de nostris S. martyribus, non de Satanæ martyribus intelligenda sunt.*

quaſi lupi inuaſerunt, & ſanguinem ipſorum effuderunt, ita quod etiam non erat, qui eos ſepeliret. Tonitrus quoque, qui in primo caſu Sathanæ, cum ille in infernum demerſus eſt, ſonuerunt per inimicos Dei, qui in peccatis peccare non ceſſabant, ſurrexerunt, & fulgura in plurimis Chriſtianis, qui fidem in infidelitate diuidebant, apparuerunt, & multos Catholicos comburebant: ſicut per Arrium factum eſt, quem Athanaſius omnino conculcauit, de Ioanne Euangeliſta confortatus, qui de pectore Ieſu hoc ſuxit, quod in altum volauit, cum in myſtico ſpiramine de Diuinitate Euangelium edidit. *Diuinitas.* Quemadmodum idem Athanaſius poſtea de vnitate diuinitatis, Eccleſiam muniendo, ſcripſit, videlicet vt omnis homo qui voluerit ſaluari, teneat fidem integram & inuiolatam, in Deum perfecte credens, ne in gehennam demerſus, gehennalis fiat. Sed fides vera eſt, vt vnus Deus in Trinitate perſonarum, eadem Trinitas in vno Deo, glorioſè honoranda ſit, ſine vlla confuſione diuiſionis vnitatis, quia vnus Deus in vna ſubſtantia, diuinitatis inſeparabiliter eſt. *Vnitas diuinitatis.* B Non enim aliud eſt pater in ſubſtãtia, nec aliud filius, nec aliud Spiritus ſanctus, nec ab inuicem in ſubſtantia diuinitatis ſegregati ſunt: ſed in Patre & Filio & Spiritu ſancto, vna diuinitas totius ſubſtantiæ in gloria maieſtatis eſt. *Tres personæ diſtinctæ.* Attamen alia eſt perſona Patris, quæ nec Filij, nec Spiritus ſancti eſt: Alia Filij, quæ nec Patris, nec Spiritus ſancti eſt: Alia Spiritus ſancti, quæ nec Patris, nec Filij eſt: & perſonarum iſtarum vna diuinitas inſeparabilis, æquus honor & ſtabilis, coæterna potentia & inuincibilis. Nam qualis eſt Pater in diuinitate, & non in perſona, talis eſt Filius in diuinitate, & non in perſona: talis quoque eſt Spiritus ſanctus in diuinitate, & non in perſona: Quoniam alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus in perſonarum diſtinctione eſt: non tamen aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus in diuinitatis ſubſtantia, Et quomodo perſonæ iſtæ intelligendæ ſunt? Deus vtique in verbo ſuo rationalis eſt, & viuit. Et Deus creauit mundum, ſcilicet C hominem cum omni gloria ſua, quod ita debere eſſe, Deus ſemper in æternitate habuit. Hoc Deus ſolus fecit, ſine quo nullus eſt. Et quis eum non extantem fieri faceret: Nullus omnino. *Ioan. 1. Ioan. 13.* Deus omnia in verbo ſuo fecit, vt Ioannes, qui ſupra pectus Chriſti recubuit, affirmat. *Ignis.* Sed, Deus ignis eſt, & in igne hoc flamma latet, & flamma hæc in vita mobilis eſt. In igne autem iſto nulla diuiſio eſt niſi diſtinctio perſonarum. Ignis autem materialis & viſibilis, aurei coloris eſt, & in igne ſuo flamma coruſcat, quæ in valido vento flagrat. Ignis quidem hic non coruſcaret, niſi flammeus eſſet: & mobilis non eſſet, niſi per ventum: vnde & tria vocabula in igne iſto ſunt. Flamma namque de igne eſt, & ignis de flamma coruſcat, & non niſi per validum ventum mobilis eſt. Ignis quoque cum flamma ardet, & ardor iſte integer ignem & flammam æqualiter perfundit & inflat, & ſi ardor in igne non eſſet, ignis non eſſet, nec totuntum flammæ haberet. *Per metonymiam anima* D *humana deſcriptio.* Sed & anima ignis eſt, & ignis eius totum corpus, in quo eſt, perfundit, venas ſcilicet cum ſanguine, oſſa cum medullis, & carnem cum liuore, & inextinguibilis eſt. Et ignis animæ ardorem in rationalitate habet, qua verbum ſonat. Quod ſi anima ignea non eſſet, frigidam coagulationem non perureret, nec ſanguineis venis corpus ædificaret. Quia autem anima in rationalitate ventoſa eſt, per omnia loca corporis calorem ſuum recte diuidit, ne corpus exurat. Cum vero anima de corpore ſe extorſerit, corpus deficit: quemadmodum ligna non ardent, cum ardore ignis caruerint. Homo namque ſecundum Deum, rationalis eſt: & rationalitas hominis cum igne in vento ſonat. Rationalitas enim, magna vis eſt, ignea, & non diuiſa: & ſi non eſſet ignea, non eſſet ventoſa: & ſi ventoſa non eſſet, non ſonaret. D e v s itaque omnia creauit, & præter ipſum ſolum nullus vnquam aliquod vitale fecit, quamuis homo arte ſua quæque fingat, quæ tamen viuere non facit, quoniam homo initium habet. *Ioan. 1.* Et qui omnia creauit, increatus non eſt, quia nullum initium ante ipſum fuit, ſed ipſe ſine initio eſt, & omnia in ipſo ſunt, quoniam per ipſum omnia facta ſunt. E Per illa autem, quæ homo propter timorem fugit, ne eum lædant, fiduciam ad Dominum habet, clamando, vt ipſi ſuccurrat, & eum in requie pacis conſeruet. Per hæc vero quæ propter hominem ſunt, & quæ in ipſo exiſtunt, & cum quibus ipſe operatur, & quæ eis ex his placide ac conuenienter adſunt, charitatem ad Deum habere diſcit. *Hæc admodum abſtruſa.* Si enim homo nihil ſciret, niſi quod ſibi lene & ſuaue eſſet, neſciret, quid idem eſſet, & quid vocaretur: vnde de pondere duritiæ nociuorum ſummam ſcientiam habet, & quid bonum & malum ſit, cognoſcit, & ea (vt Adam) nominare ſcit. Nam ſi vnum in rebus tantum ſciret, opus Dei in illo perfectum non eſſet: & rem, quam videret, non cognoſceret, & quam audiret, quæ & qualis eſſet, ſcire non poſſet: qua propter vacuus eſſet & extinctus, quemadmodum hoc, quod per ignem combuſtum in carbonem conuertitur. Itaque vt prædictum eſt, increatus Pater eſt, Filius etiam increatus, ſic & Spiritus ſanctus increatus, quoniam F *Ioan. 1.* hæ tres perſonæ vnus Deus eſt, & omnes creaturæ per eundem Deum creatæ ſunt: ſed ſine ipſo factum eſt nihil Initium quippe, quod in initio creationis factum eſt, ſimilitudinem illius qui ſine initio eſt, habere voluit, quod nullo modo fieri debuit, quia nihilum fuit, quoniam in Deo vita & veritas eſt, in perdito vero angelo & in homine vanitas eſt, quam ſuperbia inflauit, quæ tanquam ventus pertranſiit. *Superbia.* Et quod per Deum & in Deo factum eſt, vita in ipſo eſt, & Deus caput illius contriuit, qui prædicta mala primum arripuit, ac eum qui ſine vita eſt, in infernum proiecit. Immenſus etiam pater eſt, qui nulla capacitate comprehendi nec numero finiri poteſt, vt illa poſſunt, quæ in principio facta ſunt. *Immenſus Deus.* Omnia enim Deus in præſentia ſua habuit, ſed tamen ſubito illa non creauit, vnde etiam quoddam interuallum in creaturis eſt, ſicut in homine, qui infans, puer, iuuenis, ſenex, ac decrepitus efficitur, quod quidem comprehendi poteſt. Sed & in Filio & Spiritu ſancto inintelligendum eſt, quod immenſi nec capacitate nec numero comprehendi poſſunt. G *Æternus Deus.* Æternus quoque Pater eſt in illa ſcilicet æternitate, quæ nunquam incepit, & in ſimilitudine circumeuntis rotæ, in qua nec principium, nec finis conſpicitur. *Ioan. 4.* Deus enim ſpiritus eſt. Omnis quippe ſpiritus, incomprehenſibilis & indiuiſibilis eſt. Æternitas namque ſine omni commutatione hac, quod dicitur, fuit & eſt, æterna manet, nec in ea vllus Deo aſſimulatur. Nam æternitas vnica eſt, omneſque eius creaturæ per ipſam factæ ſunt. *Filius Deus.* Et coæternus Patri in diuinitate Filius à creatura indumentũ, quod homo eſt, induit: quod indumentum diuinitas ita declarauit, velut Soli radius ſuus infixus eſt. Sol autem lumen ſuum in terram emittit nec tamen propter hoc augetur aut minuitur: nec Filius Dei in mundum veniens, auctus, nec minutus in diuinitate eſt, quoniam indumentum ſuum ſic induit, quemadmodum Deus Adam de fragili creatura veſtiuit, ne nudus videretur. *Auguſt.* H Homo quippe æternitatem niſi in humanitate nequaquam videre poſſet, quia diuinitas in humanitate latuit, ita quod per indumentum humanitatis filius cognitus eſt, vt etiam per arma veſtitus homo cognoſcitur, quamuis in eis latens non videatur. *Spiritus S. Deus.* Sed & æternus eſt Spiritus S. Patri & Filio coæternus, qui in initio omni creaturæ affuit, & eam inſpirando motabilem fecit. Et non tres æternitates in Deo ſunt, ſed vna æternitas in ipſo eſt, & non tres, velut Arrius particulas in illa fecit, quemadmodum membra hominis in abſciſſione truncantur, ſed æternitas vna diuinitas eſt quam rationalitas hominis, propter fortiſſima opera illius, nomine vno nominare non poteſt. Sed & quoniam homo initium habens, in cinerem vertitur, ideo etiam hæc, quæ ante principium & poſt finem ſunt, enarrare non valet: Sed in anima ſua vnam fidem tenens, de ſubſtantia Dei, quæ ſpiritalis eſt, loquitur. Anima enim ſpiraculum à Deo eſt, vnde & multa inuiſibilia capit, & vnitatem diuinitatis in recta fide ſentit, quia non tres in-

A creati Dij, nec tres immensi, sed vnus Deus est, videlicet iocreatus & immensus, nec in tres modos, nec in tres partes diuisus. Omnipotens etiam Pater est, qui per verbum suum, quod omnipotens Filius eius est, omnia creauit, quæ omnipotens Spiritus sanctus, qui vita est, ita pertransit, vt etiam calor ignis & flammæ ardet, sic tamen non tres omnipotentes, sed Deus in tribus personis, vnus Deus omnipotens est. Et vt inconueniens esset, quod homo, qui cum rationali anima vnus homo est in tres diuideretur, quoniã tunc integra vita non esset, sed mortale cadauer, quomodo posset vnica vita, in qua nulla mortalitas initij & mutationis est, diuidi: Sed & Deus est Pater, qui potens est: Deus est Filius, qui potentia Patris est: Deus est Spiritus S. qui vita est, per quam omnis vita procedit. Non autem tres Dij sunt, sed absque omni diuisione vnica deitas est, cuius fortissima vis singulis nominibus nominatur. Ita etiam dominando Dominus est Pater, operando Dominus est Filius, viuificando Dominus est Spiritus sanctus: Et hi sunt integra diuinitas trium nominum, sicut Deus omne

Pulcra comparatio vnitatis diuinitatis. Potentia diuinitatis.

B opus suum in vna vi diuinitatis significauit. Nec domini sunt singulariter dominantes, sed plena integritate vna diuinitas in tribus viribus trium personarum est, scilicet dominando, operando, viuificando quoque omnes creaturas, & eas ad officium suum monendo: & sic vnus Dominus est. Et Dominus iste duo opera fecit, Angelum videlicet & hominem cum omni creatura. Angelus autem spiritus est. Homo autem ad imaginem & similitudinem Dei factus est, vt quinque sensibus corporis sui operetur, per quos etiam diuisus non est, sed per eos est sapiens & sciens & intelligens opera sua adimplere. Has tres vires Deus in homine signauit, per hoc scilicet, quod anima hominis rationalis est, quæ corpus ad operandum mouet, & in qua quinque sensus corporis hominis pleniter perficiuntur. Per visum enim homo creaturas cognoscit per auditum vero rationalitas ei narrat, quid hoc sit quod audit. Per odoratum autem, quid sibi conueniens vel inconueniens ad vtendum sit, discernit. Per gustum etiam, quibus &

Quinque sensus hominis.

Visus. Auditus Odora

C qualibus pascatur, cognoscit, & per tactum bona & mala operatur, & omnia opera sua cum prædictis quinque sensibus regit. Hi quinque sensus in homine, ita in vnum coniunguntur, quod alius alio nequaquam carere potest & in vno homine sunt, qui tamen non in duos, nec in tres homines diuiditur: Sed omnia opera sua cum his quinque sensibus perficit, & vnus homo est. Sed & per hoc quod homo sapiens, sciens & intelligens est, creaturas cognoscit. Itemque per creaturas, & per magna opera sua, quæ etiam quinque sensibus suis vix comprehendit, DEVM cognoscit, quem nisi in fide videre non valet. Homo itaque per quinque sensus suos in creaturis omnia comprehendit & cognoscit, quia per visum amat, per gustum sapit, per auditum discernit, odorando sibi conueniens eligit, & per tactum id quod sibi placet, operatur: & in hoc Deum, qui omnes creaturas creauit, exemplatur. Sic quoque homo per hoc quod sapiens est quid sibi placitum seu nociuum sit, sapit: & per hoc quod sciens est, creaturam iubendo constringit, quod ei ministrando

tus Gustus Tactus.

Vnde Deus cognosci possit.

D subiaceat, & quod vult, sibi attrahit: & quod non vult, à se fugat: & per hoc quod intelligens existit, quid vnicuique creaturæ in officio conueniat, nouit. Cum his enim tribus viribus & appendiciis earum, homo rationalis in anima est, quæ nequaquam diuiditur, ita etiam vt si per suasionem Diaboli membrum aliquod hominis abscinditur, rationalis anima propter hoc nullo modo diuiditur. Corpus vero, ædificium animæ est, quod cum illa secundum sensibilitatem suam operatur, quemadmodum molendinum aquis circumfertur. Omnes ergo populi chrismate vncti tres personas in vnitate esse confiteantur: sed quod tres personæ, vna vera firmaque diuinitas sit. Et quoniam tres animæ non sunt in vna rationali anima, quæ tres vires habet, sed vna anima est: quare illa separabilis diuisio in vnitate diuinitatis esset, cum omnia de Deo creata sint? Nequa-

E quam ergo dicendum est tres Deos aut tres Dominos esse, sed vnus Deus dicitur, qui omnia creauit, & vnus Dominus, quem omnes creaturæ Dominum inuocant, & cuius oues propriæ sunt: & ideo prohibendum est, ne vlla singularitas in vnitate diuinitatis habeatur, quia vnus Deus est. Et Pater à nullo est factus, quoniam ante eum nullus apparuit, à quo genitus aut creatus esse possit, sed sine initio æternus est. Filius autem absque omni separatione à Patre solo est, non factus initialis, nec creatus in membris, sed genitus, vt lumen in Sole sine omni separatione est. Hic carnem de virgine Maria assumpsit. Sed tamen claritas diuinitatis ab eo non recessit, quia æternaliter in diuinitate cum Patre fuit, quamuis sub tempore indumentum suum, videlicet carnem, de matre virgine induerit. Sed Spiritus sanctus vita est quæ omnia spiramina in creaturis mouet: & hic per nullum spiramentum vita factus, nec etiam ab vllo creatus, nec ab alio vllo genitus est: sed Patri & Filio in diuinitate coæternus & coæqualis existit. Ipse enim

F in prima creatione mundi aderat, quia spiritus Dei ferebatur super aquas, circulum totius orbis illustrans, cum verbum Dei dixit, Fiat. Et à Patre & Filio Spiritus sanctus in veritate prophetiæ procedens. Prophetas prophetare fecit, qui tamen multoties profunditatem prophetiæ occultabant, licet textum scriberent, quoniam velut in vmbra & in visu noctis, interdum per significationem loquebantur. In igneis quoque linguis super Apostolos veniens, eos totos replebat, & eos alios homines fecit quam ante fuissent, ita vt ipsi easdem linguas viderent, & tactum eiusdem Spiritus sancti sentirent, qui ante natiuitatem Christi nulli hominum sic apparuit, nec postea apparebit, quoniam Christus vnigenitus Dei est. Quod autem in igneis linguis tis apparuit, hoc ideo factum est, quia virgo Maria in igneo calore ipsius, Filium Dei concepit, & sic etiam ipse à Patre & à Filio procedit. Et quoniam Apostoli eum in igne videbant, cum sapientia & intelligentia manifestè loquebatur. Sed & quia Filius Dei in Maria virgine de Spiritu sancto conceptus est, Spiritus sanctus in

Gen. 1.

Luc 1.

G ipso mansit, & manet, & semper cum ipso est, nec vnquam ab ipso inuicem separantur, ideoque integra & pura fides est, quod Spiritus S. à Patre & Filio procedit, vt prædictum est. Hoc vero quod Filius dixit. Qui à Patre procedit, ad honorem Patris dicebat, attendens quod incarnatio sua ex tempore fuit, cum paternæ diuinitati tempus non adsit. Itaque vnus Pater est, & non tres patres, sed vnus pater: quia si pater non esset, filium non genuisset: & si filius genitus non fuisset, mundus creatus non esset. Vnus quoque filius, non tres filij, sed vnus, per quem omnia facta sunt, patri consubstantialis: & vnus Spiritus sanctus, & non tres Spiritus sancti, sed vnus viuificans omnia, & mouens. Nam vnaquæque radix viriditatem in se habet, de qua fructus procedit. Istud autem in æqualiter inspicitur, & tamen in vno sunt. Quare ergo creator omnium, in Trinitate personarum non esset? Persona enim patris, per radicem: persona vero filij, per fructum: persona autem Spiritus sancti, per viriditatem intelligenda est:

Ioan. 15.

Perspicua Trinitatis comparatio.

H & ab inuicem non separantur, sed vnus Deus est. Et in ista Trinitatis vnitate nihil prius antecedendo, nihil posterius subsequendo, nihil maius in magnificentia, nihil minus in potentia: sed totæ huius Trinitatis personæ sine vlla vacuite in vnum se coniungunt, & in æternitate & in æqualitate coæternæ sibi & coæquales existunt, ita vt in eisdem personis nihil sit, de quo secundum diuinitatem dici possit Est & non Fuit, magnum & paruum, quoniam Deus initio & fine carens, nullum augmentum, nullum detrimentum recipit, quia immutabilis est. Opus autem Dei in creatura prius non formatum, modo formatum apparet, & per tempora transit, se in maius dilatando, & in minus se contrahendo. Tres ergo personæ in vnitate, vnusque Deus, in tribus personis colendus est, quoniam ipse omnia creauit, & vita est, per per quam omnia vitalia procedunt, quod quilibet fidelis

indubitan

A *Fides Catholica.* indubitanter ſic accipiat. Fideli etiam neceſſarium eſt, ne à fide Catholica ſe ſeparet : ſed incarnationem Filij Dei veram eſſe credat, & ſeipſum, quomodo creatus ſit, & quomodo operans corpus cum rationali anima, vnum ſit, conſideret. Deus enim ante tempora formam hominis, in qua carnem aſſumeret, præuiderat : & quicunque in hoc dubitat, ſeipſum abnegat : nec credit, quod in duabus naturis animæ & corporis per tres modos vnus homo eſt : quia ſi vnum de tribus iſtis, ſcilicet anima, corpore & rationalitate (de quibus homo conſtat) deeſſet, homo non eſſet. Nam homo rationalis in anima eſt, quæ in corpore quælibet cum ſono verborum perficit, quoniam creaturæ homini aſſunt, quemadmodum rami arbori, quia homo non ſine reliqua creatura, ſicut nec arbor abſque ramis creatus eſt. In veritate ergo recta fides eſt, quod Chriſtus Dei Filius, ante tempora natus, Deus eſt, & etiam per indumentum carnis verus homo eſt. Deus itaque eſt ex ſubſtanB tia patris, quoniam illi ſine tempore coæternus & coæqualis eſt, ante ſecula genitus, quia omnia per ipſum facta ſunt : ſed per humanitatem, quæ tempus *Ioan. 1.* habet, ex ſubſtantia matris homo eſt : ipſe etenim plenus Deus eſt in integritate æternitatis pleniſſimeque homo cum rationali anima & carne munda, & abſque vlla virili commixtione humanæ naturæ, atque coæqualis patri in æternitate diuinitatis eſt, minor autem eo in humanitate, quæ tempus habet. Et ipſe Deus & homo exiſtens, non in duos diuiſus eſt, ſed vnus eſt Chriſtus, non tamen per commutationem diuinitatis in carnem, ſed per aſſumptionem carnis quam diuinitas ſibi adiunxit, & quam claritate ſua ſic perfundit, vt radius Solis in Sole lucet : nec ob hoc vlla confuſione ſubſtantia diuinitatis, ſeu ſubſtantia carnis in inuicem confuſæ ſunt : ſed in vera vnitate perſonæ, *[illegible]* vnus eſt Chriſtus, verus Dei Filius. Sic enim in rationali anima nulla commutatio per carnem hominis eſt, quin ipſa rationalis ſpiratio ſit a Deo, quæ totum C corpus hominis perfundit, & quæ cuncta opera operantis hominis mouet : & vt ſic anima & caro vnus eſt homo, ita etiam abſque omni dubio Dei filius ante ſecula natus carne ex virgine aſſumpta pleniter (vt prædictum eſt) indutus, Deus & homo exiſtens, vnus eſt Chriſtus, per vnctionem vtique gratiæ Dei Chriſtus *Ioan. 19. Eſa. 53. Peccatũ originale per meritũ Chriſti ſanatur in [illegible].* dictus. Qui in ſancta humanitate ſua, per fixuram clauorum & lanceæ vulneratus eſt propter vnum vulnus primi hominis, quod cuncto generi ſuo ille inflixerat, quatenus liuore ſanguinis ſui illud ſanaret, & vnctione olei gratiæ illud perfunderet, ac per pœnitentiam illud ligaret, cum homo ſe peccaſſe doleret : Vulneratus autem deſcendit ſpiritualiter in puteum infernalis profundi, illicque per plurimos ſibi attraxit, ſcilicet eidem inferno primum hominem abſtulit, & omnes qui Deum in moribus humanæ honorificentiæ vnquam tetigerant, & eos in locum deliciarum & gaudiorum, quem in primo parente perdiderant, locauit. Sed quod die tertia ſurrexit à morte dormientis corporis, in hoc tres perD ſonas deitatis deſignauit, atque eodem corpore aſcendens, ad cœlos iuit, ibique dominando ſedet ad dextram Patris, quæ ſaluatio credentis populi eſt, illis vitam tribuens, quos ſanguine ſuo redemit. Et hi omnes ante tempora omnium principiorum præſciti ſunt, *Ioan. 1.* quoniam verbum Patris, per quod omnia facta ſunt, carnem induit, vt hominem quem formauerat, redimeret. Idem autem Filius Dei, in fine ſeculi iuſtus iudex veniet iudicare viuos & mortuos, viuos ſcilicet, qui opus fidei operantes, in eodem opere bono inuenti ſunt : mortuos autem, qui opera mortis per infidelitatem operati ſunt, cum in voce vocationis canentis tubæ, homo eidem Filio Dei per iudicium vt ſcabellum ſubjacebit, quoniam tunc eum videndo, qui dignus eſt, cognoſcit. Nam in aduentu iudicis huius, per præfatam vocationem, mortui cum corporibus ſuis reſurgent : quemadmodum etiam per ſonum verbi Dei, omnis creatura proceſſit : & omnes de proprijs operibus ſuis, quæ in morituro corpore operati ſunt, iudici ſuo reſpondebunt, nec vllus ſe excuſare poterit, quia vnuſquiſque E opera ſua, quæ prius ſe feciſſe tantum ſciebat, tunc cognoſcendo palam videbit, quoniam ipſis velut in indumento eſt, vnde & illa eum vbique ſequentur. Et qui iuſta & recta opera fecerunt, ibunt in majorem claritatem vitæ, quam mundo huic ſol luceat, animabus eorum gratia illuſtratis, vnde & Angeli Deum laudant, quia iſti tam magna opera operati ſunt, quod eis glorioſe circumdantur, velut homo precioſa veſte qua induitur. Innumerabilem quoque multitudinem hominum illorum, qui ante finem ſuum vel etiam in fine ſuo pœnitentiam perfecte egerunt, ac Deum in peccatis ſuis confeſſi ſunt, filius hominis in ſanguine ſuo ad ſe eleuabit, & vnicuique ſecundum opera ſua mercedem in vita retribuet. Sed mali de iniuſtis operibus ſuis nul- *Malorũ punitio.* lam excuſationem habentes, & quid dicere poſſint, neſcientes, & qui per artes diaboli ſimulacra adorauerunt, & cum diabolica turba mala opera infinite operati F ſunt, confuſione operum ſuorum veſtientur, & in puteum inferni cum diabolo deſcendent, quem occupauit, cum Deo ſimilis eſſe voluit. In veritate igitur & fiducialiter credendum eſt, quia vna Diuinitas in tribus perſonis, & tres perſonæ in vna Diuinitate, vita vna æternitatis ſunt : & qui ſic non crediderit, de die ſaluationis eradicabitur. Vos autem ô magiſtri & doctores populi, *Doctores & concionatores alloquitur.* quare cæci & muti eſtis in interiori ſcientia literarum, quam Deus vobis propoſuit, quemadmodum Solem, Lunam & ſtellas inſtituit, vt rationalis homo tempora temporum per eas cognoſcat & diſcernat. Scientia ſcripturarum vobis propoſita eſt, vt in illa velut in ſolari radio vnumquodque periculum cognoſcatis, & vt per doctrinam veſtram in infidelitatem errantium hominum vt luna in tenebris noctis luceatis, qui ſunt vt Saducæi *Hæretici.* & hæretici, & vt alij multi in fide errantes, qui inter vos incluſi ſunt, & quos etiam multi ex vobis ſciunt, prona facie pecoribus & beſtijs ſimiles exiſtentes. Nam nec vident, nec ſcire volunt, quod per ſpiraculum vitæ rationales ſunt, nec capita ſua ad illum eleuant, qui eos G creauit, & per quinque ſenſus regit, quos ipſis donauit. *Deſcriptio pecoris.* Quare ergo in rationali homine ſimilitudo proni animalis eſt, quod per flatum aëris ſuſcitatur, quem iterum exhalat, & ſic finitur, & quod aliam ſcientiam non habet, quam quod ſentit & ferientem timet, & quod per ſe nihil operatur, niſi ad hoc impellatur? Et quomodo decet vt homo in ſocietate pecoris ſit : quod ipſi per miniſterium ſubjacet, & per quod paſcitur, ac cui imperat & dominatur, quoniam rationale non eſt? Vnde ſummus pater ad filium loquitur, ſicut per Spiritum S. *Pſal. 2.* ſcriptum eſt : Reges eos in virga ferrea tanquam vas figuli confringes eos. *Explicatio eiuſdem loci.* Quod dicitur : Qui tibi reſiſtunt, reges eos in virga ferrea, quæ dura eſt caſtigans : & tanquam vas figuli, quod de luto factum eſt, confringes eos, quia & ipſi de terra ſunt. Oſtium enim rectitudinis per fidem non ingrediuntur, nec per famam bonorum operum egrediuntur, quoniam fures ſunt, & per proprietatem voluntatis ſuæ, mactant & perdunt, quod volunt, quia hypocritæ ſunt, legem ſibi in perditio- H nem euertentes. Vos autem qui in magiſtrali doctrina velut Luna & ſtellæ audientibus eſtis, quibus tamen magis propter honorem & diuitias ſæculi, quam propter Deum, ſcripturam ruminatis, audite & intelligite, quod multo plus neceſſarium eſſet, vt nocturnas tenebras errantium & infidelium hominum ſcinderetis, qui ignorant in qua via ambulent, quatenus illos per fidem ad nos traheretis. Nunc ergo regite eos, per veram admonitionem ipſis oſtendentes, quod Deus in principio propter hominem cælum & terram & reliquas creaturas creauit, & hominem in voluptuoſum locum paradiſi poſuit, eique præceptum quod præuaricatus eſt, dedit : quapropter & in tenebras exilij huius expulſus eſt. *Gen. 3.* In eadem vero præuaricatione demonſtratum eſt, quam magnum piaculum fuit, quod homo non creatori, ſed illi qui eum ſeduxit, obediuit : quoniam iuſtius eſt obedire Domino, quam fallaci ſeruo, qui ſe Domino ſuo aſſimilauit. Cum his etenim verbis implete corda illo-

rum

A rum in virga ferrea, quatenus cognoscant, ne se à creatore suo auertant, vel si per infidelitatem ab eo declinauerint, quod in sepulchrum inferni cum illo quem imitati sunt, cadant. Nam qui in infidelitate perseuerauerint, tanquam vas figuli, quod figulo indignum incongruumque videtur, confringentur: & quia opera fide non fecerunt, in æternam vitam introire non poterunt sicut nec male factum vas figuli reparatur, sed confringetur. Hæc vos qui populum regitis, intelligite, & ad inuisibilem Deum, quem nemo expugnare, nec carnalibus oculis videre potest, adspicite, ac quomodo villicationem vestram regatis, quam ab illo accepistis, attendite, quoniam in nomine illius magno honore glorificati estis, & sic populum regite, ne in die iudicij coram illo de regimine vestro erubescatis. Cauete quoque ne per voluptatem carnis & delicias seculi ita tædio afficiamini, vt vix oculum vnum ad cœlestem doctrinam aperire possitis. Hæc autem dura sunt vobis, quia qui diligenter cœlestia attendit, in his quæ regit, totum B corpus suum vulnerat, quoniam desideria carnis sibi abstrahit. Igitur propter timorem Dei, qui vita & veritas est hominem in fœminea forma hæc scribentem, ne despiciatis, quæ doctrina litteratũ indocta est, & quæ ab infantia sua vsque in 70. ætatis suæ annũ imbecillis erat, & quæ scripturam hanc oculis & auribus exterioris hominis non vidit, nec audiuit, sed quæ tantum in interiori scientia animæ suæ eam vidit & audiuit. Nolite ergo mentem vestram in altum extollere, eam spernendo, quoniam Deus irrationale animal loqui fecit, sicut voluit. Visio autem hæc, in qua ego paupercula forma ista vidi, ab infantia mea vsque in prædictam ætatem ab anima mea non recessit: & hæc quæ prædicta sunt, in loco isto scripsi, qui à quibusdam tyrannis destructus, per plurima curricula annorum desolatus mansit, in quo reliquiæ S. Roberti requiescunt, qui nobilis secundum dignitatem præsentis seculi fuit, & quem Deus in vicesimo ætatis suæ anno ad se gloriose collegit, qui locus C nũc tandem post eosdem desolationis annos per gratiam Dei in mirabilibus ipsius restauratus existit. Dominus enim in hoc sancto suo verborum illorum memor fuit, quæ ad discipulos suos loquens, ait: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt, hæc omittere voluit, quin eum reuelaret. De meritis etenim sanctorum scribendum est, quatenus bona & recta fama in aures fidelium sonet, quemadmodum etiam creatura Deo laudes sonat, quia ab ipso creata est. Deus quippe æternus est, & opus suum ad laudem nominis eius factum est, quoniam si anima in corpore hominis non esset, homo non viueret, nec anima sine carne operaretur. Sic angelus in Deo laus est, & homo opus in Deo est. Itaque laus illi sit in omnibus mirabilibus suis, & in meritis sanctorum, qui vera æternitas est, omnia creando, & in nouissimo die cœlum & terram renouando, cuius altitudinem & profunditatem nullus alius tetigit, & cuius scientiæ latitudinem nullus comprehendere poterit. Hæc itaque scriptura à fidelibus audienda & intelligenda est: O quam D gloriosa Diuinitas est, quæ creando & operando, per creaturam suam seipsam ostendit, quemadmodum in tribus pueris fecit, quos ita infudit, quod sine omni visione scripturarum & absque doctrina hominum, in camino ignis ipsum laudabant. Sicut enim felix anima extra carne, nihil aliud quam Deum sapere & cognoscere desiderat, ita isti beati tres pueri adhuc in carne viuentes, Deum ardenter desiderando, naturam animæ imitati sunt. Deus etiam pater filium suum per incredulitatem ignorantiæ nominari voluit in Nabuchodonosor, velut etiam maligni Spiritus ipsum sciunt, nec tamen eum confitentur, quibus omnibus mirabilia sua Deus sæpe ostendit. Omnipotentiam quoque suam in Samson fortissimo manifestauit, qui fortitudine sua leones & feroces bestias superans, ab vxore sua (sicut Adam ab Eua) deceptus est, qui tamen deinde vires suas recipiens, ipsam mulierem & reliquos inimicos suos vicit, sicut & Christus infernum despolians, vim inimicorum suorum deuastauit. In durissimo autem prœlio

Continua infirmitas authoris Num. 22. — *S. Robert.* — *Locus S.* — *Matth. 10.* — *Merita sanctorũ.* — *Dan. 3.* — *Iudic. 14.* — *Gen. 3. Iudic. 16.* — *1. Reg. 17.*

David contra Goliath præfigurauit, quod per humanitatem filij sui antiquum serpentem ligaturus esset. Sed E & in mollem muliebrem sexum tantam vim misit, vt mulier Holofernem in nocte interficiens, Israëliticum populum liberauit, & in hoc genitricem filij sui præsignauit per, quam fidelis populus liberandus erat. In antiquis enim sanctis per prophetiam prophetarum & holocausta arietum & taurorum, pactum fœderis figurare fecit, quia Ecclesiam per copulationem desponsationis filio suo adiungendam prænotauit. Per indumentum enim humanitatis filij Dei, Ecclesia eidem filio Dei adhæret, qui in sanguine suo illam in hæreditatem sibi dotauit, ita quod ipsa per baptismum ad vitam sobolem regenerat, quam Eua ad mortem generauit. Nam Christus in sanguine suo Ecclesiam sibi desponsabit, sicut per iuramentum, quod seruus Abrahæ sub femore domini sui spopondit, præfiguratum est, videlicet Ecclesiam Christo desponsandam esse. Sed cum lucifer cum omnibus se comitantibus sensit, quod Deus F pater filio suo nuptias palam fecit in se fremuit, & quemadmodum Cain ad sanguinem Abel concussit, sic corda incredulorum & tyrannorum inuasit, quatenus iustos bonos & electos Dei caperent, vulnerarent & occiderent. Hinc est quod Christus discipulis suis parabolam de homine rege dicebat, qui seruos pro inuitatis ad nuptias misit: sed illis venire nolentibus, alios seruos misit ad illos ut venirent, quoniam prandium suum paratum esset. Quod cum neglexissent, tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos occiderunt, quoniam antiquos sanctos quos Deus primum misit, & Apostolos qui postea missi sunt, Iudæi & cæteri increduli homines in magna lætitia sæpe conuenientes, de terra deleuerunt. Deus autem per arcum in nubibus cæli positum iuramenti sui memor fuit, quando filium suum, quem idem arcus significat, ex integra virginea natura nasci voluit, qui omnes inimicos suos potenter expugnando superauit, quemadmodum etiam per aquam diluuij homines deleti sunt, nouo tamen seculo hominum per aquam baptismatis recuperato, in Ecclesia Christo regnante, velut arcu in nubibus apparente. Filio quippe Dei Ecclesia iuncta est: sicut circumcisio legi, quæ seruiendo Ecclesiam per significationem præcucurrit. Sed nouum seculum, quod per ornamentum Ecclesiæ decoratum est, nunquam in defectu ex toto decidebitur. Sicut etiam arcus in cœlo non deficiet, sed cum timore ita comprimetur, vt vix vno oculo videat, iterum in filio Dei recuperabitur. In variis quoque coloribus prædicti arcus, vires virtutum millenarij numeri sanctorum significantur, in igneo scilicet colore castitas & continentia, in purpureo martyrium martyrum, in hiacynthino doctrina majorum, in viridi autem virtutes bonorum operum sanctorum accipiuntur, quæ per filium Dei expiratæ radiando, vt radij à sole procedunt. Præfatus autem rex missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit, quia cum dolores, videlicet veteres præcurrendo præterierant, omnipotens Deus iram super inimicos suos quando Ro- H mani Principes Ierusalem, quæ sanguine veri agni & sanguine aliorum sanctorum perfusa erat, suffodiendo totam euerterunt, & omnia legitima eorum, qui in ea habitabant, illos occidendo & vendendo, destruxerunt. Tunc Ecclesia iterum reædificata est, quemadmodum ciuitas sancta Ierusalem noua descendit de cælo, à Deo parata sicut sponsa ornata viro suo, quoniam agnus Dei ad se collegit lactentis, pueriles, iuuenis, maturæ ac decrepitæ ætatis homines, quibus Ecclesiam in nouitate bonorum operum & in humilitate descendentium de cælo virtutum ornauit, velut vnusquisque eorum bona & sancta opera perfecit, à Spiritu S. parata, quemadmodum sponsa ornatur viro suo, cum in dilectione eius ardet, vt etiam Ecclesia Christo coniuncta est, sic & in electo suo, scilicet B. Roberto, Deus fecit, quem in infantia sua totum perfudit, & quem ad bonum finem perduxit qui clarus genere & diuitiis seculi, per libertatem benedictionis Dei charus Deo extitit. Nam vt

Iudit. 13. — *Ecclesia.* — *Gen. 24.* — *Gen. 4.* — *Matth. 22.* — *Gen. 9.* — *Gen. 7.* — *Ecclesia stabilitas.* — *Colores arcus, merita sanctorũ. Castitas martyriũ doctrina.* — *Apoc 21.* — *Vita S. Roberti.*

in

A in vera visione video, beatus patronus noster Robertus, patre suo orbatus, cum matre sua vidua in hoc loco viuens, & operibus bonis insudans, ac Deo in castitate, humilitate & sanctitate seruiens, cum caducis & temporalibus æterna præmia mercatus est. Sicut enim viuens lumen in vera visione mihi ostendit, & me docuit, sic de ipso loquar. Vbicúque opinio veræ sanctitatis fuit ibi sanctitas stare & permanere diu potuit: vbicunque vera sanctitas non fuit, ibi mendacium durare diu non potuit quemadmodum Diuina majestas apertè ostendit, cum me & quasdam sorores mecum ad locum reliquiarum eius per magnum miraculum magnarum visionum transtulit, vt omnibus cernentibus aperte apparet. Pater ergo matris B. Roberti de Lotharingia oriundus, ibidem princeps extitit, & magnam latitudinem prædiorum ac diuitiarum in regione natiuitatis suæ & in aliis circumquaque positis regionibus & circa fluenta Rheni in Pinguis habens, magnus & nominatus inter principes seculi habebatur.

Sanctitatis stabilitas. Mendacij inconstantia.

B Qui vere Catholicus existens, in temporibus Imperatoris Magni Caroli claruit, puellamque, matrem videlicet B. Berthæ, ex longinquis regionibus in magnis diuitiis ortam, sibi in matrimonium coniunxit. Ex qua dum filiam, matrem scilicet B. Roberti habuisset, ipsam adultam pagano & tyranno cuidam, nobili tamen & duci secundum seculi dignitatem, Robolao dicto, cum adhuc pagani & Christiani propter rudimentum veræ fidei simul habitarent, gloria coniugij solemniter associauit, & prædia sua quæ circa Rhenum in Pinguis habebat, eidem filiæ suæ in dotem contulit: quatenus ob elegantiam generis sui, & ob amplitudinem prædiorum suorum, idem Robolaus ad Christianum nomen cogi posset, quod tamen nihil profuit. Qui postquam cum ea per aliquod tempus laudabiliter vixisset, postea honestos mores ipsius videns, grauiter tulit, ac se aliis mulieribus coniungens, non illam tamen more coniugij deseruit, sed tyrannidem incredulæ mentis gerens, baptismum non amauit.

S. Bertha

C Vnde beata mulier hæc valde cruciabatur, in corde suo Deo vouens, vt si ab illo liberaretur, thalamo alterius viri non associaretur, & ob hoc etiam suspiriis, lachrymis, orationibus ac eleemosynis sacrificium laudis Deo offerens, dicebat: O ô, quando liberabor de occupatione seculi huius, quæ animæ meæ & corpori meo amarus carcer est! De beneuolentia autem B. Berthæ magis quam de sanctitate eius loquamur, vt gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis sit. Nam ipsa tandem filium concepit & peperit; & si dicere liceret, pannis illum vt B. Dei Genitrix Maria filium suum, inuoluit. Cuius pater plurima gloria seculi, vt præfatum est, pollens, in monte illo qui *Lubim dicitur, castrum valde munitum habuit, & per totam prouinciam illam, fere vsque ad Moguntiam ciuitatem, ducatum tenuit. Cumque B. infans Robertus trium annorum esset, pater eius in magnis præliis contra Christianos dimicans, occisus, coram Deo & hominibus interiit, & B. Bertha vxor ipsius vidua remansit.

Vouet castitatem B. Bertha. *Luc. 2.* ** Lubun.* *Mors patris Roberti.*

D

N O T A.

Reliqua huc spectantia inuenies apud Surium die 25. Maij in vita eiusdem S. Roberti.

Apud eundem Surium reperiuntur etiam aliæ vitæ sanctorum ab eadem sancta Hildegarde compositæ.

Porro reuelationes eiusdem habentur ad finem operum sanctæ Birgittæ editionis 1628. quæ propter ea hic omissæ sunt.

* *

E

ECKBERTI PRESBYTERI,

primo Ecclesiæ Collegiatæ Bunnensis, Coloniensis Diœcesis Canonici, demum verò professi Monachi Schonaugien. monasterij vtilissimi Sermones, ex penetralibus Euangelicis, & aliarum diuinarum Scripturarum armario deprompti.

F

Aduersus Pestiferos, fœdissimosque Cathororum (qui Manichæorum hæresim innouarunt) damnatos errores ac hæreses.

ET BREVE EX AVGVSTINO de Manichæis excerptum per eundem Eckbertum.

ECKBERTI VITA EX TRITHEMII libro de scriptor. Eccles.

G ECKBERTVS secundus Abbas monasterij Sancti Florini, ordinis Beati Patris Benedicti Treuerensis diœcesis, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & non minus conuersatione, quàm scientia venerabilis, frater beatæ Helizabet Virginis Abbatissæ Schonaugiensis fuit. Hic antea Bunonensis Ecclesiæ Cannonicus fuit: qui à sancta sorore ad Schonaugiam vocatus, primo monachus, ac deinde Abbas factus est. Scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam transmisit: è quibus subiecta repperi.

Aduersus hæreses lib. 1.	*Epistolar. ad diuersos* lib. 1.
In princip. Euang. Ioan. lib. 1.	*Prophetarum dudū tempora.*
Super magnificat lib. 1.	*Mysteria diuini sermonis.*
Super missus est Ang. lib. 1.	*Spiritus Dñi super te Maria.*
De obitu sororis suæ lib. 1.	*Sermo Euangelicus omni.*
Meditationes lib. 1.	*Virginibus Deo sacratis.*
Sermones per annum lib. 2.	*Verbum mihi est ad te rex.*
Laudes Saluatoris lib. 1.	*Erūt signa, &c. aduētus Dom.*

H

Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. fuit enim declamator egregius, doctus & eloquens, adeo vt quendam hæreticum, quem nemo concludere poterat, vnica disputatione superaret. Claruit in cœnobio præfato Sancti Florini, quod Schonaugia dicitur in diœcesi Treuerensi, sub Friderico Imperatore I. Anno M. C L X. & propter religionem & doctrinam in pretio habebatur.

* *

A

ILLVSTRISSIMO RECTORI Pontificalis Cathedræ in Colonia Domino Reginoldo, Frater Eckbertus Schonaugiens. Cœnobij Monachus, hoc munusculum ex meditationibus suis.

IN vestra diœcesi frequenter contingit deprehendi quosdam hæreticos, qui diebus istis plurimum notabiles sunt in erroribus suis. Hi sunt quos vulgò Catharos vocant: gens perniciosa nimis Catholicæ fidei, quam velut tinea demoliuntur & corrumpunt, ambulantes in astutia multa. Muniti sunt B *verbis Sacræ Scripturæ, quæ aliqua modo sectis eorum concordare videntur: & ex eis sciunt defendere errores suos, & oblatrare Catholicæ veritati: recta autem intelligentia quæ in sacris verbis latet, & non sine magna discretione agnoscitur, nimis expertes sunt. Ego itaque operæpretium duxi errores eorum describere, & annotare autoritates scripturarum, ex quibus se defendunt, ac demonstrare quomodo sanè intelligi debeant: simulque eas partes fidei nostræ, quibus se opponunt proponere: & quibus scripturæ autoritatibus, quibus vexationibus defendi possint, cum superno adiutorio demonstrare: vt qui ista legere, & in memoria habere curauerint, aliquanto promptiores sint ad disceptandum cum illis, si quando, vt assolet, in populo fuerint deprehensi. Valde enim linguosi sunt, ac semper in promptu illis est quod aduersum nos dicere possint. Et est non parua verecundia nostris, qui litteras* C *sciunt, vt sint muti, & elingues in conspectu illorum. Cùm essem Canonicus in Ecclesia Bunnensi sæpe ego & vnanimis meus Bertolphus, cum talibus altercati fuimus: & diligenter attendi errores eorum ac defensiones. Multa quoque de illis innotuerunt per eos qui exierant de conuenticulis eorum, & resipuerant à laqueis diaboli. Propterea & abundantius ea quæ de illis sunt, & quæ contra illos dici possunt, in hunc librum cum Abbatis mei Domini Hildelini exhortatione congessi, vestræque celsitudini antiquæ familiaritatis causa transmisi, quatenus si fortè coram vobis tales examinari contigerit, munita sit ex his sermonibus prudentia vestra, ad obstruenda ora loquentium iniqua, & ad confirmandum vacillantes animos* D *seductibilium hominum, qui dolosis sermonibus illorum decepti, ambulare eos secundùm veritatem existimant. Rogo autem, vt si rationabilem fortè iudicaueritis huius libri compositionem, & in aliquo vtilem Christianæ religioni fore perspexeritis, in commune eum venire faciatis, vt sit in scandalum generationi illi pessimæ cunctis diebus.*

SERMO DE HÆRESIBVS Aduersus quos disceptatio assumitur.

Fidei Catholica pretio.

VNAM pretiosam margaritam à sponso suo CHRISTO IESV in dotem accepit virgo Ecclesia, fidem Catholicam: & hæc quod dolendum est, insidiatores multos patitur his diebus, qui moliuntur conterere eam. *E* *Fidei margarita* Pericula nouissimorum temporum, vt æstimo, venire cœperunt, de quibus in Euangelio Saluator prophetauit, quando de signis quæ diem iudicij essent præcessura, loquens ad discipulos, sicut scribit Matthæus, inter cætera dicebat: *Matt. 24* *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic Christus aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergò dixerint vobis, ecce hic est in deserto, nolite exire: ecce in penetralibus est nolite credere.* Et quidem si tam insanæ mentis adhuc quispiam venerit, qui se dicat esse Christum, nondum audiuimus: sed de pseudoprophetis qui dicunt esse in penetralibus Christum, iam multa percipimus. Ecce enim quidam latibulosi homines peruersi & peruersores, qui per multa tempora latuerunt, & occultè fidem Christianam in multis stultæ simplicitatis hominibus corruperunt, ita per omnes terras multiplicati sunt, vt F grande periculum patiatur Ecclesia Dei à veneno pessimo, quod vndique aduersus eam effundunt: nam sermo eorum serpit vt cancer, & quasi lepra volatilis longe lateque discurrit, pretiosa membra Christi contaminans. Hoc nostra Germania, Catharos: Flandria, Piphles: Gallia, Texerant, ab vsu texendi appellat. Sicut de eis prædixit Dominus, dicunt in penetralibus esse Christum: quia veram fidem Christi, & verum cultum Christi, non alibi esse dicunt, nisi in conuenticulis suis, quæ habent in cellariis & in textrinis, & in huiusmodi subterraneis domibus. Apostolorum vitam agere se dicunt: sed contrarij sunt fidei sanctæ, & sanæ doctrinæ, quæ à sanctis Apostolis, & ab ipso Domino Saluatore nobis tradita est. Ipsi etenim sunt de quibus Apostolus Paulus in epistola ad Timotheum ita locutus est: *1. Tim. 4* *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione.* G

De coniugio, Hæresis prima.

ET quidem verè hi sunt ad quos pertinet hic sermo, quoniam nuptias reprobant & condemnant, ita quod non aliud quàm æternam damnationem promittunt eis, qui in coniugali vita permanent vsque in finem. Approbare quidem se dicunt quidam ex eis, illorum coniugium, qui virgines conueniunt, sed nec illos saluari posse dicunt, nisi ante finem vitæ suæ ab inuicem separentur: ac per hoc tale quoque coniugium prohibent. *Secunda, de esu carnium vitando.* Carnem omnem vitant, qui perfectè sectam illorum ingressi sunt: non ea causa qua monachi, aut alij spiritualiter viuentes ab ea abstinent, sed idcirco vitandum esse esum carnis dicunt, quia de concubitu nata sit omnis caro: & ex hoc immundam esse arbitrantur. *Tertia, de creatione carnium.* Et hanc quidem rationem manifestius dicunt, sed in occultis suis, quod peius H est, dicunt videlicet omnem carnem factuтam diaboli esse: ideóque nec in summis necessitatibus eam vllatenus gustant. De baptismo variè loquuntur. *Quarta, de baptismo paruulorum.* Baptismum nihil prodesse dicunt páruulis qui baptizantur: quia per seipsos baptismum petere non possunt: & quia nullam fidem possunt profiteri. *Quinta, de baptismo aqua.* Est autem aliud quod inde communius, sed occultius loquuntur, videlicet quod nullus baptismus in aqua prosit ad salutem. Inde & eos qui ad sectam illorum transeunt, suo quodam occulto modo rebaptizant, quem baptismum in Spiritu sancto & igne fieri dicunt. *Sexta, de animabus mortuorum.* De animabus mortuorum talem sententiam habent, quod in ipsa hora exitus sui vel transeunt ad æternam beatitudinem, vel ad æternam damnationem. Non enim recipiunt quod credit vniuersalis Ecclesia, videlicet esse quasdam purgatorias pœnas, in quibus animæ quorundam electorum ad tempus examinentur pro peccatis suis, de quibus in hac vita per condignam satisfactio-

nem ad plenum purgatæ non sunt. Propterea ergo arbitrantur superfluum & vanum esse orare pro mortuis, eleemosynas dare, Missas celebrare, & irrident pulsationes campanarum, quas facimus, quæ tamen pia ratione in Ecclesiis fiunt, vt videlicet viui ad orandum pro mortuis commoneantur & ad memoriam propriæ mortis excitentur. Missas quæ in Ecclesiis celebrantur, omnino spernunt & pro nihilo ducunt. Nam si forte cum populo in quo habitant, ad audiendum Missas, siue etiam ad percipiendam Eucharistiam accedunt, omnino hoc simulatorie faciunt, ne infidelitas eorum possit notari. Ordinem quippe sacerdotij in Romana Ecclesia, & in cunctis Ecclesiis Catholicæ fidei omnino perisse dicunt, nec vsquam nisi in secta eorum veros sacerdotes inueniri. Corpus Domini & sanguinem nullo modo nostra consecratione fieri, aut à nobis per communicationem percipi posse credunt: se autem solos in mensis suis corpus Domini facere dicunt. Sed in verbis illis dolum habent: non enim verum illud Corpus Christi significant, quod de virgine natum fuisse credimus, & quod passum est in cruce, sed sui ipsius carnem Corpus Domini vocant: & in eo quod sua corpora nutriunt cibis mensæ suæ, Corpus Domini se facere dicunt: Nec intactum præteribo quod audiui à quodam viro fideli, qui agnita eorum perfidia & secretis quibusdam turpitudinibus, de societate eorum exiuit. Nam in Domino Saluatore ita errare eos affirmabat, vt dicerent eum non vere natum ex virgine, nec verè humanam carnem eum habuisse, sed simulatam carnis speciem: nec ex mortuis eum resurrexisse, sed mortem & resurrectionem simulasse. Propter quod & Christianis Pascha celebrantibus, vel negligenter hoc celebrant si inter ipsos sunt: vel occasiones quærunt discedēdi de medio eorum quibus cohabitant, ne cum eis solemnizare cogantur. Celebrant autem pro eo aliud quoddam festum, in quo occisus est hæresiarcha eorum Manichæus, cuius proculdubio hæresim sectantur, quod B. Augustinus contra Manichæos Beina appellari dixit. Meus autem recitator ab eis quibus ipse fuerat commoratus, Malilosa dixit vocari, & autumnali tempore celebrari. Præter hæc & nouam quandam & hactenus inauditam insaniam de eis compertam habemus quam manifeste confessi sunt quidam eorum cùm examinarentur à clero in ciuitate Colonia, vbi & à populo feruentis zeli combusti sunt. Dicebant enim animas humanas non aliud esse, nisi illos apostatas spiritus, qui in principio mundi de regno cœlorum eiecti sunt: & eos in humanis corporibus posse per bona opera promereri salutem: sed hoc non nisi inter eos, qui ad eorum pertinent sectam. Talia iam longo tempore latenter susurrauerunt, lustrantes vbique domos seductibilium hominum, & multas in his temporibus infelices animas, vt audiuimus, captiuas ducunt retinaculis susurri pessimi. Circumeunt (vt ita dicam) mare & aridam, vt faciant Catharum vnum: & omnem religiosam conuersationem impia detractione commaculant: nec quenquam saluari posse, nisi ad eorum transierit sectam, affirmant. Itaque cum omni diligentia euigilare necesse est omnes qui zelum Dei habent, & exercitatos habent sensus in Scripturis sanctis, ad capiendum vulpeculas has pessimas: quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth. Multi quidem sunt errores illorum, ita vt nemo omnes enumerando prosequi valeat: sed eos qui maxime periculo mihi visi sunt distinxi, & in vna serie disposui: quoniam annuente Deo specialiter aduersus eos loqui mihi propositum est.

De origine sectæ Catharorum.

SCiendum verò est, & non celandum ab auribus vulgi, quoniam indubitanter secta eorum, de quibus agimus, originem accepit à Manichæo hæresiarcha: cuius doctrina maledicta erat & tota venenosa, & radicata est in populo isto peruerso. Multa tamen permixta habent doctrinæ magistri sui, quæ inter hæreses illius non inuenitur. Diuisi sunt etiam contra semetipsos, quia nonnulla quæ ab aliquibus eorum dicuntur, ab aliis negantur. Manichæus autem iste (vt nunc pauca de illo loquar) à Persia oriundus erat, & primo quidem Manes dicebatur, postea verò à discipulis suis Manichæus appellatus est ne insanus videretur, & dictus Manes à mania, quod est insaniæ nomen. Sic autem insanus erat, vt diceret seipsum Spiritum sanctum, & se missum fuisse à Christo in mundum, sicut promiserat cum ascensurus esset in cœlum: ideoque & Christi se Apostolum dicebat, quasi missum ab ipso. Vnde & discipuli eius ex hoc gloriabantur, quod in magistro ipsorum completa esset promissio Christi de Spiritu paracleto. Ex numero discipulorum suorum duodecim elegit, quos quasi Apostolos suos habebat, vt in hoc haberet formam Christi, qui ex discipulis suis duodecim sibi elegit Apostolos: quem numerum imitatores eius & hodierna die obseruant: quia ex electis suis habent duodecim quos appellant magistros, & tertiumdecimum principem ipsorum: Episcopos autem septuagintaduos, qui ordinantur à magistris: & presbyteros & diaconos, qui ab Episcopis ordinantur: & hi electi inter eos vocantur: qui verò non ad tantam perfectionem venerunt, vt electi possint dici, auditores vocantur. Mittuntur autem ex omnibus qui idonei videntur ad eorum errorem, vel vbi est, sustentandum, vel augendum, vel vbi non est, seminandum. Manichæi doctrina & sequacium eius Christianæ fidei in ipsa radice sua se opponit, sicut nunc demonstrabo. Credimus enim & confitemur vnum solum esse Deum, qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt: & hæc radix fidei nostræ: illi verò duos creatores esse docent, vnum bonum, & alterum malum: videlicet Deum & quendam immanem principem tenebrarum: quem nescio quomodo rectius vocare possimus, nisi diabolum. Duas naturas fuisse dicunt ab æterno contrarias sibi inuicem, vnam bonam, & alteram malam, & ex eis dicunt creata esse vniuersa. Animas hominum, & vitalem spiritum quorumlibet animantium, & virtutem quæ viuificat arbores & herbas, & quælibet semina, à Deo originem habere dicunt, & condita ex illa bona natura, imo & quandam partem Dei, vnumquodque talium esse volunt. Carnem verò omnium quæ viuunt super terram tam hominum quam aliorum animantium ab illo immani principe tenebrarum, id est, diabolo originem dicunt habere, & condita ex mala natura: & ob hoc, vt suprà dictum est, esum carnium vitant. Horrendus est sermo, & omnino alienus ab humano sensu, quem de talibus rebus filij diaboli confinxerunt, ad perditionem omnium eorum qui illi credunt, & à casta veritate quæ est in Scripturis sanctis, mentem auertunt. Hoc quoque manifestum inter errores Manichæi & discipulorum eius legitur: quod dicebant filium Dei nunquam verè humanum corpus suscepisse in virgine, sed similitudinem tantum humani corporis habuisse: & nunquam vere passum aut mortuum fuisse, aut resurrexisse: sed tantum in his omnibus fefellisse humanos sensus, ita vt hominibus vera viderentur cuncta quæ dicuntur de humanitate eius: & quod nulla tamen veritas fuisset in his omnibus. Idipsum autem ante Manichæum in Persia docuerant duo magi, Zaroë & Arphaxat. Et, sicut diximus, hæc omnia nobis veraciter comperta sunt de omnibus istis, quos nunc Catharos vocant: & ipsi originem habuerunt à quibusdam discipulis Manichæi, qui olim Catharistæ dicebantur. Nam Manichæus ille, de quo totus hic error processit, multos quidem discipulos habebat, & sub vna secta erant, dum adhuc viueret: mortuo autem eo, dissenserunt ab inuicem, & diuisi sunt in tres partes & vocati sunt quidam eorum Mattharij, quidam verò Catharistæ, quidam autem singulariter Manichæi dicebantur, quia singularius cæteris magistrū suum secuti sunt, omnes tamen commune habebant hoc nomen, vt dicerentur Manichæi, quia omnium error à Manichæo originem habuit. Ipsi verò qui Catharistæ dicebantur, omnibus cæteris turpiores habebantur, propter

Manichæus duo esse verè principia dixit.

quasdam

A quasdam secretas spurcitias, quas specialiter ipsi exercebant. Quorum doctrinam & vitam indubitanter sectantur isti, de quibus nunc sermo est nobis. Vnde autem Catharistæ, id est, purgatores, primo vocati sunt, alio loco dicere statui; ne principium libri huius aliquis abominetur, si statim omnes prauitates eorum enarrarem. Nam quæ de Manichæis a B. Augustino conscripta sunt, summatim & breuiter collegi ex tribus libris eius, videlicet ex eo qui inscribitur contra Manichæos, & ex eo qui intitulatur de moribus Manichæorum, & ex libro de hæresibus: & eandem collectionem in fine libri huius annectere dispono: vt qui legerint, possint quasi à fundamento totam hanc hæresim plenius agnoscere: & intelligant, quoniam hæc hæresis omnium hæresum sentina est. Produnt autem semetipsos quod sint de errore Manichæi, in eo quod dicere solent, quod Beatus Augustinus prodiderit secreta eorum: & constat quod ipse ante perceptionem baptismi disciplinæ Manichæorum aliquandiu interfuit, & postea errores eorum,
B & secreta manifestè in libris quos nominaui, descripsit & confutauit.

SERMO II.

De eo quod doctrina Christiana occultanda non sit.

AD quos ergo nunc mihi sermo est ô Cathari plebs angulosa, qui non alibi nisi in vestris penetralibus Christum esse quærendum æstimatis. Dicite mihi: quando iniit hoc consilium Dominus, vt vellet esse absconditus in angulis vestris? Dicitis quoniam veritas Christianæ fidei vobis solis sit nota, & apud vos solos abscondita. Sed scimus quoniam Dominus Saluator ipse eam non abscondit, vt patet in verbis ipsius, quæ imminente passione coram Pontifice Iudæorum locutus
Ioan. 18 est, dicens: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper*
C *docui in synagoga, vbi omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Non enim ita aliquid locutus est, vt hoc vellet occultum permanere. Nam etsi aliquando discipulis seorsum a turbis aliqua loquebatur, quæ non illo tempore conueniebat fieri manifesta, dicebat ta-
Matt. 10. men illis: *Quod dico in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quibus &
Marc. vlt. post resurrectionem suam præcepit, dicens: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*
Ibidem. De quibus & Euangelista subdit, dicens: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante sequentibus signis.* Prædicauerunt non in angulis, non in cellariis, aut textrinis, sed sicut scriptura dicit: Prædicauerunt vbique, non solum in domibus, sed in foro, & plateis ciuitatum, non solum coram plebe, sed & coram Regibus & Principibus omnium
Psal. 18. terrarum, sicut scriptum est de eis: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Noluit doctrinam suam a Paulo ce-
Act. 9. lari Dominus, cùm dicebat: *Vas electionis mihi est iste,*
D *vt portet nomen meum coram Regibus & Principibus, & filiis Israel.* Ipse quoque Paulus à nullo genere hominum celandam esse veritatem Euangelij æstimabat, quan-
Rom. 1. do dixit: *Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est, & vobis qui Romæ estis euangelizare,* sicut dixi. Prædicauerunt sancti Apostoli in manifesto doctrinam salutis, & signa fecerunt mortuos suscitando, cæcos illuminando, & omnem languorem pellendo in nomine Christi, & sustinuerunt crucifigi, gladioque occari, ac diuersis passionibus deduci ad mortem pro testimonio veritatis. Vos autem si estis, sicut dicitis, Apostoli Christi, quare tanto tempore latuistis? Si vos estis Ecclesia Dei, vt dicitis, quare vsque ad hæc tempora semper in abscondito ambulastis?
Matt. 5. Dominus dicit in Euangelio de Ecclesia sua: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Mons ipse Christus

E est: ciuitas supra montem posita, Ecclesia est, cuius fundamentum est Christus. De ea dicit Dominus, quod non potest abscondi. Vos autem semper absconditi fuistis, & doctrinam vestram occultatis, & ita lucernam vestram sub modio timoris positam habetis, nec vnquam eam alicui manifestatis, de quo timetis, quod vos faciat manifestos. Nam ab ipsis quoque, qui veniunt ad vos, fidem vestram, ex qua saluandos vos esse speratis, & occulta opera vestra longo tempore, vt dicunt, quindecim annis occultatis, donec diu vos probaueritis; ita vt sperare, possitis, de eis quod non prodant vos. Non hoc sancti Apostoli fecerunt, & successores eorum, qui nobis sunt noti. Non absconderunt lucernam sub modio; quia nec causa timoris, nec causa commodi temporalis lucem Euangelicæ veritatis, quam a Christo acceperant, celauerunt; sed super candelabrum, id est, super Ecclesiam, ita manifestè eam constituerunt, vt luceret omnibus qui in domo, id est, in mundo erant. Omnibus etenim tam bonis quàm malis, electis & reprobis innotescere voluit Dominus, F
qualis esset fides & religio Christianorum, vt nemo per ignorantiam posset se excusare. Forsitan ad verbum illud confugitis, quod Dominus ad discipulos suos locutus est dicens? *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Rustici viles nolite assume- Matt. 7.
re verba hæc in defensionem vestram; quia non rectè discernitis ea. Omnibus hominibus manifestè dicenda sunt verba salutis, sine quorum agnitione saluari nemo potest, nec aliquis ita canis aut porcus iudicandus est, vt occultari debeant ab eo. Nam vt ait Apostolus: *Deus* 1. Tim. 2.
omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quod si quis audita & agnita veritate pertinaciter & incorrigibiliter ei contradicit, & nititur commaculare veritatem fœda detractione & irrisione debet iusta ratione à tali suspendi prædicatio veritatis, quod est subtrahi sanctum, & Margaritas à porcis & canibus. Tales esse persenserant sancti Apostoli Iudæos, in quibus satis laborauerant verbo prædicationis, cùm nouissimè eis dicebant: *Quoniam repulistis a vobis verbum* G
Dei, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes. Conuersi sunt ad gentes, & eis manife- Act. 13.
stè prædicauerunt doctrinam salutis, quos sciebant esse idololatras, & pollutos omni genere immunditiarum, & vos ita canes & porcos vos iudicatis, vt nunquam manifestè inter vos prædicetis doctrinam vestram, sine qua neminem saluari posse arbitramini, cùm Dominus dicat: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in* Marc. 8.
cælis est. Si forte acciderit, vt aliquis vestrum pro errore suo deprehensus fuerit, & deductus ante iudices Ecclesiæ, aut omnino negatis fidem vestram, aut tunc primum aliquos errores vestros confitemini, cum de vita amplius non speratis: sed illa confessio non est ad gloriam vobis, & est quasi confessio furis, qui cum de vita sua desperat, latrocinia sua impudenter confitetur sub laqueo, & sunt interemptiones, quas aliquando à populo zelante pro lege Dei sui aliqui vestrum patiuntur, non quasi passiones Apostolorum, H
sed quasi iudicia furum & latronum. Vos quippe estis, de quibus Dominus in Euangelio dicit: *Omnes quot-* Ioan. 10.
quot venerunt fures sunt & latrones. Non enim nisi furtiue, & quasi per latrocinium acquiritis in partem vestram animas miserorum, quos trahitis post vos, & omne negotium vestrum est perambulans in tenebris; quoniam sicut ait Saluator: *Omnis qui male agit, odit* Ioan. 3.
lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. O quales Apostoli, ô quales Euangelistæ, quoniam bene impletis illud, quod mandauit Dominus Prædicatoribus verbi sui per Prophetam, dicens: *Super* Esa. 40.
montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, exalta vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Non hoc certe impletis; sed illud mandatum Priscilliani obseruatis: Iura, periura, secretum prodere noli. Dicitis modo, nondum venit tempus nostrum, vt manifestari debeamus, sed iam nunc incipimus palam

A loqui mundo, & erit adhuc tempus quando Deus Ecclesiam suam, id est, nos exaltet, & impleatur io nobis (Matt. 5.) illud quod Dominus dicit de Ecclesia sua: *Non potest abscondi ciuitas supra montem posita*. Sed dicite mibi: Si semper supra montem, id est Christum posita fuit ciuitas ista, hoc est societas vestra, quomodo potuit fieri, vt tanto tempore esset abscondita? Iam enim à tempore Dominicæ Ascensionis transierunt mille & centum anni, & amplius, & nunquam sublimata est religio vestra, aut si sublimata est, dicite si scitis, in quibus temporibus, & sub quibus Regibus terræ factum est hoc, vt vbique in mundo audiretur prædicari fides Catharorum. Quando factum est hoc, vt omnes Principes & Domini terrarum, qui non essent vel pagani vel Iudæi, essent Cathari & gubernarent subditos suos secundum legem Catharorum? Certe si hoc oobis demonstrare possetis, cedetemus vobis, quod aliquando ciuitas vestra posita fuisset in manifesto, sed hoc gratia Dei nunquam factum est.

B

SERMO III.

De incremento & manifestatione Catholicæ fidei.

AVdite nunc de fide, gratia, quam profitemur, & quam in manifesto prædicamus, quomodo peruenerit in nos, & quomodo Ecclesia Dei, cuius nos per ipsius gratiam membra sumus, exaltata est, & posita est in manifesto. Fidem beati Petri Apostoli quam ipse habuit & prædicauit, suscepit post ascensiooem Domini ciuitas magna Antiochia, & ipse erat in ea docens annis septem non occulte, non in subterraneis domibus, sed Episcopus erat totius ciuitatis, & ipsius causa regalis aula, quæ erat in ciuitate per deuotionem populi commutata est in Ecclesiam, in qua communiter populum docuit, & missas celebrauit, & ordinabat ea quæ ad Christianam religionem pertinebant. Ibi primum eis, qui fidem Christi susceperunt, impositum (C) est nomen hoc vt vocarentur Christiani. Cum autem ibi firmasset fidem Christianam, & legem diuinam, beatus Petrus ordinauit in suo loco Episcopum ciuitati, beatum Euodium, cuius & successor fuit Ignatius clarissimus martyr, discipulus sancti Ioannis Euangelistæ, & ipse inde profectus est Romam; itemque in ea fidem Christianam docuit, ac maximam partem ciuitatis ad Christum conuertit, & per viginti quinque annos Ecclesiam Christi ibi gubernauit. Ibi manifeste confessus est coram Nerone Imperatore fidem Christi, & vxorem eius Libyam, & vxorem Agrippæ præfecti Agrippinam, ad fidem conuertit, & ob eiusdem fidei prædicationem, Nero eum crucifigi præcepit, & Paulum simul cum ipso ibidem prædicantem, gladio necari iussit. Ex illo igitur tempore semper fides Christiana creuit in vrbe Roma, nec vnquam defecit in Romana Ecclesia fides quam habuerat, & quam prædicauerat Petrus sicut & ei promiserat Dominus, quando imminente passione (D) sua dixit ad eum: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, hoc est, fides Ecclesiæ, quam tibi commisi. Beatus autem Petrus eum sciret appropinquare sibi passionem suam, sanctum Clementem, quem ad fidem conuerterat & baptizauerat, ordinauit in Episcopum, eiusque gubernationi sedem suam & Ecclesiam, quam ipse rexerat, commisit: Et ita successor beati Petri factus est in sede illa, & ad vltimum ipse quoque pro testimonio fidei Christianæ martyrium passus est. Nam quod (Linus, Cletus.) Linus & Cletus successores Petri fuisse leguntur, ita intelligendum est, quod adhuc ipso viuente, coadiutores eius extiterunt in gubernando populum Dei Romæ, & ad hoc ab ipso erant in Episcopos ordinati, vt scribit quidam Apostolicorum Patrum Episcopis Germaniæ & (Clemēs.) Galliæ. Qualem autem fidem à beato Petro Clemens susceperat, talem & successores eius habuerunt, & prædicauerunt in Romana vrbe, & eam prædicari fecerunt in aliis terris per eos quos ad prædicandum miserunt, &

E paulatim quidem creuit Ecclesia in ea fide, & magis ac magis de die in diem promouebatur, quamuis multi Reges & Principes grauibus eam persecutionibus opprimere niterentur vsque ad tempus B. Syluestri Papæ, sub (Syluest.) quo pax magna, & libertas data est Ecclesiæ, & exaltari cœpit, & ad summos honores promoueri fides & religio Christiana. Ipse etenim sicut antiqua nobis scripta commemorant, prædicatione verbi Dei, & magnorum ostensione miraculorum Constantinum Imperatorem (Constantinus.) filium Helenæ reginæ (quæ crucem dominicam inuenit) conuertit ad fidem, ita vt Imperator de regali solio suo descendens in eo collocaret B. Syluestrum, & ad pedes eius se humiliaret. Ipse quoque in equo suo conscendere eum fecit, & ad modum serui ei ministrauit pedester incedens ante eum, & freno eum deducens, & consignans ei dominium vrbis. Insuper & regale palatium illic ei construxit, & omnem regium honorem & potestatem quam habebat Romæ, & in partibus occidentis, ipsi ac successoribus eius concessit, & totius Senatus honorem clero, qui cum ipso erat tradidit, & ipse cum Se- (F) natoribus omnibus de vrbe egrediens, Byzantium transmigrauit, & vrbem nominis sui Constantinopolim ædificauit: solum autem nomen Imperatoris sibi ac successoribus suis retinuit. In hunc modum creuit, & confortata est, & vsque ad summos honores promota est in Romana vrbe, & sub Romana potestate Ecclesia Dei & fides quam B. Petrus docuit, & quam successores eius ab eo tenuerunt, & vsque ad ista tempora perduxerunt. Simili modo & per alios Apostolos in aliis regnis per totum mundum fides Christi dilatata & sublimata est. Ad has autem Cisalpinas partes hoc ordine peruenit: B. Petrus dum Ecclesiam Dei Romæ gubernaret, misit tres ex discipulis suis, videlicet Eucharium, Valerium, & Maternum prædicare Theutonicæ genti Euangelium Christi. Qui venientes io ciuitatem Treuerim, prædicauerunt in ea, & cum Dei adiutorio conuerterunt eam ad fidem Christi, & baptizauerunt omnem populum in flumine ciuitatis quod dicitur Olewia. Primus eorum Episcopus (G) vrbis erat Eucharius, quo defuncto Valerius ei in Episcopatum successit, quo etiam defuncto Maternus, qui de morte per baculum Petri suscitatus fuerat, Episcopus factus est, non solum in Treueri, sed & in Colonia, quæ antiquitus Agrippina vocabatur, simulque in ciuitate Tungrensi, quæ Hunnorum persecutione deleta est. Ipsa est ergo fides B. Petri, quam hi sancti prædicauerunt Ecclesiis, quas ipsi gubernauerunt, ipsorumque successores tenuerunt & prædicauerunt vsque in hodiernum diem. Tandem quoque fidem prædicauit in ciuitate Moguntia Crescens discipulus Pauli Apostoli. Beatus quoque Bonifacius vir eximiæ sanctitatis, qui primus in ea Archiepiscopus fuit, & martyrium pro Christo suscepit, & successores eius vsque in hodiernum diem hanc fidem tenuerunt & docuerunt in Ecclesia Moguntinensi, & ipsa in omnibus Ecclesiis ei subditis vsque nunc tenetur & prædicatur. Ecclesiæ Metensis primus Episcopus fuit sanctus Patiens, discipulus sancti Ioannis Euangelistæ, & ipse in ea fidem nostram docuit & firmauit, & permanet in ea vsque in præsentem (H) diem. S. Clemens successor Apostoli Petri, beatum Dionysium virum clarissimæ sanctitatis, qui prædicatione Apostoli Pauli Athenis conuersus fuerat, in Galliam misit prædicare verbum Dei, & cum eo tres illustres viros, Marcellum, & Saturninum, & Lucianum, qui cum ad portum Arelati peruenissent, B. Dionysius sanctum Marcellum in Hispaniam direxit, sanctum Saturninum in Aquitaniam. S. vero Lucianum ad Beluacensem ciuitatem, quorum singuli regiones & ciuitates sibi destinatas repleuerunt doctrinis fidei, quæ vsque in præsens tempus ibidem tenetur & prædicatur. Ipse vero sanctus Dionysius cum duobus sociis, Rustico & Eleutherio Parisios adiit, ibique fidem quam per B. Paulum didicerat prædicauit, & per totam Franciam dispersit, & pro eadem fide martyrium pertulit, simulque socij eius, Rusticus & Eleutherius cum eo. Martyrium vero ipsius singulari & inaudito miraculo Deus honorauit,

A in eo quod post decollationem suam ipse propriis manibus caput suum à loco martyrij per spatium milliarij vsque ad locum in quo humatum est corpus eius, deportauit. Testimonium hoc grande erat perfectissimæ sanctitatis eius & rectæ fidei, ac sanctæ religionis, quam ibi docuerat atque fundauerat. Ipsam fidem quam beatus Dionysius in Gallia reliquit, (Hilar.) sanctus Hilarius Pictauiensis Episcopus egregius doctor, & nobilissima lucerna Ecclesiæ Dei, tenuit & docuit verbis & scriptis & exemplis. Ipsam fidem tenuit & docuit, & (Martin.) omnibus modis promouit Beatus Martinus Turonensis Episcopus, cuius sanctitas per omnes fines mundi vsque in præsentem diem clarissime splendet, & in summa veneratione habetur. Cuius fidei & doctrinæ testimonium perhibuit diuina virtus, in trium mortuorum suscitatione, aliorumque valde mirabilium operum exhibitione. (Remig.) Eandem quoque fidem beatus Remigius Remensis ciuitatis Archiepiscopus tenuit & docuit, & insignibus miraculis confirmauit. (Clodou.) B Hic Clodoueum inclytum regem Franciæ, & cum eo copiosam multitudinem gentis Francorum conuertit ad fidem Christi, & baptizauit in Remensi ciuitate, misso ei chrismate de cœlo. Ex illo ergo tempore Reges Francorum, & Principes Galliæ cœperunt esse Christiani; & cœpit communiter per totam Franciam publice coli religio Christiana, & per omnes ciuitates in veneratione haberi fides Christiana, eademque vsque in præsentem diem in tota Gallicana Ecclesia prædicatur. (Carolus Magnus.) De genere Clodouei processit Carolus Magnus, qui inter Francorum Reges summus atque gloriosissimus erat. Hic in eadem fide baptizatus est, quam à beato Remigio Rex Clodoueus acceperat, & quam cæteri Reges tenuerunt, (Leo Papa) qui à Clodoueo processerunt. Hic a beato Leone Papa Romam vocatus est, & consecratus in Imperatorem, & factus est aduocatus Romanæ Ecclesiæ, & fidelissimus defensor totius Christiani populi, & vehementer per eum aucta religio Christiana, & dilatata est atque confortata, & per ipsius diligentiam fides C Romanæ Ecclesiæ per multas terras, quæ ignorabant Dominum, dispersa est. Ipsam fidem quam professus est Carolus Imperator Romanus, tenuerunt & confessi sunt omnes Imperatores, siue Reges Romani, & omnes Reges Francorum, qui fuerunt post eum, & Principes eorum vsque in præsens tempus Frederici Imperatoris Romani & Ludouici Regis Francorum. Ipsam ergo fidem, quam primo beatus Petrus Romæ plantauit, & quam tenuerunt successores eius in Romana vrbe, & quam docuerunt in omnibus terris sancti Episcopi aliique sancti Patres qui obedientes erant Romanæ Ecclesiæ, & quam ab illis acceperunt Imperatores, & Reges & Principes terrarum, cum populis sibi subiectis, tenemus atque confitemur, nos videlicet clerici, & Monachi, & laici, qui in Ecclesia Christi baptizati sumus, & in Ecclesiis Deo sacratis conuenimus ad orandum & laudandum Deum, & ad communicandum corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi cum fide non ficta, & spe salutis animarum nostrarum. D In eo autem certi sumus nos habere eandem fidem, quam habuerunt sancti Patres ante nos; quoniam eadem Euangelia Christi eadem scriptura Apostolica, quam & illi habuerunt, & publice in Ecclesia docuerunt, habemus & nos credimus eis. Ipsorum quoque sancta scripta habemus, in quibus declarauerunt qualis esset fides eorum, & qualem intellectum haberent in libris veteris legis & Prophetarum, & in Apostolicis scriptis, & in eadem intelligentia sequimur eos. Manifestum est itaque ex his quæ dicta sunt, quoniam fidei nostræ fundamentum est doctrina Petri, qui fuit Christi, qui fuit Dei, imo & Deus. Vestri autem erroris fundamentum doctrina Manichæi, qui non fuit Dei, sed diaboli, non Christi, sed Antichristi: & hoc scire potest quisque sensatus, obediendum esse nostræ Catholicæ fidei, potius quam vestræ absconditæ infidelitati, quæ cum suo fundamento a cunctis qui amant veritatem, maledicatur, & sub æterna clausura damnetur.

E

SERMO IV.

De eo quod scriptum est: Fides sine operibus mortua est.

FOrtassis ô sancti Cathari, qui peccare non potestis improperatis nobis peccata nostra, & dicitis sicut legimus: (Iacob. 2.) *Fides sine operibus mortua est*. Vos autem opera ad fidem pertinentia non habetis. Et idcirco fides vestra mortua est, & quoniam fides vestra mortua est, nulla est. Et idcirco sacramenta vestra nullum effectum habent, & non potestis baptizare, & corpus Domini consecrare, nec aliquid huiusmodi in Ecclesia facere, quod vobis aut aliis prosit. Hæc est obiectio vestra aduersum nos. Ite primum, & interrogantes discite, qua de causa (2. Reg. 6.) Deus interficit Ozam, qui extendit manum suam, vt sustentaret arcam Dei, quando nutabat ita vt casura putaretur, F in tempore illo, quo eam reducem volebat Dauid de Bethsames in Ierusalem. Et cum hæc didiceritis, ibi uite reprehensiones vestras aduersum Ecclesiam Dei. Non oportebat nos respondere vobis aduersus ea, quæ nobis obiicitis de fide nostra, quoniam extra fidem Catholicam estis, sicut Domino volente comprobabimus. Non oportet nos respondere vobis de operibus nostris malis quæ obiicitis nobis, quoniam peiora & sceleratiora sunt opera vestra, sed alius erit locus dicendus de eis. Respondebimus tamen vobis hoc loco ne propter ignorantiam dimittere videamur, fatemur quidem, quod peccatores sumus; quoniam vt ait Iacobus Apostolus: *In multis delinquimus omnes*. Veruntamen est differentia inter delinquentes. Multi quidem in minoribus peccatis venialiter quotidie delinquunt, & quotidiana satisfactione Dominum placant, & agunt opera laudabilia, quæ pertinent ad fidem, quam profitemur. De talibus vt spero non potestis aliquid rationabili causa dicere, quod fides G eorum mortua sit, & quod sacramenta talium presbyterorum inania sint, & tales per gratiam Dei, nec sunt in Ecclesia, nec vnquam à principio in ea esse desierunt. Sunt vero quod ingemiscimus nonnulli qui in maioribus peccatis, quæ capitalia vocantur delinquunt, & super his non condigna pœnitētia satisfaciunt Deo. De talibus fatemur, quod fides quam habēt, mortua est, quia sine operibus iustificationis est apud ipsos. Mortua inquam est, non ita quod id quod credunt annihilatum sit propter ipsos, aut nullius vtilitatis sit, sed ipsis fides eorum mortua est, & eis non prodest ad salutem, nisi resipiscant ab operibus malis quæ in ipsis mortificant fidem. Quod autem dicitis de presbyteris nostris, qui tam malæ conuersationis sunt, vt fides eorum mortua dici possit, quod sacramenta eorum nullius vtilitatis sunt, huic omnino contradicimus, quod plane falsum est: Fides eorum, dicitis, mortua est, & ideo nec ipsis prodesse potest, nec aliis, falsum est hoc, quia aliis prodest: Fides quam ipsi manifeste profitentur, per ipsorum ministerium aliis H prodesse potest, & effectum bonum in aliis habere potest, quamuis non in ipsis: per similitudinem hæc vobis demonstro: Contingit aliquoties, quod medicus sapiens in infirmitatem grauissimam cadit, & habet sapientiam, quia scit curare seipsum, habet medicinam, quæ valet contra morbum suum; sed ita est delicatus, quod non potest gustare de antidotis suis, & præbet ea alij eandem infirmitatem habenti, & ille curatur. Ipse autem in sua infirmitate permanet vsque ad mortem. Vere de tali medico dicere possumus, quod ipsi mortua est sapientia sua alij autem viuit. Ita dico vobis de presbyteris Ecclesiæ, qui male viuunt, credunt quidem, sed eis credere non prodest ad salutem, si permanserint in iniquitatibus suis. *Nam & dæmones credunt, & contremiscunt*, vt dicit scriptura: Credebant nimirum dæmones, qui, vt ait Euangelista, dicebant Domino Iesu: (Matt. 8.) *Quid tibi & nobis Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Credunt inquam, & fidem habent presbyteri enormes,

A sed sicut dixi de sapientia ægri medici, sibiipsis mortua est eorum fides, aliis autem viuit, dum in nomine Christi baptizant, & alia sacramenta exequuntur, secundum quod à sanctis patribus statutum est. Talis erat ille, de quo Lucas Euangelista refert, dicens: *Respondens autem Ioannes dixit. Magister vidimus quendam in nomine tuo eycientem dæmonia & prohibuimus eum, quia non sequitur nos. Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere eum: Nemo est, qui faciat virtutes in nomine meo, & possit cito male loqui de me: Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Certe quisquis erat ille, mortuam quidem sibiipsi fidem habebat, cum non sequeretur Iesum, sed aliis viuebat fides eius, à quibus eijciebat dæmonia in nomine Iesu. Quod quidem nequaquam facere potuisset, si nullam omnino fidem, in nomine eius habuisset. Ita proculdubio etiam presbyteri mali dæmonia in nomine Christi eijciunt, quando in nomine ipsius, id est, secundum hoc, quod ipse instituit baptizant, & prodest baptizatis fides, quam verbis quidem, sed non operi-
B bus profitentur. Sed alio loco latius de hac re differendum est, & nunc ad loquendum de vestra abscondita fide, & de angulosa doctrina vestra sermonem conuerto.

SERMO V.

Circa primam Hæresim de coniugio.

VObis loquor doctoribus & præfectis, non in sanctitate quidem, sed in errore, & peruersitate. Animaduertite & videte quod non homines, sed dæmones
1. Tim. 4. vos appellat Apostolus in eo testimonio quod in principio sermonis induxi: *In nouissimis*, inquit, *temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, loquentium in hypocrisi mendacium, prohibentium nubere*, & cætera. Vos estis dæmonia hæc, de quibus loquitur, & qui vobis attendunt,
C à fide recta discedunt: Nam doctrina vestra prohibet nubere, in eo quod dicitis, neminem posse saluari, qui cum coniuge sua permaneat vsque in finem. O dæmones vnde vobis ista doctrina? Ex Euangeliis Christi non est, ex scripris Apostolorum non est, sed plane ex spiritibus erroris est. Intuemini Euangelium Matthæi Apostoli, quod per vniuersum orbem in Ecclesiis legitur, & si non creditis Græcis & Latinis codicibus, ite ad inimicos vestros Iudæos, & inspicite Hæbraicam
Matt. 19. scripturam, in qua Euangelium Matthæi scriptum habeat, & inuenietis in eo scriptum hoc modo: *Accesserunt ad Iesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes. Si licet homini dimittere vxorem, quacunque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos? Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Dicunt ei: Quid ergo, Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores ve-*
D *stras. Ab initio autem non fuit sic.* Certe si quid rectæ intelligentiæ habetis, hic animaduertere potestis in hac responsione, quod non approbat Dominus, vt omnes viri ab vxoribus suis discedant, sicut vos docetis esse faciendum. Si non posset saluari quisquam cum
Matt. 19. coniuge sua manens, sufficeret ei breuis responsio, ita vt interrogantibus illis: *Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa*: dixisset, Licet: & bonum est, & aliter saluari non possunt.

At non hoc dixit, sed comprobauit potius diuina authoritate stabilius esse debere vinculum societatis, quod est per legem Dei inter virum & coniugem suam, quam illud quod a natura est, inter virum & parentes suos. Vos autem ab inuicem separandos esse virum & mulierem dicitis, & aliter eos non posse saluari. Et ipse contra ait: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Virum & mulierem coniunxit Deus, qui secun-
E dum institutiones diuinarum legum coram Ecclesia ineunt fœdus coniugale, & tales per hominem separandi non sunt. Fit quidem nonnunquam vt tales migrent pariter ad monasticam vitam, & separatas ab inuicem mansiones eligant, quatenus Deo liberius seruire possint; sed talem separationem Deus operatur, non homo, & quidem tales non omnino ab inuicem discedunt, neque rumpitur inter eos vinculum coniugale; quia indiuisa in eis manet vnitas mentium. Nam quanto liberius diuinæ dilectioni vacant, tanto purius atque firmius se inuicem diligere possunt. Nos vero huiusmodi separationem, nullis vt vos facitis coniugibus suademus ea ratione, quod non possint saluari simul permanentes in seculo, & in vita coniugali. Vnam autem separationis causam, qua potest vir, si vult ab vxore discedere, & rumpere vinculum coniugale, quo alligatus est, ei determinauit Dominus, quando post responsionem supra memoratam, ita subiunxit dicens: *Dico au-* Matt. 5.
tem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob
F *fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Vbi ergo adiunxit, *nisi ob fornicationem*, dedit intelligi, quoniam sola fornicationis causa diuortium fieri potest. Quod si non recte nos intellexisse verba Domini quæ prædicta sunt arbitramini, audite Apostolum Paulum, quomodo concordat nobiscum, in intelligentia eorundem verborum, vbi ad Corinthios loquitur dicens:
His iam qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed 1. Cor. 7.
Dominus, vxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Et vir vxo- Ibidem.
rem non dimittat. Et subiungens authoritate propria, ait: *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fi-*
delem: Et sanctificata est mulier infidelis per virum fide- Eph. 5.
lem; alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat. In tempore pri-
G mitiuæ Ecclesiæ frequenter hoc accidit, vt vir esset fidelis, & mulier infidelis: & è contra vt vir esset infidelis, & mulier fidelis. Et suadebat Apostolus vt & tales ab inuicem non discederent, quod vtique non fecisset, si sciret vtrosque simul in tali coniugio perituros. Multum ergo à doctrina sua doctrina vestra dissentit, quæ eos qui vtrique legibus diuinis subditi sunt discedere ab inuicem cogit, dum eos saluari non posse prædicatis si permaneant simul. Audite & Petrum Apostolum si-
militer ad coniugatos loquentem in epistola sua: *Mulie-* 1. Pet. 3.
res, inquit, *subditæ viris suis sint*, vt si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore Dei castam conuersationem vestram. Item subiungit: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem; tanquam cohæredibus gratiæ.* Dicitis forte: Possunt quidem aliquomodo saluari, vir & mulier simul manentes, sed non aliter nisi abstineant ab opere coniugali. Hypocritæ, quid est quod vos di-
H citis? Si sciebat Dominus Saluator, & si sciebant sancti Apostoli, nequaquam posse saluari virum & mulierem, qui exequerentur opus quod ad coniugium pertinet: nonne plena perfidiæ & fallaciæ erant verba eorum, quibus tam diligenter suaserunt coniugatis, vt non separarentur ab inuicem? Absit autem hoc. Nota certe erat illis humana fragilitas, & sciebant non omnes viros & mulieres tam ferreos esse, vt possent cohabitare simul & continentiam obseruare. Vnde non illos, sed vos in hac quoque parte fallaciæ pessimæ arguendos
esse noueritis. Illud mihi forte obijcis ô Cathare, quod 1. Cor. 7.
Apostolus ait: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Concedo quod bonum est homini mulierem non tangere: Non tamen idcirco necesse est me concedere, quoniam malum est & illicitum homini mulierem tangere. Nam similiter propter cauendas tentationes, bonum est homini mulierem non videre: nunquid ergo necessario concedendum est, quoniam malum

est

A est homini mulierem videre? Si concedis quod malum est, tangere mulierem pro eo quod bonum est mulierem non tangere, concede etiam quia malum est, mulierem videre, pro eo quod bonum est mulierem non videre. Et si concedis, quoniam malum est mulierem videre, erue oculos tuos, vt nunquam videas mulierem. Hypocrita licitum est homini tangere mulierem suam, quia licitum est, vt *vnusquisque habeat suam* secundum verba eiusdem Apostoli. Et quia licitum est, malum non est. Bonum autem magis homini est, & magis expediens ad salutem, mulierem omnino non habere, nec tangere. Ad illud item fortasse confugies, quod ibidem Apostolus ait: *Tempus breue est reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint.* Ecce, inquis, dicit, vt & si maneant simul abstineant tamen ab opere coniugali. Et ego dico, quod si hoc facere possunt, bonum est illis, non tamen hoc quisquam sensatus eis præcepit, sed suadet. Potest tamen fieri vt vir cum vxore habitet, & opus coniugale operetur, ita vt sit quasi non habens vxorem.
B Hoc fit si sobrie & temperanter cum illa est, & per omnia Dei reuerentiam in ipsa custodit. Quod qualiter fieri debeat, sensati homines sciunt: Si autem opus coniugale ad damnationem esset omnibus coniugatis, nequaquam
1.Cor.7. Apostolus dixisset: *Vxori vir debitum reddat. Similiter autem & vxor viro. Mulier autem sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, vt non tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Scio autem quoniam & in hoc verbo hæres quod dicit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Dicis enim si indulgentia, id est, venia pertinet ad hoc quod sibi inuicem debitum reddant, ergo opus coniugale malum est. Si enim non esset malum, non ei venia necessaria esset. Si hoc dicis, iam in hoc ipso aliquid lucratus sum, quod opere coniugali veniam ab Apostolo dari confiteris:
C Nam si veniam ei dat Apostolus, veniale est, & si veniale est, non pro eo damnantur, omnes qui in coniugio permanent, sicut vos prædicatis. Distinctius tamen considerandum est, quod dicit Apostolus. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Et sciendum est quoniam in tribus significationibus hoc nomen indulgentia poni solet. Nam significat absolutionem, qua peccatori debita pœna relaxatur; & secundum hoc veniæ nomen ei adaptatur. Significat & concessionem, qua minora conceduntur bona his, qui exequi maiora non possunt, & secundum hoc ad ea non pertinet veniæ nomen. Significat & permissionem, qua minora mala fieri sinuntur, vt maiora fieri vitentur, & secundum hoc quoque venia dici potest. De maioribus bonis est continentia, quam quia omnes seruare non possunt, conceditur quod minus bonum est, videlicet coniugium. Conceditur inquam, non præcipitur, quia si præciperetur, transgressor haberetur quicunque in coniugio non esset. De maiori-
D bus malis, est homicidium, quod vt euitaretur, permissum est olim Iudæis minus malum, videlicet redditio talionis, & repudiatio mulierum, vt ab homicidij se flagitio temperarent. Nunc & opus coniugale nobis distinguendum est, vt euidentius fiat ad qualem concubitum, qualis indulgentia pertineat. Coniugalis concubitus, qui fit simpliciter intentione generandæ ac Deo educandæ prolis, per se peccatum non est, quia vt peccatum non sit, defendunt nuptialia bona, quæ sunt spes prolis, & fides, & sacramentum. Et de minoribus bonis, quæ indulgentiam habent, quæ concessio dicitur. Quod autem possit fieri sine peccato, intelligi potest ex eo quod Apostolus ait: *Etsi nupserit virgo, non peccat*: Per
1.Cor.7. se dixi, peccatum non est, quia accidere potest nonnunquam propter bonam illam intentionem aliquid peccati suboriatur excedente rationabilem modum carnali delectatione, quæ tunc quidem peccatum est, sed leue, & excusatur per prædicta bona coniugij. Quod si ob huiusmodi peccatum fugiendum euitari deberet officium coniugij, sicut vos susurrare soleris: tunc ob eandem causam & officium comedendi ac bibendi omnino E
vitari deberet, in quo simile peccatum aliquando etiam sapientibus surrepere solet. Ille vero coniugalis concubitus, qui fit non cum intentione generandæ prolis, sed tantum causa explendæ libidinis, per se quidem peccatum est, sed veniale, quia per cætera bona coniugij excusatur. [illegible] habet indulgentiam, quæ permissio dicitur, quoni[illegible] permittitur hoc malum, vt euitetur maius malum, [illegible] est, fornicatio. De tali igitur concubitu intelligatur dictum illud Apostoli: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Scio vnum ex susurris vestris, noui verbum occultæ sapientiæ vestræ, 1.Cor.7.
quod est fundamentum hæresis vestræ, quam de coniugio habetis. Innotuit autem mihi per quosdam viros, qui exierunt de societate vestra, & resipuerunt à verbis mendacij per verbum Dei, & per ministerium serui eius: Dicitis enim quod fructus ille, de quo præcepit Deus primo homini in paradiso, ne gustaret ex eo, nihil aliud F
fuit nisi mulier, quam creauerat, De ipsa dicitis, Adæ præcepit Dominus, vt non commisceretur ei, & commixtus est ei contra præceptum Domini, quod erat gustare de vetito ligno. Ex hoc ergo probatis omne genus humanum, quod de eis propagatum est, natum esse ex fornicatione, & neminem saluari posse, nisi purgatus fuerit per orationes & sanctificationes eorum, qui inter vos perfecti vocantur. Hæc autem causa est, pro qua soletis culpare coniugium, & dicitis quod omnes qui in coniugio sunt, & coniugale opus exercent, fornicantur, & rei sunt eiusdem inobedientiæ, per quam cecidit Adam: Et idcirco omnes damnantur, nisi discedant abinuicem, & vobis iungantur, & purgentur per vos. Hinc & hoc nomen sibi assumpserunt primi magistri vestri, vt se vocarent Catharistas, id est purgatores, & Catharos, id est, mundos: & ecce iusto iudicio Dei hoc ipsum nomen quod vobis assumpsistis ad gloriam vestram, versum est in ignominiam vobis in populari sermone: & nunc Domini mei purgatores & mundi, tanquam sepulchra dealbata pergo respondere ad occultam G
sapientiam vestram. Dicite mihi, vbi nam legistis, quod Dominus vetuerit primum hominem comedere de ligno scientiæ boni ac mali? Puto in libro Geneseos. Rustici redite ad eundem librum, aperite oculos vestros, si legere scitis, inspicite recapitulationem operis sexti diei, & legite quod dicit: *Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius* Gen. 2.
spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Post hæc subiungit de eo quod factum fuerat ante formationem hominis, & dicit: *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.* Post hæc subiungit descriptionem paradisi, & qualem eum fecisset Deus ostendit dicens: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni ac mali.* Posthæc descriptis etiam quatuor fluminibus paradisi nouissime addit. *Tulit ergo Dominus Deus homi-* H
nem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Nonne ecce ex his verbis intelligitis, quoniam & antequam creatus esset Adam, plantatus fuerat paradisus voluptatis cum omni ornatu suo, & duo ligna in ipso, videlicet lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali? Si ergo lignum scientiæ boni & mali creatum, antequam Adam Deus formasset & in paradiso collocasset, manifestum est, quoniam & antequam Euam creasset Deus, creatum fuit lignum scientiæ boni & mali, quod Deus prohibuit Adæ. & si illud fuit ante creationem Euæ, consequens est, quod illud non fuit Eua. Illud etiam attendite, quo ordine loquatur scriptura de ligni prohibitione, & de mulieris formatione: *Præcepit*, inquit ei, id est, Adæ *dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne* Gen. 2.

A *comedas: In quacunque autem die comederis ex eo, morte morieris* Et subiungit: *Dixit quoque Deus: Non est bonū hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi* & posthæc addit qualiter formauit illam de costa eius. Ex hoc quoque ordine locutionis datur nobis intelligi, prohibitum fuisse Adæ lignum scientiæ boni & mali, antequam Euam Deus formasset. Et quomodo tam præceps in mandato suo erat, Deus, vt non expectare potuerit, quoadusque mulierem formatam adduxisset ad Adam, & tunc ei interdixisset concubitum eius? Dicite mihi, & si illud lignum, quod Adam contra præceptum Domini gustauit, nihil aliud fuit quam mulier, quod lignum fuit quod mulier comedit & dedit viro? Dicitis forte, mulier comedit de ligno vetito, in eo quod virum concupiuit: & vultis quod sicut viro mulierem prohibuerat, ita & mulieri Deus prohibuerat virum: Sed adhuc interrogo vos. Quid fuit quod mulier prius ex parte comedit, & postea viro dedit comedendum, sicut dicit scriptura? Non habetis ni fallor, B quid respondeatis, nisi absurdam aliquam stultitiam respondere velitis. Et nunc quandoquidem ex scriptura Geneseos firmastis aciem vestram contra nos, respondere etiam de ea nobis debetis. Dicite mihi: Quale adiutorium voluit Deus exhiberi Adæ per mulierem quando dixit: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi?* Ad quam rem indigebat adiutorio eius? Nunquid indigebat, vt caput eius lauaret & pecteret? Nunquid indigebat vt seruili more alimenta ei præpararet, & administraret? Nunquid esse habebat, vt vestimenta ei procuraret, nendo, texendo, formando, consuendo, lauando, resarciendo? Nihil certe horum aut talium dicere potestis, si aliquid sanæ mentis habetis, quia nullum tale adminiculum homini in paradiso necessarium erat, vbi nullum patiebatur defectum: forsitan vt adiuuaret eum laudare creatorem suum, feci ei mulierem in adiutorium. Poterat certe Adam sine Eua satis alta voce cantare laudes Domino, C ita vt nunquam fieret lassus aut raucus. Aut si nolebat Deus, vt solus ille homo Deum laudaret, sed alius aliquis cum eo, non oportebat, vt propter laudes ei decantandas fecisset mulierem, quia poterat alios viros sufficienter creasse, qui cum ipso Deum laudarent. Dicitis forte: Sciebat Deus quod Adam in peccatum erat casurus, & corporales defectus passurus, & ideo mulierem fecit ei in adiutorium, vt post lapsum suum talia ei exhiberet adminicula, qualia nunc dicta sunt. Sed dico quod in eisdem rebus potuisset ei homo sui sexus, si opus haberet adiutorium ferre. Cur igitur fecit ei mulierem in adiutorium, & non alium virum, qui ministraret ei? Oportet nunc si vultis videri sapientes & intellectores scripturæ sanctæ, vt aliquod tale officium nominetis, in quo indiguisset Adam adiutorio mulieris, & in quo eum adiuuare non posset alius vir. Certe non inuenietis quid rationabiliter hic dicere possitis, nisi idipsum quod dicturus sum, mecum sentiatis. Volebat Deus creare humanum genus ad laudem & gloriam nominis sui, sed non ita vt angelicam fecerat creaturam: D Omnes enim Angelicos spiritus creauerat simul, ita vt nullus angelus ex alio nasceretur. Humanum vero genus ita creare disponebat, vt sibi inuicem succederent homines, & nascerentur alij ab aliis, quatenus causa consanguinitatis firmior inter eos esset connexio charitatis. Omnes autem vnum caput, & vnam originem habere voluit primum hominem, vt videlicet ab ipso omne genus humanum propagaretur, essetque ei in hoc quædam similitudo cum Deo, qui est caput & principium omnis creaturæ.

Non autem talem fecerat Adam, vt ab ipso solo posset generatio humana prouenire, non enim ei dederat Deus aptitudinem talem, vt posset parere, aut lactare. Fecit itaque ei mulierem, vt ex ea haberet adiutorium augendi & multiplicandi genus humanum, vt videlicet ipse generaret ex ea filios vt pater, ipsa pareret & lactaret filios, vt mater. Adhuc mihi dicite popule stulte & insipiens, si sicut docti estis, viro prohibuit Deus mulierem, & mulieri virum, quomodo fieri potuit illud E quod dixit ad eos? *Crescite & multiplicamini, & replete terram?* Quid debuerunt aut potuerunt facere, vt crescerent & multiplicarentur, si debebant omnino ab inuicem abstinere? Si voluit Deus, vt Adam filios ex Eua generaret, & sic per eos multiplicaretur genus eorum, & replerent terram, & iuxta hoc ei prohibuit tangere mulierem, contrarius erat sibi ipsi in sua voluntate, & in præceptis suis, & argui potuit insipientiæ, quod dicere nefas est. Si ego agricolæ meo omnino interdicerem officium seminandi, & tamen ei dicerem, vide vt bene fructificet ager meus, & per te multas fruges habeam: nonne mihiipsi contrarius essem, & insipientiæ argui possem? Vtique possem. Idem de Noe, qui tempore diluuij per arcam saluatus est, similia dicere possum. Si ita vt vos dicitis, Deus abominantur coniugium, & opus coniugale, quare cum vellet saluare Noe & filios eius ne perirent in diluuio, simul cum ipsis saluauit & vxores eorum? Nam cum præcepisset Noe vt F faceret arcam, dixit ad eum: *Ingredieris arcam tu & filij tui & vxor tua, & vxores filiorum tuorum.* Et rursum cum condidisset arcam dixit ei: *Ingredere tu & domus tua, te enim vidi iustum coram me in generatione ista.* Ecce testimonium perhibet Deus viro habenti vxorem, & filios tres quoniam iustus sit coram eo. Et qua audacia condemnaris omnes viros habentes vxores? Et quare vt dixi seruauit pariter cum viris etiam vxores eorum? Si molestum erat Deo omne coniugium, melius solos viros saluauisset, & omnes mulieres in aqua submersisset, aut solas mulieres seruasset, & omnes viros perdidisset. Etsi erat contra voluntatem Dei, vt viri miscerentur vxoribus suis quare hoc celauit à Noe quem diligebat, & à filiis eius, cum eos eduxisset de arca? Quare si eos diligebat, non dixit, peccauit in me Adam, in eo quod concubuit cum muliere quam interdixeram ei: Peccauit in me filius eius Seth, quia habuit vxorem & genuit filios & filias: Peccauerunt in me omnes, qui post illos duxerunt vxores, & filios genuerunt, & ideo perdidi eos. Vos autem G nolite facere malum hoc, neque misceamini vxoribus vestris, vt similiter non deleam vos? Nihil autem tale dixit ad eos, sed ait: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Quod qualiter fieri posset nescio, nisi cum vxoribus suis miscerentur. Aut si vos scitis quomodo aliter possent crescere & multiplicari, & replete terram, dicite nobis. Item & hoc miror, quomodo Deus, si ita abominatur coniugium, vt dicitis, potuerit se tam familiarem exhibere sanctis Patriarchis, videlicet Abraham & Isaac & Iacob, vt ipse loqueretur cum eis, & mitteret ad eos sanctos angelos, & tanta eis promitteret in futurum de propagatione generis eorum, qualiter illud vellet multiplicare & dilatare, & benedictionibus replere? Scimus ex scriptura, quod primus illorum erat trigamus, secundus monogamus, tertius tetragamus, & tamen Deus non hoc abominatus est in eis, sed seruos suos dilectos eos frequentissime appellauit, & propter merita eorum multas ac magnas benedictiones contulit generationi eorum, & imitatoribus fidei sanctæ, quam habuerent ad Dominum. H

¶ Veniam & ad illud quod mussitant quidam vestrum videlicet sequaces Hartuuini, quod illud coniugium solum iustum est, in quo virgines coniunguntur, & quod vnam tantum prolem gignere debent, & postea statim ab inuicem discedere, nec vnquam deinceps ad coniugalem thorum conuenire. Per omnia stultos & indiscretos vos esse video, tum quia error vester non sibiipsi concordat, tum quia id quod dicitis nec ratione nec aliqua authoritate sanctæ Scripturæ potestis confirmare. Non sibiipsi concordat error vere, quia si primo homini mulierem, vt dicitis, interdixit, & adhuc eadem interdictio manet: tunc nec coniugium virginum, nec eorum qui post violatam virginitatem coniuncti sunt, licitum aut iustum est. Item ex eo vos stultos iudico, quia manifestis Scripturæ sanctæ testimoniis contrariis, nam Paulus Apostolus ait: *Quæ sub*

Gen. 1. — Genes. 7. — Genes. 9. — 1. Cor. 7.

viro

A *viro est mulier, viuente viro alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.* Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, libera est à lege viri, vt iam non sit adultera si fuerit cum alio viro: *Cui vult,* (1. Tim. 5.) inquit, *nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit secundum consilium meum.* Item ait: *Volo adolescentulas viduas filios procreare, matresfamilias esse.* Quod de mulieribus ait, idem & de viris intelligendum est. Si ergo licitum est, vt Apostolus ait, vt mulieres viduatæ viris, iterum aliis nubant, & viri viduati vxoribus alias ducant: constat plane quoniam non solum coniugia virginum licita & iusta sunt, sed eorum quoque qui ante coniugium suum virgines non fuerunt.

(Chrysost.) Scio autem quoniam & in hac parte nobis contraitis, & obiicitis nobis quædam verba Ioannis Chrysostomi, quæ in expositione Matthæi scribit dicens: Secundam quidem vxorem accipere, secundum consilium Apostoli est: secundum veritatis rationem, vere B fornicatio est. Si secundum permittentem Deum publice & licenter committitur, honesta foroicatio est: & ego vobis dico si credendum est doctrinæ Ioannis Chrysostomi, certe credendum est & doctrinæ S. Augustini, & Hieronymi, & aliorum sanctorum patrum, quorum vita sancta erat, & quorum doctrina cum sanctis Euangeliis & scriptis Apostolorum concordabat, & in Romana Ecclesia, ad quam religionis Christianæ respectum habemus, authoritatem firmissimam habet. (August.) Audite quid & isti de secundis nuptiis dicant. Augustinus in libro de viduitate scribit hoc modo: Secundas nuptias omnino licitas concedit Apostolus. De tertiis autem, & de quartis, & de vltra pluribus nuptiis, solent homines mouere quæstionem. Sed quis audeat diffinire, quod nec Apostolum audio diffinisse? Ait enim: *Si dormierit vir eius, cui vult nubat, tantum in Domino.* Non dicit primus, non secundus, vel tertius, vel quotuslibet, nec nobis definiendum est. Vnde, vt breuiter respondeam: nec vllas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Idem & C (Hieron.) Hieronymus testatur: Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto & sexto, quemadmodum secundo marito nubere. Sufficiant nunc testimonia istorum duorum, qui affirmant secundas nuptias licitas esse, quod certe nequaquam facerent, si scirent in eis esse turpitudinem fornicationis. Et quia isti in verbis quæ inducta sunt concordant cum verbis Apostolicæ doctrinæ, magis quam illa Chrysostomi Græci doctoris, ista quidem recipiuntur, illa vero non approbantur, neque recipiuntur, in authoritate. Ipsi animaduertite: Nunquid vobis rationabile videtur, quod dicit secundũ coniugium esse fornicationem, & ipsum esse secundum consilium Apostoli? Certe omnem fornicationem dissuadet Apostolus, & absterret homines ab ea, cum dicit: (Heb. 13.) *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.*

Quomodo ergo conuenit, vt dicatur aliqua fornicatio esse secundum consilium eius? Laudamus certe D Chrysostomum illum & aureum os eius, sed non in his verbis eum laudamus: æstimo tamen quod non in verbis illis hæresim sapiebat Ioannes, quam vos tenetis, vt videlicet secunda coniugia omnino illicita esse iudicaret, quemadmodum fornicationem. Sed ob hoc fortasse dicebat hoc quod nobis obiicitis, quoniam in secundis nuptiis disceditur à Sacramento vnitatis, quæ debet esse inter Deum & animam hominis, cuius significatio in monogamia est, & forte ob hoc quoque quod secunda coniugia magis extra pudicitiam sunt, quam prima, & nimis vehementer hanc persuadere cupiebat eis, quibus prædicabat.

Ad hoc iterum redeo, quod dicitis vnam tantum prolem debere generare coniuges qui virgines conuenerunt. Vnde hoc habetis: Quæ vobis scriptura hoc determinauit? Nonne ex verbis Apostoli, quæ nunc induxi patet, quoniam non solos monogamos, sed etiam bigamos licet plures filios procreare, & deben vt dicitis statim ab inuicem separari, postquam vnam habuerint prolem. Interrogo quare? Si vt dicitis hoc coniugium iustum est solum, quare soluendum est? Aut si solui necesse est, vt salutem consequi possint homines illi, quomodo iustum est coniugium eorum? Si ergo omne coniugium vt dicitis, solui debet, qui sunt qui debent obseruare illud mandatum Apostoli: *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem?* O insensati Cathari, quis vos fascinauit non credere veritati tot testimoniorum diuini eloquij vt destruere velitis omnia legitima coniugia, quæ à principio mundi, vsque in hodiernum diem in honore fuerunt per vniuersum mundum, in omni genere hominum, & fidelium & infidelium? Puto quod ex amore castitatis hæc omnia dicitis. Puto quod ex amore castitatis hanc consuetudinem inter vos habetis, vt in conuenticulis vestris, sicut ab vno hæresiarcha vestro audiui, pariter dormiant duo viri in lecto vno: itemque duæ mulieres in lecto vno, quatenus se vicissim custodiant, & vnusquisque testimonia suæ castitatis ab alio habeat. Magnæ religioni deputabat consuetudinem hanc qui narrabat hoc mihi, sed indubitanter à consilio maligni est religio hæc, & non adeo frenatum est os meum pudore, vt loqui non possim ea quæ de vestra misera castitate dicuntur ab eis qui experti sunt eam. Vos coniugalem copulam reprobatis, quam instituit Deus, & quæ cum lege naturæ concordat. Attendite vobis ne forte ob hanc temeritatem iusto Dei iudicio traditi sitis in ignominiam, quæ à lege naturæ discordat. Hactenus de coniugio nos disputasse sufficiat, nunc autem de ea sanctitate vestra colloquimur, qua ab esu carnium abstinetis.

SERMO VI.

Contra secundam hæresim de esu carnium.

VObis loquor, quos sicut dixi, non homines, sed dæmones Apostolus vocat, cum dicit: *Attendentes doctrinis dæmoniorum, loquentium in hypocrisi mendacium, prohibentium nubere:* & subauditur, docentium *abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui nouerunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Dicite mihi de quo genere ciborum locutus est Apostolus hoc loco? Si ignoratis, dicam vobis. Carnes significauit, & de vobis locutus est, qui in hypocrisi loquimini mendacium, videlicet non esse licitum hominibus vt nubant, & vt carnes manducent: hoc in hypocrisi loquimini, quia in hoc casti & sancti coram hominibus vultis apparere, sed est mendax hæc vestra doctrina. Nam & nubere licet, sicut Apostolus in hoc ipso demonstrat, quod eos abominatur, & dæmones vocat, qui hæc prohibent. Et carnes edere licet eis, qui votum non habent abstinendi ab eis. Ratio vestra est, quare edendæ non sunt carnes, quia de coitu nascitur omnis caro, & ideo immunda est, & coinquinat manducantem. Miror si Dominus creator omnium rerum, quando hominibus concessit vt ederent carnes, igoorabat hanc vestram sanctam rationem, videlicet immundos fieri omnes qui ederent carnes, pro eo quod omnis caro ex concubitu nasceretur. Heu quod non habebat Catharum vnum qui ei hanc sapientiam in aurem susurrasset, in illa hora quando dedit potestatem edendi carnes Noe & filiis eius dicens: *Crescite & multiplicamini, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis qui mouentur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi holera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedatis.* Nonne ecce patet ex his verbis, quòd Deus fecit homini

licitum

A licitum manducare carnes? Et qua fronte, qua audacia vos dicitis esse illicitum? Certe si sciebat omnem carnem ita pollutam, vt non posset quisquam ex ea gustare quin pollueretur, non satis fidelis erat Deus, quando concessit homini talem, quem sine pollutione sua non potuit manducare. Si vero hæc Deus nesciebat, & vos scitis, puto, vos sapientiores esse Deo, & magnos amatores munditiæ. Sed quam falsum hoc sit vos ipsi scitis, si aliquid scitis. Nunquid & sapientiores & sanctiores estis sanctis Patriarchis, qui licitum æstimabant esum carnium, & ipsi ex eis vescebantur? Sanctus Patriarcha Abraham qui dignus habitus est, vt familiariter loqueretur cum Deo, Gen. 18. legitur suscepisse hospitio Angelos Dei, in forma trium virorum, quibus & prandium fecit, & vitulum tenerrimum & optimum, quem coxerat, eis apposuit ad manducandum. Quod vtique non fecisset vir sanctus & sapientissimus, si sciret in tali cibo immunditiam esse. Sed & filius eius Isaac pulmentum de venatione, à filio suo Esau petiit, & edulium de hœdis B oblatum ab Iacob manducauit. Sacerdotes quoque populi Israel, & omnes qui de genere sacerdotum erant, carnes legalium hostiarum in loco S. manducare a Do- Gen 17 mino iussi sunt. Quia si ita immunda esset omnis caro, vt vos arbitramini, nunquam tot sacrificia de carnibus animalium Deus sibi super altare suum offerri præcepisset. Nunquam in sancta lege sua de comestione earum sacerdotibus suis aliquid mandasset, neque per eas sanctitatem eorum pollui permisisset. Ad hæc forsitan respondetis, quoniam multa in tempore veteris legis licita erant, quæ licita non sunt in tempore hoc Euangelicæ legis, & maiorem munditiem exigit Deus à populo noui Testamenti quam à populo qui erat sub priore testamento. Et idcirco istis vtrumque sunt carnes, quamuis illi ab eis non abstinerent. Ego vero ad hoc dico, quoniam si, vt dicitis aliqua naturalis immunditia est in carnibus animalium, quæ coinquinet manducantem, eadem & tunc erat, quia eiusdem creationis & conditionis erant tunc, cuius sunt & nunc. C Item si licitus non est vsus carnium, ostendite nobis aliqua mandata Euangelicæ aut Apostolicæ scripturæ, aut aliquorum orthodoxorum patrum traditiones, in quibus generaliter præceptum sit vt abstineatur ab eis, & credimus vobis. Dominus saluator quando ad prædicandum discipulos suos misit, inter cætera dicebat Mat. 10 hæc ad eos: *In quancunque domum intraueritis, primum dicite, pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illũ pax vestra. In eadẽ autem domo manete edentes, quæ apud illos sunt: Dignus est enim operarius mercede sua.* Videtis quod non exclusit à cibis eorum vsum carnium, ita vt diceret: Quod si vobis appusuerint carnes nolite manducare. Quod vtique dixisset, si esum carnium sanctitati eorum periculosum fore existimasset. Dicite mihi: Si immunda est omnis caro, & coinquinat manducantem, quomodo verum erit quod sal- Matt. 15. uator dixit: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit de ore coinquinat hominem. De corde,* inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,* D *fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem?* Ergo ô Cathari non carnes vos coinquinant, si manducaueritis eas, sed mendacia vestra, quibus creaturam Dei bonam, dicitis esse immundam. Non tamen hoc dico quasi mihi sit curæ, vt vnquam aliquid boni manducetis aut bibatis, qui populo Dei tam peruersæ doctrinæ mortiferum poculum vbique propinatis. Audite nunc quid Apostolus no- 1. Cor. 10. ster scribens ad Corinth. dicat. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo eius:* An nescitis quod in macello carnes vænundari solent? Si ergo omne quod in macello venit, id est, venundatur, manducari licet, tunc secundum Apostoli verbum, & carnes manducari possunt à Christianis. Quod adiunxit: *Nihil interrogantes propter conscientiam,* ideo dixit, quia in tempore illo, etiam carnes immolatæ idolis, vendebantur in macello, & nolebat Apostolus vt Christiani

E eas ementes interrogarent, vtrum immolatæ fuissent idolis, an non, ne forte alius Christianus adhuc infirmus in fide, sciens eos scienter manducare idolothyta, putaret eos manducare ea sub veneratione idoli, cui fuissent immolata. Et sic ipse quoque inciperet idola venerari. Simile est & illud, quod subiungit: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatitium est, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius,* subaudis infirmi, sicut prædictum est. Si ergo carnes illæ, quæ fuerant dæmonibus immolatæ, non poterant contaminare manducantem illas, eum videlicet, cui non fuisset indicatum de eis, quod essent immolatitiæ, multo minus illæ, quæ nunquam talibus sacrilegiis adhibitæ sunt. Illud forte obiicitis mihi, quod Apostolus ad Ro- Rom. 14. manos scribens ait: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum.* Et ego quidem ipsum concedo, quoniam hoc homini bonum est. Quare bonum? F quia qui abstinet ab esu carnium, & potu vini, longius est ab eo peccato, quod contrahitur per concupiscentiam gulæ, quam qui vtitur istis. Suauia enim sunt hæc ad gustandum, & facile prouocant concupiscentiam gulæ, vt supra quam oporteat delectetur, in his qui gustat ea, quod quidem peccatum est. Item idcirco bonum est, vt per abstinentiam istorum corpus affligatur, & per afflictionem corporis maior à Domino merces acquiratur. Et hæ quidem sunt causæ quibus monachi, & fideles viri pœnitentes ab illis se abstinent. Attamen quamuis concedatur, quoniam sicut ait Apostolus: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum,* non ex hoc concedi oportebit, vt vobis videtur, quoniam malum est comedere carnes, & bibere vinum: quia possibile est ita temperate hominem istis vti, vt non peccet. Nam & saluator bibit de genimine vitis cum discipulis suis, & tamen nunquam peccauit. Quod autem non necessaria sit contentio ista: *Bonum est homini non manducare car-* G *nem, & non bibere vinum,* ergo malum est homini manducare carnem, & bibere vinum, in simili sermone demonstrabo. Scimus quoniam bonum est silentium, & multum à spiritualibus viris commendatur, quoniam qui silet, longius est à peccato linguæ, quam qui loquitur. Nam *qui non peccat in verbo hic perfectus est vir.* Si ergo bonum est silere, malum est loqui. Nunquid hoc Iacob. 3. necessario sequitur? Nequaquam; Quoniam simul hæc vera sunt, videlicet bonum est silere, & bonum est loqui. Itaque non manducare carnem, & non bibere vinum, cum dicatur bonum quasi cautum, non quasi virtus. Non oportet vt ob hoc dicatur malum esse comedere carnes, & bibere vinum, quia in hoc continuo intelligeretur, quod esset vitium & peccatum.

Veruntamen non multum est necessarium assumere nos hanc disputationem hoc loco: quia si recte animaduertimus tenorem scripturæ, vnde sumpta sunt hæc verba, patet, quia non simpliciter dictum est: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum.* Nam Rom. 14. cum dixisset in præcedentibus loquens de escis: *Omnia* H *quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat,* protinus addidit: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum,* continuoque subiunxit: *Neque in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur, aut infirmatur:* & est sensus: quandoquidem malum est homini aliquid manducare per offendiculum, ita vt alium suo cibo scandalizet: *Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum. Neque* subaudis aliquid tale, *in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur.* Est ergo generalis quædam comprehensio quorumlibet ciborum in his verbis, vt intelligi possit & de faba, & legumine idipsum. Nam si quis ista comedendo fratrem suum scandalizaret, bonum esset illi non comedere ista. Suauiores autem cibos nominatim expressit, à quibus difficilius abstinetur, vt suaderet dimitti etiam concupiscibiles cibos, causa fraternæ charitatis. Id autem in tempore illo necessarium existimabat suaderi,

A quia erant quidam ita perfectæ fidei, vt nullum cibum æstimarent immundum, sicut & Apostolus dicebat: Rom. 14. *Omnia quidem munda sunt:* & erant quidem adhuc ita infirmi in fide, vt æstimarent à quibusdam esse abstinendum, veluti Iudæi nouiter conuersi, qui abominabantur eos, qui porcinam, vel idolothyta coram eis manducabant, & ex hoc scandalizabantur. Propter Ibidem. huiusmodi ergo dicebat: *Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas.* Et de 1. Cor. 9 seipso dicebat: *Quia si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Itaque si quid obiectionis in his verbis Apostoli, quæ inducta sunt, habebatis, exinanitum est. Adhuc dicite mihi: Carnes non manducatis, quia ex coitu veniunt. Et quare pisces manducatis, qui similiter ex coitu veniunt? Nihil hic rationis habetis: Puto peccatum est coitus gressibilium, & volatilium & non natatilium, & in peccatis concipitur & nascitur omne animal: & ideo sine peccato non possunt manducari car- B nes eorum: falsum est hoc totum, ô Cathari, falsum est, quia nullum vnquam mandatum susceperunt aut suscipere potuerunt de vitando coitu. Et ideo nihil magis rationabile est quod dicitis, non comedimus vaccam, quia de coitu nata est, quam si diceretis, non comedimus vaccam, quia cornuta est: Nam esse de coitu natam, nihil magis peccatum est, quam esse cornutam.

Contra tertiam Hæresim, de creatione carnium.

SCimus autem quia princeps erroris vestri Manes talem habebat vitandarum carnium rationem, quod dicebat omnem carnem creatam esse à diabolo, & humani quoque corporis conditionem ei attribuebat. Animam vero à Deo creatam affirmabat: Et sicut compertum habeo, vos quoque in occultis vestris eandem rationem vitandarum carnium susurratis. Sed hoc quoque mendacium mendacissimum est, nisi, quod absit, Gen. 1. mentiatur scriptura veritatis, quæ dicit: *Dixit quoque* C *Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.* Quod si non sufficit scriptura veteris testamenti ad comprobandum vobis, quod omnem carnem fecerit Deus, audite scripturam Euangelicam, quæ Ioan. 1. dicit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si ergo omnia per verbum Dei facta sunt, ergo & omnis caro per ipsum facta est. O maniatice Manes cum insanis sequacibus tuis, ille vos adiuuet, sicut ipsum decet, quem Deo adiutorem in creatione rerum constituistis. Gens maledicta, quid indigoit Deus adiutorio diaboli, vt non posset perficere conditionem vniuersitatis, nisi eum diabolus adiuuisset? An nescitis quoniam tantæ malitiæ est, vt si possit vno momento, omne quod ad laudem Dei est in mundo destrueret, & ad nihilum redigeret potius quam crearet? Taceo nunc de corporibus irra- D tionabilium, de corpore hominis loquor, qui specialiter est conditus ad seruiendum Deo viuenti, & ad resistendum per omnia diabolicæ voluntati. Certè si creasset corpus eius diabolus, nunquam tam honeste, tam ordinate aut commode membra eius disposuisset, sicut sunt. Quoniam si recte animaduertuntur, secundum mirabilem sapientiam & benignitatem cuncta ordinata sunt, sicut omnibus patet. Cætera animalia sic condita sunt, vt prono ad terram corpore, vultu demisso incedant, solus vero homo ita dispositus est in corpore, vt incedat rectus, & aptum habeat vultum ad suspiciendos cælos, ad quos & totam mentis intentionem dirigere debet. Et nunquid putatis, si disposita fuissent membra humana secundum arbitrium diaboli, qui interminabile odium aduersum omnes nos gerit, & cunctis bonis nostris inuidet, talem nobis honorem præ cæteris animantibus præstitisset? Nequaquam: immo nos tales maluisset condidisse, vt toto corpore serperemus per terram, aut erectis sursum pedibus, & conuerso in terram capite manuum officio sicut fieri posset incederemus. E Quomodo enim amet honorem & commodum humani corporis sæpius ostendit in illis, quos pro aliquibus delictis, Deus ab illo flagellari permittit, sicut & in muliere illa, quam alligauit Satanas XVIII. annis, ita vt non posset sursum aspicere, in eo quem frequenter in ignem & in aquam misit, vt eum perderet, & in aliis quam pluribus. Patet ergo ex his quæ sunt, quoniam si idcirco carnibus abstinetis, quia nascuntur ex coitu, fatui estis. Si vero idcirco, quod opificium sint diaboli, sicut mentitus est princeps vester Manes, constat quoniam insani estis, cum illo: Et nunc ad alia transeamus.

SERMO VII.

Contra quartam Hæresim, de Baptismo paruulorum.

F DE Baptismo paruulorum dicitis, quoniam inanis est, & quod neque illis prodest ad salutem, neque aliquibus qui non sunt eius discretionis vt possint credere, aut per seipsos gratiam Baptismi postulare. Confirmaris autem, vt æstimo errorem istum auctoritate Euangelici sermonis, quem locutus est Dominus, quando ad Marc. vlt. baptizandum misit Discipulos suos dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Hinc ni fallor huiusmodi argumentationem sumitis vt dicatis: Nemo credere potest nisi discretionem habeat boni & mali. Paruuli autem cum baptizantur, discretionem boni & mali non habent, ergo non credunt, condemnantur ergo cum ante annos discretionis moriuntur. Si hoc dicitis scire debetis, quia non rectum in verbis veritatis intellectum habetis. Quod enim Dominus ait: Ibidem. *Qui non crediderit condemnabitur*, non ita accipiendum est, quasi dictum sit de omnibus qui non credunt, sed G tantum de his qui credere possunt, & nolunt. Paruulos enim qui baptizantur, & necdum credere possunt imbecillitas sensus sui excusat, vt non comprehendantur in sententia illa, qua condemnantur non credentes. Sic autem pluribus in locis sancta Scriptura loquitur, quasi vniuersitatem quandam comprehendat, vbi tamen vniuersitas intelligenda non est, sed de vniuersitate aliquid excipiendum est, vt patet in priore parte eiusdem sermonis, quem de Euangelio induxi, vbi ait: Ibidem. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ecce enim hoc videtur dictum de omnibus qui credunt & baptizantur, quod saluandi sint, sed non est ita: nam multi credunt & baptizantur, nec tamen saluabuntur, quoniam ad tempus credunt & in tempore tentationis à fide recedunt, vel per malam vitam fidem suam inutilem reddunt. Propterea ego, vt dixi, de vniuersitate credentium, quæ ibi videtur comprehensa aliquid excipiendum est, ita vt dicatur hoc dictum esse non de H omnibus credentibus, sed de illis qui habent fidem, quæ per dilectionem operatur, & in ea perseuerant, ita vt non refrigescat charitas eorum in tentatione, & non recedant corda eorum à Deo. Si ergo prior particula illa sermonis quæ communiter dicta videtur, stare non potest, nisi aliquid de vniuersitate excipiatur, non debet videri incongruum, si etiam posteriorem partem eius ita exponimus, vt eam non vniuersaliter intelligendam esse dicamus. Tale est & illud quod idem saluator in Euangelio de Sacramento corporis & sanguinis sui pronunciauit, dicens: *Qui manducat meam carnem, &* Ioan. 6. *bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.* Hoc enim videtur dictum de omnibus, qui manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini. Sed non est intelligendum nisi de illis qui digne manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini: multi enim manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini indigne, & non ex hoc habent vitam æternam, sed vt dicit Apostolus, *iudicium* 1. Cor. *sibi manducant & bibunt, non diiudicantes corpus Domini.* 11.

[A] [Matt. vlt.] Itaque, vt dixi, illa sententia qua dictum est: *Qui non crediderit, condemnabitur*, non ad omnes non credentes pertinet, sed ad eos qui cum habeant possibilitatem credendi, non credunt: Excipiuntur enim paruuli qui baptizantur, & necdum credere possunt. Forte adhuc vobis videtur, quia iniuriam faciamus litteræ Euangelicæ, quæ videtur pertinere tantum ad eos, qui possibilitatem habent credendi: Sed quæso respondete mihi de simili littera, quæ in sancta Scriptura inuenitur. [Iac. 3.] Iacobus Apostolus in Epistola canonica scribit dicens: *Qui non peccat in lingua hic perfectus est vir.* Nunquid hoc pertinet ad omnes communiter, qui non peccant in lingua? Certe si omnes qui peccatum linguæ non committunt, perfectæ sunt sanctitatis, omnes infantes, & omnes muti, sancti & perfecti iudicandi sunt, quod falsum esse nulli dubium est. Itaque quod dictum est, *qui non peccat in lingua, hic vir perfectus est*, ita intelligi necesse est, vt dicatur esse perfectus qui cum possit & sciat, peccare in lingua, abstinet per Dei timorem, vt non peccet in ea. [B] Tale est & illud quod Apostolus ait: *Qui non laborat, non manducet.* Nam vniuersaliter pronuntiari videtur de omnibus non laborantibus, sed non est ita: Nam si de illa sententia nullus qui non laborat excipiendus est, tunc neque pueri, neque senes, neque infirmi manducare debent, qui non laborant. Ad eos ergo pertinet verbum hoc, qui cum possint laborare, non laborant, sed otio vacant. [Ioan. 5.] Simile est & illud: *Qui vero male egerunt in resurrectionem iudicii.* Hoc quoque generaliter dici videtur de omnibus qui male agunt, sed excipiuntur ab hac sententia qui mala agunt & postea pœnitent, & in bono perseuerant. Multa in Scripturis sanctis similiter dicta inueniuntur, sed non est necesse plura ad præsens negotium exempla induci. Et nunc si aliam habetis defensionem erroris vestri, proferte eam, quoniam hæc de qua nunc locuti sumus non proderit vobis. Popule stulte & insipiens, nunquid non cognoscitis gratiæ tempus? An nescitis quoniam Scripturæ sanctæ vocant tempus gratiæ omne hoc tempus, quod à Christi natiuitate vsque [C] ad finem seculi decurrit? Ideirco autem gratiæ tempus vocatur, quia in eo dilatata est misericordia Domini super genus humanum, & apertus est sinus Dei ad suscipiendas animas hominum, magis quam in omnibus seculis, quæ fuerunt ante Christi aduentum. At si ita est, vt prædicat impietas vestra, videlicet quod omnes, qui ante annos discretionis moriuntur, condemnantur, & nullum eis remedium constitutum est à Deo, quo possint adiuuari ab Ecclesia Dei, vt oporteat ex necessitate effluere in perditionem æternam, durus certè & immisericors est Deus magis quam fuisset in temporibus, quæ aduentum Christi præcesserunt, & minus curans de hominum salute. A tempore enim Abrahæ vsque ad Christum, constitutum erat à Deo in populo Iudaico, qui erat ex Abraham, vt omnis infans masculus die octaua à natiuitate sua circunciderctur in carne sua ad generationem pertinente, vt sic liberaretur à peccato originali, cum quo nascitur omnis homo, & pro quo damnatur omnis anima, quæ non fuerit aliquo remedio ab eo [D] purgata. Quia autem pro animarum saluatione datum fuerit illud mandatum, apertè cognosci potest ex verbis Domini, quæ ad Abraham locutus est, quando ei circuncisionis præceptum dabat, dicens: *Infans octo dierum* [Gen. 17.] *circuncidetur in vobis. Omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quam emptitius circuncidetur. Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ecce in hac comminatione euidenter cognosci potest, quod propter conseruationem animarum eorum ipsos iussit circuncidi. Et hoc animaduertite, quod non dixit expectandum esse vsque dum peruenisset homo ad annos discretionis, & tunc esse circuncidendum, cum per seipsum postulare posset circuncisionem: sed die octauo iussit circuncidi infantem, quia sciebat fragilitatem corporis humani, & quod leui infortunio contingere potest, vt extinguatur homo, antequam ad annos maturitatis perueniat. Quia ergo ita festinari voluit circuncisionem, idcirco fecit, vt saluæ

[E] fierent animæ, & non inciderent in damnationem æternam per maculam originalis peccati, quod à primis parentibus contraximus omnes. Potuit etiam nimirum eadem circuncisio fieri ante diem octauum, si periculum mortis paruulis imminere videbatur. Sicut & nos pro eadem causa ante tempus nonnunquam paruulos baptizamus, cum tamen sit constitutum ab Apostolicis patribus, vt vel in Pascha, vel in Pentecosten baptizemus. Sicut autem paruuli masculini sexus ab originali culpa, per circuncisionem expiabantur, ita & fœminini sexus infantes per legales oblationes ab ea purgabantur, vt & ipsarum animæ non perirent à populo suo. Ante tempus autem circuncisionis ab Adam vsque ad Abraham, qui primus suscepit circuncisionis mandatum, fieri solebant oblationes Deo, ab his qui Dei cultum habebant, per quas deleri potuit originale peccatum, atque alia peccata fragilitatis humanæ in electis Dei tam pusillis quam magnis, vt saluæ fierent animæ eorum, quoniam nunquam misericordia Dei humanum genus omnino dereliquit. [F] Ecce talis erat Deo de infantibus cura in prioribus seculis, vt conseruarentur animæ eorum à perditione, & nunquid æstimatis, impia gens, quod oblitus sit eiusdem misericordiæ suæ Deus in tempore isto, quod gratiæ tempus & annus benignitatis vocatur? An putatis quoniam minus amet filios, & filias Christianorum, quam infantes Iudæorum, quibus constituit circuncisionem, vt non perirent animæ eorum à populo suo? Iussit autem cessare circuncisionem post ascensionem Christi per doctrinam Apostolorum, quorum vnus dicebat: *Si circuncidamini Christus nihil vobis prodest.* [Gal. 5.] Circuncisionis autem loco esse voluit baptismum aquæ, vt eo purificaretur à peccatis omnis homo tam pusillus quam magnus quicunque fuisset mersus in eo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et quidem si est, vt vos dicitis, videlicet quod tantum adultis & non etiam paruulis prosit baptismus ad salutem, non habet tantam virtutem baptismus nunc, quantam habuit circuncisio [G] in tempore suo obseruata. Super hoc ergo mihi respondete: Quando constituit Dominus vt baptismus fieret in Ecclesia, & cessaret circuncisio, tunc vel voluit & non potuit dare baptismo eam virtutem, quam habuerat circuncisio, videlicet vt per ipsum conseruarentur animæ infantium: Vel potuit hoc & noluit, vel nec voluit hoc, nec potuit. Si voluit, & non potuit, non erat tantæ potentiæ, quantæ fuerat olim, quando constituit fieri circuncisionem, & per eam animas paruulorum conseruauit à damnatione. Quomodo ergo verum erit quod dicit scriptura? *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra?* [Ps. 134.] Si autem potuit & noluit, non est in hoc tempore gratiæ tam largæ benignus, neque tam fidelis erga populum Christianum, vt fuerat erga populum Iudaicum. Et in eo quod abstulit circuncisionem in qua poterant conseruari animæ infantium, & nihil in locu eius fieri ordinauit, per quod possent adiuuari. Si autem nec voluit nec potuit Deus facere per baptismum eam misericordiam paruulis, quam fecerat per circuncisionem, consequēs est, vt neque tam potens neque tam benignus sit in tempore hoc, vt [H] fuerat in diebus antiquis. Quodquidem tam alienum est à veritate, quàm Catharus a salute. Et si verus est sermo vester, melius certe atque felicius fuisset mundo, vt Iudaica lex quæ adiuuare potuit tam pusillos quam magnos, in statu suo permansisset, & vt ad eam omnes gentes confluxissēt, quam vt lex Christiana mundum intrasset, quæ vt susurratis prodesse non potest, nisi his qui ad annos discretionis perueniunt. Vix certe media pars hominū viuendo peruenit ad dies suos, in quibus scire possint quid credere debeant, aut quid non. Si ergo omnes tales necesse est perire, merito debet intolerabilis esse tristitia toti Ecclesiæ, pro ea mutatione, quam in ea fecit Deus, in hoc quod interdixit circuncisionē, & pro ea baptismum constituit, & tot millia animarum in perditionem ire permittit, quibus putatur prodesse baptismus, & non eis prodest, vt docet hæresis vestra. Quid ergo aliud faciet Rachel, nisi vt sine intermissione ploret filios

A suos, & non velit consolari: quia non sunt? Quomodo ergo tempus istud recte dici potest tempus gratiæ, & non magis tempus iræ? Imo ô filij iræ, ô Cathari semen nequam? filij scelerati, nunc est tempus gratiæ, & non iræ: nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis: quia sicut prædixi, dilatata est misericordia Dei super hunc mundum magis quam in prioribus seculis. Nam ante saluatoris aduentum regnauit mors & perditio in humano genere, & premebat ita Dei totum mundum; & paucissimæ animæ in illo tempore saluæ fiebant à morte æterna. Omnes enim gẽtes creatorem suum ignorabant, & idololatriæ deseruiebant, præter Iudaicam gentem, in qua notus erat Deus, & quæ legibus & obsequiis veri Dei erat mancipata. In hoc autẽ tempore ostendit Deus misericordiam suam in vniuerso mundo; & notus fieri voluit in cunctis finibus terræ, & constituit baptismi gratiam, non vni genti, vt circumcisionem Iudæis, sed omni generi hominũ, ita vt quicunque baptizatus fuerit in nomine eius, siue Iudæus, siue Græcus, siue Latinus, siue B barbarus, pusillus aut magnus, mas siue fœmina seruus siue liber, remissionem omnium peccatorum in eo consequatur tam plenarie, vt si mox per baptismum de hac migret vita, aperta sit ei ianua regni cœlestis. Tantam vero virtutem saluationis non habebat circuncisio in veteri populo: Nemini quippe pusillo & magno quantumcunque innocens aut sanctus esset, introitus regni Dei aperiebatur per circumcisionem, aut per aliquas obseruationes legis antiquæ. Sed quicumque electi erant ad regnum Dei in populo illo detinebantur animæ eorum in locis sibi destinatis à Deo, expectantes donec per virtutem Christi patefieret eis accessus ad perfectæ beatitudinis gloriam. Propter hæc ergo quæ nunc dixi, meritò hoc tempus Christianitatis, tempus gratiæ, & tempus acceptabile dicitur, & dies salutis dies isti vocantur, qui magis dies perditionis dici possent, si ita esset, sicut vos impiè susurratis. Non autem id me dicere æstimetis, quod omnes qui in Ecclesia secundum quod constitutum est à Domino baptizantur, ita remissionem peccatorum suscipiant, vt qualitercunque postea vixerint, tamen ad re- C gnum Dei perueniant. Sed hoc dico & fides nostra inconcusse hoc tenet. Quicunque paruuli, siue à bono homine, siue à malo, & si sit hæreticus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizantur, & morte præueniuntur antequam maturescant, saluantur per baptismum & per fidem sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia Catholica, quæ inuocat nomen Domini pro salute eorum, qui baptizantur in ea, sicut olim saluabantur per circumcisionem & per fidem patrum: Qui vero ad annos maturitatis perueniunt, si gratiæ in baptismo acceptæ, vita eorum consors fuerit, hos & baptismus, & fides Catholica, & operum rectitudo perducunt ad salutem. Qui vero prauis operibus vitam suam commaculant, & contra mandata Dei pompis diaboli deseruiunt, hi profecto gratiam Spiritus sancti in baptismo acceptam, in seipsis extinguunt, & nihil his prodest baptismus ad salutẽ, sicut & circumcisio multis Iudæorum peruerse gradientibus nihil profuit ad salutem conse- D quendam. Hæc est nostra Catholica fides, de his qui baptizantur, quæ palam in Ecclesia Dei semper prædicata est à temporibus Apostolorum & sanctorum patrum, qui eis in Romana Ecclesia, aliisque Ecclesiis, vsque ad hæc tempora nostra successerunt, & qui leguntur prædicasse in manifesto & baptizasse in Christo, senes & iuuenes, mulieres & paruulos.

Ad illud vero redeo quod dixi, saluari paruulos per Baptisma, & per fidẽ sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia, quæ inuocat nomen Domini pro salute eorum qui baptizantur in ea. Hoc vobis incredibile esse dicitis, quod alicui homini prodesse possit alterius fides apud Deũ. Et quare hoc vobis est incredibile? Si scitis Euangelia, reuoluite ea, & inuenietis, quoniam Dominus saluator cũ inter homines conuersaretur, & miracula diuina operaretur, multis qui male habebant misericordiam suam exhibuit, non propter ipsorum merita, sed propter fidem aliorum, qui ipsum deprecabantur pro eis.

E Legimus siquidem de muliere Cananæa, quod rogabat Dominum pro filia sua, quæ male à dæmonio vexabatur, & ipse auditis miserandis clamoribus matris, randem misertus est super eam, & dixit: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, & sanata est filia eius ex illa hora.* (Mat. 15.) Ecce in eo quod ait: *Magna est fides tua*, apertè declarauit, quoniam per fidẽ, quam in ipsum mater habebat, meruit, vt sanaretur filia eius, quæ nec fidem, nec sanam mentem habebat. Et de Cẽturione legimus quod pro sanitate paralytici serui sui, Dominum deprecatus est. Cui cum dixisset Dominus, *ego veniam & curabo eum*, (Mat. 8.) atque ille respondisset: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum & sanabitur puer meus*, admiratus est Dominus super fide eius, dicens, *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel* moxque illi dixit: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* Nonne & in his verbis patet, quoniam fides viri postulantis ei, pro quo postulabat, profuit vt sanaretur? Respondebitis fortè, quod his, F de quibus nunc dictum est, videlicet puella obsessa, & puero paralytico fides postulantium pro eis profuit quidem ad corpus, sed non ad animarum sanitatem, & dicitis, quod ad salutem animæ consequendam, vnumquemque tantum propria fides adiuuare possit, & non fides aliorum quantumcunque clament pro eo. Et nunc aliud exemplum vobis adducã, quod in hac parte contra vos est. Scriptum est in Euangelio Lucæ, *quia factum est in vna dierum, & Iesus sedebat docens & erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni Castello Galilææ & Iudææ, & Ierusalem, & virtus Domini erat ad sanandũ eos. Et ecce viri portantes in lecto hominẽ qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum, & non inuenientes qua parte inferrent eum præ turba, ascenderunt super tectum, & per tegulas submiserunt illum cum lecto in medium ante Iesum. Quorum fidem vt vidit dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* (Luc. 5.) Ecce in eo quod dixit Euangelista: *Quorum fidem vt vidit*, manifeste dat intelligi, quoniam fides illorum, G quam habebant de potentia eius, beneplacita erat Domino, & quod specialiter propter ipsam illi data est, primum quidem remissio peccatorum, quæ ad salutem animæ illius pertinebat: postmodum sanitas corporalis, quando eidem paralytico dicebat: *Tibi dico surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Si enim hanc misericordiam Dominus eidem paralytico fecisset ob meritum fidei ipsius, & non propter illorum fidem, nequaquam dixisset Euangelista: *quorum fidem vt vidit*, sed magis cuius fidem vt vidit. Hæc nos animaduertẽtes confidimus, quod nostram quoque fidem respiciat Dominus IESVS, quando infirmum nostrum ipsi offerimus curandum. Portamus siquidem & nos paralyticum in lecto, & ponimus ante IESVM, quando paruulum baiulamus ad baptisma petentes vt baptizet eum & saluet. Anima quippe rationalis adhuc originali peccato constricta, & nihil adhuc naturalium virium exercere valens in corpore puerili, H cui melius comparatur quam homini intus per peccatum constricto, & foris per paralysim in membris dissoluto iacentique in lecto? Et pro illo quidem nihil aliud postulabant amici eius, nisi vt in corpore sanaretur: ipse vero ex gratuita bonitate prius quod maius erat præstitit, sanando à peccatis eum in anima, & postmodum etiam quod petebatur adiecit corporalem ei sanitatem restituendo: & approbata est fides illorum, qui hoc quod minus erat eum posse credebant. Est autem indubitanter maior fide illorum nostra fides, cum qua paralyticum nostrum Domino præsentamus, ac magis spiritualis petitio nostra, petitione illorũ. Credimus quippe, quod quemadmodum potest per baptismum purificare maiorum animas ab omni peccato, tam actuali quam originali: ita potest & paruulorum animas liberare ab originali peccato sine meritis ipsorum sicut & sine meritis suis, præfatus ille paralyticus, & in anima & in corpore sanatus est. Credimus inquam hoc & fideliter ab ipso postulamus, si quando ei paruulos baptizandos

A offerimus: ipse enim inuisibiliter illis præsens est illic, & ipse inuisibiliter baptizat omnes qui cum inuocatione sanctæ Trinitatis immerguntur. Nolite mirari super hoc quod dixi, quoniam ipse inuisibiliter baptizat eos qui baptizantur. Scriptum quippe est, quod Ioannes Baptista tale de ipso testimonium pronuntiauit dicens: Ioan. 1. *Qui misit me in aqua baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat: & vidi & testimonium perhibui, quia est Filius Dei.* Idem quoque dicebat ad turbas de Christo. Matt. 3. *Qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Ex his verbis securi sumus ipsum Dominum IESVM CHRISTVM esse communem baptistam omnium qui in Catholica Ecclesia baptizantur in nomine sanctæ Trinitatis, ita videlicet quod ipse inuisibiliter spiritum eorum sanctificat in Spiritu Sancto, & ab omni peccato emundat: inde est quod dicimus, quia siue bonus, siue malus B sit ille, per cuius manus corpus hominis qui baptizatur, aquis visibiliter immergitur, non ex hoc plus vel minus operatur virtus baptismi remissionem peccatorum, & inuisibilem sanctificationem in anima eius, qui regeneratur. 1 Cor. 1. Propterea Paulus Apostolus scribens Corinthiis, qui de baptistis suis se iactabant, redarguit eos dicens: *Significatum est mihi ab his qui sunt Cloes, quoniam contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem Pauli, ego verò Cephæ, ego autem Apollo, ego vero Christi.* Æstimabat enim quisque eo se esse sanctiorem, quo erat sanctior ille à quo fuerat baptizatus. Hoc vero nequaquam ita est, quoniam nihil sanctitatis ei qui baptizatur præstat ille qui visibiliter baptizat, sed omnem spiritualem gratiam, quæ in baptismo confertur, ipse summus sacerdos Dominus IESVS CHRISTVS præstat illic per virtutem Spiritus sancti, & ad illam quidem omne genus hominum, qui ad ipsum conuerti volunt, admittit quantumlibet sint onerati peccatis: solos autem paruulos sicut dicitis, qui minimum C peccati habent, inde repellit. Nequissima gens cur hoc dicitis? Nonne ipse communiter omnes vocauit, cum dixit: Matt. 11 *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos?* Certè cum hæc dicebat piissimus ille procurator salutis humanæ, videbat omnem hominem laborare sub pœnalitate, quam induxerat mundo culpa originalis: videbat simul, quoniam præter ipsum nemo viuebat hominum in tempore illo, vel victurus erat super terram, cuius non esset onerata anima peccatorum grauamine, ita vt nec infans vnius diei expers esset peccati. Quod intelligens Paulus Apostolus dicebat: Gal. 3. *Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereretur.* Omnia, inquit, id est omnis generis homines, omnis ætatis homines conclusit, id est, concludi permisit sub peccato, vt omnium misereretur, tribuendo omnibus remissionē peccatorū. Si ergo conceditis & paruulos omnes conclusos esse sub peccato, necesse est, vt concedatis etiam ad eos pertinere misericordiam Dei, & ipsos quoque ad latum gremium benignitatis eius cum cæteris inuitari, D vocatione ipsius qua dicit: Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos:* Reficiam, inquit. Refectio ista quam promisit præstatur in hac vita spiritui nostro, in eo quod per Spiritum sanctum à peccatorum grauamine exoneratur, atque in eo quod cum superaddita gratia adiuuatur ad resistendum fomiti peccati, & ad insistendum bonæ operationi. Præstatur & post hanc vitam, quando datur vt requiescat homo à cunctis laboribus suis. Omnem hanc refectionem promisit omnibus venientibus ad se. Et qua ratione putatis quod eam recuset paruulis venientibus ad se. Et qua ratione putatis quod dicat Dominus: Omnes veniant ad me quantumlibet sint peccatores, soli paruuli qui nondū satis habent peccati, maneant foris? Non veniunt dicitis, sed adportantur ab aliis, & idcirco non dat eis gratiam, quam aliis peccatoribus. Et nonne paralyticus ille, de quo supra dictum est, ab aliis adportatus est? non per seipsum venit, neque idcirco minus gratiæ ab ipso accepit. Similiter non per seipsos veniunt, neque per seipsos benedictionem ab Iesu petierunt paruuli illi, de E quibus Matth. refert dicens: Matt. 19. *Tunc oblati sunt ei paruuli vt manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. IESVS vero ait. Sinite paruulos venire ad me, talium est enim Regnum cælorum. Et cum imposuisset illis manus abiit inde.* Ecce talis in illo tempore benignitatis erat Dominus, vt rudes pueros non per seipsos quidem venientes, aut gratiæ aliquid postulare scientes, sed aliis ipsos ei offerentibus, ac pro eis postulantibus dignaretur & benedictam manum suam eis cum oratione imponere: Et quomodo accidit ei, vt in istis temporibus non eandem habeat benignitatem erga paruulos, quos solet ei offerre Ecclesia, rogans, vt manum eis imponat, id est, virtutem sancti Spiritus sui, per quam eis peccata remittantur, & spiritalibus donis impleantur? Quomodo dulcem illam vocem, qua dixit: Matt. 19. *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim Regnum cælorum*, mutauit in amaram vocem, vt dicat, auferte paruulos à me, talium enim non est regnum cælorum? Nam secundum F tenorem disciplinæ vestræ, hoc & si non manifesta voce, ipso tamen opere dicit, si omnes, qui antè annos discretionis moriūtur, perire permittit in originali peccato cum quo nati sunt, scimus quidem in eo verbo, quod dixit: *Talium est regnum cælorum*, etiam cōprehendi eos qui maturæ ætatis sunt, & similes sunt pueris innocentia & simplicitate. Veruntamen hi qui innocentia & simplicitate atque insuper ætate pueri sunt, & ab Ecclesia Domino offeruntur, vt paruuli illi, quibus olim manum imposuit, non possunt iusta ratione ab eadem sententia excludi, nisi fortè cum ad maturitatē peruenerint, acceptam in baptismo gratiam, per malam conuersationem amittant. Numquid adhuc sine intellectu estis, & non percipitis ex his verbis, quæ dicta sunt, falsum & hæreticum esse, quod de baptismo paruulorum affirmatis? Dicite mihi: Quæ vobis est causa huiusmodi sermonis, cum nec firmam rationem, nec aliquod euidens testimonium ex Scripturis sanctis habeatis ad confirmandum hunc G errorem? Si erubescitis dicere, ego pro vobis dicam. Superbia cordis vestri, & inuidia diaboli in ore vestro posuerunt verbū hoc. Nam vt quasi singulares præ cæteris habeamini, ac multa scire videamini, quæ non sunt in communi hominum cognitione, idcirco talia susurratis in auribus simplicium ac seductibilium hominum, quibus aquæ furtiuæ dulciores sunt. Idcirco dixi quod superbia cordis vestri, quæ vanæ gloriæ mater est, hunc errorem, sicut & alios multos seminare vos fecit. Inuidia quoque diaboli hoc verbum vobis inspirauit. Quia enim vidit innumera millia animarum per baptismum saluari in infantilibus annis, & nihil voluntatis suæ fieri in eis, quos ita innocentes & puros ab omni macula post regenerationem suam festinat Deus ad regnum suum transferre, quia inquam hoc vidit, inuidet innocentiæ eorum, inuidet quod ista festinaretur beatitudo eorum, inuidet, quod etiam ex ore huiusmodi infantium & lactentium perfecturus esset laudem suam, propter inimicos suos apostatas spiritus, qui per propriam malitiam à curia eius ceciderant, & imminuerant numerum H laudantium eum. Quæsiuit igitur artem qua impediret omnes infantium animas, ne gratiæ quæ in baptismo tribuitur à Deo participes fierent, & inuenit sibi aptissima instrumenta ad officium hoc, videlicet linguas Catharorum, quæ sunt pharetræ pessimarum sagittarum eius, quibus sagittant in obscuro rectos corde. In quibus posuit & hoc verbum iniquum, quod dicunt, nihil prodesse paruulis ad salutem lauacrum baptismi, & debere eos reseruari vsque dum perueniant ad annos discretionis, & tunc primum eos esse baptizandos, cum possint proprio ore fidem suam profiteri. Hæc ita excogitauit diabolus, quatenus hunc morem induceret mundo, vt non ad baptismum afferrent homines paruulos suos, sicque in partem suam attraheret omnes animas, quæ in infantilibus annis ab hac vita migrant, atque à Regno Dei eas elongaret. Sed gratia Dei nondum ita creditum est huic verbo, vt receptus sit mos iste in populo Dei: adhuc offeruntur paruuli Domino ad

baptismum,

A baptismum, & imponit eis manum suam & recipit eos. O Cathari ô Piphles nescio quam laudem vobis rectius dicam, quam quod diffusa est diabolica malitia in labiis vestris, propterea maledixit vos Deus in æternum.

SERMO VIII.

Contra quintam Hæresim de baptismo aquæ.

NOn autem me latet, quod de ijs quoque qui in prouectiori ætate baptizantur, non minorem hæresim tenetis, quam est ea quæ de baptismo paruulorum nunc pertractata est. Nam baptizandum quidem esse hominem dicitis, cum ad annos discretionis peruenerit, non autem in aqua, sed in igne, & nihil prodesse cuiquam baptismum aquæ. Huius autem erroris defensionem sumitis ex verbis Ioannis, quæ de Domino saluatore pronunciauit, dicens: *Ille vos baptizabit in spiritu sancto & igne.* B Matth. 3. Hinc est quod eos quos assumitis in societatem Catharizæ vestræ, sicut audiui a quodam qui expertus fuerat secreta vestra tali modo rebaptizatis. Conuenientibus vobis in vnum in obscuro aliquo penetrali, primum hoc diligentissime procuratur, ne forte per aliquam fenestram, aut per ostium quisquam eorum qui foris sunt, visu vel auditu percipiat, quod intus geritur quoniam scriptum est: *Qui male agit, odit lucem*, Ioan. 3. locantur luminaria copiose in parietibus cunctis: statur per ordinem in circuitu cum reuerentia magna, quoniam sancta res agitur, quæ tamen magis complaceat diabolo quam Deo. Statuitur in medio infelix ille, qui baptizandus siue Catharizandus est, & assistit ei Archicatharus, tenens in manu libellum deputatum ad officium hoc. Quem imponens vertici eius dicit benedictiones, quæ potius maledictiones vocandæ sunt, orantibus cæteris qui circumstant, & faciunt filium gehennæ, non regni Dei, sicque perficitur ille baptismus. Dicitur autem hic baptismus fieri in igne, propter ignẽ luminum, quæ in circuitu ardent. Non sic impij, non sic C debetis sequi verba sancti Euangelij, in quibus dicitur: Matt. 3. *Ille vos baptizabit in spiritu & igne.* Melius ipsa verba attendite: *Baptizabit*, inquit, *in igne*, non iuxta ignem, vt vos facitis. Auscultate ad me, & docebo vos, quomodo rectius eadem verba impleatis. Loquar stultis iuxta stultitiam suam, vt non sibi videantur sapientes. Struite ignem copiosum in medio synagogæ vestræ, & tollite illum vestrum nouitium, quem vultis Catharizare, & in medio ignis eum locate, & tu Archicatharæ pone super verticem eius manum tuam, vt soles, & sic benedicito illum, & tunc si non adusseris tu vngulas tuas, & ille si illæsus euaserit, fatebur certe, quia bene baptizatus est Catharus tuus: si verò non euadit, nonne mox ita calens ad cœlum vadit? Nonne sic nuper baptizauit Colonia Archicatharum vestrum Arnoldum, & complices eius, & similiter Bunna Theodericum & socios eius, & continuo vt dicitis auolauerunt in cœlum? Imò vt verius dicatur, descenderunt in profundum inferni, D ab igne temporali, ad ardorem ignis æterni, & merito quidem. Vt enim exinanirent baptismum aquæ constitutum ab ipso Domino Saluatore baptizandum esse in igne docuerunt: Ideoque iustissimo Dei iudicio factum est, vt sic in igne baptizarentur, vt ab eo irreuocabiliter, deuorarentur. O stultissimi hominum, vnde vobis ista præsumptio, qua erigimini aduersus omne quod Euangelicum est & Catholicum? Vere singularis ille ferus pastum sibi gratissimum in vobis habet, qui tantam singularitatem in cunctis partibus Catholicæ fidei habere quæritis, vt singularẽ quandam in vobis sanctitatem venerentur miseri illi, quos seducitis. Differo vsque in alium locum exponere, qualiter intelligendum sit illud quod de saluatore dictum est, quoniam *baptizabit in spiritu & igne.* De aquæ Baptismo, cui contradicitis, nunc loquor ad vos: Dicite mihi qua audacia contradicitis ei, cum ipse Dominus eum instituerit, & seruandum esse docuerit? Ipse etenim sicut sancti quatuor Euangelistæ singuli in scripturis suis testantur, venit ad Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans, ibique ab eo baptizatus est, non quia ipse baptismi sanctificatione indigeret, qui ab omni peccato erat immunis, sed vt nobis E ad abluenda peccata aquas sanctificaret, & in seipso nobis exemplum præberet suscipiendi baptismum aquæ, quem constituere volebat Ecclesiæ suæ in remissionem peccatorum. Ibi & Spiritus sanctus in specie columbæ se manifestauit super eum, sicut de ipso testimonium perhibuit Ioannes dicens: *Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & manentem super eum.* Ioan. 1. Quod nostræ quoque eruditionis & consolationis causa factum est vt videlicet tanto certius credere possemus ad omnes eos peruenire gratiam Spiritus S. qui Christi baptismum suscipiunt, vt illius capitis quod Christus est, mẽbra efficiantur. Baptismum nostrũ Christi baptismum vocamus, quia ipse principaliter in eo, vt supra diximus, baptizat, dans remissionem peccatorũ per Spiritum S. Et quia vt dictum est, exemplo suo eum nobis initiauit, & quoniam in verbis sanctæ doctrinæ suæ obseruari eum constituit, F determinans in qua materia, & secundum quam formam fieri deberet: in qua materia baptizandum esse determinauit, quando in aqua hominem regenerari debere mõstrauit, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest videre regnũ Dei* Ioan. 3. propter duas substantias, quæ sunt in omni homine, videlicet corpus & animam. Dixit duo pertinere ad baptismum nostrum, videlicet aquam & Spiritum sanctum: & nos indubitanter credimus ex verbis ipsius, quod ea hora qua visibile corpus nostrum lauatur in aqua visibili, tunc & inuisibilis substantia nostra, quæ est anima, lauatur inuisibili lauacro, videlicet in Spiritu S. & emendatur ab omni delicto In quali etiam forma verborum baptizari nos vellet, determinauit, cum dixit ad discipulos suos: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Marc. vlt. Hæc ergo verba sunt dominica, ex quibus Ecclesia Dei testimoniũ habet eius baptismi, qui peruenit vsque in nos: habet & testimonium ab eo signo quod accidit in passione saluatoris, quando ex latere ipsius iam mortui simul profluxerunt sanguis & aqua. Ita enim scribit Ioannes domi- G nicæ passionis testis fidelissimus de crucifixoribus eius, dicens: *Venerunt ergo milites, & primi quidẽ fregerunt crura, & alterius qui cum eo crucifixus est Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.* Ioan. 19. Quod si non ad magnã pertineret admirationem, si non magnæ rei esset sacramentum, non ita diligenter hoc affirmasset Euangelista, cum subiunxit dicens: *Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & scit ille, quia dicit vera, & vt vos credatis.* Ibid. Prudenter itaque hic animaduertendum est, videlicet & quod ante exitum mortis, in cruce Dominus purũ sanguinem sine aqua de vulneribus suis emisit: & quod post emissionem Spiritus mixtum aqua cruorẽ de latere suo produxit. In quibus rebus aptam & rationabilẽ nobis significationem dedit, videlicet quod sanguine suo redimeret, non solũ illos, qui ante mortem ipsius per multa H sæcula gratiam redemptionis eius fideliter expectauerãt, & sine aqua baptismi, qui nondum fuerat, constitutus, ab hac vita discesserant, sed eos quoque, quos per aquam baptismi volebat regenerari, & vsque in finem sæculi mortẽ eius erant deuote adoraturi. Illa ergo sanguinis & aquæ mixtura de latere Christi producta nobis erat & pretium redẽptionis & sacra significatio nostræ regenerationis, qua per aquam & fidem dominici sanguinis renascimur. Neque enim aqua sine fide passionis, neq; fides sine aqua ad regenerationem sufficiens est. Dupliciter itaque illud beatum Christi latus Ecclesiam Dei ædificauit, & pretium redemptionis effundendo & formam regenerationis nobis ostendendo. Propter quod Apostolus ad Romanos scribens dixit: *Quoniam vetus Adam erat forma futuri Adæ*, Rom. 5. id est, Christi. Nam sicut ex illius dormientis latere fabricata est Eua, ita ex latere istius in morte sopiti, ædificata est sponsa eius Ecclesia. Quod si non in hac re dic nobis ô Cathare, in qua re ille antiquus Adam extiterit forma futuri? Velim super hoc audite occultam

A sapientiam tuam, puto quod ad solitum finem deueniet responsio tua, vt dicas, nescio: Si nescis, sede, sile, age opus consuetudinis tuæ, fac discurrere panuliam cum trama per meditum staminis, & sina illos tractare de mysteriis Dei, quibus diuina ordinatio doctrinam scripturarum sanctarum commisit. Sicut prædictum est, ad baptismum aquæ Dominus Iesus Christus & viuus & mortuus nos inuitauit. Quod ergo aliud baptisma requiris ó infidelis Catharæ? Si vno Deo potes esse contentus, vnum quoque tibi baptisma sufficiat, cum scriptum sit: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* (Eph. 4.) Tale tibi baptisma sufficiat, quale sancti Apostoli administrauerunt, his qui baptizati sunt ab eis. Si ignotas quali baptismate baptizauerunt, lege scripturam Lucæ Euangelistæ, quæ intitulatur Actus Apostolorum, (Act. 10.) cui non minus creditur quàm Euangelio, quod scriptum ast ab eo. Lege inquam in eo loco, vbi de conuersione Cornelij & amicorum eius scribit hoc modo: *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt qui erant ex* B *circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti diffusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum, Tunc respondit Petrus:* (Ibidem.) *Numquis prohibere potest quo minus aqua baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? & iussit eos in nomine Iesu Christi baptizari.* Audi insensate, quoniam princeps Apstolorum non ignem sed aquam ad baptizandum homines illos fecit exhiberi. Item refert eadem scriptura de Philipppo, qui erat vnus ex discipulis Christi, quoniam cum Euangelizaret Iesum Eunucho Candacis reginæ Æthiopum, sedens cum illo in curru, sicut ordinauerat Angelus Domini, *venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus:* (Act. 8.) *Ecce aqua, quis prohibet me baptizeri? dixi: Credo Dei Filium esse Iesum: & iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.* De hoc quo- C que quid tibi videtur? Puto & Philippus errauit, quando in aqua hominem baptizauit. Certe si tuam habuisset sapientiam, cum ab eo petebat Eunuchus, vt in aqua cum baptizaret, respondisse debuerat ei, non non, imo differendum est nobis vsque dum ad diuersoriũ veniamus, & introibimus in obscuram cameram, accendemus luminaria multa, & ibi te baptizabo in medio ignis. O fili erroris, vtinam non peius errares quam Philippus. Vtinam non te peior Angelus duceret, quam erat ille Angelus, qui Philippum ad hoc opus direxit. Quid ergo, inquis, est, quod Ioannes Baptista dicebat, baptizandos nos esse in spiritu & igne. Ego de hoc in sequenti capitulo loqui dispono, ita vt sit tibi in scandalum, & appareat magis esse contra te, quàm pro te Qualitercumque autem hoc intelligendum sit, certum est & manifestum ex his quæ iam dicta sunt, quoniam vnum & vnicum baptisma constitutum ast à Deo ad D emundationem & sanctificationem totius Ecclesiæ, videlicet baptisma aquæ cum inuocatione sanctæ Trinitatis. (Eph. 5.) Quod breui sermone Apostolus comprehendit, vbi ad Ephesios scribens ait: *Viri diligite vxores vestrae, sicut & Deus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea vt illam sanctificaret, mundans lauacro aqua in verbo vitæ.* Da gloriam Deo tandem, ô Catharæ, & in hac quoque parte victum te esse confitera. Et nunc transeamus hinc ad aliud certamen.

SERMO IX.

Contra sextam Hæresim, de animabus mortuorum.

De cura, quæ pro mortuis agitur in Ecclesia; dicitis quoniam vana & superflua est, asserentes quod animæ defunctorum singulæ in ipsa hora emigrationis suæ de hac vita pro meritis suis, vel in æterna beatitudine collocentur, vel æternis suppliciis tradantur, atque hac ratione probatis, nec malis prodesse, nec E bonis necessarium esse, vt pro eis orationes fiant, aut missæ celebrentur, aut eleemosynæ dentur: Non enim in fida vestra hoc admittere vultis, quod præter illum æternum ignem, qui præparatus est diabolo, & his qui cum ipso in perpetuum damnandi sunt, aliquæ purgatoriæ pœnæ sint, in quibus animæ fidelium, quæ in hac vita a peccatis suis per condignam satisfactionem ad plenum purgatæ non sunt, ad tempus examinentur, atque ex iisdem per illa remedia, quæ nunc descripsimus, liberentur & ad requiem transferantur. Et nunc quoque differamus, secundum scripturas veritatis, quia magnam earum notitiam vos habere gloriamini. Primum autem dicite mihi: An creditis quia Dominus Iesus Christus in passione crucis emisit spiritum, & secundum corpus quidem sepultus est, secundum animam vero descendit ad inferna, & spoliauit principes tenebrarum ab animabus electorum, qui vel ante legem, vel sub lege Moysi, quæ saluare neminem poterat, ab hac vita migrauerant, & promissam à prioribus sæculis redemptionis suæ gratiam, quæ per Christum facta est, F fideliter expectauerant? Si vero hoc credendum est, quod animæ illæ, à pœnis illis in quibus detentæ, per Christum liberatæ sunt? certum est quoniam mendacij prædicatores estis, qui dicitis nullas esse pœnas animarum præter æterna supplicia damnandorum, & neminem posse liberari à pœnis, qui non statim post mortem in æterna fuerit beatitudine assumptus. At si non creditis Christum ad inferos descendisse post passionem suam, neque illud Athanasij symbolum recipitis, in quo hoc continetur, pariterque illud Catholicum symbolum, quod publice in seruitio Dei decantatur reiicitis, in quo similiter hoc confitetur Ecclesia, scripturarũ testimonia super hoc inducenda vobis sunt tam de veteri quam de nouo testamento. David in Psalmo vocem depromit Angelorum præeuntium ad inferos Christum & imperantium principibus tartari hoc modo: *Attolite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* (Psal. 23.) G Et rursum idem David victoriæ Christi congratulans, qua ereptas ab inferno (Psal. 67.) secum animas eduxit ad cœlos, alibi dicit ad eum: *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem.* Item per Osee Prophetam ipsa filij Dei persona ait: *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* (Osee. 13.) Morsus ista inferni tunc impletus ast, quando saluator ad inferos descendens electos suos sua inuincibili potestate & iustitia inde abscidit, reprobos autem illic reliquit, sicut qui rem aliquam mordet, partem eius in ore comprehendit, partem foris relinquit. Et Apostolus Paulus scribens ad Colos. ait: *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter triumphans in semetipso.* Sufficiant nunc ista ad assertionem fidei nostræ in hac parte. Ad eam ni fallor, responsionem nunc confugietis, vt dicatis: Concedimus quidem quod ante redemptoris aduentum animæ ad vitam præordinatæ in locis pœnalibus a venturis gaudiis differebantur, sed postquam per Christũ vitæ patefactus est aditus, hoc communiter omnibus saluandis collatum H est, vt peracto vitæ huius cursu nullatenus vltra ab introitu regni differentur post mortem. Sicut manifestum est ex eo, quod latroni in cruce pœnitenti à saluatore olim dictum est: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* (Luc. 23.) Hoc enim communiter de omni peccatore sentiendum esse censetis. Quod si in Christo ipso vitæ suæ termino pœnituerit ex corde, quantumlibet flagitiosus per totam vitam suam extiterit, ita perfecte ei cuncta peccata remittuntur, vt continuo ab hac vita sine omni examinatione transmigret ad cœlestia regna. Ad confirmandum vero hunc errorẽ quarundam scripturarum testimonia inducitis, quæ aduersari nobis videntur, ex quibus est illud Ezechielis: *Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit, & impietas impij nõ nocebit, ei quacũque die cõuersus fuerit ab impietate sua.* (Ezech. 33.) Et rursũ quod sequitur ibidem, simile est huic: *Si dixero impio, morte morieris, & conuersus egerit pœnitentiã à peccato suo feceritq; iudiciũ & iustitiã pignus debitori restituerit*

rapinamque

A *rapinamque reddideris, & in mandatis vitæ ambulauerit nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, & non morietur: omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei.* Hic ergo captos nos retiaculis scripturæ iudicatis, & dicitis nobis insultantes: Ecce scriptura nobiscum est, quæ affirmat, quoniam peccatori conuerso ab impietate sua,

Ibid. non nocebit impietas sua. Iterumque idipsum inculcat dicens: *Quoniam omnia peccata quæ fecit, non imputabuntur ei.* Falsum itaque est quod post pœnitentiam & contritionem cordis, in qua peccatori remissa sunt peccata sua, de cætero aliquibus pœnis tradatur cruciandus & purgandus post mortem. Nam si hoc futurum est ei post conuersionem suam, profecto nocebit adhuc ei impietas sua, & imputabuntur ei peccata sua. Talis est, ô Popliles, obiectio vestra contra nos. Audite nunc quid respondeamus ad hoc, antequam de aliis obiectionibus vestris aliquid dicamus. Verba sanctæ Scripturæ cum magna discretione animaduertenda sunt: alioqui in multis locis perturbare nimium possunt lectorem, suntque ei vasa mortis,

B quoniam sæpe in vno eodemque dicto diuersæ significationes intelligi possunt, quarum vna ad veritatem, alia pertineat ad falsitatem. Itaque & illa verba Prophetæ de quibus nunc tractamus, ne in errorem nos mittant, quemadmodum & vos cum tali determinatione accipimus, vt dicamus, quoniam impio quacunque die conuersus fuerit de cætero non nocebit impietas sua, tali videlicet nocumento, vt pro eo æternaliter condemnetur, neque imputabuntur peccata ad perditionem ipsius. Quamuis enim peccator post conuersionem suam aliquid molestiæ patiatur in anima à purgatorio igne pro peccatis suis, de quibus non sufficienter correctionem in hac vita sustinuit: illa tamen molestia, quia temporalis & transitoria est, quasi nullum nocumentum reputanda est comparatione illius æternæ pœnæ, quam in inferno pati debuisset, si conuersus ab impietate sua ante mortem non fuisset. Ostendam autem vobis similem scripturam, quæ simili indiget determina-

1. Pet. 3. tione. Beatus Petrus in epistola sua, quibusdam noui-

C ter ad fidem Christi conuersis dicebat: *Et quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis?* Hæc autem interrogatio idem significabat, ac si ita affirmando dixisset: Nemo est qui vobis nocere possit, si boni id est bonitatis æmulatores fueritis. Dominus autem Iesus Christus

Matt. 10. in Euangelio discipulis suis, simulque cæteris boni æmulatoribus hæc annuntiat dicens: *Tradent vos in*

Ioan. 16. *tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus propter nomen meum.* Item: *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Ecce similiter hic vt supra, potestis ratiocinari aduersus nos, ita vt dicatis: Si boni æmulatores traduntur in tribulationem, occiduntur, odio habentur ab omnibus, & multa huiusmodi propter iustitiam patiuntur, certum est multos illis nocere, pro eo quod boni æmulatores sunt. Non ergo verum dicit Petrus, qui nullum illis nociturum esse promisit, si boni æmulatores existant. Puto autem quod non tam insani capitis sitis, vt in manifesto dicere audeatis, aut Petrum aut Christum fuisse mentitum, aut contraria sibi inui-

D cem eos dixisse. Scitote quoniam verba Petri quæ induximus, ita intelligimus, vt non promiserit seruis Dei,

1. Pet. 3. qui bona æmulantur, quoniam nihil omnino molestiæ pati deberent in via iustitiæ. Nam & ipse continuo post illa verba subiecit: *Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.* Hic autem in verbis illis significare voluit,

Rom. 8. quoniam nemo eis ita nociturus esset, vt ab æterna beatitudine eos abstrahere posset. Certus quippe erat, quoniam neque mors, neque vita, neque gladius, neque fames, neque vlla aduersitas, nulla denique creatura veros æmulatores boni separare posset à charitate Christi. Neque enim temporales incommoditates nocumentum esse, sed potius iuuamentum ad adipiscendum beatitudinem electis Dei esse arbitratus est. Sicut enim auro non nocet is qui illud in igne examinat, sed potius iuuat, vt magis resplendeat: ita fidelium persecutores dum eos tribulant, non eis nocent vt putant, sed potius eis cooperantur, vt in beatitudine æterna resplendeant.

E Iuxta hæc ergo quæ nunc dicta sunt, considerate & illud, quoniam impio ab impietate conuerso non nocebit impietas sua; & non faciet vos deuiare sermo ille à via veritatis. Aliud quoque ex Ecclesiaste cōtra nos inducitis quod tale est: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Quod Eccl. 11

similiter in partem erroris vestri inclinatis, dicentes ita intelligi debere: Anima de corpore migrans, si declinauerit ad quietem, ibi perpetuo erit: si ad pœnam, ibi quoque perpetuo erit. Dico autem, quia si nihil aliud quam hoc quod dicitis, significare voluit Ecclesiastes in verbis illis, superflue interpositum est, *in quocunque loco ceciderit.* Nam ad significandam sententiam vestram sufficeret dixisse: *Si ceciderit lignum ad austrum, siue ad aquilonem, ibi erit.* Nunc autem attendite sermonem meum, & apparebit quam vim habeat, quod additum est: *In quocunque loco ceciderit.* Considerate præcedentem Ibidem.

literam, & inuenietis quod ad dandam eleemosynam Ibidem.

hortatur auditorem suum, dicens: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies* F

illum. Et iterum: *Da partes septem, nec non & octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Et in sequenti- Ibidem.

bus ad perseuerantiam boni operis hortatur dicens: *Mane semina semen tuū, & vespere non cesset manus tua.* Quib. congrue illud interponit dicens: *Si ceciderit lignū ad austrū, siue ad aquilonē, in quocunque loco ceciderit, ibi erit:* ac si dicat: Diligenter insiste dum viuis augere merita tua, eleemosynis & bonis operibus. Quia post mortē, siue deuenerit homo in eum statum qui pertinet ad eos, qui saluandi sunt, quod est cadere ad Austrum: siue deuenerit ad eum statum, qui pertinet ad damnandos quod est cadere ad Aquilonem: *In quocunque loco ceciderit,* id est, in quocunque gradu meritorum tunc fuerit quando cadet, siue sint bona siue mala, ibi erit, id est, inde neque ascēdet promerendo meliora, neque descendet promerendo peiora. Ex tunc enim neque bono, neque reprobo locus dabitur promerendi bona vel mala: sed de cætero tempus erit suscipiendi retributiones bonas, vel malas. Dupliciter

G autem cadit lignum ad Austrum: siue quando statim post mortem vir iustus in beatitudine collocatur, quod tantum est perfectissimorum, qui cum Deo mundum iudicabunt: siue quando in eam viam incidit per quam transire habent quidam saluandorum, quibus per purgatorias pœnas eundum est ad refrigerium, videlicet hi qui iudicandi erunt ad vitam: Similiter ad Aquilonem dupliciter cadunt mali, cum vel statim post mortem ad summa supplicia rapiuntur, vt hi de quibus dicitur, quod iam iudicati sunt, videlicet infideles, & summe mali: vel illis pœnis traduntur in quibus vsque ad nouissimum iudicium reseruandi sunt, vt illi reprobi, qui iudicandi sunt ad mortem. Est autem frequens hic modus loquendi in Scriptura sacra, vt Auster vocetur cœlestis beatitudo propter diuinam claritatem quæ est in ipsa. Aquilo autem mansio reproborum tenebrosa & operta mortis caligine. Aliud quoque capitulum simile ei, quod nunc tractatum est, quasi ex persona Domini dictum nobis obiicitis, quod huiusmodi est: Vbi te inuenero, ibi te

H iudicabo. Quod & ita dictum arbitramini, ac si diceret: In fine tuo cum à te receperam animam tuam, in quali vita te inuenero: in tali te statim iudicabo, vel ad perpetuam requiem, vel ad æternam damnationem. Nos vero aliter ista discernimus: breuiter comprehensum est in his verbis, quod diffusius per Ezechielem loquitur dicens: *Cū auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem in iustitia sua quā operatus est, morietur: & cum auerterit se impius ab impietate sua quā operatus est, & fecerit iudiciū & iustitiā, ipse animam suam viuificabit, vita viuet, & non morietur,* subauditur morte æterna. Totius huius capituli breuis sententia est illud: Vbi te inuenero, ibi te iudicabo: siue qualem te inuenero, quod idē est, talem te iudicabo, hoc est dicere: Si inuenero te auersum ab iniustitia & conuersum ad iustitiam, non est desperandum tibi propter retroacta mala, quia tibi, id est, in eo statu conuersionis tuæ te iudicabo, id est, discernā ab eis qui damnandi sunt. Si vero inuenero te auersum à iustitia, non est confiden-

A dum tibi in retroacta iustitia, quia ibi id est in eo statu te iudicabo, id est discernam ab eis qui saluandi sunt. Discernit autem Deus bonos à malis, cum vel statim post mortem ad beatitudinem eos inducit, vel in ea purgatione eos locat, in qua ad futuram gloriam eos aptificat. Est autē ex abundanti quod vobis respondemus, ad ea testimonia, quæ ex veteri scriptura inducitis, ad confirmandum errorem vestrum, quem de animabus mortuorum habetis. Nam si fatemini, quod necessario fateri debetis, videlicet quod animæ antiquorum, qui ante tempus gratiæ extiterunt vsque ad tempus redemptionis, ab introitu regni cœlestis dilatæ sunt, contrarij estis vobismetipsis, qui antiquorum patrum scripta hoc attestari æstimatis, quod quælibet anima, cum à corpore migrat, statim vel ad æternam beatitudinem transeat vel ad æternam damnationem. Nam ea testimonia, quæ ab illis assumitis, non solum pertinent ad homines temporum istorum, sed ad homines antiquæ legis, B sub qua adhuc clausus erat introitus Regni cœlorum. Non autem me latet quod ex nouo quoque testamento errorem vestrum confirmatis, objicientes nobis Euangelicum illum sermonem, quem locutus est Ioan. 3. saluator dicens: *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transibit à morte in vitam.* In his verbis dicitis promittere saluatorem omni credenti in Deum, quod mox post mortem corporis transibit quisque ad vitam æternam, ita vt non aliud iudicium veniat post mortem, quam quod in ipsa morte experitur, atque indubitanter hoc Dominum significasse vultis hoc sermone, quod nullæ sint pœnæ in quibus animæ fidelium post mortem iudicium Dei sustineant. Animalibus immundis quæ non ruminant quidem & vngulam non findunt, comparari iure debetis, qui in ore quidem versatis doctrinam Dei, & nullam rectæ intelligentiæ in ea discretionem habetis: Ideoque verba vitæ non sunt vobis ad vitam, sed ad mortem. Cæci C fuerunt doctores vestri, & cæcorum duces facti sunt, & in foueam mendacij & perditionis secum cadere vos fecerunt. Audite ergo rebelles & increduli, quomodo rectius animaduertere possitis verba Domini, quæ peruertere nitimini: quia nisi aliter exponantur, quam vos ea intelligatis, contraria sunt alijs sacræ Scripturæ verbis, quæ in suo loco inducemus: *Amen dico vobis*, inquit, *quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me*, videlicet Deo Patri. Siquidem audire verbum Dei & non credere, inutile est: Hic, inquam, *habet vitam æternam.* Habent sancti qui cum Deo regnant vitam æternam, ita quod eius beatitudine iam perfruuntur. Habent & fideles in hoc mundo posin vitam æternam, non vt rem, qua iam secundum desiderium suum perfruantur, sed vt rem, quæ illis certissime præparata & conseruata est à Deo, & danda in tempore suo, & in iudicium non veniet, sed transiet à morte ad vitam.

Iudiciū. Nomen iudicij tales significationes in Scriptura sancta habere dinoscitur: significat enim flagellationem, qua D homines flagellantur à Domino: significat vltimam discriminationem bonorum & malorum, quæ fiet in nouissimo die: significat etiam damnationem quæ specialiter ad reprobos pertinet. Quia autem afflictionem significet, ex eo intelligi potest, quod Apostolus ait: 1. Cor. 11. *Dum iudicamur autem, a Domino corripimur*, id est, dum flagellamur à Domino corripimur, *vt non cum hoc mundo damnemur.* Quæ autem sint ista flagella determinat Ibidem. vbi ait: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Quod si secundum hanc significationem dicitis accipiendum iudicij nomen, cum dicitur, quod qui credit non veniet in iudicium, non potest stare sermo: quia & credentes flagellantur sæpe à Domino, sicut non credentes: *Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit.* At si dicitis, ita debere accipi, quod credentes non sint venturi post mortem ad aliam castigationem, præter eam, quam in ista vita patiuntur, iniuriam facitis literæ, quæ hoc non dicit, sed simpliciter dicit, quod qui credit, in iudicium non veniet. Vltimam vero discriminationem bonorum & malorum E significat nomē iudicij, vbi saluator de se ipso dicit: Ioan. 5. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Secundum hanc quoque significationem non potest accipi hoc loco, quia tam boni quam mali, ad iudicium venient secundum illud: 2. Cor. 5. *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Dei, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit in corpore siue bonum siue malum.* Significat autem damnationem iudicij nomen, vt statim in sequentibus cum dicitur Ioan. 5. *Qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Et in Apostolo vbi ait: 1. Cor. 11. *Qui manducat corpus Domini indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Hoc autem modo indubitanter accipi debet iudicium in præsenti sermone, vbi à Domino dicitur: Ioan. 5. *Qui audit verbum meum & credit ei qui misit me habet vitam æternam & in iudicium non veniet*, id est, in damnationem. Sequitur: *Sed transiet a morte in vitam*, ab ea videlicet morte, quæ ei damnationis causa extiterat, & per quam ad perditionem F transisset, si in ipsa permansisset. Quænam fuit mors illa sine dubio mors animæ, quam in ea effecerat infidelitas, in quali morte extiterant illi de quibus Petrus in Epistola ait: 1. Pet. 4. *Propter quod mortuis Euangelizatum est.* Similiter & illi, quibus Paulus scripsit dicens: Colos. 2. *Consepulti estis cum Christo in baptismo in quo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis, & vos cum essetis mortui in delictis conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta.* Palam ergo est, quoniam per fidem transimus ad vitam, vt non ad iudicium, id est, damnationem veniatur. Id autem duobus modis fit: vno enim modo quisque ad vitam animæ per fidem à morte transit, quando qui infidelis fuerat, per fidem iustificatur in anima: ad hunc enim pertinet sermo quo dicitur: Abac. 2. *Iustus autem ex fide viuit.* Hanc vero vitam in tempore huius mortalitatis electi Dei adipiscuntur. Alio autem modo per fidem ad vitam electis transeundū est, quando propter meritum fidei, & earum virtutum, quæ ex fide originem habent, vita æterna eis G pariter in corpore & in anima tribuenda est, quod erit in die nouissimæ resurrectionis, cum ab omni potestate mortis liberabuntur & ad beatam immortalitatem transferuntur. Hos autem duos modos transeundi à morte ad vitam in electis suis futuros Dominus demonstrauit, continuo post verba de quibus nunc tractatum est. Primum enim modum transeundi ad vitam, pronunciauit cum dixit: Ioan. 5. *Amen dico vobis, quia veniet hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent.* Secundum vero modum transeundi ad vitam, pronuntiauit, cum postea subdidit dicens: *Nolite mirari hoc, quia omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Iam si quid incorruptæ intelligentiæ est vobis, satis directe me ad veritatem vos duxisse percipitis. Quia si sine intellectu estis, frustra asinis canit lyra. Vnam adhuc objectionem vestram in medium adducam, qua nobis obuiare soletis: Scriptum est: H 1. Cor. 3. *Quoniam vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Gal. 6. Item: *Vnusquisque onus suum portabit.* Ezech. 7. Item: *Vnumquemque secundum vias suas iudicabo, dicit Dominus:* hoc est, vnicuique retribuam secundum opera sua bona vel mala. Ex his ergo sumitis occasionem, vt dicatis non posse fieri, quod per bona opera viuorum adiuuentur animæ defunctorum, vt à pœnis suis liberentur, & ad requiem transferantur. Dicitis enim quod si Deus illis miseretur propter bona opera, quæ alij pro alijs fecerunt, nunc eis non retribuitur secundum opera sua, sed secundum opera aliorum, & non ipsi onus suum portant, id est, pœnam quam ipsi meruerunt peccatis suis, si pro laboribus aliorum ab oneribus suis liberantur. Ad hæc ita respondemus: Si fideles pro defunctis suis orant, ieiunant, eleemosynas largiuntur, missas celebrant, aut celebrari faciunt, bona opera operantur, & ipsimet in tempore suo mercedem pro istis recipient secundum suum laborem. Illi vero pro quibus ista faciunt, si in

criminalibus

A criminalibus peccatis in vita sua fuerunt, & de ipsis nec pœnituerunt, nec confessionem suam facere curauerunt, nihil illis bona opera hic prodesse poterunt ad salutem: Si vero in peccata aliqua lapsi fuerunt in vita sua, & de his ante finem pœnituerunt, & in fide Catholica de hoc seculo migrauerunt, & morte præuenti, non potuerunt omnem satisfactionem implere, quam pro peccatis suis debebant, dicimus quia onus suum portabunt, id est, pœnam pro peccatis suis sustinebunt quamdiu permiserit Deus: Pro pœnitentia autem sua, quam in fine habuerunt, & pro fide Catholica in qua vsque ad mortem permanserunt, ac pro cæteris bonis, quæ in hac vita fecerunt, hanc mercedem recipient, vt eis detur vita æterna, in nouissimo die, & in anima & in corpore. Plurimi vero istorum etiam hoc in mercede recipient, vt ante nouissimum diem liberentur à pœnis suis per bona opera viuentium fidelium, quæ supra memorata sunt: alij quidem citius, alij autem tardius, secundum B quod merita eorum majora vel minora fuerunt in hoc mundo. De his itaque vere dicere possumus vtrumque, & quod onus suum portabunt, quia sustinent pœnam pro peccatis suis secundum tempus quod constituit illis Deus: & quod ipsis retribuitur secundum bona opera ipsorum, quibus meruerunt vt possit eis subueniri ab Ecclesia Dei. Possibile quidem esset Deo sine alicuius interuentu quorumlibet hominum animas liberare à pœnis suis. Vult autem hoc ordine eas liberari, vt à viuis ei seruiatur pro eis, quatenus in hoc ipso magis commoneantur viui Deum reuereri, & offensam eius cauere, pariterque augeantur & merita eorum per opera pietatis quæ faciunt pro dilectione proximorum. In nullo ergo nobis contrariæ sunt scripturæ quæ supra memoratæ sunt, sed potius nobiscum sunt. Si verba diuina vobis ô insulsi sapientes cum diligenti consideratione decoxissent hi, qui ea tam cruda in ore vestro posuerunt, magis salubriter vos pauissent, & non tanta ventositate superbiæ corda vestra C inaniter distendissent. Equidem objectionibus vestris quibus maxime fidebatis, satis, vt æstimo responsum est, & complosæ sunt quasi vesicæ turgentes, & nihil inuentum est veritatis in eis. Nunc autem inquiramus scripturas, quæ nobiscum sunt pro parte veritatis: Ad cuius defensionem accincti sumus, & vt à Paulo incipiamus, intueamur primum verba quæ ad Corinth. scripsit dicens: *Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit detrimentum patietur ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non propter nostros quidem, quibus sanctorum nota sunt scripta patrum, sed vestri erroris occasione, necesse est nunc me sermonis huius sensum aperire. Fundamentum spiritualis ædificij quod intus in anima construimus, fides Christi est, quam qui vere habet, Christum in corde gerit, qui est initium & consummatio omnis boni in electis suis: ideoque & ipse fundamentum vocatur. Fun-D damentum nostrum dicitur fides, quia à fide bonam vitam inchoamus. Nam si non sit in nobis recta fides, nihil in nobis potest Deo placitum esse, quicquid faciamus bonum siue malum. Ex quo autem in nobis esse cœperit fides, placere incipimus Deo iamque secure possumus operari bona opera, quia de cætero mercedem suam accipient. Lapides pretiosos super fundamentum ædificamus, quando hoc fidei rectæ adjicimus vt bonis moribus simus ornati, videlicet humilitate, patientia, temperantia, iustitia, misericordia, & cæteris huiusmodi moribus, quos virtutes animi vocamus: quotiescunque etiam opera facimus, quæ ex huiusmodi virtutibus procedunt, lapides pretiosos fundamento superædificamus, lapidibus autem pretiosis talia digne comparantur: quia sicut lapides pretiosi, aurum, & alias res quæ in se pulchræ sunt, ornare solent, ita virtutes & bona opera decorem magnum præstant animæ rationali, quæ secundum Deum formata est, & est pretiosior omni auro. Decor autem iste non potest in anima dissolui, etiam si in ignem purgatorium pro aliquibus leuioribus culpis fuerit missa: sicut & lapides pretiosi liquefieri non possunt si in ignem mittantur. Argentum quoque fundamento superædificant, quibus hoc studium est, vt diuinas scripturas intelligant, & sermonibus sapientiæ alios instituant. Argento autem quod habet dulcem & acutã sonoritatem comparari solet Scriptura sacra, vt ibi: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Quid enim dulcius sonat quam sacra Scriptura, in qua vitæ æternæ gaudia promittuntur. Quid acutius diuino sermone, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingente vsque ad diuisionem animæ & spiritus? Item & aurum in ædificio suo collocat, qui tam perfectæ contemplationi cor suum tradit, vt possit iugiter de Deo meditari, & trahere de occultis sapientiam, qua gustauit suauitas eius ipsumque sine intermissione orare, ipsum incessabili charitatis ardore circuire. Talis contemplatio recte auro comparatur, quia cunctis virtutibus excellentior est, sicut cæteris metallis pretiosius est aurum, estque effectrix operum summæ perfectionis, quæ & ipsa quasi aurum sunt in ædificio animæ comparata cæteris operibus bonis: Facit enim abstinere propter Deum etiam ab his quorum vsus licitus est: facit contemnere mundum & omnem gloriam eius, castitatem immaculatam custodire, animam pro Deo & fratribus ponere, ac cætera huiusmodi. Ligna vero, fœnum & stipulam super fundamentum suum coaceruant, qui cum rectam fidem habeant, nimis occupant corda sua curis & cogitationibus, quæ pertinent in hunc mundum quique maiorem quam oportet amorem habent ad ea, quæ prohibita ipsis non sunt, velut vxores, filios, & filias, seculares amicos, domos & possessiones, & dignitates & huiusmodi. Hi, inquam, in anima sua ædificare dicuntur super fundamentum ligna, fœnum & stipulam, quia talibus rebus mentem occupant, quæ cremabiles sunt, sicut ligna, fœnum & stipula. Nam hæc quæ dicta sunt, obscuram & grauem faciunt animam, ne possit libere cogitare ea quæ Dei sunt, ipsumque amare sicut oportet: sed omnis ista obscuritas & grauitas in purgatorio igne exurenda est, ita vt ipsum fundamentum nihil destructionis patiatur, si tamen inter hæc omnia præ cunctis rebus habeatur Deus, ita vt si necesse sit, potius ista relinquantur quam Deus abnegetur. Coaceruant etiam in anima sua res cremabiles, qui se non custodiunt à leuioribus culpis, velut est otiosus sermo, risus & ioci, ira, vana lætitia, excessus in cibo & potu, qui non est frequens nimis, & huiusmodi quotidiana peccata, quæ capitalia non dicuntur. Hi, inquam, ligna, fœnum, stipulam, aggregant super fundamentum suum, & hæc quoque excoquenda sunt per ignem. De leuioribus dixi peccatis: nam criminalia peccata si admissa fuerint, non potest dici, quod super fundamentum aliquo modo collocentur. Siquidem ipsa destruunt fundamentum & fidem, quia enecant eam, & pro his dicitur mortua fides. At si pro his pœnituerit homo, & non satisfecerit Deo pro his in hac vita, reputabuntur quasi illa quæ comparata sunt ligno, fœno & stipulæ, & annihilabuntur per ignem in die Domini, sicut & leuiora quæ prædicta sunt. Dies hominis dicitur tempus illud, in quo vnicuique homini permittit Deus facere secundum arbitrium suum quod vult, & quo potest promereri bona siue mala secundum opera sua. Dies autem Domini: tempus illud quod instat vnicuique quando separatur à corpore anima eius, & de cætero non potest incedere secundum arbitrium suum, sed secundum iudicium Dei ducitur vel ad requiem vel ad pœnam, ad accipiendam mercedem quam promeruit, fiuntque manifesta, quæ prius in eo erant occulta, siue bona siue mala. Vnde & dicitur: *Vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit.* Ignis autem dicitur pœnalitas illa, quam ad hoc Deus ordinauit vt in ea affligantur, & purgentur electorum animæ à maculis quas in hac vita contraxerunt. Quæ nullum

1. Cor. 13. — *Fundamentum.* — *Lapides pretiosi.* — *Aurum.*

A quidem detrimentum inferre poterit ædificationi eorum, qui fundamento superædificauerunt aurum & argentum, & lapides pretiosos, etiamsi per medium illius eis transire contingat. Propter hoc ergo ait: *Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet*, eam videlicet, quam sua superædificatione promeruit. Propter eos autem qui superædificauerunt ligna, fœnum, stipulam, dicit: *Si cuius opus arserit detrimentum patietur*, ita videlicet quod nullum pro sua ædificatione præmium habebit, imo amaram afflictionem: *ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, non aliter nisi per examinationem ignis. Diuersis autem nominibus ligni & fœni, & stipulæ designauit ea, quæ in quolibet exurenda sunt propter diuersitatem ipsorum, secundum quam quædam diutius aliis ignem sustinebunt, velut lignum diutius fœno ardet, fœnum diutius stipula. Est autem ignis iste idem quod psalmista (Ira. Psalm 6.) iram appellat cum dicit: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, vel emen- B des me, vt habet alia translatio. In furore arguentur, & non emendabuntur, quibus dicetur: *Ite maledicti in* (Matt. 25.) *ignẽ æternum* In ira autem corripientur & emendabuntur, qui per ignem salui erunt. Vtrumque autem formidans deprecatur dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me*, ac si diceret: Non sum inter eos, quibus dicturus es: *Ite maledicti in ignem æternum, neque in ira tua emendes me*, sed in hac vita me vre & seca, & talem me redde, cui emendatorius ignis necessarius non sit. Iste ignis est ô Cathari, quem Ioannes Baptista significauit, quan- (Matth. 3.) do de Domino saluatore prædicabat dicens: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*. Nam in hac vita baptizat in Spiritu sancto, quando in baptismo foris quidem per inuisibiles ministros baptizat nos in aqua, intus autem animas nostras propria operatione baptizat in Spiritu sancto, donans nobis remissionem omnium peccatorum. In igne autem nos baptizat, quando post hanc vitam in purgatoriis pœnis animas nostras purifi- C cat à maculis peccatorum, quas in habitaculo corruptibili contraxerunt: quia nihil in illa sua purissima ciuitate recipere vult quod non sit ab omni sorde defecatum. Possumus & ex verbis Domini testimonium sumere ad confirmationem sententiæ, de qua nunc sermo nobis est. Legimus in Euangelio, quoniam ad Pharisæos blasphemantes opera eius inter cætera dicebat sic: *Qui* (Matt. 12.) *dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro*. Quale sit illud peccatum, quo dicitur peccare quis in Spiritum sanctum, non me determinare hoc loco necesse est, quia ad præsens negotium non pertinet hoc. Id vero præsentis negotij est, vt consideremus hoc quod aliquod peccatum esse insinuat, quod *non remittitur neque in hoc seculo, neque in futuro*. Si verus est sermo, nulli aliquod peccatum in futuro seculo contingit remitti: Nam sicut dicitis, quælibet anima, mox cum de præsenti seculo migrauerit, aut in æterna beatitudine constituitur, quo nemo cum peccati macula accedet, & vbi nemo peccati D maculam contrahit: aut æternis pœnis deputatur, vbi nulla remissio, nulla misericordiæ exhibitio est. Ergo superflue à saluatore talis distinctio facta est, vt diceret peccatum illud, quod est in Spiritum sanctum, non remitti neque in hoc seculo, neque in futuro. Nam si nullum in futuro seculo peccatum remitteretur, non tam specialiter de illo peccato dixisset, quod *neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur*, sed sufficisset simpliciter dixisse, quoniam non remittetur ei. Sicut autem nefas est dicere, aliquam falsitatem in verbis saluatoris inueniri, ita proculdubio nefas est dicere, aliquam in eis esse superfluitatem, aut inutilitatem. Scriptum quippe est de eo in Psalmo: (Ps. 1.) *Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur*. Deflueret autem folium eius, si in verbis eius aliquid superflueret: & non prosperarentur quæcunque fecit, si aliquid sine vtilitate dixisset. Ergo necessario concedendum est, quoniam in futuro seculo aliqua peccatorum remissio fit: quam quia non possumus dicere exhiberi eis, qui æternaliter damnati sunt, neque eis qui saluati sunt, E necesse est vt dicamus aliquibus remitti peccata in alio seculo, qui neque sint in æterna damnatione, neque in æterna beatitudine collocati. Nulli autem medij sunt inter æternam beatitudinem, & inter æternam damnationem, nisi illi de quibus dicimus, quod in purgatoriis pœnis sint. Videre nunc quali modo eis peccata remitti dicamus. Remittit Deus peccatori homini peccata duobus modis, in hac vita videlicet, duritiam cordis eius per interiorem gratiam ad conuersionem emolliendo, & conuersum ad se à debito gehennalis pœnæ, quæ ei pro peccatis debebatur, absolutum faciendo. Quibus autem in hac vita his modis peccata remittit, si ita transeunt de hac vita, quòd de peccatis suis non ad plenum satisfaciunt Deo, permittit eos ad tempus puniri in quibusdam pœnis, quas constituit ad hoc, vt electi sui in his purificentur. Quando autem eis illas pœnas remittere dicitur: quia & pœnæ peccatorum peccata vocantur, secundum illud Apostoli: *Christus* F (1. Pet. 2.) *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*. Non autem aliter peccata nostra ipse portauit, nisi quod pœnas, quæ nobis debebantur pro reatibus nostris, ipse sustinuit. Vnum adhuc satis euidens testimonium ad confirmationem partis nostræ inducere possumus, ex hystoria Machabæorum, cuius talis est autoritas in Ecclesia, (2. Mach. 12.) vt publice in diuino seruitio lectitetur. Scriptum est in libro secundo eiusdem historiæ, quod Iuda Machabæo dimicante aduersus Gorgiam præpositum Idumææ, contigit paucos Iudæorum ruere. Fugato autem Gorgia, per Dei auxilium, *Iudas collecto exercitu venit in ciuitatem Odolla, & cum septimus dies superueniret, secundum consuetudinem eodem loco sabbatum egerunt, & sequenti die venit Iudas cum suis, vt corpora prostratorum tolleret ac sepeliret. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibebat Iudæos*. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse: *atque* G *ita ad preces conuersi, rogauerunt Deum, vt id delictum obliuioni traderetur* Posthæc prosequitur scriptura ita dicens: (Ibidem.) *Et facta collatione Iudas duodecim millia dragmas argenti misit Hierosolymam, offerri ea pro peccatis mortuorum iuste & religiose de resurrectione cogitans*, &c. Et ad vltimum ita conclusit dicens: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*.

Quid nunc ad hæc dicitis, ô Piphles? Euangelica scriptura, vt auditis, pro nobis est, & quis contra nos? Apostolica scriptura in defensione nostræ partis est, & quis est qui condemnet nos? Exemplum Machabæi dominici bellatoris in acie nostra est, & quis dimicabit aduersus nos? Adhuc pauca de præsenti negotio habeo conferre vobiscum. Si præoccupatus fuerit homo grauioribus peccatis, & conuersus fuerit ab iniquitate sua, & pœnituerit ex corde de perpetratis malis, nunquid indiget, vt præter illam interiorem pœnitentiam cordis, aliquam exteriorem satisfactionem de peccatis suis Deo exhibeat, videlicet eleemosynas dando, ieiunando, H & aliis modis cor suum propter Deum affligendo? Si ita est, vt per quosdam comperi, quibus noti erant sermones vestri, dicitis quia postquam ex corde pœnituerit homo de peccatis suis, & cessauerit ab iniquitate, non opus est ei illa exteriore satisfactione, de qua dixi: eo quod iam omne peccatum ei sit remissum in pœnitentia cordis. Sed hoc ita esse euidentibus Scripturæ sanctæ testimoniis declaratur: Dicit enim Dominus per Prophetam Ioel. (Ioel. 2.) *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*. Ecce euidenter præter interiorem conuersionem cordis, exteriorem quoque satisfactionem exposcit. Ioannes quoque Baptista, vt in Euangelio legimus, ad vtrumque hortatus est dicens: (Matt. 3.) *Pœnitentiam agite*. Et post pauca subiungit: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Fructus autem pœnitentiæ sunt opera bona, quibus Deus placatur pro peccatis, & variæ castigationes carnis. Quæ qualem effectum habeant ad placandum Deum patet ex historia, quæ narrat pœ-

A nitentiam Niniuitarum, & ex scriptura quæ dicit, quomodo Achab Rex Israël cum vrgeretur per Heliam de occisione Naboth (Ionæ 3.) *scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Factusque est sermo Domini ad Heliam dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij eius inferam malum domui eius.* (3.R. g. 21.) Ex his ergo palam est, Deum non solum internam cordis compunctionem, sed etiam exteriorem satisfactionem peccatis congruentem exigere, eaque exhibita placari, neglecta autem ad vindictam commoueri. Si ergo concedttis hoc ita esse, quid diceris de illo qui in omni genere criminum consenuit, & primum in ipso articulo mortis compungitur, & conuertitur ad iustitiam? Nunquid debitor alicuius satisfactionis est Deo pro peccatis suis? vtpote debitor quidem est: sed quia propter breuitatem temporis non potest eam im- B plere, dimittitus ei satisfactio simul cum peccatis, statim post mortem rapitur ad æternam beatitudinem. Dicitis ita: Bona est sententia ista, & ad multorum proficit correctionem. Qualem correctionem? quod si hoc verbum publicè coram vanis & prauis hominibus prædicetur, differet vnusquisque conuersionem suam quanto diutius poterit, dicens apud se: faciam omnem voluntatem cordis mei, & in fine vitæ meæ conuertar & pœnitebo, & statim sine omni labore ad Regnum cœlorum transibo. Videtis ne quomodo sententia vestra, si credita & recepta fuerit, occasio erit omnis vanitatis & omnis prauitatis? Stultissimi hominum, quæ ratio, sut quæ vtilitas est in hoc sermone quem dicitis? omnino nulla, nisi vt singulariter videri possitis sapientes præ aliis hominibus, si aliquid singulare dicatis, quod non sit in opinione cæterorum. In nostro autem sermone quem de animabus mortuorum diximus, indubitanter fructus multus est, quoniam multa opera misericordiæ quotidie fiunt in pauperes, quæ nullatenus fierent, si C non hoc crederent homines, vt per talia possent adiuuare animas charorum suorum. Manifestum est itaque, per omnia necessarium esse purgatorium illum ignem, de quo diximus, in quo animæ eorum qui in hac vita non plenariam satisfactionem Deo pro peccatis suis exhibuerunt, tamdiu examinentur, donec idoneæ fiant sottomitti ad illam supernam ciuitatem Dei, quæ nihil recipit quod perfectum & plene examinatum non sit. Quid enim absurdius, quam vt credatur animam à sentina turpitudinum recenter extractam, & earum memoria adhuc quodammodo fœtentem, in illud tam lympidissimum lumen tam repente irrumpere, & purissimorum spirituum cœtibus admisceri, ita vt sit vno eodéque die, mane quidem in peccatorum turpissimo cœno, & vespere, in Angelorum purissimo cœlo? Nonne debuerat vel septem dierum rubore suffundi pro multis criminosis excessibus, cum pro solo verbo iurgij Maria soror Moysi lepra pessima correpta sit à Domino, ac septem diebus sequestrata à castris filiorum Israël? Ex D auro purissimo omnis vasa sanctuarij, quibus administrandum erat corruptibile sacrificium in deserto, fieri iussa sunt. Quanto magis vasa, quibus incorruptibilis gloria purissimæ diuinitatis seipsam dignabitur infundere, omnimoda examinatione antequam ad sancta sanctorum inferantur, probata esse conuenit? De latrone mihi forsitan obijcitis, quod eadem die qua confessus est, in paradiso fuerit cum Domino IESV. Ad quod ita respondemus: quia hoc ei specialiter concessum est præ aliis pœnitentibus propter admirabilem fidei eius virtutem, qua hominem quem vidit non habentem speciem neque decorem, & quasi nouissimum virorum ignominiosæ morti traditum, credere potuit Deum esse dicens: (Luc 23.) *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Quæ fides, vt arbitror, coram diuino examine maioris meriti habita est, quam multorum annorum grauis pœnitẽtia. Date tam gloriam Deo, & accedite ad veritatẽ, qua expugnati estis, aut si nõ acceditis, fugite partes aduersæ cum doctore vestro, qui ab initio mẽdax est, & mẽdacij pater.

SERMO X.

Contra septimam Hæresim de sacerdotio.

ACcedamus & ad illud discutiendum quod dicit[is] ordinem sacerdotij defecisse apud nos, & nusquan inueniri veros sacerdotes, nisi inter vos. Loquor nun pro nobis, qui in his quæ ad Christianam Religionen pertinent, ad Romanam Ecclesiam respectum habemus Sacerdotalem ordinem nos accepimus à Romana Eccle sia. Romana autem Ecclesia ab Apostolo Petro, Petru à Christo, Christus à Deo Patre, qui vnxit eum oleo lætitiæ, hoc est, Spiritu S. præ participibus suis, & iurauit dicens ad eum: *Tu es sacerdos in æternum secun dum ordinem Melchisedec.* Verus sacerdos erat Domi nus IESVS CHRISTVS, qui Sacrosanctum Corpus & Sanguinem suum palam obtulit Deo Patri super aram crucis, vt statueret pacem, & reconciliationem inte ipsum, & genus humanum quod perditum fuerat. S à donatione sacræ rei sacerdos dicitur, nulli vnquan melius competebat hoc nomen, quam ei qui sacrum sa cratissimum, hoc est, seipsum dedit, vt saluaremur pe ipsum. Ipse etiam inuisibiliter dedit Corpus & Sangui nem suum, quando coram discipulis panem & vinun in cœna benedictione cœlesti, & fecit sua admirabili po testate, vt sub specie eiusdem panis & vini sumerent d manibus ipsius Corpus & Sanguinem eius. Ipse quoqu sicut pollicitus est, cum Ecclesia sua est vsque ad con summationem sæculi, & quotidie inuisibiliter per ma nus Ecclesiæ Deo Patri pro salute mundi Corpus & san guinem suum sub specie panis & vini. Propterea dictu est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui era Rex Salem & sacerdos Dei summi, & oblationem feci Deo ex pane & vino. Dominus IESVS CHRISTVS dis cipulos suos fecit veros sacerdotes, in eo quod vnxi eos Spiritu sancto, & dedit eis potestatem prædicand verbum diuinum, & baptizandi, cum dixit: *Euntes do cete omnes gentes, Baptizantes eos In nomine Patris & Fili & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunqu mandaui vobis.* Dedit eis potestatem ligandi atque sol uendi, cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueri tis, retenta erunt.* Dedit eis potestatem conficiendi Cor pus & sanguinem suum sub specie panis & vini, quando dixit ad eos: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis trade tur: hoc facite in meam commemorationem.* Omnem de nique potestatem, quæ ad sacerdotij officium & ad Epi scopalem dignitatem spectat, ab ipso acceperunt. Ean dem autem potestatem singuli successoribus reliquerun in illis terris, & in illis Ecclesiis, quas eis Dominu conuertendas & gubernandas delegauit. Et vt nun de aliis taceam, beatus Petrus Princeps Apostolorum i Romana vrbe Presbyteros & Episcopos ordinauit, & omnem potestatem quæ ad officia eorum pertinebat ei dedit, sicut ipse à Domino IESV CHRISTO acceperat Et puto non potestis contradicere, quin hoc facer posset. Beatum vero Clementem discipulum suum cum sciret sibi imminere terminum vitæ suæ, in loco suo Ec clesiæ præesse constituit, & eam potestatem, quam ips habuit in principatu Apostolatus eis tradidit. Ips autem consecratione, qua per beatum Petrum Cle mens ordinatus est in Presbyterum & Episcopum, or dinati sunt & à Clemente alij Episcopi & Presbyte Romæ, & ipsa ordinatus est successor Clementis, ea & ille alios ordinauit Episcopos & Presbyteros, & ita successoribus ad successores per ordinem descendit sace dotale officium, & Episcopalis dignitas, vsque ad eum qui hodierna die summus pontifex Ecclesiæ est. Si nun dicitis, quod sacerdotalis ordo defecerit in Roman Ecclesia oportet vt nobis hoc demonstretis, sub quo Papa acciderit iste defectus & quam ob causam accid rit. Quod si dicere nescitis, magnæ stultitiæ & temer ratis argui potestis, pro eo quod rem tam magna

diffam:

A diffamare ausi estis, quam non veraciter comperistis, sed tamen in opinione habetis. Dicitis forte: Nescimus sub quo Papa acciderit iste defectus, sed hoc scimus, quòd ex multis temporibus omnes qui dicebantur Romani Pontifices & Cardinales, semper auari fuerunt Romani Pontifices & Cardinales, semper auari fuerunt & superbi, & multis ex causis indigni sacerdotio Christi, & ex hoc certi sumus, quoniam verum sacerdotium apud ipsos non est. Esto indigni sint: Nunquid impossibile est vt aliquis sit indignus sacerdotio, & tamen vere sacerdotij ordinem habeat? Nequaquam hoc impossibile est. Scimus quippe quoniam sacerdotium, quod erat in veteri lege, institutum erat à Deo. Et quoniam Aaron & Eleazarus & Phinees primi sacerdotes Dei viri sancti, multos habuerunt successores in sacerdotio, qui non erant beneplaciti Deo, & indigni sacerdotali dignitate, & tamen eos Deus tolerauit in officiis suis, & ratam permisit esse benedictionẽ sacerdotalem in eis. Sacerdotes Iudæorum in aduentu saluatoris hypocritæ

B erant & auari, ac superbi, & venditores & emptores spiritualium rerum, sicut ex verbis Domini apparet, quibus sæpe eos reprehendebat, & tamen ipse de eis dicebat ad plebem: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Matt. 23. Ecce cum ipse nosset vitia eorum ab intrinsecus, non tamen abducebat populum ab eis, sed honorem debitum sacerdotibus, & spiritualibus magistris voluit ab illis exhiberi. Item cum venissent ad eum decem leprosi volentes mundari ab eo dicebat eis: *Ite ostendite vos sacerdotibus*: & vni cum esset mundatus à lepra, ait: *Vade ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis*: Ecce quomodo honorabat eos, quos sciebat esse iniquos. Quid quæso honorabat in eis? Non personas eorum, sed officium eorum, quod sanctum erat & institutum a Deo. Quod certe si defecisset in eis propterea quia eo erant indigni, non eos sacerdotes appellasset, neque præcepisset eis offerri munus, quod sacerdotibus Dei erat diuino iure

C offerendum. Scriptum est de Caipha summo Pontifice Iudæorum, qui erat vnus ex præcipuis crucifixoribus Christi, quod cum collegissent pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum quomodo eum perderent, dicebat, *Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo, ne tota gens pereat* Ioan. 11. Quibus verbis Euangelista ita subiungẽs ait: *Hoc autem non à semetipso dicebat, sed cum esset pontifex anni illius, prophetabat, quod Iesus moriturus esset pro gente, & non pro gente tantum, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum* Ex quo sermone Euangelistæ percipitur, quod Caiphas licet sanctus non esset, propter sanctitatem tamen pontificalis officij sui, aliquam singularem gratiam habebat à Deo, per quam prophetabat redemptionem, quæ per Christum erat futura. Erat tamen indignus dignitate officij illius, non solum ob illam nequitiam qua saluatori resistebat, sed propter auaritiam & superbiam ac cætera vitia, quibus irretiti erant cuncti sacerdotes temporis illius, sicut ex verbis saluatoris & ex verbis Ioannis

D Baptistæ manifestum est, qui frequenter eos arguebat. Ita enim erant auari & cupidi honoris sicut in historiis legitur, vt singulis annis mutarent summos pontifices, & festinaret vnusquisque ante alium ingredi ad dignitatem pontificatus per pecunias quas dabant gentilibus, qui eis præpositi erant illis temporibus: cum secundum legem vnusquisque Pontifex vsque ad finem vitæ suæ stare debuisset in officio suo. Quæ mutatio Pontificum intelligi potest etiam ex eo quod Euangelista dicit de Caipha, quod esset pontifex anni illius, erat autem pontifex anni prioris Annas socer eius sicut ex historiis habetur. Hæc idcirco dicta sunt, quia dicitis non posse sacerdotale officium ratum esse apud illos, qui sacerdotio indigni sunt. Quis sceleratior, quis indignior fuit dispensatione mysteriorum Dei quàm Iudas Scariothis, qui & fur erat Dominicæ Gazæ, & mortem saluatoris diu in mente gerebat, & voluntate eum occidebat? Dominus tamen eum, sicut & cæteros Apostolos mittebat ad dispensandam gratiam suam spiritalem, prædicando, baptizando & exequendo cuncta

E quæ ad Apostolatum pertinebant; & rata esse permisit ea quæ ab illo gerebantur, sicut & ea quæ cæteri Apostoli faciebant in ministeriis suis. Legimus de pluribus qui baptizati sunt à Ioanne Baptista, viro sancto & perfecto, quod rebaptizati sunt per Apostolos: eorum vero qui baptizati sunt à Iuda nullum legimus fuisse rebaptizatum. Fuisset autem necessarium eos rebaptizari, si vim suam non potuisset habere sacramentum illud sub manibus eius, ob eam causam, quia ipse fuisset indignus administratione baptismi. Ad nostram eruditionem hoc fieri permisit Dominus, vt ille qui indignus erat computari inter ministros Dei, gratiam suam hominibus, sicut & cæteri Apostoli dispensaret, vt cum videmus indignos sacerdotes spiritualia tractare & distribuere, ne propter eorum malitiam diffideremus gratiæ Dei, neque æstimaremus quod nullam virtutem haberent res spiritales, quæ ad salutem gratiæ Dei constitu-

F tæ sunt, pro eo quod mali sunt, qui officium habent super ea. Nolite itaque temere hoc affirmare, quod in Romana Ecclesia defecerit ordo sacerdotalis, pro eo quod qui regnant in ea, indigni sunt eo. Certe hoc quod dicitis, verum esse fateremur, si defecisse in ea fidem catholicã probare possetis. Nam si exinanita esset fides, inania procul dubio essent & fidei sacramenta. Quod si inania essent sacramenta, inane & nullius vtilitatis esset officium sacerdotum dispensantium ea. De aliis quidem vitiis, pro quibus Romanam Ecclesiam culpatis, non eam fortassis sufficienter possumus excusare: sed quod adhuc in ea defecerit fides Catholica, nulla certe potestis ratione probare. Nam eadem fides quæ ab initio per Beatum Petrum in ea plantata est, & quæ prædicata est à successoribus eius, qui pro Catholicæ fidei confessione martyrium pertulerunt, vt Clemens, vt Sixtus, vt Marcellus, & multi alij, quos longum esset enumerare, & qui sanctitate conuersationis, & cœlestibus doctrinis Ecclesiam vehementer illustrauerunt, vt

G Syluester, vt Gregorius, vt Leo, & quamplures alij: eadem, inquam, fides vsque in hodiernum diem in ea prædicatur, adiuuante apud patrem illa Domini nostri Iesu Christi interpellatione, de qua ipse dixit ad Petrum: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*: Luc. 22. Quod vtique non dicebat spiritualiter pro illa fide, quæ in mente Petri erat, sed de fide Ecclesiæ, quam voluit gubernari à Petro. Vnde & si quando contigit aliquem Apostolicorum patruio à fide Catholica errare, non diu eum stare promisit Dominus, ne forte per ipsum Ecclesia corrumperetur. Nam in tempore Arrianæ hæresis quidam Papa dictus Leo, sicut legitur in vita beati Hilarij: Arrianus consensit in hæresi, & subitanea morte percussus est. Sed & de alio quodam legitur, quod à vera fide exorbitauerit, & ob hanc causam depositus sit. Quod si adhuc in eo verbo hæretis, vt dicatis Romanam Ecclesiam ita corruptam esse, vt nunc credatur in ea & doceatur aliud quam quod credidit & in ea docuit B. Pe-

H trus, & illi eius successores, de quibus dubium non est, quin sancti sint, ostendere debetis nobis rationabili sermone quid sit illud in quo discordet ab illorum fide, & prædicatione: & quid sit illud, quod illi crediderunt, & quod nunc in fide non suscipiatur à successoribus illorum. Certi autem sumus, quoniam ad hoc demonstrandum, & ratio vobis deest & sermo. Sicut dixi, Dominus noster Iesus, ob dilectionem principia Apostolorum inter multas procellas persecutionum, & oblatrationes hæreticorum, incorruptam adhuc conseruauit fidem Catholicam in sede illa Apostolica, simulque sacerdotalis ordinis in ea conseruauit dignitatem, magis propter fidei stabilitatem, quam propter merita sacerdotum regentium eam. Propter fidei dico stabilitatem, quia indubitanter Ipsa in negligentiam & defectum iam deuenisset, si enacnatum esset officium prædicandi, baptizandi, confirmandi, ligandi atque soluendi, offerendi sacrificium salutare, & orationem faciendi pro populo Dei, Ecclesias quoque consecrandi, & or-

dines

A dines faciendi, ac cætera huiusmodi exequendi, quæ ad Episcopos ac sacerdotes pertinent. A Romanis autem patribus, sicut notitia sacræ fidei, ita & ordo sacerdotij ad nos vsque peruenit per sanctos viros, qui inde ad has occidentales partes Christianæ religionis causa missi sunt. Nam Apostolus Petrus quando tres discipulos suos Eucharium, & Valerium, & Maternum ad prædicandum in Gallia atque Germania verbum Dei transmisit, patrum quidem illorum videlicet B. Eucharium in Presbyterum ordinauit & ad episcopalem eum dignitatem sublimauit. Valerium autem ad gradum diaconatus promouit. Maternum subdiaconũ consecrauit. Beatus autem Eucharius cum esset Episcopus in Treuerensi vrbe, S. Valeriom ad sacerdotij graduro promouit, eique cum esset moriturus, Ecclesiam vice sua gubernandam commisit. Similiter & ille, cum esset ab hac vita migraturus, beatum Maternum in sacerdotem ordinauit, & Episcopalem ei administrationem commisit. Ab his ergo tribus pontificibus Patrum sacri Ordines simul cum fide Catholica plantati & radicati sunt in Treuerensi & Coloniensi Prouinciis, quas vtrasque rexisse dinoscitur sanctus Maternus, simulque Tungrensem, cum adhuc episcopalis esset sedes in ea. Qua enim potestate & qua gratia Dei ipsi ordinauerunt Episcopos & Presbyterus, aliosque ordines dederunt, eadem potestate, eadem gratia & cuncti qui eorum successores fuerunt in Episcopali dignitate, & in eadem fide extiterunt, quam illi docuerant, & obedientes fuerunt Apostolicæ sedis magisterio, ipsi quoque ordinauerunt Episcopos & Presbyteros, aliosque Dei altari ministros vsque in hodiernum diem. De Moguntinensi prouincia similia dico. Qua potestate ordinatus fuit in Presbyterum & Episcopum sanctus Bonifacius: qui cum esset Romanæ sedis Ecclesiæ Cardinalis, missus est à Zacharia summo Pontifice Moguntiam, & primus in ea Archiepiscopus factus est: qua inquam potestate ipse consecratus fuit, ea & ipse Episcopos, & Presbyteros aliosque ministros Dei ordinauit, eadem & successores eius, eorumque suffraganei vsque in præsens tempus singuli suis ciuitatibus ordinationes fecerunt ministrorum Dei. Ex his ergo quæ nunc dicta sunt, scitote quoniam in his tribus Archiepiscoparibus, qui principales sunt apud Teuthonicam gentem, & in Episcopatibus, qui eis subditi sunt officium sacerdotale, radicem, & firmamentum haber à capite sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, id est, à sede Beati Petri Apostoli, quæ in Romana vrbe est. Sed & cunctæ metropolitanæ ciuitates Romani imperij in eo quod pallia Pontificalia à Romanis patribus requirunt, eisque obediunt, & decreta Romanorum Pontificum recipiunt & obseruant, & secundum instituta illorum diuinum seruitium agunt, plane demonstrant officium Episcopale ac sacerdotale, cæterosque ordines diuini ministerij à Romana Ecclesia se habere. Idem & de ciuitatibus cæterorum occidentalium regnorum dicere possumus. Regno Francorum Beatus Dionysius Areopagita à sancto Clemente successore Petri Apostoli in Episcopum ordinatus, sacerdotale officium intulit, qui primus gentem Gallorum in Parisiensi vrbe & in finibus eius prædicatione verbi Dei ad fidem conuertit, Ecclesias construxit, & consecrauit Presbyteros atque alios altaris Dei ministros ex probatis personis, sicut legitur, ordinauit. Atque ad eadem facienda tres illustres viros à se ad Hispaniam, ad Aquitaniam, & ad Belvacensem regionem transmisit, videlicet S. Marcellum, Saturnum & Lucinum, quos ei S. Cle. Papa socios itineris dederat. Sic & in regno Anglorum B. Augustinus Episcopus à venerabili Papa S. Gregorio missus, sicut Christianæ religionis cultum, ita & sacerdotale officium dilatauit. Sicut ergo eadem fides quæ à Romana sede per sanctos viros, qui inde missi sunt, disseminata est, adhuc hodie permanet in cunctis ciuitatibus occidentalium regnorum, quæ prædictæ sunt: ita & officium sacerdotale, quod per illos plantatum est, ibidem permanet vsque in diem hanc. Forte ad hæc respondetis: fatemur quidem quod illi primi prædicatores fidei Christianæ, de quibus dictum est, vere sacerdotes Dei fuerunt, & alios ad sacerdotium ordinare potuerunt, sed multos successores in Episcopalibus cathedris habuerunt, quorum vita tam praua & tam abominabilis extitit, vt nec ipsi possent sacerdotale officium habere, nec alios ad hoc possent ordinare, ac per eos sacerdotium omnino interiit. Pro quibus respondeo ipsum, quod supra de Romanis Pontificibus dictum est, non esse hoc impossibile, vt magistri Ecclesiarum habeant aliqua dona spiritualia pertinentia ad vtilitatem eorum, quos regere habent, qui tamen ipsi eisdem donis coram Deo indigni fiot, & non ipsismet proficiant ad salutẽ. Sic & propheticus spiritus Balaam, & Caiphæ, de quo & supra locuti sumus, & Apostolica potestas Iudæ non ipsis prouenit ad vtilitatem, sed aliis. Quapropter non ex hoc, quod dicitis pontifices successores sanctorum virorum, de quibus supra dictum est, male & irrationabiliter vixisse, non inquam ex hoc necessario probare potestis, quod ipsi habere non potuerunt potestatem exequendi officium sacerdotum, & ordinandi sacerdotes, quæ potestas sine dubio sancta est, & spirituale donum Dei est. Multi in primitiua Ecclesia hoc donum Spiritus sancti habebant, vt loquerentur variis linguis, quas numquam ab aliquo didicerant, & tamen charitatem Dei non habebant quia non ad meritum, sed ad honorem Dei dabatur hoc donum. Multi hoc donum Spiritus sancti habebant, vt in nomine Christi prophetarent, & dæmonia ab obsessis corporibus eicerent, & signa alia facerent, & tamen non vere Christum sequebantur, sicut perpenditur ex verbis ipsius saluatoris qui dicebat: *Amen dico vobis, multi venient in die illo dicentes: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus; & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: Discedite à me operarij iniquitatis.* Si talia dicere animaduertere scitetis, profecto non tam temere iudicaretis officium sacerdotis aut Episcopi non posse apud illos esse, quorum vita coram laudabilis non est. Iterum forte ad talem obiectionem confugietis vt dicatis: Si non per malam conuersationem Episcoporum, tamen per infidelitatem ipsorum accidere potuit, vt sacerdotalis dignitas euacuaretur. Fuerunt enim quædam tempora in quibus hæreses ita in Ecclesia multiplicatæ sunt & excreuerunt, vt etiam Episcopi multarum ciuitatum in errorem ducerentur, maxime in diebus Arrianæ perfidiæ, cui multi Episcoporum consensisse leguntur. In illis ergo temporibus per hæreticos Episcopos multi ad ordinem sacerdotij multi etiam ad Episcopalem dignitatem ordinati sunt. Hæreticorum autem ordinationes nullam vim habere potuerunt, ita vt aliquis ab eis ordinatus, vere officium Episcopi aut Presbyteri exequi posset, aut ad hoc alium promouere. Hi autem qui ab hæreticis ordinati sunt, putantes se esse Episcopos, cum non essent, alios ordinauerunt Episcopos & Presbyteros, & nec illi ab eis ordinati, vere officium, quod se putabant suscepisse, habuerunt, & illi quoque alios ordinauerunt, & ita vsque ad hæc tempora deuoluti sunt ordines Ecclesiastici, qui ab illis hæreticis Episcopis primum corrupti sunt, & ita annihilati sunt, vt vbi esse putantur, ibi vere non sint. Si talem obiectionem concinnatis aduersum nos, scitote quoniam absque responsione non sumus. Ita quidem sæpe accidisse legimus, vt etiam Episcopi diuersarum ciuitatum in errorem ducerentur & consentirent hæreticis, qui fidem Catholicam subuertere conati sunt. Et quidem si ita aliqui hæresibus consenserunt, vt tamen ipsi non manifesta contradictione Ecclesiam impugnarent, neque excõmunicatione Orthodoxorum patrum ab Ecclesia præciderentur, & ita adhuc specietenus intra Ecclesiam manserunt: de talibus non negamus, quin habuerint vere sacros ordines, & si non ad suam vtilitatem: & potuerint vere eos aliis dare, quia non impossibile est, vt Ecclesiæ sacramenta aliquando etiam per hæreticos dispensentur, sicut & testantur verba Augustini qui ait: Non ideo nõ sunt sacramẽta Christi & Ecclesiæ

Marginal notes (left): Eucharius. Valerius. Maternus. — B — Bonifacius. — C — Dionys. — D — August.
Marginal notes (right): E — F — Matt. — G — H

A
quia eis illicite vtantur, non modo hæretici, sed & omnes impij: illi corrigendi sunt & puniendi: illa vero agnoscenda & veneranda. At si qui ita hæresibus corrupti sunt, vt manifeste eas auderent defendere & impugnare Catholicam fidem, hoc Romani magistratus & Orthodoxi patres, qui sub illis fidem Catholicam tuebantur, ab Episcopalibus sedibus quantum fieri potuit eiicere, & ab Ecclesia Dei præcindere per excommunicationem studuerũt. Si quos autem ordines facere præsumpserunt, interim dum ab Ecclesia Dei erant præcisi, illi ordines simul cum hæresibus sub excommunicatione fuerunt, ita vt nullam salutarem vim haberent, quamdiu hæreses permanserunt in illis, qui ordinatoribus suis in hæresi consenserant. Vnde dicit Cyprianus martyr in Epistola sua, quod omnia quæcunque faciunt hæretici, carnalia & inania & sacrilega sunt, & eorum altaria falsa, & illicita sacerdotia & sacrificia sacrilega, qui more simiarum, quæ cum homines non sint, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiæ Catholicæ & auctoritatem sibi vendicant, cum ipsi Ecclesia non sint.
B
Postquam vero cum Dei auxilio hæreses deficere cœperunt, ita vt hi, qui excommunicati fuerunt propter eas, vel morerentur vel paulatim redirent ad Catholicam Ecclesiam, eique reconciliarentur. Tunc si qui ab hæreticis Episcopis extra Ecclesiam ordinati fuerant, recipiebantur quidem in communionem Ecclesiæ, sed non omnes vno eodemque modo. Quidam enim sic recepti sunt, vt per manus impositionem tantum laicam haberent communionem, & omnino sine clericatus ordine in Ecclesia essent, sicut intelligimus ex verbis Innocentij Papæ. Legitur enim quod dicit, Arrianorum clericos non suscipiendos cum sacerdotij, vel alicuius ministerij dignitate, quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti percipitur. Tradit etiam laicam tantum communionem talibus esse tribuendam per manus impositionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogandum.
C
Et hoc quidem primum generaliter de hæreticis fuerat constitutum sed postea variis occasionibus interuenientibus temperatus est iste rigor consilio Orthodoxorum patrum, quibus decernentibus nonnulli ordinatorum ab hæreticis ita recepti sunt dispensationis causa, vt remanerent in ordinibus suis, quos ab hæreticis susceperant extra Ecclesiam. Hoc ex decreto Innocentij patet, in quo ita dicit: Summa sacerdotum deliberatio hæc fuit, vt quos Bonosus ordinauerat, ne cum eodem remanerent, & fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Sed necessitas, inquit, temporis id fieri magnopere postulabat. Talibus ergo si quid gratiæ spiritualis defuit, quod in sua ordinatione recipere debuerunt, hoc eis collatum esse constat, in eo quod a Catholicis patribus licentiam ministrandi in Ecclesia acceperunt. Item ordinatorum ab hæreticis quidam ita recepti sunt, vt accipientes manus impositionem ordinarentur, & sic remanerent in clero: forsitan quia non secundum formam Ecclesiæ fuerant ordinati, quod de Nouatianis tantum statutum legitur in Canonibus Niceni
D
concilij. Quidam arbitrati sunt omnes quia ab hæreticis extra Ecclesiam fuissent ordinati, secundo ordinandos esse, cum ad Catholicam Ecclesiam redissent: sed hoc non esse faciendum, Gregorius Papa demonstrat in epistola, in qua Ioanni Rauennati Episcopo ita scribit dicens: Quod dicitis, vt qui ordinati sunt, iterum ordinentur, valde ridiculosum est. Vt enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel in eodem ordine, non valet iterum consecrari. Item & quidam venientes ab hæreticis, ita recepti sunt mixto rigore quodam cum misericordia, vt quosque ordines tunc haberent, illi ministrarent, & nunquam ad alios aliquos promouerentur. De qua re Vrbanus Papa legitur mandasse Geberhardo Constantiensi Episcopo sic. Vt ab excommunicatis quondam tamen Catholicis Episcopis ordinatos, si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogatiua visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipsis quos acceperunt ordinibus permanere permittas.
E
Ad superiores vero ascendere non concedimus, nisi necessitas & vtilitas maxima flagitauerit, & ipsorum conuersatio sancta promeruerit. Hoc tamen ipsum rarius, & cum cautela præcipua est concedendum. Idem & alij quidam mandasse leguntur absque omni exceptione. Hæc me ita commemorasse sciatis quatenus ex his perpendatis quali diligentia patrum, qui Ecclesiæ Dei gubernaculum possederunt, prouisum & cautum est, ne hoc quod dicitis eueniret, videlicet vt per hæreticos Ecclesiastici ordines euacuarentur. Nam per eos, qui ad communionem Ecclesiæ recepti sunt, non perierunt, sed nec per eos, qui extra communionem permanserunt euacuati sunt. Quia ex quo eis Catholica Ecclesia præualuit non manifeste in Ecclesia ministrauerunt, neque ordines palam fecerunt: & si in occulto eos fecerunt, & aliquis Catholicorum sciens eos hæreticos esse ordinationem ab eis accepit, non est receptus in Ecclesia. Sic namque legitur in actione septimæ synodi, quæ apud Niceam celebrata est: Si quis sponte ad hæreticum
F
vadit, & accipit ordinationem, non recipiatur. Et de hæreticis quid amplius dicam? Scimus certe quoniam Dominus saluator cum de ædificatione Ecclesiæ sanctæ ad principem Apostolorum loqueretur, ita inter cætera aiebat *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Portas autem inferi dicebat hæreticos, qui ingressum inferi patefaciunt, his qui sequuntur eos. Hi autem secundum promissionem Domini nondum præualuerunt Ecclesiæ, quoniam principi Apostolorum commisit, vt fidem Catholicam nunquam in ea destruere possent. Quod si ita præualuissent aduersus eam, vt omnes ordines Ecclesiastici in ea per ipsos exinaniti iam essent, atque ita infirmata iam essent cuncta sacramenta Ecclesiæ: nimis certe præualuissent aduersus eam, & non bene impleta esset promissio saluatoris, quæ euacuari non potest. De Simoniacis Episcopis forsitan eandem obiectionem nobis facitis, quæ supra de hæreticis inducta est. Nos vero de
G
eis ita respondemus: Quandiu ita non manifesta est Simonia alicuius Episcopi, vt pro ea coram magistratibus suis accusetur, conuincatur, & canonica sententia feriatur, tandiu officium eius, vim suam credimus habere in Ecclesiasticis sacramentis, quæ ab ipso administrantur, sicut ex verbis beati Gregorij colligimus, quæ de sacramento dominici corporis loquẽs ait: Et quid melius corpore & sanguine Christi? Siue ergo per bonos siue per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacrum tamen est, & Spiritus sanctus viuificat: nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. Sunt autem ad intra Ecclesiam Simoniaci, qui nondum sunt ab ea damnati. Cum ergo vtrunque ad officiũ eorum pertineat, & corpus Domini consecrare, & ministros Dei ordinare: si in maiori sacramento irritum non est officium eorum, propter peccata eorum, probabile est quod etiam in minori irritum non sit. Nam licet reproba sit vita eorum, & orationes eorum Deo sint ingratæ, credimus tamen; quod per merita & orationes Ecclesiæ, cui adhuc vtcunque adhærent, adiuuantur,
H
vt rata sint officia eorum in sacramentis, quæ ad vsum Ecclesiæ pertinent. Nemo enim in consecratione Eucharistiæ dicit offero sed offerimus: quod quidem pro tota Ecclesia dicitur. Nemo etiam Episcoporum in officio suo explendo dicit, oro vt hoc vel hoc fiat, sed oremus vnusquisque dicit, in quo se toti Ecclesiæ connumerat, cuius meritis & precibus adiuuatur ad impetrandum ea, de quibus postulat à Deo, quæ forte per se indignus esset impetrare. Fortasse iterum obiicitis mihi dicentes: Et quid est, quod Dominus sacerdotibus siue Episcopis sibi displicentibus comminatur dicens *Maledicam benedictionibus vestris?* Hoc ita intelligite, ac si diceret: Benedictiones vestras faciam vobismetipsis prouenire in maledictionem. Potest enim esse quod benedictio alicuius ei qui benedicitur in bonum cedat: ipsi vero qui benedicit; eadem benedictio in malum proueniat, quemadmodum illis, qui cum non sequerentur Christum, in nomine tamen ipsius benedi-

A cebant obsessos à dæmonibus, & illi quidem liberabantur: illi vero qui benedictionibus suis alios liberabant, & ex hoc gloriam & lucrum apud homines quærebant, reprobati sunt à Deo, sicut patet ex Euangelicis verbis quæ superius inducta sunt. Ad hoc quod de Simoniacis ordinatoribus iam supra dixi vt æstimo dicitis: Quomodo possunt dare Spiritum sanctum qui non habent Spiritum sanctum? Videte quid dicatis, & quid interrogetis. Dico vobis quod propter Christum, qui & verus homo est, & verus Deus, non potest vllus hominum dare Spiritum sanctum alij, sicut & testatur Beatus Augustinus ita de Christo loquens: Accepit Spiritum sanctum, vt homo, & effudit vt Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere vero super alios non vtique possumus: sed vt hoc fiat, Deum super eos, à quo id efficitur inuocamus. Item dicit. Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum: Orabant quippe vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis

B Act. 8. præpositis, etiam nunc seruat Ecclesia. Denique & Simon magus offerens Apostolis pecuniam, non ait: *Date & mihi hanc potestatem, vt dem Spiritum sanctum*: sed, *cuicunque*, inquit, *imposuero manum, accipiat Spiritum sanctum*, quia nec scriptura superius dixerat. Videns autem Simon, quia Apostoli darent Spiritum sanctum, sed dixerat: *Videns autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus*. Si quis vero Catholicorum patrum, hoc in scripto posuisse inueniatur, videlicet Apostolos dedisse Spiritum sanctum, siue eos qui ordinant ministros Dei Spiritum sanctum dare, sciendum est, non alium eos sensum in tali dicto habuisse quam qui in verbis Augustini, quæ nunc inducta sunt, expressus est. Frustra ergo interrogatis quomodo possint dare Spiritum sanctum, qui eum non habent. Quod ergo eis possibile est faciunt tam mali, quam boni Episcopi: orant videlicet, & secundum officium suum benedictiones statutas dicunt super eos quos ordinant &

C Deus non pro ipsorum meritis, sed pro dilectione Ecclesiæ suæ, cuius adhuc qualiacumque membra sunt, præstat hoc donum Spiritus sancti vnicuique eorum qui ordinantur, vt habeat eam gratiam, quæ pertinet ad ordinem suum, qua tamen gratia potest vnosquisque vti siue in bonum, siue in malum. Et non mirum si ad inuocationem Dei, quam facit malus, aliquam Spiritus sancti gratiam præstat ei qui ordinatur, cum ad inuocationem sanctæ Trinitatis, quam interdum facit quilibet flagitiosus Christianus siue etiam infidelis, super eum qui baptizatur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, detur baptizato ea gratia Spiritus sancti, per quam omnia peccata remittuntur, & per quam Christi membrum efficitur. Illud quoque nunc mihi obiicite, quod Petrus Apostolus ad Simonem magum, cum offerret ei pecuniam pro ea potestate, vt cuicunque imponeret Spiritum sanctum; dicebat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri*. Ex hoc ergo inducite aduersum me hunc sermonem, &

D dicite: quia existimauit obtinere donum Dei per pecuniam maledictus est, & repulsus ab eo, & non est illud consecutus. Ita ergo & imitatores Simoniaci, qui pro officio Episcopali, quod est spirituale donum Dei, offerunt & dant pecuniam, maledicuntur à Deo, & non consequuntur quod quærunt: & si non consequuntur, non vere Episcopi sunt, & non possunt implere, quod ad officium Episcopale pertinet. Est ne talis obiectio vestra? Non me adhuc sine responsione inuenietis. Vere quod Simon repulsatus est ab illo spirituali dono, pro quo male negotiatus est, nec consecutus est illud, & hoc erat iudicium irascentis Dei. Isti vero consequuntur donum spirituale, pro quo & ipsi male negotiantur, videlicet officium Episcopale, & hoc est beneficium ex parte irascentis Dei, & ex parte miserentis Dei: Beneficium irascentis Dei est, quia hoc illis præstat iratus, vt tanto damnabiliores fiant, quia male pro eo negotiati

1. Reg. 18. sunt, ac si dicat verbis Saülis, qui cum daturus esset

E filiam suam Dauid, cuius mortem disponebat, ait: *Dabo ei filiam meam vxorem, vt sit ei in scandalum*. Benefi-

Rom. 1. cium irascentis Dei susceperant illi de quibus Apostolus ait: *Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt*, &c. & illi de quibus psal-

Psal. 72. mista ait: *Veruntamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarentur*. Ex parte inquam, est beneficium miserentis Dei, quia ad vsum Ecclesiæ suæ eis præstat eam spiritualem gratiam, qua vtuntur in officiis suis, ne occasione illorum pereant Sacramenta Ecclesiæ, quibus carere ipsa non potest. Veruntamen inter peccatum istorum, & peccatum Simonis videtur differentia esse. Non ille videbat Apostolos per illam potestatem, quam a Deo habent, & quam ipse desiderabat habere, consecutos fuisse aliquas diuitias, aut aliquod seculare dominium, & ideo non eis obtulit pecuniam, quatinus ad talia consequenda eum adiuuarent, sed principaliter ad ipsum spirituale donum Dei, quod eos videbat habere, intendit venire, vt videlicet cuicunque imponeret manum, reciperet Spiritum sanctum cum aliquo visibili

F miraculo, ita quod loqueretur variis linguis, vel aliquid tale in eo contingeret, in quo manifeste notari posset Spiritus sanctus, & in eo affectabat similis fieri sanctis Apostolis, quibus inuidebat, quod in tam excellenti dono ei præferentur. Quæ inuidentia eius significata est,

Act. 8. nimirum in eo verbo quod dixit Petrus ad eum: *in felle amaritudinis video te esse*. Adipisci autem hoc volebat, non vt in bonum eo vteretur, sed in malum, videlicet ad gloriam, sibi coram hominibus comparandam, sicut Iudæi Christum emerunt, non vt eo fruerentur in bonum, sed vt suam prauam voluntatē in eo perficerent. Et cum non esset cur eius rectum cum Deo, nihil de reconcilianda sibi gratia eius tractabat, quatenus adipisci donum eius posset, sed quasi eo inuito hoc obtinere posset, irreuerenter & manifeste sibi venundari postulabat inæstimabilem gratiam ab hominibus, quam solus dare poterat DEVS. Talis ergo erat temeritas eius, quasi si seruus alicuius potentis despectus & odibilis

G Domino suo, & nullam habens curam adipiscendi gratiam eius, manifeste offerat pecuniam consiliatiis Domini sui, quatenus faciant eum habere filiam eius, vt fornicarie ea abutatur. Nunc vero si quis ita salutis suæ obliuiosus efficitur, vt non secundum Deum honorem cathedræ appetat: primum considerat diuitias & honores, & huiusmodi temporalia commoda, quæ concupiscibilia sunt, adiuncta esse prælationi illi & ea principaliter concupiscit, & secum de adipiscendis illis tractat. Iuxta hæc autem considerat spiritualia, siue quibus illa possidere non potest, videlicet officium sacerdotale, quod exigit vt diuinæ contemplationi insistat orando pro aliis, & meditando quæ Dei sunt, vt sit doctus, & alios doceat, aut sit castus, sobrius & modestus, & grauis in moribus, omnino irreprehensibilis: & hæc cogitans pertimescit, & indignum se reputat dignitate ad quam aspirat. Positus itaque inter concupiscentiam & timorem, vincitur tum à concupiscentia: incipit negotiari precibus, & muneribus, & pro-

H missis, tum per se, tum per amicos, modo occulte, modo manifeste negotium tractans. Et quidem omnia facit principaliter pro secularibus quæ concupiscit: secundario autem pro spiritualibus, non quia amet ea, aut eis dignum se esse arbitretur, sed quia scit sine his secularia illa se non posse obtinere, perficit negotium, dat quod exigitur, suscipit de manu secularis principis quod seculare est: suscipit sub manu Ecclesiastici patris, à quo ordinatur, spiritualem potestatem pertinentem ad dignitatem, ad quam ordinatur. Hanc vero illi confert Deus, non quia amet eum, aut quia dignus sit ea, sed vt supra dixi ex parte, propter misericordiam suam, vt electis Dei, qui in populo pertinente ad regnum eius, non desint propter peccatum illius sacramenta Ecclesiastica pertinentia ad salutem animarum eorum. Ex parte etiam in ira sua hanc illi præstat, vt tanto maiorem occasionem habeat damnandi eum in futuro, si non pœniteat, qui per pecuniam se ingessit

A ad fruendum secundum voluntatem eleemosynis fidelium, quæ illi ad honorem Christi, & ad vsus pauperum eius Ecclesiis contulerunt. Ex parte etiam tales hoc modo sinit Deus habere Ecclesiasticas dignitates, propter peccata quorundam qui sunt in populo, & non sunt digni habere bonos prælatos, vt testatur Scriptura

Iob 34. quæ dicit: *Propter peccata populi permittit Deus regnare hypocritam.* Sæpe autem qui sic in Ecclesia negotiantur, quoniam in mente non habent principalem intentionem ad emenda spiritualia sed ad temporalia, quæ magis amant, & de eis totus sermo est, apud vendentes & ementes, dicunt se non emere spiritualia sed temporalia. Sed hoc dicendo semetipsos fallunt. Hoc enim quasi pro emptione reputatur, quod ad ea accedunt mediante pecunia, quam propter concupiscentiam temporalium dant pro eis quæ statuta sunt, vt simul cum illis spiritualibus possideantur. De huiusmodi negotiatoribus Paschasius Papa dicit hoc modo: Si aliqui obiecerint se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex

B consecratione proueniunt, penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere omittit. Similitudinem autem huius negotij considero in eo quod dicam: Si tutor pupilli fraudulenter vendat molendinum, quæ sit hæreditas illius viro conscio fraudis suæ, iniquus est emptor, sicut & venditor. Et quamuis nullam in conuentione sua fecerit mentionem de aqua aluei transeunte ad molendinum, eadem nihilominus emptione possideri illam dicitur: & tamen solus Deus, vt pote gubernator naturæ, hanc administrat molendino, tum vt satisfaciat necessitati vtentium ea, tum etiam vt iniquum possessorem eius tanto amplius culpabilem habeat, quanto largius fruitur beneficiis eius ad quæ accessit inique. Dicuntur autem hi, de quibus supra dictum est Simoniaci, quia in eo quod per pecuniam negotiantur de prælationibus Ecclesiasticis, quæ simul iuncta habent spiritualia Dei dona cum temporalibus bonis, imitatores sunt Simonis, qui existimabat donum Dei pecunia possideri, & ob hoc

C maledictionis eius participes erunt, qua ille maledictus

Act. 8. est à Petro, qui dicebat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri.* Sicut autem ex his, quæ dicta sunt animaduerti potest, nequior & magis temeraria fuit negotiatio illius quàm istorum. Nequior, quia Apostolis quibus parificari voluit, inuidebat gratiam Dei, & in felle amaritudinis suæ, sicut & postea factis demonstrabat: sed isti nullam huiusmodi paritatem cum sanctis habere affectant, neque inuident sanctitati eorum, sed potius eos venerantur: Temeraria magis, quia impudenter & manifeste pro gratia Dei pecuniam obtulit, quasi esset res venalis ad forum. Isti vero non directe munus intendunt ad donum spirituale, sed ad commodum seculare, quamuis tamen in hoc culpabiles sint, quod sciunt ad neutrum accedendum esse per pecuniam, ipsi vero ad vtrunque accedunt per eam. Quod ergo Simon principaliter existimabat possidere, isti secundario existimant in sua negotiatione. Existimabat, inquam, id est, in

D mente tractabat: Nam verbum existimationis non hoc loco pro incerta opinione accipiendum est, sicut nec in

Rom. 8. illo loco, vbi Apostolus dicit: *Existimo enim quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* De Simoniacis non manifestis & non conuictis, hæc diximus, ad ostendendum quod ordines Ecclesiasticos possint dare, & quod ratæ habentur ordinationes eorum: qui & si conuicti fuerint aliquando de Simonia, manent tamen in ordinibus suis, hi, qui ab eis fuerunt ordinati, antequam manifestum fieret eis illos Simoniacos esse: quod vtique non permitteretur, si nullos ordines dare potuissent: Dicit enim de talibus Papa Vrbanus sic: Qui ordinantur à Simoniacis, quos cum ordinantur nesciunt Simoniacos esse, qui & tunc pro Catholicis habentur, eorum ordinatio misericorditer sustinetur: Misericorditer, inquit, quia secundum rigorem iustitiæ deponi possunt, non quia ordines non habeant, sed ad maiorem confusionem eorum

à quibus ordinati sunt, & ad terrorem aliorum, qui Simoniace negotiari non timent, quibus eadem misericordia annumeratur, & illi qui cum sciant ex aliquorum relatione ordinatores suos Simoniacos esse, probare tamen hoc non possunt, nec debent, & ab ordinatione eorum subtrahere se non audent. At si qui ordinati sunt à Simoniacis conuictis & damnatis, horum ordinationes cassatæ sunt à patribus, & cessare iussi sunt à ministeriis suis. O Cathari, hoc vos scire volo, quod ea quæ varie dixi, de his quæ in Ecclesia gesta sunt, & quæ à patribus statuta & dicta sunt in ea, non propter vos tantum dixi, sed magis propter nostros indoctos populos, qui pariter nostros & vestros aliquando percipiunt sermones vt sciant rationabiles nobis sermones non deesse, ad reddendam rationem de his quæ credimus & agimus in Ecclesia Dei. De vobis autem scio quod quicquid loquimur, quantumcunque sit rationabile, vos vestros garrietis errores, sicut volgo dicitur: Ouem ouem clamat lupus, quicquid dixeris ei.

SERMO XI.

Contra octauam hæresim de corpore & sanguine Domini.

Adhuc os meum patet ad vos ô Antichristi, & est sermo mihi non paruus aduersus incredulitatem vestram. Infamati estis & de hoc, quod de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi non eam fidem habeatis, quam Ecclesia Catholica confitetur. Ipsa autem huiusmodi est: Credit & confitetur populus Dei in cunctis partibus mundi, ad quas dilatata est religio Christiana, quod dum Sacerdotes Ecclesiæ siue sint bonæ conuersationis siue malæ, ad altare Dei diuinum agunt officium, & super oblationem panis & vini Sacra pronuntiant verba, quæ nobis summus sacerdos, id est, Christus & sancti patres nostri illic dicenda reliquerunt, indubitanter ibi fiat mutatio talis, vt sit ibi sub specie panis & vini vera caro Christi, quæ immolata fuit in cruce, & viuus sanguis qui fluxit de vulneribus eius, & quod eandem carnem sumit ipse Sacerdos, & omnes qui accedunt ad communicandum cum ipso. Nostra fides hæc est, & sicut aiunt, vos omnino renuitis credere, quod ab aliquo sacerdote siue bono siue malo possit vlla consecratione fieri corpus Domini: & quod ab aliquo homine sumi possit ad manducandum. Ego autem non diffido, & iam in hoc errore vos esse: quando quidem cunctos sacerdotes Ecclesiæ, qui Sacramenta Dominica tractant, in contemptu habetis, & nihili penditis omne officium eorum. Memini vidisse me aliquando in præsentia Coloniensis Archiepiscopi Arnoldi, quemdam non parui nominis virum, qui de schola Catharorum reuersus fuerat ad suos, à quo dum inquireremus diligenter, quæ essent hæreses illorum, ita respondit: Breui sermone ea de quibus interrogatis, concludam: Omnia quæ creditis, omnia quæ agitis, in Ecclesia, illi falsa & inania iudicant. Hæc ergo cum dixisset, suffecit responsio Archiepiscopo, & nil amplius ab eo requirendum esse iudicauit. Hinc credibile est mihi & illam incredulitatem, de qua dixi, non deesse malitiæ vestræ. Siue autem quod credimus credatis, siue non, & in hac quoque parte fidem nostram rationabile fundamentum habere cognoscatis, verba Euangelicæ & Apostolicæ Scripturæ, quæ manifestum testimonium ei perhibent, inducenda nobis sunt. Sancti Euangelistæ vbi loquuntur de cœna Domini, quam habuit cum discipulis suis ante passionem suam, dicunt quod vespere facto, discumbebat Dominus cum discipulis suis, & manducantibus illis, accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: *Accipite & comedite, hoc est corpus meũ, quod* Luc. 22. *pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens:*

Accipite

A *Accipite & bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Recte animaduertite omnia verba hæc: Benedixit panem & dedit eis, & dixit: *Hoc est corpus meum.* Et vt certius eis & nobis fieret, quod vel quale corpus illis verbis significaretur, determinauit
Ibidem. cum addidit dicens: *Quod pro vobis tradetur.* Similiter & de sanguine determinauit cum dixit: *Hic est sanguis meus qui pro vobis & multis effundetur.* Ex his ergo verbis credimus indubitanter, quod idem corpus in quo tunc præsens coram illis apparuit, cum hic loquebatur, & quod postea in cruce pependit, & mortem ibi sustinuit, eis dedit comedendum: & eundem sanguinem, qui de vulneribus eius profluxit dedit eis bibendum. Humano sensui impossibile quidem est, vt intelligat qualiter id fieri posset habet tamen rectam & firmam rationem, quare hoc indubitanter credere debeat. Quæ est illa ratio, qua credi debeat illud quod foris videbatur esse panis, fuisse ipsum corpus Domini, quod erat in cruce
B passurum? Hæc est ratio, videlicet quod Dominus IESVS CHRISTVS filius Dei hoc dixit, qui mentiri non potuit. Vere mentiri non potuit, quia Deus
Ioan. 14. veritas fuit sicut ipse de se testatus est dicens: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ego indubitanter credo, quod de corpore suo potuit facere quicquid voluit: quia de ipso
Psal. 134 scriptum est: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.* Dominus totius naturæ fuit, & ideo credo quod hoc facere potuit sua cælesti benedictione, vt panis ille quem benedixit, transiret in substantiam corporis sui, & vt inuisibili & inexcogitabili modo veniret in eos Petri, & transiret in intima Spiritus eius, cæterorumque discipulorum, quibus illud porrexit: quia spiritualis cibus ille erat, & proprie ad animam pertinebat. Credo quod potuit facere de corpore suo sicut & potuit alia multa facere de eo quæ videntur impossibilia ei qui non credit, & qui non hoc considerat: quoniam Dominus erat qui in corpore illo habitabat.
Mat. 27. Sumpsit corpus illud de virginis vtero, & produxit illud in mundum, clauso vtero matris. Ipse corpus illud tulit
C super aquas maris, ita vt non mergeretur vbi mergebatur Petrus, sed nõ submergebatur quia ab ipso adiuuabatur. Ipse cælestem claritatem ostendit in corpore suo, dum adhuc futurũ ei erat vt pateretur & moreretur: tunc videlicet quando se coram discipulis suis transfigurauit in monte, & quando resplenduit facies eius vt sol. Ipse corpus illud propria virtute suscitauit à morte, & clauso sepulchro eduxit illud foras, & vbi erant discipuli congregati in domo clausis ianuis cum eodem corpore introiuit, & stetit in medio eorum. Ipse quoque idem corpus de terra potenter subleuauit, & in summo cœli super omnes choros Angelorum collocauit. Hæc omnia in Euangeliis scripta sunt, & credimus ea, quamuis incredibilia videantur secundum communem rerum naturam, & quamuis considerare & inuenire nesciamus, quali modo hæc fieri potuissent. Credimus autem quod vere potuit Dominus facere, & fecit omnia hæc: quia Deus erat, cui nihil impossibile est: & eadem ratione credere hoc debemus, quod & illud potuit facere de
D corpore suo quod supra diximus: videlicet quod dedit illud manducandum discipulis suis, quando dice-
Luc. 22. bat: *Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Vbi dicit Euangelista, quod fregit Dominus panem quem discipulis porrigebat: & quod dixit eis vt manducarent. In illa fractione & illa comestione non hoc intelligendum est quod intelligitur, cum dicitur de alio communi pane quod frangatur, & quod manducetur. Nam in ista fractione & comestione panis pars vna omnino ab alia separatur, ita vt non maneat aliqua integritas in pane qui frangitur & manducatur. At postquam panem illum Dominus benedixit, non ibi vera substantia panis, sed species panis, & sub illa specie verum corpus Christi, & non erat illa fractio in substantia corporis Domini, sed in illa visibili specie panis, quæ adhuc immutata permanebat, sicque manducabatur corpus Christi, vt tamen

integrum permaneret & inconsumptum. Illa ergo man- E
ducatio qua corpus Christi manducabant, non erat similis comestioni qua alios communes cibos manducabant. Quod enim ore sumebant, fide & dilectione intus in anima manducabant, & ibi virtute illius panis sanctificati sunt. Similitudinem quandam huius rei attendite: Cum docet spiritualis magister in Ecclesia populum, vnam dicit aliquando sententiam, quam suscepit vnusquisque corporali aure, & transit ad corda singulorum tota, & ita quodammodò diuiditur inter eos, & tamen integra manet apud eum qui docet. Ita etiam Discipuli Domini sanctum cibum corporali quidem ore suscipiebant, & ita transiit totus ad singulorum corda, & hoc modo diuidebatur inter eos, vt tamen integer maneret, apud eum qui dabat. Animaduertite nunc & illud: quod Dominus cum dedisset Discipulis
suis corpus suum, ac dixisset: *Accipite, hoc est corpus* Luc. 22
meum, quod pro vobis tradetur: subiunxit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* Si estis eruditi de scri-
pturis sanctis, vt vobis videtur, & vos iactitare soletis, F
dicite quidnam verbis istis Dominus significare voluerit, & quid Discipulos suos iusserit facere in suam memoriam dicendo. *Hoc facite in meam commemorationem.* Negate, vt puto, non potestis, quin illud quod eis manu porrigebat, & quod formam panis habebat, significaret dicendo: *hoc facite.* Si autem illud nihil aliud erat nisi Panis, nunquid dicitis quod eos iusserit facere panem in memoriam sui? Sed hoc dicere stultum est. Erat autem aliud quam panis quod sub specie panis ibi erat, id est, corpus eius, sicut patet ex eo quod dicebat: *Hoc est corpus meum:* & illud iussit eos facere in commemorationem passionis & mortis suæ. Itaque in eo quid dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* dedit tam eis quam omnibus ad quos peruenturum erat sacerdotale officium, ab ipsis potestatem faciendi cum oratione & benedictione corpus & sanguinem suum. Quod dicuntur sacerdotes corpus Domini facere siue conficere, quod idem sonat in laico sermone, non ita in-
telligimus, quod ipsi corpus Domini quasi de nouo G
creent, & ei essentiam dent: sed eorum facere nihil aliud ibi est, nisi quod super illud visibile sacrificium quod in altari est, faciunt officium suum, & dicunt orationes & benedictiones, & statuta signa faciunt, & tunc virtute diuina præstatur, vt sit ibi verum corpus Domini, & verus sanguis eius: vbi prius nihil aliud erat nisi panis & vinum. Illud ergo opus sacerdotum quod tunc agunt, tali modo loquendi designari solet, vt ipsi dicantur facere corpus Domini: & est fortasse sumptus hic modus loquendi ex eo, quod Dominus tunc dicebat: *Hoc facite in meam commemorationem.* Aut si cui videtur id quod dictum est? *Hoc facite in meam commemorationem:* ita intelligendum, ac si diceretur: manducate corpus meum in meam commemorationem, vt per hoc secundo repetatur quod supradixerat: *accipite & manducate:* non aduersabor, licet non ita apte conueniat hic sensus literæ constanti; vt id quod supra dictum est. Nihilominus tamen in eo ipso quod eos iussit mandu-
care corpus suum, & sanguinem bibere, & etiam post H
passionem suam in commemorationem mortis suæ potestatem eis dedit conficiendi corpus suum & sanguinem, per benedictionem, quam ipse eos suo exemplo docuit, & qua ipsi postea vsi sunt in consecratione Eucharistiæ, & aliis eam reliquerunt, in quos sacerdotale officium ab ipsis peruenit Nisi enim hanc potestatem eis dedisset, vnde possent habere corpus Domini ad manducandum, & sanguinem eius ad bibendum, etiam post resurrectionem ipsius? Dicetis forte insaniam hanc: potuit quidem aliquo modo fieri, vt Dominus ante passionem suam daret discipulis corpus suum ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum in sui commemorationem, id est, vt postea sui memores essent: sed nullo modo fieri potuit post passionem & resurrectionem suam, vt per aliquam benedictionem habere possent corpus eius ad manducandum, siue sanguinem eius ad bibendum. Ad quod primum dico: quod si illam commemoratio-

A nem ita exponitis non recte intelligitis scripturam. Quomodo enim intelligenda sit, ex verbis Apostoli patet, vbi illud verbum commemorationis Corinthiis exponens, ait: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* (1. Cor. 11.) Ex quibus verbis intelligitur, quod manducatio illa corporis Domini, quæ est sub specie panis, & bibitio calicis, id est, sanguinis Domini, annuntiatio, id est testificatio mortis Domini est, quam in cruce sustinuit. In eo autem quod addidit, *donec veniat*: subintelligendū est, Dominus ad iudicium: & in hoc significauit, quod hæc annunciatio mortis Christi per communicationem corporis & sanguinis eius non deerit in Ecclesia vsque ad diem iudicij. Patet itaque ex verbis Apostoli, quod etiam post passionem dominicam fideles Christi manducare potuerunt corpus Domini, & sanguinem eius bibere. Manifestum est etiam ex verbis Pauli, quod sancti Apostoli, & eorum sequaces, benedictiones fecerunt super sacrificium Domini ad implendum sermonem Domini quem eis mandauerat de B corpore & sanguine suo conficiendo, sumendo in memoriam eius. Dicit enim in epistola ad Corinthios sic: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus nonne participatio corporis Christi est?* Id est, nonne corpus Christi est, quo participamur? In eo autem quod dixit, *benedicimus*, non solum significauit se & alios Apostolos habere potestatem faciendi benedictiones super sacrificium altaris, sed & Corinthiorum presbyteros quibus scribebat, & quibus multa mandabat de Sacramento corporis & sanguinis Domini, quomodo digne illud tractare deberent. Hoc vero superflue eis mandasset, si nullo modo fieri posset, vt manducaretur corpus Domini aut biberetur sanguis eius in Ecclesia. Fuit mihi concertatio de his rebus quadam vice in domo mea Bunnæ, cum quodam viro qui suspectus erat nobis quod esset de secta Catharorum: & contigit vt incideremus ad loquendum de sacerdotibus malis, & dicebat ita de eis: C Quomodo potest fieri, vt qui tam irrationabiliter viuunt, distribuant in Ecclesia corpus Domini? & dixi ei: Nonne legimus quod Pilatus qui saluatorem crucifixit, & infidelis erat, in potestate habuit dare corpus eius cui vellet, & dedit hoc Ioseph viro iusto? In eadem patientia Dominus est etiam nunc, & tolerat malos sacerdotes, & sinit eos potestatem habere in Ecclesia, & distribuere corpus & sanguinem suum tam bonis quam malis: & continuo ille subiecit dicens. Post illud tempus passionis suæ ipse non venit in manus eorum Ex his verbis satis intellexi incredulitatem eius, quam suspicatus fueram de eo, videlicet quod non credebat ab aliquo homine posse tractari, aut sumi in Ecclesia corpus & sanguinem Domini. Dixique ei cum indignatione: O Cathare nunc te manifeste conuincam: & reuolui epistolas Pauli, quas præsentes habebam, & demonstraui ei locum illum vbi ad Corinthios scribens dicit: *Quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini: probet autem* (1. Cor. 11.) D *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quicunque enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, nō diiudicans corpus Domini.* Hæc verba cum illi exposuissem, comprehendi eum sermone hoc: Si ita est inquam, vt dicis, videlicet quod ex eo tempore quo Dominus transiit ex hoc mundo, non venit corpus eius in manus cuiusquam, consequens est, quod ex illo tempore neque digne neque indigne potuit aliquis manducare corpus eius, aut sanguinem eius potare: & si non potest ab aliquo sumi indigne, nemo potest in eo sumere sibi iudicium. Frustra ergo sermonem illum dixit Apostolus, quod qui indigne sumit corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat & bibit. Hæc cum dixissem, conticuit: & neque incredulitatem quam in eo redarguebam, negauit: neque veritati quia conuictus erat, consensit. Et nunc de eadem scriptura alloquor & vos aduersarios meos. Si non est ita vt credimus, quod sacerdotes Ecclesiæ consecrent corpus

E & sanguinem Domini: & si non potest fieri vt ab aliquo homine sumatur, nunquid potestis dicere nobis, quis sit ille panis aut calix Domini, in quo sibi iudicium manducat & bibit qui indigne illud manducat & bibit, & ex quo multos etiam contingit corporaliter infirmari, & mori dum indigne communicant? Quod est illud corpus Domini quod diiudicandum esse Apostolus demonstrat, & quid est diiudicare corpus Domini? Omnia certe hæc superflue & vane dicuntur, si ipsum verum corpus Christi communicabile hominibus non est. Ego vobis sensum Scripturæ, de qua nunc sermo est, explanabo, licet indignos vos esse cognoscam, sed magis hoc facio propter nostros simplices populos. Panem & calicem Domini appellat Apostolus corpus & sanguinem Domini, quia sub specie panis & vini ista sunt in altari: & quamuis ibi non sit vera substantia panis & vini, postquam consecratio facta est, tamen est ibi sapor & color, & forma panis & vini. Et quidem si non esset in illo sacrificio F alia substantia nisi ipse panis & vinum, non in illo cibo aliquis manducaret iudicium, id est damnationem suam, magis quam in aliquo alio cibo: neque propter illam manducationem contingeret aliquos infirmari aut mori, cum non sit periculosus cibus, simplex panis & vinum, forsitan quia panis est benedictus & vinum est benedictum: ideo qui indigne manducat panem illum, & vinum illud bibit, iudicium sibi manducat & bibit, & forte infirmatur aut moritur quia benedictionem sanctam non bene honorauit. Si hoc dicitis, interrogo quare dixit: *Reus erit corporis & sanguinis Domini qui indigne manducat panem illum & calicem bibit?* Si non est ibi nisi simplex panis benedictus, & simplex vinum benedictum, rectius dixisset, reus erit benedicti panis, & benedicti vini indigne accepti: sed dixit: *Reus erit corporis & sanguinis Domini*, sub intelligimus, indigne accepti, & quodammodo perditi, quantum in ipso est. Animaduertite nunc & hoc, quod dicit eum non diiudicare corpus Domini, qui de pane illo dominico indigne edit aut de calice bibit. Si quis praue & sordide viuit, & sine timo- G re peccatorum suorum audacter accedit ad communicandum corpori & sanguini Domini, quasi sit alius cibus, hic indigne communicat, & hic non diiudicat, id est, non discernit corpus Domini ab aliis cibis per timorem & reuerentiam Dei. Item & sit homo caste & sobrie viuens, & tamen non credat vere esse corpus Domini illud quod à sacerdotibus Ecclesiæ in altari consecratur per orationem & benedictionem. Hic si propter aliquam simulationem accedit ad sanctam communionem, edit indigne corpus Domini, & non discernit illud ab aliis cibis per fidem Catholicam, & manducat ac bibit sibi iudicium, id est, damnationem. Hoc tu infelis Cathare facis, qui in occulto negas verum corpus Christi esse in altari: & omnia quæ à sacerdotibus nostris in Ecclesia aguntur, in textrina tua irrides, & nihilominus aduenientе paschali die, cum populo ad Ecclesiam properas, barbam reuerenter complanas, & multo humilius cæteris genua tua ad altare incuruas, atque hiantius buccam aperitis ad accipiendam sanctam communionem, videlicet tuam æternam damnationem; quatinus videaris hominibus bene Catholicus ac religiosus, & vt hi H quos per pecuniam conducitis ad tuendum vos dicere possint in defensione vestra. Quid requirimus ab hominibus istis? Boni & iusti sunt; & omnia agunt quæ pertinent ad Christianos? vtinam nos tales simus.

Ab vno viro qui de angustiis vestris exierat, vnam talem sapientiam vestram audiui. Corpus vestrum Domini est, & corpus Domini facitis quando panem vestrum benedicitis, atque ex eo corpus vestrum reficitis. Hunc sermonem dolose significatis, quando inquiritur à vobis, vtrum vere fidem habeatis de corpore Domini, & respondetis inquirentibus, bonam vos de corpore Domini fidem habere. Si ergo hæc ita se habent, & si hoc est verbum occultæ sapientiæ vestræ, scitote quia non est hæc sapientia à Domino Deo, sed adinuenit eam princeps vester diabolus, vt per talem sermonem daret infidelitati vestræ aliquem colorem, in quo similis

A esset fidei Catholicæ, quo nimis abhorreret eam populus stultus, quem trahitis post vos. Nolite misera gens fallere vosmetipsos inanibus verbis. Verum quidem esse fatemur, quod omne corpus, omnis caro Domini est, cuius est terra & plenitudo eius & iustorum
1. Cor. 6. hominum non solum animæ, sed & corpora, membra Christi dicuntur, vt apud Paulum, qui dicit: *An nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt?* Nusquam tamen hic modus loquendi in scripturis inuenitur, vt corpus alicuius hominis, quantumlibet sancti, vocetur corpus Domini, vel alicuius caro vocetur caro Christi, præter illud vnicum corpus quod vnitum est diuinitati in Domino saluatore. Hoc singulariter vocatur corpus Domini, & caro Christi in scripturis, & vbicunque loquitur scriptura aliquid huiusmodi, quod corpus Domini manducandum sit à fidelibus, ita hoc dicit, vt non possit sermo ille intelligi de aliquo alio, nisi de illo singulari corpore personæ Christi. Videte
Ioan. 6. B quod Dominus in Euangelio sic ait: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nunquid putatis quod hoc de aliquo hominis filio possit veraciter intelligi, præter illum vnicum filium hominis, Christum virginis filium? Nunquid putatis quod mactandus sit aliquis homo, & coquendus aut assandus, & sic manducandus, vt vita
Exod. 22. æterna habeatur? Non hoc certe præcepit Deus in lege sua, qui dixit: *Non occides:* etiam si sine peccato occidi possit homo & manducari, non habet tamen tantam vim humana caro, vt suo gustu possit alicui præstare vitam æternam, Ex hoc ergo scitote, quod Dominus singulariter de suo corpore, quod diuinitati erat vnitum,
Ioan. 6. loquebatur cum dicebat: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,* &c. Filium hominis se solebat appellare saluator, nec vsquam in Euangeliis hac appellatione significatus est alius aliquis præter ipsum. Hinc scimus quoniam & hoc loco vbi dixit de carne filij hominis, se singulariter significauit. Vt autem certios fieret, de quo filio hominis hic loqueretur,
C & qualem vitam promitteret his qui manducarent carnem ipsius, & sanguinem biberent, postea & alio loco ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Vera quidem caro est caro Christi, sed in multis ab omni alia carne singularis est, & tali modo manducatur, quo nullus alius cibus manducatur, sicut & supra ostensum est. Vnita est diuinitati, & ex ea hanc habet virtutem, vt qui eam digne manducat, vitam æternam in ea manducet, quia sanctificatur per virtutem Deifici spiritus, qui carni adiunctus est: Qui vero indigne manducat, huic ipsa caro non prodest aliquid, sicut & ipse Dominus testatus est dicens: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Non solum autem non prodest caro illa indigne manducanti, sed & nocet, quia iudicium sibi manducat in ea: Disperdit enim illum Deus inhabitans carnem sanctam, & vlciscitur iniuriam habitaculi sui. Sicut autem singularis est illa caro ab omni alia carne, ita & de ea ordinauit Deus, vt singulariter manducetur, & aliter quam aliquis alius cibus. Nam sub specie panis in altari nobis
D virtute diuina præsentatur, & videtur & tangitur: In sapore panis gustatur & manducatur, sicut & sanguis Dominicus in specie vini nobis præsentatur, & in sapore vini gustatur & hauritur: Fractio ibi videtur, sed ea in Sacramento est tantum, id est in forma visibilis panis. Communio partium in manducando sentitur, sed item in solo Sacramento est: ipsa autem substantia dominici corporis, quæ in Sacramento latet, integra manet & incorrupta. Manducatur hic cibus, sed non consumitur vt alius cibus, ad animam transit, animam confortat & illuminat, eamque conducit ad vitam æternam. Singularitas ista in illa sancta carne est, quam de virginis vtero filius Dei assumpsit, sibique eam segregauit ex omni carne quæ sub cœlo est, vt hæc mirabilia operetur in ipsa ad salutem electorum suorum. Propterea non vobis durum videatur credere specialiter de hac carne dictum esse illud, quod supra ex Euangelio

E inductum est: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* & illud: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus:* aliaque similia his. Quidam discipulorum Christi qui talia ipsum dicentem audierant, murmurabant dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad* Ioan. 6 *manducandum? Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et conuersi retro discesserunt ab eo, & vltra non ambulauerunt cum ipso.* Æstimabant enim quod diceret eis se manducandum ab eis in ea specie qua apparebat inter eos, ita vt per frusta concideretur, & dentibus eorum dilaniaretur: & vt sanguis eius in specie sanguinis hauriretur ab eis. Ipse vero non hunc modum manducandi eis significabat, sed illum manducationis modum, quo vere quidem caro Christi manducatur, ita tamen vt manducanti videatur non se manducare carnem, sed panem: & vt bibenti sanguinem eius videatur non se sanguinem potare, sed vinum. Hoc vere idcirco ita fieri ordinauit Deus, vt tanto maius sit meritum eius
F qui cum tali fide vtrumque sumit, vt credat potentiam Dei tantam esse, vt hoc facere possit: & bonitatem eius tantam esse, vt hoc dignetur facere pro hominis dilectione. Item & propter hoc voluit Dominus carnem suam manducari, & sanguinem suum potari in alia specie quàm est, ne nimium expauesceret quisquam manducare carnem illam & sanguinem illum potare, si videret vtrumque in propria specie: & vt tanto minorem occasionem haberent Iudæi siue pagani irridendi Christianos, ac dicendi quod manducarent Dominum suum, & biberent sanguinem hominis occisi. Vir quidam nostri temporis qui infamatus erat, quod de Catharia vestra gustasset, cum interrogaretur in extremis suis, an vellet dari sibi corpus Domini, dixisse memoratur: Si esset illud corpus Domini tantæ quantitatis, vt est petra Erenberti, iamdudum esset consumptum, ex quo primum cœpit manducari. Verbum irrisionis erat hoc, & ex infidelitate processit, in qua, vt dicunt, & vos estis absorpti: vnde & vos de eodem verbo conuenio. Nunquid creditis verum esse quod Dominus Iesus Christus de quinque panibus quinque millia hominum satiauit, & quod saturatis superfuerunt duodecim cophini fragmentorum? Negare hoc non potestis, nisi Euangeliis contradicere velitis, in quibus manifeste hoc legitur: Et nunquid non creditis quin & per eandem virtutem qua hoc miraculum fecit, potuisset & alios plures illis quinque millibus satiare ex eisdem panibus? Dubium non est quin potuisset. Plus enim panis erat in duodecim cophinis fragmentorum, quæ superauerant manducantibus, quàm fuisset primo in illis quinque panibus antequam eos distribuere cœpisset in turbas. Nam forte in vno duodecim cophinorum aut duobus potuissent fuisse contenti panes illi qui ab vno puero illic baiulabantur. Idcirco autem plus superesse voluit Dominus, quam distributum fuisset, vt intelligeretur nondũ ita coarctatam fuisse potentiam eius, quin adhuc ex eisdem panibus multo plura millia satiasse potuisset. Idipsum autem miraculum quod fecit de quinque panibus, poterat sine dubio fecisse de vno, & non solum de vno integro pane, sed & de bucella panis hoc facere potuit. Omni dubitatione remota credere possumus, quod eadem virtute qua potuit de nihilo facere omnia, posset & micam panis ita multiplicare, vt inde satiaret infinita millia hominum. Qua ergo ratione diffidere possumus, quod eadem virtute possit hoc miraculum facere de corpore suo, vt quotidie in Sacramento manducetur à multis in Ecclesia sua, & tamen nunquam manducando consumatur? Certe sicut olim Christus in cœna sua inconsumpto & integro corpore coram discipulis sedebat ea hora, qua manducabant corpus eius, ipso dicente: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Sic & nũc eisdem horis eisdemque momentis, quibus per diuersos fines mundi in Ecclesiis manducatur corpus eius, sedet inconsumpto corpore ad dexteram patris in cœlo. Non ex hoc nostro humano sensu hanc fidem habemus, sed ex scripturis veritatis, quæ sunt à Spiritu sancto, &

Ea est à regione Confluentia, vnde Hermestain dicta (margin note beside "petra Erenberti")

G (margin, beside "creditis verum esse quod Dominus")

H (margin, beside "bucella panis hoc facere potuit")

Luc. 22. (margin, beside "Accipite & manducate")

A & in quibus totius Catholicæ fidei fundamentum vni-
uersa Christi Ecclesia habet. Tu vero ó Cathare hanc
fidem in absconditis tuis irrides quasi stultitiam ma-
gnam. Infelix, quomodo audes stultitiæ deputare hoc,
quod facit sapientia Dei? An impossibile est, an non li-
cet Christo, qui est Dei virtus & Dei sapientia, de cor-
pore suo facere quod vult? *An oculus tuus nequam est,
quia ipse bonus est?* Vere bonus est, quia electorum suo-
rum causa multa fecit, & adhuc facit. quæ ei ab inimicis
suis, videtur Iudæis & paganis, & similibus tui, reputan-
tur ad stultitiam & ad insipientiam. Sed sicut dicit Apo-
1.Cor 1. stolus: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Et
quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Non possum,
inquis, credere, hoc, quod dicitur de corpore Christi,
quia nullatenus intelligo qualiter esse possit. Insipiens
homo, nunquid putas Deum nihil posse facere quod tu
non possis intelligere? & quid est in omnibus quæ cre-
dere nos oportet, quod homo super terram viuens suo
sensu valeat omnino penetrare aut intelligere, quomo-
B do sit aut quomodo fuerit; Iam tandem pone pertina-
ciam inimice veritatis & crede securus ea quæ dixi, quia
nihil periculi ex hac fide patieris, imo & multum fru-
ctum ex ea inuenies. Si vero non credideris, in infideli-
tate tua æternaliter peribis. Secure dico, quod nihil ex
ea fide quam prædico, periculi patieris, quia sancti vi-
ri, qui fuerunt ante nos, quorum sanctitas prædicatur
& glorificatur in vniuerso mundo in hac fide saluati
sunt. Sancti Apostoli & Apostolici patres missas ce-
lebrasse leguntur, in ea fide qua crediderunt se corpus
& sanguinem Domini conficere & accipere, & aliis
dare. Legitur quod accidit aliquando, vt hæc infide-
litas de corpore Christi, qua vos irretiti estis, etiam in
populo Romano increuisset, & magnam partem ciui-
Gregor. tatis occupasset tempore Gregorij Papæ: quia cum ora-
ret pro infidelitate populi, & inter missarum solemnia
secundum consuetudinem obtulisset super altare Dei
panem & vinum, & solitas benedictiones fecisset, hoc
precibus à Deo obtinuit, vt appareret ibi caro domi-
C nica sicuti erat, & ostenderetur his qui aderant in spe-
cie carnis, quæ prius illic fuerat in specie panis, sic-
que liberatus est populus ab infidelitate hac. Legimus
de sancto Martino Turonensi Episcopo, qui non minor
sanctis Apostolis habebatur, quod dum sacramenta
corporis & sanguinis Domini in Ecclesia offerret, glo-
bus igneus apparuit super caput eius. Signum hoc in-
dubitanter à Deo erat, & demonstrauit Deus in hoc
meritum sancti viri, & officij eius sanctitatem honora-
uit. Quod nequaquam fecisset, si falsa & manis esset
fides eius, cum qua astabat altari diuino, & qua crede-
bat adesse in manibus suis corpus & sanguinem Domi-
ni nostri Iesu Christi. Tales itaque viros confidenter se-
qui potes in ea fide, qua ipsi nos præcesserunt, & quam
a talibus scriptam habemus in libris quos reliquerunt
post se. Manes tuus manet in inferno, isti vero manent
in cælo. Tu fuge Manem & infernum, hos nobiscum
sequere, vt cum eis pariter maneamus in æternum.
Quod præstare dignetur Iesus Christus, qui cum Deo
D patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia
sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XII.

Contra nouam hæresim de humanitate Saluatoris.

ÆDificium sine fundamento, vt opinor, construxi.
Nam qui bene vos noscunt, saluatoris humani-
tatem negare vos dicunt. Quod si ita est, vanè operam
consumpsi disputans vobiscum de corpore & sanguine
Domini. Non est autem incredibile mihi, insani magi-
stri insanos esse discipulos. Nam princeps erroris ve-
stri Manes, saluatorem nostrum in humanitate appa-
ruisse docebat, vt videretur quidem homo esse, & non
esset vere homo: & quod nec vere natus fuisset de vir-
gine, neque vere mortuus, nec vere à morte suscitatus, E
sicut & duo magi Zaroë & Arphaxat ante ipsum in
Persia docuisse leguntur. Quod si in hoc errore illum
sequimini magis quàm sancta Euangelia, de quibus vos
iactatis, quod vos soli ea sciatis & obseruetis, procul-
dubio aut cæci estis aut insani: Cæci estis, si in eis hu-
manitatem Christi non intelligitis, quæ ibi manifeste
prædicatur: Insani autem, si vere intelligitis, & tamen
obstinata mente Euangelistis contradicere audetis. Si
essetis Iudæi, forsitan longam disputationem ex lege &
Prophetis de hac re vobiscum aggrederer. Nunc autem
cum vos profiteamini esse Christianos, & Euangelia le-
gatis & sciatis, sicut dicitis, non me sinit indignatio de
hoc aduersum vos longo sermone laborare. Legitis
enim ibi manifeste, quòd easdem humanæ naturæ infir-
mitates in carne sua sustinuit, quas naturaliter pati &
alij homines solent: Esuriuit & sitiuit, lassatus est ex
itinere, dormiuit, fleuit, tristatus est, sicut Euangelistæ
testantur, quos, vt puto, non audetis dicere fuisse men-
titus. Quod si vere non fuit in eo substantia carnis, sed F
vmbratilis quædam similitudo corporis humani, nul-
lo modo ista vera potuerunt esse de eo. Dicitis forte,
quòd qui assimilauit se esurire, sitire, & cætera om-
nia quæ diximus. Ideo Euangelistæ ita de eo locuti
sunt, vt illos gestus simolationis eius talibus exprime-
rent verbis Filij Belial, qua vos audacia imponitis sim-
plici agno simulationis duplicitatem, veritati, quæ Deus
est, falsitatem? Ipse verum corpus & animam se habuis-
se testatus est: & qua temeritate vos dicitis neutrum
in ipso fuisse, & magis credendum in hoc arbitramini
fallaci Manichæo, quam veraci Deo? Verum corpus
habere se testabatur, quando ad discipulos suos dice-
bat: *Videte manus meas, & pedes meos, quia sum: palpate* Luc. 24.
*& videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me
videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus
& pedes*: & post hæc cum obtulissent ei ad manducan-
dum partem piscis assi & fauum mellis, manducauit
coram illis. Animam quoque se habere ostendit in eo, G
quod imminente sibi passione sua dicebat: *Tristis est* Matth. 26.
anima mea vsque ad mortem. Similiter & in eo quod dice- Ioan. 10.
bat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum su-
mendi eam.* Quid ergo dubitas infœlix Cathare veram
humanitatem eum habuisse, quem ex verbis intellige-
re potes verum corpus humanum & animam habuis-
se? Si dubitas eum de virginis vtero corpus assum-
psisse, curre miser ad Euangelium Lucæ, in quo le- Luc. 1.
guntur verba Angeli ad Mariam loquentis hoc modo:
Ecce concipies in vtero, & paries filium. In vtero, in-
quit, concipies, vt intelligas de ipsa carne virginalis
vteri, & non aliunde eum carnem assumpsisse. Item id- Matt. 1.
ipsum intelligere potes ex verbis Angeli, quæ vt Mat-
thæus scribit, ad Ioseph locutus est hoc modo: *Ioseph
fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam:
quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* In ea,
inquit, natum est, ne putares vmbratile aliquid, & non
veram carnem eum eduxisse de vtero matris, vel aliun-
de quàm ab ipsa, corpus eum assumpsisse, vt infœlix
Valentinianus dicebat, Christum de cœlo corpus at- H
tulisse in vterum matris, ac per eam quasi per fistulam
eum transisse in hunc mundum: vel sicut Apelles hære-
ticus dicebat, nō de cœlo, sed ex aëre eum corpus assum-
psisse, quod produxit de virgine. Item ad hoc ipsum per- Gal. 4.
tinet quod Apostolus dicit: *Misit Deus filium suum fa-
ctum ex muliere, factum sub lege.* Factum, inquit ex mu-
liere, vt intelligas substantiam corporis eius de substan-
tia virgineæ carnis fabricatam fuisse. Cum vera carne
natum fuisse Christum ex prædictis testimoniis, si-
quid sanæ mentis habes, intelligere potes, & in vera
carne eum fuisse passum & mortuum, ex multis scripturæ
testimoniis euidentissimum est, & nunc vnū pro multis
inductum sufficiat ex Ioannis Euangelio, qui in fine Ioan. 19
passionis dominicæ ita ait: *Vnus militum lancea latus
eius perforauit, & continuo exiuit sanguis & aqua: &
qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium
eius, & scit ille quia dicit vera, vt & vos credatis.*

Facta

A Exod.12. Z ch. 12. *Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo.* Et iterum alia scripruta dicit: *Videbunt in quem transfixerunt* Attende quod ait, quia *exiuit sanguis & aqua:* & quod hoc se vidisse testatur, & scire se rei veritatem dicere, diligenter affirmat, vt nullo modo dubitetur veritatem carneæ substantiæ in Christo fuisse. Nam si phantasticum corpus habuisset; ita vt non fuisset in eo vera caro, sed inanis & vmbratilis quædam carnis similitudo, vt mentitus est vester Manichæus, non magis de corpore eios lancea perforato, quam de vento percusso potuissent profluere sanguis & aqua. Quod vero in eadem carne, in qua natus est, & passus etiam resurrexit ex verbis quæ suprà induxi patet, quæ post resurrectionem suam dixit, ostendens discipulis suis manus suas & pedes: & ex eis quæ dixit Thomæ dubitanti, si sufficere possunt hæc quæ dixi ad comprobandam vobis veritatem humanæ naturæ, quæ in Christo Iesu sufficiant: sin autem, maneat infœlix Catharus cum suo Mane in mendaciis suis: & qui in B sordibus est, sordescat adhuc, & perefluat in perditionem loquentium mendacium.

SERMO XIII.

Contra hæresim decimam de humanis animabus.

DE hæresi quam suprà inter cæteras decimo loco ordinaui, nescio an sit generalis hominibus sectæ huius: quia in plerisque rebus dissident à seipsis, ita vt quod à quibusdam eorum asseritur, ab aliis negetur. De ea hæresi loquor, qua dicunt nihil aliud esse animas humanas, nisi illos Apostatas spiritus, qui in principio mundi ceciderunt à regno Dei, & hos posse in corporibus humanis promereri salutem: non autem nisi inter eos qui sunt de secta eorum. Hoc antem non legitur inter errores Manichæi; sed alia non minor insania de animabus ibi iouenitur; idcirco dubium mihi C est, vt dixi, vtrum hi homines hunc errorem generaliter teneant, an non? Quod siue ita sit siue non, quamuis ad magnam clementiam pertineat hic sermo, & iuste non ab aliis argumentis compesci deberet, nisi virga & baculo, rationabilia tamen responsa dare nos decet etiam insanis. Est autem hic error ita abominabilis, & humanæ rationi contrarius, vt oon sit mihi grandis metus de simpliciori populo quod facile in eum posset induci: propterea non mulrum laboris in hac parte assumere peopooo; sed breuem contradictionem aduersus insensatos adduco. Ex antiquo hoc in communi fide est, & sacra setipta attestantut, quod ad hoc creauit Deus humanum genus, vt ex eo restauraret cœlesti Curiæ oumetum Angelotum, qui ex ea ceciderunt in exordio mundi. Postquam autem per inuidiam diaboli etiam bumanum genus lapsum est in peccatum, & de Paradiso expulsum est, in primis patenribus, Filius Dei in his nouissimis tempotibus factus est homo, vt humanum genus a peccatis suis, & a potestate diaD boli liberaret, quatenus adhuc in eo perficeret, quod proposuerar, videlicet vt ex eo cœlestem curiam restauraret, & impleret numerum Angelorum suorum, qui fuerat imminotus per ruinam illorum, qui proiecti fuerant de cœlo propter superbiam suam. Creditis hoc vos qui ex Paradiso estis? Si non creditis; ecce inducam vobis verba Apostoli Pauli, ex quibus intelligere potestis ita esse vt dixi. Hic in Epistola, quam scripsit Ephes.1. ad Ephesios de Deo Patre dicit quodam loco sic; *Gratificat nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum, secundum diuitias gratia sua, qua superabundauit in nobis, in omni sapientia & prudentia, vt notum nobis faceret Sacramentum voluntatis sua secundum bonum placitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, qua in cœlis, & qua in terris sunt in ipso.* Hoc ergo animaduertite in hoc sermone, qood dicit proposuisse Deum Patrem instaurare in Christo omnia quæ in cœlis, & quæ in terris sunt in E ipso. *Omnia qua in terris sunt in ipso*, id est, in prædestinatione & electione ipsius, id est omnes electos homines, *proposuit* Deus *instaurare in Christo*, id est per Christum. Item, *omnia qua in cœlis sunt*, id est, totum numerum Angelorum, qoi fuerat imminutus per ruinam lapsorum spirituum, proposuit instaurare per Christum, ita vt redimeretur humanum geous per ipsum, & loco Angelorum collocaretur electorum hominum numerus, atque cœlestis curia ita ad integritatem plenitudinis suæ rediret, in qua primo condita fuerat. Nam si ille numerus ministrorum Dei, quem io principio ad laudem nominis sui creauit, per Christum redingratus non fuerat, non omnia in cœlis per Christum instaurarentur: Si vero per ipsum impletos fuerit ille numerus, ita vt tot homines saluentur, quot Angeli ceciderunt, vel plures, sicut asserunt quidam, & si nihil aliud sunt animæ bumanæ, quàm illi spiritus qui ceciderunt, necessario concedendum est, quod & omnes Angeli qui ceciderunt, & omnes homines sal- F uandi sunt. Qui eruut ergo Angeli de quibus Dominus in nouissimo dicturus est? & qui erunt homines quibus dicturus est: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius*? Nuoquid non cognoscitis Matt. 25. hic quoque vos esse mendaces? Iotelligite nunc insipientes insipientiam vestram, & stulti aliquando sapite, & agnoscite quod oon descendit Filius Dei de cœlo, vt redimeret à morte æterna dæmones, sed homines qui noo sunt dæmones, sed quibus est colluctario contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, id est, aduersus malignos spiritus qui oon regunt, vt dicitis, corpora nostra, sed potius destruete nos, & in corpore, & in anima incessabiliter student. Non venit saluare malignos spiritus, sed torquere eos, sicut ipsi confessi sunt quando ex obsessis hominum corporibus clamabant ad eum dicentes: *Quid nobis & tibi Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Hactenus me de his di- Matt. 8. sputasse sufficiat: & si quid minus sufficienter dixi, ad- G dat ad hæc prudens defensor veritatis quæcumque ei competentia videntur, ad munimentum Catholicæ fidei, vt arceantur à vinea Domini vulpeculæ pessimæ, quæ demoliuntur eam. Si quid etiam simpliciter, & quodammodo grosse videbor dixisse, non ex hoc me despiciet lector; quia ea consideratione feci, vt vbique esset sermo interpretabilis simplici populo, cuius ædificationi præcipue intendi ista scribendo ad laudem & honorem Iesu Christi Dei & Domini nostri, cui est gloria & potestas in cœlo, & in terra permanens in sæcula sæculorum. Amen.

Quicumque ad munimentum Catholicæ fidei hunc librum transcripserit, & scriptum diligenter correxerit, scribat nomen eius Deus in libro vitæ. Rogo Scriptorem, vt hæc quoque verba adscribat textui suo, & excerptum quod sequitur, non negligat in fine libri sui apponere.

H

EXCERPTVM DE MANICHÆIS

Ex Augustino.

MAnes, qui & Manichæus à discipulis suis vocatus est, vt vitarerut nomen insaniæ, natione Persa, veniens in partes Græciæ, Spiritum Paracletum se esse affirmauit, quem Dominus Iesus Apostolis se missurum promiserat. Hic ex discipulis suis duodecim elegit, eosque Apostolos nominauit, ad imitationem Domini Iesu. Quem numerum Manichæi adhue hodie custodiunt. Nam ex electis suis babent duodecim, quos appellant magistros, & tertiumdecimum principem ipsorum. Episcopos autem septuagintaduos, qui ordinantur à magistris, & presbyteros qui ordinantur ab Episcopis: habent & Diaconos suos; & hi omnes electi vocanrut inter eos. Cæteri vero, qui nondum ad

A hos gradus ascenderunt, auditores tantum. Mittuntur autem ex omnibus qui videntur idonei ad eorum errorem, vel vbi est, sustentandum & augendum: vel vbi non est, seminandum. Est autem dogma, quod à suo Hæresiarcha acceperunt, huiusmodi: Creatorem omnium rerum Deum esse negant; sed duo rerum principia esse affirmant, vnum bonum, & alterum malum: & hæc sibi coæterna esse & contraria: & bonum quidem principium asse affirmant: malum vero quendam immanem principem tenebrarum, à quo omne corpus originem ducere censent. Animas autem hominum, & vitalem spiritum quorumlibet animantium, & virtutem quæ viuificat arbores, & herbas, & semina à Deo originem habere dicunt; imò & partem Dei vnumquodque talium esse volunt: Nam diuinam substantiam omnibus generibus corporum admixtam esse credunt. Hanc autem commixtionem hac ratione factam esse asseruot: Fuerunt, vt ait Manichæus, ab exordio duæ substantiæ à se diuisæ, duo B scilicet regna diuersa & contraria, atque coæterna, videlicet regnum lucis, & regnum tenebrarum: & regnum quidem lucis Deus Pater obtinebat. Hoc quoque substantiam bonam Manichæus appellauit, siue naturam bonam, & incommutabilem, & omnino inuiolabilem: & hoc non aliud quam Deum esse confessus est: Erat autem, vt ait, iuxta vnum latus illius illustris ac sanctæ terræ, tenebrarum immensa magnitudo, hancque substantiam malam appellauit, siue fumum malum, siue malam naturam. Distinxit autem eam in quinque elementa, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum: & hæc quinque malas naturas appellauit. In singulis autem monstra pestifera, ac pessima nata fuisse dicebat: in fumo bipedia: vnde & ex habitatoribus fumi homines originem habere dixit: in tenebris, serpentia: in igne quadrupedia: in aquis, natalitia: in vento, volatilia. Vnumquodque autem genus in suo elemento manere dixit, omniaque hæc gentem tenebrarum appellauit.

C In hac ergo terra morabatur, inquit, immanis quidam Princeps, habens circa se innumerabiles Principes, eratque ipse horum omnium dux & origo: Ponit autem sedem eius in elemento fumi. Quoniam ergo terra ista cum suis habitatoribus valde erat pestifera, ac regno Dei contraria, ne forte ipsa regno Dei aliquod inferret nocumentum, placuit Deo expugnare eam, eiusque malitiam aliquo temperamento refrenare. Misit itaque de regno suo alia quinque elementa, quæ de sua ipsius substantia fabricauerat, & hæc quinque illis malis immiscuit, singula singulis, fumo aëra, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Facta ergo hac commixtione bonæ naturæ cum mala, orta sunt ex illis quinque generibus animantium, quæ supra distincta sunt, omnia hæc genera animantium quæ videmus in terris, ita vt ex singulis singula prouenirent, atque ex illo tempore omnia animalia partem bonæ naturæ, & partem malæ habere dicunt, eo D quod post commixtionem boni & mali nata sunt. Hac ergo ratione Adam & Euam ex principibus fumi natos asserunt, quorum pater nomine Saclas, vt dicunt omnium sociorum suorum fœtus deuorauit. Et quia magna pars diuinæ substantiæ admixta erat fœtibus illis, ideo maximam partem bonæ naturæ dicunt eum habuisse, & exiguam malæ. Qui cum sanctè viueret propter exuberantem copiam boni, commotam tamen fuisse in eo aduersam partem mali, vt ad concubitum declinaret; atque ita eum lapsum esse & peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Dicunt autem quasdam cœlestes virtutes ad hoc à Deo ordinatas, vt per totum mundum euntes, bonam illam naturam paulatim purgarent à mala cui immixta est, & purgatam duabus nauibus imponant, & ad regna sua transmittant. Naues autem illas dicunt fabricatas esse ex pura Dei substantia, & hæ sunt, vt dicunt, Sol & Luna: Lunam quidem dicunt factam ex aqua bona, Solem vero ex igne

E bono. Ideoque orationes faciunt ad Solem per diem, quacumque circuit; ad Lunam vero per noctem, si apparet: si non apparet, ad aquilonem, qua Sol cum occiderit ad orientem reuertitur. Ad imitationem itaque cœlestium spirituum etiam electi eorum dicunt se purgare bonam illam naturam à mala, dum comedunt, vel bibunt. Quod enim bonæ naturæ immixtum est cibis & potibus in ventre eorum, vt aiunt, liberatur, & ipsi illud cum orationibus transmittunt ad cœlestia: Quod autem malæ naturæ ibi est, ad secessum vadit. Hoc autem faciunt in omnibus frugibus, & fructibus, & seminibus. Dicunt enim partem illius bonæ naturæ etiam terræ admixtam esse: vnde cum exhaler ac sursum ad sedes proprias redire conatur, in herbas & arbores per radices earum incurrit, sicque in his eam detineri contingit, & impediri ne ascendat. Hæc ergo est causa quare agriculturam non exercent; quoniam quasi homicidium reputant herbas, aut arbores eradicare aut truncare; sed & folia aut fructus decerpere nefas habent: His enim inesse sanctas quasdam ani- F mas, intellectum habentes perhibent, easque vehementer dolere cum ista læduntur, & expelli cum amputantur. Animas auditorum suorum in electos transire, aut in arbores opinantur: ideoque omnes arbores ita venerantur, vt & spinas de agris euellere non audeant. Permittunt autem auditoribus suis hæc facere, vt per eos victum habere possint: fœnerari vero multo licentius putant quàm agros colere. Adeo autem, vt dictum est, diligentius volunt purgare illam bonam naturam in omnibus seminibus per comestionem, vt & sperma humanum farinæ panis sui admixtum gustare non abhorreant; sed hoc vehementer occultant: detecta est tamen hæc illorum turpitudo apud Carthaginem, cogente Vrso Tribuno per duas puellas in diuersis locis; ita vt neutra alteram hoc prodidisse sciret. Quarum altera nomine Margareta, cum esset annorum nondum duodecim, propter hoc quasi cœleste mysterium corruptam se esse confessa est: altera G vero nomine Eusebia Manichæa, quasi sanctimonialis, primo negans, tandem vix compulsa est idipsum de se fateri, & totum turpissimum illud scelus exponere. Non autem omnes hoc facere dicuntur; sed quidam eorum, qui dicuntur Cathariſtæ, id est, purgatores. Est enim secta illa diuisa in tres partes, in Cathariſtas, & Mattharios, & eos, qui specialiter Manichæi dicuntur: cum tamen omnes disciplinam Manichæi obseruent. Carnes omnes immundas iudicant, nec eis vescuntur: dicunt enim; quia cum occiditur quodlibet animal, statim pars illa diuinæ substantiæ, quæ inerat corpori, euolat, & quod remanet totum immundum est; quia ex concubitu venit, & opificium est gentis tenebrarum, & coinquinat manducantem. Auditoribus suis tamen eas comedere permittunt; sed omnino prohibent, ne animalia occidant: aiunt enim, quia principes gentis tenebrarum sua singuli in terris animalia possident, de suo genere, ac stirpe venientia: qui peremptores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire H permittunt, quin antea pœnis, quibus possunt eos atterant: nec oua saltem sumunt, quasi & ipsa cum franguntur, expirent: sed nec alimonia lactis vtuntur, quamuis de corpore viui animalis mulgeatur. Vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum: bibunt tamen carœnum, quod non est aliud nisi vinum coctum. Vuas non comedunt, & mustum abominantur, dicentes diuinam substantiam fugari in attritione vuarum, quam multis modis à rebus fugere dicunt. Fugit enim, vt ajunt, dum fruges & poma carpuntur: fugit cum affliguntur terendo, molendo, coquendo, manducando: fugit in omnibus motibus animalium, vel cum gestiunt, vel laborant: fugit etiam in ipsa digestione; multaque circa hæc turpissime confingunt. Eleemosynam ex omnibus quæ ipsi comedunt dare alicui non Manichæo, mendicanti prohibent: ita vt nec aquam in summa necessitate posito velint porrigere, ne membrum Dei, quod his rebus admixtum est, in

illum transeat, eiusque peccans sordidatum impediatur à reditu: ideo sæpe coactantur vltra modum comedere, & paruulos suos nimia ingluuie interficere, ne vel aliis dentur, vel apud ipsos peteant cibaria eorum, quorum vtrumque nefas habent. Vxores electis suis prohibentur, auditoribus conceduntur: monentur tamen auditores diligentissime, vt si vtuntur coniugibus, conceptum tamen, generationemque arte qua possint deuitent, ne diuina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole: per escas etenim & potus parentum in omnem fœtum animam credunt descendere; itaque nuptias sine dubio, condemnant, quandoquidem generare prohibent, propter quod coniugia copulanda sunt. Dominum Iesum in terras venisse, ad animas, non ad corpora liberanda; eumque nec de Virgine natum credunt, nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse; vbi non solum mortem, verumetiam resurrectionem mentiretur. Vnde pascha nostrum vel negligenter, vel omnino non celebrant. Celebrant autem pro eo quoddam festum, quod vocant Bema, id est, diem quo Manichæus eorum occisus est. Deum qui legem dedit per Moysen & per Prophetas locutus est, non verum Deum fuisse dicunt, sed vnum ex principibus tenebrarum. Promissionem Domini nostri Iesu Christi de Paracleto Spiritu Sancto in suo Heresiarcha Manichæo dicunt esse completam; ita videlicet, vt ipse esset Spiritus Paracletus: Vnde se in suis litteris Iesu Christi Apostolum dicit. Baptismum in aqua nemini prodesse ad salutem dicunt. Peccatorum origionem non libero arbitrio voluntatis attribuunt, sed substantiæ gentis aduersæ, quam hominibus mixtam esse dicunt. Duas animas in vno homine esse dicunt, bonam & malam, easque inter se habere conflictum, quando caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem. Asserunt etiam finito isto sæculo animas quidem natura bonas; sed quæ non potuerunt à naturæ malæ contagione mundari, quasi in vnum globum accessuras, & cum mala natura in æternum damnandas. Finiuntur verba Augustini collecta de libris eius, quæ in principio libri huius me huic operi appositurum spopondi.

IOANNIS ZONARÆ Monachi Canon.

Respõdet Pontifi cia Bulla de Cœna Domini, quæ similiter recitatur Sancta Hebdomada.

De Sanctissima Virgine.

Est autem Poëma contra omnes propemodum Hæreses; Gilberto Genebrardo interprete, Sonus plagi quarti.

ODA I.

Aurigam Pharaonis.

ARRIVS.

SANCTISSIMA quæ Deum peperisti, eiusdem cum patre naturæ vnigenitum verbum, coæuum, patris honoris, etiamsi insanus Arrius eum creaturam esse senserit à patris essentia alienam, illum, vt nos saluet, obsecra.

SABELLIVS.

Omnium regina tu suscepisti vtero vnam deitatis vnicæ hypostasim vere trinam habentis subsistentiam, nempe filium, etiamsi Sabellius confusionem impiè excogitans, in vnam trium nominum personam improbè trinitatem contraxerit.

MACEDONIVS.

Spiritum Dei increatum, qui te obumbrauit, immaculata virgo, Verbo & Patri consubstantialem glorificamus, ab ipso procedentem. Macedonium omnino in suo delirio sinentes, qui eum creaturam opusque De[i] asserebat.

APOLLINARIVS.

De cœlo descendens Dominus in tuum vterum Virgo casta, & carnem assumens mentis participem, atque animatam, nostram saluauit naturam; Pœnas autem lua[t] amens ille Apollinarius, qui Domini animam sine mente creatam affirmabat.

ODA III.

Cœlestis.

NESTORIVS.

EI, qui non te Dei genitricem profitetur, omnium regina virgo, par sit cum Nestorio, qui quidem Christum tenuem prædicabat hominem, téque, quæ Dei es genitrix, tantum Christi dicebat genitricem.

MARCION.

Qui è tuis sanguinibus carnem assumpsit, Domina libera voluntate, contra Marcionem impium tria principia insane introducentem, ouile tuum fide ipse firma & munit.

EVNOMIVS.

Supplicationibus tuis virgo tuum ouile libera, è suppliciis æternis, quæ mollissimus Eunomius ad comminationem solo figmento conscripta esse delirabat.

ODA IV.

Tu mei Christe.

EVTYCHES.

EVtyches infantilem hæresim profundebat, in Christo post vnionem vnicam esse naturam, corpus videlicet, quod virgo, Dominus assumpsit, vnius nobiscum essentiæ, nequaquam sentiens cum Seuero, quorum opinionem nos despuimus.

MANES.

Manus tua immaculate fili, me formauit, quæ & vniuersum mundum constituit, etsi iuxta suum nomen furens, Manes duo introduxerit principia, duosque docuerit Deos, vnum quidem bonum, alterum prauum creaturas ipsis dispertiens.

IDEM.

Iste miser, pura virgo, etiam corporationem filij tu[i] in figura fuisse asseruit, nec veram eam arbitratus, passum fuisse opinione duntaxat prodidit, impiè introducens diuinitatis vnicam in Christo naturam. Ab huius igitur mania & furore fac liberemur.

ARRIVS.

Corpus Christi inanimatum affirmabat Arrius, quasi ipsi sola diuinitas sufficeret animæ locum, studens astute humana Christi verba diuinitati accommodare, vt minorem patre filium, ô omnium regina, ostenderet.

ODA V.

Vt quid me.

ORIGENES.

CVm sontium pœnæ sint æternæ, ô virgo, iuua me. Neque enim Origenis opinionem, docentis terribilia inferni supplicia esse temporaria, suscipio.

DIDYMVS EVAGRIVS.

Cum Didymo rursum docet Euagrius animas extitisse ante corpora, hanc hauriens opinionem dissentaneam ex Origenis placitis. At nobis vera sententia im

A mora constet & maneat tuis intercessionibus, ô omnium Regina.

Idem.

Eorundem est dogma, rursum etiam dæmones alteram conditionem accepturos & homines, qui nefanda commiserint, cum Angelis etiam completuros nouem ordines, vt insana opinione fabulantur.

MARCION.

Resurrectionem mortuorum impiè negabat Marcion. Baptisma verò triplex lapsis dispensabat. Nos autem vnum baptisma, & resurrectionem, Dei mater, docemus atque confitemur.

NOVATVS.

Semitas meas, ô veneranda, dirige ad pœnitentiam, quam Nouatus nobis labentibus denegabat & post baptismum, indignum istud existimans Dei humanitate.

EVCRATITÆ.

Qui nominantur, Eucratitæ nuptias prohibent &
B animalium esum execrantur: Nos autem omnes in filij tui decretis firmalium esum execrantur: Nos autem omnes in filij tui decretis firma, virgo Dei genitrix.

ODA VII.

Dei descensus.

MESSALIANI.

MEntis humanæ Dominum esse Satanam impiè asseuerant Messaliani. Prauitatis item spiritus in eis personaliter & per subsistentiam inhabitare. Virgo Domina tuis supplicationibus Deus habitauit in nobis.

Iidem.

Nugantur Athei mortales natura sequi deteriora. Et proinde duas possidere animas. Vnam hominibus communem alteram rursum cœlestem virgo immaculata. Sed tu animæ tribue, vt bona eligat.

Iidem.

C Auersantur Domina laborem manuum, veluti fidelibus minimè congruentem, cum tamen Paulus nihil agentes manducare, vetet. Præterea Spiritus sancti personam aiunt posse percipi sensu.

ODA VIII.

Septuplo.

AETIVS.

PRaue sentiens Aëtius non offerendum pro mortuis dictitabat. Neque enim illos ex iis vllam vtilitatem capere. Præterea negabat esse ieiunandum insanè quartis & sextis feriis. In cæteris etiam circa fidem consentiebat Arrio. Ab eius impietate ô omnium regina, eripe me.

PAVLVS SAMOSATENVS.

Ex impiis decretis Pauli Samosatani Dei sponsa gregem tuum exime: filium tuum principij expertem è tuo
D vtero habuisse principium, profitebatur. Verbum enim dicens prolatitium, etiam Deum opificem Spiritu vsum fuisse tanquam instrumento sanciebat.

SERGIVS.

Sanctissimorum doctorum decreta secuti binas voluntates, & duplicem Christi operationem agnoscimus, sinentes cum Sergio Pyrrhum & eiusdem opinionis cæteros delyrare, o Dei genitrix; qui Domini carnem blasphemabant.

APELLES.

Omnium regina, Apelles quidam vnicum principium prædicat, vnumque duntaxat supremum Deum confitetur. At vnum alterum creasse rursum ait, quem prauum mundi opificem fuisse constituit, cum ipse prauus sit, ingrataque creatura sempiterno igne digna.

ODA IX. E

Excessit super hoc.

LEO ISAVRICVS.

VEnerandarum imaginum cultum prohibuit Leo Isauricus. Cum enim esset Iconomachorum origo & principium, tum characterem omnino honorandum: itemque illum filij tui secundùm carnem dilacerauit Dei genitrix, similiter & omnium sanctorum. A qua impietate, fac, liberemur.

BOGOMELI.

POpulum quem redemit filius tuus virgo ab execranda hæresi libera Bogomelorum recens orta, qui quidem docent hominum corpus esse opus (diaboli) praui, Animam verò cælestis Dei, negantes Deum vtriusque communem esse opificem.

Hic sequebantur tres contra Latinos censuræ contra F
Spiritus sancti è filio processionem, sed honoris Græcorum causa vertere noluimus.

NICOLAI EPISCOPI METHONENSIS ad eos qui hæsitant, ajuntque Consecratum Panem & Vinum non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI.

Non te lateat lector Nicolaum Methonensem Episcopum Græcum esse, ac schismaticum, Ecclesiæque Romanæ perduellem, cuius extat tractatus de processione Spiritus sancti à solo Patre in Bibliotheca Vaticana. Quocirca circumspectè legendus, & separandum preciosum à vili. G

MYSTICAM hanc & incruentam consecrationem, qua panem & calicem consecratos in corpus & Sanguinem Domini transmutari credimus, à quonam principium accepisse dicas? nonne ab ipso Deo & seruatore nostro Iesu Christo, quemadmodum nos sacra docent Euangelia? Prorsus ab eo. Quis verò ille est sermo, quo id traditur? *Hoc facite*, inquit, *in meam commemora-* 1.Cor.
tionem. Et B Paulus: *Quotiescunque enim comeditis pa-* 11.
nem hunc, & calicem hunc bibitis, mortem Domini annunciatis. Quo modo, quoque ritu, ab ipso Seruatore didicimus? *Accipiens enim*, inquit, *panem, & gratias agens, fregit, ac dedit discipulis, & ait: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur & traditur: similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, id autem idem est, quod & Beatus Matthæus inquit: *Hic est sanguis meus noui testa-*
menti, qui pro vobis effunditur. Quis verò scopus ac finis H
huius traditionis? Quid aliud quam participatio Christi, Matt.26.
& vita in Christo participantium æterna? *Si quis enim*, Ioan. 6.
inquit, *comederit ex hoc pane, viuet in æternum*: &, *Panis autem quem ego dabo pro mundi vita*: &, *Nisi manducatis carnem filij hominis, & bibatis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: & rursus, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: Quemadmodum misit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem*: &, *Qui edit me, & ille viuet propter me.* Carnem enim suam quasi escam homo circumponens, diuina sua virtute serpentem quidem deprimit, nos autem erigit. Papæ, quam expauescendum & tremendum mysterium! Qui hoc tradidit, Deus est, qui propter clementiam & benignitatem suam homo quoque factus est, & tanquam ouis ad mactationem & mortem processit, vt obnoxium morti propter peccatum hominem morte eximeret. Causa huius traditionis est, magni huius beneficij recordatio.

Corpus

A Corpus & sanguis CHRISTI ea sunt, quæ hoc ritu perficiuntur: ritus finis, participatio CHRISTI & vita æterna; quod idem est quasi diceres, participantium deificatio: vt Beatus Paulus magna voce proclamat, *Calix benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* deinde subdit & rationem, quo pacto fiamus Corpus CHRISTI, atque, *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? quandoquidem vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes enim vno pane participamus.* Quid enim est, ait, panis? nimirum Corpus Christi. Quid verò fiunt participantes? nimirum Corpus Christi, nam participantes Corpore Christi, nos etiam ipsum efficimur.

1. Cor. 10.

Nam quia vniuersa nostra caro corrupta est à peccato, opus nobis fuit noua carne. Quis ergo tam audax & prorsus temerarius existat, vt aduersus hanc traditionem aliquid noui moliatur, mysteriumque falsitatis accuset, atque abroget eum, qui ita tradidit & instituit? *Si qui legem Moysis abroget*, inquit Apostolus, *sine misericordia vlla, sub duobus aut tribus testibus moritur: quanto dignus deteriori supplicio censendus erit, qui filium Dei conculcarit, & sanguinem testamenti profanum existimarit, & spiritum gratiæ iniuria affecerit*: Verum quis ille, qui conculcat filium Dei, & aliorum quæ diximus reus censetur? nonne qui sanguinem eius ingratus abrogat, nec admittit, & veracis ab omnique mendacio alieni oris traditionem & mandatum nihili facit? *Hoc est corpus meum*, dicentis: &, *Hoc est sanguis meus*: &, *Nisi manducetis carnem Filij hominis, & bibatis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quid hæsitas? quid omnipotenti impotentiam attribuis? Nunne ipse est, qui ex nihilo omnia vt essent fecit? vnus trium personarum diuinitatis; qui postremis temporibus incarnatus est, & panem in suum corpus transmutari iussit? Quid requiris causam & ordinem naturæ panis transmutationis in Christi Corpus; & aquæ vinique in Sanguinem; cùm supra naturam, rationem, mentem, & cogitationem, ex Virgine sit natus? non credes itaque nec mortuorum resurrectionem, nec in cœlos eius assumptionem, & alia Christi miracula supra naturam, mentem & cogitationem eminentia. Id tibi accidit, quod Christum, non Deum verum ac filium Dei confiteris, sed Arrianismum vel potius Iudaismum recipis. At fortassis dubitas miniméque credis, quod non videas carnem & sanguinem, sed panem & vinum. Qua de re scias oportet, tu qui ingrato iniquoque animo erga beneficium affectus es, Deum qui omnia nouit, cum humanissimus sit, prouidè hoc fecisse, ad hominum imbecilitatem se demittens, ne auersarentur multi arrhabonem æternæ vitæ, & ægre ferrent, carnem & sanguinem intuentes. Itaque rebus naturæ consuetis hoc fieri voluit, iis suam diuinitatem coniungens, cum dixit: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, &, *Accipite, comedite, & bibite ex eo omnes, in remissionem peccatorum*: & rursum, *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*: &, *Nisi manducetis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hoc facite in meam commemorationem* Propterea ei credentes, ita offerimus panem perfectum, vinum, siue corpus Christi quod perfectum etiam post passionem permansit & integrum, (Neque enim os eius contritum est) & a diuina vita inseparabile, plane quale ipse primus noster ac magnus pontifex & sacrificus victimaque, suis ipsius discipulis tradidit: iique, denuo qui ab initio suis ipsi oculis Verbum intuiti sunt, eique ministrarunt, Catholicæ Ecclesiæ ab extremis ad extremos vsque orbis terrarum limites tradiderunt: omnes quidem Hierosolymitanæ, vbi & Beatus Iacobus primi, magnique Pontificis frater ac successor, mysticam incruentamque Liturgiam exposuit. Petrus autem & Paulus Antiochensi: Paulus verò peculariter, orbi vniuerso: Marcus, Alexandrinæ: Ioannes & Andreas, Asiæ & Europæ, Omnesque vniuersæ Ecclesiæ vbicunque sit, per eam quam sanctus Clemens conscripsit Liturgiam tradiderunt: vbi hæc ita ad verbum habentur; Memores

Ad Heb 10.

B

Cant. lege, non aqua in consecratur, nisi prius in naturam vini conuersa, nos iusi sunt eunt. C qui oppositum reputant.

D

E igitur eorum quæ propter nos passus est, gratias agimus tibi DEVS omnipotens, non quantum debemus sed quantum possumus, & eius statutum adimplemus. *In qua enim nocte tradebatur; accipiens panem in sanctas & immaculatas suas manus, & eleuatis oculis ad te Deum ac patrem suum, fregit deditque nobis, dicens: Accipite ex eo, comedite: Hoc est corpus meum, quod pro multis communitur, in remissionem peccatorum.* Similiter & calicem ex vino & aqua temperatum, sanctificauit, deditque nobis dicens, *Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.* Memores igitur passionis eius, mortis, resurrectionis, reditus in cœlos, & futuri eius secundi aduentus, in quo veniet iudicaturus viuos & mortuos, redditurusque cuique secundum opera sua, offerimus tibi regi ac Deo, secundum eius institutionem panem hunc, & hunc calicem, gratias tibi per eum agentes, quod nos dignatus fueris adstare coram te & tibi sacrificare. Et te rogamus vt propitio serenoque vultu respicias supra hæc proposita dona coram te, tu qui nullius indiges Deus: & tibi complacitum sit in eis ad honorem CHRISTI tui, & mittere digneris sanctum tuum Spiritum super hoc sacrificium, testem passionum Domini IESV, vt efficiat panem hunc, Corpus CHRISTI tui: & calicem hunc, sanguinem CHRISTI tui. Et iterum magnus ille Paulus, *Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis, quod Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & benedixit, fregit, dixitque: Accipite, comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim comeditis panem hunc, & calicem hunc bibitis, mortem Domini annunciatis, donec veniat.* Si verò censes hoc quod à nobis perficitur illo minus esse, nescis Christum etiam hoc tempore operari, nuncque adesse. *Ero enim vobiscum dies vniuersos ad consummationem vsque sæculi*, pollicitus est. Hoc item mysterium summopere admirans quasi obstupefactus Beatus Apostolus, cum timore Dei ac fide vt dignè eo participemus adhortatur & supplicium transgressori definit. *Quicunque comederit, inquiens, panem hunc aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Id perinde est, ac si dixerit, Beati Chrysostomi sententia, quemadmodum tradidit quidem eum Iudas, in eum verò petulanter debaccahati sunt Iudæi: ita dedecore & infamia eum afficiunt, qui sanctissimum eius corpus indignè ore sumunt, & corpori admouent impuro. Itaque inquit, *probet se ipsum homo*; non alter alterum: hoc enim iudicare est: *sed primum quisque seipsum: & sic de pane illo edat: & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans*, hoc est, perpendens & considerans *corpus Domini* propositum. Quod si is, qui per se in aliquod humanorum vitiorum delapsus est, & indiscretè accessit, vt indignè communicans, tanta mulctatur condemnatione: qui in ipsam consecrationem peccat, & immediatè ipsum dominicum contumeliis afficit corpus atque negat, traditionemque abrogat. & auctorem qui tradidit, conculcat, quanam fuerit, & quanto magis deteriori ac maiori dignus tum accusatione tum supplicio? Horrore ne plena sunt ea dicta? Reliquumne est vllum noui facinoris, præuaricationis, impietatis genus, quod ad hanc sceleris audaciam accedere possit? Verum libera ô Domine, per tuã misericordiam ab hac impostura & dementia omnes eos, qui non rectè confitentur, quem consecramus panem & vinum Corpus perfectum & Sanguinem preciosum esse Christi tui.

F

G

H

* *
*

A

PETRI ABBATIS
Cellensis primum,

DEINDE SANCTI REMIGII
APVD REMOS.

AC DEMVM EPISCOPI
CARNOTENSIS.

OPERA OMNIA.

Collecta in vnum ex libris tùm editis, tum mss.

B Curâ & studio vnius è S. Mauri Congregatione Monachi Benedictini.

DE PETRO EIVSQVE SCRIPTIS.

PRÆFATIO.

PETRVS Cellensis primùm Cœnobij Trecis deinde Remis S. Remigij Abbas, ac demum Episcopus Carnotensis, notior est nomine ac scriptis suis, quam alienis elogijs. Quippe se ipse ad viuum expressit, maxime in Epistolis suis, in quibus lucet eximia pietas cum eruditione haud vulgari coniuncta, honestas morum, animi candor ac sinceritas, amicitia non fucata, zelus prudens, maturum iudicium, viuidum ingenium, aliæque dotes, quæ magnum virum efficere solent. Epistolas illas iam dudum typis vulgauit Iacobus C Sirmondus, alij alia eius opera præter Sermones, quos tandem ex Remigiano codice manu descripto cum cæteris Petri lucubrationibus hic exhibemus, vt Petrum, si fieri potest, integrum habeamus. Hinc in antecessum præmittere iuvat quædam de eius vita, quædam item de lucubrationibus ab eo scriptis.

Petri patria ac parentes. 2. Petro nostro patrium solum Gallia, natale Campania fuisse videtur. Neptem habuit Hauvidem ex lib. 4. ep. 11. cuius connubium cum Petro de Tornella ab incesti criminatione vindicat tum apud Hugonem Senonensem Episcopum lib. 1. epist. 9. tum apud Alanum Autisiodorensem epist. 22. Hugonem Remensis Ecclesiæ Canonicum *Cognatum & amicum* suum appellat lib. 8. epist. 4. Et lib. 5. epist. 1. Bernetedo Suessionici Monasterij S. Crispini Abbati scribens, meminit cuiusdam *dominæ cognatæ suæ*. Cætera de eius parentibus ac genere incomperta.

Monastica professio. 3. Quo in loco vitæ Monasticæ rudimenta didicerit Petrus noster non obuium est definire. Veri simile apparet id factum in Cella Trecensi: tametsi eum adolescentem in Parisiaco Monasterio S. Martini de Campis D aliquantum exegisse temporis, ex lib. 8. epist. 13. intelligitur. *Ego ipse*, inquit, *ad S. Martinum de Campis adolescentulus verissimis experimentis quod dico gustaui & vidi*, & lib. 9. epist. 3. Thenbaldo abbati Cluniacensi electo gratulatur in hunc modum: *Nam & ipse seruus & filius sum Cluniacensis Ecclesiæ.* Quo tempore vitæ religiosæ se addixerit, postea expendemus.

Abbatis dignitas Trecis. 4. Monasterio Cellensi, de quo legenda Sirmondi adnotatio in Epistolam primam, præfectus est Petrus circiter annum M.C.L. Certè ante obitum S. Bernardi, quem recens mortuum laudat lib. 1. epist. 16. ad Ioannem Maclouiensem Episcopum, & ipse tum Abbas Cellensis. Extat & alia eius Epistola ad Eugenium Papam III. nomine Conuentus S. Mevennij edita. Nullas verò litteras antequam esset Abbas scripsisse reperitur. Porro Bernardus & Eugenius ad superos abierunt anno M.C.LIII. Petro Abbate quantum Cellæ floruerit Monastica disciplina, patet ex lib. 1. epist. 9. & lib. 5. epist. 3. E

& Remis. 5. Anno M.C.LXII. migrauit Petrus in Abbatiam S. Remigij quæ tum in suburbio Remorum erat. Nec tamen curam Cellæ suæ penitus abiecit: quin successoris sui prauis moribus indignatus, eum aut corrigi aut remoueri sategit. Extat ea de re libr. 5. epist. 3. ad Bernetedum Abbatem, in qua hæc verba: *Successor ille noster Cellensis Abbas, quia non bene multiplicauit, immo non fouit oua quæ illi reliqueram, sed conculcauit imperfecta, destruxit autem perfecta, vltra dissimulare non possum: sed aggredior tentare & probare verum Deus respicere dignetur priores meos labores, illum vel prorsus remouendo ab Abbatia, vel saltem corrigendo à stultitia sua, & in melius commutando.* Eiusdem est argumenti epist. 7. In regimine Cœnobij Remigiani multa præclarè gessit, in his *caput Monasterij sui*, id est, superiorem apsidis Ecclesiæ ambitum nouo opere construxit ex lib. 9. ep. 4. Cætera persequi non est huius loci.

F *Episcopatum.* 6. Demum in Sedem Ecclesiæ Carnotensis successit Ioanni de Sarisberia, amico suo, non anno M.C.LXXXII. sed LXXX. desinente; aut sequenti ineunte. Nam Ioannem decessisse die 25. Octobris anni M.C.LXXX. constat ex Necrologio Monasterij Iosaphatensis prope Carnotum. Adstipulatur Chronologia Hugonis Monachi Autisiodorensis, eius temporis æqualis, qui prædicto anno M.C.LXXX. Ioannis obitum reponit. *Mors.* Certè Patrem nostrum Ecclesiæ Carnotensi præfuisse annos 7. & anno M.C.LXXXVII. obiisse legitur in quodam indice Episcoporum istius Ecclesiæ, & muros vrbis stratasque instaurasse. In præcitato Necrologio Iosaphatensi commendatur his verbis: *x. Kalend. Martij depositio Domini Petri Carnotensis Episcopi, summi & nostris temporibus incomparabilis viri. Hic enim ad ornamentum collatarum sibi à Domino virtutum, etiam virginea perhibetur munditia gratiâ floruisse. Iacet in choro nostro, vbi epistola legitur.* Hæc tantùm de Petri vita & gestis. Iam de eius lucubrationibus quædam obseruanda.

G *Opuscula.* 7. Primum in editione nostra locum obtinent Sermones, quos vel ipse ad discipulos habuit, vel composuit rogatu amicorum. Theobaldus ex priore Cœnobij S. Martini de Campis Episcopus Parisiensis, Sermones de Aduentu ab ipso postulauit. Respondet ipse lib. 1. epist. 21. *Sermones de aduentu Redemptoris vt componerem vobis, in mandato acceperam: sed malitia sollicitudinis suæ etiam raritatem lucis dies præsens adiunxit.* Porro Sermones eius tanto in pretio sunt habiti, vt *per quatuor* ait ipse, *ventos cæli* spargerentur, & Monachus quidam Bertinianus eorum copiam sibi fieri postulauerit. Ad quem ipse modestè in lib. 7. epist. 19. *Sermones nostros quos tanquam plumas inutiles & superfluas quatuor venti cæli per diuersa projecerunt, habere desideras. Si legisti, nonne exsangues sensibus sententiarum & enerues tenuitate verborum inuenisti? Si non vidisti, quis persuasit tantopere te quærere, quos inuentos statim habeas respuere?* Denique in lib. 1. epist. 10. ad Mathildem Abbatissam: H *De componendis quibusdam sententiolis sermonis tui non sum oblitus: sed tam citò implere non potui pluribus impeditus.* Petri Sermones hactenus ineditos nunc primùm vulgamus, ex codice Remigiano acceptos. Atque vt de iis ingenuè dicam quod sentio; sunt illi quidem piis sensibus referti, respersi floribus scripturarum, ac sanctiori vitæ componendæ accommodi: attamen exiles nonnumquam, & vni argumento non satis inhærentes, sed in varia subiectæ materiæ capita (qui mos ferè illorum temporum erat) volitantes; mutili & imperfecti aliquando. Digni tamen omnino sunt qui legantur ab iis qui auitam pietatem amant, digni qui emittantur in lucem ob Auctoris optimi memoriam. Cæterum in Sermone 8. de Cœna Domini vsus est verbo *transsubstantiauit*, quod vocabulum eodem sæculo vsurpauit Stephanus Episcopus Æduensis in libro de Sacramento altaris cap. 13.

8. Secundum locum obtinet, Liber de Panibus, Ioanni Sarisberiensi amico suo nuncupatus, antea iam

editus,

A editus, vti & duo tractatus sequentes. Opusculi *de Panibus* mentionem facit Petrus in lib.6.epist.22.

9. Subsequuntur alia duo Opuscula, nempe de Tabernaculo Moysi Libri duo, & Liber de conscientia *ad Alcherum Monachum*, de quibus nihil adnotandum occurrit, nisi quòd liber de conscientia pressior & nervosior alio opusculo esse videtur.

10. Deinde succedit Liber de Disciplina Claustrali, *Henrico Campaniæ Comiti nuncupatus*: quem librum Petrus composuit iam senex, vtpote annum trigesimum agẽs Monasticæ professionis; vti ipse in Præfatione testatur, *vbi sciatica gutta* qua pungebatur meminit. Quem locum si conferas cum epistola 12. libri 8. Ad Alexandrum Papam, in qua se excusat à Concilio Romano propter eandem (vt vocat) *guttam*; non obscurè colliges, hunc librum scriptum esse circiter tempus Concilij, quod celebratum est anno M. C.LXXIX. Quod B si ita placet, Petrus non multos ante annum M.C.LVIII. vitam religiosam professus est. Quanquam nihil obstat, Petrum sæpius eadem passione affectum fuisse. Certè si *adolescentulus* (vt superius obseruatum) vixit in Monasterio S. Martini de Campis, longè ante prædictum annum nomẽn dedit Ordini nostro: vt qui anno M. C. LXXX. jam ætatis erat exactæ. Lege ipsius epistolas duas, nimirum libri 7. epistolam 20. & libri 9. epistolam 4. Istum porro tractatum primus in lucem edidit Acherius noster in Spicilegij tomo 3.

11. Denium posttemo loco editæ sunt Epistolæ tum Petri nostri, tum Epistolæ istæ Alexandri 3. ab hac editione sublatæ sunt, eo quod cum aliis Pontificum Epistolis reperiantur in nouissima editione Conciliorum anni 1671. tom. 10. pag. 1247. Alexandri Papæ III. à Sirmondo anno 1613. vulgatæ & Notis illustratæ, quas in fine cuiuslibet Epistolæ apponimus.

12. Epistolam ad Fratres de monte Dei, quæ S. Bernardo perperam adscripta est à multis, Petro nostro tri- C buendam esse conjectauit eruditus vir, qui nuper epistolam illam Gallicè reddidit. Iam omnium animi in eam sententiam quæ exquisitis fulta erat conjecturis inclinabant; cùm Præfationis illius Epistolæ posterior pars, in editis eatenus resecata, è mss. codicibus eruta prodiit tum in tomo 2. Bibliothecæ Cisterciensis a Bertrando Tissierio concinnatæ, tum in noua editione S Bernardi operum: in cuius Præfationis calce Auctor instruit indicem operum suorum, quæ Guillelmi Abbatis Monasterij S. Theodorici genuina esse compertum est. Ex quo conficitur, epistolam illam verum esse fœtum Guillelmi Abbatis: cuius nomen vtique, tametsi decurtatũ, legitur in salutatione epistolæ præmissa hunc in modum, qui in omnibus quos viderim libris manu exaratis exprimitur: *Dominis & Fratribus H. Priori & H. VV. Sabbatum delicatum*, id est, *Haimoni Priori* & alteri Monacho Carthusiano, cuius nomen incipiebat à littera H i *VVillelmus*. Non ergo Petro nostro sed Guillelmo adjudicandam esse eam Epistolam, euincit tum salutatio Epistolæ, tùm enumeratio illa Guillelmi operum, quæ in D fine Præfationis ab Auctore ipso condita est. Accedit Auctoris ætas quæ Petro competere non potest. Illa siquidem Epistola ab Auctore jam *sene* inscripta est. *Haimoni priori* Carthusiæ Montis Dei. Auctor enim in Præfatione ad Haimonem jam *senem* se & *deficientem* esse ait. Atqui Petrus virilem ætatem agebat Haimone Priore; qui Gaufredo Priori primo successit anno M. C. XLIV. in annos septem: quo tempore Petrus noster necdum annos triginta attigerat. Certè eam Epistolam scriptam esse initio institutæ Carthusiæ Montis Dei intelligimus ex quæstione *nouitatis* ab æmulis obiectæ, quos Auctor à principio reuincit. Carthusia verò hæc anno M. C. XXXVI. condita, Gaufridum Priorem primum habuit; secundum Haimonem anno M. C. XLIV. tertium Geruasium anno M. C. L I. cui suffectus Simon; ad quem duæ extant Petri nostri Epistolæ. His adde styli & orationis discrepantiam magnam, quæ inter legitimas Petri Epistolas aliaque opera, & Epistolam ad Fratres de Monte Dei intercedit. Nam hac in epistola stylus tur- E gentior, sententiæ magis pingues, sublimes, & fortes; orationis consequentia major, quam in Petri nostri operibus elucent. Ea porrò omnia ex æquo respondent aliis Guillelmi Abbatis lucubrationibus, quæ ingenium graue, solidum & apprime eruditum spirant. Quæ dotes equidem in Petri nostri scriptis satis apparent, non tamen (vt quidem ego censeo) ad Guillelmi comparationem. Hæc sunt argumenta, quæ prædictam epistolam non Petro nostro, sed Guillelmo Abbati restituendam esse persuadent nomen scilicet *Villelmi* in salutatione expressum, Index Guillelmi operum in fine Præfationis, Auctoris ætas & stylus: quæ in Petrum conuenire non possunt. Neque his obstat, quod enumeratio illa Guillelmi lucubrationum desit in plerisque exemplaribus mss. Ea siquidem exstat in nonnullis optimæ notæ, signanter in Thuaneo, quod olim fuit Bibliothecæ Montis Dei. Cur verò Guillelmus *Abbatis* nomen ea in Præfatione non assumpserit, F inde factum est quod epistolam scripsit post abdicatam præfecturam, cùm ad Cistercienses transierat Signiaci Monachus factus, vbi & sepultus est. Verùm hæc de re & de Petro nostro satis ad hunc locum.

TESTIMONIA VETERVM
de Petro Abbate Cellensi.

Nicolai Monachi Clareuallensis Epistola XXV. quam Prioris sui nomine scripsit ad Henricum Episcopum Trecensem.

ABbas Cellensis vir religiosus ac timens Deum homo bonus & testimonium bonum habens à bonis G vita & litteratura conspicuus, nobis quoque tanta familiaritate devinctus, vt non sit vnus de cæteris, sed præ ceteris vnus. Omnia nostra sua sunt, & sua nostra sunt: nos in illo, & ipse in nobis vnus est de ordine suo, in quo Domino Abbati nostro (*S. Bernardo*) amico vestro multum complacuit, &c.

Ioannis Saresberiensis Epistola CLXXII. ad Henricum Comitem.

QVas Quæstiones cùm mihi Albericus Remensis, quem cognominant de porta Veneris, quæ vulgo Valesia dicitur, nomine vestro adhibitis aliquot litteratis viris proposuisset, vt verum, Domine, fatear obstupui: nec quætenti potui habere fidem, donec venerabilem virum, fidelissimum & deuotissimum vobis Abbatem S. Remigij adduceret, qui & ipsas proponeret quæstiones, & ad eas cum multa precum instantia pro amore vestro & suo peteret responderi: pro certo affirmans vobis in vita nihil esse iocundius, quam cùm litteratis viris & de litteris habere sermonem. H

Kalendarium Ecclesiæ Carnotensis IX. Kalend. Martij.

OBiit piæ recordationis D. Petrus Carnotensis Episcopus qui prius fuerat Abbas S. Remigij Remensis: qui antiquam banni consuetudinem Theobaldo Comite assentiente reformauit.

Petro Abbati de Cella scribunt Bernardus Epistola CCXCIII. Ioannes Saresberiensis Epistola LXXV. LXXVII. XXCI. &c. & Nicolaus Clareuall. Epist. XX. XXIV. XXVIII. &c. Eidem Abbati S. Remigij Saresberiensis idem Epist. CCXXC. & Alexander Papa III. passim. Episcopi verò Carnotensis meminit Stephanus Tornacensis Epistola CXXVI.

A

INDEX SERMONVM PETRI Abbatis Cellensis.

C

INDEX EORVM AD QVOS SCRIPTÆ sunt Epistolæ Petri Abbatis Cellensis.

E F G H

PETRI ABBATIS CELLENSIS,

Deinde Sancti Remigij Remensis,

AC DEMVM EPISCOPI CARNOTENSIS.

SERMONES.

SERMO I.

De Aduentu.

VENI Domine visitare nos in pace vt lætemur coram te corde perfecto. Pedibus calceatis, visibili specie, ad peccatores non solùm discalceatos fide sed & dispoliatos beatitudine, necnon & vulneratos cupiditate, Saluator venit. Vt clariùs autem intelligamus calceamentum Domini, totum habitum prout possumus discutiamus; curramus tamen primùm

A primum ad textrinum sapientiæ, & à cœtu sanctarum virtutum in eo pulcherrimam & sanctissimam vestem contexentium quæramus, vtrum iam Verbo incarnan-
Gen 27. do telam vel tunicam præparauerint. Exhibe igitur Rebecca nobis vestes valde bonas quas domi habes, vt his junior filius secundùm humanitatem indutus, benedictionem sine primogenita omnis creaturæ hæreditate possideat. Profer Moyses vestem sanctam fratri tuo præ-
Exod. 28. paratam in gloriam & decorem in qua sanctificatus ministret. Aperi Maria vestiarium tuum vt stola byssina filius tuus circumamictus; offerat victimam quam nemo hactenus ausus est attrectare, ne dicam offerre, vnde Apo-
Hebr 8. 4. stolus: *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari deseruiunt & vmbra cælestium. Sicut responsum est Moysi,*
Exod. 25. 40. *cum consummaret tabernaculum. Vide* (inquit) *omnia facito secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.*

B Tres igitur dilectissimas puellas de Israël in omni varietate & pulchritudine texentes, priùs prædestinatione in meritorio cœli altissimi, ac demum in vestibulo vteri tui prudentissima, & humillima Virgo reperio. Harum prior omnium prædestinatio, deinde sapientia, tertiò gratia diuina, simul & similiter in præparanda tunica Verbi Dei cooperantur: prædestinatio disponit, sapientia depingit; gratia componit: velut materiam carnis creando disponit prædestinatio, velut formam noui hominis nouo ordine concipiendi & nascendi inspirando depingit sapientia, velut insolitæ iunctionis compactionem Dei & hominis componit gratia æterna: nonnisi prædestinatio hoc excogitare, nonnisi gratia persuadere, nonnisi sapientia adimplere potuit. Dixit sapientia ad redemptionem humani generis hoc esse necessarium, gratia admonuit vt fieret in corde Altissimi voluntarium, prædestinatio vt salus veniret in plenitudine temporis adhibuit obsequium. Viam liberationis præmonstrauit prædestinatio sapientia præambulauit, gratia perfecit; prædestinatio cadauer ostendit mortui, sapientia lauat,
C gratia eleuat; iubet prædestinatio, iuuat sapientia, complet omnia gratia Sed quia nostræ saluationis tenuissima huiusmodi sunt fila & manum summi artificis exigentia, in sactario hoc replicata interim veneremur, & ad grossiora quædam propter adstantem populum sermonem vertamus.

Adam fratres carissimi, cum à Deo crearetur, nudus quidem carne factus est, sicut & pueri omnes nudi de vtero matris nascuntur, sed animo vestitus erat quadam decentissima virtutum varietate. Scire namque debetis quòd sicut turpitudinem corporum vestimento celamus, sic animæ fœditatem, quæ à peccatis accidit, bonis virtutibus reprimimus: fortè in dorso vel in pectore vel in quolibet loco corporis tui subortum est aliquid, quod denigret aut deturpet formositatem totius corporis, quid ergo facis? certè celas certe velas; certè contegis, quare hoc? procul dubio ne deridearis, procul dubio ne oculos amici vel mariti offendas. Hoc faciunt homines ad homines & propter homines, sed propter Angelos quid?
D immo propter Deum quid? peccasti, falsum testimonium dixisti, rem vicini rapuisti, hominem occidisti, adulterium siue fornicationem fecisti, aliquid de criminalibus commisisti, & verecundia non erubescis, & confusione non repleris?

O homo nonne vident Angeli, nonne Deus aspicit qui scrutatur corda & renes? plus autem times homines quam Angelos? vicinum tuum quàm Dominum tuum? derisionem transitoriam times, & damnationem æternam non times? Noli transitoriè gehennam cogitare, quia vexatio eius non erit transitoria sed perpetua, quia per ignem transiturus es; ne sentias adustionem, assume tecum vnum de panniculis pueri Iesv, aut saltem fimbriam vestimenti eius. Redi ad cor & quære vel pannos quibus tegas turpitudinem, vel vestes quas habeas ad solemnitatem. Si pauper & peccator es, minoris sunt precij quibus inuoluitur puer Iesvs in præsepio, quàm virtutes quas attulit de cœlo, sufficiunt tamen tegere turpitudinem, tegere putredinis tabem & cale-

E facere cadaueris præmortui pulverem. Sunt autem panni isti, ieiunium: humilitas, paupertas, confessio & eleemosyna: non timebit à frigoribus niuis qui talibus indutus fuerit pannis.

Cur Domine Iesv pannis coopertorium diuinitatis inuoluis quod postea sine pannis, clauis & lancea in cruce pandis, & vsque ad distensionem expandis? an times pruinam, qui non reformidas lanceam? sed in panoso humilitas, in lanceato notatur patientia. O pannose da nobis, aut saltem vende pannos, lepram siquidem panni isti tangunt & tergunt: meretricem necnon in adulterio deprehensam tam à pœna quàm à culpa lenissimo tactu liberant. Da ergo Iesv pannos humilitatis per conuersionem, vende per correctionem: *Beati enim*
Psal. 31. 1. *quorum remissæ sunt iniquitates* per correctionem, *& tecta sunt peccata*, per satisfactionem.

Audi pœnitens ad quid tegumentum requires, & quomodo, vel vnde, vel vbi, denique qua tegere te debeas.
F Tanti fœtoris, tantæque fœditatis est nebula peccatorũ Adæ seu filiorum eius, vt ea sol offensus conuertatur in tenebras & luna in sanguinem; astra non sint munda, mare feruescat, terra contremiscat, cœlum erubescat, aër intumescat, Angelus fugiat, Deus se auertat, os & ventrem suum mors & infernus absque termino aperiat. Satisne intelligere ex his horrorem peccati potuisti? certè nondum expressi abominationem, nondum descripsi exectabilem eius ferocitatem: ira leonis, furor draconis, sibilus serpentis, feritas apri, & quidquid in rebus creatis insanius in ira efferri potest; non possunt adaptari crudelitati malitiæ siue peccati. Hæc fera tam ferocissima aliquando mordet animam, aliquando fœdat, aliquando vulnerat, aliquando deuorat, aliquando absorbet: mordet per suggestionem, fœdat per delectationem, vulnerat per consensum, deuorat per operationem, absorbet per desperationem.

Sed tu Domine Iesv veni visitare animam & sana morsum per confessionem, laua maculam per compunctio-
G nem, cura vulnus per orationem, extrahe de faucibus per condignam satisfactionem, reuoca iam absorptum per omnipotentissimam miserationem. Tu enim Danielem de lacu leonum, tu Ionam de ventre ceti, tu Abraham de Vr Chaldæorum, tu tres pueros de camino Babylonis, tu Susannam de ore gladij, tu populum Hebræorum à persecutione Pharaonis; tu Petrum naufragantem in mari, & negantem in atrio Principis Sacerdotum; tu Paulum de profundo pelagi, tu Dauid de ore leonis; tu latronem de faucibus mortis eripuisti; & nunc non misereris populi tui aduentum tuum præstolantis? & nũc ad filios tuos incipis indurari. Veni sed in pannis non in armis, veni sed humilis non excelsus, veni sed super asinam non super Cherubim, veni sed in præsepio non in altissimo cœlo; veni sed ad nos non contra nos; veni sed saluans non iudicans, veni sed in gremio matris non in sceptro majestatis, veni sed visitare nos in pace non arguere in furore. Si talis veneris fugiemus non à te sed ad te; omnino namque inconsueta pauorem fa-
H ciunt; consueta verò suauius attrahunt.

Consueto igitur habitu, consueto victu, consueto sermone, sed tamen more dissueto & conditione dissimili ad homines venit Deus homo, ad mortales Immortalis factus mortalis; ad peccatores nihil cum peccato habens, habens tamen formam & naturam sine peccato peccatoris. Hic qui super aspidem & basiliscum veniebat calceatus accessit; hic qui leprosos mundare veniebat, in pannis ægrum visitauit. Animaduerte in calceamento mysterium fidei significari; in pannis, Ecclesiastica Sacramenta quibus venena deterguntur peccatorum, quibus ornatur facies conuersorum, quibus velatur turpitudo pœnitentium.

Ecce habes tegumenta, quia habes & pudenda, id est, peccata quæ sunt tegenda: fortè quæris quomodo? docet Rebecca quæ filium suum Iacob benedictioni paternæ supponens, priùs eum induit vestibus Esau val-
Gen 27. dè bonis quas apud se domi habebat, & quia colli nuda siue manus vnde tegeret deerat, pelliculas hædo-

A tum quorum iam carnes coxerat circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Vtilis hæc historia, sufficientem caibet formam pœnitentiæ peccatoribus recedentibus à peccato, & quærentibus gratiam & benedictionem Dei Iacob. Sed ne sarietas fastidium generet, aliàs reposituri & latiùs exposituri; interim eam supprimimus, hoc tantum ex ea sumamus vt quomodo vestire se debeat anima pœnitentis innotescamus, vestibus namque Esau valde bonis quas Rebecca domi retinuit cùm ad venationem pilosus ille exiret, vestiti debemus, cùm benedictionem quærimus.

Sed quid est hoc? Rebecca virgo decora nimis, est illa Angelorum sancta societas quæ Isaac, gaudio videlicet cœlestis iubilationis desponsata, cogitat semper & amat quæ domini sunt. Esau pilosus qui venatione agrestium & syluestrium, postquam offenderat animum Isaac, occupatur, diabolus est qui postquam de cœlo sicut fulgur cecidit, fictus & callidus velut pilosus in insidiis sedet, vt in occulto rapiat pauperem, decipiat
B animam volantem. Is vestes valde bonas domi reliquit, cum optimæ naturæ suæ scilicet Angelicæ bonas dotes à Deo infusas, per apostasiam amisit, *In veritate*
Ioan. 8. 44. *enim non stetit.* Sed Rebecca sibi vestes bonas vendicauit, cum illa sancta societas, decidente Lucifero, firmiùs stabilita in amore sui Creatoris, animos ad Deum conuertit, & ne similiter laberetur, fortiùs amoris vinculis sese innexuit.

Vestes itaque valde bonæ Esaü, sunt illæ veræ virtutes quibus in paradiso Dei sui plenus decore Lucifer
Ezech. 28. 12. in Propheta resplenduisse legitur. His IESVS pannis, immo satis melioribus indutus ad nos de cœlo venit. Adam enim sicut & Lucifer ornamenti pectoris sui in paradiso oblitus tunicam hyacinthinam eiectus perdidit, & pelliceam recipit: frequenter quidem postea eam repetere voluit, sed nec semel potuit. Secum itaque veniens IESVS filius Altissimi vestes illas valde bonas attulit, qui primam stolam, annulum & calceamenta prodigo filio restituit; reddit namque lætitiam salu-
C tari sui, reddidit Spiritum rectum, Spiritum sanctum, Spiritum principalem, cor mundum, ar. ..iam puram, carnem immaculatam. Istæ sunt mutatoriæ vestes, quas pro semicinctiis, pro pannis menstruatæ, nobis pietas IESV commutauit, vt de reis innocentes, amici de inimicis, de eiectis efficeremur conciues.

Præterea nuda colli & manus sine tegmine remanerent nisi pelliculas hædorum Rebecca reseruasset: nuda colli manifestam designant superbiam; manus nudæ, opera iniustitiæ; pelliculæ hædorum, pœnitentiam conuersorum. Pœnitentia itaque quam Angelus nescit, quia nec bonus stans in iustitia, eâ indiget, nec malus perseuerans in iniustitia agit, à peccatoribus sumpta est, & nuda colli, id est, peccatum superbiæ, & manus nuda, id est, opera iniustitiæ, vindictæ Dei abscondit; ecce quomodo anima se vestire debet.

D

SERMO II.

In Adentu Domini.

NVntia nobis si tu es ipse qui regnaturus es in populo Israel? Tibi soli IESV de omni te credimus, quia veritas es, te credimus quia solus es quod es, in te etiam credimus, quia non verbo & lingua, sed opere & veritate te diligimus. Ideo nuntia nobis, si tu es qui regnaturus es, quia te volumus regnare super nos, cuius iugum suaue est, cuius onus leue, cui seruire regnare est. Opponit se & transfigurat in Angelum lucis pater mendacij diabolus, totque & tantas ex quo à veritate decidit, tam in paradiso primis parentibus, quàm posteritati eorum contexuit in hoc exilio tendiculas deceptionum tot, vt vix quod verum est in caligine ista discernatur, quod certum in ambiguitate eligatur, quod optimum aequiratur. Cauentes itaque & nolentes impingere damnosum fidei nostræ errorem te IESV de te consulimus, vt indices nobis, vbi pascis vbi cubas in E meridie, ne incipientes vagari post greges sodalium tuorum pro Christo Antichristum, pro bono pessimum, pro Deo diabolum excipiamus: *Nuntia ergo nobis si tu es, &c.*

Causas equidem missionis tuæ non omnino ignoramus; missus es enim vt annuncies populo tuo scelera eorum & domi Iacob peccata eorum, missus es vt manifestes te ipsum mundo, missus es vt destruas inimicum & vltorem, missus es vt soluas compeditos, educas incarceratos, liberes captiuos, regnum peccati destruas, & regnum iustitiæ statuas. Equidem diu est quod Prophetæ quorum testimonia credibilia facta sunt nimis, tam de aduentu tuo quàm de nostra redemptione libros plurimos impleuerunt. Vrgente itaque tam nostra necessitate quam tua miseratione occurrimus cum omni supplicatione, quærentes si tu es ipse quem expectamus & ad cuius regnum sortem nostram transferri exoptamus. Tyrannus namque ille cui ab ira indignationis tuæ traditi fuimus, scorpionibus cædit nos, vrit flagel- F lis, in verberibus torquet & excruciat vsque ad medullas viscerum, non est sanitas in carne nostra in qua habitat peccatum, non in corde vbi infidelitas & ignorantia regnant; omne caput languidum & omne cor mœrens, a planta pedis vsque ad verticem non est sanitas. Cum totam occupauit massam fermentum præuaricationis, nusquam locus remansit immunis à peccato & pœna peccati. Totum cum omnibus partibus suis hominem inspiciamus, & quæ membra quæ possideant vitia diligenter discutiamus.

A planta pedis vsque ad verticem non est sanitas cùm pedes currunt ad malum in consilio impiorum: genua & tibiæ stant in via peccatorum: renes sedent in cathedra pestilentiæ: membra pudenda quæ sunt partes vulpium, polluunt templum Spiritus sancti, tabernaculum nominis Dei: lumbi implentur illusionibus, venter cibo & mero distentus despumat in libidines: guttur nitidius super oleum, ministrat carbones subter cratem ferream, os ebullit stultitiam, lingua vibrat faculam ac- G censam: labia loquuntur magniloqua, oculi aspiciunt vanitatem, aures suscipiunt detractionem: manus effundunt sanguinem: ceruix erigitur in elationem. Inspiciamus adhuc quàm graui stimulo malè sollicitus de morte nostra conuulnerauit nos ille cuius nomen est mors: Planta igitur pedis terræ hærens grauis & fissa, quasi planta vituli aggrauat hominem in terra, & diuidit ad multa: insidiatur autem serpens calcaneo qui plantæ continuus est, vnde conqueritur Psalmista: *Ini-* Psal. 48. 6. *quitas calcanei mei circumdabit me*; id est primæ suggestionis peccatum à ventre matris nullo tempore nulla parte vsque ad exitum vitæ cessat me inquietare.

Præsumit enim diabolus sequentia facilè se posse occupare si principia veneno suo præualuerit inficere. Illum ergo cuius intentionem in calcaneo, cuius affectionem in planta, cuiusque actionem afflauerit in pede; illum cuius anhelitus prunam ardere facit, in regno peccati detinere, & ad regnum mortis transmittere quis H prohibebit, nisi gratia & vita quæ per Iesum Christum facta est subuenerit? Tibiæ sequuntur in ascensu membrorum, de quibus ait idem Psalmista: *Non in fortitu-* Ps. 146. *dine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplaci-* Iac. 1. 8. *tum erit ei*; quod est dicere nec superbia vel potestas contumacium placet Deo, nec incompositus incessus præsumptuosi & audacis hominis. Est autem vtrumque vitium, nimis compositè, vel incompositè incedere, alterum enim luxuriæ, alterum est signum inconstantiæ. Isaias reprehendit filias Sion quæ composito gradu incedebant. Iacobus Apostolus in Epistola sua ait: *Vir du-* Iac. 1. 8. *plex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Genua quæ sequuntur non sunt curuanda Baal, sed Deo excelso, quia omne genu flectitur ei cœlestium terrestrium, & infernorum: non ergo curues genua meretrici, sed Dei genitrici, non simulacro, sed Deo viuo & vero. Renes & lumbos qui sequuntur, accinge sicut vir, ne effluant per Psal. 138. 13. luxuriam, dic Deo, *Tu possedisti renes meos*, id est de-

lectationes

A lectationes meas, & non me teneat luxuria, sed continentia & castitas.

Sequitur venter & stomachus cuius officiom si legitimè administratur, vtile & peroecessarium est, si fines naturæ excesserit, omnino perniriosum & damnosum, nã sine ipso nec viuitur, per ipsum, si iugum moderationis excusserit, pessimè viuitur. Sit ergo in subsidium quotidianæ reparatioois, nec se præcipitet in exterminiũ malignæ superfluitatis. Deinde gulam tenemus quæ velut infusorium ventris pene quidquid votauerit infundit, tãquam portam itaque ventris gulam obseruare debemus, ne quid intret per portam quod euertat naturam: claudit hanc portam ieiunium, abstineutia custodit, moderata refectio salubriter aperit, immoderata ipsos eius cardines coocutit. Fauces deinde quasi atrium intriosecus, os habent ostium extrinsecus, quo non custodito non est pax intranti vel exeunti: si enim de radiee colubri conceperit mala cogitatio quemlibet fœtũ, quamdiu os clausum cohibet

B iotrinsecus cadauer mortuum, sepulchrum quidem est guttur siue fauces, sed noudum patens, si autem fœtorem pressam ore aperto exhalauerit, sepulchrum patens est & aëre corrupto moritur etiam species religionis, quę hactenus viuebat in luctum bonæ opinionis. Sit ergo eloquium dulce, sint casta eloquia, sit porta semper clausa malis, aperta bonis. Quid deiode oculi quorum ministerio velut Sol & Luna dies sapientiæ & nox ignorantiæ reguntur in homine, vt sint tenebræ eius tanquam lumen eius, id est, humiliter se accuset de ignorantia, & vtiliter ac sobriè vtatur data à Deo sapientia & scientia oculus qui non satiatur visu, si pudicus sit & castus,

Esa. 38. 14. cœlum potius respicit quàm terram, vnde *attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.*

Oculi itaque isti videntes Dei potentiam à longè venientem, signa circa IESVM & de IESV propheta curiosius quærunt, & ao omnis quæ de ipso dicta sunt concurrant diligenter inuestigant non cum Iudæis dicentes;

Ioan 8. *Tu de te ipso testimoniũ perhibes testimonium tuum non est*

C *verum*, sed cum Petro, *Domine si tu es iube me venire ad te*

15. *super aquas* non tentando, sed inquirendo dicunt Nuntia

Matth. 14 28. nobis, &c. Si tu es Rex Iudæorum, Si tu es Rex Regum & Dominus dominantium. Si tu es Rex Sion qui super asinam & pullum filium subiugalis sedens, Hosanna Filio Dauid à pueris Hebræorum audisti, nuntia nobis, si tu es qui super solium Dauid, & super regnum eius sedere venisti, nuntia nobis si tu es principatum habens super humerum, nuntia nobis si tu es Filios Regis cui Pater omne iudicium dedit vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem qui misit illum: nuntia nobis si desinet Regnum à Damasco, si mortem præcipitare venisti, si dare redemptionem pro populo tuo, si venisti vt saluũ facias populum tuom à peccatis eorum. Nuntia nobis si venisti dona naturæ reparare, & dona gratiæ reformare: Nuntia oobis si de necessitatibus suis liberaturus es creaturam, quæ vanitati subjecta est non volens, si soluturus nos à miseria & peccato. Videmus ecce Virginem Matrem, videmus tempus beneplaciti Deus, videmus defe-

D cisse sceptrum de Iuda & Ducem de femoribus eius. Videmus conflari gladios in vomeres, & lanceas in falces. Videmus signa innouata, videmus iter habere medium silentium noctis: hæc omnia indicant nouum venisse super terram à quo nouum cœpit testamentum, lege veteri antiquata cum omnibus obseruantiis suis. Translati ergo in legem gratiæ, fidei & iustitiæ ad Regnum transferamur æternæ salutis & gloriæ, te procurante IESV qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De Aduentu Domini.

Esa. 16. 1. E*Mitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Mitte Angelum & emitte Agnum, non aprum, non vnicornem, non taorum, non bouem, non asinum, non camelum, non leonem, noo basiliscum, non scorpionem, non serpentẽ; Aper namque dente morderet, vnicornis vero cornu impeteret, taurus ceruicositate ventilaret, bos cornu pereret, hircus fœteret, asinus stoliditate molestaret, camelus gibo displiceret, leo deuoraret, basiliscus veneno occideret, scorpio caudâ pungeret, serpens deciperet. Hæc vitia cauenda sunt non oranda. In apro namque significatur rixa & contentio, in vnicorne singularitas & præsumptio, in tauro lasciuia & rebellio, in boue pigredo vel induratio, in hirco luxuria, in asino hebetudo, in camelo inflatio & prauitas, in leone rabies & rapina, in basilisco mala persuasio, in scorpione detractio: in serpente dolosa deceptio; in agno innocentia: A supradictis vitiis præcipue abstineamus, qui in vestimentis ouium, siue laneis, siue pelliceis speciem pietatis non vtinam mentiamur. Quasi enim leonina pelle asinus induciur, cum mens vitiosa pelles Salomonis vel agni simulatione assumit. Vnde Apostolus de quibusdam, *speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes* Nequaquam ita in spiritu sit dolus, cùm extrinsecus præferatur simplicitatis habitus; sed hoc homo habeat in corde quod demonstratur in facie. Tunc siquidem vtiliter orabit, Emitte agnum Domine, quia qualem inuenerit, talem se illi exhibebit, *cum sancto enim sanctus erit & cum innocente innocens*, id est cum agno agnus erit.

Emitte ergo agnum Domine qui non irascitur, qui non insidiatur, qui non recalcitrat, qui non ambulat in magnis, neque in mirabilibus super se, qui lanam suam dat nobis, sicut niuem ad calefaciendum quod in nobis est frigidum, ad operiendum quod probrosum, qui dat corium suum ad restringendum quod dissolutum, ad vestiendum quod in pedibus nudum est, qui dat carnem suam ad manducandum, ne deficiamus in via, qui humilia & infirma assumptæ humanitatis tanquam fimum dispergit in terra nostra, vt his visitata & inebriata & locupletata multiplicetur vt afferat fructum trigesimum, sexagesimum vel centesimum. Vngula etiam sua, id est increpatione scabiem nostram tollit, id est desideria maligna & pruriginem compescit, intestina aperit & exponit dicens: *Omnia quæcumque audiui a Patre meo nota feci vobis.* Ventriculum in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscooditi, suggerit conuiuatoribus suis: dorsum patientiæ quod Pilatus flagellauit ostendit ad informationem correptionis. Costasque in cruce extensas dinumerauerunt crucifixores sui, edendas apponit in mensa altaribus. Cornibus hæret in cruce sicut aries Abrahæ inter vepres hærebat. Caudam offert cum dicit ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Dentes eius lacte candidiores sunt, quia in eius prædicatione nihil mendosum, nihil obscurum est. Oculi vino pulchriores quis, vt ait Gregorius in comparatione vel in contemplatione eius vilescunt omnia, *Hic est Agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

Hunc agnum emitte Domine qui secum deferat sapientiam sedium tuarum assistricem, lucem & veritatem: vnde *emitte lucem tuam & veritatem tuam*, id est, gratiam & doctrinam, manum quoque vnde Dauid dicit *emitte manum tuam de alto*, id est, de sinu Patris, auxilium contra impugnatorem diabolum: emitte latenter ne audiatur strepitus in compitis Ascalonis, vbi conueniunt dæmones fures animarum, fures consiliorum Dei, si fortè contra malitiam suam tractat aliquid bonitas sapientiæ Dei. Emitte sapienter quia omnia in sapientia fecisti, & prudentia tua superbum diabolum percussisti. Emitte fortiter, quia fortis Dominus & potens in prælio: emitte suauiter, vt descendat sicut pluuia in vellus, & impleat lagunculas virginalis vteri aquâ nostræ humanitatis & vino diuinitatis. Emitte libenter quia vnicus filius multos adoptiuos acquiret, *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Emitte licenter vt iam saltem in plenitudine temporis in fine sæculorum, licentiam habeat ueniendi qui ab initio præuaricationis & ejectionis Adæ de paradiso,

A non destitit præmittere aduentus sui præcones, & misericordiarum frequentissimas distillationes. Emitte Agnum mansuetum qui fugiat Herodem sicut damula leonem, & à facie Iudæorum quando tulerunt lapides vt lapidarent eum, sic t ovis lupum. Emitte Agnum tondendum in circuncisione: excoriandum in crucifixione, veniendum triginta denariis in proditione, immo laudum pro nostra redemptione. Emitte agnum qui dignus sit accipere virtutem & diuinitatem, qui dignus sit soluere septem signacula libri signati, id est, mysterij dominicæ Incarnationis: Emitte Agnum qui non statim occidat peccatores, sed ad pœnitentiam prouocet dicens, *non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam.* Matth. 9.13.

Emitte, sed ad quid? vt dominetur, Dominatorem, inquit, terræ. Vnde? de petra deserti. Quo? ad montem filiæ Sion. Quæ est petra deserti? Ruth Moabitis quam Booz in vxorem accepit & ex ea genuit Obed, Obed autem genuit Iesse, Iesse autem Dauid, de cuius B semine Christus, qui de Virgine Matre originem habuit: De petra igitur deserti emitte Agnum Domine ad montem filiæ Sion, vt linea propagationis, profundo & incognito Dei iudicio, duas humani generis propagines, id est, Iudæos & Gentiles complectatur. lapis angularis qui facit vtraque vnum: moueat gressus suos à petra deserti, qui multis annorum millibus licet ab Adam venire cœperit, nullis tamen vestigiis euidenter alicubi impressis cum silentio sicut aquæ Siloë, ad nostram liberationem longo anhelitu tendebat. Huc autem quasi victor gratia mansiunis diuertens, conciliorum & cogitationum antiquatum respiracula concipiens, passibus manifestioribus cœpit appropinquare, ita vt Matthæus Euangelista ex hoc incipiat dinumerare; ab Abraham tamen inchoata propter promissionem Dei digressione.

Hoc etiam notandum in eo quod de petra deserti, emitte agnum dicitur, patet exoratur quod sicut solet fieri in conductibus aquæ, vt ad respirationem vel inspectionem salientis aquæ, lapideum interponatur re- C ceptaculum; sic cursus miserationis diuinæ à primo homine tanquam à primo lapide confluens, mysticum canalem habuit Ruth Moabitem Booz Iudæo copulatam: meatu ergo venustiori per Dauid Regem recepto, lucidiori vena ad montem filiæ Sion, id est, Virginem Mariam, quem adquisiuit dextera eius perefluxit, ibique, laguunculam testeam propter fragilitatem sexus muliebris imber matutinus diuinitatis & serotinus humanitatis, sicut pluuia descendens in vellus impleuit, hæc enim est piscina portæ superioris in qua gratia abluit & caro peccati abluitur, dum ad præparationem incarnandi Verbi Virgo ab omni peccato emundatur, & Christi caro absque vllo peccato concipitur: quæ caro Agni non solùm est immunis ab omni labe corruptionis, sed Ioan. 1. 29. est tantæ puritatis & virtutis, vt solo nutu vel contactu curet lepram totius contagionis. *Agnus enim Dei est, qui tollit peccata mundi.* Vt itaque tollat peccata mundi, emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion, IESVM CHRISTVM Do- D minum nostrum qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

IN TEMPORE ADVENTVS,

Super eadem verba.

Esa. 16. 1. E*Mitte Agnum tuum Domine dominatorem terræ de petra deserto ad montem filiæ Sion.* Humanæ quærelæ necessitas & remedij opportunitas nulli magis nota quam Deo, qui priùs præparauit antidota quam diabolus euomeret in ore & mente hominis pessima venena. Crescente itaque & superexcrescente morbo, adjecit medicus conficere iuxta singulorum accidentia, congrua suæ sapientiæ & humanæ miseriæ remedia. Inde tabula diuinæ propaginis formas votorum & vocum diuersarum recitat per singulos Prophetarum libros, dum alter E sic afficitur, & alter aliter; bono namque domino seruus familiaris non veretur humiliter suggerere vnde non credit eum offendere; non autem offenditur qui vult rogari antequam rogetur, & prius porrigit manum quam qui accipiat teperiatur: nunquam enim digno petitori defuit gratia largitoria, nec semel indignis prærogauit misericordiam, qui passim omnes quotidie vocat & vrget ad gratiæ suæ plenam omni bono arcam. Antiquorum igitur Patrum quisque contemperans postulationem suam & sempiternæ dispositioni & nostræ necessitati, porrigit libellum per manum Angeli legendum in palatio summi Regis, vt de beneplacito Creatoris Agnus mittatur ad opus vniuersalis restitutionis.

Hoc tempore & huic negotio leo non erat necessarius quia nimium est rigidus, neque camelus quia altus & gibosus, neque asinus quia iners & tardus, neque lupus quia rapax, neque vrsus quia contumax, neque hœdus quia fœtet, neque equus quia procul odoratur bellum, F neque bos cornupeta quia terræ nimium hæret, neque taurus quia ceruicosus est; solus Agnus congruit rei agendæ quia incorruptus, quia immaculatus, quia mansuetus, quia villosus, quia tenerrimus, quia pacatus & placidus. Emitte igitur Domine dominatorem terræ, emitte de sinu diuinæ mentis, emitte à summo cœli, emitte à supremo cardine inuisibilis majestatis, emitte de consessu tuo, emitte de thesauris & abyssis, emitte agnum domine dominatorem terræ: Non Saülem qui quærit asinas patris tanquam asinarius; non Pharaonem Regem Ægypti qui in equis & curribus persequitur populum Dei, non Nabuchodonosor qui quasi bos comedit herbam; non Alexandrum magnum qui sicut leo omnia regna vastauit, non Roboam qui scorpionibus subjectum populum cædit, non Salomonem qui amator mulierum, luxuriæ idololatriam iunxit: non Sedeciam qui pactum scindens sicut vrsus effossis oculis in cathenis fuit; non Achaz qui vineam Naboth tanquam lupus per vxoris rabiem quasi per famem rapuit & occidit: non de aliis regibus quemlibet mittas, quia G deuorant plebem suam sicut escam panis, non saluant, non liberant, non redimunt, frater enim non redimit nec purus homo, sed Deus homo, sed Agnus immaculatus cuius sanguine Redempti sumus de vana nostra conuersatione; hic est Agnus quem Pater signauit & misit in mundum.

Attendamus ergo signum Agni quia vtrumque postem nostrum munire debemus sanguine Agni contra exterminatorem Angelum: nihil in Agno negligendum, quia etiam minima pars eius saluti nostræ valde necessaria est. Quatuor pedes Agni sunt quatuor partes crucis, longitudo, latitudo, altitudo & profundum, vel quatuor partes mundi, oriens, occidens, septentrio & meridies. Vel quod in cantico Annæ legitur, Dominus 1. Reg. 2. 10. mortificat propter vngulam, & viuificat propter plantam, & est primus pes. Secundus est qui deducit ad inferos impios & reducit conuersos. Tertius pes, Dominus pauperem facit spiritu, & ditat beatitudine. H Quartus pes Agni humiliat superbum, subleuat contritum & humiliatum. Vultus Agni voluntas Dei, quia *quæ placita sunt ei* (inquit IESVS) *facio semper*: &, *hic* Ioan. 8. 29. *est in quo mihi bene complacui.* Oculos in Apocalypsi Matth. 12. 18. habet septem, quia requieuit super eum spiritus sapien- Esa. 11. 2. tiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini; & cornua septem quia reddet in die iudicij vnicuique secundum opera sua, prout gessit in corpore quadrupliciter, in anima tripliciter. *Super tribus sceleribus Damasci*, inquit Dominus, *& super quatuor non* Amos 1. 3. *conuertam eum.*

Venter Agni distinctos est saphiris quia humana passus, sed diuina operatus est. Dorsum eius patientia est, vnde Dauid, *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Ps. 128. 3. Lana eius beneficia vel Euangelica prædicatio, quam nent & texunt omni creaturæ prædicando Euangelistæ & omnes doctores Ecclesiæ. Caro eius vitalis animæ cibus; Sanguis potus.

A

SERMO V.

IN TEMPORE ADVENTVS,

Super hæc verba Ecce virgo, &c.

Esa. 7. 14 *Ecce virgo concipiet, &c.* Vt aliquid de pondere litteræ dicam, illud *Ecce*, renouatiuum est temporis, reuocatiuum fidei, recreatiuum animi. Virgo concipiet & pariet filium, suspensiuum est intentionis, succensiuum deuotionis, consolidatiuum Christianæ dignitatis. Per aduentum Domini tempora renouantur, fides mortua resuscitatur, animus lugens præ inopia & deficiens præ tædio diuturnæ expectationis recreatur. Intentio cū Iob elegit suspendium in occursum Saluatoris, deuotio sicut Maria Magdalene audiens quia Dominus venit, citò surgit & venienti lachrymas offert. Christiana fides in conceptione Deum quasi vitalem spiritum diuina insufflatio-

B

Apoc. 21. 5. ne accipit. De renouatione ait Dominus, *Ecce noua facio omnia*; vtique nouum aduentum, nouum conceptum, nouum partum, nouam matrem, nouum filium, nouum morem nascendi, viuendi, prædicandi moriendi, resurgendi, ascendendi ad cœlos, iterum veniendi ad iudicandum viuos & mortuos.

Luc. 18. 8. De renocatione fidei item dicit, *Veniens filius hominis putas inueniet fidem super terram.* Et Propheta, non est fides in terra. In dies inquirunt Iudæi & annos, prophetat iste, & deridendo dicebant, Esa. 28. 10. 13. *Manda remanda, expecta reexpecta.* Item Ioan. 1. 17. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, qui dixit, Ioan. 14. 1. *Creditis in Deum & in me credite*, iam ergo fidem abeuntem & animam exhalantem reuocauit. De recreatione animi Propheta ait, Eccl. 36. 17. *Suscita prædicationes quas locuti sunt in nomine suo Prophetæ priores, da mercedem sustinentibus te vt Prophetæ tui fideles inueniantur.* Item, Gen. 5. 29. *Iste consolabitur nos ab operibus nostris.*

C

Iob 7. 15. De suspensione intentionis ait Iob, *Elegit suspendium anima mea*, & Ezechias Esa. 38. 14 *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso*, & Dauid, Ps. 122. 1. *Ad te leuaui oculos meos, &c.* Nec immeritò, quia Moyses ascendit in montem & Dominus descendit cum legem dare vellet; quantò igitur iustius ad verticem ascendendum, cum Deus in carne suscipiendus sit & à Virgine concipiendus? medio satis spatio & vltra Dominus descendit, cùm claustra puellaria intrauit; sed non plusquam decuit partes nostras inferiores attigit, quia vitilem commixtionem in sua conceptione non admisit. Intendat itaque & extendat se nostra intentio quovsque fides fines velaminis sui protendat vt credat. Non discutiat mysterium incarnationis simpliciter sentiens de incomprehensibili vnione Verbi & hominis simul, in verbo Angeli & fide Virginis & operatione Spiritus sancti facta, nec simul nec semel donec oculo ad oculum videatur exprimenda.

Esa. 31. 9. De succensione deuotionis ait Isaias, *Cuius ignis est in Sion & caminus in Ierusalem.* Latitabat ignis in Sion quamdiu conceptio Virginis detineretur in vtero. Sed

D

caminus apparuit in Ierusalem, cum stella Magos Ierosolyma adduceret, & Regem natum manifestaret: Succensa proinde deuotio est, quia populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & sol iustitiæ exortus est timentibus Deum.

De consolidatione Christianæ dignitatis restat dicere quomodo in Conceptione Virginis solidatum sit. Qui non credit IESVM de Spiritu sancto & Virgine Maria Conceptum & natum, non habebit fidei fundamentum, quod ita stat inexpugnabile & inconuulsum, quod potestatum aëriarum & mundanarum & infernalium vis tota coaceruata impugnando magis ac magis firmaret & stabiliret.

E

SERMO VI.

SVPER EADEM VERBA,

Ecce virgo concipiet, &c.

Ecce virgo concipiet, & pariet filium. O singulare, ô speciale Virginis priuilegium præ Angelis, præ omnibus Sanctis, præ omnibus Dei donis est, quod Virgo concipiet & pariet filium, non Angelis, non Archangelis, non virtutibus, non Potestatibus, non Principatibus, non Dominationibus, non Thronis, non Cherubim, non Seraphim, datum est hoc beneficium. Satis sit eis Deum adorare, Deum videre, Deum diligere, Deum cognoscere, Deo obedire; voluntatem Dei in omnibus adimplere & in nullo deficere; nec aliquid timere. Accipiunt siquidem beata munera, nec est in tanta societate cui insit plusquam accepit velle habere. Con- Esa. 7. 14

F

sertum & cogitatum omnium gratiarum cumulum Virgini nostræ reseruauit, vt haberet proprium fontem, cui nec Angelus nisi cum gratiarum actione communicaret, cui omnia sæcula summa veneratione, inclinato capite deferunt, nec simile quid vltra sperare præsumerent, sed exinde portionem sibi debitam cum gratiarum actione singulorum sæculorum generationes vendicarent. Superlunaris quoque regionis incolæ sua obsequia gratanter exhiberent, non admirantes ab æterno latuisse, quod tam silenter sapientia Dei de inscrutabilibus scriniis suis extraxerat vt Virginis vterum intraret, quem totus mundus nequaquam caperet. Mirum quidem quòd sic intrauit vt in ea habitaret, sed amplius plus stupendum quod sic intrauit vt illum Virgo conciperet.

Alius namque venientem ad se Deum dignè recipit, alius suscipit, alius excipit. Recipit hospitem, suscipit Dominum, excipit amicum: quis verò capit, imò quis concipit illum nisi Virgo, de qua dicitur, *Ecce Virgo concipiet, &c.* Dicitur de quodam cuius mori sunt pedes,

G

Esa. 7. 14 Ps. 102. 16. *quod spiritus pertransibit in illo & non subsistet.* Dicitur de Moyse, Exod. 33. *Cùm transiero posteriora mea videbis.* Dicit Iob, Iob 4. 13. 16. *In horrore visionis nocturnæ transiuit quidam cuius non agnoscebam vultum.* Multum est, multum est vel in transitu videre Deum, sed iucundius, sed vtilius capere Deum, retinere Deum, incompatabilius verò concipere in carne & de carne sua Deum. Facta enim est ista virginalis conceptio interueniente coagulo fidei & charitatis, incomprehensibiliter feruente gratia circa cultum legis & mandatorum Dei, fermentante etiam Spiritu sancto sata tria, id est, carnem & animam virginalem cum desuper data gratia, vnde panis formaretur, cum crusta humanitatis, & mica Diuinitatis, coquendus in furno crucis, & sumendus interim in mensa altaris, tandem in regno Dei; & hoc est quod ait, Esa. 7. 14 *Ecce Virgo concipiet, &c.*

Et quia Virgo non solum est ager plenus de quo dicitur, Gen. 27. 27. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*, ad procreandum panem, vt legitur in Psalmo, Ps. 103. 14. *Vt educas panem*, id est Christum, *de terra*, id est Virgine Maria: attendendum quia ipsa est vitis de qua exprimitur vinum liburninum, vt in Ecclesiastico legitur, Eccl. 24. 23. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* In dissimili rerum specie, ratione probabili assimilamus Conceptionem factam in Virgine, sicut enim terra profert germen suum, & Sicut hortus semen suum germinat, sic Virgo Deum, sic Deus in virgine concipitur & nascitur, solo vtique humore terræ & pinguedine gratiæ. Ad vitem nostram, id est Virginem nostram alligatum pullum, id est Filium suum Pater ostendit, & hanc vitem putauit cœlestis Agricola, cum purgauit illam ab omni tam originali quam actuali culpa. Paxillo alligauit, cùm Ioseph desponsauit; fœcundauit, cum per Angelum salutauit, frondes & folia protulit, cùm Angelo respondit, fiat mihi secundum verbum tuum. Quasi

H

lagunculam vino impleuit, iuxta Isaiam qui ait, *Decem* (Isa. 5. 10) *iugera facient lagunculam vnam:* quando decem mensibus carnem Christi Sacris fouit gremiis, & hominem atque Deum verum & perfectum in natiuitate mundo edidit. Decem namque iugera, tanquam decem sulcos in vitula Samsonis exarauit, quando Christum suum, qui est finis legis, quæ decem constat mandatis, ad incarnandum Mariæ Virgini destinauit. Vel decem iugera sunt humana & Angelica iustitia quæ plenaria fuit in Maria, nouem siquidem ordinibus distinguitur Angelica natura, decima verò creata est humana. Nihil autem in homine, nihil in Angelo collatum aut collocatum fuit iustitiæ, quod non desflueret pleno gurgite ad thronum gratiæ, vt in gratia quiesceret qui in tempore orbem suum sua gratia abundanter impleret; quam enim præmisit vel attulit gratiam concipiendus, hanc extulit saluâ possessione maternâ, natus plenissimè longè latéque eam erogaturus.

Afferamus itaque ad lagunculam plenam, cyathos siue scyphos nostros vt inebriemur ab vbertate domus Dei, & bibamus vinum quod Virgo viris germinauit, & quod æque germinat virgines. Non simus dediti vino in quo luxuria est, quod est de vita sellis, & est fel draconum, & venenum aspidum insanabile. IESVS Nazarenus quia Nazareus est, non bibit hoc vinum; & quia vocabitur Emmanuel, id est nobiscum Deus, non faciamus nisi quod videmus eum facientem, & non sint in nobis schismata. Conceptus certè est & natus de Maria quæ non est diuisa, quia virgo est, & vna virtute, virginitate, conceptione, prole, dignitate, protestatione, propitiatione, & saluatione. Dicamus ergo *Ecce virgo concipiet, &c.* (7. 14) & vocabitur nomen eius Emmanuel nobiscum in hac peregrinatione.

Non sufficio cogitare quo habitu, quo sermone & qua lingua ad illam nubem lucidam possim accedere, in qua IESVS non est transfiguratus sed incarnatus, nisi meritò & incarnationem illam appellauerim à transfiguratione, cùm ille (Phil. 2. 6.) *qui in forma Dei erat non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo.* Hæc veneranda est mirabilis transfiguratio quâ non aliud in se transfigurauit, sicut Apostolus in se Apollo & transfigurat quorundam infirmitates, sed se Deum in se hominem dispensatione ineffabili, non amissa sed reposita forma Dei & exposita forma serui transfigurauit, vel potiùs vniuit.

Mutato itaque imò mutuato Angelico habitu, si fieri posset vtcumque cogitare, loqui aut scribere de Dominâ meâ auderem; nam in istu siue proprio siue alieno, siue publico, siue priuato habitu quid dicam? cùm publicus sit dissolutus, priuatus restrictus, alienus suspectus, proprius despectus, publicus nescit sobrietatem, priuatus ignorat cordis dilatationem, alienus securitatem proprius timet abiectionem. In publico est filius Belial, liber iustitiæ, onager in solitudine: in priuato seruus Mammonæ, seruiens ventri & gulæ in alieno filiæ sanguisugæ qui dicunt affer: in proprio, positus sub lege qui dicit video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, suspensus itaque quid eligam ignoro.

Sed in dubiis tenenda est benignior interpretatio; semper igitur depressos & pauidos circumfero oculos, non sursum, versus faciem in qua sunt duo luminaria magna, vltra valentiam oculorum præclara: per quæ subradiabat horis incertis lux lucis & fons luminis, sola quæ gestabant vltra valentiam oculorum præclaram. Sed deorsum versus calceamenta filiæ Principis quæ accincta & calceata mundi gloriam calcabat, & Angelicam excellentiam eminebat: vbi ad radices Libani oritur fluuius Paradisi Christus, qui factus est nobis Dei virtus, & Dei sapientia; iustificatio & redemptio. Contrito itaque & humiliato spiritu mussitabo in gemitu meo ad ianuam Matris misericordiæ, si fortè ab ipsa accipiam quod dignè de ipsa dicam vel scribam; ratio enim hominis & ingenium succumbendo potius potest exprimere, quam dignum aliquid siue gratia, de plenâ gratiâ dicere.

Deuoluamus itaque Arcam sanctificationis salutis gloriæ suæ indumentis, vt quæ soli filio nata; super parcámus attingere, & quæ publicæ vtilitati sufficiunt venerando tentemus apperere. Est enim in ipsa, & quod sine damno expandat in via; & quod cum gaudio seruet in patriâ, vnde hic fouetur deuotio, & ibi perfruatur visio. De conceptu igitur eius & partu, assidua fiat commemoratio, quia æterni regni hæc est potior prælibatio; & est dulce super mel & fauum in ore & corde habere Mariam & IESVM.

Ecce nouus, ecce recens, ecce adhuc in ipsa pendens arbore, tam benè sapidus, quàm plenè iucundus fructus. Neque enim tempore fit melior, quia omni tempore, non ætate sed creatione est senior. Verbum non maturandam naturam humanam assumpsit, quoniam assumendo consummatè maturauit. Nec crudum aut semicoctum quidquam in ea reliquit. Non enim virtus in homine creuit: quem creando perfectè impleuit. Etsi ætate & gratiâ proficere puer IESVS apud Dominum & homines dicitur: nullum tamen in meritis per tempora augmentum creditur habuisse, quod non habuerit ab ipsa conceptione: de qua dicitur, *Ecce virgo &c.* (Esa. 7. 14.) Creuit autem ætate dies reuerà multiplicando: & gratiâ, non virtutes ampliando, sed diuulgando apud Dominum & homines: sed hoc totum propter homines. Nam apud Deum tantus, & talis fuit in ipsa conceptione; qualis & quantus fuit in sequentis temporis euidentissima manifestatione. Sed præmittit signum quod est & res & signum. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis* (Esa. 7. 14.) *signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Signum aliud est quod datum est de IESV; & aliud quod factum est à IESV: vtrumque tamen ab eodem Deo, qui fuit ante hominem IESVM, & est homo Deus. Cum enim sine ipso factum sit nihil, nec ipse IESVS qui factus est ex muliere, factus sub lege; sine ipso fieri, vel significari potuit. De illis verò signis quæ fecit IESVS, dicit Nicodemus: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus* (Ioan. 3. 2.) *cum eo.* Hoc enim fuerat singulare, & super quam credi possit admirabile est, Deum fieri hominem meritò signa, hoc signum præuenire debuerunt; nec enim subitò sed paulatim tam profundæ cogitationis Dei factura mentibus humanis infundi potuit, nec vsque ad altissima Dei magnalia; subuolaret; nisi plumis & pennis suffulta anima.

Suaserat quoque Propheta Regi Achaz, vt peteret signum in profundum inferni . . . . . aliud . . . vtique descensioni & ascensioni Domini, quibus incarnationis dominicæ completur dispensatio. Recusante autem hoc indigno & reprobo, Isaias subjecit dicens: *Propter hoc* (Esa. 7.) *ipse*, quia peccata tua, ô Achaz, non merentur præscire mysterium incarnationis: *Propter hoc dabit* (ô fideles populi!) *signum.* Moyses non respuit signum; nec Gedeon; nec Manue; nec alij plures; quorum fides, licet paruula esset, sicut in canticis dicitur: *Soror nostra paruula, & vbera non habet.* Tamen integra stirpis nobilitate, & legitima vnius Domini propagatione, præsumebat manum ad fortia mittere obedientiæ. Spicula rationis amputat fides, omnium adinuentionem phantasmata elidit, vsum consuetudinarium recludit, impossibilium naturam excludit; & velle atque posse Domini omnia subjicit. Accipit autem signum, non pro sua debilitate, sed pro iussione Dei. Sicut enim iuuenis, sanus & validus baculum in manu tenet, non quo sustentetur; sed quo delectetur: Sic fides ad obedientiam non ad diffidentiam, quomodo fiant quæ . . . . . contra omnium opinionem mandantur, quærit. (forte contra communem.) Vnde est illud: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* (Luc. 1. 34.)

Hoc signum petit in persona Christi, Dauid: *Fac*, (Ps. 85. 17.) inquit, *mecum signum in bonum: mecum*, inquit, *fac signum;* vt Maria mater mea, concipiat Virgo & pariat, quod signum est in bono, quia de Spiritu sancto, qui est donum Dei bonum. Signum quoque Moysi, quo stabant

aquæ

[A] [* s. magnum.] aquæ maris rubri, hinc & inde quasi * pro muro significatur Virginis conceptio, in qua nulla est pudoris violatio, sed tollitur tam à corde, quàm à carne, cuncta fomitis prurigo. Gedeon denique postulat vellus madefieri siccâ areâ, sicut impraegnata de Spiritu sancto, sine tactu pudoris Virgo Maria. Quid plura? Supra sydera, supra cœlum, supra omnem creaturam hoc lignum præcelsiùs & gloriosiùs præeminet, quod Virgo concepit, quod virgo peperit. [Esaiæ 7.] *Ecce Virgo.* Quod ait, *Ecce.* Videtur mihi oculo & digito Propheta in horologio æternæ dispositionis affixisse, & præuidisse, atque præmonstrasse vnde Angelus miraretur, homo redimeretur, Dominus conciperetur. Ecce auertite oculos ne videant vanitatem, & aduertite quod factum à Domino, quod est mirabile in oculis nostris, in eadem virginitatem & fœcunditatem. Ecce palatium mirificis impensis constructum; sed & gazis incomparabilibus locupletatum; solique Deo Dei filio locupletatum. Ecca Virgo, ecce vitis, ecce uva, non acerba, [B] sed matura.

Eua fuit uva acerba; Maria fuit uva matura. Nec mirum, illa enim initio sæculi compatiens gulæ, immatura consideratione prosiluit ad pomum acerbum prohibitione; & dentes filiorum necdum natorum obstupescere fecit in omni generatione. Hæc autem in fine seculorum modestissima, rore & sole cœlesti maturata, [* s. praeceps] * nec propria fuit præsumptione, nec tarda quasi putrida incredulitate; Angelus attulit ei florem dicens: [Luc. 1. 28.] *Aue Maria.* Attulit rorem dicens: *Gratia plena.* Attulit fructum dicens: *Dominus tecum.* Attulit maturitatem dicens: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Idcirco more Christiano benedicimus fructus nouos antequam gustemus, ne fortè dentes obstupescant antiqua maledictione: si cadant sine benedictione. Ecce Virgo; ore, oculis, labiis, digito, pede, manu, corde, mente, carne. Ecce Virgo, quasi aurora inter noctem & diem, inter Dominum & hominem. [Cant 5. 9.] *Pulchra vt luna* dierum, id est virtutum plenitudine. *Electa vt sol*, gratiâ, meritorum singularitare *Terribilis vt castrorum acies*, super omnes potestates Angelicas & aëreas, plena donatione. [C] Ecce Virgo sapiens, quæ habet oleum effusum in ventre suo cum lampade mirabilium operum; quæ introïuit cum sponso; immo, inquam, introiuit sponsus, & filius eius Iesvs; tanquam ..... à cœli palatio, potiùs horto venustiore, vel Paradiso delicatiore. Ecce Virgo: pia ad infirmos; sancta ad iustos; herba fullonum ad immundos; sal ad putridos; scala ad claudos; reconciliatrix ad reos; misericordia ad miseros; portus ad naufragos: turris ad pauidos; domina ad suos; singularis bonitas ad cunctos. Ecce Virgo orientalis porta, per quam solus Princeps ingreditur. Ecce Virgo, cella aromatum, cuius verba fragrantia super omnia aromata: quia in nulla Virgine Spiritus sanctus tanta immisit spiracula virtutum, quibus odoratus Dominus odorem suauitatis, & Angelica implentur thuribula, nostraque incensoria.

[D] [Matth. 1. 18.]

SERMO IN VIGILIA NATIVItatis Domini super Euangelium; *Cùm esset desponsata Mater eius MARIA Ioseph.*

[Cant. 2.] FVlcite me floribus, stipate me malis. Vox ista dulcis, illius est quæ habitat in hortis, singulari & diuino partui propinquantis; cœlicolas & terrigenas simul appellantis ad partum suspiciendum & suscipiendum; ad gratiam suam excipiendam & conseruandam; ad gloriam Domini, & suam contemplandam & admirandam. Planè hoc sacramentum magnæ pietatis amabile est propter gratiam: admirabile propter gloriam: ineffabile propter splendorem & lucem inaccessibilem: splendor enim in circuitu eius, & intrinsecus, à lumbis & sursum, de quo in præsenti Euangelij lectione:

[E] *Cum esset desponsata mater eius MARIA Ioseph.*

[Malach. 1. 15.] Quid amabilius in vniuersis creaturis, Virgine Dominum singulariter amante, & à Domino præamata, de qua dicit Salomon; [Prou. 5. 19.] *Ceruа charissima?* Quid etiam amabilius illo Dei filio dilecto, ab æterno nato ex dilecto? in fine sæculi, secundùm Apostolum facto ex dilecta; de qua subinfertur: [Prou. 5. 19.] *& gratissimus hinnulus?* Quid denique admirabilius quàm incomprehensibilem incomprehensibiliter sigillari in vtero, nec separari vel subtrahi à cohabitatione, confessione, & coæqualitate Patris? Simul namque totus erat in Matre, & totus apud Patrem; quod quamuis dictu sit difficile, omnino tamen corde est credibile. Quid ineffabilius quàm verbum fieri carnem: quàm hominem fieri Deum, & Deum hominem?

Ecce artifex Trinitas in vno opere suo, totum hoc, id est, Verbum & hominem simul constauit. Vbi omnipotentia Patris, quod impossibile apud homines erat, & ideo ineffabile, in officina virginali vas nouum de [F] noua materia, nouaque cælatura secundùm omnipotentiam suam exsculpsit. Sapientia Dei, quod Patrem vidit facientem, hæc eadem similiter fecit; vt si dici liceret, studiosiùs & affectuosiùs quàm de se & * per se [* vel pro.] vires ingenij sui in hoc eodem opere expendit. Spiritus sanctus tanquam ignis superueniens in fornace, diuinitatem simul & humanitatem quasi colliquefaciens, non solùm studia sua huic operi adhibuit: sed seipsum vario opere omnium gratiarum fundens nec confundens, in eodem vase contexuit: vnde dictum est: [Ioan. 1. 14.] *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, plenum gratia & veritatis.* Ecce amabile ad ipsum tendamus. Ecce admirabile ad ipsum extendamus. Ecce ineffabile ad ipsum supra nos rapiamur: ibi flores ibi mala ex ipso meditando; in ipso quærendo, de ipso amando; & per ipsum contemplando excerpamus, quæ filio, quæ matri patienti in præsepio afferamus, offeramus, & conferamus. Afferamus, ipsum meditando: conferamus, ipsum cum matre laudando: offeramus, super matrem Dominum hominem adorando.

Vt verò possibilia non de impossibili, vobis, fratres charissimi, suggeramus, [G] flores quos Dominæ nostræ afferatis succinctè depingemus; sufficit enim flores offeratis illi, per quam refloruit caro nostra, nouitate virginei partus, quæ deflorverat per Adam, vetustate originalis reatus. Nihil certè de furfurea præuaricatione, in assumptione nostræ naturæ, Christo adhæsit; qui non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati, de primitiis humanæ naturæ, qualis in primo parente creata est, de Matre in vnione Verbi accepit. Nec asserimus aliquam particulam substantiæ humanæ immunem à peccato in Adam remansisse, & vsque ad Virginem occultis meatibus decucurrisse; cùm vera & Catholica fides teneat modicum fermentum primæ transgressionis, totam massam naturæ nostræ in anima & corpore corrupisse.

Attinuit etiam plurimum ad causam nostræ reparationis, vt omnipotens gratia, tanto gloriosior in operatione sua appareret; quantò de vetusto, annoso, & [H] putrido trunco, mirabiliori virtute, & faciliori opere florem immarcessibilem, carnem scilicet Iesv sacratricem Angelorum, & viuificatricem hominum, sine peccato de Virgine procrearet. Ipse enim Christvs de humanitate sua dicit: [Cant. 2. 1.] *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Purificemus, itaque, & renouemus corpora nostra, vt in aliquo gradu castitatis ei appropinquare valeamus.

Est itaque primus gradus castitatis (vt ab * inferioribus [* vel infirmioribus.] consurgamus) castitas fœnalis, quæ naturaliter inest pueris vel decrepitis, vel naturali complexione frigidis: quæ ideo fœnalis dicitur, quia non multum, quantum ex homine est, meritum facit. Quod enim sine labore acquiritur, sine pugna obtinetur. Bonum tamen est, quocumque modo, quacumque occasione fiat, non corrumpi.

Secunda est temporalis, quæ comparatur semini,

A Luc. 8. 6. *quod cecidit super petram ; & natum aruit, quia non habebat humorem* Sic quorumdam castitas, non mittit radicem deorsum, vt faciat fructum sursum, Luc. 8. 14. *Sed ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit* : menstruam vel annuam retinens incorruptionem.

Tertia pœnalis est : hic labor, hic opus, hic Iacob & Esaü in vtero Rebeccæ luctantur : sed dicitur quia maior seruiet minori, id est, caro spiritui ; virtuti vitium ; Rom. 7. 23. luxuria castitati. De hac Apostolus : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* Item: 2 Tim. 2. 5. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.*

Apocal. 2. 7. Quarta triumphalis ; de hac in Apocalypsi : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Et Isaias : *Hæc dicit Dominus* Esaiæ 56. 5. *eunuchis qui se castrauerunt propter regna cælorum : dabo eis locum in muris meis, & nomen melius à filiis & filiabus.* Hæc est reuertentium de bello ad portam : qui sub vite & ficu, id est, dulcedine gratiæ spiritalis complent annos virtutum, in senectute dierum ; & habent pacem cordis & carnis, quam nec caro nec mundus dare potest.

B Matth. 5. 8. Quinta est virginalis. De hac in Euangelio : *Beati mundo corde ; quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæc est Ioannis Cant. 1. 11. Euangelistæ. De ista dicitur : *Cum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suauitatis* Virgineo enim pectori illabitur vnicornis ille ; qui singulariter, & specialiter diligit castitatem ; qui loquitur in Canticis: Cant. 5. 2. *Aperi mihi sponsa mea, columba mea, &c.*

Sexta cristallina ; hæc adeo valida est & fortis, sicut mors ; vt magis eligat mori quàm ab integritate virginitatis violari. Et sicut in cristallo aquæ liquiditas in soliditatem lapidis versa est : sic ista indissolubilis carni & Ps. 147. 17. animæ inuiscerata est. De hac Psalmista : *Mittit cristallum suam sicut buccellas.* Hæc enim sorbitiunculas Puero IESV & Matri eius facit, quandoque & buccellas.

Septima est singularis : huic enim nec prima similis visa est, nec sequens. Propriè enim propria est Beatæ Virginis ; quæ non solùm virginitas, sed fœcunda virginitas, quæ virum non cognouit, & Deum hominem C Can. 2. 16. peperit. Hæc in Canticis loquitur : *Dilectus meus mihi, & ego illi* : inter vbera mea commorabitur. In huius contemplatione cor nostrum dilatatur exultatione ; sed pene rumpitur ineffabili admiratione & iubilatione. Isti Cant. 2. 5. sunt flores de quibus dicitur ; *Fulcite me floribus* : de *malis* enim & de *amore langueo*, fortè alias dicturi sumus, quia hîc causa vitandi tædij, reticemus.

Summopere autem vestram dilectionem admonere curamus ; ne manu fœdata in aliquo, sed benè lota, flores istos contingatis : est enim multiplex genus contaminationis, quo si contacti fuerint flores, statim marcescunt & euanescunt ; nulla enim societas luci & tenebris ; puritati, & immunditiæ. Non ergo puluis, non putredo, non scabies, non sudor, non sanguis, non venenum in manu tua sit. Puluis enim cogitationes significat, quæ tanquam muscæ circumuolant, iuxta animi puritatem, vt sacrificium Abrahæ commaculent, sed volucres abigebat Abraham : sic nos circumcidere à corde, & soluere ab effectu debemus omnem superfluam D cogitationem Putredinem quoque extergere debemus quam mala & longa mansione malitia in nobis operata est : sicut enim in pomo nascitur putredo de eius corruptione, sic in nobis nascitur pollutio de mala cogitatione, hæc in confessione lauanda est. Scabies in manu nascitur, dum delectatio & consensus cogitationem sequitur. Sed ne flos boni operis tui, & castitatis tuæ hac peste contaminetur, confricanda est in confessione, & abluenda compunctione scabies immundæ pollutionis.

His omnibus vitiis correptione melioratis, adhuc cauendus est sudor, qui solet prodire de intercutaneo humore superfluo, & calore immoderato : in hoc notatur illud pollutionis genus, quod notat Apostolus vbi 1 Cor. 7. 9. dicit : *Melius est nubere quam vri.* Et Isaias vocat duas Esaiæ 7. 4. caudas titionum fumigantium, vbi ait : *Noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum.* Significatur enim in duabus caudis, in vtroque sexu membra illa E pudenda quorum execrabili fœtore, omnia in nobis corrumpuntur genera virtutum. Tolle & istum sudorem de manu tua, si vis in domo domini florere sicut oliua fructifera.

Restant adhuc duo genera, Chananeorum & Amorreorum, quos subneruare in terra promissionis debet verus Israëlita ; quorum alter sanguineus à sanguine dicitur. Alter venenum aspidum nuncupatur. Est autem ille sanguineus, illa pollutio de qua ait Apostolus : *Qui* 1. Cor. 6. 18. *autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Et propriè adulterium vel incestus nominatur. Quicumque de genere Sacerdotum, bis infectus sancta Domini contrectat, audiat à voce cardinum : *Non est mihi voluntas in vobis ;* Esaiæ 1. 15. *(quia manus vestræ sanguine plenæ sunt) Incensum abominatio est mihi, &c.* De vltimo dicitur ; quia passio est ignominiæ, & negat Apostolus, *Nec nominetur in vobis.* Ephes. 5. 3. Quia vt idem ipse ait ; *Neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* His denique omnibus tamquam serpentis antiqui exuuiis spoliati, in- F nocentes lauemus manus nostras : & corde puro ; cor- 1. Tim. 10. pore casto ; ore sancto ; spiritu sanctificato ; anima castificata, nouos flores, nouæ natiuitati noui Regis, de paradiso domini comparemus ; & sanctam sanctarum, Virginem Virginum, reginam reginarum, dominam dominarum his floribus fulciamus ; quatenus partem in partu eius habere mereamur. Quod nobis parare dignetur IESVS CHRISTVS Filius eius : qui viuit & regnat, &c.

SERMO I.

In Natiuitate Domini.

D*Vm medium noctis silentium iter haberet : omnipotens sermo à regalibus sedibus venit.* Sapient. 18. 15. Intendite, fratres charissimi, quid sit iter silentij, & quid sit medium silentium noctis, medium autem quod non dicatur nisi inter duo vel aliqua planum est ; ad minus itaque tria G silentia requirere debemus quia medium audiuimus.

Primum igitur silentium in vtero matris habuimus, cùm loqui nondum poteramus ; secundum cùm iam nati sonos quidem efferre, nondum autem potuimus verba formare, tertium cùm mortui vel in morte positi vltra loqui cessamus. Sic mundus vel antequam esset, vel cùm adhuc informis esset, sine voce fuit, ecce primum silentium ; completa verò creatura & homine perfecto in paradisi fœlicitate, vocem laudationis protulit, vnde in Iob *Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent filij Dei* Iob 38. 7. videlicet in principio creationis, cùm vtique obediens æternæ dispositioni vniuersa creatura cursu naturali procederet, & extra ordinem nihil faceret. Deinde venit medium silentium cùm vel Lucifer in cœlo, vel Adam in paradiso peccauit : hoc iter suum habuit donec Verbum carnem assumpsit, & suis radiis noctem, & suis vocibus silentium interrupit. Mouit enim quæstionem, litem contestatua est super statu in- H genuitatis nostræ, & præscriptionem antiquæ possessionis interrupit. Venturum denique est aliud silentium in tempore Antichristi vel in die iudicij, quod tertium & extremum erit, quia ergo inter primum peccatum & extremum supplicium Christus venit, *Cum medium* Sap. 18. 15. *silentium iter haberet, sermo à regalibus sedibus venit.* Noluit profectò ante peccatum venire, quòd necesse non fuit ad sanum descendere medicum.

Vsque ad iudicium quoque recusauit differre, quòd misericordiam ante sententiam clementer accelerauit prorogare ; in medio itaque venit vt & peccatum emendaret & iudicium mitigaret ; in medio venit quatenus neque iniustus fieret sine satisfactione remittendo peccatum, neque crudelis exercendo sine temperamento pietatis iudicium. In medio venit apponendo vinum & oleum, vinum propter peccatum, oleum propter iudicium, ne iudicium sine oleo, id est, sententia sine mi-

A ſericordia condemnaret, ne peccatum ſine vino, id eſt pœnitentia impunitum remaneret.

Medium etiam ſilentium eſt in conuerſatione adhuc viuentis, primum in origine naſcentis, & tertium & extremum in morte occumbentis: in medio venit qui medio terræ ſalutem noſtram operatus eſt: in medio venit, qui in medio duorum animalium in præſepio iacuie: in medio venit qui inter duos latrones medius in in cruce pependit: in medio venit qui in medio Eccleſiæ & Synagogæ pene in omni malo fuit: in medio venit qui *in medio Eccleſia aperuit os ſuum, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientia & intellectus.* (Eccli. 15. 5.) Hic eſt fructus in medio paradiſi; hic eſt dilectus inter vbera ſponſæ; hic eſt angulus: hic lapis angularis: *hic Mediator Dei & hominum homo Christus IESVS*; (1. Tim. 2. 5.) hic primum amputat ſilentium, ſecundum interrumpit, tertium vincit; liberat enim non ſolùm à peccato, ſed & à pœna peccati, & à reatu peccati. B A peccato liberat quod non imputat, à reatu quod ſaluat, à pœna quod eripit, *Eripuit* (inquit Pſalmiſta) *Dominus animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos à lapſu.* (Pſal. 114. 8.) *A morte*, id eſt à peccato, *a lachrymis*, id eſt à pœna peccati, *à lapſu*, id eſt à reatu nos liberat omnipotens ſermo qui à regalibus ſedibus venit.

Cogitate, fratres charissimi, cogitate quæ ſint illæ ſedes regales, non ſedent in his niſi Reges, niſi Nobiles, niſi Conſules. Seruus peccati non conſcendit tribunalia iſta, anima cui ſpiritus fornicationis inſidet, quam incuruat ſpiritus auaritiæ, quam impingit ſpiritus iracundiæ, quam infrænat ſpiritus cænodoxiæ, quam fœdat ſpiritus luxuriæ, quam extollit ſpiritus ſuperbiæ, quam depaſcit ſpiritus gulæ ſedes regales non habebit. Sedebit autem ſuper ſedes regales in iudico qui carnem ſuam domat, qui auaritiam calcat, qui luxuriam amputat, qui ceruicem ſuam humiliat, qui vanam gloriam contemnit, qui iracundiam reprimit, qui poſt Chriſtum ambularis crucem ſuam accipit. Tales non recuſant ſedes regales, talibus enim debentur.

C Sapiens architectus ſedes quidem iamdudum collocauerat in cœlo, ſed & ſeſſores parauit cùm crearet Angelos: lapſi quidem ſunt nonnulli in abuſione & ſuperbia cordis, & ſic ex parte ſine ſeſſore factæ ſunt regales ſedes; quia qui in veritate non ſtetit, remanere in cœleſti ſede non potuit. Vt itaque pararet idoneos ſeſſores à ſuis regalibus ſedibus ad noſtra ſterquilina deſcendit pius Dominus: venit quærere in terra pauperes quos in cœlo faceret diuites: venit ad exules vt faceret conſules, venit ad ægrotos vt ſanaret, venit ad cœcos vt illuminaret; venit ad mutos vt loquelam redderet: venit ad immundos vt mundaret: venit ad impios vt conuerteret: venit ad eiectos vt reduceret, venit ad deſperatos vt ſpem repoſeret: venit ad miſeros vt beatos efficeret, venit ad mœſtos vt lætificaret.

D Quid facitis ô homines? quid ſtatis tota die otioſi? quare non curritis? quare retardatis? quare diſſimulatis? Egrediatur iam ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo, quia Sponſus Eccleſiæ CHRISTVS egreſſus de cœlis venit ad hortum ſuum, ad areolam aromatis, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. Hortus eius Eccleſia, areola aromatis, Virgo MARIA, hic hortus concluſus eſt, quia ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſraël, id eſt Angelicæ Poteſtates ambiunt eum, die ac nocte ſtantes ſuper muros eius, ne fur ingrediatur ad extirpanda bona ſemina, ad euellendas plantationes nouellas oliuarum, id eſt animas ad miſericordiam Dei nouiter conuerſas. Ipſe quoque Dominus eſt ei murus incircuitu & antemurale, murus propter aſſumens Verbum, antemurale propter aſſumptum hominem. Eſt namque refugium, ſiue turris fortitudinis à facie inimici? vnus CHRISTVS in vtroque, id eſt in diuinitate & humanitate: habet hortus iſte areolas quidem multas & varias, quia Apoſtolos, quia Martyres, quia Confeſſores, quia Virgines in gremio fidei & edu-
cationis ſuæ tam per paſſionem in terra, quàm per glo
rificationem in cœlo continet, vna eſt enim Eccleſia
in membris iam cùm CHRISTO capite regnantibu
& in membris adhuc extra manſionem peregrinantibu

Præterea tam in ordine, quàm odore vnicam are
lam vnicè dilectam habet Virginem MARIAM, hæ
areola dicitur, non quia Ioſeph eam vel contactus vir
lis exarauerit, ſed quia ordinator charitatis Spiritu
plenitudine gratiarum eam conſeuerit: hæc areola d
citur, non quia ſpinas produxerit, id eſt productione
mali deſiderij; non quia tribulos, id eſt anxietat
cuiuſlibet malignitatis; non quia fœnum, id eſt ſæc
laris proſperitatis; non quia ſtipulam, id eſt defectu
ſancti propoſiti; non quia ſalices de torrente, id e
infœcunda ſtudia occupationum mundanarum; no
denique quia aliquid plebeij aut forenſis mercimoni
ſed quia flos campi, ſed quia lilium conuallium, ſ
quia uva paſſa, ſed quia aromaticæ ſpecies, ſed qu
fiſtula & cinamomum, ſed quia myrrha & caſſia; ſe
quia quod incomparabile ſit attendas ad pretium, m
rabile ſi ad viſum, inueſtigabile ſi ad myſterium, pa
pabile ſi ad vſum, dulce ſi ad guſtum, efficax ſi ad off
cium, ſunt emiſſiones eius.

Venite Fratres cariſſimi ad areolam iſtam in ſpe ſa
cta, in fide recta, in charitate perfecta, in caſtimon
integra, & emitte abſque argento & abſque vlla con
mutatione, ſi placet, vinum & lac, ſi placet mel
fauum, ſi placet mala punica, ſi placet myrrham pr
batiſſimam, perfecti amatores CHRISTI, & ia
abſorpti in concupiſcentiam ſapientiæ vinum, qua
modò geniti infantes, ſiue per regenerationem bapti
mi ſiue per renouationem ſanctæ conuerſationis, r
tionabiles ſine dolo lac in viſceribus & in faucib
multitudinis gratiæ recipite mel, in meditatione vet
ris & noui teſtamenti; fauum in perfectione amoris D
& ſpe æterni præmij; mala punica, in imitatione pa
ſionis CHRISTI, myrrham probatiſſimam. Rec
lite quàm ſit ſapiens Mater ſapientiæ, quàm ſimple
quàm pia, quàm ſtudioſa, quàm plena charitatis, quà
iucunda conuerſationis integritate, quàm patiens i
Filij paſſione, immarceſſibilis propter incorruptione
caſti corporis & fidelis animæ, delectabilis propter fl
ris amœnitatem, fertilis propter gratiæ plenitudinem
cultorem admittens propter humilitatem raptorem e
eludens propter cautiſſimam circumſpectionem.

Hæc Verbi generatione medium ſilentium de medi
tulit, de regalique ſtirpe exorta, de regalibus ſedib
Filium Altiſſimi caſtà conceptione nobis attulit. Pr
cedamus & procidamus ante hunc thronum gratiæ
adoremus ſcabellum pedum Domini, non ſolùm il
præ mulieribus gloriam ſoluentes, ſed etiam reueter
tiam pro omni etiam Angelica creatura exhibentes,
Domina oſtende ſeruo renato Filium natum, vt na
exorans clementiam renati deleas culpam.

SERMO II.

IN NATIVITATE DOMIN

Super hæc verba: *Ait Moyſes ſi non tu ipſe pr
cedas, ne educas nos de loco iſto; in quo enim ſc
re poterimus ego & populus tuus inueniſſe n
gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nob
cum, vt glorificemur in omnibus populis qui h
bitant ſuper terram. Dixit autem Dominus a
Moyſen; Et verbum iſtud faciam, &c.*

BEata mens tota ſecuritate Deum aggreditur & ta
quam ex æquo interpellans, ſuis beneplacitis ſur
mam inclinare Maieſtatem nequaquam impoſſibile a
bitratur; nihil enim non præſumit perfecta charitas
nec immeritò moderatur enim & appendit in ſtate
æquitatis ſe Deo, nec minorem, nec indigniorem, n

A inferiorem se illo qui est charitas reputat. Cùm ergo de mente diuina diffundo per Spiritum sanctum in animam humanam suauitas illa perfectè colliquescit, iure originario primarium repetens alueum, quia ad locum de quo exeunt flumina reuertuntur, audet nulli alij præter ipsam audenda, & quasi Deum ipsum adstringens rogat insperata, petit ardua, inaudita implorat. Hinc est quod Moyses ausu familiarissimo de corde puro & fide non ficta, testimonium ei perhibente eadem conscientia in Spiritu sancto, loquitur ad Deum. *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.*
od. 15. Nihil, inquit, sine te possumus, hostes equidem acerbissimos à tergo & ante habemus, nos ipsi parum docti & modesti sumus, iter inuium & inaquosum, desertum horridum & terrum, locus ad quem ire debemus ignotus, & quo-
od. 15. modo sine te ibimus? *Ne ergo educas nos, si tu non ipse præcedas.* Pertinuit quidem hæc oratio Moysi ad rem quæ tunc gerebatur cùm Israël de Ægypto educeretur, sed conuenientissimè etiam huic præclaræ solemnitati quæ de natiuitate Saluatoris agitur, alludere videtur.

B Est igitur vox totius humani generis in ore Prophetarum, & eorum iustorum qui aduentum Christi præcesserunt. *Si non tu ipse* (inquiunt) *Domine præcedas nos, ne educas nos de loco isto.* Planè locus in quo positi modò expositi sumus, malignus est propter malitiam nostram & miseriam: carcer tenebrosus est propter diuinæ lucis absentiam, & verorum bonorum inopiam: vallis lacrymarum est propter laborum, spinarum & veprium abundantiam. Hinc ergo exire libet, sed ad meliora non deteriora: satius est enim tolerare iam nota & assueta, & vtcumque tolerabilia mala, quàm attentare pessimiora, & nullo releuamine finienda; indubitanter enim homo venundatus sub peccato, post hanc pœnam trahitur ad æternam, nisi subuenerit Redemptor, qui soluat pretium & educat captiuum.

Compeditus ergo nexibus mortalitatis & pœnalitatis, tormenta crucis & suspensionem patibuli gemens sibi præparata in exitu carceris, prouidè consolanti se Deo per oracula sua, & promittenti liberationem, ait,
C si tu non ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto. Non mihi sufficit Michaël qui præliaturus est cum dracone, & victurus eum in nouissimo tempore, quia non adeò cōfido de bonitate ipsius, aut de potestate sicut de tua, cuius & potestati nihil resistit & bonitate omnia implentur. Non credam causam meam Abrahæ cum trecentis vernaculis; non Iosue qui triginta tres Reges vicit; non Gedeon qui Philistiim in trecentis qui aquam lambuerant, in lampadibus & lagenis superauit; non Sansoni qui mandibulà asini mille viros prostrauit; non cuilibet de massa peccatrice, quia nullus in hoc articulo vel soli sibi patrocinari potuit. Tibi ergo soli credendum de itinere quia via es; de rectitudine semitæ quia veritas es; de reparatione laboris & inopiæ, quia vita es, de deffensione ab hostibus, quia omnipotens es; de refectione, quia panis Angelorum es; de consilio, qui sapiens es; de reconciliatione, quia pacificus es; de remedio infirmitatis, quia medicina es; de om-
D ni infortunio, quia beatitudo es. Præcede igitur tanquam sol, tanquam dominus, tanquam pastor, tanquam gallina pullos suos, tanquam aries ouiculas; tanquam columna lucis & nubis, exemplo eris sequentibus, solatio mœrentibus, recreationi deficientibus, increpationi malefacientibus, vehiculo lassescentibus exultationi pergentibus: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala quoniam tu mecum es; si consistant*
l. 4 *aduersum me castra non timebit cor meum.*

Quid Pharao cum Ægyptiis suis? quid mare rubrum, quid Iebuzæus, Pherezæus, Cananæus, Amorrhæus, Hetheus, Gergezæos, & Heuæus filij Enacim; quid solitudo vbi Deus; planè in obsequium redigitur quidquid contrarium minabatur; cui Dominus comes est in via, omnia prosperantur & in bonum conuertuntur. Sed exigit sibi tantæ maiestatis præsentia summæ venerationis cultum videlicet oculum simplicitate columbinum, castitate turturinum, linguam sacrâ doctrinâ eruditam, labia calculo igneo manu Angeli purgata, aures circumcisas ne audiant sanguinem, manus mundas à munere, puras ab omni pollutione, pedes rectos in prædicatio-

E ne, ablutos à sæculari vanitate, cor castum ab irruentium cogitationum & desideriorum phantasmate, standum in timore & tremore in conspectu Domini Sabaoth, ne irascatur, ne immittat iram & indignationem per Angelos malos, si iuxta illum discooperueris turpitudinem tuam, vt leo rugiet, arcum tendet, sagittas igneas vibrabit, & mucro eius desæuiet pertransiens animam vsque ad inferni nouissima. Verendum certè illic irreuerenter cum immunditia assistere, vbi nec ipsa sidera munda, vbi nec illi ministratorij Spiritus sine reuerentia accedunt, vbi etiam iustitiæ nostræ, velut pannus menstruatæ sordescunt.

Sed ecce descendit Dominus composita & quasi complicatâ illa Deitatis Maiestate intra lutum assumpti de Virgine corporis, quatenus ad nostræ fragilitatis & cohabitationis tuguria benignè se humilians mores no-
F stros cognosceret, & suos nobis manifestaret, vt paulatim impuros nostros calore suæ dilectionis excoqueret, & suos purissimè defæcatos nostris intorquendo imprimeret. Dare namque venit non accipere, nisi forte dicatur quod à nobis animam & corpus accepit, planè ita est corpus & animam à nobis, id est conforme, non tamen tanquam de nostro, sed tanquam de suo accepit. Ipse enim nouo artificio nouam creaturam de veteri compegit materia, vbi pluris æstimatur opificis, artificium, quàm præiacens materia originalis, nisi enim fieret caro de carne Virginis caro Dei, quid esset caro Virginis nisi caro hominis? at vbi obumbrante Spiritu sancto præcisus est ramunculus carnis de arbore humani generis, & insertus diuinæ naturæ, in nouam concreuit arborem Iustitiæ Iesv Christi conditione meliorata: nunquam enim deinceps fuit caro peccati, nec appellata est tantummodo caro hominis, sed etiam caro Dei. Hoc autem totum est ex gratia non ex natura, nec merito materiæ, sed artificio gratiæ atque diuinæ potentiæ.

In hac ergo carne assumpta, *si tu ipse non præcedas ne educas nos de loco isto, in quo enim scire poterimus ego &* Exod. 33.15.
G *populus tuus, &c. Et verbum,* inquit, *illud faciam:* gratias tibi Domine quia complesti quod promisisti: non fuit apud te est & non, sed est apud te est, sunt enim sine pœnitentia dona & vocatio Dei, semper ambules & perambules in medio, in corde nostro, semper præcedas nos vt expedias viam, & deducas atque perducas in æternam patriam in lumine vultus tui Christe Iesv, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum Amen.

SERMO III.

IN NATIVITATE DOMINI,

Super hæc verba *Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine, &c.*

H AD bonos mores nostros, contra quos nemo debet venire, pertinet vndelibet & quibuslibet nouiter aduenientibus aut obuiantibus deuotè & humiliter salutis obsequium exhibere, nobilis, ignobilis, seruus, dominus, vicinus, amicus, Clericus, Monachus, vir mulier, Christianus, Gentilis, Iudæus planè indifferēter vtuntur hoc iure. Itaque, Fratres Charissimi, sollicita sedulitate ad inuicē requiramus quâ salutatione honorandus sit tantus Dominus, tantus hospes, tantus Rex, tam necessarius medicus, tam charissimus amicus, tam germanus frater, tam desideratus Saluator & Redemptor, qui ad nos hodie venit, qui tugurium nostrum intrauit, qui semicinctiis nostris se se operuit, reuera hilarem vultum, iucundum eloquium, mundissimum hospitium, præstantissimum ei parare debemus obsequium; causâ enim nostri venit & nostram causam suam fecit, dignus ergo est salutatione qui venit

A saluare, sed qua? equidem noua & cœlesti non inferiore, non viliore quàm Mater sua ab Angelo salutari meruit, sic enim salutat eam Angelus: *Aue gratia plena, Dominus tecum*; deinde Salutata Domina nostra; & ipsa paulo post salutat Elisabeth cognatam suam: quare ergo & nos his nouis salutationibus ex parte nostra non interseramus tam dignam salutationem quæ locum congruum in his accipiat?

Luc. 1. 28.

Dicamus ergò *Gloria tibi Domine*, quia tu Filius Sapiens gloria es Patris, quia gloriam possides in regno tuo, non amittis in stercore nostro, quia tibi est consubstantialis gloria, vt nascendo de Patre ante omnia tempora, vt carnem assumendo de Virgine in fine temporum: tu enim nunquam Angelis tuis in cœlis inglorius apparuisti: tu rectis corde in terris etiam cùm esset vultus tuus absconditus, etiam cum appareres leprosus non habens speciem neque decorem; etiam clauis confixus inter duos latrones in crucis patibulo; etiam positus in sepulchro; semper & vbique gloriosus es, & B gloriose magnificatus. *Gloria tibi Domine*, fons gloriæ, sedes gratiæ, opera magnifica & à sæculis inaudita, tu operatus es in medio terræ.

Si Moyses legumlator de monte vmbroso & condenso, propter loquelam tuam, quam audiuit in nube, & faciem vidit in caligine, vbi tu habitas tantam gloriam descendens ad filios Israël reportauit; vt non possent intendere in faciem eius, propter gloriam vultus illius, quæ euacuatur: quanto magis facies tua; gloriosior sicut sol lucet in virtute sua resplenduit in natiuitate tua; qui es splendor gloriæ, & figura substantiæ Dei, qui es candor lucis æternæ; qui es candidus & rubicundus, electus ex millibus; qui es gloria quæ eleuatur super Cherubim; qui es imago gloriæ Dei, Rex sæculorum immortalis inuisibilis, cui honor & gloria in sæcula sæculorum; gloria, inquam, tibi de Patre, de Matre, de omni genere tuo & generatione, de nomine, de opere, de natiuitate, de vita & conuersatione, de verbo & C prædicatione, de cæcorum illuminatione, de auditus restitutione; de leprosorum emundatione, de mortuorum resuscitatione; de passione tua; de morte, de descensione ad inferos, de resurrectione, de eiusdem resurrectionis manifestatione, de ascensione, de confessione ad dexteram Dei Patris; de interpellatione pro nobis de extrema futuri iudicij bonorum & malorum discussione.

Gloria tibi quod iugum legis Mosayeæ, quod portare non potuerunt antiqui Patres nostri, quia manus Moysi graues erant, & chirurgica curatione circa ægrotos suos sanandos vtebantur, dum oculum pro oculo, dentem pro dente, liuorem pro liuore, talionem pro talione, absque vlla miseratione rependebant, à ceruicibus nostris deposuisti, & iugum tuum suaue supposuisti quo peccatores terræ non occideres, neque intolerabiliter curares, sed sicut plenus gratia & veritate, semper gratiam protogares, oleum promittens præcantares infirmia tuis; deinde veritatem, deinde vinum, deinde iu- D dicium temperatè subinferres.

Quid mirum si Moyses duriùs egit, tu mollius? quis enim ille, quis tu? quid ad nos ille aut nos illi? neque ille nos creauit, neque plasmauit, nihilominus neque redimere potuit; frater enim non redimit, sed quis? homo? vtique, sed homo Deus, homo qui Dicit in Psalmo,

Ps. 86. 5. *Mater Sion & homo natus est in ea & ipse fundauit eam Altissimus*. Homo, quem ille Euangelicus non habebat qui expectabat aquæ motum descendente Angelo in piscinam, & dicit *Hominem non habeo*.

Ioan 5. 7.

O puer Iasv tu es ille homo in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, ô homo Dei, imò homo Deus. Noe, Abraham & Moyses nescierunt nos, quia figmentum nostrum non ipsi plasmauerunt, neque scire potuerunt quid esset in homine, nisi quatenus homines in facie videbant, imo animarum medicinam talem conficere nequiuerunt quæ languores nostros omnes sanaret, sed de qua languor magis ingrauesceret. Nam siue lex siue circumcisio neminem ad perfectum adduxit; tu verò solus nosti corda hominum qui sigillatim finxisti corda eorum. Tu plenè intelligis quàm sint fragilia corpora nostra, quàm limosa, quam lutea, quàm fluxa, quam impatientissima, quæ mane florent & transeunt, vespere decidunt, indurant & arescunt. Adhibuisti ergo congrua medicamenta naturæ nostræ contritæ & conquassatæ tanquam bonus, tanquam pius, medicus. Vtique de Spiritu sancto conceptus, de Virgine plena gratia natus, filius hominis filius Dei non in igne, non in commotione, non in vstione, non in secatione sed in aqua regenerationis, sed in oleo chrismatis, sed in confessione cordis & oris constituisti sacramenta nostræ reparationis. E

Quid facilius ad remissionem peccatorum, quàm quod remissa sunt peccata per lacrymas mulieri, quæ in ciuitate erat peccatrix, & omni transeunti deuaricauerat pedes suos, & habebat septem dæmonia. Item alij deprehensæ in adulterio dicitur, *Vade & amplius iam noli peccare*. Nusquam in Euanglio aliquid crudelitatis de Iasv inuenies, cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit, paruulos, peccatores & meretrices suscipit. Scribis, Pharisæis, superbis hypocritis de sua iustitia præsumentibus resistit dicens: *Misericordiam volo & non sacrificium*. Quid vltra de bonitate & pietate Pueri nobis nati dicere possumus, nisi quod etiam mortem suam ignoscit suis crucifixoribus. *Gloria tibi Domine qui natus es*, &c.

Ioan. 8. 11. F

Matth. 8. 10.

SERMO IV.

IN HÆC VERBA FILIVS hominis non habet vbi caput reclinet.

Matth. 8. 20.

OPulentissimus quondam & diues inter omnes Orientales Dominus, cuius orbis est & plenitudo eius, non casu fatali vrgente, sed ipso agente & infinitos thesauros, gazasque innumerabiles misericorditer proponente; ad paupertatis extremas deuenit reliquias, ita vt de se dicat *Filius hominis non habet vbi caput reclinet*, quare? fortè quia nihil voluit habere de anathemate Ierico, forte quia non venit pecuniam accipere, sed dare animam suam redemptionem pro multis: *In propria enim venit & sui eum non receperunt*. O sui non sui, sui creatione, non sui electione; sui seruili timore, non sui filiali subjectione; sui radice Patriarcharum, non sui participatione pinguedinis oliuæ; sui legislatione, non sui adoptione gratiæ; sui specie non re, sui habitu, non spiritu, sui verbo & lingua, non opere & veritate, sui inquam non receperunt eum animo, corde, voluntare, veneratione, exhibitione. G

Ioan 1. 11.

Quæris causam, quia non est Propheta sine honore nisi in patria sua. Estne hoc propter auaritiam, an propter inopiam, an propter odium, an propter negligentiam, an propter eius insolentiam? sed quæ agni insolentia, qui *coram tondente se obmutescit & non aperuit os suum*? quæ insolentia eius qui venit non ministrari sed ministrare? quæ insolentia eius *qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste*? Si verò negligentia eorum nimis crassa & supina negligentia est: negligere Dominum negligere Redemptorem & liberatorem suum, negligere incurabilem morbum. Si autem odium, vnde putas charitas odiosa, vnde iustitia reprobanda, vnde pietas execranda, vnde salus respuenda? Si denique propter inopiam; quis adeò inops vt non habeat saltem misertimum tuguriolum: saltem calicem aquæ frigidæ; saltem sinum, saltem gremium? Si ad extremum propter auaritiam, fœnerare nesciebas? Ad vsuram centesimam dare pecuniam tuam quare illi recusabas, à quo etiam cœlum lucrari poteras? Voluit certè sic reprobati lapis angularis, vt vineam suam aliis agricolis locaret: & daretur regnum Dei genti facienti fructus eius. H

Esa. 53. 7

1. Petr. 2. 23.

A *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate: ſemini nequam* ſa.1.4. *filiis ſceleratis. Proiecistis eum tanquam leproſum, tanquam* ſa 53. 5. *percuſſum à Deo, & vulneratum. Ipſe autem dolores no-* om 8. 7. *ſtros tulit*: & hoſpitium ſuum benedictionibus cumulauit, vt hoſpites eius efficiantur filij Dei; *hæredes quidem* ph.2. 9. *Dei, cohæredes autem Christi. Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.*

Vacuandum itaque eſt, Fratres chariſſimi, hoſpitium Chriſti, fide & voluntaria paupertate: mondandum confeſſione; dilatandum charitate; ornandum religione; bonis odoribus aſpergendum: & ne quis alienus vel prophanus accedat, intenta circumſpectione muniendum. Cura & ſollicitudo ſecularis concupiſcentia carnis, ſuperbia cum omni familia ſua ſecedant, & locum Chriſto in corde faciant. Deinde gula, luxuria, auaritia, ira, diſcordia, & tota infernalis familia fugam arripiant; vt egrediatur diabolus ante pedes eius, cum filiis & filiabus ſuis, Gergeſeo, Hetheo, Amorræo, Phere-
B ſæo, Euæo, Iebuſæo, & Philiſtæo: malè enim occupant terram. Qui verò Domino penſum non ſoluunt, nec ab ipſo poſſeſſionem recognoſcunt, nec colunt eam ad fructum ſed parant ad incendium. Verus & legitimus Dominus, exploſa gente non ſancta, ingrediatur: hanc hereditatem ſuam recipiat, & recognoſcat imaginem ſuam: quatenus anima noſtra reuertatur ad antiquitatem ſuam, quando nondum peccauerat Adam. *Cogitaui* (in-
ſ.76. 6. quit Propheta) *dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Perflat namque Chriſtus habitans in corde, hortum ſuum; vt fluant talia aromata, id eſt, cœleſtium & æternorum deſideria: vacuatum quidem cor ab ira, ab odio ab inimicitia, à gratia ſeculari, ab omni quod virtutum germen ſuffocat, etſi nondum caput, pedes tamen Iesv iam adorat.

Sed quale caput? caput filij hominis, quod non habet vbi recliner. Audi ſponſam, quæ fortè comas capitis huius aliquando diſcriminauerat, & fonte lacrymarum irrorauerat; audi quid dicat: *Caput*, inquit, *eius aurum*
C *optimum.* Dic & tu amice ſponſi, Ioannes Euangeliſta,
ant.5. 11. quale ſit caput filij hominis. *Caput* (inquit) *eius & ca-*
poc. 1. 14. *pilli tanquam lana alba, & tanquam nix.* Dic planiùs: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.*
oan.1. Et Paulus: *Caput Christi Deus.* Hoc caput apud patrem
or 11. habet reclinatorium aureum; quia eſt in ſinu eius, quia Filius in Patre, vt ipſe ait: *Ego in Patre, & Pater in me*
oan 10. 38. *eſt.* Parua ſunt hoc caput, & hoc ceruicale ſiue capitale. Nihil æquabilius, alterna requie horum nihil delectabilius. Pater complacet ſibi in Filio; & Filius in Patre. Mutua ſe ſe, & ineffabili dilectione, modo indicibili fouent, & ſibi cohærent. Hæc eadem retenta indiſſolubili vnitate, abſque coæternitatis diſpendio, temporali diſpenſatione, in gremio Virginis humanitatis capitale, alio aſtrinxit vinculo. Vt ſicut vera vnitate cum Deo Patre, vnus Deus: ſic vera vnione Verbi, animæ & carnis, eſſet vnus homo Deus; & Deus homo.

Tria itaque habet Chriſtus reclinatoria: Deum Pa-
D trem: Virginem matrem: aſſumptum hominem. In matre namque totum caput reclinauit; quia obumbrante Spiritu ſancto, in ea accumbens & requieſcens, quaſi longos ſomnos fecit, dum moras humani corporis per membra diſponendi ſeu componendi, profunda ſecreti ſui ratione patienter expectauit. Interim cùm eſſet in accubitu ſuo, nullas ei moleſtias Virgo integerrima excitauit. Cœleſte ſilentium per omnes motus animi & corporis continuit, intrinſecus rapta, audiebat arcana quæ non licet homini loqui. Soporem immiſit Dominus in Adam, cum de coſta eius Euam fabricaret. Sed nullatenus fuit neceſſe Dominam noſtram obdormiſſe; cum Chriſti caro de carne eius extraheretur. Quæ enim læſio, vbi nulla corruptio? Immo quid tam ſuaue, quàm gratiam Spiritus ſancti ſenſibiliter in medullis: & oſſibus, & carne, & ſanguine, & animo ſentire; Denique in obſequium ſubſtantiam ſuam concorporandam; in gloriam & gratiam Vnigeniti Filij Dei ſubminiſtrare? Nullus dolor diſciſſionis, vbi omnem iacturam perditionis reſtaurat vinculum tam adorandæ Vnionis. Et hoc E aureum reclinatorium eſt.

Quartum reſtat reclinatorium, quia Iesvm natum, locum non habens in diuerſorio, reclinauit cum mater ſua in præſepio. Commune fortè aut cuiuſlibet alterius. Non Ioſeph non Mariæ fuit hoc reclinatorium, idcirco veraciter dicitur, quia, *Filius hominis non* Matth. 8.20. *habet vbi caput reclinet.* Animalium erat præſepe, non hominum. O Iesv de altiſſimo ſolio gloriæ tuæ, quàm incomparabile elegiſti deſcenſorium, ſeu reclinatorium! quàm altum illud; quàm profundum iſtud; quàm Deo dignum illud, quàm indignum iſtud, quàm glorioſum & nobile illud, quàm vile & deſpicabile iſtud. Occurrant miſeriæ noſtræ, penetralia vndique liquefacta viſceribus miſericordiæ Dei noſtri, ſic à ſummo ad imum ſtationis noſtræ, diſtillantibus incerta & occulta Sapientiæ Dei, & nulla recompenſatione moderantibus, vnde vel quò veneriт ſumma Deitas. Tali Dominus voluit my-
F ſteria noſtræ reſtaurationis inchoare initio; vt capite noſtræ ſuperbiæ compreſſo, didiſceret homo alta ſapere; & diſceret humilibus conſentire.

Hæc ſigna pueri nobis nati & dati: ab oppoſitis ſe erigunt apoſtaſiæ diaboli & hominis. Quis putas puer iſte erit? ecce officinam ſuam incipit, non ſtatuere in lateribus aquilonis, ſed in præſepio: non throno regali, ſed in loco humili. De hoc reclinatorio agnus vagiens in excelſo throno auditur: & ei cœli ſublimitas mittendo ſtellam vel Angelos, deuotè & humiliter ſubſternitur.

Quintum quoque recenſeo crucis reclinatorium, quod commodiùs appellaretur recuruatorium, quam reclinatorium. Mater reclinauit eum in præſepio: nouerca Synagoga Iudæorum ſuſpendit in patibulo. Ibi poteſtas eius quaſi recuruata, non ſe vindicando extendit, ſed omnes patiendo mortis anguſtias, pro reis pependit. Nec fuit inanis hæc recuruatio; *quia ad fœtum ſicut cerua*, vt ait Iob, *incuruauit ſe*: quatenus ex dolore crucis
G ſimul pareret omnes filios prædeſtinationis vt aſcendens ad palmam victorioſi triumphi Ieſus; fructus apprehenderet credentis populi. Quomodo igitur non habet filius hominis in terra vbi caput reclinet? Animaduerte quòd ſe ait exaltandum à terra, cùm ſe crucifigendum prædiceret: hoc & alio intellige modo; quia Iudæi Chriſtum in cruce poſitum, non ſe ipſe ſuſpendit; ſicut Iudas, qui ſuſpenſus crepuit medius.

Iam igitur præſtemus illi naſcenti reclinatorium aureum, id eſt, cor mundum fide; dilatatum charitate; exaltatum cœleſti contemplatione, & innouatum Spiritus ſanctificatione. Tale cor non terrenum, ſed cœleſte, Chriſto hoſpitium præparabit: vbi menſa legis & Euangelij: vbi candelabrum crucis: vbi lectus diuinæ dilectionis: vbi chorus iubilationis: vbi balneum ſanctæ compunctionis: vbi caminus charitatis: vbi feneſtræ meditationis: vbi cancelli lectionis: vbi priuata domus ſanctæ confeſſionis: vbi panis diuinæ voluntatis: vbi vinum feruoris: vbi area conſcientiæ planæ, & abſque
H ſcrupulo peccati vrgentis. Non recuſat reclinari in tali reclinatorio Puer qui natus eſt nobis Iesvs Christvs Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO V.

De Natiuitate.

SI omnis anima vndecumque vires ingenij ſui, quaſi in fuſciculo beatæ ſollicitudinis colligaret, & ad vnam quærendi Dominum occupationem cogeret, ſeu colligeret; nunquid vel ſic ſapientiam Dei præcedentem omnia inueſtigaret? O miſera & inſipiens anima, quare argentum tuum expendis non in panibus; & laborem tuum, non in ſaturitate? Cor te euiſceras in vanitates & inſanias falſas, vana mundi lucra ſectando; philoſophica ingenia admirando, poëtica figmenta legendo,

A & Euangelica Dei negligendo, legemque præuaricando;
Psal. 118. 33. Dic potiùs Domino : *Legem pone mihi Domine, viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper*; vt nunquam desistas quærere, nunquam desinas amare, quasi ardentissimus potator, qui quò amplius biberit, vehementius ad pocula recurrit. Dic Sapientiæ: *Vias tuas de-*
Ps. 42. 4. *monstra mihi, semitas tuas edoce me.*

Quære illius hospitium; quære transitum; quære domum, quære cubiculum; quære deambulatorium; quære solium. Credo quod si fideliter; si humiliter; si piè assiduè his te alligaueris studiis, saltem fimbriam vesti-
Psal. 44. 15. menti eius contingere poteris. *Omnis gloria eius filiæ regis* primogenitæ, *ab intus; in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Cingulum Sapientiæ, in quo dependent fimbriæ aureæ, est dispositio tam visibilium creaturarum quam inuisibilium. Fimbriæ verò aureæ sunt; vel prima illa opera sex dierum; vel ætates mundanarum distin-
B ctionum, vel opere quæ in carne gessit Filius Dei; vel etiam sacramenta quæ sponsæ suæ dimisit, cùm ad Patrem rediret; & ad procreandum Christianorum subolem, post se vsque ad tempus & numerum præfinitum in terra relinqueret. Sed quid faciendum si iam mutaret hospitium, antequam tarda accurrant desideria animæ quærentis Deum, quærentis sapientiam? Quærat saltem transitum.

Sed vbi est hospitium Dei? In lege Moysi. Vbi transitus? In Prophetis. Vbi domus? In Euangelio. Vbi cubiculum? In Epistolis Pauli, vel in vtero Matris, vel in patibulo crucis, aut in monumento lapideo. Vbi deambulatorium? In expositione Scripturarum, vel in ascensione nubium. Vbi solium In dextere Patris. Quare dicitur lex hospitium Dei? Quia propter inutilitatem & infirmitatem, quæ suo tempore facta fuit, & translata est vt
Hebr. 8. 13. ait Apostolus : *Quod*, inquit, *antiquatur & senescit, prope interitum est.* Fuit ergo tanquam hospes in lege Christus: quia vt Isaac oculis caligantibus filio suo benedicens, quis esset ignorabat; sic in vitulo, in ariete, in
C agno, in capra, in hirco emissatio, in turture & columba, in simila, in oleo: & cæteris cæremoniis figurabatur, & non agnoscebatur. Hospes ergo erat, quia de se, ipse legere dederat; & cùm hæres esset, quis esset latitabat.

Quidam tamen, qui quasi poma in cacumine ficulneæ, erant sancti Patres, qui ei debitum obsequium impendentes, iustificabantur eadem fide, qua & nos credimus & saluamur Adhuc apud Moysen hospitatur Dominus; tanquam apud Archisynagogum, cuius filia, id est, Synagoga infidelis, licet mortua; si crediderit ab eo resuscitatur. Cùm enim Scribæ & Pharisæi sedentes super cathedram Moysi legem tenentes, contra legem Dominum legis extra Synagogam fecerunt; succedentes Prophetas, vt per eos transitum haberet, metuerunt.
Cant. 2. 8. De ipso enim in Canticis dicitur, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Modo enim Isaias Regem Dominum exercituum videt sedentem super solium excelsum, & eleuatum, &c. Modo Ezechiel videt gloriam
D Domini iuxta flumium Chobar. Modo in campo; modò in ciuitate; modò in templo. Modo Ieremias videt virgam vigilantem. Modo Amos videt Dominum super murum litum stantem, & vncinum pomorum atque trullam cæmentarij in manu tenentem. Modo Zacharias inter mirrheta videt Virum, scilicet Dominum: & alij suo tempore, & suo modo transilientem per se
Ps. 67. 8. gratiā senserunt. Vnde Psalmista: *Deus cum egredereris in conspectu populi; cum pertransires in deserto: cœli distillauerunt a facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.* IESV namque
* vel gratiam. transeunte, cœlum * gloriam non cessabat pluere. Vbi facies Dei, ibi cognitio Dei, & vbi cognitio Dei, ibi deuotio: & vbi deuotio, ibi virtutum fructificatio.

Sub figura huius transitus in quarto volumine Regum, dicit magna quædam mulier de Helisæo: *Ani-*
4 Reg. 4. 9. *maduerte quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter: faciamus ergo ei cænaculum paruum & ponamus ei in eo lectulum & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad nos maneat ibi.* Lustrando & illustrando Sanctorum mentes gratia superna transitum facit; quia tenuissimo contemplationis filo, ponderositas humanæ fragilitatis eleuata, citò ad ima reflectitur, & vix in bonis Dei demoratur: solus IESVS hoc vsus est priuilegio, vt Spiritus sanctus super eum descenderet & maneret. E

Faciamus ergo cœnaculum paruum quidem propter fragilitatem cœnaculum tamen, propter cœlestium æmulationem. Faciamus in eo lectulum ad quiescendum; mensam ad reficiendum; sellam ad residendum; candelabrum ad videndum. Pausat Dominus in mente quiete: reficitur in anime ad mandata Dei, & conscientiam Scripturarum intente: sedet in eo, qui se non indicat in eo quod probat. Accendit candelabrum illius, qui simplici oculo, id est, pura intentione soli Deo placare cupit. Sic in iis saliendo & transiliendo, transilientes eosdem facit; tamen quia, pro Idithon, quod interpretatur transiliens, quibusdam Psalmorum titulus apponitur, in libro Psalmorum passus illius & saltus, qui similis est capreæ hinnuloque ceruorum, à primo ingressu in vterum F
Virginis vsque ad regressum in dexteram Dei Patris, si bene distinxeris, sicut & in aliis Prophetis, reperire poteris: & in hospitio itaque, & in transitu occurre hospiti & transilienti.

De hospitio IESVS transit ad domum, id est, Euange- Rom. 8. 3.
lium; *quia quod impossibile erat legi, in quo confirmabitur per carnem: Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne:* cuius incarnationis mysterium, loquitur Euangelium. Sic ergo Dominus manet in domo, sic Christus in Euangelio, vbi Gabriel Archangelus missus à Deo, quasi portam claudit & aperit, dicens: *Aue Maria, &c.* vsque Luc. 1.
paries Filium: Ioseph in atrio exteriori obseruat valuas, sed vix audet respicere illas: vnde sicut Centurio ad sepulchrum Domini territus clamauit: *Verè hic homo filius* Marc. 15
Dei erat. Sic Ioseph Virginis impragnatione turbatus; voluit occultè dimittere eam: hinc est quod in ostio G
templi palmæ & Cherubim ministrent filio regis tanquam Domino suo.

Domus proinde Euangelica quatuor habet angulos, iuxta quatuor cœli ventos; vbi singuli Euangelistæ singulos muniunt angulos: dum Matthæus ad orientem iuxta columnam cedrinam, habentem faciem hominis, conscripsit Euangelium stilo hominis, dicens: *Liber ge-* Matt. 1.
nerationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Ad septentrionem verò Marcus, iuxta columnam marmoream exculptam facie leonis, scripsit Euangelium suum calamo solitudinis, sic inchoans: *Ego vox clamantis in* Marc. 1. 3.
deserto parate viam Domini. Ad occidentem Lucas, iuxta columnam de lignis Sethim, quæ sunt similia albæ spi-
næ, habentem faciem vituli, sic exorsus: *Fuit in diebus* Luc. 1.
Herodis Regis, Sacerdos nomine Zacharias. Ad meridiem Ioannes, iuxta sapphirinam faciem Aquilæ, scripsit Euangelium suum penna * euangelica sic euaporans de fumo * sangelica
altaris: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud* Ioan. 1.
Deum. Matthæus residet in sella iustitiæ Marcus in sede H
fortitudinis. Lucas findens vngulam in consistorio prudentiæ. Ioannes in throno temperantiæ. Omnes habent vultus suos semper in propitiatorium, & cùm Virginem intrat, & cùm in deserto ieiunat, & cùm in templo prædicat; vel animam ponit pro ouibus suis, & cùm regrediens, ascendensque ad cœlum Petrum & patriam visitat.

Ex domo ista erogantur imperialia beneficie, vt sit extra regnum cœlorum qui non pertinet ad hanc domum sunt enim in ea vasa aurea & argentea, lignea & fictilia & mansiones multæ. Est in ea mense altare, in qua cibus ab Angelis quotidie fidelibus ministratur. Est Baptismus, in quo corpora & animæ ab omni contagione perfidiæ abluuntur. Est oraculum, in quo Deus palatium cordis perliniens sua dulcedine, thesauros æternæ beatitudinis promittit; & anima choleras interaneorum vera confessione, & larga compunctione euomens, petitionem remissionis de manu eius expetit & accipit.

A Est caminus ignis ad cremanda sacrificia & holocausta? frigida calefaciendo; dura liquefaciendo: superflua comburendo; & obscura illuminando: locus secretus ad vacandum contemplationi; ad inseruiendum meditationi; ad confabulandum cordi; ad scrutandum eloquia diuini eloquij. Est denique porticus languentium, piscina lacrymarum. Est locus cinerum in quo memorantur no-
Matt. 28. 20. uissima. Ecce hîc CHRISTVS, aut certè illic. Quære
Cant. 3. 4. ergo in domo sua; quia filius manet in domo in æternum dicens: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem.*

Transeamus iam ad cubiculum, sic enim ait sponsa: *Ducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis.* Castissimum & placatissimum CHRISTI cubiculum esse Virginis vterum, nouit anima eius, nouit ipse Dominus; nouit Gabriel Archangelus; nouit Ioannes Baptista; & Ioannes Euangelista; nouit denique tam cœlestis curia, quàm vniuersalis Ecclesia fidelium.
B Est enim lectulus Salomonis quem ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israël, lectus floridus, omni gratia Dei, specie & pulchritudine, verbo vtique Dei, anima & carne. Si fideliter adieris matrem, proculdubio inuenies filium cum matre; non enim mater sine filio, nec filius sine matre: sicut numquam fuit filius sine patre, nec pater sine filio. Quem namque aliquando in vtero habuit, nunc a dextris eius perpetuò adsistit Quid ergo poterit loqui mater quod non audiat filius: immo quando audiet mater sine filio; quæ corpore & anima tota pendet ex filio? Veni ergo ad matrem tamquam ad cubiculum, quia singulariter quiescit in ea, qui vnicus & vnicè natus est ex ea. Tintinnabulum tuæ postulationis vt pulsauerit aures Virginis, excitabitur Iesus a somno dissimulatæ exauditionis.

In Euangelio legitur Iesum deambulasse in porticu Salomonis, quia Iudæi non intelligebant ipsum esse templum, templo illo significatum, ideo in porticu deam-
C bulabat. In eodem templo extrinsecus per gyrum muri & labiorum erat, vbi deambulatorium erat valde delectabile; quia in summitate erant affixa poma, aureæ vuæ cum pampinis aureis; ita vt sursum aspicientibus moueri viderentur. Hic ordo est contemplatiuorum, quorum oculi semper ad Dominum: sic illi infiguntur vt neque tribulatio, neque angustia, neque mors, neque vita, separet à charitate, quæ est in CHRISTO. Ideo aureas vuas de vera vite dependentes dum suspiciunt cum pam-
Rom. 8. 18. pinis aureis, cum Apostolo dicunt: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis:* cuius vias, id est beatitudines, sapore intimo prægustamus, & certi de promissione, in fide non hæsitamus. In his deambulat ad cœlum corde eleuato, & in charitate dilatato.

His decursis quid restat? Solium excelsum & eleua-
Cant. 8. 14. tum de quo in Canticis: *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque ceruorum.* Illuc non ascendet nisi aquila & fi-
Ioan. 3. 13. lij aquilæ. *Nemo enim ascēdit in cœlum, nisi qui descendit*
D *de cœlo* Aquila grandis, magnarũ alarum Ioannes Euangelista; & alia aquila similiter aliarum alarum, Paulus, de quibus Ezechiel loquitur. Altera vsque ad tertium, cœlum, altera vltra cœlum cœlorum euolauerunt: & quæ non licet homini loqui, de medulla cedri gustauerunt, & vt potuerunt de adipe frumenti, & de rore cæli, atque melle Diuinitatis, eructauerunt in scripturis.

Psal. 108. 24. O Domine Iesu *genua mea infirmata sunt* quomodo curram? O Domine *pedes mei moti sunt*, quomodo va-
Psal. 54. 7. dam? O Domine *quis dabit mihi pennas sicut columbæ; & volabo & requiescam?* O Domine vbi currus igneus, & equi ignei, quibus secretam regionem petam? Domine vbi nubes lucida, in qua post te vel tecum ascendam? O Domine mitte Seraphim qui teneat dexteram meam, & ad thronum gratiæ ducat, vt explorem causam meam, & implorem gratiam tuam, antequam accusatus, vel conuictus, in die mala sententiam iudicij referam. *Vias ergo tuas, Domine, edoce me*; quia via & veritas & vita es. Amen.

E

SERMO

De Purificatione sanctæ Mariæ.

A*Dorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum, &c.* Quàm sit iocunda & præclara præsens solemnitas, ipsa luminarium claritas, quæ cum processione festiua ad Missam tenebitis in manibus, satis sufficienter declarat. Ecce siquidem duo magna luminaria ad Patrem luminum, in templo accedunt, quando Maria Iesum offert Patri Spirituum. Luminare minus Maria: luminare maius Iesus Filius Mariæ. Pater luminum Deus est, qui Verbum ex vtero ante luciferum genuit, & de Matre incarnari in fine sæculorum constituit. Ab ipso quoque sole quem concepit Virgo & genuit magnum luminare fieri meruit: vnde & stella maris ap- F
pellatur. Hanc itaque sermo diuinus alloquitur dicens: Adorna thalamum tuum Sion, &c.

Sed diligenter animaduertendum, quòd Sion aliquando accipitur patria cœlestis; aliquando, Virgo singularis; aliquando, Ecclesia vniuersalis; aliquando, anima fidelis. Vnaquæque verò istarum suum habet thalamum, in quo sponsus cubat vespere, & manè & meridie. Si Sion anima intelligitur, manè cubat in ea, quando inchoat in ea charitatem: vespere, quando consummat: meridie, quando inflammat vsque ad distillationem ipsius animæ. In Ecclesia verò vniuersali, manè cubauit per fidem Patriarcharum ante legem: meridie, per fidem Prophetarum sub lege: vespere, per prædicationem Apostolorum in tempore gratiæ. In Virgine singulari, manè cubauit per Annuntiationem Angelicam: meridie, per obumbrationem Spiritus sancti: vespere, per partum eiusdem Virginis. In cœlesti thalamo, neque manè, ne- G
que vespere cubat, sed tantùm meridie. Vnde in Canticis
dicitur: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascis,* Cant. 1.
vbi cubas in meridie. Planè ibi est meridies, id est, mera dies, quando sol in centro est, pleniorem lucem & calorem reddens: quia in æternitate illa, nullum nubilum vespertinum, nullæ tenebræ abeuntis noctis apparent; sed plena & perfecta claritas visionis gloriæ Dei: plena & perfecta charitas amoris Dei.

Quomodo ergo huic Sion dicitur, *Adorna thalamum tuum?* Thalamus namque ille cœlestis numquam est non ornatus, nisi fortè quando Iesus, in cruce passus est; tunc enim quasi deposuit ornatum suum, quando & ipse sol superiorem sentiens in Virtutibus Angelicis mœstitiam, quodammodo mutauit vultum & habitum, abscondens in sinu suo radios lucis, & faciens tenebras super vniuersam faciem terræ. Est autem cœlestis ornatus in splendoribus Sanctorum, habens diuersa ornamenta vt quæ in cognitione pulchritudinis & admirationis; serica præferens pallia in nouem ordinibus Angelorum; tapetia varia & depicta in meritis Patriarcharum & Pro- H
phetarum: iacinthina pallia in conuersatione Apostolorum: purpurea in sanguine Martyrum: crocea in puritate Confessorum: byssina in integritate & castitate Virginum. Ornatum istum in futuro expectare debemus, non modò explanare quod non sufficimus cogitare.

Habet thalamus iste inter illa quæ de terra nostra allata sunt ei, ornamenta pretiosa super omnibus aliis pretiosiora, tunicas illorum qui non inquinauerunt vestimenta sua, virgines enim sunt & sequuntur Agnum quocunque ierit. Nam de longinqua terra solent ei venire opes, & peregrinæ merces quæ multùm charæ sunt in cœlo, animæ vtique Sanctorum. De sua verò cultura & natiuis opibus sunt Angelicæ Virtutes, quas sola artificis Sapientiæ manus contexuit mirabiliter. Pinge ô Anima quascumque formas venustiores & pulchriores excogitare poteris, & tamen non dico veritatem, sed nec saltem aliquam imaginationem cœlestis ornatus mutuaueris. Adorna itaque thalamum tuum Sion quia hoc totum puero Iesu debetur, hoc eius Matri promittitur.

A Inflectamus itaque & visum & stylum ad ipsam Matrem Domini, & de sui ornatu facit festum Deo & Angelis, & hominibus: Deo spectaculum, quandiu Verbum quod de corde suo eructauit Pater, speculatur, Matris in vtero incarnatur, tam non patieos illam suis abesse conspectibus, quàm nesciens elongari à Filij amplexibus. Quando enim à Matre filij sui oculos suos auertet Pater & Spiritus sanctus, cùm omnimoda conuersione Pater sit, in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in Patre & Filio, nihilominus & in Matre & in Filio? O Virgo Virginum qoid est hoc? vbi est singolari & quodam modo inæstimabili penè immediatè accedis ipsi Trioitati, vt si vllo modo Trinitas illa quaternitatem externam admitteret, tu sola quaternitatem compleres: sed est Trinitas, nec aliquatenus ibi fieri potuit aut poterit quaternitas. Non ergo es vna persona de Trinitate quæ Deus est, quia variari aut alternari non possunt illæ personæ quæ ibi sunt; quia æternaliter sunt quod sont; nec B etiam quarta ad Trinitatem es, quia quartum Trinitati ad æqualitatem nihil est: quid ergo es? vna & prima post Vnitatem & Trinitatem, Mater eius cuius Pater est Deus Pater: Mater eius de quo procedit sicut & à Patre Spiritus sanctus.

Quæ tanta & talis es adorna thalamum tuum Sion: illustrissimus hospes ad te venit Pater, Filius & Spiritus sanctus. Explica si quid plicatum habes, propone si quid repositum; accende si quid extinctum, tege si quid humanum: totum deificetur, totum * simplicetur, ad subministrationem assumendæ naturæ nostræ sanctificetur; vt quod à Verbo de te assumitur, ante sit sanctum quàm assumptum: Adorna thalamum tuum Sion, vt nihil sit quod Pater abhorreat, nihil quod Filium offendat, nihil quod Spiritum sanctum rejiciat. Pater de sinu suo collocat Filium suum in vtero tuo, Spiritus sanctus fouet & calefacit vterum tuum, & tu quid; Adorna thalamum tuum. Abraham noo suscepit tales hospites, non Loth, non quilibet Sanctorum tales taliter suscepit: & si aliquando ad animas Sanctorum Deus ingres- C sus est inuisibiliter dono gratiæ Spiritus sancti; quando & ad quos ingressus est incarnandus vnigenitus filius Dei? cuius vterus impræagnatus est de Spiritu sancto? cuius caro & sanguis coagolata sunt in carnem Hominis-Dei? Certè nullius nisi Virginis Virginum: nullius nisi Sion, ad quam dicitur, adorna thalamum tuum Sion.

f. simplicetur.

Præclarior certè ornatus Virginalis vteri quam sydera cœli oiundior vterus de quo præscinditur surculus naturæ humanæ, quam stellifer axis: ornatior mansio Virginalis paradisi, quam terrestris illios in quo Adam peccare potuit Adorna ergo thalamum tuum Sion, quicquid vitij est à te propellendo, & quicquid virtutis est acquirendo & possidendo. Præcipue duobus sterne palliis thalamum tuum, humilitatis & virginitatis, & sertum fœconditatis mutua ab hospite Vno & Trino, imò ab illo qui potius mansionarius est apertè quam hospes & peregrinus: Sic Patrem honorabis humilitate, Spi- D ritum Sanctum virginitate, Filium fœcunditate; sic est, bene ornata es, neque amplius, neque minus in ornatu tuo inuenitur.

Iam ad illam Sion quæ est Ecclesia transeamus, & dicamus ei; adorna thalamum tuum Sion, &c. tam cumulato aceruo gloriæ & splendoris venustatur Ecclesia, vt possem appellare etiam oculos impudicos sola admiratione pulchritudinis; nisi ad lucem cæcos offerret oculos vanitatis & infidelitatis, pio & religioso fidei oculo lustra diuersas mansiones fidelium à Deo peregrinantium, & suspende animum à Babylonicis theatris, si vis intelligere decorem illum de quo dicitur: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Primò attende exuuias sanctorum corporum quæ tam venerabiles sunt in honore, quàm fœcundæ & vtiles in protectione. Thecas aureas argenteas præparat eis deuotio fidelium, vt quorum vita & conuersatio fuit sancta & casta, eorum sit mansio decora & pretiosa.

Ps 53, 8.

Vide ministeria Angelorum; attende quomodo æmulentur illos illæ dispositiones sacrorum Ordinum, vt quod ab illis impletur vera maoifestatione manifesta veritate, ab Ecclesiasticis ministerialibus imitetur saltem fideli & pia obumbratione. Quid enim Exorcistæ? quid Cantores? quid Lectores? quid Acolythi? quid Subdiaconi? quid Diaconi? quid Sacerdotes? quid Episcopi? quid Archiepiscopi? quid summus & vniuersalis Episcopus, Nonne choros castrorum faciunt isti, de quibus dicitur: *Quid videbis in Sunamite*, id est Ecclesia, quæ est coccinea per fidem passionis Christi, *nisi choros castrorum?* Iuxta Religionem namque Angelorum & * admirationem illorum totam ministrorum suorum componit Ecclesia militiam: vnde etiam orat, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Adorna itaque thalamum tuum Sion non contemptibiles personas in ministeriis Ecclesiæ præficiendo, sed quorum vita luceat super terram; quorum prædicatio audiatur in omnem terram; & quorum doctrina fulgeat vt Sol & Luna.

Cant. 7. ** f. minist[illegible]*

Considerate decorem Ecclesiæ in Baptismatis ablutione, in Chrismatis iniunctione, in Corporis & Sanguinis Domioi consecratione; in multis aliis quæ planius est quotidiè videre, quàm modò exponere. Adorna F itaque thalamum tuum Sion dignè & fideliter Sacramenta Ecclesiastica contrectando, sapienter & eligendis & præficiendis Rectoribus prouidendo, regulariter & piè viuendo, fidem seruando, veritatem tenendo, pacem persequendo. Plura de ornatu Ecclesiæ diceremus nisi ad finem tenderemus.

Iam ad Sion illam quæ dicitur anima fidelis parumper sermonem vertamus, & sic finem faciamus. Petere & mutuare decorem suum & ornatum thalami sui debet anima à Deo, ab Ecclesia, à Scriptura diuina. In Scripturis namque quasi in speculo formam suam speculari debet, & cùm inuenerit aliquid nigredinis vel turpitudinis in habitu suo, ad Sacerdotes Ecclesiæ concurrat, & de lepra remedium quærat. Deinde à Domino qui fecit cœlum & terram, vltimam absolutionis manum suppliciter postolans non recedat donec sanitatem recipiat. G Lauet se in confessione, reformet in satisfactione, componat in oratione, adornet mandatorum obseruatione. O anima adorna thalamum tuum, & suscipe Regem Christum amore, honore, fide, Sacramentorum perceptione, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

In Capite Iejunij.

Memento quia cinis, & pulvis es; & in cinerem & pulverem reuerteris. Sancti Patres studiosa sollicitudine Ecclesiæ Dei inuigilantes docere; * orare, studuerunt. Vt esset docta in sermonibus: pulchra in moribus: & munita in omnibus actionibus suis. Docta vtique tanquam sponsa illius, cuius sapientiæ non est numerus, Pulchra nihilominus, tanquam vxor eius, qui est candor lucis æternæ. Munita prorsus veluti illa, quæ in montibus habet fundamenta, & est ciuitas regis potentissimi; cuius fortitudo veluti Rhinocerotis, quod animal alió nomine Monoceros vocatur, propter singulare cornu quod gestat in nare, & nulla fortitudine vincitur. H

Gen. 3. 19. ** des[illegible] vi[illegible] tur, & vigila[illegible]*

Ad hanc itaque Ecclesiæ doctrinam pulchritudinem & munitionem pertinent cineres, qui capitibus Christianorum hodie imponuntur Doctrinam vt cognoscamus figmentum nostrum. Pulchrudinem, vt lauemus cor nostrum. Munitionem, vt opponamus aduersario clypeum humilitatis. Vt autem Sacramenti pulchritudo vobis innotescat non attendamus vilitatem ipsius cineris, sed virtutem veræ humilitatis: nam per cinerem humilitas designatur. Sub exemplo autem id vobis demonstrandum est, vt non in obscuro & latenti sermone simplicitatem quorumdam fraudemus;

Exemplum vobis hoc est: Arbor siue lignum frondosum & ramosum fortè occurrit nobis; laudamus & magni-

A ficamus proceritatem staturæ ; viriditatem frondium; opacitatem ramorum ; non post multum temporis succiditur comburitur & in cinerem redigitur. Vbi est ergo vbi illa proceritas, vbi viriditas vbi opacitas ? Humiliata est certè gloria illa vsque ad cinerem. Hoc idem de leone fortissimo ; hoc idem de equo velocissimo ; hoc idem de accipitre rapacissimo ; hoc de ipso homine superbissimo. Quid hæc omnia dum viuunt, nisi quoddam lutum, stans & ambulans, comedens & bibens, loquens & ridens, quamdiu anima est in eo ? Venit finis, venit mors & cinis ? Aufer extollentiam oculorum ô homo; quia fenestræ istæ citò claudentur & non aperientur vsque ad diem iudicij. Prohibe pedes tuos à malo; quia tibiæ istæ colligabuntur vsque ad nouissimum dierum. Retine manus ab effusione sanguinis, à rapina & præda, quia complodentur, & inflexibiles sternentur in ventre terræ. Omnia membra corporis tui castiga, quia festinatò mors accurrit, sicut equus cum impetu currens ad
B bellum ; vt absorbeat hoc mortale corpus. Quid tunc fiet ? in sepulchro reponeris ; & sine socio remanebis, donec computrescas.

n 3 O bone Christiane, antequam veniat tempus illud ; *Memento quia puluis & cinis es, & in puluerem & cinerem reuerteris.* Impone capiti tuo cinerem, vt humiliter sentias, & numquam inflatus spiritu mentis tuæ superbias. Memento non vana reuolutione cogitationis perfunctoriæ, quæ transit vt nubes matutina : sed cum pondere meditationis columbinæ : cum gemitu namque est meditatio columbæ. Vnde ait magnus ille pœnitens Ezechias, cui adjecit Dominus quindecim annos : *Meditabor*, inquit, *vt columba*. De huiusmodi *Memento* loquitur Psalmista : *Nunquid pulvis confitebitur tibi, aut annunciavit veritatem ?* Audi remunerationem huius Memento : *Audiuit & Dominus & misertus est mei : Dominus factus est adiutor meus.* Misertus est ignoscendo præterita. Adiutor factus est, de futuris cautelam subinferendo ex gratia.

C Tu quoque dic Deo reciprocè, *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me : & in puluerem reduces me.* O conditor Deus, vide introitum meum & exitum meum. Quam vilis laguncula natiuitatis meæ, cum in vulua genitricis tam spurco & fœtido refluxu commisceretur lutum in paterno & materno coitu. Lutum tam vile, quod odoratus vix ferret, nisi immunda delectatio interueniret. O quam vilis ianua ! quam despecta porta nostræ natiuitatis & conceptionis. Memento ergo Deus originis nostræ quando peccamus.

Quid enim mirum si immundus sum, qui de immundo semine conceptus sum ? Non degenero à prima origine si opera carnis facio : si carnali concupiscentia tentor. Non tamen impropero tibi quod talem me feceris ; sed flecto ad impietatem, quod de tam ærumnosa materia, tam pretiosum animal, propter imaginem tuam creaueris. Si nobilitatem animæ in qua est imago tua, in me consideras, & conuersationem sanctam expetis ; rursum considera quod sicut lutum, secundum corpus, me feceris.
D Quam iusto oculo à me imaginis tuæ opera exigis ; tam pio respice domum luteam, cui eam vinculis pene insolubilibus connexueris. Memento non mirum esse, si lutum sit sordidum. Memento ..... secundum naturam puluerem esse mobilem & dissolutum.

Contaminationes itaque meas & dissolutiones noli tam districtè ferire, ac si essem anima sine corpore. *Nonne sicut lac mulsisti me*, fragili compaginatione elementorum, *& sicut caseum me coagulasti*, soliditate membrorum. *Pelle & carnibus*, tanquam tunicis pelliceis, *vestisti me. Ossibus & neruis compegisti me*, veluti basibus & columnis. *Et sic repente præcipitas me ?* Pro vno gustu vetiti pomi ejiciendo de paradiso ; & contra Eden, id est paradisum collocando ? *Memento quæso quod sicut lutum me feceris* : vt cum iratus fueris misericordiæ reminiscaris : & seueritatem iustitiæ tuæ temperet fragilitas conditionis meæ.

Sicut opponis mihi, *Memento, quia cinis & puluis es*, ne superbiam : sic tibi objicio, *Memento quod sicut lutum feceris me*, vt compescas iram tuam. Ego in signum E recognitionis cinerem in capite accipio : Tu noli ferire animam insignitam huiusmodi signaculo. Fortè audaciùs & confidentiùs loquor ; ibi gladium tuum non timeo, vbi crucis & cineres vexilla porto. Hoc scuto & hac galea, tibi, non contra te, milito. Tuum militem, etsi inertem occidesne, & non defendes ? Ecce sub signis tuis non milito ; tu protege sub vmbra alarum tuarum, CHRISTE IESV, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO. II.

In capite Iejunij.

MEmento quia cinis & pulvis es, & in cinerem & pulverem reverteris. Hæc admonitio sufficit nobis, & Gen. 3. 19. ad pœnitendum de præteritis, & ad dolendum de præsentibus, & ad abstinendum à futuris. Hæc tria, Fratres F charissimi, valde sunt necessaria ; vt nobis propitietur illa Dei propitiatio, illa copiosa redemptio quæ apud Patrem pro nobis quotidie interpellat, gemitibus inenarrabilibus. Vnde Ioannes : *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Ioan. 2. 2. Et Apostolus Paulus : *Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. 26. Dei autem adjutores sumus, si pœniteamus, si doleamus, si abstineamus. Quid itaque veniat in pœnitentia ; quid in dolore, quid in abstinentia, videamus. Et primo videndum quid sit pœnitentia.

Pœnitentia est, vt ait Gregorius, *commissa flere, & flenda non committere. Nam qui sic alia peccata deplorat, verumtamen alia committat, pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat.* Epist. 9. p. 39. & homil. 34 lib. 2. sent c. 3. Isidorus : *Irrisor est quia adhuc agit quod pœnitet ; nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus.* Augustinus : *Inanis est pœnitentia quam sequens coinquinat culpa : nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata.* G Gregorius : *Qui admissa plangit, nec tamen desinit, pœna grauiori se subjicit.* Satis ex authoritatibus his intelligere potestis quid sit, vel qualis esse debeat pœnitentia. Qui autem pœnitet, secundam tabulam post naufragium tenet : sicut enim in baptismo deletum est quidquid culpæ præcesserat ; sic per pœnitentiam deletur reatus qui de peccato remanserat. Vt itaque pœnitentiam agas, *memento quia cinis & pulvis es.* Gen. 3. 19.

Non es lapis, non ferrum, non testa ; sed pulvis & cinis. Si lapis esses, flecti ad pœnitentiam non posses. Si ferrum, durus & indomabilis esses ; si æs, quàm contumax in defensione erroris remaneres. Si testa, nullo igne liquesceres. Sathan ferreus est, Pharao lapideus, Adam æreus, Iudas testaceus, Petrus verò, Dauid, Maria Magdalena cinerem se recognoscunt, & quid faciunt ; in amaritudine pœnitentiæ effundunt se in terra, humiliantes se vsque ad pulverem. *Humiliata est*, inquiunt, *in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* Psal. 43. 25. H Inde est quod Petrus nominatim exprimitur in resurrectione ; vbi dicitur : *Ite, dicite discipulis eius & Petro : quia præcedet vos in Galilæam.* Marc. 16. 17. Stimulum conscientiæ qui remanserat in culpa negationis, à corde verè pœnitentis exclusit & excussit Deus, qui non connumerat illum inter alios, sed præ aliis gaudium resurrectionis illi per Angelum mandat. Iam enim mens apostolica, fortè præ confusione facti, pascere bœdos vix delegerat, nec ad Sanctum illum conuentum redire audebat.

Quid tu Dauid ? quid dicis de te ipso ? *Ego sum vermis. & non homo : opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Ps. 21. 7. Sed tu mulier, in ciuitate peccatrix, qua fronte, frontem Saluatoris aspicies ? *Non aspiciam*, inquit, *hominem vltra*, Esa. 38. in Cant. Ezech. ne dicam Deum & hominem ; secus pedes, post hostium, post parietem, prostrabo meipsam, quia puluis & cinis sum, tota combusta incendio laboriosæ concupiscentiæ vsque ad fauillam & cinerem. Quæ hactenus conculcata sum vt lutum platearum : nunc ad pedes Plasmatoris mei, aliud componam lutum ; non de saliua, sed de lacryma

mei

A mea; recordata vtique, quia sum puluis & cinis, & effudi in me animam.

Reuera sicut prodigus dissipauit omnem substantiam suam viuendo luxuriosè cum meretricibus: sic ego deuastaui omnia ligna paradisi Dei mei, id est, omnia dona gratiæ & naturæ; flagrans illo igne qui ardet vsque ad inferni nouissima. Quot scintillas illiciti amoris euaporaui! quàm celsam feci flammam; quàm grandem syluam stultorum consumpsi: quot prunas; quot carbónes in multorum congessi! sed iam tandem ad fauillam declinaui, & cinerem emortuum mihi retinui. Memoria malorum cinis, non qui spargendus sit in ventum, ne cæcitatem operetur oculorum; sed qui recolligendus est in sacculo cordis, & miscendus aquis ad ablutionem pannorum mulieris menstruatæ. Sic enim præ-
E'saiæ 43.25. Gen.3. cepit mihi Dominus: *Peccatorum*, inquit, *tuorum iam non recordabor*: ecce dimissa sunt peccata tua, quoniam dilexisti multùm; tu autem memor esto. Inde est quod dicitur: Memento quia cinis, & puluis es, &c. Iam de
B pœnitentia authoritates sanctorum vobis, Fratres charissimi, proposuimus: de dolore cordis, & confusione exempla adduximus. Restat nunc de abstinentia, aliqua prosequamur.

Abstinentia verò duplex est. Abstinentia à cibo, & abstinentia à malo. Prior verò est abstinentia à malo, secunda à cibo: illa nullo tempore relaxanda, hæc pro tempore remittenda. Est enim sicut arcus, qui nec semper intenditur, ne deficiat; nec semper remittitur, ne officium suum perdat. Sic abstinentia cibi, cum modo & ratione tenenda est; vt propter vitia extenuanda seu mortificanda ieiunetur: pro reparatione verò naturæ, corpori, congruo tempore indulgeatur. Epularum siquidem abondantia, & ciborum repletio, fomentum parant titillationibus & incentiuis carnis. Vnde Ieronymus: Venter distentus cibo, despumat in libidinibus. Mordaciter quidem, sed veraciter hoc dictum est: nam quasi scopulis illisa esca in interioribus & receptaculis ventris, spumam ex superfluis, tam per superiora, quàm per inferiora emittit.

C Cùm ergo extenuaueris illas concretiones humorum parcitate cibi; minores molestias senties in egestione, siue retentione illarum. Cibo multo velut cinerum congerie superiecta, sensus sopitur; ingenij acumen obtunditur: vigiliarum excubiæ in somnum declinantur, & tota virtutum familia lethargum patitur. Abstinentia verò contraria operatur, penna velociori extollens, quidquid animæ marcidum fuerat, totum reuirescere faciens truncum animæ, cuius rami aruerant hyemali negligentia & torpore: hoc de abstinentia ciborum.

De abstinentia verò à malo, quid ampliùs dicendum
Psal. 36. 27. cum pene nihil aliud scriptura moneat? *Declina*, inquit Psalmista, *a malo & fac bonum.* Quod nobis facere præstare dignetur Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi; qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

D *Dominica prima Quadragesimæ,*

D*Uctus est IESVS in desertum à spiritu vt tentaretur à Diabolo.* Quando procedendum ad bellum,
Math. 4. 1. Archa præcedebat populum; quia ante faciem nostram Christus Dominus, tamquam Gad accinctus præliatus
[illegible] est; cùm tentatus est per omnia pro similitudine carnis peccati, tamen absque peccato. Membra huius capitis; filij huius Patris sumus, quicumque ex aqua & Spiritu sancto regenerati sumus. Caput membra regit, pater filios erudit. Membra quoque caput sequuntur, & filij patrem imitantur. De membris dicitur; quia *Si quid patitur vnũ membrum, compatiuntur omnia membra*
1. Cor. 12. 26. Ioan. 5. 19. propter vinculum vnitatis, & moderamen capitis. De filio identidem dicitur, *Quia quæcumque pater fecerit: hæc eadem & similiter filius facit.*

Spectemus itaque caput & Patrem nostrum, tamqua principem belli, qualiter cum hoste confligat, quàm d ispensatiuè iacula inimici excipiat, quàm patienter perfe rat, quàm sapienter depellat. Non excipit nolens non sustinet inuitus; non reijcit impatiens; non relid in facientem temerarius; non formidolosus fugit ten tatorem, sicut nec proditorem, aut crucifixores, ne contumeliâ afficit audentem tentare, sed ratione contr dicit, non instantiâ tentationis succumbit tentatori, se moderata responsione primò instruit. dicens: *Non in so lo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit d ore Dei.* Secundò malè interpretantem scripturas repre hendit, dicens: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ter tiò procacem & proteruum confundit dicens: *Vade Sa thana.* Sic militiæ iacula in scuto patientiæ excipit in carnata Dei Sapientia: & non in clamore obtinet vi ctoriam de hoste, sed in ratione, & scripturarum aucto ritate. Sic Dauid contra Goliam: sic Sanson contr leonem & vrsum: sic Gedeo contra Amalech, si Moyses, sic Iosue contra Pharaonem, contra Seon & Og, contraque aduersarios populi pugnant, & eos ex pugnant. Omnes isti fortes ex fortissimis Israel, tenente gladios, & ad bella doctissimi, sicut turris Libani, qua respicit contra Damascum, id est, contra diabolum, qu sitit sanguinem animarum.

Sed vt ad nostras veniamus phalanges, & statione hostium consideremus; & quanta congestione armo rum machinas erexerunt, superspeculemur: tunc enin quæ bello sunt necessaria cogitabimus; si hostilem vir torem sufficienter æstimauerimus. Attendite ergo, Fra tres charissimi, principes tenebrarum loricatos & galea tos, in equis & curribus gestatos; gestantes arma bel lica, ab omni vento cœli venientes & concurrentes ad debellandum populum Christianorum; & præcipui congregationes Religiosorum: *Hi in curribus, & in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuoca bimus.*

Statuamus ergo in sinistra parte illos tamquam hœdos fœtentes, sed & leones sæuientes: principes, scilicet, tenebrarum, qui cum exercitu suo, & gente pessima statuerunt contra nos castra. Ad dexteram verò occupemus munitiones vexilli triumphalis: quoniam via quæ à dextris sunt nouit Dominus & *Dominus à dextris est mihi ne commouear.* Interponatur quoque alueus baptismalis inter castra & castra. Vrbs fortitudinis nostræ, turris Sion propè sit nobis ad refugiũ, quia illis est turris confusionis, & ciuitas quæ Babylonia appellatur: illi in robore confidunt, & brachio suo. Nos neque in arcu, neque in hasta, sed in nomine Domini faciemus virtutem. Iudas alligauit ad vitem pullum suum, id est, corpus suum in passione tradidit, erit dux belli, & cum eo Dauid percussit decem millia in millibus suis, triumphans in corpore suo super lignum Crucis, potestate aërias; necnon & Samson, qui interpretatur sol eorum, & suffocauit propria manu leonem illum qui circuit quærens quem deuoret. Gedeon etiam rogandus est, vt nobiscum veniat cum trecentis signatis in fronte signo crucis, qui non flexo poplite lambuerant aquas.

Abraham denique pater multarum gentium, cuius & nos filij sumus; nonne & ipse cum trecentis vernaculis suis venit in auxilium nostrum. Moyses qui eduxit populum de Ægypto, & ipse valde est vtilis nobis in hoc bello. An non & Iosue secum adducet principem militiæ, vt sit robustus bellator coram Domino? Cum omni fiducia bello nos immisceamus, si tales duces & principes in castris Domini habuerimus. Sed antequam assultum faciamus; acies aduersariorum qualiter procedant depingamus. Tyrannus quidam qui habet septem diademata, id est vniuersam malitiam in capite suo sedens in cathedra pestilentiæ, conuocatis principibus & satrapis suis, dolos & fraudes concinnat, diffiden de viribus aduersùs palæstram nostram. Tamen & mul tâ licentiâ acceptâ ab eo sine cuius permissione non oppugnaret nos, & sine cuius auxilio non expugnare mus eum; abutitur ea infringens habenas maxillarum

A suarum, quibus constringitur, ne tantùm noceret possit,
quantum velit. Æstimemus igitur sicut dignoscere per
vmbram possumus: Immo aliquando & per experien-
tiam, quæ sint illæ potestates; qui principatus tenebra-
rum harum, qui militant sub illo principe militiæ dia-
bolo.

Princeps principum pestilentiosior occurrit su-
perbia, cuius nomen declinatur genere fœminino,
sed malitia eius non declinatur etiam à genere ma-
culino. Sub hasta sua incuruat colla superborum &
sublimium: & ipsa triumphat de regibus, de nobilibus,
de prudentibus secundùm carnem, de Sanctis & Reli-
giosis, de omni genere hominum qui mouentur super
terram. In equo velocissimo sedet, qui mobilior est om-
ni vento, adeo vt præcurrat super pennas ventorum, vt
pene non sit qui se abscondat à squalore eius. Tyrannus
iste primus occurrit in acie Christianæ militiæ, & vlti-
mus recedit. Ante luciferum surgit ad pugnã, & nec post
vesperum quiescit. Quocumque te verteris, aut tergo
B insidet, aut faciem possidet. Aliquando enim superbia
scientem, & animaduertentem inflat. Aliquando etiam
non percipientem maculat. Hæc regina Amazonum
quæ bello muliebri, non fragilitate, sed mollitie, mul-
ta virorum regna & terras sibi acquisiuit. Hanc iuuenes;
hanc senes, hanc adulescentulæ; hanc vetulæ: hanc
Clerici; hanc Canonici & Monachi, hanc ipsi Eremi-
tæ nec in cinere & cilicio declinant: sed horum pluri-
mi simulantes fugere, magis sequuntur eam. Mirum est,
quod quicumque corde illi famulantur, magis eam vo-
ce detestantur.

Hæc tota virtute & audacia sua, aciem humilitatis
subuertere attentans, ipsum IESVM aggreditur; & dis-
simulatione eius diutiùs perpessa, nec tamen iusto ta-
lione repercussa, tandem quod in vase illo fictili seu vi-
treo corporis IESV continebatur, sensit & recessit;
nam stare non potuit, quæ vno pede venit, sed illo fra-
th. cto, cum nullo abiit. Cùm enim diceret: *Hæc omnia tibi*
9. *dabo, si cadens adoraueris me*: supra se promittens; &
C non sua sed eius, cuius erant quæ promittebantur, illi
ostendens: elisa scopulo veritatis, & elisa cum suo be-
ne merito pudore, abscessit: meruit enim superbia
10. sibi. *Vade*, inquit *Dominus, Sathana; scriptum est, Do-
minum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Forti pu-
gione isto vsque ad ipsa vitalia, defixa superbia; quasi
de vita desperans, grabato infernali se contulit: dein-
ceps futura vilior etiam iorer sorores siue filias nequis-
simæ stirpis.

Præmiserat autem quasi minoris roboris, duas soro-
res siue filias, eadem superbia. Reuera præ superbia
sua dedignata prima egredi, gulam, scilicet, & inanem
gloriam. Gulæ ergo & vanæ gloriæ vt intorquerent ia-
cula, & murum abstinentiæ suffoderent, iniunxit: &
post si dignum esset, venturam se spopondit. Gula ergo
vna de plebe, sed multa in plebe, nam per suas gulas non
singulos, sed plurimos possidet. Gulam non gulosam
IESV attrectans, tractu consuetudinario putauit se le-
nire illam, & demulcere vt peteret escas, non de con-
D suetudine tantùm esurientis, sed & de potentia miracu-
la facientis. Tentauit ergo gula de gula Dominum, vt
ex proprio desiderio gulæ, nouo miraculo de lapidibus
panem faceret. Sed nec gula ita vrgebat panem qui de
cœlo descendit, vt pro pane de lapide faceret panem:
nec tentator adeo præualuit, vt signa Deitatis in hoc
præciperet, & aliquatenus de Deo homine certior
fieret.

Elisa itaque tentatio gulæ & elusa, deinde sequitur
inanis gloria, quæ tam ex victoria, quam ex abstinen-
tia, plerumque infesta est aliis hominibus. Euacuare er-
go quærit in Christo veram gloriam, inanis gloria;
dum ad fauorem ostentationis, deorsum se mittere sug-
gerit; qui gradus habebat, quibus decenter descende-
re poterat. Inane prorsus hoc esset; quia sine causa
fieret: & ista secundo lapide redargutionis, de vase pa-
storali à Dauid percussa & repulsa, sequitur illa quæ ex-
tollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod coli-
tur: ita vt in montem excelsum, ostendat omnem glo- E
riam mundi, & dicat: *Hæc omnia tibi dabo si cadens ado-* Matth.
raueris me. Hæc quoque, tertio lapide peremptorio de 4. 9.
eodem vase pastorali, in fronte vulnerata, victoria secu-
ta est; & cum triumpho Angeli accesserunt & ministra-
bant ei. Redeamus ad nostra a castris Dei, & sub eodem
Rege, eadem lege, cum eodem hoste, videamus quomo-
do dimicemus.

Iam verò dictum est de illa, quæ ambulat in equis,
sed & equis vehementibus, superbia; cuius lorica im-
penetrabilis, cuius hasta penetrabilis; cuius sella varia-
bilis; cuius equus valde mobilis; cuius scutum mira-
biliter depictum; cuius totus apparatus satis appetibi-
lis, si non esset damnabilis. Alio tamen ordine contra
nos mouentur, quàm contra caput nostrum: quia vi-
dent nos ampliores in præsumptione, & imbecilliores
in congressione. Cursum itaque, & incursum faciunt;
non eodem semper ordine, sed aliquando mutato, ex in-
dustria, ne discamus semitas illarum, & cautiores effi- F
ciamur. Modò itaque vrget ante alios calcaribus equum
suum, inanis gloria: modò inuidia: modò tristitia: mo-
dò auaritia: modò ventris ingluuies: modò luxuria.
Vide asseclas habere & collaterales inanem gloriam, se-
cundùm genus suum (quæ cum illa, & post illam cine-
rem commouentes, improuisè efferuntur; & lanceis
suis vulnerant nos) inobedientiam, iactantiam, hypo-
crisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, præ-
sumptionem nouitatem: cinifes isti quàm grauiter te-
rebrant oculos animæ: & prædones isti quàm auarè di-
ripiunt substantiolam nostram, vsque ad corrigiam ca-
ligæ. Fures isti quàm subitò dormientes comprehen-
dunt, & apprehendunt.

Est autem familia, & familia seorsum. Familia inanis
gloriæ seorsom, familia inuidiæ seorsum, quæ est odium,
susurrium; detractio; exultatio in aduersis proximi, af-
flictio in prosperis. Familia iræ seorsum, quæ est rixa;
tumor mentis; contumelia; clamor; indignatio; bla-
sphemiæ. Familia tristitiæ seorsum, quæ est malitia; G
rancor; pusillanimitas, torpor, vagatio mentis. Fami-
lia auaritiæ seorsum, proditio, fraus, fallacia, periuria, in-
quietudo, obduratio cordis contra misericordiam. Fa-
milia ventris seorsum, quæ est inepta lætitia, scurrilitas,
immunditia, multiloquium, hebetudo mentis. Familia
luxuriæ seorsum, quæ est cæcitas mentis; inconsidera-
tio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei,
affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri.

Ecce istæ sunt familiæ vitiorum, in quibus non est
deficiens, nec soluitur cingulum de renibus earum. Cum
vigilantibus bellum habent continuum: quinimo som-
nos interrumpunt, vel interdum fœda imaginatione
corrumpunt. Vnde tot phantasticæ illusiones dormien-
tibus subrepunt, nisi quia immittuntur immissiones
malæ, per Angelos malos? Sed quia iam sermo excedit
modum; etsi non omnes familias virtutum, saltem prin-
cipes, id est principales virtutes opponamus castris Phi-
listinorum, quatenus sub alis earum deffensi, captiuita-
tem & pericula omnia effugiamus.

Illa ergo virtus, in qua pendet omnis ordo præce- H
ptorum, & quæ non impar est in velocitate, quàm in
omni probitate & fortitudine, illi cuius arrogantia est
plusquam fortitudo eius: illa inquam, ordinata vt ca-
strorum acies; proferat familiam suam in arma lucis, &
subita coruscatione fuget inualidam gentem tenebra-
rum. Disponat quoque per familiam, & familiam cho-
ros sequentium, & cum illa procedentium ad bellum.
Hæc est Charitas.

Humilitas cum sua familia recto tramite incedat &
oppugnet inanem gloriam. Deinde dilectio proximi
cum familia sua irruat in castris inuidiæ, & debellet eam
vsque ad mingentem ad parietem. Post hanc pax cum
familia sua, iram vincat, & nullas ex ea reliquas relin-
quat. Videns gaudium spiritus, sorores tam nobiliter
de aduersariis triumphare; accedat cum familia sua, &
tristitiam exterminet de omnibus suis, possidens portas
inimicorum suorum. Corde dilatato eleemosyna larga,

A cum familia sua auaritiam, quæ est idolorum seruitus amputet, vt memoria eius non remaneat sub cœlo. Tot victoriis adeptis, quæ custodia bonorum hominis est tamquam habens clauem in manu sequatur abstinentia, & compescat ventris ingluuiem, sicut Nabuzardam principem coquorum regis Babyloniæ. Soror charissima cum, ista veniat castitas, & triumphum compleat; in quo infernus gemat, & cœlum gaudeat. Quod nobis præstare dignetur IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimæ.

B Ioan. 5. 1. 2. *ERat dies festus Iudæorum; & ascendit IESVS Ierosolymam. Est autē Ierosolymis probatica piscina quæ cognominatur hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.* Peccatum quod de malitia prodiit & origine, suam in multas propagines natiuam malitiam dilatauit. Primo suo partu pœnam actori suo homini genuit laborem, & dolorem inuenit, ærumnas multiplicauit, & dies festos de fœlici paradisi habitatione, & creatoris sui familiaritate, in luctum huius peregrinationis conuertit. Inde dies isti nubis & caliginis, dies mali & parui, dies afflictionis & mœroris, dies incerti, & qui velut vmbra transeunt; miseria sua miseros faciunt, amaritudine amaros, sterilitate infœcundos, vanitate vacuos & infructuosos. Quomodo ergo erat dies festus Iudæorum.

Io. 1. 5. Ioel Propheta in initio libri sui dicens: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro:* causas subsequentes adiungit, vnde populo illi sunt dies non festi, sed doloris, addens. C 6. 7. 8. *Gens enim ascendit super terram fortis & innumerabilis: dentes eius vt dentes leonis: & molares eius vt catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam & proiecit: albi facti sunt rami eius. Plange quasi Virgo accincta sacco, &c.*

Gens ista fortis & innumerabilis, quæ ascendit super terram, ad litteram est eruca, locusta, bruchus: rubigo: moraliter passiones carnis & vitia animæ, quæ super terram ascendunt; cùm peccatum regnat in corpore nostro mortali, ad obediendum desideriis eius: & tunc ponit vineam in desertum, cùm animam ad imaginem & similitudinem Dei factam, ad botros & vuas mandatorum & contemplationum Dei propagandas, suggestionibus suis, humorem gratiæ detrahens, bonitate Dei vacuat, & radices boni operis nequiter extirpat: ficum quoque decorticat, quando abundantiam dulcedinis Domini, non solemnitate, sed superficie exterioris habitus exturbat, nudans expoliat: D sicut Ihericontini latrones descendentem ab Ierusalem in Iherico expoliauerunt: quando bona naturalia sic minuunt, vt nec apud Deum, nec apud homines gratiam relinquat. Lucæ 10. 30. Proiicit, sicut illi qui *plagis impositis abierunt semiuiuo relicto:* quando abominabilem ita efficiunt, vt etiam Pharaoni fœtere dicatur: nec vllus seductori labor vltra sit; cùm talis, quasi bos ductus ad victimam, sequatur diabolum, & adhæreat peccato, vt non possit implere ventrem suum de siliquis quas porci manducant.

Ioel. 1. 7. *Albi facti sunt rami eius.* In hypocrisi fortè occulta dedecoris tegentes, vel equum pallidum quem mors sequitur, equitantes. Quod si quatriduane iam fœtens, habens sororem MARIAM pro te lachrimantem, cui Ioel. 1. 8. dicitur: *Plange quasi virgo accincta sacco*, Iudæus, id est, confitens, factus fueris, quia confessio secunda tabula est, post naufragium, noctem conuertes in diem; mœrorem in lætitiam; *& erit dies festus Iudæorum,* sicut in eodem Propheta post pauca sequitur, *Filij* E Ioel 2. 23. *exultate & lætamini in Domino Deo vestro; quia dedit doctorem iustitiæ; & reddam vobis annos quos comedit locusta, & rubigo, & eruca.* Nam vera confessio & pœnitentia; sicut Maria & Martha suis meritis, etiam quatriduanum fœtentem Lazarum, propter locustam, erucam, & rubiginem, id est, gulam, luxuriam, inuidiam, & detractionem de sepulchro; reuocant. De ventre ceti Ionam recipiunt, & de ore leonis extrahunt.

Ecce dies festus Iudæorum cui accurrit pater prodigi, cui interest IESVS; quia sine IESV Ierosolymis, hoc est in ciuitate Sancta, in congregatione Sanctorum, in confessione peccatorum, non est venia, non est lætitia, non est solemnitas, & dies festus Iudæorum. Ne autem sterilis & vacua, manis & arida sit ista solemnitas confitentium: sequitur vnde sit omnis virtus pœnitentium.

Ioan. 5. F 2. *Est autem*, inquit, *Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens* IESVS, quem in confessione tanquam serpentem debes aspicere, est piscina plena aquæ gratiæ, in qua lauantur hostiæ quæ Deo sunt immolandæ. Habet certè quinque porticus, quinque plagas corporis sui ad reponendos pullos quasi modo genitus, infantes desideriorum nostrorum: ad hospitandos à paradiso aduenas: pauperes spiritu, & peregrinos. Ad emanandas emissiones deliciarum paradisi, ad excipiendos fugitiuos, quinque sensus nostros à formidine maiestatis in fossa petra, quæ est CHRISTVS passus, fugientes ad testes de redemptione nostra contra diabolum, duos vel tres producendos, quia *in ore duorum vel* Matth. 18. 16. *trium testium stat omne verbum.* Vnde Apostolus: *Si* Rom. 8. 31. *Deus pro nobis, quis contra nos? In his iacebat multitudo* Ioan. 5. 3. *languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Beati qui vigilant ad fores istas, ob- Prou. 8. 17. seruant ad fores huius ostij, quod est in cœlo apertum. *Qui enim mane vigilauerint ad me* (ait siue anima IESV, siue Diuinitas habitans corporaliter in piscina ista, id G est in homine IESV, quæ Hebraicè dicitur Bethsaida, id est domus frugum, id est virtutum; vel domus venatorum, id est, peccatorum de campis syluæ mundanæ) *inuenient me.* Hic enim puteus satietatis, vel puteus septimus, vbi diuinitas, vbi anima, vbi corpus quinque plagis quinque partitum. Sitiuit ad te ô pater satietatis, anima mea quàm multipliciter, & caro mea, quæ languida est, quæ cæca, quæ clauda, quæ arida; sed tamen expectat aquæ motum. Adhuc sitio aquam illam quæ de illo latere, tamquam à dextro latere altaris, exiuit semel in cruce.

Frequenter in vera confessione, & cordis contritione, in Iordane isto Nahaman leprosus septies se lauit, & restituta est caro illius sicut caro pueri; quia & quatuor scelera Damasci animam illam non condemnabunt, quæ à septem criminalibus fuerit sanata, & de quibuslibet venialibus compuncta. Si languore aliquo quasi præoccupata detenta es, ô anima, aquæ motum H iuxta piscinam deuotè, id est, diuinam miserationem patienter expecta, quia & si morá fecerit, tamen veniens veniet. Cor, enim, contritum & humiliatum non spernet. Si cæca viam pacis nesciens, sicut cæcus in via nec voluntatem Dei, nec teipsam cognoscens, non minoris est efficaciæ hæc aqua, quàm saliua, quæ luto facto, cæcum à natiuitate illuminauit. Expecta ergo aquæ motum. Si clauda neruo femoris percusso, ita quod rectas nunquam semitas tenueris, clama; *Sicut* Psal. 41. 2. *ceruus desiderat ad fontes aquarum; ita desiderat anima* Psal. 141. 6. *mea ad te Deus.* Si arida exsors diuinæ gratiæ, accede ad thronum gratiæ dicens: *Anima mea, ô Deus, sicut terra sine aqua tibi;* & statim conuertetur in exitus aquarum.

Ioan 5. 3. Sed quis mouet hanc aquam? Angelus; sic enim sequitur. *Angelus autem Domini secundùm tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua.* Angelus iste qui commouet aquam, vel Angelus est nobis à Deo datus, qui mouet supernæ pietatis viscera, ex iniuncto

sibi

A sibi officio diuinæ gratiæ, gemitus nostros referens, & miserabiles æstus tam de nostra fragilitate, quàm de peccati stimulatione: vel ipse magni consilij Angelus, qui seipsum ingenita bonitate, cuius natura bonitas, mouet; sicut viscera Joseph super fratre suo, continere se non poterant; & pluit super nos misericordias fideles, misericordias ab æterno, & vsque in æternum; vt sanet omnes infirmitates nostras, & consoletur nos ab operibus nostris. Vel Angelus est Spiritus gratiæ & precum qui à Patre, Filioque procedens, orat pro nobis *gemitibus inenarrabilibus*: nec sine ista ineffabili motione, quà nobis datur datum optimum, & donum perfectum, ad nos venit.

Ipsa eius missio, est ista eadem totius Trinitatis motio, miseratio, quam expectat multitudo magna prædestinatorum, & saluandorum, adhuc tamen languentium naturali necessitate, cæcorum errore, claudorum affectu, aridorum deuotione expectantium aquæ motum in spe veniæ: non enim cum obseruatione venit
B Act. 1. 7. regnum Dei; de quo dicitur: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ pater posuit in sua potestate*; vt quasi nostrum sit metas ponere potestati supernæ quando fluat piscina, quæ sicut vbi vult spirat; sic & quando vult. Expecta ergo motum aquæ; vt nunquam ab oratione cesses & expectatione, donec veniat gratia: habet enim horam suam sicut Dominus ait Matri
Ioan. 2. 4. suæ *Nondum venit hora mea.* & in passione: *Venit hora*
Ioan. 12. 23. *vt clarificetur filius hominis.* Vnde benè dicitur, *Angelus domini secundum tempus*, id est, suæ voluntatis &
Ioan. 5. prædestinationis, *descendebat in piscinam, & mouebatur aqua.*

Non perfunctoriè dictum est: *Secundùm tempus.* Omnia enim tempus habent, vnde & de Machabæo dicitur:
1 Mach. 12. 1. *Videns Ionathas quia tempus eum iuuaret; misit Romam renouare amicitiam.* Apostolus quoque ait: *Quia Chri-*
Rom. 5. 6 *stus secundùm tempus pro impiis mortuus est.* Iuxta hunc sensum in Numeris legitur, Quod exules, & profugi
C ante mortem Pontificis, nullo modo in vrbes suas reuerti poterant. Quid enim mors Pontificis nisi aquæ motus, quando commota est ciuitas, & contremuit terra; quando cæli de cardine suo moti sunt; quando dicunt Angeli surgamus ex his sedibus; quando vertiginem passus est mundus? & hoc totum secundùm tem-
Isai. 49. 8. pus beneplaciti Dei: sicut dicitur: *Tempore accepto exaudiui te.*

Mouebatur aqua nouitate religionis: efficaciâ religionis: miraculorum multiplici admiratione: patientiæ insuperabili virtute: publicanorum & meretricum familiaritate: Superborum, Scribarum, & Pharisæorum intrepida increpatione: omnium quæ vellet facere & dicere facillima possibilitate: Dei patris æterna generatione; sed mota aquâ, mortua est vita. Inualuit enim populi seditio, & facta est in IESV animæ & corporis solutio. Quid tunc? Certè piscatio bona, & copiosa innumerabilium piscium consecuta est sicut vulgò dicitur; quia bonum est piscari in aquam turbidam.

D Ioan. 5. 5. Inde sequitur: *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque tenebatur infirmitate.* Periculosa est ad Dominum veniendi mora,
Eccli. 5. 12. quia tollit Esaü primogenita sua *Non tardes*, ait scrip-
2 Reg. 19. 11. tura, *conuerti ad Dominum* Inde etiam Dauid post mortem Absalon repetens Ierusalem, mittit ad maiores natu Iuda, dicens: *Cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam? Fratres mei vos, os meum & caro mea vos.* Idcirco Maria Magdalena, tanquam canis Tobiæ, qui similiter fuerat in via, quasi nuntius resurrectionis ad Apostolos veniens, blandimento suæ cau-
Ioan. 20. 18. dæ gaudebat dicens: *Quia vidi Dominum & hæc locutus est mihi.* Hæc vespere Sabbati: hæc cum adhuc tenebræ essent venit ad monumentum, descendens in piscinam post motionem aquæ, post passionem Domini; & sanata est à quacumque detinebatur infirmitate non peccati, sed dubietatis.

Ioan. 5. Nè tamen quod dicitur, *Quicumque prior descendisset, sanabatur*; incongruè accipiatur: intelligendum

est, quod sanè prior descendit, qui antequam vitâ de- E
cedat, sacro baptismate regeneratus, in Dominum fideliter credit. Prior enim, id est, priùs descendit in piscinam, quàm in gehennam. Sed quia superiùs hanc piscinam, propter festum Iudæorum, confessionem significare diximus; quomodo confessio piscina sit, & quinque porticus habeat, iuuante Deo dicamus. Nomen piscinæ, rem quam quærimus loquitur; cognominatur namque * *Bethsaida*, id est, domus venatorum, vel Hebr.
domus frugum. Dicitur etiam græcè *Probatica*, id est, quia probaton ouis interpretatur. Apud nos piscina vocatur locus concauus, siue lapis sepositus ad aquam excipiendam expiationum calicis, corporalis, pallæ altaris, & omnium sacrorum vasorum, & manuum sacerdotalium, post immolationem dominici corporis & sanguinis. Apud Iudæos non multùm dissimilis, pro sacramentorum tamen varietate, alterius faciei & capacitatis. Ibi namque, oues, vitulos, arietes, hædos, & cætera animalia quæ immolationi deferebantur, lauabant & F
expiabant.

Hæc omnia aptissimè congruunt Sacramento confessionis. Lapis concauus siue locus sepositus est Prælatus, cuius vita sanctior; compassio diffusior; scientia profundior; compunctio affluentior, abundantior, abstinentia austerior; & ad confouendos peccatores sinus largior; atque ad celanda commissa pertusus in parte inferiori, vt peccatum absorbeatur pœnitentia, & sepeliatur ab omnium dæmonum notitia. Lapis hic non sit sine aqua & misericordia; quia nec Iacob inunctum dimisit lapidem, cui tota nocte caput suum condiderat: habet itaque aquam compassionis, qua confricetur conscientia peccatoris; nec in aqua defluat; sed affluat lapis sibi, piscina sit peccatori. Superfundat orationem, & consolationem, & effundat sordes & rubiginem. Benignitatis Dei Superiùs ostendat latitudinem: iudiciorum Dei inferius non taceat districtionem. Attendat præceptum legis quod mandauit Dominus
Moysi: *Aurum, argentum, æs, ferrum stannum, plum-* G
bum, & omne quod potest transire per flammas, igne pur- Num. 31. 22.
gabitur. Quod autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur. Æqua igitur lance apprehendat velut in statera personam, ordinem, ætatem, sexum, complexionem, religionem, pudorem, fragilitatem animi vel corporis: vtrum ex superbia, an ex natura, vsum, vel non vsum peccandi, necessitatem, facilitatem, dolorem cordis, & cuncta quæ circa sunt tanquam supra crepidinem profundissimi aluei. Super ambulans caueat suum casum: confitentem sibi non deiiciat in præcipitium, sed eleuet præcipitatum.

Si aurum est præclari ingenij, vtatur ratiocinatione, & viuis argumentationibus ignem vel temporalem vel æternum probet deberi peccatis, sicut in corpore nostro caro emortua indiget secatione vel vstione. Si argentum instructus in lege, faciens seipsum eruditorem insipientium, magistrum infantium, & lumen eorum qui in tenebris sunt; proponat ei mandata legis & H
Euangelij, & ita suo fune liget eum. Si æs, cuius bona fama respergatur vbique, & sit nominatus in populo suo propter aliqua præclara quæ in eo sunt proponat ei vt magis quærat gloriam quæ apud Deum est, & lætificat conscientiam; quam illam quæ est apud homines, quæ cum sonitu perit, & veterascet in inferno, neque descendet in inferno cum ipso gloria eius. Si ferrum, patientissimus labore in sæcularibus occupationibus, moneat vt ferrum de terra tollat, & ad patientiam quæ operatur probationem, se transferat. Si stannum quærens quæ in facie sunt, non quæ in corde, habens speciem, non veritatem argenti: persuadeat quia plus est quod est in veritate, quam quod est in opinione. Si plumbum; ignem tentationis non diù sustinens; sed citò deficiens in tentatione, præcipiat nè opponat se occasionibus & formis; quibus tanquam tendiculis impeditur anima & inuoluitur: quia tamen salua substantia, per ignem ieiuniorum & aliarum macerationum transire præstat; moderanda est pœnitentia secundum

culpam

A Num. 31. 23. culpam, & possibilem tolerantiam, ne nihil cùm possit, pœniteat; & de indulgentia præsumat. *Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur.*

Gratias tibi Deus qui neminem vis perire. Reuerà idem Deus in lege non obliuiscitur misereri; qui gratiam & benedictionem compsuit in Euangelio dicens: Matth. 10. 42. *Qui calicem aquæ frigidæ tantùm dederit, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Geme itaque qui non potes ieiunare: hauri aquam de puteo pectoris tui, vt refrigeres culpam tuam, qui non potes per ignem eruginare miseriam tuam, occasionem quærit Deus non perdendi sed saluandi peccatores: occasione igitur acceptâ in confessione lacrymabili, purgat te lenius, ne perdat seueriùs. Ad hanc piscinam festinandum, & in hac immorandum, donec Angelus domini secundùm tempus descendat, & aquam moueat, vt infirmus post motionem veniat & sanetur à quacumque tenetur infirmitate. Cœlestem nuntium Raphaël bonum medicum corporum, B & animarum vbi in confessione exposueris plagas, vulnera, apostemata, & cicatrices innumeras, confidenter expecta: quia sicut seniori Tobiæ, lumen oculorum restituit; & Saram quam iuniori in vxorem acquisiuit, à dæmonio liberauit, sic animas confitentes per piscem illum qui de hac piscina ascendit, ab omni infortunio & calamitate saluabit. Sed historia licet nota sit, retexatur; vt & sacramentum eius commodiùs pandatur: iucundè siquidem satis alludit sanctæ confessioni, & quæ per illam adipiscitur, peccatorum remissioni.

Vt reciperet pecuniam à Gabelo Tobias filium misit, eumque Angelo Domini nesciens tradidit. Cúmque prima mansione iuxta fluuium Tygris manerent, exiuit iuuenis vt pedes lauaret, & immanis piscis exiuit ad Tob. c. 6. deuorandum eum, quem expauescens clamauit, *Domine inuadit me: & Angelus, Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, & attraxit in siccum, & cœpit palpitare ante pedes eius. Exentera, inquit Angelus, hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; sunt enim necessaria ad medicamenta vtiliter,* C *& assauit carnes eius, & sustulerunt in via, & cætera salierunt.*

Qui paternam pecuniam, hoc est innocentiam primam, pergit repetere, iuxta fluuium Tygris, id est, baptismum vel confessionem prima mansione per fidem & contritionem cordis, præeunte & comite gratia, quasi Angelo Domini, debet manere. Altiori denique exemplo comparatur hic fluuius Tygris confessioni, eò quòd ille iuuenis non exierat mane vt se totum ablueret, quod maximè baptismi est, vbi totus homo immergitur, & totus mundatur: sed vt pedes lauaret itinerans puluere fœdatos, qui post baptismum quotidie multiformiter tam in criminalibus forte, quam certè in venialibus inquinantur. Inde Psalmista: Psal. 65. 6. *In flumine pertransibunt pede,* id est, quamuis *Dominus Deus* mare criminum nostrorum, in baptismo conuertit in aridam plenissimæ remissionis, tamen in flumine huius mortalitatis pertransibunt pede, saltem venialiter offendentes, nec superbè quasi in equo mala sua deffendentes, sed humiliter quasi Iac. 3. 2. pede se accusantes & dicentes: *In multis offendimus omnes.* D Cùm ergo sic Tobias pedes lauaret & pœnitens extremitates, & affectiones omnium malorum defleret, piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Hunc piscem vel CHRISTVM vel diabolum, sub diuersa expositione, interpretamur.

CHRISTVS exiuit ad deuorandum eum, qui simpliciter & veraciter confitetur; quia quem pro peccatis suis à corpore Ecclesiæ, vel à participatione gratiæ separauerat, redeuntem cum ampliori congratulatione, sicut ouem errantem, & drachmam perditam, colligit Luc 15. 32. dicens fratri seniori qui in agro erat: *Epulari & gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat & reuixit: perierat & inuentus est.* Ad deuorandum itaque illum exiuit, id est, inuiscerandum corpori Ecclesiæ, qui priùs auersus, postea ad plebem suam quæ ad cor redit, reuertitur. Rom. 4. Quique mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, concorporans & viuificans oleastrum præsenti fidei iustificatione, & futura glorificatione. E Nec abhorreas ab eo deuorari, cuius caput cum pedibus & intestinis ex mandato legis teneris vorare; in vtroque exactissimam dilectionem tenens de visceribus charitatis mutuò influens, totum te dans ipsi; vel totum ipsum accipiens tibi toti. Sed animus carnalis expauescens ad hæc insueta, clamat & dicit Angelo ductori suo: *Domine inuadit me.* Tob. 6. Et Petrus in captura piscium attonitus, dixit: Luc. 5. *Exi à me domine quia homo peccator sum, stupor enim circumdederat eum.*

Non mirum si animalis homo de castris, & claustro carnis nunquam, aut rarò progrediens, tonitruum reputat sibilum auræ tenuis; quia nulla sunt nostra, vbi coruscant diuina; nec ascendit ad id etiam quod minimum, quod infirmum, quod stultum est Dei, mens coarctata in sæcularibus, & se minor facta, carnalium occupationibus: *Domine*, inquit, *inuadit me*, in me vadit. Tobiæ 6. 3. Vtinam inuadat me, & in me vadat. Appetendus, F non fugiendus; amplectendus, non elongandus, desiderandus, non expauescendus; occurrendum*, non tergiuersandum. Vnde ait Angelus: *Apprehende branchiam eius.*

Ecce similem habemus piscem & serpentem, iuxta illud Euangelij: *An si petierit piscem; nunquid serpentem dabit illi?* Animaduerte Sacramentum veritatis; quia congruè serpentem Moyses in Ægypto per caudam apprehendit: Tobias piscem per branchiam, quæ de capitis parte est iuxta fluuium Tygris. In Ægypto serpens peccatum est in animo & corpore obscuro delectatione & consensu prauæ actionis, quem Moyses sumptum de aqua purificationis baptismalis per caudam apprehendit, cum inuerecundè posteriora, & quæque deteriora prauæ conscientiæ opera, in sacrificio confessionis constringit. Tobias verò iuxta fluuium Tygris in velocitate compuncti animi, branchiam, id est, fauces apprehendit; quia initia suggestionis diabolicæ nequaquam tacet in confessione: CHRISTVM quoque per G branchiam apprehendit, qui de Spiritu Sancto conceptum credit; & pro gratiæ suæ exaltationibus in Ecclesiam refusis, vicem pro posse rependendo, assiduè os suum aperit. Trahit eum ad se qui votis omnibus, & modis confitendi, placere Deo, siue præsens, attrahit eum in siccum, cum credit per resurrectionis virtutem, mortalitatem in eo consumptam; & carnem ab omni passibilitate siccatam.

* Vel occurrendum & tergiuersandum. Tobiæ 6. 4. Matth. 7.

SERMO I.

DOMINICA IN MEDIO Quadragesimæ.

Lætamini cum Ierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam. Esaiæ 66. 10.

DE bonis ac malis etiam in hac vita præsenti propinat nobis Deus, ne comminationes illius pro H vili; ne promissiones suas pro contemptu haberemus. Nam iuxta cuiusdam sapientis sententiam, mendaces faciunt ne veris credatur, quia quod promittunt ad nullum effectum perducunt: quod vero minantur, nunquam prosequuntur. Et quia semel exustus timet ignem; qui semel fallitur, vix vllis audet adhibere fidem. Et vt aliter sentiatur de Domino qui veritas est; *Apud quem non est transmutatio; nec vicissitudinis obumbratio:* Iac. 1. 17. Placuit ei, vt quædam haberemus in præsentibus signa futurorum.

De propinatione siquidem, vel de liberatione bonorum, vel malorum futurorum; vt de promissione vel comminatione certiores simus, sunt prospera vel aduersa quæ patimur, sanitates, scilicet, & infirmitates tam morum quam corporum; fames, sitis, flagella, & his similia. Sed hæc omnia quidem vmbra sunt futurorum,

quia

[A] quia nulla comparatione præsentium possunt æstimari futura. Nam in hac regione vmbræ mortis facilia sunt quæ patimur, vel morte interueniente transitoria: quæ non in regione vmbræ mortis, sed in regione mortis intolerabilia sont & perpetua. *Sed quoniam*, vt ait B. Hieronymus, *quod melius scimus, melius loquimur*; de his perfectè loqui non possumus, quia ea perfectè non sentimus. Quæ igitur, vel qualia, vel quanta sint tormenta inferni, quæ gaudia cœli; expressiùs & planiùs dicere possunt, qui pleniùs nouerunt: huic igitur credendum est, qui ait: [Psal. 17. 6. Isai. 66. 10.] *Dolores inferni circumdederunt me*, & huic similiter qui ait. *Lætamini cum Ierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam.* Alter quidem de ciuibus Babyloniæ: alter de ciuibus Ierusalem locutus est. Fœlices hi; & infœlices illi. Tam huius, quam illius ciues inueniuntur in terris; immo in corde hominis, quod mirabilius est. In corde siquidem hominis, & si non eadem, diuersis tamen horis inuenitur aliquis ciuis Babiloniæ, & ciuis Ierusalem. [B] Hoc non reperitur in cœlo, vel in terra, vel in inferno; vt idem nunc sit Ierusalem, nunc Babilonia.

Res miranda! hoc inuenitur in homine; cor scilicet hominis. [Prou. 4.] Propterea *omni custodia serua cor tuum*, quia de eo exeunt bona vel mala, mors, & vita. Ciuis Babiloniæ est omnis qui delectatur & qui moratur in desideriis carnis suæ, & peccatorum suorum confusione, Ciuis Ierusalem est, cuius desiderium & affectio; cuius omnis delectatio est in contemplatione cœlestium, & ibi conuersatur: sicut Apostolus, qui ait: *Nostra conuersatio in cœlis est.* [Philip. 3. 20.]

O vtinam nostra saltem esset illuc migratio, vbi nostra debet esse conuersatio, vbi iustorum est coogregatio. Tunc nimirum promissiones Dei, quas consecuti omnes sancti Dei, pleniùs vobis & expressiùs possemus explicare quomodo exultant sancti in gloria, lætantur in cubilibus suis. Hoc faciunt, quorum cor cœlum est; in quo charitas, & omnis bonitas. Quorum tale est cor, exultationes Dei sunt in gutture eorum: hi facile prædicare possunt, & eructare verbum bonum, nam exultationes Dei in gutture. Propè est verbum in corde, & in ore eorum. In corde per fidem: nam *corde creditur ad iustitiam*. [C] In ore per coofessionem: nam *ore confessio fit ad salutem*. Talis erat hic qui contemplatus & delectatus in amœnitate cœlestis Ierusalem quasi parturiens quæ partum retinere nequit, exclamauit cum exultatione, *Lætare Ierusalem*, ad quam lætitiam nos perducat rex Ierusalem.

SERMO II.

DOMINICA IN MEDIO Quadragesimæ.

[Isa. 66.] *Lætare Ierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam.*

ISte est introitus Missæ, in quo prælibatione futuri boni confortata, & accensa anima, desiderij pennis [D] leuatur ad cœlum. Et notare Fratres charissimi, quasi quemdam hominem oculos suos circumiecisse supra, infra, ante, & retro, deorsum & sinistrorsum, longè & propè, fortunásque quorumdam & infortunia plurimorum attendisse, & quasi respondere in cogitatione sua, quid de scripturis quemque deceret secundùm statum in quo esset: transfigurare quoque pia compassione voces & affectiones singulorum, iuxta modum tormentorum, & leuamen afflictionum.

Depressos itaque tenens oculos ad inferiora terræ, vbi infernus esse dicitur; videt tenebras; audit gemitus & suspiria, odoratur sulphureum fœtorem, & accedens [Psal. 17. 5.] quasi tentare quid patiantur; præ dolore, clamat: *Circumdederunt me gemitus mortis*, &c. Item conuertens oculos ad Babiloniam, & captiuos Ierosolymitas ibi inueniens, & quasi ad eos enauigans, visitandos ait: [E] Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus dum recordaremur Sion. Rursum ab his rediens, & quosdam in itinere reuersionis ad Ierusalem intuens, & se cum eis adiungens cantat: [Ps. 64. 2.] *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem.* Tandem appropinquans castello quò ibat, id est Ierusalem, præuolasse vsque ad atria eius quosdam inueniens, & pedem cum eis [Ps. 121. 1.] inferens, ait: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus*, &c. vsque *In atriis tuis Ierusalem.* Vlteriùs ad portam ciuitatis accedens, videt luminaria magna, videt choros, videt abundantiam, videt lætitiam, videt omnia quæ ibi aguntur, videt syophoniam & chorum * & voce alta incipit cantare: [* Vel choros. Isa. 66.] *Lætare Ierusalem, &c.* Sed quia hospes adhuc & indigena est, transit ad Cœlum cælorum, & de incolis mansionariisque eius loquitur: [Psal. 132. 1.] *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Item: [Psal. 83. 5.] *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* [F]

Stationes itaque singularum mansionum circuiens, & extendens cœlum animæ suæ sicut pellem, pingit & describit ciuitatem Ierusalem, sicut Ezechiel Propheta iubetur eam in latere describere. Vertit itaque se ad amœna, & vireotia prata, quæ irrigantur quatuor Paradisi fluminibus; & ferunt herbas immarcessibiles ad visum, salubres ad gustum; molles ad tactum, odoriferas ad olfactum. Inde arbores florigeras & frondosas contemplatur, quarum frondes ad medicinã, flores ad gloriam, fructus sunt ad vitam. Inde vitales aquas à dextro latere templi effluere, & ciuitatem Dei suo impetu lætificare cernit. Inde muros in montibus Sanctis, & duodecim portas ex lapidibus pretiosis. Inde propugnacula ex lapide iaspide. Inde templum summi Pontificis. Inde palatium Regis & Reginæ. Inde cantores & cantrices in plateis ciuitatis. Inde iuuenes, virgines, senes cum iunioribus, laudantes nomen Domini.

Sed in itinere illo necessarij ei sunt panes ad edendum; quia grandis labor sine refectione durare non potest. Quærat itaque & habeat Angelicos panes; qui Angelicas & Euangelicas suscepit contemplationes. Quinque panes hordeaceos, & duos pisces in præsenti Euan[G]gelio accepimus Dominum accepisse, & quinque millia hominum satiasse. In prima itaque peregrinatione Viator iste panem doloris comedat. Videre namque tot & tantos dolores animarum sine dolore quis potest? Videre gentem conuulsam acerbitate pœnarum, dilaceratam à corrosione vngulatum serpentium & draconum, expectantem sine recuperatione, conculcatam desperatione, populum terribilem magnitudine, post quem non est alius horrore & deformitate. Quis hæc videre, & non dolere poterit? Absque fœdere humanæ societatis, absque misericordia pietatis est, qui non compatitur, nec habet cor humanum, sed belluinum, immo dæmonum habet. Idcirco cum talia viderit compatiatur patientibus, & comedat panem doloris, fundendo preces, & orationes pro his qui talia patiuntur, Psalmum istum decantando: [Ps. 129. 1.] *De profundis clamaui ad te, Domine; Domine exaudi vocem meam.*

Petat iterum alium panem, qui congruat itineri suo, [H] in secunda dieta in qua per Babiloniam transiens, captiuos Ierosolimitanæ ciuitatis vidit sedere super flumina Babilonis, & flere cum recordarentur Sion. Accipiat itaque panem compunctionis, de quo dicitur in Psalmo: [Ps. 41. 4.] *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*, vt fluminibus Babilonicis opponat aquas defluentes ab oculis cordis. Compungatur itaque & pro suis peccatis, & pro alienis miseriis, cantans: [Psal. 43. 24.] *Exurge quare obdormis, Domine: exurge, & ne repellas in finem, &c.* & istum panem comedat ne in itinere deficiat.

Tertio denique itinere panem illius diei & itineris petat, videlicet panem protectionis & auxilij diuini. Vnde etiam cantare debet: [Ps. 30. 3.] *Esto mihi in Deum protectorem, &c.* Cùm enim egrediens de inferno, & exiens à Babilonica captiuitate, disruperit catenas & faciem vinculi colligati, id est, peccati, vel diaboli: tota instantia sub pen

nis

A nis gallinæ subiotrer, quæ expandit alas suas in cruce, & in ascensione vt pullos suos protegeret, vel ad volandum prouocaret. Panem itaque diuinæ protectionis tequitar, qui laqueos captiuitatis euasit; & in pattiam, adhuc in medio laqueorum ambulans, tendat.

Quarta peregrinatione panem consolationis petat qui mansiooem facturus est in atriis Domini, in atriis Ierusalem: hic est panis de quo dicitor; Psal. 90. 15. *Clamabit ad me & ego exaudiam eum: cum ipso sum*, nondum in mansione palatij, sed adhuc in atriis tribulationis. Rom. 8. 18. *Non sunt tamen condigna passiones huius temporis, ad superuenturam gloriam qua reuelabitur in nobis*. Psal. 121. 2. Iste cantat: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* Exultat iam quidem iste, sed cum timore, qoia dicitur: *Ibimus*. Habet ergo consolationis, vel potius quasi consolationis panem, & aliàs dicitur: Psal. 125. 1. *Facti sumus sicut consolati*.

Quinta mansione Viator noster ad portas castra sua ponit, B & audiens symphoniam & chotos, odoransque balsama illa suauissimi odotis, quæ distillant inter manus recumbentium, cæterumque apparatum ita admirans, vt non sit io eo spiritos, petat panem desiderij caotans: Psal. 29. 11. *Redime me Domine, & miserere mei*.

Sexta mansione ingrediens pottas iustitiæ, & videns gloriosa quæ dicta sunt de ciuitate Dei, plebem, sedem, legem, & regem intuens, dicit: Psal. 24. 15. *Oculi mei semper ad Dominum*. Panem siue piscem gaudij iste comedat: Apoc. 7. 17. *Quia omnem lachrymam absterges Deus ab oculis Sanctorum, & non erit vltra luctus; neque clamor; neque dolor erit amplius, quia prima abierunt*.

Septima mansiooe accedat io aula, & mansionem sibi paratam dedicans, cantet: Isa. 66. *Lætare Ierusalem, &c.* Et iste paoem, siue piscem æternæ delectationis accipiat. Magis autem pisces quàm panes habent isti duo, qui quasi natant in abundantia illa beatitudinis æternæ, nec aliquid duri, quod inter dentes, quod frangere debeant, occurrit, in tota æternitate illa, Soperiotes verò quinque, C quod masticandum sit in omnibus mansionibus suis abundanter reperiunt, donec omni sublatà difficultate, de torrente voloptatis Dei, quantùm voluerint vsque ad satietatem bibaot.

Accepta ergo mansione nouitius iste in mansionibus Sanctorum, visitet mansiones aliorum, & vsque ad Reginæ cœli veniens, Stationem ibi deuotissimam faciat. Non reformidet illam videre, quia ooo est ibi formido; sed sola dilectio. Dicat etiam illi: Quæ habitas in hortis cum puellaribus choris, colens amœna & viridia prata virginitatis, & hortos fœcunditatis, Fac me audire vocem tuam, quia cum amicis ad fores tuas accessi, tam vt viderem faciem tuam, quæ est pulchra; quàm vt auditem voeem tuam, quæ est sonora. Veniat post organa ista ad sedentem in throno, & audiat sooum sublimis Dei intonantem: Pax æterna ab æterno Patre. Tota lu- D strarione peracta, rediens ad suam mansionem per medium ciuitatis, exclamet in voce iubilationis, in medio ciuitatis Ierusalem, & dicat: Esai. 66. *Lætare Ierusalem & conuentum facite omnes qui diligitis eam*.

Sed vos, Fratres charissimi, conuentum facite, sed conuentum Apostolorum, sed conuentū Sanctorum, sed conuentum virtutum, noo ventum, sed cooventum facite. Ventum facit, qui seminat inter fratres discordias: conuentum facit, qui discordes pacificat. Ventum facit, qui murmurat, coouentum facit, qui omnia patienter tolerat. Ventum facit, qui inflatus est superbiâ, conuentum, qui humilitate virtutes congregat. Ventum facit, qui inanem sequitur gloriam, conuentum, qui veram. Reg. SS. P. Benedict. c. 7. in 8. humil. gradu. Ventum faciunt singulares, conuentum communes, qui *nihil faciunt, nisi quod communis monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. Conuentum* igitur, *facite omnes qui diligitis eam*. Vt ad ipsum dicatis: 1. Cor. 1. 10. *Et non sint in vobis schismata*. Vt vnum quæratis quia vnum necessarium est. Vnitatem teneatis, quatenus ad ipsum qui Trinus & Vnus est Deus, peruenire valeatis, ipso præstaote, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculotum. Amen.

SERMO III.

DOMINICA IN MEDIO QVADRAGESIMÆ

Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, &c.
Galat. 4. 22.

CVrsor ille viarum Dei qui bonas facit vias suas, & studia sua, quasi medio itinere confecto, pedem f[...]git, & spiritu resumpto, residuum viæ instanter arripi[...] Occurrit ergo ei Paulus, & quòd alia sit via sequen[...] quam præcedens, in figura & ænigmate ostendit, dicens: *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit*, &c. Quasi diceret, cum Ismaël hactenus peregrinatos es, sed iam cum Isaac erit tibi perambulandum ad ciuitatem habitationis: horum duorum filiorum Abraham, alter dicitur Ismaël, alter Isaac.

Ismaël vetus est testamentum, & est quasi vetusta v[...] & media. Neminem enim ad perfectum adduxit lex viam tamen exhibuit, licèt viatorem perducere nequ[...]uerit: cognitionem enim mandati diuini, quam lex do[...]cuit, quid aliud quàm viam Dei diximus? Ismael ita[...]que, id est, populus antiquus Iudæorum, cœpit ambulat[...] viam mandatorum Dei, sed pondere carnium, pellium cilíciorum, cortinarum, tabularum, columnarum, tab[...]larum lapidearum fessus; in legem iustitiæ non peruen[...] *Ex operibus enim legis*, id est cæremonialibus, vel sacra[...]mentalibus obseruantiis, *non iustificabitur omnis homo*.

Namque alia sunt moralia in lege opera, alia sacra[...]mentalia. Moralia vt, non concupiscere rem proximi su[...] honorare patrem & matrem, & similia, quæ cum fi[...] & charitate seruata iustificant & perducunt ad Deum Sabbatum verò obseruare. Circumcidere carnem pra[...]putij sui. Vitulum immolare & similia, non iustifican[...] neque perducunt. Venerunt tamen ista vsque ad media[...] viam, id est vsque ad Ioannem: quia lex & Prophet[...] vsque ad Ioannem Baptistam, nec potuit vltra Ismaë[...] pergere, id est, filius carnis, qui litteram tantùm serua[...] quia in terram promissionis, nec Moyses, nec Aaron po[...]pulum introduxerunt. * IESVS autem Iordanem tran[...]siuit, & secundò populum circumcidit, noua expoliatio[...]ne peccati, in baptismate Christi nouum inchoans te[...]stamentum, & per repromissionem, siuè remissiooem peccatorum generans Isaac.

In natiuitate verò Isaac dicit Sara; *Risum fecit mih[...] Dominus*. Idcircò, Fratres charissimi, tota sancta Eccle[...]sia, quia vetera transierunt, & noua facta sunt; hodi[...] in voce exultationis cantat: *Lætare Ierusalem*, &c. So[...]lent viatores, cùm asperas vias & paludes cœnosas exie[...]runt, & planum iter inuenerint, patriæque iam ap[...]propinquauerint, voces gaodij altius tollere, & labo[...]res præteritos paruipendere. Sic sancta Ecclesia, sic fide[...]lis anima onere illo sacrificiorum & holocaustorum ve[...]teris obseruantiæ absoluta, iugo Christi, quod suaue est collum supponens; tamquam torque aurea ornata, can[...]tat in viis Domini de Canticis Sion. Quid autem mo[...]raliter exprimat Ismaël, vel Isaac, aut quomodo Ismaë[...] non impleat vel saltem dies suos, attendite, Fratres cha[...]rissimi.

Isaac homo iostus, bonum mentis motum designa[...] Ismael homo ferus, malū animæ motum nihilominus si[...]gnificat. Ismael non implet dies suos, & dies pleni no[...] inuenientur in eo, nec dimidiat quidem; quia *Viri sangui[...]num & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Isaac verò plenu[...] dierum in senectute suâ collectus est ad patres suos. O Domine, quot sunt dies serui tui Isaac, id est, bonæ vo[...]luntatis? Septem quidem ad minus, quod autem am[...]plius est à bono est.

Horum primus dicitur indicatiuus: secūdus optatiuu[...] tertius imperatiuus: quartus coniunctiuus: quintu[...] infinitiuus: sextus completiuus: septimus remunera[...]tiuus. Indicatiuus confitetur, optatiuus gemit: impe[...]tiuus obedit: coniunctiuus Deum & proximum dil[...]git, infinitiuus nunquam à Deo recedit: complet[...] humiliatur: remuneratiuus quiescit.

A. Gen. 1. 6. Gen. 1. 9. 1. 14. 1. 10. 1. 26. G. 1. 2. Indicatiuo dicitur, *fiat lux* : optatiuo, *fiat firmamentum in medio aquarum* : imperatiuo, *congregentur aqua, quæ sub cælo sunt in locum vnum*, &c. coniunctiuo, *fiant luminaria in firmamento cæli* : infinitiuo, *producant aqua reptile anima viuentis, & volatile super terram* : completiuum, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* : remuneratiuo, *requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrauerat.*

Confessio ergo est in luce : gemitus in medio aquarum : obedientia congregat aquas, quæ sub cælo sunt, in locum vnum ; & germinauit herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum iuxta genus suum : Dilectio Dei & proximi, duo magna luminaria in firmamento cæli : perseuerantia, producit reptile animæ viuentis, & vulatile super terram : humilitas, hominem ad imaginem & similitudinem Dei facit : remuneratio æternam quietem tribuit.

Confessio vt lucem primam faciat, indicatiui sui nec personas minuat nec tempora. Tres enim personas habet indicatiuus, id est primam, secundã & tertiam. B Tempora sex, id est vnum præsens ; tria præterita, id est imperfectum, perfectum, & plusquam perfectum ; vnum quoque futurum. Planè prima persona est in peccati perpetratione, serpentina suggestio : secunda carnalis delectatio : tertia animæ consensus vel operatio. Hac debet indicatiua confessio proferre in lucem, & congruum his adiungere casum, vt diabolo assignet suggestionem, suæ fragilitati delectationem; suæ culpæ consensum seu operationem. Ipsa quoque tempora sic ad vnguem comprehendat, vt non solum præsentia, sed etiam præterita imperfecta, præterita perfecta, & præterita plusquam perfecta distincte aperiat.

Ad imperfectum præteritum pertinent, quæ heri & Psal. 77. 31. hodie mala feci : de quo dicitur : *Adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Ad præteritum perfectum pertinent, quæ hoc anno vel proximis diebus mala commisi, & quorum desiderium in me iam cessauit, Psal. 24. 7. de quo dicitur. *Delicta iuuentutis mea & ignorantias meas ne memineris.* C Ad præteritum plusquam perfectum Ps. 78. 8. pertinent quæ in pueritia feci, vel quorum penè memoria elapsa est à mente mea : de quo dicitur : *nè memineris iniquitatum mearum antiquarum.* Ad præsens pertinet quod adhuc vel actualiter committo, vel cogitatio- Ps. 87. 4. ne concupisco; dicitur : *repleta est malis anima mea*, &c. Gen. 27. 41. Ad futurum quodammodo pertinent, quorum opportunitatem expecto ; de quo dicitur : *Venient dies luctus Patris mei, vt occidam Iacob* : Hæc omnia in luce confessionis denudanda sunt ; vt nec persona taceatur ; nec tempus abscondatur.

Sequitur Gemitus, qui sicut firmamentum est in medio aquarum, vt diuidat aquas ab aquis, & respicit ad Optatiuum : per aquas superiores accipiamus culpas præcedentes ; per aquas inferiores culpas sequentes. Genitus ergo noster adeo debet esse firmus ; vt sit quasi murus, & a prioribus nos per pœnitentiam liberans, & à sequentibus per cautelam obseruans.

D Tertio loco sequitur Obedientia, quæ ab imperatiuo procedit: inferioribus enim imperat, qui superiori obedit : congregat autem aquas quæ sub cælo sunt in locum vnum, quando totam collectionem desideriorum refrænat ad naturalem sufficientiam ; & tunc germinat herbam virentem, in bono proposito sanctæ Religionis ; lignumque pomiferum, in operibus pietatis.

Quarto loco sequitur dilectio Dei & proximi, quasi duo luminaria magna in firmamento cæli, id est in medio cordis, quibus dies & nox illuminantur, id est bona nostra tamquam dies remunerantur, mala tamquam nox 1. Petri 4. 8. delentur : *Charitas enim operit multitudinem peccatoru.*

Quinto loco sequitur perseuerantia quæ respicit ad Infinitiuum, & debet producere ex aquis reptile animæ viuentis & volatile super terram, id est ex affectionibus appetitum virtutum in corde ; & virtutem contemplationis in exhibitione.

Sexto loco sequitur completiua humilitas ; quæ hominem reformat ad imaginem & similitudinem Dei, per imitationem ad imaginem, per consummationem E gratiarum ad similitudinem : vt sit imago in labore ; similitudo in requie.

Septima enim sequitur requies: in qua dicitur ; *Vt re-* Apoc. 14. 13. *quiescant à laboribus suis*, Quid tunc ? *Lætare Ierusalem*, &c. Qui tunc ? Isaac risus, iubilus, vox exultationis in tabernaculis Iustorum, conuiuium magnum quando Ioseph comesturus est cum fratribus: quando & ipse filius subiectus erit ei, qui sibi subiecit omnia. Lætare Ierusalem, quia Ismaël cum Agar expulsus est in inferno inferiori. Lætare Ierusalem, quia Isaac cum Sara dies & annos compleuit, vt ad longitudinem dierum veniret, & cum Angelis in æternitate regnaret. Tot Ismaël passibus recedit, quot Isaac accedit. Recedit enim Ismaël ad Babilonem, cuius est ciuis, id est, confusionem inferni. Vnde dicitur in Psalmo : *Conuertantur in infernum* Ps. 9. 18. *omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum.*

Sicut autem Isaac dies accessionis, vel perfectionis dici possunt : ita dies Ismaël dicuntur dies recessionis & F defectionis. Horum primus dicitur Cæcitas mentis, de qua dicitur: *Misit tenebras, & obscurauit eos.* Secunda er- Ps. 104. 28. ror, de quo dicitur : *Immisit eis Deus spiritum erroris.* 2. Tess. 2. 11. Tertia Fallacia ; de qua dicit malus spiritus : *Ero spi-* 2. Paral. 18. 21. *ritus mendax in ore omnium Prophetarum* : & erunt qui seducunt, & seducuntur præcipitati. Quinta Odium Dei, Rom. 1. 21. vel contemptus ; de quo Apostolus : *Deum non glorificauerunt.* Sexta Contumacia, siue obstinatio, de qua dici- Rom. 2. 5. tur : *Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ reuelationis.* Septima se- Lucæ 16. 22. pultura in inferno ; de qua dicitur : *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Ecce Ismaël habitat in te- Gal. 4. 30. nebris : de quo dictum est : *Ejce ancillam & filium* Gal. 4. 27. *eius.*

Isaac autem ore pleno ridet, & ad risum hortatur socios gaudij sui dicens : Lætare Ierusalem, *Lætare sterilis, erumpe & clama quæ non parturis : quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Inter istos filios, id est, inter Angelos, & omnes Dei Sanctos, annume- G ret nos primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, IESVS CHRISTVS, qui viuit & regnat, &c.

SERMO.

IN FESTO SANCTI BENEDICTI Abbatis.

Omnes filij viri vnius sumus ; pacificè venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.
Genes. 42. 11.

DVriora passus Ioseph à fratribus, ore, non corde, verbo nõ animo, dissimulando mansuetudinẽ, non vindicando venditionẽ, duriùs loquitur ad eos dicens : *Exploratores estis ; vt videatis infirmiora terræ, venistis.* H At illi quibus mysterium latebat, & vultum fraterna do- Gen. 42. minatio insperata celabat; furorem opinantes, non tentationem, aut fraternam correptionem, dixerunt : *Non* Gen. 42. *est ita Domine, serui tui venerunt vt emerent cibos.* Deindè ad captandam beneuolentiam illius, subdunt : *Omnes filij viri vnius sumus*, &c.

Quia Patroni nostri B. Benedicti Abbatis solemnitas instat, quomodo hoc de veteri historia sumptum, & festiuitati Patris nostri, & nostræ professioni congruat, enodemus. Granum frumenti, panis viuus qui de cælo descenderat, nuper de Virgine natus, IESVS, in Ægypto fugerat, & tanti hospitis præsentiâ, terra salsuginis priùs & inhabitabilis, visitata impinguata, inebriata, fœcundata, cœpit abundare frumento, & esurientibus aliis, vendere alimenta religionis. Vndè nusquam fertilior, nusquam feruentior post resurrectionem Christi exuberauit seges Heremitarum & Monachorum, quam in Psal. Ægypto, Transferimus itaque specialitatem ad vniuersi- 110. 7. 8.

A tatem : quia nec sola Ægyptus, sed etiam totus mundus intelligitur per eius interpretationẽ. Ægyptus sonat tenebras: has tenebras incoluit B. BENEDICTVS in specu, in
Ps. 110. 8. 7. solitudine, in raritate hominum habitans, *sicut passer solitarius in tecto, sicut nicticorax in domicilio, sicut pellicanus in solitudine.*

In solitudine, vt sileret ab otiosis, & vacuis, vt non offenderetur aspectus vanis, & variis sæculi lenociniis; vt auditus nõ impleretur detractionibus & vaniloquiis. *In domicilio*, vt abstineret à deliciis, vt memor esset suæ fragilitatis & mortis; vt extra non inueniens locũ delectationis, ad mentem semper rediret; & ibi frueretur & puritate mentis. *In tecto* ; vt cũ animabus iam corpore exutis, spoliando se à corpore, leuaret se super se, vt cum Angelis Deũ laudaret; vt Deũ in speculo, & ænigmate contemplaretur. Non odio lucis, sed cautela fugiendæ elationis, in antris seu cellis absconditis se reponunt Sancti. Nemo enim quieti dans operam, radios solis quærit. Vn-
B de Ieremias. *Diem hominis*, id est fauorem, *non desideraui,*
Ier. 17. 16. *tu scis.* Dominus quoque in caligine habitat, & latibulum in circuitu eius Præcipit enim in Euangelio, dicens:
Matth. 6. 6. *Tu autem cum oraueris, intra cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum: & absconde eleemosynam in sinu pauperis.* Vbi non videt homo hominem meliùs videt Deum, qui nunquam bene videtur, nisi totus oculus mundetur, & totus ipsius visioni mancipetur : hoc intempestæ noctis hora
B. Greg. dial. 35 in vita S. Ben. expertus B. BENEDICTVS; *cùm sub vno solis radio, omnem mundum collectum conspiceret.*

Ps. 144. 15. Ioseph hic dominatur, Ioseph hic dispensat alimenta vniuersæ terræ : Quia *oculi omnium in te sperant Domine*, qui carnem tuam, sanguinem, & animã dedisti, paruo pretio Iudæis per procuratorem, immò proditorem tuum vendidisti. Non enim in te potestatem haberet, sicut nec
Matth. 26. 15. Pilatus, nisi datum ei esset desuper. *Quid*, inquit Iudas Scribis & Pharisæis, *vultis mihi dare, & ego vobis eũ tradam?* Procuratoris est ô Iuda, meliorem facere conditionem Domini, non deteriorem: res & substantiam domini
C dispensare fideliter & prudenter ; non personam eius & vitam adimere crudeliter & procaciter Sed fortè legerat vel audierat, quod fratres vendiderãt Ioseph in Ægyptũ: sua itaque auaritiã compensare voluit illorum inuidiam. Sed minoris fuit illorum inuidia, quàm istius auaritia : iste enim inimicis Dominum ad mortem osculo, vili pretio, portans loculos eius, vendidit. Illi fratrem qui accusauerat eos apud patrem, Ismaëlitis pro bonis speciebus, vt inter alienam gentem viueret dederunt; & illi locũ habuerunt pœnitentiæ; iste sibi inflixit præiudicium desperationis & amentiæ.

Vtique tamen Ioseph, & ille charus filius Iacob, & iste Dominus regnans in domo Iacob in æternum, non abscondit frumẽta in populis, sed aperit horrea, priùs pro pecunia, postea pro animalibus, tertiò pro suis liberta-
Luc. 10. 25. tibus. Sic Christus cuidam dicenti: *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?* Ait: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Ecce pecu-
Matth. D 8. 21. niam totam accipit. Alij verò dicenti: *Magister sepeliam patrem meum, & sequar te*, ait: *Sine mortuos, sepelire mortuos suos, tu autem vade & annuntia regnum Dei.* Hic quasi animalia de grege naturalium affectionum carnalem affectum possidebat, sed & hanc possessionem præcidit ab animo Christus, non vt omnino affectio pereat, sed vt
Luc. 9. 23. ad Dominum transeat. Alibi quoque ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum; & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sic ille Petrus, cui dictum est; *sequere me* imperium, consilium, & beneplacitum Domini implens,
Ioan. 21. 19. Matth. 19. 27. ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Sic Paulus seruus CHRISTI IESV, omnia reputat vt stercora, vt Christum lucrifaciat.

Notandum quoq; quia in pecunia propter imaginem signatam ratio, quæ est imago Dei signatur; vt reddantur Deo quæ Dei sunt. In animalibus propter appetitũ ventris, & gulæ, sensualitas intelligitur, quæ mater est carnalium desideriorum, vt in reticulo iecoris, & renunculis, quæ cremanda sunt in igne altaris, prædicta mortificemus, quatenus veraciter dicamus : * *Delectatio cordis*
* Meditatio.
mei in conspectu tuo semper. Et, *Tu possedisti renes meos.* E
Ps. 18. 15. Ps. 138. In venditione libertatis, summa consistit nostræ liberationis. Iure itaque originario, malè vtimur, bona à bono, & bene concessa nobis libertate.

Tria impediunt bene vti. Hostis astutia, Carnis leuitas, Animæ impatientia. Hostis tripliciter decipit, Specie compassionis; Specie consultationis; Promissione ambitionis. Specie compassionis; vt ibi: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Specie consultationis; vbi dicit : Matth. 4. 3.
Mitte te deorsum; quoniam Angelis suis Deus mandauit de te. Promissione ambitionis, vt *Hæc omnia tibi dabo.* Matth. 4. 6.
Carnis leuitas venit de conditione, de corruptione, de consuetudine. De conditione, quia de limo est. De corruptione quia vitiosa est. De consuetudine, quia incuruata est, nec potest sursum aspicere. Animæ imperitia itidem triplex, quia seipsam vnde, quando, & qualis facta sit, non nouit: vt vtrum prædestinata sit, vel si prædestinata; quando de corpore exitura. Vt ergo certa deinceps; cauta & secura sit possessio libertatis, in F
manu Dei collocemus illam, quia *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ.* Tormentum malitiæ est passio carnis, elatio cordis, tentatio Sap. 3. 1.
hostis. Vt ergo ab his non timeamus; quæ sunt negotium perambulans in tenebris, dæmonium meridianum, sagitta volans per diem : Dicamus cum Apostolo Petro: *Ecce nos reliquimus omnia.* Omnia, nihil proprium retinentes, nihil illicitè accipientes, nihil cupientes; Sic Matth. 19. 27.
Christus in nouacula conducta pilos capitis & barbæ, & etiam pedum in Monachis suis rasit dicens: *Exeuntes de ciuitate*, id est de mundo, *etiam puluerem pedum vestrorum*, id est rem quantumlibet paruam : *excutite de pedibus vestris*, id est in vsu non in affectu, necessaria naturæ habeatis. Matth. 1. 14.

Ista rerum expoliatio affectuum castigatio, vestigiorum Dei sancta connexio, facit nos omnes filios viri vnius, aut Dei Benedicti, Benedicti, serui; Deus enim voluntariè genuit nos verbo veritatis. Et Benedictus per Euangelium genuit nos in CHRISTO IESV, vt G
idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata; Sic enim sequitur : *Pacifico venimus* : quia *beati pacifici.* Gen. 42.
Nec quidquam famuli tui machinantur mali : vt simus sine querela apud Deum & apud homines. Sicut Ioseph: *Exploratores estis.* Absit mendacium à verace, immo à Gen. 42.
veritate. Est namque & bona exploratio & mala.

SERMO I.

In Annuntiatione Dominica.

S*Vme tibi librum grandem.* Mens diuina liber grandis est, in eo sunt plura volumina sententiarum, sermonum & actionum summæ & adorandæ Trinitatis Dei. Isa. 8. 1.
Ibi prædestinatio nondum existentium : Ibi creatio iam adesse prodeuntium : ibi distinctio bonorum & malorum: ibi bonorum electio, malorum reprobatio : ibi vocatio prædestinatorum : ibi Iustificatio vocatorum : H
ibi glorificatio Iustificatorum : ibi præscientia peccati Adæ, per quod introiuit mors in mundum : ibi Virginis Mariæ præparatio, & Verbi Incarnatio; ibi humani generis reparatio, & amissæ fœlicitatis recuperatio. In Apocalypsi & in Isaia signatus est liber iste : & Ezechiel expanso illo cibatur. In ore quidẽ habet mel; venter autem eius amaricatus est : quia cœlestium bonorum iucunda est possessio, sed dura negotiatio. Iob in humeris suis offert illum Iudicij; gratias agens de collatis sibi beneficiis. Esdras legit in eo distinctè & apertè super gradum ligneum crucis; vbi miles latus Christi lancea aperuit; & in sanguine & aqua, accensa sunt omnia Christianæ Fidei luminaria; vt nihil esset opertum, quod non reuelaretur. Paulus de hoc libro audiuit arcana illa quæ non licet homini loqui, sed admirari : vnde ait : *O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Rom. 11. 33.
De hoc libro Angelus Gabriel missus à Deo, ad Vir-

A ginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis Maria, epistolam detulit, cuius talis est Luc. 1. 8. salutatio. *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, &c.* Reuerà hæc paginula de corpore illo libri grandis & noui ac æterni testamenti sumpta, publicum & commune omnium continens negotium, & illam, cui destinatur, affluenti gaudio lætificat; & nos de quorum liberatione agitur, in diem solemnem non indecenter excitat. Stupendum dictum immo causa dicti scrutanda, & singulis diebus atque horis, cum tota fide & deuotione Luc. 1. 8. nobis veneranda. *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.* Quid proinde gratiæ deesse potuit: vbi totus S. Spiritus alueus, cum septem riuis suis, coadunatus tanquam in vtre, in Vtero Virginali, mansionarium meatum fecit? Totus namque cum Verbo incarnato accessit; Sed eo natu non abcessit. Habitauit quidem in Filio tota eius plenitudo diuinitatis corporaliter, sed in Matre præ omni alia creatura plenè & singulatiter. Visne haurire ex puteo Virginis, peccatis tuis indulgentiam, tentationi-B bus medelam, flagellis temperamentum, insidianti aduersario repagulum? Hydria plena est vsque ad summum, nec deficit hydria farinæ, & lecythus olei non minuitur ab hora suæ conceptionis, vsque in hanc vel vltimam præsentis sæculi diem & horam. Miserrime, infelicissime ideo Christus balsama gratiarũ suarum refudit copiosâ benedictione huic lauatorio peccatorum, nè procul abesset subsidium lapsibus suorum fidelium, sed de facili & incontinenti impulsus redires, deiectus resurgeres, serpentino morsus veneno, non desperares.

Denique in hac plenitudine gratiæ, tamquam in balneo Dominus salutem nostram operatur, emundans leprant Nahaman, id est Adam, aquis istis Iordanicis, naturam separatam à culpa, induens stolam primam, & expediens compeditum liberum arbitrium per fidem & co-Isa. 8. 1. operatricem gratiam. Vocatur enim Filius Virginis, *Velociter spolia detrahe, citò prædare.* Spolia quibus expoliatus est homo ille qui descendebat ab Ierusalem in Iericho, & quia à malignis rapturibus sunt sublata, & pœ-C nalibus latrociniorum suorum repositoriis consignata, fortior ille armatus & potens in prælio, mox hospitium Virginale ingrediens, vindicauit, & malæ fidei possessori detraxit, quando & sibi vniendo naturam nostram sanctificauit, & sanctificando vniuit: *Velociter* enim *currit* Psal. 147. 14. *sermo eius*, citiùs & faciliùs sua omnia complens opera, quam aliquis homo sua verbo proferat cogitata.

Sed quis est stylus hominis? Stylus alterâ sui parte acutâ, imprimit quoslibet caracteres ceræ, aut cuilibet molliori materiæ: altera plana, quod displicet, complanat, & delet. Hoc IESV officium fuit in carne mortali, eradicare vtique vitia & virtutes plantare. *Vocaberis*, inquit Isaias, *ædificator sepium, auertens semitas iniquitatum.* Vide stylum pungentẽ: *Pœnitentiam agite.* Vide delentem: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et item deprehensæ in adulterio: *Mulier, vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Nemo* inquit, *Domine. Nec ego te condemnabo.* Pupugit etiam stylus iste hominem vt rediret ad se, dicens peccanti: *Adam* D *vbi es?* Pupugit post peccatum dicens: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Denique sigillo totius honestatis fracto, cùm irreuerenter & incontinenter peccando corrupisset omnis caro viam suam: tactus dolore cordis intrinsecus, cum plantare volens omnem scripturam generis humani; *Delebo hominem de sub cælo.*

Isa. 58. 12. Isa. 1. Matth. 3. Luc 7. Ioan. 8. Gen. 3. Gen. 3. Gen. 6.

Sed mira misericordiæ recordatus; & mitiùs volens incarnatus pungere vtiq; ad pœnitentiam, non ad puniendum, planam commutauit, vt in homine peccatum deleret, & naturam seruaret. Omnia siquidem quæ in Ecclesia celebrantur sacramenta, vno suo effectu, quidquid homo stultitiâ, id est infirmitate seu etiam maliriâ suâ malè scripserit complanare; cum Dei gratia præualent; nè exigantur in iudicio, quæ antè iudicium cum fletu peccatoris complanauerit Sacramentalis operatio. Nam Isa. 8. 3. huius Styli scriptura talis est, *Velociter spolia detrahe, citò prædare* Velox diuina bonitas ad remissionem, tarda ad seueritatem. O quotiens minatur ne feriat; quotiens terberat ne occidat: quotiens temporali morte præripit E innocentem, ne perditâ innocentiâ cum descendentibus in lacum proruat. Auertit faciem suam nè videat peccantem: videns iniquitatem dissimulat, expectando correctionem. Iam in cruce & morte posito latroni, extremæ voci in confessione, æternæ rependit præmia vitæ: *Amẽ,* inquit, *dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* O summa Luc. 23. 43. pietas, quot millia annorum non sufficerent expiare animam latrociniis pollutam, si districtè cum ea ageretur, & tu nec annum ponis, nec mensem, nec saltem alterum diem; sed *hodiè*, inquit, *mecum eris in paradiso.* Abeant sibi crudelia hominum edicta, euanescat Pharisaica iustitia, quæ *omnia grauia & importabilia imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Matth. 23. 4.

Misericordia enim, quâ plena est terra, digito suo, & brachio in cruce passione propria, affixit omnia ad Deum conuersorum peccata, vt alleuiaretur humana natura, per ipsum redempta, à cunctis oneribus suis, quibus à peccato Adæ tanquam fœnore grandi oppressa, soluere debita non præualens, in extremis agebat. Clementiã F illam non expirasse credimus, sed semper miris & nouis successibus, continuatã ad nostra, & ad futurorum sæcula: quatenus nouam segetem de hoc agro in horreis sempiternis euehat, seminando gratiam, rigando per Euangelicam doctrinam. Dicamus itaque Filio hominis, filio Virginis, *Velociter spolia detrahe*, vetustam pellem nostram, quam de peccato primi parentis contraximus, & quotidie deteriùs viuendo multis actionibus corrupimus, citò prædare, vt de potestate diaboli nos eripias, & qui odio habes rapinam in holocaustum, non rapinam arbitratus es, esse te *æqualem Deo.* Fac de nobis rapinam, vt charitate violentissima, nos à nobis eximas, & eodem loco constrictos, ad te pertrahas; Qui viuis & regnas, &c.

SERMO II.

IN ANNVNTIATIONE DOMINI.

Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. G Cant. 7. v. 2.

IN libris siue thesauris nunquam fallendæ prædestinationis, præcipuè singularem & singulariter incomparabilem thesaurum Sapientiæ & Scientiæ suæ Deus in B. Virgine Maria ab æterno congessit, in fine sæculorum resignauit, sine fine in summa cælorum arce collocauit: vbi opes hactenùs nulli communicatas intromisit: vbi omnium pretiosorum lapidum gloriam insignissimè cõglomerans, ad complementum totius honoris, & superaffluentis magnificentiæ, seipsum, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi, annumerauit. Cherubim igitur gloriæ obumbrantia propitiatorium, adiunctis sexaginta ex fortibus Israël, ad hunc thesaurum siue lectulum suũ custodiendum deputauit, atque vt solis fidelibus, & deuotis sibi viã propalarent, mandauit.

Ad limẽ itaque huius sanctuarij, aliis submissis per humilitatem, & capite ad collum retorto per continuã de-H uotionẽ prædicantes gloriã Dei, & venerantes, Scabellũ Diuinitatis adoremus, quoniam sanctum est. Quidquid in ea apparet, quidquid latet, siue quod in ea natũ est, quia de Spiritu S. est. Ioseph tanti solis vix fert splendorẽ, tanti mysterij vix sustinet admirationẽ: ante fenestras stat tremulus, pedem inferre recusat castissimus: opprimitur enim gloria maiestatis eius, quam videt Deum præoccupasse, & solis vsibus suis signasse. Denique Angelico certificatur alloquio, nullum incurrens dispendium de dilatione fidei, quam non concepit nequitia mentis, sed immensitas operis. Non enim veritati opposuit pessulum diffidentiæ, sed inscrutabili consilio maluit se non ingerere, & expectare à longè exitum rei; quæ claudebatur sub signaculo fidei. Quod si Ioseph vallatus auctoritate maritali, dominam & coniugem suam à limine salutat, appropinquare trepidat. Quid ego in anima immundus, carne pollutus, quibus labiis no-

minabo

A 1. Ioan. 4. 18. ininabo, quibus oculis videbo illam, quæ refrigit etiam putas Sanctorum acies; quæ *pulchra vt luna, electa vt sol*, angelicos quoque exuperat fulgores & splendores? Sed *perfecta charitas, mittit foras timorem*; sed præcedens deuotio extenuat præsumptionem.

Rejecto igitur in nominatione vmbilici consuetudinario, & vulgari cogitatu; cum debita reuerentia ingrediamur Sanctuarium Dei, & eo affectu loquendo contingamus in Virgine nostra, membra quæ in aliis dicuntur inhonesta: quo rapimur cùm tractamus angelica ministeria, & ipsius Dei intellectualia membra? Dicat igitur de Domina nostra, Sapientia in Canticis: Cant. 7. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis*: & excipiat dictum sacramentale mens casta, puro corde & sensibus castissimis. Iud. 9. 37. Notandum autem quia vmbilicus sæpe in scriptura nominatur. Alibi vmbilicus terræ; Ezech. 16. 4. alibi vmbilicus ollæ, qui non est præcisus in die natiuitatis eius, Iob. 40. 11. & alibi fortitudo Leuiathan dicitur esse in vmbilico ventris eius: & hic, B Cant. 7. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis; nunquam indigens poculis*. Postpositis verò terræ, & ollæ vmbilicis; attendamus in Leuiathan vmbilicum malitiæ; & in Sponsa vmbilicum gratiæ, quatenus malitiæ excursum, gratiæ occursus compescat, & vincat sapientia malitiam naturæ humanæ damna resarciendo, & opera malitiæ destruendo.

Vbi ergo prima species mali post peccatum in primis parentibus apparuit, ibi sedem & principatum misericordissima gratia in B. Virgine collocauit aresacto enim & siccato vsque ad primam innocentiæ castitatem (quæ nuditatem non erubuit, nec in membris se habere putauit quod esset velandum aut verendum) fonte libidinis & luxuriæ, qui pleno gurgite in filiis Adæ supereffluebat, donec rosa nostra in Ierico plantata, hyemales destituit paludes, ex tunc à throno gratiæ procedens fluminis impetus ciuitatem Dei, id est, Dominam nostram lætificauit; sic in ea extinguens libidinosum ardorem, vt conseruaret inauditam sæculis fœcunditatem. Sic enim area sicca, vellus madefactum est, vt in carne Virginali vitio C subtracto corruptionis, eadem Virgo gigneret pretium nostræ redemptionis. Quod manus creatrix naturale indiderat visceribus & membris Euæ necdum corruptis, mulierem videlicet concipere sine ardore libidinis, factu impossibile reputabat vsus generandi: elicuit autem vim illam secretissimam de abditis naturæ, obumbrante Spiritu Sancto, Virgo Dei genitrix, in vmbilico suo confringens virtutem serpentis antiqui, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam in vtero concipiens, non ex concupiscentia viri, sed ex gratia Dei.

Vmbilicus ergo iste est *crater*, quia vterus virginalis plenus vino diuinitatis, sicut crater, diuinis potionibus Ps. 74. 9. aptus est. Vnde in Psalmo: *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto*, id est homine Deo. *Tornatilis*, quia iuxta primam tornationem, id est creationem, castitatem habuit, & supra consuetudinem thoro immaculato, Virgo & Mater Deum & Hominem genuit. Crater est, id est Scyphus Ioseph in quo augurari solet; dum tanquam quodam augurio vires mirabilium suorum experiri cœpit, D ille qui facit mirabilia magna solus in Virginali conceptu; vbi vnum fecit supra naturam, alterum verò supra omnem scientiam. Supra naturam etenim est, Virginem concipere: Supra omnem scientiam, Verbum humanæ naturæ indissolubiliter counitti. *Tornatilis* est crater iste, quia in omnibus Deo complacuit; in omnibus diuinis mandatis obediuit; in omnibus irreprehensibilis fuit.

Manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, tornauerunt & formauerunt craterem istum. Vnde in Psalmo Ps. 118. 73. loquitur: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Verè totum in circuitu, quia tornatilis consummatione legis in æmulatione angelicæ puritatis, in dilatatione cordis, eatenus vt contineret Deum quem non capiunt cœli cælorum: miro modo versa vice & Deus suis circulis inclusit craterem istum, creandu Virginem sanctam, sanctiorem operando, sanctissimamque semper conseruando: & ipsa vtero incarnatum Deum gestauit, & natum non semel beatissimis brachiis continuit.

Irrigata igitur de plenitudine plena gratiâ, inundatione riuulorum suorum angelicas virtutes debriauit, diuites impleuit, pauperibus absque argento, & absque vlla commutatione pocula indulsit. Est enim nunquam indigens hæc est illa Rebecca, puella nimis pulchra; quæ deposita hydria de scapulis, adaquauit non solùm seruum Abrahæ, sed etiam camelos. *Omnes sitientes venite ad aquas*, de fonte & puteu Saluatoris: de quibus ipse bibit & omnis familia eius. Plane inebriatum Deum reputo, propter exinanitionem, & nudatum vestimentis gloriæ, quia habitu inuentus est vt homo: quando cerua gratissima gratissimum hinnulum inter vbera sua vino purissimæ & sincerissimæ conuersationis illectum, & attractum collocauit; & præ vini dulcedine pauperem factum oculis nostris opposuit.

Denique omnes familiæ gentium, huius agni sanguine redemptæ, lotæ, & potatæ, dederunt vestimenta sua, id est corpora sua pro vino isto, baiulantes crucem tanquam bottrum in vecte, & lauantes in vino stolas suas, quas Benjamin à Ioseph accepit quinque, propter configurationem corporis humilitatis nostræ, corpori claritatis Dei. In conuiuio illo meridiano inebriatus est Ioseph cum fratribus suis; quia plenum in resurrectione gaudium, cum Deus erit omnia in omnibus, nemo tollet à cohæredibus Christi, & consortibus regni eius.

Interim verò *Vmbilicus crater tornatilis est, nunquam indigens poculis*: quia Domina nostra gratiâ plena, humanis nostris defectibus compatiens, apothecas suas nunquam claudit, nunquam miseris patrocinari desistit, nunquam vota humilium spernit; nunquam vultum supplicantis à propitiatorio, pro peccatis populi Christiani deflectit. Laboras fortè in peccatis & deficis; sed ecce ad ostium expectat Mater misericordiæ; intendens cui venas exponat auxilij. Quærendo Christum per plateas & vicos ciuitatis discurris, & non inuenis? Sed ecce benignissima illa, quæ filij sui omnia diuerticula ad plenum nouit, occurrit & dicit tibi; ecce hic filius meus, ecce illic. Draco rufus habens iram magnam, malignitatis suæ agmen aduersus te congerit, aperta persecutione, vel occulta tentatione? Sed ecce potentissima auxiliatrix accurrit, mediis castris se opponens; & vmbraculum super caput tuum in die belli faciens. Quacumque mœstitudine pulsatus, humiliter & fideliter Dominam nostram adieris, nunquam derelictus, nunquam non lætus, nunquam non consolatus redibis.

Nunquam ergo indigens poculis, vel excusat se de inopia, vel abstinet succurrere præ auaritia. Quid nunquam indigens poculis? Plane quod dicitur: *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia*, quod arca de imputribilibus facta est; quod ignis perpetuus in altari; quod charitas nunquam excidit: quod oleum de capite iusti non deficit: quod folium non defluit de ligno, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod Apostolis dicitur: *Ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quod farina Sareptanæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus: quod denique gratia Spiritus Sancti, nec angustias patitur, si omnibus diffundatur, nec amplior inuenitur, si rariùs sumatur.

Sed cuius saporis, cuius qualitatis, cuius quantitatis, cuius pretij sunt pocula ista? Cœlum vtique & Spiritum sapiunt. Alba, nigra & sanguinea sunt: vasorum capacitatem excedunt, & pretium superant. Quid enim aliud saperet plena gratiâ, nisi gratiam? obumbrata, & impinguata Spiritu sancto, nisi Spiritum rectum, nisi Spiritum sanctum, nisi Spiritum principalem? Quid casta, nisi album vinum? Quid humilis nisi nigrum? Quid amans nisi rubeum vinum potat, & propinat? Quid auarus inæstimabiles diuitias pugillo recludet, cum misericordia nec meritum attendat nec modum. Seipsam enim gratia & misericordia extingueret, si modum & meritum accipientis non vinceret. Non habet pretium, vnde procedit omne meritum, IESVS filius Virginis, qui cum Patre Spiritu Sancto viuit & regnat, &c.

A

SERMO III.

In Annuntiatione Dominica.

Luc.1, 28. AVe *Maria gratia plena, Dominus tecum benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui.* Plenus malitiâ, & vacuus gratiâ, quâ temeritate præsumo attentare aliquid proferre de plena gratiâ? Sed plenâ fide euerto fundum conscientiæ; & effundo vsque ad fæces venenum malitiæ, ad pedes gratiæ. Ego quidem ò Domina! fundo mea crimina, de mala redundantia: tu in vase vacuo refunde de tua plenissima gratia. Tu illa es puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro, quæ ad fontem iam descenderas, & onusta redibas, cum tibi occurreret Gabriel Archangelus nuncius deferens de desponsatione contrahenda inter te & Isaac filium Abrahæ; B quas tibi detulerit inaures aureas, quas armillas, non ignorant qui te in vestitu deaurato intuiti sunt adstantem à dextris regis Filij tui.

Potum aquæ petiit, tribuisti; insuper & camelos vltronea adaquasti: hoc exemplo non vanè admonitus, nullatenus etiam propter enormitatem scelerum meorum de tua gratia despero, malorum per te sperans correptionem, bonorum refocillationem. Et quid dicam, Fratres, de Domina nostra? nisi quod gratia plena, omni petenti se tribuit; in manu & potestate habens thesauros cœlestes; & profundum diuitiarum Dei semper penetrans & erogans; nunquam tamen minuens, aut euacuans. Adhuc in carne mortalium, indigentiam nouerat & portabat: & tamen cellariorum & horrei cœlestis apothecas pro libitu propinabat, & quibus vellet distribuere poterat.

Sed tempus iam est, alterum huius solemnitatis puteũ aperire, & potu salubri ex eo adstantes & attendentes C vos reficere. Nolo autem fraudare vos desiderio vestro, & tollere animam vestram, si diutiùs expectatione fastidiosâ tenuero fraternitatem vestram; tamquam ego daturus sim vobis aquam viuam, tanquam resignationis lapidem signatum in ore putei: non hoc attentabo, ne ruam in abyssum; si posuero os meum in cœlum. Quis enim alius resignabit, nisi qui signauit, Clauis Dauid quæ aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Certè hoc est illud magnum mysterium à sæculis absconditum. Hæc sunt illa incerta & occulta Sapientiæ Dei, quæ Prophetæ manifestata sunt, cuio dictum est. *De fru-* Psal.131. 11. *ctu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Fateor de magno negotio magna expectatis, sed quasi iamiam incipiet decrescere & rarescere flamma desiderij vestri, nisi talia apposita fuerint, quæ aduenientibus vndecumque ad Missam istam sufficiant, & solemnitati respondeant, & vestro appetitui satisfaciant. *Aue Maria gratia plena.* Nihil dormitet in sensibus vestris, sed euigilata intentione, vigilanter quæ dicuntur intel- D ligire: de cœlo enim verba ista allata sunt, nec à parte qualibet cœlorum, sed à summo cœlo egressa sunt, & in ora tanti nuntij posita, qui præ sapientia sua non solæcisset, aut deficiat in verbo: præ fidelitate non mutet, aut abscondat quæ iniuncta sunt: præ potentia non timeat aërias occursiones: præ familiaritate de Patre ad Matrem futuram; Filium ab æterno de Patre consubstantialiter genitum, nouo genere concipiendum & nasciturum deferat: præ humilitate Dominam suam reuerenter salutet.

Nuncij huius prærogatiuam adsignata legatio præclarè designat. Legationem legamus & intelligamus. *Aue gratia plena.* Non iacet ista salutatio. Vacare, non iacere debemus ad inuestigationem eius, quæ quidem tam plena est; vt nec quidem cæco sit offendiculum ea, sed & tam profunda, vt nec remiges cœli, eam transuadere queant. Si simpliciter gradiaris, curre, & currendo intellige, quia plena est gratia Mater Domini, & benedicta in mulieribus, & Dominus cum ea: Si profun- E da vada quæris, vt videas mirabilia Dei in profundo, & in aquis vehementibus, intra rimando epistolam cœlestem, & qualibus literis, qualibus coloribus depicta sit, tam in titulo quàm textu, potiùs mirari, quàm comprehendere poteris.

Aue MARIA *gratiâ plena.* Hic est titulus *benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Hic quoque est textus. Satis autem de titulo & textu qui de scrutiis cœlestibus digito Dei scripti, ad nos effluxerunt. Summam possumus recolligere libri nostræ redemptionis; de quo in Isaia dicitur: *Et dabitur liber ne-* Esa.29. 12. *scienti literas, & dicetur ei, lege.* Et respondebit, non possum: Signatus est enim liber; scriptorum cœlestium literas nos terrigenæ nescimus, quia plurimùm notæ illæ à nostris distant; & est nobis tam ignota Scriptura, quàm incognita lingua.

In libro ergo prædestinationis, legere nostræ redemptionis Mysteria non potuimus, quia talibus literis non studuimus, neque consueuimus. Prophetæ autem & Pa- F triarchæ, summi quidam Angelici Spiritus, qui didicerunt quidem literas illas, & ad plenum, non tamen capere potuerunt effectum incarnationis, quamdiu clausa fuissent sigilla in Apocalypsi; & ideo etiam ipsi dicebant se non posse legere, signatus enim erat liber: hunc librũ intitulauit Gabriel missus in ciuitatem Galileæ; cui nomen erat Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid; & nomen Virginis MARIA. *Aue,* inquit, MARIA *gratia plena.* Bene illustrat titulus iste materiam sequentis operis. Et si per sæcula humanus sensus elaborasset adinuenire verbum bonum, verbum consolatorium, tam aptum in principio nostræ redemptionis, non commendasset.

Non ex commentariis nostrarum adinuentionum fabricari potuit hoc exordium verborum nuncij Angelici; sed de corde Patris eructuatum, labiis Angelicis est ad Virginem delatum, & prolatum. Sed quid est *Aue* Pax tecum: qui pacem non amat, anathema sit. *Aue,* Quid est *Aue?* sine væ. Quis est sine væ? MARIA. Qua- G re? quia *gratia plena. Aue,* id est sine væ; id est pax tecum. Quid est sine væ? Quid est pax tecum? Væ Adæ, væ Euæ, sed MARIÆ, *Aue.* Adam in labore; Eua in conceptu habet suum væ. Spinas & tribulos profert væ Adæ: dolores & ærumnas væ Euæ. Eua in vtero includit suum væ. Sed quid est væ? interiectio dolentis. Verè interiectio, nam inter mandatum Dei, & peccatum Adæ, ista interiectio accidit. Interiectio vtique dolentis de bono quod perdidit, & de malo quod inuenit. *Tribula-* Psal.114. 3. *tionem & dolorem inueni;* quod est væ, vnde est væ. Sed MARIA nescit interiectionem dolentis, quia excepta est à regula vniuersitatis. Singularis enim est tam gratiæ, quàm meriti: tam virginitatis quàm fœcunditatis: tam conceptu, quàm partu: tam Angelica salutatione, quàm Deifica prole.

Aue ergo, Sancte Angele cui loqueris? quod est nomen eius? Est-ne in cœlis scriptum, agnitum, & nominatum? Noui, inquit, eam ex nomine. Quod est nomen? *Et nomen Virginis* MARIA. Hoc nomen benedictum, & H exaltatum in omnibus sæculis: adorandum & colendum gentibus, tribubus & populis. O nomen nominabile! ô nomen venerabile! ô nomen semper nominandum in periculis, semper inuocandum in angustiis! ô nomen sanans palatum se nominans! ô nomen linguam gratificans se appellantem! ô nomen lætificans se nominantem! MARIA, ridet cœlum, cùm audit MARIA. Exultat anima, tranquillatur conscientia cùm audit MARIA. Fugit tentatio, si fideliter reciprocatur MARIA. Tempestas quiescit, si insserit MARIA: vnda stat, si nominata fuerit MARIA.

Sed quid est MARIA? maris stella. Quid est MARIA? Illuminatrix. Quid est MARIA? Domina. O MARIA, ô maris Stella, ô Illuminatrix, ô Domina. O maris Stella, non timet naufragiũ qui ad te potest habere confugiũ: non incurret Carybdim, & Scylleam voraginem. qui te habuerit propitiatricem. O illuminatrix securè transibit per vmbra mortis, qué tu illustraueris quem tu præibis.

A O Domine ego seruus tuus, non semel, sed iterũ non seruus tuus; nec secundò tantum; sed tertiò filius ancillæ tuæ, à progenie in progenies ego seruus tuus: ego mancipium, ego subsellium tuum, ego scabellum pedum tuorum. Si tempestas ingruerit, ô MARIA maris stella eris, si nox tenebras induxerit, Illuminatrix. Si me in seruitutem aliquis malignorum spirituum, per negligentiam meam proclamauerit, tu mihi vera & sempiterna Domina, vendica me in tuum, excusa me vt tuum, libera vt tuum.

Aue MARIA: In palatio æterno, in superliminari templi, in fronte tabernaculi, auditum est & scriptum nomen quod non delebitur, nomen quod describetur à generatione in generationem. *Aue* MARIA *gratiâ plena.* Plenaria infusio venarum diuinarum, quarum emanatio vterum, immò vterum Virginalem impleuit: vt congregaret Dominus sicut in vtre aquas maris. Et sicut appellauit congregationes aquarum *Maria*, sic virtutum coaduuationes in Virgine

B MARIA *Gratiâ plena*, non caperet, non conciperet IESVM, nisi *gratiâ plena.* Semper enim IESVS natauit apud Patrem in mari copiosarum deliciarum. Præmisit ergo matri eamdem nauem in qua natare consueuerat, & alluuione gratiarum alueum eius impleuit, vt meritò diceretur *gratiâ plena.*

Alueus iste gratiarum per diem sole adurente non siccatur, nocte quoque, lunari consumptione non minuitur. Adustio solis eam non penetrat, nec detractio lunæ deuastat. Non enim *gratia plena* esset, si gratia illa pereffluerer, vel nobilitate propria non consistens apud Virginem, vel qualibet rimula negligentiarum à Virgine resiliens. Plenitudo igitur gratiæ, gratiâ plenam facit: & sic in lectulo suo habet, & quo caput reclinaret, & quo pedes protenderet diuinitatis. Ecce ego sto iuxta fontem aquæ, igitur puella da mihi bibere, quia superabundas dono donandi, & voluntate largiendi. Si voluntatem dandi haberes, & quid dares nihil haberes, non esses *gratiâ plena*, sed dimidia: iterum si haberes

C quod dare nolles, non esses *gratiâ plena*, adhuc amplius si haberes & dare velles, sed sine licentia non auderes; non esses *gratiâ plena.* Quartò etiam si haberes, & dare velles, & sine licentiâ posses, sed detrimentum timeres, non esses *gratiâ plena.* Quintò denique si haberes, si dare velles, & defectum non timeres, sed non cuilibet dare posses, non esses *gratiâ plena*.

Quæ igitur habes quod des, & voluntatem habes dandi, & potestatem cuiuis sine timore damni, da mihi aquam de hydria tua, vt bibam: *gratiâ* enim *plena* es. Adeo plena, vt in scapula sua plenam de fonte ferentem occurrerit seruus Abrahæ, fortè vt biberet cœlestes virtutes, quæ nos transcendunt ab humero, gloriâ, honore, & fœlicitate cum Deo iam regnandi, sed deposuit puella hæc hydriam in vlnis suis cum audiuit, pauxillum aquæ ad sorbendum mihi præbe de hydria tua, quia sanctorum in hoc sæculo laborantium desideriis clementer accurrit, & sitim eorum suis auxiliis extinguit.

D Tertiò denique *gratiâ plena* verè de superabundanti gratiâ camelos non petentes, sed desiderantes potat, in canalibus effusâ aquâ, quia sicut filiis coruorum inuocantibus eum Dominus dat escam. Præuenit enim in benedictionibus dulcedinis quosdam peccatores Deus, præuenit & MARIA in respectu auxilij quosdam peccatores: vt antequam petant accipiant. Ecce *gratiâ plena*, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ecce paradisi flumina irrigant vniuersam superficiem terræ. Ecce diluuium aquarum multarum. Ecce fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ecce MARIA *gratiâ plena.* Ipsa apud Filium suum pro nobis interueniat; vt de gratia MARIÆ, gratiam accipiamus filij MARIÆ qui, viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia, &c.

E

SERMO IV.

In Annuntiatione Dominica.

AVe MARIA *gratiâ plena.* Vascula nostra priori sermone tamquam oleo infusa, non eo deficiente, sed gratiosiùs adhuc redundante eius liquoris gratia, vasa hesterno die defuerunt, quæ caperent superinfusionem illam quæ adhuc stillabat. Mutuauimus ergo vasa vacua non pauca; & hodie deferimus ad fontem olei, præsumentes quod si tam sapida fuit aqua de fonte aquæ, quale oleum erit de fonte gratiæ? Pernoctauimus certè, & quia meridiari sumus inter duos aceruos, quorum vnus est, *Gratiâ plena*, alter *Dominus tecum*, Quid est hoc? huic indè fons vitæ profluit. Sed quia de *gratiâ plena*, & si non plenam, saltem quantulumcumque gratiam prælibauimus. Ad *Dominus tecum*, mansionem faciamus; & exinde quod Dominus dederit, eloquamur. F

Dominus tecum. Nisi repetitum, nisi recogitatum, nisi masticatum, non sapit quod sapit *Dominus tecum.* Morigera ergo consideratione versans atque recursans in ore & corde, quid dulcedinis, quid saporis retineat *Dominus tecum*, noli sicut stultus semel totum deglutire *Dominus tecũ*: sed in dies & annos repone tibi partes, & eis qui non præparauerunt sibi. Si diceret Archangelus Dominus mecum, verum diceret, & satisfaceret de fide nuncij; quatenus non hæsitaret credere nuncio, cum quo Dominus esset. Rursum si diceret Dominus secum in cœlo est, & eius nuncius ad te in terra descendo, verum similiter diceret, & mittentis auctoritatem commendaret, Tacito ergo quod verum quidem, sed non nouum, nec mirum erat, protulit quod verum, & nouum, & mirum erat.

Verum quia sicut erat prædestinatum sic iam fuerat implendum. Nouum, quod vtique solum sub sole fa- Eccl. 3. 10.
ctum est nouum. *Nihil*, inquit Scriptura, *sub sole sit nonum.* Sed hoc nouum nouorum, & omnium nouitatum sub sole factum est nouũ quia neque in cælo, neque in terra, ortum vel auditum fuit tale aut tantum nouum. Tale non fuit, quia non fuit simile. Tantum non fuit, quia etsi aliquando aliquid noui contingit; non fuit tamen illud nouum tantum. Quale est hoc nouum? *Verbum caro factum est.* Quantum est hoc nouum? Exsuperat proculdubio omnem sensum. Quantum, inquam, est hoc nouum? Etsi non potest dici illud quantum, dicendum tamen est aliquid de illo: non quantum sit, sed quantum credi & capi possit. G Ioan. 1.

Fit homo Deus, & Deus homo: nihil mirabilius, nihil factum est maius. Quàm mirabile est Deum hominem fieri: tam grande est hominem in Deum assumi. Indicibilis est illa Dei exinanitio, ineffabilis est hominis sublimatio. Non potuit Deus vltra exinaniendo se humiliare, non potuit Deus hominem vltra se sublimare. Quasi igitur amplexu firmo vtraque natura Dei scilicet, & hominis copulantur in vtero Virginis, vbi ille magnus Propheta contraxit se ad mensuram paruuli; & solium Dei inclinauit se ad profundum nostrum: nostrumque profundum excreuit ad solium Dei excelsum & eleuatum. H

Sed quis in hoc adiuuit Spiritum Domini, nisi MARIA? Quis expensas subministrauit laboranti nisi Virgo virginum, quæ carnem & sanguinem, de intactis & sacrosanctis, visceribus incarnando verbo pro nostra reparatione præparauit, ideo ad eam dicitur: *Dominus tecum.* Sine te quidem Dominus, per se solum, hominem creauit, sed tecum, & in te, & ex te reparauit. *Tecum* quidem, quia naturam diuinam in humanam non confundit. In te, quia in vtero tuo copulam illam vniuit. Ex te, quia in carne de te sumpta, passionem consummauit. Honor tibi, quia tecum. Amor quia in te. Compassio seu congratulatio, quia ex te. Compassio quidem pro pœna mortis. Congratulatio pro gloria resurrectionis.

A Honorabilis ergo, amabilis & laudabilis es; quia ſaluti noſtræ cooperata es: quia officina ſaluationis facta es: quia cauſa & materia ſoluendi pro nobis debiti à te ſuſcepta eſt. *Dominus tecum.* Multum ad te, & ad omnem creaturam, vt ſit cum Domino. Quid verò hoc ampliùs honoris habeat vt ſit Dominus tecum, quis cogitare ſufficiat? Gedeon dictum eſt, *Dominus tecum virorum fortiſſime.* (Iud. 6. 12.) Sed cum Gedeone Dominus, vt daret illi victoriam inimicorum ſuorum. Tecum verò Dominus, vt det tibi gloriam ſæculorum. Cum Gedeone ad tempus, vt cum amico. Tecum perpetuo, vt filius. Cum Gedeone ſimpliciter, per collatam gratiam. Tecum multipliciter, & ſingulariter, per aſſumptam humanam per te naturam.

Dominus tecum in cogitatione ſancta, in affectione pia, in voluntate recta, in intentione pura, in deſiderio futurorum, in omni motu interiori regens in bono, & exteriori compeſcens à malo, in ſermone vero, in opere iuſto, in ore pudico, in oſculo ſancto, in aure parata ad obedientiam, in manu tornanatili ad eleemoſynam, in pede veloci ad releuandam aliorum miſe-B riam, in ſingulis & in omnibus partibus corporis tui per diſciplinam. *Tecum* vterum implens & impręgnans de Spiritu Sancto: ſed non corrumpens, nec onerans ardore libidinoſo: tecum in contemplatione ſubleuata per exceſſum mentis: tecum in actione, humiliata in neceſſitate proximi: tecum viſibiliter: tecum inuiſibiliter: tecum leuans te ad cœlum: tecum conſeruans te in mundo: tecum per gratiam ſaluantem: tecum per ineffabile gaudium: tecum per æuum. *Dominus tecum* excellenter, tecum incomprehenſibiliter.

Benedicta tu in mulieribus. Abeat ſibi in malam viam maledictio, & veniat per te ad nos ô Maria, ô Benedicta benedictio. Benedicta tu de rore cœli, & de pinguedine terræ. Benedicta à montibus æternis. Benedicta pluſquã filij Iacob, quorum benedictionibus adiunguntur non optantis, ſed prophetantis animo quædam quaſi maledictiones. *Benedicta tu* in omni benedictione cœleſti. C Benedicta tu, cuius benedictione reparantur quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt *Benedicta tu in mulieribus*, quia per te maledictio mulierum euacuata eſt, opprobrium ſempiternum comparauerat illis peccatum Euæ, ſed ab iſto opprobrio, non ſolùm abſoluiſti, ſed priuilegium indulſiſti, quo ſe tueantur ab obiectione probroſâ dicentes, quia ſi obiicitis Euæ culpam, replicamus vobis MARIÆ benedictionem & gratiam. (*Videtur aliquid deeſſ.*)

SERMO V.

In Annuntiatione Dominica.

(Eſaiæ 8. 1.) S*Vme tibi librum grandem, &c.* Virgo Virginum, quæ aliàs appellatur cella aromatum, hic deſignatur per librum intus & foris ſcriptum: foris humilitate, intùs caſtitate. Intus & foris ſaluo integritatis ſignaculo. Fœcunditate, quia Deum genuit, & hominem. Hunc li-D brum de membranulis primi hominis originali propagatione extractum, tanquam pellem mortui animalis, contactu & contractu originariæ culpæ hiſpidam, quatuor illæ cardinales Virtutes, id eſt prudentia, iuſtitia fortitudo, & temperantia, inuiſibili ſcriptori, ſcilicet Spiritui Sancto præparauerunt, radendo, leniendo, regulando & ſcribendo.

Omnes namque pilos de peccato Adæ pullulantes in carne eius mortali, perfectè fortitudo fomitem peccati debilitando raſit, vſque ad nouiſſimum quadrantem otioſi verbi, & reſolutæ cogitationis. Sic enim in piſtrinum diuinæ Religionis incluſit in ipſis puerilibus annis, vt porta eſſet orientalis clauſa, ſolique principi in ingreſſu & egreſſu Sanctorum peruia. Accinxit ergo fortitudine lumbos ſuos, ne vel minimo luxu aut pulſu illicito concuteretur. *Roborauit brachium ſuum,* vt naturæ lubricum, paxillo fidei immobile ſtatueret. E Originali * igitur, & de peccati fomite peccata prurientia ſic fortiter à Virgine exploſa. (* *deeſt aliquid.*)

Temperantia temperanter operam propriam ſubminiſtrans, aſſumpto pumice mordacis reprehenſionis, & ad proximos benigniſſimæ compaſſionis, ſic exhibuit eam vt conuerſatio illius ſine querela eſſet apud Deum & homines. Hinc eſt quod à Deo viſitata, ab Angelo ſalutata, à Spiritu Sancto impręgnata, compaſſionis gratiam in vacuum non accepit, irregulariter euagando, nec proximam ſuam neglexit, arroganter obſequium non exhibendo: hinc vanitatem fugiens, inde charitatem non relinquens, ſic temperantia leniuit in Virgine quidquid de Adæ intemperantia ſurculus eius contraxit ex conceptione, & ne itinera diuinitatis offenderentur, lapides de via collegit, vt Verbum Dei virginali humanitate, immo humana proprietate formam in qua Patri æquâlis eſt, occultaret, & vtramque naturam Dei & hominis, ſub habitus noſtri littera, legendam traderet.

F Succedit huic regularis iuſtitia, quæ ſic greſſus virgineos in omnibus mandatis, & iuſtitiis domini direxit, vt nec humana iuſtitia omnium iuſtorum illam apprehenderet, nec Angelica præcederet. Nihil ergo inordinatum, nihil non æqua lance penſatum, nihil in alteram partem deuexum aut ſuſpenſum. In omni vita & conuerſatione Virginis iuſtitia præiuit in diſpoſitum.

Iam manum ad ſcribendum apponit prudentia; attramentarium & incauſtũ de ſpinis Dauidici ſeminis in Genealogia Matthæi Euangeliſtæ, ſeu Lucæ conficiens. Vbi reſidente in fundo malorum fæce, ſupernatat pura bonorum gutta, recto tramite vſque ad Virginem deſcendens: vt ſicut de ſpinis roſa, ſic oriatur de peccatoribus Virgo MARIA. Scribit itaque nomen Virginis, ſalutationem Angelicam, vteri imprægnationem, maritalem deſponſationem, & totius Dominicæ Incarnationis ſeriem.

Superueniens quoque Spiritus Sanctus, hanc Scripturam illuminat; ſumptis coloribus in cornu ſublimi G ſolij paternæ ſeſſionis, de quibus capita ſingulorum verſuum, in humanis actionibus deſcriptorum, miraculis coruſcantibus intitulat: vt ſemper in IESV noſtra fragilia tegant diuina opera, & in Matre ipſius conſideretur, & ſexus fragilis ex ſe, & ſenſus diuinus ex filio ſupra ſe.

Tandem ligandus eſt liber iſte grandis, diſciplinæ & religionis angelicæ corrigiis, vt ſemper Gabrielis & Ioſeph vtatur ſolatio, aut ſocietur Ioanni & Apoſtolico choro. Duo capitella huius libri ſunt, Annunciatio Domini, ſiue ipſius Virginis Aſſumptio. Gabriel Miniſter eſt Annuntiationis, vt credo & Aſſumptionis. Tamen primum capitellum mirabili varietate & veritate idem Archangelus contexuit & decorauit; teſte Euangelica lectione, quæ ait: *Miſſus eſt Angelus Gabriel, &c.* Secundum capitellum Ioanni traditum in cruce legimus: vbi in cruce IESVS Matrem & Diſcipulum ſic alloquitur: *Mulier ecce filius tuus.* Ad Diſcipulum autem: (Ioan. 19. 26.) *Ecce mater tua*: & ex illa hora, accepit eam diſcipulus in ſuã.

H Sola firmatoria reſtant; quorum alterum diſponſatio Ioſeph fuit: alterum virginalis incorruptio. Horum alterum diabolo opponitur, ne videat impius gloriam Dei, id eſt deſponſatio. Alterum Philoſophicæ diſputationi, videlicet, incorrupta Virginis fœcunditas: vt omne os obſtruatur & ſubditus fiat omnis mundus Deo. *Sume igitur*, ô Propheta, *librum grandem*, qui de grandi tractat materiâ, diuinæ, ſcilicet Incarnationis, & humanæ reſtaurationis; & ſcribe in eo ſtylo hominis alto propter Diuinitatem; mediocri propter animam; humili & pedeſtri propter carnem ſimul aſſumptam. In hoc ſtylo attende alteram extremitatem acutam, alteram planam; medietatem verò rectam, & tractabilem.

Chriſtus IESVS venit vitia pungere, vt homo compungeretur *dum configitur ſpina. Pœnitentiam*, inquit, *agite.* In punctione autem ſanguis educitur cum dolo-

lore

A lore;quia mens verbo Dei compuncta,de peccato gemit in confessione comedens verò & bibens cum publicanis & peccatoribus socialem se præbuit Dominus Angelorum, *habitu inuentus vt homo* in humana conuersatione; tam misericors pœnitentibus, quam contrarius peccantibus. Remittit ergo peccata tanquam ex superiori parte confitentibus, quæ vt homo improperat ad hoc vt quæratur medicus? vnde in Psalmo dicitur ei: *Intende* Ps. 44. 5. *prospere procede, & regna: propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam.* Veritas monet non peccare. Mansuetudo tolerat nolentem redire. Iustitia liberat volentem ad Deum redire. Hic est stylus hominis.

Esa. 8. Scribe ergo stylo hominis; *Velociter spolia detrahe, citè prædare.* A matre spolia accepit, siue detraxit, cum de carne eius & sanguine, naturam humanam in vnionem Verbi assumpsit. A Patre quoque quodammodo spolia detraxit; cum formam Dei Patris, in qua ei æqualis est, sub vmbraculo humanæ speciei, ne videretur B reposuit, & semetipsum exinaniens, formam serui, in qua appareret hominibus, accepit. Ab hominibus spolia accepit & detraxit: dum ab errore in fidem suam conuertit; vel aperto, vel occulto martyrio exposuit. A diabolo spolia detraxit, dum ipsum in cruce triumphans, inferna confregit ad se omnia sua traxit.

Sed quod dicitur spolia detrahe, factum est in prædicatione, quod dicitur citò prædare, in passione. Vn- Gen. 49. 9. de: *Ad prædam fili mi ascendisti.* Velociter hoc fit & citò; quia velociter currit sermo eius. Quia subest ei cum voluerit posse. Quia omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Quia dixit fiat, & factum est. Sic tu bone Christiane, velociter spolia peccatorum detrahe à conscientia tua per confessionem. Citò prædare gratiam Dei per satisfactionem, vt in libro tuo scribatur IESVS per sanctam conuersationem; immo in libro Dei scribatur nomen tuum, per peccatorum remissionem, quam nobis præstare dignetur CHRISTVS IESVS; qui C viuit & regnat, &c.

SERMO VI.

In Annuntiatione Dominica.

I rem. 18. 14. N*Vnquid de petra agri deficiet nix Libani; aut euelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?* Præsens huius diei solemnitas præclara est, vt nix æterna, quia nunquam deficiet: pura, emundans omnes antiquas peccatorum sordes; tanquam aqua frigida mitigans Dei iram, & hominis per pœnitentiam, futuram pœnam. De diuinis visceribus erumpens, propter nimiam charitatem Dei, & diuitias misericordiæ eius. *Libanus* est cœlum cœlorum. *Nix* est sapientia Patris, *Verbum in principio apud Deum.* Candor lucis æternæ. Speculum sine macula. Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. *Petra*, Ecclesia, vel Virgo Maria. *Ager* mundus. *Aquæ* D *erumpentes*, gratiæ de ore & pectore IESV defluentes, quibus sanabantur omnes quotquot tangebat. *Frigida*, ardentes concupiscentias temperantes.

Isaac benedicens Iacob hanc prænuntiat annuntiatio- Gen. 27. 27. nem dicens: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & olei.* Odor IESV, odor suauissimus, cuius vtraque natura & Angelos in Patria sola odoris visione pascit, in quem desiderant Angeli prospicere, & sua vmbra homines regeneratos ex aqua, & Spiritu Sancto viuificat & confortat sui corporis & Sanguinis Sacramentali cibo. Sed quia adhuc paruuli necdum attingimus, vt Angeli, solidum illum cibum, quem cum illis sumpturi sumus, cum eis æquales fuerimus ad nostrum panem quotidianum accedamus, & de semine atque terra, & rore, & agricola, qui in sacco semen attulit, & terræ commendauit, breuiter videamus.

Semen est Verbum, Terra, Virgo Maria Ros Spiritus Sancti gratia. Agricola Gabriel Archangelus, qui in- Luc. 1. 28. gressus ad Virginem, ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* hæc pinguedo terræ. *Spiritus sanctus superueniet* E *in te*: ros de cœlo. Conceptus, IESVS de Spiritu sancto ex Maria Virgine, videlicet ex humore Virginis, vnde caro & sanguis: & calore Spiritus Sancti, vnde anima & Verbum Dei Ros refrigerat; fœcundat, humectat, penetrat, mundat, silenter intrat, calorem & serenitatem diei prænuntiat. Sine rore sterilis est terra, macra, vacua. Vnde Psalmista: *Anima mea sicut terra si-* Ps. 142. 6. *ne aqua*, id est sine gratiâ. In creatione autem cœli & terræ Spiritus Dei ferebatur super aquas, calefaciens & fœcundans eas, siue per Baptismum, siue per compunctionem lacrymarum: nam & in Baptismo totam remissionem peccatorum operatur Spiritus; & in compunctione adiuuat infirmitatem nostram.

Refrigerat itaque æstus libidinis; fœcundat voluntatem, quæ cupit desiderare iustificationes Domini. Humectat terram australem, cui Axa filia Caleb, rogat iungi F irriguum superius, quod est cœleste desiderium cum gemitu malorum præsentium. Penetrat medullas, vnde offerat holocausta medullata. Mundat fide inquinamenta carnis & spiritus. Silenter intrat, *quia spiritus vbi* Ioan. 3. *vult spirat, & vocem eius audis, sed non scis vnde veniat, & quo vadat.* Serenitatem diei prænuntiat, quia requiem & futuram gloriam & promittit, & donat. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, cuius aquæ euelli non possunt erumpentes frigidæ, & defluentes.

Testatur Petrus in Actibus Apostolorum quòd aquæ Actor. 11. 16. erumpentes euelli non possunt; Cùm enim ingrederetur ad viros præputium habentes, ex Iudæis conuersi murmurabant aduersus eum; quibus ait: *Si ergo & illis* Gen. 45. 30. *dedit Deus gratiam, quis ego eram, qui possem prohibere*, Ex oculis Dei eruperunt lacrymæ, sicut de Ioseph dicitur: *Erumpebant lacrymæ, & non poterat se continere:* quando filium suum misit in mundum, & Spiritum sanctum in Apostolos tunc enim distillauerunt à facie Dei Sinaï, à facie Dei Israël. Quando pluuiam voluntariam segregauit Deus hæreditati suæ. G

Sunt etiam *aquæ erumpentes* de montibus; misericordia & veritas, quæ obuiauerunt sibi: iustitia & pax quæ osculatæ sunt; tam in Incarnatione Christi, quàm in Passione: nec non & in Resurrectione, atque Ascensione. Misericordia præcedit in Incarnatione: Iustitia in Passione: pax in Resurrectione: similiter omnibus occurrit in Ascensione. Non enim secundum peccata nostra reddidit, cum semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Diabolo soluit vsuras pro nobis in Cruce, quando non peccator, non iustus tantum; sed Dominus ipse gloriæ, crucifixus est & mortuus; quod est iustitiæ.

De mortuis denique resurgens tanquam columba ad arcam, id est, Apostolos rediens, ramum oliuæ in ore attulit dicens: Pax vobis. Aquæ istæ à mente Dei euelli non possunt: misericordia enim eius ab æterno vsque in æternum & in æternum veritas eius permanet in cœlo, iustitia eius manet in sæculum sæculi, & pax eius quæ exsuperat omnem sensum; & fines Ierusalem posuit pa- H cem: ad quam nos perducat ipse IESVS, qui est pax nostra; qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO. VII.

In Annuntiatione Dominica.

REplicatis apud Patrem vnicus Filius regalibus ornamentis, quibus insignitus splendor paternæ gloriæ in splendoribus Sanctorum, ante Luciferum genitus irradiabat, hodie à regalibus sedibus descendit, & cellam vinariam, cellam aromaticam, seipsum exinaniendo intrauit. O cella benedicta! ô cella beata? paradiso iucundior, cælo sublimior, Angelis beatior, pande sinum, aperi ostium, resolue pessulum, festinanti, venienti, & currenti ad nostrum suffragium, ad naufragantis subsidium, ad desperantis remedium: grande habet nego-

tium,

A tium, sed, secretum, ideirco in secreto tuo silentio excipe illum.

Postponit palatia regum, propter discursantium tumultum: Synagogam respuit Sacerdotum propter auaritiam & calumniam pauperum. Ab initio æternitatis radius beneplaciti sui in te directus, donec veniret tempus miserendi, te sibi fabricare distulit: at postquam in fine sæculorum viscera pietatis suæ continere non potuit, de grandi sylua generis humani, in securi beatricis potestatis, & ascia inconuulsæ charitatis, præcidit ad vmbraculum suæ operationis ramusculos pulcherrimæ arboris, & opere incomparabili officinam Verbo incarnando aptam, & solius Dei receptiuam construxit Hanc extra circumliniuit specie & pulchritudine, quam rex concupisceret: intus repleuit optimis cœli meritis; nullo modo ante pretio emptis vel adeptis.

Fidelissimum & notissimum Gabrielem nuntium futuræ matri præmisit qui eam salutaret nouo salutandi modo; instrueret diuino oraculo; lætificaret dono

B præsenti, & affuturo promisso certificaret de mandato iniuncto. Fidelis quoque Dominus in verbis & operibus suis præuenit, & cum legato suo venit: quia emittit eloquium suum terræ, id est Mariæ: velociter currit sermo eius. Inter cætera etiam munera amoris, dat niuem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suam sicut buccellas. Nix designat castitatem. Lana fœcunditatem. Nebula Ioseph desponsationem. Cinis diaboli & Iudæorum cæcitatem. Crystallus Dei & hominis vnionem. Buccellæ corporis & sanguinis Christi communionem.

Tota pulchra & candida virginitas, pruritus carnis, & impetus nescit: nullos infamiæ strepitus de continentiâ suâ facit. A Deo desursum descendit, & sæculares actus abscondit. Fœcunditas verò quæ Deum hominem parit, mirabili modo Deum hominem induit & hominem assumptione Dei calefacit, quatenus naturæ ad inuicem liquescant affectione & inseparabili vnione, sed nulla dehiscant mutatione proprietatis aut confu-

C sionis versibilitate. Desponsatio proinde Virginis Ioseph velamen est & obumbratio, ne impius Diabolus vel Iudæus videret gloriam Dei & non Dominum glorificaret, sed Virginem lapidaret aut infamaret, vnde

Psal. 139. 8. in personna Christi Psalmista: *Obumbra super caput meum in die belli*; vt sicut Spiritus sanctus obumbrauit Virginem ad concipiendum Dominum, sic Ioseph obumbraret ad defendendum conceptum.

Deinde obscuratum est insipiens cor inuidorum turbante oculos eorum cinere quo diabolus timebat perdere potestatem in homine, & Iudæi locum & ciuitatem; proinde in Incarnatione Verbi naturam humanam fluidam, instabilem, omni vento circumagitatam virtus immutabilis consolidauit, & Diuinitati affigens, ad stabilitatem æternitatis prouexit. Quamvis autem ad Patrem Homo Deus ascenderit, buccellas tamen in cœna consecrauit, accipiens panem & calicem ac benedi-

Mat. 26. 11. cens, Apostolisque tradens: Hoc est, inquit, corpus meum, & hic est Calix sanguinis mei: hoc facite in

D meam commemorationem. His Apostoli saturati di-

Luc. 22. miserunt reliquias suas paruulis suis. Sed vide ordinem

Hebr. 11. 1. quo accedas ad buccellas. Prius habenda nix castitatis, lana charitatis, deinde nebula fidei, quæ est: *substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium*. Deinde Cinis pœnitentiæ, audiens, memento quia cinis es & puluis es, & in cinerem & puluerem reuerteris. Deinde Crystallus nouæ religionis, & secundæ professionis, ad vltimum buccella secundæ admonitionis.

Si homo ad ostium cellæ, seu speluncæ virginalis cum Elia operto vultu pallio resederis, audies sibilum auræ tenuis dicentem, quid hic agis Elia? & ille, Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & quærunt animam meam? & ecce spiritus grandis & fortis subuertens, montes, & conterens petras ante

3. Reg. 19. Dominum. Non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio, non in commotione Dominus. Post commotionem ignis; non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis, & dixit. Quid hic agis Elia? E

Allegoricè, mentem Prophetæ diuina reuelatio tangit, & cursum temporis vsque ad incarnationem Christi per spiritum grandem & fortem, per commotionem & per ignem, & per sibilum auræ tenuis distinguit. Specie grandis & fortis subuertens montes & conterens petras, ita Dei fuit, quâ Luciferum de Cœlo, & hominem de Paradiso expulit. Commotio est temporalitas & passibilitas quam homo metuit. Ignis lex Moysi, quæ dicitur ignea, quia in igne data fuit. Sibilus auræ tenuis, Nuntius nostræ reparationis. An non est sibilus mitigationis *Aue gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui?* Hoc sibilo Domine, mitigasti omnem iram tuam, & sibilasti muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, id est culpæ damnabili, & api quæ est in terra Assur; id est pœnæ pungenti, Christus enim de peccato damnauit peccatum; videlicet de pœna suæ passionis deleuit & culpam & pœnam nostræ præuaricationis. F

Antequam verò introspiciamus speluncæ seu cellæ nostræ secretissima penetralia, moraliter assignemus spiritum grandem, & fortem subuertentem montes, conterentem petras Verbum prædicationis quo superbia nostra humiliatur, & duritia emollitur, est specie grandis, sed non in spiritu Dominus: *Accedit homo ad cor altum, & exaltatur Dominus*, quia per spiritum Psal. 63. 7. commotio, & Angelus descendens in piscina, facit commotionem aquæ; dolorem vtique de malis in corde, nec in commotione Dominus, qui cum tranquillitate omnia iudicat, & post commotionem ignis, scilicet confessio oris, quæ vsque ad cinerem peccata tamquam ligna extenuat Hoc in igne Dominus, quia dignum fructum pœnitentiæ expectat. Et ecce sibilus auræ tenuis dicens. Dimissa sunt tibi peccata tua quoniam dilexisti multùm.

Sed quid tibi aura tenuis? gratiæ inspiratio. Quare aura, quare tenuis? quia temperatissimè æstus præsentis & futuri mali mitigat ideo aura; quia verò præsumptionem & desperationem tollit, ideò tenuis. Sibilus quid? G

Quiescite agere peruersè, discite benè facere. Ex his quasi duobus labiis sibilus medius egreditur, quia spe bona anima fouetur & fruitur. Rursus ad ostium Virginalis speluncæ aspectus furtiuos raptim iniiciamus, inquirendo quid Angelus tympanizet ad aurem; quid Spiritus sanctus citharizet ad mentem; quid digitus Dei segreget de carne ad carnem; quid odoris, quid suauitatis, quid inexpertæ delectationis mutuent ab hospite suo interiora Virginis. Dic nobis aura tenuis. Esaiæ. 1. 16.

O Maria ecce vnguentum exinanitum omnia vasa tua impleuit; ecce dolia tua plena sunt vino meracissimo; ecce scrinia tua referta sunt vestibus valde bonis: ecce in arca tua est *panis viuus qui de cælo descendit: Ecce lectulus tuus floridus*: ecce domus tuæ ligna cedrina: laquearia cypressina: columnæ portantes quatuor parietes; Prudentia, Fortitudo, Iustitia, Temperantia: ecce sedes Sapientiæ parata, quæ docet facienda & non facienda, intellectus legit & intelligit omnia in Scriptura diuinitus inspirata. H

Consilium disponit omnia, Fortitudo regit & gubernat naturæ impossibilia, Scientia discernit mores, actus dicta & cogitata singula: Pietas excipit cunctorum contraria, & expendit propria; Timor custodit ianuam, ne quid irregulare ingrediatur, aut egrediatur, cantat symphonia, vnio personæ, cantat chorus duarum naturarum inconfusè, cantat ipsa Maria in tympano carnis maceratæ & afflictæ; cantat spiritus in cymbalis iubilationis; laudat omnis spiritus & Matrem, & Filium Dei, & Filium Virginis.

SERMO

A

SERMO I.

De Passione Domini.

Psal. 42. 1. *IVdica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Vestigia Christi sequentes, fratres Charissimi, vsque ad passionem eius accessimus. Vtinam nec in passione ab eo discessuri quousque finem cum Petro videntes, sine fine societatem eius teneamus. Expressa itaque vestigia & signata defluxione sanguinis qui de pedibus profluxit, vt intinguatur pes tuus, ô bone Christiane, in sanguine Agni, obsecua dicens cum sancto Iob. Iob. 23. 11. *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex ea, & à mandatis labiorum eius non recessi.* Aliis tamen cum IESV vtitur vestigiis in cœlo, aliis in mari, aliis in inferno: gloriosa vestigia CHRISTI in cœlo, casta in terra, mirabilia in mari, potentia in abysso. B Vide potentiam in abysso. Vectes ferreos confregit: draconis capita qui ibi cubabat amputauit: diuitias quas deuorauerat de ventre illius extraxit. Rete suum piscibus Patriarcharum, Prophetarum impleuit: thesauros ibi absconditos ab initio mundi in manu potenti & brachio extento recuperauit.

Ista sunt vestigia, hæc deambulatio Dei apud inferos. Tamquam potens potentissimè accinctus circa femur suum gladio illo quo interficit Antichristum, officinas infernales circuiuit, & sicut de iure suo nihil dimisit, sic inimico de suo nihil abstulit: tam iustus fuit, cùm non suos reliquit, quam pius cùm suos asportauit. Non de impossibilitate fuit, quòd omnes non liberauit, non de crudelitate, non de obliuione, sed de iustitia, sed de veritate, sed de apprehensione stateræ iustæ. Ecce hæc sunt vestigia Christi in inferno inferiori.

Item vide ambulantem super aquas & attende miraculum C Hominis Dei, immo Dei Hominis, tenera scilicet corruptio peccati non erat in corpore illo plus cœlesti propter spiritus sanctificationem, quàm terrestri propter terrenam inhabitationem: sic nulla grauedo oppressionis deprimebat illud, vt ad negligentiam sui propositi, vt ad inefficaciam sui beneplaciti. Quam facile enim animus eius poterat aliquid velle, tam facilè sine difficultate poterat posse. Ideo quando voluit, super aquas ambulauit. Hoc de vestigiis eius in aquis, vbi sine vestigio ambulauit, cùm vestigia sine vestigio impressit. Petrus & reliqui alij similes Petri, nouerunt vestigia eius sequi vt dicant in Ecclesia, *vestigia eius secutus est pes meus.*

Iam de vestigiis humilitatis eius videndum, & his attentius insistendum, quia de his dicitur in Psalmo; Psal. 16. 5. *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.* Sunt autem semitæ stricta itinera, id est duorum pedum, quasi media itinera, nec immeritò viæ IESV dicuntur potiùs semitæ quàm itinera, quia nulla euagatio, D nulla effrænatio ad illicita in via illa quæ dicit: Ioan. 14. 6. *Ego sum via:* arcta enim est & augusta, & pauci qui inueniunt eam: orat proinde ille qui dixerat, vestigia eius secutus est pes meus, & dicit perfice, id est vsque in finem dirige gressus meos, id est actiones meas in semitis eius, id est in castis exemplis & operibus pietatis: vt non moueantur vestigia mea aliqua tentatione vel suggestione inimici, à charitate & imitatione tua.

Quæ sunt verò eius vestigia? Ecce audi quæ sunt eius vestigia. Conceptus est de Spiritu Sancto. Ecce primus passus de vestigio. Natus est de Maria Virgine, secundus passus. Positus est in præsepio, tertius eius passus. Circuncisus est Octaua die, quartus passus. Oblatus est in Templo, quintus passus. Baptisatus est à Ioanne sextus passus. Ieiunauit in deserto quadraginta diebus; & quadraginta noctibus, septimus passus. Tentatus est Tertiò à diabolo, octauus passus. Prædicauit, & E miracula fecit, nonus passus. Transfiguratus est coram Apostolis, decimus passus. Venditus est à Discipulo suo, vndecimus passus. Et crucifixus est, duodecimus passus. Mortuus est, decimus tertius passus. Sepultus est, decimus quartus passus. Hucusque vestigia eius in terra.

O Domine IESV Psal. 15. 11. *notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Viæ istæ, viæ pulchræ, & omnes semitæ istæ pacificæ; perfice igitur gressus meos in semitis tuis, vbi tanta itineris religio & distinctio est, vt vix iustus religionem, sapiens distinctionem presso gradu valeant tenere. Consequenter ergo sequamur Iesum conceptum de Spiritu sancto, ab eodem accipientes inspirantem gratiam: Natum de Virgine Maria, adiuti à gratia, adiungentes gratiæ liberum arbitrium. Positum in præsepio, humiliter de nobis sentiendo. Circumcisum, superflua primæ natiuitatis amputando. Oblatum in Templo; corpora nostra templum Spiritus sancti faciendo. Baptisatum à Ioanne, in Confessione nos purgando. Ieiunantem in deserto, abstinendo: F Tentatum, tentationibus resistendo: Transfiguratum, Corpori IESV nos conformando. Passum, omnem iniuriam patienter tolerando. Venditum, nostris voluptatibus renunciando, diuinis iussionibus nos mancipando. Crucifixum, vitia nostra mortificando: Mortuum, mundo moriendo: Sepultum, futurum Iudicium in pace expectando. Igitur; iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.

Attendite Fratres charissimi Dominum nostrum dicentem iudica me Deus &c. & commoueantur viscera vestra si bene consideraueritis quàm pius sensus contineatur in verbis istis. IESVM itaque filium Virginis, hominem sine peccato, qui in Euangelio præsenti dicit: Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Æstima te in capitulo Scribarum & Phariseorum expoliatum & nudum sub virga correptionis, seu baculo flagellationis ad * Abbatem suum dicentem, Iudica me Deus. Iudæi enim expoliauerunt eum, Pilatus flagellauit. O pietas cordis, ô commotio superliminarium cœli & terræ! G Pilatus flagellat IESVM; & quid facit, quid dicit IESVS, quid balat Agnus? Iudica me, &c Fratres, Gal. 6. *vnusquisque*, ait Apostolus, *portabit iudicium suum*, & iste portauit nostrum, non suum iudicium, nisi fortè quia nostrum fecit suum: non participatione delicti sed ratione vnctionis Dei & hominis: dorsum proinde suum pro nostro exponit, vt super illud fabricarent peccatores fabricam dolorum & vulnerum: disciplinam pacis nostræ pertulit, & reatum delicti vnde arguebamur tulit.

Iudica me, inquit, Deus, &c. quomodo? & discerne causam meam degente non sancta. Nam causa mea est redemptio hominum, causa mea est ipse homo pro quo veni vt liberarem eum: discerne ergo Deus meus causam meam, vt ista discretione quid ponderis habeat passio mea, quid damnationis culpa Adæ, quid pensi ita patientiæ appendatur, & iusto examine trutinetur, quia fauorabiliores sunt res magnæ quam actores: vnde non solùm veniam, sed gratiam inueniat homo sedocibilis propter inexpertam peccati nouitatem. H Non viderat enim alium hominem ante se peccasse, nec putauit tam acerba & prolixa vexatione puniendum vnum morsum vetiti pomi. Discerne ergò causam meam à causa diaboli, discerne & à causa primi hominis, discerne causam hominis & diaboli, discerne causam meam secundi hominis à causa primi hominis, vt non sicut delictum, ita & donum; delictum Sathanæ sine remedio manet, delictum Adæ & actu & reatu manet vsque ad mortem meam, sed per me redemptis de filiis eius transit reatu non actu.

Quid est autem peccatum transire reatu nisi imputari? Quid est transire actu; Prorsus desinere peccare, & sine peccato esse: sed nulli datum est hoc nisi Deo Homini; nisi ei qui de Spiritu sancto conceptus est, & eius beatæ Genitrici post illam obumbrationem Spiritus sancti, quia tota circumuoluta; & induta, sic tota occupata fuit à gratia, vt locum deinceps nullum inueniret

A vel leuissima culpa. In cæteris ergo regnauit mots peccati ab Adam vſque ad Chtiſti paſſionem vtroque pede, id eſt actu & reatu; ſed claudicare cœpit *contracto prorſus nerno femorts*, dum reatus donatus eſt nobis in motte Chtiſti. Debilitato etiam pede alio dum fomes peccsti aſperſus ſanguine Chriſti & ſegniùs deinceps mouete ad malum potoit, & validiotibus articulis dolere cœpit: hoc eſt ergo, diſcerne cauſam meam de genre non ſancta; vt cauſâ eius homo libererut, & diabolus elidatur, homo iam liberetur reatu. Gratias tibi Domine agimus, quia cauſa tua tam bona fuit, vt de noſtra mala faceres bonam, qoi com Patte viuis & regnas per omnia, &c.

SERMO. II.

De Paſſione Domini.

B Exod. 13. *ISti ſunt dies quos obſeruare debetis, primo menſe, quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azyma vſque ad diem viceſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam.* Paulus Apoſtolus cum gtaui incomminatione redarguit illos qui obſetuant dies, menſes, & annos

Gal. 4. 10. dicens: *dies obſeruatis & menſes, & annos. Timeo ne ſine cauſa laborauerimus in vobis.* Lex autem Moyſi, imò Dominus in Lege mandat obſeruari dies iſtos: quæſtionis itaque diſtinctionem non contradictionem notare in his verbis debemus; eſt namque obſetuatio religioſa, & eſt obſetuatio ſuperſtitioſa. Planetarum & ſtellatum curioſi inueſtigatores quando cuttant, quando tettocedant, quando oriantur, quando occumbant, &c. huiuſmodi ſumma circonſpectione attendunt, & ſecundùm hoc vitæ proſpeta ſeu infortunia auſpicantur. Hæc vaoa & peſſima obſetuario eſt, quam Apoſtolus ptohibet.

Illa verò teligioſa obſeruatio eſt, quâ Natiuitas Chriſti ſecundùm carnem obſetuatur, vt tam ſolenni quàm

C digna celebritate opus illud tantæ pietatis, ſuo tempore recolatur. Illa quoque obſetuatio teligioſa eſt quâ tota intentione Paſſioni Dominicæ, & Reſurrectioni mentem noſtram dedicamus, vt ſi poſſit fieri nihil aliud corde, nihil aliud ore oiſi Chtiſtum crucifixum verſemus, quoosque reſurgentem cum Maria Magdalene oculis Fidei videamus. Planè religioſa obſeruatio eſt qua ſanctos honoramus, & ſingulis anniuerſariis, ſingulos die congruo commemoramus. Dicenda ergo ſunt aliqua de obſetuatione, vt ſicut verbi gratia, qui potionèm ſumere vult, aliam haber obſoruantiam antequam accipiat, aliam cum accepit: ſic qui animæ ſuæ potionis temedia intendit adhibere, quætat à medico præcepta obſetuantiæ, & obſeruet, ſiue ante, ſiue poſt medicinam. Non abs re verò exemplum cotpotalis potionis ſpitituali adaptare propoſui, quia pet viſibile apprehenditut inviſibile, & per ea quæ exteriùs fiunt, dicimus quæ fieri interiùs debeant.

Maximus ergo ille Medicorum Medicus CHRISTVS

D IESVS venit ad domum ægrotantium, & plurima antidotorum geneta deſcrens, præ aliis vnum efficaciſſimum detulit, quo guſtato non ſolùm languidi curarentur, ſed etiam mottui ſuſcitarentur. Sed quia odore gtaui, guſtu amaro, tactu mordaciſſimo auſus illorum reprimebat, quorum virtus ſine ipſo deficiebat; & qoorum fotmido languida illud tangere non poterat: prægustauit ſine ſua neceſſitate antidotum Paſſionis, crucis, & mortis, & exemplo guſtabile fecit: guſtauit enim

1. Petr. 2. 21. gratia Dei pro omnibus vt ait Apoſtolus mortem, *Nobis verò relinquit exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* Propoſuit tam amarum poculum, vt quò validiùs langor validus obſtabat ad ſanandum, eò fortiùs amaritudo potionis premeret & repelleret venenum. Longus ſiquidem motbus & inueteratus, non niſi fortiſſima potiooe citò curabitur. Vetuſtiſſima verò computruerat antiquitate genus humanum à peccato Adæ vſque ad mortem Chriſti.

Certè vſuræ tot & tantæ ipſi principali motbo accreuerant, augmentatiooe actualium ad originale peccatum, vt iam quaſi nullius momenti teputaretut ipſum capitale, comparatione adiectiuorum. Et vſuris ergo non nummorum, ſed peccatorum & morborum volens animas redimere & liberate, quæ non rapuit exoluit: aceto & felle potatus, paſſus, crucifixus, mottuus & ſepultus: in articulo illo ſolus bibit, quia ſolus torcular calcauit. Tam amarum quidem fuit poculum, quòd cùm guſtaret, noluit bibere, quòd dentes eius obſtupuerunt, quòd oculi præ copia ſalſuginis & amatitudinis elanguerunt, omnes enim diſcipuli relicto eo fugerunt. Tandem melle teſutrectionis adiuncto morti, tertia enim die ſurrexit, paulatim numetus credeotium bibete in aqua baptiſmatis cœpit ſatis dulciter, quod Apoſtolotum chorus expauit in paſſione mirabiliter. E

Tertism denique potionem non omittamus quæ media eſt inter Baptiſmum & Euchariſtiam, quæ eſt pœnitentia. Nunquam equidem reſumitur potio Baptiſmatis quix noo reiteratur, potio verò Euchariſtiæ totiens F ſumi poteſt ſine periculo & cum remedio, quotiens exigit fidelis animæ deuotio. Vtraque autem iſtarum potionum qoantùm ad exterius miniſterium nec ipſum grauat miniſtrum, nec cui ptæbetut hoc myſterium. Tertia verò potio corporalitet ſe ipſam bibentem acriter pungit, ſicut ſcriptum eſt: *Quia amara eſt potio bibentibus illam.* Tota enim conſiſtit in amarituidne, vt per Eſa. 24. 9. amatum poculum obtineamus motbi remedium; iſta Matt. 3. 2. viam facit & præparat aliis potionibus, ſicut Ioannes Pſal. 101. 10. Baptiſta ait: *Pœnitentiam agite, & baptiſetur vnuſquiſque veſtrum*; & nos communicaturi, pœnitentiam & confeſſionem quaſi cinerem prælibamus ſicut ſcriptum eſt: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.*

Breviter dicendum de illx obſeruantia quæ ſequitur potionem baptiſmatis, vt ab omni criminali nos obſeruemus, vt ſciat vnuſquiſque ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore; non in paſſione deſiderij ſicut & gentes quæ ignorant Deum. Crimen enim com- G miſtum poſt Baptiſma, euacuat potionem ſuâ efficaciâ, quâ filij Dei effecti fueramus: redigimur namque rurſum in poteſtate Sathanæ quandiù perſeueramus in criminali ſine pœnitentia & confeſſione. Sed redeamus ad obſeruantiam quam obſeruare debemus accepta iam potione baptiſmatis, & ad illam obſeruantiam quam nihilominus obſeruare debemus ſumpturi corpus & ſanguinem Chtiſti; hæc enim triplex obſeruantia tam neceſſariò obſeruatur quàm neceſſariò periculum mortis vitatur.

Videndum eſt igitur de potione Euchariſtiæ. Corpus & Sanguis Chriſti, vt dictum eſt, potio eſt penetrans vſque ad medullas, & viuificans quicquid morticinorum, quicquid ſuperfluum, quicquid reumatis, quicqoid pectus animæ occupauerat inualetudinis. Si nauſeantem ſtomachum inuenit, curat, & appetitum reparat; ſi durum & conſtipatum ventrem inuenit, ſoluit & emollit, vt ſuperflua & inutilia facile egerat; ſi fluidum, compeſcit & conſolidat ne projiciat neceſſaria & vitalia. Si oculos H graues & caligine obductos clarificat & alleuiat: ſi aures obtuſas, aperit viam, & clauſam reſerat ianuam; ſi nares ab officio vacantes, facit ſentire bonum odorem, & diſcernere fœtorem ab odore ſuaui; ſi triſtem, lætum facit; ſi exanimem, animam reddit; ſi impotentem, facit potentem. Vt vno verbo inexplicabiles eius efficacias explanem, nihil erit ei in te ſanandum impoſſibile ſi te cautum inuenerit, dietam ſcilicet competentem tenere.

Vide ergo dietam potionis huius: ſilentium, abſtinentia, caſtitas, humilitas, charitas, obedientia, quies mentis, remotio immoderatæ iocolationis, tranquillitas, pertinent ad obſeruantiam huius potionis, nec ſine his ſalubriter ſumitur, quia non eâ purgatur, qui alia lege accipit illam, ſed interficitur. Silentio excluduntur mendacia, ſtultiloquia, ſcurrilitates & omne verbum otioſum. Abſtinentiâ excluduntur commeſſationes, ebrietates, & tota ventris ingluuies. Caſtitate excluduntur

luxuria

A luxuria, immundicia, fornicatio, adulterium, incestus, omnis libido commaculans animam & corpus. Humilitate excluduntur iactantia, superbia, extollentia, præsumptio cordis & vana gloria.

Charitate excluduntur æmulatio, ambitio, turpe lucrum, auaritia, odium, inimicitiæ, contentiones, inuidia & omnia monstra innumerabilium vitiorum. Obedientia excluduntur inobedientia, præuaricatio mandatorum, reprobatio meliorum. Quiete mentis, inquietudo, euagatio, instabilitas, inconstantia, clamor cordis & cogitationum, strepitus inordinatus. Remotione ioculationis inordinatæ, excluduntur vana gaudia, risus, effusio animi, irreligio, & effrænatio sensualitatis. Tranquillitate excluduntur curæ secularium negotiorum, intemperatus amor & sollicitudo carorum suorum, turba desideriorum.

Isti sunt dies quos obseruare debetis, istæ sunt virtutes quas habere debetis, ista sunt præcepta medici, sine
B
quibus potiùs nocet quàm iuvet potio Dominici Corporis & Sanguinis: *qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* (1. Cor. 11. 29.) Indignè autem accipit, qui non obseruat qua veneratione accedendum sit ad tam venerabile Mysterium; qui non purificat conscientiam, in qua sicut in monumento nouo debet poni; qui non lauat manus, id est opera sua, inter innocentes priusquam accedat; qui non iustificat animam suam ad quam vult introducere animam Christi. Dignè verò accipit qui obseruat obseruantias supradictas, se mortificans & contemperans Sacro Corpori Christi, tam purè viuendo, tam sincerè conuersando, tam castè accipiendo, vt non recuset Christus angustias pectoris aliqua congellatione peccati coarctari, non abhorreat lectum conscientiæ malarum affectionum coinquinatione, tanquam mutium stercoratione putrefactæ.

Sufficiant hæc de obseruatione Corporis & Sanguinis Christi de qua dicitur, isti sunt dies quos obseruare
C
debetis purificatione continoa oratione pura, deuotione assidua, mortificatione indiscreta, confessione vera, patientia plena, lectione intenta; meditatione studiosa, compunctione vbertima, fide sana, spe firma, charitate integra, castitate incorrupta, intelligentia sobria, vt quarta decima die ad vesperam comedatis aayma, vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam.

Qui enim dies virtutum sic ordine certo continuauerit, vt dies sit ex die, id est virtute, sicut mensis ex mense, id est, remuneratio ex bona operatione, ille quarta decima die mensis ad vesperam, id est, in consummatione virtutum, comedet azyma, id est, purus affectus delectabitur de puritate concessa; & hoc vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam, id est, vsque ad remunerationem futuri sæculi, quando stola duplicabitur glorificationis animæ & corporis, quod ad primam gloriam creationis Adæ proficiet & vltra; quia major gloria erit secundæ domus quàm primæ, id
D
est, potior erit beatitudo post resurrectionem corporum quam fuerit in paradiso ante peccatum; quod nobis præstare dignetur, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De Passione Domini.

Exod. 12.
ISti sunt dies quos obseruare debetis, &c. Prima die succidenda sunt ligna de saltu animæ, id est, commissa crimina extirpanda ab affectu. Secunda die incidenda sunt & diuidenda minutatim, vt per singulas noctes, id est, culpas, lectum, id est conscientiam lacrymis laues. Tertia die strue lignorum facta, subinducendus est ignis, & conflanda sylua malorum, vsque ad nouissimos cineres, id est vsque ad consumptionem reliquiarum peccati. Quarta die ipsi cineres colligendi & seponendi sunt per tumulos siue aceruos recordationis transactæ vitæ.
E

Quinta die scopanda est domus, sicut Psalmista scopebat spiritum suum, à superfluis emundans conscientiam suam, Sexta die telæ aranearum ab angulis domus dirumpendæ & auferendæ sunt, ne venenum araneæ ibi lateat, id est malignæ concinnationes spirituum malignorum. Septima die nidi hirundinum destruendi sunt propter garrulitatem earum, id est, lingua continenda à multiloquio, & vitanda occasio multiloquiorum Octaua die salsugo amaritudinis à tecto euellenda, vt tollatur à nobis clamor, ira & indignatio.

Nona die resarciendum tectum ne in pigritiis humilietur contignatio, & defluat stillicidium super accumbentes vel dormientes, id est, disciplina firmiter & continuè tenenda ne paulatim defluendo à religione, tota domus regularis ruat, quia: *Qui modica spernit, paulatim decidit.* (Eccl. 19. 1.) Decima die laconaria, siue laquearia ornanda, tum propter duplex munimentum tecti exterioris
F
scilicet & interioris tum propter decorem domus & ornamentum. Significant autem refectionem & curuaturam humilitatis qua vniuntur mores illorum, de quibus dicitur: *Qui habitare facit vnius moris in domo;* (Ps. 67. 7.) &, *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* (Ps. 132. 1.)

Vndecima die pictura superadditur, in qua virtutes sub pedibus suis vitia conculcant & memoria mirabilium sed operum Dei recitatione veridica Scripturarum, modò historicè tanquam vno colore, modo allegoricè, tanquam alio, modo moraliter tanquam tertio, mentibus nostris insculpitur. Duodecima die cortinæ superponuntur; vt latitudo charitatis teneatur. Tertia decima die purpura superextenditur, vt passio corporalis quanta sit dignoscatur. Quarta decima die irradians gemma virginitatis cum ipsa purpura sicut rationale & super humerale annectitur, vt in vespera consummatæ virtutis comedatur, id est; noua creatura in Christo efficiatur.
G

De his virtutibus quid mirum si dicatur, isti sunt dies quos obseruare debetis, intima siquidem vobis lex diuina, cui omnem obedientiam debetis quandiu sub eadem lege estis quatenus dies istos obseruetis. Sed quid est dies obseruare, nisi se in diebus obseruare? Dies ergo vos qui non estis noctis, neque tenebrarum, sed filij Dei & Lucis obseruate. Quid est autem obseruare? obseruare est cauere, custodire, vt insidias tendere vt notare aut venerari. Totum hoc ammonuit nos scriptura diuersis modis; diuersis allocutionibus.

Vt primo caueamus à fermento Pharisæorum, id est seductione & fallacia dæmonum vt malorum hominum. Secundò vt custodiamus bona nostra, sicuti de primo homine posito in paradiso dictum est, quia: *Posuit enim in paradiso vt operaretur & custodiret illum.* (Gen. 2. 15.) Et in libro Apocalypsi. *Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.* (Apoc. 16. 15.) Parum est enim operari: nisi custodias quod operatus fueris. (Ps. 103. 27.) Tertiò vt insidias tendamus principibus
H
tenebrarum harum, quia decipi possunt, sicut scriptum est; *Draco iste quem formasti ad illudendum ei: Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum cum ancillis tuis.* (Iob. 40. 24.) Quartò notare debemus illas notas de quibus dicitur: *Notas mihi fecisti vias vitæ.* (Ps. 15. 11.) Quinto venerari debemus dies istos in quibus opus nostræ redemptionis completum est.

Isti ergo sunt dies quos obseruare debemus Sed quare obseruandi sunt dies isti? Ait quarta decima die ad vesperam comederis azyma. Azymitas nos vocant Græci; quia Corpus Christi in pane azymo conficimus, cùm ipsi conficiant in fermentato. Vtinam simus quod dicimur; id est puri, id est sine fermento malitiæ & nequitiæ. Azymitas: in me fit ista maledictio sicut illa: *Tu discipulus eius sis, nos autem Moysi discipuli sumus.* (Ioan. 9. 28.) Planè dignitas sacramenti non admittit fermentum corruptionis, imò respuit, sicut in illo qui venerat ad nuptias non vestem habens nuptialem *Amice*, inquiens, *quomodo intrasti huc non habens vestem nuptialem?* (Matth. 22. 12.)

A *Ligatis manibus eius & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*

Quare Frater, cum fermento oculorum accedis ad mensam Christi? Quinimo ore fermentato, impudico scilicet & dentibus fœtentibus audet attrectare Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis Nonne Sanctus Sanctorum, & Sanctum Sanctorum est quod contingis? Nonne caro quæ non vidit per corruptionem? Quæ ergo vtilitas eum descendis in corruptionem, tuam mentem & animam inueniens corruptam? Christo quidem nulla in re vtilitas, quia te non lucratur: tibi verò acerba iactura comparatur quia reus es Corporis & Sanguinis Domini.

Obserua, id est obseruatione accede. Nota quis tu scis, quis ille ad quem accedis. Attende fremitus praui desiderij animam tuam assiduè confricantis, qui quasi formicarum populus lacerant in silentio miseram animam: exigui quidem corporis videntur formicæ, sed B aculeato morsu distringunt vsque ad grauem molestiam, cui dentes iniecerint. Sic quædam occultæ tentationes aliquando etiam ipsum latent in quo sunt, sed in silentio morsi, post morsum dolorem sentiunt, quem præuidere noluerunt: istæ fuor quæ inquietant animam. Aliæ rursus tentationes quasi iumenta in stabulo ducuntur, sed frænu aut chamo dirupto per stabulum diuagantes, ibique relinquunt signa luxuriæ suæ, stercoribus suis fœtere faciunt vitam stabularij sui in conspectu Dei & Angelorum eius.

Ne longum sermonem faciam, sed occasionem sapientibus tribuam, quæcumque incompositio morum vitæ fuerit in te, similitudinem ferarum vel bestiarum in anima tua depingit, vt asinus propter sensus hebetudinem; camelus propter iniustitiæ enormitatem, lupus propter rapacitatem; leo propter rabiem; vrsus propter impatientiæ effrænationem, vulpes propter fraudem; talpa propter cæcitatem, & cætera huiusmodi. Obserua ergo vtrum dignum sit admittere vel vrsum, C vel asinum, vel aliud quodlibet istorum animalium ad deuorandum Christum.

Credo si videres muscam manibus tuis hora qua conficis Corpus Christi, insidere, expelleres, & eiiceres tota festinatione, si murem aut catum occideres si posses, antequam accederet. Quid ergo faciunt Angeli? Nunquid negligentiores te sunt, aut minus honorantes honorabile Sacramentum quam tu? Imò vigilantiùs ministrant, imo studiosius assistunt, & digniùs quã tu. Quid ergo faciunt videntes in sinu tuo murem, catum, canem, vrsum, asinũ, quãdo tibi porrecturus est Sacerdos illud verum & venerabile Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi.

Timet Angelus ne præripiat tibi bestiola illa, quæ in sinu animæ tuæ dormit, Eucharistiam; aut ne saltem communices ei quod tibi traditum est; Corpus Christi: vnde enim victura sunt illa tua animalia, nisi de cibo & potu animæ tuæ? Certè ex quo sedem in anima habent, & cibum ab anima quærunt. Obserua ergo & animalia ista pusilla cum magnis? demerge in profundum D maris, vt ad vesperam comedas azyma verus Azymita effectus ipso præstante Iesv Christo Domino nostro, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

SERMO IV.

De eadem Passione Domini.

Iob. 7. 15. Ps. 54. 8. ELegit suspendium anima mea. Seculum alij fugiunt, alij relinquunt, alij contemnunt, alij crucifiguntur & suspendunt: fugiens dicit: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Relinquentes aiunt, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Contemnens loquitur: *Reputaui omnia vt stercora, vt Christum lucrifaciam* Matth. 19. 27. Phil. 3. 8. Crucifigens, *Absit*, inquit, *mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri* Iesv Christi, *per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Suspendens autem, mundo vel Deo, sic loquitur: *Elegit suspendium anima mea*; E Gal. 6. 14. vtique aut seipsum sursum pendens cum pendente in cruce mortificatione carnis; aut mundum sursum, id est longè à se faciens, contemplatione Diuinitatis.

Attendendum itaque quatuor esse genera suspendij. Aliud namque suspendium latronis, qui pro peccato maleficio, iudicio suspenditur. Aliud pueri qui pro impossibilitate naturæ, & necessaria refectione pendet ad vbera & collum nutricis. Aliud poma cupientis & suspirantis cum remota pendent in sublimioribus ramis, & sustollens se brachiis inhæret arbori; aliud amantis cum impatienti desiderio, & amicæ suæ incumbit collo palmis innexis. Qui de magnis sceleribus compunctus pœnitet, confessionis indicio crucifigere debet carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, nec ludibriis insipientium & malignorum fatigatus: quoadusque inclinauerit caput, & spiritum emiserit ad eum qui dedit illum de pœnitentiæ ligno debet descendere. F

Hic ergo elegit volens & libens suspendium, & ait, elegit suspendium anima mea, *Hilarem enim datorem diligit Deus*, vt non coactus & renitens, sed vltroneus turturem & columbam, id est corpus & animam in holocaustum pro peccato. 2. Cor. 9. Alius autem forte qui non nouit peccatum mortale, qui non inquinauit vestimenta sua spurcissima fece luxuriæ, & in ore eius non est inuentum mendacium, præsumptione & confidentiâ propriæ iustitiæ clamat: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Hic quasi modò genitus infans gallinæ vmbraculo à formidine milui & vulturis Ps. 18. 13. sese protegens expandit manus ad sinum gratiæ dicens: *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* A fomite peccati, & à tyranno, qui leges suas describit in membris meis, Ps. 16. 9. repugnantes legi mentis meæ; vt per traditiones suas quæ sunt de omnimoda corruptione mentis & corporis, aboleat testamenta & legem Dei, quæ est de sanctificatione & renouatione imaginis Dei. G Sic in Psalmo loquitur: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*, hoc suspendium est humilitatis, quia qui Ps. 130. 1. se humiliat exaltabitur.

Alius proficiens ætate cum Iesv & gratiâ apud Deum & homines, hortum deliciarum deambulans, & in arbore Crucis mala punica cum omni fructu exquisito & suauissimo gustu visuque pulcherrimo cernens, iaculo punctus penetratiui desiderij tangere, gustare & dependere præoptans. Nunc candidate virginitatis fructus tenerrimos, nunc Confessorum vbertate doctrinæ & gratiæ fœcundos, nunc martyrum in sanguine proprio rubricatos nunc Apostolorum Solis & Lunæ radiis flagrantibus & humidis maturos, nunc Prophetarum antiquitate temporis decoctos; nunc Patriarcharum fide conseruante & agente bene soporatos contrectat & degustat: de radice siquidem & virtute sanctæ Crucis, tam merita quàm præmia omnium sanctorum consurgunt. Sursum autem est Crux, vt qui in ea affixus dicatur crucifixus & suspensus hoc suspendium, ait Iob, H elegit anima mea, vt crucis non recusem pœnam, qui crucis video gloriam. Est autem hoc suspendium mortificationis.

Alius vir factus qui euacuauit omnia pericula, & transit in affectum cordis in amorem sapientiæ deficit & liquescit, vt dicat: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Sensus corporis cum suis phantasmatibus exinaniens in visionibus Dei brachia.

SERMO

A

SERMO

Pro Dominica in ramis Palmarum.

Phil. 2. 5.

HOc *sentite in vobis, quod & in Christo* IESV. Ecce Fratres charissimi, ante oculos vestros ducitur IESVS ad immolandum, quid dicetis? quid facietis? Ecce non est qui consoletur eum ex omnibus charis suis, relicto eo omnes fugerunt. O IESV solus pro nobis, sine nobis portas onus diei & æstus, portas spineam coronam, portas crucem, port[as] sanguinem tuum intra velum Sanctuarij, portas peccata nostra in corpore tuo super lignum crucis, portas ignem & ligna, vt absumat ignis passionis tuæ ligna mortalitatis nostræ. Leo de sylva, lupus ad vesperam, vrsus, canis, vnicornis, framea inimici in te aperto ore irruunt & deuorare inardescunt.

B

Filiæ Ierusalem vident & flent, sol abscondit vultum suum ne videat tantum nefas in Israël: terra tremit ferre non sustinens; mortui sentiunt mortem vitæ, & resurgunt à morte, sicut ille mortuus qui terigit ossa Helizei, & revixit & nos miseri quid? Commota sunt superliminaria cardinum, id est Angeli, siue velum templi, à voce clamantis & expirantis, & nos obstinati, non commouemur ad fletum & planctum & caluicium, conducentes lamentantes quæ nouerint plangere, non Adonidem, sed IESVM pendentem & morientem.

Vbi Phinees, vbi Petrus, vbi Mattathias? putas moriens filius hominis; inueniet fidem super terram? Domine oculi tui respiciunt fidem, sed apud quos, & in quibus est fides? Fundamenta fidei conturbata & concussa sunt, ita vt si fieri posset etiam Apostoli inducerentur in errorem, & vbi fides? penè periit, penè sublata est de terra. *Ecce*, inquit Dominus ad Principem Apostolorum, *Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficeret fides tua.* Acerrimum hoc bellum, in quo solus IESVS cum Sathana conflixit, & toto corpore laniato ac sanguine fuso, tandem superatus superauit; sic IESVS supplantavit illum qui nos supplantauerat in Adam altera vice.

Luc. 22. 31.

C

Hoc itaque Fratres, sentite in vobis quod & in Christo Iesu; si nunquam digni fuerimus accedere ad IESVM, & tangere & sentire illum, quæramus saltem ab illo qui in sinu eius dormit, & inter vbera sua eum locauit, & dicit: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quæramus inquam, quem sensum habeat de IESV, & quid senserit in IESV. Dic nobis Ioannes Euangelista, qualem videris eum, quia de te dictum est: *Et qui vidit testimonium perhibuit, & scimus quia verum est testimonium eius.*

Cant. 2. 6.

Ioan 19. 35.

Dic ergo nobis de IESV quomodo comprehensus sit, quando, vbi, à quibus, quare, qualiter vexatus sit ante crucem; quis prodiderit eum, quis deffendere voluerit, quid responderit eum vnus suorum vellet eum deffendere? Quanto postea timore idem ipse territò eum negauerit, quomodo Pilatus flagellauerit; quomodo milites plectentes spineam coronam capiti eius imposuerint, & irrisoriè veste purpurea circumdederint, & genu flexo salutauerint, & alapas in faciem dederint: Quomodo ipse IESVS portans spineam coronam & purpureum vestimentum, tum non clarus imperio sed opprobrio, ad Iudæos exierit, quanto rugitu, *crucifige* ingeminauerint, & tandem in Golgotha cum duobus latronibus eum crucifixerint, & vestimenta eius partiti sint, & acetum porrexerint, & inclinato capite spiritum tradiderit?

D

Hæc signa sunt IESV, nemo nisi IESVS omnia signa ista habuit: IESVS est ergo qui tibi occurrit, si quem sic insignitum inueneris, talis est, inquit, Sponsa siue Maria Domini Mater, siue Maria Magdalene siue ipse Ioseph: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem. Quod si pauciotibus intersignis vis illum cognoscere, quia sapiens innotescit paucis, audi: *Dilectus meus candidus & rubicundus:* Candidus propter innocentiam, rubicundus propter pœnam quam sustinuit. Ecce satisfecisti nobis bona domina de Dilecti tui, de Sponsi tui certa demonstratione. Sed dic nobis de tactu, de sensu tuo in eum, qualis sit tibi in sensu, qualem senseris læuam eius, & qualem dexteram. Procul enim est à nobis, & si videre eum aliquando non potuerimus, multò minus tangere, multominus sentire: iam quidem de visu quomodolibet certificati sumus; adde & de tactu certificare. Scriptura namque aliquantulum terret nos, & à tactu reprimit quæ dicit, quia ignis est, & qui approximant, inquit, mihi approximant igni, durum enim & horrendum est magnum in ignem mittere.

E

Cant. 5. 10.

Dic ergo si fortè in aliquo latere dextro vel sinistro mitiorem aliquatenus inuenire valeamus: dextrum si quidem latus nosti, quia dextera eius amplexatur te. Sinistrum nihilominus, quia læva eius sub capite tuo: prius ergo dic de sinistro, quia vt nobis videtur in sinistro dormit in cruce. Ita est fasciculus myrrhæ. Dilectus namque meus mihi inter vbera mea commorabitur, dũ læva eius sub capite meo: est hic aceruus lapidum in quo meridiatus, in die in qua coronauit eum mater sua, scilicet Synagoga, coronâ vtique spineâ. Inde est quod Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum, venit ungere corpus IESV. Libras centum; multum est, satis est. Totum corpus IESV potest condiri quantitate illa myrrhæ & aloës, vsque adeò quod labia eius ex hac profusione distillabunt myrrham primam.

F

Reuera non solùm membra muta in IESV tua compassio inebriat si centenaria, id est perfecta & consummata fuerit, sed vsque ad labia eius pertingit, quatenus respondeat & dicat *sitiui, & dedisti mihi potum, & esuriui, & dedisti mihi manducare,* &, *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Ecce cor contritum & humiliatum habet fasciculum myrrhæ, ecce amaritudo maxima, ecce velut mare contritio in passionibus IESV: per compassionem fasciculus myrrhæ est, & hæc est sinistra. Dextera verò quæ? illa vtique de qua in Psalmo dicitur: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Dextera Dei est beatitudo sine interruptione, gloria sine fine, voluptas sine corruptione, sanitas sine ægritudine, concordia sine amaritudine, pax sine rancore, tranquillitas sine commotione, æternitas sine variatione.

Mat. 25. 35.

Luc. 22. 28.

G

Psal. 109. 1.

Hæc est dextera Dei, quia in dextera Dei tam plena delectatio, quàm hîc abundat miseriarum afflictio; & hæc est dextera quam sicut nondum habemus, sic nondum eam nouimus, nec est nobis tam nota dexteræ admirabilis delectatio, quàm sinistræ miserabilis afflictio. Inter sinistram autem & dexteram illud fortè quod timemus erit, nimirùm ignis; cùm Deus noster ignis consumens veniet cum tempestate valida; tunc proculdubiò non erit tanquam dormiens, tanquam mortuus in cruce & sepulcro, neque tanquam post mortem gloriosus in cœlo, sed tanquam potens & crapulatus à vino, & excitatus à somno, sed tanquam leo rugiens, de quo dicitur: *Leo rugiet, quis non timebit?* Item, *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam.*

H

Amos 3. 8.

Ibid. 1. 2.

Quoniam ergo vocabit iudicium ad ignem vt deuoret abyssum multam, & comedat simul partem, id est, profundè malos absorbeat æterna damnatione; imperfectos comedat, & pro parte imperfectionis, nec tamen deuoret per sententiam æternæ damnationis. Tunc nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabit, vt vel talis appareat per mansuetudinem qualis fuit sub Pontio Pilato, nec talis qualis erit, cum scilicet peracto iudicio apparebit siquidem in vultu eius sine sæuitia, pro vindicanda iniuria Passionis; non impotentia quam simulauit pro implendo iudicio Incarnationis.

Hoc ergo, Fratres, sentite in vobis quod & in Christo Iesu, sentite pœnam sine culpa, sentite innocentiam sine

A iniuria, sentite pium qui ignoscat, sentite iustum qui requirat, sentite misericordem qui extollat vos in dextera sedis magnitudinis suæ. Illuc, Fratres, manus pauperum animas vestras portabunt, illuc confessiones, orationes, ieiunia & alia bona opera vos transferent; quod vobis præstare dignetur IESVS-CHRISTVS Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum Amen.

SERMO I.

In Cæna Domini.

Ezech. 27.15. *Filij Dedan negotiatores tui. Dentes eburneos & hebeninos commutauerunt in pretio tuo. Balsamum & mel, & oleum & resinam proposuerunt in nundinis tuis.* Cælum & terra ad præsentes nundinas adcurrunt, deuoluendo & explicando suas merces, & sarcinulas, vt quicumque quodcumque sibi necessarium subsidium ad
B conuiuandum cum Domino emere voluerit, inueniat, & iusto immò viliori pretio emat. Cælestia enim hodie viliùs venduntur, terrena cariùs æstimantur, quia quæ venduntur & non videntur, sine pretio apud animales habentur: quæ autem venduntur & videntur, supra se æstimantur.

Singula autem replicare quæ exponuntur ad pretium, non est huius temporis nec nostræ facultatis. Tanta enim varietas & numerositas vendentium, est & ementium, necnon comparandorum & distrahendorum, vt nec oculus satietur visu nec auris auditu. Illa tantummodò quæ ad diem festum pertinent comparemus & cum fraternitate vestra communicemos, vt sit vnum marsupium nostrum, vnum mercimonium, vnum macellum, vnum lucrum & vnum damnum.

Fili hominis qui ad nundinas istas opibus plurimis suffarcinatus aduenisti de terra longinqua, de captiuitate Babylonia, expone nobis macellum, & explica
C sacellum, si quid fortè in mercibus tuis sit, quod nostræ cœnæ solemnitatem deceat, quod præsenti diei sacrosancta gaudia expleat. Admiror autem primò in sarcinulis tuis; vnde tam pulchros & pretiosos dentes eburneos & hebeninos attuleris, quæ gens, qui populus vtatur huiusmodi dentibus. Æmulor denique tales habere, sed diffido me posse meos pro his commutare. Timeo euulsionem meorum, exemplo careo de insertione aliorum: sed certè fortè qui plantauit aurem, fortè nouerit inserere dentem. Nihilominus qui tulit costam de latere Adæ sine acerbo dolore, ipse dentem iam putridum tollere potest sine dura afflictione.

Ego itaque emere dentes eburneos & hebeninos, quia hortulanum habeo qui sicut olerum, ita & dentium est euulsor & plantator. Certè prandendum est hodie, & bibendum inter amicos, & inter Senatores cælestis aulæ, inter illustres & nobiles viros magnæ curiæ. O vos negotiatores dentium qui estis? vnde estis?
D pro quanto dabitis dentes eburneos & hebeninos? Filij, inquiunt, Dedan sumus, de Ethyopia sumus, dentes pro dentibus dabimus, bonos pro malis, nouos pro veteribus, sanos pro vermis, candidos pro nigris, mundos pro scabiosis, fortes pro putridis & debilibus, acutos pro hebetatis. Commutare enim solemus non vendere, & arte nouandi vtimur taliter, vt postquam more nostro vetera fricuerimus, noua faciamus.

O boni artifices, estisne tam benigni in foro, quàm boni in officio? Ita, inquiunt, nihil addimus nummo, nihil pretio in commutatione dentium, nisi quod dentes hominum accipimus, & animalium siue arborum damus Eburneos namque ab animalibus, habemus ab arboribus. Et quale rogo animal vnde tales dentes, aut qualis arbor? Animal Elephas nominatur, arbor hebenus. Ecce si placet commutemos, Fratres, non differamus, non hæsitemus commotare, quia ad cœnam agni vocamur, & dignum est, vt nouas carnes comedamus.

E Totum namque novum in cœna ista. Nouus panis, noua caro, nouum vinum, noua mensa, nouus scyphus, noua scutella, nouum mantile, nouum mandatum, nouum verbum, noua ablutio pedum, nouum chrisma, nouum oleum, nouus pransor, noui dentes, noua labia, denique & manus noua.

Sed quia per se satis nota sunt cætera, ad dentes redeamus, & ex nomine vendentium mysterium rei iam iam pandamus. *Filij Dedan negotiatores tui.* Quid est Dedan? hoc judicium? Quid est hoc judicium vel tale judicium? Certè hoc est quod Apostolus ait: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Quid est 1.Cor. 11.31.
si nosmetipsos diiudicaremus? Si nos accusaremus. Sed hæc accusatio appellatur confessio: filij ergo Dedan, filij sunt confessionis, filij iudicij, non simpliciter judicij, sed huius iudicij, sed talis. Quid est huius? quid est talis? Certè huius quod fuit sub Pontio Pilato, certè talis qualis erit in futuro & magno iudicio

Hoc ergo iudicium, id est, hanc confessionem tam
F puram, tam veram, tam asperam, fac etiam talem confessionem, qualem in die iudicij omnes facturi sumus; vt sicut nihil tunc abscondetur de peccato, sic nunc iudicium tanquam meridiem facito in confessione, vt nullas latebras, nullas tenebrarum reliquias reserues in corde tuo. Infernus coram te, ore aperto, flammas & fœtores solphureos euomet, dæmones Æthyopica nigredine & draconea feritate, vncinos & fuscinulas igneas ad deportandas animas tenentes adsistant; tribunal Iudicis in nube sistatur. Iudex totus quasi furibundus, & absque misericordia contempletur, oculi eius velut flamma ignis, & sonus sublimis, tamquam tonitruum magnum de ore eius, & gladius ex vtraque parte acutus, Angeli trementes, homines velut folium à facie venti vehementis vacillantes, & tota illa circumstantia magni iudicij, veniat ante oculos tuos, dum ad iudicium confessionis accedis.

Certè tunc filij Dedan dentes commutabuntur, mendacium relinquentes, & veritatem tenentes, odio renun-
G ciantes, & pacem sectantes. Impudicitiam abiicientes, & castimoniam seruantes, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, & sacra eloquia meditantes. Isti sunt dentes eburnei propter castitatem eloquiorum, & hebenini propter ædificationem, & fructum labiorum verorum. Ecce habes dentes comede quicquid inuenit manus tua, comede volumen Passionis Christi, comede Euangelium, comede panem Angelorum, comede vitulum saginatum, comede agnum anniculum, comede hœdum, comede carnes tuas, comede vitulum, comede vitulum conflatilem, comede fœnum sicut bos, comede mel quod sufficit, comede lac capratum, comede butyrum, comede adipem agnorum & arietum filiorum Basan, comede hircos cum medulla tritici.

Vt autem manifestiùs appareat quod dicimus, quid sunt dentes, nisi animæ virtutes: sed quales virtutes sunt dentes? Quæ vtique tales sunt, quales sunt dentes. Dentes namque mundi debent esse, & candidi, acuti, firma radice in gingiuis fundati, ordinati, integri, coniuncti.
H Mundi propter munditiam Corporis & Sanguinis Christi, candidi propter eius patientiam, acuti propter iustitiam, fundati propter obedientiam, ordinati propter modestiam, integri propter perseuerantiam, coniuncti, propter concordiam. Mundi in cogitatione, candidi in operatione, acuti in confessione, fundati in tentatione, ordinati in prosperitate, integri in adversitate, coniuncti in conversatione. Mundet dentes abstinentia, conseruet mundatos continentia, acuat timor, fundet spes, ordinet iustitia, consolidet memoria Dei, amor coniungat.

Quia dentes eburneos & hebeninos domi iam habemus, si sensus nostros perfectè castificauerimus, si ad exhortationem aliorum idonei fuerimus, ampullam balsami circumspiciamus, & si hoc balsamum verum est & non mixtum, comparamus illud vt genus regium & sacerdotale illo uncti efficiamur. Hodie Fratres, consecratur chrisma quo Sacerdotes & Reges, tam in veteri

quàm

A quàm in nouo iiniuntur testamento, & ideo Christi appellantur. Caue ne mixtum sit balsamum tuum per simoniam, ne velis regnare, & non ex Deo, sed per pecuniam. Mixtum enim balsamum non ad Christum pertinet, sed Antichristum.

Miscet balsamum qui sacros ordines tribuit non ad meritum sed ad præmium. Qui curam animarum tribuit non pro Deo sed pro auro, qui non pro redemptione generis humani tradit Christum, sed pro implenda auaritia nummi. Miscet ille balsamum, qui labiis Deum honorat, cor autem longè est ab eo. Miscet balsamum qui Christum non sincerè annuntiat. Miscet balsamum qui religiosis puritatem simulatione fallaciæ fermentat. Miscent balsamum qui veniunt ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Non ergo adulteres verbum Dei, non misceas balsamum: Eccl. 24. 20.
quia balsamum non mixtum; odor meus, dicit Dominus. 2 Cor. 2. 17.
B Vnde Apostolus: *Ex sinceritate & veritate sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur*, vt non sit ruga aut macula in Sponsa Dei.

Vngamus caput chrismate, vngamus manus, vngamus frontem, vngamus scapulas. Caput propter coronam quam expectamus; manus propter mysterium Corporis & Sanguinis Christi quod contrectamus; frontem propter crucem quam ibi gestamus; scapulas propter laborem operum, quo diuinæ seruituti insudamus; caput vt tota mente Deum diligamus: manus, vt eleemosina desudet in manu tua, frontem, vt non sit tibi frons meretricis, quæ noluit erubescere, sed tenera ad verecundiam, signata ad tutelam, præparata ad pugnam. Scapula; vt tota virtute pondus diei & æstus in vinea Domini vsque ad vesperam sustineas. Duos autem, id est, corpus & animam da in commutatione balsami, vel intentionem & operationem bonam, quia spiritum adoptionis filiorum recepistis, non spiritum seruitutis iterum in timore, & hoc sufficiat de balsamo.

C Mel sequitur: sicut in liquoribus balsamo nil pretiosius ad vnguendum, sic melle nihil dulcius ad manducandum. Sed quia in natiuitate Domini vel in resurrectione suum locum habet mel, non in passione; emamus quidem illud, sed reponamus: tempore enim suo illud manducabimus. Quid enim nobis modo cum melle, vbi fel, vbi acetum, vbi spina, vbi lancea, vbi clavus, vbi malleus, vbi Iudas, vbi Barrabas, vbi passio, vbi crux, vbi mors est. Aliam ergo speciem, id est, oleum appendamus, & quia infirmi sumus; oleum infirmorum emamus.

Ps. 51. 10. Ecce, Fratres carissimi, oliva quæ dicit: *Ego sicut oliva fructifera in domo Dei*, in torculari premitur, & oleum fundens bono mercatu & pretio ad vascula nostra deriuatur. Gratias tibi, Iesv, quia creditori nostro de oleo tuo satisfecimus, & ad vnguenda vulnera nostra non parum nobis retinuimus; sed plenum dolium quoniam in sæculum & super omnia opera tua, misericordia tua. Ecce tenebras nostras oleo illustramus,
D ecce dolorem mitigamus; ecce cibos condimus; ecce creditori debitum soluimus; hoc totum de oleo tuo, hoc totum de misericordia tua, hoc totum de gratia tua, hoc totum de visceribus tuæ pietatis, qui es Deus totius consolationis & pater misericordiarum.

Ad vltimam illam speciem quam proposuerunt negotiatores nostri, id est, resinam, nummum ponamus & sermonem finiamus, hæc necessaria est Iesv in carne passo, quia mitigatiua & linitiua. Hanc itaque nummo cōpassionis comparemus, & tam in Iesv passionibus per compassionem, quam in nostris per correctionem expendamus. Si enim te corrigis, resinam tuis plagis apponis. Si Christo compateris, resinam passionibus eius infundis. Si proximum redarguis, resinam putredini eius circumducis. Sanctificet itaque nos & consecret Dominus in balsamo, satiet in melle, vngat oleo, medeatur resinâ, quam in nundinis suæ cœnæ & passionis proposuerunt sancti negotiatores, quod nobis præstare dignetur qui viuit, &c.

SERMO II.

In Cœna Domini.

E TOta hæc dies Deo & nostræ saluti dedicatur: quot horæ, tot gratiæ. Principales horæ septem, quæ septem specialiter adornantur Sacramentis; purgamur à peccatis & virtutibus replemur. Prima est absolutio peccatorum, secunda consecratio chrismatis, tertia consecratio olei infirmorum. Quarta consecratio Dominici corporis & sanguinis. Quinta destitutio veteris Testamenti. Sexta institutio noui. Septima ablutio pedum.

Hæc omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum, quia is quasi clauibus intratur in Regnum cœlorum: claues istas nolite negligere, nolite perdere, quia F
nisi per clauem non patet introitus domus. Principalior tamen & dignior inter cæteras est illa clauis Dauid, quæ claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, videlicet Eucharistia quæ dignè sumentibus vitam, indignè accedentibus mortem confert æternam. *Qui manducat*, Ioan. 6. 54.
inquit Dominus, *carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo*: hoc ad dignos. De indignis P. 68. 23.
verò Psalmista: *Fiat mensa eorum in laqueum.*

Huius ergo mensæ quis author? quis artifex? quis dispensator? quis apparator? quis in ea cibus & potus? quis conuiua? cuius formæ vel materiei ipsa mensa? Auctor Iesvs; artifex Spiritus sanctus, dispensator Prælatus, præparator seu ministrator Angelus, & ordo Apostolicus, cibus caro Christi, & potus sanguis, conuiua omnis Christianus. Mensa, altare seu lapis vnctus & consecratus; forma quadrangula, materia lapidea.

Ecce Iesvs, ecce Spiritus sanctus, ecce Sacerdos magnus, ecce Apostolorum chorus, ecce ministratorij G
spiritus, ecce cibus, ecce potus, ecce mensa in forma & materia sua vt quid hæc? & ad quid hæc? vt manducetur Pascha, vt assit & satietur conuiua. Vbi es Adam, vbi es conviua! Non te subtrahas, non te excuses à cœna, non te illudas & foliis ficus pudenda tua operias. Tibi parata est cœna, tibi immolauit Pater tuus vitulum saginatum, tibi immolauit Sapientia victimas suas, tibi Ioseph meridianum præparauit conuiuium, te exspectat sacrificium matutinum & vespertinum: his excitatus & inuitatus omnis Christianus indifferenter currit, & paratam cœnam appetit.

Sed videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non vt insipientes sed vt sapientes. Sursum aspicite & legite titulum huic mensæ appositum, *Quicumque manducauerit panem Domini & calicem biberit indignè, reus erit* 1. Cor. 11.
Corporis & Sanguinis Domini. Item, *Fiat mensa eorum* Ps. 64.
coram ipsis in laqueum. Noli itaque gustare quod malè gustatum affert mortem, noli tangere ore polluto & manibus immundis Christum Domini. Tabescit enim H
sapientia, & Spiritus sanctus gemit gemitibus inenarrabilibus in corpore subdito peccatis.

Ad aures Patris, ad cor ascendat gemitus iste, vnde & descendit videre vtrum clamor iste culpis continuatis perpetuetur clamans, Spiritum nolite extinguere, & Filium meum Iesvm nolite pedibus vestris conculcare. Habet enim in ore suo gladium ancipitem, vtrique ex vtraque parte acutum, dicens de illo conviua, qui se immiscuit cœnæ non vestitus veste nuptiali, id est, caritate & castitate: *Ligatis & manibus eius & pedibus mittite* Matth. 22. 13.
eum in tenebras exteriores, &c. Quæritur itaque conviua non qui mensam impleat vomitu & sorde, sed qui comedat agnum, innocens manibus & mundo corde.

Ecce Satan, non inter filios Dei, sed contra filium Dei, non transfigurans se in Angelum lucis, vt simulatione decipiat, sed extollens se aduersus Iesum qui verè colitur & adoratur Deus, erigens contra cœlum, immò Deum

A malitiæ suæ machinas, conuoluens in turrem Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, lapides & iacula, intorquens lanceas & sagittas, in obscura luna & ante luciferum, & post solis ortum, vt in hoc tandem appareat rupta vesica, in qua ab initio creationis suæ ditissimum virus coagulauerat, quodammodo effudisse, & quasi mortifera nebula totam terram infecisse. Adeò enim efflatio siue effusio illa pessima fuit, vt nec sol illam tolerare potuerit. Obscuratus est enim & tenebræ factæ sunt super terram. Inde Iudas crepuit medius, inde de ore Iudæorum eruptio illa fœtida. *Reus est mortis, crucifige, crucifige*, &, *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Matth. 26. Ioan. 19.

Subministrabat namque laguncula cordis plena & superfusa, quod multiplici reciprocatione euomit cum labiis dolosis, lingua maligna. An aliquid de abysso nequitiæ hodie retentum & reseruatum est quod non expanderetur, quod non exponeretur? A sæculo vasa iræ B catenos, sicut nunc, non sunt exhausta, & vt verum fatear, à Dei patientia absorpta. Nam absorpta est mors in victoria, & quid riuulus infernalis conglomerare potuit, vt nos cum IESV deleret, totum sine damno, immò cum lucro nostræ restaurationis IESVS absorbuit: sed de peccato enim damnauit peccatum. Nam IESVS plus potuit absorbere quàm diabolus vomere. Sapientia siquidem vincit malitiam.

Concertat ergo Diabolus, & vsque ad extremam exhalationem desudat, vndecumque & quocumque, & à quibuscumque in medium proferre iniuriosam iniuriam, quatenus pondus malorum IESVM opprimat, modus vincat, numenis exturbet & ad impatientiam omnium desolatio prouocet. Sed sicut IESVS heri & hodie, ipse in sæcula sæculorum, sic patientia eius potuit ferre quod diabolus potuit inferre, & quod non potuit. Melior est profectò patiens, id est, IESVS, viro forti, id est, diabolo, qui fortis custodiebat atrium suum antequam veniret iste qui destrueret eum, qui habebat mor- C tis imperium, antequam ad singulare certamen prouocaretur. qui mitis & mansuetus veneras, non iniuriam facere, sed quantùm ad se perferre, quantùm ad alios propulsare.

Sed quia primum est de pio & tam impio cogitare, & vtriusque causam fideliter pensare, sciendum quod diabolus propriam & valde calumniosam agebat causam. IESVS nostram & dolo aduersarij viriatam quantum ad nos, sed quantum ad se iustam. Hinc igitur propositis armis ducis, quæ sunt humilitas, patientia & iustitia & mansuetudo, illinc vasis belli & iræ, quæ sunt auaritia, perditio, calumnia, conuitia, flagella, alapæ, irrisiones, sputa, corona spinea, lancea, fel, acetum crux, clami, & cætera quæ loquitur Euangelium; passionem ex ordine recitemus, & de hortulo isto fasciculum mirrhæ inter vbera nostra, id est, in corde conferamus, vt in lectulo Salomonis, mirrha & aloë perfusum IESVM collocemus; & propter timores nocturnos accincti gladiis eumdem lectulum ambiamus.

D Dum enim quasi in ægritudine suæ passionis IESVS amicus & Pater & Dominus noster accumbit, nullo modo rationi consentaneum est, vt per vias & plateas cum illusoribus euagemur, sed quasi tristes cum illo qui dicit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; patienti compatiamur, morienti commoriamur, sicut ait Thomas: *Eamus & moriamur cum illo*; vt surgenti consurgamus, regnanti conregnemus: æqua enim sorte his qui cum eo ierunt ad bellum, spolia meritorum distribuet vt præ participibus quidem, quia plus laborauit, principatum obtineat, & potiori donetur munere qui singulari vsus est certaminis passione.

Marc. 14. Ioan. 11. 4.

Tres digiti Pater & Filius & Spiritus sanctus: Tres iuncturæ sunt in Patre, illa tria quæ Genesis in creatione rerum assignat dicens; *Dixit Deus fiat lux & facta est lux, & vidit Deus lucem quod esset bona*: & in aliis similiter. In Filio tres æquè sunt iuncturæ, natiuitas CHRISTI, mors, & resurrectio. In Spiritu sancto, species columbæ, ignis, & linguæ: vel caritas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta.

Gen. 1.

E Simul autem tota Trinitas loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. id est, Sacerdotem ordinatione, potestate, executione, *ad imaginem & similitudinem nostram*, vt imitetur creatorem, regenerando nouum hominem ex aqua & Spiritu sancto, sicut in creatione mundi Spiritus ferebatur super aquas: imitatur redemptorem nostrum, qui redemit nos sanguine suo, celebrando Missam conficiendo Eucharistiam: imitetur Spiritum, scilicet diligendo Deum supra se, & se post Deum, atque proximum tamquam seipsum. Quia verò homo semel nascitur, semel regeneratur, quotidie verò recordando Passionem CHRISTI commortificatur, diligenti distinctione inspiciamus quomodo accedant Sacerdotes adhoc sacrificium, quali corde, ore, manu, & cæteris sensibus.

Ibid. 26.

Manus enim quibus gestamus CHRISTVM in altari, quasi quoddam vehiculum inunctum est, & solidum F & tornatile quo ad Patrem defertur & ad nos refertur, sacrosancta illa Eucharistia. Os autem quasi porta siue ostium est quo ad cor ingreditur tamquam ad sancta sanctorum. Cor verò est tamquam arca vbi vrna aurea habens manna, tabulas testamenti, & virgam Aaron. Et sunt ista tria quasi tres digiti, quibus Deus appendit molem terræ, id est, Sacramenta Ecclesiæ. Visibilia enim elementa, sub specie quorum latet virtus inuisibilis, moles terræ non immerito dicitur, hoc enim pondere, nisi virtus fidei mentem eleuaret ad diffidentiæ casum, opprimeretur, & tanquam gigas sub aquis gemeret. Laua itaque, ô Sacerdos manus inter innocentes, tange labia forcipe de altari sioe carbunculo; omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit, & sic dignè appendes molem terræ, id est, Sacramentum & rem Sacramenti.

Nouus Rex, noua lex, vnus idemque mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS, vnam eamdemque regulam iustitiæ sobriè & temperaoter vbique seruans, nihil nisi indebitum in forma serui à Iudæis sustinuit. Cum ergo loco debiti honoris & gloriæ, in via de torrente quidquid contumeliæ est & iniuriæ, audacia dæmonum simul & malitia Iudæorum illi propinasset, gustauit quidem, sed noluit bibere, id est, ad tempus excepit per dispensationem assumptæ mortalitatis, sed statim euomuit per gloriam resurrectionis. Mutauit siquidem Dauid vultum coram Abimelee, ita vt saliuæ eius defluerent per barbam, & iudicaretur arreptitius. Et IESVS celata virtute diuinitatis, saliua barbam abscondit, quia infirmitatem ostentans per defectus humanæ fragilitatis quod Deus esset in homine, non nisi paruulis suis, id est, Apostolis; & quidem opera fecit in eis quæ nemo alius fecit, sed excæcatum erat cor populi illius sicut ait Isaias: *Excæca cor populi huius & aures eius aggraua.*

Neque sermo videtur in MS. G

Esa. 6. 10.

Offenderunt itaque in lapidem offensionis & petram scandali, cum malleis suis impingentes in illam, & vndique cum clamore, percutientes atque perfodientes. Sed lapis iste pretiosus, iaspis in passione, smaragdus in morte, topazius in resurrectione, carbunculus in ascensione, H de sub pedibus Iudæorum translatus est super choros Angelorum; & dominatur non tantum in vniuersa terra, sed in vniuersa creaturam cœli & mundi.

Dicit itaque regulare prouerbium: nouus Rex, noua lex. Rex quidem ab æterno est cum Patre creans & regens vniuersam creaturam. Veniendo autem in regionem longinquam accipere sibi regnum aliud, vt regnet super duo Regna Angelorum & hominum & faciat vnum Regnum cœlorum: dum secundum quæreret, primum in latibulis suis reposuit, & quasi sine regno erat, quoniam illud latebat, & hoc nondum ei obtemperabat. Fuit itaque pæne in omni malo, in medio Ecclesiæ & Synagogæ, quia Ecclesiam cum dolore passionis parturiebat, & Synagogam dolens amittebat, sicut Ionas cucurbitam siue hederam.

Vnde in passione orabat: *Mi Pater si possibile est transeat à me calix iste*, id est, non me crucifigat Iudæus, sed

Matth. 26. 39.

quilibet

A quilibet alius : eſt enim iniquitas appoſita ſuper iniqui-
tatem cum me virum pubertatis ſuæ occidit, & filium
gentis ſuæ. Nam os meum & caro mea eſt Synagoga; cu-
ius alumna eſt Virgo Maria. Vnde Eccleſia non admitti-
Pſ. 101. tur, niſi Synagoga expellatur dicitur in Pſalmo : *Potum*
10. *meum*, de incorporatione Eccleſiæ, *cum fletu miſcebam*;
propulſione Synagogæ. Potum namque bibendo incor-
poramus, flendo verò lacrymas effundimus.

Cùm itaque mali coloni de vinea patris ſui filium eje-
ciſſent & occidiſſent, tranſiuit de gente in gentem, &
de regno ad populum ſiue regnum alterum, & ramis
bonæ oliuæ fractis, inſertus eſt oleaſter in bonam oli-
uam, vt ait Apoſtolus. An Iudæorum Deus tantum ?
Nonne & Gentium ? Immò & Gentium Dominus ita-
que regnauit exultet terra, &c. Velint nolint Iudæi
Ioan. 19. qui dixerunt : *Nos Regem non habemus niſi Cæſarem*. Do-
15. minus regnauit iraſcantur populi. Rex æternus, ecce fa-
ctus eſt Rex nouus adquirendo regnum nouum, non
B amittendo æternum. *Clarifica me*, inquit Rex nouus
Ioan. 12. ad Patrem, *claritate quam habui prinſquam mundus eſſet,*
28. *apud te*. Dictum eſt ei, *& clarificaui, & iterum clarifi-
cabo*.

Gratis quidem æternum accepit à Patre regnum, ſed
nouum multo labore & pretio adquiſiuit. Iacob & mul-
to tempore, & multo labore apud Laban ditatus & do-
tatus eſt gregum & familiarum atque vxorum honore
Gen 32. & ſubſtantia ; ita vt cùm reuertitur dicat : *In baculo meo*
10. *tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis re-
gredior*. Quaſi diceret : Reuertor ad terram meam cæ-
leſtem patriam, & ad locum natiuitatis meæ, ſinum pa-
ternum, de cuius ſubſtantia ante luciferum genitus ſum,
cum duabus turmis, vtique latrone de ſuplicio, & Pa-
trum antiquorum grege de inferno. Qui in baculo fa-
ctus ſub lege ad conuallem lacbrymarum deſcendi vel in
baculum crucis tranſiui humilitatem mortalitatis; & ad
Laban qui ſe ſe transfigurat in Angelum lucis deſcendi;
tulique ſubſtantiam eius, vniuerſa ſcilicet arma, in qui-
C bus confidebat, & ſpolia diſtribui, vaſa contumeliæ
illi relinquens, & vaſa in honorem ad Patrem mecum
referens.

Hic ali- Corpus Chriſti ſpeculum eſt, balneum eſt, viaticum
quid vi- eſt, tentorium eſt, ſcutum eſt, propitiatorium eſt, ora-
detur culum eſt : ſpeculum dicit *attendite & videte, Exemplum*
deeſſe. *dedi vobis*. Balneum dicit, *Niſi lauero te non habebis par-*
Ioan. 13. *tem mecum*; & *Niſi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spi-*
18. *ritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum* Viaticum di-
Ioan. 6. cit. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi*, & *niſi*
41. *manducaueritis carnem Fily hominis, & biberitis eius ſan-
guinem non habebitis vitam in vobis*. Tentorium dicit.
Matth. *Hæc quotieſcunque feceritis in mei memoriam facietis*, &,
23. 37. *quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina
congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti?* Scutum dicit.
Ioan. 10. *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis*, &, *Ego*
14. *vado immolari pro vobis*.

Item Apoſtolus de ſpeculo. *Ante quorum oculos*
Deut. 28 *Chriſtus præſcriptus eſt*. Et Moyſes. *Et erit vita tua pen-*
D *dens ante oculos tuos*. Et Pſalmiſta. *Oculi mei ſemper*
66. *ad Dominum*. Item Iob de Balneo. *Petra fundebat in ri-*
Cant. 5. *vos olei*. Et Sponſa : *Laui pedes meos quomodo inquinabo*
3. *illos?* Et, *dentes tui ſicut greges caprarum quæ aſcenderunt*
de lauacro. Iacob de viatico dicit : *Si Dominus Deus*
Gen 28 *meus fuerit mecum in via iſta qua ego ambulo & dederit mi-
hi panes*, &c. Item Pſalmiſta de tentorio. *Extendens
cælum ſicut pellem*. Et, *Extendis manum ſuam in retri-*
Pſ. 5. 13. *buendo*. Et, *Super iram inimicorum meorum extendiſti
manum tuam*, &, *In Idumæam extendiſti calciamentum
meum*, Item de ſcuto Ieremias : *Dediſti eis ſcutum labo-
rem tuum*, &, *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis coro-
naſti nos*.

E

SERMO III.

In Cœna Domini.

MElius eſt vocari ad olera cum caritate quàm ad vi- Prou. 15
tulum ſaginatum cum odio. Sponſa agni hodie in 17.
mandato pedes ſuos abluit, in menſa carnes agni co-
medit, in altari chriſma & oleum conficit. In mandato
pedes abluuntur; in menſa fercula Salomonis apponun-
tur; in altari tam regium quàm ſacerdotale vnguentum
diuinis apparatibus præparatur. Peccata purgantur in
mandato; merita comparantur in conuiuio, præmia red-
duntur in vnguento.

Chriſtus purgat ſordes filiarum Sion & ſanguinem
Ieruſalem lauat in mandato, quia tam venialia quàm
criminalia dimittit in baptiſmo. Vocat denique ad men-
ſam à mandato, quia dignus eſt operarius cibo ſuo, co- F
lonus vineæ denario, mercenarius pretio, vt ſit beatus
qui labores manuum ſuarum manducauerit in regno Dei.
Lætos verò & ſaginatos Chriſtus à chriſmate nuncupa-
tus, tanquam membra ſua in Reges & Sacerdotes con-
ſecrat, vt ſimus hæredes quidem Dei, cohæredes autem
Chriſti, vnde Petrus, *Vos autem genus electum, regale* 1. Pet. 2
ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Separatim 9.
tamen de ablutione pedum, ſeorſim de comeſtione agni
& panis qui de cœlo deſcendit, & ſigillatim de confe-
ctione chriſmatis & olei, remoto ſatietatis faſtidio, ali-
qua dicere volumus.

Dicendum ergo priùs de mandato & quare talis ablu-
tio pedum, mandatum vſualiter ab omnibus dicatur,
breuiter explicandum. Ioannes Euangeliſta, qui ordi-
nem ipſius mandati nobis expoſuit, quare etiam ſic vo-
candum eſſet, explanauit vbi dicit. *Poſtquam ergo lauit* Ioan 13
*pedes eorum accepit veſtimenta ſua : & cum recubuiſſet,
iterum dicit eis, ſcitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me
Magiſter & Domine; & bene dicitis ſum etenim. Si ergo* G
*laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis al-
ter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt
quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Ecce
planum eſt quare dicatur mandatum, quia videlicet &
dicto & exemplo eſt nobis mandatum. Inde etiam eſt
quod Antiphona illa quæ eſt *Mandatum nouum do vo-
bis*, ibi præcinitur vt ſecundum illud quod voce & ope-
re agitur, mundetur conſcientia noſtra ab operibus
mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti.

Sed rem ipſam enucleantes, munditiam huius balnei
ſeu ablutionis, non nudo & vacuo ſermone attrectemus,
ſed opere & veritate leproſæ animæ noſtræ & immundo
corpori adhibeamus. Certè, Fratres cariſſimi, aqua iſta
non eſt ſicut Abana & Farfar fluuij Damaſci, quæ
Naaman leproſum numquam ſanare potuerunt, non eſt
ſicut aqua Ægypti, quæ in ſanguinem verſa eſt propter
induratum cor Pharaonis, non eſt ſicut ſteriles aquæ
Ierico, quæ ante aduentum veri Heliſæi, odibilem illum
locum reddebant, non eſt ſicut aqua de Mara quam filij H
Iſraël bibere non poterant.

Eſt autem aqua benedictionis, eſt aqua Siloë quæ cum
ſilentio vadit, eſt aqua de petra quam interrupit Moyſes
in eremo percutiens bis ſilicem, & adaquauit homines
& iumenta. Eſt aqua ſuper quam fertur Spiritus Do-
mini. Eſt aqua Iordanis in qua Chriſtus à Ioanne ba-
ptiſatur. Quid plura ? aqua baptiſmatis eſt, aqua de
latere Chriſti. Bone IESV non erat aqua de qua pedes
noſtros ablueres, niſi eam de ſacris viſceribus tuis lan-
ceato latere emanares ? Bone IESV quid nobis & tibi, vt
pedes noſtros ablueres, vt veſtimenta poneres, & linteo
te præcingeres, vt te inclinans in terram, ſanctum illum
verticem quam Angeli deſiderant aſpicere; pedibus
diſcipulorum, immò proditoris tui ſubſterneres ? Bone
IESV ſuper Cherubin reſidens ſolo verbo purgationem
facere poſſes, ſed parum in hoc duram ceruicem noſtram
emollires, ſi quaſi ſine labore & impenſa præſtita, vicem
obſequij repoſceres.

A Fratres carissimi, non sustineamus diu ad pedes nostros IESVM prostratum iacere, sed citò mundati adquiescentes eleuemus ipsum reuerentia qua debemus. Quid enim, an non videris IESVM quærere pedes nostros, tenere, rigare, abluere, fricare, tergere & inungere? Si non vides, saltem audi ad pedes tuos iacentem & dicentem: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates, & peccatorum tuorum non recordabor amplius.* (Isa. 43. 5.) Certè vox ista, vox CHRISTI est. An loquelam eius non cognoscitis? Certè loquela sua manifestum eum facit. Mariæ Magdalenæ dicit: *Remittuntur tibi peccata tua.* (Luc 7. 8.) Adulterio deprehensæ dicit: *Vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? At illa. Nemo, Domine. Nec ego te, inquit, condemnabo.* (Ioan. 8. 9.) Paralytico ait: *Fili, remittuntur tibi peccata tua.* (Matth. 9. 2.) Fratres, hodie, si vocem istam audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ego sum, clamat, ego sum, vt si ad primam vocem non excitaris, vel ad secundam expergiscaris. Ego sum creator, ego sum redemptor. B Si quia te creaui non me audis vel agnoscis, saltem quia redemi non aspetneris me Patrem recognoscere, quia cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit. Ego sum, ego sum, inquit, ipse qui deleo iniquitates tuas. Dele, dele iniquitatem meam, faciesne ita; Planè, inquit, faciam & excoquam ad purum scoriam tuam.

Tria certè genera emundationum sunt, quorum aliud fit per ablutionem, aliud per emissionem, tertium per excoctione. Lauantur recentia & minora, delentur vetustiora & duriora, excoquuntur fortiora & aliter inuincibilia. Lauantur aquâ vitia quæ contraximus de corruptione reatus primi parentis, id est, fomes peccati Delentur ferro passiones peccatorum quæ per legem operantur in membris nostris. Excoquuntur igne consuetudines pessimæ abominationis quæ cicatrices putruerunt & possederunt nos in regno mortis. Omnia ista mundantur in mandato isto, si fides aquam exhibuerit, C si spes peluim supposuerit, si caritas aquam calefecerit, & multitudinem peccatorum per manutergium operuerit. Adhuc plura de mandato superessent dicenda, nisi vocaret nos cœna.

Sed quid dicam de cœna ista, cum me stupor apprehendat recogitantem quid in ea factum sit, & attendentem quid in ea faciendum sit? Si Regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius & habitacula seruorum, & ordinem ministrantium vestésque eorum & pincernas; & holocausta quæ offerebat in domo Domini, vltra non habebat spiritum: quid ego tantillus ad tanta, elinguis ad ineffabilia, rudis ad æterna, insensatus ad superexcellentia, terrenus ad cœlestia, immundus labiis & toto corpore ad sancta sanctorum, ad ea quæ sole clariora, luna pulchriora, astris sunt mundiora? Lingua ergo Pauli, in quo loquitur CHRISTVS, loquar ad vos de cœna Domini; lingua Isaiæ, cuius labia mundauit Angelus Domini tangens ea forcipe D altaris, non mea quæ est immunda, quæ est implicata, quia impeditioris & tardioris linguæ factus sum, ex quo aperui os meum tractare de his quæ apponuntur in mensa diuitis.

Dic Paule, dic de pane & calice huius mensæ quid tibi videatur. *Ego*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS in nocte qua tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens; Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, &c.* (1 Cor. 11. 23.) Quid ergo, Paule, tibi videtur, bonus enim homo es, quid, inquam, tibi videtur, de comestione huius panis & bibitione huius calicis? Estne vtile omni Christiano semper & vbique & quocumque modo accedere ad mensam istam?

Multiplici quæstioni multiplex debetur responsio. Omni quidem Christiano vtilis & necessarius est cibus Dominicæ mensæ qui vocatur Eucharistia, sed sub conditione, sed in loco, sed in tempore, sed in modo. E Locus est Ecclesia consecrata. Tempus ante omnem cibum vel potum. De modo multiplex fit subdiuisio. Ad modum pertinet habitus animæ congruus, sicut in Euangelio ejicitur ille qui intrauerat non cum veste nuptiali, id est, sine dilectione Dei & proximi. Ad modum pertinet qualitas mentis accedentis ad Eucharistiam.

De conditione est vt sit regeneratus in libertate spiritus. De loco Moyses, vt in domo mea, id est, in vnitate Ecclesiæ. De tempore, vt priùs probet se homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Vtrum sit pœnitens an impœnitens, vtrum pœnitentiam inchoauerit an non vtrum cum reuerentia accedat, an procaciter se ingerat, non diiudicans Corpus Domini; vtrum sacramentum an rem sacramenti accipere se credat. Ad modum pertinet, vt castus, vt deuotus, vt timoratus, vt compunctus accedas. F Ad modum pertinet vt veraciter credas, corpus verum & sanguinem Christi esse in altari sub specie visibili, nec esse illam speciem corporis vel sanguinis Christi qui ibi est inuisibiliter, sed panis materialis & vini quæ ibi non sunt substantialiter.

Discute ergo intra te conscientiam tuam, & si mortalia peccata vel non fuerunt in te, vel delata sunt per confessionem & pœnitentiam, securus de misericordia, pauidus conscientia, accede ad cœnam agni, & agnus factus agnum comede, non sicut lupus, sed sicut agnus. Iudas enim sicut lupus agnum deuorat, sed crepuit medius, tenebris non comprehendentibus lucem sed euanescentibus. Petrus agnum comedit, & sanguine eius vtrumque postem liniens, exterminatorem Angelum à se exterminauit. Et hæc de cœna non ad satietatem, sed prælibationem cibi salutaris dicta sunt.

Restat de vnctione chrismatis & olei. Sed chrismate Reges, Pontifices, Sacerdotes inunguntur. Regere ergo terram suam & populum suum debet qui inunctus est, vt imperet, non seruiat desideriis carnis. Vnde Apostolus. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* G (Rom. 6. 12.) Pontificali etiam auctoritate anathematizare debemus quæcumque vitia in nobis legi Dei non sunt subiecta. Sacerdotali quoque administratione omnia debemus probare, & quod bonum est tenere, sicut Sacerdotes in veteri testamento decernebant, qui mundi essent vel immundi, quæ lepra & quæ non lepra.

Sed quia hæc discretio spirituum non omnibus datur, nec illa potestas pontificalis, calcandi super serpentes & scorpiones, nec illa regalia libertas iustitiæ vt nemini seruiamus vnquam, videlicet semper existentes immunes ab omni crimine; consecratur oleum infirmorum, vt nullis obstupefacti peccatorum infirmitatibus, discrimine desperationis absorbeamur. Semper enim de misericordia Dei sperandum, semper ad oleum reuertendum est. Fili olei IESV, da nobis peccatoribus oleum indulgentiarum, da sanctis chrisma virtutum, da conuiuatoribus tuis agnum redemptionis, da in mandato tuo residentibus absolutionem peccatorum; qui viuis & regnas. H

SERMO IV.

In cœna Domini.

NOn mirum si suauiter omnia disponit, qui in conceptione sicut pluuia in vellus descendit, in conuersatione sine peccato, & prædicatione sine mendacio, oleo gratiæ vasa misericordiæ impleuit. Cuius nomen oleum effusum, in passione sicut agnus non aperuit os suum, in resurrectione Petro negatori suo primas salutes mandauit, in ascensione omnibus communiter Apostolis benedixit. Hæc sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, quia vt gigas ad currendam viam incarnationis suæ, exultauit, vbi *à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* (Ps. 18. 7.)

O Domine *omnia à te expectant*, &c. Expectat Pater anti- (Ps. 103.)

A quus ille dierum, holocaustum & sacrificium assumpti
à verbo corporis, pro redemptiune generis humani,
tamquam duos hœdos optimos, Rebeccæ, id est, gratiæ
manibus præparatos, sicut nouerat velle patrem. Expe-
ctat Angelus placatam I a s v videre faciem, in quam
desidetat prospicere, prodigi filij nequaquam inuidens
teparationi, quinimo consilium Dei sustinens, mortem
Regis & Domini sui, spe salutis huamanæ considerat,
nec vindicat.

Panem igitur illum de duabus decimis, id est, diuina
& humana compactum natura, triduanâ decoctione, id
est, cruce, monumento & inferno allatum triduo susti-
nent, videlicet à peccato Adæ, id est, ante legem, sub
lege, & tempore gratiæ, vsque ad Ascensionem Domi-
ni. Sed ille famelicus qui nun poterat implere ventrem
suum de siliquis, quas porci manducabant, eò quòd vi-
tulum saginatum expectabat, cuius cornibus inimi-
cos ventilaret, & corio pedes calciaret, carne fa-
B mem satiaret, adipe & pinguedine dolores temperaret,
sangine captiuitatem redimeret, intestinis interiorem
munditiam compararet, pedibus ad patriam repedaret,
capite in interiora velaminis contemplationem attolle-
Ps.103. ret. *Omnia ergo à te expectant vt des illis escam in tem-*
27. *pore.*

Quid est omnia? numquid draco? numquid anima-
lia pusilla cum magnis? numquid reptilia? equidem &
ipsa. Nam vt litteram breuiter tangamus, omnem crea-
turam suam pascit Deus. Mysticè verò, & diabolus ha-
buit fiduciam quod influeret Iordanis in os eius, quia
morte perpetua putauit Christum detinendum, quem
purum hominem autumabat & Deum prorsus ignora-
bat. A Iudaïca voracitate leo rugiens accurrit, vt illum
deuoraret, cùm Iudam sibi sociauit, cùm Scribam &
Pharisæos in inuidiam excitauit, cùm in vaccis popu-
lorum, mugitum clamoris *crucifige, crucifige* im-
misit.

O fera pessima! ô crimen extentissimi ventris! ô in-
serue! ô diabole! ô mora! quid vobis cum agno no-
C stro? Si saperetis non attrectareris. Si intelligeretis, ab
eo abstinereris. Mollissima quidem & sapidissima caro
eius, si dignè à dignis sumatur, ænea, & lapidea, si labiis
immundis & conscientiâ corruptâ contingatur, ita vt
molas leonum confringat, & anima dilacerata iudicium
mortis præsumptoribus inferat. Cæcitas quidem ex
parte contigit in Israel qui non cognouit Dominum
suum, in te autem diabole posuit Deus tenebras ne co-
gnosceres: & facta est nox vt occideres. O voracissime,
venenum tuum non vincit antidotum nostrum, quin
potiùs putrida malitia tua euanescit, si radios suos de-
texerit potentissima sapientia.

Deuorat itaque bellua Ionam, vt priusquam Ionas
secum extrahat diuitias sanctorum, quas includebat illa
cruentissima infernalis sanguisuga, & paradiso nouas
inferat escas de captura quam in arcu & pharetra vena-
tu apprehenderat primogenitus mortuorum & princeps
Regum terræ Iesvs. *Omnia à te expectant, &c.* Suscipit
aer pendentem in cruce, excipit terra depositum in mo-
D numento, infernus contremiscit euertentem omnia &
quærentem drachmam suam in lacu in quo non est
aqua: cœlum ascendenti inclinat cacumen suum, & in
sede præparata ab æterno cum iubilatione recipit. Sic
omnia reficit qui omnia fecit. *Omnia a te expectant, vt
des illis escam in tempore.*

Nil in fide Christianorum maius vel melius quàm
hoc cum omni veneratione recolendum Sacramentum
Dominici corporis & sanguinis, quod ab vniuersali Ec-
clesia studiosissima religione hodie celebratur & sumi-
tur. Seorsum itaque & sursum coquinam vbi esca pa-
retur, constitue, mensam quoque præclarissimam, vbi
angelica ministeria non dedignentur adesse, appone. Sit
autem coquina omnium sensuum & actuum nostrorum
in diuinis intenta officiis administratio. Sit mensa om-
nium affectionum & desideriorum ad Deum leuata con-
Gen.3. templatio. Sudandum est profectò in coquina, & eden-
18. dum de sudoribus in mensa. Sic enim scriptum est: *In*
sudore vultus tui vesceris pane tuo. Habet tamen alium la
borem panis, & aliàs vtique in agro, molendino, pistri
no, clibano, alium & aliàs caro & cætera fercula, scili
cet in coquina.

Animaduerte quia si agnus ad coquinam deferatu
excoriatur, vel elixatur vel assatur. Si auis, explumatur
si piscis, exenteratur. Abel agnum obtulit. Abrahar
turturem & columbam. Puer Tobias piscem exenterau
Sed quia pluribus intentus minor est ad singula sensus
escam non escas, ait Psalmista *Omnia à te expectant Do
mine.* Vna est enim hostia, vna esca, vnus Dominus, vn
fides, vnus panis, vnum corpus. Christus est hosti
Christus agnus, Christus turtur & columba, Christu
piscis. Columba de Spiritu sancto conceptus, turtu
quia Ecclesiæ vnicus sponsus. Agnus, quia innocen
occisus, quia primus de mari resurgendo ascendit, &
in ore suo didrachmum Euangelij quadripertiti habuit

Vbi, fratres mei, ligna quæ sufficiant ad coquendum
vbi aqua ad abluendum, vbi vetu ad sustinendum, vb
labia, dentes, palatum, guttur & stomachuaad perci
piendum? Digna esca, digna & munda exigit recepta
cula, dignam mentem, dignam animam, dignam con
scientiam. Non habitat in corpore subdito peccatis. S
rubigo assueti peccati detracta non fuerit per confessio
nem & correptionem, non intrabit coquinam; si moll
lutum & paludem coinquinatæ vitæ inuenerit peder
retrahit? si paliurum vel spinam iræ & odij offenderi
sicut cum gustasset acetum noluit bibere, sic relictâ co
quinâ illâ faciem ab ea auertit & recedit; si folia pul
chra sine fructu viderit, hypocrisim & simulationer
maledicit.

Vadam ad montem myrrha & ad collem thuris. Spons
Ecclesiæ Christo quàm grata sint myrrha & thus, & i
natiuitate ipsius & in morte ostenditur. Nam Mag
qui aurum detulerunt, simul myrrham & thus nat
puero obtulerunt. Ioseph autem & Nicodemus depos
to de cruce corpore Dominico, myrrha & aloe vnxe
runt. Veniens itaque ad nos & ad patrem rediens, a
montem myrrhæ & ad collem thuris se ire loquitu
sponsus. Vadam, inquit, ad montem myrrhæ & ad co
lem thuris. Reuera montem myrrhæ se Domino exh
buit mundus, quia in mundo venit & sui eum non r
ceperunt; sed dictis & factis omnia amara in eum cor
gesserunt. Quid enim ei non myrrham propinau
runt, cui toto tempore dispensationis de loco ad locun
illum propellendo, nec ad manendum hospitium præ
buerunt? Quid amaritudini myrrhæ addere potuerur
quando Iesvm crucifixerunt, & in eadem cruce sitien
vinum myrrhatum porrexerunt?

Sed tu Iesv à monte myrrhæ quo vadis? vtique a
collem thuris *Ego autem*, inquit, *orabam: Pater ignosc
illis quia nesciunt quid faciunt.* Sic Iesvs simul adscen
dit ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, quia & pa
titur & pro persecutoribus precatur. Plusquam sat
equidē amarus fuisset Diuinitati complexus humanit
tis, nisi præmissa gratia natiuum corrigeret saporem &
vnionis vnctio omnem de carne venientem leniret aspe
ritatem. Culpam siquidem præfocauit, sed pœnam no
exterminauit. Vnde: *Calix in manu Domini vini me
plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc veruntamen fæ
eius non est exinanita,* &c. *& dolores nostros ipse portaui*
Cùm ergo ad humanam naturam verbum accessit, a
montem myrrhæ venit.

Rursum cùm Ierosolymam passurus ascenderet d
cens: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tr
detur principibus Sacerdotum*, &c. ad montem myrrh
ascendit. Ibi humana & diabolica catenus se excussit sa
uitia, vt fines nullos faceret, sed secundum suam ser
tentiam res procederet. Ex occulta enim abysso maliti
immissiones diabolicæ toto flatu & impetu admota
corda & ora Iudæorum vsque ad diruptionem infl
bant, & in Dei filio tam turpia quam crudelia complu
bant. Vnde in Psalmo loquitur. *In me transierunt i
ræ, & terrores tui conturbauerunt me.* Ecce proditio, ve
ditio, manus iniectio, corvina osculatio, flagellati

collaphisatic

A collaphisatio, irrisio, blasphematio, falsa accusatio, sputorum exceptio, crucis affixio, aceti oblatio, capitum commotio, & quorumlibet pessimorum excogitata adinuentio IESVM tenent, IESVM obsident, IESVM tamquam scabellum pedum suorum premunt & possident.

Tu vero qui ad hoc ad montem myrrhæ venisti, quid agis? quid facis? *Messui*, inquit, *myrrham meam cum aromatibus meis*. (Cant. 5. 1.) Plurimam segetem in passione mea messui, quia exinde mundum redemi & ad palatia mea, passionis meæ cultores & imitatores innumerabiles reportaui. Sequuntur autem eum qui sunt ex parte eius, videlicet sancti Martyres, & Confessores. Quorum hodie solemnes visitans epulas, sibi ac Patri ac Spiritui sancto loquitur dicens. Vadam ad montem myrrhæ, &c. Nil enim sine IESV festiuum, nil in omnibus conuenticulis sanctorũ memorabile, aut egregium. Sicut enim corpus sine capite, truncus iacet, sic Ecclesia nisi Christo cohæreat, nusquam & numquam gaudet. Tanquam igitur hastilia stipite hærent in candelabro, sic diuersorum graduum, officiorum & ordinum fideles, hîc fide, B illic re concorporantur Christo capiti suo. Nihil autem myrrhatæ amaritudinis, quæ prima abiit, Sancti ad cælum secum detulerunt, sed tantùm odorem suauitatis sed fructum immortalitatis.

Quærat verò vnusquisque scalam ascensoriam ad montem myrrhæ, quia fetor & putredo iam mundi fines impleuerunt, & columba de arca Noë emissa, extra non quiescens obsidionem corruptionis, sæculum ambire renuncians, puritatem internam è vestigio repetit, & intrare in gaudium Domini sui quærit. Horum, fratres carissimi, solemnitas hodie à nobis recolitur, horum merita & præmia à fidelibus celebrantur. Non abhorteamus itinera eorum quamquam myrrhata, quia momentaneum & leue tribulationis nostræ, operatur supra modum æternæ gloriæ pondus in nobis.

Veteres itaque & cruentatos panes martyrij eorum assumamus, & tunicam Ioseph intinctam sanguine hædi nobis aptemus. (Luc 24. 26.) C *Oportebat*, inquit Euangelium, *Christum pati & ita intrare in gloriam suã*, & Apostolus, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei*. (Act. 14. 22.) Petrosa quidem & spinosa est via, sed ab his absoluta patria. Grata etiam magis quies est post laborẽ, & quò ampliùs ad lectum fatigatus veneris eò indulgentiùs quiescis. Non reputemus graue & grande dispendium, præsentem laborem, quia citò releuabitur compendio perueniontionis. Audi exploratorem fœlicitatis futuræ & contemplatorem instantis pœnæ, quàm nihili pendat præsentia dum attendit æterna. *Quoniam*, inquit, *mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præteriit*. (Psal. 89. 4.)

Mentis bonæ radicem nil fortiùs à terra euellit, quàm consideratio huius laboriosæ instabilitatis, & nunquam commutanda sors quam assignabit sententia futuri examinis. Dubitabilis & incomparabiliter formidabilis continuatio duarum extremitatum, id est, vitæ præsentis & futuræ. Mediator autem qui ambages & veteres interruptiones Dei & hominis soluere venit, & actiones D nostras aduersùs malignum innouare & perpetuare, pœnitentia interueniente, in hodierno Euangelio quibus priuilegiis, & quibus in integrum restitutionibus antecessores nostri hæreditatem immarcessibilem conseruatam in cœlis recuperauerunt, ostendit dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, &c. (Matth. 5. 3. *Deest aliquid*) Cauentes itaque fastidium prolixitatis, quàm breuiter possumus vtilitatem morum exinde nutriamos.

In primo cornu agni scribendo nomina nostra, in libro vitæ vocat gratia Dei oues suas nominatim. In secundo mittit discipulos sicut agnos in medio luporum, vt patientiâ sua vincant hostilem malitiam. In tertio iam non habent colluctationem contra carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, spiritualia nequitiæ in cælestibus ventilant cornu. In quarto fit propitiatio animarum per sanguinem Christi. In quinto aratra Euangelij per auditorum arua sulcando & seminando Verbum Dei trahuntur. In sexto Sacerdotale. Io septimo regale officium initiatur & sanctificatur.

Non inconuenienter & septem cornua, septem illa remunerationis & beatitudinis itinera sunt; videlicet paupertas spiritus, mansuetudo, luctus, esuries & sitis iustitiæ, misericordia, munditia, cordis & pax. Oculi verò agni sunt his exercitationibus cooperatoria carismata seu præmia repromissa, id est regnum cœlorum, possessio terræ, consolatio, saturatio, misericordiæ recompensatio, visio Dei, & filiatio. Hi sunt etiam dentes de quibus dicitur, *Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascendunt de lauacro*. (Cant. 4. 2.) Masticatis enim passione, vel mortificatione sanctis, ad sui stomachi secretoria traiicit, & occultorum suorum conscios efficit, quia abscondit eos à conturbatione hominum. O sancti, ô Beati, ô electi Dei, visceribus eius connumerandi, exalationes sacras & emissiones purissimas respergite famelicis vestris; quia in idipsum refluxiones gratiarum vobis continuabuntur, nec copia deerit, vbi venas gratiæ nulla auaritia claudit. Lazarus noster ante fores vestras nudus, mendicus, vlcerosus, famelicus iacet expectans micas, præstolans reliquias de plenitudine mensæ, de stillicidiis F fæcundissimæ cœnæ. Operite nudum iustitiâ, & carnem vestram ne despexeritis. Pro miseria, mendico ferte opem, vlceroso apponite medicamen, famelico porrigite panem & exuli de reditu solamen; deliciæ vestræ, nec desunt aduenientibus, nec superfluunt abeuntibus. Ea regulariter moderatione regio vestra dispensatur, vt sicut prædestinationi nihil minuitur, sic nihil superadditur. Nondum impletus est numerus fratrum vestrorum, de quorum germanitate etsi pro incerto sortis nostræ non præsumimus, tamen vt compatriotas nos admittatis humiliter optamus. Ad patrem igitur vestrum & patrem nostrum oculos eleuantes totis medullis clamamus, Pater Abraham miserere mei & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam de cisternis Bethlemiticis, vel de fontibus saluatoris, & refrigeret flammam nostram qua cruciamur. Passionibus namque & tentationibus carnis accensi, diabolicis sufflatoriis vrimur, & penè nemo est qui se abscondat ab incendio G isto. Quasi ergo torris erutus de igne & quasi facies ollæ combustæ, nos Ethiopes manus Dei præuenientes coram illo procumbimus, spem de Psalmo habentes in quo veraciter dicitur, *Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthyopum hi fuerunt illic*, (Psal. 86. 4.) si apud vos non est locus impatientiæ, neque verecundiæ. Maria Magdalena, Mathæus publicanus, Paulus blasphemus, latro in cruce, nonne de hoc genere aliquando fuerunt: hæc autem spes in sinu nostro est quod os putei tantarum misericordiarum & potentiarum nondum clausum est; adhuc plures absorbet, & quos absorbuerit super niuem dealbat, & massæ candidatorum agglutinat.

SERMO V.

In Cœna Domini.

H *Fili hominis, &c.* Mensa Domini diues & magna omnes recipit, & quantùm ad se omnes reficit. Clamat enim Dominus mensæ, dicens: *Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. (Ezec. 3. Mat. 11. 28.) Qui laboratis non in saturitate pro terrenis honoribus & diuitiis, & onerati estis, postquam adquisieritis; Venite ad me Deum & ad doctrinam Dei, & ego vos reficiam non pane illo desiderabili de quo Daniel: *Et panem desiderabilem non comedi*; (Dan. 10. 3.) sed pane viuo qui de cælo descendit reficiam sicut Eliam, ne in via deficiatis. Sacramenti cortice operto corpore sancto Christi, in via reficiam, manifestata visione, & reuelatione, perficiam in patria; hîc enim reficiendi per fidem ambulamus, ibi perficiendi, facie ad faciem Deum videbimus.

Ad hanc refectionem quia intus quasi inclusa latet virtus & veritas sanctæ Eucharistiæ passim accurrunt & boni & mali. Aliquando festiùùs & sæpius mali quàm boni, semper autem etsi tardiùs boni deuotione pleniori quàm mali. Contemplor & comploro, non solùm spi-

ritales,

A ritales, sed animales & carnales; sese ad mensam Domini ingerere. Sedet ad mensam Domini homo, spiritualis cum Apostolis, nec in fide nec in sorte dissimilis. Hic pascit, hic cubat in meridie habens statum quietis iuxta mensam refectionis, dicens cùm Petro: Math. 17. 4. *Domine bonum est hic* me *esse*, vt sit læua tua sub capite meo, lucra sæculi tamquam stercora contemnenti; & dextera tua, in qua est calix benedictionis, amplexetur me.

Quid animalis: Tamquam canis in circuitu mensæ Ioan. 6. 60. oblatrat dicens: *Durus est hic sermo quis potest eum audire?* hic accipit Corpus Domini de mensa, sed non percipit. Non enim animalis homo percipit quę Dei sunt; perciperet, si ad salutem acciperet. Ad salutem acciperet, si cum fide & deuotione accederet. Sed disputat quomodo hoc fiat. Quot namque scrupulos vel sibi obiicit, vel soluit, tot & plura sunt in sanctuario Dei quæ non intelligentur, nisi in nouissimis. Animalis est frater ille B senior in agro qui non intrat ad epulandum vitulum saginatum, quem reuertenti prodigo immolauerat, disputat & murmurat non posse fieri, de pane Corpus Christi, cum potuerit totus mundus de nihilo fieri; canis est.

Quid carnalis? Musca est, musca canina. Quid facit musca in mensa? Inquietat, contaminat, perdit suauitem vnguenti. Leues, instabiles, murmuratores, curiosi, sunt muscæ. Si contigerit muscam calicem intrasse & Corpus Domini in manibus tuis tetigisse, valde, vt dignum est, doles & irasceris. Cur ergo, ne sis ipse musca, te non corrigis? Vide actus tuos, si murmurat, in hoc es musca, quia ipsa murmurat. Si alios inquietas musca es, quia inquietat. Si instabilis es musca es, quia numquam aut vix in vno loco stat. Si astutia tua corrumpis alicuius simplicitatem, musca es, quia quod tangit, corrumpit. Abraham abigebat muscas ne contaminarent sacrificium suum quod Deo offerebat. Vtinam non sicut sunt modo muscæ alatæ, sic non essent qui mensam Dei, infidelitate aut turpi conuersatione infestarent. Apo- C calypsis eiicit canes dicens: Cap. 22, 15. *Foris canes, venefici, impudici, homicidæ, idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.*

His eiectis redeamus ad filium hominis, id est, ad spiritalem hominem, Ezech. 3. 1. *fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua replebuntur volumine iste quod ego do tibi, & comedi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Vt ait Salomon: *Est cibus cibo melior*; est cibus gulæ, est Eccl. 30. 20. cibus animæ; Est cibus ventris, est cibus mentis, est cibus corruptibilis est cibus incorruptibilis. Est cibus qui gustatus affert mortem, est cibus qui manducatus confert vitam. In paradiso suadet serpens comedere lignũ sciẽtiæ boni & mali. In cœnaculo grãdi strato, post carnes veteris agni tradit IESVS Apostolis sacramenta corporis & sanguinis sui. Opponit itaque Dominus lignum ligno, cibum cibo. Hodie in cœna cibum, cras in cruce lignum. In cibo sumitur, in ligno crucifigitur. In cibo refectio accipitur, ligno pretium redemptionis, soluitur. Eucharistia appellatur cibus, lignum sancta Crux.

D Mira conuersio in cibo, vbi de pane Corpus Domini conficitur, de vino sanguis. Dura passio vbi clauis tenerrimum & castissimum Corpus Dominicum configitur & latus continens pretiosissimum thesaurum lanceà militis aperitur. O Domine qui pascis me & de tuo & de te, quid rependam nisi mea & me. O Domine qui me redimis non auro & argento, sed sanguine & corpore tuo, quid retribuam nisi carnem & animam? Si me appendo totum in statera crucis iuxta te totum, quæ vicissitudo recompensationis, quæ comparatio tantilli & tanti? Quid vilissimus vermiculus in mensa Domini?

Sed habet Dominus non vnam tantum mensam, sed multas. Quot sunt diuersitates animalium mobilium & sese mouentium; tot varietates sub cœlo Dominicarum mensarum. Pascit namque Deus singula in genere suo & secundùm genus suum: sua majestate gloriosa & glorificata in cœlo pascit Angelos sanctos, pascit & beatas iustorum animas. Pascit quoque in terra bonos & malos, qui facit suum solem oriri super bonos & malos, pane materiali secundùm corporalem refectionem vtrosque, E secundum spiritalem alteros, id est, bonos tantùm. De hac igitur refectione qui dat escam pullis corvorum, loquitur Deus ad Prophetam: Ezech. 3. 3. *Fili hominis venter tuus comedet, viscera tua replebuntur volumine iste, quod ego do tibi?* De hoc volumine paulò superiùs ait, Cap. 2. 9. *Et vidi & ecce manus missa ad me in qua erat inuolutus liber & expandit illum coram me qui erat scriptus intus & foris & scripta erant in eo lamentationes, & carmen & væ, & dixit ad me fili hominis quodcumque inueneris comede.*

Liber manumissus ad Prophetam, sacra & Euangelica scriptura est, quasi inuoluta ante Passionem Domini, in cœna eius expansa & expensa in cruce tamquam in mensa, & tam sacramentale à nobis, quam & ipsum corpus à Iudæis passibile hodie & cras supponitur. Quatuor Euangelistæ extendunt & expandunt pallam istam manifesta narratione, quibus verbis panem in corpus & vinum in sanguinem suum sanctificauerit scribendo, quibusque cruciatoribus in cruce appensus sit. Manus F Dei est ipsa operatio qua operatus est salutem in medio terræ, salutem vitæ in cibo, salutem libertatis in pretio. Si alterum deesset, opus diuinum non esset. Si enim reficeret & captiuum non liberaret, prorsus post cibum lacrymas non tergeret. Quid enim est ancilla satietas? Immo captiua magis stimulat satietas, plus siquidem dolet de captiuitate, quàm gaudeat de refectione. Rursum si redimeret, nec redemptum pasceret; vtique esuriens sicut Israël in deserto eductus de Ægypto murmuraret. Neutrum itaque defuit, vbi & panis affuit de cœlo, & de IESV saluatio.

Scriptæ sunt tamen in libro isto lamentationes & carmen & væ. Lamentationes in passione, carmen, id est, alleluia in resurrectione, væ in proditoris condemnatione. Mulieres lamentabantur, Angelus carmen vultu & stolà cantabat dicens mulieribus, *Nolite timere scio enim quòd* IESVM *quæritis crucifixum, surrexit non est hic*; Matt. 16. 6. hoc carmen, hoc canticum nouum scriptum est in Euan- G gelio. Sed vbi væ? Iudas pœnitentia ductus pecuniam retulit, & abiens laqueo se suspendit. Væ ei; *Melius illi* Math. 26. 24. *esset, si non esset natus homo ille.* Effusa sunt viscera eius. O Iuda vbi est buccella quam de manu Domini acceperas? vt in Iob legitur de impio: *diuitias quas deuorauerat extraxit Deus de ventre tuo.* Iob. 20. 15. Indigna enim interiora tua vbi Sathanas post buccellam introiuit, retinere cœlestia Dominici corporis sacramenta nequiuerunt. Prophetæ autem dicitur; viscera tua replebuntur volumine isto, quod ego do tibi.

Corpus Christi in panis specie Apostolis datum, & vsque ad finem sæculi in altari consecrandum, volumen, est siue liber involutus; nam non apparet quod est; & quod apparet non est. Scriptus est intus & foris: foris est sacramentum visibile intus virtus & veritas invisibilis. Lege quod foris est, crede quod intus est. Scriptæ sunt lamentationes vt pœnitens doleat, carmen, vt iustus gaudeat: Væ vt qui in sordibus est sordescat adhuc, iudicium enim sibi manducat & bibit, qui indigne accipit. Viscera verò eius replebuntur, qui habet viscera pie- H tatis, castitatis & caritatis. In tali lectulo requiescit Salomon.

Fili hominis comede filium hominis. Iste filius hominis non occiditur & comeditur. Sed prius in cœna comeditur & deinde passione crucifigitur. Eucharistia communio est non crucifixio. Nam viuus non cõmunicat mortuo nec mortuus viuo, sed viuus viuo, & mortuus mortuo, hoc est si compatimur & conregnabimus. Si commortui sumus cum Christo, credimus quia simul viuemus cum ipso. Si ergo viuimus vita Christi bene illi communicamus, qui surgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. Rectè communicat filius hominis, filio hominis, si conuersatione si passione, si resurrectione communicat. Conuersatione per omnia sobria & sancta; passione humillima & patientissima: resurrectione formosissima, & firmissima; vnde Psalmista: Psal. 92. *Dominus regnauit decorem induit, induit Dominus fortitudinem & præcinxit se virtute.*

A Fili hominis venter tuus comedet, hoc contra vsum loquendi, quia comedere librum inuolutum siue volumen, supra vsum est comedendi; legere enim solemus volumina non comedere, & os non venter comedit. Quid est igitur, *venter tuus comedet & viscera tua replebuntur volumine quod ego do tibi?* Mente non ventre, fide non dente, operibus non faucibus ad salutem sumitur Christus, intus enim scriptus est liber. Sed quia & fotis,
* l. qui manus nostras & labia, & dentes & fauces in lutere * quod est ad ostium tabernaculi, plenum aqua tam corporaliter quàm spiritualiter abluere debemus. Monumentum & sepulchrum Iesv mundum est, nouum est. Omnem iniuriam excipit Christus, sed nullam immunditiam. Si opponis quod expuerunt in faciem eius, & velauerunt; se illo sputo contaminauerunt non Iesvm: nam caro eius non vidit corruptionem, neque in obitu.

Sit ergo venter mundus, ciborum parcus, sit mensa
B pura, abstinentia vitiorum. Sit venter strictus non effusus, sit esuriens escam, non ministrans luxuriam, sit cibaria ministris suis dispensans, non ad illicita superfluus inflammans. Tales sunt ventres Prophetarum, tales Sanctorum omnium. Vnde dicitur: Venter tuus comedet, & viscera tua replebuntur, quia non sunt, veteres vtres, qui rumpuntur cum nouum in eis mittitur
Ps. 62.6. vinum. Inde Psalmista. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Sequitur; Et comedi illud, & factum est in ore meo tamquam mel dulce. Eucharistia dulcis super mel & fauum ori meo. Lætum, securum, magis acutum reddit me Hostia sancta, Hostia pura, Hostia immaculata, quotiens à me percepta fuerit. Dico Domino
Ps. 22.4. meo Iesv; *Si ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es*, per Corpus & Sanguinem tuum. Vtinam in hac perceptione prægustarem quàm suauis Dominus in regno, qui tam dulcis in exilio, Iesvs Christvs Dominus noster; Qui cum Patre & Spiritu sancto, &c.

C

SERMO VI.

In Cœna Domini.

Ps. 77. 25. PAnem *Angelorum manducauit homo.* Quis sit panis Angelorum, vbi sit, quomodo manducandus, quando & vbi, & à quibus & quare, videndum: & dicendum est, quis sit panis Angelorum quem manducat homo. Labia dolosi refugit, sensum erroneum atque immundum aspernatur, sed non spiritum humilem & quietum, & trementem sermones eius. Corde itaque vero, corpore casto, manu sancta, lingua purgata, & tangere & comedere possumus illum panem, qui ex duabus decimis confectus est homo Deus, ex diuina scilicet natura & humana, in Virgine de Spiritu sancto conceptus & natus, mediator Dei & hominum factus.

Mulier namque illa de Euangelio, id est, ipsa sapien-
D tia Dei, siue Virgo Maria, fermentum satis tribus commiscuit, hoc est ligaturâ vnionis, diuinitatem, animam & carnem inseparabiliter copulauit, sapientia, operatione; Virgo conceptione. Pistor huius panis est Spiritus sanctus qui purissimum panem Iesvm Christvm de integra & tota Trinitatis substantia tamquam simila prima, & de purissimis & sanctissimis sanguinibus superpurgatis, non cribro humani ingenij, aut meriti; sed superueniente obumbratione Spiritus sancti, miscuit, vniuit, in habitu & forma hominis formauit, coxit & de clibano saluia signaculis virginitatis, extraxit, mensæ Angelicæ delicatissimas delicias apposuit, humanæ etiam infirmitati efficacissimam medicinam temperauit.

Ps. 23. 8. Gustato eo miratur palatum Angelicum dicens: *Quis est iste Rex gloriæ?* humanum autem valde famelicum, delectatur sapore & satiatur virtute, sanatur ab ægritudine, & incorporatur dilectione, & sic panem Angelorum manducauit homo. Vbi vero est? aut sursum aut deorsum, aut iuxta vos: si sursum, ascendendum; si deorsum, descendendum, si iuxta sed latens; inuestigandus, si iuxta sed apparens, apprehendendus & comedendus. E

Est autem simul sursum, deorsum, & iuxta latens & apparens. Sursum est quia Deus excelsus; deorsum, quia homo crucifixus, iuxta; quia *Ecce vobiscum sum vsque ad* Matth.
consummationem sæculi, latens non in forma visibili qua 28.20.
sedet ad dexteram Patris, sed in specie panis & vini apparet in altari. Apparens priùs cum hominibus, quia & frequenter per miracula, quibusdam visibiliter apparuit in altari, & omnibus fidelibus certiùs fide creditur, quam quod oculis carneis visibiliter cernitur. Quia sursum & deorsum est, ipse enim est qui descendit & qui ascendit super omnes cœlos vt adimpleret omnia; ideo in Euangelio dictum est. *Videbitis Angelos Dei* Ioan. 1.
ascendentes & descendentes super filium hominis. Quia 52.
iuxta nos est, ideo ait Apostolus: *Prope est verbum in ore* Rom. 10.8.
tuo, & in corde tuo. Quia latet, item in Euangelio dici- Luc. 22.
tur: *Ex hoc erit filius hominis sedens ad dexteram Patris.* F
Quia apparet; ait Apostolus. Iesvm Christvm 69.
vidi oculis meis? Quod vtique post ascensionem di- 1. Cor. 9. 1.
ctum est, quia priùs cum hominibus conuersatus est, & vidit omnis caro salutare Dei.

Est in cœlo, in altari, in corde Christiani: in cœlo corpore glorificato, sedet ad dexteram Patris. In altari velato mysterio, latet sacratissimis opertum inuolucris; sicut Ioseph accepto de cruce eodem corpore cum Nicodemo ligauit illud linteis cum aromatibus, significans mysterij ligaturam in linteis, id est, notis bene nobis & gratissimis speciebus panis & vini, cum aromatibus fidei, spei, & caritatis, & aliarum virtutum, vel cum ipsius pretiosissimi corporis odorandis & odoratissimis virtutibus, quæ sunt in odorem suauissimam Sanctæ Trinitati, cui offertur illud sacrificium. & Angelicis spiritibus, quorum sedulo obsequio intra velum, id est, cœlum quotidie deportatur. In corde per fidem quæ per dilectionem operatur, per sanctam conuersationem, cui Deus accepto fert iustitiam. G

Ecce de Corpore Iesv, vbi habitat, vbi pascitur, vbi cubat, vtique in cœlo habitat, sicut in Psalmo dicitur:
Qui habitas in cœlo miserere nobis. In altari autem pasci- Ps. 122.
tur, quia & nostris sanctis desideriis delectatur; & de se nobis alimentum quod viaticum dicitur, parat nobis in via, qui erit satietas in patria; iuxta illud. *Satiabor* Ps. 16.
cum apparuerit gloria tua. In corde vero cubat, in me- 15.
ridie dilectionis, si molle, æquale & mundum reperit stratum, id est, si te inuenerit mansuetum, iustum, & castum. Hoc de pane quis sit, & vbi sit. Dicendum deinde quomodo manducandus sit; habet enim sicut singularitatem essendi, sic modum specialem & remotum edendi. Vnde Apostolus arguit Corinthios, qui nulla discretione vsi, passim indifferenter accedebant ad perceptionem sacramentalem Dominici corporis, sicut ad quamlibet escam corporalium refectionum: *Qui manducat* in- 1. Cor.
quit *& bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit non* 11.29.
dijudicans Corpus Domini.

O homo animalis desili paulisper ab asinitate tua, & H
conscendens in arcem rationis, quia necdum vales conscendere altitudinē contemplationis, compara cum Corpore Domini quicquid corporeum vel spiritalis creaturæ accessibile est menti tuæ, & iusta appensione in pondere sanctuarij, hoc est, non philosophica & sæculari ratione, sed Catholica fide & diuinissima subtilitate, perpende quid hoc, quid illud, quantum hoc, quantum illud, quale hoc, quale illud, cuius dignitatis hoc, cuius illud, cuius vtilitatis hoc, cuius illud.

Quid ergo hoc nisi gemma pretiosissima quæ suo pretio totum redemit mundum, quæ attrita morte scintillauit & excæcauit infernales oculos, vt in tenebris lux esset & tenebræ eam non comprehenderent, immo de claritate cæcarentur, de lumine obscurarentur? Quid hoc nisi antidotum contra & supra omnia venena, quod etiam resuscitat mortuum? Quid hoc nisi illud corpus quod ante resurrectionem paulominus minoratum est ab Angelis, propter passibilitatem & mortali-

tatem

A tatem, nunc eleuatũ super omnem cœlestem altitudinem loco, dignitate, maiestate, gloria & honore coronatum? Quid illud omne quod vanitati subiectum est, quod semper tendit ad non esse, quod citò præterit & non est?

Quantum verò sit vel quale, sola nouit ciuitas superna, quæ sua magnitudine impletur, quæ sua pulchritudine illustratur. Dignitate Deo adiungitur, vtilitate numerus Angelorum reparatur, & prædestinatorum salus impletur. Omnis verò creatura, si quantitatem respectu Dei attendas, velut momentum stateræ reputata est. Si speciem, deformis, si dignitatem vilis quasi pannus menstruatæ, si vtilitatem, nullius pretij, quia non ditatur Deus creaturâ suâ, sed creatura Deo beatificatur. Discerne itaque hunc panem Angelicum ô homo non tantùm à cibis corporalibus, sed à cunctis creaturis, præ omnibus hunc honorando, colendo, etiam diligendo, etiam adorando, credendo, manducádo.

Hic modus manducandi, vt castus castum percipias, B Corpus CHRISTI Christianus, sanctum sanctus, pium bonus, iustum rectus, crucifixum deuotus, cœlestem terrenus. Et hoc de modo manducandi.

Quando manducandus? In tribulatione, vt mitigetur, in necessitate vt excludatur, in infirmitate vt releuetur, in sanitate vt conseruet, in prosperitate vt moderetur, in aduersitate vt confortetur, in morte, vt anima ad Deum dirigatur, mane vt tecum sit tota die, & tecum laboret, hora tertia vt clamorem Iudæorum, *tolle tolle crucifige*, corde retineas, & in compunctione ista gratia Spiritus sancti animam tuam repleat. Hora sexta, vt teipsum cum CHRISTO cruci affigas: hora nona, vt emissum spiritum à capite excipias, & in tuo spiritu dignè reponas: ieiunus etiam ante omnem grauedinem cibi & potus, accipe Corpus CHRISTI, vt hospitium tuum ipse præoccupando, primos recubitus & primas cathedras, & primas salutationes habeat, & accubante eo, molestiam nulla de ancillis cogitationum faciat, nullus seruilis motus inordinatè mouendo illeC cebras carnis prorumpat, sed medium silentium teneant omnia dum os silet, lingua hæret faucibus, omnia interiora ad pedes IESV residunt, salutaria tantùm meditantia & de salute sollicita.

Sunt etiam quædam tempora constituta, quibus censeo non abstinendum nisi exter rationabilis causa, id est, excommunicationis sententia, vel capitalis peccati conscientia præmissa etiam confessione peccatorum & decantatione septem Psalmorum pœnitentialium, si fieri potest sumendum est corpus Dominicum. Vnde Psalmista, [Ps. 146. 7. 9.] *Præcinite Domino nostro in confessione, psallite Deo nostro in cithara: qui dat iumentis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus eũ:* Euacuat enim superflua, & quæ abominatur sanctitas huius sanctissimi corporis, quod nusquam vidit corruptionem, neq; apud Patrem ante sæcula, neque in Matre nascendo in fine sæculorũ, neque in sepulchro resurgendu post diem tertiũ neq; in hospite diuertendo ad animam Christianam per hoc sacrosanctum mysteriũ.

Corpus enim & anima, per sanctam confessioné puriD ficata, per cœleste desiderium ad eum eleuata, per caritatem dilatata, & per compassioné proximi affecta, cœnaculum illud grande stratum sunt, vbi Apostoli iubentur parare Pascha, & Apostolus eumdem docet ordinem dicens. [1. Cor. 5. 7.] *Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azimi*, &c In summa dicendum de tempore perceptionis quod ait Psalmista, [Ps. 144. 15.] *Oculi omnium in te sperant Domine & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Tempus enim opportunum, facit ratio deuotionis, fidei, institionis & necessitatis. Ecce quando.

Vbi autem nisi in loco sancto, nisi in templo Dei, nisi in Ecclesia Catholica, sicut & carnes, nemo efferebat extra domum illam quæ vtrumque postem habebat tinctum, de sanguine eiusdem agni? In vtroque autem poste sanguinem ponit qui Passionem CHRISTI corde credit ad iustitiam, ore autem confitetur ad salutem.

Iam à quibus panis Angelorum manducandus sit, dicendum est. Apostolus ostendit dicens: [1. Cor. 11. 28.] *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.* Hoc insigne sapientiæ in gestis suis proprium habent, quod diuina ce- E lebrat pagina, vt semper omnimoda examinatione studuerint ante factũ, euentus facti diligenter pensare. Abraham trecentos vernaculos expeditos priùs numerauit, & sic quinque Reges debellauit, & Loth nepotem suum liberauit. Gedeon quoque Domino iubente trecentos separauit ad bellum contra Madian, qui manu proiiciente ad os aquas lambuerant. Legislator quoque Moyses iubet vt cùm ad bellum procedere debent filij Israel, ante congressum pugnæ Sacerdotes & duces clamore publico expetiantur qui sint idonei bello, & qui timidi ad bellum vel minùs apti, In quo genere sunt, qui ædificauit domum nouam & non dedicauit eam; qui plantauit vineam & necdum fecit eam esse communem. qui desponsauit vxorem, & non accepit eam, qui formidolosus est & corde pauido. His omnibus reuersis, tunc cuneos suos vnusquisque principum præparabit.

Longissimum esset & difficile enarrare id fuisse studij F apud alios quinquaginta bellatores Dei, vt scilicet semper probarent quos, ad quælibet officia eligerent, sicut etiam septuaginta seniores iubet Dominus Moysi eligere, quos ipse nouerit senes esse. Si enim tanto studio ad ista sæcularia probantur qui exerceant destinata officia quorum nec victoria laudem æternam parit, nec meritum salutem veram, nisi fortè aliqui intendant se obsequium præstare Deo; non in eo quod hostes vincunt & homines occidunt, sed quia iniuriam Dei vindicant, & diuinis iussis militant: quantò magis ibi omnia probanda, vbi perenne periculum de negligentia, æternum remedium de diligentia. Probet ergo seipsum homo, tamquam subiturus bellum grande, non aduersùs carnem & sanguinem, id est, hominem mortalem. sed de carne & sanguine Domini, vbi contra Deum bellum arripitur, si indignè sumatur.

Sit ergo vernaculus Abrahæ, id est. educatus ingenio Ecclesiæ Catholicæ. & sit expeditus ab omni impedimento carnis & spiritus, sit de trecentis post Christum crucem suam in fide Sanctæ Trinitatis baiulantibus: G quinque Reges persequatur & apprehendat, vt quinque sensus suos in seruitutem Christi à libertate iustitiæ reducat & redigat. Loth nepotem Abrahæ eripiat, id est, virtutem aliquam per negligentiam amissam. recuperet per industriam. Tunc de pane illo edat & de calice bibat, quia Melchisedech reuertenti Abrahæ ab hac cæde obtulit panem & vinum.

Contra Madian qui interpretatur contradictio, id est, diabolum, vel motus carnis, assume illos trecentos, qui aquas lamberunt, sicut canes solent lambere, manu ad os proiiciente, id est, illos qui non secundùm carnem viuunt, nec desideria carnis faciunt, sed parcissimo & tenuissimo victus sustentaculo, quasi canes prædam sequentes, vtcumque refocillati, gloriam promissam, quasi fugientem insequuntur, & isti de pane illo edant & calice bibant, quia de calice Babylonis, id est, delectatione carnis nolunt bibere.

In domo autem noua ædificata & non dedicata, qui H bonum sibi propositum eligunt, sed necdum ad effectum perducunt, in vinea plantata & necdum communi effecta; deuotionis inchoatus fœtus per sanctum desiderium, sed necdum formatus & editus per vsum, in vxore desponsata & necdum accepta, votum de mutando sæculari habitu, & nouæ vitæ accipiendæ promissio, quod quamdiu differtur, vxor desponsata non accipitur. In formidoloso & corde pauido; qui timet vbi non est timor, & sic expauescit ad folium arboris, quasi ad morsum serpentis, nec accedit ad quodlibet votum sanctæ religionis.

Omnibus his improbatis reliqui probent se, cuneos aduersùs vitiorum castra præparantes, & sic bellantes viriliter contra omnes impugnationes quæ militant aduersùs animam, de pane illo edant & de calice bibant. Ecce à quibus manducandus sit panis Angelorum.

Restat, quare. Quare nisi, vt vitam habeamus, & abundantius habeamus; nisi vt nobiscum habeamus Dominũ, nisi vt in nobis sit ad iustificationé præsentem, & ad

A futuram glorificationem? quam nobis præstare ipse panis viuus & verus dignetur, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, IESVS CHRISTVS Dominus noster qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat.

SERMO VII.

In Cœna Domini.

Ps. 77. 25. PAnem Angelorum manducauit homo. Cui mensa & fercula indulgentur Angelorum, eidem ipsi officia & ministeria imperantur in obsequiis cœlestibus militantium. Antequam ergo contingat sacerdos missam, vel mensam Deo ministrantium, mentem purificet & pacificet Angelis in nullo contaminatis, vt sit vnum officium, quorum non est diuersum conuiuium.

B Sed quia ad diuina & inuisibilia non consurgunt filij hominum graui corde & terrestri ac cæco carcere nati, & nutriti, nisi per humana & visibilia vt ascendant ad illum, qui habitat in caligine & qui posuit nubem ascensum suum, quæratur scabellum pedum, scala Iacob; vt sit læua sub capite & dextera amplectatur gradientem. Iuuatur autem vsu & consuetudine tam verborum quam rerum mundanarum, quicumque ab his subrepere temptat sursum ad inuisibilia Dei & quasi reptile super terram, id est, stellio manibus nititur, vt moretur in ædibus Regum. Cùm verò Angelica natura cibario istu pane non egeat, tamen more humano panem dicitur habere & manducare in Regno cœlorum.

Nec putandum in cœlo habere locum quodlibet fragilis naturæ subsidium; sic in paradiso in quo positus est homo, factus in animam viuentem vt corporaliter cibos corporales sumeret ad sustentationem & recreationem sui corporis, nondum absolute immortalis, quia sicut peccauit comedendo quod erat prohibitum, ita etiam peccaret, si non comederet quod erat iussum ibi. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni &

C

Aug. mali ne comedas. Vnde Augustinus super Genesim. *Caro Adæ ante peccatum ita immortalis creata est, vt per alimoniam adiuta, esset doloris & mortis expers.*

Spiritalis & Angelica creatura, sola visione beata, creatoris sui, æternaliter se pascitur, vt nulla estrinseca subministratione refocilletur. Quod enim apud Abraham & Loth & multos alios apparentes Angeli comedisse leguntur, non fuit passio sed compassio; nec spiritum sed corpus assumptum præferebant quando ab eis talia fiebant. Cum ergo auditis panem Angelorum manducauit homo, quærite quem panem intelligere debeatis, vtique spiritalem non corporalem, cœlestem non terrenum, viuum non mortuum qui pascit mentem non ventrem, qui non deficit cum reficit.

Satis bono pistore fit panis qui de cœlesti mensa sumitur, quo nullus candidior, nullus mundior, nullus calidior, nullus tenerior, nullus salubrior, nullus sapidior, nullus sanctior, dignus labiis sponsæ ad ruminan-

D dum, idoneus ad satiandum & sanandum. Domine semper da nobis hunc panem, panem quotidianum, panem supersubstantialem, panem qui de cœlo descendit & dat huic mundo vitam, panem de sartagine, panem de craticula, panem de clibano, panem de simila, panem conspersum, panem vnctum oleo lætitiæ præ consortibus suis, panem signatum quem paret signauit & misit in mundo.

Ecce Domine IESV, paruuli tui quos tibi dedit pater, pueri tui quos sanguine tuo adquisisti, petunt panem, & non est qui eis frangat. Æqualis bonitatis erit & gratiæ si dederis, & si fregeris. Nam date & non frangere, quid est aliud nisi famem alicuius ostenso pane prouocare, desideria infantilia oblatis & retractis vberibus frustra ardentius commouere? Si enim vt ait Apostolus, esset super terram, nec esset Sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera; quod est dicere. Et si in mensa, hoc est in mundo, panis, id est, hostia pro peccatis deferretur, si non esset super terram qui frangeret, hoc est, nisi Christus existens sacerdos, seipsum

E Deo Patri offerret, nemo de toto genere Adæ reconciliationem nostram celebraret, neque paruulus panem ederet, cùm tamen essent plures qui offerrent secundum legem munera quæ Moyses instituerat, non ad redemptionem sed adumbrationem.

Panis itaque est Corpus Christi, qui semel in cruce quasi à seipso frangitur, cum potestatem habens ponendi animam suam & potestatem habens iterum sumendi eam, inclinato capite tradidit spiritum, & quotidie sic seipsum mysticè in altari frangit innouando fidem in cordibus nostris & efficaciam passionis suæ conferendo animabus nostris, sicut in cœna accipiens panem benedixit, fregit & dedit Apostolis suis: dicens Accipite & manducate, hoc est corpus meum.

Iam iam & vos Sacerdotes participes Christi facti, panem qui est corpus Christi cum Christo accipitis, benedicitis, frangitis & distribuitis populis. Sed vos ministerio concesso hoc agitis, ille authoritate sibi con-

F genita. Ipse est enim & qui baptizat, & qui Eucharistiam sanctificat. Ipse est qui benedicit benedictionibus vestris, & maledicit maledictionibus vestris In ipso enim benedicentur omnes gentes terræ. O Sacerdos qui potius manum tuam in paropside, caue manum traditoris Iudæ leprosam per auaritiam, sciens quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Dicit Angelis suis Deus de indigno ministro: Videte ne forte sumat de ligno vitæ, id est, de Corpore Christi quod est lignum vitæ, sumat vitam æternam qui in conspectu meo stratum patris maculauit, & lusuriando in stercore suo computruit. Sumit namque sibi potiùs mortem de vita quam vitam, qui indignè manducat, & bibit calicem Domini, reus enim est Corporis & Sanguinis Domini. Ne ergo pereas cum Dathan & Abiron, cum Nadab & Abiud, laua proinde manus inter innocentes, non cum Pilato; nam cum Pilato manus abluit, qui peccatum, quo prægrauatur, cognoscit, nec dimittit. Cum innocentibus, qui vel nullum

G grave.

Vt autem fide dentata caro masticetur ab homine panis Angelorum, dentes habetote eburneos, id est, sensus exercitatos secundum Catholicæ doctrinæ castitatem & Angelicam veritatem Prædicate autem super tecta, primò de institutione huius sacramenti, quod à Domino in cœna post agnum typicum Apostolis tradita fuerit, vt idem corpus suum quod super astra glorificatum leuaret, mirifica dilectione in altari velatum mysticis speciebus vsque in finem sæculi, suis fidelibus collocaret.

Secundo de forma quæ est in pane triticeo, cum vino & aqua in calice mixto à Sacerdote Catholico, intentione & ordine conficiendi hæc præferat Christi verba, *Hoc est Corpus meum, &c.* His enim ex pane fit Corpus Christi, & ex vino cum aqua, fit sanguis. Cætera omnia quæ ante vel post fiunt & dicuntur, laudes sunt Christi & orationes,

H Tertio de sacramento & re, quorum alterum; id est Sacramentum dicitur propriè illa visibilis species panis & vini vt iam dictum est, res verò contenta & significata, Caro Christi; aut res significata & non contenta, vt vnitas Ecclesiæ in prædestinatis, vocatis & iustificatis.

Quartò de modo manducandi qui duplex est, id est, sacramentalis, quo boni & mali manducant Corpus Christi veraciter, sed boni ad salutem, mali ad damnationem; & spiritualis, quo non nisi boni manducant, quod est credere in Deum & manere in Deo per sanctitatem vitæ & vnitatem fidei.

Quinto de conuersione substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, vbi licet panem & vinum post consecrationem videas certo tamen certiùs credas nec panem ibi esse nec vinum, nisi fortè panem Angelorum de quo dicitur quia panem Angelorum manducauit homo. Sextò, de fractione quæ mystica est in forma scilicet panis, & magis fide

credenda,

A credenda, quam verbis diſcutienda. Septimò, de cotidiana immolatione vtrum Chriſtus immoletur ſubſtantialiter an in myſterio. Semel immolatus eſt Chriſtus morte paſſionis, cotidie memoria & recordatione eiuſdem immolationis.

Octauò, de cauſa inſtitutionis quæ duplex eſt, quia præſtat augmentum virtutis, & medicinam cotidianæ infirmitatis. Nonò, qui & quando debeant Euchariſtiam ſumere: qui non eſt in peccatis grauioribus vel in affectu peccandi, ad minus ter in anno, & melius per ſingulas Dominicas aut cotidie. Decimo de peccatore ſacerdote aut hæretico, vtrum conficiant corpus Chriſti: quantumcumque peccator ſit Sacerdos dum intus eſt, nomine ſacramenta conficit, ſed non vita; quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris, & nihil à bono majus, nihil à malo minus percipitur.*

Hæreticus quia Extra Eccleſiam eſt non conficit. Sufficiant hæc fidei veræ dê ſacramento corporis & ſanguinis Domini, quia non eſt bonum, mel multum comedere, ne ſatiatus euomas illud. Fide igitur ſana, mente integra carne ſancta, conſcientia pura, anima deuota accedite ad panem Angelorum & illuminamini & facies veſtræ non confundentur. Quod vobis præſtare dignetur, &c.

* Vetus error quem ex S. Augusti. refutat S. Tho. 3. p. q. 82. art. 7. & Eſtius in 4. Sent. diſt. 13 §. 3. — B

SERMO VIII.

In Cœna Domini.

Gen. 2. 16. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Mors de inobedientia veniens, acerba eſt in Adam & Eua, acerbior in præuaricatione Moſaicæ legis; ibi qui peccabat, lapidibus obruebatur, nec miſericordiam aliquatenus conſequebatur. Mors vero Chriſti turpiſſima, eò ampliùs fuit acerbiſſima quò magis ſine peccato originali & actuali vixit, de Spiritu C ſancto conceptus, & de incorrupta Virgine natus. Sed quare & vnde hoc? Quia patres Adam & Eua comederunt vuam acerbam.

Gen. 2. 16. Omnia ligna paradiſi de quibus dicitur: *De omni ligno paradiſi comede*, iſta conceſſione matura proculdubio & dulcia non acerba erant: ſolum vetitum acerbum erat non de natura creationis, ſed de inobedientia præuaricationis: abſolute ſiquidem omnis creatura Dei bona eſt, ſed malum & acerbum ei qui per offendiculum manducat, ſiue caro ſit, ſiue piſcis, ſiue panis, ſiue vua, ſiue quælibet eſca. Sapidioris acidi eſt inobedientia, vnde & præuaricatores legis Chriſtum crucifigentes, acetum illi in cruce porrexerunt, verſi de vino ſanctæ radicis, in amaritudinem aceti & vitis alienæ.

Chriſtus in nullo à Patre degenerans & non de aqua mortalis naturæ vinum faciebat ſuauiſſimæ gratiæ & immortalitatis æternæ obediens Patri vſque ad mortem crucis, vbi tanquam muſtum ſpirans oratione & patien- D tia ſua, etiam calcatores ſuos inebriabat dicens: *Pater* Luc 23. 34. *ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt* Iudæi autem malitiâ ſuâ inebriati; mouentes capita ſua dicebant. Si filius Dei es, ſaluum fac temetipſum. O Iudæi quare comeditis vuam acerbam vt dentes filiorum veſtrorum obſtupeſcant, dicentes ſanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros? Vua quodammodo acerba eſt, non ex ſe, non in ſe, ſed in dentibus veſtris qui de ſe dicit, ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.

Salua fide æqualitatis filij cum Patre, dicô IESVM quaſi vuam acerbam, id eſt, immaturam fuiſſe, dum in mundo noſtros defectus geſtaret in corpore, dum viuus mori Ioan. 10. 18. poterat, ſicut ipſe ait. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam & iterum ſumendi eam*: vuam vero maturam & dulciſſimam dum morte abſorpta gloriam immortalitatis indueret, & de mortalitatis paſſionibus nullas reli- Rom. 6. 9. quias retineret. *Chriſtus* enim, vt ait Apoſtolus, *reſurgens a mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Hanc vuam Petrus cũ cæteris Apoſtolis fugientibus negando quaſi acerbam comedit. Vnde & quidam diſcipu- E lorum dixit ei: *Et nos ſperabamus quod ipſe eſſet redemptu-* Luc. 24. 21. *rus Iſrael* Obſtupeſcunt dentes qui dicunt, ſperabamus; ſed qui ſunt filij Apoſtolorum quorum dentes obſtupeſcunt? Vtique ſancti Martyres qui corpora ſua propter Chriſtum tradiderunt ad ſupplicia. Alio & diuerſo genere incredulorũ Iudæorum: Martyrum obſtupeſcunt admirando & imitando patientiam & bonitatem Chriſti. Iudæorum ſub Veſpaſiano & Tito exulando & portando imprecationem paterni delicti ſicut Cain poſuit ſignum Gen. 4. 14. de quo ipſe ait. *Quicunque inuenerit me occidet me.*

Sed videamus quomodo dentes filiorum obſtupeſcunt, quia primi parentes comederunt vuam acerbam, peccato & pœna peccati obſtupeſcunt dentes noſtri. Peccato tam originali; quam actuali pœna tam præſenti quàm futura, tam temporali quàm æterna. Vt itaque dentes ſanarentur & ad cibum capiendum repararentur, F cœnauit IESVS cum diſcipulis ſuis; & ne carnes agni legalis iterum acerbarent dentes, ſuppoſuit panem & vinum & tranſſubſtantiauit in Corpus & Sanguinem ſuum. In hac cœna infirmitati noſtræ conſuluit, viſibile ſacramentum oſtendendo, & fidem inſtruxit ſuper his ſpeciebus panis & vini virtutem deificando. *Deſunt multa.*

SERMO I.

De Reſurrectione Domini.

Sion regnabit Deus tuus. Nouus Rex, noua lex. Rex Pſ. 145. 10. iſte, Fratres cariſſimi, tam nouus eſt in regno hominum, quam ſempiternus in Regno Angelorum. Ab æterno enim ex ſapientia creauit illud Regnum Angelorum; in quo vt Deus ab ciuibus adoratur, vt Dominus timetur, vt pater colitur, vt creator recognuſcitur, vt Rex veneratur. Deſciuerat autem ab initio a conſortio commilitonum huius regni Lucifer, qui ſecum tertiam par- G tem exturbauerat è cœlo, & in caliginoſo iſto aëre, caſtra ſua ſtatuerat, donec ad ima tartara in nouiſſimo dierum perefflueret, & digna ſupplicia hæredi a ret.

Reſarcire autem damnum regni & numerum exercitus ſui intendens Rex ille ſapiens & potens genus humanum pro grege Angelorum ſubſtituit inualidius quidem pro carnis grauedine, ſed non inferius pro ſua imagine, & ſimilitudine in qua illud condiderat. Tam cita verò ſubſecuta eſt direptio & ſubuerſio noui illius coloni paradiſi, qui quaſi tyronus tyrocinij tempora in gymnaſio illo interim compleret, quouſque omnimoda armorum habitudine angelicam militiam, & tunc in eandem tam puritate quam charitate Regis ſui ſimiliter conjuraret militiam. Tam, inquam, repente tyronus iſte ſuccubuit, vt ante florem areſceret, ante partum abortiret, ante tempus periret. Coagulo namque vitiatæ radicis, tota ramorum condenſitas male fermentata, ple- H niore reſpergebat acetoſitate quidquid virgulti generatione filiorum germinaret tota illa ſylua generis humani ex arbore Adæ & Euæ Nunquam malum ſaporem imminuebant qui originali inſipiditati, de originali peccato venienti, per actualia peccata quotidie venena aſpidum in ſpongia malarum concupiſcentiarum cum vſuris circumferebant.

Tandem diuina ſapientia coarctans terminos patientiæ ſuæ, quæ tale diſpendium æquanimiter per tempora ſæcularia ſuſtinuerat, accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum, accendens lucernam vt quæreret drachmam quam perdiderat, & fines hoſtilium caſtrorum tam in natiuitate quàm in morte ſua penetrans, prædam excuſſit de manu & ore prædonis, prædonem vinculis igneis aſtringens, & laqueo antiquæ fraudis illum ſtrangulans, cum in hamo Diuinitatis appetibilem carnis ſuæ eſcam proponeret, & ſancta fraude artem malignitatis deciperet. Tyranno igitur ſubacto, ad nidum in quo pater Adam & mater Eua cum quibuſ-

A dam pullis suis incubabat, conuolauit, & de infernali nido tamquam gallum gallinaceum omnium fidelium animas asportauit.

Ne autem abigeret qui abduxerat; & de calore suo fœtido nimium illas suffocabat, non fouebat, ligauit illi brachium panno illo, quo Iudæi oculos eius velauerant, & feriens venam eiusdem brachij phlebotomo Diuinitatis, attraxit totum sanguinem animarum sanctarum, & adducens ventum vrentem de deserto virginali iuxta prophetiam, venas eius siccauit. O potestas Dei, ó impotentia diaboli. Iam enim fractum est brachium diaboli & exaruit. In regno quasi suo, hoc est in mundo, congressus cum Rege nostro. Præualuit quidem illum ligare, tenere, crucifigere, non tamen potentia hostili sed patientia Dei, qui potestatem habebat ponere animam suam & iterum sumere eam.

Rex noster vires tunc occultabat & dispensabat, sapiens enim reseruat in posterum. Tyrannus crudelis sæuiebat & vndecumque vires emendicabat, toto
B robore suo murum nostrum suffodere gestiens, & memoriam Regis nostri de medio tollere insistens. Fecit ergo quæcumque potuit, & quædam quæ non potuit, sed voluit, attentauit. Defecit tandem & ad latibulum fernale refugit. Et tu Rex noster quid Domine qui iustitiam iudicabis, multo magis iniustitiam condemnabis? Calido pede preme vestigia, & apprehende caudam serpentis antiqui soliò transuersantis & à facie tua fugentis. Adhuc penes se celat chirographum decreti, quod est contrarium nobis, & fortè, si remanserit ei, calumniam aliquò tempore suscitabit, & de soluto debito quasi non soluetis ei, cum vsuris pro nobis opponendo cautionem chirographi.

Scripta itaque & scrinia eius in lumine vultus tui & in brachio extento reuolue, & exentera piscem illum, vt de corde eius tamquam de repositorio remotissimo proferas veternosa illa consilia, quibus seducere non cessat inhabitantes terram. Sunt ergo tibi duo necessaria; vnum vt reseras clausa, alterum vt penetres & subuertas munita. Est enim ciuitas infernalis clausa & mu-
C nita; clausa, quia vestigia nulla retrorsum, munita, quia in circuitu eius ignis inextinguibilis & aqua intolerabilis. Clausa, quia non admittit consolatorem, munita, quia deridet impugnatorem: clausa à bono, munita in malo. Clausa seris contumaciæ. Clausa propter illos qui peccata sua celauerunt, munita propter illos qui numquam pœnituerunt. Quid ergo ad clausam nisi clauem, quid ad munitam nisi clauam deferre debes? Claua percutit, clauis aperit: fac de cruce clauam, fac de clauo clauem. Claua seu crux quadrifaria quatuor angulos infernales euertit, clauis siue clauus pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus inextricabilem, labyrinthum expedit & absoluit.

1. Cor. 18. Dei virtus & Dei sapientia, in claua & claue intelligitur, sicut docet Apostolus: *Verbum*, inquit, *crucis pereuntibus stultitia est, nobis autem Dei virtus & Dei sapientia.* I e s v s ergo Dei virtute & Dei sapientia confortatus, clausam irrupit ciuitatem, & munitam
D euertit, quia vectes ferreos confregit, in profundo mari viam fecit vt transirent liberati. Dixit his qui in tenebris erant, reuelamini, quod ad clauem, dixit exire, quod ad clauam: clauâ leonem interfecit, claue catenas compeditorum soluit. O Syon regnabit Deus tuus.
Ioan. 19. 15. 21. Ecce obstructum est os loquentium iniqua. *Noli*, inquiunt, *scribere Regem Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum*, &, *nos non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Qui autem venerat in regionem longinquam accipere sibi Regnum & reuerti, regnum mortis destruxit, & de regno mortis ad regnum claritatis suæ nos transtulit, qui eramus naturâ filij iræ, filij alieni, filij tenebrarum. Consociauit regno cælesti regnum mundi & compaginauit vmbilico terræ in biuio cœli & terræ, id est, cruce, vbi Angeli tamquam cælestes milites assistunt, certamen Regis sui aspicientes, & homines tamquam canes lambunt sanguinem decurrentem in terra, vt potu
E illo redimantur, & inebrientur. Diligunt milites canes suos, immo canes Domini sui, Regis sui, quia qui me amat, & canem meum amat. Confortatur à militibus Rex, sed à canibus multùm solatiatur. Cursu canum lætificatur, plausu exhilaratur; ceruorum & leporum venatu delectatur, & multifaria voluptate in his vtitur.

O Sion Ecce Rex tuus in sylua grandi & spatiosa atque condensa gehennali, bestiolas capere venit cum canibus & militibus, ibique pingues ceruos Patriarcharum & capreolas Prophetarum, & lepores Innocentum, & Damulas Heremitarum cepit, & Patri suo atque patriæ detulit. Itaque epulemur, quia venatio copiosa est, & quò ampliùs laboriosa propter passionem, eò minùs dispendiosa propter resurrectionem. [Læ]tatur enim multò ampliùs Pater de festinatione quàm [c]ontristetur de filij labore. *Quomodo* enim, inquit, *tam citò inuenire potuisti fili mi?* Gen. 27. 20. Quasi diceret. Non mihi curæ est quanti emeris, aut quantùm laborauexis, quia gratis-
F simum & acceptabile est quod talem & tantam captionem tam citò inueneris. Vna enim die & nocte reti tuo inclusisti, in animalibus quæcumque munda, & gustui meo appetibilia, campi conuallium in mundo * conceperunt, & syluæ infernales tamquam in cauernis & fossis suis à sæculo absconderunt. * al. concepta sunt.

Da mihi itaque de venatione tua fili mi. Non doleas de labore, quia fructus super laborem est, & res acquisita inæstimabiliter excedit pretium. Vnam animam dedisti, sed quot recepisti? Guttas sanguinis fudisti, sed Martyrum quantam effusionem & viscerum & sanguinis recepisti? vt de aliis taceam: *Effuderunt sanguinem seruorum tuorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem.* Ps. 78. 3. Certè pro singulis tuis guttis, mille millia redditæ sunt tibi à nostris.

Sed tamen neque sic possumus ad eas recompensandas, quia deest in pretio, quod superest in numero. Quod dico de sanguine, affirmo de tua tota passione, quia quæ iam pene numerum excedunt passiones Martyrum, merito tamen & pretio singulari tuæ passioni
G succumbunt. In te ergo pretium pensandum supra omnem numerum, in nobis attendendum vt quantò deficimus in pretio, tantò crescamus in numero, & numerum tamen & pretium tibi adsignamus qui nos tuo sanguine redemisti, & fidem tuam vt reciperemus donasti C h r i s t e I e s v, Saluator mundi, qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum.

SERMO II.

De Resurrectione Domini.

S*Ion regnabit Deus tuus.* Isai. 52. 7. A Propheta, immo à Spiritu sancto phialam istam auream plenam balsamo mutuauimus, vt in ista Paschali solemnitate, vobis potum salutarem, per illam subministremus. Satis enim bene & plenè respondet exterior huius vasculi habitudo, suauissimo sapori intrinsecus delitescenti: nam
H manus illæ tornatiles filij fabri in circino Spiritus sancti, tam decenter quàm sufficienter ampullam istam aptauerunt & nostro potui, & suæ solemnitati. Potui, quia inebriationi sufficit audire & intelligere quia Dominus regnauit; solemnitati, quia totum Paschale festum & gaudium exinde est, quia Dominus regnauit.

Sed iam prælibata commendatione Philosophicorum verborum, sub figura ampullæ formosæ & pretiosæ, potiùs desideranter ori apponamus, & spiritum qui est in visceribus tam iocundæ solemnitatis fideliter epotemus. Ecce namque iam triduo sustinemus, & in calice, quem dedit filio pater, non nisi vinum mirrhatum, nonnisi fel & acetum, nonnisi amaram potionem bibimus. Deinde satis est, multum est, tam amara pocula, tam longâ patientiâ portasse, & potasse. Iam ad cellam vinariam accedentes, vinum

A nouum in nouos vtres cum resurgente Domino implorainus, vt non vlteriùs de vetustate nostra spinas & tribulos metamus, sed de nouitate redemptionis nostræ, pignus spiritus accipiamus.

Ad Sion nempe pertinemus, cui dicitur; *Sion regnabis Deus tuus.* O Sion paupercula, tempestate conuulsa absque consolatione, quæ non habet qui consoletur eam ex omnibus caris eius, ecce venit tibi auxilium de cœlo, ecce nox speculatorum tuorum, simul leuauerunt vocem, quia oculo ad oculum videbunt. Quid videbunt, quid clamabunt? Sion regnabit Deus tuus: sed qui sunt speculatores isti? Vtique Angeli. Isti resurrectionem Domini annunciant, isti dicunt. Sion regnabit Deus tuus. Ecce impletum est, quod dictum ante passionem fuerat, nunc princeps huius mundi eiicietur foras: Ecce alligauit fortem in domo sua; fortior ille qui superueniens vicit illum, ecce Leuiathan quem hamo extraxit, alligauit ancillis suis. Vnde Apostolus ad Coloss. 2. 13 Colossenses, *Vos*, inquit, *cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de* B *medio affigens illud cruci, expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semet ipso.* More suo Apostolus, quare & quomodo regnet Deus noster, ostendit. Quod notandum antequam excuteremus verba Apostolica plena profundis mysteriis, quid sit regnare, Regnare est regnum regere, regere verò est rectè agere: est etiam regnare subiectos & obedientes habere.

Considerandum quoque quis sit Rex, quod Regnum, qui de Regno, quæ insignia Regni, quando Regnum initium habuit, quousque duraturum sit, & quousque extendantur fines Regni. Initium habuit hoc Regnum à tempore resurrectionis, duraturum est in æternum & vltra. Fines eius ab oriente in occidentem, & à septentrione vsque ad meridiem. Rex est, IESVS Nazarenus Rex Iudæorum. Regnum, Ecclesia quæ partim C iam incolit cœlestem patriam, quasi turres & municipia ciuitatis tenens, partim turicolatur in agro huius mundi, semina sua mane & vespere mittens, & colligens vsque ad annum Iubileum, annum remissionis, annum in quo necarari poterit nec meri. De Regno sunt signati in frontibus signo crucis, renati ex aqua & spiritu, potati calice benedictionis, cibati pane Dominici corporis. Gens sancta, filij promissionis, populus acquisitionis. Insignia Regni sunt triumphus dæmonum, resurrectio corporum, redemptio animarum. Inferni expoliatio, paradisi patefactio, mortis destructio. Insignia Regni sunt, fides populorum, Sacramenta Christianorum, cultus Religiosorum, miracula Sanctorum.

Hoc Regnum initium habuit ante sæculi constitutionem, cum sæculo inchoationem, in fines sæculorum renouationem, post sæculum consummandum glorificationem. Regnum Angelicum cœpit quando dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Regnum hominum cœpit sed occultè, quando Verbum caro factum est, & habi- D tauit in nobis. Manifestè autem cœpit, quando Christus resurrexit à morte; sed iam Apostolica verba videamus, & præsentem solemnitatem in eis recognoscamus. *Et vos*, inquit, *cum mortui essetis in delictis vestris & in præputio carnis vestræ conuiuificauit cum illo.* Notate Apostolum quadam dictorum replicatione geminasse mortem, resurrectionem verò vno verbo expressisse Mortui, inquit, in delictis vestris ecce vna mors, & in præputio carnis vestræ, ecce alia mors, & delictis ergo morimur & præputio carnis. Sed mortem delictorum manibus & pedibus accersimus, mortem præputij carnis nostræ, potiùs cum catena mortalitatis excipimus, quàm operamur. Istam patimur hæreditaria maledictione, illam acquirimus voluntaria præuaricatione: pro illa hic exulamus, aut bona patientiâ vtramque purgantes, aut contumaciâ vtramque nectentes, vno vinculo præsentis & futuræ condemnationis.

Intelliguntur ergo per delicta, actualia peccata, per præputium carnis, originalia: sed tam ab actuali quà ab originali vna mors seu resurrectio Christi nos lib tauit, quod intelligitur per hoc verbum, conuiuifica cum illo. Conuiuificauit, quia corpus & animam viui cauit. Conuiuificauit quia & actualia & originalia ten sit. Conuiuificauit quia resurrectione sua nos viuificau Conuiuificauit, quia & nunc per iustitiam & in futu per gloriam viuificauit.

Cum illo: Quid est cum illo? Ad similitudinem ei Cum illo ergo, id est, cum capite, vel ad similitudine eius nos conuiuificauit, quia in resurrectione Chri prælibauimus spem resurrectionis nostræ: Si enim d libatio sancta, & massa, id est, Filius Virginis IESVS, q mortuus est in cruce, tertia die resurrexit a mortuis, si dubio membra corporis sui suo tempore resurgent. I hoc tam consequenter fiet, quàm veraciter illud pr cessit, & sic sine reuolutione repetitæ mortalitatis, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mo illi vltra non dominabitur. Conuiuificauit itaque cu illo, donans nobis omnia delicta, delens quod aduersù nos erat chirographum decreti quod erat contrariu nobis.

Notate, donans; notate, delens. Quid donans, qu delens? Donans gratiam; delens culpam; Donans v tam; delens mortem, Donans coronam; delens suppl cium, Donans quod suum est, delens quod nostrum e Donans cœlum, delens infernum. Ad extremum dona delicta, delens chirographum. O chirographum qua mala scriptura tua, quàm peremptoria lectio tua. Si gulæ literæ tuæ sagittæ sunt acutæ, quarum indignat ebibit spiritum hominis. Singulæ syllabæ caudæ sco pionum aculeatæ sunt, posteriora nostra demoliente Singulæ dictiones væ væ sunt & æternæ lamentatione Singulæ orationes, digna factis recipimus. Titulus, l ber mortis. Materia huius libri, peccata & supplicia h minis. Modus tractandi, vt secundùm qualitatem cu pæ, extendatur mensura pœnæ.

Tota lectio, clamor & ira & indignatio. Tota lecti dolorum sine respiratione continuatio. Tota lectio afl ctio, exactio. Nullum explicit, vbi nullus finis. Cum c summauit tunc incipit, vbi defectus reparat defectum, de morte, virgulta repullulât mortis. Vngue adamanti scriptum est hoc chirographum, quia nisi cum sangui hædi qui cum latronibus reputatus est, hæc scriptura d leatur, numquam maledictio absoluetur. Hoc chirogr phum est volumen illud volans quod Zacharias in sp ritu vidit, & leuabunt illud fortè illæ duæ mulieres qu habebant alas quasi milui, & leuauerunt amphora inter terram & cœlum, in cuius amphoræ medio, er mulier sedens, quæ est impietas & habet massam plun beam in os suum.

Volumen volans illud vniuersale examen iudici quo omnium hominum conscientiæ explicabuntur. H inter terram & cœlum leuatur, quia Christo in aera ol uiabimus venienti ad iudicium. Duæ mulieres quæ h leuant & deferunt, caro & anima, quia vnusquisq portabit iudicium, vt referat pro vt gessit in corpore su siue bonum, siue malum. Habent alas quasi milui, qu grandes virtutes post resurrectionem animarum & co porum. Impietas in medio amphoræ sedet, quando in quitas quæ est in tabernaculo, seu in medio cordis no poterit se abscondere à calore & illustratione solis. Ma sam plumbeam in os habet reus, cui non est aperire pr confusione. Hoc chirographum delet Christus in pa sione & resurrectione sua, Christus, inquam, Domin noster qui viuit & regnat, &c.

SERMO III

De Resurrectione Domini.

CVm Christus animam suam posuit, corpus in cr ce exposuit, & in sepulchro deposuit, nec clemen tiam suam nec potentiam postposuit. De potentia su

A texit, de cle : entia, familiam Apostolicam collo ad pennusas retorto leuisit. Mentes timore & dolore concussas gloriosa consolatione, tam per se quàm per Angelos releuauit. O Angeli sancti, in passione vbi eratis, quid agebatis, cur non accurristis, cur tam contumeliosè Regem vestrum deturpari sustinuistis?

Planè inquiunt, auxilio nostro non egebat, sibi cum Patre & Spiritu sancto causa patebat, plures ex nostris latebat, nec nostri ordinis est non iussa attemptare. Noluit bonus Dominus nostra gaudia suis passionibus interrumpere. Non reputabat iacturam tantis luctis, sine dilatione compensandam: vnum suum corpus dedit, mille millia comparauit, animam vnam posuit, sed quot reposuit, & ad cælos reportauit? Tribus diebus fuit in corde terræ, sed æternitatem & longitudinem dierum acquisiuit familiæ suæ.

Quis æstimare valeat pretium, quis excogitare redemptum hoc pretio genus humanum? Vsque ad Angelicam pacem refluit & supereffluit appretiatio sanguinis
B & mortis Christi ac resurrectionis. Nihil inemptum Christus reliquit quod vnquam aliquo pretio posset redimi. De nostro Christe assumpsisti pretium, in nostro soluisti, & pro nostro. Nostra sunt corpus & anima, tua est singulariter sola diuinitas. De nostro itaque corpore & sanguine siue anima, pretium constituisti. Pro quo seu pro quibus? Pro genere humano & omnibus hominibus. In nostro quomodo? In cruce, in passione. Nostra est pœna, nobis debetur passio: præsumendum est itaque sine præsumptione nostram esse hanc solemnitatem sumptu & vsu.

Nonne de nostro sumptu est, quod in hac recordatione vigilauimus, ieiunauimus, vagationes & vanitates repressimus, & in multis Christo concrucifixi sumus? Non aspernatur sumptus nostros quamuis modicos, qui nec calicem aquæ frigidæ irremuneratum dimittit. Vsus denique huius solemnitatis præcipuè nobis competit; nam Angelos non est necesse annua deuotione recolere, quod frequentant assidua celebratio-
C ne; diabolus non habet pro festo, quod victus est, quod de mundo eiectus est, quod tantis animarum exuuiis spoliatus est.

Non tamen excludimus Angelos quorum officio primitias Dominicæ Resurrectionis delibauimus, sed cum ipsi eam communicamus. Habent ipsi stolas suas habent albas, habent vultus fulgureos. Quid ad hæc nos pannosi, nos pene nudi, nos quorum vestimenta vetustate sunt attrita, superfluitate corrupta, discordis diffuta? Quàm citius igitur deponamus vetustam pellem cum veteri homine, compunctione abluamus inquinatam, consuamus vnanimitate diffutam.

SERMO IV.

De Resurrectione Domini.

Gen. 2. 23 HOc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Videns Mater sancta primogenitum & vnigenitum
D suum, tunicâ immortalitatis indutum in Resurrectione, viscerali exclamat affectione dicens. *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea.* Conuinco Iudæum, conuinco hæreticum, qui non credit resurrexisse filium meum. Si mater ignorat filium suum qui nouit illum? Quæ concepit, quæ peperit, quæ lactauit, quæ nutriuit, quo caliginis offendiculo mentitur suum non esse, quem ampliùs diligit & nouit quàm se? Deus pater credidit ei filium suum, & ego dubitem, qui surrexit non esse illum Virginis filium passum, & crucifixum: Maternum affectum non delet tridui obliuio.

Si annus effluxisset, quemlibet cauillatio locum haberet. Dicat ergo Mater de filio, Maria de IESV Christo, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Tunc cùm crucifigeretur filius meus vidi & agnoui carnem de carne mea quæ clauis affixa, lanceâ perforata est; & os ex ossibus meis, quod non fregerunt cruci- E
fixores, vt impleretur scriptura: *Os non comminuetis ex eo.* Hoc testimonium verum est, & matris de filio. Loquitur & Adam de crucifixo. Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea: hæc caro, non est caro mea, quæ est caro peccati, sed de carne mea, de Virgine Maria, & quamuis hæc caro non mereatur mortem, pro me tamen soluit mortem, iuxta illud: *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Ioan. 19. 36. Ps. 68. 5.

Nullo reatu obligata caro, carnem ligatam & incuruatam soluat sub vinculo peccati. Catenam siquidem * pene collo suo imposuit & confregit dicens: *Solue vincla colli tui captiua filia Sion*; nam de morte surrexit. Nunc os ex ossibus meis. A primogenito meo Chain vsque ad IESVM, qui ossa, id est, fortes fuerunt, sicut mea ossa ante peccatum sine peccato non fuerunt, nec diabolum debellauerunt. Sed IESVS supra Sanson fortis & potens in bello, mandibulâ asini passus, id est tamquam surdus & mutus, tamquam vie non habens in ore suo redargutiones, destruxit illum qui habebat mor- F
tis imperium, id est, diabolum qui Euam meam seduxit, & per illam mortale pomum porrexit: sed nunc vtique in Resurrectione IESV, os inueni ex ossibus meis, non in quibus putredo ingressa est, sed in quibus est virtus & fortitudo Dei, & caro de carne mea, sed non corrupta sed incorrupta. * pene Esai. 52. 2.

Rursum vox est animæ Christi ab Inferis redeuntis ad corpus suum, saluam siquidem bene custodierat Pater, in cuius manibus illam resignauerat, saluam sine dubio duxit & reduxit. Veniens itaque ad adiutorium simile sibi, quod est sanctissimum & immaculatum corpus quod non vidit corruptionem, nec in conceptione, in conuersatione, nec in ipsa morte, intrauit in visceratius, dicens. Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Os germinauit sicut lilium, & caro refloruit, quia quæ mori priùs potuit, iam mori non poterit.

Tunc misericordia in carne & veritas in anima obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Iustitia G
namque sanciuit iustum esse, vt caro quæ sine sua culpa, tam horribilia sustinuisset; & vt illos pro quibus causam egerat liberaret, & pace æterna regnaret iuxta Apostolum: *Æterna redemptione inuenta.* Sola sciuit diuina anima cum carne diuina, quid suauitatis, quid gaudij, qui iubilationis, in hora illa adinuicem habuerint, cum vtraque substantia animæ & corporis in claritatem diuinam, salua proprietate naturarum, transierint. Sic ergo loquitur anima, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Verbum autem carò factum, in vtriusque coniunctione per resurrectionem dicit, hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Heb. 9. 12.

In Sacramento quoque altaris loquitur Christus post illam Dominicam consecrationem, vbi dicitur. *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus.* hoc inquiens nunc H
os ex ossibus meis & caro de carne mea. Os est difficultas & profunditas sacramenti, caro est sub specie panis, & bene caro propter fragilitatem vestram, quæ ad diuina nisi per humana consurgit. Ne apponas dentes ad os volens exossare os Regis Idumeæ, id est, definire & discutere quomodo hoc fiat. Ossa sua in abscondito habet Deus quæ dicuntur *Occulta filij*, de quibus Apostolus, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, &c.* Ex istis ossibus quæ Psalmista appellat & incerta sapientiæ Dei dicens, *Ecce enim incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Psal. 9. 1. Rom. 11. 33. Ps. 50. 8.

SERMO V.

De Resurrectione Domini.

COxit Iacob pulmentum ad quem cùm venisset Esaü lassus de agro ait: *Da mihi de coctione tua hac rufa, quia oppidò lassus sum. Cui Iacob vende mihi primogenita tua. Ille respondit en morior, quid mihi proderunt primogenita mea? Iura ergo mihi: Iurauit Esau* Gen. 25. 30. &c.

ct

A *& vendidis primogenita sua.* Aosteritas ieiuniorum quâ sanctorum caro emarcuit, & cutis ossibus adhæsit, paschali soluitur solemnitate, & Apostolica authoritate (1. Cor. 5. 8.) quæ dicitur. *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis: Pascha etenim nostrum immolatus est Christus.* Ecco ignis, ecce ligna, immo ecce ignis in spinis: Murmur namque spinarum increpitat vrgenre igne inuidiæ clamans, (Ioan. 19. 15.) *Tolle, tolle, crucifige, crucifige, & Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Non sufficit Libanus ad succendendum cùm Iudæi, Pilato dicenti, *Accipite eum vos & secundum legem vestram iudicate*, responderent; *Nobis non licet quemquam interficere.* Opponebant quidem de lege, quod vsqoe in hodiernum diem positum est super cor eorum, sed reuera, magis ambiebant malis suis Præsidem cum gente sua applicare.

Tanto itaque succenso igne in attio Principis Sacerdotum, & io Synagoga Iudæorum ab eo qui tota nocte folliculis & ventis vndecumque mutuatis sufflauit & exsufflauit Iudam & simul Iudæam, Iacob vir simplex B & bonus, qui oon consenserat actibus malignantium, vas fictile igni apposuit quo primogenita fratris redimeret sibi, vt de malo aliorum bonum acquireret, & de peccato damnaret peccatum. Cùm enim per agrum pigri hominis transiret, quem totum repleverant vrticæ, exemplo tali sapientiam didicit.

Immisit autem lenticulam non grandis æstimationis in superficie, sed pretij incompatabilis in latenti maiestate. Lenticula enim modica est & depressa & subrufa. Vide Iesvm modicum: (Philip. 2. 6.) *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c.* (Ibid. 8.) Vide Iesvm depressum, *Christus factus est obediens vsque ad mortem.* Vide rufum, *mortem autem crucis.* Vide coctum; Quia *inclinato capite tradidit spiritum.* Vide subtractum ab igne. (Ioan. 19. 30) *Exurge gloria mea, exurge Psalterium & cythara.* Item; (Psal. 56. 9.) *Resurrexi & adhuc tecum sum, &c.*

C Ne quis autem offendatur ferculi huius singularitate (Ps. 138. 18.) & vtilitate, adhuc supersunt carnes agni, supersunt carnes vituli saginati, adhuc innumerabilis copia, quæ residenti ad cœnam non promittuntur, sed offeruntur. Grati ora enim insperata quàm postulata. Priùs defuerit gula, quàm mensa, appetitus quàm cibus, stomachos qua cacabus, intestina quàm fercula. Anima vna totum noo capit agnum. Omoium est non vnius tantùm.

Ecce Angelus etiam accurrit soluto ab anima corpori & sepulto: Dic mihi sancte Angele missus an spontaneus, voluntare an obedientia, an vtroque simul provocante aduolasti, cum * mixta candoris & ignei splendoris, ad nostrum vas fictile sumptum de Virgine & impletum anima & divinitate? An & tibi placet pulmentum oostrum iam coctum, immo bis coctum, discipuli proditione & crucis passione? Fœtere non redolere hactenus solebat caro nostra viva, needum mortua cadavera Quis ista sic purgauit septuplum, quis tanta suauitate & odore suauissimo repleuit, vt in odore suo D Angelicas tentaret nares & appetitu desiderantissimo appellatos. Ecce de manu tua pulmentum nostrum.

* f. mixtura.

SERMO VI.

De Resurrectione Domini.

(Dan. 14. 36.) D*Aniel, serue Dei, tolle prandiū quod tibi misit Deus.* Æternā Dei elementiam nihil est quod interrūpat, nihil quod solvat nihil quod sepeliat. Reijcit peccatorū nostrorum repagula, vincit crimina, terga fugientium apprehendit, rebellantium corda emollit, redeuntium culpas citò ignoscit, & immeritis copiosum munus gratiæ confereos, querelas omnes veteris delicti deponit. Hunc gratiæ alueum nec luxuriæ humanæ arbor exsiccauit, nec ignauiæ nostræ torpor extinxit: puteos etenim est aquarum viueotium quæ fluunt impetu de

E Libano. Profundæ & continuæ voragines malorum non cobibent cursum, nou sistunt impetuio, nou absorbent meatum.

Hic mundatur leprosus, hîc meretrix abluitur, hîc publicanus sanctificatur, hîc homicida & adulter reparatur, oec pto infamia aut culpa, aut throno regni expellitur, aut cælitus promissa Christi paternitate fraudatur. Hîc latro subitò sanctificatur, & secundo post Christum ingressu paradisi hoooratur; hîc denique stolas suas animæ sanctorum lauant: hîc caput, pedes & intestina sacrificiorum Sacerdotes expiant, hîc semel baptismo, hîc semper confessione & pœnitentia omnis tam originalis quam actualis rubigo exuitur. Numquam ergo fœtorem suum porrer, qui semper noo lotus aqua salutari propria fragilitate & iniquitate fœtet.

Etsi omni tempore patens sit fons in ablutione mulieris & menstruatæ, profusiori tamen redundantia sacratissimum passionis suæ tempus debriat, quando qua F si messis & vindemia implent apothecas & torcularia Christianorum; dum animo fervente & religione maturante solitò studiosiùs & corpora ieiuniis afficiuntur, & pauperes eleemosynis reficiuntur, & monasteria frequentiùs experuntur, & prioris vitæ deserta visitantur, atque proinde spinæ & vrticæ aratro & ligone confessioois extirpantur; atque igne satisfactionis comburuntur.

Daniel itaque vir desideriorum, cuius omne desiderium ante Deum ingreditur lacum leonum, id est profundum conscientiæ vbi rugitus leonum, videlicet criminum multorum, sed nou deuorarur, sed non mordetur, sed non tangitur, vt enim iniusta causa pùnit, sic iusta defendit. Si adeas leones, id est motus carnis vt cum eis Iudas acquiescendo eius lenocioiis, tunc vngues time, dentes time, time denique leoninam rabiem. Nulla fides vbi rabies. Simplicitatem decipit G astutia, innocentiam malitia: humilitatem suffocat superbia, singula virtutum germina devastant, quæ de ventre inferi pullulant, viperea genimina. Iacob timet Esaü, Isaac, Ismael. Noo passim & inconsultè congrediantur pueri David cum seruis Saül, quia cauendum quod in ancipiti est. Potuit autem Dalila vincere Samson persuasione non fortitudine, dolo, non gladio, muliebri simulatione, non virili oppugnatione.

Anceps proinde & periculosum vt vno dormiant lecto, ratio cum sensualitate. Dormiens quippe opprimit puerum, id est, motum naturalem sensualitas, cum ad peccati delectationem inflectit. Deinde mentitur suum esse, quem ratio genuit, & legi Dei consentit, quod est verè viuere, Consentire verò carni proculdubio est mori. Salomon tamen, id est, Prælatus cui quæstio ista defertur, gladio discretionis, cuius sit quisque motus spiritus, an carnis, perfectè discernit, & adiudicat mortuum sensualitati, vivum rationi.

Repudiata itaque illecebrosa societate & indicta inimicitia ioter serpeotem & mulierem, id est, rationem & semen vtriusque, ad Goliat descendat David in funda & lapide, vtique gratia Christi & confessione in H ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus inclosus, agat pœnitentiam de malè cogitatis, dictis, & factis, tam in aduersitate quàm io prosperitate: descendat cum anima Iesv ad inferna, vt vectes ferreos confringat, consuetudinem peccandi: & educat vinctos suos de tenebris; id est, sensus animæ errore soluto, ad lucem reuocet veritatis, & cum Daniele ad lacum leonum intromittatur, potiùs ad illudendum eis, quàm ludendum cum eis.

Sunt autem septem leones, scilicet spiritalia nequitiæ & capitalia crimina, quibus dantur quotidie duo corpora & duæ oves. Duo corpora sunt voluntas peccandi, & actio peccati: duæ oves, error fidei & ignorantia boni. Tali edulio saginatur diabolus & Angeli eius: iam enim fame expirasset absorptus gehenoalibus flammis, nisi peccatis quotidianis refocillatus, virum malitiæ suæ continuasset. Sicut enim

A hominem esca, sic diabolum pascit malitia: & quantò nequius vitium, tanto auidiùs suscipit illud. Libamenta facinore condiens, & humana damnatione malorum suorum coniiciens. Duo igitur corpora tamquam quæ sunt voluntas peccandi & actio peccati, tamquam principales escas, sibi & familiæ suæ in mensa apponit, quia ex altero nihil sanum, ex altero nihil incorruptum sequitur. Voluntas siquidem radix est, actio, arbor. Tota ergo propago cordis vitiatur in radice voluntatis nec euadit vnus exsors perditionis de omni sobole corruptæ actionis.

Secunda deinde fercula suggeruntur duæ oues, quæ sunt error fidei & ignorantia boni, seu ignorantia legis & ignorantia Dei. Ministrantur hæc quotidie leonibus à Babiloniis, id est, inordinatis & peruersis malignis spiritibus. Sed cùm Daniel ingreditur lacum, id est, mundum siue infernum IESVS, non dantur; quia venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Descendit in infernum animas fidelium suorum liberare: dentes enim
B leonum contriuit; quia & hominum & dæmonum potestatem, malleo iudicij à suis excussit, dicens mari huc vsque venies, & hic confringentur fluctus tui. IESV namque præsentia lenit aduersa, pœnas releuat, tenebras illustrat, disponit confusa, componit disiuncta, & tranquillat omnia.

O tu Daniel membrum Christi, imitator capitis tui inter lacum tuum diuino terrore compunctus, & timore iustitiæ accinctus, pensa quid feceris & quid merueris, appende, discute quid lacus contineat, & patienter tolera quidquid discriminis examen iudicis decreuerit. Consultiùs enim vitia de conscientia eiiciuntur, quàm pro malis actibus gehenna sustinebitur. Sunt autem septem leones domestici, familiaritate damnosa, iactantia, gula, luxuria, simulatio, ira, crudelitas, rapina, qui deuorant omnem substantiam nostram, redigentes nos ad illam inopiam, vt nec de siliquis quas porci manducant, ventrem nostrum impleamus.

Sed Daniel sicut & ille prodigus, & sicut Ionas de
C ventre ceti, suspirans panem de cœlo, panem Pater dat petentibus se, clamat ad illum qui dat escam pullis coruorum. Dominus autem desideriorum pauperum exauditor, dicit Abacuc, fer prandium quod habes Danieli qui est in lacu leonum, hoc est, quod ait Apostolus:
Gal. 6. 1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris*; certanti enim cum diabolo debetur paterna consolatio.

Viso itaque lacu leonum, & inuento Daniele in medio eorum & pariter obsesso, agglutinatur oppresso, porrigit panes famelico. Daniel, inquiens, serue Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus. Hoc grande prandium est, quod IESVS desiderauit manducare Pascha
1 Cor. 5. 8. cum discipulis suis: de his Apostolus: *Epulemur non in fermento veteri*, &c. *Sed in azymis synceritatis & veritatis*. De hoc in Canticis, *Comedite amici & bibite*, &c.
Cant. 5. 1. hoc mente sumimus, non dente frangimus, hoc anima saginatur non venter distenditur, hoc in Angeli-
D cam gloriam transfundimur, hoc in filios Dei enutrimur, hoc in via misericordiæ confortamur, hoc de mundo ad cœlum subleuamur, hoc æternitatem comparamus, hoc sanctorum communionem, carnis resurrectionem, vitam æternam expectamus ipso præstante IESV CHRISTO, qui de carne sua & sanguine prandium hoc fidelibus suis præparauit, qui viuit & regnat.

SERMO VII.

De Resurrectione Domini.

Deut. 34. 8. *COmpleti sunt dies planctus lugentium Moysen*. Lacrymosa loca & tempora habentes filij præuaricationis Adæ, qui commutaret loca, & mitigaret tempora per multa millia annorum, singularum generationum ætates, & singularum ætatum homines, discutiebant, si esset qui faceret bonum, si esset qui luctum verteret in gaudium. Si quando emergebat cuiuslibet hominis scintillans vita, & relucens doctrina, applaudebat turba exultantium, tamquam exploratæ spei aduenisset facula, & imminerent liberationis sæcula. Denique cùm omnium Patriarcharum & Prophetarum morte extinguerentur temporales lucernæ, quis enim homo qui viuet & non videbit mortem? singultibus renouatis frustratorias consolationes & momentaneas deflebant. Inde quòd Iacob planctu magno & forti nimis mortuus defletur? inde quòd Ioseph, inde quod Aaron, inde quod Moyses diebus multis planguntur. E

Iustâ satis & probabili causâ antiquorum conquerebatur decessus, tum pro desolatione superstitum, tum propter tamdiu continuatum mortis imperium, tum etiam propter ad inferus descensum. Vbi ergo & infernalia dirupta sunt claustra, & perempta mortis imperia, & consolationis æternaliter in Christo perpetuata suffragia, meritò non est luctus, neque dolor vltra, quia F
prima abierunt, meritò abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, meritò completi sunt dies planctus lugentium Moysen.

Sed & in ipso IESV dum in carne viueret, quamquam faceret quæ nemo alius fecit, dubietas præscripta in cordibus hominum vix interrumpi potuit contestatione miraculorum & mirabilium suorum. Nam & in Apostolorum mentibus, quorum corda intus alens spiritus excitauerat, & ad fidem Christi fœcundauerat, niue & grandine passionis & mortis eius, fides sic elanguerat, & spes vltimum spiritum attrahebat, vt quidam ipsorum dicerent, *Et nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel*. Vt itaque de medio tolleretur quidquid dia- Luc. 24. 21.
bolicæ surreptionis, quidquid humanæ ignorantiæ dubietatis, quidquid hæreticæ persuasionis vlteriùs obiici posset, surrexit, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis: hodiéque gloriosa & manifesta Ascensione corpus suum ad Patris dexteram collocauit.

Moyses itaque qui de illa, ista scripsit, nō lugeat nec lugeatur, quia cōpleti sunt dies planctus lugentiū. Moyses, G
id est lex Moysis præuaricationem ostendebat, & reatum non coërcebat, sed ampliùs accumulabat, teste Apostolo qui ait: *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces*: & alibi; Cùm autem venit mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam, & Rom. 7. 7.
inuentum est mihi quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Quis ergo inde non lugeat? Quis autem, tollere hunc planctum poterit? Spiritus vitæ qui liberauit me a lege peccati & mortis. Quis istum potest dare spiritum? Christus qui ait: *Ecce ego mittam promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto*, id est, Spiritu sancto. Luc. 24. 49.

Et si superest Iebuseus nobiscum in loco peregrinationis huius, & si ventus ab Aquilone & ignis inuoluens, & si cum serpentibus & scorpionibus habitamus, & si lex membrorum repugnat legi mentis, & si non quod volumus, sed quod nolumus facimus; tamen, quia Caput nostrum Deus Pater exaltauit super omnes ini- H
micos nostros, tamen quia ascensor cœli auxiliatur nostri, sicut in benedictione Aser dicitur, *Ascensor cœli, auxiliator tuus*, tamen quia natura carnis nostræ tam- Deut. 33. 26.
quam virga Aaron refloruit, & collocata vbi testificatio nostræ redemptionis est IESVS interpellans pro nobis, depositis omnibus querelis, adeamus thronum gratiæ, vbi sedet agnus ad dexteram Patris, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* *
*

A

SERMO VIII.

De Resurrectione Domini.

Psal. 19. 7. NVNC *cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.* Gigas geminæ substantiæ, & hinnulus ceruæ gratissimæ, Iesus filius Virginis Matiæ, inter mortuos liber, quàm veloces & grandes fecerit saltus, de ctuce ad spulchrum, de sepulchto ad infernum, de inferno ad patadisum, audiuimus, credidimus, lætati sumus & adoraunmus. Testes exinde legitimos & idoneos Angelos & Apostolos habemus: supersunt deoique & sufficienria instrumenta Euangelica & miracula atque irrefragabilis veritas ptopheticæ sctipturæ, quam Petrus certiorem propheticum sermonem appellat. Iode est quod Dominus loquitur ad Iob: Iob. 38. 16. *Numquid,* ait, *ingressus es profundum maris, & in nouissimis abyssi deambulasti? Numquid aperta sunt tibi portæ mortis? & ostia tenebrosa vidisti?* B Specialia & singularia opera sua famulo suo Deus loquitur, prætogatiuam potestatis suæ assignans, quod a fioe cœli vsque ad finem inferni fortiter attingat, & omnia suauiter disponat. Vnde Psalmista: Ps. 138 7. *Quò ibo à spiritu tuo,* &c. Non vana, oon superflua, oon curiosa, & quasi fastidium releuans, fuit ista deambulatio. Deambulauerat enim in paradiso ad auram post meridiem, vt vel coofitentem de peccato cotripeter bominem, vel diffitentem aut dissimnlantem puniret. Deambulauerat gyrum cœli circuiens sola? deambulauerat & muudum, quætens ouem quæ errauerat: deambulauit tandem profundum maris & in nouissimis abyssi, vt ne extremum digio auriculæ suarū ouium, leo rugiens in ventre suo retineret, sed omnes filios excussorum de pertuso sæculo mortis & inferni excuteret in sinu eorum qui manipulos colligunt, & ad sinum Abrahæ deferunt, quibus dicitur: Ps. 28. 1. *Afferte Domino filios arietum,* id est, imitatores Apostolorum. C Tanquam expeditus & accinctus gladio super femur suum potentissimè intendit, & prospetè procedit & regnat, sicut in cœlo, sicut io mundo, sic & in abysso, vt faciat quæcumque voluerit in cœlo, in terra, in mari & in omnibus abyssis. Videt ostia tenebrosa per quæ ad nos egtediuotur emissiones per Angelos malos, per quæ aquæ furtiuæ manant, quæ dulciores sunt, id est, carnales delectationes, per quæ susurrones introducantur, per quæ, opera tenebrarum subministrantur.

SERMO. I.

De Ascensione Domini.

4. Reg. 2. 23. ASCENDE *calue, ascende calue.* Nota est quidem, Fratres carissimi, historia de libris Regum, vbi legitur quod cùm Eliseus de Ierieho ascenderet in Bethel, pueri parui egressi sunt de ciuitate & illudebant dicentes ei: D *Ascende calue, ascende calue,* Latet tamen in ea sensus pulchrrimus, & Dominicæ Ascensioni ooo incongruus, quem prout Domious dederit, vobiscum exopto inuestigare, & in medio ad honorem tantæ solemnitatis proferre.

Conuocemus autem ad hoc mirabile & grande spectaculum, omnia animæ nostræ interiora, quia non fuit in sæculis, nec erit simile spectaculum Deo & Angelis & hominibus. Soli dæmones & reprobi homines, ab hoc spectaculo remouentur, quia excæcauit eos malitia eorum, & inuidia vt oon videant glotiam Dei, vt non videant Asceosionem filij, vt non videant mansiones cœli, vt oon videant solemnitates Domini præclaras. Ecce Pater accurrit in occursum ascendentis filij, dans ei osculum, tenens baculum, leuans in cœlum, collocans in throno gloriæ, annulum suum ponens in digito, stolam imponens collo, calciamentis vestiens pedes, sceptrum assignans in manu, in capite cotonam de lapide pretioso, vndique circumamiciens illum E gloria & honore, tanquam vnicum filium, tanquam hæredem suum, tanquam consubstantialem, tanquam coæternum, duntaxat secundùm quod verbum est secundùm quod Deus est.

Nam secundùm quod homo, nec consubstantialis, nec coæternus est illi, sed accipit dona inter homines; præ hominibus tamen, immo & præ Angelis. Cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te? Cui Angelorum dedit potestatem omnis carnis, cui dedit omne iudicium, cui denique ad dexteram suam dedit consessum? Nulli vtique sed soli homini IESV CHRISTO data est omnis potestas in cœlo & in terra, soli homini IESV CHRISTO data est, non adoptiua, sed naturalis filiatio propter vnitatem verbi & carnis in vnam personam Dei & hominis. Vnde Augustinus: "Quod vnigenitus est æqualis Patri, non est gratiæ, sed naturæ. Quod autem in vnitate personæ voigenio est homo assumptus, gratiæ est non naturæ. Item de fide ad Petrum: Ille scilicet Deus factus est naturaliter filius hominis, qui est naturaliter filius vnigenitus Dei Patris. F

Huic ergo homini IESV CHRISTO repatrianti, & quasi iure postliminij reuertenti, cum Patre tota ciuitas cœlestis Ierusalem obuiam venit, tota multitudo Angelorum in qua millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, totus chorus cœlestium virtutum feruenti obsequio concertabant præuenire faciem eius in salutatione & ministratione adorabant vestigia pedum eius, sicut scriptum est: *& adorent eum omnes Angeli Dei?* Heb. 1. 6. pedes & genua amplectebantur, portantes eum vsque ad sedem cœli in humeris suis, quem nubes vsque ad stelliferas mansiones ab oculis Apostolorum exceperat & detulerat; Sic enim io Psalmo dicitur. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium Dominus in eis in Syna in sancto.* Ps. 67 18. O gaudium, ô solemnitas, ô triumphus, ô iubilus, ô exultatio, ô lætitia sempiterna! Alij clamant exaltare Domine in virtute tua; G alij, surge Domine in requiem tuam, tu & archa sanctificationis tuæ; alij quis est iste Rex gloriæ? alij Dominus virtutum, Dominus fortis & poteos in prælio, alij quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? alij, iste formosus io stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ; alij, Domine exaltetur manus tua vt nō videant, alij vt videant & confundantur zelantes populi & ignis hostes tuos deuoret.

Denique alij memoriam passionis recolentes, & tantæ contumeliæ tantam gloriam conferentes dicunt: Ascende calue, ascende calue, quasi dicant. Tu calue, tu IESV, tu crucifixe, tu passe, tu mortue, tu cum latronibus appense, tu calue, cui nouacula malignantium Iudæorum pilos de fronte rasit, quando omnes discipulos in fugā verōt. Tu calue io quo Princeps mundi nihil inuenit, tu calue, qui vbi caput reclinares non habuisti, qui in natiuitate tua in diuersorio locum non inuenisti, tu calue qui de superfluo numquam aliquid vsurpasti, sed continentissimè viuens, etiam corporis necessaria frequentissimè recusasti, ascende ad Patrem tuum H & Patrem nostrum, ad Deum tuum & Deum nostrum. Ascende in Bethel, id est, in domum Dei, ascende super occasum, ascende super montes aromatum, ascende super Cherubim, ascende super omnem terram, ascende super solium excelsum & eleuatum, ascende super pennas ventorum, ascende non in lateribus Aquilonis, sed in sede magnitudinis, & sedens ad dexteram Patris, similis esto altissimo, accipiens totum in humanitate, quod antequam mundus fieret, habuisti apud Patrem in diuinitate, vt totum refundat diuinitas humanitati in ascensione quod promisit in descensione.

Cùm enim sibi carnem verbum vnluit, in vnitate personæ, quasi æqualitatem Patris promisit, non naturam humanam diuinæ æquiparando, sed personam filij personæ Patris prorsus comparando: hodie in Ascensione Domini consummatum est opus Incarnationis,

A & meritum passionis, & præmium glorificationis. Iam non meminit caro Christi pressuræ tribulationum quæ circumdederunt eam in passione, propter gaudium quod reperit in Ascensione, secundùm enim multitudinem dolorum eius, consolationes Dei lætificauerunt eam.

Congratulare itaque ô caro, ô homo sorori tuæ, naturæ tuæ, quæ in Christo glorificata est. Præsume iam de marito sororis tuæ, de sponso naturæ humanæ, quia coronata est, quia Regina facta est, quia Domina Angelorũ constituta est, cũ sponso sponsa sua, soror nostra. O bona soror reminiscere miserationũ tuarum, immo miseriarum tuarum quæ abierunt, & nostrarum quæ nondum abierunt, sed magis ac magis de die in diem accrescunt, memor esto fratrum, immo seruorum tuorum, quibus non est substantia benè viuendi, quibus non est sanitas peccato resistendi, quibus non est lumen oculorum sufficienter inter bonum & malum discernendi, quibus non est penna amoris ad Deum euolandi, quibus non est virtus post te eundi, & te consequendi.

B Trahe nos post te, dic sponso tuo, dic tibi ipsi, dic Deo nostro, dic Patri tuo, Pater volo vt vbi ego sum, illic sit & frater meus, & minister meus, & seruus meus & captiuus meus. Scimus scimus quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Quid tibi negabit cui se non negauit? Quid tibi negabit, qui dicit omnia mea tua sunt, & tua mea sunt? Quid tibi negabit, cum quo vnum marsupium, vnum corpus, vna anima, vna diuinitas, vna voluntas, vna obedientia, vnum meritum, vnum præmium, vnum velle & vnum nolle, vnum mori & vnum viuere, vnum petere & vnum præstare?

Ecce iam certi sumus de impetratione, si petere pro nobis volueris, quàm voluntarij sumus de liberatione à captiuitate ista & miseria, cùm ad te confugimus, ô caro Saluatoris nostri, ô natura humana capitis nostri IESV Christi. Ne abomineris Ægyptium, & carnem tuam ne despexeris, pios ad nos conuerte oculos, & quam tuis Apostolis reliquisti benedictionem, cùm eleuaris manibus ferebaris in cœlum, eam nobis refundere digneris

C IESV Christe, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De Ascensione Domini.

Iob 39. 26. NVnquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas ad austrum, aut ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum? In vtroque istarum auium genere IESVS Christus Dominus noster, Fratres carissimi, designatur, diuersis quidem de causis, sed non contrariis sacramentis. In natura siquidem & actione creaturarum multiplici & diuersa, creatoris & redemptoris nostri simplex intentio

D circa salutem nostram, multipliciter plerumque signatur, & quod vnum est effectu, vario eloquitur affatu. Quare igitur per accipitrem, & quare per aquilam Dominica Ascensio mysticè in scripturis obumbretur, dignum est inquisitione & vtile insinuare.

Considerata itaque proprietate naturarum accipitis & aquilæ, euidenter intelligere possumus comparationem istam Christo congruere, iuxta illud Apostoli:

Eph. c.4. 10. *Qui descendit, iste est & qui ascendit, super omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* In accipitre siquidem intelligimus, qui descendit: in aquila, qui ascendit: in accipitre simul & aquila, vt adimpleret omnia. In descensionem plumescit accipiter per assumptionem hominis, in ascensione eleuatur aquila, & in arduis ponit nidum suum per glorificationem filij hominis. In descensione & ascensione implet omnia per redemptionem humani generis, & per restaurationem angelicæ defectionis. Sine plumis descendit, cum plumis ascendit.

Plumæ autem sunt in Christo IESV anima & caro. E Plumæ sunt collegium Apostolorum. Plumæ sunt collectiones gentium. Plumæ sunt illa virtutum charismata quæ requiescunt in flore illo qui egreditur de virga Iesse, Virgine Maria. His plumis accipiter in vtero virginali per sapientiam Dei plumescit, quando Spiritus sancti obumbratione, sic originaliter plenitudo virtutum humanæ naturæ in IESV intexta est, quomodo originale peccatum filiis Adæ de traduce peccati in conceptione & natiuitate perpetualiter insertum. Vna & prima pluma IESV, est sapientia, secunda, intellectus, tertia concilium, quarta, fortitudo, quinta, scientia, sexta, pietas, septima, timor Domini. His natura hominis plumata, ascendit ad consortium Dei, ad diuinitatem personæ filij, ad summum cœli, & vltra omnem principatum & potestatem, siue dignitatem angelici ordinis.

Nulla namque grauedo corruptionis deprimit carnem vel animam IESV, quò minus currat ad meritum, quò minus euolet ad præmium, tam singulare numero, quàm speciale & inimitabile exemplo. IESV siquidem neque F conceptio imitabilis, neque natiuitas comparabilis, neque vita comprehensibilis, neque mors similis, neque resurrectio communis, neque ascensio vsualis: vbi enim * visus visibiliter ascenderet hominem in cœlo? Vbi auditum est, tertia die hominem à mortuis resurgere? Vbi al. visus. auditum est sine peccato hominem, & quando vellet mori? Vbi vita hominis in terra triginta & tribus annis immaculata à concupiscentia carnis, à concupiscentia oculorum, à superbia vitæ, ab omni labe peccatorum? Vbi natiuitas hominis, clauso vtero matris? Vbi conceptio hominis sine seminie viri? Vbi in conceptione obumbratio Spiritus sancti?

Et numero itaque plurali carent ista Domine IESV tua opera, propter singularitatem auctoris, & exemplo, propter difficultatem operationis. Exemplo tamen nobis est tua conceptio, vt de Spiritu tuo timorem tuum concipiamus, natiuitas, vt amorem tuum pariamus, vita, vt paupertatem, innocentiam, humilitatem, mansuetudinem, charitatem, & castitatem, misericordiam & G pietatem teneamus, mors, vt obedientiam & patientiam seruemus: resurrectio, vt resurrectionem carnis credamus, ascensio, vt glorificationem corporum & animarum speremus. Sic enim & nos pulli tui, sub pennis tuis sub plumis tuis, pubescimus, plumescimus, cùm studentes virtutibus nuditati nostræ fulcimenta comparamus. Vnde in canticis dicitur; *fulcite me floribus, sti-* Cant. 2. *pate me malis.* Quod enim pluma sponso, hoc sponsæ 5. flos est, & quod penna reuolanti ad æthera, hoc malum est punicum recumbenti in mensa.

Sponsa flores quærit in thalamo, mala punica in conuiuio. Sponsus plumas amat, quæ sunt ei ad decorem & mollitiem & calorem, & pennas quæ ad leuamen, quia sacramenta fidei decora sunt propter honestatem, mollia propter facilitatem, calida propter charitatem, leuantia sursum, propter spem. Abhorret namque fides inhonestatem, temperat legalium mandatorum difficultatem, calefacit negligentium teporem, extollit carna- H lium hominum grauamen, vt tamquam linteo mundo superaccumbat honestati, tamquam puluinari lenissimo incliinet caput, tamquam coopertorium superextendat charitatem, tamquam pennis innitatur spei soliditati.

Sed iam in fine sermonis retorqueamus caput ad pennulas, immo pennulas ad caput eleuemus, & in nido claustralis consuetudinis, plumis sanctarum obseruantiarum stipati post accipitrem magnum volitemus. Ille quidem vt gigas miris volatibus celsa præuolat: nos, quia paruos parua decent, iuxta profectum fragilitatis humanæ si volare non possumus, saltem humiliter post illum reptemus & vnicuique sicut diuiserit mensuram fidei, minora vel ampliora spatia virtutum proficiendo transmittamus. Ecce enim quidam volitare volentium post IESVM dicit, *Domine sequar te quocumque ie-* Luc. 9. *ris*, sed sine pennis promittebat iste se volaturum; ideo 58. ait illi Dominus: *Vulpes foueas habent, & volucres*

cœli

A *cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Alius autem videns infirmitatem ſuam, & volens volare nec valens ait; trahe me poſt te, quaſi dicit: Rom. 7. 7 18. *Velle adiacet mihi, ſed perficere non inuenio: Spiritus quidem promptus eſt caro autem infirma.* Match. 26. 41. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam & deprimit terrena inhabitatio, ſenſum multa cogitantem,* Sap. 9 15. vt non quod volo hoc faciam, ſed quod nolo hoc agam, & quia ſcriptum eſt: Pſal. 67. 10. *Pluuiam voluntariam,* id eſt, *bonam voluntatem, ſegregabit Deus hæreditati ſuæ & infirmata eſt,* vt ſe cognoſcat, *tu vero perfeciſti eam,* vt de humilitate meliùs conualeſcat.

Cant. 1. 24. Sequitur quidam alius & dicit. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ecce qui ſine gratiâ, quaſi ligatis pennis, & inuiſcatis infectione primæ præuaricationis, volare non poterat, acceptâ gratiâ, currit viam mandatorum Dei, vt non ſit volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei, & totum ſit de odore vnguentorum, quod currimus, quod bonum volumus, quod bonum B facimus, ne quis in ſe glorietur. Quartus quidam de ordine volitantium poſt aquilam & accipitrem dicit: Cant. 8 2. *Apprehendam te,* iam non es de terris, iam oblitus es corporeæ grauedinis, qui hoc dicis. Forte ille eſt qui dicit: Coloſſ. 1. 24. *ſuppleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo.*

Adhuc neſcio quis vel quæ ſequitur, & intenſo volatu etiam iſtum tranſit, & dicit. Teneo illum. O virtus quæ virtutem virtutum tenet! O velox vehementer ſpiritus, qui ſpiritum Deorum apprehendit. Sequitur cautior quædam quæ videtur germanam ſuam accipitrem apprehendiſſe, tenuiſſe, ſed non retinuiſſe, & dicit. Can. 3 4 Cant. 8. 2. *Tenui eum nec dimittam.* Ecce perſeuerantia quæ caudam in ſacrificio offert. Sequitur alia quæ dicit: *Ducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebit* præcepta Domini. Adhuc alia ſequitur quæ * eſt videns in ſe animam ſuam dicit. * eſt redundat. Pſ. 62. 8. *Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Iſta C cum Deo eſt & in Deo eſt, & ſine Deo non eſt, vna columba, vna matri ſuæ, electa genitrici ſuæ, ſequitur & Cant. 1. 13. attendit alia dicens, *Dilectus meus mihi & ego illi, inter vbera mea commorabitur.* Cum iſta Deus eſt, & in iſta Deus eſt, ad iſtam gratia Dei bona & beneplacens & perfecta eſt.

Iſtæ, Fratres cariſſimi, diuiſiones gratiarum, quæ habent in cœlo diuiſiones manſionum, & in peregrinatione diuiſiones perfectionum, vt ſicut eſt cœlum, & cœlum cœli, & cœli cœlorum, ſic paulatim caſtrametari nouerint in fidelibus Dei, ſtudia virtutum, donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Feſtinemus Feſtinemus Fratres, ingredi in illam requiem, antequam oſtium ſic pertinaciter cludatur, vt vlterius nunc clamantibus, Domine Domine aperi nobis, reſeretur. Ecce diuiſit IESVS ſpolia, ecce naues plenas, quaſi remigando per hoc mare magnum & ſpatioſum ad portum cœli deduxit, exonerat, & ſingulis amicorum ſuorum, ſingula munera nu- D merat.

In toto grege illo innumerabilium millium Angelorum, non erit vel vnus qui non nouis muneribus ab illo honoretur: tantum feſtum in cœlis ab æterno non fuit ſolemnizatum; tantum gaudium non fuit excogitatum, tantus iubilus non fuit auditus in omni genere muſicorum, cantorum & pſallentium, tantum conuiuium quis fecit, tantum conuentum quis vidit, tantum theſaurum quis intrauit: O IESV, tua ſolemnitas eſt, tua aſſumptio eſt, tua glorificatio eſt, tua dedicatio eſt, fac cum ſeruis tuis, cum pauperibus tuis, cum vinctis tuis, cum exulibus tuis, cum damnatis tuis, fac gratiam, fac miſericordiam, fac ſolutionem, fac liberationem, fac refectionem, fac ſaluationem, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis, &c.

E

SERMO III.

D Aſcenſione Domini.

NVmquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter expandens alas ad auſtrum, aut ad præceptum tuum eleuabitur aquila; & ponet in arduis nidum ſuum? Iob. 39. 26. Hodie, Fratres cariſſimi, ſummus Pontifex IESVS qui eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſancta ſanctorum in ſanguine ſuo penetrauit, & patri ſpirituum fragrantiſſima odoramenta meritorum ſuorum de thuribulo glorificati corporis incenſauit. Recurrit etiam hodie vitta aurea, quia IESVS vnde venerat rediit, & ſol ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens girat per meridiem & flectitur ad aquilonem. Nam de throno gratiæ meridianos illuſtrat per gratiam ſuam, animos aquilonares ad pœnitentiam ſuſtinet, & conuerſos ſuſcipit. F

Hodie decem gradibus conuerſa eſt per aſcenſionem retrorſum vmbra illa CHRISTI IESV, in qua viuemus inter gentes, quod factum eſt in ſigno ſanitatis Ezechiæ. Decem namque gradibus retrorſum in aſcenſione ſua Dominus IESVS rediit, quia ſuper Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim & Seraphim, vno gradu præcellens eos, aſſumpta in Deo humana natura ſuperaſcendit, & omnia ſub pedibus ſuis dominatione ſubiecit, vt & ipſe ſubiectus ſit ei qui ſibi ſubiecit omnia, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. Breui & vno ſermone cuncta quæ ad præſentem pertinent ſolemnitatem tam eſſet oneroſum perſtringere, quam difficile proferre. Sufficiat autem in præſenti aſpicere, quomodo accipiter ille qui plumeſcit per ſapientiam Dei, expandat alas ſuas ad Auſtrum, & quomodo aquila in arduis ponat nidum ſuum.

Nobiles & diuites homines valde delectantur in accipitre, & propter ludum & propter fructum. Ludunt enim in aue iſta contra tædium, capiunt aues, ſed propter cibum: circumferunt denique illum per amœna illa loca, in quibus aliæ aues quaſi libertate & ſolitudine vtebantur; & ibi capiunt in aue aues, ſed nihil horum fieret, niſi priùs plumeſceret accipiter vario & delectabili plumarum ordine, & flante auſtro cœli temperies arrideret. Tunc enim expandit alas ad auſtrum, tunc captiuam ducit captiuitatem, tunc dat dona dominis ſuis, prædam domiſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. G

IESVS accipiter eſt, cuius plumæ virtutes ſunt, pulchræ propter veritatem, & leues propter ſanctitatem, lenes propter manſuetudinem, variæ propter gratiarum multitudinem. His per ſapientiam Dei plumeſcit accipiter, quia natura humana nullatenus merebatur ut verbo Dei vniretur, & vt plenitudine Diuinitatis corporaliter infunderetur, per ſapientiam in myſteriis à ſæculis abſconditam, quando & quomodo hoc fieret in fine ſæculorum & in plenitudine temporum, de vtero virginali, cùm plumis cæleſtium virtutum fecerit vt H IESVS naſceretur Deus homo & homo Deus. In vtero enim illo plumeſcit accipiter noſter, quia antequam de Virgine conciperetur, caro de qua conciperetur obumbrante Spiritu ſancto ſanctificata eſt, antequam exiret de vulua, Deus homo factus eſt.

Cum plenitudine igitur plumarum, id eſt, gratiarum accipiter noſter ad volandum vbique terrarum ad capiendum omne genus auium de ventre virginali prodiuit: & miſſa ſtella, ſtatim Magus in alis fidei & cepit, & ad ſe adorandum adduxit. Expandit quoque alas ad Auſtrum dicens: *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſraël,* quæ propter Patres & legẽ, auſtrali feruore vnum Deum colebant. Math. 15. 24. Hic accipiter præter illas ſuæ originis & natiuitatis virtutum plumas, quæ naturaliter in eo radicatæ, euelli non poterant, plumas alias in collectione diſcipulorum aſſumpſit, & in his in

vniuet

A vniuersum orbem circuiuit, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, qui vt sonus multitudinis atque castrorum erat. Explumauerunt autem eum Iudaicæ spinæ Apostolicis plumis in passione quasi in hyeme, quando relicto eo omnes fugerunt. Ad odorem verò resurrectionis & ad flammam æstiui temporis redierunt plumæ, & meliùs atque fortiùs inhærentes, potuerunt priùs commori eum eo, quàm ab eo auelli.

In die ergo Ascensionis siue euolationis accipiter sic alloquitur plumas suas, *Euntes in mundum vniuersum,* Marc. 15. 14. *prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit,* &c. Ecce ad Austrum expandit alas suas accipiter noster qui per sapientiam plumescit, non solùm in conceptione compingens corpus virtutum, & animam gratiarum, sed etiam in Resurrectione reuocans collegium Apostolorum, quia in Ascensione prouocat ad volandum præcepto & exemplo, cùm illos mittit in vniuersum mundum, & ipse eleuatis manibus ferebatur in cælum. Tunc accipiter versus

B est in aquilam, quæ in arduis posuit nidum suum, quovsque illum videre potuerunt, volantem accipitrem aspexerunt. Cùm verò nubes suscepit eum ab oculis eorum tanquam aquila eleuatus est, & in arduis, id est ad dexteram Patris posuit nidum suum, id est, thronum suum. Bene autem thronus iste dicitur nidus, quia fœtus suos ibi fouet, parit & nutrit, dum peccatores fouet per patientiam, parit per misericordiam, nutrit per indulgentiam.

Sed iam, fratres charissimi, attendamus accipiter noster sine aquila vnde & quò & quà volauit, & si ad perfectum apprehendere illum non possimus, tamen vtcumque conatis vestigiis, vt de longè post eum claudicemus. Vnâ verè clausulâ compendiosissimè in Euangelio volatus iste deffinitur, vbi dicitur; à Deo exiit & ad Deum vadit: item ipse ait, *Exiui a Patre & veni in mundum.* Item: *Relinquo mundum & vado ad Patrem.*
Ioan. 16. 28. Ecce habes vnde & quò volauit. Vis videre quà, *Ego*
Ioan. 14. 6. *sum veritas via & vita.* Ecce habes quà & vnde & quò.
C A Patre venit, quia Pater eum misit: ad Patrem rediit, quia Pater illum glorificauit claritate quam habuit priusquam mundus esset. Per seipsum venit & vadit, quia tam voluntarius ad mortem Patri obediuit per vniformem & eandem voluntatem cum Patre, quàm voluntarius recurrit ad immortalitatem & glorificationem.

Dicat itaque ad patrem & vnusquisque nostrum, exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem. Pater à quo exiui Adam est, Pater ad quem redeo, Deus est: veni ergo à Patre Adam cum peccato originali, vado ad Patrem Deum, cum gratia spiritali: malè exiui, malè introiui. Exiui à malo, & veni ad malum: malum ergo malum est, dicit omnis qui exiuit à parte carnis & venit in mundum malignitatis, Malum originale, malum actuale. A mala radice veni ad malum ramum: sed malum radicis pullulauit virus, vnde toxicatus est surculus rami.

D A planta ergo pedis vsque ad verticem non est in me sanitas, quia in peccatis concepit me mater mea, & in mala consuetudine concepit me conscientia. In carne mea non inuenio bonum, quia corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ: & in anima mea inuenio malum, quia ibi regnat concupiscentia mala. De peccato enim procedit peccatum, cùm ab anima tanquam ab interioribus ad carnem egreditur euaporatio mali desiderij, & in carne tanquam reciproca confricatione validiùs consurgit fomentum peccati, stupam nostræ fragilitatis incendens, & vsque ad consumptionem exurens. Quid ergo faciam infœlix homo? quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per IESVM CHRISTVM qui item reliquit mundum & vadit ad Patrem.

O homo relinque mundum conuersatione, odio, despectione egressione, mortificatione, vt sis mundo mortuus affectione, & mundus tibi eiectione. Relinque tanquam excommunicatum, tanquam leprosum, tanquam

E hæreticum, tanquam perditorem, tanquam latronem, tanquam homicidam, tanquam sterquilinium, tanquam lacum, tanquam infernum, tanquam cloacam spurcissimam. Vade autem ad patrem tanquam ad epulas, tanquam ad nuptias, tanquam ad patriam, tanquam ad coronam, tanquam ad stolam, tanquam ad refugium, tanquam ad portum, tanquam ad cœlum, tanquam ad Deum.

Sed quia venisti à patre in mundum, vel quia cursum de mundo vadis ad patrem: à patre vtique per concupiscentiam carnis, per ardorem libidinis, per inobedientiam mandati existi, & in mundum venisti, vbi cum fœnore peccati quæ detuleras multiplicasti, dum fænum, stipulam & ligna sæcularium verborum, operum, & cogitationum fomento peccati tanquam a diceisti: exterius quoque in mundo conuersatus præceps ferebaris de fouea ad foueam, de malo ad peius, de iniquitate ad iniquitatem vt sanguis sanguinem tangeret, & residuum bruci locusta comederet, & pilosus alter ad alterum cla- F mater, & peccatum tanquam restem traheres, cum de lupanari ad latrocinium, de latrocinio ad periurium, de periurio ad maleficium, de taberna ad theatrum curreres.

Ecce quâ viâ existi à patre & venisti ad mundum, vel etiam qua viâ perambulasti mundum. Item ergo exeundum à mundo, & veniendum ad patrem, sed aliâ viâ, quia & ad aliam patriam. Fratres mei ecce itinera quibus de dormitorio venitis ad monasterium, de monasterio ad claustrum, de claustro iterum ad monasterium, vel ad capitulum, de capitulo ad agrum, de agro ad refectorium, sine dubio bona sunt, sine dubio ad patrem vadunt. Si semper ante conspectum vestrum Deum aspicitis, si semper sursum corda habetis, si semper quæ sursum sunt quæritis, si semper desiderium vestrum coram Deo funditis, & donec veniatis ad locum vbi Israël contemplatur Deum Deorum in Sion, non cessatis post tergum eius currere, qui viuit, &c.

G

SERMO I.

De Pentecoste.

Aduenit ignis diuinus non comburens, sed illuminans, nec consumens, sed lucens, & inuenit corda discipulorum receptacula munda, tribuit eis charismatum dona, inuenit eos concordes charitate, & illustrauit eos inundans diuinitas claritatis. Priusquam admoueam linguam ad loquendum, & manum ad scribendum de Spiritu Dei, imploro gratiam eius, de quo loqui volo, vt lotus in fonte gratiæ verum de Spiritu veritatis sermonem faciam, parum à spiritu veritatis alueum conscientiæ attraham, vt nauicula linguæ nec in paludibus mendacij succumbat, nec in sicco vanitatis hæreat.

Veni ergo sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende: reple nos de plenitudine tua, accende de igne & calore tuo, qui omnia contines, qui omnia foues: imple quos contines, H fœcunda quos foues, vt de repletione satiemur, accendamur, viuamus de fœcunditate, nobilitemur, multiplicemur, perpetuemur, satiemur dulcedine, accendamur charitate, viuamus claritate, nobilitemur adoptione, multiplicemur numero perpetuemur æuo.

Plane nobilis ille Spiritus processione non natiuitate, quia nulla ei de patre natiuitas sed processio, nulla de matre quæ non est vel natiuitas vel processio, sed sicut à Patre procedit, sic procedit & à Filio. Nil autem Patre nobilius & Filio, sicut Deo nihil est sublimius: & vt ab inferioribus ad sublimiora exemplum trahamus, quid nobilius in homine spiritu hominis: sic in Deo nihil nobilius Spiritu suo. Quid verò nobilitatem Spiritus appello, nisi identitatem cum Patre & Filio; aut quam nobilitatem petimus à Spiritu Sancto, nisi vt vnum simus cum Patre & Filio? præstet nobis vnitatem cum Patre & Filio & Spiritu sancto.

Sed

A Sed quomodo fiet istud Spiritus sancte? vt abiectissimus vermiculus adsumatur ad tam sublimem trinitatis vnitatem, & nullam ex hoc recipiat injuriam summa trinitas, nullam multiplicationem summa vnitas, nullam degenerationem summa majestas, nullam commutationem summa identitas, nullam mutabilitatem, summa stabilitas & immutabilitas Nec tamen hoc & sigillatim, vt non sit illo toto aliquod aliud totum majus: nec suum totum simul adeo mirandum vt credere diffidas, quia tota Trinitas tale totum est simul in trinitate majus est suo toto sigillatim in personarum discretione: quicquid autem ad illud totum accedit, vt incarnatio Verbi, non facit illud totum aliquod majus totum, quia nec facit aliud totum quam idem totum erat, antequam ad ipsum accederet id quod non erat cum toto illo, & ideo nec totum esse poterat, cum sine toto illo esse non posset. Cùm ergo vnum efficimur in toto illo quod Trinitatem & vnitatem nominamus, nobis quidem fit melius, ipsi

B verò non fit majus vel melius.

Quæramus itaque quid nobis fiat cum accesserimus per Spiritum sanctum tanquam per vinculum & coagulum ad Patrem, & Filium & eumdem Spiritum sanctum; coagulum namque licet consubstantiale Patri & Filio, nos ad invicem compaginat & ad sanctam Trinitatem copulat. Visitato nomine hoc coagulum charitas appellatur; nec aliunde autem conficitur hoc coagulum, nisi de tenerrimis & tenacissimis medullis Patris & Filij; quibus ad se se diligendos æternali meatu confluunt.

Cùm ergo infusum fuerit hoc coagulum caritatis in cordibus fidelium teneritudine sua, teneritudine emollit receptacula sua, tenacitate solidat, vt emollita & quasi liquefacta ad se inviecem ipsa corda recurrant, & commisceantur; similitudine certè liquoris similiter in diuersis operante, & in se, à se priùs separata, conglutinante & confortante, vt solidata teneant, nec dimittant, quod in teneritudine apprehendant. Ex diuersis igitur

C cordibus facta in vnum collectione motum, ille qui habitare facit vnius moris in domo, ad vnitatem reuocat dispersiones, ad pacem dissentiones, ad fidem hæreses, ad caritatem discordes: fit ergo nobis vnitas de multitudine, fit concordia de diuersitate, pax de rancore, castitas de corruptione, securitas de pavore, tranquillitas de perturbatione, charitas de æmulatione, gratia de subsannatione.

Ecce quid faciat nobis coagulum spiritus, simul quidem nos inuicem colligens, Deo verò * coiciens. Cogita si potes quomodo Spiritus Dei spiritum hominis assumens introducat in palatio Trinitatis, & suspiret gemitibus inenarrabilibus post se illum trahere ad nota cubilia medullarum Patris & Filij, vt ibi audiat quæ non licet homini loqui vt videat; quæ oculus non vidit, audiat quod auris non audiuit, intelligat, quod in cor hominis non ascendit. Cogita quid tunc cogitet spiritus humanus, cùm viderit cogitationes pacis & non afflictionis; cùm viderit sine navigio phantasmatum & imaginationum corporalium, enavigare se flumina illa cœ-

D lestium charismatum; cùm viderit refluxiones dulcedinis à Patre in Filium, & à Filio in Patrem, remigio Spiritus sancti refundi; cogita quid iocunditatis hauriat spiritus humanus cùm in extasi sua viderit fila prædestinationis ligata in corda Dei, tam subtilia, vt nemo apprehendat, tam fortia, vt nemo interrumpat, tam longa, vt fines sæculorum intra se includant, tam retenoua, vt nemo euadat, tam complexa vt nemo soluat.

*f. conjungens.

Cogita quantum admiretur Spiritus tuus, cùm secundum nomen suum, cognatione finitima spiritalem viderit se factum, & in Spiritus sancti societatem receptum à quo bono recipiat bonitatem, à quo sancto innocentiam, à quo iusto iustitiam; à quo viuo vitam, à quo casto castitatem, à quo sapiente sapientiam, à quo mansueto mansuetudinem, à quo pleno & plene pleno, plenitudinem plenitudinum, & plenitudinem recipiat gratiarum. Cogita quam valida concussione exhortescat mala sua spiritus tuus; cùm viderit profundum san-

E ctificationis in Spiritu Dei disputans & reputans, se si caruisset iniquitate; non caruisse tanta & tali societate. Cogita quàm appetibili deferatur progressu, vt prælibata gluttiosiùs hauriat gaudia, donec de ventre eius fluant aquæ viuæ, & fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Cogita & semper cogita, ne luctus occupet extrema gaudij, ne cum spiritu cæperis, carne consummeris, ne cum lucifero, de cœlo ad tartara labaris, ne à sancto proposito ad sæcularia traharis, ne desertus à Spiritu sancto maligno spiritui tradaris; ne paradiso amisso, in inferno cum diabolo crucieris, sic cogitanti spiritui aduenit ignis diuinus non comburens sed illuminans, nec consumens, sed lucens, advenit spontaneus, quia nullis meritis prævenitur aut cogitur venire, advenit & attractus, quia per præuentam mentem à gratia operante, non recusat per cooperantem cumulare ampliori charismatum munere.

F Advenit vt dominus, vt hospes, advenit vt colonus; advenit denique vt ignis divinus: dominus ad seruum, hospes ad hospitium, colonus ad agrum, ignis ad syluam lignorum advenit. Non opprimit dominus seruum, in spiritu seruituis omnia imponens, non molestat hospitem suum aut hospitium; exigendo impossibilia; aut præsumendo sine mercede possibilia. Colonus non negligit agrum suum, spinas & tribulos extirpando, sed colit diligenter bona semina serendo: ignis syluam illam argenti & auri & lapidum preciosorum non comburit sed illuminat, non consumit, sed examinat vt argentum sit septies purgatum, aurum sit obrisum, lapides sint igniti ad detegendum opprobrium Ægypti à labiis prophetis.

Cum ergo præueniens gratia sic quasi præcurrerit seipsam, tunc inuenit corda discipulorum receptacula munda, & tribuit eis charismatum dona; talia enim inuenit gratia subsequens, qualia præparat gratia præueniens; receptacula, inquit, munda, quantocumque aliarum apparatu virtutum venustentur templa illa, siue cor-

G da, ad quæ sanctus Spiritus aduenit; parum tamen digna est habitatio; nisi totum pauimentum & parietes super ornauerit charitatis dealbatio. Appellant Spiritum sanctum jeiunia, instigant orationes, vocant vigiliæ, movent silentia, eleemosinæ infrenant; adducit contemplatio, seu meditatio, introducit compunctio, excipit continentia ministrat charitas, saporat pax.

Si talem familiam in corde inuenerit gratia, quid faciat nisi reddat gratiam pro gratia? nam quid est aliud, inuenit corda discipulorum receptacula munda; retribuit eis charismatum dona, nisi dedit gratiam pro gratia? ô sancte Spiritus cor mundum crea in nobis, vt munda receptacula præparemus tibi, vt evacuemus fel rancoris & venenum malitiæ à facie tua, quatinus beneplaceat tibi in animabus nostris, & vt idonei simus & si non ad genera linguarum, ad plenitudinem tamen gratiarum; quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat per omnia, &c.

H

SERMO II.

De Pentecoste.

Act. 2, 11

L*Oquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei:* tympana siue cymbala nullum sonum reddunt, nisi in medio pendens quoddam percussorium, quod vulgò appellatur batallum, hinc inde resonans aërem longè & propè musico sonitu repercusserit, sic certè Apostoli sine voce ante aduentum Spiritus sancti; fidem quidem Christi habebant, sed prædicare non audebant. Ex purissimo metallo adhuc cum eis in carne positus rotundâ perfectione * fundator ille cælestium signorum corda illorum liquefecerat, & in aptissima signa jam præparauerat, quia omnia quæ audiuit à Patre suo nota eis fecerat, & omnia ecclesiastica sacramenta eis tradiderat.

* vel fusor.

Iacebant tamen illa signa sive tympana absque batallo.

A quod vocem eorum in omnem terram diffudit postea, & in fines orbis terræ verba eorum, donec complerentur dies Pentecostes, & factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, & repleuit domum totam, vbi erant sedentes Apostoli, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Misit ergo Apostolis Verbum quod ascenderat ad Patrem batallum prædicationis in igneis linguis, quò fidei cymbalum tangerent, & ad aures mentium sonum sublimis Dei per doctrinam & exhortationem intonarent. Accepto autem hujusmodi plectro, loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.

Quia Spiritus sanctus in igneis linguis, fratres charissimi, apparuit, linguas nostras castigemus ab otiosis, à superfluis, à nociuis, à mendaciis, à detractionibus, à murmurationibus, ab impuris & sordidis locutionibus, lingua enim quæ hujusmodi fecibus & paludibus immersa

B fuerit non loquetur magnalia Dei, non loquetur potentias domini, non cantabit misericordias domini, non laudem Domini, non legem, non sapientiam meditabitur. O lingua si Spiritu sancto impleta fueris, organum Dei eris, si serpentino infecta veneno discordias inter fratres seminaueris, flagellum immò & flagellum diaboli eris. Lingua bona nuncius bonus est, qui nec adsentit adulationi nec offensioni accedit, nec à veritate recedit: lingua nequam, lingua dolosa *modicum quidem membrum est*, vt ait Iacobus Apostolus, *sed magna*

Iacob 3 § 8.7. &c. *exaltat. Ecce*, inquit idem Apostolus, *quantus ignis quam magnam syluam incendit, & lingua ignis est, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna, inquietum malum, plena veneno mortifero.*

Talis fuit lingua serpentis antiqui, quæ in paradiso incendit totam syluam generis humani, radicem succendens suggestione, & ramorum multitudinem consumens vetiti pomi degustatione; vnde originale peccatum

C meauit in omni filiorum Adæ posteritate. Proculdubio maculauit totum corpus Adæ & Euæ, pudendis eorum membris prima inobedientiæ rudimenta propinans statim vt homo comedit; & sicut Deo inobediens fuerat homo, sic animo vel ipsi homini motus ille pudendorum nequaquam obtemperare vlterius adquiesceret. Inflammauit etiam rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna quia cum originali peccato, vnde fomes peccati & concupiscentia, siue lex membrorum est, nascimur; & sic tota semper circumvoluitur, sic à jugo peccati nunquam à die natiuitatis excutimur, inquietum malum propter avaritiam, plena veneno mortifero propter nequitiam.

O homo, ô Adam, ô genus humanum, ô anima, quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ proculdubio potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis immo linguæ igneæ, linguæ variæ, linguæ canum, linguæ Angelorum. Sagittæ equidem acutæ contra dolum, carbones desolatorij, contra venenum,

D linguæ igneæ, contra peccatum, linguæ variæ contra tædium, linguæ canum contra vulnus inflictum, linguæ Angelorum contra linguam serpentis. Viam ad cor aperit sagitta, rubiginem consumit carbo desolatorius congelatum & stultum instruit & accendit lingua ignea, tepidum & tædiosum, releuat lingua varia, saucium sanat lingua canum terrenum, cantica de canticis Sion edocet lingua Angelorum.

Illi ergo, qui Spiritus primitias acceperunt, loquebantur variis linguis magnalia Dei: planè egrediebantur foras, vt de plenitudine qua fuerant Spiritu sancto repleti, eructarent verbum bonum, & loquerentur in idipsum, spiritalibus spiritalia comparantes: lingua enim quasi hostiarius ad januam residet cordis interpres cogitationum & affectionum, intrinsecus quasi in claustro latentium, & nunquam ad publicum nisi reserante portam hostiario, progredentium. In ea autem est vt tam timeat ei cor persuadere ad loquendum frigidam malitiam, quam non potest diu residere infra clausuram linguæ igneæ tepida mentis affectio; quod namque intra est calefacit, quod extra exurit. E

Nescit lingua ignea cor frigidum; flammeus gladius atque versatilis est, ex eo quod flammeus charitatem nutriens, ex eo quod versatilis mobilitati cordis obsistens, flammeus propter charitatem, versatilis propter varietatem. Charitas autem est motus animi ad diligendum Deum propter seipsum, & amicum propter Deum: vt enim natura ignis alta petit, & iuxta posita calefacit, sic charitas quæ in nobis est, & Deum à quo est diligendo repetit, & proximum qui iuxta se est, amplectendo colligit; nec diuersa est charitas, sed diuersus effectus charitatis, qua Deum vel proximum diligimus, sicut non est diuersus spiritus, qui in lingua & igne apparuit, sed aliud in lingua, aliud in igne intelligimus, in lingua sobrietatem habemus ad proximum, in igne excessum mentis ad Deum; vt siue sobrij simus nobis, siue mente excedamus, Deo.

In lingua Christum crucifixum in igne sapientiam inter sapientes prædicemus, in lingua actiui, in igne contemplatiui simus, in lingua primas tabulas legis cum Moyse, in igne secundas Euangelij accipiamus, in lingua mores nostros componamus, in igne profunda fidei nostræ mysteria timemur, in lingua confessionem in igne potentiam accipiamus, variis autem linguis loquebantur Apostoli magnalia Dei; se accusantes & Deum glorificantes, sapientiam in creatione rerum narrantes, bonitatem in reparatione generis humani commendantes, gaudentes cum gaudentibus flentes cum flentibus, quocumque ibat Spiritus, euntes & in similitudinem fulguris reuertentes, faciem hominis prædicando, incarnationem præferentes, faciem vituli prædicando passionem & mortem, faciem leonis prædicando resurrectionem, faciem aquilæ extentæ desuper prædicando ascensionem. F

Ecce quomodo variis linguis loquuntur Apostoli magnalia Dei, quare variis linguis, cum vnus atque idem Spiritus sit, qui loquitur in eis? profectò quia diuisiones gratiarum sunt, certè quia spiritus intelligentiæ est sanctus, viuens, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat bene facere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia perspiciens, & qui capiat omnes spiritus intelligibiles, mundus, subtilis. Quid ergo mirum, si varias facit linguas, qui tam varias habet gratias? in cythara, siue psalterio vnius eiusdem digiti pulsatio alium in hac chorda reddit sonum, alium in alia, atque tot modis variatur modulatio, quot modis in instrumento digitus intensius, vel remissius terigerit plectrum in quo pendet omnium cordarum congregatio. G

Principaliter tamen duo consideranda sunt in variis linguis, vt varietas ista vel ad pulsantem spiritum pertineat, qui superius tam variè describitur, vel ad diuersam auditorum qualitatem, quæ non nisi per spiritum à doctore percipitur: qualiter namque sint ammonendi viri, qualiter feminæ qualiter seculares, qualiter regulares, qualiter incipientes, qualiter proficientes, qualiter perfecti, qualiter verecundi, qualiter contumaces, qualiter singuli iuxta ætatem, complexionem, ordinem, & omnimodam distinctionem omnium circumstantiarum, doctor nullus sciret, nisi ille qui habet omnem scientiam doceret; varietatem ergo linguarum ministrat Spiritus, qui varia quidem descriptione appellatur, sed nullâ diffinitur. H

Dicitur Spiritus intelligentiæ, Filij æqualitate; dicitur Sanctus & nomine & re, dicitur vnicus processionis singularitate, dicitur multiplex, gratiarum multiplici diuisione, dicitur subtilis naturæ & rationis incomprehensibilitate, dicitur disertus promptissima disserendi facultate; dicitur mobilis immensitate, dicitur incoinquinatus puritate, dicitur certus incommutabili veritate; dicitur suauis patientiæ longanimitate, dicitur amans bonum, naturæ proprietate dicitur acutus, ingenij viuacitate, dicitur qui nihil vetat bene facere mandati præceptione,

aut

A aut prohibitione; dicitur humanus compassione; dicitur benignus munerum largitione; dicitur stabilis æternitate, dicitur certus promissione; dicitur securus defensione; dicitur omnem habens virtutem potestate; dicitur omnia prospiciens illustratione; dicitur qui capiat omnes intelligibiles spiritus claritate, dicitur mundus honestate, dicitur subtilis præscientia, seu prædestinatione.

Non tamen variatur vnus atque idem Spiritus, vt aliquando sit sanctus, & non vnicus, aliquando vnicus, & non multiplex, aliquando multiplex, & non subtilis, aliquando subtilis, & non disertus, aliquando disertus, & non mobilis, aliquando mobilis & non incoinquinatus, aliquando incoinquinatus, & non certus, aliquando certus, & non suauis, & aliquando bonum amans, & acutus &c. Sed simul & semel hæc omnia natura Spiritus complectitur. Vndecumque enim & quandocumque & de quacumque necessitate aut indigentia gratiam Spiritus sancti postulaueris, de plena archa accipies vnde omnia propulsentur incommoda tua: B nec tamen exinaniatur archæ redundantia. In hac archa vestes varias & multicolores repositas conseruet gratia, vt sicut variis linguis erudiatur nostra insipientia, sic indumentorum varietate nostra vestiatur nuditas, decoretur deformitas; & circumornetur rusticitas. O fons olei Spiritus sancte de riuulis tuis funde & infunde cordibus nostris peccatorum remissionem, gratiarum plenitudinem, benedictionum cælestium vbertatem.

Proportionali autem descriptione, vt possimus nostrum depingamus spiritum, vt singulis nostris indigentiis, singulæ veniant intitulationes Spiritus Dei, & contrariis contraria rependat; non ad malum sed ad bonum Spiritus ille bonus qui non reddit in præsenti secundùm merita nostra, sed secundùm gratuitam bonitatem suam. Meus ergo spiritus, ô Domine, spiritus est insipientiæ, cum tuus sit spiritus intelligentiæ; meus peccator cùm tuus sit sanctus; meus vtinam adoptiuus, cum tuus sit vnicus, meus vtinam vel vnã habeat C benedictionẽ cùm tuus multiplex sit in benedictionibus; meus rudis cùm tuus sit subtilis; meus mutus cùm tuus sit disertus; meus tardus cùm tuus sit mobilis, meus contaminatus cùm tuus sit incoinquinatus; meus varius cùm tuus sit certus, meus impatiens cùm tuus sit suauis; meus diligens iniquitatem, cùm tuus sit amans bonum; meus obtusus cùm tuus sit acutus; meus vetat benefacere per negligentiam, cùm tuus nihil vetat benefacere; meus inhumanus cùm tuus sit humanus, meus crudelis, cùm tuus sit benignus, meus instabilis, cùm tuus sit stabilis; meus pauidus cùm tuus sit securus; meus nullam habens virtutem, cum tuus omnem habeat virtutem; meus nullam habens prudentiam, cùm tuus omnia prospiciens; meus nec seipsum capit cùm tuus omnes capiat intelligibiles spiritus; meus immundus cùm tuus sit mundus; meus hebes cùm tuus sit subtilis.

Versa ergo, benigne Spiritus & effunde ex hoc tuo spiritu in hoc nostro spiritu, vt tua sapientia vincat insipientiam nostram; tua sanctificatio impietatem nostrã, D tua vnica processio descensionem nostrã; tua multiplex gratia multiplicem offensionem nostram; tua subtilitas crassitudinem nostram; tua disertitudo impeditam linguam nostram; tua mobilitas pigritiam nostram; tua incoinquinatio corruptionem nostram; tua certitudo dubietatem nostram; tua suauitas asperitatem nostram, tua dilectio boni malignitatem nostram, tuum acumen inertiam nostram, tua humanitas duritiam nostram; tua benignitas auaritiam nostram; tua stabilitas inconstantiam nostram; tua securitas trepidationẽ nostram; tua certitudo ambiguitatem nostram; tua virtus infirmitatem nostram; tua prouidentia cæcitatem nostram; tua diuinitas fragilitatem nostram; tua mundiria immunditiam nostram, tua subtilitas hebetudinem nostram. Ista magnalia tua loquentur variis linguis, immo variatis Domine, si de spiritu tuo dederis nobis, sicut Apostoli repleti Spiritu S. loquebantur variis linguis magnalia Dei, nobis præstare digneris, qui viuis & regnas Deus per omnia sæcula, &c.

E

SERMO III.

De Pentecoste.

Cor mundum crea in me Deus, &c. In aceruo diuinorum beneficiorum meridiantur hodie Apostoli, dum musto nouæ gratiæ debriati, liquefacti sunt in amorem diuinum, & hinc inde vallati liliis gratiarum, ab humano timore in securitatem æternam transierunt dicentes; *melius est obedire Deo quam hominibus.* Hactenus neque totum quod habebat Deus homini donauerat, neque totum quod poterat pro homine fecerat: misso autem Spiritu sancto de cœlo, omnia quæ audiuit à Patre dixit, omnia quæ accepit dedit, omnia quæ potuit & opportuit hominibus fecit. Ps. 50, 12. Act. 5. 29.

O paupertas humana habésne repositorium seu gazophylacium, vbi tales & tantas conseruare possis diuitias? F singulari prærogatiua gaudent quidem in munere, sed nec minorem exigunt solemnitatem in sui acceptione seu depositione. Væ namque homini illi qui sudarin dominicam gratiam ligauit, & in terra illam abscondit, nec ille prodigus pœnam euasit qui viuendo luxuriosè, portionem sibi à Patre datam diuinæ gratiæ cum meretricibus, quæ sunt carnales concupiscentiæ, consumpsit. Vniuersi itaque anguli domus lustrandi, domus etiam ipsa tota euertenda; vt inueniamus locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, ne vilitate aut fœditate loci offensa, euolet à nobis gratia, quæ non habitat in corpore subdito peccatis.

Priùs igitur quàm nobis porrigas hoc grande donum, hoc datum optimum & donum perfectum, præpara Deus tibi & gratiæ tuæ in nobis locum congruum, quia sicut à te solo diuite expectamus donum quod est supra omne donum, sic à te solo architecto sapiente petimus creari locum, id est, cor mundum. Nihil enim in homine potius est corde, nihil Deo acceptabilius mundo corde: G sistiuete interim, Fratres charissimi, & ingredimini singuli ad corda vestra; aperite fenestras, luminaria accendite, diligenter quæcumque ibi sunt, vel fiunt exquirite quicquid grande vel modicum ibi fuserat apprehendite, ac rationis arbitrio sistite; & tunc demum verum deceat Spiritus sancti gratiam ad ea non lota, non mundata intrare rectè judicate.

Vt autem salvo signaculo cordium vestrorum, de illis raceam, de meo si judicare voluero, & judicate quanta sit in eo viscositas præteritorum malorum, quanta putredo malarum affectionum, quanta spurcitia carnalium passionum & quanta occupatio scabiei prauorum desideriorum, credo angelicam puritatem sustinere non posse, quanto minus diuinam? Quia ergo totum cor meum putidum est & putridum, ô Deus cordis mei, crea nouum secundum cor tuum. In hoc vase audeo Spiritum sanctum reponere, sicut Moyses Man reposuit coram Domino, quantum poterat capere gomor, qui est trium H modiorum, in vase aureo, ad conseruandum in generationes futuras.

Hic locus est mundissimus extra castra quinque sensuũ, vbi Sacerdos, id est, Christus prioribus vestimentis mutatis, id est, assumpta mortalitate in cruce depositâ, tunicâ immortalitatis ac lineis impassibilitatis indutus, cineres reponit, id est, memoriam dominicæ passionis, & consummationem totius sanctitatis per cooperationem Spiritus sancti; sicut non decuit Christum corpus coinquinatum, sic nec Spiritum sanctum cor mundum: Virgo proinde immaculata, inuiolata, soli Deo apta, carne incorrupta fide integra, pulchra vt luna electa, vt sol, officina facta est diuinæ incorporationis, & quale cor requirendum vt in eo requiescat cum Patre & Filio Spiritus sanctificationis.

Exeat ergo, immo ejiciatur à corde tanquam prædo & malæ fidei possessor, spiritus immundus cum omni spurcissima vitiorum sobole; intret aut potius possideat cor emundatũ ab omni inquinamento carnis & spiritus;

A gratia Spiritus sancti cum nobilissima munerum suorum collectione & collatione, duplici beneficio operans & cooperans gratia: lætificat & beatificat cor quod sua perfusione illustraverit; liberat enim a malo & adjuvat in bono, oppressum liberat, liberatum ingenuitate & libertate donat; vitia excludit virtutes inserit, vnde in Cant. 4. 16. canticis canticorum: *Surge aquilo & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Ab aquilone pandetur omne malum, quia ventus contrarius pullulantia bonæ voluntatis semina extinguit, & ne per pœnitentiam renouentur, flatu venenoso præcidit.

Sed Auster adveniens ejicit dæmonium ne possessa retineat, & ne falcem suam in alienam messem extendat: perflat hortum succensa charitate, ebullire faciens de crassitudine terræ suavissimi odoris species aromaticas, humilitatem, castitatem, mansuetudinem, innocentiam, pacem, concordiam, obedientiam, patientiam, paupertatem spiritus, sapientiam, intellectum, consilium, forti- B tudinem, scientiam, pietatem, timorem Domini, iustitiam, sobrietatem, prudentiam, & omne virgultum agri illius, quem Pater cœlestis plantauit, Filius colit, Spiritus germinare facit.

In corde bono, mundo & novo areolas istas à pigmentariis consitas, id est, à prædicatoribus instanti prædicatione locatas, hodie visitat Auster perficiens & corroborans grossos quos protulit ficus, id est, initia boni operis quæ inspiraverit Spiritus sanctus, sive percoquens vuas apostolicæ devotionis nocturno rore dominicæ passionis, & maturino calore resurrectionis decoctas, Ps. 64. 10. vnde Psalmista: *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* Visitasti vtique terram, id est, primitiuam in Apostolis Ecclesiam vocando, eligendo, assumendo, docendo & cohabitando vsque ad passionem: inebriasti eam vino lætitiæ per Resurrectionis manifestationem, & Ascensionis glorificationem; multiplicasti locupletare eam per Spiritus sancti affluentissimam missionem.

C Sed quia nunquam cor immundum possidere potest Spiritum sanctum, primò qui accipere desiderat, illum priùs expostulat creari sibi cor mundum, dicens: *Cor* Ps. 50. 12. *mundum crea in me Deus.* Neque in monte hoc, neque in Ierosolymis est locus vbi adorandus est Deus, sed in spiritu & veritate, id est, mundo corde oportet eum adorare: quid enim cœlo potius? cor mundum: quid sole clarius? cor mundum. Quid firmamento pulchrius? cor mundum. Quid terra solidius? cor mundum. Quid abysso profundius? cor mundum; quid in humanis creaturis excellentius? cor mundum? quid Angelo similius? cor mundum; quid Deo vicinius? cor mundum; quid in omni munere gratiarum appetibilius? cor mundum. Cor mundum ergo crea in me Deus, quis enim hoc potest nisi Deus? si sibi relinquatur cor mundum, statim efficitur immundum; numquam ergo est cor mundum, nisi Deo fuerit plenum.

Tria igitur concurrunt vt sit cor mundum; voluntas bona, cogitatio sancta & intentio recta. Si non polluc- D tit stratum cordis immunda cogitatio, si non depravauerit directionem cordis distorta & tenebrosa intentio, si fundamentum fidei, spei & charitatis non concusserit malæ voluntatis aversio seu eversio, cor mundum habes, Spiritus sancti hospitium idoneum habes. Si autem cor habes mundum, nihil habes immundum; oculus mundus, munda manus, labia munda, interiora & exteriora sine dubio sunt munda; quia sicut per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, sic per immundum cor distillat malitia velut ex stillicidio, ad singulos animæ affectus, & ad omnes corporis sensus, vt nec sit in toto homine mundicia, à planta pedis vsque ad verticem. Qui autem venit totum hominem salvare IESVS CHRISTVS, misit Spiritum sanctum suum in corda nostra clamantem, Abba pater, vt corde sanato, totus homo sanetur; vt corde mundato, totus homo mundetur, vt corde innovato, totus homo innovetur, per eumdem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & per Spiritum sanctum ex Deo Patre, cui honor & gloria. Amen.

E

SERMO IV.

De Pentecoste.

DVodecim panes propositionis accenso clibano, calore proprio & paterno hodie IESVS CHRISTVS secundum promissum suum, decoxit; & bene crustatos extraxit, atque super mensam suam in introitu tabernaculi cum incenso collocauit. Nihil exustum, nihil crudum, nihil incoctum aut semicoctum in eis remansit; virtus est aucta, non natura extincta: humanus timor, qui homines crudos facit, sublatus est. Patientia operatur probationem, & decoquit omnem infirmitatem visceribus apostolicis medullitus infusa, perfecta charitas prorsus radicata.

F Quid enim non faceret in hac sua fornace Spiritus sanctus super Apostolos, quod fecit tribus pueris quartus ille, qui apparuit in fornace Babylonis similis filio hominis? vt ait scriptura, *Illos omninò non tetigit ignis* Dan. 3. 50. *neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit.* Quid tu sancte Spiritus cur venisti? ad quid super Apostolos in igneis linguis descendisti? nunquid torquere illos, nunquid comburere illos? quinimmo coquere, & facere escas, quibus libenter vescitur Isaac senex & plenus dierum quinimmo consolidare ad cœlestem liquorem excipiendum & conseruandum: vt sint deinceps sicut vter in pruina, non timentes quid faciat homo; verbum vitæ continentes, & non timentes vllam perturbationem.

Si enim illi tres pueri tantæ fuerunt constantiæ, vt dicerent regi persuadenti adorare statuam auream suam, *Non oportet*, inquiunt, *nos respondere de hac re. Ecce enim* Dan. 3. 16. 17. 18. *Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex liberare nos. Quod si* G *noluerit, notum, tibi sit Rex, quod Deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexisti, non adoramus.* O fides, ô gratia, ô virtus, ô spiritus fortitudinis! numero pauci, quia tres; ætate infirmi, quia pueri, conditione miseri, quia captiui, loco & tempore obsessi, quia Rex conuocauerat omnem prouinciam ad idololatriam, tormentum imminens, quia fornax succensa erat septuplum quam consueverat, & fides quid? fecit quod facere consuevit. Vicit mundum, vicit ætatem, vicit conditionem, vicit instantem temporis & loci necessitatem, vicit Regem, vicit fornacem, vicit omnem timorem.

Nabuchodonosor quid supponis, & superaddis ignibus tuis? Naphtam certè, & picem, & stupam, & malleolos. Naphta, quæ est purgamentum lini, vel ignis nutrimentum apud Persas, est vanitas huius sæculi, stupa, concupiscentia carnis, pix, avaritiæ, & luxuriæ inquinamenta, malleoli, immissiones per Angelos malos. Fortiter ardet fornax, vbi folliculis tentationum suarum sufflant maligni spiritus, mouentes incentiua car- H nis, gulæ voracitatem, avaritiæ rapacitatem, luxuriæ intemperiem, sæculi vanitatem, sed, *Si ambulavero in* Ps. 22. 4. *medio vmbræ mortis*, ait Psalmista, *non timebo mala quo-* Ioan. 16. 33. *niam tu mecum es*, qui dixisti Apostolis tuis: *Nolite timere, quia ego vici mundum.*

Aliam fornacem succendit filius fabri, qui sedet conflans & emundans argentum, & purgat filios Leui: de sede majestatis suæ hodie IESVS misit ignem vbi erant Apostoli quasi in fornace dispositi, ad docendam omnem veritatem, ad tollendam carnis imbecillitatem, ad loquendam omnium linguarum varietatem, ad faciendam miraculorum virtutem. In hac fornace probat Dominus electos suos sicut Gedeon populum, qui secum ibat ad bellum, ad lambendas aquas, sicut Moyses populum suum ad aquas contradictionis.

Format arma sibi, qui verbū est (non dissonas linguas) & officio injunctæ prædicationis congrua, nō enim lāceis, sed linguis, cōuertitur mūdus, vt qui serpētis lingua perierat,

A linguis à Spiritu ſancto acceptis repararetur, & redin e-retur. Attende formam linguæ, lata eſt, plana rotunda, longa, & acuta. Lata, quia Deus charitas eſt; plana quia miſericors, & manſuetus; rotunda, quia æternus longanimis; acuta, quia viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diviſionem animæ & ſpiritus.

In libro Sapientiæ, omnium artifex Sapientia, quæ promiſit, & miſit Apoſtolis Spiritum ſanctum, ità deſcribitur: *Eſt*, inquit, *in illa Spiritus intelligentiæ, ſpiritus vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus.* [Sap. 7. 22.] Lingua cui confert beneficia Spiritus ſanctus revera de cœlo eſt; procul dubiò verbi Dei miniſtra eſt; ſpiritui cognata, & germana: habet ſpiritum intelligentiæ, vt intelligat parabolas, & ænigmata, & profunda ſcripturarum myſteria; ſanctum, vt non proferat turpia, inhoneſta, & venenoſa, vnicum, ne ſcindat tunicam catho-B licæ, & vniuerſalis Eccleſiæ; multiplicem vt multos ramos proferat ex vna radice charitatis, ſubtilem vt capiat myſterium Regni Dei; diſertum ne involuatur mala conſcientia, mobilem vt ſequatur rotas volubiles vtriuſque teſtamenti; incoinquinatum, vt loquatur de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; certum ne circumferatur omni vento doctrinæ; ſuavem, ne reſpuat, aut fugiat humanam fragilitatem, amantem bonum, vt dicat quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Acutum, vt cum Aquila quærat ſuper aſtra Dei verbum in principio apud Deum, qui nihil vetat benefacere, ſemper ad meliora provocans; humanum propter infirmitatem, benignum propter affluentiam pietatis; ſtabilem propter deſiderium æternitatis; ſecurum propter teſtimonium conſcientiæ & bonæ operationis.

Quicquid ad ſalutem propriam ignis Dei decoquit intrinſecus, totum lingua ignea retraxit tanquam pala ad proximi ædificationem extrinſecus. Eſt namque lin-C gua mediatrix inter inhabitantem ſpiritum in mente & proximum excubantem ad fores ſapientiæ: Spiritus ingreditur ſine voce & jubet linguam audita proferre cum voce. Suaviter præcipiuntur quæ ſine ſtrepitu ingeruntur: Amanter recipiuntur quæ humiliter per linguam ſuggeruntur. Quando paſcit animam medullis ſuis Chriſtus paſtor eſt; quando fraternam mandat ſuſcipere curam piſtor eſt, idem itaque & paſtor & piſtor eſt. Paſtor in quieto & ſecreto contemplationis refectorio, piſtor in laborioſo & tumultuoſo procurandæ fraternitatis & prædicandæ veritatis officio. Paſtor in mane, miniſtrando quæque virentia in campo amœniſſimæ lectionis in meridie aperiendo cellam vinariã ſummæ delectationis.

Ecce piſtor, Ecce piſtrinum, ecce panis ecce ignis, ecce cocus, ecce furnus. Paſtor farinam moluit in cruce tanquam in molendino; rota Pilati quæ eſt ſententia damnationis, voluente in aquis Iudaicæ accuſationis. Tunc diſcipuli non ferentes tumultum & clamorem molendini, & vocem aquarum multarum relicto eo omnes D fugerunt, & tanquam ventilabro excuſſi pene ad deſperationis minutiſſimum pulverem devenerunt. Sed piſtor bonus de farina ſua panem in reſurrectione, jam ita decoctum quod vltra non moritur, nec mors ei vltra dominabitur, repræſentauit Apoſtolis, per quadraginta dies eis apparens, & loquens de regno Dei, in fortitudine cibi illius vſque ad diem Aſcenſionis refocillauit.

Certè toto hoc tempore quaſi fermentauit fermento fidei corda diſcipulorum, & die Aſcenſionis elevatis manibus, benedicens eis. & jubens ſedere in civitate quoadusque induerentur virtute ex alto, paſtam ſuam operuit, vt in aduentu Spiritus Sancti die Pentecoſtes, miſſo igne de cœlo vbi erant congregati decoquerentur. Et ſicut boni Angeli poſt lapſum luciferi gratia Dei ſtabiliti ſunt & confirmati ne vlterius ruere poſſent, ſic iſti fornace iſta coagulo charitatis Chriſto vniti ſunt, ne deinceps à charitate eius exciderent. Scriptum eſt, quia *charitas unquam excidit*, & ignis perpetuus eſt in altari. [1. Cor. 13.]

Cruſtas ſuperiùs & inferius & in circuitu, micas verò interiùs ea igne maturauerunt. Cruſta inferior, confidentia, ne mortem timerent. Cruſta ſuperior, dilectio Dei vt Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligerent. Cruſta in circuitu, caſtigatio carnis vt carnis concupiſcentiæ reſiſterent & fortes in bello exiſterent. Mica in medio caritas quam conſtrauit Salomon in ferculo ſuo ſicut dicitur, *media caritate conſtrauit propter filias Ieruſalem.* [Cant 3. 10.] Item Piſtor iſte panes laïcos & ſacerdotales facit, panem namque laicum ad altare defero, ſed ſacerdotalem refero.

Vniuerſorum conditor inter cætera panem in agro creauit ſed præter & ſuper omnia in altari hunc eundem panem in corpus ſuum virtute ineffabili conuertit. Elegit autem ſibi quaſi granum tritici Deus corpus de Spiritu ſancto in vtero virginali conceptum, in quo omnia quæ ſuperius dicta ſunt compleuit. Elegit & prælegit Virginem, de qua ſumeret carnem; ventilauit aſſumendo naturam noſtram, vt de carne ex maſſa peccatrice illam F ſine peccato acciperet creando illam ſanctificans & ſanctificando creans.

In cruce illa * moluit in reſurrectione cribravit, vnde etſi noveramus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc jam non novimus: farinam cum aqua miſcuit, cùm in corpore ſine peccato à Ioanne baptiſmum ſuſcepit; panes formavit cum Apoſtulos elegit; furnum & ignem in furno habuit, quia plenitudo Divinitatis habitauit in eo corporaliter; mundauit aream, id eſt, Eccleſiam vt non haberet maculam aut rugam & excuteret pulverem de pedibus ſuis; panes ordinauit, ſive diſcipulos, ſive actus proprios, tempus paſſionis expectauit, ſicut ait, tempus meum nondum advenit; extraxit panem cùm emiſit ſpiritum, vel cùm ſurrexit de ſepulchro; in archa repoſuit, cùm animam reſumpſit, ad menſam detulit, cùm naturam aſſumptam ad cœlos levauit, *De ſunt aliqua.* [* ſup. grana.]

G Officium piſtoris eſt bona grana eligere, ventilare, molere, cribare, farinam cum aqua miſcere & manibus ac brachiis, aut etiam mola fortiter premere. fermentare, furnum habere, ignem apponere, aream mundare, panes ordinare, & donec cocti fuerint cuſtodire, vel expectare; demum extrahere, in arca reponere, ad menſam deferre. Grana optima elegit Dominus ſicut ait, *Ego elegi vos de mundo*, & , *nonne ego vos duodecim elegi.* [Ioan. 6. 70.] Ventilauit vbi ait, *qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus*; Et Apoſtolus Petrus, *Ecce nos reliquimus omnia.* [Luc. 14. 33.] Moluit cùm ait, *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*, & , *ſicut miſit me pater, & ego mitto vos*, vtique ad paſſionem. [Matt. 19.] [Matt. 10]

Cribravit quando Iudam proditorem tanquam furfurem ab Apoſtolis reprobando ſeparauit; farinam cum aqua miſcuit, quando baptizauit & baptizare docuit; mola preſſit, cum ait, *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite ego vici mundum.* [Ioan. 16] Fermentauit cum ait, *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei*, vel cùm inſufflauit dicens, *accipite Spiritum ſanctum*; [Luc. 8. 10.] panes formauit, cum H ait, *vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ*, furnum fecit cùm Euangelium prædicauit in quo revera decoquitur omnis Chriſtiana religio. [Ioan 20]

Ignem appoſuit, cùm Spiritum ſanctum, in Apoſtolis in linguis igneis miſit; aream mundauit cùm ait, *Nolite portare ſacculum, neque peram neque calceamenta & neminem per viam ſalutaveritis*; & *iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* [Matt. 5] [Luc. 10. 4.] [Ioan. 15.] Panes diſpoſuit, cum alios Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios doctores, alios prælatos, alios conſtituit ſubjectos donec coquerentur. Cuſtodiuit cum dixit, Pater ſancte ſerua eos quos dediſti mihi, & expectauit cum ait, *tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me?* [Ioan. 1] Extraxit cum ait, *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*: [Marc 1] in arca repoſuit, cum ait, *Nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubijciuntur, ſed in hoc gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* [Luc. 10 20] Ad menſam detulit, cum ait Petro, *paſce oves meas*:

A Ioan. 21. 12. Ibid. 12. *pasce agnos meos*, veleum ait, *volo vt vbi ego sum illic sic & minister meus.*

Prædestinatio notatur in electione, quos enim prædestinauit, hos vocauit; censura judicij in ventilatione, persecutio, in moiolarum confractione; reprobatio mali & electio boni, in cribratione; puritatis & devotionis adeptio, in farinæ & aquæ commixtione; virtus patientiæ in aduersitatum oppressione, vnitatis coagulum, in fermentatione; officiorum, dignitatum & meritorum distinctio, in panum dispositione; claustralis sive eremitica religio, in furno, in igne dilectio, in mundatione atex, vera confessio in fornatione panum, regularis professio, tempus decoctionis, augmentum religionis, extractio, corporis & animæ dissolutio, in archa repositio, diei judicij expectatio, ad mensam relano, corporum resurrectio & pro meritis æterna retributio.

B

SERMO I.

In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.

SVmma Beati Ioannis Baptistæ præconia testantur tam operum mirabilium attestatio, quàm divinorum eloquiorum probata relatio; ait enim Dominus in Evangelio. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* (Matth. 11. 11.) Hic ergo tam magnus vnde sic magnus sit quærendum est, & in magnis quidem suis mirandus, in nostris verò tam magnis quàm minimis pius advocandus patronus: etenim de magnis ad præmagnum in die magno acturi, magnum si sapimus causæ patrocinium sumus quæsituri. Rerum perinde, rationum cogitationum atque operum quem subituri sumus judicem tam nos ignoramus, quàm valdè timere debemus; vtique magnum in sapientia ne decipiatur, magnum in potentia ne ei resistatur, magnum in iustitia ne munerum promissione infatuetur, magnum in imperio ne in regno alterius fugiendo evitetur.

C Causa nostra magna, quia de capite quia de salute vel condemnatione agitur; dies magnus, quia parvus & magnus ibi sunt, quia terrigenæ & cælicolæ simul in vnum conveniunt ergo tam solemnis conducendus patronus, qui nec frequentiam erubescat, nec judicem infestum habeat, nec allegationibus succumbat nec in salarij petitione sumptuosus nimium existat. Ioannes Baptista nec avarus est in pretio, nec ignarus patrocinio, nec judici ignotus, nec pro multitudine verecundus: hunc ergo statuamus in consistorio pro nobis, totam resignantes ei causam & exponentes tam culpam quam innocentiam. Videamus itaque illum armatum labio aureo, honoratum coronâ aureâ, supervestitum quoque corona aureolâ.

Ait Dominus Moysi de mensa; *Facies illi labium aureum per circuitum, ipsi labio coronam interrasilem altam digitis quatuor, & super illam alteram coronam aureolam.* (Exod. 25. 24.) Non æneum, non stanneum labium, non ligneum, non lapideum, quia non durum, non ferreum, non denique argenteum, sed aureum sit in mensa Domini; non æneum, quia non clamosum; non stanneum, quia non fictum; non ligneum, quia non mutum; non lapideum, quia non durum, non ferreum, quia non sine fœdere & impacatum, non argenteum tantum, quia non solum benè sonorum; sed aureum, quia summè pretiosum & splendidum habemus labium in Ioanne Baptista.

D Per circuitum ambit hoc labium mensam Domini, qui nullam mendam, nullam inse(s)sionem seu interruptionem facit in proposito religionis, sed semper sine querela, sine offensa in lege Domini conversatus, circuitum perfectionis non evertit: per circuitum hoc labium revoluitur, quia in prædicatione veritatis totopus vitæ eius impletur. Dicitur quod ad se venientes docuerit agere pœnitentiam; dicitur quod acriter redarguerit reprobam eorum vitam dicens. *Generatio viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* (Matth. 3. 7.) Dicitur quòd arguerit Herodem propter Herodiadem quam tulerat fratri suo Philippo vxorem; vndique ergo, & vbique per circuitum vadit hoc labium, quod neque sublimitate terretur, neque adulatione molcetur, neque necessitatis inopia tardatur loqui quod veritatis, quod religionis, quod pietatis, quod fidei est. E

Labium est ergo aureum per circuitum dicens. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* (Matth. 3. 2.) Labium aureum dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* (Ioan. 1. 29.) sed quæ merces ipsi labio? corona interrasilis. Animadvertite coronam aliam rasilem, aliam non rasilem, aliam interrasilem. In veteri testamento corona est non rasilis, in novo rasilis, in confinio veteris, & novi interrasilis: non rasilis corona in veteri testamento primò dicitur, quia neminem ad perfectum adduxit lex; non ergo radebat pilos, sed multiplicabat quæ dicebat: Bona terræ comedetis, dabo pluviam temporaneam & serotinam si mandata mea feceritis; lex non radebat, quia acies ferri eius obtusa erat timore, non acuta amore; timor namque servilis retundit non acuit, quia necessitate reprimit opera carnis, non abscidit gratia concupiscibiles motus affectionis: tondebat non radebat, quia timore vrgebat non amore accendebat. F

Antiqui ergo coronam sed non rasilem habebant, quia adventum Christi expectabant, sed regni januas non penetrabant: ex quo autem sanguine Christi, contra velum templi septies asperso, propalata est via sanctorum, vt tam liberum sit animas Sanctorum ad thronum gratiæ depositâ corporis sarcinâ redire, quam facile est laborantem fructum mercedis colligere, ex tunc quasi raso capite remota difficultate omni, coronam recipiunt auream. Rasorium itaque Euangelij, quod omnes pilos capitis excidit veritatis tempore, non sanctitatis imperfectione (vende omnia quæ habes & da pauperibus) rasilem coronam imo imponit, tam sine impedimento restituens præmium, quàm sine retinaculo expedietas cursum Ioannes denique accubans natos inter terminos vetustatis, & novitatis, legis & Euangelij, figuræ & veritatis, vmbræ & lucis; timoris & amoris, tenet dextera rasorium vt radat Christianum, tenet sinistra forcipes vt tondeat Iudæum, de imperfectione legis; dimittit plebi pilos paucos ad vsum, de perfectione Euangelij, sibi amputat victum & vestitum, etiam non superfluum. Coronam ergo habet interrasilem, vt pro prædicatione interrasilem pro sanctitate conversationis rasilem, id est plenam & perfectam beatitudinem habeat. Vel corona interrasilis quæ ipsi labio apponitur, amputationem capitis designat pro testimonio veritatis. G

Sequitur faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem altam digitis quatuor, & super illam alteram coronam aureolam: non labia sed labium, & labium aureum fit in mensa scripturæ divinæ, quia non recipit hæreses & schismata, quæ garriunt Patre minorem Filium, Patre & Filio minorem Spiritum Sanctum, asserit autem vnitatem Scriptura divina Trinitatis, Trinitatem vnitatis dicens: *Audi Israël Dominus Deus tuus Deus vnus est.* (Deut. 6. 4.) Item *vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma:* (Eph. 4. 5.) aureo itaque labio plenitudinem ferculorum & summam dapum concordi prædicatione mensa eructans, non inflatione buccæ & labiorum distensione vtitur loquens grandia & magnificans labia sua; quantò enim sensu altiora sunt divina eloquia, tantò voce modestiora, & prolatione suppressa. Agni enim sunt voces, qui non clamavit, neque audita est vox eius in plateis; quicquid ergo eloquium sonat divinum, & vnum est, fidei vnitate; & aureum est, sensus profunditate: vnum ne dilanietur errore schismatico; aureum ne vilescat sermone nudo & rustico: per circuitum, ne agere credatur de transitorio bono; æternum intellige per circuitum, summum bonum per aureum, vitale & jocundum, per labium. H

Intellige per labium vitale quod promittitur, & jocundum per aureum, summum immortale per circuitum; adde ipsi labio coronam interrasilem, vt corona exhibeat quod scriptura promittebat, mordeat pro-

fessione

A fessione labium, brauij coronam tam fideliter soluens debitum, quam veraciter continuans promissum; vnde Psalmista: *Suscipe me se undum eloquium tuum & viuam,* (Ps. 118. 116.) & multa eiusmodi. Animaduertite tamen coronam ininterrasilem, propter meritorum in præsenti & in futuro præmiorum discretiooem; somentum si quidem negligentiæ, & alimeotum esset iniustitiæ, si præmium coæquaret, quos meritum disparasset. Quis vigilias excoleret, si dormiens fructum vigiliarum deceperet? quis corpus suum ignibus, ieiuniis, macerationibus & innumeris passionibus contorqueret & decoqueret, si tam benè sonaret uudum & molle corium in deliciis, quàm claré resonat tympanum in distensionibus, & rasuris assiduis? Non enim stella à stella differret in claritate, si merita meritorum non præiudicarent in pondere. Corona ergo interrasilis est quæ labio aureo supponitur, quia in distinctione mandatorum sequitur distinctio executorum, & in laboribus executorum discretio remuneranda tum.

B Alta verò est digitis quatuor, quia dum iustitiæ plenitudo gloriæ consummatio, in quatuor Euangeliorum libris describitur, quasi quatuor digitis corona mensuratur: passio verò Ioannis Baptistæ sanctificatur & sublimatur in Passione Christi, sine qua vanè pateretur quicumque pateretur; inde est quod ait altam digitis quatuor. Apostolus notat quatuor digitos in cruce, vbi ait Ephesiis: (Ephes. 3. 18.) *Vt possitis,* inquit, *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo, longitudo, sublimitas & profundum:* Primus digitus est caritatis quo eiiciuntur dæmonia in Euangelio, quæ charitas aperit multitudinem peccatorum: secundus longanimitatis, quo scribit in terra, si quis vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat, quo patientia saluatoris & pietas notatur: tertius est spei quo in lapide legis mandata, & promissiones Dei scribuntur; quo religiosa obseruatio diuini mandati innuitur: quartus est iudicij, quo miracula fiunt in Ægypto, in quibus deficiunt Magi dicentes, digitus Dei est iste, quo timor nobis incutitur, subiiciet enim sibi Deus omnia, & erit filius subiectus eius ei, qui sibi subiecit omnia. C

Ecce quousque corona Ioannis Baptistæ extenditur, quæ quatuor digitis alta est, vt tunc glorificatus appareat in regno Patris, & Sanctorum Angelorum, quatuor enim digitis in passione dilatatus est, qui seipsum crucifixit cum vitiis & concupiscentiis; & quatuor nihilominos coronabitur digitis, cũ quod seminatum est in corruptione, surget in incorruptione, quod seminatũ est in ignubilitate, surget in gloria, quod seminatum est in infirmitate, surget in virtute, quod seminatum est corpus animale, surget corpus spirituale. Interim quasi aurora consurgens, paulatim segregemus nos à corruptiooe, & tendamus ad incorruptionem per studium castimoniæ; separemus nos ab ignobilitate illa, qua dicitur seruus est peccati, qui facit peccatum, & properemus ad illam gloriam, quæ non auferetur à nobis in æternũ. Conualescamus de infirmitate, quæ robur animæ deiicit, D & ad virtutẽ perueniamus, quæ non deficit; propulsemus à nobis quod animale sicut Moyses soluit corrigiam calciamenti sui; & in spiritu principali apprehẽdamus quod spirituale est, quod ipse nobis parare dignetur, qui viuit & regnat Deus, per nia sæcula sæculorum. Amen

SERMO II.

In eiusdem Sancti Ioannis Baptistæ Natiuitate.

(Thren. 3. 27.) B*Onum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit enim solitarius & tacebit, quia leuabit se super se.* Si cœlestes sedes, quæ vacuatæ sunt sessoribus indignis, Lucifero apostatante & extollente se in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, atque tertiam partem stellarum post se trahente; si inquam beatæ illæ mansiones de filiis Adæ repleri habent; credibile est B. Ioannem Baptistam ascensurum, vel ad primam illarum sedium beatitudinem, vel saltem ad secundam; Domi[na] enim nostra, Regina Virginum vt digna est post Filiu[m] sui collocata est, & postea Ioannes Baptista; vt sicut int[er] natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, [sic] in ordine Sanctorum nemo appareat prior, nemo re[si]deat superior.

Putásne minoratus est in cœlis Ioannes Baptista, cù[m] ibi honoris cumulus & gloria amicis Dei reseruetur? am[i]cum ergo suum, cognatum suum præconem suũ præcu[r]sorem suum, Baptistam, suum Angelum suum, consiliari[um] suum CHRISTVS IESVS abiecit, qui nunquam in se sp[e]rantes deserit? absit; sed stat sine dubio amicus sponsi, gaudio gaudet propter vocem sponsi, accedit cognat[us] ad consanguineum suum, tam familiari vicinitate, qua[m] casta & cara affinitate. Præco expleto officio primi pra[e]conij adhuc præconatur in cubilibus suis, tam nouis q[uam] æternis iubilationibus, non futura sed iam facta mirabil[ia] Dei & Agni, qui in medio throni sedet, præcursor ta[m] alacer modò discurrit per stadia illa cœlestia, quàm acr[i]ter non tacuit laudare nomen Domini, & prædicare a[d]uentum Saluatoris vsque ad extrema inferni loca.

O quàm deliciosis balneis modò Baptista Domini [i]rigat, & non in Iordanis, sed in Angelicis gaudiis pata Angelus ille faciei Domini cum Angelis lætatur, tam gloria quam honore ab omnibus Angelis magni[fi]catur; Consiliarius denique ingressus sanctuarium D[ei] quicquid arcani repositi in cœlestibus scriniis nondu[m] apprehenderat, modò explicat, modo legit & apprehen[dit]: splendoribus Sanctorum tam vario meritorum & gratiarum, atque gloriarum resplendet fulgore; vt cæ[]li plaga illa in qua Ioannes Baptista habitat, præ ali[is] reluceat, & de abundantia gloriæ, vicinos suos vbe[r]riùs irradiet, ampliùs lætificet, profusiùs satiet.

Hic ergo Ioannes inter Filios Dei, inter astra cœl[i] inter omnes curiales summi Regis prior est, præcla[]rior & propinquior; natiuitate enim filium Virgin[is] præcedit, dignitate filios mulierum omnes præcellit consanguinitate vicinis Filio Mariæ accedit, ante na[ti]uitatem prænominatur Angelica promissione, in vter[o] sanctificatur spiritali Spiritus sancti vnctione; ex vter[o] matris suscipitur Matris Domini stupenda & humillim[a] obstetricis sedulitate: in ortu natiuitatis celebratur v[i]cinorum, & omnium qui audierant admiratione; in d[e]serto illostratur tam mirabili conuersatione, quam subl[i]mi prædicatione, in Baptismo Domini intitulatur nom[i]nis, & dignitatis vnica singularitate; in morte dedicat[ur] Beatis Sanctorum mansionibus capitalis sanguinis eff[u]sione. Ita meritorum varietas de tunica Ioseph pollmi[ta] nascitur, de riuulis septiformis spiritus intinguitur, se[d] quibus meatibus areolam Ioannis gurges iste ror, & ta[]tarum inundauerit, tam pium est inuestigare, quam v[e]le recolere.

Duo principales aluei quibus innatat omnis serm[o] diuinæ Scripturæ, sunt Lex & Euangelium; decurrit a[u]tem Lex ad Euangelium, & influit in illo flumine m[a]gno, vt hac commixtione, tam nominis seueritaten quàm autoritatis imperfectionem exuat; condiens sua[m] insipiditatem sale, dulcorans suam amaritudinem mel[le] gratiæ. Ioannes ergo Baptista accubans inter termin[os] legis & Euangelij, quasi canalis medius continuat l[e]gem gratiæ Euãgelij; legem equidem aut finiens per gr[a]tiam, aut exterminans per iustitiam: finiens, id est, com[]plens in moralibus, sicut scriptum est: *Quia non veni le[]gem soluere, sed adimplere*; Exterminans in ceremoni[a]libus, id est, circumcisione præputiorum, immolati[o]ne pecudum, obseruatione ciborum & aliis huiusm[o]di. Ioannes circumciditur carne & corde, valedice[ns] illi, quæ in vno tantùm membro fiebat circumcision[i] & inchoans illam interioris hominis, quæ exterior superfluam amputat circumcisionem.

Ioannes non sanguinem hircorum aut vitulorum D[eo] libat, sed seipsum Hostiam viuam, sanctam, Deo pl[a]centem immolat ad emundationem delictorum n[o]niam: Ioannes non discernit inter carnem & carnen non dijudicat inter cibum & cibum; sed abstinentissim[]

A carnem suam cohibet ab omni luxurioso potu & cibo. Ioannes perfectus est in omni humilitate, obedientia, castitate, mansuetudine, fide, spe, charitate, & in omni genere virtutum, dicitur ergo de illius humilitate, obedientia, castitate, & contemplatione: *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se*; Sedere ad humilitatem respicit; portare iugum obedientiam & mansuetudinem; portare ab adolescentia, ad castitatem, leuare se super se, ad contemplationem.

Sed distinguendum est in operationibus aliorum hominum, quoniam, quomodo & quovsque operentur cum Deo, quando & quomodo & quovsque sine Deo; quando operatur homo sine Deo; quando peccat: quare? quia malum facit, peccatum enim malum est, & malum nihil est. Deus autem omnia fecit bona valde, & malum siue peccatum non fecit, cùm peccatum sit facere, dicere, concupiscere aliquid quod sit contra voluntatem Dei, ecce quando operatur homo sine Deo: quo- B modo verò operatur sine Deo? infideliter, negligenter, contumaciter. Infideliter quia non credit, negligenter quia non timet, contumaciter quia non diligit: Ecce quomodo operatur sine Deo; quousque verò? donec tollat iugum disciplinæ, & loro mandatorum Dei ligatus, trahat glebas vallium post Deum. Horum aliquid Ioanni non conuenit, quia nec aliquando à Deo recessit, nec infidelis, negligens, aut contumax fuit, nec iugum Domini ferre detrectauit.

Quando autem cum Deo operatur homo, & quomodo & quovsque? dum gratia aspiratur, & humiliter atque fideliter Deo substernitur, quovsque vnus cum Deo spiritus efficiatur: hoc est iugum, quod bonum est viro cùm portauerit ab adolescentia sua: donec iugum tollas absque iugo es, filius es Belial, vitulus es indomitus, onager assuetus in solitudine, expers gratiæ & disciplinæ, sic enim liberum arbitrium præceps in barathrum fertur libertate peccandi, donec infrænetur iugo diuinæ gratiæ, sicut pullus stultus & indomitus vagatur per C quæque inuia & periculosa itinera, antequam in chamo & fræno constringantur maxillæ eius.

Cùm verò operans gratia præuenerit, cœperit illud domare, & iugo assuefacere, vt velit currere & cooperari cum gratia, tunc suscipit iugum, tunc confringit glebas, tunc seminat super aquas, tunc operatur terram suam, & saturatur panibus, tunc facit fructum natiuitatis: bonum est igitur viro cum tulerit iugum ab adolescentia sua, quia hactenus excusat teneritudo ætatis collum debile ad portandum iugum grauissimæ disciplinæ. Sicut enim cera nimirum mollis & tenera impressa, non retinet faciem sigilli, sic ætas infantilis minus idonea est ad regularem disciplinam concupiscendam, & retinendam; quid deinde? Sedebit solitarius & tacebit. Altiùs repetendum quid sit, sedebit solitarius & tacebit, & superioribus iungenda subsequentia, dictum autem est, quando homo operatur sine Deo, quomodo, & quovsque.

D Dicendum verò quòd Deus, qui hominem operatus est sine ipso homine, in ipso homine quædam operatur sine ipso, quædam in ipso cum ipso, quædam in ipso pro ipso, quædam in ipso contra ipsum. Hominem operatur sine ipso homine; facto iam homine, quædam in ipso operatur sine ipso; homo quoque à Deo factus, quædam operatur sine Deo, quædam cum Deo, quædam pro Deo, quædam contra Deum. Exponenda verò sunt breuiter quæ dicuntur: in homine operatur Deus sine homine gratiam præuenientem quæ est pluuia voluntaria, quæ est ille motus animi, quâ concupiscit anima desiderare iustificationes Dei, quâ denique ex vocante non ex operante dictum est: *Iacob dilexi, Esau* [R]om. 9. 1[3]. *autem odio habui*: hoc operatur Deus in homine sine hominis adiutorio, quia nondum est adiutorium simile sui; est autem adiutorium in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

Tunc verò in homine cum homine Deus operatur, quando iam gratia soluit compeditum, & erigit elisum vt solutus currat cum gratia, vt erectus proficiat ex gratia ad gratiam cum gratia, ex gratia præueniente ad gratiam subsequentem cum gratia comitante. Soluitur autem homo, cum eius liberum arbitrium à peccatis liberatur, vt vltra non seruiat peccato mortali, ad obediendū desideriis eius, sed resistat diabolo & fructificet Deo in vitam æternam. Cùm ergo adsurrexerit gratiæ liberum arbitrium, conserit manum cum gratia ad benè operandum, & cùm simul operantur gratia & liberum arbitrium, adquitur homini meritum bonum, & tunc ad imaginem & similitudinem suam reficit Deus cum homine ipsum hominem. E

Ad tertium membrum iam veniamus, vbi in ipso homine pro ipso homine operatur Deus: aliquando temptatur homo à Deo, & non intelligit homo, à Deo pro bono suo temptari. Nollet certè temptari, quinimmo rogat vt auferatur ab eo Angelus Sathanæ qui eum colaphizat: pensat autem Deus luctum & coronam temptationis, & magis ac magis pulsati permittit ipse contra voluntatem eiusdem hominis. Veruntamen non inducit in temptationem per consensum peccati, sed animam eius seruat sicut Iob: pro ipso ergo homine in ipso homine temptationem operatur Deus nolente ipso, vt cum probatus fuerit accipiat coronam vitæ. F

Quarto membro dictum est, quòd aliquid operatur in homine contra ipsum hominem, quod solummodo fit in reprobis, cum ingratum beneficiis suis viderit Deus hominem paruum & contumacem, excæcat eum, vt videns non videat, & audiens non intelligat, huiusmodi verò sunt vel illi qui habent zelum Dei, sed non secundùm scientiam, vt Iudæi qui crucifixerunt Dominum; vel illi qui noluerunt intelligere vt bene agerent, qui dixerunt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*: peccatum enim, ait Gregorius, quod Iob. 21. 14. non corrigitur, mox suo pondere ad aliud trahit; contra ipsum ergo est quicquid facit, etiam quæ pro se aliquando facere æstimat; sicut enim diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam casus, & ruina ad malum, ita reprobis omnia cooperantur in malum, etiam perpetratio virtutum, & simulatio profectuum. Hactenus de his generaliter quæ facit aut sine homine, aut cum homine, aut pro homine, aut contra hominem. G

Specialiter verò quomodo ista ad Ioannem Baptistam, paucis dicendum & breuiter est commemorandum; Angeli missionem, & Ioannis promissionem ad parentes prouectos in diebus suis & steriles, fecit solus Deus, qui facit mirabilia magna solus. Rursum adhuc in vtero matris exultationem ad vocem Matris Domini, quæ aduenerat famulatura Elisabeth, fecit Dominus solus: item quod Spiritu sancto adhuc in vtero matris repletus est; quod reatu originalis peccati & fomite peccati valde extenuato natus est, qui tamen cum peccato conceptus est, solius Dei est. In his quædam facit de Ioanne sine Ioanne Deus, vt in natiuitate eius congratularentur vicini; quædam ipsi Ioanni.

Veniamus tandem ad illa quæ facit cum Ioanne in Ioanne Deus. Refert Lucas Euangelista de eodem Ioanne quòd puer crescebat & confortabatur Spiritu, & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ in Israël, vt H Spiritu sancto repleatur, & Marcus sic ait: *Fuit* Marc. 1. *in deserto baptizans, & prædicans Baptismum pœni-* 4. 6. *tentiæ in remissionem peccatorum*; & post pauca: *& erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel syluestre edebat*: hæc Deus cum Ioanne operatus est, & Ioannes cum Deo, quia per gratiam eius sine quo vtique nihil boni potuit facere.

Iam quoque videndum est quomodo homo operatur sine Deo, aliquando pro Deo, aliquando contra Deum. Sine Deo vana facimus & inutilia, quia Spiritus auffert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, cum Deo facimus quicquid boni operamur, quia à Deo cuncta procedunt bona, pro Deo facimus quicquid passionum pro eo toleramus, contra Deum facimus, quotiens criminaliter peccamus. Ioannes aut nihil, aut parum

feci

fecit sine Deo; multa cum Deo, & pro Deo, nulla contra Deum. Ambulauit enim cum Deo, & à mandatis labiorum eius non recessit; dicitur ergo de illo: *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua, &c.* Sed iugum aliud Legis, aliud Euangelij; item aliud inobedientiæ, aliud obedientiæ, item aliud infidelitatis, aliud fidei, horum tria bona, tria sunt mala.

SERMO.

De sancto Petro seu Cathedra sancti Petri.

Ps.106. 32. *EXaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudent eum.* Omisso longo proœmio, sermonem ab ipsa cathedra exordiamur: quatuor principales sunt, qui cathedras suas habent, Deus in cœlo, diabolus in inferno, Moyses in deserto vel synagoga, Petrus in templo vel Ecclesia. Sedet autem in cathedra quicunque studet, vel requiescit in tradenda doctrina: Deus benè docet, diabolus dedocet, Moyses agrestes mores populi duræ ceruicis initiat vt veniant ad doctrinam, Petrus consummat discipulos suos in scientia, ita vt nihil eis desit in vlla gratia: Exaltent eum, &c.

Princeps Apostolorum vocatus à Deo tanquam Aaron, sedes commotat & mores, non pro præsumptione corruens à superioribus ad inferiora, sed per obedientiam scandens & proficiens ab inferioribus ad celsiora & digniora: prima namque Petri sedes, in nauicula quam sibi ex officio piscandi elegerat: secunda in cathedra quá dedit ei Deus ex officio prædicandi: tertia quá in cruce prædestinatio diuina præparauerat: quarta quam remuneratio cælestis reposuerat in throno regni, vbi duodecim Apostoli sedent super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Attendendum proinde quod sit officium sedentis in nauicula, quæ dignitas præsidentis in cathedra; quod meritum in cruce morientis, quæ gloria in æternitate regnantis.

Piscator est in nauicula; Doctor, & Apostolus in cathedra; imitator Christi in cruce; confessor & cohæres Christi in regeneratione; rudis & nouellus in nauicula, prudens & doctus in cathedra, sanctus & perfectus in cruce; iocundus & gloriosus in regeneratione, nouitios docet de nauicula, senes de cathedra, exeuntes à corpore de cruce; peruenientes ad patriam, de glorificatione. Initium sapientiæ, qui est timor Domini, instruit de nauicula, vbi flumina tentationum eleuant vocem suam quatientia latera nouiter ad religionem conuersi; & nisi regularibus remis, & gubernaculo æquitatis, nauem suæ conuersationis in directum per medias vndas deducat, tempestas & procella de insidiis consurgentes citò eam submergunt, & damnum totius lucri eum ipso lucrante faciunt; melius enim esset non nouisse viam virtutis, quàm post agnitionem, retrorsum redire; hoc est non intrasse nauiculam religionis, quàm naufragio tentationum perire sub habitu sanctitatis.

In seipso tentationes nouitiorum expertus est Petrus, quoniam penè moti sunt pedes eius, & quoniam effusi sunt gressus eius, cùm tertiò negaret iurando, & anathematizando, quia non nouisset hominem, vtique impulsus & euersus vt caderet; sed non est collisus in damnationem, quia Dominus suscepit eum. Exemplum ergo dedit nobis, non cedendum tentationibus, non dandum esse locum diabolo, neque desperandum pro peccato: quis enim desperet de misericordia Domini, vbi tantum crimen tam citum inuenit leuamen, sine dubiò nullum desperabilius, nullum immanius peccatum quam Christum negare; hoc fecit Petrus. Solent autem homines plerumque de leui & prò leui causa flere, fleuit etiam Petrus, & demersit fluuiosus compunctionis Ægyptum, id est, negationem gygantinæ magnitudinis. Petri ergò commissum legimus solo fletu remissum, nec fuit pertinax Deus indulgere, cùm Petrus cæpit amarè flere. Veniant ergo mihi Domine miserationes tuæ & viuam, qui non solùm lacrymantem Petrum suscepisti, sed pro fœtente Lazaro flesti, & in virtute lachrymarum quatriduanum suscitasti.

Sic docet Petrus de nauicula nouitios, sic fluitantes pisces de ventre matris extrahit, & ne in tentationibus deficiant, suis exemplis & patrociniis defendit. Mutauit autem Petrus statum, quoniam ille qui vocauit eum de nauicula, collocauit eum in cathedra seniorum, vt senes ad prudentiam doceret: cùm enim esset iunior cingebat se, & ambulabat vbi volebat, cùm autem senuerit sedere debet in cathedra seniorum verbo, & exemplo docens eos cum ætate crescere in scientia & religione. Qui enim senes sunt in ordine claustri regularis sub professione christianitatis, non debent esse elementarij, quia vt ait Hyeronimus, Senex elementarius ridiculum est: non ergo debet iterum conuerti ad egena & infirma mundi elementa vt more animalium hominum viuere velint, vel secundùm imbecillitatem nouitiorum, rursus lacte indigeant, non solido cibo religiosæ conuersationis, scriptum denique est: *In antiquis reperitur sapientia, &c.* Iob 12. 12.

Docet itaque Petrus senes de cathedra seniorum, vt sint prudentes mystici eloquij, vt penetrent illa arcana & secreta quæ vidit Paulus in altissima sede tertij cœli, quæ vt ipse ait, non licet homini loqui. Tam profundissimè namque medullam Religionis anima religiosa debet inuiscerare suis medullis, vt priùs excutiat à visceribus medullas, quàm fidem & religionem à medullis cordis; quasi verò non licet homini loqui illa arcana, quia solis conspectibus diuinitatis credenda sunt desideria nostra, ne aut fauor adulantium ea imminuat, aut detractio susurrantium surripiat. Itaque de honestate, de scientia, de stabilitate, de mandatorum Dei obseruatione, & de perfectione iustitiæ docet senes Petrus in cathedra seniorum, quæ verò sit cathedra ista, & quis sit artifex iste videamus.

Cathedra ista Ecclesia est, quæ quasi quatuor pedes habet, quatuor partes totius orbis, id est, orientem, occidentem, septentrionem, & meridiem, vt Baptismum, Eucharistiam, Confessionem & Pœnitentiam, Baptismum videlicet consecrans in oriente, tanquam in ingressu tabernaculi, Viaticum corporis & sanguinis Domini in occidente, tanquam in exitu Israël ex Ægypto, videlicet corporis huius, siue mundanæ peregrinationis; denique confessionem habet in septentrione, vbi sunt latera Aquilonis, accusans se de præuaricatione, non extollens de vanitate, & gloria carnali, quæ tanquam flos agri cadet & arescet. Habet & pœnitentiam in meridie, quoniam pascit & cubat sponsus animæ cum fratribus suis, & angelicis spiritibus, gaudium habens super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Ecce cathedra vtique seniorum, nam ab Abel cœpit cathedra ista compingi, & dolari, dolari equidem in Martyribus, compingi in Confessoribus, benè si quidem dolat tolerantia passionum, si quid tuberosum, si quid enorme, si quid næui in nostro mortali corpore inuenitur, quando delet vt nubem omnes iniquitates eius, qui pro Christo sanguinem suum fuderit: compingitur autē cathedra ista in Confessoribus, qui in charitate radicati & fundati tenent iuncturam illam quâ caput & corpus connectuntur incarnatione Verbi, & vnione sponsi & sponsæ, vt possint comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem charitatem Christi. Illa ergo dilectio, quæ iuxta Salomonem fortis est, ita in confessoribus sicut mors, in Martyribus, compingit dolata membra per mortificationem carnis, cum his quæ dolata sunt per martyrium Passionis.

Princeps autem Apostolorum sedet in cathedra non iuniorum, sed seniorum, quia fides nostra non est de recenti Deo, sicut scriptum est: *Israel si audieris me non erit in te Deus recens*, sed de æterno, de incommutabili, Ps.80. 9. de antiquo & pleno dierum; & licet sacramenta mutata

sint

A sint in veteri, & nouo testamento, vna tamen fides, vnus Dominus in vtroque populo, sicut Apostolus memorans Psal. 115. 10. 2. Cor. 4. 13. illud Psalmistæ: *Credidi propter quod locutus sum*, subdit inquiens, *Et nos credimus propter quod & loquimur*, vnam eandemque fidem insinuans Prophetarum & Apostolorum. Cathedra ergo seniorum est Ecclesia propter bases æneas, quæ supponuntur columnis argenteis, quia Prophetæ & Patriarchæ præcedunt Psal. 44. 17. Apostolos, de quibus scriptum est; *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, id est, pro Prophetis, Apostoli; hoc enim quod præmittitur, exaltent eum in Ecclesia plebis; exponitur cùm dicitur & in cathedra seniorum laudent eum, vt cathedra seniorum pertineat ad fidem antiquorum Patrum, Ecclesia plebis, ad fidem Christianorum.

Sed quia de cathedra Petri, & solemnitas præsentis diei & sermo est, occasione eius considerandum nobis est quot aliæ cathedræ sint de quibus agat scriptura. Est itaque cathedra Dei; est cathedra diaboli, est deni-B que cathedra Moysis. Dei inuisibilis cathedra, est potentia illa quâ mundum vniuersum creauit & regit; & sunt quasi quatuor pedes huius cathedræ, vel quatuor primordialia elementa ex quibus omne corpus subsistit, vel ipsum cœlum, aër, terra, mare, & omnia; Deus enim noster omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Suppositum verò sibi puluillum habet misericordiam suam, in qua molliter quiescit; quia miserationes eius super omnia Isai. 66. 1. opera eius: de hac cathedra dicitur: *Cœlum mihi sedes* Psal. 102. 19. *est, terra autem scabellum pedum meorum.* Idem, *Dominus parauit in cœlo sedem suam, & regnum ipsius omnibus* Psal. 92. 1. *dominabitur*: Sedet ergo in cathedra qui vbique regnat, sicut scriptum est; *Dominus regnauit decorē induit, induit Dominus fortitudinē, & præcinxit se.* Ecce de cathedra Dei.

Cathedra verò diaboli est in inferno, vbi potestas est tenebrarum, sedet autem ibi diabolus tanquam in cathedra, immittens suggestiones per Angelos malos, immittens legatos suos in mari ad gentem fallacem, ad popu-C lum conuulsum & dilaceratum, cuius sternutatio ardere facit prunas, nam non solùm medullas iuueniles scintillat in incendiis suis in ardorem luxoriæ, sed etiam sensus quorumdam decrepitorum emortuos inflammat in libidines, & ardere facit prunas desideriorum, quando sternutauerit, carbones ignis congerens super caput stertentis animæ sopore negligentiæ. Quatuor pedes sunt huius cathedræ, quatuor genera suggestionum seu tentationum, prima quarum est leuis & occulta; secunda leuis & aperta, tertia grauis & occulta, quarta grauis & manifesta: appellatur autem in Psalmo, prima Psal. 90. 5. timor nocturnus, secunda sagitta volans, tertia negotium perambulans in tenebris, quarta incursus & dæmonium meridianum; his insidet & premit terram, ille qui rugiens circuit quærens quem deuoret. Sunt & alij pedes gehennalis cathedræ, calor & frigus, fœtor & tenebræ; puluillus autem est de quod dicitur *Subter te* Isai. 14. *sternetur tinea*, & hoc de cathedra diaboli: restat videre de cathedra Moysis, de qua in Euangelio dicitur: *Su-*D Matt. 23. 2. *per cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi.*

Cathedra ista lapidea est, in lapide enim sedet cùm Hur & Aaron substentarent manus eius, quia graues erant. In lapide etiam scripsit, quia tabulæ illæ in quibus decem verba legis scripsit, lapideæ erant; nec mirum, populus enim duræ ceruicis erat cui loquebatur. Nihil molle, nihil suaue in cathedra, quia in lege Moysis nulla remissio, nisi in igne, nisi in sanguine, nisi in cinere, nisi in victima & mactatione animalium; in ea etiam prohibetur ne quis mel offerat in sacrificiis. Pedes huius cathedræ sunt circumcisio carnis, maledictum legis, cultus ceremoniarum, & asperitas mandati, planum est quod circumcisio; sed dicendum est aliquid de maledicto legis, Moyses cùm mandata legis complesset adiunxit, *Maledictus qui non seruauerit omnia quæ in le-*Deut. 27. 26. *ge scripta sunt*, Probat autem Apostolus Petrus omnes Iudæos sub hoc maledicto legis fuisse, dicens in Actibus Apostolorum: *Quid tentatis nobis imponere iugum, quod neque Patres nostri portarunt, neque nos*; hoc itaque E Act. 15. 10. maledictum legis Moyses fecit, quia ad litteram nemo legem fecit, sicut in Euangelio dicitur: *Moyses dedit* Ioan. 7. 19. *vobis legem, & nemo ex vobis legem facit*: Planum est quàm lapideus sit cultus ceremoniarum, quàm lapidea mandata in lege; transferamus nos itaque à cathedra Moysis ad cathedram Petri, quia non possunt aduersus eam portæ inferi; fundata enim est super petram, id est Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO I.

In festiuitate sanctæ Mariæ Magdalenæ.

DE præparato habitaculo suo tanquam à regalibus sedibus ad inferiores partes terræ nostræ miserator & misericors Dominus, nube carnis assumpta, F se se secundùm tempus suæ prædestinationis humiliauit, & rei nostræ publicæ iura, omnemque sollicitudinem vt legum conditor & interpres curauit. Dum itaque cum senatoribus suis merita, & causas singulorum, non more iudicantis, sed pietate instructis inquireret, (erudire namque insipientes non innocentes iudicare venerat) mulier quæ in leges offenderat, & iura naturæ violauerit, accessit rogans non censuram iudicis, sed indulgentiam patris.

Pensatis proinde, tam causa eius, quam causæ remediis, benignitate sua mitigauit asperitatem legis, & condito Euangelij nouo senatusconsulto, legem generalem remissionis sanciuit, earenus siquidem lege duarum tabularum, digito quidem Dei conscriptarum, sed tamen lapidearum, sine miseratione transgressores eius puniebantur, & sine sanguinis effusione peccata non delebantur. Mansuetudine itaque & prudentia sua noster iurisperitus accepta potestate à Patre & de lege antiqua quædam importabilia, seu impossibilia dempsit; quædā crudelia mitigauit, quædam minùs apta composuit, quæ- G dam pro tempore commutato commutauit, vt clariùs, tranquilliùs, iocundiùs, & honestiùs reluceret tempus Domini quam serui, & releuarentur in aduentu Domini qui opprimebantur graui iugo serui.

Fortè oblatrare voluit quidam Simon leprosus super hac ipsa Domini dispensatione, veterem retinens legem, & nouam ignorans ore leproso taliter submurmurans: Hic, inquiens, si esset Propheta nosset Prophetam Moysen, nosset & legem, nosset sine dubio & hanc mulierem, si verò sciret, legi potiùs quam meretrici assentiret: nec solùm tam propitio vultu se ad suscipiendam non inclinaret, immò lege armatus lapidibus obruendam adiudicaret, ita enim iustitiam legis seruaret, & opus iustitiæ statueret Contrarium itaque agens, quæ in eo iustitia, quæ sanctitas, quæ prophetia? Nonne in ciuitate peccatrix nota & famosa est mulier ista quæ tangit pedes eius, nonne qui tangitur, inquinatur ab ea? certe domum meam hæc non intrasset, nisi crederem ab eo eam respuendam, & condemnandam. H

Cùm hæc in auribus Domini Sabaoth in silentio oris diutius sibilasset, proposito similitudinis problemate de lege sua articulum satis argumentosum proposuit, & sermum nequam ex ore proprio conclusit. Exclusa verò gloriatione sua per legem factorum, immò per legem fidei, faciem desiderabilem cunctis gentibus ad peccatricem mœrentem & afflictam conuertit, & de impunitate statim sententiam subintulit: *Fides*, inquit, *tua te* Luc. 7. 50. *saluam fecit, vade in pace.* Reuera sicut exaltantur cœli à terra, sic viæ Domini à cogitationibus leprosi separantur: leprosam leprosus, sed suscipit Dominus, viliùs abiicitur leprosa à leproso, ideo magis suscipitur à Domino. Leprosus de lepra leprosè summe cumulat lepram; quia superbiæ suæ adiungit stimulantem inuidiam; iam tamen non apparet in muliere vestigium lepræ; quia prouoluta vestigiis Domini accipit remedium gratiæ.

Simon

Simon tu iudicas secundùm veterem legem, immò secundam veterem hominem: IESVS non iudicat quemquam, sed absoluit pœnitentem animam.

Tu attendis legem in lapidibus, vbi ministratio mortis: IESVS in spiritualibus donis, vbi superponitur virtus miserationis, miserationes enim eius super omnia opera eius. Congratulate potiùs Sanatori contritionum miserorum, quia & tu indiges medico, si vis sanari à superbiæ morbo: mulier ista etsi non est sana à peccato, immunis tamen est à delicto maximo desperationis vel præsumptionis, quærit medelam, nec segniter implorat indulgentiam, nec transeunter; instat perseueranter, clamat fortiter, plorat abundanter, agit coram notis & superbis domesticis; omnia tam humiliter quàm patienter.

Cur igitur vis tàm meritum euacuare conuersionis, quàm fontem obstruere pietatis? si debriatus malitiâ, latices nostros contemnis, cur onagrum in siti sua potantem teptehendis? Ambiguum tamen quem contumeliosiùs arguas, an potu indigentem? quid est Simon? in quo alium iudicas, teipsum condemnas. Si enim pœnitentibus indulgentia negatur, superuacuè in lege tua ceremoniarum & sacrificiorum ritus obseruantur. Tu ipse quare es circumcisus? quare primitias & decimas tuas reddis Domino? quare offers pro peccato & delicto, si prohibes misericordiam, si negas indulgentiam? Sed fortè dicis, lex mea fornicatores, & adulteros condemnat, & minima ignoscens delicta, grauiora sine respectu miserationis imputat, & amputat. O Pharisæe si talis est lex tua, vt in maioribus non faciat, vel facere nequeat, quod in minoribus agit, ergo est aut insufficiens, aut iniusta. Sed non est, quia lex est quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum, & bonum. Iustus enim & bonus Deus, qui legem dedit, iustus & mansuetus Moyses, qui legem attulit, non nisi iustum & sanctum sine dubio vterque in lege constituit.

Restat ergo, vt insufficiens sit, quod & verum est nam non ad perfectum adduxit lex, nec Moyses, sed IESVS filios Israël ad terram lacte & melle manantem introduxit: habuit enim cursum suum ad tempus vsque ad Ioannem; lex enim vsque ad Ioannem; & benè vsque ad Ioannem; qui interpretatur gratia; lex namque vt asseris Simon, sine gratia, sequitur itaque Ioannem, veniendo in carne IESVS, non qui interpretatur gratia, sed qui verè plenus est gratia, immo plena gratia. Medius verò intercurrit Ioannes inter legem, & Christum, vt quasi aurora & vmbram noctis finiret, & lucem solis præconando aperiret.

Timens, igitur Maria Magdalene legem sine gratia, accessit ad fontē gratiæ, & ne obrueretur lapidibus, adhæsit pedibus; Simon tu lapides crudelitatis, IESVS porrigit Mariæ pedes pietatis, tu conaris secundùm legem ferire, sed infra colliduntur iacti lapides, vel potiùs in caput tuum reuoluuntur; nam retrò Mariam quæ stat ad pedes gratiæ, residet lex, nec extendit brachium comminationis, vbi cernit adesse pedes saluatoris; imponit sibi silentium cùm audit verbum, posteriora Domini videt, & in faciem prorumpere non audet; sufficit enim Moysi posteriora vidisse Dei. Siste itaque gradum Symon cum Moyse post tergum Domini, quia non est discipulus super magistrum, & sine vt Dominus faciat opus suum, suscipiendo Mariam peccatricem, quia alienum opus ab eo condemnare pœnitentem.

O Symon próximo lumine excæcaris, de resurrectione occumbis, odore bono moreris, plenitudine euanescis; sed tandem depelle à corde malitiam, ab ore mendacium, ab oculis liuorem, & mirare conuiuantem non ventrem implere cibo mensæ, sed humilitate, & fide Mariæ. Quod fieri solet in sanctis vide impleri in oculis tuis: in penetralibus domus tuæ hostia viua, sancta & Deo placens, nouo genere adolendi altare de terra incorrupta consecratum immolatur, sanguis ad basim funditur, oleum spargitur, incensum adoletur, capra pro peccato ignorantiæ iugulatur, & anima tua inde irascitur.

Procul dubio cùm renuntiat Maria motibus libidinosis, capram interficit, cum orat veniam, incensum accendit; cum deuotionem effluit, oleum fundit, cùm verecundatur de perpetratis, sanguinem effundit, cùm moritur peccato hostiā facit. Ecce ara, ecce victima, ecce ignis, ecce ligna, ecce aqua, ecce Baptista. In loco sancto talia fieri solent, & debent, sed vbi sanctior locus quàm vbi stabāt pedes IESV: *Adorate*, inquit, *Psalmista scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* In hoc scabello caput suum Maria reposuit, & fletu sacratissimo humectauit; stans enim retrò secus pedes IESV Maria cœpit rigare lachrymis, & capillis suis tergere; rigat plantas Maria, de horto Mariæ natas, Maria sed Dei genitrix, plantas istas de carne sua & sanguine plantauit, quinimmo plantatas germinauit * quomodo Maria, sed multum peccatrix, de internorum viscerum fonte rigauit: Rigauit planè & alius non aquâ, sed oleo gratiæ; cùm Maria in vtero, immò in Maria Pater de cœlo plantaret, quem Maria Magdalene rigauit aqua, & vnxit vnguento, cum in domo Symonis recumberet.

Ps. 98. 5.

* f. quasi modo.

Bona Mariæ Magdalenæ rigatio seu vnctio, quia maculas peccatorum deleuit, melior vnctio, siue rigatio Spiritus sancti, quia naturam sterilem & infœcundam, virtutibus & donis cælestibus in Christo IESV multipliciter ditauit, sublimior illa, humilior ista, nam ista in oleo gratiæ; ista fit in aqua pœnitentiæ. Non rigaret Maria Magdalene conuiuantē IESVM aquâ, nisi de Virgine nascentem Spiritus sanctus irrigasset gratia: lege scripturam Moysis, & intellige sacramentum huius rigationis, *Spiritus*, inquit, *Domini ferebatur super aquas.* Quid est Spiritum Domini ferri super aquas, nisi quia in Spiritu Dei superiori & meliori expiatione purgatur anima quàm in aquâ? quid iterum est quod Spiritus Domini ferebatur super aquas, nisi quia per Spiritum anima mundatur, corpus in aqua; vel quia spiritus rigatione, seu obumbratione, natura sine culpa concipi potuit; in Mariæ verò Magdalenæ rigatione, culpa sine natura deleri meruit, meritò Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Gen. 1. b.

Concepit Maria naturam nostram in IESV per Spiritum, ferebatur super aquas sine peccato, recepit Maria Magdalene animam suam abysso priorum delictorum contenebratam ab IESV, eodem cooperante Spiritu, purgatam à dæmonio: benè ergo Spiritus ferebatur super aquas, quia in matre copiosior descendit gratia, in peccatrice largior venia, & nunc quoque Spiritus fertur super aquas huius peccatricis, cum aspersione gratiæ spiritalis anima illius emundatur in effusione lachrymarum & pœnitentiæ. Super aquas Spiritus Domini fertur, cùm potiùs ex deuotione cordium, quàm ex sterili humectatione cerebri peccatoribus reconciliatur Deus: Spiritus sine aqua purificat, vel in aqua, aqua sine spiritu, qui fertur super aquas, quia non est de aquis paradisi, sed de stagnis Ægypti, fictus humor ab oculis egrediens, ad deliniendos dumtaxat homines, non ad delendas criminum sordes. Ecce capra per aquam & spiritum mouetur mutata, accedit ad aram, cùm abiectis prioris vitæ vitiis, Maria Magdalene conuersione cordis immutata amplectitur pedes pietatis.

SERMO II.

De Maria Magdalena.

STans, inquit Euangelista, *Maria Magdalene retro secus pedes Domini* IESV *lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat & osculabatur, & vnguento vngebat.* Vade ad formicam, ó piger, & disce semitas eius, congregat enim sibi æstate cibos hyemalis temporis: aptissima procul dubio operationis similitudine Mariam æquiparare possumus prudentissimæ formicæ, nam sicut formica grana triticea studiosissimè comportat æstatis tempore ad mansionem suam, prospiciens sibi ne in hyeme indigeat; sic Maria Magdalene

Luc. 7. 38.

A ad granum tritici quod cadens in terram, nisi mortuum fuerit ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert, audiens ipsum in domo Simonis recumbere, cucurrit, & tanquam apprehenso grano tritici ad animam suam humillima conversione detulit. Nam quomodo formica grani medullam, sic Maria CHRISTI gratiam accepit.

Pleniùs tamen vide ordinem conversionis, & adverte quomodo convertitur conversa; nam nec vnum iota præteriit à lege reversionis, quæ longè aversabatur in regione dissimilitudinis: in aversione namque suâ, domum mentis euerterat, & totam naturæ suæ substantiam viuendo luxuriosè consumpserat; vt enim ait Salomon:
Prov. 14. 1. *Mulier sapiens ædificat domum, insipiens vero constructam destruit.* Hæc igitur mulier priùs insipiens à summo vertice vsque ad fundamentum, habitaculum mentis quotidie in deteriora proruendo deiecerat; & sicut in ruina parietis lapis lapidem cadendo impellit, sic malitia malitiam in eius actibus annexuit;
Ps. 41. 8. B *Abyssus namque abyssum*, iuxta Psalmistam, *inuocat*, dum culpa culpam, vel etiam culpa pœnam in excæcatis mentibus appellat; Tota itaque domus incuruata, ligna, laquearia, columnas, & tabulata in terram fuderat, & vsque ad fundamentum solidum nihil prorsus erectum remanserat? à planta enim pedis vsque ad verticem non erat in ea sanitas, quia in Ægypto fractæ fuerant mammæ pubertatis eius, & erat tota nuda, & discalciata.

Tandem ad cor rediens, & vitium pubertatis suæ recolens, sensum cœpit recolligere, & sapienter inter se dicere, Reuertar ad dominum meum priorem, quia melius mihi erat tunc magis, quàm nunc, tunc videlicet, cùm de manu eius buccellas sumebam panis oleati, cùm inhærens lateri eius non timebam domui meæ à frigoribus nivis. Cùm enim fuerint duo fouentur mutuò; Væ autem soli, quia si ceciderit non habet sublevantem se; tunc inquam, melius mihi erat cum in sinu & pectore illius recumbens, perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Nunc autem
C abiecta procul, exposita sum timoribus nocturnis, feris, & bestiis, nec-non pruinæ: & stillicidiis hyemalibus, quibus angor in corde, & horreo & in corpore. Resumo igitur vires, & de nocte consurgam, quærens eum, qui mihi dabat lanam & linum, si fortè tunicam, si fortè pallium turpitudini meæ comparare possim.

Audio certe agnum in domo Simonis leprosi; qui moratur juxta me leprosam, fortè qui leprosi domum ad conuiuandum non respuit, nec me leprosam ad sanandum contemnet; si leprosus obtulit ei cibum, cur non & ego deferam quamvis leprosa, vnguentum? Simon cibum ego ministrabo vnguentum: manibus potuit Simon infundere aquam, sed neglexit. Ego si quomodo potero ad pedes procumbens, non de communi civium puteo, sed de proprio fonte, vitali calore calefactam aquam gressibus Divinitatis superfundam. Simon leprosus est solum in capite, quia superbus in mente: ego in toto corpore, quia plena libidine vel dæmone; qui enim fornicatur, in corpus suum peccat, quod
D cumque autem peccatum fecerit homo, extra corpus est. Non tamen hæc idcirco de Simone cogitans revoluo, quasi meam postponens valetudinem, & eius adgravans ægritudinem, insultare meliori præsumam, sed vt quò rivus pietatis declinauerit, meæ pusillanimitati persuadeam, & in spe remissionis ad fontem veniam.

Duo audiui de hospite Agni; Simon nominatur, & leprosus cognominatur: in eo quod leprosus, quadam proportione accedo, in eo quod Simon, prorsus cedo; in eo quod leprosus, fragilitatem meam recognosco, in eo quod Simon inobedientiam meam redarguo; in eo quod leprosus scripturam recolo, quia conclusit Deus omnia sub peccato; in eo quod Simon, justitiam quæ ex lege est qui fecerit viuet in ea. In vtroque tamen verum est quia CHRISTVS IESVS venit in hunc mundum peccatores salvos facere: in eo quod leprosus, nequaquam melior me; sed in eo quod Simon, vltra me; dif-
E ferentia enim non modica est inter peccatorem obedientem, & inobedientem.

Vadam ergo ad domum obedientiæ; & ibi ab agno accipiam lanam indulgentiæ, erogat enim eam, & mittit petentibus pœnitentibus, qui dat nivem sicut lanam: qui de velleribus suis calefacit pauperes, qui forficibus crucis siue passionis eam totondit, & vniversæ ad contexendam vestem immortalitatis cum colo & fuso prædicationis & fidei transmisit. Dùm itaque agnus cum vellere suo est, qui sicut pluvia in vellus descendit, quoniam verbum carnem de Virgine assumpsit, vadam ad pedes eius, vbi sine vngulis terræ contiguus est, & nostræ humilitati ampliùs compatitur, non ad caput quod excelsius est, & habere cornua septem, & oculos septem.

Timeo certè oculos eius, quia lumen oculorum meorum non est mecum, timeo magisque formido cornua, quia mollis adhuc & tenera: apprehendam igitur agnum propter lanam, sed à parte pedum, sed à
F parte plantarum, quæ nec plantam habeo mundam contingam plantam blandam & mundam. Si peccatrix non essem vngularem locum non reformidarem, mitissimum non ignoto esse agnum, sed recolo me tam grauiter offendisse, quòd potuerim exacerbasse etiam agninum oculum. Quid plantâ in agno innocentius, quid tenerius? itaque plantam teneram ex natura, teneriorem reddam ex lachryma. Irritant animum agricolæ vberes provenientes fruges ex segete, propensiùs namque cumulatur donum supernum, cùm se idoneum ad suscipiendum præparauerit hominis meritum: largior namque succrescit manus in præmio, cùm non fuerit ingrata mens accipientis beneficium.

Sed quale, sed quantum hoc beneficium, vt contingam Domine IESV scabellum pedum tuorum, immò qualem & quantam peccatrici impendis gratiam, cum præbere non recusas plantam: supra me hoc totum confortata est misericordia tua, & non possum ad eam, sicut enim quod infirmum Dei, fortius est hominibus,
G sic quod infimum, sublimius; iam si planta tigata, calcaneo vicino me reiecerit, tamen tenebo plantam, & quasi complantata non desinam præ impatientia. Tenens autem plantam quid dicam? Deus meus misericordia eius præveniet me; Misericordia ejus, id est, planta eius præveniet me, dum teneo plantam colligo lanam, non me fugiet agnus, quia aut dabit lanam, aut semper tenebo plantam.

O Agne cùm dederis lanam indulgentiæ, da quoque fusum pœnitentiæ; nam lana nisi nendo per fusum dispensata, vestem non facit; sic & misericordia, siue indulgentia pœnitentibus indulta sine fructu pœnitentiæ, confitentem nuditatem suam decenter non operit. Remittit Deus reatum culpæ, sed tu soluere debes pro modo culpæ modum pœnæ; nam etsi dixit agnus, remissa sunt ei peccata multa, non tamen Maria ideo cessauit à pœnitentia; digiti enim eius apprehenderunt fusū, & distillauerunt myrrham probatissimā præ cunctis Deū diligendo, sequendo, & ministrādo, fusum eius soluimus,
H modò expendimus cùm de pœnitentia eius loquimur.

Contexamus nobis tunicam propter frigus hyemis, quoniam piger arare non poterit de lana agni in fuso Mariæ, vt sic ad Deum quomodo Maria conuertamur; sic afficiamur; sic diligamus, sic sequamur; & cum ab agno accepimus lanam, à verbo eadem instantia impetremus linum; subtilius est linum, & rarius, sed & carius, sic & verbum Dei pretiosius est corpore verbi, sic & vita æterna, quam præsens indulgentia: aliquando enim quidam consequuntur lanam indulgentiæ, sed non perveniunt ad linum; immò linum vitæ; non enim perseuerant. Qui enim post acceptam notitiam veritatis redeunt ad vomitum rursus crucifigentes filium Dei, & ostentui habentes, excluduntur à regno. Voluntariè enim peccantibus, iam non relinquitur hostia pro peccatis. Lanam ergo isti habuerunt per indulgentiam, sed eam dilacerantes, & in fusum intorquentes, perseverantiæ linum non meruerunt.

Maria

A Maria autem quæsiuit lanam,& linum,& operata est consilio manuum suarum,habet itaque tunicam de lino agni ad plantam; habet & pallium de lino verbi ad caput. Sic mulier sapiens reædificauit domum suam, perficiens à planta pedum humanitatis Christi, vsque ad caput Diuinitatis, hæc enim & pedes vnxit, & caput: sed pedes adhuc peccatrix, & caput dilectrix, pedes Domini pedes sancti, quibus perambulat vsque in Idumæam nostram verbi Diuinitas; quibus regreditur super pennas Cherubim, nostra humanitas quibus primùm ad Matrem nascendo, deinde ad Patrem redit ascendendo; Filius Dei, vbique est totum implendo, & nusquam deest, totum regendo. Meritò pedes, IESV, apprehendit Maria, quia egressus est diabolus ante pedes eius.

O Maria cum teneres pedes IESV quid sentiebas, quid cogitabas, quid desiderabas? commutâres illud tenere pro aliquo æstimabili, vel inæstimabili auro vel lapide? an satiari poterat os tuum osculis, manus contactu, oculus visu. Certè si cor extrahere posses, effundere in pedibus IESV non recusares; B fudisti aquam, sed & vnguentum, sed quantùm aquæ; nam vnguenti satis recolo mensuram, libram profectò vnguenti pretiosi, larga multùm in æstimatione vnguenti, largior in aquarum effusione, sine pretio pretiosam aquam de proprio hauriebas puteo; & ideo caput præbebat aquam sine mensura; quia cor tuum non declinabat in auaritia.

Operuit hæc aqua pedes Domini, & abluit sordes animi & corporis tui, submersi sunt Ægyptij priorum malorum quasi plumbum in aquis vehementibus; huius compunctionibus aqua truncum emortuum reuiuiscere fecit, cùm animam peccatricis jam dudum à nuditate boni operis extinctam ad dignos pœnitentiæ fructus fœcundanit; effudit aquam & siccauit luxuriam. Mirabilius fortè Heliæ miraculum, dicitur enim tres annos & menses sex de cœlo aquam precibus suis deposuisse, vt terra germinaret &c. Sed vtilius ecce factum; cum de proprijs visceribus fluminis impetum eduxit, vt CHRISTVM sibi reconciliaret, & tanquam novella oliuarum C lucidissimos & dignissimos fructus pœnitentiæ in toto orbe proferret. Quid enim lucidius in terra huius sanctissimæ peccatricis fide & devotione; quid in mundo fragrantius Mariæ Magdalenę opinione? quid in Ecclesia efficacius hujus dilectæ IESV pro peccatoribus oratione, & subuentione?

Potentissima sanè est apud judicem piissima ad miserorum exaudiendam precem, efficacissima ad erigendum de stercore pauperem; hanc in cœli collegio præeligat anima mea; huic non erubescat confiteri mala sua; hac mediatrice lachrymas cum suo affectu postulet, & de amore IESV non hæsitet. Nouit hæc effectuosiùs miserias miserorum recipere, meminit tenaciùs recogitans delicta juventutis suæ, quàm fragile sit vas nostrum fictile & pronum ad casum; dulciùs vulnera palpare, molliùs contrectare, & patientius fœtores vulnerum tolerare nondum desueuit.

O Maria lana conscientias pœnitentium, emunda inquinamenta cordium, quem plorando in aduocatum D tibi commutasti, rogando eundem imperra reis non iratum vltorem irarum, sed indultorem placatum. Quæ adhuc rea pro te sufficienter perorasti, jam dilecta pro confitentium culpis esto pia mediatrix; non verbis, sed lachrymis, non voce, sed compunctione, non pomposa oratione, sed lachrymosa rigatione indulgentiam extorsisti, non se continuerunt viscera misericordiæ Dei, vbi cœperunt se effundere viscera afflictæ peccatricis. Rogamus Domine IESV viscera tuæ pietatis, viscera tam matris, quam peccatricis Mariæ, quatenus reseratis visceribus, reiiciamus malitiam, & recipiamus indulgentiam; omnem duritiam proiiciamus, & affectum devotionis obtineamus.

O Maria Magdalena cùm nondum gustasses vinum meracissimum, fidentissimo ausu os tuum, & manus patenti fonti Dauid appulisti; & nunc cùm jam in cellam vinariam intraueris, vino cœlestium copiarum æstues, accedere trepidas, pauperibus ostij saltem propter calamitatem indefessè clamantibus, de reliquiis mensæ tuæ E modicum panis, & pauxillum aquæ deferre recusas? Affer obsecro, buccellam panis, & vas aquæ, quia missus sum ad te in tempore famis, sicut Helias ad viduam Sydoniorum, quia portas ciuitatis tanquam fugitivus nondum intrare præsumo, inueniam te, & videam ad portam, vt te duce penetremus sanctuaria, & palatij secreta, præeunte Domino nostro IESV-CHRISTO, cuius regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De eadem Sancta Maria Magdalena.

QVomodo ceruus ad fontes aquarum, sic Maria Magdalena ab æstu febrium recurrit ad fontem IESV; quo enim acriùs sitit, eò citiùs currit; metas non moderatur itineris; insidias non attendit venatoris; F difficultates postponit peregrinationis; tantummodo vt æstus reprimat, exurentes venas renovet, jam deficientes vires reparet. Vide Mariam instantiùs agentem tanquam ceruam gratissimam, ad domum Symonis festinantem, vt exponat sitim suam, vt proponat necessitatem suam; & tandem deponat miseriam suam.

Quid est, Maria? quod babes negotium in domo Pharisæi, visne caput eius impinguare oleo tuo? Nequaquam, inquit, propter Simonem leprosum venio, sed propter IESVM curatorem animarum, languida tertianis & quartanis accedo; simul namque febrem contrariam patior, quia vitiis in se ipsis contrariis miserabiliter succumbo; medicum aduenisse rumore publico audiui, cujus arte langor cunctus depellitur, & sine pretio impretiabiliter sanitas prioris æui restituitur. Hic vno verbi medicamine ad omnium omnem sanandum morbum, nouo medendi genere vtitur; hic sicut pater suus vno sermone creavit omnia, similiter vno jussu curat G vniuersa.

Præter hæc multa & mira de eo dicuntur, quòd scilicet ventis & mari imperet; quòd vinum de aquis statim mutaret: quòd tactu fimbriarum suarum menstrua constringat, quòd manu tangens, lepram extrahat, quòd turbas miraculis pascat: fertur etiam plenus miseratione, plenus pietate, plenus mansuetudine, spernere nullum, abiicere neminem, suscipere omnem ad se venientem. Venio itaque ad IESVM, non ad Pharisæum, ad Salvatorem non ad Simonem; ad medicum non ad leprosum; venio, inquam, venio nunc ad fontem misericordiæ, non ad montem superbiæ; ad pium indultorem debiti, non ad impium exactorem indebiti.

Despicit me fortè despiciendus leprosus; sed respicit me certè adorandus Dominus IESVS; imputat ille mihi peccata mea, quem prægrauant sua: ignoscit delicta juuentutis meæ, quem non infecit lethale & vniuersale piaculum corruptionis nostræ. Creditor meus agit in me misericorditer; superstitiosus & improbus accusator inmaniter; non igitur venio ad domum Simonis propter H mansionarium, sed propter peregrinum. Etsi enim diuertit humilis ad superbum, IESVS ad Pharisæum, medicus ad superbum, non tamen conuertit vultum ad detrahentem proximum suum, sed ad confitentem reatum suum: dedignatur namque sed dedignata superbia humilitatem, discordia vanitatem, immunditia castitatem, vitium virtutem. Quandoque tamen fortior virtus subintrat peccati hospitium, vt destructo sathanæ dominio, animam compeditam consuetudine malorum, tanquam spolium deferat, & vitiũ desolatũ mansione sua in deserto sedeat.

Accurrit itaque ad verbum quod misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israël, si fortè regnum cœlorum rapere de domo Pharisæi possim; quod ille negligit præ adipe & pingnedine suâ; faciam quod fecit quædam, & in sexu & in fasce antiquorum malorum par mihi & consimilis sed nihilominus in fide & devotione non dissimilis; alij premebant aliquando IESVM, sed succum

A virtutis ex aliorum pressurâ, ipsa quæ fluxum sanguinis patiebatur suscepit; nam guttur fidei supposuit & de botro capti in torculare desudante, & exundante, balsamum extorsit. Sic sic & ego, quia humilitatem IESV in fastu suo præponderat superbia Pharisæi, ad pedes pressi non oppressi conscendam, & dependentem gemmam gratiæ, supposito cordis vase recondam.

Vbera mea quæ fracta sunt in Ægypto, perungam gutta huius olei quod non deficiet de capite meo, sicut & lecythus olei non est imminutus; vt sic demum per pœnitentiam emendata, meliora sint vino, fragantia vnguentis optimis. Vinum justitiæ extorqoet Simon confidens, immo præsumens de justitia sua: sed mihi & propter sexum, & propter morbum competit oleum siue balsamum. Væ tibi Simon, qui manè consurgis, vt vino æstues, manè enim vtilius esset oleum; serò vinum, quia si scapham misericordiæ præoccupasses, procellas
Psal. 100. 1. sententiæ minùs formidares. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, ait Psalmista; manè misericordiam,
B serò judicium; venit enim mane redemptionis, & judicium vltionis, namque vini austeritatem, & noctis obscuritatem nemo ferret, nisi manè lumen, & olei suauitatem priùs susciperet. Quis enim io nocte judicij nisi Simon, qui gloriatur in virtute sua, stabit ad videndum eum, cum apparebit quasi ignis conflans, & emundans argentum.

Vinũ vis bibere Simon incipies æstuare, sæuitas enim judicij, æstus est intolerabilis: quamobrem manè potiùs inungamur tantum oleo, quàm æstuemus vino, humiliemur ad veniam, non leuemur ad inanem jactantiam? Non, inquit Maria, curro ad vinum, quia non habeo vestimentum, prius vestimentum, postea vnguentum, deinde quæro vinum; duplici enim perfundor confusione; nuda namque sum gratiæ indumentis, & ideò erubesco; vulnerata sum in concessis naturæ dotibus, & idcircò ingemisco turpitudini proinde deposco tegumentum remissionis, vulneribus medicamentum reparationis; vulnerauerunt namque me, tulerunt pallium meum custo-
C des murorum, immò latrones tenebrarum, si quod donum gratiæ, si qua munera Spiritus sancti collata acceperam, malè vtens, negligenter custodiens, pessime viuens instinctu dæmonum amisi ea. Dereliquit enim me virtus mea & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Spiritus fornicationis tulit ad me pallium integritatis; spiritus iræ, tunicam charitatis; spiritus gulæ vel ebrietatis, syndonem sobrietatis; spiritus superbiæ, calceamenta humilitatis spiritus impatientiæ, camisiam lenitatis & mansuetudinis; spiritus auaritiæ, ornamentum capitis; spiritus inobedientiæ, inaures de auriculis. Ecce septem spiritus nequiores aliis quomodo diviserunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Ab his tertianam, ab his quartanam patior, super tribus enim & quatuor sceleribus, à me perpetratis, conturbatur anima mea, & venter meus, id est, corpus & spiritus.

Tamen sic spoliata, sic nuda, sic plena confusione procido ad pedes agni habentis oculos septem, & cornua
D septem, quærens lanam & linum ad contexendum vestimentum, & ad contegendum opprobrium meum: ob hoc retrò secus pedes accedo & animam meam in fletibus effundo, rigans lachrymis per singulas noctes lectum meum. Ex hoc enim jam lectum alium non habeo, nisi pedes IESV: hic requies mea in sæculum sæculi; hic somnus dulcis, hic mihi erit tabernaculum æternæ man-
Iob. 24. sionis: *Si illi quibus non est vestimentum*, secundum Iacob, *amplexantur lapides*; cur non ego, quæ nuda sum, Domini IESV pedes?

IESVS, qui factus est mihi sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio; qui virgo de virgine ad restituendam integritatem, conceptus & natus est; qui sicut agnus coram tondente ad redintegrandam charitatem, nisi vt funderet preces, non apperuit os suum, ita vt miraretur Præses: qui ad extinguendam ebrietatem, sobrietatem opere & sermone docuit, qui principium, & caput humilitatis ad dirigendos gressus nostros in viam
E pacis; qui cùm malediceretur non maledixit, ad præbendum exemplum patientiæ; qui vbi caput reclinaret non habuit, ad confodiendum spiritum avaritiæ; qui Patri obediens vsque ad mortem fuit, ad consummandam victoriam dispensationis suæ, revestiuit me vestimentis gloriæ suæ; cùm enim remittit peccata quasi resarcit vestimenta.

Liberata igitur à frigore & confusione, operando in vulnerum curatione; vulnerauit me oculi concupiscentia; vanitas aurium; ventris appetitus; sapor nimium exquisitus, tactus plus iusto demulcens; odor vndecumque redemptus; & voluptas corporis naturæ necessitatem excedens, & in belluinam imaginem, imaginem Dei convertens: Aperio tandem vulnus, detego liuorem, plagam tumentem medicinalibus remediis expono clamans; corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ, & tu Domine quid? sana me, & sanabor, salvam me fac, & sal-
F va ero. Nuda agnum; vulnerata medicum; fontem vivum sitibunda; munimentum tremebunda; tenebrosa oleum; exulcerata vnguentum, vitam mortua peto. Sapientiam agnus, intellectum medicus, fons vivus consilium, turris fortitudinem, oleum scientiam, vnguentum pietatem, vita præstet mihi timorem.

Luxuriam abdico; pœnitentiam mihi indico; lachrymas fundo; pedes abluo; manutergio capillorum detergo; reum me in medio Ecclesiæ, & Synagogæ confiteor, mihi vlterius viuere contemno, recogitabo tempus adolescentiæ meæ, vt si dies reuocare per innocentiam nequeo, saltem per pœnitentiam dimidiare valeam. Quamvis horis horas, momentis momenta, dies diebus, menses mensibus, annis annos rependere non sufficiam: tamen totum residuum pro toto constituam. Dextrà verò Deum tenens libram culpæ & pœnæ, misericordiæ & justitiæ inclinet ex hoc in hoc, vt quod est justitiæ levigetur; & quod est misericordiæ amplificetur: quod est pœnæ indulgeatur, & quod est culpæ deleatur.

Si Simonis sententia suscipitur, momentum stateræ
G io sinistra deprimitur in dextera euacuatur: secundùm Simonem totum, culpæ totum exigit pœnæ; sed non præualeat Domine IESV inimicus, retracta sententiam à labiis iniquis, & à lingua dolosa, non secundùm leges misericordiæ tuæ prolatam. Sicut denique Daniel vir desideriorum falsum testimonium reprobat aduersus Susannam castam, sic tu totus desiderabilis, non approbes condemnationem aduersus Mariam per te saluandam; tollatur culpa, vt mitigetur pœna; transfundatur plenitudo justitiæ in plenitudinem misericordiæ, plenitudo vindictæ in plenitudinem veniæ. Rarescant justitiæ pondera, vt clarescant misericordiæ sceptra: de regno namque justitiæ per IESVM transitus patet per pœnitentiam ad regnum misericordiæ.

Habet & innocentes suos, justitia; misericordia habet pœnitentes suos, sed commeant ad regnum innocentiæ, quos deduxerit misericordia per viam pœnitentiæ. Cuius verò est regnum justitiæ, nisi eius cuius regnum quoque est misericordiæ: non est qui arguat, si de regno
H iustitiæ transtuleris in regnum misericordiæ. Olim Iacob manus commutauit in benedictione Ephraim, & Manasse. dextrum sinistrum, primum nouissimum; caput caudam, mysterio vtique inspiratus prophetico: voluit proinde Ioseph secundùm faciem iudicare, & quasi oblito seniori, ordinem nativitatis ad memoriam revocauit di-
Gen. 48. 19. cens: *Non conuenit Pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram super caput eius cui Pater; scio inquit fili mi scio.*

O profundum mysterium! ô inscrutabile sacramentum; antiquus dierũ nouit, quod Ioseph nondum intelligit; inseritur oleaster io oliuam, & efficitur socius radicis & pinguedinis oliuæ; confractus denique ramus naturalis extraneus factus est fratribus suis, vt non sit Israëlita omnis qui ex Israël est. Iacob similiter eligitur, & Esaü reprobatur. Quid amplius? *Auferetur* inquit
Mat. 21. 43. Dominus Iudæis, *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Sed quãdo & quomodo factum hoc? in transpositione manuum cum dedicaretur crucis mysterium in minoribus maiora, & meliora repromittens, so-

perbis,

A petbis, & de carne gloriantibus, sinistram regni terreni in præsenti largiens: Simon reputat se dignum dexterâ, Mariam sinistrâ; sed scientiarum Dominus meritorum appensor æquissimus.

SERMO IV.

De Eadem.

PLena & plana saluberrimæ conuersionis, & pœnitentiæ imago vniversis peccatoribus Maria Magdalis proponitur; in hac enim quasi quadam tabula decentissimè dolata diuinissimis Domini operibus vivis & venustissimis misericordiarum suarum coloribus exculpsit pietas IESV, membra, neruos, & venas conversionis nostræ; & justificationis suæ; vt quàm pessimæ priùs fuerat habitudinis, tam perfecti postea inueniretur decoris. Reuera si compares priora eius & nouissima, sine B dubio tanquam æquis passibus contrario modo animaduertes deambulantia: vt enim auersa recesserat in profundum malitiæ, sic conuersa rediit in profundum pœnitentiæ.

Sed quid traxit eam in profundum malitiæ, nisi profūdum ignorantiæ, vel quid retraxit ad profundum pœnitentiæ, nisi profundum diuinæ misericordiæ! ô profundū inter profundum & profundum, quid facies de profundo iniquitatis, vt aperias profundum conuersionis? Opple potenter cisternam veteris corruptionis, & fode misericorditer vitam sanctæ immutationis: complanetur facies abyssi tenebrarum & caliginis. Explanetur fons domus David in ablutione sanctissimæ peccatricis; adæquetur aggeribus satisfactionum puteus antiquæ putredinis; perfodiatur instanter renouatum pectus totum resudans in lachrymis. Ecce quomodo profundum Dei commutat profundum hominis errantis in profundum aliud, videlicet confitentis & pœnitentis.

Diabolus & homo primum effodiunt profundum, C Deus & homo secundum efficiunt, nam diabolus suggerendo quasi lacum peccati aperit, homo consentiendo & delectando, vsque ad profundissimum tendit & lacum extendit; lacus iste, lacus est miseriæ & fæcis & luti. Addendo autem præuaricationes præuaricationibus, & apponendo iniquitatem super iniquitatem, & infinitum erroris proficit, immo deficit, vt qui priùs erat lacus, jam non sit lacus sed abyssus. Ascendunt verò tenebræ super faciem abyssi, vt scriptura testatur; ecce lacus, ecce abyssus, ecce tenebræ super faciem abyssi: sed vnde, vel quare hoc? vnde nisi a confusione operum, seu desideriorum, quare, nisi quia terra inanis est & vacua, inanis scilicet seminibus bonæ voluntatis; vacua, fructibus bonæ operationis.

Maria Magdalis antequam irrigaretur fluminibus paradisi: antequam imprægnaretur sermonibus veritatis, antequam fœcundaretur dignatione piissimi Salvatoris; antequam lavaretur propriis lachrymis fide jam sanctificatis; antequam indueretur amictu confessionis D & decoris, terra fuit inanis & vacua: quid enim ei inanius, quæ vanitati subiecta, vana loquebatur, vana sectabatur, vniuersa vanitas, voluptatibus carnis demersa prorsus efficiebatur. Quid magis vacuum eâ quæ tota gratiarum plenitudine evacuabatur, & nullo boni operis fructu replebatur; sed quomodo vacua, de qua Dominus ejecit septem dæmonia? quomodo vacua, quæ tot dæmonibus plena.

Planè ideo vacua, quia dæmonibus plena; implendo namque dæmonia animam evacuant non implent, solitudinem operantur, non plenitudinem, famem faciunt non satietatem: vitiorum namque natura semper vana, semper cassa, seipsam consumit, & vas in quo intraverit rumpendo, ab omni integritate sua profluens reddit; devorat si quid invenerit, & ne bonum quodlibet accedat, valuas cordis pessulo nequitiæ occludit. Vrit vitorem: comburit florem; folia rapit; fructus corrumpit; naturalis boni radicem corrodit; ramorum venustatem confringendo consumit; quid plura? Totam cordis E regionem subuertit, quasi in vastitate hostili, satiùs itaque planum, immò vacuum est hospitium, quod tali hospite fuerit plenum.

Sed quid factum est; venit plenus ad vacuam, vel potius plenus ad plenam sed gratiâ & veritate, ad plenam malitiâ & infirmitate; plenus bonitate ad plenam malignitate, plenus sanitate ad plenam ægrotatione; plenus plenitudine ad plenam inanitate; euacuauit denique plenam, & impleuit vacuam vnde autem euacuauit dæmonibus, repleuit virtutibus; veteri homine euacuauit, nouo repleuit? euacuauit operibus mortuis; repleuit charismatum donis; evacuauit libidinum exuuiis, repleuit veræ & perfectæ humilitatis trophæis; ad extremum euacuauit iniquitate, repleuit dilectione.

O terra inanis & vacua, pluuiam voluntariam, pluviam serotinam & temporaneam segregavit tibi Deus, vt tu inebrieris stillicidiis superni doni; Simon tanquam vellus arescat præ ariditate superbi cordis. Absit vt F quiescam dormiens in domo mea, cùm anima Domini mei laboret in castris Philistinorum procul à domo mea sua; sequitur enim prædam suam, & jam ligato forti euertit domum eius accensa lucernâ; vt ad solum, immò solium paternum referat drachmam perditam: quomodo itaque ascendam in lectum strati mei, dum sub pellibus, & in tentoriis est Archa, sine anima Domini mei? Plagas pedum & manuum ejus, siue lateris nondum extersi, & sedeo? non vnxi & comedo, non sum osculata & quiesco, non tetigi & secura sum; non sum amplexata, & tenebras timeo? Fides mea vbi es? sanitas mea quid es? quousque taces? quousque lates? quousque hominem times? quomodo videns impietatem, in clamorem in publico non erupisti? quomodo liberatorem tuum pro viribus non extorsisti?

Certè non timebam non Pilatum flagellantem, non turbam rugientem, sed Dominum sic volentem: noueram enim vultum, & ideo considerabam nutum: nutum patientiam innuentem, non tumultum sævientem perpendebam, & ad meipsam conturbata, dolores intolerabiles G infundebam. Vix lachrymæ tuæ procedebant, vix rugitus aërem poterat sine insidiis quassare, vix singultus intra domesticos parietes audebat palpitare.

Iam verò, jam supra modum lassata patientia mea, curram ad patientiam Dei mei laxatam & vsque ad inferos dilatatam: non viuam nisi inuenero vitam; vitam quæro non alterius, sed ejus qui jacet in monumento; excubabo ad sepulchrum ejus donec videam IESVM, etsi mori cum moriente non potui, viuam cum mortuo, vel etiam moriar pro mortuo. Occiderunt qui odio habebant, sepelierunt qui diligebant: quid ego quæ neutrum feci alterum quia nolui, alterum quia non potui; officij mei non immemor, saltem vngam pedes, vngam manus, vngam latus, vngam & totum corpus; non deficiet fidei meæ vnguentum, quia nunquam effectus operis deseret tam pij propositi remunerabilem affectum. Sic meditabatur tanquam columba in gutture suo, sic loquebatur in Spiritu suo, & ecce Angelus Domini audiens venas susurrij, & videns suffusiones oculorum; animaduertensque H creberrimas repetitiones singultuum, signis non ignotis edoctus quid expostularet spiritus, quid desideraret animus; prior ipse enunciat votorumque completionem CHRISTVM resurrexisse asserens subadministrat.

Appende & nunc stateram præsentis gaudij cum statera præteriti mœroris, & sicut compatiebaris doloribus grauissimis, sic admiraberis triumphos supervenientis jubilationis; jam enim dies facta diei eructat verbum, sicut aliquando nox nocti annonciauerat scientiam; cum enim Apostoli nocte ignorantiæ Dominicæ Resurrectionis adhuc tenerentur, quasi nox erant. Venerat autem ad monumentum cùm adhuc tenebræ essent, & non inuento corpore Domini credidit sublatum esse; venit itaque ad Apostolos dicens. Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum; nox igitur erat propter ignorantiam.

SERMO V.

De eadem.

NOn indiget exemplo natura filiorum Adæ in præuaricatione committenda, non monitore in effrænatione luxotiæ, non ductore vt declinet à semita. Semel verò lapsa vix vndique & vndecumque collectis remediis auxiliatur; vix eriam omnimoda curationis sollicitudine adhibita sanatur, vix denique ad veritatis viam ipsa reuocante veritate reducitur. Vt de alto in præcipitium deferatur, nequaquam conandum est: vt autem superna repetantur, vires colligendæ, exercenda virtus, auxilium est exquirendum.

Sic fratres charissimi, sic in promptu, & in foribus mali occasio; peccare volenti spontanea se ingerit, immo etiam quemque nolentem ad se trahit & in suos amplexus cogit. Meretrix est insolens, oculos exulcerans, cor exurens, catenis & compedibus illiciti amoris totum hominem concludens: hæc in ciuitate huius mundi neminem intentatum, neminem inquietum à se vacuum abire permittit; in turribus ludit, muros circuit, lustrat domos, & terram perambulat. Vsque ad pedes IESV euagatur, sed ibi deficit, & quæ hactenus de omnibus triumphauerat, triumpho meliori ipsa succubuit: dilatato enim sinu misericordiæ, fons gratiarum IESVS secundum multitudinem misericordiarum suarum, oliuam inserit oleastro; vas contumeliæ reparat in vas gloriæ; ferrum tollens de terra, facit argentum, de immunda mundam, de ægra sanam, de extranea domesticam.

O quàm sanum caput, cuius pedes tam sancti, vt meretricem, castam efficiant, vt contactu suo, inordinatæ mulieris menstrua sistant, vt puteum iniquitatis, & fontem totius malitiæ arefaciant. O anima peccatrix, in qua iniquitas sedet, in qua peccatum regnat, meretrix effecta malè delectando, peius consentiendo, pessimè operando. Audi piissimum IESVM accumbere in domo Simonis leprosi, & ne diffidas, ne pauescas, ne refugias; qui enim apud leprosum non dedignatur manducare poterit flentem peccatricem respuere? prandium suscepit de manu leprosi, & lachrimas contemnet confitentis animi? iuxta leprosum accumbit, & ad pedes prostratam non respiciet, vel potiùs recipiet? Cujusnam maior iniquitas superbi leprosi, an humilis meretricis? Planè in anima leprosus est omnis superbus, an non & inuidus? forte Simon ideò superbus quia iustus, quia sanctus, quia mundus? sed quæ iustitia, vbi superbia? initium enim omnis peccati superbia.

Cùm ergo altitudo misericordiarum Dei nec domum superbi & inuidi peccatoris refugit, sed intrat vt cœnet, animam etiam superbam humiliando, animam inuidi ad mansuetudinem reuocando; non desperet Maria Magdalis, sed inuoluat se circa pedes IESV, humiliter turpitudinem, & ignominiam vitæ pristinæ confitendo; ingrediatur claustrum obedientiæ, totum corpus suum quod est corpus vitiorum pedibus prosternat IESV, id est omnium virtutum. Rebaptizetur flumine lachrimarum; veteris conuersationis inquinamenta detergat vario ornatu innouatarum cogitationum & operum; superfundat boni & pretiosi odoris spiritalium contemplationum vnguentum: his impinguabitur eius caput; oleum peccatoris, id est Simonis, non impinguat. His delectabitur quem domus præuaricans exacerbat; his irrigabitur, quem torrens iniquitatis non circumdat.

Recordemur jam jam, Fratres, viarum antiquarum, immò errorum præcedentium, & arefacti sterilitate malorum, rastris orationum fodiamus in pedibus IESV fluvium paradisi; vt quod in horto animarum nostrarum aridum est, irrigetur, quod sordidum purgetur, quod marcidum viuificetur, quod sterile impregnetur; quod deforme venustetur; quod inutile amputetur; quod vtile amplietur; quod maculosum dealbetur, quod rugosum extendatur. Ad odorem namque huius Magdalis jam diu emortua sicut virga Aaron penetrante gratiâ reuixit, fronduit, refloruit, & fructus dignos pœnitentiæ fecit.

Verè mortua, cum nihil habens de vita virtutum, in inferno jacebat sepulta vitiorum; verè mortua, cùm spiritibus erroris plena, in castris criminum mortis gerens vexilla debacchabatur in mortem innocentium, verè mortua cuius guttur sepulchrum patens erat, cuius lingua dolosè agebat. Ascendit autem fons qui irrigabat vniuersam superficiem terræ prædicando atque miracula faciendo, & veniendo domum Pharisæi, vt manducaret cum illo, exhalauit verbum viuificæ prædicationis; reserauit absconditam & ignotam suauitatem de secretis cælestium allati vnguenti, & mirâ celeritate respersit vicinum aërem nouitate & alacritate sui balsami; quod cum audisset, vel potiùs hausisset; mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, attulit, alabastrum vnguenti, & stans secus pedes Domini cœpit rigare lacrimis suis, & capillis suis tergere.

Iam ergo viuit quæ Euangelium audit; dicitur namque in Euangelio Ioannis quòd: *Qui audierunt viuent*, Ioan. 5. 25. inerit proculdubio vita in ossibus & neruis verbum vitæ suscipientis, hoc enim Ezechiel testatur cùm dicit: Spiritum à quatuor ventis cœli venisse, & ingressum ossa emortua suscitasse. c. 37. 9. Vbi namque prudentia, fortitudo, justitia, temperantia cum Spiritu Dei accedunt, ibi vita succedit, & mors discedit. Accessit, inquit, mulier quæ erat in ciuitate peccatrix; priùs auersa peccando abscessit, in consilio impiorum delectando abiit, in via peccatorum consentiendo stetit, & in cathedra pestis pertinaci obduratione sedit. Deinde conuersa declinando à malo, venit faciendo bonum; accessit erubescendo, retro stetit in humilitate, perseuerando, pauimento adhæsit.

Quod ita intelligendum est, malum cogitare est à Deo recedere, peruersæ enim cogitationes separant à Deo; adiungere delectationes prauis cogitationibus, est in consilio impiorum abire: ex consensu malum deliberare, est in via peccatorum stare, ad extremum consuetudine malâ in peccatis suis fœtere, & exempla mortis aliis præbere, est in cathedra peccatorum sedere. Oportet autem retrograda conuersione pedem animi reponere, vt bona cogitando, in bonis delectando, meliora sequendo, & in sanctitate perseuerando, annos quos comedit eruca siue bruchus seu locusta, vel etiam rubigo reparemus: annos si quidem luxuriosi, bruchus, annos gulosi eruca; annos superbi, locusta, annos inuidi consumit rubigo. Itaque continendo, abstinendo, humiliter viuendo, & innocenter conuersando resarcimus damna præcedentium malorum.

Accessit igitur quæ recesserat, & tot passibus pietatis ad lucem vt illuminaretur accessit, quot gressibus iniquitatis in regione vmbræ mortis deficiendo excessit. Vnde Gregorius; tot in se inuenit holocausta, quot habuerat carnis oblectamenta Hostiam offert, sacrificium defert, holocaustum in interiora velaminis infert, hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, sacrificium spiritus contribulati, sacrificium pingue & odoris suauissimi: detrahit quoque pellem veteris hominis hostiæ suæ, & artus in frusta concidit: *Lachrymis*, ait Euangelista, *cœpit rigare pedes eius, & capillis tergere.* Luc. 7. 38.

In domo Simonis leprosi, stupenda video, Simonem murmurantem, IESVM miserantem, Mariam amarè flentem: fel amaritudinis, & ventus inflationis rumpunt venas Simonis, mel dulcedinis, & spiritus pietatis superfundunt Filium Virginis; contritio cordis, & impetus compunctionis emanant de visceribus peccatricis. IESVS redundat misericordiâ, Simon malitiâ, Maria pœnitentiâ: de cœlo misericordia, de inferno malitia, de mundo pœnitentia. Solum cœlum novit misericordiam; solus infernus procreat malitiam solus mundus agit pœnitentiam.

In cœlo non est sedes malitiæ, quia inde proiectus est accusator fratrum nostrorum, & traxit post se tertiam partem stellarum, neque locus pœnitentiæ, quia

A patria est regnantium non bellantium, probatorum non probandorum, coronatorum, non in incerto currentium. In inferno quoque non est locus misericordiæ, quia lacus desperatorum, gehenna condemnatorum; malleus à pœna numquam resiliens: neque locus pœnitentiæ, quia sicut sententia confirmatur pœnarum, sic in impœnitentia indurantur corda eorum. In mundo tantùm igitur pœnitentia, quia nullus in eo habitator & * præ- varicator. (* f. & prævaricator)

Suscipit autem huius mundi habitator ex confinio cœli misericordiam, ex contaminatione inferni malitiam, atque ex sua mansione miseriam: neque enim iustus in plenitodine summa misericordiarum euehitur, nisi ruptis peccati fomentis; neque reprobus miseriarum abyssis demergitur, nisi gurgitibus humanæ cupiditatis transcursis: namque & ille in gloria absorbebitur; & iste in pœna. Pendente verò destinatione, siue prædestinatione, neque desperatione negligenter in alterum tuendum; neque præsumptione irreverenter in B aliud intuendum; nescit enim homo vtrum odio an amore dignus sit.

Fugiat itaque malitiam, refugiat ad misericordiam, & sic evadet miseriam: pedes apprehendat misericordiæ, lavet, tergat, & vngat. Apprehendat per timorem, lavet per compunctionem, tergat per confessionem, vngat per devotionem. Caput nihilominus malitiæ apprehendat, amputet, comburat, & in cinerem redigat: apprehendat per fortitudinem, amputet per confessionem, comburat per fervorem, in cinerem redigat per discretionem. Talis apprehensio virtutis & vitij deprehensio, vel potiùs depressio, de ægra sanam, de leprosa mundam, de peccatrice sanctam, de meretrice apostolam constituit.

SERMO. I.

De Transfiguratione Domini.

C (Deut. 32. 11.) *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*, &c. Facta mentione, passionis suæ, ne fides Apostolorum adhuc modica & tenera, tanquam granum sinapis mole & mola tam oneraria opprimeretur præuenit Iesvs consolatione mœrorem, præuenit remedio ægritudinem, præuenit dulcedine rem amaram, præuenit denique glorifica Transfiguratione mortem Crucis turpissimam. Digna siquidem compensatio emolumenti, & omnis de æquitate in statera iusta appendit tam laborem quàm mercedem operis, vt æquis passibus currant quod impenditur, & quod exigitur, via diuersa, vno tamen compito ambitur.

Diuersa plane sunt honorari & despici, glorificari, & deturpari; vno tamen humero Iesvs & crucem portauit, & glorificationem Transfigurationis; eadem namque facies quæ sicut sol resplenduit in Transfiguratione, sputa & alapas sustinuit in passione, si facies imaginis gloriæ Dei solis assumpsit splendorem, non D magnum fuit. Sed quod perfidia Iudæorum spurcissima sui pectoris venena iniecit vultui Dei, quis audiens non tabescit? non aures occludit, non cor fidele discindit? Adhuc vestimenta quæ facta sunt alba sicut nix, tolluntur, & sorte inter milites distribuuntur.

O patientia Dei, quæ vix angelicis custodiis dignè crederentur, quæ populo Christiano pro incomparabilibus thesauris misericordissimè designarentur, crucifigentium indignis manibus contrectantur: sed huius veritatis & varietatis ratio latet in mysteriis à sæculo absconditis. Interim donec plumescat fidei pueritia, antequam miluis exponatur, volandi doctrina apponitur, & exponitur, cùm enim passionem suam Dominus prædixisset, post sex dies assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos.

Aquilina euolatio est Domini transfiguratio; sicut enim in ipsum solem rapidissimo effertur volatu aquila, E sic assumpta à Verbo humana natura potentissimè euolans, in illa hora, reiecit à se omnia mortalia impedimenta, non solari aut niuea claritate contempta, sed claritate quam habuit in Verbo priusquam mundus esset, induta; in quam etiam desiderant Angeli prospicere. Nec enim sic exprimere potuit Euangelista, quomodo valuit efficere virtus diuina; dixit vt potuit homo in comparatione, sed plus potuit Deus in operatione, quàm lingua humana in relatione.

Pullos itaque suos gallina duxit ad montem excelsum; & non sicut gallina, sed sicut aquila prouocauit ad volandum; gallinæ enim non volare sed nutrire pullos est; aquilæ autem est volare, & ad volandum prouocare. In campestribus igitur fuit Iesvs gallina; in montibus aquila; moralibus instruit in campestribus, cælestia ostendit in montibus, languores sanat in campestribus, beatitudines docet in montibus. Lapidem Iacob sternit in campestribus, scalam erigit in montibus, prouocat admiratione, prouocat delectatione, prouocat paterna consolatione; prouocat promissione; prouocat F compassione, quia si compatimur, & conregnabimus.

Quid enim quòd transfiguratus est, non coram sed ante eos; nisi quia configurabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, vt transferamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu? ante eos tanquam caput ipse, & nos post tanquam membra. Membra enim vbique caput suum sequuntur siue ad mortem, siue ad vitam, vnde: *Qui mihi ministrat me sequatur, & vbi ego sum illic & minister meus erit.* (Ioan. 12. 26.)

Deinde sequitur modus transfigurationis, quasi aquilæ volatus singularis, & ad imitandum difficilis, *Et resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*: (Matt. 17. 2.) cùm senuerit aquila renouatur, cùm Iesvs tanquam senio molestiarum sæculi fatigatus, & desiderio finiendi cursus instigatus, sicut Iacob patrem & patriam reuisere proponeret, priùs transfiguratur mutato vultu in claritate solis, & habitu in specie niuis; cessat enim facies veteris hominis vbi accedit gloria noui: *vetera*, inquit Moyses, *proiicietis novis superuenientibus*; (G. Leuit. 26. 10) sed Iesvs ventilabro accepto cœpit mundare aream suam, cùm tabernaculum Cedar mutauit in pellem Salomonis; id est, vetustatem mortalitatis, in gloriam transfigurationis. Et quia nihil artificiale fuit in transfiguratione, ideo comparatio sumpta est de sole, non de subsolari qualibet specie; quis enim attingit solem, vt in illo exerceat artem præstigialem? cæleste igitur fuit, quod solâ potestate diuina, facies Iesv sicut sol resplenduit.

Latet in hac comparatione & hoc solemne mysterium, quod sol resplendet semper cum nube non tegitur; retrahit verò radios suos cùm nube crassa & spissa obumbratur: ignorantia autem Iudæorum, & malitia fecit crassam nubem, & obscuram excæcatione; vnde dictum est, quod *excæcauit illos malitia sua.* (Sap. 2. 21.) Impegerunt ergo excæcati in lapidem offensionis, & petram scandali, nubem tegentem, non solem latentem attendentes, quia senuerat Isaac, & claré videre præsentem non poterat, qui futura verissimè prophetabat. Obumbrauerat se Iesvs tenui & clara nube carnis, sed (H) triplicauerunt hanc malo suo persecutores sui, cùm diaboli veternosum odium, & depravatum proprium sensum inculcantes, triplicem suæ damnationis contorserunt funiculum: non ergo viderunt solem, quia supercecidit ignis, quia furor illis secundùm similitudinem serpentis, &c.

Præualuit certè aquila evolare, quia frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum, & laqueos eorum evadere, sed declinauerat ad escam, quæ est voluntas Patris sui; vnde *Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei*, (Ioan. 4. 34.) maluit ergo deprehendi in muscipula, quam ieiunus remanere, & sine obedientiæ esca. Rostrum vetus comminuerat ieiunando quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, nouum resumptura aquila illa in regno Patris sui, vbi vinum nouum cum discipulis suis bibitura erat, & nouum panem commesura.

A Matth. 17. 2. Sequitur: *Et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*; distingue inter solem & niuem, inter faciem & vestem; non est enim discipulus super magistrum; perfectus autem erit si sit sicut magister eius, non æqualitate, sed similitudine, sicut nix non comparatur soli dignitate, sed claritatis quadam participatione. Per faciem namque ipse Christus, per vestimenta intelliguntur discipuli eius: & in hoc animaduertite quomodo aquila prouocat ad volandum pullos suos, non enim Filio Dei fideles parificabuntur, sed conglorificabuntur, & alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum; stella enim ab stella differt in claritate sic erit resurrectio mortuorum.

Ad volandum igitur prouocat pullos suos, non ad euolandum vel conuolandum: vt imitentur illum, qui sunt ex parte eius, in simplicitate vitæ in passione pro fide, in spe gloriæ filiorum Dei. Nix enim leuis est propter simplicitatem, frigida propter passionem, clara propter resurrectionem. Confer Euangelium cantico: sicut
B aquila prouocant ad volandum pullos suos, & super eos volitans: & resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius sicut nix, quid est nisi prouocat ad volandum pullos suos, & super eos volitat? *Attendite*, inquit,
Sap. 1. 7. Iob. 28. 16. pendens in cruce, *& videte si est dolor sicut dolor meus*. Ecce superuolitat in dolore. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, non adæquabitur ei aurum de Æthiopia.*

Ecce quomodo superuolitat in splendore sapientiæ, & virtutum celsitudine; in cantico sequitur. *Expandit*
Deut. 32. 11. Matth. 17. 32. *alas suas, & assumpsit eos &c.* In Euangelio: *Et apparuerunt Moyses & Helias cum eo loquentes*, quis Moysem de morte, & Heliam de remotissima regione aduexit, nisi aquila quæ expandit alas suæ voluntatis & potestatis, & portauit eos in humeris suis, id est, insuperabilis operationis? portat enim omnia verbo virtutis suæ; illo verbo, illis humeris denique attulit Moysem & Heliam, vt suæ interessent transfigurationi. Sequitur: *Et ecce nubes lucida obumbrauit eos*, fortè ista est nubes, quæ Iesvm suscepit ab oculis Apostolorum, videntibus illis: in
C qua & venturus est ad iudicium iuxta illud: sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

Sequitur, *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus*: in Euangelio, *Et facta est vox de nube dicens, hic est filius meus &c.* Ecce quod ait Apostolus; *Vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis qui est Deus benedictus in sæcula* Non enim duo Dij, Pater & Filius, sed vnus Deus, vnus Dominus, vna fides; vnum Baptisma: huius Domini scilicet Patris facta est vox de nube dicens: hic est filius meus, hic est quem Pater signauit, & misit in mundum: hic discretiuè Filius meus? alij enim omnes adoptione, iste naturâ secundùm diuinitatem, vnione personæ secundum humanitatem: hic est filius meus dilectus generatione, dilectus operatione, dilectus morte, dilectus resurrectione, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

SERMO II.

De eadem Domini Transfiguratione.

Dicens aliquid scribere, vel dicere de Iesv non possumus, nisi ab ipso à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, secundum mensuram donationis suæ accepimus. Spiritus siquidem, qui loquitur mysteria, tam à Patre, quàm ab ipso procedit; is scrutator est inenarrabilium arcanorum Dei; nec opprimitur à majestate in qua æqualiter regnat suæ substantiæ impacitate. Hic igitur adsit nobis, docens omnem veritatem præcipuè cùm de Iesv loquimur, cum de Iesv scribimus.

Domine Iesv cùm secundùm Diuinitatis naturam non esset apud te mutatio, nec vicissitudinis obumbratio: humanato assumpsisti conditionem quæ temporalitati vel vanitati subjecta, sortem mutabilitatis nullatenus excipit; sed in tempore, & cum tempore iuxta naturæ
E Luc. 2. 52. ordinem currit, vnde est illud: *Puer Iesvs crescebat ætate & sapientia apud Deum & homines.* In hac ergo & secundum hanc naturam sponsus Ecclesiæ; cuius venter eburneus, distinctus saphiris, distinxit non solum labiis prædicando, sed & actionibus operando iuxta æternitatis lineas, quid & quando diceret, quid & quando faceret, vt non solum fastidiis humanis subueniret; sed & rationem paterni & perpetui edicti, atque æterni decreti
Ioan. 14. 31. seruaret, vnde in Euangelio ait: *Sicut mandatum dedit mihi pater sic facio.*

Vt itaque rem penè incredibilem deuotio suorum fidelium non abhorreret, voluit pati passibilia hominis, vnde homo agnosceretur, exercuit signa & mirabilia; *quæ*,
Ioan. 3. 2. sicut ait Nicodemus, *nemo posset facere, nisi esset Deus cum eo*. Non tantum per gratiam propter hominem, sed etiam per naturam propter diuinitatem, vt crederetur Deus. Euidentiora autem & pulchriora humanitatis
F signa, etiam in conspectu insipientium apparebant rariora; quæ Deum indubitabiliter assererent, vix discipulorum corda tangebant. Impediebat procul dubio tanta mysterij nouitas Verbi incarnati, ne mundus crederet, quod à sæculis auditum non esset; quod humana ratio non comprehenderet; quod nec vsus, nec consuetudo aliquatenus approbaret; vtique vt Deus homo fieret.

Intercoruscans interdum radius Diuinitatis torporem inertiæ Iudæorum excitabat, sed non excutiebat: Discipulorum vigilantiam animabat, sed rei altitudo obstupefaciendo, à robore fidei aliquando parumper reflectebat; catenus vt frequenter audirent, modicæ fidei quare dubitastis? Item; adhuc & vos sine intellectu estis? Mixto itaque cursu stabilitatis & instabilitatis apostolicæ, donec tempus appropinquaret passionis, vt omnem dubitationis detergeret caliginem, assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem excelsum, vbi transfiguratus est ante eos.

Fortissimum & inexpugnabile fidei Christianæ hoc
G argumentum, quod sub velamento carnis latebat virtus diuinitatis, & idem qui extrinsecus homo apparebat, Deus erat quod intrinsecus latens non apparebat. Nam nec in ipso articulo transfigurationis substantiam diuinitatis viderunt Apostoli, sed carnem resurrectione perpetua paulo post glorificandam, prælibatione sancta prægustauerunt arte medicabili; quatenus in fortitudine huius refectionis non deficerent vsque ad montem Dei Horeb, id est, in resurrectione, in qua, iuxta Interpretationem huius nominis: desiccata est in Christo, tam mortalitas, quam omnis passibilitas; Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, &c.

Meritò à Christianis colitur hæc sancta & præclara solemnitas, in qua quasi vestigium pressit fides; quæ etsi periculose non vacillabat, tamen altas radices non dederat. Præcesserat quidem in baptismate Ioannis, vbi Spiritus visus est in columbæ specie, Pater auditus æque in voce: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene com-*
Matth. 3. 17. *placui, ipsum audite*: quædam æmulatio huius pulcher-
H rimæ transfigurationis.

Equidem obumbratione sacramenti, illa fœcundior propter mysterium nostræ regenerationis quæ tunc inchoata est: ista pulchritudine celsior, & testium attestatione validior; vnius namque testimonium longe infirmius est quam quinque vel trium, solus Ioannes illa audiuit & vidit. Petrus & Iacobus, & Ioannes cum Moyse & Helia hic interfuerunt, & testes idonei sunt. Ibi nec caro, nec facies Iesv decorem suum immutauit; hic supra vsum hominis facies sicut sol resplenduit; illud in deserto factum est, hoc in monte excelso & illic, & hic gloria Iesv. Ibi quasi introitus fidei spectatur, hic quasi egressus, vbi res fidei manifestè cernitur. De illa Apostolus: *Videmus nunc per*
1. Cor. 13. 12. Ioan. 1. 14. *speculum & in ænigmate*, de ista Ioannes: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti a Patre.*

Domine Iesv sicut modò quasi exuisti ad horam mortalitatem nostram, nonne si nostræ saluti expediret, absque pœnali & gemebunda expoliatione, virtutem &

pulchri

A pulcbritudinem tuam superinduere posses, nec saccum tuum à Iudæis scindi permitteres, sed de sacco soccum, quàm de aqua vinum faciliùs faceres? Sed vt passio, quæ propè erat, voluntaria esset, luce clarius appareret non coacta, vel ineuitabili necessitate suscipienda, quod in ore sacci Benjamin erat in ipsa via, aperto sacco reuelatum est magnum pietatis mysterium., vt pecunia illa, qua redempturus erat filius dexteræ Israël & gentes, in ore IESV esset: vnde cùm dixisset consummatum est, & emisisset spiritum, solutum est pretium, & deletum quod aduersus nos erat chirographum.

Saluo tanto mysterio; ad transfigurationem pertinet quod in via, id est, antequam ad mansionem veniret apertus fuit saccus Benjamin, non scissus. Scissio enim est passio, apertio transfiguratio; in apertione non est saccus exinanitus, vel euacuatus, quia eandem formam & habitum mortalitatis peracta transfiguratione recepit, seu representauit quam de matre mundum ingre-
B diens acceperat, & quasi quodam resurrectionis prælndio deposuerat. In conscissione verò absorpta est in victoria, & non lusit Iacob cum Esau, id est, diabolo, sed illusit & supplantauit; vt destructo corpore peccati, nec planta remaneret ex qua rediuiua generis humani deceptio pullularet, & CHRISTI necessariò reiteraret.

Fuit ergo transfiguratio, quædam necessariæ mortalitatis de peccato venientis interruptio, qua se IESVS comprobaret non affe..um legibus mortis, nisi quando, & quomodo, & quatenus vellet, quod enim ibi fuit horarium, si vellet esset continuum. Manifestauit ergo seipsum non qualem putabant Iudæi, sed qualem credebant Apostoli; non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: quia nec supprimenda erat veritas, vt nemo eam sciret, nec propalanda principibus mundi, quoad principium orationis suæ fine meliori concluderet. Hoc enim impedimento foret sui propositi, illud detrimentum generaret Christianæ fidei: quis enim co-
C gnosceret sensum Domini, nisi is qui est in sinu Patris enarraret, cùm nemo nouerit Filium nisi pater, neque Patrem quis nouerit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Idcircò in hac transfiguratione, & filius patrem, & pater commendat Filium: Hic est, inquiens, Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.

Prou. 11. 17. *Dulce lumen*, vt ait Salomon, *& delectabile oculis videre solem*: Probat hoc Petrus Apostolus, qui cùm vidisset IESVM amictum lumine, sicut vestimento: vestimenta enim eius erant sicut nix, & cerneret faciem
Matth. 17. 4. eius resplenduisse sicut sol lucet in virtute sua ait, *Domine bonum est hîc nos esse*; inescatus si quidem tantæ dulcedinis hamo, quæ retro erant oblitus, lagenam cordis impleuerat stillicidio irrigante de emissionibus Paradisi, quibus illectus clamabat trahe me post te, curremus in odorē vnguentorum tuorum. Et si enim Euangelium pro compendio sui officij (quo quasi gallus succinctus velociter currit tanta obstinatione, vt neminem per
D viam salutet) omiserit exprimere fragrantiam spiraculorum, quæ flante austro allata sunt, tamen credendum & subintelligendum est super omnia aromata respersisse odorem suauitatis omnibus adstantibus vestimenta illa, quæ facta sunt alba sicut nix; sic enim de solario suo visus minùs gauderet, si pro patre sua odoratui indultam benedictionem non communicaret: nec integra germanitas seruaretur, si odoratu famelico remanente, oculus satiaretur.

Fudit ergo Petro & socijs suis riuos olei sui non vniformiter, sed multipliciter, vt quicumque sensus sitientes adiuxerant, vno tam solemni ferculo debriari dicerent, *Domine bonum est nos hîc esse*: animaduertendum est, quia diuerso modo afficit quod corporaliter, & diuerso quod spiritaliter reficit. Præ inopia enim sua rarò & rara reperies corpora, quæ vna habitudine diuersis seruiant simul sensibus; diuersi namque sensus seu appetitus; diuersos habent fines suæ delectationis vel satietatis; ita vt semper requirant aut diuersa tempora,
E aut diuersa in eodem tempore delectamenta. E diuerso spiritalia dona simul & semel omnes varietates desideriorum supplent; & in vero bono sicut non est mendacium quod decipiat, sic plenitudinis nulla imminutio, quæ egeat subsidiaria alternatione, vel vicaria sollicitudine.

Et *ecce apparuit Moyses & Helias cum eo loquentes*. Aggreditur vaga quæ gyrum cœli frequenter circumuallat quæstio, quærere cùm Moyses & Helias præ cæteris in corpore an in spiritu venerint, quid cum eo locuti fuerint. Sed quid vrget quæstio, cui certa dari non potest responsio? & si contineat medullam desiderabilem, os durum atque solidum gingiuis profectò catulorū rodi potest, penetrari non potest. Instat appetitus effringere, sed succumbit virtus vndique munitam medullam extrahere: attamen quia labor improbus omnia vincit, dulce est pulsare, & ciuitatem circumstantiæ circuire vt in labore sit saltem solatio ipsa honesta sollicitudo.

F Occurrit igitur animo inuestiganti, quòd Moyses & Helias montani fuerunt, & hominum fugientes consortia, in montibus Angelicis subsidiis de Deo multa cognouerunt, atque vitam suam solitudini pro posse dedicauerunt. Proinde quasi de consuetudine, eò quòd iam multis celebratis conciliis de IESV in montibus adsuerant, hoc tam solemni de transfiguratione Angelico ministerio nunciato, interesse studuerunt. Meritò tam præclaris luminaribus, & assumptæ humanitatis prædicandæ glorificationi ille accurrit, cuius oculi nunquam caligauerunt nec dentes moti sunt, Moyses: meritò & ille cuius caro mortis corruptionem non vidit: cuius mortalitas priuilegio pene singulari, nec curru igneo consumpta, nec morte absorpta, immortalium iam fruitur regione; & penè vicit mortem insolita, & longa dilatione.

Fortè & IESVS in montibus pernoctans in orationibus, vsus fuerat eorum præsentia, & ad hoc dies præfixa, vt ab vtroque de dissimili statu eorum, secundum hominem assumptum quæreret, quis potior esset sta-
G tus Moysis exuti à corpore, an Heliæ viuentis adhuc in corpore. In potestate namque IESV erat quod mallet eligere, licèt in proposito alterum sine dubio teneret. Alterum si quidem iustum videretur pro persona assumentis, & assumpti; alterum verò indubitanter necessarium erat pro officio patrocinantis, & negotio querelati, & in causa sudantis; ab vtroque tamen ex dispensatione sua mediator aliquid mutuaret, vt mortale corpus priùs sine morte exueret, glorificatione non perpetua transitione, retento aliquid simul de veteri & aliquid mutuato de nouo statu & futuro, vt ex mutuato Moysi; ex retento Heliæ congrueret.

Est & aliud quare Moyses & Helias cum Domino in transfiguratione visi sunt; testes enim tam & apud homines quàm & apud Angelos assumpta humanitas habere non recusabat, quòd de suo arbitrio penderet vel mori pro homine & sic ad gloriam suam intrare; vel infecto negotio, nostræ redemptionis, nec interposita
H morte ad dexteram Patris redire. Omnia itaque cum consilio facturus, authenticos adesse suæ transfigurationi mandauit homines, vt Moyse tanquam suo authore Iudæi non credentes conuincerentur, Helias venturus in fine sæculi tota fiducia Christum non Antichristum adorandum protestaretur, sunt & aliæ rationes quæ iam expositæ sunt à Sanctis Patribus; vel exponendæ restant suis temporibus.

Cum eo, inquit *loquentes*, seruant disciplinam, nec fines mandati excedunt: non loquuntur Apostolis, sed cum IESV, quia non huc ad hoc venerant, vt vel audirent sæculares rumores; vel vt referrent nondum explanandos, licèt iam scriptos Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini Sanctos canones. Ad quod & ad quem venerant, loquuntur; & vltra superponunt digitum ori suo, ne loquantur opera, non dico hominum, sed nec Angelorum. Fortè more suo Moyses rogat pro populo Iudæorum, cuius præuidet imminere ruinam; vt saltem reliquiæ saluæ fiant: fortè non

deposito zelo Helias decernit vindictam, quæ futura erat sub Tito & Vespasiano, secretum tamen suum colloquium teneamus non discotiamus, quia gloria Dei est celare verbom.

Sequitur, *& ecce nubes lucida obumbrauit eos*; instandum est Euangelicæ lectioni, & ab ipsa contexendus cursus nostræ orationis, non enim de nostro, sed de suo compingere debemus tabernaculum Deo Iacob: neque enim in manufactis habitat Deus, id est, in his quæ humano ingenio adiuuenta sunt sine gratia, per quam cognitio Dei siue amor acquiritur. Non enim in manufactis habitat Deus se innotescendo per inanem Philosophiam, & per stultas fabulas siue genealogias, & interminabiles quæstiones; inde est quod nemus prohibetur plantari, vtique cauillosa & obscura sophismata, iuxta altare Dei. Sola siquidem authentica de propheticis & apostolicis scrinijs, & Ecclesiastica authoritate roboratis scripturis, in Ecclesia legenda sunt & cantanda: hæc enim, scilicet nubes lucida, id est, scriptura diuina, seu Ecclesia Catholica, nubes lucida est.

Nubes est scriptura triplici ratione, quia refrigerat in calore tentationis, congrua docendo remedia; obumbrat in angustia persecutionis, promittendo præmia quibus non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis; rigat in tempore siccitatis, hinc infernales euaporationes, & fumibundas incastrationes ante oculos ponens; inde vernales & salubres aspirationes à superstellari regione, quæ tota mundissimis & beatissimis spiritibus referta, ineffabiliter odorifera nec vnâ tussiculâ offenditur: *Nubis*, inquit, *lucida obumbrauit eos.* Hanc obumbrationem Psalmista explorat, & implorat dicens; *Obumbra super caput meum in die belli*: dies belli est tota vita ista, quia malitia est vita hominis super terram, vbi est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, aduersus principes & potestates, aduersus rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. [Psal. 119. 8.]

Parum in his proderit galea ferrea, nisi obumbrauerit nubes lucida, id est, gratia quæ de visceribus suis enixa est diuinam scripturam; neque patitur natales suos violari per illam; per vbera siquidem veteris & noui testamenti exprimit tam guttas quàm stillicidia vteri sui, quibus imprægnata est Virgo Maria, quibus regenerata progenies adoptiua, per nubem lucidam, quæ est Ecclesia, æqua etenim mensura vsque ad summum implet vtraque vbera, & Ecclesiam, & scripturam diuina gratia, idcirco gemina est lactatio, sed vna filiorum educatio. Est igitur Ecclesia nubes quæ peregrinatur à Domino; est lucida, quæ semper fœcundatur à Spiritu sancto; obumbrat filios suos sicut gallina pullos suos, ne cedant in aduersitate, ne deficiant in persecutione, ne periclitentur in præmij dilatione.

SERMO I.

De Assumptione Beatæ Mariæ Virginis.

[Ezech. 11. 22.] *ET eleuauerunt Cherubin alas suas & rota cum eis, & gloria Dei erat super ea.* In hudierno sermone efficax est materia & efficacior dicendi copia: verùm in eo minùs laborandum est, vt ea laudetur, quæ sine commendatione laudabilis est; sine exhortatione amabilis, non sine retributione venerabilis: omnibus enim amabilis est, videlicet Mater misericordiæ, Virgo Maria, omnibus concupiscibilis, quia tota pulchra, omnibus venerabilis, quia plena gratiâ: singulos quidem odore vnguentorum suorum ad amorem suum trahit Virgo singularis. Sola sufficit omnibus, vt species quædam salutaris, quæ sine aliarum admixtione specierum efficacissima est ad conficiendum humanæ salutis vnguentum: huic speciei si admisceatur alia, aliquid ei videbitur subtrahere odoris, nihil verò conferre vigoris, sola placuit Deo Patri, vt Filij sui mater fieri mereretur: sola sine exemplo placuit Christo, vt ex ea nasceretur & Spiritu sancto, vt eius templum fieret & eo repleretur: sola non immeritò nostræ saluti sufficiens, ex qua pro nobis Saluator nasci dignatus est.

Hæc est porta per quam Christus ingressus est mundum ad nostram redemptionem, & hæc est Virgo per quam reperimus Deum & hominem, hæc est manubrium per quod velut ferrum inseparabiliter ei iunctum tenemus Christum; hæc est securis quâ rescinda sunt ligna æterno tabernaculo necessaria. Sapientia tenuit istam cùm ædificauit sibi domum, & excidit columnas septem; manubrio si quidem isto ferrum ad tenendum est meliùs, ad mouendum habiliùs, ad operandum vtiliùs; qui caret isto, parùm operabitur illo, quia non dominabitur; nisi ex ea Christus nasceretur, humana cæcitas non illuminaretur, humana infirmitas non sanaretur, humanum genus non redimeretur.

Ecce quàm iocunda, quàm necessaria, quàm veneranda nobis est Virgo Maria, ex qua mundo apparuit lux vera, sanitas æterna, redemptio copiosa, & vtique qui non habet hoc manubrium, non habebit hoc ferrum; semel enim ista coniuncta sunt, & semper connexa manebunt. Christus eam hodie assumpsit ad gloriam, ne vlterius nostram sustineret miseriam; legis memor quâ dicitur: qui parentes deserit in calamitate, insepultus abijciatur; non ergo eam in terris deseruit, sed in cœlum assumpsit matrem eius, & posuit tabernaculum suum in circuitu eius. Quod verò ignoratur, & si piè credatur, verum scilicet corpore assumpta sit, causâ venerationis festum esse credendum est more illorum qui munera deferunt, & ea non priùs detegunt, quàm ad eos perueniant, quibus munera repræsentare debent.

Verùm non incongrua similitudine illud Ezechiel huic Assumptioni adaptari potest, quod Cherubim, qui ante Deum semper assistunt, pro hac Virgine missi, alas suas leuauerunt, & iuxta Isaiam duabus velabant caput eius, duabus verò pedes eius, Conceptionem videlicet, & Assumptionem, quorum vtrumque nobis est absconditum, vel velabant caput eius alâ suppositâ & superposita, subiectione scilicet & veneratione, nolentes illud Dei templum reuelare, antequam illud repræsentassent Maiestati diuinæ. Item pedes velabant duabus alis, obsequio scilicet & præconio cantantes, surge propera Amica mea, veni de Libano, veni coronaberis.

[Ezech. 10. 14.] Et rotæ erant cum eis, de quibus idem ait Propheta: *Audiente me vocauerunt eas volubiles*, corpus scilicet & animam Mariæ, quæ corpore & anima diuinæ voluntati erat subiecta, nunquam sentiens legem carnis repugnantem spiritui. [Ibid. c. 3. 12.] Sequitur? *Et audiui post me vocem commotionis magnæ*: Hæc vox peregrinantis Ecclesiæ & laborantis, quæ ad Deum clamat: Non est tibi curæ, quod Maria reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Clamat etiam post Mariam orans: sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, qui tibi deferunt munia laudum.

SERMO II.

De eadem Assumptione.

[Ierem. 31. 21.] *VIrgo Israel reuertere ad ciuitates tuas*; Ad matrem luminum, quæ hodie à montibus æternis exultatione à cunctis reuerenter excipitur, vertamus, fratres charissimi, lumen oculorum nostrorum, sermonem la-

A biorum, plausum manuum, affectiones cordium, & in-
tentionem cunctorum motuum. Ecce enim post Iesvm
primogenitum & vnigenitum suum vlteriora velami-
nis, quod est ante oraculum penetrat; non solùm
Cherubim atque Seraphim supremis sedibus assumpta,
sed etiam super alas eorum mirabiliter & magnificen-
ter exltata, de illa namque dicitur, quia exltata est su-
per choros Angelorum ad cælestia regna. Vt itaque
collectione omnium virtutum iam maturatam terram
natiuitatis suæ repetat, & domum æternitatis adeat,
sermo à regalibus sedibus illam hortatur sic: *Virgo
Israël reuertere in ciuitates tuas*, quasi dicat, regnum
quidem tuum ô Regina cæli, tibi paratum est ab origi-
ne mundi, iam iamque regressum & aduentum tuum
deplorat, quatinus & suum acceptabile tibi obsequium
præbeat, & tuum gratissimum in se dominium re-
cipiat.

Reuera enim nec tua imperia ministerialibus tuis
molesta, nec illorum obedientia dispositionibus tuis
B est murmuriosa; familia cœlestis moram tuam fastidit;
mansio cœli locum tuum hactenus vacuum præsentiâ
tuâ insigniri deposcit. O quàm religiosa curiositate
illæ cælorum virtutes, quæ de castris nunquam vel
tarò egrediuntur, frequenter inquirunt ab eis Angelis,
qui in ministerio mittuntur propter eos qui hæredita-
tem capiunt salutis, dicentes, quando veniet Domina
nostra, Regina nostra, Soror nostra, Mater regis &
Domini nostri. O quanto affectu mandant, & remau-
dant ei: *Virgo Israël reuertere in ciuitates tuas*, ascende
ad montana nostra, veni ad palatia nostra, intra cella-
ria nostra, penetra cubilia nostra, quia hæc omnia tua
sunt, possessio vtique tua, hæreditas tua, domus tua.
Quid est autem possessio sine possessore, hæreditas sine
hærede, domus sine habitatore, ciuitas sine rectore?
reuertere itaque, reuertere sunamitis, reuertere, reuer-
tere vt intueamur te.

Primò reuertere à captiuitate mundi, quia captiuitati
non debet subiici, per quã captiui à captiuitate sunt ab-
C soluti sua: secundò reuertere ab homine sine corrupti-
bilitate carnis, quia sicut immunis es à corruptione
peccati, sic ad immortalitatem transire debes absor-
pta mortalitate per gratiam Dei. Tertiò reuertere ad
libertatem gloriæ filiorum Dei, quia sicut peccatum
nunquam regnauit in tuo mortali corpore, sic digna
es perfrui, etiam in carne virginali, eadem spiritus
libertate, qua fruuntur in sua spirituali substantia An-
geli ab ipsa sua creatione, siue potiùs confirmatione.
Quartò reuertere vt intueamur te à dignitate Angelo-
rum ad superexcellentiam iam beatificatorum spiri-
tuum, quia sicut in facie filij tui desideramus pro-
spicere, sic in specie & pulchritudine tua vultus defi-
gere volumus, & luce vultus tui illustrari omnimodis
satagimus. Denique istæ reuersiones numerosiores as-
censiones fiunt, de quibus in laude Sapientiæ dicitur:
Eccl. 24. 15. *Quare cedrus exaltata sum in Lybano, & quasi cypres-
sus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in ca-
des, & quasi plantatio rosa in Iericho, &c.*

D Domina nostra exaltatur quasi cedrus in libano se-
cundùm merita sanctæ conuersationis: exaltatur quasi
cypressus inmonte Sion secundùm altitudinem pu-
rissimæ contemplationis; quasi palma in cades exal-
tatur, secundùm præmia æternæ remunerationis, quasi
plantatio rosæ in Iericho, secundùm mortificationem
carnis, & compassionem Filij in cruce pendentis:
quasi oliua speciosa in campis, secundùm affluentiam
pietatis; quasi platanus iuxta aquam in plateis, secun-
dùm famæ & gloriæ dilatationem in vniuersis lin-
guis & populis, sicut cynnamomum, secundum odo-
rem bonæ opinionis, quasi balsamum aromatizans se-
cundùm conceptum & partum Christi à quo tanquam
à capite distillat vnguentum nostræ Christianita-
tis; quasi myrrha electa secundùm stolam immorta-
litatis, quam recepit à filio suo in die Assum-
ptionis.

Ex his omnibus tanquam à domibus eburneis, id est,
castissimis cæli palatiis dedit suauitatem odoris, quo E
attracti simul ad illam clamemus totis desideriis, to-
tis suspiriis, trahe nos post te, in odore vnguentorum
tuorum curremus ad montes aromatum, vbi sancti
suauitate illius horti deliciarum afflati exultant in glo-
ria, lætantur in cubilibus suis; exultationes Dei, pro
rantis odoribus, in gutture eorum, in conspectu Agni
amicti stolis albis, ipso donante Christo Iesv; qui
viuit & regnat per omnia, &c.

SERMO III.

De Eadem.

QVæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit Luc. 15. 8.
*drachmam vnam ex illis, nonne accendit lucernam,
& euerrit domum & quærit diligenter donec inueniat
illam*, &c.

De sacro palatio summi & æterni regis profluente F
ad areolas nostras mentibus continuis copiosa Dei
bonitate, singulæ stationes tam temporum quàm homi-
num, secundum mensuram & rationem innatæ boni-
tatis generali, & speciali beneficio ab initio sæculi non
auarè locupletantur: Cùm ergo, vt ait Apostolus: *Vnus-* 1. Cor. 7.
*quisque proprium habeat donum ex Deo, alius quidem sic,
alius vero sic*; partem suam Deus, qui non solùm do-
nat, sed & accipit dona in hominibus, nequaquam de-
teriorem fecit. Ait enim in Psalmo, *Funes ceciderunt* Psal. 6.
mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.
Verè in præclaris funes ei ceciderunt, qui cùm sit splen-
dor gloriæ, de Patre luminum ante tempora sæcularia,
æterna processit geniturâ, qui que de Virgine virginum
carne sumpta, in plenitudine temporis in humana, ve-
rus Deus & verus homo apparuit sine peccato, na-
tura.

Hæreditas etiam eius præclara est ei, quia Ecclesiam G
de Iudæis & gentibus, eripuit de potestate tenebrarum
per fidem, & per spem, & charitatem transtulit in re-
gnum claritatis suæ, quatinus candor lucis æternæ spon-
sam haberet non habentem maculam neque rugam, sed
formosam tanquam columbam quæ vna est matri suæ,
electa genitrici suæ, id est prædestinationi diuinæ & iu-
stificationi. Cùm itaque de æterno consilio tempus be-
neplaciti imminetet, vt Deus pater per vnicum filium
dispersiones Israël, per adoptionem hæreditati inmar-
cessibili aggregaret, puellam de terra Israël sibi despon-
sauit, & dote bona, de thesauris suis cumulauit, publi-
cis instrumentis matrimonium confirmans, atque legi-
timo priuilegio donationem propter nuptias contra dæ-
monum, hæreticorumque versutias corroborans. Vna
enim hæc est inter mulieres, in qua princeps nihil suum
inuenit, de qua fraus hæretica, mendacia sua stabilire
non potuit; in hoc priuilegio tam matris, quam filij
natales continentur. Continetur quoque & dos pro-
fecta à virgine, vtique castitas, innocentia, & humili- H
tas, simulque donatio propter nuptias, vtique plena
gratia redhibita à Deo parte.

Septem de Apocalipsi sigillis impressum, & signa-
tum hoc priuilegium, castis & virgineis obtutibus tùm
patet, condemnans & obtenebrans oculum, nequam,
ne videat gloriam Dei. Denique secretiora quædam
quæ nemini mortalium pandenda, donec in resurrectio-
ne, velo templi scisso, ingrediamur sanctuarium Dei,
certis involucris, quod est in profondo & secreto Dei
iudicio sancta Sanctorum occultat. Tunc enim lege &
iure ciuitatis quæ vitro similis dicitur, nihil cum Deo
regnantibus clausum, nihil de occultis filij restabit in-
cognitum. Corda omnium penitus indifferenter appe-
rent scire & sciri, magis tunc properabit & vrgebit con-
scientia venire ad publicum, quàm modò requirat pri-
uatum & secretum silentium; mala enim timet sub luce
videri bona dedignatur occultari: in omni autem socie
tate vniuersæ illius curiæ nulla nisi bona interetit.

A Reuoluamus tamen interim prima huius priuilegij folia, & ex prælibatio ænigmate excutiamus quæ de mensa Dominorum catulis obuenerunt, paucas micas. *Quæ mulier*, inqui Dominus, *habens drachmas decem, &c.* Non consuetè hac vtitur locutione scriptura de Domina nostra; in Canticis enim, vbi quasi in cubiculis suis & lectulo florido prærogatius eius mysticè requiescit, sæpenumerò Salomon sic de illa cecinit; *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, quæ est ista quæ ascendit per desertum?* (Cant. 6. 9. & 8. 5.) Minuitur namque maiestas dicendorum, quando quæ dicuntur non congruunt qualitate & modo dicendi, rei de qua dicuntur, non minimùm quoque peccat in dicendo, qui inexplicabilia explicare nititur, vel qui facilia dictu aggrauare laborat: idoneus verò recitator, qui pro facultate, dicenda assumit, & suspensus admiratur, quod exprimere non sufficit.

Ait ergo Dominus, quæ mulier, &c. non de inopia succumbens, sed pro misericordia minus capacibus condescendens, quasi diceret, præ cunctis mulieribus hæc B mulier excellit incomparabiliter genere, sanctificatione, nomine, integritate vitæ, contemplatione, angelicâ familiaritate, Dei & hominis conceptione, partus nouitate, filij cohabitatione, in cœlis assumptione. Quæ ergo est mulier habens drachmas decem quas enumerauimus? illa sine dubio de qua præsens sermo habetur, & cuius dies assumptionis in cœlis & in terris hodie celebratur. Si delicijs cœlestibus assuetus, supellectili meliori & molliori cubiculum suum futurum Rex gloriæ strauit, & valida munitione circumuallauit, vt esset hortus conclusus, fons signatus, quid mirum? cùm videas insensatas auiculas, vndecunque congerere mollia, & nido vtilia deferre, vt quasi domum sibi faciant, vbi pullos reponant.

Ligna itaque sibi sapientia Dei, in virginali domicilio congessit, quando decem drachmas matri contulit, vt pote qui de magno genere est, secundùm Patris generationem, de magno genere faceret nasci Matrem, & qui omnium sanctificator est, ex vtero sanctificaret C in quam venturus esset, & claro nomine insigniret, de qua hominem IESVM assumeret, & in singulis quæ de illa facturus, vel ex ea accepturus erat, noua quædam præludia præmitteret; si enim Rebeccæ seruus Abrahæ inaures aureas & armillas pondo syclorum decem, quia vxor futura erat Isaac, obtulit, quid Mariæ matri suæ cœli & terræ Dominus dare non debuit? Decem ergo drachmas ei dedit, cui & nouem ordines Angelorum, & omnes homines non immeritò subiecit. Suscipiunt enim Angeli Dei spontaneam eius obedientiam, quàm à dextris filij suspiciunt super se collocatam, quomodo autem ei non obediret omnis homo iam regnanti in cœlo, cui in terra obediuit factus pro nobis Deus homo?

Non pigeat aut pudeat vos, ô Angeli sancti, quia mulier dicitur, cuius dominationi tota curia vestra submittitur, quia nomen est non vitij sed naturæ, non infirmitatem præferens, sed concipiendi habilitatem perferens, Fortè honorabiliori nomine illam vocasset, qui D habet scientiam vocis, si hoc in suis æternis rationibus commodius dici reputasset: sed rem & nomen compensans impositor nominis, & auctor operis, ne prorsus resiliret gratia à naturà, vsus antiquitatis à nouitate conceptionis, in vtroque temperauit vtrumque, vt de consuetudine nomen retineret, & de nouitate opus gratiæ excelleret. Mulier itaque est natura, Mater gratia; nec naturæ præiudicium facit gratia, nec gratiæ potestatem adimit natura: quinimmò melioratur natura per gratiam, nec minuitur gratia propter naturam: idem namque dator est gratiæ, qui auctor est naturæ, vt dum quasi senescit natura, succedat semper vigens, & valens gratia. Phenenna quidem Annæ improperat, & Lya Racheli sterilitatem, sed pulchritudine & quandoque fœcunditate, iuniores tempore, antiquioribus præferuntur, ne prælatio temporis deroget efficaciæ sequentis virtutis; parit quidem natura, sed sine merito, parit gratia, sed cum merito, & præmio vbique pedibus E gratiæ natura substernitur, nec ad bonum remuneratorium nisi eadem duce præuia & comite erigitur.

Hæc igitur mulier quasi lignum finium terræ vetustati communicat nomine sine reatu culpæ, nouitate concipit eum qui culpam deleuit, & reatum exterminauit, dicatur ergo quæ mulier? Sequitur, habens drachmas decem, cum multis modis habere dicatur, vt est habere famem, habere albedinem, habere cappam, habere corpus & animam, habere denique virtutem, quia præter materiam est, nunc de his tractare, duos tamen modos quos nouit scriptura ponamus, quorum alter est temporalis, alter perpetuus. De vno Apostolus: *Benedictionem*, inquit, *hæreditate possideatis*, & (1. Petr. 3. 9.) alibi, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Sponsa (Rom. 11. 29.) quoque in canticis de sponso ait: *Tenui eum nec dimittam.* Secundùm quod charitas nunquam excidit. De (Cant. 3. 4.) altero Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, & Psal- (Iob. 1. 21.) mista: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*: & in Euangelio: *Vado & venio ad vos.* F (Psal. 50. 14. Ioan. 14. 28.)

Vtroque genere habendi mulier drachmas decem habuit, nam vnâ perdidit, cæteras nec perdidit, nec perdere potuit: decem verò sunt, sicut decem chordæ psalterij, & decem mandata legis, quæ qui non seruat, decem sustinet plagas Ægypti. Iam itaque accedamus ad contrectandas oculis ac manibus drachmas, vt sacco Beniamin, filij dexteræ, aperto deuoluamus tanquam negotiatores empturi, aut saltem visuri vnde oculus pascatur, anima lætificetur: de his enim nec oculus satiatur visu, nec auris auditu, quia illarum tam semper nouus rutilat aspectus, quàm deuotus assistit beatæ Virgini noster affectus.

Sicut autem in Pontificali indumento duodecim pretiosi lapides intexuntur, sic Virgo nostra decem drachmis in vestitu deaurato circumtegitur; distinguuntur quoque appellatione, pretio, & specie. Prima igitur continetur in genere, secunda in sanctificatione, tertia in nomine, quarta in integritate vitæ, quinta in con- G templatione, sexta in angelica familiaritate, septima in Dei & hominis conceptione, octaua in nouitate partus, nona in filij educatione & cohabitatione, decima in cælis Assumptione. O anima mea! ô boni amici! ô fratres charissimi! quis odor? quis color? quis sapor circa hæc respirare, talibus aspicere*, de huiusmodi labia, linguam, & palatum implere? (* f. aspirare.)

Non citò moueamini a vestro sensu, quia sensus consummatus est si possis virginalia membra sentire, quod si non membra, saltem drachmas, quod si non drachmas, saltem fimbrias aureas, quod si non fimbrias, saltem vestigia quod si non vestigia, saltem vmbram, quod si non vmbram, saltem memoriam. Has murenulas aureas faciamus Dominæ nostræ, vermiculatas argento, vt si animâ pollutus & carne, nec membra, nec drachmas, nec fimbrias, nec vestigia, nec vmbram imaginationis apprehendero, quia aurea sunt saltem in eo portionem habebo quod vermiculatæ sint argento. Dum de te domina nostra loqui labia mea non prohibebo, iuxta quod H expressum est in Euangelio, lege & Prophetis.

Loquar itaque, cùm sim puluis & cinis, de dignitate tui generis: nam regali & sacerdotali progenie orta, præfers genus electum, regale sacerdotium, vt sicut omnia omni virtute, sic etiam præcellas genere. Pia enim Dei sollicitudo, vulneribus generi humano à latronibus illatis prouidit oleum, & vinum, quatinus oleum pontificale nos Deo reconciliaret, & vinum regale contra diabolum defensaret; ideoque Regem & Sacerdotem in terris constituit, quatinus Rex hostem fortitudine repelleret, Domini iram Pontifex sacrificiis mitigaret. Gemina hæc potestas in vna compagine coacta, cum tempus nostræ redemptionis appropinquaret, virginale corpus protulit de sui vtriusque confectione, & tanquam duæ oliuæ, duo candelabra ante Deum lucentia, duo in facie Moysis cornua ad conficiendam virginem, de quâ conciperetur geminæ gygas substantiæ, conuenerunt, qui sua passione Patri nos reconciliauit,

A & potestates aërias debellauit. Disparilitas itaque dignitatum sæcularium tempore accepto, quasi ad vnum commeauit alueum, & in virgine simul auctorem suum non ingratè recognouit, sed ad supportandum dominicum corpus, humeros debita collatione, & congratulatione supposuit. Sic igitur rosa orta de spinis, siue oliua speciosa in campis, de medulla cedri, & adipe frumenti sanctissimum corpus accepit.

At fortè si quis non consentit inter dotes virgineas, censendam dignitatem generis, quia ignobilia mundi elegit Deus, animaduertat potestates & dignitates tam in cœlo, quam in terra esse à Deo, & de stirpe vnificæ & supremæ potestatis ramos tam cœlestium quàm terrestrium altitudinum pullulati: non enim collateralis abusio potestatis, quæ ab homine est, corrumpit bonum quod à Deo est. Detrahe namque arrogantiam, & in collata homini potestate inuenies Dei gratiam, siue iustitiam. Nullatenus igitur granum bonum propter paleam abiicias, sed vt retineas granum, paleam

B amoueas. Virgo igitur radicem suam de Iesse & Aaron, quanquam in terra sit non despicit, quia de bonitate radicis quæ est ex repromissione Dei, rursum ramus pullulans de plenitudine gratiarum pinguescit. Vnde

Rom 11. 16. Apostolus: *Non tu radicem portas, si radix te?* nunquid enim non, *iurauit Dominus veritatem, & non*

Psal. 131. 11. *frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam?* Item: *Iurauit Dominus & non pœnitebit*

Psal. 109. 4. *eum; tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Hæc de dignitate generis, quæ est prima drachma.

Nunc videamus de secunda, quæ est sanctificatio ex vtero matris: à fermento massæ corruptæ, ab immaturæ vuæ acerbitate, ab inflatione primæ apostasiæ, à rubigine originis deprauatæ, & à malitia propaginis in trunco infectæ, vas virginale concretum, statim purgauit ille qui quasi ignis sedet conflans & emondans argentum, ne sancta caro prurientes vermes communis sterquilinij sentiret, quæ paritura erat IESVM, qui

C corruptionem non vidit, nec in ventre, nec in morte: Ideò autem non distulit Dominus, sed præuenit eam in benedictionibus, quia bis dat, qui citò dat; & tempore plus soluit qui ante tempus soluit, & sapientia prior se offert quærentibus illam: ideò etiam ne quo semel imbuta esset testa seruaret odorem diu.

Spiritus itaque Domini, qui in creatione mundi ferebatur super aquas, vt præsignaret quæ ipso operante de illis producenda essent mysteria, quasi in creatione noui & secundi mundi, qui per Christum futurus erat, de quo dicitur, *Deus erat Christo mundum reconcilians sibi*, veternosas primi parentis quisquilias quæ defixæ, & penè inseparabiliter admixtæ erant humanæ naturæ, à Virgine Maria in horreo materno ventilando expurgauit, & futurum sui, & Christi vasculum, de luto compositum, sic decoxit, vt omni fragilitate, & mollitie originalis peccati adempta nullo igne, vel nulla aqua sæcularis, vel carnalis concupiscentiæ recrudesceret, aut carnis stimulum recal-

D citrans vllatenus sentiret. Si Ioannes Baptista ex vtero sanctificatus est, quanto magis Maria? si tanta præconis præparatio, quanta debuit esse Matris iustificatio? & hæc de secunda.

Luc 1. 27 Tertia dicitur veneratio nominis quod est nomen: *Et nomen Virginis Maria.* Dei innominabilis sunt quædam nomina, non in quibus exprimatur, sed quibus de ipso aliquid dicatur, etsi non quod est, saltem quod non est, ne, ipsum in eo quod est apprehendere non valemus, alium pro ipso errando teneamus: multum est etsi non possis scire quod est, quia scientia eius confortata est, & non potes ad eam, saltem scire quod non est; ita enim nunquam vagando errabis, aut infra subsistendo hærebis, sed ratione, ingenio, & fide explicatâ & expansâ, curres post ipsum quantùm poteris, & plus-

Exod. 33. 20. quam: *Non enim*, ait Dominus, *videbit me homo*, multò verò minus cognoscet, *& viuet.* Est itaque præ cæteris Dei nominibus, quoddam ineffabile, quod vt dicitur, dici non debet nisi in suprema necessitate. Con- E cedo quod summâ veneratione honoranda & excolenda sunt omnia Dei nomina, & nullum nomen Dei assumendum in vanum: dedit tamen Filio suo vnum nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.

Post illud autem nomen superexaltatum in omnibus sæculis, est hoc nomen Maria, quod in conuentu angelico solemne semper habetur, & ad eius inuocationem præsto sunt suffragia cœlestis exercitus: audito hoc nomine pericula diffugiunt, commoda redeunt, & inferna pertimescunt, perimuntur blasphemi, desperati reconciliantur, nullique difficultas recuperare gratiam, qui votorum suorum adiutricem habuerit Mariam. Cùm artus meos resoluero in somnum, requiescat in ore, & mente Maria; cùm euigilauero, labia mea aperiat Maria, cùm extremum emisero spiritum, adsit Maria, cùm ad iudicium venero, occurrat cum F patrocinio sancta Maria, non periclitabitur iudicium, cui Maria præstauerit suffragium. Domina nostra potiora de te & meliora quàm dicam expecto: hæc de tertia drachma sufficiant.

Quarta est integritas conuersationis, pupillares annos Virginis nostræ diuina protectio & angelica sic tutauit, vt nulla penitus damna suæ pudicitiæ aut integritatis, sui facilitate, vel aduersarij calliditate incurreret. Cùm verò liberum eius arbitrium compedes infirmæ ætatis euasisset, cooperans gratiæ sic se circulis regularis disciplinæ & sanctæ obseruantiæ constrinxit, vt tota diuinorum amore mandatorum sic conflaretur, vt quasi degluriens animæ suæ verba Dei mandaret, & reciprocè seipsam eorum medullis conferret: tria enim habuit colatoria, vnum quo se eliquauit in legem Domini & prophetas, alterum quo eandem ad se legem confluere faceret, tertium quo Verbi Diuinam substantiam tam in carnem suam, quàm in animam colaret, & coagulo Spiritus in Deum & hominem conformaret, G Æquis ergo passibus mandata diuina & Virgo Maria ambulauit, sicut Ezechiel de sanctis animalibus & rotis dicit, *Cum ambulantibus ambulabant, & cum stantibus stabant*; & vt breuiter quod sentio dicam, penè Cap. 1. 21. angelica religio æmulabatur huius solius terrigenæ conuersationem; & mirabatur in terris comparari sanctitatem proprio labore & gratiæ cooperatione, quam, maxima sui parte decedente, ipsa retinuit gratia sine aliquo labore. Quod ad Thessalonicenses ait Apostolus: *Ipse Deus pacis sanctificet nos per omnia, vt integer spiritus vester & anima & corpus in aduentu Domini nostri* 1. Thess. cap. 5. 23. *IESV Christi seruetur*, plenè impletur in Virgine nostra, & hæc de quarta.

Quinta est ex diuina lectione & meditatione, cœlestium contemplatio: sicut cibus inutilis est sine digestione, sic parum prodest lectio sine meditatione, est autem plena corporis vegetatio, sumptorum bona digestio: similiter tunc valet lectio, cum assidua fuerit subsecuta meditatio: vt enim de beato viro dicitur, H quia, *meditabitur in lege Domini die ac nocte*; Lex enim Psal. 1. est fluuius, qui de paradiso egreditur, & diuiditur in quatuor capita, id est, literam, allegoriam, moralitatem, & anagogen. Volitat autem Domina nostra, tanquam columba speciosa super riuos aquarum, vt se aspiciat, & statum suum cognoscat, vel vt hostem insidiantem fœtibus suis caueat, aut certè vt de proximo habeat balneum confessionis, & fontem deuotionis. Filiæ ciuitatis nostræ frequenter ad aquas descendunt, familiaria colloquia ibi cum his quos in ripa inuenerunt, serunt, & de rumoribus tam futurorum quàm absentium dulciter instruunt.

Quia ergo tentorium suum ibi Domina nostra fixerat, de magno suo negotio frequens responsum à filiabus Hierusalem accipiebat; ponebat ibi cum Iacob virgas populeas virides & amygdalinas, & ex platanis ex parte decorticans eas, vt in intuitu earum conciperet

maculosa,

A maculosa propter carnem similem carni peccati, varia propter duas naturas Dei & hominis; diuersio colore respersa propter dilectum, qui est candidus & rubicundus: virgas verò in canalibus vbi effundebatur aqua posuit, quia in oculis suis, qui sunt sicut piscinæ in Esebon, propter assiduam compunctionem, viriditatem castitatis retinuit, quæ est virtus harum arborum. Posuit & amygdalinas propter carnis macerationem, animæ passionem, conscientiæ internam dulcedinem: posuit & virgas ex platanis, propter charitatis amplitudinem; in tali intuitu Virgo concepit, Virgo peperit, & post partum Virgo permansit & hæc de quinta.

Sexta est Angelica salutatio, à conuictu dicitur locus vnde cuiusque mores improbantur, vel approbantur: socialis enim anima vix caret vitiis illorum aut virtutibus, cum quibus enutritur, vel diutius conuersatur. Præuenta itaque Dei Spiritu Virgo Maria, & de religione Angelorum instruebatur, & exemplo illorum Deo magis ac magis placere informabatur: sicut
B
25.40.
enim Moysi dictum est: *Vide, omnia facito iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est*: Sic Mariæ non de cortinis, sagis, tabulis, basibus, & columnis ligneis, argenteis, aut aureis vt Domino tabernaculum faceret, mandatum est, sed vt in carne & anima sua locum præpararet, & dictum & datum est. Sicut etiam canes cum famem patiuntur, locum vbi senserunt panem vel carnem, vel vbi accipere solent auidè repetunt, spem de præcedentibus gerentes, sic Angeli redeuntes à Virgine, memoria suauitatis eius refricati quasi famelici rursus illam visitare festinabant, & si qua referenda essent, non defraudabant.

Quia verò naturalis affectus se restringendo à pluralitate, ad specialem familiaritatem coarctat, vt eò amplius diligat, quò se in vnum conglomerat, vnde
Cant. 4.9
in canticis dicitur: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*, id est in solâ mei contemplatione &
C
dilectione; Gabrielis oculus cum Mariæ spiritu, fauente Deo, impressus internuncius fieri accelerauit; suo itaque voto & Domini mandato, notum sibi thalamum intrauit, & familiaritate plenissima notam verbis earenus ignotis salutauit, & fidelis interpres diuinæ iussioni nec addidit, nec subtraxit, causam docuit, cælestibus blanditiis puellam deliniuit, sexum inualidum roborauit, negotium iam inchoatum retulit & continuò consummandum prædixit, reditutus abiit. Virginis aluus de alueis gratiæ repletus vt credidit, concepit, sibi nihil attribuens, Deo soli cui subest quicquid decreuerit facere, seipsam exposuit; & hæc de sexta.

Septima Verbi Incarnatio, huius drachmæ nec in cælis, nec in terris, nec in omnibus abyssis inuenitur pretium, tanti enim est, vt in ea constet totius humanæ creaturæ æstimatio, & redemptio, itæque paternæ placatio. Hæc est illa Ioseph talaris tunica, quæ mysterio Incarnationis IESVM vestit, & distincta saphyris fila miraculorum in subtegmine passionum variâ
D
texturâ connectit. Huius texturæ, id est Dominicæ Incarnationis nec vnum potuit filum interrompere improba & importuna hæreticæ prauitatis, vel tyrannicæ potestatis temeritas: de hac minus dicit, qui plus conatur dicere; credi nimirum potest, dici non potest, hæc de septima.

Octaua similis est huic, quæ est noui partus exultatio & admiratio; de hoc partu non est sermo in lingua mea, quia nec littera, nec syllaba, nec oratio imperfecta soluit corrigiam huius calciamenti, sicut veracites protestatur vox clamantis in deserto. Quanta enim virtus parientis sine corruptione? quis partus sine labore? in hoc partu natura succumbit, præualet gratia, supra consuetudinem est, quod extra rationem humanitatis de diuino tantùm, non de humano pendet arbitrio. Duabus alis Seraphim velant hoc mysterium, ne vana Philosophia, aut improuida curiositas profanare præsumat Sanctum Sanctorum, & hæc de octaua.

Nona est in terris conuersatio. Ille qui solebat ante incarnationem solo respicere de cœlo per fenestras, E
prospicere per cancellos, dum latenter sua beneficia, quibus vellet exhiberet, nouissimè per fenestram orientalem tanquam sol meridianus progrediens, communicauit in assumpto hominis habitu, tam in cibo quàm in potu, & aliis hominum necessitatibus, fratribus, quibus per omnia debuit assimilari. Maternis itaque vberibus lactatus, gestatus vlnis, & aliis infantiæ subsidiis exhibitis, more suo qui beatius reputat dare quàm accipere, dabat lac quod sugebat, sicut & carnem sanctificauerat quam acceperat, venasque quasdam prælibationis futuri gaudij iam submittebat, quæ Matri, præsentis essent laboris solarium & futuræ remunerationis certissimum pignus.

Quid igitur Mariæ deerat, cui Deus Filius cohabitabat? Sed timebat interruptionem, cùm audiret Filij passionem, tandem timor quem timebat accidit ei: passus est Dominus, mortuus, & sepultus, & turbata est ad seipsam anima eius vsque ad mortem, resurrexit verò tertiâ die, & non meminit pressuræ propter gaudium, deinde ascendit in cœlum sedens ad dexteram Patris, vnde non mœrore, & desperatione lucernam extinxit, immò ampliùs accendit, & euertit domum, quia erexit animum supra corpus & mundum, & quæsiuit diligenter, quem amabat ardenter, donec inueniret illum hodie assumpta ad æthereum thalamum, in quo sedet stellato solio. F

Ecce iam residet iuxta Regem, quæ aliquando stabat iuxta crucem, ibi aspexit Filium crucifixum, hic attendit gloria & honore coronatum: ibi Iudæos frendentes de inuidia, & crudelitate, hic Angelos feruentes de obsequio & dilectione, ibi contumeliam, hic gloriam, ibi gladius, pro his quæ fiebant ipsius pertransibat animam, hic in recompensatione æterna iubilatio replet animam, ad quam ipsa interueniente perducat nos filius eius & Dominus IESVS, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen. G

SERMO IV.

De eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ Assumptione.

REginæ cæli, cui totius vitæ meæ dedicari exopto obsequia, solito deuotius me famulatorum in eius Assumptione exhibeo; nil autem sumpturus de nostris promptuariis, necessaria in opus tantæ solemnitatis de thesauris sapientiæ refundi supplico impendia. Adeundus itaque, & adorandus Agnus qui in medio throni sedet, erogaturus de throno gratiæ, vnde refiguremus Salomonis grandem thronum de ebore: Assumpta enim & translata est gloriosa Domina hodie de throno gratiæ ad thronum gloriæ, & de eburneo castitatis, migrauit ad sydereum claritatis, pia in primo, neminem iudicans, piissima in secundo, reos liberans, propitiatrix in primo, reconciliatrix in secundo. H

Accedamus ergo ad vtrumque thronum tam eburneum, quàm sydereum, & demisso vultu ad terram imaginemur tam formam compositionis, quàm gloriam significationis. Salomon enim filius Dauid, nec hominum sumptus in artificio throni sui præteriuit, nec pondere virtutis euacuauit, nec sapientiæ fines excessit: species itaque bona, melior sapientia, significatio optima; species delectat, significatio instigat, sapientia satiat: occupatione species te detineat, subsidio significatio, remedio sit sapientia. Mentem eleuat species, significatio sospendit, sapientia excipit. Litera in specie, allegoria in significatione, sensus moralis in virtute sapientiæ.

Fecit itaque Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, &c. fecit

sapientia

A fapientia Dei fanctam Ecclefiam, fecit & Dominam noftram, non, vt alia opera, fed fuper omnia opera fua, nec enim fponfam mutaturus eft, nec matrem aliam habuit, vel habiturus eft. Quid fponfa dulcius? quid matre venerabilius? de matre carnem fumens, quieuit in eius vtero velut in throno eburneo, fponfæ adhærens omnia fua communicauit, & de thoro ad thronum promouit; Matris quoque non immemor, delato obfequij in terra peregrinationis fuæ, ficut hofpitium thori & throni eius fine moleftia paffa vel illata aliquandiu occupauit, fic hodie Matri iuxta thronum fuum de lapide faphyro propter gloriam deitatis, appofuit thronum de ebore, propter incomparabile meritum virginitatis. Nam grandem thronum de ebore fecit Salomon archetypum huius, id eft, figuratiuum, ebur fiquidem eft os, detracta carne, elephantis: & Virgo noftra in carne, præter carnem viait. Fortius verò caro feparata eft ab offe, cum omnis mortalitatis corruptio abforpta eft in hac Affumptione.

B De ebore ergo grandem thronum fecit, vel de Virgine, carne purificata, & corde dilatata, Verbum carnem affumpfit, vel cum ex regula fuæ inftitutionis, & abyffo profundæ benignitatis, in vlnis angelicis matrem fuam IESVS cum omni venetatione eleuatam collocauit hodie in fuis & paternis præclaris manfionibus: thronum ibi fole & luna præcedentem, maternæ gloriæ competentem; fuperna fydera, ab æterno iam præparauetat. Omnis hodie exempta eft quæftio & dubitatio cuiufnam effet gloria, quam poft IESVM angelica fublimitas verebatur attingere, & fanctorum nullus audebat vendicare: nil diuinam præpofteraffe, vel vanè coortituiffe prædeftinationem hodie probatum eft, quia foli Mariæ hoc folum folium debebatur, & nulli alij aptabatur.

deeſſet aliquo.

A tempore autem Salomonis in throno æquitas, in ebore caftitas, in fcabello humilitas, in auro fapientia, in fex gradibus, promotio à minimis ad maiora; in rotunditate confummatio; in parte pofteriori; finis huius
C vitæ, in duabus manibus mifericordia & veritas; in duobus leonibus Deus, & diabolus, vel timor mortis & inferni, in duodecim Leunculis, in omni actione & cogitatione ambigua fedulitas, vnde Iob: *Verebar omnia opera mea.*

Iob 9. 28.

Sex gradus, habitus vilitas, geftus maturitas, cibi & potus fobrietas, verborum vtilitas, lectionis fagacitas, orationis affiduitas; his gradibus excellebat & excedebat thronus eburneus præ omnibus habitantibus in terra: quorum habitus fuperfluus, geftus inordinatus, victus immoderatus, fermo vanus & otiofus meditationis, & lectionis rarus aut nullus acceffus, orationis vultus incognitus; dilectus eius ab hoc vltimo gradu fanctitatis inuitat matrem fuam, dicens, veni ad fummum gloriæ gradum in dexteris filij?

SERMO V.

De eadem.

D

Cant. 6. 7.

QVid videbis in Sunamite nifi choros caftrorum? Dies venerabilis, Virgo fingularis, & proceffio hodierna fpecialis, & fonus tam in cœlo, quam in terra plenifimæ iubilationis, fœlix vifio, grandis exaltatio, admirabilis iuftitiæ & pacis Matris & Filij ofculatio, & infeparabilis confeffio. Interim Pater fic honorans noo fuam coniugem, fed tamen virginem fui chariffimam Matrem, quafi congratulans alloquitur Filium dicens; quid videbis in Sunamite nifi choros caftrorum.

Iam ante ex quo Filius eiufdem Virginis affumptus eft in cælum & fedet à dextris Dei, flagrantiffimis eæftuabant defideriis Angeli miniftratorij Spiritus, fecum habere qualem qualem illam fœminam, de cuius carne & fanguine videbant in Rege, & Domino fuo, humanam naturam in fede maieftatis fuper fe collocatam.

B Alij frequenter accurrebant ad ipfam, alij clamabant: *Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te*; non eft indigna cœlo, quæ talem, & tantum fructum protulit ex vtero; fuos valde putus ex quo detinuit tam eximius riuus; caro omnino incorrupta, de qua fumpta eft caro Verbo voita; grata anima, de qua profluxit gratia, quæ pro omnibus guftauit mortem, quam abforbuit per refurrectionem: oun hegamus illi noftrum confortium, cui perpetuum paramus obfequium; neque in numero, neque in confortio noftro remanebit, qui non in eius honorem iurauerit, & omnem fubjectionem exhibuerit. *Cant. 6. 12.*

Choris itaque ordinatis quifque ordo Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Poteftatum, Principatuum, Dominationum, Thronorum, Cherubim & Seraphim occurrat venienti Reginæ noftræ ad Patrem Filij fui, & ad eumdem Filium, & Spiritum Sanctum, cuius eft honorabile templum; Longa dilatetur proceffio, ftet quifque in ordine fuo; veniant nobifcum Patriarchæ & Prophetæ, vt illi ftupeant ftirpem fuam in virgine fic honoratam; illi gaudeant prophetiam fuam fic adimpletam; adfint Apoftoli qui iam affociari funt vobis, deinde Martyres, Confeffores, nec non & Virgines: qui matrem non honorat, filium non amat. F

O Domine IESV, & nos cum Patre de noftra parte dicimus; *quid videbis in Sunamite nifi choros caftrorum?* credimus quod loquimur, & propter quod loquimur omnia quæ in cœlo funt, à Deo funt, ordinata funt: ibi nulla inordinatio vbi nulla commotio; ibi omnis ordinatio, vbi Dei tenetur iuffio, & habetur inconcuffa vifio. Nos vero terrigenæ & patimur malas commotiones, & fæpe committimus inordinationes; ob reuerentiam Dominæ noftræ faltem hodie comprimamus omnes malas commotiones, & reprimamus inordinationes, vt in Sunamite noftra chori caftrorum inueniantur, non chori tympaniftriarum, aut hyftrionum, Seniores, priores, iuniores adolefcentes, infantes oculos teneant, manus contineant; ora aperiant, aures inclinent, pedes ad malum non moueant; hoc exterius, quid interius? G

Congreget ad fe cor omnes animæ fenfus, omnia interiora fua ordinet, proceffionem, caftra Dei ftatuat, vt dic Virginis, caftitatis metas, nullus motus mentis, vel corporis excedat: ornatus caftitatis veftitus humilitatis Virgo recognofcit: in eius proceffione non reputatur, qui impudicitia, & immunditia deturpatur? quid videbis in Sunamite nifi choros caftrorum? Deus Pater ad Filium de Affumptione matris fuæ loquitur. Quid videbis in Sunamite, &c. Gabriel quoque Archangelus, cuftos & paranymphus Virginis, cuilibet de focijs fuis fic loquitur. Quid videbis in Sunamite, &c. Alloquitur etiam Spiritus fanctus Ecclefiam quæ in terris peregrinatur, vel in cœlis gloriatur dicens; quid videbis in Sunamite, &c. in Patre eft congratulatio, in Archange lo admiratio, in Spiritu fancto commendatio, fiue affignatio, huius celeberrimæ Affumptionis.

H Quærendum itaque quare fub nomine Sunamitis fapientiffimus Salomon præfignauit Affumptionem tantæ Virginis & qui fint chori non aliorum, fed caftrorum, chori enim funt clericorum, chori adolefcentularum, & chori militum. Chori clericorum funt chori Pfallentium, chori adolefcentularum, funt gaudentium, & ludentium, & chori militum funt pugnantium & bellantium. In choro clericorum quæritur confonans modulatio, in choro adolefcentularum delectatio, in choro militum, fortitudo. Triplex ifte chorus Dominæ noftræ hodie famulatur. Cantant Angeli vt clerici, ducunt choros vt adolefcentulæ, militant contra aërias poteftates, ne audeant occurfare; fremunt dentibus, & clamore rugiunt, inuidia tabefcunt, audientes puellam, matrem mifericordiæ ad thronum gratiæ, fuper choros Angelorum afcendiffe, vnde princeps eorum ficut fulgur cecidit.

A

SERMO VI.

De eadem.

Cant. 6. 2. VNa est columba mea. Domestica familiaritate, & omni creaturæ inexperta dulcedine verus Salomon jocundatur ad columbam suam, quæ est Regina Angelorum, quæ est Virgo Virginum, pia Maria, dum in eius visceribus per suam sapientiam, humanam fatuitatem ad columbinam reuocat simplicitatem; cùm sale cœlestis sapientiæ redintegrat naturæ nostræ corruptionem. Vna est, inquit, columba mea siue natura, quam de matre suscipio, sive Virgo de qua & in qua diuinæ & humanæ naturæ matrimonium conjungo. Vna est columba mea Ecclesia sponsa; Vna est columba mea Mater Virgo Maria. Vnus & vnicus nec viduam, nec repudiatam volo: nec alij viro coniunctam: vnam quæro columbam.

B

2 Cor. 11. 2. Desidero vnam ne discordet à voluntate mea; columbam ne sit nimiùm astuta,. vnam iuxta Apostolum: *Despondi*, inquit, *vos vni viro Virginem castam exhibere Christo*, columbam ne plus sapiat quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem; vnam propter amicitiam, columbam propter gratiam. Quis enim non diligit matrem aut sponsam? quis matri aut sponsæ non confert omnem gratiam? & matrem itaque, & sponsam volo habere totus totam, castus castam, pulcher pulchram, pius piam, impollutus impollutam, vnus vnam, simplex columbam: mater non habet alium filium, nec sponsa alium sponsum. Vna fide, columba simplicitate; vna vnanimitate, columba mansuetudine. Vna est inquit, columba mea.

Causa non prætereunda est tantæ sapientiæ, tantæ potentiæ, & tantarum diuitiarum Rex Salomon, tam miris præconiis, & medullatis prærogatiuis non solùm verbo extulit nescio quam columbam suam, sed etiam in librorum suorum superexcellentissimo scripto commendauerit; attendendum itaque quia verba profunda ex ore viri, sacratissimum quid in profundo suo continent, iuxta quod in Psalmo legitur: *Ipsi viderunt opera*

C

Ps. 106. 24. *Domini & mirabilia eius in profundo*, Præuio itaque gratiæ lumine, & si non sufficiamus penetrare hoc sanctuarium, tamen prosternimur adorare, & tanquam sanctas reliquias tangere. Sacro sancta virgine mundum per natiuitatem ingressa, officiales angelicæ virtures sancta curiositate puellam, vestigiis diuinæ prædestinationis insignitam lustrantes, vt est consuetudinis rem nouam in sæculo repertam in supernis palatiis referentes, & quid hoc esset humiliter inquirentes à regalibus sedibus audiunt. Vna est columba mea, vna est matri suæ, electa genetricis suæ; tanquam si diceret; quæ nata est extra & supra numerum fœminarum, est extra & supra meritum omnium mulierum.

Vna est in toto genere humano non habens similem columba: est in angelica puritate & dignitate, propter diuinam generationem non habens æqualem; mea, si Filius loquitur mater, si Pater filij mei mater futura.

D

Vna est matri suæ singulari dignitate electa genitrici suæ diuina prædestinatione; vna est integritatis incorruptione; columba est obumbratione Spiritus sancti, qui super Dominum apparuit in columbæ specie, mea dilectione, mea electione, mea conceptione, mea generatione. Huius pennæ deargentatæ niue dealbabuntur in Selmon; pennæ fuit actio & virginalis contemplatio, quæ dealbabuntur per castitatem niue, id est, incomparabiliter in Selmon, quod interpretatur vmbra, id est, in Verbi conceptione Spiritus sancti obumbratione. Columba ista in natiuitate fuit Candida vt lac, in conuersatione & professione castitatis, vt lana, in conceptione vt nix, deinde jam cœlestis facta, in partu vt luna, in assumptione vt sol, siue vt castrorum acies ordinata; columba pascitur de mensa Dei, cubat in meridie in lectulo Salomonis, residet in ferculo, dormit in thalamo, deambulat in horto, portatur in cella, honoratur in cœlo corona aurea cum Filio suo IESV CHRISTO Domino nostro, qui est Benedictus in sæcula. Amen E

SERMO VII.

De eadem Assumptione.

VIrginitate nulla virtus Deo vicinior, Angelis nulla familiarior, Sanctis in carne positis nulla appetibilior, quia pene omnibus aliis virtutibus rarior. Hæc regnum & principatum suum tempore prædestinato in gloriosa Domini Matre collocauit; nec fuit Angelicus Spiritus purior in cœlis quàm vterus Virginis in obumbratione Spiritus sancti, & conceptione Filij sui. Adhæret quidem Deo Angelus obsequendo, astando, & ministrando; sed non se in vna eademque persona cum illo vniendo: quid autem caro virginis? nonne fuit præjacens materia, de qua opifex Trinitas naturam humanam F
fabricauit quam inseparabiliter vniuit Verbu Dei vna simul operatione, non tamen eadem Trinitatis assumptione.

De hac sanctificata massa partem sibi Filius Dei assumpsit, quam statim assumendo deificauit, & tam illa quam de illa, in tota protoplasti massa tam redemptione, quam sanctificatione operatus est salutem totius ejusdem humani generis; ac deinde sprevit, dereliquit, oblitusque est lectuli sui, cubiculi sui, templi sui, ortus sui, paradisi sui, Matris suæ? Absit, *Etsi Mater*, inquit, Isa. 49.
oblita fuerit filij sui, ego non obliuiscar tui? Nemo carnem 15.
suam odio habet, nec IESVS distulit quidem in matre vincula carnis soluere nec destitit mansionem iuxta se etiam parare.

Equidem indignum esset alium interponere inter se & Matre in cœlo, in cuius vtero coagulatus est ineffabili sacramento: nam quod in oratione dominica dicitur, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, scilicet mater Filio sic loquitur, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in G
terra, quasi, quia Fili, elegisti vt haberes Matrem, suscipe vt excipias inter Angelos assistricem. Nemo plus iuris habet in carne, in facie tua, quam Mater tua. Cedo, inquit Filius & concedo; veni electa mea, & ponam te in thronum meum. Dixit & factum est, qui dixit, fiat lux & facta est lux, qui semel loquitur, & secundò idipsum non repetit, quia verbum eius manet in sæculum sæculi.

Sed thronus tuus ô Deus? ô Domina qualis est? Psalmista dicit: *Et thronus eius sicut sol in conspectu tuo, & si-* Ps. 88.
cut luna perfecta; fortè ideò admirantes cœlestes virtu- 30.
tes dicunt. *Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consur-* Cant. 6.
gens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum 9.
acies ordinata? Vt aurora confitentibus; vt sol sanctis suscipientibus, vt castrorum acies ordinata malignis spiritibus; inuocant illam conuersi, amant illam iusti, exorant peccatores, timent dæmones, inualida sunt castra dæmonum aduersus Dominæ nostræ castrorum acies, de H
quibus in canticis dicitur; *Quid videbis in Sunamite nisi* Cant. 7.
choros castrorum. Hæc Sunamitis placet regi sua specie; 7.
senem Regem conseruat castitate, & fouet calore sapientiæ. Quæ tam speciosa quam illa cui dicitur: *Tota pul-* Cant. 7.
chra es amica mea, & item: *Quàm pulchra es amica, quam* 6.
pulchra in deliciis charissima!

Hanc antiquus dierum prælegit & dedit ei Filium suum: hæc Dei præcordia pene iam tepentia, deficiente charitate in humano genere calefecit, & cum adhuc peccatores essemus, propter nimiam charitatem suam Filium de Virgine incarnari constituit: hæc sapientissima sicut decipere neminé voluit, sic à nemine decipi potuit. Si vnquam in creatura sua Creator proportionem aliquã reperit, solam istam hoc priuilegio prætitulauit; *Cum* Sap. 8.
essem, inquiens, *immaculatus veni ad corpus incoinquina-* 10. Eccl. 24.
tum. Quid itaque potentissime videbis in Sunamite. 25.

In

A *In me*, inquit Sunamitis, *gratia omnis viæ & veritatis; in me omnis spes vitæ, & virtutis*; Duo sunt via & patria; in via gratia, in Patria, veritas: in me gratia omnis, siue gratia omnis viæ & veritatis; nulla gratia in qualibet via veniendi ad patriam nisi per Dominam nostram; cuius Filius est ille, sine quo nihil possumus facere: rursum in illa est gratia omnis veritatis; quia gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est, nec habebit veritatem in patria, qui non amat Christum in via

Luc. 10. 22. Ista visio, id est cognitio filij, est in Matre, quia sicut de Patre dixit, *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare*, similiter de Matre potest dici, nemo nouit Matrem nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare. Non absurdè verò sic potest legi; quid videbis in Sunamite, vt ibi quæratur non de his quæ intus videri non possunt, sed de his quæ circa Sunamitem fiunt; vnde subdit, nisi choros castrorum. In authenticis itaque libris, non in adinuentionibus phantasticis quærendum est de choris castrorum: legimus in numeris: locu-

B Num. 2. 2. tus est Dominus ad Moysen & Aaron dicens, singuli per turmas, signa atque vexilla, per domos cognationum suarum castra metabuntur filij Israel per gyrum tabernaculi fœderis. Iudas ad orientem figet tentoria; & ne supra modum sermonem protendamus, compendiose dicamus quod circa tabernaculum fœderis, quod intelligimus corpus & animam Virginis, omnes filij Israël castra metantur.

Omnes autem filij Israël sunt omnes fideles, tamen vtique constituuntur per singulas plagas, Iudas, Issachar, & Zabulon ad orientem, Ruben, Simeon & Gad ad meridiem, Ephraïm, Benjamin, & Manasse ad occidentem, Dan, Aser & Nephtalim ad Aquilonem, Iudas confessio, Issachar, merces, Zabulon tabernaculum fortitudinis, isti ad orientem cantant: Orietur stella ex Iacob. Ruben videns, Simeon auditio, Gad fœlicitas, isti ad meridiem cantant. Tota pulchra es amica mea, &c. Ephraïm frugifer, Benjamin filius dexteræ, Manasse

C obliuio: isti ad occidentem cantant: Surge propera amica mea, veni columba mea. Dan iudicium, Aser beatus, Nephtalim conuersio: isti ad Aquilonem cantant: Surge Aquilo, hyems transiit imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Ecce habet Sunamitis choros castrorum, qui circundant eam tanquam flores rosarum & lilia conuallium; astitit Regina à dextris filij

Ps. 47. 13. circundata varietate, *Circundate Sion*, ait Psalmista, *& complectimini eam*.

SERMO VIII.

De eadem.

Luc. 15. 9. *CONgratulamini mihi quia inveni drachmam quam perdideram.* Hæc est dici præsentis solemnitas, in qua nihil vacat in cœlis à laudibus, nihil in Ecclesia Dei, quæ in terris peregrinatur à sanctis supplicationi-

D bus, astrorum enim est pro sua sorte fœlix laudatio, quibus nulla de beatitudine vera contingere potest diminutio. In hoc verò exilio peregrinanti per fidem; tanto studiosius protendenda est supplicatio, quanto periculosius differuntur à regno, in se tamen replicantur, & reuolutione orbiculari reuoluuntur & Christiana deuotio, & Angelica exultatio, nos quidem in spe, illi verò sunt in re; sicut autem res exhibet præmium, sic spes comparat meritum.

Quare autem de cælo desperaremus præmium, cui hodie de terra, & genere nostro tam eximium intulimus commercium? numquid ingratitudo habet locum vbi gratia sempiternum obtinet domicilium? plenam gratia ad gratiæ remisimus palatia, refluant itaque stillicidia gratiæ sterilitati nostræ super intensæ. Plena & repleta Dei bono regio gratiæ & gloriæ, ne Dominæ nostræ assumptio fiat doni cælestis in nobis euacuatio. O Domina nostra, quæ animarum fidelium tibi congratulatio, si absque recompensatione in cælis transferas, & quod ab

illis acceperas, & quod à nobis? Dignum est, vt tantus thesaurus tali muro circumcingatur, tali custode tueatur, tali repositorio includatur. E

Ecclesia quoque piam tuam retineat memoriam, quâ dæmones ejicias, vitia expellas; tentationes compescat, motus inordinatos componat, meatus dulcissimæ compunctionis aperiat, salubres, & suaues gustus cœlestis patriæ infundat, fructum ventris eius in altari dentibus nostris & labiis ruminandum quotidie deferat. Tunc planè exultabimus & lætabimur in te, ô Domina, memores vberum tuorum? Vbera tua fluunt Angelicis spiritibus illa suauissima, quæ confecerunt filij tui manus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Vident enim super se Verbum carnem factum, gloria & honore in homine assumpto coronatum; & de illa ineffabili contemplatione tam iocunda perfunduntur delectatione, vt nec inopia dimidiet desiderium, nec satietas afferat fastidium.

Adhuc vbera tua effluunt iustis & bonis famulis Dei mel piæ affectionis, cuius degustatione, amaritudines F sæculi dulcescunt, & carnis illecebræ vilescunt; caueamus vt mens plena virgineo melle, stupida & penè insensibilis blandimentis carnalibus efficiatur, vt Beraellai dicat: *Numquid sensus mei vigent ad discernendum suaue aut amarum, aut delectare potest cibus & potus, aut audire possum vocem cantorum atque cantatricum*. Quæ 2. Reg. 19. 35. de effluentia verborum Virginis Mariæ mens bene est læta, sic omnium est terrenorum appetituum oblita; non solùm verò verba fluunt, sic vel effluunt, sed etiam pereffluunt vsque ad peccatores terræ, quia CHRISTVS IESVS Filius eius, venit in hunc mundum peccatores saluos facere.

Desinet mater lactare, quos Filius eius venit saluare? immò abstinere poterit Mater misericordiæ lactis pleno gurgite non alere, pro quibus Filius suus potuit & voluit spiritum exhalare? Nec os, nec manum, ô domina, nostra, ad Angelicam porrigimus portionem, quia bestia quæ tetigerit montem lapidabitur. Habeant ipsi primogenita sua, ac proinde primam guttam de societate tua, G quia seruauerunt sua domicilia, nec abierunt post Sathanam, qui tertiam partem stellarum traxit post se. Succedant secundo loco fideles & iusti, quorum est sedere super sedes duodecim, & iudicare duodecim tribus Israël, vt de torculari tuo, cuius animam pertransiuit gladius, circumferendo stigmata IESV in corpore suo, secundam exprimant guttam, & sua saltem de mutatione tua desideria consolentur.

Nos verò quorum os amaritudine plenum est & dolo, quam participationem cum virginali castitate & puritate atque mansuetudine habere poterimus? sed certè nulla nutrix tam sedula circa alumnum suum, quomodo tu benignissima erga confitentem, & ad cor reuertentem Christianum. Licet autem infantulus infantilibus contaminetur purulentiis, non tamen ideò abjicit eum à se, quæ curam eius suscepit, non vbera negat; sed lauat balneo, & lacte suo reficit: ô misericordissima, tu quid, facies nostra impletur ignominia ab oculis nostris, velut pannus menstruatæ etiam iustitiæ nostræ; H quanto magis iniustitiæ?

Piarum piissima auerte faciem tuam à peccatis donec deleantur tua miseratione, donec tegantur tuâ intercessione, & pœnitentiali satisfactione tergantur. Beata vbera tua, quæ Angelos pascunt, iustos reficiunt, peccatores alunt; exultat spiritus tuus de societate Angelorum, anima tua gaudet de imitatione iustorum, congratulatur anima & spiritus de pœnitentia & confessione peccatorum. Vultum & manus, os & cor, mentem & animam, interiorem & exteriorem ad te conuertimus hominem, post te pleno ore vociferantes, salus nostra in manu tua. Respiciat super nos misericordia tua, non se contineant super nos mollia illa viscera tua, quæ cæli rore irrigata solent stillicidia stillantia super terram pluere, & de profundissimis peccatorum voraginibus lapsos & penè desperatos releuare. Videsne Domina nostra quia sæuo & aperto ore draco ille rufus miseras animas nostras dilaceret, rapiat, deuoret, & quasi pene in secessum suum protrahat

A Attendis quam indecenter natura nostra dehonestetur de qua tu originem, & Iesvs Filius tuus suscepit carnem, tantis iam afficitur ludibriis, vt nulla dæmoniacæ supersit spurcitiæ macula, quam non sit experta humana luxuria. O caro tua ô caro nostra! quis chaos tantum interposuit inter nos, vt tua cœlos vincat, & superet, munditia nostra, quamquam consobrina sit & germana corrumpator tanta immunditia, quantum non tolerat vlla patientia Quanquam autem de tam misera sorte peregrinandi conditio me abesse non sinat tamen lacte tuo & sanguine Filij tui cubile mentis aspergens, tam tuo suffragio, quam illius patrocinio confido eripi, & inter curiæ tuæ adolescentulas, saltem post dignas pœnas admitti. Nam vox illa tua tanquam turturis castissimæ audita est in terra nostra dicens, Congratulamini mihi, desperationem excussit, spem reddidit, animum erexit, vt qui malorum conscientia depressus iacebat in auditu iocundissimæ vocis respirauerit, & quasi de graui somno
B euigilauerit. Vox enim quæ de cælo fit, non solum mentem pulsat sed & adiuvat, pulsat vt se mens aduertat, adiuuat vt ad Deum conuertat. Ad Deum verò conuersa ire properat. In itinere posita etiam lassa clamat trahe me post te, manum tenens porrectam; exultat, curremus inquiens in odore vnguentorum tuorum. Perueniens exultabimus & lætabimur in te. Denique proloquens pro his qui remanserunt dicit, memores vberum tuorum super vinum recti diligunt te. Sic omnes à minimo qui vocem eius audit vsque ad illum qui ad palatium peruenit congratulantur tibi ô Domina nostra.

SERMO.

De eadem Beatissima Virgine.

Cant. 5. 1. *VEni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Tam de gremio
C vniuersalis Ecclesiæ, quàm de vtero Virginis Mariæ alloquitur Christus vtramque dicens; veni in hortum meum soror mea sponsa. Soror autem eius est Ecclesia, quia & ipse conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; & Ecclesia ex eodem Spiritu regenerata; sicut ipse est Filius Dei vnione personæ, sic ipsa filia Dei adoptione; sponsa quoque propter duarum naturarum, id est diuinæ & humanæ consensum communem, seu cohabitationem indivisibilem. Virgo autem cùm sit mater secundum carnem, neque soror, neque sponsa appellatur, nisi secundùm spiritum; vnde; *Quicunque fecerit*
Matth. 12. 49. *voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & mater est.*

Domine nihil difficilius quam te inuenire: scio quidem te vbique esse, sed clausa vbique occurit ianua, quæ te negat, quæ te celat esse etiam vbi es: etsi hoc multum est quod dixi, celat esse, tamen verum est, non sinit vel præstat videre quod es, aut vbi es, sol enim es, immo candor sole clarior: impedit ergo ne videam aut mea
D cæcitas, aut tua claritas. Nil autem mirum si cæcitas impedit visum, quia priuatio est: claritas vero cuius est illustrare; qua ratione non ostendit illum à quo habet, vt ostendere possit: forte quia rara, immo quia nimia; habitat enim Deus lucem inaccessibilem. Media itaque siue temperata ex luce deitatis & nube humanitatis, nouit excipere infirmitatem nostræ lippitudinis & coarctare seu coaptare immensitatem deifici luminis.

Duo igitur quasi vela interponit, parietem parietis virginis & purissimam lampadem dominici corporis, vt paulatim his assuetus humanus visus, æmulatione penetratiua ambiat videre Iesvm, & visum cognoscere & cognitum amare, & amatum colere, & cultum credere, & creditum adorare. Hic ergo quærentem se, vocantem se, pulsantem ad se commotis miserationis suæ medullis voce propria, & vbi sit, & quid operis egerit indicat dicens; *Veni in hortum meum soror mea sponsa messui myrrham meam cum aromatibus meis.* De Paradiso inquit, descendi in hortum
E meum, de incomparabili gloria & obsequio Angelorum, veni vt facerem opus meum, veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Plantauerat autem Deus à principio paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formauerat: eidem & arrident sibi nouissima & antiqua: *Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua, tu formasti* Psal. 138. 5.
me & posuisti super me manum tuam, ait ad Patrem in Psalmo Iesvs.

Sed animaduerte præposterata tempora vt non dixerit, antiqua & nouissima; sed nouissima & antiqua, maior namque est gloria secundæ domus quàm primæ; & primus homo factus est in animam viuentem, & secundus in spiritum viuificantem. Vetus homo Adam, nouus homo Christus per Adam peccatum, & per peccatum intrauit mors in mundum. Per Christum iustitia,
F & per eundem redditur vita æterna: præambulant itaque spiritu prophetico nouissima, quia meliora & potiora sunt quam antiqua. In antiquis formauit hominem de limo terræ; in nouissimis creando sanctificauit, & sanctificando creauit Iesvm Filium suum de carne & vtero Virginis Mariæ. *Tu* inquit, *formasti & posuisti super me manum tuam*: communis quidem formatio in nouissimis & antiquis quantum ad habitum corporis, sed manus positio, siue suppositio singulariter continetur in eo qui formatus est in nouissimis, propter spiritum quo vnctus est Iesvs præ participibus suis. Vnde ad Ioannem Baptistam: *Super quem*, inquit vox paterna, Ioan. 1. 33.
videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat, &c.

Hunc hominem Deus posuit in horto, id est, paradiso quem plantauerat à principio; præscientia enim Dei sicut non aberrat in creandorum discretione, sic moram nullam facit in omnium futurorum prospectione: simul enim & semel statum omnem & casum, reparanda & non reparanda, modum quoque reparationis concipit. Non ipsa pendet de futuris euentibus; sed omnes rerum mutabilitates de immobilitate eius tanquam de vniuersorum matrice egrediun- G
tur. Igitur tanquam Iacob & Esau in eodem vtero, Euæ procacitas, & Mariæ sanctitas congressum diuersis studiis facientes, quodammodo præscientiæ viscera concutiebant, vt nouissima sicut dictum est, vtilitate & dignitate antiquis præirent, & fauorabilior celebraretur Mariæ singularis conceptio, quam paradisi terreni plantatio & Christus de virgine natus, quam Adam in paradiso positus.

In paradiso illo serpens cum homine reperitur; in Virgine solius spiritus sancti obumbratio cum Iesv suscipitur, nullos flatus aut sibilos immisit corruptor totius boni intra septa horti nostri diabolus, quia hortus conclusus, fons signatus sicut soli Regi sæculorum, quæ est imago Dei inuisibilis gremium suum expandit, sic omni subreptitiæ vanitati vectes ferreos exactissimæ custodiæ opposuit; gloria enim Dei quæ assumpta est de Cherub ad limen domus, custodiuit eam ab inimicis suis, H
& à seductoribus tutauit eam.

Fideliter namque credo frequenter per oculos, per os virginis latentem deitatem subrutilasse, & quiddam indicibile; si quis aduerteret euaporasse. Quid enim? nonne plena gratia, ex hoc in hoc eructabat verbum bonum, splendidissimumque radium candoris æternæ lucis; vnde Helizabeth ad vocem salutationis eius mota viscera, & Ioannis contrectata, & quasi in exultationem calefacta sunt puerilia membra, Cuius tanta virtus, nisi gloriæ Dei, quæ de Cherub, id est de arce cœli assumpta est ad limen domus, id est, ad Virginem, quæ cœlestis patriæ ianua sine dubio & limen est, quo egressus tanquam de thalamo sponsus, visitauit nos Oriens ex alto.

Iuxta hoc limen nemo ponat limen suum, quia inde conquæritur Deus. *Qui fabricati sunt*, inquit, *li-* Ezech. 43. 8.
men suum iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes

meas

A *meos.* Nulla affinitas castitatis & impuritatis; Sacerdos immunde non times accubare iuxta Dei altare, & Beatæ Virginis Mariæ? quod deterius est verenda tua non velas iuxta sanctuaria Dei, immo facis domum orationis, prostibulum meretricis. De huiusmodi dicitur: *Polluerunt templum sanctum suum.* Ps. 78. 1. Gloria igitur Dei quæ ad limen domus est, conturbat Ioseph sponsum Virginis; vnde vult eam occultè dimittere, sed monetur ab Angelo non timere majestatem quæ colligit humilem, confundit calumniatorem; quid, inquit Ioseph ad seipsum, quid intus est, quis intus est? Verbum, inquã, Dei est, Deus in vtero Mariæ est; quis posuit? quis intromisit? Deus, qui hominem quem formauerat, in paradiso posuit, qui nullis arcetur repagulis, qui intrat sine irruptione, qui exit sine corruptione, cuius velle clauis est reserans omnia, cuius nolle sera est concludens omnia, neque malleus, neque securis habent dolare aut secare, vbi vna Dei virtus in ictu oculi & mundum facere potuit & reficere.

B Tandem Ioseph animaduertit diem solemnem adesse, quando festiuitati Paschali agnus paratur immolandus: solus ibi pontifex in sanguine sumpto de Virgine, victimam salutarem præparauit, & quasi myrrham suam messuit, cum carnem sanctam & incorruptam à visceribus maternis mutuauit cum aromatibus, id est odoriferis virtutibus, quarum confectione tam anima, quàm caro compacta, in ara crucis odorem suauissimum paternis affectibus, pro redemptione generis humani mandauit; & propitiationem diu desideratam, tempore accepto quasi maturo compleuit: immaturam enim non meteret myrrham, qui omnia facit in pondere & mensura & numero. Vnde Psalmista: Ps. 68. 14. *Tempus beneplaciti Deus, & tempus miserendi eius*, id est Syon &: Ps. 105. 4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo.* Venit ergo quasi tempore messis, quod est in plenitudine & fine sæculorum, in hortum suum dicens: Veni in hortum meum soror mea sponsa.

C Sed quis te IESV, introduxit, quis sine aditu admisit? quis extrinsecus nullis apparentibus vestigiis intrandi licentiam fecit? *Deus*, inquit Scriptura Gen. 2. 8. *Posuit hominem quem formauerat in Paradiso.* Vera nostræ fidei simplicitas, non te absorbeat vorago malignæ interpretationis, vt IESVM prius credas formatum, & postea à Virgine conceptum; cùm caro de carne, & sanguine Virginis in vtero ipso virginali simul creata, simulque copulata sint Verbum, caro & anima. Sed hæc talis verborum complexio, hominem quem formauerat in Paradiso. de antiquis est, non de nouissimis. Posuit; quis posuit? Deus. Vbi? in Paradiso, id est, in horto voluptatis, videlicet in vtero Virginis. Non Maria, non Angelus, non Ioseph posuit, sed Deus qui voluit potuit & sciuit: Deus posuit virtutem operando, Maria concepit, carnem & fidem subministrando: Ioseph extra stetit quæ intus facta fuerant, mirando & stupendo.

D Bene tunc Ioseph iste Virginem defendit nomine coniugali ab opprobrio, sicut alius Ioseph Christum de cruce deposuit & vnctum in sepulchro posuit, à facie Iudæorum abscondendo. Erat autem ibi hortus & nouum monumentum in horto: Videtur iste hinnulus ceruorum amare olera, videtur virentia quærere, videtur arbores libenter plantare, videtur areolas aromatum exarare videtur cubare in meridie & pasci in hortis, & lilia colligere. Olera herbarum quæ citò decident, sunt nostræ defectus humanitatis quos CHRISTVS suscepit, cùm homo fieri voluit: virentia, sunt opera quæ de fidei & castitatis radice prodeunt; arbores sunt quæ flores conuersionis & fructus Religionis referunt, areolæ aromatum, mentes Sanctorum lilium castitas. Hæc omnia & in horto Virginali & in Ecclesia CHRISTVS manu sua seuit, rigauit, & ad incrementum produxit. Regina Salomoni attulit aromata, quanta & qualia non sunt vltra visa in Hierusalem: similiter Regina nostra de cœlo & gratiâ præueniente, tales de ruente protulit incarnando Dei Verbo affectiones quales nulla sperare potuit aut proferre creatura suo creatori.

E Ecclesiæ etiam nulla in aromatibus se conferre potuit secta Gentilium, Iudæorum & Hæreticorum; vterque hortus est irriguus, fertilis, amœnus, solitarius, tutus, consolatorius, deliciosus. Irriguus est superiori & inferiori irriguo, id est deitate Christi & humanitate, vel angelica & humana deuotione; fertilis quia fertilitate sua etiam filios corruorum pascit, dum escam populis Æthiopum, id est, carnem & sanguinem Christi, peccata sua confitentibus & verè pœnitentibus præparat. Amœnus, quia verna temperies flante austro, varios profert colores, vt cæli picturam postponas, si templum virginale, & Ecclesiasticum oculo pudico & sagaci reuoluas; solitarius, quia vnus solo singularis segregatus à peccatoribus, IESVS totum quod est Virginis & Ecclesiæ sic occupat, vt socium non admittat; vnde Audi Israël Deus tuus, Deus vnus est. Tutus quia turris fortitudinis à facie inimici, mille Clypei pendent ex ea, & F à sexaginta ex fortissimis Israël vallatur & seruatur: consolatorius quia Deus totius consolationis & Angelus magni consilij nascitur ex ea & vsque ad consummationem sæculi, manet cum ea. Deliciosus quia Virgo speciosa facta est in deliciis tuis, quæ potestate & dignitate regia, nihil in apothecis cœlestibus est, quod non voluntati & vsui eius exponatur.

SERMO I.

De S. Bernardo Abbate Claravalla.

ECce verè Israëlita in quo dolus non est, &c. Ioan. 1. 47. Iacob post longa servitia, post diuturna exilia, post suscepta ex vxoribus cara pignora, post gregum, seruorum & ancillarum adquisita emolumenta, ad domum patris & ad terram natiuitatis suæ reuertitur: sed in itinere occursu Esaü fratris sui primogeniti terretur. G Cùm anima sæculari conuersatione tædio affecta, annos æternos recogitando cælestem habitationem concupiscit, & parturiens ingemiscit clamans: Rom 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* &, Ps. 119. 5. *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est*; &, Ps. 41. 4. *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* &, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Disponit itaque domui suæ, & mercedes laborum suorum non in sacculo pertuso collocat, humanam ex his gloriam aucupando, & non rectè diuidendo, sed ordinat familiam vt castrorum aciem, sed greges distinguit in numero, sed munera appendit in pondere, sed spatia inter gregem & gregem interponit in mensura, sed lampades operum suorum ornat cum oleo puræ conscientiæ, & iunco purgatæ per confessionem animæ. Ecce vir prudens meritur fratris mores oblatis muneribus, dans pecuniam vt adquirat gratiam, Ordine regulari incedere facit non solùm homines, sed & greges, vt appareat quantus ordo in eius mente seruetur, H de cuius plenitudine & animalia ordinantur.

Transducit vadum Iaboc quod interpretatur lucta siue pulvis, omnia quæ ad se pertinent. Religiosa dispensatione, mens quæ Angelos expectat, quæ patriam suspirat, quæ domum patris desiderat, omnes animales à se motus elongat, & lugens se, cinerem & pulverem vadum Iaboc, id est, fluctuationem sæculi, & motionem carnis certamine laborioso transit, & in hac ærumna tanquam inter sentes interdum quiescit. Solutum denique à curis sæculi & liberum occupans animum, Angelus Domini mouet piscinæ aquam, indicit conflictum, prouocat ad congressum rationis & sensualitatis. Ebulliunt statim bonæ cogitationes; hinc tanquam vnguenta pretiosa inardescunt, inde tanquam spinæ sub olla pristinorum incentiuorum remordentia susurria.

Concupiscit itaque caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; Vnde Iacob, id est bellator iste

A Rom. 7. 25. Psal. 31. 4. cogitur dicere, *Ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Item, *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina*, Spinosa namque caro de spineto suo profert spinas, sicut Ismahel ludit cum Isaac, affligens animam iustam & compungens ad eliciendum sanguinem qui est vita spiritus. Progrediens siquidem de scola Epicureorum condit leges iniquas, sed vt viuat secundum carnem, & non secondum spiritum. Ait enim Apostolus: Rom. 8. 13. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Econtra Angelus, mens, ratio, intellectus in mente altrinsecus stationem suam statuunt & rationi concesso duello ad pugnam accingunt.

Fide igitur loricata ratio spumam aquæ reputat omnem voluptatem carnis, & fortissimis atque euidentibus argumentis conclusit non esse appetendum quod in se habet enorme damnum & nullum emolumentum. Voluptas carnis carnem consumit & vermes nutrit. Vnde Iob: cap. 17. 6. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermibus.* B Gal. 6. 8. Et Apostolus, *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* Cohortes angelicæ simul & omnes sacræ paginæ partem rationis roborant, & carnem non prorsus defodiendam, sed ægrotantem medicinalibus remediis releuandam indicant. Hoc duellum siue certamen fortè acriùs insurgit, cùm relicto sæculo tanquam Laban perfido & astutiis pleno spiritus redit ad Deum qui dedit illum. Subitò itaque gratia adueniente sicut pluvia in vellus, ex recordatione suæ fragilitatis aculeo divini timoris compunctus homo totam humanæ substantiæ farinam cribro districti examinis subtiliter concutiens, & separans pretiosum à vili, non cessat vsque ad auroram suæ & Dei cognitionis luctam reciprocare, & modò ad Deum sursum spiritum leuare, modò ad ima & infirma carnis curam moderatam deponere. Supra modum autem & rationem temporis detinente impetus spiritus carnis procacitate, neruum femoris motus immò spiritus commotus percutit, & emarcescens neruus claudum efficit.

C Duo pedes Iacob, id est carnis, sunt appetitus edendi, & appetitus generandi: penè etenim ad omnia opera carnis deferunt & immergunt hominem gula & luxuria; & quando æquis passibus inceditur gula & luxuria, cur nos non rectos habet gressus homo, nec Angelus infundit benedictionem, nisi nervo contracto alteri pedi detraxerit effrænationem. Detrahit igitur luxuriæ actum licet non auferat motum: esse namque absque omni motu luxuriæ non esset claudicare sed angelisare. Pes itaque iste remanet, sed decurtatus infra delectationem, vel saltem infra consensum, omnino infra actum. Pes verò gulæ remanet appetitu & actu, non jam Iacob prioris conuersationis, sed Israël assumptæ religionis. *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël*, translatus ad Rachelis amplexus, vt videas voluntatem Domini, & visites templum eius. Vnde & in choris Angelorum de te dicetur: *Ecce verè Israëlita* imitatione, assecutione, congressione, contemplatione, benedictione. Beatus Bernardus verè Israelita est sancta conuersatione, D assidua corporis mortificatione, pastorali instantissima sollicitudine gregis sibi commissi, multiplicatione filiorum ex vtraque vxore necnon & ancillis procreatione, virgarum decorticatione in scripturarum expositione in Angelorum contemplatione.

SERMO II.

De eodem.

Ioan. 1. 47. Rom. 9. 6. ECce verè *Israelita in quo dolus non est*, ait Apostolus: *Non omnes qui ex Israël hi sunt Israëlitæ.* Claudicat enim Israël neruo femoris percusso, cùm semen eius diuiditur in paleam & gramen; nam qui fidem & deuotionem pinguedinis huius olivæ intactam & illibatam seruauerunt, reputantur in semine, & dicuntur verè Israëlitæ. Qui autem mentiti sunt sicut opus olivæ, & claudicauerunt à semitis suis sequendo Baalim, & Deum creatorem suum ignorando, de quibus dicitur: E Isa. 1. 3. *Israël autem me non cognouit*, non habent partem in benedictione Israëlis, non enim manent in radice. Rami siquidem sunt fracti, non sunt palmites manentes in vite, in ignem ergo mittendi sunt. Horum ergo merita solius subest scientiæ Dei, cuius est Iacob eligere & Esaü reprobare; cujus est misereri quorum vult, & reprobare quos ignorat. Spiritus itaque Dei signans vestigia per quæ transitum facit in mentibus fidelium, singula hospitia ab itineribus æternitatis, singulas stationes fructuosæ visitationis, certas mansiones saluberrimæ inhabitationis gratiæ suæ, honestis intitulat nominibus & æternis illustrat remunerationibus. Oues enim suas vocat nominatim & Moysi loquitur; Exod. 33. 12. *Noui te ex nomine*, & Apostolis: Luc. 10. 20. *Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, & Isaias: cap 65. 15 *Et seruos suos vocabit nomine alio.* Virtutem igitur in medullis animæ inuisibiliter ipso operante latentem fauore benigniori superaccendens lucernam, F non sub modio, sed super candelabrum ponit, & fœtum gratiæ ad partum producens secundum propositum suum propriis seu figuratiuis nominibus distinguit. Inde est quod in nouo & veteri Testamento nominum non solum impositiones, sed translationes fiunt, vt Isaac, vt Iacob, vt Israël, vt Simon, vt filij Boanerges, id est filij tonitrui, vt Natanaël, de quo dicitur: *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.*

Gutta hæc propinabilis & nimio appetitu gustabilis fontis & venæ originatiæ dulcedinem commendans ad historiam nos remittit, & cuius profunditatis atque habilitatis sit inquirere compellit. Fons itaque, seu puteus Iacob de quo dicitur, quod IESVS fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem, est historia Genesis vbi legitur, quod cùm Iacob ad terram natiuitatis suæ reuerteretur, & timeret Esaü fratrem suum, quod præmiserit munera ante, vt ipsum placaret muneribus. Ipse vero nocte illa mansit in Castris. Cumque maturè surrexisset, tulit duas vxores & totidem famulas cum vndecim filiis & transiuit vadum Iaboc, transductisque omnibus G quæ ad se pertinebant, remansit ipse solus; & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Qui cùm videret quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit, dixitque ad eum dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit, Gen. 32. 26. &c. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*, ait ergo; *Quod nomen tibi est?* respondit, *Iacob.* At ille; *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.*

O Iacob, ô Israël, quam fœlix congressio in qua victor succumbit, in qua victus feriendo luctatorem suum claudum efficit, sed benedicendo semen eius & nomen Angelis parificauit, in qua denique virtus in infirmitate perficitur. Felix congressio, in qua infirmiori fortior, inferiori superior cedit & quasi succumbit; summa virtus vermiculo & pulveri, vt habeat humana desidia vnde diuina apprehendat, & quasi inescata nullatenus à diuino amore resiliat, dicens: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Non petit aurum aut argentum pro lucta H sua Iacob, non certat pro regno terreno, non est ambitiosus vanæ gloriæ, immemor est humani timoris quo timebat Esaü, non petit caput Ioannis Baptistæ: benedictionem postulat quam hæreditate possideat. Prægustauerat paternam benedictionem docente Rebecca in oblatione cibi & potus, caligantibus præ senectute oculis Isaac, de propagine illius benedictionis ditissimæ in omnibus locupletatus fuerat, in vxoribus, in filiis, in familia, in gregibus ouium, caprarum, camelorum, boum, aliaque substantia multa nimis. Attractus ergo & illectus prima benedictione, tota intentione petit secundam vt qui dedit ei substantiam, addat & gratiam. Nihili pendit substantiam, nisi habeat & gratiam. Iam de pinguedine terræ obtinebat substantiam, ideoque instat & de rore cœli habere supernam gratiam, *Dimitte me*, inquit vir qui luctabatur cum eo, *iam enim ascendit aurora.* O si vellet robustissimus & fortissimus, cuius fortitudo nocentoris est, quàm facili vento tanquam fauilla absumeretur, & in re-

A gione diſſimili abſportaretur. Sed quaſi exæquans vires; eelat potentiam ſuam, & luctatoris ſui extollit inſtantiam dicens: *Dimitte me.* O iaculum amoris! vt ardentem vehementiùs ſuccendat fornacem, iacit aquam quæ non extinguat, ſed augeat flammam. *Dimitte me* dicit, ſed ne dimittat incendit & intendit. Sic & Moyſi ait: *Dimitte me vt iraſcatur populo tuo furor meus.* (Exod. 32.10.) An non ſine licentia iraſci poſſet? Quis certè quærit iraſcendi licentiam? Sed nondum vult pœnas irrogare pietas, quas populi meretur impietas. Dei ergo dicere homini *dimitte me*, eſt hominis viſcera tranquilliùs penetrare & tenaciùs ſe illi obligare; ammonitio eſt retentionis, non euaporatio diſceſſionis. *Iam*, inquit, *aſcendit aurora?* Quid eſt aurora & quomodo aſcendit aurora? eſt egreſſus mentis in contemplatione Dei; aurora aſcendit, quando nidum ſuum aquila, id eſt anima, ſuper ſydera ponit, quæ retro ſunt oblita & ad anteriora extenta.

B Poſt noctem aſcendit aurora, vt Apoſtolus ait: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* (Rom. 13. 10.) Item, *ſiue ſobrij ſumus vobis.* Ecce nox nocti indicans ſcientiam. *Siue mente excedimus, Deo*; (2. Cor 5.) ecce aurora, dies diei eructat verbum. Aurora eſt medium ſilentium, aurora eſt dimidius cubitus in calamo dimenſionis templi Ezechiel; aurora eſt initium ſubſtantiæ Dei, aurora eſt confinium terræ & cæli, aurora eſt mons Sinai vbi Moyſes aſcendit & Deus deſcendit. Quid ergo eſt dimitte me, iam enim aſcendit aurora, niſi ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, ideo percutit neruum femoris eius, ne ſic præſumat de velocitate, quomodo de fortitudine. Melius enim eſt poſt Deum claudicare, & vno pede de Deo ſperare, alio de ſe non præſumere, quàm dura & erecta ceruice, inani præſumptione euaneſcere. Fixo itaque ſaltem vno pede ſtringit illum quaſi cedrum dicens illi: *Non dimittam te niſi benedixeris mihi.* Grata Deo inſtantia, arrhas gratiæ, pignus reuerſionis, vicarium præſentiæ tuæ, dotem matrimonij, ſpeculum contemplationis depoſco benedictionem, ali-

C ter non dimittam te, quia veniſti ad me, quia amplexatus es me, & paſſus amplexari à me. Non tenerem te, niſi venires ad me; non venires ad me, niſi diligeres me; non diligeres me niſi velles ſaluare me, non ſaluares me, niſi benediceres, non ergo dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo: *Quod tibi nomen eſt?* Reſpondit, *Iacob*, Ait ille; *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël:* quia expertus ſum te fortem in luctamine, conſtantem in petitione, manſuetum in percuſſione, caſtum in femoris eneruatione, humilem in claudicatione; nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum ſed Iſraël. Benedictio mea mutat & res & nomina rerum, Iacob te appellauit natura, Iſraël te facit gratia, vtrumque tamen prærogauit prædeſtinatio mea. Vt fratris plantam in vtero teneres, non fecit mathematica conſtellatio, ſed vniuerſa creans & gubernans diuina moderatio. Vt ſobriperes benedictionem, non fecit fraudulenta matris conſultatio, ſed gratiæ præparatio: vt mecum luctam inires veni non caſu

D fatali, ſed deſcenſu propitiabili, non vt te vincerem ſed vt benedicerem; nec inuitus præſto, quod vt rogares ſuggero; differo autem conferre quod te cariùs volo ſeruare.

SERMO I.

De Sancto Nicolao.

(Luc. 19. 13.) N*Egotiamini dum venio*, Miſericors & iuſtus Dominus, qui diues eſt omnibus inuocantibus eum, diſpẽſatione inſcrutabili dona ſua partim donat partim vẽdit; vbi donat facit gratiã, vbi vendit apponit iuſtitiam; nulla auaritia, vbi gratia, verum iuſtitia, non reddat pigros gratia, non diffuſos iuſtitia. Quæ neceſſaria ſunt ſi fortè differt dare gratia, pro pretio in medio profert iuſtitia, nemo vnquam iuſtè pœnituit emendo à iuſtitia, nemo friuolis deceptus promiſſionibus à gratia.

E Vult ergo Deus pecunia gratiæ lucrari nos in contractibus iuſtitiæ dicens: *Negotiamini dum venio*, nolite liberum arbitrium ab officio ceſſare * quia ſi non laboraret, de merito nil ſperare auderet, excitat ergo illud præueniens gratia, vt ad ſolemnes & frequentes iuſtitiæ nundinas concurrat, quatinus ſolatio ipſius reuoluat iuſtitiæ mercedes, & ſuis neceſſitatibus comparet eſcas & veſtes ſufficientes. (* al. ceſſare.)

Nihil deeſt certè in foro iuſtitiæ, quod neceſſarium ſit ſaluti humanæ: diſcutiens igitur & excutiens tanquam veteres ſacellos, Prophetarum & veteris legis libros, tactu & viſu probet quid vtile ſit mendicitati, quid nuditati, quid paupertati, quid vſui, quid ſaluti, quid tranquillitati, quid delectationi, quid æternitati. Expandat in his priùs quod ſuum eſt, rationi vtique omnem ſubſtantiam, ingenij, memoriæ, voluntatis, delectationis, oris, oculorum, aurium, manuum, pedum & omnium corporis membrorum: & cùm viderit ſuum peculium minùs ſufficere; recurrat ad marſupium gratiæ; nunquam enim minus commodabit gratia, quam poteſt vendere iuſtitia. Pater iuſtitiæ & fons gratiæ in

F ſorte collata non ſe ſe excedunt, quia totum eſt gratiæ, quicquid eſt iuſtitiæ & totum iuſtitiæ quicquid eſt gratiæ: totum ergo comite gratiâ potes acquirere, quod venale proponit iuſtitia.

Habet autem mercatores ſuos iuſtitia, qui pannis vilioribus pretioſam circumtegentes ſuppellectilem, obſcuritate & vilitate verborum, ſanctiſſimos recondunt ſenſus & quominùs meretricio apparatu lenocinantur oculis attendentium, eò veriùs intrinſecus vigent vtilitate, & pulchriùs lucent deifica ſubtilitate. Quæ enim ſpecies paradiſi non continetur in torello Pſalterij, creationis, & reſtaurationis humanæ? ad plenum ibi myſteria ſunt; morum ibi ſufficiens inſtructio, fidei integra contexio, pene omnium operum Dei & Sacramentorum recapitulatio. Iſaias autem quid niſi ſuauiſſimos odores planè aromatizat? Ezechiel funes intri-

G cantes, vix explicat, nec illũ ſapit, qui non ſoluit. Hieremias ſub obſcuro colore, peccata populi lamentatur; quiſque Prophetarum iuxta ſuam ſarcinulam, emptorem expectat.

Moyſes plures humero ſuo affert troſellos valdè graues & importabiles; annuales his omnibus vix ſufficiunt reuolutiones: reuolue & lege meliora id eſt lege, & memoriæ commenda, quia grande lucrum eſt mandata Dei ſcire, & facere; de hoc enim dicitur: *Negotiamini dum venio.* Qui legem Dei, non vt melior fiat, ſed vt glorioſior appareat, legit, non negotiator eſt gratiæ, ſed explorator vanæ gloriæ; niſi de lectione ſenſum bonum in intellectu repoſueris, à foro vacuus redibis. Si verò bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam per lectionem & meditationem diuinæ Scripturæ memoriæ commendaueris, non ſine lucro ad propriam familiam remeabis? A Moyſe igitur viro omni diſciplina erudito, & inter omnes manſuetiſſimo eme de prima ſarcinula, quæ eſt in Geneſi, vnde, & quo, & qua ve-

H neris; ſcilicet de Paradiſo per inobedientiam, in mundano exilio. In eadem conſidera delectabile arborum nemus, & in quatuor capita diuiſum paradiſi fluuium & venam pretioſarum gemmarum, atque auras vitales & ſalubres vno deperditas peccato. Longiori textu perge contrectare vſque ad benedictiones Iacob, ſingulas pro intericcta copula ſpecies valdè vtiles, vel ad remedium mali, vel ad compendium boni. Succedit huic *. (* deſunt reliqua.)

SERMO II.

De eodem.

N*Egotiamini dum venio*: Nullus ſcholarium Ieſu omiſſo ſapientiæ ſtudio mundi & carnis curis animum ſuum inuoluere ſaluo ſuo propoſito poteſt: rejicit ſiquidem, & à ſe abjicit torpens otium lex Dei; quæ inculta mareeſſit, neglecta putreſcit. tranſgreſſa

A occidit. Idcirco die ac nocte meditanda; colenda est & seruanda, vt doceat ad postes suos excubantem, colonum suum ditescat, obedientem regia totque exornet.

Diligit Deus legis suæ lectores, & dilectores, & eò largius & latius arcani sui penetralia expandit pulsatus, quò vehementiùs deprehenderit discipulum quælibet fræna laxare studij, vt mores magistri ebibat in mandatis suis, & à contrariis abstineat. In solemni igitur & copiosa frequentia pendentium ab ore ipsius scholasticum vnum reperit præ cæteris, medullis suis commendantem præcepta magistri solertius, & exequentem diligentius, hic iste est Domini Confessor & Episcopus egregius Nicolaus; cuius sanctitatis tam hilaris fama per mundum pene vniuersum prædicatur, vt si merita famæ comparentur, & solemnis recursus gloriæ coæquetur, partem optimam in sorte Sanctorum adeptus, de omnium Sanctorum præcipuis priuilegiis particeps & cohæres existat.

B Vicino itaq; pede disciplinam sequens magistri, castra sua iuxta figit, & omnes motus tam animi, quã corporis exactissima æmulatione ad eius nutũ corrigit, & ad iussum dirigit. Antequã ergo aure corporis perciperet, *Negotiamini dum venio* præoperãte gratia semitas ingressus pœnitentiæ, gulæ vitium infrænauit: & priusquam intelligerent spinæ rhamnum, videlicet culpa pœnam, præuocauit per pœnam, culpam. Haoc à cunabulis exercuit negotiationem, qua minori pœna & culpam minorauit, & meritum auxit: subiugato namque vitio gulæ, tolluntur arma luxuriæ, & tabescit passio corporis dum calor ventris languescit. Puerilis quoque desuetudo ab illicitis, viam sternit bonæ consuetudini regnaturæ; in maiori ætate, vt vtatur licitis moderatius, & resistat illicitis mordacius.

Quam impotens Nicolaus iacens sub vbere; quàm potens abstinens ab vbere: Si à studiis suis intelligitur puer, quid infans & lactens? quid facies? cùm poteris, qui tanta & talia facis cùm nondum aliquid possis?

C quam cupidus, quàm auarus in cœlestibus negotiationibus consurges adultus, qui vix natos iam confers manum primis in paradiso serpentinis suggestionibus, & parentum nostrorum deceptionibus. Qui captat lucrum, euitare debet damnum, damnum verò enorme sustinuit genus humanum, cum Adam & Eua sumpserunt pomum. Sed quis hoc docuerat Nicolaum, quod ex hoc mors intrasset in mundum, Moyses quidem serpentis, iubente Domino, apprehendit caudam, Nicolaus gulam, ferocius inuadit hostem, qui tenet gulam quàm ille qui caudam, multum lucratur à quo tantus hostis superatur; vniuersa enim arma in quibus confidebat, aufert, & spolia distribuit. Quasi vero tot spolia diabolus rapuit, quot Sanctorum virtutes corripit, non autem bonis aliorum se vestit, quem summa malitia induit, sed sufficit tulisse, quod ipse nequit habere. Lucrum ergo se fecisse deputet, qui euasit foueam perditionis & laqueos euasit fraudulentissimæ deceptionis.

D

SERMO

In Festiuitate omnium Sanctorum.

PRiusquam peccaret anima humana Angelicæ puritatis æmulatrix, & velocitate sua excursus contemplationis supernorum spirituum assequebatur, & viuacitate ingenij de Deo non inferiora contemplabatur. Reficiebatur non dissimiliter munerum diuinorum plenitudine, & plenissima insistebat coæquari æmulatione; at postquam madefacta corruptione peccati, cœpit sentire grauedinem carnis, tardiores inuenit volandi conatus, & nimium dispares cursus. Paulatim itaque, ex defectu virium pristinarum eneruata, languere in lecto coporis, & in carcere mundanæ cõuersationis non cessauit, donec prauæ actionis opprimeretur pondere & nequioris consuetudinis sepeliretur mole.

Ne itaque non habens ooonitorem, culpis locrescentibus obdormiat in morte, tuba Moyses in litera & spiritu clangit: psalterium superni desiderij, & cytharam E mortificationis puer cytharœdus digitis ferit; lagenas Gedeon in Martyrio Sanctorum confringit: à somno in procinctu Passionis IESVS Apostolos compescuit; *Vigilate*, inquit, *ne intretis in tentationem*. Qui enim tentationis igneas cathenas formidat, somno abstineat; qui rursum si forte à concupiscentia sua abstractus & illectus, humanitùs excesserit, statim resiliat, statim pedem retrahat, statim tanquam fortissimus Samson in virtute septiformis spiritus, nooos funes peccati abrumpat. Marc. 14.38. Intrarẽ.

Quandoque siquidem etiam ille cuius cor quasi leonis in Israël est, vanitate sæculi demulcente, caput in gremio deponit, & multum periculosè obdormit, sic dormienti immò morienti pia piæ sollicitudinis prouidentia accurrit & succurrit: *Vsquequo*, inquit, *piger dormis?* O quam periculosè dormitur, quando mundi delectationibus sine respectu plenitudinis anima oblectatur: is namque intrat in tentationem, qui malum non deserit vsque in finem: is de tentatione non exit, qui cum peccato animam soluit: is accedit non intrat tentationem, qui cogitat, non facit iniquitatem. O piger, ô peccator quousque dormis suggestione, delectatione, consensu, & perpetratione peccati? Consule rationem, consule naturalem legem, consule optimam tui creationem, & desines amare sæculi vilitatem & vanitatem. Prou. 24. 30. F

Vsquequo peccator dormis? attende quanta comminatione, quanta vtatur Moyses asperitate, vt te ab inertia reuocet, vt te à somno excitet: vbi enim lex diuina accipitur, voces & lampades videntur. Leuem certè somnum, alterum depelleret, sed grauem vix coniunctum vtrumque remouet: oculos lampas, vox aures excitat; attamen nec sic populus duræ ceruicis expergiscitur: oculos enim, claudit ne videat, & aures aggrauat ne audiat. Vsquequo peccator dormis? respice & vide saltem illum in Euangelio qui aperuit oculos cæci nati, qui aures surdi referauit, & prædicatione sua tanquam rugitu leonis torporem animarum repulit, vltra modum somnolentia absorbetis, si miraculorum Christi accensa luminaria non aspicis; vt quid & voces leonum rugientium, & stemitus populorum sæuientium aduersùs Christum non excutiunt somnum. G

Vsquequo piger dormis? Vigiles qui nocturnas agunt excubias, tam publicæ quam priuatæ vtilitatis solliciti, nimio somno depressos nimiumque soporatos exurgere admonent, & ad opera diurna suadent, retardantes verò & pigritantes non simpliciter excitant, sed voce increpabili ingeminant: Vsquequo piger dormis? tanquã si dicant, ô piger ruinam domus minatur & tu dormis? fures subintrant, & tu quiescis? ignis iam laquearia incendit, & tu non sentis? iam hostes in caput tuum pugiones vibrant, & tu non percipis? iam iam guttur tuum laqueo est constringendum, & tu non expergisceris? iam adulter ad vxorem ingreditur, & tu non æmularis? filij iam deportantur, & tu non subuenis? hæc damna tibi dormienti obuentura, hæc incommoda nisi resipueris, occursura: denique & si timor mali non excuteret, salutem lucri cupiditas, si piger non esses inflammaret. H

Celebrantur namque in foro nundinæ solemnes, & non curris? pulcherrima præparantur spectacula, & oculos claudis? præclara diuiduntur spolia, & nihil petis. Grande & splendidum exponitur conuiuium, & tu esuris? rex post triumphos innumerabiles in conspectu populi sui coronatur, & tu non conuenis? regij thesauri vniuersis indigentibus apponuntur, & manum non porrigis, speciosus sponsus sponsæ, quæ tota pulchra est, copulatur, & non aspicis? Vsquequo peccator dormis? ô quantum bonum perdis? ô quantum malum incurris? cælum amittis, visionem gloriæ Dei, beatitudinem Sanctorum, societatem Angelorum, corporis immortalitatem, animæ felicitatem, Paradisi amœnitatem. Et quæ pro his commutatio? fœtor inferni, horror dæmoniacæ societatis, timor infiniti mali, dolor

cordis,

A cordis, & corporis, desperatio fortunæ melioris, subiectio pessimi tyranni, sempiterna renouatio supplicij.

Vsquequo peccator dormis? nonne qui dormit, perdit hæreditatem? quis est hic somnus, vel quæ hæreditas, aut quis tam piget & somnolentus? In scripturis per somnum aliquando peccatum, aliquando mors intel-
Ioan. 11. 11 ligitur; vnde in Euangelio: *Lazarus dormit*, subauditur
1 Thess. 4. 13 in morte, & Apostolus ad Thessalonicensos: *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, hoc est de mortuis. Aliàs
Ib. 5. 7. verò idem Apostolus de somno peccati sic. *Qui dormiunt nocte dormiunt*, hoc est qui malè agunt, tenebras quærunt. Habet autem nox quatuor vigilias, vel quatuor somnos, primus somnus noctis, suggestio est inimici; adiungit primo secundum, qui præbet suggestionibus assensum, vsquè ad tertium non euigilat, qui malum perpetrare non dubitat. Sepelitur in quarto, cui dominatur consuetudo, &c.

B

SERMO

De Apostolis.

Luc. 22. 28. Ps. 2. 8. VOs, estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, &c. Verba sunt testatoris illius, cui Pater suus dixit; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tibi & possidebis terminos terræ*, vltimæ enim voluntatis, vltimæ dispositionis, & supremæ distributionis paginam condens, bona sua tam filiis, quam amicis & seruis in hoc testamento legauit; & hæredes substituit, qui cohæredes essent in mensa, in iudicio, & in regno futuro. Ne quis autem superciliosus libellum testamenti calumniaret, & non iure, sed sola voluptate ductum, absque ratione hæredes institutos reprehenderet, caussam & meritum præfixit, quare tantis muneribus Apostolos suos IESVS honorauerit, vos, inquit, estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.

C Ecce labor, ecce opus, ecce fidei meritum, sequi hominem pauperem & inopem; qui non habebat, vbi caput reclinaret; contra quem filij matris suæ Iudæi pugnabant, cui Scribæ & Pharisæi insidiando inuidebant: cui omnes detrahebant; cuius animam quærebant; quem de ciuitatibus suis frequenter expellebant, magnæ fidei, magnique laboris erat. Hæc omnia IESVS tentationes suas vocat, quem nostræ non tangebant tentationes, quia in carne eius nullus vnquam surrexit stimulus peccati, in qua fomes originalis mali non absorptus, non præcisus solùm, sed procul & ab vltimis finibus conceptionis & natiuitatis prorsus fuit relegatus; tam enim IESV pleno Spiritu sancto potuit accedere, seu penetrare motus illicitus carnis, quàm Deum depellere de sede æternitatis flatus Luciferi, quo aspirauit sedere in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Potuit tamen tunicam mortalitatis assumptam persutare, laniare, discerpere, & etiam expoliando, cum permissione beni-
D gnitatis, & eum patientia incomprehensibilis dispensationis detrahere.

Has malignorum Iudæorum influxiones, & insultationes appellat tentationes suas: *Vos*, inquit, *estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*, *vos*, notat diuinam electionem, quæ elegit eos ante mundi constitutionem. *Qui permansistis*, notat constantiam & perseuerantiam illorum, *mecum*, notat vnanimem affectionem, & specialem dilectionem. *In tentationibus meis*, notat nihil inesse adulationis fictæ & effæminatæ mollitiei, sed firmissimæ stabilitatis, & probatæ fortitudinis, quales fuerunt Caleb, & Iosue exploratores terræ: quales ierunt ad pugnam cum Gedeone; quales Dauid constituit consortes belli, & principes populi.

Luc. 22. 29. Sequitur; *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël*, grata quidem Deus accep-
Gen. 29. 15. ptat obsequia, sed non vacua, nec irremunerabilia, vnde & Laban ait Iacob; *Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid mercedis accipies, habebat autem duas*
E *filias, nomen maioris Lia, minor appellabatur Rachel; sed Lya lippus erat oculis; Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Si pio & puro intellectu discutiente penetralia huius literæ, gratia reseruauerit, cantum consonum hæc cythara cum psalterio Dauid modulabit, fratres suos Apostolos Dominus appellat dicens: *Ite, nunciate fratribus meis*; horum seruitium, qui nullius eget, Matth. 28. 10 penes se remanere sublata spe remunerationis non patitur, vnde & Petrus cum dixisset: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, adjunxit, quid ergo erit nobis? & Dominus: Amen dico vobis quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me in regeneratione cùm sederit filius hominis, &c.

Alibi quoque cum dixisset: *Vos autem quem me esse* Matth. 16. 16 *dicitis*, & Petrus respondisset: *tu es Christus Filius Dei viui*, simili penè verborum ordine subjunxit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, &c. cum ergo dixisset, vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, ad- F dit, & ego dispono vobis, &c. animaduerto in hac recompensatione duas filias Laban, vnam in mensa; alteram promissam in regno, maiorem id est priorem, in mensa; minorem, id est, sequentem in regno. Lippam oculis in mensa, decoram facie, & venusto aspectu in regno: inde est, quòd ex aduerso mensæ ponitur in tabernaculo candelabrum, ne desint vsquequaque mensæ Dei subsidia lucis; quæ stat in latere Aquilonis, vnde venit ventus turbinis, à principe namque tenebrarum, qui sedet in lateribus Aquilonis, cæcitas ex parte contigit in Israël, ne videatur gloria Dei in hoc mundo, nisi in nube sacramentorum.

An mensa igitur altaris Lia, licet maior natu in promissione, cùm dicitur vt edatis, & bibatis super mensam meam; laborat tamen videre, quæ ibi apponuntur & consecrantur; sed non potest, non propter defectum existentis in illo sacramento veritatis, sed propter detrimentum luminis; nunc enim videmus per speculum ex candelabro fidei, & in ænigmate opertorij, quod est G species panis, & vini, verumtamen cùm septem dies transierint, & venerit quod perfectum est, tunc euacuabitur quod ex parte est; tunc in regno claritatis, non stando & laborando edemus, & bibemus, sed sedebimus iudicantes duodecim tribus Israël; tunc Rachel copulabitur nobis decora facie & venusto amictu. Sed quia adhuc in via sumus, & sine viatico deficimus, ad mensam diuitis redeamus, & qui de mensa, vel sub mensa, vel in mensa, vel ad mensam vel super mensam communicent videamus.

Super mensam namque induhitanter est ille de quo ait Apostolus; *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, san-* Hebr. 7. 26. *ctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus.* CHRISTVS vtique IESVS, qui est Hostia pura, Hostia sancta, Hostia immaculata; Hostia pura ab originali peccato, Hostia sancta ab omni actuali; Immaculata, ab omni etiam veniali. Agnus enim est Dei qui non tangit, sed qui tollit peccatum mundi. H De mensa edunt vniuersæ familiæ Christianorum, qui per fidem sunt in corpore, & de Corpore Christi; cibus namque huius mensæ est gratia, quæ pro omnibus gustauit mortem, vt morte absorpta omnes gustarent vitam; vnde: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu* Ps. 144. 15. *das escam illis in toto orbe; aperis tu manum tuam, & implebuntur omnia animalia benedictione.*

Grave & grande damnum patitur omnis actio, quæ non fit tempore opportuno; vnde Salomon: *Omnia* Eccl. 3. 1. *tempus habent*; si fornicatione, si adulterio, si immunditia non nominanda pollutus, Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis te ingesseris; non dat tibi Deus escam, quia non dat nisi in tempore opportuno; si odio, si ira, si iracundia, si quo criminali depressus, accesseris Sanguini Christi; scias quia vestimentum tuum sanguine tali mixtum, in combustionem erit, & cibus ignis. In tempore igitur opportuno accessit ad Deum lotus vestimentis, aqua confessionis & compunctionis emundatus à delicto maximo, id est, ab omni criminali,

A fidelis, deuotus, esuriens, & sitiens iustitiam; vnde ait Moyses ad populum: *Estote parati in diem tertium, ne appropinquetis vxoribus vestris.* Si non licet appropinquare vxoribus, licet commisceri meretricibus? si abstinendum est à licito concubitu vxorum, est ne admittendum stuprum nefandissimum masculorum & belluarum? Mira Dei patientia, crudelius transfigitur manibus, & ore talium, quàm flagellis Pilati, quàm lanceâ militis, quàm Iudæorum spinis, & militum clauis.

Tales non sunt de mensa Domini, quia non sperant in illum; sed qui sperant in te Domine, tu das illis escam in tempore oportuno, vnicuique secundùm propriam virtutem, Petro, & Andreæ panem in ligno, Stephano in lapidum congerie, Laurentio panem in craticula; singulis Martyribus singula tormenta, tanquàm passionis tuæ, & crucis minuta fragmenta; vnde
Ioan. 6. 12.
in Euangelio; *Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant*, id est, ne Martyres à passionibus immunes
B transeant, cùm ipse panes fregerim, & quicquid pœnæ temporalis est, in corpore meo pertulerim. Dat itaque escam in tempore opportuno, non vno simul, sed toto sparsim tempore Martyres suos mittendo, & disponendo in Ecclesia Catholica, isti verò non solùm sunt de mensa, sicut grex & familia indocta, sed sunt in mensa, & ad mensam, & super mensam.

Sub mensa verò publicani, & peccatores, qui sicut canes famem patiuntur, & conuertuntur ad vesperam, dicentes cum illo Euangelico Pharisæo; Domine non sum dignus leuare oculus meos ad cælum, & non sum dignus vocari Apostolus, &, non sum dignus vt intres sub tectum meum. Isti nec à mensa recedunt desperatione sicut ille qui dixit:
Gen 4. 14.
Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear, ecce eiicis me hodie à facie terræ & à facie tua abscondar. Nec irruunt ad mensam fronte meretricis, & rabie immoderata, sed tempus opportunum expectant, vt cùm filij saturati fuerint, excutiat pater bonus sinum suum suum, & micas quæ non ne-
C gligentia, sed copiosa abundantia in gremium distillauerat, canibus quasi non ex industria proiiciat. Sic itaque catelli & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Leuitæ ad mensam Domini accedunt, vniuersa vasa Sanctuarij, tam in manibus, quàm in humeris portantes, portiones bonas isti obtinent de mensa Domini; primitias enim spiritus iam habent in fide, & decimas in spe denarij, qui laborantibus in vinea promittitur & datur.

In mensa sunt qui Deo semper assistunt, & de adipe frumenti medullam sumunt, melque de petra, & oleum de firma petra sugunt: ij sunt Sacerdotes & filij Aaron, qui iure Patri succedunt; labia habentes coccinea de sanguine vuæ, & morum, dentes eburneos & hebeninos, de castitate diuinorum eloquiorum, vestem nuptialem de charitate Dei & proximi, de qua profluunt myrrha mortificationis, gutta humilitatis, cassia spei, & deuotionis & orationis; vnde odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris: ab his quoque procedunt, tanquam de throno, fulgura excommunicationis, voces
D exhortationis, & tonitrua comminationis æternæ damnationis, &c.

SERMO.

IN COMMVNI CONFESSORVM.

In illa verba: *Videte, vigilate & orate.* Marc. 13. 33.

NEc securi esse debemus spe vana, nec torpere fallaci desidia, in altero seducimur, in altero opprimimur, præmium sperando quod nunquam meruimus operando. Opprimimur cùm nulla circumspectione sollicìti, repentina morte ad causam æterni iudicij euocamur. Contra vanam securitatem dicitur: *Beatus homo*

E *qui semper est pauidus.* Qui autem mentis est duræ corruet in malum. De corpore damnoso dicit Salomon:
Prou. 28. 14.
propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate cùm venerit super eum repentinus interitus. Dominus itaque qui vult omnes homines saluos fieri tollens securitatem & torporem excutiens ait, Videte, vigilate & orate Videte contra ignorantiam, vigilate contra diaboli fallacem muscipulam, orate diuinam clementiam. Parum namque est nosse quid sit faciendum, parum contra inimicum castra ponere nisi Dei sapientia & Dei virtus ministrauerit consilium & auxilium: Solus Deus illuminat tenebras nostras, solus qui docet manus ad prælium, & digitos ad bellum, qui est fortitudo nostra & firmamentum & refugium.

Vt itaque si cæcus es lumen recipias, quære lutum & sputum Domini? Si lippus collyrio innunge oculos tuos, si oculus turbatur, aquâ patientiæ fomentando, madefacias illum, & manutergio mollis responsionis terge illum, mollis enim responsio frangit iram. Spu-
F tum Domini est saliua descendens ad os à capite, sapientia vtique quæ incarnata descendit ad nos à patre luminum & lutum ex diuina & humana conficiens per vnionem, non per confusionem naturarum, cæcum natum per originale peccatum genus illuminauit humanum, quod in Euangelio quærenti quid vis vt faciam tibi? respondit Domine vt videam: cuius oculus tam cæcus quem candor lucis æternæ, splendor gloriæ, Sol iustitiæ tantæ miserationis radio expulsa caligine non illustret? Infidelitas oculos clausit, fides aperuit, liniuit oculos cæci Dominus cum credere docuit: Abiit qui obediuit, lauit qui baptismum suscepit, vidit qui suum creatorem agnouit, *Vacate*, inquit, *& videte quoniam ego sum Deus.*
Psal. 45. 11.

Quare occupas, quare diuidis, quare diminuis, quare dimidias intentionis oculum erga multa & circumscriptibilia? centuplicatus & mundificatus tâ incircumscriptum comprehendere non posset. *Vulnerasti* ait sponsus
Cant. 4. 9.
cor meum soror mea in vno oculorum tuorum, & in vno
G *crine colli tui.* Noli altero oculo me, altero ad alterum respicere, quia melius est cum vno oculo ad vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Vnum tantum habet oculum, qui nil amat præter Deum & propter Deum, hic vulnerat cor Dei, quia licet fragilis & peccator, penetrat viscera Dei; nec dolet ex hoc vulnere Deus, cum plaga ista non sit doloris sed amoris, non sit incurabilis morbo, sed sanabilis verbo. O anima quid videbis ingressa per hoc foramen, per hoc vulnus, per hoc ostium apertum amicis, clausum inimicis. Vtique quod non licet homini loqui non per venas susurrij.

In vinea huius contemplationis, licet vuas comedere, extra efferre non licet, *Sicut adipe & pinguedine* ait Psal-
Psal. 62. 6.
mista, *repleatur anima mea* Quid deinde, afferes ne, & efferes, partes expectantibus nobis foris cum asino sensualitatis, exponendo & exprimendo, quæ gustaueris? nequaquam sed labiis exultationis laudabit, non enarrabit os meum, propterea velamen positum est super fa-
H ciem Moysi, cùm egrederetur à consortio & colloquio Dei. Vnde Apostolus, *videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie, ad faciem.* Videre ergo
1. Cor. 13.
non possumus quia lippos habemus oculos & superfluis & viscosis humoribus tum de fragilitate nostra, tum de consuetudine mala. Collyrium proinde quærendum, pro causa & effectu morbi conficit medicus emplastrum collyrij. Accusat se peccator, audit Sacerdos, deplorat ille suam ægritudinem, adhibet iste compassionem, & apponit sollicitudinem iuxta culpam, apponit pœnam non supra posse acredinem pœnitentiæ infundendo, sed instar medendo, & modum medicinæ temperando.

Malè sanat vulnus, qui in confessione apponit vulnus super vulnus, dum nimis pœnitentiam, vel aggrauat, in altero austerus, in altero dissolutus, vtrumque vitium cauet Samaritanus cum imponit saucio oleum & vinum. In oleo mansuetudo consolationis, in vino

intelligi

A intelligitur mordens increpatio satisfactionis. Sic tergenda est lippitudo peccati, ne suffundatur pupilla affectus pœnitentis. Melius est vt remaneat aliquid de lippitudine, quam vt tollatur præ nimio pondere, correptio pœnitentiæ. Peccata itaque sua confitentibus dicendum est, *Videte, vigilate & orate*, videte iniunctam pœnitentiam, vigilate contra culpam, ne canis reuertatur ad vomitum, orate veniam, ne iudex vos tortoribus tradat donec reddatis vsque ad nouissimum quadrantem malorum & pœnarum.

Videte mortem, videte infernum, videte diabolum, mors auara, amara, cruenta, horrida, fœda & fœtida: auara quia vnum est de quatuor insaturabilibus, vniuersum genus hominum deuorans, nec famem sedat, nec ventrem implet, gusto suo auidior redditur & quot genera in mundo habet mortium, tot quasi in mensa sua præparat genera ferculorum. Amara est nullum fel morte amarius, non solùm consumit carnales delectationes quin etiam conuertit in amarissimas amaritudines.

B Cruenta est vt fera pessima quæ sanguine viuit, & nil aliud quàm sanguinem sitit à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Christi: certè & vsque ad sanguinem Antichristi non est effusus sanguis quem mors non lambuerit, & non absorbuerit. Horrida est, mortem horret non solum animal rationale, sed omne etiam irrationale, corpore mortui hominis quid horribilius? Fœda est, equum pallidum in Apocalypsi sequebatur mors quæ quicquid pulchrum est denigrat, & in se quiquid abominationis & turpitudinis est conglomerat. Fœtida est, cadauer putridum, non solùm humorem corrumpit, sed & aërem, facies eius corruptio, manus eius quæ operantur in luto animati corporis & in latere exanimati execratio. Posteriora eius, intolerabilis abominatio.

Hæc mors dissoluit quod Deus coniunxit, quæ in inferno depascit animas quæ in sepulchro de super ossibus neruos & carnes tollit, & vsque ad immundissimum puluerem redigit. Ergone timenda est, aut fu-

C gienda, aut contemnenda? Timenda equidem, nam timor mortis conturbat me, fugienda quoque, sed cum discretione. Est siquidem aliquando appetenda sicut

3. Reg. 19. 4. Philip. 1. 23. Helias ait: *Tolle animam meam*, & Apostolus, *cupio dissolui*. Aliquando suscipienda sicut Apostoli & Martyres pro fide defendenda, aliquando fugienda, sicut puer IESVS fugit in Ægyptum, & Paulus in sporta demissus euasit manus Damasci præpositi; quando de morte nullus fructus susciperetur. Contemnenda est ergo velut transitus ad meliora etsi difficilis tamen vtilis, nam ad vitam non est transitus nisi per mortem. Cauendum verò mortis naufragium quod demergit naufragum vsque ad profundissimum infernum.

Iam itaque videamus infernum quibus ferueat flammis, quibus congeletur stridoribus, quibus sordescat sputeriis, quibus nares impleat fœtoribus, quibus visum offendat deformitatibus, quibus torqueat habitatores suos doloribus, quibus perefluat enormitatibus: Denique quibus abundet calamitosis cruciatibus.

D In inferno nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, in inferno sunt tenebræ exteriores, ibi fletus & stridor dentium, in inferno stramentum tinea, operimentum vermes qui non moriuntur, in inferno vox Domini intercidentis flammam ignis, & flamma illa ardebit & non lucebit. In inferno ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium, in inferno damnati sicut oues positi sunt, mors depascit eos; in inferno Deus quis confitebitur tibi?

Infernus locus est leonum, cubile draconum, mansio dæmonum, patibulum damnatorum; infernus incus est malleatorum vbi conquassantur capita multorum, vbi supplicium suppliciorum, vbi malum excedens terminum, tam tempore, quam mensura pœnarum vbi cruciatus, qui semper afficit, numquam deficit, sufficit de inferno. Videamus quem vtinam nunquam videamus diabolum principem, non iam post iudicium huius mundi, sed tantum inferni. Licentia ha-

E ctenus vaga, sed tunc reclusa quò breuiori abutitur potestate, eò acriori insanit seueritate. Appenditur in statera, & inuenitur minus habens tam in gente, quam in orbe. Refrænabitur potestas decipiendi, non voluntas nocendi, Iob a planta pedis vsque ad verticem percussus à Sathana, tanquam sub aspectu viderit quem fortiter pertulit, sub specie Behemoth describit eum singula membra ei assignans, quibus multiplex illius malignitas typicè demonstratur. Prolixa est eius descriptio sed nequitia grauior & prolixior, fœnum quasi bos comedet, &c.

SERMO I.

Sermones in Synodis habiti.

FIli hominis speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum & annunciabis eis ex me: si dicente me ad impium morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua mala & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Grande damnum est periculum animarum, nil est tanti in creaturis sub sole quod tantum damnum possit resarcire. Creator & Redemptor animarum optimè nouit earum pretium; primò quia antequam crearet; constitit ei de pretio creandarum, ab ipso enim statutum est pretium, à quo causa eis & principium, deinde soluendo in redemptione pretium, & si non certiùs, tamen laboriosiùs didicit quanti essent quarum non solueretur obligatio nisi Domini cæli & terræ interueniret crucifixio. Res igitur ardua & summa tractatur, vbi de anima agitur. *Quam*, inquit Christus, *commutationem dabit homo pro anima sua?* Item *quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, seipsum autem perdat & detrimentum sui faciat?* Legistator quoque Moyses æquitatis interpretatione multis casibus commutationes quasdam in lege admittit vt ibi: *Primogenitum asini mutabis oue.* Vbi autem mentio fit de anima percussa & occisa, nullum nisi par occurrit ei remedium, scilicet vt sit anima pro anima. — Ezech. 3. 17. — F — Matth. 16. 26. — G — Exod. 13. 13.

Pensate igitur ô vos rectores animarum, quale suscepistis depositum: & sanè sapiatis, quia tutius est resignare sanum, quàm simulatâ & ementitâ custodiâ penes vos habere demolitum & malè seruatum. Non vos alliciant emolumenta præsentium subsidiorum, quia non sunt illa appetenda subsidia, quibus æterna mendicitas comparatur, quibus æternæ miseriæ, in quibus non subsistitur, commutantur. Audite proinde explanatam, nec explanandam quæ hoc dicit, dominicam sententiam, *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël*, vsque *sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Vsque ad nubes, vsque ad sydera sacerdotalis dignitatis exaltatur solium, sed in fine si ruinam fecerit, deprimitur vsque ad gehennale sterquilinium, iuxta illud, *Eleuans allisisti me.* Est in appetitu eleuatio, sit in aspectu mentis tuo pœnalis & damnosa allisio. Ecce alter Deus in terris est Sacerdos: Soluit Deus peccata, soluit Sacerdos, benedicit Deus, benedicit Sacerdos; aperit Deus cœlum, aperit Sacerdos, absoluit hominem Deus, absoluit Sacerdos: damnat Deus, condemnat Sacerdos. Deus Pater ineffabiliter verbum de se genuit ab æterno, consubstantiale sibi, Sacerdos & in hoc sed à longè imitatur eum (quod tamen simpliciùs dicendum & sobriè prædicandum est) quando diuinissimis in Missa verbis prolatis, corpus illi verbo, quod est Filius Dei personaliter vnitum, conficit, & propria manu fidelibus populis in salutem distribuit, sicut & Deus misit eum redemptionem populo suo. — H — Ps. 101. 11.

Quæ ista dignitas vestigiis sic inhærere diuinis, & iustitia præeunte è vestigio sic in via eius ponere gressus suos? Quid vltra & quò vltra? omnia insignia sua quæ tradi debuerunt & potuerunt Ecclesiæ suæ, &

præcipuè

A præcipue Sacerdotibus, reliquit Dominus. Sic enim Ionathan & Dauid inierunt fœdus pacis & amicitiæ perpetuæ : Sic Christus cum Ecclesia sua, quam sicut ibi dicitur, *diligebat vt animam suam*, Nam animam suam (1. Reg. 18. 1.) posuit pro ea. Dicitur etiam ibi quia expoliauit se Ionathan tunica qua erat vestitus, & dedit eam Dauid & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium & arcum suum & vsque ad baltheum. Inclusiuè non exclusiuè legendum est, *vsque*, nam filius Regis Ionathan de palatio suo & gloria compassos puero Dauid, id est Ecclesiæ, qui adhuc pauper & exul huc atque illuc fugitabat dum peregrinatur in terris, tunicam suæ humanitatis, quam vestiuerat in dispensatione Incarnationis, tradidit pro ea moriens, & corporis Sacramentum in cœna tradens, & reliqua vestimenta; id est, omnia quæ gessit & dixit in hoc corpore, & gladium suum, id est, potestatem ligandi & soluendi, siue prædicandi, & arcum; id est, scripturam & Euangelium; & baltheum, id est continentiam Euangelicam de qua dicitur, *sint lumbi vestri præ-* B *cincti*, sed nomen suum Ionathan Dauid nequaquam (Luc. 12. 35.) imposuit.

Christus verò nec nomen suum de gremio sponsæ suæ tulit, sed penè omnia nomina sua absque inuidia communicauit : Vnde hic dicit : *Fili hominis speculatorem dedi te*. Quo se alio nomine totiens in Euangelio appellauerit? quotiens filium hominis non succurrit memoriæ? & hoc tam solemne nomen principaliter Episcopis, secundariò omnibus Sacerdotibus indulsit. Vnde & Episcopus superintendens, id est speculator interpretatur, & minores Sacerdotes, qui licet non habeant plenitudinem potestatis, tamen vocati sunt in partem sollicitudinis, eandē accipiunt sollicitudinem speculandi cum cura regendi populi. Hic verò filius hominis de specula cæli speculatur super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum: Speculatur & conscientias omnium hic astantium bonæ an malæ sint, mundæ an immundæ, deuotæ an indeuotæ. Speculatur speculatorē vtrum stet in specula sua totis diebus, & to- C tis noctibus, vtrum clamet sicut leo fortiter. Hoc enim officium est speculatoris, vigilare, aspicere & clamare assiduè, & in sublimiori stare vel sedere. In vigiliis notatur sollicitudo, in aspectu siue contuitu lectio & contemplatio, in clamore prædicatio in altiori statione religio. Excludit sollicitudo negligentiam, lectio ignorantiam, contemplatio secularium negotiorum curam, prædicatio excitat timorem & amorem diuinum, religio informat mores sibi commissorum.

Attende Antistitem tuum fili hominis, Sacerdos magne & parue, intende quomodo non solùm in cælis semper stat in specula sua, sed etiam in terris quasi in specula in montem frequentissimè & ascendit, docet, orat & pernoctat. Denique in monte transfiguratur ante Apostolos, de monte ascendit ad cælos: ascendit quoque in specula, cum valefacturus mundo in cruce subiit & obiit, vt doceret vos, vsque ad mortem defendere dignitatem sacerdotalem, sursum cor ad cælum leuan- D do, non ad turpes quæstus declinando. Fili hominis fragilitatem tuam attende, & viscera miserationum in pauperes, peregrinos, viduas, orphanos, egenos, infirmos, afflictos, quacumque calamitate, habe: fili hominis peccata sua confitentibus compatere, congemisce gementibus, condole dolentibus, collachrymare lachrymantibus, & conlabora laborantibus, conieiuna ieiunantibus, alleuia pœnitentiam corde contritis, & in immensum de peccato verecundantibus.

Fili hominis in aliquis cognosce te ipsum. Fili hominis sis humilis, non arrogans & superbus, vt qui tremens & timens sæuitiam medici & medicinam animæ suæ antequam accederet expauescebat, à te exhilaratus super bona & affabili exhortatione meliori spe rediturus abscedat; & tamen speculatorem dedi te domui Israël, fili hominis, vt naturæ compassionem, vitiis rependas rectitudinem; sic solue illaqueatum, ne incurras laqueum; sic porga foueam, ne cadas in eam; sic oleum sauciato appone, vt vinum carnem mordeat pu- E tridam. Fili ergo hominis speculatorem dedi te. Cui? domui Israël. Cui? vineæ meæ, vinea enim Domini domus Israël est.

Ecce vinea Domini plebs Christiana, Ecclesia Catholica : in hac est botrus ille cypri grandis valde quem in vecte crucis duo homines, duo populi suspensum de terra promissionis attulerunt ad demonstrandam fertilitatem terræ, vt plantetur, vt colatur, vt putetur, vt fodiatur, vt cingatur, vt claudatur, vt custodiatur, ab auibus, à furibus, à vulpibus; vt colligatur vt torculetur & vinum saluetur. Speculatorem dedi te domui Israël. Plantetur itaque per regenerationem baptismatis, colatur per instructionem sanctæ religionis; putetur per amputationem carnalis desiderij, fodiatur per confessionem cordis & oris; & cingatur vel ligetur per districtionem sancti propositi; claudatur per remotionem secularis conuersationis; custodiatur per auxilium Angeli & prælati sui; colligatur per resignationem bonorum operum & meritorum ab Angelo in die iudicij, torqueatur inte- F rim in torcularibus mundanæ tribulationis; reponatur in doliis æternæ felicitatis, quod vobis præstare dignetur IESVS CHRISTVS Dominus qui viuit & regnat.

SERMO II.

NOlite *sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Stultum & impudicum (Matth. 7. 6.) est ad mensam Domini vel communicando ei, vel disponendo de illo, non vocatum accedere; temerarium, & præsumptuosum, per excommunicationem repulsum se ingerere; infidum & damnosum, vocatum cum mala conscientia irreuerenter confidere. Præsumptio in primo, proteruia in secundo, iniuria in tertio damnatur: de primo dicitur : *Nemo sibi sumat honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron*; de secundo dicitur Adæ : (Heb. 5. 4.) G *Ne comedas de ligno scientiæ boni & mali*: De tertio : *Cùm intraret rex vt videret discumbentes*, &c. (Gen. 2. 17. Matth. 22. 11.)

Primus cùm venerit ad eum amicus suus de via, id est, animus ad seipsum conuersus fuerit de ignorantia, non habet licentia Sacerdotali quod ponat ante illum recreandum & redimendum : Secundus ad vesperam conuersus, famem patitur vt canes, quia de peccato confusus, cùm venerit ad Babylonem, ibi liberabitur: tertius quia indignè manducat, & bibit, judicium sibi manducat, & bibit. Primus infidelis, secundus excommunicatur ab Ecclesia; tertius hypocrita & nequam, cuius contaminatur mens, & conscientia; de primo qua jam iudicatus est, tanquam non habens loqui & iudicare; Dominus agit de secundo & tertio sic : *Nolite sanctum dare canibus*, &c.

Videndum est de hoc sancto, & de his margaritis; & sciendum quia diuersæ sunt significationes huius nominis, *Sancti*; sanctum enim non solùm dicitur in animatis, sed etiam in inanimatis, vt terra sancta, locus sanctus, ignis sanctus, vasa sancta, & similia. Dicitur & Deus H sanctus, & Angelus sanctus, & homo sanctus, & corpus Christi sanctum, & Euangelium sanctum. Locus dicitur sanctus, primò quia ibi gesta sunt, vel geruntur, vel gerenda sunt quæ pertineant ad sanctificationem; sicuti vbi Dominus crucifixus est; vbi conficitur corpus eius : vbi in rubo apparuit Moysi; ignis sanctus, vel quia de cælo venit, vel quia in holocaustis & sacrificiis diuinis tantummodò habebatur, & lucernis illustrandis: vasa sancta, quia ab humanis vsibus separata, diuinis tantummodò exhibebantur obsequiis.

Dicitur Deus sanctus, quia omnia sancta sanctificat; Angelus sanctus in bono confirmatus, voluntati diuinæ assiduè famulatur, homo sanctus, quia initiatus sacræ regenerationis mysteriis, connumeratur ciuibus curiæ cœlestis, Corpus Christi sanctum, quia operatione Spiritus sancti per ministerium sacerdotale, visibilis materia in visibilem & veram substantiam conuersa corpus Christi, quod de Virgine sumptum dicitur, creditur,

A & certo certius tenetur, Euangelium, quia promissione cœlestium, & præsenti sanctificatione credentium mentes sanctificat. Specialiter igitur de verbo Euangelij, & corpore Christi dicitur, *Nolite sanctum*, &c.

Sed in canibus quid possumus intelligere, nisi rapaces, nisi auaros, nisi gulosos, nisi ad vomitum, id est peccatum reuersos? Quid verò in porcis, nisi immundos, nisi brutos; & nunquam honestati deditos? O quam pretiosas & speciosas margaritas in foro suo Rex virtutum, & negotiator hodie Christus IESVS exposuit! si dederit homo omnem substantiam domus suæ, & comparauit saltem vnam margaritam, non pœnitebit in æternum, quia thesaurus desiderabilis est, immò inæstimabilis. Prima autem est absolutio peccatorum; secunda reconciliatio pœnitentium; tertia chrismatis confectio; quarta corporis & sanguinis Domini consecratio; quinta pedum ablutio; sexta, præclara illa Domini & saluberrima prædicatio; septima passionis inchoatio. Nullum has attingit pretium, quia omnes & singulæ

B superant omnem, non solùm, censum, sed & sensum.

Vt quid tamen mercator noster illas attulit, & protulit, nisi forte quia non vendere sed dare voluit? an non ita Paulus in humeris suis plenos deferens saccos huiusmodi margaritarum hoc insinuat, quod potiùs venerit ad forum nostrum dare quàm vendere dicens:

Rom. 11.29. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei?* & item: *Quid*

1. Cor. 4.7. *habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Non est igitur gloriandum de acceptis quasi de proprijs, immò, qui gloriatur in Domino glorietur, & de gratuitis eius beneficijs gratias referat; & quod gratis accepit, gratis fidelibus tribuat, non canibus vel porcis. Caueant & singuli ne tanquam canes accedant ad sancta; aut tanquam porci deuorent ea, sed se probent & examinent confessione & pœnitentiâ, vt mereantur sanctificari, & sancti percipere sancta.

SERMO III.

C

Malac. 1.6. *SI ego Dominus, vbi est timor meus? & si ego Pater, vbi est honor meus?* Valde superbus est, qui dedignatur talem Dominum, valde ingratus, & insanus, qui respuit tanti Patris, tam benigni affectum: Rationis perdidit donatiuũ, qui mauult repugnare Deo quam seruire, cùm iugum seruitutis illius ille nec tunc possit excutere, cùm elegerit fugere; durior seruit refugâ virtute, quàm sequipeda; sola namque pertinacia crudeliùs afficit reluctantem quàm obsequentem. Est certe fructus optimus boni serui fecisse voluntatem domini sui, sic nempè nec ad oculum seruiens fidelis seruus & prudens habens etiam oculos in manibus eius, assidue orat

Ps. 142. 10. & dicit: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Ac demùm ad imperium Domini proficiscens, & ad verbum eius figens tabernaculum, tanquàm hircus apopompeus paratus quamlibet petere

Act. 9.3. solitudinem, & subire difficultatem dicit: *Domine quid me vis facere?*

D O vos Domini Sacerdotes, serui non quilibet, vel cuiuslibet; sed peculiares serui IESV Christi, quorum officij est non lateres Pharaonis componere, sed Ecclesiam in augmentum corporis Christi super petram solidi firmamenti coædificare, nec carnes taurorum super struem lignorum pelle detracta, & per frusta concisas concremare, aut sanguinem hircorum libare, cornuaque altaris cruore vituli madefacere; sed carnes Agni incontaminati, & immaculati IESV Christi in Sacramento panis & vini viuificâ diuinorum verborum virtute consecrare, & sanguinem in quo anima Christi significatur, repræsentare, angelicasque virtutes ad auxilium per huius Sacramenti virtutem inclinare; quæ nobilitas, quæ libertas, quæ ingenuitas huic nostræ seruituti poterit comparari? Adeò enim gaudet ineffabili generositate, non sacramentali solùm, sed etiam temporali conditio Sacerdotalis, quòd de seruili genere quilibet procreatus nunquã ordinetur, nisi priùs manumittatur; quatenus nesciat habere hominem Dominum, qui soli famulaturus est Domino Deo exercituum. E

1. Petr. 2.9. Vnde Petrus Apostolus: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, genus, inquit, electum; reuera tanquam tribum Leui de duodecim tribubus; tanquam grana meliora de vniuersa segete filiorum hominum; tanquam Dauid de cunctis fratribus; tanquam oues de hædis; tanquam lapides pretiosos de innumerabili arena maris, tanquam monetam probabilem & regiam de aceruo multarum monetarum; tanquam lilium conuallium de filiabus Chananæorum, quas odit anima Isaac; tanquam stellas præclaras in perpetuas æternitates elegit. Vos ô Sacerdotes Domini de plebe non electa & electa, non dilecta & dilecta, non sua & sua: genus electum, non reprobatum; genus electum, non abiectum; genus electum, non sordidum; genus electum non maledictum; genus electum in opere, in sermone, in cogitatione; genus electum in radice, in flore, in fructu, genus F electum in sanctificatione & honore; genus electum ad ministerium Apostolorum, ad testimonium Martyrum, ad consortium Confessorum, ad æmulationem Virginum, ad societatem Angelorum.

Inde genus electum, regale Sacerdotium, distinctione longa duæ istæ propagines Israëliticarum dignitatum, metas proprias multo tempore tenuerunt & licèt cognatione excellentioris gradus mutuò sese aspicerent, non tamen coniunctione aliqua, nisi rarissimè conueniebant, ne tribuum fieret confusio, & dignitatum decurtatio. Fine tamen sæculorum, & plenitudine temporum adueniente in occursu illius, qui facit vtraque vnum, præcurrens Virgo Maria, in sua origine complicuit vtriusque propaginis cacumina & pluralitatem Christorum euacuans, vnum Christum concepit & edidit, cùm esset de Iuda sceptrum Regium, & de Leui summum sacerdotium.

Ps. 109. 2. & 4. Vnde Psalmista de regia dignitate ait: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*; & de Sacerdotali: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es* G *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Regale itaque sacerdotium est Christi Pontificium, pro coniunctione regij & sacerdotalis generis in ipso.

Manauit autem dignatione suâ, mixtura hæc Sacramentalis ab ipso capite vsque in oram vestimenti, ita quod à summo Pontifice Petro, aut Vicario Petri, in vltimum Sacerdotem, pleno eodem liquore gratiæ, omnes ordinatos Catholicè, & purè, ac dignè Spiritus sanctus repleuerit semper & repleat tam regio honore, quod designat corona in capite; quàm sacerdotali dignitate; quod stola, & alia insignia sacerdotalis ornatus demonstrant. Veraciter itaque dicitur quòd estis genus electum, regale sacerdotium. Mores ad actus regios desiderat regale sacerdotium; mores ad actus sacerdotales exigit regale sacerdotium: nolite rusticanis peccatis implicari, qui de nomine Christi censemini. H Ministerium vestrum honorificate, nomen operibus implete, vt fructus surculi redoleant dulcedinem, & pinguedinem radicis: inserti enim oliuæ, excisi de oleastro, quia Christiani Sacerdotes facti de genere corrupto, de massa siquidem, in qua filij iræ nascimur omnes filij Adæ, tulit & separauit nos Deus secundùm propositum gratiæ suæ, & de vasis contumeliæ, conflauit artificio misericordiæ vasa in honorem & gloriam suam aurea & argentea, quibus sicut Ioseph scypho suo inebriari & augurari solebat; sic Christus ministerio vestro, & voluntatem suam in vobis commissis impleat, & de futuro sæculo quæ mala præparentur reprobis, & quæ bona electis annunciet, hoc namque studiosè complendo eritis quod sequitur: gens sancta.

Sequestrationem vitæ & causæ quæ a secularibus, ô Sacerdos, intellige morticinum, quo notatur propria concupiscentia, captum à bestia, quo intelligitur suggestio diabolica, & omne immundum, quo generaliter

A manifestatur omne peccatū,non tangas gens sancta.Dic
potiùs cùm accedis ad sancta sanctorum Psalmū : *Indica
me Deus, & discerne causam meā de gente nō sancta*, Sicut
enim diuisit Deus lucem à tenebris , & vocauit lucem
diem, & tenebras noctem ; sic gens sancta lucere debet
in medio nationis prauæ & peruersæ. Vt tamen ho-
nesta & religio Sacerdotis differat à filiis Belial , qui
opera tenebrarum faciunt, quantùm distat ortus ab oc-
cidente , dies à nocte , gens sancta de Spiritu sancto,
quo regenerata est & vncta ; gens sancta de loco san-
cto (locus enim in quo stas terra sancta est) gens san-
cta de loco sancto (locus enim in quo stas terra sancta
est) gens sancta de habitu sancto ; vestes enim san-
ctæ sunt , in quibus ministras quas dedit Rebecca
Iacob, cùm patri porrigeret cibum & potum , & bene-
dictionem exposceret , quas Moyses præparauit Aaron,
cùm, ad sancta ministraturus procederet. Gens sancta
de mensa sancta , cui non communicat alienus ; gens
sancta de corde puro, & conscientia bona , & fide non
B ficta ; gens sancta oculo columbino ,manu tornatili,au-
rea, plena hyacyntho, pede vitulino, naso discreto,sicut
turris Damasci, ore veridico,de quo emissiones paradysi
prodeunt : auribus signatis,ne audiant sanguinem, sicut
hortus conclusus , fons signatus ; gens sancta vt sancta
sit corpore, & spiritu ; sequitur , *Populus acquisitionis*.
Est populus adquisitionis, est populus distractionis;
est populus subtractionis; & perditionis, vnde Aposto-
Hebr. 10. 39. lus ; *Vos non sumus subtractionis filij in perditionem , sed
fidei in acquisitionem animæ* : Populus acquisitionis quo
pretio ? sanguine, quanto ? pretio magno, à quo? à Chri-
sto,qui dedit animam suam pro anima nostra ; qui dedit
carnem suam pro carne nostra. Vbi ? in loco horroris
& vastæ solitudinis, in loco crucis. Quomodo ? trium-
phando aërias potestates in corpore suo super lignum
crucis. Vnde ? de captiuitate, de morte , de potestate il-
lius , qui habebat mortis imperium. Ad quid ? ad re-
gnum : beati enim pauperes , quoniam ipsorum est re-
gnum cælorum ; sed quia duobus modis dicitur popu-
C lus acquisitionis,siue acquisitus, siue acquirens, dictum-
que est de acquisito ; videndum est quid acquirens po-
pulus iste acquisitionis acquirat.
Ps. 118. 111. Quid ? *Hæreditate*, inquit, *acquisiui testimonia tua*. Eia
fratres, ecce lepusculus quem sequebamur ab initio hu-
ius sermonis, videlicet præcepta & testimonia, Dei : at-
tendite seruum acquisitiuum & adquisitiuum , quem
inuenit Dominus secundùm cor suum : quomodo reco-
gnoscit se seruum deuotissimum,& Dominum benignis-
simum, qui dicit:Si ergo Dominus, vbi est timor meus:
En, inquit, ego seruus tuus , nec semel, aut in vno ne-
gotio, seu semper & in omni mandato,ego servus tuus;
ideò enim repeto : Ego seruus tuus, Ego seruus tuus.
Nec ab heri, & nudius tertius , vel de nouo , ego seruus
tuus , sed ab vtero ego seruus tuus , & filius ancillæ
tuæ. O serue, vnde seruis ? Psallam tibi in cythara san-
ctus Israël. Habesne aliud instrumentum , vnde cantes?
Deus canticum nouum cantabo tibi , in Psalterio deca-
chordo psallam tibi.
D Si fortè non benè cantaueris quid ? Ego in flagella
paratus sum , & dolor meus in conspectu meo semper;
profugies ne ab illo flagellatus ? quò ibo à spiritu tuo ?
&c. & tamen discedimus à te , viuificabis nos , & no-
men tuum inuocabimus. Si deiecerit te de gradu tuo,
quid ? Elegi abiectus esse in domo Dei mei : si negauerit
tibi panem , quid ? Cinerem sicut panem manducabo:
Si iecerit tibi lapidem,quid? Quoniam placuerunt seruis
tuis lapides eius : si auerterit faciem suam à te, quid ? fa-
ctus sum conturbatus ; si mandauerit vt sileas , quid ?
Obmurui, & silui à bonis ; si in carcerem te coniecerit,
quid ? Educ de carcere animam meam : si diem agendi
constituerit , quid ? Non intres in iudicium cum seruo
tuo Deus ? Si nescieris consuetudinem palatij eius,quid?
Legē pone mihi Domine viam iustificationum tuarum.
Sunt ne tibi grauia & importabilia mandata eius?quàm
dulcia faucibus meis eloquia tua , super mel & fauum
ori meo ! perseuerabis ne in mandatis eius ? hæreditate
adquisiui testimonia tua : parùm est recipere , parùm fa- E
cere, parùm retinere, parùm est etiam acquirere,nisi hæ-
reditate acquirat. Hæres inquit , sum mandatorum , &
mandata sunt hæreditas mea;non minori instantia seruo
testimonia Dei , quàm bona mea hæreditaria , inde
etiam Apostolus ; *Benedictionem hæreditate possideatis*. 1. Petr. 3. 9.
Et vos fratres charissimi ,populus acquisitionis hære-
ditate possideatis sanctuarium Dei, testimonia Dei, be-
nedictionem Dei, quam nobis præstare dignetur Deus,
qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

SERMO IV.

N*On habemus Pontificem , qui non possit compati infir-* Hebr. 4. 15.
mitatibus nostris ; Ne tanquam inexpertes, & ru-
des futura vltima dies supremi illius consilij, quod in
Scripturis appellatur dies iudicij, seruos patris-familias
fideles & prudentes comprehendat ; idcircò Domini & F
fratres charissimi , congrua æmulatione sacer iste con-
uentus , tanquam Agno indicanti , qui habet oculos
septem, & cornua septem, se se repræsentat, Deo placi-
ta acturus,& Deo digna auditurus ; atque animæ digna
reportaturus.
Præferenda est itaque instructio Dei de fide sana,quæ
est fundamentum & firmamentum nostræ christiani-
tatis ; de spe quæ est protectio , & eleuatio tabernaculi
admirabilis vsque ad domum Dei, de charitate quæ est
operimentum peccatorum , culmen virtutum , Cheru-
bim gloriæ obumbrantia propitiatorium : quæ si desit,
frustra habentur cætera : si adsit habentur omnia : de
legenda & intelligenda Scriptura , quæ est mensa esu-
rientium : de præceptis Dei,quæ sunt ferramenta medi-
cabilia animarum ; de promissis Dei, quæ sunt vnguen-
ta curationum ; de sacramentis Ecclesiæ , quæ sunt an-
tidota & medicinæ reparabiles omnium ægritudinum;
de Baptismate, quod est mare rubrum submergens Pha- G
raonem cum omnibus Ægyptiis insequentibus , id est,
originale peccatum, cum omnibus actualibus peccatis;
de corpore & sanguine Christi, vnde viuificantur mor-
talia corpora nostra , & animæ refocillantur tanquàm
pane cælesti , de sancta chrismatis vnctione , vbi vires
animæ crescunt ; de confessione , quæ exsuperat omne
venenum ; de eleemosyna , quæ exstinguit ignem æter-
num ; de vnitate ; pace & concordia omnium fidelium,
quæ retundit audaciam aëriarum potestatum ; de omni
honestate morum,quæ acquirit amicitiam & societatem
Angelorum.
Vnde autem quis ista vobis dispensare poterit, nisi
Ioseph aperiat horrea sua noua & vetera , nisi sponsus
introduxerit in cellam vinariam, in cellam aromatum,
in hortum nucum, & vnicuique Deus partitus fuerit
mensuram fidei;dispensatori verò duplicem mensuram,
quatenus & sibi retineat , & eis qui non præparauerunt
sibi partem mittat. Fides igitur tanquam lucerna in no-
cte accensa, circumlustret nubem omnium sacramento-
rum , quæ præ manibus habemus , & nimio splendore H
suo etiam quæ supra firmamentum sunt, tam in ordini-
bus Angelorum, quàm in triclinio summæ atque veræ
Trinitatis & vnitatis puris intellectibus demonstret:ado-
ret Patrem ingenitum, Filium de patre vnigenitum ;
Spiritum sanctum ab vtroque procedentem.
Hìc plus studeat deuotioni , quàm disputationi, non
plantet nemus quæstionum & multarum argumentatio-
num iuxta hoc altare , quia tutius est adorato Deo cum
reuerentia quietem animo suo præstare , quàm irreue-
renter secreta & arcana Dei * inquietare. Confabule- * f. inquirere.
tur si præualet cum Angelicis spiritibus, parùm repo-
nens quæ ab IESV Christo sunt nobis relicta viuendi
vestigia ; partim quæ in mundo fideles Christi absor-
beat vndecumque suerescens miseria : partim implo-
rans eorum suffragia ; partim explorans super Ecclesia,
quæ in terris peregrinatur diuina consilia ; Exhibeat
proinde singulis eorum ordinibus stationes odoriferas,

præbens

A præbens gratiarum actiones, pro eorum indefessa sollicitudine, & cura erga ægritudines & molestias nostras; ac deposcens ne peccatorum nostrorum fœtore auersi, despiciant necessitates nostras, vertat post hæc vultum super cardinem cœli, adoratoque scabello pedum Dominæ nostræ choros Confessorum, Martyrum, Apostolorum, atque Virginum humiliter expediat, & ad seipsum plenus lacrymis redeat.

Ecce quomodo fides iustum dedu[...] per vias rectas, sed de radice tantæ fidei repentè pullulat surculus spei, & facit sperare in Domino, quæ promisit Deus diligentibus se, tanquam aquila grandis magnarum alarum, pennarum & plumarum, Euolat spes vsque ad medullam cedri, id est, gratiam Dei, ac de bonitate illius sperans, inter astra & filios altissimi, nidum partui suo constituit: parturit enim iustitiam, sed ne spes nuda & sola confundat, primò velut in balneo molli & delicatissimu charitatis se se immergat, vt intrinsecus possessor tantæ fidei & spei, charitate debriatus & extrinsecus
B pretioso vnguento delibutus, ipse per hæc in Deo & Deus in ipso maneat.

Cauete sancti Sacerdotes ne albam induentes, fidem postponatis; ne stolam assumentes, spem non habeatis; ne casulam superinduentes, quæ super omnia charismata est, charitatem deseratis. In his meditatio nostra concalescat die ac nocte, ne vectes vnquam extrahantur ab arca, nec pisces de aqua, nisi fortè habentes pennulas & squammas, saltum fecerint per contemplationem super aquas huius mortalitatis, sicut & spiritus Dei ferebatur super aquas primæ creationis. Sanus namque & mundus est piscis religiosi animi, qui in excessu mentis rapitur, vt sit conuersatio eius in cælis, & de susurrio auræ tenuis, prælibat arcana illa, quæ non licet homini loqui.

Legite ergo Scripturam diuinam Sacerdotes, quorum labia custodiunt scientiam, quia vtilis est ad docendum nescientes; ad arguendum hæreses; ad corripiendum in malo persistentes, ad erudiendum pœniten-
C tes. Hanc mensam parauit Deus in conspectu vestro cum panibus propositionis, id est, sententiis de gratia Dei pinguissimè refertis, vt appetitus discendi legendi sciendi non sine gratia famē sentiat; & gustus scientiæ, satietatis gratiam non consumat, sed lectio auiditatem, auiditas lectionem desideret. Tenet siquidem in hoc imaginem visionis gloriæ, quæ continua satietate sua reparatur, vt videatur ordine conuerso abundantia suggerere inopiam, & inopia abundantiam; cum tamen nulla sit ibi inopia, sed plena copia, præstans desideriis non fastidium, sed æternum desiderium.

Vt autem mensæ apparatus intelligatur, & quod legitur sciatur, candelabrum ductile de auro purissimo Beseleel fabricauit, & Moyses in latere aquilonari, iuxta eandem mensam collocauit. Adhibendum igitur studium sanctis libris, quod sit immobile & fixum trino pedi; historico, allegorico & morali iuxtà
Prou. 6. 21. & 22. 20. Salomonem qui ait de lege: *Describe eam tripliciter, & liga eam in corde tuo iugiter.* Sit etiam ductile institu-
D tione seniorum, in cathedra fidei Ecclesiasticæ residentium, iuxta Apostolum dicentem Timotheo discipulo suo: *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem,*
2. Tim. 3. 10. *patientiam, &c.* Sit quoque de auro purissimo, synceræ & sanæ intelligentiæ iuxta eundem Apostolum: *Sollicitè cura seipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Profana*
Ibid. c. 2. 15. 16. *autem, & vaniloquia deuita.* Et alias: *Erit autem tem-*
Ibid. c. 4. 3. *pus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros, &c.*

Sint denique illi sex hastilia, vt intellectus bonus in operibus sex dierum occupetur, de luce facta, sumens ingenij perspicuitatem, de firmamento discretionem, de arida terra soliditatem & stabilitatem, de herbis virentibus, & lignis pomiferis, sensum virtutis animi, & sententias probabiles proferentem, de duobus luminaribus, veteris & noui testamenti, seu diuinæ & humanæ litera-
E turæ illustrationem, de cælis, Orthodoxorum Patrum expositiones, de reptilibus, & piscibus, cogitationes vel circa terrena actiuè repentes, vel ad cælestia contemplatiuè conuolantes, vel se se in occultis Dei profundè inuoluentes. De iumentis & bestiis terræ, brutorum, & carnalium, atque animalium ab illuminatà ratione regendam hebetudinem, de homine ad imaginem & similitudinem Dei facto, conditionis nostræ prærogatiuam, & excellentem dignitatem.

Sunt adhuc in candelabro isto calami suauis, & claræ eloquentiæ, sunt scyphi ebrietatis sobriæ & iocundæ, sunt sphærulæ ratiocinationis rotundæ & perfectæ, sunt lilia bonæ famæ & optimæ conscientiæ. Sacerdotes Dei si ad mensam diuitis cum huiusmodi candelabro sederitis, dicetur vobis: *Vos estis lux*
Matt. 14. *mundi*, & iterum: *Sedebitis super mensam meam in re-*
Ioan. 2. 30. *gno Patris mei*, & illud; *Transiens ministrabit illis.* Au-
Luc. 1 5. 7. dite quid dicatur in Apocalypsi Angelo, id est, Episcopo Ephesi Ecclesiæ, *Hæc*, inquit, *dicit, qui tenet in*
F *dextera sua septem stellas, qui ambulat in medio septem*
Apoc. 2. 1. *candelabrorum aureorum: Scio opera tua, & laborem, &*
Ibid. v. 4. 5. *patientiam tuam, & quia non potuisti sustinere malos.* Et post pauca, *Sed habeo aduersum te quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac; Sin autem, venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

Moueat & commoueat præcordia nostra, quamlibet dura & saxea, tam pia, & tam grata exhortatio ad pœnitentiam. Vicarium, inquit, Deus substitui te sponsæ meæ sicut Ioannem dilectum meum dilectissimæ Matri meæ: accepit eam Ioannes in sua & suam, nec me fefellit fides Ioannis, depositum namque meum tàm fideliter seruauit, quàm veraciter me dilexit. Quid tu bone procurator negotiorum meorum, optime dispensator bonorum meorum, ouium mearum vigilantissime pastor? quid tu ambitiosè quidem & satis audè agnos meos pascendos suscepisti, sollicitudinem atque
G custodiam spopondisti, & Benjamin, id est filius dexteræ, factus est lupus rapax, pascens agnos, id est comedens non pascens, id est, pascua præbens: vnde Psalmista: *Deuorant*, inquit, *plebem meam sicut escam panis*:
Psal. 13. 4. Et in Amos appellantur vaccæ pingues in monte Sa-
Am. 4. 2. &c. mariæ, qui calumniam faciunt egenis, & confringunt pauperes, & dicunt dominis suis: Afferte & bibemus, sed leuantur in contis, & reliquiæ illarum molles æterno igne feruentibus.

Es ne ô homo vnanimis meus, dux meus, & notus meus, de istis, & posuisti portionem tuam cum his qui subuertunt domos viduarum? parcens tibi dissuadeo, ne ambules cum istis; immò sustinens suadeo correctionem, moneo pœnitentiam, quia misericors sum Dominus Deus tuus. Vacillat quidem candelabrum honoris, & officij tui sacerdotalis, sed ego linum fumigans non extingo, calamum quassatum, non contero; age er-
H go pœnitentiam; & offer pro peccato vitulum saginatum, confitendo veraciter, & eleemosynas dando largiter. Prima opera fac, id est, vel ad illam innocentiam, quam de fonte Baptismatis suscepisti, redi, vel ad illam dilectionem Dei & proximi, & vitæ sanctimoniam, quam in ordinatione tua promisisti: si hoc feceris, mandabo exterminatori, ne ventilet cornua super Iudam confitentem, & Hierusalem pœnitentem, & non mouebo candelabrum tuum, sicut nec Petro Apostolorum Principi, claues regni cælorum, quas tradideram ei, etiam post negationem subtraxi, quia fleuit amarè.

Quis fratres, contineat se in malitia sua ad ista viscera misericordiæ Dei nostri, vbi montes sicut cera liquescunt, vbi etiam lapis calore tanto in albam calcem soluitur, vnde parietes domus Dei limantur, & dealbantur. Mirum namque est auditâ enormitate peccati tanti Apostoli, & visa celeri ac facili clementia IESV, si non currat omnis peccator ad pœnitentiam, & liquescat in fletum & lacrymas, quarum hæc est efficacia,

A & virtus, quod peccatum omninò tanquam abortiuum, vt non sit aboleant, & primam gratiam, imò amplio-rem restituant. Lauant enim lacrymæ delictum quod verâ pœnitentiâ est confessum. Sic legenda, & relegenda, & intelligenda est Scriptura in mensa & candelabro Dei: sic legendum & retinendum qood propositum est, quia nos habemus Pontificem qui non possit condolere infirmitatibus nostris, IESVS Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit & regnat in sæcula.

SERMO V.

Matth. 7. 6. *NOlite sanctum dare canibus*, &c. Forma est edicti perpetui, quod præuaricatum grauissimâ iudicij censura plectendum lege perpetua cauetur, de hac namque religione in Leuitico legitur, vbi satis euidenter ostenditur, quæ personæ & pro quibus causis à sanctis B abstineant. De facultate ergo dicendum, qui admittantur vt offerant, & qui respuuntur: item qui de oblatis edere permittantur, qui non; item quæ causæ perpetuam prohibitionem contineant, quæ temporalem. Executis quæ præstauimus, luce clariùs constabit nobis Euangelicum mandatum, quo dicitur; *Nolite sanctum dare canibus*, &c. Et notandum valde atque memoriæ commendandum, quod Moyses Sacerdotum vitia in lege notat & damnat, pro quibus quidem deseruiunt * deest aliquid. cælestium. * Paulus verò Apostolus virtutum ornamenta depingit, quibus Euangelicus Sacerdos sacrariota sanctius administret Sacramenta.

Leuit. 21. 17. Sic ergo lex loquitur, *Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius.* Et statim multipliciter subdiuidit maculam: si cæcus, inquit, id est tenebrosus ignorantiâ Sacramentorum fidei, si claudus, qui vix ipsum bonum quod intelligit agit, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso, qui minus discretus, vitia à vir-C tutibus non discernit, vel insufficientiâ sensus, vel pro extollentia nimiæ præsumptionis, vel pro auaritia iniquæ cupiditatis. Si fracto pede vel manu, qui nullo modo ad opus bonum assurgit, si gibbus, qui incuruatus ad terrena vsquequaque, quæ sursum sunt, non quærit; si lippus, qui ingenium quidem habet bonum, sed sicut piger seruus, talentum acceptum defodit; si albuginem habens in oculo, qui arrogantiâ eleuatur, & mel multum comedit, vt non sapiat ad sobrietatem; si iugem scabiem, qui petulantiâ carnis opprimitur, si ebriosus, qui continua luxuriæ cogitatione accenditur. Huc vsque catalogus vitiorum, quæ nefariam reddunt administrationem, si diuinorum possederint dispensatorem.

Videamus ergo quomodo bis serpentinis spoliatus Sacerdos exuuiis, pelles acquirat Salomonis apud egregium illum pellipatium qui huius dicitur fuisse artis, Paulum Apostolum: Superinduens itaque Episcopum noui testamenti in epistola ad Timotheum ait: *Oportet*, 1. Tim. 3. 2. D inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, nec vinolentum, nec percussorem, sed modestum nec litigiosum, nec cupidum, sed pudicum: suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Nec neophytum. Oportet autem illum bonum testimonium habere ab his qui foris sunt.* Istæ sunt vestes valde bonæ, quas Rebecca domi habet, & quibus Iacob simplicem & dilectum suum paternæ benedictioni supponens induit.

Notat scriptura Genesis multùm meruisse ad acquirendam gratiam benedictionis vestes illas: *Statim vt sensit*, inquit, *Pater vestimentorum fragrantiam ait, Ecce* Gen. 27. 27. 28. 29. *odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus; esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ; qui maledixerit tibi sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* E Ecce quibus à Deo datur sacerdotalis benedictio. Equidem non nudis bona voluntate, aut malè indutis vitiorum squamositate; sed benè compositis bonorum affectuum moralitate.

Videant itaque ordinatores Episcopi, quales debeant consecrare Sacerdotes, videant & ipsi ordinandi quales debeant accedere, timentes quod ait Iacob ad matrem. Gen. 27. 12. *Timeo*, inquit, *ne inducam super me maledictionem pro benedictione*; & valde timendum est illis, qui non computant sumptus, qui necessarij sunt in via, si habeant ad perficiendum, quando ad sacros ordines accedunt, ne fiat oratio, siue consecratio sua in peccatum, vt meliùs esset eis non assumpsisse nomen Domini, quam in vanum accepisse, & ad sancta non intrasse, quàm ignem alienum offerendo polluisse sanctuarium Dei. Nolite itaque Episcopi sanctum dare canibus, id est raptoribus, auaris, schismaticis, obtrectatoribus, in peccatis criminalibus relapsis, neque margaritas sanctorum ponatis ante porcos, id est gulosos, luxuriosos, immundos, vilissimos omni genere viuendi. F

Hæc satis de his, qui admittuntur ad offerendum, vel qui respuuntur, nunc dicendum de his, qui de oblatis edere permittuntur, qui non; cùm enim secundùm posse humanæ fragilitatis, honestæ & modestæ conuersationis homines in sortem sanctorum fuerint ascripti; mandatur eis de modo ministrandi, vt tanquàm fideles, & prudentes dispensatores, cautè erogent pecuniam Domini, & castè dispensent mensam incontaminatissimorum Sacramentorum, dicitur itaque eis: *Nolite sanctum dare canibus*, &c.

Iterum lumina nostra in vultû Moysi reflectamus, & reiecto velamine, medullam sacrorum ex litera legis discutiamus, si fortè & in hoc seruiat lex Euangelio, sicut Moyses in monte Domino glorificato, inconsequens enim est vt Rex procedat sine armigero; in Leuitico ait Leuit. 22. 3. Moyses ad Aaron, & filios eius, & posteros eorum: *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt & quæ obtulerunt filij Israël Domino, in quo est im-G munditia, peribit coram Domino, ego sum Dominus*, quasi cuius decreta præuaricari non licet. *Homo de semine Aaron qui fuerit leprosus*, criminali peccato, *aut patiens fluxum seminis*, videlicet non continens se à peccato, *non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur.* Vtique per confessionem & pœnitentiam.

Huc occurrit mihi graue quoddam commissum, quod in lege illa frequenter, non sine diuina animaduersione committitur; altero enim die in eadem voluntate, vel langore facinoris quis positus, dùm verbotenus deliberauerit confessionem, recurrit ad sancta Domini, oblitus quod dicitur, quod qui accesserit ad ea, in quo est immunditia, peribit coram Domino, id est, in anima. Sed obiicit mihi, sanatus sum per confessionem, quare non accipiam communionem? Respondeo, si verum dicis, benè facis; asseris reuera te sanatum esse per confessionem, quæ nondum in mente tua extinxit prauam affectionem, nec in carne immundam titillatio-H nem, quandiu ergo lex peccati regnat in corde, & lex membrorum in corpore, dicis te esse sanatum, cùm simul animâ ægrotes, & carne: crede mihi falsum est quod loqueris, quia nuda confessio non sanat vulnera peccati, quæ adhuc hiantia pessimè fœtent; dum scaturit putredo, dum vermes desideriorum ebulliunt, dùm cancer serpit, dùm currit riuulus bituminati putei.

In legibus dicitur, quia nudum pactum non parit actionem, & est nudum pactum, quando simpliciter promitto me aliquid daturum vel facturum, si tale pollicitum non soluero tibi, conuenire me non poteris aliquâ actione: nulla igitur obligatio est legitima, nec pro me fecisti, vnde iure obligatus sum tibi. Similiter de nuda confessione mihi videtur, quòd Deus ad remissionem dandam peccatorum non tenetur, cùm potiùs confusio dicenda sit, quam confessio, vbi non sequitur delicti satisfactio. Adhuc itaque est in immunditia sua, quam non expiauit congruâ pœnitentia, nec

ante

A ante debet præsumere de sanitate, quàm expertus sit post aliquanta temporis spatia feruorum illum deseruisse: Si tertiana, vel quartaria laborauerls febre, esne vnquam securus de sanitate, nisi euolauerit solitus aduentus eius vna & alia vice? Sic & de peccato non sis securus, nisi in te omnis eius emortuus fuerit motus. Nisi eadem quæ tibi apertè dixi, lex sub integumento afferat, non mihi credas; post pauca enim subinfert dicens de illo. *Quid immundum tetigerit super mortuo*, ** de sout aliqua. (Leuit. 22.5.)

SERMO VI.

(Cant. 7. 1.) QVid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? Verba sunt amatoria de Canticis canticorum sumpta, quibus incitamur ad videndam mulierem quan-

B dam, fortem, castam, pulchram religiosam, benè compositam, amico dilectam, aut etiam viro desponsatam. *Hanc*, inquit Salomon, *amaui à iuuentute mea, & quæsiui eam mihi assumere sponsam, & amator factus sum formæ illius; generositatem enim glorificat, contubernium habens Dei.* (Sap. 8. 2.3.) Hæc aliquando tanquàm turtur soliuaga, super montes aromatum rapta obuiam Christo in nubibus, desideratissimæ contemplationis moras faciebat; sed qui de terra est, & de terra loquitur, nondùm alas Cherubim habens, quibus à terra eleuaretur, homo per fidem ambulans nondùm per spem, clamat ad illam dicens: Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Reuertere ab itineribus æternitatis, reuertere à summis cœlorum, reuertere à contemplatione Angelorum, reuertere ab excessu mentis vt intueamur te sobriam, nobis Christum crucifixum prædicantem nobis; lac nobis porrigentem nondum escam, quia neque nos, neque similes nobis portare potuerût.

C Audiens sponsus desiderium desiderantium quasi vnum sic alloquitur. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Sermo inusitatus ad inusitata auditores suos prouocat, si Sunamitis mulier est, vt historia regum legimus, quomodo in ea choros castrorum videbimus? Si aliud est quàm mulier, quare sic illam Salomon alloquutur, an fortè est illa Abisag Sunamitis, de qua in tertio Regum dicitur, quia *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies & cùm, operiretur vestibus, non calefiebat, dixerunt ergo serui sui, quæramus Domino nostro Regi adolescentulam Virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum regem; quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, & inuenerunt Abisag Sunamitem, & adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, & ministrabat ei.* (3. Reg. 1. 1.2.3. & 4.)

Ecce paruumper mouens appulit nos ad littus aliud, non ventus turbinis, sed aura tenuis, vt sicut Laban, Iacob, Liam pro Rachel sorore supposuit, sic per Suna-

D mitem, quæ in quarto Regum legitur, illa quæ in tertio legitur, producta sit; errorem tamen istum, siue transitum non ingratum reddit grata pro pulchritudine sua facies Sunamitis; vtraque siquidem amplectenda hæc pro castitate & pulcritudine, illa pro fœcunditate & hospitali largitate. Hæc senem iam frigidum regem Dauid calefacit, illa Helisæum Prophetam transeuntem per Sunam hospitio suscipit.

Res quidem Sacramenti duplici signo figuratur, & diuinæ Incarnationis mysterium tam calefactione multorum dierum Regis, quàm in susceptione Prophetæ peregrinantis signatur. Abisag procul dubio Sunamitis, quæ interpretatur rugitus, siue pater meus superfluus, & Sunamitis coccinea, Ecclesiam designat sanguine Christi redemptam & Martyrum cruore tinctam, & quæ in persona pœnitentium loquitur; *Rugiebam à gemitu cordis mei*, & in Psalmo audit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere domum Patris tui*, vtique superflui, veteris scilicet Adæ. (Ps. 37 9. Psal. 44. 11.)

E Hæc in virgine Maria quæsita est in omnibus finibus Israël Virgo adolescentula, vt staret coram Rege, castitate & humilitate, & foueret eum ineffabili de Spiritu sancto conceptione, dormiretque Rex in sinu eius, vel ipsa in sinu Regis quieta ab omnium vitiorum infestatione: & Deum continens vteri integerrimi consecratione, & calefaceret eum singularis charitatis illustratione. O Abisag Sunamitis quàm speciosa es! quàm gratiosa, quàm sapiens, quàm sedula in obsequio Regis Dauid, speciosa es, sed cum castitate; adolescens salua castitate, calida sed ex charitate, cum rege accumbens & dormiens, sed cum omni sobrietate. Vestibus opertus nullo calore accenditur, qui famulatu virginali calore refouetur.

Quæ autem sunt illæ vestes, quæ calorem non faciunt, nisi cortinæ, saga cilicina, pelles arietum rubricatæ, pelles hyacinthinæ cum hostiis & muneribus suis, quæ perfectum facere non possunt iuxta conscientiam,

F seruientem solummodò in cibis & poribus, & variis baptismatibus? Neminem enim ad perfectum adduxit lex, quæ timore cultores suos infrigidabat, non spiritu adoptionis accendebat. At vbi venit plenitudo temporis, quæsita est puella Sunamitis in omnibus finibus Israël, & inuenta est coccinea obumbratione Spiritus sancti, calefecit antiquum dierum, vt mitteret Filium suum, & dormiret cum Virgine, donec agnus cum vellere nostro exiret, & mundum redimendo saluaret & regeret.

Iam enauigandum est flante austro, qui vbi vult spirat, ad Sunamitem, cuius filium Helisæus contractus, & incuruatus ressuscitauit: hæc interpretatur captiua, & despecta, huic namque loquitur Isaias: *Solue vincla colli tui captiua filia Syon*, & in Psalmo dicitur: *facti sumus opprobrium & despectio superbis.* (Isa. 52. 2. Psal. 122. 4.) Sed & ista liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, cùm filius tradiderit regnum Deo & Patri, quo

G merito? quia Helisæum Prophetam hospitio excepit, & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Dixit itaque Sunamitis viro suo: *Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos maneat ibi.* (4. Reg. 4.) Ante Apostolicum præceptum hospitalitatem sectantes; mulier ista legem implens hospitalitatis tam larga & benefica est, vt & mansionem specialem religioso & sancto præparet viro, ne qua infestetur molestia.

Sed quid est per nos transit frequenter nisi quod Apostolus ait: *Multifariè multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquitur nobis in filio suo*, (Hebr. 1. 1.) transiuit in Abel, transiuit in Noë, transiuit in Abraham & Isaac, & Iacob, transiuit in Moyse, & in aliis antiquis patribus; transiuit reuera, quia cœnaculum nullus ibi fecit nisi Sunamitis, quæ de Virgine carnem assumpsit. Cœnaculum planè fuit vterus Virginis, vbi de sinu Patris filius Dei descendit, cùm

H nec inuisibilis in sola diuinitate, Verbum caro factum remansit, nec vsque ad contagionem peccati semetipsum exinaniuit. In cœnaculo itaque fuit, quia non carnem peccati, sed similem carnis peccati assumpsit: paruum verò est, quia minoratus est paulominus ab Angelis, factus passibilis & mortalis.

Lectulum posuit ipsum vterum, siue sepulchrum, siue baptisterium, in baptisterio namque tanquam in thoro accedit Verbum, vt ait Augustinus, ad elementum, & fit sacramentum: *Nisi*, inquit Dominus, *fuerit quis regeneratus ex aqua, & Spiritu, non potest videre regnum Dei*: (Ioan 4. 5.) cooperante igitur Spiritu sancto in hoc Sacramento fit Christiana regeneratio, non ex semine corruptibili, sed ex virtute Dei. In hoc itaque lectulo fides hominis de virtute Spiritus sancti concipit & parit filium quem nominat Christianum, demùm mensam ponit sanctum altare, vbi Christus conuiuas suos cibat, & potat de carne sua, & sanguine proprio.

O vos Sacerdotes Dei, huius mensæ commensales

A & ministeriales estis, attenditæ in quibus vestibus, quibus intestinis, & pedibus acceditis ad carnes Agni, quem totum cum lactucis agrestibus comedere debetis: Exod. 12. 9. *Caput*, inquit lex, *cum pedibus & intestinis vorabitis*. Caput diuinitatem significat, pedes humanitatem, intestina magnum pietatis mysterium, quod à sæculis absconditum in Deo, in nouissimis temporibus manifestatum: sit ergo in vobis fides firma, conscientia pura, & omnia tam interiora, quam exteriora vestra sint munda.

Posuit & sellam, in qua sedet qui iudicat orbem terræ in æquitate; cui Pater dedit & iudicium facere, quia filius hominis est, & vos assessores estis iudicis, qui habetis iudicare inter mundum & immundum, lepram & non lepram, mortuum & viuum, sicut Salomon iudicauit, cuius esset filius viuus. Non ergo declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram, mendaces in stateris; sed rectè iudicate filios hominum. Posuit & candelabrum & in lectulo, & in mensa, & in sella: ne- B cessarium est candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt. Candelabrum est Euangelium: nullum in Ecclesia pateret Sacramentum, nisi hoc demonstraret Euangelium. Hoc candelabrum portat Paulus cum ait: Ephes. 4. Act. 9. 16. *Ego vinctus in Domino, sed verbum Dei non est alligatum*: & Dominus de Paulo: *Ego ostendam illi quanta oporteat illum pro nomine meo pati, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus & filiis Israel.*

Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? chori castrorum sunt ordines Angelorum, vnde rex illorum dicitur Dominus sabaoth, quod est exercituum, inde quoque in Apocalypsi Ioannis legitur, quia factum est prælium in cælo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone & proiectus est draco ille magnus, & locus eius non est ampliùs inuentus in cælo. Quot itaque sunt ordines in Angelis, tot sunt chori, nouem vtique: bella verò illa cum gente tenebrarum nobis sunt incognita, sed non inutilia, nam nobiscum, & pro nobis pugnant. Noua autem bella veniens Rex Iudæorum C IESVS Dominus noster elegit, primos satanæ conflictus, & acerrimos excipiens in diebus carnis suæ; quatenus aerias potestates, & illum qui habebat mortis imperium, in corpore suo super lignum crucis triumpharet, & ligaret illum ancillis suis.

Dicit quoque fortis ille in bello Gedeon sequacibus Iudic. 7. 17. suis: *Quod me videritis facere facite*: vnde in Euangelio: Luc. 14. 27. *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me non potest meus esse discipulus.* Post illum sequuntur chori castrorum, tenentes arma militiæ, quorum robustissimus princeps in choro Martyrum Paulus describit inquiens: Eph. 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare in die malo*, &c. Sequuntur igitur illum in equis rufis, variis & albis vt legitur in Zacharia. Martyres, qui non dilexerunt animas suas vsque ad mortem, in equis rufis sequuntur agnum per mille studia effuso sanguine vsque ad fræna equorum. Confessores in albis equis, mortificantes carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis. Virgines, quarum quædam in virginitate Deo militauerunt, D quædam & fortiter martyrium sustinuerunt, in variis equis Regem suum secutæ sunt.

Ecce chori castrorum in Sunamite coccinea, cui dicitur: Cant. 1. 10. *Genæ tuæ sicut turturis*: vel in Sunamite captiua dum tempus belli est in peregrinatione ista, & non tempus pacis, quod erit in futura gloria, vbi erunt chori non castrorum sed cantantium; sicut enim lætantium omnium ô gloriosa ciuitas, habitatio in te. O vos Sacerdotes, Principes vos constituit Deus in castris istis, canite tuba in Sion, suscitate Leuiathan, currite à porta vsque ad portam, ne fur, ne latro, ne aduersarius ingrediatur, & incendat castra vobis commissa, ne rapiat vt leo diabolus animas vobis commissas: tibi pastor ouium, tibi Episcope dicitur: quid videbis in Sunamite ista, id est Ecclesia tibi commissa, nisi choros castrorum.

SERMO VII.

E CVm in manibus teneo ante oculos corpus Christi, quasi speculum oppono faciei meæ, quatenus cooperatione puritatis & pulchritudinis eius, detecta conuersationis meæ fœditate & impuritate erubescam, & verecundia erubescentiæ purgare malè acta studens, nouum hominem qui secundùm Deum creatus est, induam. Ad hoc autem balneum sanguine Agni calidum, & contra omnem morbum efficacissimum iuxta habeo, calicem vtique salutarem, in quo ingressus, lepram veterem depono, & reflorescente anima, carne quoque antiqua rubigine exutâ, prima imagine decenter resculpitur natura nostra; vnde Apostolus ait, nos conformes fieri imaginis Filij Dei, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.

F Hæc conformitas virtutem operum suorum annunciat populo suo, præcipuè electo, regali, sacerdotali, peculiari, quod estis vos Sacerdotes Dei, Vicarij Dei, concorporales, & comparticipes Dei, de hac conformitate est quod Christus de vtero Virginis, obumbrante Spiritu sancto conceptus & natus est, oleo lætitiæ præ participibus suis inunctus, adeò vt oleum effusum sit nomen eius, à Deo Patre secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus est, in proprio sanguine penetratis cælis sancta sanctorum ingressus, ibi apud Patrem aduocatus noster orat & perorat pro peccatis populi Christiani, venturus ad Synodum magnam, & de omnibus iudicaturus secundùm opera & merita singulorum, omni acceptione personarum remota & sententiâ deffinitiuâ oues absoluturus, hædos condemnaturus.

Quomodo itaque caput nostrum processit, sic sequamur nos qui membra eius sumus, & tam in nomine quàm in officiis ei assimilemur, vnde in canticis: *Similitudines auri faciemus tibi*, Cant. 1. G 1. 5. 70. quod est dicere, præsentem te specie corporali & visibili habere, vel retinere non possumus, sed saltem exempla integerrimæ conuersationis & beatissimæ passionis imitabimur. In vulua itaque sanctæ Matris Ecclesiæ concepti ex aqua & Spiritu regeneramur, sancto chrismate tam in fonte, quam in fronte & in ordinatione perfundimur, à Deo tanquam Aaron non symoniacè ad sacros ordines vocamur; in sanguine Christi secreta Angelorum oracula frequentamus, corde compuncti & mundati tenentes vestigia reatus nostros, & omnium fidelium exponimus, & copiosam propitiationem, Deo cooperante reportamus, futuram discussionem, nos ipsos accusando, tentamus & temperamus.

Facimus enim de speculo scutum, opponendo dupliciter corpus Christi Patri suo, ne irascatur, & obstante proprio filio, mittat gladium, si fortè malitia nostra euaginauerat illum, in vaginam suam. Hostibus quoque scutum istud opponimus, vt exterriti tanta maiestate fugiant, & vocem non apponant: semel quidem H in acie passionis clauis & lancea perforatum est, dum sæuissimos & pertinacissimos excepit tam Iudæorum quàm dæmonum ictus sub eo latens virtus inuincibilis. Sed benè resarcitum fuit in resurrectione, quod passum fuerat in carne; nam Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, &c. Non adiiciet itaque appetere secundò rabies diabolica huius scuti fortitudinem, quæ reflexa in se cuspide viscera materna egessit, & de morte triduana, æternam sibi vitam comparauit. Tene igitur Sacerdos clypeum istum vtraque manu contra hostem, & nullam timere poteris pestem.

Est autem pictura, siue cælatura eius vermiculata argento, vbi ait: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, Luc. 23. Psal. 3. 6. deaurata gloria resurrectionis, vbi ait: *Ego dormiui & somnum cœpi, & exurrexi.* Est quoque corpus Christi Euangelium regni, in quo velut in campo deliciarum post speculum, post balneum, post scutum in-

gredunur

A gredimur odorem sauitatia attrahentes, flores miraculorum contemplantes, poma Sacramentorum decerpentes, riuulos sapientiæ epotantes, herbarum amœnitatem contrectantes, & plusquam Salomon in omni gloria & vbertare abuodantes.

Ecce sponsa haber speculum & balneum, miles scutum; Sacerdos librum: componat se sponsa in speculo; lauet se in balneo; miles armet se de scuto; Sacerdos legat in Euangelio Formam Christi depingat sibi sponsa ex speculo, munditiam ex balneo; virtutem miles contra hostes sumat ex scuto, scientiam atque doctrinam discat Sacerdos ex libro. Iudicio sacerdotis diffinitur forma & munditia sponsæ; militia quoque militia, sicut docuerit eum liber iudiciorum iustorum: huc ad hoc venistis, immò conuenistis, fratres charissimi, vt à vobis iudicetur, quod contra Euangelium in Prouincia agitur, quod extra, seu contra formam decretorum præsumitur, &c.

B

SERMO VIII.

Ps. 64. *TE decet hymnus Deus in Sion*, &c. Fidet anima delibatione futuri gaudij impprægnata, parturit fœtus, qui neque in iniquitatibus concipiuntur, neque in peccatis paternæ præuaricationis eduntur. Adhuc tamen manente lege diuinæ animaduersionis, in dolore parit filios, quique iustitiæ obliuionem non acceperunt, quia hæreditas sancta nepotes eorum. De corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta oritur hæc generatio quærentium Dominum, memoria dierum antiquorum, desiderium collium æternorum, meditatio hymnorum de canticia Sion; impetus lætantium iam iam cogitationum sanctatum insiliens in perpetuas æternitates, quid nisi filij sunt sanctorum?

C Hij tamen interdum gementes sub aquis mundanarum occupationum, sed reditum odorantes patriæ, currunt in odore tacti & tracti, non solùm in odore vnguenti, verùm etiam in clamore vini; accedunt prouide ad cellam aromaticam, excedunt sine mora ad cellam vinariam; ibi vino tanquam cornua altaris implentur, ibi miro odore thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, in vestimentis suis à domibus eburneis perfunduntur; quid deinde? Psalmus, Hymnus, Canticum more istorum tota die Canticum quidem in cithara, Psalmum verò in decachordo psalterio, Hymnum quoque in cymbalis benesonantibus, in cymbalis iubilationis resonant ante sedentem in throno dicente, *Te decet hymnus Deus in Sion*, &c.

Tales Sacerdotes in templo veri Salomonis coram arcba & propitiatorio decantant, tales officiales in Domini ministerio ministrant, nam in Sion & Hierusalem templum hoc sacratissimum & incomparabile ab Salomone legitur fuisse constructum ad honorem Dei, & ad commendationem humani obsequij. Vndecumque D autem gentes & popnli conueniebant ad templum illud, velut ad locum sanctificationis, vt ibi soluerent vota, & laudes redderent Deo, tam pro indulgentia peccatorum, quam pro perceptione temporalium bonorum. Inde itaque dicitur *Te decet hymnus*, &c. Cùm in omni loco dominationis Dei, honorandum sit & colendum sanctum nomen eius, præcipuè in Sion decet eum hymnus, quia hic est locus de quo aliàs dicitur:
Ps. 75. 3. *In pace factus est locus eius, & habitatio eius in Sion.*

Satis in psalmo expressè dicitur & locus laudationis, & modus laudis, & persona laudari, sed tacetur persona laudatoris; equidem Deus est qui laudatur; Sion vbi laudatur; hymnus quo laudatur; à quo autem laudamr? fortè à sapientia, nam sapientia laudabit animam suam; fortè & aquæ quæ super cælos sunt laudant nomen Domini, annon & vos astra matutina? Nonne in libro sapientiæ dictum est: *Cum me*
Iob. 38. 7. *laudarent astra mea.* * Quid sibi vult hoc adiectum? vt
* matutina. videatur quòd non alia nisi matutina astra laudent

E Deum. Procul dubiò astra fixa in firmamento, stationem suam non mutant; sed quia eorum quædam videntur in occasu; quædam in ortu diei; propriè dicuntur illa matutina, quæ ante diluculum apparent.

Ecce sancta Sacerdotum Domini prudentia ex officio suo animaduertere potest se astra matutina non incongruè appellari; quis enim dicit, *Anticipauerunt vigilias oculi mei*, nisi stella matutina? quis dicit: *Oratio mea præueniet te*, & *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua?* Nonne est stella matutina? Surgendum est, fratres charissimi, media nocte & ante lucem veniendum in Sion, id est, Ecclesiam, quia te decet hymnus Deus in Sion, Surge de lectulo cum sponsa, & quære quem diligit anima tua; per vicos & plateas ciuitatis, cantando Psalmos, legendo Prophetas & Apostolos, *Paululum*, inquit, *cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*; offenderat hæc custodes murorum qui vulnerauerant eam, quia tulerant pallium ab ea, vt charitate vulneraretur, & paupertatis amore, superbia temporali nudaretur. F

Ps. 76. Psal. 87. 14. Ps. 118. Cant. 3. 3. 4.

Iuxta hanc similitudinem accedens Sacerdos ad conficiendum sacrum mysterium corporis & sanguinis Christi, deponat pallium quo vtebatur in sæculari ministerio, & assumat sacrosancta vestimenta in quibus Angelorum ministeria exerceat, & ipsum Dominum Angelorum ore proprio conficiat, manibus sustineat, oculis videat, corpori & animæ suæ per susceptionem fideliter vniat; vniendo ipse in Deo & Deus in eo maneat. Tunc efficitur Sion, vel etiam filia Sion anima illa, & cantat hymnum Deo suo, conuertens omnia interiora sua ad laudem, ad contemplationem faciei illius, quæ facta est splendida sicut sol, & vestimenta eius alba sicut nix; rapitur extra, immò supra se reputans vt stercora carnis desideria, & omnem substantiam domus suæ quasi nihil despicit; certaminum carnis & spiritus, iam sancta confœderatione obliuiscitur: conditionem mortalitatis non meminit, legem statutam quam præterire mortalium nemo potuit, nondùm vectigali reddito, soluere quærit cum dicit: *Bonum est nos hic esse faciamus tria tabernacula tibi vnum, Moysi vnum & Heliæ vnum.* G
Math. 17. 4.

Parum aliquid dicamus de his tribus tabernaculis: & Christi quidem tabernaculum peramplius vel perfectius, non manufactum, id est, non huius creationis. Hoc tabernaculum corpus Christi est, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter; de quo etiam dicitur? *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; ad hoc tabernaculum Filij Pater non frequenter per recessum & accessum, sed semel per incarnationis cooperationem venit, & mansionem fecit, & requieuit; quia in eo complacuit sibi; cùm per ipsum, peccatum omne destrueret, & omnem iustitiam statueret; damnum non solùm resarciret, sed de damno lucrum augeret, nam vbi peccatum abundauit, superabundauit gratia.
Eccli. 24. 12.

Attende quoddam mirabile repertum per verbum carnem factum; sic ab initio cursus non se habuerat, vt quod vita viuificabat, mors extingueret; quod plenitudo implebat, inanitas exinaniter, & sic de aliis cæteris hoc modo. Sed iam per mortem vita redditur, per defectum, refectio innouatur, de contumelia, gloria nascitur, copia proficiscitur ab inopia: hæc à tabernaculo Christi super aurum & argentum pretiosa recipiontur, vt qui seruus peccati ad ipsum venerit, in ipso iustificatus liber efficiatur, qui prauus, conuertatur, qui crudelis ad pietatem reducatur, cui clausum fuerat cælum propter duritiam cordis, reseratur iterùm par pœnitentiam & humilitatem confessionis. H

Si fames per infidelitatem, si pestilentia per errorem, si aër corruptus per detractionem, si ærugo per iactantiam, si rubigo per inuidiam, vel quælibet alia plaga terram nostram oppresserit, in tabernaculo isto admirabili manus leuantes, de auxilio confidamus: hymnum, & votum in hoc tabernaculo Deo soluimus, si conuersationis eius inter homines fideliter vestigia in seminis nostris resignauerimus. Tabernaculum hoc sicut non

A est manufactum, sic sermone humano numquam est explicandum: supra sensum est, supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Semper quidem cogitatio nostra in illud & ad illud extendatur, sed irreverenter nunquam ingrediamur.

Migremus jam ad Moysis tabernaculum, quia juxta exemplar, quod ei in monte ostensum est, suum Moyses construit tabernaculum: lustra tabernaculi cunctam suppellectilem, dinumera latitudinem, longitudinem, & altitudinem; explica vestimentorum sacerdotalium pulchritudinem, compositiones vnguentorum & thymiamatis in statera appone, sacrificiorum seu holocaustorum merita expone. Oblationes volucrum, pecudum metallorum, frugum, liquaminum, florum, vel certè ramorum diligenter attende; & quid videbis nisi refigurationes quasdam rerum invisibilium, explanationes arcanorum cælestium, introductiones non configuratorum, sed verorum bonorum. Hæc summatim si potes assumere, habes vbi dilatare phylacteria ingenioli tui non vno, sed multis possis diebus, & telam
B vsque ad centum cubitos sermonum extendere. Tamen ne totum tibi laborem imponamus, aliquid pro compendio de his explicemus.

Post illud incircumscriptibile lumen summæ Trinitatis, cui consociatam non diffidimus carnem nostri Salvatoris, semper in conspectu Domini vicinis stationibus angelica residet natura, conterminans puteis veritatis immutabilis, rivos refluentis ad ipsum suæ intentionis: de quibus in figura animalium dicitur: *Facies & penna externa de super*, facies siquidem & penna desuper Angeli extenditur, cum studio indefesso, & virtutum suarum merita, & contemplationis vota, raptatis cursibus creatori suo infigunt. Quam pura, quam Deo grata, impendant obsequia, nondum est nobis scire, quia necdum purgatis sensibus contingit audire vel videre.

Ezech. 1. 11.

Hoc tamen sicut Deo placuit, humilibus de Angelorum sedula charitate potuit innotescere, quia suffragiis suis infirmitati nostræ remedia sanitatis efflagitant,
C ignorantiæ comparant lucernam veritatis, destitutioni restitutionem, mœstis consolationem; desperatis subministrant reparationem; fletus nostros suscipiunt, lachrymas reponunt, confessiones scribunt, orationes exaudiunt de pace nostra ad Deum satagunt, mediatori de supplicibus suis suggerunt; hostes repellunt, tentationes extinguunt, meditationes sanctas subinferunt animas exeuntes de corporis molestia, per medias hostium acies circumducunt, ad præparatas mansiones deducunt, & ordinem sive consuetudines suas novitios docendo benignè instruunt. Excusant si possunt, rogant si excusare nequeunt, bellum pro nobis cum dæmonibus gerunt, ingressum & gressum nostrum tanquam pædagogi infantiæ nostræ aut tutores pupillaris ætatis sollicitudine pervigili regunt.

Hos repræsentant Cherubim quæ Moyses in tabernaculo suo sculpsit in tabula, & in medio habebat propitiatorium, cui vultu intenso ex vtraque parte adsistebant Cherubim seu Seraphim, sex alæ vni, & sex alæ
D alteri. Moyses ille qui præsumptione familiari faciem Dei absque velamine vnius cuiusque æternæ imaginationis sibi contendi rogauerat; vt gratiam quam meruerat in abdito mentis cumularet in contemplatione faciei, audit à Domino: *Verbum quod locutus es faciam, invenisti enim gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine, ostendam quoque omne bonum tibi, sed non poteris videre faciem, non enim videbit me homo & vivet.* Super his ad meipsum anima mea conturbatur, omne bonum audiens Prophetæ repromitti, & Dei tamen faciem negari.

Exod. 33. 20.

Planè quod bonum erit, vbi facies Dei non erit? An ita hoc intelligendum fortassis non absolutè videatur, vt posteriora eius quæ videre possit Moyses stans supra petram, sit omne bonum, quod in præsenti Ecclesia per fidem consequitur; scilicet sacramenta Corporis & Sanguinis Christi cum cæteris aliis eiusdem sacramentis: facies eius sit super omne bonum, cum id quod
E nunc spe geritur, rerum veritate capietur. Hac etiam non indiscretè differentia Sion & Hierusalem, hymnum & votum distinguere possis, quia in Sion, id est, præsenti speculatione, timentes Deum non deficient omni bono: in futuro autem fruentes Deo, & videntes eum de facie ad faciem, oculo ad oculum sicuti est in natura Divinitatis, super abundabunt omni nihilominus bono; vt hic sit puteus aquarum viventium; ibi fons aquæ salientis in vitam æternam.

* f. distinguere

Ibi enim Angeli dispensatores præmiorum futuræ expectationis, dabunt in sinum nostrum mensuram bonam & coagitatam, & supereffluentem, dùm in societate sua naturam humanam in electis excipient, in æqualitate admittent, in gloria vultus ineffabilis claritatis constituent. Ibi defectus nec nominabitur, quia luna auferetur, secundùm quam nunc augmentum & decrementum circulo ipsius subiecti suscipimus. Sol ipse cujus ortum propter operationem nostram opperi-
F mur, cuius occasum propter quietem præstolamur, vt quasi licentiâ eius egrediamur & ingrediamur, sui officii stipendiis receptis, nobis vltra laborare cessabit; novis enim supervenientibus vetera proiiciemus; oculi agni, qui in medio throni sedet, sufficiens præstabunt toti civitati lumen, vt Deo vt vsque ad interiora, non solùm velaminis, sed & ventris cuiusque, archam invisibilis gloriæ Dei penetret acies mundi cordis.

O Domine in lumine vultus tui tunc ambulabunt pueri tui, qui tecum accubabunt in meridie, qui sicut novellæ olivarum erunt in circuitu mensæ tuæ: signatum est denique super eos lumen vultus tui Domine, vt reformato corpore infirmitatis suæ, & conformato corpore claritatis suæ, conformes efficiantur imaginis filii tui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; fulgebunt namque sicut sol in regno cælorum; vel sicut stellæ in perpetuas æternitates.

Tunc denique reddetur votum in Hierusalem, tunc vota mea reddam in medio tui Hierusalem. Totum ibi
G medium vbi non est Angelus * duplicitatis, totum medium, quia media charitate constravit propter filias Hierusalem; revera de medio eius apperiet quasi species electri, in quo dilectio Dei aurea, & proximi argentea, in vno affectu quasi conflatur; quia vt ait Moyses: Circumdabit Dominus cor tuum, & cor seminis tui vt toto corde, tota anima diligas Deum & proximum; Deus in medio tui, Deus in circuitu tuo, &c.

* f. Angulus.

SERMO IX.

TU signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, &c. Rex ille magnus qui regia maiestate implet omnia, bonitate replet vniversa, potestate cuncta dispensat, rempublicam suam cùm solus ordinare & dispensare posset, vo-
H luit tamen habere adiutores, dispensatores constituit, officiales, in curia sua plures diversis ministeriis mancipauit, non quorum obsequio aut labor suus minueretur, qui omnia quiescens, solo verbo operatur, aut facilius & commodiùs creata dispensarentur, singulis prævisoribus, singulis curantibus quæ omnia vno solo Dei nutu curantur, conservantur & reguntur, sed vt multos haberet, quibus donatiua sua erogaret, & bonis cœlestibus quasi merentò sociaret. Elegit ergo de plebe in plebe sua cancellarium, cui signaculum, id est, sigillum commisit: sed indecens erat vt tam sapiens iuxta se malignum & stultum poneret, præcipuè cui consilia & arcana communicaturus esset, plenum ergo sapientiâ elegit.

Ezech. 28. 12.

Item si splendor gloriæ & candor lucis æternæ. Æthiopem & barbarum incompositum iuxta se collocaret, facies ordinatissimæ civitatis doleret, quæ cùm Regem in decore suo videre affectaret, eodem aspectu

lucem

A lucem simul & tenebras cerneret. Ideo decentissimè cancellarium suum perfectuo decore elegit: rursum si rusticanum, & de sub sentibus nutritum, tantis divitiis subitò præficeret, vel tanquam avarus, vel tanquam ignarus confusè thesauros deliciarum coortectaret; idcircò illum ordinavit cancellarium, qui in deliciis paradisi Dei fuerat delicatè educatus, ne insolesceret doctus, ne dissiparet bona Domini sui. Noverit ergo custodire cautè, noverit amicos regis honorare, inimicos aut reconciliare aut disperdere; multum est hoc.

Si vobis, fratres charissimi, stabulum Domini custodiendum assignaretur, si caulæ pecorum, si porta palatij, si cubiculum sponsi: nonne hoc supra omne meritum esset, & ad hæc quis idoneus? quam ergo compensationem ei retribuetis, qui etiam sigillum suæ similitudinis tradidit vobis. Parum hoc ei fuit, vt traderet sigillum, nisi etiam faceret vt essetis sigillum faciei eius, qui curam animarum habetis? qui reformare imaginem eius in commissis vobis debitis; hoc enim offi-
B cium sacerdotale est imaginem Dei reformare, & similitudinem eius animabus insculpere; neque enim in cœlo, neque in terra agitur quod debetur, cum Dei conformitas pro posse non quæritur; id enim solum bonum, id solum rationali creaturæ congruum & necessarium, vt reformetur à perversitate, & conformetur Deo in iustitia & veritate. Quicquid non est operativum, vel saltem cooperativum huius sancti studij nunquam deponendi, nunquam postponendi, sed semper ponendi & omnibus præponendi, pecuale est, animale est, non rationale, non sacerdotale.

A minimo vsque ad maximum, tota collectio, tota cohors cœlestium Spirituum contentione sancta, altercatione pacifica, desudat specialiùs irradiari, & insigniti Regis splendore, creatoris sui imagine; Dei sui similitudine. In schola illa cœlesti nil aliud legitur, nil aliud ediscitur, nilque aliud edocetur; pro quantitate siquidem & portione similitudinis ac Dei conformita-
C tis in Angelis, est ordinum, graduum & dignitatum parilis disparilitas & dissimilitudo pro pace & dilectione integerrima pene non dissimilis. Resilire autem ab hoc proposito, est desistere à bono, & velle resistere Deo: sic Lucifer principium viarum Dei, signaculum similitudinis Dei, plenus sapientiâ, perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuit, quandiu hac vsus lege & consuetudine, zelum vnitatis angelicæ, distractus & inflatus superbiâ non rupit.

Ex quo autem Deo conformis, subiecta humilitate, esse noluit, sed Deo similis prævaricatione præsumptibili, perdidit similitudinem & signaculum similitudinis, non in non esse, sed in non benè esse; vt verò retinuit sibi Deus veritatem essendi, summéque beatè & semper subsistendi, quod nemo rapit de manu sua, sic Angelis persistentibus similitudinem & signaculum similitudinis pro beneplacito suo indulsit. Sed quia clausa & signata sunt ea terrigenis, quæ tot obstaculis seposita geruntur in cœlis, exulanti imagini suæ pro culpa commissa, de miseratione inexhaustibili,
D placuit per quasdam rimulas æterni consilij remandare angelico ministerio, quæ fiebant in choro angelico; cœpit denique homo repatriandi æstuare desiderio, & illis exaltationibus odoriferis, quæ immittebantur per Angelos bonos, confricatus os suum aperuit & attraxit spiritum, quo reuelante, in ordine viuendi studia & stadia angelica imitari addidicit. Audiuit, Deus tuus, Deus vnus est, millia millium ministrant ei, & decies centena millia adsistunt ei. Audivit Seraphim, Cherubim, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Archangelos, Angelos; & exemplo didicit sapientiam absconditam.

Iuxta ergo hoc exemplar fabricare sibi voluit novum cœlum in terra cum ordinibus suis & officiis, summum apicem velut Deum, Pontificem illum summum, quem Papam appellat siue Apostolicum, constituens: deinde ordine suppositivo à capite isto deveniens descendit in Patriarchas, Metropolitanos, Archiepisco-
E pos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, Lectores, Ceroferarios, ostiarios, Clericos; quorum officia, & nomina balsamo divini muneris largè sunt infusa, & cœlestes ministratores sunt imitantia. Sed breviter colligendum quòd Dominus Papa vicarius CHRISTI est, & Episcopus cum cæteris supra dictis.

Dicitur ergo ei: tu signaculum similitudinis Dei, &c. Relucere debet in facie Episcopi, species gloriæ visionis Dei, vt sicut signaculo vel sigillo in cera molli sculpatur imago illius, cuius sigillum est: sic exemplum vivendi accipiat ab Episcopo, quicumque normam benè conversandi postulaverit; sit patientia IESV, sit humilitas, sit paupertas, sit castitas, sit charitas, cum cæteris virtutibus eius, non scriptæ superficie tenus, sed sculptæ medullitus in sigillo isto, vt veraciter dicatur ei, tu signaculum similitudinis Dei; in quo? plenus sapientia perfectus decore. Ecce doctrina, ecce vita Episcopi, ad doctrinam pertinet sapientia, ad vitam decor,
F plenus sit sapientia, ne sit cæcus cæco ducatum præbens; perfectus decore, ne in quo alium iudicat, seipsum condemnet: plenus sapientia, vt habeat rationale; perfectus decore vt superhumerale.

Hic est spiritus duplex quem postulat Helisæus: *Oro*, 4.Reg. 2.
inquit, *vt spiritus tuus duplex fiat in me*: Nolo vt totus fons meus deriuetur in plateis, sed sic volo farinulam prædicationis dividere, vt faciam mihi inde panes & filio meo; mihi benè vivendo, commisso gregi bene prædicando. Ad sapientiam lectio, ad decorem pertinet oratio: Istæ sunt pennæ columbæ, quibus per nubes post ascendentem CHRISTVM; ad dexteram Patris conscendit Episcopus, qui plenus est sapientiâ, perfectus decore? hoc enim est quod sequitur; in deliciis Paradisi fuisti: cùm Episcopus surgit à lectione tum ab oratione, quid ei aliud dicendum, nisi quia in delicijs Paradisi fuistis? paradisus est Divina Scriptura: quid Oratio, cælum? quid de deliciis suis detraxit Deus? vt non æmulata manu sparserit totas delicias suas, tam in
G veteri testamento; quàm in nouo; sed qui carnales delicias tantùm amat, istas nec novit, nec habet, nec amat, sed ille qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, id est orare & legere vt sit plenus sapientia perfectus decore.

SERMO EIVSDEM MATERIÆ FRAGMENTVM.

QVid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? Chori castrorum sunt ordines Angelorum, vnde Rex Cant. 1.
illorum dicitur Dominus sabaoth, quod est exercituum. Inde quoque in Apocalypsi Ioannis legitur quis factum est prælium in cœlo Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & proiectus est draco ille magnus, & locus eius non est ampliùs inventus in cœlo. Quot itaque sunt ordines in Angelis, tot sunt chori, nouem
H vtique: bella verò illa cum gente tenebrarum nobis sunt incognita, sed non inutilia; nam nobiscum, & pro nobis pugnant. Nova autem bella veniens Rex Iudæorum IESVS Dominus noster elegit, primos satanæ conflictus, & acerrimos excipiens in diebus carnis suæ; quatenus aereas potestates, & illum qui habebat mortis imperium, in corpore suo super lignum crucis triumpharet, & ligaret illum.

Dicit quoque fortis ille in bello Gedeon sequacibus suis *Quod me videritis facere facite*: vnde in Evangelio: Iudic. 7.
Qui non baiulat crucem suam, & venit post me non potest meus esse Discipulus Post illum sequuntur chori castro- Luc. 27.
rum, tenentes arma militiæ, quam robustissimus Princeps in choro Martyrum Paulus describit inquiens:
Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare in die malo, Ephes. 11.
&c. Sequuntur igitur illum in equis rufis, variis, & albis vt legitur in Zacharia, Martyres, qui non dilexerunt animas suas vsque ad mortem, in equis rufis sequuntur

agnum

A agnum per mille stodia effuso sanguine vsque ad fræna equotum. Confessotes in albis equis, motti ficantes catnem suam cum vitiis, & concupiscentiis. Virgines, quarum quædam in vitginitate Deo militaverunt; quædam fortitet martyrium sustinuerunt, in vatiis equis Regem suum secutæ sunt. Ecce choti castrotum in Sunamite coccinea, cui dicitut: *Gena tua sicut turturis*; Cant. 1. 10. vel in Sunamite captiva dum tempus belli est in peregrinatione ista, & nun tempus pacis, quod erit in futora glotia, vbi erunt choti non castrorum sed cantantium; sicut enim lætantium omnium ô glotiusa civitas, habitatio in te. O vos Sacerdotes, Principes vos constituit Deus in castris istis, canite tubâ in Sion, suscitate Leviathan, currite à potta vsque ad portam, ne fur, ne latro, ne adversarius ingrediatur, & incendat castra vobis commissa; ne rapiat vt leo diabolus animas vobis commissas. Tibi pastor ovium tibi Episcope dicitur: quid videbis in Sunamite tua, id est Ecclesia tibi commissa, nisi chotos castrorum, &c.

B

A L I V D.

Eccles. 9. 8. *OMni tempore sint vestimenta tua candida.* In Apocalypsi apparet mulier amicta sole; Angelus amictus lapide mundo, & in medio septem candelabrorum aureorum vestitus podere; & Dominus IESVS, in transfiguratione habuit vestimenta alba sicut nix; & Angelus in resurrectione apparuit stolâ coopertus candidâ; & regina assistit à dextris regis in vestitu deaurato: & sponsa in Canticis, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis; Jacob filio suo Ioseph fecit talarem tunicam; & mulier quæ habet lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum, fecit syndonem & cingulum tradidit Chananæo, & byssus & purpura indumentum: & David in Psalmo; concidisti saccum meum & circumdedisti me lætitiâ: & Hieremias tulit lumbare C de lumbis suis quod computruit in aqua; Isaiæ dicitur: Solve saccum de lumbis tuis: & in Iob; Dominus balteum regum soluit, & præcingit fune renes eorum; & filiis Israël vestimenta & calciamenta in deserto non sunt attrita quadraginta annis; & de servo Hebræo jubetur, cum quali veste intraverit cum tali exeat, & Pontifex accedens ad sancta, octo vtitur pontificalibus indumentis pretiosissimis; & ad nuptias qui intravit non habens vestem nuptialem, ligatis manibus & pedibus missus est in tenebras exteriores.

Quicumque ergo accedis ad mensam Domini; & quicumque ministras in sanctis; quicumque dicis Deo; in conspectu Angelorum psallam tibi; quicomque militas in castris Dei, attende arma, attende vestimenta tua ne sint arma retusa, ne vestimenta scissa & inveterata, sed arma limata & bis acuta, vestimenta nova, vel saltem resarcita & renovata; resarciuntur namque confessione & pœnitentiâ renovantur. Arma limantur lectione & acuuntur disputatione. Omni tempore sint vestimenta D candida, nec divinos, nec angelicos aspectus sustinet immunda vita, polluta conscientia; pruritus carnis inordinatus facit sibi perizomata dicens: Audivi domine vocem tuam, & abscondi me eo quòd nudus sum. Chaos magnum firmatum est inter nuditatem infantis, & inter nuditatem procacis meretricis, purissima altera, alia turpissima.

Quandiu stolâ innocentiæ amictus fuit Adam non erubescebat nuditatem suam; corruptâ verò innocentiâ, statim invasit stimulus peccati, & pravi ardoris membra pudenda, erubuit se amisisse dominatum in membris suis, qui fuerat inobediens mandatis Domini sui; malè itaque custodivit vestimenta sua non corporalia, sed spiritualia, abscondere se voluit, sed latere minimè potuit; est enim oculus divinus nimis perspicax & penetrabilior omni ancipiti gladio pertingens vsque ad divisionem animæ & spiritus, &c. O speculator qui astas desuper, quid mihi melius est fugere, an tibi astare? E sed fugere nequeo; astare autem nudus, putridus, fœtidus & pollutus quomodo audebo? arcu vibrato percutis nudum, ore aperto expuis puttidum, extra castra tu ejicis fœtidum? pollutum projicis in lacu leonum, Nudus itaque vestiendus; vnde scriptura: *Cum videris nudum, operi eum & carnem tuam ne despexeris*? carnem tuam ne despexeris tanquam in cinerem & pulverem reversuram, nec in die judicij resurrecturam; ne despexeris commaculando illam immundâ dæmonum conspersione & luxuriosa exectatione. Ne despexeris in finem resurrecturam & clarificato corpori IESV configurandam. Isai. 58. 7.

Operi nudum asperitate cilicina, cortinarum lenitate, pellium rubricatarum mortificatione, pellium Hyacinthinarum contemplatione, stolâ byssinâ, castitate. Omni ergo tempore sint vestimenta tua candida, omni tempore æstate, hyeme, autumno, & vere; omni tempore die & nocte; quid est die & nocte, id est in luce & caligne, quid in luce? & caligne? Per diem sol non vret te, neque F lun● per noctem, Sol æstus libidinis, Luna tepor infidelitatis: per diem consensus delectationis, per noctem cæca ignorantia quid sit agendum, vel quid cauendum. Per diem itaque sol non vret te vt consentias concupiscentiis carnis, neque luna per noctem, vt pecces per ignorantiam vel negligentiam in criminalibus delictis: omni tempore, id est æstate sint vestimenta tua candida, ne sis calidus; hyeme ne sis frigidus, autumno ne sis tepidus, vere ne sis novitatis cupidus; sol decolorat, sicut in canticis dicitur: *Nolite considerare quod fusca sim quia decoloravit me sol*, præsumentem de justitia sua, sol decolorat, quia qui putat se esse aliquid cùm nihil sit, ipse se seducit. Iustitia quæ à Deo est, benè colorat, justitia hominis tanquam à se al●homine, faciem decolorat, quia non habet gratiam apud Deum, &c. Cant. 1. 6.

G

S E R M O.

Ad Monachos.

CAstra Dei sunt hæc; Nec inermes, nec inertes, nec imbecilles, nec stertentes, nec formidolosi in castris recipiendi sunt: armati ergo sint contra hostes; contra astutos arte pugnandi ferventes, contra Sabæos & Gygantes fortes & feroces, contra nocturnos fures & prædones vigiles; contra præsumptores & superbos audaces. Ab his reædificantur muri Hierusalem; ab his restauratur ruina illa magna quam fecit in cœlis draco rufus, trahens post se tertiam partem stellarum; ab his denique mundatur gentibus immundissimis terra repromissionis. Gen. 32. 2.

Nihil ergo in his castris Dei sit inordinatum de imagine inferni, vbi nullus ordo, nihil confusum de reliquiis Babyloniæ, vbi confusum est labium turrim ædificantium, nihil luxoriosum de semine Behemoth, cuius virtus in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbiculo H ventris eius, nihil dissolutum sicut in populo cui non erat Princeps, neque Rex, neque Sacerdos, sed vnusquisque faciebat quod bonum erat in oculis suis; neque superfluum vnde turbetur temperantia mater virtutum. Sit itaque acies ordinata; sicut turmæ militum dispositæ; sit chorus clypeis aureis relucente sole, paratus diabolo & satellitibus eius resistere, vnde in Canticis: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Cant. 6. 12.

Hoc castrum immò castellum (ad quod IESVS super asinam mansuetus venit, vt audiant eum mansueti & lætentur) habet turrim David, in qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium; exempla Martyrum, & dicta Confessorum, immò simul & vitam & doctrinam omnium bonorum. Forti viro, & inter triginta robustorum Principum David præcipuo, non sufficit se deffendere, nisi & hostem valeat onerare: stipendia quidem habebit, si benè militando locum suum

A retinuerit, juxtà illud : *Si Spiritus potestatem habentis*
Eccles. 10. 4. *ascenderit super te locum tuum ne dimiseris.* Bravium
quoque si ceperit, & in captivitatem redegerit, nihilo-
minus coronam aureolam accipiet, si debellaverit, si-
cut CHRISTVS in corpore suo super lignum crucis,
eum qui habebat mortis imperium, cum ipsa morte
triumphavit. Accingimini itaque filij, & estore parati
in prælio, quoniam melius est nobis mori cor-
pore in hoc bello, quam videre mala gentis nostræ
& sanctorum, sicut fuerit voluntas in cœlo sic fiat. Ar-
mentur milites nostri armatura Dei, juxta Apostolum:
Ephes. 6. 13. *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei, vt possitis resistere*
in die malo, &c. Denique centuriones, tribuni & sin-
guli Principes catervas suas hortentur ad pugnam, do-
ceant & adjuvent. Numeremus ergo, & nominemus
Principes, & quis eorum cui turmæ, in his castris de-
beat providere & præesse.

Prima turma, siue chorus, siue acies, est converso-
rum; secunda infirmorum; tertia novitiorum nondum
B professorum; quarta jam professorum; quinta præpo-
sitorum; sexta claustralium; septima Abbatum; his as-
signantur septem Spiritus Dei, quos Isaïas enumerat:
Isai. 11. 2. *Spiritus sapientiæ & intellectus, consilij, fortitudinis, scien-*
tiæ & pietatis, timoris Domini. Horum spiritus timoris
Domini, Princeps est conversorum; spiritus pietatis
infirmorum; spiritus scientiæ, novitiorum in proba-
tione sua; spiritus fortitudinis in professione; spiritus
consilij, præpositorum; spiritus intellectus, claustra-
lium; spiritus sapientiæ, Abbatum.

Tunc debent conversi, & cum Paulo Apostolo con-
Act. 9. 6. verso dicere: *Domine quid me vis facere?* Stupens enim
ac tremens hoc dixit; isti ad molam sedent, alimenta
Iacob & filiis eius reportantes de Ægypto, cùm de la-
bore suo carnalia ministrant Spiritualibus: & sicut
Issachar asinus fortis, supponunt humerum ad portan-
dum necessitatem illorum, qui ad sarcinas David cu-
stodiendas residens, quæ sunt opera incarnationis Dei.
Omnis namque vita IESV in mundo, cum ipsa quo-
C que mortali carne, quodammodo sarcina fuit Verbi,
immò hominis assumpti, sarcina fuit quæcumque in
mundo invenit, vidit, audivit & toleravit. Has opti-
mas sarcinas, fratres mei, custodite, quia æqua pars
est ad bella procedentium, id est, Martyrum, & ad
sarcinulas residentium, id est, omnium electorum, pas-
siones CHRISTI in se portantium.

Girando choros, jam veniamus ad spiritum pieta-
tis, quem proposuit Deus totius consolationis, infirmis
vestris, quatenus ipso cooperante, fundat infirmariis ad
opus infirmorum, petra rivos olei, butyri, ac mellis,
ne desit dulcis consolatio. Butyri ne refectio congrua;
olei, ne de nocte luminaria, in melle siquidem accipi-
tur consolatio, in Butyro refectio, lumen nocturnum
in oleo. Et si petra tibi sis Abba, austeram vitam tenen-
do, funde tamen rivos olei, butyri & mellis infirmo tuo,
nisi enim hoc feceris, accusat te Spiritus pietatis, nec
senties pium cum veneris ad Deum. Ezechias justus
aliquando ægrotat in infirmaria, & Lazarus peccator
D infirmatur. Quid propheta Isaias, quid IESVS plenus
Spiritu sancto? Isaias visitavit ægrotantem, & Domi-
nus vadit, & suscitat jam fœtentem. Vermis & pulvis
non abhorreat fratrem fœtentem; quia Dominus susci-
tat de pulvere & de stercore erigit pauperem.

Veniamus jam ad eos, qui excubant ad fores scien-
tiæ novitios: isti sub manu & protectione spiritus
scientiæ, Dei ordinatione supponuntur tanquam si-
quidem de phantasiis huius mundi & tenebris exeun-
tes, ad ortum surgentis auroræ, cum cæco nato, sed à
Deo illuminato, oculos aperiunt, & lumen scientiæ re-
quirunt: dicunt itaque Deo, in persona Prophetæ:
Ps. 142. 10. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*
Item cum beato Augustino: Da mihi scire me scire te; me
scilicet infirmum, te medicum, me quis sum origine,
conditione, corruptione, necnon & redemptione; te
vnum & trinum, omnipotentem, sapientem, benignum.
Ps. 118. 6. Item cum Propheta: *Bonitatem & disciplinam, & scien-*
tiam doce me: bonitatem, ne abhorteam novitatem; dis- E
ciplinam ne effluam per dissolutionem; scientiam ne
oberrem post greges sodalium per ignorantiam & erro-
rem; bonitatem ne remaneat malitia; disciplinam ne va-
na scurrilitas; scientiam ne impetitia. Contra diaboli
astutias hujusmodi scientiæ clypeo nuvitij in initio via-
rum suarum sic armantur.

His fortiter & fœliciter dimicantibus jam quartum
chorum, qui est professorum visitemus, juxta formam
Iosue qui solem jussit stare & diem duplicavit pugnan-
do in acie, eosdem novitios à prima die belli continue-
mus ad secundam professionis diem; vbi habitu mutato
& armis, transeunt ad spiritum fortitudinis. Parum nam-
que est bona scire, nisi addas & facere: vnde Dominus:
Si hæc scitis, beati si ea feceritis. Manum itaque mittunt Ioan. 13. 17.
ad fortia ligando se triplici vinculo, immo quadruplici
verbo videlicet, consensu, scripto & iuramento, quæ
omnia in professione attenduntur, cùm dicitur: Ego
promitto stabilitatem meam & conversionem morum
meorum & obedientiam, &c. nam stabilitas æmulatur F
æternitatem, morum conversio Angelorum confirma-
tionem, obedientia, Domini IESV consummationem.
Hoc triplici funiculo quid fortius? frater bone, nisi ru-
peris professionem, securè expecta æternitatem, Ange-
lorum societatem, IESV hæreditatem.

Accedamus jam ad quintum Principem militiæ bel-
li, qui est spiritus consilij, minus namque valet in bello
fortitudo, si non regatur consilio. Vicinum ergo ha-
bet domui suæ spiritus fortitudinis, spiritum consilij;
hic principatum suum exercet super præpositos ope-
rum, non Pharaonis, sed Salomonis, non operum in
luto & latere, sed in lignis Libani & marmoreo lapi-
de. Hi sunt obedientiarij nostri, qui omnia cum vo-
luntate & consilio Abbatis debent facere: *Omnia*, in- Eccli. 32. 24.
quit Salomon, *fac cum consilio, & post factum non pæ-*
nitebit: Officium istorum est vigilare vigilias noctis ad
ea quæ facienda sunt; custodire, quæ jam parata sunt,
accincto super femur gladio operari in muris Hierusa-
lem, & tanquam sagâ cilicinâ operire pretiosa Sanctua- G
rij Dei. De quotidianis quoque quæ emergant quæ-
stionibus oraculum divinum consulere & à lege, & te-
stimoniis solutionem quærere: hi cum Esdra Propheta,
impedientes opus divinum consilio & ope atque opere
suo debent repellere.

Iam ad sextum chorum in Sunamite stilum verta-
mus, qui cum Maria Magdalena ad pedes IESV sedet,
aut cum Matre eiusdem IESV stat juxta crucem ejus,
proscriptum respiciens in cruce Salvatorem suum; vn-
de & gladius siue lancea de latere pendentis pertransit
animam ejus vsque ad divisionem animæ & spiritus.
Isti sunt claustrales nostri, qui nocte & die divinis lau-
dibus insistentes, parati sunt suscitare Leviathan; nun-
quam de castris, vel claustris, id est, de sanctis egrediun-
tur, castra namque nostra sunt claustra, vbi castitas, vbi
clausura debet esse perpetua, vt sit hortus conclusus,
fons signatus, puteus aquarum viventium, quæ fluunt
impetu de Libano. Vtrumque latus illius magni bella-
toris, qui fortis & potens est in prælio, tanquam Che- H
rubim lucentes plenitudine scientiæ & Seraphim ar-
dentes plena dilectione, immediatè ambiunt, veraciter
dicentes cum Petro: *Et si oportuerit me mori tecum, non* Matth. 26. 35.
te negabo: item cum Paulo; *Quis nos separabit à cha-* Rom. 8. 35.
ritate Christi, &c. item cum Psalmista: *Sicut oculi ser-* Ps. 122. 3.
vorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ
in manu dominæ suæ, &c. Servi siquidem sunt in agro,
ancillæ in thalamo, vt juxta Apostolum; siue absentes,
siue præsentes Deo contendant placere, quid de volun-
tate Domini, cui in simplicitate non ad oculum ser-
viunt, cùm Dominus fidelis sit omnibus inuocantibus
eum in veritate, non intelligitur.

Habent ergo Principem suum spiritum intellectus,
qui scrutatur profunda Dei, & ea revelat parvulis suis:
postulat enim pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Isti
ad mensam Domini de pane Angelorum quotidie re-
ficiuntur, isti fortes ex fortissimis Israël ambiunt

A lectulum Salomonis, omnes tenentes gladios ad bella doctissimi. In hoc sexto choro vt cornu aciei fecit Dominus hominem ad imaginem & similitudinem suam, vt claustralium conversatio semper in cœlis sit, vt nunquam descendat de rigore Religionis, nisi ratione compassionis; hæc enim IESVM de sinu patris ad nos inclinavit.

Suprema & vltima acies Abbates, id est Vicarios CHRISTI continet, & isti habent super se Regem & Principem, spiritum sapientiæ, quæ ex ore Altissimi prodivit; surgens itaque mane Abbas, & ad thronum gratiæ, quod est altare accedens, debet sic ad Deum

Sap. 9. 4. preces porrigere: *Da mihi Domine Sapientiam sedium tuarum assistricem, vt mecum sit, & mecum labores, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore*; Deinde hanc salivam ab ore Dei exaustam deglutire & per singula conversorum, infirmorum, novitiorum, probandorum & professorum, præpositorum atque claustralium vasa diffundere, quatinus ros qui descendit de

B Hermon, in montem Sion à capite destillat vsque ad oram vestimenti ejus, est namque sal terræ, sal fœderis, quo condiuntur sacrificia quæ Deo offeruntur. Debet itaque simplicitatem conversorum, debilitatem infirmorum, novitatem novitiorum, & professorum promotionem, præpositorum sollicitudinem, claustralium solitudinem secundùm propriam mensuram & capacitatem condire. Hic secundum Iob, cum in orbem terræ transeunt dies convivij, convocare debet & sanctificare filios suos; ne forte benedixerint Deo in cordibus suis. Est enim vitium negligentiæ, cum quo dimicant conversi; malum impatientiæ adversùs quod contendunt infirmi; peccatum voluptatis pristinæ, & prioris immunditiæ, cui repugnant novitij, vitium diffidentiæ contra quod eriguntur professi; malum avaritiæ cui contradicunt præpositi; tædium Religionis aduersùs quod rebellant claustrales; turbo mundanæ sollicitudinis, aduersus quem consistunt Abbates. Ecce castra Dei sunt hæc, in quibus militia est vita hominis

C super terram, in quibus Regnum cœlorum vim patitur,

Apoc. 3. 12. & violenti rapiunt illud, in quibus *qui vicerit*, ait Dominus, *faciam illum columnam in domo Patris mei*; quod nobis præstare dignetur, qui cum Patre, &c.

SERMO.

De lege naturali, scripta & Evangelica.

Deut. 33. 4. L*Egem præcepit nobis Moyses & hæreditatem multitudinis.* Quot ab homine perpetratæ sunt præuaricationes, tot a Deo indultæ sunt reparationes: Sicut enim cœlesti medico nihil præterit ægritudinis, sic subest scientiæ ipsius & potestati quicquid remedij est sanitatis. Pressis siquidem vestigiis medicina morbum insequitur, nec quiescit donec incluserit; vnde

Gal. 3. 22. Apostolus: *Conclusit Deus omnia sub peccato.* Revocanda igitur humana natura ad suæ felicitatis primor-

D dia: monenda fuerat referre pedem vnde moverat, & cavere ne præcipitia renovaret; quia nouissimus error pejor priore esset. A cunabulis igitur suis materna sollicitudine erga eandem naturam intendens diuina miseratio, & ne caderet præmonuit, & si caderet remedium præparauit.

Adfixit itaque ipsis naturæ visceribus legem quam naturalem appellamus quæ lacte eodem cum natura aleretur, & eisdem coangmentaretur profectibus, eisdem tum laxaretur defectibus. Primo deinde peccato hac prævaricata tam vbi non est lex, nec prævaricator; ne forte pœnitus extingueretur, in subsidium supposuit aliam legem quæ Moysi appellatur, quia per ipsum facta est lex, & legales observantias plures tanquam fœtus multiplices de ventre naturali exclusit; vt quod iure naturali latebat, scriptis tabulis in lucem proditet & priuilegio ignorantiæ deinceps nemo excusaret, cùm incultos lapides prospiciens præcepta morum & ho-

E nestæ vitæ addiscere posset. De hac igitur dicitur: *Legem præcepit nobis Moyses*, &c.

1. Reg. 16. 7. Quia verò legitur, *homo videt in facie, Deus autem in corde*, tota hujus observatio legis potiùs pressit manum, quàm animum, vt locus Deo servaretur, qui postea incarnatus & animum pertinet & manum. Evangelica igitur lex à CHRISTO in vltimo idcircò traditur, vt legem tam naturalem, quam scriptam adimpleret

Math. 5. 17. sicut ipse ait: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Data est autem lex ista quando dictum est: *Mandatum*

Ioan. 13. 34. *novum do vobis vt diligatis invicem sicut dilexit vos.* De lege autem Moysi & CHRISTI dicitur in Apocalipsi:

Apoc. 15. 2. *Vidi Angelos stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei & cantantes Canticum Moysi servi Dei, & Canticum agni.* Canticum Moysi est lex siue laus Dei de creatione mundi; Canticum agni, Evangelium siue laus Dei de redemptione mundi in Evangelio. Vbi est autem qui totam legem observaverit, siue naturalem, siue Moysi, siue CHRISTI? teste Psalmista non

F invenitur in terra. Ait enim: *Prævaricantes reputavi*

Psal. 118. 119. *omnes peccatores terræ.* Nemo enim qui non sit prævaricator, vel in se saltem, vel in primo parente. Vbi enim peccator ibi prævaricator, vbi verò non est lex, nec prævaricatio.

Lex naturalis est quasi dieta vniuersalis; Lex Moysi quasi belleborum; lex Evangelij quasi medicina nihil habens amaritudinis, nihil acredinis. Sufficit enim illi qui legem naturalem non reliquit, vti licitis, & abstinere ab illicitis. Qui autem graviter siue criminaliter peccaverit, & à licitis debet abstinere & gravissimæ pœnitentiæ purgativa in purgatione sua ex lege Moysi debet accipere, vt oculum reddat pro oculo, dentem pro dente, liuorem pro liuore; quia calumniantes poscit similitudo supplicij. Qui autem perfecta dilectione foras misit timorem, debet sicut ipse ambulavit & ipse ambulare, vitia omnia repellendo & virtutes omnes aggregando. Claves Petri sic ligant & sic soluunt; non enim accipiunt personam hominum, non in muneri-

G bus iudicant, non viuificant animas quæ moriuntur, neque occidunt animas quæ non moriuntur: sed rectè in statera justa appendunt & meritum causæ & finem sententiæ.

Audite quia privilegium Petri meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. In judicio neque ad dexteram, neque ad sinistram declinandum est propter cujusquam gratiam. Nulla indiget commendatione veritas, vestita tamen oculis hominum temperato splendore intolerabilis pulchritudinis aliquando se objicit, non vt sumptis extra subsidiis clarior appareat, sed vt intuentis acies à se admittat. Subdiciendæ ergò auctoritates in his quæ dicimus, exiguntur forte & exempla, quatinus credibilius sit quod dicitur. Nec absurdè auctoritas quæritur, vbi nec persona quæ dicit, nec res quæ dicitur fidei satisfacit. Suffragantur nostris propositionibus divinæ auctoritates, quarum prima est:

Math. 18. 3. *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Aversio de paradiso nos ex-

H pulit, conversio reducit. Aversio illa mater est culpæ & pœnæ, quæ de se rivos innumerabiles per vniuersum mundum deriuauerunt, & quarum torrentes vniuersam naturam filiorum Adæ conturbaverunt.

Tollatur itaque prima vox flentium; vt non sit aversio; & supponatur quæ in consolatione prima syllaba est conversio: vt paradisus conuersum excipiat, quem adversum expulerat. Sed qualiter sicut parvuli, inquit, tanquam cera mollis parvulus habilis est ad omnem obedientiam, nec est ei in aliquo resistere, aut rationem mandati exquirere. Serpens callidior cunctis animantibus, in mandatis Dei quæstionem mulieri opposuit, quam quia Sophistam audiuit, exclusit, & conclusit: fides Abrahæ quæ reputata est ei ad justitiam, rationem, consuetudinem, affectionem, impossibilitatem postposuit, & Deo acquiescens contra spem jam adeptæ promissionis, in spem certissimæ expectationis credidit, quia Deus est verax in promissis, & potens in exhi-

bendis,

A bendis, plenissimè sciens quia quæcumque promisit potens est facere: hæc forma proponitur volentibus intrare in regnum cœlorum. Est & alia legis auctoritas, *primogenitum asini mutabis ove*, vt ait Gregorius. Primogenitum asini oue mutare, est immundæ vitæ primordia, innocentiâ vitæ conuertere. Qui enim qualis ipsius fuit esse desinit, & apprehensa carnis munditia innocentiam custodit, in oblationem Dei primogenitum asini ove mutat.

Exod. 13.13.

Iob quoque aptissima comparatione claustralem reclusionem nutat esse salubertimam, vt ibi luat quæ mundana vanitate peccata superbiendo, luxuriando & rapiendo, ventrique & gulæ seruiendo contraxerat. *Propter superbiam*, inquit, *quasi leænam capies me*. Leæna est caro nostra. Hæc nutrit catulos leonum, illecebras carnalium desideriorum, quorum si quis aliquem rapiat negando illicita, in rabiem seuetissimam, totam corporis syluam coucurit, & vngulis ac dentibus murmurationis

Iob. 10. 16.

B in præsentes & absentes desinit: hæc vt ait Gregorius; duplici fouea constringitur, Prima propter vngulam, secunda ad pœnam; prima sæculi, secunda claustri; prima desiderij, secunda flagelli. Non veniret ad secundam, nisi appeteret primam. Qui enim non peccat; non est quare pœniteat. *Sed peccatum*, ait Apostolus, *vt appareat peccatum, per mandatum*, id est, transgressionem mandati *operatum est mihi mortem*. Hæc est mors in olla, vtique in claustro, quod inexperti fugiunt tanquam mortem: expertorum alij patienter cum Iesv tolerant vt crucem; alij abhorrent vt gehennam: Paulus gloriatur dicens: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri* Iesv Christi. Alius acclamat. *Educ de carcere animam meam*. Duæ sunt molentes, vna assumetur, & altera relinquetur, vnde dolens Propheta dicit: *Consolatio abscondita est ab oculis meis quia ipse diuidet inter fratres*, vtique Esau, & Iacob, &c.

Rom. 7. 13.

Gal 6. 14.
Ps. 141. 6.
Ose. 13. 15.

C

PETRI CELLENSIS
Opvscvla.

Incipit Epistola Petri Cellensis Abbatis, ad Magistrum Ioannem Salisberiensem, de opere sequenti.

Charissimo suo, Petrus Abbas, Salutem.

Qvia multum altitudo, & ardua est in ascensu, & caliginosa in intuitu; temperatis passibus, ad campi planitiem conuersus; de segete Domini, quos potui manipulos legi & nouos panes, non tamen ex noua sensuum farina composui, Nouitatem enim illam quæ à Patrum vestigiis exorbitet, tam in fide quam in moribus, necnon & in vocum, seu nominum novitatibus, semper Anathematizandam duxi. Si quid autem quasi novum, Sancti Spiritus illustratione apprehendere potui: quod tamen Cherubim & Propitiatorium, vultu tam sedulo quam humili respiciat, non respui. Non itaque vt facerem mihi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui gloriantur in sæculari Philosophia, librum istum de Panibus Scripturæ divinæ conscripsi, sed de mensa divitis, quæ divinis lectionibus mentes peregrinorum reficerent, fragmenta panum vndecumque collecta coniunxi. Viatores namque nisi panem & vinum ad subsidium itineris peragendi, in transitu inuenerint; aut mora aut famis dispendium sustinere coguntur. Quamobrem Reipublicæ vtilitas satis rationabiliter exigit hoc in familia patrisfamilias, vt opera in domo quiescentis, famuletur necessitatibus in publicis negotiis desudantis. Tunc namque bene regitur Respublica, cum alteri alterius suffragantur officia. Vtinam itaque tanti essem cuius suscipi mererentur labores, & de velleribus ovium mearum, consolarentur pauperes? Vtinam, & si non nova condere, saltem vetera sarcire valerem. Vtinam, & si non de proprio, saltem de alieno fi-

Facienda est Nouitas à vestigiis Patrum exorbitans.

D

E *deliter, ideneas Salomoni ad templum ædificandum præpararem expensas! Quis proinde me præsumptuosum nisi præsumptuosus dixerit: quia panes de arca ad mensam detulerim? Si Domini arca, & domini est mensa Domini quoque conuiua; cur servus Domini pro debitis obsequiis redarguitur.*

Comede igitur quicumque librum legis, panes appositos; & non corrodas sudores apponentis valde laboriosos. Potius, pro obsequio, gratia quam invidia debetur. Si præ inopia librorum vel lectionum indiges quotidiano pane; sume: & pro indultis sine pretio, gratias age. Si vero abundas; non habentibus pauperibus congratulare: alioquin vel superbis de tua paupertate, vel inuides de nostra miseratione in alio tibi, nequam in alio, proximo; in alio miserabilis; in alio condemnabilis. Sed times tibi an mihi? Tibi forte times: ne scripta tua si qua sunt, sola non videantur: Mihi, ne scabiosum appareat ingenium, ne exangue publicetur eloquium. Sed neutrum (ô fidelis & nimium amice) formidandum est. Et primo quidem, F *scriptura tua si bona est, non est timendum, nam quod bonum & pretiosum est: numerositate & frequentia pannosarum mercium nunquam sordescit: quinimo semper ad id quod incidens præfulget curritur, & quod contemptibile est; negligitur. Non ergo opus tuum, comparatione Opusculi nostri, depreciandum credas, si bonum est. Quod si inutile est, non ei quæras gloriam de singularitate, quod magis amputandum est pro superfluitate. Nobis quoque non est quare timeas: nam fastidiosis, nolo nostra ad cumulum nauseæ suæ insolenter ingerere: petentibus vero & indigentibus, vereor abscondere & negare: Vt enim improbitatis est, nolentibus & recusantibus se inculcare: sic impietatis est, volentibus & egentibus abnegare. Habeat itaque volens, in vno Repositorio copiam omnium panum paratam, & potius benevolentia adiuvet insufficientiam nostram, quam ingratitudine exasperet infirmitatem.*

G *In hoc Opusculo, navigium nostrum, nec ad rapidissimos impetus profundarum disputationum extuli, nec in terra littera quæ occidit insidere negligenter permisi. Moderata vero navigatione præsentem stilum, à terra quidem pusillum subduxi, ne (si altiora præsumerem & contra forte flarent venti contrarij) aut cum eis, resistendo contenderem, aut eis, non respondendo succumberem. Iterum paululum à terra recessi, ne vicinitate riparum & aquæ inopia laborans: vtilitate sermonis vel materiæ rusticitate offenderem & libere non enatarem. Libratis igitur tam veli quam navigij seu ventorum oportunitatibus: nec odiosa præsumptione, in altum: nec desperata humilitate in planum excessi. Ad eo itaque, mi charissime, vnum hoc opusculum nostrum mitto, vt tua licentia prout dignum fuerit ingrediatur ad secretum & egrediatur ad publicum. Rogo vt apponas manum approbando vtilia, resecando superflua, supplendo minus plena, illustrando minus plana, vestiendo indecora, spoliando superfessa. Testor Deum, te æque offensurum amicitiam nostram si indigna laudaveris, ac si digna vituperaveris: Tolerabiliori enim patientia sustinebo erroris* H *redargutorem, quam improbum adulatorem. Non itaque graveris, propter eam quæ ad invicem est dilectionem: vel partem vel etiam totum sermonem si iustum fuerit delere & vt aliter tractetur remandare: Fructum enim in ficulnea, non folia tantummodo quæro: Absit enim, vt umbram solum & non escam * præberent arbores cultura nostra. Vtrumque mihi placet, & habere, & parare, & umbram foliorum & escam fructuum. Quod si altero carere cogor patientius foliis quam fructibus renuntiabo. Vale.*

Matth. 10. 21.
* al. rent.

* * *

A

PETRI ABBATIS CELLENSIS LIBER, DE PANIBVS.

CAP. I.

De multiplici Mensa & eius apparatu.

IN Tabernaculo testimonij jubente Domino(mensa ponitur ante velum & contra mensam, candelabrum in latere Tabernaculi meridiano: Mensa enim stat in latere Aquilonis. Diligenter animaduertendum quòd Moyses (immò per Moysem, Dominus) obumbratione mystica, in constructione seu collocatione figuratiui Tabernaculi comprehenderit, quibus depulsi à Paradiso, reparari siue repatriare obseruationibus ad Sancta Sanctorum valeant: & quibus extra devagantes interim consolari alimentis. Nulla enim intra Velum esca necessaria, quia nulla vnquam indigentia: Vna ibi satietas, vbi gloriæ perennis incommutabilitas. Semel intrasse, simulque gustasse, est semper satiatum manere. *Satiabor*, inquit Psalmista, *cùm apparuerit gloria tua.* Extra Velum autem, & defectio, & refectio. Defectio pro peccans & in peccatis naturam miserabiliter corrumpentibus: Refectio pro præceptis & diuinis beneficiis misericorditer nobis subuenientibus.

Exod. 12. 35.

B

Psal. 16. 15.

Sicut verò Firmamentum posuit Deus vt diuideret aquas ab aquis, sic Moyses Velum interposuit: extra quod vulgus immolaret animalium carnes, & intra quod accenderet insensum solus Pontifex, id est, Sacerdos summus. Iesus autem penetrauit cælum, & ascendit super Firmamentum. In sanguine verò intrauit, quia (per passionem) potum, immò pretium nostræ redemptionis, paternis labiis, assistentibus Angelicis spiritibus ministrauit, opus quod dedit ei pater, perficiendo & sanguinem de latere fusum, ad copiosam redemptionem, ei offerendo. Famelicis denique, extra velum esurientibus; mensam & panes in mensa (de qua conuescens ascendit in cælum, *misericors & miserator Dominus*, reliquit, & *dedit escam timentibus se.* Sanguinis partem nihilominus, ad bibendum, in Crateris Sacramentalibus, amicis & imitatoribus suis reposuit vsque ad consummationem sæculi: partem iterum pretium nostræ liberationis tam Patri quam creditori Hosti, piè & iustè soluit. Corpori suo quod est Ecclesia, extrà Velum excubias agenti donec Lucifer oriatur, parauit mensam ne deficiat in via, candelabrum, ne exorbitet à via.

C

Psal. 110. 5.

Crateris Sacramentales.

Sed notandum, aliam esse mensam qua singulariter sola Trinitas deliciatur, aliam qua cum Angelis amicabiliter epulatur, aliam qua cum homine mortali visibiliter IESVS vescitur, aliam qua Sacramentaliter & inuisibiliter, fideles reficiuntur. Est etiam mensa diaboli, in qua non nisi animarum sanguis bibitur, non nisi cruciatus hominum in cibo sumitur. Est & mensa Angeli, pœnitentiam conversorum bibentis, salutem edentis. Est hominis mensa ad quam aliquando Deum, aliquando Angelum bonum, aliquando malum Angelum inuitat. Itaque quàm succinctè potero compendiosum de profusa & profunda materia tractatum exprimam; quatenus & sapiens (sumpta occasione) dilatet philacteria & magnificet fimbrias & sensu mediocri, famis suæ consoletur miserias. Mensa illa Trinitatis, cubiti viuua in vnitate substantiæ: panes habet absconditos: vinum semper nouum, fercula æterna & beata. Ministerium alius creaturæ non admittitur, neque Cherubim vel Seraphim, ad mensam illam de qua edere non habent potestatem etiam qui tabernaculo deseruiunt. Sibi inuicem ministrant, Pater Filio, Filius Patri, Spiritus sanctus Patri & Filio, Pater & Filius Spiritui sancto: Pater Filio, generationem: Filius Patri, natiuitatem: Spiritus sanctus, Patri & Filio processionem: Pater & Filius, Spiritui sancto, missionem seu donationem.

Mensa Dei triplex.

Mensa diaboli qua sit spiritualis mensa hominis, triplex.

D

Procul absistat. Creatura omnis, ab hac admiuistratione: quia *bestia quæ tetigerit montem lapidabitur.* Manum subtrahat Seraphim: quia manus huiusmodi, manum aliam non admittit quàm solius dexteræ Dei: *nemo* enim *nouit Filium* nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius. Pulmenta, immò fercula huius mensæ tot sunt quot sedent ad mensam: talia sunt, quales sunt quorum est mensa. Non fingas tamen, alium quasi Architriclinum sedere superiùs in eminentiori loco; alium in inferiori, alium in vltimo: quia vna sedes & vnus sedens, pro concordia voluntatis, pro identitate substantiæ, pro æqualitate potentiæ, tres verò, pro personarum discretione. Si quomodo sic sedeant tres, sine graduum distinctione & sine honoris variatione, sine loci distensione vel dimensione, nullo modo apprehendas, noli mirari, quia nec vertex Carmeli (id est, scientia Angeli) hoc comprehendit: *Deum* enim *nemo vidit vnquam.* Idcircò abstinet & superponit digitum ori suo, neque manum conferens mensæ neque os aperiens negatæ diuinitati, vt velit eam deglutire. Vidit namque consortem naturæ suæ luciferum aliquando gulam desiderij ad hanc mensam extendisse & non exinde diuinitatem, sed mortem degustasse. Vidit manum in lateribus Aquilonis porrexisse, & statim glacie Aquilonari riguisse, seu gehennalibus flammis exarsisse. Forte omnipotentiam Patris, forte sapientiã Filij, forte bonitatem Spiritus sancti, fera illa bestia voluit deuorare. Hæc enim sunt fercola mensæ Dei, quæ soli Regi sæculorum immortali, inuisibili debentur in sæcula sæculorum.

E

Math. 11. 27.

Ioan. 1. 15.

F

Fercula mensæ diuinæ.

Hæc de mensa Dei cui non communicat alterius natura, conditione, sorte, sed sola Trinitas singulariter, perenniter, inuisibiliter gloriatur. Iam acumine scalæ Iacob visum (immò stilum) inflectamus, & ad Angelorum mensam à nobis ascendamus, à Deo descendamus: Duo enim inferiores, nobis sunt superiores, Mensa eorum est Propitiatorium, cui versis vultibus semper intendunt, & vnde sua desideria implere cupiunt. De hoc enim Propitiatorio (id est, IESV, siue mensa Angelorum) dictum est: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Ad hanc mensam, ex duabus naturis in vnam personam Spiritus sancti artificio compactam, adsistunt ministratorij Spiritus ministrantes Domino & edentes cum ipso, quæ ibi apponuntur: bonitatem videlicet Dei, reparationem generis humani, repletionem numeri sui imminuti per apostasiam degenerantis tamè à bona oliua in naturam oleastri. A mensa illa eis dicitur; *Afferte Domino filios arietum,* id est, vos Angeli, addocite animas Christianorum, Domino creatori & redemptori, ad cœleste consortium. Deus in hac mensa posuit sua beneficia: Angelus, sua obsequia: Deus quod illum bonũ creauit: Angelus quod in veritate & bonitate sterit & Deo adhæsit: Deus quod gratiæ primæ gratiã secundam ei superaddidit; Angelus quod liberum arbitrium ad bonũ obedientiæ & reuerentiæ Creatoris sui connectit. Infert Deus radius suæ contemplationis; refert Angelus puros aspectus in occursu superorientes lucis. Angelus os aperit in laudem Dei: Deus implet illud, tam adipe diuinitatis quàm carne & sanguine integerrimæ naturæ humanitatis.

Gen. 28. 12.

1. Petr. 1. 12.

G

Psal. 28. 1.

Gratia prima, & secunda.

Hæc de mensa Dei cum Angelis. *Exeamus* autem iam *extra castra* cœlorum, & iuxta montis radicem (id est, crucis passionem) Agni cœnam cum suis arietibus, contemplemur Mensa huius cœnæ in qua Deus cum hominibus visibiliter innouat (immò cõtinuat) vmbram luci: figuram veritati, nouum Testamentum veteri: paratur in cœnaculo grandi, Apostolorum ministerio, vt pastus Dominus pascua figurali in cœnaculo; patiatur agnus sine macula, in patibulo: vt (eius imitatione) qui cœnaculum ascenderit Prælationis: non recuset, post IESVM, subire discrimen passionis, vt in cœnaculo confortatus cibis vitalibus, non concutiatur pro formidine & tribulationum ponderibus. In hoc Dominus conuiuio sanguinem, carnem pellem, adipem, intestina, caput cum pedibus ponit, vt redemptio in sanguine, refectio in carne, vt vestis in pelle, vnctio in adipe, si scotia occul-

H

Hebr. 13. 13.

Pastores, non debet metuere aspera.

totum

A *Agni Paschalis interpretatio mystica.* Ps. 115. 13. Prou. 23. 1.

totum mysteriorum in intestinis: stola prima, in capite, consummatio beata in pedibus præbeatur. Clamat in abundantia saturitatis & suauitatis suæ pauper ille amicus diuitis, qui in conuiuio discumbebat; *quid*, inquit, *retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sed scire debuerat quod sapiens ait: *cum sederis ad mensam diuitis, diligenter attende quæ apponuntur tibi sciens quia oportet te talia præparare:* Carnem ergo pro carne repone; pro sancta, sanctificatam; pro casta, castigatam & castificatam; pro integra impollutam. Sanguinem quoque pro sanguine, scilicet profuso in ara crucis, effusum in rubore confessionis: pro puro, impurum; pro bono, malum; pro quieto, turbidum. *Pellem* etiam *pro pelle*, sicut Iob ait, id est, patientiam & imitationem mansuetudinis Agni incontaminati IESV CHRISTI, rependere debemus. Eius enim Sacerdotis qui offert victimam est hostiæ pellis, *iure perpetuo*. Etsi enim miraculorum, etsi secretorum scientiam, etsi puritatem conscientiæ, etsi caput iustitiæ, etsi pedes perfectionis & consummationis tuæ IESV non apprehendo; confortata enim sunt & non possum ad ista; saltem corium, saltem pellem concede. Corium siccatum & extensum, vt inde faciam mihi tympanum aut Psalterium decem chordarum: pellem calidam & candidam & præparatam ex ea virtutum amictum, vt sint pelles meæ *sicut pelles Salomonis*. In pelle ista veniens ad nuptias, non depellitur, sed intrare & superiùs ascendere compellitur. Retribue igitur, conuiua CHRISTI, pellem pro pelle, immò secundum legem, *oculum pro oculo, dentem pro dente, liuorem pro liuore, animam pro anima*, Quid enim pro te tibi facere potuit Deus, quam vt animam poneret? Vade ergo, & tu fac similiter. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt & vos ita faciatis.*

Iob. 2. 4. Leu. 7. 8. Ps. 138. 6.

B Cant. 1. 3. Matth. 22. 12. Luc. 14. 10. Exod. 21. 24. Leu. 24. 20. Deut. 19. 21. Matth. 5. 38. Ioan. 13. 15. Marc. 6. 31.

Ecce carnes in cœna, quia jam detraximus pelles, sed vbi panes? *Vnde*, inquit Dominus ad Philippum, *ememus panes vt manducent hi?* Domine IESV, non quæras à Philippo quære à Proditore tuo. Hic enim habet marsupium vnum, cum Scribis & Pharisæis hic insidiatur sanguini, & contra insontem tendit (frustra quidem pro sua implenda auaritia) tendiculas, non frustra autem pro salute nostra. Hic, inquam, habet denarios triginta, vnde panes emantur vsque ad satietatem omnis carnis. Sed & apud Ioseph, frumenta venduntur de quibus panes conficiuntur. Liberalitatis opus cum sagacitate venditionis, fratribus suis Ioseph exhibet; Implet saccos pro pecunia, buccas & ventrem implet pro gratia, victum itineris gratis tribuit, vnde in patria familia ipsi alantur, non sine pretio tradit. Quid est hoc nisi, *centuplum accipiet & vitam æternam possidebit?* Ecce gratia, ecce meritum, vbi non sicut delictum, ita & donum præparat Ioseph, ex gratia conuiuium: quia CHRISTVS gratis mortuus est: vt impleat saccos accipit pretium, quia *Fides sine operibus mortua est.* Sed libet paulisper in mensa cœnæ & in conuiuio Ioseph, lucem & vmbram in ordine ferculorum seu accumbentium, præ oculis ponere: Domini & fratris, per interpretes loquelam recipere, faciem propter majestatis glorificationem, jam quidem incognitam germanitate sanguinis cum summa reuerentia prospicere, stolas cum panibus præstitis, diligenter pensare, vinum vsque ad ebrietatem sine vitio gulæ epotare. Denique larga manu Ioseph, quorum ventres bonis suis impleuerat, saccos nihilominus quantum possunt capere frumento replet: & pecuniam propriam in ore saccorum ligat latenter, sed non fraudulenter, sciphum in sacco junioris cum pecunia ponit. Vbique gratiosus Ioseph: sed in conuiuio magis multoque amplius jocundus. In conuiuio, etiam venditoribus suis non negat negatam sibi germanitatem: in conuiuio non retinet injuriam, extendit munificentiam: in conuiuio juxta Scripturam, cibando inimicum extinguit inuidiam & sanat malevolentiam.

C Gen. 42. 25. Gen. 43. 21. Matth. 19. 29. *Fides sine operibus mortua est.*

D Iaco. 2. 17. *Conuiuium quo Ioseph accepit fratres suos typus cœnæ Christianæ.* Gen. 43. 34. Prou. 25. 21. *Mensa monastica silentium & frugalitas.*

Sed quia hoc conuiuium non minus est religiosum quàm opulentum, verbis parcendum, & ventrem meminerimus pascendum: operandum namque potiùs est, quàm loquendum. Non redigimus autem sub regula Monachorum mensam Apostolorum, quia supra mensam sancti Benedicti, est mensa vbi præsidet Filius Dei benedicti. Ad mensam monachi & duo pulmenta sufficiunt, & silentiũ tenendum est: Ad mensam verò Verbi caro facti, & carnes Agni sumuntur, & verba quæ sunt spiritus & vita in lingua IESV resudantia vbertimè post cœnam inueniuntur: Hactenus enim, ait Sapiens, spiritum suum reseruauerat. *Stultus*, inquit Scriptura, *totum spiritum suum profert, Sapiens autem reseruat in postremum* Bonum itaque verbum (immò bonum vinum) Discipulis, in horam discessionis, in horam vltimæ refectionis & confabulationis retinuit. Videtur mihi tintinnabula quę in extremis vestimenti sacerdotalis ponũtur, vt cum introierit Pontifex non sine sanguine intra velum, quod diuidit Sanctuarium Sanctuarij & Sanctuaria, procul audiantur, illum præclarissimum & salubertimum sermonem prænunciare, quẽ cum Apostolis suis habuit IESVS in vltimo Sacrosanctæ cœnæ. Erant quoque inter mala punica, ipsa tintinnabula: quia sermo iste, & de præsenti iustificatione & de futura commonet glorificatione Sunt mala punica, *deorsum ad pedes tunicæ, per circuitum*, vt habeat anima tua cœnam æterni conuiuij. Sunt tintinnabula, inter mala punica; vt doctrinam suscipiat nunc illuminantem per gratiam & postea illustrantẽ per gloriam. Hæc de mensa Domini cum homine mortali, vbi IESVS cum Apostolis visibiliter visibilis communicatus est.

E Prou. 29. 11.

F Exod. 28. Ioan. 14. & deinc. Exod. 28. 33. Exod. 28. 34. *Mensa Christi duplex. Veritas Corporis Christi latet in mensa altaris sub panis specie.*

Est iterum mensa Domini in qua, non iam visibiliter apud mortales, sed sacramentaliter invisibiliter apud fideles, vsque ad consummationem sæculi epulatur. Est autem mensa altaris: vbi veritate Corporis & Sanguinis Domini existente, sed sub specie visibilis panis & vini latente, memoria Dominicæ passionis cum effectu nostræ redemptionis, si adsit integritas fidei, quotidie tam vtiliter quam fideliter recolitur. Totum enim fides dignè sumentibus ibi operatur, quod (exhibitione certissima) credentibus exhibuit in cruce mors Christi: nisi quod illud ad omnium: hoc ad singulorum quandam pertinet restaurationem: & nisi quod istud est subsecutiuè cooperativum eius rei, cuius illud non solum præcessivum sed coeffectivum etiam nunc est. Ibi, mors Christi omnium salutem: hic memoria mortis illius similiter, nostram non desistit operari saluationem Sacramentaliter, Sed & veraciter, quod de virgine sumptum est corpus immaculatum, quod in cruce sub Pontio Pilato à Iudæis clamantibus: *Crucifige, Crucifige*, & à Gentilium militibus appensum est & immolatum, manu sacerdotali contrectatur, & vi verborum Christi conficitur, & fidelibus populis traditur, mediantibus quidem pristinis, & consuetis speciebus panis & vini, carnem veram & verum sanguinem Christi percipimus: interuenientibus verò carne & sanguine Agni, Deitati Verbi communicantes, Patri quoque verbi, per ipsum Filium cooperante & assistente Spiritu sancto, indubitanter accedimus, & sic ex ipso & per ipsum, & *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*: non sicut qualibet creatura, sed tanquam noua & renouata ad imaginem Dei rationabilis creatura.

G Luc. 23. 18. Ioan. 19. 6. *Christi Corpus vi verborum Christi conficitur.* Act. 17. 28.

H *Dei potentia admirabilis. Panis est in Eucharistia similitudine non veritate.*

In mensa ista potentiam & gratiam ponit Deus: homo, fidem & obedientiam. Mirabilis potentia Dei, qua panis in carnem, & vinum conuertitur in sanguinem! Mirabilis æque potentia, quà, sic tanta res agitur, vt sub signaculo fidei clausa, solis mundis Fidei aspectibus intra velamen oppositum penetretur. Gratia naturæ vsum & cursum transiliens, sicut carnem Virginis in carnem Christi sanctificando creauit, & creando sanctificauit, similitudinem quidem carnis peccati conformans Verbo Dei, sed ad purum excoquens naturam humanitatis, ne esset caro peccati: sic de pane (mirabili conuersione) efficit Corpus Christi, contegens specie panis, id quod veritate non similitudine, est verus panis qui de cœlo descendit: similitudine autem non veritate, panis qui de clibano venit. Ecce gratia, ecce potentia, quæ ornant, sed & informant mensam istam.

A

CAPVT II.

Rursum de triplici mensa, Sacramentali, naturali, & mystica: & de fidelibus illarum dispensatoribus, Mose & Paulo.

IN Tabernaculo testimonij jubente Domino, mensa ponitur extra velum, & candelabrum contra eam in latere tabernaculi meridiano. Escam animarum, pabulum spirituum, dapes cœlestium deliciarum præfert hæc mensa, hæc, inquam, mensa plena visceribus misericordiæ, charismatibus referta gratiæ; edentium penetralia mirabiliter implendo; non explet appetitus residentium satiando, acrius sed & sacratius veget. Est enim huius conuiuij nihilominus & conuiuantis natura, vt succumbant semper desiderio, nunquam fastidio. Quid enim? cui visio gloriæ, cui beatitudo sempiternæ vitæ, cui

B

exaltatio indeficiens, cui jubilatio semper sufficiens, in tædium poterit venire? Proculdubio huius mensæ edacitas inculpabilis potius commendatur quam condemnatur. Abstinere quidem his culpa est & pœna: absorbere verò gloria & corona. Non fortè, ibi formidas consumptionem vbi omne bonum exundat consummationem? non parce prandendum, vbi cibum inuenis Deum. Hodie si totum præsumpseris, totum cras sine dubio, nihilominus habebis. Totum diligendo, totum sumis sed non consumis. Vt enim diligendo non vastatur dilectio, sic quando à nobis sumitur amando, nequaquam finitur ille qui est vera dilectio. Ventremne times onerare? summò abundanter accipe: si ventrem & mentem vis releuare. Onera nostra namque tollit, non imponit. Non in ventre tumor, non in venis excrescit superfluus humor. Cor petit & sanat, cor implet & mundat, cor lustrat & illustrat. Cibus iste; vitam sine molestia parat, leuamen sine grauamine, immortalitatem sine corruptione. Non desunt etiam à mensa Domini fructus pomorum, non botrus Cypri, non fistula & cinnamomum, non vnguenta suauissimi odoris, non denique quidquid visu est delectabile.

Exhortatio ad communionem Corporis Christi.

C

Cant. 1. 14

Hæc de mensa ista, siue de his quæ in mensa ista sunt sufficiant. Quicunque igitur his Dominicæ mensæ benedictionibus confortatus, aperto fidei ostio vltra velum Sanctuarij, ad sedentem in throno, totis desideriis accedere voluerit: manum deuotionis, ad eandem mensam frequentius retorqueat, & de ipsa alimentum vitæ sumat. Stationem namque medij veli non præripit, qui vigorem spiritus infra ex Dominicis alimentis non percipit. Non habet quoque idoneum palatum ad percipienda inuisibilia & sacratiora Trinitatis arcana, qui antea prælibauerit visibilia nostræ fidei Sacramenta. Ob hanc denique causam, ætates, nomina, numerum, sexum, officia, dignitates, valetudines, capacitates, regiones, consuetudines, mores & habitudines ad se venientium, in statera iusta compensans Dominus omnium, diuersarum apponit gratiarum panes, ne de inopia, alicui pauperum vel infirmorum iustæ suppetant excusationes. De agro igitur ventris Iesv, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi; tanquam de aceruo tritici vallato liliis, viginti quatuor panes (iuxta numerum viginti quatuor seniorum, in conspectu Agni astantium) ad compescendam omnem famem, ad sanandam omnem pestem, & ad remouendum omnem languorem; quanta potui sedulitate, interrumpendo curarum exundantium acies, in hoc opusculo collegi. Hic enim numerus, tam filiorum Iacob quàm Apostolorum Christi, duodenarium numerum duplicatum significat. Sub hoc etiam numero libri continentur veteris Testamenti. Plenaria igitur instructio animarum prælibatur ex hoc numero librorum, & nihilominus plena refectio apprehenditur ex hoc panum numero. Ab oriente itaque & Occidente, à Septentrione & Meridie ad signum Abrahæ concurrentes, ne deficiant in via, de panibus miserationum Domini se se reficiunt, & defectibus suis perpetuam refectionem exhibent. Nam præter & supra naturam nostri panis quotidiani qui deficit cùm reficit panes Dominici sunt: qui è conuerso crescunt cùm reficiunt, dum sumuntur non consumuntur, comminuuntur, sed non imminuuntur; immutant sumentes, sed à sumentibus non mutantur. Horum itaque singulorum nomina & virtutem breuiter priùs perstringens, prout Dominus dederit, aliquanto latius subsequenter edisseram.

D

Apoc 4. 4.

E

Panis naturalis & supernaturalis discrimen.

Panis alius paruulorum & infantium; alius perfectorum & prouectorum. Item, panis alius azymus, alius fermentatus: Item alij panes primitiarum, alij propositionum: Item alius similagineus, vel triticeus, alius hordeaceus: Item alius lugentium, alius lætantium: Item alius seruorum, alius filiorum, alius mercenariorum: Item panis alius subcinericius qui non reuersatur; alius qui de multis speciebus confectus, pro fimo humano, bouino operitur: Item alius communis & plebeius, alius sanctificatus & solis congruens Sacerdotibus, alius coctus in clibano alius in sartagine, alius in craticula: Item alius vnctus oleo, alius conspersus: Item alius calidus, alius durus & frigidus. Ecce panes, ecce mensa & seniores domus Israël qui cum junioribus comedunt laudantes nomen Domini. Sed quis ministrat? Certè omnia vasa vtensilia, & luminaria in vsus epulantium necessaria, *Moyses* tanquam *fidelis dispensator in domo Dei*, quæ est Ecclesia, administrat; præcipuè tamen in aquis parandis, vnde & nomen habet, officium suum exercet. Quid enim aliud, ordinem creationis totius creaturæ contexens, insinuat; nisi quando, & à quo, & vnde, & quomodo, & ad quid, hæc mensa siue massa vniuersitatis subsistat? Vnde terram fundatam animaduertere potes quasi mensam positam, cœlum super & circumpositum, quasi mappam circum extensam: sicut & Arca circumtexta erat ex omni parte, auro: Firmamentum tanquam candelabrum, & in candelabro, duo magna luminaria, solem & Lunam, sublucentibus stellis tanquam candelis. Aërem imbriferum, tanquam lauatorium vel infusorium: Rursus serenum, tanquam & exhibentem manutergium. Mare, velut omnium sordium emundatorium. Terram, panem & vinum, carnem & pigmentum, & aliud vitæ huius sufficiens sustentamentum naturâ subinferentem, ex moderatione spiritus cuncta regente & disponente. Hic ordo est in mensa historiæ conuiuantium.

F

Heb. 3. 5.

Huius creatio quasi mensæ apparatus fuit. Gen. 1.

G

Deinde his ab historia satiatis surgentibus, & aliis satiandis in allegoria succedentibus, alius exigitur ornatus. Delicatior namque animus, sensu historico tanquam legumine viliori parumper degustato, subtiliora quæsit, & elegantiora allegoriæ sacramenta appetit. Paulus igitur, ad Paradisum siue tertium cœlum raptus, quid ministraret & qualiter didicit, & prius in officio strenuus, postea incomparabilia in omni administratione sua enituit. Parauit delicias, non deliciosus sed auidus deliciarum ineffabilium reparator & contemplator. O quantos sudores coquus iste, in ciborum præparatione sustinuit: ô quàm studiosus palati alterius inuestigator & sui crudelissimus persecutor extitit: Gratiosus dispensator iste, sermones exhortationum suarum pro voluntate & vtilitate Auditorum, sale gratiæ nouit condire & omni benedictione & gratia spirituali tanquam adipe superfundere. Hic, hic, Ecclesiam tanquam mensam habuit: mappam in mensa, fidem in Ecclesia, magna luminaria, quatuor Euangelia: Aquam Salomonis, Sacramentum Baptismatis: Panem & vinum; Eucharistiæ mysterium: Cibos innumerabiles, sanctas virtutes: Seruitores, distinctos Ecclesiæ Ordines: Conuiuatores, vniuersos Fideles: Vestes epulantium mores Credentium: Fructus pomorum, exempla Sanctorum: Miser & miserabilis, qui non intrat in locum conuiuij siue *tabernaculi admirabilis!* qui extra est tanquam frater senior in agro, qui audit nec exaudit symphoniam vnitatis & chorum charitatis, qui audit (sed extra) organum diuinæ iubilationis, qui audit (sed exsors) Psalterium modulationis. Qui enim intus est, lætatur, qui extra, cruciatur. Qui intus est, satiatur in bonis, qui extra est, deficit in malis. O quàm bonum & quàm

H

Mensa Apostolica apparatus spiritualis.

Ps. 41. 5. Luc. 15. 25.

iocundum

A iocundum sedere ad mensam Pauli! Et hæc refectio allegorica.

Mensa cœlestis apparatus. Dan. 7. 10.

Surgendum est igitur ab hac, quia peregrinationis est mensa, & properandum est ad illam quæ in patria, vbi cœnat Sponsus cum sponsa. Mensa illa vera & æterna, beatitudo Sanctorum est. Hanc exornat sapientia, hanc præparat misericordia. Ad hanc non admittuntur nisi quorum nomina in libro vitæ inueniuntur: *Millia millium huic ministrant; decies centena millia assistunt.* Ibi non aqua non vinum potantur, sed plenissima iocunditas filiorum Dei, ab vbertate impletur. Saporum diuersitas non requiritur, quia omnis sapor in vno sapore percipitur. Quid plura? In contemplatione IESV, est refectio delicatissima, debriatio vltima, quies abundantissima, deambulatio spaciosissima, sanitas inconcussa, fortitudo robusta, omnium bonorum possessio secura, vita beata. Respicis Ierusalem; & accipis desiderium; IESVS te respicit, & in se rapit animum. O mensa, quid

B es? Esne saltem cogitabilis? Lingua certè immonda non te apprehendit, polluta labia & si de te, non tamen te

1. Cor. 12. 3.

loquuntur, quia *nemo potest dicere, Dominus* IESVS, *nisi in Spiritu sancto:* Vtinam, cor meum, vel tu intrares, vel ad te intraret illud! Sine dubio, si intrares, totum caperes: te vera, in vtroque felix, vel si caperetur vel si raperetur. Nam si caperetur, caperet, si raperetur raperet. Quid autem caperet, vel quid raperet? Forte caperet cibum, raperet pomum? immò caperet Spiritum, raperet Deum. Non timeat qui ita capit vel capitur, quod criminaliter seu ciuiliter accusetur. Es planè ô mensa immensa etiam in hunc admirabilis, nihilominus & amabilis, quia non caret à te qui intrat ad te. Clauditur siquidem infra ambitum tuum, non tamen inclusus, verum plena beatitudine fœliciter circumclusus, & iocundè circumscriptus.

O carnis odiosum pondus, quo negatur exilire ad salutem! O fomes peccati, omni virtute confodiendus, quo detinemur in hanc necessitatem: O mensa Dei, vti-

C nam anima mea in se propter te liquesceret, vtinam à se in se deficeret, vt se interficeret: O mira suauitas. Certè, stylus iste modo mihi iocundior est: ex quo enim de te cœpit scribere; promptior non desistit currere. Oro veniat ad te, non stylus scribens, sed anima diligens, non exaratio stili, sed deuotio cordis. Da bucellam panis, da fauum mellis, da poculum vini, vt refectione tua confortatus, de reliquiis tuis erogem pauperibus, & dignum aliquid dicam de scripturarum panibus. Iam jam veniamus ad panes; sed breuiter prius recolamus, quas in mensis conceperimus ascensiones.

Spiritualis mensa Ascensiones.

In prima mensa, à carne conscendimus ad animam: In secunda, ab anima ad spiritum: In tertia à spiritu ad Deum. In prima, viuimus, sed non semper: In secunda non morimur, & semper: In tertia mori non possumus æternaliter. Prima, est cella vinaria, secunda, cella aromatum, tertia, cubiculum. In prima vocamur, in secunda iustificamur, in tertia glorificamur. In prima cum

D sanctis, in secunda cum Angelis, in tertia erimus in Deo & Deus in nobis.

CAPVT III.

De Pane fermentato, & fermento veteri, per exomologesim expurgando.

Prou. 18. 10. Isa. 43. 26.

IVstus, *in principio sermonis, accusator est sui.* Quod autem sit emolumentum accusare seipsum, alia demonstrat scriptura: *Dic tu*, inquit, *prior iniquitates vt iustificeris.* Ecce copula, ecce mixtura vini & aquæ, fermenti & farinæ, veritatis & justitiæ. *Veritas de terra*

Ps. 84. 12.

orta est, & iustitia de cælo prospicit. Terra, peccator, veritas est, confessio. Iustitia quæ nouit figmentum nostrum fragile quidem, quia lutum, superbum quoque, quia de propagine transgressionis Adæ progenitum; de cœlo est, quia castrorum cœlestium custos est. Et forte

Gen. 3. 24.

ipsa posuit suffraganeum, Cherubim & gladium flammeum atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ Cherubim quidem quód est, plenitudo, scientiæ, ne per mendacium & blandas adulationes seduceretur? Gladium, ne sine incisione cordis confidens in obstinatione sua patriæ introitus, & à proscripto in exilium reditus eluderetur: Flammeum, ne, tunicis indutus, pelliceis & plumis obsessus, vanitatis mundanæ flammam contingeret inustus: Versatilem quia, *cum iratus fuerit Deus, misericordia non obliuiscitur:* vel, ne cuiuspiam fraudis velocitate, ingressus subriperetur. Iustitiæ obediunt hæc omnia. Cùm parcendum decernitur, recondunt se in vaginam, cùm feriendum emittunt sagittas & fulgura vibrant: Incedunt erecta ceruice, contra insensatos, submittunt alas ad vocem humilium: & ad confessionem conuersorum: Peccantes persequuntur, confitentibus inflectuntur. Sumat itaque accusationis gladium, qui lignum vitæ esurit, rejecto excusationis scuto: sumat plenitudinem scientiæ, sumat imaginem, sumat veritatem quæ rotunda & versatilis est. His etenim insignibus & vexillis delinitur iustitia, vultum iam conuertens non iratum sed mitigatum, ad confitentem: Sine, inquiens, ô Cherubim, confitentes *ad me venire, talium est enim regnum cælorum.* Abjecerunt arma iniquitatis, & arma iustitiæ assumpserunt: *sicut enim exhibuerunt membra sua seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem*, ita nunc exhibent *seruire iustitiæ ad sanctificationem.* Ecce in ore veritas, in corde charitas, in conscientia puritas, humilitas in habitu, abstinentia in victu, modestia in incessu, castitas in aspectu, in omni loco oratio, in omni tempore meditatio, in toto corpore afflictio, in tota anima deuotio, desiderium ante Deum, lacrymæ die ac nocte ad Deum. Sic à sordibus pristinis lota flumine lacrymarum, detersa veritatis linteo; accensa charitate, purgata confessione, ornata humilitate, cincta abstinentia, circumamicta modestia, castitate glorificata, oratione eleuata, meditatione suffulta, deuotione inuncta, desiderio in cœlis recepta, à nobis est approbanda, & ab Angelis honoranda. Anima sic iustificatur, quæ benè & plenè confitetur.

Dicendum est quare panem fermentatum, confessioni de peccatis, comparauerim, & quare eumdem panem, omnibus aliis de quibus tractaturus sum præposuerim. Fermentum, peccatum est: vnde Apostolus: *expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio.* Sicut enim fermentum vetustatis saporem & corruptionem massæ cui immixtum fuerit, diffundit: sic peccatum; castitatem omnium operum quibus se immiscuerit, adimit. Sic enim ait Apostolus: *modicum fermentum, totam massam corrumpit.* Et Iacobus, *qui totam legem obseruauerit; offendit autem in vno, factus est omnium reus.* Ecce, quomodo peccati venenum siue fermentum, venarum meatus omnes inficit, vt omnes iustitiæ quas fecerat homo, postquam auersus fuerit, non recordentur. Quid ergo? Vincit ne malitia sapientiam? Quare dictum est ab Apostolo: *non sicut delictum, ita & donum?* Quæ est hæc iustitia? Reuera, sicut abyssus multa. Quis illustrare hanc profunditatem & mysteriorum abyssum poterit, nisi Deus *qui dixit de tenebris lucem splendescere?* Scriptum est, quia sapientia vincit malitiam: scriptum est, quia, *non sicut delictum ita & donum* &, *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia,* E contrario scriptum est: *modicum fermentum totam massam corrumpit: qui totam legem seruauerit, offendit autem in vno, factus est omnium reus.* Hic dentes obstupescunt, hic, Isaac oculi caligant, & clarè videre non potest. Quis horum dissonantiam (ne dicam, discordiam) ad pacem; ad veritatis lucem deducere potest, nisi clauis Dauid quæ clausa aperit, confusa distinguit? Apposita igitur claue, vectes huius quæstionis facile sic resoluimus. *Modicum fermentum totam massam corrumpit:* sed cum calcaribus peccati liberum arbitrium collum submittit, sed cùm modicum mali in quantitate operis crescit, exuberante affectu peccandi, & superat affectum reluctandi, assiduitas mali tam delectatione quam consensu. Tunc ergo, *modicum fermentum totam massam corrumpit,*

A cum (licenter & expeditè) atrium animi, malitia inuadit, & nullum iustitiæ seu disciplinæ obicem inuenit. *Vincit* verò *sapientia malitiam*, cum subintrat gratia & soluit liberum arbitrium compeditum, nondum assurgente, nondum cooperante eo qui tenebatur in vinculis. Nam gratia sola, vincula soluit; solutis verò vinculis, liberum arbitrium sequitur gratiam, & inhæret gratiæ, vt deinceps gratia præeunte & cooperante, liberum arbitrium persequatur inimicum & comprehendat auferens ab eo tributa seruitutis, & vendicans se se in ingenuitate libertatis. Vbi non erat gratia, modicum fermentum totam massam corrumpebat: & vbi venit plenitudo gratiæ, excutit collum de sub iugo & regno peccati liberum arbitrium, & ita, *sapientia vincit malitiam*.

Sap. 7. 30.

Exit ergo ad portam confessionis, compeditus (immò solutus ille) & proponit litem aduersus peccatum narrat iniurias quas misera conscientia a peccato perpessa sit, tenorem causæ, tam integraliter exponit quam visceraliter dolet: verus enim dolor tangit eum. Ideò neque dicenda neque silenda omittit: In amaritudine enim est. Tempus quando exactori se vendidit vsque ad minimum momentum exprimit. Locum, quia locus sanctus quidem appellatur, ad exaggerandam malitiam & suam miseriam, dicit. Modum facti, & quicquid à primo peccati motu vsque ad introitum gratiæ debacchauit in se mors, cum lacrymis exponit. Per ordinem, inordinata disponit. Emittit cineres extra castra cordis, ne saltem memoria Amalech in abortiuis suis reperiatur. Nam & peccatum & peccati memoriam subuertere funditus cupit. Sic veritas de terra oritur. Reformare quidem primæ naturæ & primi status ordinem primum vult, sed pendet quo natura ordine incederet si pedes tortos non haberet. Aliter enim pes rectus, aliter tortus, per vestigia sua deprehenditur. Ordo itaque naturæ iam per peccatum corruptæ, peruerse graditur contra sanctæ & à Deo constitutæ naturæ ordinem. Suis itaque vestigiis persequenda, & ab errorum exorbitatione ad veritatem est reuocanda. Quamobrem inuestigandum vnde & quo ceciderat, nihilominus etiam, qua & quo reduci debeat inquirendum. Vt igitur status rationabilis naturæ quis fuerit, ab initio vtcumque apprehendamus, causam creationis, scientiam, potentiam & bonitatem Creatoris in vnum conferamus: & quale opus ex conflatorio tanti artificis, præiacente causa non ignobili, produci potuerit & debuerit, excogitemus. Et causa quidem conditionis humanæ (quantum Scripturarum insinuatione elucidatum est) aut reparatio Angelicæ ruinæ fuit, aut summi & incircumscripti spiritus, familiaris & certa inconcussaque visio.

B Collegit cineres mundæ vaccæ & effundit eos extra castra. Num. 19. 9. Ex. 17. 17.

C

Præter istas quæ in arcanis diuinæ mentis adhuc latent, multo his proculdubio excellentiores, nec non & subtiliores existunt. Deprehendi tamen non tenuiter, alterius vel vtriusque causæ adminiculo potest, quod quærimus quam præcellens videlicet ex sua creatione, humana natura extiterit. Nam in hoc (licet incuruatus gibbo inobedientiæ) Adam remetiri se potest, si stellas cæli dinumerauerit: &, non sicut stellas, sed supra stellas se semper mansurum fuisse si pedem non mouisset, animaduertit. *Sic*, inquit Dominus ad Abraham, *erit semen tuum sicut stellæ cæli*. Erit ex semine Abrahæ, per fidei meritum quod vtique in Adam cum subole sua esset nulla interueniente pœna vel morte corporis, si cooperante gratia obedientiam teneret. Erit in fine sæculi, per sanguinem Christi redempta hæreditatis possessione, quod esset, sine pretio sanguinis impleta vtique Sanctorum congregatione. Sine dispendio namque itineris & laboris peruenisset quo reportari crucis nauigio, Christi manibus & brachiis in remigando valde fatigatis, vix quandoque poterit in portu si expectasset in aulæ penetralibus, absque angustiarum circuitu de famulo in filium, Deus & Pater eum transtulisset. Pes eius neque sanguine tingeretur, neque puluere fœdaretur. Item mortalitatem tam facile transiret, quam leuiter vigilans in somnum deductus quiesceret. In æqualitatem Angelicam, exutus carne mortali, tam cito consequeretur,

D

Gen. 15. 5. Rom. 4. 18.

Si Adam non peccasset, Sanctorum congregatio sine pretio sanguinis Christi impleta fuisset. Quam futurus erat status hominum si Adam

quam cito sol oriens, lucis radios secum ad contuentium obtutus deferre solet. Nimirum labor non multus expenderetur, si causæ à Deo homini paratæ, suus effectus per hominis obedientiam manciparetur. Non inclinaret cœlos partus Virgineus, si pomum prohibitum non contingeret Euæ tactus temerarius. Sed causæ impedimentum attulit: ne viueret immortaliter & Angelicæ gloriæ sociaretur æternaliter mandati præuaricatio & pomi comestio.

E non peccasset Christus non incarnandus si Eua pomum non contigisset Arbitrij libertas.

Locus quidem causæ satis contiguus, vt homo de Paradiso transferretur ad cœlum, persona nihilominus idonea causæ, vt homo obediens per obedientiam, sortem (propter inobedientiam) deperditam acciperet. Vt fidelis famulus, de lubrico mortalitatis enauigaret ad solidum portum immortalitatis vt secundum rationalitatem & immortalitatem comparatus Angelis, in instrumento corporis adsequeretur per remunerationem quod nondum obtinuerat per creationem: fieret autem in Spiritum viuificantem, qui factus fuerat in animam viuentem, quatenus non solum necessitas moriendi, sed & habilitas tolleretur dum corpus quod erat animale fieret spirituale. Vnde Apostolus: *Si est animale, est spirituale*. Et animale quidem: tale erat ante peccatum, vt tam peccare quàm deficere per liberum arbitrium conditio mortalitatis posset si vellet non posset si nollet: post peccatum autem, peccat & deficit etiam nolens: vnde Apostolus: *Vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eum in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Post liberationem vero plenam quæ futura est in resurrectione communi, non peccabunt neque peccare poterunt, *sed erunt sicut Angeli Dei in cælo*, quod est esse spiritale non animale.

F

Rom. 8. 20.

Matth. 22. 30.

Sed cùm & ad spiritale necdum pertingas, ad animale verò, quale conditio constituit, redire nullatenus vales: animale corruptum interim attende qualiter renoues, & nondum reformatum sed putrefactum atque iumentis insipientibus comparatum, qualiter sustentes diligenter animaduerte. Dabis ei fœnum, quia animale est, Nequaquam! Est enim animal rationale mortale. Alio quidem pascitur pabulo, rationale; alio irrationale. Fœno alitur irrationale, pane reficitur rationale. Itaque panem nostrum animali (quia rationale est) ministremus, sed fermentatum quia corruptum est & abominabile factum in studiis suis. Nec apponamus prius azymum, sed fermentatum deinde azymum: quia non prius quod spiritale; sed quod animale, *deinde quod spiritale*. Nam vt indecens est *vinum nouum mittere in vtres veteres*: sic stomachu iniquitate corrupto, & dentibus putridis propter mendacia labiorum, panem azymum qui corruptionem non vidit, cum periculo anteponimus. *Probet enim se priùs homo, & sic de pane illo*, id est, azymo *edat*. Iudas, bucellam panis quidem azymi accepit, sed medius crepuit. Vis enim magna, discernens mundum ab immundo in pane illo, cum stercoribus auaritiæ & infidelitatis Proditoris non patitur immorari. Est *in ruinam & in resurrectionem multorum*. Est *odor mortis in mortem*, est *odor vitæ in vitam*. Aut purgat, aut necat. Si sanabilis es, curat te, si insanabilis, ægritudinem augmentat. Medicina est. Morbus si curabilis est, apta medicinam: quia si qualia oportet purgari, purgentur, confert & benefaciunt: contraria verò importune sumentur, vt qui sine reuerentia & sine delectu panem sanctum accipit, plus ei sua irreuerentia obsit quàm cibi sanctitas prosit.

G

1. Cor. 1. Peccatorum plena est indigna Corporis Christi communio.

Matth. 9. 17.

1. Cor. 11. 28.

H

Luc. 2. 34.

2 Cor. 2. 16.

Qui ergo in iniquitatibus suis adhuc velut sus in volutabro luti submergitur: panem fermentatum in sudore vultus sui comedat gemens & dicens: *Iram Domini, quia merui, portabo*. Indignum se ad panem azimum comedendum contestetur, & dicat: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus*. Sed quid est fermentum? Vindictam de peccato, fermentum esse credo. In pane siue conspersa farina, commiscetur fermentum quando *ira Dei de cælo reuelatur super omnem animam hominis operantis malum*.

Mich. 7. 9.

Matth. 8. 8.

Rom. 1. 18.

A
Iob,6. 9
Gal. 3.6.

molum. Sed patienter flagella Dei sunt toleranda, quia cibus sunt vt reficiant. *Et qui capit*, inquit Iob, *ipse me conterat.* Potest enim figulus luti, vas perditum (& si confregerit) in melius reformare. Sic, *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, quia *contra spem in spem credidit.* Quid est, contra spem in spem credere, nisi cum flagellauerit Deus, tunc ampliùs in eum sperare? *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, ait Iob. Et

Iob.13. 15

ille qui contra spem in spem credebat, non considerauit corpus suum emortuum, nec vuluam. Saræ sterilem cui defecerant muliebria. Sic peccator, licet iam sit emortuum corpus eius, senio vel languore: credat tamen adhuc venas misericordiæ in Deo palpitare, quibus iustificat impios, quibus viuificat mortuos, & *vocat ea quæ*

Sacrificare, de fermentatis, laudem.

non sunt. Apud eum damnum in ore non imputatur, duntaxat si plena destitutio, plenis gemitibus, vel in extremo vitæ reformetur. Pulset ad ianuam, quia nondum clausa est dum viuit homo, dum confitetur, dum ingemiscit, dum spiritus est in naribus eius. Comedat

B

panem fermentatum, & sacrificet de fermentato laudem. De fermentato enim *laudem immolat*, qui veram confes-

Am 4 5.

sionem de peccatis celebrat. Vt enim peccando, Deum contemnebas: sic confitendo honoras. *Confitemini* igi-

Ps.105. 1.

tur *Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Amen.

CAP. IV.

De Pane Azimo.

VEnit igitur Dei Filius natus ex Virgine, absque fermento culpæ, & tulit de massa humanæ naturæ, solummodo farinam incorruptæ carnis, non fermentum seu fomentum Originalis peccati. Cribro namque Spiritus sancti euentilauit furfur iniquitatis, à sacrosancta carne concepta in vtero & de vtero Virginis.

C

Animam quoque rationalem, in vnitate Personæ, sibi assumpsit. Et carnem quidem in sacrosancto Cœnæ conuiuio, tanquam reparationis azyma nobis apposuit, & statim in cruce pascha nouum instituens, obtulit. Animam verò ad spolianda Tartara transmisit. Hic conceptus exterminauit fermentum, hic natus destruxit peccatum. Nam *quod impossibile erat legi*, vt ait Apostolus, *in quo infirmabatur per carnem*: scilicet destructo pecca-

Rom. 83.
1.Cor. 5 8.
Exod.1.

to, iustificare hominem: *Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum*, id est, nouo, veterem, azymo, fermentatum. Repurgati igitur animo & spiritu: *in azymis sinceritatis & veritatis*, diem redemptionis nostræ de Ægypto, id est, peccato vel diabolo solemniter recolamus. Reminiscimur certè quàm immisericorditer exarserunt in nobis serui Pharaonis, ad opera luti & lateris, supra quam possibile erat nos cogentes. O misera anima, cui nec paleæ transitoriæ felicitatis olim in Ægypto dabantur, & tamen exactione diabolica, coinquinationis & ma-

D

culæ opera exigebantur? Corpus quidem immergebatur in concupiscentiis carnis, anima absorbebatur a desideriis malignis; nec sic satisfiebat Spiritibus erroris! Non enim ingluuies satiatur dæmonis, quamdiu superest animæ spes correctionis. Extra guttur enim & ventrem sentit: quem non retinuisse per desperationem gemit. Nam de mediis eius dentibus & faucibus multos ereptos vncino conuersionis, fuscinula confessionis, & tridente supernæ miserationis, in æternum & vltra congaudet Abrahæ sinus. Quandiu tamen luce veritatis nondum superfusa ignorantiæ tenebris caligabat anima, quò ducebat spiritus malus, sequebatur nec conquerebatur. Vilissimis porcorum alebatur cibis, pro balneo, vtebatur immundissimis Ægyptiorum spurcitiis. Ollas carnium, cepe & allia, vt conspectibus Creatoris abundantiùs fœteret, vorabat; azyma ignorabat: Manna non nouerat.

O anima misera & miseranda: non est qui consoletur te ex omnibus charis tuis! sed tu, misericors & misera-

E

tor Domine, exaudi, placare, attende & fac. Quicunque etiam habes animam, si cœlestem eius generationem, si parentis expectabilem dignitatem recitaueris: propensiori miseratione, super eius contumelia afficieris. Nam etsi natiuitatis suæ instrumenta (fortè, quia in scriniis Angelorum reposita seruantur, ne hostili interuersione vel tineæ comestione corrodantur) non proferat: attestatione tamen idonea id asseueratur, quod à Deo facta & ex Deo regenerata, Regis filia nuncupatur. Puella generosa, tenera & delicata, & formosa & candida, ignara doli, laboris insueta, virtutum capax, damnatrix vitiorum, artium inuentrix, constans in amore, verax in promissione, larga in donatione: socialis ad ciues, affabilis ad omnes. Denique rapitur puella: ô crimen! generositas ancillatur: ô pudor! delicata laceratur: ô pietatis naufragium! formosa denigratur: ô damnum pulchritudinis! obscuratur candida: ô gloriæ conuitium! ignara doli fraude seducitur, ô iustitiæ exitium! insueta laboris labore atteritur, ô miserationis exilium! capax virtutum, virtutibus euacuatur: ô exclusio bonorum! Vitiatur damnatrix vitiorum: ô commutatio dæmonum! inuentrix Artium, inuentorum obliuiscitur: ô ignauiæ pabulum! in amore constans, instabilis inuenitur: ô naturæ lubricum. Verax in promissione, quotidie mentitur: ô peregrinationis initium! in donatione larga, in auaram vertitur: ô exsiccatio venarum: socialis, sine fœdere: ô vitæ corruptionem! affabilis, infrunita redditur: ô coagulum dilectionis vastatum: O clementia Creatoris: eripe illam de ore leonis, restitue illi statum libertatis, repone in deliciis pristinis. reforma deformatam, renoua obscuratam, libera deceptam, amoue laborem, redde virtutes, cura vitiatam, doce oblitam, confirma lapsam, pone in veritatis viam, destrue auaritiam, fœdus societatis constitue, affabilem redde.

Animæ dignitates naturales. Animæ lapsus, gradus quindecim.

F

Ecce, anima quindecim gradibus quibus peccando corrueras, pœnitendo anima sinceritatis recipias. Quot

G

namque casibus à Deo recessimus tot gradibus virtutum, ad ipsam Dei virtutem, pennis desideriorum reuolamus. His, de Ægypto ad terram promissionis ascendimus. his, ad altare thymiamatis, veste sacerdotali insigniti procedimus: his, promissiones noui & veteris Testamenti consequimur: his, denique ascensis, epulamur *in azymis sinceritatis & veritatis.* Hæc Pauli verba de azymo

1.Cor. 5.
Exod. 12.15.

pane, non dissonant ab eo quod scriptum est in Exodo, de eius obseruatione. *Septem diebus*, inquit Moyses, *comedetis azyma, in die primo, non erit fermentum in domibus vestris, quicumque comederit fermentatum à prima die vsque ad septimum, peribit anima illa de cœtu Israël.* Explanandum itaque, quæ sit prima dies, quæ secunda, quæ tertia, & vsque ad septimam, quid in se sacramenti contineant. Prima dies populi Domini est, per fidem illuminatio mentis: Secunda, ipsa professio fidei. Tertia; susceptio visibilis Sacramenti: Quarta, operatio Fidei: Quinta, discretio boni & mali: Sexta, pro Fide seruanda, tolerantia passionis: Septima, optata quies

H

à vitiis. A prima igitur die vsque ad septimam, quicumque fermentatum comederit, peribit de cœtu Israël: quia sortem nullam habebit in regno Christi & Dei, qui spiritui gratiæ contumeliam faciens, post conuersionem fidei ad vomitum infidelitatis. Vnde Apostolus, *Impos-*

Heb. 6. 4.

sibile est, inquit, *eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes.*

Prorsus insinuat vis sententiæ, quàm graue sit, post conuersionem delinquere, hoc est, a primo die vsque ad septimum, fermentum comedere. Cauendum (iuxta

Matth. 6
Gal 5. 9.
Iac.2,

Euangelium) *a fermento Pharisæorum*, quia *modicum fermentum* vitiorum: *totam massam corrumpit* virtutum. *Qui enim totam legem, &c.* attende modicum fermentum totam massam corrupisse: in vno peccato Adæ, tota infecta est posteritas filiorum. Satis quidem modicum

A fermentum prauæ delectationis, sed plusquam satis graue tormentum iustæ condemnationis. Certè duriori tormento & longiori momento pœnaliter afficitur, qui vel ad modicum fermento cupiscentiæ sæcularis delectatur. Vnde Iob: (Iob. 6. 2.) *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in staterа quasi arena maris hæc grauior appareret:* quasi diceret: Si hinc inde, iusto & æquo moderationis libramine pensetur culpa & pœna, incomprehensibiliter grauiùs affligit pœna, quam delectauerit culpa. Nam ad punctum & in modico tamquam spuma aquæ defluxit, vel sicut fumus de fumario euanuit peccati delectatio: sed internaliter extenditur prolixitate & anxietate atrocium pœnarum excruciatio. Timendum igitur & abstinendum à fermento, à primo die vsque ad septimum: vt cum illuminatus fueris luce fidei (quæ præcedit omnia opera Dei & diei) non denuò redeas ad confusionem antiquarum & antiquandarum tenebrarum. Lucifer enim qui B retrorsum præsumptione superba, suum amorem in seipsum conuertendo respexit, primam diem fermentauit: & ideo, de cœtu filiorum Israël, id est, Angelorum qui Deum amore & obedientia sequuti & adsequuti sunt, (Ezech. 1. 12.) æterna periit, & loci & meriti sequestratione. Non itaque retro respicias, sed cum sanctis animalibus semper (Luc. 9. 62.) *ante faciem tuam, vbi est impetus Spiritus:* sine retrogradatione tendas & contendas *Nemo enim mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Hoc de fermento primæ diei: videndum est de fermento secundæ. Redarguit Paulus quosdam, qui fidem Euangelij professi iam quasi Firmamentum relucebant in medio nationis prauæ & peruersæ: sicut Firmamentum diuidit aquas superiores ab inferioribus: quia fermentare firmamentum Euangelicæ fidei volebant. Cum Sacramento enim baptismatis, quod est sufficiens emundatio cunctarum leprarum: (* Circumcisionem.) * reconcisionem quasi necessariam superinducebant, & ita, veteri fermento, nouitatem gratiæ confundebant. C Ait itaque (Gal. 5. 2.) *si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Et alibi: (Gal. 5. 12.) *Vtinam abscindantur qui vos conturbant, qui enim cogunt vos in carne circumcidi*, &c. Ecce quomodo condemnandus est, qui spiritu mentis suæ renouatus & professione religionis inter aquas cœlestium virtutum & aquas desideriorum carnalium constitutus; illas sitiens, istas siccans, illas attrahens, istas extrahens, illas sorbens, istas absorbens, si, quæ destruxerat, iterum reædificat: si, quod lauerat, iterum condemnat: si dissoluit quod statuerat. In templo cordis tui non statuas statuam Dagon cum Arca sanctificationis: non filium Veneris, cum Filio Virginis: non Beelzebub cum IESV. (2. Cor. 6. 15.) *Quæ enim communicatio Christi ad Belial?* In die itaque Azimorum, ne gustes fermentum, quia exterminaberis de cœtu filiorum Israël.

Et hoc de fermento secundæ diei: nunc de fermento tertiæ diei. Parum est corde credere *ad iustitiam*, nisi ore confitearis ad salutem. Præcedens igitur illuminatio D gratiæ, sequens professio fidei, exigunt susceptionem visibilis Sacramenti. Vnde Dominus in Euangelio: (Rom. 10. 10.) *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cælorum.* Regeneratio spiritus, ad inuisibilem pertinet cordis fidem: regeneratio verò ex aqua ad visibilem, id est Sacramentalé. Hinc enim est quod in (Gen. 1.) tertia die dictum est: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida; & germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.* Aliter, non apparet arida nisi aquæ congregentur in locum vnum, quia non est vultibus diuinitatis anima digna, nisi in vna fide Catholica omnia Ecclesiæ consumauerit Sacramenta. In locum autem vnum bene dicuntur congregari omnes aquæ, quia in vnitate Fidei & Charitatis conueniunt, tam Sacramenta quàm charismata omnia. Tunc apparet arida ab immunditiis idolorum & præcedentium delictorum. Tunc germinat *herbam virentem & facientem semen*, quia quod E in visceribus fidei eius adhuc latebat, erumpit in germen & facit fructum sursum in conspectu Dei & Angelorum atque hominum. Huius diei nouitatem & puritatem fermentare voluerunt, qui rebaptizandos homines docuerunt. Semel namque susceptus Baptismus non reiteratur, quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, semel resurrexit. (Rom. 6. 9.) *& iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur:* rursum autem Christum crucifigit, qui rebaptizare instituit. Qui ergo fermentum in hoc die comederit, id est, qui rebaptizatus fuerit, peribit de cœtu filiorum Israël.

Et hoc de tertiæ diei fermento: iam de quartæ videamus. Quia, vt ait Iacobus, (Iac. 2. 20.) *Fides sine operibus mortua est:* necesse est, vt anima fidelis, *per filiorum*, id est, bonorum operum (1. Tim. 2. 15.) *regenerationem* saluetur: *filij enim seruorum habitabunt in sæculum sæculi*, (Psal. 101. 29.) quia illius fides remuneratur, quæ bonorum operum filiis accumulatur. Sunt autem fidei fructus in anima relucentes & vniuersum orbem vitæ humanæ illuminantes, sicut magna lumi- F naria in Firmamento cæli: quæ quarta die facta sunt. Habet verò anima duo magna luminaria, (Gen. 1.) *Luminare maius vt præsit diei, & luminare minus vt præsit nocti*, cùm implet duo præcepta charitatis: vno, diem contemplationis, altero, noctem actionis suæ illustrans. Stellarum quoque varietate innumerabili vestit & venustat tunicam polimitam Ioseph, id est, Ecclesiam in sanguine IESV redemptam, cùm propheta secundum rationem Fidei, (Gen. 37. 3.) cùm *tribuit in simplicitate*, cum *præest in sollicitudine*, cum *miseretur in hilaritate*, (Rom. 12. 8.) cum diligit sine simulatione; cùm adhæret bono; cùm loquitur veritatem & pacem diligit. (Psal. 67. 14.) Hæ sunt stellæ quibus semen Abrahæ comparatur, hæc *penna columbæ deargentata*, quia super pennas volatur. Hæ varietates quibus Reginæ vestimenta vermiculantur. Sunt denique & contra aduersarias fortitudines, mille clypei in Sion, quæ est turris Dauid, dependentes. Fortis est anima sic armata; pulchra, sic ornata; calida, sic vestita. Præclara noui- G tas diei quartæ! Sed ecce hypocritæ tanquam equus pallidus quem sequebatur mors; sed ecce falsi Christiani pro quibus dicitur, (Psal. 38. 17.) *ecce in pace amaritudo mea amarissima!* fermentum hypocrisis, fermentum inserunt schismatis. (Rom. 3. 8.) Qui enim dicit; *faciamus mala: vt veniant bona*, qui dicit, vanus est qui seruit Deo: qui dicit, non est resurrectio mortuorum: qui dicit, Fato reguntur omnia: (*Fato meritum tollitur.*) qui dicit, aliter res euenire non possunt, vt Fato tollant meritum, & negligentiam extollant: & alij huiusmodi fermentum comedunt & comedendum suggerunt, & de cœtu filiorum Israël peribit anima eorum. Sed (Isa. 59. 5.) *telas araneæ texuit, & quod confotum est erumpet in Regulum, quicumque comederit de ouis eorum, morietur.*

Et hoc de fermento quartæ diei: nunc de fermento quintæ. Omne illud animal lex decreuit immundum, *quod non ruminat & vngulam non findit*, quia nullum opus bene placet diuinæ maiestati, quod non commendat virtus discretionis. Hinc etiam est quod non ministrat (*Nullum opus Deo gratū est sine discretione.*) *tortum vel paruum nasum habens*, valde namque in- H decens est, fræna regiminis ei committere qui nunquam apprehendit frænum disciplinæ. Qui prorsus indiscretus est, nasum non habet: qui discernit, sed insufficienter nasum habet, sed paruum: qui sufficit discernere, sed negligit; nasum habet, sed tortum. Non contingat talis sacrosancta Domini vasa. (Leu. 21. 18.) Ecclesia verò quæ *omnia sua in numero & mensura & pondere discernit*, quæ in statera iusta, singula singulorum membrorum appendit; (Sap. 11. 21.) nasum dicitur habere *sicut turris Dauid*. Opus nimirum quintæ diei huic discretioni conuenit, in quo (Cant. 4. 4.) dicitur: *Producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile super terram, sub Firmamento cæli.* (Gen. 1.) Hic discretio baptizatorum notatur, quia alij seruata fide & deuotione baptismatis, nunquam de sinu Ecclesiæ exeunt, alij per superbiam euolantes, immò euanescentes in aëra præsumptionis & vanitatis, blasphemas hæreses confingunt. Hîc, hîc necessaria est Ecclesiæ discretio, vt nouerit, pios sensus (sicut columba, electa grana) deligere, vocem funestam hæreticorum cum profana no-

nitate,

A 1. Cor. 11. 19. uitate, deuitare. *Necesse est:* inquit Apostolus: *& hæreses esse.* Quare? *vt, probati, manifesti fiant.* Et alibi; *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Imploranda est ergo discretio spirituum, vt discernamus spiritum qui soluit IESVM, à spiritu qui manifestat IESVM in carne venisse. Non seducat simplicitatem nostrã, 2. Cor. 11. 14. qui seduxit Euam astutia sua, *transfigurat enim se in Angelum lucis*, & fermento fraudis suæ corrumpere nititur bonitatem fidei nostræ. Cauendum, non comedendum hoc fermentum. Et hoc de quintæ diei fermento. Iam transeamus ad sextæ diei fermentum.

Tolerantia passionis pro fide, sexta dies est. De hac Math. 10. 32. dicit Dominus in Euangelio; *qui me confessus fuerit coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo.* Consummatio fidei, & totius infidelitatis consumptio est, pati pro Christo. Rara hæc virtus, sed chara, & eo charior quò rarior. Ad hanc virtutem non peruenit nisi qui habet imaginem filij Dei. Nam, sicut in superioribus, B singularum dierum opera, his animæ diebus singulis, exponendo comparauimus: sic, & in hac sexta; opus quod in ea factum est, considerandum est & coaptandum. Gen. 1. *Faciamus*, ait Dominus, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Christus qui est Patris filius, *obediens* Phil. 2. 8. *fuit ei vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Poteris igitur imaginem & similitudinem Dei in te repingere, *Martyrium repingit Dei imaginem in nobis.* si pro Fide Christi poteris occumbere: tunc enim, quasi ceræ sigillum imprimitur, cum morti Christi mors nostra assimilatur. Et cera quidẽ prius emollitur cum anima diuino desiderio in conflatorio gratiæ ad configurationẽ Corporis Christi accenditur: & accedit tandem sigillo, vel etiam concedit in sigillum; cum de latere Christi pendet in contumeliarum perpessione, in flagellorum castigatione, in membrorum distensione, in vltima Spiritus emissione. Bene resignauit suam Deus imaginem in Martyre suo: vt qui iam illam primam & veram (præ clarificatione & præ exaltatione supercœlesti) non valemus videre imaginem iuxta nos configuratam per passionem, respiciamus imaginis imaginem. Fermentum hu- C *Fermentũ Pseudomartyrum. Martyrẽ quid faciat gitandum.* ius diei, æstimo illorum Pseudo-martyrum passionem, qui potiùs pro vana quàm pro vera gloria occumbere non respuerunt. Et hoc fermentum in tabernaculis Iustorum non inuenietur: non enim pœna, sed causa martyrem facit: Vnde in Euangelio, cùm diceretur, *beati qui persecutionem patiuntur:* additum est; *propter iustitiam,* Matt. 5. vel etiam, *propter nomen meum*, Solus igitur Christus, in conspectu tuo, crucem suam bajulans constituatur cum de pœna sustinenda animum interrogaueris, & corpus exposueris. Sic, in sexta die, à fermento abstinebis.

Heb. 4. 11. At, jamiam ad *requiem* septimæ diei cum Apostolo *festinemus ingredi*, vbi absterguntur & ab animo illicita, & à corpore, molesta. Nam tunc non erit graue abstinere à fermento peccati, cùm jam absorpta fuerit *mors* 1. Cor. 15. 54. *in victoria* resurrectionis. De hac dicit Iob: *In sex tri-* Iob. 5. 19. *bulationibus liberabit te Dominus, & in septima non tanget te malum.* Ita enim à tribulatione erroris primùm liberat animam Deus, cùm illuminat per fidem secundò, D à superstitione religionis; cùm docet non solum rectè offerre, bene volendo sed etiam rectè diuidere, sapienter opera sua discernendo: tertiò, à boni propositi violatione cum omni studio & cura inordinata componere, errata corrigere, immunda emundare, fluxa restringere, & faciem cordis ab omni superficie liberare: quartò, à *Ignorantia duplex.* duplici ignorantia, scilicet, vincibili & inuincibili: cùm per solem supernæ illustrationis, *occulta sapientiæ* suæ manifestat nobis secundùm quod notum est Dei, id est, noscibile de Deo: & per Lunam Sacramentorum suorum, in nocte condensa, donec dies illucescat, consolatur tenebras nostras. Quintò, ab intemperantia moderatur cùm deprimitur in aduersis, nec extollitur in prosperis, cùm noult, & proximorum necessitatibus condescendere, & altæ contemplationis alas expandere. Sextò, à commotione & tempestate persecutionum roboratur, cùm fortior surgit de vulnere, & instabilitate aquæ transit in cristallinam soliditatem, & de molli testacea fragilitate proficit in gloriam impassibilitatis.

E Psal. 50. Vnde *aruit tanquam testa, virtus mea.* Ecce, in sex *tri-* Psal. 21. *bulationibus liberabit te Dominus:* In septima quid? *non* Iob. 5. 19. *tanget te malum:* Quare? quia *iustorum animæ in manu* Sap. 3. 1. *Dei sunt & non tanget illos tormentum mortis, illi autem sunt in pace.* Bene erit in extremis terræ, animæ quæ sic à primo die vsque ad septimum non comederit de fermentato.

Postquam autem fermentum malitiæ & nequitiæ, à domo conscientiæ depulsum fuerit: nonitas spiritus, tanquam azyma, in ordine liberationis nostræ succedit. Vt enim parum est, exite de Ægypto, nisi terram Promissionis intraueris, similiter, non sufficit declinare à malo, nisi bonum feceris. Omne autem bonum imperfectum est nisi sit consummatum: Vt verò habeat consummationẽ duret vsque in finẽ: *qui enim perseuerauerit,* Math. 10. 22. ait Dominus, *vsque in finem, hic saluus erit.* Septem itaque diebus, azyma comedenda: id est, omni tempore, spiritus, anima & corpus seruari debet sine querela.

F Psal. 6. 21. *Moraliter.* Qui sæculari habitu & conuersatione, tanquam Ægypto relicta, ductu & auctoritate diuinæ Legis diuinique amoris, quasi *in manu Moysi & Aaron*, in solitudinem Religionis ingreditur: fermentatam timeat habere conscientiam; quia periculose, de fermento sæ- *Religionem professus periculose gustat sæculi fermentum. Voti prævaricatio est mortis attrectatio.* culi, à Professo Religionem gustatur. Non est autem interdictus panis fermentatus, habitantibus in Ægypto, tam irreuocabili auctoritate vel austeritate, quia nimirum non constringebantur ore proprio, huius mandati religione. Est autem Voti præuaricatio, mortis attrectatio. Qui citra votum delinquit, est quasi equi pullus, qui sine fræno in præcipitium currit: qui autem contra votum facit, quasi qui corruens in frenum impingit. Planum est itaque lapsum sine impedimento obligationis, demùm facilius posse resurgere quàm illum qui vtroque indiget, & casus, scilicet; & impedimenti subleuatione. Non tamen Ægyptus idcirco fœlicior vel securior quia impurior: hoc enim esset mala facere, vt euenirent bona; si ob hoc religio non susciperetur, ne postea grauius ex G transgressione arrepti propositi condemnaretur: iam enim is pro malo infidelitatis ponitur, cuius animus tali timiditate à bono reprimitur Talis est, huiusmodi formidine detentus, qualis, qui de Israëlitis consideratione Maris rubri, vel acerbitatis deserti, Moysen non esset secutus.

Veniamus igitur ad Desertum religionis, & comedamus Azyma renouationis. In Ægypto, nec nominatur Tim. 1. 15. Azyma: totum fermentatur, totum corrumpitur. Melior dicitur, qui corruptior. *Coinquinatis & Infidelibus* nihil mundum, vt ait Apostolus, sed polluta sunt eorum mens & conscientia. Etiam quiescens Ægyptus ab operatione exteriori, iuxta quod dicit Salomon: *manus in* Prou. 11. 21. *manu, non erit innocens malus.* Dum non animaduertit, fermentatur. Sicut pasta, non solum cum ei admiscetur fermentum, fermentatur: sed multò magis; cùm à commixtione cessat qui commiscuit, & ipsa pasta bene cooperta quasi quiescens obdormit. Sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquanto tempore, forte, H quia deest occasio, à malo opere cessare, eo tamen quasi acrius sæuit in corde, quò non transit in opere. Vnde Osee 7. Oseas: *paululum ciuitas cessit à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum:* quasi diceret, vt studiosiùs cogitatum perpetret malum: callidius pro tempore, retrahit manum. Consortum enim stuparum superiectione incendium, non dormit sed serpit, non extinguitur, sed reficitur, sic voluntas mala, velut flamma latens vorat tandem suppositas necessitates, & rejicit, velut torrens, dilationum obices. Perfunctorium est quod timore simulatur, friuolum quod voluntariè non agitur. Vt ergo septem diebus azyma comedamus, voluntariè Deo sacrificemus. & ex animo, *in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ, illi seruiamus.* Hæc sufficiant Luc. 1. 75. de pane azymo.

A

CAPVT V.

De pane Paruulorum.

Thre. 4. 4. DE pane Paruulorum sic loquitur Hieremias : *Paruuli*, inquit, *petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Panem frangit, qui Legem exponit : fragmenta recolligit, qui in memoria sensus Scripturarum fideliter reponit. Est autem Doctorum, panem frangere, est nihilominus Paruulorum, fragmenta edere. Si non fregerit Doctor, negligentiæ arguitur. Paruulus, si neglexerit suscipere, fame periclitatur. Cibum tamen solidiorem non vsurpet, qui lactis est particeps, quia aut gingiuæ dentibus nondum armatæ læduntur, aut angustum œsophagi siue gutturis foramen forte obturabitur : Quorum alterum, malum, alterum, pessimum. In altero enim læsio, in altero præsumptio hominis : Vnde Apostolus *non*, inquit, *superbè sapere, sed sapere ad sobrietatem.* (B; Rom. 12.3.) Periculosior est superfluitas, quàm parcitas, nimietas, quàm raritas : & quandoque grauius ægrotatur ex superabundantia, quam ex inopia : faciliúsque, vacua corpora replentur quàm exinaniuntur. Neutrum tamen bonum : neque nimis repletio, neque immoderata exinanitio. Quod autem temperatum est : id sanum id sine dubio laudabile est. Ideo ait : *non superbè sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Ne in immensum fortè præsumendo glorieris, attende quia homo : ne desperando, in profundum demergaris, attende quia es Dei imago. Supra se extolli, præsumptuosum: infra se deiici, meticulosum. In misericordiæ lucem nimium prorumpens, reuerberatur, in vmbrarum crassam spissitudinem proruens, æquè excæcatur. Velat Seraphim caput suum, non reueles, velatos quoque habet pedes : certè, velum hoc euellere, si temeraria videris, non audes.

C; Cant. 5. 12.13. Satis & multum ad te : immò & supra te, videre quæ in prospectu sunt & non velantur vt illa quæ in Canticis, de Sponso amicis Sponsi, à Sponsa demonstrantur. *Oculi*, inquit, *eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ & resident iuxta fluenta plenissima : Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis : Labia eius distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis : Venter eius eburneus, distinctus saphiris : Crura illius, columnæ quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Quid plura? *Species eius vt Libani, electus vt Cedri : Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Si mater es & visceribus tuis lactando filium nutris, farinam hanc de IESV commisce, & potentiam vel pultes exhibe: Si pater, per membra diuide, & conuiuatoribus tuis optimas partes propone. Sed quia paruulorum curam & dispensationem præ manibus habemus : iuuante gratia, tanquam matre Rebeccæ epulas vteri nostri paruulis præparemus. In contemplatione oculorum Sponsi, apprehendimus simplicitatem & innocentiam : In genis D quæ sunt *areolæ aromatum compositæ à pigmentariis*: pietatē & modestiam, quas in narratione miraculorum & operum eius, fideli executione, vel ad instructionem, vel ad delectationem intuentium, Apostoli quasi pigmentarij consueuerunt. In labiis distillantibus myrrham primam, mortificationem & abstinentiam. In manibus quæ sunt *tornatiles aureæ plenæ Hyacinthis*, operationem optimā perfectam, & remuneratione cœlesti plenissimam. In ventre eburneo distincto saphiris naturam nostram fragilem quidem sed castam : & modo diuina, modo humana operantem. In cruribus fundatis super bases argenteas : rectitudinem & firmitatem à diuina prædestinatione præscitam, & à Sanctis Prophetis prædicatam. In specie quæ est vt Libani siue Cedri, sublimitatem in Resurrectione à Deo Patre adeptam. In gutture suauissimo, internum saporem & verborum dulcedinem. In eo quod totus est desiderabilis, diuinitatem & humanitatem; vbique & semper desiderabilem.

E Ecce de incomprehensibili maiestate, tenuem & leuem sorbilemque cibum paruulis nostris apposuimus: latiora verò & ampliora gestantes intellectus palata ad vberiores reuiseremus mensas. Qui enim tanquam Cerui super montes aromatum discurrunt; saltu diffusiori delectantur, & gustu propensiori reficiuntur : Qui autem tanquam bestiola de antro suo nondum egreditur, necesse est vt de adquisitis paterni vel materni circuitus, in ipsis suis cubilibus pascatur. Qui, inquam, sicut hinnuli capreæ saliunt super montes, transiliunt colles : hi profectò medullam terræ comedunt, & adipe frumenti se se reficiunt : qui autem in conuallibus siue in foraminibus petræ & cauernis maceriæ, nidum sibi construit vbi ponat pullos suos, vel potiùs vbi plumescant pulli : grana elementorum sermonis Dei eis sufficiunt. Quid denique illi quorum conuersatio in cælis, quorum sensus penetrans abyssum diuinitatis? Sine dubio, iuxta Psalmistæ vocem, volabunt; volabunt vsque ad nubes & supra cælos, *& non deficient.* F Proculdubio tanquam aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, veniunt ad Libanum Doctores sancti, & deferunt medullam Cedri; *summitatem* quoque *frondium* euellunt, & transportant *in terram Canaan, in vrbe Negotiatorum* ponunt illam. Ezech. 17.14.

Contemplator Legis diuinæ, aquilæ non immeritò comparatur, quæ acie irreuerberata Solem in nubibus intuetur. Sic namque perscrutator Scripturarum, intuitum suum radiis solaribus iniicit, cùm viuaciter, sensibus diuinis, ingenij oculos defigit. Aquila ista, magnarum alarum est; qui sensuum valde exercitatorum subtilitate, inuehuntur in profunda mysteriorum Dei, & virtutum consummatarum prouectione, in delibatione remunerationum Christi. Longo etiam membrorum ductu sunt, quia proposita studia, nullis obstaculis aduersitatum deserunt. Plenitudo plumarum & varietas diuersarum artium intelligitur plena scientia, vel multiplicitate bonorum operum referta conscientia. Ad Libanum veniunt, quando alicuius sensus vel virtutis altitudinem contingunt. Cedri medullam sumunt; G quando penetrati sensus dulcedinem, vel possessæ virtutis delectationem hauriunt. Summitatem frondium euellunt quando aliquid de his quæ incerta & occulta fuerunt exponendo innotescant. In terram Chanaam transportant, quando terrenis operibus derelictis cœlestem beatitudinem prædicant. In vrbe Negotiatorum ponunt illam : quando his loquuntur qui non in vacuum gratiam Dei accipiunt, sed lucra multiplicata de talentis diuinis referunt.

His tandem per excessum prælibatis, ad paruulos nostros, qui cum asino Abrahæ ad radices montis expectantes reuertamur, & mamillam nutrimenti sui rursum eis offeramus. Lacta Moyses paruulum nostrum; bona enim & plena habes vbera. Loquere tu ei, non loquatur ei Dominus, ne fortè maiestatis eius formidine moriatur. Quamobrem, ait Dominus ad Moysen : *constitues terminos per circuitum populo, & dices, cauete ne ascendatis in montem, ne tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur, manus non tanget eum, sed lapidibus obruetur, aut confodietur iaculis, siue homo fuerit, siue iumentum morietur.* Exod. 19.12. H Non nobis inuidit visionem mysteriorum suorum benignus Dominus, qui ad hoc venit vt videatur, ideo loquitur, vt audiatur, ideo mandat, vt in mandatis eius viuatur. Monet autem vbi interim infirmis, sine periculo standum, vbi donum supernum expectandum, donec absorbeatur mortale hoc s vita, vel dies illucescat & Lucifer oriatur in cordibus nostris : per circuitum videlicet montis. Ibi figamus terminos, vt in castris humilitatis & charitatis stabiliamus sensus nostros. Montem quoque non ascendamus, id est, de bonis nostris non superbiamus. Moritur enim qui montem tetigerit; ad exemplum illius qui in monte, Testamenti in lateribus Aquilonis præuolare vsurpauit. Manus non tangit eum, sed lapidibus opprimitur, vel iaculis confoditur, quia potiùs pondere iniquitatis suæ, vel acumine excogitatæ nequitiæ, quàm percussione

A diuinæ vltionis ruit; manu Dei, magis ad parcendum, si fieri posset, promptâ, quàm ad puniendû. *Siue homo fuerit siue iumentum*, id est, siue suo arbitrio, siue alterius consilio præuaricatus fuerit, morietur. Homo namque suo regitur moderamine, iumentum indigent hominis refrænatione & gubernatione. Idcircò, per hominem quilibet discretus & sapiens: per iumentum, stultus & rationem non capiens.

Cohibeat igitur se prudans: ne à lapide super se veniente conteretur: refræoetur fatuus, ne ad lapidem scandali offendens, allidatur. Volebat namque aliquando, sub hac Angelus filium Moysi occidere, quia in præputio superbiæ non circuncidebatur. Tulit illico Sephora lapidem, & circuncidit carnem præputij eius, & tetigit sanguine pedes eius, & dimisit eum Angelus postquam dixit, sponsus sanguineus tu mihi es. Omnis proinde superflua caro à filio Moysi, est amputanda, & quicumque se regulæ vel Legi alicuius Professionis subiicit, à præuaricatione eiusdem legis nisi se obseruauerit, B Angelum contra se gladium euaginatum vibrantem prospiciet. Quod si conscientia, mater videlicet pueri, illicitos motus coërcuerit, & sanguinem dolons per pœnitentiam expresserit, iram Angeli Domini mitigabit. Habet siquidem conscientia Religiosi, sponsum sanguinis, quia agnum occisum recolit assiduè in desponsatione suæ Professionis. Hæc conscientia, puerum lacte (imò purum affectum cordis sui) in præsenti enutriat; nam in futuro erit tempus ablactationis, cùm euacuabuntur elementa infantiæ, vel educationis.

Assuescat igitur interim paruulus, matris collo pendere brachiolis; vultum pendulum & pauidum, ab omni occursu malo retorquere in faciem parentis, omnes præter alumnos tanquam inimicos fugere; aduersus omne infortunium, ad vbera reuolare, & in gremio matris assidoè cubitare. Talem suscipit, talem custodit Dominus: talium denique est regnum cœlorum. Qui-
Matth. 11. 11. cunque talis est, *maior est in regno cœlorum*. Qui enim se gratiæ supernæ totum committit, in collo matris
C brachia suspendit: qui præ oculis nil ponit nisi Christum, meritò non timet laqueos ad mortem venantium; qui solum nouit Christum, hic quasi iam ebsor-
1.Cor. 2. 2. ptus in Deum nihil iudicat se *scire nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum*. Qui infixus est sicut vectes in Arca, continuis meditationibus sanctarum Scripturarum; solamen tutum habet aduersus omnes infestationes Dæmonum. Qui sinum frequentat charitatis, oscula iugiter meretur internæ consolationis.

CAPVT VI.

De pane perfectorum siue prouectorum.

SIcut ætates; sic differunt ætatum refectiones. Pauciora siquidem, simpliciora & liquidiora, ætatem reficiunt paruulem, plura verò, eaque sacratiora & solidiora appetit stomachus perfectorum. Profundiori namque sensu Legis, anima sancta & virtutum exercitatio-
D ne robusta, delectatur: pianson verò, recens adhuc regeneratione fidei & exordiis sermonum Dei reficitur.
Num. 18.12. Vnde Dominus ad Aaron; *omnem*, inquit, *medullam olei, vini & frumenti, & quicquid offerunt filij primitiarum Domino, tibi dedi*. Cibus delicatissimus & ditissimus & ditissima refectio, medulla olei, vini & frumen-
Hebr. 5. 4. ti. Quà, non quilibet de populari sorte & conuersatione, sed *vocatus à Deo tanquam Aaron*, sed vnctus inter fratres suos, sed qui incensum offert ad altare thymiamatis in odorem suauissimum Domino: is medullam olei, vini & frumenti suscipit. Quis etenim alius Paulus imitator Christi, holocausta medullata offert? quis jus carnium super petram cum manu sic infundit? qui ex toto corde, ex tota anima & ex totis visceribus Deum sic diligit? Per ignem & aquam ad Deum, huiusmodi spiritus transii, in mortem quoque & in carcerem cum Deo currit. Apostoli cum Domino per sata transeuntes, aliquando in signationem sui cordis & huius rei, spicas vellebant, fricabant & comedebant. Spicas namque vellere, est à terrenis studiis propositum suum vel alterius animum reuocare. Fricare verò euulsam spicam, ille non desistit, qui se in amorem Dei exercens, tunicam pristini erroris exuit. Deinde grana comedit: qui puritate corporis & munditiâ animæ castum se custodit.

Qui ergo non tanquam asinus in stercore suo piger, fœnum luxuriæ comedit, non velut iumentum luxurians, herbâ vanitatis reficitur, sed cum Pontifice Aaron, panem ex adipe frumenti, sed cum IESV in cruce passo corio detracto & testâ confractâ, nucleum nucis, medullam olei vini & frumenti, in sortem is accepit. O medulla, medullam creans, æterna, interna suffundens, infusa omnia impinguantem animam! Sed quid est medulla olei? virtus Spiritus sancti: quid vero medulla vini? gratia filij Dei, quid denique medulla frumenti? bonitas Patris. O virtus! ô gratia! ô bonitas! vbi habitas? quod est habitaculum spiritus? quæ sedes gratiæ? quæ bonitatis mansio? Primò sine dubio, principaliter & originaliter resides in remotissima regione Trinitatis: secundò, dignanter & immutabiliter & in spiritibus Angelicis: tertiò, temporaliter adhuc & mutabiliter in animabus sanctis. In prima statione regnas, sed sine propria elatione vel alterius oppressione: In secunda Angelos adiuuas, sed sine omni labore: In tertia in homine pugnas, sed sola hominis miseratione. Adoraris in prima, glorificaris in secunda; colens in tertia. Primæ visionem non habitationem expectamus: secundæ & visionem & susceptionem imploramus: tertiæ possessionem nunc in spe, tunc in re efflagitamus. Impinguamur in recordatione huius olei, inebriamur in epotatione vini, satiamur in refectione frumenti. Inchoat nos oleum; prouehit vinum: consummat frumentum.

Hi profectus sunt charitatis: hi gradus sunt perfectionis. Non enim quandocumque aliquid perfectum dicitur, statim, vel summe dicitur perfectum. Nam alio modo, homo: alio, Angelus: alio, perfectus dicitur Deus. Perfectus enim aliquando dicitur homo, sed tamen adhuc perficiendus: perfectus quoque Angelus, non quidem perficiendus, sed tamen factus perfectus: perfectus autem dicitur Deus neque perficiendus, neque perfectus factus, sed semper existendo perfectus. Deus igitur, de medulla suæ perfectionis, tam Angelicæ quam humanæ replet viscera imperfectionis: Et Angelum quidem sic simul replet, vt vlterius alia repletione non indigeat: Hominem verò sic iugiter replet: vt, nisi quotidie repleat, inanis fiat. Infusa namque à Deo in homine gratiæ medulla, ex decursu mortalitatis, fluit per rimas peccati. Angelica vero natura, in crystallina stabilitate solidata, iam inamissibiliter possidet quicquid gratiæ tenet. Ipse verò, sic toto æternaliter totus est plenus & perfectus Deus, nunquam factus vel futurus melior vel perfectior. Noli credere pauperiorem futurum Deum si abscesseris, neque ditiorem si accesseris. Tibi prodest accessus, tibi obest recessus: nihil paras præstantissimo, nihil donas ditissimo. Suum recipit si te vel à te aliquid accipit: suum nihilominus non amittit, sed aliter disponit, si te subtraxeris. Sine Deo, Angelus Dæmon efficitur, sine Deo, homo ad nihilum redigitur. Cum Deo, Angelus iam æternaliter beatificatur, cum Deo, homo in præsenti, iustificatur & in futuro glorificatur. In Deum Angelus rapitur, præsens per visionem, homo absens per contemplationem.

Adhæret Deo Angelus, sine intermissione, homo suspirat sine intermissione. Stat ille, ille fluctuat: Iubilat ille, eiulat iste: Ille cantat, iste plorat: Ille deliciis, iste miseriis effluit. Vterque tamen ad conuiuium vocatur, sed dissimiliter. Ille enim de prope, iste de longè: vterque stole induitur, sed illi iam de collo pendet, iste adhuc de futurorum expectatione trepidat.

A Vterque absorbetur à gloria : ille quidem à claritate creationis, in claritatem confirmationis; iste verò, à remissione peccatorum in verã iustificationem, Sanctorum. Vno pane vterque : sed ille, integro in diuinitate, iste, in frusta Sacramentorum diuiso, in humanitate. Nam ille incorporaliter percipit impassibilem diuinitatem, iste Sacramentaliter, impassibilem humanitatem, secundùm regnorum diuersitatem regnantis & exulantis satietatem sui desiderij suscipit. Cùm enim incarnationem fideliter recolis; bonum panis frustum ori tuo apponis : cùm passionem : similiter facis, cùm vero resurrectionem vel Ascensionem tibi proponis : quasi offas medullatas seu mellitas comedis : Vnde Sponsa horum mysteriorum dapibus bene pasta, eructans & exultans in laudibus dicit : *comedi fauum cùm melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo* : in lacte Incarnatio, in vino, Passio : in fauo Resurrectio, in melle, Ascensionis intelligitur dulcedo. Nostræ sunt partes istæ, in te, & de te IESV, qui enim totum te simul capere nequimus : de indiuisibili, diuisum, partes gratiæ accipimus : si tamen partes dicere quis audeat, ipsa tuæ dispensationis Sacramenta? Aliter enim, etsi deceret nos Deum apprehendere : sed Deum aliter non decuit nostram infantiam docere. Maluit sibi non parcere, cùm te, ô homo, de se voluit pascere : Magnus ille, excelsus super omnia Deus ille! tu verò : quid? Vermiculus: vix te de terra erigens : *terra sine aqua*, tantùm puluerem faciens.

Cant. 5. 1.

B

Psal. 142. 6.

In recessu manebat ille suæ diuinitatis : in recessum tu confugeras iniquitatis, descendit tamen excelsus, venit reindutus ad recessum tuum, subintrauit tuguriolum tuum; & suppinsuit tibi humerum suum. Grauatus est, non pondere iniquitatis, sed obstinatione curati recusantis. Tamen; *sapientia vincit malitiam*, & patientia contumaciam. Defectio tua proinde refecta, cœpit proficere in perfectionem. Quousque autem languorem naturæ lapsu quotidiano exspirantem, & sententiã primæ maledictionis etiam gementes patimur : citra consummationis perfectionem vsquequaque detinemur : propriè namque & specialiter ibi non dicitur perfectio, vbi aliqua residet adhuc imperfectio. Virtus quoque non perficitur, dum vitiorum reliquiæ superstites inueniuntur. Quis autem, manente humanæ vitæ corruptela, se castum habere cor gloriabitur? Propheta? Sed asserit, *se de immundo conceptum semine*? sed confitetur, *in iniquitatibus*, à matre conceptum se esse: Apostolus? sed dixit, se *in multis* offendere; Patriarcha, vel quælibet de genere humano, anima? sed *conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur*; præterea, fistula illa Spiritus sancti, omni genere virtutum redimita, & iam penè suprà hominem, iuxta Angelum merito & virtute collocata, ab imperfectione sua exclamat, *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. vnum autem, quæ retro oblitus, ad ea quæ ante sunt me extendo*, sequor autem ad palmam, supernæ vocationis.

Sap. 7. 30.

C

Iob. 14. 4.

Rom. 11. 32.

Philip. 3. 13.

Vbi nunc es, ô præsumptio spiritus, ô inflatio vesicæ erronei cordis : *quid superbis terra & cinis*? Paulus, in cuius gremio conglomeratur omnium redundantia virtutum, velut aqua in mare, dicit, non est meum perfectio bonorum, & tu, vitiorum puteus scaturiens, audes gannire, sine peccato sum : *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde, arrogantia eius plusquam fortitudo eius*. Solus enim & singulariter *inter mortuos liber*, qui naturam non culpam suscepit, conceptus de Spiritu sancto & Maria virgine IESVS-CHRISTVS, omnem adimpleuit iustitiam. Denique, in pectore & in anima sua, Rex ipse virtutum, omnium gratiarum conuocauit, curiam, & singulariter à singulis & communiter ab omnibus honoratus, vnam omnium ad patrem retulit palmam. Hic igitur qui non solùm de plenitudine sua, verumetiam ex inanitione repleuit dolia nostra, perfectus semper Deus, perfectus etiam homo, Deus à conceptione fuit. Ad pedes humanitatis eius, viginti quatuor Seniores indesinenter procidunt & *coronas suas* mittunt : quia omne meritum vel præmium ab eo se habere humiliter omnes Sancti recognoscunt. Vis habere iustitiam? vis habere sapientiam? vis habere gratiam? IESVS est iustitia, IESVS est sapientia: IESVS est gratia. De Christo namque agens Apostolus inquit : *qui factus est nobis à Deo sapientia & iustitia & sanctificatio & redemptio*. Ecce panis iste, & vnus est & quatuor habet (vt sic dicam) quarteria. Vnus enim idemque Christus, est sapientia, vnus idemque, est iustitia, vnus idemque, est sanctificatio, vnus idemque est redemptio. Vnde quia sapientia est, illuminat tenebrosa stultorum corda luce veræ sapientiæ : quia iustitia, iustificat depressa ponderibus peccati & malitiæ : quia sanctificatio sanctificat fluxa & euagantia per decliuia vanæ gloriæ : quia Redemptio, redemit sublata vel asportata, ad loca virtutis & contumeliæ. *Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex istis, non enim confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.*

Eccli. 10. 9.

D

Isai. 16. 6.

Apoc. 4. 10.

B.

1. Cor. 13. 30.

Psal. 126. 5.

SERMO VII.

De Panibus Primitiarum.

F

DE panibus Primitiarum tractaturus, priùs inuoco primitias spiritus, nam sine Dei spiritu, vbique & in omnibus deficit spiritus meus. In spiritu itaque principali, non pro merito, sed gratuito dono, quamlibet parum illuminatus, dicam & de hoc quod de sacrario Scripturarum fuero edoctus. Vniuersitatis igitur creaturæ substantia, vnum habet à quo sit, principium Deum, neque enim à se est, quicquid est : bonum denique est, quicquid est. Nam id tantùm à se est, quod summè est, id est, Creator. Id verò à se non est, quod non nisi ab eo qui summè est, esse potest. Nam malum non est : quia neque seipsum creans, neque creatum à Deo est : nihil autem est, nisi quod Creator vel Creatura est : ideo malum non, quia neque Creator, neque Creatura est. Quamobrem idcirco ad vnum referendum est, sine principio principium, quidquid habet temporale principium, vt finem quoque habeat congruum. Tunc enim bonus consequitur finis cuiuslibet actionis, cùm à creante Principio non declinaret Creaturæ principium. Equidem innumerabilia sunt opera hominum & tamen vnum atque æternum habent si bona fuerint, bonum principium. Nam nisi deriuatum fuerit quodcunque principium singulare voluntatis alicuius, à diuinæ voluntatis principio, malum semper erit & desinet in finem pessimum. Recurrendum itaque semper & de omnibus in principio ad principium : hoc autem Principium, *In principio erat apud Deum*, & erat Principij Verbum, & omnis verbi principium.

Malum non existit.

G

Ioan. 1.

Mutuemur igitur verbum à Verbo, sed transitorium ab æterno : principium à Principio, sed creatum ab increato. Forte. Legislator hoc monet cum dicit vt *postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa aurea & argentea*. Quis enim amicus tam diues vt Deus in auro bonorum sensuum, tam locuples in argento examinatorum sermonum, tam affluens in vasis gratiarum cœlestium? Nimirum is nostræ paupertati amicum se exhibuit, cùm *propter nimium charitatem suam quâ dilexit nos, Filium vnigenitum* incarnati constituit. Et ne causaretis, hunc amicum remotissimum vtique in diuinitate sua mentem Deum; habes iuxta te diuinam sapientiam incarnatam, vasis aureis & argenteis non modicè locupletissimã. Nam & de cœlis attulit, & de terris nihilominus tulit vasa mundissima & pretiosissima, in quibus cibum paternæ voluntatis cœnaret & potaret. Angeli proculdubio ministrantes, Apostoli obsequentes Verbo incarnato, Sapientiæ in carne absconditæ, quid aliud sunt quàm amici vicinæ nostræ vasa aurea & argentea? Et fortè hanc Dominicæ dispensationis incarnationem, per Spiritum sanctum in vtero Virginis adimpletam, obumbrabat Legislator cum diceret, *panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ* coquendos *in primitias Domini*. Qui enim sunt panes primitiarum

Exod. 3. 22.

H

Ephes. 2. 4.

Leuit. 23. 17.

duo,

A dun, de duabus decimis similæ fermentatæ; nisi duæ puræ & perfectæ naturæ, in vna persona Christi IESV inseparabiliter coniunctæ? Fermentum enim, hic, non coagulum corruptionis, sed operationem significat inseparabilis vnitionis. Hi coquuntur *in primitias Domini*; quia Dei & hominis eadem persona in vtraque naturarum suarum completarum, primogenitus siue primitiæ dormientium, ab Ecclesia Catholica appellatur & creditur.

In natura quidem diuinitatis, ante omnia natus est de Patre: In natura vero humanitatis, in fine sæculorum editus ex Virgine. In eiusdem certè Virginis clibano cocti sunt panes isti, quia Verbum & caro sic fuerunt ad inuicem coniuncta in vtero virginali, in vna eademque vnitate personæ, vt vltra non diceretur separatim homo vel Deus, sed diceretur vna persona inseparabiliter homo Deus. Et duo quidem sunt panes, secundùm Muysem, propter inconuertibilitatem Naturarum, nam sine confusione manserunt: & aliud habet

B principium de Principio, sine tamen principio, natura diuinitatis vtique, Patrem: & aliud, principium scilicet cum principio existendi natura humanitatis, vtique Virginem. Nihilominus vnus panis est, propter vnam eandemque personam; iuxta Apostolum qui ait:

1. Cor. 10. 17. *Vnus panis, vnum corpus multi sumus in Christo.* Sed quare Moyses duos, Paulus vnum vocat panem Christum? Salua fide & auctoritate maiorum, potest dici (vt mihi videtur) quia in tempore Moysi, reipsa nondum facta fuerat incarnatio Christi; & idcirco, quasi duo panes erant illæ Naturæ: quarum vna, in maiestate sua & Patris existens: altera nondum in propria essentia apparens prædestinatione quidem sola coniungebatur, nondum autem assumptione vel vnione. Tempore verò Pauli: id est, gratiæ (nam post Ascensionem Domini vocatus est) assumptione hominis à Verbo, iam celebrata, vna eademque persona Christi, ex duabus & in duabus Naturis (diuina scilicet & humana) subsistens, prædicatione Apostolica excellebat. Vnde,

C non immeritò Paulus ad personam attendens, vnum dicit: Moyses duas naturas intuens, duos panes nominauit: ille Personam non diuidens, iste Naturas non confundens.

Attendendum quoque & diligenter differendum, quod præmittit Legislator, dicens:

Leuit. 23. 10. *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis & messueritis segetem: feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem: qui leuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabilis sit pro vobis altero die Sabbati.* Planum est quod dicitur, ad literam: Allegoricè verò, terram ingredimur quam daturus est nobis, cùm (per fidem) Ecclesiam intramus: cui communicare, non nisi vocatione cœlesti meremur? vel cuius possessionem habebimus in alia vita longè digniùs quam nunc; quia ipsam rem tunc facie ad faciem obtinemus, cuius nunc

1. Cor. 13. *per speculum & in ænigmate* velata facie post terga caligamus. Segetem metimus, cùm remunerationem bonorum recipimus. Manipulos spicarum ad Sacerdo-

D tem deferimus, cùm virtutum collectionem in bona operatione, ei qui apud Patrem pro nobis interpellat resignamus: qui leuat fasciculum coram Domino vt acceptabilis sit pro nobis, altero die Sabbati, quia, vt Pater nobis prospiciat: & in altero die Sabbati, id est, in resurrectione communi, placabilis veniat, fasciculum meritorum nostrorum, cum sua interpellatione, in oculis paternis eleuat.

Moraliter autem terram ingredimur, cùm recessus conscientiæ perscrutamur. Segetem recolligimus, cùm antecactæ vitæ opera, in examinationis iudicio pensamus. Manipulos spicarum ad Sacerdotem deferimus, cùm plena & euidenti Confessione grana simul cum aristis & stipula, Prælatis nostris humiliter pandimus: in granis autem, etiam bona cogitationum vel operum designantur. Sacerdos autem hunc fasciculum coram Domino eleuat: cùm, peccatorum nostrorum grauedinem in confessione expositam efficaciter in memoria & depre-

E catione sua retinet, Deum super hoc rogans Prælatus noster cui animam commisimus, cui omnia grauamina reserauimus, & propitiationem Dei obtinet. Quod si præsens non sufficit Confessio vel pœnitentia, propter repentinum mortis articulum, vt statim penitus deleantur perpetrata scelera, saltem *in altero die Sabbati*: fiat nobis Deus noster propitiabilis. *In altero*, inquit, *die Sabbati*. Duo ergo Sabbata sunt vnum & alterum. Reuera iam quiescere à malo, mentis Sabbatum vnum est & primum, quod proculdubio in præsenti necessariò est habendum. Nam in futuro, ex tali merito erit requies in bono, quod est Sabbatum ex Sabbato. Inuenies, inquam, tunc non solum Sabbatum, quia requiem sine inquietatione omnium molestiarum, sed Sabbatismum.

Pecca quæd. penitus deleri in Purgatorio. Leuit. 23. 11. *Duo Anim Sabb. Sabba. animæ triplex.* Exod. 20.

Breuiter igitur percurrendum, & de primo, secundo, tertioque Sabbato aliquid (iuuante Deo) est dicendum. In hoc corpore, cum cessatur à malo, iam quædam futuri Sabbati est prælibatio. Relicto corpore, anima cum exit de vita iam gratulatur de requie secunda. Ad extre-

F mum in aduentu Iudicis, Sabbatismus celebratur, in renouatione animæ & corporis: præcedunt autem sex dies afflictionis, antequam veniat septimus dies pausationis. *Sex enim diebus* (ait Moyses *facietis opus*) dies septimus, quia Sabbati requies est vocabitur sanctus:

Leuit. 23. 3. *Omne opus non facietis in eo: Sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris.* Prima dies est conuersionis, secunda confessionis, tertia professionis, quarta mortificationis, quinta deuotionis, sexta orationis, septima vocationis, siue contemplationis. Nam contemplationis messem nequaquam colligimus, nisi fruges iustitiæ priùs seminauerimus, nec in septima requiescit, qui in præcedenti senario non laborauit. Insistendum igitur Virtutibus, & de confusione tenebrarum originalium, ad illuminationem seu ordinationem nouarum creationum progrediendum, si Sabbato continuare volumus Sabbatum. Aduersus ergo, in prima die conuertatur; diffitens, in secunda confiteatur; offendens, in

G tertia profiteatur viuens peccatum in corpore nostro; in quarta, mortificetur ingratus; in quinta, deuotus efficiatur, cor durum peccans; in sexta, in orationem effundatur à cura sæculari conscientia nostra; in septima, consopiatur.

Imitare primo Paolum in conuersione; secundo, Latronem in confessione; tertio, Stephanum in professione; quarto, Ioannem Baptistam in mortificatione, quinto, Mariam Magdalenam in lacrymarum effusione; sexto, Apostolos sanctos in oratione, septimo, Christum in contemplatione. In conuersione humilitatem; in confessione veritatem; constantiam in professione; patientiam in mortificatione; peccatorum recordationem & futuri Iudicij districtionem in deuotione corporum, conscientiam bonam & fidem non fictam in Oratione; omnium visibilium obliuionem habeas in contemplatione. Si iustitia præeunte & gressus tuos regente, anima tua dies vitæ taliter ordinauerit; vlterius laborare non conuenit. Nam, *nunquid*

Isa. 28. 24. H *tota die arans arabit, proscindet & feret humum suam? nonne cum adæquauerit faciem terræ, feret Gith, & cyminum sparget?* Cum enim satis elaboratum fuerit in euulsione spinarum, in concisione terrarum, in concussione rupium, in adæquatione montium & vallium: tunc, Gith, vacando, est serendum: tunc, Cyminum subtiliter contemplando spargendum. Et fortè, in contemplatione quidam labor est, sed melior requie, sed otio suauior, sed somno dulcior, sed cunctis voluptatibus delectabilior. Labor, inquam, sed sine sudore; opus, sed sine vexatione; occupatio, sed sine distensione; studium, sed sine afflictione; profectio, sed sine motione; eleuatio, sed sine ambitione; quies, sed sine rubigine.

Contemplatio labor dignus.

Imitatrix operum Domini & Dei sui anima; æmulatrix quoque sapientiæ Altissimi, in tanta varietate Virtutum effecta; cum operante, operatur, & cum quiescente quiescit, habens in se Deum operantem; habens

A quiescentem, & ipsa operans & in operante, & quiescens in quiescente, & operans in quiescente & quiescens in opererante. Non enim non quiescit Deus cùm operatur: operatur namque quiescens, ne otiosus dicatur: quiescit operando, ne labore fessus æstimetur. Tu, cùm laboras, non quiescis: & cùm quiescis non laboras, quia in tempore mutaris, & in te mutantur tempora; non sic autem Omnipotens, non sic æternus, quia omnia immutabilis mutat, & omnia simul (solâ voluntatis potentiâ) creat. Cum enim laborare dicitur Deus: secundùm me non secundùm se, aliquid de eo dicitur. Similiter, cùm septimo die dicatur requieuisse, ipse verò quotidie omnes nos & omnia nostra nobis operetur, & qui aliquid facit quiescere nunquam, propriè dicatur: secundùm vsum nostræ requiei requieuisse propriè non dicitur. Est autem supra omnem sensum illa Creatoris vel creatrix operatio, siue illa requies: nam operatio illa, in tranquillitate omnem quietem excedit, & quies illa in effectu, operosior omni operatione lucescit. Effigiatur igitur, quamuis remotissimis lineamentis, actio siue quies nostræ contemplationis, hoc exemplari, & ad æmulationem, quamuis tardissimis gressibus nitescatur, vt agendo quiescat & quiescendo agat. Non autem fiunt ista in vmbra vel in nocte, sed in die, sed in luce, sed in Sole iustitiæ: nam in nocte vitiorum stertens, lucem contemplationis ignorat.

Deus, quomodo dicatur quiescere vel operari.

B

Quare etenim dies iste Sanctus vocaretur; nisi in eo iustitiæ opus celebraretur? *Omne opus non facietis in eo!* Iterum iterumque monemur non facere opus Sabbato: sed opus videlicet seruile, sed opus damnabile, sed opus bestiale. Ab his enim solummodo in Sabbatu solemnizandum, à quibus fœdatur lætitia Solemnitatum. Luxuria namque, ebrietas, loquacitas, & similia flagitiosa opera, stercora sunt Solemnitatum. Sic Pharao, sic Herodes Sabbata sua, crudelitatis sanguine contaminauerunt. Omne opus tale dicit non faciendum in Sabbato, *quia Sabbatum est in cunctis habitationibus vestris.* Recedat oculus à spectaculis impudicis; lingua; à maledicis verbis; auris, ab auditu sanguinis; olfactus, à nidoribus peregrinis; manus, ab opere crudelitatis; pes, à consortio furis; anima, à cogitationibus peruersis: & sic celebrabitur Sabbatum Domini *in cunctis habitationibus vestris.* Transacto verò Sabbato præsentis iustificationis, transitur ad Sabbatum futuræ consolationis, sicut & Maria Magdalena, à Sabbato Passionis venit ad Sabbatum Resurrectionis. Nouerunt autem Beatorum animæ, Sabbatum suum, norunt proculdubio quid intersit inter accinctum spiritualium nequitiarum, & discinctum à molestiis carnis & infestationibus Dæmonum, sicut in libro Regum scriptum est, *non glorietur accinctus æquè vt discinctus.* Securè namque gaudet de munere, cui ipsum nihil posse perdere datum est, in perenni remuneratione: periculosè autem exultat de dono, cui maior accrescit sollicitudo cum dono. Collatio siquidem gratiarum, amplius te facit inuidiosum: nam de inopia tua, cuius accenditur inuidia? Cùm nulla te excolit virtutis gloria, aduersarij non est cur timeas iacula: Sed si locus honoris ambitiosiùs te extulerit, si vbique gentium, fama fulgens nomen tuum dilatauerit, tunc liuoris acies exacuitur, tunc blanda falsi amici facies in nigredinem ollæ combustæ conuertitur.

Vitia sunt stercora Solemnitatum.

C

Leuit. 23. 3.

3. Reg. 20, 11.

D

Miserum itaque est, secundùm opus mortalitatis & locum infœlicitatis, vel vt careas inuidia præ inopia virtutum, vel vt inuidiosus sis præ abundantia gratiarum. Vtroque pugione vel altero tantùm iusti reformidant perforari: quia, si sine virtutibus quidam fuerint, cruciantur à conscientia, si verò pleni virtutibus, excandescit in eis Dæmonum ira. Vnde persæpe, suum infestari vel ab hostibus derideri sentiunt Sabbatum. Vnde Propheta: *Viderunt eum hostes, & deriserunt Sabbata eius.* Qui verò ex his compedibus euolauerint, & laqueis venantium contritis, pericula subitanea euaserunt, iam sub altari positi triumphali voce intonant: *Gloria tibi Domine, quoniam eripuisti animas nostras de morte, & pedes nostros de lapsu, vt placeamus coram Domino in regione viuorum. Iam enim hyems abiit & recessit, flores apparuerunt, vox turturis audita est de terra nostra.* Sic inquam, isti de præteritis liberati: de præsentibus, beati, de futuris, ampliùs beatificandi, sine sollicitudine lætantur, sine fastidio epulantur, sine vitio iocundantur. Eò sapidiùs, quò auidiùs iam gustant, immo prægustant, gurgites beatitudinum, eò chariùs, quò clariùs splendores percipiunt Sanctorum, eò aptiùs, quò beatiùs in circumscriptis Trinitatis luminibus immaculati adsistunt. Qui nisi tales sabbatizant? qui nisi tales, præclaras solemnitates solemnizant? O Sabbatum, ex Sabbato! ô virtutum remuneratio! intret ad te anima mea; penetret te conscientia mea, Sabbatum enim hoc, reuera procedit ex Sabbato, cùm, quia cessauit anima in malo, fit ei bona retributio. Vnde Psalmista: *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem:* videlicet, de die meritorum, in diem remunerationum.

Nah. 1. 10.

Thren. 17.

Psal. 55. 14.

E

Cant. 2. 11.

Psal. 9.

F

Deest pro copia dicendorum de habitudine, secundi Sabbati, quia procul est à cognitionibus huius nostri sæculi: suspirare igitur, non explanare illam valemus. Iam itaque tandem & hinc, ad Sabbatismum pedem moueamus, & animum promoueamus: sola enim hæc promotio ambienda, quia melior, ab omni creatura, nulla est inuenienda: nam sæcularis promotio, potiùs à Deo est amotio vel abolitio. Non fit autem hæc prouectio, nisi in loco ad id sequestrato, & ab homine Deo electo, Moyses in deserto visionem hanc videre desiderat. Sicut præter solitum est, quod videt, sic supra solitum est quod audit. Ardet Rubus, sed non comburitur. Hoc videt & stupet, deinde audit. *Solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est, ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Hoc audit & faciem abscondit. O quanta dissimilitudo inter rubum & cœlum, inter flammam rubi, & gloriam cœli, inter loquentem de rubo, & regnantem in throno; inter solitudinem heremi & societatem Paradisi, inter Moysen peregrinum & hominem nouum in cœlis collocatum! Cuius ergo vmbram Moyses expauit, lucem ipsam quis attentabit? Calciatus tamen Moyses rubum videre potuit, sed non discalciatus. Diu vocem Dominicam audire nequiuit.

Promotio sæcularis, est amotio à Deo.

Exod. 31.

G

Citò itaque corrigia calciamenti dissoluenda, cùm tendimus ad superna. Nulla obliget peccati oblectatio, nulla constringat peccandi consuetudo, nulla impediat sæculi sollicitudo. His nempè animus irretitus, nec videre, nec audire poterit, quid sit Deus. Quare enim dicitur, *Deus Abraham?* quare, *Deus Isaac?* quare, *Deus Iacob?* Procul dubio, quia Patriarchæ isti fideles, quia obedientes, quia peregrinantes, obedientes in præcepto, creduli in promisso, alienati à sæculo nomine, opere, sermone & affectione Deum designauerunt. Non ergo te delectet habitatio huius corporis, non te retardet difficultas mandati, non inertem efficiat dilatio promissi, si Deum vis habere, qui Deus Abraham est, Deus Isaac & Deus Iacob? *solue calciamentum,* abrumpe vinculum, *de pedibus tuis,* de affectione & desiderio mentis. Sic exoneratus, vtcumque superficiem alterius sæculi prælibabis, sic absolutus, vtcumque imaginationem æternitatis somniabis, sic liber, futuri status initia quasi præludio quodam contrectare tentabis. O Deus, quid ibi tu facis, quid Angelus, quid anima? Qui sermones tui ad Angelum? quæ confabulationes ad animam? Quid & de quibus opponunt tibi Angelus & anima? Estne quod interrogent, cùm palàm de Patre annuncies eis omnia? Estne quod ignorent de futuris obliti sint de præteritis; non capiant de præsentibus? Quid ibi clausum, quid non reseratum?

Match. 22. 23.

H

Beatitudinis æternæ status descriptio.

Sed quare ibi aliqua absconderentur, cùm adsint omnes amici, omnes absint inimici? Inuidia neminem tangit, elatio nullum extollit, ira non perturbat, luxuria

non

A non tentat, gula non vrget, ambitio non torquet, omne vitium non apparet, omne malum deficiendo vel refugiendo contabescit & languet. Regnat vbique concordia, per singulas discurrit mansiones humilitas, sedet beneuolentia in medio, eminet in turribus castitas; disponit sobriè omnia, sobrietas sufficientia, singulis sufficienter ad nutum administrat; sanitas, portas obseruat, charitas seu bonitas, omnium stationes & tabernacula illustrat. Ducitur anima in Refectorio, vbi, sine
Psal. 22. 2. fame reficiatur, sine siti inebrietur & dicat: *In loco pascuæ ibi me collocauit.* In dormitorio, vt ibi sine torpo-
Psf 4 6. re dormiat & dicat. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* In Oratorio, vt ibi sine tædio oret & dicat.
Psal. 53. *Ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.* In
Psal. 56. Cant. 2. 3. Claustro; vt ibi sine fastidio sedeat & dicat: *In vmbra alarum tuarum protexisti me*, vel, *in vmbra quam desideraueram sedi.* In Capitulo, vt ibi sine timore disci-
Psal 13. 32. plinam teneat & dicat; *Disciplina tua ipsa me docebit.* In Auditorio, vt ibi sine præuaricatione viuat. Pectus
B IESV; ibi est Refectorium; sinus IESV, ibi est Dormitorium; vultus IESV, ibi est Oratorium; latitudo, longitudo, sublimitas & profundum IESV, ibi est Claustrum, consortium IESV & omnium Beatorum, ibi est Capitulum: narrationes IESV de Patris & Filij & Spiritus sancti vnitate, & de apertione mysterij Incarnationis suæ, ibi est Auditorium.

O cor humanum, quid vltra tendis, quid vltra quæris, cùm vltra tendere, non sit tendere sed contendere, vel potiùs rumpendo se distendere! O cor humanum, quid infra moraris, si vis vt non moriaris? Mors infra & supra, cùm tamen nihil sit supra. Mors enim illum ferit, qui supra ascendere præsumit, non quod ipsa habitet supra, quæ in Inferno est, sed quod illum interficiat vltione diuina, qui metas sibi præfixas excedit. Nomen mortis, nomen languoris, nomen paupertatis, nomen anxietatis, nomen doloris, nec nominatur apud vos? Ciues cœli, domestici Dei, Quid autem? Vita, iocunditas, iubilatio, exultatio, glorificatio, bea-
C titudo, æternitas, immortalitas, & incorruptio, abundant & superexundant in Paradiso. In ore habitantium, semper laus, alleluie, gloria, pax, benedictio, honor, virtus & fortitudo. Quid autem oculi eorum vident, nisi Patrem luminum, nisi lucem de luce, nisi candorem lucis æternæ? Quid aures, nisi laudes Dei audiunt; quid nares, nisi vitæ respirant odores? Manus, quid contrectant, nisi Verbum vitæ? quâ pedes incedunt, nisi per viam pacis? quid gustus? Gustat nempe
Ps. 33 9. *quàm suauis est Dominus.* Quid plura? Vnâ clausulâ, vniuersa beatitudinis illius charismata concluduntur, quâ dicitur quia Deus erit *omnia in omnibus*. Surge anima mea, curre & festina intrare ad tales nuptias! Versa & commuta desideria tua! Formosam delectabiliter aspicere solebas meretricem, aspice nunc Dei genitricem. Aurum placebat, nunc verum placeat! Argentum quærebas, nunc Dei vnigenitum quæras! Fauore humano delectabaris, nunc spiritu diuino refouearis! Pone carnis, & sume mentis delectationes. Ecce
D quomodo sabbatizabis, nec simpliciter, sed sabbatismo sabbatizabis. Hæc de duplici Sabbato dicta sint.

CAPVT VIII.

Rursum, de Panibus Primitiarum.

QVia nimiam prolixitatem vitantes, vno non potuimus explicare sermone quæ de Primitiis dicenda erant, præcipuè, quia Sabbatum interueniens, nos in seipso coegit sabbatizare, alio non tamen alieno sensu & exordio rursum tentabimus (annuente Domino) tam de Primitiis quam de Decimis, aliquid adhuc ap-
Exod. 22. 29. ponere & ponere. Legitur itaque in Exodo: *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoque & ouibus similiter facies, septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi.* Digniores & potiores partes hominis sunt illæ duæ extremitates, quæ caput & pedes E
nuncupantur. Parte altera, id est, capite, in figura cœlum respicit homo, altera tangit terram. Vnde, sicut in hoc mundo, omnium creaturarum amplitudinem & innumerabilium rerum variam distinctionem (quasi vlnie suis & gremio) complectuntur terra & cœlu[illegible] in homine, caput & pedes omnium membrorum li[illegible]morum sunt columnæ & firmamentum. Apta verò significatione, à visibilibus ad inuisibilia similitudine deducta, anima vtramque partem in affectu possidet, dum in omni motu & voluntate sua semper aliquid principaliter intendit, & semper ad aliquid finaliter tendit. Caput autem voluntatis humanæ est, id ad quod specialiter intendit, pedes finis ad quem tenditur.

Vt itaque Dominus doceat hominem, scientiam, quid volendo, intendere, & ad quid, operando, tendere debeas, insinuat dicens: *Non tardabis offer-* F
re Decimas & Primitias tuas: Quasi dicat, principium & finem inchoationem & consummationem tam cogitationum quam sermonum vel etiam operum tuorum, Domino Deo tuo decimabis. Cùm ergo alicuius desiderium ampliùs feruescit in implendis concupiscentiis suis, quàm in obtemperando diuinis mandatis, huius primitiæ vel Decimæ Domino nequaquam redduntur, sed idolo libantur. Cùm studiosiùs terrena quàm cœlestia, temporalia quàm æterna inquiruntur, quod iuris est diuini postponendo, & quod sui est præponendo, humana temeritas, ordine peruerso in Primitiis & Decimis abutitur. Si verò Deo primogenitum tuum vel primitias consecraueris, pri- Matth. 6. 33.
mùm quærendo *regnum Dei & iustitiam eius*: in omni Rom. 11. 16.
quod subsequetur benedictionis deriuamine gaudebis. Vt enim ait Apostolus, *si delibatio sancta & massa*, Matth. 6. 22.
& in Euangelio Dominus: *si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit.* Et Psalmista: *si non præposuero Ierusalem*, &c. Psal. 136. 6.

Habeat itaque Deus Pater cum Primogenito sapientiæ suæ, primogenitum deuotionis tuæ, vt pri- G
mogenito Creatoris, Creaturæ sanctificetur primogenitum. Vt quid enim primogenitus Patris, factus est primognitus Matris, nisi vt redimeret sibi omne primogenitum hominis? Fœlix, cuius Deus primogenitum acceptat! Nam Ægypti primogenita extinguit, & asini primogenita respuit: primogenitum verò hominis, primogenitum ouis & bouis sibi assumit. Siue namque sapiens, vt Homo, siue fortis, vt Bos, siue simplex, vt Ouis fueris: primitias cordis tui, & primogenitum operis soluere debebis. Si verò impius, vt Ægyptius, immundus vt asinus inutilis vt hæreticus, aut mutatione aut interfectione, aut redemptione, commutanda sunt primogenita tua. Mutauit Paulus, vel potiùs interfecit Ægyptij primogenitum; cùm de persecutore fieret prædicator, agnus de lupo, Christianus de Iudæo. Maria Magdalena, nonne primogenitum asini in se interfecit, cùm sordes criminum ad fontem lauit, cùm vitam mutauit, cùm Christum amauit. Mutauit primogenita asini, & accepit primogenitum Dei. Iudas verò, non solùm non soluit Deo primogenitum suum, sed etiam Ipsi Deo Patri subripuit Primogenitum & Vnigenitum suum. Cessit itaque in primogenitum diaboli, quia excessit in Primogenito Dei. Fraudulentissime Iuda, parum est tibi fraudem fecisse de anima tua, nisi addas manus sacrilegas inicere ad misericordiæ Dei viscera? Parum est tibi, Diabolo præbuisse iugulum tuum, nisi iugulares & Dominum nostrum? Parum, inquam, tibi est, perdidisse præmium tuum, nisi & tolleres pretij nostri pretium? Satis meliùs permaneres in discipulatu Christi, quam euaderes in magistratu Antichristi.

Primogenita, quenam redimenda vel interficienda sint.

H Non tardes, ô anima religiosa, reddere primogenitum, vt ex toto corde, & ex tota anima diligas Deum. Septem tamen diebus cum matre sua sit, vt non nisi cum

A plenitudine gratiæ, ex hac vita migrandum memineris. Septem diebus cum matre sua est, qui nunquam errat in fide; nunquam deficit in spe, nunquam tepescit in charitate, nunquam declinat à iustitia, nunquam exorbitat à prudentia, nunquam succumbit in fortitudine, nunquam in temperantia excedit. Septem diebus cum matre sua est, qui fide & moribus integer est: septem diebus cum matre sua est, qui vsque ad effusionem sanguinis cum Domino est: septem diebus enim matre sua est, cuius conscientia criminalibus nunquam contaminata est, septem diebus cum matre sua est, qui obedientiæ fines nunquam egressus est. *Die autem octauo reddes illum mihi* vt credas Christum resurrexisse à mortuis: *Die octauo reddes illum mihi*, vt omnium hominum futuram resurrectionem credas in die Iudicij: *die octauo reddes illum mihi*, vt credas post iudicium & præmia bonorum & tormenta malorum nunquam finiri: *die octauo reddes illum mihi*; vt credas merita singulorum remuneratione octo Beatitudinum compensari. Sic credendo, & videndo, ad æternitatis primitias peruenies.

Exod. 22. 30.

Ecclesia primitia B *sunt, Innocentes*

Habet Ecclesia in decollatione vel potiùs collectione Sanctorum Innocentum, primitias Deo gratissimas. Vt enim lectum est in Apocalypsi Ioannis: *Hi empti sunt ex omnibus primitia Deo, & Agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium* Semen bonum iam ex terra vteri virginalis eruperat, sed nondum in arborem magnam creuerat, quia *in omnem terram sonus* Apostolorum non exierat, & tamen de Bethleem iuxta posita, florum primitias obtulit: spatulasque palmarum reddere non tardant. Verè ager Primitiarum, in quo tam citò inuentæ sunt primitiæ Martyrum! Nondum est passio Christi, & iam sanguis effunditur pro Christo innocentis paruuli. Quodammodo præcurrunt primitias tuas, Christe: primitiæ nostræ. Præcurrunt reuera moriendo ante te, sed non præcurrunt veniendo ad regnum sine te. Ad portam te sustinebunt, quia custodes nisi te viderint, ianuas cœlestes non reserabunt. C In passione igitur sanguinis non possessione beatitudinis, Agniculi Pastorem suum præcedunt. Si autem præcedunt, quomodo verum est, *sequuntur Agnum quocumque ierit?* Vtrumque tamen verum est, quod & præcedunt & sequuntur. Præcedunt in morte, sequuntur in resurrectione. Priùs currere cœperunt, sed in cursu subsisterunt.

Apoc. 14. 4.

Apoc. 14. 1.

CAPVT IX.

De Panibus Propositionis.

QVia de simila iubentur fieri Panes propositionis, mutuanda gratia, & emundanda est conscientia mentis. A quo autem est mutuanda gratia vel accipienda, nisi ab eo qui plenus veritate & gratia, natus est de Matre, gratiâ plena? O IESV, in vena non in lagena: D in puteo, non in vrceo: in ventre, non in vtre: in anima, non in cisterna, in fonte, non in vase possides gratiam! *Aqua* quidem *fluunt cum impetu de Libano*, sed gratiæ excurrunt in mansuetudine & vbertate, de Spiritu tuo. Si defuerit simila, vbi erunt Panes propositionis? si defuerit gratia, vbi erit spes saluationis? In simila nihil est furfuris, quia à gratia, procul est Spiritus simulationis. De purissimis granis excutitur simila, & gratia emanat de pinguissimis misericordiarum Dei medullis. A filiis Israël Moyses accipiat similam, à Domino Deo Israël impluremus gratiam Parum est Moysen accipere similam, si non sit qui conficiat Panes propositionis: parum est & nos accipere gratiam, si non sequatur effectus operationis. Fiant igitur multi panes de accepta simila, procedant multæ virtutes, ex indulta gratia. Fiat panis de duabus Decimis, surgat virtus de radice geminæ dilectionis.

Can. 4. 15.

E Sed videndum est & cum attentione nimia ruminandum, quid in Leuitico præcipiat Dominus de panibus Propositionis. *Accipies*, inquit, *similam, & coques in ea duodecim panes qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam Domino statues, & panes super eos thus lucidissimum, vt sint panes in monimentum oblationis Domini, per singula Sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti à filiis Israel fœdere sempiterno, eruntque Aaron & filiorum eius vt comedant in loco sancto, quia sanctum Sanctorum est, de sacrificiis Domini, iure perpetuo.* Mundas aures, labia purgata, puram conscientiam, & vocem honestam non funestam exigunt hæc Mosaica Sacramenta, quantò magis Christiana. Audio similam, audio purissimam mensam, audio thus lucidissimum, audio in loco sancto, audio Sanctum Sanctorum, in superlatiuo puritatis omnia ista dicuntur. Nec mirum, nam & materiæ dignitas de qua fiunt panes, & nomen personæ cui fiunt, & modus quo fiunt, & numerus quo distinguuntur, & locus in quo ponuntur, & tempus in quo sumuntur, & habitus quo ordinantur, sacratissimâ F intelligentiâ replentur. Quæ est materia? profectò simila. Quorum sunt panes? Aaron & filiorum eius. Qui modus faciendi? de duabus decimis similæ, duo separatim & fiunt & coquuntur. Qui numerus? duodenarius. Quis eorum locus? certè sanctus. Quando ponuntur vel tolluntur? Sabbato. Quis positionis eorum ordo? Seni altrinsecus super mensam purissimam Domino statuuntur & ponitur super eos thus lucidissimũ.

Leuit. 24. 5.

Christiana Sacramenta, multo magis quàm Iudaica puram conscientiam exigunt.

Iam quasi de seipsis loquuntur intus latentia mysteria. Et quidem nimio fulgore etiam amictu exteriori refulgent, & quandam internæ bonitatis & pulchritudinis speciem ipsa obumbratione extrinseca scintillant. Sed quo ausu nudare velata, reuelare occulta, pauper ingenio, obsequio iners, verbo tædiosus potero? Certè damnum grande patitur hæc materia, si tractetur vel contrectetur ab indocto cum negligentia. Est namque vtilius vt conseruetur intacta, idonea & fœcunda materia, quam vt malè confundatur & euacuetur artificis imperitiâ. Iamiam tamen loquitur stylus, G quod sentit animus, Aquila magnarum alarum Ioannes Euangelista, volatu sublimissimo, quæque mysteriorum Dei remotissima inuestigans, in repositorio duodecim Panes propositionis super purissimam mensam repetit: numerum enim & nomina duodecim filiorum Israël signatorum audiuit. Fortè hi Panes sunt propositionis, quorum facta & dicta, posteris, tanquam forma & exempla proponuntur imitandæ actionis, & tam in hominibus, quam in operibus suis, procul dubio valde notanda & retinenda virtutum lineamenta præsignauerunt, & nobis pauperibus (post eorum vestigia, in agro huius vitæ metentibus) ex industria, spicas exemplorum dereliquerunt. Virtutis enim opera tam auctorem suum, quàm & auctoris imitatores, sufficienter pabulo inconsumptibili pascunt. Nam quò plures superueniunt virtutis degustatores, eò semper super adhærescunt reliquiæ vberiores, & dum superueniunt hospites, fit charitatis manus profusior ad omnes. H

Vnde enim cuiusque Tribus Patriacharum tanta filiorum numerositas, vt duodecim habeat millia signata, nisi quia vera virtus, sterilitate remota propagarit etiam in mille generationes? Tanta namque Iudæ succrescit proles virtutis, quanti fuerint æmulatores confessionis. Tot Ruben procreat, quot, vt intelligant opera sua illuminat. Tot ex Gad oriuntur, quot contra tentationem accinguntur. Aser, tot generat filios, quot facit beatos: Nephtalim propagat quos corde dilatat: de Manasse nascuntur, qui mundi obliuiscuntur. Hos Simeon habet hæredes & superstites, quos de malis præteritis relinquit testes. Leui generationem recognoscit, quæ noua virtutum exercitia quotidie addit. Issachar asinum profitetur, cui merces æternæ remunerationis proponitur. De Zabulon vtero exiuit, qui habitaculum fortitudinis elegit. A Ioseph se meminit genitum, qui crescit in augmentum. De Beniamin

stirpe

A stirpe originem sumit, qui dexteram Dei semper exquirit. Ecce quomodo saccos fratrum suorum, frumento bono & optimo, Ioseph impleuit, & etiam asinos eorum suffarcinauit.

Verè Ioseph salus nostra in manu tua est! da nobis alimenta, vt viuere possimus: da nobis seminaria, quorum benedictionibus terram arentem & australem inebriemus & impinguemus. Germen siquidem benedictionis habet, qui à te semen habet. Semen enim tuum pinguescit in radice, turgescit in culmine, frondescit seu florescit in cacumine. In vmbra eius, est vita, sanitas in gustu, in odore medicina, in aspectu voluptas. Omnia Prædicatorum medicamina, huius radicis pinguedine conualescunt, frondium viriditate nunquam veterascunt, florum amœnitate reuirescunt: & exhausta sic in anima frondescit Fides, Spes florescit, impinguatur Charitas. Frondescit, inquam, Fides in anima, per discretionem intelligendorum, opinandorum, & credendorum. Aliud est enim quod opinatur, aliud quod
B creditur, aliud quod intelligitur: sic Spes florescit per degustationem futurarum remunerationum, sic charitas impinguatur in repletione innumerabilium gratiarum. Tria hæc grana si seminauerit homo in agro cordis sui, facient fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. Quorum etiam farina si mola superiori & inferiori id est, gratia Dei & ingenio hominis, molita rore quoque cæli & pinguedine terræ, id est, fide verbi & humanitatis fuerit conspersa, poterit ex se præbere duas decimas dilectionis Dei & proximi, de quibus duodecim Panes propositionis, separatim duo & duo coquantur.

Necesse est autem vnumquemque eorum habere duas decimas: in omni enim hominis proposito, nisi dilectio Dei & proximi interuenerit, Panis propositionis ex duabus decimis nequaquam existit. Si ergo in charitate velut Iudas, peccata confessus fueris, primum panem propositionis, de duabus decimis similæ, facis.
C Si tentationem fortiter, accinctus fortitudine lumbos, per patientiam charitatis sustinueris; tertium panem tanquam Gad, ex duabus decimis similæ coxisti. Si toto nisu ad beatitudinem promissam, ducente gratiâ curris, quartum panem cum Aser, ex duabus decimis similæ præparasti. Si eorum quæ retro sunt oblitus, vbi est impetus Spiritus in funiculis charitatis duceris, sextum panem cum Manasse, ex duabus decimis fecisti. Si tristitiam quæ secundùm Deum est habens, de peccatis tuis, in amorem Creatoris conturbaris, septimum panem tanquam Symeon, ex duabus decimis facis. Si quotidie, cum Abraham vadens & proficiens ad meridiem diuinæ illuminationis, in odore charitatis, octauum panem cum Leui, ex duabus decimis facis. Si solam mercedem Dei cogitans, humeros ad omnia pericula sufferenda in tolerantia charitatis supposueris, nonum panem cum Issachar, de duabus decimis similæ facis. Si plenus charitate, vt aquila in cælo posueris nidum tuum tanquam habitaculum fortissimum, decimum panem cum Zabulon, ex duabus decimis
D similæ facis. Si Christum amplectens, quantum vales tantùm diligas eum, plùs in augmento virtutum; vndecimum panem cum Ioseph, de duabus decimis similæ facis. Si læua Sponsi *sub capite* tuo, *& dextera illius*, te amplexatur, in supremo charitatis constitutus, duodecimum panem, cum Benjamin ex duabus decimis similæ fecisti.

Cant. 2. 6.

Ecce duodecim panes propositionis ex duabus decimis similæ parati, mensam præstolantur purissimam, super quam statuantur coram Domino. Est autem Scriptura diuina, mensa Domini purissima. Velut mensa enim de imputribilibus lignis mandatorum diuinorum composita, in omni copia deliciarum exuberat. Anima etiam Christiana, Baptismi trina immersione ad plenum, tam ab originali quàm actuali peccato purificata, mensa Domini est purissima. Ad hanc enim superborum Regum & omnium prædiuitum mensis despectis, accedit Dominus vt reficiat & reficiatur, vt

E ministret & ei ministretur. Libamenta corporis & sanguinis sui prior in hac mensa ponit, ac deinde imitationem suæ passionis, pro recompensatione, multùm dignanter resumit. In honore quoque Dei, sancta altaria solemniter dedicata, mensa Domini sunt purissima. Habet Dominus & alias mensas nobis ignotas, sed procul remotas, sed tamen conuiuio & conuiuatoribus idoneas. In scriptura itaque Panes ordinantur propositionis, quia institutio & vtilitas ibi continetur confessionis. Ibi etiam communiemur de confessione peccati & laudis Dei, de bonis operibus, de lombis succingendis, de beatitudine quærenda, de dilatatione cordis, de obliuione sæculi, de tristitia pro peccatis, de profectu virtutis, de diuina mercede, de habitaculo cæli fortissimo, de perfectione bonorum, de dextera Domini Virtutum. Et hæc quidem in mensa Scripturarum.

Anima quoque cum peragrauerit omnem hanc regionem diuinarum plantationum, & coronâ aureolâ ex his omnibus compactâ caput suum protulit redimitum, apparebit tanquam mensa Domini purissima. Ad sancta quoque Altaria indefesse omnium Sanctorum, quotidie fiunt commemorationes. Quid autem Sanctorum commemoratio, nisi quædam Panum propositionis appositio? Quis enim tibi vtilior panis, satians ventrem, an sanctus sanans mentem? Quid appetibilius, panis satiatio, an Sancti intercessio? Vnusquisque Sanctorum Panis ex duabus decimis similæ est, vel propter Fidei & morum perfectionem, vel propter Dei & proximi dilectionem, vel propter exempla perfecta ad aliorum eruditionem & continuam pro nobis intercessionem. Panes itaque propositionis super mensam purissimam coram Domino statuuntur, cùm Sanctorum solemnitates, ad Dei honorem, à fidelibus in Ecclesia celebrantur. Thus vero superponitur, cùm orationes ad Deum pro populo leuantur.

Sanctorum commemorationes quotid. F ponit ad Altaria. Sanctorum intercessio magis appeti debet quam Sanctorum solemnitates in Ecclesia.

Aaron sunt, quia gratia salui facti sumus *& hoc non ex nobis, Dei enim donum est.* Filiorum eius, quia Apostoli Dei adiutores sunt, participes gratiæ Dei sunt, cohæredes Christi sunt. Aaron sunt & filiorum eius, quia à throno procedunt fulgura & voces & tonitrua, videlicet miraculorum, exhortationum, & increpationum Sanctorum. Vel ideo Aaron sunt & filiorum eius, quia à Deo habent fideles quod sunt, & Apostolorum imitatione ad regnum perueniunt. In loco sancto eduntur, quia in fide vel cælesti regno, à Deo suscipiuntur. Per Sabbata mutantur, quia in consummatione virtutum tanquam in fine hebdomadarum dierum, alij tolluntur, alij substituuntur. Vnde: *pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Fœdere sempiterno & iure perpetuo sient hæc*: quia ab initio mundi vsque ad finem sæculi, non deficit Sanctorum generatio. Vnde: *annuntiabitur hoc a generatione in generationem: à generatione* præcedentium patrum, *in generationem* succedentium filiorum, scilicet Christianorum, & hoc vsque in sempiternum. Et in Euangelio Dominus: *Ecce ego vobiscum sum in omnibus diebus vitæ vsque ad consummationem sæculi.* Amen.

Ep. 2. 8. G

Math. H 28. 20.

CAPVT X.

De Pane similagineo.

POstquam igitur de Panibus propositionis, quam Deus donauit refectionem, fugientibus ab Aquilone parauimus, ad panem similagineum, consequenter stylum & animum transferamus. Diuinissimum namque quiddam & supra sensum humanum est, quod (ex mandato legis, vbi agitur de Panibus propositionis) pars similæ, non consuetudinarij conspergitur aquâ, sed oleo, nec coquitur in sartagine, vel craticulâ, vel clibano, sed cum oleo offertur super altari, in monimentum odoris suauissimi, Domino. Sic enim in Leuitico legitur: *Tollet Sacerdos pugillum similæ quæ conspersa est oleo, & totum thus quod super similam positum est, adolebitque*

Leuit. 6. 15.

A *illud in altari in monumentum odoris suauissimi Domino; reliquam autem partem simila comedet Aaron cum filiis suis, & comedet in loco sancto atrij tabernaculi Domini, ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domino incensum offertur, sanctum Sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud, legitimum ac sempiternum est in generationibus vestris, de sacrificiis Domini, omnis qui tetigerit illa sanctificabitur.* Leuemus velum, & faciem Moysi reuelemus, vt ingredientes in sanctuarium Dei, intelligamus *sonum alarum* loquentem *tanquam sonum sublimis Dei*, & audiamus *spiritum vitæ qui est in rotis.*

Ezech. 1. Ezech. 10. 21.

Itaque farina illa quæ purissima, quæ candidissima quæ subtilissima est, simila vocatur. Quid autem diuina natura siue sapientia purius; quid candidius? quid subtilius? Nam quod in creaturis est purissimum, comparatione naturæ Dei, est sordidissimum. Quod candidissimum in humanis potest excogitari, teterrimum reputatur præsentatum æterno lumini. Quod denique subtilissimum in omni adinuentione humanorum fantasmatum fuerit inuentum, diuinæ sapientiæ splendoribus B comparatum, deprehenditur esse stultissimum. Ad hanc itaque pigra anima non consurgit, impura non accedit, incrassata non transilit, hanc, lippa non videt, non audit surda, muta non loquitur, huius in amplexus, scabiosa non admittitur, fœda non copulatur, fœtida, non recipitur. Quare assumat pennas tarda, mundet se contaminata, extenuetur grossa, mundetur lippa, auditum recipiat surda, scabiosa purgetur, fœda decoretur, fœtida odore bono perfundatur. Quantumcumque enim prius fueris oppressa, ô anima, malorum consuetudine, tamen facile sursum teuolas, subnixa charitate: quantumcumque turgida siue tumida; extenuatis continua afflictione, quantumcumque cæca; illuminatis moderata castificatione. Auditum quoque reddit vera obedientia, scabiem repellit sancta continentia, fœditatem exterminat bona conscientia, fœtorem emundat optima fama.

C Vt cumque his & huiusmodi extincta antiquæ nobilitatis & prosapiæ insignia reaccenduntur, & ad antiquum titulum gloriæ filiorum Dei recurritur. Cuius tamen gloriæ portio non plenitudo, pugillus non sextarius, prælibatio non saturatio, in præsenti datur. Nondum enim Deus per speciem, sed per fidem videtur. *Videmus*, inquit Apostolus, *nunc per speculum & in ænigmate, tunc facie ad faciem.* Concitatiori tamen desiderio insiste, apprende de Deo, non quod ignotum est, sed quod noscibile occurrit, tanquam plenum pugillum de simila. Denique Paulum vide Sacerdotem nostrum, de incomprehensibili farinæ massa, plenum pugillum nobis mensurantem. *Inuisibilia*, inquit, *Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quasi enim tota simila est, ipsa incomprehensibilis substantia diuinitatis. Hanc itaque, quia impossibile est apprehendere, sufficiat Sacerdoti pugillum plenum tollere: vt quantum sufficit intelligere, tantum audeat differere pugillus enim Sacerdotis, capacitas est deuotæ mentis, D implet autem similâ pugillum, qui de Deo replet sensum suum. Non capiat autem similam, sine olei conspersione, vt semper Dei potentiæ recordetur cum sua miseratione.

1. Cor. 13. 12.

Rom. 1.

Thus quoque super similam est, quia misericordiam *superexaltat* iudicio; quia interpellatio *Spiritus* qui *pro nobis* orat, *gemitibus inenarrabilibus*, quasi insuperabilem superat, cum à rigore iustissimæ districtionis, omnipotentem misericorditer ad nos exaudiendos inclinat. Nota Trinitatem, in simila Patrem, in oleo Filium, in thure Spiritum sanctum. Oleum in simila indiuisibiliter conspersum, Filium cum Patre substantialiter vnum: Thus ad vtrumque respiciens, Spiritum sanctum ab vtroque procedentem. Semper in monimentum suauissimi odoris Domino, hoc totum in Altari adolendum, vt in hac fide & deuotione, toto desiderio, cor nostrum semper ardeat in Deum. Reliquam autem partem, *Aaron cum filiis suis comedet in loco sancto atrij Tabernaculi*: vt IESVS à dispensatione incarnationis suæ, cum suis discipulis in Ierusalem ciuitate sancta, PANEM VINVM IN SVBSTANTIAM CORPORIS ET SANGVINIS SVI COMMVTANDO, viuificis altariis compleat, & Fidelibus suis salutari mysterio vsque in finem sæculi tradat. Vel, pugillus Sacerdotis, est operatio creationis, Simila in pugillo, operatio creationis in Deo.

Iac. 2. 13. Rom 8. 26.

Trinitatis mysterium in pane similagineo Legis Iudaicæ.

E Leuit. 6. 16.

Oleum super similam, Spiritus bonus fouens omnem Creaturam, vnde illud, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Adolendum hoc in altari, monimentum odoris suauissimi Domino, delectari enim *in factura Dei*, glorificare creatorem de creatura sua debemus, non euanescere in cogitationibus vanis, sicut illi *qui enim cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Oleo namque superfunditur simila, cum de Deo perceptâ illuminatur scientiâ. Est autem recta illuminatio scientiæ, cùm secundùm scientiam procedit oratio F cum deuotione. Nam sine deuotione operatio, simila est sine oleo. Rursum deuotio sine operatione, oleum est sine similagine. Pugillum quoque impleat Sacerdos simila oleo conspersâ, cuius tota operatio Saluatoris exemplo consecratur & gratia. In altari adoletur, cùm cœlesti desiderio cor ardens ad sublimia cum odore boni operis rapitur.

Gen. 1.

Rom. 1.

Aaron reliquam partem similæ cum filiis suis, absque fermento comedit, cùm illa quæ facere ex naturali difficultate non sufficimus, iustitia Dei non imputat ad pœnam, sed misericordiâ Creatoris, per Apostolorum intercessionem ignoscit. *Mares tantum stirpis Aaron comedent illud*: mollis & delicata, resolutione malarum concupiscentiarum, anima non contingat similam, id est, non se arbitretur posse apprehendere diuinam sapientiam, *non* enim *habitabit in corpore subdito peccatis.* Sed mares, subigentes scilicet aduersarias Potestates, subiicientes quicquid adoersatur, *& extollitur aduersus scientiam Dei*; calcantes super serpentes & scorpiones, comederent similam. G Venter muliebris non recipit cibum similæ, quia corruptus sensus, diuinæ nequaquam idoneus est naturæ siue scientiæ. Masculi verò stomachus & sanus, ipse quærit & intelligit quid sit Deus.

Leuit. 6. 18.

Sap. 54.

2. Thes. 2. 4.

Non tamen sexum in carne distinguo, sed sensum animo, vel prauum repudio vel sanum approbo, nullo modo namque manus Creatoris, in conditione muliebris sexus creauit vel diuersam suæ bonitatis imaginem, aut deteriorem mulieri quam viro assignauit. Ait namque de homine Scriptura; *Ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.* Non ergo ab hac comestione excluditur fœmina ut mares admittantur, propter apparentem cibi vel sexus distinctionem, sed propter latentem mysterij sanctificationem vel significationem. Discernat itaque comedentes, sensus non sexus; gratia non natura; discretio mentis non membra corporis; habitus animi, non pilus faciei. Virtus quæritur, vitium respuitur, admittitur constantia, lascíuia eliminatur, patientia recognoscitur, anathematizatur iracundia. Si ad conuiuium panis similaginei accesseris, cuius sis conditionis, cuius ætatis, cuius stirpis, cuius sexus, statim ab Angelo percunctaris. Nam hia principaliter & propriè Angeli deseruiunt officiis, vt ad Deum venientium inquirant mentem, propositum & meritum. Officij sui certè est, dignos intromittere, & indignos extrudere, benè meritos cum reuerentia suscipere, immeritos cum iniuria eiicere. Si improbè contra regulam & legem constitutam te ingesseris, ne capite timeas detrunceris, non enim sine causa rhomphæam Cherubim vibrat. Ferit superbum, defendit humilem, impudicum exacerbat, castum honorat, lugentem consolatur, irridenti comminatur, credenti communicat, incredulum damnat.

Gen. 1.

H

Angeli discutiunt eos qui veniunt ad Deum.

An non in medio Ierusalem vir qui habebat scriptorium ad renes, calamo sui examinis, omnes eius ha-

bitatores

A bitatores sic notabat, & alios ad mortem, alios ad vitam
Gen. 5. 24 destinabat? Firmiter autem retinendum, hunc Angelum
non quos ipse volebat, sed quos Dominus iubebat (vt
Ezech. 9. 4. diuinum ampliùs timeas, quàm Angelicum iudicium)
morti aut vitæ præsignasse. Mores igitur corrigendi, sensus erigendus ad gratiam impetrandam, & ad similam sumendam. *Omnis enim qui tetigerit illam sanctificabitur.* Qui tetigerit sicut & illa tangebat, de qua dictum est: *Tetigit me aliquis.* Est enim tactus Fidei, & est tactus
Exod. 29. 37. infidelitatis. Tangit Fides, sed promerendo: Tangit infi-
Marc. 5. 31. delitas, sed prodendo: tangit Fides deuotionem admo-
Tactus spiritalis duplex est. uendo; tangit infidelitas, sed nequitiam suam euomendo; tangit Maria, osculando pedes & vngendo; tangit & Iudas osculando & vendendo; tangit Fides, amando & imitando; tangit infidelitas, persequendo & execrando: Fides tangendo sanctificabitur: infidelitas, tangendo contaminabitur: Sanctitas enim, sicut decenter suscepta, sanctificat, sic irreuerenter contrectata damnat.
B Post buccellam, in corde Proditoris sæuire amplius potuit potestas Diaboli, quia non vitio sumpti, sed sumentis augmentatur læsio doloris, nam quod sumitur sanaret, nisi æger de medicina acriùs ægrotaret: exungit enim medicina morbum, & sanat morbosum, nam posthæc non erit anima sine morbo, quæ fuerit mortua cum morbo.

Morbum igitur à te, ô anima, separa ex medicina, ne semper moriaris cum pœna, omne autem vitium, intellige animæ morbum. Tange ergo sine vitio curationem vitiorum, accede cum fide ad Emundatorem animarum nostrarum. Panis namque est similagineus, mundus, candidus, sapidus, calidus, neque in ore laboriosus, neque in ventre ponderosus. Præstruit hic ordo verborum, quodammodo sacratæ intelligentiæ aptitudinem. Nisi enim puro corde, & conscientia bona & fide non ficta cuius sit saporis diuina gratia, non degustatur, nisi vilitate terreni seorsus dejecta, claritas diuinorum sensuum non penetratur: mundus itaque cogita-
C tione, candidus bonæ opinionis celebritate, calidus feruenti dilectione, sapidus in sancta elocutione, sumit panem similagineum; quia huius manus non discordat à mensa, neque mens à simila. Si vales, considera creatorem in gloria sua, quod est similam totam sumere, si non vales, saltem vel redemptoris aspice potentissima & piissima opera, quod est pugillum de simila implere. Totam quidem pugillo non capies similam, quia incomprehensibilem non comprehendes naturam: imple tantum pugillum; vt, de posse tuo glorifices Deum.

Non facias Deo de seipso rapinam: vt quàm pugillo tuorum meritorum non elaborasti, ab eo vsurpes gratiam. Hoc ipsum quoque quod pugillo apprehenderis, Deo non tibi immolandum memineris: *Nihil enim habes quod non accepisti: Si autem accepisti, quid gloriaris quasi*
1. Cor. 4. 7. *non acceperis?* Numquam sine oleo est simila, quia Deus numquam sua priuatur clementia. Tu quoque numquam accedas ad mensam, sine oleo ad similam, quia durus ad
D pium, ad misericordem, crudelis; ingratus, ad benignissimum comparabiliter non accedit. Transi à carne ad spiritum, à spiritu ad Deum: animarum enim panes sunt non corporum, quos præ manibus habemus. Quare communi vtilitate seruata, procul sit ambitiosa vendentis auaritia, & ementis absistat ignauia. Par enim scribentis & legentis secundum officiorum distributionem, debet esse sedulitas: istius vt dignè scribat; illius vt benignè legat: istius vt componat ad vtilitatem; illius vt legat ad ædificationem; istius vt eroget, illius vt roget; istius vt deferat; illius vt referat: istius vt largus sit; illius vt gratus sit in accipiendo. Neuter tamen decipiat aut decipiatur, fraudet aut fraudetur. Decernat scribens, vtrum sic scribere debeat, discernat legens, vtrum scripta recipere. Nullam patior iniuriam, si meam volens statuere sententiam, vbi bene, assensum, vbi male, repulsam legentis sensero.

CAPVT II.

De Pane hordeaceo.

DE pane hordeaceo iam tractaturus, saluo sensu [...] dei rusticiorem sermonem non sum respuiturus [...] humili namque stylo, propter conditionem seruilem [...] vtensium, scribendum est de pane hordeaceo. Panis it[...] que hordeaceus non pro delicijs apponitur, sed tantu[m] vt seruilis fames releuetur, fauces enim deliciosorum e[x]coriat, ventrem onerat, & arterias exasperat, duro nan[...] que contegitur cortice, & spiculata superficie occurr[it] comedentium dentibus. Tamen in domo magna, & non magnis hic necessarius est cibus, non quidem del[i]catior, sed tamen vtilior, quia virium seruiliu[m] magis esset confortatiuus. Sic quoque viliora, sed necessa[...]ria sunt, vtenorum pane hordeaceo officia. Vilissimu[m] quidem officium stercorarij, in domo diuitis, sed tame[n] mundat quod est fœtore pessimum. Ancillarum quoqu[e] conditio, plurimùm extrema, sed in ablutione pannu[...]rum vtilissime, quomodo enim Dominus ad publi[cum] procederet, nisi vestem sordidam ancilla lauaret? ligna[...]rius quoque aut agitator aselli, nullius sunt dignitatis sed non æquè nullius vtilitatis, vnde namque filius [...] calefaceret, nisi de sylua ligna seruus deferret? Focariu[s] siue carbonarius, tota facie, propter carbonum & cine[...]rum assiduam reuolutionem denigratus, iuxta cinere[s] vix residere superueniente turba, præualet, sed nisi fo[...]cum & carbones præparasset, quis locum ad focum ha[...]beret? Cocus etiam cacabi & ollarum contrectatione, & multùm sudosa ferculorum præparatione interfu[...]datus non prior neque melior recumbit, aut fortè nec poste[...]rior in conuiuio, sed quis cœnaret, nisi cibos ipse co[...]queret?

Ecce apparet in officiis verum esse, quod quamvis sin[t] vilia, tamen valde sunt necessaria. Fortè sic est de pan[e] hordeaceo, vt quò est vilior, eò sit ad pascendam fami[...]liam vtilior. Vt quid enim familiam suam in deserto pa[...]nibus hordeaceis Dominus omnium pauit, nisi vt signi[...]ficationem daret timentibus se, vtilem omnino & abun[...]dantem esse cibum, panem hordeaceum? Animaduert[e] verò me numerasse superius quinque officiales, & num[...] repetisse in apotheca Domini, quinque panes hordea[...]ceos. Concurrit autem tibi non solum numerus, se[d] & genus officij atque panis. Attende itaque Stercora[...]rium panem comedentem hordeaceum; Lignarium [si]militer, Focarium, Coquum & Ancillam. Exponer[...]dum igitur tam in numero quàm in ordine; quid figu[...]ratiuè ista significent, & ex Scripturæ auctoritate ([si] Dominus dederit) demonstrandum; quid sit cloaca vel Stercorarios in cloaca, quæ sint ancillæ vel la[...]uandariæ, vel panni qui ab eis mundantur, & sic d[e] cæteris.

Mundus igitur iste (quasi cloaca) plenus peccatoru[m] fœtoribus, receptilis est omnium malorum, tanquam vn[i]uersarum spurcitiarum. In hoc Adam prior purgau[it] ventrem, non ideo vt purgaret vel reuelaret; sed vt om[...]nes posteros opprimens contaminaret, cùm enim pe[c]catum excusauit, quasi ventrem purgauit. Sed heu mise[r] vbi aut in quem stercus primum projecit? Certè iux[ta] Deum qui illum creauit, & in animam suam & posterita[...]tem sobolis suæ. Se namque excusando, quasi Deu[m] accusans dicit; *Mulier quam dedisti mihi sociam, ded[it] mihi de ligno, & comedi.* Quare Adam, iuxta legis præ[...]ceptum *paxillum sub balteo* non habens, vt egredie[n]s *extra castra ad requisita naturæ rejecta humo* turfure[...] ventris absconderes? Certè si vocem Domini audiens pectus tunderes, & te accusando propriam conscie[n]tiam pungeres, humili proculdubio satisfactione [...] confessione, fœtorem perpetratæ iniquitatis, ab ocul[is] Dei, reprimendo sonituo superbiæ occultares. Sed sic ignominiose nudantem, immò celantem præ confu[...]sione posteriora tua, & obscœnos mendacij sonos em[...]

A tentem, huiusmodi obscœnitate, noluit Deus Paradisum diutius coutaminari, sed convallem istam, tanquam cloacam paravit, & ad proprios fœtores sorbendos miserum inclusit in mundo, exclusit de Paradiso.

Crevit malitia, impleta est cloaca. Venit diluuium, vt deleret culpam & emundaret cloacam. Fabricavit Noë, jubente Domino, priùs Arcam, in qua cum posteritate, salvaret animam suam. Dum ergo in Arca laborabat, dum intra Arcam conclusus finem Diluuij expectabat, quid nisi panem hordeaceum, *in diluvio aquarum multarum* Ps. 31. 6. tanquam in emundatione immundarum superfluitatum edebat? Ecce Noë quasi cloacatus mundi, præ nimio fœtore, omnem fenestram Arcæ bituminavit, & formam secundæ regenerationis, in qua veteres sordes expiantur prætitulavit. Sed vixit pane planè hordeaco quia dura fuit temporis illius tribulatio. Moyses hunc panem in Genesi reconditum portavit: sed IESVS ad Ioannem veniens Sacramentumque B Baptismi suscipiendo aperiens, & expirationem salutareio exhibens, esurienti turbæ in deserto Ecclesiæ fregit. Hic vous & primus panis est de quinque panibus hordeaceis.

In Exodo secundus panis conficitur, quando filij Israel de Ægypto per Mare rubrum in Deserto traducti, quasi pannos animarum suarum, Ægyptiorum cohabitatione infectos, reparaverunt, & novum Pascha celebrantes, sanguine Agni renovaverunt. Sic enim scriptum est in Exodo: Exod. 16 14. *Descendit Moyses de monte ad populum, & sanctificavit eum, cumque lauissent vestimenta sua: dixit ad eos, estote parati in diem tertium & non appropinquetis uxoribus vestris; iam advenerat dies tertius & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccina vehementius perstrepebat*, & post pauca *descendit Dominus super montem Synai, in ipso montis vertice: & vocavit Moysen in cacumen eius.* Animadvertendum, quod primò, secundò, tertiò, abluuntur C vestimenta filiorum Israël, videlicet, in Mari rubro, in sanguine agni, in acceptione Legis. Mundat enim nos baptismus CHRISTI, mundat corpus CHRISTI, mundat lex Dei. Ancillæ verò sunt Sacramenta, quæ conscientiarum pannos sic dealbant, vt Angelorum puritatem jam aliquatenus conscendere faciant. Non veniet autem ad nos Dominus, nisi ancillæ istæ nostra priùs mundaverint vestimenta: quia in nobis non erit Christus, nisi perceperimus Ecclesiastica Sacramenta. Isa. 9. 5. *Vestimentum enim mixtum sanguine, erit in* Isa. 1. 18. *combustionem, & cibus ignis. Si autem fuerint peccata nostra*, juxta Isaiam, *vt coccinum*, immanitate perpetrati sceleris, fuscata, virtute Baptismatis purgata, *quasi nix dealbabuntur*, vt anima illa cantet & dicat tan-Cant. 4. 2. quam tonsa & lota ascendens *de lavacro*, *asperges me hyssopo, & mundabor lavabis me & super nivem dealbabor.* Iterum; Ps. 50. *si fuerint rubra quasi vermiculus*, quæ Cant. 7. 11. quasi viluerunt quotidiana assiduitate: *velut lana alba erunt* in vera confessione. Omnia Ecclesiæ Sacramenta D quæ sunt *tanquam piscina in Hesebon*, quodcumque animam maculaverit peccatum, sive parvum, sive magnum, sive vetus, sive novum, delere sufficiunt. Beneficio ergo & officio illorum, anima dealbata venire de Cant. 4 8. Libano voce Sponsi monetur, *veni*, inquit, *de Libano, veni.*

Ecce quare tertiò infans baptizandus in Fonte mergitur, & tertiò elevatur. Moyses descendit vt sanctificet populum, quando ex condescensione sua Prælatus quilibet ad lauacra provocat subiectum: cumque vestimenta sua fletibus laverit, vt in diem tertium paratus sit præcipit. Prima dies, dies est nativitatis: secunda, tempus adolescentiæ, cùm vires suas exercere cœperit in intelligentia rationis: tertia, cùm defecerit virtus corporalis in dissolutione animæ & corporis. Primam diem parat regeneratio Baptismi: secundam, Mortis meditatio extinguit libidinem. mortificatio carnis, quæ statim vt senserit motum extollentem se adversus castitatem mentis, eam subigit & Levit. 6. 12. extinguit ratio animi: tertiam nihilominus parat meditatio mortis, quæ velut novacula acuta, radit renascentia quotidie superflua desideria carnis. E

In Levitico, Sacerdotes jubentur struem lignorum in altaria subjicere, vt perpetuus sit ignis Domino, & nunquam deficiat. Quid itaque Aaron Princeps Sacerdotum, ad hoc designatus officium, nisi in domo Dei servus præparans focum? Totus quoque Leviticus, nisi ignem parat, cineres replicat, carbones inflammat, ligna subministrat, vitulos immolat, arietes jugulat, agnos anniculos assat? Panis tamen hordeacus est, illa succinctio in detrahendis pellibus, in aperiendis intestinis, in lavandis, in dividendis singulis artubus, in coquendis & ministrandis, in effusione quoque sanguinis, in comburendis vel extra castra efferendis. Grossiora multa sunt ista Sacramentorum velamina quàm nostra, laboriosa & viliora: nostra quidem pauciora, sed digniora, tardiora, sed vtiliora. Fuerunt siquidem illa exemplaria cælestium, nostra vero sunt ipsa cœlestia. Translatum deinde Sacerdotium vetus, desiit ritus F sacrificiorum, cessavit vnctio. Novum denique secundum ordinem Melchisedech successit, & veritas Corporis & Sanguinis CHRISTI, figuras præcedentes consummavit.

Postquam igitur filij venerunt quibus parabatur focus, secessit qui parauerat; nec vltra habuit locum postquam clarè cœpit ardere focus. Comedit itaque Aaron cum posteritate sua tertium panem hordeaceum, dum composuit focum. Nos proinde accenso Evangelij igne post resurrectionem Domini, sine labore, sine sudore, sine dolore panem gloriæ comedamus, lucem intueamur, igni adsistamus. Nam dolores & sudores atque labores nostros ipse portavit, & ne iisdem rursus afficeremur, Cruci affixit, nec vlterius solvendos edixit. Quasi diceret, hucusque Aaron panem suum hordeaceum, offerendo sacrificia & munera secundùm legem Moysi comederit: jam nunc, quia consummatum est, trado vobis non litteram sed spiritum meum; vt G non secundùm carnem deinceps, sed secundùm Spiritum vivatis & hostiam vivam, sanctam Deo placentem offeratis. Ecce jam coquus dignus cibo suo, panem suum præstolatur; & pro multa coquinæ vexatione, saltem panem hordeaceum precatur.

Quis verò sit coquus iste vel quorum gulæ & ventri satisfacere debeat, quærendum est, si quo modo Lex diuina id ostendat. Fortè si diligentiùs Librum Numerorum revoluerimus, inveniemus. In eo enim legitur, vulgus quod ascenderat de Ægypto cum filiis Israël, carnium Ægyptiarum flagrasse desiderio & dixisse; *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem* Num. 11. 4. *nobis cucumeres veniunt & pepones, porri & cepæ & allia, anima nostra arida est, nihil respiciunt oculi nostri nisi Man.* Ecce habes qui petant, & quid, & à quo Filij nempe Israël, à Moyse petunt carnes. Vnde & ipse Moyses, tanquam bonus coquus, quærit quomodo & vnde satisfaciat importunitati eorum, & ait ad Dominum: *Vnde mihi carnes vt dem tanta multitudini? flent coram me dicentes, da nobis carnes vt comedamus.* Pen- H Num. 11. 13. sandi sunt labores Moysi, quibus die & nocte vtitur, Exod. 7. & deinc. ne populus suus fame patiatur, nihilominus æquè exosa populi ingratitudo, cui nec Dei nec hominis sufficit sollicitudo. Plagis namque decem, in vltione illo-Exod. 14. 22. rum Ægyptios percutit, in Mari rubro viam eis facit; Pharaonem cum populo insequentem illos demergit, Exod. 17. 6. de petra aquam producit, aquarum amaritudinem in Exod. 15. 25. dulcorem vertit; Manna de cœlis pluit, multa præterea beneficia impendit; & adhuc carnes cum murmure Exod. 16. 30. quærit! Hæc Deus populo, hæc populus Deo.

Moyses verò vt eos educat, & de manu Pharaonis eripiat, omnibus periculis se exponit, vt legem accipiat per duas Quadragenarias abstinuit, montem ascendit, ac subinde cum instanti sollicitudine, ne castra illorum ab indignatione Domini (propter vitulum conflatibilem) pereant, descendit, & importabili oneri quotidianarum quæstionum pene succumbit. Quid

verò

A verò populus ad hæc: Io Deum murmurat, Moysi manus injicere parat, Manna fastidit, carnes cum desiderio petit, Ægyptios suspirat cibos, & conqueritur sibi melius fuisse in Ægypto, quam nunc sit in Deserto. Cucumeres quoque & pepones iosipidos, porros, cœpas & allia cibos ad libidinem commotivos, rebellis & ingratus populus, non multùm convenienter esurit. Ampliùs enim placet desidia quàm labor, luxuria eos magis delectat quam continentia. Conceduntur tamen, potiùs ex indignatione quàm ex miseratione carnes, quia post impetrationem desideriorum carnalium, castrorum perimuntur extremitates.

Psal. 77 31. *Adhuc*, inquit Psalmista, *escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit supra eos.*

Hebr. 7 17. Ioan. 6 Ecce quomodo in coquina Hebræorum, Moyses desudat, nec tamen panes triticeos sed hordeaceos pro officio recipit: *neminem* enim *ad perfectum adduxit lex.* Hæc de quarto pane hordaceo sufficiant. Superest vt quintum quoque à puero qui *habet quinque panes hordeaceos & duos pisces*, mutuemur, & turbæ nostræ cum manuum CHRISTI benedictione

B apponamus.

Primò itaqoe, juxta rationem præcedentium, cui & pro quo opere rependendus sit panis iste, indagandum est. Recordandom tamen priùs est in superioribus lignatium vel architectum cum aliis Officialibus numeratum esse. Quis autem sit architectus vel quibus ligna deferat; siue ad focum siue ad domum, diligenter est inquirendum. In significatione igitur hujus mysterij, in Deuteronomio, tanquam de infinita beneficiorum Domini sylva Moyses recolligens ligna, enumerat omnia opera Domini & sua & populi Israël. Quasi ergo bonus architectus, in memoriam illorum revocandu quæ pro eis (immò quæ ipsis) Dominus bona fecerat. ligna, secundò quasi redoleat, & quæ sibi quæque adaptanda in ædificio domus Dei sint, funibus & lineis remittendo præmonstrat. Ad minùs enim clv. distinctionibus capitulorum, in Deuteronomio, velut tignis & laquearibus omnia acta præcedentia Populi, ab exitu Ægypti recapitulat, & vnum librum tanquam

C domum vnam componit, vel etiam panem pro tali opera Moyses reposcit. Attende finem libri hujus, &

Num. 34. 1. stipendium quale intellige. *Ascendit*, inquit, *Moyses de campestribus Moab super verticem Nebo in verticem Fasga contra Iericho, ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad vsque Dan, & universam Nephtalim, terramque Ephraim & Manassa & omnem terram Iuda vsque ad Mare novissimum & australem plagam, & latitudinem campi Iericho, civitatis palmarum, vsque Segor, dixitque Dominus: hac est terra pro qua iuravi Abraham, Isaac & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam, mortuusque est Moyses: servus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepelierunt eum in valle Moab contra Phegor, & non cognovit homo sepulchrum eius.* Quid est Domine? Hæc est illa prædicabilis & prædicata vbique gentium amicitia tua, ad amicum tuum Moysen? Taliterne finiuntur promissiones tuæ? Itane remunerantur qui in castris tuis, vsque ad mortem militantes merentur? Si

D Moyses fraudatus est à desiderio suo: cuius spes non pendeat in dubio? Sed esto, nolebas illum introducere ad terram illam desiderabilem, & quare ostendebas quod non dabas? quasi enim puero porrigis pomum, & retrahis manum. Fortè non tam fortiter doleret, si non videret, crescit aviditas scintillata ex visione, ardentiùs flammescit anima in muneris oblatione. Sed quò vberiùs concepta spes gaudet, desperata actiùs dolet. Cui es parciturus si Moysi non parcis. Quis tuis sic obedivit mandatis, quis pro te sic se indifferenter opposuit Inimicis, & exposuit periculis? Nunquid non scriptum est:

Deut. 34. *Quia non surrexit Propheta vltra in Israel, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atque portentis quæ per eum misit vt faceret in terra Ægypti, Pharaoni & omnibus servis eius, universaque terra illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israele.*

Vt mihi videtur, amandus quidem es super omnia, sed nihilominus & timendus. Amantium enim vitia non palpas sed emendas, & aculeus tui timoris, impunita non transit, etiam errata diligentis. O Moyses amicus est qui minatur, ideò non timendus. Omnipotens est qui loquitur: ideò non provocandus. Deus est qui decernit, ideò iustus arbitrandus: amicus legem amicitiæ non prætergreditur, vt in finem ab amico recedat. Omnipotens ergo & misericors, fortè idcirco terram morientium negat, quia ad cœlum Moysi animam sublevat. Deus hoc in præsenti ad purum excoquit, quod ad æternitatem veniendi impedimento esse animadvertit. Videat ergo Moyses terram pro qua iuravit Dominus Patribus suis, tanquam panem triticeum & non comedat, non intrando; sed comedat, moriendo in terra Moab (fortè propter peccatum, ad aquam contradictionis commissum) panem hordeaceum. Ecce quinque panes hordeaceos tetigimus, & in mensa posuimus, sed vberiores reliquias adhuc intactas reliquimus, semper enim, quò frequentiùs tanguntur exponendo, tanquam frangendo, eò abundantius succrescunt, fideliter intelligendo.

CAPVT XII.

De Pane Lugentium.

POst panem hordeaceum, & loco & merito sequitur panis Lugentium; nam Moyse mortuo, quis non dolebit, quis non lugebit? Beati verò qui mortem Moysi (id est, defectum Legis) lugent, quoniam Rectorem habent IESVM pro Moyse, gratiam accipiendo pro Lege. Panis itaque Lugentium, abundantia est lachrymarum, sicut enim panis esurientem, sic lachryma reficit animam dolentem. Deficit esuriens sine pane, lacerata languet anima, sine lachrymarum effusione. Panis mitigat famem, lachryma lenit dolorem. Non vero semper, non vbique & non ab omnibus manditur panis iste lachrymarum. Nam Angelus qui nunquam peccavit, & Adam priusquam peccaverit, panem istum non manducavit. De fonte igitur, peccatorum vena exiliuit omnium lachrymarum. Mirum tamen in hoc artificis Dei ingenium, vt lachryma de venis erumpens peccatorum, profusa humiliter, absorberet omne peccatum. Plane sic de peccato damnatur peccatum, si aqua compunctionis extinguit ignem illicitæ delectationis.

Demergit lachryma populum criminum, rupiumque nostri pectoris solvit duritiam, iudicis emollit iram, iam intentatæ iræ, humili ausu flectit minas v... bratas revaginat acies, erecta jam resupinat suppl... exundantes irrorat flammas, profundit de silice aq... Remollit aspera, rigida recurvat, humectat arida, st... rilia fœcundat, sordida lavat, decorat fœda, suscit... emortua, reserat clausa, prohibita accelerat, inten... perata temperat: portas restringit Inferni, carbones ex... tinguit ferreæ fornacis. Quid plura? Vincit invincib... lem, ligat Omnipotentem, naufragium est vitiorum portúsque naufragatorum. Filium Dei ad nos inclin... & ad veram Trinitatem, interveniente spiritu nos el... vat. Hunc panem lachrymarum, Adam comedit in ex... lio; Noë in diluvio; populus in Deserto; Ezechias ... lecto; Iob in sterquilinio; David in adulterio sive h... micidio; Petrus in negatione; Maria Magdalena, ... corporis sui prostitutione, Latro in crucis suspensio... Quare? Vt anima renovetur vt insequens hostis dem... gatur. Sathan enim tolerabiliùs sustinet flammam su... quàm lachrymam nostram, acriúsque contriti co... dis lachryma, quam flamma infernalis incendij to... quetur.

Dum fundit peccator lachrymam, recludit adver... rium in flammam; Vrit certè adversarium refrigerium nostrum. Tormentis siquidem nostris delectatur, do... ribus refrigeratur, effusio nostri sanguinis est ei poc...

A *quam peccatoris lacrymas.*

mellis. Flumina omnia absorbet, sed hanc tamen aquam non absorbet: rumpuntur namque ventris eius interiora, si conspersa fuerint hac aqua. Dentes excutiuntur, fauces perforantur, venæ inflantur, & nervi eius solvuntur: non tamen hæc operatur omnis liquor profluens ex oculis, sed humilitas procedens ad publicum, navigio lachrymarum. O lachryma humilis; *Tua est potentia, tuum est regnum.* Tribunal judicis non vereris amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, quandoque sententiam rapis, etiam ab ore judicis! Audes vbi timet Angelus. Non est qui te perturbet ab ingressu secretorum, ab interpellatione pro culpis reorum, non est qui accedere vetet. Sola si intraveris, nunquam tamen sola vel vacua redibis. Reatuum indulgentiam refers, innocentiam deperditam reparas, exules revocas, innocentes coronas. Aqua hæc Paradisum irrigat; Ecclesiam vt sit sine macula lavat. Aut facit, aut invenit Paradisum. Cùm enim profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur, B fructum vitæ facientia. Nunquam virtutes aut veniunt aut diu vivunt sine cordis irrigatione. Nam si in corde Luc. 23. 31. viridi quotidiè irrepunt tentationes, *In arido quid fiet?* Si etiam post lachrymam, vermis corruptionis mentem corrodit, quæ consumptio ariditatis illius, vbi nunquam Dominus pluit? Si ros gratiæ præ tædio aliquando arescit, quid vbi nunquam ros venit?

Habeat igitur Patriarcharum studiosus imitator, puteum in Paradiso, fontem in horto suo, rivos in prato suo. Equidem cum profundas profundis lachrymas in recordatione gravium peccatorum, aquam de puteo 4. Reg. 2. hauris: cùm verò defles quotidianos excessus de fonte sumitur potus. Diversos diffundis rivulos, cùm in mensura & pondere appendis cogitatus vniversos. Omnis plātatio nostra, sine aqua deficit: omnis sterilitas crescit. Alicubi tamen etiam in aquis ipsis, sterilitatem, imò steriles aquas legimus. Jerico steriles habebat aquas, cùm Helisæus sua benedictione nondum illas sanaverat: qui veniens, & à filiis Prophetarum querimoniam super C aquarum malitia suscipiens, in novo vase aquam cum sale commiscuit, & aquarum sterilitatem propulsavit. Sic, sic humana natura juxta defectum suum, fidei & bonorum operum viriditate carens, filij altissimi aduentu ab ariditate sua liberata est; & multùm delectabilis ex successu virtutum reddita. Vas enim fictile & novum, novum est corpus Christi de Virgine sumptum. Sal *Lachrymæ steriles quænam sint.* infusum aquæ, Divinitas vnita corpori, anima mediante. Sic aqua sanavit aquas, sed aqua cum sale aquas cum sterilitate; sed aqua benedictionis, aquas profusæ maledictionis, sed aqua dulcis, aquas totius amaritudinis. Non bibamus, sed effundamus aquas steriles, nam intestina torquentur ex potatione steriliū aquarum, quia venter animæ conturbatur pro inutili adquisitione rerum sæcularium. Plus autem ariditatis quàm vivificationis conferunt, quæ per simulationem lachrymæ defluunt. Sterilis est omnis effusio lachrymarum quæ non effunditur propter Regnū cœlorum. Inanes sunt lachrymæ, quas damnum vel incommodum extorquet temporale.

D *Lachrymarum quodnam esse debeat subiectum.* Non igitur aqua de Jerico hujus mundi, sed de Paradiso, sit tibi panis & refectio. Nam flendum solummodo est, aut pro peccato commisso, aut pro amisso Paradiso. Hoc est enim quod ait Scriptura. *Fluvius*, inquit, *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Attendendum, vel Gen. 2. saltem suspicandum in loco doloris, vbi sit & quis sit *Spiritualis & carnalis voluptatis antithesis.* locus voluptatis. Locus voluptatis, in Deo est, & Deus est. Cùm igitur audis, in Deo, vel Deum esse voluptatem, non carnis sed cordis cogites delectationem. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*; quia neque vnam Ioan. 4. originem; neque eundem finem habent delectationes Spiritus & carnis, nihilominus non pariter cohabitare summa illa voluptas, cum nostra infima: nam illa mundat, ista inquinat, illa Deo copulat, ista à Deo separat, illa semper sine fastidio, ista plena tædio. Poterit autem ille dicere quid sit illa voluptas, qui diffinire poterit quid sit æternitas. *De loco voluptatis*, inquit, *fluvius egrediebatur ad irrigandum Paradisum*! Bene talis locus tali E flumine irrigatur! qui enim irrigatur, Paradisus est, qui irrigat, Paraclitus. Prorsus, nec alio irrigari Paradisus, nec alium debet irrigare Paraclitus. Illo fluvio apud Superos nihil excellentius, isto loco apud terrenos, nihil cælestius. Ille fluvius voluptatis, iste locus deliciarum: Ibi vna voluptas, quia vnum & invariabile propter æternitatem desiderium, hîc multæ deliciæ, quia multa & diversa desideria propter alternationem diversorum motuum. Illa vna voluptas, non solùm in se continet istas delicias, sed etiam majus est quod præter ipsas delicias habet, quàm sit totum collegium ipsarum deliciarum: dum enim ad Deum tendis, multæ in itinere occurrunt antequam pervenias ad vnum Deum, gratiarum deliciæ.

Cùm autem ad ipsum perveneris, non gratias sed gratiam, non delicias, sed voluptatem vnam habebis. Singuli beatorum Spirituum navigant (immo nudis intellectibus natant) cum suavitate in fluvio isto, & quantò profundiùs immerguntur, tantò liberiùs & suavis æterna F fœlicitate fruuntur. Cùm ex eo impleverit quisque lagunculam desiderij sui, non tamen angustat aut retardat impetum fluminis Dei. Seraphim primo & præcipuo haustu sua incendia vberiùs accendit, quia dilectionem nutrit non extinguit. Cherubim, pleniori scientia debriati, fructus suavissimos in vicinia sua emittunt, quia aqua sapientiæ salutaris de Spiritu Dei procedit. Throni abundantiori æquitate impleti, mitiùs injustitias hominum judicant, quia spiritu pietatis molliti causas reorum semper benigniùs pensant. Dominationes modum imperandi, ab eodem spiritu accipiunt, nec aliter vel vltra quàm jubentur dominationem suam extendunt. Principatus, curam & dignitatem officij delegati, inspiratione hujus Spiritus apprehendunt. Potestates, vt quæ in vtilitaté nostram valent, possint, in isto Spiritu mutuant. Virtutes vt ad imitationem Dei miracula faciant, à Dei spiritu accipiunt. Archangeli vt summa nuntient, in cella vinaria audiunt. Angeli vt nostræ G protectioni sufficiant, ab eo *qui omnia operatur vnus* 1. Cor. 12. *atque idem Spiritus*, habent. Eccé, *fluvius qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*, quid significet vt potuimus breviter explicavimus.

Restat explanandum quid sit quod additur, *qui inde dividitur in quatuor capita.* Invalida est mens, mole corporea oppressa, illos gratiæ impetus suscipere quibus angelica natura in superioribus Dei inebriata, intus & extra solet effluere. Dispertitur perinde ad mensuram nobis illa gratia quæ humanam exuperat mensuram, non pro largientis aut largitionis parcitate, sed pro vasculi modicitate. Vter namque animæ fortè rumperetur, si incapabiliter gratia superfunderetur. Solet si quidem anima debilis non solùm rumpi superinfusione gratiæ, sed etiam liquefieri charitatis fornace. Bene autem fit animæ quæ sic infunditur, quia cum influente gratiâ, incipit fluere, immo ad bonitatis principium recursu jam familiari fluere. Sic intrat & exit ad imperium Regis; intrans domum æternitatis exiens ad atrium immortalitatis. Antequam verò superveniat gratia, non est pax intranti vel egredienti. Ex quo enim Paradisum exivit Adam in prævaricatione sua, pax ad eum non venit, nisi præeundo deduceretur gratia.

Christi Mater, tota Deitatis gratia ex privilegio, superfusa est: Donorum quæ Deus hominibus largitus est quatuor capita præcipua. H

Quia igitur simul collecta gratiæ plenitudo, nullatenus creaturæ humanæ capacitate potest apprehendi, Ephes. 4. 7. in quatuor capita dicitur dividi, privilegio tamen Filij sui, supra totius creaturæ meritum Mater Dei aspersione Spiritus sancti, totâ Deitatis gratiâ, est perfusa. Quatuor igitur sunt capita vnius & indivisibilis gratiæ, cùm tamen vna sit semper in se, & vnum caput habeat se. Cùm enim *vnicuique nostrum datur gratia secundum mensuram donationis* CHRISTI, in nobis partitur gratia, quæ nunquam in se dividitur. A primo capite, habes animam ad imaginem & similitudinem Dei: à secundo capite habes Deum ad imaginem & similitudinem hominis, à tertio capite, habes visibiles species panis & vini transformandas in invisibilem substantiam corporis, IESV,

Visibiles species in invisibile Christi speciē transformantur. Rom. 8. 21.

iam

A iam in cœlis glorificati. A quarto capite, habes spem evadendi à natiuitate ista mutabili & corruptibili, *in libertatem gloria filiorum Dei.* In primo, creatus homo, in secundo redimitur, in tertio sanctificatur, in quarto glorificatur. In primo bonitas, in secundo pietas, in tertio veritas, in quarto gloria. Ciuili seditione spiritus & carnis composita, & motuum interiorum omni tumultuatione sopita, solemnibus epulis, mensa lætantium est componenda, & non ampliùs certè olera herbarum apponenda.

CAPVT XIII.

De Pane Lætantium.

Exod. 15. 1. DEmerso Pharaone cum equitibus suis in marit Moyses cecinit carmen Domino, & ait: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem eius proiecit in mare, &c.* Hoc canticum

B lætitiæ panis est lætantium, sicut enim pane reficitur corpus, ita exultatione Spiritus. Vnde Salomon:

Prov. 17. 21. *Spiritus tristis exsiccat ossa, Spiritus hilaris impinguat medullas.* Nunquam autem verâ exultatione repletur anima, nisi liberata ab hac peregrinatione, in qua affligitur tribulatione magna. Quæ enim potest esse exultatio, vbi est continua tribulatio? Patitur siquidem anima à corpore, patitur à Mundo, patitur à Diabolo, patitur & à seipsa. Vbi ergo tot & tales sustinet passiones: vnde poterit edere lætitiæ panes? Prorsus inter serpentes & Scorpiones, non habet nisi hordeaceos panes. Transeundum igitur mare rubrum, vt comedas panem mundum, transi ignem & aquam vt plenam habeas lætitiam. Hoc enim ostensum est in Apocalypsi, ab Angelo, Ioanni: qui cùm ostenderet quosdam stantes ante Thronum, & quæsisset qui essent non vt disceret, sed vt doceret

Anima humana patitur & opprimitur à multis.

Apoc. 7. 14. subiunxit. *hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine Agni,*

C *ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte.* Venerunt, inquit de tribulatione magna.

Si Martyrum recolas passiones, reverà invenies eos passos magnas tribulationes. Alios enim legimus in cruce appensos, alios capite truncatos gladio, alios vivos excoriatos, alios in equuleo tortos, alios niuali glacie submersos, alios sagittatos, alios lapidibus obrutos, alios publicè verberatos & vt breviter dicam, quicquid penè potuit excogitare hominum malitia, totum sustinuit Sanctorum patientia. *De magna* ergo *tribulatione venerunt*, qui fidem veram & patientiam firmam in passione seruauerunt. *Lauerunt*, inquit, *stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine Agni:* reverà enim sanguis Agni, est sanguis Sanctorum innocenter occumbentium. Qui pro Agno patiuntur, Agnum in passione imitantur, nam Agnus iste in innocentia sua passus est. Nota agnum non hœdum passum, cùm enim pro peccato suo aliquis patitur, hœdus patitur, cùm autem sine peccato, agnus. Quia

Martyres passi sunt gravissima.

D ergo CHRISTVS sine peccato passus est solus; vt agnus passus est. Et quia passio CHRISTI, redemptio est totius Mundi, non immeritò dicuntur Sancti, loti & dealbati in sanguine Agni. Isti igitur sunt qui panem lætitiæ comedunt quos de præteritis, non remordet conscientia, de præsentibus non torquet tristitia, de futuris nulla minatur potentia.

Nec soli isti comedunt panem lætitiæ, sed etiam illi qui ciuili seditione Spiritus & carnis compositâ & motuum internorum omni tumultuatione sopita, solemnes epulas iam præsumunt de mensa lætantium, nec ampliùs certè olera herbarum sumenda sunt ab infirmis, sed olivæ gratiarum gustandæ à sanis & carnes agni, sed sine lactucis agrestibus accipiendæ. Calix vini non mixti, sed meri epotandus, sine paleis grana; oleum sine amurca, ros sine spina, nucleus sine testa, natum sine culpa. Venator interemptus, laqueus contritus, tumulus mortis elisus, lacus reclusus, nouissimus cum morte occumbit destructus Inimicus. Vincula colli soluuntur, compedes expediuntur, carcer reseratur, reus educitur. Pater occurrit filio reuertenti, in amplexus ruit, pudorem prostratæ, immo præreptæ pudicitiæ, ignoscendo resarcit, cilicinâ tunicâ exuit, stolâ induit, anulum imponit, pedes vestit, mensam ponit, vitulum saginatum occidit, prandium parat & filium optimè pascit, exultat domus, lætatur Dominus, non intrat æmulus nullus intus esurit famelicus.

O conuiuium pinguium, paterna administratione! ô conuiuium medullatorum & vindemiæ defæcatæ, mirabili congaudentium solemnitate! quid dabitur vt ad te intretur? Quid, inquam, dabo vt ad te veniam & me reficiam? *Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo hoc tibi* pro te *do*: Quid? palatum apertum, stomachum vacuum, fauces esurientes, oculos præ inopia languentes, manus patentes, pedes veloces. Tantùm pasce & sint tua ista pecora mea. Oro vt ibi semper adsistant, nunquam absistant. Nam si absistant deficiunt, si adsistant reficiuntur. Oculi mei semper ad te, manus in ministerio, pedes in obsequio, cætera in conuiuio. Salutiferũ est quicquid est in hac mensa, beatitudinis alimenta sunt, quæ in hac ministrantur. Virtus Charitatis, pro pane hic assumitur, virtus Fidei, pro pisce; Virtus patientiæ, pro carne; Virtus pietatis, pro pinguedine; Virtus humilitatis, pro olere; Virtus veritatis, pro vino; Virtus contemplationis, pro voluptatibus; Virtus mortificationis, pro venationibus. Exhibet vnaquæque Virtutum ientaculum, hoc est prandium nuptiale quod Rex Filio parauit in desponsatione sua, bonus nobilior est quò inuitantis apparatus, eò feruentior invitatorum occurrit appetitus. Appetitus non satiatur gustu, *nec oculus visu, nec auris auditu.*

De huius conuiuij loco dixit *Auditor sermonum Dei qui visiones Omnipotentis intuitus est, qui cadit & sic aperiuntur oculi eius, quam pulchra tabernacula Iacob, tentoria tua Israël, vt valles nemorosa, vt horti iuxta fluvios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas, fluet aqua de situla eius, semen illius in aquas multas.* Sic loquitur, qui sic audit; qui sic videt: sic audit qui sic videt, sic videt qui sic audit. Cauendum ergo sic, vt sic videamus; videndum sic, vt sic audiamus, audiendum sic, vt sic loquamur. Quid autem est *sic* & *sic*? Non sequitur *sic* nisi præcedat aliud *sic*. Non contingit alicui sic loqui nisi audire præcat, nec subsequitur auditus nisi præueniat visus. Visum non recipit qui non cadit. Humilitas in casu, in visu intelligentia, obedientia in auditu, in locutione, firma doctrina accipitur. Sic charitas ordinatur sic tempora disponuntur: nam non sequitur dies, nisi aurora præcedat, aurora non venit, nisi nox transeat. Sic vox verbum præcedit: sic Lucifer Solem; sic vmbra veritatem; sic virtus virtutem, sic gratia bonam operationem. Solent proinde quædam virtutes præire; quædam sequi, quædam opus bonum comitari.

Fides semper in procinctu castrorum spiritualium obstantem aduersarium cornu impetit, aduocat deinde iuxta latus suum, exercitum bonorum operum, quorum circumuallata fortitudine, rumpit & irrumpit acies aduersantes. Præparat deinde & Prudentia enseum suum consortat quoque Fortitudo brachium suum: Iustitia vallum iacit & muros subvertit; Temperantia ad dedicationem turmas congredientium cogit. Ordinantur acies virtutum & præparantur in clypeis & lanceis adversus castra vitiorum. De castris virtutum ejicitur virtus quæ præter ordinem evagatur: Perdit enim virtutis nomen quæ egreditur ordinem. Virtus igitur non est, si ordinata non est. Quamobrem, ad sonitum tubæ Euangelicæ mouentur castra & crucis sequuntur vexilla. Inepti quæ iacula confessionis, in equis feruntur mortificationis. Quid ad hæc turba vitiorum? Ordine confuso, præceps rapitur ad bellum. Denique confundunt voces & permiscent ordines, incentiua vitiorum. Rursus lentis gressibus & incessu composito procedit ad bellum, exercitus Virtutum, quò tamen tardiùs venit, eò instantiùs ferit *non conuertar*, inquiens, *donec deficiant*. Et bonum quidem est vt vitium à virtute perimatur, sed malum est, vt vitiosus virtuti aduersetur.

A Ios 5.14. Gen. 3 7. Ioan. 9 Quod si virtus lacessita in aliquo, ex adverso steterit, iinco procumbendum cum IESV Naue, & de reconciliatione prorsus erit agendum. Eius nempe qui ita cadit; aperientur oculi, non quomodo primis hominibus, per prævaricationem, sed quomodo cæco nato, per CHRISTI illuminationem. Serpens namque oculos aperit ad concupiscendum: Christus ad cognoscendum & glorificandum Deum. Serpens aperit vt rapiat, Christus, vt eripiat. Procidens itaque ad vestigia virtutum, lumen recipit oculorum. Humiliatus audit sermones Dei, illuminatus, videt visiones Dei, & dicit visionem: Num. 24. 6 *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria Israël, vt valles nemorosa, vt horti iuxta fluuios irrigui.* Nescit Iacob tabernacula vitiorum: semper aut domi habitat, aut in tabernaculis Domini virtutum militat. Hic est verò animus simplex innocentia, purus munditiâ, non hispidus versutiâ, non pilosus nequitiâ: gratus in obsequio, fidelis in commisso, providus in officio, constans in incepto; patiens ad contumelias, sapiens ad placandas iras, cautus ad effugiendas insidias, discretus in B regendis gregibus, devotus in muneribus offerendis, tectus in sermonibus ordinandis, pronus ad obedientiam, promptus ad reuerentiam, largus ad munificentiam, fortis congrediens cum Angelo, humilis succumbens Deo, inimicis formidabilis, amicis amabilis, plenus in benedictionibus, parcus in maledictionibus. Hic est Iacob, Gen. 27. 5. maternis machinationibus, paternam præripiens benedictionem, & fraternum evadens furorem.

Fugiens quoque ad Laban auunculum suum in ipso itinere, caput, lapide supposito: *vidit scalam* ad cœlum Gen. 28 12. erectam: *vidit Dominum innixum scala, vidit Angelos ascendentes & descendentes*: & surgens de somno, ait, *verè Dominus est in loco isto, &c.* Quæ autem sunt tabernacula Iacob, nisi exercitia animi luctantis & pugnantis contra vitia carnis & suggestiones inimicitiarum? enim habitat Iacob in tabernaculis, quousque soluantur vincula carnis. Habitans denique anima in corpore, ho- *Anima* C *hostes.* stium circumvallatur multitudine. Aggreditur siquidem eam concupiscentia, scutum arripit ira, lanceam luxuria, gladium inuidia, clypeum temeritas, equum iactantia, calcaria impatientia, galeam superbia. Hæc sunt tabernacula siue castra Philistinorum, detestabilia sicut tabernacula Cedar. Habet è conuerso Iacob tabernacula sua, contecta pellibus arietum rubricatis, seu pellibus hyacinthinis, totum se mortificans, & ad cœlum toto corde conuolans: habet saga cilicina, humilitatis spiritus, habet cortinas, decem mandatorum, habet in ansulis, concordiam, in circulis aureis, perpetuam claritatem. Habet tabulas stantes, per ampliatum cordis desiderium, animas tendentes semper ad Dominum. Habet bases Prophetarum, vectes quoque Prædicatorum. Habet super hæc omnia, velum de hyacintho, purpura, coccoque bis tincto & bysso retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum, quod est cœlum intra quod recipi desiderat omnis Ecclesia Sanctorum.

D O Iacob, ecce quàm pulchra tabernacula tua, vtinam & *dilecta*! Quare etenim non essent beata, si pulchra atque dilecta? Sed fortè ideo nondum dilecta, quia plurimùm adhuc laboriosa, cùm enim fuerint quieta, & pulchra, tunc erunt dilecta & beata. Dum verò non solum tabernacula, sed etiam tentoria sunt, pulchra quidem eatenus sunt, vt spectaculum sint mundo & Angelis & hominibus, sed nondum dilecta, quia supra modum & supra virtutem gravantur, ita vt tædeat eos vivere. Tabernacula itaque sunt propter peregrinationem, pulchra, propter dilectionem; tentoria, Num. 24 6. propter mortificationis extensionem. *Vt valles nemorosa*, propter sui abiectionem, & ab oculis hominum Num. 24 remotionem: *Vt horti iuxta fluvios irrigui*, propter Fidei & omnium bonorum operum iocundam amœnitatem: *Vt tabernacula quæ fixit Dominus*, propter propositi stabilitatem, quasi *cedri propè aquas*, propter contemplationis altitudinem. *Fluet aqua de situla eius*, propter Filij de Virgine incarnationem: *Semen eius in aquas multas*, propter Gentium conversionem. E

CAPVT XIV.

De Pane Filiorum.

FActa distributione ordinis inferioris familiarum, explicandus est iam apparatus mensæ filiorum: *quan-* Hebr. 1. 4. *to enim differentiùs præ omnibus aliis nomen* Filius *hæreditauit*, tantò cumulatiùs gloriosiori priuilegio, lautior & largior apparatus in eius mensa debet apponi. Prima & ampla est mensæ huius gratia, qui non ancillaribus officiis disponitur, sed sapientiæ & gratiæ ordinatissimis actionibus procuratur. Certè nulla ibi internenit negligentia, vbi procurationis ministra est sapientia. Nullæ ibi offensæ, vbi ministerium delegatum est gratiæ. Harum altera coquinæ, altera præest mensæ. Quod in quoquina disponit Sapientia, hoc in mensa, F apponit gratia. Sapientia disponit coquenda fortiter: Gratia edenda apponit suauiter. Salem infundit Sapientia, sagimen siue oleum Gratia. Abundanter bullire facit sapientia, quæ temperanter novit refrigerare gratia. Laborantibus instat sapientia, quiescentibus adstat gratia. Sapientia accingit fortitudine lumbos suos, gratia ab vbertate satietatis, relaxat sinus suos. Meritorum appendit sapientia labores, præmiorum gratia rependit mercedes: Cuius in fame cœlestis desiderij appetitum ampliorem considerat sapientia, huic in mensa conuiuij pleniorem discum in remuneratione infert gratia. In ollis suis decoquit laborum diuersa pulmenta sapientia, in mensis suis septem panes gratiarum superponit gratia. De horto denique & irrigatione sua, sanissima & suavissima profert sapientia olera, de apothecis suis, panes delicatissimos reportat gratia.

Intremus igitur in coquinam, non in vestitu candido angelicæ vocationis: sed in sordidis (videlicet agendæ pœnitentiæ) vestibus IESV Sacerdotis magni, quæ G per dealbationem gratiæ baptismalis seu pœnitentialis, in omni gente & populo, tollentur ab eo & dabitur ei, per innouationem glorificatæ immortalis cidaris mūda; & sic videamus ollas & pulmenta in ollis sapientiæ, Duæ siquidem sunt ollæ in coquina sapientiæ, quæ sunt duæ tabulæ continentes mandata vitæ. Sunt autem mandata decem, descripta in tabulis, quasi pulmenta minutatim incisa in ollis, quia præparamentum seu reparamentum æternitatis, comparatur ex tabularum mandatis. Ab ollis extrahimus pulmenta, cùm de Tabulis sumimus mandata. In corde, velut in horto suo, excogitauit hæc humanæ salutis remedia diuina sapientia, & quando digito suo scripsit in Tabulis, tanquam minutatim intercidit in ollis. Coquina est mons Syna, filij quibus parantur hæc fercula, filij Iacob siue Israël, non in carne, sed in spiritu: De his enim dictum est in Euangelio, *quia non est bonum sumere panem filiorum, & mit-* Matth. H 15. 26. *tere canibus* gentium ad manducandum.

Mensa filiorum, mens est bonorum: domus Synagoga vel Ecclesia: Ministri, Angelus & Moyses. Occidunt autem non reficiunt, legalium præceptorum pulmenta; cum degustata fuerint sine gratia. Sic enim clamant filij Prophetarum ad Helisæum, qui interpretatur, Domini salus: *mors, in olla vir Dei*. At ille iubet infundi Euange- 3. Reg. 4. 41. licam farinam & compescit lædentem malitiam. Mortiferum namque est etiam in Legis littera, præceptum legalium obseruantiarum, nisi gratiæ affuerit salutare lenimentum. Vbicumque verò superuenerit gratia, omnis statim difficultas propulsatur, seu malitia. Certè quamquam docendo, quid facere debeas docuerit sapientia; aut parum aut malum est nisi internenerit gratia. Parùm, quia scire quid faciendum sit & non posse facere, minus est ad vitam: Malum, quia *scienti bonum & non facienti,* Iac. 4. 17. *peccatum est illi.* A sapientia igitur doceamur à gratia iuuemur. Doctrinam requiramus à sapientia, vehiculum à gratia. Coquat pulmentum sapientia, condiat gratia.

Hæ

A Hæ sunt duæ manus tuæ, hæ duo brachia tua IESV; alio redimens nos à malo, alio replens bono; alio mortem destruens, alio vitam conferens; alio vincens hostem, alio liberans hominem.
Ps. 118. *Manus tuæ* istæ *fecerunt me*, creando, *& plasmauerunt me*, redimendo. Altera istarum *sub capite meo*, ne deficiam; alia amplexetur me, vt viuam; alia mecum laboret, alia secum collocet, alia de nocte surgat, & *det cibaria ancillis suis*; alia prædam domesticis suis; alia *stragulatam vestem*, alia *Cingulum tradat Chananæo*. Vtraque simul vestiat duplicibus, vtraque reficiat multiplicibus. *Fortitudo* enim *mea* & gloria mea, *Dominus*, *& factus est mihi in salutem*. In manu forti & brachio extento, ollas iam recurramus, & quid in eis contineatur aspiciamus & accipiamus. Quod itaque primum sit mandatum, quasi pulmentum videamus:
Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis subter*
B *terram*, &c. Ecce primum mandatum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*: ecce & secundum: *memento vt diem Sabbati sanctifices*, ecce tertium: *honora patrem tuum & matrem tuam*, ecce quartum: *non occides*, quintum: *non mœchaberis*, sextum: *non furtum facies* septimum: *non loqueris contra proximum tuum, falsum testimonium*, octauum: *non concupisces domum proximi tui*, nonum: *non desiderabis vxorem proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt*, decimum.

Singula horum, pulmenta siue fercula sunt animarum. Nam nihil necessarium prætermissum, nihil superfluò additum est in his Dominicis decem mandatis. In his anima viuit: sine his moritur Vitale est, quicquid ex his cum gratia sumptum fuerit: Ædificium fidei nostræ his columnis fulcitur, his coloribus depingitur. Si historialiter ista intelligas columnæ sunt, domum erigentes, si moraliter colores sunt, palatium depingentes. In primo itaque mandato moraliter, caueas surreptionem;
C in secundo, errorem; in tertio, mundi amorem; in quarto, impietatem; in quinto, crudelitatem, in sexto, fornicationem; in septimo rapacitatem; in octauo, falsitatem; in nono, mundi cupiditatem; in decimo, adulterij cogitationem. Sapientia, his alimentis nutrit paruulos, his vberibus lactat filios, his pulmentis reficit iuuenes suos. Habemus itaque pulmenta sapientiæ, de oleribus herbarum quæ nunquam decidunt, quæramus & panes gratiæ, sine quibus nulla alia sufficiunt. In vmbra Legis non semel figurantur panes isti, in Prophetis quoque, non tardè inueniuntur.

Quid loquitur Euangelium, nisi septiformem Spiritum? Lege in Euangelio septem beatitudines, tanquam septem gratiæ panes: Lege in oratione Dominica septem petitiones, lege septem panes de quibus pauit Dominus in deserto, quatuor millia hominum: lege in Psalmo septem voces; lege in Isaia septem mulieres; lege in eodem septem Spiritus in flore requiescentes; lege in Apocalypsi Ioannis septem candelabra aurea; lege
D septem oculos, lege septem cornua Agni; lege in Exodo septem lucernas; lege in Propheta septem oculos in lapide vno, lege septimo die Dominum requieuisse; lege septem esse Psalmos Pœnitentiales. Septem quoque lege in hominis compositione conuenire qualitates, quatuor in corpore elementa, & in anima tres virtutes, rationabilitatem, irascibilitatem & concupiscibilitatem. Adhuc etiam præter hæc, pluriora si requisieris inuenies.

O anima, si esuris gratiam, pulsa ad ianuam! si pulsaueris, aperietur: si petieris dabitur, non se abscondit gratia, non latitando fugit, non in fossis se recondit; præsto est, ne quærens fatigeris, occurrit, ne tædio afficiatis; præoccupat, ne conscientiæ pudore verecunderis; excitat ne pigriteris, portat ne labaris; gressus regit ne exorbites, pascit ne in via deficiens præ inopia ægrotes. Docet stultum, quia sapiens; dat intellectum, quia intelligens; præbet consilium; quia nouit mysteria omnium; confert fortitudinem, quia omnipotens; illuminat scientiam, quia mater est omnium scientiarum; exhibet pietatem, quia mel est omnium affectionum; adhibet timorem, quia conseruatrix est omnium bonorum. Quasi enim quidam custos super innumerabiles gazas; sic timor in vltimo charismatum ponitur ad conseruandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosissima pietas; sed facile ab impietate subripitur, nisi timore custodiatur. Scientia, *super aurum & topazion*; sed quo melior, eo ab inuidis appetibilior. Fortitudo in multis nundinis non inuenitur, sed quo rarior, nisi studiosius conseruetur, eo ad rapiendum amabilior. Consilio quid melius? Sed nisi abscondatur & seruetur; quid vanius? intellectu, in cœlis nihil charius, sed si deprauatus fuerit in homine, quid perniciosius? Sapientia in corde viri, nihil sublimius sed si sensibus carnis obscuretur, quid vilius? *Homo* inquit Psalmista, *comparatus est iumentis insipientibus & similis est factus illis*. Melior est igitur bona custodia adquisitorum, quàm impensa opera adquirendorum.

Habeamus bonas & pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi pædagogi, scilicet timoris. Certè, ornata pulchritudo puellæ meæ, appellat concursum impudicæ turbæ, adulter ostium siue cubiculum obsidet puellæ. Dicit, vt egrediatur, promittit vt extrahat, lenocinatur vt pulchritudinem eius aspiciat. Noli filia Iacob, noli sine fratribus exire ad mulieres regionis huius, quia *leo est in via*; Sichem filius Emor iuuenis ardens in concupiscentia tui. Saltem Simeon & Leui, id est, timor præsentium & futurorum, pudicitiæ tuæ semper adsistant protectores, & vltores, ne rapiaris ne capiaris, ne blanditiis delinita, in confusionem nobilitatis tuæ prostituaris. Virgo Israël, si cecideris, Simeon præsentem, Leui futuram intentant pœnam. Alter habet gladium cominus penetrantem prostituta interiora, quia *iam securis ad radicem arboris posita est* alter ense accingitur vtrinque acuto, scilicet feriente posteriora. Vnde, *percussit eos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*. Timor itaque, tanquam auctoritate Tutoris, pupillæ suæ diligentiam adhibeat, ne in aliquo lædatur, ne damno afficiatur, ne procacitate alicuius contaminetur.

CAPVT XV.

De pane seruorum.

QVi facit peccatum, seruus est peccati; ærumna huius sæculi, panis est serui; tamdiu autem durat hic panis quamdiù non *præterit figura huius mundi*: *vanitati, enim*, ait Apostolus, *Creatura subiecta est non volens sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa Creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Ex sententia iusti iudicis, collum superbi peccatoris religatur in hoc sæculo, sub iugo periculosæ vanitatis. Primitiæ namque stipendiorum originalis & actualis peccati sunt retia inextricabilis vanitatis, grauis autem vsquequaque est vanitas, quam non leuigat sanctitas. Incuruat eum oculum rationis ad inferiora, & suspicere sursum negat oculum contemplationis ad superiora. Meminit seruus ille antiquos libertatis discursus, cibaria suspirat Angelica, gratissimi aëris commutata deplorat amplissima spatia. Spinas portat in spinam defixas, sagittas sentit natantes per viscerum medullas. Dorsum suum à pessimis super fabricationibus recuruatum gemit & præcordiis palpitantibus abyssum miseriarum se iam absorbere cernit.

Omni desolatione consolatio durior, cibus vniuersis ieiuniis austerior, vestis nuditate asperior. Indignatur magis de tali seruitute, quam de seruitute; est enim seruitus peccati, seruitutum seruitus. Seruus namque peccati, seruus est tot dominorum, quot vitiorum. Impe-

A tant ei vitia, noo domini, ſed tyranoi; non benitoli ſed mimici. Præſunt, ſed ſine vtilitate imperant, ſed ſine miſeratione; mandant, ſed ſine diſcretione; conregnant ſuper vno, ſed cum diſſenſione Quiſque ſi obtemperatum ſibi non fuerit, latus miſerum ſanguinat, ſi obtemperatum necat; ſub his domininis vita nequior, mors melior, ſi tamen non amarior. Si enim ſeruus petat panem, accipit lapidem; ſi piſcem, ſerpentem; ſi eſcam, viperam; ſi vinum, venenum. Rixantur frequenter, quis oculum, quis manum, quis pedem, quis aliud quodlibet membrum ſerui vendicans ſibi abſcindat. Se in oculis regnaſſe luxoria allegat, voracitas in gula, mendacium in linguæ, crudelitas in manibus, leuitas in pedibus, in auribus vanitas. E contrario, curioſitas oculum, gulam inobedientia, ſuſurrium linguam, manus auaritia, pedes intemperantia, aures iniuſtitia vendicant.

Peccati regnum quale ſit.

B Mallem non habere membra, quamtot ſuppliciorum pendere vectigalia! Inclementius nihil hac exactione, vbi ſolutum ſemper repetitur, innouata cum cruciatibus repetione. Excitando ad malum, non ſatiatur luxuria, experendo ad ſupplicium, non finitur miſeria. Imples luxuriam, & adhuc eſurit, ſuſtines pœnam, & adhuc creſcit. Quia vitium non extinxiſti flammam inextinguibilem tibi infelix ſuccendiſti. Bellandum proinde, imò rebellandum, aduerſus phalangas vitiorum, ne paratis ſine fine tam execrabile ſuper te imperium dæmonum. Quære ergo iudicem, exere cauſam, poſtula judicium, aduocatum implora, expone injuriam, reſer ſententiam, agnoſce Dominum, abdica tyranni principatum. Adeſt iam iudex, poſitum eſt tribunal, circumſtant Senatores, profligant ligatores, more ſuo percurrant allegationes. Serue, dic, age *Seruus*.

Pecca[illegible] ad Dei tribunal.

Æquitatis judex & rector iuſtiſſime apud te cauſarum veritas, non lenocinij penſantur blandimenta, falſitatem deteſtaris, calumniam aſpernaris & temeritatem ſiue
C mendacia præuaricatorum punis. Sola oratio veridica, non phalerata, aures tuas penetrat. Iam enim aduerſarius mendax & pater eius non ſemel redargutus de mendacio, adhuc tamen ſpirat & ſperat præſumptuoſus in eodem fallaciæ artificio. Me autem tam reuerentia tuæ auctoritatis, quam amor veritatis, à præſumptione fallendi cohibet. Rogo hæc oratio mea non reputetur arrogantia, quam exprimit malorum perpeſſorum, non morum peruerſorum intolerabilis patientia. O Domine miſerator & miſericors, intende animæ meæ libera eam propter inimicos meos eripe me Ecce enim narrabo mira, ſed mirabilia, vera, ſed ſeuera.

Cùm nondum aliquid egiſſem boni vel mali præoccuparunt me iſti ſeductores, circundederunt me & *vulneraverunt me.* tulerunt à me lumen oculorum meorum, pedes meos ſupplantauerunt, foderunt manus meas, & oſſa mea conturbauerunt: Adhuc plagæ recentes, adhuc præ manibus cruor, adhuc liuor præ oculis, adhuc plaga tumens, adhuc infixæ ſagittæ. Vide Domine & con-
D ſidera, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Quare ergo non vindicas ſanguinem meum Saluator meus? quare non vindicas me de aduerſario meo? quare in regno potentiæ tuæ talia præſumuntur? quare in regno iuſtitiæ iniuſtitia tam effrænatè debacchatur audacia iſta aduerſariorum, certè ſi proſperata fuerit, alium quam me poſt hæc tentabit. Certè niſi cenſura iudicij tui, poteſtas tam iniqua recluſa fuerit, ipſe tuum ſolium, Domine mi, infeſtare audebit. Vide Domine & conſidera, quomodo tanquam leo paratus ad prædam ſic rugit. Iam eximit de pharetra ſagittas, iam intorquet mendaciorum iacula, ſed obſtrue, obſecro os loquentis iniqua. Iudica cauſam meam Domine, defenſor vitæ meæ. Nolo Domine, nolo multiplicare loqui, quia tuum ſcire meum præcurrit narrare. Tandem de vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates. Ad hæc iudex, dicat & Aduerſarius ſi quid habet. *Aduerſarius*.

Miror, te ſerui mei peſſimi adulatoris ineptias tamdiu ſuſtinuiſſe; cur enim auditur in iudicio qui facilè poteſt argui de perjurio? reprobari denique poteſt duplici argumentu, tam ingratitudinis, quàm perjurij. Nam aduerſus te creatorem ſuum, ingratus præuaricando extitit, contra me emptorem ſe ſubtrahendo, infidelis. Nam vtrumque fecit & te contempſit, & mihi ſeipſum vendidit. Conſumpſit quoque pecuniam meam, mores meos induit, frequenter me per idololatriam inuocauit per innumerabiles dies & menſes & annos; nũ niſi vſibus meis; in mendacio in periurio, in fornicatione, in furto, in ebrietate, in immunditia, in elatione, in inuidia, in gula, in auaritia vixit. Fortè nunc, quia debitum exigo, calumniæ arguor. Eſt ne iuſtum, vt amittam quem tali titulo & tanto tempore poſſideo? Seruus nequam, ex ore proprio iuſte condemnatur; nam meum ſe ab vtero matris teſtatur: Stabo igitur & ipſe ſententiæ. *Seruus*.

E *Dæmonis ante Chr. tribunal Actio cõtra peccatorem.*

Principium verborum tuorum, Sathan peſſime falſitas. Non ſum ſeruus diaboli, ſed Dei, non ſum peſſimus adulator, ſed veri relator, non meas ineptias, ſed
F tuas ſæuitias ſum locutus. Læſum me equidem tam facilitate minoris ætatis, quàm calliditate tui doli non abnego, vtroque verò caſu lapſus, & facilitate videlicet ætatis & odio fraudis, à benigniſſimo & æquiſſimo Iudice peto in integrum reſtitui. Quia verò dolo me ſeduxiſti vt tuam mutuò acciperem pecuniam contra interdictum perpetuum, volo vt reſciſſo contractu non tenear, quia dolus cauſam dedit contractui. Non currit autem in hoc contractu præſcriptio, lege diuina vetante & indulgentiam prorogante dum viuitur in hoc ſæculo. Sic namque cauetur in Legibus æternis: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur a via ſua & viuat*: Ezech. 33.
& alias: *in quacumque hora peccator ingemuerit, ſaluus erit*, hoc iure vtitur, omnis homo. Domine IESV Legem dediſti & in Lege ſic docuiſti, decidat ergo ſeotentia tua, quæſtionum ambiguitates, vt calumniam patiens liberetur, & injuriam faciens condemnetur. Ne autem de
G dolo dubitetur; cõtractus ſi placet ſeriatim recitetur. *Cur*, inquit Serpens iſte ad Euam matrem omnium, *præcepit* Gen. 3.
vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradiſi? cui reſpondit mulier, *de fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu verò qui eſt in medio Paradiſi præcepit nobis ne comederemus & ne tangeremus, ne fortè moriamur: Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam moriemini. Scit enim quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.*

Ecce contractus, ecce dolus; ſi placet, omni probatione firmiora debent iſta eſſe, nam Moyſes publicus tabellarius, in actis publicis ſcripſit, ſufficere itaque debet hoc ad dolum comprobandum. Si tamen & teſtes proferre debeo; Ioſeph probatiſſimum virum ad medium deduco: Iob quoque qui notus Iudici, mul- Iob. 1.
tum commendatur ab ipſo iudice, vt ſic dicat de eo; *in* 22.
omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque aliquid
H *ſtultum contra Deum locutus eſt*. Iſaiam inſuper, nobiliſſimum & Iudici familiariſſimum, cauſæ meæ teſtem adduco. Dic Ioſeph, teſtimonium pro me, imò pro Gen. 41.
genere noſtro tanquam de teipſo. *Furto*, inquit, *ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum*: Quid tu 14. Iob. 31.
Iob, *non peccaui*, inquit, *& in amaritudinibus moratur* 25. Iſa. 52. 4.
oculus meus, ſi declinauit greſſus meus de via, & ſi ſecutus eſt oculus cor meum, appendat me in ſtatera iuſta, &c. Iſaias quoque audet & dicit: *In Ægypto deſcendit populus meus, & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum.* Præter hos teſtes qui ſatis ſufficiunt, quia *in ore trium ſtabit omne verbum*: omnes etiam veraces homines, ſunt in hoc teſtimonio conſentientes. Iudica me itaque Domine, ſecundum iuſtitiam meam ſalua me. *Iudex*.

In ſententia oris mei, circumuentum puerum qui non præſenſerat propriâ experientia, vel exemplo alterius non explorauerat quanta ſit pœna peccati, à Seductoris poteſtate libero, præcipuè propter atrocitatem

pœnæ

A poenæ perpessæ & doli malignitatem: tali tamen conditione vt luat interim seruus, quod præuaricatus est pactum meum, agens pœnitentiam in fauilla & cinere, & cilicio pane hordeaceo, donec veniat qui pro eo sortem totius debiti cum vsura centesima soluat. Confirmata igitur sententia, cœpit æstuare homo, attendens paupertatem suam, & de pretio diffidere clamans, *infœlix* Rom. 7. 24. *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* assistens spectaculis, Filius Iudicis, imò Filius olei, miseriis miseri hominis compatiens, accipe me & vniuersum debitum redde; penes me namque sunt thesauri omnes sapientiæ & scientiæ absconditi. Ecce ego vado immolari pro te nequaquam verò exhorrescas mortem meam, si vis recuperare vitam tuam; nam vita tua pendet ex morte mea. *Seruus.* Si sic necesse est, fiat voluntas non mea, sed tua.

B

CAPVT XVI.

De pane Mercenariorum.

Pictor ille, cuius sedes cœlum, cuius scabellum terra, cuius albi & optimi colores bonum natiuum, cuius nigri & tetriores voluntas rationalis deficiens a bono principio in finem tetettimum, cuius palatium cœli cœlorum, cuius secretarium est quod præ omni intellectu & cogitatione est excellentissimum, tam mirabiliter quam sapienter ordinationem suam disponens, prius in Ecclesia instituit Patriarchas & Prophetas, *deinde Apostolos & Euangelistas*, postea Doctores & Pastores Eph. 4. 11. bonos, ad vltimum etiam seruos & mercenarios ad vtilitatem familiæ suæ habere non recusauit. Vt autem nulla in pictura abusio videtur si post album etiam subniger color supponitur, similiter si cum bonis Apostolis, pessimus proditor Iudas inuenitur, vel Sathan cum filiis Dei adsit, considerata patientia Dei, sine stupore suscipitur. *Mercenarij spiritualis multiplex definitio.* C Mercenarius est, qui Deo non pro Deo seruit: Mercenarius est, qui occasione non veritate Christum adnunciat. Mercenarius est, qui *quæ sua sunt non quæ* Iesv Christi, quærit. Phil. 2. 21. Huius panis est sapientia carnis, seu commoditas temporalis. Hic non comedit panem similaginis filiorum, non hordeaceum seruorum, sed panem porcorum furfuris, siue palearum. Filius enim granum gratiæ, seruus stipulam litteræ, sed mercenarius, accipit paleam sæcularis Philosophiæ vel gloriæ. Filius in sententiis, seruus in sentibus, mercenarius sub sentibus degit. Moyses filium, populus Israel seruum, Heliab cognatus Moysi, mercenarium significant. In numeris enim legitur quod rogauit Moyses hunc Heliab, vt eos duceret per desertum dicens: Num. 10. 29. *veni nobiscum vt benefaciamus tibi, quia promisit Dominus bona Israeli.* Cumque illa respondisset, *non vadam, sed reuertar ad terram meam de qua natus sum: noli*, inquit Moyses, *relinquere nos, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster, cumque nobiscum veneris, quicquid ex opibus quas Dominus daturus est nobis, dabimus tibi.*

D *Mercenariorum spiritualiũ plura genera.* Aspirant pleriqne ad prælationem non vt alios ducant sed vt seducant, non vt viam ostendant sed vt offendiculum ponant: Hi malitia pleni sunt. Plerique quidem ostendunt semitam, sed sedentes præmonent facienda, nihil tamen facientes! Hos possidet pigra negligentia. Alij lucrum temporale tantummodo neglecta commissorum salute, in sublimatione culminis sui cupiunt: Hos trahit auaritia. Alij bona docent, aliquando honesta comparant, sed non bene sed non castè, quia non pro Deo hoc faciunt: sed pro vana gloria: hos nominat Dominus hypocritas & mercenarios. Intende hypocritam. *Praclarè in hypocritas & politices.* Oculum attendit hypocrita, non Deum, faciem, non fidem, pecuniam non gratiam. Non fruitur Deo, sed vtitur tanquam nummo, & nummo fruitur tanquam Deo: Deo emit mundum, Fide nummum, religione sæculum, lacrymis vinum, ieiuniis conuiuium; cilicio linum, silentio plausus hominum. Mirabile dictu! latet iste vt appareat, tacet E vt audiatur; non sequitur, vt consequatur; recedit vt præcedat, fugit vt apprehendat, plorat vt rideat, ieiunat vt satietur. Sic *Camer serpit*, sic obliquando anfractus suos vulpes fraudulenta incedit. Excubat iste ad templum sanctæ vanæ gloriæ, & solemnes vigilias celebrat sanctissimæ auaritiæ. *Hypocritarum orationes.* Sic enim orat: Deus da mihi honorem illum, pecuniam illam; gloriam illam! Commendantur verò orationes istæ multa falsarum lacrymarum effusione & corporis extenuatione.

Potitur fortè aliquando effectu petitionum suarum; sed tunc quid? Commutantur vigiliæ in soporem continuum, abstinentia in comessationem assiduam, fletus in cachinnum, silentium, in multiloquium, mœror in subsannationem. Reuera *oculi* huius *ad Dominum* non semper, sed temporariè donec misereatur eius. Nam etsi in germine, quasi vitis hypocryta floreat: labruscam tamen facit non vuas. Verè simulachrum nefandum optimis coloribus fucatum, & pessima rubigine plenum! F Polita enim falsitas, penè superat in oculis insipientium, ficta similitudine, veritatem contentam nuda simplicitate. Elaboratum quoque mendacium, foliis ficulneis siue tunicis pelliceis retectum, pompa Gen. 3. ambitiosiori gloriatur, quam simplex verum: Virtus verò, in occultis suis pretiosior, emendicatis recusat obfuscari nitoribus. Pudet eam alienis onerari magis quam honorari splendoribus. *Pudendũ est, alienis honorari splendoribus.* Nuda formosior est; aperta, decentior, intuita coruscis luminibus pulchrior, repetita iterum iterumque appetibilior. Plane ad hoc solùm vestitur, ne intemperanter contemplata, oculorum lippitudo reuerberetur. Tactum molliorem aspernatur, blandimentis lenocinantium exasperatur, repudiat simulatorem, hypocritam anathematizat, nescit mercenarium, non reclinat caput in sinu meretricio, sed in reclinatorio aureo, Luce lustrata potius, ipsam illustrat quam ab ipsa illustretur. *Veritas fucum nõ patitur.* Virtus brauium est agonizantium, triumphantium palma, sceptrum repugnantium, corona Sanctorum, Deitatis instrumentum. G Hæc nunquam senescit, sed augmento temporis proficiens adolescit.

CAPVT XVII.

De pane subcinericio.

De pane subcinericio iam tractandum est; ac primum qui sint cineres panem operientes, & quid Ose. 7. 8. sit, panem contectum cineribus (iuxta Prophetam) non reuersati, explanandum est; quis etiam ignis & in qua materia cinerem conficiat inuestigandum est. Vt planius autem & compendiosius summam huius rei prælibemus, ignem esse dicimus concupiscentiam, materiam animam; cinerem mortalitatem, panem hominem, panem versatum hominem in peccatis lapsum; panem non reuersatum & subcinericium, hominem H peccato mortali aggrauatum, nec per pœnitentiam releuatum. Dicimus etiam legem Moysi panem subcinericium esse, quæ dum carnaliter intelligitur quasi cinere operitur, nec eatenus reuersatur, quousque velamen ignorantiæ conuersis ad Dominum auferatur. Dicimus & animam sæcularibus negotiis occupatam, panem esse subcinericium: vt enim cinis excæcat oculos corporis, sic curiositas obnubilat visum rationis seu contemplationis. *Rerum sæculariũ cogitatio impedit contemplationẽ.* Inspiciamus ergo, quo sufflante ignis in flammam erupit & quid vorauerit & quatenus, videlicet vsque ad cineres mortalitatis; quis denique panem cineri supposuerit, scilicet Deus in sententia æternæ maledictionis. Nam donec atteratur hoc mortalitatis opertorium, à tineis quotidiè corrosum & à vermibus confecissum, cinis nostræ mortalitatis non releuabitur & panis non reuersabitur.

Supponitur itaque quanquam nolens panis cineri, dum subiacet homo naturaliter vanitati & mortalitati.

A *Quomodo dicatur homo naturæ mortalis.* Naturaliter autem dixerim hominem subjacere mortalitati, non ex infirmitate creationis sed ex pœna transgressionis. Nam posse non mori habuit ex creatione, mori verò ineuitabiliter, habet ex præuaricatione. Expandit autem ramos suos & propagines suas, ab Adam primo vsque ad vltimum in carne futurum hominem, hæc præuaricatio: *operuitque montes*, id est, prioris æui homines, *vmbra eius*, quæ est mortalitas, *& arbusta eius* Ps. 79. 11. quæ est passio mortalitatis, cedros Dei, id est, Apostolos Christi. Adam enim cum omnibus patribus qui fuerunt ante diluuium, licet prolixioris vitæ fuerint, quasi in superiori vertice temporis, tamen mortui sunt. Apostoli quoque in plenitudine temporis, licet sanguine Agni redempti, licet cum Christo resuscitati, licet vitæ æternæ participes effecti, tamen mortui sunt. *Quis est* Ps. 88. 49. enim *homo qui viuet & non videbit mortem?* Nam etiam *Domini* IESV *exitus mortis*: nec mirum si morimur, Ps. 67. 21. qui cum peccato nascimur, nam *natura omnes* (vt B ait Apostolus) *filij iræ sumus*. Cùm enim Filius gra- Eph. 2. 3. tiæ nihil debens morti, tamen debitum moriendo pro debitorum suscepta conditione soluit, qua ratione mortis nexus effugere filius iræ poterit? Nonne pro semetipso soluere censum mortis debuit? Hoc autem est debitum, vt homo cinere operiatur mortalitatis, quousque à peccato & pœna peccati prorsus liberetur.

Simul autem in fine, & *cœlum reuoluetur & terra renouabitur*, & homo reuersabitur. Cœlum quidem reuoluetur, quia ab officio huius administrationis absolutum, nubes, tenebras & tempestates vltra nullas pariet: Serenissima proinde tranquillitate & amœnitate perpetua veritabit hoc quoque aerium innouatum cœlum in tremendo Aduentu quod interim multis iniuriatur concussionibus & spiritualium nequitiarum fœdatur malignitatibus. *Terra* quoque salsuginis à sanguine & pollutione *inhabitantium in ea*, igneis vaporibus purificata, gloriæ & deliciis deinceps comparabitur & denuo, vt in C antiquitate sæculorum fuerat, terra pacis & vitæ nominabitur. Tunc homo de sepulchro vocabitur, tunc de sinistro latere in dextrum conuertetur: tunc *quod seminatum fuerat in corruptione, surget in incorruptionem, quod* 1. Cor. 15. 42. *seminatum erat in ignobilitate, surget in gloriam, quod seminatum fuerat in infirmitate, surget in virtutem*. Cùm itaque venerit commutatio talis tunc fiet reuersatio: tunc (inquam) panis subcinericius reuersabitur, quia omnis humo resuscitabitur. Sed vnde cinis tam durus tam vilis, tam odiosus? Durus, propter asperitatem passionum, vilis propter abominationem vitiorum, odiosus propter exaggerationem. Durus in morte, vilis in natiuitate, odiosus in mysteriis * huius vitæ. Vilis propter *Forte ministeriis.* culpam, durus propter pœnitentiam, odiosius propter pœnam.

Vnde (inquam) cinis nisi ab igne, vnde ignis nisi à serpente? Et quid ignis cinerem faciens nisi concupiscentia mortem gignens? *Concupiscentia* enim *cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum consummatum* Iac. 1. 15. *fuerit generat mortem*. Vt enim ignis vorans, penè omnia D vsque ad cineres consumit sic ignis concupiscentiæ animam quam tentando tetigerit vrit, quam in consensum trahendo præcipitauerit comburit; quam in fornacem operis recluserit, in cineris combustionem conuertit. Lingua viperea, in animam Euæ, hunc ignem, suggerendo vetitum accendit, pomum ostendendo, afflauit, immortalitatem promittendo conflagrauit, ac demum in peccatum inducendo combussit, & promulgata sententia mortalitatis in cinerem redegit. Hoc cinere non solùm tegitur, sed etiam sepelitur omnis præuaricatorum progenies: hoc (inquam cinere, omnis peccans conspergitur, cibatur, sepelitur. Conspergitur originaliter reus; cibatur actualiter malus, sepelitur interminabiliter damnatus. Neque post mortem, miseratione Dei à pœnalibus flammis ereptus reuersatur, qui ante mortem confessionis & pœnitentiæ conuersione, aspiratione misericordissimi Creatoris non reuersatur. Ecce, Diues ille purpuratus, quia versatus in conuiuio non fuit reuersatus eleemosynæ beneficio, *sepultus* tandem *in inferno*, reuersari non meruit vel vno aquæ stillicidio: La- E Luc. 16. zarus verò, quia paupertate, vlcere & fame est reuersatus in sinum Abrahæ ab Angelis est sublenatus.

Iob equidem decies, in camino tentationis suæ, cinere percussionis opertus reuersatus est, vt ipse testatur Iob. 19. 3. ad amicos suos loquens: *en* (inquit) *decies confunditis me!* & rursum, *versa est in luctum cithara mea, & orga-* Exod. 8. *num meum in vocem flentium*. E contrario, Pharao manu Domini propter cordis sui grauedinem, quamuis decies motus, nequaquam tamen est reuersatus. Primò enim conuertit aquas eius in sanguinem & non est reuersatus à duritia: secundò ranas in penetralibus eorum multiplicauit nec sic reuersauit: tertio Cyniphes musculas *Ciniphes Ægypti.* sæuissimas quæ morsu vrente in æstate capillis hominum inferuntur produxit: quartò muscas caninas, alumnas putredinis vermium matres adduxit, nec emolliuit cor Pharaonis, quintò iumenta eorum occidit & cor lapi- F deum insensibile stetit: sextò tollentes Aaron & Moyses manus plenas cineris de camino, sparsit Moyses in cœlo coram Pharaone & ecce, vlcera & vesicæ turgentea in vniuersa terra Ægypti, nec tamen ab oppressione pestilentiæ suæ reuersati potuit: septimo in grandine cuncta quæ fuerunt in agro vastauit, nec de vastatione sua cor induratum reuocauit: octauò locusta venit, & quicquid residui erat à grandine corrosit, nec à loco iniquitatis suæ, emortuum cor commouit. Nonò, horribiles tenebræ factæ sunt in vniuersa terra Ægypti, ita vt tribus diebus nemo videret fratrem suum, nec se moueret de loco in quo erat; nec illuminari potuit cor à malitia excæcatum. Ad extremum decimo percussit omne primogenitum Ægyptiorum, & tunc licet motus & commotus vehementer fuerit, non tamen ad pœnitentiam seu fidem reuersus vel reuersatus est.

O quàm ponderosum, quàm graue ad leuandum seu reuelandum cor hominis! Laborat manus Omnipo- G potens eripere, nec liberat, verbis præmonet & ver- *Cor hominis difficillimè mouetur ad pœnitentiam: Deique sanctis in hominem.* beribus viget, nec tamen de fouea sua bestiam sæuientem extrahere præualet. O quam pia manus Dei, quæ ideo verberat misericorditer ne puniat crudeliter, ideo flagellat temporaliter ne confliet æternaliter! Pie nunc sæuit vt impios ad pietatem conuertat & impietatem malorum ad iustitiam bonorum reflectat! *Quis* enim *scit* (vt ait Propheta) *si conuertatur & ignoscat* *Deus, & relinquat post se benedictionem?* Conuertamur Ioel. 2. 14. igitur & reuertamus quasi reuersati ad Dominum Deum nostrum, *quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia*. O quanti Sanctorum prius versati & etiam auersati, posteà mirabiliter sunt conuersi & reuersati: Ecce Dauid *impulsus euersus est vt caderet*, & cum adulterio coniungens homicidium, penè deuo- Ps. 93. 14. *Dauidis pœnitentia.* lutus est in infernum, hinc enim ait, *Nisi Dominus adiuuisset me, paulò minus habitasset in inferno anima mea*. Sed manu fortis, quid fecit? quomodo se reuersauit? Statim certè vulneri suo manus apposuit, & medico H curandum humiliter & fideliter, tam celerrimè quàm celeberrimè confitendo peccatum exposuit. *Peccaui* 2. Reg. 12. (inquit) *Domino*: Ecce quem versauerat concupiscentia, ad consensum trahendo, confessio & pœnitentia reuersat, peccatum indulgendo.

Malum equidem est versari, sed pessimum est non reuersari vulneratus qui versatur, curatur, qui reuersatur: versatur fugiens; reuersatus rediens. Probrum est versari, sed opprobrium non reuersari. Diabolus me versat, sed CHRISTVS me reuersat. Malè versat diabolus quia in mortem, bene reuersat CHRISTVS quia in vitam, in infernum versat diabolus, in Paradisum reuersat CHRISTVS, in desperationem versat diabolus, in spem viuam reuersat CHRISTVS. Impatientia quoque versat, sed patientia reuersat. Non bene decoquitur panis semel versatus, nisi frequenter fuerit reuersatus, obfuscatur superjecto cinere vna facies panis non reuersari erudescit alia, remouendus cinis,

&

A Rom. 4. 25. Ps. 18. 3. & reuersandus est panis, vt cor tollatur à terra & illustretur à gratia. *Numquid enim qui cadit, non adycit vt resurgat?* Nam Christus; vt quid *mortuus est* nisi *propter peccata nostra*, aut *resurrexit* nisi *propter iustificationem nostram?* Elapsa quidem (ô anima) de manubrio iustitiæ, per peccatum præuaricationis *in limo profundi* voluebaris: sed ecce Christus, de manubrio corporis animam suam post te, non persequendum non demergendum sed redimendum emisit. Venit vsque ad abyssum pœnarum, quò te perduxerat abyssus vitiorum. Protulit lignum vt enatares, porrexit manum vt euadetes de pœnis in quibus versabaris reuocauit te ad pœnitiam quam auersabaris.

Ecce, quare mortuus est Christus: videlicet vt mortuus, mortuum resuscitaret. Sed quare resurrexit? Certè vt viuens mortuum resuscitaret; certè vt ferrum nostrum ad suum manubrium reduceret, certè vt secum corpora Sanctorum resuscitaret; certè vt viam reuersionis & formam reuersationis edoceret. O peccator si
B sub Pilato (qui interpretatur os malleatoris) passus es cum capite, animæ distractionem & condemnationem, confixionem, irrisionem, aceti degustationem, crucis suspensionem, spiritus emissionem vel potius amissionem, ad inferos descensionem; cur non & resurrectionem? cur non vitæ manifestationem? cur non clauorum & lanceæ offensionem? cur non nouæ vitæ commutationem? cur non denique imitaris gloriosam ascensionem? Sed quis animam vendidit? imò, imò IESV proditor quis fuit? *homo vnanimis dux* eius *& notus*, eius, *qui simul* cum eo *dulces capiebat cibos.*

Concupiscentia carnis, prodit animam. Matth. 18. Iud. 16. 2 Reg. 17. *Passionis* C *Christi ad animæ à dæmone vexat. myst. accommodatio*

O anima mea! vnanimis tuus qui dormit in sinu tuo, caro videlicet tua & os corpus tuum, triginta argenteis appendit pretium tuæ æstimationis, dum vt impleat concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ, velut terdenos argenteos lucrum auaritiæ suæ reputat dispendium animæ. Sicut Iudas IESVM, Iudæis: sicut Dalila, Sansonem Philistum: sicut Absalom, Dauid patrem suum affligendum tradunt: sic te malignis spiritibus prodit carnalis concupiscentia vt perdat vitam, vt fortissimum eneruet, vt de solio regni regem & patrem suum depellat. Denique Pilato traderis ad crucifigendum cum sathanæ condemnaris ad puniendum. Hic te flagellis & scorpionibus cædit, cum præsentibus & futuris pœnis affligit: Clauis suis manus tendit & pedes configit, cùm affectus & operationes tuas aculeis concupiscentiarum illicitarum compungit. Costarum & viscerum interiora lanceâ suâ transfigit, cùm malorum tuorum verecundiam tollens gloriandum in malis persuaserit. Ad extremum in cruce suspendit cum tam in malitia quàm in pœna spiritualibus nequitiis consortem efficit. Qui enim desperat de pœnitentia, quasi pendens desperat de vita. Huiusmodi anima in inferno sepelitur, & cum iniquis dæmonibus reputatur.

Sic processeras, imò excesseras anima & nisi ad tenebras tuas, IESVS misericorditer accessisset, tu semper
D miserabiliter discessisses & nunquam ad lucem veram redisses! Igitur accessit & excepit plagas tuas in corpore suo, vt de plagis sui corporis plagas sanaret tuæ mentis. Præcessisti quidem ad mortem siue ad plagas Dominum tuum, sed sequere ad vitam redemptorem tuum? Si non est dedignatus venire post te vsque ad sterquilinium tuum, cur declinas illum sequi ad cælum suum? Sequere iam resurgentem quia secutus est te morientem? Versatum secutus est sed subsequendus est à reuersato. Primò itaque *surge à mortuis*, deserendo peccata, appare viuentibus, confitendo Prælatis mala tua. Ostende deinde loca clauorum, ostende quomodo latus sit perforatum, age pœnitentiam, renoua vitam vt vltra non
Rom. 6. 9. moriaris peccato, sicut *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Tandem cælum conscende, vt sedeas ad dexteram Patris; raptus per contemplationem & infixus in cælestibus per dilectionem. Ecce, quàm malum est versari, sed quam iocundum est reuersari!

CAPVT XVIII.

De Pane multarum specierum ex Ezechiele Propheta.

E Ezech. 4. 9. AD Ezechielem de confectione panis, qui de multis & diuersis efficitur speciebus loquitur Dominus sic: *Et tu*, inquit, *sume tibi frumentum & hordeum & fabam & lentem, & milium & viciam & mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum, & nonaginta diebus comedes illud.* Quanto panis iste inusitatior, tantò de illo expositio difficilior. De frumento quidem & hordeo panes fieri, non est mirum quia consuetum: Ex faba verò & lente, milio & vicia non panes sed pulmenta sibi homines faciunt: nec ea tunc quoque commiscere sed separare
F consueuerunt, vt fabam separatim & lentem separatim, & sic de cæteris singulis separatim refectionem habeant. Quid ergo ex tam dissimili specierum genere, iubente Domino, commixtio facta innuit, nisi fortè quod populus ille cuius prædicator hoc agebat, naturalem sensum humanæ mentis cum irrationaliũ pecodum animalitate prauè viuendo confuderat? hic enim præuaricator erat, tam naturalis quam scriptæ legis, hic, inquam, vngulam secundùm legem non findebat, quia non rectè
Leu. 11. 3. Hier. 15. 19. diuidebat, quia *pretiosum à vili non* separabat, quia scoriam ab argento non secernebat, quia aquam vino immiscebat, denique non in charitate manebat, in qua pendet omnis ordo, sed in captiuitate carnis & animæ exulabat, in qua solus est error & horror.

Horrida est commixtio fidei & infidelitatis. Ioan. 4. Planè horrenda & abolenda commixtio fidei & infidelitatis, tenebrarum, & lucis, vitæ & mortis, boni & mali. Cùm Creatorem adorat quis *in spiritu & veritate*, habet frumentum, cùm pro temporalibus seruit Deo, hordeum; cum de diuitiis suis siue gloria, siue scientia
G sæculari inflatur fabam; cùm gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem hominis corruptibilis commutando hebetatur, lenticulam; cùm supra quam decet subtilia de Deo inuestigando euanescit, milium; cum non intelligendo, se ad imaginem Dei factum iumentis insipientibus comparatur, viciam siue auenam. Anima verò siue populus tam inconstantis propositi tam varij consilij, tam lubrici ordinis, pro confusione quæ in eius versatur mente ordinata palatur refectione. Vt enim incompositum habitum sui cordis aduertat; parat in oculis eius Prædicator inusitatam confectionem (ne dicam refectionem) nescio panis an leguminis, aut simul panis & leguminis. *Mittes ea*, inquit Dominus, *in vas vnum.* Vas vnum in quo reponitur incompre-
Cor humanum; bona & mala recipit. hensibilis varietas tam cogitationum quam affectionum siue bonarum siue malarum; cor humanum est. Et bene mitti iubentur in vas vnum: quia omnia hominis bona & mala recipit siue concipit cor vnum. Est enim receptibile iustitiæ & iniustitiæ, veritatis & falsitatis, religionis & superstitionis, odij & amoris. *Et facies tibi*
H *panes, numero dierum quibus dormies super latus tuum.* Præceptum fuerat Prophetæ, vt dormiret super latus sinistrum, & postea vt dormiret super latus dextrum: animaduertendum igitur, vtrumque latus quid significet, & quis dormiat super sinistrum, quisve super dextrum. Duo igitur sunt in quibus vel ad bonum, vel malum dilatatur cor, charitas scilicet & cupiditas. Charitas est latus dextrum, cupiditas est latus sinistrum. Dormis autem in dextro latere; cuius cor dilatatur in charitate. In sinistro verò dormit, qui fræna suæ cupiditatis in auaritiam vsquequaque porrigit. Siue autem in dextro, siue in sinistro dormias, panes tibi numero dierum quibus dormies, facies vt siue æternitatis gloriam, siue præsentem & momentaneam delectationem appetas; panes virtutum aut vitiorum promerendo in diem bonorum vel in diem malorum tibi in præsenti via constituas.

Vt verò æterna est gloria iustorũ, sic infinita supplicia

A malorum , & vt habent singula piorum opera dignam
pro meritis remunerationem , sic reprobi pro numero
& modo malorum suorum , æternam sustinent damna-
tionem. Intelligitur quoque Sacramentum Baptismatis,
vas vnum in quo filius hominis indifferenter congregat
bonos & malos, tanquam fruges diversorum ordinum.
In vno enim vase regenerantis Baptismi , divina conse-
cratio insertum quodcumque hominum genus , quasi
frugum & leguminum diuersas species misericorditer
reponit. Satis enim corporaliter tam morum quam stu-
diorum dissimilitudine , hominum alij frumento , alij
hordeo , alij fabæ , alij lenticulæ , alij millio, alij viciæ
conferuntur : dum alij grano frumenti , id est , Verbo
Incarnato quod misit Dominus in Iacob & cecidit in
Israel per charitatis imitationem conformantur. Alij hor-
deo legis Mosaycæ , per assiduam meditationem diuinæ
severitatis pascuntur : alij fabæ , qui per vanam gloriam
mundanæ sapientiæ inflantur. Alij lenticula Sophistica-
rum argumentationum , præsumendo de ingenij sui vi-
B ribus excæcantur: alij millio exquisitarum ratiocinatio-
num vsque ad exinanitionem veritatis evanescendo, ex-
tenuantur : alij belluinæ fœditatis tam vita quam sensu ,
vltima quasi viciarum vel avenæ vilitate oculos ad ter-
ram deprimendo confunduntur.

Curatrix itaque omnium contritionum , & omnium
Vasis & Ecclesiæ analogia mystica. morborum medicina , reparatrix Dei pietas , Ecclesiæ
vas construit amplum , solidum latum & rotundum.
Amplum vt capere non vtilia solum sed inutilia vsque
ad emundationem areæ , non munda tantùm sed & im-
munda sufficiat : solidum vt omnem impetum tam ab
intrinsecis casibus patiens eludat , latum in inferioribus
vt etiam aquarum fluctuationibus non titubet, rotundum
in superioribus , vt vnitatis sectionem nullatenus for-
midet. In hoc vase , bene credendo intrant homines ,
bestiæ & pecora, carnaliter conuersando congregantur.
Semina (id est, mandata Euangelica) prædicando infe-
runtur & victualia, ad omnem animam quæ per fidem ,
Ecclesiam ingreditur promissiones scilicet vitæ quę nunc
C est & futuræ secundum diuersitatem meritorum , satis
Isa 11. ordinatè providentur. In hoc, *vrsus & agnus*, Leo & vi-
Gen. 7. tulus columba & corvus, fidelis & reprobus; *donec tran-
seat* diluvij *iniquitas*, continentur. In huius quoque sig-
Ps. 56.2. nificatione , Petro Apostolo oranti ostensum *est vas lin-
5. teum quatuor initiis submissum de cælo*, in quo erant om-
nia quadrupedia & reptilia, animalia & bestiæ terræ, di-
Act. 10. ctumque est illi , *macta & manduca.* Eo autem nondum
11. intelligente mysterium vasis & continentiæ ipsius , ac ,
cum Ezechiele dicente : *quia commune non intrauit in os
Ezech 4. meum* , audiuit, *quod Deus mundum fecit , tu ne commune
14. dixeris.* Legitur vt cum digna reverentia pallium litteræ
removeamus ; sicut sapiens & fidelis Ruth in libro Iu-
Ruth, 3. dicum fecisse legitur quæ à parte pedum Booz , stratum
7. discooperuit , timens scilicet manum ad caput mittere ,
& contra legis sanctionem caput Sacerdotis discooperi-
Ezech 4. re : quid significet hoc vas vnum in quo Ezechiel Pro-
9 pheta , frumentum hordeum , fabam , lentem , mil-
lium & vicias commiscet , iterum instantiùs videa-
D mus.

Corpus Christi quod est Ecclesia (vt supra osten-
sum est) vas est pretiosissimum , amplissimum , soli-
dissimum , latum & rotundum : Et pretiosiùs qui-
dem est auro , argento & lapide pretioso , quia vt lu-
tum platearum sive vt stercora hæc omnia Ecclesia re-
putat vt Christum lucrifaciat A cuius succinctorio ,
Psal. 8. fimbriæ aureæ dependent & ipsa astat *in vestitu deaurato
cir. undata varietate.* Locus quoque in ea speciosus est
ad manendum quia cœnaculum in quo discipuli parant
Pascha, grande est & stratum , & secundùm Prophetam:
Bar. 3. *Magna domus Dei , & ingens locus possessionis eius* Reuera
24. *extendit palmites suos vsque ad mare*, & vsque ad flumen
Ps. 79. propagines eius : extendit denique pelles suas & dilata-
12. uit funiculos suos in præclaris , vt attingeret à fine vs-
que ad finem fortiter & disponeret omnia suauiter.
Mittit etiam in mari legatos suos *in vasis papyri , ad
gentem convulsam & dilaceratam, ad populum vltra quem
non est alius.* Ecce quam ampla est Ecclesia quæ clamat E
à finibus terræ , *& dominatur à mari vsque ad mare , &* Isa. 18.2.
a finibus vsque ad terminos Orbis terræ ! Solidissimum Ps. 77.8.
quoque est vas Ecclesiæ , quia orbis est qui non com-
movebitur à sæculo & vsque in sæculum, quia *tunica
inconsutilis* est quæ scindi neque ab Arrio, neque à Pho- Ps. 95.
tino, neque à Nestorio sive Eutiche , sive aliis innume- 10.
rabilibus hæreticis potuit , qui quasi pisces mali , rete Ioan. 19.
Dei rumpere voluerunt , sed non prævaluerunt : Subin- 23.
troierunt eum quidam *in vestimentis ovium , intrinsecus
autem* erant *lupi rapaces* , vt perderent & demolirentur Math. 7.15.
tanquam vulpes vineam Domini Sabaoth , sed *portæ* Marc. 16.
inferi non prævaluerunt , sed mallei vniuersæ terræ con- 18.
triti sunt, sed arbores autumnales bis mortuæ eradicatæ
sunt.

Vas itaque tam pretiosum , tam amplum , tam soli-
dum est , figuratiue etiam arca Noe in diluvio aquarum
est in veritate , Ecclesia in medio nationis pravæ & per-
uersæ , seu pressurarum multarum. De cœlo autem
submissum est quatuor initiis , tum propter qua- F
tuor Evangelia quibus initiatur fides Ecclesiæ , tum Gen. 6.
propter principales Virtutes quibus perficitur , tum Act. 10.
propter quatuor animalia quæ apparuerunt Prophetæ Ezech. 1
iuxta fluvium Chobar , vel Ioanni in Apocalypsi , tum
propter quatuor plagas terræ à quibus congregantur
Electi à summis cœlorum vsque ad terminos eorum.
Continet autem omnia animalia quadrupedia, reptilia
& bestias terræ, quia CHRISTVS IESVS venit in hunc
mundum peccatores salvos facere , non tantùm eos qui
de Iudæa , sunt , sed de omni gente , lingua, Tribu, po-
pulo & natione. Ipse enim est qui *vult omnes homines* 1. Tim.
salvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire. Salvat si- 2.4.
quidem superbum , sed priùs humiliatum , salvat ava-
rum, sed priùs ab avaritia liberatum , saluat luxuriosum,
sed castificatum , salvat impium , sed pium priùs fa-
ctum , saluat iniustum sed iustificatum. Sic namque di-
citur , *macta & manduca* , id est. Converte impios ab
impietate sua , & sic conuertendo trajicies ad viscera G
tua.

Petri namque viscera sunt divinæ salvationis recepta-
cula. Non equidem inuisceratur Petro , qui masticatus
non fuerit conuersionis exemplo : dentibus vero Petri
comminuitur , qui fide recepta , se ab errore conuertit :
torquet verò interiora Petri non fovet qui conuersus ad
fidem & Ecclesiam ingressus non corrigit mores , sed
iterat abdicatos errores. Tolerandus inde est, quia con-
uerti in melius potest , & nondum tempus est eradican-
di , sed plantandi. Quicumque ita baptizatur, vas Petri
ingreditur. Baptizatorum verò, neque vniforme est stu-
dium , neque eadem mansio , neque vnus & indissimi-
lis gradus meritorum : sed *alia gloria stellarum , & alia* 1. Cor. 15.
caro volucrum, alia piscium. Diuersa itaque semina sunt, 41.
& plures panes in vno vase, quia *ex multis facierum per-* 1. Cor.
sonis vnum corpus colligitur , vna Ecclesia ædificatur, 10.17.
sicut ait Apostolus, *vnum corpus multi sumus in Christo,* Apoc. 1.
singuli autem alter alterius membra. Nec mirum , si vna Cant. 6.
& multiplex Dei Ecclesia vt Ioannes in Apocalypsi sep- 8.
tem scribit Ecclesiis , & in Canticis vna Columba no- H
minatur ; cum ipsi etiam Spiritui , quo replente divini-
tati per matrimonium copulatur & vxor Agni appella-
tur , non solum vnus , sed & multiplex à Salomone des-
cribatur.

Vnus quidem est Spiritus ; scilicet per essentiam , sed 1. Cor. 12.
multiplex per dona. *Alij* enim *per Spiritum datur sermo
sapientiæ , alij scientia , alij fides in eodem spiritu.* Item
alias: *Diuisiones ministrationum sunt, idē autem spiritus &
divisiones gratiarum sunt , idem autem Deus qui operatur
omnia in omnibus.* Quid igitur ? Non superbiat fru-
mentum de nobilitate generis : non desperet hordeum
de grossitudine ignobilitatis : non infletur faba , vento
elationis , non eleuet oculos vt palpet in meridie , len-
ticula terrenæ hebetationis : non elevetur super se mil-
lium ingeniosæ præsumptionis , non computrescat in
corpore suo, avena vltimæ extremitatis Si de stirpe
Patriarcharum , frumentum es noli extolli. Quod si

extolleris

A extolleris, *non tu radicem* vnitatis & gratiæ, *portas sed radix*, te. Rom. 11. 18. Si *comparatus iumentis insipientibus*, hordeum es non deijciaris, quia benignus est spiritus sapientiæ, Ps. 48. 13 & nouit fertum tollere de terra & in argentum commutare, & humilem de stercore erigere, & cum principibus collocare. Si fama & nobilitate carnis vel sensu carnis inflatus; detumesce, & præsepium seu crucis Iesv recordare. Si lenticula es propter quam Esaü perdidit primogenita sua, visum fidei propter manem Gen. 25. Luc. 17 13 Philosophiam amittens, clama ad Iesvm dicens: Iesv *præceptor miserere mei*, quia *lumen oculorum meorum non est mecum*. Gen. 47. 31. Si millium es, nimia ingenij tui præsumptione, plusquam iustum sit, subtiliatus incurvare & adora *summitatem virgæ* Ioseph: adorans non discutiens sacramentum incarnationis eius, quia factus est pro te qui fecit te, vt reficeret te. Si vicia vel avena seu spelta es; niget videlicet sicut facies ollæ combustæ, leuis super faciem aquæ, asper sicut spina de sepe: apprehende B bonitatem & disciplinam, & scientiam de lege Dei, & habebis locum in vase sive in Arca, sive in Ecclesia.

Ecce tempus & locus non separationis sed commixtionis, non euentilationis, sed flagellationis, non repositionis in borreo, sed excussionis in area. Non est in præsenti latus dextrum in quo quiescentes, pane *Satietas vitæ futura.* mundo & nudo, facie ad faciem, sed gloriam Dei contemplando satiabimur, non in mensura & pondere sicut nunc accipientes breuem & modicam retributionem, sed sine mensura totum videntes & totum bibentes, quod est gloriæ, quod est gratiæ, quod est pacis Ezech. 4. 6. & quod est iubilationis. Interim super sinistrum quiescentes, quibus nos possumus consolationibus foueamus, quibus possumus consolemur, donec à latere sinistro in deatrum conuertamur. A præsenti namque tribulatione & dolore liberari, est a sinistro latere in deatrum conuetti: futuris gaudijs & beatitudine recipi, est in dextro latere dormire. Supponitur læua sponsa C interim sub capite nostro: ne deficiamus in via, panes apponuntur, & si non quales erunt in patria exultantium, saltem quales meretur inopia exultantium esurientium: Prou. 27 7 *Animæ* enim *esurienti etiam amara dulcia sunt*; nam hoc appetit esuriens quod satur fastidit.

CAPVT XIX.

De Pane plebeio & communi.

PLena est manus Dei, cui tam in promptu est vniuersæ Creaturæ suæ desideria reficere, quàm etiam singulorum votis respondere. Ex profusione enim sua nunquam fit pauperior, qui donatiuorum suorum largitione extat semper gloriosior. Recipit enim cùm erogat, refluit cùm effluit, qui idem donat & donando accipit, quia & suum est quod dat & suus est cui dat, suum D est quod creat, suum est quod Creaturæ suæ donat. Cùm aliquid creat, suum est, cum aliqua creata Creaturæ suæ donat, nec vires exhauriuntur creantis in creatione omnium, nec opes exhauriuntur donantis in distributione suorum munerū. Is ergo vniuersæ familiæ gentium panes frangit miserationum suarum, & cùm incomprehensibili quidem æterni mysterij profunditate, Tribubus & populis & linguis, & nationibus competentes dimensus esset portiones, vnum eundem in quo communicaret omnis conuentus fidelium, panem destinauit ad inferiores partes terræ. Hic & primata singulorum exsatiauit desideria, & vno misericordiæ suæ gustu, omnes impleuit esurientes animas.

Panis iste non venit satiare iustos superbos, sed sanare peccatores conuertsos. Matth. 9. 11. *Cum publicanis & peccatoribus manducat*, siue cùm eosdem figuraliter manducat, siue cùm ab his manducatur. Et tunc quidem cum his manducat, quando dono gratiæ suæ laborantes, ab his ærumnis liberat. Tunc verò eosdem manducat: cùm à peccatis prorsus iustificat. Tunc denique ab eis man[...] ducatur, cum in corde ipsorum emundato ab operib[...] mortuis in latitudine charitatis delectatur. O vtinam non sicut Ionas à cete, seb ab Iesv, absorberetur anim[...] mea! O dulcedo meritorum Iesv! O calor viscerum Iesv! O secretum pectoris Iesv! *Sicut* cithara, son[...] mihi venter Iesv! harmonia chordarum illarum in m[...] dulis suis, concentum cœli dormire facit. Rapiu[...] somno delectabili, cui citharizat Iesvs sibilo auræ t[...] nuis. Tympanizat quidem fortiter in Cruce, sed can[...] tat vtiliter in Euangelica prædicatione, psallit sublim[...] ter in resurrectione, iubilat dulciter in ascension[...] perorat sapienter causam pauperum suorum in pater[...] confessione.

Anima Iesv, *phiala aurea* est *plena odoramentis, q[...] sunt orationes Sanctorum.* Præ suauitate huius, si es i[...] visceribus Iesv, non lanceam expauescis, quā n[...] odio inimici, sed charitate Christi suaviter vulnera[...] lancearis. A quo vulnere, quæ inter vbera sua sponsu[...] collocauerat, & lanceā viscerum eius perforata, vit[...] liter non lethaliter languebat, exclamat: *vulnerata ch[...] ritate ego sum.* Visceribus misericordiæ suæ, chari[...] Iesv, ab effusione, imò à perfossione lateris sibi no[...] pepercit, vt te semel in ipsis cauernis pedum, manuu[...] & lateris, quasi columbam per hanc aperturam rece[...] tam, ad omne suum consilium admitteret gaudiis a[...] misceret, divinitati adiungeret, æternitati statueret, be[...] titudini Angelicæ adæquaret. Penetrent itaque visce[...] nostra, hæc *misericordia Dei viscera, in quibus visitaui[...] nos*, qui pinguedine & adipe benedictionum suarum p[...] uit seu reparauit nos. Hæc viscerum Dei & hominis, [...] invicem per Dei dispensationem & hominis imitatio[...] nem, replicatio seu reciprocatio, tam firmiter Deu[...] & hominem complectitur, vt ipsum ad nostra flect[...] tuguria, & nos ad sua sustollat palatia, vt impassibile[...] Deum reddat nobis misericorditer compatientem, [...] adhuc mortalem hominem faciat ex Deo constanter i[...] visibilem.

Noli, ô anima Deum diligens & dilecta à Deo, bre[...] & modico acu dilectionis aperiri, quia latus Iesv lanc[...] tanquam ostium magnum in cœlo apertum est, vt [...] Patrem per eundem Filium populi innumerabiles co[...] fluentes nullas sustinerent in ingressu vitæ angustia[...] *Scindite*, inquit Propheta, *corda vestra & non vestime[...] ta vestra.* Si Iesvs dilatauit sinum suum, vt per amplii[...] & perfectius possideres tabernaculum non manufactu[...] (id est non huius creationis) quare & tu non extend[...] sicut pelles Salomonis cor tuum, vt In eo deambul[...] & insiliat sine molestia hinnulus ceruorum? Exten[...] totum te, vt totā animā, totā virtute dilatatus, eu[...] diligas quem vt haberes totum, totum in cruce diste[...] tum consideras: Tali verò protensione, rupturam n[...] timeas incrementum namque non detrimentum nou[...] gignere extensio amoris.

Cingit etiam corda non scindit: non enim qui schi[...] mate & hæresibus ab vnitate Ecclesiæ scinduntur, ho[...] pane vescuntur: sed qui coagulo vnitatis moribus & f[...] de Catholica in idipsum conuertuntur. De hoc eni[...] pane (vt iam dictum est) ait Apostolus: *Vnus pan[...] vnum corpus multi sumus.* Et alibi: *omnes eandem esca[...] spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spir[...] talem biberunt.* In Canticis quoque *vna est Columba* quia vna Ecclesiæ charitas, vna suror, vna tunica Chr[...] sti. Separationem non recipit, scissionibus non assentit Diuisioni, qua filius meretricis partiri à Salomone d[...] cernitur, *vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, ob sistit, renouata parturitione innouati doloris ex compa[...] sione in cruce pendentis, quem vna vni vnum, vni[...] vnicum pepetit, in partes secari conspexerit. Mavu[...] namque filij solatio carere quam vnitatem scindere, iux[...] illud, *si manus dextera scandalizat te, abscinde eam [...] proijce abs te.* Mavult retinere viscera pietatis, amore vn[...] tatis postponendo filij solatium, quam consentire crud[...] litati, diuidendo vnum.

Hæc vnitas Fidei & religionis communis panis es[...]

A

sed fidelibus communis est, sed cui non communicat alienus, sed de quo non gustat hæreticus: habet quidem Prophetarum quisque, habet propheticum panem appositum sibi, sed non soli. Habet nihilominus Apostolica mensa panes Euangelicos, in omnem terram manifesta prædicatione diffusos. Habet quisque ordo Sanctorum, secundùm merita virtutum suarum, panem priuilegiatum quidem pro spiritali deuotione, sed non priuatum singulari ambitione. Quomodo enim ciues cœlestes, in republica sua, vsurparent peculiariter peculium beatitudinis, cùm tota hæreditas illa, vnum sit cohabitantium omnium patrimonium pro meritis? Equidem hæreditas seruorum Domini, vita est, sed mansiones Sanctorum, pro varietate meritorum multæ sunt, quia *vnus panis, vnum corpus multi sumus*. In cœlo vnus panis, vita æterna, vnus panis, fides vel summa Trinitas. Refice animam tuam vnitate fidei, ne vel Deo infidelis, vel proximo importabilis sis.

Mansiones æterna vita varia, sunt pro varietate meritorum.
B
1. Cor. 10.

Vbi lucifer, qui manè oriebatur, superbiendo humilitatem exuit, charitatem simul cum vnitate bonorum spirituum amisit. Vbi Adam charitatem creatoris, vxoris voluntati postposuit, Paradisi humilitate expoliatus, ad seipsum in seipso conturbatus: turbam magnam, multiplici cogitationum diffidentia in se vno fecit, quam mediator Dei & hominum vt tolleret & pacificaret naturas diuersas (hoc est diuinam & humanam) in seipso viniuit & vnitione illa, cœlestia simul & terrena confœderauit: quatenus omnis anima (tanquam per fidem Christum induta & renouata) communicaret Angelicorum spirituum societati, & vnum efficeretur cum spiritu Dei. Hic est ille panis qui in medio terræ salutem operatus est, pendens in medio duorum animalium, qui natus in medio terræ, salutem operatus est pendens in medio Ecclesiæ & Synagogæ. Hic est ille qui *in medio Ecclesiæ aperuit os suum*: quique princeps Sacerdotum, semper est in medio eorum. Hic est ille fructus qui in medio Paradisi positus, sanat omnes contritiones, releuat ægritudines, pascit vincentes, dispersos congregat, leprosos mundat, claudos curat, mortuos viuificat, cæcos illuminat, paralyticos consolidat.

Exod. 25.
Exod. 25. 31.
C

Hic est hastile candelabri quod habet tres calamos hinc & tres inde: nam innocentes per innocentiam adhærent ei, & iusti per iustitiam, peccatores per pœnitentiam, virgines per castitatem, Martyres per sanguinis effusionem: coniugati per eleemosynarum largitionem. Hic *lapis* est angularis *factus in caput anguli*. vt hinc, Angelus inde homo à remotis partibus conuenientes vnum caput haberent & esset *vnus pastor & vnum ouile*. Quare, non confundatur meretrix lauari in fossa altaris quam aperuerunt milites quando *foderunt manus & pedes*. Saluatoris. Currat denique Naaman, à planta pedis vsque ad verticem leprâ perfusus: & aquis Iordanicis, septenaria purificatione mundatus, gratias referat mundatori suo. Occurrat cæcus à natiuitate, & linitis oculis à luto incarnationis Dominicæ, agnoscat à regalibus sedibus missum Omnipotens Patris verbum. Ascendat paralyticus domum & quia non potest per ostium, intret per tectum sua peccata detegendo, non de meritis præsumendo. Per ostium namque intraret, si vestimenta sua non contaminaret: sed per tectum ascendit, quando (regno cælorum vim faciendo) corpus mortificationi substernit spiritum humilitati.

Ps. 117. 22.
Ioan 11. 56.
Ps. 21. 17.
4. Reg. 5.
Ioan. 9.
Matth. 9. 4.
D

Adultera ab accusatoribus proferatur, sed à digito scribentis in terra legem misericorditer absoluatur. Nuntietur languens Lazarus, deinde pronuntietur dormiens, tandemque inueniatur fœtens, sed animetur lacrymis, sed voce reuocetur, sed iussu vitæ ad vitam resuscitetur. Pascatur turba esuriens, tranquilletur aura sæuiens tangatur fimbria & sanetur mulier menstruis fluens, à quacumque detineatur infirmitate liberetur omnis accedens & credens. In ora vestimenti latro positus vnguentum quod à capite in barbam barbam Aaron defluebat tangat; & de ipsis mortis faucibus salubriter respiret. O quam communis panis qui eis qui citra castra propter multitudinem & animarum immunditiam exulabant se

Ioan. 8.

assimilaret & sibi associaret! Denique sic dicit; *venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. O IESV quem pater misit pascere populum suum, da nobis panem nostrum. teipsum da alimentum vitæ in innocentia cordis tui & intellectibus manuum tuarum! O Domine IESV non viuit anima nostra, nisi cibo tuo, non satiatur, nisi corpore tuo. Hic cibus, solummodo implet omne animal benedictione. Hic agit, ne egeat qui comederit.

E
Matth. 11. 28.

CAPVT XX.

De Pane sanctificato & sacerdotali.

VTinam forcipe de altari vnus de summo ordine Seraphim, labia mea emundaret tam ad loquendum quàm ad edendum panem sacerdotalem. Ausu namque temerario tam periculosum quàm præsumptuosum est, immundis labiis siue inlotis manibus contrectare sacrosancta mysteria, quæ digna tantum ministeriis contingi Apostolicis, arguunt irreuerentes, condemnant impudentes, deificant humiles. Nouis denique & variis vestiendus est indumentis Sacerdos, oleo vngendus, multiformi sanctificatione expiandus, & omni tempore in sanctis recipiendus vt panibus sanctificationis reficiatur. Quid enim supplicij vel pœnæ, Sacerdos non sacerdotaliter administrans, incurrat, vel lex ipsa demonstrat in vltione seu vstione filiorum Aaron, Nadab & Abiud, qui dum ignem alienum accendunt, incenduntur, vel exemplum Euangelicum manifestat, cum in tenebras exteriores ejicitur qui ad conuiuium non vestitus veste nuptiali discubuisse legitur.

F
Isa. 6. 6.
Leu. 10. 1.
Matth. 22. 10.

Priùs itaque explicandus est habitus sacerdotalis, ac deinde cibus contemplandus; quia honestus cultus morum, cibum meretur Angelorum. Ait Dominus, agens de indumentis pontificalibus, in Leuitico: *Pontifex, id est, Sacerdos magnus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non egredietur omnino, super patre suo non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis Domini Dei super eum est.* Allegoricè, Christus Pontifex est, id est, Sacerdos magnus *inter fratres* Apostolos suos, cuius auxilio, mortalitatis flumina, à ripa natiuitatis vsque ad littus mortis quaquauersum profusa; ponte crucis imposito, siccis vestigiis transmittimur & accessum habemus ad Deum in nauigio sanguinis ipsius. *Fusum est* autem *oleum super caput* eius; siue quia conceptus est de Spiritu sancto, siue quia non ad mensuram datus est ei spiritus. *Manus* quoque *eius sacerdotio consecratæ sunt*, cùm ad populum non credentem, tota die extensæ & in ligno crucifixæ proprio sanguine ad aspergendos populos consecratæ atque dedicatæ sunt. Vestitusque est sanctis vestibus, id est, Virtutibus charitate iustitia, patientia, fortitudine in passione, siue gloria & honore in resurrectione.

G
Leu. 21. 10.
H

Caput suum non discooperuit, quia diuinitatem suam in passione celauit, vel in diuinitatis natura à Patre se nunquam separauit. Vestimenta non scidit, quia vnitus semel homini Deus, Verbum nonquam à carne recessit. Ad omnem mortuum non ingreditur omnino; quia peccatum non fecit vel contraxit, neque in conceptione neque in morte. Super patre suo & matre non est contaminatus; quia Ioseph pater eius (officio scilicet administrationis, non commixtione generationis) Virginem non cognouit in contaminatione libidinis, & Maria mater, non de viro sed de Spiritu sancto, inuiolata concepit & incorrupta peperit. Non egreditur de sanctis, quia etiam cùm esset cum hominibus in terris, semper tamen fuit & est cum Patre in cœlis. Non polluit sanctuarium Domini, quia caro eius non vidit corruptionem. Hæc breuiter, de habitu summi sacerdotis,

Ioseph, Christi pater, officio administrationis.

scilicet

A scilicet Christi prælibauerim. Habet ergo moraliter, templum sanctum Dei (quod est anima fidelis) Pontificem suum, id est, animum qui est Sacerdos *inter fratres suos.* Quot enim ab anima motus procreantur: quasi tot Fratres animo adnascuntur.

Leuit. 21. 10.

Super caput autem eius fusum est vnctionis oleum, cùm pinguedine deuotionis mens diuinitus refunditur, & suauitate chrismatis assidua meditatione refricatur. Manus in sacerdotio consecrantur, cum carnis opera mortificantur, & quæ beneplacita sunt Deo sine intermissione operantur. Vestitur sanctis vestibus, cum adornatur sanctis virtutibus. Caput suum non discooperit, cùm prauam cogitationem ad mentem non admittit. Vestimenta non scindit, cùm Sacramenta suæ regenerationis, criminaliter peccando non excedit. Ad omnem mortuum non ingreditur, cùm in consensum peccati non ducitur. Super Patre non contaminatur, cum Creatorem suum offendere malè B credendo vel peruerse operando veretur. Super matre etiam non contaminatur, cùm internno bona, nulla corruptionis malignitate vitiarur. Sanctuarium Dei non polluit, cùm se immunem à consensu illicitæ delectationis custodit. Hæc de habitu sacerdotali mystico & Angelicæ contemplationis non indigno, summatim perstrinximus, vt cùm quali veste manducare debeat panem suum Sacerdos, exprimeremus.

Præterea, debet pectus ornare; Superhumerali humeros tegere; tunicâ lineâ, id est camisia strictâ, totum corpus operire; cydari caput redimire balteo vtrumque simul & tunicam & superhumerale, arctius ad corpus aptare: fœminalibus turpitudinem operire, laminamque auream, titulo summi nominis insignitam, super cydarim; ad complementum gloriæ & decoris pontificalis superponere. Linea quoque stricta, corpori debet adhærere, ita strictis manicis, vt nulla ruga in ea sit, descendens vsque ad crura; quæ Græcè ποδήρης, id est talaris dicitur. His octo generibus vestium Pontifex cùm sacrificare, id est panem suum comedere vult induitur. Omnis autem Sacerdus, quamuis non sit Pontifex, quatuor ad minus; videlicet fœminalibus castitatis, tunicâ lineâ charitatis, balteo continentiæ, cydari summæ reuerentiæ vestitur: Pontifex verò omnibus insignitur. Qui enim gradu honoris excellit, merito virtutum, æque transcendere alios debet. Cuncta verò hæc, de auro preciosisque coloribus fiunt, quia nihil vile ac sordidum in sacerdotis ore, opere vel cogitatione decet apparere.

Sap. 18. 24.

C

Sacerdotum Iudæorum, quatuor ornamenta.

Videndũ etiam est vbi coquant sacerdotes carnes suas, vel vbi comedant panes suos. Ezechieli ostensus est locus vergens in Occidentem, & dictum est ei: *Iste est locus vbi coquent sacrificium, & non efferent in atrium exterius.* Et Paulò post: *Et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum & dixit ad me, hæc est domus culinarum in qua coquent ministri domus Domini victimas Domini.* Quid hæc significant? Locus vergens ad Occidentem mortis designat cogitationem. Hic Sacerdotes; pro peccato & pro delicto coquunt, cùm cruditatem malorum suorum deuotæ Deo mentes diuino feruore bulliunt & conflagranti vaporatione spiritus, tam quotidiana quam criminalia peccata consumunt. Pro peccato coquit, qui pro admissis malis, anxie gemit. Pro delicto similiter coquit, qui pro negligenter omissis, redarguere se acriter nouit. In atrium exterius non sunt efferenda sacrificia, quia agi non simulari debet pœnitentia, qui enim sine contritione, cum simulatione peccatum confitetur, Sacrificium suum effert exterius. Qui ieiunat vt videatur religiosus, inde polluitur, vnde populus sanctificatur.

Ezech. 46. 24.

D

Peccata tam quotidiana quã criminalia. Pœnitentiã agere oportet nõ simulare.

Seorsum itaque victima Domini abluenda, seorsum coquenda, ne aura populi contingatur, ne concursu carnaliter viuentium obruatur. Lauent Sacerdotes corda sese immolantium altissimo Deo, per veram confessionem coquantur per iniunctam satisfactionem. Sed vbi? In interiori atrio vbi sunt quatuor anguli atrij, & rursum atria singula in atriis singuli. Interius atrium est latens conscientia: in qua sunt quatuor anguli, timor videlicet & cupiditas, gaudium & dolor. Habet omnis anima istos quatuor angulos per circuitum, quia aliquando timore deprimitur, aliquando cupiditate euagatur, aliquando gaudio effertur, aliquando dolore afficitur. Infra hunc circuitum, tota vitæ humanæ rota semper circumagitur: numquam vltra, nunquam extra hos angulos anima viuens in corpore & sentiẽs educitur. Vnde Salomon: *Girans girando vadit spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Mobilitate namque naturæ suæ, humanus spiritus diuersis moribus circulariter agitur, vt modo gaudeat, modo doleat, modo cupiat, modo timeat. Nimirum in vno atrio, quatuor sunt anguli, quia in vno spiritu siue anima quatuor passiones sunt animi. Atriola verò in singulis atriis disposita, priuatos motus in generalibus istis affectionibus inesse significant.

Satisfactio iniuncta.

E

Eccl. 1. 6.

Forte ista animi affectione, rerum varietates notat Psalmista, vbi ait ad Dominum: *tuus est dies & tua est nox, tu fabricatus es auroram & solem.* Per diem enim, sancta cupiditas: per noctem dolor, per auroram timor qui est initium sapientiæ: per solem gaudium designatur. In anima quoque IESV, non fictè sed verè, eædem affectiones fuerunt, teste Euangelio vbi legitur, exultasse & doluisse & timuisse; & voluisse; duntaxat ex potestate permittens ad se accedere humanos affectus, non ex infirmitate vel necessitate dominante nolens opprimere. Ecce locus vbi coquent sacerdotes pro peccato & pro delicto, quatinus ignis diuinus iugiter quatuor angulos nostros possideat, vt Deum cupiamus, vt Deum timeamus, vt in Deo doleamus, vt cum Deo gaudeamus. Postquam autem vbi carnes coquantur ostendimus, vbi etiam edantur cum panibus requiramus. Legitur in Exodo, quod obtulerit Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias Domino, ac deinde subinfertur. *Venerunt Aaron & omnes seniores Israël, vt comederent cum eo panem coram Domino.* Ecce locus vbi sacerdotes & seniores Israël panem comedent, *coram Domino*, inquit.

F

Ps. 73. 16.

Christus quomodo passus sit humanitus.

Exod. 18.

G

Puræ & sanæ conscientiæ est, posse claritatem incircumscripti luminis vultus Domini excipere. Primus præuaricator sathan, ideo de cœlestibus *sicut fulgur cecidit*, quia sicut in veritate stare noluit, sic æquitatis diuinæ radios merito tanquam lucis refuga præ confusione apostasiæ suæ exhorruit! Sic Adam latibulum in ficulnea requisiuit, quia piaculum cõfusionis in comestione vetiti pomi in pudendis suis impudenter transmisit. Sic Cain, à facie Dei, cum omni peccatorum suorum progenie fugit. Sic, *omnis qui male agit, odit lucem.* Huiusmodi panem pollutum stercore, absconditum; in abditis comedunt. Vnde Psalmus? *de absconditis tuis adimpletus est venter meus, ego autem cum iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.* Hic est panis Sacerdotum scilicet gloria Dei. Aptè proculdubio, præmisso habitu edentium, ostensa officina coquendorum ciborum, loco etiam assignato vbi edant panem Sacerdotes, consequenter apponitur panis paratus spiritaliter ad vsus eorum. Gloria Dei, ô anima Sacerdotalis, panis tuus est. Si extra gloriam Dei, aliquid quæris, oblita comedere panem tuum, siliquis porcorum vesceris quibus vesci illicitum est.

Luc. 10. 18.

Gen 3.

Gen 4.

Ioan. 3. 20.

Ps. 16. 15.

H

Gloria Dei est panis sacerdotalis.

Quid ergo est quod dicitur de Sacerdotibus; *Peccata comedunt populi?* An gloria Dei sunt peccata populi? Absit! Sed gloria Dei est, comedere peccata populi orando vt deleantur, redarguendo vt sanentur. An non est gloria Dei consumptio peccati? Sumit quidem peccata populi Sacerdos in Confessione, sed consumit in oratione. Nam sic destruitur iniustitia peccati & statuitur iustitia Dei, cum reuertitur impius à cogitationibus suis, & derelinquit viam suam, corrigendo errorem & apprehendendo veritatem. Sic vitulum conflatilem quem conflauerat & coluerat populus Israëliticus, Moyses priùs in ignem redegit; & tunc in escam & potum populo eidem tribuit, profectò insinuans ardore contribulati spiritus comburendas & com-

Exod. 32.

minuendas

A comminuendas à seipso malas admoneptiones suas, deinde accusatione masticandas, atque execratione absorbendas, ad vltimum digna vltione, membra peccati puniendа & egerenda. Ecce quomodo comeditur à populo, vitulus peccati! Vis denique videre sacerdotem, quomodo comedat peccata populi? (Exod. 32. 32.) *aut dimitte*, inquit, *eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti.*

Reuera coram Domino stat iste, & panem suum manducat! Gloriam namque propriam sibi non minuit; & populo sic orans veniam imperrauit: Fregit panem, cùm correxit errorem, comedit, cùm orationem fudit. Fregit, inquam, panem cùm tenuit peccatorem, comedit autem cùm retinuit Iudicem. Buccella panis sacerdotalis est, Deum iratum mitigare, populum districtissimè malis suis coërcere. Non verò ante, ad parcendum rogandus est Deus: nisi ceruicem Doctorum disciplinæ correptioni supposuerit populus. Primò peccatum destruatur, & sic vindictæ diuinæ rhomphæa plicabitur, aut placabitur. Si rubiginem peccati exterminaueris, (B) vires ignis gehennalis extenuabis: flamma enim purgatrix vitæ, si mortem præcesserit non sequitur post mortem vltrix. Molliùs ipse & meliùs, spinam a te extrahere poteris si peccatis renuntiaueris, quàm in iudicio, manum sustinere zelantem & penetrantem vsque ad medullam, si contumaciter in malo perstiteris. Quòd si propria manu nequiueris, adhibe linguam & labia Sacerdotis: (Mal. 2. 7.) *labia* enim & lingua *Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius.*

Habet itaque in labiis Sacerdos, scientiam obstetricandi siue abstrahendi dolores vulnerum, cruores plagarum & prurigines cicatricum: vnde & vulnera Lazari, (Luc. 16) lingunt canes Diuitis. *Corrupta sunt*, inquit ille, qui celauerat vel reiterauerat peccata sua, *cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.* (Psal. 37. 6.) Inclinet igitur se Sacerdos condescendendo infirmitatibus lapsorum, sicut & Christus, (Ioan. 8. 6.) *inclinans se digito scribebat in terra.* Non circumliget *carnem sanctificatam in ora vestimenti sui*, (Agg. 2. 1.) id est, non perfunctoriè aut verbotenus compatiatur delinquenti (C) & confitenti, quia huiuscemodi tactu non sanctificatur quicquid tetigerit. Sic enim legitur in Aggeo: (Agg. 2.) *interroga Sacerdotes legem, dicens: si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius, panem aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: nunquid sanctificabitur? & respondebunt, Non!* Itaque, non in summitate pallij, caro sanctificata assumenda est, sed in profunditate cordis, quia non species pietatis, sed virtus radicata in medullis animi sanctificat Panis confitentis, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnis cibus non sanctificatur, si tantùm de summitate pallij tangatur, quia neque humilitas, neque sapientia, neque deuotio, aut quælibet virtus, illum sanctificat, qui non (Deut. 6.) *ex toto corde & ex tota anima, & ex tota virtute* Deum, sed in labiis tantùm diligit. Idcircò, inclinet se tota condescensione ad terram confitentis peccata sua Sacerdos, qui non poterit scribere, nisi studuerit se humiliare.

D

CAPVT XXI.

De Pane qui coquitur in clibano.

TRia quædam proponenda & exponenda occurrunt, vbi tractare de pane qui coquitur in clibano volumus; ac priùs inspiciendum, quis sit clibanus & quis panis, & quo igne vel clibanus succendatur vel panis decoquatur. Compendiosè igitur dicendum est, quia clibanus, vterus est virginalis, ignis, gratia S. Spiritus, panis, Incarnatio Filij Dei. Virgo Verbo incarnando, vteri & cordis locum parat, Spiritus sanctus mansionem parat, ipse Filius, nuptialia fœdera Verbi & carnis legitima copulatione conciliat, Gabriel Archangelus iura connubij hinc inde allegat, Ioseph, vices portitoria agens, solatia ministrat & salaria & pretia & legatione sportularum implorat. Deinde videndum, quid (E) operetur vnum quodque horum, & vnde sit origo singulorum. A nobis est Virgo, à summa Trinitate, Spiritus sancti obumbratio, ab vtraque partium, tam Patris scilicet quàm Virginis, Filij generatio. Nam Verbum, de Patre, caro de Virgine. Quomodo autem in fine temporum, hic figuratiuus panis fieret, vbi quando & à quo, *a diebus æternitatis* decretum est. Oportuit nempe, hunc priùs clibanum, non vili stemmate neque more consuetudinario fabricari, quatinus in plenitudine temporis, panis qui dat vitam mundo de cœlo descendens, pro dignitate sua, congruum inueniret locum vbi posset opportunè carnem assumendo decoqui.

Virgo Deipara, est clibanus diuinus.

Virgo igitur virginum clibanus est ad panem suscipiendum, non consumendum vel vrendum. Ignem enim vrentem nunquam admisit, quæ carnis concupiscentiam non sensit: Ignem fumantem non suscepit, quæ non concepit iniquitatem: Ignem consummantem non nouit, quæ rorem de cœlis in corde & ventre plenissimè accepit. Virgo, inquam, hæc non solùm clibanus est, spiritum suscipiendo, sed thalamus, Deum concipiendo, templum quoque caste viuendo. (F) Clibanus est, prorsus digne conuersando, thalamus ineffabiliter concipiendo, templum, Hostiam viuam, sanctam, Deo placentem se offerendo. Clibanus ad panem præparandum, thalamus, ad Sponsum excipiendum; Templum ad Pontificem intromittendum. Clibanus ad victum esurientium, thalamus ad sobolem Christianorum, Templum ad emundationem delictorum. Clibanus ad vitæ sustentationem, thalamus ad amplexus iocunditatẽ. Templum ad nouæ vitæ dedicationem. Clibanum inflammat Spiritus sanctus, thalamum fœcundat, Templum consecrat: Ignis in clibano, Sponsus in thalamo, Sacerdos in Templo: In clibano panis decoquitur, in thalamo vterus impraegnatur, in Templo Altissimus pacificatur. Panis nouus a clibano, noua progenies à thalamo, plebs renouata procedit à Templo.

Virgo Deipara est Dei Thalamus & Templũ.

Non ardet clibanus, libidinis ardore; non corrumpitur vel violatur thalamus, virili contaminatione, non prophanatur Templum, infidelitatis conspersione. (G) In clibano recalescimus, in thalamo pubescimus, in Templo natiuitate bona senescimus: Pastores circa clibanum, virgines circa thalamum; Cantores excubant ad Templum. Labor in clibano, quies in thalamo, cantus in Templo. A clibano, ad thalamum, à thalamo, ad templum properamus. In publico exponitur clibanus, in abscondito reponitur thalamus, in excelso templum superponitur. Clibanus est Virgo in Ioseph desponsatione, thalamus in spiritus impraegnatione, templum, in Filij natiuitate. Quasi plebeia quidem desponsatur, sed tanquam cœlestis virgo, virtute diuina Ioseph ignorante impraegnatur. Tanquam templum, agni carne, in visceribus maternis & sanguine purificatur. Carbones Virtutum, in clibano; emissiones Paradisi in thalamo, thimiamata orationum ministrantur in templo. Adstat Ioseph clibano, flammam grauidati vteri videns, sed ignem impraegnantis, cuiusmodi sit, non intelligens. Panem quis intromiserit obstupescit, cùm signa virginitatis vndique clausa & immutilata, sollicitè satagens reperit. (H) Ianuis clausis, persentit panem Angelorum in clibano incœpisse iam decoqui: sed quomodo miratur, & quis sine via apertionis intulerit! Sic incredibiliter & extra sensum humanum reputat nescire posse, vel quomodo absque sigilli interruptione extrahere possit.

Dei mysteria non discutere sed venerari & credere debemus.

Sed desinat mirari, quia sic operatur, cuius discutere facta non debemus, sed credere & venerari. Qui præter sensum humanum, humanis visceribus Verbum suum condidit incarnandum, supra intellectum nostrum, proferre potuit incarnatum. Tam denique facilè exibit panis, quàm sine obstaculo, aduenit ignis. Nam ignis panem & decoxit & extraxit. Coquens carnis Verbum inseparabiliter vniuit: extrahens ad instructionem generis humani, mundo, mundi creatorem & redemptorem obtulit. Ignis iste clibanum illustrauit & confirmauit, panem coxit & confortauit: Et panem quidem quodammodo præuenit & superuenit, sed nullo modo de-

seruit,

A servit; dum ab eo & à Patre semper procedens, in eo ab ipsa conceptione totus inrecunabiliter requieuit. A calore adhuc huius ignis tam odorem quam saporem suum panis iste mutuauit, adeo vt si ignem gratiæ senseris, quasi pane fidei gustato reficiantur animæ viscera, & rursum si panem humilitatis sumpseris, recalescant (velut si igneum tetigeris) interiora tua. Suauissimus odor tam ignis quam panis, vnus & indifferens corruptiones quasque huius aëris, & malitis Principum tenebrarum harum infecti, non dissimiliter medicatur.

Iam iam subeundus est thalamus, & quo lectulo, Sponsus cum sponsa sua cubet & fruatur cupitis amplexibus contemplandum, & vt admirtabur quodammodo attendendum. Ibi certè mutua libantur oscula; ibi Sponso resumuntur verba Sponsæ fragrantia vnguentis optimis, ibi texuntur subtilia desideriorum fila, ibi ordiuntur vestimenta tam linea purissimæ actionis, quàm serica Angelicæ contemplationis, ibi denique fiunt Sponsus B & Sponsa, vna caro, vna anima & vnus spiritus. Sponsus refundit in Sponsam quicquid in se habet dulcedinis, quicquid honoris & potestatis. Denuò, mutua vicissitudine, in seipso resumit ab ea quicquid paupertatis, quicquid amaritudinis, quicquid contumeliæ est & passionis. Hac commutatione, ipsa proculdubio ditatur, sed ipse non minoratur, ipsa meliorarur, nec ipse sua maiestate priuatur. Nam amarum nostrum vertit in dulce suum, opprobrium in gloriam commutat, *de spinis* nostris *colligit ficus, de rubo vindemiat vuam*, de morte vitam, de passione mercatur gloriam. *Luc. 6. 44.*

Sponsus iterum, quia gigas est magnitudine, sol pulchritudine, leo fortitudine, abyssus scientiæ profunditate, Deus æternitate. Sponsa verò puella ætate, paruula quantitate, Æthiopissa coloris nigredine, fœmina debilitate, fatua in omni prudentia & arte. Ideirco in thalamo contraxit se, *paulo minus minoratus ab Angelis*; *H.b.2.9.* exuit se vestimentis gloriæ accinctus cilicio, deposuit fortitudinem, circundans infirmitate, abscondit sapientiam, vt (iumentum factus) in derisum esset tota die C omni populo, æternitatem dissimulauit, factus sub Sole, vt quasi cum tempore temporaliter curreret nec deficeret Os illud Altissimi collatum & coarctatum est modicitati oris Sponsæ: *manus tornatiles* quæ cœlos tetenderunt, affixæ sunt manibus vulneratis conuulneratæ, *Cant. 5. 14.* pedes pedibus compeditis adhæserunt, venter ventri conglutinatus est. Res equidem pia, cùm infinitè immensus abbreuiatur ad deiectum, sed nihilominus mira, cùm reparatur ad vnitatem personæ filij Dei, natura filiorum Adæ.

Egrediamur iam cum Sponso de cubili, & cum Sponsa de thalamo. Accedamus ad templum inter vestibulum & altare, vt videamus & intelligamus sacerdotem nostrum sacrificiorum officia consummantem. Pontifex hic, secundum ordinem Melchisedech, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacrificio consecratæ sunt, *super Patre suo & Matre non contaminatur*. *Leu. 21. 11.* In templo vteri virginalis in singulis pontificalibus ornamentis ad offerenda redemptionis nostræ sacrificia, ad altare crucis non sine sanguine proprio processit, & quæ in terris siue quæ in cœlis sunt pacificauit. D Hic arca sanctificationis, hic tabulæ testamenti, hic virga Aaron quæ fronduit, floruit, germinauit, & nuces protulit. Hic propitiatio siue propitiatorium, hic sanctum & sanctum Sanctorum. Sunt phialæ, thuribolum incensa multa, altare de terra & sacramentaliter, cuncta hic reperiuntur quæ figuraliter in tabernaculo Moysi seu in templo Salomonis, in vmbra veritatis depinguntur. Quid enim est oleum chrismatis, siue de purissimis oliuis quod funditur super caput IESV, vt merito filius olei vocetur, aut vnguentum exinanitum, nisi gratia Spiritus sancti quâ vnctus est præ participibus suis, ab ipsa die conceptionis? Quæ manuum consecratio, nisi in cruce extensio vel clauorum confixio? Quid est, super patre non contaminabitur, nisi quod à Patre, æqualis in omnibus genitus nequaquam (vt supra dicitur) aliqua minoratione æqualitatis exterminatur? *non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* *Phil. 2. 6.* Quid rursum est *super matre non contaminatur*, nisi quia non de viro, sed de Spiritu sancto concipitur? E *Luc. 1.*

Præterea de fœderis, vel potius sanctificationis quid aliud dicam, nisi quod & Mater arca est fœderis continens in se quicquid est sanctificationis vel creaturæ vel creantis; & Filius in matre similiter arca sanctificationis est potius existens, quàm continens sanctificationum sanctificationem? Habet autem tabulas Testamenti, quia in corde eius, vniuersa describuntur mandata vitæ & pacis. Habet & virgam Aaron, *Virga æquitatis, virga regni eius*. *Ps. 44. 7.* Fronduit quoque in natiuitate, floruit in resurrectione, germinauit in ascensione, nuces protulit in Spiritus promissione vel missione. Nostra quoque virga seu Virgo fronduit credens Angelo, floruit concipiens in vtero, germinauit pariens ex vtero, nuces protulit fugiens in Ægyptum cum Filio, vel videns cum pendentem in patibulo. Filius est nostra apud Patrem propitiatio quia interpellat pro nobis: Mater apud Filium, quia rogat pro culpis nostris. *Mater Dei est nostra apud filium propitiatio.* F Filius est Sanctus Sanctorum, quia Deus Deorum; & Mater est Sancta Sanctarum, quia Virgo Virginum. Filius habet phialam purissimæ carnis, vt ab ea sumatur poculum vitæ: Mater similiter, in omni conuersatione sua, casta & munda, præbet nobis exemplum conuersandi sine querela. De thuribulo Filij, Pater odoratur incensum propitiationis; de thuribulo Matris, tota perfunditur domus angelicæ conuersationis. Filius est altare de terra sancta, quia corpus habet de Matre sine macula, in quo cremantur haulocaustomata dum condonantur peccata; Domina nostra nihilominus altare est terrenum, quia refugium est miserorum. *Domina nostra S. Deipara est refugium miserorum.*

Et quid ampliùs ei assignare possumus diuini muneris & honoris, quàm (vt quod verum est fateamur) genitricem eam Dei esse & hominis? Infra hoc dicitur quicquid in eius commendatione offertur. Si cœli reginã, si Angelorũ Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quam ore excogitatum protuleris, non adsurget ad hunc superindicibilem bonorem quo creditur & prædicatur Dei genitrix. G His tandem de clibano dictis, parum pro materia, conferamus tamen adhuc clibano materiali, vterum Virginis & claustrum nostræ religionis. *Claustrũ religiosorum simile est Cliba ao* In clibano etenim multa lignorum congeries succenditur & panis decoquitur; in claustro multarum obseruantiarum disciplina tenetur, vt à cruditate veteris vitæ anima sæcularis, in soliditate veri amoris confirmetur; in virgine omnium virtutum chorus adunatur, vt Rex virtutum suscipiatur. Clibanus ardet igne materiali, claustrum feruet dilectione spiritali, Virgo æstuat amore speciali: totum operatur ignis in clibano, virtus charitatis in claustro, Spiritus sancti obumbratio vel Trinitatis sanctificatio in Virginis vtero. Carbonum & cinerum reliquiis emundatur à coquente pauimentum clibani, à superstitione inutili & cogitatione sæculari, per Rectorem simplicitas claustri, à desiderio carnis, inuariabile propositum Virginis.

Temporalis vitæ subsidium paratur in clibano, æternitatis remedium in claustro, vniuersalis redemptionis commercium in vtero. H Vapor ignis accensus conseruatur in clibano, feruor Religionis in claustro, æternitatis amor in Virginis vtero. Pasta mollis accedit ad clibanum, debilis anima ad claustrum; caro passibilis non quidem aliunde accedit, sed de ipso & in ipso vtero virginali concedit in Christum. Non sparsim seminatur, sed deponitur in clibano, non diuisim sed conjunctim debet seruari ordo in claustro, non minutatim vel guttatim, sed totaliter ipsam diuinitatem Verbi concipit siue parit virginum Virgo: pasta non informis, sed tornata & formata coquitur in clibano; Ordo non sine regula, sed certa forma stabiliri debet in claustro: Naturam humanam, non sine septiformis gratiæ acceptione concipit & edit Virgo: De panibus bene spirat clibanus, Religio claustralis de virtutibus, pium exemplum præbet fidelibus sæcularibus, virtutes virginis, odorem placabilem reddunt etiam Angelicis stationibus. *Currant homines ad Virginis templum pro communi salute.* De pane clibani

A bani nutritur caro, de instructione claustrali anima, de fructu Virginis tota simul Ecclesia. Currant pauperes pro pane ad clibanum; humiles pro pietate ad claustrum, omnes homines, pro communi salute ad virginis templum. Huc vsque detinuimus stilum, in assignanda comparatione clibani, claustri & virginalis vteri.

CAPVT XXII.

De Pane frixo in sartagine.

Clibani sudoribus facie adhuc madefacta sartaginis continuamus frixaturam; vtiles sed laboriosas vexationes, hac tamen vna & precipua consolatione artus, ad subeundam sartaginem lætiori studio opponamus; quia sine oleo similam in ea non frixabimus. Nam oleo conspersa simila & absque fermento in sartagine coquitur.

B *Absinthium lassa. Fruticula est cont.*

Quid autem à facie olei non mollescit? Vitens lacessita iamiam expirans olei beneficio reparatur, vlcera souentur, aspera leniuntur, amara dulcescunt, tenebræ rarescunt, arida liquescunt. Ignem torrentem quomodo ferret sartago si non perfunderetur oleo? certè cibum non coqueret, si arderet, si absque oleo carbones videret. Prius itaque sartago impinguatur oleo, & sic, oleo iitam laganam non consumet pœnaliter sed coquet vtiliter. Sed videndum quid sit sartago, intelligitur autem tripliciter. Nam Crux Iesv sartago ferrea est, zelus quoque animarum saluandarum, in Rectoribus sartago est, nihilominus confessio peccatorum siue pœnitentia, sartago ferrea est.

Confessio peccator. est sartago ferrea.

Sed vtinam zeli sartago vel confessionis, sic refunderetur & impleretur oleo pietatis & pacis, quomodo superfusum redundauit in ipsis etiam persecutorum carbonibus, oleum sartaginis Christi. Denique, attende supercrescens & efferuens oleum Dominicæ crucis vel sartaginis. Pungebatur, impinguabatur, cruentabatur,

C crucifigebatur, flagellabatur, conspuebatur, simila carnis redemptoris in sartagine crucis, & quid ebulliebat nisi verbum patientiæ tanquam oleum oliuæ? Quo enim acrius fremebat Iudæorum quasi carbonum sæuiens flamma, eo vnctuosius respergebat adstantes, bullientis olei vnda. Aspice denique vndam resilientem de sartagine, non præ impatientis murmurio, sed præ amantis desiderio. *Pater*, inquit, *ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*. Implorat hæc vnda olei illuminationem, non infert excæcationem. Quasi autem elanguet ante passionem non minus quidem amando, sed tamen minus propter obstaculum carnis aperiendo oleum in corde *Filij olei*. Tunc verò in sartagine bulliens cœpit solùm effluere benefaciendo, sed efferri vltra mundi (quasi sartaginis) capacitatem moriendo, immo redimendo.

Mouebatur quidem in sartagine, passionibus inflammatum, sed non amouebatur à charitate, doloribus exacerbatum. Simila quoque corporis immaculati appen-

D debatur in sartagine ferrea; videlicet, cruce dura & contumeliosa; sed superfuso oleo vngebatur ne vreretur; quia plenitudine gratiæ consolabatur ne in vindictam persecutorum irasceretur. Cum enim Christus moritur magis vngitur; nam quo fortius premebatur, eò vberius, oleum sine amurca emungebatur, nec exsiccabatur humor benedictionis, cùm vndique excandescebat furor maledictionis. Vnde Patriarcha Iacob expauens tam furorem quam immanitatem sceleris Scribarum & Pharisæorum; abominabatur persecutores Christi, dicens:

Gen. 49. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore occiderunt virum & in voluntate sua suffoderunt murum, maledictus furor eorum, quia pertinax & indignatio eorum quia dura.* Per hos Scribæ & Pharisæi intelliguntur de Simeone enim Scribæ, de Leui Sacerdotes existunt. Hi sunt vasa iniquitatis bellantia qui *cogitauerunt iniquitatem in corde*, dicentes, *tollamus eum de terra viuentium*. Hi denique in furore suo occiderunt

E virum tradentes & clamantes Pilato, vt crucifigeret eum, & in voluntate iniusta Iudæi suffoderunt murum, qui se opponebat *pro domo Israel*, & qui est *nobis turris fortitudinis a facie inimici. Furor eorum pertinax, & indignatio dura*, quia Pilato iudicante illum dimitti, clamabant; *si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, Tolle Crucifige eum.* Ecce carbones, Ecce stridentes fuscinulæ prunas admouentes & sartaginem, scopulis linguarum maledicarum allidentes.

Iob. 9. 22.

Sed quid, nihil proficiunt; immo deficiunt, non effunditur in iræ commotione sartago, non turpem sonum emittit comminationis, non arescit os eius, dilectionis exinanitione, non liquescit inimicorum condemnatione. Flamma quidem vel Christi diligentis, vel populi persequentis, sed illius miserando, istius occidendo, diffunditur *super fornacem, cubitis quadraginta nouem*: sed intra sartaginem velut in fornace Babylonio, ros descendit, & extra solummodo debacchantes incendit, non conflatione puerorum se vlciscentium, sed iusta & consueta vltione male agentium.

Dan. 3. 47.

F Nam sicut vipera genitricis vitalia nascendo disrumpit, sic malitia conscientiam de qua oritur, nunquam punire desistit, & priùs destruit locum natiuitatis suæ, quàm inficiat innocentiam simplicitatis alienæ. Videamus itaque iam, quid Lex loquatur de sartagine, *Si oblatio tua*, inquit, *fuerit de sartagine simila conspersa oleo & absque fermento, diuides eam minutatim & fundes super eam oleum.*

Malitia perpetuo torquet conscientiam.

Leu. 25.

Sartaginem diximus esse crucem, in qua simila oleo conspersa decoquitur, cùm Christus plenus veritate & gratia pro nobis immolatur. Absque fermento est simila, quia nulla macula originalis seu actualis delicti in Christo est aliquando reperta. Dinumerauerunt ossa eius in sartagine frigentes eum, vt à planta pedis vsque ad verticem, nulla pars corporis à pœna vacaret, quatenus totum leprosum nostrum in culpa & pœna, toto se leproso in pœna sine culpa, sanaret.

Delictum Originale & Actuale.

G Diuide minutatim modò clauos in pedibus, modò in manibus, modò spineam coronam in capite, modo velamen in oculis, modo lanceam in latere, modo flagella & denudationem totius corporis, modò in auribus verba improperij reuoluens, & funde super eam oleum, vt passionibus eius compatiaris, non ei aliquid conferendo sed tuæ animæ vel fratribus pro quibus mortuus est subueniendo. Nunquam ad sartaginem vel ad similam quæ coquitur in sartagine, accedendum sine oleo, quia nunquam sine deuotionis compunctione, recogitari debet Christi passio. Super eam funditur oleum, cum pauperibus Christi pro Christo impenditur beneficium.

Christi passio nunquam debet recogitari sine compunctione.

De hac sartagine dicitur Ezechieli Prophetæ: *sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te & ciuitatem*: quæ enim sumenda est nobis sartago ferrea, quam disciplina Christi, quæ quamuis aliquantulum carnalitati nostræ dura appareat, tamen apprehendenda & ponenda est inter nos & ciuitatem, vt hoc signo communiti in frontibus, non pereamus cum ciuitate sanguinum quæ occidit Prophetas; sed cum

Ezech. 4. 31. Iof. 2.

H Raab saluemur à generatione pessima, appenso coccino sanguinis agni in postibus siue in fenestra domus. Hoc signum namque exterminator Angelus reueretur, & non interficit signatos Thau, qui portat vas interfectionis & scriptorium *ad renes suos*. Hucusque de sartagine Crucis; iam videndum est de sartagine zeli.

Ezech. 9. 2.

Dicit Gregorius nullum Deo tale esse sacrificium, quale est zelus animarum. Aptè autem zelus vocatur sartago, quia sicut caro in sartagine ab humiditate sua desiccatur; sic zelo sancto anima à superfluitatibus suæ carnalitatis euacuatur. Sicut etiam cremium in frixorio in se quidem arescit, sed aliis viscera suæ pinguedinis tribuit: Sic Rectoris pia anima sibi austeriora indicit: & subiectorum imbecillitatibus benigniora & molliora indulget. Non enim quærit *quæ sua sunt*, sed *quæ* Iesv Christi. Ait autem Moyses in Leuitico, vt *Aaron in die vnctionis suæ, decimam partem Ephi offerat simila conspersa oleo in sacrificio sempiterno, medium eius mane & medium vespere, quæ in sartagine, oleo*

Rector populi austeriora sibi indicit.

Leu. 6. 2.

conspersa

A *conspersa confringeretur, offerat autem sacerdos in odorem suauissimum Domino Sacerdos qui patri successerit, & tota cremabitur in altari.* Hæc auctoritas refertur & ad sartaginem zeli. Ad crucem sic, dies vnctionis Aaron, dies est vnctionis eius qui conceptus est de Spiritu sancto & natus ex Maria Virgine, qui descendit de stirpe Aaron.

Reuera enim tunc Aaron vnctus, tunc sanctificatus, tunc in sacerdotium dedicatus est, cum in CHRISTI IESV, virtus sanctificationis, omnis tam veteris quàm noui Testamenti consummauit mysteria. Decima verò pars Ephi, non incongruè intelligitur caro CHRISTI, quodammodò enim decima pars est, quæ ab Angelis (quorum nouem sunt Ordines) in genere creaturarum quodammodò minor est. In conditione enim creaturæ, corpus generaliter spiritui subiicitur. Quid igitur mirùm, si caro quæ mori potuit, minor fuit spiritu angelico qui iam corrumpi non potest? Hoc secundùm Gregorium qui ait nouem esse Ordines Angelorum, hominem verò decimum esse creatum. Sæpissime iam B dictum est, quare caro CHRISTI dicatur simila, & quare conspersa oleo. Ideò autem in sacrificio sempiterno offertur, quis saluare in perpetuum potest *accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Quid denique sit quod sit, *medium eius mane, & medium eius vespere*: Euangelium docet vbi legitur quod mane adductus sit ad Caïpham, in cuius atrio alapis cæsus est, atque multis delubriis * ab ea hora vsquequo in ligno leuaretur affectus: Ecce *medium mane, vespere* quoque *medium*, quia Ioseph ab Arimathia cum Nicodemo tulit corpus IESV, & in monumento nouo cùm sero esset, sepeliuit.

Hebr. 7. 25. Christus alapis cæsus in atrio Caiphæ. * f. ludibriis. Matth. 27. 57.

Hanc similam oleo conspersam, vt supra expositum est, in sartagine calidam offert in odorem suauissimum Domino, Sacerdos qui patri successerit, quia IESVS qui & præcessit Aaron dignitate & successit ei tempore carnis, vel qui Deo Patri potiùs accessit quàm successit carnis assumptione, igne charitatis calidissimam hostiam semetipsum obtulit in odorem suauissimum. C Quid verò suauius odore humanæ redemptionis? Quod verò ait; *tota cremabitur in altari*: hoc significat, quia non descendit de cruce antequam spiritum emiserit. Repetenda est sigillatim & exponenda sententia iuxta intelligentiam zeli quem exercet Rector quilibet circa gregem sibi commissum. Simila est mens munda, sartago zelus, oleum misericordia, frixura cordis angustia, calida hostia feruens charitas: Sacerdos qui patri succedit, imitator bonitatis Dei. Simila autem in sartagine frigitur, cùm mens iusti per zelum sancti ardoris crematur; oleum autem infunditur, cùm amat etiam ipsum quem insequitur. Sartago autem necesse est vt sit ferrea, iuxta quod ad Ezechiel Dominus dicit, *vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Non fictilis, quia citò frangeretur, non plumbea quia citò liquesceret, sed ferrea aut ænea debet esse mens Rectoris, vt D sit durus ad tolerantiam & sonorus ad doctrinam.

Ezech. 3. 9.

Cùm transieris per ignem, ò Rector, non adurat te ignis tribulationum, cùm per aquam, non penetret te vel absorbeat aqua voluptatum vel blandarum carnis illecebrarum. Æs tuum incalescat quidem pro infirmitate corporali, sed nullatenus liquescat ex dissolutione carnali. *Testa saniem rade*, vt virtute patientiæ abstergas maculam corruptionis tuæ vel alienæ. Te mediante, vaporem suauiter decoquentem sentiat, te obstante, ignem crudeliter vrentem non sentiat anima fidelis a te gustui diuino aptanda. O admiranda patientia sartaginis, quæ fortis vt mors, dura vt infernus, neque vincitur potestate incursantis fortunæ, neque flectitur precibus aut pretiis blandientis? Quis, inquit, superabit vel *separabit nos à charitate* CHRISTI *Tribulatio?* sed hæc, *patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. Angustia?* sed hæc dilatat cor, *Persecutio?* sed hæc compellit ad Deum. *Nuditas?* sed hæc expedit cursum. *Fames?* sed hæc parat panem viuum. *Periculum?* sed nullum venienti restat periculum. *Gladius?* sed penetrabilior omni gladio acuto.

Iob, 28. Rom. 8. 35. Rom. 5. 4.

Hæc omnia contemnit sartago nostra; armatis occursum pergit audacter, & ait; *quia neque mors*, est, promissio vitæ; *neque Angeli*, vel mali qui vellet vel boni si quomodo vellent, *neque Principatus* s quis in cœlo vel in terra; *neque Virtutes* id est facientes miracula; *neque instantia*, id est neque futura bo vel mala; *neque fortitudo*, id est violentia aliqua; *neq altitudo*, id est, promissio altitudinis; *neque profundu* id est, comminatio deiectionis; *neque alia creatura*, qua esset quæ nondum creata est, *poterit nos separ a charitate Dei.* Ecce quàm fortis sartago. Vide i tum quàm prompta ad excipiendam adustionem, aliquam sustineat læsionem esca decoquenda. *Optaba* inquit, *anathema esse à* CHRISTO *pro fratribus m secundùm carnem.* Cuius hæc vox, nisi sartagini cuiuslibet suppliciorum carbonibus se obiicientis, sine combusturis paretur cibus Dei. Vis audire, quom do hæc sartago antequam alterius cruditatem exc quendam susceperit, seipsam probauerit? *Castigo*, inqu *corpus meum & in seruitutem redigo, ne postquam a prædicauero ipse reprobus efficiar.* Sed de his, hacten

Moraliter verò sartagini, confessio comparatur. enim multis lignorum congerie supposita sartago sup ponitur, in sartagine verò, aqua siue oleum aut sagim infusum bullitur, vt caro vel panis decoquatur; sic m motis vndique gehennalibus vallata incendiis, om sua præ timore & expectatione futuri iudicij feruesc te facit. Impetu itaque confessionis, spumam peccat tum suorum proiicit, & quicquid cruditatis inerat, su crescente charitate decoquit. Attrahit ignem ad int tiora, excoquit quæcunque iniecta fuerant cruda. Spu vel scoria eiicitur, cum in vera confessione oris, to cordis immunditia expurgatur.

CAPVT XXIII.

De pane asso in craticula.

RÈs vna multis plerumque vocabulis nuncupat multis figuris significatur. Infantiæ sensus h mani à sapientia Patris in hoc consulitur, vt quia i in abscondito est, & vt est non comprehenditur; s tem multo verborum & sensuum circuitu, qualiterc que tandem attingitur tanquam enim multis inuol cris veritas, quandoque circum tegitur, multis spol superinduitur. Spoliis igitur suis cum multa reuere tia est expolianda, vt species & pulchritudo eius ta quam stella matutina, vel sicut Sol in virtute appare Quid enim aliud agitur, cùm figura alicuius rei exp nitur, nisi quasi vestis sapientiæ explicatur vel tollit cùm verò aliquid prouerbiali similitudine obumbrat quasi puella speciosa amictu suo tegitur. Hæc idcir dixerim, vt cùm audis clibanum, cùm audis sart ginem vel craticulam, figuras diuersas circa cande rem intelligas: CHRISTVS enim in clibano, figural ter, CHRISTVS in sartagine, CHRISTVS craticula, sed sicut ad aliud ponitur panis in cliban ad aliud in sartagine, ad aliud in craticula, sic ali exponitur CHRISTVS in clibano, aliter in sartagin atque aliter in craticula. Et panis quidem in cliba coquitur, in sartagine verò frigitur, in craticula demu assatur.

Clibanus itaque natiuitati, sartago passioni, cratic la morti CHRISTI aptantur. Puritatem in natiuitat patientiam in passione, mansuetudinem in morte. Nu la enim corruptio in CHRISTI natiuitate, nulla imp tientia in passione. Tacet agnus, soporatur leo, CHR STVS in morte non conturbatur. Conformemur it que capiti nostro nascenti, quia non potuimus p primam, saltem per secundam Baptismi natiuitate Imitemur fratrem nostrum patientem, & si non vsq ad sanguinis effusionem, saltem vsque ad vitioru

A repressionem, ad lateris effossionem; saltem ad desideriorum defossionem. Aspiciamus Redemptorem morientem, & quanta tranquillitate emisit spiritum, tam pacifica iussione accedamus ad moderandum proprij imperij verbum. Non violetur morbo criminali, regeneratio baptismatis, non scindatur patientiæ amictus furioso impetu irascentis, non inquietetur somnus contemplantis inordinato motu ambitiosæ commotionis! informandi sunt mores in clibano; roborandi in sartagine, consummandi in craticula. Ait Dominus in Euangelio: *Ecce ego hodie & cras perficio sanitates, & tertia die consumor. Hodie*, est nobis in illuminatione fidei; *cras*, in operatione iustitiæ; *tertia dies*, in consummatione gloriæ. Hodie cæcum illuminat; cras, paralyticum consolidat; tertia die, Lazarum resuscitat.

Leuit. 13. 31. Exod. 3. 18.

In typo huius mysterij filij Israel cùm egrediuntur de Ægypto, infra trium dierum spatium non immolant Deo suo sacrificium, oblationem & victimam rationabilem, sanctam, Deo placentem. Sub hac quoque figura celebriores Solemnitates ab omni populo, tam in deserto, quàm in terra promissionis, tres in anno Deo redduntur: Pascha videlicet & Pentecostes, & Scenopegia, quarum vna figuraliter pœnitentibus, alia iustis, tertia congruit glorificatis. Sanguine enim Agni abluunt pœnitentium peccata: *etiamsi fuerint vt coccinum, vel si rubra quasi vermiculus, quasi nix dealbabuntur*. Transit quoque exterminator, postes pœnitentium, per confessionem & pœnitentiam linitos vel potiùs munitos, sanguine Agni immaculati IESV CHRISTI. Nequaquam autem in Ægypto, vel in confiniis eius hoc offertur sacrificium, sed in recessu & mansione valde remotiori. Opere namque sermone, & voluntate, prius domus seruitutis, id est, voluntas peccandi deserenda, vt acceptabilis fiat immolatio victimæ nostræ. Tunc enim gratum Deo est conuersorum Pascha, cùm omnibus submersis veternorum delictorum Ægyptiis, toto corde, totâ animâ, tota virtute conuenticula malorum procul elongauerimus.

B

Isa. 1. 18

C

Hic nouæ vitæ nouus homo, abiectis antiqui Serpentis venenosis suggestionibus Deo vinciatur, & à peccatis iustificetur. Progreditur deinde tanquam aurora consurgens ad ortum Solis & à frigoribus niuis transit ad calorem nimium, vt post Pascha pœnitentiæ celebret Pentecosten iustitiæ. Vt enim Pascha cum lactucis agrestibus comeditur; sic Pentecoste tubis iubilationis illustratur. Redit quoque tunc omnis possessio ad Dominum, seruus & ancilla liberantur, nullus alicuius laboris inquietudine vexatur, vox exactoris tollitur, vox sponsi & vox sponsæ, vox exultationis & iubilationis in tabernaculis omnium Sanctorum auditur. Hæc præclara solemnitas, mentibus aptatur iustificatis. Nam sicut contorquere caput suum & saccum & cinerem sternere, pœnitentis est, sic iustorum animæ est exultare, gaudere & lætari. Emancipatus à domino * peccati exultat, restitutam adiens hæreditatem gaudet, pactum pacis cum lapidibus regionum & cum bestiis saltus habens lætatur.

Lætitia festi Pentecostes.

D

* f. dominio.

Adhuc diligentiùs differentiam Paschæ & Pentecostes intuere. In sanguine, azymo pane, carnibus assis igne, lactuca, baculo, renibus accinctis & pedibus calciatis, agitur Pascha & sanguine profectò, postes tinguntur, Agnus assatur, quod superest de carnibus Agni comburitur, cum lactucis caro Agni editur; baculus in manibus tenetur, renes balteis Regum accinguntur, & pedes calciamentis nouis induuntur. Quid autem hæc significant? in sanguine cordis contritio, in igne oris confessio, in azymo pane absque vana gloria, bona operatio, in baculo inflexibilis propositi sollicitudo, in lactuca lachrymarum compunctio, in renibus accinctis, libidinosorum motuum mortificatio, in pedibus calciatis Sanctorum imitatio, vel finis sui assidua recordatio intelligitur. Hæc arma sunt pœnitentis, hæc instrumenta in clibano coquentis, hæc necessaria in victu Pascha celebrantis. Fit autem Pascha vespere videlicet cùm homo recesserit à feruore concupiscentiæ: vnde, *conuertentur ad vesperam & famem patientur vt canes*. Sola namque est vera & perfecta peccatorum conuersio, quâ excluditur malæ concupiscentiæ ardor, & quam deuorans præcedentia mala sequitur fidelis confessio.

Differentia festorum Paschæ & Pentecostes.

E

Psal. 58. 7.

Inde etiam est quòd quicumque de castris ob aliquod animæ contagium egreditur, non nisi ad vesperum, lotis vestibus ad eadem mundus regreditur. Non immeritò igitur, Pascha incipit vespere, quia tunc inchoatur salus animæ. Pentecostes verò clarescens habet tonitrua, fulgura, nubes densissimas, clangorem buccinæ, montis verticem fumigantem, Moysem loquentem & Dominum respondentem. In mane cognitio sui, in tonitruo sonus prædicationis, in fulgure increpatio malorum, in vocibus exhortatio bonorum, in lampadibus claritas miraculorum, in clangore buccinæ fortis prædicatio Sanctorum, in fumo despectio Sanctorum, vel excæcatio malorum, in nube densissima, protegens humilitas, in Moyse loquente conscientia petens, in Domino respondente gratia adiuuans. His circũ ornatur splendoribus anima iusti; his prætitulatur honoribus templum Spiritus sancti vbi oleum charitatis, tanquam in sartagine feruet, vt sicut pœnitens Agni sanguine à sordibus mundatur, sic iustus oleo Spiritus sancti à doloribus vngatur. Ecce Pascha pœnitentis, ecce Pentecoste iustificatur.

F

Sequitur deinde Scenopegia, quæ est feriæ tabernaculorum, in quibus lætandum non militandum est, die, primo & die octauo, cum Filius *tradiderit regnum Deo & Patri, vt sit Deus omnia in omnibus*. Hæ feriæ tabernaculorum sunt à Domino, à decimo quinto die mensis septimi septẽ diebus. Dies primus vocatur celeberrimus atque sanctissimus. Dies quoque octauus erit celeberrimus atque sanctissimus. Hæ sunt, inquit Dominus, feriæ quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino. Felix confinium, sed longum, primi, septimi & octaui diei. Primus dies est initium substantiæ Dei quæ est fides; septimus perfectio iustitiæ; octauus inchoatio gloriæ. Prima dies propitiationis, septima sanctificationis, octaua glorificationis. *Omnis qui de genere est Israël, habitabit in vmbraculis*: Bona vmbracula alarum Seraphim, Cherubim etiam alas suas extendit & protegit: Gallina nihilominus *congregat pullos suos sub alis*; Et Dominus, *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas*, & accipit eos atque portat in humeris suis. Obumbratio autem alarum IESV æmulatio est virtutum eius. Virtutum enim pennis, siue alis vtitur Rex virtutum ad reuolandum super astra cœli ad dexteram sedis magnitudinis Dei vt dicatur ei, *sede à dextris meis*.

1. Cor. 15. 14.

G

Leuit. 23. 42.

Math. 23. 37.

Qui igitur de genere Israël est, in vmbra ista viuat inter gentes, donec ascendat ad populum accinctum nostrum. Feriandum est interim in tabernaculis, sed ab operibus mortuis; primo die per fidem, septimo per operationem, vt sit fides sine errore, vt sint opera sine simulatione. Sit fides collyrium illuminans oculos; sint velut antidotum opera fidelia, ad vitam reuocantia mortuos. Habitet CHRISTVS per fidem in nobis, & per opera iustitiæ, *regnum Dei sit intra* nos. Si enim intra te fuerit regnum siue gaudium Domini, in octauo eris; erit namque mensis ex mense, Sabbatum ex Sabbato, cùm transierimus ex fide in fidem; cùm reuelata facie transferemur *a claritate* boni operis, *in claritatem* diuinæ remunerationis. *Melior est dies* ista *in atriis Domini super millia*, in qua exultabimus & lætabimur, non *memores* per reuelationem *vberum* sponsæ, sed cernentes per præsentem contemplationem vultum sponsi & sponsæ, non adhuc *per speculum in ænigmate*, sed *facie ad faciem*, quia euacuabitur quod ex parte est, consummabitur quod perfectum est, vbi ardet clibanus, sed dilectionis: vbi sartago, sed laudationis; vbi craticula, sed consummationis; vbi Pascha, sed in vita Agni; vbi Pentecostes,

H

A ſed in tranquillitate & manifeſtatione conſiliorum Dei; vbi feriæ tabernaculorum, ſed in æterna poſſeſſione altiſſimi cœli; vbi vmbracula, ſed Dei; vbi non prima dies, ſed vna, non ſeptima, ſed ſempiterna, vbi non octaua, ſed æterna.

Adhuc tamen aliquid ſpecialiter dicendum de craticula; in ſuperioribus enim continuauimus, vel etiam copulavimus clibanum, ſartaginem & craticulam. Aſſignanda eſt itaque craticulæ proprietas, & quid myſterij contineat, explicandum. Zacharias Propheta vidit *inter myrtheta*, virum aſcendentem ſuper equum rufum, *& poſt eum ſequebantur equi rufi, varij & albi*. Myſticè igitur vir qui aſcendit ſuper equum, CHRISTVS eſt qui corpus aſſumpſit humanum. Superſedit enim in corpore ſuo tanquam in equo Dominus, quia vallem noſtram viſibiliter non viſitaret, vel perambularet, niſi corpore aſſumpto, Deus. Aptauit autem Pater Verbo corpus non cuiuſlibet coloris vel habitudinis, ſed quale Deum decuit, ſed quale ad peragendum curſum

Zach. 1. 8.

B neceſſarium fuit, ſed quale noſtra redemptio expoſtulauit. Inde namque eſt illud in Pſalmo: *corpus aptaſti mihi, vel aures perfeciſti mihi*: Aptauit, inquam, equum equiti, vt nobiliſſimo corpori nobilior aſſociaretur anima & ſuper vtrumque ſederet diuinitas. Fortè equus iſte idcircò rufus eſt, quia dignitatem ſeſſoris non ſine verecundia contuetur, & ita propter ſuam reuerentiam rubore perfunditur. Immò equus iſte rufus eſt, quia *factus in agonia prolixiùs orabat & facta ſunt guttæ eius, quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*

Sed hoc parum fortè. Vide & vbi prorſus non ſparſim, ſed toto corpore, *a planta pedis vſque ad verticem* ſit rufus: *Chlamydem coccineam* in paſſione ſua *circumdederunt ei milites*, & hic rufus eſt. Clauis tandem affixus eſt & latus lanceâ apertum, vnde exiuit ſanguis & aqua; ecce quomodo vermiculatus eſt, ecce quomodo rufus eſt equus noſter, ſicut & Dauid iuuenis *erat rufus & aſpectu decorus*. Ioannes verò Euange-

C liſta aliàs hunceundem equum, vidit album, vtique ſub alio Sacramento, videlicet, quia agnus ſine macula peccati erat, & vt diceretur ei in Canticis: qui ſedebat ſuper equum, totum quidem album propter immunitatem culpæ, ſed & rufum propter afflictionem pœnæ; *Dilectus meus candidus & rubicundus*: Et in Euangelio: *exiuit Ieſus portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum*, & ait, *ecce homo*. Sequebantur autem hunc *equi rufi, & albi*. Rufi, ſunt Martyres, *ſemper mortificationem in corpore* ſuo *pro nomine* IESV, vſque ad finem ſuſtinentes: albi, Confeſſores, ſemper in pace Eccleſiæ virtutibus & doctrina florentes: varij, qui aliquando cruciabantur, aliquando relaxabantur, nec continuè perſecutionem patiebantur, nec aſſidua pace vtebantur.

Horum vita ſiue paſſio; craticulæ non immeritò comparatur. Eſt enim craticula, inſtrumentum habens velut quaſdam coſtas, & inter ipſas, quaſdam aperturas per quas vapor ignis penetret in interiora eius quod

D deſuper extenditur. Aſſatur enim quodcumque ſuperponitur, & fortè non ſolùm panis, ſed & carnes aſſi agni, aſſantur hîc. De carnibus namque agni, *nec crudum quid*, vt Iudæi, *nec coctum aquâ*, vt Philoſophi, ſed vt veri Catholici faciunt, aſſum tantùm igni, edere licitum eſt. Reuera manſuetus Agnus ille in quo *beneplacitum eſt Deo habitare in eo*, *ſuper quem* vidit Ioannes, *Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum*; ab omni contagione peccati immunis, carnes ſuas in craticula aſſavit: quia cùm voluit, tetigit eum ignis perſecutionum & cùm voluit, prohibuit ne accederet ad eum *flagellum*, ſiue laqueus pœnalis venantium. *Poteſtatem* enim habebat ponere *animam* ſuam, *& iterum ſumere eam*. Quare enim cùm vellent eum tenere, *nemo in eum miſit manus*: & cùm auditur: *ego ſum*, ceciderunt retrorſum, niſi quia ibi non erat apertura poteſtatis humanæ, Deo permittente, quâ penetraret vis penetrabilis ignis, vſque ad carnes Agni?

E Aliàs verò, & *lapides tulerunt in eum*, & comprehenderunt, & crucifixerunt: vbi ſcilicet apertura patuit in craticula, diuina permiſſione. Hîc, *panis qui de cœlo deſcendit*, decoquitur, & caro Agni ſiue piſcis qui de mare aſcendit, duræ paſſionis ignibus aſſatur. Mortificantes igitur carnem pro CHRISTO, ne deficiant, reficiuntur hoc cibo. Lenit enim dolores patientis Chriſtiani, aſſidua recordatio in Cruce pendentis. Telum à corde excutit impatientiæ: dulcis memoria incraſſatæ orationis perfuſæ de pinguedine gratiæ & de virtute patientiæ. *Pater* inquiens, *ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*. Sanat omnes amaritudines mentis, fauus diſtillans de labiis olei: ſanguis defluens de venis miſericordiæ venena extinguit malitiæ & nequitiæ. Fauces delectatione, venter ſatietate; oſſa medullis, nerui robore replentur cùm de craticula, panis tota fide aſſumitur.

Memoria passionũ Christi lenit dolores.

CAPVT XXIV.

De Pane inuncto oleo.

F SPiritus noſter triplici vexatus hactenus labore, clibano videlicet internæ tentationis, ſartagine acerrimæ perſecutionis, & craticula quotidianæ mortificationis; totus laſſus, aridus & extenuatus pane inuncto refici, inungi & impinguari, totis ſuſpiriis non immeritò anhelat. Contritis enim corde medetur, ſanat omnes animi contritiones, & confouet quarumlibet anxietatum paſſiones. Igitur ſi de torrente hyemalium inundationum, clibano ſcilicet, ſartagine vel craticula; laborando in via hujus noſtræ peregrinationis, guſtauimus; quid niſi vnctum panem remunerationis in patria, ab eo qui viuificabit mortalia pectora noſtra, expectamus? Qui enim in exilio legem dedit Euangelicam pro fide patiendi, dabit in cœlo benedictionem angelicam cum CHRISTO regnandi, *vt ſecundùm multitudinem dolorum* noſtrorum, æquo modio iuſtoque ſextario

G appendatur in ſtatera, iuſta retributio bonorum. Congruè proinde, ſartaginis frixura, vbi viſcerum arvina effluxerat in pœnis, recompenſatur pane vncto redemptionis quo immortaliter noſtra viuet anima: & craticula in qua vſque ad mortem ſubſtitit, pane conſperſo æternæ glorificationis: paſſibilitas enim, impaſſibilitate, mortalitas commutatur immortalitate. Separatim proinde apponendus eſt panis vterque: quia eſurientium viſcera, vnuſquiſque replere ſufficit in die ſuo.

Et alius quidem eſt panis vnctus, alius conſperſus; non tamen vſquequaque diuerſus. Nam vnus quidem eſt CHRISTVS, propter coniunctionem duarum naturarum in vnitate eiuſdem perſonæ; ſed duo in eo conſiderantur ſecundùm mutuam diſtributionem in eadem perſona ſingularum proprietatum. Similiter vna caro ſunt, Sponſus & Sponſa; ſed tamen alius Sponſus, & alia Sponſa: ſicut aliud caput, & aliud corpus, & tamen vna eſt perſona, caput & corpus. Vnus ita-

H que eſt CHRISTVS? *Verbum caro* de Virgine *factum*, cum Sponſa ſua vniuerſali Eccleſia cunctorum fidelium. Sed tamen aliquando ſigillatim, de CHRISTO capite: aliquando coniunctim, de CHRISTO capite, & corpore tractantes agimus. Aſſignamus namque ipſi capiti aliquando quod ſoli attribuendum eſt corpori: & aliquando corpori aſcribimus quod niſi capitis participatione veraciter ei attribuendum non intelligitur. Cùm igitur de CHRISTO dicatur, quia ipſe eſt *panis qui de cœlo deſcendit*, *quem* Pater ſignauit & miſit in mundum: de capite intelligendum eſt. Cùm verò aliter; vbi appellatur Eccleſia quæ eſt Sponſa, panis conſperſus, vel panis ſimilagineus ſpecialiùs hoc propter Sponſi ſui coniunctionem, non propter ſuam dignitatem dicitur, habet enim Eccleſia potiùs, refici à Deo, quàm ſe reficere propria virtute. Sed iam redeamus ad panes, ſiue vnctum ſiue conſperſum.

A Panis itaque inunctus est Iesvs quidem, Spiritus Domini inunxit & sponsum Ecclesię constituit: panis verò conspersus Sponsa quæ vna est cum Sponso, & hoc ipsum habet à Sponso, in cuius desponsatione sacro conspersa est chrismate. Sequestrato itaque pane conspersо non fide credendi sed ratione tractandi, & in alium diem reseruato: iuuante gratia videamus nunc de pane inuncto. Primò tamen considerandum est quod profunditatem mysterij, tam in conceptione quàm in natiuitate *mirabilis facta est* hæc vnctio supra nos, *confortata* quoque est super Angelus clarificatione resurrectionis, nec possumus ad eam, quamdiu habitamus domos luteas & terrenum incolimus sensum, præ ascensione ad dexteram Patris in excelsis. Quis enim cognoscit vnguentum bonitatis Domini, in consilio disponentis se incarnari: aut quis in conficiendo ipsam assumptionem nostram consiliarius ei fuit, aut quis in redemptione humani generis, pigmentarias species saluationis nostræ dedit illi? Ex odore quidem huius vnguenti repleta est, & Ecclesia quæ in terris peregrinatur, & sequitur Sponsum in odore huius vnguenti, &

B ipsa aula cœli; quia in initio viarum Dei, cum diceretur: *fiat lux, & facta est lux*, genere sublimiori, bonitate excellentiori, vsu & munere propensiori ditata est creatura cœlestis: id est angelico diuinæ cognitionis dono, & in ipsa nostra reparatione restaurata pleno numero.

Abiret porro vngitur vel vtitur deliciis Paradisi Dei ipse filius olei, sed qualiter, non est nosse alicuius, præter te Domine, cuius *nomen oleum effusum*, & de cuius cornu, id est, humanitate glorificata, superefluunt impetu redundanti ad homines, emissiones gratiarum. Totum siquidem cornu olei, id est gratiæ plenitudo, funditur in capite filij hominis, quia benedictio Domini effusa est super caput Iusti iustificantis omnes iustificatos totaliter & originaliter non particulariter. Totum, inquam, ei infunditur vnguentum, cui *non ad mensuram dat Deus Spiritum*. Tingit præterea etiam pedem

Angelorum numerus, hominis reparatione restituitur.

C suum in oleo, quia vsque ad oram vestimenti, scilicet vltimi fidelis, exuudat infusio gratiæ distillantis de monte sancto. Sic enim benedicit pusillos cum magnis: à capite namque defluit, sed non deficit oleum, fons enim insiccabilis, quem nec ventus Dæmonum, nec intemperantia hominum, à sæculo & vsque in sæculum absorbere potest; *misericordia enim ab æterno, & vsque in æternum, super timentes eum*. Deriuatur hoc oleum per semitas iustitiæ, quia nulli digno negatur, nulli indigno salubriter datur. Hoc oleum *potabunt omnes bestiæ agri*, cui benedixit Dominus; sed *expectant onagri in siti sua*. Mirabiliter hoc oleum, & potat & pascit, & vngit. Potat sitientes, esurientes pascit, vngit agonizantes. Potentes, potenter pascit, debiles misericorditer potat, delicatos & in croceis nutritos vngit. Operantes pascit, desiderantes potat: præ amore languentes & in semetipsis deficientes vngit. Pascit decertantes in sartagine, potat desudantes in clibano, vngit defixos in craticulis. Mar-

D tyres denique ligno vitæ pascit: Confessores potat fonte scientiæ, Virgines vngit priuilegio castitatis & gloriæ singularitate.

Ita non simplex gratia olei, sed multiplex. Vna quidem causa, sed effectus multiplex, sicut vnus spiritus, sed multæ gratiæ. Iesv soli, tota simul gratia affuit, & totâ gratiâ, Iesvs totus, infinitè affluit. Totus vnctus, quia totus sanctus: totus vnctus, quia totus desiderabilis, totus vnctus, quia Spiritu sancto totus plenus: *vidimus enim gloriam eius gloriam quasi vnigeniti a Patre plenum gratia & veritate*. Hunc Ioannes Baptista tingit aqua, hunc Deus Pater vnxit Spiritu sancto: A Deo enim non ab homine accepit oleum Deitatis, ab homine verò, aquam humanitatis. Oleum miraculorum à Patre; aquam passionum recepit ab homine: oleum suauitatis, à summitate cœlorum; aquam doloris, à natura hominum. Ab inferioribus quoque tingitur aquâ, Iesvs, si in eum homines vel tenuiter crediderint: à superioribus vngitur oleo, si fidem suam subli-

Christus totus vnctus.

E mi deuotione, Sancti consecrauerint. Inuenitur præterea penes Patrem vnicum, vnguentum mirabile & incomparabile, redolens super omnia aromata, collectum, non de montibus aromatum, sed de primis Virtutibus supercœlestium mansionum. Sentit quidem supra se nec vsurpare præsumit ad vngendum se hoc vnguento, omnis Ordo supernarum virtutum. Satis namque beatificos se reputant illi cœlestes Spiritus, si vel odorem senserint, cuius vnctionem non sibi, sed proprio Patris filio paratam & debitam recognoscunt.

Fur & latro Diabolus porrexit manum ad hoc vnguentum, sed leprosam retraxit, sed aridam, sed contractam, vnguentum enim hoc, *in ruinam & in resurrectionem multorum est*. Præsumentium & superborum ruina est, humilium & contritorum resurrectio, *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem & trementem sermones meos?* Feruet & bullit, sicut acetum in nitro Spiritus, rumpendo & concremando vtrem veterem, si ad maliuolam descenderit animam;

F requiescit & vngit, si ad simplicem & castam. Si portionem quæ sibi competebat, Lucifer moderatè exposceret, & non totam vnguenti substantiam tanquam musca moriens, rapina vsurparet, fortè adhuc in odore eius cum sodalibus Sponsi fœliciter viueret. Vsibus sapientiæ suæ, Pater, hoc vnguentum æternaliter destinauit, & vt singulariter præ omnibus consortibus suis coofrueretur ordinauit. *Filius*, inquit, *meus es tu, ego hodie genui te*. Hoc æternæ, & singularis generationis vnguentum, adoret non tangat creatura: *qui enim tetigerit, lapidibus obruetur: manus non tanget eum*, quia tangere voluit, quod tangere non licet manum discussionis humanæ. Sed si quæritur quis vnxerit panem istum inunctum, vnde vnxerit, & quomodo vnxerit; docet Psalmista, loquitur Isaias, Petrus Apostolos demonstrat. *Vnxit te*, inquit Psalmista, *Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Isaias verò ait, *requiescet super eum Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ*, &c. Petrus quoque in Actibus Apostolorum: *quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto*. Et hæc est vnctio, quâ Pa-

G ter vnxit Filium.

Mirabilis hæc vnctio Patris, quia Filium suum vnigenitum vnguento vnico vnxit! pretiosum reuera hoc vnguentum, quod nulla fuit creatura idonea ex creatione suscipere; nulla ex meritis emere. Quicquid namque creatum est, siue in cœlo, siue in terra, siue corporale, non sic diligit Patrem quomodo Filius, nec sic à Patre diligitur. Vnicè enim & indifferenter ad se recurrit amor Patris & Filij, quum toto se Pater qui amor est, diligat Filium & Filius toto se, qui nihilominus amor est, diligat Patrem: nec minùs Filius diligit Patrem, quàm Pater Filium: quia Filius in nullo minor est Patre. Quod si quæris quomodo vngat Filium Pater, & Filius non vngat Patrem, si dilectio est ipsa vnctio, & filius sic amat Patrem, quomodo Filium Pater? Respondeo, quia Filius à Patre est, non autem Pater à Filio, vel quia Pater genuit Filium, non autem Filius Patrem. Sic namque alios est qui vngit, & alios qui vn-

H gitur, quia alius est Pater, alius Filius: sed eadem vnctio est quâ vngitur Pater & quâ vngitur Filius: quia idem Spiritus sanctus sicut à Patre procedit similiter & à Filio. Vnxit & istum quæ *erat in ciuitate peccatrix*, vnxit namque pedes vnxit caput. Grata certè Deo est vnctio, à peccatis conuersio, hæc pedes: Multò autem acceptabilior ad virtutes progressio, ista, caput. Frange esurienti panem tuum, & egenos & vagos induc in domum tuam, vnguento vnxisti pedes Iesv. Da eleemosynam, *non ex tristitia aut ex necessitate*, sed ex multa hilaritate, & effudisti vnguentum super caput. Pane ergo inuncto reficitur, qui in hilaritate miseretur.

Quomodo filius vnctus à Patre Deo, & non contra.

A

CAPVT XXV.

De Pane conſperſo.

SIcut capiti corpus & Sponſa Sponſo coniungitur: ſic panis conſperſus, poſt panem inunctum non immeritò ſequitur. Vt enim IESVS in pane vncto: ſic Eccleſiâ in ſanguine CHRISTI lota, in pane conſperſo ſignificatur. Quamquam igitur dulces cibos ab ipſa manu Verbi iam non capiamus, tamen Eccleſiæ chariſmata tanquam fruſta panis aſperſi, cùm omni auiditate ſumamus. Et quia non ſemper nobiſcum præſentia viſibili adeſt panis ille inunctus, qui exiuit à Patre & venit in mundum: iterum enim relinquens mundum rediit ad Patrem; ſaltem panem conſperſum, tanquam quotidianum, non cum faſtidio propter aſſiduitatem, ſed cum deſiderio, propter nutritiuam animarum noſtrarum virtutem edamus. Hic enim panis, de adipe & pinguedine panis vncti conſpergitur, quia, vt ait ille qui de pectore eius buccellam panis oleati guſtauit: *omnes de plenitudine eius accepimus & gratiam pro gratia.* Pro gratia, videlicet vnctionis in capite: *gratiam* conſperſionis in corpore: *pro gratia*, non ad menſuram data: *gratiam* ad menſuram acceptam. Sicut enim in populo priori, eodem oleo vngebatur ſummus Pontifex, ſed largiori infuſione, & inferiores Sacerdotes, ſed rariori aſperſione: ſic in nouo Teſtamento, Chriſtiani, eodem ſpiritu regenerantur quo caput ſuum de intemerata Virgine concipitur & naſcitur; quamquam diſſimili proportione & operatione. In IESV-CHRISTO namque menſura bona, & conferta, & ſuperagitata, velut fons plenis gurgitibus oleum gratiæ Spiritus ſanctus ſuperinfudit: vt ipſe membris immo compauperibus ſuis refflueret eandem gratiam quam ſine præcedenti merito acceperat homo; vel potiùs pro voluntate erogaret, tanquam Deus. Nequaquam autem minuitur ei gratia ſua ex largitione, ſed ſemper creſcit in effuſione.

B

C

Aliter vero hi qui ab eo nomine deriuato Chriſtiani cognominati ſunt. Nam pro capacitate & virtute ſua, de fonte benedictionis gratiarum riuulos ſumunt, largientis pietate, non præſumunt ex arbitrij ſui poteſtate, vt ab vncto conſpergantur, vel potiùs ab vnigenito intingantur. Vnde Iſaias: *iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum.* Vbi tanquam edocet Propheta CHRISTVM, Eccleſiam de gentibus aſperſiſſe. Sed cùm multiplex ſit aſperſio, non expreſſit, qua aſperſione. Eſt enim alia aſperſio aquæ, alia ſanguinis, alia cineris, alia hyſſopi, alia denique aſperſio olei. Aſperſio aquæ in Baptiſmate celebratur, aſperſio ſanguinis in Paſſione, aſperſio olei in chriſmatis Confirmatione. Vnam quidem ſalutem operantur diuerſæ aſperſiones, ſed ex diuerſis affectuum meritis, diuerſas præparat fidelibus manſiones in perpetuas æternitates. Ecce enim Niniuitæ aſperguntur, ſed cinere: vt quaſi oppoſito ſcuto, iræ Dei vindicta eius aut compeſcatur placata, aut mitigetur indulgentiùs exercenda. Ecce velum quoque templi aſpergitur ſanguine, vt paterna commotio moueatur magis ad parcendum quàm ad puniendum, dum videt veſtimentum carnis filij ſui rubricatum aſperſione proprij ſanguinis, vel crudelitate Iudaïci populi, cuius vox eſt: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Ecce tam Sacerdotes in conſecratione ſua, quàm altare, in dedicatione: panes quoque quidam in oblatione oleo aſperguntur, quatinus Sacerdotes quidem, & imitatione CHRISTI ſanctificentur, & participatione poteſtatis ſublimentur: Altare verò quamquam inſenſibile, diuiniſſimis Sacramentis ratione conſecrationis viſibilis aptetur. Panes denique, ad configurandos illos panes qui in verum Corpus & Sanguinem CHRISTI conuertuntur, diuinitus apponantur.

Baptiſmus multiplex. Confirmatio Chriſ-

D

matis ſiue per chriſma.

Cur vnguntur Sacerdotes, in conſecratione.

Panes in Chriſti corpus

E

conuertuntur. Sanctificatio aquæ baptiſmalis. Ezech. 47. 2. Altare Iudaicū hyſſopo aſpergebatur in dedicatione, & cur.

Ecce populus Chriſtianus ſuſcepit aſperſionem aquæ ſanctificatæ per inuocationem Sacerdotalem & ſummi nominis adiurationem, vt ſumpta virtute illius aquæ quæ de templo eius egrediebatur *à latere dextro*, demergat tam originale peccatum, tanquam Pharaonem, quàm omne delictum velut Ægyptium inſequentem. Præterea templum vel etiam altare, ad hoc figuraliter in dedicatione hyſſopo aſpergitur: vt qui membra corporis ſui, caſtè viuendo templum Dei ſanctum dedicare voluerit, hoc in ſe ſentiendo quod in CHRISTO IESV, humilitate reſarciat damnum ſuperbiæ, & deſiuat tumor culpæ per correptionem iuſtitiæ. Sed ad quid hæc omnia? Vt Sponſa his aſperſionibus totam ſe abluat, vt ſit munda per aquam, vt ſit ſancta per ſanguinem, vt ſit placens per cinerem, vt ſit ſana per hyſſopum, vt ſit deuota per oleum. Cùm enim peccatorum ſuorum formidine, commota fuerit anima, adhuc peccatrix & denigrata à ſole tentationum & ſpiritualium nequitiarum: aſpergit caput cinere mortificationis, *cinerem tanquam panem* manducans: vt ſic in fine pœnitens delectetur in afflictione, quomodo affluxerat aliquando malè viuendo in concupiſcentia carnis & ſuperbia vitæ. Accepit itaque contra concupiſcentiam carnis, cinerem in ore: contra concupiſcentiam oculorum, cinerem in ventre, contra ſuperbiam vitæ, cinerem in capite. In ore vt confiteatur peccatum manifeſtè: in ventre vt conuertatur vehementer in corde: in capite vt humilietur vſquequaque. Hoc erit efficax remedium cùm aliquis peccator excuſſus ſicut locuſta, vel ſicut ligna ſyluarum quæ mouentur à facie venti: *à timore Domini conceperit, & pepererit Spiritum ſalutis.* Huic namque dicitur, *noli timere à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum*: quia taliter pœnitens & peccata ſua conſumens neque præſentialiter anathemate, neque æternaliter gehennâ condemnabitur. Et hoc, de aſperſione cineris.

F

G

Quod ſi lepra luxuriæ, animam tentatione, vel carnem delectatione commaculauerit. Heliſæus Propheta, de fontibus Saluatoris locum lepræ iubet perfundi aquâ vt miſericordia & miſerationibus Domini, lepra depellatur: & non ſolùm caro renouata ſicut caro pueri paruuli, cuius nomen eſt Emmanuël, reſtituatur: ſed etiam anima CHRISTI rediens ab inferis illuſtretur. Et hoc de aſperſione aquæ. Quod ſi animam pertranſierit gladius tentationis, & pede mortis iam in inferno malæ conſuetudinis ſepulta fuerit, non liberabitur, niſi aſperſione ſanguinis, de coſta in cruce dormientis. Petiit purpuratus Euangelicus ardens, in pœnis gehennalibus, guttam aquæ quærens cum dixit *Pater Abraham, mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam*: Sed parum petiit, & ideò forte non impetrauit: Parum inquam petiit, quia non in aqua, ſed in ſanguine, flamma infernalis extinguitur. Non enim leui & momentanea compunctione grauis culpa detegitur, ſed eo vſque penetrare debet vis doloris, quouſque acceſſit iniquitatis. Plenam itaque manum ſanguine Redemptoris, non extremum digitum in aqua tinctum expoſcat conſcientia, de grauibus, confitentis. Nec alterius tamen, ſed proprio digito velit mouere & amouere pœnam, quam malè animum mouendo, ſibi admonit. Lauet *manus* ſuas non in *ſanguine peccatoris*, ſed in morte redemptoris. Tingat digitum in locum clauorum, & mittat manum ſuam in latus Saluatoris: vt ſicut animam ſuam pro nobis poſuit moriendo & redimendo nos à morte ipſe Dominus, ſic iſte conſcientiam ſuam pro ſe exponat confitendo & pœnitendo.

H

Quod ſi cauſaris ſanguinis copiam deeſſe, & ideo digitum non poſſe tingere, attende oculis fidei quia ecce Agnus anniculus, ecce Vitulus ſaginatus iugulatur, & occiditur. Effuſa eſt copioſa redemptio, decurrit ſanguis per crepidinem crucis, & per omnia cornua altaris. Tinge igitur, tinge digitum; & aſperge *ſepties contra velum* Sanctuarij: vt ſit tibi clauis reſerationis cœli, ſanguis paſſionis Domini. Non obfirmabunt valuas ſuas

Leuit. 4. 17.

A cœli, cùm viderint sanguinem ad se leuari de visceribus CHRISTI. Aperiuntur denique portæ Paradisi, vt ad ipsum sanctificetur meliori & puriori sanctificatione, quam in creatione mundi: ne deinceps admittat præuaricatorem cum sustinuit Sathanæ transgressionem. *Tollite portas principes vestras*, quia nobiscum deferimus claues non manu factas. Reoluatur velum, appareat propitiatorium, deponat alas Seraphim, stent & summittant alas suas omnia quæ mouentur in astris, quia vox sanguinis CHRISTI melius loquitur quam
Gen. 8. Abel & est *vox tonitrui in rota*. Ecce agnoscit miluus in cœlo tempus suum; ciconia & hirundo, vt præparent nidum & Angeli non recognoscunt Dominũ suum, pretium nostrum, vt faciant locum; O quanta reuerentia teueretur, immo cedit velum angelicarum virtutum, digito Agni sanguine madefacto? immo procumbens tremit in occursum cruoris viscerum Dei & Creatoris sui. Festinant reserare clausa, petita præstare, nondum intellecta accumulare. Allambunt digitum, osculantur &
B designant omni benedictione plenum & paris contuitu dignum.

Infringe itaque non tantùm digitum, sed cum Petro, & pedem & caput, ô anima: vt pes affectionis & digitus operationis, & caput intentionis intinctum hoc sanguine passionis CHRISTI: digitus operetur iustitiam: pes currat ad gloriam & caput videat majestatem glorificam. Pes enim tuus & digitus tuus si intinguntur immo immerguntur in sanguine, amando & operando iustitiam vsque ad sanguinis effusionem; non videbis æternam corruptionem. Deo enim consecratur quicquid sanguine Agni, vel vituli aspergitur. Vitam & sanctificationem confert sanguis, quia omnis *anima*, id est, vita *in sanguine* CHRISTI *est*. Tolle sanguinem
Psal. 6. 5. & recedit anima. Si negas mortem CHRISTI; necatur vita Christiana. Hunc sanguinem condemnauerunt, qui *pretium* nostrum *repellere cogitauerunt*: hæc de aspersione sanguinis. Quod si multum est ad te & supra facultates animæ tuæ, sanguis Agni: quære saltem hyssopum herbam, humilem, nec ad inueniendum diffi-
C Esai. 47. 1. cilem. *Descende, sed in puluere, filia Babylonis, quia non est solium filia Chaldæorum.* Tuletat te Deus de stercore corruptionis humanæ, lauerat te, vestierat te, & in regnũ prouexeras, sed discooperuisti lectum tuum, sed adulterum super maritum induxisti, sed virum pubertatis tuæ contempsisti, sed lanam & linum alienis vendidisti, & tamen post omnes abominationes istas, post tergum manet pietas & indulgentia maritalis, vt ad virum priorem reuertaris. Vult autem vt hyssopo propter fornicationes innumeras idolorum, seu phantasmatum cordis tui, aspergaris, & ita super niuem de-
* f. torũ. albata, ad * thronum maritalem recipiaris: *Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit.* Exteriùs quidem, hyssopo aspergaris, interiùs autem vino inebrieris. Hæc de aspersione hyssopi.

Sequitur aspersio olei: quò magis rara, eò magis
D cara est. Præ omnibus enim aliis, oleum suauius, penetrabilius, & mollius est. Et sciendum quia iste panis aspersus de quo nunc agimus, non sanguine, non cinere, non hyssopo, non aqua, sed tantum oleo conspergitur: quia in eo, non incipientium, sed perfectorum vita describitur. Igitur anima bene progrediens à minoribus ad maiora, ab inferioribus ad superiora, à cinere incipit, & in oleo iustificationem suam perficit. A cinere namque incipit, cùm se in cinerem, & puluerem ab æternitatis immarcessibilitate per peccati præ-
* f. gemit. uaricationem redactum genuit. * Inde procedit ad lachrymas, si forte de puluere mortalitatis reformari posset, vel saltem ad limum alicuius tenacitatis. In eo, melior limus quàm pulvis, quia vaga leuitate & dissolutione vana non *circumfertur omni vento*, sicut puluis, sed conglutinatur & coaceruatur ad vnitatem in pondere humoris. Habet itaque pondus, quo erat sine pondere: habet vnanimitatem, quod carebat, vnitate, est etiam molle, quod erat siccum & absque humore. Potest exinde, iam aliquid formari: cùm priùs ex puluere nihil aliud nisi oculus posset cæcari. Iam igitur E disciplinam apprehendit, iam præcepta suscipit, iam ad omnem obedientiam, per profectum coniunctionis, jugum submittere nouit, deinde vsu & consuetudine, aqua ista vertitur in sanguinem: non tamen Ægypti, sed CHRISTI, vt iam promptus sit homo: non lachrymam, sed animam: non vndam sed vitam, si sit necesse pro CHRISTO vel fratribus ponere. Sed ne non ex humilitate, sed ex præsumptione ad passionem prosiliat; fortissimæ & supra petram fundatæ humilitatis hyssopus sequitur; vt non solùm vsque ad mortem, sed vsque ad mortem crucis, iute hæc pertingat. Iam ad vltimum sequitur oleum exultationis: vt videlicet non iam humiliter, non fortiter tantùm; sed libenter & exultanter in adipe & pinguedine, hostia CHRISTI in carbonibus passionum non aduratur, sed decoquatur, non lugeat, sed rideat: non patiatur tormentum, sed regno potiatur. Hoc aspersi oleo Apostoli & Martyres, quasi ad epulas currunt. Et hæc de aspersione olei. F

CAPVT XXVI.

De Pane frigido.

NOn vniformiter vnius diei vnicam gratiæ dulcedinem omnes degustant, sed secundùm meritorum suorum capacitatem & affectuum aptitudinem, vnusquisque de inuisibili verbo Dei, portionem sibi congruam accipit. Sic enim Manna quod de cœlo descendit, variatur in ore edentium, pro varietate desideriorum. Aliter enim in ore incipientium; aliter in ore perfectorum, aliter in ore elusientium, atque aliter in ore iam saturatorum, aliter in ore lugentium, atque aliter in ore lætantium, aliter in ore seruorum, aliter in ore filiorum, aliter in ore mercenariorum, aliter denique sapit panis fermentatus, aliter azymus, aliter panes primitiarum, aliter panes propositionum, aliter simulagineus, aliter hordeaceus, aliter communis, aliter sanctificatus, aliter coctus in clibano, aliter in sartagine, aliter in craticula, aliter vnctus oleo, aliter conspersus, aliter durus, aliter calidus. Vt cumque autem balbutiendo potuimus, explicauimus cuiusmodi sint sapotis omnes isti panes, præter frigidum & calidum, de quibus nondum tractauimus. Non autem irrationabiliter in finem conuiuij, hos reseruamus, & post panem cōspersum in oleo collocauimus, quia dura testant nobis semper certamina, licet mentem nostram perfuderit gratia. Vnde Moyses cùm benediceret Aser dicens: *tingat pedem suum in oleo* subiunxit: *ferrum & æs calciamentum eius.* Animaduerte pedem tinctione madefactum, molliorem & teneriorem effici.

Sap. 16. 21. — G — Deut. 33. 25.

Commodiùs itaque, calciamentis vteretur molliori, bus quàm ferreis, nisi per Sacramentum, subintelligeretur spiritale mysterium. Quid igitur per pedem intinctum in oleo, nisi mens inspirata Spiritu sancto? Et H quid per calciamentum ferreum & æreum, nisi laboriosum iter per præsens sæculum ad cœlum? Planè tanquam calciamento, quotidie conteritur pes viam huius sæculi perambulantis, & nisi releuaretur perfusione olei, prorsus conquassaretur asperitate calciamenti. Vt itaque, cursu celeriori & præsentia contemnantur, & futura ambitiosiùs appetantur, gratiarum dulcedini admiscetur interim amaritudo huius exilij: quatenus, tam superna irrigatio incitet, quam infirma exacerbatio compellat animum nostrum, ad Deum. Duplex enim incendium repatriandi, est desiderium paterni soli, & tædium huius exilij. Admonet hoc redire: cogit illud exire. Emollit animum desiderium, vt confluat ad Deum liber factus: exasperat tædium, vt fugiat hinc amaricatus. Sic educuntur & reducuntur animalia Dei, vt egrediantur & pascua inueniant, non solùm in sibilo attractata sed etiam in flagello verberata. Interdũ itaque prævalet suspirium æternæ iucunditatis, interdum arctentiùs mouet ærumna præsentis calamitatis. Hac con-

Duplex causa appetendæ mortis.

sideratione,

A sideratione, modò duro & frigido pane vescuntur, modò vncto vel consperso: ne, si semper vnctus opponeretur, securi redderemur, vel, si semper frigidus, desperati & tepidi.

Cum iudicio lege quæ hic auctor differit, siquidem diuina gratia nullo pacto, vel ex operibus, vel ex meritis nostris confertur nisi sanctū augmentū gratiæ habitualis.

Hæc autem commutatio, fit nobis aliquando ad correptionem, semper verò ad vtilitatem. Cùm enim illustratur anima spiritali benedictione ad diligendū Deum, pane vncto vel asperso vtitur, cùm vero propriis compungitur aculeis ad fugiendum mundum, pane frigido & duro. Vtrumque verò contingit, alterum ex dono cœlesti, alterum ex merito hominis. Nam sicut nonnunquam gratia ex operibus, sliculus mentem præueniendo vngit in exultatione futuri præmij, sic, ex sua bonitate, Deus quandocunque hominem immeritum, tam ad præmium, elementer excitat. Sed quale vel ad quid est meritum nostrum? Sine dubio, meritum nostrum? per se tam malum est: vt à Deo merito deseramur, tam pessimum, vt non immerito condemnetur. Ex dono autem Dei, fit bonum per præuenientem gratiam: fit melius per cooperantem, vt ex Deo fit panis B vnctus ex homine, panis durus in mensa deferatur: vt Deo attribuas vnctionem illuminationis tibi peccatori duritiam excæcationis. De cœlo suo profundit Deus tibi lucem, & tu de abysso tua propinas tibi immensam confusionem. A Deo tibi bonum, à te tibi malum est: à Deo tibi vnguentum sanitatis, à te tibi veneficium mortis.

Meritum nostrum per se nullum est, ex Deo autem dono, fit bonum. Gratia præueniens & cooperans. Malum pœnæ & malum culpæ.

Illud igitur omnimodo à te suscipiendum: hoc non vsquequaque respuendum. Nam donum Dei indifferenter vbique semper, & ab omnibus suscipiendum, malum verò nostrum, quod est pœna non quod malitia, à Dei iustitia illatum patienter est sufferendum. Nimirum in IESV capite nostro, hanc vicissitudinem miraculorum & passionum, tota Euangelij series narrationibus verissimis intermiscet, vt citharœdi Euangelici, modò sonum grossiorem & obscuriorem in cithara corporis IESV afferendo tribulationum contumelias inferant, modò fulgurationes diuinorum operum & sermonum repræsentando subtiliorem & acutiorem insonent. Inde quoque est quòd quidam Psalmi intitulantur sic: *Psalmus Cantici*, alij, *Canticum Psalmi*. Inde C rursum est quòd aliquando præcurrunt passiones IESV, ipsam eius glorificationem, aliquando sequuntur. Præcurrunt, vt ipse Dominus post resurrectionem ait Apostolis. *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Et Apostolus, *Christus*, inquit, *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Hinc etiam Petrus Apostolus *posteriores* appellat *glorias* Resurrectionem & Ascensionem, quæ sequuntur Passionem & Crucem. Sequuntur autem glorificationes, circa passiones, vt cum Angelus apparet siue stella, in gloriam pueri, ac deinde fugit in Ægyptum sæuitiam Herodis, & plura his similia inueniuntur, quando præcedunt opera diuinitatis, & sequuntur passiones humanitatis. Vnde est illud: *post gloriam misit me ad Gentes*, quasi dicat, priùs facio miracula, vt sciant Gentes me esse *verbum* quod *erat in principio apud Deum*, & post, passione consumor, vt nihilominus firma sit, & vera fides Christianorum, quæ D credit verbum carnem factum.

Miraculorum & passionum vicissitudo in Christo. Psal. 47. 65. &c. Psal. 65. 81. 87. &c. 1. Petr. 11. Christi passiones posteriores eius glorificationibus. Cant. 5. 14.

In miraculis enim vnde venerim; in passionibus aduerti potest ad quid venerim. Vnus tamen idemque Christus, & qui patitur, quia homo passibilis & qui non patitur, quia Deus impassibilis. Quando autem Deus dicitur passibilis, non hoc secundùm naturam verbi assumentis, sed secundùm passibilitatem assumptæ carnis. Potes autem sine injuria Dei, tollere quod tuum est, pœnam videlicet peccati; non verò quod Dei est, sine Deo præsumendum est, gloria scilicet regni. In laboribus itaque Dei intraueris, non glorieris quasi de labore tuo factum sit, sed sufficientiam præsentis necessitatis accipe humiliter, salutem tuam ei resignando; extra nihil efferas, de libero arbitrio præsumendo. Nam pes liberi arbitrij, sine pede gratiæ Dei, nec stare, nec ambulare aliquando potuit vel poterit. Extra enim, cum pes superbiæ, vel liberi arbitrij sese efferre tentauit, collisus vix multis remediis sanari potuit vlterius. E Attende sponsi ventrem vbique distinctum saphiris, vt modò cœlestia operetur, modò humana patiatur. Ne mireris pro eo sumere contumeliæ absynthium, si prælibasti gloriæ oleum, nam de tuæ naturæ hortulis, colligitur in fasciculis, tam myrrha quàm absynthium; in areolis diuinis, non nisi oleum & balsamum. Amara & dura sunt quæ tu seminas, dulcia & mollis quæ Deus. Quid autem mirum si quæ seminauit homo comedendo vetitum, *hac & metat* eundo in interitum? Gal. 6. 7. Sic certè interfectores Christi, à gratia deserti, sanguinem eius seminauerunt, immò sparserunt super capita sua dicentes: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Ps. 108. 17. Ecce quomodo isti seminatores pessimi, non faciunt fructum natiuitatis obediendo, sed perditionis & captiuitatis occidendo, quare cibati fuor isti & transgulati à Vespasiano & Tito, ex hac messe & in farina collecto pane simul frigido interemptionis, & duro perpetuæ deuastationis.

Est & alius modus quo membra Christi cibantur frigido & duro pane, nam siue à Satana colaphizentur stimulis carnis, siue in torculari pressurarum sæcularium F alligantur tribulationibus variis, pane duro & frigido reficiuntur. Hinc Iacob diutina lassatus peregrinatione, lapidem quieturus capiti supposuit, & manè surgens visionisque mysteria intelligens eumdem lapidem inunxit. Lapis namque cùm quiescere volumus in via hac qua ambulamus ad domum æternitatis, frequenter occurrit, cùm in ipsa quiete nostra, plena molestiarum & sollicitudinum conscientia, sua duritia qualemcumque lassitudinem animæ excipit. Sed manè eumdem lapidem inungimus, cùm spem ad mercedes Sanctorum, quæ pro laboribus huius noctis recompensabuntur attollimus; spes enim peruentionis leuigat dispendia itineris. Amor quoque semper quiescendi, leui volatu perfert quodcumque infortunium, citò finiendæ peregrinationis. Hoc vnguento vulnera sua vngit Paulus lapidatus hoc flagellorum lacerationes, hoc multimodas passiones tanquam lapidem supposuerat, totum enim se morti exposuerat. G In hac verò duritia passionum suatim amplius reficiebatur, quàm affiiciebatur, vt eò magis spiritus roboraretur, quò durius premeretur. *Virtus* enim, vt ipse testatur, *in infirmitate perficitur.* Non respuit igitur panē quantumlibet durum, qui nullum formidat laborem quantumlibet asperum. Dentes habet exercitatos ad frangendum, non solùm panem durum, sed & lapideum & ferreum; non enim tantùm carnis & sanguinis nouit subigere infestationes, verùm etiam huius aëria principatus & potestates. Mortem contemnit, diabolum non expauescit. Tam ea quæ ferre, quàm ea quæ nullo modo ferre valet humana fragilitas; libenter si sit qui inferat excipit, dicens, *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Et nos itaque imitatores eius effecti, sicut filij charissimi; non succumbamus tentationibus carnis, non deficiamus aduersitatibus mundi. Refricetur in mansuetudinem animi asperitas; vnctione suauissimi olei, miserationum videlicet Domini, H remolliamus cor lapideum, conspersione viscetalium pietatum filij olei ad elationes maris tranquilliùs cutandas. Mirabiliter enim vnctio ista solidat non eneruat, ad laborem erigit non in mollitiem resoluit, habiles non debiles ad omne opus bonum efficit. Percepta denique spiritus vnctione Apostoli ad agones prorumpunt & nominis IESV insignis vbique gentium referunt. Inde pane duro & frigido à persecutoribus Ecclesiæ cibati, corporis duras & asperas mortificationes sustinuerunt. Inde in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in mortibus frequenter. Inde pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus, pericula in ciuitate, pericula in solitudine, pericula in mari, pericula in falsis fratribus, &c. tolerarunt.

Meritò igitur prius panem conspersum oleo, deinde panem frigidum & durum supponimus, quia post acce-

A ptionem gratiæ non carnis delectationes, sed mundi amantudines spectare debemus. Vnde venter sponsi *distinctus saphiris* memoratur, quia nunc consolatione à Deo erigimur, nunc tentatione erudimur: Sodalesque sponsi sub eodem mystico sensu sponsæ promittunt, *murenulas aureas vermiculatas argento.* Per murenulas videlicet & ornatum aureum, ipsa diuina præcepta intelliguntur, quæ ideò vermiculata sunt argento, quia distinguendū est vbi sit præceptio exercens, vbi promissio refouens: demulcet namque promissio, sed terret præceptio. Vnde Ioannes in vultu sedentis in throno, hoc vtrumque simul notauit; *& qui sedebat*, inquit, *similis erat aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis.* Iaspis viridis coloris est & aquosi, & significat promissam immortalitatem. Sardis rubei, & significat præcepti laborem, vnde Psalmista, *qui fingis laborem in præcepto.*

Cant. 5. 12.

Non diffidamus ergo de labore si tendimus ad requiem, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Vnde post Pascha, post manna, post

B multiplicem consolationum suarum visitationem, non statim introduxit dominus populum suum in terram lacte & melle manantem, sed quadraginta annis per deserti dispendia circumduxit, & cum difficultate itineris paucos introduxit. Vnde sic loquitur scriptura: *quia filios Israel cum emisisset Pharao de terra Ægypti, non eduxit Deus per viam terræ Philistiim, reputans ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere & reuerteretur in Ægyptum, sed circumduxit per viam deserti quæ est iuxta mare rubrum.* Satis planè in hoc exemplo edocemur, quòd priùs panis conspersus vel vnctus & postea ad Domini obedientiam conuersis apponitur. In suauitate namque spiritus quæ nouiter ad veram doctrinam venientibus prælibatur, vires paulatim enutriuntur, vt cùm graue ingruerit bellum, congesta manu vitiorum, non deficiat fides modica & nondum confortata alimentis spiritualium charismatum. Non igitur statim per viam terræ Philistiim educit egredientes de Ægypto Dominus, quia non permittit insurge-

Exod. 13. 17.

C re intolerabile certamen tentationum, nisi docuerit manus nostras bellum. Si enim Philistiim doctus ad pugnam; populum Domini adhuc elementa spiritalis militiæ non attingentem præoccupauerit, superabit eum & reducet ad Ægyptum. Si autem didicerit & consueuerit in armis, nec capi, nec decipi facilè ab inimicis poterit.

CAPVT XXVII.

De Pane calido.

AD vltimum & supremum panem, qui neque frigidus, neque tepidus est sed calidus; manum Deo cooperante, iam iam applicemus, vt ex eo & operis fatigatio & desiderabilis refectio fœliciter compleatur. Panis iste cordis non ventris, non in secessum emittitur, sed in ingressu tabernaculi non manufacti, sed de

D medio rotarum, feruente spiritu Cherubim præsumitur. Romphæa vel gladius versatilis non tangit, quemcumque hunc panem, vel in ore, vel in ventre habentem inuenerit. Quando enim seipsam oppugnabit charitas, quæ parcit & inimicis, quando aduersabitur amicis? Sed iam an charitas panis? Immò quid meliùs quam panis? Nam si initium vitæ humanæ panis, multo magis initium & consummatio animæ, panis dilectionis. Reficit panis esurientem & charitas perficit deficientem. Panis corpus hominis confirmat, sed charitas cor viuificat. Cum pane cætera vtiliter eduntur, cum charitate omnia salubriter sumuntur. Specialis cibus hominum panis, singularis virtus animarum charitas. Sine pane vilis est mensa, sine charitate, contemptibilis est anima. Cum labore panis de terra educitur, cum multa instantia charitas possidetur. Panis inueteratur & neglectus induratur & refrigeratur: Charitas si ab operatio-

Panis & charitatis comparatio.

E ne cessauerit, succrescente iniquitate, aut aboletur, aut minuitur.

Itaque iam recalescamus, & calidum panē si non habemus, a matre nostra Ierusalem quæ sursum est, cum omni instantia reposcamus. Si enim Rebecca (quæ est Ecclesia) panem calidum (id est charitatem) quem coxerat in meridiano suæ fidei feruore, Isaac apponit, non Isaac vtique Abrahæ secundùm carnem iam vetustissimo temporum annosa reuolutione sed vnigenito patris altissimo filio æterno & immortali IESV CHRISTO, vt Iacob minori filio, paternam tam benedictionem, quàm hæreditatem adquireret. Nisi enim à nobis acceperit escam, non dat ampliorem gratiam. Dignum siquidem est vt paternam desiderantes benedictionem, desiderio præcurramus clementiam Domini, vt scilicet de iam acceptis Deum glorificantes, meliora & viciniora saluti accipiamus. Petentes igitur maiora, minora non recusemus præstare, vt qui gratiam remuneratricē quærimus, cooperatricem non abjiciamus. Vt habeamus hære-

F ditatem offeramus panem. Hœdos quoque confessionis & pœnitentiæ offeramus, vt terræ pinguedinem (id est, remissionem peccatorum) accipiamus. Vinum nihilominus deuotionis propinemus, vt rorem gratiæ supernæ vindemiemus. Aliter enim potiùs ad maledictionem quàm ad benedictionem Iacob supponeretur, nisi calidissimis panibus & vino atque hœdorum carnibus senior pater abundanter reficeretur, hisque satiatus memoriam abundantiæ suauitatis suæ largiretur & redderetur pronior ad benedictionum infusionem. Hanc proinde cœnam à matre edoctus filius parat, & primogenita quæ natura negauerat, paterna benedictione comparat.

Gratia cooperatrix, & remuneratrix.

Ministrat igitur Iacob patri suo panem calidum humilis & simplex anima carbonibus desolatoriis accensa, præbet creatori suo fidele & feruens obsequium. Quò enim deuotior est spiritus, eò calidior, & quò calidior, eò diuinis operibus aptior. Fortè Deo Seraphim obsequia, ideò gratiora quia feruidiora. Qui enim approxi-

G mant ei, approximant igni *qui facit Angelos suos spiritus, ministros suos flammam ignis.* Iuxta ignem verò, nil frigidum residet, nil tepidum. Si enim aliquod solidum corpus ante faciem ignis statueris, aut vritur, aut inflammatur. Si liquidum aut subintrante ignea vi citò calefit, aut desiccante euanescit. Horum alterum ad lucrum, alterum ad detrimentum est. Quid enim vstio, nisi consumptionem operatur? quid inflammatio, nisi illuminationes? Durum itaque est, sic accedere vt comburaris, optimum verò & iocundum; sic inhærere vt illumineris. *Accedite*, inquit Psalmista, *ad eum, & illuminamini.* Sic accedit emundata & simplex conscientia, non vt maledictionem sentiat æternæ combustionis, sed vt hæreditatem obtineat perennis fœlicitatis. Hæc sunt primogenita omnis creaturæ, nouissimis in vinea cultoribus, sicut & primis indulta, vt sint *primi nouissimi, & nouissimi primi.*

H Primogenita igitur dabuntur, si panes calidi & feruidi spiritus Isaac offerantur, carnes hædorum cum panibus apponantur, vt cordis & carnis motus inordinati, mactatione spiritali extincti, saporibus exquisitis, oti diuino aptentur. Vinum postremo his omnibus addendum, vt non per spiritum seruitutis, sed per spiritum adoptionis filiorum, seruiamus creatori omnium. Quo spiritu si concaluerit anima & in meditatione sua exarserit ignis qui perpetuus in altari, sollicitudine continuatur, amore non necessitate obtemperans diuinis mandatis, panem calidum & suauissimum Deo patri offeret, & benedictionem accipiet. O anima ad vocem sponsi liquefacta hic tuus est cibus! ô cor ardens in IESV, hæc tua est refectio! Cuius vestimenta secundùm Iob, cuius aromata secundùm Salomonem Austro perflantur, ei talia fercula præparantur. Frigidum non nouit, abhorret tepidum, quærit calidum, acutum & superferuidum. Fide namque calescit siue coalescit; Spe ad veram sublimitatem acuitur siue excrescit: Charitate in virtutum plenitudinem superferescit. Hæc manum

fidei

A fidei quæ per dilectionem operatur, de prunis ignis quæ sunt in medio Cherubim implere præsumit. Hæc thuribulum conscientiæ angelicis naribus apponere non erubescit. Hæc labiis impatiens ore auido, de furno gloriæ panem suauitatis rapit. Hæc præ impatientia impatientis desiderij prosilit in medios carbones, & vapores quidem sentit non vrentes, sed lucentes; non afficientes, sed reficientes, non comburentes sed illuminantes. Hæc vultus suos, alacritate faciei Dei effigiatos, rediens à contemplatione reportat, & de amplexibus sponsi tota redolens, vbet super omnia aromata fragrantia. ***

LIBER PRIMVS.

PETRI CELLENSIS, MOSAICI Tabernaculi mistyca & moralis expositionis.

B INVOCATO Spiritus sancti auxilio, de Tabernaculo Moysi aliquid ad ædificationem morum scribere te exhortante aggredior, totius ingenij nostri vela Austro diuinæ illustrationis committens atque ad eius nutum, castra eloquij (vtinam semper) mouens nihilominus & deponens. Tutò itaque profectionis mansiones itinerarias dimetitur, qui columnâ superni luminis illustratus, virtutum singularum ortus & occasus in anima sua animaduertens, expectat gratiæ reditum, & surgit ad eius aduentum. Sedere namque absente gratiâ, cum timore & expectatione, vtile est, adueniente & iuuante surgere, & cooperari fluctuosum.

** f. fructuosum.*

* Sed vbi agendum de Tabernaculo, nisi in Tabernaculo? Tabernaculum verò de quo tractare proposuimus, est non manufactum, id est, *non huius creationis*, sed admirabile, sed cœleste, sed spiritale, sed angelicum, sed perpetuum. Præ oculis tamen illud terreum Moysi, opere terreno fabrefactum ponamus, & à visibilibus ad inuisibilia intentionem transferentes, non inter terram

C & cœlum tempore vel diffidentia infidelitatis hæsitantes subsistamus, quis Iudas ibi *crepuit medius*, sed super cœlos cœlorum corde integro, ad Orientem ascendamus cantantes: *beati qui habitant in domo tua Domine, in sæculum sæculi laudabunt te.*

Plano autem & pedestri stylo vtendum dispono in fabrica Tabernaculi, quod dicitur sanctum sæculare, ne si alto elatus sermone, potiùs domum Dædali intricatam quàm templum Dei contexerem, inexplicabilis præstaretur circuitus, non deuotus inexplicabilis compararetur affectus. Habeat equidem qui vult in Timæo Platonis, de mundi creatione, palatium visibilis huius creaturæ, * gunsis inuisibilibus appensum, vbi ampliùs laboret lector subtilitate relationis, quàm impinguatur admiratione siue delectatione Creatoris. O delicata & deliciosa nimis anima, si domum Pharaonis, si Nabuchodonozor, si principum huius mundi habitacula depicta & curiositate inexplebili subornata desideras aspicere, collige ligna de syluis Poëtarum, vt

** f. gunfis.*

D de lectione eorum luxuriosa Gentilium lupanaria construas, non religiosa Christianorum templa (Libri enim Auctorum theatra quærunt, publicum amant, frequentiam frequenti plausu appellant; non enim conscientiam, sed popularem gloriam suspirant. Moyses verò in deserto solitudinis deserti animi mores, æmulatione Tabernaculi admirabilis (angelicæ vtique conuersationis) repingit, grossiore nimirum littera siue figura subtilitatem glossæ (id est, gloriæ angelicæ) populo duræ ceruicis relegens. Et *priùs, quod animale, deinde quod spiritale* est in constructione Tabernaculi sui sapientibus & spiritalibus exponit, sub oculis quidem corporis materiale: sub intellectu mentis, spiritale componens.

Ornatus & supellex Mosaici Tabernaculi.

Huius materia, figura, longitudo, latitudo, altitudo, cortinæ, saga, sacerdotalia indumenta, arca, tabulæ Testamenti, virga Aaron, vrna aurea habens manna, Cherubim, propitiatorium, velum de hyacintho, cocco, purpura & bysso retorta; pelles hyacinthinæ, mensa, candelabrum, panes propositionis, septem lucernæ, emunctoria, tabulæ, bases, vectes, quinque columnæ deauratæ. Altare de lignis sethim, lebetes ad suscipiendos cineres, forcipes, fuscinulæ, ignitum receptaculum, vasa ex ære, craticula in modum retis ænea, &c. si intellexeris quid moraliter, quidue mystice significent, solium conscientiæ construere poteris, tale quale in vniuersis regnis nullus Regum ædificauit. Æthereis siquidem tabernaculis, seu receptionibus confertur huius Tabernaculi habitatio tam diuinis meditationibus excogitata; cui ad gloriam addere superfluum est, ad gratiam difficile, ad Sacramentum impossibile. Singulæ enim singularum compositionum juncturæ, mysteriorum sunt fœcundæ, vt nusquam in tota eius compagine sit sterilis sensus in lege, spiritualibus spiritualia comparando, vt de sacro partu boni intellectus, congaudeat iocos grauidata assiduitate saoctarum Scripturarum

E

F Iam igitur, quasi tentatâ dolabrâ ad condolanda singula futuræ fabricæ membra, ponamus præ oculis ipsa legis verba, & pro modulo nostro, domum mysticam seu moralem construamus: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere filiis Israël vt tollant mihi primitias ab omni homine qui offert vltroneus accipiens eas: hæc sunt autem quæ accipere debetis, aurum & argentum, æs & hyacinthum, byssum, pilos caprarum & pelles arietum rubricatas, pellesque hyacinthinas, ligna sethim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata, vnguentum & thymiama boni odoris; lapides onychinos & gemmas ad ornandum, Ephod ac rationale.* Non facimus extraordinariè, si accedentes ad tractandum de Tabernaculo siue de Sanctuario, priùs numerando assignamus quæ & quot (præcipiente Domino) in oblationibus populi Leuitis seu Sacerdotibus Tabernaculi offerantur. Expedit namque & aperit intentionem tractantis, scorsum extrinsecùs posita summa futuri operis, præterea meliùs intelliguntur quæ separatim tractantur. Animaduertendum denique quia bonus & diues Dominus, etsi non eget bonorum nostrorum necessitate indigentiæ;

Exod. 25. 2.

G tamen non recusat munera nostra, bonitate clementiæ suæ. Magnum siquidem de profundo diuitiarum suarum mihi confert donatiuum, si acceptauerit tantillum peccatoris obsequium, cui æterno & incommutabili, vix idoneum reputatur cœleste & angelicum. Præstabiliùs quoque inclinatur summa Maiestas ad creaturam suam, si obsequia eius non recusauerit, quàm si sua superogans beneficia, humanis votis postulata præbuerit. Vsu nempe iam & consuetudine Deus gratis nobis seruire didicit, rarò autem nec sine priuilegio gratiæ, ab aliquo reciprocè seruitium exegit.

At ergo, *ab omni homine qui offert vltroneus accipietis eas.* Qui nolens & inuitus alicui beneficium tribuit, quasi nuda manu vrticas & spinas extirpans, faciem confricat accipientis: recusat autem sufficiens sibi gratia, ingratum famulantis animum: *hilarem* autem *datorem diligit Deus*, vt *non ex tristitia aut ex necessitate* denigretur facies præstiti obsequij, sed pinguis resudet caput holocausti de adipe superfluentis liberalitatis. Vltroneus itaque offert, cui subest plus velle quàm posse, & parum se pensat facere, si non excesserit ampliori voluntate suum posse. Vltroneus offert, qui non spiritu seruitutis in timore, sed spiritu adoptionis præuolat diuina mandata adimplere. Quid verò offert vltroneus? *Primitias*, inquit, *accipietis ab omni homine qui offert eas vltroneus.* Diuinæ gratiæ dedicandum est tam omnis motus bonæ voluntatis, quàm initium cuiuslibet rectæ actionis: *quid enim habes quod non accepisti? Noli* ergo *gloriari quasi non acceperis*, sed de primitiis tuis honora Deum tuum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum descendens à patre luminum. Pelagianista qui absque Deo se aliquid boni æstimat habere, non offert primitias vltroneus; sed tu seruus (immò filius gratiæ, gratis enim originaliter vemundatus es & absque argento misericorditer redemptus, vtique sanguine Agni incontaminati IESV CHRISTI) da glo-

Deus iam ex consuetudine nobis seruit gratis.

2. Cor. 9. 7.

H

riam

A tiam Deo, & redde Altissimo primitias tuas, dicens: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Sequitur: *hæc sunt quæ accipere debetis, aurum, argentum*, &c.

Prælibato igitur significationis mysticæ sensu, quasi Tabernaculo osculato, compendiosè ad sequentia euolemus, vt horum pace vbi labor nos expectat operosior, nondum fatigato spiritu commigrare maturemus, vt cùm opportunum fuerit quodlibet horum quæ hic sigillatim distribuuntur, sine fastidio excipiatur; vt quod minus solemnitatis in prima salutatione eis oblatum fuit, plena recapitulatione suppleatur; frequenter enim sequens tractatus, auri, argenti, æris, hyacinthi, purpuræ & aliorum, tam nomina quàm opera replicabit. Compendiosa igitur expositione aurum designat claritatem veræ sapientiæ, argentum, nitorem sacræ eloquentiæ; æs oris confessionem ad salutem? Hyacinthus cœlestem conuersationem, purpura corporis passionem, coccus bis tinctus Dei & proximi dilectionem, byssus carnis castitatem; pili caprarum, pœnitentiæ habitum, pelles arietum rubricatæ Doctores dominici gregis proprio sanguine baptizatos, pelles Hyacinthinæ, corpora spiritualia in resurrectione, ligna sethim Sanctorum firmitatem, qui nullo vitio corrumpuntur, oleum ad luminaria, fulgentes fructus charitatis & misericordiæ aromata, vnguentum & thymiama boni odoris, opinionem boni operis ad exemplum bene viuendi: Lapides onychini & gemmæ ad ornandum Ephod ac rationale, miracula Sanctorum & opera virtutum, quibus ornantur cogitationes & operationes. Ecce summatim transcurrimus singulas oblationum species, quarum virtus toties repetitur quotiens earum vsus in confessione sacerdotalium indumentorum, vel quibusdam aliis enumeratur. Iam ad Sanctuarium transeamus. *Faciantque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum, iuxta omnem similitudinem quam ostendam tibi & omnium vasorum in cultum eius.*

Supellectilis Mosayci tabernaculi mystica interpretatio. B

C In humanis contractibus, quorum plures & diuersæ sunt species, sicut diuersæ contrahentium intentiones, aliquid proponitur, quo vtræque partes consentientes contractui adquiescunt. Verbi gratia, in emptione equi, constitutum pretium vtrique parti propter equum tradendum placet? Vel, in domo mihi à te construenda; expressum pretium me tibi dare conuenit. In vtroque istorum contractuum, quorum alius dicitur nominatus; alius innominatus, aliud datur, & aliud accipitur. Rari equidem sunt contractus, in quibus sola vnius tantùm partis vtilitas attendatur, commodatum commodatarij & depositum deponentis. Hæc de humanis nostris actionibus non superfluò interposuerim, cùm de diuinis ad homines contractibus incondis aliquid in præsenti loco dicendum sit. Nam Deus per Moysem mandat filiis Israël, vt sibi faciant Sanctuarium, sed vtrum sine pretio, an quo pretio? Vtique non sine pretio: quo ergo? expresso an non expresso? Planè vereor dicere, non expresso, quia dicit: *Habitabo in medio eorum.* Nihilominus prohibeor asserere expresso, quia exprimi non potest habitatio Dei inter homines. Dico autem, *expresso*, pollicitatione, inexpresso fruitione. Placuit enim Deo promissum suum, verbo virtutis suæ exprimere, sed homo donum Dei super omnia benedictum & glorificatum, tota exultatione potuit glorificare, non autem sermonibus explanare. Filij Israël intelligite Deum non adduci aliqua indigentia vt petat à vobis Sanctuarium, quasi non habens vbi reponat sancta sua. An minùs amplum est cœlum, aut non, *cœlum cœli Domino?* An sunt sancta quæ non capiat amplitudo cœlorum?

Contractus nominati & innominati.

D

Reuera cœli pleni sunt Dei gloriâ, quæ est *Sanctuarium quod firmauerunt* manus Dei, *terra* verò maledicta in peccato Adæ, *inanis* est & *vacua*. Sed placuit profundo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, inclinare ex hoc in hoc ad rigandum de superioribus ad inferiora, vt saltem similitudine gloriæ Dei in speculo & ænigmate visibilis structuræ Mosayci tabernaculi, præri-

Genes. 1.

peret maiestatem verorum bonorum interiorum oculus illuminatæ rationis, & æstimaret vtcumque de similitudine veritatem & inescaretur visibili specie, ad inuisibilem gloriosæ substantiæ explanationem. Præmonstrantur insolitæ figuræ visibus humanis, vt reducta cogitatio à solitis, meditetur subtili reuolutione, præter hæc esse quædam magis insolita, quorum claritate æterna, inuisibili contubernio impregnata, pro modulo suo temporaliter reluceant ista sancta sæcularia, quæ tantùm ad similitudinem illectricem, non ad veritatem satiatricem commodata sunt. Non igitur gulosa præcipitatione calamum historiæ Iudææ absorbeas, qui tibi datus est in ore, non vt illum deglutias, sed vt per illum, vinum in claustris sapientiæ tanquam in doliis repositum, suauiter & cum temperantia bibas. Planè nimium mordaciter calamum legis stringis; cùm solam sine spiritu litteram in libris Moysi attendis. Vbi autem inconsideratè & immoderatè in ore calamum concludis, sublato meatu spiritalis intelligentiæ, corticem mandis non vinum bibis. Diligenter ergo attende quod dicitur; *faciant mihi Sanctuarium iuxta omnem similitudinem Tabernaculi quod ostendam tibi.* Angeli habent veritatem, tu habes similitudinem. Si credis te habere similitudinem nondum veritatem, à similitudine peruenies ad veritatem. E

F

Introducit itaque similitudo ad veritatem. Si autem in lege sine gratia, veritatem præsumis te habere non similitudinem, & veritate carebis & similitudine priuaberis. Quære ergo finem legis qui est Christus plenus gratia & veritate, quia finis in veritate est non in similitudine. *Iuxta omnem similitudinem*, ait, *Tabernaculi quod ostendam tibi.* In tanta ciborum abstinentia, & in tam longa remotione à curis sæcularibus, Moyses oculos mentis & animum pauisse creditur diurnis reuelationibus; nimirùm & oculo carnis credo quod aliquas mirabiles & insuetas visiones viderit. Quomodocumque autem viderit siue in carne, siue in spiritu, cœlestem illam angelicamque conuersationem, qualicumque annotatione, iubetur illa manifestare populo suo, vt qui præ lippitudine carnalis conuersationis radios ipsius veritatis percipere non valebat, obumbratione mystica lustrando visibiles formas, per inuisibiles visibilium formarum rationes Tabernaculi, vtcumque assuesceret mentem à visibilibus ad inuisibilia transferre. Pertinet verò omnis hæc mystica similitudo, ad plenitudinem charismatum vniuersalis Ecclesiæ, quam IESV propinante de fonte gratiæ, etiam in via peregrinationis propter abundantiam charitas bibit. Plenitudo denique Sacramentorum imitatur similitudinem Angelorum.

Moyses forsan oculo carnis mira vidit in monte. G

Disquire profunda fidei nostræ mysteria, & nullum superenatabit futuræ spei præmiū, quod non prægustauerit visibili Sacramentorum administratione, inuisibilis *fides quæ est argumentum non apparentium.* Dico autem de fide Ecclesiæ non de fide vnius fidelis personæ, quamquam & totum credat quicumque est in Ecclesia, quod credit tota ipsa Ecclesia. *In vestitu* tamen *deaurato, Regina astitit circumamicta varietate* personarum & meritorum, tot habens fidei diuersoria quot fidelium corda, & quot similitudines Angelorum, tot distinctiones gratiarum. Vbi autem in consummatione sæculi, & merito & numero omnis adimpleta fuerit in Ecclesia similitudo Angelorum, vt de similitudine transeat ad veritatem, & sit mensura hominis quæ est Angeli; tunc *fiet vnum Ouile & vnus Pastor* hominum & Angelorum *vt sit Deus omnia in omnibus.* Iam non similitudines auri, vt dicitur in canticis Doctores faciant Ecclesiæ, sed æqualitates, quia non imitabuntur homines conuersationem cœlestium, sed mutabuntur in consortium beatorum Spirituum, vt sint *sicut Angeli Dei* in cœlo non in labore meritorū, sed in perceptione præmiorum. Tunc qui plus meruit in similitudine, ampliùs coronabitur in veritate, & quò fuit similior in virtute, eo conformior erit in maiestate. Officio namque gradu & ordine distinguitur in Angelis curia

Fidelis quisque id credit quod tota Ecclesia.

Psal. 44.

H

Ecclesiæ plenitudo in fine sæculi quanam futura sit.

cœli,

A cœli, nihilominus & in ministris suis Ecclesia Dei. Destinata sibi singuli ordines in cœlo explent officia vtique & in Ecclesia : nec vsurpat præsumptione temeraria quisquam attrectare, quod non accepit in officij sui assignatione.

Angelorum diuina officia multiplicia.

Sunt ergo isti, *vasa in honorem* magnæ domus & vtilitatem, de quibus sequitur, *& omnium vasorum in cultum eius* ; quasi (mysticè) alio vase bibat Deus incircumscriptus spiritus, alio comedat, alio sedeat, alio manus abluat, alio pedes, alio incensum accipiat, alio lucernam accendat, alio manna reponat, alio thesauros includat, alio quolibet alia congrua diuinitati officia exhibeat. Repressa carnali intelligentia, & mente supra omnium phantasmatum imaginatione constituta, intellige actiones consuetudinarias non consuetudinariè. Cherubim & Seraphim charitate inflammati, quasi ori diuino, cibum & potum deferunt, cùm omnimodo aliis spiritibus vicinius ordine & amicitiæ dignitate assistunt. Throni, in veritate stantes, sessionem placidam & placitam præbent. Principatus & Potestates, quasi aquam & manutergium suggerunt ; cùm nos defendendo ab hostibus, gratiam securitatis & audaciam repugnandi conferunt. Dominationes pedes abluunt ; cùm nostra peccata suis postulationibus imminuunt, & dominationem super peccatis acquirunt. Virtutes incensum boni odoris accendunt ; cùm de Sanctorum virtutibus gratias incomprehensibili majestati referunt. Archangeli lucernam accendunt, cùm mysteria profunda secretorum cœlestium, reuelando exponunt. Angeli manna reponunt ; cùm à nobis diuina consilia abscondunt, & thesauros includunt ; cùm à malignis spiritibus nostra bona opera defendunt, & in conspectu Agni deferunt.

Vera B Angelorum ministeria in cœlis.

Ecclesia sicut in perfecti his vasa & vsus

Eodem ordine Ecclesia quæ etiam *ordinata*, vt *castrorum acies* incedit, & in singulis ministrorum suorum ordinibus singulas Angelorũ virtutes accipit. Vide vasa aurea & argentea in domo magna quæ est Ecclesia, ad cultum eius. Calix cum patena ibi est, ampulla olei &

C chrismatis, ampulla vinaria & ampulla in vsum aquæ, pelues, thuribulum, candelabra, piscina, lampades & quædam alia. Sancta illa anima quæ charitate Seraphim inflammatur, calici & patenæ destinatur, illa quæ Cherubim scientiæ plenitudine impletur ampullæ vinariæ assignatur ; illa quæ Throni tranquillitate serenatur, ampullæ chrismatis delegatur. Ampullam quoque olei defert illa anima, quæ in gratia mederi potest contritis corde & animi languores sanare. Ampullam aquæ defert, quæ humanis afflictionibus, passionibus IESV compatiens, concrucifigitur ei & commoritur, tam in memoria mortis, quam in Sacramento viuificæ communionis Corporis & Sanguinis Domini. Thuribulum ministrat, qui boous odor Christi in omni loco famam bonam aspergit & sanctum nomen quod super se inuocatum est, sancta conuersatione, his qui foris sunt & intus immolescit. Pelues siue buccinas defert, qui Pilati sæuitiam, & Christi attendens innocentiam, manus suas lauat non solùm in sanguine Agni, sed etiam hœdi : *irriguum superius* ab Agno,

Sacramentum viuificæ communionis corporis Christi.

D *& irriguum inferius* ab hœdo accipiens. Siquidem cùm Agnum nascentem, suscipio, de benignitate & innocentia ammoncor ; cùm in similitudine carnis peccati pro peccatoribus, & cùm latronibus morientem video, spem remissionis, in tanta patientia IESV concipio, Candelabra defert, qui Domino cooperante, & sermonem confirmante, Euangelium sine sumptu ponit, pro cœlo non pro nummo annuncians regnum Dei. Lampades accendit, qui simplicium conscientias illustrans, in iunco memoriæ eorum, amorem Dei infigit. Piscinæ præest, qui assiduis lamentis compunctus, oculos habet sicut piscinæ in Esebon.

Exod. 25.

Sequitur : *sicque facies illud : Arcam de lignis sethim compingite, cuius longitudo habebit duos & semis cubitos, latitudo, cubitum & dimidium : Altitudo cubitum similiter & semissem, & deaurabis eam auro mundissimo intus & foris, faciesque supra coronam auream per circuitum.* Ordine oon incongruo cœleste mandatum consequenter ordinans, quomodo fieri debeat Tabernaculum iuxta sensum mysticum, Arcam quæ Christum significat, priùs disponit, & limitibus propriæ compositionis dessiniuit, assignans ipsius longitudinis latitudinis & altitudinis dimensionem. Totum namque Incarnationis Christi mysterium ab æterno, in mente diuina dispensatum, totum mutuans ab occultis sapientiæ Dei, opportunis figurationibus in Patriarchis & Prophetis allegatum ; totum in ipso, nouissimis temporibus humiliter adimpletum, tam firmiter credimus, quàm fideliter viuimus. Non immeritò autem Christus Arca nuncupatur, quia sicut arca in domo valde necessaria est, vt non solùm panis ibi ponatur, sed vestis & pecunia, & quælibet alia sub claue signanda & conseruanda, sic in Christo reponitur opus nostræ saluationis, quasi panis refectionis, reponitur vestimentum dealbationis, vt ibi legitur *quicquot baptizati estis, Christum induistis*, reponitur nihilominus & pecunia redemptionis ; vt ibi *redemptionem misit Dominus populo suo*, reponitur & thesaurus totius diuinitatis, quia in Christo *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*

E

Christus est Arca Ecclesiæ.

Gal. 27.

F

Arca igitur est, nec semper aperta, ne studium quærendi tollatur, nec inclementer clausa, ne instantia requirentium frustretur. In manus patris clauis resignatur propter mysterium à sæculis absconditum, ne fures effodiant consilium Dei & furentur intentionem Incarnationis Christi. Pater *claudit & nemo aperit* : quia natiuitatem diuinam in secreto suo abscondit, ipse, *aperit & nemo claudit* : quia generationem humanam mundo innotuit. *Nemo*, inquit, *nouit filium nisi pater*, &c. Principi Apostolorum aperta est Arca, cùm diceret : *Tu es Christus Filius Dei viui.* Vnde dictum est ei : *Beatus es Simon Barjona, quia caro & * spiritus non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlo.* Duobus illis quoque ambulantibus in via *tenebantur oculi ne eum agnoscerent*, non aperiebatur donec panis frangeretur. Ad hanc Arcam paruuli *qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, accedunt & panem petunt, dicentes : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ad hanc, *canes* & catelli *conuertuntur ad vesperam* cùm famem patiuntur, quia tandem peccatores & nouiter ad Deum conuersi, acriter remordentur in conscientia de malis suis, fracturas siue buccellas miserationum Dei anxiè quærunt & pœnitentiam non deliciosè appetunt, sed indifferenter quicquid ingestum vel iniunctum fuerit, ore auido rapiunt & deglutiunt. Vt enim charitas omnia credit, *omnia sustinet*, sic fames omnia comedit, omnia absorbet. Non explorat quid delectet, sed quid satiet : non consulit gustum, sed stomachuno. Nullas patitur moras palato, sed accepta, citò mandat stomacho. Æquè, sine dubio, famelicus iustitiæ, famelicus patientiæ, postposita deliberatione consilij, quid agendum sit : ante agit, quàm deliberet : tam citò adimplet bonum, quàm citò suscipit mandatum : Non est difficultas in faciendo, vbi voluntas semper superest in bono.

Mysterium incarnationis Christi damonibus absconditum ne fractum illi impedirent.

** moli*

G *sanguis*

H

Hæc de nomine Arcæ : iam videamus de compositione, *Arcam de lignis sethim*, ait, *compingite* : Corpus illud Dominicum de sacris visceribus virginalis vteri conceptum & natum obumbrante Spiritu S. lignis sethim congruè comparatur : quia ligna ista imputribilia sunt & leuia, & igni apposita non afficiuntur damno combustionis, sed induruntur soliditate robustiori. Sunt quoque similia albæ spinæ : incorruptibile siquidem est corpus Christi ; quod neque computruit aliquando in stercore humanæ conuersationis corruptione peccati ; nec in sepulchro, puluere mortis. Vnde *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Leue quia nullatenus originalis peccatis siue actualis oppressum grauedine *super pennas ventorum*, adhuc in carne, deambulauit vndasque solido itinere calcauit : & post mortem ac Resurrectionem, ad dexteram patris, leuatis manibus corpore ascendit. Igni denique Passionis sup-

positum

A positum corpus Dominicum, tanquam lignum sethim, non euanuit in cineres combustionis, sed conualuit in impassibilitatem Resurrectionis : Exarsit namque inuidia Iudæorum aduersus IESVM (ait Psalmista) *tanquam ignis in spinis* : sed rubus Moysi, in flamma ardens, non est combustus, in pœnam nostram euacuans, & à culpa naturam, per pœnam liberans : hoc autem totum, quia simplex est hoc lignum albæ spinæ, non vtique veritate naturæ, sed conditionis similitudine. Nam veritas carnis in eo non fermentatur corruptione vetustatis, sed configuratur similitudini carnis peccati, vt de specie aduersarium illiceret, vt veritate nobis patrocinium pararet. Speciem obiecit Draconi, vt illuderet, veritatem tenuit, vt veraciter non fallaciter naturam à miseria separaret. Verus homo, propter veram in eo naturam humanam, similis homini, propter pœnam non culpam.

Hæc Arca, in longitudine duos habet cubitos & semissem, quia patiens & longanimis fuit, tam in doB ctrina, quam in operatione sua, qui sunt duo cubiti, & tarditatem discipulorum æquanimiter sustinuit, qui est semis. In latitudine verò habet cubitum & semissem, vt per vnum cubitum perfecta illa charitas designetur, quia nos adunare sibi voluit, dicens Patri: *Ioan. 17. 20* *vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus*. Per semissem nihilominus doceatur quia ex parte diligimus, sicut *ex parte cognoscimus* : & hanc nostræ capacitatis imperfectionem complectitur Dominus. In altitudine quoque habet cubitum ac semissem, quia plenè nouerat, etiam in hac carne corruptibili, quanta gloria, vel sibi præparata esset in cœlis, vel nobis, quod est vnus cubitus : pertulit denique libenter in se deuotionem nostræ carnis, qui pia intentione futuram patriam diligimus, sed nondum quæ sit eius fœlicitas capimus : quod est dimidius. Grande est cum omnibus Sanctis apprehendere, quæ sit hæc latitudo quam Apostolus diuidit in sublimitatem & profundum. Expresso tandem funiculo mensorum quo dimetiuntur longitudo, latituC do, sublimitas & profundum cordis, superintendamus quæ sit mensura corporis Christi, & in eam conferamus mensuram cordis & corporis nostri.

Ecce funiculo Euangelico, à conceptione Christi, dinumera patientiam eius nulla interruptione impatientiæ quassatam, vsque ad emissionem spiritus in cruce, & succumbens super omnem calculum, inuenies eam. Confortata enim est patientia humanitatis, solatio diuinitatis : & non possum ad eam, cuius impatientia acuitur languore naturæ, & inflammatur peruersa tacendi cõsuetudine. Excelsior cœlo est patientia Christi, quia nec in commotione cœli aduersus insensatos, excutitur à tranquillitate sua qui habitat in cœlis. Profundior Inferno est, qui nec in Inferno condemnatis irascitur, quantum merentur. Latior terra, quia licet maledicta in opere Adæ terra, tamen *misericordia Domini plena est terra* ; vel saluante conuersos, vel mitiùs puniente impios. Quid plura? Et patientiæ eius non est numerus, immo nec sapientiæ, nec charitatis, nec omnium virtutum quæ in Christo sunt, non enim ad mensuram datus est ei Spiritus : vtique nec dona eiusdem Spiritus.

Christus non tantum irascitur damnatis, quantum merentur. Misericordia Dei duplex. D

Sequitur, *& deaurabis eam auro mundissimo, intus & foris*. IESV tanta animi puritas, tanta operum magnificentia extitit : vt nec angelica natura assequatur puritatem, nec scriptura apprehendat miraculorum maiestatem. Intus, est puritas conscientiæ, foris claritas famæ. *Cœli enarrant gloriam Dei*, quæ occultabatur in anima, *& opera manuum eius annunciat firmamentum* euangelicum quæ sunt omnia miracula diuinitatis. Auro mundissimo deaurata est arca IESV, intus : quia nec passio, nec propassio vitij ianuas animæ eius pulsauit, auro mundissimo deaurata est : quæ vnita diuinitati, nec sapientia Dei priuata est, nec gloria : auro mundissimo deaurata est ; quando cogitabat cogitationes pacis & non afflictionis : auro mundissimo foris deaurata est cui tam facile fuit bonum posse quàm E velle, auro mundissimo foris deaurata est ; quæ foris redemit quod intus creauit. Intus namque inuisibili maiestate hominem creauit : foris in humili forma & habitu redemit. Auro mundissimo foris deaurata est, quæ dicit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Auro mundissimo foris deaurata in Transfiguratione : immo in Resurrectione & Ascensione : ex quo etsi noueramus, *Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus*.

Sequitur, *Faciesque supra coronam auream per circuitum. Eum qui in modico minoratus est ab Angelis IESVM*, ait Apostolus, *vidimus gloria & honore coronatum* : Corona aurea, gloria Resurrectionis & Ascensionis IESV, *per circuitum*, quia ex hoc nunc & vsque in sæculum, CHRISTVS IESVS sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit*: *Heb. 1. 9.* *per circuitum*, quia *Dominus regnabit in æternum & vltra. Supra*, quia in humanitate meruit, quod in diuiniF tate nunquam amisit : supra quia genitus à Patre luminum secundùm diuinitatem, deificatus est secundùm humanitatem : vnde, *clarifica me Pater, claritate quam habui apud temetipsum, priusquam mundus esset. Corona*, propter æternitatem : *aurea* dicitur, propter claritatem: *Corona*, quia meritis redditur : aurea, quia per gratiam merita coronantur : sua enim in nobis Deus dona remunerat. Corona, quia non auferetur in æternum : aurea quia non vilescet per fastidium. *Facies* itaque *supra coronam auream per circuitum*.

Sequitur, *& quatuor circulos aureos quos pones per quatuor Arcæ angulos*. In Arca IESV, quatuor fuerunt circuli aurei : quia quatuor principales virtutes, Prudentia, Fortitudo, Iustitia, Temperantia, principaliter in eo tanquam in Rege virtutum fuerunt. Siue quatuor circuli aurei in eo fuerunt ; quia ex sapientia quæ ex ore eius prodiuit, & à fine vsque ad finem totius orbis euolauit, Euangeliorum libri intitulati sunt. Tam virtutes vero quàm libri euangelici, circuli aurei bene G dicuntur, quia nulla in eis obliquatio falsitatis, nulla interruptio vanitatis, nullus excessus superfluitatis, nulla coarctatio imperfectionis. Totum rotundum de veritate, totum æquale de æquitate, totum integrum de naturæ reparatione, totum perfectum de gloriæ consummatione. In id ipsum recuruantur singuli Prædicatorum conatus, vt vndecumque & quandocumque & quantumcumque sermo exorsus fetatur, vita animæ quæratur : salus cogitetur : Deus ametur, memoria patriæ celebretur. Vnus in inuicem reflexus singularum & omnium virtutum ; dum innexis brachiis alternatim impeditur mutuus aspectus & amplexus ; Prudentia gremium Iustitiæ, Fortitudinis & Temperantiæ, germano amore subeunte ; item Iustitia, Prudentiæ, Fortitudinis & Temperantiæ, repente & vicissim qualibet earum similiter agente. Sed aurei circuli sunt, vbi necessitate nil agitur, sed naturali bonitate, sed gratuita executione, virtus colitur, bonum agitur, & amore boH ni bonitas retinetur. Nam in Christo, virtutes fuerunt sine auaritia : prædicatio Euangelij, sine fallacia. Itaque sunt circuli aurei.

Deus remunerat in nobis dona sua. SS. 4 Euangeliorum encomiũ.

Sequitur : *quos pones per quatuor Arcæ angulos*, vel quatuor partes mundi, vel quatuor passiones animi intelliguntur, quatuor arcæ anguli. Ponuntur autem per quatuor arcæ angulos, quatuor circuli aurei, quando aut in toto mundo Euangelium prædicatur, aut totus animus quadrifida virtute renouatur. Sequitur : *duo circuli sunt in latere vno, & duo in altero*, duo Euangelistæ, Ioannes & Matthæus in vno latere ponuntur, quia cum Christo in carne conuersantur : & duo (Lucas videlicet & Marcus) in altero ; quia post Resurrectionem in ministerium Euangelij assumpti sunt. Apertè quoque qui Incarnationem & Passionem prædicauerunt, in vno latere sunt, qui verò Resurrectionem & Ascensionem in altero. Prudentia quoque & Iustitia, quasi vnum latus Christi muniunt, cùm opus Incarnationis, tam prudenter inchoatum est, vt diabolo

eclaretur

A celatetur, tam iustè, vt omnis iustitia per eam impletur: aliud vero latus Fortitudo & Temperantia susceperunt, quia Fortitudo operata est Resurrectionem: Temperantia Ascensionem. Summa enim temperantia fuit, cùm vnitam sibi naturam nostram Deus Verbo coæquans summè glorificauit, & quam per primum Adam ad extremum suppliciorum humiliauerat, ad supremum præmiorum, per secundum Adam extolleret. Fortitudo verò Resurrectionem: quia, vt ait Psalmista, *in multitudine virtutis tua mentientur tibi inimici tui*, qui dixerant, *non est salus ipsi in Deo eius*. In Resurrectione namque *mentita est iniquitas sibi*. Quatuor etiam circulos aureos in arcæ lateribus ponit Apostolus, cum dicit de Christo: *qui factus est nobis a Deo, Sapientia, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio*. His circumfertur circulis arca nostra: quia in his virtutibus, causa & effectus nostræ saluationis consistit. In vno latere: Sapientia quæ docet & Iustitia quæ impler ponuntur: in altero Sanctificatio, quæ curat & Redemptio quæ liberat. Sapientia remouet stultitiam,

B Iustitia iniustitiam, Sanctificatio immunditiam, Redemptio pœnam. Possunt etiam duo circuli in latere vno, designare instantiam Saluatoris, quà culpam amouit: duo in altero, illam æquè instantiam qua pœnam depulit.

Doctorum vita qualis esse debeat.

Sequitur: *facies quoque vectes de lignis sethim, & operies eos auro, inducesque per circulos qui sunt in arca lateribus, vt portetur in eis.* Doctorum qualis debeat esse doctrina & vita insinuat, cùm dicit vnde fieri debeant vectes, & ad quid fiant. Quare namque de lignis sethim fiunt vectes; nisi vt Doctorum vita sit imputribilis, per castitatem; fama suauis, per sanctam conuersationem: habitus humilis, per propriam sui abiectionē lingua modesta per grauitatem; mens docta, per assiduam Scripturarum meditationē. Qui enim vectes, id est, prædicatores, de lignis sethim, id est, casti & humiles arcam fœderis portare debent. Qualis namque paterfamilias, tales & domestici eius. Vt enim sermones cognati sunt

C his rebus de quibus loquitur; sic mores concordare debent sermonibus quibus loquimur. Sit tua electa conuersatio, vt sit recta prædicatio, immo studiosiùs satage bene viuere, quàm facundè loqui. Auro quippe operiendi sunt vectes, vt sapientiam loquantur inter perfectos, vt bono exemplo reluceant inter improbos, vt *conuersationem suam inter Gentes habeant bonam*, &c. Auro operiendi sunt, quia arca circumtecta est ex omni parte auro. Inconsonum quidem est, si auro Dei lignum tuum inferas nudum, sensu humano profunda mysteriorum discutiens, & clane lignea venerabilium thesaurorum ostium aureum resoluens. Certè, res Dei, sermonibus diuinis explicandæ sunt, & non est nemus Aristotelicum plantandum iuxta altare, vt fidei Sacramenta obumbremus infinitis, & superfluis inquisitionibus quæ *non sunt vtiles, nisi ad subuersionem audientium*. Inducendi sunt per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ne sicut dictum est, calamus linguæ propheticis intingatur atramentis, sed tantùm euangelicis.

D Non dogmatizet in Ecclesia prædicator, secundùm errores hæreticorum, vel secundùm seductiones Philosophorum, quorum *aquæ furtiuæ dulces sunt, & panis absconditus suauior*. In Euangelio, sensu vtatur euangelico, non circulos extorquens & extrahens de lateribus arcæ, sed vectes inducens per circulos qui sint in lateribus arcæ: vt non ad sensum inclinet Dei verbum, sed ad Euangelium inflectat, & sermonem & sensum. *Vt portetur in eis. Glorificate*, ait Apostolus, *& portate*

1. Cor. 6. 10. *Deum in corpore vestro*: porta Arcam vt obedias Euangelio: porta Arcam vt annuncies Regnum Dei.

Doctorū vitia.

Sequitur: *qui semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis*, vnde *meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*. Valde contraria sunt. Semper esse & nunquam esse in circulis. Raro aut nunquam sunt in circulis Doctores illi qui forum pro Monasterio, clamores pro Euangelio, accipitres pro manipulo, chlamidem purpuream pro stola, canes leporum prolectione librorum habent. Hi *commutauerunt veritatem Dei in mendacium*.

E vt cum dixerit Dominus, *semper erunt in circulis, & nunquam extrahentur ab eis*: ipsi nunquam inducantur. Sed bonus Doctor semper sit in circulis, quia *beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte*. Idem, *os iusti meditabitur iustitiam*. Semper est in circulis, qui neque viuendo præcepta violat Euangelij, neque docendo, regulas veritatis offendit: semper est in circulis, qui, quasi euangelicis vinculis compeditus, propriæ voluntatis libitu nunquam vtitur; oculos, manus, pedes, aurem, linguam & cætera membra euangelico compede sic coarctans, vt nunquam extrahat impulsu cuiuslibet commotionis, sed contineat æterna lege sanctificationis.

Ponesque in Arca sanctificationem quam dabo tibi. Eodem ordine nec non & ratione, priùs Arca construitur, ac deinde testificatio poni in ea decernitur, quo priùs facta & ornata habitatione mundana, homo tanquam habitator & Dominus, ad vltimum creatus fuisse

F refertur. Nusquam profectò, testificatio diuinitatis corporaliter reponenda, nisi in corpore IESV, nisi in Arca Sanctificationis, nisi in anima singulariter Deo digna, quæ fornace Spiritus sancti, in creatione sua, coagulis originalibus eatenus excocta est, vt tamesset à peccato remota quàm Deo vnita. Nec peccato præoccupata est, quàm præuenit *Deus in benedictionibus suis*, vt quasi spiritus laboraret in purgationibus eius, quam præparabat in diuinis desponsationibus: sed tam actus sanctus in creatione, quàm pius in Verbi coniunctione. Nulla denique temporum distantia interueniente Arca construitur, & demum testificatio in ea ponitur, sed simul arca animæ & corporis IESV cum impositione diuinitatis compingitur, vt assumendo crearetur & creando assumeretur & sanctificando assumeretur siue crearetur, & assumendo crearetur siue sanctificaretur. Nec obiicias, quod priùs arca construitur, & deinde testificatio in ea ponitur, quasi ex hoc concludens priùs

Verbum in incarnatione,

G *eodem instanti assumpsit carnem & animam.*

carnem Christi fuisse conceptam, & deinde à Verbo assumptam, sed crede, simul in conceptione animam & carnem assumptione, acceptam & conceptam. Vnde Augustinus: firmissimè tene & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis priusquam in vtero susciperetur à verbo, sed ipsum verbum Deum suæ carnis à conceptione conceptum.

Pones igitur in Arca testificationem quam dabo tibi, vt credas de Christo testificationibus Dei, quia testificatus est Pater de Filio suo, vt acquiescar oraculis & testificationibus Prophetarum & Apostolorum de Christo, quia testes sunt Dei vt scriptum est: *Vos estis testes mei*, & in Actibus Apostolorum, *& eritis mei testes in Hierusalem*, &c. Est etiam testificatio quæ in Arca ponitur, lex seu decem legis mandata, quæ in duabus tabulis scripta sont: secundùm Apostolum verò, *in Arca erant duæ tabulæ Testamenti*, erat

Heb. 9. 4. *vrna aurea habens Manna*, erat *& virga Aaron quæ fronduerat*. Tabulæ Testamenti designant omnem scientiam

H paternorum secretorum in Christo, & omnem potentiam iudiciorum: in illis enim & fides diuinitatis inscripta erat, & mandata quibus seruire Deo oportet, & iudicij discretio quà se odientes damnat & diligentes remunerat. Vrna aurea, anima Christi: *habens manna*, id est, *omnem plenitudinem diuinitatis*. Virga Aaron, potestas Sacerdotij iusta, *quæ fronduerat*, altera de resurrectionis, non expectata communi Resurrectione. Hæc omnia in Arca, id est, in Christo fuerunt, & hæc est testificatio quam dedit Dominus. In testimonium enim suæ bonitatis & nostræ rebellionis, hæc omnia fecit Deus, vt ait Iob: *instauras testes tuos contra me*.

Propitiatoriū quid esset in Mosis Tabernaculo.

Sequitur: *facies & propitiatorium de auro purissimo*. Arca de lignis sethim priùs circuntegitur auro, deinde reponitur in ea testificatio, tertiò supertegitur propitiatorio, id est, tabulâ quæ appellabatur propitiatorium. Quid nobis Domine, quid nobis Incarnatio quid testi-

A ficatio tua prodesset, si propitiatio deesset? Cumulo beneficiorum tuorum reatus noster augeretur nisi cum beneficiis indultis, beneficium propitiationis supererogaretur. Nam sola ingratitudo damnaret, nisi & ingratitudinem indulgentia propitiationis exciperet: quò namque numerosiora Creatoris beneficia, eò indefessè gratiosiora nostra debuerunt rependi obsequia. Sed vnum præ aliis, suæ bonitatis strictius religauit beneficiorum vinculum, quo spretus non aspernaretur, eiectus non abiiceret, offensus non læderet, sed satisfaceret sibi pro nobis de nostra iniuria, sed requireret, sed reduceret. Quis hoc cacumine pietatis eleuatus, nisi IESVS? quis hunc verticem gratiarum subiit, nisi Filius olei? quis tantos gurgites misericordiarum de ventre suo euomuit, nisi propitiatorium? Planè si in IESV aliquid est melius ipso IESV, id mihi est propitiatorium, id est, reconciliatorium. Sed IESVS totus desiderabilis, sed totus amabilis. Amabilis ergo in arca, amabilior est in propitiatorio: desiderabilis ex bonitate,

B sed desiderabilior es propitiatione, quæ est pinguedo bonitatis: quia *superexaltat misericordiam iudicio*. Inde in Missa saluberrimæ immolationis, Sacerdos ante illam supplicationem quâ rogat perferri hostiam illam ante sanctum altare in conspectu diuinæ maiestatis suæ, præmittit propitiatorium dicens: *supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel*, &c. Nisi enim hoc quasi verecundiæ humanæ & pauoris præmisso velo, ad inconspicabilem illius faciei fulgorem accedere peccator non præsumeret. Sed hac propitiatorij tabella præmissa, quoscunque Solis radios non veretur præ ardore, nec erubescit præ splendore. Propitio igitur ac sereno vultu non respiceret Deus, nisi propitiatorium homo haberet, quod irato obiiceret, quod commoto ostenderet, quod percutienti opponeret.

Missa immolationis saluberrimæ.

Sed de qua materia hoc fiet propitiatorium? an de lignis sethim? absit! nam habent similitudinem spinæ

C albæ, & si non pungunt per veritatem, timentur tamen propter speciem. Si incarnata sapientia, cùm redargueret homo homines & omnia innocentia nullum condemnaret, tamen mala Iudæorum conscientia grauem ad videndum propter lippitudinem suam repugnabat, timens illum iudicem malorum suorum & non Saluatorem animarum. Mitius ergo adhuc propitiatorium quærit pusillanimis mortalium natura, id est, IESVM benignum, quod totum & in naturæ veritate, & in similitudinis specie, in nominis appellatione propitiationem resonet, indulgentiam propinet, gratiam refudet, quòd excipiat lapsum, quod consolidet remissum, quòd reparet perditum, quòd vincat in bono malum. Propitiatorium non attendit iudicium: merita non inuenit, sed facit, non numerat anteactos errores sed amputat, propitiatorium veritatem accusantem procul stare iubet; innocentem seruare accelerat. Propitiatorium natat in sanguine IESV, tanquam nauis in flumine: Propitiatorium de super-

D stibulo meretricem suscipit, & omnes eius abominationes citissimè diluit, fugitiuum excipit & patriæ reddit, languidum accipit & sanat, cæcum & illuminat, leprosum & curat, mortuum & suscitat.

Sed vnde hoc propitiatorium? *de auro purissimo*, de auro purissimo fuit propitiatorium, in quod latro ille de cruce vultus defixit; cui pessimè merito, non solùm supplicium gratia remissionis indulsit, sed etiam Paradisum eodem die vera & copiosa propitiatio Dei contulit. De auro purissimo fuit propitiatorium Redemptoris nostri, quia in eo, non præcedentia humanæ naturæ merita, sed præueniens gratia ipsum naturam Verbo viuit & reconciliationem seu propitiationem Dei & hominis compleuit. De auro purissimo fuit, qui de Spiritu sancto conceptus, & de integerrima Virgine natus fuit; de auro purissimo est qui gratiam suam, bonis & malis tribuit. De auro purissimo est qui facit, vt *vbi abundauerit delictum, ibi abun-*

E *det gratia*. De auro purissimo fuit, qui igne clarescit, malleo proficit, passione dulcescit, morte viuescit, contumeliâ mansuescit, paupertate affluit & in pretio omni pretio pretiosiùs elucescit.

Sequitur, *duos cubitos & dimidium, tenebit longitudo eius*. Eadem mensura est Arcæ, quæ propitiatorij in longitudine & latitudine: est autem hæc longitudinis mensura, quinque palmorum, quia duo cubiti & dimidius faciunt quinque palmos, salua maiorum auctoritate; Propitiatorij nostri quinque palmos in longitudine, quinque illas corporis sui plagas non absurdè intelligendum puto. Eò vsque etenim longanimitatem patientiæ suæ extendit, vt his prætitulatus quinque notissimis plagis, à quinque nos liberaret capitalibus miseriis: prima quarum nos vrgebat crudeliter, seruitus diaboli: secunda fortiter vinculum peccati: tertia flebiliter, exclusio Paradisi: quarta instanter, exilium mundi & pœna temporalis: quinta miserabiliter, pœna æterna inferni. In his quinque porticibus iacebat

F languens humana natura, & nisi haberet hominem, immo propitiatorem, qui per singulas porticus, pedagij pœnis pro se solueret, & in aquam de latere fusam, per Sacramentum Baptismatis inferret, non euaderet.

In primo palmo siue plaga propitiatorij, à potestate diaboli liberamur de qua dicit Apostolus, *regnauit mors*; id est diabolus, *ab Adam vsque ad Moysen*; etiam in eos qui non peccauerunt, *in similitudinem præuaricationis Adæ*. Ait autem Apostolus, *quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur: destruxit* enim *eum qui habebat mortis imperium*, & sic à diabolo liberauit. Rom. 5. 14.

In secundo palmo plaga & à peccato, quæ est pessima vehementer liberamur, quando in sanguine Christi iustificamur, id est, à peccato soluimur & per hoc à vinculis diaboli expedimur. In tertio palmo & plaga propitiatorij, à tertia plaga quæ est exclusio Paradisi, sanamur, cùm illud primum Dei decretum iudiciale, ex sen-

G tentia veritatis prolatum, de expulsione hominis à Paradiso propter peccatum immutatum & melioratione pietatis nostri propitiatorij, implente ipso propitiatorio decretum quod priùs promulgauerat, soluendo quod non rapuit, vt sua consummatissima humilitate vinceret culpam quam contraxerat genus humanum in primi hominis elatione. Aperuit itaque Paradisum & reuocauit erroneum. In quarto palmo & plaga à quarta plaga, curamur, quæ est afflictio temporalis & exilium mundi: sed interim in spe, nondum in re. In quinto palmo & plaga propitiatorij, ab illa insanabili plaga quæ est æterna pœna liberamur, cùm absorbta morte in victoria, de morte triumphamus, dicentes: *vbi est mors, victoria tua? vbi est, mors, stimulus tuus?* Hæc de longitudine propitiatorij.

In latitudine autem, habet cubitum & semissem, id est, tres palmos. Trinitati namque in propitiatorio reconciliati sumus, vt iam habeamus pacem per Chri-

H stum ad Deum, labe præteritorum delictorum, scaturigine præsentium, & caligine futurorum in sanguine Agni exuti. Abscondit propitiatorium in latitudine charitatis quâ dilexit nos, præcedentia nostra delicta, mitigat præsentia, præscindit futura. *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*, quâ *propitiatur Deus omnibus iniquitatibus nostris*, non eas approbando, sed delendo. 1. Petr. 4. 8.

Sequitur: *duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi*. Christus, qui est Arca in Incarnatione, propitiatorium in passione: *paulò minus ab Angelis minoratus est* (vt ait Apostolus) *secundùm carnis passibilitatem*. Duos itaque Cherubim aureos, id est, Angelos, ex vtraque parte oraculi, fieri iubet Dominus, vt planè intelligas ministerio & mysterio Dominicæ incarnationis nunquã defuisse ministratorios Spiritus, qui vt in Euangelio scriptũ est, *accesserunt & ministrabant ei*. Horũ ad sese charitas & cõcordia perfecta desi- Eccli. 14. 10.

A *Lucifer, indignus fuit reparatione. Peccauerunt ne Angeli in instanti sua creationis. Angeli in instanti creationis facti sunt boni? Angeli quales creati à Deo.*

goatur; cùm duo fieri iubentur: *va enim soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem, se, si autem fuerint duo fouebuntur mutuò.* Singularis proculdubiò præsumptionis in Lucifero cecidit, cum rupto fœdere societatis Angelicæ, in altum se tendens, venas in se gratiæ rupit. *Non enim habuit subleuantem se*: quia indignus fuit reparatione, quia charitate gemina vacuus reparati non meruit. Hi verò Angeli qui suum seruauerunt domicilium subiectione debite creatori seruata, & dilectione mutua custodita, nidulo suo mutuò fouentur, & ad partum obedientiæ præparentur. *Aureos & productiles*, varia quidem & ambigue de statu creationis angelicæ fertur ab inquirentibus disputatio, nullam quibusdam assentientibus, fuisse moram inter creationem & lapsum malorum Angelorum, iuxta illud, *ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit.* Vnde Augustinus, non frustra putandum est, ab ipso initio temporis vel conditionis suæ, diabolum cecidisse & in veritate, nunquam stetisse: aliis è contrario probantibus omnes creatos esse bonos id est, sine vitio & iustos, id est, innocentes: sed non iustos, id est, exercitium virtutum habentes.

B *Angeli creati immateriales Angeli numero & merito distincti.*

Aliqui etiam fuisse moram dicunt inter creationem & lapsum, & quòd in illa breuitate temporis, omnes boni erant, non per vsum liberi arbitrij, sed per creationis beneficium. Hæc verior est sententia; quia naturam Angelorum bonam fecit Deus, nec naturam, sed voluntatem malam puniendam fuisse credendum est, nisi quia & propter voluntatem malam, bona aliquando punitur natura. Aureos ergo Cherubim fecit Deus, quia liberi arbitrij, quia simplicis essentiæ & immaterialis constituit, quia per rationem, inseruit intelligentiam, memoriam & voluntatem: quia personaliter singulos & numero & merito discreuit. Productiles quoque facti sunt Cherubim, non quia volentes auerti vel conuerti, creati sunt, sed quia habiles ad volendum hoc vel illud: post creationem verò quia productiles facti sunt spontanea voluntate, alij elegerunt bonum, alij malum & de operante gratie, quam acceperant in creatione seruata cooperantem meruerunt: quâ non sicut ex operante iustificatur impius, sed que cooperante, innitur ad bene volendum & perseuerandum pius. Productiles itaque facti sunt, qui de bono ad melius, proficere potuerunt. *Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero*: ex hoc innuitur, vel separatio quæ facta est per conuersionem bonorum ad Deum, & auersionem malorum è Deo, tanquam inter lucem & tenebras, vel illa desistentium & ministrantium distributio, quia inuisibili Deo, alij semper assistunt, alij ad exteriora ministerie obedientes exeunt. *Cherub vnus in latere vno*, scilicet dextro fuit, qui obediuit: Cherub alius in altero, sed in sinistro, qui superbiuit. Vel Cherub vnus, in latere vno cœli, alius in latere Inferni.

C

Gratia cooperans.

Exod. 25. 20.

Sequitur: *vtrumque latus Propitiatorij tegant, expandentes alas & operientes Oraculum.* Ad iudicium venture Domino, vtrumque latus eius Cherubim tegunt, quia circumstantibus Angelis, mali *videbunt in quem pupugerunt*, & non videbunt gloriam salutaris Dei. Boni verò reuelata facie videbunt & lætabuntur quod oculos non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit. Vtrumque latus tegunt, quia *separabant malos de medio iustorum*, & quia colligent filios Dei à quatuor ventis cœli, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum. Vbi eras Cherub, qui dextrum latus Saluatoris tegere debebas; cùm lancea inferretur, cùm latus aperiretur? an aderas, sed à defensione prohibitus eras? sicut ille cui dictum est, *mitte gladium in vaginam tuam*? Non vidit te cæcitas Iudæorum in passione, quem vidit asina Balaam vesani Prophetæ in itinere. Asina declinauit, & te viso expauit: Iudæus te, vtrumque latus propitiatorij tegente in tabernaculo non intellexit, & ideò irreuerenter in sanguinem innocentem impegit! Sed plane nudauit vtrumque latus propitiatorij, qui venerat pati, vt ad singulare certamen accederet. *& adiutorium gladij* sui euerteret: *Torcular*,

D

Balaam vesanus Propheta.

Isa. 53. 3.

inquicos, *calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Fortè propitiatorio de propitiatione aliquid imminueretur, si non expertis patientiæ viribus, totum quod potest malitia aduersarij, in dextro latere propitiatorij absque temperatura exciperetur. Ideò etiam clamat in cruce humanitas non causâ querimoniæ, sed causâ doctrinæ dicens diuinitati: *vt quid dereliquisti me?* quasi ad hoc me dereliquisti, non personali separatione, sed auxilij retentione, vt probares si tante in me perseueraret patientia quanta est adiuncta gratia, ne immeritò humanitati illa sapientie vnita diceretur, cuius tanta in passione patientia non probaretur. Non ergo cessauerunt vtrumque latus propitiatorij regere Cherubim etiam in passione, sed compassione non defensione.

E

Angeli protegunt martyres in tormentis.

Vtrumque etiam latus propitiatorij tegunt, quia Martyres in persecutione protegunt ne deficiant à Fide, Confessores in pace, ne tepescant à charitate. *Expandentes alas, & operientes Oraculum!* Oraculum nihil aliud est quàm propitiatorium, sed ideò dicitur Oraculum, quia diuina ibi dabantur responsa, vt in sequentibus demonstrabitur, vt dicitur: *Inde præcipiam & loquar ad te super Propitiatorio.* Expandunt itaque alas Cherubim & operiunt oraculum, quia secreto tum Dei mysteria malignis Spiritibus & prophanis hominibus abscondunt, quia *bonum est celare Regis consilium, & gloria Dei inuestigare sermonem.* Expandunt alas, vt nostra ad Deum perferant: operiunt Oraculum, vt ad nos auxilium diuinum referant: *respiciantque se mutuò, versis vultibus in Propitiatorium quo operienda est Arca Domini.* Breui clausule concludit quomodo Angelicæ potestates se in Deo diligant, dicens, *respiciantque se mutuò*, & quomodo Deum in se magnificent, subiungens: *versis vultibus in propitiatorium.* Non enim vertunt vultos in propitiatorium, qui sese mutuò non respiciunt, quia, *qui proximum quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo diligere potest?* In mutuo respectu, fraterna dilectio, in verso vultu in propitiatorium, humilis reuerentia ad Creatorem nostrum intelligitur.

F

Tob 12. 7.

Prou. 25. 2.

Inde præcipiam & loquar ad te: desuper propitiatorio scilicet, ac medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonij; *cuncta quæ mandabo per te filiis Israël*: ecce locus, vbi loquitur Deus! non est locus vt iste locus qui est locus consilij, refugij & auxilij. Dubitas de quæstione aliqua? vade ad oraculum, ad propitiatorium, ad medium Cherubim, quia ibi est *Deus scientiarum Dominus*! oppressus es à tribulatione? curre ad propitiatorium; quia ibi est Deus auxilij; naufragaris à tentatione? apprehende Oraculum & propitiatorium quia ibi est Deus *nostrum refugium.* Ecce de medio Cherubim consolationes Dei lætificant animam tuam, quia *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Ecce, desuper propitiatorio præscriptionis nostræ sententia tollitur, & nomina nostra in libro vitæ inscribuntur. Ecce de Oraculo, *vox turturis in terra nostra* auditur, *Pœnitentiam agite, appropinquauit, enim regnum cælorum.* Animaduerte, simul Arcam & Propitiatorium, Oraculum & Cherubim conuenire ad diuinam super humanis sententiam ferendam. Arca mouet incolamis nostri quæstionem, Propitiatorium, exequitur causam, Oraculum profert sententiam diffinitiuam, Cherubim executioni mandant quod egressum fuerit, siue bonum siue malum, de labiis Oraculi. Bonum namque est de Oraculo, oraculum quod absoluit, quia iocundum: quasi verò malum quod condemnat, quie ægrè & acerbum!

G

Psal. 91. 11.

Matt. 4.

H

Angeli vt amici & fratres honorandi.

Assiduemus cultum solemnem in obsequium sanctorum, quò refriretur Arcæ memoria super calamitatibus nostris: exoneremus coram propitiatorio sarcinas nostras, quatinus non suis holocaustis, sed nostris miseriis complacatum propitietur. Oraculo, *voluntaria oris nostri eloquia*, tam in nostra accusatione, quàm in gratiarum actiona offeramus. Cherubim tanquam fratres & amicos honoremus: quorum & patrocinio adiuti

A laqueum ſcandali caueamus, & vehiculo ſubleuati patriam repetamus. Supereſſe aliam de Arca & de Cherubin expoſitionem Bedæ, non ignoramus, vbi Arca intelligitur Eccleſia quæ de imputribilibus lignis, id eſt, ſanctis animabus ædificatur; & in fide Euangelij, per quatuor mundi partes diſtenta, coronam vitæ à Deo expectat, habens in ſe tabulas Teſtamenti, in continua meditatione Legis, Vrnam auream cum manna, in fide incarnationis Domini; Virgam auream quæ frondueræt in participatione regni & ſacerdotij Domini: Propitiatorium deſuper, vt cuncta bona à Deo ſe accepiſſe cognoſcat: Cherubin, angelica præſidia, vel Teſtamenta, quibus viuere inſtruimur.

Sunt autem ſuper propitiatorium, vtique eius ſuſtentata ſubſidio, vt eo veraciùs Eccleſiam iuuent, ſiue angelica miniſteria ſiue diuina eloquia, quo ipſa fundata eſt in fundamento ſummæ veritatis. Item Gregorij expoſitio de Arca, parum differt ab his quæ ſuperiùs poſita ſunt. Arca, inquit, eſt Eccleſia: quatuor circuli aurei, B quatuor Euangeliorum libri, quatuor anguli, quatuor partes mundi: Vectes de lignis ſethim, fortes & perſeuerantes Doctores, portant Arcam, cùm aliis prædicant, ſemper inhærent circulis, per vnitatem Eccleſiæ; auro operiuntur ſcientiæ, ſemper in circulis in lectione, ignominioſum enim tunc quærere, cùm quæſtionem debeat enodare. Hæc ideò ſummatim de dictis Sanctorum recolligo, vt, ſi opuſculum noſtrum propter ſe diſpliceat, vel propter Sanctorum ſanctas reliquias non vſquequaque abiiciatur. Etſi enim ligneam pixidem propter ſe non ſuſpicio: tamen quia continet Sanctorum corpora & oſſa, debita veneratione illam excipiens, ſummis digitis lotiſque manibus tenens lignum, aliter quàm lignum honoro.

Lignum quo Sanctorum reliquiæ continentur, aliter quàm lignum honoratur.

EXPOSITIO MORALIS.

COr hominis eſt Arca aut Dei aut diaboli. Vt autem ſit arca Dei, & menſuram Arcæ teneat vt C materiam. Materia ſit imputribilis, vt lignum vitæ, menſura æqualis, vt virtus Temperantiæ. Virtutes itaque quæ ſolæ ſub ſole non marceſcunt vel putreſcunt, Arcam noſtri cordis compingant, vt depoſitum Dei in ea non corrumpatur propter incorruptionem arcæ, & religionis propoſitum ſemel ſuſceptum non deſeratur per virtutem conſtantiæ. Alterum Deo, alterum ſibi paret homo. Deo exhibeat cuſtodiam ſui depoſiti quod eſt gratia, dignitati ſuæ, ſtabilimentum fidei retineat, quia variari non debet imago Dei, leui huius mundi iactura. Arca nec fracta ſit nec vacua, ſi plena eſſet, ſed fracta arca, damnum timeres: ſi integra, ſed vacua, inaniter ab ea ſubſidium ſperares. Denique cùm fuerit ſana & plena arca, clauſa ſit & ſignata clauſa ne mures intrent, ſignata ne fures aperiant. Claue ſerretur & reſeretur, Dæmonibus ſerretur, amicis & famelicis reſeretur. Attende, ô anima, vt arca tua ſana fide, plena charitate, clauſa humilitate, ſignata ſtabilitate, reſeratata confeſſione & gratiarum actio- D ne. Claui denique obedientiæ obtemperet in concluſione & in apertione.

De lignis ſethim compingatur, multarum virtutum conquadratione. Longitudine duorum cubitorum & ſemis extendatur, ab inchoatione ſcilicet boni operis, mediante patientia peregrinationis, vſque ad perſeuerantiam finiendi laboris. Latitudine autem dilatetur arca, vno cubito & dimidio, vt Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, plus quàm ſe diligat, qui eſt perfectus cubitus: Proximum verò tanquam ſe, qui eſt dimidius, non pro imperfectione affectionis, ſed imperfecta exhibitione operis. Pleno enim affectu debemus proximum diligere, ſed vix ſemipleno affectu, neceſſitates eius poſſumus excuſare aut explere. Neque enim proximum non amat, quicunque pallium in frigore (vt Martinus) non dimidiat. Profectò pene ampliùs dimidio cubito Martini dilectio ſe extendit, cùm ſe ſpolians & deturpãs pallio dimidio, frigori & illuſioni expoſuit. Potes habere dimidium in latitudine dilectionis per affectum & ſi non per effectum, cùm te coarctaris, ſed pietate dilataris. Ad proximum habe ſemiplenum exhibitione, vbi non potes plenum pro neceſſitate, & habet Arca tua cubitum & dimidium in latitudine, quod ad te quidem plenum, extra te ſemiplenum. Habe ergo ad Deum, plenum cubitum dilectionis per affectum quia non indiget ſemipleno noſtro in ſupplendis neceſſitatibus ſuis. Ad proximum habe ſemiplenum, quia nemo ante finem ſuum ſecurus eſt de perſeuerantia ſui operis.

S. Martini pietas non vulgaris.

E

Nemo ante exitum ſecurus.

Recta intentio in inchoatione vnus cubitus eſt, patientia in tribulatione, alter cubitus, dimidius in timore & dubietate perſeuerantiæ. In altitudine cubitum & ſemiſſem habet arca, cùm de communi ſpe Fidelium ſupra excreſcit ſuggeſtione virtutum & confidentia gratiæ ad id quod merita tua excedit futurum præmium. Vnum cubitum habes altitudinis in morte Christi, in qua communiter omnibus fidelibus data eſt ſpes ſalutis F & redemptionis. Dimidium quoque cubitum habes ex perceptione ſacri Baptiſmatis, in quo iam quidem iuſtificaris, ſed nondum glorificaris. Dimidiatur ergo cubitus iſte in iuſtificatione, implebitur verò in glorificatione. Imples vnum cubitum ſpei, quando per Sacramenta fidei es in corpore Chriſti, alium nihilominus inchoas, cum artas ſecuritatæ gloriæ, occulta & ſingulari prælibatione ſpiritus deguſtas. Si Fides ignoratur, cubitus non perficitur; ſi mens adoptione ſpiritus ſubarratur, alius cubitus non dimidiatur. Hæc de altitudine arcæ.

Sequitur, *& deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris*: auro mundiſſimo intus arca deauratur, ſi mens ab immunditia emundatur, intus deauratur, cùm noua ſobole virtutum fœcundatur; intus deauratur, cùm nullæ ſordes in mente relinquuntur. Foris deauratur, cùm ſermo rarus & verus, cùm oculus ſimplex & pudicus, cùm manus pia & larga, cùm auditus purus & caſtus, cùm inceſſus rectus & bonus, cùm in toto corpore G oculi, magna cautela & circumſpectione, ante & retro circumfunduntur. Vide arcam intus deauratam: *gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientia noſtra.* Et alibi, *nihil mihi conſcius ſum*: Item, *non reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Vide foris deauratam: *mihi pro minimo eſt: vt à vobis iudicer aut ab humano die.* Zacharias & Eliſabeth deaurati erant intus, quia *iuſti erant ante Deum*; foris, quia incedebant *in omnibus iuſtificationibus Domini ſine querela.* Bene deaurata eſt arca intus & foris, cuius anima & conſcientia bona Deo & Angelis iungitur, cuius fama, apud fideles & infideles magnificatur. Auro mundiſſimo arca deauratur, cùm ſolius Dei causâ, cogitationes in mente caſtigantur, & bona opera exercentur.

Exod. 25.24.

2. Cor. 4.4.

Sequitur, *facieſque ſupra coronam auream per circuitum.* Super arcam, coronam auream facimus per circuitum, cùm propoſita mercede cœleſti extra hanc nihil quærimus, nuſquam euagamur ab ea nunquam mente excidimus. Semper coronam auream ſuper arcam geſta- H mus, cùm finem & intentionem omnium noſtrorum tam operum quàm deſideriorum Deum proponimus, & hoc per circuitum, vt nulla pars animæ, ſtudiorum bonorum interruptionem admittat, nulla vitæ para excurſum extra Deum faciat. Per circuitum eſt corona aurea cùm in conſpectu tuo ſemper proponitur vita æterna, & omnes anfractus temporalis vitæ cogis infra metas æternæ gloriæ. Reclude vitam in vita, ſed meritoriam in remuneratoria, ſed miſeram in beata, ſed tranſitoriam in æterna, ſed vmbraticam in vera.

Sequitur: *& quatuor circulos aureos quos pones per quatuor arca angulos.* Angulus eſt vbi capita duorum parietum ſeſe coniungunt; quatuor vero parietes in domo, vbi ſingula eorum capita copulantur angulos quatuor faciunt & omnia quadrangula forma quatuor parat angulos. In animo denique noſtro ſunt quatuor paſſiones ſiue virtutes naturales, quæ angulos faciunt; timor, ſpes, triſtitia & gaudium. Vbi timor ſpei

infigit

A infigit tignum suum & spes timori, angulum faciunt. Vbi tristitia gaudio accedit siue gaudium tristitiæ, rursus alium angulum faciunt. Si desiderio tristitiæ timorem innectas, tertium angulum feceris, si spei addas gaudium, quartum. Ecce quando separatim times supplicium aut speras præmium, aut tristaris, de exilio, aut gaudes de promisso, nondum angulum habes, sed committe capita singulorum, vt cùm spe timeas, cum timore speres, cum gaudio desideres, cum desiderio gaudeas, & cum gaudio timeas, & cum desiderio speres, vel cum spe desideres & angulos fecisti. Tene angulos & sede in angulo, quia *melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa in domo communi.* Timor namque si te occupauerit, & nimium oppresserit ea recordatione præcedentium delictorum; præbeat spes caput suum, vt erũpat ante faciem tuam abyssus misericordiarum Dei, & leuiat asistam miseriarum tuarum, quam timor accusans memoriæ deportauerat. *Accubans* igitur *inter terminos* plagæ, hinc peccata tua, inde respice misericordias Dei & pondus pauoris, compesce securitate diuinæ bonitatis.

Prou. 25. 24.

B Rursus si nimio desiderio gloriæ & faciei Dei afficeris & affligeris plusquam tolerabile sit, amplectetur desiderium tuum, suadens cum patientia expectandum, quia *veniens veniet, & non tardabit.* Sacramentorum suauissimum fructum futurum promittens, & interim florem in specie visibili non indecorum ostendens, *Inter istos quoque terminos accubant*, expecta *donec aspiret dies & inclinentur vmbra futurorum*, quæ sunt in Sacramentis Fidei, *donec lucifer oriatur*, vt pateseat rerum veritas in facie manifestationis quæ nunc latet in vmbra Fidei. Item si gaudium de præsentis Ecclesiæ decore, nimium detentũ mentis pedem mouere lentiùs ad futura cœperit, quasi suadens de malitiæ labore (si fuerit prolixior) pleniora mereri donatiua, accurrat desiderium, & excitet malè sopitum gaudium, insinuans stationem infidam esse iuxta castra Allophilorum seu Philistinorum, & sæpè adquisitis caruisse, dum ambiuntur superflua, nec *glorietur accinctus aquè vt discinctus*, quia de regno gaudere ambiguum est, de regno autem in regno gloriari tutum & certum.

Gaudiũ de præsentis Ecclesiæ decore.

C O gaudium quod præcoquas vuas præ immatura maturitate, manè iam comedis! quare dictum est Apostolis, *expedit vobis vt ego vadam*, cur nisi vt nunquam gradum sustinerent, donec ad illum peruenirent? Sed fortè placet tibi lucrum aliorum, aliquando dum captatur lucrum, successit damnum. Et Apostolo *mori est lucrum.*

Gaudiũ præripit aliquando de nondũ maturos fructus spirituales.

Stimulatur itaque sic gaudium à desiderio & cursu renouato, currit gaudium cum desiderio. Item, si spes inaniter abiecto timore, plusquam iustum sit, caput in nubes extulerit, timor stateram iustam deferat, & de quantis atque in quantum sperare promeruerit appendat. Quid pro Deo fecerit, & quid contra Deum commiserit enumeret, & quantum sperare vel non sperare debeat intelliget. *Cadent enim à latere tuo*, ait Psalmista, videlicet *mille*, qui sine operibus tecum in iudicio stare præsumebant, *decem millia à dextris tuis*, qui sine merito merita iactabant Leuitati ergo spei, timor pondus opponat; vt non vento sed veritati se credat.

Psal. 90

Merita sine merito iactare.

D Longum est, quid in singulis angulis dicendum vel cogitandum sit explanare, sed sedens in angulis angulos tuos reuolue, & pluriora & meliora his appone. Denique *pones quatuor circulos aureos per quatuor arcæ angulos*: secundùm angulos pone circulos. Primus circulus est, meditatio mortis continua, secundus mortificatio corporis assidua, tertius confessio peccati spontanea, quartus subjectio Prælati voluntaria. Meditatio mortis, in angulo timoris & spei, mortificatio corporis, in angulo spei & timoris, confessio peccati in angulo desiderij & timoris, subjectio prælati in angulo gaudij & spei Profectò angulus timoris bene capit circulum meditationis mortis, quia qui mortem meditatur; timet committere vnde damnetur. Vnde, *fili memorare nouissima tua, & non peccabis in æternum.*

Item angulus Spei, aptè recipit mortificationem corporis, quia *qui arat, in desiderio debet arare, & qui*

Coloss. 3.4.

E *triturat in spe* percipiendi fructus. Ideò enim mortificanda sunt corpora, quia *vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, cùm enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum iustitia in gloria.* Item angulus desiderij, confessionem peccati non immeritò excipit, quia non nolendo sed volendo, non cum tædio, sed cum desiderio facienda est confessio A latrone enim & reo extorquetur tanquam ab inuito & deprehenso professio furti; à peccatore pœnitente suscipitur, tanquam grata hostia Confessio; *voluntariè*, inquit Psalmista, *sacrificabo & confitebor nomini tuo quia bonum est.*

Peccati confessio est grata pœnitentis Hostia.

Item angulus gaudij & spei, subiectionem voluntariam, quia *cum creatura liberabitur a seruitute subiectionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, & illi simul liberabuntur qui *non ad oculum seruientes* subiiciuntur Prælatis, qui Domino spontanei obtulerunt animas, qui sicut Christus obediens fuit patri vsque ad mortem, dicens, *ne Pater non quod ego, sed quod tu.* Sic isti animas suas ponunt in mãnibus suis, obedientes cum gaudio & Spe præpositis suis.

F Aurei sunt circuli isti, vt in charitate, claritate, sapientia & castitate fabricentur. In charitate vt excludatur necessitas, in claritate vt remoueatur obscœ a duplicitas, in sapientia vt tollatur temeritas, in [illegible]te vt amputetur superfluitas. Charitas est in subiectione, claritas in confessione, sapientia in meditatione, castitas in mortificatione.

Sequitur, *duo circuli sint in latere vno, & duo in altero.* Meditatiõ mortis & mortificatio corporis, in vno latere sunt, animam ne peccet custodientes. Confessio & subiectio, in altero animam si peccauerit corripientes. Nisi enim peccaret homo, nec confessione indigeret, nec obiectione. Rursum nisi peccare posset vel timeret, superfluò se mortificaret aut mortem cogitaret. Sequitur, *facies quoque vectes de lignis sethim, & operies auro inducesque per circulos qui sunt in arca lateribus, vt portetur in eis.* Iudicium & iustitia, sunt vectes de lignis sethim, quos vt portaretur Arca, fecerat Psalmista, dicens, *feci, iudicium & iustitiam, & beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore*, propter ligna sethim quæ imputribilia sunt.

Ps. 118.

G Ita nec amore, nec odio nec fraude, nec gratia, nec pecunia corrumpendus est animus, qui debet facere iudicium & iustitiam in omni tempore. *Operies eos auro*, ne facias *iustitiam tuam coram hominibus vt videaris ab eis*, sed *in abscondito*, sed coram Deo, vt glorificetur Pater tuus qui in cœlis est. Operies eos auro, vt bonum bona intentione facias. Vectes illi non fuerunt operti auro, qui *receperunt mercedem suam*, pietate quæstum æstimantes, vt omnis labor eorum esset in ore ipsorum, *quorum* denique *tecta sunt peccata* per pœnitentiam, illi sunt tecti auro. Vnde cuidam dicitur, *Age pœnitentiam, alioquin mouebo candelabrum tuum de loco suo. Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis*, per circulos qui sunt in arcæ lateribus inducit vectes, qui per omnes angulos cordis & per circulos vniuersæ suæ actionis, futuri examinis districtionem & iusti iudicis æquitatem semper ruminat, in eius expectatione gemens vt columba & sicut ceruus ad fontes aquarum currens ad Deum viuum.

Apoc. 2. 5.

H Nunquam vectes extrahendi sunt, sed sunt semper in circulis, vt tota moles actionum & cogitationum nostrarum his subuehatur vehiculis. Inuitor fortè ad illicitum prandium, non vadam quia timeo iudicium; inuitor ad concubitum, non faciõ quia leo est in itinere, & ignis est vsque ad internecionem deuorans. Vnde quæcunque alia suggerentur officia corruptionis, sed contineo membra non exhibeo, *arma iniquitatis peccato* Non extraho vectes de circulis aureis, quia non veos ad malum; sed ad bonum virtutibus à Deo mihi collatis vt portetur in eis arca animæ, naturali sustentatione, non concupiscibili lenocinatione.

Sequitur, *ponesq; in arca testificationẽ quã dabo tibi.* Quid in anima quæ templũ est Spiritus S. reponendũ, nisi testificatio Dei? Apostolus testificationẽ Dei in arcã sua po-

A fuerat, qui dicebat, *ipse Spiritus Dei, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*, id est arcã Dei. Testificatio Dei est in cœlo, id est, in arca quoniam, *tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, Spiritus sanctus*; & non sitot testificationes, sed testificatio, quia *hi tres vnum sunt*. Si Pater in mente tua, Verbum in intelligentia tua, Spiritus sanctus est in dilectione vel voluntate tua, testificatio Dei est in arca tua, nihilominus Spiritus, aqua & sanguis, vna testificatio Dei est, quando conseruas impollutè Sacramentum regenerationis. Testificatio est in tabulis legis, vt in eis meditando & mores componas & linguam erudias. Testificatio est virga Aaron quæ frondiut vt in ea te esse de genere regali & sacerdotali recognoscas, regalibus * in regimine motuum & membrorum agendo, & sacerdotaliter castè & deuotè viuendo Testificatio est, Vrna aurea habens manna, vt conscientia bona coram Deo gratiâ redoleat, & in monimentum iustitiæ ad diem iudicij conseruetur.

** f. regaliter.*

B Hæc omnis Testificatio, non formidat tribunal Iudicis, sed clamat confidenter, *quis accusabit aduersus Electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Adhuc tamen sequitur propitiatorium, quo si quid minus poterat testificatio, suppleret propitiatio. Sequitur, *facies propitiatorium de auro purissimo*, &c. quantumcumque opulentissimo bonæ conscientiæ thesauro locupletetur anima, semper infra iustitiæ regulam consistit & si ad vnguem, humana diuinæ iustitiæ comparetur teste Scriptura, *quasi pannus menstruatæ* reputetur. Elaboret ergo humana industria, cum gratia ne desidiæ arguatur, sed non præsumat de messe sua, vt stultitiæ condemnanda, cùm fatuis virginibus excludatur. Supponat arcam propitiatorio, dicens cum Psalmista, *quia melior est misericordia tua super vitas*: nullum enim genus vitæ per se saluti sufficere, cùm sine

Rom. 8. 33

C gratia nec nominari vita aut bonum opus valeret: *sine me*, inquit, *nihil potestis facere*. Propitiatorium igitur faciendum est de auro purissimo, vt dicas, *exaudi me Domine*, non quia merui, sed *quoniam benigna est misericordia tua*. Semper obiiciendũ Deo, non nostrum meritum quod malum est, sed naturæ & bonitatis suæ priuilegium quo vtuntur interdum pene audaciùs mali quàm boni. Quia enim sine priuilegij huius auctoritate Pharisæus gratias agebat, vt mendax prædicator repulsus est. Publicanus verò tenorem priuilegij relegens, & de proprio nihil nisi reatum habens, summam precum suarum Iudici allegans de communitate priuilegij; *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori*.

Natura & bonitatis diuinæ priuilegium in meritis.

O propitiatorium! ô propitiatorij priuilegium! Nec immanitas, nec vetustas corruptæ mentis te abhorret; immò tu recipis omnia execrabilia hominum facinora Indulges indulgenda, audeo dicere, secundùm atrocitatem criminum penè etiam non indulgenda, nisi propitiatorium esses. Planè autem omnia potes & de-

D bes indulgere quæ indulges, vt *secundum nomen tuum, ita & laus tua* sit *in fines terræ*. Habes duos cubitos in longitudine, vt dimittas peccata cogitationum, operationum, habes dimidium, vt dimittas ambigua peccata, quæ ex collisione carnis & spiritus exiliunt, quando excusans & accusans cogitatio sub caligine laborat, non deprehendens * cuiusnam sit carnis vel spiritus, sit filius viuus vel mortuus, vnde Psalmista; *ab occultis meis munda me*, ô propitiatorium, quia non solùm habes duos cubitos, sed & dimidium, quia spe, nondum re saluas. Adiungit denique sibi propitiatorium, duos Cherubim aureos & productiles, non ad adiutorium vel ornatum, sed ad nostrum auxilium & ministerium. Voluit enim ministros habere qui discurrerent fideli legatione ad religatos, & viderent vtrùm prospera essent erga greges, & pecora, & renuntiarent quid ageretur. Habet itaque propitiatorium Angelos, *adiutorium simile sui*, non effectu potentiæ, sed ratione pietatis, quibus & tutiùs committeret secreta sua, & fideliùs crederet ministeria nostra & citiùs audiret petitiones nostras. Sunt autem ex vtra-

** vel cuiusnam tura scilicet Angeli cur creati à Deo.*

que parte oraculi, vt Cherubim vnus sit in latere vno alter in altero: duæ partes Oraculi, sunt remotio malorum & adeptio bonorum. Vnus namque propitiatorij Cherubim est in latere vno, qui fugat mala à nobis, alter in altero, qui adquirit bona nobis. Totum enim (quantùm ad nos) officium angelicum est, vt defendant nos à malo, & conseruent in bono. E

Angeli quibus in rebus homini ministrent.

Vtrumque latus propitiatorij tegunt, quando differunt vel abscondunt interdum auxilium propitiatorij, vt exerceant nos tentationibus, & quando celant amorem propitiatorij, vt incitent ad quærendum ardentiùs. Cum Maria Dominum hortulanum crederet, nonne Cherub vnum latus eius tegebat, vt quærendo, flamma amoris vehementiùs excresceret? Item, cùm Petrus Dominum negaret; nonne alter Cherub, alterum propitiatorij latus tegebat vt postmodum in recordatione negationis vberiùs fleret, & quid de humana adhuc fragilitate gestaret princeps Apostolorum agnosceret? Expandentes igitur alas, operiunt Oraculum, quia diuinis iussionibus obedientes, sub signaculo claudunt vsque ad tempus & tempora, & dimidium temporis quæ sint super nos diuina consilia, minùs enim sollicitos efficerent, si prædestinatos esse innotescerent, efferatiùs quoque desperantes nos irritarent, si iam condemnatos manifestarent. Respiciunt etiam se mutuò versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca Domini, quia in nostro consilio concordant semper à propitiatorio haurientes, quid sibi, quid nobis facere debeant. Inde præcipit & loquitur (super propitiatorio scilicet ac medio duorum Cherubim) cuncta quæ mandat filiis Israël; à propitiatorio siue Oraculo principaliter sententia decretorum firmatur, vt de omni quæstione filiorum Israël definiatur quid in occultis Dei celandum, & quousque quidque ad publicum deferendum sit & quando. Sed iam aquila reclinet volatus suos ad escam & ad mensam, vt de visione Angelorum, transeat ad refectionem ciborum. G

D. Petrus Apostolorũ Princeps.

F

LIBER SECVNDVS.

PETRI CELLENSIS, MOSAICI Tabernaculi mystica & moralis expositionis.

FACIES *& mensam de lignis sethim habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac semissem.* Mensa de lignis sethim, nunquam vacua refectione est, quia sancta Scriptura, nec sententiarum dapibus, nec ferculis exemplorum inanis est. De lignis verò sethim ideò est, quia *cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Ministratores huius mensæ Scriptores sunt & H auctores diuinæ Scripturæ. Dominus mensæ Spiritus sanctus, qui & corda illustrauit & linguas docuit illorum qui contrectauerunt de verbo vitæ, aperiens illis sensum vt intelligerent & scriberent miracula in lege Domini conuiuatores, meditantes in lege Domini die ac nocte. Epulæ conuiuantium instructiones legentium, quibus sicut adipe & pinguedine repletur anima. Taurina caro, recitatio illorum qui iugum legis sub lege agentes sustinuerunt, seruientes in cibis & potibus & variis baptismatibus vsque ad præfinitum tempus à patre, in cultura tantùm legis frumentum gratiæ meditantes. Altilia iuxta cœlum euolantia, aliud à tauris ferculum in mensa inferunt, quia contemplatiuorum vitæ & exempla, quomodo, quæ sursum sunt quærere debeamus innotescunt. Omnia poma noua & vetera dilecta dilecto in mensa apponit quia ab initio mundi fidelium nomina & opera & dicta & exempla sigillatim retinens in Scriptura totam mensam antiqua & noua patrum memoria respergit. Huius mensæ delicias tam impossibile est explicare, quàm vniuersum abyssi pelagus absorbere.

Habet

A Habet quidem in longitudine duos cubitos, in latitudine verò cubitum, in altitudine cubitum & semissem. Longitudo mensæ actionem, latitudo dilectionem, altitudo designat spem seu contemplationem. Duos cubitos habet actio, munditiam & innocentiam. Vnde Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est; Visitare pupillos & viduas in tribulatione earum & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Item sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Vnum cubitum habet latitudo, quia charitas vna est & perfecta. Altitudo vnum & semissem, propter vnitatem spei cœlestis & initium contemplationis. Sequitur; Et inaurabis eam auro purissimo. Scriptura quasi matrona quædam grauis & grandæua licet stibio, purpura & serico recuset ornare genas suas rubentes satis naturali vigore & decore, tamen illis Philosophorum studiis & doctrinis quæ tantummodo in facie verborum gloriantur, nequaquam inferior inuenitur. Sensus namque majestas eius venustior, numerosa sententiarum com-

B pactio validor, intellectus vtilior, fructus vberior, lectio modestior. Hæc tam habitum quàm vitium meretricum respuit, vt ampliùs placeat nucleus sub cortice quam mendax fucus in vertice. Inaurata itaque est, quia & facie pulchra & sensu est bona.

Sequitur, Facies illi labium aureum per circuitum & ipsi labio coronam aureolam. Qui habet immunda labia nec habet labia sacerdotis, quæ custodiunt scientiam, non pertinet ad mensam, donec vnus Seraphim forcipe de altari tangat labia eius. Non labia, sed labium & labrum aureum fit in mensa Scripturæ diuinæ, quia non recipit hæreses & schismata quæ garriunt Patre Filium, & Filio minorem Spiritum sanctum. Asserit autem Scriptura diuina vnitatem Trinitatis & Trinitatem vnitatis dicens; Audi Israël Dominus Deus tuus vnus est. Item, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Aureo itaque labio plenitudinem ferculorum, & summam dapum concordi prædicatione mensa eructans, non in-

C flatione buccæ & labiorum distentione vtitur loquens grandia & magnificans labia sua. Quantò enim sensu altiora sunt diuina eloquia, tantò voce modestiora & prolatione suppressa. Agni enim sunt voces qui clamauit, neque audita est vox eius in plateis. Quicquid ergo eloquium sonat diuinum & vnum est fidei vnitate, & aureum sensus profunditate. Vnum ne dilanietur errore schismatico; aureum ne vilescat sermone nudo & rustico. Per circuitum, ne agere credatur de transitorio bono. Æternum intellige & jocundum per labium. Intellige per labium vitale, per circuitum summum bonum, per aureum, vitale quod promittitur & jocundum per aureum, summum immortale per circuitum. Adde ipsi labio coronam interrasilem, vt corona exhibeat quod Scriptura promittebat & mordeat professionem labium coronam brauij, tam fideliter soluens debitum, quàm veraciter continuans promissum. Vnde Psalmista; Suscipe me secundùm eloquium tuum

D & viuam, & multa huiusmodi. Animaduerte tamen coronam interrasilem propter meritorum in præsenti & in futuro præmiorum discretionem. Fomentum siquidem negligentiæ & alimentum esset iniustitiæ si præmium coæquaret, quos merito desperasset. Quis vigilias excoleret, si dormiens fructum vigiliarum decerperet? Quis corpus suum ignibus, ieiuniis, macerationibus & innumeris passionibus contorqueret & decoqueret, si tam bene sonaret vdum & molle corium in deliciis suis, quam elatè resonat tympanum in distensionibus & rasuris assiduis? Non stella à stella differret in claritate, si merita meritis præjudicarent in pondere. Corona ergo interrasilis est, quæ labio aureo superponitur quia in distinctione mandatorum sequitur distinctio executorum, discretio * ramuneratorum. Alta est enim quatuor digitis; quia dum justitiæ plenitudo & gloriæ consummatio in quatuor Euangeliorum libris describitur, quasi quatuor digitis corona mensuratur.

* vel remuneratorum.

Sequitur, Facies altare, &c. Rex ille magnus, cuius

E magnitudinis non est numerus, paulatim ad interiora foris euagantem retrahens animum, postquam Tabernaculi ædificium consummauit, locum in eo specialiter sibi intitulauit, vbi placabiles hostiæ cremarentur & immolatione mystica ira cœlestis mitigaretur, & humani erratus ignoscerentur. Nominat autem illum locum altare, ipso nomine demonstrans altitudinem Sacramenti, quia nulli nisi Deo aliquando altare consecrari debuit, & ad nullos nisi ad diuinos vsus. Sacratiùs itaque informans ad altare suum accedentes, passibus virtutum, priùs ad arcam testificationis, deinde ad propitiatorium. Ad mensam quoque refectionis eosdem collocauit, illuminans illam candelabro ductili, & septem lucernis suis. Deinde cortinas, saga, pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthynas, super tabulas stantes, super bases expandit, columnas anteposuit & velum de hyacintho purpura, cocco bis tincto & bisso retorta appendit & interposuit inter sanctum & sanctum sanctorum. Hac de ambulatione tanquam in pa-

F radiso justum deducit Dominus antequam accedat ad altare, vt cùm Psalmista dicat; Circuiui & immolaui in Tabernaculo eius hostiam jubilationis. Altare itaque de lignis sethim facies mihi, quod habebit quinque cubitos in longitudine & totidem in latitudine, id est quadrum, & tres cubitos in altitudine. Altare corda electorum, quæ ad ostendenda opera operum à Domino consecrata sunt & debent esse munda & incorrupta, & quinque corporis sensus in longitudine patientiæ, & latitudine charitatis, in seruitio fidei exercere, fide, spe, & charitate ad cœlestia tendere. Quæstio autem est ad literam de altitudine altaris, quomodo ministrare aliquis valeret, cùm vix tanta sit statura hominis, quanta altaris altitudo, & nullus gradus secundùm legem fieri posset; ne pudenda reuelarentur. Sed ita soluitur. In altari de lapidibus siue etiam de terra prohibentur gradus fieri, quia quasi coædificati ipsi altari, ad altare pertinere videntur. In hoc verò altari de lignis potuit aliquod subsellium supponi bora ministerij, & expleto officio tali, * nec fuit contra mandata legis.

Solutio.

G

* f. tolli.

Sequitur, Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, & operies illud ære. Ecclesia in quatuor mundi partibus dilatatur in vnitate fidei Catholicæ, vel quatuor virtutibus corda electorum muniuntur, sobrietate, prudentia, iustitia, fortitudine, quibus vtilius nil in vita hominum. Ex ipso procedunt cùm non ad oculum finiuntur, sed ex cordis radice generantur. Operies illud ære, id est perseuerantia. Sequitur: Facies in vsus eius lebetes ad suscipiendos cineres. Vasa ista diuersa diuersas fidelium personas in actionibus & officiis & cogitationibus designant. Cinis Sacramentum Dominicæ passionis, vel perfectionem virtutis iustorum designat. Causa cineris aliquid præter materiam dicendum. Moyses de holocausto ait, Cremabitur in altari tota nocte, &c. id est, toto tempore vitæ vsque ad mane futuri sæculi, opus bonum in corde Deo deuoti feruere debet igne charitatis. Ex ipso altari erit ignis,

Fallor nisi sit legendũ tolli.

H quia ex illa charitate quam Dominus Ecclesiæ dedit ardere debemus. Alienum verò ignem offert qui opera cœlestia non pro mercede, sed pro lucro temporali facit & consumitur igne cœlesti, id est sententia iræ Dei. Vestietur sacerdos tunica & fœminalibus lineis, id est Christvs suæ incarnationis puritatis & * mortis proponit. Tollit cineres quos ignis exussit & ponit iuxta altare, cùm Dominus finem laboriosis operibus imponit & iubet coronam in vita æterna accipere Spoliatur prioribus vestimentis, cùm ad memoriam reducens iustis bona quæ fecerunt, non ampliùs laborandum ostendit, sed quieti cordium & diuinæ contemplationi insistendum. Indutus aliis vestimentis efferet cineres extra castra, cùm faciet videri in illa vita laborem Sanctorum suorum remuneratione dignum.

* locus mendosus.

In loco mundissimo qui est munus iustorum ex hac vita sublatorum; holocausti cinis vsque ad fauillam consumitur cùm ibi bonorum operum merces ita redditur, vt omnis labor ad integrum consumatur. Ignis

 autem

A autem in altari semper ardebit, quia absumpto omni genere laborandi, charitas nunquam extinguenda flagrabit. Vt lucidiùs intelligeres cujus vtilitatis sint lebetes, quæ ad suscipiendos cineres fiunt ista latiùs exposuimus. Et forcipes, inquit, atque fuscinulas & ignium receptacula. Forcipes sunt prædicatores, qui velut gemino dente vtuntur, vt accendant in nobis ignem charitatis cùm vtriusque Testamenti paginis nos instruunt, vel cùm geminæ charitatis virtutem infundunt, & hujus gratiâ ardere & lucere faciunt. Fuscinulæ quoque sunt, quibus victimarum coctæ ad esum reficiendorum afferuntur. Harum vsus prædicatoribus congruit, quia doctorum est cuique personæ ministerium cum discretione committere, & alia quidem omnibus edenda efferant, alia ignibus altaris consumenda relinquant, quæ nostram capacitatem transcendunt. Ignium receptacula sunt batilla, quibus ignis & carbones ab altari holocaustorum ad altare thimiamatum transferebantur ad incensum ponendum mane & vespere. Quod fit, B cum de virtute in virtutem auditores suos prouehunt. Qui imitantur feruentia Sanctorum corda, ipsi quoque receptacula ignium sunt. Omnia vasa ex ære fabricabis, id est corda Sanctorum perseuerantia erunt & clara voce alios instruent. Craticulamque in modum retis æneam, &c.

Ad litteram altare totum concauum est, in medio habet craticulam in modum retis distinctam, in qua victimarum carnes comburendæ ponebantur & subter eam arula in qua compositis lignis ardet ignis ad deuoranda holocausta paratus Erat autem contra arulam, ostium in parte orientali altaris quo ligna ad alendum ignem mitti, & carbones vel cineres possent egeri. In modum autem retis idcirco facta est craticula, vt per crebras aperturas ignis ad deuorandam hostiam liberè exeat Mysticè craticula locum intimo corde Domino paratum significat, vbi deuoras cogitationes sancti collocant. Per cuius quatuor angolos erunt quatuor anu- C li aurei, quos pones ante arulam altaris. Ad litteram, mirum videtur quod altare de lignis tam vicino igne non vrebatur. Sed dicit Ieremias, quia altaris ligna de lignis Paradisi sunt, & ideo non cremantur igne, sed puriores redduntur. Et ne hoc incredibile sit audiras quoddam genus ligni, quantò plus arserit, tantò mundius inuenitur. Mystice Euangeliorum libri qui promittunt coronam vitæ æternæ auditoribus suis Ecclesiam per quatuor mundi plagas diffusam verbo fidei & veritatis confirmant, & animos humilium munimine suæ consolationis alleuiant.

Eritque craticula vsque ad altaris medium. Necesse est vt gratiæ Dei aperiamus corda nostra, & quasi plurimis patefactis ianuis sedulè deprecemur, vt per singula quæ inchoamus bona, quasi per singula victimarum eius frusta, suâ nos misericordiâ illustrate, & in amorem suum accendere dignetur. Pelagiani verò craticulam in modum retis, sed solidum parietem in alta- D ri cordis supponunt inter se & ignem Spiritus sancti, ne charitate calefiant. Altare non est solidum, sed cauum & inane ad ignem, ad holocausta, ad ligna consumenda, locum in se copiosum exhibens. Tu quoque si vis esse altare Dei, exinani teipsum ab omni contagio terrenorum, vt intelligentia verborum cœlestium & hostiæ virtutum locum habeant spatiosum, capiasque flammam Spiritus sancti, quo Ecclesiæ hostiæ Domino consecrantur, & ad finem perfectionis perducuntur. Facies & vectes altaris de lignis sethim duos quos operies laminis æneis, & induces per circulos, eruntque ex vtroque latere altaris ad portandum. Quod de vectibus arcæ, hoc de vectibus altaris mystice sentiendum est, nisi quod isti laminis æneis, illi auro operiuntur, laminæ autem significant instantiam prædicationis, & sonum in omnem terram auditum.

Facies & mensam de lignis sethim habentem duos cubitos longitudinis & in latitudine cubitum ac semissem. Quod meditatio in arca reponit, memoria in mensa proponit. Metit namque & colligit meditatio tem- E pore opportuno, quod exigit memoria pulsante & vrgente necessitatis alicuius articulo. De arca mensa ditatur, cùm de conscientia bona & fide non ficta oratio impinguatur, & prædicatio insormatur. Velum quidem silentij interdum inter arcam & mensam appenditur, cùm tantis labiis mens Deo & non sensu repletur, cùm de adipe & pinguedine bonæ conscientiæ gratissimis eructationibus sancti prædicatores suos auditores reficiunt. Mensa ista nec viles, nec veteres panes habet, quia sicut duritiam vetustatis in panibus non nouit, ne errore putrescant, sic vtilitatem materiei respoit, ne vanitate sæculari sordescant. Neque enim vltra septenarium gratiæ panes in mensa morantur ne sine gratia loquaris, nec nisi de simila conficiuntur, ne veritatem falsorum commixtione adulteteris. Regulariter namque in Sabbato ponuntur, & in Sabbato sumuntur. Quando enim verbum Dei prædicandum est, nisi cum vacat & auditoribus audire, & prædicatoribus docere?

F Non Sabbato ponit panes qui euangelizat non recipientibus verbum Dei, qui loquitur in aure non audientis. Non Sabbato ponit in mensa panes, qui sanctum dat canibus & margaritas ponit ante porcos. Non Sabbato ponit panes, qui non attendit quid loquatur pro materia, cui pro persona, quando pro tempore & causa, quantum pro negotij sufficientia. Sicut autem ille peccat confessione, qui non discernit ista, vtique sic ille præcipitatione qui ante Sabbatum sumit panes, qui loquitur ante meditationis decoctionem, ante appetitus requisitionem, ante famis deliberationem, ante stomachi euacuationem. In Sabbato tollit panes, qui dat escam pullis coruorum in tempore opportuno, qui librat sensum propositum & vtilitatem audientium, sensui aptans loquendi materiam, proposito temperans modum, vtilitati subministrans congruum finem & principium. In Sabbato pone panes in mensa, vt illustrante gratia sermones inchoes, in Sabbato tolle panes vt eadem cooperante fructum sermonis ipsi gratiæ re- G signes; Thus denique panibus superpone, vt deuotionem non fauorem quæras, vt sanæ doctrinæ bonum odorem tam in moralibus dictis quam in mysticis respergas. Cùm sermo tuus gemitibus & suspiriis castis desideriorum euaporationes quasi quodam remigio alarum ad Deum euehit, incensum panibus propositionis superposueris. Bene itaque olet mensa in spe futurorum, bene pascit in re præsentium, cùm merito fidei iustitiæ & charitatis, cùm de crassitudine præsentis iustificationis impinguat ossa humiliata, & de remuneratione futura odore bono attrahit sancta suspiria.

Hæc omnia in mensa memoriæ exponuntur, si fuerit de lignis sethim, ne corrumpatur obliuione, si duret continua viuacitate, nihil de sensu amittens, nunquam se extra fundens. Habeat duos cubitos in longitudine memoria vt sit tenax malorum suorum ad deflendum, & bonorum vt grates Deo rependat. Habeat cubitum & semissem in latitudine, vt in vno cubito latitudinis, H Dei ad se perfectam dilectionem intelligat, in dimidio suam imperfectionem & præuaricationem recolligat. In vno cubito creationis beneficium, in dimidio casus sui præcipitium, in vno redemptionis pretium, in dimidio diffidentiæ quorundam barathrum, qui nec redempti redemptorem diligunt, nec liberati exire voluint. Habeat quoque in altitudine cubitum & semissem, vt in vno cubito memoria caput nostrum iam perfecte glorificatum agnoscat, & in dimidio membrorum CHRISTI illam participationem animaduertat, quia cum capite suo pars quædam regnat & alia pars adhuc in peregrinatione ista militat. In vno retineat, quia iam liberata est Ecclesia in Sanctis carne exutis, à necessitate, à miseria & à peccato; in dimidio, quia in peregrinantibus à necessitate tantùm & non à miseria neque à peccato. Hæc de longitudine, latitudine & altitudine mensæ quæ est memoria nostra dicta sunt.

Sequitur: Et deaurabis eã auro purissimo. Cùm à facie memoriæ fuerint errorum caligines, illecebrarum sordi-

dissinæ

A dissimæ palodes detersæ, tunc deaurabis eam si Scripturæ sacris & puris intellectibus illam innexueris, vt sanum sapiat, vt verum intelligat, vt clarum videat. Excludantur vanæ cogitationum lenocinationes, nouæ phantasmatum illosiones, fictæ imaginationum recordationes, ne occupetur memoria in luto, sed honestetur in auro, ne vilescat in cœno, sed fulgeat in cœlo deaurato, purissimo auro veteris, & nouæ legis. Vide mensam memoriæ deauratam. Memoria iusti cum laudibus. Item, in memoria æterna erunt iusti. Quæ ergo eum laudibus est, quæ æterna est, deaurata est. Illorum verò memoria deaurata non est, de quibus dicitur: Periit memoria eorum cum sonitu.

Sequitur: Facies illi labium aureum per circuitum. Vnum debet esse verbum cordis, & verbum oris, vt purum lac cogitationis emulgeatur vbere locutionis, non degenerans colore optimo, non sapore bono, non liquore vero. Coloratum sit verbum tuum veritate; soporatum bonitate, liquefactum charitate. Totum hoc & in omnibus & in singulis verbis fit, vt sit omne B verbum mendax * de simplicitate, sit bonum de vtilitate, sit charitatiuum de affectione. Hoc est labium aureum per circuitum mensæ, cùm memoria cordis talia ori ministrat, quibus & occulta facies secretorum nostrorum cum luce ad publicum prodeat, & locutionis officium cuius vtilitatis causa constitutum sit declarat. Perniciosum quidem esset, si innumerabilis & indomabilis reuolutio cordis iam omnibus pateret, tum propter pudorem verecundiæ, tum propter seminarium discordiæ. Quis verò humanum visum ac tam incomprehensibiliter commaculatum gremium cordis patienter admitteret? Certè aut nimia suffusione ruboris succumberet homo, aut assiduitate mala contemneret, aut turpitudine illecebrosa videntes inficeret. Hac itaque ratione occultanda fuerunt cordis consilia & arcana. Rursum si perpetua obstinatione clauderetur & occultaretur voluntas hominis & coagulum humanæ societatis deperiret, & fomentum malignitatis æternum C silentium esset. Quomodo autem amicum diligeres, quem amicum & fidelem nullatenus intelligeres? Vtilitatis ergo nostræ fuit, vt verbum in corde lateret, & in ore patesceret. Sed ne duplex sis, labium, ne dolosus, aureum, ne infidus & instabilis per circuitum debet fieri. Labium simplicitatem confessionis; aureum puritatem intentionis, circuitus integritatem actionis designat.

* l. verax.

Sequitur: Et ipsi labio coronam interrasilem altam digitis quatuor. In Euangelio coronam facit Dominus labio aureo cum dicit; Qui me confessus fuerit coram Domino, &c. Labium aureum est confessio Martyrum; quia sicut aurum inter cætera præfulget metalla, sic fides & confessio igne percussionis examinata & pretiosior de patientia, & fortior de constantia, & clarior de pœna & sublimior de contumelia. Auget enim pœna aucta claritatem, constantia probat fortitudinem, patientia ponderat quantitatem pretij, contumelia multiplicat honorem. In pœna persecutoris D atrocitas; in constantia Martyris longanimitas, in patientia benignitas; in contumelia humilitas. Forte ideo corona alta digitis quatuor dicitur, quia secundùm altitudinem meritorum, surgit remuneratio præmiorum, vt quasi tot digitis crescat corona, quot cruciatibus contorta est caro in pœna. Sicut etiam labio aureo in confessione peccatorum coronam interrasilem altam quatuor digitis imponit; cùm primo digito malam voluntatem emendat, secundo peccata sua accusat, tertio lauat, quarto virtutibus commutat. Primo digito IESV eiecit Dæmonia, secundo scribit in terra, tertio in lapide, quarto in corde. De primo, Si in digito Dei eiicio Dæmonia. De secundo, Inclinauit se IESVS & scribebat in terra. De tertio, Scripsit in tabulis lapideis decem mandata legis. De quarto, Scribam leges meas in cordibus eorum. In primo gratia præueniens & operans, in secundo gratia adiuuans & cooperans, in tertio mandatum iubens, in quarto liberum arbitrium gratiam sequens. E In primo Deus sine adiutorio, in secundo liberum arbitrium cum Deo, in tertio Dei admonitio, in quarto mandati impletio. In primo liberat compeditos, in secundo adiuuat solutos, in tertio illuminat cæcos, in quarto consolidat paralyticos.

Hi sunt quatuor digiti ad quorum mensuram corona interrasilis extenditur, quæ labio aureo superponitur, quia quicquid Scriptura promittit & memoria de Scripturis retinere potest, nec minùs habet nec ampliùs vel in spe, vel in re æterni brauij. Parum namque est habere gratiam operantem & cooperantem, siue mandatum iubens vbi liberum arbitrium seu voluntas nostra non sentit, & satis est vbi obediendo consentit, & nolendo efficaciter legem facit. Interrasilem vero coronam facit, quia nullum sine gratia meritum, & quia nunquam sine libero arbitrio potest * meritum. Nam meritum principaliter à gratia, secundariò est à libero arbitrio. Interrasilis est corona, quæ si attendis liberum arbitrium, rasa est & rara, sed plena sed tota. Gratia quidem sola coronam posset dare, sed maluit cum F libero arbitrio meritum præparare & meritis coronam reddere. Quod corona est, Dei est quod interrasilis nostrum. Si homo non peccasset corona interrasilis non esset. Non enim corona angelica interrasilis est, quæ de capite illorum nulla offensione corruit sed humana interrasilis est, quæ per peccatum cecidit & per gratiam redit.

* f. esse.

Sequitur: Et super illam alteram coronam aureolam: Euangelico stabulario cui semiuiuus traditus fuerat ad curandum dictum est; Si quid supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Communem meritorum legem transiliens impetus spiritus, semper de inscrutabili promissionum profunditate rimulas in corde nouas effodiens nunquam dicit sufficit. Nouum enim saporem in Deo qui nostro desiderio in proposito religionis non senescit nec tepescit. Cùm ergo gloriam virium suarum excedens, non in suis, viribus sed in Dei virtutibus, jam non pedem sed pennas vrget, ad coronam aureo- G lam festinat, vt qui præoccupauit non iussa facere audeat, non sperata capere; plus enim quam petimus aut intelligimus dat nobis Deus. De corona aureola dictum est; Qui potest capere capiat, vt quia mandatum de virginibus non habet Apostolus, de impleto consilio sine mandato sobinnuat restare coronam aureolam supra generale promissum & vincat præmio qui vincit merito. Qui fide sæculum vicerunt quot passibus alios præcesserunt ætate, sexu, professione, passione, castitate, charitate, & cursu cæterarum virtutum, altiùs ad coronam aureolam euolauerunt.

Sequitur; Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones in quatuor pedes. Memoria quatuor habet circulos aureos, quatuor angulos, & quatuor pedes Vno pede vtitur memoria ad illa quæ quidem transierunt, sed adhuc in ianuis stant, & non longè excesserunt; alio, ad remota quæ longiùs à præsenti cognitione secesserunt; tertio ad remota quæ longiùs H à præsenti cognitione secesserunt; tertio ad remotiora, quæ non nisi cum magno studio recogitari possunt; quarto ad remotissima quæ non nisi librorum lectione & antiquorum relatione reperiri possunt. Vel vno pede terit terram, alio ambulat super aquas, alio volat in aëre, quarto ascendit super pennas ventorum in cœlo. Humiliatur in primo, compungitur in secundo, accenditur in tertio, exaltatur in quarto. In primo cum peccato nascitur, * in tertio resuscitatur & iudicatur, in quarto glorificatur. In primo natiuitatis IESV recordatur, in secundo baptismatis, in tertio transfigurationis, in quarto ascensionis. In primo reatum originalis culpæ, in secundo absolutionem, in tertio iustificationem, in quarto glorificationem recolit. Vel vno pede circuit corpus inanimatum, tertio spiritum creatum, quarto spiritum incircumscriptum. Vno pede incedit prudenter, alio fortiter, tertio iustè, quarto temperanter & sobriè. Vno pede historiam, alio allegoriam, tertio moralitatem, quarto ana-

* f in 2. iudicatur, in 3. resuscitatur,

A gogen requirit. Hæc de quatuor pedibus mensæ.

Quatuor quoque circulos habet aureos, vt humiliter audiat Doctores, fideliter & firmiter retineat, sensum & ingenium vehementer exerceat, noua de veteribus cum lucro excutiat. De primo Salomon; Audi fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. De secundo, Liga eam in corde tuo iugiter. De tertio Psalmista: Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum. De quarto, Dominus in Euangelio reprehendit seruum pigrum; Quare, inquit, non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? Circuli isti aurei sint, ne sæcularis doctrina te occupet, quæ tanquam lutum æstimabitur in comparatione veræ sapientiæ. Quæcunque enim doctrina aut mores non componit, aut fidem non instruit, aut charitatem non accendit, vana est nec vt aurum ditat, sed vt lutum sordidat. Morales denique circuli sint obedientia vsque ad mortem, charitas vsque ad sanguinem, B castitas vsque ad carnalium desideriorum mortificationem, humilitas vsque ad extremam dilectionem. In circulo obedientiæ reuocamur, in circulo castitatis reformamur, in circulo humilitatis exaltamur. Non scindat circulum obedientiæ inobedientia, non contaminet circulum charitatis inuidia, non contaminet circulum castitatis immunditia, non rumpat circulum humilitatis superbia. Aurei ergo sint circuli isti, vt pro vera non pro vana gloria obedias, diligas, castiges & humilies animam tuam. Hoc de circulis. De angulis vero memoriæ satis arbitror fuisse dictum, vbi de angulis arcæ tractauimus.

LIBER.

C ### *PETRI CELLENSIS ABBATIS, de Conscientia: ad Alcherum Monachum.*

CHARISSIMO suo fratri Alchero monacho Claræuallis, frater Petrus Cellensis, salutem & conscientiam bonam. Religiosa mens, religiosa curiositate quærit de religione conscientiæ vt sciat; immò vt habeat conscientiam bonam. Amplector quæstionem, magis quidem vt discam quàm vt doceam. Reuocatus siquidem tua quæstione ab euagatione mundani circuitus, quæstionem mihi de quæstione facio. Aggredior proinde fodere cæcus & mendicus in altum sicut talpa quærens venire ad lucem conscientiæ, quamuis caream lumine scientiæ. Miro enim modo bestiola illa manibus & pedibus, immò manibus & pedibus reiicit oppressionem ponderis, & caliginis appetens aëris libertatem, & fortè lucem etiam sine luce oculorum. Eatenus equidem & ipse latibulo vmbrosæ negligentiæ captus, parum pensabam quàm iocundum sit erumpere in lucem & libertatem conscientiæ. Scalpello autem instantiæ quærentis quid sit conscientia, D vena cordis incisâ, vndecumque vocaui viuum sanguinem venarum totius meditationis, vt de sanguine defæcatæ contemplationis, & stylo commendaret seu commodaret cor quod sufficeret scribenti & sibi retineret vnde viueret. Tunc enim vtiliter scribitur, cùm de tractatu suo & vita propria emendatur, & aliena conscientia nihilominus instruitur. Nec credendum quod semper vena cordis euacuetur perniciosè, cùm piè inciditur, quin potiùs de effusione charitatis commodiùs fluit & libentiùs.

Partito itaque labore operis, quod à te iniunctum suscepi, hic meam magis erubescere cœpi putrefactam conscientiam in operibus mortuis, vnde tuam aliorumque Sanctorum qualis sit vel esse debeat ex libris sanctis studiosiùs inuestigaui. Rem verò difficilem & grandem pro tarditate ingenij, breui vnoque sermone non potui expedire, & idcirco in prolixitatem excessi. Aliud quoque me protrasit in longum sermonem, vt saltem tamdiu ad se includeretur conscientia, quousque legeretur vel tractaretur de conscientia. Peruttile namque E est conscientiam lentis & diuturnis confricationum meditationibus ad seipsam confouere vt læta quiescat, vt fœcundè incalescat, vt sole lustrata & illustrata seipsam in seipsa recognoscat. Putas si se agnosceret pulchra inter mulieres, quòd deinceps post vestigia gregum à se abiens paludosa itinera incederet, & hœdos lasciuæ carnis pasceret? Putas quàm ægrè relicta dulcedine & pinguedine sua, inter ligna syluarum veniret, si quanti boni sit conscientia, deuota & Deo grata cognosceret? Putas vel ad punctum abstinere amplexu sponsi patientèr ferret, si verba tenuisset? Sed misera, sed cæca, sed stulta quia amplexatur stercora, quia amat tenebras, & quod miserius est, quærit etiam miseriam cum miseria. Nam quod in mundo sublimius, hoc miserius est & miserabilius.

F Sed ab ista miseria ambitionis, illa non illam quæ in itinere obsistit, miseria retrahit difficultas, quia non miseria æstimatur, sed fœlicitas. Fallax gratia & vana pulchritudo magnæ meretricis in calice aureo bibentis. Reuera autem infœlicior est illa miseria, quâ anima interficitur, quæ est prosperitas stultorum, quàm miseria qua corpus exarcerbatur, quæ est pœna malorum. Vtriusque autem miseriæ stimulû bona conscientia non sentit. Itinerariam miseriam non sentit quia egreditur ad vitam illam malam quæ ducit in infernum. Mansionariam nihilominus euadit, quia clausit ianuam quâ ingreditur mors ad animas nostras. Sicut enim egredi recusat, quia leo in itinere est: sic ianuam pandere vitat, quia coruus in fenestra est. Abhorret autem æquè & nigredinem corui & ferocitatem leonis. Nigredinem ne dedecoretur, ferocitatem ne deuoretur. Forsitam inquiens absorbuisset nostram pulchritudinem macula corui, vel teneritudinem, gula leonis, nisi Dominus adiuuisset nos, ne diluuium expositum immergeret, & malam bestiam de itinere tollendo, ne Ioseph ad fratres venientem deuoraret. Docet in Euange- G lio Dominus quomodo claudere se debeat intra se conscientia dicens; Intra inquit, in cubiculum tuum, Quod est cubiculum tuum, nisi conscientiæ secretum? Quod ostium nisi os tuum? Cùm itaque oraueris, intra cubiculum tranquillæ & quietæ mentis, vbi est Dominus qui habitat in Sion, & in pace factus est locus eius, atque ibi loquitur ad cor Ierusalem.

Intrat, inquam, in cubiculum vt voce sua cor claudetur ad Dominum, clauso ostio exteriorum sensuum Vox enim illa quæ non per arterias gutturis aërem illum molestat, sed secreto itinere spiritus in spiritu & veritate Spiritum sanctum pulsat, efficacior est in petitionibus suis, & statim cùm auditur, exauditur. Auditur autem sine pulsu soni, quam citò mouetur affectio cordis. Affectio enim si Deo & sibi concordat, concentum cœli in harmonia sua delectat. Cantat & Deus psallit immo exultat. E contrario quidam qui quotidie orant & cantant in aliis linguis & labiis & ideo non H exaudiuntur, cum indignatione Angelis dicunt, Cantauimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non plorastis. Quasi diceret; Nec prosperitatibus nostris congratulando affuistis, licet quotidie in oratorio decantaremus, nec molestiis nostris compassi estis, licet vsque ad lachrymas compungeremur. De huiusmodi enim lachrymis, quæ simulatione funduntur vel cum impuritate in Propheta legitur: Lachrymis vestris polluistis altare meum. Potius enim lachrymis suis polluitur conscientia, quàm abluitur, quæ in delectatione peccati simulatorias effundit lachrymas, nolens peccatum deserere, sed sic flendo redimere & iterum peccare. Ita etiam dictum est de oratione Iudæ; Fiat oratio eius in peccatum. Conscientia itaque puta & saltare, id est congaudere sibi facit Angelum cùm cantauerit, & plorare, id est, compati cùm lamentauerit. Gaudium est enim Angelis in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente. Item alias scriptum est, quia Angeli pacis amarè flebunt, videlicet super pœnitentes compatientur.

A Ecce quanti est conscientia bona. Soror Angelorum est, sed certe adhuc dum pendet ad vbera Ecclesiæ parua, quia vbera nondum habet angelicæ perfectionis; quæ cùm habuerit, veniet etiam vsque ad contubernium Dei. Conscientia bona titulus est religionis: conscientia bona hortus est deliciarum; conscientia bona est arca fœderis, conscientia bona est scyphus Ioseph, in quo augurari immò inebriari solet: conscientia bona thesaurus est regius, conscientia bona est aula Dei, conscientia bona est liber signatus & clausus, conscientia bona est quidquid delectabilius, quicquid pulchrius, quicquid honestius, quicquid vtilius, quicquid iocundius, quicquid melius, quicquid salubrius potest dici vel cogitari. Vnicum & singulare apud pias mentes futuræ beatitudinis, pignoris vinculum conscientia bona. Nescit vaga de mutetonis instabilitate circumferri. Infra se reputat quicquid sensualitati obscurum vel blandum se offert. Clara est etiam quæ nunquam marcescet conscientia, atris nubibus non obumbiatur: B sole torrido non exuritur, pestilentiâ non inficitur; vago recursu stellarum non relabitur. Ploret mundus, rideat, omni volubilitate circumrotetur, ardeat, pereat, transeat, nunquam marcescet conscientia. Subigatur ergo corpus in pœna, ieiuniis maceretur, verberibus lanietur, eculeo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affligatur, quid ad conscientiam? In pelle morticina potiùs scribuntur ista ad meritum coronæ, quàm infliguntur pro delicto culpæ. Et quæ proinde ad conscientiam molestia?

Quò, inquit, conscientia tortor maligne acriùs pungis, eò decentiùs pingis pellem carnis meæ quæ est vna de pellibus Salomonis. Punctura tua est mihi pictura. Cedo ergo pellem, vt pingas cum pungis; pungendo enim & pungis & pingis. Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro conscientia sua. Extendis in supplicio pellem sed tunc magis apparet figura picta. Glorior de amictu vario. Quando denique vermiculatas C aspicio plagas, quando candentia lilia, quando rosam de spina, quando studia singularum virtutum singulas depingunt mansiones cœlestium cellarum; quid gloriæ, quid gratiæ tunc præ gaudio superebullit conscientia? Vtinam tanquam pauimentum substerneret illa hora illi conscientiæ. Quas tunc, ô Deus, refocillationes ore sacro caperet ieiuna anima, quas eructationes reciprocaret impinguata & dilatata conscientia? Vellet, nollet, non se teneret à coruscatione mirabilium quæ facit Deus sibi, sicut non poterat se continere Ioseph plenus musto pietatis & compassionis. Inuideretne aliis huius in omni conscientia gratiam suam? Sed cum inuidia tabescente, ictum non habet. Est-ne difficilis, & quam pia sollicitudo adire nequeat? Sed facilè videtur ab his qui quærunt illam. Tardatne aperire vt tedio affectus resilias? Sed præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Est ne pigrum ire ad illam? sed ad te veniet. Qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit. Adsistentem enim illam D foribus suis inueniet. Quid plura de conscientia dicam? Vnum dico, quia cogitare de illa sensus consummatus est, etiam qui vigilauerit ad illam semper erit securus. Saluâ reuerentiâ sapientiæ, vtilius est currere ad conscientiam quam ad sapientiam, nisi sapientia sit quæ ædificet conscientiam.

al. Ostendit

al. Esne piger.

Sed æquis passibus ad mentem veniunt sapientia, & conscientia vt nunquam veniat sapientia sine conscientia, nunquam conscientia sine sapientia. Ad quem finem nihilominus incessu proportionali vtraque & sapientia scilicet & conscientia tanquam vehiculum proprium animam deducunt, ex libro Sapientiæ à quo iam multa accepimus, videamus. Sic autem vtranque ad inuicem copulamus, vt quod de vna dicitur ad aliam transferatur. Dicitur autem in libro Sapientiæ; de initio & de fine Sapientiæ sic; Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia. Cura ergo disciplinæ, dilectio est, & dilectio custodia legum eius est. Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est. Incorruptio autem facit proximum esse Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Ecce currus E igneus & equi ignei, & auriga Deus quo deferunt non amphoram, sed animam, ad regnum vtique perpetuum. Desideras regnum & præcipue perpetuum. Attende & ascende non cursu præcipiti & inordinato vt Sathan, qui sicut fulgur de cœlo cecidit in gehennam, sed sicut aurora solis consurgens & crescens vsque ad perfectam diem. Apprehende itaque disciplinam vbi cæduntur & dolantur ligna cedrina. Si enim extra disciplinam estis, ait Apostolus, ergo adulteri & non filij estis. Cæterà verò disciplinæ conquadratus & coaptatus, fabricæ ciuitatis quæ in quadro posita est, in latitudinem, longitudinem, profunditatem & altitudinem charitatis deductus, apprehende & tene ipsam dilectionem. Qui autem diligit, legem impleuit.

Est ergo dilectio custoditio legum. Quæ denique stipendia meretur, quæ mandata seruat? Si quis, inquit Dominus, diligit me, sermones meos seruabit & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem F apud eum faciemus. Sed venienti Domino oppone & expande palliolum incorruptionis, vt inuoluas syndone tali non iam corpus IESV, sed ipsam Trinitatis gratiam ad te venientem, & in te manentem. Quid autem tunc Regi sæculorum immortali inuisibili facies, immò quid ab eo accipies? Regnum profectò & diadema regni in capite tuo erit, denique & torques in collo tuo. Regna ergo in regno conscientiæ, nec non & sapientiæ. De his hactenus: Epistolam istam præ foribus libri de conscientia volo appendi, vt delibatione ista prægustata vel respuat lector, si malè sapit quod dicitur, vel auidiùs penetret interiora velaminis, infra quod continentur plura, non solùm de conscientia, sed etiam de corde purificando, non vsquequaque inutilia. De emissione namque cordis, de retentione, de effusione, de solutione, de amissione, de reparatione, de recuperatione, breuiter quædam subter annotata sunt.

Supputare anni & familiæ alimenta tam est optimi G viri & prudentis, quàm viuere non accidentaliter, sed lege certa & iusta. Vile enim opinioni bonæ & onerosum est, siue de manu, siue de mensa alterius pendere. Numerato itaque & apud se reposito sumptu temporis subsequentis, iamiam futuræ quietis solatia prælibare incipit homo prudens, non casu fortuito vitam acturus, sed securitate læta & probata. Tempora proinde & temporum confert ad inuicem congrua subsidia, ne si vacuum viatico suo tempus anni successerit, inopia redarguat hominis pigri inertiam, & cùm pausandi debeat inuenire otium, incurrat famis tormentum. Properat denique extinguere molestias exactoris quotidiano rugitu intestinorum substantiam deprædantis, dum vniuersaliter rerum omnium abundantia redundans excludit angustiam mensæ & messis, vt sit mensis ex mensæ continuatione frugalitatis, & Sabbatum ex Sabbato conterminatione gaudij & otij. Rimatis igitur internorum penetralibus & mentis recessibus exploratis, quæ H in conscientiæ apothecis expensa sustentationibus animæ nostræ in generatione & generationem perpenditur, exemplo non dissimili nec minori sollicitudine instare debemus, vt sciamus quæ sunt sufficientia, & quæ destituant sufficientiæ plenam & perfectam mensuram.

Animaduerto proinde his te bone amice & sancte monache Alcheri, sollicitum studiis, circa animæ tuæ res familiares cùm non solùm de agris sanctorum Doctorum fertilissimis cibum quotidie, immo cibaria colligere spiritualia non desistas, sed etiam ad tenuissimum nostræ paupertatis promptuarium manum porrigis, à paupere non pauperem postulans stipem, videlicet conscientiam. Et quomodo dabo quod non habeo. Certè non habeo conscientiam nisi pannosam & paludosam, quam si contingis manus contaminabitur, quam si aspicias oculus pudorabitur. Tutius igitur latibulo suo conturabitur, ne de sepulchro euaporationes emittens nebulosas & fœtidas pestilentiæ conflagret incentiua, & non solùm non excitet ad vitam in

morte

A morte malæ conscientiæ torpentes, sed adhuc palpitantes quantulæcumque vitæ conscientiæ bonæ infectas extinguat. Surgam tamen & ibo ad amicum, cuius iam clausum est ostium, & pueri cum eo sint in cubili & dicam ei; Amice, commoda mihi tres panes, vt sciam quæ sit bona conscientia, quæ mala, quoniam amicus meus frater Alcherus venit de via inquisitionis ad me, quærens quid sit bona conscientia, & non habeo quod ponam ante illum.

Igitur de acceptis ab amico iam repono, & de conscientia tractare incipio. Omnium autem tractandorum doctrina ita euidentior fit ad capiendum & facilior ad retinendum, si sub oculis compendiosa copulatione simul tota materia vnde tractandum est; vel sigillatim eius partes tam manifesta distinctione quam certa diffinitione subiiciantur. Hanc namque à Doctoribus formam agendi in tractatuum compositione traditam, alij nobilius pro facultate boni ingenij exercent: alij obscurius pro tarditate sensus parum exercitati in stylo suo interpretantes, inceptam materiam posteriorum intel-
B ligentiæ mandauerunt. Proinde neutras istorum partes assecutus meam ipse admiror præsumptionem, immò temeritatem, quod litteras sine litteris ordinatè aggredior, quod tractatoris officium iam infamino, qui nec lectoris ministerio sufficio. Vnum verò illud est quo ipse & me apud memetipsum excuso & aliorum redargutioni satisfacio, quia non importunitate propria, sed charitate admonitus fraterna huic me operi destinaui, & nescio si vtiliter, scio tamen quia humiliter à bono & sancto viro mihique dilectissimo onus iniunctum suscepi.

Quid sit Conscientia, & vnde dicatur.

DE conscientia igitur rogatus sum tractare, & non qualem habeo, sed qualem habere debeo dicere. Nec enim vnius generis est omnis conscientia, vt scilicet quicumque habent conscientiam, eandem se cre-
C dant habere innocentiam. Assignandum ergo est quid sit conscientia, & vnde dicatur, deinde quantum ex aliorum occultis datur reminisci vel ex scripturis intelligi, velut partes immò species quasdam conscientiarum subinferam, & vt gratia donauerit absoluam. Primùm tamen lectorem nostrum admonitum esse volo in his litteris non scientiam quærere, sed conscientiam, habeat alias copiam lectionis, siue diuinæ apud nostros, siue propheticæ apud naturæ inquisitores domesticos ad eruditionem scientiarum, habeat hanc membranulam ad inuestigationem & informationem conscientiarum. Quid itaque sit conscientia, non diffinitione, sed quadam descriptione videamus. Conscientia est sui ipsius scientia vel de bono præsumens, vel de malo diffidens. Fit autem planius quod dicitur sui ipsius conscientia, si hoc requiratur de nominis etymologia.

Est autem etymologia huius nominis talis, conscien-
D tia est cordis scientia. Videtur fortè secundùm hanc etymologiam non aliud esse conscientiam quàm scientiam. Nam cordis scientia est, siue quod in corde est, ad concipiendam forinsecæ prophetiæ disciplinam, siue quæ de corde intelligendo in corde melius moratur & vtilius consecratur. Vtroque autem genere dicitur cordis scientia, sed altero tantùm conscientia. Dupliciter enim intelligitur cordis scientia, videlicet vel illa quâ se nouit in se & per se, vel illa quâ præter se etiam alia nouit ex se. Cor enim & se nouit suâ scientiâ & multa alia. Quando nouit se appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia. Denique de illa sapientia quæ in corde est dicitur, dedit Deus sapientiam in corde Beseleel ad facienda omnia opera siue ex auro, siue ex argento, &c. Item de quodam dicitur, quia sapiens corde est & fortis robore. Rursus de illa quæ ad se non ad alia habetur scriptum est: Vtinam det mihi Deus dicere hæc de sententia. Item, Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Multi

E proinde quærunt scientiam, pauci conscientiam. Et si fortè tanto labore & sollicitudine quæreretur conscientia, quanto sine dubio vana & sæcularis scientia & verius apprehenderetur & fructuosius retineretur. Si enim non longè à se penetret & se, intra seipso ducture cum gratia inuestigans, quid mirum si inueniretur? Immò mirum si inuenire aliud in se quàm se posset, nisi fortè ad suam animam operante gratia inclinatam Dei imaginem occuparet. Et si hoc esset, quid esset? Quid enim est creatrix imago in imagine creata, nisi sapientia in anima, nisi gloria in conscientia, nisi sanctificatio in area? Tunc enim se intelligit anima, tunc illustratur conscientia, tunc cordis impletur scientia, tunc in se Deum & in Deo mutua reuolutione recipit seipsam, imago creata.

Ad hanc animæ nostræ & verbi Dei refusionem, gratia vices operatur cuiusdam ministerialis vtique Dei, vt velit Deus in nobis infundi. Puritas verò suscipit præparate animam, ne verbi majestas recuset gremium cor-
F dis. Gratia deducit Deum ad hospitium nostrum, puritas satagit circa fidele obsequium. Gratia hospiti jam suscepto pocula infundit, puritas venientem excipit. Istæ sunt quæ lætificant animam justi, istæ quæ conscientiam gratam Deo exhibent Angelis & hominibus reuerendam, sibiipsi pacatam & quietam. Hæ sunt duæ oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum. Duæ quidem sunt oliuæ, vna qua compassione miseriarum nostrarum reflectitur sublimis ille oculus majestatis, ad sterquilinij nostri lamentabilem ægrotationem, altera qua intestinorum corruptæ cicatrices resperguntur, & oculus faciei nostræ conturbatus ad medelam inungitur. Duo nihilominus candelabra, vnum quo beneplaciti diuini voluntas nostris mentibus suggeritur, alterum quo remunerationis majestas spei nostræ obtutibus jam offertur. Conscientia quæ his duabus candelabris clarificatur, bona est & crassa & clara apud Deum & homines. Bona simplicitate, crassa charitate, clara castitate.
G

Descriptio quædam conscientiæ sub imagine cujusdam mulieris.

DE cuius habitudine vt ibi exemplum faciam, non sub errore idololatriæ, sed sub specie euidentioris doctrinæ, tale quid in animo finge quod ad pietatem deuotionis mentem compungat, & de visibili exemplo ad inuisibilem contemplationem animam accendat. Pone itaque mensam varietate & plenitudine diuersorum ferculorum refertam. Constitue Regem in diademate suo coronatum & omni triumphali sublimitate insignitum, in capite & principaliori loco residere, cui manus adsistentium & ministrantium tam ad cibum quàm ad potum sedulissima sit. Sint vasa aurea & argentea in omnem vsum, sint & pocula melle condita, sint ad nutum obedientia palato & gutturi, quæcumque fuerint apposita Cithara & lyra & psalterium, auditus conuiuan-
H tium, suis reficiant modulationibus. Vestes ibi regiæ, incessus iuuenum & adolescentularum compositi, mores honesti, & in tota familia summa æquitatis censura, ad vnguem componat omnia vsque ad minimum motum. Hinc inde tapetia siue pallia opere plumario seu polymito contexta. Lectulos floridus; laquearia cypressina. Quid plura? Dispositissima ordinatione ordinata omnia, ita vt nihil desit ad cultum aut supersit ad tædium. Vacet tamen interim locus præ aliis spatiosus, reginæ & matrifamilias singulariter præparatus. Fortè occupatione à diuersorio occupata, solemnia Regis, morâ sui aduentus Regina illa differat. Omnium interim & vultus & singultus, sedis illius repletionem exoptent. Tandem veniens mulier, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur & residens claudat ianuas, & impleantur nuptiæ discumbentium. Scrinia mystica ad vltimum quæsita & reserata nomen edicant in aula, & conscientia appelletur hæc domina. Petente autem sedem paratam à sæculo conscientia & residente,

A vna sponsi auditur satisfaciens vniuersæ curiæ de sponsa: Vna est, inquit, columba mea, vna est, matri suæ, electa genitrici suæ. Vna proculdubio est conscientia propter fidei vnitatem & propositi immutabilitatem: columba est propter simplicitatis mansuetudinem: vna est matri suæ propter charitatis perfectionem electa genitrici suæ propter charitatis decorem & pulchritudinem.

De forma Conscientiæ.

CVius pulchritudinis tenorem in habitu ipsius typicè legens, rursus tali descriptione mores eius subcingo, & per colorum varietates virtutum vniuersa membra distinguo. Est itaque proceræ staturæ propter perseuerantiæ longanimitatem, habet oculos smaragdinos propter castitatis perpetuum vitorem, nasum sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum, propter
B incursantium tentationum prudentem discretionem, genas subrubentes propter fraternæ oppressionis compassionem, labia fauo & melle redundantia, propter mystici eloquij suauitatem, manus tornatiles, propter obedientiæ perfectam operationem, pectus robustum, propter vigilantem instantiam aduersus dæmonum infestationem, calciamenta pedum æs & ferrum, ad quassanda capita draconum; coronam auream circa lumbos, ad restringenda incentiua libidinum. Induitur vestimentis quorum odor & fragrantia myrrham mortificationis, guttam humilitatis, & cassiam bonæ opinionis spirant. Vt autem caput retorqueamus ad pennulas diuini timoris & extremi iudicij, videamus quàm secura in specie & pulchritudine sua talis conscientia ad iudicium veniat, nec inopiam expauescens propter abundantem virtutum sufficientiam, nec sententiam propter matrimonij copulam, nec pudorem vel confusionem propter vestimentorum ornatum seu fragrantiam.

C

De securitate Conscientiæ.

IAm hyems præproperè fores præoccupans crudelis necessitatis quando nec arari poterit per meritum, nec meti per præmium hactenus non comparatum, longo immo æterno tractu duratura, negabit mendicare suffragium cuiuslibet intercessionis. Clausa enim erit misericordiæ ianua quæ modò patet; & etiam dilatat se vsque ad iudicij extrema tempora, clausa erit & effugij opportunitas & defendendi se omnis possibilitas. Sola conscientia inopum miseriam, si vnde manum impleat habuerit, consolabitur, sola refugium præstare poterit, sola à timore formidinis, & à facie maiestatis obstaculum præbebit. Cùm ergo cælum & terram ignis vindictæ & iræ Dei conflagrabit, & ab isto statu prorsus in alium habitum & figuram exportabit raptus homo in nubibus, si puram & integram secum detulerit conscientiam, nec tonitruorum concussionibus expauescet, nec fulgurum vibrationibus obstupescet: nec tubis angelicis in fugam corripietur, nec fulgore assistentis viuificæ crucis vel majestate residentis cornuti & oculari agni
D reuerberabitur. Leo rugiet, quis non timebit? Vtique qui cauernam conscientiæ circumseptam intrauerit. Leuiathan seu Sathan soluetur, quis euadere poterit?

Proculdubio qui interim conscientiæ sufficienter armauerit. Væ væ vndique audietur, & quis de securitate gloriabitur? nempe qui in pace de bello cogitauit, & qui fleuit cùm alij riderent. Sicut ebrius & vomens erit omnis qui calice babylonico seu aureo potauit mundi luxuriam vsque ad fæces mortis, & quis sano capite & ventre vinum sobrietatis & iocunditatis epotabit? Certè qui moribus impudicitiæ repressis animam & conscientiam suam castificauit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, vociferatione valida conclamabitur: & quis ascendet ad Deum, vt facies eius illuminetur? Nimirum qui non inquinauit vestimenta sua, vel qui saltem lauit ea in sanguine agni, vera confessione & integra cordis contritione. Non erit panis & aqua,
E & quis viuet sine pane & aqua? Sine dubio cuius est vita munda & pura conscientia. Horrea namque plena habet bona conscientia sicut scriptum est: Nihil deest timentibus Deum. Vniuersa namque instrumenta beatitudinis apud se retinet conscientia quæ Deum timet.

Habet deambulatorium veritatis, habet pratum siue hortum voluptatis, habet puteum cordis profundi, habet vbi in idipsum dormiat & requiescat habet mensam altaris, habet templum castitatis, habet focum seu caminum charitatis, habet balneum confessionis, habet vestimenta satisfactionis, habet stolam immortalitatis, habet calciamenta imitationis Dei, habet annulum æternitatis. Quid ampliùs dicam? habet lunulam, torquem, discriminalia, periscelidas, mitras, monilia, & multa his similia, quorum interpretationes sunt morum bonorum optimæ informationes: quarum perfectio est plenitudo, vt sicut rota volubilis in quadrigis à quatuor equis velociter & cum impetu quo fuerit aspectus aurigæ præsidentis circumfertur: sic Dominus iustitia præsidentiæ * & regente totam animæ, in quatuor equis principalium virtutum, id est prudentia, iustitia, fortitudine, temperantia ad suam dirigat voluntatem. Certè conscientia cuius fræna ab anteriori parte trahit prudentia; à dextra iustitia, à sinistra fortitudo; posteriori, temperantia non discordi motu sed consono, ad cœlum tollitur clamans & dicens: Nostra conuersatio in cœlis est. Parum denique est bonæ conscientiæ esse in cœlis nisi & ipsa cœlum fiat. F

* f. præsidenti.

Quomodo cœlum efficiatur conscientia per verbum Domini spiritu oris eius.

EFficitur enim cœlum per inhabitantem spiritum eius qui fecit cœlum & terram, & habitat in cœlis. Verbo enim Domini cœli facti sunt & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Re vera hæc tria, scilicet verbum, Dominus & spiritus oris eius, creant, formant, & ornant cœlum conscientiæ: Dominus quidem creat; Verbum formant, Spiritus ornat. Simul tamen Trinitas hæc operatur, quæ à nobis in nobis secundum diuersa merita nostra singulariter distinguntur. Quæcumque enim Pater facit *. Sed ecce signato Trinitatis mysterio ad conscientiæ trinitatem vel trinam dispositionem intentionem nostram tractamus, Dominus timore suo conscientiam creat; Verbum Domini instructione sapientiæ confirmat, Spiritus oris eius donorum varietate exornat. Et nota hic quasi tres distinctione oculorum personas, id est seruum qui timet, magistrum qui docet, amicum qui diligit, & omnia amico communicat. Vtitur Dominus seruo, magister verbo, amicus honore & dono: Seruus præcedit ominum, sapientia emittit verbum, amicus præmittit donum. Sine seruo non est Dominus, sine verbo non est magister, sine dono non est amicus. Secundum majestatem Domini auctoritas serui, secundum sapientiam magistri doctrina verbi; secundum dilectionem amici, doni pretium. Si magnus Dominus, fidelis sit seruus, si magister sapiens, bona eloquia oris eius, si amicus diligens, pulchra bona & vtilia dona eius. Seruus domino omne lucrum suum adquirat, * nondum doctrinæ honorem magistro & vtilitatem comparet discipulo, datum donum vicissitudinem referat amico. G H

* deest aliquid.

Quod timor componat conscientiam:

INchoatur autem conscientia à timore, producitur & deducitur à subiectione, perficitur & consummatur in amore. Nisi timeat conscientia, facinus quodlibet attentat, vel perpetrat, nisi subjiciatur verbis veritatis, in elationis & mendacij ventum euanescit, nisi diligat quod diligendum est, caloribus semper vrgetur, & circa propositum sistitur. Fundamentum iacit timor, parietes construit humilis subiectio, tectum superædificat sublimis dilectio. Vel certè machinam huius ædificij

A timor componit, subiectio linit, dilectio pingit: & compositio quidem pertinet ad materiam cogitationum dolandam, leuigandam, in modum ad formam iustitiæ redigendam. De sylua enim motuum & phantasmatum nostrorum, idonea & habilia structuræ templi Salomonis ligna velut bona materia sunt eligenda, quorum natura suscipiat dolam disciplinæ à scientia increpationum. Timor ad ista omnia tanquam bonus accedit dolator, vt susceptam à corde, quasi à sylua, cogitationum materiam disponat eam, modò superflua resecans, modo distorta dirigens, modo, inæqualia ad æquitatis statum in mensuratione colligens, & inter se trabes, columnas, laquearia & reliquam structuram coæquans & compaginans. Clauillis denique siue clauis diuini timoris Propheta compositionem structuræ suæ configi optat cùm diceret: Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Hactenus de compositione quam timor facit & est quasi creatio conscientiæ, vt su-B periùs dictum est.

De linitione conscientiæ per obseruationem mandatorum.

NVnc de linitura siue temperamento mandatorum Dei, de quo in Psalmo dicitur: A mandatis tuis intellexi; cùm enim à timore ad mandata currimus quasi suppositæ compositioni linituram superinducimus. Mandatorum quoque adimpletio, & duritiam timoris exasperantis animam emollit, & valliculos imperfectionis complemento spei ad æqualitatem vnitatis & vnanimitatis conducit & vincula meliora sine mallei concussione ad sese lapides colligens interponit. Vnde & in templo Salomonis vt scriptum est, malleus & securis audita non sunt. Confirmat denique quæ erant ruitura, immo quæ iuxta Apocalypsim erant moritura. Instabile namque est quodcumque sine dilectione & manda-C torum obseruatione timor proposuerit. Ideo Scriptura dicit; Deum time, & mandata eius obserua. Ecce aliquis forte timore malorum suorum concussus ad cor redit, culpam & pœnam reatuum suorum in mensa apponit, numerat lapides tormentorum, ac de his incipit pœnitentiæ & conuersationis muros ædificare, vt saltem inter se & ciuitatem infernalem ponat sartaginem ferream, vel murum æreum aut laterinum.

De coctis enim lateribus, id est de correctis motibus, vel de lapidibus, id est de malis prioribus murum construit, qui ad seipsum conuersus veteres reatus in nouæ vitæ meliorationem corrigit. Sartaginem ferream inter se & ciuitatem interponit qui pœnitentiam certam, stabilem & duram contra carbones desolatorios æternorum cruciatuum opponit, Sed quis adhæc idoneus? Quis est cuius fortitudo, fortitudo lapidum, cuius caro ænea sit? In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, in carcere claustrali: in col-D luctatione carnis & spiritus, quis non succumbat, quis non deficiat, nisi Spiritus adiuuet infirmitatem nostram, nisi virtus supponat manum suam? Idcirco ait Dominus. Dum es in via cum aduersario tuo concorda, ne forte tradat te iudici, & iudex tradat te tortori. In via laboris & peregrinationis verbum sine timor Domini aduersatur concupiscentiis nostris. Cum quo facimus concordiam, si legem mandatorum implemus. Non est enim vnde timeas iudicem, si timeas legem. Secundùm namque legem iudex præuaricatores legum punit non obseruatores. Nam legis obseruatio iudicis est delinitio. Qui seruat itaque mandata minuit, immo linit timores, & confortat vires amandi & continendi. Et hoc de linitione verbi per temperamentum subiectionis. Sequitur de pictura dilectionis.

E

De pictura Charitatis in Conscientia.

VIui & veri colores charitatis, non volucrum, non quadrupedum, non sanctificas immo fanaticas imagines imaginis Dei signaculo exprimunt, sed conformitatem adoptionis filiorum & gratiæ reparatiuo genere pingendi per neruos & venas principalium virtutum in anima componunt. Pingit enim dilectio non stylo ferreo timoris, in vngue adamantino obstinati cordis, sed penniculo volitante ad supereminentem scientiam charitatis Christi. Quam pulchras & quàm decoras nouit depingere formas dilectio. Caput sphæricum & rotundum, sed aurum in statua sua charitatis pingit, quia intentionem puram & perfectam facit. Columbinos aspectus subiungit per innocentiam, manus tornatiles per eleemosynam, nasum apertum & recuruum per discretionis temperantiam, vbera plena per abundantiam gratiæ, pedes rectos per incessum mise-F ricordiæ, corpus totum plenum oculis, per circumspectionem industriæ.

Pingit trinum & vnum Deum in capite, pingit IESVM passum in oculis, pingit librum Euangelij in auribus, pingit flagella in dorso, pingit lanceam in latere, pingit totum corpus extensum, adeo vt ossa dinumerarentur, pingit acetum in potu, fel in gustu, pingit coronam spineam in capite, pingit velatum facie, pingit alapis cæsum, pingit mortuum, pingit Mariæ Magdalenæ in horto apparentem & confabulantem, pingit cum Apostolis conuescentem, pingit ad cœlos ascendentem, pingit ad dextram patris residentem & regnantem, pingit ad iudicium manifestè, cum potestate magna & maiestate venientem, pingit sinistris terribilem, dextris amabilem. Ecce sculptura, ecce pictura charitatis. Sed vnde illi vel quales sunt colores quibus immaterialis tam sublimiter animæ depingitur imago? Animaduerte vnde sunt colores & quanti sint, & affectuo-G siùs suscipies conformatas imagines.

Verminium siue rubeum habet colorem in sanguine, nigrum in passione seu in morte, viride in resurrectione & in ascensione, terrenum in conuersatione mortali, purpureum in vexatione assidui certaminis, siue cum hominibus, seu cum malignis spiritibus. Ecce colores. Sed vbi vascula, immo cornua vbi sunt in quibus seruantur colores isti? Quæ cornua iustitiæ colores continent, nisi cornua iusti? & quæ sunt cornua iusti, nisi corda iusta. Verum cornu in quo melius reponuntur ista, est illud modicum humilitatis cornu, de quo Daniel loquitur, quod factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem & contra fortitudinem. Verè humilis conscientia? quæ sicut cornu de carne quidem procedit, sed carnem fortitudine, duritia & longitudinis quadam prominentia excedit, grande efficitur contra Meridiem, quando vicerit calorem noxiuum libidinis, contra Orientem, quando inanem gloriam, contra for-H titudinem, quando omnem tentationem diabolicam. Virtus conscientiæ tanta in facie Moysi apparebat vt cornua habere diceretur, vt oculos reuerberaret insipientium exuberans sanctitas legislatoris. Est tamen subintelligendum, feruentis gratiæ velut musti noui impetus sanctorum pectoribus cohiberi carnis ponderibus, si lex cum gratia montem mentis conscenderit & totas tabulas descriptione mandatorum impleuerit. Sicuti etenim instabilis littera vel pictura mandatur ad informationem mentium, vel delectationem oculorum; sic in corde memoria bonorum cœlestium retinetur, vel ad meritum gloriæ, vel ad munimentum ipsius conscientiæ. Pœnitet autem meritum gloriæ, &c.

***

A

PETRI CELLENSIS TRACTATVS, de disciplina Claustrali.

Domino & amico suo HENRICO viro illustri, Frater Petrus humilis Abbas sancti Remigij Salutem, & omnem prosperitatem.*

* Henricus I. Comes Campaniæ.

LIBERTAS *animi nisi ex proprio arbitrio & adiuncto limosi corporis consortia infatuata fuisset, nequaquam pœnali disciplina qua plicat, planat & ligat, indiguisset. Plicat erecta, planat asperu & ligat lasciua. Plicat indomita, planat inæqualiu, ligat dissoluta. Plicat animum, corpus planat, vtrumque ligat. Plicat humilitate, planat æquitate, ligat religione. Plicat conuersione, planat confessione, ligat professione. Plicat palmitem in vite, planat tabulas cordis ad mandatu vitu, ligat pullum suum ad vineam, id est animum ad gratiam. Plicat denique taurum de suculo ceruicosum, planat camelum gibbosum, ligat bubalum sine onugrum. Vtroque autem, animo scilicet & corpore, in genere suo naturali bonitate priuato, cœpit vias explere pietas Creatoris, quibus resurciret damna tantæ temeritatis. Et quia causa tanti morbi inuenta est priuilegium iusitu libertatis, salubri artificio, regulari disciplina colligauit pennas deprauatu libertatis, & depressit collum temerariu præsumptionis. Quod itaque generali censura in vniuerso genere humano Deus disposuit, hoc in me factum benignissimu pietate expertus sum. Nam huc illucque postposita ordinis nostri maturitate vagabundus discurrebam, & sæcularia negotia, atque terrenas occupationes tanquam fures & latrones penè omnem religionis suppellectilem à me asportare negligebam: sed ecce manus Dei filias pharetra sua misit in renibus meis, & gutta arctissima renes meos congelauit, & domi consistere coegit. Sentiens itaque disciplinam de disciplina cœpi cogitare, cogitata describere. Quam patienter verò passus sum disciplinam, tam libenter & diligenter, & si non eleganter scripsi de disciplina Scripsit sanctus Augustinus vt Augustinus & vt Episcopus de disciplina Christiana: scripsi ego Abbas & Monachus de Claustrali disciplina. Ille vt gigas litteratissimus montes ceruorum & mentes humilium humeris suis gestat: Ego vt formica tenuissima grana non integra sed incisa traho ad tractatus nostri despectum tuguriolum, & præparo futuru fami & hyemi quantulumcumque viaticum.*

Claustralis disciplinæ effectus.

B

Quare auctor id operis confecerit.

C

Opusculum itaque nostrum de Claustrali disciplina nec stylo nec titulo solemni irradiatum argumentosa Philosophiu non ingreditur palatia, sed humili vultu formatur. Qua igitur fronte, Princeps Nobilissime, quinimò & ingenij subtilitate viuacissime, tibi ad legendum transmitto tractatum squallidum & pannosum? sed verbis oris mei illaqueatus malo argui de indocto, quàm de mendaci verbo. Legat itaque pius, & intelligens animus, attendens non formam verborum, sed virtutem sensuum: sicut enim plus est animi quàm decor corporis, sic in scriptura potius spiritus requirendus est qui viuificat, quàm litera quæ inflat, magis fructus places in arbore, quam foliu: vtrumque tamen bonum est, si vtrumque adest, sed pulchru sine fructu foliu potius sunt oculorum lenocinia, quàm stomachi subsidia. Apostolus reprobat speciem pietatis, vbi deest virtus charitatis. Dominus quoque veniens ad arborem fici quæ fructum non habebat, sed tamen folia, maledicit ei, & in æternum illam condemnat. Imploro Nobilitatem vestram ne in lectione ista attendatis quales sumus, sed quales esse debemus, nec lateat prudentiam vestram lucernam nostri ordinis in Israel prorsus non esse extinctam, sed Isaac oculos, quia senuit caligasse. Conquerenti Heliæ aduersus Achab & Iesabel, ac dicenti: Domine altaria tua suffoderunt, Prophetas tuos occiderunt, & relictus sum ego solus: Et quærunt animam meam. *Responsum est ei:* Reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genua sua ante Baal. *Sic certè, sic Domine & amice charissime, & si magna antiquorum Patrum virtus regularis nostris temporibus elanguit, non expirauit; etsi abiit, non obiit, etsi refriguit, non periit, qui quasi nihil sunt apud homines, plerumque tanquam lucerna despecta plurus sunt apud Dominum, quam qui aliquid esse videntur. Non excuso malos, sed prædico bonos. Præiudicium tollo, quia iudicium Dei expecto. Nostrum est honorare nomen Dei, non solum in sanctis, sed in peruersis. Nam quæcunque persona etiam vilissima, si sigillum vestrum portauerit, auctoritate nominis vestri suscipienda est & honoranda, non quia digna sit, sed quia digni sit. Sic plerumque dignus facit indignu dignũ, indignũ vtique propriè, dignum impropriè, indignum ex se dignum ex officij perfunctione. Nolo vt mihi in aliquo parcatis vbi excessi: rogo etiam vt non legatis cum fastidio, sed statim vt cœperit onerare mentem, de manu vestra proijcite, & si placuerit alias resumite, aut si displicuerit, reclusum perpetuis tenebris condemnate. Pauperes & gloriosi homines paupertatem veraciter sustinentes, & inutiliter gloriam affectantes, ad contegendam paupertatem, & gloriam comparandam, solent oras chlamydis suæ aut pretiosis, aut speciosis pelliculis superuestire, non ad vtilitatem, sed ad curiositatem intuentium respondentes. Sic ego ipse, quia huic nostro operi pro inopia nostra deerat pretium sententiarum & decus verborum, titulum nominis vestri anteponens, ingressum eius decentissimè adornaui, vt lector sperans non nisi optima vobis offerri, currat ad perlegendum, non ex sapore conditi poculi, sed in splendore tituli tanti Principis.*

1. Cor. 13.

3. Reg. 19.

E

Non bonorum tantùm sed mali sunt honorandi.

Humilitas auctoris.

F

PRÆFATIO.

AVt periti est aut experti iudicare de re cognita; Imperiti vero & inexperti tractare de re incognita, potius est præsumere quàm diffinire. Me peritum in Claustrali Disciplina aut expertum si fateor, mentior. Non nego me vidisse regulares & religiosos homines quorum consortio etsi aliquando interfui, virtutem non retinui. Quomodo ergo poscis à me audire de disciplina claustrali, cùm iam ferè à triginta annis vix summo labello illam degustauerim? Tamen quia caritas omnia credit, & te scio ex deuotione non ex tentatione id quærere, postposita negandi difficultate, audeo scribere quæ nequeo tenere, nec multum erubesco, si me talem in hoc Opusculo recognoueris, qualem ab infantia tua didicisti, nisi fortè quia ætas nostra iam aduesperascens parum habet de meridie, plus de vespera.

G

Auctor à triginta annis vitam religiosam professus.

1. Cor. 13.

Prolixum me fecit in hoc Tractatu de Disciplina Claustrali & tua totiens repetita postulatio, & sciatica gutta quæ renes meos diutissimè sub aspera disciplina detinuit. In hoc opusculo tanquam confectione de consuetis & notis in hortis nostris nascentibus herbis, non de pretiosis & remotarum regionum speciebus comparato, plus de melle gregis, quàm de scammonia Hieronymi apposui, timens ne inuentum projiceretur, si scammonia morderet, & operis vtilitas pro artificio, quàm pro artifice sorderet. In huius autem laboris recompensatione mercedem hanc peto à te, vt diligenter legas, & quicquid displicuerit, confidenter detrahas, & corrigenda corrigas.

Ischiade affectus cum id operis est aggressus.

H

Reddo cum vsuris debitum non à me tibi promissum, sed à te frequenter postulatum; sufficit mihi ratio debendi vbi præcessit in amico voluntas postulandi: vsuras superaddo, quia in soluendo intercessit longa dilatio. Age gratias Deo qui opportunitatem, sine qua nondum me à debito illo absoluissem. Quam? dolorem in renibus, qui me sub disciplina aspera diu religauit, & vagandi huc illucque facultatem negauit. Congratulor itaque & ego infirmitati meæ & dico: Patiamur mala, vt faciamus bona: imò patiamur mala, ne faciamus mala. Hoc ad nostram claustralem pertinet disciplinam: pati & non facere mala, sed potiùs pro malis reddere bona. Hanc docuit ille qui adinuenit omnem viam disciplinæ, & docuit eam Iacob puero

A suo, & Israël dilecto sibi. Passus est autem mala à malis & pro malis, sed retribuit bona pro malis; & fecit bonos de malis. Non mireris amice charissime, si stylum claudicantem deprehenderis, quia cum toto corpore suo simul & manus claudicat. Manus enim vacillans rectas lineas non seruat; & quid mirum, si claudus claudum generat? Plus mirandum si curuus generet rectum. Tu tamen quia rectè sentis, & rectè incedis, excusa Isboseth debilem pedibus apud Dauid, & omnem sermonem claudicantem aut corrige, aut succide, Matt. 18. *Melius enim est cum vno pede intrare in vitam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam.* Est autem gehenna legentium inuidia: merito autem succumbit inuidia, vbi succincta veritate, expedita constructione, armata ratione, labia mordentium euadit materia, vel vbi adeò extincta est hebetudine, despecta habitudine, macra verborum crassitudine, exanguis sensuum exilitate, quod dens inuidiæ non habeat vbi mordeat. Non reputo aspectu B publico digna mea Opuscula, sed secretum meum mihi, secretum meum mihi, simplex deuotio non phalerata eloquentia legat scripta mea, non ad plausum, sed ad planctum, Plangit enim columba mea in foraminibus suis; coruus crocitat in cadaueribus & morticinis; clamat coruus cras, cras, vel appellans sibi quod crassum est: Sicut in passione Domini leguntur quidam dixisse: *Ecce Heliam vocat iste*, cùm Dominus diceret; *Eli, Eli*, vel promittens sibi longos dies & annos, vel frustratoriam pœnitentiam spondens cras, cras, id est nunquam; sicut dicitur, hodie cum pretio, cras sine pretio. Ego quoque pretium precum & orationum pro opere istò hodie & cras postulo.

PRÆFATIO ALTERA.

AMicus disciplinæ, Ricarde Carissime, tanquam expertus sim illam, non semel inquietas senem elementarium, vt inde aliquo scripto, tibi quod sentio de- C cerpam: & si non propter amicitiam, tamen propter improbitatem Euangelici amici non possum non surgere de lectulo, in quo clauso ostio cum pueris cæterorum sensuum decumbebam, & dare non quantum requirit affectus tuus, sed quantum capit pugillus meus. Timeo ne occurrat auidus, & non inueniens fructum, sed tantum folia in arbore fici, maledicat spei falsæ, siue promissioni. Rursum nauseans, qui singula curiose carpit, & odiose contemnit, si accesserit, potius spero vomi- 1. Cor. 13. tum quàm gustum. Sed quia *caritas omnia credit*, & nemo cogitur munus habere meum, tibi soli, qui pro multo amore medullæ etiam cortices nostros insipidos rodis, quod ex voluntate Dei occurrerit excipiam, & Matri Rebeccæ, vt inde escas præparet, tradam.

CAPVT I.

De auctoribus Disciplinarum.

D IGitur Auctores huius disciplinæ in scriniis authenticæ scripturæ reuoluens, præcipuos & summos inuenio Moysen in eremo, IESVM in mundo, Paulum in delegato sibi docendæ Gentis officio. Duo quoque riuuli ex his emanantes, Monachos & Canonicos Regulares incluserunt in claustro tanquam ceruos & capreas in clauso, vt ita dicam, parco, Benedictus & Augustinus. In Exodo, in Leuitico, in Numeris, in Deuteronomio, populi Domini peculiaris claustralem disciplinam lege, & nudo intellectu mores informantia mandata retine. Ceremonialia verò tanquam vestita vestibus Esau valde bonis discinde, & intrinsecus latentem spiritualem nucleum comede. Certè disciplina illa seuerissima fuit: etsi nostra illi comparetur, tolerabilior inuenitur. Adeò enim illa importabilis fuit, vt non solum quilibet infirmus & plebeius legis mandata implere non posset, sed nec etiam quilibet iustus & sanctus.

E Vnde Petrus: Act. 15. 10. *Quid nobis iugum imponere tentatis, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuerunt?* Nostra verò disciplina satis tolerabilis est, vt in Epistola Ioannis dicitur: 1. Ioan. 5. 3. *Caritas hac est, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Quid est autem nostra disciplina, nisi viuere secundum mandata Dei IESVS verò Magister magnus & bonus, cuius cathedra est in cœlo, & Schola in mundo, in Euangelio quasi in antidotario, quæ fecit & docuit, descripsit; & duodecim Apostolos claustrales suos cum septuaginta duobus Discipulis claustralem disciplinam docuit. Nec de claustro illo Euangelico exiuit, nisi is qui filios perditionis erat; vel illi qui dixerunt: Ioan. 6. 61. *Durus est hic sermo: & abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant.*

CAPVT. II.

De Apostolica Disciplina.

F NOta disciplinam Apostolicā vbique & in omnibus reuerendam, præcipuè vti Petrus innuit Ioanni, qui in cœna super pectus Domini recumbebat, vt interrogaret quis esset eum traditurus. Tanta enim erat ad Magistrum reuerentia, tanta obedientia, tanta subiectio, tanta ad inuicem fraterna dilectio, vt ne spiraculum susurri per eos transiret, nisi fortè quando facta est contentio inter eos, quis eorum videretur maior, vel cum indignati sunt de duobus, qui quærebant sedere ad dextram & ad sinistram. Quicquid tamen humana fragilitas in vasis fictilibus, necdum igne Sancti Spiritus sufficienter decoctis, committebat, manus figuli statim resarciendo solidabat. Modò siquidem arguebat, eis dicens: Matth. 8. 26. *Modica fidei, quid turbati estis?* Modo consolabatur; *Confidite*, inquiens, Ioan. 16. 33. *Ego vici mundum.* Et, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Modò in parabolis, modò sine parabolis loquebatur; G Matth. 17. 20. Modò subtrahebat se pernoctans in oratione; Modò celabat se ambulans super mare, & putabant phantasma esse; modò ad congregationem suam reuertebatur, & cum omni familiaritate conuersabatur. Modò præ nimia fame spicas post ipsum confringebant, & manducabant: Modò duodecim cophinos fragmentorum ex his quæ superauerant de quinque panibus colligebant. Nihil proprietatis habebant, qui dicebant: Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ab eo nunquam separari volebant, cùm diceret: Ioan. 11. 14. *Vado in Iudæam: Et Thomas ait ad discipulos, eamus & nos, & moriamur cum illo.*

Quid dicam de Monachis istis, videlicet Apostolis? Angelicis spiritibus illos confero, nisi nondum expoliata mortalitate illi ministrabant Heb. 2. 9. *qui modico minoratus est ab Angelis.* Sed cum gloria & honore coronatus à Matth. 19. Patre super omnem principatum & potestatem sederit in sede majestatis suæ, in sede magnitudinis, sedebunt & hi super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus H Israel, fortè & Angelos; de quibus Apostolus: 1. Cor. 6. 3. *Nonne & Angelos iudicabimus?* Spes ista in sinu Claustralium est reposita, quia res pro consimili disciplina est repromissa, non ab illo, sed ab eodem IESV CHRISTO. Successit Petrus in Apostolatum circumcisionis; & Paulus inter gentes, sicut idem Paulus ait: Gal. 2. 8. *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* Docet Apostolus in Regula, id est, in Epistola sua: 1. Cor. 7. 31. *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Et, *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Et, 2. Cor. 10. *Obedite propositis vestris, & subiacete eis.* Heb. 13. 17. Et, *Alter alterius onera portate.* Gal. 6. 2. Et, *Nemo quærat quod sibi vtile est, sed quod alij.* Et, *Honore inuicem præuenientes.* Et, *Turpis sermo de ore vestro non procedat, & turpido, & stultiloquium nec nominetur in vobis.* Huiusmodi floribus totus vernat codex Apostolicus, vastum & amplum regie claustrum, ab Hierusalem scilicet ad Illyricum habens virgam in manu, sicut quibusdam scribit: 1. Cor. 4. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?*

Tradit

A Tradit & quosdam Sathanæ vt discant non blasphema-
Rom.12. re. Hic gaudet cum gaudentibus in Hospitio; hic flet
10. cum flentibus in Oratorio, hic infirmatur cum infirman-
Eph.5.4. tibus in Infirmaria; hic vritur cum scandalizatis in
1.Cor. Capitulo; hic in Cella Nouitiorum loquitur ad suos
21. Nouitios: *Filioli mei quos per Euangelium genui, & quos*
Gal.4. *iterum parturio donec formetur Christus in vobis*; Hic in
19. refectorio *Castigat corpus suum, ne aliis prædicans ipse*
1.Cor.9. *reprobus efficiatur*; Hic denique semper & vbique, *In*
27. *vigiliis inuenitur, & ieiuniis, in fame & siti, in frigore*
2.Cor.6. *& nuditate; in plagis supra modum, in mortibus frequen-*
& 11.27. *ter.* Hic hospitariis dicit, *Hospitales inuicem sine mur-*
6.5.23. *muratione.* His qui sunt in Oratorio: *Psallam spiritu*
1.Pet.4. *cum fratribus, psallam & mente; orabo & spiritu, orabo*
9. *& mente*, Infirmariis: *Alter alterius onera portate. In-*
1.Cor. *firmum suscipite in fide*; Sedenti verò in Capitulo: *Ar-*
14.15. *gue, obsecra, increpa*; His qui in Refectorio: *Nolite*
Rom.14. *inebriari vino, in quo est luxuria.* Eleemosynariis autem:
1. *Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in bene-*
2.Tim. *dictionibus & metet vitam æternam.* Denique omnibus
4.2. Claustralibus clamat: *Vigilate, state in fide, viriliter*
B *agite, & confortamini.* Et in hunc modum quicquid
Ephes. regulare, quidquid honestatis & fidei informabile quid-
18. quid de vestigiis IESV est imitabile, non est alienum à
2.Cor.9. Paulo: Vna tamen clausula concludit vniuersam clau-
2. stralem disciplinam: *Omnia*, inquit, *vestra in caritate*
1.Cor. *fiant.*
16.13.

Iam inflectimus stylum ad nostros speciales erudito-
Ibid. res Beatum Benedictum, & sanctum Augustinum: Al-
ter Abbas & Monachus; Alter Episcopus & Canonicus;
Vterque sanctus, vterque Dominici gregis Doctor, &
SS. Aug. & Bene dict. disciplinæ claust. eruditores. ductor egregius. Conuenit in quibusdam nostra & ve-
stra claustralis disciplina differt in quibusdam. Sunt
enim quædam quasi substantialia in Religione, quædam
accidentalia. Substantiale est Religioni sine quo Reli-
gio non est religio: Accidentale quod adest & abest pro
C loco; pro tempore, pro causa, pro persona, pro cæte-
ris circumstantiis præter religionis corruptionem: Hæc
in arbitrio Procuratoris catenus relinquuntur, vt salua
pace & vnitate vel intendantur, vel remittantur. Non
tamen omnis intendantur, ne rumpatur fragilitas, neque
nimis remittantur, ne lædatur regula. Sunt autem sub-
stantiua Religionis, silentium, de quo dicitur: *Sit om-*
nis homo velox ad audiendum, tardus vero ad loquendum,
Iac.1.19. *& tardus ad iram*; Item lectio, de qua dicitur: *Dum ve-*
1.Tim. *nio attende lectioni*: Item peccati Confessio, de qua di-
4.13. citur: *Confitemini Domino quoniam bonus*: & omnia in
Ps.117.1. confessione lauantur, vnde; *Dixi confitebor, & tu remisisti*
Ps.31.5. *impietatem peccati mei*; Item oratio, de qua dicitur:
Ioan.16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*:
23. Item meditatio mortis, de qua dicitur: *Fili memorare*
Eccl.7. *nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Sed de his in-
40. fra largius tractabimus.

CAPVT III.

D

Comparatio inter Iudaicam & nostram claustralem disciplinam.

Sicut mandata legalia in duabus tabulis conscripta
Iudaïcam disciplinam continent: Sic omnis regula-
Ps.67.14. ris tam Monachus, quam Canonicus, *Inter medios*
cleros, regularis videlicet institutionis, & traditæ à se-
nioribus bonæ consuetudinis, viuere debet. In altero
admittitur dispensatio: In altero ligatur. Non enim
Iudex iudicat legem, sed secundum legem. Consuetudo
autem & vsus, sicut voluntate vtentium introducuntur,
sic contraria voluntate mutantur. In his si quid necessitate
notandum, corrigendum, supplendumque fue-
rit, non vsquequaque interdicitur dispensationis altera-
tio. His ergo quasi fortissimis ligamentis vita claustralis
ita constringitur, vt nec manus, nec pedes extra licita
moueantur.

Professio itaque secundum regulam & loci consuetu-
dinem coërcens in compedibus suis vinctum, IESV E
CHRISTI iugum suaue & onus leue humeris imponens
renuntiantis sæculo; ante præsepe, & ad cunabula
Emanuelis ligans asinam & pullum, in quibus sedens
IESVS horam sequitur glorificationis. Præcedunt tamen
sicut in capite sic & in membris passiones, posteriores
glorias. Ducitur IESVS, quia ligatus ante Præsidem
stetit: & quia non est discipulus super Magistrum, vo-
luntarius & libens appetat verus Religiosus, disciplina
regulari tanquam fasciolis ab appetitu carnis religari.
Vincula autem religionis, statuta sunt regularia: verbi Quæ religiosæ disciplinæ vincula.
gratia, silentium, ieiunium, reclusio claustralis, incessus
in nullo notabilis, compassio & dilectio fraterna, pa-
terna reuerentia, lectio & oratio assidua, recordatio
præteritorum malorum; timor mortis, ignis purgato-
rij, ignis æterni. Via tam vaga, tam petulans poterit
esse cogitatio, quæ non coërceatur tam forti & multipli-
ci funiculo. Verbum otiosum, verbum superfluum, F
verbum inordinatum sepelit silentium. Titillationes &
incentiua succensa in spinis malorum desideriorum, so-
porat continuum ieiunium. Discursos vagos & vanos
per plateas & vicos ciuitatis sanguinum, retardat reclu-
sio claustralis: motus stimulantes in malam suspectio-
nem, aspectus intuentium elidit incessus tam modestus
quam maturus. Inhumanitatem recludit compassio;
discordiam dilectio: paterna reuerentia contumaciam;
lectio ignorantiam; oratio immunditiam & malitiam
meditatio torporem & somnolentiam; recordatio præ-
teritorum affert malorum cautelam de futuris, dolorem
de præteritis, & de futuris sollicitudinem; muscas mo-
rientes & vermes qui non moriuntur, comedentes mi-
seram animam, timor mortis tanquam myrrha occidit,
ignis purgatorius reuocat à venialibus ignis æternus à
criminalibus: Nulla obseruationum istarum sterilis in
Israël, qui cum Angelo colluctans non Iacob sed Israël
appellatur. *Omnis* tamen *gloria filiæ Regis*, non in his
quæ in facie sunt, sed *ab intus, in fimbriis aureis*, quæ G
intra velum Sanctum Sanctorum versis vultibus cum
Cherubim in propitiatorium tantùm respiciunt. Car-
dinales virtutes fimbriæ aureæ sunt, quia *Domini sunt*
cardines orbis terræ. Sunt etiam columnæ argenteæ su-
per bases aureas, salubres virtutes de corde puro & con-
scientia bona, & fide non ficta. De quibus dicitur: *Ego*
confirmaui columnas eius. Hæ portant templum Salomo-
nis, cùm vera religio fundata in mente bona, regulari-
bus disciplinis Euangelium Dei non erubescit, sed Euan-
gelica mandata tanquam superpositam fabricam nomeris
voluntariæ obseruationis construat. Sicut MARIA *con-* Luc.2.
seruabat omnia verba hæc. Ad claustralem itaque disci- 19.
plinam stylum teneamus, & velut in vno corpore spe-
ciosæ puellæ formam non de genere Amalech, sed de
semine Abrahæ definiamus.

CAPVT IV.

H

De disciplina claustralis obseruantiis.

Claustralis disciplina spectaculum est Deo, & Ange-
lis, & hominibus: Deo in medulla intentionis;
Angelis in gemitibus & suspiriis; hominibus in factis &
dictis: *Homo videt in facie, Deus in corde*; Angelus medios
fines cogitationis & operis. Ad Deum respicit *caritas de*
corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; Ad An-
gelos simplicitas sancta cum bona specie, de qua dicitur:
Specie tua, & pulchritudine tua; intende prosperè, proce- Exod.12.
de, & regna. (Grata est enim, vt ait Augustinus, sanctis 22.23.
Angelis sacrata & pia significatio. Vnde & Dominus in
Exodo percutiens Ægyptios percussorem non sinit in-
gredi domos, in quarum superliminario, & vtroque
poste viderit sanguinem agni) Ad homines dilectio sine
simulatione, conuersatio sine querela. Circumamicta
ita disciplina claustralis huiusmodi ornamentis spiritua-
bus nequaquam ceruicem erigit, & ambulat extenso

A collo; sed cum Rebecca operit ante conspectum Dei vultum suum pallio pudoris & humilitatis.

ob 31. 7. Cùm ambulauerit dicit: *Per singulos gradus meos pronunciabo Dominum.* Item: *Circumiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam iubilationis.* Non enim sicut impij in circuitu vanitatis & curiositatis ambulat, sed cum Angelis ascendit scalam Iacob excessu mentis; & descendit contemplatione suæ fragilitatis. Cum sederit, cogitat de sede majestatis, de sede æternitatis quid dictura sit, vel actura à facie fortitudinis Dei, in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Si steterit, dicat, *Viuit Dominus in cuius conspectu sto.* Reg 3. Et, *Mane astabo tibi.* Et, *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Et, *Locus in quo stas terra sancta est.* Si caput leuauerit, dicat: *Ad te leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et, *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ.* Si os & labia aperiat, dicat: *Os meum loquetur sapientiam.* B Et, *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Et, *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Et, *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Si aures præbuerit loquenti, non audiat sanguinem, *Non accipiat opprobrium aduersus proximos suos.* Si comedat, antequam comedat, cū Iob suspiret de necessitate pro pomo inflicta; & quia vocem exactoris stomachus importunè exaudit, mixturam faciens confusibilē & fallacem necessitatis & delectationis. Rarus namque est, qui semper interponat maceriam discretionis inter appetitum necessarium & superfluum. Si biberit, vinum non venenum sumat. Vnde Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria:* Et, *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates.* Si dormierit, dicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et, *In pace in idipsum dormiam & requiescam*; Et, *Caro meâ requiescet in spe.* Surgens itaque ad vigilias, si orauerit, oret spiritu & mente. Intret in cubiculum & clauso ostio oret patrem suum plus C corde, quàm voce; plus fide, quam modulatione. Si ad Confessionem venerit, Lagenam aquæ baiolans sub halteo contritionis, paxillum portet redargutionis, quo operiat terram cordis, & deponat onera mentis. Delens reliquias Amalech, & in seipso interficiat omnes operantes iniquitatem: fundat sanguinem hostiæ confessionis iuxta basim altaris; quatenus puro sanguine de latere Christi sua expurget menstrua; & sub terebintho crucis expendat idola peccatorum suorum. Non se palpet, non declinet ad dextram bona sua laudando, neque ad sinistram vera tacendo, aut quod non est, malum fingendo. Si fratris culpam accusauerit, caueat ne ferrum cadat de manubrio, plus iusto sæuiens, ne mentum Amasæ Ioab tenens blandiendo in inguine feriat seducendo.

(ph 5. 18. / 1. Tim. 5. 23.)

Si de manifesto arguit, mansuetudinis verba agni mansueti teneat; *Iuda*, inquit Dominus, *osculo filium hominis tradis?* Si de occulto, vtatur correptione priuata, non proditione publica. Si potentem aut Prælatum, Nathan ad Dauid, & duos filios Noe videat. D Ille cautè ex obliquo circumdans Leonem in agnum, vtique Regem potentissimum plus arte quam seueritate suis iniecit vinculis. Hi verenda Patris licet nuda, videre noluerunt. Si aduerso torso traxerit: Si legerit, simplicitatem amicam legi diuinæ afferat, & botros in vinea comedens extra non efferat, aliter interpretando; & sensus peruersos adjiciendo. Non desudet ad quæstiones quæ non sunt ad ædificationem, sed ad contentionem, & audientium subuersionem. Legat, vt intelligat, intelligat, vt mandata Dei faciat: compunctionem ibi quærat, non superfluam occupationem: Mandet medullam legis medullis cordis, quibus impinguatus holocausta medullata offerat cum incenso arietum, id est sincera veritate, & vera charitate Apostolorum & Prophetarum. Et, quia Calix in manu Domini, Scriptura sancta; Et, Inclinat ex hoc in hoc. Aliquando legenda sunt mandata diuina, aliquando Sanctorum exempla; quia viuus est sermo Dei in passionibus Martyrum, & E in sanctis conuersationibus Conuersorum. Quod enim quasi mortuum iacet in pellis morticina deformatum in littera, vita viuit, cum agitur quod legitur. Si ad publicum aliqua necessitate venerit, redeat cum festinatione tanquam de carcere, tanquam de laqueo, tanquam de camino, tanquam de inferno inferiori. Vidit Dauid iniquitatem in ciuitate. Vidit Dina mulieres regionis, & periit inde Hemor filius Sichem cum patre & populo suo. Sic venter disciplinæ claustralis eburneus de castitate, distinctus est sapphiris hac pulcherrima varietate. Æstimo claustralem disciplinam ad hoc constitutam, vt sicut in Esther legitur, de vniuersis regnis eligerentur puellæ ad opus Regis, quæ sub custodia traderentur, summo studio imbuerentur, & vngerentur oleo myrtino, & aliis pretiosissimis vnguentis; denique longa, & exactissima diligentia probatis, & vultu ornatissimo ornatis, quæ Regi placebat, cum Rege pernoctabat, ad nutum eius intrabat, & exibat. Sic Rex magnus, F Rex Regum, Rex sæculorum, de cunctis gentibus, tribubus, linguis, populis, & ex omni natione quæ sub cœlo est, a solis ortu & occasu, ab aquilone & mari, prædestinatos suos vocat, & ad claustralem disciplinam congregat & mores incompositos lima regulari complanat, vitiorum fœtorem vnguento piæ conuersationis exterminat, regis amplexibus dignas mentes, & corpora præparat, & die constituta ab æterno, ad thorum & thalamum gloriæ, & beatæ vitæ vocat.

(* vel aduerso torso traxerit — Esther 2. 2.)

CAPVT V.

Quod per disciplinam claustralem, prima reparetur transgressio.

NAtura humana, siue libertas arbitrij, in præuaricatione originali viribus, bonitate naturali, summopere debilitata, ex quo de ventre matris homo egreditur, indiget disciplina pedetentim tanquam remedialibus G suffragiis reparari. Primi siquidem & noui mandati solidissimas confringens valuas principio dati liberi arbitrij nobilitatem compediuit, & robor corporalis sanitatis infirmauit. Occasio autem tanti mali fuit, quòd cœlestem disciplinam non seruauit; nec erat disciplina illa ad tenendum difficilior, quam ad mandandum. Voluptas appetitum non trahebat, necessitas non vrgebat, fames non mordebat, sapor ligni vetiti concessis pomis non præiudicabat dulcedine, licet scriptum sit; *Quia vidit mulier lignum pulchrum ad videndum & ad gustandum suaue.* Gen. 3. 6. Nequaquam certè excludit hoc pulchrum, & hoc suaue, pulchritudinem & suauitatem omnium lignorum paradisi: sed suggestione serpentis mens mulieris perforata demonstratur. Pulsata namque siue absorpta à tentatione anima, rem concupitam æstimatione non appendit, sed delectatione. Facillima igitur disciplina, & nullo onere pressa, Dei manu plasmata tota in circuitu natura humana potuit in sua suauitate H seruari; quæ male sauciata nullis ad plenum remediis vsque ad sanguinem agni valuit liberari.

Quot prætentauit medicinarum adhibere magnus Medicus remedia humanis vulneribus? testis est Abraham in circumcisione. testis Moyses in hostiarum immolatione, & aliarum specierum oblatione; testes omnes Prophetæ in increpatione, & assidua prædicatione: indurauerat nimia veteratione, & insufficienti curatione morbus; nec curatio fraterna liberabat ægrotantem, qui expectabat Dominum saluatorem, quatenus Dominus liberaret seruum, & saluator ægrum. Præmisit saluator iste disciplinam tanquam virgam Moysi, sed sibi retinuit virgam virtutis suæ in cruce, in qua fuso sanguine tela ignea nequissimi diaboli extinxit, & ab omni febre infirmum suum sanauit.

A

CAPVT VI.

Quòd claustrum sit Vicarium crucis.

VIcarium itaque suæ Crucis claustrum constituit, vt sicut disciplina pacis nostræ in corpore suo super lignum crucis fuit, sic nos extra secularia castra exeuntes ad claustrum improperium eius portemus, & tanquam filij iuxta sapientissimi Salomonis consilium disciplinam eius apprehendamus: *Fili*, inquit Salomon, *apprehende disciplinam Patris, & ne dimittas legem matris tua.* Et Psalmista: *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus.* Et Apostolus: *Quod si extra disciplinam estis: ergo adulteri, & non filij estis.* Et alibi: *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris; Postea verò per eam exercitatis fructum pacatissimum reddet iustitia.* Est autem Claustrum in confinio Angelicæ puritatis & mundanæ colluuionis. Si quas arenulas honestatis de mundo tanquam de Ægypto Hebræus transiliens a vicinis artibus, quæ appellantur liberales mutuans, ad claustrum detulerit; vti eis remoto iudicio furti poterit: *Omnis enim sapientia a Domino Deo est.* Propter sapientiam carnis, quæ inimica est Deo, hanc non amat disciplina claustralis: quia potiùs est ad subuersionem simplicitatis (quæ est vnica Deo, Claustri filia) quam ad ædificationem. Rasis itaque superciliis pomposæ vanitatis; vnde ait Apostolus: *Ne quis decipiat vos per Philosophiam, & inanem fallaciam:* & * vnguibus auaræ rapacitatis substractis, secure matrimonium, cum omni doctrina, quæ contra fidem non est cõtrahat incola claustri. Quicunque enim alterius sapotis est extra claustrum, etiamsi oleaster, etiamsi ramus insertus in bonam oliuam, pinguedine radicis dulcoratur, & gremio diuinæ sapientiæ fotus ab immobilitate commutatur. Sic Grammatica, sic Dialectica, sic Geometria, sic Astronomia diuinæ Scripturæ sapidissimè sale conditæ, quæ gustatæ solebant afferre mortem: sicut filij Prophetarum clamant ad Eliseum Prophetam: *Mors in olla vir Dei:* admixtione farinæ, id est, gratiæ, præstant salubrem refectionem, & tanquam Gabaonitæ comportant ligna & aquas ad disciplinam claustralem. Hæc iure belli Israëlitæ ad claustrum suum deferunt à castris Philistinorum cum edoctis sæcularibus litteris diuinas studiosius legant, acutiùs intelligant, hæreticorum deceptiones cautius deprehendunt, fidei simplicitatem & veritatem fortius & firmiùs defendunt. His claustralis noster, vacans non vacat; his intentus otiosa, vana & superflua cordis phantasmata effugat; his consepultus dormiens vigilat. Istæ sunt vestes mutatoriæ, quas secum Naaman leprosus ad Regem Israël detulit.

Psal. 2. Hebr. 12. 18. Ibid. 11. — B — Eccl. 1. 1. — Col. 2. 8. * Alludit ad versus 11. & 12. c. 21. Deuteronomij. — C — Reg. 4. 4. 40. Quid inuanet Claustrales scientia seculares.

Si autem de mundo tantas extrahimus mentes, quid de cœlo? quid à Deo, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum est?* Qui igitur rigat montes de superioribus suis, & paradisum fluuio qui egreditur de loco voluptatis & inde diuiditur in quatuor capita, vt habeat quadriforme claustrum rigationes distinctas. Dicitur in Euangelio: *Qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Nota sunt quatuor flumina paradisi his qui cum Paulo Apostolo rapiuntur ad tertium cœlum, siue ad ipsum paradisum, & inebriantur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis. Notæ sunt & aquæ de fontibus saluatoris, quæ septiformi impetu lætificant ciuitatem Dei. De quibus dicitur, *Deriuentur fontes tui in plateis:* de quibus non bibit alienus. Iob vocat fontes istos riuos olei, dicens: *Quando petra fundebat mihi riuos olei.* Isaias, qui vidit Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, enumerat & nominat fontes Saluatoris, siue riuos olei: fontes; quia ipse Apostolis promisit, & misit septiformem spiritum: riuos olei; quia licet sit per omnia æqualis Patri & Filio, non est tamen à seipso, sed à Patre & Filio. Idcirco dona gratiæ dicuntur riui olei. Secundùm humanitatem suam, filius vnctus est oleo isto lætitiæ præ participibus suis. Vnde Isaias: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini.* Lucerna Euangelica sic perfusa & infusa, non solùm lucerna est, sed *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et nos de plenitudine eius accepimus, & in effusione illa quando latus eius miles aperuit, & exiuit sanguis & aqua, & oliua in torculari misit spiritum tanquam oleum.

Iacob. 1. 17. — D — Ioan. 4. 14 & 7. 39. — Prou. 5. 16. Isa. 19. 6. — E — Isa. 11. 2. — Ioan. 1. 9.

Sed quid hæc ad claustralem disciplinam? Planè tota forma claustralis disciplinæ emanauit de Cruce. Sic enim Christus exaltatus à terra, suspensus est in cruce, expoliatus vestimentis suis, & sic distensus, vt numerarentur omnia ossa eius; ligno sic affixus, vt nullum membrum eius moueret præter linguam, quam retinuerat ad orandum, & matrem dilecto discipulo commendandam. Sic Claustralis, qui verè claustralis est, debet se totum crucifigere cum vitiis & concupiscentiis. Debet se à terra sustollere, sicut scriptum est: *Sustollam te super altitudines terræ.* Et, *Cibabo te hæreditate Iacob patris tui:* debet se expoliare sicut in Canticis dicitur: *Expoliaui me tunica mea*, id est, carnis concupiscentia. Debet extendi ad anteriora, non simulatè; sed vsque ad disiunctionem compagum & medullarum, vt anima liquefiat post dilectum: debet ligno affigi, vt hoc corpus mortale cum omnibus membris suis timore diuino sit impotens ad omne malum, potens verò ad omne bonum. Solam autem linguam retineat ad confitendum & orandum. Quid amplius? Surda aure irrisores & illusores cum Propheta tanquam surdus transeat. Suggestiones & tentationes, quæ de claustro exire tanquam de cruce descendere cornicantur, non audiat. Ad extremum reddat spiritum Deo, qui dedit illum, dicens: *In manus tuas commendo spiritum meum*, vsque ad resurrectionem, ne tormentum malitiæ tangat illum; quia *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ.*

Claustralis Christum Cruci affixum imitari debet. — F — Isa. 58. 14. — Cant. 5. 3. — Ps. 30. — G — Sap. 3. 1.

CAPVT VII.

Qualiter Claustrum institutum sit.

EX quo Lucifer, siue Sathan, sicut fulgur de cœlo cecidit, & ad ipsum non rediit, quia claustralem disciplinam non tenuit: est enim disciplina claustralis, lugere sua, & aliorum peccata: Prælato suo subjici, obedire per omnia: cauere ab insidiis; nullis insidiari (quia iuxta Hieronymum non multum distat in vitio decipere aut decipi posse.) Primum & secundum legis mandatum de dilectione Dei & proximi adimplere, & innocentiam & sanctimoniam seruare: Deo semper adhærere, & ad supernam patriam totis desideriis inhiare. Rupto semel fœdere debitæ subiectionis, deorsum ruens diabolus, & tunc fremens dentibus & frendens, disciplinam omnem potius subuertit, quàm tenuit; ideo misericordiam non est consecutus, quia nec veniam est secutus, nec culpam confessus. Homo autem de limo plasmatus, propter culpam de claustro paradisi eiectus, ad orientalem plagam plangens plagas suas, & dicens Deo: *Amoue a me plagas tuas.* tempore accepto, & ab æterno prædestinato, in fine sæculorum propagata sanctorum via in IESV & cum IESV ad claustrum rediit, & regulari disciplinæ subiectus, non solum veniam; sed & primam stolam, imo ampliorem gloriam recepit. Sequentes filij hominum & habentes oculos in capite, ex his quæ facta sunt didicerunt sapientiam, quia vitarent irreparabilem diaboli casum, & cum antecessoribus suis regulariter viuendo, ex indulgentia misericordiæ Dei ad hæreditatem paternam haberent ingressum.

In quibus stat disciplina Claustralis. — H — Quare diabolus misericordiam Dei non consecutus. — Ps. 38. 11.

A Hunc principalem causam æstimo quare homines egrediantur de sæculo, & ingrediantur Claustrum. Qui enim sunt in diluuio aquarum multarum, vitiorum & diuitiarum, nec ad claustrum, nec ad Dominum appropinquabunt, nisi imbre siccato. Qui in claustro est cum Noe, qui interpretatur requiescere, est in arca, extra arcam verò est, qui extra disciplinam est. Paucæ autem, id est octo animæ in arca saluantur, quia (Matth. 24. 14.) *Multi vocati pauci, electi*; qui resurgent in octaua in resurrectione vitæ. In Claustro habitat Iacob cum Rebecca, quæ est patria. In Claustro est Benjamin cum patre suo, ne quid ei mali contingat in via peccatorum, vbi leo, vbi fera bestia luxoria, quæ deuorat Ioseph, sæpe infamia; aliquando re ipsa. In claustro Ionas in ventre ceti: (Matth. 12. 40.) *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: Et filius hominis in corde terræ.* Sic Claustralis consepultus Christo, cogitatione, & operatione moritur peccato, & viuit Deo. In Claustro Ieremias sanctificatus in vtero, B qui sedet solitarius & tacet, & leuat se super se, non elatione sed contemplatione: qui tollit iugum suaue & onus leue, vt sit mitis corde: In claustro Ioannes Baptista qui.

(Paul. Diac.)
Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens petiuit:
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posset.

In Claustro Maria cum ingressus Angelus ad eam dixit: *Aue gratia plena Dominus tecum*: In Claustro IESV cum factus esset duodecim annorum in templo sedens, respondit matri dicenti: (Luc. 2. 48.) *Ego & pater tuus quærebamus te*: *Nesciebatis*, inquiens, *quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* In Claustro Apostoli: (Ioan. 20. 19.) *Cum esset sero die illo vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati: venit* IESVS *ianuis clausis, & stetit in medio eorum, & dixit; Pax Vobis.* Et, (Act. 2. 1.) *Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes Discipuli pariter in eodem loco, &c.* Ecce quales præuios habet claustralis conuersatio. C Quam pium igitur, quam bonum, quàm iucundum, & quàm tutum habitare in Claustro! (Ps. 59. 21.) *Frater enim fratrem adiuuans ciuitas est munita*, de qua dicitur, *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* Claustrum ciuitas est; quia ad bene viuendum Claustrales conueniunt: munita, quia sub protectione Dei cœli viuunt. Disciplina claustri porta ferrea est, quæ ducit ad ciuitatem; cuius viam non inueniunt qui errant in solitudine, & semper errant corde. Disciplina Claustri, petra est scandali, & lapis offensionis, his qui non credunt verbo in quo & positi sunt. Disciplina Claustri petra est, quæ bis percussa renuntiatione sæculi & professione Religionis, dat aquas vt bibant homines & iumenta prudentes & simplices, quibus dicitur: (Matth. 10. 15.) *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Disciplina claustralis est crux Christi; de qua non deponitur, nisi mortuus. Est enim obediens claustralis Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Pedes pendentis sic defixi sunt, vt non moueantur vestigia eius de Claustro: manus tornatiles D ad obedientiam, aureæ ad mundiciam; plenæ hyacinthis ad eleemosynam; distillantes myrrham primam ad mortificandam carnem; & non accipiendam pecuniam.

Oculi ad patrem, ad discipulum, & matrem; id est, ad Deum semper, & ad Mariam Virginem, & ad Ioannem Euangelistam. Deus possidet cœlum, Mater implorat filium, Ioannes tenet Euangelium. Bonum est ex his in his vultus demutare; & modo inuocare Dominum, modo exorare matrem Domini IESV; modo legere Euangelium Ioannis capite inclinato: Nam (Ioan. 19. 30.) *inclinato capite tradidit spiritum*. Semper habet Claustralis caput in terra defixum cùm venerit in publicum; cum autem clauso ostio intrauerit cubiculum, tunc leuet oculos ad cœlum, & caput sursum, dorsum flagellis cæsum, siue pro peccato siue pro delicto, siue gratiarum actione, & passionis Christi recompensatione: latus perforatum seu apertum, vnde proferat & offerat holocausta medullata cum incenso arietum; & vnde sanguis profluat ad E basim altaris, Prælato confitendo peccata sua; & etiam aqua exeat compunctionis ad abluendas maculas criminis. Venter distentus non superflua cibi & potus refectione, sed continua ieiuniorum exinanitione, vt dicat: (Ioan. 19. 20.) *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Et, (Ps. 21. 17.) *Dinumerata sunt omnia ossa mea.* Sit etiam venter distinctus sapphiris, vt non coccinea sanguine, sed hyacinthina appareat pellis in mortificatione: nec construatur ibi horreum vermibus, sed sicut vter in pruina assiduis decoquatur afflictionibus. Hunc crucifixum deponat Ioseph & Nicodemus (Angelus & Prælatus condiant mixturam myrrhæ & aloes, quatinus non amauit corruptionem in claustro; sic non sentiant vermes, qui non moriuntur in inferno. Proculdubio hic habebit Angelos ad caput & ad pedes, qui custodiunt introitum eius & exitum, suscipientes animam exeuntem de corpore, & perducentes ad requiem.

F

CAPVT VIII.

Comparatio inter disciplinam Philosophi Iudæi, Christiani, & cuiuslibet Religiosi.

SCintilla naturalis boni, quæ remansit in homine, extincto primordiali manus Dei seminario, decurrens per gratiam Dei in arundineto omnium artium, multiplices adinuenit disciplinas, secundum quas viuendo, etsi non prorsus prima creatio repareretur, saltem vsque ad cineres non deficiendo, non extingueretur. Vnaquæque igitur gens sub sole & regio pro capacitate rationis disciplinam sibi confinxit, ad quam stultorum enormitas, & prudentium æquitas regulariter viueret. Philosophi itaque suam statuerunt disciplinam: Iudæi acceperunt suam: Christiani suam; ad vltimum Eremitæ & Claustrales suam. Diuersa intentio diuidit inter disciplinam & disciplinam. Intendit Philosophus gloriam humanam & fauorem sibi acquirere: Iudæus bona terræ: G Christianus spem veniæ & gratiæ: Et Claustralis cumulum gratiæ & gloriæ. Philosophus rimatur secreta naturæ: Iudæus crassitudinem terræ, Christianus promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ: Claustralis partim actiuæ fructum, partim contemplatiuæ. Philosophus abjicit impedimenta carnis, & onera sæculi: Iudæus hostiis & muneribus studet ad emundationem carnis: Christianus sacramentis Ecclesiasticis emundatur ab operibus mortuis: Claustralis non solum abstinet ab illicitis, sed etiam à licitis. Philosophus seminat in spiritu non Dei, sed suo & vano: Iudæus in carne: Christianus in fide, spe, & charitate: Claustralis in filiali adoptione. Præsumptio iuuat Philosophum: temporalitas Iudæum: fides releuat Christianum: prægustatio futuræ spei confortat Claustralem religiosum. Ingenium sequit Philosophus: quærit lucrum Iudæus: implorat bonum Christianus: coronam auream sperat Religiosus. Nouitate verborum & sententiarum gaudet Philosophus: litera & carnalitate Iudæus: spirituali intelligentia Christianus: austeritate vitæ Religiosus. H Farinam comedit de molendino ingenij Philosophus: insipidum corticem de lege Iudæus: similam de Euangelio Christianus: medullam de bono proposito Religiosus. Spargit Philosophus: congregat Iudæus: erogat Christianus: renuntiat omnibus Religiosus. Docet in scholis Philosophus: in Synagoga Iudæus: in Ecclesia Christianus: in Claustro Religiosus. Plausus amat Philosophus: nummum Iudæus: Deum Christianus: planctum Religiosus. Vt ceruus in syluis Philosophus: Vt taurus in Campis Iudæus: Vt columba in foraminibus petræ Christianus, Vt aquila in contemplatione Religiosus. Philosophus viuit arte: Iudæus carne: Christianus fide: Religiosus carnis mortificatione. Disputat Philosophus: somniat Iudæus: legit & intelligit Christianus: orat religiosus. Capit cyniphes Philosophus: muscas morientes Iudæus: aues Christianus, apes Religiosus. Telas araneæ orditur Philosophus: fouet oua sua Iudæus: Retia Petri reficit Christus: rationale & super humerale texit Religiosus.

Si fidei coagulum interuenisset, claustralis & Philosophica disciplinæ mutuis se se brachiis amplexarentur, & in remotione à turbis oscularentur. Impedit namque vires ingenij, & sensus animæ retardat sæcularis occupatio, & vana collocutio. Vt itaque totum sensum sibi vindicaret, quieta & secreta quærebat loca; vbi extolleret animum, & sensu purgato proferret infermentatum fermento Euangelico fidelem sensum. Sed cùm Iacob in virgis artium decorticatis, non vnius, sed diuersi coloris commentatum verisimile verum, sensus carnis transiens, & ad sensus animæ pertingens, si ad sensum Dei & fidei pertransisset, saluus esset? Sed qui offendit in vno factus est omnium reus. Vtinam tanta seueritate & assiduitate cum fide & regulari obseruatione nostram carnem affligeremus, & paupertatem amaremus, quanta plurimi Philosophorum vitia carnis à se extirpauerunt. Sed quia fides mundat corda, & vera pœnitentia per confessionem omnia exterminat peccata, si quid minus habet extrinseca politica, totum resarcit intrinseca nouæ creaturæ forma. *Omnis enim gloria filia regis ab intus:* nec est remunerabilis religio, aut disciplina, quam non commendat gratia cum conscientia bona. Teneat itaque nostra disciplina fœcundum silentium; cum Iudæo iuge sacrificium, cum Christiano commune caritatis solatium; cum sua professione singulare diuinæ voluntatis obsequium; excludat mundanarum sollicitudinum curam cum Philosopho; obseruet vnius Dei cultum cum Iudæo; gratiæ se commendet cum Christiano; seipsum superet interno ad Deum desiderio. Adimpleat quæ prima sunt in voto cum Philosopho; quæ media cùm Iudæo; quæ extrema cum Christiano; quæ suprema ex gratia cum libero arbitrio. Metat quod viride est cum Philosopho; quod fœcundum cum Iudæo; quod maturum cum Christiano, quod fructuosum cum suo voto.

CAPVT IX.

De Angelica disciplina.

REstat Angelica disciplina, quæ tota est voluntaria, & totum habet ex dilectione, & nihil ex difficultate siue labore. Cùm Deo ministrat, reficitur: cùm assistit, satiatur; cùm mittitur, currit cum exultatione; cum reuertitur, excipitur cum iubilatione; semper infra Deum currit, nunquam extra. Nihil in disciplina illa confusum, nihil molestum, nihil exordinatum; omnes illos spiritus liquefactos in amorem Dei & sui ad inuicem coagulat; & vno spiritu conglobati, tanta ligantur compagine, quanta si vnus tantum spiritus esset in tota illa multitudine. In ordine illo sunt nouem ordines Angelorum; quibus adiungitur decimus hominum; vt Psalmista cantet in medio claustri, in decachordo psalterio cum cantico, in cytharæ crucis & crucifixi. De qua consonantia loquitur Apostolus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, id est, in decachordo psalterio: *Caritatem autem non habeam*, id est, cytharam crucis & vnitatis; *nihil sum.* Est enim participatio eius in idipsum, donec formetur Christus in vobis, illa formatione quâ omnia membra suo capiti iuncta, diuinæ consortes efficientur fideles naturæ. In cella claustrali tanquam in vtero clausi, lineamenta contrahimus, quibus soluta mortalitate Angelis assimilabimur. *Cùm similes Deo erimus;* vt ait Apostolus: *Quoniam videbimus eum sicuti est.* Quæ ergo sunt illa lineamenta? Puritas Angelica, munditia, castitas, caritas, pax & veritas, & omnes illæ virtutes de quibus dicitur: *Benedicite Domino virtutes eius:* Orandum est, vt qui illas creauit in cœlo, nobis informet in Claustro; ne vultus dissimiles separent mansiones. Si enim Angelus in te aspexerit vultum suum, diliget te tanquam seipsum.

CAPVT X.

De forma Claustralis disciplinæ.

FOrma claustralis disciplinæ speciem tenet Angeli nuntiantis Dominicam resurrectionem: *Erat* siquidem *aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.* Timida namque corda carnalium qui ad bella non procedunt, & venire ad nuptias contemnunt primo religionis aspectu expauescunt, & consuetis carere se non posse voluptatibus, phantasticis illusionibus confingunt. Occupantur enim in quinque iugis boum Euangelicis; & in villa empta; & in vxore ducta; sumptus qui necessarij sunt, causantur non habere; patientiam, austeritatem cibi & potus, vilitatem indumentorum, iuge silentium, obedientiæ iugum, reclusionem continuam, continentiam perpetuam, & his similia: viros se nominant, sed inter effœminatos se moribus collocant. De huiusmodi ait Gregorius: Quid inter hæc barbati dicimus, qui ire per ferrum ad regnū puellas videmus? Non negamus asperitatem huius nostræ disciplinæ, sed cum Psalmista dicimus: *Propter verba labiorum tuorum* (id est, *Qui non odit patrem suum & matrem suam.* Et, *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus*) *ego custodiui vias duras. Vasa quoque figuli probat fornax.* Et, *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Fugiunt à sonitu folij nemine persequente: Tactus & gustus veriores sunt in iudicio, quàm solus aspectus. Tangenda esset & gustanda disciplina Claustri, & sic diiudicanda esset, vtrum bona esset, an mala. Vestimenta sunt vt nix; vestimenta claustralis disciplinæ, sunt regulares obseruantiæ. Quare nix? quia extinguunt desideria, & incentiua carnis; quia castigant afflictione, sed dealbant remuneratione. *Si fuerint*, inquit Isaias, *peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Quando? dum discernet Deus Reges, niue dealbabuntur boni claustrales: quia erunt sicut Angeli Dei in cœlo, relucentes vt sol in perpetuas æternitates. Non incongruè autem claustrum aliis reputatur stadium; aliis interius atrium; aliis gazophylacium, aliis sanctum seculare: aliis regale cubiculum, aliis patibulum, aliis forum venale.

CAPVT XI.

Claustrum esse stadium ostenditur.

STadium dicitur à stando, quia qui in Claustro est, stare debet in virtute cum omni sollicitudine, non in vitiis cadere, vnde Apostolus: *Qui stat, videat ne cadat.* Stadium autem est, in quo omnes currunt, sed vnus accipit brauium. Licet enim stadium à stando dicatur, tamen per stadium curritur, vbi ad brauium veniatur, & ibi cursus consummatur; sicut Apostolus ait: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c.* Omnes ergo qui comam capitis propter Christum deposuerunt, & habitum Religionis susceperunt, currunt dum ad finem tendunt; sed vnus accipit brauium, qui non mutatur vt luna, non recedit ab vnitate fidei & professæ Religionis. *Hic accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* [Psal. 23.] Huius stadij lex est, vt ab omnibus abstineat qui ad brauium festinat. Mitiùs non ligat lex nostra, quæ pauca tollit; & plura concedit. Tollit fornicationem, adulterium, omnem immunditiam, ipsum quoque matrimonium: quia *Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt.* [1. Cor. 7.] Tollit crapulam, tollit pecuniam, tollit superflua, concedit necessaria. Sic mandat Moyses Sehon Regi Amorrhæorum: *Via regia gradiemur, aquas tuas non bibemus, nec aliquid tui accipiemus, sed pretio ememus necessaria.* [Num. 21.] Peregrinus & aduena; qui quotidie transit ex hoc mundo ad Patrem, de substantia Principis huius [Paul's aliter]

S mundi

A mund' vsque ad filum subtegminis non accipit, quatenus sua repetenti in exitu animæ confidenter dicat: *Nihil in me, fateste, reperies.* En iste est cursor leuis explicans vias suas, currens velociter in odore vnguentorum sponsi. De hoc stadio ait Dominus filiis Israel: *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit; a deserto, & Libano, & flumine magno Euphrate, vsque ad mare occidentale* erunt termini vestri.* Qui deserit mundum & venit ad claustrum, iam incipit calcare sæculum & corpus suum. Et est hoc desertum, terra deserta, inuia & inaquosa: deserta propter asperitatem, inaquosa propter disciplinæ seueritatem, inuia propter viatorum raritatem. Sed hic in sancto, ait Psalmista, apparui tibi Deus, vt videamus virtutem tuam, propter durum laborem, & gloriam tuam, perpetuam consolationem. Inchoandum ergo est à deserto renuntiationis sæculi, & currendum per libanum castitatis, & dealbationis, sed aspersionis sanguinis IESV CHRISTI, vt dicatur; *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Vbi sancti dealbauerunt stolas suas in sanguine Agni. Rursus enauigandum per magnum flumen Euphratem: primò per baptismum; secundò per assiduam compunctionem. Terminabitur autem cursus noster ad mare occidentale, ne deficiamus in via, donec per mortem finiatur vita. Omnem itaque locum quem calcauimus, possidemus; sicut ille qui ait, *Nihil habentes, & omnia possidentes.*

[Margin: a Vulgatus. Martianus in vita. Deut. 11. 24. * erunt — B — Gal. 6. 14. — 2. Cor. 6. 10.]

CAPVT XII.

De Claustri atrio interiori.

ATrium mentis dicitur Claustrum, vbi pelles hostiarum detrahebantur, membra per frusta secabantur, cineres effundebantur, abluebantur intestina, & quæque laboriosa officia exercebantur. Sic ingrediens C Claustrum, pellem pro pelle, & omnia quæ habet dat pro anima sua, dum exuit veterem hominem, & induit nouum, ambulans in nouitate vitæ, & in confessione detergens vitia prioris consuetudinis. Priùs itaque immolando sacrificium Deo mortificat membra sua quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem & cætera alia. Deinde detracta pelle totius peruersitatis in confessione, artus in frusta concidit, nihil de omnibus peccati circumstantiis reticens, sed per singula titulos accusationis & conquestionis subjiciens, vorat hæc omnia ignis contritionis & pœnitentiæ vsque ad cineres quos super caput aspergat, dicens: *Peccatum meum contra me est semper*: Et, *Putredini dixi; Pater meus es, mater & soror mea vermibus*: Compunctio his addatur, quæ sicut aqua de latere Christi emundat intestinorum conscientiam ab operibus mortuis. Iuxta sanctuarij introitum atrium interius collocatur, extra se habens atrium exterius, & intra primum tabernaculum quod dicitur sancta. Nouitius igitur ad Reli-D gionem veniens in confinio orationis & sensualitatis positus, iam quidem non est in carne, sed nec in spiritu. Audit interim inter terminos habitos sibilos gregum carnis inter se dissidentium, mente consentiens legi Dei, carne autem legi peccati. Audit sibilos gregum cœlestium cantantium de canticis Sion, & ad somnos contemplationis prouocantes, & carnalium motuum molestias tranquillantes.

[Margin: Iob. 17. 14. — Psal. 50. 4.]

CAPVT. XIII.

Claustrum Gazophylacium.

EST & Gazophylacium Claustrum, vbi aurum argentum, & lapides pretiosi reconduntur; & vbi thesaurum nostrum in vasis fictilibus, id est, conscientiam bonam in obseruantiis regularibus habemus. In Claustro thesauri sunt sibi vitam æternam negotiantes Religiosi, E quibus homo nobilis peregrè proficiscens tradidit bona sua: singuli psalmi, singulæ orationes, singulæ confessiones singulæ, lachrymæ, singula ieiunia, singulæ eleemosynæ singulæ immemorabilium laborum afflictiones, nonne aceruum faciunt gratiarum, quæ est thesaurus desiderabilis in congregatione claustrali? Super gazas istas Eunuchus Candacis Reginæ constituitur. *Cande* ille qui se castrauit propter Regna cœlorum, in officio prælationis præficitur: Siquidem pudicitiæ & castitatis titulo insignitus, tanquam renibus accinctus custos sponsæ Christi non immeritò constituitur. Talis inuentus est Ioseph in domo Putiphatis sacerdotis Heliopoleos: Talis Ioannes Euangelista, cui matrem suam in Cruce commendans commendauit: Talem elegit Apostolus: Talem describit Beatus Benedictus. Zelotes Dominus qua ratione crederet sponsam, quam pretioso sanguine redemit, & matrimonio indissolubili sibi copulauit, nisi vt amicus siue vicarius ille sponsi fideliter F seruiret, & caste commissam conseruaret?

CAPVT XIV.

Claustrum est sanctum seculare.

INgrediamur iam sanctuarium, quod dicitur sanctum seculare, vbi semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consommantes. Peregrinans in terris iustitia grata sibi interim claustralem disciplinam determinat hospitia. Pulsat itaque ad ianuam claustri, dicens: *Aperi mihi soror mea: caput meum plenum est rore*; quem superfundam in area claustrali, vt moretur ros in messione mea, & cincinni mei guttis noctium, quas furatur in abscondito vultus Dei, & in secreto silentij pia conscientia. Currendum & occurrendum tam benignis pollicitationibus impigro pede sancti desiderij, & tollendum pessulum ostij, quod est difficultas & tarditas G humanæ fragilitatis ad vota soluenda. Sanctum itaque seculare est velle, & vix bona facere. Sanctum verò cœleste, velle & perficere. Vnde Apostolus: *Deus est qui dat nobis velle & perficere pro bona voluntate.* De sancto sæculari idem: *Velle adiacet mihi perficere autem non inuenio.* Meritò igitur Claustrum dicitur sanctum seculare, vbi nec quod volumus facimus; nec quod facimus, perficimus.

[Margin: Cant. 5. 2. — Phil. 2. 13. Rom. 7. 18.]

CAPVT XV.

Claustrum regale cubiculum.

DIcitur etiam claustrum regale cubiculum: Vnde in Canticis loquitur claustralis disciplina: *Dum esset in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Accumbere est ad quiescendum se inclinare. In Isaia loquitur Dominus: *Laboraui sustinens.* In Hieremia: *Labora rogans.* Et in Euangelio: IESVS *fatigatus ex itinere sedebat H super fontem.* Non solum scelera Iacob & peccata nostra vexant illum qui idem ipse est & cum tranquillitate omnia iudicat; sed etiam hostia pacifica & incensa, & cantica illorum Sacerdotum, quorum manus sanguine, auaritia, & luxuria plenæ sunt. Prophanis itaque & malis hominibus ad lassitudinem lacessitus sabbathizare volens, loca silentij, pacis, vnitatis, & honestatis requirit, & ibi cubiculum statuit. *Hæc*, inquit claustralis disciplina, *requies mea; hic habitabo quoniam elegi eam.* Et *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Quorum conuersatio non animalis, sed rationalis, & spiritalis est in cœlis. Liquefacta quodam amore hinnuli ceruorum, qui transilit super montes aromatum, loquitur ad ipsum: *Indica mihi*, inquit, *quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubas in meridie.* quando spiritus femet, quando mens tota incandescit, quando ignis exæstuat in ossibus amantis & ferre non sustinentis. Planè inter aceruos nouarum frugum, in liliis, in campis syluæ, a mundanis

[Margin: Cant. 5. 12. — Isa. 5. 14. Ier. 15. 6. — Ioan. 4. 6. — Ps. 131. 15. — Prou. 8. 31. — Cant. 1. 6.]

artibus

A artibus remotarum mentium pascit & cubat in meridie. Adolescentuli & adolescentulæ regale cubiculum obseruant tenentes gladios, qui deuorant carnes super femur mali desiderij, ambientes Regem Salomonem propter timores nocturnos, ne forte vlulatus luporum, & gannitus vulpium rumpant medium noctis silentium, quando moriuntur primogenita Ægyptiorum.

CAPVT XVI.

Claustrum esse patibulum ostenditur.

PAtibulum dicitur Claustrum, vbi IESVS cum latronibus suspenditur, sed IESVS non quia meruit, sed quia voluit; illi non quia voluerunt, sed quia meruerunt. Vnde ait latro ad latronem: *Nos quidem digna facta recipimus; hic autem nihil mali gessit.* Luc. 23. 41 Quicunque B autem Claostrum ingreditur cum IESV de voluntate, cum latronibus eligat suspendium pro malorum suorum merito & satisfactione. Triplici distinctione omnium Claustralium multitudo assignatur. Est in Claustro innocens & sine querela apud Deum & homines cum IESV. Est nocens, sed pœnitens cum dextro latrone: est nocens & impœnitens cum sinistro. Patitur innocens ad augmentum coronæ: patitur pœnitens ad meritum veniæ; patitur impœnitens ad cumulum pœnæ. IESVS in patibulo orat; Latronum alter veniam postulat, alter IESV insultat: qui bonus sustinet patibulum, bona eius conscientia leuem facit pœnam; & atrocem, qui malus sustinet: sed in flagello non murmurat, veniam meretur; qui malus flagellatur, & sicut ignis in spinis desperando crepitat, damnatur.

Disciplina filij siue Magistri. Notanda in patibulo triplex claustralis disciplinæ distinctio: est namque filij disciplina ibi, cui Pater vnigenito non pepercit, *sed pro nobis omnibus tradidit illum:* De quo Esaias, *Disciplina pacis nostra super illum.* Et, C *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Rom. 8. 32. Isa. 53. 5. Hunc vnicum & dilectissimum filium, in quo sibi benè complacuit, flagellis, imò durissimis scorpionibus absque vlla retractatione velut inimicum, pro reconciliatione inimicorum misericors pater & Deus misericordiarum cæcidit. Inde Filius: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Isa. 53. 4. Isa. 50. 6. O dura, imò pia pietas! dura, quoad humanum iudicium; pia quoad diuinum secretum: dura quoad patientis meritum; pia quoad passionis causam & effectum. Vnus agit causam omnium; bonus malorum, iustus peccatorum, filius seruorum. Disciplina igitur pacis nostræ super eum, qui totum debitum nostrum soluit cum vsuris, non solùm centesimis, sed & infinitis, vt plus appenderet statera crucis donum, quàm delictum; & superabundans gratia remissionis indulgeret culpas non solùm originales, sed actuales. Grandis & grauis disciplina sub qua mitissimus Agnus voce blanda & mansueta suspirat dicens: D *Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: & si non potest transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Matt. 26. 39. 42. Si filius es in Claustro, sic habeas cor pacatum & paratum ad patiendum, & etiam ad congratulandum, dicens: *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Ps. 37. 18. Lupus Iudas, vnanimis fortè tuus, si leuauerit contra te calcaneum* tuum, nec pellem mansueti vultus detrahat, nec carnem patientiæ deglutiat, nec intestina intentionis mordeat. Si Sathan manifestus à planta pedis vsque ad verticem famam tuam exulcerare voluerit, sedens in sterquilinio humilitatis, testâ saniem rade imputando culpæ tuæ non alterius malitiæ: sicut Dauid Semei maledictiones non imputabat, sed diuinæ vltioni ascribebat.

** suum.*

Disciplina discipuli & serui. Item alia est disciplina discipuli, & alia serui. Discipulus audit doctrinam magistri; Seruus qui non manet in domo in æternum, & præstolatur finem operis sui, piger est ad audiendum, negligens ad operandum: ad oculum enim omnia facit, nec quærit gratiam, sed pecuniam. Discipulus sanctus est, qui à dextris Domini pendit latro; seruus qui à sinistris. Clamat discipulus: E *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. 42. Patientiam & pœnitentiam iam didicerat in tempore paruissimo, consummatusque in breui expleuit tempora multa; placita enim erat Deo anima eius. Vnde; *Hodie mecum eris in paradiso.* Ibid. 43. Itaque & tu Claustralis, qui fortè ab oriente venisti, ab ineunte ætate peccatis inuolutus; vel ab occidente vsque ad senectutem in peccatis conuersatus, conuersus ad religionem, spera in Domino & fac bonum. Dic: *Domine: memento mei dum veneris in regnum tuum.* Ibid. Item: *Adhæsit anima mea post te,* sequendo te & obediendo tibi: *Suscepit me dextera tua;* quia licet peccauerim, licet mortem meruerim, tamen spero de misericordia tua, quæ est dextera tua. Non est extra disciplinam qui sedet ad dexteram, vel etiam qui pendet, sed cum delectatione tenet disciplinam Claustri: Pendet, qui vitulos habet mugientes sed reclusos, appetitus seculi, & impetus carnis audiens, sed non vadens post concupiscentias suas. Mouetur carnalis sug- F gestio, sed non egreditur consensus aut delectatio: concipit caro dolorem: sed non parit. Quare quia non est extra disciplinam, nec extra dexteram. Semper enim dicit: *Dominus à dextris est mihi, ne commouear.* Ps. 15. 8. Discipulus non moritur. Seruus autem qui seruus est peccati, & pœna peccati, quid? *Ejice ancillam, & filium eius: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ Mariæ.* Gen. 21. 10. Hic est claustralis, qui quærit quæ sua sunt, non quæ IESV CHRISTI, Quærit obedientiam, non IESV CHRISTI, sed proprij arbitrij: quærit pecuniam, quærit voluntatem propriam, quærit duobus dominis seruire; Deo & Mammonnæ. Hic labiis Deum honorat, cor autem eius longè est ab eo. Hic in vestibus ouium venit, sed intus est lupus rapax, cuius Deus venter est. Hic habet speciem pietatis, sed virtutem eius abnegat Hic non est ex nobis licet inter multos sit nobiscum Hic magis eligit porcos immundi desiderij pascere, quàm in paternis possessionibus Sobriè viuendo remanere. Descendamus iam ad forum & emamus nobis necessaria. G

CAPVT VII.

Forum venale Claustrum: quod & Tyro ciuitati moraliter assimilatur.

CLaustrum est venale forum vbi exponuntur merces omnes ad vtilitatem animæ, siue quæ ad decorem siue quæ ad necessitatem pertinent. Lege Tyrum in Ezechiele singulis rebus & speciebus à diuersis hominibus & regionibus iuxta singulorum possibilitates, & peregrinas merces, sufficienter, constructam & ornatam. Cap. 27. Mysticas harum significationes nec huius operis, nec nostræ facultatis est de sacculis historicis & marsupiis euoluere & explanare. Humeris Hieronymi, & Gregorij, atque aliis expositoribus relinquimus, qui falces habent acutas ad metendum vbi alij laborauerunt; ad H nostram tamen disciplinam & Claustrum nostrum sumptu soluto exinde reporto. Quod sicut opulentissimam illam vrbem vicinæ & remotæ prouinciæ repleuerunt; sic Claustrum religionis illi qui ab initio mundi Deo placuerunt vsque ad hæc nostra tempora: omnia enim sua tam dicta quam facta ad vsus nostros præparauerunt. Cedros imputribiles, si fortia castitatis quæris exempla, absque numero reperies. Si patientiæ, si constantiæ, si fidei, si veritatis, si mansuetudinis, si religionis, si obedientiæ, si iustitiæ, si fortitudinis, si prudentiæ, si temperantiæ, si omnium virtutum possessores quæsieris: occurrent tibi innumerabiles super arenam maris, & stellas cæli: Vnde; *Mihi autem amici tui Deus honorabiles facti sunt: dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Ps. 138. 18. Emat itaque à bonis & legitimis Dei mercatoribus quod sicut placet quisque, & quod ad diem festum necesse est. Tunc enim in foro nihil inuenitur, cùm clausa erit ianua, & fatuis virginibus dicetur: *Ite ad vendentes, & emite vobis.* Matth. 25. Quod dicetur, non ad consultationem,

sed

A Prou. 1. 26 sed ad subsannationem. *Subsannando*, inquit, sapientia, *cum vobis quod timebatis aduenerit.* Bene autem Tyrus, quæ interpretatur angustia claustralem disciplinam figurat; quia malum, malum est, dicit omnis emptor; sed 2. Cor. 4. 17. cum venerit domum gaudet: *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Nec minor apparatus animarum in Claustro, quàm terrenarum opum in Tyro. Vix est colligere opes Tyri, vix est enumerare labores Claustri. Quidquid congregat ad perituram gloriam sæculi Tyrus; hoc pro acquirenda beata vita bonâ patientiâ suffert religiosus Conuentus.

Primò considerandum quod in corde maris est sita, vbi quidem maior est timor, durior est labor. Finitimi sunt Elias, Ioannes Baptista, Beatus Benedictus, & sanctus Augustinus; qui ædificauerunt verbo & exemplo claustralem Religionem, & impleuerunt illam sanctitate, & decore incomparabili; abietes & cedros animi puritate B & incorruptione imputribiles, & contemplatione sublimes. *De Sanir*, id est via lucernæ, seu dentibus vigiliarum, vel etiam de libano extruunt claustrum, cùm tales perficiuntur, quorum vita via est aliis, & lucerna, siue redargutio errantium sollicita & mordacissima atque Isa. 2. 13. dealbatio inuitantium candidissima. *Quercus* quoque *de Basan* recipit Claustrum, id est, ignominiosos peccatores, & facit remos, sicut Iosue Gabaonitas, aquarios in templo & lignarios. Vnde Apostolus: Iosue 9. 27 *Eos qui contemptibiles in Ecclesia sunt constituite ad Iudicia.* 1. Cor. 6. 4. *Transtra*, quorum pedes portant pacem; *& prætoriola*, quorum anima adhæret pauimento. *De ebore Indico* Ezech. 27. 6. propter mortificationem. Et de *Insulis Italiæ* siue Cethim, id est, percussa Dei timore dolent. Ibid. 7. *Byssus varia de Ægypto*, id est, sæculo, *texitur in velum:* quando de sæcularibus conuersi, difficultatibus & obiectionibus aduersariorum tanquam murus se oponunt pro domo Israel. Similiter *hyacinthus* de nobilitate; *purpura* de obscuro & ignobili genere, tamen valde laborioso, fiunt C operimentum in securitatem & absconsionem infirmo- Ibid. 8. rum à turbine, & à pluuia. *Habitatores Sidonis, & Arady*, quondam venatores rhetorici, deponentes per potentiam, sicut Nabuchodonosor quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat: modò sunt remiges Ibid. 9. nostri gubernantes nauem, & trahentes ad portum. *Sapientes tui, Tyre sunt gubernatores tui:* a quibus cum respublica regitur, bene agitur. *Senes Gibly, & prudentes eius*, in ordine ab infantia nutriti, *habuerunt nautas ad ministerium variæ suppellectilis tuæ*; quia consuetudo & vsus Claustri ab his quærendus est. *Omnes naues maris, & nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ:* quia Claustrales de labore sæcularium viuunt, secundum Apostolum: Qui spiritalia seminant, carnalia metant. Persæ, id est, tentati à concupiscentia sua abstracti & Ibid. 10. illecti, & generati à diabolo; Vnde *A patre diabolo estis. Et Libyes*, quorum os maledictione plenum est, conuersi sunt in exercitu claustrali, vel perseuerando in malitia ad exercendum Abel, vel immutati ad seruien- D dum Deo viuenti. *Viri bellatores tui clipeum & galeam suspenderunt in ornatu tuo*, induentes se armaturam Dei tempore belli, & resistentes diabolo, & vitiis carnis; & transacta malitia, quæ est vita hominis super terram, fortia virtutum exempla sequacibus relinquentes; sicut Eleazarus, qui noluit simulasse carnem porcinam con- Ibid. 11. tra leges sanctas manducasse. *Fily Arady cum exercitu tuo super muros tuos & in circuitu tuo.* Aradij deponentes veterem hominem cum actibus suis super muros sunt custodes tota die & tota nocte in perpetuo non tacentes; sed contra aëreas potestates debellantes. *Sed* Ibid. 12. *& Pigmæi, qui erant in turribus pharetras suas suspenderunt in muris suis per gyrum: ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.* Nota quòd Pigmæi, qui sunt cubitales homines, dicuntur complere pulchritudinem nostram; Planè qui se humiliat sicut paruulus Euangelicus, hic in turribus pacis cum securitate complet cumulum Reli- Ibid. 13. gionis. *Græcia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui.* Ad summam dicendum de cunctis gentibus ad Religionem iam conuersos, & adhuc plures conuertendos, qui E singuli de moribus, de regionibus, de consuetudinibus suis, multas mansiones in domo Dei faciunt; vt ex multis facierum personis corpus Christi, quod est Ecclesia magna ædificetur.

Fortè sub his integumentis parum tibi arridet modestissima claustralis disciplinæ facies. Nudam & superborum foliis expoliatam, succinctamque consuetudine seculari magis appetis: ne lector offendiculo obumbratæ locutionis tardatus, fastidio sensum amittat: Et in hoc quoque satisfacere possim, & tuæ voluntati & aliorum vtilitati. Sunt itaque nerui & compagines claustralis disciplinæ silentij censura; verborum rara & rationabilis licentia; aspectus in terram defixus; incessus neque multum tardus, neque multum festinus; sessio in claustro assidua, in choro intercisa; statio quasi ante Deum tremula & timida; cibus & potus castra infra metas sufficientiæ ponens; somnus digestioni sufficiens; castitas vtriusque omnes fines hominis possidens; timor F Dei fundamenta omnium actionum iaciens; amor Dei cœlum superextendens; constantia & perseuerantia in bono parietes faciens; puritas & munditia Claustrum scopando omnia superflua projiciens, humilitas stramenta pedibus substernens; obedientia introitum & exitum custodiens; caritas conuentum totum per ordinem disponens; fides animans, spes recreans. Vbi disciplina ista tenetur, & ordo non dissipatur, crede mihi stat IESVS in medio Discipulorum suorum; & dans pacem cum eis ingreditur, & egreditur; & est pax ingredienti disciplinam, & egredienti ad vitam æternam; in superliminaribus claustralium domorum, sanguine Agni scribantur hæc in generatione altera.

Claustralis disciplinæ variæ obseruationes.

CAPVT XVIII.

De silentio.

G ADhuc repeto ampliùs commendare quæ religioni æstimo magis amabilia, vel etiam necessaria; vt sunt, silentium, lectio, confessio, & oratio. Silentium claustrale, nec mutum sit nec loquax: non mutum sit in auribus Domini Sabaoth, sed semper dicat: *Auribus percipe vocem orationis meæ.* Ps. 16. 5. Et, *Voce mea ad Dominum clamaui.* Ps. 141. 1. Quia tacenti Moysi dictum est: *Quid clamas ad me?* Exod. 14. 15. Illa enim vox penetrat viscera misericordiæ Dei nostri: quam solus & totus spiritus in imis visceribus ingemiscens iactu validissimo ad tertium emittit cœlum. Vnde Apostolus de Domino: *Qui in diebus carnis suæ preces* Heb. 5. 7. *supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus pro sua reuerentiâ.* Tale silentium habet tintinnabula in extremitate sacerdotalis indumenti cum malis punicis; quia sollicitus de exitu vitæ huius orat refectionem & rotunditatem vitæ æternæ. Rursum non sit loquax; quia *In multiloquio non deerit peccatum.* Prou. 10. 19. H Et lingua in vdo constituta, si mouetur sine sustentaculo timoris Dei; vix euadit lubricum, vix non incurrit lapsum. Non ergo valuas labiorum aperiat, nisi fortè in sabbato aut in calendis de regnis futuris, & gaudiis sanctorum commemorans. Sub tali silentio crescite & multiplicamini sancta desideria, pax cordis & tranquillitas cum vera munditia; quia ventosa & vana loquacitas mixta cum gelu & pruina verborum seminantium discordias, ficum, & vineam, & teneras arbores scandalizando, citò & frequenter exurit. Sigillum autem silentij si sub signaculi obumbratione fit, nutrit semen bonum, & ad prouentum facit venire. Inde est quod in Apocalypsi liber, qui est in dextera sedentis super thronum, scriptus intus & foris, septem sigillis signatur. In manu Dei sumus & nos, & sermones nostri, clausi septem signaculis quousque aperiat os nostrum Agnus qui occisus est; & habet clauem quæ aperit, & nemo claudit: vnde Paulus vinctus, *Sed verbum Dei non est alligatum.* Apoc. 10. 3. Claudit & nemo aperit; vnde in eadem Apoca-

lypsi:

A Apoc. 10. 3. lypsi: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua nolè ea scribere.* Et in Daniele, *clausi sunt sermones.* Liber iste scriptus est intus & foris, ne labiis tacitis iniquitatem meditteris in cubili tuo, id est, in cordis secreto: signatus (Daniel. 12. 14.) est septem signaculis, ne egrediatur verbum otiosum, quia de omni verbo otioso reddituri sumus rationem. (Psal. 11. 3.) Ne vanum, sicut illi qui *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum*: ne dolosum; quia *fraudulenti vasa pessima sunt.* (Isai. 32. 7.) Ne mendax; quia *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* (Psal. 5. 7.) Ne malum: vnde, *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* (Ephes. 4. 29.) Ne schismaticum aut hæreticum aut murmurosum; quia Dathan & Abiron viui absorpti sunt, & murmurantes perierunt ab exterminatore. Ad vltimum ne blasphemum, quod non remittetur nec in hoc sæculo, neque in futuro.

Sunt quoque septem sigilla, quibus signatur liber silentij claustralis. Ratio tranquillitatis; ratio professionis; ratio tenendæ pacis; ratio componendi affectus & motus cordis; ratio subtrahendi à secularibus negotiis; B ratio scrutandæ legis Dei; ratio contemplationis. Vbi enim silentij repagula infringuntur; turbatur tranquillitas; professio soluitur; pax confunditur; affectus & motus cordis tanquam mari moto vndis cõtunduntur. Qui secularibus implicatur, æternis & cœlestibus exuitur, qui Sophisticis & Rhetoricis deceptionibus occupatur, legem Dei non meditatur; qui garrulitate & vana loquacitate detinetur, ad Deum mente non erigitur. Salua igitur sint signacula ista donec Agnus soluat, & labia nostra aperiat. His signaculis liber silentij clausus non soluitur, nisi Agnus soluerit qui occisus est quod est vsque ad mortem seruetur ista silentij censura. Soluetur autem ab Agno, (Apoc. 5. 12.) *Quid gnus est accipere virtutem,* vt sit Rex virtutum; *& diuinitatem,* vt sit Patri consub-(Eccli. 24. 5.)stantialis secundum æternam generationem & sapientiam quæ loquitur: *Ego ex ore Altissimi prodiui; Et fortitudinem* vt sit fortis & potens in prælio; *& gloriam & honorem*; quia cum qui modicò ab Angelis minoratus C est, gloria & honore coronauit Pater; *& benedictionem,* qui accepit benedictionem à Domino, & est super omnia benedictus Deus. Ad hæc Agnus aperit ora mutorum & resoluit signacula, vt sapientiam in mysterio absconditam loquamur, vt dicamus de Christo: *Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* In libro itaque signato, id est, in silentio legamus, & quod sub sigillo clauditur; tanquam sublato lapide ab ore putei ab Iacob, vel à Domini sepulchro ab Angelis, inspiciamus, & de aquis istis bibamus. Bonum est ergo claustrale silentium.

CAPVT XIX.

De Lectione.

HVic silentio concatenata est lectio, & quasi debent annuli infigi in ahsulis cortinarum in temD plo Dei. Lectio autem est pascua vberrima, in qua animalia pusilla cum magnis assiduè pascendo præparant holocausta Domino medullata, cùm intra se ruminantes dulcissimos diuinæ scripturæ flores, nihil aliud corde & ore continent. Purgat siquidem interiora nostra ossibus mortuorum, & morticinis amputandarum cogitationum assidua & intenta cum deuotione lectio, etiamsi non sequeretur fructus intelligentiæ & scientiæ ex lectione tamen ad hoc esset vtile semper legere, vt mens nostra occupata excusaretur à superueniente & contumaciter se ingerente vana & superflua cogitatione. (1. Tim. 4. 13.) *Dum venio*, ait Apostolus ad Timotheum, *attende lectioni.* (Psal. 1.) Et *Beatus vir qui meditatur in lege Domini die ac nocte*, Et, *Semper sint vectes arca in annulis.* Et semper inueniat te diabolus occupatum: Non enim spiritus immundus inuenerit vacantem. Ne verò lectio sit vana & garrula, sed quieta & sigillo meditationis impressa, dicitur in Apo-(Apoc. 6. 1.)calypsi: *Et cùm aperuisset Agnus vnum ex septem sigillis; audiui vnum de quatuor animalibus tanquam vocem tonitrui dicens: Veni & vide*: id est lege Euangelium Matthæi,

E qui est vnum de quatuor animalibus; sic incipit: *Liber generationis* IESV-CHRISTI. Quid est ergo sic inchoare Euangelium, nisi dicere, veni & vide in hoc libro mysterium à sæculis absconditum, per generationem Christi ostensum & reuelatum? Veni & vide verbum incarnatum, quod sub sigillo diuinitatis hactenus apud Patrem latuerat clausum. *Et ecce equus albus*, Christus de (Ibid.) Spiritu-Sancto conceptus, & sine peccato de Virgine natus. *Et qui sedebat super illum habebat arcum*, ex diuina & humana natura intensum contra diabolum. *Et datu est ei corona*, vt sit Rex Angelorum qui fuerat Rex Iudæorum. *Et exiuit* in locum Calvariæ, *vincens* per patientiam, *vt vinceret* per potentiam. Huic incumbens lectioni efficitur equus albus, dum sicut columba volitat super riuos aquarum; & quasi grex tonsarum ascendit de lauacro, induens nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Intellectus quoque qui sedet super equum album, & præest omnibus sensibus, habet arcum, sanctam scripturam, quæ modò intenditur: modò distenditur: intenditur dum minatur F pœnam, distenditur dum promittit veniam. *Et data est ei corona.* Iam rasam coronam gestamus in capite, sed gloriam & bonam conscientiam quæramus in mente: & corona est in capite assidua lectio cum intenta deuotione. Vnde Salomon: *Liga eam in corde tuo iugiter, &* (Prou. 6. 22.) *circunda eam gutturi tuo.* Et sit * *torques collo tuo.* Qui (* Prou. 1. 6.) meditatur in lege, coronam habet in capite. Qui loquitur de lege, *Exaltationes Dei in gutture.* Qui subicitur (Psal. 149. 6.) legi, *torques in collo.*

CAPVT XX.

De Confessione.

SVrgendum autem de lectione ad Confessionem, vbi te accuses de præuaricatione mandatorum Dei, vel G de negligentia, vel de ignorantia, vel de infirmitate. non autem debet esse crassa & supina Confessio claustralium sicut secularium hominum. Confessio est aqua non turbida, non virulenta, non bituminosa; sed clara, pura & munda, purificans tanquam secunda baptismatis regeneratione illos, qui non custodierunt vestimenta sua alba sicut nix, de lauacro sanctificationis. Est itaque Cõfessio alia ante Iudicem, alia ad Dominum, alia ad Patrem. Ante (*Triplex confessio.*) Iudicem reus; ad Dominum seruus; Ad Patrem filius. Reus quærat Aduocatum, seruus flagellum, filius amicũ. Reus agat de reconciliatione, seruus de propitiatione, filius de pace. Munera offerat reus, obsequia seruus, seipsum filius. Reus macerationem, seruus correptionem, filius salutarem oblationem. Reus prosternat se ante ianuam, seruus ante ostium, filius intret cubiculum. Grandia & enormia scelera confiteatur reus, seruus peccata, filius delicta. Dicat reus, *Noli me condemnare*: dicat ser- (Iob. 10. 2.) uus; *Miserere mei Deus*; dicat filius; *Pater peccaui: sed* H *parce mihi.* Qui recedendo de filio factus fuerat seruus, de seruo reus; fiat redeundo de reo seruus, & de seruo (Psal. 50.) filius: vt quibus passibus abierat in regionem dissimilitudinis, eisdem reuertatur ad similitudinem Patris. Et (Luc. 15. 18.) quia deformata peccando fuerat imago & similitudo Dei in anima, per Confessionem sigillum quærat reformationis; Vnde iam secundum sigillum aperiat Agnus in Confessione: *Audiui secundum animal dicens:* (Apoc. 6. 3.) *veni, & vide.* Secundum animal est Marcus, qui tanquam Leo rugit in deserto; præcipuè agens de Domini prædicatione, & resurrectione. Et bene Confessio comparatur deserto, quia non solum à secularibus, sed etiam à regularibus potiùs deseritur quàm frequentetur. In hoc deserto rugiebat peccator ille qui dicebat; *Rugiebam nimis à gemitu cordis mei. Et exiuit alius* (Psal. 37. 9.) *equus rufus*: Allegoricè Christus, qui albus est in na- (Apoc. 6. 4.) tiuitate, & rufus in passione. Moraliter verò rubore confunditur qui sua enormia scelera confitetur, & efficitur rufus sanguinis conspersione, qui erubescit de sua corruptione. Vnde Apostolus: *Quem fructum*

A Rom. 6. 21. Luc. 18. 13. Luc 7. 6. Mich. 7. 9. Math. 10. 15. Apoc. 6. 4. Ierem. 48. 10. 1. Cor. 15.

habuistis, inquit, *tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* Equus rufus est qui portat suam confusionem dicens: *Non sum dignus ego peccator, leuare oculos meos ad cælum.* Et, *Non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Et, *Iram Domini portabo, quia merui.* Et, *Qui sedebat super illum* (scilicet timor Domini) *datum est illi vt sumeret pacem de terra*; Vnde Dominus: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Vnde & huic *datus est gladius magnus.* Gladius iste magnus deuorat carnes; & inebriatus est in cælo. Et, *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine*, id est, qui non amputat per Confessionem peccata quæ fiunt ex carne & sanguine; de quibus dicitur: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.*

CAPVT XXI.

De Vera Confessione, & eius efficacia.

B Heb. 4. 12.

GLadius confessionis *Viuus est & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum; & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Et quis vim Confessionis exprimere sic potuit? Quis naturam eius & formam sic depinxit? *Viuus*, inquit, *est sermo.* Vbi est morticinum Confessionis? Vbi simulachrum mortuum, quod os habet, & non loquitur, manus habet non Iacob, sed Esau, videlicet pilosas, sed & non planas? Pedes & non ambulat? Sicut homo mortuus non est homo, & fides mortua non est fides: sic Confessio simulata, non est Confessio. Viuus ergo sit Confessionis sermo, vt de corde vitali, & labiis veracibus procedat, non de sepulchro cadaueris mortui quod putet & fœtet. Addit, *Et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Grammatica, Dialectica, & Rhetorica gladij sunt, quibus inter se pugnant Clerici, & satis sunt penetratiui in doctrinis & regulis suis: sed sermo Dei,

C

& sermo Confessionis penetrabilior est omni gladio ancipiti, qui quærit vitare damnum, & acquirere lucrum, cùm non solùm penetrat in interiora hominis, sed etiam perforat intestina suggestionum diaboli, & portas confringit inferni. Et quomodo? pertingens vsque ad finem animæ & spiritus; id est, sensualitatis & rationis. Nihil namque omittit vera Confessio, quin accuset omnes excessus & sensualitatis, & superioris rationis. Nam aliud est peccare ex sensualitate, quam habemus communem cum peccato; aliud ex ratione, quam habemus specialem ex humanitate, & fortè communem cum Angelo ex diuina dispensatione. Peccata ex sensualitate sunt illa, quæ fiunt ex fragilitate & surreptione; quibus minor debetur pœna & pœnitentia; ex ratione, quæ fiunt ex deliberatione, vel ex ambitione, quibus acrior imminet vindicta. Subiungit: *Compagum quoque & medullarum.* Compago quædam

D

est animæ & spiritus: illud confinium rationis & sensualitatis, in quo vix discernitur cuius sorti cedat, rationis, an sensualitatis? vnde Apostolus: *Non intelligo quod operor*: quia in confinio illo *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*: id est

Rom. 7. 15. Gal. 5. 17.

aduersus sensualitatem. Hoc quoque confinium viuus sermo debet determinare, & vsque ad interiores medullas peccata insequi & explorare. Ad extremò subdit: *Discretor cogitationum & intentionũ cordis.* Euoluendæ sunt cogitationes & rimandæ intentiones in confessione; vt nec minima peccati vngula euadat, quin in Dei sacrificiũ veniat. Fit enim in Confessione criminale, veniale. Sed paucorum est discernere noctem & noctem, id est, inter veniale & criminale: quia multa reputantur venialia quæ sunt criminalia, secundum intentionem peccatoris. Exprimenda est in Confessione, non solùm actio, nec solum cogitatio, sed etiam ipsa intentio quæ totum opus facit lucidum aut tenebrosum. Et hic gladius magnus qui datus est sedenti super equum rufum, cuius etiam acies dissecat penitus, & discindit squammas antiqui Leuiathan; quarum vna vni sic iungitur, vt nec spiraculum incedat per eas.

E

CAPVT XXII.

De Oratione.

SErpentinis igitur exuuiis in Confessione exutus, & aquis Iordanis cum Naaman leproso lotus, & cum puero Dauid secundò vnctus, in oratione ad Dominum manus & oculos leuet, vt præterita deleantur, & à futuris caueatur. His quasi duabus columnis fulcitur domus Orationis, si ira Dei deleatur, & gratia concedatur. Vtrumque facit oratio, & extinguit iram & implorat gratiam. Est enim oratio alia laboriosa, alia deuota. Laboriosa extinguit iram; deuota prouocat gratiam. Neutra tamen sine altera veniat ad thronum gratiæ, sed Iacob vtramque ducat, & contubernio suo constringat Liam & Rachel, id est, laboriosam orationem & deuotam. Vna nocte cubat cum Lia, altera fortè cum Rachel. Ex vtraque nascitur soboles; plures ex Lia, cariores ex Rachel: & isti & illi reputantur in semine & numero Patriarcharum: quia secundùm Liam qui plus laborat plus mercedis accipiet: & secundùm Rachel, *Ei qui non operatur merces imputatur, non secundùm meritum*, vel debitum, *sed secundùm gratiam.* Cùm itaque mercedem præuenit gratia, grata & deuota dicitur oratio; & est imber matutinus. Laboriosa est, quando cor longè est ab homine, & Deus à corde. Longè verò cor ab homine, siue occupatum sit in curis superfluis, siue tepefactum à feruore Religionis, siue immersum carnalibus desideriis. Deus quoque longè est à corde, cùm subtrahit gratiam, cùm differt præsentiam, cùm exercet postulantis patientiam. Laboriosa est de qua Petrus ait: *Præceptor per totam noctem laborantes, & nihil cepimus.* Et de qua Iob: *Effodiunt sibi mortem quasi thesauros, & cùm inuenerint, gaudent.* Et iterum Iob: *Clamo, & non exaudis me.* Et sponsa in Canticis: *In lectulo meo quæsiui per noctem, quem diligit anima mea, &c.* Et in Psalmo: *Distulisti Christum tuum.* Deuota est cùm citò occurrit gratia, cùm mentem præoccupat, cùm adest antequam inuocetur, cùm præstat supra quàm petimus aut intelligimus. Cùm autem homo pulsauerit ad januam gratiæ dicens: *Oratio mea præueniet te.* Et, *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo*; tunc appellatur laboriosa, & imber serotinus: *Faciam*, inquit Dominus, *descendere ad vos imbrem matutinum & serotinum, vt custodiam introitum, & exitum vestrum.* Aliquando cum oraret IESVS in passione, factus est sudor eius tanquam guttæ sanguinis: frequenter etiam orauit cum omni tranquilitate, vt ibi: *Pater clarifica filium tuum: & venit vox de cælo dicens; & clarificaui, & iterum clarificabo.* Et Dominus ad turbam: *Non propter me vox hæc venit, sed propter vos.* Et ad Patrem: *Ego enim sciebam ab initio quia semper me audis.* Quisquis huic Dominico sa impresserit orationis sigillo eiusdem boni Magistri sicut in aliis, sic etiam in hoc intuetur exemplum: Nam de eodem sic sequitur in Apocalypsi.

Duplex oratio. Laboriosa, & deuota. F Rom. 4. 5. Laboriosa. Luc. 5. 5. Iob. 3. 21. 22. G paulò aliter Deuota. Psal. 87. 14. Ps. 118. 48 Ioel. 2. 23. Ioan. 12. 28. Ibid. 30. Ioan. 11. 42. H Apoc. 6. 5.

Et cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens: Veni & vide; & vidi. Et ecce equus niger; & qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua. Tertium animal est Lucas Medicus & Euangelista, qui conficit animæ potiones, ad sanandos omnes eius languores. Incipit autem ab oratione sic: *Fuit in diebus Herodis Regis Iudæ, sacerdos quidam nomine Zacharias, &c.* Et quia in visione Ezechielis in figura vituli repræsentatur; & vitulus Deo immolatur; benè equus niger dicitur propter crucis mortificationem, quam voce prædicauit, & opere adimpleuit. Christus autem qui albus fuit in natiuitate, rufus in passione, niger est in morte. Sed stateram crucis habet in manu, quia potestatem habet ponere animam suam, & potestatem habet sumere eam. Et appensa in statera ista culpa humani generis

com

A cum pœna Dominici corporis, pluris inuenta est pœna
sua, quam colpa nostra: vnde ipsa pœna passionis
Christi, deleuit reatum præuaricationis primi parentis
nostri, & totius mundi. Ipsa quoque passio, quid aliud
fuit quàm eius oratio & nostra reconciliatio? Equitat
ergo Christus in equo nigro nam exaltatus à terra sus-
penditur in crucis patibulo. Et nos Claustrales, siue sa-
cerdotes, imitemur in cruce orantem, leuantes puras
manus & oculos columbinos ad Deum peccatorum no-
strorum nigredinem confitentes, & pœnitendo mor-
Psal. 67. 32. tem præuenientes. Vnde Psalmista: *Æthiopia præue-*
niet manus eius Deo. Æthiopissa decolorata à sole,
& super carbones denigrata carnis afflictione, & mem-
Psal. 50. 10 brorum suorum mortificatione, orat dicens: *Auerte*
Psal. 101. 4. 5. *faciem tuam a peccatis meis.* Et, *Ossa mea sicut cremium*
aruerunt. Et, *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor*
Cant. 1. 8 *meum.* Animæ sic oranti loquitur sponsus in Canticis:
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, Amica
mea. Quasi equitabat Deus ante filios Israël super
B equum nigrum, columnam nubis per diem; & equum
rufum, columnam ignis per noctem. Currus autem
Pharaonis sunt fallaces equi ad salutem, qui discurrunt
per vniuersum orbem; superbia, fallacia, gula, luxuria,
suos equites deferentes in infernum. Sed equitatio
Psal. 67. 18 Iesv salus de quo dicitur: *Currus Dei decem millibus*
Psal. 28. 1. *multiplex.* Et quibus loquitur Psalmista: *Afferte Do-*
mino filij Dei, id est, Angeli, *Afferte Domino filios arie-*
tum, id est Christianos imitatores Apostolorum &
Prophetarum. Qui sedet super equum nigrum habet
stateram in manu sua, in qua appendet quid debeat po-
stulare de temporalibus, & quid de æternis; quàm as-
sidue pro æternis, quàm moderate pro transitoriis. In-
Apoc. 6. 6. de est quod sequitur: *Et audiui tanquam vocem in me-*
dio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici dena-
rio; & tres bilibres hordei denario vno. Triticum æter-
na designat; hordeum temporalia: simplex & vna ora-
Psal. 26. 7. tio, id est, bilibris tritici, pro vita æterna. Vnde: *Vnam*
C *petij à Domino*: multiplex & diuersa, id est, tres bilibres
Psal. 24. 17. hordei pro necessitatibus terreni subsidij. Vnde: *De ne-*
Apoc. 6. 6. *cessitatibus eripe me Domine. Vinum & oleum ne læseris,*
id est in Christo baptisatos & sancto Chrismate perun-
Iob. 2. 6. ctos, quod est oleum, & sanguine Agni redemptos,
quod est vinum, ne læseris ad damnationem. Et si præ-
cipio ne læseris animam, sicut de Iob dictum est: *Tu*
autem animam eius serua. Tamen in pressura torcularis
nolo vt parcat calcator vuæ. In hac enim pressura
Deus non parcens parcit fidelibus suis. Hæc de ora-
tione: dicendum est de meditatione mortis.

CAPVT XXIII.

De meditatione mortis.

MOrte nihil certius, nihil incertius, nihil bonis
appetibilius, nihil malis odiosius. Certus occasus
D est, incertus euentus. His qui non sunt de mundo, con-
uersationē habentibus in cœlis, gratus exitus de carcere
ad regnum, de confusione ad gloriam. Morte namque
interueniente nuda veritas manifestabit gloriam summæ
& indiuiduæ Trinitatis, gloriam Beatæ Virginis, glo-
riam cœlestium virtutum, gloriam denique omnium
Sanctorum; in qua noua, certa, mansura, & mira & ama-
bilia erunt omnia. Velum quoque sacramentorum præ-
sentium, quod est de hyacintho secundùm spem regni;
de purpura propter sanguinem Agni; de cocco bis
tincto propter charitatem Mediatoris Dei & homi-
num; de bysso retorta, propter sinceritatem Catholicæ
fidei, & indissolubilem veritatem tunc aut tolletur,
1. Cor. 13. 10. aut scindetur. Tolletur juxta illud: *Cùm autem vene-*
rit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.
Marc. 15. 38. Scindetur sicut in passione Domini: *Velum templi scis-*
sum est à summo deorsum; Vt iudicium magni Dei fit si-
Mat. 10. 26. cut meridies, quando manifestabuntur consilia cordium.
Et, *Nihil opertum quod non reuelabitur.* Non ergo ex-
pauescat soluere debitum mortis, qui expectat soluto E
debito dotes tantæ remunerationis. Debitum tamen est,
quod omnibus & ab omnibus debetur & soluitur. Tem-
pus autem solutionis, & hora, non in potestate & scien-
tia est debitoris, sed in voluntate est Creatoris. *Consti-*
tuit ille terminos qui præteriri non poterunt. De soluenda Iob. 14. 5.
morte nec creditor & exactor potest diem anticipare &
præcipere; aut debitor differre & prolongare. Nemi-
ni autem hoc debitum seu vectigal indultum est à Deo
vt nec ipsi Filio Dei, quia filius hominis est, remissum
sit; licet originaliter emancipato per immunitatem pec-
cati: Nam *Domini Domini est exitus mortis.* Psal. 67. 21.
Cogitandum itaque, & semper excogitandum est,
quatenus per mortem transeamus, non in morte rema-
neamus: sit mors hospitium viatoris, non mansio mo-
rientis: sit absolutio oneris, non depressio calamitatis:
sit pœnæ interruptio, non continuatio: sit via ad Pa-
trem, non deuiatio ad hospitem: sit progressio ad pa-
triam, non demersio ad gehennam: sit potio salutaris,
non assumptio infernalis: sit denique finis non consum- F
ptionis, sed consummationis. Ante mortem culpa mor-
talis est cauenda, vel saltem confessione & pœnitentia
delenda. Citra mortem præparandum, vnde post mor-
tem sit fœliciter viuendum. Mors non absorbet meri-
ta bona, repræsentat autem mala etiam oblita: Mors
coaceruat omnia præterita opera, designat mansionum
æterna tabernacula, & collocat animas, non vbi vo-
luerint, sed vbi meruerint. Vt certus sis de incertis,
tene certa ne sequaris incerta: Currit enim Apostolus
non in incerto: sed certus, quia neque mors, neque vita
poterit eum separare à charitate Dei, quæ est in Chri-
sto Iesv. Certum te facient certa fides, certa spes, certa
charitas, certa obedientia, certa humilitas, certa casti-
tas, certa obseruatio Christianæ Religionis, & tuæ
professionis. Depinge mortem ante oculos tuos, quàm
horrenda facies, eius vultus quàm obscurus & toruus,
singula singulorum membrorum eius officia quid ope-
rentur in singulis hominis membris. Deuorant namque G
& depascunt tanquam teneram herbam quicquid in
homine est roboris & virtutis, tam in anima quàm in
corpore damnatorum, vnde in Psalmo: *Mors depascet*
eos. Vt ergo de ventre huius ceti Dominus non extra-
hat, præoccupemus faciem eius in confessione, vt qui
perforauit maxillam eius armillâ, liberet nos à morte
æterna. Latens in carne Iesv diuinitas molares noxæ
dentes in ore ipsius confregit, cùm carnem Verbi mor-
su temerario momordit. Etsi itaque nos mordeat vt co-
luber & vt cerastes, si crucis cornua præ manibus habe-
mus, si sanguinem Agni super vtrumque postem & in
superliminaribus gestamus; tota illa Leuiathan horribi-
lis armatura, quæ in Iob describitur, destruetur, & inte-
stina eius hoc iaculo terebrata timebuntur. O puteus
sulphureus! ô fœtor intolerabilis! ô angustia! ô tene-
bræ! ô calor! ô stridor dentium! ô confusio! ô dolor!
ô desperatio! ô desolatio sine consolatione! malum sine
fine; exitium sine reparatione! Vtinam sub conspectu
haberem compensationem quam mors malis delectatio- H
nibus reponit. Longa præmeditatione & præparatio-
ne comparandum est quod minuat acerbitatem mortis,
& faciat tolerabile, quod est ineuitabile.
Sunt autem mortis mitigatoria remedia; Confessio Mortis remedi[a]
peccatorum, & pœnitentia contra aëreas potestates;
propugnaculum sanctæ crucis; viaticum Corporis &
Sanguinis Domini ad solatium tanti & tam ignoti iti-
neris. Oleum inunctionis ad fouendam lampadem con-
scientiæ, & remouendas condensas mortis tenebras; pa-
trocinium Dei; auxilium omnium Sanctorum, & ora-
tio Fratrum. His remediis aut succumbit mors secun-
da, aut cedit: & prima quidem more suo in hominem
mortalem efferatur; sed eneruatur, nec teriaculis suis
retinet animam, quam tantis vallatam copiis videt.
Virtutem crucis expauescit; viatorem transeuntem cum
viatico nequaquam posse deficere non ignorat; ve-
ram pœnitentiam, & confessionem de vtero suo &
ventre infernali animas infinitas fortiter extraxisse

A meminit, & se nonquam potuisse resistere voluntati Dei, nec corporibus humanis, nec animabus oocere se posse experimento nooit, si sanctorum auxilium subuenerit. Orationes fratrum tanquam sagittas igneas fugit. Ex his omnibus offas dirumpentes interiora diaboli, mortis & inferni conficiamus, & in ore draconis cum Daniële proiiciamus. In claustro præparetur hæc confectio ab his qui se cogitant semper morituros, & tanquam palma multiplicant dies suspicientes in excelso, & in se vitia mortificantes. In his mors non habet potestatem, qui habent potestatem calcandi super serpentes, qui in eremo interficiebant filios Israël, & scorpiones qui insidiantur calcaneo nostro. O anima soluta à corpore vbi habitas? an in cœlo, an in paradiso, an in igne purgatorio, an in inferno? Si in cœlo, beata cum Angelis; si in Paradiso, secura à miseriis istis; si in igne purgatorio; anxia de pœnis, tamen expectas liberationem, si in inferno, desperans non expectas miseriam, sed veritatem & seueritatem. O anima sine corpore

B vbi est modo corpus tuum? vbi est Abel frater tuus? ecce vermes, ecce onea, ecce putredo quondam in ossibus tuis. Tu autem quid? Petis ne ab Abraham vt mittat Lazarum, & intinguat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam tuam? habesne flammam supplicij in parte vel in toto? estne spes euadendi? O anima si in inferno es, non reuertetur oculus tuus vt videat bona. Si in igne purgatorio, minus ardet fornax Babilonis, cuius flamma euaporabat cubitis quadraginta nouem. Æthiopes crudelissimi ligna, fœnum, stipulam, nec non & picem, atque malleolos, quos de sylua malorum nostrorum collegerant studiosè, & reposuerunt malitiosè, insistunt in igne purgatorio subministrare, & donec vox de throno gratiæ veniat, miseram animam non cessant flagellare.

O anima siue beata siue misera, quàm vtile esset animæ peregrinanti adhuc in corpore te videre & audire,

C quæ & sortis nostræ non es oblita, & tuæ iam es experta. Ecce habes stateram in manu tua, appendens in ea quod in corpore meruisti, & quod extra corpus recepisti. Hîc, hîc mendaces sunt homines, in iniustitia non attendentes stateram paratam quæ rectâ lineâ librat pœnam & culpam, non declinans neque ad dextram neque sinistram. In præsenti quidem mixta est misericordia cum iustitia, & iustitia cum misericordia: quando Deus inclinat de calice qui est in manu eius, ex hoc misericordiæ in hoc iustitiæ, & ex hoc iustitiæ in hoc misericordiæ. In futuro autem iudicio erit iustitia sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: non enim tunc inuenietur oleum ad emendum. Nunc

Apoc. 6. 6. dicitur, *Vinum & oleum ne læseris*, quia correptio & compassio necessaria est ad curandum semiuiuum à latronibus relictum. In iudicio sæua erit correptio; quia non erit tempus seminandi, sed metendi. Vana etiam erit compassio vbi nulla quæ non præcesserit miseratio.

D Anima in corpore odorat ista, non gustat, sicut naues poma portantes; sed illa quæ ad portum applicuit, iam degustat cuius saporis sint futura sæcula. De mortis

Psal. 38. 4. quoque meditatione dicitur. *In meditatione mea exardesces ignis.* Ignis vtique de quo dicitur; *Vermes eorum*

Esaiæ. 66. 24. *non morientur, & ignis non extinguetur.* Sed mirum quomodo mors exardescet meditata, quæ frigida omnem vitalem tollit & extinguit calorem. Quando tamen accenditur ignis nisi tempore hyemis? Ita enim contrarium contrario repellitur, & quæritur ignis dum viget torpor frigoris. Quid ergo facit exardescens ignis in meditatione mortis; Ligna, fœnum, stipulam, paleasque comburit, mundanas delectationes in cineres redigens? Mors namque mentem totam occupans, temporalia omnia parui pendere facit. Quis enim aquis mersus aquas se mergentes diligit? Et nonne concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, superbia vitæ, in profundissimum infernum possessorem suum demergunt? In his aquis Leuiathan natat & latet

B in insidiis: vt incautè sibi appropinquantes aut submergat, aut de naribus fumum proiiciens sicut ollæ

Iob. 41. 55. succensæ & feruentis exurat. Vnde Iob, *De naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ & feruentis.* Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egre-

Psal. 17. 9. ditur; fumus de quo dicitur: *Ascendet fumus in ira eius,* oculorum caliginem generat, sed caligo sub pedibus

Psal. 57. 9. Dei. Flamma de ore draconis est, de qua dicitur: *Supercecidit ignis & non viderunt solem*: concupiscentia videlicet mala, quæ prunas ardere facit, dum hic animam seducit, vel in morte ad pœnam trahit. Aduersus hæc

Gregorium homil. 27. in Euan. nasus sponsæ, sicut turris quæ respicit contra Damascum, meditatur de morte contra mortem, quia iacula quæ præuidentur, minus feriunt, & non est fera tam sæua, quæ magisterij assiduitate non castigetur & mitigetur. Sic mors nec incognita meditatione, nec improuisa expectatione veniens, non superueniens: valuas nostras apertas penetrans, non perforans: intrans non irruens: excitans non feriens latus dormientis, satis modestè à nobis, non cum horrore excipitur. Venit

F enim vt bonus nuntius, non vt infestus aduersarius: mandatum refert, non infert supplicium; fines enim mandati non excedit; à se non potest facere quicquam.

Psal. 31. 12. *In chamo & fræno maxillas eorum constringet* Deus iudex iustus, vt nucleus gloriæ quam abscondit Deus timentibus se, testâ cum cortice fractâ, Beatorum repleat viscera.

CAPVT XXIV.

De meditatione Mortis Christi, hominis, & diaboli.

Apoc. 6. 7. ET *cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni & vide, & vidi. Et ecce equus pallidus.* Nota in tribus superioribus, vnum animal, secundum animal, tertium animal dixisse: in quarto verò non quartum animal, sed vocem quarti

G animalis scribit se audisse. Ioannes enim Euangelista est vox verbi, qui sic inchoat Euangelium suum: *In principio*, inquiens *erat Verbum*, &c. Equus autem pallidus est, qui ante passionem cœpit pauere & tædere,

Math. 26. 38. dicens. *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et nomen illi mors*, qui nunc mortuus est propter delicta

Osee. 13. 14. nostra: Et in Osee dicens: *Ero mors tua ô mors.* Et iuxta illos qui dicunt: *Nomen eius non morietur amplius.* Et

Ierem. 11. 19. inferiùs sequebatur eum, secundùm illud: *Posuerunt*

Psal. 87. 7. *me* opinione *in lacu inferiori, in tenebris, & in vmbra mortis.* Ad meditationem itaque mortis pertinet mors Christi, mors diaboli, & mors hominis. Mors Christi occidit mortem in diabolo ne vltra viueret: in homine ne remaneret; in diabolo vt periret: in homine ne periret; in diabolo ne regnaret: in homine ne seruiret; in diabolo ne sæuiret: in homine ne timeret; in diabolo ne falleret: in homine ne illi crederet, in diabolo vt de vita desperaret: in homine vt per mortem ad

H vitam aspiraret. Meditatio mortis Christi visitat ægrum, meditatio mortis diaboli confortat infirmum; meditatio suæ mortis humiliat superbum: meditatio mortis Christi potio est salutaris; meditatio mortis diaboli purgatio est inflationis: meditatio suæ mortis restitutio siue conseruatio sanitatis. Meditatio mortis Christi venena extinguit; meditatio mortis diaboli apostema soluit; meditatio suæ mortis amplastrum morbo apponit. Equus pallidus est, qui se mortificat in meditationibus istis vt mortem puniat, & interim collum suum morti subijciat; & in morte de subiugo venientis exiliat.

Iob. 38. 17. De meditatione mortis ait Dominus ad Iob: *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Deo, cui nuda sunt omnia & aperta, qui palmo metitur terram, & pugillo continet omnia à supremo cœli cardine vsque ad profundissimum inferni, nihil est clausum. Potestas eius æterna ingreditur, & egreditur, nullo resistente, omnes regni sui prouincias: quia

Quacunque

A *Quæcunque vult facit in cœlo, & in terra, & omnibus abyssis.* Illi procul dubio apertæ sunt portæ mortis, vt cùm vellet, intraret & exiret, quem vellet introduceret, & quem vellet reuocaret. Nulli autem Sanctorum nisi per IESVM apertæ sunt portæ mortis, vt inde exiret: quæ tamen per peccatum apertæ sunt, vt de mundo exiens ineuitabiliter omnis humo per eas ad futurum sæculum, ad pœnam vel gloriam intret. Sunt verò portæ mortis, sunt portæ inferni, sunt portæ claustri, sunt denique portæ cœli. De portis mortis dicitur in Psalmo: *Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Syon.* De portis inferni dicitur in Euangelio: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et, *Vadam ad portas inferi.* Portæ sæculi sunt introitus ad vitam, & exitus de vita. Portæ claustri sunt professio regularis cum obseruantia, & spe* renuntiationis. Portæ cœli sunt sancti Angeli, & ministratorij spiritus, qui mittuntur B propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Pœnales sunt portæ mortis; abominabiles portæ inferni; periculosæ portæ sæculi; religiosæ portæ claustri; gloriosæ portæ cœli. Portas mortis pertransiuit Dominus; Portas inferni confregit; Portas sæculi sine pessulo intrauit & exiuit; Portas claustri conuersatione sua in terris, & morte dolauit, Portas cœli in Ascensione sua aperuit. In cardine vexatorio voluitur porta mortis; in cardine punitorio porta inferni; in cardine mutatorio porta sæculi; in cardine meritorio porta claustri; in cardine remuneratorio porta cœli. Angelus sanctus custodit portam cœli; bonus Prælatus portam claustri; quotidianus defectus portam sæculi; diabolus damnatus portam inferni; princeps mundi portas mortis. Clauis cœli est gloria, clauis claustri est regula, clauis sæculi est vanitas, clauis inferni est pœna perpetua, clauis mortis est diuina sententia. In porta cœli de fine laborum exultatio, in porta claustri peccatorum C purgatio, in porta sæculi anceps occupatio, in porta inferni desperatio, in porta mortis trepidatio. Meridies ad portam cœli, aurora ad portam claustri, crespuculum ad portam sæculi, vespera siue nox ad portam mortis, media nox ad portam inferni. In resurrectione mortuorum apertæ erunt portæ mortis, quia omnes resurgemus, sed non portæ inferni, quia non omnes immotabimur. In exitu aperiuntur portæ claustri & portæ sæculi, post iudicium portæ cœli. Ait ergo: *Numquid aperta tibi sunt portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* quasi diceret; Est ne tibi iam pura conscientia, & de gratia mea tam secura vita, vt intrepidus expectes mortem? & cùm venerit tanquam absynthium, deglutias illam intrans portas eius sine labore, & exiens absque difficultate? An & ostia tenebrosa vidisti? Si habes oleum in lampade tua, ad tenebrosa ostia non offendes pedem tuum, quia gressus tuos diriges secundum eloquium Dei, in quo lux, & tenebræ nullæ sunt.

D

Psal. 134. 6.

Portæ diuersæ per quas vel ad vitam vel ad pœnam.

Psal. 9. 15. Matt. 16. 18. Isai. 38. 10.

* f. renunciationis.

CAPVT XXV.

De communicatione corporis & sanguinis Domini.

IN disciplina Claustri non est omittendum quod præcipuè est necessarium, altissimę quoque commendandum memoriæ. Eucharistia siquidem locum tenet in corpore Ecclesiæ, quem humanum cor in homine; integro & sano corde viuitur, & corrupto & vulnerato, homo moritur. Vnde Salomon: *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Et Dominus de corpore suo in Euangelio: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Vita est Angeli in quem desiderant Angeli prospicere: vita est Christiani per quam possit proficere. Hanc vitam aliter * accipere qui in carne & secundùm carnem viuit; aliter ille qui seminat in spiritu metat vitam æternam, Aliter illi; *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est*; Aliter illi *Qui esuriunt & sitiunt iustitiam*: & quibus dicitur: *Vos in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Et ille qui dicit: *Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Christus*: quem diligo ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute. Cor tale Deum solum cogitat, amat, & desiderat; anima singulis spiraculis Deum annuntiat, & semper ad Deum spirat & suspirat. Virtus omnia potest in eo qui se confortat, & nihil sine eo qui dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Qui sic Deo & à Deo occupatur horis matutinalibus fame sancta vrgente, Dominici corporis & sanguinis communione quotidie reficitur. Sed secundùm Apostolum diiudicandum inter hunc spiritalem cibum, & corporalem quotidianum: Nam summa discretione attendendum, quando ad corpus Christi sit accedendum, quando cedendum, & quando recedendum. Accedere ad Christum, accedere est ad Dominum, accedere ad Regem; accedere ad lucem, ad ignem, ad panem, ad vitem, imò ad vitam. Quæris libertatem? accede ad Dominum. Quæris F securitatem? accede ad Regem. Quæris claritatem? accede ad lucem: Quæris calorem? accede ad ignem: Quæris refectionem; accede ad panem: Quæris potum? accede ad vitem: Quæris resurrectionem? accede ad vitam. Offendisti Dominum? cede: Fecisti contra Regem? cede: cæcus aut lippus es? cede à luce: Portas in lumbis aut in manibus tuis ignem alienum? cede ne exurat te ignis de altari. Esne plenus murmurio, & saturatus de contradictionibus? cede, & noli accedere ad panem Angelorum. Esne inebriatus de vinea Sodomorum & Gomorræ? cede, & noli accedere ad vinum de vinea Sorech. Esne mortuus criminalibus, & sepultus in inferno? cede. Distat autem plurimùm inter cedere, & recedere: Nam cedere, reuerentiæ est; recedere, irreuerentiæ. Cedit qui dicit: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*: recedit qui dicit: *Ecce eycit me à facie tua.* Et, *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Ionas quoque fugiens & recedens à facie Domini absorptus est in ventre ceti tribus G diebus & tribus noctibus. Et Psalmista: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Quis autem finis recedentibus à Deo? *Omnes qui elongant se à te peribunt.* Cedo itaque cùm peccauero, non recedo si confessus errorem fuero, & emendauero.

Sed adhuc diligentiùs aduertendum quando, quomodò, & quare ad Communionem sit accedendum: habet enim vtilitas huius refectionis temporis discretionem, modi determinationem, causæ etiam rationem. In tempore considerantur tria, opportunitas, consuetudo, & solemnitas. In modo, purgatio, intentio, & deuotio. In causa institutio, vtilitas, & necessitas. Breuiter replicanda sunt & explananda quæ hic enumerantur. Opportunitas fugit & fugat occupationem: Liberis enim mentibus hoc exequendum officium & Deo obsequendum. Consuetudo remouet laicam negligentiam & erga salutem suam nimium torporem. Sufficit enim Laico semel in anno communicare; sed pia & sollicita Maria sedens ad pedes Domini cum nostris claustralibus, sic non satiatur oculus eius visu; nec auris auditu; sic panem Angelicum, scilicet Dominicum Sacramentum quotidie sumit, & quotidie nihilominus esurit iusta illud: *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Instans quoque solemnitas admonet nos accedere ad Communionem. Quæ enim solemnitas, vbi fames & egestas? vbi autem non est cibus qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, egestas est, & exitialis inopia. Solemnem itaque habeat, & adhibeat cibum solemnitas Sanctorum. Dictum est de tempore, videamus de modo qui habet purgationem, intentionem, & deuotionem. De quodam sancto dicitur: Quia Christus *purgauit peccata ipsius.* Et ad Hebræos de Christo ait Apostolus: *Portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* O cor meum, anima mea, os meum, labia mea,

Prou. 4. 23. Ioan. 6. 58.

* f. accipit.

E Psal. 13. 3. Matt. 5. 6. Rom. 8. 9. Gal. 2. 20. Ioan. 15. 5.

Quando accedendum ad corpus Christi, quando cedendum, quando recedendum.

Luc. 7. 6. Gen. 4. 4.

Psal. 6. 8. Psal. 72. 27.

Modus & tempus accedendi ad Communionem.

H

Eccles. 47. Heb. 1. 3.

A

In altari sumitur corpus natum de Maria Virgine, &c.

fauces meæ, lingua mea, stomachus meus? Quid est in altari? nonne corpus quod sumptum est de Virgine Maria, corpus conceptum de Spiritu-Sancto, corpus passum in cruce, sepultum in monumento nouo; corpus quod tertia die resurrexit à mortuis, corpus quod ascendit super omnes cœlos; corpus quod sedet ad dexteram Patris in excelsis, in quo Iudex viuorum & mortuorum IESVS iudicaturus est viuos & mortuos & sæculum per ignem? Quid ergo vos omnia interiora & exteriora mea? Quomodo suscipietis tam castissimum, tam sanctissimum, tam mundissimum, quæ sordetis tam impuriamẽstualibus immundiciis, tam damnabilibus, assiduis & inenarrabilibus culpis? Purgandæ itaque priùs sunt sordes nostræ aquâ compunctionis, igne fraternæ compassionis, hyssopo fidei & humillimæ confessionis, cinere saluberrimæ subjectionis & mortificationis. De hac purgatione Apostolus ad Hebræos: *Habentes*, inquit, *fiduciam in introitu sanctorum in sanguine* Agni immaculati IESV-CHRISTI, *quoniam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei: Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aquâ, teneamus spei nostræ indeclinabilem confessionem.* Secutus introcat ad altare Dei, certus accedat ad Communionem Dominici corporis, qui habet cor aspersum, id est mundatum à conscientia mala, & corpus ablutum tam sanctificatione baptismatis, quàm compunctione deuotionis; & qui tenet indeclinabilem spei confessionem. Nota indeclinabilem cõfessionem, vt sint pedes eius pedes recti, se accusando de se, non de Creatore, vel diabolo conquerendo: *Deus enim intentator malorum est*: & diabolus tentat, sed non sine licentia, nec vltra licentiam *Vnusquisque autem tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.*

Heb. 10. 19.

B

Iacob. 1. 13.

Intentio triplex

C

Iam de intentione dicamus quæ triplex est. Alia enim bona, alia mala, alia pessima. Bona est, si corpus CHRISTI cum fide vera, & pura ab omni crimine conscientia sumitur: vt sanguis CHRISTI iustum iustificet amplius; hic accipit vt bonus fiat. Mala est enim cùm in vase per odium arido, per luxuriam immundo, & per malitiam corrupto mittitur, non vt qui est malus fiat bonus, sed vt qui est malus appareat bonus: Hic est hypocrita. Pessima est, quando irreuerenter quasi canis rabidus corde pessimo accedit aliquis ad Sacramentum Dominicum, non vt fiat bonus, sed vt sub Christo lateat antichristus. Hic est lupus rapax, qui sub pelle ouina deuorat agnum, turpitudinẽ suam foliis ficus tegens, non ad remissionem, sicut ille cuius tecta sunt peccata & remissæ sunt iniquitates, sed sicut Adam & Eua in Paradiso consuerunt folia ficus non se accusando, sed excusando. Sit itaque intentio percipiendæ Eucharistiæ, vt sit bono ad sanctificationem, sit malo ad correptionem, sit pessimo ad compunctionem. Mittit enim Deus chrystallum castissimi corporis sui sicut buccellas, vt infirmus sanetur, famelicus satietur, sanus impinguetur & confortetur. Exprimitur intentio in oratione, vbi dicitur: *Non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum: sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit fidelium viuorum & mortuorum remissio omnium peccatorum.* Dicamus de deuotione.

D

Triplex quoque deuotio

Triplex sit deuotio: Alia compunctiua, alia suspitiosa, alia lachrymosa. Compunctiua est fons scaturiens, suspitiosa est fons saliens, lachrymosa fons superebulliens. Pungit compunctiua, elicit suspitiosa, fundit & pluit lachrymosa. Timor pungit, spes elicit, amor pluit. Venam stringit timor, spes aperit, amor humorem cum impetu spiritus educit. Sic minutus sanguine peccati, ligamento, ferro, & mora cordis voluntariò; dicat Domino: *Voluntariè sacrificabo tibi*, qui ante præsidem ligatus astitisti, qui clauis confixus in ligno pependisti, qui lancea percussus sanguinem & aquam dedisti, oblatus es quasi non coactus, si qui nolueris, sed deuotus & spontaneus, quia ... sti. Iam de causa dicendum est, in qua tria notauimus. Institutionem, Vtilitatem, & necessitatem. Considerandum est ergo in institutione, quis, quibus, quando, & quomodò hoc Sacramentum institutum sit. Quis? CHRISTVS: Quibus? Apostolis: Quando? In Cœna vltima. Quomodo: *Accipiens panem benedixit & fregit, & dedit Discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc est corpus meum. Simili modo & calicem postquam cœnauit dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes: Hic est calix Sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur. Hoc facite in meam commemorationem.* In actore agnosco bonitatem, scientiam, & potestatem. Bonitatem, quia voluit; scientiam, quia futuris morbis antidotum sufficiens, & quod de facili posset haberi, in recessu suo ad consulandam absentiam præparauit. Potestatem, quia potuit & potest facere quod vix homo potest credere, nullatenus verò definire. In Apostolis contemplor amicitiam, obedientiam, & reuerentiam: Amicitiam tunc quidem quasi in herba teneram; sed post acceptum Spiritum tanquam ardorem, solidissimam. Obedientiam vsque ad diuisionem animæ & spiritus, vsque ad mortem, vsque ad crucem, vsque ad decollationem. Reuerentiam tanquam Magistro, tanquam Domino, tanquam patri, immò tanquam Deo. Vnde: *Tu es Christus filius Dei viui.* In tempore firmissimum coagulum, fortissimum argumentum, excellentissimum donum quod hactenus reposuerat, & in corporali separatione dandum ab æterno amicis suis prædestinauerat, recogito. Coagulum est corpus CHRISTI compingens sumptum Deum, & sumentem Christianum in vnum, iuxta Apostolum; qui ait: *Panis cui benedicimus nonne communicatio corporis Domini est? Et calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* Argumentum quoque probabile & necessarium est diuinæ dilectionis, quia nunquam se nobis dedisset, si non specialiter dilexisset. IESV autem quid melius in cœlo & in terra, quid carius, quid pretiosius? Hic enim est datum optimum & donum perfectum, de sursum descendens à patre luminum. Dederat quidem Pater IESVM filium suum incarnatum generi humano, sed ea conditione quòd reciperet illum in assumpta humanitate expleto legationis officio: Addidit deinde gratiam gratiæ, vt sub alia specie in eadem veritate, eumdem Filium suum IESVM non solùm daret vt socium itineris, sed vt viaticum totius peregrinationis, vt qui visibili passione semel nos redemerat, semper inuisibili refectione confortaret. Quomodò autem corpus suum Dominus Apostolis tradidit, Apostolus ad Corinthios docet, & Euangelistæ pleniùs ostendunt. Accepit enim panem qui creauerat ipsum panem, & eadem potentiâ, quâ priùs creauerat ad corporalem hominum refectionem, gratiarum actione ad Patrem & benedictione cum Patre conuertit in substantiam corporis sui, ad animarum & corporum redemptionem. Similiter & calicem.

E

Causæ accedendi ad Communionem: Institutio

Matth. 26.

Marc. 14. 22.

Luc. 22. 17.

1. Cor. 15. 23.

F

Ioan. 11. 27.

1. Cor. 18. 56.

G

H

Vtilitas.

Iam videamus de vtilitate. Reprobatio quidem præcedentis mandati fit propter inutilitatem & infirmitatem suam. Nihil enim ad perfectum adducit lex, & si priùs illud culpà vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. *Christus* autem *semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata.* Et, *Vnam pro peccatis offerens hostiam sedet in dextera Dei.* Quærenda est virtus infirmitatem, vtilitas contra inutilitatem, succedit Euangelium legi tanquam virtus. Audi Apostolum: *Non*, inquit, *erubesco Euangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* De Corpore Christi quid? *Oblationes*, inquit, *& hostiam noluisti, corpus autem aptasti mihi.* An est corpus Christi? Item Apostolus: Quod infirmum est Dei, vtique corpus assumptum, fortius est hominibus. Helias ad caput suum inuenit panem subcinericium, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus. Et dubitas te in fortitudine panis, qui de cœlo descendit, posse ambulare non vsque ad montem Dei Oreb, sed vsque ad montem in quo beneplacitũ Deo habitare in eo? Est itaque virtus & sanitas in

Heb. 9. 28.

Heb. 10. 12.

Rom. 1. 16.

Psal. 39. 7.

corpore

A corpore Christi. Itaque virtus Eucharistiæ sicut sanitas excludit infirmitatem. Vnde est illud : *Sanitas sub pennis eius.* Sob pennis itaque visibilium specierum panis & vini quasi sub pannis fidet in præsepio (Malac. 4. 2.) altaris. Vnde Angelus ad pastores ait : *Inuenietis Infantem* (Luc. 2.) in vestris, qui æternus est in suis, *pannis inuolutum* : videlicet secundũ Adam in tunicis pellicejs. Sed quid latet sub his siue tunicis siue pellibus, seu pennis, seu pannis? Virtus sine dubio : Nã *virtus Dei erat in illo.* Sic exclusa infirmitate per virtutem, excluditur inutilitas per vtilitatem. Stringe sensum Apostolicum : Ad æmulationem carnis aspergebatur sanguis vitulæ, ad perfectum nihil adducebat, ad dexteram Dei neminem collocabat : Hæc autem omnia implet Hostia viua Hostia sancta, hostia immaculata, quæ suo triplici effectu præstat emundationem, sanctificationem, & societatem non solùm Angelicam ; sed & diuinam. Communicatio enim Dominici corporis, & aspersio sanguinis IESV CHRISTI, agni videlicet immaculati, emundat nos

B à delicto maximo, & ab omni peccato. Vnde Ioannes (Ioan. 1. 29.) Baptista : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et in Apocalypsi Ioannes Euangelista : *Qui lauit nos in* (Apoc. 1. 5.) *sanguine suo.* De sanctificatione quoque dicit in Euangelio : *Et pro eis sanctifico meipsum, vt & ipsi sancti sint* (Ioan. 17. 19.) Et Apostolus ad Hebræos : *Qui sanctificat, & qui sanctificantur in ipso omnes* : Et de passione : *Ego vado immolari pro vobis.* (Heb 2. 11.) Emundat igitur conscientiam nostram ab operibus mortuis Eucharistia, nihilominus & sanctificat in iustificationibus Domini, vt *qui sedet ad mensam diuitis, diligenter attendat quæ apponuntur, sciens quia talia oportet præparare*, vt casto castum exhibeat (Prou. 23. 1. iuxta lxx.) hospitium, pio pium, iusto iustum, mundo mundum, (1. Pet. 1. 22.) sancto sanctum. Vnde Petrus Apostolus : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius*, &c. Sic emundati, sic sanctificati, sic socij sumus sanctificationis, sic etiam glorificationis siue consolationis erimus. Vnde Ioannes in Epistola sua : (1. Ioan. 1. 3.)

C *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum ; & societas vestra sit cum Patre & Filio eius* IESV CHRISTO. O societas nõ leonina quæ socium deuorat, non canina quæ intra fauces stridet & murmurat, & in aperto latrat, & in animam iusti captat, non coruina quæ semper mordet & erga cadauera crocitat ; sed ouina quæ de velleribus suis fœdum tegit, & frigidum calefacit ; sed agnina quæ se ipsam vt amicos pascat in mortem tradit, sed columbina quæ simplici oculo omnia conspicit & omnem amaritudinem, & iram, & indignationem tollit. O societas quæ mala nostra suffert vel aufert, & sua bona confert, quæ nihil à nobis petit nisi quod dederit, nihil accipit quod nostris vsibus seruauerit ; quæ nunquam circumuenit in negotio, sed semper subuenit æterno subsidio ; quæ exponit omnia sua & disponit omnia nostra.

(Necessitas.) Ecce de vtilitate Eucharistiæ, quæ emundat, quæ sanctificat, quæ societatem Dei donat, pauca diximus. Ad dextremum de Necessitate videamus. Proinde & ipsa

D triplex est. Nam alia necessitas ex auctoritate decreti ; alia ex obligatione promissi voti ; alia ex impossibilitate vel difficultate rei, rationis, & facti. Ex auctoritate decreti ; vt, *In quacumque die comederis, morte* (Gen. 2. 17.) *morieris.* Ex hoc decreto, est omnis homo mortalis. Item ex obligatione voti ; in promissione baptismatis tenetur omnis Christianus ; in professione Religionis Monachus & Canonicus ? in consecratione sacri ordinis Sacerdos & omnis ordinatus. Ea itaque necessitate quâ homo moritur, quia vetitum gustauit, damnatur qui pactum voti sui præuaricatus fuerit. Vnde Propheta : *Qui pactum soluit, nunquid effugiet ?* Non (Ezech. 17. 15.) effugiet : Et *Melius non vouere, quàm vouere, & vota* (Eccle. 5. 4.) *non reddere.* Rursum necessitas quædam est ex difficultate seu impossibilitate Dei ; vt, quod est album necessariò non est nigrum, quia nullum album est simul & nigrum. Ex impossibilitate rationis ; vt, Lapis non est homo, quia lapis est insensibilis, homo sensibilis.

E Ex impossibilitate facti ; vt, Homo digito suo non tangit cœlum. Sed ad propositum redeamus. Omni Christiano necesse est Eucharistiam sumere ex auctoritate decreti, quod est : *Nisi manducaueritis carnem filij* (Ioan. 6. 54.) *hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex obligatione voti tenemur diabolo & pompis eius renuntiare, & sic communicare. Quòd si votum frangimus & communicamus, quid ait Apostolus ? *Qui* (1. Cor. 11. 29.) inquit, *indignè sumit, iudicium sibi manducat & bibit.* Necessariò igitur debemus communicare, & dignè. Res verò sacramento visibili, virtute inuisibili; res aliud ostendit, aliud reponit. Sacramentum visibile exterius obiicit, virtutem inuisibilem intrinsecus continet, mundis cordibus exhibet. Rem si totus accesseris, totam habebis, si dimidius, dimidiam : id est, sacramentum, non rem sacramenti ; vt sis palmes in vite, qui non fert fructum, sed qui excidetur, & in ignem mittetur. Dignus itaque ad rem tam dignam dignè accede ; & non deerit qui digno nulli vnquam deficit, & si

F cui defuit dignus non fuit. Dignè autem accedit, qui nulli peccato mortali succumbit, de venialibus humiliter quotidie satisfacit. Ratio deinde nostra in tanto solis radio aut minus videt, aut cœca est. Minus videt propter lippitudinem ignorantiæ naturalis ; aut cœca est propter intolerabilem fulgorem diuini operis. Si suis & consuetis graditur vestigijs, non apprehendet sapientiam huius mysterij, quæ abscondita est ab oculis omnium viuentium. Si verò innixa fuerit super dilectum suũ, qui illuminat tenebras eiusdem rationis vero lumine interim fidei, posteà rei, satiata ab vberibus eius quæ sunt super omnia aromata, dicet. Teneo illum fide & dilectione, nec dimittam donec introducat me in domum Matris suæ MARIÆ, & in cubiculum genitricis suæ gratiæ, de qua conceptus & natus est IESVS, Creator & Illustrator totius rationis. Veni ergo ratio ad altare ; non superbo oculo, & extento collo, sed genu curuato, & vultu in terram demisso, adorans scabellum Eucharistiæ, non disputans aut iudicans quare aut

G quomodò id fiat. Ait enim Dominus Petro ; Tu nescis modò, scies posteà. An tu melior Petro ? An tu Deo familiarior ? Petrus nescit carissimus discipulus, cui Pater reuelauerat, quòd Christus esset filius Dei viui, nondum didicit, & tu disputando, discutiendo, deffiniendo vis exossare vsque ad cinerem ossa Regis, quæ occultantur vsque ad tempus & tempora ? Orando expecta donec crescat Sela, qui interpretatur vmbra eius ; donec oriatur lucifer in cordibus nostris, qui dicat nobis omnia quæ audiuit à Patre suo, & faciat omnes docibiles Dei.

Restat de facto. Factum hoc admirabile, factum delectabile : vnde Psalmista : *Delectasti me Domine in factura tua.* (Psal. 91. 4.) Factum hoc apud homines impossibile vt Deus moreretur, vt Dominus gloriæ crucifigeretur, vt panis fieret caro Christi, & vinum sanguis ; apud Deum autem omnia possibilia sunt, nullus in Deo labor grandia & grauia atque impossibilia facere ; tam facile est ei omnia facere, quàm promptum velle ; Omni quidem homini

H aliud est velle, aliud pati, aliud facere : nulla mora, nulla differentia inter Dei velle & Dei facere. Sed hoc de nostro, non de suo ; nisi fortè dicas nostrum suum, quia ab eo assumptum, & quod nostrum tantùm erat proprietate naturæ, iam suum factum est dignatione & assumptione. In illo ergo nostro suo aliquid voluit secundùm nos, aliquid secundùm se, sed subiecit quod secundũ nos voluit ei quod secundùm se voluit, dicens Patri : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Fecit quoque aliquid secundùm nos ; fecit & secundùm se : conceptus est, natus est, fatigatus est, passus est, mortuus est, secundùm nos. Adoratus est, cæcos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit, & huiusmodi, secundum se. Tamen vnus idemque & secundum nos & secundum se Deus & homo, & homo Deus. Denique passus est non secundum se, sed secundum nos tantùm, quia in nostro suo, nõ in suo suo. Quod itaque passus est in cruce, & quod facit in calice ; si ad nos respicimus,

A gatur, aut possessio siue inuestitura nobis testificatur, quam Ecclesiam nostram aliquando habuisse probare po terimus.

NOTÆ.

a *Monasterium*] Cellense, cui Petrus Abbas præfuit, in suburbio situm est Tricassinæ ciuitatis, loco qui olim insula Germanica dicebatur. Vnde vetus quoque monasterij nomē duplex. Nam & monasterium S. Petri ab eius tutela & patrono appellabant, & a prisco loci vocabulo monasterium insulæ Germanicæ: quo sanè modo Nicolai Clareuallensis epistola xxiv. in codice nostro inscribitur, *Petro Abbati insulæ Germanicæ*. Dictum est etiam Cœnobium Cellæ Bobini, vt rectè in antiquitatibus suis obseruauit vir eruditus & diligens Nic. Camuzatius. At vulgus hodie patriâ linguâ *Monstier la Celle*, hoc est monasterium Cellæ vocat. Interdum verò

F absolutè monasterium Trecense, & Abbates Trecenses dicti sunt, qui Cellenses. Sic enim Petrus ipse loquitur lib. I. epist. vII. & lib. III. epist. vIII. ob hanc nimirum causam, quia omnium Tricassinæ vrbis cœnobiorum antiquissimum erat Cellense.

b *Liber primus*] Epistolas omnes in libros IX partiti sumus. In antiquo enim exemplari nulla erat librorum distinctio, sed vna omnium epistolarum series, quam perpetui ad earum initia numeri ostendunt.

c *Epistola prima*] Hanc alieno scribit nomine, vt sextam item; reliquas proprio.

d *Ecclesia n. deruensis.*] Monasterij Deruensis, quod in saltu Deruensi positum est in diœcesi Catalaunensi. Gallis vulgo *Monstier-en-der*, quasi monasterium in Deruo. Huius nomen sæpius infra recurret in epistolis Alexandri III. corruptè verò apud Gerbertum epist. vIII. *Terdonensis* editum est pro Deruensi.

e *Henricum trec. com.*] Ad quem lib. II. epist. vI.

C

EPISTOLA II.

Domino suo & patri Alexandro summo Pontifici, Fr. Petrus humilis Abbas Cellensis debitam subiectionem filij & deuotionem.

CVi præter sinus paternos alia non suppetunt refugia, instantiùs eadem requirit in necessitate suffragia. Ad vos, pater sanctissime, à multis, quæ circundant nos tribulationibus, & principum nostrorum oppressionibus meritò confugimus, cuius studio & sollicitudini regendam Ecclesiam suam in mundi fluctuationibus commisit Christus. Iam enim petimus nisi respexerit naufragia nostra benignus Deus. Iustitia, ratio, veritas, lex & æquitas de die in diem à nostris finibus exterminantur, & earum memoria absque modo & misericordia extinguitur. Proinde respiciat, quæsumus, super nos misericordia vestra, vt viuere possit anima nostra. Vale.

D

EPISTOLA III.

Domino & patri carissimo Alexandro summo Pontifici, Fr. Petrus Cellensium fratrum minùs idoneus Abbas seipsum cum deuotione.

VBi causæ postulandæ perorare per se sufficit prærogatiua, solet rogantis etiam minus idonea recipi persona. Supplet namque dignitas petitionis insufficientiam postulantis. Prædecessorum vestrorum priuilegiis & beneficiis Abbatiam Fontis Ebraldi sublimatam & communitam vbique diuulgatum & notum est in partibus nostris. Episcopus autem Pictauensis, cùm rigare debuisset & fauere plantationi dexteræ Dei

E & vestræ, nititur libertatem huius Ecclesiæ diminuere, & contra priuilegium consuetam *a* Abatissam cogit professionem sibi & obedientiam promittere, quam sibi sedes Petri retinuit. Gloriam itaque vestram alteri non detis: sed omni remoto mediatore, propria benedictione & protectione & Abbatissam & Abbatiam vt dignum est, foueatis.

NOTÆ.

a *Abbatissam cogit profess.*] Vetus hæc inter illos controuersia, vt docet Sugerij Abbatis epistola ad Eugenium III. Hadriani sanè IV. extat in tabulario Fontisebraldi rescriptum, quo statuit, vt Abbatissa professionem Episcopo Pictauensi & obedientiam ea lege præstet, vt Episcopus monasterio nihil oneris imponat. Ex quo quidem apparet, aut moniales decreto Pontificis non statim paruisse, aut epistolam hanc non Alexandro scriptam fuisse, sed Hadriano ante eius rescriptum. F

EPISTOLA IV.

Domino & patri carissimo Alexandro vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici filius suus Petrus Cellensis indignus Abbas cum omni dilectione obedientiam, voluntariam subiectionem.

DE multa bonitate vestra plurimùm confidens, etiam pro negotiis aliorum vobis aliquando scripsi. Nunc verò in propriis vestrum, pater sanctissime, cogor expetere pium auxilium. Est autem huiusmodi pro necessitatibus Ecclesiæ nostræ negotium. Habemus *a* prioratum apud Cantumerulam, in cuius cæmeterio suis sepeliendi omnes qui de castello sunt, & de quibusdam aliis villis hactenus dignoscuntur habuisse. Constat etiam antiquitus non fuisse cæmeterium in castello, dum ibi essent Canonici sæculares. Cùm autem successissent regulares, ab antecessore nostro impetratum est, interuenientibus, *b* comite Theobaldo & Hatone Episcopo Trecensi, quatenus ibi fieret cæmeterium, tantummodo ad sepulturam Canonicorum & conuersorum. Abbas autem cum Canonicis suis contra pactum veniens, illos etiam, qui tam iure quàm pacto in cæmeterio nostro sepeliri debuissent, sepeliuit. Cùm de his vtrimque altercarum in curia Trecensi & ad iudicium ventum esset, appellauit Abbas. Pro huiusmodi, pater dulcissime, benignitatem vestram obsecramus: supplicantes vt & nuntium nostrum benignè suscipiatis, & petitiones nostras efficaciter exaudiatis. G

NOTÆ.

a *Prioratum apud cantum.*] Cui titulus à S. Sereno, lib. IV. epist. IX. Inde & Prior de Cantumerula apud Saresberiensem epist. cxv. Sita est hæc Cella, (sic enim appellant) propter Cantumerulæ castellum in pago Tricassino. In castello autem ipso monasterium S. Augustini, quibuscum hæc Cellensibus de cæmeterij iure contentio. H

b *Comite Theobaldo*] Magno, de quo epistola sequenti, ad quem D. Bernardus complures

EPISTOLA V.

Venerando patri & domino Dei gratia vniuersali Ecclesiæ summo Pontifici, Frater Petrus Cellæ sancti Petri Trecensis humilis Abbas, quidquid potest.

QVi nostram humilitatem alicuius momenti apud sublimitatem vestram reputant, vtinam spei suæ fructum

fructum in effectu precum suatum inueniant. Hinc enim & vestra benignior apparebit dignatio, & nostra consortabitur de vobis glotiatio, & amicorum pro impetratis gratiosior erit exultatio. Amici nostri, immo veritatis, & honestatis sunt isti, R. Archidiac. & magister H. qui pro Præpositura Suessionensis Ecclesiæ a D. Guillelmo concedenda, pietatem & prudentiam vestram adeunt. Guillelmus verò iste quàm de magno genere, immo quàm de bono sit, vel cuius filius fuerit, exprimerem, nisi virtutes & probitatem patris eius in omni genere virtutum adhuc in curia Romana spirare sperassem. Certè quod optabilius est, nec ramusculus ipse à radicis pinguedine paternæ degenerat. Talem itaque suscitare in Ecclesia Dei cùm omnino expediat, quia multi insurgunt aduersus eam dicentes, Non est salus ipsi in Deo eius; non respuat dextera Dei & B. Petri, & vestra: quia faciet fructum iuxta genus suum; quòd omni obsequio & obedientia semper obtemperauerit præceptis curiæ Romanæ & summorum Pontificum. Habet autem & duo brachia præclara & fortissima, quibus poterit releuare incuruantem, & rebellare refrænantem, quibusque vmbraculuio Dei protegar à turbine & à pluuia. Comes Henricus, & Comes siue dapifer regis Theobaldus, hi fratres eius sunt, & erunt ei in omni auxilio & consilio. Valete.

Magister. H. vir apud nos probatæ honestatis magistrum I. clericum nostrum & amicum nostrum docuit, & multa bona ei fecit. Hunc vobis attentissimè commendamus.

N O T Æ.

a *Dom. Guillelmo*] Quartus hic Theobaldi Magni Comitis Campaniæ filius, & regij sanguinis nexu, & rerum gestarum gloria clarissimus: auunculus enim, tutorque fuit Philippi regis Augusti. Huic verò Ecclesiasticarum dignitatum, quas plurimas & maximas gessit, exordium non fuit præpositura Suessionensis: nam alias superstite patre iam attigerat, vt docet epistola CCLXXI. Bernardi. Post hæc Episcopus fuit Carnotensis, tum etiam Senonensis, denique Remensis, ac S.R.E. Cardinalis & Legatus in Gallia.

b *Comes dapifer Theobaldus.*] Comes Blesensis, Dapifer Ludouici Iunioris, ac postea Philippi Aug. regum, quo munere in aula functus est post Radulfum Comitem Viromanduorum. In diplomate Ludouici eiusdem pro Cœnobio S. Dionysij. *Actum publice Melodun anno dominicæ incarnationis M.C.LIV. adstantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Theobaldi Blesensis Comitis Dapiferi nostri. S. Guidonis Buticularij, S. Matthæi Camerarij S Matthæi Constabularij. Data per manum Hugonis Cancellarij.*

EPISTOLA VI.

Domino & patri Dei gratia summo Pontifici a *Eugenio humilis* b *conuentus sancti Menenni humilem cum omni subiectione salutem.*

AD sinum vestræ pietatis qui debita humilitate recurrit, non solùm maternæ lenitatis blandimenta, sed & paternæ sollicitudinis solet inuenire indubia tutamina. In manu namque vestra est post Deum pax omnium simul Ecclesiarum & nostra. Vestram itaque, pater piissimè rogamus adesse beneuolentiam paupetculæ Ecclesiæ nostræ: & ne longiori tempestate conuellatur, diuinitùs indulta auctoritate ventis & mari silentium placeat vobis matutiùs imperare. Vt itaque vehementiùs & celeriùs vestra erga nos moueatur clementia, nostra breuiter noua & antiqua intimamus pericula. Religionis disciplina & feruor monachici ordinis, tam nostrâ quàm abbatis negligentiâ, olim in Ecclesia nostra in vnum intepuerat. Zelo itaque zelatus pro domo Dei Israël sanctissimæ memoriæ c Lucius prædecessor vester mãdauit humilitati nostræ, & venerabili Episcopo nostro Ioanni, studiosiùs ordinē reformare, disciplinam renouare, & insolitam tumultuationem resecare. Eius itaque nos tam præcepto quàm grata exhortatione ad obediendum inclinati, vt verum fateamur, ad radicem arboris securim extendimus; & Abbatem negligentem excidi voluimus, vt vigilantiorem reciperemus. Sic domine & venerande pater fuerat, nisi totius malignitatis repertor Satanas rursus aduersaretur, & nisi domini Archiepiscopi Turonensis facies & sententia iusta circa hoc negotium peruersè mutarentur. Namque electionē nostram priùs laudauit, & vestra auctoritate confirmauit: quorundam verò malignantium postea ductus, ne dicamus seductus, machinationibus, nulla rationabili existente causa, aggrauauit erga nos & pastorem nostrum consilium suum, volens & consulens illi gregem dimittere sibi commissum. Grauamen itaque immitē sibi imminens Abbas dum attendit, vestram rectè audientiam appellauit. Post hanc autem appellationem, quidam de familia Archiepiscopi & de mensa eius, insecuti & persecuti sunt Abbatem nostrum, ita vt vnum de monachis, vnum de clericis suis cum equis & quibusdam caperent, & turpiter tractarent. Eapropter vestram efflagitamus, pater & pastor vniuersalis Ecclesiæ, gratiam, vt oculo pietatis nostram attendatis miseriam, & causam nostram sinatis, immo præcipiatis tractari non in Archiepiscopi curia, sed in qua ex æquo nostra audiatur & eius iustitia, seu iniustitia. Excuset autem Abbatem nostrum, quòd nequaquam vobis se præsentauerit, tam illata iniuria quàm corporis grauis infirmitas.

N O T Æ.

a *Eugenio p.*] Eugenius III. non solùm ante Alexandrum III. sedit ad quem epistolæ superiores: verùm etiam ante Anastasium & Hadrianum, quos Alexander secutus est. Quare qui has epistolas digessit, ordinem temporum non vsquequaque retinuit quod multis deinceps exemplis patebit.

b *Conuentus S. menenni.*] Cœnobium est ordinis S. Benedicti apud Maclouienses in Armoricis. Itaque qui in hac epistola nominatur Ioannes Episcopus est Macloviensis, ad quem noster epist. XVI.

c *Lucius prædec.*] Lucius II. Cœlestini II. successor, decessor Eugenij.

EPISTOLA VII.

Domino & patri carissimo a *Rolando Cancellario sanctæ Romanæ Ecclesiæ Frater Petrus indignus Abbas Trecensis monasterij, id modicum quod est & quod potest.*

NVllis meritorum suffragiis subnixus, sed sola bonitate vestra confisus, nostris vestram adesse dignationem petitionibus deposco. Arctius siquidem verbum promissionis vestræ per nuncios nostros acceptum in corde reponens, tanquam mihi obligatam ipsorum iure personam vestram teneo. Vt itaque in causa de b Ecclesia de Villa Mauri contra iniustitiam Canonicorum pro nobis valenter assistatis, non remordeat vos conscientia vestra, quia iusta est causa nostra. Valete. Parisiensis Episcopus exponet vobis tenorem facti.

N O T Æ.

a *Rolando cancellario.*] Illi ipsi qui Pontifex postea renuntiatus Alexandri III. nomen gessit. Scripta igitur epistola Hadriani IV. Pontificatu, proinde series interpolata, vt monuimus.

A b *Ecclesia de villa mauri.*] In qua Prioratus alter monasterij Cellensis in eodem pago Tricassino.

EPISTOLA VIII.

Venerabili Domino & Patri Carissimo a Hugoni Senonensi Archiepiscopo, Frater Petrus Cellensis humilis Abbas, seipsum cum deuotione.

VIneæ Christi deuastatores vuas, siue eius ouilis oues lupi rapaces toto die deuorant, pede conculcant, manu dilaniant, & vestra, benignissime pater, vigilantia obuiare dissimulat? Quare non attenditis quid pro officio, quid pro sponsione quid pro dilectione, summi pastoris ouibus magnus pastor debetis? Certè defensionem, certè instructionem, certè

B sollicitudinem. Sed qualem, vel quantam? Sine dubio quantam Christus, qualem Petrus. Christus enim diligit vsque ad mortem: pascit Petrus secundùm triplicem pastionem Verbis namque, exemplis, & miraculis pauit animas fideles Petrus. Non omnino cuilibet pastori impossibile est, pabulum diuini verbi ouibus suæ curæ apponere, exempla bona demonstrare: sed graue est, miracula antiquorum resuscitare. Quod si supra homines huius temporis sit patrare miraculum, sufficit nobis fidele propugnaculum. Vobis siquidem in Petro dictum est, *Pasce agnos meos*, sanâ scilicet doctrinâ. Vobis rursum dictum est, *Confirma fratres tuos*, bono vtique exemplo. Nihilominus claues regni cœlorum tenetis, vt hœdos excludaris, & agnos admittatis. Interim in agro mundi, dum agnus & hœdus simul habitant, hœdus iniustior extollitur, agnus innocentior opprimitur, dum enim superbit impios, incenditur pauper. Quamobrem Sara, id est patientia Ecclesiæ, aduer-

(Ioan. xxi. 15. Luc. xxii. 32.)

C sus Abraham, id est pastores suos, conqueritur, quod Ismaël secundùm carnem ludat cum Isaac promissionis filio: Cuius querimoniæ diuinum iungitur mandatum, *Eiice* inquiens, *ancillam & filium eius.* Vtinam amantissime pater, Ismaël nostrum iuxta Domini Papæ præceptum eiecissetis! fiat tamen non mea, sed vestrâ voluntas. Sacrarium nempe secretorum vestrorum impudens perscrutator non attingam, sed humilis supplicator. Fortassis longa temporis dispendia resarciet plena & perfecta iustitia. Si ad diem illam datam probationes vel testes ducere mecum debeam, si placet, remandate. Valete.

(Gen. xxi. 10.)

NOTÆ.

a *Hugoni Senon.*] Qui vir, quantusque fuerit, declarat epistola Cleri Senonensis de eius electione scripta Episcopo Carnotensi. *Elegimus*, inquiunt, *nobis in pastorem & pontificem dominum Hugonem præcentorem nostrum, à parentibus Christianis & Deum timentibus nobiliter editum, virum strenuum, modestum, mansuetum disciplinis Ecclesiasticis competenter eruditum, religiosis personis amoris & honoris exhibentem officium*, & quæ sequuntur.

EPISTOLA IX.

D *Venerabili domino & patri Hugoni Senonensi Archiepiscopo, frater Petrus humilis Abbas Cellensis seipsum cum deuotione.*

SI patienter dominus meus seruo suo, vbi pœna debetur, plagas amicales admoueret, & vbi iustitia debetur, præmium rependeret, tam facilè confiterer culpã quam secure sperarem veniã. Peiùs tamen quã pelagus formidabilis censuræ ingrediar, an accusem, an deplorem sortem, quâ huc delatua serenitatem vestram, siue meritò, siue immeritò, obnubilatam in me audio, satis

E anxiè delibero. Quomodo enim non accusare vel potiùs execrari casum illum debeo, per quem tantum casum sentio? Pereat omnis casus, à quo amicitiæ infertur occasus. Sit solitarius, nec laude dignus, qui venas interrumpens dilectionis inimicitiarum conglomerat virus. Rursos deploranda fortè potiùs est sors illa, quæ cogit vtrumque in præcipitium: vt scilicet vel prouisum fugiẽs incurrat, vel arcum æreum, iuxta illud Amos, *Dies*, inquit, *Domini tenebræ & non lux, quomodo si fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.* Ecce amici & domini offendo maiestatem, si stetero pro a Petro de Tornella. Ecce iterum frater dissipantis opera sua appellor, si quod bona fide, titulo iusto & more Ecclesiastico à me factum est dissimulauero. Hinc ciuile ius, inde ius naturale de me conqueritur. Sed quid? Ciuilia nunquam naturalia corrumpunt. Dicitur ergo mihi, immo non mihi, sed de me

(Amos. v. 19.)

F dicitur: Hæccine est Cellensis religio? hæccine est veritas? hæccine est fama? Ecce quomodo adulterium, immo incestum souet: ecce quomodo carnem suam diligit, canones & Euangelium contemnit: ecce quomodo iniquitati patrocinatur. Non à vobis, sed à vestris, carissime pater, ista aduersum nos dicuntur. Vicem quidem mentiendo, & certè vera dicendo, reddere possem: sed infrænat linguam meam sanctissimæ reuerentiæ vestræ auctoritas, & conscientiæ meæ professionisque non rumpenda integritas. Victoriosissimo enim triumpho tripudiat aduersarius, si de castris patientiæ & humilitatis ad cuneum me prouocat impatientiæ & falsitatis. Tunc certè solùmmodo me superatum æstimo, cum irritatione quacumque terminos religionis transgredior. Audiant igitur audiant obtrectatores mei. Carnem quidem meam diligo, sed post spiritum carnem diligo, sed secundùm Apostolum; carnem diligo, sed non supra modum. *Carnem tuam*, ait scriptura, *ne dispexeris* Beatus quoque Gregor. dicit: Sunt qui-

(Esa. lviii. 7.)

G dam qui diligunt, sed per affectum cognationis & & carnis, quibus sacra eloquia non contradicunt. Et Apostolus, *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.* Nos, inquiunt æmuli mei, diligendam carnem concedimus: sed non contra iustitiam, aduersatur autem prorsus iustitiæ adulterium siue incestus. Nihil verius. Sed ego incestum ignoro, matrimonium legitimè factum agnosco. Conuocaui namque seniores, quos coniunctim & separatim, publicè & priuatim diligentissimè examinaui, nec impedimentum coniugij aduertere ex verbis eorum potui. Testes quoque qui nunc proferuntur, alter est minus idoneus propter apparens odium, alter propter causam reticendam vsque ad suum locum. Non itaque Euangelij seu canonum contemptor iniquitatem patrocinandam suscepi, qui de lege Domini iota vnum aut vnum apicem pro temporis oportunitate volens non præterijui.

(Ephes. v. 29.)

NOTÆ.

a *Pro Petro de Tornella.*] Desponderat is sibi Havvidem, neptem Petri Cellensis. Quod matrimonium nonnulli, atque in his Hugo Archiepiscopus, quasi inter consangoineos initum improbabant: Petrus contra impedimentum conjugij nullum agnoscebat. Qua de re iterum hoc libro epist. xxi. & lib. iv, epist. xi.

H

EPISTOLA X.

Domino & Patri Charissimo a Thomæ venerabili Cantuariensi Archiepiscopo, Frater Petrus Abbas sancti Remigij ex toto corde deuotissimam salutem.

SOllicito reuoluens animo quam potiùs materiam assumam cum vobis scribere volo, vix occurrit, non

A deficiendo quid dicatur, sed reuerentia eius cumprimente manum cui dicatur. Nihil enim dignom vestri animi fortitudine dicere possum, nihil addere constantissimæ tolerantiæ vestræ, nihil denique docere omnia à longè prospicientem, atque fines rerum & causarum futurarum plenissimè dimetientem: atque palearum aceruum vt quid anteponerem præsepio, cui adhæret bos adipe & pinguedine opulentissima satiatus & saginatus? Equidem hoc mihi ad ministerium aliquod impendendum in obsequio vestro non indignè reseruatum reperio, si moscas abigere possem vestram sanctitatem oblatratione inuidiosa pungere volentes, vel saltem interpretatione peruersa denigrare sinceritatem fidei vestræ insistentes. Planè muscæ istæ morientes, quæ in Ægypto abundant, & Pharaonem Regem Ægypti, tanquam vitum muscarum circundant, Deo opitulante, non perdent suauitatem vnguenti. Seruabitur namque in diem sepulturæ IESV, & prædicabitur in generatione & generationem, quod Archiepiscopus Cantuariensis

B murum se opponens pro domo Israël, vestigia sanctorum antiquorum imitatur, dum Christum in cruce nudum pendentem nudus sequitur. Quomodo ergo cum Abraham potero abigere easdem muscas contaminare volentes illibatum domini sacrificium, nisi sancto ventilabro de authenticis scripturis, quo vel feriantur, vel saltem effugentur? Dicunt enim. Non debet Archiepiscopus tam instanter *b* sua repetere à rege Angliæ, vt dimittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur specie veri, vel adulatione falsi. Qui specie veri decipiuntur, instruendi sunt: qui adulatione falsi, repellendi. Simplicitas enim reuocanda est, malitia protsus abiicienda. Cæterùm pensandum est in omni tam contractu quàm actu, quid propter quid faciendum vel dimittendum sit. Pensanda etiam sunt tempora, & diuersi status temporum, secundùm quos mutantur merita causarum. Nam in primitiua Ecclesia sola patientia locum habuit, vt auferenti tunicam dimitteret & pallium. Alius enim erat, & ali-

C bi, id est, extra Ecclesiam, qui persequebatur, alius & alibi, id est, intra Ecclesiam qui patiebatur. Modò verò iam adulta Ecclesia non licet filiis Ecclesiæ quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillam tolerare aduersarium. Distinctus namque sapphiris legitur venter sponsi, & quemadmodum ante passionem suam

Luc xiv. 33. IESVS dixerat, *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, & similia: in

Luc. xxii. 36. passione dicit Apostolis, *Qui non habet gladium, vendat tunicam & emat.* Verba quidem bona, verba consolatoria non immeritò exigeret causa iusta in oculis Dei, in oculis autem insipientium dubia & infirma: nisi virtus patientiæ omnem transcenderet consolationem, & plus gauderetis de consolatione, quàm malleus feriens proficeret de percussione. Ferrum ferro acuitur, & de malitia Regis Angliæ virtus vestra inuincibilis clariùs illustratur. Quò fortiùs premit torcular oliuam, eo profusius oleum producit. Cande-

D labrum ductile de auro purissimo non facit Beseleel in tabernaculo Domini, nisi productis laminis contritione limæ & mallei. Nondum contritus est malleus vniuersæ terræ: adhuc necessarius vt suppleat quæ desunt passioni Christi in corpore vestro. Sed quem moneo? quem exhortor? cui calcaria adhibeo? Sine dubio qui fræno indiget, qui paratus est plus ambulare quàm via extendatur, qui etiam metas velociter transcurrere nullis retardatur periculis. Procul enim odoratur bellum, exilium reputat patriam, quia omne solum forti patria est. Sine labore laborat, sine fame esurit, sine dolore patitur, sine amaritudine felle & absinthio cibatur. Vir est in millibus vnus: cùm gigantes gemunt sub aquis, ipse ridet & irridet fortunam eum inuectione totæ suæ. Vale.

E

NOTÆ.

a *Thomæ cantuar.*] Cùm adhuc exul esset in Gallia & de ipsius cum Henrico rege Angliæ reconciliatione tractaretur.

b *Sua repet. à R. Angl.*] Rex enim ablata restituere abnuebat. Mauricius Parisiensis Episcopus Alexandro III. *Præterea requirebat D. Cantuariensis partem ablatorum sibi restitui: alteram verò partem in sustentationem dimitti, donec vestrum super hoc & religiosorum virorum haberet consilium. Inconueniens enim & sibi valde damnosum, & perniciosum sanctæ Ecclesiæ exemplum videretur, si ipse omnia ablata, sicut Rex Angliæ postulabat, penitus remitteret, cùm per eius absentiam ædificia Cantuariensis Ecclesiæ diruta essent, & ad possessiones dissipatas tenue haberet refugium, & ipse grauissimo alieni æris debito adstrictus teneretur.* Ceterùm peruicit tandem, vt restituerentur: quod ipsemet testatur in epistola quam de reditu suo scripsit ad Alexandrum.

F

EPISTOLA XI.

Carissimo Domino & Patri Hugoni Senonensi Archiepiscopo, Frater Petrus humilis Abbas Cellensis spiritum gratiæ & precum.

SI patientiam monemur pro contumeliis rependere, quid pro gratia nisi gratiam tom lege naturæ, tum præcepto ipsius gratiæ debemus reddere? Et si inimicos iubemur amare, amicis quid habemus facere? credo tanquam ipsam animam nostram suscipere. Certa verò perfecti amoris hæc est testificatio; si amicorum vtilitati omnis postponatur occasio. Sic, sic magister M. non obliuiosus factus beneficiorum vestrorum, ne vobis materia scandali fieret, & iram regis sublimitas persentiret, tulit in se periculum inimicitiarum, & ab

G honore interim, donec iniquitas transiret aduersarii, gratia vestri cessauit. Foueat itaque pietas, quem sic inuenit non ingratum alumnum experientia vestra, & contemperet malitiam molestiarum, quia spem habet in protectione alarum vestrarum. Teneriùs namque, immo secretiùs dicitur diligi, cui nihil carius fuit pace benefactoris sui. Facite ipsi pacem, qui nec paci suæ pepercit propter vestram pacem.

EPISTOLA XII.

Domino patri carissimo Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo & a Apostolicæ sedis legato, Frater Petrus Cellensis qualiscumque minister, seipsum.

H

FActi sumus sicut consolati in consolatione sanctitatis vestræ tam affectuosa, tam pia, tam plena dulcedine & charitate. Reddat vobis Spiritus paracletus consolationem suam, quia respicere voluistis misericorditer desolationem nostram. Suscitauit siquidem corda nostra & si non emortua, iam tamen elanguida, susceptio litterarum vestrarum. Dominis & amicis nostris hanc vestram dignationem & consolationem ostendimus, & in spe viua ex consilio eorum fratrem nostrum peregrinari ad vos destinauimus. Excipite illum: & quia vix in terra sua habet, vbi caput reclinet, interim sub vmbraculo vestro militet, & stipendia ad nos condigna reportet. Confidimus equidem in bonitate Dei, & in liberalitate animi vestri, quam iam prægustauimus, quia quamuis in baculo suo transeat mare vestrum, tamen sit redituus in turmis multarum benedictionum. Discretione sanctitatis vestræ fratres nostros & nuncios disponendos committimus. Dominum quoque & confra-

trem

A trem in omni oratione & beneficio omnium vestrorum vos annumeramus. Valete.

NOTÆ.

a *Apost. sedis Legat.*] Legatus per vniuersam Angliam, excepto Episcopatu Eboracensi, creatus est VII. Idus Octobris anno M.C.LXVII. Post hunc igitur annum hæc scripta oportuit.

EPISTOLA XIII.

Domino suo & patri carissimo a *Philippo Coloniensi Archiepiscopo Frater Petrus humilis Abbas sancti Remigij salutem cum omni deuotione.*

B FRequenter cum Beato Remigio Patrono vestræ sublimitati humiles porreximus preces, si quo modo animum sine culpa nostra, vt credimus, hactenus implacatum nobis ad misericordiam faciendam flectere possemus. Denique iterum atque iterum quanta humilitans supplicatione potest tota congregatio nostra appellat, si qua sunt in vobis viscera misericordiæ, ne adhuc extenta in flagello nostro perseueret manus vestra. De clementia namque Dei indultum est, vt potestatem habeatis & bene facere & male nobis si vultis. Nolite obliuisci, quia limites, quos Dominus dominationi vestræ posuit, certi & fixi sunt in prædestinatione Dei. Vtimini ergo potestate vobis concessa semper ad bonum, nunquam ad malum; nam indubitanter vtrumque sequitur retributio æterna. Pro IESV itaque amore, & per CHRISTVM IESVM contestamur vos, quatinus misereamini pauperum compeditorum, quibus nec ingredi, nec egredi licet, nisi sub manu & cum licentia pastoris. Boues sunt triturantes, nocte & die pro peccatis suis & totius mundi Dominum deprecantes. C Ne obturetis ora eorum, subtrahendo alimoniam à prædecessoribus fideliter pro remissione peccatorum suorum eis concessam. Certè non erit famæ, & gloriæ vestræ augmentum, nec cumulus diuitiarum, nisi tantummodo peccatorum. Respondemus itaque pro præbendis de Marna, de quibus mandastis, vt de manu nostra eximendo quibuslibet personis eas daremus, quod nullatenus in sæculum sæculi, id facturi sumus. Prouoluti etiam genibus vestris, ne id vlterius à nobis exigatis, exoramus. Valete.

NOTÆ.

a *Philippo Colon. Archiep.*] Hæc etiam epistola multo inferius collocanda erat. Nam Abbas sancti Remigij erat Petrus, cùm hæc scriberet, & Philippum constat Coloniensem cathedram non iniisse ante annum M.C.LXVI.

D b *Praeb. de Marna*] Rectiùs *Marsna*, vt lib. VIII. epist. XV. Sic enim in capitulis regum, quæ an. DCCCLI. edita feruntur: *quando tres fratres Hlotharius scilicet Hludouicus, & Karolus secus municipiũ Traiectum penes locum, qui dicitur Marsna, iterum conuenerunt*, & in Fragmento Gallici scriptoris apud Pithœum de Gisleberto: *Recepit itaque Traiectum, Iuppilam, Haristallum, Marsnam, Littam, Capra montem, quæ à defunctis derelicta vacabant.* Ex his patet Marsnam locum fuisse Traiecto vicinum: quod verum est. Nam tribus fere passuum millibus distat, & Maersena vocitatur. De præbendis autem Marsnensibus sancti Remigij Monasterio attributis, & in vsus monasticos conuersis, iterum aget epistola supra scripta.

* *

*

EPISTOLA XIV.

E *Venerabili Domino & patri carissimo* a *Henrico Remensium Archiepiscopo Frater Petrus humilis Abbas sancti Remigij seipsum deuotissimè.*

CVm semper præsentia vestra nobis & toti prouinciæ Remensi necessaria sit, quia nunc solitò increuerunt & intumescunt tribulationes, quæ circumdederunt nos, omnino postulantes rogamus ne moram faciatis redire ad nos. In absentia enim vestra cornua sibi assumunt inimici vestri & nostri, adeo vt non sit pax ingredienti vel egredienti. Indifferenter ingrediuntur rapere, vastare, & deuorare omnia, in quibus manus iniicere possunt. Monacho, clerico, laico, F pauperi, viduæ, nullique conditionis miseriæ parcunt. Placeat igitur, pater amantissime, sollicitudini vestræ inclinare animam necessitatibus & angustiis terræ vestræ, quæ clamat ad vos & post vos.

NOTÆ.

a *Henrico Rem. Archiep*] Qui regis frater & Episcopus Bellonacensis, epist. XXIV. Frater enim fuit Ludouici Iunioris. Sed ad Remensem cathedram translatus est à Bellouacensi. Quare hic quoque præposterus est ordo epistolarum.

EPISTOLA XV.

Domino suo carissimo & præcordiali a *Ioanni Episcopo sancti Maclouij &.Mog. presbytero, id quod est & potest.*

G CAritas patiens, quod mirum dictu est, pene ad impatientiam me impellit. Vidi nuncium vestrum litteris vacuum. Quid hoc est? Est ne tanta penes vos chartarum charitas, an sic vestra abbreuiata est charitas? Quæ tam importuni silentij causa? quæ ratio tam mutæ & silentis dilectionis? Est-ne inopia in Britannia consecutiuum, vt vbi sterilitas panis, sequatur & defectio cordis? Et panis quidem inopiam audiebam, sed famem ex hoc virtutum succedere non credideram. Certè farina & lecythus olei apud Sareptenam, ex quo Helias noster Dominus Maclouiensis de his gustauit, non defecit. Certè non defluit amor noster, sed influit, atque effluit. Et Episcopum quidem excusat instantia laborum, sollicitudo Ecclesiarum, compassio afflictorum, reconciliatio dissidentium. Clericum quid vetat scribere, quid impedit amicales litteras componere? Desidia? sed hanc studium excludit. Insipientia? sed est H ei litteratum peritia multa. Ignorantia nuncij venientis? sed mihi nudam salutationem detulit. Festinatio properantis? sed plura sigilla pluribus attulit. Restat igitur condemnanda in amicis negligentia. Quia igitur oleum non misistis, aculeum sumitis: & ideo pungi meruistis, quia vngere noluistis. Valete. Si valetis, bene est nobis.

NOTÆ.

a *Ioanni Episc. S. Maclouij*] Ordinis Cisterciensis Monacho. Hunc Maclouienses vt Sanctum venerantur, inditoque à clathris ferreis qui tumulum eius ambiunt, cognomine, S. Ioannem de Craticula vocant. Extat eius nomine ad D. Bernardum epistola inter epistolas Nicolai Claraeuallensis, in qua *Fr. Ioannes Episcopus Aletensis* inscribitur, hoc est S. Maclovij.

EPISTOLA XVI.

Domino & Patri carissimo, Ioanni Episcopo sancti Maclouij Frater Petrus Cellensis indignus Abbas cum Apostolo in labore & ærumna.

ETiam in amaritudinibus nostris congratulatur anima mea: quanto magis in consideratione gloriosæ remunerationis? Reminiscor siquidem, quia iusti in paucis vexati, in multis bene disponentur, & quia reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum: atque ideo non vana est expectatio, vbi tam certa, tam grata, tam larga speratur remuneratio. Certa, propter veritatem promittentis: grata, propter consummationem desideriorum recipientis: larga, propter exuberantiam bonorum cœlestium in communicatione diuinitatis. Hæc reposita est in sinu nostro, hæc inter vbera commoratur, hac quælibet insipida condiuntur, & gustui nostro commodissimè aptantur. O animæ meæ dulcedo, quid putatis Dominum non attendere miserias compeditorum suorum? non librare in statera æternorum iudiciorum pœnas filiorum? *Nonne*, inquit, *hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* (Deut. xxxii. 34.) Miror vos scripsisse destitutum patrocinio sanctissimi, a Patris nostri Bernardi, cùm sancta eius anima nexibus expedita mortalitatis non charitatis, corruptionis non afflictionis, necessitatis non voluntatis, liberiùs aures nunc appellet piissimi conditoris pro necessitatibus populi sui. Non mihi contingat de gratia ipsius diffidere, de orationibus eius desperare. Nimio vobiscum loquendi tantus desiderio vix finem facio. Quem enim sine fine diligo, nunquam satis ei scribere nunquam satis loqui valeo. Conuentus noster vester est populus, noster populus vester est, anima mea vestra est. Vtinam viderem vos antequam transiretis ad montes illos, vbi tot sunt, sicut audiuimus, pericula. Valete.

NOTÆ.

a *P. N. Bernardi*] Pertinent hæc ad annum M.C.LIII. in quem incidit mors S. Bernardi.

EPISTOLA XVII.

Domino & Patri carissimo Ioanni Episcopo sancti Maclouij, Frater Petrus Cellensis humilis Abbas salutem.

NVllius ponderis esse in vera dilectione pomposa & vacua verba, nouit qui charitatis medullam vel semel degustauit. Vanum certè & abiiciendæ simulationis reputo, replicare quotidie elementa amoris, ex quo fideliter & firmiter inhæserit radicibus cordis. Metuentis quoque aut diffidentis est, semel natos amores sermonibus velle renouare, quasi vetustas temporis soleat veros affectus antiquare. Non est imaginis Dei ab inceptis deficere. Non est virtutis vacillare, non est solij gloriæ Dei in diuersum se vertere. An non anima ad imaginem Dei, an non charitas virtus Dei? an non pura conscientia thronus Dei & sedes diuinæ maiestatis? Vt ergo filius, qui est imago patris, quæ creauit semel, semper gubernat & regit: vtque virtus Altissimi quæ operatur confirmat & perficit, ac denique incommutabiliter manet incommutabilis Dei sessio æternitatis: sic radicata charitas & fundata de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, ignorat occasum, corruptionem abominatur, mortem in æternum non gustat. Hæc interno coagulo suo coniunxit nostros adinuicem affectus: hæc inter nos mediatrix, vnico amore dulciter, fortiter, & sapienter animas nostras conglutinauit. Hæc in me vestrum tenaciter amorem effudit, & ad vos non dissimiliter meipsum totum diffundendo contulit. Ad vnicum itaque & specialem amicum singulari spe & vnica togo accedat vestra sanctitas. Non diffidat suum esse, cuius veraciter affirmat se esse. Nisi autem iusta occasione inuenta ad nos veneritis, satis de integritate amoris nostri diminuetis. Valete.

EPISTOLA XVIII.

Domino & Pat.. suo carissimo Ioanni Episcopo sancti Maclouy, Frater Petrus humilis Abbas Cellensis quicquid est & potest.

MIramur plurimùm tanto nos tempore insalutatos à vestra paternitate, quasi neglectos fuisse. Non credimus ex negligentia, sed fortè ex ineuitabili occupationum vestrarum pondere sic oppressum siluisse. Clamamus tandem post vos. Volumus enim suscitare compassionem in vobis passionibus nostris. Neque enim superbe est ab amicis celandum forte subrepens infortunium, nec contumaciter aut inuerecundè petendum necessarium suffragium. Præcauendum vtrumque, sed maximè alterum. Vitium vtrumque, sed alterum patienti grauius, alterum roganti ignobilius. Malum namque absconditum vrget acriùs, indecenter prolatum nocet apertiùs. Exoritur aliud à nobilitate naturæ, aliud à necessitatis propagine. Semper enim natura suis est contenta limitibus: necessitas verò nullis reprimitur legibus. De ventre igitur necessitatis primogenita importunitas exorta, cùm sit molestissima, quia manus eius contra omnes & manus omnium contra eam, amicorum nunquam fores cum tædio pulsare, nunquam aures debet aggrauare. Quamobrem propensata deliberatione apud meipsum decerno potiùs quantiscumque malorum confodi jaculis, quàm quieta carorum silentia interrumpere congestis clamoribus & lacrymis. Suggerere tamen eis, quorum fides certa, amicitia indubitata est, non recuso tam dolores nostros quàm necessitates, vt & satisfaciam propriæ conscientiæ propter compendiosam insinuationem, & non lædam amicum propter contemperatam inordiationem. Vtrumque siquidem suggerens operatur, & necessitatem non tacet, & amicitiæ leges retinet. Nam amicum vel non habet vel habere se non credit, qui fortunam suam quamcumque dubitat aperire, aut instat tanquam ab inuito aliquid extorquere. Amicus nempe tam omnium consiliorum dicitur esse conscius, quàm coadiutor in omnibus voluntarius. Nolo igitur aures vestras implere vastissimis querimoniis: quia stultum est verbis velle explicare, vbi videtur res fidem dictorum excedere. Hæc idcirco diximus, quia nobilis a beati Aigulfi Ecclesiacum omnibus appendiciis suis prorsus ita combusta est, vt nihil præter libros & sanctorum reliquias ab incendio seruaretur. Præterea & domos quamplures in cineres redegit, vt sic appareat in oculis nostris tanquam gallina depilata, nec pennas habens quibus pullos suos protegat, nec cibos quibus alat. Non aliquid aliud exigimus à vobis, nisi compassionem orationem, & consilium. Necesse est autem qui non habet vbi caput reclinet, Aigulfum peregrinari apud amicos & vicinos, & rogare quod solebat rogatus & etiam non rogatus præbere. Si venerit ad partes vestras, suscipite illum, tanquam illum. Nostis enim quis sit, & quo honore dignus sit. Ad Episcopum Carnotensem super hoc scribite, & ad alios quibus visum fuerit. Valete.

NOTÆ.

a *Aigulfi Ecclesia*] Sub oppido Pruuino in Seno-

num

A num diœcesi, à Theobaldo Tricassium Comite pronentibus aucta, & acceitis è Cellensi cœnobio monachis addicta sub annum Christi M. XLVIII. Hinc *Prior S. Aigulfi* lib. II. epist. XI. Hoc Prioratu fortuitis flammis desormato, missæ sunt pro illorum temporum more in varias oras S. Aigulfi reliquiæ ad stipem pro Ecclesiæ restauratione corrogandam; ea enim est Aigulfi peregrinatio, quam designat iterum libr. IV. epist. V.

EPISTOLA XIX.

Domino & patri suo Carissimo Ioanni Dei gratia Episcopo, sancti Maclouij, Frater Petrus humilis Abbas Cellensis quicquid
B *est & potest.*

VAlet Dominus meus? viuit ne? Vt credo, aut est alteratus Episcopus S. Maclouij, aut alter à meo est substitutus. Si alter est, mirari, sed non dolere desino, tacuisse qui loqui non poterat. Nam surrexit nouus rex, qui non nouerat Ioseph. Si alteratus, nollem tantam fuisse alterationem, quæ pene accedit vsque ad alienationem. Alienum ab amico equidem est, posse dissimulare æquè & simulare. Non simulat amicus propter veritatem, non dissimulat, sed propter respirantem ardorem. Non simulat, quia sine adulatione: non dissimulat, quia efficacissimæ naturæ existens, sepulcrum reputat latibulum, & non apparere existimat non esse. Non simulat, quia nescit: non dissimulat, quia non potest. Hoc ignorat, illud non potest. Quid enim non nouit sapientia? quid non potest charitas? Quodcumque est, scire nouit sapientia: quodcumque est posse, potest charitas. Non est scire, scire adulari: non posse, posse
C oblinisci. O amice & domine carissime! Obliuioni an negligentiæ vestræ obiiciam quod abstinuistis tam à visitatione, quàm à salutatione amicorum vestrorum vltra tempus & modum? Est ne obliuio? Si est, digna est morte, digna exilio, quæ diadema tulit de capite Episcopi, quæ de pectore rationale sustulit. Obliuio delet & quod præcipuum est in honore, & quod fortissimum est in robore, id est, sapientiam & memoriam. Rea ergo crimine tantæ maiestati capite plectatur, & non memoretur vltra. Negligentia quid? Non sit dissimilis in pœna, quæ præcessit in culpa. Talis etenim soboles tali de matre nascitur, ex negligentia scilicet obliuio. Doleo, pater, excessum memoriæ vestræ iam per biennium suspensæ, decessum quoque amicitiæ quatriduanæ multo tempore quasi sepultæ. Nuncium saltem suæ salutis, si viuit, mittere debuit amicitia, cuius naturæ est semper odisse absentiam & appetere amicorum præsentiam. Forte occupata est, sed non est grata quæ semper est occupata. Mansio est, immo possessio, non occupatio, quæ
D iugiter retinet. Quis ergo ita præoccupauit, quinimmo possedit amicitiam, ne libertate, ne ingenuitate sua vtens radios suos ad nos vsque expanderet ab annis prioribus? Suntne montes interiacentes? Est ne mare interiacens? Est ne chaos magnum firmatum inter nos & vos, vt hi qui volunt hinc transire non possint, neque inde huc transmeare? Sed charitas omnem altitudinem exuperat, sed aquæ multæ non possunt extinguere charitatem: sed non est qui se abscondat à calore eius, sed attingit vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. In Episcopo nostro, immo sancto & Dei famulo quis te, ó dilectio, debilitauit? quis obumbrauit? quis hebetauit? quis commutauit? In aliis quidem non ignoro superueniente iniquitate virtutem tuam debilitari, obliuione lucem tuam obumbrari, negligentiâ acumen tuum hebetari, totam substantiam posse odio commutari. Sed in sancto quæ iniquitas? in studioso quæ obliuio? in viro forti quæ negligentia? in pleno charitate quod odium? Si quando enim tepescit, si quando flaccescit, si quando hebescit in sancto charitas, ea
E quæ extrinsecus sunt accusanda, non quæ intrinsecus. Obstacula enim opposita mentiuntur veritatem superpositæ lucis, caloris & aciei. Oppone gladio ancipiti durissimum ferrum vel lapidem, retrocedit vis impenetrabilis. Murum spissum oppone igni, tardiùs calefacit. Candelæ accensæ suppone modium, in luce non gaudebit. Non est proinde putandum non lucere candelam, non ardere ignem, non secare gladium, sed contrariis obstaculis imputandum. Sic sanctorum virtutes à radice sua non euanescunt, sed plerunque propter sabbatum Iudæorum conticescunt. Aromata enim sua interim & in secreto distillant & repensant, vt cùm dies opportunitatis illuxerit diluculo in effectum desiderati operis prorumpant. Æquè tamen repensatur & desiderium ardens in otij quiete, & opus feruens in actione. Acceptat namque Deus opus propter affectum, nõ affe-
F ctũ propter opus. Magnus, immo longus nobis est iste dies sabbati, cuius ferias non feriales vel solemnes, sed ferales & olentes reputamus. Negligentia siquidem male olet, diligentia semper bene redolet. Iners Iudaizantium pigritia non diligit sabbatum quia sanctum, sed quia otiosum. *IESVS verò stabat in die magno festiuitatis & clamabat, Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Ioan. vii. 37 Verè magnus est dies festiuitatis. Magnum habet clamorem charitas vestra, iam iam loquatur, immo veniat, immo & accurrat. Desiderat vos anima mea: desiderant vos amici vestri. Ostendite faciem vestram, sonet vox in auribus. Episcopos diuites multos habemus, pauperem Episcopum quærimus, qui non habeat vbi caput reclinet. Adhuc penes nos reclinatorium non aureum, sed luteum, in quo aliquando quieuistis, habemus. Et de his hactenus.

EPISTOLA XX.

G *Domino suo & patri carissimo Ioanni Episcopo sancti Maclouij, Frater Petrus Cellensis qualiscumque minister salutem quæ est in CHRISTO IESV.*

SPes quæ differtur affligit animam. Verus amor in patientia sui desiderij quandoque non irascitur commendabiliter superari. Nihil enim pene aliud est in vita hominum, quod quadam arte mitigari non possit. Spes itaque aduentus vestri nuntiati quantò vberiùs amicum lætificauit, tantò ampliùs ex mora dilationis hactenus affligit. Æstuat siquidem animus in reuolutione fortuitorum casuum, nunc hoc, nunc illud reformidans contrarium subitò accidisse. Quid plura? Cogitatio præterit, & cogitatio aduenit: moratum verò dubitatio nec ad punctum animo recedit. Alia inquit, iam iam venit; alia, fortè non valet. Ista incommoda temporis replicat, illa intolerabile negotiorum pondus an-
H xia suspirat. Ecce quanta caligo, quanta suspicionum tumultuatio. Vbi veritas? cuiusnam supradictarum cogitationum verior sententia? An forsan error est, vbi latet quod verum est, & non sententia? Sed adhuc sub iudice lis est. Ex multis enim ambiguitatibus, aut vix, aut nunquam certum aliquid sine doctoris demonstratione elicitur. Renunciate ergo amicis diuinæ eisca vos miserationis operam; vt omnimodè soluto dubitationis vinculo, indubitanter aut viam sinistram compassionis, aut dexteram apprehendamus congratulationis. Satis enim injuriosè deturpatur nobilis animus, si se non præparat mutuis obuiare beneficiis saltem æquis passibus. Turpe etiam æstimò, non omnimodo cauere superari beneficio. Vnicum quid & singulare natura, siue creator naturæ, tanquam speciale priuilegium imagini suæ hoc impressit, quatinus commodius & præstantius haberet stricta æquitatis ratione dare quàm accipere. Hanc vobis formam nec rubigo exilij, nec paupertatis tinea excussit. Ex hac prodiit, quòd magna pro paruis, pro vilibus cariora magnifice

A rependitis : quinimmo solemne donum absque præcedentis comparatione obsequij misistis. Species quidem doni cariùs æstimanda : sed affectio donatoris potiùs incomparabiliter est compensanda. Quicquid namque aliud datur, in comparatione sublimis animi vilipenditur. Valete.

EPISTOLA XXI.

Domino & patri suo carissimo a Theobaldo Parisiensi Episcopo frater Petrus Cellensis humillimus salutem.

QVi transuadari non potest fluuius occursantium causarum, tam ab executione mandati vestri me inhibet, quàm ab impletione desiderij nostri. Sermones enim de aduentu Redemptoris vt componerem vo-
B bis, id mandato acceperam : sed malitiæ sollicitudinis suæ etiam raritatem lucis dies præsens adiunxit. Breues enim sunt dies isti ad lucendum, grandes & graues ad occupandum : ita vt non sufficiat diei malitia sua. Nouit prudentia vestra, non concurrere quietem contemplationis & distensionem mentis per occupationes sæculi. Coangustatum est pallium, vtrumque operire, immo vtrumque operari non valet. Quamuis enim in fronte duos quis habeat oculos, tamen ab vno eos officio disiungere non valet, vt altero cœlum, altero contueatur terram : quantominus vnam rationis & ingenij aciem simul ad tam diuersa porrigere poterit, vt eadem mente cælestium mysterialiter & terrenorum causas discutiat? Sic domine, sic pater carissime, saltem nisi clausero, ne dicam si eruero oculum, qui me scandalizat (scandalum enim est mundus quærentibus Dominum) reuelata facie gloriam Domini, siue faciem Moysi splendidam non contemplabor. Quale verò aut quàm credibile est eius testimonium, qui nec visa, nec
C audita loquitur? immo refellendus & repellendus tanquam somnia narrans, qui cæcus & manu temptans sicut talpa, non de scripturarum contemplatione asserit quæ dicit, sed idola cogitationum & phantasmatum suorum in templo Dei audet statuere. *Non est*, inquit
Num. xxiii. 21. Propheta, *idolum in Israel*; quia qui in lege Domini die ac nocte meditatur, & legis vestigia stricto pede obseruat, non diuinationes cordis, sed mentem legis quando scribit interpretatur. Hæc ad excusandam non meam inertiam, sed oppressam miseriam prælibauerim. De his quæ circa me sunt credere Magistro debetis. Ipse verò narrabit de commotione iræ Comitis, quam nobis suscitauit latro ille potiùs Barrabas quàm Abbas, siue de aliis. Tres sermones de aduentu Domini, & vnum de natiuitate orditus sum vobis. Valete.

NOTÆ.

a *Theobaldo epis. Parisiensi*] Qui Prior antea S. Mar-
D tini, ordinis Cluniacensis. Huic sermones Petrus noster componebat quomodo Saluianus Presbyter homilias Episcopis multas fecisse dicitur à Gennadio.

EPISTOLA XXII.

Domino & Patri suo carissimo a Alano Autiosiodorensi Episcopo frater Petrus indignus Abbas Cellensis salutem.

VErum est quia caro & sanguis regnum Dei non possidebũt. Scio, nec de ignorantia excusor. Ambigo tamen, virtus pietatis in vna eademque causa cũ affectu carnis concurrens, vtrũ æquè ponderet vel præponderet ad meritum. Sine merito namque est sola carnis affectio, aliquando tamen cùm exuberat, oneratur meri-
E to, sed vtique malo. Si quæ denique cùm fuerit pietatis, honoratur merito, sed bono. Vbi autem præuia, tunc in ambiguum replicatur sententia. Semitas cordis mei ad plenum inuestigare obstante varietatum caligine nequeo, quanto minus apprehendere? Sic adstans turba phantasmatum cordis mei audit in interioribus, sic refert foris sensibus rem vt est exquirentibus. Ad quid hæc quasi parabola, vel potiùs ænigma? vt his qui foris sunt, & de his quæ intus sunt judicant, satisfaciam : neptis nostræ causam non, affectu solo carnis me fouere, sed in spiritu veræ pietatis & justitiæ. Absit à sensu meo, immo à vestro, propter carnalem supradictæ neptis copulam, meam æternis condemnare ignibus animam. Quod procul dubio facerem, si matrimonium illegitimum defenderem. O Domine, & semper pater, quando autem volueritis, amice carissime, quà ascendit spiritus ille infidelitatis ad sanctam animæ religiosæ sedem, vt fidem duobus inhonestissimæ vitæ & famæ haberetis, & de amici expressa vobis veritate hæsitare-
F tis? quæ spes amicitiæ in me potuit subsistere, cùm mihi non crederetis, & contra me testes falsissimos reciperetis? Planè contra veritatem, quam retinere me iam in aure persuaseram, eorum recepistis verbum, certè qui pro vino venderent iustum, & pro buccella venderent si haberent primogenita? Sic læsistis amicum? Sed dicitis, Non est amicus, qui obstitit in via veritatis, Planè, inquam; ita est vt dicitis. Sed vbi est veritas? In numero? Plures enim fuerunt. In ebriosis & impudicis? Tales siquidem sunt in conductis gratiâ, pretio, & timore. Ita esse, & si modò non assumo, saltem præsumptione maxima in hoc credere attrahor. Pessimus inimicus & aduersarius est nepti & marito eius auunculus, qui equitaturis suis & sumptibus fortè illum deduxit. Archiepiscopus Abbati, vt Canonicos mitteret scripsit : rebelles & inobedientes serò præcedenti Abbati ad tempus reconciliauit, donec fieret iniquitas. Est ne hîc veritas, vel saltem species veritatis? Fitne tædiosa vobis hæc nostra
G relatio? Certè vt saluo gratiæ vestræ residuo dicam, tædiosiùs in sententiam processistis. Dilationem cur negastis? Quæ lex, quis canon hoc docuit, vt vel vna dilatio in hoc articulo negaretur? Ne dicatis, quòd eam habuerim : quia ante à vobis nec petij, nec impetraui. Prolati namque in iudicio vestro, ita vt supputatio matrimonij fieret, nunquam fuerant. Excessistis, domine, excessistis. Præsumptuosus nimirum in hoc videor, quòd sic ad vnguem Episcopum Abbas, dominum seruus de viis suis redarguere, immo ab eo ei illatas iniurias referre præsumo. Non facerem hoc, nisi auroram resurgentis amicitiæ per concessam & recognitam in literis vestris culpam aspicerem. Nunquam petenti venia deneganda, nunquam pœnitenti culpa imputanda. Satis est. Mittite gladium in vaginam. Valete.

NOTÆ.

a *Alano Autisiod. Episcop.*] Flandru Insulensi, or-
H dinis item Cisterciensis. Hic Aripatorij antea monasterij primus Abbas fuerat in agro Tricassino. Inde ad Cathedram Autisiodorensem prouectus cùm fuisset, post aliquot annos sponte abdicauit, & ad claustrum rediit Clareuallense, vbi situs est.

EPISTOLA XXIII.

Domino & patri carissimo a Eskilo Lundensi Archi-Episcopo Frater Petrus Cellensis Abbas omne bonum à Domino Deo.

DE superabundanti bonorum cælestium gratia eatenus tam vultus quàm manus vestræ resudant, vt nisi verecundia his temporibus ab humana regione se subduxisset, suffunderentur maximo rubore nori

&

A & amici vestri in benedictionum vestrarum largitione. Equidem malim dicere in dando vos pluere quàm seminare. Nam qui seminat primùm in spe percipiendi fructus seminat, deinde non fundit, sed spargit. Postremò non nisi cultæ terræ semen suum credit. Horum nihil imitatur pluuia: sed seipsam vt sic dicam perdit in terræ visceribus, vt postea resurgens cum maxima frugum prole afferat fructum tricesimum, sexagesimum, & centesimum Aliud rursum charitatis iudicium in pluuia reperio: quia sine delecto rigat fœcunda & infœcunda, fertilem agrum & sterilem, granum electum & germen reprobum. Est ne virtutis, an vitij, hæc bonitatis & beneficiorum prodigalitas? Sed hoc Dei, nec aliud in eo inuenitur vitium, nisi, quòd benignus ad ingratum, largus ad auarum, pius ad impium existit. Ista sua vitia comparant mansuetissimo innumera conuicia. Aliquando moti sunt pedes nostri mitissimi Dauid, quia erupetat pluuia mansuetissimi Dei super malos & iniustos, ita vt diceret, *sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.* Ex-

Psal. B lxxiii. 13. Sap. xv 1.

ciderat à mente quod in libro Sapientiæ dicitur. *Tu autem Deus noster suauis & verus es & sapiens, patiens & in misericordia disponens omnia. Etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam. Et si non peccauerimus, scimus quoniam apud te sumus computati.* Ecce cuius imitator reprehenditur, qui de bonitate, siue largitate redarguitur. An non Ecclesiastes in concione sua proprio decreto & sententia, hoc malum æstimat sub sole, vt cui dedit Deus diuitias & substantiam & honorem, non habeat in eis potestatem, sed extraneus illas rapiat? Ad quid hæc vobis verborum congeries? Vt ignis perpetuus de sancto altari cordis vestri non deficiat: sed hac congerie magis ac magis conualescat, donec holocaustum vestrum pingue in nebula, in qua habitat Deus suscipiatur, & à cineribus omnium superfluitatum facies altaris eiusdem expietur. Ostiolum per quod aditus ad sancta sanctorum patet, de lignis est oliuarum; quia proculdubiò iuxta sacræ fidei tenorem

Eccles. vi.

C non ei negabimus sanctorum ingressus, qui ab operibus misericordiæ non fuerit alienus. Suppresso pudore in auribus domini mei id persuaserim, non mea tamen præsumptione, sed alterius persuasione. Nequaquam tamen difficilis ad persuadendum extiti, faciei vestræ, sermonis, & totius gestus insignia penes me retinens: nec me in humilitate similem reperisse de filiis hominum coniiciens. Non igitur ei scribere vereor, quem nisi malis & superbis verendum non reor. Et de his hactenus. Ceterùm culpari non debet seruus de contemptu mandati, cuius mens & voluntas nulla negligentia reuocatur ab impletione voluntatis domini. Ex vestra dignatione in mandato ab anno præterito accepi, quatenus Carthusienses fratres expeterem, & de maturando negotio vestro eos commonefacerem. Erat autem negotium, sicut scitis, quatinus ad vos mitteretur frater Rogerius, ad locum ordini illorum in partibus vestris perquirendum & præparandum. Disposuerat namque in animo vestro plena & perfecta cha-

D ritatis effusio, noua seminaria de omni genere sacrorum ordinum seminare prouinciam vobis à Deo commissam, vt exinde fructus, qui permanent in æternum, susciperetis; & manipulos iustitiæ de laboribus eorum ad æterna tabernacula reportaretis. Iam non solùm in herbam, sed in spicas Cisterciensis siue Clareuallis ordo ibi multiplicatione fratrum excreuit: nihilominus & religio Præmonstratensis. Quia igitur gustauit & vidit prudentia vestra, qood bona sit negotiatio ista, ad vlteriora manum porrexistis, & de illo ordine, qui quasi Cherubim, siue Seraphim, immediatè residenti agno, qui habet oculos septem & cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est vt imperastis. Adquieuit sanctus Carthusiensium fratrum conuentus iustis petitionibus vestris Equidem res impetratu difficilis, sed quis vobis negaret, quod fortè Spiritus Sanctus in suo suggerebat? Certè nec illi, nec nos diffidimus,

E seruum suum fidelissimum & amicum Domini vos possidere, cuius famam & opera tam præclarissima reclamat mundus. Quod cœpistis tam sanctè, tam auidè, tamque quodammodo intemperanter præ desiderio animæ, sic effectui mancipate, vt melior sit finis orationis, quàm principium. Valete.

NOTÆ.

a *Eskile Lundensi Archiep.*] Esquilius dicitur libro VIII. epist. XX. sed Eskilium etiam legimus in epistola Bernardi ad eundem scripta numero CCCXIV. Hic cùm ex Vrbe in Daniam rediret, captus spoliatusque fuit in Germania. Quæ res dum iniuriam missis ad Fridericum Imp. legatis, acriùs persequitur Hadrianus IV. Pontifex, cui Eskilius priuato etiam nomine carus erat, exacerbatis hinc inde animis, ansam præbuit schismati quod inter eos erupit, vt docet Radeuicus lib. I. de gestis Friderici cap. VIII. & sequentibus. Sed

F apud Radeuicum *Londonensis* vitiosè scriptum est, fœdiùs etiam apud Innocentium III. epistola CCXXI. *Lugdunensis* pro *Lundensis.* Est autem Lundensis ciuitas Daniæ Metropolis.

EPISTOLA XXIV.

Domino & patri suo carissimo a Henrico Dei gratia Episcopo Beluacensi, Frater Petrus Cellensis Abbas salutem.

PLus satis egena est beneficiorum recordatio, cuius titulus non inscribitur saltem verbotenus gratiarum actio. Proinde stylo ferreo in vngue adamantino profundæ memoriæ mandaui manipulos liberalitatis vestræ, vt nulla capitis vertigine vacillare, nullo temporalis reuolutionis diluuio absorberi, nulla denique

G obliuionis rubigine valeant obfuscari. Clarum, nouum, & recens penes me retineo semper beneficium acceptum. Quo animo gratiosus cùm acciperem ferebar in dati & dantis deuotionem, eo in illa senescentis gloriæ defæcatione mutato, robustiùs præparor ad obsequium, veriùs eliquesco in amorem benefactoris totum animi balsamum. Superaccessit dono vestro vultus hilaris, animus gratus, modus honestus. Et manus quidem larga in beneficium totam se expandit, sed voluntas in circunstantiis doni se supermensurauit. Quid enim fuit conuocare diocesaneos Abbates & Priores? Quid iterum indicij amoris expressit tam benigna personæ & negotij nostri commendatio? Quis non est admiratus tam despectam personam à fratre regis sic honorari? ab Episcopo Beluacensi sic amplecti? à tanto homine tantillum monachum sic nominari? Non sustinui quæ de me supra efferebantur, præ ruboris verecundia: immo pro veritatis conscien-

H tia, quæ admonebat me non esse illum de quo talia dicebantur, fugi, recessi, sed non longè, quia majora pati cogebar instanti necessitate. Necessitate reuera pallium erubescentiæ rejeci, cùm amicorum fores vt acciperem intraui. Certè accepi à multis multa, sed à nullo tanta, quanta à domino meo. Vicit notos, vicit alios amicos, vicit omnes vicinos & summa doni, & modus donandi. Non sum locutus, sed quia veni, optimè recessi locatus. Non enim beneficium rogando, sed veniendo consecutus sum. Præuenit spondens lingua rogantis linguam. Pepercit regia nobilitas teneritudini frontis citò se in ruborem verecundiæ conspergentis. Hæc omnia beneficia tua, domine, signata sunt in thesauris meis. Quid ergo retribuam domino meo pro omnibus his quæ mihi tribuit? meipsum sine dubio, non contra legem me liberum in seruitutem distrahendo, sed seruum amicitiæ tuæ in libertatem vendicando. Potius enim libertate ista gaudeo, si seruus tuus

A ſum munere amicali, quàm libertate qua ſum alienus ab officio ſeruiendi tibi. Valete.

N O T Æ.

a *Henrico epiſt. Belvac.*] Fratri regis, de quo dictum epiſt. xiv. monachus fuerat Clareuallenſis. Monacho itaque, nondum Epiſcopo, ſcribit Nicolaus Clareuall. Epiſt. i. & xxxix. Inde verò ad cathedram Bellouacenſem prouectus eſt anno, vt Sigeberti ſupplementum notat, M. CXLIX. Extat Henrici ipſius ad Petrum Cluniacenſem expoſtulatoria, in qua de eo tanquam huius dignitatis conciliatore conqueritur.

E P I S T O L A XXV.

B *Domino & patri cariſſimo a Balduino Dei gratia Nouiomenſi Epiſcopo, Frater Petrus Abbas Cellenſis non auferre ſal fœderis Dei ſui ab omni ſacrificio.*

Pſal. xc. viii. 3. SCriptum eſt, *honor regis iudicium diligit.* Angeli autem Dei in cœlo ſicut ſunt miniſtri diuinæ voluntatis, vt fiat ſicut in cœlo & in terra, ſic æquiſſimi moderatores ſunt diuini honoris, vt vtrumque pedem regis ſui, miſericordiæ ſcilicet & iuſtitiæ, ſic veſtiant cum digno honore, ne altero neglecto vocetur palatium domus diſcalciati. Iam pene in terra noſtra conqueritur iuſtitia aduerſus miſericordiam, dum agrum iuſtitiæ nemo velit excolere neque pondus diei & æſtus pro conuentione denarij diurni portare. Confluunt autem glomeratim viri diuinarum & deliciarum ad amœna prata miſericordiæ, & non verè, abſcondentes manum

C ſub aſcella, & folia ficus ſuæ turpitudini conſuentes, & conſulentes, dicenteſque, pax, pax, & non eſt pax. Hæc domine & pater cariſſime, non ex ſupercilio Phariſæorum, ſed ſuauitate literarum veſtrarum dulciter commonitus reſcripſerim vobis. Valete.

N O T Æ.

a *Balduino Nouiom. Epiſc.*] Duo huius nominis Eccleſiam Nouiomenſem ordine rexerunt. Prior Simoni Epiſcopo ſucceſſit anno, vt idem Sigeberti continuator obſeruat, M. CXLVIII. Abbas antea Caſtellionis, vir religioſus & honeſtæ vitæ, vt teſtantur cleri Nouiomenſis litteræ de eius electione ad Sugerium Abbatem ſcriptæ. Alter ſucceſſorem habuit Rainoldum, qui Synodo Lateranenſi interfuit anno M. CLXXIX. Ad priorem opinor hoc loco ſcribit Petrus: item Bernardus epiſt. CCCXXXIX.

D

E P I S T O L A XXVI.

Domino & patri cariſſimo Dei gratia Belvacenſi Epiſcopo Frater Petrus Cellenſis Abbas Zelo zelari pro domo Dei Iſraël.

HActenus in palæſtra prælium ignaue vires non depoſcebat egregias. Satis fidum erat equitare ſine lorica, ſine lancea, ſine gladio. Sed nunc qui habet gladium tollat ſimiliter & loricam. Ecce tempus; ecce dies, ecce cauſa, vbi fortiſſimi Iſraël gladio accingi debent ſuper femur potentiſſimè. Nam ecce Philiſtiim, qui ſecundùm carnem in baculo arundineo ambulant, de foueis occultæ malignitatis erumpentes, caſtra innumerabilia, caſtra fortia, caſtra fulgurantia poſuerunt. a Octauianus princeps eſt militiæ, ne dicam malitiæ huius: qui ſine Deo, vt dicitur, pro Deo vult regnare. Ecce ipſe non velum templi, ſed tunicam Chriſti, non ſaccum mortalitatis, ſed ſoccum ma-

E ieſtatis in Chriſto & Eccleſia iterum reſcindere nititur. Hoc abominabilius reputat vnitas Catholicæ fidei, quàm perfoſſionem lateris, pedum confixionem & manuum Chriſti. De perfoſſione namque redemptio, de confixione comparata eſt noſtra liberatio. Sed quid de ſciſſione, de diuiſione, de ſchiſmate, niſi anathematis vibratio, animarum damnatio, morum deprauatio? Ecce aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſraël. Tu verò, domine mi, quid? Sta cum Ioſue, immo cum IESV euaginato gladio, dic omni tranſeunti, *Noſter es, an aduerſarius?* Ioſ. 5. 14. Habes Alexandrum, immo Petrum, aut potius Chriſtum, qui habet miniſtros Petrum, & Alexandrum. Quis timere poterit cum Alexandro potentiſſimo? quis vacillare cum Petro ſupra petram fundato? quis non ſuperabit cum Chriſto, cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra: Noui in te regiam animoſitatem, noui contra inflexam iniuſtitiam inflexibilem ceruicem: noui ardorem zeli. Age ergo pro dignitate officij, pro ſublimitate natiui ſanguinis, pro religione ordinis, pro debito Chriſtianæ profeſſionis, F quod debes & potes. Multum enim debes: nihilominus & plurimum potes. Satis dictum eſt ſapienti. Sanum & incolumem te cuſtodiat manus dexteræ Dei. Vale.

N O T Æ.

a *Octauianus*] Nomen adiectum ex coniectura. Nam in ſcripto exemplari, quo vſi ſumus, vacuum erat ſpatium. Neque enim de alio intelligi hæc poſſunt, quam de Octauiano Antipapa, qui aduerſus Alexandrum III. ſtetit, & Victor appellatus eſt. Sareſberienſis epiſt. XLVIII. *Eccleſia Gallicana recepit Alexandrum, ab Octauiano receſſit.* Huic quidem poſt quatuor annos mortuo ſuffectus à ſchiſmaticis eſt Vvido Cremenſis, quem Paſchalem nominarunt. Sed Henricus eo tempore Archiepiſcopus Remenſis iam erat, non Bellouacenſis. G Quare in Vvidonem iſta non quadrant.

E P I S T O L A XXVII.

Domino & amico ſuo cariſſimo a Thomæ Cancellario Regis Angliæ Frater Petrus humilis Abbas Cellenſis ſe & ſua.

QVem fortuna non extollit proſpera, magis pro humilitate quàm pro ſublimitate eſt admirandus. Gloria in vobis cum proſperitate, vt accepi ab his qui viderunt & nouerunt, ambitioſiùs quàm contentioſiùs contendit: nec confundit aliquando ſuperata, nec vnquam inſoleſcit de victoria. Cedit gloria proſperitati, ſed glorioſè, ſed proſperè. Quælibet obtineat, humilitatem ſeu moderationem non amputat. Gloria accedit, H ſed non ſuperba: proſperitas venit, ſed non effuſa. Inde eſt quòd de nube tantæ ſublimitatis, ad latibulũ noſtræ paupertatis miſiſtis, quia venire non potuiſtis. Rogaſtis de familiaritate & amicitia. Quod rogaſtis, ſi admitteretis, admirationi procul dubio habendum eſſet, pro inæquali rogantis & rogati fortuna. Quæ enim proportionalitatis habitudo inter Abbatem Cellenſem & Cancellarium Regis Angliæ; Pene non eſt comparatio, vbi non eſt exiſtimationis adaptatio. Secundum poſt regem b in quatuor regnis quis te ignorat? Primum in miſeriis fratrum noſtrorum quis me non reputat? Dicam de compendio, quia quantùm de vobis excellentiora, tantò de me ſentio & ſcio viliora. Nullo igitur modo ad ingreſſum amicitiæ manum porrigo: ſed ſi vel de grege accidentalium amicorum fuero, bene me cum feciſſe dignationem veſtram æſtimabo. Primitias autem illas non mitto, quia ampliorem gratiam facere propero. Non habebam ſermones illos magiſtri G. ſed quæro, & ſtatim ſcriptorem cum omni inſtantia huic operi ad opus veſtrum deſigno. Valete.

NOTÆ

A

N O T Æ.

a *Thomæ Cancellario.*] Cancellarius ab Henrico Rege creatus est anno, vt Rogerus Houedinus scribit, M.C.LVII. quinto post anno, Archiepiscopus Cantuariensis.

b *In quatuor regnis.*] Regna dicere videtur quatuor Prouincias quibus Reges Angliæ tunc imperabant, Angliam, Normanniam, Aquitaniam, & Andegauiam, quarum titulis insigniri solebant. In litteris Thomæ ipsius apud Rogerum eundem: *Henrico Dei gratia illustri Anglorum Regi, Duci Normanorum, & Aquitanorum, & Comiti Andegauorum.* In aliis Vvillelmi Regis Siciliæ: *Henrico Dei gratia illustri Anglorum Regi, Duci Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegauiæ, Vvillelmus eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ.* Ita enim & Reges Siciliæ trium quinque Prouinciarum sese Reges appellabant, tametsi

B

Sicilia sola Regnum esset.

c *Sermones illos Mag. G.*] Gilleberti, opinor, vniuersalis, de quo lib. VII. ad epistolam XIX.

LIBER II.

EPISTOLA I.

Domino & Patri suo Carissimo a Petro Dei gratia venerabili Cluniacensium Abbati, Frater Petrus humilis Cellensis Abbas seipsum.

IGNICVLVM scintillantis in me spiritus vestri cineres nostri tenaciter euaporant, & carbones Seraphim nunquam extinguendos assidua meditatione renuuant. Tetigistis, fateor, in me non labia oris, sed venena cordis.

C

Aculeus siquidem collocutionis inter nos habitæ, nostras interiores medullas perforauit, ac in consideratione sui omnia animæ interiora coëgit. Reuera sermo ille efficax fuit ad torpentis animæ excitationem, ad vitæ huius momentaneæ inspectionem, ad regularis professionis obseruationem, ad Angelicæ puritatis æmulationem, ad summæ & ineffabilis Trinitatis expeditam contemplationem. Viuus, quia de vera vita: purus quia de puritate summa, verus quia de veritate æterna. Non parcit malis: sed placet bonis: remordet vitia, virtutes suadet. Adducit in lucem obscura: tanquam speculum perlucidum vultus prospicientium renuntiat. Fateor, in huius contuitu rugas meas inspexi, & quod in interiori homine pulchrum prius æstimaueram, deforme reperi. In lucerna ista accensa domum euerti, & in peculio multo minus quàm computaueram accepi. Marcidum inueni quod floridum credidi. Et quid plura? Fœtores niduli mei vix fero, quia

D

ibi reptilia, quorum non est numerus, aspicio. Vrticarum ibi punctiones, spinarum compunctiones, veprium complicationes, & tam paliuri sollicitudinum, quàm cardui affectionum non parcentes exustiones. Quid namque peccatum, quid pœna peccati, nisi stimuli mortis animam cruentantes, lacerantes, & dilaniantes? Misera miseriis suis depascitur anima, *Mors*, inquit Psalmista, *depascet eos.* Vnde Esaias, *Dilatauit*, inquit, *infernus animam suam absque vllo termino, quia non habuit populus scientiam.* Nimium, nimiumque certè se infernus dilatat, cùm etiam quosdam in corpore viuentes gehennalibus conscientiis jam jam excruciat. Sed vsque ad ostium, seu hostiam crucis, & non vltra, cruciatus isti pertingunt. Cetus namque iste, qui etiam Ionam deuorat, omnia rapit, vniuersa deuastat; in gutture & ventre malitiæ suæ quicquid extra arcam inuenerit includit. At quàm feliciùs & quàm iocundiùs anima capientem se caperet, deuorantem se absorberet, persequentem se triumpharet? Draco enim sic illuderetur, sic denique mors interficeretur, sic anima liberaretur.

Psal. XLVIII. 14.
Esa. V. 14.

E

Vtinam sic se vindicaret anima de aduersario suo, immo vtinam infernales sic absorberet in præsenti miserias, vt nullas in crastinum futuri iudicij dimitteret pœnarum reliquias! Vtinam, inquam, reliquias saluationis, quæ diem festum agent, potiùs expectaret anima mea, quàm reliquias fæcis, quæ subsidunt in calice, qui est in manu Domini vini meri plenus mixto! Reliquias prandiorum tuorum, Domine IESV, suspiro. Venter meus absque spiraculo eu totum se expandit, & de micis siue reliquijs tuis repleri appetit. Quæro etiam vinũ, quæro & vestimentũ. Opto quoque à sanguine peccati, sanguine tuo mundari; opto lineis tuis, IESV, vestiri, quibus in sacris visceribus virgineis insignitus, ad offerendas preces & munera pro nobis processisti. Hanc sacrosanctam in sancto cœnæ conuiuio exuisti, in cruce conscidisti, in resurrectione innouatam resumpsisti, in ascensione vultibus paternis in propitiationem nostram repræsentasti. Laua me à sordibus, sana à doloribus, mundator filiorum Leui, reparator filiorum Dei. Quòd

F

si manum jam glorificatam clementissimè ad tam vicerosa officia inclinare, propter defluentes ægroti assiduas rheumatizationes refugis: habes aliam inferiorem manum, sed bene doctam, sed satis gratiosam, sed similem nobis passibilem, cui si dederis, immo si iusseris, facile curationes animarum nobis propinabit. Cluniacensem tuum loquor; cui dedisti in corde sapientiam, in ore facundiam, in sermone gratiam, in vultu auctoritatem, in operatione virtutem, in intellectu subtilitatem. Dedisti ei & licentiam, vt secundùm cor tuum operetur, & laborantium officinas ingressus, manibus tuis confectam medicinam pro cuiusque valetudine dispenset fideliter, & nummum gratiæ pro gratia operæ dispensationis reportet. Grauaris quidem, Domine carissime & pater, in hac administratione tantæ multitudinis, tam spatiosis decursibus, vt modò ad cœlorum fines curribus igneis amore auido contendas: modò ad terræ inferiora & partes vltimas sollicitudine populi proni in culturam vituli comedentis fœnum residias: modò

G

tam procul, modò tam prope, modò supra nubes, modò juxta Goel etiam infra ciues, modò supra spiritum, modò infra teipsum cogaris te leuare & deponere. Laboras si non amas: laboras, sed si fructum non videas: laboras, sed si finem nonsperas: laboras, sed si retributionem non consideras. Et de fine quidem scriptum est, *quia ecce finis venit, venit finis.* Denique appensum est in statera laboris tempus, & inuentum est minus habens, quàm retributionis denarius. Non in dies & annos producitur labor, quia in modico; & in breui fiet laborum retributio. Iterum de fructu videndum est, quia fructus tuus, fructus sublimis est, fructus lucis, fructus benedictionum Domini, fructus innumerabilis. Dinumera stellas cœli, dinumera arenam maris, & dinumerare poteris fructum horti Domini, scilicet Ecclesiæ Cluniacensis. Quid dicam de dilectione? An non amas, patet amantissime, dilectum ex dilecto vulneratum charitate in ligno? Noui, noui ego, nouit & Ange-

Ezech VII. 2

H

lus tuus dilectionem tuam, flammescentem in Deum fortiter, recalescentem in proximum non mediocriter. Denique pius & largus remunerator non solùm operum, sed & affectionum, ante faciem tuam Christus IESVS accinctus plena manu præcurrit, in latere claro vultu concurrit, & post tergum extenso brachio succurrit. Præcurrit vt præuius, concurrit vt socius, succurrit vt medicus. Præcurrit vt imiteris, concurrit ne lasseris, succurrit ne labores. Præcurrit prædestinatione, concurrit vocatione, succurrit iustificatione. Iacob in vtero matris præuium habuit, cùm non ex operibus, sed ex vocante dictum est, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Angelica quoque natura in confirmatione suæ stabilitatis concurrentem gratiam habuit. Saulo in languore suæ infidelitatis nonne gratia de cœlo succurrit? Post hunc currens non deficies: cum isto vadens ad omnia sufficies: huic toto totus innexus omnia te posse non desperes. *Omnia*, inquit Apostolus, *possum in eo qui me confortat.* Pennis quidem paternæ, necnon

Rom. IX. 13.
Philip. IV. 13.

A & maternæ generationis reuolat iste filius Dei, & præuolat ad sinus paternos: sed tamen gressum retardat, sustinens lassos. Itineris quoque duriora & asperiora sibi non ignarus, sed benignus secernit. Non enim est dolor, sicut dolor eius, & nobis planiores semitas, lapides de via tollens, proponit. Vnde ait: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* (Ioan. XIV. 27.) Quasi guerræ vestræ & debiti pœnalis discrimina persolui, & pacis integræ remedia indulsi. Partem inquam, suam meliorem, non molliorem fecit, quia simul molliorem & meliorem in mundo, vbi pressuram promittit, neminem posse habere docuit. Volo quidem ego meliorem, sed ex gratia: eligo sæpè molliorem, sed ex humanitatis natura. Non sic verò, non sic legit Deus. Diuisit enim aliter. Seorsum sed sursum posuit meliorem. Homines autem tanquam molliores, infirmiores, seu inferiores, adhuc limum plasmationis præ oculis habentes, molliora & dulciora, non meliora & duriora appetunt. Optioni siquidem nostræ relinquitur, vtrum accipiamus meliora, sed duriora; an molliora, sed deteriora. Video autem
B humanitatem meam frequenter & diu in hoc discrimine vacillare. Modò enim tentat & attrectat durum propositum, quia meliùs; modò relabitur ad molle, quia delectabilius. In istius contractu placet emptio, sed displicet conditio: in alterius contractu facilis conditio, sed vilis emptio. O anceps, ô dubia negotiatio! Superflua carnis equidem delectatio non vsquequaque est omni homini odiosa, sed multum quæsita, multum appetita, multumque à multis amplexata. Sed quousque? Modica est, transitoria est, etiam cùm esse videtur, non est. Seipsam consumit, seipsam destruit, in se crudeliter sæuit. Acerbius tamen damnum quod naturam lædit, quàm quòd seipsam interimit. Intrat hujusmodi delectatio, & natura fugit. Rerum omnium Domina ancillam istam velut pestem refugit, velut mortem euitat, velut infernum cauet. Nunquam enim aut tardò in vna sede morantur, vix aut nunquam operantur. Semper namque alia est operatio necessitatis, quæ & natu-
C ræ, alia superfluæ delectationis. Verbi gratia, cùm sepelitur aliquis vino, cibo vsque ad nauseam ingurgitatur, eneruatur luxuriâ, nonne hinc luget natura? nonne ægrotat? nonne grauiter laborat? Citiùs proculdubio deserit hunc flos ætatis, & morbi siue mortis intempestiuæ accersiuntur nuntij. Hæc tamen opera carnis esse, siue superfluæ delectationis quis ignorat? Natura verò his gaudet abstinere, & vt ait Seneca, paucis contenta est. Et ratione quidem ista regitur, illa verò abusione. Illa in veritate ambulat: monstri verò huius facies blanda vt decipiat, sed in posterioribus circumfert aculeum scorpionis, vt perimat. Mentum simplicium apprehendit, sed inguina ferit. Cohors & Tribunus Synagogæ peccantium huius principatum sibi assumit in caput & regem, & respuit super mulam regis verum Salomonem. O peccatum! ô iniquitas! Pater mi, pater mi, currus Israël & auriga eius. Non sileat saltem in ore vestro spiritus justi Nathan, non sinat fieri tan-
D tum nefas in Israël Dei. Sceptrum namque regni superflua carnis delectatione obtinente, quæ pax super Israël? immo quæ jura non subuertuntur? quæ leges non oblitterantur? quæ ratio non exulatur? quæ virtus non confunditur? quæ boni species non suffocatur? quod genus erroris non extollitur supra omne quod dicitur Dominus, aut quod colitur? Hæc radix est peccati, totius honestatis tinea, fouea vitiorum, puteus dæmonum vorago animarum. Recludite, obsecro, recludite feram istam pessimam, quæ deuorat Ioseph nostrum, vel potius filios Iacob & Ioseph. Certè nimium efferatur, & rupto propositi ac religionis repagulo vsque ad sancta sanctorum Cluniacensis ordinis, imperij sui fines propagare conatur. Vbi enim sine licentia comeduntur carnes, nonne Adæ præuaricatio renouatur? nonne voti & sanctæ institutionis paradisus violatur? Nunne legitur, quia *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes?* (Deut. XXXII. 42.) Sanctitatis opprobrium, religionis abominatio est, non quidem carnes edere,

E sed cum sanguine inobedientiæ. Vnde à sanguine & suffocatis jubet lex abstinere. A suffocatis non abstinet, qui furtim edere non timet. Periculo namque Prælatorum fiunt transgressiones commissorum. Vasorum custodes sacrorum puniuntur, cùm negligentiâ suâ de templo Domini asportantur, & vsque ad manus concubinarum Regis Babylonis humiliantur. Sapientiorem me non doceo, sanctiorem non instruo, feruentiorem non excito, studiosiorem non prouoco, sed timores meos manifesto, sed dolores aperio, sed consilium quæro, sed euadendi semitam interrogo. Audio Principes populi suspensos in patibulis, & affixos contra solem propter peccata populi, & somno vacare valeo? Dicentem Iacob ad Laban in summo articulo iudicij lego, *Oues tuæ & capræ steriles non fuerunt. Arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne restituebam: quicquid furto peribat à me exigebas, die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sic per viginti annos in domo tua seruiui tibi.* (Genes. XXXI. 38.) Hæc, inquam, lego, & non inconsolabiliter
F inertiam meam lugeo; Vbi namque oues curæ meæ? vbi capræ non steriles? Qui enim à pueritia sua in claustris regulariter eruditi sunt, & tunicam vitæ atque conuersationis suæ immaculatam seruauerunt, & oues Domini sunt. Qui de sæculo fœtorem luxuriæ fugientes, pœnitentiæ habitum sumunt, capræ Domini nihilominus sunt. Sed vbi Iacob, vbi Abbas tam sedulus exhortator, tam feruidus redargutor, tam cautus prouisor, tam beneuolus persuasor, tam contra rabiem luporum potens, tam contra morborum pestilentiam sapiens, tam ad aëris intemperiem patiens, tam ad latronum insidias prudens, tam fidelis in commisso, tam vigil in euitando damno, tam perseuerans in incepto seruitio? Damna Domini mei video, sed quomodo resarciam ignoro. Esset quidem justa recompensatio, si numero numerum æquarem, si pretium par pari pretio restituerem. Nunc verò cùm non sit mihi nisi vna anima, si perierint per culpam meam tres aut qua-
G tuor, quid faciam? Anne triplicatam vel quadruplicatam pœnam persoluam? Quod si quoquo modo pœnam istam pati possem, centuplicatam fortè quâ patientiâ sustinerem? Ista attendens miror me non mirari, expauesco me non expauescere. Certè non est somnus simplex: sopor aut lethargia est, quæ me tenet. Obsecro mittite antidotum.

NOTÆ.

a *Petro venerabili.*] Quod illi proprium quasi cognomen factum est. Nam Petrus venerabilis appellatur Cluniacensium Abbas VIII. & suis ipsius & aliorum scriptis notissimus. Decessit Kalendis Ianuar. anno M. C. LVIII.

b *Sine licentia com. carnes.*] Monachi vetere instituto à carnalibus abstinent, ne, quod de seipso scribit Bernardus, dum nimis nutriunt carnem, nutriant
H vitia. Edere tamen interdum licuit, sed infirmis duntaxat, Prælatorum permissu. Goffridus Vindoc. lib. IV. epist. XLII. *Carnis comestio sicut monachis pro corporis infirmitate conceditur, ita eis in carnis voluptate negatur.* & post alia, *sed quia paucorum vel nullorum istam virtutem esse cognoscimus, vt videlicet à carne omnino abstineant, cùm alicui carnem comedendam tribuimus, rationabilis est consideranda necessitas, non carne carnis nutrienda cupiditas.*

* * *

A

EPISTOLA II.

Domino & Patri suo Carissimo Hugoni Dei gratia Cluniacensi Abbati, Frater Petrus humilis Cellensis Abbas seipsum cum deuotione.

SEtenior post nubila dies succedit : dulcedo crescit ex amaritudine præcedenti ; ruina statum amplius commendat. Sic in auditu commotionis magnæ, quæ in Cluniacensi electione facta est, non parum concussa sunt viscera nostra, sed rursum in concordia læta est anima nostra. Ab occasu enim sancti patris nostri prædecessoris vestri, eatenus tanquam parturiens erat, donec reciperet virum alium, qui consolaretur eam ab operibus suis. In dolore suspirabat, sed ecce jam non meminit pressuræ propter gaudiũ, quia & libertatem re- B cepit, & vnum de filiis viri sui cum Principibus populi sui collocauit. Filij alieni mentiti sunt ei, & claudicauerũt à semitis suis : quia non ex ore Domini, sed ex propria vsurpatione & consilio Achitofel regnare attentabant. Odiosa nimirum præsumptio. Cluniacensem tam castam matronam prostituere, tam religiosam publicare, tam honestam deuenustare. Reprimenda temeritas matrimonij leges tam petulanter infringere, vt non voluntas nobilissimæ puellæ quæratur, sed violentia inferatur, torus immaculatus non cum reuerentia poscatur, sed impudicè exigatur. Prorsus inaudita miseria, si hac necessitate materfamilias addicatur, vt non tanquam libera, cui vult nubat, tamen in Domino, sed cui respuit nolens succumbat famulari, immo concubinatus obsequio. Vbi est, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos?* (Ioan. xv. 16.) Vbi est, *Non sumat quisquam sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron?* (Hebr. v. 4.) An non ista libera est, liberam habens electionem in libertate spiritua, cuius & C ancilla & sponsa est, ancilla vtique ex deuotione, sponsa ex charitate? Vbi, inquam, reuerentia sponsi, sponsæ gloria, quam Ioannes Baptista reformidat, Moyses velat, Rebecca operit pallio, Cherubim gloriæ obumbrant, & quam caro & sanguis si cõtingit, vt fumus euanescit? *Caro*, inquit Apostolus, *& sanguis regnum Dei non possidebunt.* (1. Cor. xv. 50.) Idcirco Moyses soluit calciamentum de pedibus suis, ne si fortè in terra sancta curis carnis impeditus consisteret, faciem in rubo radiantis Dei offenderet. Non æstimo leue dispendium, flammeum gladium atque versatilem nuda manu accipere, vel cæcis obtutibus fornacem iracundiæ inconsultè transilire. Culmen huius honoris, vel potiùs oneris, tam est pendulum ad casum, quàm debile ad flatum. Vrit sollicitudine, pungit timore, vrget inquietudine. Fortuna si vtrimque & vndique versata discutiatur, plus mœroris & minus lætitiæ refert. Iugiter siquidem ratiocinatio supputanda tam accepti muneris, quàm soluendi debi- D ti ; hinc æquitas iudicis, illinc difficultas iniunctæ administrationis pensanda. Venia etiam speranda, si non obstiterit punienda negligentia. Tempus numerandum, vsura replicanda, fructus computandi, & summa totius dispensationis colligenda. Si minus inuentum fuerit, danda ante articulum supremum pecunia ad mensam, renouandus ad nummularios virtutum siue fidei cursus. Gratia pro grauitate discriminis imploranda : arbitrium pro posse impendendum, legatio excusatoria pro impossibili mittenda. Ex æquo enim si ad pugnam congrediatur, nulla proportione ad Dominum homo miser & inualidus subsistet. Pondus terræ, cœli infinita spatia, diffusiones aëris, & maris profusiones intra pugilli angustias facilius coartabis, quàm Deo cœli paria respondere possis. O Abbas Cluniacensis, attende quia fecit tibi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Fecit tibi Deus, vt Deus, vt pius, vt bonus. Exaltauit humilem, deposuit potentem. Ecce itaque oculus monachorum factus es, speculum & exemplar huius ordinis. Si oculus tuus simplex fuerit, totum E corpus monachorum, quod est congregatio Cluniacensis, lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint, vt sic loquar. Facit audere, quod vestibulum familiaritatis tuæ aliquando penetraui, & religionis tuæ sancta deuotio. Sed de his hactenus. Cæterùm more nostro obediens amantissimo, & piæ recordationis viro, Domino Petro Abbati, fideiussi cum [b] Abbate Artemarensi pro eo multam pecuniam aduersus [c] Hulduinum de Vendopera. Priores quatuor proinde secundariò, vt regressum ad eos haberemus, accepimus fideiussores. Hi sunt *

NOTÆ.

a *Hugoni Abb. Cluniac.*] Petri venerabilis successori, eius nominis tertio. Post Petri excessum monachi Cluniacenses tumultuaria electione Robertum quendam semilaicum, sed Comitis Flandriæ cognatum, re- F clamantibus multis elegerant. Quo postea deiecto ac mortuo, Hugonem hunc ex Priore Abbatem renuntiarunt, vt est in supplemento Sigeberti ad annũ M.C.L.VIII. Hæc igitur est commotio magna quam vocat : Hugo, filius veri Cluniacensis : Robertus, is qui per vim regnare conabatur.

b *Abbate Artemarensi.*] Monasterium est ordinis S. Benedicti, cuius originem, auctoremque Adtemarum docet epistola Leonis IV. ad Prudentium Tricassium Episcopum, in cuius situm est Diœcesi. Conditoris nomen retinet etiam in vernacula. Nam *Monstier ramey* vocant, hoc est monasterium Adremari.

c *Hulduinum de Vendopera.*] Gentilitium id familiæ cognomen ab agri Campani castello quod possidebant. Hunc verò ipsum Hilduinum de Vendopera puto, quem aliquot Aripatorij cœnobij tabulæ testem adscriptum babent cum Theobaldo Comite, Bernardo Clareuallensi, & Guidone Artematensi Abbatibus, qui omnes ætatem hanc produnt. G

EPISTOLA III.

Domino suo & Patri carissimo Hugoni Abbati Cluniacensi, Frater Petrus Cellensis salutem.

IVstitia nostra superabundare debet iustitiæ Scribarum & Pharisæorum, & non subjacere. Miror iustitiam hanc quis nouus legislator vel vnde attulit vt non restituatur à principali debitore pignus fideiussori à debitore detentum. Miror & nouam benignitatem vestram, quæ nec semel respondere voluit iam secundò vocanti. Duriùs hoc silentio quàm damno permoueor. Ad damnum enim leuiùs ferendum cooperatur patientia, cùm illud noueris resarciendum amici bonâ & nouâ gratiâ. Silentium verò post beneficium mortui be- H neficij repræsentat sepulchrum. Malum tanquam abortiuum amici primogenitum facere : cùm potiùs semper obseqnij memoria vigere debeat, & viuere apud amicos. Et damnum, & damni hactenus patientiam præstabam; sed amicis, sed Dominis, sed veracibus monachis, qui & si me ipsum vellent inuidiare possent. Sed quid dicam? Planè minus dicam, ne forte & cum pecunia amicos perdam. Dicam prorsus, dicam. Quicunque fortè hoc audieritis, quòd Cellensis simplicitas sic elisa, ne dicam elusa, sit ab amicis suis carissimis, pro quibus & se, & omnia sua ponebat, nolite annunciare in Geth, neque in compitis Ascalonis. Hoc potiùs & si non veriùs dicatur : Abbas vetera non nouit debita. Nam cùm audierit & creditoribus satisfaciet, & fideiussores liberabit, & gratiam amicis æqua lance rependet. Valete.

Ecce calami nostri valde fatigati pro labore suo mercedem reposcunt, bibere in calice, post æstum & hyemem.

A

N O T Æ.

a *A Debitore Detentum.*] Sensus exigit, vt legatur *à creditore*, quod etiam declarant quæ de eadem re scribit sub finem epistolæ sequentis.

EPISTOLA IV.

Domino & Patri suo Carissimo Hugoni venerabili Cluniacensi Abbati Petrus humilis Abbas Cellensis cum omni deuotione.

VNa eademque hora, denique & ore vno, saporis dulcedinem à medullis epistolæ vestræ accepi, & reciproco munere manum ad scribendum deflexi. Semper namque nescio quid plus dulcedinis habet res præ-
B sumpta primo voluntatis appetitu; quàm post desiderij tempus. Nolui igitur oportunitatem tanquam recalefaciendam in horas differre; vnde fueram quasi monitus ipsa tantæ maiestatis dignatione. Et primùm quidem moram damnosam, sed bene compensatam, hac satisfactione remitto. Deinde negligens inueniri apud vos in huius officij munere præcaueo. Chartam & chartæ scripturam satis eleganter compositam suscipiens, semel non aspicio, sed diligentiam hominis, etiam in paruissimis rebus non prætereundam in memetipsum cum admiratione replico. Exemplum est certè compositionis intimæ, refiguratus quandoque habitus in exteriori homine: & vini bonitas calicis accrescit idoneitate. Suggessit ipsa suæ faciei venustate, quod & exhibuit in lectione, magnum quid in absconditis suis repositum apportare. De Paradiso, de Ægypto, & de quibuscumque locis scripturarum tam pretiosas merces & margaritas plenis marsupiis ex se refudit charta
C vestra, quòd ad ipsam coartata sit intelligentiæ nostræ arca. Sed quid mirum, si Dominus Abbas Cluniacensis de thesauris suis tot & tanta profert, quot & quanta Cellensis vix efferre valeat? Nonne sic à quodam dictum legimus, *Ex te non poteris præbere ascensores*
Esaiæ xxxvi. 8. *equorum, quos ego dabo tibi.* Ambulant vobiscum innumerabiles forte sicut monachi, sic & sententiæ. Certè sic est, negari non potest. Res in euidēti. Quis sic ad manum; sic ad nutum cogere tantum exercitum Philosophicorū exemplorum tam citò potuit? O vena diues! Beatus qui vigilat ad postes ostij sui. Mane panibus, vespere carnibus edere poterit. Pulsaui, & aperuistis. Vnum locutus sum, quod dixisse me non pœnitet. Vna siquidem & modica punctione tetigi vos, quinimmo tetigi aceruum Mercurij, siue nouarum frugum, sed non modica æstimatione excepi thesaurum multarum sententiarum. Quid? mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superfluentem remisistis in sinum nostrum. Proinde
D exulto ad dignationem vestram, stupeo ad eloquentiam, curro sicut ceruus siriens ad fontes historiarum, ad profunditatem sententiarum, ad suauitatem exhortationum. Interea duo proposuistis, sumpta à nomine vno, quod est Petrus, fortitudinem scilicet & agnitionem. De vtraque exemplificatis non auare. Honesto deinde modo qualis esse debeam instruitis: & talem esse dicitis, qualem fieri vultis. Modus is suadibilis ad docendum. Naturale siquidem est animæ rationali, voluntatio motu occurrere de se bene opinanti, & humeros inclinare indubitatæ affectioni. Pronum quoque sibi redhibet animum ad obediendum, qui priùs amicitiæ fidem fecerit, & de probitate persuaserit. Crederem vobis, si mihi conscius in contrarium non essem: vtinam sicut à charitate vestra profertur, sic à vobis in veritate perficeretur. Sed vt verum fatear, rata in nobis nominis vestri interpretata veritas. Vnus enim est, & secundum non habet, cui dicitur, *Secundùm nomen*
Psal. xlvii. 9. *tuum, ita & laus tua in fines terræ.* Quod hoc nomen?
Matth. i. 21. Iesvs. Quæ ista laus? *Saluabit Dominus populum suum*
E *à peccatis eorum.* Reuera hic Iesvs, in cuius manu salus nostra est. Hic nomen habet, quod est super omne nomen. Hic denique virtutem nomine suo non inferiorem implet: quinimmo & tempore & pondere excellentiorem. Parum dixi, tempore: melius enim dicerem, æternitate. Virtus hæc ab æterno, nomen hoc ab æuo. Virtus sine tempore, nomen ex tempore. In pondere nihilominus omnia virtus diuinitatis operatur, ipsum quoque nomen Iesv. O pondus nominis Iesv! quis appendere, quis dinumerare, quis æstimare valeat hoc nomen in pondere? Nunquam sine pondere nominandus Iesvs. Pondere vtique sanctuarij, quia nemo potest dicere Dominus Iesvs, nisi in Spiritu sancto. Et in lege Moysi sic dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in* Exod. xx. 7.
vacuum. Paulus Apostolus ne in vanum curreret, vt potuit in vinculis, & in catenis per passiones quotidianas, hoc nomen semper apposuit & apprehendit. Hoc enim est quod ait, *Non sunt condigna passiones huius,* Rom. viii. 18.
&c. & alibi de eodem pondere, *Stigmata,* inquit, Iesv Gal. vi.
F *porto in corpore meo.* Alibi dicit: *Dedit ei pater nomen,* 17.
quod est super omne nomen, &c. Præponderat hoc nomen Philip. ii. 9.
quodcunque creaturæ nomen est. Hoc compendiosè dixerim, vt solùm designatem, quis scilicet nomen habet & virtutem. Rursus inflecto intuitum ad epistolam, quæ sicut turris ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Ad quid tantus apparatus? Opinor voluistis in me aut terrere sensus hebetes maiestate sensuum, numerositate exemplorum, perplexione rationum subtilium; aut inertem prouocare æmulatione studiorum; aut mœstum consolari pulchritudine sermonum; aut indoctum ædificare persuasione adhortationum; aut satisfacere opportunitati meæ abundantiori gurgite auctoritatum. Sed quodcumque horum attenditis, optabile & valde carum habeo, quòd occupationibus vestris succensetis, & sicut Rebecca hydriam de scapulis lassitudini nostræ inclinaueritis. Refluentes quippe procellarum reuolu-
G tiones, quibus interdum ascenditur vsque ad cœlum & descenditur vsque ad abyssum, quis vel ad modicum credat abesse Abbati nouo Cluniacensi? Quis de abyssis terræ vel post tertium diem non miretur emergere? Quis non compatiatur gementi sub aquis? Scribere quomodo valet, quem degrandinat sollicitudo continua, & nunquam quieta? Sed vbi obstaculum ægrius, ibi necesse est se expediat ingenium egregiùs. Proculdubio animi elegantis est, curæ secularis oneribus indignari; & per medias interpellantium acies ad lectionum amœnissima prata & solitudinem liberam, velut solitarius onager, euolare. Contra hanc vim à Prætora nullum proponitur interdictum. Hæc vis probabilior, quàm desidiosa patientia. Vis, inquam, hæc non improbabilis, si rumpantur noui funes contexti & concatenati nexibus causarum, tanquam à profundo maris emergentium. Est & aliud consilium, vt vbi non sunt vires ad vim faciendam, adsit ingenium ad furtum commit-
H tendum, de quo tamen non nascatur actio furti. In Euangelio enim commendatur mulier, quæ tangens Iesvm, virtutem à fimbria vestimenti eius furto subripuisse commemoratur. Furtum prorsus commendabile, si te ipsum tibi ipsi & Deo tuo ab incursu concursantium subduxeris. Aquæ enim furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Valde saporabilis lectio, quam interpellata sorbet animæ intentio. Studium, lectio, & oratio turbam non amat. Impediuntur plerunque peregrino superuentu, quia vix patitur non se partiri aduenienti nobili animæ consolatio. Fortè onera grauia & importabilia, quæ nec digitis tangere possum, humeris vestris impono. Quo enim modo Dominus meus Cluniacensis poterit hæc vnquam vel experiri? Immo viuere quomodo poterit, si hæc non fecerit? Si post omnes habiturus est, quando se habebit? Rursum si eum non habuerint qui sine eo viuere non debent, quantæ pestis & iniquitas! Expedit potiùs vt vnus moriatur homo, quàm tota gens pereat. Sed rursum quid prodest, si totum mundum lucretur, se autem ipsum

perdat

A perdat & detrimentum sui faciat? Ecce vt attenditis res in arto posita est. Neque ad dexteram pro se, neque ad sinistram pro eis excedendum est. Quid igitur? Medium eligat, & si non potest omnem diem, saltem diem inter diem habeat. Habeant eum alij, sed ipse habeat seipsum, sed & alij. Non diuidat infantẽ viuum, vt decreuit Salomon: habeat eum vel mater, vel non mater imo semper habeat mater. Non sibi viuat tantùm, non aliis tantùm; sed sibi & aliis, ne ipse pereat; sed aliis & sibi, ne oues sine pastore succũbant. Et de his hactenus. Præterea non id indignetur Dominus meus, si dixero quod sentio. Dicam, sed cum licentia dicam. Quid? Quia deest semper aliquid culturæ Dei. Hoc forte apud vos prouerbium est, sed faciam verbum de prouerbio. Laqueum debiti quadam perplexione ratiocinando differtis, ita
„ scribendo, in epistola: Si redditum est, non debemus
„ super hoc inquietari: si propter reddendum quæstio
„ aliqua ventilatur, debet judiciario ordine diffiniri,
„ & partium allegatione & judicis sententiâ terminari.
B Bone Domine, bene docuit vos magister noster proponere: vtinam sic bene soluere. Soluere dico debitum, non syllogismum. Videtis non extensa disputatione, sed compendiose relatione, & potiùs ratione, inter quos quæstio hæc versari dicitur, cui competat actio, & aduersus quem detur. Principalis profectò debitor & suus creditor adinuicem habent actiones, alius directam, alius vtilem. Sed quid ad fideiussorem? Semper liberandus fideiussor proposita actione pignoratitia à principali debitore contra creditorem, soluto priùs duntaxat debito ad restituendum pignus, & ad liberandum fideiussorem. Hoc fecit a Dominus Vvintoniensis, sed non effecit, nam creditorem conuenit, sed nobis pignus non restituit. Idcirco dixi quòd curta est res: donec restitutum sit nobis quod tenetur pro vobis. Est & aliud notatum in epistola vestra: quia suspensiuè & indefinitè dixistis quid agendum esset, sed non quan-
C do, neque diem, neque horam posuistis: fortè quia non est nostrum scire tempora, quæ in potestate sua habet Vvintoniensis. Scio Domine mi, scio quia in multiloquio non deest peccatum. Ignoscite si quid egressum est de labiis nostris, quod minus rectum appareat in oculis vestris. Vt verò hoc auderem, vos occasionem dedistis. Valete.

NOTÆ.

a *D. Vvintoniensis.*] Henricus Frater Theobaldi Magni, & Stephani Regis Angliæ. Is Vvintoniæ quidem Episcopus erat in Anglia, sed in Gallia hoc tempore versabatur, Cluniaci nimirum, quò tandem ex Anglia rediit. Monachus enim erat Cluniacensis.

EPISTOLA V.

D *Domino & Patri carissimo Hugoni Cluniacensi Abbati Frater Petrus Cellensis Abbas salutem.*

PRo amicis nostris, immo pro amicis iustitiæ, amico nostro, veritatis immo amico, nunquam refelleremus scribere. Etenim illa amicitia in diuersis amicorum causis debet interuenire, quæ non plus iusto vergens se in fauorem alterius, æquitatis rectitudine pensat negotium, non fauoris, aut odij iniqua inflexione. Quanquam igitur vobis & excellentem prærogatiuam dilectionis debeam & honoris: huic tamen a Abbati sancti Laurentij Leodiensis nouo confœderatus amicitiæ pacto, propter Christum quem in ipsum suscepi, meipsum nihilominus concedo. Cùm igitur vtrimque Christus in causa sit, vtrumque ad debitum honorem rependendum medius ipse commoneo. Vos quidem, vt quantò magnus dignitate, prælatione, & nomine estis, tantò abundantiori humilitate illum suscipiatis. Illum
E vt secundùm excellentiam maiestatis vestræ cogitet qualiter summam in summo viro humilitatem excipiet, & obuiis, vt dicitur, brachiis deuexam bonitatem sustentet. Vos, vt honestatem personæ & iustitiam quam habet ad vos, æqua libratione appendatis, & personæ honorem, causæ iudicium reddatis. Vidi personam, & audiui: audiui causam, & approbaui. In persona prudentiam, religionem, litteraturam, simplicitatem notaui: in causa retentionem pacis, malitiæ exterminationem, simultatis repressionem, & iustitiæ tenorem animaduerti. Qui de tam longè quærit pacem, nonne amat quod quærit? Qui tempore tanto & tali à sancta Fratrum suorum congregatione peregrinatur, quibus putas stimulis affectionum remordetur, vt vaccæ illæ reclusis vitulis mugientes, vincentes sanctitate propositi visitatum & consuetum affectum carnalitatis. Sed gratias Deo, quia illorum damnum quibus abfuit, & suus dolor recalcitrans qui abfuit, nobis in lucrum versum est quibus affuit. Moueant itaque & commoueant pia viscera
F vestra quæ auditis, & intendite viro bono, viro pacifico, viro honesto, immo vestris monachis & fratribus, quibus valde credimus vtile, si pacem tenuerint, inhonestum & inutile, si à pace resilierint. Valete.

NOTÆ.

a *Abbati Sancti Laurentij Leod.*] Nobile hodieque Benedictinorum est Monasterium in suburbano Leodiensi.

EPISTOLA VI.

Domino suo a Henrico Comiti Palatino Frater Petrus de Cella humilis Abbas bene regnare

G A Collateralibus vestris à nobis quæsitum est, quid vobis daremus, & dies capiendi super hoc consilij præfinita. Primò itaque miror quid ego fecerim mali, quod sic semper à me faciem vestram auertitis, quod venire ad eam, vel rogare, aut nunquam aut rarissimè possim. Secundò vtrum ab illa tenacissima vestra memoria exciderit, quòd nondum expletus sit cursus anni, quod LX. libras tam vobis quam vestris persoluerim. Tertiò non parum doleo, quòd nostra paupertas & debita propter præsentis anni negotia, tum de itinere Romano, tum pro b Ecclesia de villa Mauri, tum pro infirmarie fratrum quam fecimus, tum pro multis aliis, ad aures pietatis vestræ non potuit peruenire. Videat itaque benignitas vestra, & condescendens necessitatibus nostris pateat, & his non addet grauamen, sed leuamen. Valete.

NOTÆ.

H a *Henrico Com. Palatino.*] Comiti Campaniæ, Theobaldi Magni filio, cui liberalitas Largi seu munifici nomen fecit. Vnde autem & quandonam Palatini vocari cœperint Comites Trecenses, accuratè more suo doctéque disseruit P. Pithœus.

b *Ecclesia de Villa Mauri.*] De qua cum Canonicis litigabant, lib. I. epistola VII.

EPISTOLA VII.

Venerabili Domino & Patri a A. Molismensium Abbati Frater Petrus humilis Abbas Cellensis salutem.

IN omni possessione præcellit amicorum possessio. Potest enim parari, sed comparari non potest amicus. Nam quod incomparabile est comparari quomodo potest? An non verò incomparabile est, quod nondum

A habitum emi non potest, perditum æquè redimi non valet? Talem amicum frequenter quæro, nec inuenio, etiam in grege amicorum. Egregium, non de grege gregalem desidero amicum. Numero gaudeant amicorum, qui vnum nesciunt habere amicum. Vt enim ait Seneca, plura habeant hospitia, raras amicitias. Non aliter amicis vtuntur quidam, quàm hospitiis. Si nocturnum bene se præbuerit hospitium, manè laudant, & abeuntes commutant; & quot dies erunt peregrinationis, tot numerabuntur releuationes itineris. Ad tempus occurrit hospitium, nec sui causa petitur, sed tantùm vt fessi releuentur. Non ita perfunctoriè amicus fortè occurrens recipiendus, sed cum labore quærendus, cum deliberatione admittendus, cum studio retinendus, cum omni vigilantia læsus reconciliandus, cum instantia fortè elapsus prosequendus & reuocandus. Non possideas amicum, tanquam prædium. Nam infructuosum respuis, aut alienas à te prædium, lucrosum studiosiùs colis, & ad possidendum auidiorem in-

B tendis animum. Ita qui in amico requirit non animum, sed aurum, non fidem, sed faciem, non mores, sed vestes, non naturam, sed fortunam; causâ propriæ vtilitatis, non naturalis bonitatis amicum quærit. Repentina quoque non omnimodo approbanda est amicitia, sed quæ germinat cognitione, crescit familiaritate, frondescit consuetudine, germascit cordis amplitudine, fructificat perfecta identitate. Hic arbor fici plantanda & circumfodienda est, vt dulcedinis fructum in agro amicorum afferat. Hic triplici filo contorquendus est dilectionis funiculus, ne facilè rumpatur. Funiculum hunc torquebo vt potero, cum ad me per obsequium, per recompensationem, per vicissitudinem fortè torquendus occurrerit. Verso enim pollice de amicitia scribendo filum contorqueo. Si placet pactum coagulandæ societatis, præfiganmt termini arcentes præsumptionem odiosæ præuaricationis. Liceat tamen metas transire sine reprehensione proficientem sed impune

C non liceat deficientem. Illa namque bona est transgressio, cùm vltra æstimationem amare accelerauerit incohata dilectio. Illa quàm bona est non transgressio, cùm iustam mensuram impleuerit amicorum adinuicem fidei promissio! Semper in amicitia minus pollicendum, ampliùs præstandum. Iam ergo amico loquar vt amico. Amice carissime, gratiæ suæ Deus addidit nouam gratiam, cùm te de Priore Abbatem, de oue fecit pastorem. Recole statum, reminiscere meritum, attende donatorem, & datum donum Dei Deo resignes, non homini. Tanquam de summo Dei vertice coronam auellit, qui quod à Deo datum est, ab homine recognoscit. Idololatria est, Deo debitam homini rependere gratiam. Noui quorundam blanda lenocinia: noui vanitates & insanias falsas. Quidam sic, si molestum fuerit claustrum, dicit: *Ego nocte & die ad Deum manus, vt hanc tibi potestatem concederet, expandi, & singultibus continuis, donec id efficeretur, aures diuinas pulsaui.* Alius

D autem sic: *Ego illi prolocutor, ego persuasor, ego aliorum monitor, vniuersorum animos ad te inclinaui, & modò quod volo impudenter negas?* Alius *Te Deum laudamus*, recinit: alius nominationem à se vel concessionem factam improbè meminit. Sic plures sunt tui Abbates, quam quorum tu sis Abbas. Non ita, Domine & amice carissime fiat, vt quod ab vno habes, à multis te habere credas. Non monachus qui orauit Abbatem constituit, sed Deus qui concessit? non qui voce nominauit, sed qui cordibus intimauit. Non ista scribens ad ingratitudinem prouoco, vt immemor sis beneficij: non in arrogantiam extollo, vt non respicias deuotionem congregationis te sibi præfici rogantis. Hoc enim non esset amicum instruere, sed destruere, non veraciter bona suadere, sed nequiter vitio nequissimo subdere. Ad quid ergo ista præstruxi? Vt vana loquentes compescas: vt statum dignitatis & officij tui importunitate aliquorum non minuas: vt solum Deum auctorem huius tuæ sublimationis recognoscas, & ad eius gloriam & honorem omnia facias. Obnoxium te habeat congregatio

E pro deuotione sua, sed cum auctoritate tua: monachus te propitium inueniat pro deprecatione sua, sed cum integritate tua. Sis beneuolus, sed & rectus: sis pius, sed & discretus: sis compatiens infirmitati, sed impatiens mali: sis bonis consentiens, sed inordinatis non parcens: sis humilis, sed non deiectus: sis largus, sed non prodigus: sis prouidus, sed non auarus. Sis in templo Domini basis argentea per patientiam: sis columna marmorea per inflexibilem iustitiam: sis capitellum habens sculpturam liliorum, per contemplationem assiduam. Sis arca testamenti per abundantem gratiam: sis virga Aaron, per disciplinam: sis mensa Domini, per doctrinam: sis candelabrum de auro mundissimo per bonam famam: sis propitiatorium per misericordiam: sis tabulæ testamenti, per veteris & nouæ legis scientiam: sis cortina per charitatem, sis saga cilicina per humilitatem: sis templum Domini, per continentiam & castitatem. Non habitet juxta te malignus, non audias vocem sanguinis, non sermonem susurrij.

F Fortissimi in Israël & doctissimi ad bella, id est, honestissimi & probatissimi monachi, lectulum tuum ambiant propter timores nocturnos. Malæ suspicionis homines non tibi cohabitent, non coambulent, nisi fortè rarò & secretiùs corrigas & benignius corripias. Aliquando enim sic emendantur mali, dum pietate reuocantur pastoris. Quæ namque cum aliis, vel saltem post alias oues, non recurrit ad ouile, si ex infirmitate, portanda, si ex malignitate, cogenda est. Ad te confugientes per humilitatem inueniant matrem, à te resilentes per contumaciam, sentiant seuerum patrem. Non sis præceps in iudicio, non mutus in consilio, non verbosus in conuiuio, non arrogans in publico, non detrahens in secreto, non auarus in proprio, non prodigus in alieno, non contumeliosus in capitulo, non negligens in monasterio, non effusus in refectorio, frequens in oratione, discretus in confessione, assiduus in lectione, profusus in lachrymarum effusione, largus in pau-

G perum miseratione, ardens in contemplatione, affabilis in hospitum susceptione. Pauca & vera sint eloquia oris tui. Procul à te simulatio, dolus nunquam in corde, fraus nunquam in ore tuo. Præ oculis timor diuinus, præ manibus beatus Benedictus. Extra Deum nihil agas, extra Benedictum nihil præcipias. Vale.

N O T Æ.

a *Molismensium Abbati.*] In Diœcesi Lingonensi ordinis sancti Benedicti. Parænetica est nouo Abbati, qui ex Priore creatus nuper erat.

EPISTOLA VIII.

Amico suo Carissimo H. Abbati Priuiliaci, Frater Petrus Cellensis Abbas, accipere de Spiritu Moysi.

H AMicorum monita eò affectuosiùs suscipiuntur, quò ambitiosiùs animorum compago adinuicem consolidatur. Nescit mutui amoris vestri coagulum, qui familiariter non est admissus ad secreta ipsarum medullarum. Ab ipsis igitur medullis verbum amicæ consolationis, mutuans, æquè vsque ad tui cordis secretiora rogo vt admittatur, & vice mei fungatur officio dilectionis, & suppleat dispendia solitæ confabulationis. Quid est Domine, immo frater & amice? nondum enim Dominum redoles. Quid est? De statione quietissimi portus ad marina discrimina transtulerunt amici tui, aut vt veriùs fatear, ad molam te posuit benignissima manus Dei tui. Quid igitur facies? Planè tolle molam, & mole farinam, de qua subcinericium facias in conuersione peccatorum, vt conuertantur à viis suis pessimis & viuant. Similaceum nihilominus in exhortatione bonorum, ne peccent, & non recordentur justitiæ

A eorum quas fecerant. Recreta, carissime, ad molam potius es, quâ in spiritu vehementi conteras alios in malis, & ipse conteraris in afflictionibus. Sed attende diligenter, quia mola orbiculari motu nunquam & nusquam excedens orbem persequendo superficiem grani suppositi extenuat in minutissimæ farinæ speciem, vnde conficiatur panis in escam hominum. Sic nempe omnis labor & vexatio tua, quæ tibi dabit intellectum, æquitatis rotunditate circumnoluatur, vt ne quid nimia facias, vel feruentiùs agendo quàm toleret complexio tua, siue infirmitas tibi commissorum, vel remissiùs quàm expediat ordini & officio tuo, siue quàm permittat regula & regularis consuetudo. Rotundo itaque perge cursu in omni negotio tuo, modestiam seruans in his quæ ipse geris, & in his quæ aliis ingeris. Appende motet tempotis cum hominum moribus, & versa ex hoc in hoc: quia calix in manu Domini plenus mixto. Nondum eliquata est natura, nondum defæcata, nondum fæx corporeæ grauedinis exinanita. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Parcendum itaque interim corpori: nec danda licentia animæ, vt suis excurrens appetitibus in ipso itinete tardum & lassum rejiciat corpus. Spiritus enim promptor est, caro autem infirma.

B Iugale suum ferre debet anima, non interficere. Moueat se quidem semper spiritus ad meliora, sed ægrotantem equitaturam suam calcaribus cruentis supra modum non vexet: ne fortè cæde lacerata obeat, & sanguinem eius de manu immoderati spiritus Dominus requirat. Nemo vnquam carnem suam odio habuit: sed fouet eam, & sicut & Christus Ecclesiam. Procedat & præcedat anima carnem, sed stationem faciat, quo saltem serò mansionem possit assequi subsequens caro. Morandum tamen, non remanendum est propter carnem. Non erit molesta mora, si fit modesta Quousque respitet caro subsistendum, non quousque expiret. Sciat se caro vt itinerarijs recreationibus, non mansionariis delectationibus. Si de itinere grauatur, festinet ad mansionem.

C Erit enim illi mansio & grata pro requie, & certa pro æternitate. Huc applicnit nos orbicularis motus.

N O T Æ.

a *H. Abbati Pruliaci.*] Nouo item Abbati, sed ordinis Cisterciensis in Diœcesi Senonensi. Abbatis Pruliacensis haud scio an eiusdem, meminit Stephanus Tornacensis epist. CLXXXII.

EPISTOLA IX.

a *Roberto Abbati de Bullencurte*, *Frater Petrus Cellensis Abbas salutem.*

D INfra robur animi tui, quæ à me prodire possunt consolationes residere non ignoro. Commendabilis illa solùm fortitudo est, quæ fatigata robustior, oppressa libetior consurgit. Leuat namque fortunæ importunias sine molestia sarcinas, portat sine pondere, deponit sine lassitudine. Accrescit fortè cumulus ponderis, sed & virtutis. Iacet enim virtus sine palæstra. Vbi deest lucta, virtus videtur quasi discincta. Mollis & tenera est, cùm in lectulo prosperitatis extenuatur. Sumit verò suum habitum, immo seipsam, cùm obuiauerit quod euincendum sit. Exerta concurrit, vbi de victoria palmam reperit. Prouocata melior, lacessita recentior, subitò deprehensa & moderatior & cautior efficitur. Non turbatur repentino incursu, non frangitur hostium coaceruato exercitu. Non senescit debilitate, sed consenescit maturitate. Desetit quem in se non conuerterit. Vtrum siquidem hæc aliter isto, aliter illo homine. Aut enim se tibi contemperat, aut se tibi informando comformando comparat. Nec est minor, si minus in alio, nec amplior, si amplius in alio. Proficere dicitur, cùm ex ea proficitur. Hæc à corpotea natura diuersum sortitur, & quod est ab origine & quod efficit in homine. Origo

E eius à creatore, sed ad vtilitatem creaturæ. Quid enim est virtus hæc, de qua loquimur, nisi vapor & emanatio virtutis Dei? Vaporatur subdita Deo anima vitali tam calore, quàm odore, quatinus calore iustificetur, odore glorificetur. O gloriæ odor! ô calor vitæ! Tam nemo fine altero bene viuit, quàm nemo sine altero beatè. Beati ex alio Angeli, ex alio homines boni. Sic autem Angeli beati, vt & boni, quia nec beati essent, nisi boni fuissent, sicut odor semper cum calore. Nam sine calore nihil olet: calet tamen aliquid, quod non olet; sicut & bonus quandoque inuenitur, qui nec dum beatus est. Est verò arra beatitudinis bonitas, quam qui non deserit, eius consecutione carere non poterit. Vale.

N O T Æ.

a *Roberto Abbati de Bullencurte.*] Bullencurtis, seu Bullencuria, ordinis item Cisterciensis cœnobium est in Diœcesi Tricassina, vbi Canonici olim fuerant Augustiniani: quoad Henricus Episcopus locum sancto Bernardo, Claræuallensibúsque concessit. *Vellecurte-sis*

F *Abbas* pro Bullencurtensi perperam legitur apud Saresberiensem epist. CXV.

EPISTOLA X.

Venerabili a Abbatissæ Fontisebraldi Mathildi, Fr. Petrus Cellensis Abbas, suus in Christo amicus, gratiam & gloriam sponsi æternæ.

INspector conscientiarum Deus & testis nouit quibus dignationem vestram præ cordiis exceperim: quàm incomprehensibiliter ad confœderationem mutui amoris exultauerim: quamque incomparabiliter omni auro familiaritatem vestram prætulerim. Vnica siquidem &

G pura me vobis priùs conciliauit gratia, cum deinde ampliandi amoris multiplex superuenit causa. Vbi enim nulla operum præludia, nulla præcedunt officiorum blandimenta, vnde amorem dixerim procedere, nisi ex gratia? Hæc enim operatur motibus propriis & sponta neis in corde hominum sine pœnitentia, cuius multa te uerentia, & absque inuidorum calumnia. Hæc aufert suspicionem, confert affectionem, defert honorem, refert pudorem. Hac interueniente soluuntur malignantium susurria, consolidatur bonorum concordia, & prorsus adimuntur insidiantium machinamenta. Hæc spirituum coagulum, ac indissolubile bitumen animarum, diuersitates motuum ad vnam consonantiam reducit, & meritorum inæqualitates ad æqualitatis contemperantiam proportionaliter recolligit. O gratia gratiosa! sine te omnia mala, tecum omnia bona. Sine te, inquam, inanis vniuersa creatura, & à te repletur Angelica cum hu-

H mana creatura. Tu reformas deformia, lapsa reparas, confirmas debilia, clausa reseras, congregas dispersa & obscura illuminas. Tuum est quòd sum, quòd viuo, quòd sapio, quòd sanctorum vestigiis deuotus procumbo: tuum, inquam, tuum est quòd te in templo sancti tui nominis, quòd in sanctuario tuæ glorificationis videre & adorare te merui. Si enim sanctiùs adoraris in animabus sanctis, quàm in templis lapideis & manufactis, quantò magis in sacris visceribus virgineis? Nihil enim est tibi his carius, acceptabilius nihil, cùm æthere nitidiùs, firmamento relucent jocundiùs, cœloque sublimiùs. Vbinam tale quid inter homines reperies? Credo in illa tua Fontisebraldi Abbatissa, quæ nobilitate carnis nemini secunda, spiritus generositate in multis celeberrima, castitate præcipua, humilitate conspicua, liberalitate profusa, feruore religionis est decenter succensa. Reprimo stylum, ne assentatoris sustineam periculum. Parciùs enim laudare amicos, ampliùs amare debemus. Securiùs quoque mala eorum corrigere, quàm malè sana palpando contrectare. Condemnatur verò non minus desidiæ, qui vano timore

A gloriam Dei reticet, quàm inuidiæ, quem alterius fortuna contorquet. Solem etiam de mundo tollere non immaniotis æstimo sceleris, quàm dotem naturæ & gratiæ à creatore in creatura collatam obumbrare silentio malignitatis. Virtutum namque prædicatio, Dei est glorificatio: nec tutum est cuiquam se nescire quod habet habere, cùm damnum exinde citiùs possit euenire. *Nos*, inquit Apostolus, *non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* (1. Cor. 11. 12.) In filiis huius sæculi hæc comprobatur prudentia, si res familiaris frequenti supputatione creuerit multiplicata. Itidem cœlestium negotiator mercedum quotidiana emolumenta assidua ratiocinatione debet compensare, & quæ minùs ad thesaurum sufficiunt omni instantia perquirere. Vnde Psalmista: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi.* (Psal. xxxviii. 5.) Quomodo namque

B potest scire is quod sibi deest, cui non constat quod deest? Itaque requirat sarcinaculas, marsupia excutiat, pecuniam appendat in statera, cogitet sumptus, drachmas computet, domumque euertat, vt sciat quid desit sibi. Si desunt agri primitiarum, fertilis videlicet charitas superuacuum virtutum: si paradisus malorum punicorum, scilicet plenitudo bonorum operum: si fons hortorum, hoc est vena sanctarum deuotionum: si reclinatorium aureum, quod est requies omnium affectionum: festinet, discurrat, transmigret per nundinas, per maria discrimina, & per regiones remotas, quia vbi non sufficiunt propria, succurrunt aliena. Præterea & puella quærat lanam & linum, vt ex vno calidam, ex altero faciat candidam tunicam. Martha calidâ vtatur, Maria candidâ. Hæc enim actioni, illa contemplationi aptatur. Hæc orat, illa laborat: sedet ista, sudat illa: hæc quiescit, illa currit: exit ista, illa intrat: ista inchoat, illa consummat. Felix

C anima, cuius promptuarium talia resudat vnguenta, cuius dolium talia refundit libamina, cuius virgultum eiusmodi stillat balsama, cuiusque horreum similima continet aromata. Felicem dixerim & locum, vbi tales comparantur species vbi gemmæ væneunt incomparabiles, vbi exiguo pretio res acquiruntur valde desiderabiles. Vidi, vidi in foro speculum non alteri quàm filiæ Regis congruum, vidi monile non alterius quàm intactæ virginis collo appendendum. Hoc speculum castitatis est, virtutis, & humilitatis: quæ terra nostra in publicis contractibus hactenus habere non consueuit. Res siquidem pretij est inæstimabilis, rarò inueniens venditorem, rariùs emptorem. In eius certè comparatione cœlestes exhauriuntur thesauri, negotiatores requiruntur ditissimi & diuinissimi, comparatores quoque liberalissimi. Cœleste siquidem commercium supercœleste desiderat pretium. Quid nempè virginitate cœlestius? humilitate quid excelsiùs? In dia-

D demate Salomonis præfulget altera, in thesauris regiis pretiosior est altera. Ex vtraque tamen omnium artifex sapientia monile composuit, & vænale proposuit. *Qui potest*, inquit, *capere, capiat.* (Matth. 19. 12.) Ad hoc manus adolescentularum satis ambitiosè quasi tentantes emere circumuolitabant, sed audito pretio statim omnes resiliebant. Ad extremum pene iam desperato negotio, virguncola quædam, Andegauensis Comitis filia surrexit, manum ad fortia misit, & noua commutatione pro rege Anglorum Regem commutauit Angelorum. Hæc gloriosa dicta sunt de te, carissima Domina. Indulge autem mihi, quòd sermone diffusiore te plus iusto detinuerim, & credas ex abundantia amoris copiam protulisse sermonis. Ora ergò pro nobis. De componendis autem quibusdam sententiolis sermonis tui non sum oblitus, sed tam citò implere non potui pluribus impeditus. Vale.

NOTÆ.

a *Abbatissæ font. Matildi.*] Sub finem epistolæ Comitis Andegauensis filiam fuisse docet. Hæc igitur est Matildis, Fulconis v Comitis, Hierosolymorum postea regis filia, quam Guillelmo Henrici primi Anglorum regis filio desponsam vtriusque gentis historiæ narrant, & legere est in Notis ad Goffridum lib. v. ep. xvii. Cæterùm Guillelmo sponso marinis fluctibus ante nuptias absumpto, Matildis intactam virginitatem inter Fontisebraldi sanctimoniales Deo deuouit, & pro rege Anglorum, vt Cellensis noster loquitur, Regem commutauit Angelorum. Nunc Abbatissa iam erat, vt in epistola sequenti.

E

EPISTOLA XI.

F

Dominæ suæ seruus spiritum rectum.

QVòd filius hominis non venerit pacem mittere in terram, sed gladium, & quòd Spiritus sanctus super principes nostros in igne descenderit, quodque Isaac ignem pœnæ & ligna disciplinæ nostræ portauerit, scienti refero. Hæc etiam fortassis ratio, quare Iacob in benedictione filiorum Ioseph manus transuersauerit: quatinus singulorum non natiuitatis ordo aut priuilegia, sed meritorum & morum attendantur officia. Virtute namque discretionis seruata, & misericordia in sua triumphat patria, & iustitia congruè disponit totius regni gubernacula. Cùm itaque palatium ingredimur misericordiæ, flores & fructus decerpimus oliuæ. Cùm ad tribunal iustitiæ assistimus, palmam reportamus, & de pomis lunæ & solis satiamur. Hæc in reginæ vestitæ vestimento delectabilis varietas, & ad tollenda fastigia

G filiorum non solùm hominum, sed & Dei immutabilis immutabilitas, & æterna æternitas. Ioannes in aqua tantum baptizat, nec vulnus originalis peccati sanat. CHRISTVS IESVS in Spiritu iudicij & spiritu ardoris, & cœlum reserat. *Omnia*, inquit Apostolus, *mundantur in sanguine, & non fit remissio nisi in sanguine.* (Hebr. ix. 22.) Ne itaque vestimentum mixtum sanguine fit in combustionem propter peccati transgressionem. Christus septies contra velum sanctuarij proprio digito suum aspersit ad emundationem criminum nostrorum sanguinem. Hoc nos docuit vnus magister noster qui in cœlis est, hoc legislator in figura monuit, *Non auferes*, inquiens, *sal fœderis Dei tui in omni sacrificio.* (Leu. ii. 13.) Satis dictum est sapienti. Priorem illum sancti Aigulfi excuso, quia quod facere potuit & debuit, fecit. Si aliud vel aliter fecisset, offensam nostram incurreret. Vale. Proderit tamen peccanti præcedente pœnitentia oratio vestra & sancti conuentus vestri. Iterum vale.

H

EPISTOLA XII.

a Priori suo suus Abbas.

RES humanæ qualiter in mente diuina pensentur, conspectibus hominum in hac volubilitate mundanorum absconditur. Solummodo angelica puritas his prout datur admiscetur arcanis, ac de profundo mysteriorum edocta quibus dignum videtur reuelare sufficit. Interim temeritas nostra sic in se ipsa obscurata confunditur, vt nec remota sensibus aliquatenus apprehendat, nec saltem vicina cognitione perfecta contingat. Digna hæc vltio in præsumptorem, vt & de præteritis arguatur, & à futuris coërceatur. Timore huius periculi, mi dulcissime, admonitus, de præsentibus quidem angor, & tamen futurorum præsentiens caliginem vias incognitas reformido. Gratia verò diuini auxilij si affuerit, nec profunda pelagi pertimesco, nec etiam quæque intentata arripere diffido.

Etsi

A Etsi enim parum roborata trepidet affectio, poterit sine dubio consolidari insuperabili superni luminis patrocinio. O IESV! cui vanum fuit ad te confugere? cui malè cessit te & inter veptes hærentem cornibus quærere? Te quidem nec pietas deserit, nec omnipotentia: atque ob id tuis nec pium ferre recusas suffragium Suâ potius perit quicunque periclitatur diffidentiâ, quàm tuâ inclementiâ. Nostro si dignaris obsequio, mentem nostram compunge tactu interno, & in funiculis amoris tui redue à sæculo, & deduc in eremo. Tumultus non quiescat, donec tanquam spumam ad littoris quieta nos ejiciat. Fiat, fiat super nos misericordia tua, Domine. Non conuertatur amaritudo passionis, nisi omnia expurgauerit superflui humoris. Honoris ambitio, carnis delectatio, amicorum confabulatio, consanguineorum visitatio, subiectorum Prælatio, maioris potestatis ostentatio, vt quid? Nonne his anima compeditur, ne ad superna euadat? Nonne his complicatur, ne virtutum pennis cælestia petat? Et horum quidem finis B erit, sed sine fine pœna durabit. Alterum horum fieri necesse est, aut vincere hæc, aut ab his vinci, aut superare, aut subdi, aut fugere, aut includi. Sanius est igitur nudum enatare, quàm vestitum submergi: solum effugere, quàm cum multis periclitari. Quid cor humanum expauescis? quid refugis? fructus solitudinis non est quidem mollis, est tamen fortis, non est pinguis, est tamen dulcis: est durus, sed in cortice: est acerbus, sed in superficie: est noui saporis, sed inchoantibus: est conterens dentes, sed non consuescentibus. O cor humanum, cur times renouari? cur abhorres reparari? Velis, nolis, hinc abire compelleris: velis, nolis, sine mora emigrabis. O cor excors! cur non curris ad Dominum cordis? Cur omnia colligis, & te ipsum non colis? Dignitate præcellis, potestate excedis, auctoritate quicquid creatum sub cœlo est euincis. Nobilitatis tuæ progenies quanti sit, ob ignobilem conuersationem non attendunt; qui post corpus suum te C ponunt: exemplar tuæ formationis non meminerunt, qui inter corpus & spiritum quæ sit differentia non animaduertunt. Natales tuos relege, & de quàm spectabili sis genere recole. Generi tuo maculam seruitutis noli irrogare, quia seruitus tibi non à te debetur. Etenim tu in loco sublimi sedere, cæteri verò tibi debent assistere. Tuum est mandare, cæterorum ad mandatum venire, & pro contemptu vindictam excipere. Tuum est iniungere, subiectorum sine discrimine iniuncta effectui mancipare. Soli Deo si dignum præstiteris obsequium, tuum ad omnia valebit imperium. Hoc interim confabulatorium omittam, & tempus & locum constituam, quo narrationes, rationes, & allegationes vtrinque liberiùs audiam. Valete.

NOTÆ.

a *Priori suo.*] Monasterij Cellensis.

D

EPISTOLA XIII.

Frater Petrus Cellensis Abbas T. Priori Molismensi salutem.

SAcratissimæ passionis & resurrectionis Dominicæ solemnes feriæ, dies cum suis horis, membra cum suis officiis non immeritò hactenus vendicauerunt. Quid enim digitis meis cum calamo scribere in die, quo distenditur in cruce dilectus ex dilecto, qui factus est sponsæ suæ fasciculus myrrhæ? manus Domini tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, clauis perforantur, & manus mea ad aliud quàm ad distillandum myrrham probatissimam occupabitur? In vno oculorum, & in vno crine colli sponsæ vulneratum cor eius, & cor meum inania & superuacua meditabitur? Potiùs resignet dies hæc in affectu Christiani affectum morientis Christi, E compassionem in membris, mortificationem in concupiscentiis, expiationem à vitiis, conformationem in officiis charitatis. Ecce cur non responderim epistolæ tuæ die sequenti postquam eam accepi, Accepi namque eam, cùm de vituli saginati pelle detrahenda & de agno assando jam ageretur, & manus ac pedes iunioris filij Rebecca parabat superuestire vestibus Esau valde bonis, id est sacramentis Ecclesiasticis. IESVS vestimenta sordida non propter peccati contaminationem, sed propter mortalitatis contaminatam conditionem deponebat, & sacram manuum ac pedum ablutionem, non carnali depositione sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatione in Deum intitulabat iam ea odore vnguenti à peccatrice, sed pœnitente, in caput vel pedes saluatoris effusi implebatur domus: iam conuiuium pinguium, conuiuium medullatorum apponebatur, vinum meracissimum crateris infundebatur. O bone amice, quis scriberet, immo quis non biberet? Comedite amici, & bibite, & inebriamini F carissimi, continuabatur, & de morticinis pellibus atramento liniendis cogitaretur? Ecce quare statim non respondi, cùm libentiùs illis pulmentis intenderem, quàm de responsione vestra cogitarem. quid de sabbatò dicam? Quid, inquam, dicam, nisi quia sabbatum est? Sabbatum reuera sed delicatum, sed sanctum, sed gloriosum. Non licet igitur digitum extendere, & loqui quod non prodest. Deinde die sequenti, resurgente & cum spoliis multis Domino redeunte, aliquid de præda pretiosissima veniens in occursum deposco. Rursum intueor triumphum, excipio renascentia sidera: post solis ortum & auroram nascentem in thesauris meis consigno, vt hæc spes reposita in sinu meo doceat, quod *flebile principium melior fortuna sequetur.* In his diebus nemo alius scripsit, nisi tantùm Pilatus, quinimmo destructum est quod aduersum nos erat chirographum Post hæc verò tandem, cùm exiuit homo ad opus G suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam, recogitaui seriem somniorum atque sermonum epistolæ tuæ, & extrahens eam de tenebrosis ad lucem, deprehendi non esse meam. Vbi enim mea, quæ da me principio narrat super id quod vidit, aut audiuit ex me? in medio fingit me dixisse vel fecisse quod non est verum? in fine comparat se illi qui sine peccato non est? Non sibi conuenit imago epistolæ tuæ, bone frater & amice. Primùm vinum ponis, deinde acetum supponis, ad vltimum miaturam myrrhæ & aloes apponis. Non rejicio vsquequaque laudem mihi propinatam, amplectens dicentis beneuolentiam, non dicti conscientiam. Languor enim ille fortissimus, quo sub sole vniuersa vanitas hominum laborat, & me cum aliis corripuit, quatinus suaues illas aurium modificationes necdum propulsare didicerim. Naturale est hoc vitium, & vt ait Seneca, naturalia corporis aut animi vitia leniri arte possunt, deleri non possunt. Hoc animi scabies est, sed differenter occupat. Inua-H dit quandoque inferiora, quandoque superiora, quandoque totum simul, & superiora & inferiora. Superius est in animo, quod ad rationem pertinet: inferius, quod ad sensualitatem: totum quod ad destinationem, siue deliberationem. Fallaci igitur suppositione: dum aliàs animus fortè ad quædam maiora & meliora occupatus; subintrat inanis gloriæ amor, & foliis ficus turpitudinem suam obumbrans, in lanbulo anguli sedet, vt cum Domina sua ratio absens fuerit, vito, id est naturali appetitui sese misceat, & ea tali concubitu Ammonitæ & Moabitæ, qui non intrant in Ecclesiam Dei, vsque ad tertiam & quartam generationem, procreantur. Quod enim ab initio conceptionis & generationis vitiosum erit, ad innocentiæ gloriam quomodo intrabit? Nunquam igitur opus vanæ gloriæ numerabitur in remuneratione veræ gloriæ. Ideo Abrahæ dicitur, *Eiice ancillam & filium eius. Non enim* Genes. xxi. 10
erit heres filius ancillæ cum filio liberæ. Deinde quod periculosius est, ascendit sursum hæc scabies, & tangit

A ipsum verticem sanctum animæ, vbi est imago & similitudo Dei. Qui quærit suam non Dei gloriam, abutitur voluntate diuinæ tam generationis, quam regenerationis. Non nominat filium suum, id est opus, Ioannem, sed Zachariam. Hæc iam non celat, & non velat, sed reuelat turpitudinem suam, & iuxta sapientissimum, contra animam suam Adonias petit Abysac Sunamitem, quæ regi Dauid solebat obsequia præstantissima & incentiua castissima præbere. *Vnum est*, inquit Salomon, *ac si regnum petas*. (3. Reg. 11, 2.) Adonias cupidissimus regni, est ratio infecta amore priuati boni. Ambit iste Abisac sibi assumere, cùm tota ratio absorbetur à voragine cenodoxiæ. Sed occiditur, quia à Deo separatur. Hoc malum sub sole est. Adhuc amplius malum est, cùm tota hominis intentio & operatio ad hanc iniquitatem & negationem contra Deum se incuruat. A laqueo sic contorto triplici funiculo caue tibi, ô amice: quia malum est oblatis honoribus delectari, peius negatos appetere, pessimum pro sublatis in iram prosilire. An erat meum
B Abbatiam illam dare cui vellem, subtrahere cui vellem? Et quis ego? & quid ego? Præcipuè comparatione tanta: Archiepiscopi scilicet Lugdunensis, Episcoporum quoque Lingonensis & Augustodunensis: Abbatum etiam Molismensis, b sancti Ioannis Quintiacensis: quid ego nisi puluis & cinis? Cœlum & terram cum istis testes inuoco, nisi fortè euanuit à sensibus meis, quod de persona tua nil inhonestum, nil criminosum in eorum auribus deposuerim. Reuera non statim acquieui, & abiit sermo in regionem longinquam. Nominatus est iste, non dissimulaui dicere quod audieram, vel videram: tacui tamen quod ignorabam. Nominatus est Petrus de Vinariis, heu mihi! pro quo contra amicos, & Episcopos & clericos & familiares, alia vice fortissimè, stetetam & constantissimè, nunc quoque vt potui steti. Quia non potui vt esset Abbas, vertit ad me cum quibusdam suorum terga, & non faciem. Hoc
C anno multa horum similia, non per visum, sed per sensum & experimentum passus sum. Amici quondam mei à longè steterunt, & iam non ambulant mecum. Quid itaque faciam? Non ibo? sed inobediens ero. Non ibo? sed superbus apparebo. Tacebo? sed conscientiam timeo. tacebo? sed pecuniam Domini abscondo. tacebo? sed callidus, vel stultus reputor. Vtrique parti placebo? Sed hoc erit simulatio, sed hoc erit impossibile. Quid igitur? Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Quid inquam? Da sermonem rectum & bene sonantem in os meum. Hucusque satis. Nam parietem litterarum fodere, ne dicam impugnare, parco. Rimas tantùm & quasdam scissuras per circuitum obambulans designo, sed & resigno. Nam quod fractum est, si quid tamen fractum est, malo resarcire, quàm noua damna facere. Fiat pax.

N O T Æ.

D a *T. Priori Molismensi.*] Theobaldo fortasse, qui post hæc Abbas eiusdem cœnobij lib. vi. epist. xiii.

b *S. Ioannis Quintiacensis.*] Multa sunt in Gallia cœnobia, quæ S. Ioannis nomen gerant. Hîc verò Reomensem S. Benedicti Abbatiam in Diœcesi Lingonica designari puto. Quintiacensem verò, alteram Cisterciensium haud procul Ternodoro sitam in eadem Diœcesi.

EPISTOLA XIV.

Frater P. Cellensis Abbas, dilectis Fratribus, filiis & amicis a Caziacensibus, sapientiam scribere in tempore otij.

PRæter solitum, nec non & votum meum, in virga non in spiritu mansuetudinis scribere vobis proposui, qui paterna præcordia aculeis litterarum vestrarum absque misericordia perfodere non timuistis. Mouit me
E & commouet plurimùm pia senectus in patre, miseranda compassio in fratris abiectione, seria & intemperata oratio in paginarum serie. Dissimulare, nec tam manifesta redarguere, par eiusdem criminis videtur esse. Quis enim iste impetus? quæ ista ebrietas? quod suffugium mentis & sensuum, fratrem abdicare, patri contradicere, ius monastici ordinis sic perturbare? Dura & dira, fratres mei, æmulatio vestra, morte tristior, inferno inferior, saxo durior, amarior absinthio, felle acetosior. Quid enim? pietas negatur, necatur misericordia, honor paternus conuitiatur, infimulatur amor fraternus, societas repellitur, regula violatur. O irreligiosa religio! ô ficta sanctitas! ô inuidiosa charitas! Siccine, fratres mei carissimi, siccine Christum didicistis? Nonne Deus noster Deus pacis est, & non dissensionis? O stulta vecordia illorum, qui pacem suam dicunt, si fratrem non receperint: mortem, si viderint: prosperitatem, si socium exterminauerint; deuotionem, si opus deuotionis condemnauerint. Hæc in te pestis, Ioseph, grassatur: hoc in tuum caput infortunium sine culpa refunditur. Vendere enim te fratres volunt, quem videre nolunt. Paternæ gratiæ impedimentum sibi credunt, quia patri gratiorum sentiunt. Sic sic fratrum ingratitudinem mercatur gratitudo patris. Si defuerit, inquiunt, amatus filius, ad nos resiliet paternus affectus. Dum Ioseph visibus sistitur patris, rarior ad nos deflectitur dulcedo paternitatis. Tollamus fratrem & habebimus patrem. Quàm iustiùs & iocundiùs faceretis, si vobis filialem deuotionem inuisceraretis. Hoc nempe affectum multiplicaret, non deuastaret. Boni fratres & amici carissimi, currebatis bene, quis vos fascinauit sic patri scribere, sic fratrem proscribere. Quid enim Thes. mali fecit? quid tam atrocis iniuriæ dignum perpetrauit? Quod tam immanissimum suum facinus, vt sic contra legem sine lege vestro iudicio non redítet? Vbi sunt misericordiæ vestræ antiquæ quibus veniam criminosis indulsistis? quibus sceleratis commissa facinora remisistis? O quanto impurioris, quantòque indignioris vitæ pluribus & locum
G misericordiæ impetrastis, & gratiam immeritam prorogastis! Vbi fornicationes T. vbi inordinatæ comestiones? vbi ignominiosæ operationes? Vbi innominandæ confusiones? Opera lucis, non tenebrarum opera T. opera diei, non noctis: opera præiudicanda, non prædicanda. O liuor! ô inuidia! Quo ausu ingressa es sanctuarium Dei, cubile altissimi, thronum Regis æterni? Qua tyrannica præsumptione sanctorum præcordia rupisti & irrupisti, quinimmo & disrupisti? Ecce pondere gemitum & clamorem validum de corde amicorum pressisti. Vnde namque vstio illa cordis vnde angustiæ mentis, nisi te succedente, nisi te constringente? Prorsus vsque ad internecionem animæ combureris, & ex hoc paupertas & angustia cordis. Non fratres, non aduersum me ira, sine commotio vestra exardescat. Nequaquam enim tacere vobis debui insipientiam vestram. Acquiescite tamen consiliis meis, & quod inconsultè
H factum est, consultò corrigere ne differatis. Quàm citiùs ergo poteritis, ad pedes Domini Abbatis simul procumbatis, satisfacientes pro erratu non leui, neque surgatis nisi benedictionem ab ore paterno reportaueritis. Mihi quoque, si in aliquo excesserim, obsecro indulgeatis. Diligo enim vos, Deus scit. Valete.

N O T Æ.

a *Caziacensibus.*] Pro Abbate Caziacensi ad Eugenium Papam scribit Bernardus epist. cclxiii. & in litteris Hattonis Episcopi Trecensis nominatur Simon Abbas Caziacensis. Apud Nicolaum quoque Claruallensem legitur epistola xix. ad Abbatem Caziciensem, hoc est, vt codex noster habet, Caziacensem, ex qua Cœnobium ordinis * Cisterciensis esse constat. Situm autem est in Suessionum Diœcesi.

* immo Benedictini.

EPISTOLA XV.

Fratribus, filiis, & amicis suis carissimis Caziacensibus, Frater Petrus Cellensis Abbas salutem.

NOn leuitas, aut leuis necessitas vt loquar suadet, patris langorem, matris desolationem, fratrumque attendens commotionem. Verum est, verum est, fratres carissimi, illud Euangelicum: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* (Matth. xxvi. 31.) Quid autem horum grauius, percussio pastoris, an dispersio gregis? Equidem diuisum sine dubio alterum satis graue: simul verò vtrumque pene damnum intolerabile. Immorabor igitur plangendo patris passionem, an consequar reuocando fratrum exterminationem? Sed vt verum fatear, vtrumque, si vtrumque contigerit lugebo. Sed alterum affectuosiùs, alterum ambitiosiùs. Nam patri vberiùs lachrymas profundam laboranti in defectu naturæ: fratribus emittam intensiùs redargutionum sagittas propter excessum culpæ. Morbis namque naturæ compassionem, corruptioni animarum debemus reprehensionem. Condolendum, non imputandum est seui, quòd egreditur mundum: imputandum vel potiùs amputandum in Christiano, si rumpere tentet dilectionis vinculum. Re integra, fratres carissimi, nondum imminentia luctuosiùs euitantur pericula, si affuerit oculus prouidentiæ, & manus vigilantis cautelæ. Casus fortium terrere debet fortunam pauperum. Nam tua res agitur paries dum proximus ardet. Quantumlibet potentissima, quantumlibet opulentissima regna in breui contentionum molestia succensente corruunt. Mundi ipsius machina stare non poterit, si se elementorum incontemperantia conturbauerit. a In proximo Cluniacensis Ecclesia antiquitate senior, religione feruentior, rerum abundantiâ plenior, multitudine numerosior, quid fecit? Scandalum paruulis, piis mœstitiam, religiosis verecundiam, amicis pudoris iacturam, vniuersæ Ecclesiæ velamen opprobrij. Vbi enim ambitur honor sæcularis sub tegumento religionis, quando ab eodem arcebitur crudus animus in maturitate dilectionis? Si ita fauus mellis acescit, quid absinthij amaritudo, quid aceti faciet acredo? Prouerbium est, Suauiter corrigitur, qui exemplo aliorum emendatur. Maneant igitur in vobis vnitas, pax, & concordia, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quandiu patrem vestrum, immo nostrum, vobiscum retinere poteritis, alium ne cogitetis. At vbi ineuitabili cogente necessitate aliter disponendum fuerit, spiritus paracletus inuocandus, cœtus sanctorum conuocandus, & vir bonus, religiosus, discretus, literatus, pius, & in sancta religione enutritus, qui patris vestri imitator sit, omnimodo inuestigandus. Valete.

NOTÆ.

a *In prox. Cluniacensis.*] In electione Roberti, de qua dictum epist. 11. Abbas huius nominis non reperitur ea tempestate inter Cluniacenses.

LIBER III.

EPISTOLA I.

Dominis suis & Patribus Priori cum cæteris de a Monte Dei Frater Petrus Cellensis indignus Abbas vsque ad montem Dei Oreb.

ALiud materia, aliud suadet scribere vestra reuerentia. Et materia quidem, quæ est carissimi filij nostri translatio ad vos, potiùs semper flere, vel instantiùs flere, quàm scribere admonet. Sanctitatis autem vestræ reuerentia sancta & digna exigit. Itaque non quælibet leuia & sæcularia, sed fortia & cœlestia debet assumere, qui vobis proponit scribere. Quid autem charitate fortius, quæ fortis est vt mors? quid cœlestius, quæ etiam omnem exuperat sensum? Et de hac quidem, quantùm ad nostrum se inclinare dignata est sensum, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Ioan. xv. 13.) Quanti igitur apud meam humilitatem vestra profecerit dilectio, æstimare poterit, qui quod pro ea reposuerim pretium diligenter pensauerit. Certè non aurum, sed virum secundùm cor meum: certè non argentum, sed quem habebam quasi vnigenitum: certè non lapides pretiosos, sed lapidem, quem mihi erexeram in specialis amoris titulum; in hoc proposui commercio. Scio, nec prorsus dubito, quòd si omnem substantiam domus meæ dederim pro sancto amore vestro, nihil tamen in comparatione illius attulerim. De monte namque Dei non amor mundi, sed amor cœli descendit: non carnalis amor, qui tanquam nubes matutina pertransit, sed æterna charitas quæ nunquam excidit. Non enim recipit æstimationem, quod omnem excedit accidentium licitationem. Diuini siquidem amoris suauitatem sanctarum animarum pius redolet amor. Et quid humana paupertas dignum recompensationis, non dicam ad supernum amorem, sed saltem ad quamlibet sanctorum dignationem, in omni thesauro inopiæ copiose abundantis reperire poterit? Sanè nil saniora mihi videtur ad hoc consilij, quàm vt gratiam rependas pro gratia, ad illius imitationem, qui potiùs ex abundanti, quàm ex indigenti, non aliud quidem solet dare pro gratia. Itaque & ego gratiæ vestræ gratias ago, non tamen vanas, non vacuas, sed vltra facultatum mearum sufficientiam largas & diuites. Non enim de arca, sed de conscientia, non de fundo marsupij, sed de intimo cordis, non de suppellectili domus, sed de intimis visceribus profero quod accipitis. Si enim aliter fieri posset, si aliud pretium, quantumcunque magnum, vestra sanctitas exposceret, si aliquam commutationem commercium illud admitteret, ò quam libenter darem! ô cum quanta gratiarum actione ou merarem! O Deus cordis mei, quanta animæ meæ vsque ad mortem in hoc partu angustia, quàm importabilis! nisi tu mecum portaueris in separatione ista affectionis semper duratur ærumna. Iesv bone! indubitanter pro te aliquid me fecisse jam deinceps fateri non erubesco. Sed quid aliud facerem? Tuus est ille, tuus sum ego. Et vtinam sic tuus ego, sicut ille tuus! Et qua fronte tibi de tuo tuus contradicere presumam? Non resisto voluntati tuæ contumaciter, vt tu adsistas desolationi meæ misericorditer. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Domine, Domine, nonne totam intiùs à me tolleres animam, quàm partem dimidiam? Placeat tibi saltem non deserere partem residuam, quia tibi assumis præcipuam. Verè nunc experior, quòd separare venetis hominem aduersus patrem suum. Verè hic gladius Salomonis viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Quare propter te diuisa est maceries animorum præsentia corporum; Tu mediator, tu lapis angularis, tu dispersos Israël congregas, tu Deus vnus, ad te & in te vtraque faciens vnum, quare sic facis, vel si non facis, quare pateris vt caream baculo meæ debilitatis? vt suam columnam deserat basis? vt sine Aaron non Moyses, sed tuus miser cogatur sustinere quæstiones siue molestias huius talis & tantæ multitudinis? Pie Iesv, non sustineat pietas tua sine consolatione meam diutius fragilitatem conquassari, sine visitatione fatigari. Quid est hoc? vobis cœpi scribere, vobis loqui, & sic in mediis sermonibus, cum tanta mora meas miserias misericordissimi Dei conspectibus explicui. Certè vt videatis, certè vt intelligatis, quis sit dolor filium dexteræ amittere, & nec saltem sublato Ioseph, Bêjamin retinere. Quinimo vt Deum totius consolationis meis

meis compatiendo mœroribus dulciùs & obnixiùs pro me exoretis. Est enim benignus piorum exauditor, larga pro se aliquid facientibus remunerator. Orate itaque, vt & istum, quem quasi in vinculis Christi retinetis, non amittam, & vt optando scripsistis, pro Samuële nostro Prophetam non inferiorem recipiam. Sic enim dote bona ditatus, consolationem aliquam vestris orationibus accipiens, potero expectare illam veram & æternam, pro qua desolationem suscipio temporalem & transitoriam. Valete.

N O T Æ.

a *De monte Dei.*] Pulcherrimum, multisque nominibus clarissimum Cartusiensis ordinis cœnobium, ab Odone S. Remigij Abbate fundatum in Diœcesi Remensi, præfectura Mosomensi. Tertius ab Odone S. Remigij Abbas fuit Petrus noster: vt vel hinc satis causæ fuerit, cur fratres de monte Dei tanto studio & amore complexus sit. Sed aliæ præterea vetustiores fuerunt: atque in his Stephani monachi Celleosis ad illos emigratio, de qua hoc loco. Stephaoi nomen docuit index seu titulus epistolæ, quem his verbis conceptum meminimus, *Epistola Petri Abbatis Cellensis ad Stephanum quendam monachum suum, sed postea monachum Montis Dei.* Sed hanc hactenus nancisci non licuit.

b *Priori.*] Simoni, viro sanctissimo, lib. v. epist. xi.

EPISTOLA II.

Dominis & Patribus suis de monte Dei, Frater Petrus Cellensis dulcedinem gratiæ quam repromisit Deus diligentibus se.

EXultat spiritus meus in Deo salutari meo, tum quia videre & audire vos vel semel merui, tum quia familiaritatis gratiam, gratia superna largiente, inueni. Accedit hinc beatitudini meæ dulce ad inuicem commercium litterarum, vnde & amaritudinibus meis mitigatiuum paratur electuarium, & inquietudini sopitiuum medicamentum, & hebetudini non mediocre æruginamentum. Denique quotiens formam & vultum inspicio sermonum vestrorum, magna virtute veneniferos motsus eoado rugientium curatum, inundationes contempero influentium occupationum, assultus reprimo internarum & veteruarum inimicitiarum. Placet sensus profunditas, dictorum veritas, morum informatio, errorum redarguio, amputatio vanitatum, condemnatio ambitionum. Plus medullæ farinæ, minus corticis & furfuris habent. Facilè ex his perpendi potest, quid in se de se anima religiosa sentiat, quid supra se de creatore suo obstupescat, quid infra se de peregrinatione mondi & tentatione carnis pertimescat. Planè ad seipsam conuersa conturbatur, ad factorem suum suspensa dilatatur, ad corpus reuersa confunditur. Quid enim corpus, nisi terra inanis? quid anima, nisi abyssus impenetrabilis? quid Deus, nisi lux incomprehensibilis? Igitur vt caro sterilis & infœcunda impregnetur, jeiuniis & vigiliis affligatur: vt anima terra & tenebrosa clarificetur, pristinis vitiis & phantasticâ ignorantiâ exuatur. Caro abstinendo fiat paradisus deliciarum, anima orando & contemplando efficiatur serenissimum cœlum. Custos & operator paradisi deputetur ratio: protector & inhabitator animæ ipsius creator. Adhibeatur corpori diligens disciplina, ne tanquam puer immaturus in perniciem sui efferatur: cultura impendatur, ne velut ager neglectus mala prole vrticarum inutiliter occupetur: vomere & sarculo conscindatur, & bono semine impleatur. Nam huius naturæ est hoc corpus, vt quò magis opprimitur, eò ampliùs multiplicetur. Terra huius carnis, nisi aratro disciplinæ conuulsa fuerit, quasi clausa vulua inutilis erit. At vbi fortiter concussa vel conscissa semen Domini exercituum exceperit, germinare secundùm genus suum incipiet. Denique secundò vulnerata, tanquam gladio ancipiti, amore videlicet & timore, vberes fructus justitiæ, largissimas aquas internæ compunctionis, immo sanguinem & aquam in redemptionem præuaricationum suarum, & emundationem originalium delictorum, in vitam æternam saliendo profluit. Atteratur itaque contritione valida, ne insolescat, & pro frumento bonorum operum spinas & tribulos desideriorum malignorum afferat. Fodiatur, immo confodiatur lanceâ Saluatoris ne animam in sepulchro vitiorum defossam æternis addicat incendiis. Duobus funiculis Dauid admetiatur, vno ad mortificandum, vno ad viuificandum: vt quod naturæ est conseruetur, & quod vitij, destruatur. Sic, sic quantumque lapidosa fiet mollis & tenera: quantumcumque salsuginis plena, fiet dulcis & bona: fiet, inquam de benedictionibus cœli frugifera, fiet quasi horti juxta fluuios irrigui, quasi areolæ consitæ à pigmentariis, quasi mons coagulatus & pinguis, tanquam vallis nemorosa, velut terra sancta & vberrima. De hac solummodò oritur veritas, in hanc justitia de cœlo prospicit, hanc inhabitat & inambulat sanctitas: ferrum de hac tollitur, malleus vniuersæ terræ & securis suggestionis diabolicæ in ea non auditur, Hæc terra benedictioni proxima est. Hæc inquam accipit, tanquam lac diuini vberis, primam benedictionem in justificatione, secundam in glorificatione. Omnis igitur juxta Apostolum qui lactis est particeps, velut ab vberibus maternæ gratiæ, essurgat ab ista lac sanctificationis, ab illa consolationis. Hoc enim est, quod ait Apostolus; *Habetis fructum vestrum in sanctificatione: finem vero vitam æternam.* (Rom. VI. 22.) Sic, sic viuitur, & in talibus vita spiritus. Sic viuunt paruuli tui, Domine Deus, ab vbere præsentis visitationis, sic ab vbere futuræ expectationis. Hæc duo; sicut duo hinnuli capreæ gemelli, quia ex abundantia diuinæ jam prælibatæ dulcedinis, & ex indubitata certitudine sequentis remunerationis, jam ad Deum, sicut ceruus, inæqualitatem aduersitatum transcurrimus, jam super montes aromatum mundarum orationum præ alacritate transilimus exclamantes cum Apostolo, quia non *sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* (Rom. VIII. 18.) Cuiusmodi autem lac fratres esuriatis, hæsito: quia ad humanos vsus non simplex, sed aliud ouinum, aliud caprinum, aliud vaccinum à Deo creatum perpendo: habet & humana infantia lac proprium, & ætati suæ congruum, mamillarum maternarũ. Ex qualitate verò vberali vniuscuiusque lactis, cui magis personæ, vel ætati quodlibet horum competat, non est differere. Est namque caprinum parum nutritiuum, sed satis digestiuum: vaccinum multum nutritiuum, sed durum ad digerendum: ouinum ex his mediè contemperatum. Quamobrem ex alio serui, ex alio filij, itemque ex alio pascuntur Domini. Qui Domini, nisi qui dominantur in vniuersa Ægypto carnis suæ? Qui filij, nisi qui de ventre nati sunt gratiæ? Qui serui, nisi quorum manus seruierunt in cophino veteris vitæ? Serui necessitate indigentiæ, filij suauitate indulgentiæ, Domini deliciarum plenitudine lac edere solent. Vtinam mihi peccatori indulgeatur lac veniæ, vobis jam expiatis lac gratiæ, tandem expiatis lac gloriæ! O clarum lac! ô suaue! ô jocundum! Clarum, quia per veniam transferimur de regione tenebrarum ad lucem gaudiorum. Suaue, quia per suauitatem gratiæ, ab amaritudine tentationum ad dulcedinem deducimur immarcessibilium delectationum. Iocundum, quia per gloriam à sæculi tristitia eundimus ad æternum & incommutabile gaudium. O abundans jocunditas! ô jocunda abundantia? *In die enim illa nutriet homo vaccam boum*, vt ait Esaïas, *& præ vbertate lactis comedet butyrum.* (Esaiæ VII. 21.) Quæ namque est vacca boum, nisi anima consors naturæ & gloriæ cœlestium spirituum? Quam homo Christus nutriet, non sicut nunc in vmbra sacramenti obumbrati veritate, sed in declaratione veritatis, & in

A detectione reserati per clauem Dauid mysterij de mensa corporis, & de vino pretiosi sanguinis, de vestimentis gloriæ, & de lacte matris gratiæ, quod præ vbertate misericordiarum vertitur in butyrum dulcedinum: quia omni fluxibilitate de medio sublata, omnimoda commutatione transformabitur à claritate in claritatem, & sic in Deum. Tunc enim erit omnia in omnibus. Quid hoc butyro pinguius? quid hoc melle dulcius? Hoc mel cœleste est, non campestre, non denique siluestre. Ioannes in solitudine mel siluestre edit satisfactionis: Ionathas in procinctu belli campestre iustificationis: puer IESVS in virgine & de virgine mel cœleste incorruptionis. Sufficit enim lucernæ quæ lucet & ardet, in campis siluæ pœnitentiam prædicari, & quando fugiat à ventura ira, populum edocere. Iuueni, qui in agone fideliter & viriliter decertat, in virgæ, videlicet iustitiæ, summitate futuram dulcedinem prægustare. At verò CHRISTO IESV, qui lux est illuminans non illuminata, creatrix non creata, propter altitudinem sa- B pientiæ & scientiæ thesauri absconditi, parum est vt sit prædicator, non sit & dator, non solùm veniæ, sed & gratiæ. Denique vt de maximis ad minora trahamus exemplum, cor cuiusque religiosi ad similitudinem baptistæ Domini à strepitu sæculi quietum, in baptismo deuotionis emundatum, in mortificatione carnis præparatum, in amore verbi Dei confirmatum, in religione Angelorum stabilitum, & si nondum cœleste mel pleno ore & ventre eructat, siluestre saltem prægustat. Aliter enim gratia sapit in patria, aliter in exilio: aliter rara, aliter larga: aliter continua, aliter interpolata: aliter in corpore mortali, aliter in immortali: aliter inuisibiliter data, aliter visibiliter administrata. Calore igitur charitatis liquefacta, & colatorio discretionis eliquata, nihilominus & infusorio exquisitæ veritatis infusa homini gratia, asperitates faucium in confessione mitigat, stomachum receptiuum innumerabilium cogitationum munificat, discretiuam cerebri rationem ad certam mensuram modificat, & vitalem venam ad ve- C ram immortalitatem cordi subministrat. Hic autem interim nos cum turba tanquam in campestribus ad gratiam suspiramus: ibi velut in monte contemplationis glorificatã IESV faciem suspicimus. Hic expectamus, ibi spectamus: hic petimus ibi accipimus: hic rogamus, ibi erogamus: hic inopes, ibi locupletes: hic pauperes, ibi diuites: hic cum Ioanne in deserto, ibi cum IESV in regno: hic in carcere Herodis, ibi in palatio æternæ hæreditatis. Hic ad reparationem gratia commodatur, ibi ad refectionem præstatur: hic in mensura, ibi supra mensuram: hic in vtre, ibi in ventre: hic in cortice Sacramenti, ibi in manifestatione summi & incircumscripti luminis. Ecce lac, immo butyrum, ecce mel, vel potiùs fauum mellis offert seruus vester mensæ dominorum suorum. Ad quid iterum vobis vas aquæ cum amphora vini? O domini & amici carissimi, puteus altus est, & lapis superpositus, quem mihi Angelus nondum reuoluit, Iacob nondum amouit, & quomodo dicam, bibe domine, & camelis tuis potum tribuam? O D ardens desiderium! Fossoria habetis, venas aquarum viuentium possidetis, puteos quos fodit Abraham & filij eius, Isaac & pueri eius, habetis & adhuc aquam de cisterna quæ est in Bethleem suspiratis? Equidem hæc aqua, & si bona ad bibendum, sed difficilis ad inueniendum. Iter prolixum & obsessum, locus remotus & ignotus, vires paucæ & raræ, vndique hostis & ensis, nox instans & præ foribus tenebræ. Nisi itaque ad incomparabilem thesaurum obtinendũ tanti labores non sunt insumendi. Quid dicam? Momento tamen sui hæc purissima gutta superat omnem laborem, quia sitim satiat, sordes lauat, æstum temperat, humectat arida, dura emollit, sterilia fœcundat. Ex hac lagenas oculorum suffusas in libamentis vestris effunditis, & cum hac altissimo Deo vota placabilia offertis. Hæc ignem inextinguibilem extinguit. Hæc rigorem iudicis ad pietatem inflectit. Hæc Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ne lædant compescit. Hanc in vinum conuertit: & suo more potiora exhibet in be- E nedictione, quàm in creatione. Procul dubio sunt nobis plures fortes ad bibendum vinum, & ad miscendam ebrietatem: ad hoc autem poculum quis idoneus? Verus Noë noster, qui requiem nobis dedit ab operibus mortuis, hoc vino debriatus, turpitudinem humanæ infirmitatis in cruce denudauit, & à medio filio, qui neque calidus est neque frigidus, irrisionem sustinuit. Ideo pauci procedunt ad emendum, pauciores ad possidendum, paucissimi ad bibendum, ferè nemo ad ebriandum. Potens potator huius vini fuit filius fabri. Post hunc emigrauerunt ad vineas Engaddi qui bibebant vinum libaminum. Quia igitur nunc non est relictus in Sion; & residuus in Hierusalem, qui de manu Domini calicem vini meri suscipiat, accedite, vos qui estis de domo Dei, & de monte Dei, & bibite & inebriamini, carissimi.

F

EPISTOLA III.

Dominis & amicis suis Priori, & cæteris fratribus de Monte Dei, Frater Petrus Cellensis brauio diurni denarij non fraudari.

SVauissimi saporis bucellas, quasi panis oleati, auido ore in mensa litterarum vestrarum prægustans, iocunditatem spiritus cœpi eructare, & iterum atque iterum præ desiderio spiritum bonum attrahere. In crassitudine quippe animæ bene pastæ, in abundantia dulcedinis Dei scripsistis, & sicut adipe & pinguedine spiritalis lætitiæ fauces meas repleſtis. Sermo namque vester non est talis, qui adulterinis formis superinductis speciem pietatis repræsentet, & virtutem abneget. Hoc enim illorum est, qui in corde & corde loquuntur, vel qui molliunt sermones suos super oleũ cùm ipsi sint iacula. Non autem verbum vestrum sic insulsum, sic infatuatum, sed sale salitum, sed gratiæ plenitudine con- G fortatum viscera replet sanctorum, vires reparat animarum, languores sanat ægrotantium, fortitudinem conseruat sanorum. Præterea delicatorum sufficit gulositati, & nauseantium medetur rejectioni. Pascit vt panis, vt vinum lætificat, vt paradisus deliciarum, exuberat in omni suauitate, vt templum speciosissimum refulget in omni pulcritudine. Planè suadibilis ad commonendum, rectus ad componendum, efficax ad commouendum, potens ad corroborandum, dulcis ad demulcendum, ardens ad inflammandum. Cùm enim purè de puro vase purus effunditur sermo, quid ad emundandum aptius, quid ad informandum apertius, quid ad omne opus bonum vtilius? Sanè verbum bonum de bono Dei verbo frequenti meditatione decoctum, exercitatione corporali & spiritali tanquam mola inferiori & superiori molitum, continua examinatione cogitationum accusantium, aut etiam defendentium cribratum, humilitatis ossi- H bus confert medullam, spiritui contrito medelam, & animæ esurienti adbibet satietatem bonam. Decoquitur vero panis iste aut in clibano profundi mysterij incarnationis Christi, aut in sartagine viuificæ crucis, aut in craticula mortis & sepulcri; cùm vita vestra, locutio vestra, cogitatio vestra commoritur & concorporatur, vel consepelitur Christo nouo genere viuendi. Videte panem de clibano, *Memor esto dominum IESVM resurrexisse à mortuis ex semine Dauid.* (2. Ti. II.) Comedite panem de craticula, *Cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro impiis mortuus.* (Rom. 5.c.) De sartagine frixum apprehendite, *Cum iniquis deputatus est*: (Luc. XXII 37.) &, *verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit*, (Esa. LIII) in corpore suo super lignum crucis. Panis iste triplex itinerantibus per desertum ad viam trium dierum non deficit: quia etiam tertium cœlum petentibus seu penetrantibus fides incarnationis, passionis, & mortis, tanquam scala Iacob, vehiculum existit. In introitu verò tabernaculi non manu

A facti, id est, non huius creationis, quod scilicet fixit Deus & non homo, porrigitur panis de duabus decimis similæ, id est consolatio æterna pro legis & Euangelij consummatione, nec non pro carnis perfecta incorruptione, & vera sanctitate animæ. Hastam aut gladium ad quid petitis? quem interficere vultis? quem ferire? Vbi est vel quis est aduersarius vester? Nonne vos confugistis ad tutissima loca Engaddi? Nonne Christus est vobis petra refugij? nonne turris fortitudinis? nonne omnis armatura fortium? nonne inattingibile propugnaculum? nonne gladij duo, scutum, arcus, & sagitta? O fortissimi milites Christi, hastam protensam habetis in orationibus continuis, gladium in mortificatione carnis, panem sanctum in spe æternæ glorificationis. Hasta vestra non est auersa in aduersitatibus mundi, quia rectos facitis gressus ad cælum: gladius non declinat in conflictu desideriorum & impetu suggestionum, quia ante Dominum est omne desiderium: panis non inueteratur ex dilatione præmiorum, quia re-B uirescit charitas certa spe promissorum bonorum. In calore namque suo perdurat panis, quia charitas non tepescit in cordibus vestris. Non hebetatur acies gladij, quia non defeeuescit rigor disciplinæ ac sancti propositi. Hasta non infringitur, quia oratio vestra acumine suo cœlum penetrans nullis obstaculis reuerberatur. O bellum grande, & graue, in stationibus dissimile, in viribus inæquale, in armis incomparabile! O rector & moderator omnium, quàm, nisi à te fieret, ridiculosa pugna vermis & gigantis, hominis & dæmonis, animalis terreni & aerij, velocissimi & tardissimi, stultissimi & callidissimi, antiqui & moderni, mortalis & immortalis? Stat ille in superioribus, jacet iste in inferioribus. Pennas ille habet, iste nec pedes. Videt ille quem persequitur, iste sentit nec attendit à quo tam crudeliter verberetur. Mole carnis molestatur iste: bonitate creatoris ex creatione sua libero volatu quolibet deuolitat ille. Vtitur hostis mundo isto vt decipiat: vtitur homine aduersus C hominem vt occidat; vtitur eodem aduersus eundem vt absorbeat. Sensibus suis tanquam propriis armis triumphat, & strangulat captiuum, cùm spiritus in seruitutem non redigit mortale corpus suum. O pestis iniqua! ô sors hominum misera! non est tibi in te virtus, non in arcu virtutis tuæ, neque in hasta liberi arbitrij tui saluat dominus. Sic collisa inter scopulos, sic contracta inter populos, habes tamen prælium cum filiis Enachin, quibus comparata videris quasi locusta: habes capitale duellum cum principibus tenebrarum, victuri vel victo proposita morte & vita. Non resurget, non qui ceciderit, sed qui cesserit: non addet qui destiterit: non cursus accedes, qui lapsus fuerit. Primò victus primus homo, quia secundus venit de cœlo, habuit in cœno subleuantem se: denuo si succubuerit, non reparabitur, quia alius deinceps non generabitur ex virgine Dei filius. Voluntariè enim peccantibus, non relinquitur hostia pro peccatis. Instantiùs itaque agendum, ne cogamur redire, cùm inclusi in morte iterum D non sinemur tunicam oblitam repetere. Tunicam enim pœnitentiæ qui neglexerit in corpore, opportunitatem nullam habebit post transitum vitæ. Ecce, domini mei & amici carissimi, statim vt vidi angelum vestrum, cucurri ad armentum cum Abraham, vocaui Saram memoriæ, puerum cordis, & miscui vobis farinam vt facerem subcinericium. Habetis itaque cilicium vestrum, habetis & subcinericium nostrum. Cooperantur hæc duo ad extrahendam peccati rubiginem, ad delendam pruriginem, ad extergendam sorditiem. Idirco sana & sancta potuit veraciter exclamare conscientia, vasa puerorum munda esse. O gemma pretiosissima & præclarissima, pro qua si dederit homo omnem substantiam domus suæ, tamen nihil æstimatur in comparatione illius. Detineo sancta corda, mundos oculos, puras manus, plusquam debeam à pabulo vitæ, ab introitu gloriæ, à contemplatione faciei IESV iam glorificatæ & deificatæ. Sed nunc iam remitto: & vt me commemoratione pia in humeris vestris perferatis ad thronum E gloriæ deposco. Valete. Fratrem Simonem lumen oculorum meorum, partem viscerum meorum, attentiùs vobis commendo.

EPISTOLA IV.

Suis de Monte Dei suus Cellensis à claritate transferri in claritatem.

VEnerunt filij vsque ad partum, & tempus non est pariendi. Manus ad rescribendum parabatur, animus ad dictandum, locus ad sedendum: & ecce ventus occupationum nuncij vestri vela occupans nauigij nostri ad portum silentij retorsit. Quid enim? Nonne iocundius & voluptuosiùs paulatim vinum bonum, quod seruatis vsque adhuc, per tempus & tempora degustabitur, quàm vno haustu cum damno optandæ suauitatis F deglutitur? Et si enim in transitu desidero vos videre, saltem nolo in transitu scribere, Gustaui & vidi, quia bona est negotiatio vestra. Nequaquam manus vestræ in cophinis seruiunt: nequaquam ciuitates Ægipti in luto & latere construunt: sed quæque pretiosa & speciosa requirunt: sed fusum & colum ad nendum siue contexendum rationale & superhumerale, & cætera summi pontificis insignia ornamenta apprehendunt. Hinc est quod non de stuppis Synagogæ peccatorum grossiora vestimenta animæ vestræ delicatæ apponitis? neque contra legem ex lana linoque vestimento induimini: sed abdicantes occulta dedecoris, faciem lauatis, caput vngitis, & de velleribus ouium vestrarum venientes ab Aquilone calefacitis, cùm etiam de confessione vestræ integerrimæ simplicitatis exempla sumuntur sanctæ Religionis. Sic est, dilectissimi, sic est. Accedit homo ad cor altum: & exaltabitur Deus. An non in luna cùm lumini solis appropinquat G sic euenit, vt eò à suo fulgore videatur deficere, quò fuerit effecta vicinior? Cæci domus non ideo pulchra, quia deformitatem eius non videt: non ideo sana, quia vbi vulnerem faciat non considerat. *Cani*, iuxta Prophetam, *in Ephraim effusi sunt; & ipse ignorauit.* [Osee vii. 9.] Doletis fœtorem Lazari, truncum iam emortuum miramini reuirescere, mutos Hierieho non patimini consurgere. Facitis namque quod ait Nahum propheta: *Aquam propter obsidionem hauri tibi, intra in lutum, & calca, & subigens tene laterem.* [Nah. iii. 14.] Intelligitis obsidionem principis huius mundi, aqua de cisternis sicut nec de cellis deficit. Lutum carnis vt fortiùs prematis, & validiùs calceis intratis, si subigendo tenere laterem meminetitis. Non itaque vsque ad internecionem desæuiat murco vester. *Tolle*, ait dominus, *grabatum tuum & ambula*, [Ioan. v. 8.] id est, corpori indulgeas, non seruias. Quàm suauiter in impetu spiritus euchor, dum vobis scribo, tam ægrè fero, dum in medio itineris subsistere cogor. Ad quæstionem respondere parco, quia non perfunctoriè eam tractare dispono. Valete. Destitutus spe vlteriùs H procedendi subsederam non volens, sed propter eum qui quasi media via me deserebat. Interim flauit spiritus bonus, & dum illius cassauit propositum, nostrum compleuit desiderium. Moram procul dubio timebam, & temporis siue portatoris importunitatem ad meam referri ignauiam satis pertinaciter deuitabam. Vt itaque meam insipientiam oculis amicorum & dominorum meorum simpliciter prodam, non quod ex promptuario aridi pectoris, sed quod de horreis Ioseph in saccis filiorum Iacob mutuaui proponam. Apponam verò prius in mensa ista panes propositionis vestræ, vt cum his sumantur legumina decoctionis nostræ. Quosdam vestrorum ita scribitis sentire de verbis Apostoli, vbi ait: *Renouamini spiritu mentis vestræ*, & alibi, *Et si homo exterior corrumpitur, sed qui intus est renouatur de die in diem*, [Ephes. iv. 23. 2. Cor. iv. 16.] & de paradiso deliciarum in quo Adam positus est, siue etiam hoc, quòd homo ad imaginem & similitudi

A similitudinem Dei conditus asseritur, & sub eodem sensu omnia ista accipiantur. Addunt etiam, hæc bona deliciosa bifariè debere accipi, scilicet secundùm substantiale bonum & accidens: referentes ad essentialia dona imaginem, similitudinem verò ad ea quæ adesse & abesse possunt. Priusquam his bonis coloribus & à doctis pictoribus imaginem sensuum istorum compositam in sacrario Dei statuam, quæro de origine, de auctore, & de virtute, vel etiam vtilitate eius. Vt enim religiosum sit quod adoratur in templo, non noua, non ignota, non denique ficta debent esse numina *Israel*, ait Propheta, si *me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* (Psal. lxx. 7.) Non magis abominabile est simulacrum in Ecclesia Dei viui, quàm de sancta Scriptura sensus peruersus in anima Christiani. Delectus tamen & hic habendus est. In his siquidem, quæ ad sanctæ Trinitatis, vel incarnationis fidem, seu sacramentorum Ecclesiæ pertinent errare periclitari est. De multiplici verò sensu B scripturarum, vel iudiciorum Dei, quæ nunc plura fiunt, quasi diuersa, non tamen contraria, à fide sentire, non est exorbitare. Hic enim sonus est alarum animalium in Ezechiel se admuicem percutientium: quia sanctæ animæ de thesauro sapientiæ & scientiæ Dei largiter accipiunt, vnde corpus Ecclesiæ in augmentum corporis Christi diuersarum gratiarum compagine satis eleganter componunt. Itaque frater ille suo bono quidem sensu domum sibi eburneam fabricauerit, & bicameratam, siue tricameratam arcam in diluuio aquarum multarum præparauerit Miror illum tamen tantum ædificium paruis sumptibus extruxisse: & cùm illud fundamentis solidissimis Apostolorum & Prophetarum firmare, floribus doctorum fulcire, malis martyrum stipare, vt sapiens architectus debuisset, oblitus paxillos æreos auctoritatum veteris, & funes argenteos noui Testamenti inserere, quasi clypeis denudauit parietem. Sed vt de proprietate huius nominis, quæ occurrunt in instanti edisseram, sciendum est, quòd propriè imago C relatiuè dicitur ad aliud, cuius similitudinem gerit, & ad quod repræsentandum facta est, sicut imago Cæsaris, quæ ipsius similitudinem præferebat. Impropriè autem imago dicitur id, ad quod aliud fit, sicut exemplum, quod similiter propriè dicitur exemplum, exemplar à quo sumitur: Tamen abusiuè aliquando alterum pro altero ponitur. Secundùm istam rationem propriè imago patris dicitur filius. Iuxta alium verò modum, quo vnum nomen pro alio ponitur, dicitur homo imago Dei: quia videlicet imago Dei in eo est. Sicut imago dicitur tabula & pictura, sed propter picturam quæ in ea est, simul & tabula imago appellatur. Ita propter imaginem Trinitatis, etiam illud, in quo est hæc imago, imaginis nomine vocatur. Homo itaque imago, & ad imaginem: filius imago, non ad imaginem. Volo denique si placet, & in quo similitudo differat ab imagine, breui exemplo signare. Pono animam lapidem pretiosum, & imaginem aliquam in eo expressam, à qua similitudo secundùm imaginē impressa D ostendatur Nonne est aliud imago exsculpta, & aliud similitudo ab imagine redempta? Sit igitur bonitas Dei causa huius similitudinis: quia cùm beneuolentiâ suâ, quæ Spiritui sancto attribuitur, Deus Deum hominem, vel post Deum facere vellet, & naturaliter id fieri non posset (non enim naturaliter Deus est, nisi is, qui Deus natus est, non factus, concessit vt saltem similitudinem Dei haberet. Quæ similitudo Dei vt sedem, vel receptaculum haberet, imago siue figura substantiæ Dei, quæ est filius, animæ hominis impressa est, vt à suo S. Spiritu prædictam similitudinem reciperet: quomodo pretioso lapidi foramen aperitur, per quod gracilem auri virgulam recipiat qua constringatur & teneatur. Ad imaginem itaque secundùm naturales animæ virtutes, memoriam scilicet, intelligentiam, & dilectionem, vt optimè dixit tractator vester, & ad similitudinem, secundùm innocentiam & iustitiam, quæ in mente rationali potiùs naturaliter

E quam accidentaliter insunt, conditus est homo. Stupeo siquidem me audiuisse, quod nollem vel somniasse, similitudinem Dei donum esse accidentale: quod non accidentale, sed veraciter substantiale, immo supersubstantiale nouit qui Apostolum intelligit. *Scimus*, inquit, *quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* (1. Ioan. iii. 2.) Quid est, similes erimus, nisi similitudinem eius habebimus? Quam enim similitudinem in creatione accepimus, eandem in resurrectione prima, denique & in secunda, sed aliter habituri sumus. Nam in creatione ita collata est, quòd amitti potuit, cùm etiam peccare potuit, vel potius deformari: sed in vera immortalitate, cùm nec mori nec peccare homo poterit, de similitudine Dei æternaliter gaudebit. Quid igitur? Itane summa illa beatitudo, & gloria sæculorum accidentalis erit, vt possit adesse & abesse præter subiecti corruptionem? Hoc enim accidentis est. Vbi es homo? Nonne in mortalitate, vel potiùs in morte? Quare? Nonne quia amisisti Dei similitudinem: Quid enim Deus? Nonne vi- F ta? Et quæ est similitudo vitæ? aut quæ dissimilitudo, nisi mors? Mortem namque inuenit, qui similitudinem Dei amiserit. Quod si ideo dicitur accidentale similitudo Dei quia auferri potuit, non vera est consequentia. Sic enim sequeretur, quòd accidentaliter viueremus, quia mori possumus. Naturæ siquidem accidentis est, vt possit adesse & abesse præter subiecti corruptionem. Quod quis sani cerebri, vel cordis affirmare audeat de virtute, iustitia, bonitate, & amore virtutis in anima? Prorsus, vt ait Augustinus, vt vita corporis anima, sic animæ vita Deus. Vera quoque virtus, vera bonitas, vera iustitia, immo ipsa veritas est Deus. Sine his igitur si fuerit anima, moritur, & dicis esse accidentalia dona? Vertens iterum oculos, & relegens apices vestros, inueniensque non donum, sed bonum accidens, maiores phantasias admiror. Nonne enim similitudo Dei Deus est? æquè bonum Dei numquid aliud à Deo est? Clamat Augustinus, Quic- G quid de Deo dicitur, Deus est, & nihil secundùm accidens dici de Deo: & dicis, secundùm bonum accidens similitudinem Dei dici. At iniquis, quod dico similitudinem Dei donum esse accidens, non ad Deum dantem, sed ad hominem accipientem respicio. Mihi verò videtur satis ex superioribus probatum, neutrum esse verum. Hæc sufficiant de similitudine. Nunc reuertamur ad imaginem, & audiamus quid nobis dicat imago vera. Sic enim loquitur, *Qui me videt, videt & patrem.* In quibus verbis desiderantibus faciem patris videre omnino simillimam & in nullo disparabilem imaginem semetipsum repræsentans, desideria cordis (Ioan. xiv.) eorum de bonis suis satiare voluit. Rursus hæc eadem imago renouare volens imaginem suam in imagine sua, aliàs dicit *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* (Leuit. xi. 4.) Tanquam bonus pictor animarum Deus primam animam in primo homine cum omni benedictione spirituali, ad quam H meliorem & formosiorem inuenit imaginem, non in iam creatis, sed in non creatis pingendo creauit, & creando depinxit. Creauit inquam in anima imaginem suam, vel potiùs animam ad imaginem suam. Depinxit iterum in anima similitudinem suam, vel magis animam ad similitudinem suam. Fumo autem iniquitatum & transgressionum suarum decoloratam, & vsque ad extremam deformitatem fœdatam, auctor & amator suus voluit eam reparare. Et quia æquè idoneus pictor, neque in cœlo Angelus, neque in terra homo iustus, neque subtus terram aliquis spiritus inueniebatur, accessit imago ad imaginem, formosa ad deformem, iusta ad iniustam, nobilis ad ignobilem, pia ad impiam, æterna ad transitoriam: venit reparare quod perierat, venit reficere quod defecerat. Hæc imago Dei inuisibilis filius est altissimi. De filio namque ait Apostolus, *Qui est imago Dei inuisibilis.* Sanius verò mihi credite, nihil dicitur, quàm vnam esse imaginem totius Trinitatis, patris videlicet, filij, Spiritus sancti. Vnde (Col. 1. 15.) hoc verò quod dicit, ad imaginem & similitudinem

nostram

A nostram, vna & æqualis substantia trium personarum monstratur. Ea persona enim patris hoc dicitur ad filium, & Spiritum sanctum, non vt quidam putant, Angeli: quia Dei & Angelorum non est vna & eadem similitudo vel imago. Propriè itaque filius dicitur imago patris: Trinitatis essentia minùs propriè, homo impropriè. Sic autem homo dicitur imago Dei, quia similitudinem eius in se gerit, sicut imago Cæsaris, quæ similitudinem eius præfert. Hucusque satis dilatauerim phylacteria mea, & magnificauerim fimbrias. Si qua tamen duriùs dixerim, obsecro indulgeatis. Valete, & orate pro me.

EPISTOLA V.

Dominis suis de Monte Dei, suus Cellensis portam atrij interioris penetrare.

B ET si apices salutationum à vobis mea humilitas accipere non meretur, mereatur saltem munera orationum. Vtrumque quidem si fieri posset, satis gratanter acciperem: alterum tamen ambitiosiùs deposco, si ad vtrumque non valeo. Lætificarent me litteræ, si scriberetis: sed iuuant orationes, si pro me eas funditis. Insipientia mea indiget bonorum instructione: infirmitas animæ meæ, deuota & assidua oratione. O vtinam perspiceretis plagas animæ meæ miseræ & desolatæ in vastitate hostili! certè si eam diligeretis, super eam lugeretis. O Domini & patres carissimi, cur non liberatis animam, quamuis miseram, tamen vestram? cur non eruitis de ore leonis iam semipastam? cur non redimitis sub vinculo captiuitatis vsquequaque humiliatam? Sufficiat vobis ad commouendos pietatis affectus recordatio antiquarum miseriarum, à quibus redimit vos qui passus est pro vobis. Vltra extenditur cumulus peccatorum meorum, & nisi Dominus iuuerit sanctissimis orationibus vestris interpellatus, iam inferno appro-
C pinquat. Valete.

EPISTOLA VI.

Carissimis dominis & fratribus de Monte Dei, Priori cum cæteris sanctis, Frater Petrus Cellensis indignus Abbas salutem.

FOrtè sicut pulli de nido suo auolantes paternas esuriunt escas, sic vos filij carissimi, qui in nidulo vestro plumescitis, vt cùm tempus venerit in altùm euoletis, dignum faucibus & stomacho sanctitatis à me refundi expectatis. Sed quid coruus ad pullos gallinatum? Non enim eisdem aluntur cibis. Coruus pascitur cadaueribus putredinis: columba vescitur granis puris tritici electi. Noui, noui quibus apud vos per dimidium temporis alitus sum cibis. Si dixero, noui quibus modò vsque ad nauseam onerer, parum profe-
D cto dixerim: cùm sapientia vincat scientiam, & plus sit tenorem saporis in ore retinere, quàm præterita ad animum reuocare. Anxior igitur in his & gemo: & quorum gustu vehementer afficior, solo ruminatione reiterata refricare dolores præteritos. Sufficiat enim diei malitia sua: sufficiat gustui amaritudo sua amarissima. Vos denique, fratres & filij carissimi, simplicitate ciborum contenti sicut didicistis Christum, sicut gustastis, & vidistis, quia bona est negotiatio vestra, sic perseuerantes non quæratis aliam mensam, non aliam escam. Bonam enim mensam, bonam vtique habetis & escam, quâ viuit anima vestra. Quid ipse dicere possum de mensa mea? Certè ex quo descendi de sancto Monte Dei mei, aut rarissimè, aut nunquam data est mihi mensa, vt cum amicis meis epularer. Statim quæ in insidiis expectabant egressum meum sollicitudi-

E nes, rapuerunt & absorbuerunt me continuo refluxu, super caput meum redundantes. Satis immisericorditer vindicatum est in me, si quid otij, si quid boni in requie illa habuerunt caro mea, & cor meum. Seueriùs in me exarserunt, & ne spiraculum quidem incedit per ea. Apud vos, carissimi & desideratissimi, conqueror de me ipso contra me ipsum. Hæc certè, immo multo peiora merui, qui de pœna non emendor, sed cum pœna & culpam multiplico. Orate pro seruulo vestro, qui vos omni die desiderat, vmbram vestram suspirans, & faciem videre sitiens. Valete.

EPISTOLA VII.

a Fratribus & filiis dilectissimis, frater Petrus humilis eorum dictus Abbas spiritum dilectionis & pacis.

F QVàm vnica & singulari erga omnium & singulorum vestrorum salutem affectione & sollicitudine tenear, vnicus ille spiritus nouit, qui scrutatur etiam profunda Dei. Non ignorat hoc ipsa quoque anima mea! quam vtinam sicut est intueretur oculus mentis vestræ, & sine dubio compateretur doloribus suis. Præsumo etiam, in conscientiis quorundam manifestos nos esse, quibus idem suadet puritas sua & veritas mea. Nullis vos circumuenire adulationibus, nullis allicere fumentationum fallaciis, fratres carissimi volo: sed vt pax vestra firma sit ad Deum, & me non æstimetis à cordibus vestris alienum, hæc scribo. Cæterùm si quis aliter sapit, desipit. Itaque resipiscat animam suam lædere, immo damnare, qui pacem vestram & meam quærit perturbare. Non designo aliquem, vel impropero cuiquam stultitiam suam. Sufficit enim accusatio propriæ conscientiæ, & ad tormentum pro malis, & ad præmium pro meritis bonis: Prorsus nemo ex hoc inter vos conturbetur: quia inanis nunquam erit pœni-
G tentia, duntaxat si fuerit vera. Filio virginis castas mentes præparate: filio altissimi humiles animas exhibete: Angelo sanctitatis habitacula cordium vestrorum emundate.

NOTÆ.

a *Fratribus & Filiis*] Cellensis monasterij Monachis.

EPISTOLA VIII.

Carissimis patribus & dominis suis de Grandi-Monte Frater Petrus Trecensis Abbas fideles orationes.

SCio quia in concilio iustorum & congregatione magna opera Domini. Idcirco, fratres carissimi longè
H licet à vobis remotus, tamen animæ meæ intentionem & supplicationem in præsenti conuentu transfero quatenus portiunculam cuiuslibet cœlestis benedictionis referat, vnde consoletur & longo tempore confortetur. Credo enim, si vel vnam oratiunculam Angeli illi vestri, qui faciem patris semper vident in cœlis, ad ipsum patrem luminum, & ad thronum gratiæ filij eius, ab ore & corde vestro pro me detulerint, quòd faciet fructum sursum, & germen ponet in terra deorsum. Hinc verò fructus vitæ & spes misericordiæ egeno & pauperi erit. Manus igitur illas vestras puras ab omni sanguine & crimine, & oculos columbinos ad fenestras cœli, per quas ad propitiatorium & ad sancta sanctorum intrare soletis, leuate: nec aliquo modo deponatis, donec vos exaudierit qui desiderium pauperum exaudit Dominus. Vester sum: sed tunc digniùs & affectuosiùs Valete.

NOTÆ

A

N O T Æ.

a *De Grandimonte*] Id caput & sedes est non obscuri in Gallia ordinis clericorum, qui Grandimontenses inde appellati, in diœcesi Lemouicensi, haud procul Mureto. Vnde & Stephanum religiosæ familiæ ducem ac principem, Stephanum de Mureto appellat Stephanus Tornacensis epistola r. quia sedem ibi fixerat ., cùm alioquin Aruernus patriâ esset, non Lemouix.

EPISTOLA IX.

Frater Petrus Cellensis Abbas, venerabili A. sacerdoti sancti Petri Pruuinensis salutem.

B

NOn immeritò illi præsumo scribere, quem non præsumo non diligere. An impune non diligerem, quem adprime honorandum vtinam vel simpliciter suscepissem! Sed quid tantopere laudo, quem vel rarissima visione cognosco? Sed plus hunc fateor cognosco auditione, quàm visione, plus fide, quàm confabulatione, plus religione, quàm familiari cohabitatione. Audiui enim viri non elatam sæculi pompam, sed electam doctrinæ formam: non ebrietatem, sed sobrietatem: non vanam pecuniarum sollicitudinem, sed variam scripturarum meditationem: non curiositatem formarum & pulcritudinem faces gehennales accendentes, sed emunditionem deformitatum propriæ conscientiæ juxta diuini speculi illuminationem. Hæc, bone iuuenis, de te ab aliis cum desiderio audiui, cum fide accepi, cum gaudio aliis enarraui. Nihil itaque mirum, si tali scribo, quem talem describere non vereor ex relatu eorum quibus firmiter credo. Huius tamen ardentiùs cum auiditate faciem viderem, & vocem audirem, quàm mortuis apicibus mortua verba ederem: vt cuius amor viuit in animo, eius præsentia scintillaret in

C

oculo. Applicat enim calorem latentem in remotis admixta facula scintillantibus venis. Mutuò namque se se ita fouent, vt vterque ignis alium ad se trahendo confortet & confortetur: quatinus interior eò magis ferueat, quò exterior ei appropinquat: & exterior eò clariùs luceat, quò ei interior vehementiùs participat. Huius exempli similitudine, quem amas absentem, incipis superamare præsentem. Crescit enim in oculis amor: reuehitur meatu anrium cordi diligentis vox dilecti expressa charactere dilectionis. Iam amor incipit esse cum gaudio, qui priùs erat sine gaudio, aut cum tædio. Tædet enim non habere quem tendit semper amare. Sine gaudio quoque est, qui eum non habet, sine quo gaudere non potest. Apponitur amori gaudium, cùm amicus cernit suum amicum. Valete.

D

EPISTOLA X.

Petrus Abbas indignus Cellæ Monasterij, C. a sacerdoti Hallingiarum spiritum salutis.

NOn in præsumptione spiritus mei ad te transmarinum sacerdotem scribo, sed reiterata petitione R. quem tu quidem carne, ego verò spiritu per Euangelium in Christo genui. Is siquidem quos habet impari generatione patrem, pari desiderat affectione coniungere fratres. Et me certè iam fratrem tibi constituit, nisi in oculis tuis mea fraternitas fortè propter vestem peregrinam sorduerit. Vix tamen apud sensatos tanta habetur vestium diuersitas, vt eorum exinde diuellatur identitas. Proinde nuda corda meliùs copulantur, affectiùs vniuntur, castiùs immiscentur. Cor

E

namque iusti non induitur purpura & bysso, sed sapientia & consilio: non pannis & serico, sed virtutibus & Deo. His enim secundùm creationis naturam in principio amictus, stolas non erubescebat angelicas, nec ipsius increati candoris lucem reformidabat, quandiu diuinitus insitæ imaginis lineamenta incorrupta mutuò aspectu resignabat. At vbi huiuscemodi splendoribus nocturnis dispoliatus insidiis, præ confusione atrocioris incommodi foliis cœpit circumtegi ficulneis: venit Christus, vt reiterarer vestem cilicinam, saccum scinderet, & nudus nudis obtutibus paternis in carne nostra, immo sua appareret. Filij itaque nudi Christi, nuda adinuicem corda pandamus, ac stabili compagine in Christo ea compingamus: fluant ad Christum, refluant ad cœlum, confluant ad trinum & vnum. O quàm bonum & quàm iocundum, frater, fratres habitare in vnum! Vnum est necessarium. Quid verò multa? non necessaria. Quæ ergo vanitas est filiorum hominum vt multa quærant, & non curent vnum? Prius

F

est vnum, quàm multa, & faciliùs consequimur vnum, quàm multa. Cùm ergo sine vno non subsistimus, & in multis deficimus, in multa tamen insania vnum postponimus, & multa cupimus. Desipit qui ad vnum verum esse non tendit: sapit qui ad incommutabilem beatitudinem contendit. Reuera solus ille sapit, qui vnum solum sapit: solus ille desipit, qui multa præter vnum sapere cupit. Vnde ait Apostolus, *Non multum sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Rom. xii. 3. Solent homines terræ tuæ potiùs sapere ad ebrietatem quàm ad sobrietatẽ. Vitium ignobile, & inter cætera vitia ignobilius, ebrietas. Vbi enim sensus ebrij? vbi reuerentia in ebrio? vbi dignitas? Immemor est præteriti, futuri ignarus, præsentis nescius. Discretio confunditur, ratio hebetatur, sensus ligantur, mens ipsa sepelitur. Risui derisoribus exponit magis seipsum ridens. Ex hac viperea radice surgit, vel potiùs serpit, deuastans totius religionis animæ vigorem luxuria. Denique tanquam ex magno gurgite perditionis prosiliunt non rara germina pestiferæ

G

præuaricationis. Pes errat, labitur lingua, trepidat manus, labia tremunt, caligat visus, auditus surdescit. Adde his intrinsecùs furias debacchantes, & miserum pectus miserabiliter lacerantes. O bone vir, nonne videntur tibi hæc principia mortis, fomenta ignis æterni, esca supplicij, illecebra damnationis? Vt igitur morsum colubri euadas, fugienda est ebrietas. Muscipula venantium capitur, qui vel semel inebriatur. Lusus dæmonum est homo ebrius. Tanquam prostibulum vitiorum reputatur, qui gulæ & ventris tyrannidi subiugatur. Mari commoto quid tempestuosius? excusso fulgure quid formidabilius? abysso quid profundius? Nullum tamen horum nequius, quàm homo ebrius. Desistendum est à veneno, immo à vino, quod hominem vertit in truncum. Diuinorum lectio librorum præceptis & exemplis ostendit, quàm turpiter natura ex hoc dehonestetur, quàm crudeliter condemnetur, quàm interminabiliter crucietur, quam immisericorditer à regno Dei excludatur. *Neque ebriosi*, Ait Apostolus, *regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. vi. 10.

H

Diutius impressi stylum, si fortè refellerem, vel saltem reprimerem vitium. Interim collactaneam eius luxuriam eodem acumine potiùs pungamus, quàm pingamus. Pinguiùs namque & ista pinguissima de pinguedine terræ apud vos exuberat. Vbi namque iuuenum & puellarum forma decentior, aspectus gratiosior, cibus abundantior, potus crassior, aër salubrior, terra fertilior, amœnitas jocundior, prauus his eneruatur animus. Satius est namque ei frui cupiditatibus vanis, quàm æternis bonis. Colore adulterino deceptus, quæ intus latet falsitatem non attendit. Mendax mendaciter mulier de specie vana se jactat. Certè pulcritudo illa nec vera est, nec sua. Si enim vera esset, semper durasset. Vnde quod semel est verum, semper est verum. Si sua, non in foro emeret. Fallax gratia, & vana est pulcritudo. Abiicienda est autem, quæ fallit gratia: ambienda, quæ

liberat.

A liberat. Vmbratilis ponenda pulcritudo, vtilis appetenda. Communi hactenus admonitione præmissa, vt tuæ vnicæ & singularis animæ curam maximam habeas, rogamus. Nemo enim de sæculo egrediens animam suam vlteriùs commutat. Hìc locus, hìc tempus commutationis faciendæ: mores hîc commutandi. Cæterùm correptio, non correctio in futuro dabitur: fiet comminatio, non commutatio: nisi fortè de pœna in pœnam, de morte in mortem, de miseria in miseriam. Muta itaque vitam, dum viuis in hac vita, ne si fortè modò cùm potes distuleris mutare, tunc volens mutare cogaris tenere. R. timet sibi anima mea, timet & tibi. Pater meus es tu, & ego filius tuus. Et quia per te ingressus sum in vita corruptibili, vtinam per me peruenires ad disciplinam Dei. Non contingat me sine te gaudere: contingat autem te & me cum Christo regnare. Vale.

N O T Æ.

B a *Sacerd. Hastingiarum*] In Anglia. ideo transmatinum sacerdotem vocat. Locus conserto inter Vuilelmum & Haroldum prælio memorabilis. Malmesburiensis Hastringas scribit, & bellum Hastingense quod dixi.

EPISTOLA XI.

Suis carissimis amicis, H. subpriori, Thomæ & Ascelino Clarevallensibus, frater Petrus Abbas Cellensis gratiam pro gratia.

QVibus gratiosiori affectu dulciùs copulamur, eisdem non immeritò meliora & dulciora scribimus. Vt enim dignior animus quàm corpus, sic animi potiora sunt bona, quàm corporis, fidelis verò sui ipsius interpres est animus. Itaque & nos potiùs quæ C ad animum pertinent colimus, quàm quæ ad corpus. Nam si de affectu non secundùm affectum scribis, vtique mentiris. Igitur affectus cùm de se loquitur, se & non alium loquatur. Est enim hypocritarum aliena tanquam sua, sua tanquam aliena dicere. Nihilominus & simulatorum est, neque simpliciter diligere, neque veraciter ad amicos loqui vel scribere. Quamobrem in Christo & in conscientia vera pronuncio, quòd erga me sinceriorem & puriorem habeatis affectum, vt credo, quàm ego ipse. Nam quòd purgatior est in vobis oculus mentis, eò perspicatior est etiam in amicis diligendis: & quò expeditior ad clarè videndum, eò liberior ac iustior de omni causa decernendum. Solummodo siquidem corporum nebula obstat, ne se vicissim meus & vester spiritus sublatis impedimentis clarè videat. Attamen vt in corpore mortali immortalia corda, & ad se per amorem accedere, & se se per mutua desideria possunt contingere: sic vnica & speciali dilectione, quotidiano recursu à suis commeant re- D gionibus, quatinus datur, ad se salutandos & osculandos affectus nostri. Quotiens enim vos recogito, totiens pedibus animi vos adeo. Itaque, fratres carissimi & desideratissimi, vestras consolationes & sitienter suscepi, & ardenter perlegi, & velociter compleui. Et attendite etiam in hoc quàm bene cohærent, quâ perfectè sibi consentiant conscientiæ nostræ. Quãdo enim scribebat dictante animo digitus vester, cogitabat animus noster: & quod scripserat digitus, hoc elegerat animus. Planè priusquam audirem obediui, antequam consilium daretur adquieui. Tanta dilectionis velocitas, vt audire non expectet quod facere debet. Lædi namque se æstimat, nisi amicorum voluntates præcurrat. De merito suo plurimum sibi præripi gemit, nisi etiam motum voluntatis vigilanter præoccupauerit. Tunc læta, tunc gratulabunda, cùm præcesserit veniendo, & quodammodo excesserit majora faciendó. O excessus charitas! ó excedens charitas! Sola in omni E genere virtutum excedendo non excedis, ascendendo non corruis, descendendo ascendis. Ad modum proprium cohibetur humilitas, terminos suos habet castitas, ad malum non laxamus obedientiæ habenas, ad fines suos, nec extra extenditur largitas, ad fines mendacij non accedit veritas. Sic denique & aliæ virtutes, cursus tantùm suos excurrere, sed non transcurrere debent. Constituti sunt eis termini, qui præteriri non poterunt. At charitas vsque ad cœlum, immo & supra cœlum, veluti cui lex non est posita, conscendit: vsque ad infernum, & etiam in inferno ipso aliquando descendit. Amicos amplectitur, nec ab inimicis arcetur. Cùm se extendit, non læditur, cùm se superextendit, non rumpitur. Semper crescit, nunquam senescit. Anni eius non deficiunt, sed perficiunt. Quò enim vetustior, immo diuturnior, neque enim veterascit, eo & clarior. Sicut vinum Libani semper nouatur, semper confortatur, semper cumulatur. Vires F semper accrescunt: splendores faciei eius nunquam deflorescunt. O virtus! semper in me sic excedas, vt nunquam decedas. Non finis decedere, in quo dignaris iustos excessus creare. Sic nouit Apostolus mente excedere, & cœlum tertium penetrare: sic Propheta in excessu mentis supra hominem de Deo sentire. Præ stupore Petrus in consideratione glorificatæ maiestatis sic excesserat, cùm dicebat, *Faciamus hîc tria tabernacula, Tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum.* Matth. xvii. 4. Secundò etiam & tertiò sic excessit, vel quando Christum non sustinens mori, dicit, *Absit à te, domine:* Matth. xvi. 22. vel quando abscidit auriculam serui, vel etiam in captura piscium cùm dicit, *Exi à me domine, quia homo peccator sum.* Luc. v. 8. O quotiens sponsa ad sponsum excurrit, aut vt veriùs dicam, seipsam & omne quod creatum est pro amore sponsi excedit! Quandocunque enim vel de sponso vel ad sponsum loquitur, per excessum transuolare dicitur. Hos saltus siue excessus non nouit, nisi qui experientià dicit. Quapropter de his mihi parcius loquendum vobis idoneum est G latius & largius agendum potiùs, quàm differendum. Valete. Quam citius potero veniam ad vos.

EPISTOLA XII.

Suo R. Claræuallis, suus Petrus Cellensis.

SOlet nimia festinatio, etiam semicruda quasi iam bene cocta, præ nimio appetitu insumere, & tanquam famis necessitatem interdum temperare. Iustas, & ostium amici velut necessitate hospitis superuenientis inquietare non cessas. Credo potiùs ex crassitudine animæ, vel ex non necessaria paupertate id te actitare, vt neque importunitatibus tuis occupationes meæ satisfaciant, neque voluntati tuæ solemnes istæ feriæ silentium imponant. Quid igitur? Experior nunc quod in Isaia iam, ante legeram. *Venerunt filij vsque ad partum, & tempus sine virtus pariendi non est.* Esaiæ xxxvii. 3. H Æstuo siquidem noui amici nouam & primam promissionem adimplere, sed contradicentium irruptiones vix valeo mitigare. Quis itaque, à quo, vel quid petas mihi consideranti, offert ratio copiosam fortunam petitoris, pauperem inopiam postulati, difficultatem petitionis. Quis, nisi qui ambulat in medio lapidum ignitorum, nisi qui cedrorum medullam consueuit lambere, & præclara sententiarum stipendia de castris Philosophorum reportare? A quo, nisi ab eo qui inter sentes, ne dicam sententias, delicias reputat dormire? nisi ab eo, qui neque vngulam findit meliorum dictorum distinctione, neque ruminat si qua contigerit audire vel legere? Quis à quo, nisi doctus ab indocto, nisi plenus à vacuo, nisi videns à cæco? Non leue & simplex fateor impedimentum sustineo, ne intrem in sanctuarium Dei, vt de manu Cherubim car-

bones

A bones consolatorios tibi accipiam. Obstat hinc flam-
meus gladius atque versatilis sollicitudinum, vsque ad
medullam animæ penetrantium, illinc caterua Philisti-
norum puteos meos terrâ mortuorum replentium.
Præter hæc, tanta certe confusio concurrentium ad
me fit, cùm incipio scribere, vt pene syllabæ singulæ
noua cogantur habere principia. Ecce monachus con-
fitetur, ecce alius diffitetur,: ecce miles saltat, ecce
clericus salutat, ecce famulus inquietat, ecce nun-
cius rumorum frequentius quàm columbam resonat.
Mi dilecte, quam interim cor humanum congregare
poterit sanctarum scripturarum meditationem? quod
componere commonitorium? Sed fortè hæc ipsa non
monendo monent, inquietando suadent quietem,
in diuersum decerpendo verum, idipsum quærere
admonent. Sic enim esuriens panem quæro, aquam
sitiens, algens ignem, caligans lucem, deficiens
refectionem. Verùm tu aliud habens melius & verius
B commonitorium, rursus aliud mendicaris potiùs ex
voluntate quam ex necessitate. Exemplo credo Apo-
stolorum id facis, qui cum IESVM haberent, patrem
nihilominus videre cupiebant. *Domine*, inquiunt,
Luc. 14. 8. *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Nondum no-
uerant, quia cui filius non sufficit, nec patrem ha-
bere poterit. Plena etenim filij cognitio, vniuersæ
rationalis creaturæ est plenissima recreatio. O quàm
præclara Clareuallensium commonitoria! Quid enim
lacrymæ huius, nisi compunctionis sunt incen-
tiuum? Quid alterius continuæ orationes, nisi su-
pernæ contemplationis adiumentum? Huius humi-
litas superbiam confundit apostatæ angeli, & ho-
minis: obedientia illius, pendendo in cruce Chri-
sti æmulatur obedientiam. Iste Iacob assimilatur in
laboribus simplicitas Ioseph hunc exornat: zelus ordi-
nis in isto Moysen reddit. O Dauid mansuetudo! ô
feruor Heliæ! ô Danielis abstinentia! ô castitas Samue-
lis, & quod maius est, ô Christi charitas! ô Mariæ vir-
C ginitas! Castra Dei sunt hæc. Quid videbis in Suna-
mite tua, in coccinea tua, nisi choros castrorum?
Chorum alium video procedentem aduersus phalan-
gas vitiorum innumerabilium: dum iste non quæ-
rens quæ sua sunt, spiritum auaritiæ strangulat,
iste mundi gloriam calcans principem superbiæ suffo-
cat, iste carnem macerans luxuriæ caput detruncat;
& cuicunque obuiauerit quisque de aduersariis, sine
misericordia fortiter in ore gladij enecat. Pluunt de-
nique instanter post terga hostium sagittæ, vibrant
hastas, frameam effundunt, & sine leones, siue vni-
cornes cum omni bestia saltus exterminant. Non est
in eis deficiens, neque laborans. In dextro cornu
iterum considero alium in equis albis chorum certan-
tem non iam pro victoria, sed ad coaceruanda pre-
tiosiora spolia; & iam prægustat alius mercedem la-
borum suorum, alius gratiam labiorum consequitur,
alius de ligno, quod est in medio paradisi, superex-
tensus in vlteriora velaminis per obliuionem terreno-
D rum & contemplationem cœlestium edit. Isti sunt qui
stolas suas dealbauerunt in sanguine agni, resistendo
vsque ad sanguinem vitiis, & pertingendo vsque ad
patientiam agni immaculati. Hi docent te arcum &
sagittam: hi sanguinem vuæ, & mori propinant.
Arcum prauum isti non intendunt, sed spirituali
subtilitate, etiam capillum minimæ cogitationis in
arcu propriæ reprehensionis citissimè feriunt. Prorsus
conuersi sunt in die belli, quia neque in incer-
to currunt, neque segniter viuunt. Ad hoc te mitto
commonitorium. Omnia enim eorum commonent,
siue concessus, siue incessus, siue sermo, siue silen-
tium, siue ieiunium, siue prandium. Ecce mille cly-
pei pendent non solum ad te commonendum, sed
etiam ad muniendum: & tibi post hæc, fili mi, vltra
quid faciam? Habes quoque & alium paraclitum, tan-
quam aliud commonitorium, quod prope est in ore &
in corde tuo: vnctionem spiritus, quæ te docet de
omnibus. Habes sapientiam, quæ non inuenitur in
terra suauiter viuentium, quam filij Agar non inueniunt, E
de qua Philosophorum abyssus loquitur, Non est me-
cum. Liga eam in corde tuo iugiter per amorem, des-
cribe illam in tempore otij triplicitet cogitando, lo-
quendo, operando. Discurre scripturarum amœnissi-
mos campos: lege tanquam apis & reconde in alueolo
memoriæ suauissimi odoris flores, castitatis lilium, oli-
uam charitatis, patientiæ rosam, vuas spiritualium cha-
rismatum. Considera diligenter quæ apponuntur, quia
quædam ad consolationem, quædam ad correptionem
sunt. Alia ad sanitatem, alia ad satietatem, alia ad sua-
uitatem. Spes præmij promissi mœrentem consolatur:
corrigit comminatio æterni supplicij: medicamine pœ-
nitentiæ sanantur omnes languores: præsens iustifica-
tionis exultatio famelicum iustitiæ satiat: adueniens
gratia virgam timoris amouet, & sua infusione animam
lætificat. O IESV! comminatoribus tuis quis sapor in
faucibus? quis odor in naribus? quis splendor præ ocu-
lis? quæ auditus modulatio? quæ cordis iubilatio? Ni- F
hil infra votum, supra omnia abundant, immo super-
abundant, gaudia. Explicat & extendit se voluntas ad
volendum, vel etiam ad volandum, sed non sufficit.
Supereuerrit oleum, quia vasa deficiunt. Hic, hic ma-
nus dantis largior, & accipientis rarior. Sola hæc mi-
nistrorum indignatio, quia pauci sunt, quibus fiat cœ-
lestium ferculorum distributio. Longos fac funiculos
tuos: extende pelles tuas: ne parcas, quia dilataberis
ad orientem diuinæ contemplationis, ad occidentem hu-
manæ per Christum reparationis, ad septentrionem
dæmoniacæ deiectionis, & ad austrum gloriosæ ascen-
sionis. Vale, nec sine recompensatione nostram pau-
pertatem velis accipere. Carissimum nostrum Subprio-
rem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute
saluto, & cæteros amicos nostros.

EPISTOLA XIII.

P. Cellensis R. suo Clareuallensi. G

EXcusationis meæ prœmium, siue velamentum ru-
sticitati meæ superinducerem, si clerico scholari,
non monacho Clareuallensi, si spumanti in sæcularibus,
non sudanti in regularibus, si denique Sirenarum oble-
ctamenta captanti, non aspera quæque per desertum
sectanti scriberem. Nunc autem quia id solum quod
honestum est, bonum esse non dubito: omne verò
verum honestum; si verum dixero ab honesto non re-
cedens, confusionem non timeo. Scio itaque manum
te ad forōa misisse, & satis perplexum antiquo sophis-
mate sophisma fecisse. Crede mihi, frendens & rugiens
quærit soluere quod nequit ex ratione refellere. Calli-
dus est & in arte peruersæ calliditatis potenter callens:
vtpote cui ab incomprehensibilitate retro labentium
temporum annus, mensis, dies, hora, vel breuissimum
momentum non est elapsum absque huiusmodi confli-
ctationibus. Quotiens vicit & victus est? deiecit & de- H
iectus est? obruit & obrutus est? Non est ei pudor, ti-
mor procul abest, spes euertendi semper adest. Ful-
minat timens, attrectat tremens, recedit sperans, ac-
cedit dubitans. O astutia simplicitatis inimica, malig-
nitatis filia, vnica totius religionis tinea! Patrem no-
strum à paradiso exclusisti, in exilio detrusisti, in mor-
te conclusisti; nos beatitudine spolias, miseriis cumu-
las, à Deo separas. Quid tibi & nobis? Cepisti, & de-
cepisti, sed non recepisti. Qui enim fecit, ipse refi-
ciendo recepit. Seductor igitur, carissime, cauendus est,
& laqueo suo capiendus, & gladio suo detruncandus.
Sic fecit nobis, sic faciamus illi. Si malum est esse ho-
micidam, sed non diabolicidam. Caput ergo eius
contere, caudam apprehende, corpus medium scinde: &
sic vespere & mane & meridie narrabis in confessione,
annunciabis in satisfactione, exaudieris in oratio-
ne. Sophista iste male proponit, peius assumit,
pessimè concludit. Suggerendo praua proponit,

A ad delectationem trahendo assumit, in consensum dejiciendo concludit. Si itaque suggestionem prudenter præuidens scuto sacræ institutionis propuleris, delectationem fortiter memoria passionis Christi excusseris, consensum constanter timore & amore Dei negaueris, tendiculas eius tanquam fila aranearum abrumpens, contonabis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon.

LIBER QVARTVS.

EPISTOLA I.

Suo suus.

B VT perniciosum optimis telum inuidiam nostra proscribat epistola, communis exorat charitas. Satis namque superque quod mihi scripsisti dulce, vtile, & honestum fuit. Quid enim dulcius amore? Quid vtilius diuinarum & humanarum rerum subtili & compendiosa descriptione? Quid honestius morum salubri informatione? His nostrum torpens ingenium excitasti, causam non causandi de sæcularibus parumper præbuisti, ac otiosæ sollicitudinis vela relaxasti. Sic irrigant, inebriant, & tranquillant scripta tua, dulcissime, animam meam. Sterilitati denique vbertate, tumultuositati libera pausatione, occupationum insolentiæ renuncians ad remotiora secessione, Nicolai mei hoc agi contestor scriptitatione. Deficiente ergo spiritu, manu trepidante, repugnante ingenio, grandiora præsumo, prætento fortiora, vix explicabilia arripio. Vtinque enim spiritu vehementi ex quatuor ventis conglobato, cuius spei robore floris teneritudo non euanescat, pulchritudo non deficiat, vigor non emarcescat! Insidum est irato

C obuiare leoni: stultum nihilominus emissam non declinare sagittam. Omnis armatura fortium tuis militat castris. Itaque congredi timeo. Nam cum propria satis armatura triumphare posses, quorumcunque etiam potentissimorum arma mutuasti, vt superuinceres. Solo clypeorum aureorum fulgore dejicior. Exclamo tamen, Pone non tua. Nam plurimum interest, vtrum majestate irrefragabili auctoritatis Philosophorum, an propriarum rationum & sententiarum conspicuitate castra nostra poteris debellare. Tibi an illis deputetur victoria, cùm sine discriminis examinatione illorum vestigiis procumbam volens, contra te autem arma, sed pacis, feram, statim elucescet. Quid enim? falsa sint Philosophorum inattingibilia acumina, cùm ingeniorum nostrorum vis sola quæritur, quid nostra interest? Prorsus eorum cedo auctoritati. Non sic verò, non sic subfugiet pupillam oculi mei quod egressum fuerit de labiis tuis. Iure suo priuari se amicitia aliter conquereretur, nisi res amicorum æquo libramine discuteretur.

D Decursis itaque & discussis vernantis eloquentiæ tuæ sermonibus & sensibus, iterum iterumque tua reuoluens & mea euoluere gestiens, timeo sub luce videri. Quid ergo? Periculum experiar? sed in filia.* Loquar? sed vtinam non inania. Reprehendam, sed amici superflua. Laudabo? sed philosophorum ingenia. Hinc tamen non progrediar, nisi priùs data manu initum fuerit pactum, prorsus nequaquam irasci pro aliqua contumelia. Ingrediens itaque aggrediar, non veritatis domicilia subuertere, sed amici si qua est, propriam de præiacentibus verborum diuersitatibus calumniam arguere, & quibus potero auctoritatum rationibus refellere. Video autem in vestibulo & in fronte epistolæ tuæ quod nimia formositate sui curiositatem oculorum meorum sic allicit, vt vix eos eiicere & eligere valeam. Est enim quiddam, cuius nomen super omne nomen, cuius forma formosior omni forma, cuius statura & altitudo à fine superioris cœli vsque ad finem inferioris inferni. Imago est inimitabiliter nata, non facta. Vnus est qui hanc de corde suo excogitauit & eructauit, non artifex huius, sed omnium, huius autem pater. Huic conformari est reformari.

* inuitia.

E Hanc loquentem & se exprimentem, aptis coloribus renitentem, sceptro imperiali cuncta regentem, cœlicolas cum terrigenis in brachiis coniungentem inueni, adoraui, & tenui. Decor eius inæstimabilis, dulcedo insatiabilis, claritas inaccessibilis. Tam suaue loqui de illa, quàm admirabile amplecti illam. Ad hanc qui accedit, aut vix, aut nunquam recedit. Oculus non satiatur visu, nec auris auditu. Qui edunt, adhuc esurient, &c. Hæc osculata est me osculo oris sui. Hæc digito manus suæ tenens animam meam voce propria, ne declinarem ab ea. Huiusmodi attractus & delinitus blanditiis, an vlterius progrediendum sit hæsito. Bonum enim est hic esse. Tandem verò innuente & annuente vt irem non discedens, redi-

F rem permanens, aliam vidi visionem. Rubus ardens in interiora deserti apparuit. Suspensus intenta cogitatione, num, inquam, sicut Moysi rubus ardebat & non consumebatur, sic meus iste reddit splendorem lucentem, non calorem vrentem? Amici enim increpatio, grata potiùs correptio est, quàm molesta exustio. Est autem. Vos venator tam verborum quàm sensuum, & conclusum retibus & percussum venabulo credidistis. Hic enim rubus ruborem ingerens, sed perfectæ & solidæ charitatis robur nesciens. Oculus pupilli pungeretur, vel etiam compungeretur, si spina huiusmodi configeretur. Non verò contingat hoc oculo charitatis, cuius solius est colligere, immo producere rosam de spinis. Sic IESVS de spina passionis rosam protulit redemptionis. An non eius imitatione & tu reddis bona pro malis, qui mollia duris, dulcia amaris, vera retribuis vanis? Reuera tu simplex & domi habitans, vt dicis, in simplicitate cordis tui scripsisti. Animaduerto igitur ad thronum gratiæ miro pennarum iuuamine te conuolasse, & ibi, quia citra non reperisti, simpliciter

G simplicem Deum didicisse. Quæro itaque, anne simplicitatem tuam ab illo fonte reportaueris, & vtrum tantùm transeundo, quantum cœlicolæ manendo & stando exhauseris. Quod si fieri non potuit, constat non iniuriosè inæstimabiliter illorum tuam præcellere simplicitatem, sicut & beatitudinem. Animam siquidem humanam naturaliter simplicem, Angelorum vero naturam etiam simpliciter simplicem indubitabili fide credo & confiteor. Quod vt euidentius appareat nostra de simplicitate & tua sub oculis compendiosa annotatione volo colligere. Dixi, quia omnis res simpliciter simplex vna & vnum est. Non autem si vna, statim & simplex. Simplex enim respuit & refugit omnem prorsus admixtionem. Rem vero vnam conuenientia duo simul, vel plura aliquando faciunt, vt vnum corpus constans ex quatuor elementis. Ista, inquis, aut non intelligo, aut vos minùs attenditis. Malo me minus intendere, quàm te non intelligere. Tamen parumper attende, & de simplicitate si malè sensi, quia cœ-

H pisti, iterum corrige. Interim ipse vt decet consignatam tuis exhibens reuerentiam sensibus & sermonibus, meos etsi non verba sensus vallo veritatis communiam fortiùs. Omne igitur quod est, aut simplex, aut compositum est. Compositum autem aut substantiale, aut partiale. Substantiale, veluti cùm vna substantia alij substantiæ iungitur. Partiale, cum vnius substantiæ partes coniunguntur. Hoc autem compositum superiori simplicius est. Illud verò ex toto & naturaliter dicitur simplum, quod caret & substantiali & partiali compositione. Anima itaque, quia neque diuersarum substantiarum, neque eiusdem substantiæ diuersarum partium in se suscipit coniunctionem, naturaliter est simplex. Non enim ex prius existente aliqua materia creata est, vt respectu materiei suæ composita dici possit, sicut in omni corpore id quod factum est dicitur respectu illius quod de eo factum est, simplum: sed de nihilo facta catholicè creditur. Angelica verò natura quia hoc habet amplius, quod nullis subiacet corruptionibus, quemad-

modum

A modum anima ex coniunctione corporis, liberius euolat ad secretissimos simplicitatis recessus. In hoc etiam fere omnes Philosophi consentiunt, quod principium rerum est perfecta sapientia, lumen præclarum, substantia substantiarum, argumentum rerum vniuersarum. Id autem vnum & simplex, cuius simplicitas confert, non aufert simplicitatem, cui suam non negauit imaginem. Eo igitur in arce veræ & summæ simplicitatis illocaliter locato rationalis participat creatura. Fiunt autem magis & minus simplicia magis & minus eo participantia. Ideo namque simplex, immo simplicitas simplicium, sicut Deus deorum, in simplicitate iubet se quærere, cum simplicibus se dicit ambulare. Dat autem inuenire & habere, si quæratur quomodo iubet quærere. Aliter quærentibus, *quæretis*, inquit, *me & non inuenietis.* Quis

Ioan. 7. 3c.

itaque nisi in simplicitate non inuenitur, simplicitate autem simplicem fieri non dubitatur, quicumque eum per simplicitatem inuenerit participatione eiusdem simplicitatis simplicior efficitur. Inæquali autem propor-

B tione participantes inæqualiter inueniuntur simplices. Ipsa autem simplicitas in se vera & summa est vnitas. Sciendum verò, quia sicut aliud est participans, aliud participatum: sic etiam aliud simplex, aliud simplicitas. Nec habet lingua & ratio hominis, nescio si Angeli, idem esse simplex & simplicitatem, sicut nec album & albedinem. Noli, noli simplicitati nostræ, immo tuæ risum insimulare. De Deo enim nihil habes opponere, cùm quicquid ipse est legatur omnem sensum transcendere. Tamen quòd bonus, quòd pius, quod iustus, quòd simplex dicitur, figuratiua locutione accipitur. Vt enim Plato ait, *Deum inuenire difficile est, inuentum digne profari impossibile;* Nulla certè oratione, vel orationis parte, Deum potest aliquis describere, vel definire. Itaque de Deo nulla fiat appositio, quia ipse est omnium conclusio, nihilominus & exclusio. Ex eius stabili simplicitate sortitur ordinem, causas, & formas, vt Boetius testatur, omnium generatio rerum, cunctusque mutabi-

C lium naturarum progressus, & quicquid aliquo modo mouetur. Eius natura in sua simplicitatis arce composita, regendis multiplicem modum statuit. Potius ergo bonitas ipse, & participatione eius creatura bona, potiùs pietas ipse? & consortio pietatis creatura pia, potius denique simplicitas, & possessione simplicitatis dicatur creatura simplex. Eiusdem autem locutionis genere quo Deus iustus, & nos iustitia Dei appellabimur. Vide etiam vtrum bona similitudine vtatur Boëtius ad exprimendum non tantùm simplicem aliquem fieri, sed etiam simplicitatem ex strictissima connexione & societate simplicitatis. De prouidentia profectò & fato sic dicit: *Prouidentia est ipsa illa diuina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit. Fatum verò inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus.* Et post pauca. *Manifestum est immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse prouidentiam. Fatum verò eorum, quæ diuina simplicitas gerenda disposuit, mobilem nexum atque ordinem tempora-*

D *lem.* Inducta itaque similitudine paulo post subdit. *Nam vt orbium circa eundem cardinem sese vertentium qui est intimus ad medietatis simplicitatem accedit, cæterorumque extra locatorum veluti cardo quidam circa quem versentur existit: extimus verò maiore ambitu rotatus, quantò à puncti media indiuiduitate discedit, tantò amplioribus spatiis explicatur si quid verò illi se medio connectat & societ, in simplicitatem cogitur, diffundique ac diffluere cessat. Simili ratione quod longius à prima mente discedit maioribus fati nexibus implicatur.* Medium quod ait, siue media indiuiduitas puncti, intelligitur veritas & simplicitas Dei. Quod enim huic amori consociatur, in simplicitatem cogitur. Diuinæ igitur supernæque substantiæ, quibus & iudicium perspicax, & incorrupta voluntas, & efficax optatorum præsto est potestas, quid est quare non inhæreant illi summæ & vnicæ simplicitati? Cohærent procul dubio, & donantur largiori simplicitatis priuilegio. An ista recusas credere, & paras contradicere? Nequaquam, inquis,

E sed quod creatoris est, creaturæ nolo attribuere. Quare? quia æmularis Deum, sed non bona æmulatione. Quantum enim desipit, qui non à Deo collata munera propria vsurpatione rapere præsumit, tantumdem à pietate resilit, qui data negat, vel abscondit. *Nos*, inquit Apostolus, *non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Datum est enim omni corpori,

1. Cor. 11. 15.

vt sicut iam dictum est, compositione sit multiplex: animæ, vt carens partibus naturaliter sit simplex; sed propter limi societatem, subiiciatur vanitati, quæ est multiplex. Supercœlesti quoque indultum est creaturæ, vt vltra sensum humanum, sed citra diuinum, & naturaliter & simpliciter sit simplex. Tu verò corpus multiplex asserens, animam quoque comparatione corporis non per se simplicem astruens, transuolas ad supercœlestes, & ex gratia, non ex natura imitationem tantummodo simplicitatis indulges. O nimium simplex! For-

F sitan enim Angelus tuus hoc audiens irascitur, & quòd dona gratiæ & naturæ suæ commutaueris, indignatur. Nam ipse quidem nihil minores gratias agit creaturi naturæ, quàm daturi gratiæ. Gratia namque creatum, gratiâ beatificatum, gratiâ nouit se confirmatum. Ab eadem tamen gratia aliud in creatione, aliud meminit se accepisse in beatificatione, siue in confirmatione. Quod accepit in creatione, dona sunt naturæ: quod meruit in confirmatione, dona vocantur gratiæ. Igitur aut multiplex est Angeli natura, quod soli conuenit corpori, aut simplex, quòd tantùm spiritui. Quia autem nullum tertium est simplex, vt æstimo, concedas necesse est. Simplex itaque cùm sit natura, & vicinitate, vt ostensum est, ipsius summæ simplicitatis artiùs exprimatur, & imprimatur in ea tandem simplicitatis, non iam tantum simplex est, sed simpliciter, vt opinor, simplex. Ministrando namque assistit, & adhæret diuinæ simplicitati. Ipsa autem diuina simplicitas non naturaliter tantùm, non simpliciter tantùm, sed singulariter, & ineffabiliter simplex est. Iam cre-

G do satisfactum, quare dixerim, omnis res simpliciter simplex, vel quare dicere potuerim. Quod autem sequitur, vna & vnum; est inculcatio verborum. Tamen vt vel tenuiter sic distinguam, vna profectò est, quia vt Seneca testatur, diuinorum vna est natura, & nihil est diuino diuinius, cœlesti cœlestius, & Boëtius; quia eorum eadem est substantia, quorum diuersus effectus non est. Vnum idcirco, quia natura simplicium indissolubilis, diuersarum pluralitatem partium ad sui efficientiam non admittit. Quod enim ex diuersis partibus compositum est, naturaliter solubile est. Omne autem simplex & incompositum vnum est, & caret partibus resolutionis. Quæcumque igitur substantia tam simplex est & vna, prorsus non admiscetur, neque cum alia simplici & incorporea, neque cum multiplici & corporea. Nam vbicumque & quotiescumque substantiæ immiscentur, necesse est vt in se inuicèm commutentur & transformentur. Rerum enim quarumlibet

H coniunctio nisi in se se transfundantur, & à propria forma transformentur, copulatio vel adiunctio, vel aliquid huiusmodi, non autem admixtio, vel commixtio dicitur propriè. Vndè & Verbum assumptione carnis & indisiuncta vnione caro factum, ne substantiarum transfusio, scilicet carnis in diuinitatem adnihilatio, vel diuinitatis in carne substantialis exinanitio ab hæreticis persuaderentur, non commistionem passim dicitur, & ne rursum alius Dei, alius hominis filius crederetur, & vna in duas personas diuideretur, illico sequitur, neque diuisionem. Si noua, & ideo ceßa, me confingere arbitraris, & vera & vetera statim si places subiunctis rationibus comprobabis. *Non*, inquit Boëtius, *omnis in omnem rem verti ac transmutari potest.* Nam cùm substantiarum aliæ sint corporeæ, aliæ incorporeæ, neque corporea in incorpoream, neque incorporea in eam quæ corpus est mutari potest. Nec vero incorporea in se inuicem proprias formas mutant. Sola enim mutari transformarique in se possunt quæ habent vnius

A materiæ commune subjectum. Neque hæc omnia, sed ea quæ in se & facere & pati possunt. Idque probatur hoc modo. Neque enim potest æs in lapidem mutari, nec idem æs in herbam: nec quodlibet aliud corpus in quodlibet aliud transfigurari potest, nisi & eadem sit materia rerum in sese transeuntium, & à se & facere & pati possint, vt cùm vinum & aqua miscentur. Vtraque enim sunt talia, quæ actum & passionem sibi communicent. Potest enim aquæ qualitas à vini qualitate aliquid pati. Atque idcirco, si multum quidem fuerit aquæ vini verò paululum, non dicuntur immixta, sed alterum alterius qualitate corrumpitur. Si quis enim vinum fundat in mare, non mixtum est vinum mari, sed in mare corruptum, idcirco quod qualitas aquæ multitudine sui corporis nihil passa est à qualitate vini, sed potius in se ipsam vini qualitatem propria multitudine commutauit. Si verò sint mediocres, sibique æquales, vel paulò inæquales naturæ, quæ à se facere & pati possunt; B illæ miscentur, & mediocribus inter se qualitatibus temperantur. Atque hæc quidem in corporibus, neque omnibus, sed tantum quæ à se; vt dictum est, facere & pati possunt communi atque eadem materia subiecta. Omne autem corpus, quod in generatione atque corruptione subsistit, communem videtur habere materiam, sed non omne ab omni, vel in omni, vel facere aliquid, vel pati potest. Corporea verò, vel incorporea nulla ratione poterunt permutari, quoniam nulla communi materia subiecta participant, quæ susceptis qualitatibus in alterutrum permutentur. Omnis enim natura incorporeæ substantiæ nullo materiæ nititur fundamento. Nullum verò corpus est, cui non sit materia subiecta. Quod cùm ita sit; cumque ne ea quidem, quæ communem materiam naturaliter habent, in se transeant, nisi illis adsit potestas in se & à se faciendi ac patiendi, multo magis in se non permutantur, quibus non modo communis materia non est, sed cùm alia res materiæ fundamento nititur vt corpus, alia omnino materia subiecta non egeat C vt incorporeum. Non igitur fieri potest vt corpus in incorporalem speciem permutetur; nec verò fieri potest vt incorporalia in sese commixtione aliqua permutentur. Quorum enim communis nulla materia est, nec in se verti ac permutari queunt. Nulla autem in incorporalibus materia rebus. Non poterunt igitur in se inuicem admisceri, vel permutari. Iure igitur simplex res refugit omnem commixtionem, quia nullam in quamlibet creaturam recipit commutationem. Item quod a nobis ponitur, sumptum à nobis: rem autem vnam duo simul vel plura conuenientia aliquando in sese recipere, & conuertere vt vnum sint, in exemplari quod manibus meis scripsi, sic habetur. *Rem vero vnam, conuenientia duo vel plura aliquando faciunt, vt corpus vnum constans ex quatuor elementis.* Hic nullius cauillationis locum aliquatenus animaduerto, & ideo respondere parco. Itemque intulisse me scribis, Deum magis propriè ex simplicitate quàm vnitate. Miror calumniam. Nonne enim statim subiunxi, nihil de Deo propriè dici. Iam D quia, mi dilectissime, dulcedo viscerum meorum, lumen amicorum meorum pro me satisfeci: epistolæ tuæ sententias quasdam digna inuectione corrigendas, & luna correptionis explanandas, partim contemplandas reperi. Quid dicis, amor? Placetne quod loquor? Gratiamne tuam persequor? Quod vis iube, & faciam. Clauem oris mei custodi, ne læsio prorumpat amici. Constringe fauces maxillarum, ne profluant iocos Sirenarum. Aperi tamen aliquando labia, vt excludam grauamina mea. Nicolaus enim tuus, immo noster gratias superuacuas agit gratiæ, vt asserit, meæ, quia verba, inquit, nostra vel ex parte recipitis, receditis autem in omnibus à c Claudiano. Iudica, iudica iudicium meum, amor iuste. Quid enim? Pene neruorum & venarum fila nimiæ inflationis protensione intensa rumpuntur. Protestando iurant & contestantur intellectus, ratio, & memoria falsum contra se latum testimonium. Vix patientiam persuadeo. Amicus est, inquies, facetus: lepido iocorum sermone vrbanus. Sine itaque, & disceptatione inextricabilem E labyrinthum nationibus suis intexentem, & nunc quidem qua egreditur introeuntem, nunc verò qua ingreditur exeuntem sustine, complicata eius explica, malè explicatata replica. O dulcissime! dormiebas quando epistolam nostram legebas? Fortè eras occupatus, & ideo non es culpandus. In hoc tamen inexcusabiliter culparis, quòd gratiarum tuarum nimium prodigus, dum malè locas perdis. Illas meas enim gratias vbi deprehendisti; quibus ingratiosè gratias agis. Sed quid miror te mirabili & inaudita nouitate granam quæ non est gratia asserere, cum mutandi & permutandi rerum & verborum proprietates auctoritate iam pristina cœperis pollere? Quid nô faciat d Nicolaus, qui de nigro factus est albus? Credo ista doctus & edoctus auctoritate, verba quoque & sensus verborum præsumis quandoque inuertere. Nigredinem tamen pristinam somniasti, vbi me à Claudiano dissentire notasti. Nempe sermonibus acquieui & acquiesco tuis, in parte contradixisti & contradico. F Vbi enim corpus viuere, animam viuam, Deum vitam esse negaui? Nusquam crede mihi, nusquam. Tantummodo enim assignationes proprietatum quas subiunxisti, viuens videlicet ex vanitate, viuum ex simplicitate, vitam ex vnitate aggressus sum reprehendere. Sed monachum illum, qui cum amico in epistolæ tuæ principio contendebat & reticens, has iam præ tædio emittere audio voces. Vtilius, inquit amor, claustra oris continuissemus, quàm rescribendo tot exundantium impetus torrentum incurrissemus. Redundant enim torrentes vanitatis, & distillant ab ore amici nostri sermones superfluæ garrulitatis. Totus profluit & perefluit. Silentia nostra confundit; consuetudinis nostræ morem & ordinem conturbat & concutit: ad pomposa & superflua quæque improbitate sua, si acquieuerimus, prouocat & attrahit. Deinceps itaque noli scribere.

N O T Æ

G a *Suo suus.*] Nicolao monacho Clareuallensi, qui & ipse ad Petrum nostrum scribens, eadem vtitur inscriptione epistola XLIX. Nicolai epistolis insertæ sunt mutuæ epistolæ Cellensis, & quidem recto ordine, quæ hic præpostero leguntur. Prima enim fuit Nicolai quam dixi epistola XLIX. *Nuper cùm Aquilonaris*, cui noster ea rescripsit, cuius initium. *Bestia quæ tetigerit montem.* Tum secuta est Nicolai altera numero LII. *Anxietatem mihi generat*, ad quam Petrus hac epistola respondet; quæ apud Nicolaum quoque edita est, sed dimidiata.

b *His nostrum*] Deest membrum, quod apud Nicolaum antecedit hoc modo: *Istæ procul dubio continent epistola tua prima, media, & vltima. His nostrum torpeus, &c.* Sunt & diuersa quædam alia non aspernanda: tum maximè sub finem epistolæ sequentis.

c *A Claudiano*] Mamerto Claudiano Presbytero Viennensi, cuius verba ex libro III. de statu animæ ad refellendum Cellensem produxerat Nicolaus epistola III.

H d *Nicolaus de Nigro F. E. Albus*] Ex Cluniacensi monacho Cisterciensis. Nicolaus ipse epistola XVIII. ad Theobaldum eiusdem olim consilij participem: *Vno denique consensu reliquimus omnia, & de veteri testamento & vmbra Cluniacensium, ad Cisterciensium euolauimus puritatem.*

EPISTOLA II.

Suo suus.

BEstia quæ tetigerit montem lapidabitur. Cacumina, dilectissime, litterarum tuarum in tantam nubium densitatem subleuata sese recipiunt, quòd vix conatibus difficillimis acumen luminum meorum quoquo modo admittant. Nunc enim volas & peruolas in sublimitate cedrorum; nunc nidificas in altissimis cauernis

materiarum,

maceriatum, nunc ambulas super pennas ventorum, nunc denique curris & discurris incomprehensibiliter super montes aromatum. Siue inuenias semitam per quam ambulauerit homo, siue non inuenias, non multum curas. Nec mirum. Nam tuus ille ceteris familiarior Seneca, hominum ingenia per tria diuisit genera. Primum ponit vt tuum, vias sibi aperire, & quæque remota vi propria penetrare. Secundæ sortis ingenium non adeo ingenuum, quod præire nescit, sequi tamen non intumescit. Infelicioris tertium fortunæ dicit, quod nisi coactum, manu tractum, currui impositum, ab inertia sua minimè concalescit & exilit. Huic me larga manu natura, primum & etiam secundum mihi inuidens ingenium, quam adstrictissime ni fallor obligauit, & funiculo suæ dimensionis in hæreditatem præclaram confirmauit, sigilloque communiuit. O dolor! Tibi quidem oculo nequam nequaquam inuideo; attamen mihi condoleo, quia quanto sors tua meæ vicina relucet splendidior, tanto ipsa sublucet obscurior. Dum ergo repagula ori induxisti, dum oculis dormitationem indulsisti, dum manum ad pharetram non adduxisti, magna majorum celeritate verborum effabar, perspicacitate ingenij non adæquabar, locupletem scientia scripturarum me arbitrabar. At vbi fulgurare cœpisti tonitrua sententiarum, vibrare jacula argumentorum, pluere monita dulcium exhortationum, tardior lingua, sensu pauperior, stylo rusticior inuentus sum. Video igitur paupertatem meam, mirantem, non migrantem in abundantiam tuam, suspicientem non suscipientem scientiam tuam. Confortata est, & non possum ad eam Quanta enim putas profunditate, caligine, obscuritate recondatur, corpus est viuens, anima viua, Deus vita? Demum abyssus abyssum inuocat. Viuens, inquis, ex vanitate, viuum ex simplicitate, vita ex vnitate. Hic, hic tenebræ, hic vmbra ex nube, nubilosus aër in meridie. Sed quæ culpa solis, si non illuminor priuatus oculis? O dignum fortasse inquis, risu hominem, qui diem noctem, vmbram lucem, tenebras autumat solem? Neque inquam solem, neque diem, neque lucem, sed plane palpabilem offendo obscuritatem. Cùm enim corpus ab anima, animam a Deo, Deum vitam habere à semetipso irrefragabiliter credatur, nonne & si rusticius, tamen veriùs diceretur, corpus viuificatum ab anima, animam viuificatam à Deo, & viuificantem corpus, Deum omnia viuentia viuificantem, in se & ex se viuum & viuentum? Sed rursum quid est corpus viuens ex vanitate? *Corpus*, inquit Apostolus, *mortuum est propter peccatum.* (Rom. 8. 10.) Quod ergo Apostolus mortuum vocat propter peccatum, tu viuens dicis ex vanitate? An non vanitas peccatum? An idem simplici sensu intellectum operatur mortem & vitam? Odit Deus obseruantes vanitatem. Dilectio autem Dei viuificat, odium mortificat. Non ergo est aliqoid viuens ex vanitate, sed ex veritate. Quod factum est in illo, id est, Verbo veritatis, vita erat. In se & ex se profecto creatura nulla terrestris vel supercælestis vita est, cùm tamen in illo vniuersa siue viuens, siue vita carens, vitam suam habeat. Addis viuum, id est, animam ex simplicitate, vitam, id est, Deum ex vnitate, istis non sic in spiritu vehementi offendor, sed nec penitus assentio. Nam anima ex vnitate immortali & indissolubili, sicut & Deus suo singulari & alio modo immortalis est & indissolubilis, ex nihilo creata esse creditur. Idcirco namque ad imaginem & similitudinem suam creauit eam Deus. Per hoc etiam quod per omnes particulas corporis tota simul adest, nec minor in minoribus, nec in maioribus major, sed tamen vt Augustinus testatur, in aliis intensiùs, in aliis remissius effectus suos exercet, cùm in singulis particulis corporis essentialiter sit, vnitati magis, quàm simplicitati obnoxia perpenditur. Omnis enim res simpliciter simplex, vna & vnum est. Non autem si vna, statim & simplex. Vnde dicitur Deus simplex, non ob aliud, teste Isidoro, nisi quia non est aliud ipse, & aliud quod in ipso est. Rem vero vnam conuenientia duo simul vel plura aliquando faciunt, vt vnum corpus constans ex quatuor elementis. Anima itaque quamuis diuersarum compactionem partium in sui confectionem non recipiat, quia tamen aliud ipsa & aliud in ipsa est, secundum auctoritatem prælatam, potius ex vnitate, quam ex simplicitate conuenit ei esse. Hac etiam eadem rationis demonstratione Deus ex simplicitate dicitur magis propriè, cùm pene nihil aut prorsus nihil de eo dicatur, nisi impropriè. Quid enim est quod dicitur Deus ex vnitate vel ex simplicitate, nisi Deus ex Deo, pater scilicet à semetipso, filius à patre, Spiritus sanctus à patre & filio? An desipit ita quispiam, vt participatione simplicitatis simplicem, participatione vnitatis vnum, participatione bonitatis bonum existimet Deum, sicut sapiens participatione sapientiæ efficitur homo, & cetera huiusmodi? Quicquid in Deo est, Deus est: sapientia in Deo est, & Deus sapientia est: potrotia in Deo est, & Deus potentia est: bonitas in Deo est, & Deus bonitas est. Non magis ergo Deus ex vnitate, quam ex simplicitate. Iam extorsissem digitis stylum, & oti meo imperassem tempestiuum silentium, si non decreuissem expirare hic quicquid de amico remordet animum. Duriùs siquidem pungitur cor meum, dum vspiam pingitur filius medius inter patrem & spiritum. Prorsus idolum abominationis conflaret, qui sculptile quodlibet sic sculperet vel depingeret. Consubstantialitas enim, coæternitas, coæqualitas vnius Trinitatis & trinæ vnitatis, Patris, ac Filij, ac Spiritus sancti, non recipit prius ac posterius, maius & minus, inferius & superius: sed totus pater in toto filio, totus filius in toto patre, totus Spiritus sanctus sigillatim & communiter in vnoquoque & in vtroque simul. Hæc sancta & semper cum tremore nominanda Trinitas, vbique tota per essentiam & potentiam, non per gratiam diffusa, non spatiosa magnitudine, quemadmodum lux visibilis, vel aliud visibile, sed sicut sapientia in homine. Vides enim duos homines, vnum paruum & alium magnum corpore, in sapientiæ tamen participatione æquales esse. Sic diuina essentia vniformis & vniusmodi est & in maximis & in minimis. Sicut denique incomprehensibilis pro sui immensitate, sic etiam indiuisibilis pro sui simplicitate. Intelligamus, inquit Augustinus contra Arrium, Deum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine commutatione mutabilia facientem, nihil patientem. Iuras, credo, sic te nec aliter credere vel credidisse. Profestor & ipse in fide mea, si lingua quia in vdo est errauit, corde sic tenuisse. Simplex enim res refugit & respuit omnem adiunctionem, omne consortium. Ne diu tamen à cogitationibus conturberis, reuoluens vbi hoc dixeris, in sermone de sancto Victore scribis. Vbique autem est in medio. Nam & in illa deitatis essentia est medius filius inter patrem & spiritum. Meminisse debes nunc, quia mediator vnius non est: Deus autem vnus est, pater & filius, & spiritus sanctus. Quod si creatum, non increatum spiritum, ideo quia sanctum non subiunxisti, intelligendum aliquis æstimat, regulam Hieronymi de significatione huius nominis penitus ignorat. Vbi, inquit, spiritus sine adiunctione aliqua in scripturis ponitur, Spiritus sanctus rectè intelligitur. Si autem intellector iam dictus de creato spiritu dictum prorsus contenderit, nec minor abusio, quam de increato superius ostensum est remanebit. Qui enim pugillo concludens omnia, extra & intra, infra & supra est, qua ratione medius dicatur, qui comprehendet nemo est. Clamitas, totum me effudisse spiritum meum. Quid tu? Cùm tibi effundo, non effundo, sed infundo.

A

EPISTOLA III.

Nicolao suo Petrus suus.

MIrabili conditas sapore litteras auiditati meæ componitis, quotiens scribitis. Vt enim veraci amico veraciter loquar, illud pene propriè proprium apud me habent, *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* (Eccl. 24. 29.) Ipse autem & si imperitus sum stylo rescribendi, non tamen scientia redamandi. Scio quem amare debeam, quare, & quantum, & quandiu. Quem, nisi seruum Dei, nisi qui diligit iustitiam, & odio habet iniquitatem, nisi denique qui in Deo manet & Deus in eo? Quare, nisi quia conseruus, & frater est, nisi pro quo Christus passus est? Quantum, nisi quantum me filius Dei, quantum me ipsum, quantum manus oculum? B Quandiu, nisi vsque ad mortem, nisi vsque in sæculum sæculi, nisi vsque in æternum & vltra? Generaliter sic afficiuntur qui non quæ sua sunt quærunt, sed quæ IESV CHRISTI, qui pleni caritate & dilectione in cubilibus & in hortis aromatum in meridie cubant & pascunt. Isti sunt tui, immo mei Clare-vallenses. Hi sunt qui non sicut ille negaturus IESVM à longè sequuntur, non sicut alij appropinquantes stant, vel ab eo recedentes post Satanam redeunt: sed sindone reiecta nudi post nudum ambulant, agni vestigiis inhærentes ad cœlum transuolant: & donec ad sedentem in throno accedant, & regi opera sua dicant, super montes aromatum transilire properant. Hi sunt cerui montium, capreæ camporum, hinnuli syluarum. Denique ipsi sunt lilium conuallium, cedri libani, oliuæ huberes in domo Dei. Pulchræ sunt genæ eorum absque eo quod intrinsecus latet. Amplior virtus quàm fama, flamma non tanta quantus ardor, laus eorum confortata est; nec possum ad eam. Verè & tu ex illis es. Nam & loquela tua & C opera manifestum te faciunt. Si ergo vt prædixi mutua dilectione adinuicem specialiter afficimur, & quis & quare, & quantum & quandiu, firmiter conseruabimus. Pene tanquam oculis captus non attendens, quis & cui scribam. Qua enim fronte insipientiam meam, turpitudinem meam, tarditatem meam non abscondo, non operio, non celo? Et si oculis insipiantium illudo, capreæ & lincei oculos sic quoque decipere posse præsumo. Sed ne decipiaris, plus in me aliquid quam audis sensus & ingenij suspicans, prorsus aperio paupertatis meæ inopiam. Nempe quia fodere non valeo, mendicare erubesco. Aperi igitur manum, resera os, vt parturiat sapientiam. Quæro autem, quid sit quod ait Hieronymus in Epistola ad Rufinum, exponens indicium Salomonis super quæstione duarum meretricum, Tertia die postquam ego peperi, peperit & hæc. *Si consideres*, inquit, *Pilatum lauantem manus atque dicentem,* Mundus ego sum à sanguine iusti huius: *si eos qui ante passionem per Philippum dominum videre desiderant: haud* D *ambige primam peperisse Ecclesiam, & postea natum populum Iudæorum, pro quo Dominus precabatur*, Pater ignosce illis, &c. De centurione, & de his qui Dominum videre quærunt, quod Ecclesiæ filij sint, non tam durum mihi videtur: sed de Pilato prorsus incredibile æstimo. Sequitur in eadem epistola: *Nulla*, inquit, *dubitatio est, quin cuncta quæ dicuntur, non Salomoni mortuo, sed Christi conueniant maiestati. Simulat ignorantiam, & humanos pro dispensatione carnis mentitur affectus*, &c. Si Dominus noster IESVS CHRISTVS quicquid humanæ naturæ est præter peccatum assumpsit, & humanos affectus non fallaciter, sed veraciter habuit; quomodo ergo mentitur humanos affectus?

E

EPISTOLA IV.

Suo suus semper suus.

STella quandoque de cœlo ad ima videtur, sed oculis insipientium defluere: coagulis tamen naturæ, & diuini clauis mandati, sic defixa in æternum cœlo adhæret, vt sicut priùs liber idem cœlum conuoluatur, quàm stella ab ipso diuellatur. Sic sic, mi carissime, ex quo Deus in firmamento cordis nostri stellam amoris mutui impressit, etsi fefellit oculum ignorantia leges amicitiæ repentina scintillatio instabilis fortunæ, non tamen cessit aut decessit igniculus stellæ. Vnde & tunc, cùm quasi lædebam, non quasi sed reuera diligebam; & cùm auertebam oculum, non auertebam animum. Deo autem F gratias, quia in plenilunio suo reformata denuo, quasi viribus resũptis radios primos solitò splendidiores, tanquam in inuidia prioris defectus, amplificato affectu remisit, Procul iam deinceps sit, tam noctis tenebrosa interpellatio, quàm diei nubilosa caligo. Sed de his hactenus. Quia vero minus iacula feriunt quæ præuidentur, mando & moneo, vt caueas tibi à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Apud nos enim quædam de te disseminata sunt, quibus fortè nisi clypeum cautæ prouisionis opposueris, lædi in curia poteris. Summi nempe quidam viri cuidam, de curia qui apud nos est, vt ipse audiui, insusurrauerunt te de curia dixisse quædam inhonesta, & te falsum Legatum domini Papæ in his partibus gessisse Quæ nescio vtrum sint magis falsa, quàm maligna, vel è conuerso. Sapiens es, esto tibi in his sapiens. Valete.

EPISTOLA V.

G

a *Suo suus semper & vnicè suus.*

ECce in cineribus beati Aigulfi cum beato Iob lugens & dolens, debeóne studere verborum elimatis splendoribus, exquisitis facibus? Qui nimio, iuxta viscerum commotionem, lugubri, vt sic dicam, & fumoso sermone afflictum repræsento animum. Mi carissime, curro & discurro quasi vagus & profugus, si fortè dispersos cineres à quatuor ventis cœli recolligere possim. Hinc est quòd non cineres, sed fruges pretiosas, etiam vbi non seminaui, videlicet de Anglia, metere volo. Manipulos etenim eleemosynarum gentis illius vt metat beatus Aigulfus, iniungo Quid mea interest falcem extendere, vbi nunquam vel Arare potui, vel seminare? Sed non vsquequaque absurdum est quod facere propono: quia etsi terram illam non colui, ne tamen quasi areolam aromatis pro tempore conseui bonis speciebus, cum meum fuisti, cùm tecum habitaui, cùm te amaui cum te retinere promerui. O bone Deus! quam feliciter prosperata est bona ista area, immo pinguissima oliua! quomodo sursum germinauit! & radicem deorsum H misit! quomodo ramos suos extendit! quomodo iam iam replentur famelici de fructu propaginum eius! Gustaui & vidi, quia bona est pinguedo eius, & fructus eius dulcis gutturi meo. Non est conuersa in amaritudinem vitis alienæ. Iam in vmbra eius quam desiderauetam sedeo: iam vmbracula eius ab æstu, à turbine & à pluuia me defendere sufficiunt. Dies illa sit benedicta, hora nunquam pertranseat cum defectu temporis, qua Ioannem meum feci, qua talem & tantum amicum in filiis hominum apprehendi. Tibi Deus custos animæ meæ, tibi commendo illum, tu ei vitam, tu bonam vitam, tu prosperitatem dones, tu inter brachia tua, tu sub vmbra alarum tuarum semper illum conserues. Quid enim melius optari potest amico? vt nihil aliud quæram vel mihi, vel amicis meis, isti quos nunc aspicio cineres manent. b Retro paululum laquearia, trabes, postes, & ligna robusta erant, qui modo puluis te-

nuissimus

A nissimus & cinis vilissimus est. O mundo, aut res mundanæ quid estis? Immo quàm vanè nos decipitis? Certè non estis quod esse videmini. Certè videtur in vobis pulchritudo aliqua, dulcedo, & vtilitas; sed veritate requisita neque pulchritudo, neque dulcedo, neque vtilitas vera est in vobis. Vera est, vera est de vobis sententia, quia cum sit in vobis vanitas, cor vacuum facitis, quod possidere poteritis. Sed de his hactenus. Vt ad rem accedamus, scito amice quia pretiosum martyrem Aigulfum in vase non vili ecce ad peregrinandum in egestate sua destinamus. De manu mea in manum meam illum depono. Quodcunque volueritis quodcumque disposueritis de nuncijs, ratum habeo. Generalem administrationem & curam in his amicitiæ tuæ assigno.

NOTÆ

B a *Suo suus*] Ioanni Satesberiensi, ad quem & septem proximæ, atque alia passim complures. Huic enim arcta & vetus cum Petro Cellensi necessitudo, à quo exul olim monasterio receptus, benigneque habitus, & moltis postea beneficiis auctus est: quibus obnoxium se Ioannes varijs ad eum litteris profitetur, sed precipuè epistola XXCV.

b *Retro P. Laquearia.*] Ecclesiæ S Aigulfi Pruuinensis, quæ conflagrarat, vt dictum est lib. 1. epist. XVIII.

EPISTOLA VI.

Frater Petrus Magistro Ioanni.

FAuus distillans labia tua, mel & lac sub lingua. Vt vidi litteras tuas, cor meum iubilo, os meum impletum est risu. Miscuisti siquidem iocos serijs, sed C temperatos & sine detrimento dignationis & verecundiæ. Sales tui sine dente sunt, ioci sine vilitate. Sic decurrit oratio tua, tanquam illa quæ aliquando nubes capite tangit, aliquando autem vultum in terra demittit. Inuenit hæc gratiam in oculis meis; mecum manebit, & apud me tota nocte erit. Est namque vox tua dulcis in auribus meis; & monitus tui satis amabiles in faucibus meis. Insurgit autem sæpe ventus contrarius, imbrium turmæ quatiunt domum, & bruchus, locusta, eruca, & rubigo hortuli mei areolas deuastare tentant. Sed Angelus magni consilij surgit de naui, & facit tranquillitatem ventorum, serenitatem nimborum exterminationem inutilium verminum. Cùm enim Deus pro nobis, quis contra nos? Sunt certè mortis pericula, sunt in deserto serpentium venena mortifera, sunt prorsus amaritudines aquarum: sed serpens æneus, sed virga Moysi, sed columna nubis per diem; & ignis per noctem, amarum vertit in dulce; eripit à morte, liberatque à morso. Sumus quasi nihil habentes, & omnia possidentes, quasi morientes & ecce viuimus. Hæc consolatio mea in loco D peregrinationis meæ, quia nihil intulimus, in hunc mundum, sed nec quid auferre possumus, quia volucres cæli non serunt, neque metunt, & tamen pater cœlestis pascit illa. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cùm duabus turmis regredior. Cùm denique via sit breuis, locus prope quo tendimus; quare tot onera humeris debilibus imponimus? Quare incassum multa portamus? Certè si dominus Deus fuerit mecum in via ista, qua ego ambulo, non deerit mihi panis ad edendum, & vestimentum ad induendum. His paucis natura contenta erit. Tu autem, pars magna deliciarum mearum in te opes meæ, tu capitis mei reclinatorium aureum, vtinam corporum eadem semper mediante Christo propinquitas esset, quæ animorum. Nolo vt piger sis, non valens manum ad os mittere, id est, bonum quod doces facere. Deliciosus enim & improbus monitor est, qui in eo quod alium docet, seipsum non docet.

E

EPISTOLA VII.

Magistro suo I. de Saresberia suus Abbas Cellensis, quicquid melius est in vita præsenti siue futura.

MOre sitientis sub æstu, & præstolatione diu desiderati potus iamiam supra modum fatigati, vasculum litterarum tuarum amanter suscipiens, ardenter relegens, frequenter resupinans, & quasi noui gustus iteratione in dulcedinis abundantia ad fundum vsque ebibo. Duplicatur, immo triplicatur legentis affectus, vbi materia gratitudine dilecti animi & styli iocunda lepiditate optatam narrationis seriem profert. Sensibus philosophicis quæ scribitis condiuntur, rhetoricis coloribus vestiuntur, decentissimis legum ornamentis decorantur, F columnis Euangelicis fulciuntur, & quod ad amicos attinet, mellito sapore decentissimè dulcorantur. Si lucrum quæro sententiarum, si doctrinam, si voluptatem, si verborum iuncturam, si amoris veritatem & dulcedinem, in litteris tuis hæc omnia abundè reperio. Nauis ibi ad natandum, hortus deliciarum ad deambulandum, mensa plena & parata ad conuiuandum, lectulos floridus ad quiescendum gymnasium ad Philosophandum. Non est idolum mendacij, non fallaciæ lenocinia, non denique adulationis profunda vorago, non lasciuiosè diffunditur ab exigua cordis vena verbum promissiuum iuxta illos qui dicunt & non faciunt. Sed quid? latior in corde, rarior in ore amor, ardet in fumo, currit sine spuma: moues alas, sed silenter: petit ima, sed tam sublimiter pro animi generositate, quàm fortiter pro integritate Accedit, sed non incendit. Nam calorem facit, sed non cinerem. Finem quidem nouit, sed cum termino consummationis, non consumptionis. Qualem loquor scribendo amorem, talem in amicum cogito, immo recognosco. G Felix anima mea, quæ talem peperit, vel saltem reperit amicum. Domine Deus cordis mei, tuus erat Ioannes, & mihi eum dedisti. Proinde tuus sum ego, dicam amicus? vtinam, vel seruus: certè seruus, sed emptitius. Siquidem redemisti me, dando pro me filium tuum: profectò & emisti, dando mihi famulum tuum. Præcipua hæc inter cætera beneficia, quæ & si modo reticeo, non tamen prætereo, non denego, non obliuiscor. Nam & ipsa consignata sunt in thesauris memoriæ, consepelio ad conuiuendum & ad commoriendum. Sine his enim nec viuere valeo, non mori volo. Ad Ioannem meum accedo, quem à manu gratiæ accepi, tanquam gratiam à gratia, sed tamen non pro gratia Vacuum namque gratia inuenit me gratia, denique ad plenum. sed culpa & pœna. Iam pœnam extenuare, culpam verò euacuare cœpit, cum Ioannem in amicum subrogauit, qui nescientem instrueret, laborantem iuuaret, errantem corrigeret, pigrum excitaret, exulantem foueret, dolentem releuaret. Quem respiciunt hæc munera? Te domine H Deus, summè & principaliter: te carissime amice, secundario & multipliciter. Sub modio humilitatis nostræ aliquando latuisti, iam lucerna ardens quidem conscientiâ, sed non adeo lucens famâ. Posuit autem te Dominus in lucem gentium, vt sis oculus cæco, pes claudo, lingua stulto, manus manco, auris surdo, vt secundùm nomen tuum gratia in prædictis suppleat quod natura minus poterat. Profectò licet doleat absentiam tuam; tamen in his consolabitur anima mea, iura publica non ignorans præferenda priuatorum vtilitatibus. Sic cœpisti. Caudam appone in sacrificiis Dei tui. Hoc iuxta capellam scripsi sancti Aigulfi, tibi opportunitatem nuncij tui nunquam fraudari volens, quod aliquid rusticitatis nostræ ad rusticandum mittam. Cras in decentissimo tumulo, videlicet capsa noua, reponituri sacratissimum corpus domini nostri Beati Aigulfi, cuius caput & corpus habemus. Vale.

A

EPISTOLA VIII.

P. Dei gratia Cellensis monastery dictus Abbas, Ioanni amico suo à Deo totius consolationis consolari.

QVæris frater, à me scripta exhortationis, parum pensans torrentes nostræ occupationis. Quæris inquam consolationem, quia sentis desolationem: postulas auxilium, quia portas exilium: imploras remedium, quia ploras disidium. Quis ergo ego sum, qui tibi scribere possum vnde fouearis, vnde conforteris, vnde consoleris? Orare quidem pro te vix possum, perorare nullo modo possum. Filius verò olei, qui conceptus est de Spiritu sancto, quem vnxit Deus præ participibus suis, cuius nomen effusum CHRISTVS IESVS, venit vt ipse dicit, consolari lugentes Sion.

B

Vtinam secundum multitudinem dolorum tuorũ consolationes eius lætificent animam tuam. *In tribulatione*, inquit, *sua mane consurgent ad me.* (Ose. 6. 1.) Et tu IESV quid? quousque auertis faciem tuã? quousque non profers manum de sinu? quousque nubem opponis, ne transeat ad te oratio nostra? Tempus est miserendi. Conuertere, respice, & deprecabilis esto. Da auxilium de tribulatione, erue ab oppressione, protege à tentatione. Filij hominum cui supplicare habent, nisi filio hominis? quem interpellare, nisi mediatorem Dei & hominis? vbi confugere, nisi ad patibulum crucis! Hic, hic, turtur, pullos suos reponit, vultur audaciam ponit, columba gemitus promit. Hic botrus Cypri, flos campi, odor lilij, flumina paradisi, porta cœli, salus mundi. Ecce portus, vbi potus vini mixti, vbi cibus panis in ligno crucis decocti, à patre signati. Vbinam tanta oculorum delectatio, tantumque aurium melos? Iuxta figenda sunt castra, nec infra remanendum: nec vltra progrediendum.

C

Hic compone mores, depone mœrores, appone tuos amores. Nusquam alibi propitiatio, non propitiator, neque Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. Oblitus ne es Abraham ad ilicem Mambre Angelos vidisse, sub arbore malo sponsum sponsam suscitasse omnem aquarum amaritudinem tactu ligni in dulcedinem Moysem conuertisse. Omnibus itaque molestiis carnis, infestationibus antiqui hostis, machinationibus omnimodæ malignitatis oppone clypeum crucis. Manus Domini quæ tetigit te, recordare quia ipsa est quæ creauit te. Nunquid lutum dicit figulo suo quare fecisti sic? Loquere potius in amaritudine animæ tuæ; & dic Deo: Misericordissime domine, & pater misericordiarum, posito in labore hominum da requiem Angelorum, eiecto à facie terræ da ingressum supernæ patriæ, consolatione destituto humana, adsit diuina. Vsque ad sedentem in throno vox hæc euolabit, si non doloris impatientia, vel cordis insipientia illam retardauerit. Equidem, frater, dolores apprehenderunt te inter angustias. Quid mirum? Non est, inquit IESVS, dolor sicut dolor meus.

D

Quare? Quia non peccaui, & pœnam peccati tolero; quia non rapui, & soluere exigor. Immo, non est dolor sicut dolor meus, quia seruus emptus contemnit pati, quæ sustinet dominus eius. Filij hominum vsquequo graui corde? Nonne cùm essem dominus factus sum seruus? cùm essem impassibilis, factus sum passibilis, mortalis cùm essem immortalis? Vt quid fœnum recusat, quod cœlum, immo dominus cœlorum portat: Ex hoc mundo IESVS transiuit, & fœnum manebit? Cœlum quoque & terra transibunt, & cinis & puluis habitabunt! Propterea, frater consoletur te flagellum inundans, immo mundans. Hæc inquam tibi sit consolatio, vt affligens te manus Dei non parcat. Sic ad purum scoria tua excoquatur, vt anima tua nunquam: ex auro obrizo cœleste vas cœlesti forma formetur. Filius fabri sedet conflans & emundans argentum: & aliud quidem vas facit in honorem, aliud in contumeliam. Vis videre vas in honorem? Ad tertium cœlum rapitur Paulus vas electionis. Vbi ab vbertate domus Dei inebriatus exclamat, O do-

E

mine calix tuus inebrians quàm præclarus est? Sic inebriatus nec verberibus cedit, nec flagellis, nec plagis, nec doloribus, nec mortibus. Hic Ioseph scyphus est, in quo augurari solitus, præterita, præsentia, & futura genti suæ enuntiat. Ioannes Euangelista nonne regressus à cella vinaria, exfæcatum nobis vinum propinat. *In principio*, inquiens, *erat Verbum*, &c. (Ioan. 1.) Ecce vas in honorem. Vasa quoque stulti pastoris vasa sunt contumeliæ, in quibus vini sapor in saporem vertitur aceti. Hæc exsufflantur à mensa regis, quia inflantur scientiâ carnis: hæc inquam per superbiam inflantur, per inuidiam siccantur per iram crepant, per acediam franguntur, per auaritiam disperguntur, per gulam inficiuntur, per luxuriam conculcantur, & in lutum rediguntur.

EPISTOLA IX.

a *Suo clerico suus Abbas.*

F

TIbi an occupationibus tuis visitationum tuarum raritatem imputare debeam, non planè discerno. Hoc vnum perpendo, quòd litterarum tuarum ad nos rarissima peruenit salutatio. Et fortassis fluctus marini hoc faciunt? Sed quis absorbuerunt? Ostende mihi chartam caritatis deperisse, & non me causabor oblitum fuisse. Rursus quem mittas non habes? Et vnde hæc inopia, nisi fortè ex copia? Certè ante te currunt plures, post te innumerabiles. Dicis huic, vade; & vadit & alij veni, & venit. Ignoras quo me requirere debeas? Planè in medio populi mei ego habito, non in secessu syluarum, non in voragine terrarum. Potesne te excusare & dicere, Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio? Sed hic, tu mecum frequenter sedisti, dormisti, fuisti: taceo quod aliquando præ multis aliis locis & terris dilexisti. His verborum nexibus alius quilibet irretitus & illaqueatus cessante excusationum suarum ratione humiliter misericordiam peteret, & patientiam imploraret.

G

At tu cornu legum siue dialecticarum argumentationum armatus, velut fila araneæ ista contemnis, & alia exire via contendis. Est, inquis, mihi dominus, sunt & alij amici, quibus trahor, vel necessitate obedire, vel caritate prouidere. Bene. Nonne priùs & plus omnibus amaui? Nonne dextras societatis & ipse dedi? Equidem tibi fœcundiora lucra apud alios reperisti, sed non fidem; sed non amorem. Plus quidem donare, non tamen plus possunt amare. Communicaui namque tibi non solùm substantiam, sed & animam. Non est occultatum os meum à te, non consilium, non denique quantumlibet remotissimum arcanum. Et tibi post hæc, fili mi, vltra quid faciam? Addam si addi potest ad animam. Quid, inquis, quæris? Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, non eruendum, sed impendendum, non extrahendum, sed conseruandum. Ad dominum Papam appellatus pro cœmiterio sancti Sereni de Cantumerula, quod imminuere, vel auferre nobis nititur Canonicorum & Abbatis nimis præsumptuosa superbia, contra

H

priuilegium b Anastasij Papæ, quod tu ipse vidisti, & partim fabricasti, contra ius antiquissimum nostrum, Lucæ Euangelistæ coartaui terminum, quem ipsi perduxerant in primam Dominicam aduentus Domini. Causa ista tua est, cogita tanquam tuam, vel de tua. Non vadam, sed mittam iuxta consilium tuum. Vale.

NOTÆ.

a *Suo clerico.*] Eidem Saresberiensi quem clericum item suum nominat libro VII. epistola VI.

b *Anastasij Papæ.*] Quarti, qui post Eugenium III. sedem obtinuit anno M. CLIII. De hac porro cœmeterij controuersia iam ante scripsit lib. I. epist. XV.

EPISTOLA X.

Suo Clerico suus Abbas.

SAtis amœnum delegisti, mi carissime, exilium, vbi superabundant gaudia licet vana, vbi exuberat pluſquam in patria panis & vini copia, vbi amicorum ſrequens affluentia, vbi sociorum non rara contubernia. Quis præter te alios sub cœlo Parisius non æstimauit locum deliciarum, hortum plantationum, agrum primitiarum? Ridendo tamen verum dixisti: quia vbi maior & amplior voluptas corporum, ibi verum exilium animarum: & vbi regnat luxuria, ibi miserabiliter ancillatur & affligitur anima. O Parisius, quam idonea es ad capiendas & decipiendas animas! In te retiacula vitiorum, in te malorum decipula, in te sagitta inferni transfigit insipientium corda. Ita Ioannes meus sentit, & ideo exilium nominauit. Vtinam istam exilium verè sicut est deputares, & ad patriam non verbo & lingua, sed opere & veritate festinares. Ibi in libro vitæ non figuras & elementa, sed ipsam sicut est diuinitatem & veritatem oculo ad oculum cerneres, sine labore legendi, sine fastidio videndi, sine fallacia, vel errore intelligendi, sine sollicitudine retinendi, sine timore obliuiscendi. O beata schola, vbi Christus docet corda nostra verbo virtutis suæ, vbi sine studio & lectione apprehendimus quo modo debeamus æternaliter beatè viuere? Non emitur ibi liber, non redimitur magister scriptorum, nulla circumuentio disputationum, nulla sophismatum intricatio, plana omnium quæstionum determinatio, plena vniuersarum rationum & argumentationum apprehensio. Ibi plus vita confert quàm lectio, plus prodest simplicitas quam cauillatio. Ibi nemo concluditur, nisi qui excluditur. Vno verbo, omnis ibi soluitur obiectio, cum male malam vitam obiicienti respondetur, *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius*, cùm bene opponenti dicitur, *Venite Benedicti, &c.* Vtinam his melioribus studiis sic intenderent filij hominum, quomodo vaniloquiis, quomodo scurrilitatibus vanis & pessimis. Certè fructus exinde vberiores, certè fauores excellentiores, certe honores maiores meterent, & finem consummationis Christum, quem in his inuenturi non sunt, sine dubio perciperent. Valete.

[Matth. 25.41.]

EPISTOLA XI.

Suo Ioanni suus Petrus Abbas Cellensis bonum quod est super omne bonum.

ALiter fit frequenter in rerum euentu, quàm perpendat hominis prouidentia. Ea præcipua est in causis, quare amatores veritatis quandoque loquuntur, & si non contra veritatem, tamen extra orbem veritatis. Vnde si huius rei in luce exprimatur continentia, nec mendaces dicendi sunt, quia contra veritatem non loquuntur, nec propriè veraces qui aliud quam contingat opinantur. Itaque sicut præcipitium falsitatis, vsquequaque deuitare volo, sic veritatis ripam etsi non contingo, saltem affecto. Reducor proinde à falsitate volens, à vero nolens: teneo autem medium, immo retineor à confinio huius & illius dolens, quia semper quod est, vel futurum est, tam vellem, amice, dicere quam scire. Scio equidem non imputandum alicui malum, quod patitur, sed quod facit, vel meretur. Similiter æstimo asserendum in eo, qui tantum ex insidiis fortunæ fallitur, & nunquam ex proposito fallit, vt dignus sit compassione, non condemnatione. Hæc, amice carissime, præmiserim, quatinus noueris me retentum inuitum ab executione sponsionis, qua vel nuncios vestros, vel a cineres beati Aigulfi mittere debui. Interuenerunt plurima quæ huic præualidè obstiterunt. Vnum horum fuit, quod Vv. vester, immo verè noster, à Roma per nos redire debuit, & iuxta suum consilium disponere negotium illud distuli. Non autem per nos venit. Itaque mitto fratrem Vv. monachum nostrum, vt iuxta exemplar quod ab ore tuo detulerit, omnia faciamus. Ad nutum enim tuum semper facturus sum, præcipuè in Anglia, quicquid dixeris. Neque enim volo tibi esse oneri hoc genus negotij, quod omni honesto viro molestum esse non dubito. Cuiuscumque namque emolumenti lucra reportaturi sint, pro vilissimo stercore habiturus sum, si vel ad modicum fides, vel pudor faciei tuæ contra senserint. Mando igitur, immo adiuro amicitiam tuam sanctissimam, ne de statu rectitudinis tuæ propter me pedem moueas, sed quod iustum & bonum in oculis tuis fuerit, indubitanter remandes. Pace & patientia indissimili, iuxta verba oris tui, alterum quodlibet accepturus sum, scilicet mittere, vel non mittere prædicatores. De his hactenus. Cæterum exultat spiritus meus in Deo salutari meo, tam de suauissimo bono odore opinionis tuæ, quàm de prosperitatis tuæ. Vnus es omnium mortalium, cui pene omnes inniderent, non immerito amici nostri, si quanta prærogatiua præ omnibus illis sedem tuam in principali nostro collocaueris attenderent. Inter tres priores tu princeps, & ad te nescio si aliquis peruenire possit. Magister Vv. & Magister R. amicitiam, quam ad te habent, b in negotio Hauuidis neptis nostræ comprobauerunt. Steterunt enim pro marito siue matrimonio eius, ne scinderetur, tam constanter in curia, quàm fideliter. Non eis modicas grates referas. Dominum Archiepiscopum ex parte nostra saluta, & omnes amicos nostros sancti B.

N O T Æ.

a *Cineres B. Aigulfi mitt. D.*] Sacras reliquias, quas ei promiserat. Sarresberiensis Epist. xcvii. *B. Aigulfi mihi pignora promisistis.*

b *In negotio Hauuidis Neptis n.*] Eius nempe matrimonio cum Petro de Tornella, de quo supra lib. 1, epist. 12.

EPISTOLA XII.

Carissimo amico suo & magistro Ioanni de Saresberia P. suus amicus & discipulus cum Iesu & in Iesu semper in terra & in cælo.

NOuit prudentia tua quod granum frumenti cadens in terram nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Granuli nostri fructum centesimum spero me recepturum, partim roris superni fœcunda infusione, partim agri quem benedixit Dominus læta fœcunditate. Prouenit namque numerosa proles benedictionem ex accessu dati optimi, siue doni perfecti, cum libero arbitrio boni hominis. Vbi enim gratia saliendo cum impetu æternæ emanationis influit, quid anima nisi vitam refluit? Nunquam sterile, nunquam inane est coniugium gratiæ & animæ. IESVS, qui saluat populum suum à peccatis eorum, fructus benedictus est huius copulæ. Vbera non habet arentia, non vuluam sine liberis, anima cui adiungitur gratia. Parturit anima quidem, sed non gemens: generat gratia, sed non corrumpens. Suscipit semen anima cum delectatione, sed non delicto: parit fœtum de spiritu gratiæ, sed cum salute: venter non superbia turgescit, sed crescit humilitate: lumbi non opprimuntur grauedine, sed imprimuntur castitate: mammæ non intumescunt lactis recursu, sed intumescunt humanæ fragilitatis decursu. Manus angelicæ obstetricantur in tam salubri partu, pannis virtutum inuoluitur fœtus, donec rapiatur ad Deum & ad thronum eius. Mater autem quid? fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. Draco

namque

A namque stat ante mulierem quæ est paritura, vt deuoret, cùm pepererit filium eius. Non est occultatum à te, magister & amice carissime; qui astutias serpentis antiqui non ignoras, quid esuriat draco, quid sitiat. Quid, nisi filium virginis? quid, nisi desiderium cordis? Quid, nisi prolem virtutis? Quamobrem rapiatur non tantum à faucibus, sed ab aspectibus eius mentis propositum, & tota festinatione non delibatum, sed illibatum mittatur ad Deum. Certè nisi subuenerit vel præuenerit festinatio in ore draconis, fiet anima nostra delibatio eius. Quam citò autem mater petit deserti solitudinem, tam citò filius conscendet cæli celsitudinem. Quo remotiùs secesserit mater, eo altius & tenacius rapit filium pater. Nisi fugerit mater, proprij nati visceribus viscera draconis implebit. Non est timendum venire, vbi desinis timere. Nil timet, nil odit, nil refugit sic diabolus, quomodo solitudinem claustri. Potiùs deligit porcorum gregem, quàm sanctorum solitudinem. Sponsus ducit sponsam B suam in solitudinem, & ibi loquitur ad cor eius. Isaac egressus erat ad meditandum in agro, cùm ecce sponsa eius Rebecca ascensis camelis calcando vitia superbiæ & immunditiæ suæ veniebat. In solitudine IESVS tentatus super aspidem & basiliscum ambulat, & conculcat leonem & draconem. Meritorium animarum est solitudo: castra domini exercituum est solitudo: sagena ad capiendos pisces est solitudo: paradisus deliciarum est solitudo: gymnasium est cælestis Philosophiæ solitudo. Quid amplius; deambulatorium Dei est solitudo. Solitudo nouit vigilias IESV, solitudo suscepit lacrymas IESV, solitudo orationes IESV audit, solitudo tempus & horam nostræ redemptionis cognouit, solitudo nascentem, solitudo prædicantem, solitudo turbas pascentem, solitudo in transfiguratione coruscantem faciem IESV sole clarius attendit, solitudo morientem, solitudo resurgentem, solitudo ascendentem Dominum conspexit. Ecce quare exultant solitudines Iordanis. Si qua asperitas, si qua amaritudo, si qua prius fuerat in solitudine C formido, mitigata est sanguinis IESV effusione, dulcorata est ligni crucis immissione, sublata est IESV cohabitatione. Socio IESV quid times? pascente IESV quid esuris? lauante & vngente IESV qui doloris persentis? Vale.

EPISTOLA XIII.

Frater Petrus Abbas indignus Cellensis monasterij P. a *monacho Noruicensi spiritum salutis.*

VT ignotus ignoto scriberem, T. vester, immo noster impetrauit & rogauit. Iniustum namque esset, si in te tam honesta pater filium confunderet. Quia igitur vitæ, scientiæ, & professionis probatæ, profundæ nec, ignotæ estis, pallio verecundiæ vultum abscondo, & vocē vix tremulam emitto. Audite itaque si placet veritatem, non vanitatem, pietatem non falsitatem, ammonitionem non adulationem. Scio quia vnius viri filij su- D mus, vnius regula informamur, in domo vna vnum ab vno requirimus. Quapropter si trahimur trahamus, si vocamur inuitemus, si currimus currere moneamus. Qui audit dicat, veni. Cæterum si sequi noluerint, liberi à coniuratione qua coniurati sumus, inter innocentes manus nostras lauabimus, & sic ab introitu gloriæ Dei epulabimur. Hæc ideo dixerim, quia in nostra, credo, quod & in vestra patria non monachi, vt pace illorum dicam, sed ex monachis super numerum multiplicati, nomini sancto, quod inuocatum est super eos, contumeliam faciunt, dum turpiter viuunt, dum ventris, gulæ, & luxuriæ desideriis se exponunt; dum corpus suum, quod dici nefas est, & negatio contra Deum, contumeliis afficiunt. Nomen itaque Dei per eos blasphematur inter gentes. Vtinam Phinees resurgeret! vtinam Helias zelo zelatus pro domo Israël recumbentes in idolio igne cælesti consumeret! vtinam saltem Ieremias captiuitatem filiæ Sion triplici luctu, scilicet orationis, prædicationis, & E exempli doceret, moneret, defleret! Verus nempe Pharao, qui omnia dissipat, & cum Deo non congregat, lapides sanctuarij per platearum compita disseminat, vasa templi Domini in delubris suis iuxta Dagon asportat, filium virginis cum filio Veneris collocat, & in phyalis & scyphis cum concubinis suis vsque ad mane potare non cessat. Vsquequo Domine non est qui pennam moueat & gannire audeat? Medium silentium tenent omnia. Moyses non extendit manus ad cælos: graues enim sunt, & plenæ sanguine. Ideo vincitur Israël & vincit Amalech. Quatuor fabri cornibus suis ventilant vniuersum Iudam & Israël, dum residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ bruchus, & residuum bruchi rubigo. Hæc sunt tertia & quarta generatio, in quibus dominus reddit peccata patrum in filiis. Prima scilicet generatio est suggestio carnis, secunda primus pulsus cogitationis, tertia deliberatio vel perpetratio operis, quarta gloriatio sceleris. Felix qui his cornibus F non ventilatur. Si qua itaque in vobis est misericordiæ scintilla, si qua viscera pietatis, si quis ros benignitatis, compungimini. Lacrymæ proculdubio istæ nequaquam inutiles erunt. Aut enim illis proderunt & conuertentur, aut ad vos redient, & in sinum vestrum reuertentur. Vt redeant itaque à via sua mala, monendo transit de porta ad portam gladio potenter accinctus. Nemini parcat, sed disperdat de terra memoriam eorum, qui ad cor redire distulerint, qui iniquitatem, quæ in manu eorum est, non abstulerint. Hæc ad vos tanquam ad amicum iustitiæ zelatorem domus Dei, odio habentem eos qui contradicunt sermonibus sanctis. Ad eos verò, quibus nihil dulce præter vinum & pretium, nihil amarum præter claustrum & silentium, nihil amandum præter carnem & mundum, nihil exosum præter Dei verbum & spiritum, nubes Dei coruscant, tonitrua cæli fulgurant, ventus vehemens & ignis inuolutus accelerant. O insensati, quis poterit habitare ex vobis cum igne deuorante, aut cum ardoribus sempiternis? Nonne ibi recipietis venenum pro vino, supplicium pro pretio? Seris G & vectibus ferreis porta inferni conseretur vobis, qui claustro noluistis includi: & clamor quoque & continuus luctus, qui non siluistis à facie domini. Caro, quam curiose nutristis, sollicitè fouistis, studiose lactastis, regnum Dei non possidebit. Mundus, cui mundi creatorem postposuistis, in quo immundè sorduistis, cuius fallaci pulchritudine oblectati patriæ cælestis obliti estis, non eruet vos de manu inimici. Verbum Dei tunc vos verberabit, non liberabit, accusabit, non excusabit, damnabit, non saluabit. Quid vobis cum spiritu Dei, cuius contumeliis non parcitis, cuius templum violatis, quem contristare non reformidatis? Ni fallor, quod in eum peccastis non remittetur vobis, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Sed de his hactenus. Vos autem, qui apertos habetis oculos, in viam istorum ne abiiciatis, actibus eorum ne assentiatis, neque consiliis eorum acquiescatis. Vt prolixus nimium essem, nepos vester coëgit, qui iterum atque iterum rogando stylum resumere monuit. Vtinam virtus vestra amplior sit quam H fama. Vtinam vos videre, cognoscere, & dextras societatis vobiscum habere merear. Vtinam saltem, si non datur vltra, vel vnam precem pro peccatis meis pio iudici per manum sancti Angeli offeratis. Valete.

N O T Æ.

a *Monacho Noruicensi.*] Ecclesiæ Noruuicensis in Anglia, in qua Ioannes Prior Noruuicensis, ad quem Saresberiensis epistola CCLI.

LIBER QVINTVS.

EPISTOLA I.

Carissimo amico suo à Berneredo Abbati sancti Crispini, frater Petrus humilis Abbas S. Remigij semper bene valere.

CARIORA mihi fortè & vtiliora sunt spatia nocturnalia, quàm diurna. Siquidem diurna accersitis hinc inde & contra ductis copiosarum occupationum cateruis animam meam de manibus meis tollunt, & me mihi tam violenter quàm fraudulenter assidue subtrahunt: hyemales autem noctes sua prolixitate non fastidium, aut tædium, sed interdum duplex beneficium conferunt. Tribuunt etenim corpori requiem, & animæ renouant vetustatem. Addunt insuper licentiam reuisendi cœlestia, sua penetralia inquirendi, nec non & amicorum reminiscendi. Dicunt animæ cogitationibus siue meditationibus, *Vacate & videte quoniam suauis est Dominus*. Ducunt etiam sua quiete & silentio animas vsque ad tertium cœlum, dum extra mundum, extra carnem, supra animam, ad regales sedes omnipotentis Verbi sancta desideria prouehunt. Statim filium hominis ad abyssos humanarum infirmitatum humiliter inclinando pacata consideratione deponunt. Quis autem dum sua reuoluit, amici negotia negligit? Plura de hac materia vobis libenter scriberem, sed scriptor noster frater Hugo, abrepta breui chartula, propter finem chartæ finem fecit scripturæ nostræ. Volui tamen breuiter tangere verbum illud, quod mandastis per fratrem Ioannem, & sic respondere, vt dicatis illi Dominæ & cognatæ nostræ, Terra in conspectu vestro est, potestis bene facere & malè. Sed melius est benefacere, quàm malè: quia benefacere sequitur gratia & gloria, malefacere
[Ps. 37.17.] verò pœna & pœnitentia. Dicite ei, *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Dicite inquam ei, quia nobilius est minora à deuotis gratanter accipere quàm ab inuitis insolenter maiora exigere. Valete, & pro nobis orate. Boamundus dicit vias pessimas esse. Seruate nobis litteras istas.

NOTÆ

BErneredo Abbati S. Crispini.] Apud Suessiones, vt sequens epistola docebit. Duo sunt in ea ciuitate S. Crispini cœnobia, Benedictinæ familiæ vtrumque. Vnum sancti Crispini maioris appellabant, de quo hic sermo: alterum S. Crispini in cauea. De Bernerado autem Abbate plura lib. VIII. epistol. 1.

EPISTOLA II.

Vnicis amicis & fratribus Bernerèdo venerabili Abbati & sancto conuentui sanctorum Crispini & & Crispiniani, frater Petrus humilis Abbas S. Remigij, dies solemnes & festiuitates præclaras.

NOn est mihi datum desuper in præsenti vobiscum sabbatizare Kalendas præcipuas in natalitiis pretiosorum martyrum vestrorum. Vnde quia non quod volo hoc ego, sed quod odi illud facio, pene irascor detentionum mearum funiculis, qui difficile soluuntur contorti, nec triplici tantum, sed multiplici connexione occupationum concatenatarum. Vnum tantum quod vix residuum est mihi facio. Scribo itaque amaritudines meas quas quotidie in distractione & distensione spiritus mei experior, dicens Deo, *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Ecce nunc
[Iob. 7. 20.] vitulus saginatus immolatur Suessionis apud sanctos martyres Crispinum & Crispinianum, ecce symphonia & chorus, ecce amicorum ibi sanctus conuentus, & vbi ego, & quid ego? Nec saltem hœdus compunctionis pro peccatis meis conceditur. Seruate tamen & mittite, amici carissimi, partes nobis de oleo exultationis vestræ, de adipe & pinguedine visitationis supernæ. Sufficiet enim copiosa gratia de mensa dominorum vestrorum nobis & vobis: quia sicut animabus suis non pepercerunt propter Christum vsque ad mortem, sic Deus gratiam præmiorum exæquans gratiæ meritorum, non est quod neget orantibus pro salute animarum. Iam siquidem de se securi, pro suis veneratoribus adhuc sunt solliciti. Adsunt procul dubio passionum suarum recitatoribus, & præcipuè imitatoribus. Orate ergo sicut pro vobis, sic & pro nobis: quia nullum est detrimentum orationis, si pluribus impertiatur: cuius natura est eò magis abundare in effectu, quò ampliùs se dilatauerit in affectu. Valete.

EPISTOLA III.

Domino & amico carissimo Bernerèdo Abbati sancti Crispini, frater Petrus humilis Abbas S. Remigij. suis in omnibus seipsum per omnia.

QVotiens in manu sumitur chartula vobis dicanda, totiens mens repletur, & si antè fuerat bonis omnibus vacua. Cum tumultu namque & impetu magno tes innumerabilis diuersarum materiarum egredi accelerantium in ostio exeundi sese impingit, alia dicente, prior ego amicum salutabo, alia illam transiliente, atque ramum oliuæ præferente in ore, amici amplexus priores pertinaciter præripiente. Rebecca in vtero suo miratur duorum fratrum, immo gentium duarum hæc intestina & plusquam ciuilia bella. Sed quid mirum, si vbi corpus perfecti & consummati amoris, illuc congregantur aquilæ alternarum affectionum siue motuum animi, vt contendant non intrare sed exire per angustam portam? Fortè quod ait Laban, in terra sua consuetudinis esse, vt priores licet lippæ filiæ tradantur ad nuptias, contingat vt Rachel, miræ pulchritudinis & amantissimi decoris, non agat choros saltationis, immo salutationis, ante Liam primogenitam suam sed in vltimo sequatur cum Ioseph & Benjamin. Semper enim meliora, digniora, & saluti viciniora non tanquam fæces in fundo calicis resident, sed tanquam cibi delicatiores, vt fastidium remoueant, & appetitum renouent, in extremis apponuntur, quia melior est finis orationis, quàm principium. Hoc in meipso, hoc in amico desidero, vt noua semper fiant, & nunquam veterascant desideria vestra, & semper sequamur ad palmam supernæ vocationis, obliti quæ retro sunt. Non enim tam quatenus perueneris pensare debes, quàm quò pergendum & peregrinationis meta figenda, atque trahendus funiculus. Sic audio te facere, & valde congratulor. Ne tamen nimis extendas & protendas funiculum, caue rupturam. Melius est enim tendere, quàm rumpere. Est modus in rebus, Ne quid nimis. An inuideo, quia citò & bene curris? Nequaquam. Amo cursum, sed timeo defectum. Virtutes non bene colligit, qui matrem virtutum spernit. A stirpe virtutum degenerat virtus, quæ lineam temperantiæ non seruat. De his hactenus. Cæterum ineptias nostras quia vt audiui intemperanter desideras, volo tibi exponere quæ sint modo negotia nostra, & cui ad præsens labori humeros supposuerim. ª Successor ille noster Cellensis Abbas, quia non bene multiplicauit, immo non fouit oua, quæ illic reliqueram, sed conculcauit imperfecta, destruxit autem perfecta, vltra dissimulare non possum: sed aggredior tentare & probare, vtrum Deus respicere dignetur priores meos labores, illum vel prorsus amouendo ab Abbatia, vel saltem corrigendo à stultitia sua, & in melius commutando. Pene omnes Priores mecum sunt, & vt credo, triginta vel amplius de fratribus.

Ora vt Deus propitietur mihi, & domui illi. Frater Hugo ista debuit scribere, & in sero promisit, sed tandiu dormiuit, quandiu ista frater Henricus scripsit. Habet enim oculos nullos. Effert tamen bonitatem & pietatem vestram sibi exhibitam, vsque ad cœlos, & vsque ad nubes. Valete, quia deficit pergamenum.

N O T Æ.

a *Successor ille noster.*] Drogo, qui Cellæ Abbas Petro ad S. Remigij præfecturam migranti suffectus, gradu postea ob rem male administratam deiectus est, vt scribit epistola VII.

EPISTOLA IV.

Domino & patri suo carissimo B. Dei Gratia a Episcopo Excestrensi frater Petrus sancti Remigij dictus Abbas salutem deuotissimam.

SEntentia dubia quæstionibus ventilata clarescit, species aromatica pistillorum tunsione fragrascit, Ecclesia oppressione malorum crescit. Virtus quoque bonorum, aduersariorum infestatione lacessita flore vernat & fructu. Equus ille, qui procul odoratur bellum ad vocem buccinæ dicit vah, eóque amplius feruet in certamine, quo acrius concitatur fuso vndique clamore. Quas enim vires collectas tempore pacis dissimulabat, fœnore multiplicato exsoluit, cùm expostulauerit necessitas: vt tanquam de grano sinapis virtutem mireris, si speciem simpliciter minutissimi grani intuearis. Tunc igitur virtus se expandit propagine multa, cùm malis reluctantibus fuerit prouocata: nec ad plenum fides discernitur, nisi telo infidelitatis fortiter impetatur. Iustus denique, qui vt leo confidens absque terrore est, quando gloriatur, nisi quando experimentum sui ex aliquo discrimine capit, vt tunc se aliquid posse cognouerit, cùm locum virtutis oblato labore inuenerit? Gloriosos faciūt Martyres nostros causa cum pœna, & pœna cum causa. Diu est quòd in terra vestra latuit, immo consopita iacuit fidei virtus, vbi plures ad se euocabat poculum confectionis, quàm Euangelium Apostolicæ prædicationis. Vnde igitur sic effloruit & refloruit moderna in vobis religio, vt Apostolicos spiritus ebiberetis, & tota fiducia in medium prosilientes, dicatis, *Melius est Deo obedire, quam hominibus?* Certè musto non siceta pleni sunt, qui concepto robore pellem pro pelle, & cuncta quæ habent dant pro animabus suis. De his hactenus. Cæterum si magna illa bellua euomuerit vos de terra vestra, est apud nos domos noua vobis parata, cum omni sumptu, sine auro & argento, vbi & copiam librorum, & studendi otium pro libitu inuenietis. Valete.

Act. 5. 29.

N O T Æ

a *Excestrensi Episcopo.*] Excestra Domnoniæ ciuitas in Anglia, sedes Episcopalis esse cœpit ante annos plus minus DL. Cathedra illuc per Lificum Episcopum translata, cum Cridie antea esset. Iidem itaque Episcopi Excestrenses, qui olim Cridienses.

EPISTOLA V.

Domino suo & amico carissimo Eskylo Lundensi Archiepiscopo frater Petrus humilis Abbas sancti Remigij salutem & deuotionis obsequium.

SVauissimus odor miserationum vestrarum non solùm præsentes recreat afflatu delectabili, sed etiam absentes & remotos attrahit ad se, spe nimirum tam dulci, quàm inconfusibili. Quis enim vestra expetiuit suffragia, & inconsolatus recessit? Quis ad ostium vestrum pulsauit, & non aperuistis ei? Quis de manu vestra benedictionem petens, tanquam de thesauris opulentissimis copiosam non retulit? Inter cæteros itaque, & de cæteris vnus est T. præsentium lator, quem tot pericula itineris, tot difficultates ad vos perueniendi non exterruerunt, nec retinuerunt, compellente & instigante illum, tantum laborem insumere fama, quæ de vobis vbique terrarum diffunditur. Non equidem rerum inopia, non abiectio & vilitas inter suos euomuit illum in terram vestram, cùm & a Canonicus sancti Timothei sit, & frater Hildoini, Vicedomini & Canonici sanctæ Mariæ Remensis. Rogamus igitur, ne frustretur spe sua: ne quando apud se pœnitens, & dolore cordis intrinsecus tactus dicat, Periit opera & impensa. Ego cum toto conuentu beati Remigij, vester sum, & pro vobis orationem fundimus ad Deum vt sanctissima anima vestra thesauros, quos in cœlo posuit per manus pauperum in exitu suo reperiat, & bonis domus Dei repleta cum sanctis Angelis æterna lætitiâ congaudeat. Valete.

N O T Æ.

a *Canon S. Timothei.*] Basilicæ SS Timothei & Apollinaris, in vrbe Remensi cuius sæpe mentio apud Flodoardum. Huius Ecclesiæ præbendas concedebat Abbas S. Remigij, vt docet Alexandri epist. VII.

EPISTOLA VI.

H. venerando a Abbati de sancto Huberto, P. sancti Remigij dictus Abbas salutem.

OMnia quæ in tempore fiunt rationem temporis cum omnibus circunstantiis suis sollicite pensare debent, si finem bonum habere volunt. Idcirco, bone pater & amice carissime, si susceptam nauigationem ad portum salutis perducere potestis, non deseratis Abbatiam vestram, sed in hoc tempore malitiæ & discordiæ patiendo, & tolerando, donec transeat iniquitas, resumite vires, & onus diu portatum nolite proiicere, cum vestra & multorum læsione; sed paulatim ab humeris deponite. Si enim pax & vnitas Ecclesiæ redderetur, nec esset chaos inter nos & vos, fieri possent multa, quæ modo fieri non possunt. Valete.

N O T Æ.

a *Abbati de S. Huberto.*] In Arduenna sylua, diœcesi Leodiensi. Scripta feruente adhuc schismate, quod tempus malitiæ & discordiæ vocat.

EPISTOLA VII.

Carissimis a fratribus, filiis & amicis Cellensis monasterij, frater Petrus sancti Remigij dictus Abbas salutem in Domino.

PRæsenti epistolæ delegaui supplere in sancto conuentu vestro, fratres & filij carissimi, si quid negotij est, quod ageret præsentia nostra, si adesset. Poterit enim tutiùs proponere sufficienter & insolenter, quod nec inutile sit acquiescentibus, nec scribenti criminosum. Vndecumque siquidem & de quocunque agere velim, oculi fascinantes non desunt, peruerse interpretantes, malignè arbitrantes ea, quorum nec rationem attingunt, nec finem apprehendunt. Ipse autem ego Deum constituo arbitrum & iudicem omnium, quæ fiunt ab ipso, veraciter diiudicandum quod est ambiguum, efficaciter executioni mandandum quod fuerit sen-

tentia

A tentia diffinitum, & tenaciter seruandum quod ex labiis eius semel fuerit prolatum. Per ipsum igitur contestor hunc solemnem vestræ fraternitatis conuentum, ne à memoria vestra elabatur difficilis ille congressus sapientiæ & insipientiæ, iustitiæ & iniustitiæ, in quo grauiter, sed fortiter desudastis, quidam fideliter proficientes, & constanter perseuerantes, quidam deficientes & retro abeuntes, quorum gloria in confusione ipsorum, qui Deo, & mihi, & vobis mentiti sunt. Iam Drogo electus est, ne dicam draco, qui se terram & cœlum non solùm concussurum, sed etiam euulsurum armis Iudæ proditoris, id est, pecunia publicè minabatur; nescio si adhuc tertiam partem stellarum post se trahat: vnum scio, quòd de prædestinatis nullum Deo iuuante absorbebit. In causa tamen ista, quia Dei est, nihil vsurpet sibi stuppa nostræ fragilitatis, insultando his qui occupati bellu non interfuerũt, vel ex aduerso steterunt. Exultandum quidem cum tremore, non insultandum contumeliosè in operibus Dei: B quia semper Dei iudicia suspecta sunt, & nunquam caput erigendum, dum in nubibus consignata, sollicitos non securos homines, tam in prosperitate, quàm in aduersitate faciunt. Sit itaque timor Dei in vobis, & apponite cor in his quæ de Drogone facta sunt, ne similia faciatis, quia non similia, sed peiora patiemini. Est prouerbium, Excaldatus aquam timet. Spiritu igitur paracletico totum negotium, & Domini Archiepiscopi consilio, atque viris religiosis & sapientibus, salua libertate electionis vestræ, committite. De mea verò voluntate nulla sit quæstio, quia nunquam discordabit à gloria vestra, ab honore vestro, & ab vtilitate Ecclesiæ vestræ. Interim resloreat in vobis ordinis sancta obseruatio, silentij virtus, lectio claustralis, capituli rigor, psalmodiæ tenor, vnitatis compago, hospitum deuota susceptio: & quicquid de iustitiæ & honestatis prosapia in exterminium euanuerat, ad propriam conscientiæ vestræ sedem feliciter redeat. Scriptura enim mandatum Domini sui eloquitur succinctè, constanter, & fideliter, nihil detrahens de iniuncto mandato, nihil addens, non cedens fascinatoribus, non credens C adulatoribus. Pro eodem habet, si laudetur, aut si vituperetur. Quia igitur plures scio solere instanter insidiari, vt me capiant in sermone, potiùs elegi verba nostra scripto mandare, quàm inconsiderata elocutione profundere.

N O T Æ.

a *Fratrib. Cellensibus.*] Prioribus & Monachis, qui electo Drogone conuenerant ad noui Abbatis electionem. Quare Archiepiscopum, cuius consilio agendum monet, Senonensem intelligit. Electus porro est post Drogonem Abbas Girardus.

EPISTOLA VIII.

Amico suo carissimo Berneredo Abbati sancti Crispini frater Petrus Abbas sancti Remigij salutem.

D QVærenti mihi materiam, vnde tibi scribere exordiar, vix vna de grege innumerabilium se sequestrans occurrit, arridens quidem prima fronte, sed vultum demittens in secessu vel recessu præsentiæ nostræ. Quæris quænam sit ista materia tam blanda in exordio, tam religiosa seu timida in supremo? Certè fama gloriæ tuæ hæc est: quæ amicis tuis iocunda & exhilarata facie ciuitates, castella, vicos, & plateas discurrit & circuit vsque ad palatium regis, vsque ad reginæ thalamum, vsque ad a Comitissæ nostræ cubiculum. Templa quoque habitu religioso, vultu modestò perambulat: Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, clericos & milites sibi concilians, & ad venerationem sui non mediocriter inclinans. Sed timendum, ne sol tanti splen-

E doris, tantorum radiorum, vergat ad occasum, & dicatur, *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Psal. xxix. 6. Quantum enim gaudij de sanctitate & iustitia amici in amicorum amicos prosluit, tantum mœroris & doloris in euaporatione siue exinanitione earundem virtutum circa eosdem residet. Video, video cogitationes tuas ad seipsas tumultuantes, & quare amicus tuus talia tibi scribat, sollicitissimè reuoluere. Timidæ enim sunt cogitationes tuæ. Ne sis sollicitus, bone amice, res salua est, signacula clausa sunt. Aquilo durus ventus non congelauit continentiam, charitatem, aut opinionem nostram. Qualem te habuimus, talem te habemus & semper habituri sumus. Huic quoque præsentium latori, quid ex his imputandum, imputa: qui non solùm scribere compulit, sed talẽ materiam præscripsit. Reuocauit enim ad memoriam illa magnifica præconia, quæ auribus nostris instillaueras, quando ab illa solemnitate Trecensi, quantùm vacuatus propriâ & bonâ conscientiâ, tantùm inflatus vanâ lætitiâ reddidisti. F Dixisti enim te præ aliis exceptum & receptum à Trecensium Comitissa, inuitatum ad epulas, glorificatum in mensa, in omni postulatione exauditum, & cum longa cauda gloriæ reuersum. Caue caudam, cùm tam omnis laus, quam omne vituperium, in cauda, id est in fine terminetur. Dico autem, quem te ipsum facis? Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo & nobis. Si enim propheta es in Israël, veni ad nos, vt ipsis rebus experiamur potentiam, prophetiam, & virtutem tuam. Signis enim quæ in patria tua facis, non credemus, nisi te virum, cuius spiritus in naribus, ex fructibus cognouerimus. Decurtata tamen est gloria tua, quia non fecisti pacem b inter Archiepiscopum & aduersarios suos. Valete.

N O T Æ.

a *Comitissa nostra*] Quæ paulo post *Trecensis Comitissa.* Maria nimirum Ludouici regis filia, vxor Henrici Comitis.

G b *Inter Archiepiscopum & aduers.*] Henricum Remensem & Canonicos. Graues namque inter eos discordiæ fuerunt: ad quas sedandas suam quoque operam contulit Alexander Pontifex: cuius de ea re binas epistolas ad Henricum Archiepiscopum, & ad Ludouicum regem illius fratrem vidimus in Bibliotheca Ecclesiæ Remensis. De iisdem etiam turbis Remensibus agit & Saresber. epist. ccxxv.

EPISTOLA IX

Dominis & patribus a Basilio cum cæteris Prioribus Carthusiensis ordinis, Frater Petrus humilis Abbas sancti Remigij, salutem cum omni deuotione.

AD glorificandum Christum vos conuenire, quotiescumque conuenitis, non ignoramus. De nullo H itaque negotio sæculari directionem cordis vestri impedire sine dubio fas est. Commonere autem vos dignum est, vt quod facitis vsque in finem facere studeatis. Virtus enim boni operis de radice procedit bonæ intentionis, & in perseuerantia dilectionis perficitur, & omnis laus in fine canitur: melior quoque est finis orationis quam principium. Hæc ideo præmiserim, vt quia manum misistis ad fortia, semper ad ampliora & anteriora charitatis opera extendere contendatis, ad eius imitationem, qui dum in mundo esset, porrigendo manũ, corporum lepras, oculorum cæcitates, aurium surditates, & labiorum silentia curauit. In fine verò prorsus in cruce manus extendens, cæli & terræ, vniuersaliter plagas & vulnera antidoto sanguinis sui curauit, & contra omnia recidiua, validissimam medicinam in cornu crucis, omnibus posteris vsque ad consummationem sæculi reposuit: vt quicunque crucem suam post eum baiulauerit, vitæ æternæ compos & particeps, contrariâ vale-

A tudinem timere non habeat. Frater iste, præsentium lator, per nos & per multos alios rogat mitti operarios de vobis in messem domini. Messis enim multa in Dacia iam alba est ad metendum: sed operarij pauci, sed minor numerus qui non potest sufficere ad edendum agnum. Non sit itaque vobis pigrum, non durum, non desperabile, mittere ex vobis, qui nomen Dei & sanctum ordinem vestrum in terra illa portent, in spe percipiendi fructus centesimi, aut potiùs millesimi. Corona vestra & gloria, si bono exemplo vestro animas plures Deus lucratus fuerit, & in regno gloriæ de salute aliorum merces vestra amplior & glorior in conspectu Dei & sanctorum Angelorum erit. Valete.

NOTÆ.

a *Basilio*] Maioris Carthusiæ Priori VIII. vitæ sanctimonia, doctrinaque illustri. Huic iterum, vniuersique ordinis comitiis quæ quotannis haberi solent scri- B bit epistola XI. nec dissimili argumento: nunc quidem pro Monasterio in Dacia Esquili Archiepiscopi rogatu erigendo tum verò pro Trecensi, quod Henricus Comes meditabatur.

EPISTOLA X.

Venerando Domino & amico carissimo E. a Abbati Stabulensis Ecclesiæ Petrus humilis Abbas sancti Remigij in perpetuum cum Christo gaudere.

NVlla negligentia bona est: non tamen omnis æqualiter culpabilis. Cumulat namque aut minuit meritum negligentiæ amputanda dissimulatio faciendorum, aut inconsiderata festinatio, non faciendorum. C Ea nihilominus quæ à nobis remota sunt, & per procuratores fiunt, non consimili à nobis pœna exiguntur, si malè administrentur, sicut illa quæ manu nostra & proprio studio peragi solent. Inde est, domine Abba, & amice carissime, quòd aliquantam opponunt pro nobis excusationem, si fratres nostri de Marna, non soluendo pecuniam quam debent, molestiam vobis fecerunt, cùm factum ab anno præterito æstimaremus, quod adhuc faciendum modò cognoscimus. Ignoscite itaque culpam nec superbia genuit, nec contumacia defendit. Dignus namque venia est, qui citò corrigit delictum, vel qui pro posse reddit debitum. Domini Imperatoris mandatum vestrum & nostrum certè turbauit negotium. Iniungimus Præposito nostro, vt citò soluat, quod iam fecisse debuerat. Vobis gratias agimus de bona patientia vestra, & innotescimus, quòd nunquam vtilis nobis fuerit commutatio illa.

D

NOTÆ.

a *Abb. Stabulensi*] In diœcesi Leodiensi, in qua præbendæ erant Marnenses sancti Remigij. De his verò, & de Friderici Imper. mandato, quod innuit, plura lib. VII. epist. XV.

EPISTOLA XI.

Dominis suis de Monte Dei, a Simoni Priori, & toti sancto conuentui, Frater Petrus Abbas Cellensis sanctum pascha.

QVotidianum pascha celebrare non cessat anima vniuscuiusque vestrum, dum quasi columba stat ad fenestras suas, & vocem de cœlo explorat, à Libano vocantem sponsam suam. E Extento prorsus & retorto collo ad caput vestrum, quod in cœlis est, sine cessatione vitam istam vmbrosam fastidientes, euolare super pennas ventorum contenditis, iam ibi verum, non annua repetitione, sed continua stabilitate, celebraturi pascha cum illo, & in illo, qui pascha nostrum immolatus est Christus. Ita est. Sed adhuc ascenditur & descenditur per schalam Iacob, donec quod ex parte est euacuetur, quod fiet, quando votum in habitum conuertetur, & in Hierusalem hymnus Deo soluetur. Interim, fratres, in vmbraculis habitantes, & sub vmbra illius, quem desideratis, sedentes, coquite, immo assate carnes agni tota nocte, singuli in cella sua, & mane comedetis eas. Certè tota nocte debet cremari caro agni, quia toto mortalitatis tempore, accensa caldaria conscientiæ, facies saluatoris desideranda, & vndis desideriorum fortiter bullientibus, ne in die iudicij semicocta offeratur, percoquenda. Habete vascula munda: iuxta namque & in F oculis præterfluit aqua. Sed nunquid vanè? sed nunquid gratis? Planè supina & crassa negligentia imputanda est singulis, nisi sint omnia munda, quibus & copia aquarum redundat, & temporis opportunitas superest, & amor incumbit totius munditiæ, & ordinis consuetudo non refragatur. Sic est, ego vidi, ego interfui, & vtinam totiens & tam sedulò cor expurgassem, quotiens & quam indesinenter manus & faciem die & nocte rigaui, non lacrymis, sed aquis. Hoc autem feci vt hospes: quia non vltra ostium, sed in ostio tenui. Vos autem intra & vltra ostium promouistis pedem, non aduenæ, sed domestici cellæ & cœli effecti. Postquam verò vasa vacua ab ambitione emundaueritis confessione, & scripturarum meditatione, implete aquâ & ad ignem mittite, & tanquam vnguenta pretiosa bullire facite. Subintrauerat buccæ meæ, & stylo iam subgerebat improuida cogitatio, scribere vt carnes agni sic decoquerentur: sed memor mandati legalis, quo prohibetur ne aqua coquantur, subiitio non vt agni, sed hædi carnes G taliter coquantur. Simul enim & agnum & hædum vt tollere in pascha præcipimur. Quid ergo? Agnus in veru, vel in craticula crucis, hœdus in aqua coquitur: vt si innocens fueris, solo spiritus ardore in pascha adaperis: si verò fœtore graui oppressus, per ignem & aquam expieris. Hædus etiam est corpus, quod corrumpitur & aggrauat animam. Agnus qui latitudine pascitur, benignus ille spiritus, qui infestationibus carnis agitatus non cornu fecit, sed oculo simplici liberatorem quærit dicens, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* In Rom. VII. 24. sanguine agni, id est in contritione cordis, & spiritus contribulati liberatis de Ægypto, & de manu Pharaonis, quia cor contritum & humiliatũ Deus non spernit. De sanguine hædi non lego mysterium; nisi quod tunica Ioseph tincta in sanguine hædi missa est ad patrem. Ad patrem spirituum si miseris in confessione flens & eiulans tunicam Ioseph, litam in sanguine hædi, id est simplicitatis & castitatis amictum fucatum & fœcatum corruptione libidinis, & fraude diabolicæ circumuentio- H nis, sanguis hædi in purpuram commutabit: quia per pœnitentiam non solùm indulgentia, sed etiam gratia adipiscitur. Sed de his hactenus. Vnde namque mihi vt tepidus feruentes, mundatos sordidus, iacens currentes, piger commoneam alacres? Deus scit, me non præsumptione, sed amoris impatientiâ laxasse habenas: & cùm non haberem quid dicerem, dicere tamen aliquid vellem, dixi quod innotesceret affectum, & si non idoneum esset facere fructum. Adhuc impetus me trahit, & redire ad festum festorum cogit, vt quasi incipiens spiritui indulgeam currere quousque lassetur, & sponte petat stationem, & metas silentij. Sub exemplo ego cuiusdam pretiosi inuolucri, in quo stupendum sit, tam ipsum repositorium, quàm repositum, aliquid de pascha prosequar: quasi quendam pannum pretiosum & multicoloriũ de diuinis thesauris assumẽs. Moyses in illo quadragenario ieiunio, vbi à colloquio diuino cornutam faciẽ reportauit, pascha illud in litteris suis prænominauit,

&

A & in illo sacrosanctas reliquias religans annuo recursu ad publicum nostrum deuoluendum constituens, diem certum præfixit. Siquidem hic pannus, id est, pascha, in exteriori facie plurimum nitoris exhibet: sed valde ampliora intrinsecus continet, & cariora pignora. Rubet igitur purpureo colore, propter passionem, rutilat hiacynthina specie, propter resurrectionem: subobscurus est, propter sputorum & alaparum & flagellorum, & cæterarum iniuriarum coaceruationem: albet vnica nube, propter innocentiæ integritatem & peccati immunitatem. Ecce colores, colores cingentes pascha gloriosum, & delicatum animæ pallium, quo meliùs amiciuntur pauperes semicincti, quàm diuites purpura & bysso induti. Reuoluere autem illas pretiosas margaritas, quæ sigillantur in sigillo illo aureo & argenteo, quis accedet, nisi mundas habuerit manus, nisi oculos columbinos? nisi labia purgata? nisi abluto toto homine interiori & exteriori sacro Iordanici fluminis baptismate? Quia ergo vobis sunt manus tornatiles per B obedientiam, oculi clari per pudicitiam, labia stillantia myrrham primam per accusationem reatuum vestrorum, & ad scurrilia æternam clausuram: applicate pannum paschalem, & espandite thesaurum absconditum, vt exinde captiuus mutuet redemptionem, mortuus resurrectionem, peccator iustificationem, afflictus consolationem, religatus solutionem, anathematizatus absolutionem. Sanctificate ora vestra sanctis horum osculis, oculos tangite his smaragdis, singulos sensus exhilarate singulis benedictinnibus. Sed quæ sunt pignora tam cara pro pretio, tam efficacia pro remedio, tam rara pro numero, tam sancta pro merito, tam perpetua pro æuo, tam amabilia pro beneficio? Pignora, fratres mei, ista ore pudico & timore debito nominanda, & amplectenda sunt caro & sanguis agni incontaminati, IESV CHRISTI ossa, nerui, medulla, cartilagines, cutis, corium, & quæcunque membra in corpore IESV de sacrisasuis visceribus edidit virgo virginum. Addamne clauos, lanceam, coronam spineam, sputa, irrisiones, & illusionem, al- C bam vestem, vestimentum purpureum, fel, acetum, myrrham, & aloes? Quantò enim hæc in se duriora & viliora, tantò in saluatore nostro pretiosiora & appetibiliora facta sunt. Quis modo Christianorum si vnum horum reperiret, nisi super aurum & lapidem pretiosum multum venerabiliùs coleret, ambitiosiùs securaret & adoraret. Dignum est, iustum est. Si enim immundus erit, tangens morticinum & captum à bestia, id est, Adam & Euam, quorum alter captus est suasu vxoris, Eua morticinum facta est suggestione serpentis, quomodo non iustus emundatur ab operibus mortuis, qui viuentem in sæcula sæculorum contingit credendo, amando, colendo, adorando? Nam non sicut delictum ita & donum. Pluris enim donum, quàm delictum est. Sed quod est hoc donum? IESVS CHRISTVS sanctus. Quid est, inquam, hoc donum? Natiuitas IESV, passio IESV, resurrectio IESV, ascensio IESV.
Rom. VIII. 32. *Quomodo non etiam omnia cum illo nobis donauit?* clamat Apostolus. *Omnia*, inquit, *vestra sunt, siue mors, siue*
D 1. Cor. III. 22. *vita.* quia est mortuus propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Domini & fratres, detineo vos plus iusto, ad quorum ianuam stat & pulsat IESVS volens suum pascha vobiscum recolere, & de reliquiis mensæ illius magnæ partem bonam reseruauit, quam adhuc recentem & calentem denuo de arca cœli refert & profert vobis. Ne vereamini, ne caro antiquata sit & putrefacta vetustate nimia, quia annus iam millesimus centesimus sexagesimus primus est. Nequaquam, fratres, nequaquam ascendat in cor vestrum hæsitatio ista, quia caro eius etiam dum esset corruptibilis, non vidit corruptionem, multo verò minus facta incorruptibilis, & genere viuendi, & loco manendi. Recens est, calida est, sana est, vitalis est, regnum cælorum dat, quia possidet, Non est illa caro
1. Cor. XV. 50. & sanguis, de quo dicitur, *quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Quòd studiosiùs arceantur à dentibus & stomachis vestris carnes animaliumquæ corrumpunt E & corrumpuntur: eò digniùs accedunt ad animas vestras sanctificandas carnes illæ, quæ sicut non moriuntur, ita nec corruptionem inesse patiuntur, vbicunque refectionem præstiterint. Has imperat religio, & quò religiosior sis, eò frequentiùs, & vt ita dicam, glutinosiùs comedere debes. Nondum quieuisset manus, vel animus, sed repsimit & modus dictorum, & tempus alia faciendi. Orate pro nobis. Nouellum in illum Angelum vestrum A. salutate, & Robertulum nostrum. Plurimùm & multùm singulos, & singillatim, & communiter saluto.

NOTÆ.

a *Simoni Pr. de Monte Dei*] Quem virum sanctissimum, laudatissimumque semel appellat Saresberiensis. Missam epistolam indita Christi æra indicat an. M.C.LXI. Post aliquot dehinc annos delectus ab Alexandro Papa Simon, cum Bernardo Grandimontensi, qui ad regem F Angliæ Pontificias litteras deferret, eumque ad redintegrandam B. Thomæ gratiam hortaretur, ea legatione strenuè perfunctus est: cuius acta Saresberiensis idem exponit lib. IV. collectaneorum historiæ S. Thomæ.

EPISTOLA XII.

Dominis & patribus carissimis, Basilio priori Carthusiensium cum cæteris Prioribus, & sancto conuentui, frater Petrus Abbas Cellensis, consilium & auxilium veritatis & pacis.

REfusione vberiori irrigatur hortus Dei ille conclusus, fons signatus, quotiens in vnum conueniunt fistulæ & canales benigni Spiritus Dei non ad calices Babylonicos absorbendos, sed ad fæces Iacob expurgandas, & ventres steriles fæcundandos. Spiritus Dei à qua- G tuor ventis cœli singulos vestrum de loco suo euocauit, vt vnum corpus plenum gratia & veritate efficeremini. Vos enim qui Priores estis, & curam aliorum suscepistis, quasi venæ in corpore Carthusiensis ordinis estis. Tam itaque vnanimiter regimini vestro inuigilate omnes, & tam temperanter à subiectis vestris mandata & consuetudines ordinis exigere debetis, quanta in charitate in humano corpore venæ omnes sibi sociantur, & salubrem vegetationem omnibus membris æqua distributione sanguinis largiuntur. Eadem siquidem cautela fugere debet nimiam exilitatem & subtilitatem vena, quà immoderatam grossitudinem & repletionem. Nimia namque repletio, nisi citò euacuetur, acutam facit, & longam ægritudinem gignit. Rursum nimia exinanitio vires detrahit, & bona valetudine destituit. Domini & patres carissimi, ostium vestri ordinis & visione rara, & interrogatione assidua iam triui: & si consilium alteriùs lethro admittitis, non vsquequaque dispensationes, quæ de corde charitatis procedunt, anathematizabitis. Quam enim friuolum & inconstans est, sine ra- H tione & autoritate meliorum mutare decreta, & statuta seniorum; tam pertinax est, & extra regulam temperantiæ, quæ est mater virtutum, velle temporibus & moribus hominum negare quæ deceant & expediunt. Ignoscite quod vocem funestam quidem, quantum ad sonum, sed veram quantum ad sensum, in vestro sancto conuentu de latibulo meo ausus sum proferre, & de his hactenus. Ceterùm salutat vos dominus Henricus Comes Trecensis, & vniuersitati vestræ mandat cum omni supplicatione, vt suæ petitioni acquiescatis: & nobis hoc iniunxit, vt ad vos vnum de nostris mitteremus, per quem voluntas & desiderium cordis vobis innotesceret. Quod autem non proprio sigillo scripsit vobis, occupationis maximæ fuit de suis & regiis negotiis. Est autē petitio, vt ei concedatis locum præparare ordini vestro sumptibus suis, iuxta morem vestrum, in terra sua, vbi visum fuerit his, quibus hoc negotium iniunxeritis.

A Petit etiam, vt Priori de Moote Dei, & *a* Priori de Valle sanctæ Petri iniungatis hanc curam. A molnis enim temporibus hoc ipsum cœpit, & orationibus vestris adiutus cupit perficere. Ex parte etiam oostra hoc ipsum humiliter & deuote petimus: quia Deo iuuante auxilium & consilium non fictè huic operi subministrabimus.

NOTÆ.

a *Prior de valle S. Petri*] Ordinis item Carthusiensis insigne est monasterium in diœcesi Laudunensi, cuius Priorem aliis etiam locis commemorat, eique scribit, sed nusquam nominat. Is autem erat Ingelbertus, vt didicimus ex epistolis Saresberiensis.

EPISTOLA XIII.

B *Dominis & patribus suis de Monte Dei, Simoni Priori cum cæteris fratribus, Frater Petrus qualiscumque Cellensis Abbas, vultus in propitiatorium semper tenere.*

VAtius rerum cursus, sæculorum volubilitati irremediabiliter innexus, nihil stabile, nihil æternum sibi inesse euidenti ratione approbat. Currit, fluit, fugit, labitur; & euanescit quicquid vnquam habere potest mundanus vsus. Præcurrit defectus satietatem, præterfluit adeptio appetitum, effugit instantiam desiderij forma gloriæ, elabitur vrenti imago felicitatis, euanescit à viuentibus, vita, quis dum *ordirer succidit me.* Summa itaque dementis est, currere post defectum, appetere non apprehensibile, instare fumo, vti imagine pro veritate, velle diu ea vita viuere, quæ iuxta Gregorium vitæ æternæ comparata, mors potiùs dicenda est quàm vita. Aliàs sine dubio cursum vestrum conuertistis, fratres & domini carissimi: alio appetitu viuitis: aliâ instantiâ C pretiosas margaritas in foro & nundinis veteris & noui testamenti quæritis: alio vsu in carne præter carnem viuendo corpora vestra quæ sunt super terram, Christo concrucifigitis: alia conuersatione æterna & quæ non videntur concupiscitis. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Ideo ad montem Domini sicut passer euolastis, & nidificastis in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ, ne procella aëriarum suggestionum vos inuolueret, ne diluuium carnalium titillationum absorberet, ne laqueus sollicitudinum sæcularium concluderet, ne aura humani fauoris omnem ventum à facie terræ dispergeret. Ecce locus iste est, quem constituit Dominus Moysi, in quo vidit posteriora eius, dum ante eum transiret. Ni fallor, vir ille bonus, qui Sunamiti mortuum puerum reddidit, cui illa cum viro suo cœnaculum præparauerat, & lectum, & mensam, & candelabrum, per vos sæpe transitum facit, contemplatus à vobis in cœnaculo gloriæ, inuentus in lecto mundatæ conscientiæ, cibatus & potatus D in Sacramento Eucharistiæ diuinæ, accensus per donum sapientiæ & intelligentiæ. Adiuro vos per campos, ceruosque camporum, vt cùm transierit, post tergum eius clametis pro pace vniuersalis Ecclesiæ, pro his qui in sublimitate sunt, pro Comite nostro, cuius cor tetigit Deus, ædificare vobis locum, in quo secundùm genus vestrum fructum faciatis, pro me peccatore suo & vestro, pro omnibus nobis commissis. Transite cum illo & post illum, vt mentem in perpetuas æternitates, vel in ictu oculi, vel media hora, vel momento conspiciatis, donec transfiguremini à claritate in claritatem. Certè qui sequitur transeuntem, videbit stantem, vel sedentem. Fratres mei carissimi, si delibatio sancta & massa: si memoria eius vinum Libani, quid præsentis, nisi inebriatio vberum, nisi obliuio præteritorum, & iubilatio interminabilis de plenitudine gaudiorum? Expectatio horum lætitia, quid fruitio, nisi lætitia sempiterna? E Ad instar grani sinapis visio tua, IESV, modico sibilo auræ tenuis aures cordis percellis, & quis poterit cogitare horam transitus tui? Si dormio, somniare possum, & videre non possum. Si vigilo, detentus aliis occupationibus & curis tam citò exoccupari nequeo. Si vigilo & vacauero, tunc fortè venam susurrij eius audio, sed nondum video. Quando ergò videbo transeuntem? Si mundum cor sursum habuero, si puras manus, si lotam faciem, si tota anima, tota virtute in omnibus solum Deum quæsiero, & me totum in ipsum conflauero, vt non ego in me viuam, sed Christus viuat in me, qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio & redemptio. De mendacio autem, venia petita, me ipsum condemno apud vos. Nec enim solui quod promisi, vel semel in anno reuisere nidum illarum sanctarum virtutum, Montem Dei, in quo plumescunt animæ charismatibus gratiarum. Fefellit me tunc ignota futurorum facies, & inuoluta plurimorum casuum series. De præsenti affectu, quo mens mea totâ illâ quadrage- F simâ impinguata eructabat mellis & butyri riuulos, pensabam sequentes annos. Sed eruca, locusta, bruchus, & rubigo deuorauerunt speciosa deserti, expandentes retia quotidianarum sollicitudinum pedibus meis, vt quod egressum est de labiis meis facerem irritum. Peccaui, quid aliud dicam? Si me excuso, os meum condemnabit me. Magis autem meretur veniam culpæ, humilis confessio erroris, quàm argumentosa extenuatio criminis. Veruntamen cùm redditur ratio facti, rei veritas non obfuscatur, neque rei culpa si qua est dissimulatur. Distinguitur namque falsa excusatio, & rationabilis satisfactio. Alterum culpam cumulat, alterum quatenus culpandus, vel non culpandus sit qui arguitur, declarat. Vterque etiam peccat, & qui mentitur in sui accusatione, & qui dedignatur falsa obiecta vera relatione diluere. Reproba humilitas est, plus quàm in corde tuo sentias vanè te deiicere: detestanda præsumptio, famam suam negligere, & suspicionis næuum non abolere. Vtroque genere deuitans tam quòd à vero deuiat, quàm quod præsumptionem redoleat, & me non venisse fa- G teor, & innumerabilibus detentum occupationibus attestor. Factum, immo non factum agnosco: causam facti; siue non facti, vobis diiudicandam relinquo. Quid pluris sit, vel quodlibet alteri præiudicet, id est factum causæ, aut causa facto, definite. Cedo enim sententiæ vestræ, qua credo vos de facto secundùm causam, non de causa secundùm facti qualitatem litem dirimere. Plus enim attendendum est, quare aliquid fiat, quàm quid fiat. Informis namque est actus ille, qui nullam habet causam quare fiat; deformis, qui malam, bene formatus qui bonam. Vnde & bonus est omnis actus ille, qui iustam habet causam, malus qui iniustam. Indifferens verò dicitur actus ille, cuius causa parum concurrit vel ad iustificationem, vel ad corruptionem. Augustinus de bona causa: *Causa, non pœna martyrem facit.* De mala Dominus in Euangelio: *Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Item in legibus de indifferenti: *Voluntas & propositum distinguunt maleficium.* Dicit Ambrosius, *Affectus tuus operi tuo nomen imponit.* Subtiliter tamen ratione quorundam H actuum pensata, nulla intentione, nulla affectione boni fieri possunt, vt crucifigere Christum, vt adulterari, & similia. Vt ad propositum redeam, & congrua structura cohærere primordiis extrema faciam, venire ad Montem Dei inter illa numero, quæ si bono animo fiant remunerabilia sunt; si malo, damnabilia. Fur enim ille, qui fratris illius leprosi pannos, dum Missa celebraretur, abstulit, præmium bonum pro tali facinore non habebit. Recipiet verò mercedem, qui pro sancto desiderio videre castra Dei apud vos properauerit. Satis est, si non plus satis sit. Mora enim meo tardè incipio, sed & tardè finio. Comes Henricus reaccenso spiritu instat quærere locum idoneum, & asserit illum alium locum non se dimisisse, nisi quia vos noluistis acquiescere. Consulo ergo, vt non graue sit iterum mittere aliquem de fratribus, cum quo ipse videam vel per me, vel nostros

locum,

Esa. xxxviii, 12.

locum, vt iam dictum est, aptum ordini vestro. Sine mora facite hoc. Sigillatim & generaliter omnes vos saluto, quandoque venturus ad vos, si Deus voluerit, & fortè cùm redierit nuntius vester ad vos. Interim orate pro nobis. Robertulom nostrum saluto: Richardum, Stephanum, Nicolaum, & iterum omnes simul.

EPISTOLA XIV.

Amicis suis carissimis M. a *Ioanni, & Richardo fratri suo, frater Petrus S.Remigij dictus Abbas perpetua pace gaudere.*

STylum scribendi in sepulcro Beati martyris Thomæ Cantuariensis, audita eius morte, iam iam recluseram, arbitrans carissimos meos Ioannem & Richardum ei consepultos, nec interim aura libertatis fruituros. Fallax namque rumor, & nimium varius, nil nobis de vobis certi afferebat, vel afferebat. Vnde quod in dubiis semper faciendum censeo, lucem veritatis patienter, sed non gratanter expectabam, ne in incertum currerem, falsum pro verò retinens; gaudens forsitan cùm esset mœrendum, & mœrens, cùm esset gaudendum. Resumebam tamen, post longam ad me ipsum disputationem, de incommutabili diuinitatis consilio spiritum, & quicquid vobis contigisset, post glorificationem sancti Martyris, in partem vertebam meliorem: quia siue contribularemini, siue consolaremini, in argumentum & augmentum fidei vestræ accipiendum non dubitabam. Neque enim tam modicæ fidei scio vos esse, vt timeatis calicem domini bibere in passione, quem frequenter bibitis in Christi recordatione. Tandem ex veraci relatione status vestri, omni absoluta compage, omnipotenti & benignissimo Deo medullatas refero grates, qui non aufert a vobis solitas suas miserationes, sed vt credo, quia præmisistis dilectissimum patronum in cœlis, recipietis sine dubio alium paraclitum vice eius in terris. Ecce, mi dulcissime Richarde, protinus in osculis faciei tuæ, non sine affectu viscerali, attendens mutatum habitum, nescio si melioratum animum. Quid enim honestatis, quid maturitatis, quid pietatis, quid totius religionis deerat, cùm esses in oculis meis, & nostræ congregationis, speculum bonitatis, & forma integra æmulandæ imitationis? Nusquam fuisset illa præpropera sollicitudo regressionis, potuisset tibi sufficere domicilium amicæ paupertatis, & satis caræ si recolis societatis. Sed ô cœca & futurorum nescia mens humana! extra vel vltra diuinæ moderationis gressum ne porrigas pedem: quia labi est, à Deo non regi; & per se ire, perire est. Si nobiscum mansisses, solatio contra pene omnem molestiam fuisses, nec à Deo desertum crederem, dum huiusmodi pignus suæ miserationis mecum tenerem. Sed factum est, quod factum est. Sit stimulus maioris desiderij molesta corporis absentia, & vbi nulla subest corporalis visio continuetur oratio. Ne diutius scribam, familiares succedunt interruptiones, quæ animi quietem interrumpere non cessant, & laborem perpetuare. De statu autem nostro vtrumque amicum certifico: ac de corporali sospitate dico, quòd qualem dimisistis, talem adhuc inuenire potestis. Pax in congregatione nostra est, & cursu consuetudinario adhuc currimus. Cùm omnibus hominibus pacem habemus, maximè cum Domino Archiepiscopo. Debitis non valde grauamur. De Marna reditus nostros habemus. Bene est amicis nostris & vestris; Cellensi Abbati, sanctorum Crispini & Crispiniani, *b* Abbati sancti Nicasij, Prioribus de Monte Dei, & de Valle sancti Petri. De quæstione autem illa, quam in fine passionis Beati martyris Thomæ, bone amice posuisti, credo nullatenus solutionem te latere. Forsitan tamen & meum animum in tuam sententiam translatum non dubitabas, quia quod Deus per se facere disponit, hominis auxilium vel auctoritatem non quærit: vbi autem ministeria hominum non despicit, causâ nostræ vtilitatis vel humilitatis hoc facit. Absque enim Sacramento, id est visibilium elementorum vel operum adminiculo, hominem saluare posset, nisi exercitia humilitatis vel fidei ad vtilitatem saluandorum vtilia procurasset. Diffinitiuè ergo teneo, nulla ratione lucernam accensam in manu Dei posse supprimi vel extingui: nec ibi expectandum hominis iudicium, vbi manifesta luce Dei se explanat iudicium.

NOTÆ.

a *Ioanni & Richardo fratri suo*] Ioannis quoque Saresberiensis ad Richardum fratrem epistolæ tres leguntur. Richardus autem hoc tempore, id est sub annum Christi M. LXX. quo exeunte interfectus S. Thomas, habitum mutarat, regulari suscepto. Quare idem posthac, vt Canonico regulari scribit lib. VI.

b *Abbati S. Nicasii*] Remensium id cœnobium, Remigiano situ proximum, atque ordinis eiusdem. Abbas autem tunc erat Guido II. Monachus olim S. Remigij, ad quem Alexandri epistola XXVIII.

EPISTOLA XV.

Carissimo Domino & amico suo a *Abbati sancti Eadmundi Petrus humilis Abbas sancti Remigij salutem & deuotum obsequium.*

NOn solùm scribere, sed nec nuntium mittere à multis temporibus vobis potuimus. Causa non latet, nec quidem iacet. Adhuc in pendulo est, & magis apud nos dubium quàm certum, vtrum præsentes literæ saluæ re aliquo modo ad vos peruenire valeant. Pereant tamen an veniant, nostra dilectio obire non poterit: quia nec hominem timet, nec ignem, nec aquam, nec quamlibet oppressionem ex insidiis fortunæ. Mediatores illos, quorum interuentu familiaritas inter nos oborta est, penes vos habetis: de quorum amore tam vester quam noster animus pendet: in ipsis & ex ipsis faciem nostram aspicite, & quam habeamus erga vos affectionem, pensare. Plura scriberemus, sed digito labellum compescimus, quia incautum est veritatem fines vestros perambulare, vbi recenter soffocata & strangulata est, nec iam in palam apparere audet.

NOTÆ.

a *Abbati S. Eadmundi*] Hugoni, ad quem Saresberiensis epist. CCLVI. & aliæ. De S. Edmundi monasterio in Norvvicensi Orientalis Angliæ diœcesi multa Vvillelmus Malmesb. lib. II. de gestis Pontificum Anglorum.

EPISTOLA XVI.

a *Episcopo Exoniensi.*

LVctus noster in gaudium vertitur, cùm de terris amicus noster ad cœlum leuatur. Spem quidem bonā de ipso, si diu inter nos viueret, conceperamus: sed iam optimam in cœlo repositam habemus, Episcope Exoniensis. Quid & de quo loquamur, nostis. Non dubito partes vestras plenissimè interpositas, vbi tantum perpetratum est nefas. Remanserunt huius aquilæ, quæ ad astra euolauit, pulli lambentes sanguinem eius, & sese quotidie inebriantes felle & absinthio. Sit eis tamen solatiū spes futurorum, euidentia miraculorum, & patientia præsentium malorum. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, vt euolem, & visitem tumbam pretiosi mar-

A tyris sancti Thomæ? Credite mihi confidenter, veniam impetraturus de peccatis meis aditem locum illum, de quo sanctissima eius anima per proprium sanguinem assumpta est ad consortium sanctorum meorum. Vos ergo vices nostras supplete, & pro nobis orate, atque dulcissimos illos amicos nostros & vestros benignè fouete.

NOTÆ.

a *Episc. Exoniensi*] Bartholomæo, vt liquet ex epistolis Ioannis Saresb. & Petri Blesensis XXCIII. Eundem ergo intelligi oportet lib. v. epist. XII.

EPISTOLA XVII.

Domino a *Petro Abbati de Silua, Petrus Abbas sancti Remigij.*

B Satis est grata nobis occasio, quâ vobis scribere compellimur. Cùm enim vestram præsentiam, si à Deo daretur, totis semper amplecteremur brachiis, quid mirû si vel semel in anno absentiam qualicunque stylo alloqui desideramus? Nec tamen quæ, vel quantum volumus, amantissimo amico præsentibus literis insinuamus: obstante illa, quæ pene cunctis affectionibus nostris insidioso nouercatur oculo, importunitate congestorum negotiorum, quæ tollit à me animam meam plus sæpe nolente, quàm volente. Est itaque petitio nostra apud vos pro Priore vestro Nouiense, viro honesto, opinionis bonæ, & famæ hilaris in partibus nostris. Electus enim in Abbatem, excusat se à tanto onere, tum propter humilitatem suam, tum propter difficultatem laboris, quem nondum expertus, iam reformidat tanquam expertus. Instillauit enim auribus nostris, se potius sæculum repetere, quàm onus istud suscipere. Non quidem

C approbo tantam hominis in isto negotio constantiam, ne dicam pertinaciam: quia ordinata Ecclesiæ charitas hoc exigit, vt gratiam acceptam in inuicem subministremus, & iuxta legem Mosaicam, maledictionem illam fugiamus, qua dicitur, maledicta sterilis, & quæ semen non fecerit in Israel. Quia tamen alias dicitur.

Matth. xxvi. 10. Cant. II. 7. *Quid molesti estis huic mulieri?* & in Canticis. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque vigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Pede postulationis nostræ suspenso in ambiguitate spinosi deambulans, vestræ discretioni quid potiùs è duobus eligendum sit relinquo. Officium autem postulantis expleo, vt suggerens vobis nullo modo cogendum supra vires hominem discretum definiam.

NOTÆ.

a *Petro Abb. de Silua*] Siluæ maioris dicitur lib. VI. Sic enim appellant Benedictinorum cœnobium in diœcesi Burdegalensi, de quo eiusque auctore B. Geraldo in Sanctorum album tunc recens adscripto Stephanus Tornacensis epist. CCCXXI. Aliud est Grandis syluæ

D Monasterium ordinis Cisterciensis in Tulosana

EPISTOLA XVIII.

a *Abbati Latiniacensi Abbas sancti Remigij.*

Promissioni nostræ, & petitioni vestræ, nec potui, nec debui deesse. Cùi enim semel animam nostram communicauimus, valde absurdum esset, si ea quæ infra animam sunt negaremus. Apparens etenim & euidens argumentum est, non bene animos coniunctos, vbi quæ possibilia sunt, & facta digna, nulla interueniente ratione, ab amicis non præstantur. Et in hoc itaque & in aliis, me & mea vobis exhibeo, non diffidens de bonitate vestra; vt si quando simile quid à vobis expostulauero, fa-

E cilè mihi indulgeatur. Tamen nouerit dilectio vestra, frater, nos opus nostrum incorrectum confidentissimè vobis eredere, obnixè rogans & supplicans, vt limam correctionis adhibeatis, superflua confodiendo, exilia supplendo, malè ordinata ad ordinem reuocando, & quicquid inde vobis visum fuerit, tanquam de vestro faciendo. Valete.

NOTÆ.

a *Abbati Latiniacensi*] Quod S. Petri, de Latiniaco ordinis item Benedictinorum est cœnobium in diœcesi Parisiensi. Extat D. Bernardi epist. CCXXX. pro Abbate Latiniacensi.

EPISTOLA XIX.

Alexandro Papa Petrus Abbas S. Remigij.

F Quæ in euidenti & manifesto sunt vera, si ipsa loquuntur, seipsa nullo adiuncto adminiculo testantur. Quæ autem remotione loci, euolutione temporis, vel cuiuslibet implicatione caliginis profundum tenent ignorantiæ, cùm rei publicæ poposcerit vtilitas, sub luce volunt videri. Hinc est, pater sanctissime, quòd a lator præsentium, in gremio nostræ humilitatis coalescens, habitum religionis à nobis in monasterio Cellensi suscepit, diuque ibi vbera vino meliora sugens, in virum Episcopalem gratia Dei cooperante profecit. Reuera opus & onus iniuncti officij amplectens, non autem robur suum puniens, nec obrizo dicens fiducia mea. Quærit enim à sede Apostolica mortem per mortem, quia & in itinerere quò pergit, mortem minatur æstas, & Imperialis potestas, & quam exposcit, si obtinuerit, mortem importat Barbarorum infida societas. Habet itaque animam suam in manibus suis, offerens illam Deo per manum cælestis claiculanj, & vestram. Excipite, si placet

G hostiam sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, & beatissimi Apostolatus vestri autoritate exponite ouem lupis, si fuerit beata conuersatione non lupus comedat agnû, sed agnus conuertat lupum. Quodlibet autem horum fiat, Deus glorificabitur, ministerium vestrum honorificabitur, & anima fratris nullum detrimentum patietur. Præsumo enim à præteritis, quæ in eo enutriui, & multis didici argumentis, quòd in commisso fidelis erit, & à tramite fidei nullu incursu exorbitabit, potiusque dabit sanguinem, quàm imminuat fidem. Ait Apostolus: *Spiritum nolite extinguere*, & lucernam iam in 1. Thess. 5.19.
modio accensam amplioribus suffusoriis accendite: quia hæc est gloria & corona vestra, si granum frumenti per manum vestram in terram cadens multum fructum attulerit.

NOTÆ.

a *Lator Præsentium*] Fulco Episcopus In Suetia designatus pro quo iterum eidem Alexandro scribit lib. VI. epist. VI. Fuerat hic Cellensis primùm monachus, dein etiam S. Remigij, Petrum opinor Abbatem secutus. Sa-

H nè in diptychis S. Remigij, inter alumnos eius cœnobij, qui Petro Abbate vitâ excesserunt, nominatur Fulco Episcopus.

EPISTOLA XX.

Magistro Ioanni, & fratri suo Richardo, Petrus Abbas sancti Remigij.

Statum nostrum prætermisso proœmio vobis notificare studeo: cuius nec satis bonus, nec pessimus ad præsens occurrit aspectus. Valde autem sollicitus sum de statu terræ, cuius quasi claues & columnas citra mare, a Legatos scilicet Romanæ curiæ tenemus. Quid autem statuere, quid deiicere, quid ape-

rire,

A rite, quidve claudere debeant, tam ipsis quàm nobis incertum est. Tota siquidem clausula negotij pendet ex aduentu & responsis Regis Angliæ. Tamen modestos præsensi nimis amicos eorum in executione mandati, nisi fortè ex contemptu exasperati in duriorem prosilierint sententiam. De proprio ergo statu id enuncio: quod quantum ad personam nostram, cursu consueto valetudo procedit: quantum autem ad Ecclesiæ communem pacem & prosperitatem, sic se habet quomodo soles. Vnus autem, scilicet frater Herueus, iam nobiscum non ambulat. Iuit viam suam; vtinam non post Satanam. Si ad vos venerit, equos accipite, & si quid aliud honestè ab eo auferri poterit. Super quæstione autem tua, frater Richarde amice dilectissime, nolo multiplicare superuacuos circuitus, & multorum verborum anfractus. Quæris autem, vtrum ad singulos de collegio culpa, quæ videtur respicere Oeconomum vel Præpositum, ipsius ditiuatione singulari & certa percurrat, & illiciat singulorum conscientias.

B Ezech. xviii. 20. 1. Cor. x. 25. Ait propheta: *Anima quæ peccauerit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filij.* Item autoritas: *Mala non sunt, quæ nec mentem inquinant, nec conscientiam ligant.* Item Apostolus: *Quæ in macello veniunt, edite cum gratiarum actione, nihil interrogantes propter conscientiam.* His omnibus auctoritatibus, non mihi videtur singulorum capita percutere, si quid à Præposito malè administratum fuerit: & sufficere claustralibus, nescire vnde veniat quod edant, vel quid vestiant. Tanta enim simplicitas debet esse columbæ, quæ in foraminibus petræ & in cauernis maceriæ nidificat, vt remota omni sollicitudine, quicquid manus eius inuenerit in lecto, siue in refectorio, simpliciter accipiat, & Deo gratias agat. Si quis autem dixerit, hoc idolothytum est, id est de rapina, vel vsura, vel alio quolibet modo malè acquisitum, abstineat. Valete.

N O T Æ.

C a *Legatos Rom. curiæ.*] Albertum & Theodinum Cardinales ad Henricum Angliæ Regem missos, vt de cæde S. Thomæ cognoscerent, vtriusque mentio in epistola LIV. Alexandri.

EPISTOLA XXI.

a *Sancti Medardi, & sancti Crispini Abbatibus Petrus Abbas sancti Remigij.*

NEscit veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur arundinem vento agitatam. Sine profunda radice amicitia, accidens est non substantia, species non virtus, fœnum de tecto, quod antequam euellatur arescit. Tres itaque præcipuas ancillas, sine quibus viuere non potest, comites habet & pedisequas, iustitiam, patientiam, & constantiam.

D Iustitia suum ius vnicuique seruat, patientia, si fortè interuenerit, iniuriam salua integritate amicitiæ tolerat: constantia nec qualitate nec quantitate pacti præuaricati expirat. Quis ergo abduxit? quis seduxit? quis exturbauit funiculum hunc triplicem à sacratissimis visceribus Dominorum & amicorum meorum, Abbatis sancti Medardi, & Abbatis sanctorum Crispini & Crispiniani? Moriatur non viuat tam nefarium & nefandissimum scandalum seruorum Dei, quod de radice vetustissimi colubri, id est, ineptissimæ auaritiæ prodiit. Subornat se quidem occasio auaritiæ vestimentis iustitiæ, sicut Iacob vestimentis Esaü valde bonis, & Iacob mentitur se Esaü. Pater tamen vniuersorum, qui quasi oculos caligantes exhibet, dum ipso iudice ipso omnia regente, iniustitia iustitiã opprimit, nec pœnã recipit, quasi miratur de tanta hominũ fraude, qui sub oculis eius non timent mentiri, & inuicem fraudare,

Genes. xxvii. 22. dicens: *Vox quidem, vox Iacob, sed manus, manus sunt Esau.* Præfert quisque altercantium jus authenticum, & regulare se habere, nostra inquiens diu sic possedit Ecclesia,

E & nostra sic. Ecce Iacob in voce. Deinde pax cordium concutitur; antiqua familiaritas excutitur, obliquantur oculi, castissimi amplexus soluuntur, de altero alter conqueritur, innexi discipulorum parietes in domus scissuram partiuntur. Ecce manus Esaü. Redite, amici carissimi, redite ad cor. Non grandis querela, grandis autem est de hac discordia inter notos & vicinos vestros infamia. Prædecessorum vestrorum temporibus, nec in personis, nec in rebus monasteriorum vestrorum dicitur fuisse inuenta tanta concordia, quantam firmo & fraterno fœdere hactenus ad inuicem excoluistis. Vnde ergo tam subito valde odiosa aduenit simultas? Quomodo ausa est sacra penetrare pectora execrabilis & execranda temeritas, quâ pacis cubicula inquietarentur, & vtriusque pacatissima quies intempestiuè sollicitata infestaretur? Resarciatur repentè amoris vinculum, ne charitas in alumnis suis saltem vnius diei, ne dicam mensis vel anni, præscriptionis incurrat dispendium.

F Ephes. iv. 26. 1. Cor. vi. 7. Qui enim ait, *Sol non occidat super iracundiam vestram*, regulam iuris præfixit, quam inrutum est præuaricari. Grauis enim sumitur vindicta de illo, qui Euangelij iura violat perpetua. *Quare*, inquit Apostolus, *non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Sordet religio, vbi præualet ambitio: fama fœdatur, si res iniustè auferatur vel acquiratur, conscientia molestatur, si stimulo elationis quoquo modo pungatur. Oleum quo caput mentis impinguatur extra funditur, si pluris pecunia quàm iustitia habeatur. Itaque interpono partes nostræ amicitiæ, si fortè recognita cognatione antiquæ familiaritatis, reporrigant sibi hiantia corda reconciliationis mutua brachia. Rogo vt dies per amicos vestros accipiatur, in quo de concordia familiariter agatur. Valete.

N O T Æ.

G a *S. Medardi Abb.*] Apud Suessiones. Vetus ac nobile S. Benedicti monasterium, vel S. Gregorij Papæ priuilegio clarissimum.

LIBER VI.

EPISTOLA I.

Domino a Alberto Cardinali & Romanæ sedis Legato.

NIsi tanta distantia locorum & multiplex occupationum impedimentum nos retineret, dilectissimam nobis paternitatem vestram visitare nullatenus tandiu postposuissemus. Est enim in pectore nostro multa de negotio vobis iniuncto & de fine eius sollicitudo, quia honor Dei & Ecclesiæ vtilitas, & famæ vestræ integritas, atque totius curiæ Romanæ circumspectio ex eo accipiet apud conscientiam omnium laudem

H & magnificentiam, si secundùm regulam æquitatis & veritatis sortitum fuerit effectum. Quatenus ergo res jam processerit, non sit vobis tædiosum amicum vestrum certificare. Habetis autem idoneum, si placuerit, per quem fideliter remandare & securè potestis, Priorem vtique de Valle sancti Petri, carissimum filium vestrum, quem in Christo genuistis, & eius spiritum in omnibus vobis obnoxium reddidistis. Ad locum namque, qui b Vallis Dei appellatur profectus, vt ibi Priorem substituat, non multum à vobis remotus, si eum mandaueritis venire ad vos, tutis auribus instillare poterit, quæ de statu vestro grata vel ingrata vobis occurrunt. Et mihi quidem videtur, præfatum locum vestro auxilio & consilio multum indigere, quia Episcopus, ad cuius Diœcesim pertinet, manum benedictionis & auxilij differt apponere. Neque enim cœmeterium, neque monasterij sui consecrationem, fratres qui ibi manent habere possunt. Vestra itaque interest, quod de facili po-

A rastis, pauperes Christi in hoc iuuare, vt in loco benedicto creatorem suum benedicant. In calce litterarum supponimus vobis commendare Priorem, qui ibi substitutus est, quem de fornace religionis, & regularis subiectionis nouiter extractum, ad curam animarum regendam filius vester manum mittere coëgit. Doctrina itaque & auxilio vestro instruite illum, quia scitis quàm difficilem rem arripit, qui animas suscipit regendas.

N O T Æ.

a *Alberto Cardin. Legato.*] S. Laurentij in Lucina. Sic enim apud Rogerum appellatur in litteris absolutionis, quas Henrico Regi, cùm se de B. Thomæ nece purgasset, cum Theodino collega dedit. Atque hic nimirum fuit exitus legationis, de qua audire aues hoc loco, & de qua scribit Alexander epist. LIV.

b *Vallis Dei.*] Carthusiensium cœnobium, ad Diœcesim pertinens Episcopi Carnotensis. Hunc enim Episcopum B significat. Aliud est Vallis Dei monasterium, ordinis Præmonstratensis in Remensium Diœcesi, quod ad rem nihil facit.

EPISTOLA II.

Archiepiscopo Senonensi Petrus Abbas Sancti Remigij.

OPus manuum vestrarum, locum vtique qui dicitur Vallis Dei, non tradatis obliuioni: quia nouella plantatio citò deficit, siue arescit, nisi frequenti irrigatione ei succurratur, & fomento multiplici foueatur. Ad suam patriam, vt credimus, euolauit spiritus filij vestri fratris R. quem sicut paternis gremiis, dum in carne esset, continuistis, sic iustum est vt orationibus & benedictionibus vestris vsque ad thronum gratiæ conducatis. C Quia ergo sublato pane de mensa Domini, in sabbatu nouum substituendum non ignoratis, eandem dilectionem & protectionem oramus impendi bono & religioso iuueni, quem amicus & filius vester carissimus ibi ex voluntate fratrum præposuit, Prior de Valle sancti Petri. Vt scitis, domus ista domus orationis vocatur. Necesse est ergo, vt sine dilatione auxilio vestro consecretur, quatinus veraciter & non fallaciter locus ille sanctus vocetur. Quicquid enim ibi religionis, orationis, sanctificationis, mortificationis, & aliarum sanctarum obseruationum serui Dei inibi conseruando, cæleste præmium promeruerint, in sinu vestro reuertetur, & ad caput vestrum defluet: quia qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Non ergo pigeat vos, cœpisse expendere in vsus pauperum aliquid de substantia vestra, quia vos recepturi sunt in æterna tabernacula.

D

EPISTOLA III.

Vni Cardinalium.

VNa sua Christus amplissima, & generalissima regula omnes tam præcedentium quàm subsequentium Catholicorum Patrum sanctissimas sanctiones compendiosè includit, dicens de dilectione Dei & proximi: *In his duobus tota lex pendet & Prophetæ.* Reuocanda igitur sunt omnia, quæ fiunt in Ecclesia Dei, ad hanc ordinarissimam regulam: quia quicquid ab ea discordat, à spiritu pacis & charitatis non manat. Inde est, pater venerande, quòd dispensationes quarundam institutionum non indignè admittuntur pro maiori & meliori recompensatione. Volumus igitur vobis notificare, quanta mala & quantas hominum strages in terra nostra ex guerris quorundam nobilium hominum, videlicet Comitis Vuischardi de Ruzeio, & Comitis Recensis * atque Hugonis de Pertiponte, diebus nostris, & antecessorum nostrorum acciderunt. E Homines innumerabiles tam occisi quàm capti & redempti sunt, & nouissima damna sustinuerunt. Religiosæ domus deprædatæ sunt, & multa alia mala prouenerunt. Interuentu tandem bonorum & sapientum & religiosorum, matrimonia inter se contrahere disposuerunt, vt saltem isto nexu confœderati, inter se pacem tenerent & haberent. Penset itaque vestra discretio, vt si quid de gradu consanguinitatis obstat, pro bono pacis, & pro tantorum malorum recompensatione, quæcunque fieri potest à Domino Papa non recusetur dispensatio. Valete.

EPISTOLA VI.

a Nicolao monacho.

INiqua forte sæcularis occupatio, & æternorum affectio, sollicitudinem nostram diuidunt. Sesquialteram F namque & supra animæ nostræ portionem negotiatio temporalium actionum sibi, nullo interueniente bonæ fidei contractu, vendicat, & mihi de me vel exiguam partem non relinquit. Passam denique iniuriam in alios referre, non minus stulti quàm iniuriosi est. Sumpto siquidem probabili & noto de prope argumento, cauere quisque debet, ne alieno ægrotet incommodo. Igitur de quantulacumque relicta mihi portione quietis, siue furtiui otij, subdiuidens indulgeo amico modicum de modico. Gratia quoque tui facio licitum, quod de facto, non de iure, pene redditur illicitum. Sola etenim non licent, quæ sola licere deberent. Ea vero plurima & sine licentia sese ingerunt, quæ salutem magis impediunt quàm expediant. Vnde ergo exordiar? Quàm solemne, quàm deuotum acturus sum vicinis congratulationis conuiuium, qui quasi de morte recepi amicum? Plus falsi quàm veri rumores serere populares, in multis expertus, fallaciam eius æquitatis iudicio condemnare G soleo. In hoc autem articulo mendacio, tumusculosæ verbositatis gratias ago. Iam namque à multis retro annis te in fata concessisse acceperam, quod veraciter falsum esse nuper, quasi de graui somno euigilans, gauisus sum, in eo quòd adhuc nostræ sortis & vitæ consortem te esse audiui. Equidem de numero amicorum nostrorum ex eo habere te censui, ex quo scripta tua legi. Ampliùs autem nostræ amicitiæ vincula tenacissima intexere debet, quòd ex toto corde compassus, Deo animam tuam, quam de corpore euolasse ad sinum matris misericordiæ credebam, non semel commendaui. Vicem ergo debes nobis, si rectè de amicitia iudicaueris. Quam Ideirco obnixè expostulo, quia nescio qua hora, quod de te falsò opinatus sum, mihi indubitanter contingat. Et video viscera misericordiæ Dei nostri fines vestros copiosa benedictione respersisse. Pretiosi namque martyris Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi occasus, orientalem nobis fenestram aperuit, & de fidei atque patientiæ suæ splendore Anglicas tenebras illu- H strauit. Quæ enim terra tantum de se palmitem protulit, ministeriales cælicolas, Angelicas vtique virtutes, pro tanto fructu in sinu suo recepto, perpetuò conciliauit. Qua itaque ratione non sæpe & frequenter reuisiteut terram, de qua tantum thesaurum suis gazis intulerunt? Credo manum cultoris, siue agricolæ, de quo dicitur, *Pater meus agricola est*, venas & valuas (Ioan. xv. 1.) nubium suarum nondum inclusisse, vt abstineat benedicere terræ, quam compluit sanguine magni sacerdotis Thomæ. Non immeritò igitur vndecunque populi aduenientes, & tumbam illius venerantes, benedicunt genti, populo, & nationi, de qua tantus Christi testis ortum habuit. Exora itaque sancta eius merita pro amico tuo, & si qua habes noua scripta mitte nobis. Quæro à te, memor fauorabilis non odiosæ altercationis dudum inter nos habitæ, vtrum ficta morte emendatus, errorem qui non de odio, sed de summo, aut plusquam summo fauore virginis virginum venit, deleueris aut delinieris. Vellem ergo videre, si quid de vera morte

simulata

A simulata mutauerit, cùm absque præcipiti ambiguo vexatio inferni, & si non salubriter, tamen pœnaliter, colonum suum doceat vbi errauerit. Æmulanda certè immo cumulanda imitatione, seria ills non sera præoccupatione anticipat mens cauta, & prouida, quotidie aduocans cœlum & terram cum omni circumlostratione Angelorum, hominum, & dæmonum, acta singulorum proferentium, & debita tormenta allegantium. Felix anima, quæ talibus assueta præludiis, fallaces & feroces tempestiuè præcidit malignorum accusationes, vindictam iudicialem de seipsa à se ipsa exigens, & soluens, vt ventilabrum non inueniens, quod vexando excutiat, sola grana æternis spothecis reponat. Quid igitur de imagine ista transumpseris, rogo mandata litteris mittere amico non dedigneris. Tuus enim mihi placet & stylus & animus. Vale.

N O T Æ.

B a *Nicolao Monacho.*] Anglo, monacho sancti Albani, quocum de conceptione Beatæ Virginis altercatur epistola XXIII. huius libri, & X. libri IX.

EPISTOLA V.

Alij Nicolao.

IAm in desuetudinem pene abierunt reciprocæ salutationes, quas tu bonus sub ouina pelle mihi solebas mittere, & ego qualis qualis tibi. Nescio vtrum modo sis melior, quam tunc, vesturior tamen & nigrior es, & terræ propinquior. Expecto facetias istas nostras à te cum vsura statim solui. Prouolutus ergo pedibus teterrimi idoli, peto indulgentiam de nullo reatu. Mando tamen vt venias ad festum nostrum, quatinus tua pulcherrima & sanctissima facie tota solemnitas illostretur, C & ore illo veridico animæ nostræ à plagis & vulneribus suis curentur. Interim mando tibi negotia nostra, quæ tibi frater iste & socius tuus in colore & facie dicet. Vale, & ora pro nobis. Tua enim oratio penetrat cœlos.

EPISTOLA VI.

Domino & Patri Alexandro summo Pontifici, Petrus Abbas sancti Remigij quidquid filius Patri.

NVllis bona voluntas à sancto Spiritu incitata coercenda est habenis, nullis à proposito retardanda dissimulationibus. Sic enim iam totius nostræ Christianitatis religio intepuit, vt via in toto grege Christiani D populi aliqui inueniantur, qui non malint sub ficu & oliua terreni honoris & delectationis delitescere, quàm procul odorare bellum, & audacter occurrere in occursum cum filiis Benjamin, & dimidia tribu Manasse, expediti armatis inimicis Christi. Ad vos itaque, Pater sanctissime, qui estis in corpore Ecclesiæ caput, de quo oleum non deficit, & qui Australe sufflatorium habetis, respicit desides excitare, excitatos verò ad meliora & viciniora saluti iuuare & impellere. Nunquam ergo vobis molestum debet esse, quod à vobis postulatur in auxilio propagandæ Catholicæ fidei: quia & Dei & Domini nostri IESV-CHRISTI laus inde augmentatur, meritum vestrum cumulatur, salus infideli populo acquiritur. Proinde petitiones pauperis illius Episcopi Fulconis, qui hoc anno curiam visitauit, & modo nobiscum hospitatur, apud vestram sanctitatem commendamus, scientes & pensantes, quia vbi nulla aut rara fidei supellectilia sunt, suffragio copiosiore indigetur. Indulgendum est ergo illi in multis, qui omnibus indiget. Sic Magister & Dominus vester, cùm discipulos suos mitteret vt noua prædicarent, addidit eis vt mira quoque facerent. Non à vobis hoc exigitur, vt virtus miraculorum tribuatur, sed auctoritas vestra cum ipso & in ipso operans, vt faciliùs ei ab incredulis credatur. Nam & Moyses cùm à Domino ad filios Israël mitteretur, signum rogauit dari, in quo sibi crederetur. Priuilegia ergo, quæ à vobis petit, & pro virga Moysi, & pro miraculis discipulorum Christi suffragabuntur ei. Nemo enim Deo faciente contemnet auctoritatem vestram, vel personam illius vestra auctoritate munitam. Valeat sanctitas vestra, cui debeo quicquid sum & possum. A multis enim audio, & in multis experior magnificentissimam gratiam vestram. E

EPISTOLA VII.

Magistera Ioanni Cancellario, & R. Cantori Compendiensi. F

TAm sedula dilectissimi Domini mei Archiepiscopi in pectore meo viget memoria, vt non solùm vigilans, sed etiam dormiens frequentissima visione & allocutione fruar de absente, quod modo non possum de presente. Nulla falsitas in sua & nostra dilectione, quis benignissimum & dilectum semper habeo illum patronum. Tam de ipso itaque, quàm de vobis, & omnibus sociis vestris, habetur apud nos continua & indefessa oratio. De statu autem nostro & terræ vobis remando, quia in pace sunt quæcunque ad Dominum nostrum pertinent. Vndecumque enim bene agitur circa negotia eius, & nepotes sani sunt. Dominus quoque Galerannus strenuè agit; & Dominus Thomas Sacerdos, & Magister Radulfus, nec non & Archidiaconus, & omnes amici vestri. Vnum solum est quod nobis deest, præsentia vestra, & Domini nostri, quam rogamus, vt saluo eius honore maturetis citiùs G nobis & patriæ restitui. Omnes socios vestros & amicos salutate, præcipuè *b* Abbates Belliloci, & sancti Petri de Montibus.

N O T Æ.

a *Ioanni. canc. & R. cant. compend.*] Videntur in comitatu fuisse Archiepiscopi Remensis, qui Romam profectus erat, vt sequens epistola docet.

b *Abbates Belliloci & S. Petri de Montibus.*] Vtrumque monasterium ordinis S. Benedicti: illud quidem in Argona pago Diœcesis Virdunensis: hoc verò Catalauni, de quo iterum lib. VIII. epist. XIV.

EPISTOLA VIII.

a *Regi Sueonum, & Ducibus, & Principibus, & eorumdem Archiepiscopo, & cunctis suffraganeis ejus.* H

CVm animi Deo deuoti principale & summum debeat esse studium, ad gloriam & honorem Dei omnia componere, si fortè aliquatenus se omnipotenti Deo placere, vel leuiter senserit, cumulatis intrinsecùs gaudiis totum se effundit, tanquam liquefactus post sponsum, acclamans & dicens *Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum.* Cant. 4. His nostra paruitas prouocata exemplis, etsi in multis, immo pene in omnibus, quotidie me sciam peccare, & non vt iustum est diuinis mancipari studiis, in hoc vno non vsquequaque despero de misericordia Dei, quia de manu nostra manipulum benignè suscepit, domnum Fulconem Episcopum, quondam monachum nostrum, & in claustrali religione à nobis enutritum, ad summum prouexit Sacerdotium. Recognoscimus in eo vultum nostrum, & spe-

canius quòd non recedat cor eius à Deo nostro, & à mandatis eius. Cùm ergo opportunitas grata obtulerit, quòd tempus habere possumus adhuc cum instruendi & informandi in ampliorem Dei dilectionem, gratanter & deuotè excipiamus, quia vlterius non eum videndum, vsque ad thronum gratiæ, & ad distributionem æterni stipendij arbitramur. Ad hæc ipsa temporis incommoditas cooperatur desiderio nostro Si enim vterque nostrum vellet *a* discrimina & pericula quæ habet transire non posset. Inundantia enim aquarum, vt audiuimus, tanta est, vt vix serenissimis temporibus meabile sit iter quò ad vos peruenitur. Tertia denique causa subest, quia domnus Archiepiscopus noster Romam pergens officium suum nos supplere commisit. Nequaquam autem in dedicatione Ecclesiarum, vel ordinatione clericorum, vel confirmatione Christ anorum Abbatis assurgit dignitas. Per ipsum ergo, qui in omnibus noster est, implemus, quod per nos non possumus. Veniet autem ad vos plenus Dei benedictione, cùm tempora fuerint meliorata. Valete.

NOTÆ.

a *Regi Sueonum.*] Carolo fortasse Suerconis regis filio. Is enim Sueonibus seu Suecis, Gotisque per hæc tempora imperabat. Fulco autem Estonum Episcopus, qui Sueciæ tum regno adhærebant.

EPISTOLA IX.

Priori Cantuariensi.

ME debitorem vobis constituit tam obsequium dilectionis, quod omnibus ex parte nostra per vos transeuntibus impenditis, quàm carissimi nostri Ioannis gratia, quam plenissimè obtinetis. Nouus quoque à Deo vobis collatus Martyr ad suæ sepulturæ locum attrahit & allicit. Quem enim præ aliis mortalibus virum constantem, & in fide vera fundatum cognoui, cum sanctis Angelis & *a* martyribus iam annumeratum corde credo, & ore confiteor. Præsumo autem & ipse de orationibus eius, vtique quia dignum fecit me Deus suis benedictionibus, colloquio, cognitione, atque familiaritate. Accedit & hoc ad cumulum totius amicitiæ, quòd in turbine illo & tempestate *b* per M. Ioannem saluatus & conseruatus est. Noluit Deus stellas omnes cum magno illo sole simul de terra vestra tollere. Ideo reliquiæ saluæ factæ sunt. Planè bene appellauerim stellas, doctrinâ & vitâ relucentes tanti patris filios, & tanti doctoris discipulos. Vtinam radios suos liberè, & absque interpolatione tenebrosæ noctis exercere valerent. Cæteris enim terris vestra melior & clarior appareret, si doctrinam illorum reciperet.

NOTÆ.

a *Martyribus iam adnumeratur.*] Adnumerandum haud multo post Apostolica auctoritate decreuit Alexander Pont. anno M. C. LXXII. die primo Quadragesimæ, vt est in eius epistola LIV.

b *Per M. Ioannem.*] Saresberiensem, qui notarius & familiaris fuerat B. Thomæ. Itaque illo incolumi non totus obiisse B. Thomas videbatur.

EPISTOLA X.

Abbati sancti Eadmundi.

NOn vilescat vobis nostra littera, quam commendat dilectio. Fungitur namque legatione deuoti amici, & paruis expensis supplet impossibilitatem difficillimæ peregrinationis. Illota forte facie, & minus compta vilitate pannorum, sublimes offenderet oculos, nisi essent amicabiles. Genus itaque pensandum, non decus: quia specimen generationis pluris est, quàm forma lucratiua adulterij & fornicationis. Nostra ad vos oratio de genere Israël est, non deprehensa, vel aliquando deprehendenda macula mendacij, tanquam adulterij. Magnum mihi est religiosorum familiaritatem habere, & pretiosum firmiter retinere. Rogo itaque, vices mutuæ orationum nostrarum sæpe alterno recursu ad inuicem præbeant columbina oscula, & duæ pennæ iungantur, quarum beneficio cœli palatia, Deo annuente, penetrentur. Valete.

EPISTOLA XI.

Magistro Ioanni Salisberiensi & Fratri suo Richardo.

GRande dispendium patitur ardens desiderium, si data occasione crassa & supina negligentia negauerit de amico refluere, vel ab amico recipere saltem litterale refrigerium. Sit ergo inter nos pactum, quod impune præuaricari non liceat, quatinus vacua manu, vel breuissima salutatione nuncius nullus accedat, vel abscedat. Non tamen credo aliquando sic euacuari tempora circumuolitantia, vt non alterutrum habeamus, vnde vel de prosperitate, vel de aduersitate aliquatenus conqueramur. Ineptissima planè excusatio quorundam, qui cum moneantur ad confessionem, dicunt se nihil habere quod in confessione referant. Reuera tales copia inopes facit, vel solis claritas eos excæcauit. Non ergo similes eis efficiamur, dicendo, nihil noui nos habere quod referamus: cùm nec Francia citra mare perpetuitatem pacis & tranquillitatis adhuc iurauerit: nec Anglia vestra vltra & iuxta mare medium silentium post completorium teneat. Solent enim tunc fœcundi calices tam apud vos, quàm apud nos, noua & vetera dicere & facere. Sed de his taceamus, ne vestrates irascantur, qui potu viliori non minus inebriantur, quàm nostrates vino meracissimo. *a* Imperator indulsit nobis bona nostra de Marna. Valete.

NOTÆ.

a *Imperator indulsit.*] Fridericus Ahenobarbus. Non semel, vt in remotis possessionibus accidere solet, in Marnæ bonis vim passi sunt monachij Sancti Remigij. Nam & paucis ab hinc annis in totum possessionem, quâ deiecti per annos complures caruerant, Regis nostri auctoritate postliminio restituti sunt.

EPISTOLA XII.

Ioanni Salisberiensi.

SI bene recolo iocos prioris sæculi, dum simul essemus, & ad inuicem plura iocando sereremus occurrit inter cætera, quod quasi de magnitudine cassulæ tunc Archiepiscopi Thomæ, nunc pretiosissimi martyris, conquerebar vbi posset reperiri. Verbum illum fecit Deus, immo eisum fecit nobis, & toti prouinciæ vestræ & nostræ. Inde est quòd vndecumque non solùm Angli, sed & Galli, quasi ad solemnes epulas, & ad fertilissimas iubilationes, concurrunt ad tumbam prædicti sancti: quo & mihi miserrimo & indignissimo contingat venire, videre mirabilia Dei, & adorare Deum in sancto suo antequam moriar. Etsi enim intercipi voragine maris quod intercurrit possem, non timerem mortem cùm vitam quærerem. Interim animis corde meo, ore vestro, adite præsentiam eius, & totis visceribus atque medullis, pro peccatis & miseriis nostris rogate alumnum gratiæ, ne præ ebrietate immensurabilium gaudiorum suorum, qua ab vberibus Christi & gloriosæ virginis Mariæ repletur, nostri obliuiscatur,

cùm

A cùm nos compatticipes compassione animi in tribulatione sua aliquando habueris, & adhuc pro posse deuotissimos gloriæ suæ prædicatores. De his hactenus. Cæterùm de oblatione vestra vniuersitas fratrum nostrorum grates quas potest vobis rependit, & quē cum fratre vestro Richardo ab annis prioribus in societate bonorum suorum annumerauit, cumulatiùs amplectitur, & iocundiùs in perpetuam commemorationem astringit. Nondum tamen reditus exinde comparauimus, quia nulla opportunitas se obtulit. Instantiùs autem laborabimus quærere, quo id maturiùs efficiatur. De glossis nostris, quas retinuistis, vtcunque patienter sustineremus, nisi plusquam granum sinapis minutissimam fidem de nobis apud vos deprehenderemus. Tanto tempore nobiscum fuistis, & miror, immo horreo, si tam exiguam de nobis confidentiam ex præteritis actibus & verbis conceperitis, vt libellum paruissimi pretij à nobis gratis retinere formidaretis. Tamen quia ita egressum est de labiis vestris, ne fiant irrita vestra, prorsus sumptus reposcimus grandes & graues, vt fiat vobis iuxta fidem B vestram. Pretium tamen sine taxatione & sine æstimatione est. Dominum Episcopum Exoniensem saluto, & me sanctissimis suis orationibus commendo. Fratrem vestrum Richardum, quem tenerrimè diligo, & dulcissimè amplector ab Iesv-Christo & ab Spiritu sancto, immo à Deo Patre, vbertate gratiarum impleri exopto. Participem enim me totorum bonorum eius non dubito. Valete.

EPISTOLA XIII.

Venerando, & vtinam non verbo & lingua, sed opere & veritate amico, Theobaldo Abbati Molismensi Frater Petrus sancti Remigij humilis minister spiritum veritatis.

C Vox quidem vestra vox Iacob est, & vtinam manus non essent manus Esaü. Verba vestra venti sunt, litteræ cymbalum tinniens, promissiones nubes sine aqua, sermo sine voce, flores sine fructu, ignis sine calore, aqua sine humore, corpus sine anima, anima sine vita. Quotiens, dilectissime Domine, baculus arundineus mihi factus estis, dum vobis crederem, & nihil acciperem? Quotiens nuncios nostros non primò, non secundò, non tertiò fatigatis, & vanis atque frustratoriis dilationibus delusistis? Vbi est ergo illud priuilegium amicitiæ, vt scribitis? vbi dilectio illa specialis, vbi fides singularis? Communia vestra malè æstimo, cùm specialia tam cassa & vana reperio. Homo tantæ auctoritatis, Abbas tantæ congregationis, monachus & Sacerdos veracissimi Christi, quare non appendit in statera iusta verba sua, vt nunquam exorbitet à regula veritatis, qui regulam professus D est beati Benedicti, immo Christianæ religionis? Fideliter & veraciter protestor, multa incommoda sequi mendacem, dum quisque se & sua illi credere refugit. Si meis acquiescere volueritis consiliis, mutato meliori fundamento, diutius & melius cum prosperitate in Abbatia vestra durabitis, & aduersariis vestris locum aduersum vos malignandi non præstabitis. Debitum nostrum, cùm Deus voluerit & vobis placuerit, habebo. Veruntamen exinde non promerui laborem & dispendium, quia bona fide & cum vtilitate Ecclesiæ vestræ mutuò centum libras ab Ottranno Trecensi accepi: Sufficiunt mihi veteres molestiæ, & pristini labores, quos sustinui, ne vel vna die creditorem molestarem. Non igitur vadam vobis in occursum pro ista re. Apud nos sunt, qui sciunt quid ex debito receperimus, & quid non. Si ad nos veneritis, honorificè vos suscipiemus, & maximè cum pace, si pacem detuleritis. Valete.

EPISTOLA XIV.

E

Priori de Valle sancti Petri.

De quæstione vestra, vtrum scilicet saluâ conscientiâ verè pœnitens possit respondere antiqua crimina sibi obiicienti, nihil est, aut nescio quid dicis, vtinam tempus & licentiam largiorem scribendi obtinerem! Tamen quod in transcursu animo occurrit, respondeo. Vera confessio & plena satisfactio, omnes Ægyptios, tanquam plumbum, in aquis vehementibus indifferenter submergunt: adeo vt solus Israëlita, id est, virtus à Deo concessa euadat, & Ægyptij, id est peccati opprobrium tollatur à conscientia, & ab infamiæ nota. Sicut enim in baptismo, tam originalium, quàm actualium nullæ supernatant reliquiæ; sic in confessione illustrantur tenebræ, & nox vertitur in diem, vt veraciter conuerso & confitenti dicatur, fuisti aliquando te- F nebræ, nunc autem lux in Domino. Et sicut idem Apostolus ait de Christo, *Et si noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus*: (2. Cor. v. 16.) sic & de isto dicatur, etsi noueramus peccatorem, mendacem, homicidam, adulterum, iniustum, & impium, liquefactis iniquitatibus omnibus in fornace cōfessionis, reformetur ad sanctitatis imaginē, & dicatur bonus, verax, innocens, castus, iustus, pius. *Verte*, inquit scriptura, *impios, & non erunt*, vtique impij. (Prou. xxii. 7.) Vt enim tollitur nigredo superueniente albedine, sic malitia superueniente bonitate. Neminem Iesvs semiplenè curauit, nemini gratiam suam modio iniusto mensurauit, vt totum se Deo exponentem non totis vlnis misericordiæ exciperet. *Sine pœnitentia*, ait Apostolus, *sunt dona & vocatio Dei*: (Rom. xi. 29.) quia nisi ab ingratis semel à Deo concessa gratia non reuocatur. Est namque in illo est, nec est in illo est & non sed est tantū in illo est. Cùm ergo verè confitens & verè pœnitens his ditetur priui- G legiis, quis nequam oculus audebit dicere, iudicia Dei non esse iusta, & opera reprehensibilia? *An*, inquit Dominus in Euangelio, *oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (Matth. xx. 15.) Sic erunt nouissimi, id est, grauissimis occupati peccatis, per correptionem primi, & primi, qui se iustos arbitrantur, suam iustitiam constituentes, nouissimi, id est, gratia Dei vacui. His auctoritatibus nō improbè asserere possumus, veraciter posse respondere vere pœnitentem exprobranti sibi antiquas & exterminatas abominationes, immo per confessionem antiquatas & deletas, nescio ita esse vt dicis, vel, nihil est quod dicis. de præsenti enim statu vnumquemque iudicat Deus, nec alicui ad confusionem priores cicatrices peccatorum à Deo opponuntur, cuius vt aquilæ iuuentus per innouationem vitæ renouata est. Quicquid autē iudex ignoscit, aduersarios imputare nō potest. Vnde Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* (Rom. viii. 31.) Non enim solùm cū pœnitente immo etiam pro pœnitente stat Deus, dicens pro ea quę in H adulterio deprehensa ei dānanda oblata fuerat: *Si quis vestrū sine peccato est, prior in illam lapidē mittat.* (Ioan. viii. 7. 10.) Quia sententia illa liberata, cùm ei diceretur, *nemo te condemnauit mulier?* & illa respōderet: *Nemo Domine, nec ego*, inquit, *te condemnabo*. Nonne rectè dicere posset saluâ conscientiâ, non sum quæ fueram, non sum adultera? Tamen regulariùs & modestiùs improperanti & calumniatori respondendum est taliter, Meliùs posses dicere, vel, Deus tibi ignoscat hoc peccatum, vel si qua talia sunt: ad exemplum Iesv, cui cùm dictum esset, *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes*, alterum simpliciter negauit dicens: *Ego dæmonium non habeo* de alio prorsus tacens. (Ioan. viii. 48.) De his hactenus. Abbas S. Crispini in præsenti nobiscum ad Montem Dei venturus est, & mandat vt nobis ibi occurratis. Si ergo potestis, facite quod amicus rogat: quia de omnibus tunc melius poterimus conferre, & ad inuicem, & cum Priore. Marcam argenti & dimidiam ad faciendum calicem Ellandus Canonicus sanctæ Mariæ Remensis legauit vobis. Orate pro anima eius. Valete.

EPISTOLA XV.

a *E. Lundensi Archiepiscopo.*

ÆTernas & antiquas venas misericordiarum & benedictionum suarum profusa in omni largitate diuina gratia his temporibus, licet charitas multorum refrigescat, nondum exclusit. Quamuis enim reconditos & latentes sinus gratiæ in mentibus multorum fidelium Deus in Ecclesia sua adhuc retineat: vos præcipuè tanquam lucernam super candelabrum positam, oleo multiplici perfudit, vnde multæ areolæ Ecclesiarum, Episcoporum, pauperum, viduarum, tam suauiter quàm abundanter irrigantur. A multis siquidem retro temporibus, non in vacuum siue gratiam, siue pecuniam Dei excepistis, ligando illam in sudario, vel infra domesticos parietes recludendo. Quis enim ad vos accedens vestram non sensit benedictionem? quis quantumlibet tepens, audiens vel videns conuersationem vestram, manum egenis expositam, ostium viatoribus patens, iudicium & iustitiam æqua lance, causam non personam discernens, omnemque reliquam actionum & sermonum vestrorum regionem perlustrans, non calefactus, non melioratus non bene instructus abiit? Deo gratias, qui iuxta consuetudinem suam, gratiam pro gratia superabundare facit in vobis, vt melior sit finis orationis quàm principium, & vt exitus matutini & vespere delectabiles fiant. Adhuc enim stillant manus vestræ aromata Dei, quæ de thuribulis sanctorum, per manus Angelorum, in incensum suauitatis naribus sedentis super thronum gratiæ referantur: quatinus in æterna tabernacula vos recipiant, qui de bonitate & beneficiis vestris in terris sustentati, per gratiarum actionem in cœlo iam sunt recepti, vel adhuc recipiendi. Pauper iste Episcopus domnus Fulco, quem per Euangelium in Christo ego genui monachum, & vos Episcopum, de magnificentissima liberalitate vestra Deo gratias nobiscum refert, exponens quod sustentamentum vitæ & peregrinationis suæ vos habet, & semper habiturum confidit. Scitis Domine pater, quàm duram prouinciam sortitus sit, & quod animam suam in manibus suis posuerit, potius mortem semper expectans, quàm longam vitam. Scitis etiam, quia qui prophetam in nomine prophetæ recipit, mercedem prophetæ recipit. Vnde remittimus eum ad vos, & commendamus eum Deo & vobis. Retinuimus eum siquidem malo tempore, remittimus autem bono & congruo, vt visitet messem, vtrum matura sit ad metendum, an immatura ad laborandum. Manum siquidem misit ad aratrum ope vestra & opere, ad Christianitatem dilatandam, & horrea Dei fertiliori segete implenda. Vestrum enim vestrũ est, quicquid incremẽti prouenerit ex labore ipsius, quia & de vestro viuit, tanquam operarius Dei & vester: & ad gloriam vestram respicit atque coronam, quodcumque Christo acquirere potuerit. Non igitur obturandum est os boui trituranti, neque palea subtrahenda.

N O T Æ.

a *F. Lundensi Archiep.*] Eskilo, de quo ad libr. 1. epist. xxiii. Is etsi Archiepiscopus erat in Dania, Sueciæ tamen etiam Ecclesias procurabat: quia Archiepiscopus Lundensis ex Hadriani IV. Papæ decreto, quod Eskilo ipsi concessum est, primas erat regni Sueciæ. Propterea ergo & Fulconem Estonibus Episcopum crearat.

EPISTOLA XVI.

a *Domino Richardo.*

TAnquam de sepulchro Domini species aromaticas, quibus Nicodemus & Ioseph Dominicum corpus perunxerunt, in monumento litterarum tuarum excepi, & tam ori quàm odoratui apponens, spiritum super mel dulcem non semel legendo attraxi. Nihil fœtidum, nihil fœdum, nihil emortuum viuus ille sermo tuus, nitidus, & sale sufficienter respersus continet. Viuit memoria accepti beneficij, relucet narratio compacti amoris, stylus elimatus pondere sententiarum & ornatu verborum refulget sicut sol in clypeos aureos, vsque ad diuisionem animæ & spiritus pertingens. De intimo & profundo cordis venas cœlesti vnguento repletas ad medium educit, & pulcherrimæ puellæ de terra Israel speciem spectaculo Angelorum & hominum sistit. In vestitu enim deaurato per auctoritates diuini eloquij & colores rhetoricos, in lecto eburneo propter verum & castum sermonem quiescentem hanc inueni, sine macula mendacij, & ruga duplicitatis. Spiritus veritatis talem solet sobolem in mente sancta gignere, & spiraculum vitæ insufflare, ne mens amore diuino grauida aliud possit parere, quàm concepit. Cùm adhuc esses dilectissime, in atrio exteriori, & sæculari habitu, per foramen nobis incognitum, manum submittebat ad animæ ventrem inuisibilis ille amator, & demulcebat viscera jam jam sibi legitimo matrimonio copulanda, suauitate sibi certè & tibi fortè cognita. Quales autem nunc tibi amplexus porrigat, quæ oscula offerat, cuiusmodi fœtus conferat nemo nouit, nisi cum in sermone vel in scriptura partus latentem gratiã prodiderit. Secretum tuũ tibi, secretũ tuum tibi. Admittendi tamen saluo silentio sunt amici illi, cum quibus omnia sunt communia, qui non inuident, sed congaudent fortunis prosperis, qui optant & dicunt, crescas in mille millia. Credo me Petrum cum Ioanne assumendum, etiam in transfiguratione, etiam in morte, etiam in resurrectione. Non me præfero Ioanni, qui recubuit super pectus, sed præsumo post Ioannem & stationem habere, & castra nostra ponere. Habeat vt dignum est IESVS cum Patre suo & Spiritu primam in te sessionem: habeat virgo secundam; habeant sancti in ordine suo tertiam. De incolis autem terræ M. Ioannes primam, ego si placet secundam; aliis quibuslibet non inuideo tertiam, & deinceps. De his hactenus. Si medicus essem, & medicinam qua repellerem infirmitatem tuam nossem, omnimodam curam adhiberem. Quia vero id non possum, facio quod possum. Mitto tibi species qualescunque nostras: vtinam in nomine IESV eis mandare possem effectum salutis & sanitatis.

N O T Æ.

a *D. Richardo.*] Canonico regulari, fratrique, vt dictum est, Ioannis Saresberiensis, ad cuius nomen & suum, hoc est Petri, alludit.

EPISTOLA XVII.

Abbati de maiori Silua.

QVod me semel vestris sanctis commendaui orationibus, & vice mutua nostras qualescunque orationes repromisi, huic congratulor contractui, & perpetuandum totis viribus exopto. Scintillas in litteris vestris excandentes & recalentes huius nostri mutui amoris cum multa lætitia excepi & tanquam de sacro altari igne hausto thuribulum propriæ conscientiæ replens, deuotionum nostrarum incensa pro vt potui adhibui. Scit Deus & Dominus scicotiarum, quòd de propriis nihil præsumens meritis, & orationibus amicorum intercessiones, ad illum qui adhuc longè agit legatione fungentes, securus mitto, nec aliquatenus vacuas redire spero. Iuxta itaque fidem meam vnus de mediatoribus & reconciliatoribus meæ fragilitatis ad illum qui sedet in throno gratiæ accedatis, & copiosam de plenitudine gratiarum benedictionem infelici & misero peccatori referatis. Cetetùm pro Priore de Nouis valde familiari

A & amico nostro, vestro autem fidelissimo, paternitatem vestram supplex deprecor, quatinus sicut cœpistis paterno foueatis gremio, nec aliquid aliquando sinistri de illo suspicemini. Quod enim quasi contumaciter onus Abbatiæ recusauit, non de proteruitate, aut elatione, siue inobedientia processit. Venas quidem susurrij de sacratissimo pectoris vestri arcano susceperat, quòd de facili indulgentiam vestram habiturus esset, si potiùs eligeret in potestate vestra & monachus vester remanere, quàm si emancipationem & Abbatiam appeteret. Valete.

EPISTOLA XVIII.

a *Priori Cantuariensi.*

B LVgdunensem Archiepiscopum nobis aliquando scripsisse de reuelatione pretiosæ mortis sancti & gloriosi martyris Thomæ non teneo. Audiui quidem, sed à quo audierim mente excidit. Nolui ergo certa pro incertis scribere. Superflua enim sunt impendia lucernæ, vbi sol meridianus lucet in virtute sua, & denigrat maiestatem verorum, admixtum modicum fermenti mendacij & falsitatis. Credo enim magis laborandum vt plura demantur miracula, quæ mera veritate fulciuntur in gloria Dei & præfati martyris, quàm vt aliqua furtiua & emendicata supponantur. Omni supplicatione & postulatione tam vos, quam omnes, qui posteris tradituri estis memoriam mirabilium vestri & nostri Martyris exoro, vt nihil nisi septempliciter examinatum, purgatum & colatum fidelissima veritate scribatur de eo, vel de miraculis eius. De monacho Montis Dei, nomine Gaufredo, refero quæ veraciter facta partim ab ipso, pleniùs à quodam monacho nostro, qui tunc temporis ibi scribebat, audiui. Fortè ab Anglia charta miraculorum sancti Thomæ ad nos deuenerat,

C & à nobis ad fratres de Monte Dei. Iam dictus frater turgidus & inflatus toto corpore, vt verè hydropicus, cellam egredi non poterat. Accepta itaque cum fide & inuocatione sancti nominis charta, tetigit pedes suos, & tibias, & totum corpus suum de ipsa, & in tantum conualuit vt paruo tempore interposito ad Ecclesiam, & ad officia sua, non tamen ex toto curatus, rediret. Addo miraculum plus iocundum, quàm vtile. In capella nostra libellus, qui legitur in capitulo de natalitiis Sanctorum, & de recordatione defunctorum nostrorum, nescio quis fortè furatus est. Altera die cum flagitarem more solito legi lectionem ex ipso libro, turbatis Capellanis non est inuentus libellus. Cùm vero de negligentia & de incuria malæ custodiæ eosdem Capellanos increparem, vnus eorum nomine Robertus Anglicus, qui frequenter missam ad altare, in quo reliquiæ sancti Thomæ continentur, celebrabat, in hanc vocem prorupit. Certè nunquam credam Tho-

D mam esse sanctum, nisi reddiderit nostrum libellum. Ferè post mensem, redditus est nobis liber. Si hoc miraculum est, illud verum esse confirmo. Valete. Sanctum conuentum, & M. Ioannem salutate.

NOTÆ.

a *Priori Cantuariensi.*] Huic ante scripsit epist. IX. Quod de mortis B. Thomæ reuelatione initio epistolæ ait, eo conspectare videtur, quod à multis proditum est, atque in litteris Vvillelmi Archiepiscopi Senonensis ad Alexandrum Papam legitur his verbis: *Dicitur namque & constanter asseritur, post passionem suam multis apparuisse in visu, quibus perhibet se non mortuum esse, sed viuere, & non vulnera, sed vulnerum tantùm cicatrices ostendit.* De miraculorum autem fama, quæ B. Martyris occasum mox secuta est, in litteris Ludouici Regis ad Alexandrum eundem: *Et ecce ad tumulum agonistæ, vt reuelatum est nobis, diuina*

E *in miraculis reuelatur gratia, & diuinitus demonstratur, vbi humatus requiescit, pro cuius nomine decertanit.*

EPISTOLA XIX.

Abbati Siluæ maioris, Petrus Abbas S. Remigij.

IAm in itinere posuerant pedem Priores vestri, vt ad vos venirent, cùm valefacientes nos, dixerunt quid humilitas nostra remandaret paternitati vestræ. Cœpi vrgeri, vtrum in tanta festinatione nudo verbo, an qualicunque scripto salutare vos deberem. Impetrato tamen breuissimo spatio cucurri ad scriptorem, nihil excogitatum, nihil premeditatum, nihil emendicatum quærens: sed sicut in ore nostro & in manu scriptoris occurrebant verba, sic ea incondita litteris mandaui. Nec enim aliorum thesauros, nec nostros pauperes angulos euoluere poteram. Verbum illud, quod prope est

F in ore & in corde, non fuit necesse diu quærere, hoc est verbum dilectionis, verbum salutationis. Semper enim stat in ianuis, & omni transeunti occurrit quòd diligam vos, & quòd vester totus sum, & de orationibus vestris apud Deum plurimum confido. Scio sine dubio ad iudicium me properare, vbi sola veritas locum habebit: sed nolo vt sola iustitia sine misericordia portas iudicij præcipiat. Ad fugam enim potiùs me præparatem si possem, quàm ad talem curiam, in qua malo suo meritò omnis homo condemnaretur, & nullus nisi misericordia suas partes interponeret, saluaretur. Credo vos aliquid posse apud misericordem, & iustum iudicem, siue præire siue sequi vos contingat causam nostram. Dedit enim apud se fideles suos multum posse, qui fideles fecit, & ianuam suæ amicitiæ illis aperuit. Sit ergo fiduciæ meæ spes certa, non præsumptio vana, quòd de Dei misericordia confido, & de intercessione

G vestra. De his hactenus. Priores vestros amicos nostros, precipuè Norniensem, & de Bella valle, & S. Pauli, effectuosiùs vobis commendo, & vt eosdem ad nos remittatis cum bona gratia, imploro. Valete.

EPISTOLA XX.

Domino Richardo regulari Canonico, Petrus, Abbas sancti Remigij.

PRæsentium lator bene vobis notus, viua voce quæ apud nos geruntur poterit referre, atque ideo per eius voluimus scribere. Vna enim littera, non attramento sed spiritu Dei scripta in corde nostro & vestro, amplius sufficit quàm multa librorum congeries, quæ est vera & firma charitas. Hæc non delebitur in diluuio aquarum multarum: quia aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Hæc nullo incendio sollicitudi-

H num, siue occupationum tabetur: hæc nullo igne tribulationum & malorum conflagrabit. Charitas enim nostra nunquam excidit. Hanc legere potestis sine sole in die, sine lucerna in nocte. Hanc oro vt legatis, cùm sanctis altaribus assistitis, & in conspectu Angelorum atque omnium cœlestium virtutum. Lectio ista sine *Tu autem* continuetur. Nullum in auribus Domini sabaoth strepitum faciet. Non à quiete sua Christus excutitur sonitu huius lectionis, non interrumpitur silentium cœli, non excitatur sponsa illa, quæ habens inter vbera sponsum, læuam ipsius sponsi sub capite, & dexteram in amplexu habet. Valete.

* *
*

A

EPISTOLA XXI.

a Priori Vuigornensi.

REtum & temporum varietas, quæ nos vbique & vndique circumuallat, non finit nos stabili gradu in eodem stare, aliquando quidem nostro, aliquando alterius vitio. Nam cùm in eodem proposito volentes stare pedem figimus, frequenter irruit, & occupat propositum stabilitatis nostræ, decursus & incursus instabilitatis alienæ. Inde est, carissime amice, quòd contra propositum & voluntatem cordis vestri, fratrem P. Priorem de Lappelee cogimur amouere. Totiens siquidem rumores malos de Prioratu illo accipimus, quotiens transmarinos de illis partibus hospites suscipimus. Claustrales & ministeriales vno impetu concitati cla- B mant perire domum, Prioratum ad nihilum redigi, & in summa iam paupertate detineri. Quid vltra? Nullum ibi monachum esse, solum Priorem semiuiuum palpitare. Mittimus itaque à latere nostro fratrem Absalonem, cuius industriam in multis experti sumus, & cuius studio, si ei gratia Dei affuerit, ruinas illas reparandas & in melius commutandas speramus. Commendamus ergo illum vobis, vt consilio & auxilio vestro fultus, ad honorem Dei, & animæ suæ salutem, ac Ecclesiæ nostræ vtilitatem, valeat commissa sibi strenuè adimplere. Valete.

NOTÆ.

a Priori Vuigornensi.] Radulfo, ad quem Saresberiensis epist. ccv. & noster lib. vii. epist. ix. in qua & sequentibus duabus iterum agit de Lapeleensi S. Remigii Prioratu in Anglia.

C

EPISTOLA XXII.

Petrus Abbas Sancti Remigii a Monacho de Reddinges.

LItteras vestræ amicitiæ ad manum non habebam, cùm nata occasione vobis scribere decreui. Frater enim vester magister Vuillelmus secum eas asportauerat. Tenorem quoque illarum non bene memoriæ commendaueram; vnde nec recapitulare potui, quæ præcipua & digna erant, siue responsione, siue præconio laudis. Tenuissimè siquidem reminiscor, quia tanquam in opaca sylua, tam sensuum quàm verborum grandis in eis præiacebat materia, de qua sapientia excidens columnas septem, domum Salomonis, siue templum Domini posset construere. Itaque factus tanquam vir, qui D præ inopia racemos colligit in autumno, non mihi occurrit quod vellem præstare amico venienti de via, vel animæ esurienti, magis ex copia quàm ex inopia. Equidem non ignoro patere vobis spatiosa illa deambulatoria, vbi omnia ligna paradisi, vbi vitis abundans in lateribus domus Dei, vbi promptuaria eructantia ex hoc in illud, vbi deliciæ deliciarum, vbi cantica omnium lætantium de sponsi præsentia & sponsæ magnificentia. Puro namque pectore quid iocundius, quid ditius, quid appetibilius? Ibi Deus, ibi Angelus, ibi virtus, ibi iuge conuiuium, ibi solemnitas solemnitatum, ibi mensa refectionis, ibi somnus quietissimæ pausationis. Potiora sunt quæ ibi præsentiuntur, quàm ea quæ dicuntur. Sic enim in Psalmo loquitur talis conscientia: *Non est sermo in lingua mea*, id est, quæ corde sentio, ore non profero. (Psal. cxxxix. 4.) Sic de vobis sentire mihi persuadet fama publica, sic testatur conuersatio sancta; & integra atque inuiolabilis propositi obseruatio, quàm fortiùs recensis proficiendo, quàm inchoaueritis arripiendo,

E Contra faciunt, qui cum spiritu cœperint, carne consummantur. Panes nostros, si tamen nostros, libenter comeditis, & scripta nostra sublimiori honore quàm decet excipitis. Nunquam enim de tam immundo vase emanat aqua digna ad sorbendum, vel de tam furfureo & cinereo clibano mundus egreditur panis. Dilectio tamen, quæ cinerem tanquam panem manducat, in vobis abundans, vilia quæque amici pretiosa reputat, & pallio honestiori ignobilia nostra circumuenustat. Sed vtinam limâ correctionis vestræ scripta nostra explanata essent & emendata.

NOTÆ.

a Monacho de Reddinges.] Ordinis Cluniacensis. Radingense in Anglia monasterium inter Kenetam & Tamesim fluuios ab Henrico primo Rege collocatum, Cluniacensibusque monachis traditum docet Malmesburiensis, lib. v. de gestis Regum Anglorum.

F

EPISTOLA XXIII.

Petrus S. Remigii a Nicolao Monacho S. Albani.

VAcui & vacantis animi esset singulis quæ in litteris tuis sunt recapitulatis, singillatim ad verbum respondere. Summam itaque responsionum mearum constringens, & potioribus epistolæ tuæ dictis adstringens, pacis & bonæ patientiæ pactum prius hinc inde interpono, ne quia nostrum cuiuslibet commotionis scintillâ pro quolibet verbo aduratur vel inflammetur. Sola mihi sancti Bernardi iniuria donetur, & quæcumque & vndecumque vis iacula cōglomera, siue vt meam rusticitatem confundas, siue vt de sensu meo vilissimas sententiarum quisquilias excutias; siue vt thesauros tuos homini pauperi aperias, siue vt nescientem doceas, G & sensus tuos fortissimis assertionum repagulis stabilias. Aggredior igitur phantasmata tua, lenocinantia quidem pulchritudinis specie, sed titubantia stabilis fundamenti egestate. Quicquid enim scripturæ basibus auctoritatum non supportatur, nullius roboris stabilitate fulcitur. Nec indigeetur Anglica leuitas, si ea solidior sit Gallica maturitas. Insula enim est circumfusa aqua, vnde huius elementi propria qualitate eius incolæ non immeritò afficiuntur, & nimia mobilitate in tenuissimas & subtiles phantasias frequenter transferuntur, somnia sua visionibus comparantes, ne dicam præferentes. Et quæ culpa naturæ, si talis est natura terræ? Certè expertus sum somniatores plus esse Anglicos, quàm Gallos. Cerebrum namque humidius fumositate stomachi citiùs inuoluitur, & quaslibet imagines in se ipso depingit, quæ ab animali virtute vtcunque spirituali deferuntur, & ex occupatione omnium, tam naturalium quàm animalium, seu spiritualium virtutum, infra iudicii veritatem confinguntur, vt phantasmata seu somnia H appellentur. Non sic cauernosa, non sic aquatica Gallia, vbi sunt montes lapidei, vbi ferrum nascitur, vbi terra suo pondere grauatur. Quid ergo? non citò à suo sensu mouentur, & veritatis autoritatibus tenaciùs innituntur. *Meus est*, inquit, Dominus, *Galaad*, id est, aceruus testimonii; & *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*. (Psal. lix. 9. Matth. xviii. 19.) Leue est ergo omne verbum, quod neque testimonio solidum, neque autoritate verum est. Nec est alicuius momenti quicquid humani sensus ingeniosa fornax commentata fuerit, si examine careat veritatis. Pondus siquidem sanctuarii, quo tam merita quàm præmia Angelorum & hominum appenduntur, clausura dispensabili penes veritatem in arca iustitiæ perpetua reconditur custodia. Vagatur itaque vanis euolationibus per aëra, qui nullius auctoritatis fundamento affixus, arundinea volubilitate & mobilitate circumagitatur, & hospes testamentorum Dei nullis detinetur certis mansionibus. Mira virtus veritatis, quæ aduersarios deprehendit nolentes & nescientes in astutia sua,

Fugitiuos

Fugitiuos namque suos frequenter vrget ad laqueos ineuitabilis conclusionis, vt capiantur & illaqueentur sermonibus suis, dum inuiti vera loquuntur, & quod non sentiunt corde exprimunt ore. Inde est, frater Nicolae, quod ridendo verum dixisti, cùm me fixum, te mobilem scripsisti. Me petram vocasti, & concedo, si pro constantia, non pro duritia intellexisti. Sum quidem naturâ professione, & jam ætate ac voluntate sicut nomine Petrus, petrinus, radicatus, & fundatus in montibus sanctarum auctoritatum, & in medio petrarum, vbi mater Ecclesia nidificat in foraminibus petræ, & in cauernis maceriæ. Hinc non exeo, nisi ad vocem rotarum, quæ in se habent spiritum vitæ, & stant ac mouentur, tanquam volubiles cum animalibus senas alas habentibus & oculos antè & retro. Secutus sequor, quia facies leonis præcedit, ne aliquid noceat: facies hominis, ne aliquid decipiat: facies vituli, ne vanitatis aliquid interueniat: facies aquilæ, ne aliquid dubietatis remaneat, vel tarditatis præpediat. Regula veritatis tornauit totas istas in circino & orbe veritatis æternæ: quæ de mente diuina procedens tantæ apud Deum maiestatis est, vt in summo vertice lucis inhabitabilis resideat, tantæ autoritatis, vt nullius ditioni subiaceat tantæ maturitatis, vt nunquam vultum deificum deponat, tantæ certitudinis, vt nulla mutatio aut vicissitudinis obumbratio in ea incurrat, tantæ seueritatis, vt nec Lucifero peccanti in cœlis locum relinquat, nec homini à Verbo assumpto petenti, *si possibile est transeat a me calix iste*, [Matth. xxvi. 39.] crucem & mortem remittat. Hæc æterno tramite stelliferas deambulans regiones, imbrem matutinum & serotinum distillauit, & sublunarem regionem arentem mediante nube virginea, riuis de sanguine & doctrina illum perpetuis irrorauit. Collactanea eius misericordia, saluo iure priuilegij inuiolabilis, leges mitiores & iura tolerabiliora ab ea impetrauit: quatinus peccatorum remissionem & exilij releuationem speraret, qui in regno veritatis correctis erroribus & emendatis moribus viueret. Neutra tamen sororum istarum adulationum lenocinia admittit: quin potiùs tanquam fila aranearum vehementissimo turbine corrumpit, & tunicam inconsutilem, tam illi quàm matri eius, fideli textura componit. Bone amice, quid facit stuppa, vbi de auro, hiacyntho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta sacerdotalis contexitur vestis, & cœlo, sole, ac luna pretiosior & purior summo Sacerdoti aptatur cidaris? Prorsus nihil ad nos, nihil ad Angelos digniùs & melius de omnibus thesauris suis protulit æterna Trinitas, quàm templũ virginale, & holocaustum, quod ad immolandum ex eo traxit & extraxit, Verbum Deo patri coæternum & consubstantiale. Sic corde credo, sic ore confiteor. Nonne & tu? Immo vehementiùs, ne dicam immoderatiùs tu. Totum te expendis in laude Virginis, & ego quid? Impendo planè, & expendo, & superimpendo. Tu contendis honorare conceptionem, & ego prædestinationem, ac totam eius retro progeniem. Tu rosam, ego etiam spinam. Tu florem & fructum, ego corticem & folium. Tu apparentia, ego latentia. Tu farinam, ego furfurem. Tu panem, ego cinerem. Tu solium, ego scabellum. Tu substantiam, ego picturam. Si cursum eius fas esset distinguere, & sequestrare in mente diuina à collegio cunctorum creatorum, mitterem animam ab initio prædestinationis, vt sequeretur adorando, sancta & suprema veneratione colendo eius vestigia. Repetenda tibi, immo noua & longa expetenda peregrinatio, non ad sanctum Thomam Archiepiscopum in Anglis, sed ad sanctum Thomam Apostolum in India, quia semper intererto conuenticulis, vbi Dominæ nostræ digna celebratur commemoratio, siue nominetur Conceptio, siue Natiuitas, siue Assumptio, siue alia quæcunque veneratio. Cùm ergo vnâ gradiamur viâ, quid ad rem si aduersa sit semita? Tu sinistram tenes semitam, quare murmuras si ego teneo dexteram: Si tua tibi displicet semita, quia & larga & caritatiua est nostra, cedo: & concedo tibi locum iuxta me. Prouerbium est, Non sunt dimittendæ veteres viæ propter nouas. Quis sanctorum, quis antiquorum non ambulauit semitam nostram? Credo & verè fateor, si in hoc errassent, & hoc eis Deus reuelasset. Quibus enim sua tam familiariter reuelauit consilia, vt etiam ad supplementum Euangeliorum, Epistolarum, & prophetarum, perpetua stabilitate canones & decreta statuerint pari pene obseruantia tenenda cùm Euangelio, hoc solùm eis tacuisset, si periculosum esset? Sed forte dices mihi. Audesne tu qualiscumque Abbas occludere puteos semper continuandæ deuotionis, & profundiùs quotidie fodiendæ venerationis? Nonne eodem spiritu potantur moderni, quo & antiqui? Nonne vt ait Hieronymus, in templo Dei quisque pro vili portione offert, alius aurum, alius argentum, alius lapides pretiosos, alius, vt ad viliora veniamus, pilos caprarum, & cætera? Non erat ab initio Natiuitas Virginis in Ecclesia solemnis, sed crescente fidelium deuotione, addita est præclaris Ecclesiæ solemnitatibus. Quare igitur non similiter & diem Conceptionis obtineat sedulitas Christianæ deuotionis? Ad quod ego: Cataractas cœli & fontes abyssi libentiùs in obsequium Virginis soluerem, quàm clauderem: & si filius eius IESVS aliquid omisisset in prærogatiua exaltationis suæ matris, ego seruus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam nostram. Ante eligerem non habere animam, quàm vellem eius extenuare gloriam. Licuit quoque, semperque licebit, sponsam CHRISTI Ecclesiam, quæ in terris peregrinatur, secundùm mutationes rerum, personarum, & temporum, variare rationes decretorum, & noua adinuenire medicamina remediorum; & statuere sanctis adeptione gloriæ frequentiam solemnitatum. Est tamen auro locus in quo conflatur, & habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri & curiam Romanam, quæ claues cœli principaliter tenet: & clausura consiliorum Dei reserata dispensante Deo, vnguentum gratiæ à capite vsque in oram vestimenti habet complere. Hæc sedes Petri, id est petra, in qua Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata conuertens animas, fragosa quæque hereticorum conciliabula elidit & allidit, profanas vocum nouitates resecat & rescindit, superflua confodit & iugulat; hiantia & ecliptica complet & illustrat. Vtinam salua veritatis auctoritate, lance communis Consilij, hæc Domina & moderatrix totius Christianitatis, Conceptionem Virginis librasset & approbasset, à mari vsque ad mare hanc propagasset Sole, id est, Apostolico, ac Luna, id est curia Romana præeunte: tam securè, quàm expeditè, in lumine vultus eorum gressus meos ponerem & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum & securum. Nihil in Ecclesia pessimius præsumptione erronea, nihil stultius præsumptione temeraria, nihil odibilius præsumptione noxia. Vtcunque verò tolerabilis præsumptio pia, sed non satis probabilis. Abstinere certè ab omni præsumptione volo: gradatim tamen seruatis distinctionibus præmissis secundùm magis & minus. Iam destitissem vltra de præiacenti materia scribere, non condemnans errorem tuum, si error dicendus est, qui de pietate venit, nec me opponens gloriosissimæ Dominæ nostræ, cuius non solùm terram, sed & puluerem lingere summas diuitias reputo: præcipuè cum in calculo epistolæ tuæ asseras, nullatenus te posse moueri ab eo quod scripsisti dicens, quod dixi, dixi, quod scripsi scripsi: nisi lapidem offensionis & petram scandali in eadem epistola tua coniecisses. Dicis, Dominæ nostræ animam non solùm in passione filij gladio transfixam, sed etiam in conceptionis suæ contradictione. Hic bonus dormitauit Homerus, Bone magister, nunquid non mea & tua Domina super choros Angelorum exaltata, sic omni plena & circumfusa est gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & sanctorum Angelorum, vt nullatenus nostris indigeat obsequiis, nostris neque violetur aut molestetur negligentiis; quantum ad se, neque

A sed noo valet coronare corruptam. Vrinam vim intelligerem verbi, & sensum tenerem Hieronymi! Procul dubio neque malignè reconderem, neque auarè communicarem. Ab eo igitur imploranda solutio, qui dignus inuentus est soluere signacula septem libri signati. In epistola tamen Hieronymi aliter dicitur: Audenter, inquit, loquor: cùm omnia possit Deus, virginem post ruinam suscitare noo potest; &c. Recurrendum proinde est ad materiam locutionis, & ad Intentionem loquentis. De obseruanda virginitate & cauenda corruptione tractabatur. Exaudiuit ergo, & ad præconium virginitatis eloquium suum Hieronymus inflammauit, venas susurrij sui infra Dei potentiæ & virginitatis gloriæ venas subinferens, & velut munditiam virginitatis rebus creatis omnibus præferens: vt facilius sit Deo cœlum nouum & terram nouam, & omnem creaturæ defectum reparare, quam virgioitatem semel lapsam in priorem statum refigurare. Hoc, inquam, voicum suæ imaginis & similitudinis signaculum animæ de
B cœlo impressit, contestatus in mandatis, vt hoc fidele depositum præ aliis omnibus omni diligentia seruaret, & tanquam irreparabile damnom intra medullas suas à latronibus & ab omni casu consignaret. Nil in possessione felicius, & Deo similius, in amissione nil miserius, & Deo dissimilius. Vt ergo tam egregium & singulare beneficium non negligeretur, durissima conditio apponitur, vt qnodammodo ad id resarciendum damnum Deus infirmetur, noo de potestate, sed de dispensatione. Si enim potentia eius simpliciter attendatur, & à pœna valet liberare, & quæ fuerit aliquando corrupta tanquam incorruptam coronare. Si ad dispensationem & constitutionem æternis legibus fixam & inuariabilem, non valet: quia nihil contra seipsum valet, id est velle potest, vel debet. Cùm enim simplicissimæ sit naturæ Deus, de ipso tamen secundùm vsus nostræ locutionis impropriè loquimur, dicendo eum aliquid posse, vel non posse, aliquid nosse
C vel non nosse, aliquid velle vel nolle. Quasi igitur in Deo parturiente in misericordia ad redintegrandum fractum virginitatis signaculum, obstetricando, immo obstando, iustitia decretorum sootum ostia ventris claudit, & ne de vulua egrediatur, aut genibus excipiatur, aut vberibus lactetur, aborsum facit, ne de corrupta incorrupta iteratò pariatur: sicut de baptismo legitur, *Nunquid*, ait Dominus, *homo cùm sit senex potest in ventrem matris suæ iteratò introire & renasci?* [Ioan. III. 4.] Vicaria denique vicissitudine iustitia in partu suo, refellente misericordia, non dissimiliter periclitatur, cùm volens vituli fabricatores delere, ait Moysi, *Dimitte me vt deleam multitudinem hanc, faciamque te in gentem magnam.* [Exod. XXXII. 10.] At Moyses gladium diuinæ animaduersionis tenens, & in vaginam mansuetudinis solitæ refringens respondit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti.* Sic quasi qnod voluit Deus non valuit, propitiabilius se inclinans serui fidelis amicitiæ, quam in-
D gratissimi populi grauissimæ culpæ. Et notandum, quia triplex est corruptio, aut corporis tantùm aut animi tantùm, aut simul corporis & animi. De prima dicit Hieronymus: finge tempore persecutionis aliquam virginem prostitutam: corrupta est in lege, incorrupta in Euangelio. De secunda Apostolus, *Timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate fidei.* [2. Cor. XI. 3.] De tertia idem Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* [1. Cor. III. 16.] A nullo tamen genere corrupta mundatur, nisi Deus misereatur & ipsa mereatur. Si autem tanquam vasculi sui fracturam quamcunque manus tornatiles resarcire voluerint, poteritne plus negligentia, vel impotentia, quàm Dei omnipotentia? Absit. Sanè id solum non potest Deus quod se non posse volt. Quis infinitæ detrahet potentiæ, etiam voluntate corruptam mutata voluntate posse facere, si voluerit incorruptam, aut coronare tanquam incorruptam? Dictum est ergo non pro dimunitione diuinæ potentiæ, sed pro com-

E mendatione sanctissimæ pudicitiæ, Deus non valet id est non vult, post ruinam coronare corruptam. Hæc spica de agro Booz sorti nostræ obuenit, saluis messorum grandiusculis aceruis. Extremam apponimus manum ad Sansonis nostri problemata multis syndonibus inuoluta, neque paruo pretio resignanda. Habeant, inquiens, Galli de Anglica quæstione quod ruminent, & Angli de Gallicano hausto quod pitissent. Sicut enim potus est Dagon Angliæ, sic Baal est cibus Galliæ. Malus potus, malus cibus, mala inebriatio, mala ructatio. Siogulum horum suis cultoribus parat gehennam. Quam ergo simul inferrent pœnam? Si de refragatione conceptionis agis, aut de impossibilitate reparandæ corruptionis, fornace & sufflatorio vtcunque sufficiente, capita & membra omnia idolorum frustatim comminuta, atque in puluerem conflata, siue in cibum, siue in potum, ab Anglis & Gallis jam jam absumi possunt. An itaque sitis Anglica & fames Gallica refe-
F ctæ tali cibo & potu conquiescent? Non credo: quia & sitis perpetua, & nostra fames continua. Furemur autem per disciplinam, consumus per abstinentiam, quod superfluum est in cibo & potu, tanquam idolum patris nostri Adæ, quod de ligno scientiæ boni & mali confictum est, vnde ipse & Eua saturati, dimiserunt reliquias paruulis suis, quas forte missa diuiserunt inter se Angli & Galli, vt illi humidioribus resoluerentur, isti solidioribus suffocarentur. Nisi vera scriberem, meum Confiteor dicerem. Attamen quia veritas odium parit, digito compesco labellum, & interim noua tonitrua, & fulgurationes Nicolai mei humo absconditus formido. Vale & ora pro me.

N O T Æ.

a *Nicolao Monacho S. Albani.*] Vetus & nobile apud Anglos S. Albani monasterium, ab Offa rege conditum
G haud procul Verolamio, vbi sanguinem pro Christo fuderat S. Albanus. Cæterùm eadem hic Petro Abbati de festo Conceptionis B. Virginis cum Nicolao concertatio, quæ D. Bernardo fuerat cum Canonicis Lugdunensibus epistola CLXXIV. eademque sententia: nihil videlicet in ea renouandum videri ante sedis Apostolicæ decretum. Quod quidem si eorum æuo prodiisset, quale postea secutum est, haud dubium quin pro eximia vtriusque erga Virginem reuerentia æquissimis lætissimisque animis accepissent.

LIBER VII.

EPISTOLA I.

a *Abbati Sancti Richarij.*

H IN præcipuis boni pastoris sollicitudinibus non infimum tenent locum deliberatio & moderatio cunctarum suarum actionum. Præcipitatio enim & subita animi perturbatio regulam summi arbitri offendit. Qui omnia non mensura & pondere & numero disponit, malè quoque cuncta ministrat. Vtilius tamen & commodius est corrigere illicita & resecare superflua, quàm contumaciter semper ad procliuia defluere. Nam Petrus Princeps Apostolorum, qui est optima forma omnium Prælatorum, habenas regni dicitur habere, quibus impetum cordis tanquam pullum indomitum refrænet, & passibus ordinatis ambulare compellat. Vt ad rem veniam, sacramentum illud, quo monachum vestrum adstrinxistis, ne ad monasterium, cui præsidetis, quandiu administratio vestra duraret, aliquatenus nisi permissione vestra rediret, de sancta pœnitentia absque vllo pudore & reatu periurij, potestis relaxare, quod aliquantisper inconsideratè factum est. Si ergo nostro consilio acquiescitis, ouem abiectam reuocabitis,

& potiùs ad misericordiæ cotnu dextrum, quàm ad iudicij sinistrum, sensuram vestram inclinabitia. Misericordia enim superexaltat iudicio. Quærit etiam monachus vester, vtrum tenendum sit tale iuramentum, an non. Pro certo respondeo, non tenendum, nisi vrgentissima & exactissima subsit causæ necessitas. Valete.

N O T Æ.

a *Abbati S. Richarij.*] Centulum olim loco nomen: & monasterio, postea auctoris nomen sumpsit, hodieque retinet, S. Richarij in Pontino, pago Diœcesis Ambianensis.

EPISTOLA II.

Petrus Abbas sancti Remigij Ioanni de Saresberia.

NVnquam pulsum tuum in litteris à te receptis inæqualem, aut citatum de superueniente febre regiæ commotionis deprehendo. Mirarer tam bonæ & optimæ animi complexionis, nisi antiqua cognitio admirationem compesceret, & olim jam notus status tuus maiora & meliora innotuisset. Certè cum illis & de illis te esse non ambigo, de quibus dicitur quia *vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* (Ezech. 1, 12.) Cholerica & cœlestis complexio tua suis passionibus hilarescit, suis congelationibus frondescit, suis euersionibus excrescit, suis ægritudinibus conualescit, suis contrariis infortuniis fortior & audacior enitescit. Quid igitur? Consolabor te? Sed non es desolatus, qui desolationem reputas consolationem. Releuabo te? sed non es deiectus, qui dum ejiceris eleuaris. Conficiam aliquod amplastrum siue electuarium? sed neque vulneratus es, neque in passione aliqua turbatus. Tamen percusso & non vulnerato, impulso & non deiecto, concusso & non excusso, teor congratulandum de constantia, timendum de nondum finita pugna, adhortandum de perseuerantia. Ecce caminus, sed non timet aurum: ecce mare, sed supernatat folium: ecce malleus, sed non confringitur adamas: ecce ventus, sed mons Sion non commouebitur: ecce prælium, sed miles tenet gladium. a Superuacuis impendiis laborat, qui solem facibus nititur adiuuare. Non ista & scientia & experientia. Si qua tamen tibi ex me potest fieri consolatio, vtere vt libet, & præsens & absens, tuus sum & omnia mea tua sunt. De gente tua & moribus, mihi satis notum est, quia vtres, immo ventres suos solent implere, quinimmo superinfundere, tam de vino, quàm de mulso, sine reprehensione: & tanquam Hebræi carnem suam circuncidunt, in signum quòd semen sunt Abrahæ, absque opprobrij confusione.

N O T Æ.

a *Superuacuis impendiis.*] Verba sunt Ennodij Ticinencis lib. 11. epist. xxis. cuius & alia quædam hinc inde imitatur.

EPISTOLA III.

Petrus Abbas sancti Remigij a Magistro G.

NVllum virtutis dispendium est, vbi ab vmbraculis eius vitium extrahitur, vt reuelata facie quod latebat appareat. Hac ætate atque his malignitatis diebus, Deus splendescere facit quis sit de gente tenebrarum, vel de populo honorificato diei & lucis, dum stricto ense & vniuerso apparatu armorum hinc inde conglobato, bonum & malum, virtus & vitium in castris suis manu conserta cominus acriter dimicant. O quàm pomposæ phalanges Philistinorum, multo numero & propriis viribus confidentes vibrant hastas, intorquent sagittas toxicatas veneno secularis gloriæ, aduersus Israël populum humilem, pusillum gregem, de se nil præsumentem! Ab initio enim, ex quo in veritate non stetit homicida ille, qui tanquam fulgur de cœlo cecidit, multiplicata sunt mala super terram? & tarescente tam virtute quàm religione, super numerum excreuerunt mulieres, Ægyptiorum nimirum & Hebræorum; adeo vt septem mulieres apprehendant virum vnum, & pretiosior sit vir auro, & homo mundo obrizo. Quæris fortè, quid intendat hoc nostrum prouerbium, & quare hanc proposuerimus in exordio litterarum nostrarum quærimoniam. Res ipsa sine dubio, & ratio temporis nodum quæstionis soluit, dum in errore schismatico, qui videbantur columnæ esse in domo Dei, procliuiùs elabuntur, pro buccella panis & pro gloria carnis, quæ tanquam fœnum tectorum euanescit, quod priusquam euellatur exaruit. Vident & agnoscunt homines, quòd Draco tertiam partem stellarum de cœlo secum deiecerit, nec exterriti tam fœdo & crudeli exemplo abhorrent ire post Satanam, & detinere veritatem Dei in mendacio. Vna hæc de plagis Ægypti, quæ filios Israël non tangit, sed filios huius sæculi, qui quærunt quæ videntur & temporalia sunt, non ea quæ non videntur & æterna sunt. Secunda autem similis est huic, quæ maximè debacchatur in partibus vestris transmarinis, vbi Rex Angliæ omnes pene canes sic elingues reddidit, vt mutire non valeant, ne dicam latrare. Supernatauerunt tamen aliqui, qui timebant ne simili tinea corroderentur, & tabescerent fauces eorum: de quibus est Cantuariensis cum domestica familia sua, ex quibus vnum habemus catulum, Ioannem de Saresberia, qui non facit animam suam pretiosiorem se, sed Dominæ Ægyptiacæ auferenti tunicam non tenuit priùs dimittere pallium, quàm stupro falsitatis corrumpi, & nudus reiecta sindone nudum sequi desiderat Christum. Bone amice, & tu de illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Quamuis enim cum nube vmbrosa lateas, & corporaliter cum illis habites, qui de lateribus Aquilonis frigescunt, tamen corde bono & optimo tanquam veræ philosophiæ discipulus, respicis ad austrum, & expectas inde Paraclitum, qui nebulas istas aduentus sui illustratione expellat. Faciet autem hoc, cùm sibi beneplacitum erit. Interim offero tibi me & mea, & rogo vt si opportunum fuerit, & necessitas aliqua exegerit, apud Archiepiscopum bonum nobis teneas locum.

N O T Æ.

a *M. G Puell.*] Hoc est *M. Girardo Puella.* Id enim viro cognomen, qui postea Episcopus fuit Cestrensis. Supplementum Sigeberti anno M. C. XXCII. *M. Girardus cognomento Puella, vir magnæ litteraturæ & honestatis, electus est in Episcopum Cestrensem.* Scripta est epistola superstite, S. Thoma, cum exul esset in Gallia. Duo enim Ecclesiæ mala deflet, schisma Germanicum, & persecutionem Anglicanam.

EPISTOLA IV.

a *Abbati Villariensi, & conuentui, Petrus Abbas Sancti Remigij.*

CVm reo & pro reo, ipse non in vno, sed in multis reus, reatus veniam postulo, causam non iustitiæ sed misericordiæ allego, fontem Dauid resignandum & aperiendum sitienti & de via redeunti imploro. Iudæi captum à bestia, & morticinum, atque carnem porcinam non comedunt: sed IESVS lilium inter spinas, & captum liberat, & morticinum saluat, & porci immunditiam suâ munditiâ, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter, emundat & emendat. Fossa iuxta altare, quæ sacrificiorum & holocaustorũ reliquias

A fiue superflua solet excipere, nô nobis opilata sed aperta reseruetur, quia & ipsum altare concauum & in modum retis fieri iussum est, qoatinus & cineres excipiat, & vapores admotæ flammæ iotrinsecus vsque ad animam foueat. Nostrum altare, quod est non huius creationis, sed in excelsis, paternæ tantùm generationis, & in terris maternæ nihilominus tantùm conceptionis, IESVS CHRISTVS, ventrem habet eburneum quidem, sed distinctum sapphiris: quatinos & ex virtute Dei nostras deleat ignorantias & peccata, & ex susceptione humanæ naturæ nostria infirmitatibus ex his quæ passus est compati nouerit. Noluit autem plagas illas sanctas, & vulnera in cruce suscepta, ita recludi, qoòd meatus veniæ & indulgentiæ peccatoribus obstruerentur: sed adhuc manus habet expansas in cruce dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.* (Matth. 11. 28.) Quia igitur viris sapientibus scribo, de arca sapientiæ vestræ quantaslibet quisquilias mutuare mihi concedat eadem sapientia, quæ nunquam caret affluenti bonitate B & copiosa largitate. Pro fratre Ansfredo, immo pro causa eius, qui ad vos reuertitur, hæc intimare nec mihi pigrum est, hec vobis onerosum esse debet. Causa equidem suæ abscessionia differens fuit ab aliis, qui propositum sanctæ religionis irreuerenter abiiciunt, & tanquam canis ad vomitum redeunt. Effectus siquidem causæ ipsam probat. Non enim abiecto pudore & reuerentia sancti propositi, cùm meretricibus more aliorum lupanaribus se immiscuit, vel aliis enormitaobus sæcularis conuersatioois rupto fœdere sanctitatis se immersit. Non ergo à vobis vno & indifferenti modo rerum causæ penseotor. Quamuia enim in mente diuina causa atque ratio omnium habeatur, tamen sicut fluuius, qui egreditur de paradiso in quatuor capita diuiditur, sic de illa radice diuinæ dispositionis rami innumerabilium causarum, & in se eadem manens diuersas propagines exuberat, vnioersitate eorum quæ fuerunt, vel sunt vel eruot. Quisque enim euentus siue effectus de propria causa procedit. Inde est, quantum ad præsentem cau- C sam attinet, qoòd manus Moysi, quam primò de sino leprosam retraxit, secundò remisit, & carni reliquæ similis apparuit. Similiter frater Ansfredus, cùm ad claustrum sanctæ congregationis vestræ, tanquam ad sioum Moysi, conuersus contineretur, nulla in eo lepra criminalis peccari apparebat. Cùm autem de claustro exiit, tanquam leprosos apparuit. Fauente igitur & agente diuina iussione, ad sinum Moysi, tanquam ad virum priorem rediens dicit, Melius mihi erat tunc magis quàm nunc, oonquam inde postea exiturus, nisi ex mandato Abbatis, vel vocatione cœlesti in exitu mortis, quando sana & iotegra, qualis de baptismate exiuit, anima eius ad domum ipso propitio redibit. Non ergo pœniteat vos ad horam illum amisisse, quem perpetuum fratrem & monachum recipitis. Proderit enim eis sensisse laqueos diaboli, quibus Dei adiutorio contritis, anima eius liberata est. Tam enim nos, quàm fratres nostri, nec non & [b] clerus de castro nostro testimonium ei perhibemus, quòd religiosiùs se habuit io sæculo, D quàm multi in claustro, dum fere septennio oobiscum conuersatus est. Exempla misericordiæ plurima supponerem, nisi viscera Ioseph iam in vobis mota ad misericordiam præsentirem, & oisi modum epistolarem excedere timerem. Breoiret tamen & compendiosè patrem prodigi filij ad eum reuertentis cum vitulo saginato, stola, anulo, & calcismentis occurentem, immo accurrentem monstro: & IESVM æquè filium Mariæ Virginis, adhuc Thomæ Apostolo latus & manus ostendentem, vt quasi petra refugium erinaciis, io cauernis, & foraminibus suæ passionis pullos fugientes admittat, & ab insecutione milui rapacissimi rutetur. Oleum itaque de capite vestro non deficiat: qoia postquam Sareptana mulier, id est Ecclesia, Heliam pauit, id est Christum recepit, farina misericordiæ diuinæ non defecit, nec lecythua olei imminutus est. Itaqua nec vbera sint vobis arentia, nec sterilis vulua. Christus enim non de sterili natus est, sed de puella gratiâ virgi- E nitatis & fœcunditatis plena. Valete. Quidam clericus bene litteratus, qui in lege Domini die ac nocte meditatur, ianuam vestram pulsat, Magister Vuillelmus, vt ad conuiuium siue ad cœnam Domini admittatur. Vestem siquidem habet nuptialem, id est pauperem & humilem, non villosam, nec pumposam. Quo itaque substantia & spiritu pauperior, eo societate Christi digniot. Rogo vt illom recipiatis. Orate pro nobis, quia ouem vestram detonsam bene vobis conseruauimus, & cum multa lana remisimoa.

NOTÆ.

[a] *Abbati Villariensi*,] Celebre est in diœcesi Metensi monasterium de Villariis: est & in Leodiensi alterum de Villari, vtrumqne ordinia Cisterciensis. Vtrius horum, an alterios fortasse cognominis Abbati scribat, incertum.

[b] *Clerus de Castro nostro*,] Castro S. Remigij, in suburbio scilicet Remensi, in quo situm monasterium, F & aliæ basilicæ complures. Nunc etiam tametsi mœnibus vrbis inclosum, Burgum S. Remigij eam partem vocant.

EPISTOLA V.

Abbati Villariensi, Petrus Abbas sancti Remigij.

MVnus amicabile est amicò sollicitudinem gerere. Plus etenim est monus animi, quàm nummi. Sollicitudo autem implet animum, non manum. Vnde nec tam facilè tollitur de corde sollicitudo amoris, quàm citò excutitur de sinu vel manu pignus cuiuslibet materialitatis. Cùm igitur à fratre H. diligenter de statu vestro quærerem, audiui vos in labore hominum esse & calicem sororis nostræ, quæ est passio Christi, cum G hia qui in torculari premont, frequenter bibere. Amara quidem potio bibentibus illam, sed spem salutis optimam in se habet repositam. Nihil enim ad cœlum euntibus tutiùs, quàm sequi stratam sanguine Christi tinctam, quàm vestigia clauorum impressa prospicere, & ante oculos suos Christum semper perscriptum & præscriptum inspicere. Rectissimum hoc iter ad tribunal gratiæ. Via hæc latrooibus vacua, & finem suum pertendens ad illum, qui peregrinantibus est via, proficiscentibus veritas, peruenientibus vita. Duri sunt lapides ad caput Iacob in itinere quiescenti, asperi silices cacumina montium petenti, pungunt spinæ & tribuli teneros pedes, femori infiguntur sagittæ, sed nunquid oon erit finis? *Finem*, inquit Apostolus, *Domini vidistis, patientiam Iob audistis.* (Iacob. v. 11.) Qoid igitur post finem, quid in fine? *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* (Psalm. cxviii. 96.) In fine siquidem apprehendemus quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas crucis Christi, & profundum. Longitudo dierum in dextera eius & latitudo, vt sit tan- H ta cognitio de Deo quanta dilectio, tanta dilectio, quanta beatitudo, tanta beatitudo, quanta dulcedo Dei, tanta dulcedo, quantus ipse Deus. Sublimitas, in capite Nazaræi, IESVS Nazarenus rex Angelorum. Profundum, cùm omnia subiecta erant ei, præter illum, qui sibi subiecit omnia. Hæc, carissime frater & domine, carissimus filius vester H. à nobis noleos vacuus redire sua instantia extorsit, noo à nolente, sed ab obsesso multis curis & turbis. Libentissimè vidimos nouum hominem factum de veteri, reuersum de regione dissimilitudinis ad partem clementissimi pectoris & redundantissimæ pinguedinis. Hunc vobis affectuosiùs commendamus, tanquam mutuæ dilectionis pignus, & fratrem, quem ego aliquantisper enutriui, & valdè diligo.

A

EPISTOLA VI.

a *E. Lundensi Archiepiscopo.*

VAcillans fluctuatione inter spem & deliberationem, vltra se intra metas patientiæ non potuit continere verus amicitiæ affectus. Suadebat spes quotidie, diligentissimum & dilectissimum dominum & amicum statum suum renunciaturum. Vrgebat deliberatio, nil immorandum ad quærendam certitudinem de incertitudine aduersi casus, qui dicebatur oppressisse tantum dominum. In his itaque procellis vsque ad lassitudinem animo laborante, & diurius pensante quid inde potiùs esset eligendum, communicato consilio cum dilecto filio vestro Abbate sanctorum Crispini & Crispiniani, festinaui mittere ad vos nuntium nostrum, vt

B sciremus quomodo tentauerit vos, & probauerit dominus, tam in mari, quàm in terra. Nam parumper laxauit fræna leonis rugientis, quæ tenet in manu sua: sed nec rupit, nec soluit. Siquidem si Deus soluisset, aut diabolus rupisset, aqua nimis vos absorbuisset. Ad torporem itaque, si quis in vobis, aut in vestris erat, excitandum iuste passus est dare fremitum: ad ostendendum erga vos filialem affectum, piè reclusit ora leonum, & maris ferocem tumultum. Non dormiuit Dei iustitia, nec se elongauit diuina clementia. Impugnari voluit diabolus, sed sola peccata purgauit Dominus: fidem puram, deuotionem sanctissimam obfuscare voluit princeps tenebrarum, sed Deus qui lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, de camino clariorem extraxit, & aurum suum pretiosius reddidit. Si superest dilectus noster Crispinos, attentissimè illum vobis commendamus, & filium Ioannis Burgensis nostri, & omnes quos vobiscum duxistis. Dilectissimus vester Abbas sanctorum Crispini & Crispiniani salutat vos. De his quæ apud nos fiunt; sug-

C gero Domino meo, quia satis prospera sunt. *b* Senonensis Archiepiscopus factus est Remensis: *c* Magister Ioannes Saresberiensis, quondam clericus noster, factus est Episcopus Carnotensis. Conuentus noster semper orat pro vobis, Ioannes Burgensis multum salutat vos.

NOTÆ.

a *E. Lundensi*] De Esxili naufragio, quod in Danica nauigatione passus est, scribet denuo epistola XIII.

b *Senonensis Archiep. F. E. Remensis*] Vuillelmus Theobaldi Magni filius Vetus Chronicum anno M. C. LXXVII. *Vuillelmus Senonensis Archiepiscopus à clericis Remensibus postulatus, mortuo Henrico Ludouici regis germano, qui per annos XIII. Remensem Ecclesiam palatiis, turribus & aliis munitionibus insignissimè illustrauit, regendam Papa Alexandro assentiente suscepit.*

c *M. Ioannes Saresb. F. E. Episcop. Carnotensis*] Anno M. C. LXXVII. vt est in supplemento Sigeberti.

D Castigandus ergo Episcoporum Carnotensium catalogus, qui Vuillelmum Ioanni & Petro nostris postponit, cùm præire debeat. Nam Roberto, qui obiit anno M. C. LXIV. successit Vuillelmus. Hic quarto post anno Archiepiscopatum Senonensem adeptus, Carnotensem quoque retinuit, consecratusque est anno M. C. LXVIII. de cuius ordinatione tacito non ...e Saresberiensis sub finem epist. CCXXXIII. & Robertus S. Mariani monachus in Chronico. Idem denique ad Remensem cathedram, vt paulo ante dictum est, translatus, Carnotensem Ioanni hoc anno reliquit. Ioannis successor fuit Petrus noster anno M. CXXCII. Petri Reginaldus anno M. C. XXCVII. Ad Reginaldum electum extat epistola Stephani Tornacensis CXXXVI. quæ hæc omnia confirmat. *Vt sicut prædecessores vestri Carnotenses Episcopi, præcipuè Dominus noster*, id est Vuillelmus Reginaldi auunculus, tum Remensis Archiepiscopus superstes, *& post eum bonæ memoriæ Ioannes & Petrus Episcopi nobis*

E *beneuolè detulerunt, & vos æquis passibus, si non maioribus deferatis.* Item supplementum Sigeberti anno M. C. LXXVII.

EPISTOLA VII.

Magistro Presbytero carissimo amico suo Petrus Abbas salutem.

MEmor temporis illius, quo feruente non minus studio, quàm ætate, in Cellensi monasterio simul commorati sumus, attendo plurimum detraxisse cursum interlabentem à corpore valetudinis, ab animo lectionis & meditationis. Inexplebili siquidem desiderio, nec oculus visu librorum, nec auris satiabatur auditu lectionum. Harum extremitatum Deus erat & medius, & primus, & vltimus. Saluo namque ordine, salua diuinæ

F laudis debiti pensione, legebam leges, nec amittebam, vel omittebam consuetas orationes. Nunc autem, amice bone, curæ & sollicitudines, quæ me à iuuentute decerpere non destiterunt, quotidie accrescunt, & vt mihi videtur, obsidionem perpetuam contra me firmauerunt. Si quid roris gratiæ, si quid pinguedinis misericordiæ raptim, & quasi furtim, de diuinis cellariis interdum attraxit spiritus meus, de repente subitus & intempestiuus totum absorbet nimius æstus. Vnde clamo ad Deum, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Hoc Ps. 142. 6.
de interiori. De exteriori verò statu, gratias ago benignissimo Deo meo, quia in omni prosperitate & pace sum: tamen qualem potest dare mundus. Libenter vos viderem, & senectutem meam vel ad tempus sub alis Beati Remigij fouerem. Magister Ioannes de Anglia, quondam clericus noster, electus est Carnotensis. Munusculum vestrum accepi, & gratias ago. Valete.

G

EPISTOLA VIII.

Vnico & vnicè reuerendo patri & domino Vuillelmo Dei gratia Senonensi, immo Remensi Archiepiscopo, frater Petrus humilis Abbas S. Remigij salutem & promptum cum omni deuotione obsequium.

IN insigni electione Carnotensi de magistro Ioanne stellam matutinam produxit Deus de thesauris suis. Affuit, affuit huic prædestinationis Dei partui vigilantissima sagacitas Domini mei, & manum obstetricantem supposuit, ne abortum pateretur incommutabilis Dei prælectio. Deus tibi laus, tibi gratiarum actio: Archiepiscope tibi merces, tibi æterna remuneratio. Hoc opus de raritate admirabile, de singularitate incomparabile, de potitate commendabile, de bonitate speciali omnibus imitabile. Quando & vbi simile factum est in regno Franciæ, vt remotis omnibus simo-

H niæ speciebus, nullis munerum suffragiis incumbentibus, nullis clientum vellicationibus pruritum aurium excitantibus, solus Dei honor & populi salus in Episcopali electione quæreretur? Certè hoc in rationali & superhumerali tuo, pater amantissime, stylo ferreo, vngue adamantino scribetur, quòd in vicariis Petri eligendis nulla te mouet humana gratia, nullus fauor, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ auaritia. *a* Trecensem Episcopum, virum qui ministerium suum honorificat, elegisti & consecrasti. Meldensi Ecclesiæ tres viros honorificentissimos, *b* domnum scilicet Cardinalem, Magistrum Petrum, & Simonem Archidiaconum vicissim assignasti: sed nunc superlatiuè hominum de alia gente, amore Dei tantummodo ductus, in Ecclesia Carnotensi substituisti. Vbicunque hoc Euangelium prædicabitur, dicetur quòd sis amicus sponsi, cùm tam verax sis & fidelis, non iam in quærenda vxore Isaac, sed inueniendo Ioseph virum Mariæ. Verè Maria veneratur

in

A in Carnotenſi Eccleſia. Verè vir iſte Ioannes, pretioſo ſanguine beati Thomæ Pontificis & martyris intinctus, lege diuina ad plenum inſtructus, bonis moribus & piis actibus ornatus, Apoſtolico ad Timotheum catalogo virtutum bene depictus, ad Dei honorem, & ad veſtram perpetuam laudem, columna factus eſt in Eccleſia Dei. Reuiruit in vobis antiquus Apoſtolicæ ordinationis ramuſculus, cùm pro patribus filij vngebantur, immo pro panibus omni ſabbato calidi cum thure ſubſtituebantur panes.

N O T Æ.

a *Trecenſem Epiſc.*] Matthæum, cuius extat in collectaneis Saresberienſis epiſtola ad Alexandrum Papam pro S. Thoma, quinto eius exilij anno ſcripta, initio Epiſcopatus, hoc eſt anno M.C.LXIX.

b *D. Cardinalem*] Petrum tit. S. Chryſogoni. Rogerus Houedenus annò M.C.LXXVII. *Eodem anno Petrus Tituli S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ* B *Sedis Legatus, quondam Meldenſis Eccleſiæ electus venit in Franciam.* In tabulis Epiſcoporum Meldenſium, poſt Stephanum, cuius etiam leguntur apud Saresberienſem epiſtolæ aliquot pro S. Thoma, ſubiicitur Simon, Archidiaconus antea Senonenſis, de quo nondum Epiſcopo Saresberienſis epiſtola ccxc. At ex verbis Cellenſis hoc loco liquet duos alios ante Simonem electos Epiſcopos fuiſſe.

EPISTOLA IX.

Priori Vuigornenſi, Petrus ſancti Remigij Abbas.

NEque ſubitaneus, neque repentinus ſoleo res magnas diſponere, ſed cum multa maturi conſilij deliberatione, finis cauſarum appenſione. Inde eſt, amice cariſſime, quòd non ſtatim credo omni ſpiritui, propter C illum qui transfigurat ſe in angelum lucis, & ſub pallio conſultationis offert ſæpe venenum deceptionis. Vitium autem eſt, omnibus credere, & nulli. Exemplo igitur illius, qui omnia nouit antequam fiant, & tamen deſcendit per Angelos probare vtrū clamor Sodomorū, qui aſcenderat ad cœlum opere compleretur, an non, diu ſubſtiti acquieſcere rumoribus quotidianis, de fratribus noſtris de Lapelee, vel meliores fructus de ficulnea ſperans, vel iudicium tanquam meridiem expectans. Quia itaque crebreſcit, non rareſcit fumus funeſtæ opinionis, ſecurim appono ad radicem arboris, non detruncans, ſed releuans ramos vſque ad terram inclinatos, immo incuruatos, ſi fortè ſuſpenſi ferant denuo vuas, non labruſcas. Mitto autem à latere noſtro fratres integræ hactenus apud nos opinionis, quorum conuerſationem, ſi de præteritis futurorum præſagia apprehenduntur, bonam in terra veſtra credimus futuram & honeſtam. Sit cum illis manus veſtra & conſilium, quo ſiquid in eis minus eſt ſuppleatur ad bene regendam domum noſtram, & ad famam dignam reparandam.

D

EPISTOLA X.

a *Epiſcopo Ceſtrenſi, Petrus Abbas S. Remigij.*

VEſtri officij eſt, pater cariſſime, calamum quaſſatum non conterere, & religionem impulſam vero aut falſo rumore non penitus euertere, ſed ſuſtentare & releuare. Nihil namque in hominibus cuiuſcumque profeſſionis adeo ſanctum & perfectum, quamdiu in eodem ſtatu nullus reperitur, vt nulla impoſtura ſeu ſciſſura interueniat. Vt enim ait Gregorius, vera religio compaſſionem habet, non indignationem. Vnde de Ieſvs inclinans ſe ſcribebat in terra, *Si quis ſine peccato eſt veſtrûm, prior in adulteram lapidem mittat.* Tandem tem- (Ioan. VIII. 7.)

E tum ſoluit, & ream abſoluit; non fauendò iniquitati; ſed commiſſa delendo, & non committenda præcipiendo. Venerande pater & domine, non excuſamus peccata noſtra, ſiue illorum, qui in opprobrium ſui ordinis faciunt ea quæ non conueniunt. Secretiùs tamen, non mitiùs arguendo decerno illos, quorum vita ſpectaculum debet eſſe mundo, & Angelis, & hominibus, ſi offenderint in lapidem offenſionis, non ſuo, ſed ſancti ordinis merito. Cùm enim cauſa diſtinguat inter perſonam & regulam, ſaluâ regulâ tangatur perſona, ne nomen Chriſti blaſphemetur inter gentes. Hactenus monachi ſolent iudicari in capitulo, non in conſiſto; inter monachos, non inter Presbyteros; ab Abbate, non ab Archidiacono; corporali, non pecuniaria pœna. Scitis vt credo, quia ſi notificaſſet nobis paternitas veſtra, aut ſedulitas Archidiaconi, enormitates monachorum noſtrorum, nec oculos, nec aures clauderemus, ſed iuxta antiquorum patrum conſuetudinem regulariter malè acta corrigeremus. Amouemus igitur tam Priorem illum, quàm fratrem ſuum à Prioratu illo, & ſubrogamus bonos vt credimus fratres, quos veſtræ paternitati attentiùs commendamus; quatinus ſub alis veſtræ F protectionis milvorum rapacitatem non timeant, & cum Dei adiutorio, veſtro fulti auxilio, ruinam, ſi qua eſt, in domo illa reparent.

N O T Æ.

a *Epiſc. Ceſtrenſi*] Auctor eſt Malmesburienſis lib. IV. de geſtis Pontificum Anglorum, Petrum Epiſcopum Liecfeldenſem, Guillelmi ſenioris temporibus, ſedem Ceſtram tranſtuliſſe, quæ olim ciuitas legionum à militari in ea colonia vocitata. In eo tractu poſitus videtur fuiſſe Prioratus Lapeleenſis, nec procul à Monaſterio Beldevvas, ad cuius Abbatem epiſtola quæ ſequitur.

EPISTOLA XI. G

Abbati de Beldevvas Petrus Abbas ſancti Remigij.

IN negotiis amicorum gerendis tantundem bonæ fidei exigitur, quantum & in propriis. Nec ignoro fraternam ſollicitudinem veſtram operam dediſſe, quatinus fidei veſtræ commiſſum negotium, bono inchoatum principio, fine meliori clauderetur. Fortuna tamen, quæ non ſubiacet humano arbitrio, frequenter eludit ſollicitudinem noſtram, & elidit intentionem. Quis enim dominatur poteſtati maris, immo quis imperat motibus indomiti cordis? Vix quiſque poteſt regere familiam penetralium ſuorum; alienam verò, quam adire non poteſt, regere quomodo poteſt? Idcirco indulgentia Dei nobis non negatur, ſi de commiſſorum ſollicitudine nihil omittatur. In exactione itaque amicali nemo ſit durior, quàm Dominum vult ſentire, indebita repetendo, vel remittendo. His omnibus diligenter inſpectis & appenſis, ignoſco vobis ſterilitatem H domus noſtræ De Lapelee, quàm vt credo bonis admonitionibus veſtris circunfodiſtis, ſed incrementum, quod ſolius Dei eſt, præſtare non potuiſtis. Commendo rurſum vobis nouellas iſtas plantationes, quæ genimine meliori, Deo cooperante, vt ſperamus, guſtabiliorem referent fructum.

EPISTOLA XII.

Petrus Abbas ſancti Remigij Richardo.

ETſi non eſt ſermo in lingua mea de inopia ſcientiæ, tamē in manibus habeo ſigna de plenitudine amicitiæ. Fontes qui præcedentibus annis rupti ſunt & aperti, vſque ad diluuium aquarum multarum, præſenti

anno

A anno ſiccati ſunt, & aruerunt vſque ad defectum herbarum & virgultorum. Hæc ſiccitas linguam quidem & fauces tangere potuit ; ſed non venam dilectionis attigit, nec oleum de capite defecit Manabit certè cum vita, immo ſinè dubio, & vltra. Nam charitas nunquam excidit

EPISTOLA XIII.

Londenſi Archiepiſcopo Petrus Abbas S. Remigij.

IMago veſtræ dilectionis impreſſa & expreſſa ſtylo ferreo in vngue adamantino cordis noſtri viget, & in eo vigere non ceſſabit. Radicem namque miſit deorſum, quam irrigare non ceſſat iugis, & quondiana recordatio benignitatis veſtræ ad amicum, ne dicam ad ſeruũ veſtrum. Totum enim occupat gratia, & amicitia, B excluſo, & expulſo timore, tanquam mercenario. Inde eſt, pater reuerentiſſime, quòd in oblatione primitiarũ meatum Domino viuo & vero, veſtri quoque memoriã eius propitiationi pro poſſe quotidie repræſento. Redijt ad nos Magiſter Criſpinus, marina potione non parum amaricatus, veſtro tamen beneficio aliquantulum recreatus. Inter cætera retulit nobis duram hiſtoriam naufragij veſtri, in qua elatione ſæuiſſima mare aduerſum vos intumuit, ventus immoderatus nauem ferociſſimè repercuſſit, tempeſtas paulominus abſorbuit. Recordor, Petrum in fluctibus ambulantem, & ventum validum contra illum venientem, Paulum tertiò naufragantem, Ionam abſorptum à bellua, quæ tamen illum retinere non potuit. Domine IESV, vbi eras? manum auxilij quare tunc ſubtrahebas? niſi fortè vt de reliquijs calicis tui, quem cùm in paſſione guſtaſſes bibere noluiſti, miniſtri tui & ſequaces de eodem mixto portionem, ſiue potionem, quæ ſibi contingebat, ad recuperandam ſanitatem, immo hereditatem. *

* ſup. biberent.

C

EPISTOLA XIV.

Fratribus Moliſmenſibus Petrus Abbas S. Remigij.

AD monumentum ordinis noſtri cum Ieremiæ lamentationibus conſternatus reſideo, & quadruplici alphabeto, quia iam quatriduano madet fœtore, vehementer afficior. Fuit, fuit quondam de magno genere & nobili progenie ordo iſte procreatus, etiam Angelicis virtutibus morum informator prudentiſſimus, rerum mundanarum contemptor perfectus, & diuinæ voluntatis amator idoneus. Hic hic brachia ſua extendit à mari vſque ad mare, de omni gente, quæ ſub cælo eſt, portans in vlnis ſuis vſque ad thronum gratiæ, & collocans in ſolijs vacuatis & relictis à Lucifero quando ſicut fulgur cecidit in lacum fæcis & miſeriæ. O D ſancti Angeli, quot palmites de hac vinea tuliſtis ad vos, quot in ordine clauſtrali vobiſcum conſedere feciſtis in cœleſtibus in Chriſto? Heu, heu! capite vulpes quæ demoliuntur vineas; cucullatos, qui transferunt terminos patrum, & ſepem regularis inſtitutionis diripiunt. Hi ſunt, qui retia Domini rumpunt, qui veſtimenta Domini diuidunt, qui lanceâ linguæ ſuæ latus iam pendentis in cruce ordinis effodiunt: inteſtina religionis in auras exſufflant, & ſi quid vitalis ſpiritus remanſerat, extingunt. Sic armantur filij contra patrem, ſic genimina viperarum viſcera materna crudeliter concutiunt, ſic ab ortu ſepulchrum patens inordinatè viuendo ordini profeſſo aperiunt. Credo moueri vos contra tantæ ſterilitatis auctores, quoties, iuxta vos aſpicientes coronam ſanctorum ſpirituum & beatarum animarum, recordamini prioris ſæculi, & magnæ fertilitatis ſinus veſtros replentis. Si Phinees adeſſet, fortè pugione ſuo hanc iram placaret. Sed ecce quiſque ponit gladium in vaginam, nec eſt qui accingatur ad vin- E dicandum ſanguinem patris. Inde eſt quòd mundus plenus eſt cucullatis, & pene vacuus monachis. Inde eſt, quòd in area Domini palea non ventilatur, ſed fouetur, non exſtirpantur ſpinæ, ſed multiplicantur. Ego, ego vnus de cucullatis, video iniquitatem, & quid facio? Nequeo reſuſcitare ordinem mortuum, & qua patientia inter parricidas exequias funeris eius celebrabo? Non valeo refrænare præcipitem curſum ad baratrum, numquid effici debeo ſocius furum? Omnes quidem currunt, non ad brauium, ſed ad malum, & ego quid? Optabam cum Apoſtolo anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Quis mihi det, vt ego moriar pro te, ordo ſanctiſſime? in cuius præſentia quondam principes ceſſabant loqui, & ſuperponebant digitum ori ſuo. Iuuenes abſcondebantur cùm ſederet in porta, & aſſurgebant, nec audebant addere ad verba eius. Nunc derident illum iuniores tempore, quia ſenuit Iſaac, & clarè videre non poterat; ſenuit Dauid, & calefieri veſtibus non poterat. F At Moyſes cxx. annorum cùm eſſet, nec oculorum caliginem ſenſit, neque dentes ei moti ſunt. Et ſi regulæ profeſſores, etſi ſpeciẽ pietatis habentes, ſicut Iſaac & Dauid, ſeneſcendo ſpiritu tepefacti ſunt, & oculi eorum caligauerunt; tamen Moyſes, id eſt B. Benedictus claris obtutibus nunc noſtras reſpicit prauitates, & in nouiſſimo dentibus mordebit, accuſando apud Dominum, ſuorum decretorum & regularis profeſſionis contemptores. Fortè dicitis, Quid ad nos parabola iſta? Abbas Remenſis ſtylo ſuo vt quid tam mordaciter ex obliquo tangit nos? Quid de nobis ad ipſum? Reſpondeo: Chriſtianitatis ſocietate, ordinis germanitate antiqua, vicinitatis familiaritate noui vos & diligo vos. Doleo itaque, quòd nimis extenuatur bonus odor Chriſti in vobis, tam apud vicinos, quàm apud remotos. Doleo quòd regionem, immo religionem veſtram, coram vobis alieni deuorant: quòd tinea vſurarum & debitorum ſubſtantiam veſtram demolitur, quòd nobilis puella hactenus duplicibus veſtita enormiter expoliatur. Religionis ſiquidem, & poſ- G ſeſſionis dotibus à fundatoribus ſuis Eccleſia veſtra dita diu floruit: ſed nunc iam exaruit. Gallina illa Moliſmenſis plena plumis, & bene pennata quot & quales de vtero ſuo fœtus produxit, dum a ex ſe collegium Ciſtercienſe originario germine pullulauit? Deus meus, de illo vno ouo quàm innumerabilis arena monachorum, & conuerſorum faciem terræ operuit! quàm lucido ſplendore cutem mundi denigratam per infectam viuendi negligentiam reformauit, & illuſtrauit! Reſpice, reſpice Sion filios tuos, & pelles tuas emarcidas noli contemnere: ſed reſume ſpiritum adoleſcentiæ tuæ, ſi fortè cum Iacob, quaſi de graui ſomno euigilans, audias Ioſeph filium tuum in Ægypto regnare, & de manu eius famem tuam, imo infamiam poſſis reuelare. Fratres mei, fratres mei, recolligite plumas matris veſtræ, & replantati ſuis membris, conuerſationem veſtram emendando, ſubſtantiam redimendo, odorem bonæ opinionis comparando, & ad antiquum ſtatum omnia reuocando. Epiſtola hæc non contriſtet vos: & ſi contriſtauerit, vtinam ad pœnitentiam! Valete. H

NOTÆ.

a *Ex ſe coll. ciſtercienſe*] Robertus enim Abbas Moliſmenſis, vt Sigebertus narrat anno M.XCVIII. in Ciſtercienſi eremo cœnobium primus exſtruxit, in eoque cum aliquot monachis ſuis habitauit. Itaque Moliſmenſis monaſterij colonia Ciſtercienſe.

EPISTOLA XV.

Theobaldo a Moliſmenſi Abbati P. Abbas ſancti Remigij ſalutem.

STatum veſtrum cogitans, & recogitans pene vſque ad neſcio quid dicam rapior. Caligine ſiquidem nimia paſſus an hoc aut illud eligam, dicere confundor.

A Si enim diaero, sta, casum timeo. Si dixero, susceptum reiice onus, prouidentiam Dei offendere vereor. Proinde verum est, quod ait scriptura : *Incerta & timida sunt hominum consilia.* (Sap. 18. 14.) Quid ergo? Tacebo, & silentio abscondam carissimo amico, quid de ipso sentio? Rursus tanquã cæcus lapidem iactabo, & feriam vbi non video? Sed scio quia in ambiguis benigniùs semper interpretãdum est, iuxta Apostolum qui ait, *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat, aut cadit : stabit autem.* (Rom. XIV. 4.) Consulto itaque priores & multos labores, in cella Carthusiensis ordinis pro Dei amore perpessos, semper te ante oculos habere, & tutissimo loco intimi cordis reponere, & si datum fuerit desuper, nouos quotidie aceruos aggregare. Nunquam enim bono negotiatori quæstus sufficit hesternus. Quotidie namque multa de acquisitis expendimus, & fortè vna iactura plura amittimus, quàm per annum lucrati fuerimus. Ideo Apostolus quæ retro oblitus, ad anteriora semper tendit : nisi meliora & fortiora agat, parum pensans quid egerit. Si B ergo lucratiua sunt tibi quæ facis, fac quod facis. Appende lucrum animæ tuæ : appende tibi commissorum profectum : appende quid tibi accreuerit in temporalibus, quid iterum in spiritualibus. Pensandum siquidem est quietis pristinæ damnum, & si reparat illud nouum emolumentum. Tibi, non mihi, crede de bonis tuis : tu enim illa vides & sentis, ego tantum audio & credo. Tibi sunt nota, quià vicina, interiora tua. Si ventrem doles, nescio, nisi dicatis mihi, ventrem meum doleo. Sic nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Itaque cum spiritu tuo, immo cum Spiritu Dei, discerne causam tuam, & appende in statera iusta, ne sis mendax in statera dolosa, sanum te asserens, cùm infirmus sis, vel infirmum, cùm sanus sis. Sed omnis homo mendax non solùm in his, quorum non penetrat occulta, sed etiam in se, cuius priuato amore palpat molliter, quæ amputanda essent mordaciter & fortiter. Adhibendum itaque præclarissimum speculum scripturarum ad se cognoscendum & C de se iudicandum. Regula veritatis apponenda, quæ nec modicum tacet fermentum, nec dissimulat minimum quoque & veniale peccatum. Si dormieris inter hos electos, si accubueris inter hos terminos, si consulueris oraculum inter hos Cherubim productiles & aureos, rectos faciet gressus tuos, nec erit necesse consilium Achitofel, quod aliquando infatuatum est. Infra hos circulos immitte vectes tuos, & semper habens arcam Dei ante oculos non timebis Philistæos tuos, siue spiritales siue corporales. Ipsa die qua recessistis à nobis, venit frater Henricus. Persuasimus ei de reditu ad vos.

N O T Æ.

a *Melismensi Abbati*] Ad quem lib. VI. epist. XIII. Ex hac verò discimus, illum aliquando inter Carthusienses versatum.

D

EPISTOLA XVI.

a *Petro Cardinali sancti Chrysogoni Petrus Abbas sancti Remigij.*

AMplexus vestræ familiaritatis mihi gratissimos opto non senescere : sed cum ligno vitæ dies æternos tenere. Res siquidem est familiaris amicitia, quotidianis refricanda salutationibus, immo irriganda mutuis collocutionibus, & fortè renouanda munerum compensationibus. Placuit dignationi vestræ me annumerare in amicorum collegio sine merito quidem meo, sed non sine vestro. Meritum namque æquitatis est, si summus se inclinat ad infimum, magnus ad paruum, valens ad infirmum. Me vermem, me putredinem, me iam iam ad non esse tendentem reputo : vos cum senatoribus cæli thronum iustitiæ honorantem suspicio, & Angelos E cum Apostolo iudicantem non dubito. An irrisorium est & non verum quod dico? Planè scripturæ auctoritate id assero. Nam *labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini exercituum est.* (Malac. 11. 7.) Amicabilia sunt, exhortatoria sunt, ne Dominus & amicus obliuiscatur, casum grauiorem de excelso, quàm de imo. Certè sollicitudo amicalis frequenter tangit me inquirere de omni statu vestro, tam de interiori quam de exteriori : & gratias ago Deo meo, quia non nisi bona nuntiantur, non nisi honesta, non nisi ordini & officio vestro congrua. Oro vt qui cœpit ipse perficiat. Magister Crispinus de vobis me lætificauit, referens gauderem & Deo gratias agerem. Clericus & amicus noster est ; æquè desiderat esse & vester. Ecce Parisios ad scholas vadit, sed & vbique nomen vestrum super se inuocari postulat. Vtile equidem est tanto homini, qui tanta omnium sollicitudine penè continuè vexatur, quòd sui corporis necessaria & salubria postponens, ad intemperiem corporalem F sæpè delabitur. Rogo pro ipso, & cum ipso, quatinus gratiã non qualem qualem inueniat in oculis vestris, sed bonam, sed confertam, sed super agitatã & supereffluentem. Dico autem gratiam, non pecuniam. Hæc enim iuxta Apostolum operanti reddatur secundùm meritum. Præ cæteris hoc vnum ad præsens postulat, vt de manu vestra primitias clericatus, id est coronam accipiat. Hoc etenim signo accepto, magis se obligatum erga obsequium vestrum non immeritò deinceps arbitrabitur, & vos tanquam plantæ vestræ bonum iure prouidebitis. Credo per Dei gratiam quod alter de altero gaudebit, & Deo cooperante fructum salutis faciet. Diu siquidem laboraui, & monitis induxi, vt iugum in area Domini traheret, & glebas post ipsum confringeret. Valete, & de reditu vestro cum potueritis nos certificate.

N O T Æ.

a *Petro Cardinali,*] Legato Sedis Apostolicæ, electo antea Meldensi, vt dictum est ad epistolam VIII. Legationẽ innuit epistola VIII. in qua & de Crispino eodem. G

EPISTOLA XVII.

a *E. Laudensi Archiepiscopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

DE duobus oculis meis, alterum ad me retineo, alterum frequenter ad vos pater & domine carissime, retorqueo. Qui mihi meus remanet, quid in me videt? Certè plura, quibus condolet, quibus illacrymatur, quib. vsque ad nimiam suffusionem turbatur. Certè reptilia, quorum non est numerus, certè gentem illam nefariam, quam Ezechiel vidit depictam in pariete domus, quam iubente domino effoderat. Ad vltimum, quædam ineffabilia non profunditate mysterij, sed enormitate corrupti animi. Sed quando ista cernit oculus? Quando incuruatur ad suas fæces reuoluendas, quando lucernam H accendit & euertit domum quærens drachmam perditam, quando scissuras in muris Hierusalem & ruinas respicit, si fortè cum Zorobabel & Esdra reparare licitum sit. Occurrunt vestigia erucæ, locustæ, bruci, rubiginis, quæ deuorauerunt vniuersa speciosa deserti, pilosi, onocentauri, vlulæ, simiæ, & omnis generis phantasmatum grandis sylua. Si quando autem idem oculus sursum palpebras erexerit, & cælum aspexerit, videt Dominum innixum scalæ, vocantem & expectantem malè soporatum, & dicentem *surge qui dormis, & exurge à mortuis,* (Ephes. V. 14.) & *Lazare veni foras,* (Ioan. 11. 43.) & *adolescens tibi, dico surge,* (Luc. VII. 14.) &, *puella surge.* (Marc. V. 41.) Porrigit quoque manum Petro naufraganti, occurrit in via Saulo spiranti minas & cædes in Discipulos Domini : prodigo filio reuertenti, stolam, anulum & calciamenta restituit, conuiuium & vitulum immolat, & misericordiarum suarum syluam condensam fugientibus & ereptis de laqueis ferreis ad sese refouendum offert. Huiusmodi collyrio releuatur tur-

barus

A batus de seipso ad seipsum oculus. Iam illum conuenio oculum, qui de vobis amicabiliter sollicitus, lustrat vias nostras & studia ab adolescentia. Dic mihi, bone ocule, de amico nostro quod occurrit, quod sentis, quod intelligis. Non sine multa fatigatione, inquit, gesta eius recolo, quia aliquando vidi illum supra nubes ambulantem, & vsque in densissimam altitudinem euolantẽ. Quis gloriam illã, quis potestatem, quis dominationem, quis rerum omnium opulentiam, quis erogationes & donationes tam largas tam innumeras enarrare sufficiat? Quis enauigationes, quis marina pericula, quis insidias magnorum latronum dicat? Tandem Lucifer ille, qui mane oriebatur, qui inter astra Dei solium gloriæ & Archiepiscopatus tenuerat, non sicut fulgur de cælo cecidit, sed sicut filius hominis semetipsum exinaniuit, formam pauperis assumpsit, principis mundi exuuias reiecit, vt si Laban Iacob insecutus fuerit, idola sua apud illum non inueniat, & cum Domino, saltem cum beato Martino dicat, Nihil in me reperies, inimice. Ecce sic B humiliatus in Claraualle spicas recolligit post terga metentium, non glorians de labore, sed se humilians de impossibilitate. Voluntate quidem currit, & charitate cum prioribus & iuuenibus, sed ætate & infirmitate sortem habet cum nouissimis, vt sit nouissimus vocatione, primus remuneratione: quia apud patremfamilias, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas, non est prior remuneratione qui prior tempore, sed prior denarij acceptione, qui posterior labore & tempore. An non ita est? Planè hoc probat veritas, qui priùs latronem de cruce transtulit in paradisum, quam principem Apostolorum Petrum, cui tamen dederat claues regni cœlorum. Pietatis est, parum de meritis præsumentem suscipere: securum verò, si necesse sit differre, & citiùs trepidantem à timore excutere, quam iam substratum admittere. Ecce, pater amantissime, vt credo, non me fefellit oculus meus. Hæc enim eadem præter illum multi alij de te mihi dixerunt. Sit itaque pax cum spiritu tuo, sit anima tua cum Deo meo. Sit melior finis C orationis, quam principium, quia omnis laus in fine canitur. Totus sum vester.

NOTÆ.

a *E. Lundensi Archiep.*] Qui cum monasticam vitam inierat in Claraualle, abdicato post annos XLI. Archiepiscopatu. In Gestis Danorum: *Anno* M.C. LXXVIII. *Eskillus secundus Archiepiscopus Daciæ recessit factus monachus Claranallis. Absalon fit Archiepiscopus. Anno* M.C. XXCII. *obiit Eskillus Archiepiscopus in Claraualle.* Quadriennium ergo inibi vixit. De hoc excessu scribit etiam Saxo Grammaticus Historiæ Danicæ lib. XIV.

EPISTOLA XVIII.

Petro Cardinali sancti Chrysogoni, Petrus Abbas sancti Remigij.

D RAtò meus sum, cuius ergo? fortè Apollo? fortè Pauli? fortè Cephæ? Vtinam! Nam bonam habent mensam, mansuetam & fructuosam disciplinam, donatiuum denique præcipuum, & perpetuum. Diuersorum autem subsellia & iniquam tyrannidem frequenter experior. Vtique Roboam, qui cædit scorpionibus: Pharaonis, qui affligit in luto & latere: Nabuchodonosor, qui potat vrinam pecudum suorum, quos sub iugo carnis, ventris, & gulæ inescauerat. Denique in captiuitate mea, & vniuersa vanitate sub sole, concaptiuam habeo puellam, nobilissimis ortam natalibus, videlicet pudicitiam. Huius me iniuriosa damnatio illorum, quorum carnes sunt vt carnes asinorum, non minus aggrauat, quàm propria miseria. Volui siquidem cum illa fœdus amicitiæ inire ab ineunte ætate, propter decorem suum, & genus illustrissimum, nec non & pacatissimum atque honestissimum contubernium. Cùm itaque chaos E siue cohors spurcissimorum hominum, tanquam porci pretiosissimam margaritam de cælo lapsam pedibus suis conculcent, quæ pax ossibus meis? quæ requies animæ meæ? Clamo, nolite, nolite: sed nõ est vox, neque sensus. Quinimo apponunt iniquitatem super iniquitatem, vt cum pudicitia obruant religionem. Huic nullâ parcentes miseratione oculos eruunt, conuertendo ad vanitates & insanias falsas: nasum præcidunt, discretionis temperantiam euertentes: aures obstruunt, obedientiam non tenentes: labia concidunt, turpiloquio & scurrilitatibus adsuescentes: linguam decapulant, malum redarguentes & mendacium semper loquentes: manus ligant, eleemosynam non dantes, sanguini & auaritiæ insistentes, pedes in neruo ponentes, Christum in carcere non visitantes. Quid amplius? neruos detrahunt religioni effeminati, qui sanctorum patrum abstinentiam, vigilias, psalmodiam, silentium, regularem disciplinam, claustralem remotionem à sæcularibus negotiis dissipant & vilipendunt. Fortè dicitis, quid ad me? F Certè vestra interest, & certè officij vestri est, certè debito tenemini, pro posse vestro districtâ censurâ his occurrere inimicis, his autem benignam accommodare clamoribus, has dirimere quæstiones, & amputatis Dagon brachiis & capite, arcam Dei restituere Bethsamitis. An habetis iudicare causas pecuniarias, & non diuinas? Quis vos misit? Ad quid vos destinauit Dominus Deus per vicarium suum Dominum Apostolicum? Ad quid? Vt solueretis asinam, id est religionem alligatam & pullum cum ea, id est, pudicitiam. *Dicite*, inquit, *quia Dominus his opus habet.* Sedet enim super vtrumque, qui sedes super Cherubim. Non negligatis dominicum præceptum, immo non extinguatis in vobis spiritum Moysi, de quo dictum est, *auferam de spiritu tuo, & dabo septuaginta senioribus*, de quibus vnum vos constituit gratiâ suâ Deus. Quis autem est spiritus Moysi? Spiritus iniquitatem non sustinens, spiritus occidens iniuriam facientem, & vindicans patientem spiritus defendens septem puellas filias Iethro sacerdotis Madian. Spiritus principem Ægypti decem plagis feriens, & tandem in mare demergens. G Diu detineo vos, quia non possum ore proprio, saltem scripto. Dulce namque mihi super mel & fauum, vos alloqui, & vobiscum fabulare. Huius tamen causa & materia est Magister Crispinus, clericus noster, immo & vester: nam populus meus, populus tuus, amice & domine carissime. Commendo itaque vobis eum, tanquam viscera mea, quia vidi honestam conuersationem eius, & procliuem ad meliora & viciniora saluti. Noui vos, quia talium familiaritatem non respuitis. Habeat itaque vos Dominum, & signo clericatus à vobis suscepto, patronum & auctorem huius ordinis habeat.

Matth. xxi. 3.

Num. xi. 17.

EPISTOLA XIX.

Petrus Abbas S. Remigij a Monacho de S. Bertino.

H SErmones nostros, quos tanquam plumas inutiles & superfluas quatuor venti cæli per diuersa proiecerunt, habere desideras. Si legisti, nonne exsangues sensibus sententiarum & enerues tenuitate verborum inuenisti? Si non vidisti, quis persuasit tantoperè te quærere, quos inuentos statim habeas respuere? Curiositas, an studij assiduitas te vrgent, vilissimi hominis herbas & cortices insipidos mendicare, cùm sedeas ad mensas diuitis Augustini, benigni Gregorij, pecuniosi Hieronymi, gloriosi Ambrosij, Bedæ omnium monetarum nummosi profundissimi tanquam maris magni Hilarij, suauissimi eloquij Origenis, & aliorum innumerabilium, quorum nec micas sub mensa dignus sum colligere? Si nouæ placent, ecce magistri Hugonis? ecce S. Bernardi. ecce b magistri Gilleberti, & magistri Petri scripta, in quibus nec rosæ, nec lilia desunt. Nostra verò scripta nec de profundo hauriunt, nec de alto propinant: quia

verba

verba nostra sunt arentia, fortè & sterilia. Intentione tamen hac frequenter admoui tabellis stylum, quatinus vigiliis solemnitatum saltem mediè horâ occuparem me contemplationi sequentium gaudiorum, & subtraherem me à tumultibus me opprimentium iugiter secularium sollicitudinum. Idcirco imperfectos inuenies multos de sermonibus nostris, quia post horam aliquando negligentiâ meâ, aliquando occupatione ingrata, conceptum fœtum parturiebam infectum & imperfectum, nec saltem sicut vrse lambendo promouebam postea ad plenum partum. Ecce hoc erit tibi signum, si quando in manus tuas venerint, qui nostri sunt si imperfecti, si squalidi, si rusticani, si malè amicti prodierint. Tamen da veniam, quia pudibundi non se ingerunt, sed compulsi vix publicum ferunt.

N O T Æ.

a *Monacho de S. Bertino*] Sithivensis monasterij, quod Taruanensis olim diœcesis, nunc S. Odomari.

b *M. Gilleberti, & M. Petri*] Petrum, ni fallor, Trecensem intelligit, qui appellatus est Comestor. Gillebertum vero illum fortasse S. Stephani Autisiodorensis canonicum, qui glossas edidit in vtrumque Testamentum, & propter eximiam doctrinam vocatus est vniuersalis, Londinensisque postea creatus Episcopus.

EPISTOLA XX.

Priori Cantuariensi, & ceteris fratribus, Petrus Abbas sancti Remigij.

BEata occasio, qua vobis admoneor scribere. Miserum certè me iudico de inertia, quæ detinet senectutem meam à visitatione quondam amici, nunc Domini, patris & patroni nostri sancti Thomæ preciosi martyris Dei. Hinc arguit me conscientia, inde excusat. Si viueret in corpore Archiepiscopus Thomas, nonne, inquit conscientia, ires & visitares illum? nonne & marina pericula postponeres, & omnem a te torporem excuteres, vt amicum visitares, & mutua conferres colloquia? E contra iterum talia refert, Sed monachus es, sed Abbas, sed senex, sed corpore inualidus. Monachi est, non egredi de castris Domini, immo de claustris monasterij: Abbatis est, procurare curæ suæ temporalem & regularem sollicitudinem: senis est, inniti baculo suo sub oliua & ficu & vite sua, & cogitare dies antiquos & annos æternos in mente habere. Inualidi est, conuerti in ærumna sua, dum confringitur spina, & dicere quotidie, *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per* I E S V M C H R I S T V M. His cogitationibus disputatione sua sic me accusantibus & excusantibus, interponit se statera æquitatis mediam, sicque litem resoluit, vt neutra de conclusione erubescat, sed pace bone alteri cedat altera. Pium namque est ire, pium non ire, bona est peregrinatio, quam comitata fuerit sancta deuotio: religiosa nihilominus detentio, cui assiduè adest pia commemoratio, & eo intentio flagrantior, quo suo non satiatur desiderio. Vtinam sic me deferret Angelus ad sancti sepulcrum, sicut Abacuc transtulit ad lacum leonum, non vt deferrem Danieli refectionem, sed vt referrem peccatorum remissionem. Constituo autem interim absentiæ nostræ vicarium magistrum G. quem ad se vocauit D. Archiepiscopus Cantuariensis. Commendo itaque vobis commendabilem amicum & clericum nostrum eundem G. qui sentit in se viscera dilectionis, misericordiæ, & pietatis, quæ ad nos habetis, non pro merito nostro, sed pro gratuito beneplacito vestro. Certè si primam familiaritatis vestræ portam aperueritis ei gratiè nostri, credo quòd ex prælibatione auida subsequetur fames, & continuò dicetis, Iam non propter tuam loquelam illum diligimus, ipsi enim cognoscimus, & scimus quia dignus est amicitia & contubernio bonorum. Excipite itaque illum tanquam honestum clericum & bene litteratum, vt apud vos possideam hunc ramusculum, successione illius magnæ arboris, quæ transplantata est in Ecclesia Carnotensi. Fuit enim noster alumnus magister Ioannes: & iste, vtinam similiter!

EPISTOLA XXI.

a *R. Cantuariensi Archiepiscopo Petrus sancti Remigij.*

MAximum argumentum est honestatis & religionis, ad se vocare, & iuxta se statuere alumnos & cultores bonæ conuersationis. Probata namque virtus consimili gaudet reclinatorio, vires quotidianis resumens incrementis, non solùm de natiuo germine, sed & de vterina propagine. Inde est, pater sancte, quod ad commendationem non modicam vestri nominis Magistrum G. aduocatis, & mundanis destitutum copiis in spe bona sub alis vestris, vt audiuimus, nidificare compellitis. Nouimus eum non transitoria aut aduentitia familiaritate, sed longa & diuturna vicinitate, ac beneficiorum nostrorum communicatione. Vtinam sufficisset ei nostra paupertas, nec amouisset illum à nobis tam patriæ amicitia, quàm vestræ largitatis fiducia! Raros ei similes penes nos habemus, quos sic ornet doctrina, quàm vita. Dignus est latere sacerdotali, qui sua non inquinet vestimenta, qui secularia lenocinia postponit pro vera philosophia. Cum granis siquidem philosophiæ etiam quisquilias retinet, amans sententias, nec verba respuens, legens codices & corrigens mores. Excipite pauperem, & facite diuitem. Imitetur manus vestra mundi fabricatorem; qui in creatione terram, priùs inanem & informem, fœcundauit tam multipliciter, & formauit tam mirabiliter, vt formæ incomparabiles. Sanctissimæ memoriæ prædecessor vester, Archiepiscopus Theobaldus, de gremio & sinu nostro Magistrum Ioannem Carnotensem Episcopum inopem & pauperem suscepit, sed Deo iuuante vsque ad nomen magnorum qui sunt in terre fomentis suis prouexit. Mortuus quidem est ille Archepiscopus corpore, sed adhuc viuit in propagine, & durat in illo adhuc suauissimum memoriale. Sicut successistis ei, & sancto Thomæ in Episcopatum, sic in isto magistro G. succedat amplissimum vestrum beneficium. Valeant ei preces nostræ, quia etsi ignoti sumus vobis facie, non tamen, si oportunitas se preberet, obsequio, & interim bona voluntate.

N O T Æ.

a *R. Cantuar. Archiepiscopo*] Richardo S. Thomæ successori: S. Thomæ autem decessor Theobaldus, qui Ioannem Saresberiensem postea Episcopum, in familiam suam primus asciuerat.

EPISTOLA XXII.

Ioanni Episcopo Carnotensi, Petrus S. Remigij.

IN biuio dubietatis positus? vtrum conquerar de me ipso ad amicum, an de amico ad amicum, vix discernere possum. Sed si vtrumque facio, alterum non omitto. Nam quie vtrumque culpabilem inuenio, neutrum excuso. Me Abbatem, te Episcopum quis ignorat? Hactenus vnicè amicos fuisse quis dubitat? Huius rei testis est acteruus epistolarum, marina pericula non timentium, cùm familiarissimo recursu & brachiali complexu nostra quondam se se reuisitabat amicitia. Vndè autem obstupit, immo elanguit communis stylus, non iam quartiduanus stertens, immo annuali elapsu deficiens?

Certè si Episcopalium sollicitudinum allegationes negligentiam istam excipiunt, meam æquè consimili ratione defendunt. Esto. Nullum fuit tempus vacuum, vel veniendi, vel scribendi: nunquid amandi? nunquid recordandi? Procul dubio quamlibet excusationem potest habere omnis actio, nullam dilectio. Si dormis, dilectio non dormit. Vnde, *Ego dormio & cor meum vigilat*. Quibuscunque tenearis occupationibus & necessitatibus, non impeditur, non compeditur vera dilectio. Vbi es vera dilectio? Certè pallio hiacynthino multi se operiunt, sicut falsi prophetæ, qui in vestimentis ouium veniunt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, vel amici rapaces. Nolo, nolo me vel te esse de illis, qui magnificant fimbrias fictæ amicitiæ, profitentes & promittentes inopinabilia & incredibilia, digito autem suo nec quæque modica tangentes. De hoc amicorum genere vel grege nunquam te expertus sum, nec tu me. Tardiùs enim os in promittẽdo moueo, quàm cor in diligendo. Vrget autem me suis stimulis hæc, de qua loquor, dilectio, redarguere non superbè, neque fictè, quæ de amico audio. Siquidem propter antiquam nostram amicitiam, qui habent aduersus Episcopum Carnotensem querelam, Abbatẽ S. Remigij conueniunt, & quasi magistrum & iudicem proponunt. Hæc & hæc, inquiunt, facit Episcopus, sic loquitur, sic mouetur, sic mutabilis est in promissis, sic instabilis in verbis & consiliis suis, sic ingratus beneficiis, sic ad iram facilis, sic improuidus in disponendis iudiciis, sic totus pendet de voluntate & consilio vnius hominis, minus prudentis & multùm cupidi. Ecce capitula quæ obiiciunt Episcopo. Quid autem, ô amice, respondes ad ea quæ tibi obiiciuntur ab his? Si talis es, in alium virum mutatus es. Non te talem noueram, non didiceram, non prædicaueram. Archiepiscopus noster, vir discretissimus, & qui morum scrutator & cognitor est perspicacissimus, discipulum S. Thomæ aliter informatum, aliter institutum fide oculata ex diuturna cohabitatione acceperat. Absit, absit à me ista credere, sed rationes vellem habere, quibus vanitates istas & insanias falsas possem refellere. Ecce per amantissimum nostrum Abbatem sanctorum Crispini & Crispiniani rescribite, & remandate tam de his, quæ ex parte nostra dicturus est vobis, quàm de his quæ scribo.

Cant. 5. 2.

LIBER OCTAVUS.

EPISTOLA I.

a *Eskilo Londensi quondam Archiepiscopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

FERSQVENS corporis molestia hortatur cogitare de patria, vbi nulla est tristitia. Quantò enim ista infelicior quam patimur, tantò illa felicior quam speramus. Vtinam iam littus eius attingeremus! vtinam fluctus istius euaderemus! Circumferimur periclitamur, naufragia experimur, & exire dissimulamus? Quis non optat portum, ne incurrat naufragium? Quis non præcidit hærentis in salo nauiculæ funem, ne sentiat tempestatem? Quis negligit patriam, & amat exilium? Quis fugit patrem, & sequitur hostem? Gaudeo quia iam tenetis portum, & sedetis ad portam sanctæ ciuitatis, cuius participatio in idipsum. Vacillat quidem adhuc nauicula nostra, sed spero & expecto solatium vestrum, cuius per integram amicitiam possideo totum animum. Adiuro vos, si inueneritis dilectum, immò si veneritis ad eius cubiculum, nuncietis ei quia amore langueo. Credite mihi, si venirem ad porticum Salomonis, ne dicam ad sanctuarium Saluatoris, loquerer pro amico, postularem pro domino meo, pronunciarem in auribus Domini Sabaoth, & quæ mihi, & quæ per me pauperibus fecistis. Appellarem pium, compellerem iustum dicens, *Memor esto verbi tui seruo tuo*. Est enim verbum tuum, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Ecce substantia domini mei Londensis quondam Archiepiscopi, nunc pauperis Clareuallensis, per manus pauperum tuorum apud te est. Repende ergo ei vicem, & da ei substantiam tuam, qui tibi dedit suam, tamen quam tu dederas, quam à te acceperat. Amantissime pater, non dormit, neque dormitat in recordatione vestra cor meum. Clamat, pulsat, statque ad fores nostras, quando inquiens videbo, quem desiderat anima mea? quando veniam & videbo illum? Via longa est, pedes vix mouentur, renes congelantur, & quomodo longè positus amicus videbitur? Quærendum est ergo remedium, vbi primum deest solatium. Pergere nequeo, scribere saltem valeo. Cernere non potest oculus, alloquatur stylus. Currat in membranis littera, quia in membris suis retardatur corporalis præsentia. Referat charta quod non potest lingua. Suppleat imago mortua, quod non valet viua & vera. Syllabæ fortunam nostram nuncient, quia eloquia oris nequeunt: desidero vos videre. Pax Christi & gratia Dei vobiscum semper. Saluto Capellanos, & Priorem, domnum Gaucherium, & domnum Autisiodorensem Episcopum, & Philippum, & omnes amicos nostros. Valete.

Psal. 118. 49.

NOTÆ.

a *Eskilo quondam Archiepisc.*] Nunc monacho Clareuallensi lib. VII. epist. XVII. Autisiodorensis Episcopus, quem extrema epistola salutat, est Alanus, qui relicto item, vt ante monuimus, Episcopatu ad Clareuallenses iam pridem secesserat, anno vt Chronicum S. Mariani notat. M. C. LXXVII. Gaucherij etiam ac Philippi monachorum Clareuallensium fit mentio in epistolis Nicolai.

EPISTOLA II.

a *Auennionensi Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

VIrtutis propago ramos gratiæ suæ semper pullulans, in Ecclesia Christi beneficio suo rigat nouellas, sicut antiquas Paradisi plantationes, quando in decessu religiosi prælati bonus nihilominus & honestus substituitur. Sic ignis in altari perpetuatur: sic in sabbato panes propositionis renouantur: sic pro patribus filij Ecclesiæ nascuntur: sic denique vectes in arca semper circumferenda infiguntur. Prædecessoris vestri gratiam, vt decet, firmiter teneamus: qui tanquam pius pastor & pater, fratres nostros, & quod in Episcopatu vestro habemus, dum vixit, seruauit, & pro posse ab infestatione defendit. Oramus vt spiritus eius duplex fiat in vobis: quatinus nec farina regiminis, nec oleum mansuetudinis in lecytho deficiat. Habetis fidelem in cælo remuneratorem beatum Remigium, cuius oues sumus, & si necesse & oportunum fuerit, tam de lacte, quàm de lanis nostris, ad vsum vestrum mutuare poteritis. Mittimus itaque iuuenem istum ætate, sed moribus, vt experti sumus, maturum ad partes vestras, cui tradidimus & committimus Prioratum nostrum cum his quæ ad nos pertinent in Prouincia. Vt ergo sub alis vestris ipsum excipiatis & foueatis, rogamus & obsecramus.

NOTÆ.

a *Auenionensi Episcopo* Pontio, vt coniectura est, successori Gaufredi.

EPISTOLA III.

Petrus Abbas sancti Remigij, R. a Canonico de Meritona.

ADipe & pinguedine spirituali refertas ex parte tua recipi litteras, quibus cibatus & potatus, saluo quadragesimali ieiunio, factum est in ore meo tanquam mel dulce, & medullæ repletæ sunt vberrima exultatione. De vase siquidem bono & optimo eructauit stylus tuus verba bona, verba consolatoria, quæ me à diluuio aquarum multarum ad arcam Noe, qui interpretatur requies, prouocant, & *b* de claustrali disciplina non solùm cogitare, sed & scribere exorant. Promptum me & facilem nosti in omni obedientia, sed vinctum & occupatum laboriosa sarcina: cui noua alluuione accreuit & accessit renû grauissima infirmitas. Non credas quòd de solito luti & lateris penso aliquid imminuerit vrgentissima principis tenebrarum harum exactio. Componit quotidie strues lignorum, In negotiis, addit paleas, & stipulam siccam in nugis & vanis discursionibus. Vexatus denique plagis variis orationum, psalmodiarum, sanctarum meditationum, eleemosynarum, magis ac magis cor eius induratur, negans licentiam in deserto abeundi & immolandi Deo sacrificium iustitiæ & innocentiæ. Quomodo itaque in manicis ferreis detentus, & supra modum fame lectionis & otij exinanitus, speciosa deserti dinumerare, & claustralem disciplinam possum funiculo prophetico dimetiri? Non potuit Iosue filiis Israël terram promissionis sorte diuidere, donec terra quieuit à præliis. Vtinam veniret sabbatum delicatum! vtinam pax requiesceret in cubili nostro! vtinam iubileus annus celebraretur! vt sic redires cor ad possessionem suam, & seruus peccati, corpus mortale ad libertatem suam. Interim tamen claustralis disciplina non atramento, sed exercitio compingatur: quia is qui sub lege est non Moysi, sed Augustini, aut Beati Benedicti, si præcepta seruauerit, præmia habebit. Compendiosè & succinctè claustralem disciplinam vno illo verbo complector, quo Pharao vsus est ad Ioseph: *Ego*, inquit, *sum Pharao, absque tuo imperio non monebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* (Gen. xli. 44.) Sanctissima & æquissima disciplina in claustro, vt nihil agatur, nihil dicatur, nihil habeatur, nisi cum Abbatis licentia: vt nec oculus egrediatur constituta, nec manus moueatur ad illicita, nec pes currat ad prohibita. His neruis corpus religionis compactum immobile stat, fundamentum habemus, præter quod nulla firma est religio.

NOTÆ.

a *Canonico de Meritona*] In Anglia. Saresberiensis epist. xxviii. *Sanctorum fratrum qui apud Meritonam Deo famulantur, & luce bonorū operum illustrant Insulam nostram, vexationibus & iniuriis iure compatior.* Regulares erant sancti Augustini, eoque nomine illos Hadriano IV. eiusdem olim ordinis Canonico commendat. Pro Meritona *Mintona* vitiosè apud eundem Saresberiensem legitur epist cxxxix.

b *De claustrali disciplina*] Hoc enim argumento ac titulo librum scripsit ad Henricum Comitem Trecensem, cuius meminit epistola vi. Vetus Index Bibliothecæ Montis Dei. *Petri Abbatis S. Remigij De disciplina claustrali. Incipit. Domino & amico suo H. illustri Trecensium Comiti Palatino.*

* * *

EPISTOLA IV.

a Carnotensi Episcopo Petrus sancti Remigij.

SI quando in mente constantis hominis priora mutentur vota seu proposita, considerandum est, vtrum hoc fiat leuitate, aut necessitate, aut superueniente affectione. Si leuitate, inconstantia: si necessitate, fortuna: si affectione, ratio pensanda est. Si enim vitiosa est affectio, improbitas est: si iusta, virtus, & est admittenda Causa verò, vnde oritur affectio, sorte inter bonam & malam diuidit, & nomen imponit. Bona excusat voti mutabilitatem: mala accusat inconstantiam. Non enim ab inchoatis recedendum est sine ratione, quæ inchoata sunt cum ratione. Alioquin non est in illo est, sed est & non in illo est: & de illo dicitur, quia *stultus vt luna mutatur.* (Eccli. xxvii. 12.) Ne autem sim oneri occupatissimis auribus Carnotensis Episcopi, negotium breuiter & apertè exponam. Postulatio nostra apud vos pro Hugone cognato & amico nostro Remensi Canonico, ante fores vestras obserata æstatem & hyemem fecit, & valde laniata & ieiuna ad sinum nostrum reuersa est, & ecce occurrit carissimus amicus & cognatus ampliori affectione suscipiendus in eadem postulatione G. Archidiaconus vester, qui vobis de latere & Ecclesiæ vestræ magis paratus est seruire. Cedit itaque ille, si iste successerit: immo vt iste succedat, cedo & ego in priori petitione, si exauditus fuero in secunda, quin potiùs vt fiat, & citiùs fiat secunda: ne fortè steriles anni renuntient mihi defectum imbris matutini & serotini; & desperans de messione cessem deinceps arare, seu aliquid à vobis petere. Valete.

NOTÆ.

a *Carnotensi Epist.*] Ioanni Saresberiensi. item & epistola v.

EPISTOLA V.

Episcopo Carnotensi; Petrus Abbas S. Remigij.

FAcilè est amicorum erratibus ignoscere, qui contingunt casu, non deliberatione. Causales quoque excessus facilè corrigit, qui occupatione, non contemptu, delinquit. Amicum nostrum & vestrum, Abbatem sanctorum Crispini & Crispiniani, aliter quàm decuit excepistis. In hoc circumspectio vestra oberrauit. Sed hoc debitum cum satisfactione duuitteretur, cùm ad nos veneritis & culpam recognoueritis. Iam quoque nubeculam istam amouit à facie nostra relatio Alexandri amici vestri, quâ de statu vestro lætificauit nos. Solet enim verum dicere. Prosperum itaque & felicem statum in his quæ erga vos fiunt asseruit, & ambages circumuolantes à corde nostro abegit. Non difficile credo quod multum desidero. Verbis igitur illius credo, & valde congaudeo. Nam à me nihil alienum æstimo, quicquid de vobis sensero. Radix enim lougæua pruinâ subitâ non arescit, neque marcessit. De his hactenus.

EPISTOLA VI.

Amico suo carissimo R. Canonico, Petrus Abbas sancti Remigij.

VNum quaternum iam impleueram de disciplina claustri, & mittere per præsentium latorem plurimo in festinabam. Sed dissuasum est ab amicis, ne opus

imperfectum amico mitterem, propter rapaces curiosorum manus & oculos. Nam si viderent, aut abiicerent, aut retinerent. Si abiicerent, fortè conculcarent. Si conculcarent, nullum delectum habentes inter vtile & inutile peccarent. Si retinerent, aut scriberent, aut negligerent. Si legerent, aut scriberent, scabrosam fortè lectionem & minus compositam offendentes, imperitiæ & præsumptioni, non festinationi imputarent: quatinus mihi meritò illud prouerbium adscribatur, quo dicitur, *Ones lyras*, id est, asinus ad lyram, aut rescriberent, & nostra vitia perpetuarent. Si negligerent, quantum ad illos in vanum laborassem, & perisset opera & impensa. Quicunque igitur fidelis nuntius post paucissimos dies occurrerit, casibus fortuitis me committens, mittam quæ ad petitionem tuam de disciplina claustri scripsi. Valete.

EPISTOLA VII.

Priori & fratribus Grandimontis, Petrus humilis Abbas sancti Remigij munus orationis & pretium.

QVantò fragiliores sumus, & de nostris minus speramus viribus, tantò si sapimus ardentiùs validiora & ampliora emendicamus suffragia. Væ enim soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem se. Si autem fuerint duo, fouebuntur mutuò. Solum æstimo, qui nec cum Deo in simplicitate & puritate ambulat, nec fraternum currum inuincibili societate & inseparabili vnitate equitat. Domini & fratres carissimi, ego vir videns tam paupertatem, quàm insufficientiam meam, vbi audio cœlestes pauperibus erogari dapes, curro, pulso, quæro, & de reliquiarum micis offellas quas possum expecto. Vestrum est, vestrum est, panis oleati buccellas cum Petro Apostolo, cùm conueniris ad cœnam agni, sumere, sed & his qui non præparauerunt sibi, partes mittere. Dies enim Domini sanctus est, *a* solemnitas sancti Ioannis Baptistæ, quando ad matrem pulli gallinæ reuolant, & de singulis locis vestris riuuli ad locum de quo exierunt refluunt, vt de paterna instructione & correctione reparato meatu copiosiùs & fortiùs iterum fluant. Seruanda est hæc probabilis & sancta consuetudo? quia non tantum ab homine & per hominem, sed etiam à lege & Deo hæc approbata est institutio. Tribus enim vicibus iubet Dominus in lege, vt Hebræus appareat ante Dominum, non tamen vacuis manibus. Nunquam autem vanum aut vacuum est, sinus paternos, tanquam suæ professionis alumnos, relambere, & ouuos inde sibi sapores attrahere. Procul igitur odorans ipse ego tam iocundos & festiuos sanctitatis vestræ concentus, prompto animo & vultu submisso, Amen pauper inclamo, & de orationum suffragiis subleuamen expostulo. Hæc autem nostra postulatio non vsquequaque imbecillis, & carens sustentationis baculo, claudicans sanctum conuentum vestrum ingreditur: quia fratres vestros, qui nostris in partibus commorantur, diligimus & honoramus; & etiam cellam bonam in nostro habetis patrimonio. Hac ergo securus confidentia, vestrorum rogo societatem bonorum: & cùm anima soluto corpore vias ignotas aggressa fuerit, conductum vestrum vsque ad meum iudicem deposco. Rescribite si placet & quam misericordiam facere disponitis remandate. Valete.

NOTÆ.

a *Solemnitas S. Ioannis B.*] Quo die anniuersaria Ordinis sui comitia celebrare solebant. Grandimontenses lib. II. epist. II.

EPISTOLA VIII.

Alexandro summo Pontifici Petrus Abbas sancti Remigij.

APostolicæ sedis oraculum nec sine reuerentia penetrandum est, nec sine fiducia adeundum. Tibi itaque, Pater venerande, cui datæ sunt claues regni cœlorum, non est data potestas sine indulgentia, nec iustitia absque misericordia. Interpellet igitur, & inclinet ad petitionem nostram auctoritatem tuæ potestatis sobria indulgentia, temperet æquè rigorem iustitiæ pia misericordia. Intutum proinde est, thronum magni regis, qui est in sæculum sæculi, aliquatenus concutere: nec minus periculosum, lectulum Salomonis, propter ambientes gladios versatiles, citra decubantis placitum, qui dormit vt catulus leonis, excitare. Sedentem & quiescentem Deum in sanctis qui audeat dubitare? De numero & sorte istorum, teste sancta conuersatione, confratrem nostrum dilectissimum *a* Clareuallensem Abbatem fide occulta cernimus & credimus. Fortè electus est in Episcopum Tolosanæ ciuitatis. Vt autem verè religiosus, metiens se sibi & insufficientiam suam metuens, repudiato connubio mauult discalciari, & sputa cuiuslibet improperij in faciem cum IESV excipere, quàm vitis, oliuæ, & ficus assumptæ professionis dulcedinem deserere. Nec in hoc vsus est reprehensibili leuitate, cum hoc faciat ex legislatoris auctoritate: Moysi vtique, qui grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat in remunerationem. Reputat etiam, quòd in lamentationibus legitur, quia *mutatus est color optimus, postquam dispersi sunt lapides sanctuarij in capite platearum.* (Thren. IV. 8.) Timet in se fieri eclipsim solis, si de statione Hebræorum transierit in castris eorum, *b* quorum os locutum est vanitatem, & quorum pedes currunt ad malum. Citiùs enim inficit venenum, quàm curet antidotum: & fragilis natura difficiliùs reparatur, cùm facilè frangatur. Concedat igitur Apostolica licentia hominem istum in paradiso Clareuallensi operari cibum, qui non perit, & in sudore vultus sui panem suum manducare, quia nec vult vetitum tangere, nec tunicam pelliceam assumere. Fixit namque tentorium suum de pellibus Salomonis iuxta puteum viuentis & videntis, iuxta aceruum nouarum frugum, iuxta denique propitiatorium, intrà sanctuarij velum, subter alas Cherubim sancti Benedicti & beati Bernardi. Supposuit quoque humerum arcæ fœderis Dei, in qua est virga crucis, quæ floruit in Apostolis, fronduit in regeneratis fidelium turbis, & nuces protulit in martyribus, confessoribus, atque virginibus? in qua duæ tabulæ testamenti, vna asperitatem legis continens, altera Euangelij mansuetudinem & gratiam conferens. Ad vltimum manna est ibi absconditum promissæ dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, & dabit diligentibus se. Habitat in medio lapidum ignitorum: quorum contemplatione visus acuitur, torpor excutitur, vitalia nutriuntur, morticina reiiciuntur, religio perpetuatur. O quàm dura, quàm amara separatio religiosi affectus, cui cedit carnalis necessitudo, cui supponitur delectatio, cui ambitio substernitur. Quàm infelix commutatio, vbi pro suaui odore recipitur fœtor, pro crispanti crine caluitium, pro fascia pectorali cilicium. Nequaquam est hæc commutatio dexteræ excelsi. Non igitur audiat auris Apostolica aduersus Mariam ad pedes IESV sedentem, Martham conquerentem, quæ sollicita est circa frequens ministerium, nec gustauit poculum ex vino condito sanctæ contemplationis, & in lege Dei assiduæ meditationis.

A

N O T Æ.

a *Clareuallenſem Abbatem.*] Henticum. Hic paulo ante, hoc eſt anno M. C. LXXVII. cum Petro S. Chryſogoni Cardinale, & Epiſcopis aliquot, Toluſam legatus fuerat aduerſus hæreticos Albigenſes. Qua de re præclara extat Henrici ipſius epiſtola apud Houcdenum. Nunc mortuo Gocelino Epiſcopo Toloſano ad eam Cathedram poſcebatur.

b *Quorum os locutum eſt van.*] Toloſatum, quos ea labes præ labiis infecerat. Henricus ipſe in epiſtola: *Toloſam, qua ſicut erat ciuitas maxima multitudinis, ita etiam dicebatur eſſe mater hæreſis, & caput errorum.*

B

EPISTOLA IX.

a Domino Alberto Cancellario, Petrus Abbas Sancti Remigij.

PRo aliis rogate cogimur, qui pro nobis vix exorare ſufficimus. Nec tamen in poſtulatione hæſitamus quam commendat iuſtitia poſtulationis, conſcientia poſtulantis, & pietas poſtulati. Iuſtitia eſt, ſuum ius vnicuique ſeruare: conſcientia bona eſt, dilecto Domino pro conſeruo fideli humiliter ſupplicare: pictas paterna eſt, propoſitum etiam inflexibile anxiato filio benignè remittere. Scimus, Domine amantiſſime, poteſtati Apoſtolicæ ſubeſſe quod mandare voluerit, & dicere huic, vade, & vadit, & alio veni, & venit & ſeruo, fac hoc, & facit. Sed iungatur currus poteſtatis, & pietatis, ſublimitatis & manſuetudinis vt media ſternatur caritas propter filias Ieruſalem. Certè, vt credo, aut nullas filias in terris habet Eccleſia, quæ eſt mater noſtra; aut in Clareuallenſi cœnobio quotidie parturit, & maternis
C vberibus alit matriſſantes filias. Siquidem IESV CHRISTI de virgine nati in mundo religioſe conuerſati, in cruce ſub Pontio Pilato affixi, vera veſtigia veſtri Clareuallenſes ſequuntur, caſte viuendo, patri ſpirituali in omnibus obediendo, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis quotidie crucifigendo. Si Deus pro his, quis contra illos? Ecce pulli iſti ſub alis gallinæ, quæ ſe contra miluos ſpiritualis nequitiæ opponit, lambunt ſanguinem Dominicæ paſſionis, & dormiunt ſub vmbra iuniperi labores ſuos conſolantes dilectione protectoris ſui. Quanò itaque periculi ſit excitare quieſcentes ſub hac ficu & vinea, non carnali, ſed ſpirituali dulcedine, diſcernat diſcretiſſima moderatio Apoſtolica, & non auferat ab eis deſiderabile oculorum ſuorum. An non ſunt alij præter iſtum? immo ſuper numerum multipli-
Eſa 6.8. cati ſunt qui dicunt, *Ecce ego, mitte me*, cum iſte dicat,
Hier. 1. 6. *A, a, Domine Deus neſcio loqui, quia puer ſum.* Forte dicitis, Quid ad te de Clareuallenſibus, cùm Samaritani non courantur Iudæis, & nigra Æthiopiſſæ facies
D & veſtis differat ab illa veſte & facie, quæ apparuit Apoſtolis in traoſfiguratione Domini? Ad quod ego, Ex multarum facierum perſonis, regina quæ aſſiſtit à dextris filij in veſtitu deaurato circumdata varietate, cantat in pſalterio decachordo ante ſedentem in throno gratiæ, vnde procedunt diuerſa chariſmata gratiarum, cùm ſit tamen vnus atque idem ſpiritus, idem Dominus.

N O T Æ

a *D. Alberto Cancellario*] Cardinali, ad quem lib. VI. epiſtol. I. Eidem Romanæ Eccleſiæ Cancellario & noſter poſthac ſæpius, & Stephanus item Tornacenſis ac Petrus Bleſenſis.

E

EPISTOLA X.

Alexandro Papæ Petrus Abbas S. Remigij.

SIcut à paternitate Domini noſtri Remenſis Vuillelmi in mandatis acceperamus, de cauſa terminanda, quæ vertitur inter Epiſcopum Sueſſionenſem, & a Comitem Robertum, Sueſſionis acceſſimus, & nobiſcum Abbates ſancti Criſpini, ſancti Ioannis, & vallis Serenæ. Ibi allegationibus vtriuſque partis auditis, ab Epiſcopo productorum teſtium atteſtationes ſcriptas recepimus. Deinde aliam diem Remis vtrique parti ſtatuentes, iterum conuenimus: & poſt multa, quia Dominus rex ſuper hoc negotio litteras ſuas Epiſcopo direxerat, ex voluntate & conſenſu eorum diffinire cauſam diſtuli- F
mus, donec cognoſceremus, an dominus rex controuerſiam illam inter eos pacificaret. Poſtea verò nulla interpellatione interueniente, nec diem ſibi dari Epiſcopo à nobis poſtulante, interdicto excommunicationis nobis inconſultis terram præfati Comitis Epiſcopus ſubiecit. Proinde Comitiſſa ex parte ſua & Comitis conquerens de hac iniuria, vt terram ſuam abſolueremus à nobis exegit. Conſilio itaque ſapientum habito, accepta cautione à parte Comitis, quod ſi nouum damnum, vel iniuriam Epiſcopo feciſſet, plenè reſarciret, terram abſoluimus. Hanc igitur huius rei veritatem vobis mandamus & teſtamur.

N O T Æ.

a *Comitem Robertum.*] Comitem Sueſſionenſem. Epiſcopi verò nomen Neuelo: qui Lateranenſi Concilio ſubſcripſit. De S. Criſpini monaſterio apud Sueſſiones dictum eſt ſuperius. Apud eoſdem eſt Monaſterium S. Ioannis, quod de vineis vocant ordinis S Auguſtini. G
In pago autem Sueſſionico Vallis Serena, Præmonſtratenſium cœnobium.

EPISTOLA XI.

Alexandro ſummo Pontifici, Petrus Abbas ſancti Remigij.

TOtius Chriſtianitatis onus humeris Apoſtolicis impoſitum non ignorat, qui Chriſtum Principi Apoſtolorum dixiſſe non dubitat, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Neceſſe itaque eſt, vt Matth. 16.18.
Aaron, qui penetrauit cœlos in ſanguine ſuo, pontifex à Deo Patre conſtitutus in æternum, & Vt, qui in igneis linguis ſuper Apoſtolos deſcendit, & tam manus, quàm humeros veſtros auxilio ſuo ſubleuent, & ne deficiant,
ſuſtentent. Iniquitas namque, quæ ſedet ſuper talentum plumbi, geminatis quin potius iunctis alis, Eccleſiam Dei & veſtram, Dei, deſponſatione, veſtram, procuratione, vſquequaque opprimit, tam in ſubditis, quā in prælatis: adeo vt iam poſſit dici, Sicut populus, ſic ſacerdos, ſicut oues, ſicut canes, Quid dicam, & quare dicam quod patet lippis & tonſoribus? Nonne clamor tanti mali, ne dicam furor, vſque ad nubes aſcendit? Et quis vos dubitat iſta ſcire, cuius eſt non ſolū morbus diſcernere, ſed etiam quæque morboſa ſecare aut ſanare? Tamē, ſumme paſtor, duo mala facit populus tuus. Deſcende & inuenies vitulum conflatilem, laſciuientem in vaccis populorum, & lingentem herbam vſque ad radicem. In altero notatur luxuria, in altero auaritia. Olim hæc tenebrarum familia tenebant valles, iam iam occupant montes. Olim fœdabant templum Veneris, ſed iam polluunt atria Virginis, quam pater deſponſauit filio ſuo, & Paulus tanquam vnico virginem caſtam vult exhibere Chriſto. Olim denique regnabant in Babylonia, nunc in Hieroſolyma.

Ieremias lamentatur auaritiam sedere in capite omnium comp.rorum, vbi concurrunt in dandis honoribus Ecclesiasticis, aut carnalis affinitas; aut pecuniaria cupiditas Dei quidem solius est ista amputare & tollere. Vestrum autem securim ad radicem ponere, & pro posse in sententia vigilum statua..a istam confringere, & arborem succidere sollicitudine non pigra. Quomodo autem fiat istud, docebit vos qui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit Dauid puero suo, & omnia quæ audiuit à patre suo nota fecit suis Apostolis. Lator quoque præsentium fidelissimus vester, & totius honestatis & bonæ famæ vir insinuabit. Pungenda tamen est gladio ancipiti luxuria, quæ non solum thalamos pudicitiæ, sed etiam terminos potius verecundiæ transgreditur: quatinus & si stimulus eius non confringitur, saltem retundatur, & si non sepelitur, saltem recondatur. Auaritiæ duo cornua in Ecclesiasticis traiectionibus prorsus anathematizentur, in sæcularibus rapinis vngulæ ipsius aut eradicentur aut exsecentur, Spiritus Domini, quia omnia continens replet orbem terrarum, ori & cordi vestro semper adsit, & præcipuè in hac secunda generali congregatione.

NOTÆ.

a *Alexandro Sum. Pont.*] Anno M. C. LXXIX. cum instaret Synodus Lateranensis, quam propterea secundam generalem Alexandri congregationem appellat, quia priorem ante annos XVI. Turonis celebrat: quod generale etiam Concilium dicitur Neubrigensi lib. 1 I. cap. 14. & aliis.

EPISTOLA XII.

Domino Papæ Petrus Abbas S. Remigij.

AD generale Concilium, Pater venerande, cum cæteris Catholicæ Ecclesiæ filiis citatus excusationem præfero, non friuolam de perfunctoriis Euangelicis aliquam, quibus ad cœnam inuitati se excusando accusant: sed manifestis documentis probabilem & veram. Prompta siquidem est in me ad omnem obedientiam deuotio: sed succumbit propter inualetudinem languida executio. Inest voluntas, sed impedit infirmitas: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Apud igitur paternam clementiam & æquissimam Apostolicæ discretionis censuram, ætas annosa, longa via, breuis vita, fessa membra, sint nostræ excusationis probabilia & necessaria argumenta. Maiult habere filium absentem viuum quàm secum semimortuum, vel certè extinctum. Percussus sum, vt fœnum, quod iam exaruit, quod hodie est, & cras non in clibanum, sed in feretrum mittetur, & quomodo tanquam plaustrum onustum fœno prosequi potero ambulantes in equis, & volantes in pennis sanitatis & robustæ ætatis? Quid enim si præsens essem, nec interesse possem? Quid faceret facula fumibunda, inter astra lucentia? Parcite ergo in hoc nunc, sicut semper fecistis, nostras preces benignè suscipiendo, & efficaciter implendo.

EPISTOLA XIII.

Alberto Cancellario, Petrus Abbas S. Remigij.

ARca Dei Israël, arca sanctificationis, arca fœderis, quondam ex præcepto legislatoris circumtexta ex omni parte auro, antiquorum patrum sanctitate & doctrina, quam etiam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium desuper tegebant, nunc in præsentiarum, abusione & negligentia filiorum Heli, vestimentis gloriæ suæ spoliata, atque infœcundis salicibus operta, & relicta, iuxta Isaiam, sicut tugurium in cucumerario, & vmbraculum in vinea, recordatur dictum adolescentiæ suæ, & plorans atque in maxillis suis lacrymas reponens dicit, Reuertar ad virum meum priorem, quia mihi melius erat tunc magis, quàm nunc. Boues calcitrantes, videlicet doctores, à semitis iustitiæ per sua desideria aberrantes declinant eam, cùm deberent glorificare Deum, & portare in corpore suo. Verus itaque dolor illos tangit, qui diligunt illam non sermone & lingua, sed opere & veritate. Non ignoramus vos vnum esse & specialem amicum siue filium vniuersalis sanctæ Ecclesiæ, cuius typum & figuram illa arca tenuit. Ad luctum itaque & compassionem maternæ angustiæ, siue desolationis, vos aduocamus, vt quicquid affectualis deuotio exigit maternis impendatis doloribus. Secundum enim locum post Dominum Papam à Deo in his corrigendis tenetis: sed cauete, ne in vacuum gratiam Dei acceperitis. a Qui enim spiritum vestrum & sanctam conuersationem antè multis retro temporibus viderunt & cognouerunt, de meliorando statu Ecclesiæ spem optimam conceperunt, cùm factum Cancellarium audierunt. Nisi verò vbique essent notoria & vobis notissima, de his latiùs scriberemus. Tamen ne clausis labiis potius singultiamus quàm loquamur, declarat charta quod non silet vita. Dilatat infernus animam suam absque vllo termino, dum immaniter grassatur, tam in oues quàm in pastores Qui enim præuij constituti sunt ad cælum, malo exemplo suos sequaces trahunt in infernum. Non de omnibus dico nouit enim Dominus qui sunt eius. Quo autem mercede meliori digni sunt boni, eò amplius increpatione & correptione indigent mali. Isaias, Hieremias, Ezechiel suâ propheriâ nostra deprehenderunt tempora. Contra pastores namque, & peruersos rectores, nuda, sed & vera retorserunt iacula, auaritiam eorum, luxuriam, gulam, rapinam, & omnem iniustitiam non in angulis, sed in plateis declamantes. Ingrediatur itaque in ossibus & medullis vestris, & impleat spiritum & os vestrum spiritus illorum zelotypus, conterens montes & petras, & efficax vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. Gladius vester deuoret carnes inebriatus in cœlo, quatinus emendatos remittatis nobis pastores nostros, & omnibus serpentinis exuuiis spoliatos.

NOTÆ.

a *Qui E. spiritum vestrum.*] Vir enim fuit Albertus Cardinalis, qui & postea Pontifex Gregorius VIII. insigni pietate ac religione, de quo in vetere Chronico huiusmodi est elogium. *Albertus de Beneuento Cancellarius vir magnæ sanctitatis ac laudabilis parsimoniæ in omnibus actibus suis religiosus fuit. Ecclesiam B. Martini in qua habitum religionis sumpsit, semper cordi habuit, qua etiam ei annuatim vestes secundam regulam procurauit.*

EPISTOLA XIV.

Alberto R. E. Cancellario, Petrus Abbas S. Remigij.

EN auctoritatis Apostolicæ gallina grandosa & fætosa congregat pullus suos obedientia & subiectione sub alas benignæ protectionis & discretæ consultationis, quid futura? quid paritura? quod scribatur in generatione altera, vt populus qui creabitur laudet Dominum. Ecce Iacob senex & plenus dierum, qui diu luctatus est a cum Angelo schismatico expectans salutare Dei, conuocat filios ad benedictionem: numquid taciturus quid Ruben fecerit, quod cubile patris ascenderit, & stratum eius maculauerit? quid Simeon & Leui, vasa iniquitatis bellantia non prædicturus, aut constituturus, quid facere habeat posteritas futura? Grandis equidem apparatus Romani Concilij, grandes portendit secituras nuptias filij Regis IESV CHRISTI. Ministeriales & offi-

A ciales huius sancti Concilij cum cæteris, immo præ cæteris Cardinalibus, non ignoto vos à Deo prædestinatos, quorum fidem, religionem, constantiam & æquitatem in multis iam expertus est sponsus Ecclesiæ vnicus dominus noster. Adhuc habet opus, vt obsequium vestrum sit rationabile & acceptabile in hoc Concilio: vt accincti gladio vtrimque acuto super femur potentissimè putridas amputetis carnes,& insanas superstitiones,quæ fiunt quotidie in orbe Christiano. Ramosa siquidem & syluosa quotidie pullolat apud nos malitia: securis autem Euangelicæ disciplinæ, fabro dormiente & negligente, pene vbique iacet retunsa.Rarus est, qui eam,vel hebetatam apponat ad radicem arboris. Vt exprimam quod sentio,quàm irrisoria subsannatio, quam laboriosa & lacrymosa,ne dicam tædiosa, peregrinatio, quamque damnosa expensarum iactura,& bona bonorum consumptio, si cassa & sine fructu benedictionis redierit tam solemnis magnorum virorum & religiosarum personarum congregatio? Cauete ne dicatur, Parturient montes
B nascetur ridiculus mus. Inueniat igitur vos IESVS amicos veritatis, vt à porta vsque ad portam transeuntes, vituli conflatilis cultoribus non parcatis. Commendo vobis præsentium latores, carissimos & amicos & filios nostros, *b* Abbates sancti Petri de Montibus,& omnium sanctorum de Insula, & sanctæ Mariæ Virtuensis, vt de gratia, quam habemus in vobis, gratiam inueniant in oculis vestris. Quam citius poteritis,cum gratia Domini Papæ,& vestra nobis,eos remittite.

N O T Æ.

a *Cum Angelo Schismatico.*] Triplici Antipapa. Nam post Octauianum & Guidonem, de quibus dictum epistola XXVI. lib. I. contra Alexandrum stetit etiam Ioannes Abbas Strumensis, qui Callisti nomen vsurpauit anno M. C. LXVIII. Addunt alij quartum Landonem,qui dictus sit Innocentius.

C b *Abbates S. Petri de montibus*] Monasteria sunt diœcesis Catalaunensis, duo quidem priora in vrbe ipsa, tertium in oppido non ignobili. Sed monasterium omnium sanctorum, cuius etiam mentio in epistola VI. Alexandri, ordinis est regularium S. Augustini, duo reliqua S. Benedicti.

EPISTOLA XV.

Alberto Cancellario, Petrus Abbas S. Remigij.

QVotiens naufragia patimur, totiens ad portum festinamus. Portum autem tutissimi refugij in litore vestræ amicitiæ iam dudum fiximus Molestiarum quidem ventos frequenter contrarios sentimus:sed portum vestrum vsque ad grauiorem non infestamus tempestatem. Leuiora enim discrimina aut patientia tolerat,aut
D virtus fortiter superat.Cùm autem nubes magna & ignis inuoluens naniculam nostram inuadit, statim aut est periclitandum aut citò enauigandum. Hoc anno Dominus Papa,vestro interuento, priuilegium suum Ecclesiæ nostræ indulsit: in quo specialiter expressit *a* Canonias, seu præbendas de Marsna,& quas in vsus proprios iam à multis retro temporibus retinemus, tenendas in perpetuum confirmauit. Quæ etenim quondam fuerunt Canonicorum præbendæ, à longissimis retro temporibus, donatione Episcoporum Leodiensium, & confirmatione Papæ Innocentij, in proprietatem transierunt, & possessionem monasterij nostri. Nuper vero Dominus Papa rem, vt credimus, ignorans iam secundo scripsit Præposito nostro de Marsna, vt daret præbendam cuidam clerico Imperatoris, cùm nec præpositus dare possit, nec sit præbenda quæ dari possit. Insinuate ergo Domino nostro, ne velit panem filiorum tollere,& dare canibus qui non cessant aduersum nos latrare, & bona nostra auferre. Alias enim dicere compellimur, *Ecce*
E *in pace amaritudo nostra amarissima.* Nam per Imperatorem *b* tempore schismatis instantissime id efficere plures conati sunt, sed minimè præualuerunt, Esa. 38. 17.

N O T Æ

a *Canonias seu præb. de Marsna.*] Quæ monasterio S. Remigij ita fuerant tributæ, vt decedentibus Canonicis vsus cederent Monachorum. Diploma Conradi Imp. Odoni Abbati concessum anno M. C. XLV. *D. Odo venerabilis Abbas S. Remigij Confessoris & Francorum Apostoli, nostram præsentiam apud Traiectum vlterius visitauit, & possessiones Ecclesiæ suæ, quæ in regno nostro adiacent nostro petiit priuilegio confirmari. Marsnam videlicet cum omnibus appenditiis suis, Herta, Cluma, Litta, Angledura, Becca, Præbendas quoque Marsnenses in vsus Monachorum decedentibus monachis* * *transmutatas. Nos itaque tam religiosi viri petitionibus diligenter obtemperauimus,* * Clerici.
F *& tam possessiones supradictas, quam præbendas in vsus monasticæ conuersatiis regiæ maiestatis sigillo corroborauimus.* Diploma item Friderici Imp. quod Hugo Abbas Aquisgrani obtinuit anno M. C. LII. *Hoc etiam eidem B. Remigij Ecclesiæ regali munificentia adijcientes confirmamus, vt præbendæ Clericorum Marsnensis Ecclesiæ in vsus monachorum decedentibus clericis sine vllius contradictione de cætero cedant.*

b *Tempore Schismatis.*] Ante annum M. C. LXVII. quo Imperator in gratiam rediit cum Pontifice.

EPISTOLA XVI.

Alexandro Papæ Petrus Abbas S. Remigij.

CVm vniuersitas Christianitatis, pater sanctissime, vestro regatur moderamine,& cura vestræ sollicitudinis ad plura distendatur, quam sit stellarum numerus, vel arenæ maris, satis mirum est, si nunquam circumueniatur. Plures enim venantur in curia vestra sobreptione, quàm famulentur fideli deuotione. Excipio sinceritatem sanctorum Cardinalium, quorum fides satis G
nota est Deo & vobis. Aduenientium redarguo fallacem simulationem, præcipuè Teutonicorum, quorum insidias & nos experti sumus, & vos viuo carbone tactus non ignoratis. Hi namque toto tempore schismatis, cum expositos nos, & quasi sine defensore calumniis & damnis pluribus afficerent nunquam tamen in guerra obtinuerunt, quod modo in pace vestra & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nituntur ab Ecclesia nostra auferre. Dominum namque Imperatorem frequenter sollicitauerunt, vt de præbendis Marsnæ aliqua subripere possent, quas olim à multis retro temporibus, concessione Leodiensium Episcoporum, & tam priuilegio piæ memoriæ prædecessoris vestri Innocentij, quam vestro, confirmatas habemus. Mandastis Præposito nostro de Marsna, quatinus cuidam clerico Imperatoris præben- H
dam quæ non est daret. Petit igitur conuentus noster prostratus pedibus vestris, reuocare mandatum, & vlterius nullam recipere alicuius super hac re petitionem. Deuoti enim sunt filij vestri; & exinde deuotiores efficientur.

EPISTOLA XVII.

Abbati sancti Crispini, Petrus Abbas sancti Remigij.

MIra veri amoris natura: ignea siquidem est, & tamen contra ignis naturam acrius feruet in amicis remotis, quam sub oculis constitutis. Quæris quare? Quia sollicitudo ministra dilectionis quasi iacet, dum quod amat videt: currit verò cum assiduo impetu mor

A dens animum propter absentem amicum, vbi est, inquiens, quem diligit anima mea? Viuitne? sospes ne est? estne tristis, an lætus? est ne timens, an securus? est ne de me sollicitus, an ad se intentus? estne indigens, an copiosus? Hac fuscinula carbones suos amor mouens, & commouens, auget flammam, calorem multiplicat; medullam ossium liquefacit, & post dilectum longa teste sollicitum trahit animum. Trahit, inquam, fortius, dum longius subtrahit. Sic Tobias pater & senex, morantem filium suspirans gemit, accusans se non potius excepisse pecuniæ damnum, quàm pro ipsa misisse vel amisisse filium. Silenter & suauiter dormit dilectio, cùm nullis euagatur excursibus quærens de statu amici amicalis sollicitudo. Experto credendum est. Duros, immo acutos aculeos visceribus nostris infigit absentia vestri: quorum punctiones non eram expertus, dum præsentem haberem, dum viderem, dum frequenter audirem. Præ cæteris vnum habeo non vobiscum, sed aduersus vos,
B quod intemperanter viuitis, non excedendo mensuram iustam viuendi supra, sed infra. Sententia enim quæ dicit, ne quid nimis, plus & minus redarguit. Amplius edere voracitatis est, minus hypocrisis vel auaritiæ. Apostolus scit abundare & penuriam pati. In omnibus instructus est ad regulam viuere, qui neque ad ima curuatur, neque ad superiora distenditur, sed recto cursu bene tenditur.

EPISTOLA XVIII.

Priori & conuentui sanctorum Crispini & Crispiniani Petrus Abbas sancti Remigij.

SI quod consilium, si quod solatium, si denique consolatio vlla in me est, sine inuidia vobis communicare debeo: & tam in vobis nouellas plantationes, quam
C frugiferas arbores qualicunque stillicidio nostrarum exhortationum rigare desidero. Vicarios siquidem affectus erga vos absentis dilecti & carissimi nobis Abbatis vestri viscerali sollicitudine in eius recessu me excepisse reminiscor. Visitare itaque vos affectuosa caritatem vobis habeo: sed concurrentium causarum retardat concatenatio, & ægra aëris & itineris contemplatio. Suppleat littera, quod non valet præsentia. Vniuersitatem igitur vestram, filij carissimi, alloquor, & in domino commoneo, nequis de vobis vapor sinistri rumoris erumpat, ne odor suauissimæ opinionis excidat, ne districtio ordinis aliquatenus tepore aquilonari persluens euanescat. Facilius enim potestis seruare quod teneris, quam recuperare quod amiseritis, vel acquirere quod nunquam possedistis. Præueniente autem & præoperante Dei gratia, & adiuuante boni patris vestri sancto exemplo atque doctrina, cooperantibusque vestris studijs, triplici, immo multiplici splendore supernus radius intrinsecus & extrinsecus, congregationem vestram illustrauit
D religione, opinione & temporalium possessione. Hanc Isaac benedictionem dedit Iacob hæredi suo. *Det*, inquit,
Gen. 18. 28. *tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam.* De rore cæli pullulat claustralis religio, & sanctitatis fragrans optimè suauis opinio. De pinguedine terræ frumenti, vini, & olei, exuberans fœcunda possessio. Hæc gratia gratos, non ingratos, Deo faciat. Humilia, non inflata pectora, certe gratia inhabitat qui fugit inflationem. Æquat inæqualia, frangit excelsa, elata tollit, aspera emollit, fracta consolidat, ficta respuit, dispersa congregat, congregata conseruat, hominem ad Deum, eleuat, Deum ad hominem inclinat. Hæc decurrit à throno gratiæ ad thronum sanctæ conscientiæ, & facit germinare fructus tricenos, sexagenos, & centenos. Hanc quamuis erogare vobis non possum, tamen rogare possum. Hæc ergo vobiscum & in vobis sit semper Amen. Orate pro Abbate vestro, & pro nobis. Fratrem Ioannem, cui cura est de omnibus, specialiter commendo.

EPISTOLA XIX. E

a Archiepiscopo Lundensi, Petrus Abbas sancti Remigij.

SPiracula virtutum & odoramenta suauia sunt & perpetua. Nam nec longæuitate veterascunt, nec longinquitate odorem suum minuunt. Ecce vestra Dacia remota est à nostra Francia. Distant enim & moribus hominum, & consuetudinibus, siue situ terrarum. Sed virtus, siue hic, siue illic, nec vultum mutat, nec habitum; nec fructum, nec vsum. Species illi vna & in Dacia & in Francia. Quorsum hæc? quid ad materiam præsentem attinet de insolubili & immobili vigore & decore virtutis scribere, cum sufficit grates referre vobis pro beneficiis fratri & amico nostro Fulconi Episcopo col- F
latis, & quod obsequium suum tantum Dominus tam indigno monacho litteris suis porrexit? Sed peccatum reputo falsa dicere, nihilominus & vera tacere. Sicut enim improbus incenditur, aut inflatur, si falsò laudetur: sic præditus naturali & gratuita bonitate humiliatur, & fortius ad meliora accenditur, cùm ad se & ante se relatione, non adulatoria, sed vera reuocatur. Timet enim, ne non sit vel minus sit, quàm dicitur. A multis retro annis, pater carissime, de vestra nobilitate & industria plura audiuimus, & quod feruentissimo zelo quæ Dei sunt in vobis, & in aliis augmentare studeatis. Tenui fama hoc didiceram, sed cumulum veritatis & certitudinis adiecit carissimus noster & vester, Folco Episcopus. Phinees vtinam tam apud vos, quam apud nos resurgeret; & filij Mathatiæ antiqua pro lege Dei bella renouarent, & sibi vsque ad animas non parcerent. Feruentis illius spiritus stillicidium in vobis infundat Spiritus sanctus. Satis dictum sit sapienti. Pro his quæ aguntur
in partibus vestris erga nepotes & amicos prædecessoris vestri, vtinam ea mihi esset apud vos gratia & amicitia, G
quæ apud illum est; & sicut illi honore, sic dilectione succedatis. Valete.

NOTÆ.

a *Archiep. Lundensi.*] Absaloni, ad quem & proxima, & Stephani Tornacensis multæ. Is Episcopus antea Roskildensis in Dania, Eskilo Archiepiscopo abdicanti successerat, vt adnotatum est ad epist. XVII. lib. VII. Inde maximus Danorum pontifex dicitur Saxoni Grammatico qui se Absalonis huius hortatu Danicam historiam aggressum testatur in procemio. Daciam vero pro Dania scribit, recepta plerisque etiam illius æui scriptoribus consuetudine,

EPISTOLA XX. H

Archiepiscopo Lundensi, Petrus Abbas sancti Remigij.

GRatias diuinæ agimus gratiæ de bono odore gratissimæ famæ vestræ; cuius tam copiosa redundat affluentia, vt cœlos ascendat, & terras etiam finitimas suauiter respergat. Larga Dei manus de oleo cælestis promptuarij mensuram bonam; & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dedit in sinum, immo in caput vestrum. De hoc itaque oleo & lampas propriæ conscientiæ decenter ornatur, & lucernæ totius prouinciæ vestræ sufficienter suffunduntur. Scio & pro certo habeo, quod nisi fundamentum subesset bonæ conscientiæ, non sic dilataretur, & continuaretur vapor tam lucidæ & præclaræ famæ. Germen antiquum prædecessoris vestri non sub vna nocte aruit, sicut cucurbita Ionæ, requieuit spiritus Heliæ super Eliseum, vtique Esquilij

super

A ſuper Abſalonem. Rigauit quod ipſe plantauit : nec ſufficit rigare, niſi adieceritis & noua plantare. Deus itaque incrementum dabit, nec erit vtriuſque veſtrum labor inanis; vbi ſuperaddit gratiam manus ſuperni remuneratoris. Nonquam enim Deus fraudat operarium ſuum digna mercede. Vtique & piè iuuat laborantem, & iuſtè remunerat operatorem. Vnde & ſuum eſt opus nihilominus & ſuum munus. Nequaquam igitur mentitur opus oliuæ, vbi coöperatur donum gratiæ. Non ceſſet itaque operatio, vbi reſtat certiſſima remuneratio. Denique, pater amantiſſime, carbonea viuos & conſolatorios inſtantiſſime animo veſtro ſuggerat, non ſolum ſpes futurorum, ſed etiam ipſa prælibatio, qua iam nunc memoria veſtri traditur & commendatur orationibus fidelium & ſanctorum virorum. Interim ne miramini, quod ego ignotus & terra remotus iam ſecundo ſcribo vobis. Habetis amicos iuxta vos & notos. Fulconem quondam monachum noſtrum, nunc
B Epiſcopum, qui multis perſuaſionibus pulſat me, & compellit vobis ſcribere. Præſentium quoque lator, qui vos vſque ad Angelos Dei extollit.

EPISTOLA XXI.

a Praneſtino Epiſcopo, Petrus Abbas S. Remigij.

PLus moleſta, quàm grata & iucunda occurrit materia, quotiens ad ſcribendum vnico & quondam collaterali amico Abbati ſumitur charta. Renouatur namque dolor meus repentina, ſed & vrgenti, & vrenti corroſione animi, dum transmontana remotio intercurrit & amicos diuidit aſpectus, non tamen affectus. Accedit huic ſeueriſſima deſperatio corporalis incorporationis, cum fortè inſtet citiſſima alterutrius ſolutio animæ & corporis. Bone nunc Domine, olim amice dul-
C ciſſime, quem conſtitues vicarium, qui vices tuas ſuppleat in noſtris exequiis, in oculis claudendis, extrema ſalutatione, & æterna concluſione? De cuius manibus ſaluator ſuſcipiet ſpiritum meum, cùm tuas mundas manus ad hoc delegiſſem dudum officioſum obſequium? Alius vt video amicus officij in his eſt ſubſtituendus. Sed quare conqueror? quare gemo quare vultum obnubilo? Dei enim ordinationi quis reſiſtit? An fortè tulit Deus Heliam, vt Heliſeus duplicem eius reciperet ſpiritum? Nonne Ioſeph aſportatio in Ægypto fratrum eius & totius ſucceſſionis fuit ſaluatio? Nonne Iesvs ante Apoſtolos cœlum aſcendit, vt ſpiritum mitteret, & manſiones præpararet? Ecce iuxta latus Apoſtolorum locus à Deo tibi datus. Quid ergo? Pulſa, excita: inſta opportunè importunè, donec & ros & ſtillicidia gratiæ de ſanctis oſſibus, immo interpellationibus eorum, aridam noſtram infundat, qui gratiam Apoſtolatus & benedictionem ſingularem ad noſtram eis ſalutem indulſit. Hoc munus ſi per te collatum fuerit, amiſſis
D Præponderat, & vna clauſula innumera beneficia coagulat. Domino Papæ de ſua gratia ad vos gratias agite. *b* Cancellarium, Tuſculanenſem, Albanenſem, dominum Hyacinthum & Oſtienſem ſanctum virum, & ſi quos habemus alios amicos in curia, ſalutate.

NOTÆ.

a *Praneſtino Epiſcopo.*] Bernerdo qui ex Abbate SS. Criſpini & Criſpiniani Cardinalis Romæ ab Alexandro creatus eſt lib. IX. epiſt. I.

b *Cancellarium Tuſcul.*] Romanæ curiæ Cardinales quinque. Ex his Albertus Cancellarius iam notus eſt. Petro Tuſculano ſcribit lib. IX. epiſt. VI. & Stephanus epiſtola I. & XXCIX. Albanenſis eſt Henricus, Abbas antea Claræuallis, huius libri epiſt. VIII. quem in Synodo Lateranenſi Cardinalem nuper crearat Alexander. Hyacinthus poſtea Pontifex, Cæleſtinus III. appellatus eſt. Oſtienſis item Epiſcopus Hubaldus, qui mortuo Alexandro ſuccedens Lucij III. nomen tulit.

EPISTOLA XXII.

Dominis & amicis ſuis de Grandimonte, Petrus Abbas S. Remigij ſalutem.

E RElígioſo fraternitatis veſtræ conuentui & ſanctiſſimis orationibus ſaltem anniuerſaria reuolutione commendamus. Videtur ſiquidem mihi meatus ſuos fluuina paradiſi quaſi ad ſinum originalem reuocare, cum de ſingulis partibus orbis ad diem beati Ioannis Baptiſtæ ſolemnem contingit Priores veſtros in vnum conuenire. Refluxus iſte pretioſarum gemmarum arena ad vtilitatem negotiatorum ſpiritualium redundat, & ſi quis pretioſas quærens margaritas ad littus hoc applicuerit ſtu-
F dium ſanctæ negotiationis, nequaquam vacuus & inanis exibit. Ego itaque vir videns paupertatem meam, ſed non negligens, bono & pauco pretio ſuffragium orationum veſtrarum tento emere. Eſt autem pretium noſtrum, rogare, poſtulare, ſcribere, & tenuiſſimas orationes rependere. Si penſatis vſum æſtimationis, parum eſt quod datur: ſi votum immo animum deuotum, multum. Æſtimabile procul dubio eſt, quod manus legitur: impretiabile, quod animus. Vt enim ait Gregorius, non quantum, ſed ex quanto offeratur conſiderat Deus, id eſt, non quantum pecuniæ, ſed ex quanta deuotione. Suggerimus fraternitati veſtræ ſupplicatione humili, quatinus benefactoribus Eccleſiæ noſtræ beneficium ſanctæ ſocietatis veſtræ indulgeatis: & præcipuè illis, qui eleemoſynas ſuas faciunt *a* nouo operi, quod ad honorem & decorem domus Dei & beati Remigij inchoauimus. Nam caput monaſterij noſtri renouare volentes, cum Dei adiutorio manum
G ad fortia mittimus. Reſcriptum itaque ſigillo veſtro roboratum mittite, ad excitandos fidelium animos, veſtra ſancta exhortatione, & orationum conceſſione. Valeat ſancta congregatio veſtra.

NOTÆ.

a *Nouo operi.*] Eccleſiæ S. Remigij, quam fabricandam ſuſceperat, libro IX. epiſtola IV. & V. ſub finem.

EPISTOLA XXIII.

Cluniacenſibus, Petrus Abbas S. Remigij ſalutem.

IN tanta ſanctorum congregatione, & perſona noſtra, ſi adeſſet, vilis & abiecta appareret, & vox exi-
H gua, timeo ne & littera ruſticana. Loquar tamen in medio veſtrum, vt ſeruus Abraham, vt puer Daniel, vt ſenex Iacob, non vt Heliu, cuius venter eſt vt muſtum abſque ſpiraculo. Lego in ſcripturis Hieremiam lamentantem, Paulum optantem anathema à Chriſto pro fratribus ſuis. Stillicidiis tantæ caritatis inebriatus, nonne dolere debeo vſque ad medullarum & compagum diſcretionem, ſuper ruinam matris filiarum Sion, vtique cœnobij Cluniacenſis? Nonne hæc eſt vrbs fortitudinis noſtræ, de qua egrediebantur quondam mille per epiſcopatus, per abbatias, per regum & principum curias, & nunc pauciſſimi ſunt incolæ eius? Nonne luminare hoc magnum tenebras obſcuratæ religionis per diuerſas regiones illuminauit, ordinem reformando, honeſtatem docendo, caritatem infundendo, & cætera pietatis officia renouando? *a* Vſque ad ſedem Apoſtolicam nonne gradibus humilitatis aſcendit? O domini! ô fratres! ô filij Cluniacenſes! ego ipſe apud ſanctum Martinum de campis adoleſcentulus

verissimis experimentis quod dico gustaui, & vidi vbi erat auro locus, in quo conflabatur. Proh dolor! sorepuit & consenuit tantus feruor. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est, quod absit à vobis, & ab hæreditate Iacob. Melius est certè mori vos in bello vitiorum & vitiosorum, qui more vulpium demoliuntur vineam Domini Sabaoth, quàm videre vltima funera matris vestræ & nostræ. Repurgate igitur puteos Abrahæ, Isaac, & Iacob, & zizania superseminata nocte ab inimico eradicate: præcipuè illud originarium malum, de quo pessima seges ad suffocationem monastiecæ religionis suboritur. Est autem consuetudo comessationum & epotationum, quæ fiunt post completorium. Succidite oro hanc arborem malam in sententia vigilum. Adsit vobis gratia Spiritus sancti, qua cooperante constituatis quod Deo sit acceptabile, Ecclesiæ Cluniacensi vtile, præsentibus salubre, posteris remediabile.

N O T Æ.

a *Vsque ad sedem Apostol.*] Ad quam euectus Vrbanus II. qui ante Pontificatum Prior fuerat Monasterij Cluniacensis.

LIBER IX.

EPISTOLA I.

a *Prænestino Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

EX multa & pene inconsolabili cordis angustia, ex multorum relatione, perpendo vos vsque in conquestionem tædij vitæ vestræ prorumpere. Hoc sine dubio sciatis viri minus constantis & prudentis esse. Apostolus certè magister non gentium tantùm, sed omnium Christianorum, scit abundare, & penuriam pati, & in omnibus sufficiens esse: ad hanc formam vtinam componeremus titubantem vitam nostram. Causas tamen pusillanimitatis, immo assiduæ conquestionis, audire desidero, & tunc vel improbare vel approbare dolorem potero. Triplex siquidem occurrit mihi conquerendi ratio, siue occasio. Aut enim propria temeritas impellit ad aliquid faciendum, quod non sit faciendum; aut aliena calliditas; aut vt vulgo loquar, perplexa diuinæ prædestinationis necessitas. Sed propria temeritas semper culpanda; aliena calliditas cauenda: à Deo veniens justa sententia timenda: fræno indiget propria temeritas, vt consulta: consilio aliena calliditas, vt suspecta: superna sententia timore, vt fortissima. Non mihi ignosco in propria temeritate, accuso me in alienæ calliditatis circumuentione, gemo sub manus Dei percussione. Ne iterum præcipitet propria temeritas, rationem consulo: ne suffocet laqueus alienæ calliditatis, sapientem consulo: ne machæra supernæ seueritatis vsque ad internecionem deseuiat, humiliter imploro. In propria temeritate fragilitatem meam cognosco: in aliena seductione spiritum discretionis aduoco: in flagellis diuinis Deo me totum committo. Quæro igitur, quam istarum magis suspectam habeas, vtrum vnam, vel duas, vel simul tres. Si vnam & tuam, propitius tibi esto. Si alienam & meam, indulge mihi: potiùs enim simplicitate quàm calliditate vsus sum, quando vt tuo Episcopo acquiescerem, ire cum eo ad Concilium persuasi. Si te cœlestis dispensatio illaqueauit, quid tibi irasceris? quid mihi? Quis enim tu? quis ego? qui prohibere possem ne suo cursu curreret, quem nulla creatura declinare aut impedire potest? Quid enim Deus cogitet de nobis intra velum secreti consilij sui, eo vsque nos latet, donec ad publicum nostrum ipso actu prodeat. Tandiu est nostrum nescire, quandiu suum duxerit celare. Longanimiter quoque expectandum est, quod cùm venerit, patienter est sustinendum. Non est properandum si differat; non est murmurandum si proferat. IESVS-CHRISTVS heri & hodie. Heri, antequam aperiat sacramentum voluntatis suæ, hodie, cùm manifestauerit secretum præscientiæ suæ. Idcirco sic exclusa sopiatur omnis vestra conquestio, vbi nec temeritas apparet reprehensibilis, nec calliditas apprehenditur damnabilis, nec Dei sententia intolerabilis. Etsi enim priuauit solo paterno, honorauit vos sublimi solio. Miscet namque sapientia in cratere vinum suum, ne nimis sit potanti calidum, ne rursus insipidum. Infert exilium præsumptori, confert solatium exulanti. Pluris est consolatio quàm desolatio vestra. Gregem pusillum dimisistis, egregios Cardinales amicos & socios recepistis. Claustralem angulum reliquistis: vrbem Dominam mundi acquisistis. Abbatis gradum inferiorem Episcopali quis nesciat? Si corpora martyrum Crispini & Crispiniani Suessioni sepulta sunt; Petri Principis Apostolorum, & Pauli doctoris gentium sacratiores reliquias in Romana vrbe haberi quis ignorat? Si paria in vestra commutatione quærantur, tam in relictis quàm in adeptis longe imparia omnia inuenientur, præter affectum qui inde torquetur, vnde alius extolletur. Omnia secundùm se affectus moderatur. Nihil apud ipsum magnum, nisi in se de se faciat magnum. Si ergo affectus mitigabitur, pacata erunt omnia. Naturæ quidem mirabilis est animus, ex quo gignitur affectus. Sed tamen quocunque suus pulsus illum tulerit, omnia ad se trahit, & suo nihilominus siue sapore, siue colore intingit. Cui turbato nihil quiescit, cui amaro nihil dulcescit, cui auaro nihil sufficit, cui vago nihil consistit. E contra, fixo nulla mobilia flectuntur, pacato tranquilla sunt etiam procellosa benigno mansuescunt etiam ferocia. Sic Deus adduxit ad Adam cuncta animantia terræ, & volatilia cæli, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius. Procul dubio animi & omnes motus cordis & corporis iudicare, & nomina imponere. Vnde auctoritas dicit, Affectus tuus operi tuo nomen imponit. Præest enim volatilibus cœli cogitando de supernis: præest bestiis terræ, reprimendo motus carnis: præest etiam piscibus maris, moderando volubiles cogitationes mentis. Omni igitur studio est excolendus, sine quo nullus motus bonus. Laborandum ne sit malus, quia si malus est, non est in ciuitate malum, quod ipse non fecerit. Enitendum quoque vt sit bonus, quatinus gratia cooperante creet bona, faciat pacem, & formet lucem. Diu detinuit epistola amicum occupatum in suis & Domini Apostolici negotiis. Proinde veniam peto. Remotissimum namque alloquor, quem solebam non chartis ad horam detinere, sed horis familiarissimo hinc inde colloquio, diebus plurimis quandoque adiunctis & noctibus, occupare. Valete.

N O T Æ.

a *Prænestino Epist.*] Bernerredo Cardinali. Iam monuimus ad epist. XXI. libri superioris, quod hoc loco fusiùs narrat. Abbatem Sancti Crispini, cùm Romam ad Concilium profectus esset cum Episcopo Suessionensi, Cardinalatus insignibus ornatum fuisse, donatumque Episcopatu Prænestino. Sed hunc Bernardum appellat Panuinius: nos Bernerdum apud Cellensem, in cuius codice prima tantum littera notabatur, edidimus, Alexandri III. diploma pro monasterio nouo apud Pictauos secuti, cuius antigraphum quod vidimus Bernerdum inter Cardinales qui subscribunt exhibet Episcopum Prænestinum. Cæterum Bernaredus, & Bernardus, idem nomen est, vt Medaredus & Medardus, Gildaredus & Gildardus. Felicem porro huius obitum miraculis illustrem describit epistola VI. ad Cardinalem Tusculanum.

A

EPISTOLA II.

Pranestino Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.

VIx occurro suscipere turbam cogitationum siue materiarum, quæ se ingerunt, insistentes opportunè importunè venire ad vos, dicendo, Ecce ego, mitte me: ecce ego, mitte me. Inter cæteras verò adolescentulas medullatarum meditationum, famosissima illa & notissima atque nobilissima matrona, quæ ab humero & sursum omnes virtutes antecedit & præcellit, fraterna caritas, de qua ait Apostolus: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*; 1. Cor. 12. 31. iure sedem regiam occupat, & suo splendore omnes obnubilat, immo illustrat, & suum tenere ordinem post se imperat. B Huic obediunt omnia; non solum terrestria, sed & ipsa cœlestia: nam de eius plenitudine omnes accipiunt nomen, & virtutem, gloriam & honorem. Hanc ego licet statura pusillus non attingam, tamen ad vnam & minimam vestimenti eius fimbriam totum me supertextendo, & de salute nullatenus despero. Hanc cum amicis & inter amicos teneo & cognosco: & prius volo putrefieri cum vermibus in puluere terræ, quàm fidem semel datam & amicitiam promissam negligentia aut subreptione interrumpere. Matrona hæc duas habet claues, vnam qua cor claudit & aperit, alteram qua atrij exterioris corbonam, id est arcam, in necessitatibus familiæ suæ similiter claudit & aperit. Cor est arca fœderis, vbi tabulæ testamenti, virga Aaron, & manna reponuntur. Tabulæ testamenti, ne ignores aut præuarices legem Dei. Virga Aaron, quæ fronduit & floruit, vt timeas offensam, quia virga: serues gratiam, quia frondosa & florida. C Manna vt per spiritum adoptionis degustes & prælibes gloriam absconsæ dulcedinis Deum timentibus: cuius stillicidium ad quod lætatur germinans, sufficit in præsenti vita, & abundantia seruatur in alia. Exclusa itaque omni malitia & iniquitate à corde, sola deambulet in suo pomerio caritas, sola ibi pascat, & cubet in meridie. Non videat illam ingredientem & deambulantem oculus nequam, qui fascinauerat Corinthios, & iniquos presbyteros. Cum tamen placuerit, aduocet puellas suas de terra Israël, vt afferant ei smigmata suauissimi odoris, & oleum lætitiæ, de quibus aspergat cubile suum ad aduentum sponsi, qui de sua propagine non nisi cœlestes & mansuetos fructus generat. Deinde egreditur ad hortum nucum, ad hortum pomorum suorum, vt videat poma conuallium, & inspiciat si floruerint vineæ, & germinauerint mala punica, ad hortum vtique nucum, eremitarum & reclusorum, hortum pomorum in sæculari habitu religiose viuentium poma conuallium, qui elegerunt abiecti D esse in domo Dei: vineas feruentes spiritu: mala punica, qui crucifigunt carnem suam cum vitiis & concupiscentiis. Ponit namque signa sua pietatis opera, caritas in exitu actionum super summum, id est palam. Ponit namque & proponit, quatinus per signa extrinsecus apparentia deprehendatur intus latēs veritas. Vnde, Matth. 7. 16. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Caritas enim aquas suas in plateis diuidit, vt bibant homines & iumenta, quia sapientibus & insipientibus, debitrix est. A corde tamen egreditur, & ad cor regreditur: quia cornua altaris ex ipso sunt procedentia, & nullum bonum opus remunerabile, quod non surgit de bonæ voluntatis radice. Ponit igitur caritas affectum cordis & obsequium operis. Affectus latet, opus patet. Sic habet caritas & secretum suum, & publicum in secreto quiescit, in publico operatur. Imitatur operantem sex diebus, & sabbato quiescentem. Duplex verò est offici) ratio. Alia enim consideratur inter amicos, alia inter extraneos. Aliud est munus amicale, aliud generale. Amicale de corde exigitur, & in corde seruatur. Generale de arca extrahitur, nec ibi retinetur. E Riuus amoris non siccatur largiendo quod habet: sed arca extenuatur, dum euacuatur. Carius itaque est munus, quod nec arescit profusione, nec deficit largitione. Appetibilius tamen sæpe requiritur, quod in manu, vel sinu refunditur; quam illud quod in medullis amicalibus per fidem reconditur. Exteriora siquidem & visibilia, quia vsibus humanis necessaria sunt ab his amplius diliguntur, quorum appetitus tenacius in temporalibus quàm in spiritualibus irretitur. Qui verò calcatis grossioribus carnis fæculentiis cubilia spiritus ingressi, subtiliari in spiritualibus consueuerunt, in amicis quærunt gratiam non pecuniam, fidem, non extrinsecam possessionem veritatem inuiolabilem, non vtilitatem temporalem. Qui enim cor hominis habet, quid est hominis, aut in homine, quod non possidet? Hinc est quòd in Christo, quem pater de corde suo eructauit, quando vel æternaliter æqualem sibi genuit, vel temporaliter de virgine F incarnari constituit, omnia nostra sunt: iuxta Apostolum qui ait, *siue Cephas, siue Apollo, siue mors, siue* 1. Cor. 3. 22. *vita, omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Forte dicitis, Vt quid, & ad quid hæc? Quia legi in litteris vestris, vos amisisse veteres amicos, nec comparasse nouos. Concedo amisisse, si opinione aut veritate constat inueteratos esse. Vera certè amicitia puritate virginea, & caloris perpetuitate, neque adulteratur, neque refrigeratur; sed quotidiana renouatione cum sole semper oritur, nec moritur. Si vnquam ergo habuistis amicos, adhuc habetis non inueteratos, quod esset vitium, sed remotos, quod est opus diuinum. Sic enim Deus homines tanquam grana spargit & seminat. Nonne Apostolos seminans ait, *Euntes in mundum vni-* Marc. 16. 15. *uersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Veniendo Euangelica prædicatione sparsit, spargendo in vniuersum mundum vnitate fidei vniuit. Sic nostræ amicitiæ vinculum neque ruptum, neque laxatum erga vos, sed G protractum vsque ad sedem vestram Episcopalem incorruptum & semper nouum existit. Nescio si fortiùs, scio tamen quia tenerius absentia me vobis, immo vos mihi inuiscerat, quam fecerit præsentia. Hoc probabile & necessarium argumentum est perfectæ dilectionis, quando eo amplius incendit affectus, quo remotius separat locus. Præsentia siquidem suo visu solatiatur, & satiatur vsu: famelica verò absentia præ inopia etiam amaris iuniperi corticibus sustentatur, & ad solitam visionis dulcedinem viuacius inflammatur, & nutritur tenacius. Duris agitatur stimulis desiderium, quod semper quærit & nunquam inuenit. Vnde Psalmista, *Quærite Dominum,* Ps. 104. 15. *quærite faciem eius semper.* Et in Canticis, anima liquefacta surgit, & quærit per plateas & vicos ciuitatis quem diligit. Neque igitur stylo inueterato, neque animo scribo vobis. De his hactenus. De statu autem nostro significo vobis, quod guttæ nostræ quasdam recenter sentio guttas. Cætera nostra, Deo cooperante, in omni prosperitate sunt. a Theobaldum concorditer in Abbatem vobis substituimus, & fratrem Ioan- H nem in omnibus ipsi obedientem effecimus; si tamen cum gratia vestra remanere poterit, quod omnino consolimus. Quid enim valeat, vbi est nobiscum, certi sumus. Quid vero apud vos facturus sit, nescimus. Certa verò pro incertis sunt relinquenda. Missale nostrum mitto vobis, & breuiarium fratris Lucæ misimus: Quod vos supra modum in cibo & potu affligitis, non approbamus. Si nobiscum viuere & mori desideratis, non festinetis ad mortem? quia nescitis quid paritura sit crastina dies. Omnia possibilia sunt apud Deum, qui desiderium pauperum frequenter exaudit.

* * *

N O T Æ.

a *Theobaldum vob. substituimus*] Abbatem scilicet Monasterij SS. Crispini & Crispiniani, cui ante præfuerat.

EPISTOLA III.

a *Theobaldo electo Cluniacensi, Petrus Abbas sancti Remigij.*

GEmebundas, & quasi intestinorum suorum tumultuosa collisione seu conquestione, & velut à fulgure & tempestate percussas à vobis recepi litteras. Hominem siquidem redolebant satis conturbatum & exterritum, ac velut repentino superueniente tonitruo pene iacentem exanimatum. Nec mirum. Res namque noua, tam sua nouitate, quam magnitudine, hominem audacissimum & fortissimum potuit concotere. Qui ad crucem ducitur, gemens & lugens meritò conqueritur. Si crux à cruciatu dicitur, nonne in cruce cruciatur, cuius humeri importabili oneri supponuntur? profectò amodo tot molas supportabitis, quot monachorum curam recipieris. Quid ergo? Nonne cum Apostolo dicetis, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Ecce timor, ecce anxietas, ecce cruciatus. Sed quid? Vbi consolatio? vbi releuatio? vbi tanti doloris remedium, sine dubio in Christo. Nam ipse primus ascensor, mitigator & sanctificator crucis, qui suo cruciatu nostros absoluit cruciatus in cruce, & de cruce dixit, *Mulier ecce filius tuus*, & discipulo, *Ecce mater tua.* Sed quid hoc ad rem? quid ad præsentem quæstionem? Multum per omnem modum. Nam mulier est Cluniacensis Ecclesia quæ est mater omnium nostrum: quæ de fructu ventris sui plures manipulos sanctarum animarum ab Oriente & Occidente in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, iam collocauit, & sponso suo poma noua nouitiorum, & vetera antiquorum & senum, in cœlesti mensa frequenter obtulit. Quis verò discipulus sit de quo dicitur, mulier ecce filius tuus; iam credo animaduertitis. Tangit enim vos hæc sententia: quia æterna prædestinatione, & moderna vocatione, sollicitudinem huius matris vestræ decreto inuiolabili gratia Dei iniungit. Temerarium autem est, & inhumanum, tam diuinam ordinationem respuere, quam matri fidele obsequium denegare. Igitur tanquam Issachar asinus fortis, ceruicem & humeros huic electioni supponite, & de Dei auxilio fideliter præsumite, quia spiritus adiuuat infirmitatem vestram. Mihi autem amico & fideli vestro gaudium est & exultatio quod tantum amicum in tam excellenti loco merui videre sublimatum. Nam & ipse seruus & filius sum Cluniacensis Ecclesiæ. Valete, & per nos, oro, transitum facite.

1. Cor. 11.29

Ioan. 19 26.27.

N O T Æ.

a *Theobaldo electo Cluniac.*] Anno M. C. XXC. Anno vnico fuit Abbas Cluniacensium. Postea Cardinalis Ostiensis à Lucio III. Pontifice creatus est. Itaque in Vrbani III. & Clementis III. priuilegiis ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, Theobaldi huius successorem, subscribit ipse Theobaldus Episcopus Ostiensis & Veliternensis.

EPISTOLA IV.

Petrus Abbas S. Remigij, R. Canonico de Meritonia.

SImul mouentur & manus ad tibi scribendum, & nuncius ad iter arripiendum. Non sum immemor antiquæ nostræ consuetudinis, quia inuicem solebamus quamlibet informes conceptus nostrarum meditationum communicare. Ego vt senex sensu exinanitus, ætate fessus, occupatione irretitus, iam parere fœtus idoneos ad legendum deficio. Consulens autem naturali erubescentiæ meæ, potius abortiuos meos infra latebras suas sepelio, quam extra cum pudore profero. Quis enim ramus fronde & fructu formosus de veternoso & emortuo trunco pullulabit? fons aridus & cisterna dissipata quas irrigabit areolas, cùm nec gutta supersit ad proprias consolandas venas? Vetus itaque homo qui corrumpitur, nouitate spiritus renouandus esset: nisi & ipse spiritus sua negligentia inueteratus iuxta Apostolum prope interitum esset. Altera istorum vetustas apparet, altera latet. Periculosior autem est latens, quam apparens. Nullum enim periculum, est, cubile vitiorum, corpus animale, hospitium de impossibilitate peccatis non exhibere. Optimum equidem est non peccare: immo & nolle: sed & bonum & non posse. Fomes siquidem peccati vtitur ætate iuuenili, velut fornace, in qua tres pueri à rege Babylonio mittuntur, & membra puerilia, tanquam ligna flammis apta, obstinatissimè succenduntur. Cum verò senectus euiscerauerit medullas corporis, & omnino debilitauerit legem membrorum, quæ repugnat legi mentis, conquiescunt strepitus vitiorum, & quia non habent vbi caput reclinent, exeunt, & deserta circumeunt. Potius ergo lætandum quàm dolendum de ista oppressione, quæ magis operatur vitam quàm mortem, remedium quàm excidium. Hæc est apparens & parum nocens vetustas. Latens verò, quia nescitur, minimè aut tarde curatur. Vnde Isaias, *Vulnus & liuor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quis enim medicinam morbo porrigeret, quem nec oculus, nec manus attingeret? Solus itaque Dei spiritus, qui omnia scrutatur, spiritum nostrum curat, viuificat, & renouat. In medio istarum vetustatum positus spiritualem timeo, corporalem iam sperno. In fundo vitæ meæ, vbi sera parsimonia est, de reliquiis primæ præuaricationis iam iam fæces limosas exhaurio, & lutum vespere indurandum & arescendum præsentio. IESVM tamen, non minus sapientissimum quam benignissimum figulum, expecto: qui de vase fictili, vsque ad minutissimum puluerem effracto, potest aliud in resurrectione vas facere in honorem: vt sit clementior, ne dicam cautior, aut potentior in reficiendo, quam in faciendo: vt sit maior gloria secundæ domus, quàm primæ, & Adam qui primus factus est in animam viuentem, denuo fiat in spiritum viuificantem. Hæc spes in sinu meo reposita, excitat vota mea mortem non timere, sed amare, non fugere, sed patienter expectare. Interim neque dormitare neque dormire volo, sed iuxta Sapientis consilium quæcunque possum instanter operari. Hic est quod nobilem Ecclesiam nostram tam in fronte quam in ventre, cui caput secundum se deerat, fabricandam suscepimus, & vt speramus, cum Dei adiutorio perficiemus.

Esa. 1.6.

EPISTOLA V.

a *Petrus humilis Abbas sancti Remigij* Ing. *Priori de Lapelee.*

POstulas in litteris tuis nostrum stylum recipere, non alienum. Sed hebetatus, sed retunsus, sed denique plenus squalore & rubigine, qua facie transire poterit mare, cùm potius sua rusticitate cachinnos moueat, quàm suos lætificet hospites? Calamus quoque noster annositate & desuetudine quassatus, necnon & terrenorum sollicitudine assidua obstructus & obstrictus, raucè sonat, nec iam

auditores

A tuditores suos demulcet, sed malè commouet. Ne tamen filij & amici carissimi periouneulam excludam, vel eludam, emendicatis repressis coloribus thetoricis, & leporem sermonis postponens, dies Dominicæ passionis præ oculis habens, moneo cum IESV partiri suas contumelias, suas passiones, sua flagella, sua sputa, & totum cursum patientissimæ dispensationis, qua pro nobis vsque ad inferna descendit. Reduc IESVM à planta pedis vsque ad verticem vulneratum ante oculos tuos, aut animum deduc ad locum & focùm vbi Petrus negauit, & quæ cordis medulla non liquefacta totum altare tam æneum quàm aureum sua aspersione implebit? (Psal. LXV. 14.) *Holocausta*, ait Psalmista, *medullata offeram tibi*. Medulla animæ non est nisi de infusione gratiæ. Si anima, licet macra tamen esuriens & sitiens, magno appetitu stillicidia elambuerit gratiæ, vespere, & manè, & meridie: vespere, complantata similitudini mortis IESV; mane, renouata cum resurgente IESV; meridie, translata ad dexteram patris B cum IESV: certè inebriabitur ab vbertate domus Dei, (Psal. LXII. 5. 6.) dicens, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Quare non saginaretur de vitulo saginato? Quare non inebriaretur de flumine quod lætificat ciuitatem Dei? Habes vinum de vite vera expressum in torculari crucis, & attractum aperto ostio lateris. Sicut enim tonellus foratur, vt vinum habeatur, sic latus Christi lanceâ militis apertum est, vt exiret aqua baptismatis, & sanguis nostræ redemptionis: Hunc quotidie sumimus in altari sub specie vini. Altare siquidem est (Psal. XXII. 2. Cant. I. 7.) locus pascuæ, de quo dicitur, *In loco pascua, ibi me Dominus collocauit*. Et in Canticis, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Quid est in meridie? In luce, in puritate, in veritate, in charitate. Qui latet vt anguis in herba, abscondens peccata sua, non est in meridie qui impudice viuit, & templum Dei violat immunditiâ aliquâ, non est in meridie, qui dolosus & fraudulentus est, speciem pietatis habens & virtutem abnegans, non est in meridie, qui tepet odio C fraterno, non est in meridie. Non ergo ipsum, vel cum (Psal. cap 7.) ipso pascit Christus qui dicit, *Superbo & insatiabili corde cum hoc non edebam.* Non cubat etiam nisi vbi pascit. Sed de his hactenus pro tempore. De me verò si vis scire, onere tam annorum quam peccatorum quotidie more meo solito premor. Tamen benignitate & clementia Dei adhuc excedere valeo, & iniuncta officij negotia vtcumque procurare. Pacem etiam bonam cum fratribus nostris, & cum Archiepiscopo, & cum omnibus hominibus habeo. Caput Monasterij nostri renouare aggredior, & cum Dei auxilio iam opus inchoatum ridet, & sequentis operis auspicia nobilia spondet. Non excidit à memoria, quod aliquando mihi quasi reprehensoriè dixeris, studere alis opera facere, & non curare de Monasterio. Hoc verbum etsi perfunctoriè fuit dictum, non transitoriè fuit auditum. Mille enim libras, adhuc simul quingentas postea pro opere Monasterij expendi. Saluto fratrem Dudonem. De bono odore vestræ conuersationis D gaudeo.

NOTÆ.

a *Ing. Priori de Lapel.*] Ingelberto fortasse, aut Ingelranno, quem Lapeleensi S. Remigij in Anglia Prioratui præfecerat.

EPISTOLA VI.

a *Tusculano Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

IGnis diuinus non minùs est perpetuus, quàm in hostiis Deo dicatis sanctificandis sanctus. Hinc est quòd in altari, vbi tam holocausta, quàm sacrificia, quotidie ad expiationem peccatorum Deo immolantur, iugis & perpetuus ardet. Quid autem hoc est, nisi E quod Apostolus ait, *Charitas nunquam excidit?* Nam (I. Cor. XIII. 8.) pura à simulatione, munda à sæculari ambitione corda, Christi acceptabilia sunt altaria, siue templa. Forcipe igitur litterarum vestrarum suscepi in aureo thuribulo bonorum verborum sacras euapotationes iamdudum succensæ fornacis ex mutua inter nos visione & allocutione. Deo gratias, quia non inueni aquam crassam imminutæ dilectionis, sed ipsum ignem, non fumantem, sed flammantem in penetralibus tanti domini & amici. Putabam illum suffocatum cineribus tantarum sollicitudinum, & varietate succedentium occupationum. Præterea causam & quæstionem grauissimam aduersum vos habebam, si iustum habuissem iudicem. A quo enim primordia cognitionis & dilectionis cum Abbate sanctorum Crispini & Crispiniani piæ memoriæ habuistis, nisi à nobis? Quare ergo de nostro bono opere nos lapidastis? F An non lapidasti, quem tot amaritudinibus & afflictionibus de eius absentia concussistis? An non Iacob furtum Laban de filiabus suis fecistis? Fortè furtum non negatis, sed pium appellatis. Sed si furtum, quomodo pium? si pium, quomodo furtum? Probo autem furtum. Nam furtum est contrectatio rei alienæ inuito domino. Romam certè ad Concilium non iuisset, nisi illum misissem. Præter spem, & præter volontatem meam illum retinuistis, & fratrem & patrem vobis fecistis. Hoc tamen nec illi, nec nobis placuit. Mallet cellam Montis Dei incolere, vt frequenter mihi scripsit, quàm Episcopalem cathedram tenere. Quid igitur? Deus qui omnia conclusit, & meas querimonias præuenit, faciendo quod facere piè & misericorditer consueuit. Præuenit illum benedictionibus suis, & quem olim amicum & fratrem in terris habebamus, nunc dominum & sanctum in cælis veneramur. Miracula enim, quæ facit Deus, testimonia credibilia sunt sanctæ conuersationis eius. Itaque digitum superpono ori meo. G

NOTÆ.

a *Tusculano Episcopo.*] Petro, vt dictum lib VIII. epistola XXI. Petrum de Pauia, hoc est Ticinensem, vocat Rogerus Houedenus, de absolutione agens Vuilelmi regis Scotiæ per Lucium III. anno M. C. LXXXII.

EPISTOLA VII.

a *Abbati sancti Ægidij Petrus Abbas sancti Remigij.*

VAgabundas frequenter literas ad diuersos huc illucque absque emolumento aliquo deuoluimus. Vna verò res seria plura redimit otiosa. Columna H quoque firmiter locata sustinet in se residentia etiam titubantia. Vno lucro plures iacturas compensat sedulus negotiator. Vt ad nostra veniamus, delictum Iudæorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium. Hæc idcirco prælibauerim, vt non sine fructu scribam vobis. Fructum dico, non qui perit sed qui permanet. Permanet autem quicquid Deo placet. Placet verò Deo vera dilectio, pura oratio, sancta compunctio, mandatorum Dei obseruatio. Suum possessorem nec auarum nec prodigum faciunt. Auarum redderent, si dilectionem & orationem amicis non erogaret. Prodigum, nisi compunctionem & mandatorum Dei obseruationem propriè retineret. Sic monet Sapientia, *Diriuentur*, inquiens, *fontes tui in plateis*, quod ad alios, (Prou. V. 16.) *Sit tibi fons proprius & non communicet ex eo alienus.* quod ad seipsum. Bene offert, qui sic diuidit. Progrediatur epistola, & demissa facie quæ sequuntur elo-

A Certè si Episcopalium sollicitudinum allegationes negligentiam istam excipiunt, meam æquè consimili ratione defendunt. Esto. Nullum fuit tempus vacuum, vel veniendi, vel scribendi: nunquid amandi? ouunquid recordandi? Procul dubio quamlibet excusationem potest habere omnis actio, nullam dilectio. Si dormis, dilectio non dormit. Vnde, *Ego dormio & cor meum vigilat.* (Cant. 5. 2.) Quibuscunque tenearis occupationibus & necessitatibus, non impeditur, non compeditur vera dilectio. Vbi es vera dilectio? Certè pallio hiacynthino multi se operiunt, sicut falsi prophetæ, qui in vestimentis ouium veniunt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, vel amici rapaces. Nolo, nolo me vel te esse de illis, qui magnificant fimbrias fictæ amicitiæ, profitentes & promittentes inopinabilia & incredibilia, digito autem suo nec quæque modica tangentes. De hoc amicorum genere vel grege nunquam te expertus sum, nec tu me. Tardiùs enim os in promittēdo moueo, quàm cor in diligendo. B Vrget autem me suis stimulis hæc, de qua loquor, dilectio, redarguere non superbè, neque fictè, quæ de amico audio. Siquidem propter antiquam nostram amicitiam, qui habent aduersus Episcopum Carnotensem querelam, Abbatē S. Remigij conueniunt, & quasi magistrum & iudicem proponunt. Hæc & hæc, inquiunt, facit Episcopus, sic loquitur, sic mouetur, sic mutabilis est in promissis, sic instabilis in verbis & consiliis suis, sic ingratus beneficiis, sic ad iram facilis, sic improuidus in disponendis iudiciis, sic totus pendet de voluntate & consilio vnius hominis, minus prudentis & multùm cupidi. Ecce capitula quæ obiiciunt Episcopo. Quid autem, ô amice, respondes ad ea quæ tibi obiiciuntur ab iis? Si talis es, in alium virum mutatus es. Non te talem noueram, non didiceram, non prædicaueram. Archiepiscopus noster, vir discretissimus, & qui motum scrutator & cognitor est perspicacissimus, discipulum S. Thomæ aliter informatum, aliter institutum fide oculata ex diuturna cohabitatione acceperat. C Absit, absit à me ista credere, sed rationes vellem habere, quibus vanitates istas & insanias falsas possem refellere. Ecce per amantissimum nostrum Abbatem sanctorum Crispini & Crispiniani rescribite, & remandate tam de his, quæ ex parte nostra dicturus est vobis, quàm de his quæ scribo.

LIBER OCTAVS.

EPISTOLA I.

a *Eskilo Londensi quondam Archiepiscopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

FRAQVENS corporis molestia hortatur cogitare de patria, vbi nulla est tristitia. Quantò enim ista infelicior quam patimur, tantò illa felicior quam speramus. Vtinam iam littus eius attingeremus! vtinam fluctus istius euaderemus! D Circumferimur periclitamur, naufragia experimur, & exire dissimulamus? Quis non optat portum, ne incurrat naufragium? Quis non præcidit hærentis in salo nauiculæ funem, ne sentiat tempestatem? Quis negligit patriam, & amat exilium? Quis fugit patrem, & sequitur hostem? Gaudeo quia iam tenetis portum, & sederis ad portam sanctæ ciuitatis, cuius participatio in idipsum. Vacillat quidem adhuc nauicula nostra, sed spero & expecto solatium vestrum, cuius per integram amicitiam possideo totum animum. Adiuro vos, si inueneritis dilectum, immò si veneritis ad eius cubiculum, nuncietis ei quia amore langueo. Credite mihi, si venirem ad porticum Salomonis, ne dicam ad sanctuarium Saluatoris, loquerer pro amico, postularem pro domino meo, pronunciarem in auribus Domini Sabaoth, & quæ mihi, & quæ per me pauperibus fecistis. Appellarem pium, compellerem iustum dicens, *Memor esto verbi tui seruo tuo.* (Psal. 48.49.) Est E enim verbum tuum, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ecce substantia domini mei Londensis quondam Archiepiscopi, nunc pauperis Clareuallensis, per manus pauperum tuorum apud te est. Repende ergo ei vicem, & da ei substantiam tuam, qui tibi dedit suam, tamen quam tu dederas, quam à te acceperat. Amantissime pater, non dormit, neque dormitat in recordatione vestra cor meum. Clamat, pulsat, statque ad fores nostras, quando inquiens videbo, quem desiderat anima mea? quando veniam & videbo illum? Via longa est, pedes vix mouentur, renes congelantur, & quomodo longè positus amicus videbitur? Quærendum est ergo remedium, vbi primum deest solarium. Pergere nequeo, scribere saltem valeo. Cernere non potest oculus, alloquatur stylus. Currat in membranis littera, quia in membris suis retardatur corporalis præsentia. Referat charta quod non potest lingua. Suppleat imago mortua, quod non valet viua & vera. F Syllabæ fortunam nostram nuncient, quia eloquia oris nequeant: desidero vos videre. Pax Christi & gratia Dei vobiscum semper. Saluto Capellanos, & Priorem, domnum Gaucherium, & domnum Autisiodorensem Episcopum, & Philippum, & omnes amicos oostros. Valete.

NOTÆ.

a *Eskilo quondam Archiepisc.*] Nunc monacho Clareuallensi lib. VII. epist. XVII. Autisiodorensis Episcopus, quem extrema epistola salutat, est Alanus, qui relicto item, vt ante monuimus, Episcopatu ad Clareuallenses iam pridem redierat, anno vt Chronicum S. Mariani notat. M. C. LXXVII. Gaucherij etiam ac Philippi monachorum Clareuallensium fit mentio in epistolis Nicolai.

EPISTOLA II.

G a *Auenionensi Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

VIrtutis propago ramos gratiæ suæ semper pullulans, in Ecclesia Christi beneficio suo rigat nouellas, sicut antiquas Paradisi plantationes, quando in decessu religiosi prælati bonus nihilominus & honestus substituitur. Sic ignis in altari perpetuatur: sic in sabbato panes propositionis renouantur: sic pro patribus filij Ecclesiæ nascuntur: sic denique vectes in arca semper circunferenda infiguntur. Prædecessoris vestri gratiam, vt decet, firmiter teneamus: qui tanquam pius pastor & pater, fratres nostros, & quod in Episcopatu vestro habemus, dum vixit, seruauit, & pro posse ab infestatione defendit. Oramus vt spiritus eius duplex fiat in vobis: quatinus nec farina regiminis, nec oleum mansuetudinis in lecytho deficiat. Habetis fidelem in cælo remuneratorem beatum Remigium, cuius oues H sumus, & si necesse & oportunum fuerit, tam de lacte, quàm de lanis nostris, ad vsum vestrum mutuare poteritis. Mittimus itaque iuuenem istum ætate, sed moribus, vt experti sumus, maturum ad partes vestras, cui tradidimus & committimus Prioratum nostrum cum his quæ ad nos pertinent in Prouincia. Vt ergo sub alis vestris ipsum excipiatis & foueatis, rogamus & obsecramus.

NOTÆ.

a *Auenionensi Episcopo* Pontio, vt coniectura est, successori Gaufredi.

A

EPISTOLA III.

Petrus Abbas sancti Remigij, R. a Canonico de Meritona.

ADipe & pinguedine spirituali refertas ex parte tua recipi litteras, quibus cibatis & potatis, saluo quadragesimali ieiunio, factum est in ore meo tanquam mel dulce, & medullæ repletæ sunt vberrima exultatione. De vase siquidem bono & optimo eructauit stylus tuus verba bona, verba consolatoria, quæ me à diluuio aquarum multarum ad arcam Noe, qui interpretatur requies, prouocant, & b de claustrali disciplina non solùm cogitare, sed & scribere exorant. Promptum me & facilem nosti in omni obedientia, sed vinctum & occupatum laboriosa sarcina: cui noua alluuione accreuit & accessit tenuì grauissima infirmitas. Non credas quòd de solito luti & lateris penso aliquid imminuerit vrgentissima principis tenebrarum harum exactio. Componit quotidie strues lignorum, in negotiis, addit paleas, & stipulam siccam in nugis & vanis discursionibus. Vexatus denique plagis variis orationum, psalmodiarum, sanctarum meditationum, eleemosynarum, magis ac magis cor eius induratur, negans licentiam in deserto abeundi & immolandi Deo sacrificium iustitiæ & innocentiæ. Quomodo itaque in manicis ferreis detentus, & supra modum fame lectionis & otij exinanitus, speciosa deserti dinumerare, & claustralem disciplinam possum funiculo prophetico dimetiri? Non potuit Iosue filiis Israel terram promissionis sorte diuidere, donec terra quieuit à prælijs. Vtinam veniret sabbatum delicatum! vtinam pax requiesceret in cubili nostro! vtinam iubileus annus celebraretur! vt sic rediret cor ad possessionem suam, & seruus peccati, corpus mortale ad libertatem suam. Interim tamen claustralis disciplina non atramento, sed exercitio compingatur: quia is qui sub lege est non Moysi, sed Augustini, aut Beati Benedicti, si præcepta seruauerit, præmia habebit. Compendiosè & succinctè claustralem disciplinam vno illo verbo complector, quo Pharao vsus est ad Ioseph: *Ego*, inquit, *sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* [Gen. xli. 44.] Sanctissima & æquissima disciplina in claustro, vt nihil agatur, nihil dicatur, nihil habeatur, nisi cum Abbatis licentia: vt nec oculus egrediatur constituta, nec manus moueatur ad illicita, nec pes currat ad prohibita. His neruis corpus religionis compactum immobile stat, fundamentum habemus, præter quod nulla firma est religio.

B

C

NOTÆ.

a *Canonico de Meritona*] In Anglia. Saresbetiensis epist. XXVII. *Sanctorum fratrum qui apud Meritonam Deo famulantur, & luce bonorū operum illustrant Insulam nostram, vexationibus & iniuriis iure compatior.* Regulares erant sancti Augustini, eoque nomine illos Hadriano IV. eiusdem olim ordinis Canonico commendat. Pro Meritona *Mintona* vitiosè apud eundem Saresberiensem legitur epist. CXXXIX.

D

b *De claustrali disciplina*] Hoc enim argumento ac titulo librum scripsit ad Henricum Comitem Trecensem, cuius meminit epistola VI. Vetus Index Bibliothecæ Montis Dei. *Petri Abbatis S. Remigij De disciplina claustrali. Incipit. Domino & amico suo H. illustri Trecensium Comiti Palatino.*

* * *

E

EPISTOLA IV.

a Carnotensi Episcopo Petrus sancti Remigij.

SI quando in mente constantis hominis priora mutentur vota seu proposita, considerandum est, verum hoc fiat leuitate, aut necessitate, aut superueniente affectione. Si leuitate, inconstantia: si necessitate, fortuna: si affectione, ratio pensanda est. Si enim vitiosa est affectio, improbitas est: si iusta, virtus, & est admittenda Causa verò, vnde oritur affectio, forte inter bonam & malam diuidit, & nomen imponit. Bona excusat voti mutabilitatem: mala accusat inconstantiam. Non enim ab inchoatis recedendum est sine ratione, quæ incboata sunt cum ratione. Alioquin non est in illo est, sed est & non in illo est: & de illo dicitur, quia *stultus vt luna mutatur*. [Eccli. xxvii.] Ne autem sim oneri occupatissimis auribus Carnotensis Episcopi, negotium breuiter & apertè exponam. Postulatio nostra apud vos pro Hugone cognato & amico nostro Remensi Canonico, ante fores vestras obserata æstatem & hyemem fecit, & valde laniata & ieiuna ad sinum nostrum reuersa est, & ecce occurrit carissimus amicus & cognatus ampliori affectione suscipiendus in eadem postulatione G. Archidiaconus vester, qui vobis de latere & Ecclesiæ vestræ magis paratus est seruire. Cedit itaque ille, si iste successerit: immo vt iste succedat, cedo & ego in priori petitione, si exauditus fuero in secunda, quin potiùs vt fiat, & citiùs fiat secunda: ne forte steriles anni renuntient mihi defectum imbris matutini & serotini; & desperans de messione cesse[m] deinceps arare, seu aliquid a vobis petere. Valete.

F

NOTÆ.

a *Carnotensi Epis.*] Ioanni Saresberiensi, item & epistola v.

G

EPISTOLA V.

Episcopo Carnotensi; Petrus Abbas S. Remigij.

FAcilè est amicorum erratibus ignoscere, qui contingunt casu, non deliberatione. Casuales quoque excessus facilè corrigit, qui occupatione, non contemptu, delinquit. Amicum nostrum & vestrum, Abbatem sanctorum Crispini & Crispiniani, aliter quàm decuit excepistis. In hoc circumspectio vestra oberrauit. Sed hoc debitum cum satisfactione dimittetur, cùm ad nos veneritis & culpam recognoueritis. Iam quoque nubeculam istam amouit à facie nostra relatio Alexandri amici vestri, quâ de statu vestro lætificauit nos. Solet enim verum dicere. Prosperum itaque & felicem statum in his quæ erga vos fiunt asseruit, & ambages circumuolantes à corde nostro abegit. Non difficile credo quod multum desidero. Verbis igitur illius credo, & valde congaudeo. Nam à me nihil alienum æstimo, quicquid de vobis sensero. Radix enim longæua pruinâ subitâ non arescit, neque marcessit. De his hactenus.

H

EPISTOLA VI.

Amico suo carissimo R. Canonico, Petrus Abbas sancti Remigij.

VNum quaternum iam impleueram de disciplina claustri, & mittere per præsentium latorem plurimo in festinabam. Sed dissuasum est ab amicis, ne opus

imperfectum amico mitterem, propter rapaces curiosorum manus & oculos. Nam si viderent, aut abiicerent, aut retinerent. Si abiicerent, fortè conculcarent. Si conculcarent, nullum delectum habentes inter vtile & inutile peccarent. Si retinerent, aut scriberent, aut negligerent. Si legerent, aut scriberent, scabrosam fortè lectionem & minus compositam offendentes, imperitiæ & præsumptioni, non festinationi imputarent: quatinus mihi meritò illud prouerbium adscribatur, quo dicitur, *Onos lyras*, id est, asinus ad lyram, aut rescriberent, & nostra vitia perpetuarent. Si negligerent, quantum ad illos in vanum laborassem, & perisset opera & impensa. Quicunque igitur fidelis nuntius post paucissimos dies occurrerit, casibus fortuitis me committens, mittam quæ ad petitionem tuam de disciplina claustri scripsi. Valete.

EPISTOLA VII.

Priori & fratribus Grandimontis, Petrus humilis Abbas sancti Remigij munus orationis & precium.

QVantò fragiliores sumus, & de nostris minus speramus viribus, tantò si sapimus ardentiùs validiora & ampliora emendicamus suffragia. Væ enim soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem se. Si autem fuerint duo, fouebuntur mutuò. Solum æstimo, qui nec cum Deo in simplicitate & puritate ambulat, nec fraternum currum inuincibili societate & inseparabili vnitate equitat. Domini & fratres carissimi, ego vir videns tam paupertatem, quàm insufficientiam meam, vbi audio cœlestes pauperibus erogari dapes, curro, pulso, quæro, & de reliquiarum micis offellas quas possim expecto. Vestrum est, vestrum est, panis oleati buccellas cum Petro Apostolo, cùm conueniris ad cœnam agni, sumere, sed & his qui non præparauerunt sibi, partes mittere. Dies enim Domini sanctus est, a solemnitas sancti Ioannis Baptistæ, quando ad matrem pulli gallinæ reuolant, & de singulis locis vestris riuuli ad locum de quo exierunt refluunt, vt de paterna instructione & correctione reparato meatu copiosiùs & fortiùs iterum fluant. Seruanda est hæc probabilis & sancta consuetudo: quia non tantum ab homine & per hominem, sed etiam à lege & Deo hæc approbata est institutio. Tribus enim vicibus iubet Dominus in lege, vt Hebræus appareat ante Dominum, non tamen vacuis manibus. Nunquam autem vanum aut vacuum est, sinus paternos, tanquam suæ professionis alumnos, relambere, & nouos inde sibi sapores attrahere. Procul igitur odorans ipse ego tam iocundos & festiuos sanctitatis vestræ concursus, prompto animo & vultu submisso, Amen pauper inclamo, & de orationum suffragiis subleuamen expostulo. Hæc autem nostra postulatio non vsquequaque imbecillis, & carens sustentationis baculo, claudicans sanctum conuentum vestrum ingreditur: quia fratres vestros, qui nostris in partibus commorantur, diligimus & honoramus; & etiam cellam bonam in nostro habetis patrimonio. Hac ergo securus confidentia, vestrorum rogo societatem bonorum: & cùm anima soluto corpore vias ignotas aggressa fuerit, conductum vestrum vsque ad meum iudicem deposco. Rescribite si placet & quam misericordiam facere disponitis remandate. Valete.

NOTÆ.

a *Solemnitas S. Ioannis B.*] Quo die anniuersaria Ordinis sui comitia celebrare solebant Grandimontenses lib. IX epist. 11.

EPISTOLA VIII.

Alexandro summo Pontifici Petrus Abbas sancti Remigij.

APostolicæ sedis oraculum nec sine reuerentia penetrandum est, nec sine fiducia adeundum. Tibi itaque, Pater venerande, cui datæ sunt claues regni cœlorum, non est data potestas sine indulgentia, nec iustitia absque misericordia. Interpellet igitur, & inclinet ad petitionem nostram auctoritatem tuæ potestatis sobria indulgentia, temperet æquè rigorem iustitiæ pia misericordia. Intutum proinde est, thronum magni regis, qui est in sæculum sæculi, aliquatenus concutere: nec minus periculosum, lectulum Salomonis, propter ambientes gladios versatiles, circa decubantis placitum, qui dormit vt catulus leonis, excitare. Sedentem & quiescentem Deum in sanctis qui audeat dubitare? De numero & sorte istorum, teste sancta conuersatione, confratrem nostrum dilectissimum a Clareuallensem Abbatem fide occulta cernimus & credimus. Fortè electus est in Episcopum Tolosanæ ciuitatis. Vt autem verè religiosus, metiens se sibi & insufficientiam suam metuens, repudiato connubio mauult discalciari, & sputa cuiuslibet improperij in faciem cum IESV excipere, quàm vitis, oliuæ, & ficus assumptæ professionis dulcedinem deserere. Nec in hoc vsus est reprehensibili leuitate, cum hoc faciat ex legislatoria auctoritate: Moysi vtique, qui grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat in remunerationem. Reputat etiam, quòd in lamentationibus legitur, quia *mutatus est color optimus, postquam dispersi sunt lapides sanctuarij in capite platearum.* Thren. IV. 1. Timet in se fieri eclipsim solis, si de statione Hebræorum transierit in castris eorum, b quorum os locutum est vanitatem, & quorum pedes currunt ad malum. Citiùs enim inficit venenum, quàm curet antidotum: & fragilis natura difficiliùs reparatur, cùm facilè frangatur. Concedat igitur Apostolica licentia hominem istum in paradiso Clareuallensi operari cibum, qui non perit, & in sudore vultus sui panem suum manducare, quia nec vult vetitum tangere, nec tunicam pelliceam assumere. Fixit namque tentorium suum de pellibus Salomonis iuxta puteum viuentis & videntis, iuxta aceruum nouarum frugum, iuxta denique propitiatorium, intrà sanctuarij velum, subter alas Cherubim sancti Benedicti & beati Bernardi. Supposuit quoque humerum arcæ fœderis Dei, in qua est virga crucis, quæ floruit in Apostolis, fronduit in regeneratis fidelium turbis, & nuces protulit in martyribus, confessoribus, atque virginibus? in qua duæ tabulæ testamenti, vna asperitatem legis continens, altera Euangelij mansuetudinem & gratiam conferens. Ad vltimum manna est ibi absconditum promissæ dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, & dabit diligentibus se. Habitat in medio lapidum ignitorum: quorum contemplatione visus acuitur, torpor excutitur, vitalia nutriuntur, morticina reiiciuntur, religio perpetuatur. O quàm dura, quàm amara separatio religiosi affectus, cui cedit carnalis necessitudo, cui supponitur delectatio, cui ambitio substernitur. Quàm infelix commutatio, vbi pro suaui odore recipitur fœtor, pro crispanti crine caluitium, pro fascia pectorali cilicium. Nequaquam est hæc commutatio dexteræ excelsi. Non igitur audiat auris Apostolica aduersus Mariam ad pedes IESV sedentem, Martham conquerentem, quæ sollicita est circa frequens ministerium, nec gustauit poculum ex vino condito sanctæ contemplationis, & in lege Dei assiduæ meditationis.

NOTÆ

N O T Æ.

a *Clarenallensem Abbatem.*] Henricum. Hic paulo ante, hoc est anno M. C. LXXVII. cum Petro S. Chrysogoni Cardinale, & Episcopis aliquot, Tolosam legatus fuerat aduersus hæreticos Albigenses. Qua de re præclara extat Henrici ipsius epistola apud Houedenum. Nunc mortuo Gocelino Episcopo Tolosano ad eam Cathedram poscebatur.

b *Quorum os locutum est van.*] Tolosatum, quos ea labes præ labiis infecerat. Henricus ipse in epistola: *Tolosam, quæ sicut erat ciuitas maxima multitudinis, ita etiam dicebatur esse mater hæresis, & caput erroris.*

EPISTOLA IX.

a *Domino Alberto Cancellario, Petrus Abbas Sancti Remigij.*

PRo aliis rogare cogimur, qui pro nobis vix exorare sufficimus. Nec tamen in postulatione hæsitamus quam commendat iustitia postulationis, conscientia postulantis, & pietas postulati. Iustitia est, suum ius vnicuique seruare: conscientia bona est, dilecto Domino pro conseruo fideli humiliter supplicare: pietas paterna est, propositum etiam inflexibile anxiato filio benignè remittere. Scimus, Domine amantissime, potestati Apostolicæ subesse quod mandare voluerit, & dicere huic, vade, & vadit, & alio veni, & venit & seruo, fac hoc, & facit. Sed iungatur currus potestaria, & pietatis, sublimitatis & mansuetudinis vt media sternatur caritas propter filias Ierusalem. Certè, vt credo, aut nullas filias in terris habet Ecclesia, quæ est mater nostra; aut in Clareuallensi cœnobio quotidie parturit, & maternis vberibus alit matrissantes filias. Siquidem IESV CHRISTI de virgine nati in mundo religiose conuersati, in cruce sub Pontio Pilato affixi, vera vestigia vestri Clareuallenses sequuntur, caste viuendo, patri spirituali in omnibus obediendo, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis quotidie crucifigendo. Si Deus pro his, quis contra illos? Ecce pulli isti sub alis gallinæ, quæ se contra miluos spiritualis nequitiæ opponit, lambunt sanguinem Dominicæ passionis, & dormiunt sub vmbra iuniperi labores suos consolantes dilectione protectoris sui. Quanti itaque periculi sit excitare quiescentes sub hac ficu & vinea, non carnali, sed spirituali dulcedine, discernat discretissima moderatio Apostolica, & non auferat ab eis desiderabile oculorum suorum. An non sunt alij præter istum? immo super numerum multiplicati sunt qui dicunt, *Ecce ego, mitte me*, cum iste dicat, Esa. 6.8.
A, a, Domine Deus nescio loqui, quia puer sum. Forte Hier. 1. 6.
dicitis, Quid ad te de Clareuallensibus, cùm Samaritani non coutantur Iudæis, & nigra Æthiopissæ facies & vestis differat ab illa veste & facie, quæ apparuit Apostolis in transfiguratione Domini? Ad quod ego, Ex multarum facierum personis, regina quæ assistit à dextris filij in vestitu deaurato circumdata varietate, cantat in psalterio decachordo ante sedentem in throno gratiæ, vnde procedunt diuersa charismata gratiarum, cùm sit tamen vnus atque idem spiritus, idem Dominus.

N O T Æ.

a *D. Alberto Cancellario*] Cardinali, ad quem lib. V. epistol. I. Eidem Romanæ Ecclesiæ Cancellario & noster posthac sæpius, & Stephanus item Tornacensis ac Petrus Blesensis.

EPISTOLA X.

Alexandro Papæ Petrus Abbas S. Remigij.

SIcut à paternitate Domini nostri Remensis Vuillelmi in mandatis acceperamus, de causa terminanda, quæ vertitur inter Episcopum Suessionensem, & a Comitem Robertum, Suessionis accessimus, & nobiscum Abbates sancti Crispini, sancti Ioannis, & vallis Serenæ. Ibi allegationibus vtriusque partis auditis, ab Episcopo productorum testium attestationes scriptas recepimus. Deinde aliam diem Remis vtrique parti statuentes, iterum conuenimus: & post multa, quia Dominus rex super hoc negotio litteras suas Episcopo direxerat, ex voluntate & consensu eorum diffinite causam distulimus, donec cognosceremus, an dominus rex controuersiam illam inter eos pacificaret. Postea verò nulla interpellatione interueniente, nec diem sibi dari Episcopo à nobis postulante, interdicto excommunicationis nobis inconsultis terram præfati Comitis Episcopus subiecit. Proinde Comitissa ex parte sua & Comitis conquerens de hac iniuria, vt terram suam absolueremus à nobis exegit. Consilio itaque sapientum habito, accepta cautione à parte Comitis, quod si nouum damnum, vel iniuriam Episcopo fecisset, plenè resarciret, terram absoluimus. Hanc igitur huius rei veritatem vobis mandamus & testamur.

N O T Æ.

a *Comitem Robertum.*] Comitem Suessionensem. Episcopi verò nomen Neuelo: qui Lateranensi Concilio subscripsit. De S. Crispini monasterio apud Suessiones dictum est superius. Apud eosdem est Monasterium S. Ioannis, quod de vineis vocant ordinis S. Augustini. In pago autem Suessionico Vallis Serena, Præmonstratensium cœnobium.

EPISTOLA XI.

Alexandro summo Pontifici, Petrus Abbas sancti Remigij.

TOtius Christianitatis onus humeris Apostolicis impositum non ignorat, qui Christum Principi Apostolorum dixisse non dubitat, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Necesse itaque est, vt Matth. 16.18.
Aaron, qui penetrauit cœlos in sanguine suo, pontifex à Deo Patre constitutus in æternum, & Vt, qui in igneis linguis super Apostolos descendit, & tam manus, quàm humeros vestros auxilio suo subleuent, & ne deficiant, sustentent. Iniquitas namque, quæ sedet super talentum plombi geminatis quin potius iunctis alis, Ecclesiam Dei & vestram, Dei, desponsatione, vestram, procuratione, vsquequaque opprimit, tam in subditis, quã in prælatis: adeo vt iam possit dici, Sicut populus, sic sacerdos, sicut oues, sicut canes. Quid dicam, & quare dicam quod patet lippis & tonsoribus? Nonne clamor tanti mali, ne dicam furor, vsque ad nubes ascendit? Et quis vos dubitat ista scire, cuius est non solũ morbos discernere, sed etiam quæque morbosa secare aut sanare? Tamẽ, summe pastor, duo mala facit populus tuus. Descende & inuenies vitulum conflatilem, lasciuientem in vaccis populorum, & lingentem herbam vsque ad radicem. In altero notatur luxuria, in altero auaritia. Olim hæ tenebrarum familia tenebant valles, iam iam occupant montes. Olim fœdabant templum Veneris, sed iam polluunt atria Virginis, quam pater desponsauit filio suo, & Paulus tanquam vniuiro virginem castam vult exhibere Christo. Olim denique regnabant in Babylonia, nunc in Hierosolyma.

A Ieremias lamentatur auaritiam sedere in capite omnium compitorum, vbi concurrunt in dandis honoribus Ecclesiasticis, aut carnalis affinitas; aut pecuniaria cupiditas Dei quidem solius est ista amputare & tollere. Vestrum autem securim ad radicem ponere, & pro posse in sententia vigilum statuam istam confringere, & arborem succidere sollicitudine non pigra. Quomodo autem fiat istud, docebis vos qui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit Dauid puero suo, & omnia quæ audiuit à patre suo nota fecit suis Apostolis. Lator quoque præsentium fidelissimus vester, & totius honestatis & bonæ famæ vir insinuabit. Pungenda tamen est gladio ancipiti luxuria, quæ non solum thalamos pudicitiæ, sed etiam terminos potius verecundiæ transgreditur: quatinus & si stimulus eius non confringitur, saltem retundatur, & si non sepelitur, saltem recondatur. Auaritiæ duo cornua in Ecclesiasticis traiectionibus prorsus anathematizentur, in sæcularibus rapinis vngulæ ipsius aut B eradicentur aut exsecentur, Spiritus Domini, quia omnia continens replet orbem terrarum, ori & cordi vestro semper adsit, & præcipuè in hac secunda generali congregatione.

NOTÆ.

a *Alexandro Sum. Pont.*] Anno M. C. LXXIX. cum instaret Synodus Lateranensis, quam propterea secundam generalem Alexandri congregationem appellat, quia priorem ante annos XVI. Turonis celebrat: quod generale etiam Concilium dicitur Neubrigensi lib. 11. cap. 14. & aliis.

EPISTOLA XII.

Domino Papæ Petrus Abbas S. Remigij.

C AD generale Concilium, Pater venerande, cum cæteris Catholicæ Ecclesiæ filiis citatus excusationem præfero, non friuolam de perfunctoriis Euangelicis aliquam, quibus ad cœnam inuitati se excusando accusant: sed manifestis documentis probabilem & veram. Prompta siquidem est in me ad omnem obedientiam deuotio: sed succumbit propter inualetudinem languida executio. Inest voluntas, sed impedit infirmitas: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Apud igitur paternam clementiam & æquissimam Apostolicæ discretionis censuram, ætas annosa, longa via, breuis vita, fessa membra, sint nostræ excusationis probabilia & necessaria argumenta. Mauult habere filium absentem viuum quàm secum semimortuum, vel certè extinctum. Percussus sum, vt fœnum, quod iam exaruit, quod hodie est, & cras non in clibanum, sed in feretrum mittetur, & quomodo tanquam plaustrum onustum fœno prosequi potero ambulantes in equis, & D volantes in pennis sanitatis & robustæ ætatis? Quid enim si præsens essem, nec interesse possem? Quid faceret facula fumibunda, inter astra lucentia? Parcite ergo in hoc nunc, sicut semper fecistis, nostras preces benignè suscipiendo, & efficaciter implendo.

EPISTOLA XIII.

Alberto Cancellario, Petrus Abbas S. Remigij.

ARca Dei Israël, arca sanctificationis, arca fœderis, quondam ex præcepto legislatoris circumtexta ex omni parte auro, antiquorum patrum sanctitate & doctrina, quam etiam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium desuper tegebant, nunc in præsentiarum, abusione & negligentia filiorum Heli, vestimentis gloriæ suæ spoliata, atque infœcundis salicibus operta, & E relicta, iuxta Isaiam, sicut tugurium in cucumerario, & vmbraculum in vinea, recordatur dierum adolescentiæ suæ, & plorans atque in maxillis suis lacrymas reponens dicit, Reuertar ad virum meum priorem, quia mihi melius erat tunc magis, quàm nunc. Boues calcitrantes, videlicet doctores, à semitia iustitiæ per sua desideria aberrantes declinant eam, cùm deberent glorificare Deum, & portare in corpore suo. Verus itaque dolor illos tangit, qui diligunt illam non sermone & lingua, sed opere & veritate. Non ignoramus vos vnum esse & specialem amicum siue filium vniuersalis sanctæ Ecclesiæ, cuius typum & figuram illa arca tenuit. Ad luctum itaque & compassionem maternæ angustiæ, siue desolationis, vos aduocamus, vt quicquid affectualis deuotio exigit maternis impendatis doloribus. Secundum enim locum post Dominum Papam à Deo in his corrigendis tenetis: sed cauete, ne in vacuum gratiam Dei F acceperitis. a Qui enim spiritum vestrum & sanctam conuersationem antè multis retro temporibus viderunt & cognouerunt, de meliorando statu Ecclesiæ spem optimam conceperunt, cùm factum Cancellarium audierunt. Nisi verò vbique essent notoria & vobis notissima, de his latiùs scriberemus. Tamen ne clausis labiis potius singultiamus quàm loquamur, declarat charta quod non silet vita. Dilatat infernus animam suam absque vllo termino, dum immaniter grassatur, tam in oues quàm in pastores. Qui enim præuij constituti sunt ad cælum, malo exemplo suos sequaces trahunt in infernum. Non de omnibus dico nouit enim Dominus qui sunt eius. Quo autem mercede meliori digni sunt boni, eò amplius increpatione & correptione indigent mali. Isaias, Hieremias, Ezechiel suâ propheriâ nostra deprehenderunt tempora. Contra pastores namque, & peruersos rectores, nuda, sed & vera retorserunt iacula, auaritiam eorum, luxuriam, gulam, rapinam, & omnem iniustitiam non in angulis, sed in plateis declamantes. Ingrediatur itaque in ossibus & medullis vestris, G & impleat spiritum & os vestrum spiritus illorum zelotypus, conterens montes & petras, & efficax vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. Gladius vester deuoret carnes inebriatus in cœlo, quatinus emendatos remittatis nobis pastores nostros, & omnibus serpentinis exuuiis spoliatos.

NOTÆ.

a *Qui E. spiritum vestrum.*] Vir enim fuit Albertus Cardinalis, qui & postea Pontifex Gregorius VIII. insigni pietate ac religione, de quo in vetere Chronico huiusmodi est elogium. *Albertus de Beneuento Cancellarius vir magnæ sanctitatis ac laudabilis parsimoniæ in omnibus actibus suis religiosus fuit. Ecclesiam B. Martini in qua habitum religionis sumpsit, semper cordi habuit, qua etiam ei annuatim vestes secundam regulam procurauit.*

H

EPISTOLA XIV.

Alberto R. E. Cancellario, Petrus Abbas S. Remigij.

EN auctoritatis Apostolicæ gallina grandosa & fætosa congregat pullos suos obedientia & subiectione sub alas benignæ protectionis & discretæ consultationis, quid futura? quid paritura? quod scribatur in generatione altera, vt populus qui creabitur laudet Dominum. Ecce Iacob senex & plenus dierum, qui diu luctatus est a cum Angelo schismatico expectans salutare Dei, conuocat filios ad benedictionem: numquid taciturus quid Ruben fecerit, quod cubile patris ascenderit, & stratum eius maculauerit? quid Simeon & Leui, vasa iniquitatis bellantia non prædicturus, aut constitututus, quid facere habeat posteritas futura? Grandis equidem apparatus Romani Concilij, grandes portendit secuturas nuptias filij Regis IESV CHRISTI. Ministeriales & offi-

A cisles hoius sancti Concilij cum cæteris, immo præ cæteris Cardinalibus, non ignoro vos à Deo prædestinatos, quotum fidem, religionem, constantiam & æquitatem in multis iam expertus est sponsus Ecclesiæ vnicus dominus noster. Adhuc habet opus, vt obsequium vestrum sit rationabile & acceptabile in hoc Concilio: vt accincti gladio vtrimque acuto super femur potentissimè putridas amputetis carnes, & insanas superstitiones, quæ fiunt quotidie in orbe Christiano. Ramosa siquidem & sylvosa quotidie pullolat apod nos malitia: securis autem Euangelicæ disciplinæ, fabro dormiente & negligente, pene vbique iacet retunsa. Rarus est, qui eam, vel hebetatam apponat ad radicem arboris. Vt exprimam quod sentio, quàm irrisoria subsannatio, quam laboriosa & lacrymosa, ne dicam tædiosa, peregrinatio, quamque damnosa expensarum iactura, & bona bonorum consumptio, si cassa & sine fructu benedictionis redierit tam solemnis magnorum virorum & religiosarum persona-
B rum congregatio? Cauete ne dicatur, Parturient montes nascetur ridiculus mus. Inueniat igitur vos IESVS amicos veritatis, vt à porta vsque ad portam transeuntes, vituli conflatilis cultoribus non parcatis. Commendo vobis præsentium latores, carissimos & amicos & filios nostros, *b* Abbates sancti Petri de Montibus, & omnium sanctorum de Insula, & sanctæ Mariæ Virtuensis, vt de gratia, quam habemus io vobis, gratiam inueniant in oculis vestris. Quam citios poteritis, cum gratia Domini Papæ, & vestra nobis, eos remittite.

N O T Æ.

a *Cum Angelo Schismatico.*] Triplici Antipapa. Nam post Octauianum & Guidonem, de quibus dictum epistola XXVI. lib. I. contra Alexandrum stetit etiam Ioannes Abbas Strumensis, qui Callisti nomen vsurpauit anno M.C.LXVIII. Addunt alij quartum Landonem, qui dictus sit Innocentius.

C b *Abbates S. Petri de montibus*] Monasteria sunt diœcesis Catalaunensis, duo quidem priora in vrbe ipsa, tertium in oppido non ignobili. Sed monasterium omnium sanctorum, cuius etiam mentio in epistola VI. Alexandri, ordinis est regularium S. Augustini, duo reliqua S. Benedicti.

EPISTOLA XV.

Alberto Cancellario, Petrus Abbas S. Remigij.

QVotiens naufragia patimur, totiens ad portum festinamus. Portum autem tutissimi refugij in litore vestræ amicitiæ iam dudum fiximus. Molestiarum quidem ventos frequenter contrarios sentimus: sed portum vestrum vsque ad grauiorem ooo infestamus tempestatem. Leuiora enim discrimina aut patientia tolerat, aut
D virtus fortiter superat. Cùm autem nubes magna & ignis inuoluens naniculam nostram inuadit, statim aut est periclitandum aut citò enauigandum. Hoc anoo Dominus Papa, vestro interuentu, priuilegium suum Ecclesiæ nostræ indulsit: in quo specialiter expressit *a* Canonias, seu præbendas de Marsna, & quas in vsus proprios iam à multis retro temporibus retinemus, tenendas in perpetuum confirmauit. Quæ etenim quondam fuerunt Canonicorum præbendæ, à longissimis retro temporibus, donatione Episcoporum Leodiensiom, & confirmatione Papæ Innocentij, in proprietatem transierunt, & possessionem monasterij nostri. Nuper vero Dominus Papa tem, vt credimus, ignorans iam secundo scripsit Præposito nostro de Marsna, vt daret præbendam cuidam clerico Imperatoris, cùm nec præpositus dare possit, nec sit præbenda quæ dari possit. Insinuare ergo Domino nostro, ne velit panem filiorum tollere, & dare canibus qui non cessant aduersum nos latrare, & bona nostra auferre. Alias enim dicere compellimur, *Ecce in pace amaritudo nostra amarissima.* Nam per Impe- E
ratorem *b* tempore schismatis instantissime id efficere plures conati sunt, sed minimè præualuerunt. Esa. 38. 17.

N O T Æ

a *Canonias seu præb. de Marsna.*] Quæ monasterio S. Remigij ita fuerant tributæ, vt decedentibus Canonicis vsus cederent Monachorum. Diploma Conradi Imp. Odoni Abbati concessum anno M.C.XLV. *D. Odo venerabilis Abbas S. Remigij Confessoris & Francorum Apostoli, nostram præsentiam apud Traiectum vlterius visitanis, & possessiones Ecclesiæ suæ, quæ in regno nostro adiacent nostro petiit priuilegio confirmari. Marsnam videlicet cum omnibus appendiciis suis, Herta, Cluma, Litta, Angledura, Becca, Præbendas quoque Marsnenses in vsus Monachorum decedentibus monachis * transmutatas. Nos itaque tam religiosi viri petitionibus diligenter obtemperauimus,* * Clericis.
F *& tam possessiones supradictas, quam præbendas in vsus monasticos conuersas regiæ maiestatis sigillo corroborauimus.* Diploma item Friderici Imp. quod Hugo Abbas Aquisgrani obtinuit anno M.C.LII. *Hoc etiam eidem B. Remigij Ecclesiæ regali munificentia adijcientes confirmamus, vt præbendæ Clericorum Marsnensis Ecclesiæ in vsus monachorum decedentibus clericis sine vllius contradictione de cætero cedant.*

b *Tempore Schismatis.*] Ante annum M.C.LXXVII. quo Imperator in gratiam rediit cum Pontifice.

EPISTOLA XVI.

Alexandro Papæ Petrus Abbas S. Remigij.

CVm vniuersitas Christianitatis, pater sanctissime, vestro regatur moderamine, & cura vestræ sollici- G
tudinis ad plura distendatur, quam sit stellarum oumerus, vel arenæ maris, satis mirum est, si nunquam circumueniator. Plures enim venantur in curia vestra subreptione, quàm famulentur fideli deuotione. Excipio sinceritatem sanctorum Cardinalium, quorum fides satis nota est Deo & vobis. Aduenientium redarguo fallacem simolationem, præcipuè Teutonicorum, quorum insidias & nos experti sumus, & vos viuo carbone tactus non ignoratis. Hi oamque toto tempore schismatis, cum expositos nos, & quasi sine defensore calumniis & damnis pluribus afficerent nonquam tamen in guerra obtinuerunt, quod modo in pace vestra & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nituntur ab Ecclesia nostra auferre. Dominum namque Imperatorem frequenter sollicitauerunt, vt de præbendis Marsoæ aliqua subripere possent, quas olim à multis retro temporibus, concessione Leodiensium Episcoporum, & tam priuilegio piæ memoriæ prædecessoris vestri Innocentij, quam vestro, confirmatas habemus. Mandastis Præposito nostro de H
Marsna, quatinus cuidam clerico Imperatoris præbendam quæ non est daret. Petit igitur conuentos noster prostratus pedibus vestris, reuocare mandatum, & vlterius nullam recipere alicuius super hac re petitionem. Deuoti enim sunt filij vestri; & exinde deuotiores efficientur.

EPISTOLA XVII.

Abbati sancti Crispini, Petrus Abbas sancti Remigij.

MIra veri amoris natura: ignea siquidem est, & tamen contra ignis naturam acrius feruet in amicis remotis, quam sub oculis constitutis. Quæris quare? Quia sollicitudo ministra dilectionis quasi iacet, dum quod amat videt: currit verò cum assiduo impetu mor

dens animum propter absentem amicum, vbi est, inquiens, quem diligit anima mea? Viuitne? sospes ne est? estne tristis, an lætus? est ne timens an securus? est ne de me sollicitus, an ad se intentus? estne indigens, an copiosus? Hac fuscinula carbones suos amor mouens, & commouens, auget flammam, calorem multiplicat; medullam ossium liquefacit, & post dilectum longa teste sollicitum trahit animum. Trahit, inquam, fortius, dum longius subtrahit. Sic Tobias pater & senex, morantem filium suspirans gemit, accusans se non potius excepisse pecuniæ damnum, quàm pro ipsa misisse vel amisisse filium. Silenter & suauiter dormit dilectio, cùm nullis euagatur excursibus quærens de statu amici amicalis sollicitudo. Experto credendum est. Durus, immo acutos aculeos visceribus nostris infigit absentia vestri: quorum punctiones non eram expertus, dum præsentem haberem, dum viderem, dum frequenter audirem. Præ cæteris vnum habeo non vobiscum, sed aduersus vos, quod intemperanter viuitis, non excedendo mensuram iustam viuendi supra, sed infra. Sententia enim quæ dicit, ne quid nimis, plus & minus redarguit. Amplius edere voracitatis est, minus hypocrisis vel auaritiæ. Apostolus scit abundare & penuriam pati. In omnibus instructus est ad regulam viuere, qui neque ad ima curuatur, neque ad superiora distenditur, sed recto cursu bene tenditur.

EPISTOLA XVIII.

Priori & conuentui sanctorum Crispini & Crispiniani Petrus Abbas sancti Remigij.

SI quod consilium, si quod solatium, si denique consolatio vlla in me est, sine inuidia vobis communicare debeo: & tam in vobis nouellas plantationes, quam frugiferas arbores qualicunque stillicidio nostrarum exhortationum rigare desidero. Vicarios siquidem affectus erga vos absentis dilecti & carissimi nobis Abbatis vestri viscerali sollicitudine in eius recessu me excepisse reminiscor. Visitare itaque vos affectuosa caritate in vobis habeo: sed concurrentium causarum retardat concatenatio, & ægra aëris & itineris contemplatio. Suppleat littera, quod non valet præsentia. Vniuersitatem igitur vestram, filij carissimi, alloquor, & in domino commoneo, nequis de vobis vapor sinistri rumoris erumpat, ne odor suauissimæ opinionis excidat, ne districtio ordinis aliquatenus tepore aquilonari perefluens euanescat. Facilius enim potestis seruare quod tenetis, quam recuperare quod amiseritis, vel acquirere quod nunquam possedistis. Præueniente autem & præoperante Dei gratia, & adiuuante boni patris vestri sancto exemplo atque doctrina, cooperantibusque vestris studiis, triplici, immo multiplici splendore supernus radius intrinsecus & extrinsecus, congregationem vestram illustrauit religione, opinione & temporalium possessione. Hanc Isaac benedictionem dedit Iacob hæredi suo. *Det*, inquit, *tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam.* (Gen. 27, 28.) De rore cæli pullulat claustralis religio, & sanctitatis fragrans optimè suauis opinio. De pinguedine terræ frumenti, vini, & olei, exuberans fœcunda possessio. Hæc gratia gratos, non ingratos, Deo faciat. Humilia, non inflata pectora, certè gratia inhabitat qui fugit inflationem. Æquat inæqualia, frangit excelsa, elata tollit, aspera emollit, fracta consolidat, ficta respuit, dispersa congregat, congregata conseruat, hominem ad Deum, eleuat, Deum ad hominem inclinat. Hæc decurrit à throno gratiæ ad thronum sanctæ conscientiæ, & facit germinare fructus tricenos, sexagenos, & centenos. Hanc quamuis erogare vobis non possum, tamen rogare possum. Hæc ergo vobiscum & in vobis sit semper Amen. Orate pro Abbate vestro, & pro nobis. Fratrem Ioannem, cui cura est de omnibus, specialiter commendo.

EPISTOLA XIX.

a *Archiepiscopo Lundensi, Petrus Abbas sancti Remigij.*

SPiracula virtutum & odoramenta suauia sunt & perpetua. Nam nec longæuitate veterascunt, nec longinquitate odorem suum minuunt. Ecce vestra Dacia remota est à nostra Francia. Distant enim & moribus hominum, & consuetudinibus, siue situ terrarum. Sed virtus, siue hic, siue illic, nec vultum mutat, nec habitum; nec fructum, nec vsum. Species illi vna & in Dacia & in Francia. Quorsum hæc? quid ad materiam præsentem attinet de insolubili & immobili vigore & decore virtutis scribere, cum sufficit grates referre vobis pro beneficiis fratri & amico nostro Fulconi Episcopo collatis, & quod obsequium suum tantum Dominus tam indigno monacho litteris suis porrexit? Sed peccatum reputo falsa dicere, nihilominus & vera tacere. Sicut enim improbus inceditur, aut inflatur, si falsò laudetur: sic præditus naturali & gratuita bonitate humiliatur, & fortius ad meliora accenditur, cùm ad se & ante se relatione, non adulatoria, sed vera reuocatur. Timet enim, ne non sit vel minus sit, quàm dicitur. A multis retro annis, pater carissime, de vestra nobilitate & industria plura audiuimus, & quod feruentissimo zelo quæ Dei sunt in vobis, & in aliis augmentare studeatis. Tenui fama hoc didiceram, sed cumulum veritatis & certitudinis adiecit carissimus noster & vester, Fulco Episcopus. Phinees vtinam tam apud vos, quam apud nos resurgeret; & filij Mathatiæ antiqua pro lege Dei bella renouarent, & sibi vsque ad animas non parcerent. Feruentis illius spiritus stillicidium in vobis infundat Spiritus sanctus. Satis dictum sit sapienti. Pro his quæ aguntur in partibus vestris erga nepotes & amicos prædecessoris vestri, vtinam ea mihi esset apud vos gratia & amicitia, quæ apud illum est; & sicut illi honore, sic dilectione succedatis. Valete.

NOTÆ.

a *Archiep. Lundensi.*] Absaloni, ad quem & proxima, & Stephani Tornacensis multæ. Is Episcopus antea Roskildensis in Dania, Eskilo Archiepiscopo abdicanti successerat, vt adnotatum est ad epist. XVII. lib. VII. Inde maximus Danorum pontifex dicitur Saxoni Grammatico qui se Absalonis huius hortatu Danicam historiam aggressum testatur in procemio. Daciam vero pro Dania scribit, recepta plerisque etiam illius æui scriptoribus consuetudine.

EPISTOLA XX.

Archiepiscopo Londensi, Petrus Abbas sancti Remigij.

GRatias diuinæ agimus gratiæ de bono odore gratissimæ famæ vestræ; cuius tam copiosa redundat affluentia, vt cœlos ascendat, & terras etiam finitimas suauiter respergat. Larga Dei manus de oleo cælestis promptuarij mensuram bonam; & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dedit in sinum, immo in caput vestrum. De hoc itaque oleo & lampas propriæ conscientiæ decenter ornatur, & lucernæ totius prouinciæ vestræ sufficienter suffunduntur. Scio & pro certo habeo, quod nisi fundamentum subesset bonæ conscientiæ, non sic dilataretur, & continuaretur vapor tam lucidæ & præclaræ famæ. Germen antiquum prædecessoris vestri non sub vna nocte aruit, sicut cucurbita Ionæ, requieuit spiritus Heliæ super Eliseum, vtrique Esquilij

super

A super Absalonem. Rigauit quod ipse plantauit: nec sufficit rigare, nisi adieceritis & noua plantare. Deus itaque incrementum dabit, nec erit vtriusque vestrum labor inanis; vbi superaddit gratiam manus superni remuneratoris. Nunquam enim Deus fraudat operarium suum digna mercede. Vtique & piè iuuat laborantem, & iustè remunerat operatorem. Vnde & suum est opus nihilominus & suum munus. Nequaquam igitur mentitur opus oliuæ, vbi coöperatur donum gratiæ. Non cesset itaque operatio, vbi restat certissima remuneratio. Denique, pater amantissime, carbones viuos & consolatorios instantissime animo vestro suggerat, non solum spes futurorum, sed etiam ipsa prælibatio, qua iam nunc memoria vestri traditur & commendatur orationibus fidelium & sanctorum virorum. Interim ne miramini, quod ego ignotus & terra remotus iam secundo scribo vobis. Habetis amicos iuxta vos & notos. Fulconem quondam monachum nostrum, nunc
B Episcopum, qui multis persuasionibus pulsat me, & compellit vobis scribere. Præsentium quoque lator, qui vox vsque ad Angelos Dei extollit.

EPISTOLA XXI.

a *Prænestino Episcopo, Petrus Abbas S. Remigij.*

PLus molesta, quàm grata & iucunda occurrit materia, quotiens ad scribendum vnico & quondam collaterali amico Abbati sumitur charta. Renouatur namque dolor meus repentina, sed & vrgenti, & vrenti corrosione animi, dum transmontana remotio intercursit & amicos diuidit aspectus, non tamen affectus. Accedit huic seuerissima desperatio corporalis incorporationis, cum fortè instet citissima alterutrius solutio animæ & corporis. Bone nunc Domine, olim amice dul-
C cissime, quem constitues vicarium, qui vices tuas suppleat in nostris exequiis, in oculis claudendis, extrema salutatione, & æterna conclusione? De cuius manibus saluator suscipiet spiritum meum, cùm tuas mundas manus ad hoc delegissem dudum officiosum obsequium? Alius vt video amicus officij in his est substituendus. Sed quare conqueror? quare gemo quare vultum obnubilo? Dei enim ordinationi quis resistit? An fortè tulit Deus Heliam, vt Heliseus duplicem eius reciperet spiritum? Nonne Ioseph asportatiò in Ægypto fratrum eius & totius successionis fuit saluatio? Nonne IESVS ante Apostolos cœlum ascendit, vt spiritum mitteret, & mansiones præpararet? Ecce iuxta latus Apostolorum locus à Deo tibi datus. Quid ergo? Pulsa, excita: insta opportune importunè, donec & ros & stillicidia gratiæ de sanctis ossibus, immo interpellationibus eorum, aridam nostram infundat, qui gratiam Apostolatus & benedictionem singularem ad nostram eis salutem indulsit. Hoc munus si per te collatum fuerit, amissis
D Præponderat, & vna clausula innumera beneficia coagulat. Domino Papæ de sua gratia ad vos gratias agite. b Cancellarium, Tusculanensem, Albanensem, dominum Hyacinthum & Ostiensem sanctum virum, & si quos habemus alios amicos in curia, salutate.

NOTÆ.

a *Prænestino Episcopo.*] Bernerdo qui ex Abbate SS. Crispini & Crispiniani Cardinalis Romæ ab Alexandro creatus est lib. IX. epist. I.

b *Cancellarium Tuscul.*] Romanæ curiæ Cardinales quinque. Ex his Albertus Cancellarius iam notus est. Petro Tusculano scribit lib. IX. epist. VI. & Stephanus epistola L. & XXCIX. Albanensis est Henricus, Abbas antea Claræuallis, huius libri epist. VIII. quem in Synodo Lateranensi Cardinalem nuper crearat Alexander. Hyacinthus postea Pontifex, Cælestinus III. appellatus est. Ostiensis item Episcopus Hubaldus, qui mortuo Alexandro succedens Lucij III. nomen E tulit.

EPISTOLA XXII.

Dominis & amicis suis de Grandimonte, Petrus Abbas S. Remigij salutem.

REligiosæ fraternitatis vestræ conuentui & sanctissimis orationibus saltem anniuersaria reuolutione commendamus. Videtur siquidem mihi meatus suos fluuius paradisi quasi ad suum originalem reuocare, cum de singulis partibus orbis ad diem beati Ioannis Baptistæ solemnem contingit Priores vestros in vnum conuenire. Refusus iste pretiosarum gemmarum arena ad vtilitatem negotiatorum spiritualium redundat, & si quis pretiosas quærens margaritas ad littus hoc applicuerit stu- F dium sanctæ negotiationis, nequaquam vacuus & inanis exibit. Ego itaque vir videns paupertatem meam, sed non negligens, bono & pauco pretio suffragium orationum vestrarum tento emere. Est autem pretium nostrum, rogare, postulare, scribere, & tenuissimas orationes rependere. Si pensatis vsum æstimationis, parum est quod datur: si votum immo animum deuotum, multum. Æstimabile procul dubio est, quod manus legitur: impretiabile, quod animus. Vt enim ait Gregorius, non quantum, sed ex quanto offeratur considerat Deus, id est, non quantum pecuniæ, sed ex quanta deuotione. Suggerimus fraternitati vestræ supplicatione humili, quatinus benefactoribus Ecclesiæ nostræ beneficium sanctæ societatis vestræ indulgeatis: & præcipuè illis, qui eleemosynas suas faciunt a nouo operi, quod ad honorem & decorem domus Dei & beati Remigij inchoauimus. Nam caput monasterij nostri renouare volentes, cum Dei adiutorio manum ad fortia mittimus. Rescriptum itaque sigillo vestro G roboratum mittite, ad excitandos fidelium animos, vestra sancta exhortatione, & orationum concessione. Valeat sancta congregatio vestra.

NOTÆ.

a *Nouo operi.*] Ecclesiæ S. Remigij, quam fabricandam susceperat, libro IX. epistola IV. & V. sub finem.

EPISTOLA XXIII.

Cluniacensibus, Petrus Abbas S. Remigij salutem.

IN tanta sanctorum congregatione, & persona nostra, si adesset, vilis & abiecta appareret, & vox exigua, timeo ne & littera rusticana. Loquar tamen in H medio vestrum, vt seruus Abraham, vt puer Daniel, vt senex Iacob, non vt Heliu, cuius venter est vt mustum absque spiraculo. Lego in scripturis Hieremiam lamentantem, Paulum optantem anathema à Christo pro fratribus suis. Stillicidiis tantæ caritatis inebriatus, nonne dolere debeo vsque ad medullarum & compagum discretionem, super ruinam matris filiarum Sion, vtique cœnobij Cluniacensis? Nonne hæc est vrbs fortitudinis nostræ, de qua egrediebantur quondam mille per episcopatus, per abbatias, per regum & principum curias, & nunc paucissimi sunt incolæ eius? Nonne luminare hoc magnum tenebras obscuratæ religionis per diuersas regiones illuminauit, ordinem reformando, honestatem docendo, caritatem infundendo, & cætera pietatis officia renouando? a Vsque ad sedem Apostolicam nonne gradibus humilitatis ascendit? O domini! ô fratres! ô filij Cluniacenses! ego ipse apud sanctum Martinum de campis adolescentulus

verissimis experimentis quod dico gustaui, & vidi vbi erat auro locus, in quo conflabatur. Proh dolor! Intepuit & consenuit tantus feruor. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est, quod absit à vobis, & ab hæreditare Iacob. Melius est certè mori vos in bello vitiorum & vitiosorum, qui more vulpium demoliuntur vineam Domini Sabaoth, quàm videre vltima funera matris vestræ & nostræ. Repurgate igitur puteos Abrahæ, Isaac, & Iacob, & zizania superseminata nocte ab inimico eradicate: præcipuè illud originarium malum, de quo pessima seges ad suffocationem monasticæ religionis suboritur. Est autem consuetudo comessationum & epotationum, quæ fiunt post completorium. Succidite oro hanc arborem malam in sententia vigilum. Adsit vobis gratia Spiritus sancti, qua cooperante constituatis quod Deo sit acceptabile, Ecclesiæ Cluniacensi vtile, præsentibus salubre, posteris remediabile.

N O T Æ.

a *Vsque ad sedem Apostol.*] Ad quam euectus Vrbanus II. qui ante Pontificatum Prior fuerat Monasterij Cluniacensis.

LIBER IX.

EPISTOLA I.

a *Prænestico Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

EX multa & pene inconsolabili cordis angustia, ex multorum relatione, perpendo vos vsque in conquestionem tædij vitæ vestræ prorumpere. Hoc sine dubio sciatis viri minus constantis & prudentis esse. Apostolus certè magister non gentium tantùm, sed omnium Christianorum, scit abundare, & penuriam pati, & in omnibus sufficiens esse: ad hanc formam vtinam componeremus titubantem vitam nostram. Causas tamen pusillanimitatis, immo assiduæ conquestionis, audire desidero, & tunc vel improbare vel approbare dolorem potero. Triplex siquidem occurrit mihi conquerendi ratio, siue occasio. Aut enim propria temeritas impellit ad aliquid faciendum, quod non sit faciendum; aut aliena calliditas; aut vt vulgo loquar, perplexa diuinæ prædestinationis necessitas. Sed propria temeritas semper culpanda; aliena calliditas cauenda: à Deo veniens justa sententia timenda: fræno indiget propria temeritas, vt consulta: consilio aliena calliditas, vt inspecta: superna sententia timore, vt fortissima. Non mihi ignosco in propria temeritate, accuso me in alienæ calliditatis circumuentione, gemo sub manus Dei percussione. Ne iterum præcipitet propria temeritas, rationem consulo: ne suffocet laqueus alienæ calliditatis, sapientem consulo: ne muchro supernæ seueritatis vsque ad internecionem desæuiat, humiliter imploro. In propria temeritate fragilitatem meam cognosco: in aliena seductione spiritum discretionis aduoco: in flagellis diuinis Deo me totum committo. Quæro igitur, quam istarum magis suspectam habeas, vtrum vnam, vel duas, vel simul tres. Si vnam & tuam, propitius tibi esto. Si alienam & meam, indulge mihi: potiùs enim simplicitate quàm calliditate vsus sum, quando vt tuo Episcopo acquiescerem, ire cum eo ad Concilium persuasi. Si te cœlestis dispensatio illaqueauit, quid tibi irasceris? quid mihi? Quis enim tu? quis ego? qui prohibere possem ne suo cursu curreret, quem nulla creatura declinare aut impedire potest? Quid enim Deus cogitet de nobis intra velum secreti consilij sui, eo vsque nos latet, donec ad publicum nostrum ipso actu prodeat. Tandiu est nostrum nescire, quandiu suum durauerit celare. Longanimiter quoque expectandum est, quod cùm venerit, patienter est sustinendum. Non est properandum si differat; non est murmurandum si proferat. IESVS-CHRISTVS heri & hodie. Heri, antequam aperiat sacramentum voluntatis suæ, hodie, cum manifestauerit secretum præscientiæ suæ. Idcirco sic exclusa sopiatur omnis vestra conquestio, vbi nec temeritas apparet reprehensibilis, nec calliditas apprehenditur damnabilis, nec Dei sententia intolerabilis. Etsi enim priuauit solo paterno, honorauit vos sublimi solio. Miscet namque sapientia in cratere vinum suum, ne nimis sit potanti calidum, ne rursus insipidum. Infert exilium præsumptori, confert solatium exulanti. Pluris est consolatio quàm desolatio vestra. Gregem pusillum dimisistis, egregios Cardinales amicos & socios recepistis. Claustralem angulum reliquistis: vrbem Dominam mundi acquisistis. Abbatis gradum inferiorem Episcopali quis nesciat? Si corpora martyrum Crispini & Crispiniani Suessioni sepulta sunt; Petri Principis Apostolorum, & Pauli doctoris gentium sacratiores reliquias in Romana vrbe haberi quis ignorat? Si paria in vestra commutatione quærantur, tam in relictis quàm in adeptis longe imparia omnia inuenientur, præter affectum qui inde torquetur, vnde alius extolletur. Omnia secundùm se affectus moderatur. Nihil apud ipsum magnum, nisi in se de se faciat magnum. Si ergo affectus mitigabitur, pacata erunt omnia. Naturæ quidem mirabilis est animus, ex quo gignitur affectus. Sed tamen quocunque suus pulsus illum tulerit, omnia ad se trahit, & suo nihilominus siue sapore, siue colore intingit. Cui turbato nihil quiescit, cui amaro nihil dulcescit, cui auaro nihil sufficit, cui vago nihil consistit. E contra, fixo nulla mobilia flectuntur, pacato tranquilla sunt etiam procellosa benigno mansuescunt etiam ferocia. Sic Deus adduxit ad Adam cuncta animantia terræ, & volatilia cæli, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius. Procul dubio animi & omnes motus cordis & corporis iudicare, & nomina imponere. Vnde auctoritas dicit, Affectus tuus operi tuo nomen imponit. Præest enim volatilibus cœli cogitando de supernis: præest bestiis terræ, reprimendo motus carnis: præest etiam piscibus maris, moderando volubiles cogitationes mentis. Omni igitur studio est excolendus, sine quo nullus motus bonus. Laborandum ne sit malus, quia si malus est, non est in ciuitate malum, quod ipse non fecerit. Enitendum quoque vt sit bonus, quatinus gratia cooperante creet bona, faciat pacem, & formet lucem. Diu detinuit epistola amicum occupatum in suis & Domini Apostolici negotiis. Proinde veniam peto. Remotissimum namque alloquor, quem solebam non chartis ad horam detinere, sed horis familiarissimo hinc inde colloquio, diebus plurimis quandoque adiunctis & noctibus, occupare. Valete.

N O T Æ.

a *Prænestino Episc.*] Berneredo Cardinali. Iam monuimus ad epist. XXI. libri superioris, quod hoc loco fusiùs narrat. Abbatem Sancti Crispini, cùm Romam ad Concilium profectus esset cum Episcopo Suessionensi, Cardinalatus insignibus ornatum fuisse, donatumque Episcopatu Prænestino. Sed hunc Bernardum appellat Panuinius: nos Bernerędum apud Cellensem, in cuius codice prima tantum littera notabatur, edidimus, Alexandri III. diploma pro monasterio nouo apud Pictauos securi, cuius antigraphum quod vidimus Bernetedum inter Cardinales qui subscribunt exhibet Episcopum Prænestinum. Cæterum Bernaredus, & Bernardus, idem nomen est, vt Medaredus & Medardus, Gildaredus & Gildardus. Felicem porro huius obitum miraculis illustrem describit epistola VI. ad Cardinalem Tusculanum.

A

EPISTOLA II.

Prænestino Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.

VIx occurro suscipere turbam cogitationum siue materiarum, quæ se ingerunt, insistentes opportunè importunè venire ad vos, dicendo, Ecce ego, mitte me: ecce ego, mitte me. Inter cæteras verò adolescentulas medullatarum meditationum, famosissima illa & notissima atque nobilissima matrona, quæ ab humero & sursum omnes virtutes antecedit & præcellit, fraterna caritas, de qua ait Apostolus: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, iure sedem regiam occupat, (1. Cor. 12. 31.) & suo splendore omnes obumbrat, immo illustrat, & suum tenere ordinem post se imperat. Huic (B) obediunt omnia; non solum terrestria, sed & ipsa cœlestia: nam de eius plenitudine omnes accipiunt nomen, & virtutem, gloriam & honorem. Hanc ego licet statura pusillus non attingam, tamen ad vnam & minimam vestimenti eius fimbriam totum me superextendo, & de salute nullatenus despero. Hanc cum amicis & inter amicos teneo & cognosco: & prius volo puere fieri cum vermibus in puluere terræ, quàm fidem semel datam & amicitiam promissam negligentia aut subreptione interrumpere. Matrona hæc duas habet claues, vnam qua cor claudit & aperit, alteram qua atrij exterioris corbonam, id est arcam, in necessitatibus familiæ suæ similiter claudit & aperit. Cor est arca fœderis, vbi tabulæ testamenti, virga Aaron, & manna reponuntur. Tabulæ testamenti, ne ignores aut præuarices legem Dei. Virga Aaron, quæ fronduit & floruit, vt timeas offensam, quia virga: serues gratiam, quia frondosa & florida. Manna (C) vt per spiritum adoptionis degustes & prælibes gloriam absconsæ dulcedinis Deum timentibus: cuius stillicidium ad quod lætatur germinans, sufficit in præsenti vita, & abundantia seruatur in alia. Exclusa itaque omni malitia & iniquitate à corde, sola deambulet in suo pomerio caritas, sola ibi pascat, & cubet in meridie. Non videat illam ingredientem & deambulantem oculus nequam, qui fascinauerat Corinthios, & iniquos presbyteros. Cum tamen placuerit, aduocet puellas suas de terra Israël, vt afferant ei smigmata suauissimi odoris, & oleum lætitiæ, de quibus aspergat cubile suum ad aduentum sponsi, qui de sua propagine non nisi cœlestes & mansuros fructus generat. Deinde egreditur ad hortum nucum, ad hortum pomorum suorum, vt videat poma conuallium, & inspiciat si floruerint vineæ, & germinauerint mala punica, ad hortum vtique nucum, eremitarum & reclusorum, hortum pomorum in seculari habitu religiose viuentium poma conuallium, qui elegerunt abiecti (D) esse in domo Dei: vineas ferventes spiritu: mala punica, qui crucifigunt carnem suam cum vitiis & concupiscentiis. Ponit namque signa sua pietatis opera, caritas in exitu actionum super summum, id est palam. Ponit namque & proponit, quatinus per signa extrinsecus apparentia deprehendatur intus latens veritas. Vnde, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* (Matth. 7. 16.) Caritas enim aquas suas in plateis diuidit, vt bibant homines & iumenta, quia sapientibus & insipientibus, debitrix est. A corde tamen egreditur, & ad cor regreditur: quia cornua altaris ex ipso sunt procedentia, & nullum bonum opus remunerabile, quod non surgit de bonæ voluntatis radice. Ponit igitur caritas affectum cordis & obsequium operis. Affectus latet, opus patet. Sic habet caritas & secretum suum, & publicum in secreto quiescit, in publico operatur. Imitatur operantem sex diebus, & sabbato quiescentem. Duplex verò est officij ratio. Alia enim consideratur inter amicos, alia inter extraneos. Aliud est munus amicale, aliud generale. Amicale de corde exigitur, & in corde seruatur. Generale de arca extrahitur, nec ibi retinetur. (E) Riuus amoris non siccatur largiendo quod habet: sed arca extenuatur, dum euacuatur. Carius itaque est munus, quod nec arescit profusione, nec deficit largitione. Appetibilius tamen sæpe requiritur, quod in manu, vel sinu refunditur, quam illud quod in medullis amicalibus per fidem reconditur. Exteriora siquidem & visibilia, quia vsibus humanis necessaria sunt ab his amplius diliguntur, quorum appetitus tenacius in temporalibus quàm in spiritualibus irretitur. Qui verò calcaris grossioribus carnis fæculentis cubilia spiritus ingressi, tubuliari in spiritualibus consueuerunt; in amicis quærunt gratiam non pecuniam, fidem, non extrinsecam possessionem veritatem inuiolabilem, non vtilitatem temporalem. Qui enim cor hominis habet, quid est hominis, aut in homine, quod non possidet? Hinc est quòd in Christo, quem pater de corde suo eructauit, quando vel æternaliter æqualem sibi genuit, (F) vel temporaliter de virgine incarnari constituit, omnia nostra sunt: iuxta Apostolum qui ait, *siue Cephas, siue Apollo, siue mors, siue vita, omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei.* (1. Cor. 3. 22.) Forte dicitis. Vt quid, & ad quid hæc? Quis legi in litteris vestris, vos amisisse veteres amicos, nec comparasse nouos. Concedo amisisse, si opinione aut veritate constat inueteratos esse. Vera certè amicitia puritate virginea, & caloris perpetuitate, neque adulteratur, neque refrigeratur; sed quotidiana renouatione cum sole semper oritur, nec moritur. Si vnquam ergo habuistis amicos, adhuc habetis non inueteratos, quod esset vitium, sed remotos, quod est opus diuinum. Sic enim Deus homines tanquam grana spargit & seminat. Nonne Apostolos seminans ait, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* (Marc. 16. 15.) Veniendo Euangelica prædicatione sparsit, spargendo in vniuersum mundum vnitate fidei vniuit. Sic nostræ amicitiæ vinculum neque ruptum, neque laxatum erga vos, sed protractum vsque ad sedem vestram Episcopalem (G) interruptum & semper nouum existit. Nescio si fortiùs, scio tamen quia tenetius absentia me vobis, immo vos mihi inuiscerat, quam fecerit præsentia. Hoc probabile & necessariam argumentum est perfectæ dilectionis, quando eo amplius incendit affectus, quo remotius separat locus. Præsentia siquidem suo visu solatiatur, & satiatur visu: famelica verò absentia præ inopia etiam amaris iuniperi corticibus sustentatur, & ad solitam visionis dulcedinem viuacius inflammatur, & nutritur tenacius. Duris agitatur stimulis desiderium, quod semper quærit & nunquam inuenit. Vnde Psalmista, *Quærite Dominum, quærite faciem eius semper.* (Ps. 104. 35.) Et in Canticis, anima liquefacta surgit, & quærit per plateas & vicos ciuitatis quem diligit. Neque igitur stylo inueterato, neque animo scribo vobis. De his hactenus. De statu autem nostro significo vobis, quod guttæ nostræ quasdam recenter sentio guttas. Cætera nostra, Deo cooperante, in omni prosperitate sunt. a Theobaldum concorditer in Abbatem vobis substituimus, (H) & fratrem Ioannem in omnibus ipsi obedientem effecimus: si tamen cum gratia vestra remanere poterit, quod omnino consulimus. Quid enim valeat, vbi est nobiscum, certi sumus. Quid vero apud vos facturus sit, nescimus. Certa verò pro incertis sunt relinquenda. Missale nostrum mitto vobis, & breuiarium fratris Lucæ misimus: Quod vos supra modum in cibo & potu affligitis, non approbamus. Si nobiscum viuere & mori desideratis, non festinetis ad mortem? quia nescitis quid paritura sit crastina dies. Omnia possibilia sunt apud Deum, qui desiderium pauperum frequenter exaudit.

* * *

NOTÆ

N O T Æ.

s *Theobaldum vob. substituimus*] Abbatem scilicet Monasterij SS. Crispini & Crispiniani, cui ante præfuerat.

EPISTOLA III.

a Theobaldo electo Cluniacensi, Petrus Abbas sancti Remigij.

GEmebundas, & quasi intestinorum suorum tumultuosa collisione seu conquestione, & velut à fulgure & tempestate percussas à vobis recepi litteras. Hominem siquidem redolebant satis conturbatum & exterritum, ac velut repentino superueniente tonitruo pene iacentem exanimatum. Nec mirum. Res namque noua, tam sua nouitate, quam magnitudine, hominem audacissimum & fortissimum potuit concutere. Qui ad crucem ducitur, gemens & lugens meritò conqueritur. Si crux à cruciatu dicitur, nonne in cruce cruciatur, cuius humeri importabili oneri supponuntur? profectò amodo tot molas supportabitis, quot monachorum curam recipietis. Quid ergo? Nonne cum Apostolo diceris, (2.Cor. 11.29) *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Ecce timor, ecce anxietas, ecce cruciatus. Sed quid? Vbi consolatio? vbi releuatio? vbi tanti doloris remedium, sine dubio in Christo. Nam ipse primus ascensor, mitigator & sanctificator crucis; qui suo cruciatu nostros absoluit cruciatus in cruce, & de cruce (Ioan. 19 26.27.) dixit, *Mulier ecce filius tuus*, & discipulo, *Ecce mater tua.* Sed quid hoc ad rem? quid ad præsentem quæstionem? Multum per omnem modum. Nam mulier est Cluniacensis Ecclesia quæ est mater omnium nostrum: quæ de fructu ventris sui plures manipulos sanctarum animarum ab Oriente & Occidente in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, iam collocauit, & sponso suo poma noua nouitiorum, & vetera antiquorum & senum, in cœlesti mensa frequenter obtulit. Quis verò discipulus sit de quo dicitur, mulier ecce filius tuus; iam credo animaduertitis. Tangit enim vos hæc sententia: quia æterna prædestinatione, & moderna vocatione, sollicitudinem huius matris vestræ decreto inuiolabili gratia Dei iniungit. Temerarium autem est, & inhumanum, tam diuinam ordinationem respuere, quam matri fidele obsequium denegare. Igitur tanquam Issachar asinus fortis, ceruicem & humeros huic electioni supponite, & de Dei auxilio fideliter præsumite, quia spiritus adiuuat infirmitatem vestram. Mihi autem amico & fideli vestro gaudium est & exultatio quod tantum amicum in tam excellenti loco merui videre sublimatum. Nam & ipse seruus & filius sum Cluniacensis Ecclesiæ. Valete, & per nos, oro, transitum facite.

N O T Æ.

a *Theobaldo electo Cluniac.*] Anno M. C. XIC. Anno vnico fuit Abbas Cluniacensium. Postea Cardinalis Ostiensis à Lucio III. Pontifice creatus est. Itaque in Vrbani III. & Clementis III. priuilegiis ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, Theobaldi huius successorem, subscribit ipse Theobaldus Episcopus Ostiensis & Veliternensis.

EPISTOLA IV.

Petrus Abbas S.Remigij, R.Canonico de Meritonia.

SImul mouentur & manus ad tibi scribendum, & nuncius ad iter arripiendum. Non sum immemor antiquæ nostræ consuetudinis, quia inuicem solebamus quamlibet informes conceptus nostrarum meditationum communicare. Ego vt senex sensu exinanitus, ætate fessus, occupatione irretitus, iam parere fœtus idoneos ad legendum deficio. Consulens autem naturali erubescentiæ meæ, potius abortiuos meos infra latebras suas sepelio, quam extra cum podore profero. Quis enim ramus fronde & fructu formosus de veternoso & emortuo trunco pullulabit? fons aridus & cisterna dissipata quas irrigabit areolas, cùm nec gutta supersit ad proprias consolandas venas? Vetus itaque homo qui corrumpitur, nouitate spiritus renouandus esset: nisi & ipse spiritus sua negligentia inueteratus iuxta Apostolum prope interitum esset. Altera istorum vetustas apparet, altera latet. Periculosior autem est latens, quam apparens. Nullum enim periculum, est, cubile vitiorum, corpus animale, hospitium de impossibilitate peccatis non exhibere. Optimum equidem est non peccare: immo & nolle: sed & bonum & non posse. Fomes siquidem peccati vtitur ætate iuuenili, velut fornace, in qua tres pueri à rege Babylonio mittuntur, & membra puerilia, tanquam ligna flammis apta, obstinatissimè succenduntur. Cum verò senectus euiscerauerit medullas corporis, & omnino debilitauerit legem membrorum, quæ repugnat legi mentis, conquiescunt strepitus vitiorum, & quia non habent vbi caput reclinent, exeunt, & deserta circumeunt. Potius ergo lætandum quàm dolendum de ista oppressione, quæ magis operatur vitam quàm mortem, remedium quàm excidium. Hæc est apparens & parum nocens vetustas. Latens verò, quia nescitur, minimè aut tarde curatur. Vnde Isaias, *Vulnus & liuor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* (Esa. 1.6.) Quis enim medicinam morbo porrigeret, quem nec oculus, nec manus attingeret? Solus itaque Dei spiritus, qui omnia scrutatur, spiritum nostrum curat, viuificat, & renouat. In medio istarum vetustatum positus spiritualem timeo, corporalem iam sperno. In fundo vitæ meæ, vbi sera parsimonia est, de reliquiis primæ præuaricationis iam iam fæces limosas exhaurio, & lumen vespere indutandum & arescendum præsentio. IESVM tamen, non minus sapientissimum quam benignissimum figulum, expecto: qui de vase fictili, vsque ad minutissimum puluerem effracto, potest aliud in resurrectione vas facere in honorem: vt sit clementior, ne dicam cautior, aut potentior in reficiendo, quam in faciendo: vt sit maior gloria secundæ domus, quàm primæ, & Adam qui primus factus est in animam viuentem, denuo fiat in spiritum viuificantem. Hæc spes in sinu meo reposita, excitat vota mea mortem non timere, sed amare, non fugere, sed patienter expectare. Interim neque dormitare neque dormire volo, sed iuxta Sapientis consilium quæcunque possum instanter operari. Hic est quod nobilem Ecclesiam nostram tam in fronte quam in ventre, cui caput secundum se deerat, fabricandam suscepimus, & vt speramus, cum Dei adiutorio perficiemus.

EPISTOLA V.

a Petrus humilis Abbas sancti Remigij Ing. Priori de Lapelee.

POstulas in litteris tuis nostrum stylum recipere, non alienum. Sed hebetatus, sed retunsus, sed denique plenus squalore & rubigine, qua facie transire poterit mare, cùm potius sua rusticitate cachinnos moueat, quàm suos lætificet hospites? Calamus quoque noster annositate & desuetudine quassatus, necnon & terrenorum sollicitudine assidua obstructus & obstrictus, raucè sonat, nec iam

auditures

auditores suos demulcet, sed malè commouet. Ne tamen filij & amici carissimi petiunculam excludam, vel eludam, emendicatis repressis coloribus rhetoricis, & leporem sermonis postponens, dies Dominicæ passionis præ oculis habens, moneo cum IESV partiri suas contumelias, suas passiones, sua flagella, sua sputa, & totum cursum patientissimæ dispensationis, qua pro nobis vsque ad inferna descendit. Reduc IESVM à planta pedis vsque ad verticem vulneratum ante oculos tuos, aut animum deduc ad locum & focùm vbi Petrus negauit, & quæ cordis medulla non liquefacta totum altare tam æneum quàm aureum sua aspersione implebit? Psal. lxv. 14. *Holocausta*, ait Psalmista, *medullata offeram tibi*. Medulla animæ non est nisi de infusione gratiæ. Si anima, licet macra tamen esuriens & sitiens, magno appetitu stillicidia elambuerit gratiæ, vespere, & manè, & meridie: vespere, complantata similitudini mortis IESV; mane, renouata cum resurgente IESV; meridie, translata ad dexteram patris cum IESV: certè inebriabitur ab vbertate domus Dei, Psal. lxii. 6. dicens, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. Quare non saginaretur de vitulo saginato? Quare non inebriaretur de flumine quod lætificat ciuitatem Dei? Habes vinum de vite vera expressum in torculari crucis, & attractum aperto ostio lateris. Sicut enim tonellus foratur, vt vinum habeatur, sic latus Christi lanceâ militis apertum est, vt exiret aqua baptismatis, & sanguis nostræ redemptionis. Hunc quotidie sumimus in altari sub specie vini. Altare siquidem est Psal. xxii. 1. locus pascuæ, de quo dicitur, *In loco pascua, ibi me Dominus collocauit*. Et in Canticis, Cant. 1. 7. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Quid est in meridie? In luce, in puritate, in veritate, in charitate. Qui latet vt anguis in herba, abscondens peccata sua, non est in meridie qui impudice viuit, & templum Dei violat immunditiâ aliquâ, non est in meridie, qui dolosus & fraudulentus est, speciem pietatis habens & virtutem abnegans, non est in meridie, qui tepet odio fraterno, non est in meridie. Non ergo ipsum, vel cum Psal. cap 7. ipso pascit Christus qui dicit, *Superbo & insatiabili corde cum hoc non edebam*. Non cubat etiam nisi vbi pascit. Sed de his hactenus pro tempore. De me verò si vis scire, onere tam annorum quam peccatorum quotidie more meo solito premor. Tamen benignitate & clementia Dei adhuc excedere valeo, & iniuncta officij negotia vtcumque procurare. Pacem etiam bonam cum fratribus nostris, & cum Archiepiscopo, & cum omnibus hominibus habeo. Caput Monasterij nostri renouare aggredior, & cum Dei auxilio iam opus inchoatum ridet, & sequentis operis auspicia nobilia spondet. Non excidit à memoria, quod aliquando mihi quasi reprehensoriè dixeris, studere alia opera facere, & non curare de Monasterio. Hoc verbum etsi perfunctoriè fuit dictum, non transitoriè fuit auditum. Mille enim libras, adhuc simul quingentas postea pro opere Monasterij expendi. Saluto fratrem Dudonem. De bono odore vestræ conuersationis gaudeo.

NOTÆ.

a *Ing. Priori de Lapel.*] Ingelberto fortasse, aut Ingelranno, quem Lapelensi S. Remigij in Anglia Prioratui præfecerat.

EPISTOLA VI.

a *Tusculano Episcopo, Petrus Abbas sancti Remigij.*

IGnis diuinus non minùs est perpetuus, quàm in hostiis Deo dicatis sanctificandis sanctus. Hinc est quòd in altari, vbi tam holocausta, quàm sacrificia, quotidie ad expiationem peccatorum Deo immolantur, iugis & perpetuus ardet. Quid autem hoc est, nisi quod Apostolus ait, *Charitas nunquam excidit*? 1. Cor. xiii. 8. Nam pura à simulatione, munda à sæculari ambitione corda, Christi acceptabilia sunt altaria, siue templa. Forcipe igitur litterarum vestrarum suscepi in aureo thuribulo bonorum verborum sacras euaporationes iamdudum succensæ fornacis ex mutua inter nos visione & allocutione. Deo gratias, quia non inueni aquam crassam imminutæ dilectionis, sed ipsum ignem, non fumantem, sed flammantem in penetralibus tanti domini & amici. Putabam illum suffocatum cineribus tantarum sollicitudinum, & varietate succedentium occupationum. Præterea causam & quæstionem grauissimam aduersum vos habebam, si iustum habuissem iudicem. A quo enim primordia cognitionis & dilectionis cum Abbate sanctorum Crispini & Crispiniani piæ memoriæ habuistis, nisi à nobis? Quare ergo de nostro bono opere nos lapidastis? An non lapidasti, quem tot amaritudinibus & afflictionibus de eius absentia concussistis? An non Iacob furtum Laban de filiabus suis fecistis? Fortè furtum non negatis, sed pium appellatis. Sed si furtum, quomodo pium? si pium, quomodo furtum? Probo autem furtum. Nam furtum est contrectatio rei alienæ inuito domino. Romam certè ad Concilium non iuisset, nisi illum misissem. Præter spem, & præter voluntatem meam illum retinuistis, & fratrem & patrem vobis fecistis. Hoc tamen nec illi, nec nobis placuit. Mallet cellam Montis Dei incolere, vt frequenter mihi scripsit, quàm Episcopalem cathedram tenere. Quid igitur? Deus qui omnia conclusit, & meas querimonias præuenit, faciendo quod facere piè & misericorditer consueuit. Præuenit illum benedictionibus suis, & quem olim amicum & fratrem in terris habebamus, nunc dominum & sanctum in cælis veneramur. Miracula enim, quæ facit Deus, testimonia credibilia sunt sanctæ conuersationis eius. Itaque digitum superpono ori meo.

NOTÆ.

a *Tusculano Episcopo.*] Petro, vt dictum lib VIII. epistola XXI. Petrum de Papia, hoc est Ticinensem, vocat Rogerus Houedenus, de absolutione agens Vuilelmi regis Scotiæ per Lucium III. anno M. C. LXXXII.

EPISTOLA VII.

a *Abbati sancti Ægidij Petrus Abbas sancti Remigij.*

VAgabundas frequenter literas ad diuersos huc illucque absque emolumento aliquo deuoluimus. Vna verò res seria plura redimit otiosa. Columna quoque firmiter locata sustinet in se residentia etiam titubantia. Vno lucro plures iacturas compensat sedulus negotiator. Vt ad nostra veniamus, delictum Iudæorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium. Hæc idcirco prælibauerim, vt non sine fructu scribam vobis. Fructum dico, non qui perit sed qui permanet. Permanet autem quicquid Deo placet. Placet verò Deo vera dilectio, pura oratio, sancta compunctio, mandatorum Dei obseruatio. Suum possessorem nec auarum nec prodigum faciunt. Auarum redderent, si dilectionem & orationem amicis non erogaret. Prodigum, nisi compunctionem & mandatorum Dei obseruationem propriè retineret. Sic monet Sapientia, Prou. v. 16. *Diriuentur*, inquiens, *fontes tui in plateis*, quod ad alios, *Sit tibi fons proprius & non communicet ex eo alienus*, quod ad seipsum. Bene offert, qui sic diuidit. Progrediatur epistola, & demissa facie quæ sequuntur eloquatur.

A quatur. Nobilitas vestra & litteratura, sicut de carne & sanguine sunt, sic carnem & sanguinem, nisi condimentum religionis interponatur, sapiunt. Regularia tamen irregularibus ab uppositis sese obiiciont. Claustralis disciplina in habitu & forma regularium deputantur. Carnalia & sæcularia regulam aut exuunt, aut interrumpunt. Operiat vtique velamen religionis turpitudinem lubricæ carnalitatis: & in Abbate monacho lateat ventosæ nobilitatis, & superfulgeat vexillum humilitatis. Dicat igitur conscientia in vestimentis ouium sepulta, *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini.* Item, *absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei IESV CHRISTI.* Vera nobilitas nunquam superbit: litteratura sæcularis inflat, si illam charitas non reprimat. Ecce super candelabrum præclarum lucerna vestra superposita in abbatia sancti Ægidij, si clarè ardet, plurimas aduentantium regiones illuminat: si declinat in obscurum seu vaporem fumi, offendit videntes. Sic itaque luceat B lux vestra, vt videntes glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

Psal. LXX. 17. Gal. VI. 14.

NOTÆ.

a *Abbati S. Ægidy*) Viro nobili & litterato. Monasterium est in Septimania, haud procul à Rhodani confluentibus, quod oppido etiam nomen fecit, sui primum iuris, in Cluniacensium postea disciplinam potestatemqoe translatum.

EPISTOLA VIII.

a *Petrus Carnotensis electus Capitulo Cisterciensi.*

SAncta sanctorum studia impedire non minoris æstimo culpæ, quàm Angelica & diuina negotia interrumpere. C Tanti vero reatus pœnam timeo incurrere, si vos ad diuina & in diuinis occupatos, vanis & superfluis tentauero verbis retinere. Excusat tamen quandoque vrgens necessitas ingerentem se importunitatem quando & si reprimit ad modicum festinationem, non perimit aut deprimit penitùs necessariam operationem. *Vtinam*, inquit Apostolus, *sustineretis modicum quid insipientiæ meæ!* Non arguitur insipientiæ formica, quæ sibi præparat escam in æstate. Non arguitur insipientiæ villicus iniquitatis, qui fodere non valens & mendicare erubescens, fecit sibi amicos, qui reciperent illum in æterna tabernacula. Non ad insipientiam est mihi, si non de mammona iniquitatis, sed de supplicatione humilitatis, & debito fraternæ charitatis interpello dominos meos & fratres carissimos, quatinus me commemorent inter sui gaudij socios, & futuræ expectationis amicos. Recolat igitur sanctissimum vestrum Collegium, vnum me esse de alumnis beatissimi Bernardi, cuius D merito Cistereiensem ordinem Deus vsque ad mare & vltra dilatauit, & vsque ad nubes, vt istæ quæ adhuc supersunt reliqoiæ testantur, magnificauit. Inter cætera sua beneficia contulit mihi superna gratia, eo viuente, adfuisse in his castrorum Dei conuentibus & commendatum, atque receptum tam beneficiis quàm orationibus. Translato etiam ipso ad cælestem curiam, semel adiui dominos meos & fratres carissimos, replicans & inculcans societatem & charitatem antiquitus indultam. Prostratus itaque licet absens, pedibus totius sanctæ huius congregationis, semper expectatum & expetitum, nec non etiam expetendum imploro suffragium. Vester fui, vester sum, vester semper ero. Alienos ad sinum suum colligit vestra charitas, & me leonibus, lupis, vrsis, & malis bestiis indefensum exponitis? Cellensem enutriitis, Remensem amastis, Carnotensem proiicietis? Vbi maior necessitas, ibi expirabit charitas? vbi summum periculum, ibi nullum E subsidium? vbi descendens ab Hierusalem in Iericho semiuiuus relinquitur, post sacerdotis & leuitæ negligentiam, Samaritani pectus indurabitur, ne oleum & vinum vulneribus sauciati infundaotur? Absit vt fons olei arescat, vt lecythus olei in sancto ordine vestro deficiat. Certè si in vobis defecerit sanctus, muodus remanebit immundus. Non esset dolor Angelis Dei, sicot dolor iste. Pax itaque æterna & gratia sit vobiscum. Amen.

NOTÆ.

a *Petrus Carnotensis electus.*] Post Ioannem Saresbetiensem, vt dictum est lib. VII. epistola VI. Supplementum Sigeberti anno M.C.XXCII. *Obiit Ioannes Carnotensis Episcopus, & successit ei Petrus, qui fuerat Abbas S. Remigy Remensis.* Ante hæc autem Abbas fuerat Cellensis, superstite adhuc S. Bernardo.

F

EPISTOLA IX.

a *Nicolaus monachus sancti Albani, Petro Abbati sancti Remigy.*

INuectionis palliatæ saturatus opprobrio, & ironico crapulatus a vino, verè putabam me missionem accepisse, & fædus iam cum silentio pepigisse. Quid senserim sanè de priuilegio singularis integritatis in virginum Virgine scripseram, & metam ibi fixeram: & ecce meus Petrus de noua materia nouum suscitat ex insperato bellum, & omnes Virginis domesticos prouocat ad indignationem, & doctos in lege domini ad præsumptionis minus Catholicæ contradictionem. Quandiu tractabatur de articulis, qui sic vel aliter poterant intelligi, sana vtramque fide, dissimulabam, & animus noster si concepit non peperit dolorem. Nunc autem cùm tuba canitur, quòd Virgo peccatum senserit, & G sentiendo debellauerit, non dissimulo, non patienter ago, vix manus teneo, quin in publicum hostem irruo. Sed priusquam pro communi omnium Virginis domesticorum indignatione respondeam, lapidem offensionis & scandali petram contueor, quem in nostra epistola inuenit, qui nodum in scirpo sæpius quærit? & praua priuatæ læsionis indirecta, & aspera redigam in vias planas. Lapis itaque lapidem offendit in eo quod dixi, Virginis ipsius animam pertransiuit gladius, non solùm olim in filij passione, sed etiam nuper in cóceptionis suæ condemnatione, & ironico typo subsannans hîc bonum dormitasse Homerum Aristotelico more sic logicat. Esto, nostra placent ei obsequia, nunquid passibilis est adhuc eius anima? Fides supplet irrefragabilem conclusionem, vt vera impassibilitas & immortalitas nullas admittat molestias. Miror, & indignor virum Ecclesiasticum, in diuinæ scripturæ figuris exercitatũ, has loquendi figuras ignorare, vel earum scientiam dissimulare. Nonne legitur Deus ze- H lans, irascens, pœnitens, dolore cordis intrinsecus tactus, antequam fuerit humanatus? Nunquid ideo eius diuinitas sensit passionum molestias, quia nostro more de ipsa loquitur scripturæ auctoritas? Nunquid Angelos sollicitudo inquietat, quia leguntur securi de sua, solliciti de nostra gloria? Tanta est huius tropi copia in diuina pagina, quòd ipsa abundantia generat inopiam. Pauca igitur de multis sapienti sufficere debent in tam plano articulo. Ad petram vero scandali de corde vestro tollendam plusculum est immorandum, quia res exigit vt palàm faciam quod celare proposueram. Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione, & post eum verborum iacula emittere, quondam Sanctorum catalogo adscriptus, *b* nuper est in Ecclesia canonizatus, & ab humano iudicio exemptus. Exemptus in

quam

A quam est, ne de gloria eius dubitemus : sed non vt minua de eius dictis disputemus. De gloria Beati martyris Cypriani Beatus Augustinua non dubitat, tamen in Spiritus sancti datione eum errasse verissimè comprobat. Errorem martyrio deletum scribit, & sic docuit Ecclesiam venerari martyris gloriam, vt tamen non imitaretur errorem. Ego autem, & si dissimili scientia, simili tamen conscientia, sic veneror beatum confessorem Bernardum, vt laudem & amem eius sanctitatem, qui nec amem, nec laudem eius præsumptionem in matria Domini conceptionem. Et ne putes me magis pertinaci quam bona conscientia dicere quæ dico; audi quid ab ipsis Cisterciensibus vera religione præditis, & Virginem in veritate diligentibus, acceperim de sancto Bernardo, quorum nomina abscondo sub modio, ne odiosos faciam fratrum suorum collegio. In Claraeuallensi collegio quidam conuersus bene religiosus in visu noctis vidit Abbatem Bernardum niueis indutum vestibus, quasi ad mamillam pectoris furuam habere ma-
B culam. Quem ex admiratione tristior alloquens, Quid est, inquit, pater, quòd nigram in te maculam video? & ille, Quia de Dominæ nostræ conceptione scripsi non scribenda, signum purgationis meæ maculam in pectore porto. Frater visa conuentui innotuit, & aliquis fratrum in scriptum redegit. Relatum est in generali Cisterciensi capitulo, & de communi consilio scriptum perijt incendio, maluitque Abbatum vniuersitas virginis periclitari gloriam, quàm sancti Bernardi opinionem. Non sic Paulus, non sic : qui se blasphemum & iniuriosum inclamitat, vt redemptoris gloriam ampliùs extollat. Et certè vt credo ea ratione sanctus in propria persona viro simplici & de talibus nil scienti apparuit, & culpam suam innotuit, vt totius Cisterciensis Capituli discretio deprehenderet eum velle suum errorem damnari, & virgineæ conceptionis gloriam prædicari. Igitur si ego publico, quod ipse vt credo publicari voluit, hoc non est eius famam extenuare, vel gloriam euacuare, sed eius voluntatem super
C delicti sui pœnitentia exprimere. Porro facto leui per purgatorium transitu, intrauit in gaudium Domini sui, qui in diebus suis sanctitate venerabilis, opinione singularis, eloquentia suauis, & signorum innouatione, immutationeque mirabilium extitit mirabilis. Hæc ego de beatissimo Abbate Bernardo. Nunc de statera mea, quæ in hoc, vt scribitis, videtur mentiri quod dixi, Virgo singularis vicit omne peccatum, non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo. Quod non omne debellauerit, testimonium perhibent, homicidium, adulterium, furtum, & horum similia multa peccata, quæ eius affectum nunquam momorderunt, eius memoriam nunquam contaminarunt, eius denique opinionem nunquam læserunt. Testimonium etiam perhibet conscientia petrina : quæ etsi cotibus sit durior, hanc tamen abhorret duritiam, quam totus mundus abhorret. Os enim aliter sentiens non solùm est obstruendum fimo, sed lapide conterendum duris-
D simo. Quòd nullum prorsus senserit peccatum Virgo peccati destructrix, hoc videtur sentire beatus Augustinus, vbi inhibet Virginis mentionem in peccati mentione. Hoc videtur sensisse & prophetico spiritu prædixisse Dauid, vbi Verbum incarnari desiderans, dicit : *Surge in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Surgere enim Verbi, fuit ab occulto suo
Psal. cxxxi. 8. prodire in nostrum publicum, inuisibilem fieri visibilem habitu carnis indutum. Incarnatum itaque desiderat surgere in requiem, quam signanter dicit suam; vt à communi hominum requie distinguat, quam
Psal. cxiv. 7. idem Dauid designat alibi, *Conuertere*, inquiens, *anima mea in requiem tuam.* Requies animæ humanæ in hac vita est, vel deuicta, vel sopita carnis contradictione, sensualitatem rationis imperio de facili obedire. Verbi verò incarnati requies est, in carne nullam carnis contradictionem, nullam membrorum legem menti repugnantem sentire. In hanc igitur requiem suam surrexit Verbum incarnatum, & non solùm Verbum,
E sed & arca sanctificationis suæ, videlicet mater sua, de qua & in qua est Verbum incarnatum. Sicut enim in cœlo qualis pater, talis filius; sic & in terra, qualis filius, talis mater, non dico de spiritu concepta, vt filius, sed de spiritu repleta & sanctificata ex vtero matris, vt filius. Quod quidem sensit & scripsit, quem laudas auctorem in præsenti, Abbas Bernardus. Inde quippe dies Natiuitatis non Conceptionis virgineæ diem haberi solemnem : quia quæ in peccatis concepta est vt vniuersum genus hominum, sine peccato nata est vt pauci hominum. Si igitur sine peccato nata est, consequenter sine peccato conuersata est. Si sine peccato conuersata est, consequenter sine sensu peccati ex hoc mundo ad patrem assumpta est. Sed dicis, eam sine peccato sensisse peccatum. Fateor me nescire quid velis dicere. Nam exempla sentiendi, quæ proponis, nullius sunt auctoritatis, & ideo nullius ponderis. De cetero omnia exempla quæ po-
F nis, solis sensibus corporeis comprehenduntur. Possunt enim videri, audiri & tangi, & fortè olfactu & gustu percipi. Et licet quinque sint corporei sensus, tamen non dicimus, sentio ignem quia video, nec sentio aërem quia audio, nec sentio lapidem gustu, fortè picem sentio olfactu, sed de sensu olfaciendi nihil ad sensum peccati. Proinde omnia quæ posuisti sentire te dicis, quia tangis. Si igitur Virgo sensit peccatum, cùm peccatum tripliciter accipiatur in sacro eloquio, videlicet pœna peccati, culpa peccati, hostia pro peccato : vtrum hæc omnia, an duo, an vnum tantùm senserit, vellem tuo edoceri magisterio. Si enim sic intelligis, sensit peccatum, id est pœnam peccati, sic & ego intelligo. More quippe nostro esuriuit, sitiuit, friguit, & multis tribulationibus decocta, nostris calamitatibus subiacuit, & ex talium in Christo patientia, multimoda meritorum prærogatiua efflotuit, absque his quibus intrinsecus quotidie proficiebat : nouis videlicet virginitatis dilectio-
G ne, singulari Dei contemplatione, incomparabili proximi charitate, tota virtutum omnium pulchritudine, nulla maculæ vel leuissimæ turpitudine. Nam cùm meritorum nostrum summa consistat in patiendo pro Christo, & in diligendo Christum, Deum videlicet, & proximum nostrorum: in his duobus excitata est ad plenum agonista nostra ante aduentum Verbi in vterum eius; vt nec ei deesset vel cum carne, vel cum hoste certatio, nec pacatissimi animi contemplatio. Proinde dispendium merendi non sustinuit, quæ tot tentationibus exposita, gratia, qua ante obumbrationem plena, & Dominus cum ea fuit, omnes debellauit, & omnes superauit. Dispendium, inquam, merendi non sustinuit, quæ in dies operatione proficiens pariter & amore, optimam Mariæ partem adimpleuit, & Marthæ sollicitudinem per ætatis teneritudinem non exclusit. Quod si intelligis, sensit peccatum, id est, sensit culpam peccati, more nostro legem membrorum sensit, motus pudendos sensit, pi-
H cem titillationis sensit, & inquinata est ab ea, quod absit. Tun venerabilis Carnotensium Episcopus in Chronicis suis scripsit, duodecimo anno ætatis suæ Virginem ab Archangelo Gabriele salutatam, & à spiritu sancto obumbratam : infra quem ætatis annum non permittit natura moueri pubescentium genitalia. Terminus igitur pudendi motus in Virgine à Spiritu S. præuentus reliquit nos dubios, vtrum à die conceptionis, an à die natiuitatis, an certè à die superuentionis Spiritus S. in virgine virgo liberata sit à contradictione carnis pudenda. Vnde & Augustinus dubitatiuè de Christo dixit, Quod inde suscepit, aut suscipiendum mundauit, aut suscipiendo mundauit. Sed modis omnibus constare nobis debet, quòd virgo singularis nunquam in carne, in qua & de qua Christus homo factus est, motum illicitum sensit, nunquam legem membrorum sensit, nunquam quod non voluit egit, nunquam sensit quod sentire non decuit. Cùm igitur ante duodennatum ex

A naturæ beneficio, post duodennatum ex gratiæ do-
no peccatum sentire non potuerit; quando sensit &
sentiendo debellauit virgo peccatum, quæ aliis
temporibus in terris non vixit? Si de Salomooe &
Achaz das instantiam, qui vndecimo ætatis suæ anno
genuerunt filios, scias quia singulare priuilegium non
facit legem communem: vel certè, quia reprehendit
eos scriptura de incontinentia, potuit fieri vt obscœnis
motibus genitalium infirma irritarent, & pudoris clau-
stra rumperent, & de animi sui peruersitate intra suæ na-
turæ inolita peruerterent, noo communem hominum
naturam exterminarent Radicatus & fundatus io mon-
tibus sanctarum auctoritatum, da sanctam auctoritatem,
quæ perhibeat Dominam nostram sensisse peccatum,
quæ ita distinguat seosum peccati, videlicet io ignis, in
picis, in lapidis, in aëris sensum; & errasse me fate
bor. Quod si uoo occurrit, qua fronte audes fingere
noua commenta in tantam virginem? quâ dementiâ in-
famare sensum genitalium, quæ Saluatorem saluo pudo-
B ris titulo sudetunt? Quæ prærogatiuæ distinctio inter
singularem virginem & alias sanctas virgines, si pecca-
tum seusit vt aliæ, sed non consensit peccato, sicut
nec aliæ? Quo gratiæ merito præmuniuit, ante virtu-
tis obumbrationem dico, si ipsam cum vniuerso homi-
Rom. VII. 24. num genere exclamare necesse fuit, *Quis me liberabit de*
corpore mortis huius? Parciùs nouas in virginem adin-
uentiones de spiritu tuo cudere debuisses, quam de spi-
ritu suo Deus pater tam gloriosè fœcundauit. Si ergo
aliquid scribo de Virgine, quod non legetur in Cano-
ne, laudem tamen sapit Virginis, laudem & filij Vir-
ginis: & occasione scripturæ Canonicæ, vel vera scri-
bo, licet occulta, vel verisimilia & ipsa Catholica.
Præsumuntur multa de Virgine, quæ nusquam leguntur:
& præsumptionibus standum est, donec probetur in
contrarium Singularis Virginis priuilegium non ha-
bet similitudinis consortium. Non solùm singulare est,
quòd Virgo concepit, sed & quòd Virgo sola & prima
in Israël virginitatem adamauit. Non solùm inaudi-
C tum, quòd Virgo peperit, sed & quod Virgo citò
Angelo credidit, & de facto non dubitans modum
conceptionis inquisiuit. Et iu hunc modum distin-
gue inter Virginem nondum matrem, & Virginem iam
matrem: vt singulari vtrobique cæteris virginibus præ-
rogetur priuilegio, quæ singulariter nondum mater,
Angelo testante, gratia plena fuit; & singulariter iam
mater Spiritus sancti sacrarium extitit: quæ nondum
mater, quasi lana candidissima, nullius peccati sensu
maculosa fuit, & singulariter iam mater, quasi purpu-
ra conchylij tincta, ita Spiritu sancto compluta & ma-
defacta fuit, vt nullis de cætero vsibus manciparetur,
nisi diuinis. Multa in hunc modum occurrunt differen-
tiarum genera, quibus Virgo nondum mater differt à
se Verbi matre, licet nunquam peccatum senserit, vel
nondum mater, vel iam mater. Vellus quippe, cùm sit
de corpore, vt ait Hieronymus, corporis non sentit
passionem: sic & nostræ Virginis virginitas, cùm sit
in carne, non sensit vitia carnis. Sed dicis, Multiformi-
D ter peccatum sentitur: aliquando cum peccato, ali-
quando sine peccato. Sine peccato sentitur, sicut aër.
Hoc exemplum nullius est auctoritatis, vt dictum est,
sed nec intelligentis expressiuum. Aër quippe sentitur
aliquando intensiùs, aliquando remissiùs, secundum
motus sui impetum, vel leniorem vel asperiorem: &
durior est aëris frigidi sensus asperior, quam ignis te-
pidioris leuior, vel lapidis, vel picis remotior. Eapro-
pter me non mouent exempla, quæ tam remota sunt à
re, ad quam explicandam sunt inducta. Recurramus ita-
que ad sensum Ecclesiæ, & secundùm quod ipsa sentit
de sensu peccati proferamus in medium, & videamus
quo sensu Virgo potuerit sentire peccatū, sine sensu pec-
cati. Cùm igitur peccatum Ecclesiastico sensu tripliciter
dicatur, vt dictum est, videlicet pœna, culpa, hostia,
iungamus primò singula singulis, deinde singula omni-
bus, vt experiamur qua coniunctione verum sit, pecca-
tum sentiri sine peccato, & tandem deprehendamus,
vtrum veritas æquiuocæ coniunctionis obuiet clausulæ
voinocæ acceptionis, qua dicitur, Virgo vicit ex omni E
parte peccatum, non omne debellando, sed nullum
prorsus sentiendo. Attende rogo, si virgo pœnam pec-
cati sensit sine pœna peccati, si culpam peccati sensit
sine culpa peccati, si hostiam sine hostia sensit: & doce
quomodo hæc possint fieri. Quod si ooo occurrit, at-
tende si culpam sine pœna, vel sine hostia sensit, si ho-
stiam sine pœna, vel sine culpa sensit: & doce quæ
scriptura hæc doceat, & quid vtilitatis in præsenti dis-
quisitione habeat. Perpende denique, quòd virgo pœ-
nam peccati sensit sine culpa peccati: & hoc sensu fortè
fieri potuit, quòd peccatum sensit sine peccato, cùm
peccatum æquiuocè pœna dicatur & culpa peccati. Sed
hic sensus in nullo derogat clausulæ, qua virgo per-
hibetur omne vicisse peccatum, non omne debellando,
sed nullum prorsus sentiendo: quia in ea vniuocè vbi-
que peccatum pro culpa peccati accipitur. Ipsa quippe
culpam peccati, videlicet concupiscentiam, & cetera
quæ simul sunt & pœna & culpa peccati, ex omni F
parte vicit, quòd horum omnium nullum omnino sen-
sit. Nam serpentis sibilatio foris fuit per suggestionem,
non intus per titillationis pruriginem. Nec decuit
illam, carnem titillari, per quam meruit omnis caro à
damnatione titillationis purgari. Non decuit illam
carnem inordinatè moueri, de cuius propagine ordi-
nis disciplina demanauit; & omnem mundum sub iu-
stitiæ moderamine colligens ad vitam æternam refor-
mauit.

NOTÆ.

a *Nicolaus Mon. S. Albani.*] Refutat Petri Cellensis
epistolam, quæ fuit vltima libri VII. pugnatque pro im-
maculata B. Virginis Conceptione.

b *Nuper Canonizatus.*] Ab Alexandro III. Ana-
gniæ anno MCLXXIV. post ipsius obitum XX.

Iuo in Chronicis suis.] Non extant hæc Chronica Iuo-
nis. Et quidem veterum fere omnium, recentiorum- G
que est sententia Mariam Virginem non duodecimo,
sed decimoquinto ætatis anno Christum suæ Domi-
num concepisse.

EPISTOLA X

a *Petrus Carnotensis Nicolao sancti Albani Monacho.*

EPistola tua multifariè dentata, dum me acerrimè
mordere intendit, dentes suos in semet elisos non
iniuria collidit. Acutos equidem formido, sed putres
contemno. Subtiliter syllogizas, vel fortè paralogizas;
sed fallaciter concludis. Nostram irrides simplicitatem,
nec mirum: non enim tenes veritatem. Contra legem
fratris tui turpitudinem reuelas, non quæ est, sed quam
fingis. In humanis certè mentiri vereor: quantò ma- H
gis in diuinis? Credo, dico, assero, & iuro, beatissi-
mam Virginem nostram in æterna prædestinatione sin-
gulari priuilegio munitam, nec à sua conceptione in
aliquo violatam: sed semper mansisse & permansisse il-
libatam: & sicut beata vltra humanam & cæterorum ho-
minum naturam, sic secreta & incognita manet vltra
omnium notionem. Quamuis autem more verucum ad
inuicem nostra tentauerimus cornua, & verborum di-
uersos hinc inde protulerimus sonos: tamen vnus &
simplex oculus vtriusque nostrûm in eius obsequio &
famulatu nunquam caligauit: sed nequem Deo volente
caligabit. Vt autem gustus cibum discernit, & alius plùs
salis, alius, minus exigit: sic sensus humanus quando-
que austeriora, quandoque dulciora appetit auidiùs. Pro-
fert alius absque pondere rationis, seu auctoritatis
quod ei placuerit: recusat alius quicquid sale Euangelico
aut prophetico conditū non est. Est alius vtilior, dulcior

alius.

A alius. Ego vtilem dulci præpono Solas fauces magis demulcet dulcis : omnibus membris vtilis plus confert. Tu verba dulcia, ego vtilia quæro. Tu lenocinantia, ego salubria & confortantia. Seriis itaque intendamus. Quædam tamen seria iocosa aliquando non respuunt, immo libenter admittunt, quædam verò sic respuunt & expuunt; quòd etiam anathematizant & suspendunt. Reginæ Dominæ nostræ beatissimæ Virginis Mariæ obsequia venerationem postulant, non adulationem : maturitatem, non scurrilitatem : cordis deuotionem, non oris verbositatem : secreti admirationem, non publicam discussionem. Vterque nostrum currit post ipsam, & vtinam ad ipsam. Vt credo, vna intentio animos patificat; sed varietas sermonum, vtpote linguæ diuersæ, sensus scripturæ salua fide alternat. An scientiores, an sapientiores sumus Augustino & Hyeronymo? Nonne in fide vnanimes, in religione concordes, in charitate feruentes, in scientia scripturarum sublimes, in B auctoritate pares, in quibusdam sententiis valde sunt Gal. 2. 11. dispares? In epistola ad Galatas sic legitur : *Cum venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quàm venirent quidam a Iacobo, cum gentibus edebat. Cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant, &c.* Hieronymus defendit Petrum dicens, inuitum fecisse, & dispensatoriè simulasse, ne scilicet Iudæos amitteret : nec in hoc peccabat, quia bona intentione id agebat. Augustinus è contra dicit, Petrum illa legalia seruasse non dispensatoriè, sed verè : & eum verè peccasse, non illa seruando, sed alios suo exemplo Iudizare cogendo. Ecce cedri Libani, ecce sublimes abietes alio & alio impulsu, aliter & aliter sentiunt, sed in charitatis radice nunquam dissentiunt. Vnusquisque autem in suo sensu abundat. Nequaquam enim in articulis fidei, in iis, qui sunt duæ C oliuæ & duo candelabra ante Deum lucentia, error innascitur, pro quo alter pcriclitetur. Non itaque mirum, si nos stipulam siccam ventus rapiat in diuersa. Si tu tendis honorare Virginem, hoc ego collaudo, si contendis defendere incircumcisum sermonem, istud non approbo. Incircumcisus autem sermo est, qui originale præputium trahens de ventre sensus humani arbitrij, cultro petrino non amputatur ad regulam Euangelicæ auctoritatis. Si omnes sermones superfluos communicarem, & huic nostro scripto insererem, nemus iuxta altare complantarem. Saluo nomine & numine sacratissimæ Virginis, verbale duellum non recusarem, si vacaret legere, si scribere, si arma quærere in scutariis Salomonis. Si aures & oculos suos clauserit Domina nostra, & nænias disputatiuncularum nostrarum nihili penderit, in cauernis suis Anglum Francigena conclusum & ligatum vsque ad tempus mille annorum consignabit. O magister doctissime! dormiens, an vigilans, tubam canentem audisti, quòd Virgo pecca- D tum senserit, sentiendo debellauerit? Quàm sis dolosus interpres in occultis, patet in apertis. Nam stylum vel calamum nostrum appellas tubam. Sed tubæ officium est vocem exaltare, styli & calami in silentio scribere. Sis ergo Dauus, qui interturbat omnia. Quo autem sensu dixerim, Virginem peccatum sensisse & debellasse, & si tu arreptus in tanto furore, quòd vix manus contines, non potes patienter audire, qui nostra legerit scripta, fauore & odio postpositis, audiat, & in statera æquitatis diligenter appendat. Ne verò auctoritate nudus circa Goliath ad bellum congrediar, antepono scutum auctoritatis qua dici- Genes. 3. 15. tur, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Quæ est hæc mulier? Virgo, quæ pro sexu, non pro corruptione, mulier appellatur. Quod est eius semen? IESVS, in quo benedicentur omnes gentes. Quæ sunt illæ inimicitiæ? Lege Apocalyp- Apoc. 12. 9. sin Ioannis. *Postquam*, inquit, *vidit draco quod proiectus est in terram, persecutus est mulierem.* Ecce Virginem Mariam.

E Euangelium docet, quòd draco malignus in Herode, sicut aliquando in serpente, quærebat occidere IESVM filium huius sanctissimæ mulieris. Quare Ioseph cum matre & puero, monitus ab Angelo, secessit in Ægyptum, tanquam in locum desertum. Luce clarius ad verbum exponit hoc sermo qui legitur in natiuitate eiusdem virginis, vbi dicitur, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c.* Quid est fratres, inquit actor in hoc loco, serpentis caput conterere, nisi principalem Diaboli suggestionem, id est concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quæritur, quæ mulier huiusmodi victoriam operata sit : profectò non reperitur in linea generationis humanæ, donec perueniatur ad illam, de qua nunc agimus, sanctarum sanctam. Surdus es, si non audis, cæcus, si non vides, mutus, si non clamas, infidelis, si non credis, contumax, si adhuc contendis. Vade ad natatoriam Siloe, & laua oculos, & vide quomodo verum sit, quia F sensit peccatum sine peccato. Sensit equidem, non ad læsionem, sed ad probationem : sensit, non succumbendo, sed superando : sensit extrinsecùs, non intrinsecùs : sensit hoste suggestionem iaciendo, non carne delectando, vel spiritu consentiendo : sensit propulsando, non excipiendo, vel admittendo. Quis nostrum magis honorat Virginem, qui illam prædicat absque certamine felicem, an qui in certamine fortem? *Nam mulierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius* Apostolus ait, *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Spiritus in Apocalypsi dicit, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio paradisi.* Item, *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.* Item, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Item, *Qui vicerit, dabo ei sedem mecum in throno meo.* Virgo nostra sedens iuxta sedentem in throno gratiæ filium suum IESVM, loquitur omnes victorias, quas obtinuit non dormiendo, sed vigilando, non otiando, sed pugnando, non fugiendo, sed resistendo, non cadendo, sed cædendo. An mater felicior filio, an sanctior? an fortior? an gratia plenior? Sed ductus est IESVS in desertum, vt tentaretur à diabolo : sed dicit illum Apostolus tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Qui tentatur nonne sentit tentationem? Est autem modus sentiendi secundùm virtutem non tentantis, sed tentati : debilis, debilior, debilissimus effectus sentiendi, secundum affectum & virtutem sentientis. Non enim quisquam potest iudicare quid sentias; nisi tu qui sentis. Hucusque satis sit de tuba, quam fecisti & sonuisti. Nunc autem vt ad singula epistolæ tuæ capitula, quibus meam, quam & ego confiteor, arguis insipientiam, respondeam, spineta tua sicut hinnulus ceruorum transilio. Sed me non ignorare tropos diuinæ locutionis assero : tuos verò in terra conculco. Denique comparior insolentiæ tuæ, qui de excellentissimis nostræ Virginis montibus ad profundissimam vallem descendisti, ne dicam corruisti. Licet enim in illa nihil sit verecundum, vbi omnia & singula eius membra lunâ sunt puriora, & sole clariora : tamen nostræ fragilitatis teterrima memoria, cùm audierit nominari genitalia, vix à sua excutietur palude, vix incipiet non solita cogitare. In Virgine igitur talia sacrosanctis cortinis potiùs volo honorando inuoluere, quàm nudis nominibus & manibus contrectare. Virgo certè Virgineis verbis & sancto velamine consecratis delectatur affari. Parco epistolæ meæ tua inserere verba, quæ tamen non parco reprehendere. Finem facere festinabam : sed nouum tuum decretum priùs volo discutere; & ex quo consilio promulgatum sit requiro. Sicut, inquis, in cœlo qualis pater, talis filius, sic in terris qualis filius, " talis mater. O Domina! ignosce dicenti quod dis- " plicet tibi. Nonne tu filij tui, licet mater, tamen ancilla? Nonne sicut oculi ancillæ in manibus Do-

[Right margin: F … Prou. 31. 10. 2. Tim. 2. 5. Apoc. 2. 7. Apoc. 3. 5. 12. 21. … G … H]

minæ suæ, ita oculi tui in manibus Domini filij tui? Non adæquabitur ei aurum de Æthiopia, nec confercetur tinctis Indiæ coloribus, quia non est inuentus similis ei super terram, qui vnus & vnicus est, & secundum non habet. Sufficit tibi, à dextris eius stare, non æqualitatis, vel qualitatis comparatione, sed gloriæ & beatitudinis stabili & æterna copulatione. Datis jam dextris pacem habeamus ad Dominam nostram, cuius tu adiutor, ego assertor, cujus tu zelator, ego amator. Suum in laude Virginis expendere ingenium & studium nec improbabile est, nec irremunerabile. Vngulam tamen, & in hoc, & in omni actione nostra & intentione, findere auctoritas iubet & ratio suadet. Discernere autem quid & quomodo debeas laudare, vngulam est findere. Qui alterum postponit, officium laudationis aut peruertit aut prorsus amittit. In modo erras, si supra, vel infra, aut extra metas veritatis quemlibet laudas: in persona, si laude indignum laudare velis. Vt ad rem veniam, tu effers nostræ Virginis laudes, ego verò offero. Tu in aëre euolas, ego interim dum in terra sum, pedibus curro. Tu præcipitas verba, ego dispono sermones meos in iudicio, & in statera appendo. Tu acerbam & immaturam vindemiam, ego in imbre matutino & serotino iam matura poma noua & vetera ad mensam comporto. Virginem laudas, & ego laudo. Prædicas sanctam, & ego. Extollis super choros Angelorum, & ego. Dicis immunem ab omni peccato, & ego. Asseris Dei genitricem, adstruis nostram ad Deum mediatricem, & ego. Versa & reuersa in quolibet statu venerationis & glorificationis, tecum vado, tecum sentio. Si verò extra communis monetæ formam vis fabricare aliam, quam non approbauerit sedes Petri, cuius est approbare, vel improbare ordinem vniuersalis Ecclesiæ, pedem fisto, & terminos constitutos non transgredior. Credo & confiteor plura esse apud nos ignota de Virgine sacrosancta, quàm nota, quia confortata est & gratia & gloria, & non possumus ad eam. Euangelio, non somniis, de illa credo, & si aliter sapio, & hoc ipsum reuelabit Deus, quando voluerit, & quomodo voluerit. Interim autem dum fit vox super firmamentum, nec descendit ad nostrum fundamentum, pennas submitto, & meæ ignorantiæ caliginem non à te, sed à patre luminum illustrandam imploro. Si ferrum de manubrio elapsum te in aliquo læsit, da veniam, eandem à me recepturus indulgentiam. Ora pro me, amice carissime, & vtinam facie ad faciem viderem te, quem scriptorum tuorum bene ornatus habitus non semel præstitit audire.

NOTÆ.

a *Petrus Carnot Nicolao.*] Respondet epistolæ præcedenti, atque ita de B. Virginis laudibus dissecit, vt satis appareat illum, quamuis in dispari de festo Conceptionis sententia, non impari tamen erga illam venerationis studio fuisse.

EPISTOLA XI.

a *H. Abbati Cluniacensi.*

NOn omissis excubiis Dominicæ sepulturæ vestri habens memoriam, sancto sabbato opus aggredior lege non prohibitum. Nec legere namque, nec scribere prohibet lex. Lugeo interim ea lege sua contra legem proscriptum IESVM extra synagogam, extra ciuitatem sanctam tunc profanam, extra vitam. Sed CHRISTVS proscriptus meliorem adiit mansionem, populum cariorem, ciuitatem sanctiorem, lectulum gratiorem, mensam suauiorem. Quid plura? proscriptus à Iudæis adscriptus est Rex & Dominus in cœlis. De exilio migrauit ad regnum: ab his qui odio habuerunt eum gratis, ad illos qui obsequuntur semper grati, à cruce ad cœlum, à patibulo contumeliæ ad thronum gratiæ. O benigna patientia, quousque sustinuisti locum contumeliosum, populum iniuriosum? Certè non vna die, non mense, non anno, sed annis multis, quatinus pœnitentiam de commisso agerent, & indulgentiam acciperent. Dormis IESV, in monumento nec ore, nec naribus vllos strepitus facis: medium noctis silentium tenent omnia, donec surgas, donec euigiles, donec Apostolos dispersos reuoces. Mittat gallus vocem, & meliùs cantet in CHRISTI resurrectione, quàm in Petri negatione. Raucè tunc cantauit dicens, raucæ factæ sunt fauces meæ à conturbatione hominum, à tempestate procellarum. Vbi enim in terra vox clara, quando Verbum suffocabatur, quinimmo & verberabatur, vt veritas supprimeretur? Sed paruo interuallo factus est terræ motus, quia surrexit Dominus, & cantauit gallus, surrexit Dominus de sepulchro. Non ter, sed millies gallus Christianorum singulis noctibus, singulis ciuitatibus, singulis sanctorum congregationibus cantat alleluia, cantat & CHRISTI mortem & resurrectionem. Vide, *Gallo canente spes redit*, *&c.* Alius quidam ineffabilis gallus de cœlo intonuit dicens, *Exurge gloria mea, exurge Psalterium & cithara.* (Psal. LVI. 11.) O fili, gloria mea! nam filius sapiens gloria est patris: exurge, vltra non dormiturus, sed mecum in gloria mea vigilaturus ad psallendum, ad citharizandum viciuis & amicis meis, qui libenter non impudenter auscultant vocem tuam. Concentum certè cœli cantando & psallendo dormire facis. Veni cum psalterio, veni cum cithara tua. In psalterio decem chordarum cantabis, quia super nouem ordines Angelorum cum homine redempto collocaberis. Citharam quoque passionis tuæ percute in auribus meis: quia illum qui non debuit condemnari condemnaui, & volo vt seniot ille frater, qui in agro occidit Abel, meam audiat diabolus symphoniam & chorum, non vt delectetur, sed vt confundatur, & sit ei in testimonium suæ malignitatis & meæ benignitatis, qui dedi filium vt redimerem seruum. Hanc portionem mihi hodie contulit Dominus de sua passione & resurrectione, antequam ad nostrum capitulum accederemus. Tingite panem vestrum in aquam crassam vituli saginati, & sicut adipe & pinguedine repleatur anima vestra. De his hactenus. Mitto fratrem Stephanum quem diligitis, cum fratre suo B. quatinus eo pacto sub fratre suo domus nostræ de Prouincia curam habeat, vt vos & fratrem eius fideiussores habeam de indemnitate bonorum nostrorum. Est enim in hoc officio nouus, & necesse est vt habeat bonos adiutores & consiliarios, donec per se ambulare didicerit.

NOTÆ.

a *H. Abbati Cluniacensi.*] Hugoni IV. qui Theobaldo Cardinali successerat. Quæ sequitur epistola, anepigrapha erat in nostro exemplari.

EPISTOLA XII.

VT breuiter tumultuosis & scrupulosis cordis vestri quæstionibus super professione facta, tam in ordine Grandimontis, quam in Cistercienſi, respondeam, id mihi videtur, quod fidem promissi non lædit qui soluit, quod promiserit, is quoque gratiæ meritum superaddit, qui plus soluerit quàm ex voto debuerit. Non est meum ordines sanctorum iudicare, neque meis stateris merita illorum appendere. Suo Domino stant, aut cadunt, stant autem. Opinionis tamen

meæ

A meæ est, plus rigoris, plus iustitiæ, plus seueritatis, plus etiam discretionis esse in ordine Cisterciensi quam in illo, qui mihi incognitus est, & de quo propter incertitudinem nullam præcipitare audeo sententiam. His omissis, ranas & muscas inquietantes penetralia cordis vestri vtinam abjicere, vel potiùs exterminare breui admonitione possem! Non ignoro, apud Aristotelem dubitare de singulis non esse inutile, Teneo autem apud Hippocratem, quòd mutationes maximæ generant morbos. Dicit Gregorius, quòd plantæ, quæ sæpe transponuntur, radices non mittunt. Paulus anathematizat qui aliud Euangelium prędicauerit quam quod ipse prædicauit, etiam Angelum de cœlo. Dominus noster IESVS-CHRISTVS de Ioanne Baptista dicit, (Matth. 11. 7.) *Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam?*
B In parabola quoque Euangelij, dum fatuæ Virgines irent emere oleum, clausa est ianua? Harum auctoritatum sensus hic est: ne instabiles simus, ne (E) omni vento circumferamur, ne dicamus, ecce hîc CHRISTVS, ecce illic. Videte itaque vocationem vestram, & bases & plantas vestras statuite supra petram, & cum Iob dicite, *In nidulo isto moriar, & tanquam palma multiplicabo dies.* (Iob. xxix. 18.) Rogo amicitiam & fraternitatem vestram, vt parcatis vobismet ipsis, & pro certo sciatis, quia vnum ad salutem sufficiens est & necessarium, Deo se committere, nunquam cum Deo disputare. Prælato in omnibus obedire; omnia sua onera humeris eius imponere, & sufficientem responsalem in Dei judicio contra omnes aduersarij allegationes tam veras quàm falsas illum constituere; in simplicitate, non in subtilitate, Deum quærere.

F





